BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 R
9 h

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 R
9h

Digitized by Google

C 539

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

INSTITUTIONUM

CHRISTIANÆ RELIGIONIS

LIBRI QUATUOR.

EDITIO POSTREMA,

Innumeris mendis, quibus priores hactenus ſcatuére, liberata:

Cui acceſſerunt

EPISTOLÆ atque RESPONSA,

Tam ipſius CALVINI quam inſignium aliorum in Eccleſia Dei virorum.

UNA CUM

Indicibus ſuis utrobique, ut auctioribus, ita accuratioribus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

Potentiſſimo, Illuſtriſſimoque Monarchæ,

FRANCISCO,

FRANCORUM

REGI CHRISTIANISSIMO,

PRINCIPI SUO

JOANNES CALVINUS

Pacem ac ſalutem in Chriſto precatur.

QUum huic operi manum primum admoverem, nihil minus cogitabam, Rex clariſſime, quam ſcribere quæ majeſtati tuæ poſtea offerrentur. Tantum erat animus rudimenta quædam tradere, quibus formarentur ad veram pietatem qui aliquo religionis ſtudio tanguntur. Atque hunc laborem Gallis noſtris potiſſimum deſudabam, quorum permultos eſurire & ſitire Chriſtum intelligebam: pauciſſimos autem videbam qui vel modica ejus cognitione rite imbuti eſſent. Hanc mihi fuiſſe propoſitam rationem liber ipſe loquitur, ad ſimplicem ſcilicet rudemque docendi formam compoſitus. Verum quum perſpicerem uſque eo quorundam improborum furorem invaluiſſe in regno tuo, ut nullus ſanæ doctrinæ ſit iſtic locus: facturus mihi operæpretium viſus ſum ſi eadem opera & inſtitutionem iis darem, & confeſſionem apud te ederem, unde diſcas qualis ſit doctrina in quam tanta rabie exardeſcunt furioſi illi, qui ferro & ignibus regnum tuum hodie turbant. Neque enim verebor fateri, hic me ſummam fere ejus ipſius doctrinæ complexum eſſe quam illi carcere, exilio, proſcriptione, incendio mulctandam, quam terra marique exterminandam vociferantur. Equidem ſcio, quam atrocibus delationibus aures animumque tuum impleverint, ut cauſam noſtram tibi quam odioſiſſimam redderent: ſed id tibi pro tua clementia perpendendum eſt, nullam neque in dictis, neque in factis innocentiam fore, ſi accuſaſſe ſufficiat. Sane ſi quis faciendæ invidiæ cauſa, doctrinam hanc, cujus rationem tibi reddere conor, omnium ordinum calculis damnatam, multis fori præjudiciis confoſſam jamdudum fuiſſe cauſetur, nihil aliud dixerit quam partim adverſariorum factione & potentia violenter dejectam, partim mendaciis, technis, calumniis, inſidioſe fraudulenterque oppreſſam. Vis eſt, quod indicta cauſa ſanguinariæ ſententiæ adverſus illam feruntur. fraus, quod ſeditionis & maleficii præter meritum inſimulatur. Ne quis hæc injuria nos queri exiſtimet, ipſe nobis teſtis eſſe potes, Rex nobiliſſime, quam mendacibus calumniis quotidie apud te traducatur, quod non aliorſum ſpectet niſi ut Regibus ſua ſceptra è manibus extorqueat, tribunalia, judiciaque omnia præcipitet, ſubvertat ordines omnes & politias, pacem & quietem populi perturbet, leges omnes abroget, dominia & poſſeſſiones diſſipet, omnia denique ſurſum deorſum volvat. Et tamen minimam portiunculam audis: horrenda enim quædam in vulgus ſparguntur: quæ ſi vera eſſent, merito illam cum ſuis authoribus mille ignibus ac crucibus dignam univerſus mundus judicet. Quis jam miretur publicum odium in illam accenſum eſſe, ubi iniquiſſimis iſtis criminationibus fides habetur? En cur in noſtram ipſorum doctrinæque noſtræ damnationem omnes ordines conſentiant ac conſpirent. Hoc affectu correpti, qui ad judicandum ſedent, præjudicia quæ domo attulerunt, pro ſententiis pronuntiant: & ſe rite perfunctos ſuis partibus putant, ſi neminem ad ſupplicium trahi jubeant, niſi aut ſua confeſſione, aut ſolidis teſtimoniis convictum. At cujus criminis? Damnatæ (ajunt) iſtius doctrinæ. At quo jure damnata eſt? Id autem erat defenſionis præſidium: non doctrinam ipſam abnegare, ſed pro vera tueri. Hic muſſitandi quoque facultas præciditur.

Scribendæ Inſtitutionis Chriſtianæ conſilium.

Poſterioris authoris cogitationes, & quidem neceſſaria.

1. Orthodoxæ doctrinæ defenſio.

2. Atrocium delationum ad Regem depulſio.

3. A vi, fraude, mendaciis, calumniis horrendis piorum vindicatio.

4. Iniquitatis, quæ in judicibus ineſt, manifeſtatio.

Quare non inique poſtulo, Rex invictiſſime, ut integram cauſæ iſtius cognitionem ſuſcipias: quæ perturbate hactenus nulloque juris ordine, & impotenti æſtu magis quam legitima gravitate tractata eſt, vel quoquo modo exagitata. Neque hic me privatam defenſionem meditari exiſtimes, qua ſalvum in patriam reditum mihi conficiam: quam tametſi quo decet humanitatis affectu proſequor, ut nunc tamen res ſunt, ea non moleſte careo. Verum communem piorum omnium, adeoque ipſam Chriſti cauſam complector, quæ modis omnibus hodie in regno tuo proſciſſa ac protrita, velut deplorata jacet, Phariſæorum id quidem quorundam tyrannide magis quam tua conſcientia. Sed qui id fiat, hic dicere nihil attinet. afflicta certe jacet. Hoc enim profecerunt impii, ut Chriſti veritas, ſi non ut fugata diſſipataque intereat, certe ut ſepulta & ignobilis lateat: paupercula vero Eccleſia, aut crudelibus cædibus abſumpta ſit, aut exiliis abacta, aut minis ac terroribus perculſa ne hiſcere quidem audeat. Et inſtant etiamnum qua ſolent inſania & ferocitate, fortiter in parietem

Attentionem ſibi conciliat à Regii officii conſideratione. Regum enim eſt, afflictæ Eccleſiæ cauſam ſuſcipere.

2. Chriſtianæ religionis patronos non aſpernari.

3 Impiis vo- ssatem &

rietem

Digitized by Google

Eccleſiam perſequentibus minime favere.
4. Præpoſtera modeſtiorum quorundam, quos Evangelii pudet, conſilia non audire.
5. Gloriam & veritatem Dei promovere.
6. Regiæ vocationis finem velle agnoſcere.
7. Judicia Dei formidare.
Prov. 29: 18
8. Pios pauperes & afflictos non abs ſe abjicere.
9. Doctrinam Chriſtianam, quam pauperes illi profitentur, revereri.
Dan 2: 34.
Jeſa. 11: 4.
Pſal. 2: 9.

rietem jam inclinatum, & ruinam quam fecerunt incumbentes. Nullus interim prodit qui talibus furiis patrocinium ſuum opponat. Quod ſiqui veritati maxime favere videri volunt, ignoſcendum eſſe cenſent errori & imprudentiæ imperitorum hominum. Sic enim modeſti homines loquuntur, errorem & imprudentiam vocantes, quam norunt certiſſimam eſſe Dei veritatem: imperitos homines, quorum ingenium non adeo deſpicabile Chriſto fuiſſe vident, quin cæleſtis ſuæ ſapientiæ myſteriis dignatus ſit. Adeo omnes pudet Evangelii. Tuum autem erit, ſereniſſime Rex, nec aures, nec animum à tam juſto patrocinio avertere: præſertim ubi de re tanta agitur: nempe quomodo Dei gloriæ ſua conſtet in terris incolumitas, quomodo ſuam dignitatem Dei veritas retineat, quomodo regnum Chriſto ſartum tectumque inter nos maneat. Digna res auribus tuis, digna tua cognitione, digna tuo tribunali. Siquidem & verum Regem hæc cogitatio facit, agnoſcere ſe in regni adminiſtratione Dei miniſtrum. Nec jam regnum ille ſed latrocinium exercet qui non in hoc regnat ut Dei gloriæ ſerviat. Porro fallitur qui diuturnam proſperitatem expectat ejus regni, quod Dei ſceptro, hoc eſt, ſancto ejus verbo, non regitur: quando cæleſte oraculum excidere non poteſt, quo edictum eſt, diſſipatum iri populum ubi defecerit prophetia. Nec te ab hoc ſtudio abducere debet humilitatis noſtræ contemptus. Nos quidem quam pauperculi ſimus & abjecti homunciones, probe nobis conſcii ſumus: coram Deo, ſcilicet, miſeri peccatores, in hominum conſpectu deſpectiſſimi: mundi (ſi vis) excrementa quædam & rejectamenta, aut ſi quid vilius nominari poteſt: ut, quo apud Deum gloriemur, nihil reſtet, præter unam ejus miſericordiam, qua in ſpem æternæ ſalutis nullo noſtro merito aſciti ſimus: apud homines vero non ita multum, præter noſtram infirmitatem, quam vel nutu confiteri, ſumma inter eos ignominia eſt. Sed doctrinam noſtram ſupra omnem mundi gloriam ſublimem, ſupra omnem poteſtatem invictam ſtare oportet: quia non noſtra eſt, ſed Dei viventis, ac Chriſti ejus, quem Pater Regem conſtituit, ut à mari uſque ad mare dominetur, & à fluminibus uſque ad terminos orbis terrarum. Et ſic quidem dominetur, ut totam terram, cum ferreo ſuo atque æreo robore, cum ſplendore aureo & argenteo, ſola oris ſui virga percuſſam, non ſecus comminuat quam figulina vaſcula: quemadmodum de magnificentia regni ipſius vaticinantur Prophetæ.

Objectionis, qua Regem ab audiendo revocat, occupatio & dilutio.
1. Collata ad fidei analogiam doctrina noſtra, vera deprehenditur.
Rom. 12: 6
2. Adverſariorum, falſa.
Confirmatio à dicto Jerem. 2: 13.
A conſideratione veræ fidei.
Rom. 8: 31.

Reclamant quidem adverſarii, falſo nos prætendere verbum Dei, cujus ſceleratiſſimi ſimus corruptores. Hæc vero quam ſit non modo malitioſa calumnia, ſed inſignis quoque impudentia, ipſe, confeſſionem noſtram legendo, pro tua prudentia judicare poteris. Nonnihil tamen hic etiam dicendum eſt quod tibi ad lectionem ipſam, vel ſtudium attentionemque excitet, vel certe viam ſternat. Paulus, quum ad fidei analogiam omnem prophetiam formatam eſſe voluit, certiſſimam amuſſim poſuit, qua probari Scripturæ interpretatio debeat. Ad hanc itaque fidei regulam ſi noſtra exigantur, in manibus eſt victoria. Quid enim melius atque aptius fidei convenit, quam agnoſcere nos omni virtute nudos, ut à Deo veſtiamur? omni bono vacuos, ut ab ipſo impleamur? nos peccati ſervos, ut ab ipſo liberemur? nos cæcos, ut ab ipſo illuminemur? nos claudos, ut ab ipſo dirigamur? nos debiles, ut ab ipſo ſuſtentemur? nobis omnem gloriandi materiam detrahere, ut ſolus ipſe glorioſus emineat & nos in ipſo gloriemur? Hæc atque id genus reliqua quum à nobis dicuntur, interpellant illi, queritanturque hoc modo ſubverti cæcum neſcio quod lumen naturæ, fictas præparationes, liberum arbitrium, & meritoria ſalutis æternæ opera, cum ſuis etiam ſupererogationibus: quia ferre non poſſunt integram omnis boni, virtutis, juſtitiæ, ſapientiæ laudem ac gloriam apud Deum reſidere. At non legimus reprehenſos qui nimium è fonte aquæ vivæ hauſerint: contra graviter objurgantur qui foderunt ſibi puteos, puteos contritos, & qui continere aquam non valent. Rurſum quid fidei convenientius, quam Deum ſibi polliceri propitium Patrem, ubi Chriſtus frater ac propitiator agnoſcitur? quam omnia læta ac proſpera ſecure ab eo expectare, cujus inenarrabilis erga nos dilectio eo progreſſa eſt, ut proprio Filio non pepercerit, quin pro nobis ipſum traderet? quam in certa expectatione ſalutis & vitæ æternæ acquieſcere, ubi Chriſtus à Patre datus cogitatur, in quo tales theſauri ſunt abſconditi? Hic nobis manum injiciunt, & illam fiduciæ certitudinem arrogantia & præſumptione non carere clamant. At, ut nihil de nobis, ita omnia de Deo præſumenda ſunt: nec alia ratione vana gloria ſpoliamur, niſi ut in Domino diſcamus gloriari. Quid ultra? Percurre, fortiſſime Rex, omnes noſtræ cauſæ partes, & quovis ſceleratorum hominum genere nequiores nos exiſtima, niſi plane comperias, in hoc nos laborare, & probris affici, quia ſpem reponimus in Deo vivo: quia hanc credimus eſſe vitam æternam, noſſe unum verum Deum, & quem ille miſit Jeſum Chriſtum. Propter hanc ſpem, alii noſtrum vinculis conſtringuntur, alii virgis cæduntur, alii in ludibrium circumducuntur, alii proſcribuntur, alii ſæviſſime torquentur, alii fuga elabuntur: omnes rerum anguſtia premimur, diris execrationibus devovemur, maledictis laceramur, indigniſſimis modis tractamur. Intuere jam in adverſarios noſtros (de ordine ſacrificorum loquor, quorum nutu & arbitrio alii nobiſcum inimicitias exercent) & mecum pauliſper reputa quo ſtudio ferantur. Veram religionem, quæ Scripturis tradita eſt, quæque inter omnes conſtare debuerat, facile & ſibi & aliis ignorare, negligere, deſpicere permittunt: parumque referre putant quid quiſque de Deo & Chriſto teneat, vel non teneat, modo implicita, ut ajunt, fide, ſuam mentem Eccleſiæ judicio ſubmittat. nec valde

Quam arrogantiæ & præſumptionis non carere arroganter adverſarii dominitant.
1 Tim. 4: 10.
Joan. 17: 3.
A conformitate Eccleſiæ cum Chriſto, cui ſit conformis ſub cruce.
Ab hoſtium veritatis, ingenio, ſtudiis & moribus, graphice depictis.

afficiun-

afficiuntur ſi Dei gloriam manifeſtis blaſphemiis pollui contingat, modo nequis adverſus ſedis Apoſtolicæ primatum, & ſanctæ matris Eccleſiæ auctoritatem digitum tollat. Cur ergo tanta ſævitia & acerbitate pro Miſſa, Purgatorio, peregrinationibus, & id genus nugis belligerantur, ut ſine eorum explicatiſſima, ut ita dicam, fide, ſalvam fore pietatem negent, quum tamen nihil eorum à verbo Dei eſſe probent? Cur? niſi quia illis Deus venter eſt, culina religio: quibus ſublatis, non modo non Chriſtianos, ſed nc homines quidem futuros ſe credunt? Tametſi enim alii ſplendide ſe ingurgitant, alii tenuibus cruſtulis victitant, omnes tamen ex eadem vivunt olla, quæ ſine illis fomentis non frigeret modo, ſed penitus conglaciaret. Ideo ut quiſque eorum pro ventre eſt maxime ſolicitus, ita pro ſua fide deprehenditur bellator acerrimus. Denique huc ad unum omnes incumbunt, vel ut regnum incolume, vel ut ventrem confertum retineant: nemo vel minimam ſinceri zeli dat ſignificationem.

Impetrata audientia, ad ſex capita adverſariorum Chriſtianæ religionis calumnias revocat, quibus ſigillatim reſpondet.

Nec ſic tamen deſinunt doctrinam noſtram inceſſere, & quibus poſſunt nominibus criminari & infamare, quo vel inviſam vel ſuſpectam reddant. Novam appellant & nuper natam, dubiam eſſe & incertam cavillantur: rogant quibus confirmata ſit miraculis: quærunt an ſit æquum ut contra tot ſanctorum Patrum conſenſum, & vetuſtiſſimam conſuetudinem obtineat: urgent ut ſchiſmaticam eſſe fateamur, quæ contra Eccleſiam prælium moveat: vel Eccleſiam multis ſeculis intermortuam fuiſſe, quibus nihil tale auditum fuit. Poſtremo nihil opus eſſe ajunt multis argumentis: qualis enim ſit judicari à fructibus poſſe: utpote quæ tantum ſectarum acervum, tot ſeditionum turbas, tantam vitiorum licentiam pepetit. Scilicet perquam illis facile eſt apud credulam imperitamque multitudinem deſertæ cauſæ inſultare. verum ſi nobis quoque mutuæ eſſent dicendi vices, deferveret profecto hæc acrimonia, qua ſic in nos plenis buccis, ac tam licenter quam impune, deſpumant. Principio, novam quod appellant, Deo ſunt vehementer injurii, cujus ſacrum verbum novitatis inſimulari non merebatur. Illis quidem novam eſſe minime dubito, quibus & Chriſtus novus eſt & Euangelium novum: ſed qui illam Pauli concionem veterem eſſe noverunt, Jeſum Chriſtum mortuum propter peccata noſtra, reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram, nihil apud nos deprehendent novum. Quod diu incognita ſepultaque latuit, humanæ impietatis crimen eſt: nunc quum Dei benignitate nobis redditur, ſaltem poſtliminii jure ſuam antiquitatem recipere debebat. Ex eodem ignorantiæ fonte pro dubia incertaque habent. hoc profecto eſt quod Dominus per Prophetam ſuum conqueritur, Bovem cognoviſſe poſſeſſorem ſuum, & aſinum præſepe dominorum ſuorum: ſe non agnoſci à populo ſuo. Verum utut in ejus incertitudinem ludant, ſi ſua illis proprio ſanguine vitæque diſpendio obſignanda eſſet, liceret ſpectare quanti ab illis fiat. Longe alia noſtra fiducia eſt, quæ nec mortis terrores, nec adeo ipſum Dei tribunal formidat.

Prima calumnia, Novam eſſe doctrinam.
Rom. 4:25.
Diu incognitam ſepultamque latuiſſe.
Dubiam eſſe & incertam.
Jeſa. 1. verſ. 3.

Quod miracula à nobis poſtulant, improbe faciunt. non enim recens aliquod Euangelium cudimus, ſed illud ipſum retinemus cujus confirmandæ veritati ſerviunt omnia quæ unquam & Chriſtus & Apoſtoli miracula ediderunt. At id præ nobis habent ſingulare, quod aſſiduis in hunc uſque diem miraculis fidem ſuam confirmare poſſunt. Imo potius allegant miracula, quæ animum alioqui bene compoſitum labefactare queant: adeo aut frivola ſunt & ridicula, aut vana & mendacia. Nec tamen, etiamſi valde prodigioſa eſſent, contra Dei veritatem ullius momenti eſſe oportebat: quando & nomen Dei ſanctificari ubique & ſemper convenit, ſive portentis, ſive naturali rerum ordine. Specioſior forſan eſſe fucus poterat, niſi de fine uſuque miraculorum legitimo Scriptura nos admoneret. Signa enim quæ Apoſtolorum prædicationem ſequuta ſunt, in ejus confirmationem edita fuiſſe docet Marcus. ſic & Lucas Dominum ſermoni gratiæ ſuæ reddidiſſe teſtimonium narrat, quum ſigna & portenta fierent per Apoſtolorum manus. Cui ſimillimum eſt illud Apoſtoli, Salutem annuntiato Euangelio fuiſſe confirmatam, conteſtante Domino ſignis & portentis & variis virtutibus. Quæ vero audimus Euangelii eſſe ſignacula, eane ad diruendam Euangelii fidem convertemus? quæ veritati tantum obſignandæ ſunt deſtinata, an mendaciis confirmandis accommodabimus? Proinde doctrinam, quæ præcedere ab Euangeliſta dicitur, priore loco examinari explorarique par eſt. quæ ſi probata fuerit, tum demum à miraculis jure confirmationem ſumere debet. Probæ autem doctrinæ, authore Chriſto, iſthæc nota eſt, ſi non in hominum ſed Dei gloriam quærendam vergit. Hanc quum doctrinæ probationem Chriſtus aſſerat, perperam cenſentur miracula quæ alio quam ad illuſtrandum unius Dei nomen trahuntur. Et meminiſſe nos decet, ſua eſſe Satanæ miracula, quæ tametſi præſtigiæ ſunt magis quam veræ virtutes, ſunt tamen ejuſmodi quæ imprudentes & imperitos deludant. Magi & incantatores miraculis ſemper claruerunt. idololatriam ſtupenda miracula aluerunt: quæ tamen nec Magorum, nec idololatrarum ſuperſtitionem nobis approbant. Atque hoc olim ariete vulgi ſimplicitatem concutiebant Donatiſtæ, quod miraculis pollerent. Idem ergo nunc noſtris adverſariis reſpondemus quod tunc Donatiſtis Auguſtinus, Dominum contra iſtos mirabiliarios, cautos nos feciſſe, quum prædixit venturos pſeudoprophetas, qui ſignis mendacibus variiſque prodigiis in errorem electos, ſi fieri poſſet, inducant. Et Paulus admonuit, Antichriſti regnum futurum cum omni potentia & ſignis & prodigiis mendacibus. At hæc (inquiunt) miracula,

Secunda calumnia. Nullis miraculis eſſe confirmatam.
Contra, Papatum miraculis ſcatere.
Sed miraculis ridiculis & mendacibus.
Marc. 16:20.
Actor. 14:3.
Hebr. 2:4.
Euangelii enim fidem diruunt ac evertunt.
Joan. 7:18. & 8. verſ. 50.
Sunt Satanæ miracula.
Quibus jam olim Schiſmatici gloriabantur.
In Joan. tract. 13.
2 Theſſ. 2:9.
Matth 24:24.
Objectionis dilutio.

Digitized by Google

cula, non ab idolis, non à maleficis, non à pſeudoprophetis, ſed à ſanctis fiunt. Quaſi vero non noverimus hanc eſſe Satanæ artem, transfigurare ſe in Angelum lucis. Olim Ægyptii ſepultum apud ſe Jeremiam ſacrificiis aliiſque divinis honoribus proſequuti ſunt. nonne ſancto Dei Propheta ad idololatriam abutebantur? & tamen tali ſepulchri venetatione conſequebantur, ut curationem a tactu ſerpentum putarent juſtam illius mercedem eſſe. Quid dicemus? niſi fuiſſe hanc ſemperque fore juſtiſſimam Dei vindictam, iis qui dilectionem veritatis non receperunt, mittere efficaciam illuſionis, ut credant mendacio? Miracula ergo nobis minime deſunt, eaque certa nec cavillis obnoxia. Quæ autem illi pro ſe obtendunt, meræ ſunt Satanæ illuſiones, quando à vero Dei ſui cultu ad vanitatem populum abducunt.

2 Cor. 11:14. Hier. in præf. Jeremiæ. Et quibus mendacium (juſto Dei judicio, confirmatur. 2 Theſſ. 2:11.

Tertia calumnia, Patres, id eſt, veteres Theologos, Papatus favere.

Præterea calumnioſe nobis Patres opponunt (antiquos & meliores adhuc ſeculi ſcriptores intelligo) acſi eos haberent ſuæ impietatis ſuffragatores: quorum authoritate ſi dirimendum certamen eſſet, melior victoriæ pars (ut modeſtiſſime etiam loquar) ad nos inclinatet. Verum quum multa præclare ac ſapienter ab illis Patribus ſcripta ſint, in quibuſdam vero iis acciderit quod hominibus ſolet: iſti pii ſcilicet filii, qna ſunt & ingenii & judicii & animi dexteritate, eorum tantum lapſus & errores adorant: quæ bene dicta ſunt vel non obſervant, vel diſſimulant, vel corrumpunt: ut dicas prorſus illis curæ fuiſſe, in auro legere ſtercora. Tum improbis clamoribus nos obruunt, ceu Patrum contemptores & adverſarios. Nos vero adeo illos non contemnimus, ut ſi id præſentis inſtituti eſſet, nullo negotio mihi liceat meliorem eorum partem quæ hodie à nobis dicuntur, ipſorum ſuffragiis comprobare. Sic tamen in eorum ſcriptis verſamur, ut ſemper meminerimus, omnia noſtra eſſe, quæ nobis ſerviant, non dominentur: nos autem unius Chriſti, cui per omnia, ſine exceptione, parendum ſit. Hunc delectum qui non tenet, nihil in religione conſtitutum habebit. quando multa ignorarunt ſancti viri illi: ſæpe inter ſe confligantur, interdum etiam ſecum ipſi pugnant. Non ſine cauſa (inquiunt) à Solomone admonemur ne transgrediamur antiquos terminos quos poſuerunt patres noſtri. At non eadem eſt regula in agrorum limitibus & obedientia fidei: quam ſic comparatam eſſe oportet ut obliviſcatur populum ſuum & domum patris ſui. Quod ſi tantopere geſtiunt ἐπαγγέλιν, cur non Apoſtolos potius, quam alios quoſvis, Patres interpretantur, à quibus præſcriptos terminos nefas ſit revellere? ſic enim interpretatus eſt Hieronymus, cujns verba in ſuos canones retulerunt. Quod ſi eorum, quos intelligunt, fixos volunt eſſe terminos: cur ipſi, quoties libet, adeo licenter transgrediuntur? Ex Patribus erant, quorum alter dixit, Deum noſtrum non edere neqne bibere: itaque non habere opus calicibns neque diſcis: alter, ſacra aurum non quærere, neque auro placere quæ auro non emuntur. Transgrediuntur ergo limitem quum in ſactis tantopere auro, argento, ebore, marmore, lapillis, ſericis delectantur: nec rite Deum coli putant niſi omnia exquiſito ſplendore vel potius inſano luxu diffluant. Pater erat qui dixit, ideo ſe libere carnes edere quo die cæteri abſtinebant, quia Chriſtianus eſſet. Itaque fines tranſiliunt quum diris animam devovent quæ per quadrageſimam carnem guſtaverit. Patres erant, qnorum unus dixit, monachum, qui manibus ſuis non laboret, violento, aut ſi mavis latroni, judicari æqualem: alter, non licere monachis ex alieno vivere, etiamſi aſſidui ſint in contemplationibus, in orationibus, in ſtudiis. Et hunc limitem transgreſſi ſunt, quum otioſos ac doliares monachorum ventres in luſtris ac fornicibus collocarunt, qui alieua ſubſtantia ſaginarentur. Pater erat qui dixit, horrendam eſſe abominationem, videre depictam vel Chriſti vel ſancti ullius imaginem in Chriſtianorum templis. Neque id hominis unins voce pronunciatum eſt, ſed ab Eccleſiaſtico etiam Concilio decretum, ne quod colitur, in parietibus depingatur. Plurimum abeſt quin ſe intra hos fines contineant, quando non relinquunt angulum imaginibus vacuum. Alius Pater conſuluit ut officio humanitatis erga mortuos in ſepultura defuncti, ſineremus eos quieſcere. Hos limites perrumpunt quum perpetuam mortuorum ſolicitudinem incutiunt. Ex Patribus erat qui ſubſtantiam panis & vini teſtatur in Euchariſtia ita permanere & non deſinere, ſicut manet in Chriſto Domino ſubſtantia & natura hominis, juncta divinæ. Igitur modum prætereunt qui fingunt deſinere ſubſtantiam panis & vini verbis Domini recitatis, ut in corpus ac ſanguinem transſubſtantietur. Patres erant qui uti univerſæ Eccleſiæ unam duntaxat Euchariſtiam exhibebant, atque nt inde arcebant flagitioſos & ſceleratos, ita graviſſime damnabant omnes eos qui præſentes ei non communicarent. Hos fines quam procul ſubmoverunt; quum non templa tantum, ſed etiam privatas domos Miſſis ſuis replent, ad eas ſpectandas quoſvis admittunt, & eo quemque libentius, quo largius quiſque numerat, quantumvis impuri ſint & ſceleſti: ad fidem in Chriſtum, & fidelem Sacramentotum communionem invitant neminem: quin potius ſuum opus pro gratia & metito Chriſti venditant. Patres erant, quorum unus ab uſu ſacræ Chriſti Cœnæ in totum ſubmovendos decrevit qui alterius ſpeciei participatione contenti, ab altera abſtinebant, altet fortiter pugnat, non denegandum populo Chriſtiano Domini ſui ſanguinem, pro cujus confeſſione ſanguinem ſuum effundere jubetur. Hos quoque terminos ſuſtulerunt, quum inviolabili lege idipſum juſſerunt quod ille excommunicatione puniebat, hic valida ratione improbabat. Pater erat qui temeritatem eſſe aſſeruit, de re obſcura in utramvis partem definire ſine claris atque evidentibus Scripturæ teſtimoniis. Hunc terminum

A nobis contemni & adverſarios haberi.

Reſp 1. Nos in ſcriptis patrum, ut decet, verſari

1 Cor. 3:21. Exceptionis dilutio Prov. 22:28. Pſal. 45:11.

Reſp. 2. oſtendens 14 teſtimoniis Papiſtas eſſe Patrum adverſarios

1. Acatius in lib 11. cap. 16. tripert. hiſt. Ambr. lib 2. de off. c. 28.

2 Spiridion. trip hiſt. lib. 1. c. 10.

3. Trip. hiſt. lib. 8. cap. 1. Aug. de opere mon. c. 17.

4. Ephip. Epiſt. ab Hier. verſ. Con. Eleber. c. 36.

5. Amb lib. de Abra 1. c. 7

6. Gelaſ. Pap. in Conc. Rom.

7. Chryſ in 1. cap. Eph. Calix Papa de conſ diſt. 2.

8. Gelaſ. can. Comperimus, de conſ. diſt. 2. Cypr epiſt 2. lib. 1. de lapſ

9. Aug. lib. 2. de pec. mer. cap. ult.

num obliti ſunt quum tot conſtitutiones, tot Canones, tot magiſtrales determinationes ſine ullo Dei verbo ſtatuerunt. Pater erat qui Montano inter alias hæreſes exprobravit quod primus jejuniorum leges impoſuiſſet. [*10. Apollon. de quo Eccl. hiſt. lib. 5. c. 12. 11. Paphnu. trip. hiſt. lib. 2. c 14. 12. Cypr. epiſt. 2. l. 2.*] Hunc quoque terminum longe exceſſere, quum jejunia ſtrictiſſimis legibus ſanxerunt. Pater erat qui negavit Eccleſiæ miniſtris interdicendum conjugium, caſtitatem pronuntiavit, eum propria uxore concubitum. & Patres erant qui ejus authoritati aſſenſerunt. His finibus egreſſi ſunt quum ſuis ſactificis cælibatum ſevere indixerunt. Pater erat qui cenſuit unum Chriſtum audiendum eſſe, de quo dictum ſit, ipſum audite: nec reſpiciendum quid alii ante nos aut dixerint aut fecerint, ſed quid (qui primus omnium eſt) Chriſtus præceperit. Hunc finem neque ipſi ſibi præſtituunt, neque aliis præſtitutum habere permittunt, dum quosvis potius & ſibi & aliis magiſtros quam Chriſtum præficiunt. Pater erat qui contendit Eccleſiam non debere ſe Chriſto præponere, [*13. Aug. c. 2. cont Creſc. grammatic.*] quia ille ſemper veraciter judicet: Eccleſiaſtici autem judices, ſicut homines, plerumque fallantur. Hoc etiam fine perrupto, aſſerere non dubitant totam Scripturæ authoritatem ab Eccleſiæ arbitrio pendere. Patres omnes uno pectore execrati ſunt & uno ore deteſtati, [*14. De ſcholaſticis doctor. judicium. Vide hujus operis l. 2. c. 2. ſect. 6. & l. 3. c. 4. ſect. 1. & c. 7. 13. &c. & alibi paſſim.*] ſanctum Dei verbum ſophiſtarum argutiis contaminari & dialecticotum rixis implicari. An iſti iis limitibus ſe continent, dum nihil aliud in tota vita moliuntur, quam infinitis contentionibus & pluſquam ſophiſticis jurgiis Scripturæ ſimplicitatem involvere & impedire? ut ſi nunc Patres ſuſcitentut, & hujuſmodi jurgandi artem audiant, quam ſpeculativam theologiam appellant iſti, nihil minus credant quam de Deo haberi diſputationem. Verum latius juſtis ſpatiis ſeſe oratio noſtra effunderet, ſi recenſere vellem quam petulanter iſti Patrum jugum, quorum obſervantes filii videri volunt, excutiant. Menſes profecto atque anni me deficerent. Et adeo perdita ſunt deploraraque impudentia, ut nos caſtigare auſint quod terminos antiquos transgredi non dubitemus.

Jam vero quod nos ad conſuetudinem vocant nihil efficiunt. [*Quarta calumnia, Non conſuetudinem laudatam non ſequi.*] Injuſtiſſime enim nobiſcum ageretur ſi conſuetudini cedendum eſſet. Equidem ſi recta eſſent hominum judicia, conſuetudo à bonis petenda erat. verum longe aliter ſæpiuſcule agi contingit. quod enim à multis fieri conſpectum eſt, conſuetudinis jus mox obtinet. Atqui vix unquam tam bene habuerunt res humanæ ut pluribus placerent meliora. Ergo ex privatis multorum vitiis publicus error plerumque factus eſt, vel potius communis vitiorum coonſenſus: quem nunc boni iſti viri pro lege eſſe volunt. Vident qui oculos habent, non unum mare malorum inundaſſe, multas ſonticas peſtes invaſiſſe orbem, omnia in præceps ruere: ut aut prorſus res humanæ deplorandæ ſint, aut tantis malis injicienda manus, vel potius vis afferenda. Et abigitur remedium, non alia ratione niſi quia jampridem malis aſſuevimus. Sed locum ſane habeat in hominum ſocietate publieus error: [*Decret. diſt. 9. c ſin. extra. de conſuet.*] in regno tamen Dei ſola ejus æterna veritas audienda & ſpectanda eſt, cui nulla annorum ſerie, nulla conſuetudine, nulla conjuratione præſcribi poteſt. Sic quondam electos Dei docebat Jeſaias, ne dicerent Conſpiratio, ad omnia in quibus populus dicebat Conſpiratio. [*Jeſa. 8. 12.*] hoc eſt, ne in ſceleratum populi conſenſum una ipſi conſpirarent, neve timorem ejus timerent, ac formidarent: ſed potius ut Dominum exercituum ſanctificarent, & ipſe eſſet timor eorum & pavor. Nunc itaque, ut volent, & præterira ſecula & præſentia exempla nobis objectent: ſi Dominum exercituum ſanctificaverimus, non valde terrebimur. Sive enim in ſimilem impietatem mulra ſecula conſenſerint, fortis eſt qui ultionem in rertiam & quartam generationem faciat: ſive totus ſimul orbis in eandem nequitiam conſpiret, experimento docuit quis ſit eorum exitus qui cum multitudine delinquunt, quum univerſum hominum genus diluvio perdidit, ſervato Noë cum modica familia, qui per ſuam unius fidem totum orbem condemnaret. Denique [*Geneſ. 7. 1. Heb. 11. 7.*] prava conſuetudo non ſecus ac publica quædam eſt peſtis, in qua non minus pereunt qui in turba cadunt. Adhæc expendere decebat quod alibi dicit Cyprianus, eos qui ignoratiooe [*Epiſt. 3. l. 2. & in epiſt. ad Julian de hæret. baptiz.*] peccant, etſi non poſſint omni ſe culpa eximere, videri tamen poſſe quoquomodo excuſabiles: oblatam autem Dei beneficio veritatem qui pertinaciter reſpuunt, nihil habere quod obtendant.

Dilemmate ſuo non adeo vehementer nos premunt ut fateri adigant vel Eccleſiam fuiſſe [*Quinta calumnia, vel nos Eccleſiam aliquamdiu intermortuam fingere, vel nunc Eccleſia intendere litem.*] aliquamdiu intermortuam, vel nunc cum Eccleſia nobis litem eſſe. Vixit ſane Chriſti Eccleſia, & vivet quamdiu Chriſtus regnabit ad dexteram Patris: cujus manu ſuſtinetur, cujus præſidio defenditur, cujus virture ſuam incolumitatem retinet. Præſtabit enim ille indubie quod ſemel recepit, ſe affuturum ſuis uſque ad conſummationem ſeculi. Adverſus eam nulla nunc nobis pugna eſt: ſiquidem Deum unum & Chriſtum Dominum uno conſenſu, cum omni fidelium populo, colimus & adoramus, qualiter ſemper ab omnibus piis adoratus eſt. Sed non parum à vero ipſi aberrant, dum Eccleſiam non agnoſcunt niſi quam præſenti oculo cernant, & eam iis finibus circumſcribere conantur, quibus minime incluſa eſt. [*Mat. 28. 20.*] In his cardinibus controverſia noſtra vertitur: [*Duplex paralogiſmus Papiſtarum in nomine Eccleſia. Prioris refutatio.*] primum quod Eccleſiæ formam ſemper apparere & ſpectabilem eſſe contendunt: deinde quod formam ipſam in ſede Romanæ Eccleſiæ & Præſulum ſuorum ordine conſtituunt. Nos contra aſſerimus, & Eccleſiam nulla apparente forma conſtare poſſe, nec formam externo illo ſplendore, quem ſtulte admirantur, ſed longe alia nota contineri: nempe pura verbi Dei prædicatione, & legitima Sacramentorum adminiſtratione. Fremunt niſi Eccleſia digito ſemper oſtendatur. Sed quam ſæpe in populo Judæotum ſic defotmari contigit, ut nulla ſpecies emineret? quam pura-

mus formam reſplenduiſſe, quum Helias ſolum ſe relictum deploraret? quamdiu ab adventu Chriſti deformis latuit? quoties ab eo tempore bellis, ſeditionibus, hæreſibus ſic oppreſſa eſt, ut nulla parte fulgeret? An ſi eo tempore vixiſſent, credidiſſent ullam eſſe Eccleſiam? ſed audivit Helias ſalva eſſe ſeptem millia virorum qui non curvaverant genu coram Baal. Nec dubium nobis eſſe debet quin ſemper in terris regnaverit Chriſtus ex quo cælum aſcendit. notabilem vero aliquam formam ſi tum pii oculis requiſiiſſent, nonne protinus concidiſſent animis? Et ſane id jam ſummi vitii loco in ſuo ſeculo ducebat Hilarius, quod ſtulta Epiſcopalis dignitatis admiratione occupati, latentem ſub ea larva exitialem lernam non animadverterent. ſic enim loquitur, Unum moneo, cavete Antichriſtum, male enim vos parietum amor cepit: male Eccleſiam Dei in rectis ædificiiſque veneramini: male ſub iis Pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum eſt in iis Antichriſtum eſſe ſeſſurum? Montes mihi, & ſylvæ, & lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores. in iis enim Prophetæ aut manentes aut demerſi prophetabant. Quid autem hodie in cornutis ſuis Epiſcopis mundus veneratur, niſi quoniam ſanctos eſſe religionis præſules autumat, quos celebribus urbibus videt præſidere? Apage ſis ergo tam ſtupidam æſtimationem. Quin potius permittamus hoc Domino: ut quando ipſe ſolus novit qui ſui ſint, interdum etiam Eccleſiæ ſuæ exteriorem notitiam ab hominum aſpectu auferat. Eſt, fateor, horribilis illa Dei vindicta ſuper terram, ſed ſi ita meretur hominum impietas, cur juſtæ Dei ultioni obſiſtere nitimur? Sic anteactis ſeculis Dominus hominum ingratitudinem ultus eſt. nam quia veritati ſuæ obedire noluerant, & lucem ſuam extinxerant, eos excæcatos ſenſu, & abſurdis mendaciis ludi, & altis tenebris immergi paſſus eſt, ut nulla veræ Eccleſiæ facies extaret. interim tamen ſuos & diſperſos & deliteſcentes in mediis erroribus & tenebris ab exitio ſervavit. Nec mirum: didicit enim ſervare & in ipſa confuſione Babylonis & flamma fornacis ardentis. Quod autem formam Eccleſiæ neſcio qua vana pompa cenſeri volunt, id quam periculoſum ſit paucis indicabo magis quam enarrabo, ne orationem in immenſum extraham. Pontifex, inquiunt, qui ſedem Apoſtolicam tenet, & qui ab eo antiſtites ſunt inuncti & conſecrati, inſulis modo & lituis inſigniti ſint, Eccleſiam repræſentant, & pro Eccleſia haberi debent. ideo nec errare poſſunt. Qui ſic? quia paſtores Eccleſiæ, & conſecrati Domino. Et Aaron cæterique præfecti Iſraël nonne paſtores erant? Aaron vero & filii ejus jam Sacerdotes deſignati erraverunt tamen, quum vitulum fabricaverunt. Cur ſecundum hanc rationem Eccleſiam non repræſentaſſent quadringenti illi Prophetæ qui Achab mentiebantur? At Eccleſia ſtabat à partibus Micha, ſolius quidem & contemptibilis, ſed ex cujus ore verum egrediebatur. Nonne & nomen & faciem Eccleſiæ præ ſe ferebant Prophetæ, quum uno impetu adverſus Jeremiam inſurgerent, & minaces jactarent, fieri non poſſe ut periret Lex à Sacerdote, conſilium à ſapiente, verbum à Propheta? Adverſus totam Prophetarum nationem ſolus Jeremias mittitur, qui à Domino denunciet fore ut Lex pereat à Sacerdote, conſilium à ſapiente, verbum à Propheta. Nonne talis ſplendor refulgebat in eo concilio quod Pontifices, Scribæ & Phariſæi collegerunt, conſilia de interficiendo Chriſto capturi? Eant nunc, & in externa larva hæreant, ut Chriſtum & omnes Dei Prophetas faciant ſchiſmaticos: Satanæ rurſum miniſtros faciant Spiritus ſancti organa. Quod ſi ex animo loquuntur, reſpondeant mihi bona fide, ubinam gentium ac locorum Eccleſiam reſidere exiſtiment, ex quo Baſilienſis Concilii decreto dejectus & abdicatus eſt Pontificatu Eugenius, ſubrogato in ejus locum Amedæo? Negare, vel ſi rumpantur, nequeunt, Concilium, quantum ad externos ritus attinet, fuiſſe legitimum: nec ab uno tantum Pontifice, ſed à duobus indictum. Damnatus eſt illic Eugenius ſchiſmatis, rebellionis, pertinaciæ, cum toto Cardinalium & Epiſcoporum grege qui cum eo Concilii diſſolutionem admoliti erant. Poſtea tamen Principum favore ſublevatus, ſalvum Pontificatum recepit. Illa Amedæi electio, generalis & ſacroſanctæ Synodi authoritate rite peracta, in fumum abiit: niſi quod ipſe galero Cardinalitio, ceu canis latrans injecta offa, placatus eſt. Ex illorum hæreticorum rebellium ac pertinacium gremio prodiit quicquid poſtea Papatum, Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, Preſbyterorum fuit. Hic deprehenſi hæreant neceſſe eſt. Utram enim in partem Eccleſiæ nomen conferent? negabuntne Concilium generale fuiſſe, cui nihil ad exteriorem majeſtatem deerat? nempe quod duobus diplomatibus ſolenniter indictum, præſidente Romanæ ſedis legato conſecratum, rerum omnium ordine bene compoſitum, eadem ſemper dignitate ad extremum perſeveravit. Fatebuntur ſchiſmaticum Eugenium cum tota ſua cohorte, à qua omnes ſanctificati ſunt? Aut igitur Eccleſiæ formam aliter definiant: aut quotquot ſunt, habebuntur à nobis ſchiſmatici, qui ſcientes volentes ab hæreticis ordinati ſunt. Quod ſi nunquam antea compertum fuiſſet, externis pompis non alligari Eccleſiam, ipſi prolixo documento nobis eſſe poſſunt, qui ſub ſpecioſo illo Eccleſiæ titulo tamdiu ſe orbi ſuperciliose venditarunt, quum tamen eſſent exitiales Eccleſiæ peſtes. De moribus non loquor, & tragicis illis facinoribus, quibus ſcatet tota eorum vita: quando Phariſæos ſe eſſe ajunt, qui ſint audiendi non imitandi. Ipſam, ipſam doctrinam, cui id deberi ajunt quod ſunt Eccleſia, exitialem animarum carnificinam, facem, ruinam, & excidium Eccleſiæ eſſe non obſcure cognoſces, ſi legendis noſtris aliquantum otii tui decidas.

Poſtremo, non ſatis candide faciunt, quum invidioſe commemorant quantas turbas, tumul-

Margin notes: 1 Reg. 19. 14, &c. — Contra Auxentium. — 2 Tim. 2:19. — *Poſterioris paralogiſmi refutatio.* — Exod. 32:4. — 3 Reg. 22. verſ. 11, &c. — Jerem. 18:18. — Jerem. 4:9. — Matth. 26. verſ. 3. 4. Joan. 11:10. — *Scita dilemmate, ex ſua autem hypotheſi, arguitur clericalis ordo Papiſticus non eſſe Eccleſia: nec habere à ſua parte Eccleſiam.* — *Eccleſiæ forma non pendet ab externo ſplendore.* — *Sexta calumnia,*

tumultus, contentiones ſecum traxerit noſtræ doctrinæ prædicatio, & quos nunc in multis fructus ferat. nam horum malorum culpa indigne in ipſam derivatur, quæ in Satanæ malitiam torqueri debuerat. Eſt hic divini verbi quidam quaſi genius, ut nunquam emergat, quieto ac dormiente Satana. hæc certiſſima & in primis fidelis nota, qua diſcernitur à mendacibus doctrinis, quæ ſe facile produnt dum æquis omnium auribus recipiuntur, & à mundo plaudente audiuntur. Sic ſeculis aliquot, quibus profundis tenebris ſubmerſa fuerunt omnia, huic mundi domino cuncti fere mortales ludus erant ac jocus, nec ſecus ac Sardanapalus aliquis in alta pace deſidebat ac deliciabatur. quid enim aliud quam riſiſſet ac luſiſſet, tranquilla ac pacata regni poſſeſſione? At vero ubi lux è ſupernis affulgens tenebras ejus aliquantum diſcuſſit, ubi fortis ille regnum ejus turbavit ac perculit, tum vero ſolitum ſuum torporem excutere cœpit, & arma corripere. Et primum quidem hominum manus concitavit, quibus illuceſcentem veritatem violenter opprimeret. per quas ubi nihil profectum eſt, ad inſidias ſe convertit: diſſidia & dogmatum contentiones per Catabaptiſtas ſuos & alia nebulonum portenta excitavit, quibus eam obſcuraret, tandem & extingueret. Et nunc utraque machina ipſam tentare perſeverat. ſiquidem & verum illud ſemen vi ac manu hominum evellere conatur, & ſuis zizaniis (quantum in ſe eſt) nititur occare, ne creſcat, & fructum reddat. Id tamen ipſum fruſtra, ſi monitorem Dominum audimus, qui & ejus artes multo ante nobis aperuit, ne incautos deprehenderet, & contra omnes ejus machinas, ſatis firmis præſidiis armavit. Cæterum, in ipſum Dei verbum invidiam conferre, aut ſeditionum, quas improbi & rebelles: aut ſectarum, quas impoſtores contra excitant, quanta eſt malignitas? Novum tamen exemplum non eſt. Interrogabatur Elias annon is eſſet qui turbabat Iſrael? Chriſtus ſeditioſus Judæis erat. Apoſtolis crimen impingebatur commotionis popularis. Quid aliud agunt qui hodie omnes turbas, tumultus, contentiones quæ in nos ebulliunt, nobis imputant? Talibus autem quid reſpondendum ſit, docuit nos Elias, nos non eſſe qui vel errores ſpargimus, vel tumultus commovemus: ſed eos ipſos qui Dei virtuti obluctantur. Verum ut illud unum ad retundendam eorum temeritatem ſatis eſt: ita rurſum aliorum imbecillitati occurrendum, quos talibus offendiculis commoveri, ac perturbatos vacillare non raro contingit. Illi vero ne hac perturbatione labaſcant, ac de gradu dejiciantur, ſciant eadem expertos eſſe ſuo ſeculo Apoſtolos quæ nunc uſu nobis veniunt. Erant indocti & inſtabiles, qui ad ſuam ipſorum perniciem depravarent quæ à Paulo divinitus ſcripta erant, ut ait Petrus. Erant Dei contemptores, qui quum audiebant abundaſſe peccatum ut gratia exundaret, ſtatim ingerebant, Manebimus in peccato, ut gratia abundet. Quum audiebant fideles non eſſe ſub Lege, protinus occinebant, Peccabimus, quia non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia. Erant qui illum mali ſuaſorem arguebant. Subintrabant multi pſeudoapoſtoli, qui diruerent Eccleſias quas ipſe ædificaverat. Quidam per invidiam & contentionem, nec ſincere Euangelium prædicabant, malitioſe etiam cogitantes ſe preſſuram ſuſcitare vinculis ejus. Alicubi non multus erat Euangelii profectus. Omnes quæ ſua erant, quærebant, non quæ Jeſu Chriſti. Alii retrorſum abibant, canes ad vomitum, & ſues ad volutabrum luti. Plerique libertatem Spiritus rapiebant ad licentiam carnis. Inſinuabant ſeſe multi fratres, à quibus deinde piis imminebant pericula. Inter ipſos fratres variæ concertationes ſuſcitabantur. Quid hic Apoſtolis agendum erat? an non vel ad tempus diſſimulandum, vel potius omittendum illud Euangelium ac deſerendum erat, quod tot litium videbant eſſe ſeminarium, tot periculorum materiam, tot ſcandalorum occaſionem? At in hujuſmodi anguſtiis ſuccurrebat, Chriſtum eſſe lapidem offenſionis, & petram ſcandali, poſitum in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradiceretur: qua fiducia armati, per omnia tumultuum offenſionumque diſcrimina audacter progrediebantur. Eadem & nos cogitatione ſuſtentari decet, quando hunc perpetuum Euangelii genium eſſe teſtatur Paulus, ut ſit odor mortis in mortem iis qui pereunt: tametſi in hunc potius uſum nobis deſtinatum erat ut odor eſſet vitæ in vitam, ac potentia Dei in ſalutem fidelium. quod ipſum nos quoque certe experiremur, niſi noſtra ingratitudine corrumperemus hoc tam ſingulare Dei beneficium, ac in exitium noſtrum verteremus quod nobis unicum ſalutis præſidium eſſe debuerat.

Euangelii doctrinam cauſam eſſe tumultuum & diſſidiorum.

Paralogiſmus a non cauſa ut cauſa.

Cur Euangelio patefacto, tot turbæ exortæ ſunt, unde ad calumniam colligitur reſponſio 1.

Reſp. 2. veterem hanc eſſe calumniam, ut ex Prophetarum & Apoſtolorum hiſtoriis ac exemplis colligere licet: nihilque nobis hic poſſe objici quod aliis Dei ſervis jampridem objectum non fuerit.

1 Reg. 18. verſ. 17, 18.
2 Pet. 3: 16.
Rom. 6: 1, 14, 15.
Philip. 1: 15.

Horum autem prudentia & ſimplicitas, in tot tantiſque tumultibus & ſcandalis, nobis imitanda.

Luc. 2: 34.
2 Cor. 2: 16.

Sed ad te revertor, ô Rex. Nihil te moveant vanæ illæ delationes, quibus terrorem tibi injicere nituntur noſtri adverſarii. Non aliud hoc novo Euangelio, (ſic enim appellant.) captari ac quæri, niſi ſeditionum opportunitatem, ac vitiorum omnium impunitatem. Neque enim diviſionis Deus noſter author eſt, ſed pacis: & Filius Dei non peccati miniſter eſt, qui venit ad diſſolvenda opera diaboli. Et nos talium cupiditatum immerito accuſamur, quarum ne minimam quidem ſuſpicionem unquam dedimus. Scilicet nos regnorum inverſionem meditamur: quorum nulla unquam factioſa vox audita eſt, & vita ſemper quieta ſimplexque cognita fuit, quum ſub te viveremus: & qui nunc etiam domo profugi, tibi tamen regnoque tuo fauſta omnia precari non deſinimus. Scilicet nos impunitam vitiorum petulantiam aucupamur, quorum in moribus etſi multa reprehendi poſſunt, nihil tamen tanta inſultatione dignum. nec tam infeliciter, gratia Dei, in Euangelio profecimus, quin iſtis obtrectatoribus vita noſtra, caſtitatis, benignitatis, miſericordiæ, continentiæ, patientiæ, modeſtiæ, & virtutis cujusvis exemplum eſſe poſſit. Nos ſane Deum

Peroratio, benevolentiam concilians.

Nec ſeditionum nec vitiorum culpa Deo aut Chriſto imputanda eſt.

Nec nos ſeditioſi ſumus.

Nec vitiorum fautores.

Imo Dei cultores eſſe cupimus & ſumus.

Anabapti-ſtas, Libertinos, Epicureos, damnamus. Ideo, adverſus pios Chriſti ſervos Rex Chriſtianiſſ. calumniis aures præbere non debes.

Quod ſi ſecus fiat, patientia nobis eſt opus. Deuſque conſtituto tempore apparebit in miſericordiam & judicium.

ſincere timere & colere reipſa palam eſt, quando tum vita tum morte noſtra nomen ejus ſanctificari petimus, & ipſa invidia coacta eſt quibuſdam noſtrum innocentiæ & civilis integritatis teſtimonium dare: in quibus id unum morte plectebatur quod ſingulari in laude ponendum erat. Quod ſiqui ſub prætextu Euangelii tumultuantur (quales hactenus aliquos in regno tuo fuiſſe non compertum eſt) ſiqui vitiorum ſuorum licentiæ, libertatem gratiæ Dei prætexunt (quales permultos novi) ſunt leges & legum pœnæ, quibus pro meritis graviter cœrceantur: modo ne interim Euangelium Dei ob ſceleſtorum hominum nequitiam male audiat. Habes, Rex, ſatis multis expoſitam calumniatorum virulentam iniquitatem, ne in eorum delationes ultra modum credula aure propendeas. vereor etiam ne nimis multis: quando hæc jam præfatio ad juſtæ pene apologiæ modum accedit: qua non defenſionem texere, ſed duntaxat ad ipſam cauſæ actionem audiendam animum tuum præmollire ſtudui, averſum quidem nunc & alienatum à nobis, addo etiam inflammatum: ſed cujus gratiam recolligere nos poſſe confidimus, ſi hanc noſtram confeſſionem, quam pro defenſione apud tuam majeſtatem eſſe volumus, placidus compoſituſque ſemel legeris. Sin vero ita aures tuas occupant malevolorum ſuſurri, ut nullus ſit reis pro ſe dicendi locus: importunæ vero illæ furiæ, te connivente, ſemper vinculis, flagris, equuleis, ſectionibus, incendiis ſæviant: nos quidem, velut oves mactationi deſtinatæ, ad extrema quæque redigemur: ſic tamen, ut in patientia noſtra poſſideamus animas noſtras, & manum Domini fortem expectemus: quæ indubie tempore aderit, & ſeſe armata exeret tum ad pauperes ex afflictione eruendos, tum etiam ad vindicandos, qui tanta ſecuritate nunc exultant, contemptores. Dominus Rex Regum, thronum tuum juſtitia ſtabiliat, & ſolium tuum æquitate, Illuſtriſſime Rex. Baſileæ, Calend. Auguſti, Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimoſexto.

JOANNES CALVINUS
LECTORI.

IN prima hujus noſtri operis editione, quia eum quem pro immenſa ſua bonitate Dominus ſucceſſum dedit, minime expectabam, leviter, majori ex parte (ut in minutis operibus fieri ſolet) defunctus eram: verum quum intelligerem, eo piorum fere omnium favore exceptum eſſe, quem nunquam voto expetere, nedum ſperare auius fuiſſem: ut mihi plus multo deferri ex animo ſentiebam quam eſſem promeritus, ita magnæ ingratitudinis fore putavi, niſi adeo propenſis in me ſtudiis, ac meam induſtriam ſponte invitantibus, reſpondere ſaltem pro mea tenuitate conarer. Neque id ſecunda tantum editione tentavi: ſed quoties deinde excuſum fuit opus, nonnulla acceſſione locupletatum fuit. Etſi autem laboris tunc impenſi me non pœnitebat: nunquam tamen mihi ſatisfeci, donec in hunc ordinem, qui nunc proponitur, digeſtum fuit. Nunc me dediſſe confido quod veſtro omnium judicio probetur. Certe quanto ſtudio ad operam hanc Eccleſiæ Dei præſtandam incubuerim, luculentum teſtimonium proferre licet, quod proxima hyeme dum exiſtimabam à febre quartana mortem mihi denunciari, quo magis urgebat morbus, eo minus mihi peperci, donec librum ſuperſtitem relinquerem, qui tam benignæ piorum invitationi gratiam aliquam rependeret. Maluiſſem equidem citius, verum ſat cito ſi ſat bene. Opportune autem prodiſſe tunc putabo, ubi ſenſero uberiorem adhuc quam antehac fructum aliquem Eccleſiæ Dei attuliſſe. hoc mihi unicum votum. Et ſane mecum male ageretur, niſi unius Dei approbatione contentus, vel ſtulta & perverſa imperitorum hominum, vel iniqua & maligna improborum judicia contemnerem. Nam quamvis Deus & propagandi regni ſui, & adjuvandæ publicæ utilitatis ſtudio animum meum penitus addixerit: mihi quoque probe conſcius ſim, ipſum & angelos teſtes habeam, nihil, ex quo officium doctoris in Eccleſia ſuſcepi, mihi fuiſſe propoſitum quam Eccleſiæ prodeſſe, ſinceram pietatis doctrinam aſſerendo: neminem tamen eſſe puto qui pluribus impetatur, mordeatur & laceretur calumniis. Quum jam ſub prælo eſſet epiſtola, certo reſcivi, Auguſtæ, ubi conventus ordinum Imperii agebatur, ſparſum fuiſſe de mea ad Papatum defectione rumorem, & cupidius quam par erat in aulis Principum exceptum. Hæc eſt ſcilicet eorum gratitudo quos certe non latent plurima conſtantiæ meæ experimenta, quæ ut calumniam adeo fœdam reſpuunt, ita ab ea me apud omnes æquos & humanos judices tueri debuerant. Fallitur autem cum tota ſua caterva diabolus, ſi me putidis mendaciis obruendo, hac indignitate fractiorem vel magis lentum fore putat: quia Deum pro immenſa ſua bonitate daturum mihi confido, ut in curſu ſanctæ ſuæ vocationis æquabili tolerantia perſeverem. Cujus rei novum in hac editione documentum piis Lectoribus exhibeo. Porro hoc mihi in iſto labore propoſitum fuit, ſacræ Theologiæ candidatos ad divini verbi lectionem ita præparare & inſtruere, ut & facilem ad eam aditum habere, & inoffenſo in eo gradu pergere queant. ſiquidem religionis ſummam omnibus partibus ſic mihi complexus eſſe videor, & eo quoque ordine digeſſiſſe, ut ſi quis eam recte tenuerit, ei non ſit difficile ſtatuere & quid potiſſimum quærere in Scriptura, & quem in ſcopum quicquid in ea continetur referre debeat. Itaque, hac veluti ſtrata via, ſiquas poſthac Scripturæ enarrationes edidero, quia non neceſſe habebo de dogmatibus longas diſputationes inſtituere, & in locos communes evagari, eas compendio ſemper aſtringam. Ea ratione, magna moleſtia & faſtidio pius Lector ſublevabitur: modo præſentis operis cognitione, quaſi neceſſario inſtrumento, præmunitus accedat. Sed quia hujus inſtituti ratio in tot meis Commentariis quaſi in ſpeculis clare apparet, re ipſa malo declarare quale ſit, quam verbis prædicare. Vale amice Lector, & ſiquem ex meis laboribus fructum percipis, me precibus tuis apud Deum patrem noſtrum adjuva. Genevæ Kalend. Auguſti, Anno M. D. LIX.

Quos animus fuerat tenui excuſare libello,
Diſcendi ſtudio magnum fecere volumen.

Auguſtinus Epiſt. 7.

Ego ex eorum numero me eſſe profiteor qui ſcribunt proficiendo, & ſcribendo proficiunt.

AD

A D M O N I T I O
A D
L E C T O R E M

Super Inſtitutionum editione, quam hæc uti poſterior ita emendatior unice ſequuta eſt.

M*Ercibus, quas tibi hic venum exponit Typographus, hederam appendere*, Benevole Lector, *nihil eſt neceſſe. Joannem Calvinum magnum atque eruditum fuiſſe Theologum ſuaque ætate vix cuiquam ſecundum, fatentur omnes quibus non impoſuit efficacia erroris & Spiritus mendacii, aut animos & linguas invidia & veritatis odium non faſcinavit: atque æqui quidem donorum* Dei *in ſervo ſuo æſtimatores laudant, mirantur: indignantur & fremunt, quibuſcunque livor & male feriata mens odium ejus & contemptum imperant: ut noſtris laudibus ac patrocinio nihil habeat opus: cum quæ virtutis eſt indoles, etiam apud invitos hoſtes laudem inveniat, & quæ Calvini felicitas, Teſtimonium etiam & patrocinium apud acerrimos oppugnatores. Ut ſi, quod fecit jam pridem, Calumnia memoriam illius, mores & doctrinam arroſerit, à ſuis ipſa Magiſtris refellenda veniat, atque à quovis nullo negotio retundi poſſit. Ne tantillum quidem oſorum & adverſariorum malevolentia de tanti viri fama & meritis diminuere apud probos omnes & veritatis amantes, aut potuit hactenus, aut debet in poſterum. Merentur ſcripta illius, accurata, elaborata, ſolida, ſobria (quæ non omnium utique Theologorum laus eſt) non inter poſtrema haberi, ac forte etiam inter prima: ſi quid hic magnorum Virorum calculus apud te valet, eorumque quibus non tam ſpinoſarum quæſtionum farrago, quam falſo Theologiam vocant, quam ſolida, nervoſa, ac cæleſtis ſpiritus oraculis ubique ſubnixa Myſteriorum divinorum ſcientia, vera eſt & Chriſti diſcipulo & Eccleſiæ doctore digna eruditio. Sectatus eſt eam noſter Calvinus ubique, inſperſit ac congeſſit in omnibus ſuis ſcriptis: ſed coëgit & quaſi in Epitomen contraxit in hoc ſuarum* Inſtitutionum *opere. Epitomen dicimus, quia ad SS. Literas (quod poſt Authorem non timide aſſerimus) perquam-commoda manuductio eſt, quæ, quod nemo neſcit, uti fons ita & mare ſunt amplum cæleſtis doctrinæ, quam qui velit totam quantam quantam cognoſcere, illam legendam, ruminandam, nocturna diurnaque manu verſandam, commentandam, ac cum magnorum virorum commentationibus (quas inter & noſtri Authoris ſunt non paucæ, nec infimæ notæ) conferendam atque examinandam perpetuo ſibi proponat oportet. Verum ut littus primum legere, ac levi in Cymba vela ventis pandere pueri ſolent, qui rei nauticæ affectant peritiam, ut tandem per vaſtos & procelloſos pelagi fluctus clavum tenere ac ratem gubernare diſcant; Ita per* Inſtitutionum *ac* locorum Communium *quæ vocant Compendia, ad gravius Theologiæ ſtudium præparari ſacra* Deo *Juventus debet. In hoc autem ſcriptionis genere quantum meruerit Author noſter (quanquam ne huc quidem ἀνίπτοις χερσὶ, aut ἀμυήτοις accedere cuiquam liceat) ex multorum inſignium etiam virorum operibus apparet, qui Compendiis formandis, Analyſi Inſtituendæ aliiſque quæ ad lucem huic operi inferendam, ac ſtudioſam* Theologiæ *Juventutem in ejus lectionem velut manuducendam, operas ac labores impenderunt ſuas. Inter quas ut ſtudium maximum & induſtriam non pænitendam collocarunt, ita & palmam facile tulerunt Rever. B. Memoriæ Senex Daniel Colonius, dum vixit Collegii apud nos Gallo Belgici Regens, qui elaboratiſſimam Inſtitutionum Analyſin dedit: & nuperrime D. Suingerus Theologus Baſileenſis qui totius operis Analyſi etiam vindicias addidit, &* Sapientiæ Theatrum *inſcripſit. Nempe non præivit tantum reliquis Calvinus, ſed & βραβεῖα ſi non præripuit, adipiſcendi certe ſpem abſtulit: ut illiuſdem veſtigia premere maluerint multi, quam novum quid non ita forte elaboratum atque ſubactum in lucem dare. Atque utinam non contra hic eveniſſet quam cogitarant illi, neque abduci ab ipſa Authoris Lectione, ſed ad eam manuduci ſe paſſa fuiſſet ſtudioſa juventus. Namque, modo ne fallantur penes quos hujus rei arbitrium eſſe ipſa Æquitas jubet, is demum non contemnendum operæ pretium facturus eſt, ac omnis Theologicæ eruditionis fundamenta jacturus, qui illas ipſas Calvini Inſtitutiones ſibi reddere conatus fuerit quam familiariſſimas, ut nec in Compendiis hæreat, nec Analyſi niſi ut filo ductorio ac Ariadneo utatur, reliquum ex ipſo fonte bibat, & cum doctrinæ puritate & ſinceritate diſcat ſtyli jungere elegantiam & copiam: ut ne quia Theologus eſt, cogatur etiam barbarus eſſe, ſæpius aliis, ſæpe etiam ſibi. Atque utinam (quod tamen optare, nedum ſperare vix datur) cum pura Latinitate (idem liceat de ſtylo vernaculo dicere) puram doctrinam & Theologiam, terminis illis horridis & ſcholaſtica Barbarie repurgatam, ex Academiis in Eccleſiam aſportent aliquando Miniſterii candidati. Verum nos hic manum de tabula: rem juſtiſſimam in votis habere, ac ſummis deſideriis expetere id cujuſvis etiam è plebe eſt, curare vero ac promovere, eorum tantum quibus Juventutis Theologicæ cura ex profeſſo eſt demandata, quorum plurimi, viri certe hoc ipſo nomine meritiſſimi, Theologiam illam ſpinoſam jam horrent: reliqui tamen etſi non ineruditi, forte etiam minime mali nullius cenſuram facile, ac noſtram etiam monitionem non ſine indignatione ferent. Verum utcunque illud ſit, qui à Calvino Rudimenta Theologicæ ſcientiæ hauſerit, facile evadet quos notavimus ſcopulos, nec imparatior erit ob id, ab iis inſtrumentis ac principiis quæ ad Theologorum ſcholaſticorum lectionem & perveſtigationem requiruntur: tantoque eos tractabit ſecurior, quod jam ante non infirmo Alexipharmaco animum adverſus illorum venena præmuniverit. Eſt quidem aliqua eam non plane ignorandi neceſſitas: verum eadem quæ Juriſconſulto in Captiones & dolos, Medico in Venena, Logico ac Diſputatori in Sophiſticen inquirendi. Nempe ut qui ſe in tricis illis & ſpinis occultant, & ſola barbarie & ſubtilitate certant, è latibulis ſuis in lucem protrahi, & à ſimplici ac nuda veritate refelli & confodi queant facilius. Illam artem non neſciet plane qui Calvinum triverit, tantoque exercebit etiam felicius, quod nemo*

unquam

unquam hoc hominum genus exſpoliatum & inerme aut riſerit ſeverius, aut è latebris protractum acrius ac validius excuſſerit: quod experientur quicunque conſilium fidum non contempſerint. Cauſantibus non alia magis de cauſa ſcholaſticum ſcribendi at docendi genus & culpaſſe & correxiſſe, quam quod in eo minus exercitatus, infelicem conatum præviderit ac vitaverit, ipſe Author pro ſe reſpondebit, modo advertere dignentur, eum florente etiamnum Sorbona, omnium Barbararum Academiarum regina & matre vixiſſe, ſcripſiſſe, ac data opera eorum imitari ſtylum noluiſſe, quorum ſibi doctrinam & horrenda dogmata refellere, ac ſemel evertere penitus in religione, clavo trabali fixum habebat: Tu Benevole Lector ex hoc opere ipſe judicabis. Typographi certe inſtitutum fuit illorum ſtudiis prodeſſe, qui Calvino uti magiſtro vellent, atque ipſo duce in S. Theologiæ, genuinæ hujus ſcilicet, adyta penetrare, ac derelicta deformi illa & ſuo ipſius ornatu horrida, ſimplicem hanc ac humanis ratiociniis minime dehoneſtatam ſtrenue ſectari. Jam quid in hac Editione, quod tua etiam ſcire intereſt, ſit præſtitum, ac in bonum tuum, ipſius quoque verbis monendus es: ne ſua laude illi fraudentur, qui jam ante in hoc opere aut edendo aut expoliendo, operæ aliquid contulerunt ſuæ: neve lateat te adhibita recens cura & induſtria. Præmiſſa eſt in ipſo operis limine Calvini vita, authore Theodoro Beza, qui uti ſcribere ſolus potuit, ita & debuit: ut in eodem volumine ſinceram haberes tanti viri vitæ hiſtoriam, in quo Doctrinæ quam Eccleſiæ Dei tradidit ſummam exhibuit & compendium. Eorum quæ in Genevenſi editione ultima, quæ in folio prodiit, fuerunt addita, tuiſque rationibus conducere aliquantum poterant, nihil omnino omiſſum, nonnulla immutata, pauca addita quidem, quam plurima vero correcta. Præfixa eſt igitur totius operis ſumma ſeu Argumentum perbreve, quod ſcopum Authoris & mentem aperit, Ex Gaſparo Oleviano, qui jam pridem Inſtitutionum harum Epitomen edidit: Additi Aphoriſmi centum ex Tabulis Guill. Launæi, qui Librorum ſeriem & ſummam complectuntur: Deinde in ſingulos libros ac ſingula Capita Argumenta & præcipuæ partes Analyticæ. Annotationes item perpetuæ in ſingulus ſectiones in margine ſunt aſſcriptæ, ex Nicol. Colladonis, Edmundi Bunnii, aliorumque obſervationibus excerptæ, ac ſuo ordine quo fieri potuit optimo digeſtæ: ut Authoris Methodus, Argumentorum ordo & nexus, ad objecta adverſariorum reſponſiones, & accurata membrorum omnium explicatio & ſenſus facilius pateſcant: loci inſuper ſimiles diverſis in libris, Capitibus, ſectionibus, inter ſe collati, ut alter alteri adjumento ſit, ac ſibi mutuo lucem fœnerentur: præterea quibus in opuſculis eadem à Calvino tractata ſint, multoties annotatum eſt. S. Scripturæ & veterum Scriptorum teſtimonia marginibus, ſuis quæque locis ac ſectionibus, ſunt aſſcripta, longe ſane quam in Genevenſi editione accuratius: ubi ſæpe non capitibus tantum, ſed integris S. Scripturæ libris fuit aberratum, ac totis ſectionibus in ipſo authoris textu, ut nihil fere ſuo loco appareret, multa ſurſum deorſum verſa, nulloque ordine collocata: ea nunc omnia ſuis locis, debito ordine & ſerie reſtitui curavit Typographus, ut nihil hic, aut parum ſis deſideraturus. Indicem reperies triplicem, Locorum ſeu Teſtimoniorum S. Scripturæ unum; Alterum rerum & materiarum præcipuarum; Tertium Authorum citatorum à Calvino, plurimum purioris ævi Chriſtianorum, aliquando & Gentilium. S. Scripturæ indicem eundem retinuit (quid enim in eo mutaſſet?) quem vir ſummus Auguſtinus Marloratus collegerat: hoc tamen egit, ut accuratiorem tibi daret, non raro etiam auctiorem. Quod unico exemplo facile diſces, lib. Inſt. 4. cap. 18. ſect. 3. nihil quidem omnino notatum in margine, ſed in indice poſitus verſ. 26. Cap. 10. Epiſt. ad Hebræos aſſcripto eodem loco, qui ſpeciem quidem habet verborum Calvino citatorum, ſed ita plane iſthic loci ad rem & ſcopum authoris non facit, ut mireris qua ratione in indicem irrepſerit, aut ad hanc ſectionem annotatus ſit. Hoc enim iſthic loci diſputat Calvinus, aut Chriſti mortem & expiationem Novo & Idololatrico Miſſæ ſacrificio aboleri, aut ſiquidem perſtat, ut perſtat omnino, virtus ſacrificii ipſius in remiſſionem peccatorum, jam nullo amplius ſacrificio pro peccatis eſſe opus: imo alteri ne locum quidem eſſe poſſe, Quandoquidem ubi eſt horum remiſſio, ibi nulla amplius requiritur, aut eſſe poteſt hoſtia pro peccato, quæ verba ſunt verſus Decimi octavi. Talia quam plurima liceret in margine & indice notare, quæ nunc omnia curavit auferri quantum potuit. Verſus non paucos omiſſos addidit, ſuiſque locis in margine & in indice poſuit. Rerum indicem unum tantum dedit, pro duobus illis qui in Genevenſibus exemplaribus exſtant, ſed è duobus illis confectum & compactum; ut nihil omiſſum ſit quod in opere tractat Author: Nec ullam niſi in altero prolixitatis, in altero obſcuritatis jacturam ſis facturus: magnum vero temporis compendium in hoc recenti, ſi quando uti contigerit. Alter enim brevitate nimia materiam vix, certe ſolo titulo inditabat: Alter prolixa Analyſi integra etiam capita ſæpe diſſolvebat: quod in ipſo Inſtitutionum corpore ſatis ſuperque, ſeu in Capitum argumentis, ſeu in Analyſi marginali, præſtitum. Jam & tituli nonnulli deerant materiarum non levis momenti, quæque ab authore ex profeſſo tractantur, quibus hic nunc prodit auctior. Quantum diligentiæ in ipſo Textu emendando fuerit adhibitum, ex ſola hujus cum præcedentibus editionibus collatione liquere poteſt. Irrepſerant ſane [illegible] non levia, quibus aliquando niſi adhibito Gallico Authoris textu mederi non licuit: ita ex uno exemplari corrupto aut mendoſo in reliqua transfuſa fuiſſe videntur. Denique ut S. Scripturæ Authoritates & Veterum Teſtimonia (quibus utitur quam plurimis Author, illis ut cauſæ ſuæ fundamentis, hiſce ut adjumentis tantum,) ad oculum ab ipſius textu diſcernerentur, diverſo charactere excudi curavit, ac forte etiam alia nonnulla. In quo licet, præſertim in principio operis aliquando erratum ſit, rarum tamen id eſt, ac levi ſaltem attentione facile corrigetur: Tu illud Benev. Lector pro tua humanitate feſtinanti prælo, aliiſque quibus inſudabat operis, benigne condonato, ac Typographo qui tuis ſtuduit ſtudetque commodis, fave & Vale.

INSTI-

INSTITUTIONIS
CHRISTIANÆ RELIGIONIS

Methodus & diſpoſitio: ſeu, totius operis Argumentum.

Scopus authoris in hac Inſtitutione Chriſtiana duplex eſt: prior, Cognitio Dei, qua ad beatam immortalitatem perveniatur; Altera, noſtri, ad priorem illam deſtinata. Ad hunc ſcopum ut nos deducat, hac forma utitur: nempe proponit ſibi prorſus methodum Symboli Apoſtolici, utpote omnibus Chriſtianis familiariſſimam. Prout enim Symbolum quatuor conſtat partibus: quarum prima eſt de Deo Patre, ſecunda de Filio, tertia de Spiritu Sancto, quarta de Eccleſia: ita & author omnem ſuam Inſtitutionem, ut utramque ſcopum prius poſitum aſſequatur, partitur in libros quatuor: quorum primus primæ ſymboli parti, ſecundus ſecundæ, tertius tertiæ, quartus quartæ reſpondeat. Quod ſigillatim nunc eſt explicandum.

I. *Primus articulus Symboli Apoſtolici eſt de Deo Patre, de creatione, conſervatione, & rerum omnium gubernatione, quæ in ejus omnipotentia incluſa ſunt. Sic primus liber eſt de cognitione Dei, quatenus eſt Creator, conſervator, & gubernator rerum omnium & ſingularum. Docet, & quæ ſit vera Creatoris notitia, & in quem finem tendat, cap. 1. & 2. Hanc non in ſchola diſci, ſed quemlibet ab utero eſſe ſibi ejus magiſtrum, cap. 3. Tantam vero eſſe hominis pravitatem, ut eam notitiam partim inſcitia, partim malitia ſuffocet & corrumpat, ut per eam nec Deum, ut par eſt, glorificet, nec ad beatitudinem ejus ductu perveniat, cap 4. Et quamvis interior illa notitia ſublevetur cauſa adjuvante, objecto nimirum creaturarum ſpeculo, in quo Dei virtutes contemplari liceat, ne ſic quidem hominem proficere. Itaque Deum, quibus familiarius vult innoteſcere in ſalutem, ſcripturam verbi ſui proponere, ubi de ſcriptura Sacra: in hac ſe pateſeciſſe, quod non ſolus Pater, ſed una cum Patre, Filius, & Spiritus Sanctus ſit ille Creator cœli & terræ: quem nec ex inſita naturali notitia ob noſtram pravitatem, nec ex objecto pulcherrimi mundi ſpeculo ita cognoſcere poterimus, ut à nobis glorificaretur. Hac occaſione tractat patefactionem Dei in ſcriptura: ubi de unica Dei eſſentia & tribus perſonis. Ne verò homo ſpontaneæ ſuæ cæcitatis culpam in Deum conferat, docet qualis homo ſit initio creatus, ubi de imagine Dei, de libero arbitrio, & prima naturæ integritate diſſeritur. Creatione ita expedita, ad conſervationem & gubernationem rerum omnium deſcendit tribus poſtremis capitibus, ubi tractatur pleniſſime locus de Dei providentia.*

II. *Quia autem homo creationis jure excidit per peccatum, ad Chriſtum eſt veniendum. Ideo in Symbolo ſequitur,* ET IN JESUM CHRISTUM, FILIUM EJUS UNIGENITUM, &c. *Ita & author noſter in ſecundo Inſtitutionis libro tractat de cognitione Dei, quatenus eſt Redemptor in Chriſto: ducitque hominem ad Chriſtum Mediatorem, oſtenſo hominis lapſu: ubi docet de peccato Originali: nec quicquam in ipſo eſſe virium, quibus à peccato & maledictione incumbente ſe poſſit expedire: quin potius nil niſi damnabile ex ipſa prodire, antequam reconcilietur & renovetur, hæc uſque ad caput ſextum: ideo homini in ſemetipſo modis omnibus perdito, nec idoneo ſuſcipiendæ vel cogitationi bonæ, qua ſibi medeatur, aut Deo grata faciat, extra ſe quærendam eſſe redemptionem in Chriſto. In hunc finem Legem datam, non quæ cultores ſuos in ſe retineret, ſed ad Chriſtum manu duceret: qua occaſione Legis Moralis expoſitio interſeritur. Hunc ſub Lege Judæis ut ſalutis authorem fuiſſe cognitum, plenius vero ſub Euangelio, in quo mundo fuit exhibitus: hinc fluit doctrina de ſimilitudine & differentia utriuſque Teſtamenti, Veteris & Novi, Legis & Euangelii. Hæc uſque ad cap. 12. Inde docetur, ad producendum plenæ ſalutis effectum, oportuiſſe æternum Dei Filium fieri hominem, aſſumpſiſſe etiam re ipſa veram naturam humanam: item quo modo duæ hæ naturæ unam efficiant perſonam demonſtratur. Deſtinatum ad plenam ſalutem merito ipſius & efficacia acquirendam & applicandam, eſſe officium Chriſti Sacerdotale, Regium, & Propheticum. Deinde quo modo officio ſuo ſit perfunctus, ſeu re ipſa Redemptoris partes impleverit, ubi articuli de Chriſti morte, reſurrectione, aſcenſu in cœlum exponuntur. Poſtremo evincit, recte & proprie dici, Chriſtum nobis eſſe promeritum gratiam Dei & ſalutem.*

III. *Quamdiu Chriſtus à nobis ſeparatus eſt, nihil nobis prodeſt. Quamobrem ei inſeri nos oportet, ut palmites viti. Ideo poſt doctrinam de Chriſto, in tertia Symboli parte ſequitur,* CREDO IN SPIRITUM SANCTUM: *utpote qui eſt vinculum unionis inter nos & Chriſtum. Ita & author noſter libro tertio de Spiritu Sancto tractat, qui nos Chriſto unit: & per conſequens, De fide, qua Chriſtum amplectimur cum duplici beneficio, nempe gratuita juſtitia, quam nobis imputat; & regeneratione, quam in nobis inchoat, donando nobis reſipiſcentiam. Et ut oſtendat, nos nequaquam de ejuſmodi fide gloriari, quæ non conjunctum habeat ſtudium reſipiſcentiæ, prius quam ad plenam tractationem juſtificationis deſcendat, de reſipiſcentia & ejus continua meditatione, quam Chriſtus fide apprehenſus Spiritu ſuo in nobis generat, fuſe diſſerit 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. capitibus. Undecimo demum capite, primum & præcipuum Chriſti, per Spiritum Sanctum nobis conjuncti, beneficium pertractat, nempe Juſtificationem, uſque ad cap. 20. quod eſt de Oratione, quæ velut manus eſt, quæ reipſa bona illa fruenda accipit, quæ fides apud Deum ſibi ex verbo promiſſionis novit eſſe repoſita. Quia autem non omnes homines per Spiritum Sanctum, qui fidem in nobis creat & conſervat, Chriſto omnis ſalutis authori uniuntur, agit cap. 21. de electione Dei æterna: qua factum eſt, ut nos, in quibus nil boni præviderat quod ipſe non gratis daret, Chriſto donarit, & per vocationem Euangelii efficacem ipſi univerit, uſque ad cap. 25. ubi de plena regeneratione & felicitatis fruitione, ultima ſcilicet reſurrectione agitur, quo attollendi ſunt oculi, cum inchoata duntaxat in hoc mundo ſit piorum felicitas, ſi fruitionem ſpectes.*

IV. *Quoniam autem Spiritus Sanctus non omnes homines Chriſto inſerit, ſeu fide donat, & quos ea donat, non ſine mediis ordinarie donat, verum utitur ad eam rem prædicatione Euangelii & Sacramentorum uſu, cum totius diſciplinæ adminiſtratione: ideo in Symbolo ſequitur,* CREDO SANCTAM ECCLESIAM UNIVERSALEM, *quam nempe ex gratuitæ electionis fonte, in morte æterna jacentem, gratis ſibi in Chriſto reconciliavit, & Spiritu Sancto donavit, ut Chriſto inſita, communionem cum ipſo velut capite habeat; unde perpetua fluit peccatorum remiſſio, & plena ad vitam æternam inſtauratio. Sic author noſter libro quarto de Eccleſia tractat uſque ad cap. 14. Inde de mediis, quibus Spiritus Sanctus ad efficaciter à morte ſpirituali vocandum, & conſervandum Eccleſiam utitur, verbo & ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet & ſacra Cœna: quæ velut ſceptrum ſunt Regis Chriſti, quo regnum ſuum ſpirituale in Eccleſia virtute ſui Spiritus inchoat, in dies promovet, ac poſt hanc vitam ſine illis mediis perficit, ad 20. uſque cap. tractat.*

Et quia politiæ ſunt hoſpitia Eccleſiæ in hac vita, (licet politica gubernatio à ſpirituali regno Chriſti ſit diſtincta) de ea, quantum ſit Dei beneficium, quod Eccleſia grato animo agnoſcere debet, nos inſtituit, donec ex hoc hoſpitio, in cœleſtem hæreditatem evocemur, ubi Deus erit omnia in omnibus. Hæc Inſtitutionis eſt diſpoſitio. In ſumma, homo initio quidem creatus rectus, poſtea non dimidia ex parte, ſed totus perditus, extra ſe totam ſalutem in Chriſto reperit; cui unitus per Spiritum Sanctum nobis gratis donatum, citra ullum futurorum operum intuitum, duplex beneficium in eo percipit, plenam imputationem juſtitiæ, quæ nos comitatur in ſepulchrum uſque, & initium ſanctificationis, quam indies auget, donec tandem in die regenerationis ſeu carnis reſurrectione perficiat, ut in æterna vita & hæreditate cœleſti pro tanta miſericordia celebretur.

CENTUM

CENTUM APHORISMI,

QUATUOR LIBRORUM

INSTITUTIONIS

CHRISTIANÆ RELIGIONIS

Summam & ſeriem breviter complectentes.

L I B. I.

1. VEra hominis ſapientia ſita eſt in cognitione Dei Creatoris & Redemptoris.

2. Hæc cognitio eſt nobis naturaliter inſita, cujus finis eſſe debet cultus Dei recte inſtitutus, ſeu Numinis reverentia cum timore & amore conjuncta.

3. Sed tale ſemen corrumpitur inſcitia, unde ſuperſtitioſus cultus: & malitia, unde timor ſervilis & Deitatis odium.

4. Aliunde etiam eſt comparata: nempe totius mundi fabrica, & ſacris ſcripturis.

5. Hæc fabrica docet qualis ſit Dei bonitas, virtus, juſtitia, ſapientia, creando cæleſtia & terreſtria, eademque conſervando per adminiſtrationem ordinariam & extraordinariam, in qua clarius innoteſcit ejus providentia. Docet item qualis noſtra ſit indigentia, ut diſcamus noſtram fiduciam collocare in Dei bonitate, potentia, ſapientia: ejus obtemperare præceptis: ad eum in adverſis confugere: quas habemus dotes ei referre acceptas cum gratiarum actione.

6. Scripturis ſacris etiam cognoſcitur Deus Creator. In his conſiderandum quales ſint, nempe veræ & à Dei Spiritu profectæ, quod probatur Spiritus S. teſtimonio, Scripturarum efficacia & antiquitate, prophetiarum certitudine, miraculoſa Legis conſervatione, vocatione, & ſcriptis Apoſtolorum, Eccleſiæ conſenſu, martyrum conſtantia. Unde conſtat omnia pietatis principia evertere fanaticos illos qui poſthabita ſcriptura ad revelationes tranſvolant.

7. Deinde, quid doceant: nempe qualis ſit natura Dei in ſe, & in rerum creatione ac adminiſtratione.

8. Natura Dei in ſe eſt infinita, inviſibilis, æterna, omnipotens: unde ſequitur eos errare qui Deo viſibilem formam tribuunt. Item, unius eſſentiæ, in qua tres perſonæ, Patris, Filii, Spiritus Sancti.

9. In rerum creatione, conſiderantur præcipue cæleſtes & ſpirituales ſubſtantiæ, id eſt, Angeli, quorum alii boni & piorum tutores: alii mali, non creatione ſed corruptione: 2. terreſtres, & præcipue quidem homo, cujus perfectio elucet in anima & in corpore.

10. In rerum adminiſtratione natura Dei apparet. Ejus autem adminiſtratio alia eſt univerſalis, qua dirigit omnes creaturas juxta proprietatem quam ſingulis, dum eas creavit, largitus eſt.

11. Alia eſt particularis quæ conſideratur ratione rerum contingentium, ita ut ſi quis vel adverſis caſibus, vel proſpero aliquo ſucceſſu afficitur, id totum Deo adſcribere debeas: & ratione rerum ex ſtabili naturæ lege agentium, quibus licet naturaliter indita ſit ſua proprietas, tamen vim ſuam non exerunt, niſi quatenus præſenti Dei manu diriguntur.

12. Conſideratur item ratione temporis, præteriti & futuri. Præteriti, ut ſciamus omnia evenire Dei diſpenſatione, operando vel per media, vel ſine mediis, vel contra media: ita ut quicquid accidat, piis in bonum cedat, impiis in malum. Futuri, ad quod pertinent humanæ deliberationes, & quod utendum eſſe docet mediis licitis: quum providentia illa, in quam recumbimus, mediis ſuis veſtita ſit.

13. Poſtremo conſideratur ratione fructus quem inde pii colligunt. Certo enim ſcimus. 1. Deo curæ eſſe totum humanum genus, præcipue vero ſuam Eccleſiam. 2. Deum omnia ſuo nutu regere & ſua ſapientia moderari. 3. Satis amplam habere benefaciendi facultatem: quia in ejus manu ſunt cælum & terra, ejus obſequio addictæ ſunt omnes creaturæ, in ejus protectione acquieſcunt pii, & ejus imperio coërcetur inferorum poteſtas. Nihil fortuito fieri, licet occultæ ſint cauſæ, ſed Dei voluntate, eaque tum arcana quam ſcrutari non poſſumus, ſed reverenter adoramus, tum expreſſa in Lege & in Euangelio.

L I B. II.

14. COgnitio Dei Redemptoris colligitur ex lapſu hominis, & ex materiali redemptionis cauſa.

15. In lapſu hominis conſiderandum quid debeat & poſſit.

16. Quia creatus fuit ad imaginem Dei, id eſt, Sapientiæ, Juſtitiæ, Sanctitatis divinæ fuit particeps, atque ideo perfectus animo & corpore, debuit Deo perfectam mandatorum obſervationem.

17. Cauſæ lapſus, propinquæ fuerunt, Satan, Serpens, Eva, fructus vetitus: remotæ, infidelitas, ambitio, ingratitudo, contumacia. Unde ſequuta eſt deletio imaginis Dei in homine, qui factus eſt infidelis, injuſtus, morti obnoxius.

18. Quid poſſit nunc videndum, tum animæ tum corporis reſpectu. Animæ intelligentia in rebus divinis, id eſt, in Dei cognitione & vero cultu, talpa cæcior eſt: bona opera nec excogitare nec exequi poteſt. In rebus humanis, in artibus liberalibus & mechanicis, admodum cæcutit & varia eſt. Voluntas autem, quoad res divinas attinet, vult tantum quod malum eſt. Quoad inferiores & humanas, incerta, vaga, nec omnino ſui juris.

19. Corpus animæ corruptos appetitus ſequitur: multis infirmitatibus, morti tandem, eſt obnoxium.

20. Hinc ſequitur homini perdito quærendam in Chriſto mediatore redemptionem: quia electi populi prima adoptio, Eccleſiæ conſervatio, ejuſdem liberatio ex periculis, inſtauratio poſt diſſipationes, piorum ſpes à gratia mediatoris ſemper pendebat. Ideo lex data, quæ ſuſpenſos teneret animos uſque ad Chriſti adventum: quod patet ex gratuiti fœderis ſæpius repetita memoria, ceremoniis, ſacrificiis, ablutionibus, adoptionis fine, & jure Sacerdotii.

21. Materialis cauſa redemptionis eſt Chriſtus, in quo conſideranda tria. 1. Quomodo exhibeatur hominibus. 2. Quomodo recipiatur. 3. Quomodo in ejus ſocietate homines retineantur.

22. Chriſtus exhibetur hominibus per Legem & per Euangelium.

23. Lex triplex eſt, Ceremonialis, Judicialis, Moralis. Ceremonialis uſus eſt abrogatus, effectus perpetuus. Judicialis ſeu politiæ Judæis erat peculiaris, & ſublata eſt, manente univerſali illa æquitate quæ in Lege Morali deſcripta eſt. Hæc Moralis, quæ ad pietatem & juſtitiam fovendam ac conſervandam pertinet, perpetua eſt, & omnibus competit.

24. Uſus Legis Moralis eſt triplex. Primus noſtram oſtendit impotentiam, iniquitatem, damnationem: non ut deſperemus, ſed ad Chriſtum recurramus. Secundus, Ut qui promiſſionibus non moventur terrore comminationum coërceantur. Tertius, Ut ſciamus qualis ſit Dei voluntas: ut eam ad obſequium meditemur: ut ad id confirmentur animi: ut à lubrico retrahamur.

25. Summa legis proœmio & duabus tabulis comprehenditur. In proœmio notatur. 1. Dei poteſtas, ut populum obediendi neceſſitate conſtringat. 2. Promiſſio gratiæ, qua ſe Deum Eccleſiæ profitetur. 3. Beneficium, quo Judæos ingratitudinis arguit, niſi benignitati ſuæ reſpondeant.

26. Prior tabula quæ ad Dei cultum pertinet, quatuor præceptis abſolvitur.

27. Primi præcepti finis eſt, ut Deus in populo ſuo ſolus emineat. Soli Deo igitur debemus adorationem, fiduciam, invocationem, gratiarum actionem.

28. Secundi præcepti finis eſt, Deum ſuperſtitioſis ritibus cultum ſuum nolle profanari. Ejuſdem partes duæ. Prior licentiam noſtram coërcet, ne Deum ſub ſenſus noſtros ſubjiciamus, aut ulla ſpecie repræſentemus. Alter vetat, ne ullas imagines adoremus religionis cauſa, ideo producit potentiam ſuam, quam ſperni non patietur: æmulationem, quia conſortem ferre nequeat: vindictam in pronepotes: miſericordiam, majeſtatis ſuæ cultoribus.

29. Tertium præceptum tria jubet. 1. Ut Dei majeſtatem reſpiciat quicquid mens noſtra concipit & lingua profatur. 2. Ne temere abutamur ſancto ejus verbo & ſacris myſteriis ad ambitionem & avaritiam. 3. Ne ejus operibus obloquamur, ſed illa cum elogiis Sapientiæ, Patientiæ, Potentiæ, Bonitatis, Juſtitiæ prædicemus. His oppoſitio nominis Dei profanatio triplex, perjuriis, juramentis ſupervacuis, idololatricis item, videlicet quum in Dei locum ſubſtituimus ſanctos, vel creaturas animatas aut inanimatas.

30. Quarti præcepti finis eſt, ut propriis affectibus & operibus emortui regnum Dei meditemur. Hic autem tria ſunt conſideranda. 1. Requies ſpiritualis, quum fideles à propriis operibus feriantur, ut Deus in ipſis operetur. 2. Ut ſit ſtatus dies ad invocandum nomen Dei, ad verbum ejus audiendum, & ad ceremonias ſacras peragendas. 3. Ut ſervi habeant aliquam à labore remiſſionem.

31. Poſterior tabula, de charitatis officiis erga proximum, ſex poſtrema præcepta continet. Quinti præcepti finis eſt, Quoniam Deo ſuæ diſpoſitionis obſervatio cordi eſt, ordinatos ab ipſo eminentiæ gradus eſſe inviolabiles. Interdicitur ergo ne ſuperiorum dignitati derogemus, contemptu, contumacia, ingratitudine: imo eos reverentia, obedientia, gratitudine proſequamur.

32. Sexti præcepti finis eſt, Quoniam hominum genus unitate quadam Deus devinxit, incolumitatem omnium unicuique debere eſſe commendatam: unde ſequitur violentiam interdici privatis, benevolentiam præcipi.

33. Septimi præcepti finis eſt, Quia puritatem amat Deus, faceſſere à nobis debet omnis immunditiei. Ergo ſcortari prohibet animo, verbo, opere.

34. Octavi præcepti finis eſt, Quoniam Deo eſt abominationi injuſtitia, vult ut unicuique reddatur quod ſuum eſt, furantur autem homines, vel violentia, vel malitioſa impoſtura aut calliditate, vel blanditiis, &c.

35. Noni præcepti finis eſt, Quum Deus, qui eſt veritas, mendacium execretur, prohibet calumnias falſaſque criminationes, quibus violatur proximi nomen: mendacia item quibus in ſuis fortunis quiſpiam gravatur. Contra requirit, ut in aſſerenda veritate unuſquiſque noſtrum tueatur & nominis & rerum proximi ſui integritatem.

36. Decimi præcepti finis eſt, Quia totam animam dilectionis affectu poſſideri vult Deus, omnis adverſa charitati cupiditas ex animis eſt excutienda. Ideoque omnis cupiditas, quæ in alterius detrimentum vergit, prohibetur.

37. II. Per Euangelium diximus Chriſtum nobis exhiberi. Primum autem docetur Euangelii ſeu novi Teſtamenti cum veteri Teſtamento demonſtratur convenientia. 1. Quia pius ſub utroque fœdere eadem ſit, & ſuerit ſpes immortalitatis. 2. Idem fœdus ſitum non in operibus hominum, ſed in Dei miſericordia. 3. Idem Mediator Dei & hominum Chriſtus.

38. Deinde, utriuſque fœderis diſcrimen quintuplex oſtenditur. 1. Sub lege cæleſtis hæreditas ſub rebus terrenis exhibebatur. Sub Euangelio recta ad eam mentes noſtræ diriguntur. 2. Vetus in figuris abſente veritate imaginem tantum oſtentabat. Novum præſentem veritatem exhibet. 3. Illud, ratione Legis, miniſterium erat damnationis & mortis. Hoc, juſtitiæ & vitæ. 4. Illud ſervitutis, quia timorem generet in animis. Hoc, libertatis, quod in fiduciam erigat. 5. Uni Judæorum genti deſtinatum erat verbum. Nunc omnibus prædicatur gentibus.

39. Euangelicæ doctrinæ ſumma eſt docere. 1. Qualis ſit Chriſtus. 2. Quorſum miſſus. 3. Quomodo redemptionis partes impleverit.

40. Chriſtus eſt Deus & homo. Deus, ut ſuis largiatur juſtitiam, ſanctificationem & redemptionem. Homo quia hominis debitum erat perſoluturus.

41. Miſſus eſt ad munus triplex. 1. Prophetæ, vera prædicendo, Prophetias adimplendo, voluntatem Patris docendo, & faciendo. 2. Regis, gubernando Eccleſiam totam & quodlibet membrum ejus, à quolibet adverſariorum injuria ſuos defendendo. 3. Sacerdotis, pro peccatis corpus ſuum offerendo, Deum ſua obedientia nobis reconciliando, pro ſuis ſemper precibus ad patrem intercedendo.

42. Redemptoris partes implevit, moriendo pro peccatis noſtris, reſurgendo ad noſtram juſtificationem, aperiendo nobis cœlos per aſcenſionem, ſedendo ad dextram Patris, inde venturus ad judicandum vivos & mortuos. Itaque nobis promeritus eſt gratiam Dei & ſalutem.

L I B. III.

43. CHriſtum Redemptorem recipimus virtute Spiritus Sancti, qui nos cum Chriſto conjungit. Ideo dicitur Spiritus ſanctificationis & adoptionis, arrhabo & ſigillum noſtræ ſalutis, aqua, oleum, fons, ignis, Dei manus.

44. Fides autem animæ manus eſt, quæ Chriſtum in Euangelio nobis oblatum eadem virtute Spiritus Sancti recipit.

45. Commune fidei officium eſt, veritati Dei ſubſcribere, quoties, quicquid, & quomodo loquatur. Proprium vero, reſpicere Dei in Chriſto voluntatem, miſericordiam, promiſſiones gratiæ, in quarum certitudinem Spiritus Sanctus mentes noſtras illuminat & corda confirmat.

46. Fides igitur eſt divinæ erga nos benevolentiæ firma certaque cognitio, quæ in gratuita in Chriſto promiſſione fundata, per Spiritum Sanctum & revelatur mentibus noſtris & cordibus obſignatur.

47. Fidei effecta ſunt quatuor. 1. Pœnitentia. 2. Vita Chriſtiana. 3. Juſtificatio. 4. Oratio.

48. Pœnitentia vera duabus partibus conſtat: Mortificatione, quæ ex agnitione peccati & vero judicii divini ſenſu procedit: Vivificatione item, cujus fructus ſunt, pietas erga Deum, charitas erga proximum, ſpes vitæ æternæ, vita ſanctior. Huic veræ Pœnitentiæ opponitur falſa, cujus partes. Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Priores duæ ad veram pœnitentiam referri poſſunt: modo contritio ſit cordis propter agnitionem peccati, nec à ſpe veniæ per Chriſtum ſeparetur: confeſſio autem, ſeu privata, ſoli Deo, aut Eccleſiæ paſtoribus libere & ad conſolationem, non ad enumerationem delictorum & conſcientiæ carnificinam invehendam fiat: ſeu publica, quæ eſt totius Eccleſiæ, vel unius aut multorum coram tota Eccleſia. Satisfactio, olim Eccleſiaſtica, id eſt, quæ ad ædificationem Eccleſiæ ob peccatorum reſipiſcentiam & publicam confeſſionem fiebat, ad Deum relata eſt à Sophiſtis: unde Indulgentiarum ſupplementa in hoc mundo, & ignis purgatorius poſt mortem. At contritio illa Sophiſtarum, confeſſio item auricularis (quam vocant) & operis ſatisfactio, gratuitæ peccatorum remiſſioni opponuntur.

49. Vitæ Chriſtianæ partes duæ conſtituuntur. 1. Amor juſtitiæ: ut Sancti ſimus, quia Deus Sanctus eſt, cum eo conjungimur, & in ejus populo cenſemur. 2. Ut nobis norma præſcripta ſit, quæ nos in juſtitiæ ſtadio aberrare non ſinat, ſimuſque Chriſto conformes. Hujus autem exemplar nobis propoſitum, cujus formam in vita noſtra debemus exprimere. Accedunt Dei beneficia quibus extremæ erit ingratitudinis ſi non reſpondeamus.

50. Summa

50. Summa vitæ Chriſtianæ eſt noſtri abnegatio.

51. Hujus abnegationis fines ſunt quatuor. 1. Ut nos conſecremus Deo in hoſtiam viventem. 2. Ne noſtra quæramus, ſed quæ Dei ſunt & proximi. 3. Ut crucem patienter feramus, cujus fructus ſunt, noſtræ imbecillitatis agnitio, patientiæ noſtræ probatio, delictorum correctio, ardentior invocatio, vitæ æternæ alacrior meditatio. 4. Ut ſciamus quomodo utendum ſit præſenti vita ejuſque adminiculis, propter neceſſitatem & oblectationem. Neceſſitas requirit ut omnia poſſideamus tanquam nihil poſſidentes: feramus placide penuriam, & abundantiam moderate, ſciamus famem, eſurire, & patienter carere: habeamus rationem proximi, quia reddenda eſt ratio villicationis noſtræ: omnia vocationi noſtræ reſpondeant. Oblectatio nobis eſſe debet laudandæ benignitatis Dei majus argumentum.

52. In conſideratione Juſtificationis, quæ eſt tertius fidei effectus, occurrit primum vocis explicatio. Juſtificatus dicitur, qui Dei judicio cenſetur & habetur juſtus. Juſtificatur operibus, cujus vita pura & irreprehenſibilis eſt coram Deo. Et talis nullus unquam fuit, excepto Chriſto. Juſtificantur fide, qui operum juſtitia excluſi Chriſti juſtitiam apprehendunt. Tales ſunt Dei electi.

53. Inde conſequitur firmiſſima conſolatio. Nam pro ſevero judice patrem habemus clementiſſimum. Juſtificati in Chriſto, peccatumque habentes virtute ejuſdem fieri ſanctitatem meditamur.

54. Conſequitur item Chriſtiana libertas, in tribus conſiſtens. 1. Ut fidelium conſcientiæ ſeſe ſupra Legem erigant, totamque legis juſtitiam obliviſcantur. 2. Ut conſcientiæ jugo Legis liberæ voluntati Dei ultro obediant. 3. Ut rerum indifferentium nulla religione coram Deo teneamur. Cavenda tamen hic duo præcipue. Primum, ne donis Dei abutamur. Alterum, ut ſcandalum datum & acceptum fugiamus.

55. Oratio, quartus eſt effectus fidei: in qua conſiderantur, fructus, leges, errores, & petitiones.

56. Fructus orationis eſt quintuplex. 1. Dum aſſueſcimus ad Deum confugere, cor noſtrum inflammatur majore deſiderio ejus quærendi, amandi & colendi. 2. Nulla mala cupiditas cor noſtrum invadit, cujus teſtem Deum facere pudeat. 3. Ejus beneficia cum gratiarum actione excipimus. 4. Donum conſequuti, ardentius Dei benignitatem meditamur. 5. Uſus nobis confirmat Dei bonitatem, providentiam & veritatem.

57. Leges ſunt quatuor. 1. Ne aliter ſimus compoſiti, quam qui ad Dei colloquium ingredimur. Ideo manuum elevatio, cordis motus, perſeverantia commendatur. 2. Inopiam noſtram ſentiamus. 3. Omni propriæ gloriæ cogitatione nos abdicemus, dantes Deo gloriam in ſolidum. 4. In mediis malorum abyſſis proſtrati ſpe certa exorandi animemur, quandoquidem Dei mandato & promiſſione freti ſumus.

58. Errant autem qui Sanctos extra hanc vitam conſtitutos invocant. 1. Quia Scriptura docet ſolum Deum eſſe invocandum, quia ſolus novit quæ ſunt nobis neceſſaria. Vult adeſſe, quia promiſit. Poteſt, quia omnipotens. 2. Quia vult invocari fide, quæ verbo & promiſſione ejus nititur. 3. Quia fides adulteratur, quamprimum ab hac regula receditur. At in invocatione ſanctorum nullum eſt verbum, nulla promiſſio: ergo nulla fides. Nec ſancti illi audire aut juvare poſſunt.

59. Summa orationis, quæ à Chriſto Domino nobis tradita eſt, comprehenditur proœmio & duabus tabulis.

60. In proœmio lucet Dei bonitas, quia Pater noſter dicitur. Sequitur nos eſſe filios: &, aliunde ſubſidia quærere, eſſet vel egeſtatem vel ſævitiam exprobrare Deo. Peccata non obeſſe quominus ſupplices miſericordiam imploremus. Fraternæ dilectionis affectum debere inter nos intercedere. Lucet item in hoc proœmio Dei potentia: quia in cælis. Unde colligimus Deum per omnia diffundi, quem dum quærimus ſupra corporis & animæ ſenſus attolli nos decet: evehi ſuper omnem aleam corruptionis aut mutationis: univerſum orbem complecti & ſua potentia gubernare.

61. Prior tabula Dei gloriæ tota deſtinata eſt, & tres petitiones continet. 1. Ut Dei nomen, id eſt, ejus potentia, bonitas, ſapientia, juſtitia, veritas, ſanctificetur: id eſt, ut homines ſine ſumma veneratione de Deo nec loquantur nec cogitent. 2. Ut Deus pravas omnes carnis cupiditates Spiritus ſui virtute corrigat: ſenſus omnes noſtros formet ad imperii ſui obſequium: ſuos filios tueatur: & frangat impiorum conatus. Iſtius petitionis uſus triplex eſt. Retrahit nos à mundi corruptelis: accendit mortificandæ carnis ſtudium: ad crucis tolerantiam nos animat. 3. Tertia petitio agit non de arcana Dei voluntate, ſed de ea quæ per Scripturas innoteſcit: cui reſpondet voluntarium obſequium.

62. Poſterior tabula tres reliquas petitiones continet, quæ nos & proximos noſtros reſpiciunt. 1. Petit omnia quibus corporis uſus ſub mundi hujus elementis indiget. Dei enim curæ ac providentiæ nos committimus, ut nos paſcat, foveat, ſervet. 2. Petimus quæ ad ſpiritualem vitam faciunt, nempe peccatorum remiſſionem, quæ ſatisfactionem tollit, & cui apponitur conditio, ut dicto factoque læſi à proximis nihilominus eis in nos delicta condonemus. 3. Liberationem a tentationibus, ſeu nos armis Inſtrui & divino præſidio defendi, ut pares ſimus ad victoriam. Tentationes autem differunt cauſa, nam tentat Deus, Satan, mundus, caro: & materia, a dextris enim tentamur, ratione divitiarum, honorum, pulchritudinis, &c. à ſiniſtris, ratione paupertatis, contemptus, afflictionum: & fine, nam Deus pios tentat in bonum: Satan, caro, mundus, in malum.

63. Porro, quatuor illa fidei effecta nos deducunt ad certitudinem electionis & reſurrectionis ultimæ.

64. Electionis cauſæ: efficiens, mera Dei liberalitas, quam cum humilitate & gratiarum actione agnoſcere debemus: materialis, Chriſtus filius dilectus: finalis, ut certi de ſalute noſtra, quia Dei ſumus, eum tum in hoc vita, tum in futura, æternum glorificemus. Effecta ſunt, multorum aut unius reſpectu: idque alios eligendo, alios juſte reprobando. Electi autem vocantur verbi prædicatione & Spiritus Sancti illuminatione, juſtificantur, ſanctificantur, ut tandem glorificentur.

95. Reſurrectio ultima fiet. 1. Quia non poſſumus alia ratione perfecte glorificari. 2. Quia Chriſtus in noſtra carne reſurrexit. 3. Quia Deus eſt omnipotens.

LIB. IV.

66. DEus in ſocietate Chriſti nos retinet per adminiſtrationem Eccleſiaſticam & civilem.

67. In Eccleſiaſtica adminiſtratione tria conſiderantur. 1. Quæ ſit Eccleſia. 2. Quomodo regatur. 3. Quæ ſit ejus poteſtas.

98. Eccleſia dupliciter conſideratur: Inviſibilis & univerſalis, quæ eſt ſanctorum communio. Viſibilis & particularis. Dignoſcitur autem Eccleſia verbi pura prædicatione, & Sacramentorum legitima adminiſtratione.

89. Quoad Eccleſiæ regimen, quinque expenduntur. 1. Qui præſint. 2. Quales. 3. Quænam ſit eorum vocatio. 4. Officium. 5. Quis fuerit veteris Eccleſiæ ſtatus.

70. Præſunt non Angeli, ſed homines. In hoc Deus ſuam benignitatem nobis declarat: habemus ſingulare exercitium ad humilitatem & obedientiam: optimum item ad mutuam charitatem vinculum.

71. Hi ſunt Prophetæ, Apoſtoli, Evangeliſtæ, quorum munus fuit temporarium: Paſtores & Doctores, qui perpetuo durant.

72. Eorum vocatio duplex. Interna & externa. Interna à Dei Spiritu. Externa, in qua occurrunt quatuor expendenda. 1. Quales ſint eligendi: nempe, ſana doctrina & bonis moribus præditi. 2. Quomodo: cum jejunio & oratione. 3. A quibus. Immediate à Deo, ut Prophetæ & Apoſtoli. Mediate, verbo duce, ab Epiſcopis, à Senioribus, & a plebe. 4. Quo ritu: manuum ſcilicet impoſitione, cujus triplex eſt uſus. Primus, ut miniſterii commendetur dignitas. Alter, ut vocatus ſciat ſe Deo eſſe conſecratum. Tertius, ut credat Spiritum Sanctum non defuturum ſancto huic miniſterio.

73. Officium Paſtorum in Eccleſia eſt, prædicare verbum, adminiſtrare ſacramenta, diſciplinam exercere.

74. Veteris Eccleſiæ ſtatus diſtributus eſt in Presbyteros, Seniores, Diaconos qui Eccleſiaſtica bona dividebant Epiſcopis, clero, pauperibus, templorum reparationi.

75. Poteſtas Eccleſiæ conſideratur ratione doctrinæ, legum ferendarum & juriſdictionis.

76. Doctrina reſpicit fidei dogmata, quæ nulla extra Dei verbum tradenda ſunt, ſed omnia ad Dei gloriam & Eccleſiæ ædificationem referenda: reſpicit etiam dogmatum applicationem, quæ ad fidei analogiam debet congruere.

77. Leges Eccleſiaſticæ, in præceptis neceſſario obſervandis, verbo Dei ſcripto conformes eſſe debent. In indifferentibus habenda eſt ratio locorum, perſonarum, temporum, cum obſervatione ordinis & decori. Fugiendæ ſunt autem conſtitutiones, quæ à pſeudopaſtoribus pro vero Dei cultu traditæ ſunt, quæ præciſa neceſſitate conſcientias aſtringunt, quæ irritum faciunt Dei mandatum, quæ ſunt inutiles & ineptæ, quæ ſuo numero conſcientias opprimunt, quæ hiſtrionicam referunt oſtentationem, quæ pro ſacrificiis expiatoriis habentur, quæ ad quæſtum convertuntur.

78. Juriſdictio duplex eſt. 1. Clero propria, de qua agebatur in Synodis provincialibus & generalibus. 2. Communis clero & plebi, cujus finis duplex, tum ut ſcandala impediantur, tum ut ſcandalum exortum aboleatur. Praxis autem conſiſtit in admonitionibus privatis & publicis: item in excommunicatione, cujus triplex ſcopus. 1. Ne Eccleſia male audiat. 2. Ne boni corrumpantur malorum conſuetudine. 3. Ut præ pudore excommunicati pœnitere incipiant.

79. Prudenter ratione temporum indicuntur jejunia, & fiunt vota. Jejuniorum finis eſt, ut maceretur caro, ſimus ad preces melius compoſiti, ſint humilitatis & obedientiæ teſtimonia. Conſiſtunt in tempore, in qualitate & quantitate ciborum. Hic autem cavendum ne veſtimenta tantum frangamus, non corda, ut hypocritæ: ne pro opere meritorio facta cenſeantur: ne rigidius exigantur tanquam ad ſalutem neceſſaria.

90. In votis conſiderandum. 1. Cui vovetur, nempe Deo. Unde ſequitur nihil tentandum niſi perfecto verbo, quo docemur quid placeat & quid diſpliceat Deo. 2. Quis vovet, nempe homo. Cavendum igitur ne libertatem noſtram negligamus, ne ſupra vires, aut quod cum vocatione pugnat promittamus. 3. Quid vovetur. Ibi habenda ratio temporis: tum præteriti, quale eſt votum actionis gratiarum & pœnitentiæ: tum futuri, ut ſimus in poſterum cautiores, & his ſtimulis ad officium excitemur. Hinc apparet quid de votis Papiſticis ſit ſentiendum.

91. In Sacramentorum explicatione tria ſunt conſideranda. 1. Quid, nempe externum ſymbolum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientiis noſtris Deus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem. Nos viciſſim pietatem erga eum noſtram teſtamur. 2. Quæ neceſſaria, nempe Signum, Res ſignata, Promiſſio: Generalis communicatio. 3. Quot ſint: nempe Baptiſmus & Cœna.

92. Baptiſmi ſignum eſt aqua: res ſignata, ſanguis Chriſti: promiſſio, vita æterna: communicantes ſeu participes, adulti poſt fidei confeſſionem: infantes item, quia Baptiſmus ſucceſſit circumciſioni, & in utroque myſterium, promiſſio, uſus, efficacia, eadem ſunt. Peccatorum item remiſſio ad infantes pertinet, ergo & ſignum hujus remiſſionis.

83. Finis Baptiſmi duplex eſt. 1. Ut ſerviat fidei noſtræ erga Deum. Quia ſignum eſt noſtræ ablutionis per Chriſti ſanguinem: noſtræ etiam ſtem in Chriſto mortificationis & regenerationis. præterea Chriſto conjuncti credimus nos fore omnium ſuorum bonorum participes, nec condemnationem ullam nobis futuram. 2. Ut ſerviat confeſſioni erga proximum. Quia nota eſt nos velle populo Dei accenſeri: teſtamur etiam nos religionem Chriſtianam profiteri: cupere ut laudem Dei omnia noſtra ſpirent.

94. Cœna eſt epulum ſpirituale, quo in ea vita conſervamur, in quam nos verbo ſuo Deus genuit.

85. Finis Cœnæ triplex eſt. 1. Ut ſerviat fidei noſtræ erga Deum confirmandæ. 2. Confeſſioni coram hominibus. 3. Exhortationi ad charitatem.

96. Cavendum autem ne in extenuandis ſignis nimia à ſuis myſteriis ea divellamus, quibus quodammodo annexa ſunt. Ne item in iiſdem extollendis immodici, myſteria ipſa obſcurare videamur.

87. Partes ſunt duæ. 1. Spiritualis veritas, in qua conſideratur ſignificatio, in promiſſionibus: materia, Chriſtus mortuus & reſuſcitatus: effectus, nempe redemptio, & juſtificatio noſtra. 2. Signa viſibilia, panis & vinum.

88. Cœnæ opponitur Miſſa papiſtica. 1. Contumelia Chriſtum afficit. 2. Chriſti crucem ſepelit. 3. Mortem ejus abolet. 4. Beneficia, quæ in Chriſto obtinemus, tollit. 5. Sacramenta, quibus mortis memoria relicta eſt, enervat.

89. Falſo autem numerantur Sacramenta, Confirmatio, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, qui minores & majores peperit, Matrimonium.

90. Supereſt civilis adminiſtratio, ad externam morum juſtitiam pertinens.

91. In ea conſiderantur Magiſtratus, leges, populus.

92. Magiſtratus eſt Dei vicarius, pacis pater, legum cuſtos, præſes juſtitiæ, Eccleſiæ nutritius.

93. His nominibus, ad officium excitatur. 1. ut coram Deo ſancte ambulet, & coram hominibus integritatem, prudentiam, continentiam, innocentiam, juſtitiam referat. 2. Ut ſingulari conſolatione muneris ſui difficultates leniat.

94. Species Magiſtratus ſeu civilis adminiſtrationis ſunt Monarchia, Ariſtocratia, Democratia.

95. Quoad leges, videndum qualis ſit earum conſtitutio, ratione Dei & hominum: deinde qualis æquitas, ratione temporum, locorum, nationum.

96. Populus Magiſtratui debet. 1. Reverentiam, tanquam Dei legato, idque animo ſincero. 2. Obedientiam, ſive edictis parendum, ſive tributa ſolvenda, ſive ſubeunda publica munera & onera. 3. Amorem quo eorum proſperitatem precibus Deo commendet.

97. Jubemur non tantum bonis Magiſtratibus parere, ſed etiam omnibus qui rerum potiuntur, etiamſi tyrannidem exerceant: nec enim ſine Numine Principes conſtituti ſunt.

98. Tyrannis porro regnantibus, ſubeat primum delictorum noſtrorum recordatio, quæ talibus flagellis caſtigantur. Inde humilitas impatientiam noſtram frenabit. Deinde, non noſtrum eſſe his malis mederi: hoc tantum eſſe reliquum, ut Domini opem imploremus, cujus in manu ſunt Regum corda & regnorum inclinationes.

99. Duobus modis autem Tyrannorum furores Deus compeſcit: aut ex ſervis ſuis manifeſtos vindices excitans, qui populum à tyrannide eximant: vel furorem aliud cogitantium, & molientium hominum eo dirigens, tyrannidem alia tyrannide evertens.

100. Privatis obedientia præſcripta non impedit quominus populares quidam Magiſtratus eſſe poſſint penes quos ſit tyrannos coërcere & populi libertatem tueri. Iis autem Magiſtratibus eſt obediendum ut ſupremo Regi jus ſuum integrum illibatumque ſemper maneat.

Quæ quatuor libris hujus INSTITUTIONIS continentur.

LIBRO PRIMO.

DE COGNITIONE DEI CREATORIS.

CAPITA XVIII.

I. *Dei notitiam & noſtri res eſſe conjunctas, & quomodo inter ſe cohærant.* pag. 1
II. *Quid ſit Deum cognoſcere, & quem in finem tendat ejus cognitio.* 2
III. *Dei notitiam hominum mentibus naturaliter eſſe inditam.* 3
IV. *Eandem notitiam partim inſcitia, partim malitia vel ſuffocari vel corrumpi.* 4
V. *Dei notitiam in mundi fabrica & continua ejus gubernatione lucere.* 5
VI. *Ut ad Deum Creatorem quis perveniat, opus eſſe Scriptura duce & magiſtra.* 10
VII. *Quo teſtimonio Scripturam oporteat ſanciri, nempe Spiritus, ut certa conſtet ejus authoritas: atque impium eſſe commentum, fidem ejus pendere ab Eccleſiæ judicio.* 11
VIII. *Probationes, quatenus fert humana ratio, ſatis firmas ſuppetere ad ſtabiliendam Scripturæ fidem.* 13
IX. *Omnia pietatis principia evertere fanaticos, qui poſthabita Scriptura, ad revelationes tranſvolant.* 16
X. *Scripturam ut omnem ſuperſtitionem corrigat, verum Deum excluſivè opponere diis omnibus Gentium.* 17
XI. *Deo tribuere viſibilem formam nefas eſſe, ac generaliter deficere à vero Deo quicunque idola ſibi erigunt.* 18
XII. *Deum ab idolis diſcerni, ut ſolus in ſolidum colatur.* 23
XIII. *Unicam Dei eſſentiam ab ipſa creatione tradi in Scripturis, quæ tres in ſe perſonas continet.* 24
XIV. *In ipſa etiam mundi & rerum omnium creatione Scripturam certis notis diſcernere verum Deum à fictitiis.* 34
XV. *Qualis homo ſit creatus, ubi de animæ facultatibus, de imagine Dei, libero arbitrio, & prima naturæ integritate diſſeritur.* 41
XVI. *Deum ſua virtute mundum à ſe conditum fovere ac tueri, & ſingulas ejus partes ſua providentia regere.* 45
XVII. *Quorſum & in quem ſcopum referenda ſit hæc doctrina, ut nobis conſtet ejus utilitas.* 48
XVIII. *Deum ita impiorum opera uti, & animos flectere ad exequenda ſua judicia, ut purus ipſe ab omni labe maneat.* 54

LIBRO SECUNDO.

De Cognitione Dei Redemptoris in Chriſto, quæ Patribus ſub Lege primum, deinde & nobis in Euangelio patefacta eſt. CAP. XVII.

I. *Adæ lapſu & defectione totum humanum genus maledictioni fuiſſe addictum, & à prima origine degeneraſſe, ubi de peccato originali.* 57
II. *Hominem arbitrii libertate nunc eſſe ſpoliatum, & miſeræ ſervituti addictum.* 61
III. *Ex corrupta hominis natura nihil niſi damnabile prodire.* 70
IV. *Quomodo operetur Deus in cordibus hominum.* 75
V. *Objectionum refutatio quæ pro defenſione liberi arbitrii afferri ſolent.* 77
VI. *Homini perdito quærendam in Chriſto redemptionem eſſe.* 84
VII. *Legem fuiſſe datam, non quæ populum veterem in ſe retineret, ſed quæ foveret ſpem ſalutis in Chriſto uſque ad ejus adventum.* 86
VIII. *Legis moralis explicatio.* 91
IX. *Chriſtum, quamvis ſub Lege Judæis cognitus fuerit, tamen Euangelio demum exhibitum fuiſſe.* 107
X *De ſimilitudine Veteris & Novi Teſtamenti.* 108
XI. *De differentia unius Teſtamenti ab altero.* 114
XII. *Chriſtum, ut Mediatoris officium præſtaret, oportuiſſe fieri hominem.* 118
XIII. *Chriſtum veram humanæ carnis ſubſtantiam induiſſe.* 121
XIV *Quomodo duæ naturæ Mediatoris efficiant perſonam.* 123
XV. *Ut ſciamus quorſum miſſus fuerit Chriſtus à Patre, & quid nobis attulerit, tria potiſſimum ſpectanda in eo eſſe, munus Propheticum, Regnum & Sacerdotium.* 126
XVI. *Quomodo Redemptoris partes impleverit Chriſtus, ut nobis ſalutem acquireret: ubi de morte & reſurrectione ejus agitur, & in cælum aſcenſu.* 129
XVII. *Rectè & propriè dici Chriſtum nobis promeritum eſſe gratiam Dei & ſalutem.* 136

LIBRO TERTIO,

De modo percipiendæ Chriſti gratiæ, & qui inde fructus nobis proveniant, & qui effectus conſequantur. CAP. XXV.

I. *Quæ de Chriſto dicta ſunt, nobis prodeſſe, arcana operatione Spiritus.* 138
II. *De fide: ubi & definitio ejus ponitur, & explicantur quæ habet propria.* 140
III. *Fide nos regenerari: ubi de pœnitentia.* 153
IV. *Quam procul abſit ab Evangelii puritate quicquid de pœnitentia garriunt Sophiſtæ in ſuis ſcholis, ubi de confeſſione & ſatisfactione agitur.* 161
V. *De ſupplementis quæ ad ſatisfactiones adjiciunt, nempe indulgentiis & purgatorio.* 174
VI. *De vita hominis Chriſtiani: ac primum quibus argumentis ad eam nos hortetur Scriptura.* 178
VII. *Summa vitæ Chriſtianæ: ubi de abnegatione noſtri.* 179
VIII. *De crucis tolerantia, quæ pars eſt abnegationis.* 183
IX. *De meditatione futuræ vitæ.* 186
X. *Quomodo utendum præſenti vita, ejuſque adjumentis.* 188
XI *De juſtificatione fidei, ut primo de ipſa nominis & rei definit.* 190
XII. *Ut ſerio nobis perſuadeatur gratuita juſtificatio, ad Dei tribunal tollendas eſſe mentes.* 197
XIII. *Duo eſſe in gratuita juſtificatione obſervanda.* 200
XIV. *Quale initium juſtificationis & continui progreſſus.* 201
XV. *Quæ de operum meritis jactantur, tam Dei laudem in conferenda juſtitia, quàm ſalutis certitudinem evertere.* 207
XVI. *Refutatio calumniarum, quibus hanc doctrinam odio gravare conantur Papiſtæ.* 209
XVII *Promiſſionum Legis & Euangelii conciliatio.* 211
XVIII. *Ex mercede male colligi operum juſtitiam.* 216
XIX *De libertate Chriſtiana.* 220
XX. *De oratione, quæ præcipuum eſt fidei exercitium, & qua Dei beneficia quotidie percipimus.* [illegible]84
XXI. *De electione æterna, qua Deus alios ad ſalutem, alios ad interitum prædeſtinavit.* 244
XXII. *Confirmatio hujus doctrinæ ex Scripturæ teſtimoniis.* 247
XXIII. *Refutatio calumniarum quibus hæc doctrina ſemper iniquè gravata fuit.* 252
XXIV. *Electionem ſanciri Dei vocatione: reprobos autem ſibi accerſere juſtum, cui deſtinati ſunt, interitum.* 256
XXV. *De reſurrectione ultima.* 263

LIBRO QUARTO,

De externis mediis vel adminiculis quibus Deus in Chriſti ſocietatem nos invitat, & in ea retinet. CAP. XX.

I. *De vera Eccleſia, cum qua nobis colenda eſt unitas: quia piorum omnium mater eſt.* 870
II. *Comparatio falſæ Eccleſiæ cum vera.* 278
III. *De Eccleſiæ doctoribus & miniſtris, eorumq; electione & officio.* 281
IV. *De ſtatu veteris Eccleſiæ, & ratione gubernandi quæ in uſu fuit ante Papatum.* 285
V. *Antiquam regiminis formam omnino poſſundatam fuiſſe tyrannide Papatus.* 289
VI. *De primatu Romanæ ſedis.* 294
VII. *De exordio & incrementis Romani Papatus, donec ſe in hanc altitudinem extulit, qua & Eccleſiæ libertas oppreſſa, & omnis moderatio everſa fuit.* 299
VIII. *De poteſtate Eccleſiæ quoad fidei dogmata: & quam effreni licentia ad vitiandam omnem doctrinæ puritatem tracta fuit in Papatu.* 307
IX. *De Conciliis, eorumque authoritate.* 311
X. *De poteſtate in legibus ferendis, in qua ſæviſſimam tyrannidem in animas & carnificinam exercuit Papa cum ſuis.* 315
XI. *De Eccleſiæ juriſdictione, ejuſque abuſu qualis cernitur in Papatu.* 324
XII. *De Eccleſiæ diſciplina, cujus præcipuus uſus in cenſuris & excommunicatione.* 329
XIII. *De votis, quorum temeraria nuncupatione quiſque ſe miſere implicuit.* 336
XIV. *De Sacramentis.* 342
XV. *De Baptiſmo.* 349
XVI. *Pædobaptiſmum cum Chriſti inſtitutione & ſigni natura optime congruere* 355
XVII *De ſacra Chriſti Cœna, & quid nobis conferat.* 364
XVIII. *De Miſſa Papali: qua ſacrilegio non modo profanata fuit Cœna Chriſti, ſed in nihilum redacta.* 382
XIX *De quinque falsò nominatis Sacramentis: ubi Sacramenta non eſſe quinque reliqua, quæ pro Sacramentis hactenus vulgò habita ſunt, declaratur: tum qualia ſint oſtenditur.* 388
XX. *De politica adminiſtratione.* 397

JOAN-

JOANNIS CALVINI
INSTITUTIONIS
CHRISTIANÆ RELIGIONIS
LIBER PRIMUS.
DE
COGNITIONE DEI CREATORIS.

ARGUMENTUM.

Primus liber de Cognitione Dei Creatoris diſſerit. Quoniam vero in creatione hominis ea maxime elucet, ideo de homine quoque diſputatio habetur. Atque ita præcipui loci totius tractationis duo ſunt: prior de notitia Dei, alter de notitia hominis. Ac primo capite de utroque conjunctim agitur: ſequentibus de ſingulis ſeparatim: ita tamen ut quædam miſceantur, quæ ad alterutrum iſtorum referri debeant: tractatus ſcilicet de Scriptura, & Imaginibus, ad notitiam Dei: tres reliqui de mundi Opificio, de S. Angelis, de Diabolis, ad hominis notitiam: poſtremus, de ratione qua Deus mundum gubernat, ad utrumque ſpectet.

Quod ad priorem, hoc eſt, Dei notitiam attinet, primum oſtendit qualis ſit notitia quam ipſe poſtulat, cap. II. Deinde, ubi quærenda ſit, à III. ad IX. nimirum, non in homine: quia etſi naturaliter hominum mentibus indita ſit, tamen partim inſcitia, partim malitia ſuffocatur, III. & IIII. Nec in mundi fabrica: quia etſi in ea clariſſime lucet, nos tamen adeo ſtupidi ſumus, ut ejuſmodi teſtificationes, quantumvis perſpicuæ, ſemper nobis ſine fructu effluant, V. Sed in Scriptura, VI. De qua agitur cap. VII. VIII. IX. Tertio, qualis ſit Deus, X. Quarto, quam impium ſit Deo tribuere viſibilem formam, (ubi de Imaginibus, earum adoratione & origine agit) cap. XI. Quinto, contendit æquum eſſe, ut ſolus Deus in ſolidum colatur, XII. Poſtremo, de unitate Eſſentiæ divinæ, & trium perſonarum diſtinctione, cap. XIII.

Ad poſteriorem, hominis nempe notitiam, quod attinet, primum de mundi creatione, de bonis & malis Angelis, (quæ omnia hominem ſpectant) inſtituitur tractatio, XIV. cap. Deinde, ad hominem ipſum accedens, naturam vireſque ejus examinat, cap XV.

Ut autem Dei hominiſque notitiam melius illuſtret, ad omnium humanarum actionum, totiuſque mundi gubernationem, contra fortunam & fatum, tribus reliquis capitibus, XVI. videlicet, XVII. & XVIII. deſcendit, doctrinam ſinceram, atque illius uſum, tradens: tandem Deum, etſi impiorum opera utatur, purum tamen ab omni labe & culpa eſſe oſtendit.

CAPUT I.

Dei notitiam & noſtri, res eſſe conjunctas, & quomodo inter ſe cohæreant.

Vera ſapientiæ partes.

TOta fere ſapientiæ noſtræ ſumma, quæ vera demum ac ſolida ſapientia cenſeri debeat, duabus partibus conſtat, Dei cognitione & noſtri. Cæterum, quum multis inter ſe vinculis connexæ ſint, utra tamen alteram præcedat, & ex ſe pariat, non facile eſt diſcernere.

1. Dei cognitio. *Act. 17:28.*

Nam primo, ſe nemo aſpicere poteſt quin ad Dei, *in quo vivit & movetur*, intuitum ſenſus ſuos protinus convertat: quia minime obſcurum eſt, dotes quibus pollemus, nequaquam à nobis eſſe. imo ne id quidem ipſum quod ſumus, aliud eſſe quam in uno Deo ſubſiſtentiam. Deinde ab his bonis quæ guttatim è cœlo ad nos ſtillant, tanquam à rivulis ad fontem deducimur.

2. Noſtri cognitio, & ejus efficia.

Jam vero ex noſtra tenuitate melius apparet illa, quæ in Deo reſidet bonorum infinitas. Præſertim miſerabilis hæc ruina, in quam nos dejecit primi hominis defectio, ſurſum oculos cogit attollere, non modo ut inde jejuni & famelici petamus quod nobis deeſt, ſed metu expergefacti, humilitatem diſcamus. Nam ut in homine reperitur quidam miſeriarum omnium mundus, ac ex quo ſpoliati ſumus divino ornatu, pudenda nuditas immenſam probrorum congeriem detegit: propriæ infelicitatis conſcientia unumquemque pungi neceſſe eſt, ut in aliquam ſaltem Dei notitiam veniat. Ita ex ignorantiæ, vanitatis, inopiæ, infirmitatis, pravitatis denique & corruptionis propriæ ſenſu recognoſcimus, non alibi quam in Domino ſitam eſſe veram ſapientiæ lucem, ſolidam virtutem, bonorum omnium perfectam affluentiam, juſtitiæ puritatem: atque adeo malis noſtris ad conſideranda Dei bona excitamur: nec ante ad illum ſerio aſpirare poſſumus, quam cœperimus nobis ipſis diſplicere. Quis enim hominum non libenter in ſe requieſcat? quis etiam non requieſcit quamdiu ſibi eſt incognitus, hoc eſt, ſuis dotibus eſt contentus, & inſcius ſuæ miſeriæ vel immemor? Proinde unuſquiſque ſui agnitione non tantum inſtigatur ad quærendum Deum, ſed etiam ad reperiendum quaſi manu ducitur.

vide Calvin. in Joan. c. 4: 10.

Cognitionis Dei efficia.

2. Rurſum, hominem in puram *ſui* notitiam nunquam pervenire conſtat niſi prius *Dei* faciem

1. Superbiam noſtram confundit.

ſit contemplatus, atque ex illius intuitu ad ſeipſum inſpiciendum deſcendat. *Nam* (quæ ingenita eſt omnibus nobis ſuperbia) juſti ſemper nobis videmur & integri, & ſapientes, & ſancti: niſi manifeſtis argumentis, injuſtitiæ, fœditatis, ſtultitiæ, & impuritatis noſtræ convincamur. Non autem convincimur ſi in nos duntaxat ipſos reſpicimus, & nnn in Dominum quoque: qui unica eſt regula ad quam exigendum eſt iſtud judicium.

2. Hypocriſin detegit.

Quia enim ad hypocriſin natura propenſi ſumus nmnes, ideo inanis quædam juſtitiæ ſpecies pro juſtitia ipſa nobis abunde ſatisfacit. Et quia nihil intra nos vel circum apparet quod nnn ſit plurima obſcœnitate inquinatum: quod paulo minus fœdum eſt pro puriſſimo arridet, quamdiu mentem noſtram intra bumanæ pollutionis fines continemus.

Confirmatio à ſimili.

Non ſecus atque oculus, cui nihil alias nbverſatur niſi nigri colnris, candidiſſimum eſſe judicat quod tamen ſubobſcura eſt albedine, vel nonnulla etiam fuſcedine aſperſum. Quin ex corporeo ſenſu propiùs adhuc diſcernere licet quantum in æſtimandis animæ virtutibus ballucinemur. Nam ſi vel terram deſpicimus medio die, vel intuemur quæ aſpectui noſtro circumcirca patent, validiſſima perſpicaciſſimaque acie videmur nobis præditi: at ubi in ſolem ſuſpicimus, atque arrectis oculis contemplamur, vis illa quæ egregie in terra valebat, tantn fulgore protinus perſtringitur & confunditur, ut fateri cogamur, illud nnſtrum in conſiderandis terrenis acumen, ubi ad ſolem ventum eſt, meram eſſe hebetudinem. Ita & in reputandis ſpiritualibus noſtris bonis contigit, quantiſper enim extra terram non reſpicimus, propria juſtitia, ſapientia, virtute pulchre contenti, nobis ſuaviſſime blandimur, & tantum non ſemidei videmur.

3. Dei perfectionem omnibus numeris abſolutam, miſeriamque noſtram inſulſam eſſe demonſtrat.

at ſi ſemel cœperimus cogitationem in Deum erigere, & expendere qualis ſit, & quam exacta juſtitiæ, ſapientiæ, virtutis ejus perfectio, ad cujns amuſſim conformari nos oportet: quod antea in nobis falſo juſtitiæ prætextu arridebat, pro ſumma iniquitate mox ſordeſcet: quod mirifice imponebat ſapientiæ titulo, pro extrema ſtultitia fœtebit: quod virtutis faciem præ ſe ferebat, miſerrima impotentia eſſe arguetur: adeo divinæ puritati male reſpondet quod videtur in nobis vel abſolutiſſimum.

Altera confirmatio ab exemplis.

3. Hinc borror ille & ſtupor, quo paſſim Scriptura recitat perculſns atque afflictos fuiſſe ſanctos quoties Dei præſentiam ſentiebant. Quum enim eos videamus qui abſente ipſo ſecuri firmique conſiſtebant, ipſo glnriam ſuam manifeſtante, ſic quatefieri ac conſternari ut mortis borrore concidant, imn abſorbeantur, & penè nulli ſint: colligendum inde eſt, hominem humilitatis ſuæ agnitione nunquam ſatis tangi & affici, niſi poſtquam ſe ad Dei majeſtatem comparavit.

1. Sanctorum Patrum.

Ejus autem conſternatinnis exempla crebra habemus tum in Judicibus, tum in Prophetis: adeo ut vox illa in Dei populn uſitata foret, *Moriemur, quia Dominus apparuit nobis.* Ideo & hiſtoria Jnb ad proſternendos ſuæ ſtultitiæ, impotentiæ, pollutionis conſcientia hnmines, potiſſimum ſemper argumentum à divinæ ſapientiæ, virtutis, puritatis deſcriptione ducit. Neque fruſtra. videmus enim ut *Abraham* melius ſe terram & pulverem agnnſcat, ex qun propius ad conſpiciendam Domini gloriam acceſſit: ut *Elias* retecta facie, ejus acceſſum expectare non ſuſtineat: tantum eſt in aſpectu formidinis.

Jud. 13:22. Jeſa. 6:5. Ezech. 1. verſ. 28. & 3: 14. Job. 9: 4. &c. & alibi paſſim. Gen. 18. verſ. 27. 1 Reg. 19. verſ. 13.

2. S. Angelorum.

Et quid faciat homo putredo ac vermis, quum ipſos quoque *Cherubim* velare, ipſo pavnre, faciem ſuam oporteat? Hoc ſcilicet eſt quod dicit Propheta Jeſaias, *Erubeſcet ſol & confundetur luna quum Dominus exercituum regnaverit:* hoc eſt, Ubi claritatem ſuam extulerit, ac propius admoverit, luciduſſimum quodque præ illa tenebris nbſcurabitur.

Jeſa. 6:2. Jeſ. 24:23.

3. Solis & Lunæ.

Utcunque tamen Dei nnſtrique notitia mutuo inter ſe nexu ſint colligatæ, ardo recte docendi poſtulat ut de illa priore diſſeramus loco, tum ad hanc tractandam poſtea deſcendamus.

lib. 2.

CAP. II.

Quid ſit Deum cognoſcere, & in quem finem tendat ejus cognitio.

Hujus cognitionis Dei creatoris (de redemptione enim ſuo loco agetur) deſcriptio.

JAm vero Dei notitiam intelligo, qua non modn concipimus aliquem eſſe Deum, ſed etiam tenemus quod de eo ſcire noſtra refert, quod utile eſt in ejus gloriam, quod denique expedit. Neque enim Deum, proprie loquendn, cognoſci dicemus ubi nulla eſt religin nec pietas. Atque bic nondum attingo eam notitiæ ſpeciem qua homines in ſe perditi ac maledicti Deum redemptorem in Chriſto mediatnre apprehendunt: ſed tantum de prima illa & ſimplici loquor, ad quam nos deduceret genuinus naturæ ordn ſi integer ſtetiſſes Adam. Nam etſi nemo jam, in hac humani generis ruina, Deum vel patrem, vel ſalutis auctorem, vel ullo modo propitium ſentiet donec ad eum nobis pacificandum medius occurrat Chriſtus: aliud tamen eſt ſentire Deum fictorem noſtrum ſua nos potentia fulcire, providentia regere, bonitate fovere, omnique benedictionum genere proſequi: aliud vero, gratiam reconciliationis in Chriſto nobis propoſitam amplecti.

Summa & uſus hujus cognitionis.

Quia ergo Dominus primum ſimpliciter Creator tam in mundi opificin, quam in generali Scripturæ doctrina, deinde in Chriſti facie Redemptor apparet; binc duplex emergit ejus cognitio: quarum nunc prior tractanda eſt, altera deinde ſuo ordine ſequetur. Quanquam autem Deum apprebendere mens noſtra non poteſt quin illi cultum aliquem tribuat: non tamen ſimpliciter tenere ſufficiet illum eſſe unum quem ab omnibus oporteat coli & adorari: niſi etiam perſuaſi ſimus fontem omnium bonorum eſſe: nequid alibi quam in ipſo quæramus. Hoc ita accipio, nnn ſolum quod mundum hunc, ut ſemel condidit, ſic immenſa potentia ſuſtineat, ſapientia moderetur, bonitate conſervet, humanum genus præſertim juſtitia judicioque regat, miſericordia toleret, præſidin tueatur: ſed quia nuſquam vel ſapientiæ ac lucis, vel juſtitiæ, vel potentiæ, vel rectitudinis, vel ſinceræ veritatis gutta reperietur quæ non ab ipſo fluat, & cujus ipſe non ſit cauſa: ut bæc ſcilicet omnia ab ipſn expectare & petere diſcamus, eique cum gratiarum actione accepta referre. Nam hic virtutum Dei ſenſus nobis idoneus eſt pietatis magiſter, ex qua religin naſcitur. Pietatem voco conjunctam cum amore Dei reverentiam, quam beneficiorum ejus notitia conciliat. Dnnec enim ſentiant homines, Deo ſe omnia debere, paterna ſe ejus cura foveri, eum ſibi omnium bnnnrum eſſe auctorem, ut nihil extra ipſum quærendum ſit, nunquam ei ſe voluntaria obſervantia ſubjicient: imo niſi ſolidam in eo felicitatem ſibi conſtituant, nunquam ſe illi vere & ex animo totos addicent.

Uſus illius amplificatio, cum neceſſaria profanæ curioſitatis & Epicureorum refutatione.

2. Itaque frigidis tantum ſpeculationibus ludunt quibus in hac quæſtione inſiſtere propoſitum eſt, quid ſit Deus: quum interſit nnſtra potius qualis ſit, & quid ejus naturæ conveniat ſcire. Qunrſum enim attinet, Deum aliquem cum Epicuro fateri, qui abjecta mundi cura ſe otio tantum oblectet? Quid denique juvat Deum cognoſcere quocum nihil ſit nobis negotii? Quin potius huc valere debet ejus notitia, primum ut ad timorem ac reverentiam nos inſtituat: deinda ut ea duce ac

magi-

magiſtra omne bonum ab illo petere, & illi accepturn ferre diſcamus. Quomodo enim mentem tuam ſubire queat Dei cogitatio, quin ſimul extemplo cogites, quum figmentum illius ſis, ejuſdem imperio eſſe te ipſo creationis jure addictum & mancipatum? vitam tuam illi deberi? quicquid agis, ad illum referri oportere? Id ſi eſt, jam profecto ſequitur vitam tuam prave corrumpi niſi ad obſequium ejus componitur: quando nobis vivendi lex eſſe debet ejus voluntas. Rurſum nec ad liquidum perſpicere ipſum potes, niſi ut bonorum omnium fontem eſſe & originem agnoſcas: unde & deſiderium illi adhærendi, & fiducia in ipſum naſceretur ſi non ſua mentem hominis pravitas à recta inveſtigatione abduceret. Nam initio pia mens Deum non quemlibet ſibi ſomniat, ſed unicum & verum duntaxat intuetur: neque illi quodcunque viſum fuerit, affingit, ſed talem habere contenta eſt qualem ſe manifeſtat ipſe, ſummaque diligentia ſemper cavet, ne audaci temeritate ultra voluntatem ejus egreſſa, perperam vagetur. Ita cognitum, quia cuncta moderari intelligit, tutorem ſibi eſſe confidit ac protectorem, ideoque in ejus fidem totam ſe confert. quia bonorum omnium intelligit eſſe auctorem, ſiquid premit, ſiquid deeſt, mox ſe recipit in ejus præſidium, opem ab eo expectans. quia bonum & miſericordem eſſe perſuaſa eſt, in eum certa fiducia recumbit, nec dubitat malis ſuis omnibus ſemper in ejus clementia paratum fore remedium. quia dominum ac patrem agnoſcit, eum quoque dignum ſtatuit eſſe cujus imperium in omnibus intueri, majeſtatem ſuſpicere, gloriam promovendam curare, mandatis obſequi debeat. quia juſtum eſſe judicem videt, ſuaque ſeveritate armatum ad vindicanda ſcelera, ejus tribunal ſemper in conſpectu ſibi proponit, ac ipſius metu ſe retrahit ac cohibet ab ira ejus provocanda. Neque tamen judicii ejus ſenſu ita terretur ut ſubducere ſe velit, etiam ſiquod pateat effugium: quin illum non minus amplectitur malorum ultorem, quam erga pios beneficum, quando ad ejus gloriam non minus pertinere intelligit, impiis & ſceleratis apud eum repoſitam eſſe pœnam, quam juſtis vitæ æternæ mercedem. Præterea non ſola vindictæ formidine ſe coërcet à peccando, ſed quia Deum loco patris amat & reveretur, loco domini obſervat & colit, etiamſi nulli eſſent inferi, ſolam tamen ejus offenſionem horret. En quid ſit pura germanaque religio, nempe fides cum ſerio Dei timore conjuncta: ut timor & voluntariam reverentiam in ſe contineat, & ſecum trahat legitimum cultum qualis in Lege præſcribitur. Atque hoc eo diligentius notandum eſt, quod omnes promiſcue venerantur Deum, pauciſſimi reverentur, dum ubique magna eſt in ceremoniis oſtentatio, rara autem cordis ſinceritas.

Piorum mentium Deus deſcriptus, ut Epicureorum curioſitas magis ac magis appareat.

Religionis deſcriptio.

CAP. III.

Dei notitiam hominum mentibus naturaliter eſſe inditam.

Hac Dei cognitio omnibus obvia, reprobos reddit inexcuſabiles. Rom. 1. verſ. 20.

QUendam ineſſe humanæ menti, & quidem naturali inſtinctu, divinitatis ſenſum, extra controverſiam ponimus: ſiquidem, nequis ad ignorantiæ prætextum confugeret, quandam ſui numinis intelligentiam univerſis Deus ipſe indidit, cujus memoriam aſſidue renovans, novas ſubinde guttas inſtillat: ut quum ad unum omnes intelligant Deum eſſe, & ſuum eſſe opificem, ſuo ipſorum teſtimonio damnentur quod non & illum coluerint, & ejus voluntati vitam ſuam conſecrarint. Sane ſicubi Dei ignorantia quæratur, nuſquam magis extare poſſe ejus exemplum veriſimile eſt, quam inter obtuſiores populos, & ab humanitatis cultu remotiores. Atqui *nulla eſt* etiam, ut Ethnicus ille ait, *tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non inſideat hæc perſuaſio, Deum eſſe.* Et qui in aliis vitæ partibus minimum videntur à belluis differre, quoddam tamen perpetuo religionis ſemen retinent. adeo penitus omnium animos occupavit, adeo tenaciter omnium viſceribus inhæret communis iſta præſumptio. Nulla ergo quum ab initio mundi regio, nulla denique domus fuerit, quæ religione carere poſſet: in eo tacita quædam confeſſio eſt, inſcriptum omnium cordibus divinitatis ſenſum. Quin & idololatria, hujus conceptionis amplum eſt documentum. Quam enim non libenter ſe dejiciat homo, ut alias præ ſe creaturas ſuſpiciat, ſcimus. Proinde quum lignum potius & lapidem colere malit, quam ut nullum putetur habere Deum: conſtat vehementiſſimam iſtam eſſe de numine impreſſionem, quæ adeo ex hominis mente obliterari nequeat, ut facilius ſit naturæ affectum frangi: quemadmodum certe frangitur, dum homo ex illa naturali inflatione ad infima quæque ſponte ſe demittit, quo Deum revereatur.

Cic. de nat. deor. lib. 1. Lactant. Inſtit. lib. 3. c. 10.

Deum eſſe omnes homines ſentiunt & profitentur.

2. Quare vaniſſimum eſt quod à quibuſdam dicitur: paucorum vafritia & calliditate excogitatam eſſe religionem, ut hac arte ſimplicem populum in officio continerent: quum tamen ipſi, qui aliis auctores erant Dei colendi, nihil minus crederent quam aliquem eſſe Deum. Fateor quidem plurima in religione commentos eſſe aſtutos homines, quibus reverentiam plebeculæ injicerent, & terrorem incuterent, quo haberent obſequentiores ejus animos. ſed id nuſquam obtinuiſſent niſi jam prius conſtanti illa de Deo perſuaſione imbutæ fuiſſent hominum mentes, ex quo velut ſemine emergit ad religionem propenſio. Ac ne illos quidem ipſos qui religionis titulo callide rudioribus imponebant, Dei notitia prorſus vacaſſe credibile eſt. Tametſi enim extiterunt olim nonnulli, & hodie non pauci emergunt qui Deum eſſe negent: velint tamen nolint, quod neſcire cupiunt, ſubinde ſentiſcunt. Nemo in audaciorem aut effrenatiorem numinis contemptum prorupiſſe legitur quam C. *Caligula*: nemo tamen miſerius trepidavit, quum aliquod iræ divinæ judicium ſe proferebat: ita Deum quem ſtudebat ex profeſſo contemnere, invitus exhorreſcebat. Hoc paſſim ejus quoque ſimilibus evenire videas. ut enim quiſque eſt audaciſſimus Dei contemptor, ita vel ad folii cadentis ſtrepitum maxime perturbatur: unde id, niſi ex divinæ majeſtatis ultione: quæ illorum conſcientias eo vehementius percellit, quo magis eam refugere conantur? Omnes quidem latebras reſpectant, quibus ſe abdant à Domini præſentia, & eam rurſum ex animo ſuo deleant: ſed velint nolint, irretiti ſemper tenentur. Utcunque interdum videatur evaneſcere ad momentum aliquod, ſubinde tamen recurrit, & novo impetu irruit. ut ſiqua illis remiſſio eſt à conſcientiæ anxietate, non multum abſimilis ſit à ſomno ebrioſorum aut phreneticorum, qui ne dormientes quidem placide conquieſcunt: quia diris & horrificis inſomniis continenter vexantur. Ergo impii quoque ipſi exemplo ſunt, vigere ſemper in omnium hominum animis aliquam Dei notionem.

Objectio. Religionem & Numinis ſenſum eſſe hominum aſtutorum commentum.

Refutatio. Cic. de nat. deor. lib. 1. circa fin.

Calv. lib. de ſcandalis.

Confirmatio ab exemplis ipſorum impiorum & atheorum. Sueton. in Calig. c. 51.

3. Hoc quidem recte judicantibus ſemper conſtabit, inſculptum mentibus humanis eſſe divinitatis ſenſum, qui deleri nunquam poteſt. Imo & naturaliter ingenitam eſſe omnibus hanc perſuaſionem, eſſe aliquem Deum, & penitus infixam eſſe quaſi in ipſis medullis, locuples teſtis eſt impiorum con-

Altera confirmatio, impios ſe à Dei metu furioſe luctando extricare non poſſe.

Cic. de nat. deor. lib. 1. & 3. Valer. Maxim. lib. 1. c. 1.

contumacia, qui furioſe luctando, ſe tamen extricare è Dei metu nequeunt. Jocoſe licet eludant *Diagoras* & ſimiles, quicquid omnibus ſeculis de religione creditum fuit: ſubſannet *Dionyſius* cæleſte judicium: Sardonius hic riſus eſt, quia intus eos mordet conſcientiæ vermis cauteriis omnibus acrior. Non dico quod *Cicero*, vetuſtate obſoleſcere errores, religionem in dies magis creſcere & meliorem fieri. Nam mundus (ut paulo poſt dicendum erit) omnem Dei notitiam, quantum in ſe eſt, excutere conatur, & ejus cultum modis omnibus corrumpere. Hoc tantum dico, quum ſtupida, quam impii ad Deum ſpernendum cupide accerſunt, durities in eorum animis tabeſcat, vigere tamen, ac ſubinde emergere quem maxime extinctum cuperent, Deitatis ſenſum. Unde colligimus non eſſe doctrinam quæ in ſcholis primum diſcenda ſit, ſed cujus ſibi quiſque ab utero magiſter eſt, & cujus neminem oblivisci, natura ipſa patitur, quamvis huc multi nervos omnes intendant. Porro ſi ea conditione nati ſunt omnes ac vivunt ut Deum cognoſcant: Dei autem notitia niſi huc uſque proceſſerit, fluxa eſt ac evanida: eos omnes à creationis ſuæ lege degenerare palam eſt qui non ad hunc ſcopum univerſas ſuæ vitæ cogitationes actioneſque deſtinant. Quod nec Philoſophos ipſos latuit. Non enim aliud eſt quod voluit Plato, dum ſæpius docuit, ſummum animæ bonum Dei eſſe ſimilitudinem, ubi percepta ejus cognitione in ipſum tota transformatur. Proinde ſcitiſſime quoque ille apud *Plutarchum Gryllus* ratiocinatur, dum homines affirmat, ſi ab eorum vita ſemel abſit religio, non modo brutis pecudibus nihil excellere, ſed multis partibus longe eſſe miſeriores, ut qui tot malorum formis obnoxii, tumultuariam & irrequietam vitam perpetuo trahant. Unum ergo eſſe Dei cultum, qui ſuperiores ipſos reddat, per quem ſolum ad immortalitatem aſpiratur.

Concluſio, Dei notitiam hominum mentibus naturaliter eſſe inditam.

in Phædone & Theæteto.

lib. quod bruta animalia ratione utantur.

CAP. IV.

Eandem notitiam partim inſcitia, partim malitia vel ſuffocari vel corrumpi.

Ab inſcitia eſt, quod in ſuis ſuperſtitionibus nonnulli evaneſcant, Dei notitiam ſuffocantes.

SIcut autem omnibus inditum eſſe divinitus religionis ſemen experientia teſtatur: ita vix centeſimus quiſque reperitur qui conceptum in ſuo corde foveat, nullus autem in quo matureſcat: tantum abeſt ut fructus appareat ſuo tempore. Porro ſive alii evaneſcant in ſuis ſuperſtitionibus, ſive alii data opera malitioſe à Deo deſciſcant, omnes tamen degenerant à vera ejus notitia. Ita fit ut nulla in mundo recta maneat pietas. Quod autem errore aliquos in ſuperſtitionem labi dixi, non ita accipio quaſi ſua eos ſimplicitas à crimine liberet: quia cæcitas, qua laborant, ſemper fere & ſuperba vanitate, & contumacia implicita eſt. Vanitas & quidem ſuperbiæ conjuncta, in eo deprehenditur, quod neque miſeri homines in Deo quærendo ſupra ſeipſos, ut par erat, conſcendunt, ſed pro carnalis ſui ſtuporis modo ipſum metiuntur: & neglecta ſolida inveſtigatione ad vanas ſpeculationes curioſe tranſvolant. Itaque non apprehendunt qualem ſe offert: ſed qualem pro ſua temeritate fabricati ſunt, imaginantur. Quo gurgite aperto, quaquaverſum pedem moveant, in exitium præcipites ſemper ruere neceſſe eſt. Quidquid enim poſtea in cultum aut obſequium Dei moliantur, impenſum illi ferre nequeunt: quia non ipſum, ſed cordis ſui figmentum potius & ſomnium, pro ipſo colunt. Hanc pravitatem diſerte notat Paulus, *infatuatos eſſe* dicens, *quum ſapientes eſſe appeterent*. Prius dixerat *evanuiſſe in ſuis cogitationibus*: ſed ne quis eos culpa eximeret, ſubjicit, merito eos excæcari, quia ſobrietate non contenti, ſed plus ſibi arrogando quam fas ſit, tenebras ultro accerſunt, imo inani ac perverſo faſtu ſeipſos infatuant. Unde ſequitur, non eſſe excuſabilem eorum ſtultitiam cujus cauſa eſt non vana modo curioſitas, ſed libido plus ſciendi quam par ſit, cum falſa confidentia.

Neque tamen ſunt excuſabiles. 1. Quia eorum error vanitatem cum ſuperbia conjunctam habet.

Rom. 1. verſ. 22.

2. Deinde & contumaciam, impietatis & incurabilis veſania comitem.

Pſal. 14: 1. & 53: 1.

2. Quod autem David *impios & veſanos* dicit *ſentire in cordibus ſuis, non eſſe Deum*, primo ad eos reſtringitur qui ſuffocata naturæ luce, conſulto ſeipſos obſtupefaciunt, ut paulo poſt iterum videbimus. Quemadmodum multos videmus, poſtquam audacia peccandi & conſuetudine obduruerint, furioſe repellere omnem Dei memoriam, quæ tamen illis ſponte à naturæ ſenſu intus ſuggeritur. Jam quo magis deteſtabilem eorum furorem reddat, eos inducit præciſe negantes Deum eſſe, quamvis eſſentiam illi ſuam non adimant, ſed quia ſpoliantes eum ſuo judicio & providentia, otioſum cælo includunt. Nam quum nihil minus conveniat quam abjectam mundi gubernationem fortunæ permittere, cæcutire ad hominum ſcelera, ut impune laſciviant: quiſquis extincto cæleſtis judicii metu ſecure ſibi indulget, Deum eſſe negat. Atque hæc juſta Dei vindicta eſt, pinguedinem obducere cordibus, ut impii poſtquam oculos ſuos clauſerunt, videndo non videant. Et David alibi optimus ſuæ ſententiæ eſt interpres, ubi dicit *timorem Dei non eſſe præ oculis impiorum*: item ſibi in maleficiis ſuperbe plaudere, quia *Deum non aſpicere*, ſibi perſuadeant. Quanquam ergo coguntur aliquem Deum cognoſcere, ejus tamen gloriam exinaniunt, potentiam illi detrahendo. ſicut enim (teſte Paulo) *Deus ſeipſum abnegare nequit*, quia ſui perpetuo ſimilis manet: ita iſti mortuum & inane idolum fingendo, Deum negare vere dicuntur. Adhæc notandum eſt, quamvis luctentur cum proprio ſenſu, & Deum non ſolum inde excutere, ſed in cælo quoque abolere cupiant, nunquam tamen eo uſque invaleſcere ſtuporem, quin retrahat Deus ipſos interdum ad ſuum tribunal. Sed quia nullo metu retinentur quo minus violenter contra Deum ruant: quamdiu illos ita rapit cæcus impetus, brutam Dei oblivionem in ipſis regnare certum eſt.

Pſal. 36: 2.

Pſal. 10. verſ. 11.

2 Tim. 2. verſ. 13.

3. Sic inane illud patrocinium quod ſuperſtitioni ſuæ prætexere multi ſolent, evertitur. putant enim ſtudium qualecunque religionis, quamlibet præpoſterum, ſatis eſſe: ſed non animadvertunt, veram religionem ad Dei nutum, ceu ad perpetuam regulam, debere conformari: Deum vero ipſum ſemper ſui ſimilem manere: non ſpectrum eſſe aut phantaſma, quod pro uniuſcujuſque libidine transformetur. Et ſane videre eſt quam mendacibus fucis Deo illudat ſuperſtitio, dum gratificari tentat. Nam ea fere ſola, quæ ſibi curæ non eſſe teſtatus eſt, arripiens, quæ præſcribit, ac ſibi placere docet, aut contemptim habet, aut etiam non diſſimulanter rejicit. Sua ergo deliria colunt & adorant quicunque cultus Deo commentitios erigunt: quia nequaquam ita cum Deo nugari auderent niſi Deum prius nugarum ſuarum ineptiis conſentaneum finxiſſent. Quare Apoſtolus, vagam illam & erraticam de numine opinionem, Dei eſſe ignorantiam pronunciat. *Quum Deum*, inquit, *neſciretis, ſerviebatis iis qui natura dii non erant*. Et alibi *ſine Deo* fuiſſe tradit Epheſios quo tempore à recta unius Dei cognitione aberrabant. Nec multum intereſt, hac ſaltem in parte, Deumne unum, an plures concipias: quia ſemper à vero Deo diſcedis, & deficis: quo

Concluſio, Inanem eſſe ſuperſtitioſorum prætextum, quam ratione primum, deinde Apoſtoli teſtimonio confirmat.

Gal. 4. 8.

Epheſ. 2. verſ. 12.

Inſtit. lib. 1. 2. 6. & alibi paſſim.

quo relicto, nihil tibi reſtat niſi execrabile idolum. Supereſt ergo ut cum *Lactantio* conſtituamus, nullam eſſe legitimam religionem niſi cum veritate conjunctam.

A malitia fit, ut nunquam impii ad Deum cum ſincero animi affectu, ſed inviti, & vitiis & hypocriſi involuti accedant.

Thebaid. lib. 3.

4. Accedit & ſecundum peccatum, quod neque Dei rationem unquam habent niſi inviti: nec ad ipſum appropinquant donec renitentes pertrahantur, nec tum quoque voluntario imbuuntur timore, qui ex divinæ majeſtatis reverentia fluat, ſed tantum ſervili & coacto, quem illis Dei judicium extorquet: quod quia effugere nequeunt, exhorrent, ſic tamen ut etiam abominentur. Siquidem convenienter in impietatem, atque in hanc ſolam, competit illud Statii, *Timorem primum, feciſſe in orbe Deos.* Qui animum à Dei juſtitia alienum gerunt, tribunal, quod ad vindicandas ejus transgreſſiones ſtare ſciunt, everſum magnopere cupiunt. Quo affectu, adverſus Dominum belligerantur, qui ſine judicio eſſe non poteſt: ſed dum ejus potentiam ſibi inevitabilem imminere intelligunt, quia nec amoliri, nec effugere valent, reformidant. Itaque ne ubique videantur eum contemnere cujus majeſtas eos urget, qualicunque religionis ſpecie defunguntur: interim tamen non deſinunt omni vitiorum genere ſe polluere, & flagitia flagitiis copulare, donec ſanctam Domini legem omni ex parte violarint, & univerſam ejus juſtitiam diſſiparint: vel certe non ita retinentur ſimulato illo Dei timore, quin ſuaviter in peccatis ſuis acquieſcant, & ſibi blandiantur, & carnis ſuæ intemperantiæ indulgere malint, quam Spiritus ſancti freno eam cohibere. Sed quando inanis ea eſt & mendax religionis umbra, vix etiam digna quæ umbra nominetur: hinc rurſus facile elicitur quantum ab hac confuſa Dei notitia differat quæ ſolis fidelium pectoribus inſtillatur pietas, ex qua demum religio naſcitur. Et tamen hoc per flexuoſos circuitus conſequi volunt hypocritæ, ut Deo quem fugiunt propinqui appareant. Ubi enim perpetuus obedientiæ tenor in tota vita eſſe debuerat, in cunctis fere operibus ſecure illi rebellantes, pauculis tantum ſacrificiis placare eum ſtudent: ubi ſanctimonia vitæ & cordis integritate illi ſerviendum erat, frivolas nugas comminiſcuntur, & nihili obſervatiunculas quibus eum ſibi concilient. Imo majore licentia in fæcibus ſuis torpent, quia confidunt expiationum ludicris ſe poſſe erga illum defungi: deinde ubi in illum defixa eſſe fiducia debuerat, in ſe vel creaturis ſubſidunt, eo poſthabito. Tandem ſe tanta errorum congerie implicant, ut ſcintillas quæ micabant ad cernendam Dei gloriam ſuffocet, ac demum extinguat malitiæ caligo. Manet tamen ſemen illud quod revelli à radice nullo modo poteſt, aliquam eſſe divinitatem: ſed ipſum adeo corruptum, ut non niſi peſſimos ex ſe fructus producat. Imo inde certius elicitur quod nunc contendo, Naturaliter inſculptum eſſe Deitatis ſenſum humanis cordibus, quia reprobis quoque ipſis ejus confeſſionem extorquet neceſſitas. Rebus tranquillis facete illudunt Deo, imo ad extenuandam ejus potentiam dicaces ſunt ac garruli. deſperatio ſiqua eos urget, ad eundem quærendum extimulat, dictatque conciſas preces, ex quibus pateat non prorſus ignaros fuiſſe Dei, ſed quod citius emergere debuerat, fuiſſe pervicacia ſuppreſſum.

In ſumma, ille ſenſus & conſenſus Deitatis, non niſi peſſimos ex ſe fructus producit.

CAP. V.

Dei notitiam in mundi fabrica & continua ejus gubernatione lucere.

Hujus Capitis duæ ſunt partes.

1. *Prior decem prioribus ſectionibus comprehenſa, in duo genera univerſa Dei opera diſtribuens, in utroque genere Dei notitiam elucere contendit: priorique ſex, poſteriori quatuor ſectiones deſignantur.*
2. *Altera, oſtendit homines adeo ſtupidos eſſe, ut teſtificationes iſtæ, quantumlibet perſpicuæ, ſemper ſine profectu effluant. Hæc poſterior pars à ſectione undecima, uſque ad poſtremam excurrit.*

Dei eſſentia invisibilis & incomprehenſibilis, ſe in operibus ſuis viſibilem modo quodam exhibuit.

AD hæc quia ultimus beatæ vitæ finis in Dei cognitione poſitus eſt: ne cui præcluſus eſſet ad felicitatem aditus, non ſolum hominum mentibus indidit illud quod diximus religionis ſemen, ſed ita ſe patefecit in toto mundi opificio, ac ſe quotidie palam offert, ut aperire oculos nequeant quin aſpicere eum cogantur. Eſſentia quidem ejus incomprehenſibilis eſt, ut ſenſus omnes humanos procul effugiat ejus numen: verum ſingulis operibus ſuis certas gloriæ ſuæ notas inſculpſit, & quidem adeo claras & inſignes ut ſublata ſit quamlibet rudibus & ſtupidis ignorantiæ excuſatio. Ideo optimo jure Propheta exclamat, *luce quaſi veſtimento ipſum eſſe amictum:* acſi diceret, cœpiſſe tunc demum viſibili ornatu inſignem prodire ex quo in mundi creatione ſua inſignia protulit, quibus nunc quoties oculos huc vel illuc circumferimus, decorus apparet. Ibidem etiam ſcite idem Propheta cælos ut expanſi ſunt, regio illius tentorio comparat, *cœnacula* dicit *contignaſſe in aquis, nubes ejus eſſe vehicula, equitare ſuper alas ventorum, ventos & fulgetra celeres eſſe ejus nuncios.* Et quoniam plenius ſurſum refulget potentiæ ejus & ſapientiæ gloria, paſſim vocatur cælum ejus palatium. Ac primum, quaqua verſum oculos conjicias, nulla eſt mundi particula in qua non ſcintillæ ſaltem aliquæ gloriæ ipſius emicare cernantur. Ampliſſimam vero hanc & pulcherrimam machinam, quam late patet, uno intuitu luſtrare nequeas quin vi immenſa fulgoris totus undique obruaris. Quare eleganter auctor epiſtolæ ad Hebræos *ſecula* nuncupat, *inviſibilium rerum ſpectacula:* quod nobis vice ſpeculi ſit tam concinna mundi poſitio, in quo inviſibilem alioqui Deum contemplari liceat. Qua ratione Propheta cæleſtibus creaturis idioma attribuit, nullis nationibus incognitum: quod evidentior illic extat divinitatis teſtificatio quam ut præterire gentis ullius vel obtuſiſſimæ conſiderationem debeat. Quod clarius enarrans Apoſtolus, patefactum eſſe hominibus dicit quod de Deo cognoſci operæpretium erat: quia *inviſibilia ejus, ad æternam uſque ejus virtutem & divinitatem, à creatione mundi intellecta, omnes ad unum conſpiciunt.*

Pſal. 104. verſ. 2.

Heb. 11: 3.

Pſal. 19

Rom. 1. verſ. 19.

Id teſtatur, primum genus operum ejus, miranda videlicet cæli & terra moles, corporis humani ſymmetria & connexio: denique quicquid rudiorum ipſo-

2. Mirificam ejus ſapientiam quæ teſtentur, innumera ſunt tum in cælo, tum in terris documenta: non illa modo reconditiora, quibus propius obſervandis aſtrologia, medicina, & tota phyſica ſcientia deſtinata eſt: ſed quæ rudiſſimi cujuſque idiotæ aſpectui ſe ingerunt, ut aperiri oculi nequeant quin eorum cogantur eſſe teſtes. Equidem qui liberales illas artes vel imbiberunt, vel etiam deguſtarunt, earum ſubſidio adjuti, longe altius provehuntur ad introſpicienda divinæ ſapientiæ arcana: nemo tamen earum inſcitia impeditur

 quo-

rum oculis occurrit.

quominus artificii ſatis ſuperque pervideat in Dei operibus, unde in opificis admirationem prorumpat. Nempe ad diſquirendos aſtrorum motus, diſtribuendas ſedes, metienda intervalla, proprietates notandas, arte ac exactiore induſtria opus eſt: quibus perſpectis, ut Dei providentia explicatius ſe profert, ita in ejus gloriam conſpiciendam, animum par eſt aliquanto ſublimius aſſurgere. Sed quum ne plebeii quidem & rudiſſimi, qui ſolo oculorum adminiculo inſtructi ſunt, ignorare queant divinæ artis excellentiam, ultro ſe in iſta innumerabili, & tamen adeo diſtincta & diſpoſita cæleſtis militiæ varietate exerentem: conſtat neminem eſſe cui non abunde ſapientiam ſuam Dominus patefaciat. Similiter in humani corporis ſtructura connexionem, ſymmetriam, pulchritudinem, uſum, ea, quam *Galenus* adhibet, ſolertia penſiculare, eximii eſt acuminis. Sed omnium tamen confeſſione, præ ſe fert corpus humanum tam ingenioſam compoſitionem, ut ob eam merito admirabilis opifex judicetur.

libris de uſu partium.

Præcipue vero in homine id maxime eſt perſpicuum.
vide Macrob. lib. 2. in ſomn. Scip. c. 12. Boëtium de definitione. Ariſt. lib. 1. de hiſt. animal. c. 17. Act. 17. verſ. 27.

3. Ac proinde quidam ex Philoſophis olim hominem non immerito vocarunt μικρόκοσμον, quia rarum ſit potentiæ, bonitatis & ſapientiæ Dei ſpecimen, ſatiſque miraculorum in ſe contineat occupandis noſtris mentibus, modo ne attendere pigeat. Qua ratione Paulus, ubi admonuit, *Deum palpando ù cæcis quoque poſſe deprehendi*, mox *procul quærendum non eſſe* adjungit, quia ſcilicet intus ſinguli cæleſtem gratiam qua vegetantur, indubie ſentiunt. Si vero ut Deum apprehendamus, extrà nos egredi opus non eſt, quam veniam merebitur ejus ſocordia, qui ut Deum inveniat, in ſe deſcendere gravabitur? Eadem etiam ratio eſt cur David, ubi breviter celebravit admirabile Dei nomen & decus quæ ubique refulgent, ſtatim exclamet, *Quid eſt homo cujus memor es?* Item, *Ex ore infantium & lactentium ſtabiliſti robur.* ſiquidem non tantum in genere humano clarum operum Dei ſpeculum extare pronunciat, ſed infantibus dum à matrum uberibus pendent, ſatis diſertas eſſe linguas ad prædicandam ejus gloriam, ut minime opus ſit aliis rhetoribus. Unde etiam eorum ora in aciem producere non dubitat, tanquam valide inſtructa ad refellendam eorum amentiam qui Dei nomen pro diabolica ſua ſuperbia extinguere cuperent. Unde & illud emergit quod ex Arato citat Paulus, *nos eſſe Dei progeniem:* quia tanta præſtantia nos exornans, ſe patrem nobis eſſe teſtatus eſt. Sicuti etiam ex communi ſenſu & quaſi dictante experientia profani Poëtæ eum vocarunt *hominum patrem.* Neque vero ſe quiſquam ultro & libenter Deo addicet in obſequium, niſi qui guſtato paterno ejus amore viciſſim ad eum amandum & colendum illectus fuerit.

Pſal. 8:5.

Act. 17:28.

Fœda igitur eſt ingratitudo eorum qui Deum quem in ſeipſis, tot modis, ſentiunt, aſpernantur. eo vero fœdior quod ab anima ſua tot donis prædita, ad opificem ipſum non aſſurgunt.

4. Hic autem detegitur fœda hominum ingratitudo, qui dum in ſe continent officinam innumeris Dei operibus nobilem, & ſimul tabernam inæſtimabili opum copia refertam, quum erumpere deberent in laudes, tanto majore faſtu contra inflantur ac turgent. Quam miris modis in ipſis operetur Deus, ſentiunt: quantam etiam donorum varietatem ex ejus liberalitate poſſideant, uſu ipſo docentur. Hæc divinitatis ſigna eſſe, coguntur ſcire velint nolint: intus tamen ſupprimunt. Non opus quidem eſt extra ſeipſos egredi, modo ne ſibi arrogando quod è cælis datum eſt, defodiant in terra quod eorum mentibus ad Deum clare videndum prælucet. Imo prodigioſos hodie multos ſpiritus terra ſuſtinet, qui totum divinitatis ſemen in natura humana ſparſum conferre non dubitant ad obruendum Dei nomen. Quam deteſtabilis eſt, obſecro, hæc veſania, ut homo in corpore ſuo & anima centies Deum reperiens, hoc ipſo excellentiæ prætextu Deum eſſe neget? Non dicent ſe fortuito à brutis animantibus diſtinctos: tantum obducto naturæ velo, quæ illis rerum omnium eſt artifex, Deum ſubducunt. Vident tam exquiſitum artificium in ſingulis ſuis membris ab ore & oculis uſque ad infimos unguiculos. Hic quoque naturam ſubſtituunt in locum Dei. Sed in primis tam agiles animæ motus, tam præclaræ facultates, tam raræ dotes divinitatem præ ſe ferunt, quæ ſe non patitur facile celari: niſi *Epicurei* tanquam *Cyclopes*, ex hac altitudine bellum Deo protervius inferrent. Itane vero ad regendum quinque pedum vermiculum toti cæleſtis ſapientiæ theſauri concurrunt? univerſitas mundi hac prærogativa carebit? Primo ſtatuere aliquid organicum in anima quod ſingulis partibus reſpondeat, adeo nihil ad obſcurandam Dei gloriam facit, ut potius eam illuſtret. Reſpondeat *Epicurus*, quis atomorum concurſus cibum & potum coquens, partem in excrementa, partem in ſanguinem digerat, ac efficiat ut ſingulis membris tanta ſit induſtria ad præſtandum officium, acſi totidem animæ communi conſilio corpus unum regerent?

Nec obſtat, ſi quid organicum in ea ſtatuitur.

Nam animæ vires & actiones omnibus demonſtrant ſuas animæ eſſe partes à corpore ſeparatas, illamque eſſe immortalem firmis rationibus probatur.

5. Sed mihi nunc cum illa porcorum hara negotium non eſt: eos magis compello qui præpoſteris argutiis dediti, frigidum illud *Ariſtotelis* dictum libenter obliquo flexu traherent tam ad immortalitatem animæ abolendam, quam ad eripiendum Deo jus ſuum. Nam quia organicæ ſunt animæ facultates, hoc prætextu alligant eam corpori, ut ſine eo non ſubſiſtat: Naturæ vero elogiis, quantum in ſe eſt, Dei nomen ſupprimunt. Atqui longe abeſt quin potentiæ animæ in functionibus quæ corpori ſerviunt incluſæ ſint. Quid hoc ad corpus ut cælum metiaris, numerum ſtellarum colligas, teneas cujuſque magnitudinem, ſcias quo ſpatio inter ſe diſtent, qua celeritate vel tarditate conficiant ſuos curſus, quot gradibus huc vel illuc deflectant? Fateor quidem eſſe aliquem Aſtrologiæ uſum: ſed tantum oſtendo, in hac tam alta diſquiſitione rerum cæleſtium non eſſe organicam ſymmetriam, ſed ſuas animæ eſſe partes à corpore ſeparatas. Exemplum unum propoſui, ex quo reliqua ſumere, lectoribus promptum erit. Multiplex ſane animæ agilitas qua cælum & terram perluſtrat: præterita futuris conjungit: retinet memoriter quæ pridem audivit: imo quidlibet ſibi figurat: ſolertia etiam qua res incredibiles excogitat, & quæ tot mirabilium artium mater eſt, certa ſunt divinitatis inſignia in homine. Quid quod dormiendo non tantum ſe circumagit & verſat, ſed multa utilia concipit, de multis ratiocinatur, futura etiam divinat? Quid hic dicendum eſt, niſi deleri non poſſe quæ in homine impreſſa ſunt immortalitatis ſigna? Nunc quæ ratio feret ut ſit homo divinus, & creatorem non agnoſcat? Nos ſcilicet, judicio quod nobis inditum eſt, diſcernemus inter juſtum & injuſtum, nullus autem erit in cælo judex? Nobis etiam in ſomno manebit aliquid reſiduum intelligentiæ, nullus Deus excubias aget in mundo regendo? Tot artium rerumque utilium inventores cenſebimur, ut fraudetur Deus ſua laude? quum tamen experientia ſatis doceat diſparibus modis aliunde diſtribui quod habemus. Quod autem de arcana inſpiratione quæ vegetat totum mundum quidam blaterant, non modo dilutum, ſed omnino profanum eſt. Placet illis celebre dictum Virgilii,

Objectio, unicam eſſe animam, quæ totum mundum vegetat.

Principio cælum ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra,
Spiritus intus alit: totamque infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Æneid. 6. vid. Calv. in Acta, cap. 17:28.

Inde

Manil. l. 1. Aſtronom.

Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquare pontus,
Igneus eſt ollis vigor & cæleſtis origo, &c.

Reſponſio hujus objectionis impietatem detegit.

Nempe ut mundus qui in ſpectaculum gloriæ Dei conditus eſt, ſuus ipſe ſit creator. Sic enim idem alibi communem Græcis & Latinis ſententiam ſequutus,

Georg. 4. Mercur. Triſmegiſt. in Pimandro. Plato in Timæo. Ariſt. lib. 2. de animo, & 2. Metaph. Cicero lib. 1. & 2. de natura deorum.

Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Ætherios, dixere. Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque maris, cælumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas:
Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locum, ſed viva volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cælo.

En quid ad gignendam fovendamque in cordibus hominum pietatem valeat jejuna illa ſpeculatio de univerſa mente quæ mundum animat ac vegetat. Quod etiam ex ſacrilegis impuri canis *Lucretii* vocibus melius liquet, quæ à principio illo deductæ ſunt. (de rerum natura, lib. 1.) Hoc vero eſt, ut procul faceſſat verus Deus quem timeamus & colamus, umbratile numen facere. Fateor quidem pie hoc poſſe dici, modo à pio animo proficiſcatur, *Naturam eſſe Deum*: ſed quia dura eſt & impropria loquutio, quum potius Natura ſit ordo à Deo præſcriptus, in rebus tanti ponderis, & quibus debetur ſingularis religio, involvere confuſe Deum cum inferiore operum ſuorum curſu, noxium eſt.

Supra dictorum concluſio, Dei potentiam, æternitatem & bonitatem ex hoc primo genere operum ejus, quæ ordinarium curſum ſequuntur, addiſcere nos poſſe.

6. Meminerimus ergo, quoties quiſque naturam ſuam conſiderat, unum eſſe Deum, qui ſic gubernat omnes naturas, ut velit nos in ſe reſpicere, fidem noſtram ad ſe dirigi, coli & invocari à nobis: quia nihil magis præpoſterum quam frui tam præclaris dotibus quæ in nobis divinitatem ſpirant, & auctorem negligere qui precario nobis eas largitur. Jam potentia quam præclaris ſpeciminibus nos in conſiderationem ſui rapit? niſi forte latere nos poteſt, cujus ſit virtutis, infinitam hanc cæli ac terræ molem ſuo verbo ſuſtentare: ſolo nutu, nunc fragore tonitruum, cælum concutere, fulminibus quidlibet exurere, fulgetris aërem accendere: nunc variis tempeſtatum formis conturbare, eundem ipſum ſtatim, ubi libuit, uno momento ſerenare: mare, quod aſſiduam terræ vaſtationem minari ſua altitudine videtur, quaſi in aëre ſuſpenſum, coërcere: & nunc horrendum in modum tumultuoſo ventorum impetu concitare, nunc ſedatis undis, pacatum reddere. Huc pertinent quæ paſſim occurrunt potentiæ Dei elogia ex naturæ teſtimoniis, præſertim vero in libro *Job* & apud *Jeſaiam*: quæ nunc conſulto prætereo, quia commodiorem alibi locum reperient, ubi ex Scripturis de mundi creatione diſſeram. Tantum nunc attingere volui, exteris & domeſticis communem hanc eſſe viam quærendi Dei, ſi lineamenta ſequantur quæ ſurſum ac deorſum vivam ejus effigiem adumbrant. Jam ipſa potentia nos ad cogitandam ejus æternitatem deducit: quia æternum eſſe, & à ſeipſo principium habere neceſſe eſt, unde omnia trahunt originem. Porro ſi cauſa quæritur qua & ad creanda hæc ſemel omnia inductus ſit, & nunc ad conſervanda moveatur: ſolam illic ſuam bonitatem comperiemus pro cauſa eſſe. Quin etiam hæc ſi una ſit, plus ſatis tamen ſufficere debet ad nos in amorem ejus alliciendos: quando nulla eſt creatura, ut Propheta monet, (Pſ. 145: 5.) in quam non effuſa ſit ejus miſericordia.

Alterum genus operum Dei, quæ videlicet præter ordinarium naturæ curſum eveniunt, manifeſta Dei virtutum argumenta proponit. In iis nempe elucet Dei bonitas, juſtitia, miſericordia.

7. In ſecundo quoque genere operum ejus, quæ ſcilicet præter ordinarium naturæ curſum eveniunt, nihilo obſcuriora ſe proferunt virtutum ejus argumenta. Nam in adminiſtranda hominum ſocietate ita providentiam ſuam temperat, ut quum ſit erga omnes innumeris modis benignus ac beneficus: apertis tamen ac quotidianis indiciis, ſuam piis clementiam, improbis ac ſceleratis ſeveritatem declaret. Non enim dubiæ ſunt quas de flagitiis ſumit ultiones: quemadmodum non obſcure tutorem, ac etiam vindicem ſe innocentiæ eſſe demonſtrat, dum bonorum vitam ſua benedictione proſperat, neceſſitati opitulatur, dolores lenit ac ſolatur, calamitates ſublevat, ſaluti per omnia conſulit. Neque vero perpetuam juſtitiæ ejus regulam obſcurare debet, quod improbos & ſontes ad tempus impunitos ſæpiuſcule exultare ſinit: probos autem & immerentes multis rebus adverſis jactari, impiorum etiam malitia & iniquitate premi ſuſtinet. Quin potius longe diverſa cogitatio ſubire mentem debet: quando in flagitium unum manifeſto iræ indicio animadvertit, omnia ipſum odiſſe: quando multa inulta prætermittit, aliud fore judicium quo punienda differuntur. Similiter miſericordiæ ſuæ conſiderandæ quantam materiam nobis ſuppeditat, dum ſæpius miſeros peccatores indefeſſa tamen benignitate proſequitur, donec eorum pravitatem benefaciendo fregerit, pluſquam paterna indulgentia ad ſe revocando?

Tum etiam providentia, potentia, ſapientia.

8. In hunc finem Propheta commemorans in rebus deſperatis repente & mirabiliter ac præter ſpem Deum miſeris ac fere perditis ſuccurrere, ſive per deſerta vagantes à feris protegat, & tan- (Pſal. 107.) dem reducat in viam, ſive egentibus ac famelicis victum ſuppeditet, ſive captivos ex tetris foveis & ferreis cuſtodiis emittat, ſive naufragos in portum adducat incolumes, ſive à morbis ſanet ſemimortuos, ſive æſtu & ſiccitate exurat terras, ſive occulta irrigatione gratiæ fœcundet, ſive attollat contemptiſſimos è vulgo, ſive proceres dejiciat ex alto dignitatis gradu: propoſitis ejuſmodi exemplis colligit, qui cenſentur eſſe fortuiti caſus, totidem eſſe providentiæ cæleſtis teſtimonia, præſertim vero paternæ clementiæ: atque hinc piis dari materiam lætitiæ, impiis vero & reprobis ora obſtrui. Sed quia major pars erroribus ſuis imbuta, in tam illuſtri theatro cæcutit, exclamat *raræ & ſingularis eſſe ſapientiæ, prudenter expendere hæc Dei opera*, quorum aſpectu nihil proficiunt qui alioqui videntur eſſe acutiſſimi. Et certe quantumvis ſplendeat Dei gloria, vix centeſimus quiſque verus eſt ejus ſpectator. Nihilo magis aut potentia aut ſapientia in tenebris latent. quarum altera præclare emergit dum impiorum ferocia, omnium opinione inſuperabilis, momento uno retunditur, arrogantia domatur, diruuntur validiſſima præſidia, tela & arma comminuuntur, vires infringuntur, machinationes evertuntur, & ſua ipſorum mole concidunt: quæ ſupra cælos ſe efferebat audacia, in centrum uſque terræ proſternitur: rurſum *eriguntur humiles è pulvere, & inopes è ſtercore ſuſcitantur*: (Pſ. 113: 7.) oppreſſi & afflicti, ab extremis anguſtiis eruuntur: deplorati, in ſpem bonam reſtituuntur: inermes de armatis, pauci de plurimis, imbecilles de validis victoriam referunt. Sapientia vero ipſa manifeſte excellit dum optima unamquamque rem opportunitate diſpenſat: quamlibet mundi perſpicaciam confundit, *deprehendit aſtutos in aſtutia ſua*: (1 Cor. 3. verſ. 19.) nihil denique non optima ratione attemperat.

Ex hujuſmodi rebus eruuntur teſtimonia quæ Dei majeſtatem aſſerunt ac

9. Videmus non longa nec laborioſa demonſtratione opus eſſe ad eruenda quæ illuſtrandæ aſſerendæque divinæ majeſtati ſerviunt, teſtimonia: ſiquidem ex paucis quæ delibavimus, quocunque incideris adeo prompta & obvia eſſe conſtat, ut oculis deſignari ac digitis notari facile queant.

Digitized by Google

illuſtrant: & quis ſit horum fructus & uſus docet, Dei videlicet notitia cum vera pietate conjuncta.

Atque hic rurſus obſervandum eſt, invitari nos ad Dei notitiam, non quæ inani ſpeculatione contenta in cerebro tantum volitet, ſed quæ ſolida futura ſit & fructuoſa ſi rite percipiatur à nobis, radicemque agat in corde. A ſuis enim virtutibus manifeſtatur Dominus: quarum vim quia ſentimus intra nos, & beneficiis fruimur, vividius multo hac cognitione nos affici neceſſe eſt, quam ſi Deum imaginaremur cujus nullus ad nos ſenſus perveniret. Unde intelligimus hanc eſſe rectiſſimam Dei quærendi viam & aptiſſimum ordinem: non ut audaci curioſitate penetrare tentemus ad excutiendam ejus eſſentiam, quæ adoranda potius eſt, quam ſcrupuloſius diſquirenda: ſed ut illum in ſuis operibus contemplemur, quibus ſe propinquum nobis familiaremque reddit, ac quodammodo communicat.

Act 17:27.

Quo reſpiciebat Apoſtolus quum diceret *non longe quæritandum eſſe*, quippe qui præſentiſſima ſua virtute habitet in unoquoque noſtrûm.

Pſal. 145.

Proinde David, inenarrabilem ejus magnitudinem ante confeſſus, poſtquam ad operum commemorationem deſcendit, eam ipſam ſe enarraturum profitetur. Quare & nos in eam Dei inveſtigationem incumbere decet, quæ ſic ſuſpenſum admiratione ingenium teneat ut efficaci ſenſu penitus ſimul afficiat. Et quemadmodum docet alicubi *Auguſtinus*,

Aug. in Pſal. 144.

quia illum non poſſumus capere, velut ſub ejus magnitudine deficientes, ad opera reſpicere convenit, ut ejus reficiamur bonitate.

Pios ad ſpem futuræ vitæ animat & erigit hæc notitia.

10. Deinde ejuſmodi notitia non modo ad Dei cultum excitare nos debet, ſed ad ſpem quoque futuræ vitæ expergefacere, & erigere. Quum enim animadvertamus quæ Dominus tum clementiæ, tum ſeveritatis ſuæ ſpecimina edit, inchoata duntaxat & ſemiplena eſſe: haud dubie ad majora ſic ipſum præludere reputemus oportet, quorum manifeſtatio plenaque exhibitio in aliam vitam differtur.

Impiis parata eſſe majora ſupplicia teſtatur.

econverſo pios ab impiis quum videamus afflictionibus gravari, injuriis concuti, calumniis opprimi, contumeliis probriſque lacerari: ſceleſtos contra florere, proſperari, quietem cum dignitate obtinere, idque impune: protinus colligendum eſt, alteram fore vitam, in qua, & ſuæ iniquitati vindicta, & merces juſtitiæ repoſita ſit. Adhæc quum obſervemus, Domini ferulis ſæpius fideles caſtigari, certo certius conſtituere licet, multo minus impios ejus flagella nlim evaſuros.

lib. 1. de Civit. Dei, cap. 8.

Scitum enim eſt illud Auguſtini: *Si nunc omne peccatum manifeſta plecteretur pœna, nihil ultimo judicio reſervari putaretur. Rurſus; ſi nullum peccatum nunc aperte Deus puniret, nulla eſſe divina providentia crederetur.* Fatendum eſt igitur, in ſingulis Dei operibus, præſertim autem in ipſorum univerſitate, non ſecus atque in tabulis, depictas eſſe Dei virtutes, quibus in ejus agnitionem, & ab ipſa in veram plenamque felicitatem invitatur atque illicitur univerſum hominum genus.

Eximium in cordibus piorum divinæ bonitatis ſenſum ingerit.

Porro luculentiſſimæ quum illic appareant: quorſum tamen potiſſimum ſpectent, quid valeant, quem in finem à nobis ſint reputandæ, tum demum aſſequimur dum in nos ipſos deſcendimus, ac conſideramus quibus modis ſuam in nobis vitam, ſapientiam, virtutem Dominus exerat: ſuam juſtitiam, bonitatem, clementiam erga nos

Pſal. 92:7.

exerceat. Nam etſi juſte conqueritur David, incredulos deſipere, quia in humani generis gubernatione profunda Dei conſilia non expendunt: eſt tamen hoc veriſſimum quod alibi dicit, admirabilem Dei ſapientiam hac in parte excedere capillos

lib. 1. c. 16. ſect. 6, 7, 8. 9.

capitis noſtri. Sed quia hoc argumentum poſthac ſuo ordine plenius tractandum erit, nunc omitto.

Capitis altera pars, deſcribens ſtu-

11. Atqui quantacunque claritate & ſe & immortale ſuum regnum Dominus in operum ſuorum ſpeculo repræſentet: qui tamen eſt noſter ſtupor, ad tam perſpicuas teſtificationes ſemper hebeſcimus, ut ſine profectu effluant.

porem quo indocti & eruditi percutiuntur, univerſalem rerum ordinem naturæ, adminiſtrationem divinæ providentiæ inſcitiam, fortunæ tribuentes.

Nam quantum ad mundi fabricam & pulcherrimam poſitionem attinet, quotuſquiſque eſt noſtrûm, qui dum oculos vel in cælum attollit, vel per regiones terræ varias circumfert, mentem ad Creatoris memoriam referat, ac non magis, præterito Auctore, in operum aſpectu deſideat? Quantum vero attinet ad ea quæ præter naturalis decurſus ordinem quotidie eveniunt, quotuſquiſque non magis reputat, cæca potius fortunæ temeritate rotari & volutari homines, quam Dei providentia gubernari? Quod ſi quando iſtarum rerum ductu ac directione, ad Dei conſiderationem adigimur (quod omnibus evenire neceſſarium eſt) tamen ubi temere divinitatis alicujus ſenſum concepimus, extemplo ad carnis noſtræ deliria vel prava commenta delabimur, ac puram Dei veritatem noſtra corrumpimus vanitate. In eo quidem diſſimiles, quod quiſque ſibi privatim aliquid peculiaris erroris acceſſit: in hoc tamen ſimillimi, quod ad unum omnes, ab uno vero Deo ad prodigioſa nugamenta deficimus. Quo morbo non plebeia & obtuſa ingenia, ſed præclariſſima, & ſingulari alioqui acumine prædita, implicantur.

vid. Cic. de nat. deor. & Plutarch. de Philoſophorum placitis lib. 1.

Quam prolixe ſuam in hac parte ſtoliditatem ac inſulſitatem prodidit tota Philoſophorum natio. Nam ut aliis parcamus qui multo abſurdius ineptiunt. *Plato* inter omnes religioſiſſimus, & maxime ſobrius, ipſe quoque in rotundo ſuo globo evaneſcit. Et quid aliis non eveniret, quum ita primores, quorum erat reliquis prælucere, hallucinentur & impingant?

Plat. in Timæo. Cic. lib. 1. de nat. deorum.

Similiter, ubi rerum humanarum gubernatio providentiam manifeſtius arguit quam ut abnegari queat, nihilo tamen inde plus proficitur, quam ſi temeraria fortunæ voluntate crederentur omnia ſurſum deorſum verſari: tanta eſt noſtra in vanitatem & errorem propenſio. De excellentiſſimis ſemper loquor, non vulgaribus illis, quorum in profananda Dei veritate proceſſit in immenſum inſania.

Hinc turpis horrendaque Ethnicorum πολυθεΐα, & Philoſophorum de Deo cùm infinitæ tum etiam ſibi invicem repugnantes opiniones ortæ ſunt.

12. Hinc immenſa illa errorum colluvies, qua totus orbis refertus ac coopertus fuit. Suum enim cuique ingenium inſtar labyrinthi eſt: ut mirum non ſit ſingulas Gentes in varia commenta diductas eſſe. neque id modo, ſed ſingulis prope hominibus proprios fuiſſe deos. nam ut ad inſcitiam & tenebras accedit temeritas & laſcivia, vix unus unquam repertus eſt qui non ſibi idolum vel ſpectrum Dei loco fabricaret. Certe non ſecus atque ex vaſta amplaque ſcaturigine aquæ ebulliunt, immenſa deorum turba ab hominum mente profluxit, dum quiſque nimis licentioſe vagando, perperam hoc vel illud de ipſo Deo comminiſcitur. Neque tamen hic ſuperſtitionum quibus implicitus fuit mundus, catalogum texere neceſſe eſt: quia nec ullus eſſet finis: & ut verbum nullum fiat, ſatis ex tot corruptelis apparet quam horribilis ſit humanæ mentis cæcitas. Rude & indoctum vulgus omitto.

Cic. lib. 1. & 2. de natura deorum. Lactant. Inſtit. Div. lib. 1. &c.

Sed inter *Philoſophos* qui ratione & doctrina penetrare in cælum conati ſunt, quam pudenda eſt varietas? ut quiſque altiore ingenio præditus fuit, arteque & ſcientia limatus, ita ſpecioſos colores ſuæ ſententiæ inducere viſus eſt: quos tamen omnes ſi propius inſpicias, evanidos eſſe fucos reperies.

Senec. lib. 4 de benef. c. 7. & natural. quæſt. l. 1. in præf. & lib 2. c. 45.

Argute ſibi viſi ſunt dicere *Stoici*, poſſe elici ex cunctis naturæ partibus varia Dei nomina, neque tamen propterea lacerari unum Deum. Quaſi vero non jam plus ſatis ad vanitatem proclives ſimus, niſi multiplex deorum copia nobis objecta longius & violentius nos in errorem abſtraheret.

Plutarch. lib. de Iſide & Oſiride. Cic. lib. 1. de nat. deor.

Myſtica etiam Ægyptiorum theologia oſtendit, ſedulo in hoc omnes incubuiſſe, ne abſque ratione deſipere viderentur. Ac primo forte intuitu aliquid tanquam probabile ſimplices & incautos deciperet: ſed nihil unquam excogitavit ullus mortalium, quo non

turpiter

Digitized by Google

turpiter corrupta fuerit religio. Atque bæc tam confuſa varietas Epicureis, & craſſis aliis pietatis contemptoribus audaciam addidit, ut omnem Dei ſenſum abjicerent. Nam quum prudentiſſimos quoſque certare viderent contrariis opinionibus, ex eorum diſſidiis, & frivola etiam, vel abſurda cujuſque doctrina colligere non dubitarunt, fruſtra & ſtulte tormenta ſibi accerſere homines ubi deum qui nullus eſt inveſtigant: idque ſe impune facere duxerunt, quia præſtaret brevi compendio prorſus Deum negare, quam fingere incertos deos, & deinde lites movere quæ nullum haberent exitum. Ac nimis quidem inſcite ratiocinantur illi, vel potius tegendæ ſuæ impietati nebulam inducunt ex hominum inſcitia, ex qua Deo quidquam decedere minime æquum eſt. Sed quum fateantur omnes nullam eſſe rem de qua tantopere docti ſimul & indocti diſſentiant, hinc colligitur, pluſquam bebetes ac cæcas in cæleſtibus myſteriis eſſe hominum mentes quæ in Dei inveſtigatione ſic errant. Laudatur ab aliis *Simonidis* reſponſum, qui rogatus ab *Hierone tyranno* quid eſſet Deus, diem ſibi ad cogitandum dari petiit. Quum idem quæreret poſtridie tyrannus, biduum poſtulavit: ac ſæpius duplicato numero dierum, tandem reſpondit, *Quanto diutius conſidero, tanto res mihi videtur obſcurior.* Prudenter ſane ille ſententiam de re ſibi obſcura ſuſpenderit: binc tamen apparet, ſi naturaliter tantum edocti ſunt bomines, nihil certum, vel ſolidum, vel diſtinctum tenere: ſed confuſis tantum principiis eſſe affixos, ut Deum incognitum adorent.

Cic. lib. 1. de nat. deor.

13. Jam tenendum quoque eſt, quicunque puram religionem adulterant (ut omnibus accidere neceſſe eſt opinioni ſuæ deditis) diſceſſionem facere ab uno Deo. Aliud quidem ſibi in animo eſſe jactabunt: ſed quid intendant, vel quid ſibi perſuadeant, non multum ad rem facit: quando Spiritus ſanctus pronunciat omnes eſſe apoſtatas, qui pro mentis ſuæ caligine *dæmonia* ſupponunt in *Dei* locum. Hac ratione Paulus *ſine Deo fuiſſe* pronunciat Epheſios, donec ex Evangelio didiciſſent quid eſſet verum Deum colere. Neque hoc ad gentem unam duntaxat reſtringere oportet, quum generaliter alibi aſſerat *evanuiſſe cunctos mortales in ſuis cogitationibus*, poſtquam in mundi fabrica illis patefacta erat Creatoris majeſtas. Ideoque Scriptura ut vero & unico Deo locum faciat, quidquid divinitatis olim celebratum fuit inter Gentes, falſitatis & mendacii damnat: nec ullum numen relinquit niſi in monte Sion, ubi peculiaris vigebat Dei cognitio. Certe inter Gentiles Chriſti ætate proxime ad veram pietatem accedere viſi ſunt Samaritæ: audimus tamen ex ore Chriſti *eos neſciſſe quid colerent*: unde ſequitur, vano errore fuiſſe deluſos. Denique etiamſi non omnes laboraverint craſſis vitiis, aut in apertas idololatrias prolapſi ſint: nulla tamen pura & probata fuit religio quæ tantum in communi ſenſu fundata eſſet. Quamvis enim pauci quidam non inſanierint cum vulgo, manet tamen fixa Pauli doctrina, *Non apprehendi ſapientiam Dei à principibus mundi hujus.* Quod ſi excellentiſſimi quique in tenebris errarunt, quid de fæcibus ipſis dicendum erit? Quare nihil mirum ſi cultus omnes hominum arbitrio excogitatos tanquam degeneres repudiet Spiritus ſanctus: quia in cæleſtibus myſteriis opinio humanitus concepta, etſi non ſemper magnam errorum congeriem pariat, erroris tamen eſt mater. Atque ut nihil deterius accedat, hoc tamen vitium non leve eſt, fortuito *adorare* Deum *incognitum*: cujus tamen rei fiunt Chriſti ore, quicunque ex Lege edocti non ſunt quem Deum colere oporteat. Et certe non longius progreſſi ſunt qui optimi fuerunt legiſlatores, quam ut in publico conſenſu fundata eſſet religio. Quin etiam apud *Xenophontem* laudat Socrates *Apollinis reſponſum*, quo præcepit ut *quiſque ritu patrio & pro urbis ſuæ conſuetudine deos coleret.* Unde autem hoc jus mortalibus ut ſua auctoritate definiant quod mundum longe ſuperat? vel quis ita majorum placitis, vel populi ſcitis acquieſcere poterit, ut Deum abſque dubitatione recipiat humanitus ſibi traditum? Potius judicio quiſque ſuo ſtabit, quam ſe alieno arbitrio ſubjiciet. Quum ergo nimis infirmum ac fragile ſit pietatis vinculum, vel urbis conſuetudinem, vel antiquitatis conſenſum in colendo Deo ſequi, reſtat ut de ſe teſtetur è cælo ipſe Deus.

Ita ad unum omnes à Deo defecerunt, quippe qui puram religionem adulterantes, aut populorum conſuetudinem, aut antiquitatis impium conſenſum ſequuti ſunt.

Eph. 2: 12. Rom. 1: 21. Habac. 2. verſ. 18, 20.

Joan. 4: 22.

1 Cor. 2: 8.

Joan. 4: 22.

de dictis & factis Socr. lib. 1. Cic. de legib. lib. 2.

14. Ergo fruſtra nobis in mundi opificio collucent tot accenſæ lampades ad illuſtrandam auctoris gloriam: quæ ſic nos undique irradiant, ut tamen in rectam viam per ſe nequaquam poſſint perducere. Et ſcintillas certe quaſdam excitant: ſed quæ ante præfocantur quam pleniorem effundant fulgorem. Quamobrem Apoſtolus, eo ipſo loco, ubi *ſecula*, *ſimulacbra* vocat *rerum inviſibilium*: ſubjungit, *per fidem intelligi eſſe verbo Dei aptata*: ita ſignificans, inviſibilem divinitatem repræſentari quidem talibus ſpectaculis: ſed ad illam perſpiciendam non eſſe nobis oculos, niſi interiore Dei revelatione per fidem illuminentur. Neque Paulus, ubi tradit *patefieri quod cognoſcendum eſt de Deo ex mundi creatione*, talem manifeſtationem deſignat quæ hominum perſpicacia comprebendatur: quin potius eam oſtendit non ultra procedere niſi *ut reddantur inexcuſabiles.* Idem quoque, tametſi alicubi negat Deum procul veſtigandum utpote qui intra nos habitet: alio tamen loco docet quorſum valeat ejuſmodi propinquitas: *In præteritis*, inquit, *generationibus permiſit Dominus Gentes ingredi viis ſuis, non tamen ſeipſum ſine teſtimonio reliquit, benefaciens è cælo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda hominum.* Utcunque ergo non deſtituatur teſtimonio Dominus, dum plurima & varia benignitate homines in ſui cognitionem ſuaviter allicit: vias tamen ſuas, hoc eſt exitiales errores, propterea ſequi non deſinunt.

Hinc ſequitur, Dei creatoris mirandas Lampades ſic nos undique irradiare, ut tamen vias noſtras ſequi non deſinamus.

Heb. 11: 3.

Rom. 1: 19.

Act. 17: 27.

Act. 14: 16.

15. Quanquam autem naturali facultate deficimur quominus ad puram uſque & liquidam Dei cognitionem conſcendere liceat: quia tamen hebetudinis vitium intra nos eſt, præciſa eſt omnis tergiverſatio. Neque enim ignorantiam ſic prætexere licet quin ſemper & ignaviæ & ingratitudinis vel conſcientia ipſa nos convincat. Digna ſcilicet quæ admittatur defenſio, ſi homo ad audiendam veritatem aures ſibi defuiſſe obtendat, ad quam enarrandam ſuppetunt mutis creaturis pluſquam canoræ voces: ſi oculis ſe non poſſe videre cauſetur, quod ſine oculis creaturæ demonſtrant: ſi mentis imbecillitatem excuſet, ubi omnes ſine ratione creaturæ erudiunt. Quare omni prorſus excuſatione merito excludimur, quod vagi & palantes aberramus: quum omnia rectam viam demonſtrent. Sed enim, utcunque hominum vitio imputandum ſit, quod ſemen notitiæ Dei, ex mirabili naturæ artificio mentibus ſuis inſperſum, mox corrumpunt, ne ad frugem bonam ac ſinceram perveniat: veriſſimum tamen eſt, nuda iſta & ſimplici teſtificatione, quæ Dei gloriæ à creaturis magnifice redditur, nequaquam nos ſufficienter erudiri. Simul enim ac modicum divinitatis guſtum ex mundi ſpeculatione delibavimus; vero Deo prætermiſſo, ejus loco ſomnia & ſpectra cerebri noſtri erigimus: ac juſtitiæ, ſapientiæ, bonitatis, potentiæ laudem ab ipſo fonte huc & illuc traducimus. Quotidiana porro ejus facta ita aut obſcuramus aut invertimus prave æſtimando, ut & ſuam illis gloriam, & auctori debitam laudem præripimus.

Omni tamen excuſatione merito excludimur, quod hebetudinis vitium intra nos habentes palantes erramus: quum mundi opificium & adminiſtratio rectam viam commonſtrent.

CAP. VI.

CAP. VI.

Ut ad Deum creatorem quis perveniat, opus eſſe Scriptura duce & magiſtra.

Meliori autem adminiculo, voce ſua videlicet, in ſacris literis ſonante, Deus electos ſuos ad Nominis ſui notitiam perveniatir.

ERgo quanquam hominum ingratitudinem ſatis ſuperque omni patrocinin ſpoliat fulgor ille qui in cœln & in terra omninm oculis ingeritur: ſicuti Deus ut genus bumanum invnlvat eodem reatu, cunctis ſine exceptione numen ſuum delineatum in *creaturis* proponit: aliud tamen & melius adminiculum accedere neceſſe eſt, quod nos probe ad ipſum mundi creatorem dirigat. Itaque non fruſtra *verbi ſui lumen* addidit, quo innoteſceret in ſalutem. atque hac prærogativa dignatus eſt quos voluit propius & magis familiariter ad ſe colligere. Nam quia vaga & inſtabili agitatione circumferri videbat omnium animos, poſtquam Judæos ſibi elegit in gregem peculiarem, cancellos illis circumdedit, ne aliorum more evaneſcerent. Nec fruſtra eodem remedin nos in pura ſui notitia continet: quia mox alioqui diffluerent etiam qui videntur præ aliis firmi ſtare. nempe ſicuti ſenes, vel lippi, & quicunque oculis caligant, ſi vel pulcherrimum volumen illis objicias, quamvis agnoſcant eſſe aliquid ſcriptum, vix tamen duas voces contexere poterunt: ſpecillis autem interpoſitis adjuti, diſtincte legere incipient: ita *Scriptura* confuſam alioqui Dei notitiam in mentibus noſtris colligens, diſcuſſa caligine liquido nobis verum Deum oſtendit. Hoc igitur ſingulare donum eſt, ubi ad erudiendam Eccleſiam non mutis duntaxat magiſtris Deus utitur, ſed os quoque ſacroſanctum reſerat: neque tantum promulgat colendum eſſe aliquem Deum, ſed eum ſe eſſe ſimul pronunciat qui colendus ſit: nec electos docet modo in Deum reſpicere, ſed ſe quoque exhibet in quem reſpiciant. Hunc ordinem *ab initio* erga eccleſiam ſuam tenuit, ut præter communia illa documenta verbum quoque adhiberet: quæ rectior eſt & certior ad ipſum dignoſcendum nota. Nec dubium eſt quin Adam, Noë, Abraham, & reliqui Patres hoc adminiculo penetraverint ad familiarem notitiam, quæ illos ab incredulis quodam modo diſcrevit. Nondum loquor de propria fidei doctrina qua fuerunt illuminati in ſpem æternæ vitæ. nam ut tranſirent à morte in vitam, Deum non modo *creatorem* agnoſcere neceſſe fuit, ſed *redemptorem* quoque: ut certe utrumque adepti ſunt ex verbo.

Idque ab orbe condito.

Convenienti ordine doctrina.

Ordine enim præceſſit illa notitiæ ſpecies qua tenere datum fuit quiſnam ſit Deus ille à quo mundus eſt conditus, & gubernatur. *Deinde* adjuncta fuit altera interior, quæ ſola mortuas animas vivificat, qua Deus non tantum mundi *conditor*, & omnium quæ fiunt *unicus auctor & arbiter* cognoſcitur, ſed etiam *redemptor* in Mediatoris perſona. Cæterum quia nondum ad mundi lapſum & naturæ corruptionem ventum eſt, de remedin etiam tractare ſuperſedeo. Meminerint ergo lectores, me nondum de fœdere illo diſſerere, quo ſibi Deus adoptavit Abrahæ filios: & de illa doctrinæ parte qua proprie ſegregati ſemper fuerunt fideles à profanis gentibus: quia in Chriſto fundata fuit: ſed tantum quomodo ex Scriptura diſcere conveniat, Deum qui mundi creator eſt, certis notis ab omni commentitia deorum turba diſcerni. Opportune deinde ſeries ipſa ad Redemptionem nos deducet. Quanquam autem multa ex Novo Teſtamento teſtimonia adhibebimus; alia etiam ex Lege & Prophetis, ubi expreſſa fit Chriſti mentio: in hunc tamen finem tendent omnia, Deum mundi opificem nobis pateſieri in *Scriptura*, & quid de eo ſentiendum ſit exponi, ne per ambages incertum aliquod numen quæramus.

de quo remedio l. 2. agitur, à cap. 6. uſque ad finem.

2. Sive autem per *oracula & viſiones* Patribus innotuit Deus, ſive *hominum opera* & miniſterin ſuggeſſit quod deinde per manus poſteris traderent: indubium tamen eſt inſculptam fuiſſe eorum cordibus firmam doctrinæ certitudinem, ut perſuaſi eſſent, atque intelligerent à Deo profectum eſſe quod didicerant. Semper enim Deus indubiam fecit verbo ſuo fidem, quæ omni opinione ſuperior eſſet. Tandem ut continuo progreſſu doctrinæ veritas ſeculis omnibus ſuperſtes maneret in mundo, eadem oracula quæ depoſuerat apud Patres; quaſi publicis tabulis conſignata eſſe voluit. *Hoc* conſilio Lex promulgata fuit, cui poſtea interpretes additi ſunt Prophetæ. Etſi enim multiplex fuit Legis uſus, ut melius videbitur ſuo loco: præſertim vero Moſi & omnibus Prophetis propoſitum fuit, modum reconciliationis inter Deum & homines docere (unde etiam Paulus *Chriſtum* vocat *finem Legis*) iterum tamen repeto, præter doctrinam fidei & pœnitentiæ propriam, quæ Chriſtum Mediatorem proponit, Scripturam unicum & verum Deum quatenus mundum creavit & gubernat, certis notis & inſignibus ornare, ne miſceatur cum falſa deorum turba. Ergo quamvis hominem ſerio oculos intendere conveniat ad conſideranda Dei *opera*, quando in hoc ſplendidiſſimo theatro locatus eſt ut eorum eſſet ſpectator: aures tamen præcipue arrigere convenit ad *verbum*, ut melius proficiat. Ac proinde mirum non eſt, magis ac magis in ſtupore ſuo obdureſcere qui in tenebris nati ſunt: quia pauciſſimi ut ſe intra metas contineant, verbo Dei ſe præbent dociles, ſed potius exultant in ſua vanitate. *Sic* autem habendum eſt, ut nobis affulgeat vera religio, exordium à cæleſti doctrina fieri debere, nec quenquam poſſe, vel minimum guſtum rectæ ſanæque doctrinæ percipere, niſi qui Scripturæ fuerit diſcipulus. unde etiam emergit veræ intelligentiæ principium, ubi reverenter amplectimur quod de ſe illic teſtari Deus voluit. Neque enim perfecta ſolum, vel numeris ſuis completa *fides*, ſed omnis recta Dei *cognitio* ab *obedientia* naſcitur. Et ſane hac in parte ſingulari providentia conſuluit mortalibus Deus in omnes ætates.

Primum per oracula, viſiones, & Patriarcharum miniſterium.

Deinde, per Legis promulgationem & Prophetarum conciones.

lib. 2. c. 7. & 8.

Rom. 10:4.

Quibus de cauſis doctrina de Deo ſcriptis conſignata eſt.

3. Nam ſi reputamus quam lubricus ſit humanæ mentis lapſus in Dei oblivionem, quanta in omne genus erroris proclivitas, quanta ad confingendas identidem novas & fictitias religiones libido: perſpicere licebit quam *neceſſaria* fuerit talis cæleſtis doctrinæ *conſignatio*, ne vel *oblivione* deperiret, vel *errore* evaneſceret, vel *audacia* hominum corrumperetur. Quum itaque palam ſit, Deum erga eos omnes quos unquam erudire cum fructu voluit, ſubſidium verbi adhibuiſſe, quod effigiem ſuam in pulcherrima mundi forma impreſſam, parum eſſe efficacem provideret: hac recta via contendere expedit, ſi ad ſinceram Dei contemplationem ſerio aſpiramus. Ad Verbum, inquam, eſt veniendum, ubi probe, & ad vivum, nobis à ſuis operibus deſcribitur Deus, dum opera ipſa non ex judicii noſtri pravitate, ſed æternæ veritatis regula æſtimantur. Ab eo ſi deflectimus, ut nuper dixi, quamlibet ſtrenua enitamur celeritate, quia tamen extra viam curſus erit, nunquam ad metam pertingere continget. Sic enim cogitandum eſt: *fulgorem* divini vultus, quem & Apoſtolus *inac-*

Confirmatio 1. à natura noſtra pravitate, qua ejuſmodi eſt, ut ad verbum veniendum ſit quicunque Deum recte agnoſcere volet.

1 Tim. 6. verſ. 16.

ceſſum

ceſſum vocat, eſſe nobis inſtar inexplicabilis labyrinthi, niſi Verbi linea in ipſum dirigamur. ut ſatius ſit in hac via claudicare, quam extra eam celerrime currere. *Itaque* ſæpius David ſuperſtitiones è mundo tollendas docens, quo pura vigeat religio, Deum *regnantem* inducit: *regnandi* nomine non *poteſtatem* ſignificans qua præditus eſt, & quam in universâ naturæ gubernatione exercet: ſed *doctrinam* qua ſibi legitimum principatum aſſerit: quia nunquam evelli queunt ex hominum cordibus errores, donec plantata fuerit vera Dei cognitio.

2. Ab eo, quod David ſæpius Deum regnantem inducit. Pſal. 93. 96. 97. 99. & ſimilib.

❧ Proinde idem Propheta, ubi commemoravit *gloriam Dei à cœlis enarrari, opera manuum enunciari à firmamento, ab ordinata dierum noctiumque ſerie majeſtatem ejus prædicari*, deinde ad *Verbi* mentionem deſcendit: *Lex*, inquit, *Domini immaculata, convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis: juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Etſi enim alios quoque Legis uſus comprehendit, ſignificat tamen in genere, quum fruſtra Deus omnes populos ad ſe invitet cæli terræque intuitu, hanc eſſe peculiarem filiorum Dei ſcholam. Eodem ſpectat Pſal. 29. ubi Propheta concionatus de terribili Dei *voce*, quæ in tonitru, ventis, imbribus, turbinibus & procellis terram concutit, tremefacit montes, cedros confringit: in fine tandem ſubjicit, *cani ejus laudes in Sanctuario*, quia ad omnes Dei voces quæ in aere reſonant, ſurdi ſunt increduli. Sicut alium Pſalmum, ubi deſcripſit terribiles fluctus maris, ita claudit: *Teſtimonia tua verificata ſunt: decor templi tui, ſanctitas in longitudinem dierum.* *Hinc* & illud emanat quod Samaritanæ mulieri dicebat Chriſtus, gentem ejus & reliquos omnes populos *adorare quod neſcirent*: ſolos Judæos Deo vero cultum exhibere. Nam quum humana mens pro ſua imbecillitate pervenire ad Deum nullo modo queat niſi ſacro ejus verbo adjuta & ſublevata, omnes tunc mortales, exceptis Judæis, quia Deum ſine verbo quærebant, neceſſe fuit in vanitate atque errore verſari.

Pſ. 19: 1,8. *3. A manifeſtis quibuſdam teſtimoniis ex Pſ. 19. 29 & 93. deſumptis.*

Pſal. 93: 5.

4. A dicto quodam Chriſti. Joan. 4:22.

CAP. VII.

Quo teſtimonio Scripturam oporteat ſanciri, nempe Spiritus: ut certa conſtet ejus auctoritas: atque impium eſſe commentum, fidem ejus pendere ab Eccleſiæ judicio.

Scripturæ auctoritas non ab hominibus, ſed à Dei Spiritu pendet.

VErum antequam longius progrediar, quædam inſerere operæpretium eſt de Scripturæ *auctoritate*, quæ non modo animos præparent ad ejus reverentiam, ſed omnem dubitationem eximant. Porro ubi ſermonem Dei eſſe qui proponitur, in confeſſo eſt, nemo eſt tam deploratæ audaciæ, niſi forte & ſenſu communi, & humanitate quoque ipſa deſtitutus, qui fidem loquenti derogare auſit. Sed quoniam non quotidiana è cælis redduntur oracula, & Scripturæ ſolæ extant quibus viſum eſt Domino ſuam perpetuæ memoriæ veritatem conſecrare: non alio jure plenam apud fideles auctoritatem obtinent, quam ubi ſtatuunt è cælo fluxiſſe, acſi vivæ ipſæ Dei voces illic exaudirentur. Res ſane digniſſima quæ & tractetur fuſius, & accuratius expendatur. Sed dabunt veniam lectores, ſi magis reſpiciam quid ferat operis instituti ratio, quam quid hujus rei amplitudo requirat. *Invaluit* autem apud pleroſque pernicioſiſſimus error, *Scripturæ tantum ineſſe momenti quantum illi Eccleſiæ ſuffragiis conceditur*: acſi vero æterna inviolabiliſque Dei veritas, hominum arbitrio niteretur. ſic enim magno cum ludibrio Spiritus ſancti quærunt, *Ecquis* nobis fidem faciat, hæc à Deo prodiiſſe? *Ecquis* ſalva & intacta ad noſtram uſque ætatem perveniſſe, certiores reddat? *Ecquis* perſuadeat, librum hunc reverenter excipiendum, alterum numero expungendum: niſi certam iſtorum omnium regulam *Eccleſia* præſcriberet? *Pendet* igitur, inquiunt, *ab Eccleſiæ determinatione* & quæ Scripturæ reverentia debeatur, & qui libri in ejus catalogo cenſendi ſint. *Ita* ſacrilegi homines, dum ſub Eccleſiæ prætextu volunt effrenatam tyrannidem invehere, nihili curant quibus ſe & alios abſurditatibus illaqueent, modo hoc unum extorqueant apud ſimplices, *Eccleſiam nihil non poſſe.* Atqui ſi ita eſt, quid miſeris conſcientiis fiet, ſolidam vitæ æternæ ſecuritatem quærentibus, ſi quæcunque extant de ea promiſſiones, ſolo hominum judicio fultæ, conſiſtant? An accepto tali reſponſo fluctuari & trepidare deſinent? Rurſum, quibus impiorum ſannis ſubjicitur fides noſtra, quantam apud omnes in ſuſpicionem vocatur, ſi credatur, hominum beneficio non ſecus ac *precariam* habere auctoritatem?

Objectio prima, Scripturam ab Eccleſia determinatione pendere.

Reſponſio. hic error 1. veritatem Dei hominum arbitrio ſubjicit.

2. Spiritui S. eſt injurius.

3. tyrannidem in Eccleſiam invehit.

4. errores cumulat.

5. conſcientias evertit.

6. impiorum ſannis fidem noſtram ſubjicit.

2. Sed ejuſmodi rabulæ, vel uno Apoſtoli verbo pulchre refelluntur. *Eccleſiam* ille teſtatur, *Prophetarum & Apoſtolorum fundamento ſuſtineri.* Si fundamentum eſt Eccleſiæ Prophetica & Apoſtolica doctrina: ſuam huic *certitudinem* ante conſtare oportet, quam illa extare incipiat. Neque eſt quod cavillentur, etiamſi inde primum exordium ducat Eccleſia, manere tamen dubium quæ Prophetis & Apoſtolis ſint adſcribenda, niſi judicium ipſius intercedat. Nam ſi Chriſtiana Eccleſia Prophetarum ſcriptis & Apoſtolorum prædicatione initio fundata fuit, ubicunque reperietur ea doctrina, Eccleſiam certe præceſſit ejus approbatio: ſine qua nunquam Eccleſia ipſa extitiſſet. Vaniſſimum eſt igitur commentum, *Scripturæ* judicandæ poteſtatem eſſe penes *Eccleſiam*: ut ab hujus nutu illius *certitudo* pendere intelligatur. Quare dum illam recipit, ac ſuffragio ſuo obſignat, non ex *dubia* aut alioqui controverſa *authenticam* reddit: ſed quia veritatem eſſe agnoſcit Dei ſui, pro pietatis officio, nihil cunctando veneratur. *Quod* autem rogant, Unde perſuadebimur à Deo fluxiſſe, niſi ad Eccleſiæ decretum confugiamus? perinde eſt acſi quis roget, Unde diſcemus lucem diſcernere à tenebris, album à nigro, ſuave ab amaro? Non enim obſcuriorem veritatis ſuæ ſenſum ultro Scriptura præ ſe fert, quam coloris ſui res albæ ac nigræ: ſaporis, ſuaves & amaræ.

Alia reſponſio ex Apoſtoli verbis collecta.

Eph. 2: 20. *Inſtantia adverſariorum ſolutio.*

Alterius objectionis refutatio.

3. Scio equidem vulgo citari Auguſtini ſententiam, ubi *ſe Euangelio crediturum negat niſi Eccleſiæ ipſum moveret auctoritas.* Sed quam perperam & calumnioſe citetur in eum ſenſum, ex contextu facile eſt deprehendere. Negotium illi erat cum Manichæis, qui abſque controverſia credi ſibi volebant, quum veritatem ſe habere pollicerentur, non oſtenderent. Quia vero ut Manichæo ſuo fidem aſtruerent, obtendebant Euangelium, rogat quidnam facturi ſint ſi in hominem incidant qui ne Euangelio quidem credat: quo genere perſuaſionis eum ſint in ſuam ſententiam adducturi. Poſtea ſubjicit: *Ego vero non crederem Euangelio, &c.* ſignificans ſe, quum alienus eſſet à fide, non aliter potuiſſe adduci ut Euangelium amplecteretur pro certa Dei veritate, quam Eccleſiæ auctoritate victum. Et quid mirum, ſiquis nondum Chriſto cognito, hominum reſpectum habeat? Non ergo illic docet *Auguſtinus* fundatam eſſe piorum *fidem* in *Eccleſiæ* auctoritate: nec Euangelii *certitudinem* inde pendere intelligit: verum

Tertia objectionis ex Auguſtini ſententia petita conſideratio. contra Epiſtolam fundamenti, cap. 5.

ſimpli-

ſimpliciter nullam fore Euangelii certitudinem *infidelibus*, ut inde Chriſto lucrifiant, niſi Eccleſiæ *conſenſus* eos impellat. Atque id paulo ante non obſcure confirmat, ita loquendo, *Quum ego laudavero quod credo, & quod credis irriſero, quid putas nobis eſſe judicandum, quidve faciendum, niſi ut eos relinquamus qui nos invitant certa cognoſcere, & poſtea imperant ut incerta credamus: & eos ſequamur qui nos invitant prius credere quod nondum valemus intueri, ut ipſa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur: non jam hominibus, ſed ipſo Deo intrinſecus mentem noſtram firmante atque illuminante?* Hæc certe ſunt Auguſtini verba: ex quibus cuivis colligere promptum eſt, non hanc ſancto viro fuiſſe mentem, ut fidem quam Scripturis habemus, à nutu arbitriove Eccleſiæ ſuſpenderet: ſed tantum ut iodicaret quod nos quoque verum fatemur, eos qui nondum Spiritu Dei ſunt illuminati, Eccleſiæ reverentia ad docilitatem indnci, ut Chriſti fidem ex Euangelio diſcere ſuſtineant: atque ita hoc modo *Eccleſiæ* auctoritatem *iſagogen* eſſe qua ad fidem Euangelii præparamur. Nam, ut videmus, piorum certitudinem longe alio fundamento vult eſſe ſuffultam. Alioqui non nego quin ſæpe Manichæos Eccleſiæ univerſæ conſenſu urgeat, dum Scripturam, quam illi repudiabant, vult approbare. Unde illa adverſus *Fauſtum* exprobratio, *quod ſe Euangelicæ veritati non ſubdat, tam fundatæ, tam ſtabilitæ, tanta gloria diffamatæ, & à tempore Apoſtolorum per certas ſucceſſiones commendatæ.* Sed nuſquam eo ſpectat, ut pendêre doceat quam Scripturis auctoritatem deferimus, ab hominum definitione aut decreto: tantum, quod in cauſa plurimum valebat, univerſale Eccleſiæ judicium profert, in quo adverſariis erat ſuperior. Siquis pleniorem hujus approbationem deſiderat, libellum ejus legat De *utilitate credendi*: ubi reperiet non aliam credendi facilitatem ab ipſo commendari niſi quæ nobis aditum modo præbeat, ſitque *opportunum inquirendi exordium*, ut ipſe loquitur: non tamen in opinione acquieſcendum eſſe, ſed certa & ſolida veritate nitendum.

ejuſdem libri cap. 4.

vide eundem Aug. lib. 2. de ordine, cap. 9.

lib. 32.

Concluſio, Scripturam à Deo loquente auctoritatem ſumere.

4. Tenendum quod nuper dixi, non ante ſtabiliri doctrinæ fidem, quam nobis *indubie* perſuaſum ſit, *auctorem* ejus eſſe *Deum*. Itaque ſumma Scripturæ probatio paſſim à Dei loquentis perſona ſumitur. Non jactant Prophetæ & Apoſtoli vel acumen ſuum, vel quæcunque fidem loquentibus conciliant, neque inſiſtunt rationibus: ſed ſacrum *Dei* nomen proferunt, quo ad obſequium cogatur totus mundus. Nunc videndum quomodo non opinione tantum probabili, ſed liquida veritate pateat, non temere, nec fallaciter obtendi Dei nomen. *Jam* ſi conſcientiis optime conſultum volumus, ne inſtabili dubitatione perpetuo circumferantur, aut vacillent, ne etiam hæſitent ad minimos quoſque ſcrupulos, altius quam ab humanis vel rationibus, vel judiciis, vel conjecturis petenda eſt hæc perſuaſio, nempe ab arcano teſtimonio Spiritus. Verum quidem eſt, ſi argumentis agere libeat, multa poſſe in medium proferri quæ facile evincant, ſiquis eſt in cælo Deus, *Legem*, & *Prophetias*, & *Euangelium* ab eo manaſſe. *Imo* quamvis docti homines & ſummo judicio præditi contra inſurgant, & omnes ingenii vires conferant atque oſtentent in hac diſceptatione: niſi tamen ad perditam impudentiam obduruerint, extorquebitur illis hæc confeſſio, manifeſta ſigna loquentis Dei conſpici in Scriptura, ex quibus pateat cæleſtem ejus eſſe doctrinam. ac paulo poſt videbimus, omnes Scripturæ ſacræ libros quibuſque aliis ſcriptis longiſſime præcellere. Imo ſi puros oculos, & integros ſenſus illuc afferimus, ſtatim occurret Dei majeſtas, quæ ſubacta reclamandi audacia, nos ſibi parêre cogat. Præpoſtere tamen faciunt qui *diſputando* contendunt ſolidam Scripturæ fidem aſtruere, Equidem tametſi nec ſumma dexteritate, nec facundia polleo: ſi tamen mihi certamen eſſet cum vaferrimis quibuſque Dei contemptoribus, qui in labefactanda Scriptura ſolertes & faceti videri appetunt, non difficile mihi fore confido obſtreperas eorum voces compeſcere. ac ſi utilis in refellendis eorum cavillis eſſet labor, non magno negotio quas in angulis jactantias muſſitant diſcuterem. Verùm ſiquis ſacrum Dei verbum aſſerat ab hominum maledictis, non protinus tamen quam requirit pietas certitudinem cordibus infiget. *Quia* opinione tantum ſtare videtur religio profanis hominibus, nequid ſtulte aut leviter credant, ratione probari ſibi cupiunt ac poſtulant, Moſen & Prophetas *divinitus* loquutos eſſe. *Atqui* teſtimonium Spiritus omni ratione præſtantius eſſe reſpondeo. Nam ſicuti Deus ſolus de ſe idoneus eſt teſtis in ſuo ſermone: ita etiam non antè fidem reperiet ſermo in hominum cordibus, quam interiore Spiritus teſtimonio obſignetur. Idem ergo Spiritus qui per os Prophetarum loquutus eſt, in corda noſtra penetret neceſſe eſt, ut perſuadeat fideliter protuliſſe quod divinitus erat mandatum. Atque hæc connexio aptiſſime ab Jeſaia ponitur in his verbis, *Spiritus meus qui in te eſt, & verba quæ poſui in ore tuo & ſeminis tui, in perpetuum non deficient.* Bonos quoſdam male habet quod dum impune obmurmurant impii contra Dei verbum, non ad manum ſuppetat clara probatio. Quaſi vero non ideo vocetur Spiritus & *ſigillum*, & *arrha* ad confirmandam piorum fidem, quia donec mentes illuminet, ſemper inter multas hæſitationes fluctuant.

Conſcientiæ piorum teſte.

Doctis omnibus niſi prorſus pudorem exuerint aſſentientibus.

Quarta objectio, profanis hominibus familiaris.

Reſponſio.

Jeſ. 59: 21.

5. Maneat ergo hoc fixum, quos Spiritus ſanctus intus docuit, ſolide acquieſcere in Scriptura, & hanc quidem eſſe αὐτόπιστον, neque demonſtrationi & rationibus ſubjici eam fas eſſe: quam tamen meretur apud nos certitudinem, *Spiritus* teſtimonio conſequi. Etſi enim reverentiam ſua ſibi ultro majeſtate conciliat, tunc tamen demum ſerio nos afficit quum per *Spiritum* obſignata eſt cordibus noſtris. Illius ergo virtute illuminati, jam non aut noſtro, aut aliorum judicio credimus, à Deo eſſe Scripturam: ſed ſupra humanum judicium, certo certius conſtituimus (non ſecus ac ſi ipſius Dei numen illic intueremur) hominum miniſterio, ab ipſiſſimo Dei ore ad nos fluxiſſe. Non argumenta, non veriſimilitudines quærimus quibus judicium noſtrum incumbat: ſed ut rei extra æſtimandi aleam poſitæ, judicium ingeniumque noſtrum ſubjicimus. Non id quidem qualiter ſolent quidam interdum rem incognitam arripere, quæ mox perſpecta diſplicet: ſed quia inexpugnabilem nos veritatem tenere, probe nobis conſcii ſumus. Neque qualiter ſuperſtitionibus ſolent miſeri homines captivam mentem addicere: ſed quia non dubiam vim numinis illic ſentimus vigere ac ſpirare, qua ad parendum, ſcientes quidem ac volentes, vividius tamen & efficacius quam pro humana aut voluntate aut ſcientia, trahimur & accendimur. Itaque optimo jure per Jeſaiam clamat Deus, *Prophetas cum toto populo ſibi eſſe teſtes*, quia vaticiniis edocti, indubie tenebant abſque fallacia vel ambiguitate loquutum eſſe Deum. Talis ergo eſt *perſuaſio* quæ rationes non requirat: talis *notitia*, cui optima ratio conſtet, nempe in qua ſecurius conſtantiuſque mens quieſcit quam in ullis rationibus: talis denique *ſenſus*, qui niſi ex cæleſti revelatione naſci nequeat. *Non* aliud loquor quam quod apud ſe experitur fidelium unuſquiſque, niſi quod longe infra juſtam rei explicationem verba ſubſidunt. Pluribus nunc ſuperſedeo, quoniam hac de re alibi tractandi locus iterum ſe offeret: tantum nunc ſciamus, veram demum eſſe fidem quam Spiritus Dei cordibus noſtris obſignat. *Imo* una hac ratione contentus erit modeſtus ac docilis lector: promittit Jeſaias, *omnes* renovatæ Eccleſiæ *filios*, *Dei* fore *diſcipulos*. Singulari privilegio illic Deus ſolos electos

Poſtrema & neceſſaria concluſio, Spiritus S. teſtimonio Scripturæ S. auctoritatem cordibus piorum obſignari.

Certitudo hujus teſtimonii.

Confirmatio, à dicto Prophetæ Jeſ. 43: 10.

Ab experientia fidelium.

Ab alio teſtimonio Jeſ. 54: 13.

electos dignatur; quos à toto humano genere diſcernit. Etenim quodnam veræ doctrinæ initium eſt niſi prompta alacritas ad audiendam vocem Dei? Atqui Deus audiri poſtulat per os
Deut. 30. verſ. 10. Moſis, ſicuti ſcriptum eſt, *Ne dicas in corde tuo, Quis aſcendet in cælum, aut quis deſcendet in abyſſum? ecce ſermo eſt in ore tuo.* Si hunc intelligentiæ theſaurum filiis ſuis reconditum eſſe Deus voluit, nihil mirum vel abſurdum ſi in hominum vulgo cernitur tanta inſcitia & ſtupiditas. *Vulgus* nomino *præcipuos* etiam quoſque, donec in Eccleſiæ corpus inſiti fuerint. Adde quod Jeſaias non extraneis modo, ſed Judæis etiam qui domeſtici cenſeri volebant, Propheticam doctrinam incredibilem fore admonens, ſimul cauſam addit, Quia *non revelabitur omnibus brachium Dei*. Jeſ. 53: 1. Quoties ergo nos conturbat credentium paucitas, ex oppoſito veniat in mentem, non alios comprehendere Dei myſteria niſi quibus datum eſt.

CAP. VIII.

Probationes, quatenus fert humana ratio, ſatis firmas ſuppetere ad ſtabiliendam Scripturæ fidem.

Hujus capitis partes ſunt quatuor.

1. *Prior, generales quaſdam probationes continet, quæ ex utriuſque Teſtamenti libris facile colligi poſſunt: doctrinæ ſacræ videlicet diſpoſitionem, dignitatem, veritatem, ſimplicitatem, efficaciam & majeſtatem, ſect.* 1. 2.
2. *Altera, ſpeciales probationes ex veteri Teſtamento petitas proponit: nempe librorum Moſis antiquitatem, auctoritatem, miracula, prophetias, ſect.* 3. 4. 5. 6. 7. *aliorum item Prophetarum prædictiones & admirabilem conſenſum, ſect.* 8. *Additur duarum adverſus Moſis & Prophetarum libros objectionum refutatio, ſect.* 9 *&* 10.
3. *Tertia, ex novo Teſtamento collectas exhibet probationes: harmoniam Euangeliſtarum de cæleſtibus myſteriis diſſerentium: Joannis, Pauli & Petri in ſcribendo majeſtatem: Apoſtolorum inſignem vocationem, & Pauli converſionem, ſect.* 11.
4. *Poſtrema, depromptas ex Eccleſiaſtica hiſtoria probationes repræſentat: Eccleſiæ perpetuum conſenſum in recipienda & conſervanda Dei veritate: ipſius veritatis, ut ſeipſam tueretur, invictum robur: piorum (tot modis alioqui inter ſe diſſidentium) convenientiam: nonnullorum illuſtrium virorum piam ejuſdem doctrinæ profeſſionem: martyrum denique conſtantiam omnem humanum captum ſuperantem, ſect.* 12. *&* 13. *His adjungitur tractationis concluſio.*

Secundaria adminicula ad ſtabiliendam S. Scripturæ fidem. In Genere.

HÆc niſi certitudo adſit quolibet humano judicio & ſuperior & validior, fruſtra Scripturæ auctoritas vel argumentis munietur, vel Eccleſiæ conſenſu ſtabilietur, vel aliis præſidiis confirmabitur. ſiquidem niſi hoc jacto fundamento, ſuſpenſa ſemper manet. Sicuti contra, ubi ſemel communi ſorte exemptam religioſe ac pro dignitate amplexi ſumus, quæ ad ejus certitudinem animis noſtris inſerendam & infigendam non adeo valebant, tunc aptiſſima ſunt adminicula. Mirum enim quantum confirmationis ex eo accedat, dum intentiore ſtudio reputamus quam *ordinata & diſpoſita* illic appareat divinæ ſapientiæ *1. Sacra doctrinæ diſpoſitio.* diſpenſatio, quam *cæleſtis* ubique & nihil terrenum redolens *doctrina*, quam pulchra partium *2. Dignitas.* omnium inter ſe *conſenſio*, & ejuſmodi reliqua *3. Veritas.* quæ ad conciliandam ſcriptis majeſtatem conveniunt. Tum vero ſolidius adhuc confirmantur corda noſtra, dum cogitamus rerum magis *dignitate* quam verborum gratia, in ejus admirationem nos rapi. Nam & hoc non ſine eximia Dei providentia factum eſt, ut ſublimia *4. Simplicitas.* regni cæleſtis myſteria ſub *contemptibili* verborum *humilitate* bona ex parte traderentur: ne ſi ſplendidiore eloquentia illuſtrata forent, cavillarentur impii, ſolam ejus vim hic regnare. Nunc quum inculta illa, & tantum non rudis *ſimplicitas* majorem ſui reverentiam excitet quam ulla *rhetorum* facundia, quid judicare licet, niſi potentiorem Scripturæ ſacræ vim *veritatis* conſtare, quam ut verborum arte indigeat? Non
1Cor. 2: 4. ergo abſque ratione Apoſtolus *Dei virtute, non humana ſapientia*, fundatam eſſe fidem Corinthiorum arguit, quod ſua inter eos prædicatio, *non perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed oſtenſione Spiritus & potentiæ* commendabilis fuiſſet. ſiquidem ab omni dubitatione vindicatur veritas, ubi non alienis ſuffulta præſidiis, ſola ipſa ſibi ad ſe ſuſtinendam ſufficit. Hæc autem *virtus* quam propria ſit Scripturæ, inde *5. Efficacia.* liquet, quod ex humanis ſcriptis quamlibet artificioſe expolitis, nullum omnino perinde ad nos afficiendos valet. Lege Demoſthenem, aut Ciceronem: lege Platonem, Ariſtotelem, aut alios quoſvis ex illa cohorte: mirum in modum, fateor, te allicient, oblectabunt, movebunt, rapient: verum inde ſi ad ſacram iſtam lectionem te conferas, velis nolis ita vivide te afficiet, ita cor tuum penetrabit, ita medullis inſidebit, ut præ iſtius ſenſus efficacia, vis illa Rhetorum ac Philoſophorum prope evaneſcat. ut promptum ſit perſpicere divinum quiddam ſpirare ſacras Scripturas, quæ omnes humanæ induſtriæ dotes ac gratias tanto intervallo ſuperent.

2. Fateor quidem Prophetis nonnullis elegans & nitidum, imo etiam *ſplendidum* eſſe dicendi genus: ut profanis ſcriptoribus non cedat eorum facundia. ac talibus exemplis voluit oſtendere Spiritus ſanctus non ſibi defuiſſe eloquentiam dum rudi & craſſo ſtylo alibi uſus eſt. *6. Majeſtas, quæ in ſcriptis Propheticis elucet.* Cæterum ſive *Davidem*, *Jeſaiam* & ſimiles legas, quibus ſuavis & jucunda fluit oratio, ſive *Amos* hominum pecuariorum, *Jeremiam* & *Zachariam*, quorum aſperior

Digitized by Google

ſermo ruſticitatem ſapit, ubique conſpicua erit illa quam dixi Spiritus majeſtas. Nec me latet, ut Satan in multis eſt Dei æmulus, quo ſe fallaci ſimilitudine melius inſinuet in animos ſimplicium, ita impios errores quibus miſeros homines fallebat, aſtute ſparſiſſe inculto ſermone & fere barbaro, & ſæpe obſoletis loquendi formis uſum eſſe, ut ſub hac larva tegeret ſuas impoſturas. ſed quam inanis & putida ſit affectatio, vident omoes mediocri ſenſu præditi. Quantum vero ad ſacram Scripturam attinet, quamvis multa arrodere conentur protervi homines, conſtat tamen ſententiis refertam eſſe quæ bumanitus concipi oon potuerint. Inſpiciantur ſinguli Prophetæ: nemo reperietur qui non longe exceſſerit bumanum modum: ut palato prorſus carere cenſendi ſint quibus inſipida eſt eorum doctrina.

Speciales probationes, ex veteri Teſtamento.

3. Tractarunt alii hoc argumentum copioſe: quo fit ut pauca tantum delibare in præſens ſufficiat quæ ad ſummam totius cauſæ maxime faciunt. Præter ea quæ jam attigi, non parum habet ponderis ipſa Scripturæ *antiquitas*. Nam utcunque Græci ſcriptores de Ægyptiaca theologia multa fabuleotur, nullum tamen cujuſquam religionis monumentum extat quod non ſit Moſis ſeculo longe inferius. Neque Moſes novum Deum comminiſcitur: ſed quod de æterno Deo longa temporum ſerie à patribus quaſi per manus traditum acceperant Iſraelitæ, proponit. Quid enim aliud agit, quam ut ad fœdus ipſos revocet cum Abrahamo initum? Quod ſi rem inauditam attuliſſet, nullus erat acceſſus: ſed oportuit liberationem à ſervitute, in qua detinebantur, rem omnibus notam ac tritam eſſe: ut audita ejus mentio protinus omnium animos erigeret. Quin etiam de quadringentorum annorum numero probabile eſt fuiſſe edoctos. Nunc reputandum eſt, ſi à tam alto exordio Moſes (qui tamen ipſe tanto intervallo temporum ſuperat alios omnes ſcriptores) repetit doctrinæ ſuæ traditionem, quantum vetuſtate Scriptura ſacra inter alias omnes emineat.

Mercurius Triſmegiſtus. Plato. Herodot. 1. *Librorum Moſis antiquitas.* Plutarchus, &c. Diodorus. vide Euſebium, de præparatione Euangelica, lib. 2. cap. 1.

Quæ Ægyptiorum deliriis merito opponitur.

4. Niſi forte *Ægyptiis* credere libeat vetuſtatem ſuam extendentibus ad ſex annorum millia ante creatum mundum. Sed quum profanis etiam quibuſque ſemper ludibrio fuerit eorum garrulitas, non eſt cur in ejus refutatione laborem. Citat autem Joſephus contra Appionem teſtimonia memoratu digna ex antiquiſſimis ſcriptoribus, unde colligere licet, gentium omnium conſenſu doctrinam in Lege proditam ab ultimis ſeculis fuiſſe celebrem, quamvis neque lecta, neque vere cognita fuerit. Jam nequa bæreret apud malignos ſuſpicio, nequa etiam improbis cavillandi eſſet anſa, utrique periculo optimis remediis Deus occurrit. Dum refert Moſes quid trecentis fere ante annis cæleſti afflatu proounciaſſet Jacob de poſteris ſuis, quomodo tribum ſuam nobilitat? Imo eam notat æterna iofamia in perſona Levi. *Simeon,* inquit, *& Levi vaſa iniquitatis: in conſilium eorum non veniat anima mea, nec in arcanum eorum lingua mea.* Certe potuit dedecus illud ſilere: non tantum ut patri ſuo parceret, ſed ne ſeipſum cum tota familia aſpergeret ejuſdem ignominiæ parte. Quomodo ſuſpectus eſſe poterit qui primum familiæ ex qua oriundus erat, auctorem Spiritus ſancti oraculo deteſtabilem fuiſſe ultro prædicans, neque privatim ſibi conſulit, neque recuſat ſubire invidiam apud gentiles ſuos, quibus haud dubie hoc moleſtum erat? Quum etiam impium *Aaronis* germani fratris & *Mariæ* ſororis *murmur* commemorat, dicemusne ex carnis ſuæ ſenſu loqui, an parère Spiritus ſancti imperio? Adhæc quum ſumma ejus eſſet auctoritas, cur ſaltem jus ſummi Sacerdotii non relinquit filiis ſuis, ſed in ultimum locum eos ablegat? Pauca tantum ex multis delibo: ſed in ipſa Lege paſſim occurrent multa argumenta quæ vendiceot plenam fidem, ut abſque controverſia Moſes quaſi Dei Angelus è cælo prodeat.

2. Auctoritas.

Gen. 49. v. 5, 6.

Num. 12. verſ. 1.

3. Miracula.

5. Jam vero tot ac tam inſignia quæ refert *miracula*, totidem ſunt Legis ab ipſo latæ proditæque doctrinæ ſanctiones. Nam quod *nube* abreptus fuit in mootem: quod illic uſque ad diem *quadrageſimum* bumano contubernio exemptus fuit: quod in ipſa Legis promulgatione *facies ejus* tanquam ſolaribus radiis *fulgebat*: quod undique micabant *fulgetra: tonitrua* & fragores toto aëre exaudiebantur: *tuba* etiam nullo humaoo ore inflata clangebat: quod *tabernaculi* ingreſſus nube oppoſita excipiebatur à conſpectu populi: quod horrendo *Core, Dathan, & Abirom*, totiuſque impiæ factionis exitio tam mirifice vindicata fuit ejus auctoritas: quod *lapis virga percuſſus* flumen protinus ejecit: quod *man* è cælo ad ejus precationem depluit: nonne bunc Deus ipſum cælitus commendabat tanquam indubium Prophetam? *Siquis* objiciat me ſumere pro confeſſis quæ controverſia non careant, bujus cavilli facilis eſt ſolutio. Nam quum hæc omnia pro concione publicaverit Moſes, quis fingendi locus fuit apud ipſos rerum geſtarum oculatos teſtes? Scilicet produiſſet in medium, ac populum infidelitatis, contumaciæ, ingratitudinis aliorumque ſcelerum coarguens, ſuam doctrinam ſub ipſorum conſpectu jactaſſet ſancitam fuiſſe iis miraculis quæ ipſi nunquam vidiſſent.

Exod. 24. verſ. 18. Exod. 34. verſ. 29. Exod. 19. verſ. 16. Exod. 40. verſ. 34. Num. 16. verſ. 24. Num. 20. verſ. 10. Num. 11. verſ. 9.

Objectionis profana refutatio.

6. Nam & hoc notatu dignum, quoties narrat de miraculis, ſimul odioſe conjungi quæ totum populum ſtimulare ad reclamandum poterant, ſi vel minima fuiſſet occaſio. unde apparet non aliter ut ſubſcriberent fuiſſe adductos, niſi quia plus ſatis convicti erant ſua experientia. *Cæterum* quoniam res erat illuſtrior quam ut profanis ſcriptoribus liberum eſſet negare edita fuiſſe à Moſe miracula, calumoiam illis ſuggeſſit pater mendacii, ea *magicis* artibus adſcribens. Sed qua conjectura *magum* fuiſſe inſimulant, qui tantopere ab hac ſuperſtitione abhorret, ut lapidibus obruere jubeat qui tantum *conſuluerit magos & ariolos*? Certe nemo impoſtor præſtigiis ludit, qui non obſtupefacere vulgi animos ſtudeat captandæ famæ cauſa. Quid autem Moſes? *ſe & fratrem Aaronem nihil eſſe* clamans, ſed tantum exequi quæ Deus præſcripſit, ſatis abſtergit omnem ſiniſtram notam. Jam ſi res ipſæ conſiderentur, quænam incantatio facere potuit ut *man* è cælo quotidie pluens, ad populum alendum ſufficeret: ſiquis plus juſta menſura repoſitum haberet, ex ipſa putredine diſceret incredulitatem ſuam divinitus puniri? Adde quod multis ſeriis probationibus ſic examinari paſſus eſt Deus ſervum ſuum, ut nunc obſtrependo nihil proficiant improbi. Quoties enim ſuperbe & petulanter nunc ſurrexit totus populus, nunc quidam ioter ſe conſpirando, ſanctum Dei ſervum evertere conati ſunt, eorum furorem præſtigiis eludere quî potuit? Et eventus palam docet, hoc modo ſancitam in omnia ſecula fuiſſe ejus doctrinam.

Alia objectio impia.

Refutatio.

Lev. 20: 6.

Exod. 16. verſ. 7.

4. Prophetia.

7. Adhæc quod *tribui Juda* in perſona Patriarchæ Jacob aſſignat *principatum*, quis neget ſpiritu *Prophetico* factum eſſe: præſertim ſi rem ipſam, ut eveotu comprobata fuit, cogitationi noſtræ ſubjicimus? Finge Moſen primum eſſe vaticinii auctorem: ex quo tamen ſcriptum hoc memoriæ prodidit, prætereunt anni quadringenti quibus nulla eſt in tribu Juda ſceptri mentio. Poſt *Saulem* inauguratum videtur regia poteſtas in tribu *Benjamin* reſidere. Quum à Samuele ungitur *David*, quænam ejus transferendæ ratio apparet? Quis regem ſperaſſet ex plebeia bominis pecuarii domo exiturum? Et quum illic ſeptem eſſent fratres, quis minimo natu honorem deſtinaſſet? Qua deinde ratione ad ſpem regni pervenit? Quis humana arte

Gen. 49. verſ. 10.

Regni ſceptrum tribui Juda aſſignatum.

1 Sam. 11. verſ. 15. 1 Sam. 16. verſ. 13.

Digitized by Google

vel induſtria vel prudentia gubernatam fuiſſe unctionem dicat, ac non potius vaticinii cæleſtis complementum eſſe?

Gentium vocatio.

Similiter quæ de *Gentibus* in fœdus Dei cooptandis, obſcure licet, prædicit, quum poſt duo fere annorum millia evenerint, annon divino afflatu ipſum loquutum eſſe palam faciunt? Omitto alias prædictiones, quæ divinam revelationem ita plane ſpirant, ut ſanis hominibus conſtet Deum eſſe qui loquitur.

Deut. 32.

Breviter, unum *Canticum* illuſtre ſpeculum eſt in quo Deus evidenter apparet.

5. Aliorum Prophetarum prædictiones. Excidium Hieroſolymitanum, & reditus populi ex Babylone, Cyri opera.

8. In reliquis autem *Prophetis* multo etiamnum clarius id cernitur. Pauca tantum exempla deligam, quia in omnibus colligendis nimius eſſet labor. Quum Jeſaiæ tempore pacatum eſſet regnum Juda, imo quum in Chaldæis aliquid præſidii ſibi repoſitum putaret, de *excidio* urbis populique *exilio* concionabatur *Jeſaias*. Ut demus nondum ſatis clarum ſpecimen fuiſſe divini inſtinctus, multo ante prædicere quæ tunc videbantur fabuloſa, tandem vera apparuerunt: quæ tamen ſimul de *redemptione*

Jeſ. 45: 1.

vaticinia edit, unde niſi à Deo profecta fuiſſe dicemus? *Cyrum* nominat, per quem ſubigendi erant *Chaldæi*, & populus io libertatem aſſerendus. Elapſi ſunt anni plus centum ex quo ita vaticinatus eſt Propheta priuſquam naſceretur Cyrus. nam hic centeſimo demum anno aut circiter poſt illius mortem natus eſt. Nemo divinare tunc poterat fore aliquem Cyrum cui cum Babyloniis bellum futurum eſſet: qui tam potenti monarchia ſub manum ſuam redacta, finem Iſraëlitici populi exilio imponeret. Nuda hæc narratio, ſine ullo verborum ornatu, nonne indubia eſſe Dei oracula, non hominis conjecturas, quæ Jeſaias loquitur, plane demon-

Jer. 25. v. 11, 12.

ſtrat? Rurſus quum *Jeremias* prius aliquanto quam populus abduceretur, *annis ſeptuaginta* finiret tempus *captivitatis*, reditumque & libertatem indiceret, nonne à Spiritu Dei gubernari ejus linguam oportuit? Cujus impudentiæ erit negare talibus documentis ſancitam fuiſſe Prophetarum auctoritatem, adeoque impletum eſſe quod ipſi jactant ad

Jeſ. 42: 9.

vindicandam ſermonibus ſuis fidem? *Priora ecce venerunt, nova annuncio: antequam oriantur, nota*

6. Conſenſus.

vobis faciam. Omitto quod *Jeremias* & *Ezechiel*, quum tam procul eſſent diſſiti, tamen eodem tempore prophetantes, in dictis omnibus perinde *conſentiebant* acſi mutuo alter alteri dictaſſet verba.

Danielis prophetia illuſtris cap. 9. &c.

Quid *Daniel*? annon uſque ad annum fere *ſexcenteſimum* de rebus futuris prophetias ita contexit acſi hiſtoriam de rebus geſtis & paſſim notis ſcriberet? Hæc ſi probe meditata habeant pii homines, ad compeſcendos impiorum hominum latratus abunde inſtructi erunt. clarior enim eſt iſta demonſtratio quam ut ullis cavillis ſit obnoxia.

Objectio prima, adverſus Moſen, & Prophetas.

9. Scio quid in angulis obſtrepant quidam nebulones, ut in oppugnanda Dei veritate acumen ingenii ſui oſtentent. *Quærunt* enim, quis nos certiores fecerit à Moſe & Prophetis hæc fuiſſe ſcripta quæ ſub eorum nominibus leguntur. Quin etiam *quæſtionem* movere audent, fueritne unquam aliquis

Reſponſio.

Moſes. *At* ſiquis in dubium revocet fueritne unquam vel *Plato* aliquis, vel *Ariſtoteles*, vel *Cicero*, quis non colaphis aut flagellis caſtigandam talem inſaniam dicat? Fuit *Lex* Moſis cæleſti magis providentia, quam hominum ſtudio mirabiliter con-

2 Reg. 22. verſ. 8. 2 Chron. c. 34. v. 15.

ſervata. Et quanquam negligentia Sacerdotum ad breve tempus ſepulta jacuit, ex quo pius rex *Joſias* eam invenit, per continuas ætatum ſucceſſiones inter manus hominum verſata eſt. Neque vero quaſi rem ignotam aut novam protulit Joſias, ſed quæ ſemper vulgata fuerat, & cujus tunc celebris

Deut. 17. v. 18, 19.

erat memoria. Dicatum erat *templo* volumen *prototypon*: dicatum *regiis archivis* deſcriptum inde *exemplar*. tantum hoc acciderat quod Sacerdotes Legem ipſam ex ſolenni more publicare deſierant, & populus etiam ipſe uſitatam lectionem neglexerat. Quid quod nullum fere ſeculum præteriit quo non confirmata renovataque fuerit ejus ſanctio? an iis incognitus erat Moſes qui Davidem tractabant? Verum, ut de omnibus ſimul loquar, certo certius eſt ipſorum ſcripta non aliter perveniſſe ad poſteros quam de manu in manum, ut ita loquar, perpetua annorum ſerie à patribus tradita, qui partim loquentes audierant, partim recenti memoria diſcebant ab auditoribus, fuiſſe ita loquutos.

Altera objectio.

10. Imo quod ex *Machabæorum* hiſtoria objiciunt ad elevandam Scripturæ fidem, tale eſt ut nihil ad eam ſtabiliendam excogitari poſſit aptius. Primum tamen quem obtendunt colorem diluamus: deinde in eos retorquebimus quam in nos machinam erigunt. Quum *Antiochus*, inquiunt, libros

1 Mach. 1. verſ. 59.

omnes juſſerit concremari, unde prodierunt quæ nunc habemus exemplaria?

Reſponſio.

Ego autem viciſſim interrogo in qua officina tam cito fabricari potuerint. Conſtat enim poſt ſedatam ſævitiam mox extitiſſe, & à piis omnibus qui in eorum doctrina educati familiariter eos noverant, ſine controverſia fuiſſe agnitos. Quin etiam quum omnes impii, quaſi facta conjuratione, Judæis tam proterve inſultaverint, nemo unquam illis objicere auſus eſt falſam librorum ſuppoſitionem. Nam qualiſcunque, eorum opinione, ſit religio Judaica, Moſen tamen ipſius eſſe auctorem fatentur. Quid ergo aliud quam proterviam ſuam pluſquam caninam produnt iſti blaterones, dum ſuppoſititios libros eſſe mentiuntur, quorum ſacra vetuſtas hiſtoriarum omnium conſenſu approbatur?

De admirabili providentia Dei in libris ſacris per tot ſecula conſervandis ac conſervatis inter tot hoſtes & tam ſævas perſequutiones.

Sed ne refellendis tam putidis calumniis fruſtra plus operæ impendam, potius hinc reputemus, quantam Dominus conſervandi Verbi ſui curam habuerit, quando ipſum ex truculentia ſæviſſimi tyranni, quaſi ex præſenti incendio præter ſpem omnium eripuit: quod pios Sacerdotes alioſque tanta conſtantia inſtruxit, ut non dubitaverint theſaurum hunc vitæ ſuæ diſpendio, ſi opus foret, redemptum, ad poſteros tranſmittere: quod acerrimam tot præſidum ac ſatellitum conquiſitionem fruſtratus eſt. Quis inſigne ac mirificum Dei opus non agnoſcat, quod ſacra illa monumenta quæ prorſus interiiſſe ſibi impii perſuaſerant, mox quaſi poſtliminio redierunt, & quidem majore cum dignatione?

Græca interpretatio.

Sequuta eſt enim *Græca* interpretatio quæ per totum orbem ea vulgaret. Neque in eo tantum apparuit miraculum quod fœderis ſui tabulas Deus à ſanguinariis Antiochi edictis vindicavit, ſed quod inter tam multiplices gentis Judaicæ clades, quibus ſubinde attrita & vaſtata, mox prope ad internecionem redacta fuit, ſalvæ tamen ſuperſtiteſque manſerunt. Lingua Hebræa non ignobilis modo, ſed prope incognita jacebat: & certe, niſi religioni conſultum voluiſſet Deus, in totum periiſſet. Quantum enim ex quo reverſi ſunt ab exilio Judæi, à linguæ patriæ genuino uſu deſciverint, ex ejus ſeculi Prophetis apparet: quod ideo notatu *utile* eſt, quia ex hac comparatione clarius elicitur Legis & Prophetarum antiquitas. Et per quos ſalutis doctrinam in Lege & Prophetis comprehenſam nobis Deus ſervavit, ut Chriſtus ſuo tempore pateſieret?

Judæorum diligentia.

Per infeſtiſſimos Chriſti ipſius hoſtes *Judæos*: quos merito *Eccleſiæ Chriſtianæ librarios* Auguſtinus ideo appellat, quia nobis ſubminiſtrarunt lectionem cujus ipſi uſum non habent.

Speciales probationes ex novo Teſtamento. 1. Euangeliſtarum trium harmonia & ſublimis in ſcribendo ſimplicitas.

11. Porro ſi ad novum Teſtamentum venitur, quam ſolidis fulturis nititur ejus veritas? Hiſtoriam humili abjectoque ſermone *tres Euangeliſtæ* recitant. faſtidio eſt multis ſuperbis iſta ſimplicitas: nempe quoniam ad præcipua doctrinæ capita non attendunt, ex quibus colligere facile eſſet eos ſupra humanum captum de cæleſtibus myſteriis diſſerere. Certe quicunque ingenui pudoris gutta præditi erunt, lecto primo capite Lucæ pudeſient. Jam Chriſti conciones, quarum ſumma à tribus illis

Euangeliſtis perſtringitur, omni contemptu eorum ſcripta facile eximunt.

2. Joannis, Pauli & Petri majeſtas.

Joannes autem è ſublimi tonans, quos non cogit in obſequium fidei, eorum pervicaciam quolibet fulmine validius proſternit. Prodeant in medium omnes iſti naſuti cenſores, quibus ſumma voluptas eſt Scripturæ reverentiam ex ſuis & aliorum cordibus excutere. legant Joannis *Euangelium:* velint nolint, illic reperient mille ſententias quæ ſaltem eorum ſocordiam expergefaciant: imo quæ eorum conſcientiis ad cohibendos eorum riſus horribile inurant cauterium. Eadem *Pauli* & *Petri* ratio eſt, in quorum ſcriptis quamvis major pars cæcutiat, ipſa tamen *cæleſtis majeſtas* devinctos ſibi omnes & quaſi conſtrictos tenet.

3. Apoſtolorum vocatio.

Unum vero hoc eorum doctrinam ſupra mundum ſatis ſuperque attollit, quod *Matthæus* ad menſæ ſuæ quæſtum antea affixus, *Petrus* & *Joannes* in naviculis ſuis verſati, omnes craſſi idiotæ nihil didicerant in hominum ſchola quod aliis traderent.

4. Pauli converſio.

Paulus vero non tantum ex profeſſo hoſte, ſed etiam ſævo & ſanguinario, converſus in novum hominem, ſubita & inſperata mutatione oſtendit cæleſti imperio ſe compulſum doctrinam quam oppugnaverat aſſerere. Negent canes iſti Spirirum ſanctum ſuper Apoſtolos delapſum eſſe, vel ſaltem hiſtoriæ fidem abrogent: res tamen palam clamitat à Spiritu fuiſſe edoctos, qui ante in ipſa plebe contemptibiles, repente de cæleſtibus myſteriis tam magnifice diſſerere cœperunt.

Ex hiſtoria Eccleſiaſticâ probationes. 1. Perpetuus Eccleſiæ conſenſus in recipienda & conſervanda veritate.

12. Adde quod aliæ quoque ſunt optimæ rationes cur pondere ſuo non careat Eccleſiæ conſenſus. Neque enim pro minimo ducendum eſt, ex quo Scriptura publicata fuit, tot ſeculorum voluntates conſtanter in ejus obedientiam conſenſiſſe: & utcunque miris modis eam vel opprimere, vel evertere, vel inducere prorſus & ex hominum memoria obliterare Satan cum toto mundo conatus ſit, ſemper tamen inſtar palmæ ſuperiorem evaſiſſe, & inexpugnabilem perſtitiſſe. Siquidem nemo fere excellentiore ingenio, vel ſophiſta, vel rethor olim fuit, qui vim ſuam adverſus ipſam non intenderet: nihil tamen profecerunt omnes. In ejus excidium univerſæ terræ potentia ſe armavit: in fumum abierunt omnes ejus conatus. Quomodo tam valide undequaque impetita reſtitiſſet, nonniſi humano freta præſidio?

2. Ipſius viritas in invictum robur.

Quin magis hoc ipſo à Deo eſſe convincitur, quod reluctantibus humanis omnibus ſtudiis, ſua tamen virtute uſque emerſerit. Adde etiam huc, quod non una civitas, non gens una in eam recipiendam & amplexandam conſpiravit: ſed quam longe lateque patet terrarum orbis, variarum gentium, quibus alioqui nihil inter ſe commune erat, ſancta conſpiratione ſuam auctoritatem adepta eſt.

3. Piorum (tot modis alioqui inter ſe diſſidentium) convenientia.

Porro quum plurimum nos movere debeat talis convenientia tam diverſorum animorum, & rebus omnibus alioqui inter ſe diſſidentium, quando eam nonniſi cæleſti numine conciliatam apparet: non parum tamen gravitatis illi accreſcit, dum intuemur in eorum pietatem qui ſic conveniunt, non omnium quidem, ſed quibus, ceu luminibus, fulgere Eccleſiam ſuam Dominus voluit.

4. Eruditiorum virorum pia profeſſio.

5. Martyrum conſtantia.

13. Jam quanta ſecuritate nos ei doctrinæ nomen dare par eſt, quam tot ſanctorum virorum ſanguine ſancitam ac teſtificatam videmus? Illi pro ſemel ſuſcepta non dubitarunt mortem animoſe & intrepide, atque adeo magna alacritate oppetere: nos cum tali arrhabone ad nos tranſmiſſam, quî non certa & inconcuſſa perſuaſione ſuſciperemus? Non ergo eſt mediocris Scripruræ approbatin, tot teſtium ſanguine fuiſſe obſignatam: præſertim dum reputamus, eos mortem ad reddendum fidei teſtimonium oppetiiſſe, non fanatica intemperie qualiter interdum erratici ſpiritus ſolent: ſed firmo conſtantique, ſobrio tamen Dei zelo.

Concluſio, tum demum ejuſmodi teſtimonia non fore inania, dummodo interna Spiritus S. perſuaſione fundata fuerit in cordibus hominum Scripturæ certitudo.

Aliæ ſunt nec paucæ nec invalidæ rationes, quibus ſua Scripturæ dignitas ac majeſtas non modo aſſeratur piis pectoribus, ſed adverſus calumniatorum technas egregie vindicetur: ſed quæ non ſatis per ſe valeant ad firmam illi fidem comparandam, donec ejus reverentiam cæleſtis Pater, ſuo illic numine patefacto, omni controverſia eximit. Quare tum vere demum ad ſalvificam Dei cognitionem Scriptura ſatisfaciet, ubi interiori Spiritus ſancti perſuaſione fundata fuerit ejus certitudo. Quæ vero ad eam confirmandam humana extant teſtimonia, ſic inania non erunt, ſi præcipuum illud & ſummum, velut ſecundaria noſtræ imbecillitatis adminicula, ſubſequantur. Sed inepte faciunt qui probari volunt *infidelibus*, Scripturam eſſe verbum Dei: quod niſi *fide*, cognoſci nequit. Merito itaque Auguſtinus, qui pietatem & pacem mentis debere præcedere admonet, ut de tantis rebus aliquid homo intelligat.

lib. de utilitate credendi.

CAP. IX.

Omnia pietatis principia evertere fanaticos, qui poſthabita Scriptura, ad revelationem tranſvolant.

Libertinorum, qui ſe ſpirituales cognominant, ingenium & error paucis deſcribuntur.

PORro qui repudiata Scriprura, neſcio quam ad Deum penetrandi viam imaginanrur, non tam errore teneri quam rabie exagitari putandi ſunt. Emerſerunt enim nuper vertiginoſi quidam, qui Spiritus magiſterium faſtuoſiſſime obtendentes, lectionem ipſi omnem reſpuunt, & eorum irrident ſimplicitatem qui emortuam & occidentem, ut ipſi vocant, literam adhuc conſectanrur.

Refutatio 1. Apoſtoli & vere Chriſtiani omnes verbum Dei ſcriptum amplexi ſunt.

Sed velim ab ipſis ſcire quiſnam ſit iſte ſpiritus cujus afflatu eo ſublimitatis evehuntur, ut Scripturæ doctrinam ceu puerilem & humilem deſpicere auſint. Nam ſi Chriſti Spiritum eſſe reſpondent, perquam ridicula eſt ejuſmodi ſecuritas: ſiquidem Apoſtolos Chriſti, alioſque in prima Eccleſia fideles non alio ſpiritu illuminatos fuiſſe, ut opinor, concedent. Atqui nullus eorum verbi Dei contemptum inde didicit, ſed unuſquiſque potius majore reverentia imbutus fuit: quemadmodum eorum ſcripta luculentiſſime teſtantur.

Confirmatio ex verbis Jeſ. 59: 21. petita.

Et ſane ſic per os Jeſaiæ prædictum fuerat. Neque enim ubi dicit, *Spiritus meus qui in te eſt, & verba quæ poſui in ore tuo non diſcedent ab ore tuo, neque ab ore ſeminis tui in perpetuum*, veterem populum externæ doctrinæ aſtringit acſi elementarius eſſet: quin potius veram hanc & plenam ſub Chriſti regno felicitatem novæ Eccleſiæ fore docet, ut non minus voce Dei quam Spiritu regatur. unde colligimus, nefando ſacrilegio divelli ab iſtis nebulonibus quæ inviolabili nexu Propheta conjunxit.

Altera, ab exemplo & dictis Pauli.

Huc adde quod *Paulus* in tertium uſque cælum raprus, non deſtitit tamen proficere in doctrina Legis & Prophetarum: ſicuti & *Timotheum* ſingularis præſtantiæ doctorem hortatur ut *lectioni attendat*. (1 Tim. 4. verſ. 13.) Ac memoratu dignum eſt elogium illud quo Scripturam ornat, *utilem eſſe ad docendum, monendum, arguendum, quo perfecti reddantur ſervi Dei.* (2 Tim. 3. verſ. 16.) Quam diabolici furoris eſt caducum, vel temporalem Scripturæ uſum fingere, quæ ad ultimam uſque metam filios Dei deducit?

2. Chriſti Spiritus verbi ſcripti doctrinam in mentibus piorum obſignat.

Deinde & hoc mihi reſponderi ab ipſis velim, an alium hauſerint ſpiritum ab eo quem diſcipulis ſuis Dominus promittebat. Tametſi extrema inſania vexantur, non tamen eos tanta vertigine puto raptari ut id jactare auſint. Qualem autem fore promittendo denunciabat? nempe *qui non à ſeipſo loqueretur*, ſed ſuggereret eorum animis & inſtillaret quæ ipſe per verbum tradidiſſet. (Joan. 16. verſ. 13.) Non ergo promiſſi nobis Spiritus officium eſt, novas

& inauditas revelatiooes confingere, aut novum doctrinæ genus procudere, quo à recepta Euangelii doctrina abducamur: ſed illam ipſam quæ per Euangelium commendatur, doctrinam mentibus noſtris obſignare.

2. Unde facile iotelligimus Scripturæ & lectioni & auſcultationi eſſe ſtudioſe incumbendum, ſiquem à Spiritu Dei uſum ac fructum percipere libet
2 Petr. 1. verſ. 19. (ſicuti etiam laudat Petrus eorum ſtudium qui attenti ſunt ad Propheticam doctrinam, quæ tamen videri poterat loco ceſſiſſe poſt exortam Euangelii lucem) contra vero, ſiquis ſpiritus, præterita verbi Dei ſapientia aliam doctrinam nobis ingerit, eum merito vanitatis ac mendacii ſuſpectum eſſe debere.
3. Satanæ præſtigiæ niſi verbi ſcripti auxilio detegi nequeunt. Quid enim? quum ſe Satan in angelum lucis transfiguret, quam auctoritatem habebit apud nos Spiritus niſi certiſſima nota diſcernatur? Et ſane perſpicue nobis deſignatus eſt voce Domini: oiſi quia ſponte in ſuum exitium errare affectant miſeri iſti, dum Spiritum à ſeipſis potius quam ab ipſo quærunt.
1. Objectio Libertinorum. Reſponſio. At vero indignum eſſe cauſantur, Spiritum Dei, cui ſubjicienda ſunt omnia, Scriptutæ ſubjacere. Quaſi vero ſit hoc ignominioſum Spiritui ſancto, ſibi eſſe ubique parem & conformem, ſibi per omnia conſtare, nuſquam variare. Equidem ſi ad humanam, vel angelicam, vel alienam quamvis regulam exigeretur, cenſendus tum eſſet, in ordinem, adde etiam ſi placet, in ſervitutem redigi. ſed dum ſibiipſi comparatur, dum in ſeipſo conſideratur, quis ideo dicet irrogari ei injuriam? Atqui ita ad examen revocatur: fateor: ſed quo ſuam apud nos majeſtatem ſanciri voluit. Nobis abunde eſſe debet, ſimul atque ſe nobis inſinuat. Verum ne ſub titulo ſuo Satanæ ſpiritus obrepat, in ſua imagine quam Scripturis impreſſit, vult à nobis recognoſci. Scripturarum auctor eſt: varius diſſimiliſque eſſe non poteſt. Qualem igitur ſe illic ſemel prodidit, talis perpetuo maneat oportet. Hoc contumelioſum illi non eſt: niſi forte honorificum ducamus à ſeipſo deſciſcere & degenerare.

2. Objectio petita ex verbis Apoſtoli. 3. Quod vero *literæ occidenti* nos incubare cavillantur, in eo pœnas luunt contemptæ Scripturæ. Satis enim conſtat Paulum illic adverſus pſeudoapoſtolos contendere, qui quidem Legem citra Chri-
2 Cor 3. verſ. 6 ſtum commendantes, à novi Teſtamenti beneficio
Reſponſio, populum avocabant, quo paciſcitur Dominus ſe Legem ſuam in fidelium viſcera inſculpturum, & cordibus inſcripturum. Emortua eſt igitur litera, *quæ mentem Pauli aperit.* & ſuos lectores necat Lex Domini, ubi & Chriſti gratia divellitur, & intacto corde, auribus tantum inſonat. Verum ſi per Spiritum efficaciter cordibus imprimitur, ſi Chriſtum exhibet: Verbum eſt vitæ, convertens animas, ſapientiam præſtans parvulis, &c. Quin etiam eodem loco prædicatio- 2 Cor. 3:8.
nem ſuam Apoſtolus *miniſterium Spiritus* vocat: nimirum ſignificans, ita ſuæ quam in Scripturis expreſſit, veritati inhærere Spiritum ſanctum, ut vim tum demum ſuam proferat atque exerat ubi ſua conſtat Verbo reverentia ac dignitas. Nec his repugnat quod nuper dictum eſt, Verbum ipſum non valde certum nobis eſſe niſi Spiritus teſtimonio coofirmetur. *Inſtantia ſolutio, qua oſtenditur Spiritus & Verbi ſcripti vinculum indiſſolubile.* Mutuo enim quodam nexu Dominus *Verbi Spirituſque* ſui certitudinem inter ſe copulavit: ut ſolida *Verbi* religio animis noſtris inſidat, ubi affulget *Spiritus* qui nos illic Dei faciem contemplari faciat: ut viciſſim nullo hallucinationis timore *Spiritum* amplexemur, ubi illum in ſua *imagine*, hoc eſt in *Verbo*, recognoſcimus. Ita eſt ſane. Noo Verbum hominibus ſubitæ oſtentationis cauſa in medium protulit Deus, quod Spiritus ſui adventu extemplo aboleret, ſed eundem Spiritum cujus virtute Verbum adminiſtraverat, ſubmiſit, qui ſuum opus efficaci Verbi confirmatione abſolveret. In hunc mo-
dum *Chriſtus diſcipulis duobus ſenſum aperiebat*: non Luc. 24.
ut abjectis Scripturis per ſe ſaperent: ſed *ut Scri-* verſ. 27.
pturas intelligerent. Similiter Paulus, dum hortatur
Theſſalonicenſes *ne Spiritum extinguant*, non ſubli- 1 Theſſ. 5.
miter eos arripit ad inanes ſioe Verbo ſpeculatio- verſ. 19, 20.
nes: ſed continuo ſubjicit, *non ſpernendas prophetias.* Quo proculdubio innuitur, Spiritus lucem præfocari ſimul atque in contemptum veniunt prophetiæ. Quid ad hæc tumidi iſti ἐνθουσιασταὶ qui hanc unam reputant eximiam illumioationem, ubi ſecure omiſſo ac valere juſſo Dei verbo, quicquid ſtertendo conceperint, non minus confidenter, quam temere arripiuot? *Libertinorum ebrietas ſuperba.* Filios certe Dei longe alia decet ſobrietas: qui ut omni veritatis luce, ſine Dei Spiritu, orbatos ſe vident, ita non ignorant, Verbum eſſe organum quo Spiritus ſui illuminationem fidelibus Dominus diſpenſat. Alium enim Spiritum neſciunt quam qui in Apoſtolis habitavit & loquutus eſt: cujus oraculis aſſidue ad verbi audientiam revocantur.

Cap. X.

Scripturam, ut omnem ſuperſtitionem corrigat, verum Deum excluſive opponere diis omnibus Gentium.

Ad Dei notitiam explicandam reverſio, in quo oſtenditur Deum ſe talem in Scriptura nobis exhibere qualem in operibus ſuis delineavit.

SEd enim quoniam Dei notitiam, quæ in mundi machina univerſiſque creaturis non obſcure alioqui proponitur, familiarius tamen etiamnum & clarius *Verbo* docuimus explicari: jam operæpretium eſt expendere ecquid ſe talem Dominus in *Scriptura* nobis repræſentet qualem in operibus ſuis delineari, prius viſum eſt. Longa certe materia: ſiquis in ea diligentius tractanda immorari velit. At ego velut indicem propoſuiſſe contentus ero, quo monitæ piæ mentes, quid potiſſimum io Scripturis de Deo inveſtigandum ſit norint, & ad certum ejus inquiſitionis ſcopum dirigantur. Nondum attingo peculiare fœdus quo genus Abrahæ à reliquis Gentibus diſtinxit. Nam gratuita adoptione recipiens in filios qui hoſtes eraot, Redemptor jam tunc apparuit: nos autem adhuc in ea notitia verſamur quæ in mundi creatinne ſubſiſtit, neque aſcendit ad Chriſtum Mediatorem. Etſi autem paulo poſt quoſdam ex novo Teſtamento locos citare operæpretium erit (ſicuti etiam inde & potentia Dei creatoris, & providentia in primæ naturæ conſervatione probatur) lectores tamen monitos volo quid nunc agere mihi propoſitum ſit, ne fines ſibi præſcriptos tranſiliant. denique tenera in præſentia ſufficiat quomodo Deus cæli & terræ opifex mundum à ſe cooditum guberner. Paſſim vero celebratur & paterna ejus bonitas, & voluntas ad beneficentiam proclivis: & exempla traduntur ſeveritatis, quæ juſtum ſcelerum ultorem eſſe oſtendunt, præſertim ubi tolerantia ſua contra obſtinatos nihil proficit.

Nempe æternum, bonum, qui faciat miſericordiam, judicium, & juſtitiam in veritate, ut Moſes, David & Jeremias teſtantur.

2. Certis quidem locis dilucidæ magis deſcriptiones nobis proponuntur, quibus εἰκονικῶς viſenda exhibetur germana ejus facies. Nam quum eam deſcriberet Moſes, videtur ſane voluiſſe breviter comprehendere quicquid de ipſo intelligi ab hominibus fas eſſet. *Jehovah*, inquit, *Jehovah, Deus miſericors & clemens, patiens, & multæ miſerationis ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & ſcelera, apud quem innocens non erit innocens, qui reddis iniquitatem patrum*
filiis ac nepotibus. Ubi animadvertamus ejus *æterni-* Exod. 34.
tatem & αὐτουσίαν, magnifico illo nomine bis repetito, verſ. 6.
prædicari: deinde commemorari ejus *virtutes*, quibus nobis deſcribitur non quis ſit *apud ſe*, ſed qualis *erga nos*: ut iſta ejus agnitio vivo magis ſenſu, quam

Horum Dei attributorum explicatio.

vacua & meteorica ſpeculatione conſtet. *Virtutes* porro eaſdem hic enumerari audimus quas notavimus in cælo & terra relucere: clementiam, bonitatem, miſericordiam, juſtitiam, judicium, veritatem. Nam *virtus* & *potentia* ſub titulo *Elohim* continetur. Iiſdem etiam epithetis illum inſigniunt Prophetæ, quum ad plenum volunt ſanctum ejus nomen illuſtrare. Ne multa congerere cogamur, in

Pſal. 145.

præſentia nobis Pſalmus unus ſufficiat: in quo tam exacte *ſumma* omnium ejus virtutum recenſetur, ut nihil omiſſum videri queat. Et nihil tamen illic ponitur quod non liceat in creaturis contemplari. Adeo talem ſentimus experientia magiſtra Deum,

Jer. 9:24.

qualem ſe verbo declarat. Apud Jeremiam, ubi pronunciat qualis agnoſci à nobis velit, deſcriptionem proponit non ita plenam, ſed eodem plane recidentem: *Qui gloriatur*, inquit, *in hoc glorietur, quod me noverit Dominum qui facio miſericordiam, judicium, & juſtitiam in terra.* Tria certe hæc apprime

Summa.

nobis cognitu ſunt neceſſaria: *Miſericordia*, qua ſola conſiſtit noſtra omnium ſalus: *Judicium*, quod in flagitioſos quotidie exercetur, & gravius etiam eos manet in æternum exitium: *Juſtitia*, qua conſervantur fideles, & benigniſſime foventur. Quibus comprehenſis, te abunde habere vaticinium teſtatur quo poſſis in Deo gloriari. Neque tamen ita omittuntur aut veritas ejus, aut potentia, aut ſanctitas, aut bonitas. Quomodo enim conſtaret, quæ hic requiritur juſtitiæ, miſericordiæ, judicii ejus ſcientia, niſi *veritate* ejus inflexibili niteretur? Et quomodo crederetur terram judicio & juſtitia moderari, niſi intellecta ejus *virtute*? Unde autem, niſi ex *bonitate*, miſericordia? Si denique viæ omnes ejus ſunt miſericordia, judicium, juſtitia, in illis

Uſus hujus notitiæ.

quoque & *ſanctitas* conſpicua eſt. *Porro* non in alium *ſcopum* deſtinatur, quæ in Scripturis nobis proponitur Dei notitia, quam quæ in creaturis impreſſa nitet: nempe ad Dei *timorem* primum, deinde ad *fiduciam* nos invitat: quo ſcilicet & perfecta vitæ innocentia, & non ſimulata obedientia colere illum diſcamus: tum ab ejus bonitate toti dependere.

Scriptura autem ut ad verum Deum nos dirigat, diſerte excludit deos gentium, qua unitatem Dei quodammodo agnoverunt.

3. Sed hic ſummam generalis doctrinæ colligere propoſitum eſt. ac primo quidem obſervent lectores, Scripturam ut ad verum Deum nos dirigat, diſerte excludere ac rejicere deos omnes Gentium, quia ſeculis fere omnibus paſſim adulterata fuit religio. Verum quidem eſt, unius Dei nomen ubique fuiſſe notum ac celebre. Nam qui ingentem deorum turbam colebant, quoties ex genuino naturæ ſenſu loquuti ſunt, acſi unico Deo contenti eſſent, ſimpliciter uſi ſunt Dei nomine. atque hoc prudenter notavit *Juſtinus martyr*, qui in hunc finem librum compoſuit *De monarchia Dei*, ubi ex plurimis teſtimoniis oſtendit *unitatem* Dei fuiſſe omnium cordibus inſculptam. Idem etiam Tertullianus ex

lib. de Idololatria. vide etiam Auguſtin. epiſt. 43. & 44.

communi ſermone probat. Sed quia omnes ad unum vanitate ſua vel tracti vel prolapſi ſunt ad falſa commenta, atque ita evanuerunt eorum ſenſus, quicquid naturaliter ſenſerunt de unico Deo non ultra valuit niſi ut eſſent inexcuſabiles. Nam & ſapientiſſimi quique eorum vagum mentis ſuæ errorem palam aperiunt, ubi Deum quempiam ſibi adeſſe cupiunt: & ita votis invocant incertos deos. Adde quod multiplicem Dei naturam imaginando, licet minus abſurde quam rude vulgus de Jove, Mercurio, Venere, Minerva & aliis ſentirent, non fuerunt ipſi quoque immunes à Satanæ fallaciis. ac jam alibi diximus, quæcunque effugia argute excogitarunt Philoſophi, crimen defectionis non diluere quin ab omnibus corrupta fuerit Dei veritas. Hac ratione Habacuc, ubi idola omnia damna-

Habac. 2. verſ. 20.

vit, *Deum in templo ſuo* quærere jubet, ne alium admitterent fideles quam qui ſe verbo ſuo patefecerat.

CAP. XI.

Deo tribuere viſibilem formam nefas eſſe, ac generaliter deficere à vero Deo quicunque idola ſibi erigunt.

Tres ſunt hujus capitis partes præcipuæ.

1. *Refelluntur qui Deo formam viſibilem affingunt, ſect. 1. & 2. addita reſponſione ad eorum objectionem qui certis ſignis Deum numinis ſui præſentiam exhibuiſſe audientes, inde errori ſuo quærunt patrocinium, ſect. 3. & 4. deinde variis argumentis (ſect. 5. 6. 7.) fit ſatis tritæ objectioni ex Gregorio, Libros idiotarum eſſe imagines.*
2. *De idolorum ſeu imaginum origine & adoratione à Papiſtis reapſe comprobata, ſect. 8. 9. 10. effugiumque illorum 11. ſectione exploditur.*
3. *De uſu & abuſu imaginum, ſect. 12. An in templis Chriſtianorum eas habere expediat, ſect. 13. Tandem Synodi Nicenæ, pro imaginibus contra Dei veritatem, non ſine Chriſtiani nominis opprobrio, inepte admodum litigantis, refutatio ſubjungitur.*

Deus idolis opponitur, ut eum eſſe ſolum de ſe teſtem idoneum omnes intelligant.

VErum ut Scriptura, rudi craſſoque hominum ingenio conſulens, populariter loqui ſolet, ubi verum Deum à falſis diſcernere vult, *idolis* præcipue eum opponit. non quod probet quæ ſubtilius & elegantius à Philoſophis traduntur, ſed quo melius detegat mundi ſtultitiam, imo amentiam in quærendo Deo, quamdiu ſuis quiſque ſpeculationibus adhæret. Excluſiva igitur definitio quæ paſſim occurrit, in nihilum redigit quicquid divinitatis propria opinione ſibi fabricant homines: quia Deus ipſe ſolus eſt de ſe idoneus teſtis. Interea quum hic brutus ſtupor to-

Vetat autem, & verbis expreſſis, ne ipſum quis ulla viſibili ſpecie repræſentare tentet.

tum orbem occupaverit, ut viſibiles Dei figuras appeterent, atque ita ex ligno, lapide, auro, argento, aliave mortua & corruptibili materia formarent deos, tenendum nobis eſt hoc principium, *impio mendacio corrumpi Dei gloriam quoties ei forma ulla affingitur.* Itaque Deus in Lege poſtquam ſibi uni aſſeruit Deitatis gloriam, ubi docere vult quem cul-

Exod. 20. verſ. 4.

tum probet vel repudiet, mox adjungit, *Non facies tibi ſculptile, neque ſimilitudinem ullam*: quibus verbis licentiam noſtram coërcet, ne ipſum ulla viſibili effigie repræſentare tentemus. ac formas omnes breviter enumerat, quibus jam olim cœperat ejus veritatem in mendacium convertere ſuperſtitio. Scimus enim *Solem* adoratum fuiſſe à *Perſis.* quotquot etiam aſtra in cælo cernebant ſtultæ Gentes, totidem ſibi finxerunt deos. Jam nullum prope *animal* fuit quod *Ægyptiis* non eſſet Dei figura. *Græci*

Maximus Tyrius Platonic. Serm. 38.

vero ſupra alios ſapere viſi ſunt, quod ſub *humana forma* Deum colerent. Atqui imagines Deus inter ſe non comparat, quaſi altera magis, altera minus conveniat: ſed abſque exceptione repudiat ſimulachra omnia, picturas, aliaque ſigna quibus eum ſibi propinquum fore putarunt ſuperſtitioſi.

Deut. 4. verſ. 15.

Rationes hujus pro-

2. Id colligere promptum eſt ex rationibus quas prohibitioni adjungit. Primum apud Moſen, *Memento quod Jehovah loquutus tibi ſit in valle Horeb*:

vocem

Digitized by Google

bibitionis extant apud Moſen, Jeſaiam & Paulum: quibus additur Ethnici hominis querimonia, ut idolorum cultores pudefiant.

vocem audiſti, corpus non vidiſti, obſervu ergo teipſum, ne forte deceptus, facias tibi ullam ſimilitudinem, &c. Videmus ut aperte *vocem* ſuam opponat Deus *omnibus figuris*: ut ſciamus à Deo deſciſcere quicunque viſibiles ejus formas appetunt. Ex Prophetis ſufficiet unus Jeſaias qui in hac demonſtratione plurimus eſt, ut doceat indecora & abſurda fictione fœdari Dei majeſtatem, dum incorporeus materia corporea, inviſibilis viſibili ſimulachro, ſpiritus re inanimata, immenſus exigui ligni, lapidis, vel auri fruſto aſſimilatur. In eundem quoque modum ratiocinatur Paulus: *Genus quum ſimus Dei non exiſtimandum auro, & argento, aut lapidi arte ſculpto, aut invento hominis Divinum eſſe ſimile.* Unde conſtat, quicquid ſtatuarum erigitur vel imaginum pingitur, ad Deum figurandum, ſimpliciter ei diſplicere ceu quædam majeſtatis ſuæ dedecora. Et quid mirum ſi hæc è cælo Spiritus ſanctus oracula detonet, quum ad talem confeſſionem è terra edendam miſeros quoque & cæcos idololatras cogat? Nota eſt illa *Senecæ* querimonia, quæ apud Auguſtinum legitur: *Sacros*, inquit, *immortales, inviolabileſque deos in materia viliſſima, atque ignobili dedicant, illiſque hominum & ferarum hubitus induunt: quidam vero mixto ſexu, & diverſis corporibus: ac numina vocant quæ ſi accepto ſpiritu occurrerent, monſtra haberentur.* unde rurſus palam apparet, frivolo cavillo elabi imaginum patronos, qui obtendunt *Judæis fuiſſe vetitas*, quod ad ſuperſtitionem proclives eſſent. Quaſi vero ad gentem unam pertineat quod Deus ex æterna ſua eſſentia, & continuo naturæ ordine adducit. Neque vero Judæos Paulus alloquebatur, ſed Athenienſes, quum errorem in Deo figurando refelleret.

Jeſ.40: 18. & 41. v. 7, 29. & 45: 9. & 6: 5.

Act. 17. verſ. 29.

lib. 6. de Civit Dei, cap. 10.

Objectionis, ex variis locis apud Moſem petita, conſideratio.

3. Exhibuit quidem interdum Deus certis ſignis numinis ſui præſentiam, ut diceretur ſpectari *facie ad faciem*: ſed omnia quæ unquam edidit ſigna, apte quadrabant ad rationem docendi, & ſimul aperte monebant homines de incomprehenſibili ejus eſſentia. *Nubes* enim & *fumus* & *flammu*, quanquam ſymbola erant cæleſtis gloriæ, quaſi injecto freno cohibebant omnium mentes ne penetrare altius tentarent. Quare ne *Moſes* quidem (cui tamen præ aliis familiariſſime ſe patefecit) precibus adeptus eſt ut *faciem illam cerneret*. quin reſponſum accepit, *non eſſe hominem tanti fulgoris capacem.* Apparuit *Spiritus ſanctus ſub ſpecie columbæ*: ſed dum protinus evanuit, quis non videt, unius momenti ſymbolo admonitos eſſe fideles Spiritum inviſibilem credendum eſſe? ut ejus virtute & gratia contenti, nullam ſibi externam figuram accerſerent. Nam quod ſub *forma hominis* Deus interdum apparuit, præludium fuit futuræ in Chriſto revelationis. Itaque hoc prætextu minime licuit Judæis abuti ut ſibi deitatis ſymbolum erigerent ſub humana figura. *Propitiatorium* quoque unde præſentiam virtutis ſuæ ſub Lege exeruit Deus, ſic compoſitum erat ut innueret optimum divinitatis aſpectum hunc eſſe, dum animi ſupra ſe admiratione efferuntur. *Cherubim* ſiquidem *alis extentis* illud operiebant: *velum* obtegebat; *locus* ipſe procul reconditus ſatis per ſe occulebat. Proinde inſanire eos minime obſcurum eſt qui ſimulachra Dei & Sanctorum exemplo illorum *Cherubim* defendere conantur. Quid enim obſecro volebant imagunculæ illæ, niſi imagines repræſentandis Dei myſteriis non eſſe idoneas? quando in hoc formatæ erant, ut alis velantes propitiatorium, non oculos modo humanos, ſed omnes ſenſus prohiberent à Dei intuitu: atque ita temeritatem corrigerent. Huc accedit quod Prophetæ *Seraphim* ſibi in viſione oſtenſos *velata facie* nobis pingunt: quo ſignificant tantum eſſe divinæ gloriæ fulgorem ut *Angeli* quoque ipſi à recto intuitu arceantur, & tenues ejus ſcintillæ, quæ in Angelis emicant, ab oculis noſtris ſint ſubductæ.

Deut. 4. verſ. 11.

Exod. 33. verſ. 20.

Matth. 3. verſ. 16.

De apparitionibus Dei.

Exod. 25. verſ. 17, 18, 21.

Cherubim, & Seraphim, imagines non eſſe idoneas repræſentandis Dei myſteriis oſtendunt.

Jeſ. 6: 2, 6.

Præterea ad veterem Legis pædagogiam Cherubim pertinuerunt.

Quanquam Cherubim de quibus tunc agitur, ad veterem Legis *pædagogiam* pertinuiſſe agnoſcunt quicunque recte judicant. Ita in exemplum eos trahere quod noſtræ ætati ſerviat, abſurdum eſt. Præteriit enim *ſeculum* illud *puerile*, ut ita loquar, cui ejuſmodi rudimenta deſtinata erant. Ac ſane pudendum eſt, profanos ſcriptores magis dextros eſſe Legis Dei interpretes quam Papiſtas. Judæis per ludibrium exprobrat *Juvenalis*, quod *puras nubes & cæli numen adorent*. Perverſe quidem & impie: verius tamen loquitur, Dei effigiem apud illos extare negans, quam Papiſtæ, qui viſibilem aliquam Dei effigiem fuiſſe garriunt. Quod autem populus ille fervida celeritate ſubinde ad idola ſibi quærenda prorupit, non aliter quam aquæ ex magna ſcaturigine violento impetu ebulliunt: hinc potius diſcamus quanta ſit ingenii noſtri ad idololatriam propenſio, ne vitii communis culpam regerendo in Judæos ſub vanis peccandi illecebris mortiferum ſomnum dormiamus.

Satyra 14.

Idolorum materia, idololatrarum de Deo figmentum ſatis ſuperque refellit.

4. Eodem tendit illud, *Simulachra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum*: quia & ex materia colligit Propheta, non eſſe deos quorum effigies aurea eſt vel argentea: & pro confeſſo ſumit, quicquid proprio ſenſu concipimus de Deo, inſipidum eſſe figmentum. *Aurum* potius & *argentum* nominat, quam *lutum* vel lapidem, ne vel ſplendor vel pretium idolis reverentiam conciliet. Concludit tamen in genere, nihil minus eſſe probabile, quam ex mortua qualibet materia conflari deos. Interea non minus in altero inſiſtit, nimis veſana temeritate efferri mortales, qui evanidum ſpiritum in ſingula momenta precario trahentes, Dei honorem conferre audent idolis. Fateri cogetur homo ſe animal eſſe ephemeron, & pro Deo tamen haberi volet metallum, cui deitatis originem dedit! Unde enim idolis principium, niſi ex hominum arbitrio? Juſtiſſima eſt profani illius Poetæ ſubſannatio,

Pſal. 115. verſ. 4. & 135: 15.

Horat. 1. Ser. Satyr. 8.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber, incertus ſcamnum faceretne, &c.
Maluit eſſe Deum.

ſcil. terrenus homuncio, qui ſingulis fere momentis vitam exhalat, ſuo artificio Dei nomen & honorem ad mortuum truncum transferet. Sed quia Epicureus ille facete ludendo nullam religionem curavit, omiſſis ejus & ſimilium dicteriis, pungat nos, imo transfodiat objurgatio Prophetæ, Nimium eſſe vecordes, qui ex eodem ligno ſe calefaciunt, furnum accendunt coquendo pani, aſſant carnem vel elixant, deumque fabricant, coram quo ſupplices ad precandum ſe proſternunt. Itaque alibi non tantum ex Lege reos peragit, ſed exprobrat quod ex fundamentis terræ non didicerint: quando ſcil. nihil minus conſentaneum, quam velle Deum, qui immenſus eſt ac incomprehenſibilis, redigere ad quinque pedum menſuram. Et tamen portentum hoc, quod palam naturæ ordini repugnat, conſuetudo oſtendit eſſe hominibus naturale. Tenendum porro eſt, hac loquendi forma paſſim notari ſuperſtitiones, quod opera ſint manuum hominum, quæ Dei auctoritate carent: ut hoc fixum ſit, deteſtabiles eſſe omnes cultus, quos à ſeipſis homines excogitant. Furorem exaggerat Propheta in Pſalmo, quod auxilium implorent à rebus mortuis, ſenſuque carentibus, qui intelligentia ideo præditi ſunt, ut ſciant ſola Dei virtute omnia moveri. Sed quia, tam populos omnes, quam privatim unumquemque rapit naturæ corruptela ad tantam dementiam, dira imprecatione tandem fulminat Spiritus, *Similes illis fiant qui faciunt ea, & quicunque illis fidunt.* Notandum autem non minus ſimilitudinem vetari, quam ſculptile: quo inepta Græcorum cautio refutatur. Belle enim defunctos ſe putant, ſi Deum non ſculpant, dum in picturis

Confirmatio, ex Jeſaia & aliorum teſtimoniis deſumpta.

Jeſ. 45: 12.

Jeſ. 40: 21.

Jeſ. 2. v. 8. & 31: 7. & 57: 10. Oſeæ 14. verſ. 4. Mich. 5. verſ. 13.

Pſal. 115. verſ. 8.

Græcorum inepta cautio.

Digitized by Google

licentioſius, quam ullæ aliæ gentes laſciviunt. Atqui Dominus non à ſtatuario modo ſibi erigi effigiem, ſed à quolibet artifice effingi prohibet: quia perperam & cum majeſtatis ſuæ contumelia ſic aſſimilatur.

Objectio, libros idiotarum eſſe imagines.
1. Reſponſio, Spiritus S. (Jer. 10: 3. & Habac. 2. verſ. 18.) pronunciat, imagines eſſe doctores vanitatis & mendacii.
Gregor. epiſt. 109. l. 7. & epiſt. 9. l. 9. ad Serenum Epiſcop. Maſſil.

5. Scio quidem illud vulgo eſſe pluſquam tritum, Libros idiotarum eſſe imagines. Dixit hoc Gregorius: at longe aliter pronunciat Spiritus Dei, in cujus ſchola ſi edoctus fuiſſet, hac in parte nunquam ita loquutus foret. Nam quum Jeremias lignum meſſe doctrinam vanitatis pronunciat: quum Habacuc docet, conflatile eſſe doctorem mendacii: certe hinc generalis colligenda eſt doctrina, futile eſſe, adeoque mendax, quicquid de Deo ex imaginibus homines didicerint. Siquis excipiat, eos à Prophetis reprehendi, qui ſimulachris ad impiam ſuperſtitionem abutebantur: fateor id quidem: ſed addo, quod omnibus conſpicuum eſt, in totum damnari ab illis, quod Papiſtæ pro certo axiomate ſumunt, imagines eſſe pro libris. Opponunt enim vero Deo ſimulachra, tanquam res contrarias, & quæ nunquam ſimul convenire poſſint. Hæc, inquam, comparatio, in locis illis, quos nuper citavi, ſtatuitur: quum unus ſit verus Deus, quem colebant Judæi, perperam & falſo confingi viſibiles figuras, quæ Deum repræſentent: ac miſere deludi omnes, qui Dei cognitionem inde petunt. Denique, niſi ita res haberet, fallacem eſſe & adulterinam, quæcunque ex ſimulachris petitur Dei cognitio, non ita generaliter damnarent eam Prophetæ. Saltem hoc habeo, quum vanitatem & mendacium eſſe docemus, quod ſimulachris Deum effingere homines tentant, nihil aliud quam de verbo ad verbum nos referre quod Prophetæ tradiderunt.

Inſtitut. Divinar. lib. 1. c. 15. Euſeb. l. 3. de præparat. Euangelica, c. 3. & 4.
2. Veteres Theologi, imaginum erectionem & cultum damnarunt.
lib. 4. de Civit. Dei, cap. 9. & 31.

6. Legantur præterea, quæ de hac re Lactantius & Euſebius ſcripſerunt, qui pro certo aſſumere non dubitant, mortales fuiſſe omnes, quorum ſimulachra viſuntur. Nec aliter Auguſtinus, qui ſecure pronunciat, nefas eſſe, non modo adorare ſimulachra ſed Deo collocare. Neque tamen aliud dicit, quam quod multis ante annis in Concilio Elibertino decretum fuerat: cujus hoc eſt triceſimum ſextum caput, *Placuit in templis non haberi picturas: ne quod colitur vel adoratur, in parietibus pingatur.* Sed in primis memorabile quod ex Varrone alibi citat idem Auguſtinus, ſuaque ſubſcriptione confirmat, *Qui primi deorum ſimulachra induxerunt, eos & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe.* Hoc, ſi ſolus Varro diceret, parum fortaſſe haberet auctoritatis: pudorem tamen nobis merito incutere deberet, quod homo Ethnicus, quaſi in tenebris palpans, ad hanc lucem pervenerit, ideo indignas eſſe Dei majeſtate corporeas imagines, quia metum ejus diminuant hominibus, erroremque augeant. Res certe ipſa teſtatur, vere hoc non minus, quam prudenter fuiſſe dictum: ſed Auguſtinus à Varrone mutuatus, tanquam ex ſuo ſenſu profert. Ac primum quidem admonet, primos de Deo errores, quibus homines ſunt impliciti, non cœpiſſe à ſimulachris, ſed nova materia ſuperaddita, creviſſe. Deinde ideo imminui aut etiam tolli Dei timorem interpretatur, quia facile poſſit ejus numen in ſimulachrorum ſtultitia, ineptoque & abſurdo figmento contemni. quod ſecundum utinam non tam verum eſſe experiremur. Quiſquis ergo rite doceri cupiet, aliunde quam ex ſimulachris diſcat quod de Deo ſciendum eſt.

3. Luxus & meretricius imaginum in templis papiſticis ornatus, earum patrocinium evertit.

7. Quare, ſiquid frontis habent Papiſtæ, ne poſthac effugio illo utantur, libros eſſe idiotarum imagines: quod tam aperte pluribus Scripturæ teſtimoniis refellitur. Tametſi ut hoc illis concedam, ne ſic quidem multum profecerint pro idolis ſuis tuendis. Cujuſmodi portenta pro Deo obtrudant notum eſt. Quas vero ſanctas picturas vel ſtatuas dicant, quid ſunt niſi perditiſſimi luxus & obſcœnitatis exemplaria? ad quæ, ſiquis formare ſe vellet, fuſtuario dignus ſit. Equidem lupanaria pudicius & modeſtius cultas meretrices oſtendunt, quam templa eas quas volunt cenſeri virginum imagines. Martyribus nihilo decentiorem fingunt habitum. Componant ergo ſua idola vel ad modicum ſaltem pudorem, ut paulo verecundius mentiantur alicujus ſanctitatis libros eſſe. Sed tum quoque reſpondebimus, non hanc eſſe in ſacris locis docendi fidelis populi rationem: quem longe alia doctrina quam iſtis næniis illic inſtitui vult Deus. In Verbi ſui prædicatione & ſacris myſteriis communem illic omnibus doctrinam proponi juſſit: in quam parum ſedulo intentum ſibi animum eſſe produnt, qui oculis ad idola contemplanda circumaguntur. Quos ergo vocant Papiſtæ idiotas, quorum ruditas ſolis imaginibus doceri ſuſtineat? hos ſcilicet, quos pro ſuis diſcipulis agnoſcit Dominus: quos cæleſtis ſuæ Philoſophiæ revelatione dignatur: quos ſalutaribus regni ſui myſteriis vult erudiri. Fateor quidem, ut res habet, hodie eſſe non paucos qui talibus libris carere nequeant. Sed unde, quæſo, iſthæc ſtupiditas, niſi quod ea doctrina fraudantur, quæ ſola erat ad eos formandos idonea? Neque enim alia de cauſa, qui præerant Eccleſiis, reſignarunt idolis docendi vices, niſi quia ipſi muti erant. Chriſtum vera Euangelii prædicatione depingi, & quodammodo ob oculos noſtros crucifigi teſtatur Paulus. Quorſum igitur attinebat tot paſſim in templis cruces erigi, ligneas, lapideas, argenteas & aureas, ſi probe & fideliter illud inculcaretur, Chriſtum eſſe mortuum, ut in cruce maledictionem noſtram ſuſtineret, peccata noſtra expiaret corporis ſui ſacrificio, ſanguineque ablueret, nos denique reconciliaret Deo patri? Ex quo uno plus diſcere poterant quam ex mille crucibus ligneis aut lapideis. nam in aureas & argenteas avari mentes & oculos tenacius forte defigunt, quam in ulla Dei verba.

4. Alia eſt Eccleſia Dei in vera pietate inſtituenda ratio.
Gal. 3: 1.

Capitis pars altera. De idolorum ſeu imaginum origine.
Sap. 14. verſ. 15.

8. Porro de idolorum origine, publico fere conſenſu receptum eſt, quod in libro Sapientiæ habetur: primos ſcil. extitiſſe eorum auctores, qui hunc honorem detulerunt mortuis, ut ipſorum memoriam ſuperſtitioſe colerent. Et ſane fateor perverſum hunc morem fuiſſe vetuſtiſſimum: nec facem fuiſſe nego, qua accenſus hominum ad idololatriam furor magis exarſit: non tamen concedo hunc fuiſſe primum mali fontem. Idola enim jam fuiſſe prius in uſu, quam iſta in conſecrandis mortuorum imaginibus ambitio invaluiſſet, (cujus apud profanos ſcriptores crebra fit mentio) conſtat ex Moſe. Quum Rachelem narrat furatam eſſe patris ſui idola, non ſecus ac de communi vitio loquitur. Unde colligere licet, hominis ingenium perpetuam, ut ita loquar, eſſe idolorum fabricam. A diluvio quædam erat mundi palingeneſia: atqui non multi anni fluunt, quin ſibi homines pro libidine deos fingant. Ac credibile eſt, ſuperſtite adhuc ſancto Patriarcha, idololatriæ deditos fuiſſe nepotes, ut oculis ſuis non ſine acerbiſſimo dolore cerneret idolis fœdari terram, cujus corruptelas nuper Deus tam horribili judicio purgaverat. Nam Thare & Nachor jam ante natum Abraham falſorum deorum cultores erant, ſicuti teſtatur Joſue. Quum tam cito deſciverit progenies Sem, quid de poſteris Cham judicabimus, qui in patre ſuo pridem fuerant maledicti? Ita eſt ſane. Mens hominis, ut ſuperbia & temeritate eſt referta, Deum pro captu ſuo imaginari audet: ut hebetudine laborat, imo craſſiſſima ignorantia eſt obruta, pro Deo vanitatem & inane ſpectrum concipit. Ad hæc mala accedit nova improbitas, quod homo qualem intus concepit Deum, exprimere opere tentat. Mens igitur idolum gignit: manus parit. Hanc eſſe idololatriæ originem, quod homines Deum ſibi adeſſe non credunt, niſi carnaliter exhibeat ſe præſentem, prodit

Gen. 31. verſ. 19.
Paulo poſt diluvium exſurgit.
Joſ. 24: 2.
Ab humana mente ſedulo culta adoleſcit.

Iſraë-

Digitized by Google

Exod. 32. verſ. 1.

Iſraëlitarum exemplum. *Neſcimus*, dicebant, *quid iſti Moſi contigerit: fac nobis deos, qui nos præcedant.* Deum quidem eſſe noveraot cujus experti virtutem erant in tot miraculis: ſed propinquum ſibi eſſe non confidebant, niſi oculis ceroerent corporeum vultus ejus ſymbolum, quod ſibi teſtimonium eſſet gubernantis Dei. A præeunte ergo imagine volebant cognoſcere Deum itineris ſibi eſſe ducem. Id quotidiana experientia docet, inquietam ſemper eſſe carnem, donec ſibi ſimile figmentum nacta eſt, in quo ſe pro Dei imagine inaniter ſoletur. Omnibus fere à coodito mundo ſecûlis, huic cæcæ cupiditati ut obſequerentur homines, erexerunt ſigna io quibus Deum ſibi præ oculis carnalibus obverſari credebant.

De imaginum adoratione.

9. Tale figmeotum ſequitur protinus adoratio: quum enim Deum ſe homines in ſimulachris iotueri arbitrarentur, & ipſum quoque illic coluerunt. Tandem toti & animis & oculis illic affixi, magis obbruteſcere cœperuot: & quaſi aliquid divinitatis ineſſet, obſtupeſcere & admirari. Jam conſtat, bomines ad ſimulachrorum cultum non ante prorumpere, quam craſſiore aliqua opinione ſiot imbuti: non quidem ut deos exiſtiment, ſed quia vim aliquam divinitatis illic inhabitare imaginaotur. Itaque ſive Deum, ſive creaturam tibi in ſimulachro repræſentes, ubi ad venerationem proſterneris, jam ſuperſtitioone aliqua faſcinatus es.

Quid ſit.

Hac ratione, Dominus oon ſtatuas modo erigi ad ſe effigiandum fabrefactas, ſed titulos etiam quoſlibet & lapides conſecrari vetuit, qui in orationem proſtareot. Eadem quoque ratione in præcepto Legi altera pars de adoratione ſubjicitur. Nam ſimulatque efficta eſt Deo viſibilis forma, huic quoque alligatur illius virtus. Ita ſtupidi ſunt homines ut Deum affigant ubicunque affiogunt. ac proinde fieri non poteſt, quio adorent. Neque intereſt, idolumne ſimpliciter colant, ao Deum io idolo: hæc ſemper idololatria eſt, quum idolo, qualicunque colore, exhibentur divini hooores. Et quia ſuperſtitioſe coli non vult Deus, illi eripitur quicquid confertur in idola.

Pro imaginum adorationis idololatrarum prætextus refelluntur.

Huc animum advertant, qui ad defenſiooem execrabilis idololatriæ, qua multis aotehac ſeculis vera religio ſubmerſa ſubverſaque fuit, miſeros prætextus aucupantur. Non reputantur, inquiunt, pro diis imagioes. Nec tam prorſus incogitaotes erant Judæi, ut noo meminiſſeot Deum fuiſſe cujus manu educti eſſent ex Ægypto antequam fabricarent vitulum.

Exod. 32. verſ. 4, 5.

Quin Aaroni dicenti, illos eſſe deos à quibus liberati eſſent è terra Ægypti, iotrepide annuebaot, noo dubia ſignificatiooe, velle ſe retinere illum Deum liberatorem, modo præeuntem in vitulo conſpicerent. Nec ita ſtupidi fuiſſe Ethoici credendi ſunt, ut noo iotelligerent Deum alium eſſe, quam ligna & lapides. Mutabant enim pro arbitrio ſimulachra, deos ſemper eoſdem aoimo retinebant: & multa erant uni deo ſimulachra, nec pro multitudine complures tamen deos ſibi fingebant: præterea nova quotidie conſecrabant, nec putabant tameo ſe novos facere deos.

Ethnicorum prætextus.

in Pſ. 113.

Legaotur excuſationes, quas ab idololatris ſui ſeculi fuiſſe prætextus refert Auguſtinus: nempe quum arguerentur, reſpondebant vulgares, ſe non viſibile illud colere, ſed numen quod illic inviſibiliter habitabat. Qui vero purgatioris, ut ipſe loquitur, religionis erant, nec ſimulachrum, nec dæmonium ſe colere aiebant: ſed per effigiem corpoream intueri ejus rei ſignum, quam colere deberent. Quid ergo? Omnes idololatræ, ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus, noo aliter, quam dictum eſt, fuerunt animati.

Idololatrarum ingenium.

ſpirituali intelligentia non contenti, certiorem ac propiorem ex ſimulachris impreſſum iri ſibi putabant. Poſtquam ſemel placuit præpoſtera iſta Dei aſſimilatio, oullus finis factus, donec novis ſubinde præſtigiis deluſi, in imaginibus Deum vim ſuam exerere opinarentur. Nihilominus & Deum æternum Judæi, unum verumque cæli ac terræ Dominum, ſub talibus ſimulachris perſuaſi erant ſe colere: & Gentes, ſuos licet falſos Deos, quos tamen in cælo habitare fingerent.

Mendax Papiſtarum effugium, & cum veteribus idololatris convenientia detegitur.

in Pſ. 113.

10. Hoc qui antehac factum, & noſtra etiam memoria fieri negant, impudenter mentiuntur. Cur enim coram illis proſternuntur? Cur ſeſe ad illa, precaturi, taoquam ad Dei aures convertuot? Siquidem verum eſt, quod ait Auguſtinus, *Neminem orare vel adorare ſic intuentem ſimulachrum, qui non ſic afficiatur, ut ab eo exaudiri ſe putet, vel ſibi præſtari, quod deſiderat, ſperet.* Cur inter ejuſdem Dei ſimulachra tantum diſcrimen, ut altero præterito, aut vulgariter honorato, alterum omni ſolenni honore proſequantur? Cur in viſendis ſimulachris, quorum ſimilia domi ſuæ habent, votivis peregrinationibus ſe fatigant? Cur pro illis hodie, tanquam pro aris & focis, ad cædes uſque & ſtrages digladiantur, ut facilius laturi ſiot unicum Deum ſibi eripi, quam ſua idola? Et tamen noodum craſſos vulgi errores (qui penè infiniti ſuot, & omnium fere corda occupant) enumero: tantum indico quod ipſi profitentur, quum ſe maxime ab idololatria purgare volunt. Non vocamus, inquiunt, noſtros deos. Neque illi aut Judæi, aut Gentiles olim vocabant: & tamen Prophetæ paſſim illis fornicationes cum ligno & lapide exprobrare non deſinebant: tantum ob ea quæ quotidie ab iis fiunt qui Chriſtiani haberi volunt, nempe quod Deum in ligno & lapide carnaliter venerabantur.

Aliud eorum effugium ſive ſophiſma, diſtinctionem δουλείας & λατρείας inducens, refellitur.

vide finem ſect. 16. & cap. 12. ſect. 2.

11. Quanquam ooo ignoro, nec diſſimulandum eſt, diſtinctione ipſos elabi magis arguta, cujus paulo poſt iterum plenior fiet mentio. Cultum enim quem ſimulachris ſuis impendunt, εἰδωλοδουλείαν eſſe obtendunt, εἰδωλολατρείαν eſſe negant. Sic enim loquuntur, dum cultum quem appellant duliæ, ſine Dei injuria ſtatuis & picturis poſſe communicari doceot: ergo innoxios ſe arbitrantur, ſi tantummodo ſervi ſint idolorum, non etiam cultores. Quaſi vero non aliquaoto levius ſit colere, quam ſervire. Et tameo dum io Græca voce latebras captaot, ſecum ipſi pugnant admodum pueriliter. Nam quum λατρεύειν nihil aliud Græcis ſignificet quam colere: perinde valet quod dicunt, ac ſi imagines ſuas fateaotur ſe colere, ſed abſque cultu. Nec eſt quod objiciant, aucupia me in verbis tendere: ſed ipſi dum tenebras conantur offuodere ſimplicium oculis, inſcitiam ſuam produot. Quamlibet tamen ſint diſerti, nunquam ſua eloqueotia conſequentur, ut rem unam & eandem nobis duas eſſe probent. Io re, inquam, oſteodant diſcrimen, ut habeantur veteribus idololatris diſſimiles. Sicuti enim reatum noo effugiet adulter aut homicida, ſi aliud aſcititium ſceleri ſuo nomen impoſuerit: ita iſtos ſubtili nominis commento abſolvi abſurdum eſt, ſi cauſa nihil ab idololatris differunt, quos damnare ipſi etiam coguotur. Atqui taotum abeſt ut ab illorum cauſa ſuam ſejungant, ut potius fons totius mali ſit præpoſtera æmulatio, qua cum illis certarunt, dum ſymbola quibus Deum ſibi figurent, & ſuo ingenio ſibi comminiſcuotur, & ſuis manibus cooſinguot.

Pars poſtrema, in qua 1. de uſu & abuſu imaginum agitur.

12. Neque tamen ea ſuperſtitione teneor, ut nullas prorſus imagines ferendas cenſeam. Sed quia ſculptura & pictura Dei dona ſuot, purum & legitimum utriuſque *uſum* requiro: ne quæ Domious in ſuam gloriam & bonum noſtrum oobis contulit, ea non tantum polluantur præpoſtero abuſu, ſed in noſtram quoque perniciem convertaotur. *Deum effingi viſibili ſpecie* nefas eſſe putamus, quia id vetuit ipſe, & fieri ſine aliqua gloriæ ejus deformatione non poteſt. Ac ne in hac opinione *nos* ſolos eſſe putent, omnes ſanos ſcriptores id ſemper improbaſſe reperient, qui io eorum mooumentis verſati fuerint. Si oe figurare quidem Deo corpoream effigiem fas eſt, multo minus ipſam pro Deo, vel Deum in ipſa colere

Digitized by Google

colere licebit. Reſtat igitur ut ea ſola pingantur ac ſculpantur, quorum ſint capaces oculi: *Dei* majeſtas, quæ oculorum ſenſu longe ſuperior eſt, ne indecoris ſpectris corrumpatur. In eo genere partim ſunt *hiſtoriæ* ac res geſtæ, partim *imagines* ac formæ corporum, ſine ulla rerum geſtarum notatione. *Priores*, uſum in docendo vel admonendo aliquem habent: *ſecundæ*, quid præter oblectationem afferre poſſint non video. Et tamen conſtat tales fuiſſe omnes propemodum imagines quæ hactenus in templis proſtiterunt. Unde judicare licet, non judicio aut delectu, ſed ſtulta & inconſiderata cupiditate illic fuiſſe excitatas. Omitto quam perperam & indecenter magna ex parte ſint efficitæ, quam licentioſe hic pictores & ſtatuarii
ſect. 7. laſcivierint, quam rem paulo ante attigi: tantum dico, etiamſi nihil vitii ineſſet, nihil tamen habere ad docendum momenti.

2. An in templis Chriſtianorum imagines habere expediat, quæſtio excutitur.

13. Verum illo quoque diſcrimine omiſſo, *an ullas omnino imagines*, ſive quæ res geſtas, ſive quæ hominum corpora figurent, *habere in templis Chriſtianis expediat*, obiter expendamus. Principio, ſiquid nos movet veteris Eccleſiæ auctoritas, meminerimus *quingentis* circiter *annis*, quibus magis adhuc florebat religio, & ſincerior doctrina vigebat, Chriſtiana templa fuiſſe communiter ab imaginibus vacua. Ergo tunc primum in ornamentum templorum aſcitæ ſunt, quum miniſterii ſinceritas nonnihil degeneraſſet. Non diſputabo ecquid rationis habuerint qui primi fuerunt ejus rei auctores: verum ſi ætatem cum ætate conferas, videbis illos multum declinaſſe ab eorum integritate qui imaginibus caruerant. Quid? an paſſuros fuiſſe putamus ſanctos illos patres Eccleſiam tamdiu ea re carere, quam utilem ac ſalutarem eſſe judicarent? At certe quia videbant in ea aut nihil aut minimum utilitatis, plurimum autem ſubeſſe periculi, repudiarunt magis conſilio & ratione, quam ignoratione aut negligentia prætermiſerunt. Quod etiam Auguſtinus claris verbis teſtatur, *Quum his ſedibus locantur*, inquit, *honorabili ſublimitate, ut à precantibus atque immolantibus attendantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atque ſenſuum, quamvis ſenſu & anima careant, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur*, &c. Et alibi, *Hoc enim facit & quodammodo extorquet illa figura membrorum, ut animus in corpore vivens magis arbitretur ſentire corpus, quod ſuo ſimillimum videt*, &c. Paulo poſt, *Plus valent ſimulachra ad curvandam infelicem animam, quod os, oculos, aures, pedes habent: quam ad corrigendam, quod non loquuntur, neque vident, neque audiunt, neque ambulant.* Hæc ſane videtur cauſa eſſe cur Joannes non tantum à ſimulachrorum cultu, ſed *ab ipſis* quoque *ſimulachris cavere* nos voluerit. Et nos horribili inſania, quæ ad totius fere pietatis interitum orbem antehac occupavit, plus nimio ſumus experti, ſimulatque in templis collocantur imagines, quaſi ſignum idololatriæ erigi: quia ſibi temperare non poteſt hominum ſtultitia, quin protinus ad ſuperſtitioſos cultus delabatur. Quod ſi nec tantum periculi immineret, quum tamen expendo in quem uſum deſtinata ſint templa, neſcio quomodo indignum mihi videtur eorum ſanctitate, ut alias recipiant imagines quam vivas illas & iconicas, quas verbo ſuo Dominus conſecravit: *Baptiſmum* intelligo & *Cœnam Domini*, cum aliis ceremoniis quibus oculos noſtros & ſtudioſius detineri, & vividius affici convenit, quam ut alias hominum ingenio fabrefactas requirant. En incomparabile imaginum bonum, quod nulla penſatione reſarciri poteſt, ſi Papiſtis creditur.

vide præfat. hujus operis, & lib. 4. c. 9. ſect. 9.

epiſt. 49. vide & 4. lib de Civitate Dei, cap. 31.

in Pſ. 113.

1 Joan. 5. verſ. 21.

3 Conciliabuli Niceni, pro imaginum adoratione, illegantia inepta ſuperbia detegitur.

14. Jam ſatis multa, opinor, de hac re dicta forent, niſi manum quodammodo mihi injiceret Synodus Nicena, non illa celeberrima, quam coëgit Conſtantinus Magnus, ſed quæ Irenes Imperatricis juſſu & auſpiciis ante annos octingentos habita eſt. Decrevit enim non habendas modo in templis eſſe imagines, ſed etiam adorandas. Quicquid enim dixerim, magnum ex adverſo præjudicium afferet Synodi auctoritas. Etſi, ut verum fatear, non tam hoc me movet, quam ut appareat lectoribus, quorſum evaſerit eorum furor, qui imaginum magis fuerunt cupidi quam Chriſtianos decebat. Sed hoc primum expediamus. Qui hodie ſimulachrorum uſum tuentur, Nicenæ illius Synodi patrocinium allegant. Extat autem refutatorius liber ſub Caroli Magni nomine, quem ex dictione colligere licet eodem fuiſſe tempore compoſitum. Illic Epiſcoporum ſententiæ, qui Concilio interfuerunt, recitantur, & argumenta quibus pugnarunt. Dixit Joannes legatus Orientalium, *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*: atque inde colligit habendas igitur eſſe imagines. Idem commendari nobis putavit imagines hac ſententia, *Oſtende mihi faciem tuam, quia ſpecioſa eſt.* Alius, ut probaret collocandas eſſe in altaribus, hoc teſtimonium citavit, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio.* Alius, ut earum aſpectum nobis utilem monſtraret, adduxit verſum ex Pſalmo, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.* Alius ſimilitudinem hanc arripuit, Sicut Patriarchæ uſi ſunt Gentium ſacrificiis, ita Chriſtianis habendas eſſe ſanctorum imagines pro idolis Gentium. Eodem torſerunt illud, *Domine, dilexi decorem domus tuæ.* Sed in primis ingenioſa eſt iſta interpretatio, *Ut audivimus, ita & vidimus.* Deum igitur non ſolo Verbi auditu cognoſci, ſed etiam imaginum aſpectu. Simile Theodori epiſcopi acumen: *Mirabilis*, inquit, *Deus in ſanctis ſuis*: Atqui alibi habetur, *Sanctis qui ſunt in terra*: Ergo ad imagines hoc referri debet. Denique tam putidæ ſunt inſulſitates, ut eas referre me quoque pigeat.

Sophiſmata, ſeu S. Scripturæ depravationes, pro imaginum in templis erectione.

Teſtimonia ad iconolatriam ſtabiliendam prolata.

15. Ubi de adoratione diſputant, illic adoratio & Pharaonis, & virgæ Joſeph, & tituli quem erexit Jacob, in medium adducitur. Quanquam in hoc poſtremo non tantum depravant Scripturæ ſenſum, ſed arripiunt quod nuſquam legitur. Tum illa, *Adorate ſcabellum pedum ejus*: item, *Adorate in monte ſancto ejus*: item, *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*: firmæ admodum & appoſitæ illis videntur probationes. Siquis per ludibrium attribuere imaginum patronis ridiculam perſonam vellet, poſſetne majores & craſſiores colligere ineptias? Ac nequa amplius reſtaret dubitatio, Theodoſius Mirenſis epiſcopus adorandas eſſe imagines Archidiaconi ſui ſomniis tam ſerio confirmat, acſi oraculum cæleſte in promptu haberet. Eant nunc ſimulachrorum fautores, & Synodi decreto nos urgeant. Quaſi vero non omnem ſibi fidem abrogent venerandi illi patres, Scripturas vel tam pueriliter tractando, vel tam impie fœdeque lacerando.

Blaſphemæ voces nonnullorum iconolatrarum veterum, à recentioribus non paucis, tum verbis, tum reipſa comprobatæ.

16. Venio nunc ad impietatum portenta, quæ evomere auſos eſſe mirum eſt: non fuiſſe autem illis reclamatum cum ſumma omnium deteſtatione, bis mirum. Atque hanc flagitioſam amentiam traduci expedit, ut ſaltem fucus antiquitatis, quem Papiſtæ obtendunt, ſimulachrorum cultui detrahatur. Theodoſius Amorii epiſcopus anathema crepat adverſus omnes qui imagines nolunt adorari. Alius omnes Græciæ & Orientis calamitates huic ſceleri imputat, quod non fuerint adoratæ. Quibus ergo pœnis digni Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, quorum tempore nullæ extiterunt? Addunt poſtea, ſi imagini imperiali cum ſuffitu & thymiamate obviam proceditur: multo magis hunc honorem Sanctorum ſimulachris deberi. Conſtantius autem Conſtantiæ Cypri epiſcopus, ſe imagines reverenter amplecti profitetur, cultumque honoris, qui vivificæ Trinitati debetur, illis ſe exhibiturum confirmat: quiſquis idem facere recuſaverit,

eum

eum anathematizat, & cum Manichæis & Marcionitis amandat. Ac ne putes privatam eſſe unius hominis ſententiam, aſſentiuntur reliqui. Imo Joannes legatus Orientalium, calore ultra provectus, præſtare admonet, lupanaria omnia in urbem admitti, quam imaginum cultum abnegare. Tandem omnium conſenſu ſtatuitur, hæreticis omnibus deteriores eſſe Samaritanos: at ipſis Samaritanis θεομάχων. Cæterum, ne ſuo ſolenni Plaudite fabula careat, additur clauſula, Gaudeant & exultent, qui Chriſti habentes imaginem ſacrificium illi offerunt. Ubi nuno latriæ & duliæ diſtinctio, qua Dei & hominum oculos ſolent perſtringere? Nam Concilium ſine exceptione tantundem ſimulachris ac Deo vivo largitur.

CAP. XII.

Deum ab idolis diſcerni, ut ſolus in ſolidum colatur.

Scriptura unicum Deum aſſerens logomachiam haud inſtituit, ſed Deo omnem tribuit honorem & religioſum cultum.

Id probatur: 1. Argumento ſumpto ab etymologia vocis.

2. de natura deorum. vide Lact. lib. 4. Inſtit. Div. cap. 28.

DIximus autem initio, Dei notitiam non eſſe poſitam in frigida ſpeculatione, ſed ſecum trahere ejus cultum. ac obiter attigimus quomodo rite colatur, quod aliis locis fuſius explicandum erit: nunc tantum breviter repeto, quoties aſſerit Scriptura unicum eſſe Deum, non pugnare de nudo nomine, ſed hoc etiam præcipere, ne alio transferatur quicquid in divinitatem competit. unde etiam patet, quid à ſuperſtitione differat pura religio. εὐσέβεια certe Græcis tantundem valet ac rectus cultus: quia ſemper cæci ipſi in tenebris palpando, ſenſerunt tenendam eſſe certam regulam, ne præpoſtere colatur Deus. Religionis nomen, etſi vere ſciteque Cicero à relegendo deducit, coacta eſt tamen, & longe petita, quam aſſignat ratio, quod probi cultores ſæpius relegerent, ac diligenter retractarent quid verum eſſet. Potius exiſtimo vagæ licentiæ opponi hoc nomen: quia major pars mundi quicquid obvium eſt, temere arripit: imo etiam huc & illuc tranſvolat: pietas autem, ut in firmo gradu conſiſtat, ſeſe intra fines ſuos relegit. ſicuti inde mihi dicta videtur ſuperſtitio, quod modo & præſcripta ratione non contenta, ſupervacuam rerum inanium congeriem accumulet. Cæterum, ut voces omittamus, ætatum omnium conſenſu receptum ſemper fuit, vitiari pervertique religionem falſis erroribus. unde colligimus, ubi zelo inconſiderato quidvis nobis permittimus, frivolum eſſe, quem ſuperſtitioſi obtendunt, prætextum. Quamvis tamen in omnium ore perſonet hæc confeſſio, turpis interim ſe prodit inſcitia, quod neque adhærent uni Deo, neque delectum adhibent in ejus cultu, ſicuti antehac docuimus.

3. A Dei ipſius teſtimonio, clamantis ſe eſſe æmulum & ultorem, ſi cum ullo fictitio deo miſceatur.

Atqui Deus, ut ſibi jus ſuum vendicet, clamat ſe eſſe *æmulum*, ac *ſeverum fore ultorem* ſi cum ullo deo fictitio miſceatur. deinde legitimum cultum definit, ut genus humanum ſub obſequio contineat. Utrumque complectitur Lege ſua, ubi primo ſibi addicit fideles, ut illis ſit unus legiſlator: deinde regulam præſcribit qua rite ex ſuo arbitrio colatur. De *Lege* quidem, quia multiplex eſt ejus uſus ac finis, ſuo loco diſſeram: nunc partem hanc duntaxat attingo, frenum illic impoſitum eſſe hominibus, ne ad vitioſos cultus declinent. Quod autem priore loco poſui, tenendum eſt, niſi in uno Deo reſideat quicquid proprium eſt divinitatis, honore ſuo ipſum ſpoliari, violarique ejus cultum. Atque hic intentiore cura animadvertere convenit quibus aſtutiis ludat ſuperſtitio. Neque enim ad alienos deos ſic deſciſcit ut videatur ſummum Deum deſerere, vel in aliorum ordinem redigere: ſed dum ſupremum locum illi concedit, turbam minorum deorum circumdat, inter quos propria ejus officia partitur. ita (licet diſſimulanter & callide) divinitatis gloria, ne apud unum tota maneat, diſſecatur. Sic veteres olim, tam ex Judæis quam Gentibus, deorum patri & arbitro ingentem illam turbam ſubdiderunt, quibus communis eſſet, pro ordinis ratione, cæli & terræ cum ſummo Deo adminiſtratio. Sic aliquot retro ſeculis, ſancti qui hac vita exceſſerant, in Dei ſocietatem evecti ſunt, ut pro illo & colerentur & invocarentur & celebrarentur. Tali abominatione ne offuſcari quidem putamus Dei majeſtatem, quum magna ex parte ſupprimatur & extinguatur: niſi quod frigidam retinemus de ſuprema ejus potentia opinionem. interea involucris decepti, diducimur in varios deos.

Qua adverſus ſinceram hanc doctrinam invecta eſt latria & dulia diſtinctio nihil Papiſtas juvat, imo eos majoris etiam impietatis arguit, ut ex verborum ſignificatione oſtenditur.

2. Quin etiam in hunc finem inventa eſt *latriæ* & *duliæ*, quam appellant, diſtinctio, quo impune viderentur Angelis & mortuis transſcribi divini honores. Quem enim Sanctis cultum deferunt Papiſtæ, nihil reipſa differre à Dei cultu palam eſt. promiſcue enim & Deum & illos adorant: niſi quod dum urgentur, exceptione hac evadunt, Deo ſe illibatum ſervare quod ſuum eſt, quia *latriam* illi relinquant. Atqui *de re* non *de voce* quum ſit quæſtio, quis illis permittat tam ſecure in re omnium maxima ludere? Verum (ut hoc quoque omittamus) non aliud tandem conſequentur ſua diſtinctione, quam *cultum* ab ipſis uni Deo præſtari, aliis autem *ſervitium*. λατρεία enim apud Græcos valet quantum apud Latinos *cultus*: δουλεία vero proprie *ſervitutem* ſonat. & tamen in Scripturis interdum confunditur hoc diſcrimen. Porro ut demus eſſe perpetuum, nempe inquirendum eſt quid utrumque valeat. δουλεία quidem *ſervitus* eſt, λατρεία *cultus*. Jam quin majus quiddam ſit *ſervire* quam *colere*, nemo dubitat. Nam ei *ſervire* durum eſſet ſæpenumero quem *colere* non recuſares. ita iniqua eſſet diſtributio, *Sanctis* aſſignare quod majus eſt, *Deo* quod minus eſt relinquere. At complures ex veteribus hac diſtinctione uſi ſunt. Quid tum, ſi omnes eam perſpiciunt non modo impropriam eſſe, ſed penitus frivolam?

Scriptura teſtimonia qua Papiſticam illam diſtinctionem evertunt, & uni Deo debitum cultum religioſum aſſerunt.

3. Omiſſis argutiis rem expendamus. Paulus quum Galatis reducit in memoriam quales fuerint priuſquam eſſent illuminati in Dei notitia, dicit *eos duliam exhibuiſſe iis qui natura non erant dii*. Utcunque *latriam* non nominet, an ideo excuſabilis eſt eorum ſuperſtitio? ipſe quidem nihilominus perverſam illam ſuperſtitionem damnat, cui nomen *duliæ* imponit, quam ſi exprimeret latriæ nomen. Et quum Chriſtus Satanæ inſultum repellit hoc clypeo, *ſcriptum eſſe*, *Dominum Deum tuum adorabis*, Galat. 4.8.
non veniebat nominatim in quæſtionem *latria*. Satan enim nonniſi προσκύνησιν exigebat. Similiter Mat. 4:10.
quum reprehenditur *Joannes ab Angelo* quod *in genua coram eo procidiſſet*, non debemus intelligere Apoc. 19. verſ. 10. & 22: 8,9.
Joannem tam fuiſſe amentem ut debitum *ſoli* Deo honorem vellet ad *Angelum* transferre. Sed quia fieri aliter nequit quin divinum aliquid ſapiat cultus qui cum religione conjunctus eſt, προσκυνῶν ille Angelum non potuit quin ex Dei gloria detraheret. Legimus quidem ſæpe, *adoratos fuiſſe homines*: ſed ille fuit *civilis honor*, ut ita dicam, religio autem aliam habet rationem, quæ ſimulatque conjuncta eſt cum cultu, divini honoris profanationem ſecum trahit. Idem & in *Cornelio* videre licet. neque enim Act. 10:25.
tam male profecerat in pietate quin ſummum cultum uni Deo tribueret. Quod ergo ſe *coram Petro proſternit*, non facit certe hoc animo ut eum adoret

loco Dei. ſevere tamen Petrus ne boc faciat prohibet. Cur, niſi quia nunquam tam articulate homines ioter Dei & creaturarum cultum diſcernunt, quin promiſcue transferaot ad creaturam quod erat Dei proprium? Proinde ſi volumus unum Deum babere, meminerimus ne tantulum quidem ex ejus gloria delibandum quin retineat quod ſibi proprium eſt. Itaque Zacharias, ubi de Eccleſiæ reparatione concionatur, diſerte exprimit non modn *unum fore Deum*, ſed *unum* quoque *fore ejus nomen*: nequid ſcilicet cum idolis commune habeat. Qualem vero cultum exigat Deus, alibi ſun ordine videbitur. Nam Lege ſua voluit præſcribere hominibus quid fas ſit ac rectum, & ideo ad certam normam eos aſtringere, ne quiſque ſibi permitteret cultum quemlibet comminiſci. Sed quia non expedit multa miſcendo onerare lectores, partem illam nondum attingo. hoc tenere ſufficiat, quæcunque pietatis officia alin transferuntur quam ad unicum Deum, ſacrilegio non carere. Ac primum quidem *ſuperſtitio* divinos honores vel *Sols* & aliis ſtellis, vel *idolis* affinxit: deinde ſequuta eſt *ambitio*, quæ mortales Dei ſpoliis ornando, quicquid ſacrum erat profanare auſa eſt, & quanquam ſtabat principium illud, *colere ſummum numen*, Geniis tamen, diiſque minoribus, aut beroibus mortuis promiſcue ſacrificia offerre uſu receptum fuit. Adeo in hoc vitium proclivis eſt lapſus, ut quod ſibi uoi ſevere vindicat Deus, communicetur cum magna turba.

Zach. 14. verſ. 9.

lib. 2. c. 7. & 8.

Divini cultus depravationes.

CAP. XIII.

Unicam Dei eſſentiam ab ipſa creatione tradi in Scripturis, quæ tres in ſe Perſonas continet.

Cnnſtat hoc Caput duabus partibus.

1. *Orthodoxam de S. Trinitate doctrinam tradit, quæ à prima ſectione uſque ad vigeſimam primam, ad quatuor particulas revocari poteſt.* Primum *enim agitur de ſignificatione Perſonæ, tum vocis tum res ipſius reſpectu, ſect.* 2. 3. 4. 5. 6. Secundn, *deitatem Filii probat, ſect.* 7. 8. 9 1n. 11. 12. 13. Tertin, *Spiritus S. deitatem aſſerit, ſect.* 14. 15. Quarto, *quid de S. Trinitate ſit ſentiendum explicat, ſect.* 16. 17. 18. 19. 20.
2. *Hæreſes quaſdam, præcipue vero noſtro ſeculo adverſus Orthodoxam banc doctrinam exortas refellit, à ſect.* 21. *uſque ad finem capitis.*

Dei eſſentiam immenſam & ſpiritualem eſſe Scriptura docens, non tantum idololatras, & mundi μωρορήφους, verum etiam Manichæos, & Anthropomorphitas refellit.

QUod de *immenſa* & *ſpirituals* Dei eſſentia traditur in Scripturis, noo modo ad evertenda vulgi deliria, ſed etiam ad refutandas profanæ Philnſnphiæ argutias valere debet. Scite ſibi unus ex Veteribus dicere viſus eſt, *Deum eſſe quicquid videmus, & quicquid non videmus*. Atqui hoc modo in ſingulas mundi partes divinitatem transfuſam eſſe finxit. Etſi autem Deus, ut nos in ſnbrietate contineat, parce de ſua eſſentia diſſerit, duobus tamen illis quæ dixi epithetis tam craſſas imaginatinnes tollit quam reprimit humanæ mentis audaciam. Nam certe ejus *immenſitas* terrere nos debet, ne eum ſenſu noſtro metiri tentemus; *Spiritualis* vern *natura* quicquam de eo terrenum aut carnale ſpeculari vetat. Eodem pertinet quod ſæpius domicilium ſibi *in cælo* aſſignat. Etſi enim, ut eſt *incomprebenſibilis*, terram quoque ipſam implet: quia tamen mentes noſtras pro ſua tarditate ſubſidere in terra videt, merito, ut pigritiem & inertiam excutiat, ſupra mundum nos attollit. Atque hinc concidit *Manichæorum* error, qui duo principia ſtatuendo *diabolum* fere Deo parem fecerunt. Certe hoc fuit & Dei *unitatem* abrumpere, & reſtringere *immenſitatem*. Nam quod abuti teſtimoniis quibuſdam auſi ſunt, turpis inſcitiæ fuit: ſicuti ipſe error execrabilis inſaniæ. *Anthropomorphitæ* etiam, qui *Deum corporeum* ex eo ſunt imaginati quod os, aures, oculos, manus, & pedes Scriptura illi ſæpe aſcribit, facile refutantur. Quis enim vel parum ingenioſus non intelligit Deum ita nobiſcum, ceu nutrices ſolent cum infantibus, quodammodn balbutire? Proinde tales lnquendi formæ non tam ad liquidum exprimunt qualis ſit Deus, quam ejus notitiam tenuitati noſtræ accommodant. quod ut fiat, longe infra ejus altitudinem deſcendere neceſſe eſt.

Senec. præfat. lib. 1. quæſt. nat.

Brevis refutatio Manichaiſmi & Anthropomorphiſmi.

In unica autem hac eſſentia tres ſunt Perſonæ, ita tamen ut nec triplex Deus ſit, nec ſimplex Dei eſſentia tribus Perſonis laceretur.

2. Sed alia quoque ſpeciali nnta qua propius poſſit dignoſci, ſe deſignat. nam ita ſe prædicat *unicum* eſſe, ut diſtincte in *tribus Perſonis* conſiderandum proponat, quas niſi tenemus, nudum & inane duntaxat Dei nomen ſine vero Deo in cerebro noſtro vnlitat. Porrn nequis *triplicem Deum* ſomniet, aut putet tribus Perſonis lacerari *ſimplicem* Dei *eſſentiam*, quærenda hic nobis erit brevis & facilis definitin quæ nos ab nmni errore expediat. Cæterum quia vocem *Perſonæ* odinſe exagitant oonnulli quaſi humanitus inventam, qua æquitate id faciant prius videndum. *Filium Dei* Apoſtolus *characterem hypoſtaſeos Patris* nominans, haud dubie aliquam Patri ſubſiſtentiam aſſignat in qua differat à Filio. Nam pro *Eſſentia* accipere (ſicuti fecerunt quidam interpretes, acſi Chriſtus, velut ſigillo impreſſa cera, Patris in ſe ſubſtantiam repræſentaret) nnn duturi modo, ſed abſurdum quoque eſſet. Nam quum *ſimplex* & *individua* ſit *eſſentia* Dei, qui totam in ſe continet, neque portione aut deflexu, ſed integra perfectinne, improprie, imo inepte dicetur ejus *character*. Sed quia *Pater*, quamvis ſua proprietate diſtinctus, ſe totum in *Filio* expreſſit, nptima ratione dicitur ſuam *hypoſtaſin* reddidiſſe in eo conſpicuam. Cui apte convenit quod mox additur, *eſſe ſplendorem gloriæ*. Certe ex Apoſtoli verbis colligimus propriam eſſe in Patre hypoſtaſin quæ in Filio refulgeat. Unde etiam rurſus facile elicitur Filii hypoſtaſis, quæ eum à Patre diſtinguat. Eadem in *Spiritu ſancto* ratin: quia & Deum eſſe ſtatim probabimus, & tamen alium à Patre cenſeri neceſſe eſt. Hæc porro diſtinctio non eſt eſſentiæ, quam nefas eſt facere multiplicem. Ergo ſi fidem obtinet Apoſtoli teſtimonium, ſequitur *tres in Deo eſſe hypoſtaſes*. Idem quum expreſſerint Latini *Perſonæ* voce, nimii faſtidii atque etiam pervicaciæ eſt de re clara rixari. Si verbum de verbo transferre libeat, *ſubſiſtentia* dicetur. Multi eodem ſenſu *ſubſtantiam* dixerunt. Nec vero ſnlis Latinis in uſu fuit *Perſonæ* nomen, ſed Græci ſimiliter, forte teſtandi conſenſus cauſa, docuerunt *tria πρόσωπα in Deo eſſe*. Qui tamen ſive Græci ſive Latini verbo ioter ſe differuot, probe conſentiunt in rei ſumma.

Hebr. 1: 3.

1. Quid vox Perſonæ ſignificet in hac diſputatione: ſeu definitio vocis.

Tres in Deo, ſeu Dei eſſentia, hypoſtaſes.

Adverſus eos qui Perſonæ vocnlam in hac diſputatione rejiciunt.

3. Nunc ut de Perſona oblatreot bæretici, vel quidam nimis moroſi nbſtrepaot ſe non admittere hominum arbitrio confictum nomeo, quum nobis excutere non poſſint tres dici, quorum quiſque in ſolidum ſit Deus, nec tamen plures eſſe deos, quænam eſt iſta improbitas, improbare verba quæ non aliud explicant, quam quod Scripturis teſta-

tura

Digitized by Google

Objectio eorundem.

tum conſignatumque eſt? Satius foret, inquiunt, non modo ſenſa noſtra, ſed verba etiam intra Scripturæ fines continere, quam exoticas voces ſpargere, quæ diſſenſionum ac jurgiorum ſeminaria futura ſint. ſic enim languetur circa verborum pugnas: ſic veritas altercando amittitur: ſic charitas

1. Reſponſio. Non eſſe voculam exoticam.

odioſe rixando diſſolvitur. Si verbum exoticum appellant, quod totidem ſyllabis compoſitum in Scriptura oſtendi non poſſit, iniquam ſane legem nobis imponunt, qua damnatur omnis interpretatio quæ Scripturæ contextu non conſarcinatur. Sin exoticum illud eſt, quod curioſe excogitatum ſuperſtitioſe defenditur, quod ad contentionem magis, quam ad ædificationem valet, quod vel importune vel nullo fructu uſurpatur, quod ſua aſperitate pias aures offendit, quod à verbi Dei ſimplicitate abſtrahit: eorum ſobrietatem toto animo amplector. non enim minori religione de Deo nobis loquendum, quam cogitandum ſentio: quando & quicquid de eo à nobis cogitamus ſtultum eſt, & quicquid loquimur, inſulſum. Eſt autem modus aliquis ſervandus: petenda certa ex Scripturis & cogitandi & loquendi regula, ad quam & mentis

Sed adhibitam, ut myſteria ſacra verbis planioribus explicentur: ita ut veritatis lucem indigne ferant qui voculam hanc reſpuunt.

cogitationes omnes & oris verba exigantur. Sed quid vetat, quo minus quæ captui noſtro perplexa in Scripturis impeditaque ſunt, ea verbis planioribus explicemus, quæ tamen religioſe & fideliter ipſius Scripturæ veritati ſerviant, & parce modeſteque, nec extra occaſionem uſurpentur? Cujus rei non deſunt ſatis multa exempla. Quid autem, ubi Eccleſiam ſumma neceſſitate urgeri ad uſurpandas Trinitatis & Perſonarum voces comprobatum fuerit, ſiquis verborum novitatem tum reprehendat, nonne merito judicetur lucem veritatis indigne ferre? ut qui tantum hoc reprehendat, veritatem planam ac dilucidam reddi.

2. Reſp. Neceſſitate coacti ſunt Orthodoxi, ut Trinitatis, conſubſtantialis, & Perſonæ voces adhiberent: tum ut ſanam doctrinam facilius tuerentur, tum ut hæreticos convincerent.

4. Hujuſmodi autem verborum novitas (ſi ita appellanda eſt) tum potiſſimum uſu venit, dum adverſus calumniatores aſſerenda eſt veritas, qui tergiverſando ipſam eludunt. Quod hodie plus ſatis experimur, quibus plurimum eſt negotii in expugnandis puræ ſanæque doctrinæ hoſtibus: adeo obliquo & volubili flexu lubrici iſti angues effugiunt, niſi fortiter premantur, & deprehenſi urgeantur. Sic veteres variis pravorum dogmatum certaminibus exagitati, quid ſentirent coacti ſunt exquiſita perſpicuitate ediſſerere, ne obliqua ſubterfugia impiis relinquerent, quibus verborum involucra errorum erant latebræ. Arius fatebatur Chriſtum Deum, & Filium Dei, quia evidentibus oraculis reluctari non poterat, & quaſi probe

Confirmatio, ab exemplis Arianorum & Sabellianorum, ex Eccl. hiſtoria petitis.

defunctus, conſenſum aliquem cum aliis ſimulabat. At interim non deſinebat jactare Chriſtum creatum eſſe & initium habuiſſe, ut reliquas creaturas. Quo flexilem hominis vafritiem è latebris extraherent veteres, ultra progreſſi ſunt, Chriſtum pronunciantes æternum Patris Filium, Patrique conſubſtantialem. Hic efferbuit impietas, dum nomen ὁμοουσίου peſſime odiſſe & execrari Ariani cœperunt. Quod ſi principio confeſſi eſſent ſincere & ex animo Deum, non inficiati eſſent Patri eſſe conſubſtantialem. Quis probos illos viros inſectari audeat quaſi rixatores & contentioſos, quod ob voculam unam tanto diſceptandi fervore incaluerint, & Eccleſiæ quietem turbaverint? At vocula illa diſtinguebat inter puræ fidei Chriſtianos & ſacrilegos Arianos. Surrexit poſtea Sabellius, qui Patris, Filii, & Spiritus ſancti nomina fere pro nihilo ducebat, non diſtinctionis alicujus cauſa poſita eſſe diſputans, ſed diverſa eſſe Dei attributa, cujuſmodi plurima habentur. Si in certamen ventum eſſet, fatebatur ſe credere Patrem Deum, Filium Deum, Spiritum Deum. ſed poſtea elabi promptum erat, nihil ſe aliud dixiſſe, quam ſi Deum fortem, & juſtum, & ſapientem vocaſſet. Itaque recinebat aliam cantilenam, Patrem eſſe Filium, & Spiritum ſanctum eſſe Patrem, nullo ordine, nulla diſtinctione. Probi doctores, quibus tum pietas cordi erat, ut hominis improbitatem frangerent, reclamabant vere agnoſcendas eſſe in Deo uno tres proprietates. Atque ut ſe contra tortuoſas verſutias aperta ſimplicique veritate munirent, affirmarunt vere in uno Deo ſubſiſtere, ſeu (quod idem erat) in Dei unitate ſubſiſtere perſonarum Trinitatem.

5. Si ergo temere non ſunt inventa nomina, cavendum eſt, ne ea repudiando ſuperbæ temeritatis arguamur. Utinam quidem ſepulta eſſent, conſtaret modo hæc inter omnes fides, Patrem, & Filium, & Spiritum eſſe unum Deum: nec tamen aut Filium eſſe Patrem, aut Spiritum Filium, ſed proprietate quadam eſſe diſtinctos. Neque vero tam præciſa ſum auſteritate, ut ob nudas voculas digladiari ſuſtineam. Animadverto enim veteres, multa alioqui religione de iis rebus loquentes, nec inter ſe, nec ſingulos etiam ſecum ubique conſentire. Quas enim Hilarius formulas à Conciliis uſurpatas excuſat? Quo licentiæ interdum proſilit Auguſtinus? Quam abſimiles ſunt Græci Latinis? Sed hujus variationis exemplum unum ſufficiat. Nomen ὁμοούσιος quum reddere Latini vellent, dixerunt Conſubſtantialem, unam eſſe Patris & Filii ſubſtantiam indicantes, atque ita Subſtantiam uſurpantes pro Eſſentia. Unde & Hieronymus ad Damaſum, ſacrilegium eſſe dicit tres in Deo ſubſtantias prædicare. Atqui plus centies apud Hilarium reperies, tres eſſe in Deo ſubſtantias. In vocabulo autem Hypoſtaſeos quam perplexus eſt Hieronymus? Venenum enim ſubeſſe ſuſpicatur, quum nominantur *tres in Deo hypoſtaſeis.* Et ſiquis pio ſenſu hac voce utatur, impropriam tamen loquutionem eſſe non diſſimulat. ſi tamen ſincere ita loquutus ſit: ac non potius, quos oderat, Epiſcopos Orientis ſciens ac volens gravare ſtuduerit injuſta calumnia. Certe hoc parum ingenue aſſerit, in omnibus profanis ſcholis οὐσίαν nihil aliud eſſe quam *hypoſtaſin*, quod ex communi tritoque uſu paſſim refellitur. Modeſtior & humanior Auguſtinus, qui etſi nomen *hypoſtaſeos* in hoc ſenſu Latinis auribus novum eſſe dicit: adeo tamen Græcis ſuam loquendi conſuetudinem non eripit, ut Latinos etiam qui phraſin Græcam imitati fuerant, placide toleret. Et quod etiam à Socrate de ipſa ſcribitur lib 6. Hiſtoriæ tripartitæ, eo tendit quaſi ab imperitis hominibus ſit perperam ad hanc rem accommodata. Quin idem Hilarius magno crimini ducit hæreticis, quod eorum improbitate cogatur ſubjicere periculo humani eloquii, quæ mentium religione contineri oportuerat, non diſſimulans quin id ſit agere illicita, ineffabilia loqui, inconceſſa præſumere. Paulo poſt multis adhuc excuſat quod audet proferre nova nomina. nam ubi poſuit naturæ nomina, Patrem, Filium, & Spiritum: ſubnectit, extra ſignificantiam ſermonis eſſe, extra ſenſus intentionem, extra intelligentiæ conceptionem, quicquid ultra quæritur. Ac alibi felices Galliæ Epiſcopos prædicat, qui aliam nec excudiſſent, nec recepiſſent, nec omnino noviſſent confeſſionem, quam veterem illam & ſimpliciſſimam, quæ ab ætate Apoſtolorum apud omnes Eccleſias recepta fuerat. Nec abſimilis eſt Auguſtini excuſatio, neceſſitate extortam fuiſſe hanc vocem propter humani eloquii in re tanta inopiam, non ut exprimeretur quod eſt, ſed ne taceretur quomodo tres ſint, Pater, Filius, & Spiritus. Atque hæc ſanctorum virorum modeſtia monere nos debet, ne tam ſevere velut cenſorio ſtylo protinus notemus eos, qui in verba à nobis concepta jurare nolint: modo ne aut faſtu, aut protervia, aut malitioſo aſtu id faciant: ſed expendant ipſi viciſſim quanta neceſſitate adacti ſic lo-

3. Reſp. per anticipationem.

Tametſi veteres in explicatione vocum aliquoties diſſentire videantur: tamen in rerum ipſarum orthodoxo ſenſu amplectendo conveniunt: ut teſtantur Hilarius, Hieronymus & Auguſtini diverſa ſententia, in uſu vocum, Eſſentia, Subſtantia, Hypoſtaſeos.

lib. 5. de Trinit. c. 8. & 9.

lib. 2. de Trinit.

de Conciliis.

4. Reſponſio. Nemo tam moroſus vel auſterus eſſe debet, ut ob nudas voces digladiari velit, modo orthodoxum ſenſum

qua-

& Eccleſia Chriſti perpetuum conſenſum ſequatur.

quamur, ut paulatim utili loquendi formæ tandem aſſueſiant. Cavere etiam diſcant, ne, ubi occurrendum eſt ex una parte *Arianis*, ex altera *Sabellianis*: dum utriuſque tergiverſandi anſam præcidi ſtomachantur, nonnullam ſuſpicionem injiciant vel Arii ſe eſſe diſcipulos, vel Sabellii. Dicit Arius *Chriſtum eſſe Deum*: ſed muſſitat *factum eſſe & initium habuiſſe*. Dicit *unum cum Patre*: ſed clam in ſuorum aures inſuſurrat, *unitum eſſe* ut cæteros fideles, quanquam ſingulari prærogativa. Dic *conſubſtantialem*, detraxeris verſipelli larvam, & tamen nihil addis Scripturis. Dicit Sabellius, *Patrem, Filium*, & *Spiritum nihil in Deo diſtinctum ſonare.* Dic *tres eſſe*, vociferabitur te nominare *tres deos.* Dic *in una Dei eſſentia perſonarum Trinitatem*: dixeris uno verbo quod Scripturæ loquuntur, & inanem loquacitatem compreſſeris. Porro ſiquos tam anxia conſtringit ſuperſtitio, ut hæc nomina non ferant: nemo tamen jam, vel ſi rumpatur, inficiari poterit, quum unum audimus, intelligendam eſſe ſubſtantiæ unitatem: quum tres audimus in una eſſentia, perſonas notari in hac Trinitate. Quo non fraudulenter confeſſo, verba nihil moramur. Sed expertus pridem ſum, & quidem ſæpius, quicunque de verbis pertinacius litigant, fovere occultum virus: ut magis expediat eos ultro provocare quam in eorum gratiam obſcurius loqui.

Sed qui hæc nomina repudiant, & de vocibus litigant pertinacius hæreſin Arii vel Sabellii occulte fovent.

6. Cæterum omiſſa de vocibus diſputatione, jam de re ipſa dicere aggrediar. Perſonam igitur voco ſubſiſtentiam in Dei eſſentia, quæ ad alios relata, proprietate incommunicabili diſtinguitur. Subſiſtentiæ nomine aliud quiddam intelligi volumus quam eſſentiam. Si enim Sermo ſimpliciter eſſet Deus, interea non haberet aliquid proprium, perperam dixiſſet *Joannes* fuiſſe ſemper apud Deum. Ubi continuo poſt addit, Deum quoque fuiſſe ipſum Sermonem, ad unicam eſſentiam nos revocat. Sed quia apud Deum eſſe non potuit quin reſideret in Patre, hinc emergit illa ſubſiſtentia, quæ etſi individuo nexu cum eſſentia conjuncta eſt, nec poteſt ſeparari, ſpecialem tamen habet notam qua ab ipſa diſtinguatur. Jam ex tribus ſubſiſtentiis unamquamque dico ad alias relatam, proprietate diſtingui. Relatio hic diſerte exprimitur: quia ubi ſimplex fit Dei mentio & indefinita, non minus ad Filium & Spiritum pertinet nomen hoc quam ad Patrem. Simul autem atque Pater cum Filio confertur, ſua quemque proprietas ab altero diſcernit. Tertio, quicquid ſingulis proprium eſt, incommunicabile eſſe aſſero, quia in Filium competere vel transferri non poteſt quicquid ad notam diſcretionis tribuitur Patri. Neque vero mihi diſplicet *Tertulliani* definitio, modo dextre ſumatur: *eſſe quandam in Deo diſpoſitionem vel œconomiam quæ de eſſentiæ unitate nihil mutet.*

A definitione vocis ad rei ipſius definitionem accedit, quam deinde explicat.

Joan. 1: 1.

Perſonarum diſtinctio.

lib. contra Praxeam.

2. Æterna Filii deitas probatur variis argumentis. Primum, Filius eſt λόγος Dei Patris æternus. Ergo Filius eſt æternus Deus.

1 Petr. 1. verſ. 11.

7. Priuſquam tamen longius progrediar, probanda erit & Filii & Spiritus ſancti deitas. deinde ut inter ſe differant videbimus. Certe quum Dei verbum nobis proponitur in Scriptura, abſurdiſſimum fuerit imaginari fluxam duntaxat & evanidam vocem, quæ in aërem emiſſa prodeat extra ipſum Deum: cujuſmodi & oracula Patribus edita, & prophetiæ omnes fuerunt: quum perpetua magis Sapientia indicetur apud Deum reſidens, unde & oracula & prophetiæ omnes prodierunt. Non enim minus (teſte Petro) loquuti ſunt Spiritu Chriſti veteres Prophetæ quam Apoſtoli: & quicunque poſtea cæleſtem doctrinam adminiſtrarunt. Quia vero nondum manifeſtatus erat Chriſtus, neceſſe eſt Sermonem intelligere ante ſecula ex Patre genitum. Quod ſi Sermonis fuit ille Spiritus, cujus organa fuerunt Prophetæ, indubie colligimus verum fuiſſe Deum. Atque hoc in mundi creatione ſatis clare docet Moſes, Sermonem illum inter medium ſtatuens. Cur enim diſerte narrat Deum ſingulis operibus creandis dixiſſe, Fiat hoc vel illud, niſi ut imperveſtigabilis Dei gloria in imagine ſua reluceat? Naſutis & garrulis hoc eludere promptum eſſet, vocem accipi pro juſſu & imperio. ſed meliores interpretes Apoſtoli, qui tradunt per Filium ſecula eſſe condita, & portare omnia potenti ſuo verbo. Hic enim videmus verbum pro nutu vel mandato Filii accipi, qui ipſe æternus & eſſentialis eſt Patris Sermo. Nec vero ſanis & modeſtis obſcurum eſt, quod dicit Solomon, ubi Sapientiam inducit à Deo ante ſecula genitam, & rerum creationi & cunctis Dei operibus præſidentem. Nam temporarium quendam Dei nutum fingere, ſtultum ac frivolum eſſet: quum tunc exerere voluerit Deus fixum æternumque ſuum conſilium, atque etiam aliquid occultius. Quo etiam ſpectat dictum illud Chriſti, *Pater meus & ego uſque ad hunc diem operamur.* Se enim à primo mundi exordio aſſiduum in opere cum Patre fuiſſe affirmans, apertius explicat quod brevius attigerat Moſes. Sic ergo Deum fuiſſe loquutum colligimus, ut Sermoni in agendo ſuæ eſſent partes, atque ita utriuſque communis eſſet operatio. Multo autem omnium clariſſime Joannes, quum Sermonem illum, qui ab initio Deus apud Deum erat, rerum omnium cauſam ſimul cum Deo Patre ſtatuit. Nam & ſolidam permanentemque Verbo attribuit eſſentiam, & aliquid peculiare aſſignat, & dilucide oſtendit, quomodo Deus loquendo, mundi fuerit creator. Ergo ut omnes divinitus profectæ revelationes verbi Dei titulo rite inſigniuntur, ita Verbum illud ſubſtantiale ſummo gradu locare convenit, oraculorum omnium ſcaturiginem, quod nulli varietati obnoxium, perpetuo unum idemque manet apud Deum, & Deus ipſe eſt.

Objectio.

Reſponſio.

Hebr. 1: 2.

Prov. 8: 22.

Joan. 5: 17.

Joan. 1: 3.

8. Hic obſtrepunt nonnulli canes, qui quum ſuam illi divinitatem palam eripere non auſint, æternitatem clam ſuffurantur. Dicunt enim, tum demum Sermonem eſſe cœpiſſe, quum Deus in mundi creatione ſacrum ſuum os aperuit. Sed nimis inconſiderate ſubſtantiæ Dei, novationem quandam affingunt. Nam ut quæ externum opus reſpiciunt, Dei nomina attribui ei cœperunt ab exiſtentia operis ipſius (quale eſt quod cæli & terræ creator vocatur) ita nullum nomen agnoſcit pietas vel admittit, quod Deo aliquid novum in ſeipſo accidiſſe ſignificet. Nam ſiquid fuiſſet adventitium, conſideret illud Jacobi, manare deſurſum omne donum perfectum, & deſcendere à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, vel converſionis obumbratio. Nihil ergo minus ferendum quam principium fingere illius Sermonis, qui & Deus ſemper fuit, & poſtea mundi opifex. Sed argute ſc. ratiocinantur, Moſen, narrando Deum tunc primum loquutum eſſe, ſimul innuere nullum ante in ipſo fuiſſe Sermonem. quo nihil magis eſt nugatorium. Neque enim, quia manifeſtari aliquid certo tempore incipit, colligendum propterea erat, nunquam prius fuiſſe. Ego vero longe ſecus concludo. quum in ipſo momento, quo dixit Deus, *Fiat lux*, Sermonis virtus emerſerit & extiterit, ipſum multo ante fuiſſe. Quam dudum autem ſiquis inquiret, nullum exordium reperiet. Neque enim certum temporis ſpatium terminat quum dicit ipſe, *Pater illuſtra Filium gloria, quam apud te initio poſſedi, antequam jacerentur mundi fundamenta.* Neque hoc præteriit Joannes: quia antequam ad mundi creationem deſcendat, principio Sermonem apud Deum fuiſſe dicit. Conſtituimus ergo rurſum, Sermonem extra temporis initium à Deo conceptum, apud ipſum perpetuo reſediſſe: unde & æternitas, & vera eſſentia, & divinitas ejus comprobatur.

Objectio. Ὁ λόγος cœpit eſſe quum Deus creans loquutus eſt. Reſponſio, teſtimoniis & rationibus firmiſſimis confirmata.

Jac. 1: 17.

Gen. 1: 3.

Joan. 17: 5.

9. Etſi autem Mediatoris perſonam nondum attingo, ſed differo uſque in eum locum, ubi de redemptione agetur: quia tamen ſine controverſia inter omnes conſtare debet, Chriſtum eſſe

Secundum Arg. Filius appellatur Deus & Jehova, aliiſ-

illum

quæ nominibus inſigniſur in veteri Teſtamento, quæ æterno Patri tribuuntur. Eſt igitur æternus Deus.

illum Sermonem carne indutum, huc optime convenient, quæcunque deitatem Chriſto aſſerunt, teſtimonia. Quum dicitur Pſalmo 45. *Solium tuum Deus in ſeculum & uſque*, tergiverſantur Judæi, nomen Elohim competere etiam in Angelos & ſummas poteſtates. Atqui nuſquam extat ſimilis in Scriptura locus, qui thronum æternum creaturæ erigat, neque enim ſimpliciter Deus vocatur, ſed æternus quoque Dominator. Deinde nemini defertur hic titulus, niſi cum adjectione, qualiter Moſes

Exod. 7: 1.

fore dicitur Pharaoni in Deum. Alii in genitivo caſu legunt, quod nimis inſipidum eſt. Fateor quidem

Objectionis Judæorum refutatio.

ſæpe divinum vocari, quod ſingulari præſtantia eximium eſt: ſed ex contextu ſatis liquet, durum illud eſſe & coactum, imo nequaquam quadrare. Verum ſi non cedat eorum pervicacia, certe non obſcure

Jeſa. 9: 6.

à Jeſaia idem Chriſtus inducitur & Deus, & ſumma potentia ornatus, quod unius Dei proprium eſt. *Hoc eſt*, inquit, *nomen quo vocabunt eum, Deus fortis, Pater futuri ſeculi*, &c. Oblatrant hic quoque Judæi, & ſic lectionem invertunt, Hoc eſt nomen quo vocabit eum Deus fortis, Pater futuri, &c. ut hoc duntaxat Filio reliquum faciant, Principem vocari pacis. Sed quorſum tot epitheta in Deum Patrem hoc loco congeſta forent, quum Prophetæ conſilium ſit Chriſtum inſignibus notis, quæ fidem in eo noſtram ædificent, ornare? Quare dubium non eſt, quin eadem ratione Deus fortis nunc vocetur, qua paulo ante Immanuel. Nihil autem

Alia objectio, everſa.

Jer. 23: 6.

dilucidius Jeremiæ loco quæri poteſt, hoc fore nomen quo vocabitur germen Davidis, Jehovah juſtitia noſtra. Nam quum doceant ipſi Judæi ultro, alia Dei nomina nihil quam epitheta eſſe, hoc ſolum, quod ineffabile dicunt, eſſe ſubſtantiam ad exprimendam ejus eſſentiam: colligimus Filium

Jeſa. 42: 8.

unicum eſſe Deum & æternum, qui alibi pronunciat, ſe gloriam ſuam non daturum alteri. Latebras

Inſtantia Judæorum ſolutio.

quidem hic captant, quia & altari à ſe extructo nomen iſtud impoſuerit Moſes, & Ezechiel civitati novæ Jeruſalem. Sed quis non videt altare extrui in monimentum, quod Deus ſit exaltatio Moſis, nec Hieroſolymam inſigniri Dei nomine, niſi ad

Ezech. 48. verſ. 36.

teſtandam Dei præſentiam? Sic enim Propheta loquitur, *Nomen civitatis ex illa die, Jehovah ibi.*

Exod. 17. verſ. 15.

Moſes vero in hunc modum, *Ædificavit altare, & vocavit ejus nomen, Jehovah exaltatio mea.* Sed

Jer. 33: 16.

majus ſcilicet certamen reſtat ex alio Jeremiæ loco, ubi hoc ipſum elogium ad Jeruſalem refertur his verbis, *Hoc eſt nomen, quo vocabunt eam, Jehovah juſtitia noſtra.* Atqui tantum abeſt quin hoc teſtimonium officiat veritati, quam defendimus, ut magis

Alia inſtantia ſolutio.

ſuffragetur. Quum enim antea Chriſtum eſſe verum Jehovah teſtatus eſſet, unde fluit juſtitia, nunc pronunciat, Eccleſiam Dei hoc vere ita ſenſuram, ut nomine ipſo gloriari queat. Itaque priore loco fons & cauſa juſtitiæ ponitur: deinde additur effectus.

Tertium Arg. Jehova in Angeli perſona S. Patribus ſub lege apparens, ſe Jehovam eſſe aſſerit. Is autem eſt æterni Patris λόγος. Ergo filius eſt Deus æternus.

10. Quod ſi non ſatisfaciunt hæc Judæis, tam frequenter Jehovam ſtatui in Angeli perſona, non video, quibus cavillis eludant. Angelus apparuiſſe ſanctis Patribus dicitur. Idem ſibi nomen æterni Dei vendicat. Si excipiat quiſpiam, perſonæ, quam ſuſtinet, reſpectu hoc dici, minime ita ſolvitur nodus. Neque enim ſervus, ſacrificium offerri ſibi permittens, ſuum Deo honorem eriperet. Atqui Angelus panem ſe manducaturum negans, jubet offerri ſacrificium Jehovæ. Deinde vero ſe illum Jehovam eſſe reipſa probat. Itaque Manuah & ejus uxor ex hoc ſigno non Angelum modo, ſed Deum ſe vidiſſe colligunt. Unde vox illa, *Moriemur, quia Deum vidimus.* Dum vero reſpondet uxor, *Si voluiſſet nos occidere Jehovah, non ſuſcepiſſet è manu noſtra ſacrificium*: certe Deum fatetur, qui Angelus ante dictus eſt. Adde, quod ipſa Angeli reſponſio dubitationem tollit, *Cur de nomine meo interrogas, quod eſt mirabile?* Quo magis deteſtabilis fuit

Judic. 6. & 7. cap. item, c. 13. v. 16, 18, 22 & 23.

Serveti impietas profligata.

Serveti impietas, dum aſſeruit Deum nunquam patefactum fuiſſe Abrahæ & aliis Patribus, ſed ejus loco adoratum fuiſſe Angelum. Recte autem &

Cur Filius ſub Angeli perſona olim apparuit.

prudenter orthodoxi Eccleſiæ Doctores Sermonem Dei eſſe interpretati ſunt principem illum Angelum, qui jam tunc præludio quodam fungi cœpit Mediatoris officio. Etſi enim nondum erat carne veſtitus, deſcendit tamen quaſi intermedius, ut familiarius ad fideles accederet. Propior igitur communicatio dedit ei Angeli nomen: interea, quod ſuum erat, retinuit, ut Deus eſſet ineffabilis gloriæ. Idem

Oſeæ 12: 5.

ſibi vult Oſeas: qui poſtquam recenſuit luctam Jacob cum Angelo, *Jehovah*, inquit, *Deus exercituum, Jehovah memoriale nomen ejus.* Iterum oggannit Servetus, Deum geſtaſſe perſonam Angeli. Quaſi vero

Gen. 32. v. 29, 30.

non confirmet Propheta, quod à Moſe dictum fuerat, *Utquid interrogas de nomine meo?* Et confeſſio ſancti Patriarchæ ſatis declarat non fuiſſe creatum Angelum, ſed in quo plena deitas reſideret, quum

1 Cor. 10. verſ. 4.

dicit, *Vidi Deum facie ad faciem.* Hinc etiam illud Pauli, Chriſtum fuiſſe populi ducem in deſerto: quia etſi nondum advenerat humiliationis tempus, figuram tamen propoſuit æternus ille Sermo ejus officii, cui deſtinatus erat. Jam ſi abſque contentione expenditur caput Zachariæ ſecundum, Angelus qui alterum Angelum mittit, idem mox pronunciatur Deus exercituum, & ei ſumma potentia adſcribitur. Innumera teſtimonia omitto in quibus tuto acquieſcit fides noſtra, quamvis Judæos non admodum moveant. Nam quum dicitur apud Jeſaiam, *Ecce Deus*

Jeſa. 25. 9.

noſter iſte: hic eſt Jehovah: expectabimus eum, & ſervabit nos: oculatis patet monſtrari Deum, qui in ſalutem populi denuo exurgit. Et emphaticæ demonſtrationes bis poſitæ non alio ſinunt hoc trahi quam ad Chriſtum. Apertior etiamnum & ſolidior

Malac. 3: 1.

locus Malachiæ, ubi venturum Dominatorem, qui tunc expetebatur, ad templum ſuum promittit. Certe nonniſi uno ſummo Deo ſacrum fuit templum, quod tamen Propheta Chriſto vendicat. Unde ſequitur, eundem eſſe Deum, qui ſemper adoratus fuit apud Judæos.

Quartum Arg. ex novi Teſtamenti teſtimoniis illuſtribus collectum, ubi Filius agnoſcitur Jehova exercituum, Judex mundi, Deus gloriæ, Creator mundi, Dominus Angelorum, Rex Eccleſiæ, λόγος æternus, Deus in ſecula benedictus, Deus in carne manifeſtatus, Deo æqualis, verus Deus & vita æterna, Dominus & Deus omnium credentium. Proinde eſt Deus æternus.

11. Novum autem Teſtamentum innumeris teſtimoniis ſcatet. Ideo danda eſt opera, ut breviter potius ſeligamus pauca, quam omnia congeramus. Quamvis autem de eo loquuti ſint Apoſtoli, ex quo jam extiterat Mediator in carne: quicquid tamen adducam, probandæ ejus æternæ deitati apte conveniet. In primis iſtud eſt ſingulari animadverſione dignum, quod Apoſtoli, quæ de æterno Deo prædicta erant in Chriſto, vel jam exhibita, vel olim repræſentanda docent. Nam ubi Jeſaias Dominum exercituum Judæis & Iſraëlitis in petram ſcandali & lapidem offenſionis fore vaticinatur, id Paulus aſſerit in Chriſto eſſe impletum. Dominum ergo illum exercituum Chriſtum eſſe declarat. Similiter alibi. *Oportet*, inquit, *nos omnes ſemel ſiſti ad tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim, Mihi flectetur omne genu, & omnis lingua jurabit mihi.* Id quum apud Jeſaiam de ſe Deus prædicet, Chriſtus reipſa in ſe exhibeat, conſequitur illum ipſum Deum eſſe, cujus gloria traduci alio non poteſt. Quod etiam ad Epheſios ex Pſalmis citat, in Deum unice competere liquet: *Aſcendens in altum duxit captivitatem.* tum aſcenſionem ejuſmodi adumbratam fuiſſe intelligens, quum

Jeſ. 8: 14. Rom. 9: 23. Rom. 14. verſ. 10. Jeſ. 45: 23. Eph. 4: 8. Pſal. 68: 19. Joan. 12. verſ. 41. Jeſa. 6: 1. Heb. 2. v. 10. & 6.

inſigni adverſus exteras gentes victoria potentiam ſuam exeruit Deus, in Chriſto plenius exhibitam ſignificat. Sic Joannes gloriam Filii fuiſſe teſtatur, quæ Jeſaiæ per viſionem revelata fuit: quum tamen Propheta ipſe Dei majeſtatem ſibi viſam ſcribat. Illa vero, quæ Apoſtolus ad Hebræos in Filium confert, non obſcurum eſt, eſſe clariſſima Dei elogia: *Tu in principio Domine fundaſti cælum & terram*, &c. Item, *Adorate eum omnes Angeli ejus.* Neque tamen illis abutitur, quum ad Chriſtum trahit: ſiquidem quæcunque in Pſalmis illis canuntur,

ſolus ipſe implevit. Ille enim fuit, qui exurgens miſertus eſt Sion: ille qui omnium gentium & inſularum regnum ſibi aſſeruit. Et cur dubitaſſet Joannes Dei majeſtatem ad Chriſtum referre, qui præfatus fuerat, Verbum ſemper fuiſſe Deum? Quid formidaſſet Paulus Chriſtum in Dei tribunali collocare, tam aperto præconio ejus divinitatem ante proſequutus, ubi dixerat eſſe Deum in ſecula benedictum? Atque ut appareat quam ſibi bene in hac parte conſentiat, alibi etiam Deum in carne manifeſtatum eſſe ſcribit. Si Deus eſt in ſecula laudandus, ille eſt igitur cui ſoli omnem gloriam & honorem deberi, alio loco idem affirmat. Neque vero id diſſimulat: quin palam clamat, Quum in forma Dei eſſet, non fuiſſe ducturum rapinæ loco, ſi æqualem Deo ſe præbuiſſet: ſed ultro ſeipſum exinaniviſſe. Ac ne factitium quempiam Deum eſſe impii obſtreperent, ultra progreditur Joannes: *Ipſe*, inquit, *eſt verus Deus, & vita æterna.* Quanquam ſatis ſuperque nobis eſſe debet, Deum nominari: præſertim ab eo teſte, qui diſerte nobis non plures eſſe deos aſſeverat, ſed unum. Ille autem Paulus eſt, qui ſic loquitur, *Utcunque multi nominentur dii, ſive in cælo, ſive in terra: nobis tamen unus eſt Deus, ex quo omnia.* Ex eodem ore quum audiamus, Deum in carne manifeſtatum, Deum ſuo ſanguine acquiſiviſſe ſibi Eccleſiam: quid ſecundum Deum imaginamur, quem ille nequaquam agnoſcit? Et minime dubium eſt, quin idem piis omnibus fuerit ſenſus. Thomas certe ſimiliter Dominum & Deum ſuum aperte prædicando, unicum illum eſſe Deum profitetur, quem ſemper adoraverat.

Joan. 1. v. 1. & 14. 2 Cor. 5. verſ. 10. Rom. 9: 5. 1 Tim. 3. verſ. 16. 1 Tim. 1. verſ. 17. Phil. 2: 6. 1 Joan. 5. verſ. 20. 1 Cor. 8. verſ. 5. 1 Tim. 3. verſ. 16. Actor. 20. verſ. 28. Joan. 20. verſ. 28.

Quintum Arg. Chriſtus eſt creator, conſervator, redemptor, & tandem ſervator: Ergo eſt æternus Deus.

12. Jam ſi ab operibus ejus divinitatem cenſemus, quæ illi in Scripturis adſcribuntur, evidentius inde adhuc eluceſcet. Quum enim ſe ab initio una cum Patre hactenus operari diceret, Judæi ad alia ejus dicta ſtupidiſſimi, ſenſerunt tamen eum ſibi divinam potentiam uſurpare. Ac propterea (ut Joannes refert 5: 17.) magis eum quærebant interficere, quod non ſabbathum modo ſolvebat, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Qualis ergo erit ſtupor noſter, niſi hinc ejus divinitatem plane aſtrui ſentiamus? Et ſane providentia & virtute mundum adminiſtrare, nutuque propriæ virtutis omnia moderari, (quod illi dat Apoſtolus) non eſt niſi Creatoris. Neque ſolam gubernandi orbis provinciam cum Patre participat: ſed alia quoque ſingula officia, quæ creaturis communicari nequeant. Clamat Dominus per Prophetam, *Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Secundum hanc ſententiam, quum injuriam irrogari Deo Judæi exiſtimarent, eo quod peccata Chriſtus remittebat, hanc poteſtatem ſibi competere, non tantum verbis aſſeruit, ſed miraculo etiam comprobavit. Ergo peccatorum remiſſionis non miniſterium, ſed poteſtatem penes ipſum eſſe conſpicimus, quam à ſe ad alium tranſituram Dominus negat. Quid? tacitas cordium cogitationes percontari & penetrare, annon ſolius Dei eſt? At eam quoque habuit Chriſtus: unde colligitur ejus divinitas.

Hebr. 1: 3. Jeſ. 43. verſ. 25. Matth. 9. verſ. 6. Matth. 9. verſ. 4.

Sextum Argum. Chriſtus miracula edidit ſua ipſius virtute, & aliis donum & vim miraculorum edendorum largitur. Eſt igitur æternus Deus.

13. In miraculis autem, quam perſpicue luculenteque apparet? Quibus etſi paria & ſimilia, tum Prophetas, tum Apoſtolos ediſſe fateor, in hoc tamen plurimum eſt diſcriminis, quod hi dona Dei ſuo miniſterio diſpenſarunt: ille ſuam ipſius virtutem exeruit. Uſus eſt quidem interdum precatione, quo gloriam ad Patrem referret: ſed videmus ut plurimum propriam ejus virtutem nobis oſtenſam. Et quomodo non eſſet verus auctor miraculorum, qui diſpenſationem aliis ſua auctoritate committit? Narrat enim Euangeliſta, illum dediſſe Apoſtolis poteſtatem mortuos ſuſcitandi, leproſos curandi, ejiciendi dæmones, &c. Illi autem ſic miniſterio ejuſmodi defuncti ſunt, ut ſatis oſtenderent virtutem non aliunde eſſe, quam à Chriſto: *In nomine Jeſu Chriſti*, inquit Petrus, *ſurge & ambula.* Non mirum ergo, ſi miracula ſua objecerit Chriſtus, ad revincendam Judæorum incredulitatem, utpote quæ virtute ejus edita, ampliſſimum divinitatis teſtimonium reddebant. Præterea, ſi extra Deum nulla eſt ſalus, nulla juſtitia, nulla vita, Chriſtus autem in ſe hæc omnia continet, Deus certe oſtenditur. Neque mihi quiſpiam objiciat, diffuſam à Deo in ipſum vitam aut ſalutem: non enim ſalutem accepiſſe, ſed ipſe ſalus eſſe dicitur. Et, ſi nemo bonus niſi ſolus Deus, quomodo eſſet purus homo, non dico bonus ac juſtus, ſed ipſa bonitas & juſtitia? Quid, quod à primo creationis exordio, teſte Euangeliſta, in ipſo vita erat: & ipſe vita jam tum exiſtens, erat lux hominum? Proinde talibus documentis freti fidem in ipſo noſtram & ſpem reponere audemus: quum ſciamus tamen ſacrilegam eſſe impietatem, ſi cujus fiducia in creaturis hæreat, *Creditis in Deum*, inquit, *& in me credite.* Atque ita Paulus duos Jeſaiæ locos interpretatur, *Quicunque ſperat in eo, non pudefiet.* Item, *Erit ex radice Iſai, qui conſurget ad regendos populos: in ipſo Gentes ſperabunt.* Et quid de ea re plura Scripturæ teſtimonia perſequamur, quum toties occurrat hæc ſententia, *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Jam, quæ ex fide pendet invocatio, illi etiam competit, quæ tamen divinæ majeſtatis propria eſt, ſiquid aliud proprium habet. Dicit enim Propheta, *Quicunque invocaverit nomen Jehovæ, ſalvus erit.* Alter vero, *Turris fortiſſima nomen Jehovæ: ad ipſam confugiet juſtus, & ſervabitur.* Atqui in ſalutem invocatur nomen Chriſti: ſequitur ergo ipſum eſſe Jehovam. Porro invocationis exemplum habemus in Stephano, quum dicit, *Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum.* deinde in univerſa Eccleſia, quemadmodum Ananias teſtatur eodem libro, *Domine*, inquit, *ſcis, quanta hic intulerit mala ſanctis omnibus, qui invocant nomen tuum.* Ac quo apertius intelligatur, totam divinitatis plenitudinem in Chriſto corporaliter habitare, fatetur Apoſtolus nullam inter Corinthios aliam doctrinam præ ſe tuliſſe, quam ejus cognitionem, nec aliud, quam ipſam prædicaſſe. Quale iſtud quæſo & quantum eſt, Filii duntaxat nomen annunciari nobis, quos Deus jubet in ſui ſolius cognitione gloriari? Quis meram creaturam ipſum jactare auſit, cujus notitia unica eſt noſtra gloriatio? Huc accedit, quod ſalutationes Pauli epiſtolis præfixæ eadem à Filio precantur beneficia, quæ à Patre: quo docemur, non modo illius interceſſione ad nos pervenire, quæ largitur cæleſtis Pater, ſed potentiæ communione Filium ipſum eſſe auctorem. Quæ practica notitia certior haud dubie ſolidiorque eſt qualibet otioſa ſpeculatione. Illic enim pius animus Deum præſentiſſimum conſpicit & pene attrectat, ubi ſe vivificari, illuminari, ſervari, juſtificari, ac ſanctificari ſentit.

Act. 3: 6. Mat. 10: 8. Marc. 3. verſ. 15. & 6: 7. Joan. 5. verſ. 36. & 10: 37. & 14: 11.

Septimum Argum. Extra Deum æternum nulla eſt ſalus, nulla juſtitia, nulla vita. Chriſtus autem hæc omnia in ſe continet. Per conſequens eſt Deus æternus.

Matth. 19. verſ. 17. Joan. 1: 14. Joan. 14: 1. Jeſ. 28: 16. & 11: 10.

Octavum Argum. Neceſſe eſt eum eſſe Deum æternum, in quem credimus & ſperamus, quem invocamus, quem Eccleſia fidelium ſervatorem agnoſcit, cujus cognitio ſola ad ſalutem obtinendam proponitur, in cujus ſolius cognitione pii gloriantur, & qui beneficia æterna communicat. Is eſt Chriſtus, Dei Filius. Ergo Filius eſt Deus æternus.

Rom. 10. verſ. 11. & 15: 12. Joan. 6: 47. Joël. 2: 32. Prov. 18. verſ. 10. Act. 7: 59. Act. 9: 13. 1 Cor. 2: 2. Jer. 9: 24.

14. Quare iiſdem etiam è fontibus, præcipue ad deitatem Spiritus aſſerendam, petenda eſt probatio. Eſt quidem minime obſcurum illud teſtimonium Moſis in creationis hiſtoria, Spiritum Dei expanſum fuiſſe ſuper abyſſos, vel materiam informem: quia oſtendit, non modo pulchritudinem mundi, quæ nunc cernitur, vigere ſalvam, Spiritus virtute: ſed antequam accederet hic ornatus, jam tunc in fovenda illa confuſa mole Spiritum fuiſſe operatum. Nullis etiam cavillis obnoxium eſt, quod dicitur apud Jeſaiam, *Et nunc Jehovah miſit me & Spiritus ejus:* quia ſummum in mittendis Prophetis imperium cum Spiritu ſancto communicat: ex quo relucet divina ejus majeſtas: ſed optima, ut dixi, confirmatio nobis erit ex familiari uſu. Longe enim à creaturis alienum eſt, quod illi Scripturæ tribuunt: & nos ipſi certa pietatis experientia diſci-

3. Argumenta ad deitatem æternam Spiritus S. aſſerendam.

Gen. 1: 2.

1. Eſt mundi Creator & Conſervator.

Jeſ. 48: 16.

2. Mittit Prophetas.

3. Omnia vivificat. diſcimus. Ille enim eſt, qui ubique diffuſus omnia ſuſtinet, vegetat & vivificat in cælo & in terra. Jam
4. Eſt ubique. hoc ipſo creaturarum numero eximitur, quod nullis circumſcribitur finibus. ſed ſuum in omnia vigorem transfundendo, eſſentiam, vitam, & motionem illis inſpirare, id vero plane divinum eſt.
5. Sanctos regenerat in vitam incorruptibilem. Deinde ſi regeneratio in vitam incorruptibilem, quavis præſenti vegetatione ſuperior eſt & multo excellentior, quid de eo cenſendum eſt, cujus ex virtute procedit? Ipſum autem, non mutuatitio, ſed proprio vigore regenerationis eſſe auctorem Scriptura multis locis docet: neque ejus modo, ſed
6. Deitatis omnia officia in eum conferuntur. futuræ quoque immortalitatis. Denique in Ipſum omnia, ut in Filium, conferuntur, quæ maxime propria ſunt divinitatis officia. Siquidem etiam
1 Cor. 2. v. 10, 16. & 12: 10. Exod. 4. verſ. 11.
profunda Dei ſerutatur, cui nullus eſt inter creaturas conſiliarius. ſapientiam & loquendi facultatem largitur: quum tamen Dominus Moſi pronunciet, id facere ſuum eſſe ſolius. ſic per ipſum in Dei participationem venimus, ut ejus virtutem ſentiamus erga nos quodammodo vivificam. juſtificatio noſtra, ejus opus eſt. ab ipſo eſt potentia, ſanctificatio, veritas, gratia, & quicquid boni cogitari poteſt: quoniam unus eſt Spiritus, à quo profluit omne donorum genus. Nam digna in primis no-
1 Cor. 12. verſ. 11. & ſeq.
tatu eſt ſententia illa Pauli, *Quamvis diverſa ſint dona, & multiplex variaque diſtributio, eundem tamen eſſe Spiritum*: quia ipſum non modo principium vel originem ſtatuit, ſed etiam auctorem: quod etiam clarius exprimitur paulo poſt his verbis, *Omnia diſtribuit unus & idem Spiritus, prout vult*. Niſi enim eſſet aliquid in Deo ſubſiſtens, minime ei daretur arbitrium & voluntas. Clariſſime ergo Paulus Spiritum inſignit divina potentia, & in Deo hypoſtatice reſidere demonſtrat.

7. Deus appellatur. 1 Cor. 3. verſ. 17. & 6: 19. & 2 Cor. 6. verſ. 16.
15. Nec vero, quum de ipſo Scriptura loquitur, à Dei appellatione abſtinet. Paulus enim nos eſſe templum Dei, ex eo colligit, quia Spiritus ejus habitat in nobis. Quod non eſt leviter prætereundum. ſiquidem, quum toties promittat Deus ſe electurum nos ſibi in templum, non aliter impletur ea promiſſio, quam ejus Spiritû in nobis habitante.
Aug. ad Maximinum, epiſt. 66.
Certe, ut præclare dicit Auguſtinus, *Si ex lignis & lapidibus templum Spiritus facere juberemur, quia cultus hic ſoli Deo debetur, clarum eſſet divinitatis ejus argumentum: nunc ergo quanto clarius iſtud eſt, quod non templum illi facere, ſed nos ipſi eſſe debemus?* Et Apoſtolus ipſe nunc templum nos Dei eſſe, nunc Spiritus ſancti eodem ſignificatu ſcribit. Petrus
Act. 5: 34.
vero Ananiam reprehendens quod Spiritui ſancto mentitus eſſet, non hominibus mentitum eſſe di-
Jeſa. 6: 9. Act. 28. verſ. 25.
cebat, ſed Deo. Atque ubi Jeſaias Dominum exercituum loquentem inducit, Paulus Spiritum ſanctum eſſe docet, qui loquitur. Imo, quum paſſim dicant Prophetæ, verba, quæ proferunt, eſſe Dei exercituum, Chriſtus & Apoſtoli ad Spiritum ſanctum referunt: unde ſequitur, verum eſſe Jehovam, qui præcipuus eſt prophetiarum auctor. Rurſus, ubi Deus ſe ad iram populi contumacia provocatum
Jeſ. 63: 10. Matth. 12. verſ. 31. Marc. 3. verſ. 29. Luc. 12. verſ. 10.
conqueritur, pro eo Jeſaias Spiritum ejus ſanctum contriſtatum ſcribit. Poſtremo, ſi blaſphemia in Spiritum, neque in hoc ſeculo, neque in futuro remittitur, quum veniam obtineat, qui in Filium blaſphemavit, palam hinc aſſeritur divina ejus majeſtas, quam lædere, vel imminuere, crimen in-
8. Blaſphemia in Spiritum S. nunquam remittitur. Eſt igitur Deus æternus cum Patre & Filio.
expiabile eſt. Sciens ac volens ſuperſedeo à multis teſtimoniis, quibus uſi ſunt veteres. Plauſibile illis viſum eſt, citare ex Davide, *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*: ut probarent non minus Spiritus ſancti opus eſſe mundum, quam Filii: ſed quum in Pſalmis uſitatum ſit, bis idem repetere, & quum apud Jeſaiam Spiritus oris, idem valeat, atque ſermo, infirma illa
Pſal. 33: 6. Jeſ. 11: 4.
ratio fuit. Itaque tantum parce attingere volui, quibus ſolide innitérentur piæ mentes.

Quartum membrum prioris partis, quod de S. Trinitate ſit ſentiendum explicat.
16. Quia autem Chriſti adventu clarius ſe patefecit Deus, ita etiam in tribus Perſonis familiarius innotuit. Sed ex multis teſtimoniis unum hoc nobis ſufficiat. Nam Paulus hæc tria ſic connectit, Deum, fidem, & Baptiſmum, ut ab uno ad aliud ratiocinetur: nempe, quia una eſt fides, ut inde unum eſſe Deum demonſtret: quia unus eſt Baptiſmus,
Eph. 4: 5.
inde quoque unam eſſe fidem oſtendat. Ergo, ſi in unius Dei fidem ac religionem initiamur per Baptiſmum, nobis neceſſe eſt, verum cenſere Deum, in cujus nomen baptizamur. Nec vero dubium eſt, quin hac ſolenni nuncupatione perfectam fidei lu-
Matth. 28. verſ. 19.
cem jam eſſe exhibitam teſtari voluerit Chriſtus, quum diceret, *Baptizate eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti*. ſiquidem hoc perinde valet,
Chriſtianorum Baptiſmus, tres Perſonas in unica Dei eſſentia oſtendit.
atque baptizari in unius Dei nomen, qui ſolida claritate apparuit in Patre, Filio, & Spiritu. unde plane conſtat in Dei eſſentia reſidere tres Perſonas, in quibus Deus unus cognoſcitur. Et ſane, quum fides non circumſpicere huc & illuc debeat, neque per varia diſcurrere, ſed in unum Deum ſpectare, In eum conferri, in eo hærere: ex eo facile conſtituitur, quod, ſi varia ſint fidei genera, plures etiam eſſe deos oporteat. Jam, quia ſacramentum eſt fidei Baptiſmus, Dei unitatem nobis confirmat ex eo, quod unus eſt. Hinc etiam conficitur, ut nonniſi in unum Deum baptizari liceat: quia ejus amplectimur fidem, in cujus nomen baptizamur. Quid ergo ſibi vult Chriſtus, quum in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti baptizari præcepit, niſi una fide in Patrem, & Filium & Spiritum credendum eſſe? id vero quid aliud eſt, quam clare teſtari Patrem, Filium & Spiritum unum eſſe Deum? Itaque quum fixum illud maneat, Deum unum eſſe, non plures, Verbum & Spiritum non aliud eſſe, quam ipſam Dei eſſentiam conſti-
Arianorum & Macedonianorum hæreſis.
tuimus. Et vero ſtolidiſſime ineptiebant Ariani, qui Filii divinitatem confitentes, Dei ſubſtantiam illi adimebant. Nec abſimilis Macedonianos rabies vexabat, qui per Spiritum, dona gratiæ duntaxat in homines effuſa, intelligi volebant. Nam, ut ſapientia, intelligentia, prudentia, fortitudo, timor Domini, ab ipſo proficiſcuntur: ita unus ipſe eſt ſapientiæ, prudentiæ, fortitudinis, pietatis Spiritus. Nec ſecundum gratiarum diſtributionem
1 Cor. 12. verſ. 11.
ipſe dividitur: ſed, utcunque illæ varie dividantur, *idem* tamen & *unus* manet, inquit Apoſtolus.

De diſtinctione trium Perſonarum.
17. Rurſum & quædam Patris à Verbo, Verbi à Spiritu diſtinctio Scripturis demonſtratur. In qua tamen excutienda, quanta religione ac ſobrietate verſandum ſit, ipſa myſterii magnitudo nos admonet. Ac mihi ſane vehementer iſtud Gregorii Na-
in Serm. de ſacro baptiſ.
zianzeni arridet, [illegible] *Non poſſum unum cogitare, quin trium fulgore mox circumfundar: nec tria poſſum diſcernere, quin ſubito ad unum referar*. Proinde & nos eam perſonarum Trinitatem ne imaginari in animum inducamus, quæ cogitationem ſeorſum diſtractam detineat, ac non
Non ſunt autem diviſa, ſed diſtincta, ut apparet ex teſtimoniis ſequentibus.
ad illam mox unitatem reducat. Veram certe diſtinctionem inſinuant Patris, Filii, & Spiritus vocabula, ne quis nuda epitheta eſſe putet, quibus à ſuis operibus varie deſignetur Deus, ſed diſtinctionem, non diviſionem. Proprietatem Filio à Patre eſſe diſtinctam, oſtendunt loci, quos jam citavimus: quia Sermo non fuiſſet apud Deum, niſi alius eſſet à Patre: neque gloriam ſuam habuiſſet apud Patrem, niſi ab eo diſtinctus. Similiter Patrem à ſe
Joan. 5: 32. & 8: 16. & alibi.
diſtinguit, quum alium eſſe dicit, qui teſtimonium ſibi perhibet. Atque huc tendit, quod alibi dicitur, Patrem per Verbum omnia creaſſe: quod non poterat, niſi ab ipſo quodammodo diſtinctus. Præterea non deſcendit Pater in terram, ſed is, qui à Patre exiit: non mortuus eſt, nec reſurrexit, ſed qui ab eo miſſus fuerat. Neque ab aſſumpta carne

exordium habuit hæc diſtinctio, ſed antea quoque unigenitum in ſinu Patris fuiſſe manifeſtum eſt. Quis enim aſſerere ſuſtineat, tum demum ſinum Patris ingreſſum Filium, quum è cælo deſcendit ad ſuſcipiendam humanitatem? Erat ergo ante in ſinu Patris, & ſuam apud Patrem gloriam obtinebat. Spiritus S. à Patre diſtinctionem Chriſtus innuit, quum dicit, eum à Patre procedere: à ſeipſo autem, quoties alium vocat: ut quum alium conſolatorem ab ſe mittendum denunciat, & alibi ſæpius.

Joan. 1:18.
Joan. 14:6. & 15:26.
Joan. 14. verſ. 16.

Hic cavendum nobis à ſimilitudinibus, quæ à rebus humanis ſumuntur: tuque duplici nomine.

18. Enimvero ad vim diſtinctionis exprimendam, ſimilitudines à rebus humanis mutuari, neſcio an expediat. Solent id quidem interdum facere veteres: ſed ſimul fatentur plurimum differre, quicquid pro ſimili in medium afferunt: quo fit ut omnem audaciam hic reformidem: ne ſiquid intempeſtive productum fuerit, aut malignis calumniæ, aut rudibus hallucinationis anſam præbeat. Quam tamen Scripturis notatam diſtinctionem animadvertimus, ſubticeri non convenit. Ea autem eſt, quod Patri principium agendi, rerumque omnium fons & ſcaturigo attribuitur: Filio ſapientia, conſilium, ipſaque in rebus agendis diſpenſatio: at Spiritui virtus & efficacia aſſignatur actionis. Porro, quanquam Patris æternitas, Filii quoque & Spiritus æternitas eſt, quando nunquam Deus ſine ſapientia virtuteque ſua eſſe potuit: in æternitate autem non eſt quærendum prius aut poſterius: non eſt tamen inanis aut ſupervacua ordinis obſervatio, dum primus recenſetur Pater, deinde ex eo Filius, poſtea ex utroque Spiritus. Nam & mens uniuſcujuſque eo ſponte inclinat, ut primo Deum conſideret, deinde emergentem ex eo ſapientiam, tum poſtremo virtutem, qua conſilii ſui decreta exequitur. Qua ratione, à Patre duntaxat exiſtere dicitur Filius, à Patre ſimul & Filio Spiritus. multis id quidem locis, ſed nuſquam clarius, quam cap. 8. ad Romanos, ubi ſcilicet idem Spiritus, nunc Chriſti, nunc ejus qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis, promiſcue vocatur: neque injuria. Nam & Petrus Spiritum Chriſti fuiſſe teſtatur, quo vaticinati ſunt Prophetæ: quum toties Scriptura doceat Spiritum fuiſſe Dei Patris.

E Scripturis vero ſimilitudo petenda eſt, quæ etiam ordinis obſervationem demonſtrat.

1 Pet. 1:11.

Cur tres illæ Perſonæ ſimpliciſſimam Dei unitatem non tollunt, imo conſtituunt.

19. Porro, ſimpliciſſimam Dei unitatem adeo non impedit iſta diſtinctio, ut Filium inde probare liceat unum eſſe cum Patre Deum, quia uno ſimul cum eo Spiritu conſtet: Spiritum autem non aliud eſſe à Patre & Filio diverſum, quia Patris & Filii ſit Spiritus. Siquidem in unaquaque hypoſtaſi tota intelligitur natura, cum hoc, quod ſubeſt ſua unicuique proprietas. Pater totus in Filio eſt, totus in Patre Filius, quemadmodum ipſe quoque aſſerit, *Ego in Patre, & Pater in me*: nec ulla eſſentiæ differentia ſejungi alterum ab altero, ſcriptores Eccleſiaſtici concedunt. *His appellationibus, quæ diſtinctionem denotant* (inquit Auguſtinus) *hoc ſignificatur, quod ad ſe invicem referuntur, non ipſa ſubſtantia, qua unum ſunt.* Quo ſenſu conciliandæ ſunt inter ſe veterum ſententiæ, quæ pugnare alioqui nonnihil viderentur. Nunc enim Patrem Filii principium eſſe tradunt: nunc Filium à ſeipſo & divinitatem & eſſentiam habere aſſeverant, adeoque unum eſſe cum Patre principium. Ejus diverſitatis cauſam bene ac perſpicue explicat Auguſtinus alibi, quum ita loquitur, *Chriſtus ad ſe Deus dicitur, ad Patrem Filius dicitur.* Rurſuſque, *Pater ad ſe Deus dicitur, ad Filium dicitur Pater. Quod dicitur ad Filium Pater, non eſt Filius: quod dicitur Filius ad Patrem, non eſt Pater: quod dicitur ad ſe Pater, & Filius ad ſe, eſt idem Deus.* Ergo, quum de Filio ſine Patris reſpectu ſimpliciter loquimur, bene & proprie ipſum à ſe eſſe aſſerimus: & ideo unicum vocamus principium: quum vero relationem, quæ illi cum Patre eſt, notamus, Patrem Filii principium merito facimus. In hujus rei explicatione quintus liber Auguſtini de Trinitate totus verſatur. Longe vero tutius eſt, in ea, quam tradit, relatione ſubſiſtere: quam ſubtilius penetrando ad ſublime myſterium, per multas evanidas ſpeculationes evagari.

Joan. 14. v. 11, 20.
Auguſtinus homil. de temp. 38. de Trinit. & col. ad Paſcentium, epiſt. 174.
Cyril. lib. 7. de Trinit. idem lib. 3. Dialog.
Auguſt. in Pſal. 109. & tract. in Joan. 39.
Auguſt. in Pſal. 68.

Concluſio prioris partis, & ſumma eorum, quæ de unica Dei eſſentia & tribus perſonis credere neceſſe eſt.

20. Ergo, quibus cordi erit ſobrietas, & qui fidei menſura contenti erunt, breviter, quod utile eſt cognitu, accipiant: nempe, quum profitemur nos credere in unum Deum, ſub Dei nomine intelligi unicam & ſimplicem eſſentiam, in qua comprehendimus tres perſonas, vel hypoſtaſeis: ideoque, quoties Dei nomen indefinite ponitur, non minus Filium & Spiritum, quam Patrem deſignari. ubi autem adjungitur Filius Patri, tunc in medium venit relatio: atque ita diſtinguimus inter Perſonas. Quia vero proprietates in Perſonis ordinem ſecum ferunt, ut in Patre ſit principium & origo: quoties mentio fit Patris & Filii ſimul, vel Spiritus, nomen Dei peculiariter Patri tribuitur: hoc modo retinetur unitas eſſentiæ, & habetur ratio ordinis, quæ tamen ex Filii & Spiritus deitate nihil minuit. Et certe, quum ante viſum fuerit, Apoſtolos aſſerere Filium Dei illum eſſe, quem Moſes & Prophetæ teſtati ſunt eſſe Jehovam, ſemper ad unitatem eſſentiæ venire neceſſe eſt. Proinde nobis ſacrilegium deteſtabile eſt, Filium vocari alium Deum à Patre: quia ſimplex Dei nomen relationem non admittit, nec poteſt Deus ad ſeipſum dici hoc vel illud eſſe. Jam, quod nomen Jehovæ indefinite ſumptum in Chriſtum competat, ex Pauli etiam verbis patet, *Propterea ter rogavi Dominum*: quia, ubi retulit Chriſti reſponſum, *Sufficit tibi gratia mea*, ſubjicit paulo poſt, *Ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Certum enim eſt, nomen Domini pro Jehova illic eſſe poſitum: atque ita reſtringere ad perſonam Mediatoris frivolum eſſet ac puerile: quando abſoluta eſt oratio, quæ Filium cum Patre non comparat. Et ſcimus ex recepta Græcorum conſuetudine, Apoſtolos paſſim nomen *κυρ.* ſubſtituere in locum Jehovæ. Et ne procul quærendum ſit exemplum, non alio ſenſu oravit Dominum Paulus, quam quo citatur locus Joelis à Petro, *Quiſquis invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Ubi nomen hoc peculiariter Filio adſcribitur, aliam eſſe rationem conſtabit ſuo loco. nunc tenere ſatis eſt, quum abſolute Paulus Deum rogaſſet, ſtatim ſubjicere nomen Chriſti. Ita & totus Deus à Chriſto ipſo Spiritus nuncupatur. Nihil enim obſtat quominus tota ſpiritualis ſit Dei eſſentia, in qua Pater, Filius, & Spiritus comprehendantur. Quod ipſum ex Scriptura planum fit. nam ut illic Deum audimus nominari Spiritum, ita & Spiritum ſanctum, quatenus eſt hypoſtaſis totius eſſentiæ, audimus dici & Dei eſſe, & à Deo.

2 Cor. 12. verſ. 9.
Act. 2:16.
Joel. 2:28.

Poſterior pars hujus capitis, quæ in refellendis Arianis, Pneumatomachis, & Antitrinitariis verſatur.

21. Quoniam autem Satan, ut fidem noſtram ab ipſis radicibus convelleret, partim de divina Filii & Spiritus eſſentia, partim de perſonali diſtinctione ingentes pugnas ſemper movit: atque ut omnibus prope ſeculis impios ſpiritus excitavit, qui doctores orthodoxos, hac in parte vexarent, ita & hodie ex veteribus favillis novum ignem accendere conatur: hic perverſis quorundam deliriis occurrere operæpretium eſt. Hactenus dociles manu ducere, non autem cum præfractis & contentioſis manum conſerere maxime propoſitum fuit: nunc autem veritas, quæ placide oſtenſa fuit, ab omnibus improborum calumniis aſſerenda. Etſi præcipuum ſtudium in hoc incumbet, ut habeant, qui faciles apertaſque Dei verbo aures dederint, in quo certo pede conſiſtant. Equidem hic, ſiquando alias in reconditis Scripturæ myſteriis, ſobrie multaque cum moderatione philoſophandum: adhibita etiam multa cautione, ne aut cogitatio aut lingua ultra

Cautio in primis obſervanda in hac diſputatione.

ultra procedat, quam verbi Dei fines ſe protendunt. Quomodo enim immenſam Dei eſſentiam ad ſuum modulum mens humana definiat, quæ nondum ſtatuere certo potuit, quale ſit Solis corpus, quod tamen oculis quotidie conſpicitur? Imo vero, quomodo proprio ductu ad Dei uſque ſubſtantiam excutiendam penetret, quæ ſuam ipſius minime aſſequitur? Quare Deo libenter permittamus ſui cognitionem. *Ipſe* enim *demum unus*, ut inquit Hilarius, *idoneus ſibi teſtis eſt, qui niſi per ſe cognitus non eſt*. Permittemus autem, ſi & talem concipiemus ipſum, qualem ſe nobis patefacit: nec de ipſo aliunde ſciſcitabimur, quam ex ejus verbo. Extant in hoc argumentum homiliæ Chryſoſtomi quinque adverſus Anomoeos, quibus tamen cohiberi Sophiſtarum audacia non potuit, quin frena garrulitati laxarent. Nihilo enim modeſtius hic ſe geſſerunt, quam ubique ſolent. Cujus temeritatis infeliciſſimo ſucceſſu admoneri nos decet, ut docilitate magis, quam acumine in iſtam quæſtionem incumbere curæ ſit: nec in animum inducamus aut Deum uſquam inveſtigare niſi in ſacro ejus verbo, aut de ipſo quicquam cogitare niſi præeunte ejus verbo, aut loqui niſi ex eodem verbo ſumptum. Quod ſi quæ ſubeſt in una divinitate Patris, Filii, & Spiritus diſtinctio (ut eſt cognitu difficilis) ingeniis quibuſdam plus faceſſit negotii & moleſtiæ quam expediat, meminerint labyrinthum ingredi hominis mentes, dum ſuæ curioſitati indulgent: atque ita regi ſe ſuſtineant cæleſtibus oraculis, utcunque myſterii altitudinem non capiant.

lib. 1. de Trinit.

de incomprehenſibili natura Dei. Importunæ Sophiſtarum voces extant apud Juſtin. Theodoret. & hiſt. Eccleſ. ſcriptores.

Quum veteribus hæreticis ſect. 17. 18. 19. clauſa ſit janua.

22. Texere catalogum errorum, quibus olim tentata fuit fidei ſinceritas in hoc doctrinæ capite, nimis longum eſſet, plerumque inutili tædio: ac hæreticorum plerique craſſis deliriis totam Dei gloriam ita aggreſſi ſunt obruere, ut ſatis eſſe duxerint concutere ac turbare imperitos. Statim vero à paucis hominibus ebullierunt plures ſectæ, quæ partim lacerarent Dei eſſentiam, partim diſtinctionem, quæ inter Perſonas eſt, confunderent. Porro ſi tenemus quod ante ex Scriptura ſatis oſtenſum eſt, ſimplicem & individuam eſſe eſſentiam unius Dei, quæ ad Patrem, & Filium, & Spiritum pertineat: rurſus Patrem proprietate aliqua differre à Filio, & Filium à Spiritu: non Ario tantum & Sabellio, ſed aliis vetuſtis errorum auctoribus clauſa erit janua. Sed quia noſtro tempore exorti ſunt phrenetici quidam, ut Servetus & ſimiles, qui novis præſtigiis omnia involverunt, paucis eorum fallacias diſcutere operæpretium eſt. Serveto nomen Trinitatis ita fuit exoſum, imo deteſtabile, ut Trinitarios omnes, quos vocabat, diceret eſſe atheos. Omitto inſulſas voces, quas ad convitiandum excogitavit. Hæc quidem ſpeculationum ejus fuit ſumma, tripartitum induci Deum, ubi in ejus eſſentia reſidere dicuntur tres perſonæ, Triademque hanc eſſe imaginariam, quia cum Dei unitate pugnet. Interea Perſonas voluit eſſe externas quaſdam ideas, quæ vere non ſubſiſtant in eſſentia Dei, ſed Deum nobis hac vel illa ſpecie figurent: ac initio quidem nihil in Deo fuiſſe diſtinctum, quia olim idem erat Verbum quod Spiritus: ſed ex quo emerſit Chriſtus Deus de Deo, Spiritum etiam alium ex ipſo Deum fluxiſſe. Etſi autem allegoriis interdum ſucat ſuas nænias, ut quum dicit Sermonem æternum Dei fuiſſe Spiritum Chriſti apud Deum, & relucentiam ideæ: item, Spiritum fuiſſe deitatis umbram: poſtea tamen utriuſque deitatem in nihilum redigit, aſſerens ſecundum diſpenſationis modum, tam in Filio, quam in Spiritu partem eſſe Dei, ſicuti idem Spiritus ſubſtantialiter in nobis atque etiam in lignis & lapidibus, Dei portio eſt. Quid de Mediatoris perſona blateret, ſuo loco videbimus. Prodigioſum vero hoc commentum, Perſonam nihil aliud eſſe, quam viſibilem gloriæ Dei ſpeciem, non longa refutatione indiget. Nam quum Joannes nondum creato mundo λόγον fuiſſe Deum pronunciet, longe ab idea diſcernit. Si vero tunc quoque & ab ultima æternitate λόγος ille, qui Deus erat, fuit apud Patrem, & propria ſua gloria apud Patrem inſignis fuit, non potuit certe externus eſſe aut figurativus ſplendor: ſed neceſſario ſequitur fuiſſe hypoſtaſin, quæ in Deo ipſo intus reſideret. Quanquam autem non ſit Spiritus mentio, niſi in hiſtoria creationis mundi, non tamen illic inducitur ut umbra, ſed eſſentialis Dei virtus, quum narrat Moſes informem quoque illam maſſam fuiſſe in eo ſuffultam. Æternum igitur Spiritum ſemper in Deo fuiſſe tunc apparuit, dum fovendo ſuſtinuit confuſam cæli & terræ materiam, donec accederet pulchritudo & ſeries. Certe nondum potuit effigies vel repræſentatio Dei eſſe, uti ſomniat Servetus. Alibi vero ſuam impietatem apertius detegere cogitur, quod Deus æterna ſua ratione Filium ſibi viſibilem decernens, hoc modo viſibilem ſe exhibuit. nam ſi hoc verum ſit, non alia relinquitur Chriſto divinitas, niſi quatenus æterno Dei decreto Filius eſt ordinatus. Adde, quod ſpectra illa, quæ in locum hypoſtaſeon ſupponit, ſic transformat, ut nova accidentia Deo affingere non dubitet. Illud vero omnium maxime execrandum, quod tam Filium Dei, quam Spiritum promiſcue creaturis omnibus permiſcet. Partes enim & partitiones palam aſſerit eſſe in eſſentia Dei, quarum unaquæque portio Deus eſt: præſertim vero ſpiritus fidelium coæternos dicit & conſubſtantiales Deo: quamvis alibi ſubſtantialem deitatem, non tantum hominis animæ, ſed aliis rebus creatis aſſignet.

Servetum & recentiores Antitrinitarios aggreditur, & Serveti hæreſin hac ſectione evertit.

vide Calv. defenſionem orthod. fidei S. Trinitatis adv. prodigioſos errores M. Serveti: claſſe 5. tractatuum. Theologicorum.

Joan. 1: 1.

Joan. 17: 5.

Gen. 1: 2.

23. Ex hac lacuna prodiit aliud non diſſimile monſtrum. Nebulones enim quidam, ut Serveticæ impietatis invidiam ac dedecus effugerent, tres quidem Perſonas eſſe confeſſi ſunt, ſed ratione addita, quod Pater, qui vere & proprie unicus eſt Deus, Filium & Spiritum formando, ſuam in eos deitatem transfudit. Nec vero abſtinent ab horrendo loquendi genere, Patrem hac nota diſtingui à Filio & Spiritu, quia ſit ſolus eſſentiator. Colorem hunc primo obtendunt, paſſim Chriſtum vocari Dei filium: unde colligunt non alium proprie Deum eſſe, niſi Patrem. Atqui non obſervant, quamvis Dei nomen Filio quoque ſit commune, tamen κατ' ἐξοχὴν Patri interdum adſcribi, quia fons eſt ac principium deitatis: idque ut notetur ſimplex eſſentiæ unitas. Excipiunt, ſi vere eſt Dei filius, abſurdum eſſe cenſeri Perſonæ filium. Ego utrumque verum eſſe reſpondeo, Dei nempe eſſe filium, quia Sermo eſt à Patre ante ſecula genitus (nondum enim de Mediatoris perſona nobis ſermo eſt) & tamen explicandi cauſa habendam eſſe rationem Perſonæ, ut nomen Dei non ſimpliciter ſumatur, ſed pro Patre. nam ſi non alium cenſemus Deum, quam Patrem, non obſcure dejicitur Filius ab hoc gradu. Ergo, quoties deitatis ſit mentio, minime admitti debet antitheſis inter Filium & Patrem, quaſi huic tantum conveniat nomen veri Dei. Nam ſane Deus qui Jeſaiæ apparuit, verus & unicus fuit Deus: quem tamen Joannes affirmat fuiſſe Chriſtum. Qui etiam per os Jeſaiæ teſtatus eſt ſe fore in lapidem offendiculi Judæis, unicus erat Deus: quem Paulus Chriſtum fuiſſe pronunciat. Qui per Jeſaiam clamat, *Vivo ego: mihi flectetur omne genu*, unicus Deus eſt. atqui idem Paulus Chriſtum interpretatur. Huc accedunt, quæ recitat Apoſtolus, teſtimonia, *Tu Deus fundaſti cælum & terram.* item, *Adorent eum omnes Angeli Dei.* quæ nonniſi in unicum Deum competunt: quum tamen propria Chriſti elogia eſſe contendat. Nec valet cavillum illud, transferri ad Chriſtum quod Dei proprium eſt,

Aliorum Antitrinitariorum hæreſis, Patrem vere & proprie unicum eſſe Deum, & ſolum eſſentiatorem, uſque ad finem capitis refutatur. Ac primum probatur nihil pro ipſis facere quod paſſim Chriſtus vocetur Dei filius quum etiam verus & unicus Deus vocetur.

Jeſa. 6: 1.
Joan. 12. verſ. 41.
Jeſa. 8: 14.
Rom. 9. verſ. 33.
Jeſ. 45: 23.
Rom. 14. verſ. 11.
Heb. 1. v. 10. & 6.
Pſ. 102: 26.
Pſal. 97: 7.

quia

quia ſit relucentia gloriæ ipſius. Nam quum ubique ponatur nomen Jehovæ, ſequitur deitatis reſpectu ex ſeipſo eſſe. Nam ſi eſt Jehovah, negari noo poteſt, quin idem ſit ille Deus qui per Jeſaiam alibi clamat, *Ego, ego ſum, & præter me non eſt Deus.* Expeodere etiam convenit illud Jeremiæ, *Dii qui non fecerunt cælum & terram, pereant de terra, quæ ſub cælo eſt:* quando ex oppoſito fateri neceſſe erit Filium Dei eum eſſe, cujus deitas ſæpius apud Jeſaiam probatur ex mundi creatione. Quomodo autem Creator, qui omnibus eſſe dat, oon erit ex ſeipſo, ſed eſſeotiam aliunde mutuabitur? Nam quiſquis eſſentiatum à Patre Filium eſſe dicit, à ſeipſo negat eſſe. Reclamat autem Spiritus ſanctus, illum Jehovah nominans. Jam ſi demus totam eſſeotiam eſſe io ſolo Patre, vel fiet partibilis, vel eripietur Filio: atque ita ſpoliatus ſua eſſentia, titularis ſolum erit Deus. Eſſeotia Dei, ſi creditur iſtis nugatoribus, ſoli Patri convenit, quatenus ipſe ſolus eſt, & eſt Filii eſſentiator. Ita divinitas Filii quiddam erit abſtractum à Dei eſſentia, vel derivatio partis à toto. Jam concedant ex ſuo principio neceſſe eſt, Spiritum eſſe ſolius Patris: quia ſi derivatio eſt à prima eſſentia, quæ nonniſi Patri propria eſt, jure non cenſebitur Spiritus Filii. quod tameo refellitur Pauli teſtimonio: ubi communem Chriſto & Patri facit. Adhæc ſi expungitur è Trinitate Patris perſona, in quo à Filio & Spiritu differet, niſi quia ſolus eſt ipſe Deus? Fatentur Chriſtum eſſe Deum, & tamen à Patre differre. Viciſſim notam aliquam diſcretionis eſſe oportet, ne Pater ſit Filius. Qui io eſſentia eam ponunt, manifeſte in nihilum redigunt veram Chriſti deitatem: quæ ſine eſſentia eſſe oon poteſt, & quidem tota. Non differet certe Pater à Filio, niſi proprium aliquid habeat in ſe, quod Filio commune non ſit. Quid jam reperient in quo eum diſtinguant? Si io eſſentia eſt diſcretio, reſpondeant aonon cum Filio eam communicaverit. Hoc vero non potuit eſſe ex parte: quia dimidium fabricare Deum nefas eſſet. Adde, quod boc modo fœde lacerarent Dei eſſentiam. Reſtat ut tota & in ſolidum Patris & Filii ſit communis. Quod ſi verum eſt, jam ſane quoad ipſam oulla erit alterius ab altero diſcretio. Si excipiant, Patrem eſſentiando manere nihilominus unicum Deum, penes quem ſit eſſentia: Chriſtus ergo figurativus erit Deus, ac ſpecie tantum vel nomine, non re ipſa: quia Deo nihil magis proprium quam eſſe, juxta illud, *Qui eſt, miſit me ad vos.*

Jeſ. 44: 6. — *Jer. 10: 11.* — *Refut. 2. ab impiis abſurdis quæ ex iſtorum nebulonum hæreſi oriuntur.* — *Exod. 3. verſ. 14.*

24. Falſum quidem eſſe quod ſumunt, quoties abſolute fit Dei meotio in Scriptura, nonniſi Patrem intelligi, ex multis locis refellere promptum eſt: & in illis ipſis quos pro ſe citant, turpiter produnt ſuam incogitantiam, quia illic Filii oomen apponitur: unde apparet relative accipi Dei nomen, ideoque reſtringi ad Patris perſonam. ac eorum objectio uno verbo diluitur. Niſi ſolus Pater, inquiunt, verus eſſet Deus, ſuus ipſe pater eſſet. Neque enim abſurdum eſt, propter gradum & ordinem Deum peculiariter vocari, qui noo ſolum genuit ex ſe ſuam ſapientiam, ſed Deus etiam eſt Mediatoris, ſicuti plenius ſuo loco diſſeram. Nam ex quo manifeſtatus eſt in carne Chriſtus, Filius Dei vocatur, non tantum, quatenus ante ſecula genitus ex Patre fuit æternus Sermo, ſed quia Mediatoris ſuſcepit perſonam & munus, ut Deo nos conjungeret. Et quoniam Filium à Dei honore tam audacter excludunt, ſcire velim, quum pronunciat nullum eſſe bonum præter unum Deum, an ſe bonitate privet. Non loquor de humana ejus natura, ne forte excipiant, quicquid io ea boni fuit, ex gratuito dono fluxiſſe: quæro, an Sermo æternus Dei bonus ſit, nec ne. Si negent, ſatis convicta tenetur eorum impietas: fatendo ſeipſos jugulant. Quod autem primo intuitu videtur Chriſtus à ſe removere nomen boni, ſententiam noſtram magis confirmat: nempe quum ſingulare ſit unius Dei elogium quatenus ex vulgari more ſalutatus fuerat bonus, falſum honorem repudians, bonitatem, qua pollet, divinam eſſe admonet. Quæro etiam, ubi affirmat Paulus ſolum Deum eſſe immortalem, ſapientem & veracem, an his verbis io ordioem mortalium, ſtultorum & fallacium redigatur Chriſtus. Non erit igitur immortalis, qui ab initio vita fuit, ut Angelis immortalitatem conferret? non erit ſapiens, qui æterna eſt Dei ſapientia? non erit verax ipſa veritas? Quæro præterea, Chriſtumne adorandum cenſeant. Sic enim boc jure ſibi vendicat, ut flectatur coram ipſo omne genu, ſequitur illum eſſe Deum, qui in Lege vetuit quenquam alium præter ſe adorari. De ſolo Patre ſi accipi volunt, quod apud Jeſaiam dicitur, *Ego ſum, ac nemo præter me:* hoc teſtimonium in ipſos retorqueo, quando videmus Chriſto attribui quicquid Dei eſt. Nec locus eſt eorum cavillo, Chriſtum in carne fuiſſe exaltatum, in qua exinanitus fuerat, & carnis reſpectu omne imperium illi datum eſſe in cælo & in terra: quia etſi extenditur Regis & Judicis majeſtas ad totam Mediatoris perſonam, niſi tamen Deus manifeſtatus eſſet in carne, non potuit in tantam altitudinem extolli, quin Deus ſecum ipſe pugnaret. Atque hanc controverſiam optime Paulus tollit, æqualem Deo fuiſſe docens, antequam ſe exinaniret ſub forma ſervi. Porro æqualitas iſta quomodo ſtaret, niſi fuiſſet Deus ille, cujus nomen eſt Ja & Jehovah, qui equitat ſuper Cherubim, qui Rex eſt totius terræ, & Rex ſeculorum? Jam utcunque obſtrepant, non poteſt eripi Chriſto, quod alibi dicit Jeſaias, *Hic, hic eſt Deus noſter, expectavimus eum:* quando his verbis adventum Dei Redemptoris deſcribit, qui non modo ab exilio Babylonico populum reduceret, ſed Eccleſiam plene reſtitueret omnibus numeris. Altero etiam cavillo nihil proficiunt, Chriſtum fuiſſe Deum in Patre ſuo. Nam etſi fatemur ratione ordinis & gradus principium divinitatis eſſe in Patre, deteſtabile tamen eſſe dicimus commentum illud, ſolius Patris eſſeotiam eſſe propriam, quaſi Filii deificator eſſet: quia hoc modo, vel multiplex eſſet eſſentia, vel titulo & imaginatione tenus Chriſtum appellant Deum. Si concedant Filium eſſe Deum, ſed ſecundum à Patre: jam in ipſo genita & formata erit eſſentia, quæ eſt in Patre ingenita & informis. Scio multis naſutis ludibrio eſſe, quod ex verbis Moſis Perſonarum diſtinctionem elicimus, ubi Deum ſic loqueotem inducit, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* vident tameo pii lectores, quam frigide atque inepte hoc velut colloquium induceret Moſes, niſi ſubeſſent in uno Deo plures Perſonæ. Jam quos alloquitur Pater, certum eſt fuiſſe increatos: nihil vero increatum, excepto ipſo Deo, & quidem uno. Nunc ergo, oiſi concedant Patris, Filii & Spiritus communem fuiſſe creandi poteſtatem, & commune jubeodi imperium, ſequetur Deum non intus ſecum ita loquutum eſſe, ſed direxiſſe ad alios extraneos opifices ſermonem. Denique locus unus, duo ſimul eorum objecta facile expediet. Nam quod proounciat Chriſtus ipſe, Deum eſſe Spiritum, ad Patrem ſolum reſtringi conſentaneum non eſſet, acſi Sermo ipſe non eſſet ſpiritualis naturæ. Quod ſi Filio ſimiliter ut Patri convenit nomen Spiritus, ſub indefinito Dei nomine Filium comprehendi colligo. Subjicit tamen continuo poſt, non alios probari cultores Patri, niſi qui eum in ſpiritu & veritate adorant. unde alterum conſequitur, quia ſub capite fungitur Chriſtus officio doctoris, Dei nomen Patri adſcribere, non ut aboleat ſuam ipſius deitatem, ſed ut gradatim nos ad eam attollat.

Refut. 3. Nomen Dei abſolute poſitum de Filio dicitur aliquando: ut & de Patre. — *Matth. 19. verſ. 17.* — *4. Deus unus, bonus. Filius bonus eſt. Ergo Deus æternus.* — *1 Tim. 1. verſ. 17.* — *5. Solus eſt immortalis, ſapiens, verax & adorandus. Ejuſmodi Chriſtus eſt. Ergo Deus æternus.* — *Phil. 2: 10.* — *Jeſ. 44: 6. Objectionis ex Propheta deſumpta dilutio.* — *Alia objectionis refutatio.* — *Phil. 2: 6, 7.* — *Jeſ. 25: 9.* — *Tertia objectio refellitur, & 6. refutatio hæreſeos Antitrinitariorum, ex Moſis hiſtoria de creatione, additur.* — *Gen. 1: 26.* — *Joan. 4. verſ. 24.*

25. Sed

Refutat. 7. falluntur in eo quod in Dei eſſentia ſomniant individua, quorum ſingula eſſentiæ partem obtineant: & quaternitatem ab Orthodoxis conſtitui calumniantur.

25. Sed in eo ſcilicet hallucinantur, quod individua ſomniant, quorum ſingula partem obtineant eſſentiæ. Atqui ex Scripturis docemur unum eſſentialiter Deum eſſe, ideoque eſſentiam tam Filii, quam Spiritus eſſe ingenitam. ſed quatenus Pater ordine primus eſt, atque ex ſe genuit ſuam Sapientiam, merito, ut nuper dictum eſt, cenſetur principium & fons totius divinitatis. Ita Deus indefinite eſt ingenitus: & Pater etiam Perſonæ reſpectu ingenitus. Stulte etiam putant ſe ex noſtra ſententia colligere quaternitatem ſtatui, quia falſo & calumnioſe cerebri ſui commentum nobis adſcribunt, quaſi derivative fingamus prodire ex una eſſentia tres perſonas: quum ex ſcriptis noſtris liqueat, non abstrahere nos perſonas ab eſſentia, ſed quamvis in ipſa reſideant, diſtinctionem interponere. Si ſeparatæ eſſent ab eſſentia perſonæ, probabilis forte eſſet eorum ratin: ſed hoc modo trinitas eſſet deorum, non perſonarum quas in ſe continet unus Deus. Ita ſolvitur futilis enrum quæſtio, concurratne eſſentia ad conflandam Trinitatem: quaſi tres deos ex illa deſcendere imaginemur. Quod excipiunt, Trinitatem igitur fore ſine Deo, ex eadem inſulſitate naſcitur: quia etſi ad diſtinctionem non concurrit, ut pars vel membrum, non tamen perſonæ ſine ipſa, vel extra ipſam: quia & Pater, niſi Deus eſſet, non poterat eſſe Pater: & Filius non aliter Filius niſi quia Deus. Deitatem ergo abſolute ex ſeipſa eſſe dicimus. unde & Filium, quatenus Deus eſt, fatemur ex ſeipſo eſſe, ſublato perſonæ reſpectu: quatenus vero Filius eſt, dicimus eſſe ex Patre. ita eſſentia ejus principio caret: Perſonæ vero principium eſt ipſe Deus. Et quidem Orthodoxi ſcriptores, quicunque olim de Trinitate loquuti ſunt, ad perſonas tantum retulerunt hoc nomen: quando non modo abſurdus eſſet error, in ipſa diſtinctione complecti eſſentiam, ſed nimis craſſa impietas. Nam, qui volunt tria concurrere, Eſſentiam, Filium, & Spiritum, eos Filii & Spiritus eſſentiam exinanire palam eſt. alioqui partes inter ſe commiſtæ conciderent: quod eſt in omni diſtinctione vitioſum. Denique ſi Pater & Deus ſynonyma eſſent, ſic deificator eſſet Pater, nihil in Filio reſiduum eſſet præter umbram: nec aliud eſſet Trinitas, quam conjunctio Dei unius cum duabus rebus creatis.

Quarta eorundem objectionis diluſio attente legenda & obſervanda.

Prioris refutationis fuſior explicatio, qua oſtenditur nomen Dei non debere ita ad Patrem reſtringi, ut Filio Mediatori noſtro auferatur.

26. Quod objiciunt, Chriſtum, ſi proprie ſit Deus, Filium Dei perperam vocari, jam reſponſum eſt, quia ſit unius Perſonæ ad alteram comparatio, nomen Dei non ſumi indefinite, ſed reſtringi ad Patrem, quatenus deitatis eſt principium, non eſſentiando, ut fanatici nugantur, ſed ratione ordinis. Hoc ſenſu accipitur ſermo ille Chriſti ad Patrem, *Hæc eſt vita æterna, ut credant te unum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Nam in Mediatoris perſona loquens, medium gradum tenet inter Deum & homines. neque tamen ideo

Joan. 17:3. imminuitur ejus majeſtas. Nam etſi ſeipſum exinanivit, gloriam tamen ſuam, quæ abſcondita fuit coram mundo, non perdidit apud Patrem. Sic

cap. 1: 10. & 2: 9. Apoſtolus ad Hebræos, quanquam fatetur exiguo tempore fuiſſe imminutum infra Angelos, non tamen dubitat ſimul aſſerere, æternum eſſe Deum, qui fundavit terram. Tenendum igitur eſt, quoties Chriſtus in perſona Mediatoris Patrem compellat, ſub hoc Dei nomine divinitatem complecti, quæ

Joan. 16:7. & 14: 28. ipſius quoque eſt. Sic quum Apoſtolis diceret, *Expedit me aſcendere ad Patrem, quia Pater major me eſt*, non ſecundum divinitatem tantum ſibi tribuit, ut ſit, quoad æternam eſſentiam, Patre inferior: ſed quia cæleſti gloria potitus, fideles colligit in ejus participationem. In ſuperiore gradu Patrem locat, quatenus differt conſpicua ſplendoris perfectio, quæ in cælo apparet, ab ea gloriæ menſura, quæ non conſpecta fuit in ipſo carne veſtito. Eadem ratione alibi Paulus Chriſtum dicit redditurum Deo & Patri regnum, ut ſit Deus omnia in omnibus. 1 Cor. 15. verſ. 24. Nihil abſurdius, quam auferre perpetuitatem Chriſti deitati. Quod ſi nunquam deſinet eſſe Dei Filius, ſed idem manebit ſemper, qui fuit ab initio, ſequitur, ſub Patris nomine unicam Dei eſſentiam, quæ utriuſque communis eſt, comprehendi. Et certe ideo ad nos deſcendit Chriſtus, ut ad Patrem attollendo, ſimul etiam ad ſeipſum attolleret, quatenus unum eſt cum Patre. Nomen ergo Dei excluſive ad Patrem reſtringere, ut Filio auferatur, neque fas, neque rectum eſt. Nam & hac de cauſa verum eſſe Deum aſſerit Joannes, nequis

Joan. 1: 1. ſecundo deitatis gradu ſubſidere putet infra Patrem. ac miror, quid ſibi velint iſti novorum deorum fabri, dum Chriſtum verum Deum confeſſi, mox eum excludunt à Patris deitate: quaſi poſſit eſſe verus Deus, niſi qui unus eſt, aut transfuſa divinitas non ſit novum aliquod figmentum.

Reſponſio ad locos adductos ex Irenæo, ubi Patrem Chriſti aſſerit eſſe unicum & æternum Deum Iſraëlis.

27. Quod multos locos accumulant ex Irenæo, ubi Patrem Chriſti aſſerit eſſe unicum & æternum Deum Iſraël, vel pudenda inſcitia eſt, vel ſumma improbitas. Animadvertere enim debuerant ſancto viro negotium & certamen fuiſſe cum phreneticis, qui Patrem Chriſti negabant illum eſſe Deum, qui per Moſen & Prophetas olim loquutus fuerat, ſed neſcio quod ſpectrum è labe mundi productum. Itaque in hoc totus eſt, ut palam faciat non alium prædicari in Scriptura Deum, quam Chriſti Patrem, & perperam alium excogitari, ac proinde nihil mirum ſi toties concludat non alium fuiſſe Deum Iſraëlis, quam qui celebratur à Chriſto & Apoſtolis. Sic etiam nunc, ubi diverſo errori reſiſtendum eſt, vere dicemus, Deum, qui olim apparuit Patribus, non alium fuiſſe, quam Chriſtum. Porro ſiquis excipiat fuiſſe Patrem, in promptu erit reſponſio, dum pro Filii divinitate pugnamus, nos Patrem minime excludere. Ad hoc Irenæi conſilium. ſi attendant lectores, ceſſabit omnis contentio. Quin etiam ex ſexto capite lib. 3. tota lis facile dirimitur, ubi in hoc unum inſiſtit pius vir, Qui abſolute & indefinite vocatur in Scriptura Deus, illum eſſe vere unicum Deum: Chriſtum vero abſolute Deum vocari. Meminerimus hunc fuiſſe diſceptationis ſtatum, ſicuti ex toto progreſſu patet, ac præſertim libri 2. cap. 46. non vocari Patrem ænigmatice & parabolice, qui vere non

Irenæi conſilium.

lib. 3. c. 9. ſit Deus. Adde, quod alibi conjunctim, tam Filium, quam Patrem prædicatum fuiſſe Deum contendit à Prophetis & Apoſtolis. Poſtea vero definit,

cap. 12. ejuſdem libri. quomodo Chriſtus, qui Dominus eſt omnium & Rex, & Deus, & Judex, ab eo, qui eſt Deus omnium, acceperit poteſtatem: nempe ſubjectionis reſpectu, quia humiliatus eſt uſque ad mortem

cap. 16. ejuſdem libri. crucis. Interea paulo poſt affirmat, Filium eſſe opificem cæli & terræ, qui Legem tulit per Moſis manum & Patribus apparuit. Jam ſiquis blateret, Irenæo ſolum Patrem eſſe Deum Iſraël, regeram,

cap. 18. & 23. ejuſdem libri. quod idem ſcriptor aperte tradit, Chriſtum unum & eundem exiſtere: ſicuti etiam ad eum refert vaticinium Habacuc, *Deus ab Auſtro veniet*. Eodem pertinet, quod legitur cap. 9. lib. 4. *Ipſe igitur Chriſtus cum Patre vivorum eſt Deus*. Et ejuſdem libri cap. 12. interpretatur Abraham credidiſſe Deo, quia factor cæli & terræ, & ſolus Deus ſit Chriſtus.

Reſp. ad locos ex Tertulliano prolatos ab Antitrinitariis.

28. Tertullianum nihilo verius patronum ſibi aſciſcunt. quia, etſi aſper interdum & ſpinoſus eſt in ſuo loquendi genere, ſummam tamen doctrinæ, quam tuemur, non ambigue tradit: nempe, quum unus ſit Deus, diſpenſatione tamen, vel œconomia eſſe ejus Sermonem: unicum eſſe Deum ſubſtantiæ unitate, & nihilominus unitatem diſpenſationis myſterio in Trinitatem diſponi: tres eſſe, non ſtatu, ſed gradu: nec ſubſtantia, ſed forma: nec poteſtate, ſed ſerie. Dicit quidem ſe defendere ſecundum

lib. adverſus Praxeam.

dum à Patre Filium, ſed non alium intelligit, niſi diſtinctione. Viſibilem alicubi Filium dicit: ſed poſtquam io utramque partem ratiocinatus eſt, definit inviſibilem eſſe, quatenus eſt Sermo. Denique Patrem ſua perſona determinari affirmans, alieniſſimum ſe probat ab eo commeoto, quod refellimus. Et quanquam non alium Deum agnoſcit, quam Patrem, ſeipſum tamen proximo contextu explicans, ſe non excluſive loqui oſtendit Filii reſpectu, quia negat alium eſſe à Patre Deum: ideoque non violari monarchiam Perſonæ diſtinctione. Atque ex perpetuo ejus conſilio, verborum ſenſum colligere promptum eſt. Contendit enim adverſus Praxeam, quamvis in tres Perſonas diſtinctus ſit Deus, non tamen fieri plures deos, neque diſcerpi unitatem. Et quia ſecundùm Praxeæ commentum Chriſtus non poterat Deus eſſe, quin idem eſſet Pater, ideo tantopere de diſtinctione laborat. Quod vero Sermonem & Spiritum vocat portionem totius, abſurda eſt loquutio, excuſabilis tamen eſt, quando ad ſubſtantiam non refertur, ſed diſpoſitionem tantum & œconomiam notat, quæ ſolis Perſonis convenit, Tertulliano ipſo teſte. Inde etiam pendet illud, *Quot perſonæ tibi videntur perverſiſſime Praxea, niſi quot ſunt voces?* Sic etiam paulo poſt, *Ut credant Patrem & Filium in ſuis quemque nominibus & perſonis.* His arbitror ſatis refelli poſſe eorum impudentiam, qui ex Tertulliani auctoritate ſucum tentant facere ſimplicibus.

Tertulliani perpetuus mens in diſputatione de S. Trinitate.

29. Et certe quiſquis diligenter veterum ſcripta inter ſe conferet, non aliud reperiet apud Irenæum, quam quod ab aliis, qui deinde ſequuti ſunt, proditum fuit. Juſtinus unus eſt ex vetuſtiſſimis: nobis autem per omnia ſuffragatur. Objectent, tam ab illo, quam à reliquis Patrem Chriſti vocari unum Deum. Idem Hilarius quoque docet, imo aſperius loquitur, æternitatem eſſe in Patre. An ut Filio auferat Dei eſſentiam? Atqui in ejus fidei, quam ſequimur, defenſione totus eſt. Nec tamen eos pudet mutila neſcio quæ dicta excerpere, ex quibus perſuadeant Hilarium eſſe erroris ſui patronum. Ignatium, quod obtendunt, ſi velint quicquam habere momenti, probent Apoſtolos legem tuliſſe de quadrageſima & ſimilibus corruptelis: nihil næniis illis, quæ ſub Ignatii nomine editæ ſunt, putidius. Quo minus tolerabilis eſt eorum impudentia, qui talibus larvis ad fallendum ſe inſtruunt. Porro hoc veterum conſenſus clare perſpicitur, quod neque in Concilio Niceno Arius ex cujuſquam probati ſcriptoris auctoritate ſucum facere auſus eſt: & nemo ex Græcis vel Latinis excuſat à prioribus ſe diſſentire. Auguſtinus, cui nebulones iſti infeſtiſſimi ſunt, quam ſedulo excuſſerit omnium ſcripta, & quam reverenter amplexus ſit, dicere nihil attinet. Certe in minimis quibuſque ſcrupulis oſtendere ſolet, cur ab illis diſcedere cogatur. In hoc etiam argumento ſiquid ambiguum vel obſcurum legerit apud alios, non diſſimulat. Quam tamen iſti oppugnant doctrinam, pro confeſſo ſumit, ab ultima antiquitate ſine controverſia fuiſſe receptam. neque tamen, quid ante docuiſſent alii, ipſum latuiſſe, vel ex uno verbo conſtat, ubi dicit in Patre eſſe unitatem, lib. de doctrina Chriſtiana primo. an garrient ſui tunc fuiſſe oblitum? Atqui alibi ab hac calumnia ſe purgat, ubi Patrem vocat principium totius deitatis, quia à nullo eſt: prudenter ſcilicet expendens ſpecialiter Patri adſcribi Dei nomen, quòd niſi ab ipſo fiat initium, concipi nequeat ſimplex Dei unitas. His etiam demum, ut ſpero, agnoſcet pius lector, omnes calumnias diſcuſſas, quibus Satan hactenus puram doctrinæ fidem pervertere vel obtenebrare molitus eſt. Denique totam hujus doctrinæ ſummam fideliter eſſe explicatam confido, ſi quidem modum curioſitati imponant lectores, nec moleſtas & perplexas diſputationes cupidius, quam par ſit, ſibi accerſant. Nam quos oblectat ſpeculandi intemperies, minime placandos ſuſcipio. Certe nihil aſtute præterii, quod mihi adverſum eſſe putarem: ſed dum Eccleſiæ ædificationi ſtudeo, multa non attingere conſultius viſum eſt, quæ & parum prodeſſent, & lectores gravarent ſupervacua moleſtia. Quid enim diſputare attinet, an ſemper generet Pater? quando ſtulte fingitur continuus actus generandi, ex quo liquet ab æterno tres in Deo Perſonas ſubſtitiſſe.

Veteres Theologi, inter quos Juſtinus & Hilarius, Antitrinitarios abunde refellunt, & orthodoxam de S. Trinitate doctrinam profitentur.

Ignatius, ſuſpectus ſcriptor.

vide lib. 4. cap. 12. ſect. 20. 21.

Auguſtin. libris de Trinitate, & alibi.

Concluſio diſputationis de S. Trinitate.

ut multis diſputat P. Lombard. l. 1. diſt. 9.

Cap. XIV.

In ipſa etiam mundi & rerum omnium creatione Scripturam certis notis diſcernere verum Deum à fictitiis.

Secunda pars libri 1. de Notitia hominis.

Quædam vero hoc capite præmittuntur.

1. *De Creatione mundi, in genere, ſect. 1. & 2.*
2. *Tractatione de homine in proximum caput rejecta, de Angelis agitur, ſect. 3. uſque ad 13.*
3. *De malis Angelis, ſive Diabolis, à 13. ſect. ad 20.*
4. *Quis fructus ex hiſtoria Creationis à nobis ſit colligendus, ſect. 20. 21. & 22.*

QUanquam falſorum deorum cultoribus ſocordiam merito exprobrat Jeſaias, quod ex terræ fundamentis & cælorum ambitu non didicerint, quiſnam eſſet verus Deus: quæ tamen eſt ingenii noſtri tarditas & hebetudo, neceſſe fuit, ne ad Gentium figmenta defluerent fideles, expreſſius illis depingi verum Deum. Nam quum evanida ſit, quæ apud Philoſophos maxime tolerabilis habetur deſcriptio, Deum mentem eſſe mundi; ipſum familiarius à nobis cognoſci operæpretium eſt, ne ſemper in ambiguo vacillemus. Itaque hiſtoriam creationis extare voluit, cui innixa Eccleſiæ fides non alium Deum quæreret, niſi qui propoſitus eſt à Moſe opifex mundi & conditor. Illic primo notatum eſt tempus, ut continua annorum ſerie fideles ad primam humani generis & rerum omnium originem pervenirent. Quæ apprime utilis eſt cognitio, non tantum ut prodigioſis fabulis, quæ in Ægypto & aliis terræ plagis olim graſſatæ ſunt, obviam eatur, ſed etiam ut cognito mundi exordio, clarius eluceat Dei æternitas, noſque in ſui admirationem magis rapiat. Neque vero movere nos debet profana illa ſubſannatio, mirum eſſe, cur non citius venerit Deo in mentem, cælum & terram condere, ſed otioſus immenſum ſpatium præterfluere ſiverit, quod ante plurima ætatum millia efficere poſſet: quum ad ſex annorum millia nondum pervenerit mundi ad ultimum finem vergentis diuturnitas. Nam cur tamdiu diſtulerit Deus, neque fas eſt nobis inquirere, neque expedit: quia, ſi eo uſque penetrare contendat mens humana, centies in itinere deficiet: neque etiam cognitu utile eſſet, quod Deus ipſe, ut fidei noſtræ modeſtiam probaret, conſulto voluit celatum

Etſi ex mundi creatione Deus agnoſci debeat, ne tamen ad Gentium figmenta defluerent fideles, hiſtoriam Creationis in Scriptura extare voluit, & tempus notari.

Jeſ. 40: 21.

Impia objectio, cur mundum Deus non citius condiderit.

Reſponſio.

Google

Confirmatio à ſcito apophthegmate pii cujuſdam ſenis. hujus meminit Auguſt. confeſſionum lib. 11. cap. 12.

celatum eſſe. Ac ſcite pius ille ſenex, quum protervus quiſpiam ex eo per ludibrium quæreret, quid ante creatum mundum egiſſet Deus: reſpondit fabricaſſe inferos curioſis. Hæc non minus gravis, quam ſevera admonitio compeſcat laſciviam, quæ multos titillat, adeoque impellit ad pravas & noxias ſpeculationes. Denique meminerimus, Deum illum inviſibilem, & cujus incomprehenſibilis eſt ſapieotia, virtus & juſtitia, Moſis hiſtoriam ſpeculi loco nobis proponere, in quo viva ejus effigies relucet. Sicuti enim nihil diſtincte cernunt oculi, vel ſenio obtuſi, vel alio vitio hebetes: niſi ſpecillis adjuventur: ita, quæ noſtra eſt imbecillitas, niſi nos dirigat Scriptura in Deo quærendo, ſtatim evaneſcimus. Qui vero proterviæ ſuæ indulgent, quia nunc fruſtra monentur, ſerio horribili interitu ſentient quanto ſatius fuerit arcana Dei conſilia reverenter ſuſpicere, quam blaſphemias evomere, quibus cælum obſcurent. Et recte Auguſtinus, *injuriam Deo fieri*, conqueritur, *ubi ſuperior ejus voluntate flagitatur rerum cauſa.* Idem alibi prudenter admonet, non minus perperam de immenſis temporum, quam locorum ſpatiis quæſtionem moveri. Certe quantumvis late pateat cælorum circuitus, eſt tamen aliqua ejus dimenſio. Nuoc ſiquis cum Deo expoſtulet, quod centuplo ſuperet vacuitas, annon piis omnibus deteſtabilis erit petulantia? Eodem furoris proſiliunt, qui exagitant Dei otium, quod eorum arbitrio mundum ante inoumera ſecula non condiderit. Ut ſuæ cupiditati morem gerant, extra mundum egredi affectant. quaſi vero in tam ampla cæli & terræ circumferentia, non ſatis multa occurrant, quæ inæſtimabili ſuo fulgore abſorbeant ſenſus omnes noſtros: quaſi intra ſex annorum millia noo ſatis multa documenta ediderit Deus, in quorum aſſidua meditatione mentes noſtræ ſe exerceant. Ergo, libenter maneamus incluſi his cancellis, quibus nos circumſcribere Deus voluit, & quaſi mentes noſtras cootrahere, oe vagandi licentia diffluereot.

vide cap. 6. ſect. 1.

lib. de Gen. contra Manich. lib. 11. de Civit. Dei.

In eundem finem non uno momento, ſed ſex diebus abſolutum eſt Dei opus.

2. Ejuſdem rationis eſt quod narrat Moſes, non momento, ſed ſex diebus abſolutum fuiſſe Dei opus. Nam & hac circumſtaotia ab omnibus figmentis colligimur ad unicum Deum, qui in ſex diebus opus ſuum digeſſit, ne moleſtum nobis eſſet in ejus conſideratione occupari toto vitæ curſu. Quamvis enim oculi noſtri, in quamcunque partem ſe vertant, coguotur in operum Dei intuitu verſari: videmus tamen, quam fluxa ſit atteotio, & quam cito prætervolent, ſi quæ oos tangant piæ cogitationes. Hic etiam obſtrepit humana ratio, quaſi à Dei potentia alieni fuerint tales progreſſus, donec ſubacta ad fidei obſequium, quietem illam colere diſcit, ad quam nos invitat ſeptimi diei ſanctificatio. In ipſo autem ordine rerum diligeoter conſiderandus eſt paternus Dei amor erga humaoum genus, quod non ante creavit Adam, quam mundum omni bonorum copia locupletaſſet. Nam, ſi eum in terra adhuc ſterili & vacua locaſſet, ſi vitam dediſſet ante lucem, viſus fuiſſet ejus utilitati parum conſulere. Nunc, ubi Solis & aſtrorum motus diſpoſuit ad uſus humanos, terram, aquas, aërem animalibus replevit, frugum omnium abundantiam protulit, quæ alimentis ſufficeret: curam providi & ſeduli patrisfamilias ſuſcipiens, mirificam erga nos ſuam bonitatem oſtendit. Quæ breviter tantum delibo, ſi quiſque attentius apud ſe expeodat, conſtabit Moſen certum unius Dei creatoris teſtem ac præconem fuiſſe. Omitto, quæ jam expoſui, non de ouda tantum Dei eſſentia illic fieri ſermonem, ſed æternam quoque ejus ſapientiam & Spiritum oobis proponi: ne alium Deum ſomniemus, quam qui in illa expreſſa imagine vult agnoſci.

Deinde & ordo deſcribitur, nempe non ante creatum fuiſſe Adamum, quam ei Deus abunde, & paterna cura, mirificaque bonitate providiſſet.

Locus de Angelis, expoſitus.

3. Sed antequam de hominis natura plenius diſſerere incipiam, aliquid de Angelis inſerere oportet: quia, etſi Moſes vulgi ruditati ſe accommodans, non alia Dei opera commemorat in hiſtoria creationis, niſi quæ oculis noſtris occurrunt: ubi tamen poſtea Angelos Dei miniſtros inducit, colligere facile licet eorum eſſe conditorem, cui ſuam operam & officia impenduot. Quamvis ergo Moſes populariter loquens, non ſtatim à primis rudimentis Angelos recenſuerit inter Dei creaturas: nihil tamen vetat, quominus diſerte & explicate de illis tradamus, quæ alibi paſſim docet Scriptura: quia ſi Deum ex operibus ſuis agnoſcere cupimus, minime omittendum eſt tam præclarum & nobile ſpecimen. Adde, quod refutandis multis erroribus valde neceſſaria eſt pars doctrinæ. Multorum mentes ita perſtrinxit Angelicæ naturæ præſtantia, ut putarent illis injuriam fieri, ſi unius Dei imperio ſubjecti, quaſi in ordinem cogerentur: hinc illis affictadivinitas. Emerſit etiam Manichæus cum ſua ſecta, qui ſibi duo principia fabricavit, Deum & diabolum. ac Deo quidem tribuebat bonarum rerum originem: malas autem naturas ad diabolum auctorem referebat. Hoc delirium ſi mentes oostras teneret implicitas, non conſtaret Deo ſua in mundi creatiooe gloria. Nam, quum oihil magis Dei proprium ſit, quam æternitas, & *αὐτουσία*, id eſt, à ſeipſo exiſteotia, ut ita loquar: qui diabolo hoc tribuunt, nonne quodammodo eum divinitatis ornant titulo? Jam, ubi omnipotentia Dei, ſi diabolo tale conceditur imperium, ut illo invito ac repugnaote, quicquid voluerit, exequatur? Quod autem unicum habeot fundamentum Manichæi, nefas eſſe adſcribi bono Deo ullius rei malæ creationem, id orthodoxam fidem minime lædit, quæ non admittit aliquam eſſe in mundi univerſitate malam naturam: quandoquidem, nec pravitas & malitia, tum hominis, tum diaboli, aut quæ inde naſcuntur peccata, ex natura ſunt, ſed ex naturæ corruptione: nec quicquam omoino ab initio extitit, io quo ooo & ſapientiæ & juſtitiæ ſuæ ſpecimen ediderit Deus. His ergo perverſis commentis ut obviam eatur, altius animos attollere neceſſe eſt, quam oculi noſtri penetrent. Quo conſilio veriſimile eſt, ubi in ſymbolo Niceno vocatur Deus omnium conditor, res iovifibiles fuiſſe expreſſas. Modum tamen, quem præſcribit pietatis regula, tenere curæ erit, ne altius quam expedit ſpeculando, lectores à fidei ſimplicitate abducti vagentur. Et certe, quum utiliter ſemper nos doceat Spiritus: in quibus vero parum eſt momenti ad ædificatiooem, vel ſubticeat prorſus, vel leviter tantum & curſim attingat; noſtri quoque officii eſt, libenter ignorare, quæ non conducunt.

1. Ut ex iis quoque diſcamus agnoſcere Deum.

2. Ut muniti ſimus adverſus errores Angelolatrarum & Manichæorum.

Manichaiſmi, duo principia conſtituentis, refutatio.

Pietatis regula.

4. Angelos ſane, quum Dei ſint miniſtri ad juſſa ejus exequenda ordinati, eſſe quoque illius creaturas, extra controverſiam eſſe debet. De tempore vel ordine, quo creati fuerint, contentionem movere oonne pervicaciæ magis, quam diligentiæ eſt? Terram eſſe perfectam, & cælos perfectos, cum omni exercitu eorum, narrat Moſes: quid attinet anxie percontari, quoto die præter aſtra & planetas, alii quoque magis reconditi cæleſtes exercitus eſſe cœperint? Ne longior ſim, meminerimus hic (ut in tota religionis doctrina) tenendam eſſe unam modeſtiæ & ſobrietatis regulam, ne de rebus obſcuris aliud, vel loquamur, vel ſentiamus, vel ſcire etiam appetamus, quam quod Dei verbo fuerit nobis traditum. Alterum, ut in lectiooe Scripturæ, iis continenter quærendis ac meditandis immoremur, quæ ad ædificationem pertinent: non curioſitati, aut rerum inutilium ſtudio indulgeamus. Et, quia Dominus non in frivolis quæſtionibus, ſed in ſolida pietate, timore nominis ſui, vera fiducia, ſanctitatis officiis erudire oos voluit, in ea ſcientia acquieſcamus. Quamobrem, ſi rite ſapere volumus, relinquenda ſunt nobis illa *ματαιώματα*, quæ & ab otioſis hominibus de Aogelorum natura, ordinibus, multitu-

1. Angeli ſunt creati à Deo: quo autem tempore vel ordine, inquirere non expedit, ut facit P. Lombardus lib. 2. & ſeq. uſque ad 12.

Gen 2:1.

Regula Chriſtiana.

multitudine, abſque Dei verbo, traduntur. Scio,
bæc cupidius à multis arripi, & majori voluptati
eſſe, quam quæ in uſu quotidiano ſunt poſita. Ve-
rum, niſi Cbriſti diſcipulos eſſe nos piget, eam
quam ipſe methodum præſcripſit, ſequi ne pigeat.
Ita fiet, ut ejus magiſterio contenti, à ſupervacuis
ſpeculationibus, à quibus nos revocat, non tantum
Pſeudo- abſtineamus, ſed etiam abhorreamus. Dinnyſium
Dionyſii gar- illum, quicunque fuerit, nemo negaverit multa
rulitas. ſubtiliter & argute in cæleſti Hierarchia diſputaſſe:
verum, ſiquis propius excutiat, deprehendet ma-
xima ex parte meram eſſe garrulitatem. Theologo
autem, non garriendo aures nblectare, ſed vera,
certa, utilia docendo, conſcientias confirmare pro-
poſitum eſt. Si librum illum legas, putes hominem
de cæln delapſum referre non quæ didicit, ſed
2 Cor. 12. quæ oculis vidit. Atqui Paulus, qui extra tertium
verſ. 1. cælum raptus fuerat, non modo nihil tale prodidit,
ſed teſtatus quoque eſt, nefas eſſe homini, loqui,
quæ viderat, arcana. Illa ergo nugatoria ſapientia
valere juſſa, ex ſimplici Scripturæ doctrina conſi-
deremus, quod de Angelis ſuis ſcire nos Dominus
voluit.

5. Angelo- 5. Angelos eſſe cæleſtes ſpiritus, quorum mi-
rum natura, niſterio & obſequio utitur Deus ad exequenda
munera, no- omnia quæ decrevit, paſſim in Scriptura legitur:
mina varia. unde & hoc illis nomen attributum eſt, quod illos
veluti internuncios adhibet Deus ad ſe hominibus
vide Calv. manifeſtandum. Aliæ etiam quibus inſigniuntur
in Ezech. appellationes, ex ſimili ratione ſumptæ ſunt. Exer-
cap. 1: 4. citus vocantut, quia ut ſatellites Principem ſuum
& c.10: 14. circumdant, ejus majeſtatem exornant & conſpi-
cuam reddunt, & inſtar militum ad ſignum Ducis
ſui ſemper intenti ſunt, & ita parati ſunt ac expe-
diti ad capeſſenda illius juſſa, ut ſimul ac annuerit,
operi ſe accingant, vel potius, ſint in opere. Ta-
lem imaginem throni Dei, ad declarandam ejus
magnificentiam, cùm alii Prophetæ deſcribunt,
Dan. 7: 10. tum præcipue Daniel: ubi mille millia, & decies
mille myriadas aſtitiſſe dicit, quum Deus tribunal
conſcendiſſet. Quoniam vero vim ac fortitudinem
manus ſuæ Dominus per ipſos mirabiliter exerit ac
Eph. 1: 21. declarat, inde Virtutes nominantur. Quia vero im-
perium ſuum in mundn per eos exercet ac admini-
Col. 1: 16. ſtrat, ideo dicuntur nunc Principatus, nunc Pote-
ſtates, nunc Dominationes. Poſtremo, quia in illis
quodammodo reſidet gloria Dei, Tbroni quoque
hac ratione appellantur. Quanquam de boc poſtre-
mo nihil velim aſſerere: quia diverſa interpretatio,
vel æque, vel magis etiam congruit. Verum boc
nomine nmiſſn, prioribus illis ſæpe utitur Spiritus
ſanctus ad commendandam Angelici miniſterii
dignitatem. Neque enim æquum eſt, ſine honore
præteriri ea inſtrumenta, quibus numinis ſui præ-
ſentiam ſpecialiter Deus exhibet. Quin etiam ob id
non ſemel Dii nuncupantur, quod in ſuo miniſte-
rio, velut in ſpeculo, divinitatem aliqua ex parte
nobis repræſentant. Tametſi enim mihi non diſpli-
Gen. 18: 2. cet, quod veteres ſcriptores, ubi Scriptura Ange-
& cap. 32. lum Dei Abrahæ, Jacob, Moſi & aliis apparuiſſe
v. 1. & 28 commemorat, Chriſtum fuiſſe Angelum illum in-
Joſ. 5: 15. terpretantur: ſæpius tamen, ubi de Angelis omni-
Judic. 6. bus fit mentio, hoc nomen illis tribuitur. Neque id
& 13: 22. mirum videri debet. nam ſi principibus ac præfectis
Pſal. 82: 6. id bonoris datur, quod Dei, qui ſummus eſt Rex &
Judex, vices gerunt in ſua functione: longe major
cauſa eſt, cur deferatur Angelis, in quibus divinæ
gloriæ claritas multo abundantius elucet.

3. Sunt diſ- 6. Quod autem ad conſolationem noſtram fidei-
penſatores que confirmationem facere maxime poterat, in eo
& admini- docendo plurimum inſiſtit Scriptura: nempe An-
ſtri benefi- gelos divinæ erga nos beneficentiæ diſpenſatores
centia divi- eſſe & adminiſtros. Ideoque commemorat, pro ſa-
na erga nos. lute noſtra ipſos excubare, ſuſcipere defenſionem
noſtri, vias noſtras dirigere, ſollicitudinem gerere,
nequid adverſi nobis accidat. Univerſales ſunt ſen-
tentiæ, quæ in primis ad Chriſtum Eccleſiæ caput,
deinde ad omnes fideles pertinent. *Angelis ſuis man-* Pſ. 91: 11.
davit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In
manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem
pedes tuos. Item, *Manet Angelus Domini per cir-* Pſal. 34: 8.
cuitum eorum, qui timent eum, & eruit eos. Quibus
oſtendit Deus, ſeſe eorum, quos cuſtodiendos ſuſ-
cepit, tutelam Angelis ſuis delegare. Secundum
hanc rationem Angelus Domini conſolatur Agar fu- Gen. 16: 9.
gitivam, & dominæ ſuæ reconciliari jubet. Polli-
cetur Abraham ſervo ſuo Angelum fore ducem iti- ibid, 24: 7.
neris ipſius. Jacob in benedictinne Ephraim & Ma- ibid. 48: 16.
naſſe precatur, ut Angelus Domini, per quem libe-
ratus fuerat ab omni malo, proſperari eos faciat. Sic
Angelus protegendis Iſraelitici populi caſtris præ- Exod. 14.
fectus fuit: & quoties voluit Iſraelem Deus redime- verſ. 19.
re è manu boſtium, Angelorum miniſterio vindi- & 23: 20.
ces excitavit. Sic denique (ne plura commemorare Jud. 2: 1, 20
neceſſe ſit) Angeli Chriſto miniſtrarunt, & ei ad- & 6: 11.
fuerunt in omnibus anguſtiis: reſurrectionem mu- & 13: 10.
lieribus, & diſcipulis glorioſum adventum nuncia- Mat. 4: 11.
runt. Itaque, quo illud protectionis noſtræ munus Luc. 22: 43.
impleant, contra Diabolum omneſque hoſtes noſtros Mat. 28: 5.
depugnant, & vindictam Dei adverſus eos, qui nobis Luc. 24: 5.
infeſti ſunt, exequuntur. Quemadmodum legimus Act. 1: 10.
Angelum Dei, ut Jeruſalem obſidione liberaret, 2 Reg. 19.
centum octoginta quinque millia in caſtris regis verſ. 35.
Aſſyrii una nocte confeciſſe. Jeſ. 37: 36.

7. Cæterum, an ſingulis fidelibus ſinguli Angeli *4. Regnorum*
ſint attributi ad eorum defenſionem, pro certn aſſe- *& provin-*
rere non auſim. Certe, quum Daniel Angelum *ciarum quaſi*
Perſarum, & Græcorum Angelum inducit, ſignifi- *præſides:*
cat certos Angelos regnis ac provinciis, quaſi præſi- *præcipue au-*
des, deſtinari. Cbriſtus etiam, quum dicit Angelos *tem, electo-*
puerorum ſemper videre faciem Patris, certos eſſe *rum Dei cu-*
Angelos, quibus commendata ſit eorum ſalus, in- *ſtodes.*
nuit. Sed ex eo neſcio an colligi debeat, unicuique *Non certum*
præeſſe ſuum Angelnm. Hoc quidem pro certo ha- *eſt, unicuique*
bendum, non tantum uni Angelo unumquemque *noſtrûm con-*
noſtrûm eſſe curæ: ſed omnes uno conſenſu vigi- *ſtitutum eſſe*
lare pro ſalute noſtra. Nam de omnibus Angelis ſi- *Angelum*
mul dicitur, quod plus gaudeant ſuper uno pecca- *quendam de-*
tore ad reſipiſcentiam converſo, quam ſuper nona- *fenſorem.*
ginta novem juſtis, qui in juſtitia perſtiterint. De *Illud ſuffi-*
pluribus etiam Angelis dicitut, quod Lazari ani- *ciat, omnes*
mam in ſinum Abrahæ detulerint. Nec vero fruſtra *Angelos pro*
miniſtro ſuo monſtrat Eliſæus tot currus igneos, qui *Eccleſia ſa-*
peculiaritet illi deſtinati erant. Unus eſt locus, qui *lute excu-*
videtur ad id confirmandum aliis paulo clarior. Nam *bias agere.*
quum Petrus è carcere eductus pulſaſſet fores do- Dan. 10.
mus, in qua congregati erant fratres, quum ſuſpi- v. 13, 20.
cari non poſſent eum eſſe, dicebant eſſe Angelum & 12: 1.
ipſius. Videtur hoc illis in mentem veniſſe ex com- Matth. 18.
muni conceptione, quod ſingulis fidelibus præſides verſ. 10.
aſſignati ſint ſui Angeli. Quanquam hic quoque Luc. 15: 7.
reſponderi poteſt, nihil obſtare, quominus unum- Luc. 16: 23.
quemlibet ex Angelis intelligamus, cui Dominus 2 Reg. 6.
tunc Petri curam mandaſſet, neque tamen propter- verſ. 17.
ea eſſet perpetuus ejus cuſtos: quemadmodum vul- Act. 12: 15.
go imaginantut duos Angelos, bonum & malum,
tanquam diverſos Genios, ſingulis eſſe attributos.
Neque tamen operæpretium eſt, anxie inveſtigare,
quod ſcire noſtra non multum refert. Nam, ſicui
hoc non ſatisfaciet, omnes cæleſtis militiæ ordines
pro ſalute ſua excubias agere; non video, quid
proficere ex eo poſſit, ſi intelligat Angelum unum
peculiariter cuſtodem ſibi datum. Qui vero ad unum
Angelum reſtringunt, quam de unoquoque noſtrûm
curam Deus gerit: magnam ſibi & nmnibus Eccle-
ſiæ membris injuriam faciunt: acſi de nihilo pro-
miſſæ eſſent illæ auxiliares copiæ, quibus undique
cincti & muniti animoſius certemus.

8. De multitudine vero & ordinibus qui defi- *Angelorum*
nire audent, viderint, quale habeant fundamentum. *multitudo*

Michael,

& ordines non definiendi.
Dan. 12:1. Jud. v. 9. 1 Theſſ. 4. verſ. 16. Dan. 10. v. 13, 21. Dan. 8:16. & 9:21. Luc. 1. v. 19, 26. Tob. 3:17. & 5:5. Matth. 26. verſ. 55. Dan. 7:10. Pſal. 34:8.

Michaël, fateor, princeps magnus vocatur apud Danielem, & Archangelus apud Judam. Et Archaogelum fore docet Paulus, qui tuba citabit homines ad judicium. Sed quis inde poterit honorum gradus inter Angelos ſtatuere, diſtinguere ſingulos ſuis inſignibus, locum & ſtationem cuique aſſignare? Nam & duo nomina, quæ in Scripturis extant, Michaël & Gabriel, & tertium, ſi addere velis ex hiſtoria Tobiæ, ex ſignificatu videri poſſunt, pro infirmitatis noſtræ captu, Angelis indita, etſi id in medio malo relinquere. Quantum ad numerum, audimus ex ore Chriſti multas legiones: à Daniele multas myriadas: plenos currus vidit Eliſæi miniſter: & ingentem multitudinem declarat, quod dicuntur caſtrametari io circuitu timeotium Deum.

Angeli cur alati proponantur.

Forma ſpiritus carere certum eſt: & tamen Scriptura, pro ingenii noſtri modulo, Aogelos ſub Cherubim & Seraphim non fruſtra nobis alatos pingit, ne dubitemus incredibili celeritate ſemper ad auxilium nobis ferendum præſentes fore, ſimul ac res tulerit; acſi fulgure è cælo emiſſum, qua ſolet pernicitate, ad nos volaret. Quicquid præterea de utroque quæri poteſt, credamus ex eo eſſe genere myſteriorum, quorum plena revelatio in ultimum diem differtur. Proinde à nimia, vel in quærendo curioſitate, vel in loquendo audacia cavendum meminerimus.

5. Sunt ſpiritus miniſtratorii, & ſubſtantia ſpirituales.

9. Hoc tamen, quod nonnulli ioquieti homines in dubium vocant, pro certo eſt habendum, Angelos ſpiritus eſſe miniſtratorios, quorum obſequio utitur Deus ad ſuorum protectionem, & per quos tum ſua beneficia inter homines diſpenſat, tum reliqua etiam opera exequitur. Fuit illa quidem olim Sadducæorum opinio, per Angelos nihil deſignari, quam vel motus, quos Deus hominibus aſpirat, vel ea quæ edit virtutis ſuæ ſpecimina.

Sadducæorum, Angelicam eſſentiam abolentium, error refellitur.
Luc. 15. verſ. 10. Pſ. 91:11. Mat. 4:6. Luc 4:10. & 16:22. Matth. 18. verſ. 10. Act. 7:55. Gal. 3:19. Matth. 22. verſ. 30. & 24:36. ibid. 25. verſ. 31. Luc. 9:26. 1 Tim. 5. verſ. 21. Heb. 1:4. & 2:15, 16.

Sed huic delirameoto tot reclamant Scripturæ teſtimonia, ut mirum ſit, tam craſſam ignorationem in illo populo ferri potuiſſe. Ut enim omittam quos ſuperius locos citavi, ubi referuntur millia & legiones Angelorum, ubi gaudium illis tribuitur, ubi narrantur fideles manibus ſuſtinere, eorum animas deferre in quietem, videre faciem Patris, & ſimilia: ſunt alii, ex quibus clariſſime evincitur re vera eſſe ſpiritus naturæ ſubſiſtentis. Nam quod Stephanus & Paulus dicunt, Legem eſſe latam in manu Angelorum: & Chriſtus, electos fore poſt reſurrectionem Angelis ſimiles: diem judicii ne Angelis quidem eſſe cognitum: ſe tunc venturum cum ſanctis Angelis: ut maxime torqueatur, neceſſe erit ita intelligi. Similiter, quum Paulus Timotheum coram Chriſto & electis ipſius Angelis atteſtatur, ut præcepta ſua cuſtodiat; non qualitates aut inſpirationes ſine ſubſtantia, ſed veros ſpiritus denotat. Nec aliter ſubſiſtit, quod in epiſtola ad Hebræos legitur, Chriſtum excellentiorem Angelis effectum, illis non eſſe ſubjectum orbem terrarum, Chriſtum non ipſorum, ſed hominum naturam aſſumpſiſſe: niſi beatos eſſe ſpiritus intelligamus, in quos cadant iſtæ comparationes. Et ipſe auctor Epiſtolæ ſeipſum declarat, ubi in regno Dei, fidelium animas & ſanctos Angelos ſimul collocat.

ibid. 12. verſ. 22.

Præterea, quod jam citavimus, Angelos puerorum ſemper videre faciem Dei, eorum præſidio nos defendi, eos lætari de ſalute noſtra, mirari multiplicem Dei gratiam in Eccleſia, ſubeſſe Chriſto capiti. Eodem pertinet, quod ſanctis Patribus toties apparuerunt ſub forma hominum, loquuti ſunt, excepti etiam fuerunt hoſpitio. Et Chriſtus ipſe ob primatum, quem obtinet in perſona Mediatoris, Angelus vocatur. Hoc obiter attingere libuit, ad ſimplices præmunieodos adverſus illas ſtultas & abſurdas cogitationes, quæ ante multa ſecula à Sataoa excitatæ, ſubinde repullulant.

1 Petr. 1. verſ. 12. Hebr. 1:6. Pſal. 97:7. Mal. 3:1. vide Geneſin, & lib. Judicum.

Ethnicus error, Angelos in Dei throno collocans, refellitur,
1. Scriptura S. teſtimoniis.

10. Reſtat, ut ſuperſtitioni occurramus, quæ obrepere plerumque ſolet, ubi dicitur Angelos nobis omnium bonorum miniſtros eſſe ac præbitores. Eo enim protinus delabitur hominis ratio, ut nihil non honoris deferendum illis putet. Ita fit, ut quæ ſolius Dei & Chriſti ſunt, ad ipſos transferantur. Ita videmus Chriſti gloriam ſuperioribus aliquot ſeculis fuiſſe multis modis obſcuratam, quum immodicis elogiis Angeli præter Dei verbum cumularentur. Neque ullum fere antiquius eſt vitium ex iis, quæ hodie impugnamos. Siquidem Paulo etiam fuiſſe magnum certameo cum nonnullis apparet, qui ſic Angelos evehebant, ut Chriſtum propemodum in ordinem redigerent. Hinc tanta ſollicitudine urget in epiſtola ad Coloſſenſes, Chriſtum non modo Angelis omnibus eſſe anteferendum, ſed ipſis quoque bonorum omnium eſſe auctorem: ne eo derelicto, ad illos coovertamur, qui nec ſibi ſufficere poſſunt, ſed ex eodem, quo nos, foote hauriunt. Certe, quum in eis fulgor divini numinis refulgeat, nihil eſt magis proclive, quam io eorum adorationem ſtupore quodam nos proſterni, & omnia deinde illis tribuere, quæ nonniſi Deo debentur. Quod etiam Joannes in Apocalypſi fatetur ſibi accidiſſe: ſed ſimul addit fuiſſe ſibi reſponſum, *Vide ne feceris: conſervus tuus ſum. Deum adora.*

cap. 1. v. 16, 20.
Apoc. 19. verſ. 10. & 22:8, 9.

Deinde, argumentis ex S. Scriptura depromptis: ſimulque oſtenditur cur Deus utatur Angelorum miniſterio.

11. Atqui hoc periculum bene cavebimus, ſi expendamus cur per eos Deus potius, quam per ſe ſine ipſorum opera potentiam ſuam declarare, fidelium ſalutem curare, ſuæque beneficentiæ dona ipſis communicare ſoleat. Non facit hoc certe neceſſitate, quaſi carere illis nequeat: nam quoties libet, ipſis præteritis, opus ſuum vel ſolo nutu peragit: tantum abeſt, ut ad levandam difficultatem ſint illi ſubſidio. Hoc ergo ad ſolatium noſtræ imbecillitatis facit, nequid omnino, quod animis noſtris, vel in booam ſpem erigendis, vel in ſecuritate confirmandis valeat, deſideremus. Illud quidem unum ſatis ſuperque eſſe deberet, quod Dominus aſſerit ſe noſtrum eſſe protectorem. Sed dum tot periculis, tot noxis, tot hoſtium generibus nos videmus circumſideri: quæ noſtra eſt mollities ac fragilitas, fieri interdum poterit, ut trepidatione impleamur, vel deſperatione concidamus, niſi pro modulo noſtro gratiæ ſuæ præſentiam apprehendere nos Dominus faciat. Hac ratione, non modo nos ſibi curæ fore promittit, ſed innumeros habere ſatellites, quibus procurandam ſalutem noſtram mandaverit: horum præſidio ac tutela quamdiu ſepti ſumus, quicquid periculi immineat, nos extra omnem mali aleam eſſe poſitos. Perperam id quidem fieri à nobis fateor, quod poſt illam ſimplicem promiſſionem de uoius Dei protectione, adhuc circumſpectamus, unde veniat nobis auxilium. Sed quia Dominus pro immenſa ſua clementia & facilitate, vult huic noſtro vitio ſubvenire, non eſt cur tantum ejus beneficium oegligamus. Ejus rei exemplum in puero Eliſæi habemus, qui, quum mootem obſidione cingi videret ab exercitu Syrorum, nec ullum effugium patere, pavore conſternabatur, quaſi actum de ſe ac domino ſuo eſſet. Hic Eliſæus Deum precatus eſt, ut illius aperiret oculos: ille protinus montem equis ac curribus igneis refertum conſpicit, multitudine ſcil. Angelorum, à quibus cuſtodiendus erat cum Propheta. Hac viſione confirmatus ſe recepit, & hoſtes potuit intrepido animo deſpicere, quorum aſpectu fuerat prope exanimatus.

2 Reg. 6. verſ. 17.

Uſus doctrinæ in Scriptura traditæ, de S. Angelis.

12. Proinde, quicquid de Angelorum miniſterio dicitur, ad hunc finem dirigamus, ut expugnata omni diffidentia, ſpes in Deo noſtra fortius ſtabiliatur. Siquidem hæc præſidia ideo nobis à Domioo ſunt comparata, ne hoſtium multitudine terreamur, quaſi adverſus opem ejus prævaleret, ſed ad illam Eliſæi ſententiam confugiamus, *plures eſſe pro nobis, quam contra nos.* Quam igitur præpoſterum eſt, ab

Angelis nos abduci à Deo, qui in hoc ſunt conſtitui, ut præſentiorem ejus opem nobis teſtentur? Abducunt autem, ſi non rectà ad ipſum manu ducunt, ut ſolum auxiliatorem ſpectemus, invocemus ac prædicemus: ſi non ut ejus manus à nobis conſiderantur, quæ nullum ad opus, niſi ipſo dirigente, ſe moveant: ſi non in uno Mediatore Chriſto nos retinent, ut ab eo prorſus pendeamus, in eo recumbamus, ad eum feramur, & in ipſo acquieſcamus.

Gen.28. verſ.12.

Quod enim in viſione Jacob deſcribitur, hærere ac penitus infixum eſſe animis noſtris debet, Angelos in terram ad homines deſcendere, & ab hominibus in cælum aſcendere per ſcalam, cui inſidet Dominus exercituum. Quo indicatur, ſola Chriſti interceſſione fieri, ut Angelorum miniſteria ad nos perveniant, ſicut ipſe affirmat, *Poſthac videbitis cælos apertos, & Angelos deſcendentes ad Filium hominis.*

Joan.1:51.

Gen.24:7.

Itaque ſervus Abrahæ, Angeli cuſtodiæ commendatus, non propterea ipſum invocat, ut ſibi adſit, ſed ea commendatione fretus preces fundit coram Domino, petitque ut miſericordiam ſuam erga Abrahamum exerat. Quemadmodum enim non ideo potentiæ bonitatiſque ſuæ miniſtros facit eos Deus, ut ſuam cum illis gloriam partiatur: ita non opem ſuam ideo in ipſorum miniſterio nobis promittit, ut noſtram inter ipſos & eum fiduciam dividamus. Valeat ergo Platonica illa Philoſophia de quærendo per Angelos ad Deum aditu, & ipſis in hunc finem colendis, quo Deum faciliorem nobis reddant: quam ſuperſtitioſi curioſique homines conari ſunt in religionem noſtram ab initio invehere, & ad hunc uſque diem perſeverant.

vide Plat. in Epinomide & Cratylo.

Locus de malis Angelis, ſeu diabolis, ad quatuor capita revocatus. 1 Ut inſidias, molitiones, & inſultus potentiſſimorum iſtorum adverſariorum armis idoneis propugnemus.

13. Quæ de diabolis Scriptura tradit, eo fere tendunt omnia, ut ſollicti ſimus ad præcavendas eorum inſidias & molitiones: tum iis armis nos inſtruamus, quæ ad propulſandos potentiſſimos hoſtes ſatis firma ſint ac valida. Nam quum deus ac princeps hujus ſeculi vocatur Satan, quum fortis armatus, ſpiritus cui poteſtas eſt aëris, leo rugiens dicitur: non alio reſpiciunt iſtæ deſcriptiones, niſi ut cautiores ſimus & vigilantiores, tum ad pugnam capeſſendam paratiores. Quod etiam expreſſis verbis interdum notatur. Nam Petrus, poſtquam diabolum dixit circuire inſtar leonis rugientis quærentem quos devoret, mox adhortationem ſubjungit, ut fide fortiter reſiſtamus. Et Paulus, ubi monuit luctam non cum carne & ſanguine nobis eſſe, ſed cum principibus aëris, poteſtatibus tenebrarum, & nequitiis ſpiritualibus, continuo arma induere jubet, quæ ad tantum, tamque periculoſum certamen ſuſtinendum paria ſint. Quare nos quoque ad hunc finem omnia conferamus, ut hoſtem, & hoſtem audacia promptiſſimum, viribus robuſtiſſimum, artibus callidiſſimum, diligentia & celeritate infatigabilem, machinis omnibus refertiſſimum, pugnandi ſcientia expeditiſſimum, nobis aſſidue imminere præmoniti, non ſocordia vel ignavia opprimi nos ſinamus, ſed ex adverſo erectis excitatiſque animis pedem figamus ad reſiſtendum. & quia hæc militia non niſi morte finitur, ad perſeverantiam nos hortemur. Præcipue vero imbecillitatis & ruditatis noſtræ nobis conſcii, Dei opem invocemus, nec quicquam tentemus, niſi ipſo freti: quando ipſius eſt ſolius & conſilium & robur & animos & arma ſubminiſtrare.

2 Cor.4:4.
Joan.12. verſ.31.
Matth.12. verſ.29.
Eph.2:2.
1 Petr.5:8.
Eph.6:12.

Ut eorum ingenti numero propoſito excitemur ac urgeamur ad pietatis exercitia.

14. Quo autem ad id agendum magis excitemur ac urgeamur, non unum, aut alterum, aut paucos hoſtes, ſed magnas eſſe copias denunciat Scriptura, quæ nobiſcum bellum gerunt. Nam & Maria Magdalena dicitur liberata fuiſſe à ſeptem dæmoniis, quibus occupabatur: & illud eſſe ordinarium teſtatur Chriſtus, quod ſi ejecto ſemel dæmonio locum iterum patefacias, ſeptem ſpiritus nequiores ſecum aſſumit, ac redit in poſſeſſionem vacuam. Imo legio tota dicitur hominem unum obſediſſe. His ergo docemur, cum infinita hoſtium multitudine bellandum nobis eſſe: ne paucitate contempta, ſimus ad prælium remiſſiores, vel intermiſſionem aliquam dari nobis interdum putantes, deſidiæ indulgeamus.

Mar.16:9.
Matth.12. verſ.42.
Luc.8:30.

Cur unus ſæpe ſingulari numero proponatur.

Quod autem ſingulari numero ſæpe unus Satan vel diabolus proponitur, in eo denotatur principatus ille iniquitatis, qui adverſatur regno juſtitiæ. Quemadmodum enim Eccleſia & ſanctorum ſocietas Chriſtum habet caput: ita impiorum factio, & ipſa impietas cum ſuo principe nobis depingitur, qui ſummum imperium illic obtineat. Qua ratione dictum eſt illud, *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus.*

Matth.25. verſ.41.

Ut ad perpetuum certamen cum diabolo accendamur, quum Dei & hominum hoſtis ubique dicatur.

15. Hoc quoque ad perpetuum cum diabolo certamen accendere nos debet, quod adverſarius Dei & noſter ubique dicitur. Nam ſi cordi nobis eſt Dei gloria, ut par eſt, totis viribus adverſus eum enitendum eſt, qui illius exſtinctionem molitur. Si ad regnum Chriſti aſſerendum animati ſumus, ut oportet, neceſſe eſt nobis irreconciliabile cum eo bellum eſſe, qui in illius ruinam conſpirat. Rurſus, ſiqua ſalutis noſtræ cura nos tangit, nec pax nec induciæ cum eo nobis eſſe debent, qui in ejus perniciem aſſidue inſidias tendit. Talis autem deſcribitur Geneſeos cap.3. ubi hominem ab obedientia, quam Deo debebat, abducit, ut ſimul & Deum juſto honore ſpoliet, & hominem ipſum in ruinam præcipitet. Talis etiam in Euangeliſtis, ubi inimicus vocatur, & ſpargere zizania ad corrumpendum vitæ æternæ ſemen dicitur. In ſumma, quod de ipſo teſtatur Chriſtus, ab initio fuiſſe homicidam, & mendacem, in omnibus ejus factis experimur. Mendaciis enim veritatem Dei oppugnat: lucem tenebris obſcurat: hominum mentes implicat erroribus: odia ſuſcitat, contentiones ac pugnas accendit: omnia in eum finem, ut Dei regnum evertat, homines in æternum interitum ſecum demergat. Unde conſtat, ipſum natura pravum, malignum ac malitioſum eſſe. Nam in eo ingenio, quod ad gloriam Dei & hominum ſalutem impetendam factum eſt, ſummam pravitatem eſſe oportet. Hoc etiam ſignificat Joannes in epiſtola ſua, quum ſcribit eum ab initio peccare. Siquidem intelligit, ipſum omnis malitiæ & iniquitatis auctorem, ducem, architectum.

Matth.13. verſ.28.
Joan.8. verſ.44.
1 Joan.3. verſ.8.

2. Diaboli malitia non eſt ex creatione, ſed ex depravatione.

16. Atqui quum à Deo conditus ſit diabolus, hanc malitiam, quam ejus naturæ tribuimus, non ex creatione, ſed ex depravatione eſſe meminerimus. Quicquid enim damnabile habet, defectione & lapſu ſibi accerſivit. Quod ideo nos admonet Scriptura, ne talem credentes à Deo prodiiſſe, Deo ipſi adſcribamus quod eſt ab eo alieniſſimum. Hac ratione denunciat Chriſtus Satanam ex propriis loqui, quum mendacium loquitur: & rationem ponit, quia non ſtetit in veritate. Certe, quum in veritate perſtitiſſe negat, innuit aliquando in ea fuiſſe: & quum patrem facit mendacii, hoc illi adimit ne Deo vitium imputet, cujus ipſe ſibi cauſa fuit. Quanquam autem hæc breviter ſunt & minus clare dicta, ad id tamen abunde ſufficiunt, ut Dei majeſtas ab omni calumnia vindicetur. Et quid noſtra refert, vel plura, vel in alium finem de diabolis ſcire? Fremunt nonnulli, quod non ordine & diſtincte lapſum illum, ejuſque cauſam, modum, tempus, ſpeciem pluribus locis Scriptura exponat. Sed quia hæc nihil ad nos, melius fuit, ſi non ſubticeri in totum, at certe leviter attingi. quia nec Spiritu ſancto dignum fuit, inanibus hiſtoriis ſine fructu curioſitatem paſcere: & videmus hoc fuiſſe Domino propoſitum, nihil in ſacris ſuis oraculis tradere, quod non ad ædificationem diſceremus. Ergo, ne ſupervacuis ipſi immoremur, contenti ſimus hoc breviter habere de diabolorum natura, fuiſſe prima creatione Angelos Dei: ſed degenerando ſe perdidiſſe, & aliis factos eſſe inſtrumenta perditionis.

Joan.8:44.

Cauſam, modum, tempus, & ſpeciem lapſus Angelorum malorum quærere curioſum eſt, & inutile.

Hoc,

2 Pet. 2: 4. Judæ v. 6. 1 Tim. 5. verſ. 21.

Hoc, quia utile cognitu erat, clare apud Petrum & Judam docetur: *Angelis*, inquiunt, *qui peccaverunt, nec ſervarunt ſuam originem, ſed reliquerunt ſuum domicilium, non pepercit Deus.* Et Paulus electos Angelos nominans, haud dubie reprobos tacite opponit.

3. Diaboli potentia ejuſmodi eſt, ut quamvis voluntate & conatu (idque à ſeipſo) ſemper Domino adverſetur: ille tamen, niſi volente & annuente Deo, nihil facere poſſit.

Job. 1: 6. & 2: 1. 1 Reg. 22. verſ. 20. 1 Sam. 16. verſ. 14. & 18: 10. Pſa. 78: 49. 2 Theſſ. 2. verſ. 9, 11.

17. Quantum vero ad diſcordiam & pugnam attinet, quam Satanæ cum Deo eſſe dicimus, ſic accipere oportet, ut fixum interim illud maneat, illum, niſi volente & annuente Deo, nihil facere poſſe. Legimus enim in hiſtoria Job, illum ſe ſiſtere coram Deo ad excipienda mandata, nec pergere audere ad facinus aliquod obeundum, niſi impetrata facultate. Sic & quum decipiendus eſt Achab, recipit, ſe fore ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum: & à Domino amandatus, id præſtat. Hac ratione & ſpiritus Domini malus dicitur, qui torquebat Saul, quod eo, veluti flagello, puniebantur impii regis peccata. Et alibi ſcribitur, plagas Ægyptiis fuiſſe à Deo inflictas per Angelos malos. Secundum hæc particularia exempla Paulus generaliter teſtatur, excæcationem incredulorum opus eſſe Dei, quum antea vocaſſet operationem Satanæ. Conſtat ergo, ſub Dei poteſtate eſſe Satanam, & ſic ipſius nutu regi, ut obſequium reddere ei cogatur. Porro, quum dicimus Satanam Deo reſiſtere, & illius opera cum hujus operibus diſſidere, hanc repugnantiam & hoc certamen à Dei permiſſione pendêre ſimul aſſerimus. De voluntate jam non loquor, nec etiam de conatu, ſed de effectu tantum. Quando enim improbus eſt natura diabolus, minime ad obedientiam divinæ voluntatis propenſus eſt, ſed totus ad contumaciam & rebellionem fertur. Hoc igitur à ſeipſo ſuaque nequitia habet, ut cupiditate & propoſito, Deo adverſetur. Hac improbitate exſtimulatur ad conatum earum rerum, quas maxime adverſarias eſſe Deo putat. Sed quia Deus illum potentiæ ſuæ freno vinctum conſtrictumque tenet, ea modo exequitur, quæ ſibi divinitus conceſſa fuerint: atque ita creatori ſuo, velit nolit, obſequitur: quia cogitur miniſterium præbere, quocunque ille impulerit.

Deinde, Deus ita illuc inflectit ſpiritus immundos, ut illis fideles exercendos tantum, incredulos & impios gubernandos permittat.

Eph. 4: 27. 1 Petr. 5: 8.

18. Jam vero, quia Deus immundos ſpiritus, prout libitum eſt, huc illuc inflectit: hoc regimen ita temperat, ut fideles pugnando exerceant, adoriantur inſidiis, incurſionibus ſollicitent, pugnando urgeant, fatigent etiam ſæpe, conturbent, pavefaciant, ac interdum vulnerent, ſed nunquam vincant nec opprimant: impios autem ſubactos trahant, in eorum animis & corporibus imperium exerceant, ad omnia flagitia velut mancipiis abutantur. Quantum ad fideles attinet, quia ab ejuſmodi hoſtibus inquietantur: ideo has exhortationes audiunt, *Nolite locum dare diabolo. Diabolus hoſtis veſter, ut leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes fide.* & ſimiles. Ab hoc genere certaminis ſe non fuiſſe immunem fatetur Paulus, quum ſcribit ad remedium domandæ ſuperbiæ ſibi datum Satanæ angelum, à quo humiliaretur. Omnibus ergo filiis Dei commune eſt id exercitium. Quia autem promiſſio illa de conterendo Satanæ capite ad Chriſtum & omnia ejus membra communiter pertinet, ideo nego vinci unquam vel opprimi ab eo fideles poſſe. Conſternuntur quidem ſæpe, ſed non exanimantur, quin ſe recolligant: concidunt violentia ictuum, ſed poſtea eriguntur: vulnerantur, ſed non lethaliter: denique ſic laborant toto vitæ curriculo, ut in fine victoriam obtineant. quod tamen ad ſingulos actus non reſtringo. Scimus enim juſta Dei vindicta, Satanæ permiſſum fuiſſe ad tempus Davidem, ut ejus impulſu populum numeraret: nec fruſtra ſpem veniæ relinquit Paulus etiam, ſiqui diaboli laqueis irretiti fuerint. Ideo alibi idem Paulus promiſſionem ſuperius citatam inchoari in hac vita, ubi luctandum eſt, oſtendit: poſt luctam adimpleri, quum dicit, *Deus autem pacis brevi Satanam conteret ſub pedibus veſtris.* In capite quidem noſtro ſemper ad plenum extitit hæc victoria: quia nihil in eo habuit princeps mundi: in nobis autem, qui membra ejus ſumus, ex parte nunc apparet: perficietur autem, quum carne noſtra exuti, ſecundum quam infirmitati obnoxii adhuc ſumus, Spiritus ſancti virtute pleni erimus. In hunc modum, ubi ſuſcitatur erigiturque regnum Chriſti, Satan cum ſua poteſtate concidit: quemadmodum ait Dominus ipſe, *Videbam Satanam, quaſi fulgur, de cælo cadentem.* Hoc enim reſponſo confirmat, quod de prædicationis ſuæ potentia retulerant Apoſtoli. Item, *Quum princeps occupat atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet: quum autem ſupervenit fortior, ejicitur*, &c. Et in hunc finem Chriſtus moriendo, vicit Satanam, qui habebat mortis imperium: & triumphum de omnibus ejus copiis egit, ne Eccleſiæ noceant: alioqui centies eam peſſundaret ſingulis momentis. Nam (quæ noſtra eſt imbecillitas, & quæ illius ſunt furioſæ vires) quomodo vel tantillum contra multiplices & aſſiduos ejus impetus ſtaremus, niſi freti ducis noſtri victoria? Non ergo in animas fidelium permittit Deus regnum Satanæ, ſed impios duntaxat & incredulos illi gubernandos tradit, quos in ſuo grege cenſeri non dignatur. Nam dicitur hunc mundum ſine controverſia occupare, donec à Chriſto exturbetur. Item, excæcare omnes, qui non credunt Euangelio. Item, peragere opus ſuum in filiis contumacibus. & merito: ſunt enim impii omnes vaſa iræ. Ideo, cui potius, quam divinæ ultionis miniſtro ſubjicerentur? Denique ex patre diabolo eſſe dicuntur: quia, ut in eo filii Dei agnoſcuntur fideles, quod imaginem ejus gerunt: ita illi ex Satanæ imagine, in quam degenerarunt, ejus filii proprie cenſentur.

2 Cor. 12. verſ. 7. Gen. 3: 15. 2 Sam. 24. verſ. 1. 2 Tim. 2. verſ. 26. Rom. 16. verſ. 20. Luc. 10. verſ. 18. Luc. 11. verſ. 21. Joan. 12. verſ. 31. 2 Cor. 4: 4. Eph. 2: 2. Rom. 9. verſ. 22. Joan. 8: 44. 1 Joan. 3. verſ. 8.

4. De natura malorum Angelorum: ſpirituales videlicet ſunt ſubſtantiæ, vel Spiritus ſenſu & intelligentia prædíti.

Matth. 12. verſ. 43. Joan. 8: 44. Joan. 3: 19. Jud. v. 6. 1 Joan. 3. verſ. 8. Jud. v. 9. Job. 1: 6. & 2: 1. Matth. 8. verſ. 29. ibid. 25 41. 2 Petr. 2: 4.

19. Quemadmodum autem ſuperius refutavimus nugatoriam illam de ſanctis Angelis Philoſophiam, quæ docet nihil eſſe, quam inſpirationes, vel motiones bonas, quas in mentibus hominum Deus excitat: ſic & hoc loco refellendi ſunt, qui diabolos nihil quam malos affectus aut perturbationes eſſe nugantur, quæ nobis ingeruntur à carne noſtra. Id autem breviter facere licebit, quia extant non pauca in hanc rem & ſatis aperta Scripturæ teſtimonia. Primum, quum immundi ſpiritus vocantur, & Angeli apoſtatæ, qui ab origine ſua degenerarunt, ipſa nomina ſatis exprimunt, non motiones aut affectiones mentium, ſed magis revera, quod dicuntur, mentes vel ſpiritus ſenſu & intelligentia præditos. Similiter ubi filii Dei cum diaboli filiis, tam à Chriſto, quam ab Joanne conferuntur, nonne inepta eſſet comparatio, ſi nomen diaboli nihil quam malas inſpirationes deſignaret? Et Joannes aliquid etiamnum apertius addit, diabolum ab initio peccare. Similiter, quum Michaëlem archangelum inducit Judas pugnantem cum diabolo: certe Angelo bono opponit malum & defectorem. Cui reſpondet id, quod legitur in hiſtoria Job, comparuiſſe Satanam cum ſanctis Angelis coram Deo. Clariſſimi autem omnium ſunt illi loci, qui mentionem pœnæ faciunt, quam ſentire incipiunt à Dei judicio, & præcipue ſenſuri ſunt in reſurrectione. *Fili David, cur veniſti ante tempus ad torquendum nos?* Item, *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus.* Item, *Si propriis angelis non pepercit; ſed catenis detractos projecit in caliginem ad æternam damnationem ſervandos*, &c. Quam ineptæ loquutiones forent, deſtinatos æterno judicio diabolos, ignem illis eſſe præparatum, jam torqueri ipſos & cruciari à Chriſti gloria, ſi nulli eſſent omnino diaboli? Sed quoniam hæc res diſputatione non eget apud eos, qui verbo Domini fidem habent, apud iſtos vero inanes ſpeculatores, quibus nihil placet niſi novum, Scripturæ teſtimoniis parum proficitur: videor mihi feciſſe, quod volui, ut

ſcilicet inſtructæ ſint piæ mentes adverſus ejuſmodi deliria, quibus inquieti homines ſe & alios ſimpliciores turbant. Fuit autem operæpretium hoc quoque attingere, ne qui illo errore impliciti, dum putant nullum ſe habere hoſtem, ſiant ad reſiſtendum ſegniores & incautiores.

Poſtrema pars capitis, creationis hiſtoriam paucis complectens, cujus notitia nos docet quod de Deo ſcire noſtra refert.

20. Interea ne pigeat in hoc pulcherrimo theatro piam oblectationem capere ex manifeſtis & obviis Dei operibus. Eſt enim hoc (ut alibi diximus) etſi non præcipuum, naturæ tamen ordine primum fidei documentum, quaquaverſum oculos circumferamus, omnia quæ occurrunt, meminiſſe Dei eſſe opera: & ſimul quem in finem à Deo condita ſint, pia cogitatione reputare. Ergo, ut vera fide apprehendamus, quod de Deo ſcire refert, hiſtoriam creationis mundi operæpretium eſt in primis tenere, qualiter à Moſe breviter expoſita, & à ſanctis deinde viris, Baſilio præſertim & Ambroſio, copioſius illuſtrata eſt. Ex ea diſcemus, Deum Verbi ac Spiritus ſui potentia ex nihilo creaſſe cælum & terram: hinc omne genus animalia reſque inanimatas produxiſſe, mirabili ſerie diſtinxiſſe innumeram rerum varietatem, ſuam unicuique generi naturam indidiſſe, aſſignaſſe officia, loca attribuiſſe & ſtationes, &, quum omnia ſint corruptioni obnoxia, providiſſe tamen, ut ſingulæ ſpecies ad diem extremum ſalvæ conſerventur. Proinde alias fovere arcanis modis, & novum ſubinde vigorem illis quaſi inſtillare: aliis vim propagandi contuliſſe, ne ſuo interitu prorſus intereant. Itaque cælum & terram, quam fieri potuit abſolutiſſima rerum omnium copia, varietate, pulchritudine, non ſecus atque amplam ac ſplendidam domum, exquiſitiſſima ſimul & copioſiſſima ſupellectile inſtructam ac refertam, mirabiliter exornaſſe. Demum hominem formando, eumque tam ſpecioſo decore totque ac tantis dotibus inſigniendo, præclariſſimum in eo ſuorum operum ſpecimen edidiſſe. Verum, quoniam mundi creationem enarrare mihi non eſt propoſitum, ſatis ſit hæc paucula iterum in tranſitu attigiſſe. Melius enim eſt, ut jam monui lectores, ex Moſe & aliis qui mundi hiſtoriam fideliter ac diligenter memoriæ commendarunt, pleniorem hujus loci intelligentiam petere.

1. Ea nempe ad hoc in primis valet, ut quas in ſuis creaturis conſpicuas virtutes exhibet Deus omnipotens, non ingrata vel incogitantia vel oblivione tranſeamus.

21. Quorſum vero tendere, & quem in ſcopum referri debeat operum Dei conſideratio, pluribus diſputare nihil attinet: quum & alibi magna ex parte expedita hæc quæſtio, & quantum præſentis inſtituti intereſt, paucis verbis abſolvi queat. Sane, ſi pro dignitate explicare libeat, quam ineſtimabilis Dei ſapientia, potentia, juſtitia, bonitas in mundi compoſitione reluceat, nullus orationis ſplendor, nullus ornatus tantæ rei magnitudini par erit. Nec dubium, quin velit nos Dominus in hac ſancta meditatione continenter occupari: ut dum illas immenſas ſapientiæ, juſtitiæ, bonitatis, potentiæ ſuæ divitias in omnibus creaturis, velut in ſpeculis contemplamur, non tantum eas fugiente oculo percurramus, & èvanido (ut ſic loquar) intuitu: ſed in ea cogitatione diu immoremur: eam ſerio ac fideliter animis revolvamus, memoriaque identidem repetamus. Verum, quia nunc in didactico verſamur genere, ab iis ſuperſedere nos convenit, quæ longas declamationes requirunt. Ergo, ut compendio ſtudeam, tunc ſciant lectores ſe vera fide apprehendiſſe, quid ſit Deum cæli & terræ eſſe creatorem, ſi illam primum univerſalem regulam ſequantur, ut quas in ſuis creaturis Deus exhibet conſpicuas virtutes, non ingrata, vel incogitantia, vel oblivione tranſeant: deinde ſic ad ſe applicare diſcant, quo penitus afficiantur in ſuis cordibus.

Exemplum prioris hujus notitia.

Prioris exemplum eſt, dum reputamus quanti fuerit artificis, hanc ſtellarum multitudinem, quæ in cælo eſt, tam diſpoſita ſerie ordinare & aptare, ut nihil excogitari poſſit aſpectu ſpecioſius: alias ita inſerere & affigere ſuis ſtationibus, ut moveri nequeant: aliis liberiorem curſum concedere, ſed ita, ut errando non ultra ſpatium vagentur: omnium motum ita temperare, ut dies & noctes, menſes, annos & anni tempora metiatur: & hanc quoque, quam quotidie cernimus inæqualitatem dierum ad tale temperamentum redigere, ut nihil confuſionis habeat. Sic quoque dum potentiam obſervamus, in ſuſtinenda tanta mole, in tam celeri cæleſtis machinæ volutatione gubernanda, & ſimilibus. Hæc enim paucula exempla ſatis declarant, quid ſit Dei virtutes in mundi creatione recognoſcere. Alioqui, ſi totam rem, ut dixi, oratione perſequi libeat, nullus erit modus: quando tot ſunt divinæ potentiæ miracula, tot inſignia bonitatis, tot ſapientiæ documenta, quot ſunt in mundo rerum ſpecies, imo quot ſunt res vel magnæ vel exiguæ.

2. Deinde & ad illud (quod fidem propius reſpicit) ut eas noſtra cauſa creatas eſſe agnoſcamus, quo magis ad Dei fiduciam, invocationem, laudem & amorem excitemur.

22. Reſtat altera pars, quæ ad fidem propius accedit: ut dum animadvertimus in bonum ac ſalutem noſtram Deum omnia deſtinaſſe, ſimul in nobis ipſis, & tantis, quæ in nos contulit, bonis, ſentimus ipſius potentiam & gratiam: inde nos ad ipſius fiduciam, invocationem, laudem, amorem excitemus. Porro omnia ſe hominis cauſa condere, ipſo creandi ordine demonſtravit ipſe Dominus, ut paulo ante admonui. Non enim abs re eſt, quod mundi fabricam in ſex dies diſtribuit: quum nihilo difficilius eſſet, uno momento totum opus ſimul omnibus numeris complere, quam ejuſmodi progreſſione ſenſim ad complementum pervenire. Verum, in eo ſuam erga nos providentiam paternamque ſollicitudinem commendare voluit, quod antequam hominem fingeret, quicquid utile illi ac ſalutare providebat fore, id totum præparavit. Quantæ nunc ingratitudinis foret, dubitare, an huic optimo Patri curæ ſimus, quem videmus de nobis, priuſquam naſceremur, fuiſſe ſollicitum? Quam impium eſſet diffidentia trepidare, ne aliquando nos in neceſſitate deſtituat ejus benignitas, quam videmus nondum natis cum ſumma bonorum omnium affluentia fuiſſe expoſitam? Adhæc audimus ex Moſe, nobis ejus liberalitate ſubjectum, quicquid omnino rerum eſt in toto orbe. Certum eſt, non ideo feciſſe, quo nos luderet inani titulo donationis. Ergo nihil unquam nobis defuturum eſt, quoad ſalutis noſtræ referet. Denique ut ſemel finiam, quoties Deum nominamus cæli & terræ creatorem, ſimul in mentem nobis veniat, eorum omnium, quæ condidit, diſpenſationem in manu ac poteſtate ipſius eſſe, nos vero eſſe ipſius filios, quos alendos & educandos in ſuam fidem cuſtodiamque receperit: ut bonorum omnium ſummam ab eo uno expectemus, ac certo ſperemus illum nunquam paſſurum nos rebus ad ſalutem neceſſariis indigere, ne aliunde ſpes noſtra pendeat: ut quicquid deſideramus, ad eum vota noſtra reſpiciant: cujoſcunque rei fructum percipimus, ejus eſſe beneficium agnoſcamus, & cum gratiarum actione profiteamur: ut tanta bonitatis ac beneficentiæ ſuavitate illecti, ipſum toto pectore amare & colere ſtudeamus.

Gen. 1: 28. & 9: 2.

CAP. XV.

CAP. XV.

Qualis homo ſit creatus: ubi de animæ facultatibus, de imagine Dei, libero arbitrio, & prima naturæ integritate diſſeritur.

Partes hujus capitis.

1. *In hac diſputatione de hominis ſtatu ante lapſum, regulis neceſſariis adhibitis, primum de corporis creatione agitur, & quid nos doceat ejus ex terra formatio & vivificatio, ſect. 1.*
2. *Variis & validis argumentis probatur animæ humanæ immortalitas, ſect. 2.*
3. *De imagine Dei (immortalitatis animæ humanæ argumento firmiſſimo) tractatus, refutatis quorundam deliriis, ſect. 3.*
4. *Diſcuſſis nebulis errorum, quæ luci veritatis tenebras offundunt, additur de facultatibus animæ humanæ ante lapſum Theologica & Philoſophica conſideratio, ſect. 4, 5, 6, 7. & 8.*

Duplex hominis cognitio, ante & poſt lapſum. De priore hoc capite agitur.

JAm de hominis creatione dicendum: non modo, quia inter omnia Dei opera nobiliſſimum ac maxime ſpectabile eſt juſtitiæ ejus, & ſapientiæ, & bonitatis ſpecimen: ſed quia, ut initio diximus, non poteſt liquido & ſolide cognoſci Deus à nobis, niſi accedat mutua noſtri cognitio. Etſi autem ea duplex eſt: nempe, ut ſciamus quales nos prima origine ſimus conditi, & qualis noſtra conditio eſſe cœperit poſt Adæ lapſum (nec vero multum prodeſſet creationem noſtram tenere, niſi in hac triſti ruina agnoſceremus, qualis ſit naturæ noſtræ corruptela & deformitas) nunc tamen integræ naturæ deſcriptione contenti erimus. Et ſane antequam ad miſeram iſtam hominis conditionem, cui nunc addictus eſt, deſcendamus, operæpretium eſt tenere, qualis ab initio conditus fuerit.

Regulæ ſeu cautiones in hac diſputatione in primis obſervanda.

Cavendum eſt enim, ne præciſe tantum naturalia hominis mala demonſtrando, ea videamur ad naturæ auctorem referre: quandoquidem in hoc prætextu ſe habere ſatis defenſionis putat impietas, ſi obtendere queat, quicquid habet vitii, à Deo quodammodo profectum eſſe: nec dubitat, ſi redarguitur, cum Deo ipſo litigare, culpamque in eum tranſcribere, cujus merito rea agitur. Et qui religioſius loqui de numine videri volunt, libenter tamen excuſationem pravitatis ſuæ captant à natura, non cogitantes ſe Deum quoque (licet obſcurius) ſugillare: cujus in contumeliam recideret, ſiquid vitii ineſſe naturæ probaretur. Quum ergo videamus carnem inhiare ſubterfugiis omnibus, quibus utcunque derivari alio à ſe malorum ſuorum culpam exiſtimat, huic malitiæ diligenter obviandum eſt. Itaque ſic tractanda eſt humani generis calamitas, ut præcidatur omnis tergiverſatio, & juſtitia Dei ab omni inſimulatione vindicetur. Poſtea ſuo loco videbimus, quam longe abſint homines ab ea puritate, qua donatus fuerat Adam. Ac primo tenendum eſt, quum ex terra & luto ſumptus fuit, injectum fuiſſe ſuperbiæ frenum: quia nihil magis abſurdum eſt, quam ſua excellentia gloriari, qui non ſolum habitant tugurium luteum, ſed qui ſunt ipſi ex parte terra & cinis. Quod autem Deus vas teſtaceum non modo animare dignatus eſt, ſed etiam domicilium eſſe voluit immortalis ſpiritus, jure in tanta fictoris ſui liberalitate gloriari potuit Adam.

lib. 2. c. 1. & 2. & 3.
Gen. 2: 7. & 3. v. 19, 23.
Quid nos doceat corpus è luto formatum, & animatum.

Anima humana immortalitas probatur.

2. Porro hominem conſtare anima & corpore, extra controverſiam eſſe debet: atque animæ nomine eſſentiam immortalem, creatam tamen intelligo, quæ nobilior ejus pars eſt. Interdum ſpiritus vocatur: etſi enim dum ſimul junguntur hæc nomina, ſignificatione inter ſe differunt: ubi tamen ſeorſum ponitur ſpiritus, tantundem valet atque anima. ſicuti quum Solomo de morte loquens, dicit tunc ſpiritum ad Deum redire, qui dedit illum. Et Chriſtus ſpiritum ſuum Patri commendans, Stephanus etiam Chriſto, non aliud intelligunt, quam ubi ſoluta eſt à carnis ergaſtulo anima, Deum eſſe perpetuum ejus cuſtodem. Qui vero animam imaginantur ideo ſpiritum dici, quia flatus ſit, aut vis divinitus infuſa corporibus, quæ tamen eſſentia careat: eos nimis craſſe deſipere, & res ipſa, & tota Scriptura oſtendit. Verum quidem eſt, dum terræ plus juſto affixi ſunt homines, hebetari, imo, quia à Patre luminum alienati ſunt, tenebris eſſe obcæcatos, ut ſe à morte fore ſuperſtites non cogitent. interim tamen non ita in tenebris extincta lux eſt, quin immortalitatis ſuæ ſenſu tangantur. Certe conſcientia, quæ inter bonum & malum diſcernens, Dei judicio reſpondet, indubium eſt immortalis ſpiritus ſignum. Quomodo enim ad Dei tribunal penetraret motus ſine eſſentia, & terrorem ſibi ex reatu incuteret? Neque enim ſpiritualis pœnæ metu afficitur corpus, ſed in ſolam animam cadit: unde ſequitur, eſſentia præditam eſſe. Jam ipſa Dei cognitio ſatis coarguit, animas, quæ mundum tranſcendunt, eſſe immortales, quia ad vitæ fontem non perveniret vigor evanidus. Denique, quum tot præclaræ dotes, quibus humana mens pollet, divinum aliquid inſculptum ei eſſe clamitent, totidem ſunt immortalis eſſentiæ teſtimonia. Nam qui brutis animalibus ineſt ſenſus, extra corpus non egreditur: vel ſaltem non longius ſe extendit, quam ad res ſibi objectas. Mentis vero humanæ agilitas cælum & terram, naturæque arcana perluſtrans, & ubi ſecula omnia intellectu & memoria complexa eſt, ſingula digerens ſua ſerie, futuraque ex præteritis colligens, clare demonſtrat latere in homine aliquid à corpore ſeparatum. Deum inviſibilem & Angelos intelligentia concipimus, quod minime in corpus competit. Recta, juſta, & honeſta, quæ ſenſus corporeos latent, apprehendimus. Ergo hujus intelligentiæ ſedem ſpiritum eſſe oportet. Imo ſomnus ipſe, qui hominem obſtupefaciens, vita etiam exuere videtur, non obſcurus eſt immortalitatis teſtis: quando non modo earum rerum, quæ nunquam factæ ſunt, cogitationes ſuggerit, ſed etiam in futurum tempus præſagia. Breviter hæc attingo, quæ profani quoque ſcriptores ſplendidiore verborum ornatu magnifice extollunt: ſed apud pios lectores ſatis valebit ſimplex admonitio. Jam niſi anima eſſentiale quiddam eſſet à corpore ſeparatum, non doceret Scriptura nos habitare domos luteas, & morte migrare ex tabernaculo carnis: exuere quod corruptibile eſt, ut tandem ultimo die reportemus mercedem, prout ſe quiſque geſſerit in corpore. Nam hi certe loci, & ſimiles, qui paſſim occurrunt, non ſolum manifeſte diſtinguunt animam à corpore, ſed hominis nomen ad eam transferendo, præcipuam eſſe partem indicant. Jam quum hortatur fideles Paulus, ut ſe mundent ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, duas partes, in quibus reſident ſordes peccati, conſtituit. Petrus quoque Chriſtum vocans animarum paſtorem & epiſcopum, perperam loquutus eſſet, niſi eſſent animæ, erga quas fungeretur hoc officio. Neque

Eccl. 12: 7.
Luc. 23. verſ. 46.
Act. 7: 59.
1. Teſtimonio conſcientia.
2. Dei cognitione.
3. Præclaris dotibus quibus pollet.
4. Conceptionibus mirandis quæ per ſomnum fiunt.
5. Immumeris argumentis è Scriptura S. depromptis.
Job 4: 19.
2 Cor. 5: 4.
2 Petr. 1. v. 13, 14.
2 Cor. 5. verſ. 10.
2 Cor. 7: 1.
1 Petr. 2. verſ 25.

[1 Pet. 1: 9. ibid 2: 11. vide Calvin. in Pſychopann. & in inſtr. adv. liber. c. 11. 12. Heb. 13. verſ. 17. 2 Cor. 1. verſ. 23. Matth. 10. verſ. 28. Luc. 12: 5. Heb. 12. verſ. 9.]

ſtaret, quod dicit de æterna animarum ſalure: & quod jubet animas purificare, & pravas cupiditates militare adverſus animam: quod item auctor epiſtolæ ad Hebræos paſtores dicit excubias agere, ut rationem reddant pro animabus noſtris: niſi propriam eſſentiam animæ haberent. Eodem ſpectat, quod Paulus teſtem invocat Deum in animam ſuam: quia rea coram Deo non fieret, niſi pœnæ eſſet obnoxia. Quod etiam clarius exprimitur Chriſti verbis, dum timere eum jubet, qui, poſtquam occiderit corpus, animam poteſt mittere in gehennam ignis. Jam, dum auctor epiſtolæ ad Hebræos patres carnis noſtræ à Deo diſtinguit, qui unus eſt pater ſpirituum, non potuit clarius animarum eſſentiam aſſerere. Adhæc, niſi animæ corporum ergaſtulis ſolutæ manerent ſuperſtites, abſurde induceret Chriſtus Lazari animam gaudio fruentem in ſinu Abrahæ: & rurſum divitis animam hortendis tormentis addictam. Hoc idem Paulus confirmat, nos à Deo peregrinari docens, quamdiu in carne habitamus: ejus vero præſentia extra carnem frui. Ne longior ſim in re parum obſcura, hoc tantum ex Luca addam, inter Sadducæorum errores referri, quod ſpiritus & Angelos eſſe non crederent.

[Luc. 16. verſ. 22. 2 Cor. 5. verſ. 6, 8. Actor. 23. verſ. 8.]

[*De imagine Dei, immortalitatis animæ firmiſſ. argumenta.* Genel. 1. verſ. 27.]

3. Hujus etiam rei probatio inde firma colligitur, quod dicitur homo creatus ad imaginem Dei. Quamvis enim in homine externo refulgeat Dei gloria, propriam tamen imaginis ſedem in anima eſſe dubium non eſt. Non inficior quidem, externam ſpeciem, quatenus nos diſtinguit à brutis animalibus, ac ſeparat, ſimul Deo propius adjungere: nec vehementius contendam, ſiquis cenſeri velit ſub imagine Dei, quod quum prona ſpectent

[Ovid. Metam. lib. 1.]

——— animalia cætera terram,
Os homini ſublime datum eſt, cælumque videre
Juſſus, & erectos ad ſidera tollere vultus.

[*Qualis ſit hæc imago.* *Oſiandri deliria de imagine Dei refelluntur.*]

Modo fixum illud maneat, imaginem Dei, quæ in his externis notis conſpicitur, vel emicat, ſpiritualem eſſe. Oſiander enim (quem ſcripta ejus teſtantur in futilibus commentis perverſe fuiſſe ingenioſum) imaginem Dei promiſcue, tam ad corpus, quam ad animam extendens, cælum terræ miſcet. Dicit Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum in homine locare ſuam imaginem, quia utcunque ſtetiſſet Adam integer, Chriſtus tamen futurus fuerit homo. Ita ſecundum eum corpus, quod deſtinatum erat Chriſto, exemplar ac typus fuit corporeæ illius figuræ, quæ tunc formata fuit. Sed ubi reperiet Chriſtum Spiritus eſſe imaginem? Fateor certe in Mediatoris perſona lucere totius divinitatis gloriam: ſed quomodo Sermo æternus vocabitur Spiritus imago, quem ordine præcedit? Denique evertitur inter Filium & Spiritum diſtinctio, ſi hic illum nominet ſuam imaginem. Adhæc ſcire ex eo velim, quomodo Chriſtus in carne, quam induit, Spiritum ſanctum referat, & quibus notis vel lineamentis exprimat ejus ſimilitudinem. Et quum Filii quoque perſonæ ſermo ille, *Faciamus hominem*, &c. communis ſit, eum ſui ipſius imaginem ſequitur eſſe: quod ab omni ratione abhorret. Adde, quod nonniſi ad Chriſti hominis typum vel exemplar formatus fuit homo, ſi recipitur Oſiandri figmentum. atque ita idea, ex qua ſumptus eſt Adam, fuit Chriſtus, quatenus veſtiendus carne erat: quum Scriptura longe alio ſenſu doceat eum in imagine Dei creatum eſſe. Plus coloris habet eorum argutia, qui exponunt, Adam creatum fuiſſe in imagine Dei, quia Chriſto, qui unica Dei imago eſt, fuerit conformis: ſed in ea quoque nihil eſt ſolidum. Diſputatio etiam non parva eſt de imagine, & ſimilitudine, dum interpretes differentiam, quæ nulla eſt, inter duas iſtas voces, quærunt, niſi quod ſimilitudo, vice expoſitionis, addita eſt. Primo, ſcimus Hebræis tritas eſſe repetitiones, quibus rem unam bis explicant: deinde, in re ipſa nulla eſt ambiguitas, quin Dei imago nominetur homo, quia Deo ſimilis eſt. Unde ridiculos eſſe apparet, qui ſubtilius philoſophantur in nominibus illis, ſive *Zelem*, hoc eſt imaginem, ſtatuant in ſubſtantia animæ, & *Demuth*, hoc eſt ſimilitudinem, in qualitatibus, ſive aliud diverſum afferant. quia ubi Deus hominem creare decrevit in imagine ſua, quod erat obſcurius, exegetice repetit hac particula, *ad ſimilitudinem*. quaſi diceret ſe hominem facturum, in quo ſeipſum, velut in imagine, repræſentaret, propter inſculptas ſimilitudinis notas. Itaque Moſes paulo poſt idem recitans, imaginem Dei bis ponit, omiſſa ſimilitudinis mentione. Frivolum autem eſt, quod objicit Oſiander, non dici partem hominis, vel animam cum ſuis dotibus, imaginem Dei: ſed totum Adam, cui nomen à terra, unde ſumptus eſt, impoſitum fuit. frivolum, inquam, ſani omnes lectores hoc judicabunt. Nam, dum mortalis vocatur totus homo, non ideo morti ſubjicitur anima: nec rurſum, ubi dicitur animal rationale, ideo in corpus ratio vel intelligentia competit. Quamvis ergo anima non ſit homo, abſurdum tamen non eſt, cum animæ reſpectu vocari Dei imaginem: etſi principium, quod nuper poſui, retineo, patere Dei effigiem ad totam præſtantiam, qua eminet hominis natura inter omnes animantium ſpecies. Proinde hac voce notatur integritas, qua præditus fuit Adam, quum recta intelligentia polleret, affectus haberet compoſitos ad rationem, ſenſus omnes recto ordine temperatos, vereque eximiis dotibus opificis ſui excellentiam referret. Ac quamvis primaria ſedes Divinæ imaginis fuerit in mente & corde, vel in anima ejuſque potentiis: nulla tamen pars fuit etiam uſque ad corpus, in qua non ſcintillæ aliquæ micarent. Certum eſt, in ſingulis etiam mundi partibus fulgere lineamenta quædam gloriæ Dei: unde colligere licet, ubi in homine locatur ejus imago, tacitam ſubeſſe antitheſin, quæ hominem ſupra alias omnes creaturas extollat, & quaſi ſeparet à vulgo. Neque vero negandum eſt, Angelos ad Dei ſimilitudinem creatos eſſe, quando ſumma noſtra perfectio (teſte Chriſto) erit, ſimiles illis fieri. Sed non fruſtra peculiari hoc elogio, Dei erga nos gratiam commendat Moſes: præſertim quum viſibiles tantum creaturas homini comparet.

[Geneſ. 1. verſ. 26. De Oſiandri nugamentis vide lib. 2. cap. 12. ſect. 5. &c. *Imago & ſimilitudo an differant.* *Alia Oſiandri objectio.* *Reſponſio.* *In toto Adamo Dei imago elucebat.* Matth. 22. verſ. 30.]

[*Imago Dei in anima, quibus facultatibus cenſeri debeat, ex inſtauratione per Chriſtum colligitur.*]

4. Nondum tamen data eſſe videtur plena imaginis definitio, niſi clarius pateat, quibus facultatibus præcellat homo, & quibus ſpeculum cenſeri debeat gloriæ Dei. Id vero non aliunde melius, quam ex reparatione corruptæ naturæ cognoſci poteſt. Quin Adam, ubi excidit è gradu ſuo, hac defectione à Deo alienatus ſit, minime dubium eſt. Quare, etſi demus non prorſus exinanitam ac deletam in eo fuiſſe Dei imaginem, ſic tamen corrupta fuit, ut quicquid ſupereſt, horrenda ſit deformitas. Ideoque recuperandæ ſalutis nobis initium eſt in ea inſtauratione, quam conſequimur per Chriſtum, qui etiam hac de cauſa vocatur ſecundus Adam: quia nos in veram & ſolidam integritatem reſtituit. Quamvis enim vivificantem Spiritum, quo donantur à Chriſto fideles, opponens Paulus animæ viventi, in qua creatus fuit Adam, uberiorem gratiæ menſuram in regeneratione commendet: non tamen alterum illud caput tollit, hunc regenerationis eſſe finem, ut nos Chriſtus ad imaginem Dei reformet. Itaque alibi novum hominem renovari docet ſecundum imaginem ejus qui creavit illum. Cui reſpondet illud, *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt.* Jam videndum eſt, quid maxime ſub hac renovatione comprehendat Paulus. Priore loco agnitionem ponit, altero autem ſinceram juſtitiam, & ſanctitatem: unde colligimus, initio in luce mentis, in

[*Quid ſub hac inſtauratione comprehendatur.*]

cordis

cordis rectitudine, partiumque omnium ſanitate, conſpicuam fuiſſe Dei imaginem. Quanquam enim fateor ſynecdochicas eſſe loquendi formas, non poteſt tamen principium hoc convelli, quod in renovatione imaginis Dei præcipuum eſt, in ipſa etiam creatione tenuiſſe ſummum gradum. Eodem

2 Cor. 3. verſ. 18.

pertinet, quod alibi tradit, nos revelata facie gloriam Chriſti ſpeculantes, in eandem imaginem transformari. Videmus nunc ut Chriſtus perfectiſſima ſit Dei imago, ad quam formati ſic inſtauramur, ut vera pietate, juſtitia, puritate, intelligentia imaginem Dei geſtemus. Quo poſito, Oſiandrica illa de figura corporis imaginatio, per ſe facile evaneſcit. Quod autem vir ſolus imago & gloria Dei vocatur

1 Cor. 11. verſ. 7.

apud Paulum, & mulier excluditur ab hoc honoris gradu, ad ordinem politicum reſtringi ex contextu patet. At ſub imagine, cujus ſit mentio, comprehendi quicquid ad ſpiritualem & æternam vitam ſpectat, jam ſatis probatum eſſe arbitror. Hoc idem

Joan. 1: 4.

alii verbis confirmat Joannes, aſſerens vitam, quæ in æterno Dei Sermone ab initio erat, fuiſſe lucem hominum. Nam quum propoſitum ſit, ſingularem Dei gratiam, qua homo reliquis animantibus præcellit, laudare, ut eum ſegreget ex communi numero, quia non vulgarem adeptus eſt vitam, ſed conjunctam cum luce intelligentiæ: ſimul oſtendit,

Imago Dei in homine ante lapſum, quid fuerit: in quibus nunc conſpicatur quando & ubi perfecta apparebit.

quomodo ad imaginem Dei ſit conditus. Ergo, quum Dei imago ſit integra naturæ humanæ præſtantia, quæ refulſit in Adam ante defectionem, poſtea ſic vitiata & prope deleta, ut nihil ex ruina, niſi confuſum, mutilum, labeque infectum ſuperſit: nunc aliqua ex parte conſpicitur in electis, quatenus Spiritu regeniti ſunt: plenum vero fulgorem obtinebit in cælo. Ut vero ſciamus, quibus partibus conſtet, de animæ facultatibus diſſerere operæpretium eſt.

lib. de Trinit. 10. & lib. de Civit. Dei 11.

Nam illa Auguſtini ſpeculatio minime firma eſt, *animam Trinitatis eſſe ſpeculum*, quia in ea reſident intellectus, voluntas, & memoria. Neque

vide Calvin. in Pſychopann. & comment. in Geneſ.

etiam probabilis eorum opinio, qui Dei ſimilitudinem in dominatu ei tradito locant: acſi Deum hac nota ſolum referret, quia conſtitutus ſit omnium rerum herus ac poſſeſſor, quum penes ipſum, non extra, proprie quærenda ſit: imo interius ſit animæ bonum.

Prius quam de anima facultatibus diſſerat, refellit Manichæorum & Serveti delirium de animæ origine.

5. Cæterum antequam longius progrediar, Manichæorum delirio occurrere neceſſe eſt, quod rurſus hac ætate invehere tentavit Servetus. Quod dicitur inſpiraſſe Deus in faciem hominis ſpiraculum vitæ, putarunt animam traducem eſſe ſubſtantiæ Dei: quaſi aliqua immenſæ divinitatis portio in hominem fluxiſſet. Atqui hic diabolicus error, quam craſſas & fœdas abſurditates ſecum trahat, breviter

Gen. 2: 7.

oſtendere facile eſt. Nam, ſi ex Dei eſſentia per traducem ſit anima hominis, ſequetur, Dei naturam non ſolum mutationi eſſe obnoxiam & paſſionibus, ſed ignorantiæ quoque, pravis cupiditatibus, infirmitati & omne genus vitiis. Nihil homine inconſtantius, quia ejus animam exagitant & varie diſtrahunt contrarii motus: ſubinde per inſcitiam hallucinatur: minimis quibuſque tentationibus victus ſuccumbit: animam ipſam ſcimus ſordium omnium lacunam ac receptaculum eſſe: quæ omnia Dei naturæ aſcribere conveniet, ſi recipimus animam eſſe ex Dei eſſentia, vel arcanum divinitatis influxum. Quis ad hoc portentum non exhorreat? Vere qui-

Actor. 17. verſ. 28.

dem ex Arato Paulus nos dicit eſſe Dei progeniem: ſed qualitate, non ſubſtantia, quatenus ſc. divinis nos dotibus ornavit. Interea Creatoris eſſentiam lacerare, ut partem quiſque poſſideat, nimiæ amentiæ eſt. Animas ergo, quamvis illis inſculpta ſit imago Dei, creatas eſſe non minus quam Angelos, certo ſtatuendum eſt. Creatio autem non transfuſio eſt, ſed eſſentiæ ex nihilo exordium. Nec vero, ſi à Deo ſpiritus datus eſt, & ex carne migrando ad eum redit, protinus dicendum eſt, ex ejus ſubſtantia decerptum eſſe.

Et Oſiandri ij imaginem Dei in homine non agnoſcentis, ſine eſſentiali juſtitia.

Atque hac quoque in parte Oſiander, dum ſuis illuſionibus effertur, impio errore ſe implicuit, imaginem Dei in homine non agnoſcens ſine eſſentiali juſtitia, quaſi nos inæſtimabili Spiritus ſui virtute conformes ſibi reddere nequeat Deus, quin ſubſtantialiter Chriſtus in nos ſe transfundat. Quocunque colore has præſtigias fucare conentur nonnulli, oculos ſanis lectoribus nunquam ita perſtringent, quin videant reſipere Manichæorum errorem. Atque ubi de imaginis inſtauratione differit

2 Cor. 3. verſ. 18.

Paulus, ex ejus verbis elicere promptum eſt, non ſubſtantiæ influxu, ſed Spiritus gratia & virtute hominem fuiſſe Deo conformem. Dicit enim Chriſti gloriam ſpeculando, in eandem imaginem nos transformari tanquam à Domini Spiritu: qui certe ita in nobis operatur, ut Deo conſubſtantiales nos reddat.

Ad animæ facultates explicandas accedens, primum, doctrinam omnium fere Philoſophorum variam, incertam & obſcuram eſſe oſtendit.

6. Animæ definitionem à Philoſophis petere ſtultum eſſet, quorum nemo fere, excepto Platone, ſubſtantiam immortalem ſolide aſſeruit. Eam quidem alii quoque Socratici attingunt: ſed ita, ut nemo aperte doceat, de quo ipſe perſuaſus non fuit. Inde autem Platoni rectior ſententia, quod imaginem Dei in anima conſiderat. Alii ejus potentias ac facultates ita præſenti vitæ affigunt, ut extra corpus nihil reliquum faciant. Porro ex Scriptura ante docuimus, eſſe ſubſtantiam incorpoream: nunc addendum eſt, quamvis proprie loco non comprehendatur, corpori tamen inditam, illic quaſi in domicilio habitare: non tantum, ut omnes ejus partes animet, & organa reddat apta & utilia ſuis actionibus, ſed etiam, ut primatum in regenda hominis vita teneat: nec ſolum, quoad officia terrenæ vitæ, ſed ut ad Deum colendum ſimul excitet. Hoc

Animæ præſtantia deſcribitur.

poſtremum tametſi in corruptione liquido non cernitur, ejus tamen reliquiæ in ipſis vitiis impreſſæ manent. Unde enim tanta famæ cura hominibus, niſi ex pudore? unde autem pudor, niſi ex honeſti reſpectu? cujus principium & cauſa eſt, quod ſe ad colendam juſtitiam natos eſſe intelligunt: in quo incluſum eſt religionis ſemen. Sicut autem abſque controverſia ad cæleſtis vitæ meditationem conditus fuit homo, ita ejus notitiam animæ fuiſſe inſculptam certum eſt. Et ſane, præcipuo intelligentiæ uſu careret homo, ſi ſua eum lateret felicitas: cujus perfectio eſt, cum Deo conjunctum eſſe. Unde & præcipua animæ actio eſt, ut illuc aſpiret: ac proinde, quo quiſque magis ad Deum accedere ſtudet, eo ſe probat ratione eſſe præditum.

Una tantum in uno homine anima.

Qui plures volunt eſſe animas in homine, hoc eſt, ſenſitivam & rationalem, etſi videntur aliquid afferre probabile, quia tamen in eorum rationibus nihil eſt firmum, repudiandi nobis ſunt, niſi in rebus frivolis & inutilibus nos torquere libeat.

Brevis recenſio ſententia Philoſophorum de animæ facultatibus.

Magnam repugnantiam eſſe dicunt, inter organicos motus, & rationalem animæ partem. Quaſi non ipſa quoque ratio ſecum diſſideat, & ejus conſilia, alia cum aliis, non ſecus ac hoſtiles exercitus confligant. Sed quum hæc turbatio ſit ex naturæ depravatione, perperam inde colligitur, duas eſſe animas, quia facultates, qua decet ſymmetria inter ſe non conſentiant. Cæterum de ipſis facultatibus ſubtilius diſſerere Philoſophis permitto: nobis ad ædificandam pietatem ſimplex definitio ſufficiet. Vera quidem eſſe, nec jucunda modo cognitu, ſed etiam utilia eſſe fateor, dextreque ab illis collecta, quæ docent: nec vero ab eorum ſtudio prohibeo, qui diſcendi cupidi ſunt. Admitto igitur primo loco

in Theæteto.

eſſe quinque ſenſus, quos tamen Platoni organa magis vocari placet, quibus in ſenſum communem, ceu in receptaculum quoddam, objecta omnia inſtillentur: ſequi phantaſiam, quæ à ſenſu communi apprehenſa dijudicet: poſtea rationem, penes quam univerſale eſt judicium: poſtremo mentem, quæ defixo quietoque intuitu contempletur, quæ ratio diſcurrendo volutare ſolet. Item menti, rationi,

Ariſt. lib. 1. Ethic. cap. ult. item, lib. 6. cap. 2.

phantaſiæ, tribus animæ facultatibus cognitivis tres etiam appetitivas reſpondere: voluntatem, cujus partes ſint, quæ mens & ratio proponunt, appetere: vim iraſcendi, quæ à ratione & phantaſia porrecta arripiat: vim concupiſcendi, quæ à phantaſia ſenſuque objecta apprehendat. Hæc, ut vera ſint, aut ſaltem probabilia, quoniam tamen vereor, ne magis nos ſua obſcuritate involvant, quam juvent, omittenda cenſeo.

Quid de ea Philoſophorum ſententia ſit ſtatuendum.

Sicui liber alio modo animæ potentias diſtribuere, ut altera vocetur appetitiva: quæ tametſi rationis expers, rationi tamen obtemperat, ſi aliunde dirigatur: altera dicatur intellectiva, quæ ſit per ſe ipſam rationis particeps: non valde reclamo. Nec iſtud refellere velim, tria eſſe agendi principia, ſenſum, intellectum, appetitum. Sed nos diviſionem potius eligamus infra omnium captum poſitam, quæ certe à Philoſophis peti non poteſt.

Themiſt. in lib. 3. de Anima, cap. 49. De duplici intellectu.

Nam illi, dum ſimpliciſſime loqui volunt, animam dividunt in appetitum & intellectum: ſed utrumque faciunt duplicem. Hunc interdum contemplativum eſſe dicunt, qui ſola cognitione contentus, nullum actionis motum habeat: quam rem ingenii nomine deſignari putat Cicero.

de finib. lib. 5.

interdum practicum, qui boni malive apprehenſione voluntatem varie moveat. Sub quo genere bene juſteque vivendi ſcientia continetur. Illum quoque (appetitum dico) in voluntatem & concupiſcentiam partiuntur: ac βούλησιν quidem eſſe, quoties rationi appetitus, quem ὁρμὴν appellant, obtemperat: πάθος autem fieri, ubi excuſſo rationis jugo, ad intemperiem excurrit. Ita ſemper in homine rationem imaginantur, qua ſe recte moderari queat.

Diviſio facultatum animæ, in intellectum & voluntatem, doctrinæ Chriſtianæ convenientior.

7. Ab hac docendi ratione paulum diſcedere cogimur: quia Philoſophi, quibus incognita erat naturæ corruptio, quæ ex defectionis pœna provenit, duos hominis ſtatus valde diverſos perperam confundunt. Sic ergo habeamus, ſubeſſe duas humanæ animæ partes, quæ quidem præſenti inſtituto conveniant; intellectum & voluntatem. Sit autem officium intellectus, inter objecta diſcernere, prout unumquodque probandum aut improbandum viſum fuerit: voluntatis autem, eligere & ſequi, quod bonum intellectus dictaverit; aſpernari ac fugere, quod ille improbarit.

vide lib. 2. c. 2. ſect. 2. & 12.

Ita Plato in Phædro.

Nihil hîc nos remorentur illæ Ariſtotelis minutiæ, nullam eſſe menti per ſe motionem, ſed electionem eſſe quæ moveat: quam eandem nuncupat intellectum appetitivum. ne ſuperfluis quæſtionibus intricemur, ſatis ſit nobis intellectum eſſe quaſi animæ ducem & gubernatorem: voluntatem in illius nutum ſemper reſpicere, & judicium in ſuis deſideriis expectare.

lib. Eth. 6. cap. 2.

Qua ratione vere tradidit ipſe idem Ariſtoteles, ſimile quiddam eſſe in appetitu, fugam & perſequutionem, quale eſt in mente, affirmatio aut negatio. Porro, quam certa nunc ſit ad dirigendam voluntatem intellectus gubernatio, alibi videbitur:

lib. 2. cap. 2. à ſect. 12. ad 26.

hic duntaxat volumus, nullam reperiri poſſe in anima potentiam, quæ non rite ad alterutrum iſtorum membrorum referatur. Atque hoc modo ſenſum ſub intellectu comprehendimus: quem alii ſic diſtinguunt, quod ſenſum ad voluptatem propendere dicunt, pro qua intellectus bonum ſequatur. inde fieri ut appetitio ſenſus, concupiſcentia fiat & libido: affectio intellectus, voluntas. Rurſum pro appetitus nomine, quod illi malunt, voluntatis nomen, quod uſitatius eſt, uſurpo.

Intellectus & voluntatis officium ac vis in homine ante lapſum.

8. Ergo animam hominis Deus mente inſtruxit, qua bonum à malo, juſtum ab injuſto diſcerneret: ac quid ſequendum vel fugiendum ſit, præeunte rationis luce videret. unde partem hanc directricem τὸ ἡγεμονικὸν dixerunt Philoſophi. Huic adjunxit voluntatem, penes quam eſt electio. His præclaris dotibus excelluit prima hominis conditio, ut ratio, intelligentia, prudentia, judicium non modo ad terrenæ vitæ gubernationem ſuppeterent, ſed quibus tranſcenderent uſque ad Deum & æternam felicitatem. Deinde ut accederet electio, quæ appetitus dirigeret, motuſque omnes organicos temperaret: atque ita voluntas rationis moderationi eſſet prorſus conſentanea.

Ejuſdem liberum arbitrium.

In hac integritate libero arbitrio pollebat homo, quo, ſi vellet, adipiſci poſſet æternam vitam. Hic enim intempeſtive quæſtio ingeritur de occulta prædeſtinatione Dei: quia non agitur quid accidere potuerit nec ne, ſed qualis fuerit hominis natura. Potuit igitur Adam ſtare ſi vellet, quando non niſi propria voluntate cecidit: ſed quia in utramque partem flexibilis erat ejus voluntas, nec data erat ad perſeverandum conſtantia, ideo tam facile prolapſus eſt.

Arbitrium illud liberum lapſus primus homo amiſit, quod Philoſophi ignorarunt.

Libera tamen fuit electio boni & mali: neque id modo, ſed in mente & voluntate ſumma rectitudo, & omnes organicæ partes rite in obſequium compoſitæ, donec ſeipſum perdendo, bona ſua corrupit. Hinc tanta Philoſophis objecta caligo, quod in ruina ædificium, & in diſſipatione aptas juncturas quærebant. Principium illud tenebant, non fore hominem rationale animal, niſi ineſſet libera boni & mali electio: veniebat etiam illis in mentem, alioqui tolli diſcrimen inter virtutes & vitia, niſi proprio conſilio vitam homo inſtitueret. Probe quidem hactenus, ſi nulla fuiſſet in homine mutatio, quæ dum ipſos latuit; nihil mirum, ſi cælum terræ miſceant.

Pelagianorum & Papiſtarum doctrina.

Qui vero Chriſti ſe diſcipulos eſſe profeſſi, in homine perdito, & in ſpirituale exitium demerſo, liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philoſophorum placita & cæleſtem doctrinam partiendo, plane deſipiunt: ut nec cælum nec terram attingant. Sed hæc ſuo loco melius.

lib. 2. c. 2.

Nunc duntaxat illud tenendum eſt, longe alium prima creatione fuiſſe hominem, quam totam ejus poſteritatem, quæ originem à corrupto trahens, hæreditariam labem ab eo contraxit. Nam ad rectitudinem formatæ erant ſingulæ animæ partes, & conſtabat mentis ſanitas, & voluntas ad bonum eligendum libera.

Objectio de lapſu hominis liberi diluta.

Siquis objiciat, quaſi in lubrico fuiſſe poſitam, quia imbecilla eſſet facultas: ſatis ad tollendam excuſationem valuit ille gradus. neque enim æquum fuit hac lege Deum conſtringi, ut hominem faceret, vel qui non poſſet, vel nollet omnino peccare.

Auguſtinus lib. 11. ſuper Gen. cap. 7. 8. 9.

Præſtantior quidem fuiſſet talis natura; ſed præciſe expoſtulare cum Deo, quaſi hoc debuerit conferre homini, pluſquam iniquum eſt: quando in ejus arbitrio fuit quantulumcunque vellet dare. Cur autem perſeverantiæ virtute eum non ſuſtinuerit, in ejus conſilio latet: noſtrum vero eſt ad ſobrietatem ſapere.

de corrept. & grat. ad Valent. cap. 11.

Acceperat quidem poſſe, ſi vellet; ſed non habuit velle, quo poſſet: quia hoc velle ſequuta eſſet perſeverantia. Excuſabilis tamen non eſt, qui tantum accepit, ut ſibi ſponte accerſeret interitum: nulla vero impoſita fuit Deo neceſſitas, quin mediam illi voluntatem daret, atque etiam caducam, ut ex illius lapſu gloriæ ſuæ materiam eliceret.

Cap. XVI.

CAP. XVI.

Deum ſua virtute mundum à ſe conditum fovere ac tueri, & ſingulas ejus partes ſua providentia regere.

Partes hujus capitis.

1. *Doctrina de ſingulari providentia Dei circa omnes & ſingulas res creatas, deliriis Epicureorum de fortuna & fortuitis caſibus, Sophiſtarum figmento de Dei omnipotentia, Philoſophorum errori de confuſa & ambigua mundi gubernatione, opponitur, ſect. 1. 2. 3. 4. 5.*
2. *Providentiæ Dei, cuncta animantia, præcipue vero genus humanum ſpeciali cura moderantis, argumenta, teſtimonia & exempla, ſect. 6. 7.*
3. *Fati, fortunæ, caſus, contingentiæ, dubiorum eventuum (de quibus in hac diſputatione controvertitur) conſideratio, ſect. 8. & 9.*

Impii ſenſu carnis inducti fatentur Deum eſſe creatorem.

PORro Deum facere momentaneum creatorem, qui ſemel duntaxat opus ſuum abſolverit, frigidum eſſet ac jejunum. atque in hoc præcipue nos à profanis hominibus differre convenit, ut non minus in perpetuo mundi ſtatu, quam prima ejus origine, præſentia divinæ virtutis nobis illuceat. Etſi enim impiorum quoque animi ſolo terræ cælique aſpectu ad creatorem ſurgere coguntur, ſuum tamen peculiarem modum habet fides, quo ſolidam creationis laudem Deo aſſi-
Heb. 11: 3. gnet. Quo pertinet illud Apoſtoli, quod ante citavimus, nonniſi fide nos intelligere, concinnatum eſſe ſeculum verbo Dei: quia niſi ad providentiam ejus uſque tranſimus, nondum rite capimus, quid hoc valeat, Deum eſſe creatorem, utcunque & mente comprebendere & lingua fateri videamur. Carnis ſenſus, ubi Dei virtutem ſemel in ipſa creatione ſibi propoſuit, illic ſubſiſtit: & quum longiſſime procedit, nibil aliud quam in edendo tali opificio, auctoris ſapientiam, & potentiam, & bonitatem (quæ ſponte ſeſe proferunt, & nolentibus etiam ingerunt) expendit & conſiderat: in eo autem conſervando & moderando generalem quandam actionem, unde vis motionis dependeat. Denique ad res omnes ſuſtinendas ſufficere putat vigorem divinitus ab initio inditum. At vero fides altius penetrare debet, nempe, ut quem omnium creatorem eſſe didicit, ſtatim quoque perpetuum moderatorem & conſervatorem eſſe colligat: neque id univerſali quadam motione, tam orbis machinam, quam ſingulas ejus partes agitando: ſed ſingulari quadam providentia unumquodque eorum quæ condidit, ad
Mat. 6: 26. & 10: 29. minimum uſque paſſerem, ſuſtinendo, fovendo, curando. Sic David breviter præfatus mundum fuiſſe à Deo conditum, ſtatim ad continuum provi-
Pſal. 33: 6. dentiæ tenorem deſcendit, *Verbo Jehovæ cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Mox
ibid. v. 13. addit, *Jehova reſpexit ſuper filios hominum*: & quæ in eandem ſententiam attexit. Quanquam enim non tam ſcite ratiocinantur omnes, quia tamen credibile non eſſet curari à Deo res humanas, niſi eſſet mundi opifex: nec quiſquam ſerio credit fabricatum eſſe mundum à Deo, quin ſibi perſuadeat operum ſuorum curam habere: non abs re David optima ſerie ab uno ad alterum nos deducit. In genere quidem, arcana Dei inſpiratione vegetari omnes mundi partes, & Philoſophi docent, & humanæ mentes concipiunt. Interea, eo uſque non pertingunt, quo evehitur David, ſecumque pios
Pſal. 103. v. 27. 28. 29. 30. omnes attollit, dicens, *Omnia ad te reſpiciunt, ut des illis eſcam tempore ſuo: te dante, colligunt: te manum aperiente, ſatiantur bonis. ſimul atque faciem averteris, conſternantur: ubi reduxeris ſpiritum, intereunt, & in terram revertuntur. Si rurſus emittis ſpiritum, creantur, & renovas faciem terræ.* Imo
Actor. 17. verſ. 28. quamvis Pauli ſententiæ ſubſcribant, in Deo nos eſſe, & moveri, & vivere: longe tamen abſunt à ſerio ejus, quam commendat, gratiæ ſenſu: quia ſpecialem Dei curam, ex qua demum cognoſcitur paternus ejus favor, minime guſtant.

Pii vero fide agnoſcunt non modo creatorem, verum etiam ſapientem, potentem & optimum ſingularum rerum creatarum moderatorem & conſervatorem perpetuum.

Fides illa nititur Dei verbo, cujus teſtimonia quadam proferuntur.

Epicurei, fortunam & caſus fortuitos Dei providentia in Scriptura tradita opponentes, refelluntur.

2. Quo melius pateat hoc diſcrimen, ſciendum eſt, providentiam Dei, qualis traditur in Scriptura, fortunæ & caſibus fortuitis opponi. Jam, quum vulgo perſuaſum fuerit omnibus ſeculis, & eadem opinio cunctos fere mortales hodie quoque occupet, fortuito contingere omnia: quod de providentia tenendum erat, non modo hac prava opinione obnubilari, ſed fere ſepeliri certum eſt. Siquis in latrones incidat, vel feras beſtias; ſi vento repente exorto naufragium faciat in mari, ſi domus vel arboris ruina obruatur: ſi alius per deſerta oberrans inveniat penuriæ ſuæ remedium, undis jactatus ad portum perveniat, mirabiliter à diſtantia tantum unius digiti evadat à morte: hos omnes, tam proſperos, quam adverſos occurſus fortunæ carnis ratio adſcribet. Quiſquis vero edoctus eſt Chriſti ore, capillos omnes capitis ſui eſſe nume- Matth. 10. verſ. 30.
ratos, cauſam longius quæret, ac ſtatuet quoſlibet eventus occulto Dei conſilio gubernari. Ac de rebus quidem inanimatis ſic habendum eſt, quamvis naturaliter ſingulis indita ſit ſua proprietas, vim tamen ſuam non exerere, niſi quatenus præſenti Dei manu diriguntur. Sunt igitur nihil aliud quam inſtrumenta, quibus Deus aſſidue inſtillat quantum vult efficaciæ, & pro ſuo arbitrio ad hanc vel illam actionem flectit ac convertit. Nullius creaturæ mirabilior vel illuſtrior vis eſt, quam Solis. Præterquam enim quod totum orbem illuminat ſuo fulgore, quantum iſtud eſt, quod animalia omnia ſuo calore fovet ac vegetat? terræ fœcunditatem ſuis radiis inſpirat? ſeminibus in ejus gremio tepefactis, herbeſcentem inde viriditatem elicit, quam novis alimentis ſuffultam auget ac confirmat, donec in culmos aſſurgat? quod perpetuo vapore paſcit, donec in florem, & ex flore in frugem adoleſcat? quod tunc etiam excoquendo ad maturitatem perducit? quod arbores ſimiliter & vites ab eo tepefactæ gemmant primum ac frondeſcunt, deinde florem emittunt, & ex flore fructum generant? At Dominus, ut ſolidam horum omnium laudem ſibi vendicaret, ante & lucem extare voluit, & Geneſ. 1. v. 3. & 11.
terram omni herbarum & fructuum genere refertam eſſe, quam ſolem crearet. Non ergo ſolem faciet pius homo, vel principalem, vel neceſſariam eorum cauſam, quæ ante Solis creationem extiterunt, ſed inſtrumentum duntaxat quo utitur Deus, quia ita vult: quum poſſit, eo prætermiſſo, per ſeipſum nihilo difficilius agere. Deinde, quum legimus biduo ſolem ſubſtitiſſe in uno gradu ad preces Joſuæ, in gratiam regis Ezechiæ umbram ejus re- Joſ. 10: 13.
troceſſiſſe per decem gradus, paucis iſtis miraculis 2 Reg. 20.
teſtatus eſt Deus, non ſic quotidie cæco naturæ in- verſ. 11.
ſtinctu ſolem oriri & occidere, quin ipſe, ad renovandam paterni erga nos ſui favoris memoriam, curſum ejus gubernet. Nihil magis naturale eſt, quam ver hyemi, veri æſtatem, æſtati autumnum viciſſim ſuccedere. Atqui in hac ſerie, tanta perſpicitur ac tam inæqualis diverſitas, ut facile appareat ſingulos annos, menſes & dies nova & ſpeciali Dei providentia temperari.

Sol, Divinæ providentiæ teſtis luculentus, adverſus Epicureos.

3. Et

Figmenti Sophiſtarum, de otioſa Dei Omnipotentia, refutatio.

3. Et ſane omnipotentiam ſibi vendicat ac deferri à nobis vult Deus, non qualem Sophiſtæ fingunt, inanem, otioſam & fere ſopitam: ſed vigilem, efficacem, operoſam, & quæ in continuo actu verſetur: neque etiam quæ generale tantum ſit principium confuſi motus, acſi fluvium per alveos ſemel præfixos fluere juberet: ſed ad ſingulos & particulares motus intenta ſit. Ideo enim cenſetur omnipotens, non quod poſſit quidem facere, ceſſet tamen interim & deſideat, vel quem præfixit naturæ ordinem generali inſtinctu continuet: ſed quia ſua providentia cælum & terram gubernans, ſic omnia moderatur, ut nihil niſi ejus conſilio accidat.

Pſal. 115:3.

Nam quum in Pſalmo dicitur, facere quæcunque vult, certa & deliberata notatur voluntas.

Omnipotentia Dei cum ejus providentia conjuncta conſideratio.

Inſipidum enim eſſet Philoſophico more interpretari Prophetæ verba, Deum eſſe primum agens, quia principium & cauſa eſt omnis motus: quum potius hoc ſolatio in rebus adverſis ſe leniant fideles, nihil ſe perpeti, niſi Dei ordinatione & mandato: quia ſunt ſub ejus manu. Quod ſi Dei gubernatio ſic extenditur ad omnia ejus opera, puerile cavillum eſt, eam includere in naturæ influxu. Nec vero magis Deum ſua gloria fraudant, quam ſeipſos utiliſſima doctrina, qui Dei providentiam coarctant tam anguſtis finibus, acſi libero curſu ſecundum perpetuam naturæ legem ferri omnia ſineret: quia nihil homine miſerius, ſi ad quoſlibet cæli, aëris, terræ, aquarum motus expoſitus foret. Adde, quod hoc modo nimis indigne extenuatur ſingularis erga

Pſal. 8: 3.

unumquemque Dei bonitas. Exclamat David, infantes, adhuc pendentes à matrum uberibus, ſatis facundos eſſe ad celebrandam Dei gloriam: quia ſcilicet ſtatim ab utero egreſſi, cæleſti cura paratam ſibi alimoniam inveniunt. Eſt quidem hoc verum in genere, modo ne oculos & ſenſus noſtros fugiat, quod palam experientia demonſtrat, aliis matribus plenas eſſe mammas & uberes, aliis fere aridas, prout liberalius hunc Deus alere vult, parcius vero alium.

Duplex fructus ex Omnipotentis Dei vera agnitione promanans.

Qui vero Dei omnipotentiæ juſtam laudem tribuunt, duplicem inde percipiunt fructum, quod ſatis ampla benefaciendi facultas penes ipſum ſit, in cujus poſſeſſione ſunt cælum & terra, & cujus nutum reſpiciunt omnes creaturæ, ut ſe in obſequium addicant: deinde quod ſecure in ejus protectione quieſcere licet, cujus arbitrio omnes ſubjacent, quæ alicunde timeri poſſunt noxæ, cujus imperio non ſecus ac freno coërcetur Satan cum omnibus ſuis furiis totoque apparatu, à cujus nutu pendet quicquid ſaluti noſtræ adverſatur: nec aliter corrigi, vel ſedari poſſunt immodici & ſuperſtitioſi metus, quos ſubinde ex periculorum objectu concipimus. Superſtitioſe nos eſſe timidos dico, ſi quoties minantur nobis creaturæ, vel terrorem aliquem ingerunt, perinde expaveſcimus, acſi quam ex ſe vim nocendi haberent ac poteſtatem, vel temere læderent ac fortuito, vel adverſus earum noxas non ſatis eſſet in Deo auxilii. Exempli gratia,

Jer. 10: 2.

vetat Propheta, ne à ſtellis & ſignis cæli metuant filii Dei, quemadmodum increduli ſolent. Non quemlibet certe timorem damnat. Sed quum mundi gubernationem à Deo ad aſtra transferant infideles, ſuam vel felicitatem, vel miſeriam ab aſtrorum decretis & præſagiis, non autem à Dei voluntate pendere fingunt, ita fit, ut timor eorum, ab uno illo, quem reſpicere debebant, ad ſtellas & cometas abſtrahatur.

Infidelitas quo modo cavenda.

Ab hac igitur infidelitate qui cavere volet, memoria ſemper teneat, non erraticam vel potentiam, vel actionem, vel motionem eſſe in creaturis: ſed arcano Dei conſilio ſic regi, ut nihil contingat, niſi ab ipſo ſciente & volente decretum.

Providentia definitio, Philoſophorum de confuſa & ambigua mundi gubernatione errorem refellens.

4. Principio igitur teneant lectores providentiam vocari, non qua Deus è cælo otioſus ſpeculetur quæ in mundo fiunt, ſed qua veluti clavum tenens, eventus omnes moderatur. Ita non minus ad manus, quam ad oculos pertinet. Nec enim, quum filio ſuo dicebat Abraham, *Deus providebit*, tantum volebat præſcium futuri eventus áſſerere: ſed curam rei incognitæ in ejus voluntatem rejicere, qui rebus perplexis & confuſis exitum dare ſolet. Unde ſequitur, providentiam in actu locari: nimis enim inſcite nugantur multi de nuda præſcientia. Non tam craſſus eſt eorum error, qui gubernationem Deo attribuunt, ſed confuſam & promiſcuam, ut dixi: nempe, quæ orbis machinam cum ſingulis partibus generali motu volvat atque impellat: cujuſque vero creaturæ actionem peculiariter non dirigat. Neque tamen hic etiam error tolerabilis eſt: hac enim providentia, quam univerſalem appellant, nihil impediri tradunt, vel creaturas omnes, quominus contingenter moveantur, vel hominem, quominus libero voluntatis ſuæ arbitrio huc atque illuc ſe convertat. atque ita inter Deum & hominem partiuntur: ut ille motionem huic ſua virtute inſpiret, qua agere poſſit pro naturæ ſibi inditæ ratione: hic autem actiones ſuas voluntario conſilio moderetur.

Plin lib. 2. cap. 7.

Epicureorum & Peripateticorum ſomnia.

Breviter, Dei potentia, ſed non deſtinatione, mundum, res hominum, ipſoſque homines gubernari volunt. Taceo Epicureos (qua peſte refertus ſemper fuit mundus) qui Deum otioſum inertemque ſomniant: alioſque nihilo ſaniores, qui olim commenti ſunt Deum ita dominari ſupra mediam aëris regionem, ut inferiora Fortunæ relinqueret. ſiquidem adverſus tam evidentem inſaniam ſatis clamant mutæ ipſæ creaturæ. Nunc enim ſententiam illam, quæ vulgo fere obtinuit, refutare propoſitum eſt, quæ cæcam modo, neſcio quam, & ambiguam motionem quum Deo concedat, quod præcipuum eſt illi adimit, ut incomprehenſibili ſapientia quæque dirigat ac diſponat ad ſuum finem: atque ita verbo tantum, non re Deum facit mundi rectorem, quia moderationem eripit.

Specialis providentia Dei aſſertio.

Quid enim quæſo eſt moderari, niſi ita præeſſe, ut deſtinato ordine ea regas, quibus præes? Neque tamen, quod de univerſali providentia dicitur, in totum repudio: modo viciſſim hoc mihi concedant, mundum à Deo regi, non tantum, quia poſitum à ſe naturæ ordinem tuetur, ſed quia peculiarem uniuſcujuſque ex ſuis operibus curam gerit. Verum quidem eſt ſingulas rerum ſpecies arcano naturæ inſtinctu moveri, acſi æterno Dei mandato parerent, & quod ſemel ſtatuit Deus, ſponte fluere. Atque huc referri poteſt, quod dicit Chriſtus, ſe & Patrem ab initio uſque ſemper fuiſſe in opere: & quod Paulus docet, in ipſo nos vivere, moveri, & eſſe. quod etiam auctor epiſtolæ ad Hebræos Chriſti divinitatem probare volens, dicit potenti ejus nutu ſuſtineri omnia.

Act. 17:28.
Hebr. 1: 3.

Sed perperam hoc prætextu tegunt & obſcurant quidam ſpecialem providentiam, quæ adeo certis clariſque Scripturæ teſtimoniis aſſeritur, ut mirum ſit, potuiſſe de ea quempiam dubitare. Et certe, qui velum illud, quod dixi, obtendunt, coguntur ipſi quoque correctionis vice addere, multa fieri peculiari Dei cura: ſed hoc perperam ad actus tantum particulares reſtringunt. Quare nobis probandum eſt, Deum ſic attendere ad ſingulos eventus regendos, & ſic omnes illos provenire à definito ejus conſilio, ut nihil fortuito contingat.

Dei providentiam ſpecialem eſſe probatur, argumentis ex miſericordia & juſtitia Dei conſideratione petitis.

5. Si demus principium motus penes Deum eſſe, ſponte vero vel caſu omnia ferri quo impellit naturæ inclinatio, mutuæ dierum & noctium vices, hyemis etiam & æſtatis, erunt Dei opus, quatenus ſuas quibuſque partes attribuens, certam legem præfixit: nempe, ſi æquabili tenore eundem ſemper modum ſervarent, dies qui noctibus ſuccedunt, menſes menſibus, & anni annis. Quod autem nunc immodici calores cum ſiccitate conjuncti, quicquid eſt frugum exurunt: nunc pluviæ intempeſtivæ ſegetes corrumpunt, quod ex grandinibus & procel-

Digitized by Google

procellis ſubita calamitas accidit: non erit hoc Dei opus: niſi forte, quia ex aſtrorum occurſu, & aliis naturalibus cauſis vel nebulæ, vel ſerenitas, vel frigus, vel calor originem trahunt. Atqui hoc modo, nec paterno Dei favori, nec judiciis locus relinquitur. Si Deum humano generi ſatis beneficum eſſe dicant, quia cælo & terræ vim ordinariam inſtillet, qua alimenta ſuppeditent, nimis dilutum eſt hoc profanum figmentum: ac fœcunditas anni unius non eſſet ſingularis Dei benedictio: penuria autem & fames non eſſet maledictio & vindicta. Sed quia rationes omnes colligere nimis longum eſſet, ſufficiat ipſius Dei auctoritas.

Deinde, teſtimoniis S. Scripturæ, cæli, terræ, & animantium reſpectu.

In Lege & in Prophetis ſæpius pronunciat, quoties rore & pluvia terram irrigat, ſe gratiam ſuam teſtari: cælum obdureſcere inſtar ferri ſuo imperio, uredine & aliis vitiis conſumi ſegetes, grandinibus & procellis quoties agri feriuntur, certæ & ſpecialis ſuæ vindictæ eſſe ſignum. Hæc ſi recipimus, certum eſt, non cadere pluviæ guttam, niſi certo Dei mandato.

Pſ. 146: 9. Laudat quidem David generalem Dei providentiam, quod eſcam miniſtret pullis corvorum invocantibus eum: ſed quum animalibus Deus ipſe famem minatur, nonne ſatis declarat, nunc tenui, nunc ampliore demenſo, prout viſum eſt, ſe alere cuncta animantia? Puerile eſt, ut jam dixi, hoc ad particulares actus reſtringere, quum ſine exceptione loquatur

Matth. 10. verſ. 29. Chriſtus, nullum ex paſſerculis nullius pretii cadere in terram ſine Patris voluntate. Certe ſi avium volatus certo Dei conſilio regitur, fateri neceſſe eſt

Pſal. 113. v. 5. 6. cum Propheta, ſic eum habitare in ſublimi, ut ſe humiliet ad videndum quæcunque accidunt in cælo & in terra.

Reſpectu item generis humani, & quidem præcipue, quum hujus cauſa mundus ſit conditus.

6. Sed quia ſcimus humani præcipue generis cauſa mundum eſſe conditum, in ejus etiam gubernatione hic nobis ſpectandus eſt finis. Exclamat Propheta Jeremias, *Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus, neque viri, ut dirigat greſſus ſuos.* Solomo autem, *A Domino ſunt greſſus viri, & quomodo diſponet homo viam ſuam?*

Jer. 10: 23. Prov. 20. verſ. 24.

Dicant nunc hominem à Deo moveri ſecundum naturæ ſuæ inclinationem, ipſum autem convertere motum, quo viſum fuerit. At ſi id vere diceretur, penes hominem foret viarum ſuarum arbitrium. Negabunt forte, quia nihil ſine Dei potentia valeat. At quum Prophetam & Solomonem conſtet non potentiam modo, ſed electionem quoque ac deſtinationem Deo attribuere, nequaquam ſe expediunt. Atque hanc hominum temeritatem eleganter alibi carpit Solomo, qui ſcopum ſibi præſtituunt ſine Dei reſpectu, acſi manu ejus non ducerentur:

Prov. 16: 1. *Hominis*, inquit, *eſt diſpoſitio cordis, & Domini eſt præparatio linguæ.* Ridicula ſane inſania, quod facere ſine Deo inſtituunt miſeri homines, qui ne profari quidem poſſunt, niſi quod ille voluerit. Porro, quo magis exprimeret Scriptura, nihil penitus in mundo geri, niſi ex ejus deſtinatione, quæ maxime fortuita videntur, illi ſubjacere oſtendit. Quid enim magis ad caſum referas, quam dum prætereuntem viatorem defractus ex arbore ramus interficit? At longe aliter Dominus, qui ſe fatetur eum tradidiſſe in manum occiſoris.

Exod. 21. verſ. 13. Prov. 16. v. 11, 33.

Sortes ſimilitet quis non fortunæ cæcitati permittat? Verum Dominus non patitur, qui ſibi vendicat earum judicium. Non ſua potentia fieri docet, ut & in ſinum conjiciantur lapilli & extrahantur: ſed quod unum caſui dari poterat, à ſeipſo eſſe teſtatur. Eodem pertinet illud Solomonis,

Prov. 22: 2. *Pauper & fænerator occurrunt ſibi: oculos amborum Deus illuminat.* Quamvis enim permixti ſint pauperibus divites in mundo, dum ſingulis divinitus aſſignatur ſua conditio, admonet, Deum, qui omnibus illucet, minime cæcutire, atque ita pauperes ad tolerantiam hortatur: quia onus, ſibi à Deo impoſitum, excutere conantur, quicunque ſua ſorte contenti non ſunt. Sic & alter Propheta profanos homines objurgat, qui induſtriæ hominum vel fortunæ adſcribunt, quod alii jacent in ſordibus, alii ad honores emergunt:

Pſal. 75: 7. *Neque ab Oriente, neque ab Occaſu, neque à deſerto ſunt exaltationes: quia Deus judex eſt, hunc humiliat & hunc elevat.* Quia non poteſt Deus exuere judicis munus: hinc ratiocinatur, arcano ejus conſilio alios excellere, alios manere contemptibiles.

Poſtremo, exemplis ex hiſtoria populi Iſraëlitici, Jonæ, Jacobi Patriarchæ, & quotidiana experientia deſumptis.

7. Quin etiam particulares eventus teſtimonia eſſe dico in genere ſingularis Dei providentiæ. Excitavit Deus in deſerto ventum auſtralem, qui populo adveheret copiam avium. Quum Jonam voluit in mare projici, ventum turbini excitando emiſit. Dicent, qui non putant Deum mundi gubernacula tenere, hoc fuiſſe præter communem uſum. Atqui inde colligo nullum unquam ventum oriri, vel ſurgere, niſi ſpeciali Dei juſſu.

Exod. 16. verſ. 13. Jon. 1: 4. 6. Pſ. 104: 4.

Nec vero aliter verum eſſet illud, ventos facere ſuos nuncios, & miniſtros ſuos ignem flammeum, nubes facere vehicula ſua, & equitare ſuper alas venti: niſi & nubes & ventos circumageret ſuo arbitrio, ſingularemque virtutis ſuæ præſentiam in illis oſtenderet. Sic etiam alibi docemur, quoties ventorum flatu mare ebullit, impetus illos teſtari ſingularem Dei præſentiam. Præcipit, & excitat ſpiritum procellæ, & in ſublime attollit fluctus maris: deinde ſtare facit procellam in ſilentio, ut ceſſent fluctus navigantium:

Pſal. 107. v. 25. 29. ſicut alibi denunciat, ventis urentibus ſe flagellaſſe populum. Sic quum naturaliter vis generandi indita ſit hominibus, Deus tamen ſpeciali gratiæ vult ferri acceptum, quod alios relinquit in orbitate, alios ſobole dignatur. nam donum ejus, fructus ventris.

Gen. 30: 2. Ideo dicebat Jacob uxori, *An ego pro Deo ſum, ut tibi dem liberos?* Ut ſemel finiam, nihil magis ordinarium in natura, quam nos pane ali.

Deut. 8: 3. Atqui pronunciat Spiritus, non modo terræ proventum Dei eſſe donum ſpeciale, ſed non vivere ſolo pane homines: quia non ipſa ſaturitas eos vegetat, ſed arcana Dei benedictio: ſicut è converſo minatur ſe fracturum panis fulturam.

Jeſa. 3: 1. Nec vero aliter ſeria poſſet concipi oratio de quotidiano pane, niſi Deus cibum paterna manu nobis ſuggereret. Ideo Propheta, ut fidelibus perſuadeat, Deum in ipſis paſcendis optimi patrisfamilias partes implere, admonet, eſcam dare omni carni. Denique ubi ab una parte audimus,

Pſ. 136: 25. Pſ. 34: 16. ibid. v. 17.

Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eorum: ab altera autem, *Oculus Domini ſuper impios, ut perdat è terra memoriam eorum*, ſciamus creaturas omnes ſurſum & deorſum præſto ad obſequium adeſſe, ut eas in quemcunque vult uſum accommodet. Unde colligitur, non tantum generalem ejus providentiam vigere in creaturis, ut naturæ ordinem continuet: ſed in certum & proprium finem aptari, admirabili ejus conſilio.

Errores, quibus doctrina de Dei providentia veritatem corrumpunt, refelluntur.

8. Qui huic doctrinæ invidiam facere volunt, calumniantur eſſe dogma Stoicorum, de Fato: quod & Auguſtino exprobratum aliquando fuit.

lib. ad Bonif. 2. c. 6. & alibi.

Nos etſi de verbis inviti litigamus, Fati tamen vocabulum non recipimus: tum, quia eſt ex eorum genere, quorum profanas novitates refugere nos Paulus docet: tum, quia ejus odio conantur gravare Dei veritatem.

1. Fatum Stoicorum.

Dogma vero ipſum falſo nobis ac malitioſe objectatur. Non enim cum Stoicis neceſſitatem comminiſcimur ex perpetuo cauſarum nexu & implicita quadam ſerie, quæ in natura contineatur: ſed Deum conſtituimus arbitrum ac moderatorem omnium, qui pro ſua ſapientia, ab ultima æternitate decrevit, quod facturus eſſet: & nunc ſua potentia, quod decrevit, exequitur. Unde ejus providentia, non cælum modo ac terram, & creaturas inanimatas, ſed hominum etiam conſilia & voluntates gubernari ſic aſſerimus, ut ad deſtinatum ab ea ſcopum recta ferantur. Quid ergo? inquies: nihilne fortuito, nihil contingenter

acci-

accidit? Reſpondeo, vere à Baſilio magno dictum

2. *Ethnicorum Fortunæ & Caſus.*

eſſe: Fortunam & Caſum, Ethnicorum eſſe voces, quarum ſignificatione piorum mentes occupari non debeant. Nam ſi ſucceſſus omnis, Dei benedictio eſt; calamitas & adverſitas, ejus maledictio: fortunæ jam in rebus humanis, aut caſui nullus relinquitur

1. Retract. cap. 1.

locus. Et movere nos quoque illud Auguſtini debet: *In libris contra Academicos*, inquit, *non mihi placet toties me appellaſſe Fortunam. quamvis non aliquam deam voluerim hoc nomine intelligi, ſed fortuitum rerum eventum in externis vel bonis vel malis.* Unde & illa verba ſunt, quæ nulla religio dicere prohibet, Forte, Forſan, Forſitan, Fortaſſe, Fortuito. quod tamen totum ad divinam revocandum eſt providentiam. Neque hoc tacui, dicens: Etenim fortaſſe, quæ vulgo Fortuna nuncupatur, occulto quoque ordine regitur: nihilque aliud in rebus Caſum vocamus, niſi cujus ratio & cauſa ſecreta eſt. Dixi quidem hoc: verum pœnitet me ſic nominaſſe illic Fortunam: quum videam homines habere in peſſima conſuetudine, ut ubi dici debet, *Hoc Deus voluit*; dicant, *Hoc voluit Fortuna*. Denique paſſim docet, ſiquid Fortunæ relinquitur, temere verſari mundum. Et quanquam alicubi definit, partim libero hominis arbitrio, partim Dei providentia omnia geri, huic tamen ſubeſſe homines, & ab ea regi, ſatis paulo poſt oſtendit, principium illud ſumens, nihil eſſe abſurdius, quam fieri quicquam, niſi ordinante Deo: quia temere accideret. Qua

lib. 83. Quæſtionum. lib. de Trinit. 3. cap. 4.

ratione & contingentiam, quæ ab hominum arbitrio pendet, excludit: mox vero clarius cauſam eſſe quærendam negans voluntatis Dei. Quoties autem permiſſionis ab ipſo mentio fit, quomodo hoc intelligi debeat, ex uno loco optime patebit, ubi Dei voluntatem, ſummam eſſe probat & primam omnium cauſam: quia nihil, niſi ex juſſu ejus vel permiſſione accidit. Certe non fingit Deum in otioſa ſpecula ceſſantem, dum aliquid vult permittere, ubi actualis (ut ita loquar) voluntas intercedit, quæ alioqui non poſſet cenſeri cauſa.

Quo modo fortuita nobis eſſe dicuntur, quæ fiunt certo Dei conſilio.

9. Quoniam tamen longe infra providentiæ Dei altitudinem ſubſidit mentis noſtræ tarditas, adhibenda eſt, quæ eam ſublevet, diſtinctio. Dicam igitur, utcunque ordinentur omnia Dei conſilio certa diſpenſatione, nobis tamen eſſe fortuita: non quod Fortunam reputemus mundo ac hominibus dominari, temereque omnia ſurſum deorſum volutare: (abeſſe enim à Chriſtiano pectore decet hanc vecordiam) ſed quoniam eorum, quæ eveniunt, ordo, ratio, finis, neceſſitas, ut plurimum in Dei conſilio latet, & humana opinione non apprehenditur: quaſi fortuita ſunt, quæ certum eſt, ex Dei voluntate provenire. Non enim aliam imaginem præ ſe ferunt, aut in natura ſua conſideratæ, aut ſecundum notitiam noſtram judiciumque æſtimatæ. Fingamus, exempli gratia, mercatorem,

Exemplum.

qui ſylvam ingreſſus cum comitatu fidorum hominum imprudenter à ſociis aberret, ipſo errore feratur in ſpoliarium, incidat in latrones, juguletur. Mors ejus non tantum Dei oculo præviſa, ſed decreto ſtabilita fuerat. Non enim dicitur prævidiſſe, quantum cujuſque vita protenderetur, ſed terminos conſtituiſſe ac fixiſſe, qui præteriri non poterant. Job. 14: 5.

Quantum tamen mentis noſtræ captus apprehendit, omnia illic fortuita apparent. Quid hic ſentiet Chriſtianus? nempe, quicquid in morte ejuſmodi interceſſit, fortuitum natura, ut eſt, reputabit: providentiam tamen Dei præfuiſſe non dubitabit ad Fortunam in ſuum finem dirigendam. Eadem eſt ratio futurorum contingentiæ. Futura

3. Contingentia & eventus, ſi ab occulto ſed juſto & ſapientiſſimo Dei decreto ſeparentur.

omnia, ut incerta nobis ſunt, ita in ſuſpenſo habemus, acſi utramvis in partem propenſa forent. Manet tamen nihilominus cordibus noſtris infixum, nihil eventurum, quod non Dominus jam providerit. Hoc ſenſu apud Eccleſiaſten ſæpe repetitur nomen eventus: quia primo intuitu non penetrant homines ad primam cauſam, quæ procul abſcondita eſt. Et tamen nunquam ita deletum fuit ex hominum cordibus, quod de occulta Dei providentia proditum eſt in Scripturis, quin ſemper micarent in tenebris aliquæ ſcintillæ. Sic Philiſthinorum augures, quamvis ambigui vacillent, Deo tamen partim adverſum caſum tribuunt, partim Fortunæ: *Si arca*, inquiunt, 1 Sam. 6: 9.
tranſierit per viam illam, ſciemus Deum eſſe, qui nos percuſſit: ſin vero per alteram, caſus fuit ſuper nos. Stulte quidem, ubi eos fallit divinatio, ad Fortunam confugiunt: interea videmus eos conſtringi, ne audeant, quod infeliciter illis acciderat, fortuitum putare. Cæterum, quomodo providentiæ ſuæ freno eventus quoſlibet in quamcunque vult partem flectat Deus, inſigni exemplo liquebit. Ecce eodem

Exemplum.

articulo temporis, quo deprehenſus fuerat David in deſerto Mahon, irruptionem faciunt Philiſthini in terram: cogitur Saul diſcedere. Si Deus, saluti 1 Sam. 23. v. 26, 27.

ſervi ſui conſulere volens, impedimentum hoc Sauli objecit, certe quamvis repente præter hominum opinionem arma ceperint Philiſthini, non tamen dicemus caſu fuiſſe factum: ſed quæ nobis videtur contingentia, ſecretum Dei impulſum fuiſſe agnoſcet fides. Non ſemper quidem apparet ſimilis ratio: ſed indubie ſic habendum eſt, quæcunque cernuntur in mundo converſiones, ex ſecreta manus Dei agitatione prodire. Interea, quod ſtatuit Deus, ſic neceſſe eſt evenire: ut tamen neque præciſe, neque ſuapte natura neceſſarium ſit. Exemplum in Chriſti

Aliud exemplum. Joan. 19. v. 33, 36.

oſſibus familiare occurrit. Quum induerit corpus noſtro ſimile, fragilia fuiſſe ejus oſſa nemo ſanus negabit: quæ tamen frangi fuit impoſſibile. Unde iterum videmus, non temere in ſcholis inventas fuiſſe diſtinctiones de neceſſitate ſecundum quid, & abſoluta: item conſequentis & conſequentiæ: quando oſſa Filii ſui Deus, quæ à fractura exemerat, fragilitati ſubjecit, atque ita reſtrinxit ad conſilii ſui neceſſitatem, quod naturaliter contingere potuit.

CAP. XVII.

Quorſum, & in quem ſcopum referenda ſit hæc doctrina: ut nobis conſtet ejus utilitas.

In duas partes hoc caput commode diſtribui poteſt.

1. *Doctrinæ de providentia Dei, quantum ad ſolidam piorum inſtitutionem & conſolationem conducit, explicatio in genere, ſect. 1. & ſpeciatim à ſect. 2. ad 12.* Primum *autem refelluntur, qui arcano & incomprehenſibili Dei conſilio mundum regi negant: aliis item, qui ſcelerum omnium culpam in Deum rejiciunt, pietatiſque exercitia inutilia eſſe ſomniant, ſect. 2. 3. 4. 5.* Deinde *additur ſancta providentiæ Divinæ meditatio, in proſperis rebus ad vivum depicta, ſect. 6. 7. 8. 9. 10. 11.*
2. *Solutio duarum objectionum ex Scripturæ locis, qui Deo pœnitentiam adſcribunt, & decretorum ejus veluti quaſdam abrogationes referunt, ſect. 13. 14.*

Summa doctrinæ de providentia. 1. ad præteritum & futurum tempus extenditur.

PORRO (ut propenſa ſunt ad vanas argutias hominum ingenia) fieri vix poteſt, quin ſe perplexis nodis impediant, quicunque non tenent probum rectumque hujus doctrinæ uſum. Itaque in quem finem omnia divinitus ordinari Scriptura doceat, breviter hic attingere expediet. Ac primo quidem notandum eſt, tam in futurum, quam in præteritum tempus conſiderandam

eſſe

2. per media, ſine mediis, contra media operatur. 3. humani generis, eccleſiæ ſuæ nominatim, ſpecialem curam gerit. 4. Plerumque occultas habet adminiſtrationis ſuæ cauſas, at ſemper æquiſſimas.

eſſe providentiam Dei: deinde ſic moderatricem eſſe rerum omnium, ut nunc mediis interpoſitis operetur, nunc ſine mediis, nunc contra omnia media. Poſtremo huc tendere, ut totum humanum genus ſibi eſſe curæ Deus oſtendat: præcipue vero in regenda Eccleſia (quam propiore intuitu dignatur) ſe excubias agere. Jam & hoc addendum eſt, quamvis aut paternus Dei favor & beneficentia, aut judicii ſeveritas ſæpe in toto providentiæ curſu reluceat: interdum tamen eorum, quæ accidunt, occultas eſſe cauſas, ut obrepat cogitatio, cæco Fortunæ impetu volvi & rotari res humanas: vel ad obloquendum nos caro ſollicitet, acſi Deus homines quaſi pilas jactando, ludum exerceret. Verum quidem eſt, ſi quietis & ſedatis mentibus ad diſcendum parati eſſemus, exitu tandem patefieri, Deo conſtare optimam conſilii ſui rationem: vel ut ſuos erudiat ad tolerantiam, vel ut corrigat pravos eorum affectus, & laſciviam domet, vel ut ad ſui abnegationem ſubigat, vel expergefaciat torporem: rurſum, ut proſternat ſuperbos, ut impiorum aſtutiam diſcutiat, ut diſſipet eorum machinationes. Utcunque tamen nos lateant ac fugiant cauſæ, apud eum eſſe abſconditas certo habendum eſt: ac proinde cum Davide exclamandum,

Pſal. 40: 6.

Magna feciſti Deus mirabilia tua, & cogitationes tuas ſuper nos non licet ordinare. ſi loqui tento, prævalent ſupra narrationem. Etſi enim ſemper in ærumnis noſtris occurrere debent peccata, ut pœna ipſa nos ad pœnitentiam ſolliciret: videmus tamen ut Chriſtus arcano Patris conſilio plus juris aſſerat, quam ut quemque, prout meritus eſt, caſtiget. Nam

Joan. 9: 3.

de cæco nato ait, *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtetur gloria Dei in ipſo.* Hic enim obſtrepit ſenſus, dum ipſos natales prævenit calamitas, acſi Deus parum clementer immeritos ſic affligeret. Atqui in hoc ſpectaculo fulgere gloriam Patris ſui teſtatur Chriſtus, modo puri ſint nobis oculi.

Poſtrema hæc de Dei providentia theſis, de occultis & juſtis ejuſdem cauſis, fuſius explicatur.

Sed tenenda modeſtia eſt, ne ad cauſam reddendam Deum trahamus: ſed ita revereamur occulta ejus judicia, ut nobis ejus voluntas, juſtiſſima ſit rerum omnium cauſa. Quum cælum occupant denſæ nubes, exoriturque violenta tempeſtas, quia & triſtis caligo oculis objicitur, & tonitru aures percellit, & ſenſus omnes terrore obſtupeſiunt, videntur nobis omnia confundi & miſceri: eadem interim ſemper manet in cælo quies & ſerenitas. Ita ſtatuendum eſt, dum res in mundo turbulentæ judicium nobis eripiunt, Deum ex pura juſtitiæ & ſapientiæ ſuæ luce hos ipſos motus optime compoſito ordine temperare, ac dirigere in rectum finem. Et certe, prodigioſus in hac parte eſt multorum furor, qui majore licentia Dei opera vocare audent ad ſuum calculum, & arcana ejus conſilia excutere, tum etiam de incognitis præcipitem ferre ſententiam, quam de mortalium hominum factis. Quid enim magis præpoſterum, quam erga æquales noſtros hac uti modeſtia, ut judicium ſuſpendere malimus, quam notam temeritatis incurrere: obſcuris autem Dei judiciis, quæ reverenter ſuſpicere decebat, proterve inſultare?

Profanorum quorundam, arcano Dei conſilio mundum regi negantium, deliria refelluntur variis S. Scripturæ teſtimoniis.

2. Ergo Dei providentiam rite & utiliter nemo expendet, niſi qui ſibi cum fictore ſuo mundique opifice negotium eſſe reputans, ad metum & reverentiam, qua decet humilitate, ſe ſubmiſerit. Hinc fit, ut tam multi hodie canes doctrinam hanc virulentis ſuis morſibus, vel ſaltem latratu impetant: quia non plus Deo licere volunt, quam ipſis dictat propria ratio. Nos etiam, quanta poſſunt protervia, exagitant, quod non contenti Legis præceptis, quibus comprehenſa eſt Dei voluntas, arcanis etiam ejus conſiliis mundum regi dicamus. Quaſi vero cerebri noſtri figmentum ſit, quod docemus: ac non ubique idem diſerte pronunciet Spiritus & innumeris loquendi formis repetat. Sed quis eos retinet aliquis pudor, ne ſuas blaſphemias audeant in cælum evomere, quo liberius inſaniant, ſe nobiſcum litigare fingunt. Verum, niſi admittant, incomprehenſibili Dei conſilio quicquid in mundo accidit gubernari, reſpondeant quorſum dicat Scriptura, ejus judicia profundam eſſe abyſſum? Pſal. 36: 7.

Nam quum clamet Moſes, voluntatem Dei non procul in nubibus, vel in abyſſis quærendam eſſe, quia familiariter in Lege expoſita ſit, ſequitur profundæ abyſſo conferri aliam voluntatem abſconditam: de qua etiam Paulus, *O profunditatem divitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei! quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini? aut conſiliarius ejus fuit?* Deut. 30. verſ. 12, 13, 14. Rom. 10. verſ. 6. Rom. 11. verſ. 33.

Ac verum quidem eſt, in Lege & Evangelio comprehendi myſteria, quæ longe emineant ſupra ſenſus noſtri modum: ſed quoniam Deus ad capienda hæc myſteria, quæ verbo patefacere dignatus eſt, ſuorum mentes intelligentiæ ſpiritu illuminat: nulla jam illic abyſſus, ſed via, in qua tuto ambulandum eſt, & lucerna pedibus regendis, & lux vitæ, & certæ conſpicuæque veritatis ſchola. At mundi gubernandi admirabilis ratio, merito abyſſus vocatur: quia, dum nos latet, reverenter adoranda eſt. Pulchre utrumque paucis verbis expreſſit Moſes. *Occulta,* inquit, *Deo noſtro: quæ autem hic ſcripta ſunt, ad vos & filios veſtros pertinent.* Deut. 29. verſ. 29.

Videmus enim, ut non tantum ad Legem meditandam ſtudium adjicere, ſed arcanam Dei providentiam reverenter ſuſpicere jubeat. Hujus quoque altitudinis elogium ponitur in libro Job, quod mentes noſtras humiliet. Poſtquam enim orbis machinam ſurſum & deorſum luſtrando, magnifice diſſeruit auctor de operibus Dei, ſubjicit tandem, *En iſtæ ſunt extremitates viarum ejus, & quantulum, quod auditur in eo?* Job. 26. verſ. 14.

Qua ratione diſtinguit alio loco inter ſapientiam, quæ penes Deum reſidet, & ſapiendi modum, quem hominibus præſcripſit. Job. 28. v. 21. 28.

Nam, ubi de naturæ arcanis concionatus eſt, ſapientiam dicit ſoli Deo eſſe cognitam, fugere autem oculos omnium viventium. Sed paulo poſt ſubjicit, vulgatam eſſe, ut inveſtigetur: quia dictum ſit homini, *Ecce, timor Dei eſt ſapientia.* Huc ſpectat Auguſtini dictum, Quia non omnia novimus, quæ de nobis optimo ordine Deus agit, in ſola bona voluntate nos ſecundum Legem agere, in aliis vero ſecundum Legem agi: quia ejus providentia Lex ſit incommutabilis. lib. 83. quæſtio. cap. 27.

Conſilium ſalutare.

Ergo, quum ſibi jus mundi regendi vendicet Deus nobis incognitum, hæc ſit ſobrietatis ac modeſtiæ lex, acquieſcere ſummo ejus imperio, ut ejus voluntas nobis ſit unica juſtitiæ regula, & juſtiſſima cauſa rerum omnium. Non illa quidem abſoluta voluntas, de qua garriunt Sophiſtæ, impio profanoque diſſidio ſeparantes ejus juſtitiam à potentia: ſed illa moderatrix rerum omnium providentia, à qua nihil niſi rectum manat, quamvis nobis abſconditæ ſint rationes.

Hæc de arcano Dei conſilio in mundi adminiſtratione doctrina, nec eorum impietati, qui ſcelerum culpam in Deum regerunt, nec eorum protervia, qui rejiciunt media, nec aliorum errori, qui pietatis exercitia negligunt, ullo modo patrocinatur.

3. Ad hanc modeſtiam quicunque erunt compoſiti, neque in præteritum tempus de rebus adverſis contra Deum frement, neque ſcelerum culpam in ipſum regerent: ſicut Homericus Agamemnon, ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιός εἰμι, ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα. neque rurſum, ut Plautinus ille adoleſcens, quaſi fatis abrepti, deſperatione ſe projicient in exitium. *Inſtabilis eſt ſors rerum, pro libidine fata agunt homines: referam me ad ſcopulum, ut rem iſtic cum ætate perduam.* Neque alterius exemplo, Dei nomen ſuis flagitiis obtendent. Sic enim Lyconides in altera comœdia, *Deus impulſor fuit: credo deos voluiſſe. Nam ni vellent, non fieret, ſcio.* Quin potius ex Scriptura, quid Deo placeat, inquirent ac diſcent, ut Spiritu duce illuc nitantur, ſimul Deum, quocunque vocat, ſequi parati, reipſa oſtendent nihil hujus doctrinæ cognitione eſſe utilius. Stulte cum ſuis ineptiis tumultuantur profani homines, ut pene cælum terræ, ut dicitur, permi-

permiſceant. Si mortis noſtræ punctum ſignavit Dominus, effugere non licet: fruſtra igitur in cautionibus adhibendis laboratur. Quod ergo alius committere ſe viæ non auder, quam periculoſam audit, ne à latronibus trucidetur: alius medicos acceſſit, ac pharmacis ſe fatigat, ut vitæ opituletur: alius à craſſioribus cibis abſtinet, ne lædat imbecillam valetudinem: alius ruinoſas ædes inhabitare formidat: omnes denique vias excogitant, & magna animi intentione excudunt, quibus id, quod concupiſcunt, aſſequantur: aut hæc omnia inania ſunt remedia, quæ captantur ad corrigendam Dei voluntatem: aut non certo ejus decreto terminantur vita & mors, ſanitas & morbus, pax & bellum, & alia, quæ homines, prout vel appetunt, vel oderunt, ita ſua induſtria vel obtinere, vel refugere ſtudent. Quin etiam, orationes fidelium perverſas, nedum ſupervacuas fore colligunt, quibus petitur, ut Dominus proſpiciat iis, quæ jam ab æterno decrevit. In ſumma, omnia quæ in poſterum capiuntur conſilia tollunt, perinde ac Dei providentiæ adverſa, quæ, illis non advocatis, quid fieri vellet decrevit. Deinde, qoicquid jam accidit, ita providentiæ Dei imputant, ut conniveant ad hominem, quem idipſum deſignaſſe conſtet. Occidit ſicarius probum civem? exequutus eſt, inquiunt, conſilium Dei. Furatus eſt aliquis, aut ſcortatus? quia fecit, quod proviſum erat à Domino & ordinatum, miniſter eſt ejus provideotiæ. Parentis mortem, neglectis remediis, ſecurus filius expectavit? non potuit Deo obſiſtere, qui ſic ab æterno præſtituerat. Ita flagitia omnia, virtutes vocant, quia Dei ordinationi obſequantur.

Ut clarius iſtorum deliria appareant, quum ea omnia quæ adv. hoc caput doctrinæ ſolent objicere, vel ad tempus futurum, vel ad præteritum referri poſſint; primum quoad futura, hominum deliberationes cum Dei providentia minime pugnare demonſtratur.

Prov. 16. verſ. 9.

4. Atqui, quod ad futura pertinet, humanas deliberationes facile cum Dei providentia conciliat Solomo. Sicut enim eorum ſtoliditatem rider, qui ſine Domino quidvis audacter ſuſcipiunt, acſi ejus manu non regerentur: ita alibi ſic loquitur, *Cor hominis cogitat viam ſuam, & Dominus diriget greſſus ejus*: ſignificans æternis Dei decretis nos minime impediri, quominus ſub ejus voluntate & proſpiciamus nobis, & omnia noſtra diſpenſemus. Neque id manifeſta caret ratione. Namque is, qui vitam noſtram ſuis terminis limitavit, ejus ſimul curam apud nos depoſuit: ejus conſervandæ rationibus ſubſidiiſque inſtruxit: periculorum quoque præſcios fecit: ne incautos opprimerent, cautiones ac remedia ſuggeſſit. Nunc perſpicuum eſt, quid ſit noſtri officii: nempe, ſi vitam nobis noſtram tutandam commiſit Dominus, ut eam tueamur: ſi ſubſidia offert, ut iis utamur: ſi pericula præmonſtrat, ne temere irruamus: ſi remedia ſuppeditat, ne negligamus. Atqui periculum nullum oberit, niſi fatale: quod ineluctabile eſt remediis omnibus. Quid autem? Si ideo fatalia non ſunt diſcrimina, quia iis propulſandis ac ſuperandis remedia tibi Dominus aſſignavit: vide quomodo tuæ ratiocinationi cum ordine divinæ diſpenſationis conveniat. Tu cavendum non eſſe periculum colligis, quia, fatale quum non ſit, ſimus etiam citra cautionem evaſuri: Dominus autem ideo ut caveas injungit, quia fatale tibi eſſe nolit. Non expendunt inſani iſti, quod eſt ſub oculis, conſultandi cavendique artes inſpiratas hominibus eſſe à Domino, quibus providentiæ ejus ſubſerviant, in vitæ propriæ conſervatione. Quemadmodum contra, neglectu & ſocordia, quæ illis injunxit mala, ſibi acceſſunt. Qui fit enim, ut vir providus, dum ſibi conſulit, imminentibus etiam malis ſe explicet, ſtultus inconſulta temeritate pereat, niſi quod & ſtultitia & prudentia divinæ ſunt diſpenſationis inſtrumenta in utramque partem? Ideo nos celare futura omnia voluit Deus, ut tanquam dubiis occurramus, neque deſinamus parata remedia opponere, donec aut ſuperata fuerint, aut omnem curam ſuperaverint. Ideo ante admonui, providentiam Dei non ſemper nudam occurrere, ſed prout adhibitis mediis eam Deus quodam modo veſtit.

Quoad præterita, inſulſa eorum eſt argumentatio, qui ſcelera auctoribus ſuis impunita eſſe volunt, eo quod nonniſi Dei diſpenſatione patrantur.

5. Iidem præteriti temporis eventus perperam & inconſiderate ad nudam Dei providentiam trahunt. Nam quia ex ea pendent, quæcunque contingunt, Ergo, inquiunt, nec furta, nec adulteria, nec homicidia perpetrantur, quin Dei voluntas intercedat. Cur ergo, inquiunt, fur punietur, qui eum expilavit, quem Dominus paupertate voluit caſtigare? Cur punietur homicida, qui eum interfecit, cui vitam Dominus finierat? Si Dei voluntati ſerviunt hujuſmodi omnes, cur punientur? Sed enim eos Dei voluntati ſervire nego. Non enim, qui malo animo fertur, præbere miniſterium Deo jubenti dicemus, quum malignæ cupiditati tantum obſequatur. Paret ille Deo, qui de ejus voluntate edoctus, eo contendit, quo ab eo vocatur. Unde autem edocemur, niſi ex ejus verbo? Proinde in rebus agendis ea eſt nobis perſpicienda Dei voluntas, quam verbo ſuo declarar. Id requirit unum Deus à nobis, quod præcipit. Siquid adverſus præceptum deſignamus, non obedientia eſt, ſed contumacia & tranſgreſſio. At niſi vellet, non faceremus. Fateor. Sed an facimus mala in hunc finem, ut ei obſequium præſtemus? At nobis ea oequaquam mandat: quin potius irruimus, non, quid ille velit, cogitantes, ſed libidinis noſtræ intemperie ſic furentes, ut contra ipſum deſtinato conſilio nitamur. Atque hac ratione, male agendo, juſtæ ejus ordinationi ſervimus: quia pro immenſa ſuæ ſapientiæ magnitudine, ad beue agendum malis inſtrumentis uti bene probeque novit. Ac vide, quam inſulſa ſit eorum argumentatio: impunita eſſe auctoribus ſuis ſcelera volunt, quia nonniſi Dei diſpenſatione patrantur. Ego plus concedo: fures & homicidas & alios maleficos, divinæ eſſe providentiæ inſtrumenta, quibus Dominus ipſe ad exequenda quæ apud ſe conſtituit judicia utitur. Atqui eorum malis ullam inde excuſationem deberi nego. Quid enim? An vel eadem ſecum iniquitate Deum implicabunt, vel ſuam pravitatem illius juſtitia operient? Neutrum poſſunt. Quo minus ſe purgent, propria conſcientia redarguuntur: quo minus Deum inſimulent, totum in ſe malum deprehendunt: penes ipſum, nonniſi legitimum malitiæ ſuæ uſum. Sed enim per ipſos operatur. Et unde, quæſo, fœtor in cadavere, quod calore Solis, tum putrefactum, tum reſeratum fuerit? Radiis Solis excitari omnes vident: nemo tamen illos fœtere ideo dicit. Ita quum in homine malo ſubſideat mali materia & culpa, quid eſt, quod ioquinamentum aliquod contrahere putetur Deus, ſi ad ſuum arbitrium utatur ejus miniſterio? Faceſſat igitur canina hæc procacitas, quæ allatrare quidem eminus Dei juſtitiam poteſt, ſed non attingere.

1. Ratio. Dei voluntati ſtrenue facta reſiſtunt ſcelerati.

2. Propria conſcientia redarguuntur.

3. In eis ſubſidet mali materia & culpa, etiamſi Deus utatur eorum miniſterio.

Sancta Divinæ providentiæ meditatio.

6. Verum, has calumnias, vel potius phreneticorum deliria facile diſcutiet pia ſanctaque providentiæ meditatio, quam nobis dictat pietatis regula, ut optimus & ſuaviſſimus inde fructus nobis proveniat. Ergo Chriſtianum pectus, quum certo certius perſuaſum ſit, omnia Dei diſpenſatione evenire, nihil fortuito contingere; ad illum, velut præcipuam rerum cauſam, oculos ſemper referet: cauſas tamen inferiores ſuo loco intuebitur. Deinde ſingularem Dei providentiam ad ſe conſervandum excubare non dubitabit, quæ nihil evenire paſſura ſit, quam quod bono ac ſaluti ſibi vertat. Quoniam autem cum hominibus primum, deinde cum reliquis creaturis illi negotium eſt, utrobique ſibi pollicebitur Dei providentiam regnare. Quantum ad homines attinet, ſive boni ſint, ſive mali, eorum conſilia, voluntates, conatus, facultates ſub ejus manu eſſe agnoſcet, ut flectere quo libuerit, ac quoties libuerit conſtringere, in ejus arbitrio ſitum ſit. Singularem Dei providentiam

1. Omnia eveniunt Dei diſpenſatione.

2. Piis omnia ſimul conferunt ad bonum.

3. Hominum omnium corda & conatus in manu Dei ſunt.

4. In ſalu-

tem piorum excubat Dei providentia.

Pſ. 55: 23. 1 Pet. 5: 7. Pſal. 91: 1. Zach. 2: 8. Jeſa. 26: 1. Jeſa. 49. verſ. 15.

tiam in ſalutem fidelium excubare, plurimæ ſunt & luculentiſſimæ promiſſiones, quæ teſtantur: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, nec permittet unquam fluctuari juſtum: quoniam illi curæ ſumus. Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Ero clypeus tuus, murus aheneus: adverſantibus tibi adverſabor. Etiamſi mater obliviſcatur filiorum, non tamen obliviſcar tui.* Quin etiam hic potiſſimus eſt ſcopus in hiſtoriis Biblicis, ut doceant tanta ſedulitate vias ſanctorum cuſtodiri à Domino, ut ne ad lapidem quidem impingant. Ergo, ut jure paulo ante à nobis exploſa fuit eorum opinio, qui univerſalem Dei providentiam comminiſcuntur, quæ non ſpeciatim ad curam uniuſcujuſque creaturæ ſe demittat: in primis tamen ſpecialem hanc curam erga nos recognoſcere operæpretium eſt. Unde Chriſtus, ubi aſſeruit, ne viliſſimum quidem paſſerculum in terram decidere, ſine Patris voluntate, huc ſtatim applicat, ut quo pluris ſumus paſſeribus, eo propiore cura reputemus Deum nobis proſpicere: ac eo uſque ipſam extendit, ut confidamus, capillos capitis noſtri numeratos eſſe. Quid nobis aliud optemus, ſi nec unus è capite pilus defluere poteſt, niſi ex ejus voluntate? Non de genere humano tantum loquor: ſed quia Deus Eccleſiam ſibi in domicilium elegit, non dubium eſt, quin paternam in ea regenda curam ſingularibus documentis oſtendat.

5. Specialem curam ſuorum gerit Deus.

Matth. 10. verſ. 29. Ibid. v. 30.

6. Hoſtes Eccleſiæ ſuæ vel emollit, vel reprimit, vel variis modis opprimit.

Exod. 3. verſ. 21. 1 Reg. 22. verſ. 22. ibid. c. 12. v. 10. & 15.

7. His tum promiſſis, tum exemplis confirmatus Dei ſervus, adjunget teſtimonia, quæ docent ſub ejus poteſtate eſſe omnes homines, ſive eorum conciliandi ſunt animi, ſive cohibenda malitia, nequid noceat. Dominus enim eſt, qui dat nobis gratiam, non apud eos modo, qui nobis bene volunt, ſed etiam in oculis Ægyptiorum: hoſtium vero noſtrorum improbitatem frangere variis modis novit. Interdum enim mentem illis adimit, nequid ſani ſobriive capere queant: qualiter Satanam dimittit, qui mendacio impleat os omnium Prophetarum, ad decipiendum Achab: Rechabeam juvenili conſilio dementat, ut regno per ſuam ſtultitiam ſpolietur. Nonnunquam, ubi mentem illis concedit, ita abſterret & exanimat, ne id, quod conceperunt, velint aut machinentur. Interdum etiam, ubi conari permiſit, quod libido & rabies ſuadebat, impetus eorum opportune abrumpit, nec ſinit ad finem uſque procedere, quod inſtituunt. Sic conſilium Achitophel, quod exitiale Davidi futurum erat, ante tempus diſſipavit. Sic & creaturas omnes in ſuorum bonum ac ſalutem moderari, ei curæ eſt: ac diabolum etiam ipſum, quem conſpicimus, nihil auſum fuiſſe tentare adverſum Job, ſine permiſſu ejus ac mandato. Hanc notitiam neceſſario ſequitur, tum animi gratitudo in proſpero rerum ſucceſſu, tum in adverſitate patientia, tum etiam in poſterum incredibilis ſecuritas. Quicquid ergo proſpere atque ex animi ſententia eveniet, id totum acceptum Deo referet, ſive per hominum miniſterium ſenſerit ejus beneficentiam, ſive ab inanimatis creaturis adjutus fuerit. Sic enim reputabit cum animo ſuo, Certe Dominus eſt, qui ad me iſtorum animos inclinavit, qui mihi adglutinavit, ut ſuæ erga me benignitatis inſtrumenta forent. In frugum abundantia cogitabit, Dominum eſſe, qui cælum exaudit, ut cælum exaudiat terram, ipſa quoque exaudiat ſuos fœtus: in aliis non dubitabit benedictionem Domini ſolam eſſe, qua omnia proſperentur: nec tot cauſis admonitus, ingratus eſſe ſuſtinebit.

1 Sam. 17. v. 7. & 14.

7. Creaturas omnes, & Satanam ipſum, in bonum ac ſalutem piorum moderatur.

Job. 1: 12.

Uſus 6. & 7. meditationis.

8. Pios ad patientiam & ad animi moderationem aſſuefacit, exemplo Joſephi, Jobi & Davidis.

8. Si adverſi quid contigerit, extemplo mentem hic quoque extollet in Deum, cujus manus, ad patientiam placidamque animi moderationem nobis imprimendam, valet plurimum. Si Joſeph in recognoſcenda fratrum perfidia immoratus eſſet, nunquam fraternum potuiſſet in eos animum recipere. Sed quoniam mentem ad Dominum reflexit, oblitus injuriæ ad manſuetudinem ac clementiam inclinatus eſt, ut fratres etiam ultro ſoletur, ac dicat, *Non vos eſtis, qui me vendidiſtis in Ægyptum, ſed Dei voluntate præmiſſus ſum ante vos, ut vitam vobis conſervem. Vos quidem cogitaſtis de me malum, ſed Dominus convertit illud in bonum.* Si Job ad Chaldæos ſe convertiſſet, à quibus vexabatur, ſtatim accenſus eſſet ad vindictam: ſed quia opus Domini ſimul recognoſcit, ſemet pulcherrima illa ſententia conſolatur, *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum.* Sic David conviciis & lapidibus à Semei impetitus, ſi in hominem defixiſſet oculos, ad retaliandam injuriam ſuos animaſſet: verum, quia non ſine Domini motu illum agere intelligit, illos potius mitigat: *Sinite eum*, inquit, *quia Dominus ei præcepit, ut maledicat.* Hoc eodem freno alibi doloris intemperiem cohibet: *Tacui, & obmutui*, inquit, *quia tu feciſti Jehovah.* Si nullum efficacius eſt iræ atque impatientiæ remedium, non parum certe profecit, qui Dei providentiam didicit in hac parte meditari, ut poſſit eo mentem ſemper revocare, Dominus voluit, ideo ferendum eſt: non modo, quia reluctari non licet, ſed quia nihil vult, niſi quod & juſtum ſit & expediat. Summa huc redit, ut injuſte ab hominibus læſi, omiſſa eorum improbitate (quæ nihil, quam dolorem noſtrum exaſperaret, animoſque acueret ad vindictam) meminerimus ad Deum conſcendere, ac pro certo ſtatuere diſcamus, juſta ejus diſpenſatione fuiſſe, & permiſſum, & immiſſum, quicquid hoſtis ſcelerate in nos admiſit. Paulus, ut à retaliandis injuriis nos compeſcat, prudenter admonet, nobis non eſſe luctam cum carne & ſanguine, ſed cum hoſte ſpirituali Diabolo, ut nos ad certandum paremus. Sed hæc ad ſedandos omnes iracundiæ impetus utiliſſima admonitio eſt, tam Diabolum, quam improbos omnes Deum armare ad conflictum, & ſedere quaſi agonothetam, ut patientiam noſtram exerceat. Quod ſi abſque hominum opera eveniant, quæ nos premunt clades & miſeriæ, in memoriam redeat Legis doctrina, Quicquid proſperi eſt, ex fonte benedictionis Dei fluere: adverſa omnia, eſſe ejus maledictiones: ac terreat nos illa horribilis denunciatio, *Si temere inceditis contra me, ego quoque temere incedam contra vos.* Quibus verbis coarguitur torpor noſter, ubi pro communi carnis ſenſu fortuitum eſſe ducentes, quicquid in utramque partem accidit, neque beneficiis Dei animamur ad ejus cultum, neque flagellis ad reſipiſcentiam ſtimulamur. Hæc eadem ratio eſt, cur acerbe expoſtularent Jeremias & Amos cum Judæis, quia tam bona, quam mala fieri putarent Deo non jubente. Eodem refertur illa Jeſaiæ concio, *Ego Deus creans lucem, & formans tenebras: faciens pacem, & creans malum: ego Deus facio hæc omnia.*

Gen. 45: 8. & 50: 20. Job. 1: 21. 2 Sam. 16. verſ. 10. Pſal. 38. verſ. 10. Epheſ. 6. verſ. 12.

9. Piorum torporem excutit, eoſque ad reſipiſcentiam ſollicitat.

Deut. 28. verſ. 1. &c. Levit. 26. verſ. 23. Thren. 3. verſ. 38. Amos 3: 6. Jeſa. 46. verſ. 7.

10. Cauſarum inferiorum rectum uſum edocet.

9. Neque tamen interim ad cauſas inferiores vir pius connivebit. Neque enim, quia miniſtros divinæ bonitatis arbitrabitur eos, à quibus beneficio affectus fuerit, ideo illos præteribit, acſi nullam gratiam ſua humanitate promeriti eſſent: ſed illis obſtrictum ſe ex animo ſentiet, & libenter fatebitur obligationem, & gratiam pro facultate & re nata referre ſtudebit. Denique Deum in acceptis bonis reverebitur & prædicabit, ut præcipuum auctorem: ſed homines, ut ejus miniſtros honorabit: atque, ut res eſt, intelliget ſe Dei voluntate iis eſſe devinctum, per quorum manum beneficus eſſe voluerit. Siquid jacturæ, vel ob negligentiam, vel ob imprudentiam, fecerit, Domino quidem volente factum id apud ſe ſtatuet, verum ſibi quoque imputabit. Siquis morbo abſumptus ſit, quem, quum ex officio curare debuiſſet, negligenter tractavit: tametſi non ignorabit ad terminum perveniſſe, quem præterire non poterat, peccatum tamen ſuum inde non elevabit: ſed quia non eſt defunctus erga eum fideliter ſuo munere, perinde accipiet, acſi negligentiæ ſuæ culpa

11. Negligentiam & imprudentiam in officio præſtando piis demonſtrat, ut ſuam culpam gementes agnoſcant.

periiſſet.

12. Sceleratorum nequitiam damnat.

periiſſet. Multo minus, ubi in deſignando, vel homicidio, vel furto, fraus & concepta animo malitia interceſſerit, eam excuſabit ſub prætextu divinæ providentiæ: ſed in eodem facinore, Dei juſtitiam, hominis nequitiam, ut ſe utraque manifeſte prodit, diſtincte contemplabitur.

13. Futurorum rectam conſiderationem parit, prudenteſque, ſedulos & ſtrenuos reddit Dei ſervos.

In futuris vero potiſſimum, inferiorum hujuſmodi cauſarum rationem habebit. Nam inter Domini benedictiones reponet, ſi non deſtituetur ſubſidiis humanis, quibus ad incolumitatem ſuam utatur: itaque, nec in capiendis conſiliis ceſſabit, nec torpebit in ope eorum imploranda, quibus ſuppetere conſpiciet, unde juvetur: ſed à Domino ſibi in manum offerri reputans, quæcunque commodare ſibi aliquid poſſunt creaturæ, ipſas, tanquam legitima divinæ providentiæ inſtrumenta, ad uſum applicabit. Ac, quum incertus ſit, quem ſint exitum habitura, quæ negotia aggreditur (niſi quod in omnibus Dominum ſuo bono proſpecturum novit) ad id ſtudio aſpirabit, quod ſibi expedire ducet, quantum intelligentia

14. Sapientia & omnipotentia Dei facit ut ei ſe committant, vocationi ſua interea diligenter incumbentes.

menteque aſſequi poteſt. Neque tamen in capiendis conſiliis proprio ſenſu feretur: ſed Dei ſapientiæ ſe commendabit ac permittet, ut ejus ductu in rectum ſcopum dirigatur. Cæterum non in externis ſubſidiis ita ejus fiducia ſubnitetur, ut ſi adſint, in iis ſecure acquieſcat: ſi deſint, perinde ac deſtitutus trepidet. Mentem enim in ſola Dei providentia ſemper habebit defixam, neque à firmo ejus intuitu, præſentium rerum conſideratione, abduci patietur. Sic Joab, tametſi prælii eventum in arbitrio manuque Dei eſſe agnoſcit, non tamen inertiæ ſe dedit: ſed quod ſuæ vocationis eſt, ſedulo exequitur: Domino autem permittit eventum moderari. *Stabimus fortes*, inquit, *pro gente noſtra, urbibus Dei noſtri: Dominus autem faciat, quod bonum eſt in oculis ſuis.* Eadem cognitio temeritate & prava confidentia exutos ad continuam Dei invocationem nos impellet: tum etiam animos noſtros bona ſpe fulciet, ut quæ nos circumſtant pericula, ſecure & fortiter deſpicere non dubitemus.

2 Sam. 10. verſ. 12.

15. Tametſi malis innumeris (hic ad vivum depictis) vita humana obſideatur, pii tuta felicitate gaudent, qui in Dei Optimi Maximi providentia acquieſcunt.

10. Hac vero parte ſe prodit inæſtimabilis piæ mentis felicitas. Innumera ſunt quæ vitam humanam obſident mala, quæ totidem oſtentant mortes. Ut extra non exeamus: quum mille morborum receptaculum ſit corpus, imo intus incluſas teneat ac foveat morborum cauſas, ſeipſum homo ferre non poteſt, quin multas exitiorum ſuorum formas ſecum ferat, ac vitam quodammodo cum morte implicitam trahat. Quid enim aliud dicas, ubi nec frigetur, nec ſudatur ſine periculo? Jam quocunque te vertas, quæ circa te ſunt omnia, non modo ambiguæ ſunt fidei, ſed aperte fere minantur, ac præſentem mortem videntur intentare. Conſcende navem, pede uno à morte diſtas. Equo inſide, in lapſu pedis unius vita tua periclitatur. Incede per vias urbis, quot ſunt in tectis tegulæ, tot diſcriminibus es obnoxius. Si ferramentum in tua aut amici manu ſit, exerta eſt noxa. Quotquot animalia ferocia vides, in tuam perniciem armata ſunt. Quod ſi vel horto bene munito includere te ſtudeas, ubi nihil quam amœnitas appareat, illic ſerpens interdum deliteſcet. Domus aſſidue incendio ſubjecta, interdiu tibi paupertatem, noctu etiam oppreſſionem minatur. Ager grandini, pruinæ, ſiccitati, aliiſque tempeſtatibus expoſitus quum ſit, ſterilitatem, atque ex ea famem tibi denunciat. Omitto veneficia, inſidias, latrocinia, vim apertam, quorum pars nos domi obſident, pars peregre conſequuntur. Inter has anguſtias annon oportet miſerrimum eſſe hominem, utpote qui in vita ſemivivus anxium & languidum ſpiritum ægre trahat, non ſecus, acſi imminentem perpetuo cervicibus gladium haberet? Dices iſta raro evenire, aut certe non ſemper, neque omnibus, nunquam vero ſimul omnia. Fateor: ſed quum aliorum exemplis admoneamur, evenire etiam nobis poſſe: nec noſtram magis, quam eorum vitam excipi debere: fieri non poteſt, ut non timeamus ac formidemus tanquam nobis eventura. Tali ergo trepidatione quid calamitoſius fingas? Adde, quod Dei contumelia non caret, ſi dicatur hominem, ex creaturis nobiliſſimam, proſtituiſſe ad cæcos & temerarios quoslibet Fortunæ ictus. Sed hic de miſeria hominis tantum loqui propoſitum eſt, quam ſenſurus ſit, ſi ſub imperium Fortunæ redigatur.

Providentiæ meditationum uſus, & expoſitio, quæ adverſus omnia pericula pias mentes armat, invictaſque reddit.

11. At ubi lux illa divinæ providentiæ ſemel homini pio affulſit: jam non extrema modo, qua ante premebatur, anxietate & formidine, ſed omni cura relevatur ac ſolvitur. Ut enim merito Fortunam horret, ita ſecure Deo ſeſe audet permittere. Hoc, inquam, ſolatium eſt, ut intelligat Patrem cæleſtem, ſic omnia ſua potentia continere, ſic imperio nutuque ſuo regere, ſic ſapientia moderari: ut nihil, niſi ex ejus deſtinatione, cadat: in ejus porro fidem ſe receptum, Angelorum curæ demandatum, neque aquæ, neque ignis, neque ferri noxa poſſe attingi, niſi quoad locum illis dare Deo moderatori libuerit. Sic enim canit Pſalmus, Pſal. 91: 3.
Quoniam ipſe liberabit te de laqueo venatoris, & à peſte noxia. Sub ala ſua proteget te, atque in pennis ejus fiduciam habebis: pro ſcuto erit veritas ejus. Non timebis à pavore nocturno, nec à ſagitta volante per diem, à peſte perambulante in caligine, à noxa graſſante in meridie, &c. Unde & illa emergit in ſanctis gloriandi fiducia, *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi caro. Dominus protector meus, quid trepidabo? Si conſiſtant adverſum me caſtra, ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non deſinam bene ſperare.* Pſ. 118: 6. & 27: 3. & 56: 5. & alibi.
Unde id quæſo habent, quod illis nunquam excutitur ſua ſecuritas, niſi, quia ubi temere mundus volutari in ſpeciem videtur, Dominum ubique operari ſciunt, cujus opus confidunt ſibi fore ſalutare? Jam, ſi vel à diabolo, vel à ſceleratis hominibus impetitur eorum ſalus: hic vero, niſi providentiæ recordatione ac meditatione confirmentur, protinus concidere neceſſe ſit. Verum, ubi in memoriam revocant, diabolum totamque improborum cohortem, ſic omnibus partibus manu Dei, tanquam freno, cohiberi, ut nec concipere ullum adverſus nos maleficium, nec conceptum moliri, nec ad perpetrandum, ſi maxime moliantur, digitum movere queant, niſi quantum ille permiſerit, imo niſi quantum mandarit: nec compedibus tantum ejus teneri ligatos, ſed etiam ad obſequia præſtanda freno cogi: habent, unde ſe prolixe conſolentur. Nam ut Domini eſt, eorum furorem armare, & convertere deſtinareque quo libuerit: ita & modum finemque ſtatuere, ne pro ſua libidine licentioſe exultent. Qua perſuaſione ſuffultus Paulus, profectionem ſuam, quam uno in loco dixerat à Satana impeditam fuiſſe, alibi in Dei permiſſione ſtatuit. Si tantum dixiſſet obſtaculum fuiſſe à Satana, nimium poteſtatis viſus fuiſſet ei dare, acſi ipſa quoque Dei conſilia evertere, eſſet in ejus manu: nunc vero, ubi Deum arbitrum ſtatuit, à cujus permiſſione pendeant omnia itinera; ſimul oſtendit, nihil niſi ejus nutu conſequi Satanam poſſe, quicquid machinetur. 1 Theſſ. 2. verſ. 18. 1 Cor. 16. verſ. 7.
Eadem ratione David, quia propter varias converſiones, quibus aſſidue volvitur & quaſi rotatur hominum vita, in hoc aſylum ſe recipit, *Tempora ſua eſſe in manu Dei.* Poterat aut vitæ curſum, aut tempus in ſingulari numero ponere: ſed temporum nomine exprimere voluit, quantumvis inſtabilis ſit hominum conditio, quæcunque ſubinde accidunt vices, divinitus gubernari. Pſ. 31: 16.
Qua ratione Raſin & Rex Iſraël, quum viribus in exitium Juda copulatis, viderentur faces ad perdendam & abſumendam terram accenſæ, vocantur à Propheta titiones fumigantes, qui nihil, quam modicum fumum, exhalare queant. Sic Pharao, quum & opibus, & robore & multi- Jeſa. 7: 4.

multitudine copiarum omnibus formidoloſus eſſet,
ipſe belluæ marinæ, copiæ ejus piſcibus compa-
Eze. 29:4. rantur. Ducem ergo & exercitum denunciat Deus
ſe hamo ſuo capturum, & tracturum quo volet.
Denique, ne hic diutius immorer, facile, ſi animad-
vertas, perſpicies, extremum eſſe omnium miſe-
riarum, providentiæ ignorationem: ſummam bea-
titudinem in ejuſdem cognitione eſſe ſitam.

Altera pars hujus capitis, objectiones duas diluens: quarum prior eſt, Scripturam tribuere Deo conſilii mutationem, ſeu pœnitentiam: ideo ejus providentiam firmam non videri.

12. De providentia Dei, quantum ad ſolidam fi-
delium & eruditionem & conſolationem conducit,
(nam explendæ vanorum curioſitati, neque ſatis
quicquam eſſe poteſt, neque optandum eſt ut ſatis-
fiat) ſatis dictum foret, niſi obſtarent pauci quidam
loci, qui innuere videntur, (contra quam ſupra expo-
ſitum eſt,) non firmum ac ſtabile conſtare Deo con-
ſilium, ſed pro rerum inferiorum diſpoſitione muta-
bile. Primum aliquoties Dei pœnitentia commemo-
ratur: ut, quod illum pœnituerit hominis creati: Sau-
lis in regnum evecti: quod eum pœnitebit mali,
quod infligere populo ſuo ſtatuerat, ſimulac conver-
ſionem ejus aliquam ſenſerit. Deinde nonnullæ de-
cretorum ejus abrogationes referuntur. Per Jonam
Gen. 6:6. edixerat Ninivitis, quadraginta diebus elapſis peri-
1 Sam. 15. turam Niniven: atqui mox eorum pœnitentia ad
verſ. 11. clementiorem ſententiam inflexus eſt. Ezechiæ
Jer. 18:8. mortem per os Jeſaiæ pronunciarat: ad quam dif-
Jon. c. 3. ferendam lachrymis ejus & precibus commotus eſt.
verſ. 4, 10. Hinc argumentantur multi, Deum non æterno de-
Jeſ. 38:1, 5. creto res hominum conſtituiſſe: ſed prout ſunt cu-
2 Reg. 20. juſque merita, vel prout æquum ac juſtum cenſet,
verſ. 1. 5. ſingulos in annos, dies & horas, hoc vel illud decer-
nere. De pœnitentia ſic habendum, non magis
illam in Deum cadere, quam vel ignorantiam, vel
errorem, vel impotentiam. Si enim nemo ſciens ac
volens ſe in pœnitentiæ neceſſitatem conjicit, Deo
pœnitentiam non tribuemus, quin aut ignorare di-
camus, quid futurum ſit, aut effugere non poſſe,
aut præcipitanter & inconſiderate ruere in ſenten-
tiam cujus ſtatim pœniteat. Id autem tantum abeſt
à ſenſu Spiritus S., ut in ipſa pœnitentiæ mentione,
neget Deum pœnitudine duci, quia homo non ſit,

Reſponſio ad priorem illam objectionem: ex Scriptura locis pœnitentiam in Deum haud cadere demonſtrans.

1 Sam. 15. quem pœnitere queat. Ac notandum eſt in eodem
verſ. 29. capite ſic utrumque conjungi, ut comparatio ſpe-
ciem repugnantiæ optime conciliet. Mutatio figu-
rate traditur, quod Deum pœniteat Saulis in re-
gem creati. Paulo poſt additur, *Non mentietur forti-
tudo Iſrael, nec pœnitudine flectetur: quia homo non
eſt, ut eum pœniteat.* Quibus verbis palam abſque
figura immutabilitas aſſeritur. Itaque Dei ordina-
tionem in rebus humanis adminiſtrandis & perpe-
tuam & omni pœnitentia ſuperiorem eſſe certum
eſt. Ac ne dubia eſſet ejus conſtantia, teſtimonium
illi reddere ſui quoque adverſarii coacti ſunt. Ba-
laam enim, vel invitum, in hanc vocem prorum-
Num. 23. pere oportuit, non eſſe Deum inſtar hominis, ut
verſ. 19. mentiatur, nec quaſi hominis filium, ut mutetur:
ac fieri non poſſe, ut non faciat quicquid dixerit,
ut non impleat quicquid loquutus ſit.

Cur pœnitentia Deo tribuatur.

13. Quid ergo ſibi vult pœnitentiæ nomen?
Nempe quod aliæ omnes loquendi formulæ, quæ
Deum humanitus nobis deſcribunt. Quia enim ad
ejus altitudinem non pertingit noſtra infirmitas,
quæ nobis traditur ejus deſcriptio, ad captum no-
ſtrum ſubmittenda eſt, ut à nobis intelligatur. Hæc
eſt porro ſubmittendi ratio, ut ſe talem nobis figu-
ret, non qualis in ſe eſt, ſed qualis à nobis ſentitur.
Extra omnem perturbationis affectum quum ſit,
iraſci ſe peccatoribus teſtatur. Quemadmodum ergo,
quum audimus Deum iratum, imaginari non debe-
mus aliquam in ipſo motionem, ſed reputare potius
loquutionem hanc, à ſenſu noſtro ſumptam, quia
faciem excandeſcentis iratique præ ſe ferat Deus,
quoties judicium exercet: ita nec aliud debemus
concipere ſub pœnitentiæ vocabulo, quam facto-
rum mutationem: quia ſoleant homines facta ſua
mutando, teſtari ſibi diſplicere. Quoniam ergo
mutatio quælibet inter homines, correctio ejus eſt
quod diſplicet: correctio autem ex pœnitentia pro-
venit: ideo per pœnitentiæ nomen ſignificatur,
quod Deus in ſuis operibus mutat: interim nec con-
ſilium illi, nec voluntas invertitur, nec affectus
commutatur: ſed quod ab æterno providerat, pro-
baverat, decreverat, perpetuo tenore proſequi-
tur, utcunque appareat ſubita hominum oculis va-
rietas.

Poſterior objectio, decretorum Dei abrogationem in Scripturis S. deſcriptam proponens, qua abrogatio Dei providentiam tollere videtur.

14. Nec ſacra hiſtoria, dum Ninivitis remiſſum
narrat, quod jam promulgatum fuerat excidium, &
Ezechiæ vitam, denunciata morte, prorogatam:
abrogata fuiſſe Dei decreta oſtendit. Qui ſic ſen-
tiunt, in denunciationibus hallucinantur: quæ ta-
metſi ſimpliciter affirmant, tacitam in ſe nihilomi-
nus conditionem continere ex fine ipſo intelligitur.
Cur enim ad Ninivitas Jonam Dominus mittebat,
qui ruinam urbis prædiceret? Cur per Jeſaiam mor-
tem indicabat Ezechiæ? Poterat enim & illos &
hunc perdere, ſine cladis nuncio. Aliud ergo ſpecta-
vit, quam ut mortis ſuæ præſcii venientem illam

Reſponſio.

eminus cernerent. Nimirum non perditos voluit: Jon. 3:10.
ſed, ne perderentur, emendatos. Quod ergo Nini- Jeſ. 38:1, 5.
ven poſt quadraginta dies ruituram Jonas vaticina-
tur, ideo fit, ne ruat. Quod Ezechiæ ſpes vitæ lon-
gioris præciditur, ideo fit, ut longiorem vitam im-
petret. Quis jam non videt, Dominum ejuſmodi
comminationibus voluiſſe ad reſipiſcentiam exper-
gefacere quos terrebat, ut effugerent quod pecca-
tis ſuis meriti erant judicium? Id ſi convenit, natu-
ra rerum eo nos ducit, ut in ſimplici denunciatione

Confirmatio ab exemplo ſimili.

conditionem tacitam ſubaudiamus. Quod etiam
confirmatur ſimilibus exemplis: Abimelech regem
corripiens Dominus, quod Abrahæ ſuam uxorem
ſuſtuliſſet, his verbis utitur, *Ecce, tu morieris pro-* Gen. 20:3.
pter mulierem, quam accepiſti: eſt enim viro juncta.
Poſtquam autem ille excuſavit, in hunc modum lo-
quitur, *Reſtitue uxorem viro: eſt enim Propheta, &
orabit pro te, ut vivas. Sin minus, ſcito, quod morien-
do morieris tu, & omnia quæ habes.* Vides, ut primo
edicto vehementius animum ejus concutiat, quo ſa-
tisfactioni reddat intentum: altero autem volunta-
tem liquide ſuam explicet? Quando ſimilis eſt alio-
rum locorum ratio, ne ex illis inferas quicquam
fuiſſe priori Domini conſilio derogatum, quia, quod
pro mulgaverat, irritum fecerit. Viam enim po-
tius æternæ ſuæ ordinationi ſternit Dominus, quum
pœnam denunciando, ad reſipiſcentiam monet eos,
quibus vult parcere, quam voluntate quicquam va-
riet, ac ne ſermone quidem: niſi quod ſyllabatim
non exprimit, quod intelligere tamen promptum
eſt. Siquidem illud Jeſaiæ manere verum oportet, Jeſ. 14:27.
*Dominus exercituum deliberavit, & quis poterit diſſol-
vere? manus ejus extenta, & quis avertet eam?*

CAP. XVIII.

Deum ita impiorum opera uti, & animos flectere ad exequenda ſua judicia, ut purus ipſe ab omni labe maneat.

Conſtat poſtremum hoc caput primi libri tribus partibus.

1. *Quum paulo antea dictum ſit, Deum reprobos omnes atque adeo Satanam ipſum ſuo arbitrio flectere, tres occurrunt objectiones.* Prior, *Dei permiſſione, non voluntate, iſta fieri. Huic objectioni duplex opponitur reſponſio: quarum altera, Angelos & homines bonos maloſque nihil efficere, niſi quod à Deo conſtitutum eſt; altera, arcanos omnes motus ab occulta Dei inſpiratione, ad finem ſuum dirigi probatur, ſect. 1. & 2.*
2. Altera *objectio, duas in Deo contrarias eſſe voluntates, ſi occulto conſilio decernit, quæ lege ſua palam prohibet, ſect. 3. diluitur.*
3. Poſtrema, *Deum conſtitui ſcelerum omnium auctorem, ſi non modo impiorum opera uti, ſed etiam conſilia & affectus gubernare dicatur, ac proinde impios immerito damnari, refellitur ſectione ultima.*

Senſus carnis, origo objectionum quæ adverſus Dei providentiam ponuntur.

EX aliis locis ubi Deus Satanam ipſum & omnes reprobos ſuo arbitrio flectere, vel trahere dicitur, difficilior emergit quæſtio. Quomodo enim per illos agens, nullam ex eorum vitio labem contrahat, imo in opere communi ab omni culpa ſit immunis, miniſtros autem ſuos juſte damnet, vix capit ſenſus carnis. hinc reperta diſtinctio inter agere & permittere: quia hic nodus multis inexplicabilis viſus eſt, ſub Dei manu & imperio Satanam & impios omnes ita eſſe, ut eorum malitiam, in quemcunque viſum eſt finem, dirigat: & ſceleribus utatur ad exequenda ſua judicia. Ac excuſabilis forte eſſet eorum modeſtia, quos terret abſurditatis ſpecies, niſi quod perperam mendacii patrocinio aſſerere tentat Dei juſtitiam ab omni ſiniſtra nota.

vide Calv. adv. Libert. c. 15. & 16. & Aug. l. 1. de ordine, cap. 1. &c.

Prior objectio, Dei permiſſionem ab ejus voluntate ſeparans.

Abſurdum videtur, volente ac jubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis ſuæ pœnas daturus eſt. Tergiverſando itaque effugiunt, Dei tantum permiſſu, non etiam voluntate hoc fieri: ipſe vero palam ſe facere pronuncians, effugium illud repudiat.

Reſponſio, Angelos & homines, tum bonos, tum malos, nihil efficere niſi quod à Deo eſt conſtitutum.

Quod autem nihil efficiant arcano Dei nutu, nec quicquam deliberando agitent, niſi quod ipſe jam apud ſe decreverit, & arcana ſua directione conſtituat, innumeris & claris teſtimoniis probatur. Quod ante citavimus ex Pſalmo, *Deum, quæcunque vult, facere*, ad omnes actiones hominum pertinere certum eſt. Si Deus bellorum & pacis certus eſt arbiter, ut illic dicitur, idque ſine ulla exceptione, eo inſcio aut quieſcente, homines cæco motu temere ferri, quis dicere audebit?

Probatio ab exemplis expreſſis & perſpicuis. Primum exemplum.

Sed in ſpecialibus exemplis plus lucis erit. Ex primo capite Job ſcimus, Satanam ſe coram Deo ſiſtere ad excipienda juſſa, non minus quam Angelos, qui ſponte obediunt: diverſo quidem id modo & fine: ſed tamen nequid aggredi poſſit, niſi volente Deo. Etſi nuda permiſſio deinde ſubjici videtur, ut ſanctum virum affligat: quia tamen vera eſt illa ſententia, *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Deo placuit, ita factum eſt:* colligimus, ejus probationis, cujus Satan & ſceleſti latrones miniſtri fuerunt, Deum fuiſſe auctorem. (Job. 1: 21.) Molitur Satan ſanctum virum deſperatione adigere in furorem: Sabæi crudeliter & impie in aliena bona prædando involant. Agnoſcit Job divinitus ſe exutum eſſe omnibus fortunis, & ſe pauperem factum, quia ſic placuerit Deo. Ergo, quicquid agitent homines, vel Satan ipſe, Deus tamen clavum tenet, ut ad exequenda ſua judicia convertat eorum conatus.

Alterum. 1 Reg. 22. v. 20, 21, 22, 23.

Vult Deus perfidum regem Achab decipi: operam ſuam offert diabolus ad eam rem: mittitur cum certo mandato, ut ſit ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Si Dei judicium eſt excæcatio & amentia Achab, nudæ permiſſionis figmentum evaneſcit: quia ridiculum eſſet, Judicem tantum permittere, non etiam decernere, quid fieri velit, & mandare exequutionem miniſtris.

Tertium. Act. 4: 48.

Judæis propoſitum eſt Chriſtum extinguere: Pilatus & milites rabioſæ eorum libidini morem gerunt: fatentur tamen in ſolenni precatione diſcipuli nihil feciſſe omnes impios, niſi quod manus & conſilium Dei decreverant. ſicuti jam ante concionatus fuerat Petrus, *definito conſilio & præſcientia Dei traditum fuiſſe, ut interficeretur.* (Act. 2: 23.) acſi diceret, Deum (quem nihil ab initio latuit) ſcientem & volentem ſtatuiſſe, quod Judæi exequuti ſunt. ſicuti alibi repetit, *Deus qui prænunciavit per omnes ſuos Prophetas, paſſurum eſſe Chriſtum, ita implevit.* (Act. 3: 18.)

Quartum. 2 Sam. 16. verſ. 22. 2 Sam. 12. verſ. 12.

Abſalom inceſto coitu patris torum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronunciat: verba enim ſunt, *Tu feciſti occulte: ego vero palam faciam, & coram ſole hoc.*

Quintum. Jer. 50: 25. Jeſ. 5: 26. & 10: 5. & 19: 25.

Quicquid ſævitiæ exercent Chaldæi in Judæa, opus Dei eſſe pronunciat Jeremias. Qua ratione Nabucadnezer vocatur Dei ſervus. Clamat paſſim Deus, ſuo ſibilo, tubæ ſuæ clangore, imperio & juſſu excitari impios ad bellum: Aſſyrium vocat virgam furoris ſui, & ſecurim, quam manu ſua movet. Cladem urbis ſanctæ & Templi ruinam vocat opus ſuum.

Sextum. 2 Sam. 16. verſ. 10.

David non obſtrepens Deo, ſed juſtum judicem agnoſcens, ex illius tamen juſſu provenire maledicta Semei fatetur. *Dominus*, inquit, *juſſit eum maledicere.*

Septimum. 1 Reg. 11. verſ. 31. 1 Sam. 2. verſ. 34.

Sæpius in ſacra hiſtoria occurrit, quicquid accidat, proficiſci à Domino, ſicuti decem tribuum defectionem, interitum filiorum Heli, & ejuſdem generis permulta. Qui mediocriter exercitati ſunt in Scripturis: vident me ex multis pauca tantum proferre teſtimonia, ut brevitati conſulam, ex quibus tamen ſatis ſuperque liquet, nugari eos & ineptire, qui in locum providentiæ Dei, nudam permiſſionem ſubſtituunt, acſi in ſpecula ſedens expectaret fortuitos eventus: atque ita ejus judicia penderent ab hominum arbitrio.

Altera ſpecialis refutatio objectionis, permiſſionem à Dei voluntate ſeparantis, qua oſtenditur, arcanos motus occultos, ſed juſta Dei inſpiratione, ad ſuum finem dirigi.

2. Quantum ad arcanos motus ſpectat, quod de corde regis prædicat Solomo, flecti huc vel illuc, prout Deo viſum eſt, ad totum certe humanum genus extenditur, tantundemque valet acſi dixiſſet, quicquid animis concipimus, arcana Dei inſpiratione ad ſuum finem dirigi. Et certe, niſi intus operaretur in mentibus hominum, non recte dictum eſſet auferre labium à veracibus, & à ſenibus prudentiam: auferre cor principibus terræ, ut errent per devia. Atque huc pertinet, quod ſæpe legitur, homines eſſe pavidos, prout ejus terrore occupantur eorum corda. Sic David è caſtris Saulis, nemine ſciente, egreſſus eſt: quia ſopor Dei irruerat ſuper omnes. Sed nihil clarius poteſt deſiderari, quam ubi toties pronunciat ſe excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere, ſpiritu ſoporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda. Hæc etiam ad permiſſionem multi rejiciunt, acſi deſerendo reprobos, à Satana excæcari ſineret. Sed quum diſerte exprimat Spiritus S. juſto Dei judicio infligi cæcitatem & amentiam, nimis frivola eſt illa ſolutio.

Jeſ. 29: 14. Pſ. 107: 40. Eze. 7: 26. Lev. 26. verſ. 36. 1 Sam. 26. verſ. 12. Rom. 1. verſ. 26. & 11: 8.

Inſtantia 1. Exo. 8: 15. *Reſponſio.*

Dicitur induraſſe cor Pharaonis, item aggravaſſe, & roboraſſe.

Inſtantia 2.

Eludunt inſulſo cavillo quidam hos loquen-

qnendi formas: quia, dum alibi dicitur Pharao ipſe
aggravaſſe cor ſuum, indurationis cauſa ponitur
1. Reſponſio. ejus voluntas. Quaſi vero non optime conveniant
hæc duo inter ſe, licet diverſis modis, hominem,
ubi agitur à Deo, ſimul tamen agere. Ego autem,
quod objiciunt, in eos retorqueo: quia, ſi indurare
nudam permiſſionem ſonat, ipſe contumaciæ motus
non erit proprie in Pharaone. Porro, quam dilutum
eſſet ac inſipidum ita interpretari, acſi tan-
2. Reſponſio. tum Pharao ſe obdurari paſſus eſſet. Adde, quod
Exo.4: 21. anſam talibus cavillis præcidit Scriptura. *Tenebo*,
inquit Deus, *cor illius*. Sic & de incolis terræ Cha-
Joſ.11:20. naan dicit Moſes pro greſſos fuiſſe in pugnam, quia
roboraſſet Deus eorum corda. Quod idem ab alio
Pſ.105:25. Propheta repetitur, *Vertit cor eorum, ut odio habe-*
Jeſ.10: 9. *rent populum ſuum*. Similiter apud Jeſaiam, contra
gentem fallacem miſſurum ſe Aſſyrios pronunciat,
ac præcepta daturum, ut auferant ſpolia, & diri-
piant prædam; non quia impios & præfractos homi-
nes docere velit ad ſponte parendum, ſed quia flexu-
rus ſit ad exequenda ſua judicia, perinde acſi juſſa
Inſtantia 3. ejus animis inſculpta geſtarent. unde apparet certa
Reſponſio. deſtinatione Dei fuiſſe impulſos. Fateor quidem,
interpoſita Satanæ opera, ſæpe Deum agere in re-
probis: ſed ut ejus impulſu Satan ipſe ſuas partes
1 Sam.16. agat & proficiat quatenus datum eſt. Spiritus malus
verſ.14. turbat Saulem: ſed dicitur eſſe à Deo: ut ſcia-
mus furorem Saulis à juſta Dei vindicta prodire. Di-
2 Cor.4:4. citur etiam idem Satan excæcare infidelium mentes:
ſed unde hoc, niſi quod à Deo ipſo manat efficacia
erroris, ut mendaciis credant, qui renuunt parere
veritati? Secundum priorem rationem dicitur,
Eze.14: 9. *Si Propheta quiſpiam loquutus fuerit mendaciter, ego*
Deus illum decepi. Secundum alteram vero dicitur
Rom. 1. ipſe dare homines in reprobum ſenſum, & projicere
verſ.28. in fœdas cupiditates: quia juſtæ ſuæ vindictæ præ-
cipuus eſt auctor, Satan vero tantum miniſter. Sed
cap. 4. quia, ubi ſecundo libro diſputabimus de libero vel
ſect. 3, 4. ſervo hominis arbitrio, iterum hæc res tractanda
erit, breviter mihi nunc dixiſſe videor, quantum
Summa locus poſtulabat. Summa hæc ſit, quum Dei volun-
omnium tas dicitur rerum omnium eſſe cauſa, providentiam
reſp. ad 1. ejus ſtatui moderatricem in cunctis hominum conſi-
objectionem. liis & operibus, ut non tantum vim ſuam exerat in
electis, qui Spiritu ſancto reguntur, ſed etiam re-
probos in obſequium cogat.

Iterum detegitur fons prioris & ſequentium objectionum, ſuperbia videlicet & blaſphemia Spiritus. 3. Quando autem hactenus recitavi ſolum, quæ
aperte & non ambigue in Scriptura traduntur, vi-
derint, qui cæleſtibus oraculis ſiniſtras ignominiæ
notas inurere non dubitant, quodnam uſurpent
cenſuræ genus. Nam, ſi ex inſcitiæ ſimulatione lau-
dem modeſtiæ appetunt, quid ſuperbius fingi po-
teſt, quam Dei auctoritati verbulum unum oppo-
nere? Mihi ſecus videtur, vel, Hoc attingi non
placet. Sin aperte maledicunt, quidnam proficient
cælum ſputis impetendo? Novum quidem hujus
petulantiæ exemplum non eſt: quia fuerunt omni-
bus ſeculis impii & profani homines, qui adverſus
hanc doctrinæ partem ore rabido latrarent. Sed,
Pſal.51: 6. quod olim pronunciavit Spiritus per os Davidis, re-
ipſa ſentient verum eſſe, ut vincat Deus, quum
judicatur. Oblique perſtringit David hominum
amentiam in hac tam effreni licentia; quod ex ſuo
cœno, non ſolum adverſus Deum litigant, ſed po-
teſtatem ſibi arrogant ejus damnandi. Interea bre-
viter admonet, quas in cælum evomunt blaſphe-
mias, ad Deum non pertingere, quin juſtitiam
ſuam, diſcuſſis calumniarum nebulis, illuſtret: fides
1 Joan. 5. etiam noſtra (quia in ſacro Dei verbo fundata, ſu-
verſ. 4. perior eſt toto mundo) nebulas iſtas ex ſua altitudi-
Altera objectio, qua duas in Deo repugnantes voluntates imaginatur. ne deſpiciat. Nam, quod primo objiciunt, ſi nihil
eveniat niſi volente Deo, duas in eo contrarias eſſe
voluntates, quia occulto conſilio decernat, quæ
Lege ſua palam vetuit: facile diluitur. Antequam
tamen reſpondeam, monitos iterum volo lectores,
cavillum hoc, non in me, ſed in Spiritum ſanctum *Reſponſio 1.*
torqueri, qui certe hanc ſancto viro Job confeſſio-
nem dictavit, *Sicut Deo placuit, ita factum eſt*: quum Job.1:21.
ſpoliatus eſſet à latronibus, in illorum injuria & ma-
leficio juſtum Dei flagellum agnoſcit. Quid alibi
Scriptura? *Non obtemperarunt patri ſuo filii Eli, quia* 1 Sam.2.
voluit Deus occidere eos. Clamat etiam alius Prophe- verſ.25.
ta, Deum, qui in cælo reſidet, quæcunque vult fa- Pſ.115:3.
cere. Et jam ſatis aperte oſtendi, Deum vocari eo- *Secunda.*
rum omnium auctorem, quæ iſti cenſores volunt
otioſo tantum ejus permiſſu contingere. Teſtatur ſe Jeſ.45: 7.
creare lucem & tenebras, formare bonum & ma-
lum: nihil mali accidere, quod ipſe non fecerit. Amos 3: 6.
Dicant obſecro, volensne an nolens judicia ſua exer-
ceat. Atqui ſicuti docet Moſes, eum, qui fortuito *Tertia.*
ſecuris lapſu occiditur, divinitus traditum eſſe in Deut.19.
manum percuſſoris: ita tota Eccleſia dicit apud verſ.5.
Lucam, Herodem & Pilatum conſpiraſſe, ut face- Act.4: 28.
rent, quæ Dei manus & conſilium decreverat. Et
ſane, niſi Deo volente crucifixus eſſet Chriſtus,
unde nobis redemptio? Neque tamen ideo vel ſe- *Simplex &*
cum pugnat, vel mutatur Dei voluntas, vel quod *una Dei*
vult ſe nolle ſimulat: ſed quum una & ſimplex in *voluntas cur*
ipſo ſit, nobis multiplex apparet: quia pro mentis *multiplex*
noſtræ imbecillitate, quomodo idem, diverſo mo- *homini appareat.*
do, nolit fieri & velit, non capimus. Paulus, ubi Eph.3: 10.
Gentium vocationem dixit myſterium eſſe abs-
conditum, paulo poſt adjungit, in ea manifeſta-
tam fuiſſe πολυποίκιλον ſapientiam Dei. An quia pro-
pter hebetudinem ſenſus noſtri, multiplex apparet
Dei ſapientia (vel multiformis, ut reddidit vetus
interpres) ideo ſomnianda nobis eſt in ipſo Deo ali-
qua varietas, quaſi vel conſilium mutet, vel à
ſeipſo diſſideat? Imo, ubi non capimus, quomodo *Quarta.*
fieri velit Deus, quod facere vetat, veniat nobis in
memoriam noſtra imbecillitas, & ſimul reputemus,
lucem quam inhabitat, non fruſtra vocari inacceſ- 1 Tim. 6.
ſam, quia caligine obducta eſt. Ergo huic Auguſtini verſ. 16.
ſententiæ pii omnes & modeſti facile acquieſcent, Enchir. ad
Interdum bona voluntate hominem velle aliquid, Laurent.
quod Deus non vult: velut, ſi bonus filius patrem cap. 101.
vult vivere, quem Deus vult mori. Rurſus fieri *Exemplum*
poſſe, ut idem velit homo voluntate mala, quod *ſuperiores*
Deus vult bona: velut, ſi malus filius velit mori pa- *reſponſiones*
trem, velit hoc etiam Deus. nempe ille vult, quod *illuſtrans.*
non vult Deus: iſte vero vult, quod vult & Deus.
Et tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potius
conſonat, quamvis aliud volentis, quam hujus idem
volentis impietas: tantum intereſt, quid velle homi-
ni, quid Deo congruat, & ad quem finem referatur
cujuſque voluntas; ut vel approbetur, vel improbe-
tur. Nam Deus, quæ bene vult, per malas volun- *Aliud exemplum.*
tates malorum hominum implet. Paulo vero ante
dixerat, ſua defectione Angelos apoſtatas, omneſque
reprobos, quantum ad ipſos pertinet, feciſſe, quod
Deus nolebat: quantum vero ad omnipotentiam
Dei, nullo modo hoc potuiſſe: quia dum contra Dei
voluntatem faciunt, de ipſis facta eſt ejus voluntas.
unde exclamat, *Magna opera Dei, exquiſita in omnes* Pſal.111.
voluntates ejus: ut miro & ineffabili modo non fiat verſ.2.
præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit
voluntatem: quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique
nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonus fieri male,
niſi Omnipotens etiam de malo facere poſſet bene.

4. Hoc etiam modo ſolvitur, imo ſponte lique- *Tertia objectio, Deum eſſe auctorem omnium ſcelerum, &c.*
ſcit altera objectio, Si non modo impiorum opera
utitur Deus, ſed etiam conſilia & affectus gubernat,
ſcelerum omnium eſſe auctorem: ac proinde imme-
rito damnari homines, ſi exequuntur, quod decrevit *Reſponſio 1.*
Deus, quia ejus voluntati obtemperent. Perperam *exemplis ex*
enim miſcetur cum præcepto voluntas, quam lon- *Davidis hiſtoria*
giſſime ab illo differre innumeris exemplis con- *depromptis*
ſtat. Nam etſi dum ſtupravit Abſalon patris uxores, *confirmata.*
voluit Deus hoc probro ulciſci Davidis adulte- 2 Sam.16.
rium: non ideo tamen præcepit ſcelerato filio verſ.22.

inceſtum committere, niſi forte Davidis reſpectu,
2 Sam. 16 verſ. 10. ſicut loquitur de convitiis Semei. Nam illum Dei
juſſu maledicere dum fatetur, minime commen-
dat obſequium, acſi Dei imperio pareret protervus
ille canis; ſed ejus linguam flagellum Dei eſſe agno-
ſcens, caſtigari patienter ſuſtinet. Hoc quidem te-
nendum eſt, dum per impios peragit Deus, quod
occulto ſuo judicio decrevit, non eſſe excuſabiles,
quaſi obediant ejus præcepto, quod data opera pro
Secunda reſponſio ex hiſt. apoſtaſia Iſraëlitarum. ſua libidine violant. Jam quomodo ex Deo ſit, &
occulta ejus providentia regatur, quod perverſe fa-
ciunt homines, illuſtre documentum eſt electio re-
gis Jarobeam, in qua ſevere damnatur populi teme-
1 Reg. 12. verſ. 20. ritas & amentia, quod ordinem à Deo ſancitum per-
verterit, ac perfide deſciverit à familia Davidis. &
Oſeæ 8: 4. tamen ſcimus voluiſſe ungi: unde & in verbis Oſeæ
quædam apparet repugnantiæ ſpecies, quod ubi
conqueſtus eſt Deus, regnum illud ſe neſciente &
Oſeæ 13. verſ. 11. nolente fuiſſe erectum, alibi prædicat, ſe dediſſe re-
gem Jarobeam in furore ſuo. Quomodo hæc conve-
nient, Jarobeam non ex Deo regnaſſe, & ab eodem
fuiſſe præfectum regem? Nempe, quia nec deſci-
ſcere à familia Davidis potuit populus, quia jugum
ſibi divinitus impoſitum excuteret: neque tamen li-
bertas ipſi Deo erepta fuit, quominus Solomonis
ingratitudinem ita puniret. Videmus ergo, ut Deus,
perfidiam nolendo, defectionem tamen alio fine ju-
ſte velit: unde & Jarobeam præter ſpem ſacra un-
1 Reg. 11. verſ. 23. ctione impellitur ad regnum. Hac ratione dicit ſa-
cra hiſtoria fuiſſe à Deo ſuſcitatum hoſtem, qui So-
lomonis filium exueret regni parte. Diligenter
utrumque expendant lectores, quia placuerat Deo
ſub manu unius Regis gubernari populum: ubi in
duas partes ſcinditur, fieri contra illius voluntatem:
& tamen ab ejuſdem voluntate initium fuiſſe divor-
tii. Nam certe, quod Jarobeam, nihil tale cogitan-
tem, Propheta & voce & unctionis teſſera ad ſpem
regni ſollicitat, non fit hoc, vel neſcio, vel invi-
to Deo, qui ita fieri mandavit: & tamen jure damna-
tur populi rebellio, quod velut invito Deo à Davi-
dis poſteris deſciverit. Hac ratione etiam ſubjicitur
1 Reg 12. verſ. 15. poſtea, quod Rechabeam ſuperbe deſpexit populi
preces, hoc à Deo factum eſſe, ut ſtabiliret ver-
bum, quod pronunciaverat per manum Abihæ ſer-
vi ſui. Ecce, ut nolente Deo laceretur ſacra unitas, &
tamen ut eodem volente alienentur à filio Solomonis
decem tribus. Accedat ſimile quoque aliud exem- *Tertia reſponſio ex Achabi & Jehu hiſt.*
plum, ubi conſentiente populo, imo manus ſuas
præbente, jugulantur filii regis Achab, & extermi-
natur tota progenies. Vere quidem refert Jehu, ni- 2 Reg. 10. verſ. 7.
hil in terram cecidiſſe ex Dei ſermonibus, ſed ipſum
feciſſe quicquid loquutus fuerat per manum ſervi
ſui Eliæ. Et tamen non abs re cives Samariæ per-
ſtringit, quod operam ſuam commodaſſent, *Juſtine
eſtis?* inquit. *Si ego conjuravi contra dominum meum,
quis hos omnes occidit?* Jam ante liquido, ni fallor,
explicui, quomodo in eodem opere tam ſe prodat
hominis crimen, quam refulgeat Dei juſtitia: &
modeſtis ingeniis ſemper hæc Auguſtini reſponſio *Auguſtini conſenſus, &, ex hiſtoria mortis Chriſti, quarta reſponſio ſuperiores confirmans, ac carnalis prudentiæ os occludens.*
ſufficiet, *Quum Pater tradiderit Filium, & Chriſtus
corpus ſuum, & Judas Dominum, cur in hac tradi-
tione Deus eſt juſtus, & homo reus, niſi quia in re una,
quam fecerunt, cauſa non una eſt, ob quam fecerunt?*
Siquos autem magis impediat, quod nunc dicimus,
nullum eſſe Dei cum homine conſenſum, ubi hic ju-
ſto illius impulſu agit, quod ſibi non licet: ſuccur-
rat, quod alibi admonet idem Auguſtinus, *Quis non
ad iſta judicia contremiſcat, ubi agit Deus etiam in cor-
dibus malorum, quicquid vult, reddens eis tamen ſe-
cundum eorum merita?* Et certe in Judæ perfidia ni- epiſt. 48. ad Vincentium.
hilo magis fas erit, culpam ſceleris Deo adſcribere,
quia Filium ſuum & tradi voluit ipſe, & tradidit in De grat. & lib. arbit. ad Valent. cap. 20.
mortem: quam redemptionis laudem ad Judam
transferre. Itaque vere alibi idem ſcriptor admonet,
in hoc examine Deum non inquirere, quid potue-
rint homines, vel quid fecerint, ſed quid volue-
rint, ut in rationem veniat conſilium & voluntas.
Quibus hoc aſperum videtur, quam tolerabilis ſit
ſua moroſitas pauliſper cogitent, dum rem claris
Scripturæ teſtimoniis teſtatam, quia excedat eorum
captum, reſpuunt, ac vitio vertunt in medium pro-
ferri, quæ Deus, niſi ſciviſſet utilia eſſe cognitu,
nunquam per Prophetas ſuos & Apoſtolos doceri
juſſiſſet. Nam ſapere noſtrum nihil aliud eſſe debet, *Vera Chriſtianorum ſapientia.*
quam manſueta docilitate amplecti, & quidem ſine
exceptione, quicquid in ſacris Scripturis traditum
eſt. Qui vero protervius inſultant, quum ſatis con-
ſtet eos contra Deum blaterare, longiori refutatione
digni non ſunt.

JOAN.

JOANNIS CALVINI

INSTITUTIONIS CHRISTIANÆ RELIGIONIS

LIBER SECUNDUS.

DE *COGNITIONE DEI REDEMPTORIS in Chriſto, quæ Patribus ſub Lege primum, deinde & nobis in Euangelio patefacta eſt.*

ARGUMENTUM.

Abſoluta primæ partis Symboli Apoſtolici, de Cognitione Dei Creatoris, tractatione, ſequitur altera de Cognitione Dei Redemptoris in Chriſto, quam hic liber ſecundus explicat.

Primum vero de Redemptionis occaſione, hoc eſt, de lapſu Adæ diſſerit. Secundo, de Redemptione ipſa. Diſſertationi priori priora quinque capita, poſteriori reliqua aſſignantur.

Quod ad Redemptionis occaſionem, non tantum in genere de lapſu agit, ſed etiam ſpeciatim de ejus effectis, id eſt, de peccato originali, de arbitrii ſervitute, de corrupta omnium hominum natura, de Dei in hominum cordibus operatione, cap. I. II. III. IV. quibus ſubjungit refutationem objectionum, quæ pro defenſione liberi arbitrii afferri ſolent, cap. V.

Tractatus de Redemptione ad quinque partes præcipuas revocari poteſt.

1. Oſtendit quis ille ſit, in quo ſalus homini perdito quærenda eſt: nempe Chriſtus, VI. cap.

2. Quomodo hic ille Chriſtus mundo patefactus ſit, nimirum duplici ratione: Primum ſub Lege (qua occaſione Decalogum explicat & alia quædam de Lege diſcutit) cap. VII. & VIII. Deinde ſub Euangelio, ubi de ſimilitudine & differentia utriuſque Teſtamenti diſputat, IX. X. & XI. cap.

3. Qualis fuerit debueritque eſſe Chriſtus, ut Mediatoris officium præſtaret, homo videlicet & Deus in una perſona, XII. XIII. XIV. cap.

4. Quorſum miſſus à Patre in mundum fuerit, cap. XV. ubi de Prophetia, Regno & Sacerdotio Chriſti locus explanatur.

5. Quibus modis vel gradibus Redemptoris partes impleverit, ut nobis ſalutem acquireret, cap. XVI. ubi de ejus crucifixione, morte, ſepultura, deſcenſu ad inferos, reſurrectione, aſcenſu in cælum, ſeſſione ad dexteram Patris, articuli & fructus ex hac doctrina naſcentes executiuntur: addita cap. XVII. quæſtionis ſolutione, An Chriſtus gratiam Dei & ſalutem nobis ſit promeritus.

CAPUT I.

Adæ lapſu & defectione totum humanum genus maledictioni fuiſſe addictum, & à prima origine degeneraſſe: ubi de peccato originali.

Partes hujus capitis.

1. *Quam neceſſaria ſit noſtri notitia: qualis eſſe debeat: quot & quibus obnoxia periculis: ejus partes præcipuæ, ſect. 1. 2. 3.*
2. *De cauſis horrendi lapſus Adæ, ſect. 4.*
3. *De hujus lapſus contagione, tum creata omnia, tum Adæ poſteros invadente, à ſect. 5. ad finem capitis, ubi de peccati originalis propagatione, definitione & efficacia agitur.*

Noſtri notitia res eſt neceſſaria admodum.

NOn ſine cauſa, proverbio veteri tantopere homini commendata ſemper fuit cognitio ſuipſius. Nam, ſi turpe ignorare ducitur quæcunque ad humanæ vitæ rationem pertinent: multo vero fœdior ignorantia noſtri eſt, qua fit, ut in capiendo, de re qualibet neceſſaria, conſilio, miſere hallucinemur, atque adeo cæcutiamus. Verum, quo utilior eſt præceptio, eo diligentius videndum eſt nobis, ne ipſa præpoſtere utamur: quod Philoſophis quibuſdam videmus accidiſſe. Illi enim dum hominem hortantur, ut ſeipſum noverit, finem ſimul proponunt, ne dignitatem excellentiamque ſuam neſciat. neque aliud ipſum in ſe contemplari volunt,

Qua ut bene utamur, cavenda eſt ſuperbia.

quam

quam unde inani fiducia intumeſcat & ſuperbia infletur. Noſtri autem cognitio primum in eo ſita eſt: ut reputantes, quid nobis in creatione datum ſit, & quam benigne ſuam erga nos gratiam continuet Deus, ſciamus, quanta ſit naturæ noſtræ excellentia, ſi quidem integra maneret; ſimul tamen cogitemus, nihil nobis ineſſe proprium, ſed precario nos tenere quicquid in nos Deus contulit, ut ſemper ab ipſo pendeamus. Deinde, ut nobis occurrat miſera poſt Adæ lapſum noſtra conditio, cujus ſenſus, proſtrata omni gloria & fiducia, nos pudore obrutos vere humiliet. Nam ſicuti Deus ad imaginem ſuam initio nos finxit, ut mentes noſtras, tum ad virtutis ſtudium, tum ad æternæ vitæ meditationem erigeret: ita, ne ſocordia noſtra obruatur tanta generis noſtri nobilitas, quæ nos à brutis animalibus diſcernit, cognoſcere operæpretium eſt, ideo nos ratione & intelligentia præditos eſſe, ut ſanctam & honeſtam vitam colendo, ad propoſitum beatæ immortalitatis ſcopum tendamus. Cæterum in mentem venire nequit prima illa dignitas, quin mox ex altera parte ſe offerat triſte fœditatis & ignominiæ noſtræ ſpectaculum, ex quo in primi hominis perſona ab origine noſtra excidimus. Unde & noſtri odium ac diſplicentia veraque humilitas oritur, & novum accenditur quærendi Dei ſtudium, in quo quiſque ea bona recuperet, quorum prorſus inanes & vacui deprehendimur.

Induenda deinde vera humilitas, quæ nos ad hominis lapſum conſiderandum, & Dei in Chriſto miſericordiam amplectendam, deducat.

Tametſi autem plauſibilis eſt ſententia, quæ nos ad noſtri admirationem incitat: altera ſane ſola eſt recipienda, quæ ad veram animi ſubmiſſionem flectit.

2. Hoc ſane quærendum in excutiendis nobis eſſe præſcribit Dei veritas: nempe talem exigit notitiam, quæ nos, & ab omni propriæ facultatis confidentia procul avocet, & omni gloriandi materia deſtitutos, ad ſubmiſſionem adducat. Quam regulam tenere convenit, ſi ad rectam & ſapiendi & agendi metam pertingere libet. Neque me latet, quanto plauſibilior ſit illa ſententia, quæ ad reputanda noſtra bona potius nos invitat, quam ad inſpiciendam, quæ nos pudore obruere debet, miſeram noſtram inopiam una cum ignominia. Siquidem nihil eſt, quod magis appetat humanum ingenium, quam blanditiis demulceri: atque ideo, ubi dotes ſuas magni fieri audit, in hanc partem nimia credulitate propendet. Quo minus mirum eſt, hic adeo pernicioſe fuiſſe à maxima hominum parte aberratum. Nam, quum ſit ingenitus univerſis mortalibus pluſquam cæcus ſui amor, libentiſſime ſibi perſuadent nihil ineſſe ſibi, quod merito debeat eſſe odioſum. Ita ſine alieno patrocinio vaniſſima hæc opinio fidem paſſim obtinet, hominem ſibi abunde ſufficere ad bene beateque vivendum. Quod ſiqui modeſtius ſentire volunt, utcunque aliquid Deo concedant, ne ſibi arrogare omnia videantur: ſic tamen partiuntur, ut potiſſima & gloriæ & fiduciæ materia ſemper apud ſe reſideat. Jam ſi accedis oratio, quæ ſponte prurientem in hominis medullis ſuperbiam ſuis illecebris titillet, nihil eſt quod magis arrideat. Proinde, ut unuſquiſque humanæ naturæ præſtantiam benigniſſime ſuo præconio extulit, ita magno ſeculorum prope omnium applauſu fuit exceptus. Sed enim quæcunque talis eſt humanæ excellentiæ commendatio, quæ hominem in ſe acquieſcere doceat, nihil aliud quam ſuavitate illa ſua delicias facit: & ſic quidem illudit, ut qui aſſentiuntur, eos peſſimo exitio perdat. Quorſum enim pertinet, vana omni fiducia fretos deliberare, inſtituere, tentare, moliri, quæ putamus ad rem pertinere: & defici quidem ac deſtitui, tum ſana intelligentia, tum vera virtute inter primos conatus: pergere tamen ſecure, donec in exitium corruamus? Atqui non aliter ſuccedere iis poteſt, qui ſe aliquid poſſe propria virtute confidunt. Talibus ergo magiſtris, qui reputandis tantum bonis noſtris nos detinent, ſiquis auſcultet, non in ſui cognitionem proficiet, ſed in peſſimam ignorationem abripietur.

Superbia noſtra prætextus.

Hominis peccatoris miſera vanitas.

At in eo cognoſcendi ratione, aliter ſentiunt Carnis prudentia & Conſcientia, quæ ad amuſſim divini judicii ſeipſam expendit.

3. Ergo, quum in hoc conſentiat Dei veritas cum publico omnium mortalium ſenſu, ſecundam ſapientiæ partem in noſtri cognitione repoſitam eſſe: in ipſa tamen cognoſcendi ratione magnum eſt diſſidium. Tunc enim homo, judicio carnis, probe ſibi exploratus videtur, quum & intelligentia & integritate ſua confiſus, audaciam ſumit, ac ſeſe incitat ad virtutis officia: & indicto vitiis bello, ad id, quod pulchrum & honeſtum eſt, toto ſtudio incumbere conatur. Qui autem ſe ad amuſſim divini judicii inſpicit & examinat, nihil reperit, quod animam ad bonam fiduciam erigat, ac quo penitius ſe excuſſit, eo magis dejicitur: donec omni fiducia prorſus abdicatus, nihil ſibi ad vitam recte inſtituendam relinquit. Neque tamen vult nos oblivisci Deus primæ nobilitatis, quam Adæ patri noſtro contulerat, nempe, quæ nos ad juſtitiæ bonitatiſque ſtudium merito expergefacere debeat. Non enim poſſumus, aut primam noſtram originem, aut quorſum conditi ſumus cogitare, quin ad meditandam immortalitatem, expetendumque Dei regnum pungamur. Sed tantum abeſt, ut animos nobis faciat iſta recognitio, ut potius ſubmiſſis illis, ad humilitatem proſternat. Quæ enim illa eſt origo? Nempe, à qua excidimus. Quis ille creationis noſtræ finis? A quo penitus averſi ſumus, ut miſeræ noſtræ ſortis pertæſi ingemiſcamus: ingemiſcendo, ad perditam illam dignitatem ſuſpiremus. Nos autem, quum dicimus nihil in ſe oportere hominem intueri, quod ipſum animoſum reddat, intelligimus nihil eſſe penes ipſum cujus fiducia debeat ſuperbire. Quare ſi libet, quam homo ſui notitiam habere debet, ita partiamur, ut primo loco, quem in finem creatus ſit, & dotis non contemnendis præditus, reputet: qua cogitatione ſe ad divini cultus vitæque futuræ meditationem excitet: deinde ſuas facultates, vel certe facultatum inopiam expendat: qua perſpecta, non ſecus, atque in nihilum redactus, in extrema confuſione jaceat. Huc tendit prior conſideratio, ut quale ſit officium ſuum agnoſcat: altera, quid ad ipſum præſtandum valeat. De utraque, prout ſeries docendi poſcet, à nobis diſſeretur.

Porro duæ ſunt partes hujus notitiæ. Prior pars lib. 1. c. 15. diſcuſſa eſt. Poſteriorem nunc aggreditur.

In ea autem explicanda, duo occurrunt. 1. Quid factum ſit, ut tam horrenda calamitate Adam ſe, & totum humanum genus involveret.

4. Quia vero non leve delictum, ſed deteſtabile fuiſſe ſcelus oportet, quod tam ſevere ultus eſt Deus, ſpecies ipſa peccati in lapſu Adæ conſideranda nobis eſt, quæ horribilem Dei vindictam accendit in totum humanum genus. Puerile eſt, quod de gulæ intemperie vulgo receptum fuit. Quaſi vero ſumma & caput virtutum omnium in abſtinentia unius tantum fructus fuerit, quum undique affluerent, quæcunque expetibiles erant deliciæ, atque in beata illa terræ fœcunditate, non tantum copia ad lautitias ſuppeteret, ſed etiam varietas. Altius igitur ſpectandum, quia prohibitio ab arbore ſcientiæ boni & mali, obedientiæ examen fuit, ut parendo Adam ſe Dei imperio libenter ſubeſſe probaret. Nomen vero ipſum oſtendit, præcepti non alium fuiſſe finem, quam, ut ſua ſorte contentus, ſe improba cupiditate altius non efferret. Promiſſio autem, qua vitam æternam ſperare juſſus eſt, quamdiu ederet de arbore vitæ: rurſum horrenda mortis denunciatio, ſimulac guſtaret de arbore ſcientiæ boni & mali, ad fidem ejus probandam & exercendam ſpectabat. Hinc elicere non difficile eſt, quibus modis in ſe provocaverit Adam iram Dei. Non male quidem Auguſtinus, dum ſuperbiam dicit malorum omnium fuiſſe initium: quia, niſi hominem altius, quam licebat & quam fas erat, extuliſſet ambitio, manere poterat in ſuo gradu: plenior tamen definitio ex tentationis ſpecie, quam deſcribit Moſes, ſumenda eſt. Nam dum ſerpentis captione abducitur per infidelitatem mulier à verbo Dei, jam initium ruinæ apparet fuiſſe inobedientiam. Quod etiam confirmat Paulus, unius hominis inobedientia omnes

in Pſal. 19. Cæli enarrant, &c.

Id non ex intemperie

gula accidit, ſed ex infidelitate, (unde execranda alia peccata effluxerunt) quod per eam à Deo defecerit, in quo uno ultima felicitatis ſuæ meta erat poſita.

omnes fuiſſe perditos docens. Simul tamen notandum, deſciviſſe primum hominem ab imperio Dei, quod non tantum Satanæ illecebris captus fuerit, ſed contempta veritate, deflexerit ad mendacium. Et certe contempto Dei verbo, excutitur omnis ejus reverentia: quia nec aliter conſiſtit ejus majeſtas inter nos, nec integer manet ejus cultus, niſi dum ab ejus pendemus ore. Proinde infidelitas radix defectionis fuit. Hinc autem emerſit ambitio, & ſuperbia, quibus annexa fuit ingratitudo, quod Adam plus appetendo, quam conceſſum erat, tantam Dei liberalitatem, qua ditatus erat, indigne ſprevit. Hæc vero prodigioſa fuit impietas, terræ filio parum videri, quod ad ſimilitudinem Dei factus eſſet, niſi accedat æqualitas. Si fœdum & execrabile ſcelus eſt apoſtaſia, qua ſe bomo conditoris ſui imperio ſubducit, imo petulanter excutit ejus jugum, fruſtra extenuatur peccatum Adæ. Quanquam non ſimplex apoſtaſia fuit, ſed cum fœdis in Deum probris conjuncta, dum Satanæ calumniis ſubſcribunt, quibus Deum & mendacii & invidiæ & malignitatis inſimulat. Denique infidelitas ambitioni januam aperuit: ambitio vero contumaciæ fuit mater, ut homines, abjecto Dei metu, ſeſe projicerent quo ferebat libido. Itaque recte Bernardus januam ſalutis aperiri nobis docet, quum hodie Euangelium auribus recipimus: ſicuti illis feneſtris, dum Satanæ patuerunt, mors admiſſa fuit. Nunquam enim repugnare Dei imperio auſus fuiſſet Adam, niſi ejus verbo incredulus. Optimum ſcilicet hoc erat frenum ad omnes affectus rite temperandos, nihil melius eſſe, quam Dei mandatis parendo, colere juſtitiam: deinde ultimam felicis vitæ metam eſſe ab ipſo diligi. Diaboli ergo blaſphemiis abreptus, quantum in ſe erat, exinanivit totam Dei gloriam.

Peccatorum illorum, ex infidelitate primi hominis prodeuntium, enumeratio.

Rom 5:19.

2. Quam late ſerpat hæc contagio.

5. Sicut ſpiritualis Adæ vita erat, manere opifici ſuo conjunctum & devinctum: ita alienatio ab eo, fuit animæ interitus. Nec mirum, ſi genus ſuum peſſundedit ſua defectione, qui totum naturæ ordinem pervertit in cælo & in terra. *Ingemiſcunt omnes creaturæ*, inquit Paulus; *corruptioni obnoxiæ, non volentes.* Si cauſa quæritur, non dubium eſt, quin partem ſuſtineant ejus pœnæ, quam promeritus eſt bomo, in cujus uſum conditæ fuerant. Quum ergo ſurſum & deorſum ex ejus culpa fluxerit maledictio, quæ graſſatur per omnes mundi plagas, nihil à ratione alienum, ſi propagata fuerit ad totam ejus ſobolem. Poſtquam ergo in eo obliterata fuit cæleſtis imago, non ſolus ſuſtinuit hanc pœnam, ut in locum ſapientiæ, virtutis, ſanctitatis, veritatis, juſtitiæ, (quibus ornamentis veſtitus fuerat) teterrimæ cederent peſtes, cæcitas, impotentia, impuritas, vanitas, injuſtitia: ſed iiſdem quoque miſeriis implicuit ſuam progeniem, ac immerſit. Hæc eſt bæreditaria corruptio, quam peccatum originale veteres nuncuparunt, Peccati voce intelligentes naturæ antea bonæ puræque depravationem. Qua de re multa fuit illis concertatio, quum à communi ſenſu nihil magis ſit remotum, quam ob unius culpam fieri omnes reos, & ita peccatum fieri commune. Quæ videtur fuiſſe ratio vetuſtiſſimis Eccleſiæ doctoribus, cur obſcure tantum perſtringerent hoc caput: ſaltem minus dilucide, quam par erat, explicarent. Neque tamen hæc timiditas efficere potuit, quin ſurgeret Pelagius, cujus profanum commentum fuit, Adam ſuo tantum damno peccaſſe, nihil nocuiſſe poſteris: hac ſcil. aſtutia Satan morbum tegendo, incurabilem reddere tentavit. Cæterum, quum evinceretur manifeſto Scripturæ teſtimonio, peccatum à primo homine tranſiiſſe in totam poſteritatem: cavillabatur tranſiiſſe per imitationem, non propaginem. Ergo boni viri in hoc elaborarunt (ac præ aliis Auguſtinus) ut oſtenderent, nos non aſcita nequitia corrumpi, ſed ingenitam vitioſitatem ab utero matris afferre. Quod inficiari ſummæ impudentiæ fuit. Sed Pelagianorum & Cæleſtianorum temeritatem non mirabitur, qui ex illius ſancti viri monumentis perſpexerit, quam fuerint in aliis omnibus perditæ frontis beſtiæ. Certe non ambiguum eſt, quod confitetur David, ſe in iniquitatibus genitum, & in peccato conceptum à matre. Non arguit illic patris aut matris delicta: ſed, quo Dei erga ſe bonitatem melius commender, propriæ perverſitatis confeſſionem ab ipſa genitura repetit. Quum id Davidi peculiare non fuiſſe conſtet, ſequitur communem humani generis ſortem ſub ejus exemplo notari. Omnes ergo, qui ab impuro ſemine deſcendimus, peccati contagione naſcimur infecti: imo, antequam lucem hanc vitæ aſpicimus, ſumus in Dei conſpectu fœdati & inquinati. *Quis enim daret mundum de immundo?* Ne unus quidem, ut eſt in libro Job.

1. In creaturas inſontes.

Rom. 8. verſ. 22.

2. In totam Adæ ſobolem.

Hæc eſt hæreditaria corruptio, ſeu peccatum originale, & natura antea bona puraque depravatio.

Quæ totam Adæ poſteritatem invaſit: ſecus ac Pelagiani & Cœleſtiani ſenſerunt.

Pſal. 51: 7.

Job 14: 4.

Non tantum per imitationem, verum etiam per propagationem. quod probatur, 1. Comparatione Adæ cum Chriſto:

6. Audimus ita in filios tranſmitti parentum immunditiem, ut omnes citra ullam exceptionam, ſua origine ſint inquinati. Hujus autem pollutionis non reperietur exordium, niſi ad primum omnium parentem, tanquam ad fontem, aſcendimus. Ita certe habendum eſt, fuiſſe Adamum humanæ naturæ non progenitorem modo, ſed quaſi radicem, atque ideo in illius corruptione merito vitiatum fuiſſe hominum genus. Quod ex illius & Chriſti comparatione planum facit Apoſtolus. *Quemadmodum* (inquit) *per unum hominem peccatum intravit in univerſum mundum, & per peccatum mors, quæ in omnes homines pervagata, quando omnes peccaverunt: ita per gratiam Chriſti juſtitia & vita nobis reſtituta eſt.* Quid hic garrient Pelagiani? peccatum Adæ imitatione propagatum? Ergone ex Chriſti juſtitia nihil aliud proficimus, niſi quod exemplum nobis eſt ad imitationem propoſitum? Quis tantum ſacrilegium ferat? Quod ſi extra controverſiam eſt, Chriſti juſtitiam communicatione noſtram eſſe, & ex ea vitam: ſimul conficitur, utramque ita in Adam fuiſſe perditam, ut in Chriſto recuperetur: peccatum vero & mortem ita per Adam obrepſiſſe, ut per Chriſtum aboleantur. Non ſunt obſcura verba, juſtificari multos per Chriſti obedientiam, quemadmodum per Adæ inobedientiam peccatores fuerant conſtituti. Ideoque inter eos duos hanc eſſe relationem, quod hic nos ſuo exitio involutos ſecum perdidit: ille nos ſua gratia in ſalutem reſtituit. In tam perſpicua luce veritatis, nihil longiori, vel magis laborioſa probatione opus eſſe arbitror. Sic & in priore ad Corinthios, quum in reſurrectionis fiducia vult pios confirmare, oſtendit recuperari in Chriſto vitam, quæ in Adam perdita fuerat. Qui nos omnes in Adam mortuos eſſe pronunciat, jam ſimul aperte quoque teſtatur, peccati labe eſſe implicitos. Neque enim ad eos perveniret damnatio, qui nulla iniquitatis culpa attingerentur. Sed clarius intelligi, quid velit, quam ex alterius membri relatione, non poteſt: ubi ſpem vitæ reſtitutam in Chriſto docet. Satis autem ſcitur, illud non aliter fieri, quam ubi mirifica illa communicatione juſtitiæ ſuæ vim in nos Chriſtus transfundit: quemadmodum alibi ſcribitur, Spiritum nobis vitam eſſe propter juſtitiam. Ergo, neque aliter interpretari licet, quod dicitur, nos in Adam mortuos eſſe; quam quod ipſe peccando, non ſibi tantum cladem ac ruinam aſcivit, ſed naturam quoque noſtram in ſimile præcipitavit exitium. Neque id ſuo unius vitio, quod nihil ad nos pertineat: ſed quoniam univerſum ſuum ſemen, ea, in quam lapſus erat, vitioſitate infecit. Nec vero aliter ſtaret illud Pauli, natura omnes eſſe iræ filios, niſi jam in ipſo utero maledicti eſſent. Naturam vero illic notari, non qualis à Deo condita eſt, ſed ut in Adam vitiata fuit, facile colligitur: quia minime conſentaneum eſſet, Deum fieri mortis auctorem. Sic ergo ſe corrupit Adam, ut ab eo tranſierit in totam ſobolem contagio. Satis etiam clare pronunciat cæleſtis ipſe judex Chriſtus, omnes pravos & vitioſos naſci,

Rom. 5. verſ. 12:

Confirmatio prioris hujus argumenti, à teſtimonio Apoſtoli, 1 Cor. 15. verſ. 22.

Rom. 8: 10.

Secunda confirmatio.

1 Cor. 15. verſ. 22.

2. Omnium teſtimonio, quod videlicet ſimus natura filii iræ.

Epheſ. 2: 3.

3. Quod contra ſit quono-

quid ex carne genitum eſt. Joan. 3: 6.

naſci, ubi docet, quicquid genitum eſt ex carne, carnem eſſe, ideoque omnibus clauſam eſſe vitæ januam, donec regeniti fuerint.

Objectio. Si propagatum eſt peccatum in Ada poſteros, animas ſunt ex traduce.
Reſponſio.

7. Neque ad ejus rei intelligentiam neceſſaria eſt anxia diſputatio, quæ veteres non parum torſit: an filii anima ex traduce paternæ animæ oriatur? quod in ea potiſſimum lues reſideat. Eo nos eſſe contentos oportet, Dominum, quas voluit humanæ naturæ collatas dotes, apud Adamum depoſuiſſe. Ideo illum, quum acceptas perdidit, non tantum ſibi perdidiſſe, ſed nobis omnibus. Quis de animæ traduce ſit ſollicitus, ubi audit Adamum, nobis non minus, quam ſibi, ornamenta illa, quæ perdidit, accepiſſe? non uni homini data illa fuiſſe, ſed univerſæ hominis naturæ attributa? Nihil ergo abſurdi, ſi ſpoliato eo, natura nuda inopſque deſtituitur: ſi illo per peccatum inquinato, in naturam contagio ſerpit. Proinde à radice putrefacta rami putridi prodierunt, qui ſuam putredinem tranſmiſerunt ad alios ex ſe naſcentes ſurculos. Sic enim vitiati ſunt filii in parente, ut nepotibus eſſent tabifici: hoc eſt, ita corruptionis exordium in Adam fuit, ut perpetuo defluxu, à prioribus in poſteros transfundatur. Neque enim in ſubſtantia carnis aut animæ cauſam habet contagio: ſed quia à Deo ita fuit ordinatum, ut quæ primo homini dona contulerat, ille tam ſibi, quam ſuis, haberet ſimul ac perderet. Quod autem cavillantur Pelagiani, veriſimile non eſſe à parentibus piis corruptionem ducere liberos, quum magis eorum puritate ſanctificari debeant, facile refutatur. Non enim ex eorum regeneratione ſpirituali deſcendunt, ſed generatione carnali. Proinde, ut ait Auguſtinus, *ſive reus infidelis, ſive abſolutus fidelis, non abſolutos uterque generat, ſed reos: quia ex vitioſa natura generat.* Porro, quod eorum ſanctitati quodammodo communicant, ſpecialis eſt populi Dei benedictio, quæ non facit, quominus prima illa & univerſalis gentis humanæ maledictio præcedat. Ex natura enim reatus: ſanctificatio autem ex ſupernaturali gratia.

Alia objectio. A piis parentibus liberi non ducunt corruptionem. Reſponſio. lib. contr. Pelag & Cœleſt.

Peccati originalis definitio vid. Calv. in decretum primum, ſeſ. 5. concil. Trident.

8. Atque ne hæc de re incerta & incognita dicta fuerint, peccatum originale definiamus. Neque vero ſingulas, quæ à ſcriptoribus poſitæ ſunt, definitiones excutere mihi propoſitum eſt: ſed unam proferam duntaxat, quæ veritati mihi videtur optime conſentanea. Videtur ergo peccatum originale hæreditaria naturæ noſtræ pravitas & corruptio, in omnes animæ partes diffuſa: quæ primum facit reos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert, quæ Scriptura vocat opera carnis. Atque id eſt proprie, quod à Paulo ſæpius peccatum nominatur. Quæ vero inde emergunt opera, qualia ſunt adulteria, ſcortationes, furta, odia, cædes, comeſſationes, fructus peccati ſecundum hanc rationem vocat: quanquam & peccata, cum in Scripturis paſſim, tum etiam ab ipſo nuncupantur. Hæc itaque duo diſtincte obſervanda: nempe, quod ſic omnibus naturæ noſtræ partibus vitiati perverſique, jam ob talem duntaxat corruptionem damnati merito convictique coram Deo tenemur, cui nihil eſt acceptum, niſi juſtitia, innocentia, puritas. Neque iſta eſt alieni delicti obligatio. quod enim dicitur, nos per Adæ peccatum obnoxios eſſe factos Dei judicio: non ita eſt accipiendum, acſi inſontes ipſi & immerentes culpam delicti ejus ſuſtineremus: ſed quia per ejus tranſgreſſionem maledictione induti ſumus omnes, dicitur ille nos obſtrinxiſſe. Ab illo tamen non ſola in nos pœna graſſata eſt, ſed inſtillata ab ipſo lues in nobis reſidet, cui jure pœna debetur. Quare Auguſtinus, utcunque alienum peccatum ſæpe vocet (quo clarius oſtendat propagine in nos derivari) ſimul tamen & proprium unicuique aſſerit. Et Apoſtolus ipſe diſertiſſime teſtatur, ideo mortem in omnes pervagatam, quod omnes peccarint, id eſt, involuti ſint originali peccato, & ejus maculis inquinati. Atque ideo infantes quoque ipſi, dum ſuam ſecum damnationem à matris utero afferunt, non alieno, ſed ſuo ipſorum vitio ſunt obſtricti. Nam, tametſi ſuæ iniquitatis fructus nondum protulerint, habent tamen in ſe incluſum ſemen: imo tota eorum natura, quoddam eſt peccati ſemen: ideo non odioſa & abominabilis Deo eſſe non poteſt. Unde ſequitur, proprie coram Deo cenſeri peccatum, quia non eſſet reatus abſque culpa. Alterum deinde accedit, quod hæc perverſitas nunquam in nobis ceſſat, ſed novos aſſidue fructus parit: ea ſcilicet, quæ ante deſcripſimus, opera carnis: non ſecus atque incenſa fornax flammam & ſcintillas efflat, aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit. Quare, qui peccatum originale definierunt carentiam juſtitiæ originalis, quam ineſſe nobis oportebat, quanquam id totum complectuntur, quod in re eſt, non tamen ſatis ſignificanter vim atque energiam ipſius expreſſerunt. Non enim natura noſtra boni tantum inops & vacua eſt: ſed malorum omnium adeo fertilis & ferax, ut otioſa eſſe non poſſit. Qui dixerunt eſſe concupiſcentiam, non nimis alieno verbo uſi ſunt, ſi modo adderetur (quod minime conceditur à pleriſque) quicquid in homine eſt, ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem uſque, hac concupiſcentia inquinatum refertumque eſſe: aut, ut brevius abſolvatur, totum hominem non aliud ex ſeipſo eſſe, quam concupiſcentiam.

Galat. 5. verſ. 19.

Definitionis partes duæ.

Poſterioris partis explicatio: peccatum aliud omnes reddere reos ira divina.

cum alibi ſæpe, tum vero 3. de peccator. merit & remiſſ. c. 8.

Rom. 5: 12.

Item, opera carnis in nobis proferre.

Alia definitiones expenſa.

9. Quamobrem dixi cunctas animæ partes à peccato fuiſſe poſſeſſas, ex quo à fonte juſtitiæ deſcivit Adam. Neque enim appetitus tantum inferior eum illexit, ſed arcem ipſam mentis occupavit nefanda impietas, & ad cor intimum penetravit ſuperbia: ut frigidum ſit ac ſtultum, corruptelam, quæ inde manavit, ad ſenſuales tantum (ut vocant) motus reſtringere: aut fomitem vocare, qui ſolam partem, quæ illis ſenſualitas eſt, ad peccatum alliciat, excitet ac trahat. In quo craſſam inſcitiam detexit Petrus Lombardus, qui ſedem quærens & veſtigans, dicit in carne eſſe (teſte Paulo) non quidem proprie, ſed quia in carne magis apparet. Quaſi vero tantum partem animæ deſignet Paulus, ac non totam naturam, quæ ſupernaturali gratiæ opponitur. Et Paulus omnem dubitationem tollit, corruptionem docens, non in una tantum parte ſubſidere, ſed nihil à mortifera ejus tabe purum eſſe, aut ſincerum. Nam de vitioſa natura diſputans, non tantum inordinatos qui apparent appetituum motus damnat, ſed præcipue contendit mentem cæcitati, & cor pravitati addictum eſſe. Atque tertium illud ad Romanos caput nihil aliud eſt, quam originalis peccati deſcriptio. Id ex renovatione clarius patet. Nam ſpiritus, qui veteri homini & carni opponitur, non modo gratiam notat, qua corrigitur inferior pars animæ vel ſenſualis, ſed plenam omnium partium reformationem complectitur. Atque ideo Paulus, non tantum craſſos appetitus in nihilum redigi, ſed nos ſpiritu mentis renovari jubet. ſicut etiam alibi transformari nos jubet in novitate mentis: unde ſequitur, partem illam, in qua maxime refulget animæ præſtantia & nobilitas, non modo vulneratam eſſe, ſed ita corruptam, ut non modo ſanari, ſed novam prope naturam induere opus habeat. Quatenus & mentem & cor occupet peccatum, mox videbimus. Hic tantum breviter attingere volui, totum hominem, quaſi diluvio, à capite ad pedes ſic fuiſſe obrutum, ut nulla pars à peccato ſit immunis: ac proinde, quicquid ab eo procedit, in peccatum imputari: ſicut dicit Paulus omnes affectus carnis, vel cogitationes, eſſe inimicitias adverſus Deum, & ideo mortem.

Prior pars definitionis (in omnes animæ partes diffuſam eſſe pravitatem illam hæreditariam) explicatur.

Rom. 7: 18.

vid. lib. 4. cap. 15. ſect. 10, 11, 12. lib. 2. diſtinct. 31.

Epheſ. 4. v. 17, 18.

Eph. 4: 23.

Rom. 12: 2.

cap. 2.

Rom. 8: 7.

Definitionis partibus explicatis ſequitur.

10. Eant nunc, qui Deum ſuis vitiis inſcribere audent, quia dicimus naturaliter vitioſos eſſe homines. Opus Dei perperam in ſua pollutione ſcrutantur, quod in illa integra adhuc & incorrupta

Adæ

Deum non eſſe auctorem peccati: quandoquidem naturali & propria vitioſitate corruptum ſit univerſum genus hominum. vide Calv. lib de præ deſt.

Adæ natura requirere debuerant. A carnis ergo noſtræ culpa, non à Deo noſtra perditio eſt; quando non alia ratione periimus, niſi quia degeneravimus à prima noſtra conditione. Neque hic obſtrepat quiſpiam, potuiſſe Deum noſtræ ſaluti melius proſpicere, ſi Adæ lapſui occurriſſet. Nam objectio iſta, cum ob nimis audacem curioſitatem piis mentibus abominanda eſt, tum ad prædeſtinationis arcanum attinet, quod ſuo loco poſtea tractabitur. Quare ruinam noſtram naturæ depravationi imputandam meminerimus, ne in Deum ipſum naturæ auctorem ſtringamus accuſationem. Hærere quidem exitiale illud vulnus in natura, verum eſt: ſed multum refert, acceſſeritne aliunde, an ab origine inſederit. Conſtat autem per peccatum inflictum fuiſſe. Non eſt igitur cur conqueramur, niſi de nobis ipſis, qood diligenter annotavit Scriptura. Dicit enim Eccleſiaſtes, *Hoc ſcio, quod fecerit Deus hominem rectum: ipſi autem quæſierunt ſibi adinventiones multas.* Homini tantum ſuum exitium adſcribendum apparet, quum Dei benignitate rectitudinem adeptus, ſua ipſe dementia in vanitatem delapſus ſit.

Eccl.7: 30.

Has pravitas autem à natura minime fluxit, ſed adventitia eſt qualitas.

11. Dicimus ergo naturali hominem vitioſitate corruptum, ſed quæ à natura non fluxerit. A natura fluxiſſe negamus, ut ſignificemus adventitiam magis eſſe qualitatem, quæ homini acciderit, quam ſubſtantialem proprietatem, quæ ab initio indita fuerit. Vocamus tamen naturalem, nequis ab unoquoque prava conſuetudine comparari putet, quum hæreditario jure univerſos comprehenſos teneat. Neque id ſine auctore facimus. Eadem enim cauſa nos omnes eſſe natura filios iræ docet Apoſtolus. Quomodo creaturæ omnium nobiliſſimæ infenſus eſſet Deus, cui placent infima quæque opera ſua? Sed operis ſui corruptioni magis infenſus eſt, quam operi ſuo. Ergo, ſi ob vitiatam humanam naturam non inſcite dicitur homo naturaliter eſſe Deo abominabilis, non etiam inepte dicetur naturaliter pravus & vitioſus: quemadmodum non veretur Auguſtinus, ratione corruptæ naturæ, naturalia dicere peccata, quæ in carne noſtra neceſſario regnant, ubi abeſt Dei gratia. Ita evaneſcit ſtultum Manichæorum nugamentum, qui, quum ſubſtantialem in homine malitiam imaginarentur, alterum illi conditorem affingere auſi ſunt, ne juſto Deo viderentur mali cauſam & principium aſſignare.

Epheſ.2:3.

Ideo Manichæorum delirium de duob. principiis evaneſcit.

CAP. II.

Hominem arbitrii libertate nunc eſſe ſpoliatum, & miſeræ ſervituti addictum.

Tractatione de primi hominis lapſu & corruptione humani generis priori capite abſoluta, neceſſario quærendum videtur, An omni libertate Adæ filii ſpoliati ſint: tum, ſiqua libertatis particula adhuc viget, quouſque vis ejus procedat. Huic quæſtioni quatuor capita proxime ſequentia deſignautur.

Porro, caput hoc 2. ad tres præcipuas partes revocari poteſt.

1. *Fundamentum totius diſputationis ſubſternit*, ſect. 1.
2. *Aliorum refert de humana libertate & ſervitute ſententias*, ſect. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.
3. *Quid ſit de hac controverſia ſtatuendum oſtendit*, à 10. ſectione ad 27.

Superioris capitis cum 4. ſequentibus connexio. Ut autem diſputatione de libero arbitrio fundamentum commode ſubterponatur, videra ſeu duo præcipitia removet, deſidiam videlicet & ſuperbiam. vide Calv. adv. Theo. Pariſienſ. artic. 2. hæc 2. præcipitia notat Auguſt. ep. 47. & in Joan. cap. 12.

POſtquam viſum eſt peccati dominatum, ex quo primum hominem ſibi obligatum tenuit, non ſolum in toto genere graſſari, ſed in ſolidum etiam occupare ſingulas animas: nunc propius excutiendum reſtat, ex quo in hanc ſervitutem redacti ſumus, an omni ſpoliati ſimus libertate: & ſiqua particula adhuc viget, quouſque vis ejus procedat. Sed quo facilius nobis hujus quæſtionis veritas eluceat, ſcopum obiter præfigam, quo tota ſumma deſtinanda ſit. Hæc autem optima cavendi erroris erit ratio, ſi pericula conſiderentur, quæ utrimque imminent. Nam ubi omni rectitudine abdicatur homo, ſtatim ex eo deſidiæ occaſionem arripit: & quia nihil ad juſtitiæ ſtudium valere per ſe dicitur, illud totum, quaſi jam nihil ad ſe pertineat, ſuſque deque habet. Rurſum vel minutulum illi quidpiam arrogari non poteſt, quin & Deo præripiatur ſuus honor, & ipſe temeraria confidentia labefactetur. Ad hos ergo ſcopulos ne impingamus, tenendus hic curſus erit, ut homo nihil boni penes ſe reliquum ſibi eſſe edoctus, & miſerrima ondique neceſſitate circumſeptus, doceatur tamen ad bonum quo vacuus eſt, ad libertatem, qua privatus eſt, aſpirare: & acrius ab ignavia excitetur, quam ſi ſumma virtute fingeretur inſtructus. Hoc ſecundum quam neceſſarium ſit, nemo non videt. De priore video à pluribus dubitari quam conveniebat. Nam, hoc extra controverſiam poſito, nihil homini de ſuo adimendum eſſe, quantopere interſit ipſum falſa gloriatione dejici, palam conſtare debet. Nam, ſi ne tum quidem hoc homini conceſſum fuit, ut in ſe gloriaretur, quum Dei beneficentia ſummis ornamentis eſſet inſignitus, quantum nunc humiliari convenit, ubi ob ſuam ingratitudinem ab eximia gloria in extremam ignominiam deturbatus eſt? Pro eo, inquam, tempore, quo in ſummum honoris faſtigium evectus erat, Scriptura nihil aliud ei tribuit, quam quod creatus eſſet ad imaginem Dei: quo ſcilicet inſinuat, non propriis bonis, ſed Dei participatione fuiſſe beatum. Quid ergo nunc ſupereſt, niſi ut Deum (cujus beneficentiæ gratus eſſe non potuit, quum divitiis gratiæ ejus afflueret) omni gloria nudus ac deſtitutus agnoſcat? & quem bonorum ſuorum recognitione non glorificavit, nunc ſaltem propriæ paupertatis confeſſione glorificet? Nihilo etiam minus è re noſtra eſt, omnem ſapientiæ virtutiſque laudem nobis derogari, quam ad Dei gloriam attinet: ut cum ſacrilegio ruinam noſtram conjungant, qui aliquid ultra verum nobis largiuntur. Quid enim aliud fit, quum Marte noſtro docemur contendere, niſi quod baculo arundineo in ſublime evehimur, quo mox confracto decidamus? Quanquam nimis etiamnum commendantur vires noſtræ, dum baculo arundineo comparantur. Fumus enim eſt quicquid de illis vani homines commenti ſunt & garriunt. Quare non abs re toties ab Auguſtino præclara iſta ſententia repetitur, præcipitari magis à ſuis defenſoribus liberum arbitrium, quam ſtabiliri. Hæc præfari neceſſe fuit propter nonnullos, qui, dum audiunt humanam virtutem funditus everti, ut Dei virtus in homine ædificetur, totam hanc diſputationem peſſime oderunt, quaſi periculoſam, nedum ſupervacuam: quam tamen, & in religione neceſſariam, & nobis utiliſſimam eſſe apparet.

Fundamentum & ſumma totius diſputationis.

Hujus fundamenti ſolida ſtructura & firma demonſtratio, ab argumento à majore ad minus.

Item ab incommodis & abſurdis, quæ ex præcipitio ſuperbiæ oriuntur.

in Euang. Joann. tract. 81.

Altera pars capitis, aliorum ſententias referens.
1. Philoſophorum,

2. Nunc conſideremus, quum paulo ante dixerimus in mente & corde ſitas eſſe animæ facultates, quid pars utraque polleat. Philoſophi ſane magno conſenſu rationem in mente conſidere fingunt, quæ inſtar lampadis conſiliis omnibus præluceat, & inſtar reginæ voluntatem moderetur. Ita enim luce

Digitized by Google

hic & ſequenti ſect. lib. 1. c. 15. ſect. 7, 8.

divina perfuſam eſſe, ut optime conſulere: eo vigore præſtare, ut optime imperare queat. Senſum contra torpere & lippitudine teneri, ut ſemper humi ſerpat, & in craſſioribus objectis volutetur, nec unquam ſe attollat ad veram perſpicaciam. Appetitum, ſi rationi parere ſuſtineat, nec ſenſui ſubigendum ſe permittet, ad ſtudium virtutum ferri, rectam viam tenere, & in voluntatem formari: quod ſi in ſervitutem ſenſus ſe addicat, ab eo corrumpi & depravari, ut in libidinem degeneret. Atque omnino, quum ex eorum opinione illæ, quas ſupra dixi, animæ facultates inſideant, intellectus, ſenſus, & appetitus, ſeu voluntas: (quæ appellatio jam vulgatiore uſu recepta eſt) intellectum ratione præditum aſſerunt, optima ad bene beateque vivendum moderatrice, ipſe modo ſe in ſua præſtantia ſuſtineat, ac vim ſibi naturaliter inditam exerat. Inferiorem autem ejus motionem, quæ ſenſus dicitur, qua ad errorem & hallucinationem abſtrahitur, talem eſſe, ut rationis ferula domari & paulatim profligari queat. Voluntatem porro inter rationem & ſenſum mediam locant, ſui ſcilicet juris & libertatis compotem, ſive rationi obtemperare, ſive ſenſui rapiendam proſtituere libeat.

Philoſophorum labyrinthi.

3. Non inficiantur quidem interdum, ipſa nimirum experientia convicti, quanta cum difficultate rationi apud ſe regnum homo ſtabiliat: dum nunc titillatur voluptatum illecebris, nunc falſa bonorum imagine deluditur, nunc impotenter percutitur immoderatis affectibus, & tanquam funibus, vel nervis (ut ait Plato) in diverſum abripitur. Qua etiam ratione Cicero dicit, illos à natura datos igniculos pravis opinionibus maliſque moribus mox extingui. Ubi vero ſemel occuparunt in animis hominum ejuſmodi morbi, impotentius graſſari fatentur, quam ut facile coërcere eos liceat: nec dubitant ferocibus equis comparare, qui ex turbata ratione, ceu auriga excuſſo, intemperanter ac ſine modo laſciviant. Hoc tamen extra controverſiam ponunt, virtutes & vitia in noſtra eſſe poteſtate. nam ſi noſtræ (inquiunt) electionis eſt, hoc aut illud agere: ergo & non agere. Rurſum, ſi non agere: ergo & agere. Libera autem electione agere videmur, quæ agimus; & ab iis abſtinere, quibus abſtinemus: ergo ſiquid boni agimus ubi libeat, poſſumus illud omittere: ſiquid mali perpetramus, poſſumus id quoque fugere. Quin etiam eo licentiæ quidam eorum proruperunt, ut jactarint, deorum quidem eſſe munus, quod vivimus: noſtrum vero, quod bene ſancteque vivimus. unde & illud Ciceronis in perſona Cottæ, quia ſibi quiſque virtutem acquirit, neminem ex ſapientibus unquam de ea gratias Deo egiſſe. *Propter virtutem enim laudamur*, inquit, *& in virtute gloriamur: quod non fieret, ſi donum eſſet Dei, non à nobis.* Ac paulo poſt, *Judicium hoc omnium mortalium eſt, fortunam à Deo petendam, à ſeipſo ſumendam eſſe ſapientiam.* Hæc ergo Philoſophorum omnium ſententiæ ſumma eſt, humani intellectus rationem rectæ gubernationi ſufficere: voluntatem illi ſubjacentem, à ſenſu quidem ad mala ſollicitari, ſed, ut liberam electionem habet, impediri nequaquam poſſe, quin rationem ducem per omnia ſequatur.

lib. 1. de leg. lib. 3. Tuſc. Quæſt.

vide apud Ariſt. lib. 3. Eth. cap. 5.

Seneca paſſim.

3. de nat. deor.

Summa ſententia omnium Philoſophorum.

2. De ſervo & libero arbitrio, veterum Theologorum ſententia.

4. Inter ſcriptores Eccleſiaſticos, tametſi nemo extitit, qui non agnoſceret & ſanitatem rationis in homine graviter ex peccato vulneratam, & voluntatem pravis cupiditatibus valde implicitam eſſe: multi tamen eorum longe plus æquo Philoſophis acceſſerunt. Ex quibus veteres mihi videntur hoc conſilio vires humanas ſic extuliſſe, ne ſi impotentiam diſerte eſſent confeſſi, primum Philoſophorum ipſorum cachinnos, quibuſcum tunc certamen habebant, excuterent: deinde carni, ſuapte ſponte nimis ad bonum torpenti, novam deſidiæ occaſionem præberent. Ergo, nequid communi hominum judicio abſurdum traderent, Scripturæ doctrinam cum Philoſophiæ dogmatibus dimidia ex parte conciliare ſtudium illis fuit: præcipue tamen ſecundum illud ſpectaſſe, ne deſidiæ locum facerent, ex eorum verbis apparet. Habet Chryſoſtomus alicubi: *Quoniam bona & mala in noſtra Deus poteſtate poſuit, electionis liberum donavit arbitrium: & invitos non retinet, ſed volentes amplectitur.* Item, *Sæpe, qui malus eſt, ſi volueris, in bonum mutatur: & qui bonus, per ignaviam excidit, & fit malus: quia liberi arbitrii eſſe noſtram naturam fecit Dominus: nec imponit neceſſitatem, ſed congruis remediis appoſitis, totum jacere in ægrotantis ſententia ſinit.* Item, *Sicut, niſi gratia Dei adjuti, nihil unquam poſſumus recte agere: ita, niſi quod noſtrum eſt attulerimus, non poterimus ſupernum acquirere favorem.* Dixerat autem prius, Ut non totum divini ſit auxilii, ſimul nos aliquid afferre oportet. Adeoque verbum hoc illi paſſim familiare eſt, *Afferamus quod eſt noſtrum, reliqua Deus ſupplebit.* Cui conſentaneum, quod ait Hieronymus, *Noſtrum eſſe incipere, Dei autem perficere: noſtrum offerre, quod poſſumus; illius implere, quod non poſſumus.* Vides certe iis ſententiis homini plus quam par erat ad virtutis ſtudium illos eſſe largitos: quia putabant ſe non aliter torporem nobis ingenitum poſſe expergefacere, quam ſi ſolo ipſo nos peccare arguerent: id autem quanta dexteritate ab illis factum ſit, poſtea videbimus. Certe, quas retulimus ſententias, eſſe falſiſſimas, paulo poſt conſtabit. Porro tametſi Græci præ aliis, atque inter eos ſingulariter Chryſoſtomus, in extollenda humanæ voluntatis facultate modum exceſſerunt, veteres tamen omnes, excepto Auguſtino, ſic in hac re aut variant, aut vacillant, aut perplexe loquuntur, ut certi fere nihil ex eorum ſcriptis referre liceat. Itaque enumerandis ſingulorum ſententiis exactius non inſiſtemus: ſed carptim ex unoquoque tantum delibabimus, quantum argumenti explicatio exigere viſa fuerit. Qui poſtea ſequuti ſunt (dum pro ſe quiſque in humanæ naturæ defenſione argutiæ laudem captat) ſenſim alii poſt alios in deterius continuo delapſi ſunt: donec eo ventum eſt, ut vulgo putaretur homo ſenſuali tantum parte corruptus, habere prorſus incolumem rationem, voluntatem etiam majori ex parte. Interea volitavit illud in ore omnium, naturalia dona in homine corrupta eſſe, ſupernaturalia vero ablata. Sed quorſum tenderet, vix centeſimus quiſque leviter guſtavit. Ego certe, ſi dilucide tradere velim qualis ſit naturæ corruptela, his verbis facile ſim contentus. Sed magnopere intereſt, attente expendi, quid homo & in cunctis naturæ ſuæ partibus vitiatus, & donis ſupernaturalibus exutus valeat. Nimis ergo philoſophice hac de re loquuti ſunt, qui ſe Chriſti jactabant eſſe diſcipulos. Nam, quaſi adhuc integer ſtaret homo, ſemper apud Latinos liberi arbitrii nomen extitit. Græcos vero non puduit multo arrogantius uſurpare vocabulum: ſiquidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac ſi poteſtas ſui ipſius penes hominem fuiſſet. Quoniam ergo ad vulgus etiam ipſum omnes hoc principio imbuti ſunt, præditum eſſe libero arbitrio hominem, nonnulli autem eorum, qui eximii volunt videri, quouſque id extendatur, neſciunt: nos vim vocis prius excutiamus, tum ex Scripturæ ſimplicitate exequamur quid ſuapte natura homo ad bonum aut malum polleat. Liberum arbitrium quid eſſet, quum in omnium ſcriptis ideotidem occurrat, pauci definierunt. Videtur tamen Origenes id, de quo paſſim inter eos conveniebat, poſuiſſe, quum dicit, Facultatem eſſe rationis ad bonum malumve diſcernendum: voluntatis ad utrumvis eligendum. Nec ab eo variat Auguſtinus, quum docet, Facultatem eſſe rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente;

Quæ partim ex Philoſophia, partim ex Theologia conſtanta ſunt.

Homil. de prod. Judæ.

Homil. 18. in Gen.

Homil. 52.

Dialog. 3. contra Pelag.

Ideo vel falſa, vel hyperbolica, vel perplexa, aut varia & pugnantes.

vide hujus cap. ſect. 12.

Philoſophia profana nimium amore in Eccleſia, Dei & noſtri notitiam obſcuravit.

Ut autem ſententia veterum melius expendantur, definitio liberi arbitrii eſt conſtituenda: in

Digitized by Google

qua illi minime conſentiunt.

lib. 3. de principus. refertur à Lombardo, lib. 2. diſt. 24. de grat. & lib. arbit. Dialog. de lib. arbit. c. 12. & 13. lib. 2. ſent. diſt. 24. ſect. 5.

aſſiſtente: malum, ea deſiſtente. Obſcurius Bernardus, dum vult argute loqui, qui ait eſſe conſenſum, ob voluntatis inamiſſibilem libertatem, & rationis indeclinabile judicium. Nec ſatis popularis Anſelmi definitio, qui tradit eſſe poteſtatem ſervandi rectitudinem propter ſeipſam. Itaque Petrus Lombardus & Scholaſtici, Auguſtini definitionem magis amplexi ſunt, quia & apertior erat, & gratiam Dei non excludebat: ſine qua voluntatem ſibi per ſe non ſufficere videbant. Sua tamen & ipſi afferunt, ſive quæ meliora eſſe, ſive quæ facere putabant ad majorem explicationem. Principio conſentiunt, nomen arbitrii magis ad rationem referendum, cujus eſt diſcernere inter bona & mala: epithetum liberi, ad voluntatem proprie pertinere, quæ ad utrumque flecti poſſit. Quare, quum libertas proprie voluntati conveniat, Thomas optime quadrare dicit, ſi liberum arbitrium dicatur vis electiva, quæ mixta quidem ex intelligentia & appetitu, magis tamen ad appetitum inclinet. Jam habemus, in quibus ſitam eſſe doceant vim liberi arbitrii, in ratione ſcilicet & voluntate: nunc, quantum utrique tribuant, breviter videndum ſupereſt.

part. 1. quæſt. 83. art. 3.

Cujuſmodi res libero arbitrio ſubjiciant veteres, præcipue vero Scholaſtici.

lib. 1. c. 2.

5. Communiter ſolent res medias, quæ ſcilicet nihil ad regnum Dei pertinent, ſub libero hominis coosilio ponere: veram autem juſtitiam, ad ſpecialem Dei gratiam & ſpiritualem regenerationem referre. Quod dum vult oſtendere auctor operis De vocatione Geotium, triplicem voluntatem numerat: primam ſenſitivam, alteram animalem, tertiam ſpiritualem: quarum priores duas homini liberas eſſe tradit, ultimam opus eſſe Spiritus ſancti io homine. Quod ao verum ſit, ſuo loco tractabitur: nunc enim recenſere breviter aliorum ſententias, noo refellere propoſitum eſt. Hinc fit, ut quum de libero arbitrio agunt ſcriptores, oon quid ad civiles, ſeu externas actiones, ſed quid ad divinæ Legis obedientiam valeat, in primis requirant. Quam poſteriorem quæſtionem ſic præcipuam eſſe fateor, ut illam arbitrer non prorſus negligendam. Cujus ſententiæ ſpero me optimam rationem redditurum. Obtinuit autem io ſcholis diſtinctio, quæ triplicem libertatem numerat: à neceſſitate primam, ſecundam à peccato, tertiam à miſeria; quarum prima ſic homini naturaliter inhæreat, ut nequeat ullo modo eripi, duæ alteræ per peccatum ſiot amiſſæ. Hanc diſtinctionem ego libenter recipio, niſi quod illic neceſſitas cum coactione perperam confunditur: ioter quas quantum ſit diſcriminis, & quam neceſſario conſiderandum, alibi apparebit.

à ſect. 12. ad 18.

Quotuplex item, ſecundum eos, ſit arbitrii libertas.

Lombard. lib. 2. diſt. 25.

Scholaſticorum Theologorum ſcrupuli in hujus quæſtionis explanatione.

6. Hoc ſi recipitur, extra controverſiam erit, non ſuppetere ad bona opera liberum arbitrium homini, niſi gratia adjuvetur, & gratia quidem ſpeciali, qua electi ſoli per regenerationem donantur. Nam phreneticos nihil moror, qui gratiam pariter & promiſcue expoſitam eſſe garriunt. Sed nondum iſtud liquet, ſitne in totum privatus bene agendi facultate, an habeat adhuc nonnullam, ſed puſillam & infirmam: quæ per ſe quidem nihil poſſit, opitulante vero gratia, ſuas ipſa quoque partes agat. Id dum vult expedire Magiſter ſententiarum, duplicem gratiam neceſſariam eſſe nobis docet, quo reddamur ad bonum opus idonei. Alteram vocat Operantem, qua fit, ut efficaciter velimus bonum: Cooperantem alteram, quæ bonam voluntatem ſequitur adjuvando. In qua partitione hoc mihi diſplicet, quod dum gratiæ Dei tribuit efficacem boni appetitum, innuit hominem jam ſuapte natura, bonum quodammodo, licet inefficaciter, appetere: ſicut Bernardus bonam quidem voluntatem opus Dei eſſe aſſerens, homini tamen hoc concedit, ut motu proprio bonam ejuſmodi voluntatem appetat. Sed iſtud ab Auguſtini mente procul abeſt, à quo tamen ſumpſiſſe partitionem videri vult Lombardus. In ſecundo membro ambiguitas me offendit, quæ perverſam genuit interpretationem. Ideo enim putarunt nos ſecundæ Dei gratiæ cooperari, quod noſtri juris ſit, primam gratiam, vel reſpuendo irritam facere, vel obedienter ſequendo confirmare. Quod auctor operis De vocatione Gentium ſic exprimit, Liberum eſſe iis, qui rationis judicio utuntur, à gratia diſcedere: ut non diſceſſiſſe ſit præmium, & ut quod non poteſt, niſi Spiritu cooperante, fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri. Hæc duo notare obiter libuit, ut videas jam lector, quantum à ſanioribus Scholaſticis diſſentiam. Longiore enim intervallo à recentioribus Sophiſtis differo, quanto ſcilicet à vetuſtate longius abſceſſerunt. Utcunque, ex hac tamen partitione intelligimus, qua ratiooe liberum dederint arbitrium homini. Pronunciat enim tandem Lombardus, non liberi arbitrii ideo nos eſſe, quod ad bonum & malum vel agendum vel cogitandum peræque polleamus: ſed duntaxat, quod coactione ſoluti ſumus. Quæ libertas non impeditur, etiamſi pravi ſimus, & ſervi peccati, & nihil quam peccare poſſimus.

Lombard. lib. 2. diſt. 26. ſect. 7, 8.

lib. 2. diſt. 26.

vide hujus lib. cap. 3. ſect. 10. & cap. 7. ſect. 9.

de libero arbitrio.

vid. ſect. 27 hujus cap.

lib. 2. c. 4.

lib. 2. ſent. diſt. 25.

Concluſio. Rem tantulam tam magnifice non debuiſſe.

7. Liberi ergo arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat booi æque ac mali electionem: ſed quia male voluntate agit, non coactione. Optime id quidem: ſed quorſum attinebat rem tantulam adeo ſuperbo titulo inſignire? Egregia vero libertas, ſi homo quidem non cogitur ad ſerviendum peccato: ſic tamen eſt ἐθελόδουλος, ut vincta teneatur peccati compedibus ejus voluntas. Equidem λογομαχίας abominor, quibus fruſtra Eccleſia fatigatur: ſed religioſe cenſeo cavendas eas voces, quæ abſurdum aliquid ſonant: præſertim ubi pernicioſe erratur. Quotus autem, quæſo, quiſque eſt, qui dum aſſignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit illum eſſe & mentis ſuæ & voluntatis dominum, qui flectere ſe in utramvis partem à ſeipſo poſſit? Atqui (dicet quiſpiam) ſublatum erit hujuſmodi periculum, ſi de ſignificatione diligenter plebs admoneatur. Imo vero, quum in falſitatem ultro humanum ingenium propendeat, citius errorem ex verbulo uno hauriet, quam veritatem ex prolixa oratione. Cujus rei certius habemus in hoc ipſo vocabulo, quam optandum ſit, experimentum. Illa enim veterum interpretatione prætermiſſa, tota fere poſteritas in verbi etymo dum hæret, in exitialem confidentiam evecta eſt.

Objectio eorum, qui voces novas in Eccleſia retinent.

Reſponſio.

Altera reſponſio. Patres (in primis Auguſtinum) etiamſi vocem arbitrii retinuerint, tamen hæreticorum gratiam Dei tollentium, dogma de libero arbitrio damnaſſe.

8. Quod ſi nos Patrum auctoritas movet: illi quidem aſſidue in ore habent vocabulum, ſed ſimul declarant quanti faciant illius uſum. In primis Auguſtinus, qui non dubitat ſervum appellare. Alicubi ſuccenſet adverſus eos, qui liberum negant arbitrium: ſed præcipuam rationem declarat, quum ait, *Tantùm ne audeat quiſquam ſic negare voluntatis arbitrium, ut velit excuſare peccatum.* At certe alibi fatetur, ſine Spiritu non eſſe liberam hominis voluntatem, quum cupiditatibus vincientibus ac vincentibus ſubdita ſit. Item, victa vitio in quod cecidit voluntate, cœpiſſe carere libertate naturam. Item, hominem libero arbitrio male uſum, & ſe & arbitrium ſuum perdidiſſe. Item, liberum arbitrium captivatum, nequid poſſit ad juſtitiam. Item, liberum non fore, quod non Dei gratia liberaverit. Item, juſtitiam Dei non impleri, quum Lex jubet, & homo quaſi ſuis viribus facit: ſed quum Spiritus adjuvat, & hominis non libera, ſed à Deo liberata voluntas obſequitur. Atque horum omnium rationem breviter reddit, quum alibi ſcribit, hominem magnas liberi arbitrii vires, quum conderetur, accepiſſe: ſed peccando amiſiſſe. Itaque alibi, poſtquam oſtendit liberum arbitrium conſtitui per gratiam, acriter in eos invehitur, qui ſibi illud arrogant ſine gratia. *Utquid ergo*, inquit, *miſeri homines aut de libero arbitrio audent ſuperbire,*

lib. 1. cont. Julian.

Homil. 53. in Joan.

ad Anaſt. epiſt. 144.

de perfect. juſt. Ench. ad Laur. cap. 30.

lib. 3. ad Bonif. c. 8.

lib. 3. c. 7.

lib. 1. ad Bonif. c. 3.

lib. 3. c. 7.

lib. de ver. Apoſtol. ſerm. 3.

lib. de ſpir. & lit. c. 30.

antequam liberentur: aut de ſuis viribus, ſi jam liberati ſunt? Nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrii utique libertatem ſonare. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo ſervi ſunt peccati, quid ſe jactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Si autem liberati ſunt, quid ſe jactant velut de opere proprio? An ita liberi ſunt, ut nec ſervi ejus eſſe velint, qui dicit, *Sine me nihil poteſtis facere?* Quid, quod alio etiam loco videtur jocoſe eludere uſum ejus vocis, quum dicit, liberum quidem eſſe arbitrium, ſed non liberatum: liberum juſtitiæ, ſervum peccati. Quam ſententiam alibi quoque repetit & applicat, ubi docet liberum à juſtitia non eſſe hominem, niſi arbitrio voluntatis: à peccato autem non fieri liberum, niſi gratia Salvatoris. Qui libertatem hominis nihil aliud eſſe ſibi teſtatur, quam emancipationem, vel manumiſſionem à juſtitia, illius inane nomen videtur belle irridere. Itaque, ſiquis vocis hujus uſum non prava intelligentia ſibi permittat, per me quidem non vexabitur ob eam rem: ſed quia ſine ingenti periculo non poſſe retineri cenſeo, magno contra Eccleſiæ bono futurum ſi aboleatur: neque ipſe uſurpare velim, & alios, ſi me conſulant, abſtinere optarim.

Joan 15. verſ. 5.
de corrept. & grat. c. 13.

Quantus autem veteres (excepto Auguſtino) ita loquuti ſint de libero hominis arbitrio poſt lapſum, ut certum quidpiam ex eorum ſcriptis elici nequeat: attamen in hac loquendi ambiguitate, humana virtute nihil aut quam minime æſtimata, totam Spiritui S. bonorum omnium laudem detulerunt.

9. Magnum mihi præjudicium attuliſſe forſan videar, qui ſcriptores omnes Eccleſiaſticos (excepto Auguſtino) ita ambigue aut varie in hac re loquutos eſſe confeſſus ſum, ut certum quidpiam ex eorum ſcriptis haberi nequeat. Hoc enim perinde nonnulli interpretabuntur, quaſi à ſuffragii jure depellere ideo ipſos voluerim, quia mihi ſint omnes adverſarii. Ego vero nihil aliud ſpectavi, quam quod volui ſimpliciter ac bona fide conſultum piis ingeniis: quæ ſi eorom ſententiam hac in parte expectent, ſemper incerta fluctuabunt: adeo nunc hominem liberi arbitrii viribus ſpoliatum, ad ſolam gratiam confugere docent: nunc propriis ipſum armis, aut inſtruunt, aut videntur inſtruere. Difficile tamen factu non eſt, ut appareat eos in hujuſmodi loquendi ambiguitate, humana virtute nihil, aut quam minimo æſtimata, totam Spiritui ſancto bonorum omnium laudem detuliſſe: ſi quaſdam eorum ſententias huc inſeram, quibus id clare docetur. Quid enim ſibi vult illud Cypriani, toties ab Auguſtino celebratum, *De nullo gloriandum: quia nihil noſtrum eſt, niſi ut homo prorſus apud ſe exinanitus, à Deo totus pendere diſcat.* Quid illud Auguſtini & Eucherii, dum lignum vitæ Chriſtum eſſe exponunt, ad quem qui manum porrexerit, vivet: lignum ſcientiæ boni & mali, voluntatis arbitrium, de quo qui relicta gratia Dei guſtaverit, morietur? Quid illud Chryſoſtomi, Quod omnis homo non modo naturaliter peccator, ſed totus peccatum eſt? Si nihil boni noſtrum eſt, ſi homo à vertice ad calcem totus eſt peccatum, ſi ne tentare quidem licet, quantum valeat arbitrii facultas: qui jam inter Deum & hominem laudem boni operis partiri liceat? Poſſem ejuſmodi formæ permulta ex aliis referre: ſed nequis cavilletur, me ſeligere ſola ea, quæ cauſæ meæ ſerviunt, quæ autem adverſantur callide præterire, ab hac recitatione abſtineo. Audeo tamen hoc affirmare, utcunque nimii interdum ſint in libero arbitrio extollendo, hunc tamen illis propoſitum fuiſſe ſcopum, ut hominem à virtutis ſuæ fiducia penitus averſum, in Deo uno fortitudinem ſuam repoſitam habere doceant. Nunc ad ſimplicem veritatis explicationem in conſideranda hominis natura venio.

lib. de prædeſt. ſanct.
item ad Bonif. l. 4. & alibi.
lib. in Geneſin.
Homil. 1. in adventu.

Poſtrema hujus cap. pars, ſimplicem veritatis doctrinam in conſideranda hominis natura proponens. Fundamentum autem illud eſt, ut homo ſe perditum agnoſcens, tum demum in ſui cognitione profeciſſe exiſtimet.

10. Quod tamen initio hujus capitis præfatus ſum, cogor rurſum hic repetere, Ut quiſque maxime ſuæ calamitatis, inopiæ, nuditatis, ignominiæ conſcientia dejectus eſt & conſternatus, ita optime in ſui cognitione profeciſſe. Non enim periculum eſt, ne ſibi nimium adimat homo, dummodo recuperandum in Deo diſcat, quod ſibi deeſt. At ſibi ne tantillum quidem ſumere ultra jus ſuum poteſt, quin & inani confidentia ſe perdat, & divinum honorem ad ſe traducens, immanis ſacrilegii reus fiat. Et ſane, quoties hæc libido mentem noſtram inceſſit, ut aliquid noſtrum habere expetamus, quod in nobis ſcilicet potius, quam in Deo reſideat, cogitationem hanc non ab alio conſiliario ſciamus nobis ſuggeri, quam qui primos parentes induxit, ut diis eſſe ſimiles vellent, ſcientes bonum & malum. Si verbum diabolicum eſt, quod hominem in ſeipſo erigit, illi ne locum demus: niſi ab hoſte conſilium capere libet. Dulce quidem eſt, tantum habere propriæ virtutis, ut in ſeipſo acquieſcas: ſed, ne ad inanem iſtam fiduciam illectemur, deterreant nos tot graves ſententiæ, quibus ſevere proſternimur: quales ſunt, *Maledictum eſſe, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* Item, *Non delectari Deum robore equi: tibias viri illi non placere: ſed affici erga timentes ſe, ſuſpicientes bonitatem ſuam.* Item, *Ipſum eſſe, qui dat laſſo vires, & virtute defecto robur auget: qui facit, ut fatigentur & laborent adoleſcentes: juvenes impingant: qui autem in ipſo uno ſperant, roborentur.* Quæ omnes eo ſpectant, ut ne quantulacunque fortitudinis noſtræ opinione nitamur, ſi Deum volumus habere propitium, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Tum in memoriam rurſum veniant iſtæ promiſſiones, *Effundam aquam ſuper ſitientem, & flumina ſuper aridam.* Item, *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Quæ teſtantur, ad percipiendas Dei benedictiones nullos admitti, niſi ſuæ paupertatis ſenſu tabeſcentes. Nec prætereundæ ejuſmodi, qualis iſta eſt Jeſaiæ, *Non erit amplius tibi ſol ad lucendum per diem, neque luna ad lucendum per noctem: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.* Solis certe aut lunæ ſplendorem non aufert Dominus ſervis ſuis: ſed quia vult in ipſis ſolus glorioſus apparere, ab iis etiam, quæ habentur eorum opinione excellentiſſima, fiduciam eorum procul avocat.

Id confirmatur, 1. Sententiis Scripturæ.
Jer. 17: 5.
Pſ. 147: 10.
Jeſa. 40. verſ. 29, 30, 31.
Jac. 4: 6.
Jeſa. 44: 3.
idem c. 55. verſ. 1.
Jeſa. 60. verſ. 19.

2. Teſtimoniis veterum Theologorum.

11. Semper ſane mihi vehementer illud Chryſoſtomi placuit, Fundamentum noſtræ Philoſophiæ eſſe humilitatem: magis etiamnum illud Auguſtini, *Quemadmodum*, inquit, *rhetor ille rogatus, quid primum eſſet in eloquentiæ præceptis: reſpondit, pronunciationem: quid ſecundum, pronunciationem: quid tertium, pronunciationem: ita ſi me interroges de religionis Chriſtianæ preceptis, primo, ſecundo, & tertio, & ſemper reſpondere liberet, humilitatem.* Porro humilitatem non intelligit, ubi homo aliquantæ virtutis ſibi conſcius à ſuperbia faſtuque abſtinet: ſed ubi talem ſe vere ſentit, qui nullum habeat, niſi in humilitate, refugium, quemadmodum alibi declarat. *Nemo*, inquit, *ſe palpet: de ſuo Satanas eſt: id unde beatus eſt, à Deo tantum habet. Quid enim de tuo habes niſi peccatum? Tolle tibi peccatum, quod tuum eſt: nam juſtitia Dei eſt.* Item, *Quid tantum de naturæ poſſibilitate præſumitur? vulnerata, ſauciata, vexata, perdita eſt. Vera confeſſione, non falſa defenſione opus habet.* Item, *Quando quiſque cognoſcit, quod in ſeipſo nihil eſt, & adjutorium de ſe nullum habet: arma in ipſo confracta ſunt, bella ſedata ſunt.* Neceſſe autem eſt, ut conterantur omnia impietatis arma, confringantur, comburantur: remaneas inermis, nullum habeas in te adjutorium. Quanto magis in te infirmus es, tanto magis te ſuſcipit Dominus. Sic in Pſalmum ſeptuageſimum, juſtitiæ noſtræ reminiſci nos vetat, quo Dei juſtitiam agnoſcamus: ac Deum oſtendit ſic nobis gratiam ſuam commendare, ut nos nihil eſſe ſciamus. Stare tantum Dei miſericordia, quum à nobis ipſis nonniſi mali ſimus. Ne hic ergo de jure noſtro cum Deo contendamus, acſi ſaluti noſtræ decederet, quod illi tribuitur. Siquidem, ut noſtra humilitas, ejus eſt altitudo:

Homil. de perfect. Euangel.
epiſt. 65. ad Dioſc. de vera humilit. vide cap. 7. hujus lib. ſect. 4. & lib. 3. c. 12. ſect. 6, 7.
Homil. in Joan. 49.
lib. de nat. & grat. cap. 52.
in Pſal. 45.

ita

ita confeſſio noſtræ humilitatis, miſerationem ejus in remedium paratam habet. Neque veró exigo, ut homo non convictus, ultro cedat: & ſiquas facultates habet, ab iis animum avertat, quo in veram humilitatem ſubigatur: ſed ut ſepoſito φιλαυτίας καὶ φιλοτιμίας morbo (quo excæcatus, æquo altius de ſe ſentit) in veraci Scripturæ ſpeculo ſeipſum probe recognoſcat.

Fundamento poſito, ut oſtendat quantum in homine poſt lapſum tribuendum ſit cum intellectui, tum etiam voluntati, primum de utroque generatim aſſirmat (idque ſecundum Auguſtinum & Scholaſticos) naturalia dona corrupta eſſe, ſupernaturalia vero penitus amiſſa.

12. Ac illa quidem vulgaris ſententia, quam ſumpſerunt ex Auguſtino, mihi placet, naturalia dona fuiſſe corrupta in homine per peccatum, ſupernaturalibus autem exinanitum fuiſſe. Nam hoc poſteriore membro intelligunt, tam fidei lucem, quam juſtitiam, quæ ad cæleſtem vitam æternamque felicitatem adipiſcendam ſufficerent. Ergo ſe abdicans à regno Dei, ſimul privatus eſt ſpiritualibus donis, quibus in ſpem ſalutis æternæ inſtructus fuerat: unde ſequitur, ita exulare à regno Dei, ut quæcunque ad beatam animæ vitam ſpectant, in eo extincta ſint, donec per regenerationis gratiam ipſa recuperet. In his ſunt, fides, amor Dei, charitas erga proximos, ſanctitatis & juſtitiæ ſtudium. Hæc omnia quum nobis reſtituat Chriſtus, adventitia cenſentur, & præter naturam: ideoque fuiſſe abolita colligimus. Rurſum ſanitas mentis & cordis rectitudo ſimul fuerunt ablata: atque hæc eſt naturalium donorum corruptio. Nam etſi aliquid intelligentiæ & judicii reſiduum manet unà cum voluntate, neque tamen mentem integram & ſanam dicemus, quæ & debilis eſt, & multis tenebris immerſa, & pravitas voluntatis plus ſatis nota eſt. Quum ergo ratio, qua diſcernit homo inter bonum & malum, qua intelligit & judicat, naturale donum ſit, non potuit in totum deleri: ſed partim debilitata, partim vitiata fuit, ut deformes ruinæ appareant. Hoc ſenſu dicit

Joan. 1: 5. Joannes, lumen adhuc in tenebris lucere, ſed à tenebris non comprehendi: quibus verbis utrumque clare exprimitur, in perverſa & degenere hominis natura micare adhuc ſcintillas, quæ oſtendant rationale eſſe animal & à brutis differre, quia intelligentia præditum ſit: & tamen hanc lucem multa ignorantiæ denſitate ſuffocari, ut efficaciter emergere nequeat. Sic voluntas, quia inſeparabilis eſt ab hominis natura, non periit: ſed pravis cupiditatibus devincta fuit, ut nihil rectum appetere queat.

Deinde, utrumque ſeparatim explicandum ſibi aſſumit. Intellectus primum vires excutiens ab hac ſectione ad 26. Generalia autem priore loco quædam proferri: nempe 1. intellectum humanum perſpicientia aliqua valere. Quæ tamen duplici vanitate laborat.

Hæc quidem plena eſt definitio, ſed quæ pluribus explicanda eſt. Ergo, ut ſecundum primam illam diſtinctionem, qua hominis animam in intellectum & voluntatem partiti ſumus, orationis ordo procedat: vim intellectus priore loco excutiamus. Perpetuæ cæcitatis ita eum damnare, ut nihil intelligentiæ ullo in genere rerum reliquum facias, non modo verbo Dei, ſed ſenſus etiam communis experimento repugnat. Videmus enim inſitum eſſe humano ingenio deſiderium, neſcio quod, indagandæ veritatis, ad quam minime aſpiraret, niſi aliquo ejus odore ante percepto. Eſt ergo jam hæc nonnulla humani intellectus perſpicientia, quod veritatis amore naturaliter rapitur: cujus neglectus in brutis animantibus arguit craſſum abſque ratione ſenſum. Quanquam hæc qualiſcunque appetentia, antequam curſus ſui ſtadium ingrediatur, deficit: quia mox concidit in vanitatem. Siquidem mens hominis, præ hebetudine, rectam veri inveſtigandi viam tenere nequit: ſed per varios errores vagatur, & tanquam in tenebris palpando ſubinde impingit, donec tandem palata evaneſcat: ita veritatem quærendo, quam ſit ad ipſam quærendam & inveniendam inepta, prodit. Altera deinde vanitate graviter laborat: quod in quarum rerum veram notitiam incumbere expediat, ſæpius non diſcernit. Itaque in diſquirendis ſupervacuis ac nihili rebus ridicula curioſitate ſe torquet: ad res maxime cognitu neceſſarias aut non advertit aut contemptim & raro deflectit: ſtudium certe ſuum vix unquam ſerio applicat. De qua pravitate quum paſſim conquerantur profani ſcriptores, omnes fere ſe ea implicuiſſe comperiuntur. Quare Solomo, in toto ſuo Eccleſiaſte, ubi ea ſtudia eſt perſequutus, in quibus ſibi videntur homines valde ſapere, inania tamen eſſe & frivola pronunciat.

Porro, intelligentia hæc ad res terrenas & cæleſtes extenditur. Quantum intellectus valeat in rerum terrenarum cognitione aſſequenda oſtenditur hac ſect. & quatuor proxime ſequentibus, nempe 14, 15, 16, 17. Ac primum, quod ad res illas medias, ſive terrenas attinet, manent adhuc in homine quædam intelligentiæ vires. Politiam enim & œconomiam ita omnes amplectuntur, ut non ſolum intelligant, oportere quoſvis hominum cœtus legibus contineri: verum etiam & harum rerum principia mente comprehendunt, atque confuſionum auctores ac fautores damnant.

13. Neque tamen ita conatus ejus ſemper in irritum cedunt, quin aliquid aſſequatur, præſertim ubi ſeipſam ad inferiora iſta intendit. Quin etiam non ita ſtupida eſt, quin exiguum quiddam & de ſuperioribus delibet, utcunque negligentius illis percontandis vacet: non id quidem æqua facultate. Nam quum ſupra vitæ præſentis ſpatium evehitur, tum præcipue demum convincitur ſuæ imbecillitatis. Quare, ut melius perſpiciamus, quo uſque pro gradibus ſuæ facultatis in unaquaque re procedat, diſtinctionem nobis proponere operæpretium eſt. Sit ergo hæc diſtinctio, eſſe aliam quidem rerum terrenarum intelligentiam, aliam vero cæleſtium. Res terrenas voco, quæ ad Deum regnumque ejus, ad veram juſtitiam, ad futuræ vitæ beatitudinem non pertingunt: ſed cum vita præſenti rationem relationemque habent, & quodammodo intra ejus fines continentur. Res cæleſtes, puram Dei notitiam, veræ juſtitiæ rationem, ac regni cæleſtis myſteria. In priore genere ſunt, politia, œconomia, artes omnes mechanicæ, diſciplinæque liberales. In ſecundo, Dei ac divinæ voluntatis cognitio, & vitæ ſecundum eam formandæ regula. De priori autem ſic fatendum: Quoniam homo animal eſt natura ſociale, naturali quoque inſtinctu ad fovendam, conſervandamque eam ſocietatem propendet: ideoque civilis cujuſdam & honeſtatis & ordinis univerſales impreſſiones ineſſe omnium hominum animis conſpicimus. Hinc fit, ut nemo reperiatur, qui non intelligat, oportere quoſvis hominum cœtus legibus contineri, quique non earum legum principia mente complectatur. Hinc ille perpetuus, tam Gentium omnium, quam ſingulorum mortalium in leges conſenſus, quia inſita ſunt univerſis, abſque magiſtro legiſlatore, ipſarum ſemina. Neque moror diſſenſiones & pugnas, quæ mox emergunt, dum alii cupiunt jus & fas omne inverſum, ſoluta legum repagula, libidinem ſolam pro jure graſſari, ut fures & latrones: alii (quod vitium pluſquam vulgare eſt) iniquum eſſe putant, quod pro æquo ab aliis ſancitur: contra, laudabile contendunt, quod ab aliis vetatur. Siquidem illi non ideo leges oderunt, quod ignorent bonas & ſanctas eſſe: ſed præcipiti cupiditate furentes, cum manifeſta ratione pugnant: &, quod mentis intelligentia probant, pro ſua libidine abominantur. Poſterius certamen tale eſt, ut primam illam conceptionem æquitatis non dirimat; ſiquidem de legum capitibus dum inter ſe diſceptant homines, in quandam æquitatis ſummam conſentiunt. In quo debilitas certe humanæ mentis arguitur, quæ etiam dum viam ſequi videtur, claudicat & vacillat. Manet tamen illud, inſperſum eſſe univerſis ſemen aliquod ordinis politici. Atque hoc amplum argumentum eſt, in hujus vitæ conſtitutione, nullum deſtitui luce rationis hominem.

Secundo, in artibus diſcendis valet humanus intellectus.

14. Sequuntur artes, tum liberales, tum manuariæ, quibus diſcendis quia ineſt omnibus nobis quædam aptitudo, in eis etiam apparet vis humani acuminis. Quanquam autem non ſunt omnes omnibus diſcendis idonei, ſatis tamen communis energiæ certum ſpecimen eſt, quod nemo prope reperitur, cujus in arte aliqua perſpicientia non ſe exerat. Neque ſola ſuppetit ad diſcendum energia & facilitas, ſed ad excogitandum in unaquaque arte novum aliquid, vel amplificandum & expoliendum, quod alio præeunte didiceris. Quod ut Platonem perperam impulit, ut traderet, comprehenſionem ejuſmodi nihil eſſe quam recordationem: ita nos

opti-

optima ratione cogit fateri, eſſe iogenitum bumano ingeoio ejus principium. Hæc ergo documenta aperte teſtantur, univerſalem ratioois & intelligentiæ comprehenſionem eſſe hominibus naturaliter inditam. Sic tamen univerſale eſt bonum, ut in eo pro ſe quiſque peculiarem Dei gratiam agnoſcere debeat. Ad quam gratitudinem nos abunde expergefacit ipſe naturæ conditor, dum moriones creat, in quibus repræſentat, quibus excellat dotibus homiois anima, niſi ejus lumine perfuſa: ut quod ſic naturale ineſt omnibus, ut prorſus gratuitum ſit erga ſingulos beneficentiæ ejus munus. Ipſarum porro artium inventio, aut metbodica traditio, aut interior & præſtantior cognitio (quæ propria eſt paucorum) non eſt quidem ſolidum argumentum communis perſpicaciæ: quia tamen promiſcue contingit piis & impiis, jure inter naturales dotes numeratur.

Sic autem eſt bonum univerſale ejuſmodi facultas intelligendi, ut nihilominus varia dona ſingulis collata Dei gratiam ſatis ſuperque teſtentur.

15. Quoties ergo in profanos ſcriptores incidimus, illa, quæ admirabilis in iis affulget, veritatis luce admoneamur, mentem bominis, quantumlibet ab integritate ſua collapſam & perverſam, eximiis [tamen] etiamnum Dei donis veſtitam eſſe & exornatam. Si unicum veritatis fontem, Dei Spiritum eſſe reputamus, veritatem ipſam neque reſpuemus, neque contemnemus, ubicunque apparebit: niſi velimus in Spiritum Dei contumelioſi eſſe. non enim dona Spiritus, ſine ipſius contemptu & opprobrio, vilipenduntur. Quid autem? Veritatem affulſiſſe antiquis Jureconſultis negabimus, qui tanta æquitate civilem ordinem & diſciplinam prodiderunt? Philoſophos cæcutiſſe dicemus, cum in exquiſita iſta naturæ contemplatiooe, tum artificioſa deſcriptione? Dicemus mentem illis defuiſſe, qui arte diſſerendi conſtituta, nos cum ratione loqui docuerunt? Dicemus eos inſaniiſſe, qui medicinam excudendo, ſuam induſtriam nobis impenderunt? Quid mathemata omnia? putabimusne amentium deliria? Imo ne ſine ingenti quidem admiratione, veterum ſcripta legere de bis rebus poterimus: admirabimur autem, quia præclara, ut ſunt, cogemur agnoſcere. Porro laudabilene aliquid aut præclarum cenſebimus, quod non recognoſcamus à Deo provenire? Pudeat nos tantæ ingratitudinis, in quam non inciderunt Ethnici Poëtæ, qui & Philoſophiam, & leges, & bonas omnes artes, deorum inventa eſſe confeſſi ſunt. Ergo, quum homines iſtos, quos Scriptura ψυχικοὺς vocat, uſque eo fuiſſe pateat in rerum inferiorum inveſtigatione acutos & perſpicaces, talibus exemplis diſcamus, quot naturæ bumaoæ bona Domious reliquerit, poſtquam vero bono ſpoliata eſt.

Uſus hujus cognitionis & intelligentiæ, circa res terrenas verſantis, in eo conſiſtit, ut mentem hominis quantumlibet & ab integritate ſua collapſam, eximiis tamen Dei donis etiamnum ornatam eſſe agnoſcamus.

16. Neque tamen interim obliviſcamur hæc præſtantiſſima divini Spiritus eſſe dona, quæ in publicum generis bumani bonum, quibus vult, diſpenſat. Si enim Beſeleel & Oliab intelligentiam & ſcieotiam, quæ ad fabricam tabernaculi requirebatur, oportuit à Spiritu Dei inſtillari: noo mirum eſt, ſi earum rerum, quæ ſunt in vita bumana præſtantiſſimæ, cognitio per Spiritum Dei communicari nobis dicatur. Neque eſt, cur roget quiſpiam, Quidnam cum Spiritu commercii impiis, qui ſunt à Deo prorſus alieni? Nam quod dicitur Spiritus Dei in ſolis fidelibus habitare, id intelligendum de Spiritu ſanctificationis, per quem Deo ipſi in templa conſecramur. Neque tamen ideo minus replet, movet, vegetat omnia ejuſdem Spiritus virtute, idque ſecundum uniuſcujuſque generis proprietatem, quam ei creationis lege attribuit. Quodſi nos Dominus impiorum opera & miniſterio, in phyſicis, dialecticis, mathematicis & reliquis id genus voluit adjutos, ea utamur: ne ſi Dei dona ultro in ipſis oblata negligamus, demus juſtas ignaviæ noſtræ pœnas. At vero, ne quis hominem valde beatum putet, quum ſub elementis hujus mundi tanta veritatis comprehendendæ eoergia illi conceditur: ſimul addendum eſt, totam iſtam & intelligendi vim, & intelligentiam, quæ inde conſequitur, rem eſſe fluxam & evanidam coram Deo, ubi non ſubeſt ſolidum veritatis fundamentum. Veriſſime enim Auguſtinus (cui ſubſcribere, ut diximus, coacti ſunt Magiſter ſenteotiarum & Scholaſtici) ut gratuita homini dona poſt lapſum detracta eſſe, ita naturalia hæc, quæ reſtabant, corrupta fuiſſe docet. non quod per ſe inquinari poſſint, quatenus à Deo proficiſcuntur: ſed quia polluto homini pura eſſe deſierunt, ne quam inde laudem conſequatur.

Deinde, in commune bonum generis humani quibuſdam collata ſunt hæc dona.

Exod. 31. verſ. 2. & cap. 35. verſ. 30.

Interdum etiam impiis, quibus pura & firma eſſe coram Deo deſinunt.

lib. 2. diſt. 25.

17. Hæc ſumma ſit, in univerſo genere bumano perſpici, naturæ noſtræ propriam eſſe rationem, quæ nos à brutis animalibus diſcernat, ſicut ipſa ſenſu differunt à rebus inanimatis. Nam quod naſcuntur moriones quidam, vel ſtupidi, defectus ille generalem Dei gratiam non obſcurat: quin potius tali ſpectaculo monemur, quod oobis relictum eſt, Dei indulgentiæ merito debere adſcribi: quia niſi nobis peperciſſet, totius naturæ interitum ſecum traxiſſet defectio. Quod autem alii præſtant acumine, alii judicio ſuperant, aliis mens agilior eſt ad hanc vel illam artem diſcendam, in hac varietate gratiam ſuam nobis commendat Deus, ne ſibi quiſquam velut proprium arroget, quod ex mera illius liberalitate fluit. Unde enim alius alio præſtantior, niſi ut in natura commuoi emineat ſpecialis Dei gratia, quæ multos præteriens, nemini ſe obſtrictam eſſe clamat? Adde, quod ſingulares motus pro cujuſque vocatione Deus inſtillat; cujus rei multa occurrunt exempla in libro Judicum, ubi dicitur Spiritus Domini induiſſe, quos ad regendum populum vocabat. Denique in eximiis quibuſque factis ſpecialis eſt inſtinctus. Qua ratione Saulem ſequuti ſunt fortes, quorum tetigerat Deus corda. Et quum prædicitur inauguratio in regnum, ita loquitur Samuel, *Tranſibit ſuper te Spiritus Domini, & eris vir alius.* Atque hoc ad totum gubernationis curſum extenditur: ſicuti poſtea narratur de Davide, quod tranſierit ſuper eum Spiritus Domini à die illa in poſterum. Sed idem alibi traditur quoad particulares motus. Imo apud Homerum ingenio pollere dicuntur homines, oon modo, prout cuique diſtribuit Jupiter, ſed οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι. Et certe experientia oſtendit, dum attoniti ſæpe hærent, qui maxime iogenioſi erant ac ſolertes, in manu & arbitrio Dei eſſe mentes hominum, ut eas ſingulis momentis regat: qua ratione dicitur auferre ſenſum prudentibus, ut errent per invia. Cæterum in hac diverſitate coospicimus tamen aliquas imaginis Dei ſuperſtites ootas, quæ totum bumanum genus ab aliis creaturis diſtinguant.

In ſumma, aliquid naturæ humanæ reliquum eſt: quicquid autem eſt, id totum indulgentiæ divinæ adſcribi debet.

Ratio 1.

2. *Exempla.*

Jud. 6: 34.

1 Sam. 10. verſ. 26.

1 Sam. 10. verſ. 6.

Odyſſ. σ.

Ratio 3.

Pſal. 107. verſ. 40.

18. Nuoc exponendum eſt, quid cernat humana ratio, ubi ad regnum Dei venitur & ſpiritualem illam perſpicientiam: quæ tribus potiſſimum rebus conſtat, Deum noſſe, paternum erga nos ejus favorem, in quo ſalus noſtra conſiſtit: & formandæ, ſecundum Legis regulam, vitæ ratiooem. Cum io primis duobus, tum vero in ſecundo proprie, qui ſunt hominum ingenioſiſſimi, talpis ſunt cæciores. Equidem non inficior, ſparſim quædam apud Philoſophos de Deo legi ſcite & apposite dicta: ſed quæ vertiginoſam quandam imaginationem ſemper reſipiant. Præbuit quidem illis Dominus, ut ſupra dictum eſt, exiguum divinitatis ſuæ guſtum, ne ignoraotiam impietati obteoderent: & eos ioterdum ad dicenda nonnulla impulit, quorum confeſſione ipſi convincerentur: ſed ita viderunt, quæ videbaot, ut tali intuitu minime ad veritatem dirigerentur, nedum pertingerent; qualiter nocturni fulgetri coruſcationem, qui in medio agro eſt viator, longe lateque ad momentum videt, ſed adeo evanido aſpectu,

Altera pars diſputationis de vi humanæ rationis, ſeu intelligentiæ, circa res cæleſtes & ſpirituales: ab hac 18. ſect. ad 26. uſque.

Quum autem eos ſpirituales ad 3. capita revocentur, nempe divina notitia, adoptionis, & voluntatis intelligentiam:

circa hæc tria homines cæcutire probatur rationibus firmiſſimis, eleganti ſimilitudine illuſtratis.
vide lib. 3. c.2. ſect. 14, 15, 16.

aſpectu, ut ante noctis caligine reſorbeatur, quam pedem movere queat: tantum abeſt, ut in viam tali ſubſidio deducatur. Præterea illæ veritatis guttulæ, quibus libros tanquam fortuito aſpergunt, quot & quam portentoſis mendaciis ſunt ioquinatæ? Denique illam divinæ erga nos henevolentiæ certitudinem (ſine qua hominis ingenium immenſa confuſione repleri neceſſe eſt) ne olfecerunt quidem unquam. Ad hanc ergo veritatem, nec appropinquat, nec contendit, nec collimat humana ratio, ut intelligat, quis ſit verus Deus, qualiſve erga nos eſſe velit.

Deinde Scriptura S. teſtimoniis, ex quibus colligitur, 1. Aliqua luce donatos eſſe Adami filios, ſed eu Deum haud comprehendere poſſe.
Joan. 1: 4.

19. Sed quia falſa perſpicaciæ noſtræ opinione ebrii, ægerrime nobis perſuaderi ſinimus, illam in rebus divinis cæcam prorſus eſſe & ſtupidam: ſatius, opinor, fuerit Scripturæ teſtimoniis, quam rationibus id comprobare. Hoc pulcherrime docet Joannes, eo quem nuper citavi loco, quum ſcribit, in Deo ab initio fuiſſe vitam, & eam vitam, quæ eſſet lux hominum: lucem hanc in tenebris lucere, & à tenebris non comprehendi. Indicat quidem hominis animam fulgore divinæ lucis irradiari, ut nunquam plane, vel exigua ſaltem ejus flamma, vel ſaltem ſcintilla deſtituatur: ſed ea tamen illuminatione Deum non comprehendere. Cur id? quia ejus acumen, quantum ad Dei notitiam, mera eſt caligo.

Ratio prima.

Quum enim Spiritus homines appellat tenebras, eos ſemel ſpoliat omni ſpiritualis intelligentiæ facultate.

Joan. 1: 12.
Ratio altera.

Quare fideles, qui Chriſtum amplectuntur, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis aut viri, ſed ex Deo natos aſſerit. Quaſi dieeret, non eſſe tam ſublimis ſapientiæ capacem carnem, ut Deum, & quod Dei eſt, ſuſcipiat, niſi Dei Spiritu illuminetur. Quemadmodum teſtatus eſt Chriſtus, hanc ſpecialem eſſe Patris revelationem, quod à Petro agnoſceretur.

Matth. 16. verſ. 17.

2. Adoptio non a natura, ſed à Patre cæleſti per regenerationis Spiritum in electis obſignatur: ideo intelligentia, quæ ſalutis noſtræ ſunt, ante regenerationem minime apprehendit: ut ex Scriptura S. variis locis apparet.
Pſ. 36: 10.
1 Cor. 12. verſ. 3.
Joan. 3: 27.
Deut. 29: 2.

20. Si perſuaſum nobis foret (quod extra controverſiam eſſe debet) naturæ noſtræ deeſſe quicquid cæleſtis Pater electis ſuis per Spiritum regenerationis confert, hic nulla eſſet hæſitandi materia. Sic enim loquitur populus fidelis apud Prophetam, *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Idem teſtatur Apoſtolus, quum ait, neminem poſſe dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu S. Et Joannes Baptiſta, ſtuporem diſcipulorum videns, exclamat, neminem poſſe accipere quicquam, niſi datum illi fuerit deſuper. Donum autem ab eo intelligi de ſpeciali illuminatione, non communi naturæ dote, inde conſtat, quod tot verbis, quibus Chriſtum commendaverat diſcipulis ſuis, nihil ſe profeciſſe conqueritur. *Video*, inquit, *verba nihil eſſe ad mentes hominum de rebus divinis imbuendas, niſi Dominus per Spiritum ſuum intelligentiam dederit.* Quinimo Moſes, dum populo exprobrat ſuam oblivionem, ſimul tamen notat, non aliter ipſum poſſe in myſteriis Dei ſapere, niſi ipſius beneficio. *Viderunt*, inquit, *oculi tui ſigna illa portentaque ingentia: & non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, nec aures ad audiendum, nec oculos ad videndum.* Quid plus exprimeret, ſi nos vocaret ſtipites in operibus Dei conſiderandis? Unde Dominus per Prophetam, ſingularis gratiæ loco pollicetur, ſe daturum Iſraëlitis cor, ut ab illis cognoſcatur: nimirum innuens, tantum hominis mentem ſpiritualiter ſapere, quantum abs ſe illuſtrata fuerit. Hoc quoque ſua voce dilucide confirmavit Chriſtus, quum diceret, neminem venire ad ſe poſſe, niſi cui datum à Patre ſuo foret. Quid? annon ipſe eſt viva Patris imago, in qua totus gloriæ ejus ſplendor nobis exprimitur? Ergo non potuit melius oſtendere, qualis ſit noſtra ad cognoſcendum Deum facultas, dum ad cernendam ejus imaginem, ubi ita palam exhibetur, oculos nobis eſſe negat. Quid? annon ideo in terras deſcendit, ut Patris voluntatem hominibus patefaceret? annon ſua quoque legatione fideliter defunctus eſt? Ita eſt ſane: ſed nihil efficitur ejus prædicatione, niſi interior magiſter Spiritus viam ad animos patefaciat. Ergo, non veniunt ad eum, niſi qui à Patre audierunt & edocti ſunt. Quæ iſta diſcendi & audiendi ratio? Nempe, ubi aures ad audiendum, & mentes ad intelligendum, Spiritus mira & ſingulari virtute format. Ac ne illud novum videatur, Jeſaiæ vaticinium citat, ubi dum Eccleſiæ inſtaurationem promittit, eos Dei diſcipulos fore docet, qui in ſalutem colligentur. Si aliquid peculiare de electis ſuis illic prædicit Deus, conſtat non de eo doctrinæ genere ipſum loqui, quod impiis etiam & profanis commune eſt. Reſtat igitur, ut intelligamus, nemini patere in regnum Dei ingreſſum, niſi cui novam mentem Spiritus ſanctus ſua illuminatione fecerit. Omnium vero clariſſime Paulus, qui diſputationem hanc ex profeſſo ingreſſus, poſtquam ſtultitiæ ac vanitatis damnavit univerſam hominum ſapientiam, adeoque prorſus exinanivit, ita concludit demum, Animalem hominem non poſſe percipere, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitiam eſſe illi, nec poſſe intelligere, quia ſpiritualiter dijudicantur. Quem vocat animalem? nempe, qui naturæ lumine nititur. Ille, inquam, nihil in ſpiritualibus myſteriis Dei comprehendit. Quid ita? an quia per ignaviam negligit? Imo, etiamſi enitatur, nihil poteſt: quia ſcil. ſpiritualiter dijudicantur. Quid iſtud ſignificat? quia humanæ perſpicaciæ penitus abſcondita, per ſolam Spiritus revelationem patefiunt: adeo, ut pro ſtultitia ducantur, ubi Spiritus Dei non illucet. Ante autem, ſupra oculorum, aurium, mentium capacitatem extulerat, quæ præparavit Deus diligentibus ſe: quin ſapientiam humanam, quaſi velum quoddam eſſe teſtatus fuerat, quo mens à cernendo Deo impeditur. Quid volumus? pronunciat Apoſtolus, *infatuatam à Deo ſapientiam hujus mundi*: & nos ſcilicet acumen illi tribuemus, quo ad Deum & cæleſtis regni adyta penetrare poſſit? Faceſſat à nobis tanta vecordia.

Primum argumentum.
Joan. 6: 44.
Jer. 24: 7.
Argumentis firmiſſimis idem confirmatur.
Jeſa. 54: 7.
Alterum argumentum.
1 Cor. 2. verſ. 14.
Tertium argumentum.
1 Cor. 1. verſ. 20.

21. Itaque quod hic detrahit hominibus, alibi ſoli Deo tribuit in precatione. *Deus*, inquit, *& Pater gloriæ det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis.* Jam audis, omnem ſapientiam & revelationem eſſe Dei donum. Quid tum præterea? *Illuminatos oculos mentis veſtræ.* Certe ſi nova revelatione indigent, à ſeipſis cæcutiunt: ſequitur deinde, *Ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis veſtræ*, &c. Ergo tantæ intelligentiæ non eſſe capaces hominum mentes, ut vocationem ſuam noverint, fatetur. Neque hic garriat Pelagianus quiſpiam, huic vel ſtupiditati, vel ruditati Deum ſuccurrere, dum verbi ſui doctrina eo dirigit hominis intellectum, quo ſine duce pervenire non poterat. Habebat enim David Legem, in qua, quicquid ſapientiæ deſiderari poteſt, comprehenſum erat: neque tamen eo contentus, oculos ſibi retegi poſtulat, ut Legis ipſius myſteria conſideret. Qua certe loquutione innuit, ſolem exoriri terris, ubi hominibus Dei verbum elucet: verum eos non multum inde conſequi, donec oculos vel dederit, vel aperuerit ille ipſe, qui ideo pater luminum vocatur: quia ubicunque Spiritu ſuo non reſplendet, omnia tenebris occupantur. Sic & Apoſtoli ab optimo quidem magiſtro rite & abunde edocti fuerant: niſi tamen indigerent Spiritu veritatis, qui eorum mentes hac ipſa doctrina, quam ante audierant, erudiret, non illum expectare juberentur. Si quod petimus à Deo, deeſſe nobis confitemur, & ipſe in eo, quod promittit, noſtram arguit inopiam: nemo jam fateri dubitet, ſe tantum ad intelligenda Dei myſteria valere, quantum ejus gratia fuerit illuminatus. Qui ſibi plus intelligentiæ tribuit, eo cæcior eſt, quod cæcitatem ſuam non agnoſcit.

Quartum argumentum. Deo ſoli tribuit S. Scriptura adoptionis & ſalutis noſtræ gloriam. Cæcutit igitur in rebus cæleſtibus intelligentia humana, niſi illuminetur.
Eph. 1: 15.
Objectionis hæretica diluit.
Pſ. 119: 18.
Jac. 1: 17.
Joan. 14. verſ. 26.

22. Reſtat tertium illud membrum, de cognoſcenda vitæ probe inſtituendæ regula, quam vere operum juſtitiæ notitiam nuncupamus: ubi videtur mens humana eſſe aliquanto, quam in ſuperioribus, acu-

3. Veram Legis divinæ notitiam ignorat humana mens

telligentia: quod probatur teſtimonio Apoſtoli, Rom.2: 14.

acutior. Siquidem teſtatur Apoſtolus, Gentes, quæ Legem non habent, dum Legis opera faciunt, ſibi pro Lege eſſe, ac oſtendere opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente conſcientia, & cogitationibus inter ſe accuſaotibus, aut excuſantibus coram judicio Dei. Si Gentes naturaliter Legis juſtitiam habent mentibus ſuis inſculptam, certe non dicemus eas in vitæ ratione prorſus cæcutire. Et nihil eſt vulgatius, quam lege naturali (de qua iſtic Apoſtolus loquitur) hominem ſufficienter ad rectam vitæ normam inſtitui. Nos

Ratione ex eodem teſtimonio deprompta.

vero expendamus, quorſum indita hominibus hæc Legis notitia fuerit: tum protinus apparebit, quouſque illos ad rationis veritatiſque ſcopum deducat. Id quoque ex Pauli verbis liquet, ſiquis diſpoſitionem obſervet. Dixerat paulo ante, eos qui in Lege peccaverunt, per Legem judicari: qui ſine Lege peccaverunt, ſine Lege perire. Hoc quia poterat abſurdum videri, ut ſine ullo judicio præcedente Gentes pereant, continuo ſubjicit, ſuam illis conſcientiam eſſe vice Legis: ideoque ad juſtam eatum damnationem ſufficere.

A conſideratione finis & definitionis legis naturæ.

Finis ergo legis naturalis eſt, ut reddatur homo inexcuſabilis. Nec male boc modo definietur, Quod ſit conſcientiæ agnitio, inter juſtum & injuſtum ſufficienter diſcernentis: ad tollendum hominibus ignorantiæ prætextum, dum ſuo ipſorum teſtimonio redatguuntur. Ea eſt hominis erga ſeipſum indulgentia, ut in malis perpetrandis libenter mentem à peccati ſenſu, quoad licet, ſemper avertat.

Unde liquet Platonem falli, qui peccata omnia ignorantiæ tribuit. in Protagora.

Qua ratione videtur impulſus fuiſſe Plato, ut exiſtimaret non peccari, niſi ignorantia. Id quidem ab eo convenienter dictum foret, ſi humana hypocriſis tantum in tegendis vitiis proficeret, ut mens non ſibi male conſcia eſſet coram Deo. Sed quum ſubterfugiens peccaror impreſſum ſibi boni & mali judicium, illuc identidem retrahatur, nec connivere ita permittatut, quin cogatur, velit oolit, aliquando aperire oculos: falſo dicitur, ipſum ignorantia ſola peccare.

Ad veritatem autem propius accedit Themiſtius, qui intellectum hallucinationem circa particularia verſari exiſtimat. Paraph. in 3. lib. de anima, cap.46.

23. Vetius Themiſtius, qui intellectum in definitione univerſali, ſeu rei eſſentia, rariſſime falli docet: hallucinationem eſſe, quum ultra progreditur: nempe quum ad bypotheſin deſcendit. Homicidium eſſe malum, ſi in genere quæratur, nemo erit qui non affirmet: qui autem conſpirat in mortem inimici, tanquam de re bona deliberat. Adulterium in genere damnabit adulter: in ſuo privatim ſibi blandietur. Hæc eſt ignorantia, dum homo, ubi ad hypotheſin ventum eſt, ejus regulæ obliviſcitur, quam in theſi nuper cooſtituerat. De qua re elegantiſſime diſſerit Auguſtinus in expoſitione primi verſus Pſal.57.

Ejus regulæ exceptio.

Quanquam ne iſtud quidem eſt perpetuum: ſic enim interdum flagitii turpitudo conſcientiam urget, ut non ſibi imponens ſub falſa boni imagine, ſed ſciens & volens in malum ruat. Ex quo affectu prodeunt iſtæ voces,

Medea apud Ovidium.

——— *video meliora, proboque: Deteriora ſequor.*

lib. Eth.7. cap.3.

Quare mihi ſcitiſſime Ariſtoteles incontinentiam & intemperantiam videtur diſtinxiſſe. Ubi incontinentia regnat, dicit per affectum perturbatum, ſeu *πάθος*, particularem notitiam menti eripi, ne malum obſervet in ſuo facinore, quod generaliter in ſimilibus cernit: ubi deferbuit perturbatio, pœnitentiam extemplo ſuccedere. Intemperantiam autem non extingui aut frangi peccati ſenſu, ſed contra obſtinate in ſuſcepta mali electione perſiſtere.

Errat etiam in eo Themiſtius, quod intellectum circa generalia rariſſime falli docet.

24. Porro quum judicium univerſale audis in boni & mali diſcrimine, ne ſanum ubique & integrum eſſe putes. Nam, ſi in hunc tantum finem, juſti & injuſti delectu imbuta ſunt corda hominum, ne ignorantiæ excuſationem prætexant, minime neceſſarium eſt, veritatem in ſingulis cernere: ſed ſatis ſuperque eſt, eatenus intelligere, ne tergiverſari queant, quin teſte conſcientia convicti jam nunc ad Dei tribunal horrere incipiant.

Ratio, Si ad divinæ Legis normam revocatur intellectus humanus, cæcitas ejus apparet.

Tum prioris tabulæ reſpectu.

Et ſi rationem noſtram volumus ad Dei Legem exigere, quæ perfectæ eſt juſtitiæ exemplar, comperiemus, quam multis partibus cæcuciat. Certe, quæ in prima tabula præcipua ſunt, minime aſſequitur: qualia ſunt, de fiducia in Deum, de virtutis & juſtitiæ laude illi tribuenda, de oomiois ejus invocatione, de vero ſabbathiſmo. Quæ unquam anima, naturali ſenſu freta, ſubodorata eſt in his & ſimilibus poſitum eſſe legitimum Dei cultum? Nam, quum volunt profani bomines Deum colere, etiamſi centies revocentur ab inanibus ſuis nugis, ſemper tameo illuc relabuotur. Negant quidem placere Deo ſacrificia, niſi accedat mentis ſinceritas: quo teſtantur aliquid ſe concipere de ſpirituali Dei cultu, quem tamen falſis commentis ſtatim pervertunt. Nam quicquid de eo Lex præſcribit, verum eſſe nunquam illis perſuaderi poterit. Dicamne præſtare ulla perſpicacia mentem, quæ nec per ſe ſapere, oec monitionibus auſcultare valet?

Tum poſterioris tabulæ.

In ſecundæ tabulæ præceptis aliquanto plus babet intelligentiæ: quo ſc. ad civilis inter homines ſocietatis conſervationem propius accedunt. Quaoquam & hic deliquium interdum pati deprehenditur. excellentiſſimo enim cuique ingenio abſurdiſſimum eſt, iniquam ac nimis imperioſam dominationem ferre, ſiqua modo ratione depellere queat.

Secunda ratio.

Nec aliud eſt judicium humanæ rationis, quam ſervilis eſſe abjectique animi, patienter eam ferre: rurſum honeſti iogenuique pectoris, excutere.

Tertia.

Nec vero injuriarum ultio pro vitio ducitur apud Philoſophos. Atqui Dominus nimia iſta ingenuitate damnata, illam apud bomiues infamem patientiam ſuis præſcribit.

Quarta.

Omnino autem in univerſa Legis obſervatione perſpicientiam noſtram fugit concupiſcentiæ animadverſio. Non enim adduci ſe ſuſtinet animalis homo, ut cupiditatum ſuarum morbos recognoſcat. Ante ſuffocatur naturæ lumen, quam ad primum hujus abyſſi ingreſſum accedat. Nam dum Philoſopbi pro vitiis notant immoderatos animi motus, illos extantes & ſe craſſioribus ſignis exerentes intelliguot: quæ autem placide titillant animum prava deſideria, nihili reputant.

Media igitur hæc via tenenda eſt, ut nec omnia peccata ignorantiæ imputentur, nec conſultam malitiam in omnibus peccatis intercedere ſtatuamus.

25. Quare, ut ſupra merito reprehenſus eſt Plato, quod omnia peccata ignorantiæ imputarit, ita & eorum eſt repudianda opinio, qui conſultam malitiam & pravitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt. Nimium enim experimur, quoties labamur cum bona noſtra intentione. Tot obruitur hallucinationum formis noſtra ratio, tot erroribus eſt obnoxia, in tot impedimenta impingit, tot anguſtiis irretitur, ut plurimum à certa directione abſit. Quam vero nibili ſit coram Domino in cunctis vitæ pattibus, Paulus oſtendit, dum negat nos idoneos, qui cogitemus ex nobis quidpiam, tanquam ex nobis. 2 Cor.3:5.

Deinde, quicquid objiciat humana ratio, mentis noſtra vires à vera directione plurimum abeſſe: imo & malum eſſe coram Deo quicquid in hiſce rebus ingenium noſtrum concipit, agitat, & molitur.

Non de voluntate loquitur aut affectu: ſed hoc quoque adimit nobis, ne putemus in mentem venire oobis poſſe, quomodo rite quidpiam agendum ſit. Itane depravata eſt omnis induſtria, perſpicientia, intelligentia, cura, ut rectum nihil coram Domino excogitare aut meditari queat? Nobis nimirum, qui rationis acumine (quam pretioſiſſimam dotem reputamus) ægre patimur ſpoliari, durum id nimis videtur: Spiritui autem ſancto æquiſſimum, qui novit omoes cogitationes ſapientum vanas eſſe, & qui clare pronuneiat, omoe figmentum humani cordis tantummodo malum. Si quicquid ingenium noſtrum concipit, agitat, inſtituit, molitur, ſemper malum eſt, qui in mentem nobis veniat inſtituere, quod Deo placeat, cui ſola ſanctitas & juſtitia accepta eſt? Ita videre eſt, mentis noſtræ rationem, quoquo ſe vertat, eſſe vanitati miſere obnoxiam. Hujus imbecillitatis ſibi conſcius erat David, quum petebat ſibi dari intellectum ad mandata Domini recte diſcenda. Innuit enim,

Pſ.94: 11. Gen.6: 3. & 8: 21. Pſal.119. verſ.34.

ſuum

ſuum ingenium nequaquam ſufficere, qui novum obtingere ſibi cupit. Neque id ſemel facit: ſed in uno Pſalmo decies fere repetit eandem precationem. Qua repetitione ſubindicat quanta ad petendum neceſſitate urgeatur. Et quod ille ſibi uni petit, Paulus communiter Eccleſiis precari ſolet.

Tertio, aſſidua directione in ſingula momenta nos opus habere.

Philip. 1:4. Col. 1 : 9.

Non ceſſamus, ioquit, *orare pro vobis & poſtulare, ut impleamini agnitione Dei in omni prudentia & intelligentia ſpirituali, ut ambuletis digne Deo*, &c. Quoties autem eam rem Dei beneficium facit, meminerimus eum ſimul teſtari, non eſſe in hominis facultate poſitam.

Denique, illuminationis gratiam merum eſſe Dei donum, nobis tam neceſſarium, quam oculis lux Solis.

Adeo autem hunc rationis defectum ad intelligenda, quæ Dei ſunt, agnovit Auguſtinus, ut non minus neceſſariam meotibus illuminatioois gratiam putet, quam oculis Solis lucem. Nec eo contentus, correctionem ſubjicit, quod oculos ipſi aperimus ad cernendam lucem: mentis autem oculi, niſi à Domino aperiantur, clauſi manent.

Quæ omnia expreſſis S. Scripturæ teſtimoniis confirmantur.

lib. 2. de pec. merit. & rem. c. 5.

Neque uno tantum die illuminari mentes noſtras docet Scriptura, ut deinde per ſe videant: quia ad continuos progreſſus & incrementa pertinet, quod nuper adduxi ex Paulo. Et hoc diſerte exprimit David, his verbis,

Pſ. 119:10.

In toto corde meo exquiſivi te, ne errare me facias à mandatis tuis. Nam quum regenitus eſſet, adeoque non vulgariter profeciſſet in vera pietate, fatetur tamen aſſidua directione ſe opus habere io ſiogula momenta, ne à ſcientia, qua præditus eſt, declinet.

Pſal. 51:12.

Itaque alibi rectum ſpiritum, quem ſua culpa perdiderat, innovari petit: quia ejuſdem Dei eſt, quod initio dederat, ablatum nobis ad tempus, reſtituere.

Hac & ſequenti ſectione voluntas examinatur.

1. Oſtendit, naturale illud deſiderium boni, quo omnia imbuuntur, nihil omnino facere ad probandam arbitrii libertatem. Ratio.

26. Examinanda nunc voluntas, in qua præcipue arbitrii libertas vertitur: quaodoquidem magis hujus eſſe electionem, quam intellectus, ante viſum eſt. Principio, nequid ad humanæ voluotatis rectitudinem pertinere videatur, quod à Philoſophis traditum, publico cooſenſu receptum eſt, omnia naturali inſtinctu bonum appetere: obſervemus, liberi arbitrii vim non conſiderandam in ejuſmodi appetitu, qui magis ab eſſentiæ inclinatione, quam mentis deliberatione proficiſcitur. Nam & Scholaſtici fatentur nullam eſſe liberi arbitrii actionem, niſi dum ſe ratio vertit ad oppoſita. qui intelligunt, oportere appetitus objectum tale eſſe, quod electioni ſubjaceat: & deliberationem præire, quæ electioni viam ſternat. Et ſane, ſi reſpicias quale ſit iſtud naturale boai in homine deſiderium, iovenies illi cum belluis eſſe commune.

Thomas, partis 1. quæſt. 83. artic. 3.

Siquidem & illæ bene ſibi eſſe cupiuot: & ubi ſpecies boni, quæ ſenſum moveat, apparet, eo ſequuntur. Homo vero, nec id quod vere ſibi bonum ſit, pro naturæ ſuæ immortalis excellentia, ratione deligit, ut id ſtudio perſequatur, nec rationem adhibet in conſilium, oec mentem intendit: ſed ſine ratione, ſine conſilio, naturæ inclinationem, inſtar pecudis, ſequitur. Nihil ergo hoc ad arbitrii libertatem, an homo ſenſo naturæ ad bonum appetendum feratur: ſed hoc requiritur, ut booum recta ratione dijudicet, cognitum eligat, electum perſequatur.

Hic autem advertenda duplex Sophiſtarum fallacia: in voce Appetitus & Boni.

Ac necui ſcrupulus inhæreat, advertendus eſt duplex paralogiſmus. Nam & appetitus hic non proprius voluotatis motus, ſed naturalis inclinatio: & bonum, non virtutis aut juſtitiæ appellatur, ſed conditionis: ut ſcil. homo bene habeat. Denique, ut maxime appetat homo aſſequi, quod bonum eſt, non tamen ſequitur. ſicuti nemo eſt, cui noo grata ſit æterna beatitudo, ad quam tamen nemo, oiſi Spiritus impulſo, aſpirat. Quando igitur nihil ad probandam arbitrii libertatem facit naturale hominibus bene babendi deſiderium, non magis ſcilicet, quam in metallis & lapidibus, ad eſſentiæ ſuæ perfectionem inclinans affectio: in aliis conſideremus, ſitné penitus ita omni ex parte vitiata corruptaque voluntas, ut nihil oiſi malum generet: an particulam aliquam illæſam retineat, unde naſcantur bona deſideria.

2. Illud minime probandum eſt, quod Scholaſtici primæ Dei gratiæ tribuentes, ut efficaciter velimus, hoc ipſo innuunt, ineſſe quidem animæ ultro ad bonum aſpirandi facultatem; ſed imbecilliorem, quam quæ in ſolidum affectum emergat, aut conatum excitare poſſit. Scholaſticis autem opponuntur expreſſa totius S. Scripturæ eos refellentis teſtimonia.

27. Qui primæ Dei gratiæ tribuunt, ut efficaciter velimus, è converſo innuere videntur, ineſſe facultatem animæ ultro ad bonum aſpirandi, ſed imbecilliorem, quam quæ in ſolidum affectum emergere, aut conatum excitare poſſit. Nec dubium, quin hanc opioionem, ab Origine & veterum quibuſdam ſumptam, Scholaſtici communiter amplexi ſint: quando ſolent hominem in puris (ut loquuntur) naturalibus reputare, qualem deſcribit Apoſtolus bis verbis, *Non quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Sed perperam hoc modo invertitur tota, quam illic exequitur Paulus, diſputatio. Tractat enim de lucta Chriſtiana (quam brevius attingit ad Galatas) quam fideles in conflictu carnis & ſpiritus in ſe perpetuo ſentiunt. Porro Spiritus non à natura eſt, ſed à regeneratione. Loqui autem Apoſtolum de regeneratis inde conſtat, quod ubi dixerat in ſe bonum nullum habitare, ſubnectit expoſitionem, quod intelligat de carne ſua. Ideoque negat ſe eſſe, qui malum faciat, ſed peccatum in ſe habitans. Quid ſibi vult iſta correctio, *In me*, hoc eſt, *in carne mea?* Nempe acſi in bunc modum loqueretur, Non habitat in me bonum à me ipſo: nam in carne mea nihil boni reperire eſt. Hioe ſequitur illa ſpecies excuſationis, *Non facio malum ipſe, ſed quod habitat in me peccatum.* quæ ſolis regeneratis competit, qui præcipua animæ parte ad bonum tendunt.

vid. ſect. 6. Rom. 7. v. 15. & 19. Gal 5: 17. Rom. 7. verſ. 22.

Jam vero quæ ſubjicitur concluſio, totum hoc liquido declarat. *Condelector*, inquit, *Legi ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Quis io ſe tale diſſidium habeat, niſi qui Spiritu Dei regeneratus, reliquias carnis ſuæ circumfert?

lib. ad Boniſ. 1. c. 10. & in Retract.

Proinde Auguſtinus, quum ſermonem illum de hominis natura aliquando haberi putaſſet, interpretationem ſuam, tanquam falſam & male congruentem, retractavit. Et vero, ſi illud recipimus, homines ſine gratia habere, quamlibet puſillos, aliquos tamen ad bonum motus, quid reſpondebimus Apoſtolo, neganti, vel ad cogitandum aliquid nos eſſe idoneos?

2 Cor. 3:5.

Quid Domino per Moſen pronuncianti, omne figmentum humani cordis tantummodo malum eſſe?

Gen. 8: 21.

Quum totus homo peccati imperio ſubjaceat, ſequitur ipſam voluntatem, quæ præcipua eſt peccati ſedes, arctiſſimis vinculis opus habere: nihilque noſtrum eſſe, niſi peccatum.

Quum ergo falſa loci unius ſententia impegerint, non eſt quod eorum ſeoteotiam moremur. Potius valeat hoc Chriſti, *Qui facit peccatum, ſervum eſſe peccati.* Peccatores ſumus omaes natura: itaque ſub peccati jugo detinemur. Quod ſi totus homo peccati imperio ſubjacet, ipſam certe voluntatem, quæ præcipua eſt ejus ſedes, arctiſſimis vinculis conſtringi neceſſe eſt. Nec vero aliter conſtaret illud Pauli, Deum eſſe, qui velle in nobis operatur, ſiqua voluotas præcederet Spiritus gratiam. Faceſſat igitur quicquid de præparatione multi nugati ſunt: quia etſi interdum petunt fideles cor ſibi formari ad Legis Dei obſequium, (ſicuti David pluribus locis) notandum tameo eſt, hoc quoque precandi deſiderium à Deo eſſe: quod ex ejus verbis colligere licet. nam quum optet in ſe cor mundum creari, certe creationis initium ſibi oon arrogat.

Joan. 8:34. Phil. 2: 13. Pſal. 119. Pſal. 51:12.

Ideo apud nos potius valeat illud Auguſtini, *Prævenit te Deus in omnibus: præveni & tu aliquando ejus iram.* Quomodo? *Confitere iſta omnia à Deo te habere: quicquid boni habes, eſſe ab ipſo: à te, quicquid eſt mali.* Et paulo poſt, *Noſtrum nihil eſt, niſi peccatum.*

de verb. Apoſt. ſerm. 10.

CAP. III.

Ex corrupta hominis natura, nihil niſi damnabile prodire.

Hujus capitis partes præcipuæ.

1. *Ἀνακεφαλαίωσις prioris capitis, hominis intelligentiam & voluntatem, teſtimoniis S. Scripturæ adeo corruptam eſſe probans, ut in nullo jam inveniri poſſit aut integritas, aut notitia, aut timor Dei, ſect. 1. & 2.*
2. *Adverſus ſuperiorem doctrinam, Objectionum, de virtutibus, quæ in nonnullis Ethnicis eluxerunt, dilutio, ſect. 3. & 4.*
3. *Qualis in homine, peccati ſervo, voluntas maneat, ſect. 5. ejuſdemque remedium ac ſanitas, ſect. 6.*
4. *Sophiſtarum Neopelagianorum, de humanæ voluntatis præparatione & efficacia, item de perſeverantia & gratia cooperante opiniones refelluntur, tum rationibus, tum S. Scripturæ teſtimoniis, ſect. 7. 8. 9. 10. 11. 12.*
5. *Tandem ſubjiciuntur Auguſtini dicta, quæ hujus doctrinæ veritatem confirmant, ſect. 13. & 14.*

Totius hominis intelligentia, & voluntas, corrupta eſt.

SEd melius homo utraque animæ parte cognoſci non poteſt, quam ſi cum ſuis elogiis in medium prodeat, quibus à Scriptura inſignitur.

Joan. 3: 6. Si totus depingitur his Chriſti verbis, *Quod natum eſt ex carne, caro eſt* (ut evincere promptum eſt) valde miſerum eſſe animal convincitur. Affectus

Vocatur enim Caro.

Rom. 8: 6. eoim carnis (teſte Apoſtolo) mors eſt: quandoquidem inimicitia eſt adverſus Deum, eoque Legi Dei nec ſubditur, nec ſubdi poteſt. Itane eſt perverſa caro, ut toto ſuo affectu ſimultatem adverſus Deum exerceat? ut cum Legis divinæ juſtitia conſentire nequeat? ot oibil denique parere queat, niſi mortis materiam? Nunc fac, in hominis natura nihil eſſe niſi carnem: & inde quidpiam, ſi potes, boni elice.

Qua vox non tantum ad ſenſualem, ſed etiam ad ſuperiorem animæ partem, ſeu mentem, pertinet.

At Carnis vocabulum ad ſenſualem pertinet tantum, non ad ſuperiorem animæ partem. Id vero ex verbis & Chriſti & Apoſtoli abunde refellitur. Argumentum eſt Domini, oportere hominem renaſci: quia caro eſt. Non ſecundum corpus renaſci præcipit. Animo autem non renaſcitur, ſi corrigatur aliqua ejus portio: ſed ubi tota renovatur. Idque coofirmat utroque loco poſita antitheſis. ſic enim carni comparatur Spiritus, ut nihil relinquatur medium. Ergo, quicquid non eſt ſpirituale in bomine, ſecundum eam rationem dicitur carneum. Nihil autem habemus Spiritus, niſi per regenerationem.

Quod Scriptura S. firmiſſimis demonſtrationibus probatur.

Eſt igitur caro quicquid habemus à natura. Verum de ea re ſiqua alias poſſet eſſe dubitatio, ea nobis à Paulo tollitur: ubi deſcripto veteri homine, quem dixerat corruptum eſſe concupiſcentiis erroris, jubet nos renovari ſpiritu mentis noſtræ. Videseum

Eph. 4: 23. non ponere illicitas ac pravas cupiditates in parte ſeoſitiva modo, ſed in ipſa etiam mente: atque ideo ejus exigere renovationem. Et ſane eam humanæ naturæ imaginem paulo ante depinxerat, quæ nulla in parte nos non corruptos ac perverſos eſſe oſtenderet.

Epheſ. 4. v. 17, 18. Nam quod Gentes omnes ſcribit ambulare in vanitate mentis ſuæ, obtenebratas eſſe intelligentia, alienatas à vita Dei, propter ignorantiam, quæ in ipſis eſt, & cæcitatem cordis ſui: minime eſt dubium, quia competat in eos omnes, quos Dominus ad rectitudinem ſuæ tum ſapientiæ, tum juſtitiæ nondum reformavit. Quod etiam clarius fit ex comparatiooe mox adjuncta: ubi fideles admonet, quod non ita didicerint Chriſtum. Siquidem ex iſtis verbis colligimus, Chriſti gratiam unicum eſſe remedium, quo ab illa cæcitate & malis inde conſequentibus liberemur. Nam & ita

Jeſa. 60: 2. de regno Chriſti vaticinatus erat Jeſaias, quum Dominum Eccleſiæ ſuæ fore in lucem ſempiternam promitteret: quum interim tenebræ obtegerent terram, & caligo populos. Quum in ſola Eccleſia exorituram Dei lucem teſtetur: extra Eccleſiam certe, nonniſi tenebras & cæcitatem relinquit. Non recenſebo ſigillatim, quæ in hominis vanitatem paſſim, in Pſalmis præſertim & Prophetis, haben-

Pſ. 62: 10. tur. Magnum eſt quod ſcribit David, *Si cum vanitate appendatur, ipſa fore vaniorem.* Gravi telo confoditur ejus ingenium, quum omnes, quæ inde prodeunt cogitationes, ut ſtultæ, frivolæ, inſanæ, perverſæ, irridentur.

2. Nihilo levior eſt cordis condemnatio, quum fraudulentum dicitur præ omni re & perverſum. *Cor etiam ipſum eadem corruptione involvitur.*

Sed quia brevitati ſtudeo, contentus ero uno tantum loco: qui tamen lucidiſſimi ſpeculi inſtar futurus Jer. 17: 9.

ſit, in quo totam naturæ noſtræ imaginem intueamur. Apoſtolus enim, dum humani generis arrogantiam vult dejicere, his teſtimoniis agit, *Quod* Rom. 3: 10.

non eſt juſtus quiſquam, non eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, ne unus quidem. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agunt, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione plenum, & amaritudine: quorum ve- Jeſa. 59: 7.

loces pedes ad effundendum ſanguinem: in viis quorum contritio & infelicitas: quibus præ oculis non eſt timor Dei. His fulminibus non in certos homines, ſed in univerſam filiorum Adam nationem invehitur. Neque io unius aut alterius ſeculi depravatos mores declamat: ſed accuſat perpetuam naturæ corruptionem. Siquidem propoſitum illi eſt eo loco non ſimpliciter homines objurgare, quo reſipiſcant: ſed docere potius ineluctabili calamitate omnes oppreſſos, è qua emergere non poſſint, niſi miſericordia Dei eruantur. Id quia probari non poterat, niſi de clade & exitio naturæ conſtitiſſet: protulit hæc teſtimonia, quibus pluſquam perditam eſſe naturam noſtram convincitur.

Adeoque in nullo prorſus jam inveniri poteſt vel integritas, vel notitia, vel timor Dei.

Maoeat ergo hoc, non pravæ duntaxat conſuetudinis vitio tales eſſe homines, quales bic deſcribuntur, ſed naturæ quoque pravitate: quando non aliter ſtare poteſt Apoſtoli argumentatio, *Nullam eſſe homini ſalutem, niſi à Domini miſericordia: quia in ſe perditus eſt & deploratus.* Non hic laborabo in approbanda teſtimoniorum applicatione, ne cui videantur intempeſtive uſurpata. Perinde agam, acſi à Paulo primum hæc dicta forent, non è Prophetis deſumpta. Initio adimit homini juſtitiam, id eſt, integritatem & puritatem: deiode iotelligentiam. Iotelligentiæ autem defectum arguit apoſtaſia à Deo: quem requirere primus eſt ſapientiæ gradus. illud autem neceſſe eſt iis evenire, qui à Deo defecerunt. Subnectit, omnes declinaſſe, & quaſi putridos eſſe redditos: oullum eſſe, qui faciat booum: tum flagitia, quibus ſingula ſua membra contaminant, qui in nequitiam ſemel ſoluti ſunt, adjungit. Poſtremo timore Dei vacuos teſtatur, ad cujus regulam greſſus noſtri dirigi debuerant. Si iſtæ ſunt hæreditariæ humani generis dotes, fruſtra in natura noſtra aliquid boni requiritur. Equidem fateor, non omoia hæc in unoquoque homine flagitia emergere: inficiari tamen non licet, quin hydra iſta in ſingulorum pectoribus lateat. Nam, ut corpus, dum jam morbi cauſam & materiam incluſam in ſe fovet, etiamſi nondum ferveat dolor, non dicetur ſanum: ita nec anima, dum talibus vitiorum morbis ſcatet, ſana cenſebitur: quanquam non per omnia quadrat ſimilitudo. In corpore enim quamlibet morbido, vigor vitæ ſupereſt: ani-

ma

ma vero iſto exitiali gurgite immerſa, non ex vitiis modo laborat, ſed omni bono prorſus vacua eſt.

Objectio. Ethnici quidam fuerunt præclaris dotibus ornati. Ergo hominis natura in totum vitioſa minime putanda eſt.

3. Eadem fere, quæ prius ſoluta eſt quæſtio, ex integro nobis ſurgit. Omnibus enim ſeculis extiterunt aliqui, qui natura duce ad virtutem tota vita intenti eſſent. Neque moror, ſi multi lapſus in eorum moribus notari poſſunt: ipſo tamen honeſtatis ſtudio documentum ediderunt, nonnihil fuiſſe in natura ſua puritatis. Quid pretii habeant coram Deo hujuſmodi virtutes, tametſi plenius edifferemus, ubi agetur De operum meritis, dicendum tamen eſt hoc quoque loco, quatenus ad præſentis argumenti explicationem neceſſe eſt. Exempla igitur iſta monere nos videntur, ne hominis naturam in totum vitioſam putemus: quod ejus inſtinctu quidam non modo eximiis facinoribus excelluerunt, ſed perpetuo tenore vitæ honeſtiſſime ſe geſſerunt.

Reſponſio. Corruptio non eſt purgata, ſed tantum intus cohibita.

Sed hic ſuccurrere nobis debet, inter illam naturæ corruptionem eſſe nonnullum gratiæ Dei locum, non quæ illam purget, ſed intus cohibeat. Nam, ſi ſingulorum animos laxis habenis Dominus in libidines quaslibet exultare permitteret, nemo haud dubie eſſet, qui non reipſa fidem faceret, veriſſime in ſe competere omnia mala, quibus univerſam naturam damnat Paulus. *Quid enim? Tene eorum numero eximas, quorum pedes ad ſanguinem effundendum veloces, manus rapinis & homicidiis fœdatæ, guttura ſepulchris patentibus ſimilia, linguæ fraudulentæ, venenata labia, opera inutilia, iniqua, putrida, lethalia: quorum animus ſine Deo, quorum intima pravitates, quorum oculi ad inſidias, animi ad inſultandum elati, omnes denique partes ad infinita flagitia concinnatæ?*

Pſ. 14: 3. *Ratio hujus reſponſionis.*

Si omnibus ejuſmodi portentis obnoxia eſt unaquæque anima (quemadmodum audacter pronunciat
Rom. 3: 13. Apoſtolus) videmus certe quid futurum ſit, ſi Dominus humanam libidinem pro ſua inclinatione vagari ſinat. nulla eſt rabioſa bellua, quæ tam præcipitanter feratur: nullum eſt quamlibet rapidum ac violentum flumen, cujus adeo impetuoſa ſit exundatio. In electis ſuis morbos iſtos curat Dominus, eo quem mox exponemus modo: in aliis, injecto freno duntaxat coërcet, tantum ne ebulliant, quatenus expedire providet ad conſervandam rerum univerſitatem. Hinc alii pudore, alii legum metu retinentur, ne in multa fœditatis genera prorumpant, utcunque ſuam magna ex parte impuritatem non diſſimulent: alii, quia honeſtam vivendi rationem conducere ducant, ad eam utcunque aſpirant: alii ſupra vulgarem ſortem emergunt, quo ſua majeſtate alios contineant in officio. Ita ſua providentia Deus naturæ perverſitatem refrenat, ne in actum erumpat: ſed non purgat intus.

Inſtantia. Aut Ethnici, vitio & virtute præditi, confundentur: aut qui virtute excelluerunt, naturam humanam bonitate non vacare, ſi excolatur, oſtendunt.

4. Nondum tamen ſolutus eſt ſcrupulus. Aut enim Camillum parem Catilinæ faciamus convenit: aut in Camillo habebimus exemplum, naturam, ſi ſtudio excolatur, bonitate non prorſus vacare. Ego vero fateor, quæ in Camillo fuerunt ſpecioſæ dotes, & Dei fuiſſe dona, & jure commendabiles videri, ſi in ſe æſtimentur: ſed quomodo naturalis probitatis erunt in ipſo documenta? Annon ad animum redeundum erit, & hæc ducenda ratiocinatio, Si homo animalis tali morum integritate præſtitit, non deeſſe utique naturæ ad virtutis ſtudium facultatem? Quid autem ſi animus pravus fuerit & contortus, qui aliud potius quidvis, quam rectitudinem ſectatus ſit?

vide Aug. lib. 4. contra Julian.

Et talem fuiſſe non dubium eſt, ſi animalem illum hominem concedis.

Reſponſio 1. Animus manſit pravus.

Quam mihi in hac parte prædicabis humanæ naturæ ad bonum potentiam, ſi in ſumma integritatis ſpecie ſemper ad corruptionem ferri deprehenditur? Ergo, ut hominem à virtute non commendaveris, cujus vitia ſub virtutis imagine imponunt: ita humanæ voluntati recti expetendi facultatem non tribuas, quantiſper ipſa in ſua perverſitate defixa eſt.

Reſponſio 2. Non ſunt iſta dona communes naturæ dotes, ſed ſpeciales Dei gratiæ.

Quanquam hæc certiſſima eſt & facillima hujus quæſtionis ſolutio: non eſſe iſtas communes naturæ dotes, ſed ſpeciales Dei gratias, quas varie & ad certum modum profanis alioqui hominibus diſpenſat. Qua ratione, non formidamus in vulgari ſermone hunc bene natum, illum pravæ naturæ dicere. Nec tamen utrumque deſinimus includere ſub univerſali humanæ pravitatis conditione: ſed indicamus, quid ſpecialis gratiæ in alterum Dominus contulerit, quo alterum non ſit dignatus. Saulem præficere regno
1 Sam. 10, verſ. 6.
volens, quaſi novum hominem formavit: atque hæc ratio eſt cur Plato, ad Homericam fabulam alludens, Regum filios creari dicat aliqua ſingulari nota inſignes: quia Deus humano generi conſulere volens, ſæpe, quos ad imperium deſtinat, heroica natura inſtruit. atque ex hac officina produt quicquid magnorum ducum celebrant hiſtoriæ. Idem & de privatis hominibus cenſendum eſt.

Quæ ab ambitioſis Ethnicis polluta ſunt.

Sed quia, ut præſtantiſſimus quiſque fuit, eum ſemper impulit ſua ambitio (qua labe fœdantur omnes virtutes, ut coram Deo gratiam omnem amittant) pro nihilo ducendum eſt, quicquid laude dignum apparet in hominibus profanis. Adde, quod præcipua pars rectitudinis deficit, ubi nullum eſt illuſtrandæ Dei gloriæ ſtudium, quo vacui ſunt omnes quos Spiritu ſuo non regenuit. Nec vero fruſtra dicitur apud
Jeſa. 11: 3. Jeſaiam, ſuper Chriſtum requieſcere Spiritum timoris Dei: quo docemur, quicunque à Chriſto alieni
Pſ. 111: 10. ſunt, eoſdem carere timore Dei, qui ſapientiæ initium eſt.

Et quamvis coram hominibus ſuam habeant laudem, nullius ſunt pretii ad juſtitiam promerendam coram Deo.

Quantum ad virtutes, quæ inani ſpecie nos decipiunt, in foro quidem politico & in communi hominum fama habebunt laudem: apud cæleſte vero tribunal nullius erunt pretii ad juſtitiam promerendam.

5. Qua igitur peccati ſervitute vincta detinetur voluntas, ad bonum commovere ſe non poteſt, nedum applicare. ejuſmodi enim motus, converſionis ad Deum principium eſt, quæ Dei gratiæ tota in Scripturis tribuitur. Quemadmodum precatur à
Jer. 31: 18. Domino Jeremias, ut ſe convertat, ſi converſum velit. Unde Propheta eodem capite, ſpiritualem populi fidelis redemptionem deſcribens, dicit redemptum de manu fortioris. nempe ſignificans, quam arctis compedibus alligatus eſt peccator, quamdiu à Domino deſertus, ſub jugo diaboli agit.

Porro, quamvis poſt lapſum voluntas in homine manſerit, voluntatis ſanitas in eo non reperitur.

Manet nihilominus voluntas, quæ propenſiſſima affectione ad peccandum & propendeat & feſtinet: ſiquidem non voluntate privatus eſt homo, quum in hanc neceſſitatem ſe addixit, ſed voluntatis ſanitate. Neque vero inepte Bernardus, qui velle nobis omnibus ineſſe docet: ſed velle bonum, profectus: velle malum, defectus. Ideo ſimpliciter velle, hominis: male velle, corruptæ naturæ: bene velle, gratiæ.

In peccatò ſervitutem enim neceſſario, ſed voluntaria incidis.

Porro, quod libertate abdicatam voluntatem dico neceſſitate in malum vel trahi, vel duci: mirum eſt ſicui videatur aſpera loquutio, quæ nec abſonum habet quidpiam, nec à ſanctorem uſu aliena eſt.

Neceſſitas à coactione diſtinguenda eſt.

Offendit autem eos, qui inter neceſſitatem & coactionem diſtinguere neſciunt. At ſiquis eos interroget, Annon Deus neceſſario bonus ſit: annon diabolus neceſſario malus: quid reſpondeant? Sic enim connexa eſt Dei bonitas cum divinitate, ut non magis neceſſarium ſit ipſum eſſe Deum, quam bonum. Diabolus autem per lapſum ſic à boni communione alienatus eſt, ut nihil quam male agere
vide Calv. adv. Pighium.
poſſit. Quod ſiquis ſacrilegus obganniat, Deo parum laudis ex ſua bonitate deberi, ad quam ſervandam cogatur: cui non erit prompta reſponſio, Immenſa ejus bonitate fieri, ne male agere poſſit, non violenta impulſione?

Hujus neceſſitatis veteres Theologi quidam meminerunt.

Ergo, ſi liberam Dei voluntatem in bene agendo non impedit, quod neceſſe eſt illum bene agere: ſi diabolus, qui nonniſi male agere poteſt, voluntate tamen peccat: quis hominem ideo minus voluntarie peccare dicet, quod ſit peccandi neceſſitati obnoxius? Hanc neceſſitatem,
lib. de perf. juſtit.
quum ubique prædicet Auguſtinus, dum etiam in-

vidioſe

vidioſe Cæleſtii cavillo urgeretur, ne tum quidem aſſerere dubitavit, in hæc verba, *Per libertatem factum eſt, ut eſſet homo cum peccato: ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſequata ex libertate fecit neceſſitatem.* Ac quoties incidit ejus rei mentio, non dubitat in hunc modum loqui de neceſſaria peccati ſervitute. Hæc igitur diſtinctionis ſumma obſervetur, hominem, ut vitiatus eſt ex lapſu, volentem quidem peccare, non invitum nec coactum: affectione animi propenſiſſima, non violenta coactione: propriæ libidinis motu, non extraria coactione: qua tamen eſt naturæ pravitate, non poſſe niſi ad malum moveri & agi. Quod ſi verum eſt, peccandi certe neceſſitati ſubjacere non obſcure exprimitur. Auguſtino ſubſcribens Bernardus ita ſcribit, *Solus homo inter animalia liber: & tamen interveniente peccato, patitur quandam vim & ipſe: ſed à voluntate, non à natura, at ne ſic quidem ingenita libertate privetur.* Quod enim voluntarium, etiam liberum. Et paulo poſt, *Ita neſcio quo pravo & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas (quum voluntaria ſit) excuſare valeat voluntatem, nec voluntas (quum ſit illecta) excludere neceſſitatem.* Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria. Poſtea dicit nos premi jugo, non alio tamen, quam voluntariæ cujuſdam ſervitutis: ideo pro ſervitute eſſe miſerabiles, pro voluntate inexcuſabiles: quia voluntas, quum libera eſſet, ſervam ſe peccati fecit. Tandem concludit, *Ita anima miro quodam & malo modo, ſub hac voluntaria quadam ac male libera neceſſitate, & ancilla tenetur & libera: ancilla, propter neceſſitatem: libera, propter voluntatem: &, quod magis mirum magiſque miſerum eſt, ideo rea, quod libera: eoque ancilla, quo rea: ac per hoc, eo ancilla, quo libera.* Hinc certe agnoſcunt lectores, nihil me novum afferre, quod olim ex piorum omnium conſenſu prodidit Auguſtinus, & mille fere annis poſtea in clauſtris monachorum retentum fuit. Lombardus autem, quum neceſſitatem à coactione diſtinguere neſciret, pernicioſo errori materiam dedit.

de nat. & grat. & alibi.

Ser. ſuper Cantica 8.

Quorum teſtimonia Lombardi oſcitantiam damnant.

Remedium autem, ſeu ſanitas humanæ voluntatis, eſt converſio ad Deum.

6. Ex oppoſito reputare operæpretium eſt, quale ſit divinæ gratiæ remedium, quo naturæ vitioſitas corrigitur ac ſanatur. Nam, quum Dominus in ope ferenda, quod nobis deeſt largiatur, ubi conſtiterit quale ſit in nobis illius opus, quæ ſit è converſo noſtra penuria ſtatim eluceſcet. Quum dicit Apoſtolus Philippenſibus, ſe confidere, quod qui cœpit in ipſis opus bonum, perfecturus ſit uſque in diem Jeſu Chriſti: non dubium, quin per boni operis principium, ipſam converſionis originem, quæ eſt in voluntate, deſignet. Bonum itaque opus inchoat in nobis Deus, juſtitiæ & amorem & deſiderium & ſtudium in cordibus noſtris excitando: vel (ut magis proprie loquamur) corda noſtra flectendo, formando, dirigendo in juſtitiam: perficit autem, ad perſeverantiam nos confirmando. Ne quis à Domino bonum inchoari tergiverſetur, quod voluntas, per ſe infirma, adjuvetur: alibi declarat Spiritus, quid valeat voluntas ſibi relicta. *Dabo*, inquit, *vobis cor novum: Spiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum: & Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Qui voluntatis humanæ infirmitatem dicit ſubſidio roborari, quo ad boni electionem efficaciter aſpiret, quum transformari renovarique totam oporteat? Si qua eſt in lapide mollities, quæ adminiculo tenerior facta flexum quemlibet recipiat: neque ductile eſſe cor hominis negabo in recti obedientiam, modo gratia Dei, quod in eo imperfectum eſt, ſuppleatur. Verum ſi hac ſimilitudine oſtendere voluit, nihil unquam boni expreſſum iri à corde noſtro, niſi penitus aliud fiat: ne inter ipſum & nos partiamur, quod ſibi uni vendicat. Si ergo lapis in carnem transformatur, quando nos Deus ad recti ſtudium convertit: aboletur quicquid eſt proprii noſtræ voluntatis: quod in ejus locum ſuccedit, totum à Deo eſt. Voluntatem dico aboleri, non quatenus eſt voluntas: quia in hominis converſione integrum manet, quod primæ eſt naturæ: creari etiam novam dico, non ut voluntas eſſe incipiat, ſed ut vertatur ex mala in bonam. Hoc in ſolidum à Deo fieri affirmo, quia ne ad cogitandum quidem idonei ſumus, eodem Apoſtolo teſte. Itaque alibi tradit, non modo Deum opitulari infirmæ voluntati, vel pravam corrigere, ſed operari in nobis velle. Unde facile colligitur quod dixi, quicquid boni eſt in voluntate, eſſe unius gratiæ opus. Quo ſenſu alibi dicit, Deum eſſe, qui omnia operatur in omnibus. Neque enim illic de univerſali gubernatione diſſerit, ſed bonorum omnium, quibus pollent fideles, laudem aſſerit uni Deo. Omnia autem dicendo, certe ab initio ad finem uſque Deum ſpiritualis vitæ auctorem facit: quod idem aliis verbis prius docuerat, fideles ex Deo eſſe dicens in Chriſto: ubi aperte novam creationem, quo aboletur quod communis naturæ eſt, commendat. Subaudienda enim eſt inter Adam & Chriſtum antitheſis, quam alibi clarius explicat, ubi docet nos eſſe Dei facturam, creatos in Chriſto ad bona opera, quæ præparavit, ut in illis ambulemus. Hac enim ratione probare vult gratuitam eſſe noſtram ſalutem: quia initium omnis boni ſit à ſecunda creatione, quam in Chriſto conſequimur. Atqui, ſi qua eſſet vel minima ex nobis facultas, aliqua etiam eſſet meriti portio. Verum, ut nos prorſus exinaniat, nihil promeritos eſſe ratiocinatur, quia in Chriſto conditi ſumus ad bona opera, quæ præparavit Deus: quibus verbis iterum ſignificat omnes bonorum operum partes à primo motu, Dei eſſe proprias. Hac ratione Propheta poſtquam in Pſalmo dixit, nos Dei eſſe figmentum, ne qua fiat partitio, mox adjungit, *non fecimus nos ipſi.* de regeneratione eum loqui, quæ principium eſt ſpiritualis vitæ, ex contextu patet, ubi continuo poſt ſequitur, nos eſſe populum ejus, & gregem paſcuorum ejus. Videmus autem, ut non contentus ſimpliciter ſalutis noſtræ laudem Deo dediſſe, diſerte ab omni ſocietate nos excludat: quaſi diceret, ne tantillum quidem reſtare homini, in quo glorietur, quia totum à Deo eſt.

Phil. 1: 6.

Non inchoata tantummodo, ſed continuata etiam & abſoluta: adeo ut inchoatio, perſeverantia & conſummatio ſoli Deo tribuatur.

Ezech. 36. verſ. 26.

Id ſimilitudine cordis lapidei & carnei ex Ezechiele petita probatur: deinde Scripturæ teſtimoniis.

2 Cor. 3: 5.

Phil. 2: 13.

1 Cor. 12. verſ. 6.

Epheſ. 1: 1.

Eph. 2: 10.

Pſal. 100. verſ. 3.

7. Sed erunt forte, qui concedent voluntatem à bono ſuopte ingenio averſam, ſola Domini virtute converti: ſic tamen, ut præparata, ſuas deinde in agendo partes habeat: quemadmodum docet Auguſtinus, omne bonum opus gratiam præcedere, & id comitante, non ducente; pediſſequa, non prævia voluntate: quod non male à ſancto viro dictum, præpoſtere huc detorquet Petrus Lombardus. Ego autem tam in Prophetæ verbis, quæ citavi, quam in aliis locis clare duo ſignari contendo: quod & pravam noſtram voluntatem corrigat Dominus, vel potius aboleat, & à ſeipſo bonam ſubmittat. Quatenus à gratia prævenitur, in eo, ut pediſſequam appelles, tibi permitto: ſed quia reformata, opus eſt Domini, hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ prævenienti, pediſſequa voluntate obſequatur. Ideo non recte à Chryſoſtomo ſcriptum eſt, Nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quicquam poſſe operari. quaſi vero non ipſam quoque voluntatem operetur gratia, ſicuti ex Paulo nuper vidimus. Neque vero Auguſtini conſilium fuit, dum pediſſequam gratiæ vocat humanam voluntatem, ſecundas quaſdam à gratia partes illi aſſignare in bono opere: ſed quia hoc illi tantum propoſitum erat, refellere peſſimum Pelagii dogma, quod primam ſalutis cauſam in hominis merito ponebat: quod ſatis erat præſenti cauſæ, contendit, gratiam omni merito eſſe priorem:

Objectionum variarum adverſus ſuperiorem doctrinam dilutio.

1. Voluntas quidem à Deo convertitur: ſed præparata habet ſuas partes.

Reſp. ex Auguſtino. ad Boniſ. epiſt. 106. lib. 2. ſent. diſt. 25.

2. Objectio. Nec gratia ſine voluntate, nec voluntas ſine gratia quicquam poteſt. ſerm. de invent. S. Crucis.

Reſp. Ipſa gratia operatur voluntatem.

altera

Dominus enim prævenit nolentem, ut velit: volentem ſubſequitur ne fruſtra velit.

Altera reſponſio, ex variis Auguſtini locis collecta.

lib. 2. de remiſ. peccat. cap. 18.

Joan. 6:45.

altera interim quæſtione omiſſa, de perpetuo gratiæ effectu, quam tamen alibi egregie tractat. Aliquoties enim dum dicit, Dominum prævenire nolentem, ut velit; volentem ſubſequi, ne fruſtra velit: ipſum boni operis in ſolidum facit auctorem. Quanquam clariores de hac re ſunt ejus ſententiæ, quam ut longam argumentationem deſiderent. *Laborant*, inquit, *homines invenire in noſtra voluntate, quod noſtrum ſit, & non ex Deo: & quomodo inveniri poſſit ignoro.* Libro autem contra Pelagium & Cæleſtium primo, ubi dictum illud Chriſti interpretatur, *Omnis qui audierit à Patre meo, venit ad me: Arbitrium*, inquit, *ſic adjuvatur, ut non ſolum quid faciendum ſit ſciat: ſed quod ſciverit, etiam faciat.* Atque ita quum Deus docet, non per Legis literam, ſed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.

Prioris reſponſionis ad 2. objectionem confirmatio.

Nulla voluntas reperietur ad bonum propenſa, niſi in electis. Atqui electionis cauſa extra homines quærenda eſt. Unde conficitur, rectam voluntatem ex Dei beneplacito, ut & electionem noſtram, fluere.

Altera confirmatio. Bene volendi & agendi principium eſt ex fide. At fides eſt donum Dei. Sequitur, ex mera gratia eſſe, ubi velle bonum incipimus, ad malum natura propenſi.

Tertia confirmatio. Teſtimonia Scripturæ.

Jer. 32: 39.

Eze. 11:19.

8. Et quoniam in præcipuo cardioe jam verſamur: agedum, ſummam rei paucis ac apertiſſimis tantum Scripturæ teſtimoniis probatam tradamus lectoribus: tum deinde (oe quis nos detortæ perperam Scripturæ inſimulet) oſtendamus, neque hujus ſancti viri (Auguſtinum dico) teſtimonio deſtitui, quam ex Scriptura deſumptam aſſerimus veritatem. Nam neque expedire cenſeo, ut quæ in ſententiæ noſtræ confirmatiooem adduci ex Scripturis poſſuot, ordine ſingula receoſeantur: modo ex ſelectiſſimis, quæ proferentur, via ſternatur ad reliqua omnia, quæ ſparſim leguntur, iotelligenda: neque rurſum intempeſtive factum iri, ſi palam fecero mihi cum eo viro non male convenire, cui plurimum auctoritatis merito defert piorum conſenſus. Certe booi exordium non aliunde, quam à ſolo Deo eſſe, facili & certa ratione liquet. neque enim voluntas reperietur ad bonum propenſa niſi in electis. Atqui electionis cauſa extra homines quærenda eſt: unde conficitur, rectam voluntatem non eſſe homini à ſeipſo, ſed ex eodem beneplacito, quo ante mundi creationem electi ſumus, fluere. Accedit altera non abſimilis ratio. nam quum bene volendi & agendi principium ſit ex fide, videndum eſt, unde ſit ipſa fides. Quum vero gratuitum eſſe Dei donum clamet tota Scriptura, ſequitur ex mera gratia eſſe, ubi velle bonum incipimus, qui ad malum toto animo ſumus naturaliter propenſi. Ergo Domious, ubi in populi ſui converſione duo hæc ponit, ut cor illi lapideum auferat, det carneum, aperte teſtatur oportere aboleri, quod ex nobis eſt, qoo ad juſtitiam convertamur: quicquid autem in ejus locum ſubit, à ſeipſo eſſe. Neque id uoo loco pronunciat. dicit enim apud Jeremiam, *Dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me univerſis diebus.* Paulo poſt, *Timorem nominis mei dabo in cor eorum, ut non recedant à me.* Rurſum apud Ezechielem, *Dabo eis cor unum, & Spiritum novum dabo in viſceribus eorum. Cor lapideum auferam de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Noo poſſet evidentius ſibi vendicare, nobis adimere, quicquid eſt in voluntate noſtra boni & recti, quam dum converſionem noſtram, creationem novi Spiritus & novi cordis eſſe teſtatur. ſequitur enim ſemper, & ex voluntate noſtra nihil prodire boni, donec reformata fuerit: & poſt reformatiooem, quateous bona eſt, à Deo eſſe, oon à nobis.

Quarta confirmatio. Precationes ſanctorum: ex quibus tria colliguntur axiomata.

1. Dominum non ita præparare hominem, ut poſtea ex ſeipſo aliquid boni agat: ſed ut illius tantum cenſeatur, quod recti amorem concipit voluntas, quod in ejus ſtudium inclinatur, quod ad ejus ſectandi conatum incitatur, & movetur.

1 Reg. 8. verſ. 58.

Pſ. 119: 36.

Pſ. 51: 12.

9. Sic & precationes ſanctorum compoſitæ leguntur. *Inclinet cor noſtrum ad ſe Dominus*, dicebat Solomo, *ut ſervemus mandata ſua.* Pervicaciam cordis ooſtri oſtendit, quod in Legis divinæ rebellionem naturaliter exultet, niſi flectatur. Idem & in Pſalmo habetur, *Inclina cor meum ad teſtimonia tua.* Semper enim notanda eſt antitheſis inter perverſum cordis motum, quo fertur ad contumaciam; & correctionem hanc, qua in obſequium cogitur. David autem quum ſe directrice gratia ad tempus orbatum fuiſſe ſentiens, Deum rogat, ut cor mundum in ſe creet, Spiritum rectum inoovet in ſuis viſceribus, anoon omnes cordis ſui partes impuritate refertas agnoſcit, & ſpiritum obliqua pravitate contortum? munditiem autem, quam flagitat, Dei creaturam vocando, anoon totam illi acceptam refert? Siquis excipiat, precationem ipſam ſignum eſſe pii ſanctique affectus, prompta eſt ſolutio, quamvis jam aliqua ex parte reſipuiſſet David, conferre tamen priorem ſtatum cum illa triſti ruina, quam expertus erat. Perſonam ergo hominis à Deo alienati ſuſcipiens, merito ſibi dari petit, quæcuoque electis ſuis io regeneratione confert Deus. Itaque mortuo ſimilis, optat ſe iterum creari, ut ex mancipio Satanæ, fiat Spiritus ſancti organum. Mira ſane & portentoſa ſuperbiæ noſtræ libido. Nihil ſeverius Dominus exigit, quam ut religioſiſſime ſuum ſabbathum obſervemus, quieſcendo ſcilicet ab operibus noſtris: à oobis vero nihil magis ægre impetratur, quam ut operibus noſtris valere juſſis, Dei operibus juſtum locum cedamus. Niſi obſtaret vecordia, ſatis luculentum teſtimonium reddidit gratiis ſuis Chriſtus, ne maligne ſupprimereotur. *Ego ſum*, inquit, *vitis, vos palmites: Pater meus agricola eſt. Sicut palmes non poteſt fructum ferre à ſeipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis: quia ſine me nihil poteſtis facere.* Si non aliter per nos fructificamus, quam revulſus à terra palmes, & humore privatus, germinat: non eſt amplius quærendum, quæ ſit naturæ noſtræ ad bonum aptitudo. Nec ambigua eſt iſta concluſio, *Sine me nihil poteſtis facere.* Non dicit nos eſſe infirmiores, quam qui nobis ſufficiamus: ſed nos ad nihilum redigendo, omnem vel exiguæ facultatulæ opioionem excludit. Si in Chriſto inſiti fructificamus inſtar vitis, quæ tum à terræ humore, tum à rore cæleſti, tum à Solis fomento vegetationis ducit energiam: nihil in bono opere reſtare nobis video, ſi Deo illibatum ſervamus, quod ſuum eſt. Nequicquam obtenditur frivola argutia, ſuccum jam incluſum eſſe in palmite, & vim proferendi fructus: ideoque noo omnia ſumere à terra, vel à prima radice, quia aliquid ſuum cooferat. Neque enim aliud vult Chriſtus, quam oos aridum & nihili eſſe lignum, ubi ſumus ab eo ſeparati: quia ſeorſum nulla ſit io nobis bene agendi facultas, ſicut alibi quoque inquit, *Omnis arbor quam non plantaverit Pater meus, eradicabitur.* Quare Apoſtolus totam illi ſummam tranſcribit io loco jam citato, *Deus eſt*, inquit, *qui in vobis operatur & velle & perficere.* Prior pars operis boni, eſt voluntas: altera, validus in exequendo conatus: utriuſque auctor eſt Deus. Ergo Domino ſurripimus, ſiquid nobis arrogamus aut in voluntate, aut in effectu. Si diceretur Deus opem ferre infirmæ voluntati, nobis nonnihil relioqueretur: ſed quum dicitur efficere voluntatem, jam extra nos, quicquid in ea bonum eſt, locatur. Porro, quoniam carnis noſtræ pondere bona etiamnum voluntas obruitur, ne emergat: ſubjunxit, eluctandis ejus pugnæ difficultatibus, conatus conſtantiam ad effectum uſque adminiſtrari. Siquidem nec aliter conſtare poſſet, quod alibi docet, unicum eſſe Deum, qui efficit omnia in omnibus, ubi totum ſpiritualis vitæ curſum comprehendi ante docuimus. Qua ratione David, poſtquam vias Dei ſibi patefieri precatus eſt, ut ambulet in ejus veritate, mox adjungit, *Unias cor meum ad timendum nomen tuum.* Quibus verbis ſignificat, etiam qui probe affecti ſunt, tot eſſe diſtractionibus obnoxios, ut facile evaneſcant vel effluant, niſi ad conſtantiam firmentur. Qua ratione alibi, poſtquam greſſus ſuos dirigi ad ſervaodum Dei ſermonem precatus eſt, robur quoque ad bellandum ſibi dari poſtulat: *Ne dominetur*, inquit, *mihi ulla iniquitas.* Hunc itaque in modum & inchoat & perficit Dominus bonum opus in nobis: ut illius ſit, quod recti amorem coocipit voluntas,

2. Quod electio, ſtudium, conatus non ſaſeſcunt, ſed ad effectum uſque procedunt.

Joan. 15:1.

3. Quod homo in illis conſtanter pergit & ad finem uſque perſeverat.

3. Objectio. Reſponſio.

Math 15. verſ. 13.

Altera reſponſio.

Phil. 2: 13.

2 Cor. 12. verſ. 6.

Tertia reſponſio.

ſect. 6.

Pſ. 86: 11.

Pſal. 119. verſ. 133.

quod in ejus ſtudium inclinatur, quod ad ejus ſectandi conatum incitatur & movetur: deinde, quod electio, ſtudium, conatus non fatiſcunt, ſed ad effectum uſque procedunt: poſtremo, quod homo in illis conſtanter pergit, & in finem uſque perſeverat.

4. Objectio. Reſponſio.

10. Ac voluntatem movet, non qualiter multis ſeculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari: ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt, *Quem trahit, volentem trahit*: quo inſinuat Dominum porrecta tantum manu expectare, an ſuo auxilio juvari nobis adlubeſcat.

5. Objectio. Reſponſio.

Talem fuiſſe hominis adhuc ſtantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram partem inclinare: ſed quum ſuo exemplo docuerit, quam miſerum ſit liberum arbitrium, niſi Deus in nobis & velit & poſſit: quid fiet nobis, ſi ad eum modulum ſuam gratiam nobis impertitur? Imo nos ipſi eam obſcuramus & extenuamus noſtra ingratitudine.

Confirmatio reſponſionis, multiplici Scriptura & Auguſtini teſtimonio munita.

Non enim docet Apoſtolus, offerri nobis bonæ voluntatis gratiam, ſi acceptemus: ſed ipſum velle in nobis efficere: quod non aliud eſt, niſi Dominum ſuo Spiritu cor noſtrum dirigere, flectere, moderari: & in eo, tanquam in poſſeſſione ſua, regnare. Nec vero per Ezechielem promittit ſe daturum electis Spiritum novum, hoc tantum fine, ut in præceptis ſuis ambulare poſſint, ſed ut re ipſa ambulent.

Eze. 11: 19. & 36: 27.
Joan. 6: 45.

Neque ſecus accipi ſententia Chriſti poteſt, *Omnis qui audivit à Patre meo, venit ad me*, quam ut efficacem à ſeipſa Dei gratiam doceat: quemadmodum & Auguſtinus contendit. Qua gratia non quoslibet promiſcue dignatur Dominus, quemadmodum vulgo jactatur illud (niſi fallor) Occamicum, eam nemini denegari facienti quod in ſe eſt.

lib. de præd. ſanct.

Docendi quidem ſunt homines, expoſitam eſſe Dei benignitatem omnibus, ſine exceptione, qui eam quærunt: ſed quum ii demum quærere incipiant, quibus cæleſtis gratia aſpiravit, nec hæc ſaltem portiuncula de ejus laude decerpenda erat. Hæc eſt ſane electorum prærogativa, ut per Spiritum Dei regenerati, ipſius ductu agantur ac gubernentur. Quare merito Auguſtinus tam eos deridet, qui aliquas volendi partes ſibi arrogant, quam reprehendit alios, qui putant promiſcue dari omnibus, quod ſpeciale eſt, gratuitæ electionis teſtimonium: *Communis* (inquit) *omnibus eſt natura, non gratia: vitreum acumen appellans, quod mera vanitate ſplendet, ubi ad omnes generaliter extenditur, quod Deus, quibus vult, confert.* Alibi autem, *Quomodo veniſti? credendo.* Time, ne dum tibi arrogas quod inventa ſit à te via juſta, pereas de via juſta. Veni, inquis, libero arbitrio: voluntate propria veni. Quid turgeſcis? vis noſſe quod & hoc præſtitum eſt tibi? Ipſum audi vocantem, *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Et citra controverſiam elicitur ex Joannis verbis, ſic efficaciter gubernari divinitus piorum corda, ut inflexibili affectu ſequantur. *Qui ex Deo genitus eſt* (inquit) *non poteſt peccare: quia ſemen Dei in ipſo manet.* Nam medium quem Sophiſtæ imaginantur motum, cui obſequi, vel quem repellere liberum ſit, aperte excludi videmus, ubi aſſeritur efficax ad perſeverandum conſtantia.

de verbis Apoſtol. Serm. 11.
Joan. 6: 4.
1 Joan. 3: 9.

Perſeverantia quoque non à nobis, ſed à Deo eſt. Objectio.

11. De perſeverantia nibilo magis dubium futurum erat, quin habenda eſſet pro gratuito Dei dono, niſi invaluiſſet peſſimus error, pro hominum merito hanc diſpenſari, prout ſe unuſquiſque non ingratum primæ gratiæ præbuerit. Sed enim quoniam inde natus eſt, quod putabant in manu noſtra eſſe, reſpuere vel accipere oblatam Dei gratiam, hac opinione exploſa, ille quoque ſponte ſua corruit.

Reſponſio. Duplex error hujus objectionis.

Quanquam hic bifariam erratur. nam præterquam, quod noſtram erga primam gratiam gratitudinem legitimumque uſum poſterioribus remunerari docent, addunt etiam, non jam ſolam gratiam in nobis operari, ſed eſſe tantum nobis cooperatricem.

Prioris refutatio.

De priore ſic habendum eſt, Dominum, dum indies locupletat, & novis ſuæ gratiæ dotibus cumulat ſervos ſuos, quia opus, quod in illis cœpit, gratum acceptumque habet, in illis invenire, quod majoribus gratiis proſequatur. Atque huc pertinent ſententiæ illæ, *Habenti dabitur.* Item, *Euge ſerve bone: quia in paucis fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.*

Mat. 25: 21, 23, & 29.
Luc. 19. v. 17, & 26.

Cautio duplex hic adhibenda.

Sed hic duo ſunt cavenda, ne aut remunerari dicatur poſterioribus gratiis legitimus uſus primæ gratiæ, acſi homo ſua ipſius induſtria redderet gratiam Dei efficacem: aut ſic remuneratio cenſeatur, ut deſinat haberi gratuita Dei gratia. Fateor ergo exſpectandam eſſe fidelibus hanc Dei benedictionem, quo melius uſi fuerint ſuperioribus gratiis, ut eo majoribus poſthac adaugeantur: ſed illum quoque uſum à Domino eſſe dico, & hanc remunerationem à gratuita ejus benevolentia provenire.

Diſtinctionis de gratia operante & cooperante conſideratio.

ac ſiniſtre non minus quam infeliciter tritam illam diſtinctionem uſurpant, operantis gratiæ & cooperantis. Hac quidem uſus eſt Auguſtinus, ſed commoda definitione leniens, Deum cooperando perficere quod operando incipit: ac eandem eſſe gratiam, ſed ſortiri nomen pro diverſo modo effectus. Unde ſequitur, eum non partiri inter Deum & nos, acſi ex proprio utriuſque motu eſſet mutua concurrentia: ſed gratiæ multiplicationem notare. Quo pertinet quod alibi dicit, multa Dei dona præcedere bonam hominis voluntatem, inter quæ eſt & ipſa. Unde ſequitur, nihil reliquum facere quod ipſa ſibi arroget. Quod & Paulus nominatim expreſſit. Nam quum dixiſſet, Deum eſſe, qui efficit in nobis & velle & perficere, continuo ſubdidit, utrumque facere pro bona voluntate: hac dictione gratuitam eſſe benignitatem indicans.

Enchir. ad Laur. c. 32.
Phil. 2: 13.

Poſterioris erroris ex 6. objectione naſcentis refutatio.

Ad id autem quod dicere ſolent, poſtquam primæ gratiæ locum dedimus, jam conatus noſtros ſubſequenti gratiæ cooperari, reſpondeo: Si intelligant nos, ex quo ſemel Domini virtute in juſtitiæ obſequium edomiti ſumus, ultro pergere, & propenſos eſſe ad ſequendam gratiæ actionem, nihil reclamo. Eſt enim certiſſimum, ubi gratia Dei regnat, talem eſſe obſequendi promptitudinem. Unde id tamen, niſi quod Spiritus Dei ubique ſibi conſentiens, quam principio generavit obedientiæ affectionem, ad perſeverandi conſtantiam fovet & confirmat? At ſi hominem à ſeipſo ſumere volunt unde gratiæ Dei collaboret, peſtilentiſſime hallucinantur.

7. Objectio ex diſtinctione illa de gratia cooperante deducta.

12. Atque huc falſo per inſcitiam torquetur illud Apoſtoli, *Plus omnibus iis laboravi: non ego, ſed gratia Dei mecum.* Sic enim accipiunt, quia paulo arrogantius dictum videri poterat, quod ſe præferret omnibus, id quidem corrigere, laudem ad Dei gratiam referendo: ſed ita, ut ſe gratiæ cooperarium vocet.

1 Cor. 15. verſ. 10.

Reſponſio.

Ad hanc feſtucam mirum eſt tot non malos alioqui homines impegiſſe. Non enim gratiam Domini ſecum laboraſſe ſcribit Apoſtolus, ut ſe conſortem laboris faciat: quin potius totam laboris laudem uni gratiæ tranſcribit, iſta correctione: *Non ego, ait, ſum is, qui laboravi, ſed gratia Dei, quæ mihi aderat.* Feſellit autem eos loquutionis ambiguitas: ſed magis præpoſtera verſio, in qua vis Græci articuli prætermiſſa fuit. Nam ſi ad verbum reddas, non dicit gratiam ſibi fuiſſe cooperatricem: ſed gratiam, quæ ſibi aderat, omnium fuiſſe effectricem.

Confirmatio, Auguſtini & Bernardi teſtimonio roborata.

Atque id non obſcure, licet breviter, docet Auguſtinus, quum ita loquitur, *Præcedit voluntas bona hominis, multa Dei dona, ſed non omnia. Quæ autem præcedit ipſa, in eis & ipſa eſt.* Sequitur deinde ratio: quia ſcriptum ſit, *Miſericordia ejus prævenit me.* Et, *Miſericordia ejus ſubſequetur me: nolentem prævenit, ut velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.* Cui conſentit Bernardus, Eccleſiam ita loquentem inducens, *Trahe quodammodo invitam, ut facias voluntariam: trahe torpentem, ut reddas currentem.*

Pſ. 59: 11.
Pſal. 23.
Serm. 2. in Cant.

13. Audia-

Poſtrema capitis pars, qua probatur ex multis locis eandem fuiſſe Auguſtini ſententiam: nempe non offerri tantum à Deo gratiam, quæ libera cujuſque electione aut recipiatur aut reſpuatur: ſed ipſam eſſe, quæ in corde & electionem & voluntatem formet.

13. Audiamus nunc Auguſtinum ſuis verbis loquentem, ne ætatis noſtræ Pelagiani, hoc eſt, Sorbonici Sophiſtæ totam vetuſtatem nobis adverſam pro ſuo more criminentur. in quo ſcilicet patrem ſuum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenam ipſe Auguſtinus protractus eſt. Libro de correptione & gratia ad Valentinum fuſius exequitur, quod breviter, ejus tamen verbis referam, Gratiam perſiſtendi in bono, Adæ fuiſſe datam, ſi vellet; nobis dari, ut velimus, ac voluntate concupiſcentiam ſuperemus. Habuiſſe ergo illum poſſe, ſi vellet: ſed non velle, ut poſſet: nobis & velle dari & poſſe. Primam fuiſſe libertatem, poſſe non peccare: noſtram multo majorem, non poſſe peccare. Ac ne de futura poſt immortalitatem perfectione loqui putetur (ſicuti perperam Lombardus eo trahit) ſcrupulum hunc paulo poſt eximit. *Tantum quippe*, inquit, *Spiritu ſancto accenditur voluntas ſanctorum: ut ideo poſſint, quia ſic volunt: ideo velint, quia Deus operatur, ut ſic velint.* Nam ſi in

cap. 2.
lib. 2. diſtinct. 25.
2 Cor. 12. verſ. 9.

tanta infirmitate, in qua tamen ad reprimendam elationem perfici virtutem decet, ipſis relinquatur voluntas ſua, ut adjutorio Dei poſſint, ſi velint, nec Deus operetur in illis, ut velint: inter tot tentationes, infirmitates, voluntas ipſa ſuccumberet, ideoque perſeverare non poſſent. Subventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut gratia divina indeclinabiliter & inſeparabiliter ageretur, ideoque quantumvis infirma non deficeret. Tractat

cap. 14.

deinde copioſius, quomodo corda noſtra Dei afficientis neceſſario ſequantur motum: ac dicit quidem Dominum homines ſuis voluntatibus trahere, ſed quas ipſe operatus eſt. Habemus nunc Auguſtini ore teſtatum, quod in primis obtinere volumus, non offerri tantum à Domino gratiam, quæ libera cujuſque electione aut recipiatur, aut reſpuatur: ſed ipſam eſſe, quæ in corde & electionem & voluntatem formet: ut quicquid deinde ſequitur boni operis, fructus ſit ipſius ac effectus, nec aliam habeat ſibi obſequentem voluntatem, niſi quam fecit. Sunt enim ejus quoque verba ex alio loco, Omne bonum in nobis opus, non niſi gratiam facere.

8. Objectio, Auguſtinum Auguſtino opponens, aliis ejuſdem Theologi teſtimoniis explicatu.

14. Quod autem alibi dicit, non tolli gratia voluntatem, ſed ex mala mutari in bonam: & quum bona fuerit, adjuvari: ſignificat tantum, hominem non ita trahi, ut ſine motu cordis, quaſi extraneo impulſu feratur: ſed intus ſic affici, ut ex corde obſequatur. Specialiter gratuitoque electis dari, in hunc modum ad Bonifacium ſcribit, *Scimus non omnibus hominibus dari Dei gratiam: & quibus datur, neque ſecundum merita operum dari, neque ſecundum merita voluntatis, ſed gratuita gratia: quibus non datur, ſcimus juſto Dei judicio non dari.* Ac in eadem epiſtola fortiter eam opinionem impugnat, quæ hominum meritis ſubſequentem gratiam reddi putat: quia primam gratiam non reſpuendo, ſe dignos præſtiterint. Vult enim Pelagium fateri, nobis gratiam neceſſariam eſſe ad ſingulas actiones, neque operibus retribui, quo ſit vere gratia. Sed breviore ſumma comprehendi res non poteſt, quam ex octavo capite libri ad Valentinum, de correptione & gratia: ubi primum docet, Quod humana voluntas non libertate gratiam, ſed gratia conſequatur libertatem: quod per eandem gratiam impreſſo delectationis affectu, ad perpetuitatem conformetur: quod inſuperabili fortitudine roboretur: quod illa gubernante, nunquam excidat; deſerente, protinus corruat. Quod gratuita Domini miſericordia, & ad bonum convertatur: & converſa in ipſo perſeveret. Quod voluntatis humanæ directio in bonum, & poſt directionem conſtantia, ex ſola Dei voluntate pendeat, non ullo ſuo merito. Ita homini tale relinquitur liberum arbitrium (ſi appellare ita libet) quale alibi ſcribit, quod nec ad Deum converti, nec in Deo perſiſtere, niſi per gratiam, poſſit; à gratia valeat, quicquid valet.

epiſt. 106.
epiſt. 106.
Summa doctrinæ Auguſtini de libero arbitrio.
epiſt. 46.

CAP. IV.

Quomodo operetur Deus in cordibus hominum.

Tres ſunt hujus capitis præcipuæ partes.

1. *An aliquid in malis actionibus & quantum Deo tribuendum ſit, diabolo item & homini*, ſect. 1. 2. 3. 4. & 5.
2. *In rebus mediis quantum Deo tribuendum, & quantum homini relinquendum ſit*, ſect. 6.
3. *Duarum objectionum, quæ in hac diſputatione occurrunt, ſolutio*, ſect. 7. & 8.

Quarti hujus capitis cum tertio connexio, ex qua præſens quæſtio oritur.

HÒminem peccati jugo ita captivum teneri, ne ad bonum aut voto aſpirare, aut ſtudio contendere ſuapte natura queat, ſufficienter (niſi fallor) probatum eſt. Præterea diſtinctio inter coactionem & neceſſitatem poſita fuit, unde liqueret, eum, dum neceſſario peccat, nihilo tamen minus voluntarie peccare. Sed quoniam, dum in ſervitutem diabolo addicitur, illius arbitrio videtur magis agi, quam ſuo, quale ſit actionis utriuſque genus, expediendum reſtat: tum ſolvenda quæſtio, an aliquid in malis operibus Deo ſit tribuendum, in quibus nonnullam ejus actionem intercedere Scriptura inſinuat. Alicubi Auguſtinus humanam voluntatem equo comparat, ſeſſoris nutum expectanti: Deum ac diabolum, ſeſſoribus. *Si Deus illi inſidet*, inquit, *perinde ac moderatus & peritus ſeſſor, compoſite illam regit: tarditatem incitat, nimiam celeritatem compeſcit: petulantiam luxuriamque coërcet, pervicaciam retundit, in rectam viam deducit. quod ſi eam diabolus occupavit, inſtar ſtolidi ac petulantis ſeſſoris per invia rapit, impellit in foveas, per præcipitia devolvit, ad contumaciam ferociamque inſtigat.* Qua ſimilitudine, quando melior non occurrit, in præſentia contenti erimus. Imperio igitur diaboli quod animalis hominis voluntas dicitur ſubjacere, ut inde agitetur, non ſignificat ipſam reluctantem ac reſtitantem ad obſequia adigi (quemadmodum invita mancipia obire juſſa noſtra, domini jure cogimus) ſed Satanæ præſtigiis faſcinatam, illi ſe ad omnem ductum obſequentem neceſſario præbere. Nam quos Spiritus ſui regimine non dignatur Dominus, eos ad Satanæ actionem juſto judicio ablegat. Quare Apoſtolus deum hujus ſeculi excæcaſſe mentes infidelibus exitio deſtinatis ait, ne cernant lumen Euangelii. Et alio loco, ipſum operari in filiis contumacibus. Excæcatio impiorum, & quæcunque inde ſequuntur flagitia, opera Satanæ nuncupantur: quorum tamen cauſa extra humanam voluntatem quærenda non eſt, ex qua radix mali ſurgit: in qua fundamentum regni Satanæ (hoc eſt, peccatum) reſidet.

Alio reſpectu hæc tractavit lib. 1. c. 18. ubi vide ſect. 2. item lib. adv. Libertinos, c. 15 & 16.
Ab Auguſtino ſimilitudine boni & mali ſeſſoris illuſtrata.
in Pſal. 31. & 33. meminit Dei ſeſſoris.
Reſponſio ad quæſtionem, diaboli reſpectu.
2 Cor. 4:4.
Epheſ. 2:2.

Reſpectu Dei, & hominum. Exemplum, in Jobi hiſtoria.

2. Longe eſt alia ratio divinæ in talibus actionis. Quæ ut certius nobis pateat, exemplo ſit calamitas à Chaldæis ſancto Job illata. Chaldæi, interemptis ejus paſtoribus, gregem hoſtiliter deprædantur. Jam eorum improbum facinus palam extat: neque in eo opere ceſſat Satan, à quo totum id provenire narrat hiſtoria. Ipſe autem Job Domini opus in eo recognoſcit, quem dicit ſibi abſtuliſſe, quæ erepta erant per Chaldæos. Quomodo idem opus ad Deum, ad Satanam, ad hominem auctorem referamus, quin vel Satanam excuſemus Dei conſortio, vel Deum mali auctorem prædicemus? Facile,

Job. 1.
Dei opus ab opere Satanæ & hominis impii diſtinguitur.

1. Conſilio, ſeu fine agendi.

ſi finem agendi primum inſpiciamus, deinde modum. Domini conſilium eſt ſervi ſui patientiam calamitate exercere: Satan molitur eum ad deſperationem adigere: Chaldæi ex re aliena præter jus & fas lucrum quærere affectant. Tanta in conſiliis diverſitas opus jam valde diſtinguit.

2. Modo.

In modo non minus eſt diſcriminis. Satanæ affligendum ſervum ſuum Dominus permittit: Chaldæos, quos ad id exequendum miniſtros delegit, illi permittit ac tradit impellendos: Satan alioqui pravos Chaldæorum animos venenatis ſuis aculeis ad perpetrandum id flagitium inſtigat: illi ad injuſtitiam furioſe ruunt, omniaque membra ſcelere obſtringunt ac contaminant.

Quomodo Satan agat in reprobis.

Proprie ergo agere dicitur Satan in reprobis: in quibus regnum ſuum, hoc eſt nequitiæ, exercet. Dicitur & Deus ſuo modo agere, quod Satan ipſe (inſtrumentum quum ſit iræ ejus) pro ejus nutu ac imperio huc atque illuc ſe inflectit ad exequenda ejus juſta judicia.

Quomodo item Deus in iiſdem agat.

Omitto hic univerſalem Dei motionem, unde creaturæ omnes, ut ſuſtinentur, ita efficaciam quidvis agendi ducunt. De illa ſpeciali actione tantum loquor, quæ in unoquoque facinore apparet. Idem ergo facinus Deo, Satanæ, homini aſſignari, videmus non eſſe abſurdum: ſed varietas in fine & modo facit, ut illic inculpata Dei juſtitia reluceat, Satanæ hominiſque nequitia cum ſuo opprobrio ſe prodat.

Objectio, ex veteribus deſumpta, ad præſcientiam, aut permiſſionem Dei, non autem ad ejus operationem, has actiones eſſe referendas.

lib. de prædeſt. & gratia.

3. Veteres religioſius interdum ſimplicem quoque veritatis confeſſionem in hac parte reformidant, quod verentur, ne impietati feneſtram, de operibus Dei irreverenter obloquendi, aperiant. Quam ſobrietatem ut exoſculor, ita minime periculoſum judicó, ſi ſimpliciter teneamus quod Scriptura tradit. Ne Auguſtinus quidem illa ſuperſtitione interdum ſolutus eſt: quemadmodum ubi dicit indurationem & excæcationem non ad operationem Dei, ſed ad præſcientiam ſpectare. At iſtas argutias non recipiunt tot Scripturæ loquutiones, quæ plus aliquid Dei, quam præſcientiam intervenire clare oſtendunt.

Reſponſio, oſtendens Deum indurare, excæcare reprobos, &c.

Et Auguſtinus ipſe libro contra Julianum 5. longa oratione contendit, non permiſſionis tantum, aut patientiæ divinæ eſſe peccata: ſed etiam potentiæ, ut ſic priora peccata puniantur. Similiter, quod de permiſſione afferunt, dilutius eſt, quam ut ſubſiſtat. Sæpiſſime excæcare dicitur Deus & indurare reprobos, eorum corda vertere, inclinare, impellere, ut alibi fuſius docui.

lib. 1. c. 18.

Id quale ſit, nequaquam explicatur, ſi confugitur ad præſcientiam aut permiſſiooem. Nos ergo duplici ratiooe reſpondemus id fieri.

Idque duplici ratione. 1. Eos deſerendo.

Siquidem, quum ſublato ejus lumine, nihil quam caligo & cæcitas ſuperſit: quum ablato ejus Spiritu, corda noſtra in lapides obdureſcant: quum ceſſante ejus directione, in obliquitatem contorqueantur: rite excæcare, indurare, inclinare dicitur, quibus facultatem videndi, parendi, recte exequendi adimit.

2. Eos Satanæ tradendo, ut male pereant.

Secunda ratio, quæ multo propius accedit ad verborum proprietatem, quod ad exequenda ſua judicia per miniſtrum iræ ſuæ Satanam, & conſilia eorum deſtinat, quo viſum eſt, & voluntates excitat & conatus firmat.

Deut. 2:30.

Sic ubi recitat Muſes Sehon regem tranſitum non dediſſe populo, quia induraverat Deus ſpiritum ejus, & cor obfirmaverat, finem conſilii mox ſubjungit: *Ut daret eum in manus noſtras*, inquit. Ergo, quia perditum Deus volebat, obſtinatio cordis, divina fuit ad ruinam præparatio.

Scriptura illuſtria dicta, quæ noramque rationem confirmant, & ſuperiorem illam, de nuda Dei præſcientia & permiſſione, objectionem diluunt.

Ezech. 7. verſ. 26.
Pſ. 107:40.
Job 12:20.
Jeſ. 63:17.
Exod. 4:21. & 7:3.
Exod. 10. verſ. 1.
Exod. 3. verſ. 19.
Deut. 2:30.
Pſ. 105:25.

4. Secundum priorem rationem iſtud videtur dictum, *Aufert labium à veracibus, & rationem tollit à ſenioribus. Aufert cor ab iis, qui præſunt populo terræ, errare eos facit per invium.* Item, *Quare dementaſti nos Domine, induraſti cor noſtrum, ne timeamus te?* quandoquidem indicant potius, quales Deus homines faciat deſerendo, quam qualiter opus in ipſis ſuum peragat. At ſunt alia teſtimonia, quæ ultra procedunt: qualia ſunt de Pharaonis induratione, *Indurabo cor Pharaonis, ne vos audiat, ac dimittat populum.* Poſtea dicit, ſe aggravaſſe cor illius & roboraſſe. An induravit non emolliendo? Id quidem verum eſt: ſed plus aliquid fecit, quod obſtinatione pectus ejus obfirmandum Satanæ mandavit. unde prius dixerat, *Tenebo cor illius.* Egreditur populus ex Ægypto: prodeuot obviam infeſti regionis incolæ; unde excitati? Moſes certe populo aſſerebat, Dominum fuiſſe qui corda eorum roboraſſet. Propheta vero eandem hiſtoriam recitans, dicit ipſum vertiſſe corda eorum, ut odio haberent populum ſuum. Jam dicere non poſſis, deſtitutos Domini conſilio, impegiſſe. Nam ſi roborantur & vertuntur, deſtinato inflectuntur ad ipſum. Adhæc, quoties in populi traoſgreſſiones vindicare illi placuit, quomodo opus ſuum in reprobis adimplevit? ut videat efficaciam agendi penes ipſum fuiſſe, illos miniſterium duntaxat præbuiſſe. Quare nunc ſibilo ſuo evocaturum ſe illos minabatur: nunc inſtar ſagenæ ſibi fore ad irretiendos: nunc mallei inſtar, ad feriendos Iſraëlitas. Sed præcipue tum declaravit, quam non ſit otioſus in illis, dum Sennacherib ſecurim vocat, quæ ad ſecandum manu ſua & deſtinata fuit & impacta.

Jeſa. 5:26. & 7:18.
Eze. 12:13. & 17:20.
Jer. 50:23.
Jeſ. 10:15.

Alia confirmatio, ex Auguſtino ſumpta.

Auguſt de prædeſt. ſanct.

Non male alicubi Auguſtinus ita definit, quod ipſi peccant, eorum eſſe: quod peccando hoc vel illud agant, ex virtute Dei eſſe, tenebras prout viſum eſt dividentis.

1 Sam. 16. verſ. 14 & 18:10. & 19:9.

Neceſſaria ſuperioris reſponſionis correctio, ſeu explicatio, quâ ad reprobos inſtigandos Satanæ miniſterium, ex Saulis hiſtoria & Apoſtoli teſtimonio, ſemper intercedere probat: tum ab omni nequitia Deum manere immunem oſtendit.

5. Porro Satanæ miniſterium intereedere ad reprobos inſtigandos, quoties buc atque illuc Dominus providenria ſua eos deſtinat, vel ex uno loco ſatis conſtiterit. Dicitur enim ſæpius in Samuele, quod Saulem aut raptaverit, aut dimiſerit ſpiritus Domini malus, & ſpiritus malus à Domino. Ad Spiritum ſanctum id referre nefas eſt. Spiritus ergo impurus, Dei ſpiritus vocatur, quia ad ejus nutum poteotiamque reſpondet, inſtrumentum magis ipſius in agendo, quam à ſeipſo auctor. Simul addendum eſt, quod à Paulo traditur, divinitus efficaciam erroris ac ſeductionis immitti, ut credant mendacio, qui veritati non paruerunt. Longo tamen diſcrimine ſemper diſtat in eodem opere id, quod agit Dominus, ab eo quod Satan & impii moliuntur. Ille, mala inſtrumenta, quæ ſub manu babet & verſare quolibet poteſt, ſervire juſtitiæ ſuæ facit: hi, prout mali ſunt, nequitiam ingenii pravitate conceptam effectu pariunt. Reliqua, quæ ad vindicandam à calumnia Dei majeſtatem, tum præcidendam impiis tergiverſationem pertinent, in capite De providentia jam expoſita ſunt. Hic enim breviter propoſitum modo fuit, quomodo in reprobo bomine regnet Satan; quomodo in utroque agat Dominus, indicare.

2 Theſſ. 2. verſ. 10.
lib. 1. c. 16. 17. 18.

Quoad res medias, Deus ita operatur in cordibus hominum e ut quaties viam vult facere ſua providentia, voluntates noſtras pro ſuo libitu flectat & verſet.

6. In actionibus autem, quæ nec juſtæ per ſe, nec vitioſæ ſunt, & ad corpoream magis, quam ſpiritualem vitam ſpectant, quam libertatem obtineat homo, etſi ſupra attigimus, nondum tamen explicatum eſt. Nonnulli in talibus liberam ei electionem conceſſerunt, magis ut arbitror, quod de re non magni momenti diſceptare nolebant, quam quod aſſerere pro certo vellent illud ipſum, quod concedunt. Ego, etſi eos, qui nullas eſſe ſibi ad juſtitiam vires tenent, quod in primis ad ſalutem cognitu neceſſarium eſt tenere fateor: non tamen puto banc quoque partem negligendam, ut noverimus ſpecialis eſſe gratiæ Domini, quoties in mentem venit eligere, quod è re noſtra eſt: quoties eo voluntas inclinat: rurſum quoties & mens & animus refugit, quod alioqui erat nociturum.

Nec ita libera eſt in his rebus arbitrii noſtri electio, quin ejus libertati arbitrium Dei dominetur.

Atque huc ſe proiendit divinæ providentiæ vis, non modo, ut rerum eventus ſuccedant, quemadmodum expedire proſpexerit: ſed ut voluntates quoque hominum eodem tendant. Equidem, ſi ſenſu noſtro reputamus rerum externarum adminiſtrationem, nihil dubitabimus eatenus ſub bumano arbitrio ſitas eſſe: verum ſi aures tot teſtimoniis præbemus, quæ Dominum in

his

his quoque regere animos bominum clamant, arbitrium ipſum ſpeciali Dei motioni ſubjicere nos eogent. Quis Ægyptiorum vnluntates Iſraëlitis conciliavit, ut pretinſiſſima quæque vaſa illis commodato darent? Nunquam eo animum ipſi ſuapte ſponte induxiſſent. Ergo eorum animi Domino magis ſuberant, quam à ſeipſis regebantur. Nec ſane Jacob, niſi perſuaſus eſſet, Deum, prout viſum eſt, bominibus induere diverſos affectus, dixiſſet de filin Joſeph (quem profanum eſſe quempiam Ægyptinm putabat) *Det vobis Deus invenire miſericordiam coram boc viro.* Sicuti & tota Eccleſia in Pſalmo fatetur, quum ejus miſereri voluit Deus, manſuefacta ad clementiam ab ipſo fuiſſe crudelium Gentium corda. Rurſum quum exarſit in iram Saul, ut ſe ad bellum accingeret, cauſa exprimitur, quod eum impulerit Spiritus Dei. Quis animum Abſolomi avertit ab amplexandn conſilio Achitophel, quod eſſe vice oraculi ſolebat? Quis flexit Rehabeam, ut juvenili conſilio perſuaderetur? Quis Gentes magnæ priua audaciæ perterruit ad Iſraëlis adventum? Id quidem divinitus fieri confeſſa eſt meretrix Rahab. Quis rurſus metu & formidine dejecit Iſraëlis corda, niſi qui in Lege minatus eſt ſe daturum illis cor pavidum?

Exod. 11. verſ. 3. — *Varia exempla, qua hanc doctrinam confirmans.* — Geneſ. 43. verſ. 14. — Pſ. 106:46. — 1 Sam. 11. verſ. 6. — 2 Sam. 17. verſ. 14. — 1 Reg. 12. verſ. 1n. — Joſ. 2:9. — Levit. 26. verſ. 36.

Objectio. Exempla hæc regulam non conſtituunt.

7. Excipiet quiſpiam, eſſe hæc ſingularia exempla, ad quorum regulam exigi nequaquam univerſa debeant. Ego vero dico, ſufficienter iis probari, quod contendo, Deum, quoties viam facere vult ſuæ providentiæ, etiam in rebus externis hominum vnluntates flectere & verſare, nec ita eſſe liberam ipſorum electionem, quin ejus libertati Dei arbitrium dominetur. Velis nolis, animum tuum à motione Dei potius, quam ab electinnis tuæ libertate pendere, hæc quotidiana experientia reputare coget, quod te in rebus minime perplexis judicium & mens ſæpe deficit: in rebus factu non arduis, animus flacceſcit: rurſum in rebus obſcuriſſimis, expeditum ſtatim offertur conſilium: in magnis & periculoſis, animus omni difficultate ſuperior ſuppetit. Atque ita interpretnr quod ait Solomn, *Ut auris audiat, ut oculus videat, Dominus facit utrumque.* Nnn enim mihi de creatione loqui videtur, ſed peculiari functionis gratia. Quum vero ſcribit, Dominum cor Regis, quaſi rivos aquarum, in manu ſua tenere, & inclinare quocunque voluerit: ſub una profecto ſpecie totum genus comprehendit. Sicujus enim voluntas omni ſubjectione ſoluta eſt, id juris regiæ voluntati maxime competit, quæ in alias quodammodo regnum exercet. quod ſi illa Dei manu flectitur, neque noſtra eximetur ea conditione. Hac de re inſignis extat Auguſtini ſententia, Scriptura, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit nnn ſolum bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas in actus bonos & vitam dirigit æternam: verum illas, quæ conſervant ſeculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas, quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad præſtanda beneficia, vel ad pœnas infligendas, occultiſſimo quidem judicio, ſed juſtiſſimo.

Deut. 28. verſ. 62. — *Reſponſio, experientia omnium hominum teſtimonio fulta.* — Deut. 28. verſ. 62. — *Item perſpicuis Scripturæ teſtimoniis.* — Prov. 20. verſ. 12. — Prov. 21:1. — *Deinde Auguſtini dicto.* — de grat. & lib. arbir. ad Valent. cap. 20.

8. Hic meminerint lectores, ab eventu rerum non eſſe æſtimandam humani arbitrii facultatem, quod imperiti quidam præpoſtere facere ſolent. Ex eo enim pulchre & ingeninſe ſibi videntur humanam voluntatem convincere ſervitutis, quod ne ſummis quidem Monarchis omnia ex ſententia fluant. Atqui facultas iſta, de qua loquimur, intra hominem conſideranda eſt, non ab extraneo ſucceſſu metienda. Siquidem in liberi arbitrii diſputatione non boc quæritur, an homini quæcunque animo deliberarit, perficere & exequi per externa impedimenta liceat: ſed an in re qualibet liberam habeat & judicii electionem, & voluntatis affectionem, quæ utraque, ſi hominibus ſupperat, non minus liberi arbitrii Attilius Regulus erit, anguſtiis dolii aculeati incluſus, quam Auguſtus Cæſar, magnam orbis terrarum partem nutu ſuo gubernans.

Quoniam nonnulli adverſus errorem de libero arbitrio pugnantes ab eventu rerum ſumunt argumentum: id quomodo ſit intelligendum explicat.

CAP. V.

Objectionum refutatio, quæ pro defenſione liberi arbitrii afferri ſolent.

Has objectiones ad 3. præcipua capita refert.

1. *Quatuor abſurda, quæ ab adverſariis adverſus orthodoxam, de humani arbitrii ſervitute, doctrinam, conficta ſunt, proponit ac refellit, ſect.* 1. 2. 3. 4. *&* 5.
2. *Scripturæ teſtimonia, quibus abutuntur, ut errorem confirment, ad quinque claſſes revocata explicat, à ſect.* 6. *ad* 16.
3. *Quinque alia ſingularia loca, pro liberi arbitrii defenſione citata interpretatur, ſect.* 16. 17. 18. *&* 19.

Abſurda ab adverſariis conficta primum refellit; Deinde, Scripturæ teſtimonia explicat.

DE bumani arbitrii ſervitute ſatis dictum videri poſſet, niſi qui falſa libertatis opinione præcipitare ipſum conantur, ſuas ex adverſo quaſdam ratinnes nbtenderent ad ſententiam noſtram nppugnandam. Congerunt primn abſurda nonnulla, quibus eam in odium trahant, tanquam à ſenſu quoque communi abhorrentem: poſtea Scripturæ teſtimoniis cum ea congrediuntur. Utraſque macbinas ordine retundemus. Si peccatum, aiunt, neceſſitatis eſt, jam deſinit eſſe peccatum: ſi voluntarium eſt, ergo vitari poteſt. Hæc Pelagii quoque arma erant ad impetendum Auguſtinum: cujus tamen nomine illos nolumus prægravari, donec de re ipſa ſatisfactum à nobis fuerit. Nego igitut peccatum ideo minus debere imputari, quod neceſſarium eſt: nego rurſum, conſequi, quod inferunt, evitabile eſſe, quia voluntarium ſit. Siquis enim diſceptare cum Deo velit, & hoc prætextu judicium ſubterfugere, quoniam aliter non potuerit: habet paratam reſponſionem, quam alibi attulimus, non ex creatione eſſe, ſed naturæ corruptela: quod homines peccato mancipati nibil velle poſſunt, niſi malum. Unde enim iſta, quam improbi libenter prætexerent, impotentia, niſi quod Adam ultro ſe diaboli tyrannidi addixit? Hinc ergo vitinſitas, cujus vinculis tenemur conſtricti, quod primus homo defecit à ſuo opifice. Hujus defectionis ſi merito rei tenentur univerſi homines, ne ſe neceſſitate excuſatos putent, in qua ipſa luculentiſſimam habent damnationis ſuæ cauſam. Atque hoc ſupra clare explicui: & in diabolo ipſn exemplum propoſui, unde pateret, non minus voluntarie peccare, qui neceſſario peccat: ſicuti rurſum in electis Angelis, quum voluntas indeclinabilis ſit à bono, nnn deſinit tamen voluntas eſſe: quod idem Bernardus quoque ſcite docet, nos ideo miſeriores eſſe, quod voluntaria eſt neceſſitas: quæ tamen nos ſibi addictos, ita conſtringit, nt ſervi ſimus peccati, ſicuti ante retulimus. Secundum ratiocinationis membrum vitioſum eſt: quia à vnluntario perperam tranſilit ad liberum: nos autem ſupra evicimus, voluntarie fieri, quod liberæ tamen electioni non ſubjaceat.

1. Abſurdum a Pelagio mutuatum. — *Reſponſio, per negationem.* — *Confirmatio reſponſionis.* — Ser. 81. in Cantica.

2. Subjiciunt, niſi ex libera arbitrii electione, tum virtutes, tum vitia procedunt, non eſſe conſentaneum, ut homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur. Hoc argumentum, etſi Ariſtotelicum eſt, fateor tamen à Chryſoſtomo & Hieronymn alicubi uſurpatum. Pelagianis tamen fuiſſe familiare, nec ipſe Hieronymus diſſimulat, ac ipſorum

2. Alterum abſurdum ex Ariſtotele & Pelagio deſumptum. — in epiſt. ad Cteſiphon. & Dial. 1,

etiam verba refert: *Quod ſi gratia Dei in nobis agit, illa ergo, non nos, qui non laboramus, coronabitur.*

Reſponſio, per diſtinctionem.

De pœnis reſpondeo, illas jure nobis irrogari, à quibus peccati culpa emanat. Quid enim refert, liberone judicio an ſervili, modo voluntaria cupiditate peccetur: præſertim quum inde peccator arguatur homo, quia eſt ſub ſervitute peccati? Quantum ad juſtitiæ præmia, magna vero abſurditas, ſi fateamur illa ex Dei benignitate potius, quam propriis meritis dependere.

Confirmatio reſponſ. Auguſtini teſtimoniis munita.

Quoties hoc apud Auguſtinum recurrit, *Non merita noſtra Deum coronare, ſed ſua dona: præmia autem vocari, non quæ meritis noſtris debeantur, ſed quæ gratiis jam collatis retribuantur?* Acute ſane hoc animadvertunt, nullum jam ſupereſſe locum meritis, ſi non ex liberi arbitrii fonte prodeunt: ſed quod iſtud tantopere diſſentaneum ducunt, longe aberrant. Neque enim dubitat Auguſtinus paſſim pro neceſſario docere, quod ita nefas confiteri putant: quemadmodum

in Pſal. 31.

ubi dicit, *Merita quorumlibet hominum quæ ſunt? Quando ille non cum mercede debita, ſed cum gratuita gratia venit, omnes peccatores ſolus à peccatis liber ac*

in Pſal. 70.

liberator invenit. Item, *Si reddetur tibi, quod debetur, puniendus es. Quid ergo fit? non tibi reddidit Deus debitam pœnam, ſed donat indebitam gratiam. Si vis*

epiſt. 52.

eſſe alienus à gratia, jacta merita tua. Item, *Nihil es per te: peccata ſunt tua: merita autem, Dei. Supplicium tibi debetur: & quum præmium venerit, ſua dona*

de verb. Apoſt. Serm. 15.

coronabit, non merita tua. Eodem ſenſu alibi, non gratiam ex merito, ſed meritum ex gratia eſſe docet. Ac paulo poſt concludit Deum ſuis donis merita omnia præcedere, ut inde eliciat ſua merita, & prorſus gratis dare, quia nihil invenit, unde ſalvet. Sed quid longiorem catologum texere neceſſe eſt, quum ſubinde tales ſententiæ in ejus ſcriptis recurrant?

Altera confirmatio, Apoſtoli auctoritate ſuffulta.

Atqui melius etiamnum hoc errore liberabit eos Apoſtolus, ſi audiant quo ex principio ſanctorum gloriam deducat. *Quos elegit, eos vocavit: quos vocavit, eos juſtificavit: quos juſtificavit, eos glorificavit.*

Rom. 8:29. 2 Tim. 4:8.

Cur ergo (teſte Apoſtolo) coronantur fideles? Quia domini miſericordia, non ſua induſtria & electi ſunt & vocati & juſtificati. Faceſſat ergo inanis hic timor, nulla fore amplius merita, ſi liberum non ſtabit arbitrium. Stultiſſimum enim eſt ab eo abſterreri ac refugere, quo nos Scriptura vocat:

1 Cor. 4:7.

Si omnia accepiſti, ait, *quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Vides ob idipſum libero arbitrio adimere eum omnia, ne quem meritis locum relinquat. Sed tamen, ut inexhauſta & multiplex eſt Dei beneficentia ac liberalitas, quas gratia in nos confert, quia noſtras facit, perinde ac noſtras virtutes remuneratur.

3. Tertium abſurdum, ex Chryſoſtomi verbis collectum.

Homil. 22. in Geneſ. lib. 4. c. 4.

3. Addunt, quod ex Chryſoſtomo ſumptum videri poteſt, Quod ſi hæc non ſit voluntatis noſtræ facultas, bonum aut malum eligere, aut omnes ejuſdem naturæ participes malos eſſe oporteret, aut omnes bonos. Nec longe abeſt ab eo, quicunque eſt ſcriptor ille operis, De vocatione Gentium, qui ſub Ambroſii nomine circumfertur, dum ratiocinatur, neminem unquam à fide ſuiſſe receſſurum, niſi mutabilitatis conditionem Dei gratia nobis relinqueret. in quo mirum eſt, tantos viros ſibi excidiſſe.

Reſponſio, per negationem.

Quomodo enim Chryſoſtomo in mentem non venit, electionem Dei eſſe, quæ inter homines ſic diſcernat? Nos quidem concedere minime formidamus, quod Paulus magna contentione aſſerit, omnes ſimul pravos eſſe & malitiæ deditos: ſed cum illo ſubjicimus, Dei miſericordia fieri, ne omnes in pravitate permaneant. Ergo, quum pari morbo laboremus naturaliter omnes, ſoli illi convaleſcunt, quibus medicam manum admovere Domino placuit. Alii, quos juſto judicio prætermittit, in ſua putredine tabeſcunt, donec abſumantur. Nec aliunde eſt, quod alii ad finem perſeverant, alii incepto curſu prolabuntur. Siquidem & ipſa perſeverantia donum Dei eſt, quod non omnibus promiſcue largitur, ſed quibus viſum eſt, impertit. Si cauſa differentiæ requiritur, cur alii conſtanter perſeverent, alii inſtabilitate deficiant, non alia nobis conſtat, niſi quod illos ſua virtute roboratos ſuſtinet Dominus, ne pereant: his, quo ſint inconſtantiæ documenta, non eandem virtutem adminiſtrat.

4. Quartum abſurdum, à Pelagianis olim objectum.

4. Inſtant præterea, fruſtra exhortationes ſuſcipi, ſupervacuum eſſe admonitionum uſum, ridiculas eſſe objurgationes, niſi ſit penes peccatorem parere. Similia olim quum objectarentur Auguſtino, libellum De correptione & gratia ſcribere

Reſponſio, per negationem, ex Auguſtini operibus collecta.

coactus fuit. Ubi etſi copioſe illa diluit, ad hanc tamen ſummam adverſarios revocat, *O homo, in præceptione cognoſce, quid debeas agere: in correctione cognoſce, tuo te vitio non habere: oratione cognoſce, unde accipias, quod vis habere.* Ejuſdem fere argumenti eſt liber De ſpiritu & litera, ubi Deum Legis ſuæ præcepta non humanis viribus metiri docet, verum, ubi juſſit quod rectum eſt, gratis dare implendi facultatem ſuis electis. Nec vero hæc res longæ diſceptationis eſt.

Confirmatio reſponſionis, teſtimonio Chriſti illuſtrata.

Primum, non ſoli ſumus in hac cauſa, ſed Chriſtus & omnes Apoſtoli. Videriot iſti quomodo ſuperiores evadant in certamine, quod cum talibus antagoniſtis ſuſcipiunt.

Joan. 15:5.

Chriſtus, qui teſtatur, nos ſine ſe nihil poſſe, an ideo minus reprehendit & caſtigat eos, qui extra ſeipſum male agebant? an ideo minus exhortatur, ut quiſque bonis operibus incumbat?

Et Pauli Apoſtoli.

Paulus quam ſevere in Corinthios invehitur ob charitatis neglectum? Iiſdem tamen demum charitatem à Domino dari flagitat.

Rom. 9:16.

Teſtatur in epiſtola ad Romanos, non eſſe volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei: non deſinit tamen poſtea & admonere & hortari & corripere. Cur non ergo Dominum interpellant, ne ita ludat operam, ab hominibus ea exigendo, quæ ſolus ipſe dare poteſt, ea caſtigando, quæ gratiæ ejus defectu admittuntur? Paulum cur non admonent, ut parcat iis, quorum in manu non eſt velle aut currere, niſi præeunte Dei miſericordia, quæ nunc ipſos deſtituit? Quaſi vero non optima doctrinæ ſuæ ratio Domino conſtet, quæ in promptu ſe offert religioſius quærentibus.

Altera reſponſio, qua uſum exhortationum demonſtrat.

Doctrina certe & exhortatio & objurgatio quantum per ſe efficiant ad animum immutandum indicat Paulus, dum ſcribit, neque qui plantat eſſe aliquid, neque qui rigat: ſed Dominum, qui

1 Cor. 3:7.

incrementum dat, ſolum efficaciter agere. Sic Moſen ſevere videmus Legis præcepta ſancire, & Prophetas acriter inſtare, & minari tranſgreſſoribus: quum tamen fateantur, tunc ſapere demum homines, ubi cor illis datur ad intelligendum: proprium Dei opus eſſe, corda circumcidere, & pro lapideis dare carnea: Legem ſuam inſcribere viſceribus: denique animas innovando, facere ut efficax ſit doctrina.

Tertia reſponſio, quæ ſecundam fuſius explicat, impiorum reſpectu.

5. Quorſum ergo exhortationes? nempe, ſi ab impiis obſtinato corde ſpernuntur, in teſtimonium illis futuræ ſunt, ubi ad Domini tribunal ventum fuerit: quin etiam jam nunc illorum conſcientiam verberant ac feriunt: quia, utcunque irrideat protervîſſimus quiſque, improbare tamen non poteſt. Sed quid faciat miſer homuncio, inquies, quando cordis mollities, quæ ad obedientiam neceſſaria erat, illi denegatur? Imo quid tergiverſatur, quum duritiem nulli, niſi ſibiipſi imputare queat? Itaque impii libenter eas eludere parati, ſi liceat, velint, nolint, earum virtute proſternuntur.

Piorum reſpectu.

Præcipua autem utilitas erga fideles conſideranda eſt: in quibus, ut omnia per Spiritum ſuum agit Dominus, ita verbi ſui inſtrumentum non prætermittit: & illud ipſum non ſine efficacia uſurpat. Stet ergo, quod verum eſt, totam piorum virtutem in Dei gratia ſitam eſſe, ſecundum illud Prophetæ dictum, *Dabo illis cor novum, ut in illis ambulent.*

Ezech. 11. v. 19, 20.

Atqui

Inſtantia ad priores reſponſiones.

Atqui excipies, Cur jam admonentur officii ſui, ac non potius ſinuntur Spiritus directioni? cur hortationibus ſollicitantur, quando feſtinare magis nequeunt, quam fert Spiritus incitatio? cur caſtigantur, ſiquando à via deflexerunt, quando neceſſaria carnis infirmitate lapſi ſunt?

Solutio.

O homo, quis es, qui legem imponas Deo? Si ad recipiendam hanc ipſam gratiam, qua fit ut hortationi pareatur, per hortationem vult nos præparari, quid habes quod in ea œconomia mordeas vel ſugilles? Si nihil exhortationes reprehenſioneſque apud pios aliud proficerent, niſi ut peccati redarguerent, eſſent eo ipſo reputandæ non prorſus inutiles. Nunc, quum agente intus Spiritu, ad inflammandum boni deſiderium, ad diſcutiendum torporem, ad eximendam iniquitatis voluptatem & venenatam dulcedinem; contra autem, ad odium tædiumque generandum plurimum valeant: quis audeat ſuperfluas cavillari?

Summa ſuperiorum reſponſionum.

Si-quis clariorem deſiderat reſponſionem, ſic habeat, Bifariam Deus in electis ſuis operatur: intus, per Spiritum: extra, per verbum. Spiritu, mentes illuminando, corda in juſtitiæ amorem cultumqua formando, novam eos creaturam facit. Verbo, ad eandem renovatinnem expetendam, quærendam, aſſequendam excitat. Utroque manus ſuæ efficaciam pro diſpenſationis ſuæ modo exerit. Verbum idem dum reprobis deſtinat, etſi non in eorum correctionem, in alium tamen uſum valere facit: quo & in præſens conſcientiæ teſtimonio urgeantur, & in judicii diem magis reddantur inexcuſabiles. Sic Chriſtus, quamvis pronunciet neminem ad ſe venire, niſi quem Pater traxerit, & electos venire poſtquam à Patre audierint & didicerint, non tamen ipſe doctoris munus negligit, ſed voce ſua ſedulo invitat, quos intus à Spiritu ſancto doceri neceſſe eſt, ut aliquid proficiant. Apud reprobos admonet Paulus non otioſam eſſe doctrinam, quia illis odor eſt mortis in mortem, ſuavis tamen odor Deo.

Joan. 6. v. 44. & 45.

1 Cor. 2. verſ. 16.

Prima claſſis argumentorum, quæ Neopelagiani ex Scriptura colligunt, pro liberi arbitrii defenſione.

6. In congerendis Scripturæ teſtimnniis valde ſunt laborioſi: idque ſedulo faciunt, ut quoniam pondere nequeunt, numero ſaltem nos adobruant. Sed quemadmodum in præliis, ubi ad manus ventum eſt, imbellis multitudn, quantumlibet pompæ & nſtentationis habeat, in paucis ictibus protinus funditur ac fugatur: ita nobis facillimnm erit illos cum ſua turba disjicere. Quia enim in pauciſſimos ſcopos coëunt loci omnes, quibus adverſum nos abutuntur, ubi in ſuas claſſes diſtributi fuerint, compluribus una reſponſione ſatisfiet: ſingulis diſſolvendis incumbere neceſſe non erit.

1. Lex à nobis integritatem exigit: ergo aut Deus nobis illudit, aut quæ ſunt in noſtra poteſtate requirit.

Præcipuum robur locant in præceptis: quæ putant facultatibus noſtris ſic attemperata eſſe, ut quicquid ab illis exigi probatum ſit, bis præſtari poſſe neceſſario conſequatur. Ergo ſingula percurrunt, & ex illis virium noſtrarum modum metiuntur. Aut enim (inquiunt) illudit nobis Deus, quum ſanctitatem, pietatem, obedientiam, caſtitatem, dilectionem, manſuetudinem imperat; quum immunditiam, idololatriam, impudicitiam, iram, rapinam, ſuperbiam, & ſimilia interdicit: aut ea tantum requirit, quæ ſunt in noſtra poteſtate.

Reſponſio, per diſtinctionem triplicium præceptorum: de quibus primum in genere diſſeris hac & ſequenti ſect.

Porro, omnia fere, quæ accumulant præcepta, in tres ſpecies diſtinguere licet. Alia primam ad Deum cnnverſionem exigunt: alia ſimpliciter de Legis obſervatione loquuntur: alia perſeverare in recepta Dei gratia jubent. De omnibus in genere diſſeramus, tum deſcendemus ad formas ipſas. Hominum facultates ad divinæ Legis præcepta extendere, vulgare id quidem jamdiu eſſe cœpit, & nonnullam ſpeciem habet: ſed à rudiſſima Legis ignorantia prodiit. Nam, qui pro ingenti piaculo ducunt, ſi dicatur Legis nbſervatiooem eſſe impoſſibilem, validiſſimo ſcilicet argumento inſiſtunt, fruſtra alias datam eſſe Legem. Perinde enim loquuntur, acſi nuſquam Paulus de Lege loquutus eſſet. Quid enim, quæſo, iſta ſibi vnlunt, Legem propter tranſgreſſiones poſitam eſſe, per Legem eſſe cognitionem peccati, Legem peccatum efficere, ſubingreſſam eſſe ut abundaret delictum: an ad noſtras vires limitandam fuiſſe, ne fruſtra daretur? Quin potius lnnge ſupra nos poſitam, quo impotentiam noſtram convinceret. Certe ex ejuſdem definitione, finis Legis ac complementum eſt charitas. Atqui, dum ea Theſſalonicenſium animos repleri optat, ſatis fatetur ſine profectu in auribus noſtris ſonare Legem, niſi totam ejus ſummam cordibus noſtris Deus inſpiret.

Rom. 3: 20.
ibid. 7: 7.
Gal. 3: 11.
Rom. 5: 20.

1 Tim. 1. verſ. 5.

1 Theſſ. 3. verſ. 12.

Argumentum autem illud de Lege in genere nihil juvat arbitrii liberi patronos.

7. Equidem, ſi Scriptura nihil aliud doceret, quam Legem eſſe vitæ regulam, ad quam ſtudia noſtra componere debeamus, ego quoque citra moram pedibus in eorum ſantentiam deſcenderem: ſed quum multiplicem Legis uſum diligenter ac perſpicue nobis explicet, ex illa potius interpretatione, quid Lex in homine valeat conſiderare cnnvenit. Quantum præſentis cauſæ refert, ſimulac quid agendum ſit nobis præſcripſit, obediendi virtutem à Dei bonitate eſſe docet: ideoque ad preces invitat, quibus eam nobis dari poſtulemus.

Promiſſiones enim præceptis connexæ, nos in Dei gratia ſalutem invenire probant.

Si ſolum extaret imperium, nulla promiſſio, tentandæ eſſent vires an ad reſpondendum imperio ſufficerent: ſed quum ſimul promiſſiones connectantur, quæ in divinæ gratiæ auxilin non modo ſubſidium, ſed totam virtutem nobis eſſe ſitam clamant, illæ ſatis ſuperque teſtantur, nos prorſus ineptos, nedum impares obſervandæ Legi eſſe. Quare, ne amplius iſta virium noſtrarum cum Legis præceptis proportio urgeatur, acſi Dominus, quam in Lege daturus erat juſtitiæ regulam, ad modulum noſtræ imbecillitatis exegiſſet, magis ex promiſſionibus reputandum, quam ſimus ipſi à nobis imparati, quod omni in parte tantopere ejus gratia indigemus.

Objectio. Lex nonniſi hominibus data eſt. Reſponſio, Auguſtini teſtimoniis confirmata.

Sed cui (aiunt) veriſimile fiet, Dominum truncis ac lapidibus Legem deſtinaſſe? Neque id quiſpiam perſuadere molitur. Non enim, aut impii ſaxa ſunt aut ſtipites, dum adverſari Deo ſuas libidines per Legem edocti, ſuo ipſorum teſtimonin rei fiunt: aut pii, dum ſuæ impotentiæ admoniti, ad gratiam confugiunt. Quo pertinent iſtæ ſolennes Auguſtini ſententiæ, *Jubet Deus quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab ipſo petere debeamus. Magna eſt præceptorum utilitas, ſi libero arbitrio tantum detur, ut gratia Dei amplius honoretur. Fides impetrat, quod Lex imperat: imo adeo Lex imperat, ut impetret fides, quod imperatum erat per Legem: imo fidem ipſam exigit à nobis Deus, & non invenit quod exigat, niſi dederit quod inveniat.* Item, *Det Deus quod jubet, & jubeat quod velit.*

in Ench. ad Laurent.
de gratia & lib. arbit. cap. 16.
Homil. 29. in Joan.
epiſt. 24.

Specialis conſideratio triplicium præceptorum, nihil juvat liberi arbitrii patronos.

8. Id, recenſendis tribus præceptorum formis, quas ſuperius attigimus, clarius cernetur. Jnbet ſæpius Dominus tum in Lege, tum in Pnophetis, ut ad ſe convertamur. At ſuccinit ex adverſo Propheta, *Converte me Domine, & convertar: poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam,* &c. Jubet, ut præputia cordis noſtri circumcidamus. At per Moſen denunciat, iſtam circumciſionem manu ſua fieri. Cordis novitatem paſſim requirit: ſed alibi à ſe dari teſtatur. *Quod autem promittit Deus,* ut Auguſtinus ait, *non facimus ipſi per arbitrium vel naturam: ſed facit ipſe per gratiam.* Atque hæc obſervatio eſt, quam idem ipſe inter regulas Ticonii quinto loco enumerat, ut bene diſtinguamus inter Legem & promiſſiones, vel inter mandata & gratiam. Eant nunc, qui ex præceptis colligunt ecquid homo valeat ad obedientiam, ut Dei gratiam perimant, per quam præcepta ipſa adimplentur.

Joel. 2: 12.
Jer. 31: 18.
Deut. 10. verſ. 16.
ibid. 30: 6.
Jer. 4: 4.
Eze. 36: 26.
lib. de doctrin. Chriſtiana 3.

1. Neque præcepta, quæ converſionem ad Deum exigunt.

2. Neque præcepta, quæ ſimpliciter de Legis obſervatione loquuntur.

Secundi generis præcepta ſimplicia ſunt, quibus Deum colere, ejus voluntati ſervire & adhærere, ejus placita obſervare, ejus doctrinam ſequi jubemur. Sed innumeri ſunt loci, qui teſtificentur illius eſſe dnnum, quicquid juſtitiæ, ſanctitatis, pietatis, puritatis haberi poteſt. Ex [illegible]tio genere erat illa, quæ à Luca refertur

Act. 13: 43.

3. Neque

præcepta, quæ in Dei gratia nos perſeverare jubent.

refertur Pauli & Barnabæ exhortatio ad fideles, ut in gratia Dei permanerent. Sed unde illa conſtantiæ virtus petenda ſit, alio loco idem Paulus tradit. *Quod ſupereſt* (inquit) *fratres, ſitis fortes per Dominum.* Alibi vetat, ne contriſtemus Spiritum Dei,

Eph. 6: 10. ibid. 4: 30.

quo obſignati ſumus in diem redemptionis noſtræ. Sed quod illic exigit, quia præſtari ab hominibus non poterat, Theſſalonicenſibus à Domino imprecatur, nempe ut dignos habeat eos vocatione ſua ſancta, & impleat bonum omne propoſitum bonitatis ſuæ, opuſque fidei in illis. Eodem modo in ſecunda ad Corinthios epiſtola, de eleemoſynis tractans, bonam & piam eorum voluntatem ſæpius commendat: paulo poſt tamen gratias agit Deo, qui poſuit in corde Titi, ut exhortationem ſuſciperet. Si ne oris quidem officium ad alios hortandos præſtare Titus potuit, niſi quatenus ſuggeſſit Deus, quomodo alii ad agendum voluntarii fuiſſent, niſi Deo ipſo corda eorum dirigente?

2 Theſſ. 8. verſ. 11.

2 Cor. 11. verſ. 6.

Inſtantia adverſus ſuperiorem conſiderationem.

9. Cavillantur hæc omnia teſtimonia aſtutiores: quia nihil impediat, quominus ipſi conferamus noſtras vires, & infirmis conatibus Deus ſuppetias ferat. Afferunt etiam locos ex Prophetis, ubi converſionis noſtræ effectus inter Deum & nos videtur dimidiari. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Quales nobis ſuppetias Dominus ferat, ſupra demonſtratum eſt: neque hic opus eſt repetere.

Zach. 1: 3.

ſect. 7. 8.

Reſponſio.

Unum hoc duntaxat mihi concedi volo, fruſtra implendæ Legis facultatem in nobis requiri, quia ejus obedientiam nobis Dominus imperet: quando conſtat omnibus Dei præceptis adimplendis & neceſſariam eſſe gratiam Legislatoris, & nobis promiſſam; quia inde patet, ſaltem plus à nobis exigi, quam ſimus ſolvendo. Nec vero ullis cavillis dilui poteſt illud Jeremiæ, irritum fuiſſe pactum Dei, percuſſum cum veteri populo, quia literale tantum erat; non aliter autem ſanciri, quam ubi accedit Spiritus, qui ad obediendum corda format. Neque eorum errori aſtipulatur ſententia illa, *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Siquidem illic Dei converſio notatur, non qua cor noſtrum ad reſipiſcentiam renovat, ſed qua ſe benevolum ac propitium, rerum proſperitate teſtatur: quemadmodum rebus adverſis offenſionem interdum indicat. Quoniam igitur multis miſeriarum & calamitatum formis vexatus populus, averſum à ſe Deum querebatur: reſpondet, non defuturam illis ſuam benignitatem, ſi ad vitæ rectitudinem, ad ſeipſum, qui eſt juſtitiæ exemplar, redeant. Perperam ergo detorquetur locus, dum eo trahitur, ut opus converſionis videatur inter Deum & homines partiri. Hæc eo brevius perſtrinximus, quod huic argumento proprius in Legis tractatione locus erit.

Confirmatio reſponſionis ex Jeremia.

Jer. 31: 32.

Alia inſtantia ſolutio.

vid. cap. 2. ſect. 27. c. 7. & 8. ſect. 2. 3.

Secunda claſſis argumentorum pro libero arbitrio, ex Dei promiſſionibus.

10. Secundus argumentorum ordo ſuperiori finitimus eſt. Allegant promiſſiones, quibus Dominus cum voluntate noſtra paciſcitur: quales ſunt, *Quærite bonitatem & non malitiam, & vivetis. Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis: quod ſi nolueritis, gladius devorabit vos: quia os Domini loquutum eſt.* Item, *Si abſtuleris abominationes tuas à facie mea, non expelleris: ſi audieris vocem Jehovæ Dei tui, & facias & cuſtodias omnia mandata ejus, faciet te Dominus excelſiorem cunctis gentibus terræ.* Et reliquæ ſimiles. Importune & per ludibrium, quæ Dominus in promiſſionibus offert beneficia, voluntati noſtræ delegari putant, niſi noſtrum ſit illa vel ſtabilire vel irrita facere. Et ſane rem iſtam facundis querimoniis amplificare promptum eſt: nos crudeliter à Domino illudi, quum benignitatem ſuam à voluntate noſtra pendere denunciat, ſi voluntas ipſa noſtri juris non eſt. Egregiam vero fore hanc liberalitatem Dei, ſi beneficia ſua ita nobis exponat, ne fruendi ulla ſit facultas: miram promiſſionum certitudinem, quæ ut nunquam impleantur, à re impoſſibili dependeant. De promiſſionibus ejuſmodi, quæ conditionem habent appoſitam, alibi dicemus: ut palam futurum ſit, in earum impoſſibili complemento nihil eſſe abſurdi.

Amos 5. verſ. 14. Jer. 4: 1. Jeſa. 1. Deut. 28. verſ. 1. Lev. 26: 3.

2. Irrita ſunt Dei promiſſiones, quibus beneficia nobis eum quærentibus pollicetur, ſi noſtrum non ſit illa ſtabilire vel irrita facere.

Reſponſio, qua uſum harum promiſſionum erga pios & impios oſtendit, & repugnantiam ab adverſariis confictam conciliat.

Quantum ad hunc locum attinet, nego Deum inhumaniter illudere nobis, dum nos ad beneficia ſua demerenda invitat, quos novit eſſe prorſus impotentes. Siquidem, quum fidelibus juxta & impiis offerantur promiſſiones, ſuum apud utroſque uſum habent. Quemadmodum præceptis impiorum conſcientias pungit Deus, ne ſuaviter nimium in peccatis delicientur, nulla judiciorum ſuorum memoria: ita in promiſſionibus quodammodo eos atteſtatur, quam indigni ſint ſua benignitate. Quis enim æquiſſimum & convenientiſſimum eſſe neget, Dominum iis benefacere, à quibus colitur: majeſtatis autem ſuæ contemptores pro ſua ſeveritate ulciſci? Rite ergo & ordine agit Deus, dum impiis peccati compedibus devinctis, hanc legem in promiſſionibus dicit, tum demum ſua beneficia percepturos, ſi à pravitate diſceſſerint: vel ob hoc ſolum, ut intelligant ſe ab iis merito excludi, quæ veri Dei cultoribus debentur. Rurſum, quia modis omnibus ad implorandam ſuam gratiam fideles exſtimulare ſtudet, nequaquam erit abſonum, ſi quod illum multo cum fructu agere præceptis erga eos oſtendimus, id quoque promiſſionibus tentet. De voluntate Dei præceptis edocti, miſeriæ noſtræ admonemur, qui ſic ab illa toto pectore diſſidemus: ſimul inſtigamur ad invocandum ejus Spiritum, per quem in rectam viam dirigamur: ſed quia præceptis ignavia noſtra non ſatis acuitur, ſubduntur promiſſiones, quæ dulcedine quadam ad eorum amorem nos alliciant. Quo autem majore tenemur juſtitiæ deſiderio, eo ſimus ad quærendam Dei gratiam ferventiores. En quomodo illis obteſtationibus, *Si volueritis, Si audieritis*, neque volendi audiendive liberam facultatem nobis Dominus tribuat, neque tamen ob impotentiam nos ludibrio habeat.

Tertia claſſis, ex Dei exprobrationibus collecta.

11. Habet & tertia claſſis multam cum illis affinitatem. Locos enim producunt, quibus ingrato populo Deus exprobrat, per eum duntaxat ſtetiſſe, quominus ab indulgentia ſua omne genus bonorum receperit. Cujus generis ſunt iſti, *Amalec & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis: eo quod nolueritis acqueſcere Domino. Quia vocavi vos, & non reſpondiſtis, faciam huic domui, ſicut feci Silo.* Item, *Hæc gens non audivit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam: ideo projecta eſt à Domino.* Item, *Quia induraſtis cor veſtrum, & noluiſtis obedire Domino, hæc omnia mala evenerunt vobis.* Tales exprobrationes, inquiunt, quomodo adverſus eos congruerent, quibus extemplo reſpondere liceat, Nobis vero proſperitas cordi erat, adverſa timebamus: quod autem illius adipiſcendæ, horum vitandorum cauſa, Domino non paruimus, nec vocem ejus auſcultavimus, eo factum eſt, quia peccati dominationi obnoxiis liberum non fuit. Fruſtra igitur mala nobis exprobrantur, quæ effugere non fuit noſtræ poteſtatis.

Num. 14. verſ. 43.

Jer. 7: 13.

verſ. 28.

Jer. 32. verſ. 23.

3. Fruſtra nobis mala exprobrantur, quæ effugere noſtra non fuit poteſtatis.

Reſponſio. Quum peccatores conſcientiæ ſenſu damnati teneantur: merito exprobrationes ex Dei ore audiunt.

Sed omiſſo neceſſitatis obtentu, in quo infirmum eſt ac futile patrocinium, rogo poſſintne culpam deprecari. Nam ſi culpæ alicujus tenentur convicti: non abs re Dominus exprobrat, eorum perverſitate factum eſſe, quominus ſuæ clementiæ fructum ſentirent. Reſpondeant ergo, poſſintne inficiari, cauſam contumaciæ pravam ſuam voluntatem fuiſſe. Si mali fontem intra ſe reperiunt, quid veſtigandis extraneis cauſis inhiant, ne ſibiipſi fuiſſe exitii auctores videantur? Quod, ſi verum eſt, ſuo non alieno vitio & divinis beneficiis privari peccatores, & ultionibus caſtigari, magna ratio eſt, cur iſtas exprobrationes ex ore Dei audiant: ut ſi obſtinate in vitiis pergant, diſcant in calamitatibus ſuam potius nequitiam accuſare & deteſtari, quam Deum iniquæ ſævitiæ inſimulare: ſi docilitatem non exuerunt, peccatorum

tædio

tædio capti (quorum merito miſeros ſe ac perditos vident) io viam redeant, ac idipſum ſeria confeſſione agnoſcant, quod Dominus objurgando commemorat. In quem uſum illas, quæ citantur, Prophetarum objurgationes apud pios profeciſſe, ex ſolenni Danielis oratione conſtat, quæ babetur capite 9. Prioris autem uſus exemplum intuemur in Judæis, quibus ſuarum miſeriarum cauſam enarrare Jeremias jubetur: quum tamen non aliter caſurum eſſet, quam Dominus prædixerat. *Loqueris ad eos omnia verba hæc, & non audient te: vocabis eos, & non reſpondebunt tibi.* Quorſum igitur canebatur ſurdis? ut nolentes ac inviti intelligerent verum eſſe, quod audiebant: nefarium eſſe ſacrilegium, ſi malorum ſuorum culpam, quæ in ipſis reſidebat, Deo tranſcriberent. Paucis his ſolutiunibus expedire te facillime poſſis ab immenſa teſtimoniorum congerie, quam ad erigendum liberi arbitrii ſimulachrum boſtes gratiæ Dei ſtruere ſolent, tam ex præceptis, quam ex obteſtationibus adverſus Legis tranſgreſſores. Probroſe de Judæis in Pſalmo refertur, *Generatio prava, quæ non direxit cor ſuum.* alio etiam Pſalmo hortatur Propbeta ſuæ ætatis bomines, ne obdurent corda ſua: nempe, quia omnis contumaciæ culpa in bominum pravitate hæret: ſed ſtulte inde colligitur, cor in utramque partem eſſe flexibile, cujus præparatio à Deo eſt. Dicit Propheta, *Inclinavi cor meum ad obſervanda præcepta tua:* nempe, quia libenter & hilari animi propenſiooe Deo ſe addixerat: neque tamen ſe inclinationis auctorem eſſe jactat, quam in eodem Pſalmo fatetur Dei eſſe donum. Itaque tenenda Pauli admonitio, dum fideles jubet operari ſalutem ſuam cum timore & tremore, quia Deus eſt, qui operatur & velle & perficere. Agendi quidem partes illis aſſignat, ne indulgeant carnis torpori: ſed metum & ſollicitudinem præcipiens, ſic eos bumiliat, ut meminerint boc ipſum quod agere jubentur, proprium eſſe Dei opus. quo diſerte exprimit, paſſive (ut ita loquar) agere fideles, quatenus è cælo ſuggeritur facultas, ut nibil ſibi prorſus arrogent. Proinde dum nos hortatur Petrus, ut ſubminiſtremus in fide virtutem, non concedit nobis ſecundas partes, quaſi ſeparatim quicquam agamus, ſed tantum carnis pigritiem expergefacit, qua plerumque ſuffocatur ipſa fides. Eodem ſpectat illud Pauli, *Spiritum ne extinguatis:* quia ſubinde obrepit fidelibus ignavia, niſi corrigatur. Siquis tamen inde inferat, in eorum eſſe arbitrio fovere oblatam lucem, facile refutabitur ejus inſcitia, quia hæc ipſa ſedulitas quam requirit Paulus, nonniſi à Deo eſt. Nam & ſæpe jubemur ab omni inquinamento nos purgare, quum Spiritus ſibi uni conſecrandi muous vindicet. Denique per conceſſionem ad nos transferri quod in Deum competit, ex Joannis verbis palam eſt: *Quiſquis ex Deo eſt, ſervat ſeipſum.* Vocem banc arripiunt liberi arbitrii præcones, quaſi partim Dei virtute, partim noſtra ſervemur: quaſi vero hanc ipſam cuſtodiam, cujus Apoſtolus meminit, non habeamus è cælo. Unde & Patrem rogat Chriſtus, ut nos à malo ſervet: & ſcimus pios, dum adverſus Satanam militant, non aliis quam Dei armis victoriam conſequi. Itaque Petrus, ubi animas purificare juſſit in obedientia veritatis, mox correctionis vice addit, *per Spiritum.* Denique quam nihil ſint omnes humanæ vires in certamine ſpirituali, breviter oſtendit Joannes, quum tradit, non poſſe peccare, qui ex Deo geniti ſunt, quia ſemen Dei in illis manet: ac rationem alibi reddit, quod fides noſtra ſit victoria, quæ vincit mundum.

Præterea duplex uſus harum exprobrationum eſt conſiderandus. — Jer. 7: 27. — *Variorum Scripturæ locorum ſolutio ex prioribus reſponſionibus colligenda.* — Pſal. 78: 8. — Pſal. 95: 8. — Phil. 2: 12. — 2 Petr. 1: 5. — 1 Theſ. 5. verſ. 19. — 2 Cor. 7: 1. — 1 Joan. 5. verſ. 18. — Joan. 17. verſ. 15. — 1 Petr. 1. verſ. 22. — 1 Joan. 3. verſ. 9. cap. 5. verſ. 4.

12. Citatur tamen de Lege Moſis teſtimonium, quod ſolutioni noſtræ valde adverſari videtur. Nam ille populum poſt Legem promulgatam, bunc in modum conteſtatur, *Mandatum boc, quod præcipio tibi bodie, non eſt occultum, neque procul poſitum, neque in cælo ſitum, ſed juxta te eſt in ore tuo & in corde tuo, ut facias illud.* Hæc certe, ſi de nudis præceptis dicta intelligantur, fateor ad cauſam præſentem habere non parum momenti. Nam etſi eludere levis operæ fuerit, quod hic non de obſervationis, ſed cognitionis facilitate & proclivitate agatur, oonnullum tamen ſcrupulum ſic quoque forſan relinquerent. Verum omnem nobis dubitationem eximit Apoſtolus, non ambiguus interpres, qui de Euangelii doctrina Moſen bic loquutum eſſe affirmat. Quod ſiquis refractarius contendat, violenter à Paulo detorta fuiſſe, ut ad Euangelium trahi poſſent: quanquam impietate non carebit ejus audacia, eſt tamen quo præter Apoſtoli auctoritatem redarguatur. Nam, ſi de ſolis præceptis loquebatur Moſes, vaniſſima confidentia populum inflabat. Quid enim aliud quam ſe præcipitaſſent, ſi Legis obſervatiooem aggreſſi forent ſuis viribus tanquam ſibi non difficilem? Ubi ergo Legis obſervandæ iſta tam obvia facilitas, quando nullus niſi per exitiale præcipitium patet acceſſus? Proinde nihil certius eſt, quam Moſen his verbis miſericordiæ fœdus comprehendiſſe, quod una cum Legis exactione promulgaverat. Nam & paucis ante verſibus docuerat, circumcidi manu Dei oportere corda noſtra, ut ipſum diligamus. Ergo banc, de qua mox loquitur, facilitatem, noo in hominis virtute, ſed in ope ac præſidio Spiritus ſancti poſuit, qui opus ſuum potenter in noſtra infirmitate peragit. Quanquam nec de præceptis ſimpliciter intelligendus eſt locus, ſed magis de promiſſionibus Euangelicis, quæ adeo comparandæ juſtitiæ facultatem in nobis non ſtabiliunt, ut eam prorſus evertant. Id reputans Paulus, non ſub dura illa, ardua & impoſſibili conditione ſalutem in Euangelio proponi, qua nobiſcum Lex agit (nempe, ut ipſam ii demum aſſequantur, qui mandata omnia impleverint) ſed facili, expedita, & expoſiti acceſſus boc teſtimonio confirmat. Nihil ergo boc teſtimonium ad vindicandam humano arbitrio libertatem.

Inſtantia ad ſuperiorem ſolutionem ex Moſe deſumpta, diluitur, Apoſtoli auctoritate, & firma demonſtratione confirmata. — Deut. 30. verſ. 11. — Rom. 10. verſ. 8. — Deut. 30. verſ. 8.

13. Objectari ſolent & alii quidam loci, quibus oſtenditur Deum interdum, reducto gratiæ ſuæ ſubſidio, explorare homines, & expectare quorſum convertant ſua ſtudia: qualiter eſt apud Oſeam, *Vadam ad locum meum, donec ponant in corde ſuo, & quærant faciem meam.* Ridiculum (aiunt) erat, ſi conſideraret Dominus, an Iſraël faciem ſuam quæſiturus eſſet, niſi flexibiles fuiſſent animi, qui utrovis ſuopte ingenio inclinare poſſent. Quaſi vero iſtud non ſit in Propbetis uſitatiſſimum Deo, ſpeciem aſpernantis ac projicientis populum præ ſe ferre, donec vitam in melius emeodarit. Sed quid tandem ex talibus minis adverſarii elicient? Si volunt, populum à Deo derelictum converſionem à ſeipſo poſſe meditari, tota Scriptura reclamante id facient: ſi neceſſariam Dei gratiam ad converſionem fatentur, quid nobiſcum litigant? At neceſſariam ita concedunt, nt ſuam bomini velint ſervatam facultatem. Unde id probant? certe non ex loco illo, neque ſimilibus: aliud eſt enim ſecedere ab homine, & reſpicere quid ſibi permiſſus relictuſque agat: aliud, vires ejus aliquantulas pro modo imbecillitatis adjuvare. Quid ergo, dicet quiſpiam, inſinuant iſtæ formulæ? Reſpondeo, perinde valere, acſi ita loqueretur Deus, Quandoquidem monendo, bortando, increpaodo nibil apud contumacem hunc populum proficitur, ſubducam me pauliſper, & eum affligari tacitus ſinam. Videbo an aliquando eum poſt longas calamitates capiat mei recordatio, ut quærat faciem meam. Abſcedere autem Dominum procul, ſignat prophetiam ſubmovere. Speculari ecquid facturi ſint homines, ſignificat tacitum & quaſi ſe diſſimulantem afflictionibus variis eos ad tempus exercere. Utrumque facit quo oos magis bumi-

Quarta claſſis, ex Dei exploratione & expectatione. — Oſe. 5: 14. — *4. Deus expectat an peccatores reſipiſcant nec ne: ergo utrumvis poſſunt.* — *Reſponſio, per dilemma.* — *Oſeæ locus explicatus.*

bumiliet. citius enim contunderemur rerum adverſarum flagellis, quam corrigeremur, niſi Spiritu ſuo nos ad eam docilitatem componeret. Porro, ubi Dominus infracta noſtra pervicacia offenſus & tanquam fatigatus, nos pauliſper omittit (ſubmoto ſcil. verbo ſuo, in quo præſentiam quandam ſui exhibere ſolet) & experimentum capit, quid ſe abſente facturi ſimus: inde falſo colligitur, aliquas eſſe liberi arbitrii vires, quas contempletur & exploret: quando oon in alium id finem facit, quam ut ad recognoſcendam noſtram οὐδένειαν nos adigat.

Quinta claſſis argumentorum pro libero arbitrio, ex perpetua loquendi ratione.

5. Bona & mala opera noſtra dicuntur: ergo penes nos eſt utraque facere.

Reſponſio, per expoſitionem, qua neutram loquendi rationem pro liberi arbitrii patronis facere oſtendit.

14. Pugnant etiam ex perpetua loquendi ratione, quæ tum in Scripturis, tum in hominum ſermonibus obſervatur. ſi quidem bona opera nuncupantur noſtra, & quod ſanctum placitumque Domino eſt, non minus facere, quam peccata perpetrare dicimur. Quod ſi peccata jure nobis imputantur, veluti à nobis profecta: certe & in juſtitiis aliquid nobis aſſignandum eadem ratione erit. Neque enim conſentaneum eſſet rationi, ut ea diceremur facere quibus agendis proprio motu inhabiles, inſtar lapidum à Deo moveremur. Ut ergo Dei gratiæ primas demus, noſtram tamen operam vel ſecundarias tenere partes, illæ loquutiones indicant. Si unum illud urgeretur, bona opera noſtra nuocupari: ego viciſſim objicerem, panem nuncupari noſtrum, quem nobis dari à Deo poſcimus. Quid ex poſſeſſionis titulo percipient, quam Dei benignitate ac gratuito munere noſtrum fieri, quod minime alias nobis debetur? Ergo aut eandem in oratione Dominica rideant abſurditatem: aut ne pro ridiculo habeant, quod noſtra vocantur bona opera, in quibus nihil habemus proprium, niſi ex Dei largitate.

Inſtantia à ſanctis.

Atqui iſtud aliquanto eſt validius, quod nos ipſos Deum colere, ſervare juſtitiam, obedire Legi, bonis operibus ſtudere, Scriptura ſæpe affirmat. Hæc quum ſint propria mentis & voluotatis officia, quomodo conveniret ad Spiritum hæc referri, & ſimul nobis tribui, niſi quædam eſſet ſtudii noſtri cum divina virtute communicatio?

Reſponſio.

His tricis oullo labore nos exolvemus, ſi rite modum reputemus, quo in ſanctis agit Spiritus Domini. Extranea eſt illa ſimilitudo, qua nos invidioſe gravant. quis enim ita deſipit, ut hominis motionem à jactu lapidis nihil differre autumet? Neque vero quicquam ſimile conſequitur ex noſtra doctrina. In naturales hominis facultates referimus, approbare, reſpuere: velle, nolle: eniti, reſiſtere: nempe approbare vanitatem, reſpuere ſolidum bonum: velle malum, nolle bonum: eniti ad nequitiam, reſiſtere juſtitiæ. Quid hic agit Dominus? Si ejuſmodi pravitate uti vult tanquam iræ ſuæ inſtrumento, dirigit ac deſtinat quo libuerit, ut per vitioſam manum bonum ſuum opus exequatur. Sceleſtum igitur hominem, qui Dei potentiæ ſic ſervit, dum libidini tantum ſuæ obſequi ſtudet, an cum ſaxo conferemus, quod alieno impetu vibratum, nec motu, nec ſenſu, nec voluntate propria fertur? Videmus quantum ſit diſcriminis.

Quid & quo modo Deus agat in electis.

Quid vero in bonis, de quibus præcipua eſt quæſtio? Ubi regnum in illis ſuum erigit: voluntatem, ne vagis libidinibus ſurſum deorſum raptetur, pro naturæ inclinatione, per Spiritum ſuum cohibet: quo in ſanctitatem ac juſtitiam propendeat, ad juſtitiæ ſuæ regulam flectit, componit, format, dirigit: ne titubet aut concidat, Spiritus ſui virtute ſtabilit ac confirmat. Qua ratione Auguſtinus, *Dices mihi*, inquit, *Ergo agimur, non agimus. Imo agis, & ageris: & tunc bene agis, ſi à bono agaris. Spiritus Dei qui te agit, agentibus adjutor eſt, nomen adjutoris præſcribit, quod & tu aliquid agas.* Priore membro admonet, actionem bominis non tolli Spiritus ſancti motu, quia à natura eſt voluntas, quæ regitur, ut ad bonum aſpiret. Quod autem mox adjungit, ex nomine auxilii poſſe colligi nos etiam aliquid agere,

de corrept. & grat. c. 2.

non convenit ita accipere, quaſi ſeorſum aliquid nobis tribuat: ſed ne foveat in nobis ignaviam, ſic Dei actionem cum noſtra conciliat, ut velle ſit à natura, bene autem velle à gratia. Ideo paulo ante dixerat, *Niſi Deus nos adjuvet, non modo vincere, ſed neque pugnare poterimus.*

15. Hinc apparet, gratiam Dei (ut hoc nomen ſumitur, ubi de regeneratione eſt ſermo) eſſe Spiritus regulam, ad dirigeodam ac moderandam hominis voluntatem. Moderari non poteſt, quin corrigat, quin reformet, quin renovet (unde dicimus principium regenerationis eſſe, ut quod noſtrum eſt aboleatur) ſimul quin moveat, agat, impellat, ferat, teneat. Unde vere dicimus illius in ſolidum eſſe omnes quæ inde emanaot actiones. Interim non negamus veriſſimum eſſe, quod Auguſtinus docet, non deſtrui gratia voluntatem, ſed magis reparari: quia utrumque optime conſtat: ut inſtaurari dicatur hominis voluntas, dum correcta vitioſitate & perverſitate ad veram juſtitiæ regulam dirigitur: & ſimul nova in homine voluntas dicatur creari, quia ſic vitiata corruptaque eſt, ut novum penitus ingenium induere neceſſe babeat. Nihil jam obſtat, quominus rite agere dicamur, quod agit Spiritus Dei in nobis, etiamſi nihil à ſeipſa conferat noſtra voluntas, quod ab ejus gratia ſeparetur. Ideoque memoria tenendum, quod alibi ex Auguſtino citavimus, fruſtra quoſdam ſatagere, ut in hominis voluntate quicquam boni proprium reperiant. quicquid enim mixturæ ex liberi arbitrii virtute afferre ſtudent bomines ad Dei gratiam, nihil aliud quam ejus corruptio eſt: perinde, ac ſi quis lutoſa & amara aqua vinum dilueret. Etſi autem quicquid in voluntate boni eſt, ex mero Spiritus inſtinctu provenit, quia tamen nobis naturaliter ingeoitum eſt velle, non abs re ea agere dicimur, quorum laudem ſibi jure Deus vindicat. primum, quia noſtrum eſt ejus benignitate quicquid operatur in nobis, modo non à nobis eſſe intelligamus: deinde, quia noſtra eſt mens, noſtra voluotas, noſtrum ſtudium, quæ ab eo in bonum diriguntur.

Concluſio reſponſionis ad argumenta claſſis poſtrema, Gratiam Dei omnia in nobis operari, ita tamen ut noſtra duplici ratione dicantur quæcumque bona operamur, etiamſi nihil à ſeipſa conferat noſtra voluntas, quod ab hac Dei gratia ſeparetur.

Tertia & ultima pars capitis, ſingularia quædam loca excutiens.

5. Locus, ex Moſe deſumptus.

16. Quæ præterea hioc inde teſtimonia corradunt, mediocribus etiam ingeniis non multum faceſſent negotii, quæ ſuperiores modo ſolutiones probe imbiberint. Citant ex Geneſi ſententiam illam, *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illi*: quam de peccato interpretantur, acſi Cain promitteret Dominus, non fore in animo ejus vim ſuperiorem peccati, ſi io eo perdomando laborare vellet. Nos autem magis congruere dicimus ordini orationis, ut de Abele accipiatur boc dictum. illic enim iniquitatem invidiæ, quam in fratrem Cain conceperat, arguere propoſitum eſt Deo. id facit duplici ratione: quod fruſtra meditabatur ſcelus, quo fratrem præcelleret apud Deum, apud quem nullus eſt honor niſi juſtitiæ: deinde, quod nimium ingratus eſſet jam accepto Dei beneficio, qui ne ſubjectum quidem ſuo imperio fratrem ferre poſſet.

Gen. 4: 7.

Reſponſio 1. genuinum ſenſum proponens.

Altera reſponſio, per dilemma.

Verum, ne hanc interpretationem ideo videamur amplexari, quod altera nobis contraria ſit, demus ſane de peccato loquutum fuiſſe Deum. Si ita eſt, aut promittit boc Dominus quod denunciat, aut jubet. Si jubet, nullam inde probationem facultatis bumanæ ſequi jam demonſtravimus: ſi promittit, ubi promiſſionis complementum, quando peccato, cui dominari ipſum oportebat, Cain ſuccubuit? Promiſſioni ioclusam diceot tacitam conditionem, acſi diceretur victoriam reportaturum fuiſſe, ſi certaret: ſed quis recipiat iſtas ambages? Nam ſi ad peccatum refertur iſta dominatio, nemo ambigat imperativam eſſe orationem, in qua non definitur quid poſſimus, ſed quid vel ſupra poteſtatem debeamus. Quanquam & res ipſa & ratio Grammaticæ poſtulant, comparationem fieri Caio & Abelis: qua primogenitus frater minori poſthabitus oon fuiſſet, niſi proprio ſcelere deterior.

17. Utun-

2. Locus, ex epiſtol. ad Rom. cap. 9. verſ. 16.

17. Utuntur & teſtimonio Apoſtoli, quia dicit non eſſe volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei: ex quo eliciunt, aliquid eſſe in voluntate & conatu, quod per ſe licet imbecillum, miſericordia Dei adjutum, proſpero ſucceſſu non careat.

Reſponſio.

Atqui, ſi ſobrie penſitarent, quæ illic cauſa tractetur à Paulo, iſta ſententia non adeo inconſiderate abuterentur.

Origen. lib. 7. in epiſt. ad Rom. Hieron. dialog. 1. in Pelag.

Scio eos poſſe Origenem & Hieronymum citare ſuæ expoſitionis ſuffragatores: poſſem & illis vicisſim Auguſtinum opponere: ſed quid illi opinati ſint, noſtra nihil refert, ſi conſtat, quid voluerit Paulus. Illic docet, iis demum paratam eſſe ſalutem, quos ſua miſericordia Dominus dignetur: ruinam & interitum manere quoſcunque non elegerit. Reproborum ſortem ſub Pharaonis exemplo demonſtraverat: gratuitæ quoque electionis certitudinem, Moſis teſtimonio confirmarat, *Miſerebor cujus miſerebor.* Concludit, non eſſe volentis aut currentis, ſed miſerentis Dei.

Inſtantia dilutio.

Quod ſi in hunc modum intelligatur, non ſufficere voluntatem aut conatum, quia tantæ moli ſint impares: parum convenienter à Paulo dictum foret. Proinde apage iſtas argutiolas, *Non eſt volentis neque currentis*: ergo eſt aliqua voluntas, eſt aliquis curſus. Simplicior enim eſt mens Pauli, *Non eſt voluntas, non eſt curſus, quæ nobis viam ad ſalutem comparant*: ſola eſt hic Domini miſericordia. Non enim aliter hic loquitur,

Tit. 3: 4.

quam ad Titum, ubi ſcribit apparuiſſe Dei bonitatem & humanitatem, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed pro immenſa ejus miſericordia.

Alia dilutio, ab abſurdo.

Ne illi quidem ipſi, qui argutantur Paulum innuiſſe aliquam eſſe voluntatem & aliquem curſum, quia negaverit eſſe volentis, aut currentis, mihi ad eandem formam ratiocinari concederent, aliqua nos bona opera feciſſe, quia negat Paulus ex operibus quæ fecerimus, Dei bonitatem nos aſſequutos. Quod ſi vitium in hac argumentatione proſpiciunt, aperiant oculos, & ſuam non carere ſimili fallacia cernent.

Tertia, ex Auguſtino. epiſt. 107. ad Vital.

Firma eſt etiam ratio illa, qua nititur Auguſtinus, *Si ideo dictum foret, non eſſe volentis, neque currentis, quia non ſufficiat voluntas, nec curſus: poſſe in contrariam partem retorqueri, non eſſe Dei miſericordiæ, quia neque ſola illa ageret.* Quum hoc ſecundum ſit abſurdum, merito concludit Auguſtinus, ideo eſſe hoc dictum, quia nulla ſit hominis voluntas bona, niſi præparetur à Domino: non quin velle debeamus & currere: ſed quia utrumque Deus efficit in nobis.

3. Locus, ex Apoſtolo, 1 Cor. 3: 9. Reſponſio.

Non minus inſcite torquetur à quibuſdam illud Pauli, *Dei cooperarii ſumus*, quod ad ſolos miniſtros reſtringi minime dubium eſt: cooperarios autem vocari, non qui ex ſe quicquam afferant, ſed quoniam eorum opera utitur Deus, poſtquam idoneos reddidit inſtruxitque neceſſariis dotibus.

4. Locus, ex Eccleſ. c. 15. verſ. 14.

18. Eccleſiaſticum producunt, quem dubiæ auctoritatis ſcriptorem eſſe non ignoratur. At enim ut ne à nobis repudietur (quod facere tamen jure noſtro nobis licet) quid ille teſtatur pro libero arbitrio? Dicit, hominem ſtatim atque creatus fuit, relictum eſſe in manu conſilii ſui: data illi eſſe præcepta, quæ ſi ſervaret, ab illis viciſſim ſervaretur: ante hominem poſitam eſſe vitam & mortem, bonum & malum: quodcunque voluerit, ei datum iri.

Reſponſio.

Eſto, acceperit homo à ſua creatione facultatem adipiſcendæ vitæ, aut mortis: quid ſi ex adverſo reſpondeamus perdidiſſe? Certe animus non eſt contradicere Solomoni,

Eccleſ. 7. verſ. 30.

qui aſſerit hominem rectum ab initio creatum eſſe, ipſum ſibi aſciviſſe multas adinventiones: verum quia homo degenerando, & ſui & bonorum omnium naufragium fecit, quicquid primæ creationi tribuitur, non protinus ſequitur in vitiatam ac degenerem naturam competere.

Alia reſponſio, per diſtinctionem.

Ergo, non illis modo, ſed ipſi quoque Eccleſiaſtico (quicunque tandem ſit) reſpondeo: Si hominem vis inſtituere, ut apud ſeipſum acquirendæ ſalutis facultatem quærat, tanti non eſt nobis tua auctoritas, ut vel minimi præjudicii adverſus indubitatum Dei verbum vicem obtineat: ſin malignitatem carnis duntaxat coërcere ſtudes, quæ ſua mala in Deum transferendo, vanam defenſionem captare ſolet; ideoque reſpondes rectitudinem homini inditam fuiſſe, quo ipſum exitii ſibi cauſam eſſe appareat, libenter aſſentio: modo mihi rurſum tecum hoc conveniat, iis ornamentis, quibus eum Dominus initio induerat, nunc ſua culpa eſſe ſpoliatum; atque ita pariter fateamur medico nunc opus eſſe, non patrono.

5. Locus, ex Luc. 10: 30.

19. Nihil tamen frequentius in ore habent, quam parabolam Chriſti de viatore, quem ſemivivum latrones in via projecerunt. Sub viatoris hujus typo calamitatem repræſentari generis humani, ſcio vulgatiſſimum eſſe omnibus penè ſcriptoribus. Inde argumentum ſumunt noſtri adverſarii, non ita peccati ac diaboli latrocinio mutilatum eſſe hominem, quin ſuperſtites retineat bonorum priorum reliquias: quandoquidem dicitur relictus eſſe ſemivivus. Ubi enim eſt illud vitæ dimidium, niſi rectæ & rationis & voluntatis portio aliqua maneret?

Reſponſio 1. Allegorica argumenta ſunt infirma.

Primum, ſi nolim locum dare ipſorum allegoriæ, quid obſecro facturi ſunt? nam præter germanum orationis Domini ſenſum, à Patribus excogitatum fuiſſe nihil dubium eſt. Allegoriæ ultra procedere non debent, quam præeuntem habent Scripturæ regulam: tantum abeſt, ut fundandis ullis dogmatis per ſe ſufficiant.

Altera reſponſio, qua hunc locum per alia magis perſpicua interpretatur.

Neque deſunt rationes, quibus poſſim, ſi lubeat, totum hoc commentum convellere: neque enim dimidiam homini vitam relinquit Dei verbum, ſed penitus interiiſſe docet, quantum ad beatæ vitæ rationem. Non ſemivivos dicit ſanatos Paulus, dum loquitur de noſtra redemptione: ſed quum mortui eſſemus, ſuſcitatos.

Epheſ. 2. verſ. 5. 30. & 5: 14. Joan. 5. verſ. 25.

non ſemivivos inclamat ad recipiendam Chriſti illuminationem, ſed dormientes & ſepultos: nec ſecus Dominus ipſe, dum horam veniſſe ait, qua mortui ad vocem ſuam reſurgant. Qua fronte levem alluſionem tot claris ſententiis opponerent?

Tertia reſponſio, per conceſſionem.

Valeat tamen allegoria hæc pro certo teſtimonio: quid tamen à nobis extorquebunt? Semivivus eſt homo: habet igitur aliquid ſalvum: nempe habet mentem intelligentiæ capacem, etiamſi ad cæleſtem ſpiritualemque ſapientiam non penetret: habet nonnullum honeſtatis judicium: habet aliquem divinitatis ſenſum, utcunque veram Dei rationem non aſſequatur. Sed quò iſta recidunt?

Poſtrema, ex Auguſtino ſumpta.

certe non efficiunt ut nobis illud Auguſtini, communibus etiam ſcholarum ſuffragiis approbatum, adimatur, Adempta eſſe homini poſt lapſum gratuita bona, unde ſalus dependet: naturalia vero corrupta pollutaque eſſe.

Totius de libero arbitrio tractationis concluſio & ſumma.

Stet ergo nobis indubia iſta veritas, quæ nullis machinamentis quatefieri poteſt, Mentem hominis ſic alienatam prorſus à Dei juſtitia, ut nihil non impium, contortum, fœdum, impurum, flagitioſum concipiat, concupiſcat, moliatur: cor peccati veneno ita penitus delibutum, ut nihil quam corruptum fœtorem efflare queat. Quod ſi quidpiam interdum boni in ſpeciem oſtentant, mentem tamen ſemper hypocriſi & fallaci obliquitate involutam, animum interiori perverſitate illigatum manere.

Cap. VI.

Homini perdito quærendam in Chriſto redemptionem eſſe.

Partes hujus capitis.

1. *Doctrinæ de Chriſto Redemptore, ſemper ab Eccleſia Dei perceptæ, utilitas, ſect.* 1.
2. *Chriſtus, utriuſque fœderis Mediator, fidei piorum Iſraëlitarum ſeu veteris populi fuit objectum, ut ex ſacrificiorum ritu, familiæ Abrahami electione, & Davidis ejuſque poſterorum dignitate liquet, ſect.* 2.
3. *Inde conſolatio, robur, fiducia & ſpes piorum ſub Lege, quos ad Chriſtum cæleſtis Pater variis modis invitavit, ſect.* 3. & 4.

Inutilis eſt cognitio Dei Creatoris, niſi ſuccedat fides in Chriſtum Redemptorem.

QUum in Adæ perſona perierit totum humanum genus, nobis adeo nihil prodeſſet illa, quam memoravimus, originis præſtantia & nobilitas, ut magis cedat in majorem ignominiam, donec in Filii ſui unigeniti perſona Redemptor appareat Deus, qui homines peccato fœdatos & corruptos pro ſuo opere non agnoſcit. Ergo, poſtquam excidimus à vita in mortem, inutilis eſſet tota illa Dei Creatoris, de qua diſſeruimus, cognitio, niſi ſuccederet etiam fides, Deum in Chriſto Patrem nobis proponens. Erat quidem hic genuinus ordo, ut mundi fabrica nobis ſchola eſſet ad pietatem diſcendam: unde ad æternam vitam & perfectam felicitatem fieret tranſitus.

Ratio 1.

ſed poſt defectionem quocunque vertamus oculos, ſurſum & deorſum occurrit Dei maledictio, quæ dum innoxias creaturas culpa noſtra occupat & involvit, deſperatione animas noſtras obruat neceſſe eſt. Etſi enim multis adhuc modis paternum erga nos favorem extare vult Deus, ex mundi tamen conſpectu Patrem colligere non licet, ubi nos intus urget conſcientia, oſtenditque juſtam in peccato abdicationis cauſam eſſe, ne pro filiis nos cenſeat Deus vel reputet.

Ratio altera, teſtimonio Apoſtoli firmata.

Accedit & ſocordia & ingratitudo: quia nec mentes noſtræ, ut ſunt excæcatæ, quid verum ſit, cernunt: & ut pravi ſunt omnes ſenſus noſtri, Deum maligne ſua gloria fraudamus. Itaque veniendum ad illud Pauli, *Quoniam in ſapientia Dei non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*

1 Cor. 1. verſ. 21.

Sapientiam Dei appellat magnificum hoc theatrum cæli & terræ, innumeris miraculis refertum, ex cujus intuitu ſapienter Deum cognoſcere decebat: ſed quia tam male illic profecimus, revocat nos ad fidem Chriſti, quæ ob ſtultitiæ ſpeciem incredulis faſtidio eſt.

Concluſio.

Quanquam ergo humano ingenio non reſpondet prædicatio crucis, humiliter tamen eam amplecti oportet, ſi ad Deum opificem noſtrum & fictorem, à quo ſumus alienati, redire cupimus, ut nobis iterum pater eſſe incipiat.

Hæc doctrina ab exordio mundi omnibus ſeculis locum habuit inter Dei filios.

Certe poſt lapſum primi hominis nulla ad ſalutem valuit Dei cognitio abſque Mediatore: quia non de ſua tantum ætate loquitur Chriſtus, ſed omnia ſecula comprehendit, quum dicit hanc eſſe vitam æternam, cognoſcere Patrem verum unum Deum, & quem ille miſit Jeſum Chriſtum.

Joan. 17: 3.

Ideo toto cælo aberrant, qui profanis, & incredulis Chriſtum neſcientibus, cælum aperiunt: horumque prætextus Scriptura teſtimoniis refelluntur.

Quo fœdior eſt eorum ſocordia, qui cælum profanis & incredulis quibuslibet patefaciunt, abſque ejus gratia, quem Scriptura paſſim docet unicam eſſe januam, qua in ſalutem ingredimur. Quod ſiquis ad Euangelii promulgationem illud Chriſti dictum reſtringere velit, in promptu refutatio eſt, quia omnibus & ſeculis & gentibus communis fuit ratio illa, non poſſe abſque reconciliatione placere Deo, qui alienati ſunt ab eo, & maledicti pronunciantur ac filii iræ. Huc adde, quod reſpondit Chriſtus mulieri Samaritanæ: *Vos adoratis, quod neſcitis: nos autem adoramus, quod ſcimus: quia ſalus ex Iudæis eſt.*

Joan. 4. verſ. 22.

Quibus verbis & quaſlibet Gentium religiones falſitatis damnat, & rationem aſſignat, quia ſoli electo populo fuerit promiſſus Redemptor ſub Lege: unde ſequitur, nullum unquam Deo cultum placuiſſe, niſi qui in Chriſtum reſpiceret. Unde etiam affirmat Paulus, Gentes omnes abſque Deo fuiſſe, & ſpe vitæ orbatas. Eph. 2: 12.

Jam, quum doceat Joannes, vitam ab initio fuiſſe in Chriſto, & ab ea excidiſſe totum mundum, ad fontem illum redire neceſſe eſt. Joan. 1: 4.

atque ideo Chriſtus, quatenus eſt Propitiator, ſe vitam eſſe aſſerit. Et ſane non ad alios, quam Dei filios pertinet cælorum hæreditas. Filiorum autem loco & ordine cenſeri minime conſentaneum eſt, qui non inſiti ſunt in corpus unigeniti Filii. Et clare teſtatur Joannes, qui credunt in ejus nomen, filios Dei fieri. Joan. 1. verſ. 12.

Sed quia de fide in Chriſtum ex profeſſo diſſerere mihi nondum propoſitum eſt, in tranſcurſu attigiſſe ſatis fuerit.

Veteri autem Iſraëlitarum populo Deus nunquam fuit propitius abſque Mediatore Chriſto.

2. Ac proinde veteri populo nunquam ſe Deus oſtendit propitium, nec ſpem gratiæ unquam fecit abſque Mediatore.

Ratio 1. ex ſacrificiorum ritu deprompta.

Omitto ſacrificia Legis, quibus palam & aperte edocti fuerunt fideles, non alibi quam in expiatione, quæ à ſolo Chriſto peracta eſt, quærendam ſalutem eſſe. Hoc tantum dico, beatum & felicem Eccleſiæ ſtatum, ſemper in Chriſti perſona fuiſſe fundatum.

Ratio altera, ex familia Abrahami electione petita.

Nam etſi Deus totam Abrahæ ſobolem in fœdere ſuo complexus eſt, prudenter tamen ratiocinatur Paulus, Chriſtum proprie eſſe ſemen illud, in quo benedicendæ erant omnes gentes: quando ſcimus non omnes, qui ſecundum carnem ex eo geniti ſunt, reputatos fuiſſe in ſemine. Gal. 3: 16.

Nam ut de Iſmaële & aliis taceam, qui factum eſt, ut ex duobus filiis Iſaac, nempe Eſau & Jacob fratribus geminis, quum adhuc in utero matris conjuncti eſſent, uno electo alter repudiaretur? Imo quî factum eſt, ut primogenito rejecto, minor natu ſolus gradum tenuerit? Unde etiam contigit, ut major pars abdicaretur? Patet igitur, in uno præcipue capite cenſeri Abrahæ ſemen: nec ſalutem promiſſam conſtare, donec ad Chriſtum ventum fuerit, cujus officium eſt, quæ diſſipata erant colligere. Prima itaque electi populi adoptio à gratia Mediatoris pendebat.

Altera ratio, ex regiæ dignitatis in Davidis familia ſtabilita conſideratione collecta, illuſtribusque teſtimoniis confirmata.

Quod etſi non adeo claris verbis exprimitur apud Moſen, vulgo tamen piis omnibus fuiſſe notum ſatis apparet. Nam, antequam Rex in populo creatus eſſet, jam Hanna Samuelis mater de piorum felicitate diſſerens, in ſuo cantico ſic loquitur, *Dabit robur Regi ſuo Deus, & exaltabit cornu Meſſiæ ſui.* Quibus verbis intelligit Deum Eccleſiæ ſuæ benedicturum. Cui etiam reſpondet oraculum, quod paulo poſt ſubjicitur, *Ambulabit ſacerdos, quem conſtituam coram Chriſto meo.* 1 Sam. 2. verſ. 10.

Nec vero dubium eſt, quin cæleſtis Pater in Davide ejuſque poſteris conſpici voluerit vivam Chriſti imaginem. Ideo pios ad Dei timorem hortari volens, jubet oſculari Filium: cui ſcilicet hæc Euangelii ſententia reſpondet, *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem.* Pſal. 2: 12. Joan. 5: 23.

Itaque licet decem Tribuum defectione collapſum fuerit regnum, fœdus tamen, quod pepigerat Deus in Davide & ejus ſucceſſoribus, ſtare oportuit, ſicut & per Prophetas loquutus eſt, *Non ſcindam prorſus regnum propter David ſervum meum, & propter Jeruſalem quam elegi: ſed filio tuo reſtabit Tribus una.* 1 Reg. 11. v. 13, 34.

ubi ſecundo & tertio idem repetitur. Diſerte etiam adſcribitur, *Affligam ſemen Davidis: ſed non cunctis diebus.* Aliquo ibid. v. 39.

poſtea

1 Reg. 15. verſ. 4. poſtea temporis intervallo dictum eſt, *Propter David ſervum ſuum dedit lucernam Deus in Jeruſalem, ut ſuſcitaret ei filium, & ſalvam tueretur Jeruſalem.* Jam quum res ad interitum vergerent, rurſus di-
2 Reg. 8. verſ. 19. ctum fuit, *Noluit Deus diſpergere Jehudah propter David ſervum ſuum, quia loquutus erat, ut daret ei lucernam & filiis ejus in perpetuum.* Huc redit ſumma, præteritis omnibus aliis, Davidem unum fuiſſe electum, in quo beneplacitum Dai reſideret: ſicuti
Pſal. 78. v. 60, 67. dicitur alibi, *Repulit tabernaculum Silo, & tabernaculum Joſeph, & tribum Ephraim non elegit: ſed elegit tribum Jehudah, montem Sion, quem dilexit: Elegit ſervum ſuum David, ut paſceret Jacob populum ſuum, hæreditatem ſuam Iſraël.* Denique ſic Eccleſiam ſuam ſervare voluit Deus, ut ejus incolumitas & ſalus à capite illo penderet. Ideoque exclamat
Pſ. 28: 8. David, *Jehovah fortitudo populi ſui, robur ſalutum Chriſti ſui*: & mox precationem addit, *Serva populum tuum, & benedic hæreditati tuæ*: ſignificans Eccleſiæ ſtatum iodividuo nexu cum Chriſti im-
Pſ. 20: 10. perio conjunctum eſſe. Eodem ſenſu alibi, *Serva Jehovah, Rex exaudiat nos quo die invocabimus.* Quibus verbis aperte docet, fideles non alia fiducia confugiſſe ad Dei opem, niſi quia deliteſcebant
Pſal. 118. v. 25, 26. ſub Regis præſidio, quod ex alio Pſalmo colligitur. *Serva Jehovah, benedictus, qui venit in nomine Jehovæ:* ubi ſatis conſtat revocari ad Chriſtum fideles, ut ſe Dei manu ſalvos fore ſperent. Eodem reſpicit alia precatio, ubi tota Eccleſia Dei miſericordiam
Pſ. 80: 18. implorat, *Sit manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, ſuper filium hominis, quem conſervaſti* (vel aptaſti) *tibi.* Nam etſi populi totius diſſipationem deplorat auctor Pſalmi, tamen inſtaurationem flagitat in ſolo capite. Ubi autem populo in exilium abducto, vaſtata terra, & rebus in ſpeciem perditis, Eccleſiæ
Thren. 4. verſ. 20. cladem luget Jeremias, præcipue regni interitu ſpem fidelibus præciſam eſſe queritur. *Chriſtus*, inquit, *ſpiritus oris noſtri captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus, In umbra tua vivemus inter Gentes.* Hinc jam ſatis liquet, quia non poteſt Deus propitius humano generi eſſe abſque Mediatore, ſanctis Patribus ſub Lege Chriſtum ſemper fuiſſe objectum, ad quem fidem ſuam dirigerent.

Nec aliunde quam ex hoc ipſo fonte in rebus afflictis aut ſolatium promiſſum eſt, aut fiducia & ſpei vexillum unquam erectum.

3. Porro, ubi rebus afflictis ſolatium promittitur, maxime ubi deſcribitur Eccleſiæ liberatio, fiduciæ & ſpei vexillum in Chriſto ipſo præfigitur:
Hab. 3: 13. *Egreſſus eſt Deus in ſalutem populi ſui cum Meſſiah ſuo*, inquit Habacuc. Et quoties de inſtauratione Eccleſiæ mentio fit apud Prophetas, populum revocant ad promiſſionem Davidi factam de regni perpetuitate. Nec mirum, quia nulla fuiſſet alioqui fœderis ſtabilitas. Quo pertinet inſigne illud reſponſum Jeſaiæ. Quum enim videret ab incredulo rege Achaz repudiari quod de ſolvenda obſidione Hieroſolymæ & præſenti ſalute teſtatus fuerat, quaſi ex abrupto tranſit ad Meſſiam, *Ecce virgo concipiet ac pariet filium*, oblique ſignificans, quamvis Rex & populus ſua pravitate rejicerent oblatam ſibi promiſſionem, acſi data opera incumberent
Jeſa. 7: 14. ad labefactandum Dei fidem, non fore tamen irritum fœdus, quin ſuo tempore veniret Redemptor. Denique Prophetis omnibus curæ fuit, ut Deum placabilem oſtenderent, ſemper in medium proferre illud Davidis regnum, unde pendebat & re-
Jeſa. 55: 3. demptio & æterna ſalus. Sic Jeſaias, *Statuam vobiſcum fœdus, miſericordias Davidis fideles: ecce teſtem dedi eum populis.* Nempe, quia in rebus perditis non aliter ſperare poterant fideles, niſi teſte illo interpoſito Deum ſibi fore exorabilem. Eo-
Jer. 23: 6. dem modo Jeremias, ut deſperatos erigat, *Ecce*, inquit, *dies veniunt, quibus ſuſcitabo Davidi germen juſtum, & tunc ſervabitur Iuda, & Iſraël tuto*
Ezech. 34. verſ. 23. *habitabit.* Ezechiel autem, *Suſcitabo ſuper oves meas paſtorem unum, nempe Davidem ſervum meum. Ego Jehova illis in Deum ero, & ſervus meus David in paſtorem: & percutiam cum iis fœdus pacis.* Item alibi, poſtquam de incredibili renovatione diſſe- Ezech. 37. v. 25, 26.
ruit, *Servus*, inquit, *meus David erit Rex eorum, & erit paſtor unus ſuper omnes, & fœdus pacis æternum percutiam cum ipſis.* Pauca ex multis delibo, quia tantum lectores volo admonitos, ſpem omnium piorum non alibi unquam fuiſſe repoſitam, quam in Chriſto. Succinunt etiam alii omnes Prophetæ, ſicuti apud Oſeam dicitur, *Congregabuntur filii Juda* Oſeæ 1: 11.
& filii Iſraël pariter, & ponent ſibi caput unum. quod poſtea clarius explicat, *Revertentur filii Iſraël, &* Oſeæ 3: 5.
inquirent Jehovam Deum ſuum & Davidem Regem ſuum. Michæas etiam, de populi reditu verba fa- Mich. 2. verſ. 13.
ciens, diſerte exprimit, *Tranſibit Rex ante ipſos, & Jehova in capite eorum.* Sic Amos populi renovatio- Amos 9. verſ. 11.
nem promittere volens, *Suſcitabo*, inquit, *in die illa tabernaculum David quod collapſum eſt, & ſepiam interruptiones, & ſubverſiones erigam.* nempe, quia unicum illud erat ſalutis vexillum, iterum in ſublime emergere regiam gloriam in familia Davidis, quod in Chriſto impletum eſt. Itaque Zacharias, Zach. 9: 9.
ſicuti ejus ſeculum Chriſti manifeſtationi propius erat, apertius exclamat, *Lætare filia Sion, jubila filia Ieruſalem, ecce Rex tuus venit tibi juſtus & ſervatus.* Quod loco Pſalmi ante citato reſpondet, *Jehova* Pſal. 28: 8.
robur ſalutum Chriſti ſui: ſerva Jehova. ubi ſalus à capite ad totum corpus extenditur.

Sic Judæos docuit Dominus, ut in Chriſtum reſpicerent.

4. His vaticiniis ita imbui voluit Deus Judæos, ut liberationis petendæ cauſa, recta oculos ad Chriſtum converterent. Nec vero, quamvis turpiter degeneraſſent, potuit tamen aboleri memoria generalis illius principii, Deum per manum Chriſti, ſicuti Davidi pollicitus fuerat, fore Eccleſiæ liberatorem: atque demum hoc modo firmum fore gratuitum fœdus, quo Deus electos ſuos adoptaverat. Hinc factum eſt, ut in ore puerorum perſonaret canticum illud, quum Chriſtus Hieroſolymam paulo ante mortem ingreſſus eſt, *Hoſanna filio David.* Mat. 21: 9.
Vulgo enim notum ac celebre fuiſſe apparet atque ex communi uſu petitum, quod canebant, unicum ſibi reſtare miſericordiæ Dei pignus in adventu Redemptoris.

Quod Chriſti ipſius approbatione confirmatum eſt.

Hac ratione Chriſtus ipſe diſcipulos, ut diſtincte & perfecte credant Deo, jubet in ſe credere, *Creditis in Deum, & in me credite*, inquit. Etſi enim proprie loquendo, à Chriſto fides ad Patrem conſcendit, ſignificat tamen eam, etiamſi Joan. 14: 1.
Deo innititur, paulatim evaneſcere, niſi intercedat ipſe medius, qui eam in ſolida firmitate retineat; alioqui altior quoque eſt Dei majeſtas, quam ut ad eam penetrent mortales, qui tanquam vermiculi ſuper terram reptant.

Ideo vulgare illud dictum, Deum eſſe objectum fidei, correctione ſeu interpretatione opus habet.

Quare illud vulgare dictum ſic admitto, Deum eſſe fidei objectum, ut tamen correctione opus habeat: quia non fruſtra vocatur Chriſtus inviſibilis Dei imago: ſed hoc elogio monemur, niſi occurrat nobis Deus in Chriſto, non poſſe in ſalutem nobis innoteſcere. Etſi autem apud Judæos falſis commentis obtenebraverant Scribæ, quod de Redemptore Prophetæ tradiderant, ſumpſit tamen pro confeſſo Chriſtus, quaſi publico Col. 1: 15.
conſenſu receptum, non aliud rebus perditis eſſe remedium, nec modum alium liberandæ Eccleſiæ, quam Mediatore exhibito. Non fuit quidem vulgo cognitum, ut decebat, quod docet Paulus, Chri- Rom. 10: 4.
ſtum eſſe finem Legis: quam tamen verum ſit ac certum, ex Lege ipſa & Prophetis liquido patet.

Concluſio hujus diſputationis de Chriſto.

De fide nondum diſſero, quia alibi opportunior erit locus: hoc modò fixum lectoribus maneat, Primus ad pietatem gradus ſit agnoſcere Deum eſſe nobis patrem, ut nos tueatur, gubernet ac foveat, lib. 3. c. 2.
donec colligat in æternam hæreditatem regni ſui: hinc palam fieri quod nuper diximus, ſalvificam Dei cognitionem abſque Chriſto non conſtare, ideoque ab exordio mundi ipſum fuiſſe propoſitum omnibus electis, in quem reſpicerent, & in quo acquieſceret eorum fiducia. Hoc ſenſu ſcribit Irenæus

Confirmatio, Irenæi teſtimonio. lib. 4. c. 8.

Patrem, qui immenſus eſt, in Filio eſſe finitum, quia ſe ad modulum noſtrum accommodavit, ne mentes noſtras immenſitate ſuæ gloriæ abſorbeat. Quod fanatici non reputantes, utilem ſententiam ad impium phantaſma detorquent, acſi portio tantum divinitatis à tota perfectione defluens, in Chriſto eſſet: quum nihil aliud velint, quam Deum in Chriſto ſolo comprehendi. Omnino verum ſemper fuit illud Joannis, *Qui non habet Filium, neque Patrem habet*. Nam etſi olim gloriati ſunt multi ſummum numen, cæliqué & terræ opificem ſe colere: quia tamen nullus illis erat Mediator, fieri noo potuit, ut Dei miſericordiam vere guſtarent, atque ita perſuaſi eſſent ſibi patrem eſſe. Quia ergo caput noo tenebant, boc eſt, Chriſtum, evanida fuit apud eos Dei cognitio: unde etiam factum eſt, ut in craſſas fœdaſque ſuperſtitiones demum prolapſi, ignorantiam ſuam proderent, ſicuti hodie Turcæ, quamvis plenis buccis prædicent cæli & terræ creatorem, ſuum eſſe Deum, ſubſtituunt tamen in locum veri Dei idolum, dum à Chriſto abhorrent.

1 Joan. 2. verſ. 32.

Sequitur, Ethnicos

Deum ad ſalutem non cognoviſſe.

CAP. VII.

Legem fuiſſe datam, non quæ populum veterem in ſe retineret, ſed quæ foveret ſpem ſalutis in Chriſto uſque ad ejus adventum.

Summa & partes capitis.

1. *Lex moralis & ceremonialis pædagogus fuit ad Chriſtum, ſect.* 1. & 2.
2. *Moralis præcipue, cujus conditionales promiſſiones optima de cauſa datæ ſunt: item quomodo Legis moralis obſervatio impoſſibilis eſſe dicatur, ſect.* 3 4. 5.
3. *De triplici Legis moralis officio & uſu, à ſect.* 6. *ad* 12. *refutatis Antinomis, ſect.* 13.
4. *Qualis ſit Legis, tum moralis, tum ceremonialis, abrogatio, ſect.* 14. 15. 16. 17.

Primum in genere oſtenditur Legem, univerſam religionis formam, veteri populo per manum Moſis à Deo traditam, nos multis modis ad Chriſtum dirigere.

EX continua illa, quam retulimus, ſerie colligere licet, Legem non ideo poſt mortem Abrahæ quadringentis circiter annis fuiſſe ſuperadditam, ut electum populum à Chriſto abduceret: imo, ut ſuſpenſos teneret animos uſque ad ejus adventum, accenderet etiam ejus deſiderium, & in expectatione confirmaret, ne longiore mora deficerent. Legis nomine non ſolum decem præcepta, quæ pie juſteque vivendi regulam præſcribunt intelligo, ſed formam religionis per manum Moſis à Deo traditam. Neque enim datus eſt Moſes legislator, qui benedictionem generi Abrahæ promiſſam aboleret: imo videmus, ut paſſim revocet in memoriam Judæis gratuitum illud fœdus cum patribus eorum percuſſum, cujus hæredes erant: acſi ad illud renovandum miſſus foret. Id clariſſime ex ceremoniis patefactum fuit. Quid enim magis inaoe aut frivolum, quam homines, ut ſe Deo reconcilient, fœtidum nidorem ex adipe pecudum offerre? ut ſordes ſuas eluant, ad aquæ vel ſanguinis aſperſionem confugere? Denique totus Legalis cultus (ſi per ſe reputetur, nec contineat umbras & figuras, quibus reſpondeat veritas) res erit prorſus luſoria. Quare non abs re & in concione Stephani, & in epiſtola ad Hebræos tam diligenter expenditur locus ille, ubi Deus Moſen jubet quæcunque ad tabernaculum pertinent formare ſecundum exemplar, quod oſtenſum illi fuerat in monte. Niſi enim ſpirituale aliquid fuiſſet propoſitum, quo tenderent, non ſecus in illis operam luſiſſent Judæi atque Gentes in ſuis nugis. Profani homines, qui nunquam ſerio in pietatis ſtudium incubuerunt, non abſque faſtidio audire ſuſtinent tam multiplices ritus: neque ſolum mirantur, cur Deus veterem populum fatigaverit tanta ceremoniarum congerie, ſed deſpiciunt illas ac rident tanquam pueriles luſus. Nempe, quia ad finem non attendunt, à quo ſi legales figuræ ſeparentur, vanitatis damnari neceſſe eſt. Atqui oſteodit typus ille, Deum non ideo mandaſſe ſacrificia, ut cultores ſuos occuparet in terrenis exercitiis, ſed potius ut altius erigeret eorum mentes. Quod etiam ex ejus natura liquido conſtare poteſt: quia, ut ſpiritualis eſt, non alio quam ſpirituali cultu oblectatur. Teſtantur boc tot Prophetarum ſententiæ, quibus Judæos ſocordiæ arguunt, quod putent ullius eſſe apud Deum momenti quævis ſacrificia. An quia Legi quicquam derogare conſilium ſit? Minime: ſed (ut erant veri illius interpretes) hoc modo ad ſcopum oculos dirigi voluerunt, à quo vulgus errabat. Jam ex gratia Judæis oblata certo colligitur, Legem Chriſto non fuiſſe vacuam. hunc enim adoptionis finem illis propoſuit Moſes, ut eſſent Deo in regnum ſacerdotale: quod aſſequi non poterant, niſi major & præſtantior, quam ex ſanguine pecudum, reconciliatio intercederet. Quid enim minus conſentaneum, quam Adæ filios, qui hæreditaria labe naſcuntur omnes peccati mancipia, in regiam dignitatem attolli, & boc modo fieri gloriæ Dei conſortes, niſi aliunde illis proveniret tam præclarum bonum? Jus quoque ſacerdotii quomodo apud eos vigere potuit, qui vitiorum ſordibus abominabiles Deo erant, niſi conſecrati eſſent in ſancto capite? Quare eleganter Petrus illud Moſis dictum convertit, plenitudinem gratiæ, cujus guſtum ſub Lege perceperant Judæi, in Chriſto exhibitam eſſe docens. *Vos eſtis genus electum*, inquit, *regale ſacerdotium*. Huc enim tendit vocum inverſio, plus adeptos eſſe, quibus apparuit Chriſtus per Euangelium, quam illorum patres: quia omnes prædìti ſint ſacerdotali honore & regio, ut Mediatore ſuo freti, libere in Dei conſpectum prodire audeant.

Nempe per ſacrificia, ablutiones & ingentem ceremoniarum congeriem.

Act. 7: 44.
Heb. 8. 5.
Exod. 25. verſ. 40.

Confirmatio hujus propoſitionis, ex Dei conſilio manifeſtato deſumpta.

Altera confirmatio, à ceremoniarum conſideratione.

Tertia, à natura Dei.

Quarta, à gratia Judæis oblata.

Exod. 19. verſ. 6.

Quinta, à ſacerdotum conſecratione.

1 Petr. 2: 9.

2. Atque hic obiter notandum eſt, regnum, quod tandem erectum fuit in familia Davidis, eſſe Legis partem, & contineri ſub Moſis miniſterio: unde ſequitur, tam in toto genere Levitico, quam in poſteris Davidis Chriſtum oculis veteris populi, quaſi in duplici ſpeculo, fuiſſe objectum. Quia, ut nuper dixi, non aliter coram Deo eſſe poterant, vel reges, vel ſacerdotes, qui & ſervi erant peccati ac mortis, & ſua corruptione polluti. Hinc veriſſimum eſſe patet illud Pauli, Judæos quaſi ſub pædagogi cuſtodia fuiſſe retentos, donec veniret ſemen, in cujus gratiam data erat promiſſio. Nam quia nondum familiariter innotuerat Chriſtus, ſimiles fuerunt pueris, quorum imbecillitas nondum plenam rerum cæleſtium ſcientiam ferre poterat. Quomodo autem ceremoniis ad Chriſtum fuerint manuducti, ante dictum eſt, & ex pluribus Prophetarum teſtimoniis melius intelligere licet. Nam, etſi novis quotidie ſacrificiis ad Deum placandum accedere ipſos oportuit, unico tamen ſacrificio ſcelera omnia expiatum iri promittit Jeſaias. cui concinit Daniel. Sacerdotes ex tribu Levi deſignati, ſanctuarium ingrediebantur: at de unico ſacerdote ſemel dictum fuit, jurejurando divinitus electum eſſe, qui ſacerdos eſſet in perpetuum ſecundum ordinem Melchiſedech. Erat tunc viſibilis olei unctio, aliam fore Daniel ex viſione pronunciat. Ac ne pluribus inſiſtam, ſatis prolixe & dilucide auctor epiſtolæ ad

Sexta confirmatio propoſitionis, Legem fuiſſe pius veteribus pædagogum ad Chriſtum; à conſideratione regni in Davidis familia erecti.

Gal. 3: 24.

Septima, à fine ceremoniarum.

Jeſa. 53: 5.
Dan. 9. v. 26. 27.
Pſal. 110: 4.

Octava, à Legis moralis fine.
Rom. 10:4.
2 Cor. 3:6.

ad Hebræos à quarto cap. ad undecimum uſque demonſtrat, nihili & inanes eſſe ceremonias, donec ad Chriſtum ventum fuerit. Quod vero ad decem præcepta ſpectat, tenenda ſimiliter eſt Pauli admonitio, Chriſtum eſſe finem Legis in ſalutem omni credenti: & altera, Chriſtum eſſe ſpiritum, qui literam per ſe mortiferam vivificat. Nam priore quidem ſignificat fruſtra doceri juſtitiam præceptis, donec eam Chriſtus & gratuita imputatione & ſpiritu regenerationis conferat.* Quare merito Chriſtum vocat complementum Legis, vel finem: quia nihil prodeſſet, quid exigat Deus à nobis ſcire, niſi ſub jugo & onere intolerabili laborantibus & oppreſſis Chriſtus ſuccurreret. Alibi Legem propter tranſgreſſiones poſitam eſſe docet: nempe, ut homines damnationis ſuæ convictos humiliaret. Porro, quia hæc ad Chriſtum quærendum vera & unica eſt præparatio, quæcunque diverſis verbis tradit, probe inter ſe conſentiunt. Sed quia diſceptatio illi fuit cum perverſis doctoribus, qui Legis operibus juſtitiam nos mereri fingebant, ut eorum errorem refutaret, coactus eſt interdum nudam Legem præciſe accipere: quæ tamen gratuitæ adoptionis fœdere alioqui veſtita eſt.

Gal. 3:19.

Poſtrema confirmationis amplior expoſitio. Lex moralis pios ducit ad Chriſtum. Perfecta etenim coram Deo juſtitia monſtrata, nos quod eandem aſſequi nequeamus, procul arcet à vita, & æternæ morti adjudicat, vel ſollicitat ad remedium in Chriſto quærendum.

3. Quomodo autem à Lege morali edocti, magis inexcuſabiles reddamur, ut nos ad veniam expetendam reatus ſollicitet, breviter cognoſcere operæpretium eſt. Si verum eſt, perfectionem juſtitiæ in Lege nos edoceri: iſtud etiam conſequitur, abſolutam ejus obſervationem perfectam eſſe coram Deo juſtitiam: qua ſcilicet homo juſtus apud cæleſte tribunal cenſeatur ac reputetur. Quare Moſes Lege promulgata, non dubitat conteſtari cælum & terram, quod propoſuiſſet Iſraëli vitam & mortem, bonum & malum. Nec refragari licet, quin juſtam Legis obedientiam maneat æternæ ſalutis remuneratio, quemadmodum à Domino promiſſa eſt. Rurſum tamen operæpretium eſt recognoſcere ecquid eam obedientiam præſtemus, cujus merito concipienda ſit illius remunerationis fiducia. Quantulum enim eſt, videre in Legis obſervantia poſitum vitæ æternæ præmium, niſi præterea conſtet, an ea via pervenire ad vitam æternam nobis liceat? Hac vero in parte Legis imbecillitas ſe profert. nam quia in nullo noſtrûm illa Legis obſervantia deprehenditur, à vitæ promiſſionibus excluſi, in ſolam maledictionem recidimus. Dico, non quid fiat modo, ſed quid neceſſarium ſit. quum enim longe ſupra humanam facultatem ſit Legis doctrina, poteſt quidem homo eminus ſpectare appoſitas promiſſiones, non tamen fructum ex iis aliquem colligere. Hoc ergo unum reſtat, ut ab earum bono ſuam miſeriam melius æſtimet, dum cogitat præciſa ſpe ſalutis, mortem ſibi certo imminere. Ex adverſo inſtant horrificæ ſanctiones, quæ non paucos noſtrûm, ſed omnes ad unum irretitos conſtringunt. inſtant, inquam, ac inexorabili aſperitate nos perſequuntur, ut præſentiſſimam in Lege mortem cernamus.

Deut. 30. verſ. 19.

Promiſſiones Legis moralis, etſi conditionales, optima tamen de cauſa piis factæ ſunt.

4. Itaque ſi Legem duntaxat intuemur, nihil aliud poſſumus, quam animum deſpondere, confundi, ac deſperare, quum ex ea damnemur omnes ac maledicamur: à beatitudine, quam ſuis cultoribus proponit, procul arceamur. Ergone, inquies, ita nos ludificatur Dominus? Quantulum enim à ludibrio abeſt, ſpem felicitatis oſtentare, ad eam invitare & hortari, illam teſtari nobis expoſitam, quum interim præcluſus ſit & inacceſſus ingreſſus? Reſpondeo, Etiamſi promiſſiones Legis, quatenus conditionales ſunt, à perfecta Legis obedientia dependeant, quam nullibi reperire eſt: non tamen fruſtra datas eſſe. Ubi enim didicimus irritas nobis fore & inefficaces, niſi gratuita ſua bonitate, citra intuitum operum, nos Deus amplexetur; atque adeo illam bonitatem, nobis per Euangelium exhibitam, fide ſimus amplexati: ne ipſis quidem deeſt ſua efficacia, etiam cum [illegible]xa conditione. Sic enim tum omnia nobis gratuito confert, ut hoc quoque ad cumulum ſuæ beneficentiæ adjungat, quod ſemiplenam noſtram obedientiam non reſpuens, & quod deeſt complemento, remittens, perinde atque à nobis impleta conditione, legalium promiſſionum fructum percipere nos facit. Sed hanc quæſtionem, quia in tractanda fidei juſtificatione plenius diſputanda erit, non ultra in præſens proſequemur.

Cauſa hujus explicatio.

Nec abſurdum videri debet, quod impoſſibilis eſſe Legis obſervatio dicatur.

5. Quod autem impoſſibilem Legis obſervationem diximus, id eſt paucis verbis explicandum ſimul & confirmandum. ſolet enim vulgo abſurdiſſima ſententia videri: ut Hieronymus non dubitarit anathema illi denunciare. Quid viſum ſit Hieronymo, nihil moror: nos quid verum ſit, inquiramus. Non texam hic longas ambages de variis poſſibilitatis generibus. Impoſſibile appello, quod nec fuit unquam, & ne in poſterum ſit, Dei ordinatione ac decreto impeditur. Si ab ultima memoria repetamus, neminem ſanctorum extitiſſe dico, qui corpore mortis circumdatus, ad eum dilectionis ſcopum pertigerit, ut ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex tota potentia Deum amaret; neminem rurſum, qui non concupiſcentia laborarit. Quis reclamet? Video quidem quales nobis ſanctos imaginetur ſtulta ſuperſtitio, quorum ſcilicet puritati vix cæleſtes Angeli reſpondeant: ſed repugnante tum Scriptura, tum experientiæ ratione. Dico item, neminem poſthac futurum, qui ad veræ perfectionis metam perventurus ſit, niſi corporis mole ſolutus. In hanc rem primum ſuppetunt aperta Scripturæ teſtimonia, *Non eſt homo juſtus ſuper terram, qui non peccet*, dicebat Solomo. David, *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Job plurimis locis idem affirmat. Clariſſime omnium Paulus, quod caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Nec alia ratione probat, omnes, qui ſub Lege ſunt, maledictioni ſubjectos, niſi quia ſcriptum ſit, maledictos omnes, qui non permanſerint in omnibus ejus mandatis: innuens ſcilicet, imo pro confeſſo aſſumens, neminem permanere poſſe. Quicquid autem Scripturis prædictum eſt, id pro perpetuo, adeoque pro neceſſario haberi docet.

vide inter opera Juſtini quæſtion. 103. & Hieronymum ad Cteſiphontem adv. Pelagianos, ubi idem & negare & fateri videtur.

Ratio, ſeu demonſtratio firmiſſima hujus propoſitionis.

Confirmatio à Scriptura dictis.

1 Reg. 8. verſ. 46.
Pſal. 143:2.
Gal. 5:17.
Gal. 3:10.
Deut. 27. verſ. 26.

Alia confirmatio, ex Auguſtino.
lib. de natura & gratia.

Ejuſmodi argutia vexabant Auguſtinum Pelagiani, injuriam fieri Deo, ſi plus jubeat, quam per ejus gratiam præſtare queant fideles. Ille, ut effugeret calumniam, fatebatur poſſe quidem Dominum, ſi vellet, hominem mortalem in Angelicam puritatem evehere: ſed neque feciſſe unquam, nec facturum, quòd aliter in Scripturis aſſeruiſſet. Id neque ego inficior: ſed addo tamen importune de potentia Dei diſputari contra ejus veritatem. ideo cavillis non eſſe obnoxiam ſententiam, ſiquis dicat fieri non poſſe, quod non futurum Scripturæ pronunciant. Verum, ſi de verbo diſputatur, Dominus rogantibus diſcipulis, quis poſſit ſalvus eſſe, reſpondet, apud homines id quidem impoſſibile, apud Deum vero omnia poſſibilia. Validiſſima etiam ratione id contendit Auguſtinus, nunquam in hac carne reddere nos, quem debemus, legitimum Deo amorem. *Amor*, inquit, *notitiam ita ſequitur, ut Deum amare nemo perfecte poſſit, qui non cognitam prius ad plenum habuerit ejus bonitatem.* Nos dum in mundo peregrinamur, cernimus per ſpeculum & in ænigmate: ſequitur ergo imperfectum eſſe noſtrum amorem. Sit ergo extra controverſiam, impoſſibile eſſe in hac carne, Legis implementum, ſi naturæ noſtræ impotentiam intuemur, quemadmodum & ex Paulo alibi adhuc oſtendetur.

Math. 19. verſ. 25.

de ſpiritu & litera, in fine, & ſæpe alias.

Rom. 8: 3.
lib. 2. c. 12. ſect. 4. & lib. 3. c. 4. ſect. 27. & cap. 11. ſect. 23.

Ex officio uſuſque Legis moralis conſideratione apparet Legem nos ducere ad Chriſtum.

6. Sed quo tota res melius pateſiat, officium uſumque Legis, quam moralem vocant, ſuccincto ordine recolligamus. Porro tribus iſtis partibus, quantum intelligo, continetur. Prima eſt, ut dum juſtitiam Dei oſtendit, id eſt, quæ ſola Deo accepta eſt, ſuæ unumquemque juſtitiæ admoneat, certiorem faciat,

1. Dum enim Lex justitiam Dei acceptam deſcribit, unumquemque convincit eſſe injuſtum.

faciat, convincat denique ac condemnet. Sic enim opus eſt, cæcum & ebrium amore ſui hominem ad notitiam ſimul & confeſſionem ſuæ tum imbecillitatis, tum impuritatis adigi: quando niſi vanitas ejus evidenter redarguatur, inſana virium ſuarum confidentia inflatus eſt, nec adduci unquam poteſt, ut de earum tenuitate ſentiat, quantiſper eas arbitrii ſui modo metitur. Atqui ſimulac eas comparare ad Legis difficultatem cœpit, habet illic, quod ferociam minuat. Utcunque enim ingentem de iis opinionem præſumpſerit, mox tamen eas ſub tanto pondere anhelare ſentit, deinde titubare ac labaſcere, tandem concidere etiam ac deficere. Sic Legis magiſterio eruditus, exuit illam, qua prius cæcutiebat, arrogantiam. Similiter altero, quo ipſum laborare dictum eſt, ſuperbiæ morbo ſanandus eſt. Quamdiu judicio ſuo ſtare permittitur, hypocriſin comminiſcitur pro juſtitia: qua contentus, factitiis neſcio quibus juſtitiis adverſus Dei gratiam erigitur. Poſtquam vero ad Legis trutinam examinare vitam ſuam cogitur, omiſſa commentitiæ illius juſtitiæ præſumptione, immenſo ſpacio ſe abeſſe à ſanctitate cernit: rurſus infinitis vitiis ſe abundare, quibus purus antea videbatur. Tam profundis enim ac ſinuoſis receſſibus abſconduntur concupiſcentiæ mala, ut hominis aſpectum facile fallant. Nec ſine
Rom.7:7. cauſa dicit Apoſtolus, ſe concupiſcentiam ignoraſſe, niſi Lex diceret, *Non concupiſces*: quia niſi per illam retegatur ex latebris ſuis, occultius miſerum hominem perdit, quam id exitiale ejus telum ſentiatur.

Ideo Lex ſpeculo appoſite comparatur, quod miſeriam noſtram nobis detegit.

7. Ita Lex inſtar eſt ſpeculi cujuſdam, in quo noſtram impotentiam, tum ex hac iniquitatem, poſtremo ex utraque maledictionem contemplamur: quemadmodum oris noſtri maculas ſpeculum nobis repræſentat. Quem enim ad ſequendam juſtitiam deſtituit facultas, hic in luto peccatorum hæreat defixus, neceſſe eſt. Peccatum continuo maledictio ſequitur. Ideo quo majoris tranſgreſſionis deprehenſos convictoſque Lex tenet, eo gravioris ſimul judicii reos agit. Huc pertinet Apoſtoli dictum,
Rom.3:20. quod per Legem eſt cognitio peccati. Primum enim ejus officium illic tantum notat, ejus experimentum eſt in peccatoribus nondum regeneratis. Huic con-
Rom.5:20. juncta ſunt iſta, Legem eſſe ſubingreſſam, ut abun-
2 Cor.3:7. daret peccatum, ac proinde eſſe adminiſtrationem
Rom.4:15. mortis, quæ iram operetur, & occidat. Eo enim magis haud dubie creſcit iniquitas, quo liquidiore peccati intelligentia conſcientia feritur: quod ad prævaricationem tunc adverſus Legislatorem contumacia accedit. Reſtat igitur, ut iram Dei in peccatoris exitium armet: quia nihil per ſe poteſt, quam accuſare, damnare & perdere. Et quemadmodum ſcribit Auguſtinus, *ſi deest Spiritus gratiæ, in hoc tantum adeſt, ut reos faciat & occidat.* Id autem quum dicitur, nec ignominia afficitur Lex, nec ejus quidem excellentiæ quicquam derogatur. Sane, ſi voluntas noſtra tota in ejus obedientiam formata compoſitaque foret, plane jam ad ſalutem ſufficeret ſola ipſius cognitio: at quum natura noſtra carnalis & corrupta cum ſpirituali Dei Lege hoſtiliter pugnet, nec ejus diſciplina quicquam emendetur, ſupereſt, ut Lex quæ in ſalutem (ſi auditores idoneos nacta fuiſſet) data erat, in peccati & mortis occaſionem cedat. Quandoquidem enim omnes ejus tranſgreſſores eſſe convincimur, quo juſtitiam Dei clarius refert, eo noſtram ex adverſo iniquitatem magis detegit: quo vitæ ſalutiſque præmium juſtitiæ repoſitum certius confirmat, eo certiorem iniquorum interitum reddit. Tantum ergo abeſt, quin Legi contumelioſa ſint iſta elogia, ut ad illuſtriorem divinæ beneficentiæ commendationem plurimum valeant. Nam inde profecto patet, noſtra nequitia & pravitate nos impediri, quominus vitæ beatitudine per Legem in propatulo poſita fruamur. Unde ſuavior redditur, quæ ſine Legis

Nec propterea Lex ignominia afficitur, aut de excellentia ſua quicquam amiſit.

de corrept. & grat. vide Amb. lib. 1. de Jac. & vita beata, c. 6.

ſubſidio nobis ſuccurrit Dei gratia: & amabilior, quæ illam nobis confert, miſericordia, qua diſcimus identidem benefaciendo & nova dona cumulando nunquam ipſum defatigari.

Nec ideo deſpondere animum debemus, quod Lex fiduciam noſtras detegat: ſed potius ad Dei miſericordiam confugere.

8. Quod autem omnium noſtrûm iniquitas & damnatio Legis teſtimonio conſignatur, non ideo fit (ſi tamen rite in ea proficimus) ut concidamus deſperatione, ac deſponſis animis in præcipitium corruamus. In hunc certe modum illinc exanimantur reprobi: ſed ob animi obſtinationem. Apud filios Dei alium eſſe eruditionis finem convenit. Nos quidem judicio Legis damnatos eſſe teſtatur Apoſtolus, quo omne os obſtruatur, & obnoxius reddatur omnis mundus Deo. Idem tamen alibi do- Rom.3:19.
cet, Deum omnes ſub incredulitate concluſiſſe, non Rom. 11.
ut perdat, aut omnes perire ſinat, ſed ut omnium verſ. 32.
miſereatur. Nempe, ut omiſſa ſuæ virtutis ſtolida opinione, ſola Dei manu ſtare ſe & conſiſtere intelligant, ut nudi & vacui ad ejus miſericordiam confugiant, in hanc ſe toti reclinent, in hanc penitus ſe abdant, hanc unam pro juſtitia & meritis arripiant, quæ omnibus in Chriſto expoſita eſt, quicunque eam vera fide & expetunt & expectant. Deus enim in Legis præceptis, nonniſi perfectæ juſtitiæ, qua nos omnes deſtituti ſumus, remunerator: contra autem ſeverus ſcelerum judex apparet. In Chriſto autem facies ejus gratiæ ac lenitatis plena, erga miſeros etiam ac indignos peccatores relucet.

Quomodo id fieri poteſt.

Prioris hujus Legis moralis uſus & officii confirmatio, ex Auguſtino, variis locis.

9. De profectu ad implorandam auxilii gratiam ſæpe Auguſtinus: ut quum ſcribit Hilario, *Jubet Lex, ut facere juſſa conati, & in noſtra infirmitate ſub Lege fatigati, adjutorium gratiæ poſcere noverimus.* Item Aſellio, *Utilitas Legis eſt, ut hominem de ſua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam, quæ in Chriſto eſt, implorare compellat.* Item ad In- epiſt. 89.
nocentium Romanum, *Jubet Lex: gratia vires agen-* epiſt. 200.
di ſubminiſtrat. Item Valentino, *Jubet Deus, quæ* epiſt. 95.
non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Item, *Data eſt Lex, ut vos reos faceret: rei* lib. de corrept. & gratia.
facti, timeretis: timentes, indulgentiam peteretis: in Pſal. 70.
de viribus veſtris non præſumeretis. Item, *Ad hoc* in Pſ. 118.
data Lex, ut de magno parvulum faceret: ut te ad juſtitiam vires de tuo non habere monſtraret, ac ſic inops, indigus ac egenus ad gratiam confugeres. Poſt- Concio.27
ea ſermonem ad Deum dirigit, *Ita fac Domine, ita fac miſericors Domine: impera, quod non poſſit impleri: imo impera, quod nonniſi per gratiam tuam poſſit impleri: ut quum homines id implere per ſuas vires nequiverint, omne os obſtruatur, & nemo ſibi magnus videatur. Sint omnes parvuli, & reus fiat omnis mundus coram Deo.* Sed ego ineptus ſum, qui tot teſtimonia congero, quum proprium opus ſcripſerit ſanctus ille vir, cui titulum fecit De ſpiritu & litera. Secundum profectum non tam ſignificanter deſcribit, vel quod dependere ex illo priore noverat, vel quod non ita probe tenebat, vel quod verba non habebat, quibus rectum alioqui ſenſum ita diſtincte & perſpicue explicaret. Neque tamen in reprobis quoque ipſis primum hoc Legis officium ceſſat. Quanquam enim cum filiis Dei non hucuſque pergunt, ut poſt carnis dejectionem interiore homine renoventur ac refloreſcant, ſed primo terrore attoniti in deſperatione jacent: pertinent tamen ad manifeſtandam divini judicii æquitatem, ejuſmodi fluctibus eorum conſcientias exagitari. Siquidem libenter ſemper cupiunt adverſus Dei judicium tergiverſari: nunc illo nondum patefacto, Legis tamen & conſcientiæ teſtimonio ſic conſternati, in ſeipſis produnt quid meriti ſint.

2. Alterum Legis officium eſt, ut peccatores coerceantur.

10. Secundum Legis officium eſt, ut qui nulla juſti rectique cura, niſi coacti, tanguntur, dum audiunt diras in ea ſanctiones, coërceantur ſaltem pœnarum formidine. Coërcentur autem, non quod interior eorum animus permoveatur, aut afficiatur: ſed quia, tanquam injecto freno, manus ab

exteriori

exteriori opere continent, & ſuam pravitatem intus cohibent, quam alioqui petulanter effuſuri erant. Ex eo nec meliores quidem ſunt, nec apud Deum juſtiores. Nam tametſi vel terrore vel pudore impediti exercere non audent, quod animo conceperunt, nec ſuæ libidinis furias palam efflare, cor tamen non habent compoſitum ad timorem & obedientiam Dei: imo quo magis ſeſe retinent, eo fortius intus accenduntur, fervent, bulliunt, parati quidvis facere, & quovis prorumpere, niſi bic terror Legis obſtaret. Nec id ſolum, ſed Legem quoque ipſam peſſime oderunt, & Deum Legiſlatorem execrantur, ut eum, ſi poſſent, maxime velint tollere, quem nec recta jubentem, nec ſuæ majeſtatis contemptores ulciſcentem ferre poſſunt. Aliis quidem obſcurius, aliis clarius, omnibus tamen nondum regeneratis hic ſenſus ineſt, ut non voluntaria ſubmiſſione, ſed inviti ac reſtitantes, tantum timoris violentia ad Legis ſtudium trahantur. Sed tamen hæc coacta expreſſaque juſtitia, neceſſaria eſt publicæ hominum communitati, cujus hic tranquillitati conſulitur, dum cavetur, ne omnia permiſceantur tumultu: quod fieret, ſi omnia omnibus licerent. Quin etiam filiis Dei non eſt inutile hac pædagogia exerceri, quantiſper ante vocationem, Spiritu ſanctificationis deſtituti, inſipientia carnis laſciviunt. Dum enim divinæ ultionis terrore, vel ab externa petulantia retrahuntur, utcunque nondum animo domiti parum in præſentia promoveant, aliqua tamen ex parte ferendo juſtitiæ jugo aſſueſiunt: ne quum vocati fuerint, ſint ad diſciplinam, ceu ad rem incognitam, rudes prorſus ac novitii. Hoc officium videtur Apoſtolus proprie attigiſſe, quum tradit Legem non eſſe juſto poſitam, ſed injuſtis & immorigeris, impiis & peccatoribus, ſceleratis & profanis, parricidis, homicidis, fornicariis, pæderaſtis, plagiariis, mendacibus ac perjuris: & ſiquid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur. Indicat enim eſſe exultantibus, & ſine modo alioquin vagaturis carnis libidinibus retinaculum.

Eſt itaque illud publica hominum communitati valde neceſſarium: nec tantum reprobis, ſed etiam electis ante regenerationem, quod Apoſtoli auctoritate confirmatur,

1 Tim. 1: 9.

11. Ad utrumque vero accommodari poteſt, quod alibi dicit, Legem fuiſſe Judæis pædagogum ad Chriſtum. ſiquidem duo ſunt hominum genera, quos ad Chriſtum ſua pædagogia manuducit. Alii (de quibus primo loco diximus) quia propriæ aut virtutis, aut juſtitiæ fiducia nimis pleni ſunt, recipiendæ Chriſti gratiæ non ſunt idonei, niſi prius ſint exinaniti. Ergo eos miſeriæ ſuæ agnitione Lex ad humilitatem ſubigit, quo ita præparentur ad expetendum, quod ſibi antea deeſſe non putabant. Alii opus habent freno, quo retineantur, ne ita laxent frena carnis ſuæ laſciviæ, ut ab omni juſtitiæ ſtudio prorſus excidant. Ubi enim nondum regit Spiritus Dei, illic ſic ebulliunt interdum libidines, ut periculum ſit, ne animam ſibi obnoxiam in oblivionem contemptumque Dei demergant: & fieret, niſi Dominus hoc remedio obviam iret. Itaque, quos ad regni ſui hæreditatem deſtinavit, ſi non ſtatim regenerat, ad tempus ſuæ viſitationis conſervat per Legis opera ſub timore, non illo quidem caſto & puro, qualis in ejus filiis eſſe debet, utili tamen ad hoc, ut ad veram pietatem pro ſuo captu erudiantur. Hujus rei tot habemus documenta, ut minime opus ſit exemplo. Quicunque enim aliquandiu in ignoratione Dei verſati ſunt, hoc ſibi acciduſſe fatebuntur, ut Legis freno retinerentur in qualicunque Dei metu & obſervantia, donec Spiritu regenerati, ex animo ipſum amare inciperent.

Primo ad commonſtrandam unicuique ſuam miſeriam, ut ad remedium expetendum non deplorati præparentur.

Deinde ad continendum unumquemque in ſuo officio.

Confirmatio ab experientia & ſenſu uniuſcujuſque.

12. Tertius uſus, qui & præcipuus eſt, & in proprium Legis finem propius ſpectat, erga fideles locum habet, quorum in cordibus jam viget ac regnat Dei Spiritus. Nam tametſi digito Dei, Legem ſcriptam & inſculptam habent in cordibus, hoc eſt, ſic affecti ſunt & animati per Spiritus directionem, ut obtemperare Deo cupiant: bifariam tamen adhuc in Lege proficiunt. Eſt enim illis optimum organum, quo melius in dies ac certius diſcant, qualis ſit Domini voluntas, ad quam aſpirant: atque in ejus intelligentia confirmentur. Ut ſiquis ſervus jam ita ſit toto animi ſtudio comparatus, ut domino ſuo ſe approbet, neceſſe tamen habet mores domini explorare accuratius & obſervare, ad quos ſe componat & accommodet. Nec ſe quiſpiam noſtrûm ab hac neceſſitate eximat. nemo enim eo ſapientiæ adhuc penetravit, ut non poſſit ex quotidiana Legis eruditione novos facere progreſſus in puriorem divinæ voluntatis notitiam. Deinde, quia non ſola doctrina, ſed exhortatione quoque indigemus, hanc quoque utilitatem ex Lege capiet ſervus Dei, ut frequenti ejus meditatione excitetur ad obſequium, in eo roboretur, à delinquendi lubrico retrahatur. In hunc enim modum ſanctos ſibi inſtare oportet, qui ſecundum Spiritum quantalibet alacritate ad Dei juſtitiam contendant, carnis tamen ignavia ſemper onerantur, quominus legitima promptitudine pergant. Huic carni Lex flagrum eſt, quo inſtar inertis tardique aſini, ad opus urgeantur. imo ſpirituali homini, quia nondum carnis mole expeditus eſt, aſſiduus aculeus erit, qui deſidere illum non permittat. Nimirum in hunc uſum reſpiciebat David, quum inſignibus illis encomiis Legem celebraret, *Lex Domini immaculata, convertens animas: juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, &c. Item, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*. ac innumera, quæ toto illo Pſalmo proſequitur. Neque vero repugnant iſta Paulinis ſententiis, quibus oſtenditur, non quem regeneratis uſum Lex præſtet, ſed quid homini per ſe conferre queat. Hic autem canit Propheta quanta cum utilitate Legis ſuæ lectione erudiat Dominus eos, quibus intus obſequendi promptitudinem aſpirat: nec ſola præcepta arripit, ſed rebus annexam gratiæ promiſſionem, quæ ſola facit, ut quod amarum eſt, dulceſcat. Quid enim Lege minus amabile, ſi flagitando tantum & minando metu ſollicitet animas, & terrore angat? Præſertim vero oſtendit David, ſe in Lege Mediatorem apprehendiſſe, ſine quo nulla eſt oblectatio vel ſuavitas.

3. Tertius uſus (qui & præcipuus & maxime proprius) tantum erga electos locum habet.

Primum enim eos de voluntate Dei fideliter & in dies magis ac magis inſtruit.

Deinde exhortationibus excitat in obſequium.

Teſte Davide.

Pſal. 19 8.

Pſal. 119. verſ. 105.

Qui cum Apoſtolo conciliatur.

13. Quod diſcernere dum imperiti quidam neſciunt, totum Moſen animoſe explodunt, duaſque Legis tabulas valere jubent: quia ſcilicet Chriſtianis alienum eſſe arbitrantur adhærere doctrinæ, quæ mortis adminiſtrationem continet. Faceſſat longe ex animis noſtris profana iſtæc opinio. pulchre enim docuit Moſes, Legem, quæ apud peccatores nihil quam mortem generare poteſt, in ſanctis meliorem præſtantioremque habere debere uſum. Sic enim moriturus populo edixit, *Ponite corda veſtra in omnia verba, quæ ego teſtificor vobis hodie, ut mandetis ea filiis veſtris, doceatiſque cuſtodire, facere & implere univerſa, quæ ſcripta ſunt in volumine Legis hujus, quia non incaſſum præcepta ſunt vobis, ſed ut ſinguli in eis viverent.* Quod ſi abſolutum in ea juſtitiæ exemplar eminere nemo inficietur, aut nullam eſſe nobis recte juſteque vivendi regulam oportet, aut ab ea nefas eſt diſcedere. Siquidem non plures, ſed una eſt perpetua & inflexibilis vivendi regula. Quamobrem, quod juſti hominis vitam in Legis meditatione continuam facit David, id ne ad ſeculum unum referamus, quia ſingulis ad finem mundi ætatibus convenientiſſimum eſt: nec abſterreamur ideo, aut refugiamus ab ejus inſtitutione, quod exactiorem multo ſanctitatem præſcribat, quam præſtituri ſumus, dum circumferemus carcerem corporis noſtri. Non enim jam rigidi exactoris vicem erga nos fungitur, cui non ſatisfiat, niſi ſoluto penſo: ſed in hac, ad quam nos adhortatur, perfectione, metam demonſtrat, ad quam nobis tota vita contendere non minus utile eſt, quam officio noſtro con-

Ideo profana illa opinio Antinomorum explodenda, Chriſtianos ſcil. non debere Legi adhærere, quippe quæ mortis adminiſtrationem contineat.

Deut. 32. verſ. 46.

Ratio, ex Moſis & Davidis dicto deſumpta.

Pſal. 1: 2.

conſentaneum. In qua contentione ſi non deficimus, bene eſt. Stadium namque eſt tota hæc vita, cujus decurſo ſpatio, dabit Dominus, ut metam illam, ad quam nunc eminus nituntur noſtra ſtudia, teneamus.

Poſtrema capitis pars, in qua de abrogatione Legis agitur. Primum autem de morali.

14. Nunc ergo, quoniam vim exhortationis erga fideles habet Lex, non quæ eorum conſcientias maledictione liget, ſed quæ pigritiam, ſubinde iſtando excutiat, & imperfectionem vellicet: multi dum volunt ſignificare hanc ab illius maledictione liberationem; dicunt abrogatam eſſe Legem fidelibus (de morali adhuc loquor) non quod amplius illis non jubeat quod rectum eſt, ſed duntaxat, ne ſit illis quod antea erat, hoc eſt, ne eorum conſcientias perterrendo & confundendo, damnet ac perdat. Et ſane talem Legis abrogationem non obſcure docet Paulus. A Domino quoque fuiſſe prædicatam ex eo apparet, quod opinionem illam de Lege à ſe diſſipanda non refutaſſet, niſi invaluiſſet inter Judæos. Quum autem non potuerit temere, ſine ullo prætextu, emergere; credibile eſt, ab ejus doctrinæ falſa interpretatione fuiſſe natam: qualiter cuncti fere errores occaſionem à veritate ſumere conſueverunt. Nos vero, ne ad eundem impingamus lapidem, accurate diſtinguamus, quid in Lege ſit abrogatum, quid firmum adhuc maneat.

Quid in ea ſit abrogatum & non abrogatum.

Mat. 5:17.

Quum teſtatur Dominus ſe non veniſſe ad Legem abolendam, ſed ad implendam: nec præteriturum, donec cælum ac terra tranſeant, apicem ex Lege, quin omnia fiant: nihil de obſervantia Legis per ſuum adventum detractum iri ſatis confirmat. Et merito: quando in hunc finem potius venit, ut ejus tranſgreſſionibus mederetur. Manet igitur per Chriſtum inviolabilis Legis doctrina: quæ nos docendo, admonendo, objurgando, corrigendo, ad omne opus bonum formet ac comparet.

Maledictio Legis quomodo abrogata.

15. Quæ vero de maledictione dicuntur à Paulo, non ad inſtitutionem ipſam pertinere, ſed ſolum ad conſtringendæ conſcientiæ vigorem, conſtat. Non enim ſolum docet Lex, ſed imperioſe exigit, quod mandat. Si non exhibeatur, imo ſiqua in parte ab officio ceſſetur, maledictionis fulmen

Gal. 3:10.

ſtringit. Hac ratione dicit Apoſtolus, omnes, qui ſunt ex operibus Legis, eſſe execrationi obnoxios, quia ſcriptum ſit, *Execrabilis omnis, qui non complet omnia.*

Deut. 27. verſ. 26.

Eos autem ſub operibus Legis dicit, qui in remiſſione peccatorum juſtitiam non ſtatuunt, per quam à Legis rigore ſolvimur. Solvi ergo nos à Legis vinculis oportere docet, niſi volumus ſub illis miſere perire. Sed quibus vinculis? illius auſteræ & infeſtæ exactionis, quæ ex ſummo jure nihil remittit, nec tranſgreſſionem ullam impunitam ſinit:

Gal. 3:13. Deut. 21. verſ. 23.

ab hac, inquam, maledictione ut nos redimeret Chriſtus, factus eſt pro nobis maledictio. Scriptum eſt enim, *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.*

Gal. 4:4.

Capite quidem ſequenti tradit, Chriſtum Legi fuiſſe ſubjectum, ut eos, qui ſub Lege erant, redimeret: ſed eodem ſenſu. ſubdit enim continuo, *Quo jus filiorum, adoptione reciperemus.* Quid iſtuc eſt? ne perpetua ſervitute premeremur, quæ conſcientias noſtras anxietate mortis compreſſas teneret. Interim manet illud ſemper inconcuſſum, ex Legis auctoritate nihil deceſſiſſe, quin eadem ſemper veneratione obedientiaque ipſam ſuſcipi à nobis conveniat.

De abrogatione Legis ceremonialis, quoad uſum tantummodo.

16. Alia ceremoniarum ratio, quæ non effectu, ſed uſu ſolo fuerunt abrogatæ. Quod autem illis finem adventu ſuo Chriſtus impoſuit, adeo nihil earum ſanctitati derogat, ut eam magis commendet ac illuſtret. Nam ſicuti veteri populo inane præbuiſſent ſpectaculum, niſi mortis & reſurrectionis Chriſti virtus illic monſtrata eſſet: ita niſi ceſſaſſent, diſcernere hodie non liceret quorſum fuiſſent inſtitutæ.

Coloſſ. 2. verſ. 17.

Ideo Paulus, ut earum obſervationem non ſupervacuam modo, ſed noxiam quoque eſſe probet, umbras fuiſſe docet, quarum nobis extat in Chriſto corpus. Videmus ergo, ut in earum abolitione melius refulgeat veritas, quam ſi adhuc procul & quaſi obtento velo Chriſtum, qui palam apparuit, figurarent.

Matth. 27. verſ. 51.

Ideo & Chriſti morte velum templi in duas partes ſciſſum cecidit: quia jam viva & expreſſa cæleſtium bonorum imago in lucem prodierat, quæ obſcuris tantum lineamentis inchoata fuerat, ſicuti loquitur auctor epiſtolæ ad Hebræos.

cap. 10:1. Luc. 16. verſ. 16.

Huc pertinet dictum Chriſti, Legem & Prophetas fuiſſe uſque ad Joannem: ex eo regnum Dei cœpiſſe euangelizari. non quod prædicatione, quæ ſpem ſalutis & vitæ æternæ continet, privati fuerint ſancti Patres: ſed quia procul & ſub umbraculis intuiti ſunt duntaxat, quod hodie in plena luce conſpicimus. Cur autem Eccleſiam Dei ab illis rudimentis altius tranſcendere oportuerit, explicat Joannes Baptiſta, Quod Lex per Moſen data ſit, gratia autem & veritas per Jeſum facta.

Joan. 1:17.

Quia etſi vere expiatio in veteribus ſacrificiis promiſſa fuit, & arca fœderis certum fuit paterni Dei favoris pignus: hoc totum umbratile fuiſſet, niſi in Chriſti gratia fundatum, ubi reperitur ſolida æternaque ſtabilitas. Hoc quidem fixum maneat, quamvis ſervari deſierint ritus legales, ipſo tamen fine melius cognoſci, quanta fuerit eorum utilitas ante Chriſti adventum, qui uſum tollendo, vim & effectum ſua morte obſignavit.

Ratio autem ab Apoſtolo aſſignata non ad Legem moralem, ſed ad obſervationes ceremoniales ſpectat.

Col. 2:13.

17. Paulo plus difficultatis habet, quæ notatur à Paulo ratio, *Et vos quum eſſetis mortui per delicta & præputium carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adverſus nos erat chirographum in decretis, quod erat nobis contrarium: & ipſum tulit è medio, affigens cruci,* &c. Videtur enim Legis abolitionem aliquantulum ultra dilatare, ut nihil jam nobis ſit cum illius decretis. Errant enim, qui ſimpliciter de Lege morali accipiunt, cujus tamen inexorabilem magis ſeveritatem, quam doctrinam abolitam interpretantur. Alii acutius penſiculantes Pauli verba, perſpiciunt in Legem ceremonialem proprie competere: & oſtendunt, id non ſemel apud Paulum ſonare vocabulum *Decreti*: nam ad Epheſios quoque ita loquitur,

Eph. 2:14.

Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, Legem mandatorum in decretis ſitam evacuans, ut duos conderet in ſeipſo, in unum novum hominem.

Quæ ideo abrogata ſunt, non ſolum quod Judæos à Gentibus ſeparaverint.

De ceremoniis illic agi, minime ambiguum: quia interſtitium vocat, quo Judæi à Gentibus diſſidebant. Quare priores illos ab his jure reprehendi fateor: ſed ab his quoque nondum bene explicari mens Apoſtoli mihi videtur. Nam illos duos locos ſimul per omnia comparari, nullo modo placet. Epheſios, quum de ſua in ſocietatem Iſraëlis cooptione certiores facere vellet, impedimentum, quo arcebantur olim, ſublatum docet: illud erat in ceremoniis. Ritus enim ablutionum & ſacrificiorum, quibus Judæi Domino conſecrabantur, eos à Gentibus ſegregabant. At in epiſtola ad Coloſſenſes ſublimius myſterium attingi quis non videat? Certamen eſt quidem illic de Moſaicis obſervationibus, ad quas pſeudo apoſtoli Chriſtianum populum adigere ſtudebant: ſed quemadmodum in epiſtola ad Galatas controverſiam illam altius ducit, & quodammodo ad fontem ſuum revocat: ita & hoc loco.

Sed multo magis quod nihil eſſent quam ſolennia quædam inſtrumenta, quæ reatum & immunditiem noſtram teſtarentur.

Nam ſi in ritibus nihil aliud conſideras, quam defungendi neceſſitatem, quorſum attinebat vocari chirographum contrarium nobis? præterea in eo totam prope redemptionis noſtræ ſummam ponere, ut induceretur? Quare res ipſa clamat, hic aliquid interius reputandum eſſe. Ego autem confido me germanam intelligentiam aſſequutum, ſi tamen mihi verum eſſe conceditur, quod alicubi veriſſime ab Auguſtino ſcriptum eſt, imo quod ex claris Apoſtoli verbis hauſit, in ceremoniis Judaicis confeſſionem magis delictorum extitiſſe, quam expiationem.

Hebr. 7. v. 9, 10.

Quid enim ſacrificiis aliud agebant, quam ſe mortis conſcios

fateban-

ſatebantur, qui in ſuum locum catharmata ſubſtituebant? Quid purificationibus, niſi quod ſe immundos teſtabantur? Ita renovabatur ſubinde ab illis & piaculi & impuritatis ſuæ chirographum: ſolutio in illa teſtificatione non erat. Qua ratione ſcribit Apoſtolus, morte demum Chriſti intercedente, redemptionem prævaricationum eſſe peractam, quæ manebant ſub veteri Teſtamento. Merito ergo chirographa vocat Apoſtolus, ſuis cultoribus adverſa: quaodo per illa ſuam damnationem ac immunditiem palam conſignabant. Nec obeſt, quod illi quoque ejuſdem nobiſcum gratiæ participes fuerunt. Id enim ſunt aſſequuti to Chriſto, non in ceremoniis, quas illic à Chriſto diſcernit Apoſtolus: quoniam Chriſti gloriam, tum uſurpatæ, obſcurabant. Habemus ceremonias, ſi per ſe conſiderentur, eleganter & appoſite vocari chirographa, hominum ſaluti contraria: quia velut ſolennia inſtrumenta erant, quæ ipſorum obligationem reſtarentur. Illis quum vellent rurſum Chriſtianam Eccleſiam aſtringere pſeudoapoſtoli, non ſine cauſa Paulus, altius repetita earum ſignificatione, Coloſſenſes admonuit, quo relaberentur, ſi ſubjugari ſe in eum modum ab ipſis paſſi eſſent. Simul enim illis excutiebatur Chriſti beneficium: quatenus, peracta ſemel æterna expiatione, quotidianas illas obſervationes abolevit: quæ ad peccata conſignanda tantum validæ, ad eadem delenda nihil poterant.

Heb. 9:15.

Hæc quum Chriſtus morte ſua deleverit, merito chirographum, quod contra nos erat, ſuſtuliſſe & cruci affixiſſe dicitur.

CAP. VIII.

Legis moralis explicatio.

Quatuor partibus conſtat hoc caput.

1. *Præmittuntur generalia quædam dicta, intellectu neceſſaria, quæ præfationis vice funguntur, ſect. 1. 2. 3 4. & 5.*
2. *Deinde tres obſervationes perpetuæ in Legis moralis vero ſenſu explicando & aſſequendo, à ſect. 6. ad 12.*
3. *Explicatio Legis moralis, ſeu decem Dei præceptorum, additur, à 13. ſect. ad 50.*
4. *Poſtrema pars oſtendit, quorſum tota Lex ſpectet: nempe, non tantum ut rudimenta, ſed etiam ut perfectionem doceat: idque à 51. ſectione uſque ad finem capitis.*

Primum, Lex ſcripta eſt, ut utilem & ſalutarem, cum Dei, tum etiam noſtri notitiam, quæ nos tenuiter & obſcure Lex naturalis imbuerat, plenius & perfectius nos doceret.

Connexio hujus cap. cum lib. 1. cap. 1 & 2. item cum lib. 2. c. 1. 2. 3. 5. 6.

Propoſitionis probatio à præcipuarum partium Legis moralis enumeratione.

lib. 2. c. 2. ſect. 22.

Item, à dictamine Legis naturalis omnium cordibus inſcripta & peccato velut obliterata.

HIc decem Legis præcepta, cum brevi eorum explicatione, inſerere non alienum fore arbitror: quia & inde melius patebit quod attigi, quem ſemel Deus præſcripſit cultum adhuc vigere: deinde accedet ſecundi capitis confirmatio, non ſolum didiciſſe ex ea Judæos, quænam eſſet vera pietatis ratio, ſed horrore judicii, quum ſe obſervationi viderent impares, fuiſſe ſubactos, ut vel inviti ad Mediatorem traherentur. Porro inter explicandam eorum ſummam, quæ in vera Dei notitia requiruntur, docuimus non poſſe ipſum pro ſua magnitudine à nobis concipi, quin ſtatim occurrat ejus majeſtas, quæ nos ad ejus cultum adſtringat. In cognitione noſtri hoc præcipuum poſuimus, ut propriæ virtutis opinione vacui, & propriæ juſtitiæ fiducia exuti: contra, egeſtatis conſcientia fracti & contuſi, ſolidam humilitatem diſcamus, ac noſtri dejectionem. Utrumque in Lege ſua Dominus exequitur, ubi primum, vindicata ſibi legitima imperandi poteſtate, ad numinis ſui reverentiam nos vocat, atque in quo ſita ea ſit & conſtituta præſcribit: deinde, promulgata juſtitiæ ſuæ regula (cujus rectitudini ingenium noſtrum, ut pravum eſt & contortum, perpetuo adverſatur: & infra cujus perfectionem facultas noſtra, ut imbecilla eſt & ad bonum enervata, procul jacet) tum impotentiæ nos, tum injuſtitiæ arguit. Porro hæc ipſa, quæ ex duabus tabulis diſcenda ſunt, quodammodo nobis dictat Lex interior, quam omnium cordibus inſcriptam & quaſi impreſſam ſuperius dictum eſt. Non enim ſinit nos perpetuum ſomnum ſine ſenſu dormire noſtra conſcientia, quin intus teſtis ſit ac monitrix eorum, quæ Deo debemus, quin boni & mali diſcrimen nobis objiciat, atque ita nos accuſet dum ab officio diſcedimus. Verum, qua errorum caligine obvolutus eſt homo, per legem illam naturalem vix tenuiter deguſtat, quis Deo acceptus ſit cultus: certe à recta ejus ratione longiſſimo intervallo diſtat. Ad hoc arrogantia & ambitione ſic turgidus, ſuique amore excæcatus eſt, ut ſe proſpicere nondum queat, & velut in ſe deſcendere, quo ſubmittere ſe ac dejicere diſcat, ſuamque miſeriam fateri. Proinde (quod tum hebetudini, tum contumaciæ noſtræ neceſſarium erat) Dominus Legem ſcriptam nobis poſuit: quæ & certius teſtificaretur, quod in lege naturali nimis obſcurum erat, & mentem memoriamque noſtram, excuſſo torpore, vividius feriret.

Quæ de cauſa Lex ſcripta nobis poſita eſt.

Generalia quædam dicta. 1. Ex Dei per

2. Nunc promptum eſt intelligere, quid ex Lege diſcendum ſit: nempe Deum, ſicut Creator eſt noſter, ita jure locum patris & domini erga nos obtinere: hac ratione gloriam, reverentiam, amorem, timorem illi à oobis deberi. Quin etiam nos non eſſe noſtri juris, ut quocunque animi libido incitarit, ſequamur; ſed ab ejus nutu ſuſpenſos, in eo ſolo debere conſiſtere, quod ei placuerit. Deinde juſtitiam ac rectitudinem illi cordi eſſe, iniquitatem vero abominationi: ideoque, niſi velimus impia ingratitudine à conditore noſtro deficere, juſtitiam tota vita nobis eſſe neceſſario colendam. Nam, ſi tum illi demum exhibemus, quam decet, reverentiam, dum voluntatem ejus noſtræ præferimus: ſequitur non alium eſſe legitimum ejus cultum, quam juſtitiæ, ſanctitatis, puritatis obſervationem. Nec prætendere excuſationem licet, quod facultas deſit, &, velut exhauſti debitores, ſolvendo non ſimus. Non enim convenit, ut Dei gloriam metiamur ex noſtra facultate. qualeſcunque enim ſimus, manet ille ſui ſimilis ſemper, amicus juſtitiæ, iniquitati infenſus. Quicquid à nobis exigat, (quia non poteſt niſi rectum exigere) ex naturæ obligatione obſequendi neceſſitas nos manet: quod autem non poſſumus, id vitii noſtri eſt. A propria enim cupiditate, in qua peccatum regnat, ſi vincti tenemur, ne ſoluti ſimus in noſtri Patris obſequium, non eſt cur neceſſitatem pro defenſione cauſemur, cujus malum & intra nos eſt & nobis imputandum.

Legem notitia diſcimus, Deum patris & domini locum erga nos jure obtinere.

Juſtitiam illi gratam, iniquitatem abominationis eſſe.

Eſt igitur iniquitas fugienda, juſtitia vero colenda, utcunque ſimus imbecilles.

3. Ubi huc uſque per Legis doctrinam profecerimus, tum ad nos, eadem docente, deſcendere oportet, unde tandem duo referamus: Primum, juſtitiam Legis cum vita noſtra comparando, longe abeſſe, quin Dei voluntati reſpondeamus: ideoque indignos eſſe, qui locum noſtrum retineamus inter ejus creaturas, nedum inter filios cenſeamur. Deinde vires noſtras reputando, adimplendæ Legi non impares modo eas eſſe, ſed prorſus nullas. Hinc neceſſario ſequitur, tum propriæ virtutis diffidentia, tum animi anxietas & trepidatio. Neque enim iniquitatis pondus ſuſtinere poteſt conſcientia, quin mox Dei judicium obverſetur. Sentiri vero Dei judicium non poteſt, quin mortis horrorem incutiat. Similiter impotentiæ documentis coacta, facere nequit, quin protinus in virium ſuarum deſperationem concidat. Utraque affectio humilitatem ac dejectionem generat: ita ſit demum, ut homo æternæ mortis (quam injuſtitiæ ſuæ merito ſibi imminere videt) ſenſu perterrefactus, ad unam Dei miſericordiam, tanquam ad unicum ſalutis portum, ſeſe convertat: ut ſuæ non eſſe facultatis ſentiens exolvere, quod Legi debet, in ſeipſo deſperabundus, ad opem aliunde poſcendam & expectandam reſpiret.

2. Ex noſtri per Legem notitia, fœditatem & impotentiam noſtram intueri diſcimus: ut in nobis ipſis fruſtrati & pudefacti, illud auxilium conquiramus.

4. Sed

Hinc eſt, quod Deus præceptis promiſſiones ac minas ſubjunxit.

4. Sed enim non contentus Dominus juſtitiæ ſuæ reverentiam conciliaſſe: quo etiam ejus amore, ſimul & iniquitatis odio, corda noſtra imbueret, promiſſiones ac minas ſubjunxit. Quia enim magis caligat mentis noſtræ oculus, quam ut ſola boni pulchritudine afficiatur, clementiſſimus Pater pro ſua indulgentia nos ad ipſum amandum & expetendum illectare præmiorum dulcedine voluit. Denunciat ergo, repoſita virtutibus apud ſe præmia: nec operam fruſtra ſumpturum, qui præceptis ſuis fuerit obſequutus. Edicit ex adverſo, non tantum eſſe execrabilem ſibi injuſtitiam, ſed nec impune evaſuram: quod ipſe contemptæ ſuæ majeſtatis ultor ſit futurus.

Quæ non tantum res momentaneas, ſed etiam cœleſtes & æternas comprehendunt.

Ac quo modis omnibus cohortetur, tam vitæ præſentis benedictiones, quam æternam beatitudinem pollicetur eorum obedientiæ, qui mandata ſua ſervaverint: tranſgreſſoribus non minus præſentes calamitates, quam æternæ mortis ſupplicium minatur. Illa enim promiſſio, *Qui fecerit hæc, vivet in illis*: item comminatio illi reſpondens, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur*: ad futuram procul dubio & nunquam finiendam vel immortalitatem vel mortem ſpectant.

Lev. 18: 5. Ezech. 18. v. 4. & 20.

Quanquam ubicunque commemoratur benevolentia, aut ira Dei, ſub illa æternitas vitæ, ſub hac æternum exitium continetur.

Præterea ſummam Dei puritatem, juſtitiæ amorem & erga nos benignitatem teſtantur.

Præſentium autem benedictionum ac maledictionum longus in Lege catalogus recenſetur. Atque in ſanctionibus quidem ſumma Dei puritas, quæ iniquitatem ferre non poteſt: in promiſſionibus vero, præter ſummum erga juſtitiam amorem (quem præmio fraudare non ſuſtinet) mira quoque ejus benignitas approbatur. Nam, quum ejus majeſtati cum noſtris omnibus ſimus obærati, jure optimo quicquid requirit à nobis, tanquam debitum repoſcit. debiti autem ſolutio remuneratione digna non eſt. Jure igitur ſuo decedit, quum præmium proponit noſtris obſequiis, quæ non ultro ceu indebita exhibentur. Quid autem ipſæ nobis per ſe afferant, partim dictum eſt, partim clarius iterum ſuo loco apparebit. ſatis in præſentia eſt, ſi tenemus ac reputamus eſſe in Legis promiſſionibus non vulgarem juſtitiæ commendationem: quo certius conſtet, quantopere Deo placeat ejus obſervatio: ſanctiones in majorem injuſtitiæ execrationem eſſe poſitas, ne vitiorum blanditiis delibutus peccator, judicium Legiſlatoris ſibi paratum obliviſcatur.

Lev. 26: 4. Deut. 28. verſ. 1.

3. Porro Lex oſtendit nihil Deo eſſe acceptius obedientia. Quæ opera omnia fictitia, & hypocritarum varios cultus damnat.

5. Porro, quod Dominus, perfectæ juſtitiæ regulam traditurus, omnes ejus partes ad voluntatem ſuam revocavit, in eo indicatur nihil eſſe illi acceptius obedientia. Quod eo diligentius obſervandum eſt, quo proclivior eſt humanæ mentis laſcivia ad varios identidem excogitandos cultus, quibus illum demereatur. Omnibus enim ſeculis hæc irreligioſa religionis affectatio (quia humano ingenio naturaliter inſita eſt) ſe prodidit, ac etiamnum prodit: quod homines comparandæ juſtitiæ rationem præter Dei verbum ſemper comminiſci geſtiunt. Unde in bonis, quæ communiter cenſentur, operibus, anguſtiorem locum tenent Legis præcepta, innumera illa humanorum turba totum fere ſpatium occupante.

vid. Calv. lib. de vera Eccleſiæ reformandæ ratione.

At vero, quid aliud Moſes quam ejuſmodi libidinem cohibere ſtuduit, quum poſt Legis promulgationem ſic populum compellaret? *Obſerva & audi omnia quæ præcipio tibi, ut bene ſit tibi & filiis tuis poſt te in ſempiternum, quum feceris quod bonum eſt & placitum coram Deo tuo. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito: non addas, nec minuas.* Atque antea, quum teſtatus eſſet, hanc eſſe ejus ſapientiam & intelligentiam coram reliquis nationibus, quod judicia, juſtitias & ceremonias accepiſſet à Domino, ſubjecerat, *Cuſtodi igitur teipſum & animam tuam ſollicite, ne obliviſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne aliquando excidant è corde tuo.* Quia ſcilicet providebat Deus, non quieturos Iſraëlitas, quin (recepta Lege) novas præterea juſtitias parturirent, niſi ſevere retinerentur: hic juſtitiæ perfectionem eſſe comprehenſam pronunciat: quod validiſſimum retinaculum eſſe debebat. nec tamen ab illa tantopere vetita audacia deſtiterunt. Quid nos? Eodem certe dicto conſtringimur. non enim dubium quin perpetuo valeat illud, quo abſolutam juſtitiæ doctrinam Legi ſuæ Dominus vendicavit: illa tamen non contenti, bonis operibus aliis ſuper alia confingendis & cudendis prodigioſe laboramus.

Remedium adverſus ſuperſtitioſos cultus, & humanam audaciam ſeſe ſupra Deum attollentem.

Huic ſanando vitio remedium optimum erit, ſi conſtanter inſederit hæc cogitatio: Legem nobis eſſe divinitus traditam, quæ nos perfectam juſtitiam edoceret: illic non aliam juſtitiam doceri, niſi quæ ad præſcriptum divinæ voluntatis exigatur: fruſtra igitur novas operum formas ad demerendum Deum tentari, cujus legitimus cultus ſola conſtat obedientia. Quin potius, quod extra Dei Legem evagetur bonorum operum ſtudium, eſſe divinæ veræque juſtitiæ non tolerandam profanationem. Veriſſime quoque Auguſtinus, qui nunc matrem cuſtodemque virtutum omnium, nunc originem appellat, obedientiam quæ Deo præſtatur.

lib. 4. de civit. Dei, cap. 12.

Secunda pars capitis, tres obſervationes ſeu regulas continens, quarum prima eſt, ut ſtatuamus, non modo ad externam honeſtatem, ſed ad interiorem ſpiritualemque juſtitiam hominis vitam in Lege formari: atque in hoc ab edictis magiſtratuum differre. Deus enim eſt ſpiritualis Legiſlator, non autem homo.

6. Verum ubi Lex Domini explicata nobis fuerit, tum aptius demum & majore cum fructu, quod de ipſius officio uſuque ante diſſerui, confirmabitur. Ante vero, quam ad excutienda ſingula capita ingredimur, quæ ad univerſalem ejus notitiam faciunt, modo præcipere operæpretium eſt. Initio conſtitutum ſit, non ad externam honeſtatem modo, ſed ad interiorem ſpiritualemque juſtitiam, hominis vitam in Lege informari. Quod quum infitiari nemo queat, pauciſſimi tamen rite animadvertunt. Id fit quia in Legiſlatorem non reſpiciunt: à cujus ingenio natura quoque Legis æſtimanda eſt. Siquis rex edicto ſcortari, occidere, furari prohibeat: ſanctione, fateor, non tenebitur ſiquis ſcortandi, occidendi, furandi cupiditatem animo conceperit tantum, nihil eorum perpetrarit. Nempe, quia mortalis Legiſlatoris providentia nonniſi ad externam civilitatem protenditur, non violantur ejus interdicta, niſi patratis flagitiis. Deus autem (cujus oculum nihil fugit, & qui externam ſpeciem non tam moratur quam cordis puritatem) ſub ſcortationis, homicidii, furti interdicto, libidinem, iram, odium, alieni appetentiam, dolum, & quicquid tale eſt, vetat. Nam quum ſit ſpiritualis Legiſlator, animæ non minus quam corpori loquitur. Homicidium autem animæ, ira eſt ac odium: furtum, mala cupiditas & avaritia: ſcortatio, libido. Leges etiam humanæ (dicet quiſpiam) conſilia & voluntates ſpectant, non fortuitos eventus. Fateor: ſed quæ extra emerſerunt. Quo animo unumquodque facinus editum fuerit, expendunt: ſed arcanas cogitationes non ſcrutantur. Proinde illis ſatisfactum fuerit, ubi quis manum duntaxat continuerit à tranſgreſſione: contra autem, quia animis noſtris lata eſt Lex cœleſtis, eorum coërcitio ad juſtam ejus obſervationem in primis neceſſaria eſt.

de bono conjugali. Contra adverſ. Legis & Prophetar. lib. 1. cap. 14.

Quæ varie late admodum extenditur, nec ſatis attente conſideratur à nobis.

At vulgus hominum, etiam dum Legis contemptum fortiter diſſimulat, oculos, pedes, manus & omnes corporis partes in aliquam Legis obſervationem componit: cor ab omni obedientia alieniſſimum interim retinet, ac ſe defunctum putat, ſi probe hominibus celaverit, quod gerit in conſpectu Dei. Audiunt, non occides, non mœchaberis, non furaberis: gladium ad cædem non exerunt: corpora ſua meretricibus non commiſcent: manus alienis bonis non injiciunt. Hæc omnia bene hactenus: ſed cædes totis animis ſpirant, fervent in libidinem, omnium bona oculis retortis aſpiciunt, & cupiditate devorant. Jam vero deeſt, quod præcipuum erat Legis. Unde quæſo tam craſſus ſtupor, niſi quod omiſſo Legiſlatore, juſtitiam ſuo magis ingenio accommodant? His fortiter reclamat Paulus, Rom. 7: 14.
affirmans *Legem eſſe ſpiritualem*: quo ſignificat, non modo animæ, mentis, voluntatis obſequium exigere, ſed

re, ſed requirere Angelicam puritatem, quæ omnibus carnis ſordibus abſterſa, nihil quam ſpiritum ſapiat.

Confirmatur ſuperior regula Chriſti auctoritate. Matth. 5. verſ. 22. 28. & 44.

7. Hunc quum eſſe Legis ſenſum dicimus, non novam ex nobis interpretationem ingerimus, ſed Chriſtum ſequimur, optimum Legis ioterpretem. Quum enim Phariſæi perverſa opinione populum imbuiſſent, Legem perficere qui externo opere nihil adverſus Legem perpetraſſet: hunc periculoſiſſimum errorem arguit: & impudicum mulieris aſpectum, ſcortationem eſſe pronunciat: homicidas teſtatur quicunque fratrem oderint. facit enim reos judicio, qui vel iram animo conceperint: reos conſilio, qui murmurando aut fremendo aliquam offenſi animi ſignificationem dederint: reos gehennæ ignis, qui conviciis & maledicentia in apertam iram proſilierint. Hæc qui non viderunt, finxerunt Chriſtum alterum Moſen, Legis Euangelicæ latorem, quæ defectum Moſaicæ illius ſuppleverit. Unde illud vulgatum axioma de perfectione Legis Euangelicæ, quæ Legem veterem longo intervallo ſuperet: quod multis modis eſt pernicioſiſſimum. Nam ex ipſo Moſe, ubi poſtea præceptorum ſummam colligemus, patebit quam indignam contumeliam divinæ Legi inurat. Patrum certe ſanctimoniam oon procul ab hypocriſi abfuiſſe inſinuat, noſque ab una illa & perpetua juſtitiæ regula deducit. Facillima autem eſt erroris confutatio: quod putarunt Chriſtum Legi adjicere, ubi ſuæ tantum integritati reſtituit, dum Phariſæorum mendaciis obſcuratam & fermento inquinatam aſſerit & repurgat.

Et vindicatur à falſo dogmate Sophiſtarum, qui Chriſtum alterum Moſen eſſe tradunt.

Altera obſervatio, ſeu regula, diligenter ab interpretibus expendenda.

8. Hæc nobis ſecunda ſit obſervatio, plus ineſſe ſemper in præceptis ac interdictis, quam verbis exprimatur: quod tamen ſic temperandum eſt, ne ſit nobis inſtar Lesbiæ regulæ, qua freti, Scripturam licentioſe contorqueotes, quodlibet è quolibet faciamus. Faciunt enim quidam hac immoderata excurrendi libertate, ut apud alios vileſcat Legis auctoritas, aliis ſpes intelligentiæ concidat. Igitur ſi fieri poteſt, ioeunda eſt via aliqua, quæ nos ad Dei voluntatem recto ac ſolido greſſu deducat. Quærendum, inquam, quateous excedere verborum fines debeat interpretatio: ut appareat, non attextam eſſe Legi divinæ ex humanis gloſſis appendicem, ſed purum germanumque Legislatoris ſenſum fideliter redditum. Sane adeo in omoibus fere præceptis manifeſtæ ſunt ſynecdochæ, ut deridiculo jure ſit futurus, qui Legis ſenſum ad verborum aoguſtias reſtriogere velit. Ultra verba itaque progredi ſobriam Legis interpretationem palam eſt: ſed quo uſque, obſcurum manet, niſi modus aliquis finiatur. Hunc ergo modum optimum fore cenſeo, ſi ad præcepti rationem dirigatur: nempe ut in unoquoque præcepto expendatur, cur datum nobis fuerit. Exempli gratia, Omne præceptum aut imperativum eſt, aut prohibitorium. Utriuſque generis veritas ſtatim occurrit, ſi rationem, ceu finem, intuemur. Ut, præcepti quinti finis eſt, honorem eſſe iis reddendum, quibus eum attribuit Deus. Hæc igitur præcepti ſumma, rectum eſſe, Deoque placere, ut eos honoremus, quibus aliquid excellentiæ largitus eſt: contemptum & contumaciam adverſus eos, abominationi eſſe. Primi præcepti ratio eſt, ut Deus ſolus colatur. Summa igitur præcepti erit, veram pietatem, hoc eſt, numinis ſui cultum Deo cordi eſſe: impietatem abominari. Sic in ſingulis præceptis inſpiciendum qua de re agatur: deinde quærendus finis, donec reperiamus quid proprie illic teſtetur ſibi placere Legislator, vel diſplicere. Demum ab eo ipſo ad contrarium ducenda ratiocinatio, in hunc modum, Si placet hoc Deo, contrarium diſplicet: ſi hoc diſplicet, contrarium placet: ſi hoc præcipit, contrarium vetat: ſi hoc vetat, contrarium præcipit.

Cujus uſus eſt, ut finem præcepti ſcrutentur, donec reperiant, quid Legislator probet aut improbet.

Exemplum.

Deinde ab eo ipſo ad contrariam ratiocinationem ducant.

Poſterioris hujus membri fuſior explicatio, Deum videlicet non tantum mala prohibere, ſed contraria etiam officia jubere.

9. Quod nuoc ſubobſcure attingitur, inter exponenda præcepta clariſſimum ipſa exercitatione fiet. Quare ſufficit attigiſſe, niſi quod poſtremum membrum (quod vel alioqui non intelligeretur, vel intellectum, forſan abſonum initio videri poſſet) ſua probatione breviter confirmandum erit. Probatione illud non eget, dum bonum jubetur, vetari quod cum eo pugnat malum. nemo eſt enim qui non concedat. Imperari quoque contraria officia, dum mala vetantur, non ægerrime recipiet commune judicium. Virtutes quidem commendari, dum adverſa vitia damoantur, vulgare eſt. Sed nos plus aliquid poſtulamus, quam vulgo ſignificent iſtæ formulæ. Contrariam enim vitio virtutem, fere interpretantur vitii ipſius abſtinentiam: nos eam ultra procedere dicimus, ad officia ſcilicet factaque contraria. Itaque in hoc præcepto, *Non occides*, ſenſus hominum communis nihil aliud conſiderabit, quam ab omni maleficio ac malefaciendi libidine abſtinendum eſſe. Ego præterea cootineri dico, ut proximi vitam quibus poſſimus ſubſidiis adjuvemus. Ac oe ſine ratione loquar, ita confirmo, Deus vetat injuria fratrem lædi aut violari, quia vitam ejus charam nobis eſſe vult ac pretioſam: ſimul ergo poſtulat, quæ ad illius conſervationem conferri poſſunt officia charitatis. Atque ita videre eſt, ut ſemper nobis finis præcepti referet quicquid illic facere aut jubemur aut vetamur.

Exemplum.

Idcirco autem propoſuit, quod erat in unoquoque transgreſſionis genere ſceleſtiſſimum, ut quantum ſit abominationis in unoquoque genere demonſtraret.

10. Cur autem Deus ita, velut dimidiis præceptis, per ſynecdochas ſignificarit magis quid vellet, quam expreſſerit, quum aliæ quoque rationes reddi ſoleant, hæc mihi in primis placet: quia peccatorum fœditatem (niſi ubi palpabilis eſt) diluere, & ſpecioſis prætextibus inducere ſemper caro molitur, quod erat in unoquoque tranſgreſſinnis geoere deterrimum & ſceleſtiſſimum, exemplaris loco propoſuit, cujus ad auditum ſenſus quoque exhorreſceret, quo majorem peccati cujuslibet deteſtationem animis ooſtris imprimeret. Hoc oobis imponit ſæpius in æſtimandis vitiis: quod ſi tectiora ſunt, elevamus. Has præſtigias Dominus diſcutit, quum nos aſſuefacit univerſam vitiorum multitudinem ad hæc capita referre, quæ optime quantum ſit io unoquoque genere abominationis repræſentant. Exempli gratia, Ira & odium non uſque adeo execranda putantur mala, quum ſuis nominibus appellantur: at quum interdicuntur nobis ſub homicidii nomine, melius intelligimus, quanta ſint in abominatione apud Deum, cujus voce in tam horrendi flagitii ordinem rejiciuntur: atque ipſi, judicio ejus permoti, delictorum, quæ prius levia videbantur, gravitatem aſſueſcimus melius reputare.

Exemplum.

Tertia obſervatio, ſeu regula, de Legis partitione in duas tabulas.

Quarum prior pietatem erga Deum, altera charitatem erga proximos complectitur.

Earum conjunctio neceſſaria & inſeparabilis.

11. Tertio loco conſiderandum, quid ſibi velit divinæ Legis io duas tabulas partitio: quarum non abs re, nec temere, ſolennem mentionem aliquoties factam eſſe omnes ſani judicabunt. Et in promptu cauſa eſt, quæ ambiguos nos de hac re manere noo ſinit. In duas enim partes, quibus tota continetur juſtitia, Legem ſuam ſic diviſit Deus, ut priorem religionis officiis, quæ peculiariter ad numinis ſui cultum pertinent; alteram officiis charitatis, quæ io homines reſpiciunt, aſſignaverit. Primum ſane juſtitiæ fundamentum eſt Dei cultus: quo everſo, reliqua omoia juſtitiæ membra, velut divulſi collapſique ædificii partes, lacera & diſſipata ſunt. Qualis enim juſtitiæ eſſe dices, quod homines non vexas furtis ac rapinis, ſi per ſceleratum ſacrilegium interim Dei majeſtatem ſua gloria ſpolias? quod fornicatione corpus tuum non conſpurcas, ſi blaſphemiis tuis profanas nomen Dei ſacroſanctum? quod hominem non trucidas, ſi memoriam Dei interimere & extinguere contendis? Fruſtra igitur ſine religione venditatur juſtitia: ac nihilo majore ſpecie, quam ſi truncum abſciſſo capite corpus ad decorem obtendatur. Neque modo eſt præcipua ipſius pars: ſed anima quoque, qua tota ipſa ſpirat & vegetatur. oeque enim citra Dei timorem inter ſe homines

æquita-

Ordo perpetuus.

æquitatem ac dilectionem ſervant. Principium ergo & fundamentum juſtitiæ vocamus Dei cultum: quod eo ſublato, quicquid inter ſe æquitatis, continentiæ, temperantiæ homines exercent, inane eſt ac frivolum coram Deo. Dicimus fontem & ſpiritum: quia ex eo diſcunt bomines temperanter ac ſine maleficio inter ſe vivere, ſi Deum venerantur, tanquam recti & iniqui judicem. Proinde priore tabula ad pietatem & propria religionis officia, quibus majeſtas ſua colenda eſt, nos inſtituit: altera præſcribit, quomodo propter nominis ſui timorem nos in homioum ſocietate gerere debeamus. Qua ratione Dominus noſter (ut Euangeliſtæ referunt) Legem totam ſummatim in duo capita collegit, ut Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligamus: ut proximum amemus ſicut noſmetipſos. Vides ut è duabus partibus, quibus totam Legem concludit, alteram in Deum dirigat, alteram hominibus deſtinet.

Summa.

Matth. 22. verſ. 37. Luc. 10. verſ. 27.

Diviſio, ſeu partitio in decem verba, ſive præcepta.

12. Verum, quanquam univerſa Lex duobus capitibus conteota eſt: Deus tamen noſter, quo omnem excuſationis prætextum tolleret, voluit fuſius & explicatius decem præceptis enarrare, tum quæcunque ad bonorem, timorem, amorem ſui ſpectant, tum quæ ad charitatem pertinent, quam propter ſeipſum nobis erga homines mandat. Nec in diviſionem præceptorum nuſcendam male ſtudium intenditur: modo ejus generis rem eſſe memineris, in qua liberum cuique judicium eſſe debeat, ob quam non ſit contentioſe cum diſſentiente pugnandum. Nobis quidem hic locus neceſſario attingendus eſt; ne, quam poſituri ſimus diviſionem, ceu novam & nuper excogitatam, lectores aut rideant, aut mirentur. Legem eſſe decem verbis diſtinctam, quia Dei ipſius auctoritate ſæpius comprobatur, extra controverſiam eſt. Quare non de numero, ſed de ſecandi ratione ambigitur. Qui ſic partiuntur, ut tria præcepta deot primæ tabulæ, reliqua ſeptem in ſecundam rejiciant, præceptum de imaginibus, numero expungunt, vel certe ſub primo occultant: quum mandati loco haud dubie à Domino diſtincte poſitum ſit. Decimum vero, de non concupiſcendis proximi rebus, inepte in duo concerpunt. Accedit, quod talem partiendi rationem puriore ſeculo incognitam fuiſſe, mox intelligetur. Alii quatuor capita nobiſcum in prima tabula numerant: ſed primi vice, promiſſionem ſtatuunt ſine præcepto. Ego autem, quia, niſi evidenti ratione convincar, decem verba apud Moſen pro decem præceptis accipio, & totidem pulcherrimo ordine diſpoſita videre mihi videor: permiſſa illis ſua opinione, ſequar quod magis mihi probatur; nempe, ut quod illi præceptum primum faciunt, locum præfationis in totam Legem teneat: ſequantur deinde præcepta primæ quatuor, ſecundæ tabulæ ſex, eo quo recenſebuntur ordine. Hanc diviſionem Origenes ſine controverſia, perinde atque paſſim ſuo ſeculo, receptam tradidit. Suffragatur & Auguſtinus ad Bonifacium, qui in numeratione hunc ordinem ſervat, Ut uni Deo religionis obſequio ſerviatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non in vanum accipiatur, quum ante ſeorſum de umbratili Sabbathi præcepto loquutus foret. Alibi quidem prima illa diviſio illi arridet, ſed ob nimium levem cauſam, quod in numero ternario (ſi tribus præceptis conficiatur prima tabula) magis eluceat myſterium Trinitatis. Quanquam nec illic diſſimulat in cæteris noſtram ſibi magis placere. Nobiſcum præter illos eſt auctor Operis imperfecti in Matthæum. Joſephus, non dubium, quin ex communi ætatis ſuæ conſenſu, quina præcepta ſingulis tabulis aſſignat. Quod quum rationi adverſatur in eo, quod religionis & charitatis diſtinctionem confundit: tum refutatur Domini auctoritate, qui apud Matthæum in catalogo ſecundæ tabulæ, mandatum de parentibus honorandis reponit. Nunc Deum ipſum audiamus loquentem ſuis verbis.

Quæ varie a nonnullis diſtinguuntur.

Sed aptius hoc modo, ut quatuor priora primæ tabulæ, ſex ſequentia ſecundæ tribuantur.

Origen. in Exod. lib. 3.

lib. 1. quæſt. vet. Teſtam.

Matth. 19. verſ. 19.

PRÆCEPTUM PRIMUM.

Ego ſum JEHOVAH, *Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis: Non habebis deos alienos coram facie mea.*

Tertia pars capitis, decalogi præcepta explicans.

Præfixa autem eſt præfatio, qua Lex à contemptu vindicatur: idque triplici argumento. Primum, majeſtatis ſuæ declaratione.

13. Partemne mandati primi facias priorem ſententiam, an ſeparatim legas, mihi in medio eſt, modo ne vice procemii cujuſdam eſſe in totam Legem mihi neges. Primum in legibus ferendis curandum eſt, ne contemptu mox abrogentur. Providet ergo in primis Deus, ne Legis, quam laturus eſt, majeſtas aliquando in contemptum veniat: ad quam ſanciendam triplici argumento utitur. Poteſtatem ac jus imperii ſibi vendicat, quo electum populum conſtringat parendi neceſſitate. Promiſſionem gratiæ proponit, cujus ſuavitate eoſdem alliciat ad ſanctitatis ſtudium. Beneficium commemorat, quo Judæos redarguat ingratitudinis, niſi benignitati ſuæ reſpondeant. Sub nomine JEHOVAH imperium & legitima dominatio deſignatur. Quod ſi ab ipſo ſunt omnia, & in ipſo conſiſtunt, æquum eſt, ut in ipſum referantur: quemadmodum ait Paulus. Abunde itaque boc ſolo verbo ſub divinæ majeſtatis jugum redigimur, quia portentoſum fuerit ab ejus ditione velle nos ſubmovere, extra quem eſſe non poſſumus.

Rom. 11. verſ. 36.

Deinde, beneficentia paterna commemoratione.

14. Poſtquam ſe eum eſſe oſtendit, qui jus habeat præcipiendi, cui obedientia debeatur: ne ſola neceſſitate videatur trahere, dulcedine quoque illectat, Deum ſe Eccleſiæ pronunciando. Subeſt enim loquutioni relatio mutua, quæ in promiſſione continetur, *Ero illis in Deum, ipſi erunt mihi in populum.* Unde Abrahæ, Iſaac & Jacob immortalitatem ex eo Chriſtus confirmat, quod Dominus ſe eorum Deum teſtatus ſit. Quare perinde eſt acſi ita loqueretur, *Ego vos mihi delegi in populum, cui non modo in præſenti vita benefacerem, ſed vitæ quoque futuræ beatitudinem largirer.* Quorſum autem iſtud ſpectet, variis locis in Lege annotatur. nam quum hac miſericordia nos dignatur Dominus, ut populo ſuo in conſortio accenſeat, *Eligit nos*, ioquir Moſes, *ut ſimus ſibi in populum peculiarem, in populum ſanctum, ac cuſtodiamus præcepta ſua.* Unde illa cohortatio, *Sancti eſtote, quia ſanctus ſum.* Porro ex his duobus illa, quæ eſt apud Prophetam, obteſtatio ducitur, *Filius honorat patrem, & ſervus dominum. Si ego Dominus, ubi timor? ſi ego Pater, ubi amor?*

Jer. 31: 33.

Matth. 22. verſ. 32.

Deut. 7: 6. & 14: 2. & 26: 18.

Lev. 19: 2.

Mal. 1: 6.

Tertio, commemoratione eductionis è terra Ægypti.

15. Sequitur commemoratio beneficii, quæ eo validior eſſe debet ad nos commovendos, quo magis deteſtabile, etiam inter homines, ingratitudinis flagitium. Recentis quidem beneficii tum Iſraëlem admonebat, ſed quod ob mirificam magnitudinem in æternum memorabile, ad poſteritatem quoque valeret. Adhæc convenientiſſimum eſt præſenti cauſæ. innuit enim Dominus, eos è miſera ſervitute ideo liberatos, ut ſe libertatis auctorem obedientia & obſequendi promptitudine colant. Solet etiam (quo nos in vero ſui unius cultu retineat) certis epithetis ſeſe inſignire, quibus ſacrum ſuum numen ab omnibus idolis ac diis commentitiis diſcernit. Nam (ut antea dixi) quæ noſtra eſt ad vanitatem propenſio cum temeritate conjuncta, ſimulac nominatur Deus, mens noſtra ſibi cavere nequit, quin ad inane aliquod commentum delabatur. Huic igitur malo remedium dum afferre vult Deus, ipſe ſuam divinitatem certis titulis ornat, atque ita nos quibuſdam veluti cancellis circumſcribit, ne huc aut illuc evagemur, & temere nobis fingamus novum aliquem Deum, ſi derelicto Deo vivo, idolum erigamus. Hac ratione Prophetæ, quoties eum

Cur Deus certis epithetis ſeſe inſigniat.

proprie deſignare volunt, illum veſtiunt & quaſi includunt iis notis, ſub quibus ſe populo Iſraelitico manifeſtaverat. Neque enim, quum Deus Abrahæ, vel Deus Iſraëlis vocatur, quum in templo Hieroſolymitano collocatur inter Cherubim, iſtæ & ſimiles loquendi formulæ ipſum uni loco alligant, aut populo: ſed in hoc duntaxat ſunt poſitæ, ut cogitationes piorum in illo Deo ſiſtant, qui ſuo fœdere, quod cum Iſraële pepigit, ſeſe ita repræſentavit, ut ab ejuſmodi idea deflectere nullo modo liceat.

Exod. 3: 6. Amos 1: 2. Hab. 2: 20. Pſal. 80. 2. & 99: 1. Jeſ. 37: 16.

Cur hujus redemptionis mentio fiat.

Fixum tamen illud maneat, redemptionis fieri mentionem, quo alacrius Judæi ſe Deo addicant, qui ſibi jure eos vendicat. Nos autem (ne ad nos pertinere nihil id putemus) reputare convenit, Ægyptiacam Iſraëlis ſervitutem typum eſſe ſpiritualis captivitatis, in qua omnes vincti detinemur, donec brachii ſui virtute liberatos, in regnum libertatis nos cæleſtis vindex traducit. Quemadmodum ergo, quum diſſipatos olim Iſraelitas ad cultum nominis ſui recolligere vellet, eos ab intolerabili, qua premebantur, Pharaonis dominatione eripuit: ita quibus hodie ſe in Deum eſſe profitetur, eos omnes jam ab exitiali diaboli poteſtate aſſerit, quæ illa corporali adumbrata fuit. Quamobrem nemo eſt, cujus animus inflammari non debeat ad auſcultandam Legem, quam à ſummo Rege profectam audit: à quo, ut ſuam originem ducunt omnia, ita æquum eſt, ut finem ſuum viciſſim in ipſum deſtinent ac dirigant. Nemo, inquam, eſt, qui non rapi debeat ad amplexandum Legiſlatorem, ad cujus obſervanda mandata peculiariter ſe delectum eſſe docetur: à cujus benignitate, cum bonorum omnium affluentiam, tum immortalis vitæ gloriam expectat: cujus mirabili virtute ac miſericordia è faucibus mortis ſe liberatum novit.

Quomodo, & quatenus ad nos hodie pertineat hujus beneficii recordatio.

Primi præcepti explicatio. Finis ejuſdem.

16. Fundata & ſtabilita Legis ſuæ auctoritate, præceptum primum edit, Ne habeamus deos alienos coram facie ſua. Finis præcepti eſt, quod Dominus in populo ſuo ſolus vult eminere, & jure ſuo potiri in ſolidum. Id ut fiat, impietatem ac ſuperſtitionem quamlibet, qua divinitatis ſuæ gloria vel minuitur, vel obſcuratur, à nobis abeſſe jubet: atque eadem ratione, vero pietatis ſtudio coli ſe à nobis atque adorari præcipit. Et verborum ſimplicitas id fere ſonat: ſiquidem habere Deum non poſſumus, quin ſimul complectamur, quæ ſunt ei propria. Quod ergo vetat habere alienos deos, eo ſignificat, ne quod ſibi proprium eſt, alio transferamus. Etſi autem quæ Deo debemus innumera ſunt, ad quatuor tamen capita non inepte referentur: Adorationem, cui accedit tanquam appendix, ſpirituale conſcientiæ obſequium: Fiduciam, Invocationem, Gratiarum actionem. Adorationem voco venerationem ac cultum, quem illi reddit quilibet noſtrûm, ubi ſe ejus magnitudini ſubmiſit. Quare non immerito ejus partem facio, quod noſtras conſcientias ejus Legi ſubjicimus. Fiducia eſt, ex virtutum ejus recognitione, acquieſcendi in eo ſecuritas: quum in eo ſapientiam, juſtitiam, potentiam, veritatem, bonitatem omnem reponentes, ſola ejus communicatione nos beatos exiſtimamus. Invocatio, ſit mentis noſtræ, quoties urget illa neceſſitas, in ejus fidem atque opem receptus, tanquam ad unicum præſidium. Gratiarum actio, eſt gratitudo, qua laus bonorum omnium illi tribuitur. Horum, ut nihil patitur Dominus alio derivari, ita omnia ſibi in ſolidum exhiberi mandat. Neque enim ſatis fuerit ab alieno abſtinere deo, niſi in hoc ipſo te contineas: quod nefarii quidam contemptores ſolent, quibus ſummum compendium eſt, religiones omnes ludibrio habere. Atqui præcedat oportet vera religio, qua in Deum viventem animi referantur: cujus cognitione imbuti, ad ſuſcipiendam, timendam, colendam ipſius majeſtatem, ad amplexandam bonorum ejus communicationem, ad opem ubique requirendam, ad recognoſcendam laudiſque confeſſione celebrandam operum magnificentiam, in omnibus vitæ actionibus, tanquam ad unicum ſcopum aſpirent. tum caveatur prava ſuperſtitio; qua animi à vero Deo deflexi, huc atque illuc, ceu in varios deducuntur deos. Proinde, ſi uno Deo ſimus contenti, memoria repetamus, quod ante dictum eſt, procul abigendos eſſe fictitios omnes deos, nec lacerandum eſſe cultum, quem unus ille ſibi vendicat. Quia ne tantillum quidem ex ejus gloria delibare fas eſt: quin apud ipſum, quæcunque ei propria ſunt, reſideant. Particula quæ ſequitur, *Coram facie mea*, indignitatem auget: quod Deus ad zelotypiam provocatur, quoties figmenta noſtra ſubſtituimus in ejus locum: quemadmodum, ſi impudica mulier, producto palam ante oculos mariti adultero, ejus animum magis ureret. Quum ergo præſenti ſua virtute & gratia teſtatum faceret Deus, ſe populum quem elegerat, reſpicere; quo magis à ſcelere defectionis deterreat, non poſſe novos deos aſciſci admonet, quin teſtis ſit ac ſpectator ſacrilegii. Huic enim audaciæ plurimum impietatis accreſcit, quod in ſuis transfugiis Dei oculos ludificari ſe poſſe judicat. Ex adverſo reclamat Dominus, quicquid ſtruimus, quicquid molimur, quicquid fabricamus, in conſpectum ſuum venire. Pura ſit ergo conſcientia vel ab occultiſſimis apoſtaſiæ cogitationibus, ſi religionem noſtram approbare Domino libet. Siquidem integram & incorruptam divinitatis ſuæ gloriam non externa modo confeſſione requirit, ſed in oculis ſuis, qui abditiſſimas cordium latebras intuentur.

Quid ſit habere Deum, & habere Deos alienos. Deo debetur adoratio.

Fiducia.

Invocatio.

Gratiarum actio: quæ virtutes hoc præcepto commendantur.

Item vera religio.

Prohibetur autem ſuperſtitio, polytheia, atheiſmus.

Quid ſignificent hæc verba, Coram facie mea.

PRÆCEPTUM
SECUNDUM.

Non facies tibi ſculptile, neque ſimilitudinem ullam eorum, quæ in cælo ſunt ſurſum, vel in terra deorſum, vel in aquis quæ ſub terra ſunt. Non adorabis, neque coles.

Secundi præcepti explicatio.

17. Quemadmodum proximo mandato Deum ſe unum eſſe pronunciavit, præter quem nulli alii dii cogitandi aut habendi ſint: ita qualis ſit, & quo cultus genere honorandus, apertius etiamnum edicit: ne quid ſibi carnale affingere audeamus. Finis ergo præcepti eſt, quod ſuperſtitioſis ritibus legitimum ſui cultum non vult profanari. Quare in ſumma, nos à carnalibus obſervatiunculis, quas ſtolida mens noſtra, ubi Deum pro ſua craſſitie concepit, comminiſci ſolet, in totum revocat & abſtrahit: ac proinde ad legitimum ſui cultum, hoc eſt, ſpiritualem & à ſe inſtitutum, format. Quod autem eſt in hac tranſgreſſione craſſiſſimum vitium notat: idololatriam externam. Ac duæ quidem ſunt mandati partes: prior licentiam noſtram coërcet, ne Deum, qui incomprehenſibilis eſt, ſub ſenſus noſtros ſubjicere, aut ulla ſpecie repræſentare audeamus. Secunda vetat, ne imagines ullas adoremus religionis cauſa. Porro formas omnes breviter enumerat, quibus ſolebat à profanis & ſuperſtitioſis gentibus figurari. Per ea quæ in cælo ſunt, ſolem, lunam, aliaſque ſtellas, & fortaſſe aves intelligit. quemadmodum Deuteronomii quarto exprimens ſuam mentem, tam aves, quam aſtra nominat. Quod non annotaſſem, niſi quoſdam viderem ad Angelos imperite referre. Itaque reliqua membra, quia per ſe nota ſunt, prætermitto. ac jam lib. 1. ſatis aperte docuimus, quaſcunque excogitat homo viſibiles Dei formas, pugnare ex diametro cum ejus natura: ideoque, ſimulac in medium prodeunt idola, corrumpi veram religionem & adulterari.

Finis.

Summa.

Partes duæ.

Formarum vetitarum brevis enumeratio.

Deut. 4. verſ. 15.

cap. 11. & 12.

Cur hæc ſanctio addatur.

18. Quæ additur ſanctio non parum ad excutiendam ſocordiam valere debet. Minatur

*vel fortem. nam hoc Dei nomen à fortitudine ductum eſt.

*Se Jehovam eſſe, *Deum noſtrum, Deum æmulatorem, qui viſitet iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, in iis qui oderunt nomen ſuum: faciat autem miſericordiam in millia iis, qui diligunt ſe, ac præcepta ſua ſervant.*

Dominum quatuor elogiis ornatum inducit, ut nos eximet. *Fortis vocatur.* *Æmulator.* *Vindex.*

Hoc vero perinde eſt, acſi diceret ſe ſolum eſſe, in quo bærere debeamus. Eo ut nos inducat, potentiam ſuam prædicat, quæ ſe impune contemni vel elevari non patitur. Ponitur hic quidem nomen E L, quod Deum ſignificat: ſed quia à fortitudine ducitur, quo ſenſum melius exprimerem, boc quoque reddere non dubitavi, vel contextui inſerere. Deinde æmulatorem ſe vocat, qui conſortem ferre nequeat. Tertio, vindicem ſe futurum aſſerit ſuæ majeſtatis ac gloriæ, ſiqui eam ad creaturas aut ſculptilia transferant: neque id brevi aut ſimplici vindicta, ſed quæ in filios, nepotes & pronepotes ſe protendat, qui ſcilicet paternæ impietatis imitatores erunt. Quemadmodum perpetuam quoque in longam poſteritatem iis miſericordiam ac benignitatem ſuam exhibet, qui ſe diligunt, ac Legem ſuam cuſtodiunt. Perſonam mariti erga nos induere, uſitatiſſimum eſt Deo. ſiquidem conjunctio, qua nos ſibi devincit, dum in Eccleſiæ ſioum recipit, ſacri cujuſdam conjugii inſtar habet, quod mutua fide ſtare oportet. Ipſe, ut omnibus fidelis ac veracis mariti officiis defungitur, ita viciſſim à nobis ſtipulatur amorem ac caſtitatem conjugalem: hoc eſt, ne animas noſtras Satanæ, libidini, fœdiſque carnis cupiditatibus ſtuprandas proſtituamus. Unde, quum Judæorum apoſtaſiam corripit, eos projecta pudicitia adulteriis ioquinatos conqueritur. Ergo, ut maritus, quo ſanctior eſt ac caſtior, eo gravius accenditur, ſi uxoris animum ad rivalem inclinare videt: ita Dominus, qui nos ſibi in veritate deſponſavit, ardentiſſimam zelotypiam ſuam eſſe teſtatur, quoties (neglecta ſancti ſui conjugii puritate) ſceleſtis libidinibus conſpurcamur, tum vero præſertim, dum numinis ſui cultum, quem maxime illibatum eſſe decuerat, alio derivamus, vel inficimus aliqua ſuperſtitione. Quandoquidem hoc modo non tantum violamus datam in conjugio fidem, ſed ipſum nuptialem thorum, inductis adulteris, polluimus.

Miſericors. *Cur Æmulator dicatur.* 2 Cor. 11. verſ. 2. Eph. 5: 30. Jeſa. 62: 5. Oſe. 2: 19. Jer. 3: 12. Oſe. 2: 2. *Ratio, à ſimili.*

Comminationis additæ explicatio.

19. In comminatione videndum eſt, quid ſibi velit, quum ſe viſitaturum edicit iniquitatem patrum in filios, ad tertiam & quartam generationem. Nam præterquam quod à divinæ juſtitiæ æquitate alienum eſt, pœnam alieni delicti ab inſonte expetere, Deus ipſe quoque hoc ſe non commiſſurum affirmat, ut filius portet iniquitatem patris. Atqui ſententia tamen bæc non ſemel repetitur, de pœnis avitorum ſcelerum in futuras generationes prorogandis. ſic enim ſæpius alloqnitur eum Moſes, *Jehovah, Jehovah, qui reddis iniquitatem patrum filiis in tertiam & quartam generationem.* Jeremias ſimiliter, *Qui facis miſericordiam in millibus, qui reddis iniquitatem patrum in ſinum filiorum poſt eos.* Nonnulli, dum in ſolvendo hoc nodo ægre deſudant, de pœnis duntaxat temporariis putant intelligendum: quas ſi filii ſuſtinent pro parentum delictis, non eſt abſurdum: quando ſæpe in ſalutem infliguntur. Quod verum quidem eſt. nam Ezechiæ denunciabat Jeſaias, filios ejus regno ſpoliandos, & in exilium deportandos, ob peccatum ab eo perpetratum. Domus Pharaonis & Abimelec ob læſum Abrahamum affliguntur, &c. ſed quum id ad quæſtionis hujus ſolutionem affertur, effugium eſt magis, quam vera interpretatio. Graviorem enim ultionem edicit hic & ſimilibus locis, quam ut intra vitæ præſentis terminos limitetur. Sic igitur accipiendum eſt, quod juſta Domini maledictio non modo in caput impii, ſed in totam quoque familiam incumbat. Ubi incubuit, quid expectari poteſt, niſi ut pater, Spiritu Dei deſtitutus, flagitioſiſſime vivat? filius ob patris nequitiam ſimiliter à Domino derelictus, eandem exitis ſequatur viam? Nepos demum & pronepos, hominum deteſtabilium execrabile ſemen, præcipites poſt eos ruant?

Ezech. 18. verſ. 20. *Prioris partis de viſitatione iniquitatis patrum in filios.* Num. 14. verſ. 8. Jer. 22: 8. *Interpretatio à ſcopo recedens.* Jeſa. 39: 7. Geneſ. 12. verſ. 17. & 20: 3. *Ejuſdem dilutio, & genuinus comminationis ſenſus.*

20. Primum inſpiciamus, an talis vindicta divinam juſtitiam dedeceat. Si univerſa hominum natura eſt damnabilis, quos Dominus gratiæ ſuæ communicatione non dignatur, iis paratum ſcimus eſſe interitum: nihilominus propria iniquitate, non iniquo Dei odio intereunt. Nec ulla relinquitur expoſtulatio, cur non aliorum exemplo Dei gratia in ſalutem adjuventur. Quum ergo bæc impiis & flagitioſis irrogatur ob ſcelera punitio, ut Dei gratia in multas generationes domus eorum priventur: quis ob juſtiſſimam banc vindictam Deo criminationem intendat? At Dominus contra pronunciat, pœnam peccati paterni in filium non tranſituram. Obſerva quid illic agatur: Iſraëlitæ, quum diu & aſſidue multis calamitatibus vexarentur, proverbium jactare cœperant, Patres ſuos comediſſe uvam acerbam, unde dentes filiorum obſtupeſcerent: quo ſignificabant, admiſſa fuiſſe à parentibus peccata, quorum pœnas ipſi, juſti alioqui & immerentes, penderent; implacabili magis Dei iracundia, quam moderata ſeveritate. Iis denunciat Propbeta, non ita eſſe: quia ob propria flagitia plectantur: neque Dei juſtitiæ convenire, ut filius juſtus ob ſceleſti patris nequitiam ſupplicium luat. quod neque in præſenti ſanctione babetur. Nam ſi viſitatio, de qua nunc ſermo eſt, adimpletur, quum ab impiorum familia gratiam, lumen ſuæ veritatis, reliqua ſalutis adjumenta aufert Dominus: eo ipſo, quod excæcati & derelicti ab ipſo filii parentum veſtigiis inſiſtunt, maledictiones ob paterna ſcelera ſuſtinent. Quod vero & temporariis miſeriis ſubjiciuntur, & æterno demum exitio, ita juſto Dei judicio non ob aliena peccata, ſed ob iniquitatem propriam puniuntur.

An viſitatio iniquitatis patrum in filios divinam juſtitiam dedeceat. *Locorum in ſpeciem pugnantium conciliatio.* Ezech. 18. verſ. 20.

21. Altera ex parte offertur promiſſio de propaganda in mille generationes Dei miſericordia: quæ etiam frequenter in Scriptura occurrit, & in ſolenni Eccleſiæ fœdere inſeritur, *Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* Quod reſpiciens Salomon, ſcribit filios juſtorum poſt mortem eorum beatos fore: non tantum ſanctæ educationis ratione (quæ & ipſa certe momentum non minimum babet) ſed ob iſtam in fœdere promiſſam benedictionem, quod Dei gratia in familiis piorum æterna reſideat. Eximia hinc fidelibus conſolatio, ingens impiis terror: nam ſi poſt mortem quoque memoria, tum juſtitiæ, tum iniquitatis tantum apud Deum valet, ut maledictio bujus, & illius benedictio in poſteritatem redundet, multo magis in ipſis auctorum capitibus reſidebit. Cæterum nihil obſtat, quod impiorum ſoboles interdum ad bonam frugem ſe recipit, fidelium ſoboles degenerat: quia non perpetuam hic regulam figere voluit Legislator, quæ ſuæ lectioni derogaret. Nam ad conſolationem juſti ac terrorem peccatoris ſufficit non eſſe vanam ipſam aut inefficacem ſanctionem, tametſi non ſemper locum habeat. Quemadmodum enim, quæ paucis ſceleratis infliguntur temporales pœnæ, teſtimonia ſunt divinæ adverſus peccata iræ, & futuri olim in omnes peccatores judicii, tametſi multi impune uſque ad vitæ finem evadant: ita quum exemplum unum edit Dominus iſtius benedictioois, ut filium in patris gratiam miſericordia & benignitate ſua proſequatur, documentum præbet conſtantis & perpetuæ in ſuos cultores gratiæ: quum patris iniquitatem ſemel in filio perſequitur, docet quale reprobos omnes judicium ob ſcelera propria maneat. quam certitudinem

Poſterioris partis, de miſericordia Dei in mille generationes propaganda, expoſitio. Gen. 17: 7. Prov. 20: 7. *Ejus promiſſionis uſus.* *Exceptionis reipſa & frequenter admodum occurrentis conſideratio.*

Amplitudo hujus beneficii.

nem potiſſimum hic ſpectavit. Obiter etiam miſericordiæ ſuæ amplitudinem nobis commendat, quam io mille generationes extendit, quum quatuor duntaxat generationes aſſignarit vindictæ.

PRÆCEPTUM

TERTIUM.

Non uſurpabis nomen JEHOVÆ *Dei tui in vanum.*

Tertii præcepti expoſitio, finis & ſumma.

22. Finis præcepti eſt, Quod nominis ſui majeſtatem vult nobis eſſe ſacroſanctam. Summa igitur erit, ne ipſam contemptim & irreverenter habendo profanemus. Cui interdicto cohæret ex ordine præceptum, ut eam religioſa veneratione proſequi nobis ſtudio & curæ ſit. *Partes tres.* Itaque ſic animis & linguis comparatos eſſe nos decet, ut nihil de ipſo Deo, ejuſque myſteriis, aut cogitemus, aut loquamur, niſi reverenter & multa cum ſobrietate: ut in æſtimandis ejus operibus oihil niſi erga ipſum honorificum ſapiamus. *Prima.* Hæc, inquam, tria obſervare non oſcitanter convenit, ut quicquid mens de ipſo concipit, quicquid lingua profatur, ipſius excellentiam reſipiat, & ſacræ nominis ejus ſublimitati reſpondeat: denique ad extollendam ejus magnificentiam aptum ſit. *Altera.* Sancto ejus verbo & adorandis myſteriis ne temere præpoſtereque abutamur, vel ad ambitionem, vel ad avaritiam, vel ad ludicra noſtra: ſed prout impreſſam gerunt oominis ejus dignitatem, ſuum inter nos honorem ac pretium ſemper habeant. *Tertia.* Poſtremo, ejus operibus ne obloquamur, aut detrectemus, quemadmodum illi contumelioſe ſolent obſtrepere miſeri homines: ſed quicquid ab ipſo memoramus factum, cum ſapieotiæ, juſtitiæ, bonitatis elogiis prædicemus.

Uſurpare nomen Dei in vanum, quid.

Id eſt nomen Dei ſanctificare. ubi ſecus fit, vano pravoque abuſu polluitur: quia rapitur extra legitimum uſum, cui ſoli conſecratum erat: atque ut nihil aliud, ſua tamen dignitate exutum, contemptibile paulatim redditur.

Species hujus uſurpationis.

Quod ſi in hac temeraria uſurpandi importune divini nominis facilitate tantum eſt mali: multo plus in eo, ſi in nefarios uſus conferatur, ut qui ipſum necromaotiæ ſuperſtitionibus, diris devotionibus, illicitis exorciſmis, aliiſque impiis incantationibus ſervire faciunt.

Inter alias, juramentum.

Juramentum autem io mandato potiſſimum aſſumitur, in quo perverſus divini nominis abuſus maxime eſt deteſtabilis: quo inde melius abſterreamur ab omni in univerſum ejus profanatione.

Diſtinctio hujus præcepti à nono.

Hic autem de cultu Dei præcipi, & reverentia nominis ejus, non autem de æquitate, quæ inter homines coleoda eſt, inde patet, quod deinde in ſecunda tabula perjurium & falſum teſtimonium damnabit, quo læditur humana ſocietas, ſupervacua autem eſſet repetitio, ſi hoc præceptum tractaret de officio charitatis. Jam, ipſa quoque diſtioctio hoc poſtulat, quia non fruſtra Deus (ut dictum eſt) duas Legi ſuæ tabulas attribuit. Unde colligitur hoc jus ſuum ſibi vendicare, ac tueri nominis ſui ſanctitatem, non autem docere quid homines hominibus debeant.

Juramenti definitio.

23. Primo loco habendum eſt, quid ſit juramentum. Eſt autem Dei atteſtatio ad veritatem ſermonis noſtri confirmandam. Quæ enim manifeſta in Deum probra continent execrationes, indignæ ſunt quæ inter juramenta cenſeantur.

Eſt divini cultus ſpecies.

Ejuſmodi atteſtationem, ubi rite peragitur, ſpeciem eſſe cultus divini oſtenditur multis locis Scripturæ. ut quum Jeſaias de Aſſyriis & Ægyptiis in fœderis ſocietatem cum Iſraële vocandis vaticinatur, *Loquentur*, inquit, *lingua Chanaan, & in nomine Domini jurabunt.* (Jeſ. 19: 18.) hoc eſt, Jurando per nomen Domini, confeſſionem religionis edent. Item, quum de propagando ejus regno loquitur, *Quicunque benedicet ſibi, in Deo fidelium benedicet: & qui jurabit in terra, jurabit in Deo vero.* (Jeſ. 65: 16.) Jeremias, *Si eruditi*, inquit, *docuerint jurare populum in nomine meo, ſicut docuerunt jurare per Baal, ædificabuntur in medio domus meæ.* (Jer. 10: 16.) Et merito nomen Domini in teſtimonium invocando, noſtram in ipſum religionem dicimur teſtari.

Ratio.

Sic enim ipſum æternam eſſe & immutabilem veritatem confitemur: quem appellamus non modo, tanquam præ aliis idoneum veritatis teſtem, ſed etiam ceu ejus aſſertorem unicum, qui abſcondita in lucem proferre queat: deinde, ut cordium cognitorem. Ubi enim deſunt hominum teſtimonia, ad Deum teſtem refugimus: ac præſertim ubi aſſerendum eſt, quod in conſcientia latet. Qua ratione amare ſuccenſet iis Dominus, qui per alienos deos dejerant: atque id juriſjurandi genus, argumentum manifeſtæ defectionis interpretatur, *Filii tui dereliquerunt me, & jurant in iis, qui non ſunt dii.* (Jer. 5: 7.) Et ſceleris hujus gravitatem, pœnarum comminatione declarat, *Diſperdam eos, qui jurant per nomen Domini, & jurant per Melchom.* (Soph. 1. verſ. 5.)

Hic vero multipliciter peccatur.

24. Jam ubi intelligimus, ſacramentis noſtris Dominum ineſſe velle nominis ſui cultum: eo major adhibenda diligentia, ne pro cultu, vel contumeliam, vel contemptum & vilitatem contineant. Contumelia eſt noo levis, ſi per ipſum pejeratur: unde & profanatio appellatur in Lege. (Lev. 19: 12.)

1. Si Dominum ipſum atteſtantes, vel pejeremus, atque ita contumeliam ipſi inferamus.

Quid enim reſtat Domino, ubi ſua veritate fuerit ſpoliatus? jam Deus eſſe deſinet. Sed enim ſpoliatur certe, dum falſi ſuffragator & approbator conſtituitur. Quare Joſuah, dum Achan ad confeſſionem veri adigere vult, *Fili mi*, ait, *da gloriam Domino Iſrael*: (Joſ. 7: 19.) innuens ſcil. Dominum graviſſime inhonorari, ſi per eum pejeratur. Neque mirum: non enim ſtat per nos, quin mendacium ſacro ejus nomini quodammodo inuratur. Quam loquutionem uſitatam inter Judæos fuiſſe, quoties ad ſacramentum dicendum quiſpiam vocaretur, conſtat ex ſimili obteſtatione, qua utuntur io Euangelio Joannis Phariſæi. (Joan. 9: 24.) Ad hanc cautionem nos inſtituunt formulæ, quæ in Scripturis uſurpantur, *Vivit Dominus: Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat: Teſtis ſit Deus in animam meam*: (1 Sam. 14. verſ. 45. 2 Reg. 6. verſ. 31. 2 Cor. 1. verſ. 23.) quæ inſinuant Deum advocare nos non poſſe orationis noſtræ teſtem, quin perjurii ultorem nobis imprecemur, ſi fallimus.

2. Vel ſi juramentis inanibus eum appellantes, vilem quodammodo & contemptibilem reddamus.

25. Vile & vulgare redditur Dei nomen, quum veris quidem, ſed ſupervacuis juramentis adhibetur: ſiquidem accipitur hic quoque in vanum. Quare non ſatis fuerit à perjurio abſtinere, ni ſimul meminerimus, juſjurandum non libidinis, aut voluptatis, ſed neceſſitatis cauſa permiſſum & inſtitutum, ideoque extra licitum illius uſum egredi, qui rebus non neceſſariis accommodat.

Juramentum quando & quomodo adhibendum.

Porro non alia prætendi neceſſitas poteſt, quam ubi vel religioni, vel charitati eſt ſerviendum. Qua in re nimis licentioſe hodie delinquitur: eoque intolerabilius, quod aſſuetudine ipſa pro delicto imputari deſiit: quod certe apud Dei tribunal non parvo æſtimatur. Paſſim enim promiſcue temeratur Dei nomen in nugacibus colloquiis: nec male fieri putatur, quia in tantæ improbitatis poſſeſſionem longa & impunita audacia ventum eſt. Manet tamen ratum Domini mandatum: manet firma ſanctio: & effectum olim ſuum obtinebit, qua peculiaris quædam vindicta io eos edicitur, qui fruſtra nomen ipſius uſurparint.

3. Si Dei ſervos in ejus locum jurando ſubſtituamus.

Peccatur & alia in parte, quod in Dei locum ſanctos ejus ſervos in juramentis ſubſtituimus, manifeſta impietate: quia ſic divioitatis gloriam ad eos traducimus. Neque enim abs re eſt, quod ſpeciali mandato præcipit Dominus jurare per nomen ſuum: (Exod. 23. verſ. 13. Deut. 6: 13. & 10: 20.) ſpeciali ioterdicto prohibuit, ne per alienos deos jurantes audiamur. Et Apoſtolus idem liquide teſtatur, quum ſcribit homines in juramentis ſuperiorem ſeipſis appellare: Deum, quia ſua gloria majorem non habebat, per ſeipſum juraſſe. (Heb. 6: 13.)

Anabaptiſtæ omnia juramenta damnantes refelluntur.

1. Auctoritate Chriſti, qui Patri adverſarius eſſe nequit.

Matth. 5. verſ. 34, 37. Exod. 22. verſ. 11. Joan. 10. verſ. 30. ibid. v. 18. Joan. 7:16.

26. Hac jurisjurandi moderatione Anabaptiſtæ non contenti, omnia ſine exceptione execrantur: quoniam Chriſti generale ſit interdictum, *Ego dico vobis, ne juretis omnino: ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod ultra eſt, à malo eſt.* Sed hoc modo inconſiderate in Chriſtum impingunt: dum illum faciunt Patri adverſarium, & quiad decreta ejus abroganda in terram deſcenderit. Siquidem Deus æternus in Lege non modo juramentum, ceu rem legitimam, permittit: (quod ipſum abunde foret) ſed in neceſſitate imperat. Chriſtus autem ſe aſſerit unum eſſe cum Patre, ſe non aliud afferre quam quod Pater mandaverit, doctrinam ſuam non eſſe à ſeipſo, &c. Quid ergo? Deumne ſibi contrarium facient, qui quod ſemel in moribus præcipiendo approbarit, poſtea prohibeat ac damnet? Sed quia in verbis Chriſti nonnihil eſt difficultatis, ea paulisper expendamus.

Interpretatione loci, quem Anabaptiſtæ pervertunt.

Hic autem nunquam verum aſſequemur, niſi oculos intendamus in Chriſti ſcopum, & ad id, quod illic agit, animum advertamus. Illi non eſt inſtitutum, Legem aut laxare, aut reſtringere, ſed ad veram ac germanam intelligentiam reducere, quæ falſis Scribarum & Phariſæorum commentis valde depravata fuerat. Id ſi tenemus, non putabimus Chriſtum damnaſſe in totum juramenta: ſed ea tantum quæ Legis regulam tranſgrediuntur. Ex ipſis conſtat, populum nihil tunc cavere ſolitum præter perjuria, quum non iis ſolu, ſed inanibus quoque ac ſupervacuis juramentis Lex interdicat. Dominus ergo, certiſſimus Legis interpres, non modo pejerare, ſed etiam jurare, malum eſſe admonet. Quomodo jurare? nempe, in vanum. Quæ autem in Lege commendantur juramenta, ſalva & libera relinquit.

Inſtantia eorundem ſolutio.

Videntur ſibi validius pugnare, quum mordicus arripiunt particulam *Omnino*: quæ tamen non ad jurandi verbum refertur, ſed ad ſubjectas ſacramentorum formulas. Nam & iſta erat erroris portio, quod dum per cælum & terram dejerabant, Dei nomen ſe non putabant attingere. Ergo poſt præcipuum prævaricationis caput, omnia etiam ſubterfugia Dominus illis præcidit: ne ſe opinentur evaſiſſe, ſi ſuppreſſo Dei nomine cælum & terram appellarint. Nam hic quoque obiter notandum, quamvis non exprimatur nomen Dei, homines tamen obliquis formis per ipſum jurare: quemadmodum, ſi per lumen vitale, per panem, quo veſcuntur, per Baptiſmum ſuum, aut alia divinæ erga ſe liberalitatis pignora quælibet jurent.

Chriſti ſcopus.

Neque vero Chriſtus eo loco per cælum & terram & Hieroſolymam jurare vetans, ſuperſtitionem corrigit, ut falſo quidem putant: ſed eorum potius ſophiſticam argutiam refellit, qui pro nihilo ducebant indirecta juramenta futiliter jactare, quaſi ſacro Dei nomini parcerent, quod tamen inſculptum eſt ſingulis ejus beneficiis. Alia eſt ratio, ubi vel mortalis quiſpiam, vel mortuus, vel Angelus in locum Dei ſubſtituitur: ſicuti apud profanas gentes excogitavit adulatio, putidam illam formam, per vitam aut genium Regis: quia tunc falſa apotheoſis unius Dei gloriam obſcurat & minuit.

Cur omnino juramenta Chriſtus prohibeat hoc loco.

Verum, ubi nihil aliud eſt propoſitum, quam ex ſacro Dei nomine petere dictorum confirmationem, quamvis id oblique fiat, in frivolis omnibus juramentis læditur ejus majeſtas. Licentiam hanc vano prætextu ſpoliat Chriſtus, omnino jurare prohibens.

Jac. 5: 12.

Eodem & Jacobus tendit, illa Chriſti verba, quæ citavi, uſurpans: quia ſemper in mundo graſſata eſt illa temeritas, quæ tamen profanatio eſt nominis Dei. Nam ſi ad ſubſtantiam referas particulam *Omnino*, acſi nulla exceptione illicitum eſſet quodvis jusjurandum, quorſum explicatio, quæ mox additur, *Neque per cælum, neque per terram*, &c. Quibus ſatis patet, cavillis occurri, unde levari ſuum vitium Judæi putabant.

3. Exemplo Chriſti & Pauli Apoſtoli.

27. Itaque ſanis judiciis ambiguum jam eſſe nequit, Dominum illic juramenta modo ea improbaſſe, quæ per Legem vetita eſſent. Nam & ipſe, qui perfectionis, quam docebat, exemplar in vita exhibuit, non abhorruit à juramentis quoties res requirebat: & diſcipuli, quos magiſtro ſuo per omnia paruiſſe non dubitamus, idem exemplum ſequuti ſunt.

ſæpiſſime apud Euangeliſtas.

Rom. 1: 9. 2 Cor. 1. verſ. 23.

Quis audeat dicere juraturum fuiſſe Paulum, ſi jusjurandum prorſus interdictum fuiſſet? Atqui ubi res ita tulit, ſine ullo ſcrupulo jurat, etiam addita interdum imprecatione.

Juramenta publica probant nonnulli, privata autem minime.

Nondum tamen finita eſt quæſtio: quando nonnulli ſola ab hoc interdicto publica juramenta eximi arbitrantur: qualia ſunt, quæ deferente exigenteque magiſtratu præſtamus: qualia etiam in ſanciendis fœderibus uſurpare principes ſolent: vel populus, quum in nomen principis jurat: vel miles, quum ſacramento militiæ adigitur: & quæ ſunt hujuſmodi. In hunc quoque ordinem (& jure) referunt, quæ extant apud Paulum, ad aſſerendam Euangelii dignitatem: quando Apoſtoli in ſua functione privati homines non ſunt, ſed publici Dei miniſtri. Et ſane non inficior illa eſſe tutiſſima; quod ſolidioribus Scripturæ teſtimoniis defenduntur. Jubetur magiſtratus in re dubia adigere teſtem ad juramentum, ille viciſſim juramento reſpondere. & Apoſtolus ait humanas controverſias hoc remedio expediri.

Hebr. 6. verſ. 16.

In hoc præcepto habet uterque ſolidam officii ſui approbationem. Quin etiam apud veteres Ethnicos obſervare licet, publicum & ſolenne jusjurandum in magna religione habitum fuiſſe: vulgaria, quæ promiſcue faciebant, aut pro nihilo, aut non ita magno fuiſſe reputata, perinde ac Dei numen in his non intercedere putarent.

Sed privata etiam licita eſſe, tum ratione, tum exemplis oſtenditur, adhibitis cancellis, quos Dei verbum præſcribit.

Verum privata juramenta, quæ ſobrie, ſancte, reverenter neceſſariis rebus adhibentur, damnare nimis periculoſum fuerit: quæ ipſa & ratione & exemplis fulciuntur. Nam, ſi privatis in re gravi & ſeria Deum inter ſe judicem appellare licet, multo magis teſtem. Inſimulabit te frater tuus perfidiæ: purgare te ſtudebis, ex charitatis officio: ille nulla ratione ſatisfieri ſibi patietur. Si in diſcrimen fama tua ob illius obſtinatam malignitatem veniat, ſine offenſa ad Dei judicium provocabis, ut tuam innocentiam tempore manifeſtet. Minus eſt teſtem advocare, ſi verba expenduntur. Non video igitur, cur hic illicitam aſſeramus atteſtationem. Neque deſunt plurima exempla.

Geneſ. 21. verſ. 24. & 26: 31. Geneſ. 31. verſ. 53. Ruth. 3: 13. 1 Reg. 18. verſ. 10.

Si Abraham & Iſaac ſacramentum cum Abimelech publico nomine prætexitur; at certe Jacob & Laban privati erant, qui mutuo juramento fœdus inter ſe ſanciunt. Privatus erat Boos, qui promiſſum conjugium Ruth eodem modo confirmavit. Privatus erat Abdias, vir juſtus & timens Dei, qui juramento aſſeverat, quod Eliæ vult perſuadere.

Regula in juramentis ſequenda.

Nullam itaque meliorem regulam habeo, niſi ut juramenta ſic moderemur, ne temeraria ſint, ne promiſcua, ne libidinoſa, ne frivola: ſed juſtæ neceſſitati ſerviant, ubi ſcil. vel Domini gloria vindicanda, vel promovenda fratris ædificatio. quo Legis mandatum ſpectat.

PRÆCEPTUM QUARTUM.

Recordare diem Sabbathi, ut ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſeptimo autem die Sabbathum JEHOVÆ *Dei tui eſt. Non facies ullum opus in eo, &c.*

Quarti præcepti expoſitio & finis.

28. Finis præcepti eſt, ut propriis affectibus & operibus emortui, regnum Dei meditemur, atque ad eam meditationem inſtitutis ab ipſo rationibus exerceamur. Verum, quoniam habet peculiarem & diviſam à reliquis conſiderationem, paulo diverſam interpretationis ſeriem requirit. Umbratile veteres nuncupare ſolent, quod externam diei obſer-

vationem

vationem contineat, quæ in Chriſti adventu cum reliquis figuris abolita fuerit. quod vere quidem ab illis dicitur: ſed dimidia tantum ex parte rem attiogunt.

Cauſæ tres.

Quare altius repetenda eſt expoſitio: & diſpiciendæ tres cauſæ, quibus conſtare hoc mandatum obſervaſſe mihi videor.

Prima.

Voluit enim cæleſtis Legislator ſub diei ſeptimi quiete, populo Iſraël ſpiritualem requiem figurare, qua à propriis operibus feriari debent fideles, ut Deum io ſe operari ſinant.

Altera.

Deinde ſtatum diem eſſe voluit, quo ad Legem audiendam & ceremonias peragendas convenirent, vel ſaltem quem operum ſuorum meditationi peculiariter darent: ut hac recordatione ad pietatem exercerentur.

Tertia.

Tertio, ſervis, & iis, qui ſub aliorum degerent imperio, quietis diem indulgendum cenſuit, quo aliquam haberent à labore remiſſionem.

Prima cauſa explicatio. Spiritualis quietis adumbratio primarium locum in hoc præcepto tenet.

29. Illam tamen ſpiritualis quietis adumbrationem primarium in Sabbatho locum tenuiſſe, multifariam docemur. Nullius fere ſiquidem præcepti obedientism ſeverius Domious exigit. Quum ſubverſam omnem religionem vult apud Prophetas ſignificare, polluta, violata, non cuſtodita, non ſanctificata ſua Sabbatha conqueritur: quaſi, omiſſo hoc obſequio, nihil amplius reſtaret in quo poſſet honorari. Ejus obſervantiam eximiis encomiis proſequitur: unde & fideles, inter alia oracula, Sabbathi revelationem mirifice æſtimabant. Sic enim loquuntur Levitæ apud Nebemiam, in ſolenni congregatione, *Oſtendiſti patribus noſtris Sabbathum tuum ſanctum, mandata & ceremonias & Legem dediſti eis per manum Moſis.* Vides, ut ſingulari dignatione babeatur inter præcepta omnia Legis. Quæ omnia pertinent ad commendandam myſterii dignitatem, quod à Moſe & Ezechiele pulcherrime exprimitur.

Num. 13. verſ. 22.
Eze. 20:12. & 22: 8. & 23: 38.
Jerem. 17. verſ. 21. 22. & 27.
Jeſa. 56: 2
Nehem. 9. verſ. 14.

Exod. 13. verſ. 31, 35.

Sic habes in Exodo, *Videte, ut Sabbathum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me & vos, in generationibus veſtris: ut ſciatis quod ego ſum Dominus, qui ſanctifico vos. Cuſtodite Sabbathum: ſanctum eſt enim vobis. Cuſtodiant filii Iſraël Sabbathum, & celebrent illud in generationibus ſuis. pactum eſt ſempiternum inter me & filios Iſraël, ſignumque perpetuum.* Fuſius etiamnum Ezechiel: cujus tamen ſumma huc redit, eſſe in ſignum, quo Iſraël cognoſceret, Deum eſſe ſuum ſanctificatorem.

Quod indicat Deum eſſe noſtrum ſanctificatorem.

Eze. 20:12.

Si ſanctificatio noſtra propriæ voluntatis mortificatione conſtat, jam ſe profert aptiſſima ſigni externi cum re ipſa interiori analogia. Quieſcendum omnioo eſt, ut Deus io nobis operetur: cedendum voluntate noſtrâ, reſignandum cor, abdicandæ cunctæ carnis cupiditates. Denique feriandum eſt ab omnibus proprii ingenii muniis, ut Deum habentes io oobis operantem, io ipſo acquieſcamus, quemadmodum Apoſtolus quoque docet.

Unde ſequitur, feriandum nobis eſſe ut Deum in nobis operantem ne impediamus.

Heb. 3: 13. & 4: 9.

30. Perpetuam iſtam ceſſationem Judæis repræſentabat uoius diei ex ſeptenis obſervatio: quæ ut majori religiooe coleretur, eam exemplo ſuo Dominus commendavit. Noo enim ad excitandum hominis ſtudium mediocriter valet, ut ſe ad Creatoris imitatiooem tendere noverit. Siquis arcanam aliquam in ſeptenario numero ſignificationem requirat, quando hic in Scriptura perfectionis eſt numerus, non ſioe cauſa delectus eſt ad notandam perpetuitatem. Cui & illud ſuffragatur, quod Moſes in die, quo narrat requieviſſe Dominum ab operibus ſuis, finem deſcribendæ dierum ac noctium ſucceſſionis facit. Poteſt & altera probabilis afferri oumeri notatio: quod ſcilicet deſignarit Dominus, nunquam abſolutum fore Sabbathum, dooec ventum ad ultimum diem fuerit. Noſtram enim in illo beatam quietem hic inchoamus, in ea novos quotidie progreſſus facimus: ſed quia aſſidua eſt adhuc cum carne militia, non prius conſummabitur, quam implebitur illud Jeſaiæ de continuanda neomenia cum neomenia, Sabbatho cum Sabbatho, nempe, quum erit Deus omnia io omnibus. Videri ergo poſſit Dominus per diem ſeptimum populo ſuo delineaſſe futuram ſui Sabbathi in ultimo die perfectionem: quo continenti Sabbathi meditatiooe ad hanc perfectionem tota vita aſpiraret.

Siquis arcanam ſignificationem in numero requirat, ſenſus præcepti in reſpectu aperitur, Sabbathi perpetuitas, & in ultimo die perfectio.

Jeſ. 66: 23.

1 Cor. 15. verſ. 28.

31. Siquis hanc numeri obſervationem, ceu nimis argutam faſtidiat, nihil impedio, quominus ſimplicius accipiat: Dominum certum diem ordinaſſe, quo ad meditandam ſpiritualis quietis aſſiduitatem populus ſub Legis pædagogia exerceretur. Septimum aſſignaſſe, vel quia ſufficere providebat, vel ut propoſita exempli ſui ſimilitudine, melius populum exſtimularet: vel certe admoneret non alio ſpectare Sabbathum, oiſi ut ſuo Creatori conformis redderetur. Parum enim intereſt: modo myſterium, quod præcipue delineatur, maneat, de perpetua noſtrorum operum quiete. Ad quod contemplandum identidem revocabant Judæos Prophetæ: ne carnali ceſſatione defunctos ſe putarent. Præter allegatos jam locos ſic habes apud Jeſaiam, *Si averteris à Sabbatho pedem tuum, ut non facias voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaveris Sabbathum delicatum & ſanctum Domini glorioſi: & glorificaveris eum dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris ſermonem: tunc delectaberis ſuper Domino,* &c. Cæterum non dubium, quin Domini Chriſti adventu, quod ceremoniale hic erat, abolitum fuerit. Ipſe enim veritas eſt, cujus præſentia figuræ omnes evaneſcunt: corpus, cujus aſpectu umbræ relinquuotur. Ipſe, inquam, verum Sabbathi complementum. Per Baptiſmum illi conſepulti, in conſortium mortis ejus inſiti ſumus, ut reſurrectionis participes, in novitate vitæ ambulemus. Ideo *Sabbathum umbram fuiſſe rei futuræ*, alibi ſcribit Apoſtolus: *corpus extra in Chriſto*, hoc eſt, ſolidam veritatis ſubſtantiam, quam illo loco bene explicavit. Ea non uno die contenta eſt, ſed toto vitæ noſtræ curſu, donec penitus nobiſmetipſis mortui, Dei vita impleamur. A Chriſtianis ergo abeſſe debet ſuperſtitioſa dierum obſervatio.

Si ſimplicius accipias, parum intereſt, modo myſterium maneat, de perpetua noſtrorum operum quiete: ita tamen, ut ſuperſtitioſa dierum obſervatio arceatur.

Jeſ. 58: 13.

Ceremonia Chriſti adventu abrogata.

Rom. 6: 4.

Col. 2: 17.

32. Enimvero, quoniam duæ poſteriores cauſæ veteribus umbris aooumerari non debent, ſeculis omoibus peræque cooveniuot: abrogato Sabbatho, inter nos tamen etiamnum locum iſtud habet, ut ſtatis diebus ad audiendum verbum, ad myſtici panis fractionem, ad publicas orationes conveoiamus: deinde, ut ſervis & operariis ſua detur à labore remiſſio. Utramque in Sabbathi præceptione curæ fuiſſe Domino, procul dubio eſt. Prior abunde teſtimonii, vel in ſolo Judæorum uſu, habet. Secundam ſignavit Moſes io Deuteronomio, his verbis, *Ut requieſcat ſervus tuus & ancilla tua, ſicut & tu: memento quod & ipſe ſervieris in Ægypto.* Item in Exodo, *Ut requieſcat bos & aſinus tuus: & reſpiret filius ancillæ tuæ.* Utrumque quis neget oobis periode ac Judæis convenire? Conventus Eccleſiaſtici nobis Dei verbo præcipiuotur: & eorum neceſſitas, ipſa vitæ experientia, nota ſatis eſt. Niſi ſtati ſint, & ſuos habeant conſtitutos dies, quomodo haberi poſſunt? Omnia decenter & ordine gerenda ioter nos ſunt ex Apoſtoli ſententia. Tantum vero abeſt, quin decorum & ordo, niſi iſta politia & moderatione, conſervari poſſit, ut præſentiſſima impendeat Eccleſiæ perturbatio & ruina, ſi diſſolvatur. Quod ſi eadem nobis neceſſitas incumbit, cujus in ſubſidium Judæis Dominus Sabbathum conſtituerat: oemo cauſetur nihil ad nos pertinere. Voluit enim providentiſſimus & indulgentiſſimus Pater noſter, noſtræ non minus, quam Judæorum neceſſitati proſpicere. Cur non quotidie, inquies, potius convenimus, ut ita tollatur dierum diſcretio? utinam illud quidem daretur: & ſane digna erat ſpiritualis ſapientia, cui quotidie decideretur particula aliqua temporis. Sed ſi à multorum infirmitate obtineri non poteſt, ut quotidiani conventus agantur: & charitatis ratio plus ab illis exigere non permittit: cur noo pareamus rationi, quam nobis videmus Dei voluntate impoſitam?

Secunda & tertia cauſa explicatio, quæ duplicem habet reſpectum perpetuum.

Confirmatio.

Deut. 5: 14.

Exod. 23. verſ. 12.

1 Cor. 14. verſ. 40.

De conventibus ſacris.

De diei Dominici obſervatione, adverſus eos, qui plebem Chriſtianam ſic in Judaiſmo foveri quiritantur.

33. Paulo hic cogor eſſe longior, quod hodie ob diem Dominicum tumultuantur nonnulli inquieti ſpiritus: Plebem Chriſtianam quiritantur in Judaiſmo foveri, quia retinet aliquam dierum obſervationem. Ego autem reſpondeo, citra Judaiſmum dies iſtos à nobis obſervari: quia longo intervallo differimus in hac parte a Judæis. Non enim ut ceremoniam arctiſſima religione celebramus, qua putemus, myſterium ſpirituale figurari: ſed ſuſcipimus, ut remedium retinendo in Eccleſia ordini neceſſarium.

Objectio. Col. 2: 16. Galat. 4. verſ. 10, 11. Rom. 14: 5.

Atqui Paulus docet, non eſſe in ejus obſervatione judicandos Chriſtianos: quia ſit umbra rei futuræ. Ideo timet ne inter Galatas fruſtra laborarit, quod adhuc dies obſervarent. Et ad Romanos aſſerit ſuperſtitioſum eſſe, ſiquis judicat inter diem & diem.

Reſponſio.

At quis præter iſtos duntaxat furioſos, non videat de qua obſervatione intelligat Apoſtolus? Non enim in finem iſtum Politicum & Eccleſiaſticum ordinem reſpiciebant: ſed quum tanquam rerum ſpiritualium umbras retinerent, tantundem obſcurabant Chriſti gloriam & Euangelii lucem. A manuaris operibus non ideo feriabantur, quod eſſent à ſacris ſtudiis & meditationibus avocamenta: ſed religione quadam, quod feriando, myſteria olim commendata recolere ſe ſomniabant. In hanc, inquam, præpoſteram dierum diſcretionem invehitur Apoſtolus: non in legitimum delectum, qui ſocietatis Chriſtianæ paci ſerviat. Siquidem in Eccleſiis ab eo inſtitutis Sabbathum in hunc uſum retinebatur. Illum enim diem præſcribit Corinthiis, quo ſymbola ad ſublevandos Hieroſolymitanos fratres colligantur. Si timetur ſuperſtitio: plus erat periculi in Judaicis feriis, quam in Dominicis (quos nunc habent Chriſtiani) diebus. Nam quod ad evertendam ſuperſtitionem expediebat, ſublatus eſt Judæis religioſus dies: quod decoro, ordini, paci in Eccleſia retinendis neceſſarium erat, alter in eum uſum deſtinatus eſt.

1 Cor. 16. verſ. 2.

Ratio hujus inſtituti.

34. Quanquam non ſine delectu Dominicum, quem vocamus, diem veteres in locum Sabbathi ſubrogarunt. Nam quum veræ illius quietis, quam vetus Sabbathum adumbrabat, in reſurrectione Domini finis ſit ac complementum: ipſo die, qui umbris finem attulit, admonentur Chriſtiani, ne umbratili ceremoniæ inhæreant. Neque ſic tamen ſeptenarium numerum moror, ut ejus ſervituti Eccleſiam aſtringam: neque enim Eccleſias damnavero, quæ alios conventibus ſuis ſolennes dies habeant, modo à ſuperſtitione abſint. Quod erit, ſi ad ſolam obſervationem diſciplinæ & ordinis bene compoſiti referantur. Summa ſit: ut ſub figura Judæis tradebatur veritas, ita nobis ſine umbris commendatur: primum, ut perpetuum tota vita Sabbathiſmum meditemur à noſtris operibus, quo Dominus in nobis per ſuum Spiritum operetur: deinde, ut pia operum Dei recognitione privatim ſe quiſque, quoties vacat, diligenter exerceat: tum etiam, ut omnes ſimul legitimum Eccleſiæ ordinem, ad verbum audiendum, ad Sacramentorum adminiſtrationem, ad publicas orationes conſtitutum, obſervemus: tertio, ne nobis ſubditos inhumaniter premamus. Ita evaneſcunt nugæ pſeudoprophetarum, qui Judaica opinione populum ſuperioribus ſeculis imbuerunt, nihil aliud afferentes, niſi abrogatum eſſe, quod ceremoniale erat in hoc mandato (id vocant ſua lingua diei ſeptimæ taxationem) remanere autem quod morale eſt, nempe unius diei obſervationem in hebdomade. Atqui id nihil aliud eſt, quam in Judæorum contumeliam diem mutare, diei ſanctitatem animo eandem retinere: ſiquidem manet nobis etiamnum par myſterii in diebus ſignificatio, quæ apud Judæos locum habebat. Et ſane videmus, quid tali doctrina profecerint. qui enim eorum conſtitutionibus hærent, craſſa carnalique Sabbathiſmi ſuperſtitione Judæos ter ſuperant: ut nihilo minus hodie ipſis conveniant objurgationes quæ apud Jeſaiam leguntur, quam iis, quos ſua ætate Propheta increpabat. Cæterum generalis doctrina præcipue tenenda eſt: ne religio inter nos vel concidat vel langueſcat, diligenter colendos eſſe ſacros cœtus, & externis ſubſidiis, quæ ad fovendum Dei cultum valeant, operam dandam eſſe.

A quo tamen abeſſe debet ſuperſtitioſa neceſſitas.

Summa præcepti.

de hac libertate vide Socrat. hiſt. trip. lib. 9. c. 38.

Jeſa. 1. & 58: 13.

PRÆCEPTUM
QUINTUM.

Honora patrem tuum & matrem, ut ſis longævus ſuper terram, quam JEHOVA *Deus tuus daturus eſt tibi.*

Quinti præcepti (quod eſt primum ſecundæ tabulæ) expoſitio, finis, ſumma, & interdictum.

35. Finis eſt, Quoniam Domino Deo ſuæ diſpoſitionis conſervatio cordi eſt, ordinatos ab ipſo eminentiæ gradus oportere nobis eſſe inviolabiles. Summa igitur erit, ut quos nobis præfecit Dominus, eos ſuſpiciamus, eoſque & honore & obedientia & gratitudine proſequamur. Unde ſequitur interdictum, nequid eorum dignitati, vel contemptu, vel contumacia, vel ingratitudine derogemus. Sic enim late patet vocabulum honoris in Scriptura: ut quum dicit Apoſtolus, Presbyteros, qui bene præſunt, duplici honore dignos eſſe, non modo reverentiam iis deberi intelligit, ſed quam miniſterium eorum remunerationem meretur. Quoniam autem hoc de ſubjectione præceptum cum humani ingenii pravitate valde pugnat (quod, ut eſt celſitudinis appetentia turgidum, ægre ſe ſubjici ſuſtinet) quæ naturâ maxime amabilis eſt ac minime invidioſa ſuperioritas, in exemplar propoſita eſt: quia facilius animos noſtros emollire & inflectere ad ſubmiſſionis conſuetudinem poterat. Ad omnem ergo legitimam ſubjectionem ab ea, quæ facillima eſt toleratu, nos paulatim aſſuefacit Dominus: quando eſt omnium eadem ratio. Siquidem, quibus attribuit eminentiam, quatenus ad eam tuendam neceſſe eſt, ſuum cum illis nomen communicat. In unum ipſum ita conveniunt Patris, Dei ac Domini tituli, ut quoties unum aliquem ex iis audimus, majeſtatis illius ſenſu animum noſtrum feriri oporteat. Quos ergo iſtorum facit participes, eos quadam fulgoris ſui ſcintilla illuſtrat, ut ſint pro ſuo quiſque loco ſpectabiles. Ita qui nobis eſt pater, in eo divinum aliquid reputare par eſt: quia divinum titulum non ſine cauſa gerit. Qui princeps eſt, qui dominus, habet nonnullam honoris cum Deo communionem.

Honor parentibus exhibendus, quam late pateat.

1 Tim. 5. verſ. 17.

Cur patris & matris meminit.

Cui nomen Patris conveniat.

36. Quapropter ambiguum eſſe non debet, quin hic univerſalem regulam Dominus ſtatuat: nempe, prout quemque novimus eſſe nobis ejus ordinatione præfectum, ut ipſum reverentia, obedientia, gratitudine, & quibus poſſumus officiis proſequamur. Nec intereſt, dignine an indigni ſint, quibus honor iſte deferatur: nam qualeſcunque ſint tandem, non tamen ſine Dei providentia hunc locum aſſequuti ſunt, cujus ratione ipſe Legiſlator eos honorari voluit. Nominatim tamen de parentum reverentia præcepit, qui nos in hanc vitam ſuſtulerunt: ad quam natura ipſa quodammodo inſtituere nos debet. Monſtra enim ſunt, non homines, qui patriam poteſtatem contumelia vel pervicacia infringunt. Ideo cunctos parentibus immorigeros trucidari jubet Dominus, ut beneficio lucis indignos, qui non recognoſcunt, quorum opera in eam pervenerint. Atque ex variis quidem Legis appendicibus apparet verum eſſe, quod annotavimus, tres eſſe honoris, de quo hic loquitur, partes: reverentiam, obedientiam, gratitudinem. Primam Dominus ſancit, dum interfici præcipit, qui maledixerit patri aut matri: quandoquidem illic contem-

Nec intereſt, dignine an indigni ſint, quibus honos iſte deferatur.

Præcipue autem ſancitur erga parentes honor.

Cujus tres partes.

Reverentia. Exod. 21. verſ. 17. Lev. 20: 9.

Prov. 20. verſ. 20. *Obedientia.* Deut. 21. verſ. 18. *Gratitudo.* Mat. 15: 4. Eph. 6: 1. Col. 3: 20.

contemptum ac contumeliam vindicat. Secundam, dum adverſus immorigeros & rebelles pœnam mortis edicit. Ad tertiam pertinet, quod dicit Chriſtus Matth. 15. *Ex præcepto Dei eſſe, ut benefaciamus parentibus.* Et quoties mandati mentionem facit Paulus, obedientiam in eo requiri ioterpretatur.

Promiſſio, quorſum addita ſit.

37. Subnectitur promiſſio, commendationis vice, quæ magis admoneat, quam grata Deo ſit, quæ hic nobis imperatur ſubmiſſio. Iſtum enim aculeum excitando torpori noſtro admovet Paulus, quum dicit, *mandatum hoc eſſe primum cum promiſſione.* Siquidem, quæ in prima tabula præceſſit, non ſpecialis & propria unius mandati fuit, ſed ad Legem univerſam extendebatur.

Quo ſenſu accipienda.

Porro ſic accipienda hæc eſt, Peculiariter Iſraëlitis loquebatur Dominus de terra, quam illis promiſerat in bereditatem. Si ergo divinæ beoignitatis arrhabo erat terræ poſſeſſio, non miremur, ſi Dominus teſtari voluerit ſuam gratiam, vitæ longitudinem largiendo: per quam fiebat, ut diuturnus caperetur ſui beneficii fructus. Senſus ergo eſt, Honora patrem & matrem, quo per longum vitæ ſpatium frui tibi diu liceat ea terræ poſſeſſione, quæ tibi futura eſt in gratiæ meæ teſtimonium.

Præſens vita, divinæ benedictionis teſtimonium.

Cæterum, quia tota terra fidelibus benedicta eſt, præſentem vitam inter Dei benedictiones merito reponimus. Quare ad nos ſimiliter ſpectat iſtæc promiſſio, quateous ſcilicet divinæ benevolentiæ documentum nobis eſt præſentis vitæ duratio. Non enim ea, aut nobis promittitur, aut promiſſa fuit Judæis, quaſi beatitudinem in ſe contineret: ſed quia ſymbolum piis eſſe ſolet divinæ indulgentiæ.

Exceptionis conſideratio & ſolutio.

Quare ſi contingat ante maturam ætatem obſequentem parentibus filium è vita abripi (quod oon raro cernitur) nihilo minus in ſuæ promiſſionis complemento conſtanter Dominus perſeverat, quam ſi eum centum terræ jugeribus muneretur, cui unum modo pollicitus erat. Totum in boc ſitum eſt, ut expendamus longam vitam eatenus promitti, quatenus Dei benedictio eſt: benedictionem vero eſſe, quatenus divinæ gratiæ eſt documentum: quam ipſe per mortem infinito uberius & ſolidius ſervis ſuis teſtificatur & reipſa demonſtrat.

Ex adverſo, immorigeris filiis maledictio denunciatur.

38. Adhæc, dum præſentis vitæ benedictionem Dominus pollicetur filiis, qui parentes, qua decet obſervatione, coluerint: ſimul innuit, omnibus immorigeris ac inobſequentibus certiſſimam imminere maledictionem. cui ne deſit exequutio, eos per Legem ſuam mortis judicio obnoxios pronunciat, ac ſupplicium de ipſis ſumi mandat. Si judicium effugiunt, ipſe ultionem expetit quovis modo. Videmus enim quantus numerus ex boc hominum genere vel in præliis vel in rixis cadat: alii inſolitis modis affliguntur. omnes prope comminationem banc non eſſe vanam argumento ſunt. Quod ſiqui evadunt ad ultimam ſenectutem: quia in hac vita, Dei benedictione privati, nihil aliud quam miſere languent, & majoribus in poſterum pœnis reſervantur, multum abeſt, quin benedictionis piis filiis

Sed, quouſque parentibus, & iis, qui parentum locum obtinent, ſit obediendum, additur neceſſaria inſtructio. Epheſ. 6: 1.

promiſſæ fiant participes. Sed iſtud etiam obiter annotandum, quod illis obedire nonniſi in Domino jubemur: neque id obſcurum eſt ex jacto prius fundamento: præſident enim eo loco, in quem evexit eos Dominus, communicata cum ipſis honoris ſui portione. Quæ ergo ſubmiſſio illis exhibetur, ad ſuſpiciendum ſummum illum Patrem gradus eſſe debet. Quare, ſi in Legis tranſgreſſionem nos inſtigant, merito tum non parentes nobis habendi ſunt, ſed extranei, qui nos à veri Patris obedientia ſubducere conantur. Sic de principibus, dominis, & univerſo ſuperiorum genere habendum. Indignum enim & abſonum eſt, ut ad deprimendam Dei celſitudinem eorum eminentia polleat, quæ ut ab illa pendet, ita in illam deducere nos debet.

PRÆCEPTUM

SEXTUM.

Non occides.

Sexti præcepti expoſitio, finis & ſumma.

39. Finis præcepti eſt, Quoniam bominum genus unitate quadam Dominus devinxit, incolumitatem omnium unicuique debere eſſe commendatam. In ſumma ergo, violentia omnis & injuria, ac omnino quævis noxa, qua proximi corpus lædatur, nobis interdicitur. Ac proinde jubemur, ſiquid in opera noſtra ad tuendam proximorum vitam ſubſidii eſt, fideliter impendere: quæ ad eorum tranquillitatem faciunt, procurare: depellendis noxis excubare: ſiquo in diſcrimine ſunt, præbere manum auxiliarem.

Quum Legiſlator ſit ſpiritualis, homicidium cordis prohibet, & interiorem affectum conſervandæ vitæ proximi præcipit.

Si Deum Legiſlatorem ſic loqui recordaris, ſimul cogita velle per hanc regulam animæ tuæ moderari. Ridiculum enim foret, ut is qui cordis cogitatiooes ſpeculatur, iiſque præcipue immoratur, ad veram juſtitiam nihil quam corpus erudiret. Ergo & homicidium cordis hac Lege prohibetur, & præcipitur interior affectus conſervandæ fratris vitæ. Manus quidem homicidium parit, ſed animus concipit, dum ira & odio inficitur. Vide an iraſci adverſus fratrem poſſis, quin noxæ libidine ardeas. Si non iraſci, ergo nec odiſſe: quando odium nihil aliud eſt, quam ira inveterata. Diſſimules licet, & vanis ambagibus extricare te coneris: ubi vel ira vel odium eſt, illic eſt maleficus affectus. Si tergiverſari pergis, jam ore Spiritus pronunciatum eſt, homicidam eſſe, qui fratrem in corde ſuo oderit: ore Domini Chriſti pronunciatum eſt, reum eſſe judicio, qui fratri ſuo iraſcitur: reum eſſe concilio, qui dixerit racha: reum eſſe gebennæ ignis, qui dixerit fatue.

1 Joan. 3. verſ. 15. Mat. 5: 22.

Ratio duplex hujus præcepti. *1. Homo eſt imago Dei.* *2. Et caro noſtra.*

40. Duplicem autem æquitatem Scriptura notat, qua nititur boc præceptum: quia & imago Dei eſt homo, & caro noſtra. Quare, niſi imaginem Dei violare libeat, ſacroſanctum habere illum; niſi omnem exuere bumanitatem, ut carnem propriam fovere debemus. Quæ à redemptione & Chriſti gratia ducenda eſt exhortatio, alibi tractabitur. Duo illa naturaliter in bomine conſiderari Dominus voluit, quæ nos ad conſervationem ejus inducerent: ut & ſuam imaginem in ipſo impreſſam revereamur, & carnem noſtram amplexemur. Non ergo evaſit bomicidii crimen, qui à ſanguinis effuſione ſibi temperarit. Siquid opere perpetras, ſi conatu machinaris, ſi voto & conſilio concipis, quod alterius ſaluti ſit adverſum, bomicidii reus teneris. Niſi rurſum illam pro facultate & opportunitate tueri ſtudes, ea quoque immanitate Legem prævaricaris. Quod ſi tantopere de corporis iocolumitate laboratur: hinc colligamus, quantum ſtudii & operæ ſaluti animæ debeatur, quæ in immenſum coram Domino præcellit.

lib. 3. c. 7. ſect. 4. 5. 6. 7. & c. 20. ſect. 38. 45. item lib. 4. c. 1. ſect. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & cap. 17. ſect. 38. 40.

PRÆCEPTUM

SEPTIMUM.

Non mœchaberis.

Septimi præcepti expoſitio, finis & ſumma.

41. Finis ejus, Quia pudicitiam & puritatem Deus amat, faceſſere à nobis omnem immunditiem oportere. Summa igitur erit, ut nequa ſpurcitia, aut libidinoſa intemperie carnis inquinemur. Cui reſpondet affirmativum præceptum, ut caſte & continenter omnes vitæ noſtræ partes moderemur.

Cur ſcortationem vetet.

Scortationem autem nominatim vetat, ad quam tendit omnis libido: ut illius fœditate (quæ craſſior eſt & palpabilior, quatenus ſcilicet corpori etiam maculam inurit) in libidinis cujuſvis abominationem nos abducat. Quoniam hac lege conditus eſt homo, ut ſolitariam vitam non agat, ſed adjuncto ſibi ſubſidio utatur: deinde ex peccati maledictione in hanc neceſſitatem magis addictus eſt: quantum ſatis erat,

Adverſus ſcortationem remedium.

Dominus opitulatus eſt nobis in hac parte, dum conjugium inſtituit, cujus ſocietatem ſua auctoritate initam, ſua quoque benedictione ſanctificavit. Unde conſtat & aliam quamlibet, extra conjugium, ſocietatem, coram ipſo maledictam eſſe: & illam ipſam conjugalem in neceſſitatis remedium eſſe ordinatam, ne in effrenem libidinem proruamus. Ne ergo nobis blandiamur, dum audimus non poſſe virum cum muliere, ſine Dei maledictione, extra conjugium copulari.

Continentia donum, eximium quidem, ut mono nu ſolius Dei: aliis omnino negatum, aliis ad tempus conceſſum eſt.

42. Jam quum per naturæ conditionem & accenſa poſt lapſum libidine, mulieris conſortio bis obnoxii ſimus, niſi quos ſingulari gratia Deus inde exemit: videant ſinguli quid ſibi datum ſit. Virginitas, fateor, virtus eſt non contemnenda: ſed quoniam aliis negata eſt, aliis nonniſi ad tempus conceſſa, qui ab incontinentia vexantur, & ſuperiores in certamine eſſe nequeunt, ad matrimonii ſubſidium ſe conferant, ut ita in ſuæ vocationis gradu caſtitatem colant. Nam, qui non capiunt hoc verbum, ſi non propoſito conceſſoque remedio intemperantiæ ſuæ ſuccurrant, cum Deo pugnant, ac reſiſtunt ejus ordinationi. Neque mihi quiſpiam obſtrepat (quod multi hodie faciunt) Dei ſe auxilio adjutum, omnia

Objectionis pro cœlibatu, diluito.

Pſal. 91. verſ. 11.

poſſe. Dei enim auxilium nonniſi iis adeſt, qui in viis ſuis ambulant: hoc eſt, in ſua vocatione. à qua ſe omnes ſubducunt, qui præteritis Dei ſubſidiis, neceſſitates ſuas ſuperare eluctarique inani temeritate contendunt. Continentiam ſingulare eſſe Dei donum, atque ex eorum genere, quæ non promiſcue, nec in univerſum corpori Eccleſiæ, ſed paucis membris conferantur, Dominus affirmat. Primum enim

Matth. 19. verſ. 12.

certum hominum genus facit, quod ſe caſtraverit propter regnum cælorum, hoc eſt, ut ſolutius ac liberius vacare regni cæleſtis negotiis liceat. At ne talem caſtrationem eſſe in hominis ſitam poteſtate quis putet, paulo ante oſtenderat non omnes eſſe capaces, ſed quibus peculiariter è cælo datum ſit: unde concludit, *Qui poteſt capere, capiat*. Aſſerit etiamnum

1 Cor. 7:7.

apertius Paulus, dum ſcribit unumquemque habere proprium donum à Deo: unum ſic, alterum autem ſic.

Tamdiu igitur unuſquiſque à conjugio abſtinere poteſt, quamdiu erit ad ſervandum cœlibatum idoneus.

43. Quando aperta denunciatione admonemur, non eſſe cujuslibet ſervare caſtitatem in cœlibatu, etiamſi ſtudio & conatu ad id maxime aſpiret: peculiarem eſſe gratiam, quam Dominus nonniſi certis hominibus confert, quo ipſos habeat ad opus ſuum expeditiores; nonne Deo & naturæ ab eo inſtitutæ repugnamus, ſi non vitæ noſtræ genus ad facultatis noſtræ modum accommodamus? Hic ſcortationem Dominus prohibet: puritatem ergo & pudicitiam à nobis requirit. Ejus ſervandæ una eſt ratio, ut ſuo quiſque modulo ſe metiatur. Nemo temere matrimonium contemnat, veluti rem ſibi aut inutilem, aut ſupervacuam: nemo cœlibatum aliter expetat, quam ſi uxore carere poſſit. Neque in eo etiam carnis tranquillitati vel commoditati conſulat, ſed tantum, ut vinculo hoc ſolutus, ad omnia pietatis officia promptior ſit ac paratior. Et quoniam multis hoc beneficium nonniſi ad tempus confertur, tamdiu quiſque à conjugio abſtineat, quamdiu erit ad ſervandum cœlibatum idoneus. Si ad domandam libidinem vires deficiant, intelligat jam ſibi conjugii neceſſitatem à Domino impoſitam. Hoc demon-

Cœlibatus quis ſit verus & legitimus uſus.

1 Cor. 7. v. 2. & 9.

ſtrat Apoſtolus, quum præcipit, ut ad fugiendam ſcortationem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque mulier virum. Item, Ut qui non poteſt ſe continere, matrimonium in Domino contrahat. Primum ſignificat, majorem hominum partem incontinentiæ vitio eſſe obnoxiam: deinde ex iis, qui obnoxii ſunt, neminem excipit, quem non jubeat ad unicum illud remedium confugere, quo impudicitiæ obviam itur. Ergo, qui ſunt incontinentes, ſi hac ratione mederi negligunt ſuæ infirmitati, eo ipſo peccant, quod huic Apoſtoli mandato non

Qui incontinentia vitio cœlebs laborat, Deo & natura ab ipſo inſtituta bellum indicit.

obtemperant. Neque ſibi blandiatur, qui mulierem non attingit, acſi impudicitiæ argui non poſſet: quum interim animus libidine intus ardeat. pudicitiam enim definit Paulus, conjunctam cum caſtitate corporis, animi puritatem. *Cælebs mulier*, inquit, *cogitat, quæ Domini ſunt: quomodo ſancta ſit corpore & ſpiritu*. Itaque dum ſuperius illud præceptum ratione confirmat, non tantum dicit melius eſſe uxorem ducere, quam ſcorti ſocietate ſe polluere; ſed dicit melius eſſe nubere, quam uri.

1 Cor. 7. verſ. 34.

Pudicitia definitio.

Maritis etiam cavendum, ne diſſoluti libidinibus ſic frena laxent, ut uxorum adulteri potius, quam mariti cenſeri debeant.

44. Porro, ſi conjuges recognoſcunt ſuam ſocietatem eſſe à Domino benedictam, eo admonentur non eſſe intemperata & diſſoluta libidine conſpurcandam. Non enim, ſi incontinentiæ turpitudinem velat matrimonii honeſtas, ideo ejus irritamentum protinus eſſe debet. Quare non omnia ſibi licere conjuges exiſtiment: ſed ſuam quiſque uxorem ſobrie habeat, & viciſſim uxor virum: ſic agentes nequid omnino indignum honeſtate ac temperantia matrimonii admittant. Sic enim ad modum & modeſtiam revocari decet conjugium in Domino contractum, non in extremam quamque laſciviam exundare. Hanc petulantiam Ambroſius gravi quidem, ſed non indigna ſententia notavit, quum uxoris adulterum vocavit, qui in uſu conjugali nullam verecundiæ vel honeſtatis curam habet. Poſtremo reputemus, quis hic Legiſlator ſcortationem damnet: nempe is, qui quum nos totos poſſidere debeat, jure ſuo animæ, ſpiritus & corporis integritatem requirit. Ergo, dum ſcortari prohibet, ſimul vetat & laſcivo corporis ornatu, & obſcœnis geſticulationibus, & impuris ſermonibus alienæ pudicitiæ inſidiari. Non enim ratione caret Archelai ſententia ad adoleſcentem molliter & delicate ultra modum veſtitum, non referre, qua parte cinædus eſſet: ſiquidem Deum reſpicimus, qui omnem contaminationem abominatur, quacunque in parte, vel animæ, vel corporis noſtri appareat. Ac ne dubium ſit, memineris hic pudicitiam à Deo commendari. Si pudicitiam requirit à nobis Dominus, quicquid illi adverſum eſt, damnat. Proinde, ſi ad obedientiam adſpiras, nec animus prava cupidine intus ardeat, nec oculi in corruptos affectus laſciviant, nec corpus ad lenocinium excolatur, nec lingua ſpurcis ſermonibus mentem ad ſimiles cogitationes illiciat, nec gula ſua intemperie inflammet. Sunt enim omnia ejuſmodi vitia veluti maculæ quædam, quibus caſtitatis puritas conſpurcatur.

Ambr. lib. de philoſoph. quem citat Auguſtin. lib. contra Julianum 2.

Denique quicquid pudicitiæ (hic ſancita) repugnat, hoc ſeptimo præcepto damnatur.

PRÆCEPTUM
OCTAVUM.

Non furtum facies.

Octavi præcepti expoſitio, finis & ſumma.

45. Finis, Quoniam abominationi eſt Deo injuſtitia, ut reddatur unicuique quod ſuum eſt. Summa igitur erit, nos vetari rebus alienis inhiare, ac proinde juberi ſuis unicuique conſervandis bonis fidelem operam impendere. Sic enim cogitandum eſt, unicuique eveniſſe, quod poſſidet, non fortuita ſorte, ſed ex diſtriburione ſummi rerum omnium Domini: non poſſe igitur præverti malis artibus facultates cujuſpiam, quin fraus divinæ diſpenſationi fiat. Plurima autem ſunt furtorum genera. Unum eſt in violentia: quum vi quacunque & prædatoria licentia aliena diripiuntur. Alterum in malitioſa impoſtura: ubi fraudulenter intercipiuntur. Aliud in tectiori calliditate: ubi per ſpeciem juris excutiuntur. Aliud in blanditiis: ubi ſub donationis prætextu emunguntur. Sed ne in generibus recenſendis nimium inſiſtamus, artes omnes, quibus proximorum poſſeſſiones & pecuniæ ad nos derivantur, ubi à ſinceritate dilectionis, ad fallendi aut quovis modo nocendi cupiditatem obliquant, pro furtis noverimus eſſe habendas. In forenſi certa-

Quatuor furtorum genera.

Quæ ſint malæ artes hoc præcepto damnata.

mine

mine obtineant licet, à Deo tamen non ſecus æſtimantur. Nempe, videt longas captiones, quibus ſimpliciorem bomo vafer animum incipit irretire, donec in ſuas tandem naſſas attrahat: videt duras inbumanaſque leges, qnibus potentior tenuem urget ac præcipitat: videt illecebras, quibus tanquam hamis imprudentem aſtutior ineſcat. quæ omnia latent humanum judicium, nec in cognitionem veniunt.

Alia furti peculiares & obſervanda ſpecies.

Neque bæc injuria in pecunia modo, ant in mercibus aut agris locum habet: ſed in jure cujuſque. ſuo enim bono proximos fraudamus, ſi denegamus officia, quibus erga eos obſtringimur. Si procurator aut villicus otioſus vorat domini ſubſtantiam, nec ad rei familiaris curam intentus eſt, ſi commiſſas ſibi facultates vel injuria diſſipat, vel luxurioſe profundit: ſi ſervus herum ludibrio habet, ſi ejus arcana divulgat, ſi ullo modo, tum vitam, tum bona ejus prodit: ſi dominus rurſum familiam immaniter vexat: furti apud Deum tenetur. Alienum enim & retinet & prævertit, qui non exequitur, quod ex ſuæ vocationis munere aliis debet.

Ejuſdem præcepti recta obſervatio. Prima.

46. Rite ergo ſic parebimus mandato, ſi noſtra ſorte contenti, nullum niſi honeſtum & legitimum lucrum facere ſtudeamus: ſi non appetamus cum injuria diteſcere, nec fortunis diruere proximum moliamur, quo res nobis accreſcat: ſi non crudeles opes, & ex aliorum ſanguine expreſſas cumulare contendamus: ſi non intemperanter undecunque per fas & nefas corradamus, quo vel expleatur noſtra avaritia, vel prodigentiæ ſatisfiat.

Altera.

Verum econverſo ſit nobis perpetuus bic ſcopus, omnes, quoad licet, conſilio atque ope fideliter in retinendis ſuis juvare: quod ſi cum perfidis ac fallacibus negotium fuerit, ex noſtro potius aliquid cedere parati ſimus, quam ut contendamus cum illis.

Tertia.

Neque id modo: ſed quos rerum difficultate viderimus premi, eorum neceſſitatibus communicemus, ac noſtra copia ſublevemus eorum inopiam.

Quarta.

Poſtremo reſpiciat unuſquiſque quatenus ex officio aliis ſit obligatus, ac quod debet, bona fide perſolvat.

Hujus obſervationis applicatio. 1. Ad populum & magiſtratum.

Hac ratione populus omnes ſibi præfectos in honore habeat, eorum dominationem æquo animo ferat, legibus & juſſis pareat, nihil detrectet, quod propitio Deo ferre poſſit. Rurſum illi plebis ſuæ curam ſuſtineaot, publicam pacem conſervent, bonis ſint præſidio, malos coërceant: ſic omnia adminiſtrent, quaſi ſupremo judici Deo functionis ſuæ rationem redditurí.

2. Ad paſtores & oves Eccleſia.

Eccleſiarum miniſtri fideliter verbi miniſterio iocumbant, nec ſalutis doctrinam adulterent: ſed puram & ſinceram populo Dei tradant. Nec doctrina ſolum, ſed vitæ exemplo inſtituant: præſint denique, ut boni paſtores ovibus. Populus viciſſim eos pro nunciis & Apoſtolis Dei ſuſcipiat, cum iis honorem reddat, quo ſummus Magiſter eos dignatus eſt: quæ eorum vitæ neceſſaria ſunt præbeat.

3. Ad parentes & liberos.

Parentes liberos, ut ſibi à Deo commiſſos, alendos, regendos, docendos ſuſcipiant: nec ſævitia eorum animos exaſperent, & à ſe avertant: ſed lenitate ac iodulgentia, quæ ſuam perſonam deceat, eos foveant & amplectantur. Quo modo & ſuam illis obſervantiam à liberis deberi ante dictum eſt.

4. Ad juniores & ſenes.

Juniores ſenilem ætatem revereantur, ut eam ætatem honorabilem eſſe Dominus voluit. Senes quoque juventutis imbecillitatem ſua prudentia, & (quo magis, quam illi pollent) rerum uſu moderentur, non aſperis clamoſiſque inſectationibus eos inceſſentes, ſed temperantes comitate ac facilitate ſeveritatem.

5. Ad ſervos & heros.

Servi ſe ad obſequium ſedulos & morigeros dominis præſtent: neque id ad oculum, ſed ex animo, tanquam Deo ipſi ſervientes. Heri quoque non moroſos ſe & intractabiles erga ſervos gerant, non aſperitate nimia divexent, non contumelioſe accipiant: ſed potius agnoſcant ſibi fratres eſſe, ſuoſque ſub cæleſti Domino conſervos, quos mutuo amare & bumaniter tractare debeant. Ad hunc, inquam, modum quiſque reputet, quid in ſuo ordine ac loco proximis debeat, & quod debet ſolvat.

6. Ad ſingulos.

Ad hæc, referenda ſemper mens ad Legiſlatorem: ut animis perinde ac manibus regulam hanc noverimus conſtitui: quo aliorum commodis atque utilitatibus & tuendis & promovendis ſtudeant.

PRÆCEPTUM
NONUM.
Non eris adverſus proximum tuum teſtis mendax.

Noni præcepti expoſitio, ſumma & finis.

47. Finis ejus, Quoniam mendacium Deus (qui veritas eſt) execratur, veritatem ſine fuco eſſe inter nos colendam. Summa igitur erit, ne vel calumniis falſiſque criminationibus violemus alicujus oomen, vel mendacio in ſuis fortunis gravemus: denique, ne maledicentiæ & procacitatis libidine quempiam lædamns. Cui interdicto cohæret imperium, uc unicuique fidelem operam, quoad licet, in aſſerenda veritate commodemus, ad tuendam & nominis & rerum ſuarum integritatem.

Senſus mandati, mendacii deteſtatio & veritatis conſectatio.

Senſum mandati ſui videtur exponere voluiſſe Dominus bis verbis, *Non ſuſcipies vocem mendacis: nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falſum teſtimonium.* Item, *Mendacium fugies.* Alio etiam loco, non ea modo parte à mendacio nos revocat, ne ſimus criminatores ac ſuſurrones in populo: ſed nequis decipiat fratrem ſuum. utrumque enim diſtinctis mandatis cavet.

Exod. 23. verſ. 1, 7.
Levit. 19. verſ. 16.

Saoe dubium non eſt, quin, ut præcedeotibus mandatis cohibuit ſævitiam, impudicitiam, avaritiam, ita hic falſitatem coërceat:

Falſitatis duo membra.

cujus duo ſunt membra, quæ prius notavimus. Aut enim malignitate & obtrectandi pravitate delinquimus in famam proximorum: aut mentiendo, interdum etiam obloquendo, detrabimus eorum commodis.

Teſtimonium publicum & privatum.

Nihil autem intereſt, ſolenne & judiciarium teſtimonium bic nominari putes, an vulgare, quod in privatis ſermonibus fertur. Semper enim eo recurrendum eſt, ex ſingulis vitiorum generibus ſpeciem unam paradigmatis loco proponi, ad quam cæteræ referantur: eam autem potiſſimum deligi, in qua vitii turpitudo maxime emineat. Quanquam generalius extendere convenit ad calumnias & ſiniſtras obtrectationes, quibus inique gravantur proximi: quia forenſis teſtimonii falſitas nunquam perjurio caret. Perjuriis autem, quatenus Dei nomen profanant ac violant, in mandato tertio ſatis eſt obviatum. Proinde legitima præcepti obſervatio eſt, ut lingua in aſſerenda veritate, proximorum tum bonæ famæ, tum utilitatibus ſerviat.

Præcepti hujus æquitas.

Æquitas pluſquam manifeſta eſt. Nam ſi quibuslibet theſauris pretioſius eſt nomen bonum, nihilo minore noxa, nominis integritate, quam fortunis ſpoliatur homo. In diripienda autem ejus ſubſtantia, non minus interdum falſo teſtimonio, quam manuum rapacitate proficitur.

Quam multi adverſus hoc præceptum peccent.

48. Et tamen mirum eſt, quam ſupina ſecuritate paſſim in hac re peccetur, ut rariſſimi reperiantur, qui non boc morbo notabiliter laborent: adeo venenata quadam dulcedine oblectamur in alienis malis, tum inquireodis, tum detegendis. Net putemus idoneam eſſe excuſationem, ſi ſæpennmero non mentimur.

1. Obtrectationibus.

Nam qui prohibet mendacio fratris nomen deturpari, vult etiam illibatum conſervari, quantum per veritatem licet. Siquidem utcunque illi adverſus mendacium tantum caveat, eo ipſo tamen innuit, ſibi eſſe commendatum. Atqui id nobis ſufficere debet ad famam proximo ſalvam cuſtodiendam, Deo eam curæ eſſe.

2. Maledicentia, à qua Chriſtiana charitatis officia diſtinguuntur & removentur.

Quare damnatur proculdubio in univerſum maledicentia. Porro maledicentiam intelligimus, noo objurgationem, quæ fit caſtigandi ſtudio: non accuſationem aot judiciariam denunciationem, qua remedium malo quæritur: non publicam reprehenſionem, quæ ad

incutiendum cæteris peccatoribus terrorem tendit: non manifeſtationem apud eos, quorum ſalutis intereſt præmonitos fuiſſe, ne ignorantia periclitentur: ſed odioſam criminationem, quæ ex malignitate & obtrectandi petulantia naſcitur. Quio huc quoque extenditur mandatum iſtud, ne ſcurrilem urbanitatem affectemus, & amaris lœdoriis intioctam, quibus aliorum vitia, ſub imagine luſus, mordaciter perſtringantur: qualiter ſolent ooonulli, qui facetiarum laudem cum aliorum rubore ac etiam gemitu captant: quando ex ejuſmodi procacitate oon leviter interdum fratres ſugillantur.

3. Urbanitate ſcurrili & amarulenta.

Nunc ſi ad Legislatorem convertamus oculos, quem convenit non minus auribus atque aoimo, quam linguæ, pro ſuo jure dominari: ſuccurret certe & audiendarum obtrectationum aviditatem, & importunam ad ſiniſtra judicia propenſionem, nihilominus interdici. Ridiculum enim eſt, ſiquis putet Deum odiſſe maledicentiæ in lingua morbum: malignitatis in animo, non improbare. Quare, ſi verus eſt timor atque amor Dei in nobis, demus operam, quoad licet & expedit, & quantum fert charitas, ne maledictis & amaris ſalibus, vel linguam, vel aures præbeamus: ne obliquis ſuſpicionibus temere mentem permittamus: ſed æqui erga omnium dicta & facta interpretes, tum judicio, tum auribus, tum lingua ſalvum illis ſuum bonorem candide ſervemus.

4. Curioſitate importuna, & ad ſiniſtra judicia propenſione.

Quid ab omnibus requiratur.

PRÆCEPTUM
DECIMUM.
Non concupiſces domum proximi tui, &c.

Decimi præcepti expoſitio, finis & ſumma.

49. Fioiseſt, Quooiam totam animam dilectionis affectu poſſideri vult Deus, omnem adverſam charitati cupiditatem ex animis excutiendam. Summa igitur erit, nequa cogitatio nobis irrepat, quæ noxia & in alterius detrimentum vergente concupiſceotia, animos noſtros commoveat. Cui reſpondet ex adverſo præceptum, ut quicquid concipimus, deliberamus, volumus, meditamur, id cum proximorum bono & commoditate ſit conjunctum. Sed hic magna & perplexa, ut videtur, difficultas oobis occurrit. Si eoim vere ſuperiusà nobis dictum eſt, ſub ſcortationis & furti vocabulis, ſcortandi libidinem, & oocendi fallendique conſilium cohiberi: ſupervacuum fuiſſe videri queat, ut nobis poſtea ſeorſum alienorum bonorum concupiſcentia interdiceretur. Sed nobis facile nodum iſtum expediet diſtioctio inter conſilium & concupiſcentiam. Conſilium enim, qualiter de eo io ſuperioribus præceptis loquuti ſumus, eſt deliberata voluntatis conſenſio, ubi animum libido ſubjugavit. Cupiditas citra talem & deliberationem & aſſenſionem eſſe poteſt, quum animus vanis perverſiſque objectis pungitur modo, & titillatur. Quemadmodum ergo voluotatibus, ſtudiis, operibus, charitatis regulam præeſſe hactenus Dominus juſſit: ita ad eandem nunc dirigi animi conceptiones jubet, ne ſiot ullæ pravæ & contortæ, quæ animum aliorſum exſtimulent. Quemadmodum animum inflecti atque ioduci in iram, odium, ſcortationem, rapinam, mendacium vetuit, ita nunc probibet inſtigari.

Quid concupiſcentia nomine hoc intelligatur.

Diſtinctio inter conſilium & concupiſcentiam hoc præcepto damnatam.

Cur tantam rectitudinem Deus exigat.

50. Neque vero ſine cauſa tantam rectitudinem exigit. Nam quis æquum eſſe neget, omnes animæ potentias charitate occupari? Siqua autem à charitatis ſcopo aberret, quis morboſam eſſe inficietur? Jam vero unde fit, ut animum tuum ſubeant cupiditates fratri tuo damnoſæ, niſi quod neglecto illo, tibi uni ſtudes? Si enim charitate totus eſſet imbutus animus, nulla ejus particula talibos imaginationibus pateret. Vacuum ergo eatenus charitate eſſe oportet, quatenus concupiſcentiam recipit. Objiciet quiſpiam, non tamen conſentaneum eſſe, ut phantaſiæ, quæ temere volutaotur in mente, & tandem evaoeſcunt, pro concupiſcentiis, quarum ſedes in corde eſt, damnentur. Reſpondeo, hic quæſtionem eſſe de ejus geoeris phantaſiis, quæ dum mentibus obverſantur, ſimul animum cupiditate mordent ac feriuot. quandoquidem ounquam in mentem veoit optare aliquid, quin cor excitatum ſaliat. Mirabilem ergo dilectionis ardorem Deus mandat, quem ne mioimis quidem concupiſcentiæ tricis vult impediri. Animum mirifice compoſitum requirit, quem ne levibus quidem aculeis commoveri contra dilectionis legem patitur. Ad hanc intelligentiam mihi primum viam aperuit Auguſtious: ne gravi ſuffragio deſtitui eam putes. Etſi autem qualibet prava cupiditate interdicere conſilium Domini fuit, ea tamen objecta in exemplum propoſuit, quæ falſa delectationis imagine nos ut plurimum capiunt: oequid cupiditati prorſus relioqueret, ubi ab iis rebus retrahit, in quas potiſſimum inſanit & exultat. En ſecunda Legis tabula, in qua ſatis admooemur, quid hominibus debeamus propter Deum, à cujus conſideratione peodet tota charitatis ratio. Quare fruſtra inculcaveris, quæcunque io hac tabula docentur officia, niſi doctrina tua, Dei timore & reverentia, tanquam fundamento, ſuboitatur. Qui duo præcepta quærunt in concupiſceotiæ prohibitione, perverſa ſectione quod unum erat lacerare, prudens lector me tacente judicabit. Nec obſtat, quod ſecuodo repetitur verbum, *Non concupiſces*: quia ubi domum poſuit, partes ejus enumerat, ab uxore incipiens. uode clare patet, uno contextu, quod recte Hebræi faciunt, legendum eſſe, ac Deum in ſumma præcipere, ut quod poſſidet quiſque, maneat ſalvum & intactum, non modo ab injuria aut libidine fraudandi, ſed à minima etiam cupiditate, quæ animos ſollicitet.

Objectio.

Reſponſio.

Charitas erga proximum hic præcipue commendatur.

Cur domus uxoris, ſervi, ancillæ, bovis, aſini, &c. meminit.

epiſt. 200. lib. 83. quæſtion. ſub fin 66 quæſt. concion. 8. in Pſ. 118. in Pſ. 143. Serm. 45. de temp. Retract. lib. 1. c. 5. & lib. de continentia, cap. 8.

Adverſus eos, qui hoc præceptum in duo dividunt.

51. Quorſum vero ſpectet Lex univerſa, non erit nunc difficile judicium; nempe, in juſtitiæ complemeotum: ut bominis vitam ad divinæ puritatis exemplar formet. Ita enim ſuum ingenium Deus illic delineavit, ut ſiquis factis, quicquid illic præcipitur, repræſentet, imaginem Dei quodammodo ſit in vita expreſſurus. Quamobrem Moſes, quum ſummam illius reducere Iſraëlitis in memoriam vellet, *Et nunc Iſraël*, aiebat, *quid petit abs te Dominus Deus tuus, niſi ut timeas Dominum, & ambules in viis ejus: diligas eum, ac ſervias ei in toto corde, & in tota anima, cuſtodiaſque mandata ejus?* Nec ceſſabat eadem occinere illis quoties indicandus erat Legis ſcopus. Huc ita reſpicit Legis doctrina, ut bominem vitæ ſanctitate cum Deo ſuo conjungat, & (quemadmodum alibi Moſes loquitur) cohærere faciat. Porro ejus ſanctitatis perfectio in duobus jam recitatis capitibus ſita eſt, *Ut diligamus Dominum Deum ex toto corde, tota anima, totis viribus, & Proximum ſicut nos ipſos.* Ac primum quidem eſt, ut Dei dilectione anima noſtra omni ex parte impleatur. Ex ea protinus ultro fluet proximi dilectio. Quod oſtendit Apoſtolus, dum ſcribit, *finem præcepti eſſe charitatem ex conſcientia pura, & fide non ſimulata.* Vides, tanquam in capite collocari *conſcientiam, & fidem non ſimulatam*: hoc eſt, uno verbo, veram pietatem: inde charitatem deduci. Fallitur ergo, ſiquis autumat rudimenta quædam & primordia juſtitiæ duntaxat in Lege tradi, quibus homines ad tirocinium inchoëntur, oon etiam dirigantur ad rectam bonorum operum metam: quando ultra illam Moſis & hanc Pauli ſententiam, ad ſupremam perfectionem nihil deſiderare queas. Quo enim, quæſo, procedere volet, qui iſta ioſtitutione contentus non erit, qua homo ad timorem Dei, ad ſpiritualem cultum, ad mandatorum obedientiam, ad ſequendam viæ Domini rectitudinem, denique ad puritatem conſcientiæ, ſinceram fidem & dilectionem eruditur? Uode

Poſtrema pars hujus capitis, qua oſtenditur ſcopus Legis.

Confirmatio.

Deut. 10. verſ. 12.

Deut. 6: 5. & 11: 13.

Summa decem præceptorum.

1 Tim. 1: 5.

Sequitur ex ſuperioribus dictis, Legem non rudimenta quædam & primordia juſtitiæ duntaxat tradere: ſed ad puritatis divinæ exemplar in juſtitiæ complementum ſpectare.

con-

confirmatur illa Legis interpretatio, quæ omnia pietatis & dilectionis officia in ejus præceptis veſtigat & reperit. Qui enim arida jejunaque tantum elementa ſectantur, acſi dimidia ex parte voluntatem Dei edoceret, finem illius (teſte Apoſtolo) nequaquam tenent.

Cur apud Evangeliſtas & Apoſtolos poſterioris tantum tabulæ, non prioris, aliquoties mentio fiat.

52. Enimvero, quia in commemoranda Legis ſumma interdum Chriſtus & Apoſtoli priorem tabulam prætermittunt, ea in re plurimi hallucinantur, dum eorum verba ad utramque tabulam trahere volunt. Vocat Chriſtus apud Matthæum præcipua Legis, miſericordiam, judicium & fidem. Sub fidei vocabulo mihi non eſt ambiguum quin veritatem erga homines deſignet. Atqui, ut ſententia in totam

Matth. 23. verſ. 23.

Legem protendatur, quidam pro religione erga Deum accipiunt: fruſtra certe. nam Chriſtus de his operibus diſſerit, quibus homo ſe juſtum approbare debet. Hanc rationem ſi obſervemus, deſinemus etiam mirari, cur alibi roganti adoleſcenti, quæ ſint mandata quorum obſervatione ad vitam ingre-

Matth. 19. verſ. 18.

dimur, hæc ſola reſpondeat: *Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Honora patrem & matrem: Dilige proximum tuum ſicut teipſum.* Siquidem prioris tabulæ obedientia aut in cordis affectu, aut in ceremoniis fere erat. Cordis affectus non apparebat, ceremoniis hypocritæ aſſidue incumbebant: at opera charitatis talia ſunt, ut ſolidam juſtitiam per ea teſtemur.

Idem occurrit apud Prophetas.

Hoc vero ita paſſim occurrit in Prophetis, ut lectori mediocriter exercitato familiare eſſe debeat. Nam fere quoties hortantur ad pœnitentiam, omiſſa priore tabula, fidem, judicium, miſericordiam & æquitatem urgent. Neque hoc modo prætereunt Dei timorem, ſed ejus ſeriam probationem à ſignis exigunt. Hoc quidem notum eſt, ubi de Legis obſervatione diſſerunt, plerumque inſiſtere in ſecunda tabula: quia illic maxime perſpicitur juſtitiæ & integritatis ſtudium. Neque opus eſt recenſere locos: quia per ſe quiſque facile animadvertet, quod dico.

Adverſus ſuperiorem ſectionem objectio, & ejuſdem ſolutio.

53. Ergone, inquies, pluris eſt ad juſtitiæ ſummam, cum hominibus innocenter vivere, quam pietate Deum honorare? Minime: ſed quia non temere quis charitatem per omnia cuſtodit, niſi Deum ſerio timeat, inde quoque pietatis approbatio ſumitur. Huc accedit, quod Dominus, quum probe noverit nihil beneficentiæ à nobis pervenire

Pſal. 16: 2.

ad ſeipſum poſſe (quod & per Prophetam teſtatur) non ſibi officia noſtra depoſcit, ſed erga proximum bonis operibus nos exercet. Itaque non ſine cauſa

Eph. 3: 19.

Apoſtolus totam ſanctorum perfectionem in chari-

Rom. 13. verſ. 8.

tate reponit. Nec ipſam alibi abſurde vocat Legis complementum: addens, Legem perfeciſſe, qui

Gal. 5: 14.

diligit proximum. Item, Totam Legem uno verbo comprehendi, *Dilige proximum ſicut teipſum.* Non

Mat. 7: 12.

enim aliud docet, quam Chriſtus ipſe, dum ait, *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, eadem facite illis. hoc eſt enim Lex & Prophetæ.* Certum eſt, in Lege & Prophetis primum locum tenere fidem & quicquid ad legitimum Dei cultum pertinet, inferiore loco ſubſidere dilectionem: ſed intelligit Dominus, in Lege nobis tantum præſcribi juris & æquitatis inter homines obſervantiam, qua ad teſtandum pium ejus timorem, ſiquis in nobis eſt, exerceamur.

Vita ad Legis normam compoſita recta ratio charitatem erga proximos poſtulat.

54. Hic ergo hæreamus, tum optime ad Dei voluntatem Legiſque præſcriptum compoſitam fore vitam noſtram, quum fratribus omni ex parte fructuoſiſſima fuerit. In tota vero Lege ſyllaba una non legitur, quæ regulam homini de iis ſtatuat, quæ carnis ſuæ commodo facturus aut omiſſurus ſit. Et ſane, quando ita nati ſunt homines, ut in amorem ſui plus juſto toti proni ferantur, &, quantumvis à veritate excidant, eum ſemper retineant: nulla fuit opus Lege, quæ amorem illum, ſponte ſua immodicum, magis inflammaret. Quo plane perſpicuum eſt, non noſtri ipſorum amorem, ſed Dei & proximi, obſervationem mandatorum eſſe: optimeque ac ſanctiſſime eum vivere, qui quam minimum fieri poteſt, ſibi vivit ac ſtudet: neminem vero eo pejus nec iniquius vivere, qui ſibi duntaxat vivit ac ſtudet, ſuaque duntaxat cogitat ac quærit.

vide Aug. de doctr. Chriſtiana lib. 1. c. 23. & ſequentibus.

Quin etiam, quo magis exprimeret Dominus quanta propenſione nos in proximorum dilectionem agi oporteret, ad noſtri amorem (quia nullum habebat vehementiorem aut validiorem affectum) tanquam ad regulam exegit. Ac diligenter quidem penſitanda eſt vis loquutionis: non enim (quod ſtolide ſomniarunt ſophiſtæ quidam) priores partes φιλαυτίᾳ concedit, & ſecundas charitati aſſignat: ſed potius, quem naturaliter amoris affectum trahimus ad nos ipſos, eum ad alios transfert.

Quam evertunt, qui priores partes philautiæ tribuunt.

Unde Apoſtolus aſſerit, *charitatem non quærere, quæ ſua ſunt.* 1 Cor. 13: 5.

Nec pili æſtimanda eſt eorum ratio, *Regulatum ſemper eſſe inferius ſua regula.* Siquidem non regulam ſtatuit in amore noſtri Dominus, cui charitas erga alios ſubeſſet: ſed ubi naturali pravitate ſolebat amoris affectus in nobis reſidere, oſtendit alio jam oportere diffundi: ut non minori alacritate, ardore, ſollicitudine parati ſimus ad benefaciendum proximo, quam nobis ipſis.

Horum ratio evertitur.

Proximus quis.

55. Jam ſub *proximi* vocabulo, quum Chriſtus in parabola Samaritani demonſtrarit alieniſſimum quemque contineri, non eſt quod dilectionis præceptum ad noſtras neceſſitudines limitemus. Non nego, ut quiſque eſt nobis conjunctiſſimus, ita officiis noſtris eſſe familiarius adjuvandum. Ita enim fert humanitatis ratio, ut eo plura homines inter ſe officia communicent, quo arctioribus inter ſe, aut cognationis, aut familiaritatis, aut viciniæ vinculis connectuntur. Atque id nulla Dei offenſione, cujus providentia huc quodammodo adigimur. Sed dico, univerſum hominum genus, nulla exceptione, uno charitatis affectu eſſe amplexandum: nullum hic eſſe diſcrimen barbari aut Græci, digni vel indigni, amici vel inimici: quoniam in Deo, non in ſeipſis conſiderandi ſunt: à quo intuitu dum deflectimus, non mirum eſt, ſi multis erroribus implicamur. Quare, ſi veram diligendi lineam tenere libet, non in hominem primum convertendi ſunt oculi, cujus aſpectus odium ſæpius, quam amorem exprimeret: ſed in Deum, qui amorem, quem ſibi deferimus, ad univerſos homines diffundi jubet. ut ſit hoc perpetuum fundamentum, Qualiſcunque ſit homo, diligendum tamen eſſe, quia diligitur Deus.

Luc. 10: 36.

Non modo conjunctus ſanguinis, affinitatis, patria, viciniæ, amicitia, humanitatis vinculo; ſed etiam alieniſſimus & remotiſſimus quiſque.

Quem ut ſincero affectu amplectamur, in Deum præcipientem convertendi ſunt oculi.

Scholaſtici igitur dupliciter à recto aberrarunt.

56. Quapropter peſtilentiſſimæ, vel ignorantiæ, vel malitiæ fuit, quod Scholaſtici ex præceptis de non appetenda vindicta, de diligendis inimicis, quæ & omnibus olim Judæis tradita fuerunt, & tum omnibus in commune Chriſtianis tradebantur, conſilia fecerunt, quibus parere, vel non parere liberum eſſet. Eorum autem neceſſariam obedientiam ad monachos relegarunt: qui vel hoc uno ſimplicibus Chriſtianis eſſent juſtiores, quod ultro ſe ſervandis conſiliis obſtringerent. Et rationem aſſignant, cur ea non recipiant pro legibus: quod onerosa nimium & gravia videantur, Chriſtianis præſertim, qui ſunt ſub Lege gratiæ. Itane Legem Dei æternam de diligendo proximo refigere audent? An tale in aliqua Legis pagina diſcrimen extat: ac non magis paſſim illic occurrunt mandata, quæ inimicorum dilectionem à nobis ſeveriſſime exigant? Quale enim eſt iſtud, quod eſurientem jubemur inimicum paſcere? ejus boves & aſinos errantes in viam dirigere, aut oneri ſuccumbentes ſublevare? Belluiſne in ejus gratiam benefaciemus, nulla in ipſum benevolentia? Quid? annon æternum eſt verbum Domini, *Mihi vindictam, & ego rependam?* Quod alibi quoque explicatius habetur, *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Aut hæc obliterent ex Lege, aut Dominum Legiſlatorem

1. Quod ex præceptis conſilia fecerunt, quæ monachis obſervanda reliquere.

Prov. 25. verſ. 21.
Exod. 23. verſ. 4.
Deut. 32. verſ. 35.
Lev. 19. verſ. 18.

fuiſſe

fuiſſe agnoſcunt: non conſiliarium fuiſſe mentiantur.

Hujus erroris refutatio, Scriptura & veterum Theologorum teſtimoniis munita. 57. Et quid hæc, quæſo, ſibi volunt, quæ auſi ſunt inſulſo gloſſemate illudere? *Diligite inimicos veſtros: benefacite iis, qui oderunt vos: orate pro perſequentibus vos: benedicite iis, qui vos execrantur: ut ſitis filii Patris veſtri, qui eſt in cælis.* Quis non hic cum Chryſoſtomo ratiocinetur, ex tam neceſſaria cauſa probe conſtare, non eſſe exhortationes, ſed
Mat. 5: 44. libr. de compunctione cordis. præceptiones? Quid nobis amplius reſtat, ubi expungimur è numero filiorum Dei? At ſecundum eos filii Patris cæleſtis erunt ſoli monachi, ſoli Deum Patrem audebunt invocare. Quid interim Eccleſia? Eodem jure relegabitur ad Gentiles & Publicanos.
Mat. 5: 46. Dicit enim Chriſtus, *Si amicis veſtris eſtis benevoli, quam inde gratiam expectatis? annon Gentes & Publicani idem faciunt?* Bene vero nobiſcum agetur, ſi Chriſtianorum titulus nobis relinquatur, cæleſtis regni adimatur hæreditas. Nec minus firmum eſt
lib. de doctrina Chriſtian. Auguſtini argumentum, *Quum ſcortari,* inquit ille, *Dominus vetat, non inimici minus, quam amici uxorem attingere prohibet: quum furtum interdicit, nihil omnino furari permittit, ſive ab amico, ſive ab inimico.* Hæc autem duo, *Non furari,* &, *Non ſcortari,* ad dilectionis regulam revocat Paulus: imo docet ſub
Rom. 13. verſ. 9. hoc mandato contineri, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Ergo aut falſum Legis interpretem fuiſſe Paulum oportet, aut neceſſario hinc conficitur, diligendos quoque eſſe inimicos ex præcepto, quemadmodum amicos. Vere itaque ſe filios Satanæ eſſe produnt, qui commune jugum filiorum Dei excutiunt adeo licentioſe. Dubites autem majorine ſtupiditate, an impudentia iſtud dogma evulgarint. Nemo enim veterum eſt, qui non tanquam de re certa pronunciet hæc eſſe mera præcepta. Ne Gregorii quidem ætate dubitatum de eo fuiſſe, ex ſecura ejus aſſeveratione liquet: nam citra controverſiam pro præceptis habet. Et quam ſtolide ratiocinantur?
Inſtantia ſophiſtica ſolutio. Onus, inquiunt, eſſet nimis grave Chriſtianis. Quaſi vero gravius quicquam excogitari poſſit, quam diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Præ iſta Lege nihil non facile haberi debeat, ſive diligendus inimicus, ſive omnis vindictæ cupiditas ex animis deponenda. Omnia certe noſtræ imbecillitati ardua ſunt & difficilia, vel ad minimum uſque Legis apicem. Dominus eſt, in quo virtutem facimus: det ille quod jubet, & jubeat quod velit. Sub Lege gratiæ eſſe Chriſtianos, non eſt effrenate ſine lege vagari, ſed Chriſto inſitos eſſe, cujus gratia à Legis maledictione liberi ſint, & cujus Spiritu Legem habeant in cordibus inſcriptam. Hanc gratiam, Legem improprie vocavit Paulus, alludens ad Legem Dei, cui per contentionem eam opponebat: iſti in nomine Legis de nihilo philoſophantur.

2. Quod occultam impietatem & concupiſcentiam veniale peccatum nuncuparunt. 58. Ejuſdem eſt rationis, quod peccatum veniale nuncuparunt, cùm occultam impietatem, quæ primæ tabulæ adverſatur, tum directam ultimi mandati prævaricationem. Sic enim definiunt, eſſe cupiditatem ſine deliberato aſſenſu, quæ non diu cordi inſideat. Ego autem ne ſubire quidem poſſe dico, niſi ob defectum eorum, quæ in Lege requiruntur.
vide lib. 3. cap. 4. ſect. 28. Vetamur alienos habere deos. Quum mens diffidentiæ machinis perculſa, alio circumſpectat, quum ſubita cupidine alio transferendæ ſuæ beatitudinis inceſſitur: unde iſti quamlibet evanidi motus, niſi quia eſt aliquid in anima vacuum ad recipiendas ejuſmodi tentationes? Ac ne longius argumentum protrahatur, præceptum eſt de diligendo Deo ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima: niſi ergo omnes animæ potentiæ in Dei amorem intenduntur, jam diſceſſum eſt à Legis obedientia: quia Deo non bene ſtabilitum in conſcientia noſtra thronum arguunt, qui illic inſurgunt adverſus regnum ejus hoſtes, ejuſque edicta interpellant. Mandatum vero ultimum proprie huc pertinere demonſtratum eſt. *Hujus erroris refutatio, à ſumma totius decalogi (quæ Dei & proximi dilectionem jubet) conſideratione.* Pupugit nos animi aliquod deſiderium? jam concupiſcentiæ rei tenemur, ac ſimul conſtituimur Legis tranſgreſſores: quia Dominus non tantum deliberare & machinari quod ſit in jacturam alterius vetat, ſed concupiſcentia etiam ſtimulari & æſtuare. Legis vero tranſgreſſioni maledictio Dei ſemper incumbit. Non eſt igitur, quod vel leviſſimas cupiditates judicio mortis eximamus. *In æſtimandis peccatis,* inquit Auguſtinus, *non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro, dicentes, hoc grave, hoc leve eſt: ſed afferamus ſtateram divinam de Scripturis ſanctis, tanquam de theſauris Dominicis: & in illa quid ſit gravius appendamus: imo non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.* libro 2. de Baptiſm. contra Donatiſt. c. 6. Quid autem Scriptura? certe dum Paulus ſtipendium peccati, mortem vocat, ſibi putidam hanc diſtinctionem incognitam fuiſſe oſtendit. *2. A teſtimonio Apoſtoli.* Rom. 6: 23. Quum plus juſto proclives ad hypocriſin ſimus, fomentum hoc addi minime oportuit, quod torpidas conſcientias mulceret.

59. Utinam reputarent, quid ſibi velit illud Chriſti dictum, *Qui tranſgreſſus fuerit unum ex mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, nullus habebitur in regno cælorum.* *3. Ab autoritate Chriſti.* Mat. 5: 19. An ex eo numero non ſunt, dum Legis tranſgreſſionem ita extenuare audent, acſi digna morte non eſſet? Atqui oportuerat conſiderare, non ſimpliciter quid præcipiatur, ſed quiſnam ſit ille qui præcipit, quia in qualicunque mandatæ ab eo Legis tranſgreſſiuncula, ejus auctoritati derogatur. *4. A natura & majeſtate Dei.* An illis parum eſt, Dei majeſtatem ulla in re violari? Deinde, ſi ſuam in Lege voluntatem expoſuit Deus, quicquid Legi contrarium eſt, illi diſplicet. An iram Dei ſic exarmatam fingent, ut non mortis vindicta protinus conſequatur? Neque ipſe obſcure pronunciavit (ſi vocem ejus exaudire in animum potius inducerent, quam claram veritatem inſipidis ſuis argutationibus obturbare) *Anima,* inquit, *quæ peccaverit, ipſa morietur.* *5. A ſententia in peccatum pronunciata.* Eze. 18: 20. Item, quod nuper citavi, *Stipendium peccati, mors.* Rom. 6: 23. Iſti autem quod peccatum eſſe fatentur, quia negare nequeunt, mortale tamen non eſſe contendunt. Sed enim, quia plus ſatis hactenus inſaniæ indulſerunt, diſcant ſaltem aliquando reſipiſcere. Quod ſi delirare perſeverant, illis valere juſſis, habeant Filii Dei, omne peccatum mortale eſſe: quia eſt adverſus Dei voluntatem rebellio, quæ ejus iram neceſſario provocat: quia eſt Legis prævaricatio, in quam edictum eſt ſine exceptione Dei judicium: ſanctorum delicta venialia eſſe, non ex ſuapte natura, ſed quia ex Dei miſericordia veniam conſequuntur. *Concluſio multiplicis hujus refutationis.*

CAP. IX.

Digitized by Google

CAP. IX.

Chriſtum, quamvis ſub Lege Judæis cognitus fuerit, tamen in Euangelio demum exhibitum fuiſſe.

Partes capitis tres.

1. *De Chriſti cognitione & beneficio dicturus, appoſite diſputat de hujus cognitionis diſpenſatione, quæ illuſtrior fuit poſt Chriſtum in carne manifeſtatum, quam ſub Lege, quod ſect.* 1. *&* 2. *perſequitur.*
2. *Occurrit Serveti profano delirio, promiſſiones in totum abolentis, ſect.* 3. *eos item refellit, qui Legem cum Euangelio non recte conferunt, ſect.* 4.
3. *Tandem de Joannis Baptiſtæ miniſterio, quod inter Legem & Euangelium interpoſitum eſt, additur neceſſaria & brevis explicatio, ſect. ultima.*

Sancti Patres ſub Lege viderunt diem Chriſti, ſed obſcuriore intuitu: nobis autem plenius revelatus eſt ſub Euangelio.

QUia non fruſtra Deus jam olim per expiationes & ſacrificia voluit ſe Patrem teſtari, nec fruſtra populum electum ſibi conſecravit: jam tunc haud dubie in eadem imagine cognitus eſt, in qua nunc pleno fulgore nobis apparet. Ideo Malachias, poſtquam Judæos ad Legem Moſis juſſit attendere, & in ejus ſtudio perſeverare (quia poſt ejus mortem futura erat aliqua muneris Prophetici interruptio) mox denunciat, *Exorturum eſſe ſolem juſtitiæ.* Quibus verbis

Mal. 4: 2.

admoner, Legem in hoc valere, ut pios in expectatione venturi Chriſti contineat: ejus tamen adventu longe plus lucis ſperandum eſſe. Hac ratione Petrus Prophetas dicit fuiſſe ſciſcitatos & ſedulo inquiſiviſſe de ſalute, quæ nunc per Euangelium patefacta eſt: & fuiſſe illis revelatum, quod non ſibi, vel ſuo ſeculo, ſed nobis miniſtrarent ea, quæ per

1 Petr. 1. v. 10, 12.

Ratio hujus propoſitionis, Chriſti & Apoſtolorum teſtimoniis confirmata.

Euangelium annunciantur. Non quod inutilis fuerit veteri populo eorum doctrina, vel ipſis etiam nihil profuerit: ſed quia theſauro potiti non ſunt, quem nobis tranſmiſit Deus per eorum manum. Nam hodie nobis ante oculos familiariter proponitur gratia, de qua teſtificati ſunt: & quum eam modice delibaverint, uberior nobis offertur ejus fruitio.

Joan. 5:46.

Ideo Chriſtus, qui ſe teſtimonium à Moſe habere aſſerit, gratiæ tamen menſuram, qua Judæos ſuperamus, extollit. Nam diſcipulos alloquens, *Beati,* inquit, *oculi, qui vident, quæ videtis: & beatæ aures, quæ audiunt, quæ vos auditis. Multi enim Reges & Prophetæ hoc optarunt, nec adepti ſunt.* Hæc non parva eſt revelationis Euangelicæ commendatio, quod ſanctis Patribus, qui rara pietate excelluerunt, nos Deus prætulit. Cui ſententiæ minime

Matth. 13. verſ. 16. Luc. 10. verſ. 24.

Joan. 8:56.

repugnat alter locus, ubi dicitur Abraham vidiſſe diem Chriſti, & gaudio exultaſſe. Quia etſi obſcurior fuit intuitus rei procul remotæ: nihil tamen ad bene ſperandi certitudinem defuit: unde lætitia illa, quæ ſanctum Patriarcham ad mortem uſque

Joan. 1:18.

comitata eſt. Neque vox illa Joannis Baptiſtæ, *Deum nemo vidit unquam: unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, enarravit nobis*: pios, qui ante mortui fuerant, excludit à ſocietate intelligentiæ & lucis, quæ refulget in Chriſti perſona: ſed illorum ſortem cum noſtra comparans, myſteria, quæ ſub umbris obſcure tantum ſpeculati ſunt, docet nobis manifeſta eſſe: quemadmodum probe explicat auctor

Hebr. 1: 1.

epiſtolæ ad Hebræos, multifariam & multis modis loquutum fuiſſe olim per Prophetas, nunc vero per dilectum Filium. Quamvis ergo unigenitus ille, qui nobis hodie eſt ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ Dei Patris, olim Judæis innotuerit, ſicuti alibi citavimus ex Paulo, fuiſſe antiquæ liberationis ducem: verum tamen eſt, quod alibi tradit idem

2 Cor. 4:6.

Paulus; Deum, qui juſſit è tenebris lumen ſpleneſcere, nunc illuxiſſe cordibus noſtris, ad illuſtrandam notitiam gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti. quia ubi apparuit in hac ſua imagine, quodammodo ſe fecit viſibilem, præut obſcura & umbratilis ante fuerat ejus ſpecies. Quo turpior & magis deteſtabilis eſt eorum ingratitudo ac pravitas, qui hic in meridie cæcutiunt. Et ideo mentes eorum à Satana obtenebratas eſſe dicit Paulus, ne cernant gloriam Chriſti, nullo velo interpoſito, in Euangelio refulgentem.

Quamvis vox Euangelii late ſumpta, comprehendat teſtimonia, quæ Deus miſericordiæ ſuæ Patribus obtulit: Euangelium tamen proprie & ſpecialiter vocari debet promulgatio illa exhibitæ in Chriſto tandem gratiæ.

2. Porro Euangelium accipio pro clara myſterii Chriſti manifeſtatione. Fateor certe, quatenus Euangelium vocatur à Paulo doctrina fidei, ejus partes cenſeri, quæcunque paſſim in Lege occurrunt promiſſiones de gratuita peccatorum remiſſione, quibus ſibi Deus reconciliat homines. Fidem enim terroribus illic opponit, quibus angitur & vexatur conſcientia, ſi ex operibus petenda ſit ſalus. Unde ſequitur, vocem *Euangelii* large ſumendo, ſub ea comprehendi, quæ olim teſtimonia Deus miſericordiæ ſuæ paternique favoris Patribus dedit: verum per excellentiam aptari dico ad promulgationem exhibitæ in Chriſto gratiæ: idque non modo communi uſu receptum eſt, ſed à Chriſti & Apoſtolorum auctoritate pendet. Unde proprium hoc illi tribuitur, ipſum prædicaſſe Euangelium regni. Et Marcus præfatur hoc modo, *Initium Euangelii Jeſu Chriſti.* Nec vero opus eſt locos colligere, quibus probetur res ſatis ſuperque nota. Suo igitur adventu Chriſtus vitam & immortalitatem illuſtravit per Euangelium. Quibus verbis non intelligit Paulus demerſos fuiſſe Patres in tenebris mortis, donec carnem indueret Filius Dei: ſed hanc prærogativam honoris Euangelio vendicans, novum & inſolitum legationis genus fuiſſe docet, qua Deus, quæ pollicitus fuerat, præſtitit: ut in Filii perſona extaret promiſſionum veritas. Nam etſi ſemper experti ſunt fideles verum eſſe illud Pauli, *In Chriſto omnes promiſſiones eſſe etiam & amen:* quia eorum cordibus fuerunt obſignatæ: quia tamen omnes noſtræ ſalutis numeros in carne ſua implevit, viva ipſa rerum exhibitio, jure novum & ſingulare præconium obtinuit. Ex quo illud Chriſti, *Poſthac videbitis cælos apertos & Angelos Dei aſcendentes ac deſcendentes ſuper Filium hominis.* Etſi enim alludere videtur ad ſcalam in viſione oſtenſam Patriarchæ Jacob, præſtantiam tamen adventus ſui commendat hac nota, quod januam cælorum nobis aperuerit, ut familiaris pateat ingreſſus.

2 Tim. 4·6. Mat. 4: 17. & 9: 35. Marc. 1: 1. 2 Tim. 1. verſ. 10.

2 Cor. 1. verſ. 20.

Joan. 1: 52.

Sequitur refutatio Serveti, promiſſiones in totum abolentis.

3. Cavendum tamen eſt à diabolica imaginatione Serveti, qui dum magnitudinem gratiæ Chriſti extollere vult, vel ſaltem ſe velle fingit, promiſſiones in totum abolet, quaſi finem ſimul cum Lege acceperint. Obtendit, fide Euangelii nobis afferri promiſſionum omnium complementum. Quaſi vero nulla ſit inter nos & Chriſtum diſtinctio. Admonui quidem nuper, Chriſtum nihil reliquum feciſſe ex tota ſalutis noſtræ ſumma: ſed ex eo perperam infertur, beneficiis ab ipſo partis nos jam potiri: acſi falſum illud Pauli eſſet, ſalutem noſtram in ſpe eſſe abſconditam. Fateor quidem nos, in Chriſtum credendo, ſimul tranſire à morte in vitam: ſed tenendum interea eſt illud Joannis, quamvis ſciamus nos eſſe filios Dei, nondum tamen apparuiſſe, donec ſimiles ei erimus: dum ſcilicet eum videbimus qualis eſt. Quamvis ergo præſentem ſpiritualium bono-

Quare in Dei promiſſiones ſit nobis adhuc incumbendum.

1 Joan. 3: 2.

rum

Digitized by Google

rum plenitudinem nobis io Euangelio Chriſtus offerat, fruitio tamen ſub cuſtodia ſpei ſemper latet, donec corruptibili carne exuti, transfiguremur in ejus, qui nos præcedit, gloriam. Interea in promiſſiones recumbere nos jubet Spiritus ſanctus, cujus auctoritas compeſcere apud nos debet latratus omnes impuri illius canis. [1 Tim. 4:8.] Nam teſte Paulo, pietas tam futuræ, quam præſentis vitæ promiſſionem habet: [2 Tim. 1:1.] qua ratione jactat ſe Apoſtolum Chriſti ſecundum promiſſionem vitæ, quæ in ipſo eſt. Et alibi nos eaſdem habere promiſſiones admonet, [2 Cor. 7. verſ. 1.] quibus olim donati fuerunt ſancti. Denique hanc felicitatis ſummam ſtatuit, quod obſignati ſimus Spiritu promiſſionis ſancto.

Altera ratio.

Nec vero aliter Chriſto fruimur, niſi quatenus eum amplectimur promiſſionibus ſuis veſtitum. Quo fit, ut habitet ipſe quidem in cordibus noſtris, & tamen ab ipſo peregrinemur: quia per fidem ambulamus, & non per aſpectum.

Difficultatis, quæ in hac diſputatione occurrit, ſolutio.

Nec male inter ſe conveniunt hæc duo, nos poſſidere in Chriſto quicquid ad cæleſtis vitæ perfectionem ſpectat, & tamen fidem eſſe viſionem bonorum, quæ non videntur. Tantum in natura promiſſionum, vel qualitate notandum eſt diſcrimen: quia Euangelium digito monſtrat, quod Lex ſub typis adumbravit.

Refelluntur & ii, qui Legis & Euangelii collationem non recte inſtituunt.

4. Hinc etiam conviocitur eorum error, qui Legem nunquam aliter Euangelio conferunt, quam operum merita gratuitæ imputationi juſtitiæ. Eſt quidem hæc aotitheſis minime repudianda: quia ſæpe Paulus ſub Legis nomine regulam juſte vivendi intelligit, qua Deus à oobis exigit, quod ſuum eſt, nullam vitæ ſpem faciens, niſi omni ex parte obſequimur, ac viciſſim maledictione addita, ſi vel minimum deflectimus: nempe, ubi diſputat gratis nos placere Deo & per veniam juſtos cenſeri, quia nuſquam invenitur Legis obſervatio, cui merces promiſſa eſt.

Conciliatio quæſtionum hic occurrentium.

Apte igitur Paulus juſtitiam Legis & Euangelii facit inter ſe contrarias. Sed non ita ſucceſſit Euangelium toti Legi, ut diverſam rationem ſalutis afferret: quin potius, ut ſanciret ratumque eſſe probaret, quicquid illa promiſerat, & corpus umbris adjungeret. Neque enim Chriſtus, ubi dicit Legem & Prophetas fuiſſe uſque ad Joannem, Patres maledictioni addicit, quam effugere non poſſunt ſervi Legis: ſed rudimentis tantum imbutos fuiſſe ſignificat, ut longe ſubſiſterent infra Euangelicæ doctrinæ altitudinem. Proinde Paulus, [Rom. 1. verſ. 16.] *Euangelium* appellans *Dei potentiam in ſalutem omni credenti*; mox addit, *habere teſtimonium à Lege & Prophetis*. In fine vero ejuſdem epiſtolæ, quanquam præconium Jeſu Chriſti revelationem eſſe tradit myſterii temporibus æternis taciti, ſententiam hanc addita explicatione mitigat, *manifeſtatum eſſe* docens *per Scripturas Propheticas*.

Collationis hujus brevis explicatio.

Unde colligimus, ubi de tota Lege agitur, Euangelium reſpectu dilucidæ manifeſtationis tantummodo ab ea differre: cæterum propter inæſtimabilem gratiæ affluentiam, quæ nobis fuit in Chriſto expoſita, oon abs re ejus adventu dicitur erectum fuiſſe in terris cæleſte Dei regnum.

Tertia pars capitis, de Joannis Baptiſtæ miniſterio, ad ſuperiorem tractationem omnino pertinens.

5. Jam inter Legem & Euangelium ioterpoſitus fuit Joannes, qui medium obtinuit munus, & utrique affine. Etſi enim Chriſtum vocans agnum Dei & victimam expiandis peccatis, ſummam Euangelii protulit: quia tameo incomparabilem illam virtutem & gloriam, quæ demum enituit io reſurrectione, non explicuit, Chriſtus Apoſtolis parem eſſe negat. Hoc enim ſignificant ejus verba, quamvis inter filios mulierum excellat Joannes, [Matth. 11. verſ. 11.] qui tamen minimus eſt in regno cælorum, majorem illo eſſe. Quia non homioum perſonas illic commendat: ſed poſtquam Joannem prætulit omnibus Prophetis, Euangelii prædicationem in ſummum gradum attollit, quam alibi vidimus notari per regnum cælorum. Quod autem ſe vocem tantum eſſe Joannes [Joan. 1:23.] ipſe reſpondet, quaſi Prophetis eſſet inferior, non facit hoc ſimulatæ humilitatis cauſa, ſed docere vult, ſibi non mandatam eſſe propriam legationem, ſed officio apparitoris ſe defungi: ſicuti à Malachia [Mal. 4:5.] prædictum erat, *Ecce mitto Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehovæ magnus & terribilis*. Nec vero aliud toto miniſterii ſui curſu egit, quam ut Chriſto pararet diſcipulos. Sicuti etiam hoc ſibi divinitus injunctum eſſe ex Jeſaia probat. Hoc ſenſu dictus eſt à Chriſto *lucerna ardens & lucens*, [Joan. 5:35.] quia nondum illuxerat plenus dies. Nec tamen hoc obſtat, quominus numeretur inter Euangelii præcones, ſicuti eodem uſus eſt Baptiſmo, qui poſtea traditus fuit Apoſtolis. Sed quod exorſus eſt, nonniſi Chriſto in cæleſtem gloriam recepto, liberiore progreſſu per Apoſtolos completum eſt.

CAP. X.

De ſimilitudine Veteris & Novi Teſtamenti.

Quatuor partibus conſtat hoc caput.

1. *Summa, utilitas, & neceſſitas hujus tractationis, ſect. 1.*
2. *Demonſtratio, qua in genere docetur vetus & novum fœdus reipſa unum eſſe, quamvis adminiſtratione diverſum, & tria proponuntur, in quibus per omnia duo hæc fœdera conveniunt, ſect. 2. 3. 4.*
3. *In eo tertia pars verſatur, ut Vetus Teſtamentum, perinde ac Novum, ad ſpem immortalitatis & futuram vitam ſpectaſſe evincat, unde reliquæ duæ ſimilitudinis ſeu convenientiæ conſequuntur: utrumque ſcilicet & gratuita Dei miſericordia conſtitiſſe, & Chriſti interceſſione fuiſſe confirmatum. Multis argumentis, teſtimoniis & exemplis nititur hæc pars, à ſect. 5. uſque ad 23.*
4. *Totius capitis concluſio, ubi rurſus in pleniorem confirmationem quædam Scripturæ dicta proferuntur, rejectis Sadducæorum & Judæorum cavillis.*

Prior pars, in qua propter Servetum & Anabaptiſtas neceſſariam eſſe probat de ſimilitudine utriuſque fœderis tractationem.

EX ſuperioribus liquere jam poteſt, quoſcunque ab initio mundi homines Deus in populi ſui ſortem cooptavit, eadem lege atque doctrinæ ejuſdem, quæ inter nos viget, vinculo fuiſſe ei fœderatos: ſed quia non parum intereſt, caput hoc ſtabiliri, vice appendicis anoectam, quum Patres ejuſdem nobiſcum hæreditatis fuerint conſortes, & ejuſdem Mediatoris gratia communem ſalutem ſperaverint, quatenus in ſocietate hac diverſa fuerit eorum conditio. Quanquam autem, quæ ex Lege ac Prophetis ad ejus probationem collegimus teſtimonia, palam faciunt non aliam unquam fuiſſe in Dei populo religionis pietatiſque regulam: quia tamen apud ſcriptores multa ſæpe de diſcrimine Veteris ac Novi Teſtamenti diſputantur, quæ ſcrupulum parum acuto lectori injicere poſſint, huic rei melius atque exactius diſcutiendæ peculiarem locum jure deſtinabimus. Quin etiam, quod utiliſſimum alioqui futurum erat, neceſſarium nobis fecerunt prodigioſus nebulo Servetus & furioſi oonnulli ex Anabaptiſtarum ſecta, qui non aliter de Iſraëlitico populo ſentiunt, quam de aliquo porcorum grege, utpote quem nugaotur à Domino in hac terra ſaginatum, citra ſpem ullam

cæleſtis

cæleſtis immortalitatis. Hunc ergo peſtiferum errorem ut arceamus à piis animis, ſimul etiam ut difficultates omnes eximamus, quæ audita diverſitatis mentione inter Vetus ac Novum Teſtamentum, ſuboriri protinus ſolent; obiter inſpiciamus, quid ſimile, quidve diverſum habeant quod olim cum Iſraelitis fœdus ante Chriſti adventum Dominus pepigit, & quod nunc eo manifeſtato, percuſſit nobiſcum.

Altera pars, de hac ſimilitudine in genere agens. Unum reipſa eſt utrumque fœdus: adminiſtratione vero duplex.

2. Ac uno quidem verbo expediri utrumque poteſt. Patrum omnium fœdus adeo ſubſtantia & re ipſa nihil à noſtro differt, ut unum prorſus atque idem ſit: adminiſtratio tamen variat. Sed quia ex tanta brevitate nemo certam intelligentiam aſſequeretur, longiorem explicationem, ſiquid prodeſſe volumus, perſequi neceſſe eſt. Cæterum in ſimilitudine, vel potius unitate oſtendenda, ſingulas particulas, quæ jam expeditæ ſunt, ex integro retractare ſupervacuum fuerit: miſcere vero, quæ adhuc alibi dicenda erunt, intempeſtivum.

Tria autem ſunt, in quibus per omnia duo hæc fœdera conveniunt.

In tribus autem maxime capitibus hic inſiſtendum eſt: Primum, ut teneamus, non carnalem opulentiam ac felicitatem, metam fuiſſe Judæis propoſitam, ad quam demum aſpirarent, ſed in ſpem immortalitatis fuiſſe coopta-
1. tos: atque bujus adoptionis fidem illis fuiſſe, tum
oraculis, tum Lege, tum Propbetis certo factam.
2. Deinde, fœdus quo conciliati Domino fuerunt, nul-
lis eorum meritis, ſed ſola Dei vocantis miſericordia
3. fuiſſe ſuffultum. Tertium, & habuiſſe ipſos &
cognoviſſe Mediatorem Chriſtum, per quem &
Deo conjungerentur, & promiſſionum ejus compo-
tes forent. Ex quibus ſecundum, quia nondum
lib. 3. c. 15. forte ſatis innotuit, ſuo loco fuſe demonſtrabitur.
16. 17. 18. Plurimis enim ac luculentis Prophetarum teſtimoniis confirmabimus, à mera fuiſſe bonitate ac indulgentia, quicquid unquam Dominus populo ſuo benefecit ac promiſit. Tertium quoque ſuas habuit ſparſim non obſcuras demonſtrationes. Ac ne primum quidem intactum reliquimus.

Prima autem illa generalis ſimilitudo, ſeu convenientia eſt, quod Vetus Teſtamentum perinde ac Novum, non tantum ad præſentis vitæ promiſſiones, ſed multo magis ad futura & ad immortalitatis ſpem certiſſimam Dei electos evexerit.

3. In boc ergo explicando (quia ad cauſam præſentem maxime pertinet, & de ipſo plus controverſiæ nobis faciunt) intentiorem ponemus operam: ſic tamen, ut ſiquid aliorum explicationi adhuc deeſt, obiter ſufficiatur, vel opportuno deinde loco addatur. Sane de omnibus dubitationem eximit Apoſtolus, quum ait, Deum Patrem Euangelium, quod de Filio ſuo ſecundum tempus deſtinatum promulgavit, lunge ante per Prophetas in Scripturis ſanctis promiſiſſe. Item, fidei juſtitiam, quæ per Euangelium ipſum docetur, teſtimonium babere à Lege & Prophetis. Euangelium ſiquidem bominum corda non in præſentis vitæ lætitia detinet, ſed ad ſpem immortalitatis evehit: non terrenis deliciis affigit, ſed ſpem in cælo repoſitam annuncians, illuc quodammodo tranſportat. Sic enim alibi definit, *Poſteaquam Euangelio credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt arrhabo hæreditatis no-*
Rom. 1: 2. *ſtræ, in redemptionem acquiſitæ poſſeſſionis.* Item, *Au-*
Rom. 3: 21. *divimus fidem veſtram in Chriſto Jeſu & charitatem*
Eph. 1: 13. *erga ſanctos: propter ſpem vobis repoſitam in cælis, de*
Col. 1: 4. *quo audiſtis per ſermonem veracem Euangelii.* Item,
2 Theſſ. 2. *Vocavit nos per Euangelium, in participationem gloriæ*
verſ. 14. *Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Unde & verbum ſalutis & potentia Dei ad ſalvandos fideles, & regnum cælorum nuncupatur.

Ratio hujus ſimilitudinis, ſeu convenientiæ.

Quod ſi ſpiritualis eſt Euangelii doctrina, & ad vitæ incorruptibilis poſſeſſionem aditum aperit, ne putemus eos, quibus promiſſum ac denunciatum fuit, præterita neglectaque animæ cura, in captandis corporis voluptatibus inſtar pecudum obſtupuiſſe.

Objectio.

Nec cavilletur bic quiſpiam, promiſſiones, quæ in Lege & Prophetis de Euangelio ſunt conſignatæ, novo populo eſſe deſtinatas.

Reſponſio.

Nam paulo poſt, quam illud poſuit de Euangelio in Lege promiſſo, ſubjicit, quæcunque Lex continet, ad eos ſine dubio proprie dirigi, qui ſub Lege ſunt. In alio quidem argumento fateor: ſed non adeo erat oblivioſus, ut quum diceret ad Judæos vere pertinere Rom. 3: 19
quæcunque Lex docet, non cogitaret, quid paucis ante verſibus affirmaſſet de Euangelio in Lege promiſſo. Clariſſime ergo demonſtrat Apoſtolus ad futuram vitam præcipue ſpectaſſe Teſtamentum Vetus, quum ſub eo dicit Euangelii promiſſiones contineri.

Generali illa ſimilitudine probata reliqua duæ conſequuntur: utrumque fœdus ſcilicet & gratuita Dei miſericordia conſtitiſſe, & Chriſti interceſſione fuiſſe confirmatum.

4. Eadem ratione ſequitur & gratuita Dei miſericordia conſtitiſſe, & Chriſti interceſſione fuiſſe confirmatum. Nam & Euangelica prædicatio nihil aliud, quam paterna Dei indulgéntia juſtificari præter ſuum meritum peccatores pronunciat: & tota ejus ſumma in Chriſto terminatur. Quis igitur expertes Chriſti Judæos facere auſit, quibuſcum audimus fuiſſe percuſſum Euangelii fœdus, cujus unicum fundamentum Chriſtus eſt? Quis alienos reddere à gratuitæ ſalutis beneficio, quibus adminiſtratam fuiſſe audimus juſtitiæ fidei doctrinam? Ac ne diu de re liquida diſceptemus, habemus inſignem Domini ſententiam, *Abraham exultavit, ut videret diem*
meum: vidit, & gaviſus eſt. Et quod de Abraham Joan. 8: 56.
teſtatur illic Chriſtus, oſtendit Apoſtolus in fideli Heb. 13: 8.
populo fuiſſe univerſale, quum dicit Chriſtum manere heri, hodie, & in ſecula. Neque enim de Chriſti æterna divinitate ſimpliciter illic loquitur: ſed de ejus virtute, quæ perpetuo fidelibus fuit patefacta.
Quare & beata Virgo & Zacharias in ſuis canticis Luc. 1.
revelatam in Chriſto ſalutem, exhibitionem eſſe di- v. 54. & 72.
cunt promiſſionum, quas Abraham & Patriarchis olim fecerat Dominus. Si Chriſtum ſuum exhibendo, juriſjurandi ſui veteris fidem ſolvit Dominus, dici non poteſt, quin ejus finis in Chriſto & vita æterna ſemper fuerit.

Quum autem duæ poſteriores hæ ſimilitudines, ſeu convenientiæ, à priore pendeant, in ea probanda verſatur tertia pars capitis ab hac ſect. ad 23. Primum argumentum autem ex Apoſtolo deſumptum eſt, qui à pari Sacramentorum ſignificatione, parem ulterum conditionem cum noſtra fuiſſe evincit.

5. Quin Apoſtolus non fœderis tantum gratia pares nobis facit Iſraëlitas, ſed etiam Sacramentorum ſignificatione. Nam pœnarum exemplis, quibus caſtigatos olim fuiſſe illos Scriptura recitat, deterrere Corinthios volens, ne in ſimilia flagitia incurrerent, à præfatione iſta orditur, Non eſſe, cur ullam prærogativam nobis vendicemus, quæ nos à Dei vindicta eripiat, quam illi ſubierunt: quando non iiſdem modo beneficiis proſequutus ſit illos Dominus, ſed iiſdem quoque ſymbolis illuſtrem inter eos gratiam ſuam reddiderit: acſi diceret, Si confiditis vos extra periculum eſſe, quia & Baptiſmus, quo inſigniti eſtis, & Cœna, quam quotidie ſuſcipitis, eximias habent promiſſiones: interim contempta Dei bonitate, licentioſe laſcivitis: ſcitote nec Judæos talibus ſymbolis caruiſſe, adverſus quos tamen judicia ſua Dominus ſeveriſſime exercuit. Baptizati ſunt in tranſitu maris & nube, qua protegebantur ab ardore ſolis. Tranſitum illum Baptiſmum carnalem fuiſſe aiunt, qui ſpirituali noſtro ſecundum quandam proportionem reſpondeat. Verum, ſi id recipitur, non procederet Apoſtoli argumentum, qui bic vult ademptum Chriſtianis, ne Baptiſmi prærogativa Judæos præcellere ſe putent. Nec obnoxium eſt huic
cavillo, quod protinus ſequitur, Illos eandem nobiſ-
cum ſpiritualem eſcam manducaſſe, ac eundem bi- 1 Cor. 10.
biſſe ſpiritualem potum, quem Chriſtum interpre- verſ. 1, 11.
tatur.

Objectio ex Joan. 6: 42. deprompta. Patres manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt: Chriſtiani manducant Chriſti carnem, nec moriuntur.

6. Objiciunt quidem ad frangendam hanc Pauli ſententiam, quod ait Cbriſtus, *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt: Qui manducat carnem meam, non morietur in æternum:* quæ duo inter ſe nullo negotio conciliantur. Dominus, quia ſermonem babebat ad auditores, qui tantum ventris alimento quærebant ſaturari, verum animæ cibum non curabant, ad eorum captum orationem aliquantum attemperat, præſertim vero comparationem mannæ & corporis ſui pro eorum ſenſu ſtatuit.

Reſponſio: ſententiam Euangeliſta

Poſtulabant, ut acquirendæ ſibi auctoritatis gratia, ſuam virtutem miraculo aliquo approbaret, quale ediderat Moſes in deſerto, quum manna è cælo impetraverat. In manna autem nihil appre-

Specie tenus pugnantem cum Apoſtoli dicto conciliat.

bendebant, niſi carnalis inediæ, qua populus tunc affligebatur, remedium; ad myſterium illud ſublimius, quod Paulus reſpicit, non penetrabant. Chriſtus ergo ut demonſtret quanto præſtantius à ſe beneficium expectare debeant, quam quod à Moſe collatum patribus ſuis prædicarent, banc comparationem format, Si magnum fuit opinione veſtra, & memorabile miraculum, quod Dominus per Moſen populo ſuo, ne in deſerto fame periret, cæleſtem cibum ſubminiſtravit, quo ſuſtentaretur ad modicum tempus; binc colligite quaoto excellentior ſit cibus, qui immortalitatem largitur. Videmus cur quod in manna præcipuum erat, prætermiſerit Dominus, infimam tantum ejus utilitatem notarit. Nempe quoniam Judæi, velut exprobrandi ſtudio, Moſen illi objecerant, qui populi neceſſitati mannæ remedio opitulatus eſſet: reſpondet, ſe longe ſuperioris gratiæ eſſe adminiſtrum, præ qua vileſcere merito debeat carnalis populi educatio, quam ſolam tanti æſtimabaſt. Paulus, quia noverat Dominum, quum manna è cælo deplueret, non in ventris duntaxat paſtum effudiſſe, ſed ſpiritualis quoque myſterii loco diſpenſaſſe, ad figurandam (quæ in Chriſto habetur) ſpiritualem vivificationem, partem iſtam, quæ conſideratione digniſſima erat, non negligit. Quare certo clareque conficitur, non easdem modo, quibus nos dignatur nunc Dominus, vitæ æternæ ac cæleſtis promiſſiones communicatas fuiſſe Judæis, ſed etiam ſacramentis vere ſpiritualibus obſignatas. Qua de re copioſe Auguſtinus adverſus Fauſtum Manichæum diſputat.

Alterum argumentum, ex Lege & Prophetis, de verbo divini, piorum animas vivificantis, efficacia ante Chriſtum exhibitum. Unde neceſſario ſequitur, Judæos fideles in ſpem æternæ vitæ fuiſſe ſegregatos.

7. Quod ſi teſtimonia ex Lege & Prophetis ſibi recitari malint lectores, ex quibus perſpiciant ſpirituale fœdus fuiſſe Patribus etiam commune, ſicuti ex Chriſto & Apoſtolis audivimus: huic quoque voto obſequar, eoque libentius, quod ita certius convincentur adverſarii, nequid poſtea tergiverſari queant. Atque ab ea quidem demonſtratione incipiam, quam tametſi Anabaptiſtarum ſupercilio futilem & penè ridiculam fore ſcio, apud dociles tamen & ſanos plurimum valebit: ac pro confeſſo ſumo, eam verbo Dei ineſſe vitæ efficaciam, ut quoſcunque Deus participatione ejus dignatur, eorum animas vivificet. Valuit enim ſemper illud Petri, Semen eſſe incorruptibile, quod in æternum manet, ſicuti etiam ex verbis Jeſaiæ colligit. Jam quum hoc ſacro vinculo Deus olim ſibi devinxerit Judæos, non dubium eſt, quin eos ſegregaverit in ſpem æternæ vitæ.

1 Pet. 1:23.
Jeſa. 40: 6.

Nam quum verbum fuiſſe amplexos dico, quod illos Deo propius adjungeret, communicandi rationem intelligo, non illam generalem, quæ per cælum & terram omneſque mundi creaturas diffunditur (quæ licet univerſa vivificet pro ſuæ unumquodque naturæ modo, non tamen à corruptionis neceſſitate eruit) ſed iſtam ſpecialem, qua piorum animæ & illuminantur in Dei notitiam, & illi quodammodo copulantur. Hujuſmodi verbi illuminatione quum adhæſerint Deo Adam, Abel, Noë, Abrabam, & reliqui Patres, dico minime dubium eſſe, quin illis in regnum Dei immortale fuerit ingreſſus. Erat enim ſolida Dei participatio, quæ extra vitæ æternæ bonum eſſe oon poteſt.

Tertium argumentum, à fœderis formula, qua unicum reipſa eſſe oſtendit ante & poſt Chriſti in carne manifeſtationem.

8. Si tamen illud nonnihil implicitum videtur, age, ad ipſam fœderis formulam tranſeamus: quæ non placidis modo ingeniis ſatisfaciet, ſed eorum inſcitiam abunde coarguet, qui contradicere nituntur. Sic enim ſemper pepigit cum ſervis ſuis Dominus, *Ero vobis in Deum, & vos eritis mibi in populum:* quibus verbis & vitam, & ſalutem, & omnem ſummam beatitudinis comprehendi Prophetæ quoque exponere ſoliti ſunt. Non enim David ſine cauſa ſæpius pronunciat, beatum populum, cujus Dominus eſt Deus: beatam gentem, quam in hæreditatem ſibi elegit: nec terrenæ quidem felicitatis gratia, ſed quoniam à morte eripit, perpetuo conſervat, æternaque miſericordia proſequitur, quos in populum aſſumpſit.

Lev. 26:12.
Pſ. 144:15.
Pſal. 33:12.

Quemadmodum eſt apud alios Prophetas, *Tu Deus noſter, non moriemur. Dominus, Rex noſter, Legislator noſter: ipſe ſalvabit nos. Beatus es Iſraël, quia in Domino Deo ſalvaris.* Sed ne in re ſupervacua multum laboremus, paſſim in Prophetis recurrit hæc admonitio, nihil ad bonorum omnium affluentiam, adeoque ſalutis certitudinem deeſſe, modo nobis Dominus ſit in Deum: & merito. Si enim facies ejus, ſimul atque illuxit, præſentiſſimum eſt ſalutis pignus, cuinam ſe bomini in Deum manifeſtet, cui non ſalutis quoque theſauros aperiat? Hac enim conditione Deus noſter eſt, ut in medio noſtri babitet, quemadmodum per Moſen teſtabatur. Obtineri autem talis ejus præſentia non poteſt, ut non ſimul vita poſſideatur. Atque ut nihil ultra exprimeretur, ſatis claram babebant vitæ ſpiritualis promiſſionem in his verbis, *Sum Deus veſter*. Non enim ſolis utique corporibus Deum ſe fore denunciabat, ſed animis præcipue: animæ autem, niſi per juſtitiam Deo conjunctæ, ab ipſo alienæ in morte manent. Adſit rurſum illa conjunctio, perpetuam ſalutem ſecum ducet.

Hab. 1:12.
Jeſ. 33: 22.
Deut. 33. verſ. 29.
Lev. 26. 11.
Exod. 6: 6.

Confirmatio ſuperioris argumenti, ex perſpicuis formulæ illius verbis deſumpta.

9. Accedit eo, quod non modo ſe illis Deum eſſe teſtabatur, ſed ſe quoque ſemper fore promittebat: quo ſpes eorum præſentibus bonis non contenta, in æternitatem protenderetur. Id porro valuiſſe apud eos temporis futuri notationem, oſtendunt multæ voces, ubi ſe non in præſentibus tantum malis, ſed in poſterum conſolantur fideles: quod ſibi Deus nunquam defuturus eſſet. Jam vero (quæ pars erat ſecuoda promiſſionis) ipſos de Dei benedictione extra terrenæ vitæ limites erga ſe proroganda, clarius etiamnum confirmabat, *Ero Deus ſeminis veſtri poſt vos.* Nam ſi ſuam erga mortuos benevolentiam declaraturus erat, benefaciendo poſteris: erga ipſos multo minus defuturus erat ejus favor. Neque enim inſtar bominum eſt Deus, qui ſuum ideo amorem ad amicorum filios transferunt, quia morte interrumpitur eorum facultas, quo minus iis, quibus bene volebant, impendant ſua officia. at Deus, cujus beneficentia morte non impeditur, ſuæ profecto miſericordiæ fructum mortuis non tollit, quam eorum cauſa transfundit in mille generationes. Præclaro igitur documento magnitudinem atque affluentiam ſuæ bonitatis, quam poſt mortem ſeoſuri eſſent, volebat illis Dominus commendare, quum talem deſcribebat, quæ in totam familiam exuberaret.

Gen. 17:7.
Exod. 20. verſ. 6.

Alia confirmatio illuſtris, tum à ſuperiore, tum à Dei natura fluens.

Hujus vero promiſſionis veritatem tum obſignavit Dominus, & quaſi complementum protulit, quum Deum ſe Abraham, Iſaac & Jacob, logge poſt eorum mortem appellaret. Quid enim? annon ridicula erat appellatio, ſi perierant? Perinde enim fuiſſet, ac ſi ita foret loquutus, Ego ſum Deus eorum, qui non ſunt. Proinde uno iſto argumento Sadduceos à Chriſto conſtrictos fuiſſe Evangeliſtæ referunt, ut ne inficiari quidem poſſent reſurrectionem mortuorum à Moſe eſſe teſtatam: nempe, qui ex ipſo Moſe didicerant, omnes ſanctos eſſe in manu illius. Unde inferre promptum erat, ne morte quidem extingui, quos in tutelam, cuſtodiam, protectionemque ſuam recepiſſet, qui mortis & vitæ eſt arbiter.

Exod. 3: 6.
Matth. 22. verſ. 32, 34.
Luc. 20: 37.
Deut. 33. verſ. 5.

Quartum argumentum, ab exemplis. Patres, Adam, Abel, Noe, ante Chriſtum variis tentationibus agitati, ad meliorem illam vitam viva fide &

10. Jam (qui præcipuus eſt cardo in hac controverſia) diſpiciamus, annon ipſi quoque fideles ſic inſtituti fuerint à Domino, ut meliorem alibi vitam ſibi eſſe ſentirent, ac neglecta terrena, illam meditarentur. Primum, quæ divinitus injuncta illis fuit vivendi conditio, aſſiduum erat exercitium, quo admonerentur ſe omnium eſſe miſerrimos, ſi in hac modo vita felices eſſent. Adam, vel ſola recordatione perditæ felicitatis infeliciſſimus, anxiis laboribus egeſtatem ſuam ægre ſuſtentat, ac ne in ſolis manuum laboribus Dei maledictione prematur, unde ſolatium illi reſtabat, extremum luctum percipit.

Ex

ſpe invicta, præſentem negligentes aſpirarunt. Illorum igitur, ut & ſub Evangelio credentium, idem fuit ſcopus.

Ex duobus filiis alter illi nefando fratris parricidio eripitur: eum habet ſuperſtitem, cujus aſpectum merito deteſtetur ac horreat. Abel in ipſo ætatis flore crudeliter trucidatus, exemplum eſt humanæ calamitatis. Noë bonam ætatis partem (dum totus orbis ſecure deliciatur) cum magna fatigatione in arca extruenda deterit. Quod mortem effugit, id fit majoribus ejus moleſtiis, quam ſi centum mortes obeundæ eſſent. Nam præterquam, quod arca illi eſt quaſi ſepulcbrum decem menſium, inſuavius nihil eſſe poteſt, quam in animalium ſtercoribus penè immerſum tamdiu detineri. Poſtquam tantas difficultates eluctatus eſt, in novam mœroris materiam incidit: ludibrio ſe haberi à proprio filio videt: & ei, quem magno Dei beneficio ſalvum ex diluvio receperat, ſuo ipſius ore maledicere cogitur.

Gen. 3: 17.
Gen. 4: 8.
Geneſ. 6. verſ. 14, 21.
Gen. 7: 24.
Gen. 9: 25.

Quarti argumenti continuatio, ab exemplo Abrahami, cujus vocatio & vitæ curriculum hominem ad felicitatis æternæ præmium & domicilium inter innumerabiles ærumnas toto pectore anhelantem oſtendit.

11. Abraham quidem unus inſtar decem myriadum nobis eſſe debet, ſi ſpectatur ejus fides, quæ nobis in optimam credendi regulam proponitur: in cujus etiam genere, ut Filii Dei ſimus, cenſeri nos oportet. Quid vero abſurdius, quam patrem omnium fidelium eſſe Abraham, & ne poſtremum quidem angulum inter illos tenere? Atqui ex numero, imo ex gradu apprime honorifico dejici non poteſt, quin aboleatur tota Eccleſia. Jam quod ad vitæ experimenta attinet: ubi primum vocatur Dei imperio è patria, parentibus, amicis avellitur: in quibus præcipuam vitæ dulcedinem eſſe putant: acſi illum deſtinato conſilio omnibus vitæ oblectamentis ſpoliare Dominus vellet. Simulac terram ingreſſus eſt, in qua jubetur habitare, fame inde exigitur. Eo ad opem quærendam refugit, ubi, quo ſe incolumem ſervet, neceſſe habet uxorem proſtituere: quod incertum an multis mortibus fuerit acerbius. Ubi in terram habitaculi ſui reverſus eſt, inde rurſum fame expellitur. Qualis eſt felicitas, eam terram incolere, ubi toties eſuriendum, imo vero inedia pereundum, niſi aufugias? Simul eodem neceſſitatis redigitur apud Abimelech, ut caput redimere jactura uxoris opus habeat. Dum huc atque illuc multos annos incertus vagatur, aſſiduis ſervorum rixis compellitur nepotem, quem filii loco habebat, à ſe dimittere. Quæ diſceſſio ſine dubio non aliter ab eo accepta fuit, quam ſi membri unius ſectionem paſſus foret. Paulo poſt captivum ab hoſtibus abripi audit. Quocunque pergat, vicinos reperit immanis barbariæ, qui ne ex effoſſis quidem magno labore puteis aquam bibere ſinant. Neque enim uſum redimeret à Rege Gerar, niſi ante fuiſſet prohibitus. Jam ubi ad effœtam ſenectutem ventum eſt, quod habet ea ætas inſuaviſſimum & acerbiſſimum, orbitate mulctatum ſe videt, donec præter ſpem Iſmaëlem gignit: cujus tamen nativitatem magno redimit, dum Saræ probris fatigatur, perinde acſi ancillæ contumaciam fovendo, domeſticæ perturbationis ipſe cauſa eſſet. Naſcitur demum Iſaac, ſed ea mercede, ut exturbetur primogenitus Iſmaël, ac pro derelicto penè hoſtiliter projiciatur. Ubi ſolus relictus eſt Iſaac, in quo acquieſcat defeſſa boni viri ſenectus, paulo poſt mactare ipſum jubetur. Quid calamitoſius excogitet humana mens, quam patrem fieri filii carnificem? Si morbo abſumptus foret, quis non putaſſet miſerrimum eſſe ſenem, cui in ludibrium datus eſſet filius, ob quem orbitatis dolor ei geminaretur? Si ab extraneo aliquo interfectus, indignitate multum eſſet aucta calamitas. Iſtud vero omnia calamitatis exempla ſuperat, patris manu trucidari. Sic denique toto vitæ curriculo jactatus ac vexatus fuit, ut ſiquis velut in tabula exemplar calamitoſæ vitæ depingere velit, nihil reperiat magis appoſitum. Neque objiciat quiſpiam, eum non fuiſſe prorſus infelicem, quod à tot tantiſque tempeſtatibus proſpere tandem emerſerit. Non enim beatam vitam ducere illum dicemus, qui per infinitas difficultates ad longum ſpatium laborioſe eluctetur: ſed qui, ſine malorum ſenſu, præſentibus bonis placide fruatur.

Geneſ. 12. v. 1, 10, &c. vide Calv. comment. in Geneſ. cap. 12. verſ. 11, 15.
Geneſ. 20. verſ. 1, 2.
Geneſ. 13. v. 7, 8, 9.
Geneſ. 14. v. 12, 13, 14.
Geneſ. 21. verſ. 30.
Gen. 15: 2. & 16: 15. & 21: 10.
Geneſ. 21. v. 2, 3, 14.
Gen. 22: 2.

Objectionis diluetio.

Item ab exemplo Iſaaci.

12. Iſaac, qui minoribus malis affictatur, vix tamen minimum ſuavitatis guſtum percipit. Eas ipſe quoque vexationes experitur, quæ beatum eſſe hominem in terra non ſinant. Illum fames fugat è terra Chanaan: uxor è ſinu illi eripitur: vicini illum ſubinde exagitant, ac modis omnibus premunt, ut de aqua etiam cogatur decertare: domi ſuæ à nuribus multum moleſtiarum ſuſtinet: filiorum diſſidio angitur: nec mederi tanto malo poteſt, niſi per exilium ejus, cui benedixerat. At vero Jacob, nihil quam extremæ infelicitatis inſigne eſt exemplar. Pueritiam domi inquietiſſime tranſigit inter fratris primogeniti minas ac terrores, quibus demum cedere cogitur. Profugo à parentibus ac natali ſolo præterquam quod acerbum eſt exulare, apud Laban avunculum nihilo mitius ac humanius accipitur. Parum eſt, duriſſimam atque auſteriſſimam ſeptem annis ſervire ſervitutem, niſi dolo malo in uxore eludatur. Alterius uxoris gratia in novam ſervitutem ingrediendum eſt, ubi totum diem ſolis æſtu torreatur, noctu pervigil urgeatur gelu ac frigore, quemadmodum ipſe conqueritur. Tantam vitæ aſperitatem dum annos viginti ſuſtinet, quotidie novis ſoceri injuriis affligitur. Nec domi ſuæ quietus eſt, quam videt uxorum odiis, jurgiis, æmulationibus diſtractam, ac penè diſſipatam. Ubi in patriam jubetur ſe recipere, abitum captare illi neceſſe eſt ignominioſæ fugæ ſimilem: nec tamen ſoceri iniquitatem ita poteſt effugere, quin ejus probris ac contumeliis in medio itinere vexetur. Excipit mox eum multo ſævior difficultas. Nam dum ad fratrem accedit, tot mortes habet in conſpectu, quot ab homine crudeli & inimico parari queant. Diris ergo terroribus ſupra modum diſcruciatur ac diſcerpitur, quamdiu adventum ejus expectat: ubi in conſpectum ejus prodit, tanquam ſemimortuus ad pedes procumbit, donec placatiorem ſentit, quam ſperare auſus fuerat. Adhæc Rachele, unice dilecta conjuge, primo terræ ingreſſu privatur. Poſtea quem ab ea filium ſuſtulerat, eoque præ aliis amabat, à fera laceratum audit: cujus ex morte quantum mœrorem ceperit, declarat ipſe, quod poſt diuturnas lachrymas ſolatiis omnibus viam obſtinate claudit, nihil ſibi reliquum faciens, niſi ut deſcendat ad filium lugens in ſepulchrum. Interim raptus & defloratio filiæ, in iis vindicandis filiorum audacia, quæ illum non fœtere modo fecerat apud omnes regionis incolas, ſed præſentiſſimum internecionis periculum illi creaverat, quantæ anxietatis, luctus, tædii cauſæ erant? Sequitur horrendum illud flagitium Ruben primogeniti, quo nihil gravius accidere poterat. Nam, quum inter ſumma infortunia reponatur uxoris pollutio, quid dicendum ſit, ubi à proprio filio perpetratum eſt id ſcelus? Aliquanto poſt altero inceſtu contaminatur familia, ut conſtantiſſimum alioqui & infractum calamitatibus animum tot dedecora labefactare debeant. Sub extremum vitæ, dum ſuæ ac ſuorum inediæ ſuccurrere quærit, novi infortunii nuncio percellitur, qui intelligit filium alterum in vinculis detineri: quem ut recipiat, Benjamin, unicum ſuum deſiderium, permittere aliis cogitur. Quis putet in tanta malorum congerie momentum illi datum, quo ſaltem ſecure reſpiraret? Ita ipſe optimus de ſe teſtis aſſeverat Pharaoni, dies ſuos breves ac malos fuiſſe ſuper terram. Qui per continuas miſerias vitam ſe tranſegiſſe pronunciat, negat profecto eam proſperitatem ſe ſenſiſſe, quæ illi à Domino promiſſa fuerat. Ergo, aut malignus ingratuſque Dei gratiæ æſtimator erat Jacob, aut vere ſe miſerum fuiſſe ſuper terram profitebatur. Si vera fuit affirmatio, ſequitur non habuiſſe ipſum ſpem in rebus terrenis defixam.

Geneſ. 26. verſ. 1, 15. item v. 20.
Geneſ. 26. verſ. 35.
Gen. 28: 5.

Et Jacobi.

Geneſ. 29. verſ. 20, 23.
Geneſ. 31. verſ. 40, 41.
Geneſ. 31. verſ. 23.
Geneſ. 32. verſ. 11.
Geneſ. 35. verſ. 16.
Geneſ. 37. verſ. 32.
Gen. 34: 2.
Geneſ. 35. verſ. 22.
Geneſ. 38. verſ. 18.
Geneſ. 42. verſ. 33.
Gen. 47: 9.

Concluſio probationis quarti argumenti: S. Patres, Adamum, Abelem, Noachum, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, & alios ſub Lege non in terris, ſed in cælo promiſſionum Dei complementum expectaſſe.

13. Si ſancti iſti Patres (quod utique indubitatum eſt) beatam vitam expectarunt è manu Dei, aliam quam terreſtris vitæ beatitudinem & cogitarunt & viderunt. Quod etiam pulcherrime nſtendit Apoſtolus: *Fide*, inquit, *demortuus eſt Abraham in terra promiſſionis, tanquam alienigena, in caſulis habitando, cum Iſaac & Jacob conſortibus ejuſdem hæreditatis. Expectabant enim bene fundatam civitatem, cujus opifex ac conditor Deus.* In fide defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis promiſſionibus: ſed procul eas inſpicientes, ac credentes, confitenteſque quod hnſpites & inquilini forent ſuper terram. Quo ſignificant ſe patriam inquirere. &, ſi deſiderio ejus quam reliquerant tacti fuiſſent, erat facultas revertendi: ſed meliorem appetebant, nempe cæleſtem. Unde Deus non erubeſcit vocari eorum Deus: quando paravit illis civitatem. Stipitibus enim ohtuſiores fuiſſent, tam pertinaciter promiſſiones conſectando, quarum nulla ſpes in terris apparebat, niſi complementum earum alibi expectaſſent. Id vero in primis non ſine ratione urget, quod peregrinationem, hanc vitam nuncuparunt: qualiter & Moſes refert. Si enim peregrini & inquilini ſunt in terra Chanaan, ubi promiſſio Domini, qua illius conſtituti erant hæredes? Manifeſte ergo indicat longius ſpectare, quod de poſſeſſione illis Dominus promiſerat. Quare pedem in terra Chanaan nnn acquiſierunt, niſi in ſepulchrum: quo teſtabantur ſe ſperare fructum promiſſionis nonniſi poſt mortem percepturos. Atque hæc cauſa eſt, cur tanti æſtimaverit Jacob illic ſepeliri, ut jurejurando adegerit filium Joſeph ad eam pollicitationem: cur Joſeph poſt aliquot ſecula transferri oſſa ſua, jampridem in cinerem collapſa, vnluerit.

Hebr. 11. v. 9. & 10.

Ideo pii illi vitam hanc terrenam peregrinationem appellarunt, & in terra Chanaan (felicitatis æternæ figura) ſepeliri voluerunt.

Gen. 47: 9
Geneſ. 47. verſ. 29, 30. & 50: 25.

Quintum argumentum, ex hiſtoria Jacobi primogenituram affectantis. Id enim futura vita in eo deſiderium oſtendit.

14. Denique aperte conſtat, in omnibus vitæ ſtudiis propoſitam futuræ vitæ beatitudinem habuiſſe. Quorſum enim primogenituram tantopere affectaſſet, tantoque periculn ambiiſſet Jacob, quæ exilium & tantum non abdicationem illi conflatura erat, boni vero nihil prorſus allatura: niſi ad altiorem benedictionem reſpexiſſet? Atque eum ſibi ſenſum fuiſſe declaravit ea voce, quam inter ultimos ſpiritus edidit, *Salutare tuum expectabo, Domine.* Quam ſalutem expectaſſet, quum intelligeret ſe animam expirare: niſi in morte initium novæ vitæ cerneret? Et quid de ſanctis ac filiis Dei diſceptamus, quum ejuſmodi intelligentiæ guſtu ne is quidem caruerit, qui veritatem oppugnare alioqui nitebatur? Quid enim ſibi vnlebat Balaam, quum diceret, *Moriatur animus mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea ſimilia eorum:* niſi quod ſentiebat id, quod poſtea David prodidit, *Pretioſam eſſe mortem ſanctorum in conſpectu Domini; mortem vero impiorum peſſimam?* Si ultima linea & meta in morte forent, nullum in ea notari poſſet diſcrimen juſti & impii: forte, quæ poſt mortem utroſque diverſa manet, inter ſe diſtinguuntur.

Geneſ. 49. verſ. 18.

Quo intelligentiæ guſtu Balaam non caruit.

Num. 23. verſ. 10.
Pſ. 116: 15.
Pſal. 34: 22.

Sextum argumentum, ex Davide, qui tanta ſibi à Domino polliceatur, & tamen hanc vitam nihil aliud eſſe vult quam vanitatem: unde ſequitur, eum alibi ſuam felicitatem repoſitam habuiſſe, & ſalutem expectaſſe, quæ cum Dei æternitate conjuncta ſit.

15. Nondum ultra Mnſen prngreſſi ſumus: quem iſti oihil aliud officii habuiſſe dicunt, quam ut carnalem populum agri ubertate rerumque omnium copia ad colendum Deum induceret: & tamen (niſi quis ſponte ſemet offerentem lucem refugiat) perſpicua jam extat ſpiritualis fœderis declaratio. Quod ſi ad Prophetas deſcendamus, illic pleniſſimo fulgore & vita æterna & regnum Chriſti ſe profert. Ac primum David, qui ut tempore aliis fuit ſuperior, ita pro ordioe divinæ diſpenſationis cæleſtia myſteria obſcurius, quam illi, adumbravit, quanta tamen perſpicuitate ac certitudine ad eum ſcopum omnia ſua dirigit? Terreſtrem habitationem qualiter æſtimarit, teſtatur hæc ſententia, *Advena hic ſum & peregrinus, quemadmodum omnes Patres mei. Vanitas omnis homo vivens, velut umbra quiſque obambulat. Et nunc quæ expectatio mea, Domine? ſpes mea ad te ipſu.* Sane qui nihil eſſe in terra ſolidum aut ſtabile confeſſus, ſpei tamen in Deum firmitatem retinet, alibi repoſitam ſibi felicitatem cnntemplatur. Ad eam contemplationem fideles revocare ſolet, quoties vult eos vere conſolari. Nam alibi, poſtquam de hrevitate fluxaque & evanida imagine humanæ vitæ loquutus eſt, ſubjicit, *Miſericordia autem Domini uſque in æternum, ſuper timentes eum.* Cui ſimile eſt quod habetur etiam Pſalmo centeſimo ſecundn, *Initio Domine tu fundaſti terram, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanes: velut veſtis veteraſcent, & ſicut indumentum mutabis eos. Tu autem idem ipſe perſtas, & anni tui non deficient. Filii ſervorum tuorum habitabunt, & poſteri eorum coram te ſtabilientur.* Si ob cæli ac terræ interitum nnn deſinunt pii ſtahiliri coram Domino, ſequitur eorum ſalutem cum Dei æternitate eſſe conjunctam. Atqui omnino non poteſt ſtare ſpes iſta, niſi in promiſſionem recumbat, quæ apud Jeſaiam exponitur: *Cæli* (inquit Dominus) *ſicut fumus liqueſcent: terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores ejus ſicut hæc interibunt: ſalus autem mea in æternum erit, & juſtitia mea non deficiet.* Ubi juſtitiæ ac ſaluti tribuitur perpetuitas, non quatenus penes Deum reſident, ſed quatenus ab hominibus ſentiuntur.

Pſal. 39: 13.
Pſ. 103: 17.
Pſal. 102. verſ. 26, 27, 28, 29.
Jeſa. 51: 6.

Septimum argumentum, ex eodem Propheta. Quæ de fidelium proſpero ſucceſſu paſſim canit, ad cæleſtis gloriæ fruitionem neceſſario ſunt referenda: quandoquidem in hoc mundo omni malorum genere premuntur.

16. Neque vero aliter accipere liceat, quæ de fidelium proſpero ſucceſſu paſſim canit, niſi ut in cæleſtis gloriæ manifeſtationem conferantur. Qualia ſunt, *Cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum: de manu peccatoris liberabit eos. Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia.* Item, *Juſtitia pii manet in ſeculum ſeculi, cornu ejus exaltabitur in gloria: deſiderium peccatorum peribit.* Item, *Veruntamen juſti confitebuntur nomini tuo: habitabunt recti cum vultu tuo.* Item, *In memoria æterna erit juſtus.* Item, *Redimet Dominus animas ſervorum ſuorum.* Siquidem ſervos ſuos Dominus impiorum libidini non vexandos modo, ſed lacerandos perdendoſque ſæpe permittit. in tenebris & ſqualore languere patitur bonos, dum impii penè inter ſtellas refulgent: nec illos ita vultus ſui ſerenitate exhilarat, ut diuturna lætitia fruantur. Quamobrem ne ipſe quidem diſſimulat, ſi in præſentem rerum ſtatum oculos defigant fideles, graviſſima tentatione perculſum iri, acſi nulla eſſet innocentiæ apud Deum gratia nec merces. Adeo impietas ut plurimum proſperatur ac floret, dum piorum natio, ignominia, paupertate, contemptu, omnique crucis genere premitur. *Parum*, inquit, *abfuit, quin lapſus pes meus, quin effuſi fuerint greſſus mei, dum urit me fortuna ſtultorum, dum improborum proſperitatem video.* Tandem poſt narrationem concludit, *Inſtituebam cogitationem, ſi poſſem hæc cognoſcere: ſed tormentum eſt ſpiritui meo, donec ingrediar in ſanctuarium Domini, & intelligam noviſſimum eorum.*

Pſal. 97: 10.
Pſ. 112: 9.
Pſ. 140: 14.
Pſ. 112: 6.
Pſal. 34: 23.
Pſal. 73: 2.
verſ. 16.

Octavum argumentum, ex communi omnium piorum ſenſu & confeſſione, quæ in cælis per fidem & ſpem vivam quæſierunt quod in præſentis vita umbra non apparuit.

17. Ergo vel iſta Davidis confeſſione diſcamus, non ignoraſſe ſanctos Patres ſub Veteri Teſtamento, quam raro, vel nunquam in boc mundo repræſentet Deus, quæ ſervis ſuis pollicetur, atque ideo animos ad Dei ſacrarium ſuſtuliſſe, in quo reconditum habebant, quod in præſentis vitæ umbra nnn apparet. Hoc erat ultimum Dei judicium, quod quum oculis minime cernerent, fide contenti erant intelligere. Qua fiducia freti, quicquid eveniret in mundo, venturum tamen aliquandn tempus non dubitabant, quo Dei promiſſiones implerentur. Qualiter iſtæ voces teſtantur, *Ego in juſtitia contemplabor faciem tuam, ſatiabor ſpecie tua.* Item, *Ego ſicut oliva viridis in domo Domini.* Item, *Juſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani frondeſcet. Plantati in domo Domini, in atriis Dei noſtri florebunt. Adhuc fructificabunt in ſenecta, pingues ac virides erunt.* Quum paulo ante dixiſſet, *Quam profundæ ſunt cogitationes tuæ Jehova, dum florent impii, germinant quaſi herba, ut pereant in perpetuum.* Ubi ſpecies iſta & decor fidelium, niſi ubi mundi hujus facies, regni Dei mani-

Pſal. 17: 15.
Pſal. 52: 10.
Pſal. 92. verſ. 13, 14. & 15.

manifeſtatione inverſa fuerit? In illam æternitatem quum oculos converterent, contempta præſentium calamitatum momentanea aſperitate, ſecure in has voces erumpebant, *Non dabis in æternum ut moriatur juſtus. Tu vero præcipitabis ſceleſtos in puteum interitus.* Ubi in hoc mundo puteus æterni exitii, qui ſceleratos abſorbeat, in quorum felicitate hoc quoque alibi numeratur, quod diem extremum in puncto ſine multo languore claudunt? Ubi tanta ſanctorum ſtabilitas, quos ipſe David non modo concuti, ſed opprimi & conteri prorſus ubique conqueritur? Nempe ob oculos ſibi ſtatuebat, non quid ferat inſtabilis & pluſquam æſtuaria mundi viciſſitudo: ſed quid facturus ſit Dominus, quum ad æternam cæli ac terræ conſtitutionem olim ſedebit. Quemadmodum alio loco eleganter deſcribit, *Nituntur ſtulti opulentia ſua, ob divitias multas ſuperbiunt: & tamen nemo quantalibet excellentia polleat, redimere fratrem ſuum à morte poſſit, nemo pretium redemptionis Deo ſolvere. Quum autem videant & ſapientes mori, perverſos pariter & ſtultos interire, & alienis relinquere divitias ſuas, cogitant domos ſibi permanſuras in ſempiternum, habitationes in ſecula: & nomina ſua in terra celebrant. At homo in honore non permanebit: ſimilis erit pecudibus, quæ intereunt. Hæc meditatio eorum, ſumma ſtultitia eſt: quam tamen poſteri cupide æmulantur. Inſtar gregis apud inferos collocabuntur, mors præſidebit illis. Exorta luce recti dominabuntur illis: forma ipſorum peribit: infernus, ipſorum domicilium.* Primum illa ſtultorum irriſio, quod in lubricis & volubilibus mundi bonis acquieſcant, oſtendit longe aliam ſapientibus quærendam eſſe felicitatem. Sed illic reſurrectionis myſterium evidentius reſerat, ubi illis perditis & extinctis piorum regnum erigit. Quem enim, quæſo, dicemus eſſe illum lucis exortum, niſi novæ vitæ revelationem, quæ finem præſentis ſequitur?

Pſalm. 55. verſ. 23, 24. Job. 21: 13. Pſalm. 49. v. 7, 8, &c.

Superioris argumenti continuatio & confirmatio, à ſpe piorum, & impiorum in mundo florentium exitio.

18. Inde illa naſcebatur cogitatio, quam in miſeriarum ſolatium ac tolerantiæ remedium fideles uſurpabant, *Momentum in indignatione Domini, vita in ejus miſericordia.* Quomodo afflictiones momento terminabant, qui per totam fere vitam affligebantur? ubi tantam videbant divinæ benignitatis durationem, cujus vix minimum guſtum delibabant? Si in terra hæſiſſent, nihil tale reperire poterant: ſed quia cælum intuebantur, agnoſcebant punctum eſſe temporis, quo exercentur per crucem ſancti à Domino: miſerationes ſeculi eſſe, quibus colliguntur. rurſum impiorum, qui per ſomnium beati ad diem unam eſſent, æternum ac nunquam finiendum exitium prævidebant. Unde illæ voces, *Memoria juſti in benedictione erit: nomen autem impiorum putreſcet. Pretioſa mors ſanctorum in conſpectu Domini: mors peccatorum peſſima.* Item apud Samuelem, *Dominus pedes ſanctorum ſervabit, & impii in tenebris conticeſcent.* Quæ ſignificant, illos probe cognoviſſe, utcunque varie circumferrentur ſancti, ultimum tamen eorum exitum, vitam ac ſalutem: impiorum felicitatem amœnam eſſe viam, qua in mortis voraginem paulatim labuntur. Ideo iſtorum mortem vocabant exitium incircumciſorum, ut quibus reſurrectionis ſpes præciſa eſſet. Quare nullam hac excogitare potuit David graviorem imprecationem, *Deleantur de libro vitæ, & cum juſtis non ſcribantur.*

Pſal. 30: 6. Prov. 10: 7. Pſ. 116: 15. & 34: 22. 1 Sam. 2: 9. Eze 28: 10. & 31: 18. & alibi. Pſ. 69: 29.

Novum argumentum, ex Jobo, qui omnium apertiſſime de hac ſpe diſſeruit.

19. Præ aliis vero inſignis illa ſententia Job, *Scio quia Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra reſurrecturus ſum: & in carne mea videbo Deum ſalvatorem meum. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Qui volunt venditare ſuum acumen, cavillantur non eſſe hæc intelligenda de ultima reſurrectione, ſed de primo quoque die, quo ſibi mitiorem fore Deum Job expectabat: quod ut illis ex parte demus, extorquebimus tamen, velint, nolint, ad eam ſpei amplitudinem non potuiſſe pervenire Job, ſi cogitatione in terra reſediſſet. Neceſſe ergo eſt fateamur, oculos in futuram immortalitatem ſuſtuliſſe, qui ſibi vel in ſepulchro jacenti Redemptorem affore conſpexerit. Siquidem de præſenti tantum vita cogitantibus mors extrema eſt deſperatio, quæ nec ipſa ſpem ejus abſcindere poterat. *Etiam ſi me occiderit*, dicebat, *in ipſo nihilominus ſperabo.* Nec mihi obſtrepat hic nugator quiſpiam, paucorum fuiſſe iſtas voces, unde minime probetur talem fuiſſe inter Judæos doctrinam. Reſponſum enim à me ſtatim accipiet, paucos iſtos non prodidiſſe talibus ſententiis arcanam aliquam ſapientiam, ad quam ſeorſum ac privatim excellentia tantum ingenia admitterentur: ſed, ut erant conſtituti à Spiritu ſancto plebis doctores, quæ communiter ediſcenda eſſent Dei myſteria, & popularis religionis principia eſſe deberent, palam promulgaſſe. Quum ergo audiamus publica Spiritus ſancti oracula, quibus de ſpirituali vita tam clare ac dilucide in Judæorum Eccleſia diſſeruit, intolerabilis pertinaciæ fuerit, eos ad carnale tantummodo fœdus ablegare, ubi ſolius terræ ac terreſtris opulentiæ fiat mentio.

Job. 19: 25. *Objectionis dilutio.* Job. 13: 15. *Alia objectio.* *Reſponſio.*

Decimum argumentum, ex poſterioribus Prophetis, qui piorum felicitatem extra terrenæ hujus vitæ limites ſitam eſſe docuerunt.

20. Si ad poſteriores Prophetas deſcendam, illic vero liceat, quaſi in campo noſtro, libere ſpatiari. Nam ſi in Davide, Job, Samuele fuit non difficilis victoria: illic multo eſt facilior. Hanc enim œconomiam & hunc ordinem in diſpenſando miſericordiæ ſuæ fœdere tenuit Dominus, ut quo propius temporis progreſſu ad plenam exhibitionem accedebatur, ita majoribus in dies revelationis incrementis illuſtraret. Proinde initio, quum prima ſalutis promiſſio Adæ data fuit, quaſi tenues ſcintillæ emicarunt: poſtea facta acceſſione, major lucis amplitudo cœpit exeri, quæ magis ac magis deinde emerſit, latiuſque fulgorem ſuum protulit: donec tandem nubibus omnibus diſcuſſis, Sol juſtitiæ Chriſtus, univerſum terrarum orbem ad plenum illuminavit. Non eſt ergo metuendum, ne ſi ad cauſam noſtram comprobandam Prophetarum petamus ſuffragia, illa nos deficiant: ſed quia ingentem materiæ ſylvam fore video, in qua diutius multo immorari neceſſe ſit quam ferat inſtituti ratio (eſſet enim opus longi voluminis) ſimulque vel parum perſpicaci lectori viam me ſtraviſſe ex ſuperioribus arbitror, qua inoffenſo curſu pergere queat, à prolixitate, non adeo in præſens neceſſaria, abſtinebo: præmonitis tamen lectoribus, ut viam ſibi ea clavi expedire meminerint, quam prius in manum illis dedimus: Nempe, quoties fidelis populi beatitudinem Prophetæ commemorant (cujus vix minima veſtigia in præſenti vita cernuntur) ad hanc diſtinctionem confugiant: Dei bonitatem, quo melius Prophetæ commendarent, temporariis beneficiis, velut lineamentis quibuſdam, populo adumbraſſe: ſed talem ejus pinxiſſe effigiem, quæ mentes extra terram, elementa mundi hujus, & periturum ſeculum raperet, atque ad cogitandam futuræ ac ſpiritualis vitæ felicitatem neceſſario excitaret.

cap. 8. ſect. 3. 4.

Id uno exemplo, ex Ezechiele ſumpto, de oſſibus aridis vivificatis, dilucide probatur.

21. Exemplo uno contenti erimus. Quum Iſraëlitæ Babylonem deportati, ſuam diſſipationem morti ſimillimam eſſe cernerent: dimoveri ab ea opinione vix poterant, quin fabuloſum putarent eſſe, quod de ſua reſtitutione vaticinabatur Ezechiel: quod perinde id æſtimabant, acſi denunciaſſet ſuſcitatum in vitam iri putrida cadavera. Dominus ut oſtenderet nec ea ipſa difficultate ſe impediri, quominus beneficio ſuo locum faceret, Prophetæ campum aridis oſſibus plenum per viſionem oſtendit: quibus, ſola verbi ſui virtute, ſpiritum vigoremque uno momento reddidit. Serviebat quidem ad præſentem incredulitatem corrigendam viſio: ſed interim Judæos commonefaciebat, quantum ultra populi reductionem virtus Domini protenderetur, quæ arida & diſperſa oſſa ſolo nutu adeo facile vegetaret. Quare ſententiam illam cum altera

Eze. 37: 4. *Confirmatio.*

ex dicto Jeſaia. Jeſ.26: 19.

Jeſaiæ rite comparabis: *Vivent mortui, cadaver meum, reſurgent. Expergiſcimini & exultate, qui habitatis in pulvere, quia ros viridis campi, ros tuus: & terram gigantum detrahes in ruinam. Vade popule mi, intra in tabernacula tua: claude oſtia tua ſuper te, abſcondere pauxillum, donec pertranſeat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, ut viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & revelabit terra ſanguinem ſuum, nec operiet diutius interfectos ſuos.*

Poſtremum argumentum: Extare in Prophetis aliquot locos, qui aperto piorum in regno cæleſti futuram immortalitatem demonſtrant. Jeſ. 66: 22. Dan.12:1.

22. Quanquam, ſiquis ad ejuſmodi canonem omnia redigere tentet, abſurde fecerit: ſunt enim aliquot loci, qui nullo integumento, futuram, quæ in regno Dei fideles manet, immortalitatem demonſtrant. quales nonnullos recitavimus, & quales ſunt cum alii plerique, tum præcipue duo iſti: alter apud Jeſaiam, *Sicut cæli novi & terra nova, quæ facio ſtare coram me: ſic ſtabit ſemen veſtrum. Et erit menſis ex menſe, Sabbathum ex Sabbatho: veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me, quod vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* alter vero Danielis, *In tempore illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi ſui: & veniet tempus anguſtiæ, non quale fuit ex quo gentes eſſe cœperunt. Et tunc ſalvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit ſcriptus in libro. Et ex iis, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium ſempiternum.*

Concluſio totius tractationis de ſimilitudine utriuſque Teſtamenti.

23. Jam in duobus reliquis probandis, Patres ſcilicet Chriſtum in fœderis ſui pignus habuiſſe, atque in ipſo omnem benedictionis fiduciam repoſuiſſe: quia minus controverſiæ & plus claritatis habent, non laborabo. Conſtituamus ergo ſecure, quod nec ullis diaboli machinis revelli queat: Vetus Teſtamentum ſeu fœdus, quod cum Iſraëlitico populo percuſſit Dominus, non rebus terrenis fuiſſe limitatum, ſed ſpiritualis æternæque vitæ promiſſionem continuiſſe: cujus expectationem omnium animis impreſſam oportuit, qui in fœdus vere conſentiebant. Hanc vero inſanam ac pernicioſam opinionem procul ſummoveamus, aut Dominum nihil aliud propoſuiſſe Judæis, aut illos nihil quæſiviſſe præter ventris ſaturitatem, carnis delicias, florentes opes, externam potentiam, liberorum fœcunditatem, & quicquid animalis homo in pretio habet. Non enim aliud cælorum regnum hodie promittit ſuis Chriſtus Dominus, quam ubi recumbant cum Abraham, Iſaac & Jacob. ac Judæos ſeculi ſui Petrus hæredes eſſe Evangelicæ gratiæ aſſerebat, quod filii eſſent Prophetarum comprehenſi in fœdere, quod Dominus olim cum ſua gente pepigiſſet. Ac ne id ſolis verbis teſtatum eſſet, Dominus facto quoque approbavit. Eo enim quo reſurrexit momento, multos ſanctorum reſurrectionis ſuæ conſortio dignatus eſt, ac viſendos in civitate præbuit: certo arrhabone ſic dato, quicquid fecit ac paſſus eſt in æternæ ſalutis acquiſitionem, ad Veteris Teſtamenti fideles non ſecus quam ad nos pertinere. Nempe & eodem fidei Spiritu, quo in vitam regeneramur (teſte Petro) præditi fuerunt. Quum Spiritum illum, qui eſt veluti quædam immortalitatis in nobis ſcintilla (unde & arrhabo hæreditatis noſtræ alibi vocatur) in illis ſimiliter audimus habitaſſe, quomodo illis vitæ hæreditatem adimere audeamus?

Ad cujus pleniorem confirmationem quatuor teſtimonia Scripturæ proferuntur. Mar.8: 11. Act. 3: 25. Matth. 27. verſ. 52. Act. 15: 8. Eph.1: 14.

Unde conſequitur perſpicua erroris Sadducæorum & Judæorum, ſalutem æternam & ſpem certam Eccleſia Dei abolentium, refutatio. 2 Cor. 3. verſ. 14.

Quo magis mirum eſt eo ſtuporis olim recidiſſe Sadducæos, ut tum reſurrectionem, tum animarum ſubſtantiam negarent: quorum utrumque tam illuſtribus Scripturæ teſtimoniis conſignatum habebant. Nec minus prodigioſa hodie foret totius nationis ſtoliditas in expectando terreſtri Chriſti regno, niſi hanc repudiati Evangelii pœnam daturos Scripturæ multo ante prædixiſſent: ſic enim juſto Dei judicio conveniebat mentes cæcitate percutere, quæ oblatum cæli lumen reſpuendo, tenebras ultro ſibi accerſiviſſent. Moſen ergo legunt, & aſſidue revolvunt: ſed oppoſito velamine impediuntur, ne cernant lucem in ejus vultu refulgentem: atque ita manebit illis obtectus ac involutus, donec ad Chriſtum convertantur, à quo illum nunc quantum poſſunt, abducere ac diſtrahere ſtudent.

CAP. XI.

De differentia unius Teſtamenti ab altero.

Tres ſunt præcipuæ partes hujus capitis.

1. *Proponit quinque Veteris & Novi Teſtamenti differentias, à ſect. 1. ad 12.*
2. *Quoniam vero inter has poſtrema eſt, quod Vetus Teſtamentum ad Judæos tantum pertinuit, Novum ad omnes, de vocatione Gentium ſubjungitur brevis tractatio, ſect. 11.*
3. *Additur reſponſio ad duas objectiones, quibus hæc doctrina de Veteris & Novi Teſtamenti diſcrimine gravari ſolet, ſect. 13. & 14.*

Quinque hæ unius Teſtamenti ab altero differentia ad modum adminiſtrationis potius quam ad ſubſtantiam fœderis pertinent.

QUid ergo? (inquies) nullumne diſcrimen Veteris & Novi Teſtamenti relinquetur? & quid fiet tot Scripturæ locis, ubi tanquam res diverſiſſimæ inter ſe conferuntur? Ego vero libenter recipio, quæ in Scriptura commemorantur, differentias: ſed ita, ut nihil conſtitutæ jam unitati derogent: quemadmodum videre erit, ubi eas ordine tractaverimus. Sunt autem illæ (quantum animadvertere mihi licuit, & meminiſſe poſſum) numero quatuor præcipuæ. Quibus ſi quintam adjungere libeat, minime reclamo. Eas omnes ſic eſſe dico, & oſtenſurum me profiteor, ut ad modum adminiſtrationis potius, quam ad ſubſtantiam pertineant. Hac ratione nihil impedient, quominus eædem maneant Veteris ac Novi Teſtamenti promiſſiones, atque idem ipſarum promiſſionum fundamentum, Chriſtus.

Prima differentia. In Vetere Teſtamento cæleſtem hæreditatem ſub terrenis beneficiis contemplandam & deguſtandam Dominus exhibuit: ſub Novo iſtiuſmodi terrena ſubſidia omittuntur.

Porro prima eſt, Quod tametſi olim quoque Dominus populi ſui mentes in cæleſtem hæreditatem volebat collimare, arrectoſque eſſe animos: quo tamen in ſpe illius melius alerentur, contemplandam ſub beneficiis terrenis ac quodammodo deguſtandam exhibebat: nunc clarius liquidiuſque revelata per Evangelium futuræ vitæ gratia, recta ad ejus meditationem, omiſſo inferiori, quem apud Iſraëlitas adhibebat, exercitationis modo, mentes noſtras dirigit. Hoc conſilium Dei qui non animadvertunt, non putant veterem populum altius conſcendiſſe, quam ad illa, quæ corpori promittebantur, bona. Audiunt toties terram Chanaan nominari, velut inſigne adeoque unicum Legis divinæ cultoribus præmium. Audiunt nihil ſeverius Dominum ejuſdem Legis tranſgreſſoribus interminari, quam ab ejus terræ poſſeſſione expellendos, ac diſpergendos in alienas regiones. Vident in hanc fere ſummam recidere quæcunque vel benedictiones vel maledictiones à Moſe denunciantur. Ex iis minime dubitanter conſtituunt Judæos non ſua cauſa, ſed aliena, fuiſſe à cæteris populis ſegregatos: nempe, ut imaginem haberet Chriſtiana Eccleſia, in cujus externa ſpecie ſpiritualium rerum documenta cerneret. Sed quum aliquoties Scriptura demonſtret: huc terrena, quibus

bus eos proſequebatur, beneficia Deum ipſum deſtinaſſe, ut ad ſpem cæleſtium ita ipſos manu duceret: ejuſmodi diſpenſationem noo conſiderare, nimiæ imperitiæ, ne dicam hebetudiois, fuit. Cum hoc hominum genere ſtatus controverſiæ oobis eſt, quod illi poſſeſſionem terræ Chanaan Iſraëlitis pro ſumma atque ultima beatitudine habitam, nobis poſt revelatum Chriſtum cæleſtem bæreditatem figurare dócent. Nos contra cootendimus, in terrena qua fruebantur poſſeſſione, velut in ſpeculo, futuram, quam ſibi in cælis præparatam crederent, hæreditatem eſſe intuitos.

Probatio prima iſtius differentiæ, à ſimili de hærede parvulo, cujus mentio fit apud Apoſtolum, Gal. 4: 1.

2. Id melius elucebit ex ſimilitudine, quam poſuit Paulus ad Galatas. Comparat Judæorum gentem bæredi parvulo, qui ad ſe regendum nondum idoneus, tutoris aut pædagogi, cujus cuſtodiæ commiſſus eſt, dictum ſequitur. Quod autem eam ad ceremonias ſimilitudinem potiſſimum refert, nibil obſtat, quominus huc quoque aptiſſime applicetur. Eadem ergo illis hæreditas, quæ nobis deſtinata fuit: ſed cujus adeundæ & tractandæ nondum pet ætatem capaces forent. Eadem inter illos Eccleſia: ſed cujus ætas adhuc puerilis erat. Sub hac ergo pædagogia illos continuit Dominus, ut ſpirituales promiſſiones non ita oudas & apertas illis daret, ſed terrenis quodammodo adumbratas. Abraham ergo, Iſaac & Jacob, eorumque poſteritatem quum in ſpem immortalitatis cooptaret, terram Chanaan in bæreditatem illis promiſit: non in qua ſpes ſuas terminarent, ſed cujus aſpectu in ſpem veræ illius, quæ nondum apparebat, hæreditatis ſe eaercerent ac confirmarent. Ac ne hallucinari poſſent, dabatur ſuperior promiſſio, quæ terram illam non ſupremum eſſe Dei beneficium teſtaretur. Sic Abraham in accepta terræ promiſſione torpere non ſinitur: ſed majori promiſſione erigitur illius mens io Dominum. Audit enim, *Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna valde.* Hic videmus Abrahamo proponi finem ſuæ mercedis in Domino, ne illam quærat fluxam ac lubricam in elementis bujus mundi: ſed immarceſcibilem eſſe reputet. Subjungit deinde terræ promiſſionem, non alia conditione, quam ut ſit divinæ benevolentiæ ſymbolum, ac cæleſtis hæreditatis typus. quem ſanctis fuiſſe ſenſum, eorum voces declarant. Sic David à benedictionibus temporariis ad ſummam illam atque ultimam aſſurgit. *Languet*, inquit, *tui deſiderio cor meum & caro mea. Deus portio mea in ſempiternum.* Item, *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es, qui conſervas hæreditatem meam mihi.* Item, *Clamavi ad te Domine, dixi, Tu es ſpes mea, portio mea in terra vivorum.* Qui ſic loqui audent, ſe profecto mundum & quicquid eſt bonorum præſentium ſpe ſua tranſcendere profitentur. Hanc tamen futuri ſeculi beatitudinem Prophetæ ſæpius ſub typo, quem à Domino acceperant, deſcribunt: qualiter intelligendæ ſunt iſtæ ſententiæ, Quod *pii hæreditate poſſidebunt terram: ſcelerati autem ex ea diſperdentur.* Quod *Jeruſalem omne genus divitiis abundabit, & Sion rerum omnium copia diffluet.* Quæ omnia videmus non in terram peregrinationis noſtræ, aut in terreſtrem Jeruſalem proprie competere, ſed in veram patriam fidelium ac cæleſtem illam civitatem, in qua Dominus benedictionem & vitam mandavit in perpetuum.

Gen. 15: 1.
Pſal. 84: 3. & 73: 26.
Pſal. 16: 5.
Pſal. 142: 6.
Job. 18: 17. apud Jeſaiam multis locis.
Pſal. 133: 3.

Ob hanc cauſam S. Patres ſub Lege terrenam vitam ejuſque benedictiones admodum æſtimarunt & pœnas exhorruerunt, quæ etiam magis erant conſpicua.

3. Hæc ratio eſt, cur majoris, quam nunc deceat, æſtimaſſe mortalem vitam ejuſque benedictiones ſancti legantur ſub Veteri Teſtamento. Tametſi enim probe noverant non eſſe in ea tanquam in curſus ſui meta conſiſtendum: quia tamen recognoſcebant, quæ illic ad eos pro teneritudinis ipſorum modulo exercendos, gratiæ ſuæ lineamenta Dominus impreſſerat, majori ejus ſuavitate afficiebantur, quam ſi ipſam per ſe conſideraſſent. Quemadmodum autem Dominus, benevolentiam ſuam erga fideles præſentibus bonis teſtando, ſpiritualem felicitatem ejuſmodi typis ac ſymbolis tunc adumbrabat; ita è converſo dabat in pœnis corporeis, io reprobos judicii ſui documenta. Itaque ut Dei beneficia in rebus terrenis magis coonſpicua erant, ita pœnæ. Hanc inter pœnas & præmia analogiam ac convenientiam (ut ſic loquar) dum imperiti non eapendunt, mirantur tantam in Deo varietatem, ut qui ad quælibet hominis delicta ſævis horrendiſque ſuppliciis vindicauda olim ſubitus, nunc velut poſito priſtinæ iracuodiæ affectu, & mitius & rarius multo puniat: & parum abeſt, quin ob id diverſos Veteris & Novi Teſtamenti deos imaginentut, quod etiam Manichæis accidit. Verum talibus ſcrupulis facile eapediemur, ſi animum referimus ad iſtam, quam notavi, Dei diſpenſationem, quod tum futuræ ac æternæ felicitatis gratiam terreſtribus beoeficiis, tum ſpiritualis mortis gravitatem corporeis pœnis ſignificare & figurare pro eo tempore voluit, quo Teſtamentum ſuum quodammodo adhuc involutum Iſraëlitico populo tradebat.

Cur gravia & ſubita ſub Lege ſupplicia extiterint.

Secunda differentia. Vetus ceremoniis Chriſtum adumbrabat: Novum præſentem veritatem & corpus ſolidum exhibet.

4. Alterum Veteris & Novi Teſtamenti diſcrimeo ſtatuitur in figutis, quod illud abſente veritate, imaginem tantum & pro corpore umbram oſtentabat: hoc præſentem veritatem & corpus ſolidum eahibet. Atque bujus fere fit mentio, ubicunque Veteri Teſtamento Novum opponitur: fuſior tamen eſt ejus tractatio in epiſtola ad Hebræos, quam alibi uſquam. Illic diſputat Apoſtolus adverſus eos, qui Legis Moſaicæ obſervationes aboleri poſſe non putabant, niſi ut ſecum traherent religionis totius ruinam. Quo hunc errorem refutet, aſſumit quod de Chriſti ſacerdotio prædictum apud Prophetam fuerat: nam quum æternum illi deferatur ſacerdotium, certum eſt aboleri ſacerdotium illud, ubi alii aliis ſucceſſores quotidie ſubſtituebantur. Prævalere autem novi iſtius Sacerdotis inſtitutionem probat, quod juramento ſtabilitur. Subjungit poſtea in ea ſacerdotii tranſlatione verti etiam Teſtamenti mutatiooem. Atqui id neceſſarium fuiſſe ratiooe confirmat, quoniam ea erat Legis imbecillitas, quæ nihil adducere ad perfectionem poſſet. Tum deinde proſequitur, quæ illa fuerit imbecillitas: nempe, quod externas carnis juſtitias babuerit, quæ cultores ſuos non poſſent ſecundum conſcientiam perfectos reddere, quod pecudum victimis, nec peccata delere, nec veram ſanctitatem conciliare poterat. Concludit ergo, umbram fuiſſe in ipſa futurorum booorum, non vivam rerum effigiem: ideoque non aliud habuiſſe officii, niſi ut introductio eſſet in ſpem meliorem, quæ in Euangelio exbibetur. Hic videndum eſt, qua parte fœdus Legale cum fœdere Euangelico, Cbriſti miniſterium cum Moſaico conferatur. Nam ſi ad promiſſionum ſubſtantiam pertineret comparatio, magnum extaret inter duo Teſtamenta diſſidium: ſed quum ſtatus quæſtionis alio nos ducat, eo tendendum eſt, ut verum reperiamus. Fœdus ergo, quod æternum & nunquam interiturum ſemel ſaocivit, in medio ſtatuamus. Illius complementum, unde tandem habet ut ſtatum ratumque ſit, Chriſtus eſt. Talis confirmatio dum expectatur, ceremonias Domious per Moſen præſcribit, quæ ſunt velut ſolennia confirmationis ſymbola. Id in contentionem veniebat, cederene oporteret Cbriſto quæ in Lege ordinatæ erant ceremoniæ. Hæ vero tametſi fœderis duntaxat accideotia erant, vel certe acceſſiones ac annexa, & (ut vulgus loquitur) acceſſoria: quia tamen inſtrumenta erant illius adminiſtrandi, fœderis nomen habent. qualiter & aliis ſacramentis dari ſolet. Proinde, in ſumma, Vetus Teſtamentum boc loco appellatur ſolennis confirmandi fœderis ratio, ceremoniis & ſacrificiis comprehenſa. In ea quoniam nihil ſolidum ſubeſt, niſi ulterius tranſeatur, oportuiſſe antiquari & abrogari contendit Apoſtolus, ut Cbriſto

Hebr. 7. v. 11, 19. & 9: 9. & 10: 1.
Pſ. 110: 4.

Epiſtola ad Hebræos, hanc differentiam explicantis, ſcopus.

Veteris Teſtamenti definitio.

Heb. 7: 22.

potiotis

potioris Teſtamenti ſponſori ac mediatori locus daretur, per quem æterna ſanctificatio electis ſemel acquiſita eſt: & tranſgreſſiones obliteratæ, quæ ſub Lege manebant. Quod ſi malis, ita accipe: Vetus fuiſſe Domini Teſtamentum, quod umbratili & inefficaci ceremoniarum obſervatione involutum tradebatur, ideoque temporarium fuiſſe, quia veluti in ſuſpenſo erat, donec firma & ſubſtantiali confirmatione ſubniteretur. Tum vero demum novum æternumque factum fuiſſe, poſtquam Chriſti ſanguine conſecratum ſtabilitumque fuit. Unde calicem, quem diſcipulis in Cœna porrigit Chriſtus, Novi Teſtamenti calicem vocat in ſuo ſanguine: ut ſignificet, tum vere Dei Teſtamento ſuam conſtare veritatem, per quam novum fit & æternum, dum ſanguine ſuo obſignatur.

Matth. 26. verſ. 28.

Hinc etiam eſt, quod Legis pædagogia ducimur ad Chriſtum deduci.

5. Hinc liquet quo ſenſu dixerit Apoſtolus, Legis pædagogia deductos fuiſſe Judæos ad Chriſtum, antequam ipſe in carne exhiberetur. Illos quoque filios & hæredes Dei fuiſſe fatetur: ſed qui propter pueritiam ſub pædagogi cuſtodia habendi eſſent. Conveniebat enim, Sole juſtitiæ nondum exorto, nec tantum eſſe revelationis fulgorem, nec tantam intelligendi perſpicaciam. Sic ergo verbi ſui lucem illis Dominus diſpenſavit, ut eam eminus adhuc & obſcure cernerent. Ideo hanc intelligentiæ tenuitatem pueritiæ vocabulo Paulus notat, quam elementis hujus mundi & externis obſervatiunculis, tanquam regulis puerilis diſciplinæ, voluit Dominus exerceri, donec effulgeret Chriſtus: per quem fidelis populi cognitionem adoleſcere oportebat. Hanc diſtinctionem ſignavit Chriſtus ipſe, quum diceret, Legem & Prophetas fuiſſe uſque ad Joannem: ex eo euangelizari regnum Dei. Quid Lex & Prophetæ ſui temporis hominibus prodiderunt? nempe guſtum præbebant ejus ſapientiæ, quæ olim ad liquidum manifeſtanda erat, & procul emicantem præmonſtrabant. Ubi autem digito poteſt oſtendi Chriſtus, reſeratum eſt regnum Dei. In ipſo enim expoſiti ſunt theſauri omnes ſapientiæ & intelligentiæ, quibus prope ad ipſa cæli adyta penetratur.

Gal. 3: 24. & 4: 1.

Matth. 11. verſ. 13.

Col. 2: 3.

Nec obſtat, quod inter veteres ſub Lege quidam extiterunt in fide robuſtiſſimi, cum quibus nemo fere in Eccleſia Chriſtiana ſit conferendus. Ordinaria enim Dei diſpenſatio reſpicienda eſt. Deinde, excellentiſſimi quique ſub hac pædagogia comprehenſi ſunt, & ceremoniis adjuti, ut Chriſtum eminus intuerentur ac ſalutarent.

6. Nec obſtat, quod nemo fere in Chriſtiana Eccleſia reperiri queat, qui fidei præſtantia ſit cum Abraham componendus: quod ea vi Spiritus excelluerint Prophetæ, qua hodieque orbem univerſum illuminant. Non enim, quid in paucos gratiæ contulerit Dominus, hic quæritur: ſed quam in populo docendo ordinariam diſpenſationem ſequutus ſit: qualis apud illos ipſos Prophetas, qui peculiari ſupra alios cognitione præditi fuerunt, habetur. Nam & obſcura, ceu de rebus longinquis, & typis incluſa eſt eorum prædicatio. Adhæc, utcunque mirifica in illis notitia emineret, quum tamen ad communem populi pædagogiam ſubmittere ſe neceſſe habuerint, in puerorum grege ipſi quoque cenſentur. Poſtremo nunquam tanta ullis tunc contigit perſpicientia, quæ non ſeculi obſcuritatem aliqua ex parte reſiperet. Unde illud Chriſti, *Multi Reges & Prophetæ deſiderarunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ vos auditis, nec audierunt. Itaque veſtri oculi beati, quia vident: & aures, quia audiunt.* Et ſane hac prærogativa Chriſti præſentiam pollere æquum fuit, ut ab ea dilucidior emergeret cæleſtium myſteriorum revelatio. Quo etiam pertinet, quod ante citavimus ex priore Petri epiſtola, fuiſſe illis patefactum, noſtro maxime ſeculo utilem eſſe eorum operam.

Luc. 10. verſ. 24.
Matth. 13. verſ. 17.
1 Pet. 1: 12.

Tertia differentia. Vetus eſt literale; Novum ſpirituale: illud mortis miniſterium; hoc, vitæ organum.

7. Venio ad tertium diſcrimen, quod ex Jeremia ſumitur, cujus ſunt verba, *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël & domui Juda fœdus novum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, quamvis dominarer eis: ſed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël, Ponam Legem meam in viſceribus eorum, cordibus eorum inſcribam eam, &* propitiabor iniquitati eorum. Et non docebit unuſquiſque proximum ſuum, vir fratrem ſuum. Omnes enim cognoſcent me à minimo uſque ad maximum.* Ex quibus occaſionem accepit Apoſtolus comparationis hujus inter Legem & Euangelium ſtatuendæ, ut illam vocaret, literalem; hoc, ſpiritualem doctrinam: illam diceret fuiſſe deformatam in tabulis lapideis, hoc fuiſſe cordibus inſcriptum: illam eſſe prædicationem mortis, hoc vitæ: illam damnationis, hoc juſtitiæ: illam evacuari, hoc permanere. Quum Apoſtolo propoſitum fuerit mentem Prophetæ enarrare, verba unius expendere ſatis fuerit, ut aſſequamur utriuſque ſenſum. Quanquam eſt aliquid inter eos diſſimile. Odioſius enim loquitur de Lege Apoſtolus, quam Propheta. neque id ſimplici Legis reſpectu: ſed quod erant nebulones quidam Legis νομόζηλοι, qui perverſo ceremoniarum ſtudio, Euangelii claritatem obſcurabant, de Legis natura ſecundum eorum errorem ac ſtultam affectionem diſputat. Ergo id peculiare in Paulo obſervare operæpretium erit. Uterque vero quia Vetus ac Novum Teſtamentum per contentionem inter ſe componit, nihil in Lege conſiderat, niſi quod proprium ejus eſt. Exempli gratia, Lex miſericordiæ promiſſiones paſſim continet: ſed quia ſunt aliunde aſcitæ, non veniunt in Legis rationem, quum de pura ejus natura ſermo habetur. Hoc illi tantum tribuunt, ut præcipiat quæ recta ſunt, ſcelera prohibeat, præmium edicat cultoribus juſtitiæ, pœnam tranſgreſſoribus minetur: cordis interim pravitatem, quæ cunctis hominibus naturalis ineſt, non immutet aut emendet.

Jer. 31: 31.

2 Cor. 3: 6.

Hæc differentia ab Apoſtolo tractatur primum in genere.

Deinde ſpeciatim, membris textus Apoſtolici diligenter collatis, per triplicem antitheſin. Vetus eſt literale, mortiferum, temporarium; Novum eſt ſpirituale, vivificum, æternum.

8. Nunc membratim Apoſtoli collationem explicemus. Vetus Teſtamentum literale eſt, quia ſine Spiritus efficacia promulgatum, Novum, ſpirituale, quod Dominus hominum cordibus ſpiritualiter inſculpſit. Ideo ſecunda antitheſis eſt veluti primæ declaratio. Vetus mortiferum eſt, quia nihil poteſt, quam maledictione involvere univerſum hominum genus; Novum eſt vitæ organum, quia à maledictione liberatos in gratiam cum Deo reſtituit: illud damnationis miniſterium eſt, quia reos peragit injuſtitiæ omnes filios Adam; hoc, juſtitiæ, quia Dei miſericordiam revelat, per quam juſtificamur. Poſtrema antitheſis ad Legis ceremonias referenda. Quia illud rerum abſentium imaginem habebat, interire ac evaneſcere tempore oportuit. Euangelium, quia ipſum corpus exhibet, firmam perpetuamque retinet ſtabilitatem. Vocat quidem Jeremias & leges morales, infirmum ac fragile fœdus: ſed alia ratione, quod ſcilicet ingrati populi ſubita defectione mox abruptum fuerit. ſed quia ejuſmodi violatio eſt à culpa populi, in Teſtamentum proprie non confertur. Ceremoniæ vero, quoniam ſua ipſarum infirmitate Chriſti adventu fuerunt diſſolutæ, cauſam infirmitatis intra ſe habebant. Porro differentia illa *Literæ & Spiritus* non ſic accipienda eſt, acſi nullo cum fructu Legem ſuam Judæis Dominus tuliſſet, nullo eorum ad ſe converſo: ſed per comparationem poſita eſt, ad commendandam gratiæ affluentiam, qua Euangelii prædicationem idem Legiſlator, quaſi novam perſonam induens, honoravit. Nam ſi eorum multitudinem recenſemus, quos ex populis omnibus per Euangelii prædicationem Spiritu ſuo regeneratos in Eccleſiæ ſuæ communionem collegit, pauciſſimos ac pene nullos dicemus, qui olim in Iſraële cordis affectu atque ex animo fœdus Domini amplexi ſint: qui tamen multi fuerunt, ſi ſuopte numero ſine comparatione cenſeantur.

Litera & Spiritus differentia.

Quarta differentia. Vetus Teſtamentum eſt ſervitutis; Novum autem libertatis.

9. Ex tertio diſcrimine quartum emergit. Vetus enim Teſtamentum Scriptura vocat ſervitutis, quod timorem in animis generet; Novum autem, libertatis, quod in fiduciam ac ſecuritatem eoſdem erigat. Sic Paulus ad Romanos octavo, *Non accepiſtis*, inquit, *ſpiritum ſervitutis iterum ad timorem:*

ſed

Id quod tribus Apoſtoli teſtimoniis confirmatur.
Rom. 8. verſ. 15.
Hebr. 12. verſ. 18.

ſed Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, Pater. Huc pertinet, quod habetur ad Hebræos, non acceſſiſſe nunc fideles ad corporeum montem, & incenſum ignem, ac turbinem, & caliginem, & procellam, ubi nihil audiatur, aut videatur, niſi quod terrore mentes percellat: adeo, ut ipſe quoque Moſes expaveſcat, ubi vox terribilis inſonat, quam audire omnes deprecentur: ſed acceſſiſſe ad montem Sion, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cæleſtem, &c. Quod autem in ſententia, quam ex epiſt. ad Rom. adduximus, breviter tangit Paulus,

Gal. 4: 22.

fuſius explanat ad Galatas, quum ad allegoriam trabit duos Abrahæ filios, in hunc modum, Quod Agar ſerva typus ſit montis Sinai, ubi Legem accepit populus Iſraël: Sara libera, figura ſit cæleſtis Jeruſalem, à qua fluit Euangelium. Quod quemadmodum ſemen Agar ſervum naſcitur, quod ad hæreditatem nunquam perveniat; Saræ liberum, cui hæreditas debeatur: ita per Legem addicamur in ſervitutem; per ſolum Euangelium in libertatem regeneremur. Huc autem ſumma redit, Vetus Teſtamentum pavorem ac trepidationem incuſſiſſe conſcientiis; Novi beneficio fieri, ut in lætitiam ſolvantur. Illud jugo ſervitutis conſcientias aſtrictas tenuiſſe; hujus liberalitate in libertatem manumitti.

Objectio.

Quod ſi ex populo Iſraëlitico ſancti Patres objiciuntur, quos quum eodem fidei Spiritu nobiſcum præditos fuiſſe conſtet, ſequitur ejuſdem & libertatis & lætitiæ fuiſſe participes: reſpondemus neutrum à Lege fuiſſe: ſed quum ſe per Legem, & ſervili conditione premi, & conſcientiæ inquietudine fatigari ſentirent, ad Euangelii ſubſidium confugiſſe: ideoque peculiarem Novi Teſtamenti fructum fuiſſe, quod præter communem Veteris Teſtamenti legem, illis malis exempti fuerunt. Deinde negabimus ita libertatis & ſecuritatis ſpiritu fuiſſe donatos, ut non experti ſint aliqua ex parte & timorem à Lege & ſervitutem. Utcunque enim illa, quam per Euangelii gratiam aſſequuti erant, prærogativa fruerentur, erant tamen iiſdem obſervationum vinculis & oneribus cum vulgo obnoxii. Quum ergo ad eas ceremonias ſollicite obſervandas adigerentur, quæ pædagogiæ ſervituti ſimilis ſymbola erant, & chirographa, quibus ſe peccati reos faterentur, ab obligatione non ſolverent: jure præ nobis ſub ſervitutis ac timoris Teſtamento fuiſſe dicuntur, dum reſpicitur communis illa diſpenſatio, qua tunc cum Iſraëlitico populo Dominus agebat.

Reſponſio, per diſtinctionem.

Altera, per negationem.

Diſcrimen inter tres poſteriores differentias & primam.

10. Tres quas poſteriores retulimus comparationes ſunt Legis & Euangelii. quare in illis Lex, Veteris Teſtamenti; Euangelium, Novi nomine ſignatur. Prima latius extenditur: comprehendit enim ſub ſe & quæ ante Legem editæ ſuot promiſſiones. Quod autem ipſas ſub Veteris Teſtamenti nomine cenſendas Auguſtinus negavit, optime in eo ſenſit, nec aliud voluit quam quod docemus: ſiquidem ad illas Jeremiæ & Pauli ſententias reſpiciebat, ubi Vetus Teſtamentum à verbo gratiæ & miſericordiæ diſcernitur. Iſtud quoque ſcitiſſime eodem loco ſobjungit, pertinere ab initio mundi ad Novum Teſtamentum filios promiſſionis, regeneratos à Deo, qui fide per dilectionem operante obedierunt mandatis. Idque in ſpe non carnalium, terrenorum, temporalium; ſed ſpiritualium, cæleſtium, æternorum bonorum, præcipue credentes in Mediatorem: per quem non dubitarunt & Spiritum ſibi adminiſtrari, ut benefacerent, & ignoſci, quoties peccarent. Id enim ipſum eſt, quod aſſerere in animo fuit, Ejuſdem nobiſcum benedictionis in æternam ſalutem conſortes fuiſſe omnes ſanctos, quos ab exordio mundi peculiariter à Deo ſelectos Scriptura commemorat. Inter noſtram ergo & illius partitionem hoc intereſt, quod noſtra (ſecundum illam Chriſti ſententiam, Lex & Prophetæ uſque ad Joannem, ex eo regnum Dei euangelizatur) inter Euangelii claritatem, & obſcuriorem, quæ præceſſarat, verbi diſpenſationem diſtinguit: altera ſimpliciter Legis debilitatem ſecernit ab Euangelii firmitudine. Atque hic quoque de ſanctis Patribus annotandum eſt, ita ſub Veteri Teſtamento vixiſſe, ut non illic reſtiterint, ſed aſpirarint ſemper ad Novum, adeoque certam ejus communionem amplexi ſint. Qui enim præſentibus umbris contenti, mentem ad Chriſtum non extenderunt, eos cæcitatis ac maledictionis damnat Apoſtolus. Ut enim reliqua taceamus, quænam major cæcitas fingi poſſit, quam à pecude mactata peccati expiationem ſperare? quam in externa aquæ irrigatione, animæ purgationem quærere? quam frigidis Deum ceremoniis, perinde atque illis valde oblectetur, velle placare? Ad iſtas enim omnes abſurditates delabuntur, qui ſine Chriſti reſpectu in Legis obſervationibus hærent.

lib. 3. ad Bonif. c. 4.

Confirmatio ſuperiorum dictorum, ex Auguſtino deſumpta.

Matth. 11. verſ. 13.

Regula, de S. Patribus ſub Veteri Teſtamento.

11. Quintum, quod adjungere licet, diſcrimen, in eo jacet, quod ad Chriſti uſque adventum gentem unam ſegregaverat Dominus, in qua fœdus gratiæ ſuæ contineret. *Quando diſtribuebat Altiſſimus gentes, quando dividebat filios Adam,* inquit Moſes, *in poſſeſſionem illi ceſſit populus ſuus: Jacob funiculus hæreditatis ejus.* Alibi ſic populum alloquitur, *En Domini Dei tui eſt cælum & terra, & omnia quæ in ea ſunt. Patribus tamen tuis tantummodo adhæſit, amavit eos, ut eligeret ſemen eorum poſt eos: nempe, vos ipſos, è cunctis gentibus.* Populum ergo illum, veluti ſolus ad ſe ex hominibus pertineret, nominis ſui cognitione dignatus eſt ſolum: fœdus ſuum quaſi in ejus ſinu depoſuit: præſentiam ſui numinis illi manifeſtavit: omnibus prærogativis eum honoravit. Sed (ut reliqua omittamus beneficia) quod unum hic agitur, illum verbi ſui communione ſibi devinxit, ut ejus appellaretur & haberetur Deus. Interea gentes alias, quaſi nihil ſecum haberent rei aut commercii, in vanitate ambulare ſinebat: nec, ut earum exitio mederetur, quod unicum erat remedium afferebat, verbi ſcilicet ſui prædicationem. Itaque Iſraël tunc filius Domino delicatus; alii extranei: ille cognitus, & in fidem tutelamque ſuſceptus; alii tenebris ſuis relicti: ille à Deo ſanctificatus; alii profani: ille Dei præſentia honoratus; alii omni propinquitate excluſi. At ubi venit plenitudo temporis, inſtaurandis omnibus deſtinata, exhibituſque eſt ille Dei & hominum conciliator: diruta maceria, quæ tamdiu miſericordiam Dei intra Iſraëlis fines concluſam tenuerat, annunciata pax eſt iis, qui procul erant, non ſecus atque iis, qui prope conjuncti, ut Deo ſimul reconciliati, in unum populum coaleſcerent. Quare nulla jam Græci aut Judæi, circumciſionis vel præputii ratio, ſed omnia in omnibus Chriſtus, cui datæ ſunt gentes in hæreditatem, & termini terræ in peculium: ut ſine diſcrimine dominetur à mari uſque ad mare, & à fluminibus uſque ad ultimos orbis fines.

Quinta differentia. Vetus Teſtamentum ad unum tantum populum pertinuit: Novum vero ad omnes.
Deut. 32: 8.
Deut. 10. verſ. 14.
Act. 14: 16.
Gal. 4: 4.
Eph. 2: 14.
Gal. 6: 15.
Pſal. 2: 8.
Pſal. 72: 8. & alibi.

12. Gentium igitur vocatio, inſignis eſt teſſera, qua ſupra Vetus Teſtamentum Novi excellentia illuſtratur. Plurimis quidem & clariſſimis Prophetarum oraculis teſtata ante fuerat: ſed ita ut in regnum Meſſiæ ejus complementum rejiceretur. Ac ne Chriſtus quidem ſtatim à primo ſuæ prædicationis exordio ad eam progreſſus fecit: ſed eo uſque diſtulit, donec abſolutis omnibus redemptionis noſtræ numeris, ac finito humiliationis ſuæ tempore, acciperet à Patre nomen, quod eſt ſupra omne nomen, coram quo omne genu flecteretur. Unde mulieri Chananææ, hac opportunitate nondum expleta, negat ſe miſſum, niſi ad oves perditas domus Iſraël: nec Apoſtolos in prima miſſione patitur eoſdem limites ſuperare. *In viam Gentium*, inquit, *ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne ingrediamini: ſed ite potius ad oves perditas domus Iſraël.* Utcunque autem tot teſtimoniis prodita foret, ubi tamen Apo-

Altera pars capitis, à præcedenti ſectione pendens, in qua de vocatione Gentium pauca aguntur.
Phil. 2: 9.
Matth. 15. verſ. 25.
Mat. 10: 5.
Cur Gentium vocatio adeo

ſtolis

nova & inſolens Apoſtolis viſa eſt.

ſtolis auſpicanda fuit, ſic nova & inſolens illis viſa eſt, ut tanquam prodigium aliquod exhorrerent. Trepide ſane nec ſine recuſatione tandem aggreſſi ſunt. Nec mirum: videbatur enim rationi minime conſentaneum, ut Dominus, qui tot ſeculis Iſraëlem à reliquis gentibus ſelegerat, quaſi repente mutato conſilio delectum illum tolleret. Vaticiniis quidem id prædictum erat: ſed non poterant vaticiniis adeo attenti eſſe, ut rei novitate, quæ ſe oculis ingerebat, nihil moverentur. Neque ſatis ad eos permovendos valebant, quæ jam olim futuræ Gentium vocationis ſpecimina Deus ediderat. Siquidem, præterquam quod pauciſſimos vocaverat, illos ipſos inſerebat quodammodo in familiam Abrahæ, ut populo ſuo accederent: iſta vero publica vocatione non modo Judæis æquabantur Gentes, ſed velut in demortuorum locum ſubire eas apparebat. Adde, quod nunquam æquati fuerant Judæis extranei, quoſcunque Deus ante in corpus Eccleſiæ aſciverat. Itaque non abs re Paulus

Col. 1: 26. myſterium hoc tantopere prædicat abſconditum à ſeculis & generationibus, & quod etiam Angelis mirabile eſſe dicit.

Poſtrema capitis pars, qua objectiones diluit.

13. His quatuor aut quinque membris totam Veteris & Novi Teſtamenti differentiam, quantum ad ſimplicem docendi rationem ſufficit, puto bene ac fideliter explicatam. Verum, quia nonnulli hanc in gubernanda Eccleſia varietatem, diverſum in docendo modum, tantam rituum ac ceremoniarum converſionem pro magna abſurditate jactant: iis quoque reſpondendum eſt, antequam ad alia tranſeamus. Fieri autem id breviter poteſt, quia non tam firmæ ſunt objectiones, ut accurata refutatione opus

1. Minime conſentaneum eſt, ut Deus immutabilis, quod ſemel juſſit, poſtea improbet.

habeant. Non eſt, inquiunt, conſentaneum, ut Deus, qui perpetuo ſibi conſtat, tantam mutationem paſſus ſit, ut quod ſemel juſſerat & commendaverat, poſtea improbaret. Reſpondeo, non propterea mutabilem judicari Deum debere, quod diverſis ſeculis diverſas formas accommodaverit, prout cuique expedire noverat. Si alia hyeme officia, alia æſtate familiæ ſuæ agricola præſcribit, non propterea illum

Reſponſio, à ſimili. teſtimonio Apoſtolico confirmata.

inconſtantiæ arguemus, aut deviare putabimus à recta agriculturæ regula, quæ cum perpetuo naturæ ordine conjuncta eſt. Similiter, ſiquis paterfamilias aliter ſuos liberos in pueritia, aliter in adoleſcentia, aliter in juventute erudiat, regat, tractet: non propterea dicemus ipſum levem eſſe, aut à ſua ſententia diſcedere. Quid ergo inconſtantiæ notam Deo inurimus, quod tempotum diverſitatem aptis & congrueotibus notis diſtinxerit? Poſterior ſimilitudo penitus ſatisfacere nobis debet. Judæos pue-

Galat. 4 verſ. 1, 2, 3. &c. ris ſimiles facit Paulus, Chriſtianos adoleſcentibus. Quid in hoc Dei regimine eſt inordinati, quod illos in rudimentis detinuit, quæ pro ætatis modulo ipſis congruebant; nos firmiore & quaſi viriliore diſciplina inſtituit? Ergo in eo elucet Dei conſtantia, quod eandem omnibus ſeculis doctrinam tradidit: quem ab initio præcepit nominis ſui cultum, in eo requirendo perſeverat. Quod externam formam & modum mutavit, in eo non ſe oſtendit mutationi obnoxium: ſed hominum captui, qui varius ac mutabilis eſt, eatenus ſe attemperavit.

2. Ab initio cum Judæis agere potuit, quemadmodum hodie cum Chriſtianis.

14. Atqui unde, inquiunt, iſta diverſitas, niſi quia talem eſſe Deus voluit? nonne tam bene ab initio, quam poſt Chriſti adventum perſpicuis verbis citra ullas figuras revelare potuit vitam æternam, paucis & claris ſacramentis ſuos erudire, Spiritum ſanctum largiri, gratiam ſuam per orbem univerſum diffundere?

Reſponſio; quæ hujus objectionis abſurda detegit.

Hoc vero perinde eſt, acſi cum Deo litigarent, quod mundum tam ſero creaverit, quum poſſet ab initio: quod alternas vices inter hyemem & æſtatem, inter diem & noctem eſſe voluerit. Nos vero (quod ſentire omnes pii debent) quicquid à Deo factum eſt, ſapienter & juſte factum ne dubitemus: etiamſi cauſam ſæpe neſciamus, cur ita fieri oportuerit. Hoc enim eſſet nimium nobis arrogare, non concedere Deo, ut conſilii ſui rationes habeat, quæ nos lateant.

Inſtantia; Deus improbat, quod olim probavit.

At mirum eſt, inquiunt, quod nuoc pecudum victimas, & totum illum ſacerdotii Levitici apparatum reſpuat & abominetur, quibus olim oblectabatur. Quaſi vero Deum externa

Reſponſio, à ſimili.

iſta & caduca oblectent, aut ullo modo afficiant. Jam dictum eſt, nihil horum feciſſe ſua cauſa, ſed omnia pro hominum ſalute diſpenſaſſe. Si medicus juvenem optima ratione à morbo curet, in eodem poſtea jam ſene alio curationis genere utatur: num ideo dicemus ipſum medendi rationem repudiare, quæ antea placuerat? Imo quum in illa conſtanter perſtet, rationem ætatis habet. Sic Chriſtum aliis ſignis & abſentem figurari, & venturum prænunciari oportuit: aliis nunc exhibitum repræſentari

Alia reſponſio, a voluntatis divinæ juſta æſtimatione, & gratia ejuſdem diſpenſatione.

decet. Quod ad vocationem Dei, latius per omnes populos io adventu Chriſti ſparſam quam ante fuerat, & gratias Spiritus largius effuſas; quis, obſecro, æquum eſſe oeget, ut in manu & arbitrio Dei ſit libera gratiarum ſuarum diſpenſatio, ut quas velit natiooes illuminet? quibus velit locis verbi ſui prædicationem excitet? qualem & quantum velit doctrinæ ſuæ profectum & ſucceſſum largiatur? nominis ſui notitiam, quibus velit ſeculis, auferat è mundo, propter ipſius ingratitudinem; quando iterum velit, propter ſuam miſericordiam reſtituat? Videmus ergo nimis indignas eſſe calumnias, quibus impii homines hac parte ſimplicium animos exagitant, ut vel Dei juſtitiam vel Scripturæ fidem in dubium vocent.

CAP. XII.

Chriſtum, ut Mediatoris officium præſtaret, oportuiſſe fieri hominem.

Partes hujus capitis duæ.

1. *Cauſæ, propter quas Mediatorem noſtrum oportuit verum Deum eſſe, & hominem fieri, ſect. 1. 2. & 3.*
2. *Variarum objectionum, à nonnullis fanaticis, tum præcipue ab Oſiandro, adverſus orthodoxam de Mediatore Deo & homine doctrinam dilutio, ſect. 4. 5. 6. & 7.*

Neceſſarium fuit, non abſolute, ſed ex cæleſti decreto, ut Mediator Deus eſſet, & fieret homo.

JAm magnopere noſtra interfuit, verum eſſe & Deum & hominem, qui Mediator noſter futurus eſſet. De neceſſitate ſi quæritur, non ſimplex quidem (ut vulgo loquuntur) vel abſoluta fuit: ſed manavit ex cæleſti decreto, unde pendebat hominum ſalus. Cæterum, quod nobis optimum erat, ſtatuit clementiſſimus Pater. Quum enim iniquitates noſtræ, quaſi interjecta inter nos & ipſum nube, nos à regno cælorum prorſus alienaſſent, nemo, niſi qui ad eum pertingeret, pacis reſtituendæ

Homo purus aut Angelus id non poterat: & illi capite opus habebant.

interpres eſſe poterat. Quis autem pertigiſſet? quiſpiamne ex filiis Adam? Atqui omnes cum parente ſuo ad conſpectum Dei horrebant. Angelorum aliquis? Sed enim illi quoque opus habebant capite, per cujus nexum ſolide & indiſtracte Deo ſuo cohærerent. Quid igitur? deplorata certe res erat, niſi majeſtas ipſa Dei ad nos deſcenderet: quando

Dei Filium igitur ad nos deſcendere oportuit.

aſcendere noſtrum non erat. Ita Filium Dei fieri nobis *Immanuel* oportuit, id eſt, nobiſcum Deum: & hac quidem lege, ut mutua conjunctione ejus divinitas & hominum natura inter ſe coaleſcerent alioqui nec ſatis propinqua vicinitas, nec affinitas ſatis firma, unde nobis ſpes fieret Deum oobiſcum habitare. Tantum erat inter noſtras ſordes

& ſum-

Nec homo in integritate permanens ad Deum ſine Mediatore penetrare poterat: multo minus poſt lapſum.

& ſummam Dei munditiem diſſidium. Quamvis ab omni labe integer ſtetiſſet homo, humilior tamen erat ejus conditio, quam ut ſine Mediatore ad Deum penetraret. Quid ergo exitiali ruina in mortem & inferos demerſus, fœdatus tot maculis, corruptione ſua fœtidus, denique obrutus omni maledictione? Non ergo abs re Paulus Chriſtum proponere Mediatorem volens, diſerte commemorat eſſe hominem. *Unus*, inquit, *Mediator Dei & hominum, homo Jeſus Chriſtus.* Poterat Deum dicere: poterat ſaltem & nomen hominis ſicut Dei omittere: ſed quia Spiritus per os ejus loquens, infirmitatem noſtram noverat, ut tempeſtive occurreret, aptiſſimo remedio uſus eſt, Filium Dei, tanquam unum ex nobis familiariter in medio ſtatuens. Nequis igitur ſe torqueat, ubinam ille quærendus Mediator, aut qua via ad ipſum perveniendum, hominem nominans, propinquum, imo contiguum nobis eſſe admonet, quandoquidem caro noſtra eſt. Idem certe deſignat, quod alibi pluribus verbis explicatur, non eſſe nobis Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, quando ſit more noſtro, ſola peccati exceptione, per omnia tentatus.

1 Tim. 2: 5.

Mediator autem ille non modo Deus, ſed etiam homo nobis proponitur.

Heb. 4: 15.

Altera cauſa, ex officio à Mediatore præſtando deſumpta, videlicet ut nos ex filiis Adæ & hæredibus gehennæ filios Dei & regni cæleſtis hæredes efficeret.

2. Id etiam clarius fiet, ſi reputemus, quam non vulgare fuerit, quod Mediatori præſtandum erat, nempe ſic in Dei gratiam nos reſtituere, ut faceret ex filiis hominum, illius filios: ex hæredibus gehennæ, regni cæleſtis hæredes. Quis hoc poterat, niſi Filius Dei fieret idem filius hominis, & ſic noſtrum acciperet, ut transferret ad nos ſuum; & quod ſuum erat natura, noſtrum faceret gratia? Hac ergo arrha freti, nos eſſe filios Dei confidimus, quia naturalis Dei filius ſibi corpus de corpore noſtro, carnem ex carne noſtra, oſſa ex oſſibus aptavit, ut idem nobiſcum eſſet: quod nobis proprium erat, ſuſcipere gravatus non eſt, ut viciſſim ad nos pertineret, quod proprium ipſe habebat: atque ita in commune ipſe nobiſcum & filius Dei eſſet & filius hominis. Hinc ſancta illa fraternitas, quam ore ſuo commendat, ubi dicit, *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Hac ratione certa nobis eſt regni cæleſtis hæreditas, quia unicus Dei Filius, cujus in ſolidum propria erat, nos ſibi fratres adoptavit: quod ſi fratres, ergo & hæreditatis conſortes. Adhæc apprime utile fuit hac etiam de cauſa verum eſſe Deum & hominem, qui Redemptor noſter futurus eſſet. Ejus erat mortem abſorbere: quis hoc poterat, niſi vita? Ejus erat peccatum vincere: quis hoc poterat, niſi ipſa juſtitia? Ejus erat mundi & aëris poteſtates profligare: quis hoc poterat, niſi virtus & mundo & aëre ſuperior? Porro penes quem vita eſt, aut juſtitia, aut cæli imperium & poteſtas, niſi penes ſolum Deum? Seſe ergo clementiſſimus Deus in perſona unigeniti Redemptorem noſtrum fecit, dum nos redemptos voluit.

Eph. 5: 30.

Joan. 20. verſ. 17.
Rom. 8. verſ. 17.

Tertia, ut in noſtra carne perfectam obedientiam præſtaret, pro fratribus ſuis divino judicio ſatisfaceret, & pœnas peccati perſolveret: ut noſtra eſſet victoria & noſter triumphus.

3. Alterum hoc noſtræ cum Deo reconciliationis caput erat, ut homo, qui ſua ſe inobedientia perdiderat, remedii loco obedientiam opponeret, judicio Dei ſatisfaceret, pœnas peccati perſolveret. Prodiit ergo verus homo Dominus noſter, Adæ perſonam induit, nomen aſſumpſit, ut ejus vices ſubiret Patri obediendo, ut carnem noſtram in ſatisfactionis pretium juſto Dei judicio ſiſteret: ac in eadem carne pœnam, quam meriti eramus, perſolveret. Quum denique mortem, nec ſolus Deus ſentire, nec ſolus homo ſuperare poſſet, humanam naturam cum divina ſociavit, ut alterius imbecillitatem morti ſubjiceret, ad expianda peccata; alterius virtute luctam cum morte ſuſcipiens, nobis victoriam acquireret. Qui ergo Chriſtum ſua aut divinitate, aut humanitate ſpoliant, ejus quidem, vel imminuunt majeſtatem & gloriam, vel bonitatem obſcurant. Sed non minus altera ex parte hominibus ſunt injurii, quorum fidem ita labefactant & evertunt: quæ niſi hoc fundamento nixa ſtare non poteſt. Adde, quod ſperandus fuit Redemptor ille Abrahæ Davidiſque filius, quem in Lege & Prophetis Deus promiſerat: unde alterum fructum colligunt piæ mentes, quod ipſa originis ſpecie ad Davidem & Abraham perductæ, certius agnoſcunt hunc eſſe Chriſtum, qui tot oraculis celebratus fuit. Sed illud, quod nuper expoſui, præcipue tenendum eſt, communem naturam pignus eſſe noſtræ cum Filio Dei ſocietatis: carne noſtra veſtitum, debellaſſe mortem cum peccato, ut noſtra eſſet victoria & triumphus noſter: carnem, quam à nobis accepit, obtuliſſe in ſacrificium, ut facta expiatione reatum noſtrum deleret, & placaret juſtam Patris iram.

Quarta cauſa, ad totius Eccleſiæ conſolationem & confirmationem ſpectans.

Objectio 1. adverſus orthodoxam hanc doctrinam.

4. His ut par eſt conſiderandis qui ſedulo attentus erit, vagas ſpeculationes facile negliget, quæ leves ſpiritus & novitatis cupidos ad ſe rapiunt: cujus generis eſt, Chriſtum, etiamſi ad redimendum humanum genus non fuiſſet opus remedio, futurum tamen fuiſſe hominem. Fateor equidem, in primo creationis ordine & integro naturæ ſtatu præfectum Angelis & hominibus fuiſſe caput: qua ratione dicitur à Paulo primogenitus omnis creaturæ: ſed quum tota Scriptura clamet, veſtitum fuiſſe carne, ut fieret Redemptor, aliam cauſam, vel alium finem imaginari nimiæ temeritatis eſt. Quorſum ab initio promiſſus fuerit Chriſtus, ſatis notum eſt: ut ſcilicet inſtauraret collapſum mundum, & perditis hominibus ſuccurreret. Itaque ſub Lege propoſita fuit ejus imago in ſacrificiis, ut ſperarent fideles Deum ſibi propitium fore, poſtquam expiatis peccatis reconciliatus foret. Certe quum ſeculis omnibus, etiam Lege nondum promulgata, nunquam ſine ſanguine promiſſus fuerit Mediator, colligimus æterno Dei conſilio purgandis hominum ſordibus fuiſſe deſtinatum: quia piaculi ſignum eſt ſanguinem fundi. Sic de eo concionati ſunt Prophetæ, ut reconciliatorem Dei & hominum fore promitterent. Sufficiet pro omnibus unum illud in primis celebre Jeſaiæ teſtimonium, ubi prædicit percutiendum eſſe Dei manu propter ſcelera populi, ut caſtigatio pacis eſſet ſuper eum: & Sacerdotem fore, qui ſe in victimam offerret: ex plagis ejus fore aliis ſanitatem: & quia omnes errarunt & inſtar ovium fuerunt diſperſi, placuiſſe Deo illum affligere, ut omnium iniquitates ferret. Ubi ad opem miſeris peccatoribus ferendam Chriſtum divinitus proprie addici audimus, quiſquis has metas tranſilit, ſtultæ curioſitati nimis indulget. Jam ubi prodiit ipſe, hanc adventus ſui cauſam eſſe aſſeruit, ut placato Deo nos à morte in vitam colligeret. Idem teſtati ſunt de eo Apoſtoli. Sic Joannes, antequam doceat Sermonem factum eſſe carnem, defectionem hominis narrat. Sed ipſe ante omnes audiendus eſt de officio ſuo diſſerens, *Sic Deus dilexit mundum*, inquit, *ut Filium ſuum unigenitum daret: ut quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Item, *Venit hora ut mortui audiant vocem Filii Dei, & qui audierint vivant. Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, quamvis ſit mortuus, vivet.* Item, *Filius hominis venit ad ſervandum, quod perierat.* Item, *Sanis non opus eſt medico.* Nullus eſſet finis, ſi omnia referre vellem. Uno quidem conſenſu ad hunc fontem nos revocant Apoſtoli: & certe niſi ad reconciliandum Deum veniſſet, concideret honor ſacerdotii, quando ad deprecandum medius ſtatuitur inter Deum & homines Sacerdos: non eſſet juſtitia noſtra, quia pro nobis victima factus eſt, ut nobis peccata Deus non imputet. Denique omnibus elogiis, quibus eum ornat Scriptura, ſpoliabitur. Concidet etiam illud Pauli, *Quod impoſſibile erat Legi, Deum miſiſſe Filium ſuum, ut in ſimilitudine carnis peccati pro nobis ſatisfaceret.* Nec ſtabit, quod alibi docet, *in hoc ſpeculo apparuiſſe Dei bonitatem & immenſum amorem erga homines, dum Chriſtus datus eſt Redemptor.* Denique

Reſponſio.

Col. 1: 15.

Confirmatio à legalibus ſacrificiis.

A teſtimonio Prophetarum.

Jeſ. 53: 4, 5.

A teſtimonii item Apoſtolorum & Evangeliſtarum, atque adeo ipſius Chriſti.

Joan. 1. v. 9, 10, 11, 14.
ibid. 3: 16.
ibid. 5: 25.
ibid. 11: 25.
Matth. 18. verſ. 11.
ibid. 9: 12.

Hebr. 5: 1.

2 Cor. 5. verſ. 19.

Rom. 8: 3.

Tit. 2: 11.

que

que noo alium finem ubique aſſignat Scriptura, cur
caroem noſtram ſuſcipere voluerit Dei Filius, &
hoc etiam mandatum à Patre acceperit, niſi ut victi-
Luc. 24. ma fieret ad Patrem nobis placandum. *Ita ſcriptum*
verſ. 46. 47. *eſt, atque ita oportuit Chriſtum pati, & prædicari*
Joan. 10. *in nomine ejus pœnitentiam. Propterea diligit me*
verſ. 17. *Pater, quia animam meam pono pro ovibus: hoc man-*
ibid. 3: 14. *datum dedit mihi. Sicut exaltavit Moſes ſerpentem*
in deſerto, ita oportet exaltari Filium hominis. Alibi,
ibid. 12. *Pater ſerva me ex hac hora: ſed propterea veni in hanc*
v. 27, 28. *horam. Pater glorifica Filium.* Ubi clare finem
aſſumptæ carnis aſſignat, ut victima & piaculum
fiat abolendis peccatis. Eadem ratione pronunciat
Luc. 1: 79. Zacharias, *ſecundum promiſſionem datam Patribus*
veniſſe, ut illuminet, qui in umbra mortis ſedebant.
Hæc omnia meminerimus de Filio Dei prædicari,
Col. 2: 3. in quo alibi Paulus omnes ſcientiæ & ſapientiæ the-
1 Cor. 2: 2. ſauros abſconditos eſſe teſtatur, & præter quem ni-
hil ſe ſcire gloriatur.

2. Objectio. 5. Siquis excipiat, horum nihil obſtare, quomi-
nus idem Chriſtus, qui damnatos redemit, teſtari
etiam potuerit ſuum erga ſalvos & incolumes amo-
Reſponſio. rem, eorum carnem induendo: brevis reſponſio eſt,
quum pronunciet Spiritus, æterno Dei decreto con-
juncta ſimul hæc duo fuiſſe, ut fieret nobis Redem-
ptor Chriſtus, & ejuſdem naturæ particeps, fas non
eſſe longius inquirere. Nam quem titillat plus ali-
quid ſciendi cupiditas, immutabili Dei ordinatione
non contentus, oſtendit etiam ne hoc quidem Chri-
ſto, qui nobis in pretium redemptionis datus eſt,
Confirmatio. ſe contentum eſſe. Nec vero Paulus ſolum recitat,
quorſum miſſus fuerit; ſed ad ſublime prædeſtina-
tionis myſterium conſcendens, omnem humani in-
genii laſciviam & pruritum opportune compeſcit.
Epheſ. 1. *Elegit nos in Chriſto Pater ante mundi creationem,*
v. 4. 5. 6. *ut adoptaret in filios ſecundum propoſitum volun-*
& 7. *tatis ſuæ, & acceptos habuit in Filio dilecto, in*
quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus.
Hic certe non præſupponitur Adæ lapſus, quaſi
tempore ſuperior: ſed quid ante ſecula ſtatuerit
Deus, oſtenditur, quum mederi vellet humani
3. Objectio. generis miſeriæ. Si rurſum objiciat adverſarius,
conſilium hoc Dei pependiſſe ex hominis ruina,
Reſponſio. quam prævidebat: mihi ſatis ſuperque eſt, impia
audacia ad fingendum novum Chriſtum prorum-
pere, quicunque ſibi de Chriſto plus inquirere per-
mittunt vel ſcire appetunt, quam Deus arcano ſuo
Confirmatio. decreto prædeſtinavit. Ac merito Paulus, ubi de
Epheſ. 3. proprio Chriſti officio ita diſſeruit, precatur Ephe-
verſ. 16, ſiis Spiritum intelligentiæ, ut comprehendant, quæ
17, 18. ſit longitudo, ſublimitas, latitudo & profunditas:
nempe charitas Chriſti, quæ omnem ſcientiam ſu-
pereminet: acſi data opera cancellos mentibus no-
ſtris circumdaret, ne à gratia reconciliationis tantil-
lum declinent, quoties fit Chriſti mentio. Quare
1 Tim. 1. quum fidelis hic ſermo ſit, teſte Paulo, *Chriſtum ve-*
verſ. 15. *niſſe, ut peccatores ſalvos faceret:* in eo libenter ac-
2 Tim. 1. quieſco. Et quum alibi doceat idem Apoſtolus, *gra-*
verſ. 9. *tiam, quæ nunc per Euangelium manifeſtata eſt, datam*
nobis fuiſſe in Chriſto ante tempora ſecularia: ad finem
4. Objectio Oſiandri. uſque conſtanter in ea manendum ſtatuo. Huic
modeſtiæ inique obſtrepit Oſiander, qui hanc quæ-
ſtionem à paucis ante leviter motam, rurſus hoc
tempore infeliciter agitavit. Confidentiæ eos inſi-
mulat, qui Filium Dei negant apparituram in carne
fuiſſe, ſi noo cecidiſſet Adam: quia nullo Scripturæ
Reſponſio. teſtimonio commentum hoc repudietur. Quaſi vero
Tit. 3: 9. perverſæ curioſitati frenum non injiciat Paulus, ubi
de redemptione per Chriſtum parta loquutus, mox
jubet ſtultas quæſtiones fugere. Eo uſque erupit
quorundam veſania, dum præpoſtere acuti videri
appetunt, ut quærerent, an naturam aſini aſſumere
potuerit Dei Filius. Hoc portentum, quod pii omnes
tanquam deteſtabile merito exhorrent, hoc præte-
xtu excuſat Oſiander, quod nuſquam diſerte in Scri-
ptura refellitur. Quaſi vero dum nihil pretioſum
aut dignum cognitu Paulus ducit præter Chriſtum 1 Cor. 2: 2.
crucifixum, aſinum ſalutis auctorem admittat. Er-
go, qui alibi *Chriſtum* prædicat *æterno Patris con-* Eph. 1: 22.
ſilio in caput fuiſſe ordinatum, ut omnia colligeret; ni-
hilo magis alium agnoſcet, cui nullæ redimendi par-
tes injunctæ ſint.

6. Quod autem jactat principium prorſus frivo- *5. Objectio Oſiandri, quæ eſt baſis errorum, quos in hanc doctrinam effutivit.*
lum eſt. Hominem vult creatum eſſe ad imaginem
Dei, quia formatus fuerit ad exemplar futuri Chri-
ſti, ut illum referret, quem jam Pater carne veſtire
decreverat. Unde colligit, ſi nunquam excidiſſet
Adam à prima ſua & integra origine, Chriſtum ta-
men futurum fuiſſe hominem. Quam iſtud & nuga- *Reſponſio.*
torium ſit & contortum, per ſe intelligunt omnes
ſano judicio præditi: interea primum ſe vidiſſe pu-
tat, quid eſſet imago Dei, quod ſcilicet non ſolum
in dotibus eximiis, quibus ornatus fuerat, relucebat
Dei gloria, ſed eſſentialiter in eo habitabat Deus.
Ego vero ut concedam imaginem Dei Adam ge-
ſtaſſe, quatenus Deo conjunctus erat (quæ vera eſt
ac ſumma dignitatis perfectio) Dei tamen ſimilitu- *Imago Dei in Adam quid.*
dinem non alibi quærendam eſſe contendo, quam
in illis præſtantiæ notis, quibus Adam Deus inſigni-
verat præ aliis animantibus. Ac Chriſtum quidem Gen. 1: 27.
jam tunc fuiſſe imaginem Dei uno conſenſu faten-
tur omnes: & proinde quicquid excellentiæ inſcul-
ptum ipſi Adæ fuit, inde manaſſe, quod per unige-
nitum Filium ad opificis ſui gloriam accederet. Ad
imaginem ergo Dei conditus eſt homo, in quo ſuam
gloriam creator ipſe conſpici, quaſi in ſpeculo, vo-
luit. In hunc gradum honoris evectus fuit unigeniti
Filii beneficio, ſed addo Filium ipſum tam Angelis, *Chriſtus, Angelorum & hominum caput.*
quam hominibus commune fuiſſe caput: ita ut quæ
in hominem collata fuerat dignitas, ad Angelos quo-
que pertineret. Neque enim, dum audimus vocari
filios Dei, conſentaneum eſſet negare inditum illis Pſal. 82: 6.
fuiſſe aliquid, quo Patrem referrent. Quod ſi tam in
Angelis, quam in hominibus repræſentari ſuam glo-
riam & in utraque natura conſpicuam eſſe voluit,
inſcite nugatur Oſiander, Angelos fuiſſe tunc poſt-
habitos hominibus, quia non geſtarent Chriſti figu-
ram. Neque enim præſenti Dei intuitu aſſidue frue-
rentur, niſi ei eſſent ſimiles: nec aliter docet Pau-
lus renovari homines ad imaginem Dei, quam ſi An- Col. 3: 10.
gelis ſocientur, ut ſimul inter ſe cohæreant ſub uno
capite. Denique, ſi Chriſto creditur, hæc ultima erit
noſtra felicitas, ubi in cælos erimus recepti, con-
formes eſſe Angelis. Quod ſi inferre Oſiandro licet,
primarium imaginis Dei exemplar fuiſſe in Chriſto
homine, eodem jure contendet quiſpiam, Chriſtum
oportuiſſe fieri Angelicæ naturæ conſortem, quia
ad illos quoque pertineat imago Dei.

7. Non eſt igitur, cur metuat Oſiander Deum *6. Objectio Oſiandri.*
poſſe mendacem deprehendi, niſi in ejus mente prius
fuiſſet de Filio incarnando decretum fixum & im-
mutabile. Quia etiamſi non collapſa fuiſſet Adæ in- *Reſponſio.*
tegritas, ſimilis tamen fuiſſet Deo cum Angelis: ne-
que tamen propterea neceſſe fuiſſet, Filium Dei
fieri vel hominem vel Angelum. Fruſtra etiam ab- *7. Objectio.*
ſurdum illud metuit, niſi immutabili Dei conſilio
ante creatum hominem Chriſtus fuiſſet naſciturus,
non ut Redemptor, ſed ut primus homo, ne à ſua
prærogativa excideret: quando jam nonniſi per
accidens natus eſſet, ut ſcil. inſtauraret perditum
genus humanum: ut inde inferat, creatum igitur
fuiſſe ad imaginem Adæ. Cur enim horrebit, quod *Reſponſio.*
tam aperte docet Scriptura, *ſimilem nobis fuiſſe fa-* Heb. 4: 15.
ctum per omnia, excepto peccato? unde & Lucas filium Luc. 3: 38.
Adæ in genealogia cenſere non dubitat. Scire etiam
velim cur à Paulo Chriſtus vocetur ſecundus Adam, 1 Cor. 15.
niſi quia deſtinata ei fuit humana conditio, ut ex verſ. 47.
ruina erigeret Adæ poſteros. Nam ſi creationem
ordine illa præceſſit, dicendus fuit primus Adam.
Secure affirmat Oſiander, quia jam Chriſtus homo *8. Objectio.*
præ-

præcognitus erat in mente Dei, homines ad hoc
Reſponſio. exemplar fuiſſe formatos. Paulus autem ſecundum
Adam nominans, inter primam hominis originem
& reſtitutionem, quam per Chriſtum conſequimur,
mediam ſtatuit defectionem, ex qua naturæ in pri-
ſtinum ordinem reformandæ neceſſitas: unde ſe-
quitur, eandem Filio Dei naſcendi fuiſſe cauſam,
9. Objectio. ut homo fieret. Interea male & inſulſe ratiocinatur
Oſiander, Adam, quamdiu integer ſtetiſſet, futurum
Reſponſio. imaginem fuiſſe ſuiipſius, non Chriſti. Reſpondeo
ex oppoſito, quia etſi nunquam induiſſet carnem
Dei Filius, fulgebat nihilominus & in corpore & in
anima ejus imago Dei: in cujus radiis ſemper appa-
ruit, Chriſtum eſſe vere caput, & primatum tenere
10. Objectio. in omnibus. Atque ita ſolvitur futilis argutia, quam
ventilat Oſiander, carituros fuiſſe Angelos hoc ca-
pite, niſi Deo propoſitum fuiſſet Filium ſnum car-
Reſponſio. ne veſtire, etiam citra Adæ culpam. Nimis enim
inconſiderate arripit, quod nemo ſaous concedet,
Chriſto non competere primatum in Angelos, ut
fruantur eo principe, niſi quatenus eſt homo. At-
Col. 1: 15. qui facile elicitur ex Pauli verbis, quatenus æter-
nus eſt Dei Sermo, primogenitum eſſe omnis crea-
turæ. non quod creatus ſit, vel numerari inter crea-
turas debeat: ſed quia integer mundi ſtatus, qualis
ab initio fuit ſumma pulchritudine ioſignis, non
aliud principium habuit. deiode quatenus homo
factus eſt, primogenitum eſſe ex mortuis. Utrum-
que eoim uno & brevi contextu conſiderandum
Coloſſ. 1. proponit Apoſtolus: per Filium creata fuiſſe omnia,
verſ. 16, 18. ut Angelis dominetur: & hominem eſſe factum, ut
11. Objectio. Redemptor eſſe inciperet. Ejuſdem inſcitiæ eſt,
Reſponſio. quod homines dicit carituros fuiſſe Chriſto rege,
niſi homo fuiſſet. Quaſi vero noo potuerit conſtare
regnum Dei, ſi æternus Dei Filius, licet non indu-
tus humana carne, Angelis & hominibus in ſocie-
tatem cæleſtis gloriæ ſuæ & vitæ collectis, prima-
tum ipſe tenuiſſet. Sed in hoc falſo principio ſem-
per hallucinatur, vel ſibi præſtigias facit, Eccle-
ſiam fuiſſe *ἀκέφαλον* futuram, niſi apparuiſſet in car-
ne Chriſtus. Quaſi vero, ſicuti eo capite fruebantur
Angeli, non etiam divina ſua virtute præeſſe ho-
minibus potuerit, & arcana virtute Spiritus ſui ve-
getare ipſos & fovere, inſtar corporis ſui, donec in
cælum collecti, eadem cum Angelis vita fruerentur.
Quas hactenus refutavi nænias, pro firmiſſimis ora-
culis ducit Oſiander: nempe, ut ſuarum ſpeculatio-
num dulcedine inebriatus, ridiculos pæanas de ni-
hilo efflare ſolet. Unum vero poſtea dicit longe fir- *12. Objectio.*
mius ſe afferre, prophetiam Adæ ſcilicet, qui uxore
ſua conſpecta dixit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, &* Gen. 2: 23.
caro de carne mea. Unde autem prophetiam eſſe
evincit? nempe, quia eundem ſermonem Chriſtus
apud Matthæum Deo tribuit. Quaſi vero quicquid *Reſponſio.*
per homines loquutus eſt Deus, vaticinium aliquod
contineat. Vaticinia in ſingulis Legis præceptis
quærat Oſiander, quæ à Deo auctore profecta eſſe
conſtat. Adde, quod rudis & terreous fuiſſet Chri-
ſtus in literali ſenſu ſubſiſtens. Quia non de myſtica
unione, qua Eccleſiam dignatus eſt, diſſerit; ſed
tantum de fide conjugali: ob haoc cauſam Deum
pronunciaſſe docet, *virum & uxorem fore carnem
unam, ne inſolubile illud vinculum quiſquam divortio
violare tentet.* Hæc ſimplicitas ſi Oſiandro ſordet,
Chriſtum reprehendat, quia diſcipulos ad myſte-
rium non traduxerit, Patris dictum ſubtilius inter-
pretando. Nec vero ejus delirio ſuffragatur Paulus, *Inſtantia ſo-*
qui ubi dixit *nos eſſe carnem de carne Chriſti*, mox ad- *lutio.*
jungit, *magnum hoc eſſe myſterium.* Neque enim Eph. 5: 30.
quo ſenſu hoc protulerit Adam referre voluit, ſed
ſub figura & ſimilitudine conjugii ſacram conjun-
ctionem propooere, quæ nos unum cum Chriſto
facit. & hoc verba ſonant: quia ſe de Chriſto &
Eccleſia hoc dicere admonens, correctionis loco à
lege conjugii diſcernit ſpiritualem Chriſti & Eccle-
ſiæ conjunctionem. Quare facile evaneſcit hæc
futilitas. Nec vero mihi neceſſe arbitror ſimiles
quiſquilias diſcutere: quia ex breviſſima hac refuta-
tione deprehendetur omnium vanitas. Hæc qui- *Summa ſu-*
dem ſobrietas filiis Dei ſolide paſcendis abunde ſuf- *perioris do-*
ficiet, *quum venit plenitudo temporum, miſſum fuiſſe* *ctrina.*
Filium Dei, factum ex muliere, factum ſub Lege, ut Galat. 4: 4.
eos, qui ſub Lege erant, redimeret.

CAP. XIII.

Chriſtum veram humanæ carnis ſubſtantiam induiſſe.

Partes hujus capitis.

1. *Orthodoxæ doctrinæ, de vera humanæ carnis Chriſti ſubſtantia multis Scripturæ teſtimoniis confirma-tio, ſect.* 1.
2. *Marcionitarum, Manichæorum, & ejuſmodi hæreticorum, impiæ objectiones adverſus hanc doctrinam diluuntur, ſect.* 2. 3. *&* 4.

Prima pars, veritatem humana natura Chriſti adverſus Manichæos & Marcionitas probans.

DE Chriſti divinitate, quæ alibi claris & fir-
mis teſtimoniis probata eſt, nunc iterum
diſſerere ſupervacuum, niſi fallor, eſſet.
Videndum igitur reſtat, quomodo carne
noſtra indutus Mediatoris partes impleverit. Ac
humanæ quidem naturæ veritas olim tam à Mani-
chæis, quam à Marcionitis impugnata eſt: quorum
hi quidem ſpectrum pro Chriſti corpore ſibi finge-
bant; illi autem cæleſti carne præditum ſomniabant.
Gen. 12: 3. Sed utriſque Scripturæ teſtimonia & multa & valida
& 18: 18. reſiſtunt. Non enim vel in cæleſti ſemine, vel in
& 22: 18. hominis larva benedictio promittitur, ſed in ſemine
& 26: 4. Abrahæ & Jacob: neque homini aëreo promittitur
Act. 3: 25. thronus æternus, ſed Davidis filio, & fructui ventris
Pſal. 45: 7. ejus. unde & in carne exhibitus, filius vocatur Da-
Mat. 1: 1. vidis & Abrahæ: non ideo tantum, quod ex Virgi-
nis utero natus ſit, in aëre autem creatus: ſed quia
Rom. 1: 3. (Paulo interprete) *ſecundum carnem factus ſit ex Da-*
ibid. 9: 5. *vidis ſemine:* ſicut alibi docet idem Apoſtolus, *eum
deſcendiſſe ex Judæis.* Quamobrem Dominus ipſe
non contentus hominis nomine, Filium quoque ho-
minis ſubinde ſe appellat, clarius exprimere volens
ſe hominem eſſe ex hominis ſemine vere progeni-
tum. Quum Spiritus ſanctus toties per tot organa,
tantaque diligeotia & ſimplicitate rem per ſe non
abſtruſam enarraverit, quis cogitaſſet tanta ullos
mortales impudentia fore, qui offucias adhuc ſparge-
re auderent? Et tamen alia etiamnum teſtimonia ad
manum ſe offerunt, ſi congerere plura libeat. quale
eſt illud Pauli, *Deum miſiſſe Filium ſuum factum ex* Galat. 4: 4.
muliere: & innumera, quibus fami, ſiti, frigori, aliiſque
naturæ noſtræ infirmitatibus obnoxium fuiſſe con-
ſtat. At ex multis deligenda ſuot ea potiſſimum, quæ
animis in vera fiducia ædificandis conducere queant:
ut quum dicitur *Angelis nequaquam tantum honoris* Heb. 2: 16.
*detuliſſe, ut eorum naturam aſſumeret: ſed noſtram aſ-
ſumpſiſſe, ut in carne & in ſanguine per mortem deſtrue-
ret eum, qui potiebatur mortis imperio.* Item, *ejus com-* ibid. 2.
municationis beneficio nos fratres ejus cenſeri. Item, *de-* v. 11. & 17.
*buiſſe fratribus ſimilem fieri, ut miſericors eſſet ac fidelis
interceſſor. Nos Pontificem non habere, qui non poſſit* ibid. 4: 15.
compati infirmitatibus noſtris. & ſimilia. Eodem
pertinet, quod paulo ante attigimus, *oportuiſſe in* Rom. 8: 3.
carne noſtra expiari peccata mundi: quod à Paulo

 clare

clare aſſeritur. Ac certe ideo ad nos pertinet quic-
Eph.4: 16. quid Chriſto contulit Pater, quia caput eſt, ex quo
totum corpus per juncturas connexum ſimul co-
aleſcit. Imo non aliter conveniet, quod dicitur,
Joan. 3: 34. & 1: 17. *Spiritum ei datum eſſe abſque menſura, ut de plenitu-
dine ejus hauriamus omnes*: quando nihil abſurdius,
quam Deum in ſua eſſentia, adventitio dono locu-
Joan. 17. verſ. 19. pletari. Hac etiam ratione dicit alibi Chriſtus ipſe,
Ego propter eos ſanctifico meipſum.

Altera pars, hæreticorum impias objectiones diluens. 2. Quos vero in erroris ſui confirmationem lo-
cos proferunt, nimis inepte contorquent: nec
quicquam frivolis argutiis proficiunt, ubi diluere
conantur, quæ jam ex parte noſtra adduxi. Mar-
1. Objectio, ex Apoſtoli loco. cion phantaſma pro corpore Chriſtum induiſſe ima-
ginatur: quia dicatur alicubi in ſimilitudinem ho-
minis factus, & figura compertus, ut homo. Sed
Philip. 2: 7. ita minime expendit, quid illic agat Paulus. non
Reſponſio, conſilium Pauli aperiens. enim, quale ſibi corpus ſumpſerit Chriſtus, vult
docere: ſed quum jure divinitatem ſuam exerere
poſſet, nihil præ ſe tuliſſe, niſi quod erat abjecti
contemptique hominis. Nam, ut ejus exemplo nos
hortetur ad ſubmiſſionem, oſtendit, quum Deus
eſſet, potuiſſe mundo gloriam ſuam conſpicuam ſta-
tim proponere: ceſſiſſe tamen jure ſuo, & ſponte
ſeipſum exinaniviſſe. quia ſcilicet imaginem ſervi
induit, & ea humilitate contentus, carnis velamine
ſuam divinitatem abſcondi paſſus eſt. Hic certe
non docet, quid fuerit Chriſtus: ſed qualiter ſe geſ-
ſerit. Quin etiam ex toto contextu facile colligitur,
in vera hominis natura exinanitum fuiſſe Chriſtum.
Reſponſionis confirmatio aliis teſtimoniis. Quid enim hoc ſibi vult, *figura repertum fuiſſe tan-
quam hominem*: niſi quia ad tempus non reſplenduit
divina gloria, ſed tantum in vili & abjecta condi-
tione apparuit humana ſpecies? Nec vero aliter
1 Pet. 3. verſ. 18. conſtaret illud Petri, *mortuum fuiſſe carne, vivifi-
catum ſpiritu*: niſi infirmus fuiſſet Filius Dei in ho-
2 Cor. 13. verſ. 4. minis natura. Quod Paulus clarius explicat, *paſſum
fuiſſe* aſſerens *pro carnis infirmitate*. Atque huc per-
tinet exaltatio, quia diſerte novam gloriam adeptus
fuiſſe dicitur Chriſtus, poſtquam ſeipſum exinani-
vit: quod apte non quadraret, niſi in hominem
2. Objectio, ex alio Pauli loco. carne & anima præditum. Manichæus aëreum fa-
bricatur corpus, quia vocetur Chriſtus ſecundus
Adam de cælo cæleſtis. At neque illic eſſentiam cor-
1 Cor. 15. verſ. 47. *Reſponſio.* poris cæleſtem inducit Apoſtolus, ſed vim ſpiritua-
lem, quæ à Chriſto diffuſa nos vivificat. Porro eam,
ut vidimus, Petrus & Paulus ab ejus carne ſeparant.
Quin potius ex eo loco egregie ſtabilitur quæ inter
orthodoxos de Chriſti carne viget doctrina. Niſi
enim unam haberet nobiſcum corporis naturam
Chriſtus, inanis eſſet ratiocinatio, quam tanta vehe-
1 Cor. 15. verſ. 13. mentia Paulus proſequitur, *Si Chriſtus reſurrexit,
nos quoque reſurrecturos: ſi non reſurgimus, neque
Chriſtum reſurrexiſſe.* Quibuſcunque cavillis elabi
conentur, ſive Manichæi veteres, ſive recentes eo-
3. Objectio, ex Evangeliſtis. Reſponſio. rum diſcipuli, non ſe expedient. Putidum eſt effu-
gium, quod nugantur Chriſtum dici Filium homi-
nis, quatenus hominibus promiſſus eſt. ſiquidem
palam eſt, Hebraico more vocari filium hominis
verum hominem. Chriſtus vero haud dubie phra-
ſin linguæ ſuæ retinuit. Quid etiam per filios Adam
intelligi conveniat, extra controverſiam eſſe debet.
Confirmatio reſponſionis. Ac (ne longius abeamus) locus Pſalmi octavi, quem
ad Chriſtum Apoſtoli accommodant, abunde ſuffi-
ciet, *Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius
hominis, quod viſitas eum?* Hac figura exprimitur
vera Chriſti humanitas: quia etſi non fuerit ex pa-
tre mortali immediate genitus, origo tamen ejus ex
Adam fluxit. Nec vero aliter ſtaret, quod jam cita-
Heb. 2: 14. vimus, *Chriſtum participem factum carnis & ſangui-
nis, ut pueros ſibi aggregaret ad obſequium Dei*: qui-
bus verbis aperte Chriſtus ejuſdem nobiſcum natu-
ræ ſocius & conſors ſtatuitur. Quo etiam ſenſu di-
cit, *ex uno eſſe auctorem ſanctitatis, & eos qui ſan-
ctificantur.* Nam id referri ad naturæ ſocietatem ex

contextu evincitur: quia mox ſubjicit, *Ideo non eru-* ibid. v. 11.
beſcit eos vocare fratres. Si enim prius dixiſſet fideles
ex Deo eſſe, in tanta dignitate quænam eſſet eru-
beſcentiæ ratio? Sed quia pro immenſa gratia ad
ſordidos & ignobiles ſe aggregat Chriſtus, ideo di-
citur non erubeſcere. Fruſtra autem objectant, im- *4. Objectio, ab abſurdo.*
pios hoc modo fore Chriſti fratres: quia ſcimus, fi-
lios Dei non ex carne & ſanguine, ſed ex Spiritu *Reſponſio.*
naſci per fidem. Proinde fraternam conjunctionem
non facit ſola caro. Tametſi autem Apoſtolus hunc
honorem aſſignat ſolis fidelibus, quod ex uno ſint
cum Chriſto, non tamen ſequitur quominus ex eo-
dem fonte naſcantur increduli ſecundum carnem.
quemadmodum ubi dicimus, *Chriſtum factum eſſe
hominem, ut nos faceret Dei filios*, non extenditur hæc
loquutio ad quoslibet: quia fides media interponi-
tur, quæ nos in Chriſti corpus ſpiritualiter inſerit.
De primogeniti etiam nomine rixam inſcite mo- *5. Objectio, à voce primogeniti.*
vent. Cauſantur Chriſtum debuiſſe ex Adam naſci
ſtatim ab initio, ut primogenitus eſſet inter fratres.
Primogenitura enim non ad ætatem, ſed ad gradum Rom. 8: 29.
honoris & virtutis eminentiam refertur. Nihilo *Reſponſio.*
etiam plus coloris habet, quod garriunt Chriſtum *6. Objectio, ab Apoſtoli dicto.*
hominem aſſumpſiſſe, non Angelos; quia in gra-
tiam receperit humanum genus. Nam ut Apoſto- Heb. 2: 16.
lus amplificet honorem, quo nos Chriſtus dignatus *Reſponſio.*
eſt, Angelos nobis comparat, qui poſthabiti fue-
runt hac in parte. Ac, ſi probe expenditur Moſis
teſtimonium, ubi ſemen mulieris dicit contriturum Gen. 3: 15.
caput ſerpentis, litem prorſus decidet. Neque enim
de uno duntaxat Chriſto illic ſermo habetur, ſed de
toto humano genere. Quoniam acquirenda nobis
erat à Chriſto victoria, generaliter pronunciat
Deus, *poſteros mulieris ſuperiores fore diabolo.* Inde ſe-
quitur, Chriſtum ex humano genere eſſe progeni-
tum: quia conſilium Dei eſt Evam, quam alloqui-
tur, bona ſpe erigere, ne mœrori ſuccumbat.

3. Teſtimonia, ubi Chriſtus ſemen Abrahæ & *7. Objectio, ludens allegoriis.*
fructus ventris Davidis vocatur, non minus ſtulte,
quam improbe allegoriis involvunt. Nam ſi allego-
rice poſitum eſſet nomen ſeminis, Paulus certe hoc *Reſponſio.*
non tacuiſſet, ubi clare & ſine figura affirmat non Gal. 3: 16.
eſſe plures Abrahæ filios Redemptores, ſed unum
Chriſtum. Ejuſdem eſt farinæ, quod obtendunt *8. Objectio, ſeu fallacia homonymiæ.*
non aliter vocari Davidis filium, niſi quia promiſſus
fuerat, & ſuo demum tempore fuit exhibitus. Poſt-
quam enim filium Davidis nominavit Paulus, con-
tinuo poſt ſubjiciens, *ſecundum carnem*, naturam Rom. 1: 3.
certe deſignat. Sic & nono cap. Deum benedictum & 9: 5.
prædicans, ſeorſum ponit, *ſecundum carnem ex Ju-
dæis deſcendere.* Jam, niſi vere genitus eſſet ex ſemi- *Confirmatio reſponſionis.*
ne Davidis, quid valebit iſta loquutio, Fructum eſſe
ventris ejus? Quid promiſſio iſta? *Ex lumbis tuis* Pſal. 132.
deſcendet, qui manebit in ſolio tuo. Porro in Chriſti verſ. 11.
genealogia, qualis refertur à Matthæo, ſophiſtice *9. Objectio, ſeu ignoratio elenchi.*
ludunt. etſi enim non recenſet Mariæ parentes, ſed
Joſephi: quia tamen de re tunc vulgo comperta ver- *Reſponſio.*
ba facit, ſatis habet oſtendere, Joſephum ex Davidis
ſemine ortum eſſe, quum ſatis conſtaret Mariam ex
eadem eſſe familia. Magis etiam urget Lucas, *ſalu-
tem à Chriſto allatam toti generi humano communem
eſſe* docens: *quia Chriſtus auctor ſalutis ex Adam
communi omnium patre ſit progenitus.* Fateor equidem
ex genealogia non aliter colligi Chriſtum eſſe filium
Davidis: niſi quatenus ex Virgine progenitus eſt.
Sed nimis ſuperbe novi Marcionitæ fucandi erro- *10. Objectio, ex philoſophia & medicina conſideratione deſumpta.*
ris ſui cauſa, nempe ut Chriſtum de nihilo cor-
pus ſumpſiſſe evincant, mulieres contendunt eſſe
ἀσπέρμους: atque ita evertunt naturæ elementa. Quo-
niam autem theologica non eſt hæc diſputatio, &
rationum, quas adducunt, ea eſt futilitas, quæ
nullo negotio refelli queat, quæ philoſophiæ ſunt
& artis medicæ non attingam: ac diluere ſatis erit,
quæ ex Scriptura objiciunt, nempe Aaron & Jo-
jadah duxiſſe uxores ex tribu Jehudah, atque ita
confu-

Reſponſio, variis rationibus ex divino ac humano jure collectis confirmata.

confuſam tunc fuiſſe Tribuum diſcretionem, ſi ioeſſet mulieri generativum ſemen. Atqui ſatis notum eſt, quantum ad politicum ordinem ſpectat, cenſeri progeniem ex virili ſemine: neque tamen præſtantiam ſexus obſtare, quominus io generando coëat ſemeri mulieris. Hæc quoque ſolutio ad omnes genealogias extenditur. Sæpe ubi catalogum hominum recenſet Scriptura, ſolos viros nominat: an ideo dicendum eſt, mulieres nihil eſſe? Imo pueris ipſis notum eſt, eas ſub viris comprehendi. Hac ratione dicuntur fœminæ párere ſuis maritis, quia familiæ nomen penes maſculos ſemper reſidet. Jam ſicuti virilis ſexus præſtantiæ hoc conceditur, ut ex patrum conditione nobiles cenſeantur filii vel ignobiles: ita etiam in ſervitute, partus ventrem ſequitur, ſecundum Juriſconſultos. Unde colligere licebit ex materno ſemine fœtum procreari. Et communi gentium uſu pridem receptum fuit, matres vocari genitrices: cui & Lex Dei coofentit, quæ perperam alioqui conjugium avunculi cum nepte ſua vetaret: quia nulla eſſet conſanguinitas. Viro etiam fas eſſet ſororem uterinam in conjugium accipere, modo ex altero patre eſſet genita. Sicuti autem fateor vim paſſivam adſcribi mulieribus: ita reſpondeo, de illis promiſcue idem prædicari, quod de viris. Neque enim Chriſtus ipſe dicitur factus per mulierem, ſed ex muliere. Ac quidam ex eorum caterva, excuſſo pudore, nimis proterve quærunt, an dicere velimus ex ſemine menſtruali Virginis procreatum eſſe Chriſtum: quia viciſſim excipiam, annon coaluerit in matris ſanguine, quod fateri cogentur. Apte ergo ex Matthæi verbis conficitur, quia ex Maria genitus eſt Chriſtus, procreatum eſſe ex ejus ſemine: ſicuti quum dicitur Boos genitus ex Rahab, ſimilis notatur generatio. Nec vero Matthæus hic Virginem quaſi canalem deſcribit, per quem fluxerit Chriſtus: ſed hunc mirificum generandi morem à vulgari diſcernit, quod per eam e a ſemine Davidis genitus fuerit Chriſtus. Eadem enim ratione, qua Iſaac ex Abraham, Solomo ex Davide, Joſeph e a Jacob, ſimiliter Chriſtus ex matre genitus eſſe dicitur. Sermonis enim ſeriem ita Euangeliſta conteait: & probare volens Chriſtum originem ducere à Davide, hoc uno contentus eſt, ex Maria eſſe genitum. Unde ſequitur, pro confeſſo ſumpſiſſe, Mariam fuiſſe conſanguineam Joſeph.

Galat. 4: 4. — *11. Objectio.* — *Reſponſio.* — *Mat. 1: 16.*

12. Objectio, ab abſurdo.

4. Abſurda, quibus nos gravare volunt, puerilibus calumniis ſunt referta. Turpe & probroſum Chriſto eſſe ducunt, ſi e a hominibus originem traxerit: quia non potuerit à communi lege eximi, quæ totam Adæ ſobolem abſque exceptione ſub peccato includit. Atqui hunc nodum facile ſolvit antitheſis, quæ apud Paulum legitur, *Sicuti per unum hominem peccatum, & per peccatum mors: ita per juſtitiam unius hominis abundavit gratia.* Cui & altera reſpondet, *Prior Adam è terra terrenus & animalis; ſecundus è cælo cæleſtis.* Itaque alibi idem Apoſtolus, *Chriſtum in ſimilitudine carnis peccati miſſum fuiſſe* docens, *ut Legi ſatisfaceret*, eum diſerte à communi ſorte ſeparat, ut ſit abſque vitio & corruptela verus homo. Pueriliter autem ougantur, ſi ab omni macula immunis eſt Chriſtus, ac per arcanam Spiritus operationem genitus fuit ex ſemine Mariæ: non eſſe igitur impurum ſemen mulietis, ſed viri duntaxat. Neque enim immunem ab omni labe facimus Chriſtum, quia tantum ex matre ſit genitus abſque viri concubitu, ſed quia ſanctificatus eſt à Spiritu, ut pura eſſet generatio & integra, qualis futura erat ante Adæ lapſum. Ac omnino fixum hoc nobis manet, quoties de Chriſti puritate nos admonet Scriptura, notari veram hominis naturam: quia ſupervacuum eſſet dicere purum eſſe Deum. Sanctificatio etiam de qua loquitur Joannes 17. in natura divina locum non haberet. Nec vero duplex fingitur Adæ ſemen, quamvis nulla ad Chriſtum contagio pervenerit: quia hominis generatio per ſe immunda aut vitioſa non eſt, ſed accidentalis ex lapſu. Proinde nihil mirum, ſi Chriſtus, per quem reſtituenda erat integritas, à vulgari corruptione exemptus fuerit. Quod etiam pro abſurdo nobis obtrudunt, ſi Sermo Dei carnem induit, fuiſſe igitur anguſto terreni corporis ergaſtulo incluſum, mera eſt procacitas: quia etſi in unam perſonam coaluit immenſa Verbi eſſentia cum natura hominis, nullam tamen incluſionem fingimus. Mirabiliter enim è cælo deſcendit Filius Dei, ut cælum tamen non relinqueret: mirabiliter io utero Virginis geſtari, in terris verſari, & in cruce pendere voluit, ut ſemper mundum impleret, ſicut ab initio.

Reſponſio. — *Rom. 5: 12.* — *1 Cor. 15. verſ. 47.* — *Rom. 8: 3.* — *13. Obj. ab abſurdo.* — *Reſponſio.* — *14. Objectio, ab abſurdo.* — *Reſponſio.*

CAP. XIV.

Quomodo duæ naturæ Mediatoris unicam efficiant perſonam.

Duæ ſunt præcipuæ partes hujus capitis.

1. *Doctrina de duabus in Chriſto naturis unicam perſonam efficientibus, breviter traditur, ſect.* 1. 2. 3. 4.
2. *Serveti hæreſes naturarum in Chriſto diſtinctionem, & divinæ Filii naturæ æternitatem tollentes, refelluntur, ſect.* 5. 6. 7. 8.

Prima pars, demonſtrans duas eſſe in Chriſto naturas, divinam & humanam. — *Joan. 1: 14.*

PORro quod dicitur Verbum carnem eſſe factum, non ſic intelligendum eſt, quaſi vel in carnem verſum, vel carni confuſe permixtum fuerit: ſed quia è Virginis utero templum ſibi delegit, in quo habitaret, & qui Filius erat Dei, filius hominis factus eſt: non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ. Siquidem ita conjunctam unitamque humanitati divinitatem aſſerimus, ut ſua utrique naturæ ſolida proprietas maneat, & tamen ex duabus illis uous Chriſtus conſtituatur. Siquid in rebus humanis tanto myſterio ſimile poteſt reperiri, hominis ſimilitudo appoſitiſſima videtur, quem ex duabus ſubſtantiis conſpicimus conſtare: quarum neutra tamen ſic alteri permixta eſt, ut non retineat naturæ ſuæ proprietatem. Neque enim aut anima corpus, aut corpus anima eſt. Quare & de anima ſeorſum dicitur, quod in corpus nullo modo cadere poteſt; & de corpore rurſus, quod nulla ratione animæ conveniat: de toto homine, quod nec de anima ſeorſum, nec de corpore, niſi inepte, accipi poſſit. Poſtremo animæ propria transferuntur ad corpus, & propria corporis ad animam: qui tamen iis conſtat, unus homo eſt, non plures. Hujuſmodi vero loquendi formulæ & unam eſſe in homine perſonam ex duobus connexis compoſitam ſignificant, & duas ſubeſſe diverſas naturas, quæ hanc conſtituant. Ita & de Chriſto Scripturæ loquuntur: attribuunt illi interdum, quæ ad humanitatem ſingulariter referri oporteat: interdum, quæ divinitati peculiariter competant: nonnunquam, quæ utramque naturam complectantur, neutri ſeorſum ſatis conveniant. Atque iſtam quidem duplicis naturæ conjunctionem, quæ in Chriſto ſubeſt, tanta religione exprimunt, ut eas quandoque inter ſe communicent: qui tropus veteribus *ἰδιωμάτων κοινωνία* dictus eſt.

Confirmatio, per ſimilitudinem, quæ ſumpta eſt à conjunctione corporis & animæ. — *Applicatio ſimilitudinis.*

Secunda confirmatio, à teſtimoniis Scripturæ

2. Hæc parum firma eſſent, niſi plurimæ & paſſim obviæ Scripturæ phraſes probarent, nihil eorum fuiſſe humanitus excogitatum. Quod de ſe ipſe

dicebat

deſumpta, quæ utriuſque naturæ, divinæ nempe & humanæ, diſtinctionem declarant. dicebat Chriſtus, *Antequam Abraham fieret, ego*
ſum: longe ab humanitate alienum erat. Nec me
latet, quo cavillo depravent locum bunc erronei
ſpiritus, nempe ſuperiorem fuiſſe omnibus ſeculis,
quia jam tunc præcognitus fuit Redemptor, tam in
Patris conſilio, quam in mentibus piorum. Sed
quum aperte diem manifeſtationis ab æterna eſſen-
Joan.8:58. tia diſtinguat, & ex profeſſo ab antiquitate impe-
rium ſibi conciliet, quo excellat ſupra Abraham,
ſibi haud dubie vendicat quod divinitatis eſt pro-
Col.1: 15. prium. Quod primogenitum Paulus aſſerit uni-
verſæ creaturæ, qui ante omnia exriterit, & per
Joan.17:5. quem omnia conſiſtant: quod etiam ſe prædicat
glorioſum fuiſſe apud Patrem ante mundum condi-
Joan.5:17. tum, ſeque una cum Patre operari, nihilo magis
homini competit. Hæc igitur & ſimilia peculiari-
Jeſa.42: 1. & aliis locis. ter divinitati attribui certum eſt. Quod autem ſer-
vus Patris vocatur, quod creviſſe narratur ætate &
ſapientia apud Deum & homines, quod gloriam
Luc.2: 52. ſuam non quærere, neſcire diem ultimum, à ſeipſo
Joan.8:50. non loqui, non facere voluntatem ſuam, viſus &
Marc. 13. verſ. 10. palpatus fuiſſe dicitur, ſolius humanitatis id totum
Joan. 14. eſt. Siquidem quatenus Deus eſt, nec augeri ulla re
verſ. 10. poteſt, & omnia propter ſe operatur, nec quicquam
& 6. 38. eum latet: agit omnia pro ſuæ voluntatis arbitrio,
Luc.24:39. & eſt inviſibilis ac impalpabilis. Neque tamen hæc
bumanæ tantum ſuæ naturæ ſeorſum adſcribit, ſed
in ſeipſum recipit, quaſi Mediatoris perſonæ con-
De communicatione proprietatum, teſtimonia. veniant. Communicatio autem idiomatum, ſive
proprietatum eſt, quod dicit Paulus, *Deum ſuo*
ſanguine acquiſiviſſe ſibi Eccleſiam, & *Dominum*
gloriæ crucifixum. Item quod dicit Joannes, *Pal-*
patum fuiſſe Sermonem vitæ. Deus certe nec ſangui-
Act.20:28. nem habet, nec patitur, nec manibus tangi poteſt:
1 Cor.2:8. ſed quoniam is, qui verus erat Deus & homo Chri-
1 Joan. 1. verſ. 1. ſtus, ſanguinem ſuum pro nobis crucifixus fudit,
quæ in bumana ejus natura peracta ſunt, ad divi-
nitatem improprie, licet non ſine ratione, trans-
feruntur. Simile eſt exemplum, ubi Joannes do-
1 Joan. 3. cet, *Deum poſuiſſe animam ſuam pro nobis.* Ergo &
verſ. 16. illic humanitatis proprietas cum altera natura com-
municatur. Rurſum quum diceret Chriſtus adhuc
Joan.3:13. in terris agens, *neminem in cælum aſcendiſſe, niſi*
Filium hominis, qui in cælo erat: certe tunc ſecun-
dum bominem & in carne, quam induerat, non erat
in cælo, ſed quia ipſe idem erat Deus & homo,
propter duplicis naturæ unionem alteri dabat, quod
erat alterius.

Tertia confirmatio, à teſtimoniis, quæ utriuſque naturæ conjunctionem oſtendunt. 3. Sed omnium clariſſime veram Cbriſti ſub-
ſtantiam enarrant loci, qui utramque ſimul naturam
comprebendunt, quales in Euangelio Joannis ex-
ſtant quamplurimi. ſiquidem nec deitatis ſingulare,
nec bumanitatis fuit, ſed utriuſque ſimul, quod il-
lic legitur, poteſtatem accepiſſe à Patre remittendi
peccata, ſuſcitandi quos velit, juſtitiam, ſanctita-
Joan.1:29 tem, ſalutem largiendi: præfectum eſſe judicem
& cap. 5. vivis & mortuis, ut bonoretur quemadmodum &
v.21,22,23. Pater. Denique quod *lux mundi, paſtor bonus, uni-*
Joan. 9: 5. *cum oſtium, vitis vera* nuncupatur. Hujuſmodi
& cap. 10. verſ. 9, 11. enim prærogativis Dei Filius, quum in carne ma-
& 15: 1. niſeſtatus eſt, præditus fuit: quas etſi ipſe una cum
Patre ante mundum conditum obtinebat, non ta-
men eodem modo vel reſpectu: & quæ homini, qui
nihil quam homo eſſet, dari non poterant. In eun-
dem quoque ſenſum accipere convenit, quod apud
1 Cor. 15. Paulum habetur, *Chriſtum peracto judicio reddi-*
verſ. 24. *turum eſſe regnum Deo & Patri.* Regnum ſane Filii
Dei, quod initium nullum habuit, neque finem
habiturum eſt: ſed quo modo ſub carnis humilitate
Philip.2:8. delituit, & ſeipſum exinanivit accepta ſervi for-
ma, depoſitaque majeſtatis ſpecie, Patri ſe obedien-
tem præſtitit, ac ejuſmodi ſubjectione defunctus,
Hebr.2: 7. tandem gloria & honore coronatus eſt, atque evectus
Phil.2: 10. in ſummum imperium, ut coram ipſo flectatur omne
genu: ita tunc & nomen ipſum & coronam gloriæ,
& quicquid à Patre accepit, Patri ſubjiciet, ut ſit 1 Cor. 15. verſ. 28.
Deus omnia io omnibus. Quorſum enim data ei
poteſtas eſt ac imperium, niſi ut per ejus manum
Pater nos gubernet? Quo etiam ſenſu dicitur ad Pa-
tris dexteram ſedere. Hoc vero temporale eſt, do-
nec præſenti divinitatis aſpectu fruamur. Atque vid. Calv.
hic excuſari non poteſt veterum error, qui dum ad epiſt. ad
Mediatoris perſonam non attendunt, totius fere Polonos,
doctrinæ, quæ in Euangelio Joannis legitur, ge- adv. Stancarum.
nuinum obſcurant ſenſum, ſeque implicant multis
laqueis. Sit igitur nobis hæc rectæ intelligentiæ *Regula in*
clavis, neque de natura divina, neque de humana *hac diſputatione obſervatu digna.*
ſimpliciter dici, quæ ad Mediatoris officium ſpe-
ctant. Regnabit ergo Chriſtus, donec prodierit
mundi judex, quatenus pro infirmitatis noſtræ mo-
dulo Patri nos conjungit. Ubi autem conſortes cæ-
leſtis gloriæ Deum videbimus qualis eſt, tunc per-
functus Mediatoris officio, deſinet Patris legatus
eſſe, & ea gloria contentus erit, qua potiebatur ante
mundum conditum. Nec alio reſpectu peculiari-
ter in Chriſti perſonam competit Domini nomen,
niſi quatenus medium gradum ſtatuit inter Deum &
nos. Quo pertinet illud Pauli, *Unus Deus ex quo* 1 Cor.8:6.
omnia, & unus Dominus per quem omnia: nempe,
cui temporale imperium à Patre mandatum eſt, do-
nec facie ad faciem conſpicua ſit divina ejus maje-
ſtas: cui adeo nihil decedet, imperium Patri red-
deodo, ut longe clarior emineat. Nam & tunc de-
ſinet caput Chriſti eſſe Deus, quia Chriſti ipſius dei-
tas ex ſe ipſa fulgebit, quum adbuc velo quodam ſit
obtecta.

4. Atque bæc obſervatio ad ſolvendos quamplu- *Utilitas &*
rimos nodos non parvo uſui futura eſt, ſi eam ſcite *uſus ſuperioris doctrinæ de conjunctione & diſtinctione utriuſque naturæ in Chriſto.*
accommodent Lectores. Mirum enim quantum
rudes, imo quoſdam etiam non prorſus indoctos
torqueant ejuſmodi formulæ, quas vident Chriſto
attribui, neque divinitati ejus, neque bumanitati
ſatis aptas: quia non conſiderant ejus perſonæ, in
qua Deus & homo manifeſtatus eſt, & Mediatoris
officio congruere. Ac omnino videre eſt, quam
pulchre inter ſe cohæreant ſingula, ſi modo ſobrium
habeant interpretem, qui tanta myſteria, qua de-
cet religione, examinet. Verum nihil eſt, quod
furioſi & phrenetici ſpiritus non perturbent. Arri- Aug.in Enchir. ad
piuot attributa humanitatis, ad tollendam divini- Laurent.
tatem: divinitatis rurſum, ad tollendam humani- cap. 36.
tatem: quæ vero de utraque natura ſic conjuncte
dicta ſunt, ut neutri conveniant, ad tollendam
utramque. Id veto quid aliud eſt, quam conten-
dere Chriſtum non eſſe hominem, quia Deus eſt!
non eſſe Deum, quia homo eſt: nec hominem nec
Deum eſſe, quia & homo ſimul & Deus eſt? Chri-
ſtum ergo, ut Deus eſt & bomo, unitis, licet non
confuſis, naturis conſtans, Dominum noſtrum
verumque Dei Filium eſſe conſtituimus, etiam ſe-
cundum bumanitatem: etſi non ratione humanita-
tis. Procul enim abigendus eſt à nobis Neſtorii er- *Adverſus Neſtorianos duplicem Chriſtum fingentes.*
ror, qui dum naturas diſtrahere potius, quam diſ-
tinguere volebat, duplicem Chriſtum ita commi-
niſcebatur: quando Scripturam videmus clara voce
reclamare, ubi & Filii Dei nomen inditur ei, qui Luc. 1.
de Virgine naſcitur, & Virgo ipſa, mater Domini verſ.42.43.
noſtri appellatur. Cavendum & ab Eutycbiana in- *Item, adverſus Eutychianos utramque naturam confundentes ac deſtruentes.*
ſania, ne, dum volumus perſonæ unitatem demon-
ſtrare, utramque naturam deſtruamus. Tot enim
jam citavimus teſtimonia, ubi ab humanitate diſ-
tinguitur divinitas, & tot alia paſſim extant, ut vel
contentioſiſſimis poſſint os obſtruere. Et paulo poſt
nonnulla ſubjiciam, quæ figmentum illud melius
diſcutiant. Nobis in præſentia ſatis erit locus unus:
neque enim templum Chriſtus vocaſſet corpus Joan.2:19.
ſuum, niſi diſtincte in eo habitaret divinitas. Qua- *Utrique merito ab Eccleſia damnati.*
re, ut merito in Epheſina ſynodo damnatus fuerat
Neſtorius, ita & poſtea in Conſtantinopolitana ac
Chalcedonenſi Eutyches: quando non magis con-
fundere

fundere duas in Chriſto naturas licet, quam diſtrahere.

Altera pars capitis, qua nominatim Serveti, Filii Dei deitatem & utriuſque naturæ in eodem veritatem pernegantis, hæreſes refelluntur.

5. Verum noſtro quoque ſeculo emerſit non minus exitiale monſtrum Michaël Servetus, qui figmentum ex Dei eſſentia, ſpiritu, carne & tribus elementis increatis conflatum pro Filio Dei ſuppoſuit. Ac primo quidem negat Chriſtum alia ratione Dei Filium eſſe, niſi quatenus in utero Virginis genitus eſt ex Spiritu ſancto. Huc autem tendit vafrities, ut everſa duplicis naturæ diſtinctione, Chriſtus aliquid ſit ex Deo & homine permixtum, neque tamen Deus & homo cenſeatur. Toto enim progreſſu huc incumbit, antequam patefactus fuerit Chriſtus in carne, umbratiles tantum fuiſſe in Deo figuras: quarum tunc demum extitit veritas aut effectus, quum vere incepit eſſe Filius Dei Sermo ille, qui ad hunc honorem deſtinatus fuerat.

Generalis reſponſio, ſeu ſumma orthodoxa doctrina de Chriſto.

Et nos quidem fatemur Mediatorem, qui ex Virgine natus eſt, proprie eſſe Dei Filium. Nec vero ſpeculum eſſet inæſtimabilis Dei gratiæ homo Chriſtus, niſi in eum collata eſſet hæc dignitas, ut ſit ac vocetur unigenitus Dei Filius. Fixa tamen interim manet Eccleſiæ definitio, cenſeri Dei Filium, quia Sermo ante ſecula ex Patre genitus, unione hypoſtatica naturam humanam ſuſceperit.

Unio hypoſtatica, quid.

Porro, unio hypoſtatica veteribus dicta eſt, quæ perſonam unam conſtituit ex naturis duabus: quæ loquutio ad refellendum Neſtorii delirium inventa fuit: quia Filium Dei fingebat ita habitaſſe in carne, ut non idem ille eſſet homo.

1. Objectio Serveti adverſus æternam Chriſti deitatem. Reſponſio.

Duplicem nos facere Dei Filium calumniatur Servetus, quum dicimus æternum Sermonem antequam carne veſtitus eſſet, jam fuiſſe Dei Filium: acſi aliud diceremus, quam manifeſtatum fuiſſe in carne. Neque enim, ſi Deus fuit antequam homo fieret, ideo novus eſſe Deus incepit. Nihilo abſurdius eſt in carne apparuiſſe Dei Filium, qui tamen ab æterna genitura ſemper hoc habuit, ut Filius eſſet. Quod ſubindicant Angeli verba ad Mariam,

Luc. 1: 35.

Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei: acſi diceret Filii nomen, quod obſcurius fuerat ſub Lege, celebre fore & paſſim notum. Cui reſpondet illud Pauli,

Rom. 8: 15.

quia nunc per Chriſtum ſumus filii Dei, libere & cum fiducia clamare Abba, Pater. Annon olim quoque ſancti Patres habiti fuerunt inter Dei filios? Imo hoc jure freti Deum invocarunt Patrem. Sed quia ex quo in mundum productus eſt unigenitus Dei Filius, clarius innotuit cæleſtis paternitas, hoc quaſi privilegium aſſignat Paulus Chriſti regno. Hoc tamen conſtanter tenendum eſt, nunquam vel Angelis, vel hominibus Deum fuiſſe Patrem, niſi unigeniti Filii reſpectu: præſertim homines, quos propria iniquitas Deo exoſos reddit, gratuita adoptione eſſe filios: quia ille eſt naturâ.

2. Objectio. Reſponſio.

Nec eſt quod obſtrepat Servetus, pendere hoc à filiatione, quam Deus apud ſe decreverat: quia hic non agitur de figuris, qualiter expiatio in ſanguine pecudum oſtenſa fuit: ſed quum re ipſa filii Dei eſſe non potuerint, niſi in capite fundata eſſet eorum adoptio, detrahere capiti, quod membris commune fuit, ratione caret. Ultra progredior: quum Angelos vo-

Pſal. 82: 6.

cet Scriptura Dei filios, quorum tanta dignitas à futura redemptione non pendebat: Chriſtum tamen ordine præire neceſſe eſt, qui Patrem illis conciliet. Breviter iterum repetam, & idem addam de genere humano. Quum à prima origine conditi hac Lege fuerint tam Angeli, quam homines, ut Deus com-

Col. 1: 15.

munis utriſque eſſet Pater, ſi verum eſt illud Pauli, *ſemper Chriſtum fuiſſe caput, & primogenitum omnis creaturæ, ut primatum in omnibus teneret:* rite mihi colligere videor, Filium quoque Dei fuiſſe ante mundi creationem.

3. Objectio.

6. Quod ſi principium habuit ejus filiatio (ut ita loquar) ex quo in carne patefactus eſt, ſequetur Filium humanæ quoque naturæ reſpectu fuiſſe. Volunt Servetus & ſimiles phrenetici, Chriſtum, qui in carne apparuit, eſſe Dei Filium: quia extra carnem non potuit cenſeri hoc nomine.

Reſponſio.

Reſpondeant nunc mihi, an ſecundum utramque naturam & utriuſque reſpectu ſit Filius. Sic quidem garriunt: ſed longe aliter docet Paulus.

Chriſtus verus, naturalis & unicus Filius: qua nota à filiis adoptivis, id eſt, ab omnibus Dei in eodem Chriſto electis diſcernitur.

Fatemur quidem Chriſtum in carne humana Filium dici, non ut fideles, adoptione duntaxat & gratia, ſed verum & naturalem, ideoque unicum: ut hac nota diſcernatur ab omnibus aliis. Nos enim, qui in novam vitam ſumus regeniti, Deus filiorum nomine dignatur: nomen veri & unigeniti uni Chriſto defert. Quomodo autem unicus in tanto fratrum numero, niſi quod natura poſſidet, quod nos dono accepimus? Atque hunc honorem extendimus ad totam Mediatoris perſonam, ut vere & proprie ſit Filius Dei, qui & natus eſt ex Virgine, & ſe victimam Patri in cruce obtulit: ſed deitatis tamen reſpectu, ſicuti Paulus

Rom. 1. verſ. 1, 2, 3.

docet, dum ſe ait ſegregatum in Euangelium Dei, quod ante promiſerat de Filio ſuo, qui genitus eſt ex ſemine David ſecundum carnem, declaratus Filius Dei in virtute. Cur ſecundum carnem diſtincte nominans Filium Davidis, ſeorſum diceret declaratum eſſe Dei Filium, niſi vellet innuere aliunde hoc pendere quam à carne ipſa? Nam quo ſenſu alibi dicit paſſum fuiſſe ex infirmitate carnis, reſur-

2 Cor. 13. verſ. 4.

rexiſſe ex virtute Spiritus, ita nunc diſcrimen ſtatuit utriuſque naturæ. Certe concedant neceſſe eſt, ſicuti à matre accepit, cujus cauſa Filius Davidis vocatur, ita à Patre habere, cujus cauſa ſit Filius Dei, idque ab humana natura aliud eſſe ac diverſum.

Duplex Chriſti filiatio: Dei videlicet, & hominis.

Duplici nomine eum inſignit Scriptura, paſſim vocans nunc Dei, nunc hominis Filium. De ſecundo lis moveri non poteſt, quin ex communi linguæ Hebraicæ uſu hominis dicatur Filius, quia eſt ex progenie Adæ. Ex oppoſito contendo, deitatis æternæque eſſentiæ ratione vocari Dei Filium: quia non minus conſentaneum eſt ad divinam naturam referri, quod vocatur Dei Filius, quam ad humanam, quod vocatur Filius hominis. Denique eo quem citavi loco, non aliter intelligit Paulus, eum qui ſecundum carnem genitus eſt ex ſemine Davidis, declaratum eſſe in virtute Filium Dei; quam alibi docet,

Rom. 9: 5.

Chriſtum, qui ex Judæis deſcendit ſecundum carnem, eſſe Deum benedictum in ſecula. Quod ſi utroque loco geminæ naturæ diſtinctio notatur, quo jure negabunt Filium Dei eſſe naturæ divinæ reſpectu, qui ſecundum carnem Filius etiam eſt hominis?

4. Objectio.

7. Tumultuoſe quidem illi erroris ſui patrocinium urgent, quod dicitur Deus proprio Filio non

Rom. 8: 32.

pepercisse, quod illum ipſum, qui è Virgine naſceretur, Filium Altiſſimi vocari Angelus præcepit.

Luc. 1: 32.

Reſponſio.

Verum (ne tam futili objectione ſuperbiant) expendant pauliſper nobiſcum, quam valide ratiocinentur. Si enim rite concluditur, à conceptione cœpiſſe Dei Filium, quia qui conceptus eſt, Filius vocatur: ſequetur, eſſe cœpiſſe Verbum à ſua manifeſtatione in carne, quia Joannes tradit ſe de Verbo

1 Joan. 1. verſ. 1.

vitæ annunciare, quod manus ſuæ contrectaverunt. Similiter quod apud Prophetam legitur,

Mich. 5: 2

Tu Bethlehem terra Juda, parvula es in millibus Juda: ex te mihi naſcetur dux, qui regat populum meum Iſraël, & egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis: quomodo cogentur interpretari, ſi talem argumentandi modum ſequi volent? Nos enim minime Neſtorio ſuffragari teſtatus ſum, qui duplicem Chriſtum commentus eſt: quando ex doctrina noſtra jure fraternæ conjunctionis nos ſecum Dei filios Chriſtus fecit: quia in carne, quam à nobis ſumpſit, ipſe unigenitus eſt Dei Filius. Ac prudenter admonet Auguſtinus,

lib. de corrept. & grat. c. 11. & lib. 10. de civ. Dei, cap. 29. vid. cap. 17. ſect. 1.

miræ & ſingularis Dei gratiæ illuſtre eſſe ſpeculum, quod honorem adeptus eſt, quatenus eſt homo, quem mereri non poterat. Hac igitur præſtantia etiam ſecundum carnem ab utero ornatus fuit Chriſtus, ut Filius Dei eſſet. Neque tamen in perſonæ unitate fingenda eſt permixtio, quæ deitati quod proprium eſt, tollat.

Nec vero magis abſurdum eſt, æternum Dei Sermonem, & Chriſtum, unitis in unam perſonam duabus naturis, vocari diverſis modis Dei Filium, quam ſecundum varios reſpectus, nunc Filium Dei, nunc Filium hominis dici. *5. Objectio.* Nihilo etiam magis nos gravat alia Serveti calumnia, antequam apparuit in carne Chriſtus, nuſquam vocari Dei Filium, niſi ſub figura: *Reſponſio.* quia etſi obſcurior fuit tunc ejus deſcriptio, quum tamen jam clare probatum ſit, non aliter æternum fuiſſe Deum, niſi quia Sermo fuit ab æterno Patre genitus, neque aliter nomen hoc competere in Mediatoris perſonam, quam ſuſcepit, niſi quia Deus eſt in carne manifeſtatus: neque Deum Patrem ita fuiſſe vocatum ab initio, niſi mutua jam tunc fuiſſet ad Filium relatio, *Eph.3: 15.* per quem omnis cognatio vel paternitas cenſetur in cælo & in terra: hinc colligere promptum eſt, ſub Lege quoque & Prophetis fuiſſe Dei Filium, antequam celebre eſſet hoc nomen in Eccleſia. *Prov.30:4.* Quod ſi de ſola voce certetur, Solomo de immenſa Dei altitudine diſſerens, tam Filium ejus, quam ipſum incomprehenſibilem affirmat: *Dic nomen ejus, ſi potes*, inquit, *aut Filii ejus.* Nec me latet apud contentioſos non fore ſatis ponderis in hoc teſtimonio: neque etiam eo valde nitor, niſi quod maligne eos cavillari oſtendit, qui Filium Dei negant eſſe Chriſtum, niſi quatenus homo factus eſt. *Confirmatio à teſtimoniis veterum Theologorum.* Adde quod uno ore & conſenſu vetuſtiſſimi quique ſcriptores hoc idem tam aperte teſtati ſunt, ut non minus ridicula, quam deteſtabilis ſit eorum impudentia, qui Irenæum & Tertullianum objicere nobis audent, quorum uterque inviſibilem fatetur fuiſſe Dei Filium, qui poſtea viſibilis apparuit.

Concluſio ſuperiorum objectionum, conſequens horrendum indicens, quaſi ex traduce Dei humanam naturam haberet Chriſtus.

8. Etſi autem horrenda portenta cumulavit Servetus, quibus forte alii non ſubſcriberent: quicunque tamen Filium Dei non agnoſcunt, niſi in carne, ſi propius inſtes, ab illis id concedi animadvertes, non alia ratione, niſi quia conceptus eſt in utero Virginis ex Spiritu ſancto: qualiter olim nugati ſunt Manichæi, hominem ex traduce Dei animam habere: quia legebant Deum inſpiraſſe Adæ vitæ ſpiraculum. *Gen. 2. 7.* Nam ita mordicus arripiunt Filii nomen, ut nullum inter naturas diſcrimen relinquant: ſed confuſe blaterent, Chriſtum hominem eſſe Dei Filium, quia ſecundum humanam naturam ex Deo genitus eſt. Sic æterna Sapientiæ genitura, quam *Prov.8:22.* prædicat Solomo, aboletur, & nulla habetur deitatis ratio in Mediatore: vel in hominis locum ſpectrum ſupponitur. *Alii peſtilentes Serveti errores cur non refellantur.* Craſſiores Serveti præſtigias, quibus ſe & quoſdam faſcinavit (ut hoc exemplo admoniti pii lectores ſe in ſobrietate & modeſtia contineant) refellere utile quidem eſſet: tamen ſupervacuum fore duco, quia id peculiari libro à me factum eſt. *Summa horum errorum, & eorundem impietas breviter perſtricta.* Huc ſumma redit, Filium Dei ab initio fuiſſe ideam, & jam tunc præordinatum fuiſſe hominem, qui eſſet eſſentialis Dei imago. Nec alium Dei ſermonem agnoſcit, niſi in externo ſplendore. Hanc fuiſſe genituram interpretatur, quod Filii generandi ab initio genita fuit in Deo voluntas, quæ etiam actu ſe extendit in ipſam creaturam. Spiritum interea miſcet cum ipſo Sermone, quia Deus inviſibile Verbum & Spiritum diſpenſaverit in carnem & animam. Denique figuratio Chriſti locum geniture apud eum obtinet: ſed qui tunc per ſpeciem umbratilis fuit Filius, eum tandem eſſe genitum dicit per Sermonem, cui ſeminis partes attribuit. Unde ſequetur, porcos & canes non minus eſſe Dei filios, quia ex originali ſemine verbi Dei creati ſunt. Etſi autem ex tribus increatis elementis Chriſtum conflat, ut ſit genitus ex eſſentia Dei: ſic tamen primogenitum eſſe fingit inter creaturas, ut eadem ſit eſſentialis divinitas lapidibus ſecundum ſuum gradum. Ne vero Chriſtum videatur ſua deitate exuere, aſſerit carnem ejus Deo eſſe *unicam* & Sermonem fuiſſe hominem factum, carnis in Deum converſione. Ita dum Chriſtum apprehendere non poteſt Filium Dei, niſi ejus caro ex Dei eſſentia prodierit, & in deitatem fuerit converſa, æternam Sermonis hypoſtaſin redigit in nihilum, & Filium Davidis, qui promiſſus fuit Redemptor, nobis eripit. Sæpius quidem hoc repetit, genitum fuiſſe Filium à Deo, ſcientia & prædeſtinatione: tandem vero hominem factum ex materia illa, quæ initio apud Deum fulgebat in tribus elementis, quæ deinde apparuit in prima luce mundi, in nube & columna ignis. Porro quam turpiter ſecum ipſe ſubinde pugnet, nimis prolixum eſſet referre. *Impuri illius heretici ſcopus.* Ex hoc compendio colligent ſani lectores, verſutis ambagibus impuri canis ſpem ſalutis prorſus fuiſſe extinctam. Nam ſi caro eſſet ipſa divinitas, deſineret eſſe ejus templum. Jam nec Redemptor nobis eſſe poteſt, niſi qui ex Abrahæ Davidiſque ſemine progenitus, vere ſecundum carnem homo factus ſit. Ac perperam in verbis Joannis inſiſtit, *Sermonem fuiſſe factum carnem*: quia ſicut Neſtorii errori occurrunt, ita impium hoc commentum, cujus auctor fuit Eutyches, minime adjuvant, quum Euangeliſtæ non aliud fuerit propoſitum, quam perſonæ unitatem aſſerere in duabus naturis.

CAP. XV.

Ut ſciamus quorſum miſſus fuerit Chriſtus à Patre, & quid nobis attulerit, tria potiſſimum ſpectanda in eo eſſe, munus propheticum, regnum & ſacerdotium.

Partes Capitis.

1. *De prophetico Chriſti munere, ejuſdemque dignitate ac uſu, ſect. 1. & 2.*
2. *Quale ſit Chriſti regnum, & quæ bona inde percipiamus, ſect. 3. 4. & 5.*
3. *De Chriſti ſacerdotio, atque ejuſdem efficacia, ſect. 6.*

Chriſtus, nomine tenus apud hæreticos & pſeudochriſtianos invenitur.

RECte Auguſtinus, quamvis hæretici Chriſti nomen prædicent, commune tamen illis cum piis fundamentum eſſe negat, ſed manere Eccleſiæ proprium: quia ſi diligenter conſiderentur, quæ ad Chriſtum pertinent, nomine tenus invenitur Chriſtus apud eos: re ipſa non eſt. *Ench. ad Laurent. cap. 5.* Sic hodie Papiſtæ, quamvis in ore ipſorum reſonet *Filius Dei, mundi Redemptor*: quia tamen inani nominis obtentu contenti, ſua virtute & dignitate eum nudant, *Col.2: 19.* vere in eos competit illud Pauli, *caput non tenere.* *A Dei electis vere ac efficaciter Propheta, Rex & Sacerdos Eccleſia agnoſcitur.* Ergo, ut in Chriſto reperiat fides ſolidam ſalutis materiam, atque ita in ipſo acquieſcat, ſtatuendum hoc principium eſt, tribus partibus conſtare, quod ei injunctum à Patre munus fuit. Nam & Propheta datus eſt, & Rex & Sacerdos: quanquam nomina hæc tenere parum prodeſſet, niſi accederet finis & uſus cognitio. Nam & in Papatu quoque pronunciantur, ſed frigide nec magno cum fructu, ubi neſcitur, quid in ſe unumquodque elogium contineat. *Quod ad Propheticum munus, Eccleſia Redemptor is eſt, à quo plenam intelligentiæ lucem pii omnes ſub Lege ſperaverunt.* Diximus ante, quamvis Deus Prophetas continua ſerie alios aliis ſubmittens populum nunquam deſtituerit utili doctrina, & quæ ad ſalutem ſufficeret: piorum tamen mentes hac perſuaſione ſemper fuiſſe imbutas, adventu Meſſiæ demum plenam intelligentiæ lucem ſperandam eſſe. adeoque ejus rei opinio pervenerat uſque ad Samaritanos, quibus tamen nunquam innotuerat vera religio: quod patet ex voce illa mulieris, *Meſſias quum venerit, docebit nos omnia.* *Joan.4:25.* Neque vero hoc Judæi temere præſumpſerant animis: ſed, ut erant certis

oraculis

oraculis edocti, ita credebant. Illuſtris inter alias
Jeſa. 55: 4.
eſt Jeſaiæ ſententia, *Ecce poſui eum teſtem populis, ducem & magiſtrum populis dedi eum*: nempe, quo
Jeſa. 9: 5.
modo jam alibi vocaverat angelum vel interpretem
Hebr. 1: 1.
magni conſilii. Hac ratione Apoſtolus perfectionem doctrinæ Euangelicæ commendans, ubi dixit, varie olim & ſub figuris multiplicibus Deum loquutum eſſe Patribus per Prophetas, adjungit, noviſſime nobis loquutum eſſe per dilectum Filium. Quia autem commune Prophetis officium fuit, tenere ſuſpenſam Eccleſiam, & ſimul fulcire uſque ad Mediatoris adventum, ideo conqueſtos in diſſipatione fideles legimus, privari ſe ordinario illo bono, *Signa noſtra non videmus: non eſt inter nos Propheta: non eſt cognoſcens amplius*. At vero, quum jam non longe abeſſet Chriſtus, præfixum fuit Danieli tempus ad obſignandam viſionem & prophetiam, non ſolum ut vaticinio, de quo illic agitur, certa conſtaret auctoritas: ſed ut fideles æquo animo carerent ad tempus Prophetis, quia inſtaret omnium revelationum plenitudo & clauſula.

Adeo ut Prophetæ ſuis revelationibus ſuſpenſam tenuerint Eccleſiam uſque ad Mediatoris adventum, qui omnia decerat.

Pſal. 74: 9
Dan. 9: 24.

Et quamvis peculiaris regia dignitatis reſpectu unctus fuiſſe dicatur: hac unctio tamen & propheticam & ſacerdotalem dignitatem reſpicit.

2. Porro notandum eſt ad hæc tria munera Chriſti pertinere elogium: ſcimus enim ſub Lege, ſacro oleo tam Prophetas, quam ſacerdotes ac reges fuiſſe unctos. Unde & celebre *Meſſiæ* nomen promiſſo Mediatori fuit impoſitum. Etſi autem fateor peculiari regni intuitu & ratione dictum fuiſſe *Meſſiam* (ut etiam alibi oſtendi) prophetica tamen & ſacerdotalis unctio gradum ſuum obtinent, neque ſunt à nobis negligendæ. Prioris expreſſa fit mentio apud Jeſaiam, his verbis, *Spiritus Domini Jehovæ ſuper me: ideo unxit me Jehovah, ut prædicarem manſuetis, medelam afferrem contritis corde, promulgarem captivis liberationem, publicarem annum beneplaciti*, &c. Videmus unctum Spiritu fuiſſe, ut præco & teſtis eſſet gratiæ Patris: neque id communi more: quia à reliquis doctoribus, quorum ſimile erat officium, diſcernitur. Atque hic rurſus notandum eſt, non ſibi modo unctionem accepiſſe, ut fungeretur docendi partibus: ſed toti ſuo corpori, ut in continua Euangelii prædicatione virtus Spiritus reſpondeat. Interea manet illud fixum, hac, quam attulit, perfectione doctrinæ finem impoſitum fuiſſe omnibus prophetiis: ut auctoritati ejus derogent, qui Euangelio non contenti, extraneum aliquid aſſuunt. Nam extra omnium ordinem ſingulari privilegio eum evexit vox illa, quæ detonuit è cælo, *Hic eſt Filius meus dilectus: ipſum audite*. Ab ipſo deinde capite ad membra diffuſa eſt hæc unctio: ſicut à Joële prædictum fuerat, *Prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ viſiones videbunt*, &c. Quod autem dicit Paulus, *datum eſſe nobis in ſapientiam*: & alibi, *in eo abſconditos eſſe theſauros omnes ſcientiæ & intelligentiæ*: paulo diverſum ſenſum habet: nempe, extra ipſum nihil eſſe utile cognitu, & quicunque fide percipiunt, qualis ſit, totam bonorum cæleſtium immenſitatem complexos eſſe. Qua ratione alibi ſcribit, *Nihil ſcire pretioſum duxi præter Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum*. Quod veriſſimum eſt, quia ultra Euangelii ſimplicitatem progredi fas non eſt. Atque huc tendit prophetica dignitas in Chriſto, ut ſciamus in ſumma doctrinæ, quam tradidit, incluſos eſſe omnes perfectæ ſapientiæ numeros.

Jeſa. 61: 1.

Unctus eſt igitur ratione muneris Prophetici, & quidem non tam ſibi quam nobis.

Dignitas hujus unctionis.

Mat. 3: 17.
Joël. 2: 25
1 Cor. 1. verſ. 30.
Col. 2: 3.

Neceſſitas.

1 Cor. 2. 2.

Uſus.

De regno Chriſti, quod eſt ſpirituale, æternitas colligitur: eaque duplex.

3. Venio ad regnum, de quo fruſtra verba fierent, niſi prius admoniti eſſent lectores ſpiritualem eſſe ejus naturam: quia inde ad quid valeat & quid nobis conferat, totaque ejus vis & æternitas colligitur. Æternitas porro, quam apud Danielem Angelus Chriſti perſonæ tribuit, merito Angelus item apud Lucam saluti populi accommodat. Sed hæc quoque duplex, aut duobus modis ſtatuenda eſt: altera enim ad totum Eccleſiæ corpus pertinet, altera propria eſt cujuſque membri. Ad priorem referendum eſt, quod in Pſalmo dicitur, *Semel juravi per ſanctitatem meam Davidi, non mentiar: ſemen ejus in æternum manebit: ſolium ejus ſicut Sol in conſpectu meo: ſicut Luna ſtabiletur in æternum, & teſtis in cælo fidelis*. Neque enim dubium eſt, quin illic promittat Deus ſe per manum Filii ſui æternum fore Eccleſiæ præſidem ac defenſorem. Neque enim alibi quam in Chriſto reperietur vaticinii hujus veritas: quandoquidem ſtatim poſt mortem Solomonis concidit majori ex parte regni dignitas & cum ignominia familiæ Davidicæ ad privatum hominem tranſlata eſt, poſtea ſenſim diminuta fuit, uſquedum prorſus triſti & pudendo interitu deficeret. Eundem habet ſenſum illa Jeſaiæ exclamatio, *Generationem ejus quis enarrabit?* Nam Chriſtum ita à morte ſuperſtitem fore pronunciat, ut eum conjungat cum ſuis membris. Ergo quoties audimus armari Chriſtum æterna poteſtate, meminerimus hoc præſidio fulciri Eccleſiæ perpetuitatem: ut inter turbulentas agitationes, quibus aſſidue vexatur, inter graves & formidabiles motus, qui innumeras clades minantur, ſalva tamen maneat. Sic ubi David hoſtium audaciam ridet, qui jugum Dei & Chriſti ejus abrumpere conantur, dicitque *reges & populos fruſtra tumultuari, quia ad frangendos eorum impetus ſatis fortis eſt, qui in cælis habitat*: de perpetua Eccleſiæ conſervatione pios certiores reddens, ad bene ſperandum animat, quoties illam opprimi contigerit. Sic alibi quum dicit in perſona Dei, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*: admonet, utcunque ad oppugnandam Eccleſiam multi & validi hoſtes conſpirent, non tamen ſuppetere illis vires, quibus adverſus decretum illud immutabile Dei prævaleant, quo Filium ſuum conſtituit æternum Regem. Unde ſequitur fieri non poſſe, ut Diabolus cum toto mundi apparatu Eccleſiam unquam deleat, quæ in æterno Chriſti ſolio fundata eſt. Jam quod ad ſpecialem cujuſque uſum ſpectat, eadem illa æternitas in ſpem beatæ immortalitatis erigere nos debet. Quicquid enim terrenum eſt atque ex mundo, temporale, imo etiam caducum eſſe cernimus. Ergo Chriſtus, ut ſpem in cælos noſtram attollat, *regnum ſuum* pronunciat *non eſſe ex mundo*. Denique ubi quiſque noſtrûm ſpirituale Chriſti regnum eſſe audit, hac voce excitatus penetret ad ſpem melioris vitæ: & quod nunc protegitur Chriſti manu, plenum hujus gratiæ fructum in futuro ſeculo expectet.

Dan. 2: 44.
Luc. 1: 33.

Prior ad totum corpus Eccleſiæ pertinens.

Pſal. 89. verſ. 36, 37, 38.

Jeſa. 53: 8.

Pſ. 2: 2, 3, 4.

Pſal. 110: 1.

Uſus hujus doctrinæ.

Poſterior, propria cujuſque membri Eccleſiæ.

Joan. 18. verſ. 36.

4. Quod diximus vim & utilitatem regni Chriſti non poſſe aliter à nobis percipi, quam dum ſpirituale eſſe cognoſcimus, vel hinc ſatis liquet, quod dum toto vitæ curſu militandum ſub cruce nobis eſt, aſpera & miſera eſt noſtra conditio. Quid igitur nobis prodeſſet, collectos eſſe ſub regis cæleſtis imperium, niſi extra terrenæ vitæ ſtatum conſtaret ejus fructus? Ideoque ſciendum eſt, quicquid nobis felicitatis in Chriſto promittitur, non ſubſiſtere in externis commodis, ut lætam & tranquillam vitam agamus, floreamus opibus, ſecuri ſimus ab omni noxa, & deliciis affluamus, quas expetere ſolet caro: ſed cæleſtis vitæ eſſe proprium. Sicut autem in mundo proſper & optabilis populi ſtatus partim bonorum omnium copia & domeſtica pace, partim validis præſidiis continetur, quibus tutus ſit contra externam violentiam: ita & Chriſtus ſuos omnibus ad æternam animarum ſalutem neceſſariis locupletat, & virtute munit, qua ſtent inexpugnabiles contra quoslibet hoſtium ſpiritualium impetus. Unde colligimus ipſum nobis magis regnare, quam ſibi, idque intus & extra: ut ſcilicet donis Spiritus, quibus naturaliter vacui ſumus, quatenus expedire novit Deus, referti, ex iis primitus ſentiamus vere nos Deo conjunctos eſſe ad perfectam beatitudinem. Deinde, ut ejuſdem Spiritus virtute freti, non dubitemus contra Diabolum, mundum, & quodvis noxæ genus nos ſemper fore victores. Huc tendit

Unde nobis conſtet ſpirituale eſſe Chriſti regnum, & quæ bona inde hauriamus.

1. Ad vitam æternam nos attollit.

2. Bonis omnibus ad ſalutem neceſſariis nos ditat.

3. Invictos reddit adverſus hoſtes ſpirituales.

Luc. 17. verſ. 20, 21.

reſponſum Chriſti ad Phariſæos, quia regnum Dei intra nos eſt, cum obſervatione non venturum. Probabile enim eſt, quia profitebatur ſe Regem illum eſſe, ſub quo ſperanda erat ſumma Dei benedictio, per ludibrium rogaſſe, ut proferret ſua inſignia. Ipſe vero, ne ſtulte pompis immorentur (qui alioqui plus æquo propenſi ſunt in terram) eos in ſuas conſcien-

Rom. 14. verſ. 17.

tias ingredi jubet, quia regnum Dei eſt juſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto. His breviter doce-

4. Ad patientiam nos animat.

mur, quid nobis conferat Chriſti regnum. nam quia non terrenum eſt vel carnale, quod corruptioni ſubjaceat, ſed ſpirituale, ad æternam nos uſque vitam attollit: ut patienter hanc vitam ſub ærumnis, inedia, frigore, contemptu, probris, aliiſque moleſtiis tranſigamus: hoc uno contenti, quod nunquam deſtituet nos Rex noſter, quin neceſſitatibus noſtris ſubveniat, donec militia noſtra perfuncti vocemur ad triumphum: quia talis eſt regnandi ratio, ut com-

5. Gloriandi materiam & fiduciam ſuggerit.

municet nobiſcum quicquid accepit à Patre. Jam, quia nos potentia ſua armat & inſtruit, decore & magnificentia ornat, opibus locupletat: hinc nobis ſuppetit uberrima gloriandi materia, atque etiam fiducia ſuggeritur, ut intrepide certemus cum dia-

6. Fortitudinem & charitatem.

bolo, peccato & morte. Denique, ut juſtitia ejus veſtiti, omnia mundi opprobria fortiter ſuperemus: & ſicuti ipſe ſuis donis liberaliter nos replet, ita nos viciſſim fructus in ejus gloriam proferamus.

Cæleſtis autem fuit Redemptoris noſtri unctio.

5. Ideo regia ejus unctio non ex oleo vel aromaticis unguentis confecta nobis proponitur, ſed Chriſtus Dei vocatur, quia ſuper eum requievit Spiritus

Jeſa. 11: 2.

ſapientiæ, intelligentiæ, conſilii, fortitudinis &

Pſal. 45: 8

timoris Dei. Hoc oleum eſt lætitiæ, quo Pſalmus prædicat eum fuiſſe unctum præ conſortibus ſuis: quia niſi in ipſo talis eſſet præſtantia, inopes eſſemus

Ut nos ſua abundantia perfunderet.

omnes ac famelici. Neque enim privatim (ut dictum eſt) ipſe ſibi ditatus eſt: ſed ut jejunos & aridos ſua abundantia perfunderet. Nam ſicuti dicitur Pater

Joan 3:34.

non dediſſe Filio Spiritum ad menſuram: ita exprimitur ratio, ut de plenitudine ejus acciperemus

Joan. 1:16.

omnes & gratiam pro gratia. Ex quo fonte manat

Ephef. 4:7.

largitio cujus meminit Paulus, qua varie diſtribuitur gratia fidelibus, ſecundum menſuram donationis Chriſti. His ſatis ſuperque confirmatur, quod dixi, Chriſti regnum in Spiritu, non terrenis deliciis, vel pompis eſſe ſitum: ac proinde, ut ſimus ejus participes, mundo renunciandum eſſe. Hujus

Hujus unctionis ſymbolum & fructus ad Chriſtianos pertinens.

ſacræ unctionis viſibile ſymbolum in Chriſti baptiſmo oſtenſum fuit, dum ſuper eum requievit Spiritus in ſpecie columbæ. Spiritum vero ejuſque dona unctionis voce deſignari, neque novum eſt,

Joan. 1: 32. Luc. 3: 22. 1 Joan. 2. v. 20, 27.

neque abſurdum videri debet: quia non aliunde vegetamur: maxime vero, quod ad cæleſtem vitam ſpectat, nulla eſt in nobis vigoris gutta, niſi quam nobis Spiritus ſanctus inſtillat, qui ſedem in Chriſto delegit, ut inde large ad nos ſcaturirent cæleſtes divitiæ, quarum adeo ſumus egeni. Quod autem & regis ſui fortitudine invicti ſtant fideles, & ſpirituales ejus divitiæ in eos exuberant: non im-

Conciliatio ſententiæ Apoſtolicæ cum ſuperioribus dictis de æterno Chriſti regno

merito dicuntur Chriſtiani. Cæterum huic, de qua loquuti ſumus, æternitati nihil derogat Pauli ſententia, *Tunc regnum tradet Deo & Patri.* Item, *Subjicietur Filius ipſe, ut ſit Deus omnia in omnibus:* quia nihil aliud vult, quam in illa perfecta gloria non talem fore regni adminiſtrationem, qualis nunc

1 Cor. 15. verſ. 24, 28.

eſt. Dedit enim Pater omnem poteſtatem Filio, ut per ejus manum nos gubernet, foveat, ſuſtentet, ſub ejus tutela nos protegat, nobiſque auxilietur. Ita quantiſper à Deo peregrinamur, Chriſtus intercedit medius, qui nos paulatim ad ſolidam cum Deo conjunctionem perducat. Et certe quod ſedet ad Patris dexteram, tantundem valet, acſi vocetur Patris legatus, penes quem tota ſit imperii poteſtas: quia Deus mediate (ut ita loquar) vult in ejus per-

Epheſ. 1. verſ. 20, 22.

ſona Eccleſiam regere ac tueri. Sicuti etiam interpretatur Paulus primo ad Epheſios, *locatum fuiſſe ad dexteram Patris, ut ſit Eccleſiæ caput, quæ eſt corpus ejus.* Nec alio tendit, quod alibi docet, *datum*

Phil. 2: 9.

illi fuiſſe nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine JESU *omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quod ſit in gloriam Dei Patris.* Nam iis etiam verbis in Chriſti regno ordinem commendat, præſenti noſtræ infirmitati neceſſarium. Ita recte colligit Paulus, *Deum per ſe tunc fore unicum Eccleſiæ caput, quia impletæ erunt Chriſti partes in Eccleſiæ defenſione.* Eadem ratione paſſim Scriptura *Dominum* vocat, quia hac lege eum nobis præfecit Pater, ut ſuam dominationem per eum exerceat. Licet enim multa dominia celebrentur in mundo, *unus nobis Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipſo: & unus Dominus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*, inquit Paulus. Unde rite colligitur, eun-

1 Cor. 8. verſ. 5, 6.

dem eſſe ipſum Deum, qui per os Jeſaiæ aſſeruit ſe

Jeſa. 33:22.

regem eſſe ac legiſlatorem Eccleſiæ. Nam etſi ubique beneficium & donum Patris vocat, quicquid habet poteſtatis: non aliud tamen ſignificat, quam ſe divinitus regnare: quia ideo Mediatoris induit perſonam, ut è ſinu Patris & incomprehenſibili gloria deſcendens, ad nos appropinquaret. Quo juſtius eſt nos omnes uno conſenſu ad parendum accingi, ſummaque alacritate obſequia noſtra dirigere ad ejus nutum. Nam ſicuti regis & paſtoris officia conjungit erga pios, qui ſe morigeros ultro ſubjiciunt: ita ex oppoſito audimus ſceptrum ferreum geſtare,

Pſal. 2: 9.

quo frangat ac conterat præfractos omnes, quaſi vaſa figuli. Audimus etiam judicem fore Gentium, ut

Pſ. 110: 6.

terram operiat cadaveribus, & altitudinem ſibi adverſam proſternat. Cujus rei quædam hodie cernuntur exempla: plenum vero documentum extabit ultimo judicio. quod etiam proprie cenſeri poteſt extremus regni ejus actus.

Quod ad ſacerdotium Chriſti, ut ad nos perveniat ejus efficacia & utilitas.

6. Jam de ſacerdotio breviter ſic habendum, finem & uſum ejus eſſe, ut ſit Mediator purus omni macula, qui ſanctitate ſua Deum nobis conciliet. Sed quia aditum occupat juſta maledictio, & Deus pro judicis officio nobis infenſus eſt: ut nobis favorem comparet ſacerdos ad placandam iram ipſius Dei, piaculum intervenire neceſſe eſt. Quare ut hoc munus impleret Chriſtus, cum ſacrificio in medium prodire oportuit: nam & ſub Lege ſacerdoti fas non erat ſanctuarium ingredi abſque ſanguine: ut ſcirent fideles, quamvis ſacerdos interpoſitus eſſet deprecator, non poſſe tamen Deum propitiari, niſi expiatis peccatis. Qua de re prolixe Apoſtolus diſputat in epiſtola ad Hebræos à ſeptimo capite fere ad finem uſque decimi. Summa tamen huc redit, nonniſi in Chriſtum competere ſacerdotii honorem, quia ſacrificio mortis ſuæ reatum noſtrum delevit, & ſatisfecit pro peccatis. Quanti vero momenti res ſit, ex ſolenni illo Dei jurejurando, quod abſque pœnitentia prolatum eſt, monemur, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem*

Pſ. 110: 4.

Melchiſedech. Sancire enim haud dubie voluit caput illud, in quo præcipuum ſalutis noſtræ cardinem verti ſciebat. Neque enim, ut dictum eſt, nobis aut precibus noſtris ad Deum patet acceſſus: niſi purgatis inquinamentis nos ſacerdos ſanctificet, gratiamque nobis obtineat, à qua nos ſcelerum noſtrorum &

A morte Chriſti incipiendum eſt: unde ſequitur 1. ejuſdem interceſſio pro nobis, 2 precandi fiducia, 3. conſcientiarum tranquillitas.

vitiorum arcet immundities. Ita videmus à morte Chriſti incipiendum eſſe, ut ad nos perveniat ſacerdotii ejus efficacia & utilitas. Hinc ſequitur æternum eſſe deprecatorem, cujus patrocinio favorem conſequimur. Unde rurſus oritur non modo precandi fiducia, ſed etiam tranquillitas piis conſcientiis: dum in paternam Dei indulgentiam tuto recumbunt, certoque perſuaſæ ſunt, ei placere quicquid per Mediatorem conſecratum eſt. Quum vero ſub Lege victimas ex pecudibus offerri ſibi Deus juſſerit, diverſa & nova in Chriſto fuit ratio, ut idem eſſet hoſtia, qui ſacerdos: quia nec alia pro peccatis idonea ſatisfactio reperiri poterat, nec quiſquam tanto honore dignus, qui Deo unigenitum Filium offerret.

Jam

4. Chriſtiani per Chriſtum ſunt ſacerdotes, ſeipſos & ſua omnia Deo accepta offerentes.

Jam ſacerdotis perſonam ſuſtinet Chriſtus, non modo ut æterna reconciliationis lege Patrem nobis faventem ac propitium reddat, ſed etiam ut nos aſciſcat in ſocietatem tanti honoris. Nam qui in nobis polluti ſumus, in ipſo tamen ſacerdotes, offerimus nos & noſtra omnia Deo, cæleſteque ſanctuarium libere ingredimur, ut grata ſiot ac boni odoris
Apoc. 1: 6. in conſpectu Dei quæ à nobis proveniunt ſacrificia precum & laudis. Atque huc oſque ſe extendit illud
Joan. 17. verſ. 19. Chriſti dictum, *Propter eos ſanctifico meipſum:* quia ſanctitate ejus perfuſi quatenus nos ſecum Patri dicavit (qui alioqui fœtemus coram eo) tanquam puri & mundi, imo etiam ſacri, placemus. Huc pertinet unctio ſanctuarii, cujus mentio fit apud Danielem. Dan. 9:24.
Notanda enim eſt antitheſis inter hanc unctionem & illam umbratilem, quæ tunc in uſu fuerat: acſi diceret Angelus, diſcuſſis umbris in Chriſti perſona clarum fore ſacerdotium. Quo magis deteſtabile eſt eorum commentum, qui non contenti Chriſti ſacerdotio, ſeipſos ad eum mactaodum ingerere auſi ſunt: quod tentatur quotidie in Papatu, ubi Miſſa cenſetur immolatio Chriſti.

Hinc ſequitur Papiſtas graviter peccare, qui Chriſtum ſe immolare jactitant.

CAP. XVI.

Quomodo Redemptoris partes impleverit Chriſtus, ut nobis ſalutem acquireret: ubi de morte & reſurrectione ejus agitur, & in cælum aſcenſu.

Hujus capitis quatuor præcipue ſunt partes.

1. *De tota re in genere agit, neceſſariam quæſtionem de Dei juſtitia & miſericordia in Chriſto conjuncta diſcutiens, ſect. 1. 2. 3. & 4.*
2. *Sigillatim oſtendit quomodo Redemptoris partes Chriſtus impleverit, à 5. ſectione ad 18. ubi de ejus morte, ſepultura, deſcenſu ad inferos, reſurrectione, aſcenſione in cælum, ſeſſione ad dexteram Patris, & reditu ejus ad judicium.*
3. *Quoniam vero bonam partem Symboli ea occaſione enarravit, quid ſit de eo Symbolo (quod Apoſtolis adſcribitur) ſentiendum, exponit ſect. 18.*
4. *Concluſio, doctrinam & uſum totius doctrinæ de Redemptore Chriſto proponens, ſect. 19.*

Adeo ſolida in Chriſto ſalus nobis proponitur, ut quicquid nobis ad eam conquirendam & obtinendam neceſſarium eſt, in ipſo abunde reperiamus.

QUæ hacteous de Chriſto diximus, ad unum bunc ſcopum referenda ſuot: ut in nobis damnati, mortui & perditi, juſtitiam in ipſo, liberatiooem, vitam & ſalutem quæramus: quemadmodum docemur inſigni illa Petri ſententia, *non eſſe alıud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri.* Neque vero temere, vel fortuito caſu, vel hominum arbitrio impoſitum illi fuit nomeo JESU, ſed è cælis ab Angelo ſupremi decreti præcone allatum, ratione etiam addita: quia ad ſervaodum à peccatis popu-
Act. 4: 12. lum miſſus eſſet. In quibus verbis ootandum eſt,
Mat. 1: 21. quod alibi attigimus, *Redemptoris munus ei fuiſſe in-*
Luc. 1: 31. *junctum, ut nobis eſſet Salvator.* Interea tamen mutila eſſet redemptio, niſi per continuos progreſſus ad ultimam uſque ſalutis metam nos perduceret.

Extra Chriſtum autem mors æterna.

Itaque ſimulac vel minimum ab eo deflectimus, ſenſim evaneſcit ſalus, quæ ſolida in eo reſidet: ut ſe ultro privent omni gratia, quicunque io eo non
Bern. in Cantic. Serm. 15. acquieſcunt. Et memoratu digna eſt illa Bernardi admonitio, *non modo lucem, ſed cibum quoque eſſe nomen JESU: oleum etiam eſſe, ſine quo aridus eſt omnis animæ cibus: ſalem eſſe, ſine cujus conditura inſipidum eſt quicquid proponitur: denique eſſe mel in ore, in aure melos, in corde jubilum, & ſimul medicinam: & quicquid diſputatur inſulſum eſſe, niſi ubi ſonat boc nomen.*

Quomodo bac ſalus à Chriſto nobis parta ſit.

Sed hic diligenter expendere convenit, quomodo nobis ab ipſo parta ſit ſalus: ut non modo ipſum ejus auctorem perſuaſi ſimus, ſed quæ ad ſtabilem fidei noſtræ fulturam ſufficiunt amplexi, repudiemus quæcunque poſſent buc vel illuc nos abſtrahere. Quum enim nemo poſſit in ſeipſum deſcendere ac ſerio reputare qualis ſit, quin Deum ſibi iratum infeſtumque ſentiens, neceſſe habeat ejus placandi modum ac rationem anxie expetere, quod ſatisfactionem exigit, non vulgaris requiritur certitudo: quia peccatoribus, donec à reatu ſoluti fuerint, ſemper incumbit ira Dei & maledictio; qui, ut eſt juſtus judex, non ſinit impune Legem ſuam violari, quin ad vindictam armatus ſit.

Id ut intelligatur, quæſtionem explicat de conciliatione juſtitia & miſericordia Dei nobis reconciliatâ per Chriſtum.

2. Verum, aotequam loogius progredimur, in tranſcurſu videndum eſt, quomodo conveniat, Deum, qui nos miſericordia ſua prævenit, fuiſſe inimicum, donec per Chriſtum nobis reconciliatus eſt. Nam quomodo in Filio unigenito ſingulare amoris ſui pignus nobis dediſſet, niſi jam ante fuiſſet gratuito favore complexus? Quoniam ergo hic emergit aliqua repugnantiæ ſpecies, hunc nodum expediam. In hunc fere modum Spiritus in Scripturis loquitur, *Deum fuiſſe hominibus inimicum, donec in gratiam, Chriſti morte ſunt reſtituti: fuiſſe male-* Rom. 5:10.
dictos, donec illius ſacrificio expiata eſt eorum iniqui- Galat. 3.
tas: fuiſſe à Deo ſeparatos, donec per ipſius corpus fue- v. 10, 13.
runt in conjunctionem recepti. Hujus generis loquu- Coloſſ. 1.
tiones ad ſenſum noſtrum ſunt accommodatæ, ut v. 21, 22.
melius intelligamus, quam miſera ſit & calamitoſa extra Chriſtum noſtra conditio. Niſi enim claris verbis diceretur, iram ac vindictam Dei, mortemque æternam nobis iocubuiſſe, minus agnoſceremus quam miſeri eſſemus ſine Dei miſericordia, & beoeficium liberationis, minoris æſtimaremus.

Scriptura his loquendi formulis utitur, ut melius intelligamus quam miſera ſit extra Chriſtum noſtra conditio.

Exempli gratia: audiat aliquis, Si te, quo tempore adhuc peccator eras, odiſſet Deus, & te abjeciſſet, ut eras meritus, horribile exitium te manebat: ſed quia ſponte ac gratuita ſua indulgentia te in gratia retinuit, oec alienari à ſe paſſus eſt, eo periculo ſic te liberavit: afficietur quidem & ſentiet aliqua ex parte quantum debeat miſericordiæ Dei. Verum audiat rurſum, quod Scriptura docet, ſe alieoatum fuiſſe à Deo per peccatum, hæredem iræ, mortis æternæ maledictioni obnoxium, excluſum ab omni ſpe ſalutis, extraoeum ab omni benedictione Dei, Satanæ mancipium, ſub peccati jugo captivum, horribili denique exitio deſtinatum & jam implicitum: hic Cbriſtum deprecatorem interceſſiſſe, pœnam in ſe recepiſſe ac luiſſe, quæ ex juſto Dei judicio peccatoribus omnibus imminebat: mala, quæ Deo exoſos illos reddebant, ſanguine ſuo expiaſſe: hoc piaculo ſatisfactum ac rite litatum Deo Patri eſſe, hoc interceſſore iram ejus fuiſſe placatam, hoc fundamento pacem Dei cum homioibus eſſe ſubnixam, boc vinculo benevolentiam illius erga ipſos contineri: his nonne eo magis permovebitur, quo melius ad vivum repræſentatur, quaota è calamitate ereptus fuerit? In ſumma, quoniam non poteſt animus noſter vitam in Dei miſericordia vel ſatis cupide apprehendere, vel qua decet gratitudine excipere, niſi formidine iræ Dei & æternæ mortis horrore ante perculſus & conſternatus: ſic inſtituimur ſacra doctrina, ut ſine Chriſto Deum oobis quodammodo infeſtum cernamus, & ejus manum in exitium noſtrum armatam, benevolentiam ejus paternamque charitatem nonniſi in Chriſto amplexemur.

3. Atque

Digitized by Google

Nec tamen id falſo dictum eſt. Deus enim juſtiſſimus in nobis reperit, quod ſummo odio dignum eſt, donec reatus per Chriſtum aboleatur: utcunque pro bonitate ſua, quod ſuum eſt in nobis diligat.

3. Atque hoc tametſi pro captus noſtri infirmitate dicitur, non tamen falſo. Deus enim, qui ſumma juſtitia eſt, iniquitatem, quam in omnibus nobis conſpicit, amare non poteſt. Habemus ergo omnes in nobis, quod Dei odio dignum ſit. Proinde ſecundum corruptæ noſtræ naturæ, & deinde accedentis pravæ vitæ reſpectum, in offenſione Dei revera ſumus omnes io ejus conſpectu rei, & ad gehennæ damnationem nati. Verum, quia Dominus quod ſuum eſt, in nobis perdere non vult, adhuc aliquid invenit, quod pro ſua benignitate amet. Utcunque enim peccatores vitio noſtro ſimus, manemus tamen ejus creaturæ: utcunque mortem nobis aſciverimus, ipſe tamen nos ad vitam condiderat. Sic mera & gratuita noſtri dilectione excitatur ad nos in gratiam recipiendos. Atqui ſi perpetuum & irreconciliabile diſſidium eſt inter juſtitiam & iniquitatem: quamdiu peccatores manemus, ſuſcipere nos totos non poteſt Itaque, ut ſublata omnis ſimultatis materia, nos ſibi prorſus reconciliet, propoſita in morte Chriſti expiatione, quicquid in nobis mali eſt aboler, ut juſti in ejus conſpectu & ſancti appareamus, qui antea immundi eramus ac impuri. Proinde ſua dilectione prævenit ac antevertit Deus Pater noſtram in Chriſto reconciliationem. Imo quia
1 Joan. 4. verſ. 19.
prius diligit, poſtea nos ſibi reconciliat. Sed quia in nobis, donec ſua morte ſuccurrit Chriſtus, manet iniquitas, quæ Dei indignationem meretur, & eſt coram eo maledicta ac damnata: non antè plenam habemus firmamque cum Deo conjunctionem, quam ubi Chriſtus nos conjungit. Adeoque ſi Deum nobis pacatum ac propitium volumus polliceri, in Chriſtum ſolum oculos menteſque defigere convenit: ut revera per ipſum ſolum conſequimur, ne imputentur nobis peccata, quorum imputatio iram Dei ſecum trahit.

Confirmatio, ex S. Scripturis.
Epheſ. 1:4

4. Atque hac ratione dicit Paulus, *eam dilectionem, qua nos ante mundi creationem complexus eſt Deus, in Chriſto conſtitiſſe ac fuiſſe fundatum.* Hæc perſpicua ſunt & Scripturæ conſentanea, locoſque illos optime inter ſe conciliant, ubi dicitur,
Joan. 3:16
Deum ſuum erga nos dilectionem in eo declaraſſe, quod unigenitum Filium in mortem dederit: & tamen *fuiſſe inimicum, antequam morte Chriſti in gratiam reductus eſſet.*
Rom. 5. verſ. 10.
Verum quo firmiora ſint apud eos, qui veteris Eccleſiæ teſtimonium requirunt, citabo locum Auguſtini ubi id ipſum docetur.
Ex Auguſtino. Tractat. in Euang. Joan. 110.
Incomprehenſibilis, inquit, *ac immutabilis eſt Dei dilectio. Non enim ex quo ei reconciliati ſumus per ſanguinem Filii ejus, cœpit nos diligere, ſed ante mundi conſtitutionem dilexit nos, ut cum ejus Unigenito etiam nos filii ejus eſſemus, antequam omnino aliquid eſſemus.* Quod ergo reconciliati ſumus per mortem Chriſti, non ſic accipiatur, quaſi ideo nos reconciliaverit ei Filius, ut jam amare inciperet, quos oderat; ſed jam nos diligenti reconciliati ſumus, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Quod utrum verum dicam, atteſtetur Apoſtolus.
Rom. 5: 8.
Commendat, inquit, *dilectionem ſuam erga nos, quoniam quum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Habebat itaque ille erga nos charitatem, etiam quum inimicitias adverſus eum exercentes operaremur iniquitatem. Proinde miro & divino modo & quando nos oderat, diligebat. Oderat enim nos, quales ipſe non fecerat: & quia iniquitas noſtra opus ejus non omni ex parte conſumpſerat, noverat ſimul in unoquoque noſtrûm & odiſſe quod feceramus, & amare quod fecerat. Hæc ſunt Auguſtini verba.

Altera pars capitis, de redemptione noſtra per Chriſtum agens, primum in genere. Ea autem ad totius obedientiæ Chriſti curſum referenda eſt.

5. Jam ubi quæritur quomodo abolitis peccatis diſſidium Chriſtus inter nos & Deum ſuſtulerit, & juſtitiam acquiſierit, quæ eum nobis faventem ac benevolum redderet: generaliter reſponderi poteſt, toto obedientiæ ſuæ curſu hoc nobis præſtitiſſe. Quod Pauli teſtimonio probatur, *Quemadmodum unius tranſgreſſione peccatores multi ſunt conſtituti; ſic unius obedientia juſti conſtituimur.* Et ſane alibi cauſam veniæ, quæ nos eximit à maledictione Legis, extendit ad totam Chriſti vitam, *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, ſubjectum Legi, ut eos, qui ſub Lege erant, redimeret.* Ita in ipſo quoque Baptiſmo aſſeruit impleri juſtitiæ partem, quod obedienter Patris mandatum peragerer. Denique ex quo induit perſonam ſervi, cœpit ad nos redimendos pretium liberationis ſolvere. Rom. 5:19. Galat. 4:4. Mat. 3: 15.

Deinde ſpeciatim modus ſalutis morti Chriſti adſcribitur.

Scriptura tamen, quo certius definiat modum ſalutis, hoc morti Chriſti, quaſi peculiare ac proprium adſcribit. Pronunciat ipſe, *animam ſe dare in redemptionem pro multis.* Paulus docet, *mortuum eſſe propter peccata noſtra* Clamabat Joannes Baptiſta, *ipſum veniſſe ad tollendum peccata mundi, quia agnus Dei eſſet.* Alibi Paulus, *nos juſtificari gratis*, tradit, *per redemptionem, quæ eſt in Chriſto: quia propoſitus eſt reconciliator in ſuo ſanguine.* Item, *nos juſtificatos eſſe in ſanguine ipſius, & reconciliatos per mortem.* Rurſum, *Qui peccatum non noverat, pro nobis factus eſt peccatum, ut eſſemus juſtitia Dei in illo.* Non omnia perſequar, quia immenſus eſſet catalogus, & multa deinde ſuo ordine citanda erunt. Quamobrem in Symbolo fidei, quod *Apoſtolicum* vocant, optimo ordine ſtatim à natalibus Chriſti fit tranſitus ad mortem & reſurrectionem, ubi perfectæ ſalutis ſumma conſiſtit.
Matth. 20. verſ. 28. Joan. 1: 29. Rom. 3. v. 24. 25. Rom 5: 9. 2 Cor. 5. verſ. 21.

Neque tamen excluditur reliqua pars obedientiæ, qua defunctus eſt in vita: ſicuti Paulus ab initio ad finem uſque totam comprehendit, quod ſeipſum exinanierit, forma ſervi accepta, & Patri fuerit obediens uſque ad mortem: nempe, mortem crucis. Phil. 2:7. 8.

In qua præcipue elucet voluntaria ſubjectio Chriſti, ita tamen ut non abſque certamine proprio ſe affectu abdicarit.

Et ſane in ipſa quoque primum gradum occupat voluntaria ſubjectio: quia ad juſtitiam nihil profuiſſet ſacrificium, niſi ſponte oblatum. Itaque ubi teſtatus eſt Dominus, *ſe animam pro ovibus ponere:* diſerte addit, *Nemo tollit eam à meipſo.* Quo ſenſu Jeſaias dicit, *obmutuiſſe inſtar agni coram tonſore.* Et hiſtoria Euangelica refert obviam prodiiſſe militibus: & coram Pilato, omiſſa defenſione, ſtetiſſe ad ſubeundum judicium. Non id quidem abſque certamine: quia & infirmitates noſtras ſuſceperat: & hoc modo probari oportuit, quod Patri ſuo præſtabat obſequium. Et hoc non vulgare fuit amoris erga nos incomparabilis ſpecimen, luctari cum horribili formidine, & inter diros illos cruciatus abjicere ſui curam, ut nobis conſuleret. Illud quidem tenendum eſt, non potuiſſe rite Deo aliter litari, quam dum proprio ſe affectu abdicans Chriſtus, illius ſe arbitrio ſubjecit, totumque addixit.
Joan. 10. verſ. 18. Jeſa. 53: 7. Joan. 18:4. Matth. 27. verſ. 11.

Quam ad rem appoſite teſtimonium illud Pſalmi citat Apoſtolus, *In libro Legis ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam Deus. Volo, & Lex tua in medio cordis mei. Tunc dixi, Ecce venio.* Cæterum, quia nonniſi in ſacrificio & ablutione, quibus expiantur peccata, quietem reperiunt trepidæ conſcientiæ: illuc merito dirigimur, & in morte Chriſti ſtatuitur nobis vitæ materia.
Heb. 10:7. Pſalm. 40. verſ. 8. 9.

Deinde conſideranda damnatio coram Pilato præſide.

Porro, quia nos maledictio ex reatu manebat ad cæleſte Dei tribunal, primo loco refertur damnatio coram præſide Judææ Pontio Pilato: ut ſciamus, pœnam, cui eramus obſtricti, fuiſſe juſto inflictam. Horribile Dei judicium effugere non poteramus: ut inde nos eriperet Chriſtus, coram homine mortali, imo etiam ſceleſto & profano damnari ſuſtinuit. Neque enim ſolum ad aſtruendam hiſtoriæ fidem exprimitur nomen præfecti, ſed ut diſcamus, quod docet Jeſaias, *caſtigationem pacis noſtræ fuiſſe ſuper eum, ejuſque livore nos fuiſſe ſanatos.* Neque enim tollendæ damnationis noſtræ cauſa ſatis erat quamlibet obire mortem: ſed, quo redemptioni noſtræ ſatisfaceret, genus mortis deligendum fuit, in quo & damnationem ad ſe traducens, & piaculum in ſe recipiens, utroque nos liberaret. Si à latronibus jugulatus fuiſſet, vel tumultuarie cæſus per ſeditionem vulgi, in ejuſmodi morte nulla ſatis-
Jeſa. 53: 5.

factio,

factionis ſpecies extitiſſet. Verum ubi reus ad tribunal ſiſtitur, teſtimoniis arguitur & premitur, ipſius judicis ore morti addicitur: his documentis intelligimus, ipſum perſonam ſontis & malefici ſuſtinere. Atque hic duo notanda ſunt, quæ & Prophetarum vaticiniis prædicta erant, & eximiam fidei conſolationem & confirmationem afferunt.

In qua damnatione duo ſunt obſervanda.
1. Chriſtum inter iniquos reputatum.
Jeſ. 53: 12.
Marc. 15. verſ. 28.

Quum enim Chriſtum audimus à judicis ſolio ad mortem dimiſſum, inter latrones eſſe ſuſpenſum: habemus complementum ejus prophetiæ, quæ ab Evangeliſta citatur, *Inter iniquos reputatus eſt.* Cur iſtud? nempe, ut peccatoris, non juſti aut inſontis vices obiret: quia non innocentiæ, ſed peccati cauſa mortem oppetebat. Contra, ubi audimus eodem, qu[o] damnatus fuit, ore abſolutum (nam ejus innocentiæ non ſemel teſtimonium palam reddere coactus eſt Pilatus) in mentem veniat, quod eſt apud alterum Prophetam, *Quæ non rapuerat exſolviſſe.*

2. Judicis ore abſolutum.
Joan. 18. v. 38, 40.
Pſal. 69: 5.

Atque ita & peccatoris ſceleratique perſonam in Chriſto repræſentatam intuebimur, & relucente innocentia, conſpicuum ſimul fiet, alieno potius, quam proprio ſcelere gravatum. Paſſus ergo eſt ſub Pontio Pilato, ſolenni præſidis ſententia in ſceleſtorum numerum ita relatus: neque ſic tamen, quin juſtus ab ipſo ſimul pronuncietur, dum affirmat nullam ſe in eo invenire cauſam. Hæc noſtra abſolutio eſt, quod in caput Filii Dei translatus eſt reatus, qui nos tenebat pœnæ obnoxios. Nam hæc compenſatio in primis tenenda eſt, ne trepidemus atque anxii ſimus tota vita: acſi nobis inſtaret juſta Dei ultio, quam in ſe tranſtulit Dei Filius.

Fructus & uſus hujus doctrina.

6. Jam & ipſa mortis ſpecies inſigni myſterio non caret. Maledicta crux erat, non humana tantum opinione, ſed divinæ Legis decreto. In eam ergo dum tollitur Chriſtus, maledictioni ſe obnoxium facit. Atque ita factum oportuit, ut omni execratione, quæ propter iniquitates noſtras nos manebat, vel potius nobis incumbebat, eximeremur, dum in eum traducitur. Quod etiam in Lege adumbratum fuit. Siquidem אשמות (quo vocabulo peccatum ipſum proprie deſignatur) vocabantur oblatæ pro peccatis victimæ & expiatrices. Qua nominis translatione innuere Spiritus voluit, inſtar καθαρμάτων ipſas eſſe: quæ debitam ſceleribus execrationem ſuſciperent ac ſuſtinerent. Quod autem in Moſaicis ſacrificiis figurate repræſentatum fuit, id in Chriſto figurarum archetypo exhibetur. Quare, ut juſta expiatione defungeretur, animam ſuam אשם impendit, hoc eſt, ſatisfactoriam peccati hoſtiam (ut inquit Propheta) in quam rejecta quodammodo macula & pœna, nobis deſinat imputari.

Cur Chriſtus cruci affixus ſit.
Myſterium illud in Lege adumbratum.
A Prophetis & Apoſtolis detectum.

2 Cor. 5. verſ. 21.
Apertius idipſum teſtatur Apoſtolus, quum docet, *eum qui peccatum non noverat, peccatum pro nobis à Patre factum, quo juſtitia Dei efficeremur in illo.* Nam Filius Dei, omni vitio puriſſimus, iniquitatum tamen noſtrarum probrum ac ignominiam induit, ac ſua viciſſim puritate nos operuit. Eodem videtur

Rom. 8: 3.
reſpexiſſe, quum tradit de peccato, *damnatum fuiſſe peccatum in ejus carne.* Siquidem peccati vim abolevit Pater, quum in Chriſti carnem translata fuit ejus maledictio. Indicatur itaque hac voce, Chriſtum Patri fuiſſe in morte pro victima ſatisfactoria immolatum, ut peracta per ejus ſacrificium litatione, iram Dei jam horrere deſinamus. Nunc liqui-

Jeſa. 53: 6.
dum eſt quid ſibi velit illud Prophetæ, *poſitas fuiſſe in eo noſtras omnium iniquitates*: nempe, quod ſordes earum abſterſurus, iiſdem per translatitiam imputationem obtectus fuit. Ejus rei ſymbolum fuit crux,

Gal. 3: 13.
cui affixus eſt, teſte Apoſtolo. *Chriſtus*, inquit, *redemit nos ab execratione Legis, dum pro nobis factus eſt execratio. Scriptum eſt enim, Execrabilis omnis, qui pendet in ligno: ut in Gentes benedictio Abrahæ in Chriſto perveniret.* Eodem reſpexit Petrus, ubi docet, *peccata noſtra portaſſe in ligno*: quia ex ipſo maledictionis ſymbolo clarius intelligimus, onus, quo

Deut. 27. verſ. 26.
1 Petr. 2. verſ. 24.

eramus oppreſſi, fuiſſe illi impoſitum. Neque tamen eum ſubiiſſe maledictionem intelligendus eſt, qua obrutus ipſe fuerit? quin ſubeundo potius, vim ejus univerſam depreſſit, infregit, diſſipavit. Proinde fides in Chriſti damnatione abſolutionem, benedictionem in maledictione apprehendit.

Chriſtus quo ſenſu maledictio factus pro nobis.

Coloſſ. 2: v. 14, 15.
Quare non abs re Paulus triumphum, quem ſibi in cruce peperit Chriſtus, magnifice prædicat, acſi crux, quæ plena erat dedecoris, converſa eſſet in currum triumphalem. Dicit enim affixum fuiſſe cruci chirographum, quod erat contrarium nobis, & expoliatos principatus, ac palam traductos. Nec mirum, quia

Heb. 9: 14.
per Spiritum æternum (teſte altero Apoſtolo) ſeipſum obtulit Chriſtus: unde illa naturæ rerum converſio. Sed hæc ut firmam radicem agant in cordibus noſtris, & penitus inſideant, ſemper nobis in mentem veniant ſacrificium & ablutio. Neque enim certo confidere poſſemus Chriſtum eſſe ἀπολύτρωσιν καὶ ἀντίλυτρον καὶ ἱλαστήριον, niſi victima fuiſſet. Ideoque toties fit ſanguinis mentio, ubi modum redemptionis oſtendit Scriptura. Quanquam non modo ad litationem valuit effuſus Chriſti ſanguis, ſed lavacri etiam vice fuit ad ſordes noſtras purgandas.

Crux Chriſti cum effuſione ſanguinis ejuſdem conjuncta.

7. Sequitur in Symbolo, mortuum fuiſſe & ſepultum: ubi rurſum videre eſt, quomodo in vicem noſtram ubique ſe ſuppoſuerit ad ſolvendum noſtræ redemptionis pretium. Mors jugo ſuo nos obligatos tenebat, in illius ſe poteſtatem loco noſtro tradidit, quo nos inde eximeret.

De morte Chriſti.
Cur ſit mortuus.

Hebr. 2: 9.
Hoc intelligit Apoſtolus, quum ſcribit, *eum mortem guſtaſſe pro omnibus.* Moriendo enim effecit ne moriamur, vel (quod idem eſt) morte ſua vitam nobis redemit. Hoc autem à nobis diverſum habuit, quod morti ſe velut deglutiendum permiſit, non ut ejus gurgitibus abſorberetur, ſed magis ut eam abſorberet, à qua mox eramus abſorbendi: quod ſubigendum ei ſe permiſit, non ut ejus poteſtate opprimeretur, ſed magis ut eam proſterneret, quæ nobis imminebat ac jam depreſſis inſultabat.

ibid. v. 15.
Denique ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti. Hunc primum fructum mors ejus nobis protulit. Alterum vero, quod participatione ſui membra noſtra terrena mortificat, ne ſuas in poſterum actiones exerceant: veteremque noſtrum hominem enecat, ne poſthac vigeat ac fructificet.

Fructus.

Quo etiam ſepultura ejus pertinet: nempe cujus conſortes, peccato & ipſi ſepeliamur.

De Chriſti ſepultura.

Rom. 6: 5.
Non enim dum nos in ſimilitudinem mortis Chriſti inſitos eſſe Apoſtolus docet, & cum eo ſepultos in peccati mortem, per ejus crucem nobis crucifixum eſſe mundum, & nos mundo; nos illi commortuos eſſe: ad exprimendum mortis ejus exemplum duntaxat nos adhortatur: ſed hanc illi ineſſe efficaciam declarat, quæ in Chriſtianis omnibus apparere debeat, niſi velint mortem ipſam inutilem reddere & infructuoſam. Proinde duplex in morte ſepulturaque Chriſti beneficium nobis fruendum proponitur, liberatio à morte, cui mancipati eramus, & carnis noſtræ mortificatio.

Gal. 2: 19. & 6: 14.
Col. 3: 3.
Fructus.

8. Nec vero deſcenſum ad inferos omittere convenit, in quo ad redemptionis effectum non parum eſt momenti. Quanquam enim ex veterum ſcriptis, particulam, quæ legitur in Symbolo, apparet non adeo fuiſſe olim in Eccleſiis uſitatam: in tractanda tamen doctrinæ ſumma, locum ei dari neceſſe eſt: utpote quæ rei maximæ utile ac minime ſpernendum myſterium continet. Sunt quidem & ex veteribus nonnulli, qui eam non prætermittant. Unde conjicere licet, poſt aliquantum temporis inſertam, non protinus, ſed ſenſim Eccleſiis inſuèviſſe. Id certe extra controverſiam eſt, ex communi piorum omnium ſenſu fuiſſe deſumptam: quando nemo eſt Patrum, qui non in ſuis ſcriptis deſcenſum Chriſti

De deſcenſu Chriſti ad inferos.
Hic articulus autem non protinus, ſed ſenſim Eccleſiis inſuevit,

ad

ad inferos commemoret, tametſi interpretatione diverſa. Verum aut à quibus, aut quo primum tempore inſerta fuerit, parum ad rem attinet. Potius hoc in Symbolo animadvertendum, ut plena & numeris omnibus abſoluta fidei ſumma nobis conſtet, in quam nihil ingeratur, niſi ex puriſſimo Dei verbo petitum. Siquos porro impedit moroſitas, ne in Symbolum admittant, mox tamen planum fiet, tanti intereſſe ad redemptionis noſtræ ſummam, ut ea præterita multum ex mortis Chriſti fructu depereat. Sunt etiam rurſum qui opinentur, non aliquid novum hic dici, ſed aliis verbis repeti, quod prius de ſepultura dictum fuerat: quandoquidem *inferni* vocabulum ſæpius in Scripturis pro *ſepulchro* ponatur. Quod de verbi ſignificatione obtendunt, verum eſſe concedo, non raro pro ſepulchro accipi inferorum: ſed eorum opinioni rationes duæ repugnant, quibus ego facile adducor, ut ab illis diſſentiam. Quantæ enim oſcitantiæ fuiſſet, rem minime difficilem verbis expeditis & claris demonſtratam, obſcuriore deinde verborum complexu intricare magis, quam declarare? Nam quoties loquutiones duæ rem eandem exprimentes ſimul connectuntur, poſteriorem eſſe prioris exegeſin convenit. At vero qualis erit iſta exegeſis, ſiquis ita loquatur, Quod Chriſtus ſepultus eſſe dicitur, ſignificat ad inferos deſcendiſſe? Deinde non eſt veriſimile, irrepere potuiſſe ſuperfluam ejuſmodi battologiam in compendium hoc, ubi ſummatim quam fieri poteſt pauciſſimis verbis præcipua fidei capita notantur. Nec dubito, quin mihi facile aſſentiantur, quicunque rem ipſam paulo diligentius expenderint.

Neque tamen eſt repudiandus.

Aut cum ſuperiore articulo de ſepultura confundendus.

9. Alii ſecus interpretantur, quod Chriſtus deſcenderit ad animas Patrum, qui ſub Lege mortui erant, ut nuncium peractæ redemptionis perferret, ac erueret eas ex carcere, ubi incluſæ tenebantur: & huc perperam trahunt teſtimonia ex Pſalmo, *quod portas æreas & vectes ferreos fregerit*. Item ex Zacharia, *quod redemerit vinctos è puteo, in quo non erat aqua*. Verum, quum Pſalmus eorum liberationes prædicet, qui in longinquis regionibus capti in vincula conjiciuntur: Zacharias autem profundo & arido puteo vel abyſſo comparet cladem Babylonicam, in qua demerſus erat populus: & ſimul doceat, totius Eccleſiæ ſalutem eſſe exitum à profundis inferis: neſcio qui factum ſit, ut poſteritas locum putaret eſſe ſubterraneum, cui affinxit nomen Limbi. Sed hæc fabula tametſi magnos auctores habet, & hodie quoque à multis ſerio pro veritate defenditur, nihil tamen quam fabula eſt. Nam concludere in carcere mortuorum animas, puerile eſt: Chriſti autem animam illuc deſcendere, ut eas manumitteret, quid opus fuit? Libenter equidem fateor, Chriſtum ipſis illuxiſſe virtute ſui Spiritus: ut gratiam, quam ſpe guſtaverant duntaxat, mundo fuiſſe tunc exhibitam agnoſcerent. Et probabili ratione huc aptari poteſt Petri locus, ubi dicit *Chriſtum veniſſe, ac prædicaſſe ſpiritibus, qui in ſpecula erant.* (carcerem vertunt communiter) nam & contextus eo nos ducit, fideles qui ante id tempus defuncti fuerant, conſortes fuiſſe ejuſdem nobiſcum gratiæ: quia vim mortis inde amplificat, quod ad mortuos uſque penetraverit, dum piæ animæ ejus viſitationis, quam ſollicite expectaverant, præſenti aſpectu ſunt potitæ: contra, reprobis clarius patuit ſe excludi ab omni ſalute. Quod autem Petrus non tam diſtincte loquitur, non ita accipiendum eſt, quaſi nullo diſcrimine pios ſimul & impios permiſceat: ſed tantum docere vult communem utriſque fuiſſe mortis Chriſti ſenſum.

Abſurda expoſitio de limbo Patrum, ad quos Chriſtum deſcendiſſe quidam volunt.

Pſal. 107. verſ. 16.
Zach. 9. verſ. 11.

Hujus fabulæ refutatio.

vid. Aug. epiſt. 99.

1 Petr. 3. verſ. 19.

10. Verum de Chriſti deſcenſu ad inferos ſepoſita ratione Symboli, certior expoſitio quærenda eſt: & nobis ex Dei verbo conſtat non modo ſancta & pia, ſed plena quoque eximiæ conſolationis. Nihil actum erat, ſi corporea tantum morte defunctus fuiſſet Chriſtus: ſed operæ ſimul pretium erat, ut divinæ ultionis ſeveritatem ſentiret: quo & iræ ipſius intercederet, & ſatisfaceret juſto judicio. Unde etiam eum oportuit cum inferorum copiis æternæque mortis horrore, quaſi conſertis manibus, luctari. Correctionem pacis noſtræ illi impoſitam fuiſſe ex Propheta nuper retulimus, fuiſſe propter ſcelera noſtra à Patre percuſſum, attritum propter noſtras infirmitates. Quibus ſignificat, in locum ſceleratorum ſponſorem, vadem, adeoque inſtar rei ſubmiſſum, qui dependeret ac perſolveret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas; uno hoc duntaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri. Ergo ſi ad inferos deſcendiſſe dicitur, nihil mirum eſt, quum eam mortem pertulerit, quæ ſceleratis ab irato Deo infligitur. Ac nimis frivola, adeoque ridicula eſt eorum exceptio, qui dicunt hoc modo perverti ordinem: quia abſurdum eſt ſepulturæ ſubjici, quod præceſſit. ubi enim quæ in hominum conſpectu paſſus eſt Chriſtus expoſita fuerunt, opportune ſubjicitur inviſibile illud & incomprehenſibile judicium, quod coram Deo ſuſtinuit: ut ſciamus non modo corpus Chriſti in pretium redemptionis fuiſſe traditum: ſed aliud majus & excellentius pretium fuiſſe, quod diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.

Articuli deſcenſus ad inferos certior expoſitio, & plena eximia conſolationis.

Jeſa. 53: 5.

Act. 2: 24.

Exceptio.

Reſponſio.

11. Hoc ſenſu dicit Petrus, *Chriſtum reſurrexiſſe ſolutis mortis doloribus, à quibus impoſſibile erat ipſum teneri, vel ſuperari.* Non ſimpliciter nominat mortem: ſed Filium Dei implicitum fuiſſe doloribus exprimit, quos parit maledictio & ira Dei: quæ origo mortis eſt. Quantulum enim fuiſſet, ſecure & quaſi per luſum prodire ad ſubeundam mortem? Hoc vero immenſæ miſericordiæ verum fuit ſpecimen, mortem quam tantopere horrebat, non refugere. Nec dubium eſt, quin idem docere velit Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos, ubi ſcribit, *Chriſtum à ſuo metu fuiſſe exauditum.* (reverentiam alii vertunt vel pietatem, ſed quam parum apte, res ipſa evincit, & ipſa etiam loquendi forma.) Chriſtus ergo cum lachrymis & clamore valido orans à metu ſuo exauditur: non ut à morte ſit immunis, ſed ne abſorbeatur, ut peccator: quia illic perſonam noſtram gerebat. Et certa nulla fingi poteſt magis formidabilis abyſſus, quam ſentire te à Deo derelictum & alienatum: & quum invocaveris, non exaudiri: perinde acſi in tuam perniciem ipſe conſpiraſſet. Eo Chriſtum videmus fuiſſe dejectum, ut coactus fuerit, urgente anguſtia, exclamare, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Quod enim nonnulli volunt, ex aliorum potius opinione, quam ex ſuo ſenſu ſic loquutum fuiſſe, nequaquam probabile eſt: quum ex intimi animi angore deductam fuiſſe vocem conſtet. Neque tamen innuimus, Deum fuiſſe unquam illi vel adverſarium vel iratum. Quomodo enim dilecto Filio, in quo animus ejus acquievit, iraſceretur? aut quomodo Chriſtus Patrem aliis ſua interceſſione placaret, quem infenſum haberet ipſe ſibi? Sed hoc nos dicimus, divinæ ſeveritatis gravitatem eum ſuſtinuiſſe: quoniam manu Dei percuſſus & afflictus, omnia irati & punientis Dei ſigna expertus eſt. Proinde Hilarius eo deſcenſu hoc nos eſſe conſequutos ratiocinatur, ut mors perempta ſit. Nec aliis locis à noſtra ſententia abludit: ut quum ait, *Crux, mors, inferi, noſtra vita ſunt.* Item alibi, *Filius Dei in infernis eſt: ſed homo refertur ad cælum.* Et quid privati hominis teſtimonium cito, quum idem Apoſtolus afferat, hunc victoriæ fructum commemorans, *quod liberati fuerint, qui metu mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti?* Vincere ergo metum oportuit, qui naturaliter cunctos mortales aſſidue angit ac urget: quod fieri non potuit, niſi pugnando. Porro fuiſſe non vulgarem aut levi de cauſa conceptum mœrorem, mox clarius patebit. Ita cum diaboli poteſtate, cum mortis horrore,

Confirmatio hujus expoſitionis, teſtimoniis Scripturæ & veterum Theologorum munita.

Act. 2: 24.

Heb. 5: 7.

Objectionis adverſus ſuperiorem confirmationem dilutio.

Pſal. 22: 2.
Matth. 27. verſ. 46.

vide Cyril. lib. 2. de recta fide ad Reginas.

lib. 4. c. 2. & 3. de Trinit.

Heb. 2: 15.

Fructus de-

ſenſus Chriſti.

rore, cum inferorum doloribus manum conſerendo, factum eſt ut & referret de illis victoriam, & triumphum ageret, ne jam in morte ea formidemus, quæ Prioceps ooſter deglutivit.

Alia objectio, Chriſto fieri injuriam, & deſperationem adſcribi, ſi metuiſſe eum dicamus. Reſp. Ex Euangeliſtis apparet Chriſtum vere timuiſſe, turbatum fuiſſe ſpiritu, expaviſſe, tentatum fuiſſe per omnia ſicut nos: attamen abſque peccato.

12. Hic oehulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis, quam inſcitia impulſi, clamitant me atrocem facere Chriſto iojuriam: quia minime conſentaneum fuerit eum de animæ ſalute timere. Deinde calumoiam durius exagitant, me deſperationem adſcribere Filio Dei, quæ fidei cootraria ſit. Primum de metu pavoreque Chriſti, quem tam aperte prædicant Euangeliſtæ, controverſia ab his improbe movetur. Nam antequam inſtaret tempus mortis, turbatus eſt ſpiritu, & affectus mœrore: in ipſo vero congreſſu cœpit expaveſcere vehementius. Simulationem ſi fuiſſe dicant, nimis putidum eſt effugium. Coofidenter ergo (ut vere docet Ambroſius) profiteri Chriſti triſtitiam coovenit, niſi nos crucis pudeat. Et ſane niſi pœnæ fuiſſet particeps anima, corporibus tantum fuiſſet Redemptor. Luctari autem oportuit, ut erigeret, qui proſtrati jacebant: adeoque nihil inde cæleſti ejus gloriæ decedit, ut hac in parte refulgeat bonitas nunquam ſatis laudata, quod infirmitates noſtras in ſe ſuſcipere gravatus non eſt. Uode etiam ſolatium illud anxietatum & dolotum, quod nobis proponit Apo-
Heb. 4:15. ſtolus, *Mediatorem hunc expertum eſſe noſtras infirmitates, ut ad ſuccurrendum miſeris propenſior ſit.* Obtendunt, quod vitioſum per ſe eſt, indigne Chriſto tribui.

Inſtantia diluitur.

Quaſi vero ſupra Spiritum Dei ſapiant, qui hæc duo ſimul coociliat, Chriſtum fuiſſe teotatum per omnia ſicut nos, & tamen abſque peccato.

Cur Chriſtus infirmus fieri voluerit.

Non eſt igitur cur nos terreat iofirmitas Chriſti, cui ut ſe ſubjiceret, noo violentia aut neceſſitate coactus, ſed mero amore noſtri, miſericordiaque inductus eſt. Quicquid autem ſponte paſſus eſt pro nobis, oihil ex ejus minuit virtute.

Motus Chriſti ſine peccato.

In uno autem falluntur iſti obtrectatores, quod infirmitatem in Chriſto omni vitio labeque puram & vacuam non agnoſcunt: quia ſe intra obedientiæ fines continuit. Nam quia moderatio in naturæ noſtræ depravatione conſpici non poteſt, ubi omnes affectus turbido impetu modum excedunt, hac ulna perperam metiuotur Filium Dei. At quum integer eſſet, io cunctis ejus affectibus viguit moderatio, quæ exceſſum cohiberet. Unde nobis in dolore, metu & formidine ſimilis eſſe potuit, ut tamen hac nota differret.

Alia inſtantia diluitur, qua quæſtio explicatur, An & cur Chriſtus mortem metuerit.

Convicti ad aliud tandem cavillum tranſiliunt, quamvis mortem timuerit Chriſtus, maledictionem & iram Dei, à qua ſe tutum eſſe noverat, oon timuiſſe. Sed expendant pii lectores, quam honorificum hoc ſit Chriſto, molliorem ac magis meticuloſum fuiſſe, quam pleroſque gregarios homines. Contumaciter ad mortem properaot latrones aliique malefici: eam multi alto animo deſpiciunt: alii placide eam obeuot. Ejus horrore Filium Dei fuiſſe perculſum & prope attonitum, cujus fuiſſet conſtantiæ vel magnitudiois? Quod enim prodigioſum cenſeri vulgo poſſet, de eo refertur, præ vehementia cruciatus guttas ſanguinis ex ejus facie fluxiſſe. Neque vero ſpectaculum hoc præbuit aliorum oculis, quum in arcano receſſu gemitus ſuos ad Patrem dirigeret. Ex dubitationem eximit, quod Angelos, qui inſolita conſolatiooe eum erigerent, è cælo deſcendere neceſſe fuit. Quam pudenda, ut dixi, fuiſſet hæc mollities, eo uſque torqueri ob communis mortis formidinem, ut ſanguineo ſudore diffluere, neque poſſet recreari, niſi Augelorum con-
Matth. 26. verſ. 39. ſpectu? Quid? illa precatio ter repetita, *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte*, annon ex incredibili amaritudine animi profecta, oſtendit aſperius & magis arduum fuiſſe Chriſto certamen, quam cum morte communi? Uode apparet nugatores iſtos, cum quibus diſputo, audacter garrire de rebus incognitis: quia nunquam ſerio reputarunt, quid ſit aut valeat nos redemptos eſſe à Dei judicio. Atqui hæc noſtra ſapieotia eſt, probe ſentire quanti conſtiterit Dei Filio noſtra ſalus.

Quando Chriſtus deſcenderit ad inferos.

Si nunc roget quiſpiam, an tuoc deſcenderit Chriſtus ad ioferos, quum mortem deprecatus eſt: reſpondeo hoc fuiſſe exordium, unde colligi poteſt, quam diros & horribiles cruciatus perpeſſus fuerit, quum ſe ad tribunal Dei reum ſtare cognoſceret noſtra cauſa.

Quomodo.

Quaoquam autem ſeſe ad momentum occultavit divina vis Spiritus, ut locum infirmitati carnis cederet: ſciendum tamen eſt, talem fuiſſe tentationem ex doloris & metus ſenſu, quæ cum fide non pugnaret. Et hoc modo impletum eſt, quod habetur in concione Petri, *non* Act. 2: 24.
potuiſſe eum teneri à doloribus mortis: quia ſe quaſi derelictum à Deo ſentiens, ne tantillum quidem deflexit à bonitatis ejus fiducia. Quod docet celebris illa invocatio, in qua præ doloris vehementia clamavit, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti* Matth. 27. verſ. 46.
me? Nam etſi ſupra modum angitur, non tamen deſinit vocare Deum ſuum, à quo ſe derelictum exclamat.

Ex ſupradictis refellitur error Apollinaris.

Porro hinc refellitur tam Apollinaris error, quam eorum qui Moothelitæ dicti ſunt. Ille Chriſto fingebat ſpiritum æternum fuiſſe animæ vice, ut tantum eſſet dimidius homo. Quaſi vero expiare peccata ooſtra potuerit, oiſi Patri obediendo. Ubi autem affectus aut voluntas obedientiæ, niſi in anima? quam ideo turbatam fuiſſe ſcimus, ut noſtræ, trepidatione diſcuſſa, pacem & quietem obtineant.

Et Monothelitarum.

Adhæc, contra Moothelitas, videmus ut nunc ſecundum homioem noluerit, quod volebat ſecundum divinam naturam. Omitto quod metum, de quo loquuti ſumus, contrario affectu ſubigat: oeque enim obſcura eſt illa repugnantiæ ſpecies, *Pa-* Joan. 12. verſ. 27. 28.
ter, libera me ex hac hora: ſed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. In qua tamen perplexitate oulla fuit iotemperies, qualis in nobis cernitur dum maxime nitimur ad nos domandos.

De reſurrectione Chriſti.

13. Sequitur à mortuis reſurrectio, ſine qua mutilum eſſet quod hactenus diximus. Quando enim in cruce, morte, & ſepultura Chriſti nonniſi infirmitas apparet, tranſilienda ſunt illa omnia fidei, ut pleno robore inſtruatur.

Hujus multiplex fructus.

Proinde tametſi in ejus morte habemus ſolidum ſalutis complementum, quia per eam & Deo reconciliati ſumus, & juſto ejus judicio ſatisfactum, & maledictio ſublata, & perſoluta eſt pœna: dicimur tamen non per mortem, ſed per reſurrectionem regenerati in ſpem vivam. quia, ut ille reſurgendo victor mortis emer- 1 Pet. 1: 3.
ſit, ita fidei noſtræ victoria io ipſa demum cooſiſtit reſurrectione. Quale hoc ſit, melius Pauli verbis exprimitur: *mortuum* enim dicit *propter peccata noſtra,* Rom. 4. verſ. 25.
ſuſcitatum propter noſtram juſtificationem. acſi diceret, morte ejus ſublatum peccatum, reſurrectione ioſtauratam reſtitutamque juſtitiam.

1. Inſtaurata reſtitutaque nobis eſt coram Deo juſtitia.

Quomodo enim moriendo liberare nos à morte poterat, ſi morti ipſe ſuccubuiſſet? quomodo comparaſſet nobis victoriam, ſi io certamine defeciſſet? Quare ſic ſalutis noſtræ materiam inter Chriſti mortem & reſurrectionem partimur, quod per illam peccatum abolitum, & mors extiocta: per hanc, juſtitia reparata, & erecta vita: ſic tamen ut hujus beneficio vim efficaciamque ſuam illa nobis proferat. Itaque Paulus Rom. 1: 4.
in ipſa reſurrectione declaratum fuiſſe Filium Dei aſſerit: quia tunc demum exeruit cæleſtem potentiam, quæ & clarum divinitatis ejus ſpeculum eſt, & ſtabilis fidei noſtræ fultura: ſicuti etiam alibi docet, 2 Cor. 13. verſ. 4.
paſſum fuiſſe pro infirmitate carnis, reſurrexiſſe autem ex virtute Spiritus. Eodem ſenſu alibi de perfectio- Phil. 3: 10.
ne differens, *Ut cognoſcam illum*, inquit, *& potentiam reſurrectionis illius.* Continuo tamen poſt ſocietatem cum morte annectit. Cui aptiſſime congruit illud Petri, *Deum ſuſcitaſſe eum à mortuis, &* 1 Pet. 1: 21.
dediſſe illi gloriam: ut fides & ſpes noſtra eſſet in Deo. non quod fides morte ſuffulta vacillet, ſed quia

virtus Dei, quæ ſub fide nos cuſtodit, in ipſa maxime reſurrectione ſeſe aperit. Proinde memioerimus, quoties ſolius mortis ſit mentio, ſimul comprehendi quod proprium eſt reſurrectionis: parem quoque ſynecdochen eſſe in voce *reſurrectionis*, quoties ſeorſum à morte ponitur: ut ſecum trahat, quod peculiariter morti convenit.

2. Ejus vita eſt fides ac ſpes noſtra baſis, item nova vita in nobis cauſa efficax.

Sed quia reſurgendo palmam adeptus eſt, ut fieret reſurrectio & vita: merito contendit Paulus *abolitam eſſe fidem, & inane fallaxque Euangelium, niſi Chriſti reſurrectio cordibus noſtris ſit infixa.* Ideo alibi, poſtquam in Chriſti morte adverſus damnationis terrores gloriatus eſt, amplificandi cauſa addit, *Imo idem qui mortuus eſt reſurrexit, & nunc coram Deo pro nobis apparet Mediator.*

1 Cor. 15. verſ. 17.
Rom. 8. verſ. 34.

Deinde, quemadmodum ante expoſuimus ex communicatione crucis pendere carnis noſtræ mortificationem: ſic & alterum ex ejus reſurrectione fructum nos obtinere illi reſpondentem intelligendum eſt. *Ideo enim*, inquit Apoſtolus, *ſimilitudini mortis ejus inſiti ſumus, ut participes reſurrectionis, in vitæ novitate ambulemus.*

Rom 6: 5
Col. 3: 5.

Itaque alibi, ut argumentum ex eo, quod Chriſto ſumus commortui, deducit, mortificanda eſſe membra noſtra ſuper terram:

Col. 3: 1.

ita etiam, quia cum Chriſto ſurreximus, ex eo infert, quæ ſurſum ſunt, nobis eſſe quærenda, non quæ ſuper terram. Quibus verbis non invitamur duntaxat, exemplo ſuſcitati Chriſti, ad ſectandam vitæ novitatem: ſed ejus fieri virtute docemur, ut regeneremur in juſtitiam.

3. Eſt pignus futuræ reſurrectionis corporum noſtrorum.

Tertium quoque ex ea fructum conſequimur, quod veluti accepta arrha, ſecuri reddimur de noſtra ipſorum reſurrectione, cujus illam eſſe certiſſimam hypoſtaſin conſtat, qua de re prolixius diſputat 1. Cor. 15. Obiter autem annotandum eſt, quod dicitur *ex mortuis reſurrexiſſe:* qua voce & mortis & reſurrectionis veritas exprimitur: acſi diceretur, & eandem, qua cæteri homines naturaliter defunguntur, mortem obiiſſe, & in eadem, quam mortalem ſuſceperat, carne immortalitatem recepiſſe.

De Chriſti aſcenſu in cælum.

14. Reſurrectioni non abs re annectitur in cælum aſcenſus. Etſi enim gloriam virtutemque ſuam Chriſtus reſurgendo plenius illuſtrare cœpit, depoſita jam ſcilicet abjecta & ignobili conditione mortalis vitæ & crucis ignominia: ſua tamen demum in cælum aſcenſione regnum ſuum vere auſpicatus eſt.

Cur in cælum aſcenderit.
Eph. 4: 10.

Quod Apoſtolus oſtendit, quum docet, *illum aſcendiſſe, ut impleret omnia*: ubi in ſpecie repugnantiæ admonet pulchrum eſſe conſenſum: quia ſic à nobis diſceſſit, ut ejus diſceſſus eſſet utilior ea præſentia, quæ in humili carnis domicilio ſe continebat, quantiſper in terris verſatus eſt. Itaque Joannes, ubi præclaram illam invitationem retulit, *Siquis ſitit, veniat ad me*, &c. ſubjicit, *nondum fuiſſe tunc fidelibus datum Spiritum: quia nondum glorificatus erat Jeſus.*

Joan. 7. verſ. 37.

Quod etiam teſtatus eſt diſcipulis ipſe Dominus, *Expedit vobis, ut abeam: niſi enim abiero, Spiritus ſanctus non veniet.*

Joan. 16. verſ. 17.

Corporalis vero abſentiæ ſolatium proponit, quod non deſeret pupillos, ſed iterum ad eos veniet, inviſibili quidem modo, ſed magis optabili: quia tunc certiore experientia edocti ſunt, imperium, quo potitur, & quam exercet potentiam non modo ad beate vivendum, ſed feliciter quoque moriendum fidelibus ſufficere.

Hujus aſcenſionis fructus.

Et ſane videmus, quanto majorem Spiritus ſui abundantiam tum effuderit, quanto magnificentius regnum ſuum promoverit, quanto majorem potentiam tum in adjuvandis ſuis, tum in hoſtibus dejiciendis extulerit. In cælum ergo ſublatus, corporis ſui præſentiam è conſpectu noſtro ſuſtulit: non ut adeſſe fidelibus deſineret, qui adhuc in terris peregrinarentur, ſed ut præſentiore virtute & cælum & terram regeret. Quin potius, quod pollicitus eſt, ſe futurum nobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi, id ſua hac aſcenſione præſtitit: qua ut corpus ſupra omnes cælos elevatum eſt, ita virtus & efficacia ultra omnes cæli ac terræ fines diffuſa propagataque eſt. Hoc Auguſtini verbis malo, quam meis explicare. *Iturus*, inquit, *per mortem erat Chriſtus ad dexteram Patris, unde venturus eſt ad vivos & mortuos judicandos: præſentia itidem corporali, ſecundum ſanam doctrinam fideique regulam. Nam præſentia ſpirituali cum eis erat venturus poſt aſcenſionem ſuam.*

Tract. in Euangel. Joan. 109.

Et alibi fuſius ac clarius. Secundum ineffabilem & inviſibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum eſt, *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.*

Math. 28. verſ. 20.

Secundum carnem vero quam Verbum aſſumpſit, ſecundum id quod de Virgine natus eſt, ſecundum id quod à Judæis comprehenſus eſt, quod ligno confixus, quod de cruce depoſitus, quod linteis involutus, quod in ſepulchro conditus, quod in reſurrectione manifeſtatus, non ſemper habebitis me vobiſcum. Quare? Quoniam converſatus eſt ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis, & eis deducentibus videndo, non ſequendo, aſcendit in cælum, & non eſt hic: ibi enim ſedet ad dexteram Patris, & hic eſt: non enim receſſit præſentia majeſtatis. Ergo ſecundum præſentiam majeſtatis, ſemper habemus Chriſtum: ſecundum præſentiam carnis, recte dictum eſt diſcipulis, *Me autem non ſemper habebitis.* Habuit enim illum Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus: modo fide tenet, oculis non videt.

Actor. 1. verſ. 3, 9.
Joan. 12: 8.

De ſeſſione Chriſti ad Patris dexteram.

15. Quare mox ſubjicitur, conſediſſe ad Patris dexteram: ſimilitudine ſcilicet à principibus ſumpta, qui ſuos habent aſſeſſores, quibus regendi imperandique vices demandant. Ita Chriſtus, in quo exaltari, & per cujus manum regnare vult Pater, in ejus dexteram receptus dicitur, acſi diceretur cæli ac terræ dominio inauguratus, commiſſæ ſibi adminiſtrationis poſſeſſionem ſolenniter adiiſſe: nec ſemel adiiſſe tantum, ſed in ea perſtare, donec ad judicium deſcendat.

Marc. 16. verſ. 19.
Heb. 1: 3.

Quid ſit, ſedere ad dexteram Patris.

Sic enim Apoſtolus interpretatur, quum ita loquitur, *Conſtituit illum Pater ad dexteram ſuam ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed in futuro*: &c, *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput Eccleſiæ ſupra omnia*, &c. Vides quorſum pertineat illa ſeſſio; nempe, ut ejus majeſtatem, tum cæleſtes, tum terrenæ creaturæ ſuſpiciant, manu ejus regantur, nutum intueantur, virtuti ſubjectæ ſint. Neque aliud volunt Apoſtoli, quum illam toties commemorant, quam ut ejus arbitrio permiſſa eſſe univerſa doceant. Quare non recte illi, qui beatitudinem ſimpliciter deſignari putant.

Eph. 1: 20.
Philip. 2: 9.
1 Cor. 15. verſ. 27.
Eph. 4: 15.
Actor. 2. verſ. 33, 34. & 3: 21.
Heb. 2: 4.

Porro nihil refert quod in Actis Stephanus eum ſtantem ſe videre teſtatur, quia non de corporis conſtitutione, ſed imperii majeſtate hic agitur: ut *ſedere* nihil aliud ſit, quam cæleſti tribunali præſidere.

Act. 7: 55.

Fructus multiplex aſcenſus Chriſti.
1. Aditum regni, qui per Adam præcluſus fuerat, aperit.

16. Hinc multiplicem fructum colligit fides. Siquidem intelligit, Dominum ſuo in cælum aſcenſu aditum regni cæleſtis, qui per Adam præcluſus fuerat, aperuiſſe. Quando enim in carne noſtra, quaſi noſtro nomine eo ingreſſus eſt, inde ſequitur, quod ait Apoſtolus, nos quodammodo in cæleſtibus jam in ipſo conſidere, utpote qui cælum non ſpe nuda expectemus, ſed in capite noſtro poſſideamus.

Auguſt. de fide & Symb. c. 8.
Eph. 2: 6.
Heb. 7: 25. & 9: 11.

2. Intercedit pro nobis apud Patrem.

Deinde agnoſcit illum non ſine magno noſtro bono apud Patrem reſidere. Sanctuarium enim non manufactum ingreſſus, coram facie Patris aſſiduus pro nobis advocatus & interceſſor apparet: ejus oculos in ſuam juſtitiam ita convertit, ut à peccatis noſtris avertat: ejus animum ita nobis reconciliat, ut viam & acceſſum nobis ſternat ad ejus thronum ſua interceſſione, ipſum gratia & clementia replens, qui alioqui miſeris peccatoribus plenus horroris futurus erat.

Rom. 8: 34.
3 Transfuſa inde ad nos ſua virtute

Tertio potentiam ejus apprehendit, in qua ſitum eſt noſtrum robur, virtus, opes, & adverſus inferos gloriatio. Nam aſcendens in cælum, capti-

vam

multa ad ſalutem præſtaretis nobis operatur. Eph. 4: 8.

vam duxit captivitatem, & ſpoliatis hoſtibus locupletavit populum ſuum, ac quotidie ſpiritualibus divitiis cumulat. In excelſis ergo ſedet, ut transfuſa inde ad nos ſua virtute, in vitam ſpiritualem nos vivificet, ut Spiritu ſuo ſanctificet, ut variis gratiarum dotibus Eccleſiam ſuam exornet, ut protectione ſua tutam adverſus omnes noxas conſervet, ut ferocientes crucis ſuæ ac noſtræ ſalutis hoſtes manus ſuæ fortitudine coerceat, denique ut omnem teneat poteſtatem in cælo & in terra: donec inimicos omnes ſuos, qui etiam noſtri ſunt, proſtraverit, ac Eccleſiæ ſuæ ædificationem conſummarit. Atque hic verus eſt regni ejus ſtatus, hæc poteſtas, quam in eum contulit Pater, donec ultimum actum ad vivorum & mortuorum judicium adveniens compleat.

Pſal. 110. verſ. 1.

De reditu Chriſti ad judicium.

17. Non obſcura quidem præſentiſſimæ virtutis documenta præbet ſuis Chriſtus: ſed quia ſub carnis humilitate quodammodo in terris deliteſcit ejus regnum, optimo jure vocatur fides ad cogitandam viſibilem illam præſentiam, quam ſupremo die manifeſtabit. Viſibili enim forma è cælo deſcendet, qualis aſcendere viſus eſt: ac omnibus apparebit cum ineffabili regni ſoi majeſtate, cum immortalitatis fulgore, cum immenſa divinitatis potentia, cum Angelorom ſatellitio. Inde igitur illum jubemur Redemptorem expectare ad diem illum, quo agnos ſegregabit ab hoedis, electos à reprobis: nec erit quiſquam aut vivorum aut mortuorum, qui judicium ejus effugiat. Ab extremis enim orbis angulis exaudietur tubæ clangor, quo ad ipſius tribunal accerſentur omnes, tum quos dies ille ſuperſtites deprehendet, tum quos jam anteà vivorum conſortio mors ſuſtulerit. Sunt qui ſecus *vivorum & mortuorum* vocabula hic accipiant: & ſane videmus quoſdam veterum in particulæ iſtius expoſitione hæſitaſſe: ſed ille ſenſus, ut planus eſt & dilucidus, ita Symbolo longe convenientior eſt, quod populariter ſcriptum eſſe conſtat. Neque repugnat, quod Apoſtolus aſſerit, *omnibus hominibus conſtitutum ſemel mori.* Nam etſi non morientur naturali modo & ordine, qui ad judicium ultimum in vita mortali ſupererunt, mutatio tamen illa quam patientur, quia inſtar mortis erit, non impropriè mors appellatur. Non omnes quidem dormituros certum eſt, ſed immutabuntur omnes. Quid illud eſt? Interibit & abſorbebitur uno momento mortalis eorum vita, & in novam penitus naturam transformabitur. Interitum iſtum carnis nemo negaverit mortem eſſe: manet tamen interim verum, quod vivi & mortui ad judicium citabuntur: quia mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde, qui reliqui erunt & ſuperſtites, obviam Domino cum illis rapientur in aëra. Et certe veriſimile eſt hanc particulam ex concione Petri, quam refert Lucas, deſumptam fuiſſe, & ſolenni Pauli ad Timotheum obteſtatione.

Qualis erit. Act. 1: 11. Matth. 24. verſ. 30. Matth. 25. verſ. 31. 1 Theſſ. 4. verſ. 16, 17.

Qui ſint vivi illi & mortui judicandi.

Conciliatio locorum ſpecie tenus pugnantium. Heb. 9: 27.

1 Cor. 15. verſ. 51. *Modus judicii.*

1 Theſſ. 4. verſ. 16, 17.

Act. 10: 42. 2 Tim. 4: 1.

Fructus doctrinæ de Chriſti reditu ad judicium.

18. Hinc egregia exoritur conſolatio, quod penes eum judicium audimus eſſe, qui nos ſibi in judicando honoris conſortes jam deſtinavit: tantum abeſt, ut in condemnationem noſtram tribunal ſit conſcenſurus. Quomodo enim perderet populum ſuum clementiſſimus Princeps? quomodo membra ſua caput diſſiparet? quomodo ſuos clientes patronus condemnaret? Nam ſi audet exclamare Apoſtolus, *Chriſto intercedente nullum prodire poſſe, qui condemnet*: multo verius eſt, Chriſtum ipſum interceſſorem non condemnaturum eos, quos in fidem clientelamque ſuam recepit. Non modica certe ſecuritas, quod non ad aliud tribunal ſiſtemur, quam Redemptoris noſtri, à quo ſalus ſit expectanda: præterea, quod ille, qui per Euangelium nunc æternam beatitudinem promittit, tunc ratam promiſſionem judicando facturus eſt. Ergo in hunc finem Pater Filium honoravit, omne judicium illi deferendo, ut ita conſcientiis ſuorum, terrore judicii trepidis, conſuluerit. Hactenus Symboli Apoſtolici ordinem ſequutus ſum: quia dum paucis verbis capita redemptionis perſtringit, vice tabulæ nobis eſſe poteſt, in qua diſtincte & ſigillatim perſpicimus, quæ in Chriſto attentione digna ſunt. Apoſtolicum autem nuncupo, de auctore interim minime ſollicitus. Apoſtolis certe magno veterum Scriptorum conſenſu adſcribitur: ſive quod ab illis in commune conſcriptum ac editum exiſtimabant, ſive quod compendium iſtud ex doctrina per eorum manus tradita, bona fide collectum tali elogio confirmandum cenſuerunt. Neque vero mihi dubium eſt, quin à prima ſtatim Eccleſiæ origine, adeoque ab ipſo Apoſtolorum ſeculo, inſtar publicæ & omnium calculis receptæ confeſſionis obtinuerit, undecunque tandem initio fuerit profectum. Nec ab uno aliquo privatim fuiſſe conſcriptum veriſimile eſt, quum ab ultima uſque memoria ſacroſanctæ inter pios omnes auctoritatis fuiſſe conſtet. Quod unice curandum eſt id extra controverſiam poſitum habemus, totam in eo fidei noſtræ hiſtoriam ſuccincte diſtinctoque ordine recenſeri, nihil autem contineri, quod ſolidis Scripturæ teſtimoniis non ſit conſignatum. Quo intellecto, de auctore vel anxie laborare, vel cum aliquo digladiari, nihil attinet: niſi cui forte non ſufficiat certam habere Spiritus ſancti veritatem, ut non ſimul intelligat aut cujus ore enunciata, aut cujus manu deſcripta fuerit.

Rom. 8. verſ. 33.

vid. Ambr. lib. 1. de Sac. cap. 6.

Joan. 5: 22.

Tertia pars capitis, quid de Symbolo Apoſtolico ſentiendum ſit, explicans.

Summa Symboli Apoſtolici.

19 Quando autem totam ſalutis noſtræ ſummam ac ſingulas etiam partes videmus in Chriſto comprehenſas, cavendum ne vel minimam portiunculam alio derivemus. Si ſalus quæritur, ipſo nomine JESU docemur penes eum eſſe: ſi Spiritus alia quælibet dona, in ejus unctione reperientur: ſi fortitudo, in ejus dominio: ſi puritas, in ejus conceptione: ſi indulgentia, in ejus nativitate ſe profert, qua factus eſt nobis per omnia ſimilis, ut condoleſcere diſceret: ſi redemptio, in ejus paſſione: ſi abſolutio, in ejus damnatione: ſi maledictionis remiſſio, in ejus cruce: ſi ſatisfactio, in ejus ſacrificio: ſi purgatio, in ejus ſanguine: ſi reconciliatio, in deſcenſu ad inferos: ſi mortificatio carnis, in ejus ſepulchro: ſi vitæ novitas, in ejus reſurrectione: ſi immortalitas, in eadem: ſi hæreditas regni cæleſtis, in cæli ingreſſu: ſi præſidium, ſi ſecuritas, ſi bonorum omnium copia & facultas, in ejus regno: ſi ſecura judicii expectatio, in poteſtate judicandi illi tradita. Denique in ipſo theſauri omne genus bonorum quum ſint, inde ad ſatietatem hauriantur, non aliunde. Nam qui uno ipſo non contenti, feruntur huc atque illuc in ſpes varias, etiamſi in illum præcipue reſpiciunt, eo tamen ipſo rectam viam non tenent, quod aliquam ſuæ cogitationis partem alio deflectunt. Quanquam irrepere diffidentia iſta non poteſt, ubi ſemel abundantia bonorum ejus probe cognita fuerit.

Poſtrema pars, ſeu concluſio totius capitis, quæ in Chriſto omnium Dei electorum ſalutem & ſingulas ſalutis partes comprehenſas eſſe demonſtrat.

Act. 4: 12. 1 Cor. 1. verſ. 30. Heb. 2: 17. Gal. 3: 13.

CAP. XVII.

Recte & proprie dici Chriſtum nobis promeritum eſſe gratiam Dei & ſalutem.

Partes Capitis.

1. *Variis rationibus & teſtimoniis probatur gratiam Dei & meritum Chriſti (qui ſalutis noſtræ princeps & auctor eſt) recte conſiſtere poſſe, ſect. 1. & 2.*
2. *Chriſtum ſua obedientia (uſque ad mortem crucis, quæ fuit pretium redemptionis noſtræ) vere nobis gratiam apud Patrem eſſe promeritum, ſect. 3. 4. & 5.*
3. *Scholaſticorum curioſa temeritas in hujus doctrinæ tractatione retunditur, ſect. 6.*

Chriſtus non eſt duntaxat miniſter ſalutis.

HÆc etiam quæſtio vice auctarii expedienda eſt. Sunt enim homines quidam perperam arguti, qui etſi fatentur ſalutem nos per Chriſtum coosequi, nomen tamen meriti audire non ſuſtioent, quo putant obſcurari Dei gratiam: atque ita Cbriſtum volunt inſtrumentum eſſe duntaxat, vel miniſtrum, non auctorem

Act. 3: 15. *Sed auctor & princeps.*

vitæ, vel ducem & principem, ſicuti à Petro vocatur. Equidem fateor, ſi quis ſimpliciter & per ſe Chriſtum opponere vellet judicio Dei, non fore merito locum: quia non reperietur io homine dignitas, quæ poſſit Deum promereri: imo, ut veriſſime

lib. 1. de prædeſt. ſanct. c. 15.

Auguſtious ſcribit, *Clariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe eſt ſalvator homo* CHRISTUS JESUS, *qui ut hoc eſſet, nullis operum vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo eſt, comparavit.* Reſpondeatur quæſo, ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus, Filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruerit. Appareat igitur in noſtro capite ipſe fons gratiæ, unde ſecundum uniuſcujuſque menſuram per cuncta ejus membra ſe diffuodit. Ea gratia quiſque ab initio fidei ſuæ fit Chriſtianus, qua homo ille ab initio ſuo factus eſt Cbriſtus. Item alibi, *Nullum illuſtrius eſt prædeſtinationis exemplum, quam ipſe Mediator. Qui enim hunc fecit ex ſemine David hominem juſtum, qui nunquam eſſet injuſtus, ſine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipſe ex injuſtis facit juſtos, qui membra ſunt illius capitis.* & quæ ſequuotur.

de bono perſever. cap. ult.

Neque ita loquendo obſcuratur Dei gratia

Quum ergo de Cbriſti merito agitur, non ſtatuitur io eo principium: ſed conſcendimus ad Dei ordinationem, quæ prima cauſa eſt: quia mero beneplacito Mediatorem ſtatuit, qui nobis ſalutem acquireret.

Quia Chriſti meritum non opponitur miſericordiæ Dei.

Atque ita inſcite opponitur Cbriſti meritum miſericordiæ Dei. Regula enim vulgaris eſt, quæ ſubalterna ſunt, non pugnare: ideoque nihil obſtat, quominus gratuita ſit hominum juſtificatio ex mera Dei miſericordia, & ſimul interveniat Chriſti meritum, quod Dei miſericordiæ ſubjicitur. Noſtris autem operibus apte opponitur, tam gratuitus Dei favor, quam Chriſti obedientia: ſuo ordine utrumque. Nam Cbriſtus nonniſi ex Dei beneplacito quicquam mereri potuit: ſed quia ad hoc deſtinatus erat, ut iram Dei ſacrificio ſuo placaret, ſuaque obedientia deleret transgreſſiones noſtras. In ſumma, quando

Sed ab ea dependet.

ex ſola Dei gratia (quæ huoc nobis conſtituit ſalutis modum) dependet meritum Chriſti, non minus apte quam illa humanis omoibus juſtitiis opponitur.

Hæc duo autem recte conſiſtere poſſe probatur variis teſtimoniis, quæ utrumque ſimul connectunt.

2. Hæc diſtinctio colligitur ex plurimis Scripturæ locis. *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut quiſquis credit in eum non pereat.* Videmus ut priorem locum teneat Dei dilectio, tanquam ſumma cauſa vel origo: ſequatur fides in Chriſtum, tanquam cauſa ſecunda & propior. Si quis excipiat, Chriſtum nonniſi formalem eſſe cauſam, magis extenuat ejus virtutem quam ferant verba. Nam ſi fide, quæ in ipſum recumbit, juſtitiam conſequimur, ſalutis noſtræ materia io eo quærenda: quod pluribus locis clare probatur. Non quod priores dilexerimus eum, ſed ipſe nos prior dilexit, ac Filium ſuum miſit ἱλαςμὸν pro peccatis noſtris. Clare his verbis demooſtratur, Deum, nequid ſuo erga nos amori obſtaret, reconciliandi modum ſtatuiſſe in Chriſto. Ac magnum pondus habet nomen placationis: quia Deus ineffabili quodam modo, quo tempore nos amabat, ſimul tameo erat ioſenſus nobis, donec reconciliatus eſt in Cbriſto. Quo pertinent omnes iſtæ ſententiæ, *Ipſe expiatio eſt pro peccatis noſtris.* Item, *Placuit Deo reconciliare per ipſum omnia erga ſe, pacificans per ſanguinem crucis ejus per ipſum,* &c. Item, *Erat Deus in Chriſto mundum ſibi reconcilians, non imputans hominibus peccata.* Item, *Gratos nos habuit in dilecto Filio.* Item, *Ut ambos in unum hominem reconciliaret Deo per crucem.* Ratio hujus myſterii ex primo ad Epheſios capite petenda eſt, ubi poſtquam docuit Paulus *nos in Chriſto fuiſſe electos,* ſimul addit, *nos in eodem gratiam eſſe adeptos.* Quomodo cœpit Deus favore ſuo complecti, quos ante conditum mundum dilexerat, niſi quia amorem ſuum exeruit, ubi reconciliatus eſt Chriſti ſanguine? Nam quia Deus fons eſt omnis juſtitiæ, neceſſe eſt, ut homo, quamdiu peccator eſt, illum habeat hoſtem & judicem. Quare principium amoris eſt juſtitia, qualis à Paulo deſcribitur, *Eum qui peccatum non fecerat, pro nobis peccatum fecit, ut eſſemus juſtitia Dei in ipſo.* Significat enim, gratuitam juſtitiam adeptos Chriſti ſacrificio, ut Deo placeamus, qui natura ſumus filii iræ, & per peccatum alienati. Cæterum hæc diſtinctio etiam notatur, quoties Dei charitati adjuogitur Chriſti gratia, unde ſequitur, eum de ſuo, quod acquiſivit, nobis largiri: quia non aliter quadraret, ſeorſum à Patre ei adſcribi hanc laudem, quod gratia ejus ſit, & ab ipſo proveniat.

Joan. 3: 16.

1 Joan. 4. verſ. 10.

1 Joan. 2. verſ. 2.

Coloſſ. 1. verſ. 19. 20.

2 Cor. 5. verſ. 19.

Eph. 1: 6.

Eph. 2: 16.

2 Cor. 5. verſ. 21.

Altera pars, & præcipua quidem hujus capitis, probans Chriſtum ſua obedientia vere nobis apud Patrem gratiam eſſe promeritum.

3. Quod aotem vere Chriſtus ſua obedientia nobis gratiam apud Patrem acquiſierit ac promeritus ſit, ex pluribus Scripturæ locis certo & ſolide colligitur. Nam hoc pro confeſſo ſumo: ſi pro peccatis noſtris Chriſtus ſatisfecit, ſi pœnam nobis debitam perſolvit, ſi obedientia ſua Deum placavit, denique ſi juſtus pro injuſtis paſſus eſt: juſtitia ejus partam nobis ſalutem: quod taotuodem valet ac promereri. Atqui, teſte Paulo, recoociliati ſumus, & reconciliatiooem accepimus per ejus mortem. Atqui reconciliatio locum non habet, niſi ubi offenſio præceſſit. Senſus ergo eſt, Deum, cui propter peccatum eramus exoſi, morte Filii ſui placatum fuiſſe, ut nobis ſit propitius. Ac diligenter notanda eſt, quæ paulo poſt ſequitur, antitheſis, *Sicut per transgreſſionem unius, peccatores conſtituti ſunt multi: ſic & per obedientiam juſti conſtituuntur multi.* Senſus enim eſt, Sicut Adæ peccato alienati à Deo ſumus & deſtinati ad interitum, ita Chriſti obedientia nos in favorem recipi tanquam juſtos. Nec futurum verbi tempus præſentem juſtitiam excludit: ſicut ex contextu apparet. Nam & prius dixerat, χάριςμα ex multis delictis eſſe in juſtificationem.

Rom. 5. verſ. 11.

Rom. 5. verſ. 19.

Gratia hæc nobis contigit per ſanguinem Chriſti effuſionem & mortem, ad quam uſque

4. Cæterum quum dicimus Chriſti merito partam nobis eſſe gratiam, hoc intelligimus, ſanguine ejus nos fuiſſe muodatos, & ejus mortem expiationem fuiſſe pro peccatis. *Sanguis ejus emundat nos à peccato. Hic ſanguis eſt, qui effunditur in remiſſionem peccatorum.* Si hic effectus eſt fuſi ſaoguinis, ut non imputentur nobis peccata: ſequitur, eo pretio

ſatis-

ſuſtus eſt Patri obediens, Phil. 2: 8. ſatisfactum eſſe judicio Dei. Quo pertinet illud
1 Joan. 1. verſ. 7. Baptiſtæ, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.*
Nam omnibus Legis ſacrificiis Chriſtum opponit,
ut impletum in eo ſolo doceat, quod figuræ illæ
monſtrarunt. Scimus autem quid paſſim dicat Mo-
Luc. 22: 20. ſes, *Expiabitur iniquitas, peccatum delebitur ac re-*
Joan. 1: 29. *mittetur.* Denique in veteribus figuris optime doce-
mur, quæ ſit mortis Chriſti vis & efficacia. Et hanc
rem Apoſtolus, dextre ſumpto hoc principio, in epi-
Heb. 9: 22. ſtola ad Hebræos explicat, *quod remiſſio abſque ſan-*
guinis effuſione non fiat. Unde colligit, *Chriſtum in*
abolitionem peccati per ſuum ſacrificium ſemel appa-
ruiſſe. Item, *Oblatum eſſe, ut multorum tolleret peccata.*
ibid. v. 12. Dixerat autem prius, non per ſanguinem hircorum
aut vitulorum, ſed per ſanguinem proprium ſemel
intraſſe in ſancta, æterna redemptione inventa. Jam
ibid. v. 13. dum in hunc modum ratiocinatur, Si ſanguis vitu-
læ ſanctificat ſecundum carnis puritatem, multo
magis ſanguine Chriſti purificari conſcientias ab
operibus mortuis: facile patet, nimis extenuari
Chriſti gratiam, niſi ejus ſacrificio vim expiandi,
placandi & ſatisfaciendi concedimus: quemadmo-
ibid. v. 15. dum paulo poſt addit, *Mediator hic eſt Novi Teſta-*
menti, ut morte interveniente in redemptionem præce-
dentium delictorum, quæ manebant ſub Lege, promiſſio-
nem æternæ hæreditatis accipiant, qui vocati ſunt.
Præſertim vero expendere convenit analogiam,
Gal. 3: 13. quæ à Paulo deſcribitur, *quod pro nobis factus ſit ma-*
ledictio, &c. Supervacuum enim, adeoque abſur-
dum fuit, onerari Chriſtum maledictione, niſi ut,
quod alii debebant, perſolvens, juſtitiam illis acqui-
Jeſa. 53: 5. reret. Clarum eſt etiam Jeſaiæ teſtimonium, *Quod*
caſtigatio pacis noſtræ Chriſto impoſita fuit, & livore
ejus nobis obtigit ſanitas. Niſi enim ſatisfeciſſet pro
peccatis noſtris Chriſtus, non diceretur placaſſe
Deum pœna, cui eramus obnoxii, in ſe recepta: cui
reſpondet quod ibidem ſequitur, *Propter ſcelus po-*
puli mei percuſſi eum. Accedat etiam Petri interpre-
1 Pet. 2: 24. tatio, quæ nihil ambiguum relinquet, *quod peccata*
noſtra portaverit ſuper lignum. Onus enim damnationis,
quo levati ſumus, dicit *in Chriſtum eſſe rejectum.*

Et ita quidem, ut ipſe pretium perſolverit, quo nos à mortis reatu redimeret. 5. Nec obſcure pronunciant Apoſtoli, pretium
ſolviſſe, quo nos à reatu mortis redimeret. *Juſtificati*
gratia ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto,
quem poſuit Deus ἱλαστήριον *per fidem, quæ eſt in ſan-*
guine ejus. Gratiam Dei in hoc commendat Paulus,
quia redemptionis pretium dedit in Chriſti morte:
Rom. 3. deinde jubet nos confugere ad ejus ſanguinem, ut
verſ. 24, 25. juſtitiam adepti coram Dei judicio ſecuri ſtemus.
2 Pet. 1: 18. Idem valet iſtud Petri, *Redempti non auro & argento,*
ſed pretioſo ſanguine agni immaculati. Neque enim
congrueret antitheſis, niſi pro peccatis ſatisfactum
1 Cor. 6. eſſet hoc pretio: qua ratione Paulus dicit, *nos pretioſe*
verſ. 20. *emptos eſſe.* Non ſtaret etiam alterum ejus dictum,
1 Tim. 2. *Unus Mediator, qui ſe dedit* ἀντίλυτρον, niſi rejecta in
verſ. 5, 6. eum eſſet pœna, quam meriti eramus. Ideo idem
Col. 1: 14. Apoſtolus, *redemptionem in ſanguine Chriſti* definit
remiſſionem peccatorum: acſi diceret, juſtificari nos
vel abſolvi coram Deo, quia ſanguis ille in ſatisfa-
Col. 2: 14. ctionem reſpondet. Cui & alter locus conſonat, *de-*
letum fuiſſe in cruce chirographum, quod erat contra-
rium nobis. Solutio enim vel compenſatio notatur,
quæ nos à reatu abſolvit. Magnum & his verbis
Gal. 2: 21. Pauli ſubeſt pondus, *Si juſtificamur ex operibus Le-*
gis, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Nam hinc col-
ligimus, à Chriſto petendum eſſe, quod Lex con-
ferret ſiquis eam impleat: vel (quod idem eſt) nos
conſequi per Chriſti gratiam, quod Deus operibus
Lev. 18: 5. noſtris in Lege promiſit, *Qui fecerit hæc, vivet in*
ipſis. Quod non minus clare in concione Antiochiæ Act. 13: 38.
habita confirmat, credendo in Chriſtum juſtificari
nos aſſerens ab omnibus, à quibus non potuimus in
Lege Moſis juſtificari. Nam ſi obſervatio Legis
juſtitia eſt, quis neget Chriſtum, dum hoc onere in
ſe ſuſcepto nos Deo perinde conciliat acſi eſſemus
Legis obſervatores, favorem nobis promeritum?
Eodem ſpectat, quod poſtea ad Galatas tradit, Galat. 4: 4.
Deus Filium ſuum miſit Legi ſubjectum, ut eos qui ſub
Lege erant, redimeret. Quorſum enim ſubjectio
iſta, niſi quod juſtitiam nobis peperit, ſuſcipiens
præſtandum, cui nos ſolvendo non eramus? Hinc
illa juſtitiæ imputatio ſine operibus, de qua Paulus Rom. 4: 5.
diſſerit: quia ſcilicet accepta nobis fertur, quæ in
ſolo Chriſto reperta fuit juſtitia. Nec certe alia de
cauſa vocatur caro Chriſti cibus noſter, niſi quia in Joan. 6.
eo reperimus vitæ ſubſtantiam. Ea porro vis non verſ. 55.
aliunde provenit, niſi quia in juſtitiæ noſtræ pre-
tium crucifixus fuit Dei Filius. Sicut dicit Paulus, Eph. 5: 2.
quod ſeipſum tradiderit ſacrificium in odorem bonæ fra-
grantiæ. Et alibi, *Mortuus eſt propter peccata no-* Rom. 4.
ſtra: reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Inde verſ. 25.
conficitur, non modo per Chriſtum ſalutem nobis
datam eſſe, ſed Patrem nobis ejus gratia nunc eſſe
propitium. Nam ſolide in eo impleri non dubium
eſt, quod per Jeſaiam ſub figura pronunciat Deus, Jeſa. 37: 35.
Propter me faciam, & propter Davidem ſervum
meum. Cujus rei optimus teſtis eſt Apoſtolus, quum
dicit, *Remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.* 1 Joan. 2.
Nam etſi non exprimitur Chriſti nomen, Joannes verſ. 12.
tamen ſuo more ſub pronomine αὐτοῦ eum deſignat.
Quo etiam ſenſu pronunciat Dominus, *Sicuti ego* Joan. 6: 57.
vivo propter Patrem, ita & vos vivetis propter me.
Cui reſpondet, quod dicit Paulus, *Vobis datum eſt* Phil. 1: 29.
propter Chriſtum (ὑπὲρ Χριστοῦ) *non ſolum, ut in eum*
credatis, ſed etiam ut pro eo patiamini.

6. Quærere vero an ſibi ipſe meruerit (quod fa- *Scholaſticorum curioſa temeritas in hac diſputatione refellitur.*
ciunt Lombardus & Scholaſtici) non minus ſtulta eſt
curioſitas, quam temeraria definitio, ubi hoc idem
aſſerunt. Quid enim opus fuit deſcendere unicum
Dei Filium, ut ſibi acquireret quicquam novi? Et
conſilium ſuum exponens Deus, omnem dubitatio- lib. 3. ſent.
nem eximit. Non enim Filii utilitati conſuluiſſe di- diſt. 18.
citur Pater in ejus meritis, ſed eum tradidiſſe in Rom. 8.
mortem, neque ei peperciſſe: quia mundum dili- verſ. 32.
geret. Et notandæ ſunt loquutiones propheticæ, Jeſa. 9: 6.
Puer natus eſt nobis. Item, *Exulta filia Sion: ecce Rex* Zach. 9: 9.
tuus venit tibi. Frigeret etiam alioqui confirmatio
illa amoris, quam Paulus commendat, *quod Chri-* Rom. 5.
ſtus pro inimicis mortem ſubierit. Inde enim colligi- verſ. 10.
mus rationem ſui non habuiſſe: idque clare affir-
mat, dicens, *Pro illis ſanctifico meipſum.* Se enim Joan. 17.
ſibi nihil acquirere teſtatur, qui fructum ſanctitatis verſ. 19.
ſuæ in alios transfert. Et certe hoc maxime dignum
obſervatu, quod Chriſtus, ut ſe totum addiceret in
ſalutem noſtram, quodammodo ſui oblitus eſt. Præ-
poſtere vero huc trahunt Pauli teſtimonium, *Pro-* Philip. 2: 9.
pterea exaltavit illum Pater, & dedit illi nomen, &c.
Quibus enim meritis aſſequi potuit homo, ut judex
eſſet mundi, caput Angelorum, atque ut potiretur
ſummo Dei imperio, atque in eo reſideret majeſtas
illa, cujus milleſimam partem cunctæ hominum &
Angelorum virtutes attingere nequeunt? Sed faci-
lis & plena ſolutio eſt, Paulum illic non diſſerere
de cauſa exaltationis Chriſti: ſed conſequentiam
duntaxat oſtendere, ut nobis eſſet exemplo. nec
omnino aliud voluit, quam quod alibi dicitur, Luc. 24.
oportuiſſe Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam Pa- verſ. 26.
tris.

JOANNIS CALVINI
INSTITUTIONIS
CHRISTIANÆ RELIGIONIS

LIBER TERTIUS.

DE

MODO PERCIPIENDÆ CHRISTI GRATIÆ, & qui inde fructus nobis proveniant, & qui effectus conſequantur.

ARGUMENTUM.

De Deo Creatore & Redemptore prioribus libris duobus actum eſt. Hic autem de Deo Sanctificatore, ſeu de Spiritus Sancti effectis ad ſalutem noſtram diſſerit, tertiam Apoſtolici Symboli partem accurate explicans.

Præcipui loci totius tractationis ſunt ſeptem, qui eundem ferme finem, fidei nempe doctrinam, ſpectant.

1. Quoniam arcana & ſpeciali operatione Spiritus ſancti fit, ut Chriſto boniſque ejus omnibus fruamur, de hac operatione, quæ fidei, novæ vitæ, & ſanctorum omnium exercitiorum eſt fundamentum, agitur, cap. I.

2. Deinde, quum fides ſit veluti manus, qua Chriſtum Redemptorem à Spiritu ſancto nobis oblatum amplectimur, juſtam fidei tractationem ſubjungit, cap II.

3. Ut ſalutaris iſta fides melius innoteſcat, oſtenſurus qui inde fructus neceſſario proveniant, contendit veram pœnitentiam à vera fide ſemper promanare. Primum autem in genere doctrinam de Pœnitentia proponit, cap. III. deinde de pœnitentia Papiſtica ejuſque partibus, cap. IV. de Indulgentiis & purgatorio igne, cap. V. Speciatim vero de veræ Pœnitentiæ partibus tractationem inſtituit, videlicet de mortificatione carnis & vivificatione Spiritus, ſeu de vita hominis Chriſtiani, quam egregie admodum deſcribit, cap. VI. VII. VIII. IX. & X.

4. Quo clarius oſtendat, quæ ſit hujus fidei utilitas, & qui effectus conſequantur, primum de juſtificatione fidei agit, cap. XI. deinde conſequentes quæſtiones explanat, cap. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. & XVIII. Tandem, de libertate Chriſtiana, quæ eſt veluti appendix juſtificationis, diſſerit, cap. XIX.

5. Sequitur Oratio, præcipuum fidei exercitium, ac veluti medium vel inſtrumentum, quo Dei beneficia quotidie percipimus, cap XX.

6. Quum autem non omnes promiſcue amplectantur Chriſti communionem per Euangelium oblatam, ſed ii tantum quos Spiritus ſui efficacia & peculiari gratia dignatus eſt Dominus, ne cui abſurdum hoc videatur, neceſſariam & appoſitam de Dei electione diſputationem ſubnectit, cap. XXI. XXII. XXIII. XXIV.

7. Poſtremo, quoniam moleſtum nobis multis modis eſſe poteſt, ſub hac dura militia exerceri, quæ vitam hominis Chriſtiani ſemper comitatur, contendit eam leniri poſſe ultimæ reſurrectionis meditatione: ob quam cauſam de ea reſurrectione tractationem ſubjungit, cap. XXV.

CAPUT I.

Quæ de Chriſto dicta ſunt, nobis prodeſſe, arcana operatione Spiritus.

Partes capitis tres.

1. *Arcana illa Spiritus ſancti ſalutem noſtram obſignantis operatio, in Mediatore Chriſto primum, tanquam in noſtro capite, conſideranda, ſect. 1. & 2.*
2. *Elogia Spiritus ſancto tributa docent nos membra Chriſti fieri ejuſdem Spiritus gratia & virtute, ſect. 3.*
3. *Vis autem præcipua Spiritus ſancti quum in fidei donis eluceat, merito hujus tractationem aggreditur, & viam ſibi munit ad caput ſecundum, ſect. 4.*

NUnc videndum quomodo ad nos perveniant, quæ Pater Filio unigenito contulit bona, non in privatum uſum, ſed ut inopes egenoſque locupletaret. Ac primo habendum eſt, quamdiu extra nos eſt Chriſtus, & ab eo ſumus ſeparati, quicquid in ſalutem humani generis paſſus eſt ac fecit, nobis eſſe inutile nulliuſque momenti. Ergo, ut nobiſcum, quæ à Patre accepit, communicet, noſtrum fieri & in nobis habitare oportet. Ideo & caput noſtrum vocatur, & primogenitus inter multos fratres: nos etiam viciſſim dicimur in ipſum inſeri, & eum induere;

Spiritus S. (de cujus eſſentia & deitate primo libro actum eſt) vinculum eſt noſtræ cum Chriſto conjunctionis.

Eph. 4: 15. Rom. 8: 29. Rom. 11, verſ. 17.

Gal. 3: 72. duete: quia nihil ad nos (ut dixi) quæcunque poſ-
ſidet, donec cum ipſo in unum coaleſcimus. Etſi
Qua fide fit. autem verum eſt, hoc fide nos conſequi: quando
tamen videmus non omnes promiſcue amplecti
Sed tamen arcana Spiritus S. operatione. Chriſti communicationem, quæ per Euangelium
offertur, altius conſcendere ipſa ratio nos docet, ac
de arcana Spiritus efficacia inquirere, qua fit, ut Chri-
lib. 1. c. 13. ſto boniſque ejus omnibus fruamur. Diſſerui ante
ſect. 14, 15. de æterna Spiritus deitate & eſſentia: nunc ſpeciali
hoc capite contenti ſimus, Chriſtum ita in aqua &
ſanguine veniſſe, ut de eo teſtificetur Spiritus, ne
ſalus per hunc parta nobis effluat. Quemadmodum
1 Joan. 5. enim tres citantur in cælo teſtes, Pater, Sermo &
verſ. 7, 8. Spiritus: ita etiam tres in terra, aqua, ſanguis &
Ut ex ſequentibus teſtimoniis apparet. Spiritus. Neque fruſtra repetitur Spiritus teſtimo-
nium, quod ſentimus cordibus noſtris ſigilli vice in-
ſculptum eſſe. Unde fit, ut ablutionem & ſacriſi-
cium Chriſti obſignet. Qua ratione etiam dicit Pe-
1 Pet. 1: 2. trus, *fideles electos eſſe in ſanctificatione Spiritus, in
obedientiam & aſperſionem ſanguinis Chriſti.* Quibus
verbis admonet, ne irrita ſit ſacri illius ſanguinis
effuſio, arcana Spiritus irrigatione animas noſtras
1 Cor. 6. eo purgari. Qua ratione etiam Paulus, de purgatione
verſ. 11. & juſtificatione verba faciens, dicit, *nos fieri utriuſque
compotes in nomine* JESU CHRISTI *& Spiritu
Dei noſtri.* Huc ſumma redit, Spiritum S. vinculum
eſſe, quo nos ſibi efficaciter devincit Chriſtus. Quo
etiam pertinent, quæ proximo libro de ejus un-
ctione docuimus.

In Chriſto autem Mediatore plenitudo donorum Spiritus ſancti conſideranda, & quorſum. 2. Verum, quo res apprime digna cognitu cer-
tius liqueat, tenendum eſt, Chriſtum peculiari modo
Spiritu ſancto veniſſe inſtructum: nempe, ut à
mundo nos ſegregaret, ac in ſpem colligeret æternæ
hæreditatis. Hinc Spiritus Sanctificationis dicitur:
quia non virtute tantum generali, quæ conſpicitur
tam in humano genere, quam in reliquis animanti-
bus, nos vegetat & fovet, ſed radix ac ſemen eſt cæ-
leſtis vitæ in nobis. Itaque hoc maxime elogio Chri-
ſti regnum commendant Prophetæ, quod uberior
Spiritus affluentia tunc floreret. Inſignis præ aliis
Joël. 2: 28. eſt Joëlis locus, *Effundam in illa die de Spiritu meo
ſuper omnem carnem.* Etſi enim videtur dona Spiri-
tus reſtringere Propheta ad munus prophetandi, ſub
figura tamen ſignificat, Deum illuſtratione Spiritus
ſui facturum ſibi diſcipulos, qui prius expertes &
Cur Spiritus S. vocetur Spiritus Patris & Filii. vacui fuerant cæleſtis doctrinæ. Porro quia Deus
Pater propter Filium ſuum Spiritu ſancto nos do-
nat, & tamen apud eum totam plenitudinem depo-
ſuit, ut ſuæ liberalitatis miniſter eſſet ac diſpenſator:
nunc Patris, nunc Filii Spiritus vocatur. *Vos*, in-
Rom. 8: 9. quit Paulus, *non eſtis in carne, ſed in Spiritu: ſiqui-
dem Spiritus Dei habitat in vobis. quod ſi quis Spiri-
tum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Inde vero ſpem
facit plenæ renovationis, quod is qui ſuſcitavit
Ibid. v. 11. Chriſtum à mortuis, vivificabit mortalia corpora
noſtra propter Spiritum ejus habitantem in nobis.
Nihil enim abſurdi eſt, Patri adſcribi donorum ſuo-
rum laudem, quorum eſt auctor: & tamen Chriſto,
apud quem depoſita ſunt Spiritus dona, quæ ſuis
Joan. 7: 37. largitur, eaſdem adſcribi partes. Ideo cunctos ſitien-
Epheſ. 4: 7. tes ad ſe invitat, ut bibant. Et Paulus docet, *ſingulis
diſtribui Spiritum pro menſura donationis Chriſti.* Ac
Quo reſpectu Spiritus Filii dicatur. ſciendum eſt, Spiritum Chriſti dici, non modo qua-
tenus æternus Sermo Dei eſt eodem Spiritu cum Pa-
tre conjunctus: ſed ſecundum Mediatoris quoque
perſonam: quia niſi hac virtute præditus, fruſtra
1 Cor. 15. ad nos veniſſet. Quo ſenſu vocatur ſecundus Adam
verſ. 45. è cælo datus in Spiritum vivificantem: ubi Paulus
ſingularem, quam ſuis vitam inſpirat Filius Dei, ut
ſecum unum ſint, comparat cum vita animali, quæ
2 Cor. 13. reprobis etiam communis eſt. Similiter ubi optat
verſ. 13. Chriſti gratiam & Dei charitatem fidelibus, ſimul
annectit communicationem Spiritus, ſine qua, nec
paternum Dei favorem, nec Chriſti beneficentiam
Rom. 5: 5. quiſquam guſtabit. Sicut etiam alibi dicit, *Charitas
Dei effuſa eſt in corda noſtra per Spiritum ſanctum, qui
datus eſt nobis.*

3. Atque hic notare expediet, quibus elogiis *Elogia ejuſdem.*
Spiritum inſigniat Scriptura, ubi de exordio tota-
que inſtauratione ſalutis noſtræ agitur. Primo vo- *1. Spiritus adoptionis.*
catur Spiritus adoptionis: quia nobis teſtis eſt gra- Rom. 8.
tuitæ Dei benevolentiæ, qua nos Deus Pater in di- verſ. 15.
lecto Unigenito complexus eſt, ut nobis eſſet in Pa-
trem, noſque ad precandi fiduciam animat, imo
verba dictat, ut intrepide clamemus *Abba Pater.*
Eadem ratione dicitur arrhabo & ſigillum noſtræ *2. Arrhabo & ſigillum.*
hæreditatis: quia in mundo peregrinantes, & mor- 2 Cor. 1.
tuis ſimiles è cælo ita vivificat, ut certi ſimus ſub verſ. 22.
fideli Dei cuſtodia ſalutem noſtram in tuto eſſe. Epheſ. 1.
unde & vita eſſe dicitur propter juſtitiam. Quo- v. 13, 14.
niam vero arcana ſua irrigatione ad germina juſti- *3. Vita.*
tiæ proferenda nos fœcundat, vocatur ſæpius aqua: Rom. 8.
ut apud Jeſaiam, *Omnes ſitientes venite ad aquas.* verſ. 10.
Item, *Effundam Spiritum meum ſuper ſitientem, & *4. Aqua.*
flumina ſuper aridam.* Quibus reſpondet Chriſti ſen- Jeſa. 55: 1.
tentia, quam nuper adduxi, *Siquis ſitit, veniat ad* Jeſ. 44: 3.
me. Quanquam interdum à purgandi mundandi- Joan. 7: 37.
que energia ſic nuncupatur: ut apud Ezechielem, Ezech. 36.
ubi Dominus aquas mundas promittit, quibus po- verſ. 25.
pulum ſuum à ſordibus abluet. Quoniam vero gra- *5. Oleum*
tiæ ſuæ liquore perfuſos in vitæ vigorem reſtituit ac *& unctio.*
fovet, inde nomen obtinet olei & unctionis. Rur- Joan. 4: 14.
ſum, quia concupiſcentiæ noſtræ vitia aſſidue exco- 1 Joan. 2.
quendo & exurendo, corda noſtra incendit amore verſ. 20.
Dei & ſtudio pietatis, ab hoc quoque effectu merito *6. Ignis.*
ignis appellatur. Denique nobis deſcribitur quaſi Luc. 3: 16.
fons, unde ad nos manant cæleſtes omnes divitiæ: *7. Fons.*
vel Dei manus, qua ſuam potentiam exercet: quia *8. Manus Dei.*
virtutis ſuæ afflatu divinam nobis vitam ſic inſpirat,
ut non jam agamur ipſi à nobis, ſed ejus actione ac
motu regamur: ut ſiqua ſunt in nobis bona, fructus
ſint gratiæ ipſius, noſtræ vero ſine ipſo dotes, men-
tis ſint tenebræ cordiſque perverſitas. Hoc quidem *Uſus horum elogiorum.*
jam clare expoſitum eſt, donec intentæ ſint in Spi-
ritum mentes noſtræ, Chriſtum jacere quodam-
modo otioſum: quia frigide eum extra nos, adeo-
que procul à nobis ſpeculamur. Scimus autem non
aliis prodeſſe, niſi quorum eſt caput & primogeni- Eph. 4: 15.
tus inter fratres, qui denique eum induerunt. Facit Rom. 8: 29.
ſola hæc conjunctio, ne inutiliter, quoad nos, cum Gal. 3: 27.
Salvatoris nomine venerit. Quo ſpectat ſacrum illud
conjugium, quo efficimur caro de carne ejus, & oſſa Eph. 5: 30.
ex oſſibus, adeoque unum cum ipſo: ſolo autem
Spiritu unit ſe nobiſcum. Ejuſdem Spiritus gratia
& virtute efficimur illius membra, ut nos ſub ſe con-
tineat, viciſſimque illum poſſideamus.

4. Verum, quia fides præcipuum eſt ejus opus, *Quum fides ſit præcipuum opus Spiritus S. propterea ad eam magna ex parte referuntur, quæ paſſim in Scriptura referuntur ad vim & efficaciam Spiritus exprimendam.*
ad eam magna ex parte referuntur, quæ ad vim ejus
& operationem exprimendam paſſim occurrunt:
quia nonniſi per eam nos in Euangelii lumen addu-
cit; ſicuti docet Joannes, *datam eſſe prærogativam
credentibus in Chriſtum, ut ſint filii Dei, qui non ex
carne & ſanguine, ſed ex Deo nati ſunt.* ubi Deum
opponens carni & ſanguini, ſupernaturale eſſe do-
num aſſerit, quod fide recipiant Chriſtum, qui alio-
qui ſuæ incredulitati dediti manerent. Cui ſimile
eſt illud Chriſti reſponſum, *Caro & ſanguis non re-
velavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* quæ
nunc breviter attingo: quia jam alibi copioſe tracta-
vi. Simile eſt etiam illud Pauli, *Obſignatos fuiſſe* Joan. 1: 12.
Epheſios Spiritu promiſſionis ſancto. Oſtendit enim Matth. 16.
internum eſſe doctorem, cujus opera in mentes no- verſ. 17.
ſtras penetrat ſalutis promiſſio, quæ alioqui aërem Eph. 1: 13.
duntaxat vel aures noſtras feriret. Similiter ubi
Theſſalonicenſes dicit electos à Deo in ſanctifica- 2 Theſſ. 2.
tione Spiritus & fide veritatis: quo contextu brevi- verſ. 13.
ter admonet fidem ipſam non aliunde prodire, quam
à Spiritu. Quod apertius explicat Joannes, *Nos* 1 Joan. 3.
ſcimus quod manet in nobis è Spiritu, quem nobis dedit. verſ. 24.
Item, *Ex hoc cognoſcimus in eo nos manere, & ipſum* & 4: 13.

in nobis, quod dedit nobis ex Spiritu ſuo. Itaque diſcipulis ſuis, ut capaces eſſent cæleſtis ſapientiæ, promiſit Chriſtus Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt capere. (Joan. 14. verſ. 17.) Ex hoc illi proprium munus attribuit, ſuggerere quæ ipſe ore docuerat. quia fruſtra cæcis lux ſe offerret, niſi Spiritus ille intelligentiæ aperiret mentis oculos: ut rite clavem vocare queas, qua cæleſtis regni theſauri oobis reſerantur, ejuſque illuminationem mentis noſtræ aciem ad videndum. (2 Cor. 3:6.) Ideo Paulus tantopere commendat miniſterium Spiritus: quia ſine profectu clamarent doctores, oiſi Chriſtus ipſe interior Magiſter ſuo Spiritu ad ſe traheret qui dati ſunt à Patre. (Joan. 6:44.) Ergo ſicut in Chriſti perſona reperiri diximus perfectam ſalutem: ita, ut fiamus ejus participes, baptizat nos io Spiritu ſancto & igni, illuminans nos in Euangelii ſui fidem, atque ita regenerans, ut ſimus novæ creaturæ: (Luc. 3: 16.) & profanis ſordibus purgatos in ſancta Deo templa conſecrat.

Cap. II.

De fide: ubi & definitio ejus ponitur, & explicantur quæ habet propria.

Hujus capitis tres præcipuæ ſunt partes.

1. *Quædam ad diſputationem de fide pertinentia breviter explicantur, à prima ſectione ad decimam quartam. Et* primum *de fidei objecto, ſect.* 1. Deinde, *de fide implicita, ſect.* 2. 3. 4. 5. 6. Tertio *definitio fidei proponitur, ſect.* 7. Quarto, *de multiplici ſignificatione hujus vocis, ſect.* 8. 9. 10. 11. 12. 13.
2. *Partium hujus definitionis, ſeptima ſectione propoſitæ, prolixa expoſitio, à ſect.* 14. *ad* 40.
3. *Brevis confirmatio ejuſdem definitionis Apoſtoli auctoritate, eaque occaſione oſtenditur relatio, quam ad ſe invicem habent fides, ſpes, & charitas, ſect.* 41. 42. & 43.

Brevis repetitio præcipuorum quorundam capitum totius tractationis lib. 2.

VErum hæc omnia cognitu facilia erunt, ubi poſita fuerit clarior fidei definitio: ut vim ejus & naturam teneant lectores. Repetere autem memoria convenit, quæ aote tradita fuerunt: quum Deus nobis per Legem præſcribat quid agendum ſit, ſiqua in parte lapſi fuerimus, terribile illud, quod edicit mortis æternæ judicium nobis incumbere. Rurſum, quia noo modo arduum, ſed prorſus ſupra vires extraque omnem noſtram facultatem eſt, Legem implere ut exigit: ſi nos duntaxat ipſos intuemur, & quæ meritis noſtris digna ſit conditio reputamus, nihil bonæ ſpei eſſe reliquum, ſed à Deo abjectos ſub æterno interitu jacere. Hoc tertio explicatum fuit, unam eſſe liberationis rationem, quæ nos à tam miſera calamitate eruat: ubi apparet Chriſtus Redemptor, per cujus manum cæleſtis Pater, pro ſua immenſa bonitate & clementia noſtri miſertus, ſuccurrere nobis voluit: ſi quidem & ſolida fide miſericordiam hanc amplectimur, & io ipſa conſtanti ſpe acquieſcimus.

Scopus hujus capitis.

Hoc vero nunc expendere convenit, qualis eſſe hæc fides debeat, per quam regni cæleſtis poſſeſſionem adeunt quicunque adoptati ſunt à Deo in filios: quando tantæ rei efficiendæ non quamlibet opinionem aut etiam perſuaſionem parem eſſe conſtat.

Neceſſitas doctrinæ de fide.

Atque eo majore cura & ſtudio diſpicienda eſt nobis & diſquirenda germana fidei proprietas, quo pernicioſior hodie eſt in hac parte multorum hallucinatio. Siquidem bona pars orbis, audito ejus nomioe, nihil altius concipit, quam vulgarem quendam Euangelicæ hiſtoriæ aſſenſum.

Quam obſcurant Scholaſtici, Deum fidei objectum (omiſſo Chriſto) conſtituentes. Hi autem variis teſtimoniis refelluntur.

imo quum in ſcholis de fide diſputant, Deum ejus objectum ſimpliciter vocando, evaoida ſpeculatiooe (ut alibi diximus) miſeras animas rapiunt tranſverſum magis, quam ad ſcopum dirigant. Nam quum Deus lucem inacceſſam habitet, (1 Tim. 6. verſ. 16.) Chriſtum medium occurrere neceſſe eſt. Unde & ſe lumeo muodi vocat: (Joan. 8:12.) & alibi, viam, veritatem & vitam: (Joan. 14:6.) quia ad Patrem (qui fons eſt vitæ) niſi per ipſum nemo venit: quia ſolus Patrem cognoſcit, deinde fideles, quibus eum voluerit patefacere. (Luc. 10: 22.) Secundum hanc rationem Paulus nihil ſe cognitu eximium ducere aſſerit præter Chriſtum: (1 Cor. 2: 2.) & Actorum vigeſimo ſe prædicaſſe refert fidem in Chriſtum. & alibi Chriſtum ita loquentem inducit, (Actor. 26. v. 17, 18.) *Mittam te inter Gentes, ut accipiant remiſſionem peccatorum & ſortem inter ſanctos, per fidem, quæ eſt in me.* (2 Cor. 4:6.) Et Paulus in ejus perſona nobis viſibilem eſſe Dei gloriam teſtatur, vel (quod idem valet) illuminationem cognitionis gloriæ Dei in ejus facie lucere. Verum quidem eſt in unum Deum fidem reſpicere: ſed illud quoque addendum eſt, ut agnoſcat quem ille miſit Jeſum Chriſtum. Quia Deus ipſe procul abſconditus lateret, niſi oos irradiaret fulgor Chriſti. In hunc finem quicquid habebat Pater, apud Unigenitum depoſuit, ut in eo ſe patefaceret: ut ipſa bonorum communicatione exprimeret veram gloriæ ſuæ imaginem. Siquidem, ut dictum eſt Spiritu nos trahi oportere, ut ad Chriſtum quærendum incitemur: ita viciſſim monendi ſumus, iovifibilem Patrem non alibi quam in hac imagine quærendum eſſe. Qua de re eleganter Auguſtinus, qui de fidei ſcopo diſſerens, (lib. 11. de civit. Dei cap. 2.) *ſciendum eſſe* tradit, *quo ſit eundum & qua:* tum continuo poſt colligit, *munitiſſimam adverſus omnes errores viam eſſe eundem Deum & hominem. Deum enim eſſe, quo tendimus; hominem, qua imus: utrumque autem nonniſi in Chriſto inveniri.* Nec vero Paulus, dum fidem erga Deum prædicat, io animo habet evertere quod toties inculcat de fide, quæ totam ſuam ſtabilitatem habet in Chriſto. Petrus vero aptiſſime utrumque connectit, dicens (1 Petr. 1. verſ. 21.) *per ipſum nos in Deum credere.*

Dogma eorundem de fide implicita impugnatur.

2. Ergo hoc malum, ut alia innumera, Scholaſticis acceptum referri par eſt, qui velut obducto velo Chriſtum texerunt, in cujus intuitum niſi recta iotenti ſimus, per multos labyrinthos ſemper vagari continget. Præterquam vero, quod caligi-noſa ſua definitiooe totam vim fidei deterunt ac fere exinaniunt, (vide Chryſoſtomi Joan. Hom. 16.) commentum fabricarunt implicitæ fidei, quo nomine craſſiſſimam ignorantiam ornantes, miſeræ plebeculæ cum magna pernicie illudunt.

Fidem enim deſtruit, quæ in cognitione divinæ voluntatis ſita eſt.

Imo (ut verius & apertius dicam quod res eſt) commentum hoc veram fidem non modo ſepelit, ſed penitus deſtruit. Hoccine credere eſt, nihil iotelligere, modo ſenſum tuum obedienter Eccleſiæ ſubmittas? Non in ignoratione, ſed in cognitione ſita eſt fides: atque illa quidem non Dei modo, ſed divinæ voluntatis. Nec enim ex eo ſalutem conſequimur, vel quod parati ſumus pro vero amplecti quicquid Eccleſia præſcripſerit, vel quod inquirendi cognoſcendique provinciam ad ipſam relegamus:

Quæ ſit hæc voluntas, & quam neceſſaria ejuſdem cognitio.

ſed quando Deum agnoſcimus nobis eſſe propitium Patrem, reconciliatione per Chriſtum facta; Chriſtum vero in juſtitiam, ſanctificationem, & vitam oobis eſſe datum. Hac (inquam) cognitione, non ſenſus noſtri ſubmiſſione, ingreſſum in regnum cælorum obtinemus. (Rom. 10. verſ. 10.) Nam quum dicit Apoſtolus, *corde credi ad juſtitiam, ore confeſſionem fieri ad ſalutem*, non ſatis eſſe indicat ſiquis implicite credat quod non intelligat, nec etiam inquirat: ſed explicitam requirit divinæ bonitatis agnitionem, in qua conſiſtit ooſtra juſtitia.

Multa quidem ſunt & [illegible]

3. Equidem noo inficior (qua ſumus ignorantia circumſepti) quin plurima nobis implicita nunc

ſunt,

nobis implicita.

ſint, & etiam ſint futura, donec depoſita carnis mole propius ad Dei præſentiam acceſſerimus: in quibus ipſis nihil magis expediat, quam judicium ſuſpendere, animum autem obfirmare ad tenendam cum Eccleſia unitatem. Verum hoc prætextu ignorantiam bumilitate temperatam, fidei nomine inſignire, abſurdiſſimum eſt.

Attamen fides in Dei & Chriſti cognitione, non in Eccleſia reverentia, jacet.
Joan. 17: 3.

Fides enim in Dei & Chriſti cognitione, non in Eccleſiæ reverentia jacet. Et videmus qualem labyrinthum iſta ſua implicatione ſint fabricati, ut quidvis, nullo cum delectu, dum ſuh Eccleſiæ obtruditur titulo, ab imperitis inſtar oraculi arripiatur, interdum etiam prodigioſiſſimi errores. Quæ inconſiderata facilitas, quum certiſſimum ſit in ruinam præcipitium, ab iis tamen excuſatur: quia definite nihil credat, ſed appoſita conditione, Si talis Eccleſiæ ſit fides. Ita io etrore veritatem, in cæcitate lucem, in ignorantia rectam ſcientiam teneri fingunt.

Alia refutatio, ab abſurdis quæ hoc dogma conſequuntur.

Quibus refutandis ne longius immoremur, taotum admonemus Lectorem, ut ipſa cum noſtris conferat: ipſa enim veritatis perſpicuitas ſatis expeditum pet ſe refutationem ſuggeret. Neque eoim apud eos hoc quæritur, an implicita ſit fides multis ignorantiæ reliquiis: ſed definiunt, rite credere qui in ſua inſcitia ſtupent, adeoque ſibi indulgent, modo Eccleſiæ auctoritati & judicio de rebus incognitis aſſentiantur. Quaſi vero Scriptura paſſim non doceat cum fide conjunctam eſſe intelligentiam.

Quo ſenſu noſtra fides agnoſcenda ſit implicita.

4. Nos vero fidem, quamdiu in mundo peregrinamur, implicitam eſſe concedimus: non ſolum quia nos multa adhuc latent; ſed quia multis errorum nebulis circumdati, non omnia aſſequimur. Nam perfectiſſimi cujuſque ſumma ſapientia eſt proficere, placidaque docilitate longius eniti. Itaque fideles hortatur Paulus, ut ſiqua de re alii ab aliis diſſentiaot, expectent revelationem.

Phil. 3: 15.

Et ſane experientia docet, donec catne ſimus exuti, minus nos aſſequi quam optandum eſſet: ac quotidie legendo in multos ohſcuros locos incidimus, qui nos ignorantiæ coarguunt. Atque boc freno in modeſtia nos Deus retinet, fidei menſuram ſingulis aſſignans, ut optimus etiam quiſque doctor ad diſcendum paratus ſit.

Exempla in Apoſtolis.

Ac inſignia hujus fidei implicitæ exempla in Cbriſti diſcipulis notare licet, antequam plenam illuminationem adepti eſſent. Videmus quam difficulter tudimenta ipſa guſtent, ut hæſitent in minimis quibuſque, ut à Magiſtri ore pendentes, non tamen multum promoveant: quio etiam, dum ad monumentum accurrunt mulierum admonitu, reſurrectio Magiſtri illis inſtar ſomnii eſt. Quum illis fidei teſtimonium ante reddiderit Chriſtus, ea prorſus fuiſſe vacuos dicere fas non eſt: imo, niſi perſuaſi fuiſſent Chriſtum reſurrecturum eſſe, concidiſſet in illis omne ſtudium.

In mulieribus piis.

Nec vero ſuperſtitio traxit mulieres, ut cadaver bominis extincti aromatibus condirent, de cujus vita nulla ſpes foret: ſed quamvis fidem haberent ejus verbis, quem ſeiebant veracem eſſe; ruditas tamen, quæ adhuc occupabat eorum mentes, fidem caligine ohvolvit, ut eſſent fere attoniti. Unde etiam dicuntur tunc demum credidiſſe, uhi re ipſa ah ipſis comperta fuit ſermonum Chriſti veritas: non quod credere inceperint; ſed quia occultæ fidei ſemen, quod in eorum cordibus velut emortuum erat, tunc recepto vigore emetſit. Vera ergo in illis fuit, ſed implicita fides: quia reverenter Cbriſtum pto unico doctore amplexi erant. Deinde ab ipſo edocti, ſtatuebant ſibi eſſe auctorem ſalutis: denique eredebant è cælo veniſſe, ut per gratiam Patris diſcipulos illuc colligeret.

In omnibus credentibus.

Nec veto familiarior bujus rei probatio quærenda eſt, quam quod in cunctis ſemper mixta eſt fidei incredulitas.

Eſt item implicita fides, ſeu fidei præparatio in quibuſdam.

5. Vocate etiam fidem implicitam licet, quæ tamen proprie nihil aliud eſt quam fidei præparatio. Pleroſque crediſſe Euangeliſtæ referunt, qui tantum miraculis in admirationem rapti, non ultra progreſſi ſunt, quam Chriſtum eſſe Meſſiam qui promiſſus fuerat: quamvis ne tenui quidem Euaogelii doctrina imbuti eſſeot. Talis obſervantia, quæ eos ſubegit ut Cbriſto libenter ſe ſuhjicerent, ornatur fidei titulo: cujus tamen nonniſi initium fuit. Sic aulicus ille, qui de filii ſanatione promiſſioni Chriſti credidit, domum reverſus (teſte Euangeliſta) denuo credidit: nempe, quia primo inſtar oraculi habuit quod audierat ex ore Chriſti: deinde ejus auctoritati ſe addixit, ad recipiendam doctrinam.

Joan. 4. v. 50. 53.

Quanquam ſciendum eſt, ita fuiſſe docilem & paratum ad diſcendum, ut tamen verhum *credendi* priore loco particularem fidem denotet, ſecundo loco eum numeret inter diſcipulos, qui nomen Chriſto dederant. Non abſimile exemplum in Samaritanis proponit Joannes, qui mulieris ſermoni erediderunt, ut fervide ad Chriſtum accurrerent, qui tamen eo audito ſic loquuntur, *Jam non credimus ob ſermonem tuum, ſed eum audivimus, & ſcimus quod Servator ſit mundi.*

Joan. 4: 42.

Ex his patet, eos etiam qui primis elementis nondum ſunt imbuti, modo ad obediendum ferantur, vocari Fideles: non quidem proprie, ſed quatenus Deus pro ſua indulgentia pium illum affectum tanto honore dignatur.

Sed hæc docilitas longe diſtat à fide implicita Scholaſticorum.

Sed hæc docilitas cum proficiendi deſiderio longe diſtat à craſſa ignoraotia, in qua torpent, qui fide implicita (qualis fingitur à Papiſtis) conteoti ſunt. Nam ſi Paulus ſevere eos damnat, qui ſemper diſcentes, nunquam ad ſcientiam veritatis perveniunt; quanto graviorem ignominiam merentur, qui data opera affectant nihil ſcire?

2 Tim. 3. verſ. 7.

Ejuſmodi autem eſt verbi Dei relatio ad fidem: ut verbum ſit fons ac baſis fidei, ac veluti ſpeculum in quo Deum intuetur.

6. Hæe igitur vera eſt Chriſti cognitio, ſi eum, qualis offertur à Patre, ſuſcipimus, nempe Euangelio ſuo veſtitum: quia ſicuti in ſcopum fidei noſtræ ipſe deſtinatus eſt, ita nonniſi præeunte Euangelio, recta ad eum tendemus. Et certe illic nohis aperiuntur theſauri gratiæ: quibus clauſis, parum nohis Chriſtus prodeſſet. Sie Paulus fidem doctrinæ individuam comitem addit his verbis, *Non ita didiciſtis Chriſtum: ſiquidem edocti eſtis, quæ ſit veritas in Chriſto.* Neque ſic tamen ad Euangelium reſtringo fidem, quin fatear à Moſe & Prophetis traditum fuiſſe quod ad eam ædificandam ſufficeret: ſed quia plenior Chriſti maoifeſtatio in Euangelio exhibita eſt, merito vocatur à Paulo doctrina fidei.

Eph. 4: 20.

Qua etiam ratione alibi dicit, *fides adventu Legem abolitam fuiſſe*: hac voce comprehendens novum & inſolitum docendi genus, quo Patris miſericordiam magis illuſtravit, & de ſalute noſtra certius teſtatus eſt Chriſtus, ex quo apparuit Magiſter.

1 Tim. 4. verſ. 6.
Rom. 10. verſ. 4.

Quaoquam facilior erit & aptior methodus, ſi gradatim à genere ad ſpeciem deſcendimus.

Confirmatio, variis Scripturæ teſtimoniis.

Principio admonendi ſumus, perpetuam eſſe fidei relationem cum verbo, nec magis ab eo poſſe divelli, quam radios à Sole, unde oriuntur. Ideo apud Jeſaiam clamat Deus, *Audite me, & vivet anima veſtra.* Ex buoc eundem fidei fontem demonſtrat Joannes his verbis, *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis.* Prophera quoque hortari volens populum ad fidem, *Hodie*, inquit, *ſi vocem ejus audieritis*: & *audire* paſſim accipitur pro *credere.* Denique non fruſtra Deus apud Jeſaiam hac nota diſcernit filios Eccleſiæ ab extraneis, quod omnes erudiet, ut ſint ab ipſo edocti: quia ſi promiſcuum eſſet beneficium, cur ad paucos dirigeret ſermonem? Cui reſpondet, quod paſſim Euangeliſtæ fideles & diſcipulos ponunt tanquam ſynonyma, ac præſertim Lucas in Actis Apoſtolorum ſæpius: quin etiam hoc epitheton ad mulierem uſque extendit, Actor. 9.

Jeſa. 55: 3.
Joan. 20. verſ. 31.
Pſal. 95: 8.
Jeſa. 53. verſ. 13.
Actor. 6. v. 1, 2, 7. & 9. v. 1, 10, 15, 25, 26, 38. & 11. v. 26, 29. & 13: 52. & 14: 20, 22.

Denique, abſque verbi cognitione nulla poteſt eſſe fides.

Quare ſi ab hoc ſcopo, in quem collimare debet, vel minimum deflectit fides, naturam ſuam non retinet, ſed incerta eſt credulitas, & vagus mentis error. Idem verbum baſis eſt, qua fulcitur & ſuſtinetur: unde ſi declinat, corruit. Tolle igitur verhum, & nulla jam reſtabit fides. Non hic diſputamus, an ad ſeminandum Dei ſermonem, unde

Digitized by Google

unde fides concipiatur, neceſſarium ſit hominis miniſterium, quod alibi tractabimus: ſed verbum ipſum, utcunque ad nos deferatur, inſtar ſpeculi eſſe dicimus, in quo Deum intueatur fides. Sive igitur hominis operam in hoc Deus adhibeat, ſive ſola ſua virtute operetur, ſemper tamen iis, quos ad ſe trahere vult, per verbum ſuum ſe repræſentat. Unde
Rom. 1: 5. & fidem definit Paulus obedientiam, quæ præſtatur
Phil. 2: 17. Euangelio: & obſequium fidei laudat in Philippenſibus. Neque enim unum id in fidei intelligentia agitur, ut Deum eſſe noverimus; ſed etiam, imo hoc præcipue, ut qua ſit erga nos voluntate, intelligamus. Neque enim ſcire, quis in ſe ſit, tantum noſtra refert, ſed qualis eſſe nobis velit. Jam ergo habemus fidem eſſe divinæ erga nos voluntatis notitiam ex ejus verbo perceptam. Hujus autem fundamentum eſt, præſumpta de veritate Dei perſuaſio. De cujus certitudine, quamdiu ſecum animus tuus diſceptabit, dubiæ & infirmæ, vel potius nullius auctoritatis erit verbum. Neque etiam ſufficit Deum credere veracem, qui nec fallere nec mentiri poſſit, niſi co aſtituas proculdubio, quicquid ab ipſo prodit, ſacroſanctam eſſe & inviolabilem veritatem.

Summa diſputationis adverſus dogma Scholaſticorum de fide implicita.

Quid proprie fides in verbo Dei reſpiciat.

7. Sed quoniam nec ad vocem Dei quamlibet cor hominis in fidem erigitur, inquirendum adhuc eſt, quid proprie fides in verbo reſpiciat. Vnx Dei erat ad Adam, *Morte morieris*: vox Dei ad Cain,
Gen. 2: 17.
Gen. 4: 10. *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra*: ſed quæ nihil per ſe, niſi fidem quatefacere queant: tantum abeſt, ut ſtabiliendæ ſint idoneæ. Non negamus interim, quin fidei officium ſit veritati Dei ſubſcribere, quoties & quicquid & quocunque modo loquitur: ſed quærimus modn, quid in verbo Domini reperiat fides, quo nitatur & recumbat. Ubi ſolam indignationem & vindictam conſcientia noſtra conſpicit, quomodo non trepidabit & exhorreſcet? Deum autem quem exhorreſcit, quomodo non refugeret? Atqui Deum quærere fides debet, non refugere. Conſtat ergo nondum plenam haberi à nobis fidei definitionem: quando voluntatem Dei qualemcunque noſſe, pro fide cenſendum non eſt. Quid ſi in locum voluntatis, cujus ſæpe triſtis eſt nuncius & formidabile præconium, benevolentiam ſeu miſericordiam ſubjiciamus? Ita certe ad fidei ingenium propius acceſſerimus. tum enim ad Deum quærendum allicimur, poſtquam didicimus ſalutem nobis apud eum eſſe repoſitam: quod ipſum nobis confirmatur, ubi ſibi curæ ſtudioque eam eſſe declarat. Proinde gratiæ promiſſione opus eſt, qua nobis teſtificetur ſe propitium eſſe Patrem: quando nec aliter ad eum appropinquare poſſumus, & in eam ſolam reclinare cor hominis poteſt. Hac ratione in Pſalmis paſſim junguntur hæc duo, ſicuti inter ſe cohærent, miſericordia & veritas: quia nec quicquam nos juvaret ſcire Deum eſſe veracem, niſi clementer nos ad ſe alliceret: nec ejus miſericordiam amplecti noſtrum eſſet, niſi eam ſua voce offerret.
Pſal. 40. verſ. 11. *Veritatem tuam & ſalutem prædicavi: non celavi bonitatem tuam & veritatem tuam. Bonitas tua & veritas*
Pſal. 36: 6. *cuſtodiant me.* Alibi, *Miſericordia tua ad cælos, veritas*
Pſal. 25: 10. *tua uſque ad nubes.* Item, *Omnes viæ* JEHOVÆ *cle-*
Pſal. 117: 2. *mentia & veritas cuſtodientibus fœdus ejus.* Item, *Multiplicata eſt ſuper nos miſericordia ejus, & veritas Do-*
Pſal. 138: 2. *mini manet in æternum.* Item, *Canam nomini tuo ſuper miſericordia & veritate tua.* Omitto quod in eandem ſententiam apud Prophetas legitur, *Deum clementem eſſe & fidelem in promiſſis.* Temere enim ſtatuemus Deum nobis propitium, niſi de ſe teſtetur ipſe, noſque ſua invitatione præveniat, ne dubia vel obſcura ſit voluntas. Jam autem viſum eſt, unicum amoris pignus eſſe Chriſtum: ſine quo ſurſum & deorſum apparent odii & iræ ſigna. Jam quum non multum habitura ſit momenti divinæ bonitatis notitia, niſi in ea nos acquieſcere faciat, excludenda eſt dubitatione mixta intelligentia, quæ non ſolide ſibi conſtet, ſed ipſa ſecum diſceptet. At vero plurimum abeſt, quin mens hominis, ut cæca eſt & obtenebrata, ad percipiendam uſque Dei voluntatem penetret ac conſcendat, atque etiam cor, ut perpetua hæſitatione fluctuatur, ſecurum in ea perſuaſione reſideat. Itaque aliunde & mentem illuminari, & cor obfirmari convenit, quo Dei verbum plenam apud nos fidem obtineat. Nunc juſta fidei definitin nobis conſtabit, ſi dicamus eſſe divinæ erga nos benevolentiæ firmam certamque cognitionem, quæ gratuitæ in Chriſto promiſſionis veritate fundata, per Spiritum ſanctum & revelatur mentibus noſtris, & cordibus obſignatur.

Gratia videlicet promiſſionem.

Quæ in Chriſto nobis offertur.

Modo eum fide amplectamur.

Cujus fidei juſta proponitur definitio.

Scholaſticorum nugatoria diſtinctio de fide formata & informi refellitur.

8. Verum antequam ultra progrediar, quædam procemia neceſſaria erunt ad nodos explicandos, qui obſtaculum alioqui afferre poſſent lectoribus. Ac primo refutanda eſt, quæ in ſcholis volitat nugatoria fidei formatæ & informis diſtinctio. Imaginantur enim eos credere quicquid cognitu neceſſarium eſt ad ſalutem, qui nullo timore Dei, nullo pietatis Lombard. l. 3. diſt. 23.
ſenſu tanguntur. Quaſi vero Spiritus ſanctus corda noſtra in fidem illuminando, non ſit nobis adoptionis noſtræ teſtis. Superciliosſe tamen, tota Scriptura reclamante, perſuaſionem illam timore Dei vacuam, fidei nomine dignantur. Cum eorum definitione longius confligtari opus non eſt, quam fidei naturam ſimpliciter enarrando, qualis verbo Dei traditur. Unde liquido patebit, quam imperite & inſulſe de ipſa ſtrideant magis quam lnquantur. Partem jam attigi, reliqua ſuo loco deinde ſubjiciam. Nunc dico, nihil eorum commento poſſe fingi abſurdius. Fidem aſſenſum eſſe volunt, qua recipiet quilibet Dei contemptor, quod ex Scriptura profertur. Atqui primo videndum erat, ſibine quiſque proprio Marte fidem accerſat: an Spiritus ſanctus per eam teſtis ſit adoptionis. Itaque pueriliter ineptiunt, quærendo an eadem ſit fides, quam ſuperveniens qualitas format: an vero diverſa & nova. Unde certo apparet ita garriendo de ſingulari Spiritus dono nunquam cogitaſſe: quia ioitium credendi jam in ſe reconciliationem continet, qua homo ad Deum accedit. Quod ſi expenderent illud Pauli, *Corde creditur ad juſtitiam*, fingere deſine- Rom. 10.
rent frigidam illam qualitatem. Si una hæc nobis verſ. 10.
ſuppeteret ratio, valere deberet ad litem finiendam: aſſenſionem ſcilicet ipſam, ſicuti ex parte attigi, & fuſius iterum repetam, cordis eſſe magis quam cerebri, & affectus magis quam intelligentiæ. Qua ratione obedientia vocatur fidei, cui nullum aliud ob- Rom. 1: 5.
ſequium præfert Dominus. & merito, quando illi ſua veritate nihil eſt pretioſius: quam à credentibus, quaſi ſubſcriptione facta, obſignari Joannes Baptiſta Joan. 3: 33.
eſt teſtis. Quoniam res minime dubia eſt, uno verbo ſtatuimus, eos inepte loqui, quum fidem formari dicunt, acceſſinne piæ affectionis ad aſſenſum facta: quum aſſenſus quoque pia affectinne conſtet: qualis ſaltem in Scripturis demonſtratur. Sed alterum multo clarius argumentum ſe etiamnum offert. Quum enim fides Chriſtum amplectatur, ut nobis offertur à Patre: ille vero non in juſtitiam modo, peccatorum remiſſionem & pacem offeratur, ſed in ſanctificationem quoque & fontem aquæ vivæ: eum haud dubie rite cognnſcere nunquam poterit, quin ſanctificationem Spiritus ſimul apprehendat. Aut ſiquis apertius id dictum cupiat, Fides in Chriſti notitia ſita eſt. Chriſtus niſi cum Spiritus ſui ſanctificatione cognoſci nequit. Conſequitur, fidem à pio affectu nullo modo eſſe diſtrahendam.

A conſideratione naturæ fidei, quæ Spiritus Dei donum eſt, quod à pio affectu nullo modo poteſt diſtrahi.

Objectio ex Pauli dicto.

9. Quod ſolent obtrudere, quod ait Paulus, *Siquis* (ſcilicet) *omnem fidem habeat, ut montes transfe-* 1 Cor. 13.
rat, charitatem vero non habeat, eum nihil eſſe, quo verſ. 2.
fidem charitate ſpoliatam deforment: non animadvertunt, quid eo loco ſit Apoſtolo fides. Quum enim *Reſponſio.*
proximo capite diſſeruiſſet de variis donis Spiritus, 1 Cor. 12.
in quibus repoſuerat genera linguarum, virtutes, verſ. 10.
prophetiam, & hortatus eſſet Corinthios ad ſectanda ibid. v. 31.

ex

ex iis meliora, hoc eſt, unde plus fructus & emolumenti rediret ad totum Eccleſiæ corpus: ſubjicit, excellentiorem adhuc ſe viam demonſtraturum. Ejuſmodi dona omnia utcunque per ſe excellentia ſint, nihili tamen æſtimanda eſſe, niſi charitati ſerviant. Eſſe enim in Eccleſiæ ædificationem data: in eam niſi conferantur, perdere ſuam gratiam. Ad id probandum diſtributione utitur, repetens eadem illa, quæ ſuperius recenſuerat, dona; ſed aliis nominibus. Pro eodem autem uſurpat virtutes, & fidem: nempe, pro edendorum miraculorum facultate. Quum ergo hæc ſive virtus ſive fides particulare ſit donum Dei, quo impius quiſpiam & pollere queat & abuti, ut dono linguarum, ut prophetia, ut aliis chariſmatibus, non mirum ſi à charitate ſeparetur. Totus autem iſtorum error in eo eſt, quod quum vocabulum fidei ſit πολύσημον, ſignificati diverſitate non obſervata, perinde pugnant acſi eadem ubique foret acceptio. Locus Jacobi, quem in ejuſdem erroris patrocinium accerſunt, alibi diſcutietur. Quanquam vero plures eſſe fidei formas, docendi cauſa concedimus, dum volumus oſtendere, qualis ſit in impiis Dei notitia: unicam tamen piorum fidem, ut Scriptura docet, agnoſcimus & prædicamus. Credunt certe plurimi Deum eſſe, Euangelicam hiſtoriam ac reliquas Scripturæ partes veras eſſe arbitrantur: (quale fere judicium eſſe ſolet de iis, quæ vel olim geſta narrantur, vel ipſi præſentes ſpectavimus) ſunt etiam qui ultra procedunt: nam & Dei ſermonem pro certiſſimo habent oraculo, nec ejus præcepta prorſus negligunt, & minis & promiſſionibus utcunque commoventur. Talibus quidem fidei teſtimonium tribuitur, ſed per κατάχρησιν: quoniam Dei verbum non impugnant manifeſta impietate, vel rejiciunt, vel contemnunt: ſed quandam potius obedientiæ ſpeciem præ ſe ferunt.

Error Scholaſticorum in eo eſt, quod vocem multiplicis ſignificationis ſynonymam eſſe ſomniant.
infra c. 17. ſect. 1.

Fidei teſtimonium abuſive duobus hominum generibus tribuitur.

Quid de hac attributione ſit ſentiendum.

10. Verum hæc fidei, ſeu umbra, ſeu imago, ut nullius eſt momenti, ita indigna eſt fidei appellatione: à cujus ſolida veritate quam procul abſit, tametſi mox fuſius videbitur, nihil tamen impedit nunc obiter indicari. Credidiſſe dicitur Simon Magus, qui tamen ſuam incredulitatem paulo poſt prodit. Quod fides illi tribuitur, non intelligimus cum quibuſdam, ſimulaſſe verbis, quam in corde nullam haberet: ſed potius arbitramur Euangelii majeſtate victum, qualemcunque fidem adhibuiſſe, atque ita Chriſtum, vitæ & ſalutis auctorem agnoviſſe, ut libenter illi nomen daret. Eodem modo credere ad tempus dicuntur in Euangelio Lucæ, in quibus verbi ſemen, antequam fructificet, præfocatur: aut etiam nullis dum actis radicibus areſcit mox & deperit. Tales non dubitamus quodam verbi guſtu affectos ipſum avide arripere, & divinam ejus virtutem perſentiſcere: ut fallaci fidei ſimulatione non hominum oculis modo imponant, ſed ſuis ipſorum animis. Ipſiſſimam enim pietatem eſſe ſibi perſuadent illam quam Dei verbo deferunt reverentiam, quia nullam eſſe impietatem reputant, niſi manifeſtum & confeſſum ejus vel probrum vel contemptum. Qualiſcunque autem illa eſt aſſenſio, ad cor ipſum uſque minime penetrat, ut illic defixa reſideat: & quanquam radices egiſſe interdum videtur, vivæ tamen illæ non ſunt. Tot vanitatis receſſus habet, tot mendacii latebris ſcatet cor humanum, tam fraudulenta hypocriſi obtectum eſt, ut ſeipſum ſæpe fallat. At vero qui talibus fidei ſimulachris gloriantur, intelligant diabolis nihilo ſe in hac parte præcellere. Priores certe illi ſunt multo inferiores, qui ſtupidi audiunt & intelligunt, quorum notitia diaboli contremiſcunt: alii in hoc pares ſunt, quod qualiſcunque ſenſus, quo tanguntur, in terrorem tandem exit & conſternationem.

Actor. 8. v. 13, 18.

Credentes ad tempus, qui.
Luc. 8. v. 7, 13.

Hypocritarum fides.

Cum quibus conferendi ſint.

Jac. 2: 19.

Fides cur reprobis tribuatur.

11. Scio quibuſdam durum videri, ubi fides reprobis tribuitur: quum Paulus eam fructum electionis eſſe aſſerat. qui tamen nodus facile ſolvitur: quia etſi in fidem non illuminantur, nec Euangelii efficaciam vere ſentiunt, niſi qui præordinati ſunt ad ſalutem: experientia tamen oſtendit, reprobos interdum ſimili fere ſenſu atque electos affici, ut ne ſuo quidem judicio quicquam ab electis differant. Quare nihil abſurdi eſt, quod cæleſtium donorum guſtus ab Apoſtolo, & temporalis fides à Chriſto illis adſcribitur: non quod vim ſpiritualis gratiæ ſolide percipiant ac certum fidei lumen: ſed quia Dominus, ut magis convictos & inexcuſabiles reddat, ſe inſinuat in eorum mentes, quatenus ſine adoptionis Spiritu guſtari poteſt ejus bonitas. Siquis objiciat, nihil igitur amplius reſtare fidelibus, unde certo adoptionem ſuam æſtiment: reſpondeo, quamvis magna ſit ſimilitudo & affinitas inter Dei electos, & qui fide caduca ad tempus donantur, vigere tamen in ſolis electis fiduciam illam, quam celebrat Paulus, ut pleno ore clament, *Abba, Pater*. Ergo, ut ſolos electos ſemine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam diſpereat ſemen vitæ eorum cordibus inſitum: ita ſolide in illis obſignat adoptionis ſuæ gratiam, ut ſtabilis ac rata ſit. Sed hoc minime obſtat, quin illa inferior Spiritus operatio curſum ſuum habeat etiam in reprobis. Interea docentur fideles, ſollicite & humiliter ſeipſos excutere, ne pro fidei certitudine obrepat carnis ſecuritas. Adde, quod reprobi nunquam ſenſum gratiæ, niſi confuſum percipiunt, ut umbram potius apprehendant, quam ſolidum corpus: quia peccatorum remiſſionem Spiritus proprie in ſolis electis obſignat, ut eam ſpeciali fide in uſum ſuum applicent. Merito tamen dicuntur reprobi Deum credere ſibi propitium: quia donum reconciliationis, licet confuſe, nec ſatis diſtincte, ſuſcipiunt: non quod ejuſdem vel fidei, vel regenerationis participes ſint cum filiis Dei; ſed quia commune cum illis fidei principium habere videntur, ſub integumento hypocriſeos. Nec vero nego, quin huc uſque eorum mentes irradiet Deus, ut ejus gratiam agnoſcant: ſed ſenſum illum à peculiari teſtimonio, quod reddit ſuis electis, ita diſtinguit, ut ad ſolidum effectum & fruitionem non perveniant. Non enim ideo ſe propitium illis demonſtrat, quia vere ex morte ereptos in cuſtodiam ſuam recipiat, ſed tantum illis manifeſtat præſentem miſericordiam. Viva autem fidei radice ſolos electos dignatur, ut in finem uſque perſeverent. Ita diluitur objectio illa, ſi vere gratiam ſuam demonſtrat Deus, hoc perpetuo fixum eſſe: quia nihil obſtat, quominus præſenti gratiæ ſuæ ſenſu, qui poſtea evaneſcit, Deus aliquos illuſtret.

1 Theſſ. 1. verſ. 4, 5.

Objectio.

Reſponſio.

Gal. 4: 6.

Quem gratiæ ſenſum reprobi percipiant.

Electi quomodo à reprobis diſcernantur.

12. Quanquam etiam fides divinæ erga nos benevolentiæ notitia eſt, & certa de ejus veritate perſuaſio: non mirum tamen eſt divini amoris ſenſum in temporariis evaneſcere, qui licet fidei ſit affinis, ab ea tamen multum differt. Voluntas Dei immutabilis eſt, fateor, & ſemper ejus veritas ſibi conſtat. Atqui nego huc uſque progredi reprobos, ut in arcanam illam revelationem penetrent, quam ſolis electis Scriptura vendicat. Nego igitur eos vel Dei voluntatem, ut eſt immutabilis, capere, vel ejus veritatem conſtanter amplecti: quia in ſenſu evanido ſubſidunt. ſicuti arbor non ſatis alte plantata, ut vivas radices agat, temporis ſucceſſu areſcit: licet per aliquot annos non flores tantum & folia emittat, ſed etiam fructus. Denique, ſicut primi hominis defectione deleri potuit ex ejus mente & anima imago Dei; ita mirum non eſt, ſi quibuſdam gratiæ ſuæ radiis reprobis illuceat, quos poſtea extingui patitur. Nec vero quicquam impedit, quominus leviter alios tingat Euangelii ſui notitia, alios penitus imbuat. Hoc interim tenendum eſt, quantumvis exigua ſit ac debilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha eſt ac ſigillum ſuæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri poſſe ejus ſculpturam: reprobos vero tali luce aſpergi,

Cur fides temporaria ſit in reprobis.

Cur firma & perpetua in electis.

quæ

Ratio, reſpectu reproborum.

quæ poſtea diſpereat. Neque tamen fallacem eſſe Spiritum: quia ſemen, quod jacit in eorum cordibus, non vivificat, ut ſemper maneat incorruptibile, ſicuti in electis. Ultra procedo: nam quum ex Scripturæ doctrina,& quotidiano uſu conſtet reprobos interdum affici divinæ gratiæ ſenſu, quoddam mutui amoris deſiderium io illorum cordibus excitari neceſſe eſt.

Exemplum.

Sic in Saule ad tempus viguit pius affectus, ut Deum amaret, à quo paterne ſe tractari ſciens, aliqua bonitatis ejus dulcedine capiebatur. At quemadmodum radicitus oon hæret in reprobis de paterno Dei amore perſuaſio: ita noo ſolide eum redamant ut filii,ſed mercenario quodam affectu ducuntur. Nam ſoli Chriſto hac lege datus eſt Spiritus ille amoris, ut eum membris ſuis inſtillet. nec certe

Rom. 5: 5.

longius, quam ad electos patet illud Pauli, *Diffuſa eſt charitas Dei in corda noſtra per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis:* nempe charitas, quæ illam, quam ſupra attigi, invocationis fiduciam generat. Sicuti

Cur Deus iraſcatur filiis ſuis.

ex oppoſito videmus, Deum mirabiliter iraſci filiis ſuis, quos amare non deſinit: non quod apud ſe eos oderit, ſed quia terrere eos vult iræ ſuæ ſenſu, ut ſuperbiam carnis humiliet, torporem excutiat, & ad pœnitentiam ſollicitet. Itaque eodem tempore & iratum ſibi, vel peccatis ſuis, & propitium concipiunt: quia noo ficte iram ejus deprecantur, ad quem tamen cum traoquilla fiducia coofugiunt. His quidem conſtat, quoſdam non ſimulare fidem, qui tamen vera fide carent: ſed dum ſubitu zeli impetu feruntur, ſeipſos falſa opinione decipiunt. Nec dubium eſt, quin ipſos occupet ſocordia, ne cor ſuum probe, ut par erat, examinent. Tales fuiſſe

Joan. 2. v. 24, 25.

probabile eſt, quibus (teſte Joanne) Chriſtus ſeipſum non credebat, qoum tamen io ipſum crederent: quia noverat omnes, & ſciebat quid eſſet io bomine.

Quo ſenſu à fide multi excidere dicantur.

Quod niſi à communi fide multi exciderent (communem appello, quia magna eſt ſimilitudo & affinitas fidei temporalis cum viva & perpetua) non dixiſſet Cbriſtus diſcipulis,

Joan. 8:31.

Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eſtis: & cognoſcetis veritatem: & veritas vos liberos reddet. Eos enim compellat, qui amplexi erant ejus doctrinam, & hortatur ad profectum fidei, ne torpore ſuo lumen, quod datum

Tit. 1: 1.

eſt, extinguant. Ideo Paulus fidem electis peculiariter vendicat, ſignificans multos evaneſcere, quia vivam radicem non traxerunt. Sicuti etiam loqui-

Matth. 15. verſ. 13.

tur Chriſtus apud Matthæum, *Omnis arbor quam non plantavit Pater meus, eradicabitur.* Io aliis craſſius eſt mendacium, quos Deo & bominibus illudere non pudet. In boc genus homioum, qui fallaci præ-

Jac. 2: 14. 1 Tim. 1. verſ. 5.

textu impie fidem profanant, invehitur Jacobus. Nec Paulus requireret à filiis Dei fidem oon fictam, niſi quia multi ſibi audacter arrogant quod non habent, & inani fuco vel alios, vel interdum ſeipſos

ibidem, verſ. 19.

fallunt. Itaque bonam conſcientiam arcæ comparat, in qua cuſtoditur fides: quia multi ab illa excidendo circa hanc naufragium fecerunt.

Fidei varia ſignificationes.

1. Sumitur pro ſana pietatis doctrina.

13. Tenenda etiam eſt ambigua verbi ſignificatio: ſæpe enim *fides* tantundem valet ac ſana pietatis doctrina, ſicut eo quem nuper citavimus loco, & eadem epiſtola, ubi Paulus *diacones tenere vult myſterium fidei in pura conſcientia.* Item, ubi denunciat quorundam defectionem à fide. Ex oppoſito autem

1 Tim. 3. verſ. 9. 1 Tim. 4. v. 1. & 6. 2 Tim. 2. verſ. 16. Tit. 1: 13. & 2: 2.

dicit *enutritum fuiſſe Timotheum verbis fidei.* Item, ubi dicit, *profanas inanitates & oppoſitiones falſo nominatæ ſcientiæ, in cauſa eſſe ut multi à fide diſcedant:* quos alibi reprobos vocat circa fidem. Sicuti rurſum ubi Tito præcipit, *Admone eos, ut ſani ſint in fide:* ſanitatis voce nihil aliud intelligit, quam doctrinæ puritatem, quæ hominum levitate facile corrumpi-

Col. 2: 3.

tur & degenerat. Nempe quia in Chriſto, quem poſſidet fides, abſconditi ſunt omnes theſauri ſcieotiæ & ſapientiæ, merito extenditur ad totam cæleſtis doctrinæ ſummam, à qua non poteſt ſeparari.

2. Aliquando reſtringitur ad particulare aliquod objectum.

Contra ad particulare aliquod objectum aliquando reſtringitur: ſicuti quum dicit Matthæus *Chriſtum fidem eorum vidiſſe, qui per tegulas paralyticum demiſerant:* & ipſe clamat, *ſe non invenisſe tantam fidem in Iſraël, quantam Centurio attulerat.* Atqui proba-

Mat. 9: 2. Mat. 8: 10.

bile eſt, intentum prorſus fuiſſe ad filii ſanationem, cujus cura occupaverat totum ejus animum: ſed quia ſolo Chriſti nutu & reſponſo contentus, corporalem præſentiam non flagitat, hujus circumſtantiæ cauſa tantopere extollitur ejus fides. Et nuper do-

1 Cor. 13. verſ. 10.

cuimus, Paulum accipere *fidem* pro dono miraculorum: quo pollent, qui nec Spiritu Dei ſunt regeniti, nec eum ſerio colunt.

3. Significat etiam Eccleſiæ miniſterium, ſeu doctrinam, qua in fide inſtituimur.

Alibi etiam *fidem* ponit pro doctrina, qua in fide inſtituimur. Nam quum ſcribit *fidem abolendam*, non dubium eſt, id referri ad Eccleſiæ mioiſterium, quod infirmitati noſtræ hodie utile eſt. In his quidem loquendi formis conſtat analogia. Cæterum ubi improprie transfertur nomen *fides* ad falſam profeſſionem vel mendacem titulum, nihilo aſperior videri debet κατάχρησις, quam ubi timor Dei ponitur pro vitioſo & perverſo cultu: ſicuti quum ſæpius dicitur in ſacra biſtoria, *Gentes exteras, quæ in Samariam & vicina loca traductæ fuerant, timuiſſe deos fictitios & Deum Iſraël:* quod tantundem valet, ac cælum terræ miſcere. Sed nunc quærimus, quid ſit fides quæ filios Dei ab incredulis diſtinguit, qua Deum iovocamus patrem, qua tranſimus à morte in vitam, & qua Chriſtus (æterna ſalus & vita) in nobis habitat. Ejus autem vim & naturam breviter & dilucide explicuiſſe videor.

Variis ſignificationibus expoſitis, ſingulas definitionis (ſect. 7. circa finem propoſita) partes explicaturus, ſeu præcipua membra ſeligit.

14. Nunc ſingulas partes definitionis ejus de integro perſequamur: quibus diligenter excuſſis, nihil (ut opinor) dubium reſtabit.

1. Qualis ſit cognitio, cujus meminit in definitione.

Cognitionem dum vocamus, non intelligimus comprehenſionem, qualis eſſe ſolet earum rerum, quæ ſub humanum ſenſum cadunt. Adeo enim ſuperior eſt, ut mentem bominis ſeipſam excedere & ſuperare oporteat, quo ad illam pertingat. Neque etiam, ubi pertigit, quod ſentit aſſequitur: ſed dum perſuaſum habet, quod noo capit, plus ipſa perſuaſionis certitudine intelligit, quam ſi humanum aliquid ſua capacitate perciperet. Quare eleganter Paulus, qui id vocat comprehendere quæ ſit longitudo, latitudo, profunditas & ſublimitas, & cognoſcere ſupereminentem cognitioni dilectionem Chriſti. Voluit enim ſignificare, modis omnibus infinitum eſſe quod mens

Eph. 3: 18.

noſtra fide complectitur, & genus hoc cognitionis eſſe omni intelligeotia longe ſublimius. Quia tamen

Col. 1: 26. & 2: 2.

arcanum voluntatis ſuæ, quod à ſeculis & generatioaibus abſconditum erat, Dominus ſanctis patefecit, optima ratione *fides* ſubiode in Scripturis *agnitio* vocatur: ab Joanne vero *ſcientia*, quum fideles teſta-

1 Joan. 3. verſ. 2.

tur ſcire ſe eſſe filios Dei. Et ſane certo ſciunt: ſed divinæ veritatis perſuaſione confirmati magis, quam rationali demonſtratione edocti. Id indicant & Pauli

2 Cor. 5: 6

verba, *nos in hoc corpore habitantes, à Domino peregrinari: quia per fidem ambulamus, non per aſpectum.* quibus oſtendit, ea quæ per fidem intelligimus, à nobis tamen abeſſe, & aſpectum noſtrum latere. Unde ſtatuimus, fidei notitiam certitudine magis, quam apprehenſione contineri.

2. Cur certa & firma cognitio requiratur.

15. Addimus, certam ac firmam, quo ſolidior perſuaſionis conſtantia exprimatur. Nam ut dubia & verſatili opiniooe non eſt contenta fides, ita nec obſcura perplexaque conceptione: ſed plenam & fixam, qualis de rebus compertis & probatis eſſe ſolet, certitudinem requirit.

Ratio, à conſideratione noſtræ infirmitatis.

Tam alte enim & radicitus hæret in cordibus noſtris incredulitas, & ita ad eam ſumus propenſi, ut quod ore fatentur omnes, Deum eſſe fidelem, non abſque arduo certamine quiſquam ſibi perſuadeat. Præſertim ubi ad rem ventum eſt, omnium vacillatio detegit vitium quod latebat. Nec vero fruſtra tam inſignibus elogiis verbo Dei auctoritatem aſſerit Spiritus ſanctus: ſed morbo quem dixi mederi vult, ut Deus in ſuis promiſſis plenam obtineat apud nos fidem. *Eloquia*

JEHO-

Pſal. 12: 7. & 18: 31.
JEHOVÆ, *eloquia pura* (inquit David) *argentum fuſum in eximio catino terræ, purgatum ſepties.* Item, *Sermo* JEHOVÆ *excoctus, clypeus eſt omnibus confidentibus in ipſo.*
Prov. 30: 5.
Solomo autem idem confirmans & fere iiſdem verbis, *Omnis ſermo Dei excoctus.* Sed quia in hoc fere argumento Pſalmus centeſimus decimus nonus conſumitur, plura recitare ſupervacuum eſſet.

Altera ratio, à conſideratione certitudinis promiſſionum Dei.
Certe quoties ita ſuum ſermonem commendat nobis Deus, oblique incredulitatem nobis exprobrat: quia non alio tendit, niſi ut perverſas dubitationes è cordibus noſtris eradicet. Sunt etiam permulti, qui Dei miſericordiam ſic concipiunt, ut quam minimum conſolationis inde recipiant. Simul enim miſera anxietate conſtringuntur, dum dubitant an miſericors ſibi ſit futurus: quia illam ipſam, de qua perſuaſiſſimi ſibi videntur, clementiam nimium exiguis finibus terminant. Etenim ita ſecum reputant, magnam quidem eam eſſe & copioſam, effuſam in multos, obviam omnibus & paratam: ſed incertum eſſe an ad ſe quoque perventura ſit, vel potius an ſint ad eam perventuri. Hæc cogitatio, quum in medio curſu reſiſtat, dimidia tantum eſt. Itaque non tam ſecura ſpiritum tranquillitate confirmat, quam irrequieta hæſitatione ſollicitat. Longe eſt alius ſenſus πληροφορίας quæ fidei ſemper in Scripturis tribuitur: nempe, qui Dei bonitatem perſpicue nobis propoſitam extra dubium ponat. Id autem fieri nequit, quin ejus ſuavitatem vere ſentiamus, & experiamur in nobiſipſis. Quare Apoſtolus ex fide deducit fiduciam, & ex hac rurſum audaciam. Sic enim loqui-
Eph. 3: 12.
tur, *per Chriſtum nos habere audaciam, & aditum in fiducia, quæ eſt per fidem illius.* Quibus ſane verbis oſtendit, non eſſe rectam fidem, niſi quum tranquillis animis audemus nos in conſpectum Dei ſiſtere. Quæ audacia nonniſi ex divinæ benevolentiæ ſalutiſque certa fiducia naſcitur. Quod adeo verum eſt, ut ſæpiuſcule pro *fiducia* nomen fidei uſurpetur.

Hujus certitudinis cardo.
16. Hic præcipuus fidei cardo vertitur, ne quas Dominus offert miſericordiæ promiſſiones, extra nos tantum veras eſſe arbitremur, in nobis minime: ſed ut potius eas intus complectendo noſtras faciamus.
Rom. 5: 1.
Hinc demum naſcitur fiducia illa, quam alibi pacem idem vocat: niſi qui pacem derivare inde malit.
Fructus.
Eſt autem ſecuritas, quæ conſcientiam coram Dei judicio ſedat & ſerenat: ſine qua, tumultuoſa trepidatione ipſam vexari & penè dilaniari neceſſe eſt, niſi forte Dei & ſui oblita, ad momentum obdormiſcat. Et vere ad momentum: neque enim diu fruitur miſera illa oblivione, quin memoria divini judicii ſubinde recurrente, acerrime lancinetur. In
Vere credentis deſcriptio.
ſumma, vere fidelis non eſt, niſi qui ſolida perſuaſione Deum ſibi propitium benevolumque patrem eſſe perſuaſus, de ejus benignitate omnia ſibi pollicetur: niſi qui divinæ erga ſe benevolentiæ promiſſionibus fretus, indubitatam ſalutis expectationem
Heb. 3: 14.
præſumit: ut Apoſtolus his verbis demonſtrat, *Si fiduciam & gloriationem ſpei ad finem uſque firmam tenuerimus.* Sic enim non bene ſperare in Domino exiſtimat, niſi qui confidenter ſe regni cæleſtis hæredem glorietur. Fidelis (inquam) non eſt, niſi qui ſuæ ſalutis ſecuritati innixus, diabolo & morti confidenter inſultet, quomodo ex præclaro illo Pauli
Rom. 8. verſ. 38.
epiphonemate docemur. *Confiſus ſum,* inquit, *quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque præſentia, neque futura poterunt nos à charitate Dei divellere, qua nos complecti-*
Eph. 1: 18.
tur in CHRISTO JESU. Sic idem Apoſtolus non aliter exiſtimat *bene illuminari oculos mentis noſtræ, niſi cernamus quæ ſit ſpes æternæ hæreditatis, ad quam vocati ſumus.* Et ubique ſic docet, ut innuat non bene aliter Dei bonitatem à nobis comprehendi, niſi magnæ ſecuritatis fructum inde colligamus.

Objectio adverſus hanc certitudinem.
17. Atqui (dicet quiſpiam) longe aliud experiuntur fideles, qui in recognoſcenda erga ſe Dei gratia non modo inquietudine tentantur (quod ſæpe illis contingit) ſed graviſſimis etiam terroribus interdum quatefiunt. tanta eſt ad deturbandas eorum mentes tentationum vehementia: id quod non ſatis videtur cum illa fidei certitudine cohærere. Proinde nodus hic ſolvendus eſt, ſi ſuperiorem illam doctrinam ſtare volumus.
De fidei imperfectione, confirmatione & incremento, vid. 14. ſect. 7. 8.
Reſponſio.
Nos certe, dum fidem docemus eſſe debere certam ac ſecuram, non certitudinem aliquam imaginamur, quæ nulla tangatur dubitatione, nec ſecuritatem quæ nulla ſollicitudine impetatur: quin potius dicimus perpetuum eſſe fidelibus certamen cum ſua ipſorum diffidentia. tantum abeſt, ut eorum conſcientias in placida aliqua quiete collocemus, quæ nullis omnino turbis interpelletur. Rurſum tamen, qualemcunque in modum affligantur, decidere ac deſciſcere negamus à certa illa, quam de miſericordia Dei conceperunt, fiducia.
Confirmatio reſponſionis à Davidis exemplo.
Nullum illuſtrius vel magis memorabile exemplum fidei proponit Scriptura, quam in Davide, præſertim ſi continuum vitæ curſum ſpectes. Ille tamen quam non ſemper pacato animo fuerit, innumeris querimoniis declarat, ex quibus paucas eligere ſufficiet. Dum animæ ſuæ turbulentos motus exprobrat, quid aliud quam ſuæ incredulitati ſuccenſet?
Pſal. 42: 6. & 43: 5.
Quid trepidas, inquit, *anima mea, & quid tumultuaris intra me? ſpera in Deum.* Et certe conſternatio illa apertum diffidentiæ ſignum fuit, acſi deſtitui ſe à Deo putaret. Amplior etiam alibi confeſſio
Pſal. 31. verſ. 23.
legitur, *Dixi in mea præcipitatione, Projectus ſum à conſpectu oculorum tuorum.* Alibi etiam anxia & miſera perplexitate ſecum diſceptat, imo de ipſa
Pſal. 77. verſ. 10.
Dei natura litem movet, *An oblitus eſt miſereri Deus? an in ſecula repellet?* Durius quod ſequitur, *Atque dixi, Occidere meum eſt: mutationes dextræ excelſi.*
vid. Calv. adverſus Pighium, paulo poſt initium.
Nam quaſi deſperatus ſeipſum exitio adjudicat: nec tantum agitari ſe dubitatione fatetur, ſed (quaſi in certamine ſuccubuerit) nihil ſibi facit reſiduum: quia Deus ipſum deſeruerit, & manum, quæ olim auxiliaris erat, converterit ad ipſum perdendum.
Pſal. 116. verſ. 7.
Quare non abs re animam ſuam hortatur, ut ad quietem ſuam redeat: quia expertus fuerat inter fluctus turbulentos ſe jactari. Et tamen, quod mirabile eſt, inter iſtas concuſſiones piorum corda fides ſuſtentat: vereque palmæ vicem obtinet, ut contra quælibet onera nitatur, ſurſumque ſe attollat: ſicuti David, quum obrutus videri poſſet, ſe tamen increpando, ad Deum ſurgere non deſtitit. Qui vero cum propria infirmitate certans, ad fidem in ſuis anxietatibus contendit, jam magna ex parte victor eſt. Quod ex hac ſententia & ſimilibus colligere
Pſal. 27. verſ. 14.
licet, *Expecta Jehovam: fortis eſto, roborabit ille cor tuum. Expecta Jehovam.* Seipſum timiditatis coarguit, & idem bis repetens, ſe multis agitationibus ſubinde obnoxium fatetur eſſe. Interim non tantum ſibi diſplicet in his vitiis, ſed enixe ad correctionem aſpirat.
Amplificatio ab oppoſito Achazi exemplo.
Certe ſi propius juſto examine conferre eum liceat cum Achaz, reperietur magnum diſcrimen. Mittitur Jeſaias, qui remedium afferat impii Regis & hypocritæ anxietati: his verbis eum alloquitur,
Jeſa. 7: 4.
Sis in cuſtodia, & quieſce: ne formides, &c. Quid ille? Sicuti prius dictum fuerat cor ejus fuiſſe commotum, ſicuti quatiuntur arbores ſylvæ à vento, licet audita promiſſione expaveſcere non deſtitit. Eſt igitur hæc propria infidelitatis merces & pœna, ſic contremiſcere, ut in tentatione ſe à Deo avertat, qui ſibi januam fide non aperit: contra autem fideles, quos incurvat & fere opprimit tentationum moles, conſtanter, quamvis non ſine moleſtia & difficultate, emergunt.
Item à perpetua fidelium experientia & precatione.
Et quia ſibi propriæ imbecillitatis ſunt conſcii, cum Propheta precantur, *Ne auferas ab ore meo verbum veritatis uſque valde.*
Pſal. 119. verſ. 43.
Quibus verbis docemur, interdum ipſos obmuteſcere, acſi proſtrata eſſet eorum fides: non tamen deficere aut terga vertere, ſed certamen ſuum perſequi, & ſuam ſegnitiem precando acuere, ne ſaltem ex indulgentia ſtuporem contrahant.

Hac de cauſa conflictus carnis & ſpiritus in anima fidelium deſcribitur.

18. Id quo intelligatur, neceſſe eſt redire ad illam carnis & ſpiritus diviſionem, cujus alibi meminimus, quæ in hac parte lucidiſſime ſe profert. Sentit ergo in ſe diviſionem pium pectus, quod partim ob divinæ bonitatis agnitionem ſuavitate perfunditur, partim ob ſuæ calamitatis ſeoſum amaritudine angitur, partim in Euangelii promiſſionem recumbit, partim ſuæ iniquitatis teſtimonio trepidat, partim vitæ apprehenſione exultat, partim mortem exhorreſcit. Quæ variatio ex fidei imperfectione contingit: quando nunquam tam bene in præſentis vitæ curſu nobiſcum agitur, ut omni diffidentiæ morbo curati, fide toti repleamur & occupemur. Hinc conflictus illi: ubi quæ in reliquiis carnis hæret diffidentia, ad oppugnandam, quæ intus concepta eſt, fidem inſurgit. Verum ſi in fideli mente certitudo permixta eſt dubitatione, annon eo ſemper recidimus, ut fides non certa & liquida, ſed obſcura modo & perplexa divinæ erga nos voluntatis notitia conſtet? Minime vero. Neque enim, ſi variis cogitationibus diſtrahimur, ideo protinus à fide divellimur: nec ſi ſurſum deorſum diffidentiæ agitatione vexamur, ideo in ejus abyſſum demergimur: neque ſi concutimur, ideo de gradu deturbamur. Siquidem iſtius certaminis ſemper hic finis eſt, quod fides eas difficultates, quibus ita circumſeſſa videtur periclitari, tandem eluctatur.

Cujus conflictus finis eſt fidei victoria.

Summa, fides electorum Dei eſt indubitata & certa.

19. Summa hæc ſit. Ubi primum vel minima fidei gutta mentibus noſtris inſtillata eſt, jam faciem Dei placidam & ſerenam, nobiſque propitiam contemplari incipimus: procul id quidem & eminus, ſed ita certo intuitu, ut ſciamus nos minime hallucinari. Quantum deinde proficimus (ut nos aſſidue proficere decet) quaſi progreſſu facto, in propiorem ejus conſpectum eoque certiorem venimus, & ipſa etiam continuatione familiarior nobis redditur. Ita mentem Dei cognitione illuminatam, initio multa ignorantia videmus involutam teneri, quæ paulatim abſtergitur. Non tamen quædam ignorando, aut obſcurius id quod cernit cernendo impeditur, quin divinæ erga ſe voluntatis perſpicua notitia fruatur, quod in fide primas ac potiſſimas partes tenet. Quemadmodum enim ſiquis carcere incluſus, ex anguſtiore feneſtra oblique tantum & quaſi dimidiatim emicantes habeat Solis radios, libero quidem privatur Solis aſpectu, ſplendorem tamen non ambiguum oculis haurit, ejuſque uſum recipit: ſic terrei corporis compedibus vincti, utcunque multa obſcuritate undique obumbremur, luce tamen Dei vel puſillum ad exerendam ejus miſericordiam irradiante, quantum ſatis eſt ad ſolidam ſecuritatem illuminamur.

Confirmatio à ſimili.

Altera, ab Apoſtoli teſtimonio, ex quo apparet fidem etſi imperfectam admodum in Dei electis, firmam nihilominus & certam eſſe.

20. Utrumque diverſis locis Apoſtolus eleganter docet. Quum enim ex parte nos cognoſcere, & ex parte prophetare, videreque in ænigmate per ſpeculum tradit, quam tenuis in præſenti vita illius vere divinæ ſapientiæ portiuncula nobis detur, indicat. Etſi enim non ſimpliciter indicant verba illa imperfectam eſſe fidem quantiſper gemimus ſub carnis onere, ſed, quod neceſſe eſt nobis aſſidue diſcendo exerceri, ex imperfectione noſtra contingere: innuit tamen modulo noſtro & anguſtiis, quod immenſum eſt, non poſſe comprehendi. Atque hoc Paulus de tota Eccleſia prædicat: cuique autem noſtrûm ſua ruditas obſtaculum & remora eſt, ne tam prope accedat, quam optandum eſſet. At quam certo & minime fallaci ſui guſtu nos afficiat vel exigua fidei guttula, idem alibi oſtendit, quum affirmat, *nos per Euangelium, revelata facie, nulloque objecto velamine gloriam Dei tanta efficacia contemplari, ut in eandem imaginem transformemur.* In talibus ignorantiæ involucris plurimum ſimul dubitationis & trepidationis implicari neceſſe eſt: quum præſertim cor noſtrum ſuo quodam naturali inſtinctu ad incredulitatem propendeat. Huc accedunt tentationes, quæ & infinitæ numero, & genere variæ, magno identidem impetu inſiliunt. Ipſa præcipue conſcientia, incumbente peccatorum mole oppreſſa, nunc ſecum querulatur ac gemit, nunc ſe arguit, nunc tacite fremit, nunc aperte tumultuatur. Sive ergo res adverſæ iram Dei præ ſe ferunt, ſive ejus argumentum & materiam conſcientia in ſe reperit, inde tela & machinas ad profligandam fidem incredulitas arripit: quæ tamen ad hunc ſcopum perpetuo deſtinantur, ut Deum nobis adverſum & infenſum eſſe putantes, nec opis ab ipſo quicquam ſperemus, & timeamus ceu ab hoſte capitali.

1 Cor. 13. verſ. 9.

2 Cor. 3. verſ. 18.

Natura fidei uberior explicatio.

21. Ad hos impetus ſuſtinendos fides ſe verbo Domini armat & munit. Atque ubi inſultat hujuſmodi tentatio, Deum eſſe inimicum, quia ſit infeſtus: contra excipit, eſſe quoque, dum affligit, miſericordem: quia caſtigatio à dilectione potius, quam ira proveniat. Ubi hac cogitatione feritur, Deum eſſe iniquitatum vindicem, opponit veniam delictis omnibus paratam, quoties ad Domini clementiam peccator ſe confert. Ita pia mens, utcunque miris modis exagitetur ac divexetur, ſupra omnes tamen difficultates tandem emergit, nec ſibi divinæ miſericordiæ fiduciam excuti unquam patitur. Quin potius quæcunque diſceptationes eam exercent & fatigant, in iſtius fiduciæ certitudinem exeunt. Hujus rei argumento eſt, quod ſancti, dum ultione Dei maxime urgeri ſibi videntur, apud ipſum tamen querimonias ſuas deponunt, & dum ſe minime exauditum iri apparet, eum nihilominus invocant. Quorſum enim attineret apud eum deplorare, à quo ſolatium nullum ſperarent? eum vero invocare nunquam inducerent in animum, niſi aliquid ſibi opis ab eo paratum crederent. Sic diſcipuli, in quibus fidei puſillanimitatem Chriſtus reprehendit, ſe quidem perire querebantur, ejus tamen auxilium implorabant. Nec vero dum eos ob puſillam fidem caſtigat, rejicit à ſuorum ordine, vel annumerat incredulis, ſed ad vitium excutiendum incitat. Ergo, quod jam ſuperius dictum eſt, rurſum aſſerimus, fidei radicem nunquam è pio pectore avelli, quin ima in parte defixa hæreat, utcunque decuſſa huc aut illuc inclinare videatur: ejus lumen ita nunquam extingui aut præfocari, quin ſaltem velut ſub favilla deliteſcat: atque hoc documento patefieri, verbum, quod ſemen eſt incorruptibile, fructum ſui ſimilem producere, cujus germen nunquam areſcit ac perit in totum. Siquidem quum hæc ſit ſanctis extrema deſperationis materia, manum Dei in ſuum exitium, ſecundum præſentium rerum æſtimationem, ſentire: eo uſque tamen progreſſuram ſpem ſuam Job affirmat, ut ſi ab eo occidatur, non ſit propterea deſiturus in eum ſperare. Ita eſt ſane. non intus in cordibus piorum regnat incredulitas, ſed foris oppugnat: nec lethaliter vulnerat ſuis telis, ſed infeſtat, aut certe ſic lædit, ut vulnus ſit ſanabile. Fides enim (ut Paulus docet) nobis pro ſcuto eſt: ea telis oppoſita, eorum vim ſic excipit, ut prorſus depellat, vel ſaltem frangat, ne ad vitalia penetret. Quum ergo concutitur fides, perinde eſt acſi violento ictu jaculi, miles alioqui firmus, pedem movere cogatur, & paulum cedere: quum autem ſauciatur fides ipſa, perinde eſt acſi clypeus fractionem aliquam ex impreſſione recipiat, ſic tamen ut non perforetur. Semper enim eo pia mens emerget, ut cum Davide dicat, *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Ambulare certe in caligine mortis eſt terrificum: nec fieri poteſt, quin fideles, quantumvis firmitudinis habeant, id perhorreſcant. Sed quoniam illa cogitatio ſuperat, quod Deum habeant præſentem, & ſuæ ſaluti conſulentem, ſimul vincitur timor ſecuritate. Quantaslibet autem machinas (ut Auguſtinus ajt) adverſum nos erigat diabolus, quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat, ejectus eſt foras.

1. Quum formidine concutiuntur fideles, in Dei miſericordis ſinum ſe recipit.

2. Deum perſequentem minime fugit, ſed in eum ſperat.

Matth. 8. verſ. 25.

3. Incredulitatem in corde ſuo regnare non patitur.

Job. 13: 15.

4. Imo eam oppugnat, nec perit fidelis in æternum.

Eph. 6: 16.

Pſal. 23: 4.

5. Victrix tandem evadit fides, quamvis millies impetatur.

Digitized by Google

foras. Ita ſi ex eventu judicium fiat, non tantum ab omni pugna ſalvi evadunt fideles, ut paulo poſt recepto vigore rurſus in arenam deſcendere ſint parati: ſed impletur quod dicit Joannes in ſua canonica,

1 Joan. 5. verſ. 4.

Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides veſtra. Neque enim tantum in prælio uno, vel paucis, vel contra aliquem inſultum affirmat fore victricem, ſed ſuperiorem toto mundo, quamvis millies impetatur.

Eſt & altera timoris ſpecies, ex judiciorum Dei adverſus impios conſideratione procedens, quam fides etiam ſuperat.

22. Altera eſt timoris ac trepidationis ſpecies, ex qua tamen adeo nihil decedit fidei ſecuritati, ut ſolidius inde ſtabiliatur. Nempe dum fideles, vel exempla divinæ ultionis adverſus impios edita documentorum vice ſibi eſſe cogitantes, ne iiſdem flagitiis iram Dei in ſe provocare ſibi contingat, ſollicite caveot: vel quum miſeriam ſuam ſecum recognoſcentes, à Domino toti pendêre diſcunt, ſine quo ſe quolibet vento fluxos magis ac evanidos eſſe vident.

1 Cor. 10. verſ. 11.

Nam Apoſtolus dum propoſitis flagellis, quibus in Iſraeliticum populum olim Dominus vindicarat, terrorem Corinthiis incutit, ne ſimilibus malis ſeipſos obſtringant, eo fiduciam ipſorum nihil labefactat, ſed torporem carnis modo excutit, quo fides obrui magis, quam confirmari ſolet. Nec dum à Ju-

Ibid. v. 12.

dæorum caſu argumentum exhortandi ſumit, ut qui ſtat, videat ne cadat, nos vacillare jubet, acſi noſtræ ſtabilitatis parum certi eſſemus: ſed arrogantiam

Rom. 11. verſ. 20.

duntaxat & temerariam propriæ virtutis præfidentiam adimit, ne depulſis Judæis Gentes in eorum locum receptæ, ferocius inſultent.

Ejuſmodi exempla ob oculos fidelium poſita carnis confidentiam reprimunt, & fidem in Deum ſtabiliunt.

Quanquam non fideles tantum illic alloquitur, ſed oratione ſua hypocritas etiam comprehendit, qui externa duntaxat ſpecie gloriabantur. Neque enim ſingulos homines admonet, ſed comparatione inter Judæos & Gentes poſita, poſtquam illos oſtenderat juſtas incredulitatis & ingratitudinis ſuæ in eo pœnas dare, quod rejecti eſſent, has etiam hortatur, ne ſuperbiendo ac ſeſe efferendo, gratiam adoptionis, nuper ad ſe tranſlatam, amittaot. Quemadmodum autem in illa Judæorum rejectione ſupererant aliqui ex ipſis, qui ab adoptionis fœdere minime exciderant: ita poterant aliqui ex Gentibus emergere, qui ſine vera fide, tantum ſtulta carnis confidentia inflarentur, atque ita abuterentur in ſuam perniciem Dei benignitate. Verum etiamſi electis ac fidelibus hoc dictum accipias, nihil ex eo ſequetur incommodi. Aliud enim eſt temeritatem, quæ ex carnis reliquiis interdum ſanctis obrepit, reprimere, ne inani confidentia laſciviat; aliud conſcientiam timore percellere, ne pleoa ſecuritate in Dei miſericordia acquieſcat.

Nec obſtat Apoſtoli dictum, qui nihil aliud exigit, niſi ut Domini virtutem cum multa noſtri dejectione ſuſpicere aſſueſcamus.

23. Deinde ubi docet, ut cum timore & tremore operemur ſalutem noſtram, non aliud exigit, niſi ut in Domini virtutem, cum multa noſtri dejectione, ſuſpicere aſſueſcamus. Enimvero nihil tam nos ad fiduciam certitudinemque animi in Dominum rejiciendam expergefacit, quam noſtri diffidentia, & concepta ex conſcientia noſtræ calamitatis anxietas. In quem ſenſum accipiendum eſt quod eſt apud Prophetam, *In multitudine bonitatis tuæ ingrediar templum tuum: adorabo in timore.* Ubi decenter fi-

Phil. 2: 12.
Pſal. 5: 8.

dei audaciam, quæ Dei miſericordiæ innititur, cum religioſo timore conjungit, quo nos affici neceſſe eſt, quoties in conſpectum divinæ majeſtatis prodeuntes, ex ejus ſplendore, quanta ſit noſtra obſcœnitas intelligimus.

Prov. 28. verſ. 14.

Vere etiam Solomo, dum *beatum hominem* pronunciat, *qui terret aſſidue cor ſuum, quoniam induratione in malum corruitur.* At terrorem intelligit, qui nos cautiores reddat, non

Et ſane conveniunt mutuoque nexu copulantur timor & fides, quod ex oppoſitis liquet.

autem quo afflicti concidamus: dum ſcilicet animus in ſe confuſus, in Deo ſe recolligit: in illo erigitur, apud ſeipſum dejectus: diffiſus ſibi, illius fiducia reſpirat. Proinde nihil obſtat, quin ſimul & terreantur fideles, & ſecuriſſima conſolatione potiantur: prout nunc in ſuam vanitatem oculos convertunt, nunc in Dei veritatem animi cogitationem referunt. Quomodo, dicet quiſpiam, in eodem animo ſedem habebuot pavor & fides? Nempe ſicuti ex oppoſito torpor & anxietas. Nam quum impii indolentiam ſibi accerſant, nequis timor Dei eos ſollicitet, urget tamen eos Dei judicium, ne aſſequantur quod appetunt. Ita nihil impedit, quominus ſuos exerceat Deus ad humilitatem, ut fortiter militando, ſub freno modeſtiæ ſe cohibeant. Atque hoc fuiſſe Apoſtoli conſilium liquet ex contextu, ubi metus & tremoris cauſam aſſignat Dei beneplacitum, quo dat ſuis & bene velle & ſtrenue proſequi. In hunc ſenſum accipere convenit illud Prophetæ,

Confirmatio, a dicto Propheta.
Oſeæ 3: 5.

Pavebunt filii Iſraël ad Deum & ad bonitatem ejus: quia non ſolum pietas reverentiam Dei gignit, ſed ipſa dulcedo & ſuavitas gratiæ, hominem in ſeipſo dejectum, timore ſimul & admiratione imbuit, ut à Deo pendeat, ſeque humiliter ſubjiciat ejus potentiæ.

Nec etiam favet hæc doctrina errori eorum, qui fiduciam incredulitate mixtam ſomniant.

24. Neque tamen ſic locum facimus peſtilentiſſimæ Philoſophiæ, quam nonnulli ſemipapiſtæ cudere hodie in angulis incipiunt. Quia enim craſſam illam dubitationem, quæ in ſcholis tradita fuit, tueri nequeunt, confugiunt ad aliud commentum, ut fiduciam incredulitate mixtam faciant. Quoties in Chriſtum reſpicimus, fatentur illic nos invenire plenam bene ſperandi materiam: ſed quia ſemper indigni ſumus illis omnibus bonis, quæ in Chriſto nobis offeruntur, volunt indignitatis noſtræ intuitu nos fluctuari & hæſitare. In ſumma, conſcientiam ſic ſtatuunt inter ſpem & metum, ut per intervalla & vices huc atque illuc alternet: ſpem vero & metum ſic inter ſe conferunt, ut illa exoriente, hic opprimatur; hoc reſurgente, illa rurſum concidat. Ita Satan, ubi jam videt apertas machinas illas, quibus fidei certitudinem deſtruere antea ſolitus erat, nunc nihil valere, obliquis cuniculis eam labefacere conatur.

Hujus erroris refutatio, a conſideratione dignitatis Chriſti in nobis habitantis.

Qualis autem erit illa fiducia, quæ ſubinde deſperationi cedet? Si Chriſtum, inquiunt, conſideras, certa ſalus: ſi ad teipſum reverteris, certa damnatio. Ergo alternis diffidentiam & bonam ſpem in animo tuo regnare neceſſe eſt. Quaſi vero Chriſtum, veluti procul ſtantem, & non potius in nobis habitantem debeamus cogitare. Ideo enim ab ipſo ſalutem expectamus, non quia eminus nobis appareat: ſed quia nos corpori ſuo inſitos, non modo ſuorum omnium bonorum participes faciat, ſed ſui quoque ipſius.

Retorquetur argumentum.

Proinde hoc ipſorum argumentum ſic retorqueo, Si teipſum conſideras, certa damnatio: ſed quoniam Chriſtus tibi cum omnibus ſuis bonis ſic communicatus eſt, ut omnia ejus tua fiant, ut fias ejus membrum, adeoque unum cum ipſo: juſtitia ejus tua peccata obruit, ſalus ejus tuam damnationem abolet, ipſe ſua dignitate intercedit, ne in conſpectum Dei veniat tua indignitas. Sic eſt ſane: Chriſtum à nobis ſeparare, aut nos ab ipſo minime convenit: ſed utraque manu fortiter retinere oportet eam, qua ſe nobis agglutinavit, ſocietatem. Ita nos Apoſtolus inſtituit.

Et confirmatur refutatio, Apoſtoli auctoritate.
Rom. 8. verſ. 10.

Corpus quidem, inquit, *mortuum eſt propter peccatum: ſed Spiritus Chriſti, qui in vobis habitat, vita eſt propter juſtitiam.* Secundum iſtorum nugamentum dicere debuerat, Chriſtus quidem vitam apud ſe habet: ſed vos, ut eſtis peccatores, manetis morti & damnationi obnoxii. Atqui longe aliter loquitur. Docet enim eam, quam à nobis meremur damnationem, Chriſti ſalute abſorptam eſſe: atque ad id confirmandum, ea quam attuli ratione utitur: quia Chriſtus non extra nos eſt, ſed in nobis habitat: nec ſolum individuo ſocietatis nexu nobis adhæret, ſed mirabili quadam communione in unum corpus nobiſcum coaleſcit in dies magis ac magis, donec unum penitus nobiſcum fiat.

Quid de hac quæſtione ſtatuendum ſit.

Neque tamen inficior, quod nuper dixi, quaſdam interdum interruptiones fidei contingere, prout ejus imbecillitas inter violentos impetus huc vel illuc flectitur. Ita in denſa caligine

tenta-

tentationum ſuffocatur ejus lumen. Quicquid tamen accidat, à quærendi Dei ſtudio non deſiſtit.

Concluſionis præcedentis confirmatio, ex Bernardo deſumpta.

25. Nec aliter diſſerit Bernardus, quum hoc argumentum ex profeſſo tractat, Homilia in dedicatione Templi quinta. *Dei, inquam, beneficio nonnunquam de anima cogitans, videor mihi in ea veluti duo quædam contraria invenire. ſi ipſam, prout in ſe eſt & ex ſe, intueor: de ea nihil verius dicere poſſam, quam ad nihilum eſſe redactam. Quid modo neceſſe eſt ſingulas ejus miſerias numerare, quam ſit onerata peccatis, offuſa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiſcentiis, obnoxia paſſionibus, impleta illuſionibus, prona ſemper ad malum, in vitium omne proclivis, poſtremo ignominiæ & confuſionis plena? Nimirum ſi ipſæ quoque*
Jeſa.64: 6. *juſtitiæ omnes ad lumen veritatis inſpectæ, velut pannus menſtruatæ inveniuntur, injuſtitiæ deinceps quales*
Matth. 6. verſ. 23. *reputabuntur? Si lumen quod in nobis eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? Quid igitur? ſine dubio vanitati ſimilis factus eſt homo: in nihilum redactus eſt homo: nihil eſt homo. Quomodo tamen penitus nihil eſt, quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appoſitum eſt cor divinum? Reſpiremus fratres. Etſi nihil ſumus in cordibus noſtris, forte in corde Dei poteſt aliquid latere de nobis. O Pater miſericordiarum, ô Pater miſerorum, quomodo apponis erga nos cor tuum? Cor enim tuum ubi eſt theſaurus tuus. Quomodo autem theſaurus tuus ſumus, ſi nihil ſumus? Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt ante te: in nihilum reputabuntur. Nimirum ante te: non intra te: ſic in judicio veritatis tuæ, ſed non ſic in affectu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea, quæ non ſunt, tanquam ſint. & non ſunt ergo, quia quæ non ſunt, vocas: & ſunt, quia vocas. Licet enim non ſint, quantum ad ſe: apud te tamen ſunt, juxta*
Rom. 9. verſ. 12. *illud Pauli, Non ex operibus juſtitiæ, ſed ex vocante.* Deinde mirificam eſſe hanc connexionem dicit utriuſque conſiderationis. Certe quæ inter ſe connexa ſunt, ſe invicem non deſtruunt. Quod etiam in concluſione apertius declarat his verbis, *Jam ſi utraque conſideratione diligenter inſpexerimus nos quid ſumus: imo in una quam nihil, in altera quam magnificati: puto temperata videtur gloriatio noſtra: ſed forſan magis aucta eſt, ſolidata quidem, at non in nobis, ſed in Domino gloriemur. Nimirum ſi cogitamus, ſi decreverit ſalvare nos, ſtatim liberabimur: jam in hoc reſpirare licet. Sed in altiorem ſpeculam aſcendentes, quæramus civitatem Dei, quæramus templum, quæramus domum, quæramus ſponſam. Non oblitus ſum: ſed cum metu & reverentia dico, Nos, inquam, ſumus: ſed in corde Dei. Nos ſumus: ſed illius dignatione, non noſtra dignitate.*

Verus timor autem ex gemino ſenſu emanat: quum ſcil. Deum ut Patrem revereri, ut Dominum timere docemur.

26. Porro timor Domini, cujus teſtimonium paſſim defertur ſanctis omnibus, & qui alias *initium ſapientiæ*, alias *ſapientia ipſa* nuncupatur, tametſi unus eſt, gemino tamen ex ſenſu emanat. Habet enim in ſe Deus Patris reverentiam, & Domini. Itaque qui illum rite volet colere, & obedientem illi filium ſe præſtare & obſequentem ſervum ſtudebit. Obedientiam, quæ ſibi ut Patri redditur, Dominus per Prophetam honorem vocat: obſequium, quod ut
Pſal. 111. verſ. 10. Domino exhibetur, timorem. *Filius*, inquit, *honorat*
patrem, & ſervus dominum. Si ego Pater, ubi honor?
Prov. 1: 7. *Si Dominus, ubi timor?* Utcunque autem diſtinguat,
Prov 9: 10. vides ut confundat utrumque ſimul. Timor ergo
Job. 28: 28. Domini, ſit nobis reverentia honore illo & timore
Malach. 1. verſ. 6. mixta. Nec mirum ſi utrumque affectum idem animus recipiat: nam qui ſecum reputat, qualis ſit nobis Pater Deus, ſatis habet cauſæ, etiamſi nulli ſint inferi, cur ejus offenſionem qualibet morte gravius perhorreſcat. Sed etiam (quæ eſt ad peccandi licentiam carnis noſtræ laſcivia) quo eam modis omnibus cohibeamus, arripienda ſimul eſt hæc cogitatio, Domino, ſub cujus poteſtate degimus, eſſe abominationi omnem iniquitatem: cujus ultionem non evadent, qui flagitioſe vivendo ejus iram adverſum ſe provocarint.

Objectio, ex dicto Joannis Apoſtoli.
1 Joan. 4. verſ. 18.

27. Quod autem Joannes dicit, *timorem non eſſe in charitate, ſed perfectam charitatem expellere foras timorem, quoniam timor pœnam habet*, nihil iſtis repugnat. De terrore enim incredulitatis loquitur, à quo longe differt iſte fidelium timor. Neque enim Deum timent impii, quod in ejus offenſionem incurrere vereantur, ſiquidem impune id poſſent: ſed quia vindictæ potentia eſſe armatum ſciunt, ad auditum iræ ejus, horrore concutiuntur. Ac iram quoque ſic timent, quia ſibi imminere arbitrantur, quia ſingulis momentis expectant, dum in caput ſuum corruat. Fideles autem (ut dictum eſt) & offenſam pluſquam pœnam timent, nec timore pœnæ perturbantur, acſi cervicibus ſuis impenderet: ſed cautiores redduntur ne ipſam accerſant. Sic Apoſtolus, dum fideles alloquitur, *Nolite falli*, inquit: *propter hoc venit ira* Epheſ. 5: 6.
Dei in filios diffidentiæ. Non minatur in ipſos deſcen- Coloſ. 3: 6.
ſuram: ſed admonet, ut impiis, ob ea quæ recenſuerat flagitia, iram Domini præparatam cogitent: ne & ipſi eam experiri velint. Quanquam raro contingit, ut ſolis & ſimplicibus minis expergefiant reprobi: quin potius jam ſua duritie tardi & hebetes, quoties verbis fulminat Deus è cælo, ad contumaciam ſe obdurant: ſed manu ejus percuſſi, timere, velint nolint, coguntur. Timorem hunc vulgo *ſervilem* vocant, & ingenuo voluntarioque opponunt, qui filios decet. Alii mediam ſpeciem ſubtiliter interſerunt: quia ſervilis ille & coactus affectus animos interdum ſubigit, ut ad timorem Dei ſponte accedant.

Reſponſio, per diſtinctionem timoris filialis & ſervilis.

Abſoluto ſecundo definitionis membro (cujus conſideratio à ſect. 15. ad hanc extenditur) de certitudine fidei, certum executis, nempe quod fides dicitur reſpicere divinam benevolentiam.

28. Jam in divina benevolentia, quam reſpicere dicitur fides, intelligimus ſalutis ac vitæ æternæ poſſeſſionem obtineri. Nam ſi, Deo propitio, nihil boni deeſſe poteſt: abunde nobis ſufficit ad ſalutis certitudinem, ubi ſuæ dilectionis ipſe nos certiores facit. *Oſtendat faciem ſuam*, inquit Propheta, *& ſalvi erimus.* Unde hanc ſalutis noſtræ ſummam ſtatuunt Scripturæ, quod abolitis inimicitiis omnibus in gratiam nos recepit. Quo ſcilicet innuunt, Deo nobis reconciliato, nihil manere periculi, quin omnia nobis bene ſuccedant. Quare fides, dilectione Dei apprehenſa, promiſſiones habet vitæ præſentis & futuræ, ſolidamque bonorum omnium ſecuritatem: ſed qualis è verbo percipi poteſt. Neque enim vitæ hujus aut longitudinem, aut honorem, aut opes ſibi certo fides promittit: (quando nihil horum nobis eſſe Pſal. 80.
conſtitutum voluit Dominus) ſed hac certitudine v. 4, 8, 20.
contenta eſt, utcunque nos multa deficiant, quæ ad Eph. 2: 14.
vitæ hujus ſubſidium pertinent, Deum tamen nunquam defuturum. Præcipua autem ejus ſecuritas in futuræ vitæ expectatione reſidet, quæ extra dubium per Dei verbum poſita eſt. Quæcunque tamen in terra miſeriæ & calamitates eos maneant, quos ſua dilectione complexus eſt Deus, impedire nequeunt, quin ejus benevolentia, plena ſit felicitas. Proinde,

Quid hac benevolentia comprehendat.

quum ſummam beatitudinis vellemus exprimere, Dei gratiam poſuimus: è qua ſcaturigine univerſæ bonorum ſpecies nobis profluunt. Atque id paſſim obſervare in Scripturis licet, nos ad Domini charitatem revocari, quoties non de æterna modo ſalute, ſed quolibet bono noſtro agitur. Qua ratione David canit, *divinam bonitatem, dum in pio corde ſentitur,* Pſal. 63: 4.
vita ipſa eſſe ſuaviorem & optabiliorem. Denique, ſi nobis affluant omnia pro voto, de amore autem Dei vel odio incerti ſimus, maledicta erit ac proinde miſera noſtra felicitas. Quod ſi affulgeat paterna Dei facies, ipſæ quoque miſeriæ beatæ erunt, quia vertentur in ſalutis adjumenta. Sicuti Paulus res omnes adverſas accumulans, gloriatur tamen, per illas nos ab amore Dei non disjungi: & in ſuis precationibus ſemper incipit à Dei gratia, unde manat omnis proſperitas. Similiter David cunctis terroribus, qui nos turbant, opponit ſolum Dei favorem. *Si ambulavero in medio umbræ mortis*, inquit, Pſal. 23: 4.
non timebo mala: quoniam tu mecum es. Et ſentimus ſemper animos noſtros vacillare, niſi Dei gratia

Confirmatio ex Davide & Paulo.
Rom. 8. verſ. 35.

contenti,

contenti, pacem ſuam in ea quærunt, & penitus infixum habent, quod dicitur in Pſalmo, *Beatus populus, cujus* JEHOVA *eſt Deus, & gens quam elegit in hæreditatem ſibi.*

Pſal. 33:12.

Quartum membrum definitionis, gratuita promiſſio, *quæ eſt fidei fundamentum.*

29. Fidei fundamentum facimus gratuitam promiſſionem, quod in ipſa proprie fides conſiſtat. Tametſi enim Deum per omnia veracem eſſe ſtatuat, ſive jubeat, ſive prohibeat: ſive promittat, ſive minetur: juſſa etiam ejus obedienter excipiat, interdicta obſervet, ad minas animadvertat: proprie tamen à promiſſione incipit, in ipſa conſtat, in ipſam deſinit. Vitam enim in Deo quærit, quæ non in mandatis, aut pœnarum edictis, ſed miſericordiæ promiſſione reperitur, eaque nonniſi gratuita: quoniam conditionalis, qua ad opera noſtra remittimur, non aliter vitam promittit, quam ſi perſpiciamus eſſe in nobis ſitam. Ergo, niſi fidem tremere ac vacillare volumus, illam ſalutis promiſſione fulciamus oportet: quæ à Domino ultro ac liberaliter, potiuſque miſeriæ noſtræ, quam dignitatis reſpectu offeratur. Quare Apoſtolus hoc Euangelio teſtimonium defert, quod ſit verbum fidei: Legis tum præceptis, tum promiſſionibus adimit: quando nihil eſt quod fidem ſtabilire queat, niſi liberalis illa legatio, qua ſibi Deus mundum reconciliat. Inde & apud eundem crebra fidei & Euangelii correlatio, dum Euangelii miniſterium ſibi commiſſum docet in fidei obedientiam: illud eſſe virtutem Dei, in ſalutem omni credenti: in illo revelari Dei juſtitiam ex fide in fidem. Nec mirum: ſiquidem, quum Euangelium ſit reconciliationis miniſterium, nullum aliud ſatis firmum divinæ erga nos benevolentiæ teſtimonium extat, cujus agnitionem fides requirit. Quum ergo fidem gratuitæ promiſſioni inniti oportere dicimus, non negamus, quin Dei verbum omni ex parte amplectantur & ſuſcipiant fideles, ſed miſericordiæ promiſſionem fidei in proprium ſcopum deſtinamus. Quemadmodum judicem & ultorem ſcelerum Deum debent quidem agnoſcere fideles, & tamen in ejus clementiam proprie intuentur: quando talis conſiderandus illis deſcribitur, qui benevolus ſit & miſericors, procul ira, multus bonitate, ſuavis univerſis, ſuper omnia opera ſua miſericordiam ſuam effundens.

Ratio.

Confirmatio. Rom. 10. verſ. 8.

Rom. 1: 6. & 16: 17.

2 Cor. 5. verſ. 18.

Pſal. 86: 5. & 103: 8. & 145: 8.

Nec inde ſequitur fidem lacerari, quæ gratuitam promiſſionem in Euangelio quærit.

30. Nec vero Pighii aut ſimilium canum latratus moror, dum hanc reſtrictionem exagitant, quaſi fidem lacerando, fruſtum unum arripiat. Fateor, ut jam dixi, generale fidei objectum (ut loquuntur) eſſe Dei veritatem: ſive minetur, ſive ſpem faciat gratiæ. Quare Apoſtolus fidei hoc adſcribit, quod Noe mundi interitum, quum nondum videbatur, timuerit. Si timor imminentis pœnæ, fidei fuit opus, non debent minæ ab ejus definitione excludi. Hoc quidem verum eſt: ſed nos immerito gravant calumniatores, acſi negaremus, fidem habere reſpectum ad omnes verbi Dei partes. Tantum enim indicare hæc duo volumus, nunquam ſcilicet ipſam conſiſtere, donec ad gratuitam promiſſionem pervenerit: deinde non aliter nos per ipſam conciliari Deo, niſi quia nos Chriſto copulat. Utrumque notatu dignum. Fidem quærimus, quæ Dei filios à reprobis diſcernat, & fideles ab incredulis. Siquis Deum & juſte præcipere quicquid præcipit, & vere minari credat, an propterea fidelis vocabitur? Nihil minus. Firmus ergo fidei ſtatus non erit, niſi in Dei miſericordia ſiſtatur. Jam quorſum de fide diſputamus? nonne ut teneamus viam ſalutis? Quomodo autem fides ſalvifica, niſi quatenus nos in Chriſti corpus inſerit? Nihil ergo abſurdi, ſi in definitione præcipuum ejus effectum ita urgemus, & loco differentiæ ſubjicimus generi notam illam, quæ fideles ab incredulis ſeparat. Denique nihil habent in hac doctrina malevoli quod carpant, quin Paulum nobiſcum involvant in eandem reprehenſionem, qui Euangelium proprie appellat fidei ſermonem.

Heb. 11. verſ. 17.

Ratio.

Concluſio, alia ratione confirmata.

Rom. 10. verſ. 8.

Verbum Dei, eſt fidei fulcrum & radix: ſed verbum, quod Dei bonitatem & miſericordiam nobis teſtatur.

31. Hinc vero rurſum colligimus, quod ante expoſitum fuit, non minus verbo opus habere fidem, quam fructum viva radice arboris: quia non alii, teſte Davide, ſperare in Deo poſſunt, niſi qui noverunt nomen ejus. Hæc autem cognitio ex cujuſque imaginatione non eſt: ſed quatenus Deus ipſe ſuæ bonitatis teſtis eſt. Quod idem Propheta alibi confirmat, *Salus tua ſecundum eloquium tuum.* Item, *Speravi in verbo tuo, ſalvum me fac.* Ubi notanda eſt fidei ad verbum relatio, deinde ſalutis conſequentia. Neque tamen interea potentiam Dei excludimus, cujus intuitu niſi ſe fides ſuſtentet, nunquam Deo tribuet ſuum honorem. Videtur Paulus frigidum quiddam aut vulgare referre de Abraham: quod crediderit, Deum, qui benedictum ſemen ei promiſerat, potentem eſſe. Item alibi de ſeipſo, *Scio cui crediderim, & certus ſum, quod potens ſit depoſitum meum ſervare in diem illum.* Verum ſi quiſque ſecum expendat, quot identidem dubitationes de virtute Dei obrepant, ſatis agnoſcet qui eam magnifaciunt ut digna eſt, non parvos feciſſe progreſſus in fide. Fatebimus omnes Deum poſſe quicquid vult: ſed dum nos metu conſternat & horrore attonitos reddit minima quæque tentatio, hinc palam eſt, nos derogare potentiæ Dei, cui præferimus quæ contra ejus promiſſiones minatur Satan. Hæc ratio eſt cur Jeſaias, dum ſalutis certitudinem vult imprimere cordibus populi, tam magnifice de immenſa Dei virtute diſſerat. Videtur ſæpe, ubi ſermonem exorſus eſt de ſpe veniæ & reconciliationis, alio digredi, & vagari per longas & ſupervacuas ambages, commemorans quam mirabiliter Deus cæli & terræ machinam cum toto naturæ ordine gubernet: nihil tamen eſt, quod non circumſtantiæ præſenti ſerviat: quia niſi virtus Dei, qua poteſt omnia, oculis noſtris occurrat, verbum *aures* maligne admittent, vel non æſtimabunt juſto pretio. Adde quod effectualis potentia hic notatur: quia pietas, ut alibi viſum fuit, Dei potentiam ſemper ad uſum & opus accommodat: præſertim opera Dei ſibi proponit, quibus ſe patrem eſſe teſtatus eſt. Hinc illa tam crebra in Scripturis redemptionis memoria, ex qua diſcere poterant Iſraëlitæ, Deum, qui ſemel auctor fuerat ſalutis, æternum fore ejus cuſtodem. Suo etiam exemplo nos admonet David, quæ privatim ſingulis beneficia contulit Deus, ad confirmationem fidei ejus in poſterum valere: imo ubi deſeruiſſe nos videtur, ſenſus noſtros longius extendere convenit, ut vetuſta ejus beneficia nos erigant, ſicuti alio Pſalmo dicitur, *Memor fui dierum antiquorum: meditatus ſum in cunctis operibus tuis,* &c. Item, *Recordabor operum Domini, & mirabilium ejus ab initio.* Sed quia ſine verbo evanidum eſt quicquid concipimus de potentia Dei & operibus: non temere aſſerimus nullam eſſe fidem, donec gratiæ ſuæ teſtimonio præluceat Deus. Poſſet hic tamen moveri quæſtio, quid de Sara & Rebecca ſentiendum ſit, quarum utraque fidei zelo (ut videtur) impulſa, extra verbi fines egreſſa eſt. Sara quum arderet deſiderio promiſſæ ſobolis, ancillam ſuam marito ſuppoſuit. Quin multis modis peccaverit negandum non eſt: ſed hoc vitium nunc attingo, quod zelo ſuo abrepta, ſe intra verbi Dei metas non continuit. Certum tamen eſt, deſiderium illud à fide profectum eſſe. Rebecca oraculo certior facta de electione filii ſui Jacob, ejus benedictionem malo artificio procurat: maritum ſuum gratiæ Dei teſtem ac miniſtrum decipit: filium ſuum cogit mentiri: variis fraudibus & impoſturis corrumpit Dei veritatem. Denique ludibrio exponens illius promiſſionem, quantum in ſe eſt, eam abolet. Neque tamen hoc opus, quamlibet vitioſum & reprehenſione dignum, fide vacuum fuit: quia ſuperare multa offendicula neceſſe fuit, ut tantopere appeteret, quod ſine ſpe terrenæ utilitatis ingentibus moleſtiis & periculis refertum erat.

Pſal. 9: 11.
Pſal. 119. verſ. 41.

Rom. 4. verſ. 21.

2 Tim. 1. verſ. 12.

Quo ſenſu fides pierum potentiam Dei reſpiciat.

Jeſaia varii loci ad Dei potentiam intuendam pios invitantes explicantur.

Alii loci ex Davide.

Pſal. 143: 5.
Pſal. 77: 12.

Sed cavendum, ne transgrediamur verbi fines, ne fides zelus nos ultra metas in vitium aliquod impellat, ut Saram, Rebeccam & Iſaacum.

Gen. 16: 3.
Gen. 27: 6. &c.

erat. Sicuti ſanctum Patriarcham Iſaac non omnino fide privabimus, eo quod admonitus eodem oraculo de honore ad minorem filium tranſlato, non deſinit tamen propenſus eſſe in primogenitum ſuum Eſau. Docent certe hæc exempla, errores ſæpe fidei eſſe permixtos: ſic tamen, ut primatum ſemper teneat illa, ubi vera eſt. Sicuti enim Rebeccæ particularis error non irritum benedictionis effectum reddidit, ſic neque fidem, quæ generaliter dominata eſt in ejus animo, principiumque & cauſa fuit illius actionis. In eo nihilominus prodidit Rebecca, quam lubricus ſit humanæ mentis flexus, ſimulac vel tantillum ſibi permittit. Etſi autem defectus & imbecillitas fidem obſcurat, non tamen extinguit: interim nos admonet quam ſollicite pendere oporteat ex ore Dei: & ſimul confirmat quod docuimus, fidem niſi verbo ſuffultam effluere: ſicuti & Saræ & Iſaac & Rebeccæ evanuiſſent animi in obliquis ſuis deflexionibus, niſi arcano Dei freno in verbi obedientia retenti eſſent.

Ejuſmodi defectus fidem obſcurat, non extinguit.

Admonet autem, ne tantillum à Dei verbo recedamus.

32. Rurſum non ſine cauſa in Chriſto promiſſiones omnes concludimus: quando & ejus agnitione totum Euangelium Apoſtolus concludit, & alibi docet, *quotquot ſunt Dei promiſſiones, in ipſo eſſe Etiam & Amen*. Cujus rei in promptu eſt ratio. Siquid enim pollicetur Deus, eo benevolentiam ſuam teſtatur: ut nulla ſit ejus promiſſio, quæ non ſit dilectionis teſtimonium. Nec refert, quod ingentibus atque aſſiduis divinæ largitatis beneficiis dum impii cumulantur, eo graviori judicio ſeſe induunt. Quum enim ea ſibi è Domini manu provenire nec cogitent, nec agnoſcant, aut ſiquando agnoſcant, ejus tamen bonitatem nequaquam apud ſe reputent: non poſſunt inde magis de ejus miſericordia edoceri, quam brutæ pecudes, quæ pro conditionis ſuæ modo, eundem liberalitatis fructum recipiunt, neque tamen proſpiciunt. Nihilo magis obſtat, quod deſtinatas plerumque ſibi promiſſiones reſpuendo, ultionem hac occaſione majorem ſibi accerſunt. Quanquam enim tum ſe demum profert promiſſionum efficacia, ubi fidem apud nos invenerunt: vis tamen ac proprietas earum noſtra infidelitate aut ingratitudine nunquam extinguitur. Ergo quum Dominus, ſuis promiſſionibus, non ad percipiendos modo ſuæ benignitatis fructus, ſed etiam cogitandos hominem invitet, ſuam illi dilectionem ſimul declarat. Unde huc redeundum eſt, promiſſionem quamlibet, eſſe divinæ erga nos dilectionis teſtificationem. Atqui extra controverſiam eſt, neminem à Deo extra Chriſtum diligi: ille eſt Filius dilectus, in quo reſidet & acquieſcit amor Patris, & ad nos deinde ab eo ſe diffundit: ſicut docet Paulus, *nos gratiam adeptos eſſe in dilecto*. Ipſo igitur intercedente, ad nos derivetur ac perveniat oportet. Proinde Apoſtolus alibi pacem noſtram *ipſum* vocat, alibi ceu *vinculum* proponit, quo paterna pietate Deus nobiſcum devinciatur. Conſequitur, in illum conjiciendos eſſe oculos, quoties ulla promiſſio nobis offertur: nec abſurde à Paulo doceri, *in ipſo confirmari & adimplere quæcunque ſunt Dei promiſſiones*. Repugnant exempla quædam. Neque enim vel Naaman Syrum, quum de modo rite colendi Dei ſciſcitaretur ex Propheta, de Mediatore edoctum fuiſſe credibile eſt: laudatur tamen ejus pietas. Cornelius homo gentilis & Romanus vix tenere potuit, quod non omnibus Judæis cognitum erat, & quidem obſcure: eleemoſynæ tamen ejus & preces gratæ fuerunt Deo: & ſacrificia Naaman, Prophetæ reſponſo probata. quod neuter potuit conſequi niſi fide. Similis Eunuchi ratio ad quem delatus eſt Philippus, qui niſi fide aliqua præditus non ſumpſiſſet longi ac difficilis itineris laborem & ſumptus adorandi cauſa. Videmus tamen ut interrogatus à Philippo ſuam de Mediatore inſcitiam prodat. Et quidem fateor aliqua ex parte implicitam fuiſſe eorum fidem, non

Quintum membrum definitionis, In Chriſto promiſſiones omnes includi.
Objectio 1.
Reſponſio.
Rom. 1: 3.
1 Cor. 2: 2.
2. Cor. 1. verſ. 20.
Objectio 2.
Reſponſio.
Mat. 3: 17. & 17: 5.
Epheſ. 1: 6.
Eph. 2: 14.
Rom. 8: 3.
Rom. 15: 8.
Objectio 3. ab exemplis.
Reſponſio, Naamanis, Cornelii, Eunuchi fidem expendens.
2 Reg. 5. v. 17, 18, 19.
Act. 10: 31.
Act. 8: 27.
Act. 8: 31.

modo quoad Chriſti perſonam, ſed quoad virtutem & munus à Patre injunctum. Interea certum eſt, principiis fuiſſe imbutos, quæ guſtum aliquem Chriſti, licet tenuem, darent. Neque hoc novum videri debet: quia neque Eunuchus ex longinqua regione ad Deum incognitum properaſſet Hieroſolymam: & Cornelius, Judaicam religionem ſemel amplexus, tantum temporis non tranſegit, quin rudimentis veræ doctrinæ aſſueſceret. Quod ad Naaman ſpectat, nimis abſurdum fuiſſet, quum de rebus minutis ei præciperet Eliſæus, tacuiſſe de præcipuo capite. Quamvis ergo obſcura inter ipſos eſſet Chriſti cognitio, nullam tamen fuiſſe conſentaneum non eſt: quia Legis ſacrificiis ſe exercebant, quæ à fine ipſo, hoc eſt, Chriſto, diſcerni oportuit ab adulterinis Gentium ſacrificiis.

33. Atque hæc quidem nuda externaque verbi Dei demonſtratio abunde ad fidem faciendam ſufficere debebat, niſi cæcitas pervicaciaque noſtra impediret. Verum (quæ mentis noſtræ ad vanitatem eſt propenſio) Dei veritati nunquam adhærere poteſt: quæ hebetudo eſt, ad ejus lucem ſemper cæcutit. Proinde, ſine Spiritus ſancti illuminatione, verbo nihil agitur. Unde etiam liquet fidem humana intelligentia multo ſuperiorem eſſe. Nec ſatis fuerit mentem eſſe Dei Spiritu illuminatam, niſi & ejus virtute cor obfirmetur ac fulciatur. In quo tota terra Scholaſtici aberrant, qui in fidei conſideratione nudum ac ſimplicem ex notitia aſſenſum arripiunt, præterita cordis fiducia & ſecuritate. Ergo ſingulare Dei donum utroque modo eſt fides, & quod mens hominis ad deguſtandam Dei veritatem purgatur, & quod animus in ea ſtabilitur. Neque enim fidei tantum inchoator eſt Spiritus, ſed per gradus eam auget, donec ea nos in regnum cæleſte perducat. *Egregium*, inquit Paulus, *depoſitum ſervata, per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis*. Quomodo autem Spiritum ex auditu fidei donari tradat Paulus, nullo negotio expedire licet. Si unum duntaxat eſſet Spiritus donum, abſurde Spiritum effectum fidei dixiſſet, qui auctor eſt & cauſa: ſed quum dona prædicet, quibus ornat Deus Eccleſiam ſuam, & per fidei incrementa ad perfectionem deducit, non mirum eſt, ſi ea fidei aſcribat, quæ ad ea recipienda nos comparat. Habetur id quidem paradoxotaton, quum dicitur, neminem, niſi cui donatum ſit, poſſe in Chriſtum credere: ſed ideo partim quod non animadvertunt, vel quam recondita ſit ac ſublimis cæleſtis ſapientia, vel quanta ſit in percipiendis Dei myſteriis humana hebetudo, partim quod ad firmam illam ſtabilemque cordis conſtantiam, hoc eſt, præcipuam fidei partem, non reſpiciunt.

Sextum & ultimum membrum, Fides non alia ratione, quam per Spiritum ſanctum revelatur mentibus noſtris, & cordibus obſignatur.
Bipartitum eſt hoc membrum.
1. Primum enim mens hominis ad guſtandam Dei veritatem purgatur.
2 Tim. 1. verſ. 14.
Galat. 3: 2.
2. Deinde animus in ea ſtabilitur: idque Spiritus S. virtute.

34. Atqui ſi humanæ voluntatis (ut Paulus concionatur) nemo eſt teſtis niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt, divinæ voluntatis qui certus eſſet homo? Etſi Dei veritas apud nos in iis quoque rebus vacillat, quas oculo præſenti intuemur, qui firma ſtabiliſque foret, ubi Dominus ea pollicetur, quæ nec oculus videt, nec ingenium capit? Adeo autem hic conſternatur & deficit humana perſpicacia, ut primus in Domini ſchola proficiendi gradus ſit, ab ea deficere. Nam ea, ceu objecto velamine, impedimur, quominus aſſequamur Dei myſteria, quæ non revelantur niſi parvulis. *Neque enim caro & ſanguis revelat, nec animalis homo percipit ea, quæ ſunt Spiritus: quin potius ſtultitia eſt illi Dei doctrina: quia ſpiritualiter dijudicanda eſt.* Neceſſariæ ergo ſunt Spiritus ſancti ſuppetiæ, vel potius vis ejus ſola hic viget. *Nemo eſt hominum, qui ſenſum Dei noverit, aut conſiliarius ejus fuerit*: ſed Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei: per quem fit ut mentem Chriſti teneamus. *Nemo poteſt venire ad me*, inquit, *niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Omnis ergo qui audivit à Patre, & didicit, venit. Non quod Patrem viderit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo miſſus. Quemadmodum

Prioris membri probatio.
1. Rationibus.
1 Cor. 2. verſ. 11.
Matth. 11. verſ. 25.
Luc. 10. verſ. 21.
2. Teſtimoniis Scripturæ.
Matth. 16. verſ. 17.
1 Cor. 2. verſ. 14.
Rom. 11. verſ. 34.
1 Cor. 2. verſ. 10.
Joan. 6: 44.

dum ergo, niſi Spiritu Dei tracti, accedere ad Chriſtum nequaquam poſſumus: ita ubi trahimur, mente & animo evehimur ſupra noſtram ipſorum intelligentiam. Nam ab eo illuſtrata anima novam quaſi aciem ſumit, qua cæleſtia myſteria contempletur, quorum ſplendore ante in ſeipſa perſtringebatur. Atque ita quidem Spiritus ſancti lumine irradiatus hominis intellectus, tum vere demum ea, quæ ad regnum Dei pertinent, guſtare incipit: antea prorſus ad ea delibanda fatuus & inſipidus. Quamobrem

2. Exemplis. Luc. 24: 27. & 43.

Chriſtus regni ſui myſteria duobus diſcipulis præclare ediſſerens, nihil tamen proficit, donec ſenſum illis aperit, ut intelligant Scripturas. Sic edoctus divino ejus ore Apoſtolis, Spiritus tamen veritatis mittendus eſt, qui ipſorum mentibus eandem inſtillet doctrinam, quam auribus uſurpaverant. Verbum quidem Dei inſtar Solis eſt omnibus affulgentis, quibus prædicatur: ſed nullo cum fructu inter cæcos. Nos autem natura cæci ſumus omnes hac in parte: proinde in mentem penetrare nequit, niſi interiore illo magiſtro Spiritu per ſuam illuminationem aditum faciente.

Joan. 16. verſ. 13.

4. Similitudine appoſita.

5. Attributis eximiis fidei. lib. 2. c. 2. & 3. 2 Cor. 4. verſ. 13. 2 Theſſ. 1. verſ. 11.

35. Alibi quum de naturæ corruptione tractandum fuit, plenius oſtendimus, quam non ſint idonei homines ad credendum. Itaque non fatigabo lectores eadem repetendo. Sufficiat Spiritum fidei vocari à Paulo fidem ipſam, qua donamur à Spiritu, non autem quam naturaliter habeamus. Ideo precatur ut in Theſſalonicenſibus impleat Deus omne beneplacitum ſuum & opus fidei in virtute. Ubi fidem vocans *opus Dei*, & loco epitheti inſigniens, appoſitive vocans *beneplacitum*, negat eſſe ex proprio hominis motu: neque eo contentus, adjungit, ſpecimen eſſe virtutis divinæ. Ad Corinthios, ubi *fidem non pendere ex ſapientia hominum* dicit, *ſed fundatam eſſe in potentia Spiritus*, loquitur quidem de externis miraculis: ſed quia ad eorum aſpectum cæcutiunt reprobi, comprehendit etiam interius illud ſigillum, cujus alibi meminit. Ac quo magis in tam præclaro dono ſuam liberalitatem illuſtret Deus, non omnes eo promiſcue dignatur: ſed ſingulari privilegio impertit, quibus vult. Cujus rei ante citavimus teſtimonia: quorum fidus interpres Auguſtinus exclamat, ut Servator doceret ipſum quoque credere doni eſſe, non meriti, *Nemo* (inquit) *venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum, & cui datum fuerit à Patre meo.* Mirum eſt, quod duo audiunt: unus contemnit, alter aſcendit. Qui contemnit, imputet ſibi: qui aſcendit, non arroget ſibi. Alio loco, *Quare uni datum eſt, non alteri?* Non me piget dicere, *Hoc eſt profundum crucis.* De profundo neſcio quo judiciorum Dei, quæ perſcrutari non poſſumus, procedit omne quod poſſumus. Quod poſſum, video: unde poſſum, non video: niſi quia hactenus video, à Deo eſſe. Quare autem illum, & non illum? multum eſt ad me: abyſſus eſt: profundum crucis. Admiratione exclamare poſſum: non diſputatione monſtrare. Huc redit ſumma, Chriſtum, ubi nos in fidem illuminat Spiritus ſui virtute, ſimul inſerere in corpus ſuum, ut fiamus bonorum omnium participes.

1 Cor. 2. verſ. 4. 5.

6. Auguſtini præclaro teſtimonio.

Auguſtin. de verbis Apoſtol. lib. 2. Joan. 6: 44.

Poſterioris membri explicatio, cujus confirmatio deducitur à priori, tanquam a minore ad majus.

36. Reſtat deinde, ut quod mens hauſit, in cor ipſum transfundatur. neque enim ſi in ſummo cerebro volutatur Dei verbum, fide perceptum eſt: ſed ubi in imo corde radices egit, ut ad ſuſtinendas repellendaſque omnes tentationum machinas invictum ſit propugnaculum. Quod ſi veram mentis intelligentiam, ejus illuminationem eſſe verum eſt: in tali cordis confirmatione multo evidentius ejus virtus apparet, quo ſcilicet & major eſt cordis diffidentia, quam mentis cæcitas, & animum ſecuritate inſtrui, quam mentem cognitione imbui difficilius eſt. Proinde Spiritus ſigilli vice fungitur, ad eas ipſas promiſſiones in cordibus noſtris obſignandas, quarum certitudinem prius mentibus impreſſit: atque ad confirmandas & conſtituendas arrhæ locum tenet. *Poſtquam credidiſtis*, inquit Apoſtolus, *obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.* Vides ut Spiritu, velut ſigillo, corda fidelium inſculpi doceat? ut hac ratione appellet promiſſionis Spiritum, quia ratum apud nos Evangelium facit? Similiter ad Corinthios, *Qui unxit nos Deus*, ait, *qui & ſignavit nos, & dedit arrham Spiritus in cordibus noſtris.* Et alibi, quum de fiducia audaciaque ſperandi loquitur, *ejus fundamentum facit Spiritus arrham.*

Ob hanc cauſam Spiritus S. dicitur ſigillum, arrha, & Spiritus promiſſionis. Eph. 1: 13.

2 Cor. 1. verſ. 22. ibid. 5: 5.

Ita tamen ut fidelium animi interdum agitentur, non ut pereant, ſed ut ex tentationum gurgite emergant, & in ſtatione ſua permaneant.

37. Neque vero oblitus ſum, quod ante dixi, & cujus memoriam aſſidue renovat experientia, fidem ſcilicet variis dubitationibus impelli, ut raro ſedatæ ſint piorum mentes, ſaltem non ſemper fruantur tranquillo ſtatu: ſed, quibuſcunque machinis quatiantur, vel ex ipſo tentationum gurgite emergunt, vel in ſtatione ſua permanent. Securitas quidem hæc ſola fovet ac tuetur fidem, ubi ſtatuimus, quod in Pſalmo dicitur, *Dominus protectio noſtra, auxilium in tribulatione: ideo non timebimus dum contremiſcet terra, & tranſilient montes in cor maris.* Hæc etiam ſuaviſſima quies alibi celebratur, *Decubui, & ſomnum cepi, & ſurrexi: quia Dominus ſuſcepit me.* Non quod æquabili tenore ſemper ad lætam hilaritatem compoſitus fuerit David: ſed quatenus Dei gratiam pro modo fidei guſtabat, gloriatur ſe intrepide deſpicere quicquid mentis pacem inquietare poterat. Ideo Scriptura, dum ad fidem hortari vult, quieſcere jubet. Apud Jeſaiam, *In ſpe & ſilentio erit fortitudo veſtra.* In Pſalmo, *Sile Jehovæ, & expecta illum.* Quibus reſpondet illud Apoſtoli ad Hebræos, *Patientia opus eſt*, &c.

Pſal. 46. v. 1, 2, 3. Pſal. 3: 6.

Teſtimonia. Jeſa. 30: 15. Pſal. 37: 7. Hebr. 10. verſ. 36.

Objectio Scholaſticorum ad ſuperiorem doctrinam. Reſponſio.

38. Hinc judicare licet, quam pernicioſum ſit Scholaſticum illud dogma, nos de gratia Dei erga nos non aliter ſtatuere poſſe, quam ex conjectura morali, prout ſe unuſquiſque non indignum ea reputat. Equidem ſi ab operibus æſtimandum ſit qualiter affectus ſit erga nos Dominus, id ne tenui quidem conjectura poſſe nos aſſequi fateor: ſed quum ſimplici & gratuitæ promiſſioni reſpondere fides debeat, nullus ambigendi locus relinquitur. Nam quali (obſecro) fiducia armabimur, ſi hac conditione ratiocinemur, Deum eſſe nobis propitium, modo ita vitæ noſtræ puritas mereatur? Sed quoniam his tractandis ſuum locum deſtinavimus, longius non proſequemur in præſens: quum præſertim abunde liqueat, fidei nihil eſſe magis adverſum, quam vel conjecturam, vel aliud quidpiam dubitationi affine. Ac peſſime huc detorquent Eccleſiaſtæ teſtimonium, quod identidem in ore habent, *Nemo ſcit utrum odio dignus ſit an amore.* Nam ut prætercam hunc locum in vulgari interpretatione mendoſe redditum, latere tamen vel pueros ipſos non poteſt, quid ejuſmodi verbis ſibi velit Solomo: nempe, ſiquis à præſenti rerum ſtatu cenſere velit, quos odio proſequatur Deus, quos amore complectatur, eum fruſtra laborare, ac nullo operæpretio torqueri: quum omnia pariter eveniant juſto & impio, immolanti victimas & non immolanti. Unde ſequitur, Deum non teſtari perpetuo amorem ſuum, quibus omnia ſuccedere proſpere facit: neque odium ſuum in eos ſemper prodere, quos affligit. Idque facit ad vanitatem humani ingenii arguendam: quum in rebus ſcitu maxime neceſſariis tanta hebetudine teneatur. Quemadmodum paulo ante ſcripſerat, non poſſe diſcerni quid hominis anima differat ab anima pecudis, quod eodem modo videtur interire. Siquis inde inferre velit, ſola conjectura niti quam de animarum immortalitate ſententiam tenemus, annon inſanus merito habeatur? An igitur ſani ſunt iſti, qui nullam eſſe gratiæ Dei certitudinem colligunt, quoniam nulla ex carnali rerum præſentium aſpectu comprehendi poſſit?

Eccl. 9: 1.

Objectionis hujus defenſio, ex Eccleſiaſte petita.

vid. Bern. Serm. 2. in die adſcenſionis, & Serm. 2. in octava Paſchæ.

Reſponſio, mentem Solomonis aperiens.

ibid. 3: 19.

39. Atqui temerariæ præſumptionis eſſe cauſantur,

Altera objectio.

ſtio, temeraria præſumptionis electos in Chriſto inſimulans.

tur, indubitatam voluntatis divinæ notitiam ſibi arrogare. Id quidem illis concederem, ſi tantum nobis ſumeremus, ut ingenii noſtri tenuitati ſubjicere vellemus incomprehenſibile Dei conſilium. Sed ubi ſimpliciter cum Paulo dicimus, *nos accepiſſe non ſpiritum hujus mundi, ſed Spiritum qui ex Deo eſt*, quo docente ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis: quid contra obgannire poſſunt, quin Spiritum Dei contumelioſe inceſſant? Quod ſi ab ipſo profectam revelationem vel mendacii, vel incertitudinis, vel ambiguitatis inſimulare, horrendum eſt ſacrilegium: in aſſerenda certitudine quid delinquimus? Verum hoc quoque non vacare magna temeritate exclamant, quod de Chriſti Spiritu ſic audemus gloriari. Quis credat tantum eſſe iſtorum ſtuporem, qui orbis magiſtri haberi volunt, ut in primis religionis elementis adeo turpiter impingant? Mihi certe credibile non eſſet, niſi teſtarentur quæ extant eorum ſcripta Paulus eos demum filios Dei eſſe pronunciat, qui ejus Spiritu aguntur: hi agi proprio ſpiritu, divino autem vacuos eſſe volunt, qui ſint filii Dei. Ille Deum à nobis Patrem appellari docet, Spiritu talem vocem dictante, qui ſolus teſtimonium reddere poteſt ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus: hi tametſi à Dei invocatione non arcent, Spiritum tamen abſtrahunt, cujus ductu rite invocandus erat. Ille Chriſti ſervos eſſe negat, qui non agantur Spiritu Chriſti: hi Chriſtianiſmum confingunt Spiritu Chriſti non indigentem. Ille nullam beatæ reſurrectionis ſpem facit, niſi Spiritum in nobis reſidentem ſentiamus: hi ſpem tali ſenſu vacuam confingunt. Sed reſpondebunt forſan, non ſe inficiari quin illo præditos eſſe oporteat, cæterum modeſtiæ & humilitatis eſſe, non agnoſcere. Quid ergo ſibi vult quum jubet Corinthios tentare an ſint in fide, ſemet probare an Chriſtum habeant, quem niſi quis in ſe habitantem agnoſcat, reprobus eſt? *Ex Spiritu* autem *quem dedit nobis*, inquit Joannes, *ſcimus, quod in nobis manet*. Et quid aliud quam Chriſti promiſſiones in dubium revocamus, dum ſervi Dei ſine ipſius Spiritu haberi volumus, quem ſuper ſuos omnes effuſurum ſe denunciavit? Quid, quod Spiritui ſancto injurii ſumus, qui fidem, opus ejus peculiare, ab ipſo ſeparamus? Hæc quum prima ſint pietatis tirocinia, miſerrimæ eſt cæcitatis, arrogantiæ notari Chriſtianos, qui Spiritus ſancti præſentia gloriari auſint: ſine qua gloriatione Chriſtianiſmus ipſe non conſtat. Sed enim exemplo ſuo declarant, quam vere dixerit Chriſtus, *Spiritum ſuum mundo incognitum eſſe: ab ipſis modo agnoſci, apud quos manet.*

Reſponſio. 1 Cor. 2. verſ. 12.

Inſtantia.

Reſponſio.

Reſponſionis confirmatio, variis Apoſtoli Pauli teſtimoniis munita.

Rom. 8. verſ. 14. ibid. v. 16

Rom. 8: 9.

Rom. 8. verſ. 11.

2 Cor. 13. verſ. 5.

Item Joannis & Jeſaia. 1 Joan. 3. verſ. 24. Jeſa. 44: 3.

Joan. 14. verſ. 17.

Tertia objectio, perſeverantiam electorum Dei in fide impugnans.

40. Ac ne uno duntaxat acto cuniculo, fidei firmitudinem diruere tentent, aliunde ipſam adoriuntur: nempe, etiamſi ſecundum præſentem juſtitiæ ſtatum, de gratia Dei judicium ſumere liceat, manere tamen in ſuſpenſo finalis perſeverantiæ notitiam. Egregia vero ſalutis fiducia nobis relinquitur, ſi ad præſens momentum nos eſſe in gratia, conjectura morali æſtimamus, quid in craſtinum ſit futurum neſcimus. Longe aliter Apoſtolus: *Certo*, inquit, *perſuaſus ſum, quod neque Angeli, nec poteſtates, nec principatus, neque mors, neque vita, neque præſentia, neque futura diriment nos à dilectione, qua nos Dominus in Chriſto complectitur.* Evadere conantur frivola ſolutione, id habuiſſe Apoſtolum ex ſpeciali revelatione garrientes: ſed preſſius conſtringuntur, quam ut effugiant. Siquidem illic, quæ in commune univerſis fidelibus ex fide proveniant bona tractat, non quæ ſpecialiter ipſe experiatur. Atqui idem nos alibi noſtræ imbecillitatis & inconſtantiæ mentione deterret. *Qui bene ſtat*, inquit, *videat ne cadat*. Verum eſt: at non terrore quo conſternemur, ſed quo diſcamus nos ſub potenti manu Dei humiliare, quemadmodum Petrus explicat. Deinde quam præpoſterum eſt, ad punctum temporis limitare fidei certitudinem, cujus proprium eſt, ſuperatis hujus vitæ ſpatiis, ad futuram immortalitatem protendi? Quum ergo id gratiæ Dei fideles acceptum ferant, quod Spiritu ejus illuminati, cæleſtis vitæ contemplatione per fidem fruuntur: adeo procul abeſt ab arrogantia talis gloriatio, ut ſi quem confiteri pudet, eo extremam ingratitudinem prodat magis divinam bonitatem maligne ſupprimendo, quam modeſtiam aut ſubmiſſionem teſtetur.

Rom. 8: 38.

Reſponſio, ex Apoſtolo petita.

Inſtantia ſolutio.

Alia inſtantia diluitur. 1 Cor. 10. verſ. 12.

1 Pet. 5: 6.

Summa totius refutationis.

Definitione fidei explicata, oſtenditur eam non pugnare, ſed convenire cum illa quam Apoſtolus tradit. Heb. 11: 1.

41. Quoniam non aliunde melius aut magis perſpicue fidei natura declarari poſſe videbatur, quam à promiſſionis ſubſtantia, qua velut proprio fundamento ſic nititur, ut ea ſublata protinus corruat, vel potius evaneſcat: ideo noſtram definitionem inde ſumpſimus, quæ tamen ab illa Apoſtoli vel definitione vel deſcriptione potius, quam ſuæ diſputationi accommodat, minime aliena eſt: ubi docet, *eſſe rerum ſperandarum ſubſiſtentiam, indicem non apparentium.* Nam per ὑπόστασιν (quo vocabulo utitur) quaſi fulcrum intelligit, cui pia mens innitatur & incumbat. Acſi diceret, fidem ipſam certam quandam eſſe ac ſecuram poſſeſſionem eorum, quæ nobis à Deo promiſſa ſunt: niſi quis ὑπόστασιν pro fiducia accipere malit, quod non diſplicet: quanquam illud, quod receptius eſt, amplector. Rurſum ut ſignificaret ad ſupremum uſque diem, quo libri aperientur, ſublimiora eſſe, quam quæ ſenſu noſtro percipi, aut oculis ſpectari, manuve contrectari poſſint: eaque non aliter interim poſſideri à nobis, quam ſi captum omnem ingenii noſtri excedamus, ac ſupra omnia, quæ in mundo ſunt, aciem noſtram intendamus, nos denique ipſos ſuperemus: addidit ſecuritatem hanc poſſidendi, eſſe rerum quæ in ſpe jacent, ideoque non videntur. Siquidem *evidentia* (ut Paulus ſcribit) *ſpes non eſt*: nec ea quæ videmus ſperamus. dum vero indicem, aut probationem, aut (ut ſæpe reddidit Auguſtinus) convictionem appellat rerum non præſentium: (nam Græce eſt ἔλεγχος) perinde loquitur, acſi diceret evidentiam non apparentium rerum, viſionem earum quæ non videntur, perſpicuitatem obſcurarum, præſentiam abſentium, demonſtrationem occultarum. Myſteria Dei enim, cujuſmodi ſunt quæ ad ſalutem noſtram pertinent, in ſe, ſuaque (ut dicitur) natura cerni non poſſunt: verum ipſa in ejus verbo duntaxat intuemur: cujus veritas ſic perſuaſa eſſe nobis debet, ut pro facto impletoque habendum ſit quicquid loquitur. Ad talem vero divinæ bonitatis guſtum percipiendum quo modo ſe attollat animus, quin ſimul ad redamandum Deum totus accendatur? Vere enim cognoſci illa ſuavitatis affluentia non poteſt, quam Deus timentibus ſe recondidit, ut non ſimul vehementer afficiat. Quem autem ſemel affecit, penitus ad ſe rapit & effert. Proinde mirum non eſt, ſi perverſum cor & obliquum nunquam ſubit hic affectus: quo in cælum ipſum traducti, ad reconditiſſimos Dei theſauros admittimur, & ad ſacratiſſima regni ejus adyta, quæ profanari impuri cordis ingreſſu non decet. Quod enim tradunt Scholaſtici charitatem fide ac ſpe priorem eſſe, merum eſt deliramentum: quandoquidem ſola eſt fides, quæ in nobis charitatem primum generat. Quanto rectius Bernardus: *Teſtimonium*, inquit, *conſcientiæ, quod piorum gloriam vocat Paulus, in tribus conſiſtere credo. Neceſſe enim primo omnium eſt, credere, quod remiſſionem peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiam Dei: deinde quod nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe: poſtremo, quod vitam æternam nullis potes operibus promereri, niſi gratis detur & illa.* Paulo poſt ſubjicit, *hæc non ſufficere, ſed eſſe quoddam fidei initium: quia credendo peccata non poſſe remitti niſi à Deo, ſimul tenere oporteat eſſe remiſſa nobis, donec etiam Spiritus ſancti teſtimonio perſuaſi ſimus, ſalutem nobis eſſe repoſitam: quia Deus peccata condonat, merita ipſe donat, & præmia idem redonat, non poſſe gradum in illo principio figere.* Verum hæc & alia ſuis locis tractanda erunt: nunc tantum quid fides ipſa ſit, habere ſufficiat.

Hujus definitionis, ſeu deſcriptionis explicatio.

Dan. 7: 10. Apoc. 20. verſ. 12.

Rom. 8: 24.

Homil. in Joan. 79. & 95.

De peccat. merit. & rem. lib. 2. cap. 31.

Refutatio erroris Scholaſticorum, charitatem fide ac ſpe priorem eſſe docentium.

Lombard. lib. 3. Sent. diſt. 25. & ſæpius.

Bernard. Serm. 1. in Annunciatione.

2 Cor. 1. verſ. 12.

42. Jam

Spes individua comes veræ fidei. 42. Jam vero ubicunque viva erit hæc fides, fieri non poterit, quin ſpem æternæ ſalutis comitem ſecum habeat individuam, vel potius ex ſe gignat & exerat: qua ſublata, quamlibet diſerte atque ornate de fide diſſeramus, nullam habere convincimur. *Ratio.* Nam ſi fides (ut auditum eſt) certa eſt de veritate Dei perſuaſio, quod nec mentiri nobis, nec fallere, nec irrita eſſe queat: qui hanc certitudinem conceperunt, ſimul profecto expectant fore, ut promiſſiones ſuas Deus præſtet, quæ eorum perſuaſione, nonniſi veræ eſſe poſſunt: ut in ſumma, nihil aliud ſit ſpes, quam eorum expectatio, quæ vere à Deo promiſſa fides credidit. *Connexio fidei & ſpei, mutuumque auxilium.* Ita fides Deum veracem credit; ſpes expectat, ut in temporis occaſione veritatem ſuam exhibeat: fides credit nobis eſſe patrem; ſpes expectat, ut ſe talem erga nos ſemper gerat: fides datam nobis vitam æternam credit; ſpes expectat, ut aliquando reveletur: fides fundamentum eſt, cui ſpes incumbit; ſpes fidem alit ac ſuſtinet. Ut enim expectare à Deo nemo quicquam poteſt, niſi qui prius ejus promiſſis crediderit: ita rurſus fidei noſtræ imbecillitatem, ne velut feſſa concidat, ſuſtineri ac foveri patienter ſperando & expe-
Rom. 8:24. ctando oportet. Qua ratione Paulus rite ſalutem noſtram in ſpe collocat. Nam ea dum in ſilentio Dominum expectat, fidem continet, ne nimis feſtinando præcipitet: confirmat, ne vacillet in Dei promiſſionibus, aut de earum veritate dubitare incipiat: recreat, ne fatigetur: extendit ad ultimam illam metam, ne in medio curſu, aut etiam in carceribus deficiat. Denique aſſidue renovando & inſtaurando, facit ut ſeipſa ſubinde ad perſeverantiam vegetior emergat. *Ex variis tentationum formis conſtat, neceſſaria eſſe ſpei ſubſidia ad fidem ſtabiliendam.* Atque omnino quot nominibus neceſſaria ſint ſpei ſubſidia ad fidem ſtabiliendam, melius patebit, ſi cogitemus quot tentationum formis impetantur & concutiantur qui verbum Dei amplexi ſunt. Primum Dominus, promiſſiones ſuas differendo, diutius ſæpe, quam pro votis noſtris, ſuſpenſos animi nos tenet. hic officium eſt ſpei,
Hab. 2: 3. præſtare quod jubet Propheta: ut ſi moram illæ fecerint, expectemus tamen. Interdum non modo languere nos ſinit, ſed apertam indignationem præ ſe fert. hic ſpem multo magis ſuccurrere neceſſe
Jeſa. 8: 17. eſt, quo, ſecundum alterius Prophetæ dictum, poſſimus expectare Dominum, qui abſconderit faciem ſuam à Jacob. Inſurgunt etiam illuſores (quemad-
2 Pet. 3: 4. modum ait Petrus) qui rogant, *Ubi eſt promiſſio adventus ejus? quando ex quo patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creationis.* Imo eadem hæc nobis inſuſurrant caro & mundus. Hic fidem ſpei tolerantia ſuffultam, in æternitatis contemplatione defixam retineri oportet, quo mille annos, inſtar Pſal. 90: 4.
diei unius reputet. 2 Pet. 3: 8.

43. Propter hanc tum conjunctionem, tum affinitatem, Scriptura interdum *fides* & *ſpes* vocabula confundit. *Interdum quidem fidei & ſpei vocabula confunduntur.* Nam quum Petrus docet, *virtute Dei nos per fidem cuſtodiri uſque ad ſalutis revelationem:* quod ſpei magis quadrabat, fidei tribuit. neque 1 Pet. 1: 5.
immerito: quando jam docuimus, nihil aliud ſpem eſſe, quam fidei alimentum & robur. Interdum ſimul junguntur, ſicuti eadem epiſtola, *quo fides* 1 Pet. 1: 21.
veſtra & ſpes eſſet in Deo. Paulus vero ad Philippen- Phil. 1: 20.
ſes ex *ſpe* deducit *expectationem:* quia ſperando patienter vota noſtra ſuſpendimus, donec patefacta fuerit Dei opportunitas. Quod totum melius intelligere licet ex decimo capite ad Hebræos, quod jam Hebr. 10. ver. 36.
citavi. Paulus alibi, quamvis improprie loquatur, Gal. 5: 5.
hoc ipſum tamen intelligit, his verbis, *Nos Spiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus:* nempe quia Euangelii teſtimonium de gratuito amore amplexi, exſpectamus dum palam oſtendat Deus, quod nunc ſub ſpe eſt abſconditum. Neque jam obſcurum eſt, *Refutatio erroris Scholaſticorum, qui duplex ſpei fundamentum, ſcil. Dei gratiam, & meritum operum, conſtituunt.* quam inſulſe Petrus Lombardus duplex ſpei fundamentum jaciat, Dei gratiam, & operum meritum. Non huic alius ſcopus, quam fidei eſſe poteſt. fidei autem jam clariſſime expoſuimus unicum eſſe ſcopum, Dei miſericordiam: in quam utroque (ut ita loquar) oculo reſpicere debeat. Sed operæpretium eſt auſcultare, quam vividam afferat rationem. Si quidpiam, inquit, ſine meritis ſperare audeas, non ſpes illa, ſed præſumptio dicenda erit. Quis non merito, amice Lector, tales beſtias execretur, quæ temere & præſumptuoſe fieri pronunciant, ſiquis Deum veracem eſſe confidat? Nam quum Dominus nihil non à ſua bonitate expectari velit, præſumptionem eſſe dicunt, in ea recumbere & acquieſcere. O magiſtrum talibus dignum diſcipulis, quales in inſanis rabularum ſcholis nactus eſt! Nos vero, quando videmus Dei oraculis juberi peccatores ſpem ſalutis concipere, libenter tantum præſumamus de veritate ejus, ut ſola ejus miſericordia freti, abjecta operum fiducia, bene ſperare audeamus. Non fallet ipſe, qui dixit, *Secundum fidem* Mat. 9: 29.
veſtram fiat vobis.

CAP. III.

Fide nos regenerari: ubi de Pœnitentia.

Partes capitis.

1. *Titulus videtur de fide tractationem polliceri, tamen de Pœnitentia tantum, individua fidei comite, nunc agitur. Et primum variæ aliorum de Pœnitentia referuntur opiniones, ſect.* 1. 2. 3. 4.
2. *Orthodoxæ doctrinæ de Pœnitentia expoſitio, à ſect.* 5. *ad* 10.
3. *Cauſæ, propter quas in ultimum uſque vitæ terminum Pœnitentia extendi debeat, ſect.* 10. 11. 12. 13. 14.
4. *De fructibus Pœnitentiæ, vel quorſum & in quem finem tendat, à ſect.* 15. *ad* 21. *uſque.*
5. *Unde Pœnitentia nobis proveniat, ſect.* 21. 22. 23. 24. *&* 25. *ubi de peccato in Spiritum ſanctum & de reproborum impœnitentia.*

Hujus capitis cum præcedenti & ſequentibus conjunctio. ETſi jam aliqua ex parte docuimus quomodo fides Chriſtum poſſideat, & per ipſam fruamur ejus bonis: hoc tamen adhuc obſcurum eſſet, niſi effectuum, quos ſentimus, accederet explicatio. Non abs re ſumma Euangelii ſtatuitur in pœnitentia & remiſſione peccatorum. Ergo duobus illis capitibus omiſſis, jejuna & mutila erit adeoque prope inutilis quælibet de fide diſputatio. Jam quum utrumque nobis conferat Chriſtus, & utrumque fide conſequamur, vitæ ſcilicet novitatem, & reconciliationem gratuitam: ratio & docendi ſeries poſtulat, ut de utroque hoc loco diſſe- *Fidem ſequitur pœnitentia, ex eaque naſcitur.* rere incipiam. Proximus autem à fide ad pœnitentiam nobis erit tranſitus: quia hoc capite probe cognito, melius patebit quomodo ſola fide & mera venia juſtificetur homo, neque tamen à gratuita juſtitiæ imputatione ſeparetur realis (ut ita loquar) vitæ ſanctitas. Pœnitentiam vero non modo fidem continuo ſubſequi, ſed ex ea naſci, extra controverſiam eſſe debet. *Ratio.* Quum enim venia & remiſſio per Euangelii prædicationem ideo offeratur, ut à tyrannide Satanæ, peccati jugo, & miſera ſervitute vitiorum liberatus peccator, in regnum Dei tranſeat: certe Euangelii gratiam nemo amplecti poteſt, quin ex erroribus vitæ prioris in rectam viam ſe recipiat, totumque ſuum ſtudium applicet ad

pœni-

Digitized by Google

Qui contra ſentiunt, falluntur.

pœnitentiæ meditationem. Quibus autem videtur fidem potius præcedere pœnitentia, quam ab ipſa manare vel proferri tanquam fructus ab arbore, nunquam vis ejus fuit cognita, & nimium levi argumento ad id ſentiendum moventur.

1. Objectio eorum.

2. Chriſtus, inquiunt, & Joannes in ſuis concionibus populum ad reſipiſcentiam primum hortan-
Mat. 3: 2. Mat. 4: 17. tur: deinde regnum cælorum appropinquaſſe ſubjiciunt. Tale prædicandi mandatum accipiunt Apo-
Actor. 20. verſ. 21. ſtoli: talem ordinem ſequutus eſt Paulus, quemadmodum Lucas refert.

Reſponſio.

Atqui dum in ſyllabarum contextu ſuperſtitioſe hærent, non animadvertunt, quo ſenſu inter ſe verba illa cohæreant. Nam dum in hunc modum concionantur Chriſtus Dominus &
Matth. 3: 2. Joannes, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*: annon reſipiſcendi cauſam ab ipſa gratia & ſalutis promiſſione ducunt? Perinde ergo valent eorum verba, acſi dicerent, Quoniam appropinquavit regnum cælorum, ideo reſipiſcite. Nam Matthæus, ubi ſic prædicaſſe Joannem narravit,
Jeſa. 40: 3. impletum in ipſo fuiſſe Jeſaiæ vaticinium docet de voce in deſerto clamante, *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Verum apud Prophetam illa vox jubetur à conſolatione & læto nuncio inchoare.

Quo ſenſu pœnitentiæ, ſeu reſipiſcentiæ origo ad fidem referatur.

Neque tamen, quum reſipiſcentiæ originem ad fidem referimus, ſpatium aliquod temporis ſomniamus, quo ipſam parturiat: ſed oſtendere volumus, non poſſe hominem pœnitentiæ ſerio ſtudere, niſi ſe Dei eſſe noverit. Dei autem ſe eſſe nemo vere perſuaſus eſt, niſi qui ejus gratiam prius apprehenderit. Sed hæc dilucidius in ipſo progreſſu ediſſerentur.

Unde eorum error manarit, qui fidem à pœnitentia oriri putant, atque ejuſdem refutatio.

Fefellit eos forte, quod multi conſcientiæ pavoribus ante domantur, vel formantur ad obſequium, quam imbuti fuerint cognitione gratiæ: imo eam guſtaverint. Atque hic eſt initialis timor, quem inter virtutes quidam recenſent, quia veræ & juſtæ obedientiæ propinquum eſſe cernunt. Sed non hic agitur, quam varie nos Chriſtus ad ſe trahat, vel præparet ad pietatis ſtudium: tantum dico, nullam rectitudinem poſſe inveniri, ubi non regnat Spiritus ille, quem accepit, ut eum membris ſuis com-
Pſ. 130: 4. municaret. Deinde, ſecundum illud Pſalmi, *Apud te eſt propitiatio, ut timearis*: nemo unquam Deum reverebitur, niſi qui ſibi propitium confidet: nemo ſe ad Legis obſervationem libenter accinget, niſi qui perſuaſus erit ei placere ſua obſequia. quæ in ignoſcendo & tolerandis vitiis indulgentia, ſignum eſt paterni favoris. Quod etiam demonſtrat illa
Oſe. 6: 1. Oſeæ exhortatio, *Venite, revertamur ad* JAHOVAM: *quia ipſe rapuit, & ſanabit nos: percuſſit, & curabit nos*: quia ſpes veniæ tanquam ſtimulus additur, ne in ſuis peccatis torpeant.

Anabaptiſtarum & Monachorum pœnitentiæ limites figentium hypocriſis detegitur.

Omni autem rationis ſpecie caret eorum deliramentum, qui ut à pœnitentia exordiantur, certos dies ſuis neophytis præſcribunt, per quos ſe in pœnitentiam exerceant: quibus demum tranſactis, in Euangelicæ gratiæ communionem ipſos admittunt. De plurimis Anabaptiſtarum loquor: iis præſertim qui ſpirituales haberi mire gaudent, eorumque ſodalibus Jeſuitis, & ſimilibus quiſquiliis. Tales ſcilicet fructus profert ſpiritus ille vertiginis, ut pœnitentiam, quæ in totam vitam proroganda eſt homini Chriſtiano, paucis dieculis terminet.

Prima hæc de pœnitentia opinione excuſſa, ſecunda conſideratur, quæ duas pœnitentiæ partes conſtituens, poſteriorem non recte explicat.

3. Cæterum de pœnitentia docti quidam viri, longe etiam ante hæc tempora, quum juxta Scripturæ regulam ſimpliciter & ſincere loqui vellent, dixerunt conſtare duabus partibus, mortificatione & vivificatione. Mortificationem interpretantur animæ dolorem, & terrorem ex agnitione peccati & ſenſu judicii Dei conceptum. Ubi enim quis in veram peccati cognitionem adductus eſt, tum vere peccatum odiſſe & execrari incipit: tum ſibi ipſi ex animo diſplicet, miſerum ſe & perditum fatetur, & alium ſe eſſe optat. Adhæc, ubi ſenſu aliquo judicii Dei tactus eſt (alterum enim ex altero protinus ſequitur) tum vero perculſus ac conſternatus jacet, humiliatus ac dejectus tremit, animum deſpondet, deſperat. Hæc prior pœnitentiæ pars, quam vulgo *Contritionem* dixerunt. Vivificationem interpretantur conſolationem, quæ ex fide naſcitur: ubi ſcilicet homo, peccati conſcientia proſtratus, ac Dei timore perculſus, poſtea in Dei bonitatem, in miſericordiam, gratiam, ſalutem, quæ eſt per Chriſtum, reſpiciens, ſeſe erigit, reſpirat, animum colligit, & velut è morte in vitam redit. Ac voces quidem iſtæ, ſi modo recta conſtet *Ratio.*
interpretatio, vim pœnitentiæ ſatis commode exprimunt: ſed quod vivificationem accipiunt pro lætitia, quam recipit animus ex perturbatione & metu ſedatus, non aſſentior: quum potius ſancte pieque vivendi ſtudium ſignificet, quod oritur ex renaſcentia: quaſi diceretur hominem ſibi mori, ut Deo vivere incipiat.

Tertia opinio, eorum, qui duas pœnitentiæ formas, legalem & Euangelicam, conſtituunt.

4. Alii, quia videbant varie hoc nomen in Scriptura acceptum, duas poſuerunt pœnitentiæ formas: quas ut nota aliqua diſtinguerent, alteram legalem dixerunt, qua peccator peccati cauterio vulneratus & terrore iræ Dei attritus, in ea perturbatione conſtrictus hæret, nec ſe explicare poteſt; Euangelicam alteram, qua peccator graviter quidem apud ſe afflictus, altius tamen emergit, & Chriſtum, vulneris ſui medicinam, terroris conſolationem, miſeriæ portum apprehendit.

Exempla legalis.

Legalis pœnitentiæ exempla eſſe volunt, Cain, Saul, Judam: quorum pœniten- Gen 4: 13.
tiam dum Scriptura nobis commemorat, intelligit, 1 Sam. 15.
peccati ſui gravitate agnita, iram Dei timuiſſe: ſed verſ. 30.
Deum duntaxat ultorem & Judicem cogitantes, in Matth. 27.
eo ſenſu defeciſſe. Ergo eorum pœnitentia non aliud v. 3, 4.

Harum formarum conſideratio.

fuit, quam quoddam inferorum atrium, quo jam in hac vita ingreſſi, cœperunt à facie iræ majeſtatis Dei pœnas dare. Euangelicam pœnitentiam videmus in omnibus, qui peccati aculeo apud ſe exulcerati, fiducia autem miſericordiæ Dei erecti & recreati, ad Dominum converſi ſunt.

Exempla Euangelicæ.

Perterritus eſt Ezechias accepto mortis nuncio: ſed flens oravit, & in Dei 2 Reg. 20.
bonitatem intuitus, fiduciam recepit. Conturbati verſ. 2.
ſunt Ninivitæ horribili denunciatione excidii: ſed Jeſa. 38: 2.
induti ſacco & cinere orarunt, ſperantes quod con- Jon. 3: 5.
verti poſſet Dominus, & averti à furore iræ ſuæ.
Confeſſus eſt David ſe nimium peccaſſe in recenſen- 2 Sam. 24.
do populo: ſed adjecit, *Aufer Domine iniquitatem* verſ. 10.
ſervi tui. Agnovit adulterii crimen objurgante Na- 2 Sam. 12.
than, & ſe coram Deo proſtravit: ſed veniam ſimul v. 13. & 16.
expectavit. Talis fuit eorum pœnitentia, qui ad
prædicationem Petri compuncti ſunt corde: ſed Act. 2: 37.
Dei bonitate confiſi, addiderunt, *Quid faciemus viri* Matth. 26.
fratres? Talis & Petri ipſius, qui flevit quidem verſ. 75.
amare, ſed ſperare non deſiit. Luc. 22: 62.

Altera pars capitis, ab hac ſectione ad 10. de pœnitentia orthodoxam doctrinam continens.

5. Hæc quanquam omnia vera ſunt, nomen tamen ipſum *pœnitentiæ* (quatenus ex Scripturis aſſequi poſſum) aliter accipiendum eſt. Nam quod fidem ſub pœnitentia complectuntur, pugnat cum eo quod Paulus in Actis dicit, *ſe Judæis ac Gentibus teſtificatum in Deum pœnitentiam, & fidem in Jeſum Chriſtum.* Ubi tanquam duo diverſa, pœnitentiam
& fidem enumerat. Act. 20: 21.

1. Diſtinguenda fides & pœnitentia, non confundenda, vel ſeparanda.

Quid igitur? An vera pœnitentia citra fidem conſiſtere poteſt? Minime. Verum etſi ſeparari non poſſunt, diſtingui tamen debent. Quemadmodum ſine ſpe fides non eſt, & tamen fides ac ſpes varia ſunt: ita pœnitentia & fides, quanquam perpetuo inter ſe vinculo cohærent, magis tamen conjungi volunt, quam confundi. Equidem nec me latet, ſub *Pœnitentiæ* nomine totam ad Deum converſionem comprehendi, cujus pars non poſtrema fides eſt: ſed quo ſenſu, facillime apparebit, ubi vis ac natura ejus explicata fuerit.

2. Nominis conſideratio.

Pœnitentiæ nomen Hebræis à converſione vel reditu, Græcis à mentis conſiliique mutatione deductum eſt: nec utrique etymologiæ res ipſa male reſpondet: cujus ſumma eſt, ut à nobis demigrantes, ad Deum convertamur: & depoſita priſtina mente, novam induamus. Quamobrem non male, meo quidem judicio, ſic

pœni-

3. Rei defi-nitio: ſeu quid ſit pœ-nitentia.

A Prophetis & Apoſtolis tradita.

pœnitentia definiri poterit, *Eſſe veram ad Deum vitæ noſtræ converſionem, à ſincero ſerioque Dei timore profectam, quæ carnis noſtræ veteriſque hominis mor-tificatione, & ſpiritus vivificatione conſtet.* In eum ſenſum accipiendæ ſunt conciones omnes, quibus vel Prophetæ quoodam, vel Apoſtoli poſtea ſui temporis homines ad pœnitentiam hortabantur. Hoc enim contendebant unum, ut peccatis ſuis con-fuſi, ac divini judicii timore puncti, coram eo pro-ciderent & humiliarentur in quem deliquerant, ac vera reſipiſcentia in rectam ejus viam ſe reciperent. Ideo hæc promiſcue uſurpantur apud ipſos eodem

Mat. 3: 2.
1 Sam. 7: 3.

ſignificatu, *Converti ſeu reverti ad Dominum, Reſi-piſcere, & pœnitentiam agere.* Unde etiam & ſacra hiſtoria *pœnitentiam* dicit *agi poſt Deum*, ubi homi-nes qui in ſuis cupiditatibus, eo poſthabito, laſcivie-bant, incipiunt verbo ejus nbſequi: & duci ſuo præſto ſunt ad pergendum, quo vocaverit. Et

Luc. 3: 8.
Act. 26: 20.

fructus pœnitentia dignos proferre dixerunt Joannes & Paulus, pro vitam ducere quæ ejuſmodi reſipi-ſcentiam in cunctis actionibus referat ac teſtetur.

Definitionis explanatio.

Hæc tribus partibus conſtat.

1. Pœniten-tia eſt vita noſtra ad Deum con-verſio.

6. Sed antequam ultra procedamus, definitio-nem à nobis poſitam dilucidius enarrare conducet. In qua tria ſunt præcipue capita conſideranda. Pri-mum, quum vitæ ad Deum converſinnem nuncu-pamus, transformationem requirimus, non in ope-ribus tantum externis, ſed in anima ipſa: quæ ubi vetuſtatem ſuam exuerit, tum demum operum fru-ctus renovationi ſuæ reſpondentes ex ſe pariat.

Ezech. 18. verſ. 31.

Quod dum vult exprimere Propheta, jubet, ut cor nnvum ſibi faciant quos ad pœnitentiam vocat. Unde Moſes ſæpius oſtenſurus quomodo rite ad Dominum converterentur Iſraëlitæ pœnitentia ducti, docet ut id fiat ex toto corde, & ex tota ani-ma (quam loquutionem videmus à Prophetis ſub-inde repetitam) & cordis circumciſionem nominans, interiores affectus excutit. Nullus tamen locus eſt ex quo melius perſpicere liceat, quæ ſit germana

Hujus de-ſcriptio.

Jerem. 4. v. 1, 3, 4.

pœnitentiæ proprietas, quam ex cap. 4. Jeremiæ, *Si reverteris Iſraël, inquit Dominus, ad me revertere. Arate vobis arvum, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Cir-cumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum.* Vide quomodo nihil effecturos denun-ciet in ſtudio juſtitiæ capeſſendo, niſi revulſa in primis ex penitiſſimo corde impietas fuerit. Et quo penitus eos afficiat, monet cum Deo eſſe negotium, apud quem tergiverſando nihil proficitur: quia cor

Amplificatio à contrariis.

Jeſa. 58: 6.

duplex odio habet. Eam ob rem præpoſteros hypo-critarum conatus irridet Jeſaias, qui externam in ceremoniis reſipiſcentiam ſtrenue quidem molie-bantur: at interim faſciculos iniquitatis, quibus colligatos tenebant pauperes, diſſolvere non cura-bant. Ubi etiam pulchre oſtendit, in quibus pro-prie ſita ſit officiis pœnitentia non ficta.

2. Ex ſerio Dei timore profecta.

7. Secundum caput erat, quod ex ſerio Dei ti-more docuimus ipſam proficiſci. Prius enim quam ad reſipiſcentiam mens peccatoris inclinetur, divini judicii cogitatione excitari oportet. Ubi autem hæc cogitatio penitus inſederit, Deum aliquando tribunal conſcenſurum ad exigendam omnium di-ctorum factorumque rationem: miſerum hominem interquieſcere non ſinet, nec punctum temporis reſpirare, quin perpetuo ad meditandum aliud vitæ inſtitutum exſtimulet, quo ſe ad judicium illud

Ideo judicii mentio apud Prophetas & Apoſtolos.

Jer. 4: 4.
Actor. 17. v. 30, 31.

ſiſtere ſecure queat. Quare Scriptura ſæpe, dum ad pœnitentiam cohortatur, judicii mentionem injicit, ut apud Jeremiam, *Ne forte egrediatur, ut ignis, furor meus, & non ſit qui extinguat, propter malitiam operum veſtrorum.* In concione Pauli ad Athenien-ſes, *Et tempora quidem hujus ignorantiæ quum hacte-nus diſſimularit Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant: eo quod ſtatuit diem in quo judicaturus eſt orbem in æquitate:* & aliis com-pluribus in locis. Interdum à punitionibus jam irro-gatis, Deum eſſe judicem declarat: quo peccatores ſecum reputent, pejora ſibi imminere, niſi mature

Exemplum.

reſipuerint. Exemplum habes Deuteronomii vige-ſimo nono. Qunniam vero à peccati horrore & odio

Explicatio ſecundi hu-jus membri definitionis, ex Paulo deſumpta.

2 Cor. 7. verſ. 10.

converſio inchoatur, ideo triſtitiam, quæ ſecun-dum Deum eſt, pœnitentiæ cauſam facit Apoſtolus. Triſtitiam autem ſecundum Deum appellat, ubi non pœnam modo exhorremus, ſed peccatum ipſum, ex quo diſplicere Deo intelligimus, odimus & execramur: nec mirum, quia niſi acriter punga-mur, non poſſet corrigi carnis noſtræ pigrities: imn non ſufficerent ejus ſtupori & ſocordiæ punctiones, niſi ferulas exerendo altius penetraret Deus. Acce-dit etiam contumacia, quam velut malleis contundi neceſſe eſt. Ergo ſeveritatem, qua Deus utitur mi-nando, ingenii noſtri pravitas ab eo extorquet: quia dormientes fruſtra blande alliceret. Teſtimonia non recito, quæ paſſim occurrunt. Alia etiam ra-

Ratio, cur ſerius Dei timor pœni-tentia pars ſit & prin-cipium.

tione timor Dei pœnitentiæ principium eſt: quia etſi omnibus virtutum numeris abſoluta ſit hominis vita, niſi ad Dei cultum referatur, laudari quidem poterit à mundo: ſed in cælo mera abominatio erit, quando præcipua juſtitiæ pars eſt, ſuum jus & hono-rem Deo reddere, quo impie fraudatur; ubi nobis propoſitum non eſt, ſubjicere nos ejus imperio.

3. Conſtans mortifica-tione carnis & ſpiritus vivificatio-ne.

Has exigunt Propheta.

Pſ. 34: 15.
Jeſa. 1: 16.

8. Tertio loco explicandum reſtat, quale ſit iſtud quod dicimus, pœnitentiam duabus partibus con-ſtare: mortificatione ſcilicet carnis, & ſpiritus vi-vificatione. Id Prophetæ licet pro carnalis populi captu ſimplicius & rudius, liquido tamen expri-munt quum dicunt, *Deſine à malo, & fac bonitatem.* Item, *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum ope-rum veſtrorum ab oculis meis. Quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere, quærite judicium, ſubvenite op-preſſo,* &c. Quum enim à malitia revocant, totius carnis interitum exigunt, quæ malitia & perverſi-tate referta eſt. Res prorſus difficilis & ardua, nos ipſos exuere, & à nativo ingenio demigrare. Ne-que enim caro bene interiiſſe putanda eſt, niſi quic-quid à nobis habemus, abolitum fuerit. Sed quum

Rom. 8: 7.

univerſus carnis affectus ſimultas ſit adverſus Deum, primus ad obedientiam Legis ejus ingreſſus eſt illa naturæ noſtræ abnegatio. Poſtea renovationem de-ſignant à fructibus, qui inde conſequuntur, juſtitia,

Etiam ſigil-latim illa explicantur.

judicin & miſericordia. Siquidem non ſatis fuerit talibus officiis rite defungi, niſi mens primum ipſa & cor, juſtitiæ, judicii, miſericordiæ affectum in-duerint: id fit, quum Dei Spiritus intinctas ſua ſanctitate animas noſtras novis & cogitationibus & affectibus ita imbuit, ut novæ jure haberi queant. Et certe, ut naturaliter ſumus averſi à Deo, niſi præcedat abnegatio noſtri, nunquam ad id, quod rectum eſt, tendemus. Ideo toties jubemur exuere veterem hominem: renunciare mundo & carni: concupiſcentiis noſtris valere juſſis, renovari ſpiritu mentis noſtræ. Nomen porro ipſum mortificationis admonet, quam difficile ſit oblivisci prioris natu-ræ: quia hinc colligimus, nnn aliter nos formari ad Dei timorem, & pietatis initia diſcere, niſi ubi gla-dio Spiritus violenter mactati in nihilum redigi-mur: quaſi pronunciaret Deus, ut cenſeamur inter ſuos filios, npus eſſe communis naturæ interitu.

Unde orian-tur.

Rom. 6. verſ. 5, 6.

9. Utrumque ex Chriſti participatione nobis contingit. Nam ſi vere morti ejus communicamus, ejus virtute crucifigitur vetus noſter homo, & pec-cati corpus emoritur, ne amplius vigeat primæ na-turæ corruptio. Si reſurrectionis ſumus participes,

Hinc ſequi-tur, pœni-tentiam ni-hil aliud eſſe, quam reformatio-nem imagi-nis Dei in nobis.

2 Cor. 3. verſ. 18.

per eam ſuſcitamur io vitæ novitatem, quæ Dei juſtitiæ reſpondeat. Unn ergo verbo pœnitentiam interpretor, regenerationem, cujus non alius eſt ſcopus, oiſi ut imago Dei, quæ per Adæ tranſgreſ-ſionem fœdata, & tantum non obliterata fuerat, in nobis reformetur. Sic docet Apoſtolus, quum ait, *Nos autem revelata facie gloriam Domini repræſentan-tes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.* Item, *Reno-vamini*

Digitized by Google

Epheſ. 4. v.23.& 24. *vamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Item alibi, *Induentes novum hominem, qui renovatur ad agnitionem & imaginem ejus, qui creavit illum.* Col. 3:10. Proinde iſta regeneratione in Dei juſtitiam, Chriſti beneficio inſtauramur, à qua per Adam exideramus: quo modo in iotegrum reſtituere placet Domino quoſcunque in vitæ hæreditatem cooptat.

Qua brevi aliquo momento non abſolvitur, ſed uſque in ultimum vita terminum extenditur.

Atque hæc quidem inſtauratio non uno momento, vel die, vel anno impletur, ſed per cootinuos, imo etiam lentos interdum profectus abolet Deus io electis ſuis carnis corruptelas: repurgat eos ſordibus, ſibique in templa conſecrat, ſenſus eorum omoes ad veram puritatem renovans, quo ſe tota vita exerceant in pœnitentia: ſciantque huic militiæ nullum niſi in morte eſſe finem. Quo major eſt impuri rabulæ & apoſtatæ Staphyli cujuſdam improbitas: qui ſtatum præſentis vitæ cum gloria cæleſti à me confundi nugatur, dum imaginem Dei ex Paulo interpretor ſanctitatem & juſtitiam veracem. Quaſi vero ubi res aliqua definitur, non quærenda ſit ipſa integritas & perfectio. Neque tamen locus negatur incrementis: ſed quatenus ad Dei ſimilitudinem propius quiſque accedit, in eo dico fulgere imaginem Dei. 2 Cor. 4. verſ. 16. Huc ut perveniant fideles, ſtadium pœnitentiæ, in quo tota vita curraot, illis Deus aſſignat.

Tertia pars. Cauſa, propter quas pœnitentia in ultimum uſque terminum vitæ debeat extendi.

10. Sic ergo à peccati ſervitute liberantur filii Dei per regenerationem, non ut quaſi plenam libertatis poſſeſſionem jam adepti, nihil amplius moleſtiæ à carne ſua ſentiant: ſed ut illis maneat perpetua certaminis materia, unde exerceantur: neque exerceantur modo, ſed infirmitatem quoque ſuam melius diſcant. Atque in ea re omnes ſanioris judicii Scriptores inter ſe conſentiunt, manere in homine regenerato mali fomitem, unde perpetuo ſcateant cupiditates, quæ ipſum ad peccandum illiciant & extimulent. Fatentur etiam, ſanctos illo concupiſcendi morbo adhuc ita implicitos teneri, ut obſtare nequeant, quin ſubinde vel ad libidinem, vel ad avaritiam, vel ad ambitionem, vel ad alia vitia titillentur & incitentur. Neque opus eſt multum inveſtigando laborare, quid hic veteres ſenſeriot: quando unus Auguſtinus ſufficere ad id poteſt, qui fideliter magnaque diligentia omnium ſententias collegit. Ex illo igitur ſumant Lectores, ſiquid de ſenſu antiquitatis habere certi volent.

lib. ad Boniſ. 4. lib. 1. & 2. contra Julianum.

Auguſtini ſententia, de concupiſcentia in renatis, excutitur.

Porro inter illum & nos hoc diſcriminis videri poteſt intereſſe, quod ipſe quidem quum fideles concedat, quamdiu in corpore mortali habitant, ſic illigatos teneri concupiſcentiis, ut non poſſint non concupiſcere, eum tamen morbum peccatum vocare non audet: ſed ad illum deſignandum infirmitatis nomine contentus, tunc demum fieri peccatum docet, ubi vel opus, vel conſenſus ad conceptionem vel apprehenſionem accedit. hoc eſt, quando primæ appetitioni cedit voluntas. Nos autem illud ipſum pro peccato habemus, quod aliqua omnino cupiditate contra Legem Dei homo titillatur: imo ipſam pravitatem, quæ ejuſmodi cupiditates nobis generat, aſſerimus eſſe peccatum. Docemus itaque in ſanctis, donec mortali corpore exuantur, ſemper eſſe peccatum: quia in eorum carne reſidet illa concupiſcendi pravitas, quæ cum rectitudine pugnat. Neque tamen ſemper à peccati nomine abſtinet: ſicuti quum dicit, *Hoc peccati nomine appellat Paulus, unde oriuntur cuncta peccata, in carnalem ſcil. concupiſcentiam. Hoc, quantum ad ſanctos pertinet, regnum amittit in terra, perit in cælo.* Quibus verbis fatetur, quatenus obnoxii ſunt fideles coocupiſcentiis carnis, peccati eſſe reos.

Sermon. 6. de verb. Apoſt.

Locus ex Paulo, qui Auguſtini ſententiam confirmare videtur.

11. Quod autem Deus Eccleſiam ſuam purgare ab omni peccato dicitur, quod eam liberationis gratiam per Baptiſmum pollicetur, & in electis ſuis implet: ad reatum potius referimus, quam ad ipſam peccati materiam. Epheſ. 5. v. 26, 27. Præſtat hoc quidem Deus, ſuos regenerando, ut peccati regnum in ipſis aboleatur: (virtutem enim Spiritus ſubminiſtrat, qua ſuperiores in certamine victoreſque fiant) ſed regnare tantum, non etiam habitare deſioit.

Reſponſio. Rom. 6:6.

Proinde ſic dicimus veterem hominem crucifixum eſſe, legem peccati ſic abolitam eſſe in filiis Dei, ut reliquiæ tamen ſuperſint: non ut dominentur, ſed ut eos ſuæ infirmitatis conſcientia humilient. Et illas quidem fatemur non imputari, acſi non eſſent: ſed hoc ſimul Dei miſericordia fieri contendimus, ut ab hoc reatu liberentur ſancti, qui merito alias peccatores & rei coram Deo forent.

Confirmatio reſponſionis, ex ipſo Apoſtolo. Rom. 7: 6.

Neque vero hanc ſenteotiam confirmare difficile nobis erit: quando extant in eam rem clara Scripturæ teſtimonia. Quid enim apertius volumus, quam quod ad Rom. 7. clamat Paulus? Primum, illic eum in hominis regenerati perſona loqui, cum nos alibi oſtendimus, tum Auguſtinus firmis rationibus evincit. Taceo quod mali & peccati vocabulis utitur. ut voces illas cavillari poſſint qui reclamare nobis volent: quis tamen repugoantiam adverſus Legem Dei, malum eſſe neget? quis impedimentum juſtitiæ neget eſſe peccatum? quis denique non concedat culpam ineſſe, ubi eſt ſpiritualis miſeria? Atqui iſta omnia de hoc morbo à Paulo prædicantur.

Altera confirmatio, ex Legis præcepto.

Deinde habemus certam à Lege demonſtrationem, qua breviter tota hæc quæſtio expediri poteſt. Jubemur enim Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex totis facultatibus. Quum ita omnes animæ noſtræ partes Dei amore occupari deceat, certum eſt, eos præcepto non ſatisfacere, qui vel leviculam appetitionem corde recipere, vel ullam omnino cogitationem animo admittere poſſunt, quæ eos ab amore Dei in vanitatem abducat. Quid enim? annon illæ ſunt animæ facultates, ſubitis motionibus affici, ſenſu apprehendere, mente concipere? Iſtæ igitur quum vanis & pravis cogitationibus aditum ad ſe patefaciunt, annon oſtendunt ſe tantundem ab amore Dei eſſe vacuas?

Concluſio.

Quare qui non fatetur omnes carnis cupiditates eſſe peccata: illum vero concupiſcendi morbum, quem fomitem appellant, eſſe peccati ſcaturiginem: ille transgreſſionem Legis peccatum eſſe neget neceſſe eſt.

Exceptio: tantum damnari cupiditates, quæ cum Dei ordinatione pugnant.

12. Si cui abſurdum videtur, ita in uoiverſum damnari cupiditates omnes, quibus homo naturaliter afficitur, quum à Deo inditæ ſint naturæ auctore: reſpondemus, nos nequaquam eas appetitiones damnare, quas hominis ingenio Deus ſic à prima creatione inſculpſit, ut inde eradicari niſi cum ipſa humanitate non poſſiot: ſed tantum inſolentes effreneſque motus, qui cum Dei ordinatione pugnant. Jam vero quum ob naturæ pravitatem omnes facultates adeo vitiatæ ſint ac corruptæ, ut in omnibus actionibus emineat perpetua ἀταξία & intemperies: quia ab ejuſmodi incontinentia ſeparari nequeunt appetitiones, ideo vitioſas eſſe contendimus.

Non quatenus ſunt naturales, ſed quatenus inordinatæ, damnantur: ut ſenſit etiam Auguſtinus. ad Boniſ.

Aut (ſi paucioribus verbis ſummam habere libet) omoes hominum cupiditates malas eſſe docemus, & peccati reas peragimus: non quatenus ſunt naturales, ſed quia inordinatæ: inordinatas autem eſſe, quia ex natura corrupta & polluta nihil puri nec ſinceri prodire poteſt. Neque vero ab hac doctrina tantum diſcedit Auguſtinus, quantum in ſpeciem apparet. Dum invidiam plus æquo reformidat, qua eum gravare ſtudebant Pelagiani, à peccati nomine interdum abſtinet: quum tamen ſcribit, *manente in ſanctis peccati lege, tolli duntaxat reatum,* ſatis indicat ſe non adeo à ſenſu noſtro abhorrere.

Cujus multa teſtimonia proferuntur, quæ ejus mentem aperiunt.

13. Afferemus alias aliquot ſententias, unde melius appareat quid ſenſerit. Libro ſecundo cootra Julianum, *Lex iſta peccati & remiſſa eſt regeneratione ſpirituali, & manet in carne mortali: remiſſa ſcilicet, quia reatus ſolutus eſt in Sacramento, quo regenerantur fideles; manet autem, quia operatur deſideria, contra quæ dimicant & fideles.* Item, *Lex itaque peccati (quæ*

in

in tanti quoque Apoſtoli membris erat) remittitur in Baptiſmate, non finitur. Item, *Legem peccati, cujus manentis ſolutus eſt in Baptiſmo reatus, Ambroſius vocavit iniquitatem: quia iniquum eſt, ut caro concupiſcat adverſus ſpiritum.* Item, *Mortuum eſt peccatum in eo reatu, quo nos tenebat: & donec ſepulturæ perfectione ſanatur, rebellat & mortuum.* Libro quinto etiamnum apertius: *Sicut cæcitas cordis & peccatum eſt, quo in Deum non creditur: & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animadverſione punitur: & cauſa peccati, quum aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiſcentia carnis adverſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt, quia illi ineſt inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati, quia reddita eſt meritis inobedientis: & cauſa peccati defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.* Vocat hic ſine ambiguitate peccatum: quia proſtrato jam errore, & confirmata veritate, calumnias minus veretur. Quemadmodum & in Joannem, Homil. 41. ubi ex animi ſui ſenſu ſine contentione loquitur, *Si carne ſervis legi peccati, fac quod ait ipſe Apoſtolus, Non regnet peccatum in mortali veſtro corpore, ad obediendum deſideriis ejus.* Non ait, *non ſit*: ſed, *non regnet. Quamdiu vivis, peccatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis: ſaltem regnum illi auferatur, non fiat quod jubet.* Qui concupiſcentiam non eſſe peccatum defendunt, illud Jacobi objicere ſolent, *Concupiſcentia poſtquam conceperit, parit peccatum.* Atqui nullo negotio hoc refellitur: niſi enim de ſolis operibus malis, vel de peccatis actualibus intelligamus ipſum loqui, ne mala quidem voluntas in peccato deputabitur. Ex eo autem quod flagitia & prava facinora concupiſcentiæ partus vocat, atque iis ipſis peccati nomen tribuit, non protinus ſequitur, quin concupiſcere, res mala ſit, & coram Deo damnabilis.

Rom. 6. verſ. 12.

Objectio, ex Jacobi dicto.
Jacob. 1. verſ. 15.
Reſponſio.

14. Anabaptiſtæ quidam hoc ſeculo, phreneticam neſcio quam intemperiem pro ſpirituali regeneratione comminiſcuntur: nempe in ſtatum innocentiæ reſtitutos Dei filios, jam non oportere ſollicitos eſſe de libidine carnis refrenanda: ſpiritum ducem ſequendum eſſe, ſub cujus actione nunquam aberratur. Incredibile eſſet hominis mentem eo veſaniæ prolabi, niſi palam & faſtuoſe ſuum hoc dogma deblaterarent. Prodigioſum certe quidem eſt: ſed tales ſacrilegæ audaciæ pœnas luere æquum eſt, qui veritatem Dei, in mendacium vertere animum induxerunt. Itane delectus omnis turpis & honeſti, juſti & injuſti, boni & mali, virtutis & vitii tolletur? Tale, inquiunt, diſcrimen eſt ex maledictione veteris Adæ, à qua nos per Chriſtum exempti ſumus. Ergo inter ſcortationem & caſtitatem, ſinceritatem & aſtutiam, veritatem & mendacium, æquitatem & rapinam, nihil jam intererit. Tolle, inquiunt, vanam formidinem: ſpiritus nihil tibi mali imperabit, modo ſecure & intrepide illius actioni te permittas. Quis ad hæc prodigia non obſtupeſcat? Popularis tamen eſt philoſophia apud eos, qui libidinum amentia excæcati, ſenſum communem exuerunt. Sed quem, obſecro, Chriſtum nobis fabricantur, & quem ſpiritum eructant? Nos enim Chriſtum unum, ejus unum Spiritum recognoſcimus, quem Prophetæ commendarunt, Euangelium exhibitum prædicat, de quo nihil illic tale audimus. Spiritus ille non eſt homicidii, ſcortationis, ebrietatis, ſuperbiæ, contentionis, avaritiæ, fraudis patronus: ſed auctor dilectionis, pudicitiæ, ſobrietatis, modeſtiæ, pacis, moderationis, veritatis. Non eſt vertiginoſus, & qui præceps per fas & nefas inconſiderate ruat, ſed plenus ſapientiæ & intelligentiæ, qua rite inter juſtum & injuſtum diſcernat. Non inſtigat ad diſſolutam affrenemque licentiam: ſed prout licitum ab illicito diſcriminat, modum moderationemque ſervare docet. Quid tamen diutius in refellenda bellui-na iſta rabie laboramus? Chriſtianis Spiritus Domini non turbulentum eſt phantaſma, quod vel ipſi per ſomnium pepererint, vel ab aliis confictum acceperint: ſed ejus notitiam à Scripturis religioſe petunt, ubi duo hæc de ipſo traduntur, nobis in ſanctificationem datum eſſe, quo ab immunditiis & inquinamentis purgatos, in obedientiam divinæ juſtitiæ deducat: quæ obedientia conſtare nequit, niſi domitis ſubactiſque concupiſcentiis, quibus iſti habenas laxare volunt. Deinde ſic nos ejus ſanctificatione purgari, ut multis vitiis multaque infirmitate obſideamur, quamdiu incluſi ſumus mole corporis noſtri. Quo fit, ut longo intervallo à perfectione diſſiti, proficere ſemper aliquid, & vitiis irretiti cum illis quotidie luctari neceſſe habeamus. Unde etiam conſequitur, excuſſa deſidia & ſecuritate, intentis animis vigilandum eſſe, ne carnis noſtræ inſidiis incauti circumveniamur. Niſi forte confidimus, nos majores progreſſus feciſſe, quam Apoſtolum, qui tamen fatigabatur ab angelo Satanæ, quo virtus in infirmitate perficeretur: & qui illam carnis & ſpiritus diviſionem in ſua carne non ficte repræſentabat.

Alia objectio Anabaptiſtarum & Libertinorum, adverſus perpetuam filiorum Dei in hac vita pœnitentiam.
vid. Calv. adverſus Libertinos, cap. 18.

Reſponſio, horrendam iſtiuſmodi monſtrorum impietatem detegens.

Altera reſponſio, ab abſurdis, quæ hæc objectio parit.

Tertia reſponſio, ſinceram de pœnitentia & vita Chriſtiana doctrinam iſtorum errori opponens.

Confirmatio, ab Apoſtoli exemplo & dicto.
2 Cor. 12. v. 7. & 9.
Rom. 7. verſ. 15.

15. Quod autem Apoſtolus in deſcriptione pœnitentiæ ſeptem ejus vel cauſas, vel effectus, vel partes enumerat, id optima cauſa facit: ſunt autem ſtudium aut ſollicitudo, excuſatio, indignatio, timor, deſiderium, zelus, vindicta. Neque abſurdum videri debet, quod ſtatuere non audeo, cauſæne an effectus cenſeri debeant: utrumque enim diſputari poteſt. Poſſunt etiam vocari affectiones cum pœnitentia conjunctæ: ſed quia omiſſis illis quæſtionibus, intelligere licet quid Paulus velit, ſimplici expoſitione contenti erimus. Dicit ergo ex triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, excitari ſollicitudinem. Nam qui ſerio diſplicentiæ ſenſu tangitur, quod in Deum ſuum peccarit, ſimul exſtimulatur ad diligentiam & attentionem, ut à diaboli laqueis penitus ſe explicet, ut ab ejus inſidiis melius ſibi caveat, ne à Spiritus ſancti gubernatione poſthac excidat, ne ſecuritate opprimatur. Proxima eſt excuſatio, quæ hoc loco non defenſionem ſignificat, qua peccator ad effugiendum Dei judicium, vel ſe deliquiſſe neget, vel culpam extenuet; ſed purgationem, quæ in deprecatione magis poſita ſit, quam cauſæ fiducia. Qualiter filii non reprobi dum errata ſua agnoſcunt & confitentur, deprecationem tamen adhibent: atque ut ea locum habeat, quibus poſſunt modis teſtantur, ſe minime abjeciſſe eam, quam parentibus debent, reverentiam; denique ſic excuſant, non ut ſe juſtos eſſe ac innocentes probent, ſed tantum ut veniam obtineant. Sequitur indignatio qua peccator ſecum intus fremit, ſecum expoſtulat, ſibi iraſcitur, dum ſuam perverſitatem ſuamque in Deum ingratitudinem recognoſcit. Timoris nomine intelligit illam trepidationem, quæ mentibus noſtris incutitur, quoties cogitamus & quid nos ſimus meriti, & quam horribilis ſit iræ divinæ ſeveritas in peccatores. Mirabili enim inquietudine tunc nos vexari neceſſe eſt, quæ tum ad humilitatem nos erudit, tum cautiores in poſterum reddit. Quod ſi oritur ex timore ſollicitudo, de qua prius dixerat, videmus quo nexu hæc inter ſe cohæreant. Deſiderium videtur mihi poſuiſſe pro ſedulitate in officio & obſequendi alacritate, ad quam maxime provocare nos debet delictorum noſtrorum agnitio. Huc quoque pertinet zelus quem continuo ſubjungit: ardorem enim ſignificat, quo accendimur ubi aculei illi nobis admoventur: *Quid feci? Quo me præcipitaveram, niſi mihi Dei miſericordia ſubveniret?* Poſtrema eſt vindicta: quo enim ſeveriores in nos ſumus, & acriore cenſura quæſtionem habemus de peccatis noſtris, eo debemus ſperare magis propitium ac miſericordem Deum. Et certe fieri non poteſt, quin anima divini judicii horrore perculſa, partes ultionis in exigenda de ſe pœna occupet.

Quarta pars capitis, de pœnitentiæ fructibus, qui cauſa, vel effectus, aut partes, ſive affectiones dici poſſunt.
2 Cor. 7. verſ. 11.

Sollicitudo.

Excuſatio.

Indignatio.

Timor.

Deſiderium.

Zelus.

Vindicta.

occupet. Sentiunt ſane pii quales pœnæ ſint pudor, confuſio, gemitus, diſplicentia ſui, & reliqui affectus, qui ex ſeria delictorum recognitione naſcuntur.

Modus autem tenendus, idque ſanctiſſimo Bernardi conſilio, ne ejuſmodi triſtitia nos abſorbeat.

Meminerimus tamen modum eſſe tenendum, ne triſtitia nos abſorbeat: quia oihil magis proclive eſt trepidis conſcientiis, quam in deſperationem ruina. Et hoc quoque artificio Satao quoſcunque videt metu Dei proſtratos, in profundum illum mœroris gurgitem magis ac magis demergit, ne unquam aſſurgant. Non poteſt quidem nimius eſſe timor, qui in humilitatem deſinit, neque diſcedit à ſpe veniæ.

Heb. 12: 3.

Semper tamen ex Apoſtoli præcepto cavendum, ne peccator, dum ſe ad diſplicentiam ſollicitat, nimia formidine oppreſſus, deficiat: quia hoc modo refugitur Deus, qui per pœnitentiam nos ad ſe vocat.

Serm. 11. in Cant.

Qua de re utilis eſt etiam admonitio Bernardi, *Neceſſarius dolor pro peccatis ſi non ſit continuus. Suadeo reflectere pedem interdum à moleſta & anxia recordatione viarum veſtrarum, & evadere ad planitiem ſerenæ memoriæ beneficiorum Dei. Miſceamus abſinthio mel, ut ſalubris amaritudo ſalutem dare queat: cum immiſto dulcore temperata bibetur: & ſi de vobis in humilitate ſentitis, ſentite & de Domino in bonitate.*

Quales ſunt in pœnitentia fructus. Interni. 1. Pietas erga Deum. 2. Charitas erga homines. 3. Vita puritas.

16. Jam & pœnitentiæ fructus quales ſint, intelligi poteſt: nempe officia pietatis erga Deum, charitatis erga homines, adhæc in tota vita ſanctimonia ac puritas. Denique quo majore quiſque ſtudio vitam ſuam eaigit ad normam Legis Dei, eo certiora pœnitentiæ ſuæ ſigna edit. Itaque Spiritus ſæpe dum oos ad pœnitentiam hortatur, nuoc ad ſingula Legis præcepta, nunc ad officia ſecundæ tabulæ oos revocat: quanquam aliis locis poſtquam immunditiem damnavit in ipſo fonte cordis, deinde ad eaterha teſtimonia deſcendit quæ ſinceram reſipiſcentiam commendant.

lib. 3. c. 6. &c.

Cujus rei tabulam in deſcriptione vitæ Chriſtianæ moa ſubjiciam Lectorum oculis.

Quam ſedulo hi fructus à Prophetis commendentur.

Non colligam ea Prophetis teſtimonia, quibus partim ſubſannant eorum ineptias, qui ceremoniis contendunt Deum placare, oſtenduntque mera eſſe ludicra: partim vero externam vitæ integritatem docent non eſſe caput pœnirentiæ, quia Deus cor intuetur. Quiſquis mediocriter in Scriptura verſatus fuerit, per ſe abſque alterius monitu iotelliget, ubi cum Deo negotium eſt, nihil agi, niſi ab interiore cordis affectu iocipimus. Et Joëlis

Joël. 2: 13.

locus aliis intelligendis non parum valebit, *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Utrumque

Jacob. 4: 8.

etiam breviter eapreſſum eſt his Jacobi verbis, *Mundate ſcelerati manus, purgate corda duplices*: ubi priori quidem membro acceſſio ponitur, fons tamen & principium deiode monſtratur, nempe abſtergendas eſſe occultas ſordes, ut altare in ipſo corde erigatur Deo.

Externi. 4. Corporis exercitia.

Sunt præterea & externa aliqua exercitia, quibus privatim veluti remediis vel ad nos humiliandos, vel ad domandam carnem noſtram utimur: publice vero ad reſipiſcentiæ teſtificationem. Emanant autem ab illa vindicta de qua loquitur

2 Cor. 7. verſ. 11.

Paulus. ſiquidem hæc afflicti animi ſunt propria, in ſqualore, gemitu, lachrymis eſſe: fugere ſplendorem & quemlibet apparatum, omnibus deliciis ſe abdicare. Deinde is qui ſentit quantum malum ſit carnis rebellio, remedia omnia quærit quibus coërceat. Prætetea qui bene cogitat, quam grave ſit violaſſe Dei juſtitiam, quieſcere non poteſt donec in ſua humilitate gloriam dederit Deo.

A vetuſtis ſcriptoribus nimium commendata.

Ejuſmodi eaercitia ſæpe commemorant vetuſti ſcriptores, quum de pœnitentiæ fructibus loquuntur. Quanquam autem vim pœnitentiæ minime in illis reponunt: veniam tamen mihi dabunt Lectores, ſi dixero quod ſentio: plus æquo certe inſiſtere in his mihi videntur.

Dupliciter enim modum exceſſerunt.

Ac ſi quis prudenter eapendat, mihi (ut ſpero) aſſentietur, dupliciter eos modum exceſſiſſe. Nam quum tantopere urgerent, ac immodicis elogiis commendarent corporalem illam diſciplinam, hoc quidem conſeqoebantur, ut plebs eam majore ſtudio amplecteretur: ſed, quod longè majoris momenti eſſe debet, quodammodo obſcurabant. Deinde in exigendis caſtigationibus fuerunt aliquanto rigidiores, quam ferat Eccleſiaſtica manſuetudo, quemadmodum alibi tractandum erit.

Hæc exercitia quum à nonnullis præcipua pœnitentiæ pars conſtituantur, ejuſmodi hallucinatio tollitur.

17. Sed quia nonnulli, dum fletum, jejunium & cinerem cum alibi frequeoter, tum præſertim apud Joëlem commemorari audiunt, præcipuam reſipiſcentiæ partem jejunio & fletu metiuntur, tollenda eſt eorum hallucinatio. Quod de converſiooe totius cordis ad Dominum, deque ſciſſione non veſtimentorum, ſed cordis illic dicitur, reſipiſcentiæ proprium eſt: fletus autem & jejunium, non ut perpetua aut neceſſaria ejus effecta ſubnectuntur, ſed ſpecialem habent circumſtantiam.

Joël. 2: 12.

Quoniam graviſſimum Judæis excidium imminere vaticinatus fuerat, iram Dei ſuadet antevertere, non tantum reſipiſcendo, ſed mœroris indicia præ ſe ferendo.

Cur in Judaica Eccleſia recepta ſint.

Qualiter enim promiſſa barba, impexo capillo, pulla veſte, ſuppliciter ſe demittere ſolet reus ad conciliandam judicis miſericordiam: ita illos, quum rei agerentur coram Dei tribunali, ejus ſeveritatem miſerabili habitu deprecari oportebat. Quanquam autem cinis & ſaccus illis forte temporibus magis conveniebant: fletus tamen & jejunii valde opportunum fore iorer nos uſum conſtat, quoties cladem aliquam aut calamitatem nobis minari viſus fuerit Dominus. Se enim ad ultionem apparari & quodammodo armari denunciat, ubi periculum apparere facit. Bene igitur Propheta, qui ſuos ad fletum & jejunium, hoc eſt, ad reorum mœſtitiam, cohortatur, de quorum flagitiis conſtitutam quæſtionem paulo ante dixerat.

Horum exercitiorum legitimus uſus in Eccleſia Chriſtiana.

Quemadmodum nec male hodie fecerint Eccleſiaſtici paſtores, ſi dum impendentem ſuorum cervicibus ruinam vident, ad jejunium & fletum properandum vociferentur: modo quod eſt præcipuum majore & inteotiore cura & opera ſemper urgeant, ſcindenda ſcilicet eſſe corda, non veſtimenta.

De jejunio.

Eatra dubium eſt, non ſemper pœnitentiæ cohærere jejunium, ſed calamitoſis temporibus peculiariter deſtinari: unde

Mat. 9: 15.

& cum luctu conjungitur à Chriſto, dum Apoſtolos ab ejus neceſſitate abſolvit, donec ſua præſentia orbati mœrore conficerentur: de ſolenni jejunio loquor. Nam piorum vita frugalitate & ſobrietate temperata eſſe debet, ut in toto ejus decurſu quædam jejunii ſpecies continenter appareat. Verum

lib. 4. c. 12.

tota illa res, quia rurſus, ubi de Eccleſiæ diſciplina agetur, expedienda erit, nunc parcius à me attingitur.

Sed præcipua pœnitentiæ pars in converſione ad Deum conſiſtit.

18. Hoc tamen adhuc inſeram, quum ad hanc externam profeſſionem transfertur nomen pœniteotiæ, improprie à genuino illo ſenſu, quem poſui, deflecti. Neque enim tam eſt converſio ad Deum, quam culpæ confeſſio, cum pœoæ & reatus deprecatione.

Matth. 11. verſ. 21. Luc. 10. verſ. 13.

Sic pœnitentiam agere in cinere & cilicio, nihil aliud eſt quam teſtari diſplicentiam, ubi Deus ob graves offenſas nobis iraſcitur. Atque hæc quidem confeſſionis ſpecies publica eſt, qua nos damnantes coram Angelis & mundo, prævenimus judicium Dei.

Uſus horum exercitiorum.

1 Cor. 11. verſ. 31.

Nam eorum ſegnitiem coarguens Paulus qui peccatis ſuis indulgeot, *Si judicaremus noſipſos*, inquit, *non à Deo judicaremur.* Sed homines facere palam conſcios & teſtes noſtræ reſipiſcentiæ, non ſemper eſt neceſſarium: privatim autem Deo confiteri, pars eſt veræ pœoitentiæ, quæ omitti non poteſt. Nihil enim minus conſentaneum, quam ut peccata ignoſcat Deus, in quibus nobis ipſi blandimur: & ne in lucem proferat, prætegimus per hypocriſin.

Peccatorum confeſſio & agnitio qualis eſſe debeat.

Nec tantum quæ quotidie admittimus peccata fateri convenit: verum graviores lapſus longius trahere nos debent: atque in memoriam tevocare quæ videntur pridem ſepulta: quod exemplo ſuo nobis præſcribit David.

Pſal. 51: 7.

Tactus enim recentis flagitii pudore, ſeipſum examinat

uſque

uſque ad matris uterum, & agnoſcit jam tunc fuiſſe corruptum & infectum carnis labe. neque id ut culpam ſuam extenuet: ſicuti multi in turba ſe occultant, & alios ſecum involvendo, impuoitatem captant. Longe aliter David, qui ingenue culpam exaggerat, quod à prima infantia corruptus, non

Pſal.25: 7.

deſierit mala malis cumulare. Alio etiam loco tale præteritæ vitæ examen ſuſcipit, ut adoleſcentiæ ſuæ peccatis miſericordiam Dei imploret. Et certe tum demum ſoporem nobis eſſe excuſſum probabimus, ſi gemendo ſub onere, malaque noſtra deflendo, levationem à Deo petemus.

Pœnitentia ordinaria & ſpecialis diſtinctio.

Notandum præterea eſt, poenitentiam, cui aſſidue incumbere jubemur, ab ea differre, quæ velut à morte excitat qui vel turpius ceciderant, vel effreni licentia ſe projecerant ad peccandum, vel quadam defectionis ſpecie excuſſerant jugum Dei. Nam Scriptura ſæpe dum bortatur ad pœnitentiam, quaſi tranſitum & reſurrectionem à morte in vitam ſignificat: & dum refert populum egiſſe pœnitentiam, ab idololatria aliiſque craſſis ſceleribus converſum fuiſſe intelligit.

2 Cor. 12. verſ. 21.

Qua ratione Paulus luctum peccatoribus denunciat, *qui pœnitentiam non egerunt ſuper laſciviis, ſcortatione & impudicitia.*

Hujus diſtinctionis uſus.

Hoc diſcrimen diligenter obſervandum eſt, ne ubi paucos audimus ad pœnitentiam citari, nobis ſupina obrepat ſecuritas, quaſi nihil amplius ad nos pertineret carnis mortificatio: cujus curam remittere non permittunt, quæ oos ſemper titillant pravæ cupiditates, & quæ ſubinde pullulant vitia. Specialis ergo pœnitentia, quæ à quibuſdam tantum exigitur, quos diabolus à Dei timore abreptos exitialibus laqueis implicuit, ordinariam oon tollit, cui per totum vitæ curriculum operam dare nos cogit naturæ corruptio.

Finis pœnitentiæ.

19. Porro ſi verum eſt, quod clariſſime conſtat, totam Euangelii ſummam duobus iſtis capitibus contineri, pœnitentia, & peccatorum remiſſione: annon videmus, Dominum ideo gratis ſuos juſtificare, quo eos ſimul Spiritus ſui ſanctificatione in veram juſtitiam inſtauret?

Ex Joannis, Chriſti & Apoſtolorum prædicationis forma, quis ſit oſtenditur.

Joannes, angelus ante faciem Chriſti miſſus ad vias ejus præparandas, prædicabat, *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Ad pœnitentiam invitando, monebat ut ſe peccatores agnoſcerent, ſuaque omnia coram Domino damnata, quo carnis ſuæ mortifica-

Matth. 11. verſ. 10.

Mat. 3: 2.

tionem, ac novam in Spiritu regenerationem totis votis expeterent. Regnum Dei annunciaodo, ad fidem vocabat: ſiquidem per regnum Dei, quod docebat in propinquo eſſe, remiſſionem peccatorum, ſalutem, vitam, & quicquid omnino in Chriſto aſſequimur, ſignificabat. quare apud alios Euangeliſtas

Marc. 1: 4.

Luc. 3: 3.

legitur, *Venit Joannes prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.* Quod quid aliud eſt, quam ut peccatorum mole preſſi & fatigari, ad Dominum ſe converterent, ac de remiſſione & ſalute ſpem conciperent?

Hujus prædicationis ſumma.

Marc. 1. verſ. 15.

Sic & Chriſtus ſuas conciones auſpicatus eſt, *Appropinquavit regnum Dei: pœnitentiam agite, & credite Euangelio.* Primum declarat, thelauros miſericordiæ ui ſe apertos: deinde pœnitentiam exigit: tum poſtremo fiduciam erga Dei promiſſiones. Itaque quum totam Euangelii

Luc. 24. verſ.46.47.

ſummam breviter complecti voluit, dixit *ſe oportuiſſe pati, & reſurgere à mortuis, prædicari in nomine ſuo pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum.* Id & Apoſtoli poſt ejus reſurrectionem prædica-

Act. 5: 31.

runt, *excitatum à Deo, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum.* Prædicatur pœnitentia in nomine Chriſti, quum per Euangelii doctrinam audiunt homines ſuas omnes cogitationes, ſuos affectus, ſua ſtudia corrupta & vitioſa eſſe: propterea neceſſe eſſe ut renaſcantur, ſi volunt ingredi in regnum Dei. Remiſſio peccatorum

1 Cor. 1. verſ. 30.

prædicatur, quum docentur homines, Chriſtum ſibi factum eſſe redemptionem, juſtitiam, ſalutem, & vitam: cujus nomine, gratis in Dei conſpectu juſti habeantur & innocentes. Utraque gratia quum fide apprehendatur (ut alibi demonſtratum eſt) quia tamen proprium fidei objectum eſt Dei bonitas qua peccata remittuntur, eam à pœnitentia diligenter diſtingui operæpretium fuit.

Pœnitentia Chriſtianæ terminus, vita noſtra finis.

20. Porro ut peccati odium, quod pœnitentiæ exordium eſt, primum nobis ad Chriſti cognitionem ingreſſum aperit, qui nullis ſe exhibet, niſi miſeris & afflictis peccatoribus, qui gemunt, laborant, onerati ſunt, eſuriunt, ſitiunt, dolore & miſeria tabeſcunt: ita in pœnitentiam ipſam eniti, tota vita in eam incumbere, eam ad ultimum proſequi nos oportet, ſi in Chriſto conſiſtere volumus.

Jeſa.61: 1.

Mat.11: 5.

Luc.4: 18.

Ad peccatores enim vocandos venit: ſed ad pœnitentiam. Miſſus eſt ad benedicendum indignis: ſed quo ſe convertat unuſquiſque à nequitia ſua. Plena eſt Scriptura ejuſmodi vocibus.

Mat.9: 13.

Act. 3: 26, & 5: 31.

Hoc modo remiſſionem peccatorum in Chriſto oblatam, & reſipiſcentiæ cauſam adipiſcimur.

Quare ubi peccatorum remiſſionem offert Deus, reſipiſcentiam viciſſim ſtipulari fere ſolet: innuens ſuam miſericordiam, reſipiſcendi cauſam hominibus eſſe debere. *Facite*, inquit, *judicium & juſtitiam: quia ſalus appropinquavit.* Item, *Veniet Sioni redemptor, & iis qui in Jacob reſipiſcunt à peccatis.* Item, *Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & iniquitatem cogitationum ſuarum, & ad Dominum convertatur: & miſerebitur ejus.* Item, *Convertimini, & reſipiſcite, ut deleantur peccata veſtra.*

Jeſa.56: 1. & 59: 20. & 55: 6,7.

Act. 2: 38.

Ubi tamen adnotandum eſt, non eam conditionem ſic apponi, quaſi emerendæ veniæ fundamentum ſit noſtra reſipiſcentia: quin potius (quia in hunc finem hominum miſereri ſtatuit Dominus ut reſipiſcant) quo ſit tendendum indicat, ſi gratiam obtinere volunt. Proinde donec in carcere corporis noſtri habitabimus, aſſidue nobis cum naturæ noſtræ corruptæ vitiis luctandum eſt, adeoque cum naturali noſtra anima. Dicit aliquoties Plato, vitam Philoſophi, meditationem eſſe mortis.

Id cum alibi, tum in Phædone, multis diſputat.

Verius nobis dicere licet, vitam Chriſtiani hominis perpetuum eſſe ſtudium & exercitationem mortificandæ carnis, donec ea plane interempta, Spiritus Dei regnum in nobis obtineat. Quare illum arbitror plurimum profeciſſe, qui ſibi plurimum diſplicere didicit: non ut in hoc luto hæreat, nec ultra progrediatur: ſed magis ut ad Deum feſtinet & ſuſpiret; quo morti vitæque Chriſti inſertus, perpetuam pœnitentiam meditetur: ut certe non aliter poſſunt, quos genuinum peccati odium tenet. nemo enim peccatum unquam odit niſi prius juſtitiæ amore captus. Hæc ſententia, ut erat ſimpliciſſima omnium, ita mihi cum Scripturæ veritate optime conſentire viſa eſt.

Poſtrema pars, unde ſit Pœnitentia docens, videlicet à Dei gratia.

21. Porro ſingulare eſſe Dei donum pœnitentiam, notius ex ſuperiore doctrina eſſe arbitror quam ut longum ſermonem retexere opus ſit. Itaque beneficium Dei laudat, & miratur Eccleſia, quod *Gentibus dederit pœnitentiam ad ſalutem*: & Paulus Timotheum patientem & manſuetum erga incredulos eſſe jubens, *Siquando*, inquit, *Deus illis det pœnitentiam qua reſipiſcant à diaboli laqueis.*

Act.11:18.

2 Tim. 2. verſ.25,26.

Electis communicata, quos Deus eripere vult ab interitu.

Affirmat quidem Deus ſe velle omnium converſionem: & exhortationes communiter omnibus deſtinat: efficacia tamen pendet à Spiritu regenerationis. Quia facilius eſſet creare novos homines, quam proprio Marte induere præſtantiorem naturam. Itaque toto regenerationis curſu non abs re vocamur *Dei figmentum, creati ad bona opera, quæ præparavit ut in illis ambulemus.*

Eph.2: 10.

Quoſcunque eripere vult Deus ab interitu, hos Spiritu regenerationis vivificat: non quod pœnitentia proprie ſit ſalutis cauſa, ſed quia jam viſum eſt inſeparabilem eſſe à fide & miſericordia Dei: quando, teſte Jeſaia, *veniet Sioni redemptor, & iis qui in Jacob reverſi ſunt ab iniquitate.*

Jeſ.59: 20.

Stat quidem hoc firmum, ubicunque viget Dei timor, Spiritum in ſalutem hominis

Jeſ.63: 17. operatum eſſe. Itaque fideles apud Jeſaiam, dum queruntur & deplorant à Deo ſe derelictos, hoc quaſi reprobationis ſignum ponunt, obdurata fuiſſe

Heb. 6: 6. divinitus corda ſua. Apoſtolus quoque excludere volens apoſtatas à ſpe ſalutis, rationem aſſerit, *eſſe impoſſibile eos renovari ad pœnitentiam*: quia ſcilicet Deus renovans quos perire non vult, ſignum oſtendit paterni favoris, & quodammodo radiis ſereni & læti vultus eos ad ſe attrahit: rurſum obduratione fulminat contra reprobos, quorum irremiſſibilis eſt impietas. Quod genus vindictæ Apoſtolus denunciat voluntariis apoſtatis, qui dum à fide Euangelii deficiunt, Deum ludibrio habent, gratiam ejus

Reprobis autem obduratio & impœnitentia exitii æterni eſt denunciatio, ut ex Jeſaia & Apoſtolo liquet.

ibid.10:29. contumelioſe reſpuunt, profanant ac conculcant Chriſti ſanguinem: imo quantum in ſe eſt, rurſus ipſum crucifigunt. Neque enim, ut volunt quidam præpoſtere auſteri, voluntariis omnibus peccatis ſpem veniæ præcidit: ſed apoſtaſiam docet omni excuſatione indignam eſſe, ut mirum non ſit Deum inexorabili rigore tam ſacrilegum ſui contemptum

ibid. 6: 4. ulciſci. *Impoſſibile enim eſſe* tradit, *eos qui ſemel illuminati fuerint, guſtaverint donum cæleſte, participes facti ſint Spiritus ſancti, guſtaverint bonum Dei verbum, virtuteſque venturi ſeculi, ſi prolabantur, rurſum renovari ad pœnitentiam, ab integro crucifigentes*

ibid.10:26. *Filium Dei, & ludibrio exponentes.* Item alibi, *Si volentes*, ait, *peccaverimus poſt acceptam notitiam veritatis, non ultra pro peccatis reliqua eſt hoſtia: ſed formidabilis quædam expectatio judicii*, &c. Hi quoque loci ſunt ex quorum prava intelligentia inſaniendi materiam olim Novatiani hauſerunt: quorum aſperitate offenſi boni quidam viri, hanc ſuppoſititiam epiſtolam crediderunt, quæ omni tamen ex parte Apoſtolicum ſpiritum vere redolet. Quoniam autem nobis contentio non eſt niſi cum iis qui eam amplexantur, facile eſt oſtendere quam nihil illæ ſententiæ ipſorum ſuffragentur errori. Primum neceſſe eſt, Apoſtolum cum magiſtro ſuo conſentire, qui omne peccatum & blaſphemiam remiſſum iri affirmat, excepto peccato in Spiritum ſanctum, quod neque in hoc ſeculo, neque in futuro remittitur. Hac, inquam, exceptione contentum fuiſſe Apoſtolum certum eſt, niſi volumus illum gratiæ Chriſti adverſarium facere. Unde conficitur, nullis ſingularibus peccatis veniam negari præterquam uni, quod ex deſperato furore profectum neque infirmitati adſcribi poteſt, & palam demonſtrat hominem à diabolo eſſe poſſeſſum.

Hic autem Apoſtoli locus (Heb.6. v.6.) quum voluntariis tantum Apoſtatis remiſſionem neget, nihil pro Novatianis facit.

22. Ut tamen hoc expediatur, quod ſit tam horrendum ejuſmodi flagitium quod nullam remiſſionem habiturum eſt, quærere convenit. Quod Auguſtinus alicubi definit obſtinatam ad mortem uſque pervicaciam cum veniæ diffidentia, non ſatis quadrat ipſis Chriſti verbis, *Non remiſſum iri in hoc ſeculo.* Nam aut hoc fruſtra dicitur, aut in hac vita committi poteſt. Si autem vera eſt Auguſtini definitio, non committitur niſi ad mortem uſque perſeveret. Quod alii dicunt, in Spiritum ſanctum peccare qui gratiæ in fratrem collatæ invidet: non video unde ſumptum fuerit. Sed veram definitionem afferamus: quæ ubi firmis teſtimoniis comprobata fuerit, facile per ſeipſam omnes alias evertet. Dico igitur in Spiritum ſanctum peccare, qui divinæ veritati, cujus fulgore ſic perſtringuntur ut ignorantiam cauſari nequeant, tamen deſtinata malitia reſiſtunt, in hoc tantum ut reſiſtant. Chriſtus enim explica-

Hac occaſione de peccato irremiſſibili in Spiritum ſanctum agitur.

Vera hujus peccati definitio, ex Scripturis probata & illuſtrata

Matth. 12. verſ. 31. turus quod dixerat, continuo ſubjungit, *Qui dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei: qui autem blaſphemaverit contra Spiritum, non remittetur.*

Marc. 3. verſ. 29

Luc. 12. verſ. 10. Et Matthæus pro blaſphemia in Spiritum, ponit Spiritum blaſphemiæ. Quomodo in Filium quis probrum jacere poſſit quin ſimul in Spiritum torqueatur? Nempe qui in veritatem Dei incognitam imprudentes impingunt, qui Chriſto ignoranter maledicunt, hoc interim animo præditi ut patefactam ſibi Dei veritatem extinguere nolint, aut quem noverint eſſe Chriſtum Domini, verbo uno lædere: illi in Patrem ac Filium peccant. Sic multi ſunt hodie, qui Euangelii doctrinam peſſime execrantur: quam ſi Euangelii eſſe ſcirent, toto corde venerari parati eſſent. Quorum autem convicta eſt conſcientia, Dei verbum eſſe quod repudiant atque impugnant, impugnare tamen non deſinunt: illi in Spiritum blaſphemare dicuntur: quandoquidem adverſus illuminationem (quæ opus eſt Spiritus ſancti) luctantur. Tales erant ex Judæis nonnulli, qui quum reſiſtere Spiritui per Stephanum loquenti non poſſent, reſiſtere tamen contendebant. Non dubium eſt quin ex illis multi Legis zelo ad id raperentur: ſed fuiſſe alios apparet qui malitioſa impietate in Deum ipſum furerent, hoc eſt, in doctrinam quam eſſe à Deo non neſciebant. Tales & ipſi Phariſæi, in quos Dominus invehitur, qui Spiritus ſancti virtutem ut diſjicerent, Belzebub nomine infamabant. Hic ergo eſt Spiritus blaſphemiæ, ubi hominis audacia in contumeliam divini nominis data opera proſilit. Quod innuit Paulus, quum docet ſe miſericordiam conſequutum, quod ignorans ea per incredulitatem commiſerat, quorum merito indignus alioqui fuiſſet gratia Domini. Si ignorantia cum incredulitate juncta fecit ut veniam obtineret, hinc ſequitur, non eſſe veniæ locum ubi ſcientia ad incredulitatem acceſſit.

Qui peccent in Spiritum ſanctum.

Exempla. 1. Judæi Stephano reſiſtentes. Act.6: 10.

2. Phariſæi. Mat.9: 34. & 12: 24.

Probatio definitionis à contrario Pauli exemplo. 1 Tim. 1. verſ. 13.

23. Apoſtolum vero non de particulari uno lapſu vel altero, ſed de univerſali defectione loqui, qua ſe reprobi à ſalute abdicant, ſi bene animadvertas, intelliges. Eos autem implacabilem Deum ſentire mirum non eſt, quos Joannes in ſua canonica affirmat non fuiſſe ex electis à quibus exierunt. Sermonem ſiquidem in eos dirigit qui religionem Chriſtianam ſe repetere poſſe imaginabantur, etſi ſemel ab ea defecerant: quos ab hac falſa & pernicioſa opinione avocans, dicit quod veriſſimum eſt, non patere iis reditum ad Chriſti communionem, qui eam ſcientes volentes projecerint. Projiciunt autem non qui ſimpliciter diſſoluta vitæ licentia verbum Domini tranſgrediuntur, ſed qui totam ejus doctrinam ex profeſſo rejiciunt. Ergo paralogiſmus eſt in verbo Prolabendi & Peccandi, quoniam Prolabi Novatiani interpretantur, ſiquis Lege Domini, non furandum nec ſcortandum edoctus, à furto aut ſcortatione non abſtineat. At contra ſubeſſe tacitam antitheſin affirmo, in qua repeti debeant contraria omnia iis quæ prius dicta fuerant: ut hic non particulare aliquod vitium, ſed univerſalis averſio à Deo, & totius (ut ita loquar) hominis apoſtaſia exprimatur. Quum ergo dicit, eos *qui prolapſi ſint, poſtquam ſemel illuminati fuerunt, guſtaverunt donum cæleſte, participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtaverunt etiam bonum Dei verbum, virtuteſque venturi ſeculi*: intelligendum eſt, qui lumen Spiritus deliberata impietate ſuffocarint, doni cæleſtis guſtum reſpuerint, à ſanctificatione Spiritus ſe alienarint, verbum Dei & ſeculi venturi virtutes conculcarint. Ac quo magis exprimeret illam impietatis certam deſtinationem, alio poſtea loco nominatim adjecit dictionem, Voluntarie. Nam quum dicit, *nullam fieri reliquam hoſtiam iis, qui volentes, poſt acceptam veritatis notitiam, peccarint*, non negat Chriſtum eſſe perpetuam hoſtiam, ad expiandas ſanctorum iniquitates: (quod tota fere epiſtola diſerte clamat, inter explicandum Chriſti ſacerdotium) ſed nullam aliam reſtare dicit ubi ab ea diſceſſum eſt. Diſceditur autem abnegata ex profeſſo Euangelii veritate.

Cur illud peccatum ſit irremiſſibile.

1 Joan. 2. verſ. 19.

Paralogiſmus Novatianorum, Apoſtoli locum depravantium, excutitur.

Et conferuntur duo ejuſdem Apoſtoli teſtimonia. Heb. 6: 4.

Heb. 10. verſ. 26.

24. Quod autem nimis durum & à Dei clementia alienum videtur quibuſdam, à remiſſione ullos omnino depelli qui ad implorandam Domini miſericordiam confugiant, id facile diluitur. Non enim denegari veniam dicit ſi ad Dominum ſe converterint; ſed omnino negat poſſe ad pœnitentiam ſurgere:

1. Objectio adverſus ſuperiorem doctrinam. Reſponſio.

Inſtantia, deſumpta ex exemplo Eſavi & Prophetæ comminatione, ſolutio. Zach. 7. verſ. 13.

gere: quod ſcilicet æterna cæcitate ob ſuam ingratitudinem juſto Dei judicio percuſſi ſint. Neque obſtat quod idem exemplum Eſau huc poſtea accommodat, qui fruſtra lachrymis & ejulatu tentaverit amiſſam primogenituram recuperare. Nihilo etiam magis illa Prophetæ comminatio, *Quum clamaverint, non exaudiam.* Neque enim talibus loquendi formulis aut vera converſio, aut Dei invocatio deſignatur: ſed illa impiorum anxietas, qua in rebus extremis conſtricti, coguntur reſpicere quod antea ſecure negligebant, ſibi nihil eſſe boni, niſi in Domini auxilio. Illud autem non tam implorant, quam ſibi ablatum eſſe gemunt. Itaque nihil aliud ſignificat Propheta per clamorem, Apoſtolus per lachrymas, quam tormentum illud horribile quod impios ex deſperatione urit & diſcruciat. Hoc diligenter notare operæpretium eſt, quia ſecum alioqui pugnaret Deus, qui per Prophetam clamat, ſe propitium fore ſimulac converſus fuerit peccator. Et (quemadmodum jam dixi) animum hominis in melius mutari nonniſi præveniente illius gratia certum eſt. De invocatione etiam nunquam fallet promiſſio, ſed converſio & precatio improprie vocatur cæcum illud tormentum quo diſtrahuntur reprobi, quum Deum ſibi quærendum eſſe vident ut inveniant malis ſuis remedium, & tamen ejus acceſſum refugiunt.

2. Objectio. Ezech. 18. verſ. 21. *Reſponſio.*

3. Objectio, de ficta impiorum (ut Achabi) pœnitentia, quam Deus probare videtur. 1 Reg. 28 verſ. 29.

25. Quæritur tamen, quum neget Apoſtolus ficta pœnitentia placari Deum, quomodo veniam adeptus ſit Achab, & pœnam ſibi indictam averterit: quem tamen nonniſi ſubito pavore fuiſſe conſternatum ex reliquo tenore vitæ apparet. Induit quidem ſaccum, aſperſus eſt cinere, jacuit humi, & (quemadmodum teſtimonium illi redditur) humiliatus eſt coram Deo: ſed parum fuit veſtes ſcindere, quum maneret cor obſtipum & malitia turgidum. Videmus tamen ut Deus ad clementiam flectatur. Reſpondeo, ſic interdum hypocritis parci ad tempus, ut tamen ſemper illis incumbat ira Dei: idque fieri non tam eorum gratia, quam in commune exemplum. Nam quod mitigata fuit pœna ipſi Achab, quam inde utilitatem conſequutus eſt niſi ut eam vivus in terra non ſentiret? Ergo Dei maledictio, quamvis recondita, fixam habuit ſedem in ejus domo: ipſe autem in æternum exitium perrexit. Idem videre eſt in Eſau. Etſi enim repulſam paſſus eſt, temporalis tamen benedictio conceſſa fuit ejus lachrymis. Sed quia ſpiritualis hæreditas ex Dei oraculo nonniſi penes unum ex fratribus reſidere poterat, dum præterito Eſau electus eſt Jacob, abdicatio illa miſericordiam Dei excluſit: ſolatium hoc quaſi homini belluino fuit reſiduum, ut pinguedine terræ & rore cœli ſaginaretur. Atque id eſt, quod nuper dixi ad exemplum aliorum referri debere, quo alacrius ad ſinceram pœnitentiam adjicere animos & ſtudia noſtra diſcamus: quia minime dubitandum eſt vere & ex animo converſis Deum fore ad ignoſcendum facilem, cujus clementia ſe ad indignos uſque extendit, dum aliquid diſplicentiæ præ ſe ferunt. Eadem etiam opera docemur quam horribile judicium præfractos omnes maneat, quibus Dei minas improba fronte non minus quam corde ferreo ſpernere & pro nihilo ducere ludus eſt. In hunc modum ſæpe filiis Iſraël manum porrexit ad levandas eorum clades, quamvis ſimulati eſſent eorum clamores, duplexque & perfidus animus: ſicut ipſe in Pſalmo conqueritur, ſtatim ad ingenium fuiſſe reverſos. atque ita voluit tam amica facilitate ad ſeriam converſionem eos adducere, vel reddere inexcuſabiles. Neque tamen, pœnas ad tempus remittendo, perpetuam ſibi legem imponit: quin potius ſeverius interdum contra hypocritas inſurgit & pœnas duplicat, ut inde appareat quantopere ei diſpliceat fictio. Sed quædam (ut jam dixi) exempla profert ſuæ ad dandam veniam propenſionis, ex quibus pii animentur ad vitæ correctionem, & gravius damnetur eorum ſuperbia qui protervè adverſus ſtimulum calcitrant.

Confirmatio, ab exemplo Eſavi. Geneſ. 27. verſ. 38, 39.

Cur Deus impios ficto corde pœnitentes ferat ad tempus.

Pſalm. 78. verſ. 36, 37.

Exceptio.

CAP. IV.

Quam procul abſit ab Euangelii puritate quicquid de pœnitentia garriunt Sophiſtæ in ſuis ſcholis. ubi de confeſſione & ſatisfactione agitur.

Partes hujus capitis.

1. *Expoſita orthodoxa doctrina de Pœnitentia, falſa hoc capite refellitur: Scholaſticorum doctrina in genere & ſummatim perſtricta, ſect. 1.*
2. *Singulæ partes ejus deinde examinantur: Contritio, ſect. 2. & 3. Confeſſio, à 4. ſect. ad 24. Satisfactio, à 25. ad finem capitis.*

Scholaſticorum errores in tradenda doctrina de pœnitentia.

NUnc venio ad excutienda ea quæ de pœnitentia ſcholaſtici ſophiſtæ tradiderunt, quæ quam pauciſſimis fieri poterit percurram, quia omnia perſequi animus non eſt: ne hic liber, quem ad docendi compendium aptare ſtudeo, in immenſum extrahatur. Et illi rem alioqui non valde implicitam tot voluminibus involverunt, ut non futurus ſit facilis exitus ſi te paulum in eorum fæces immerſeris. Principio, in danda definitione plane oſtendunt nunquam ſe intellexiſſe quid eſſet pœnitentia. Arripiunt enim quædam è libris veterum dicta, quæ vim pœnitentiæ minime exprimunt: Quod *pœnitere ſit anteacta peccata deflere, & flenda non committere.* Item, *quod ſit mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Item, *quod ſit quædam dolens vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe.* Item, *quod ſit dolor cordis & amaritudo animæ pro malis quæ quiſque commiſit, vel quibus conſenſit.* Hæc enim ut à Patribus bene dicta concedamus (quod inficiari tamen contentioſo difficile non eſſet) non tamen in eam partem dicebantur ut pœnitentiam deſcriberent, ſed tantum ut ſuos hortarentur ne in eadem delicta rurſum inciderent à quibus extracti erant. Quod ſi elogia iſtiuſmodi omnia in definitiones convertere placet, alia quoque non minori jure aſſuenda erant. Quale eſt hoc Chryſoſtomi, *Pœnitentia eſt medicamentum peccatum extinguens, donum cælitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum ſuperans.* Adde, quod doctrina, quam poſtea tradunt, iſtis definitionibus eſt aliquanto deterior. Sic enim ſunt in externis exercitiis mordicus infixi, ut nihil aliud ex immenſis voluminibus colligas, quam pœnitentiam eſſe diſciplinam & auſteritatem, quæ partim domandæ carni, partim caſtigandis puniendiſque vitiis ſerviat: de interiori mentis renovatione, quæ veram vitæ correctionem ſecum trahit, mirum ſilentium. De contritione quidem & attritione multus apud eos ſermo: multis ſcrupulis animas torquent: & plurimum moleſtiæ & anxietatis ingerunt: ſed ubi viſi ſunt corda penitus vulneraſſe, levi ceremoniarum aſperſione totam amaritudinem ſanant. Pœnitentiam tam argute definitam, *in contritionem cordis, confeſſionem oris, ſatisfactionem operis* partiuntur, nihilo magis dialectice quam definierunt:

1. Male definiunt.

Prima definitio. Secunda. Tertia. Quarta.

Prima eſt Gregor. & refer. lib. 4. Sentent. diſt. 14. cap. 1. Sec. Ambroſ. refert. illic, & in Decret. diſt. 3. de pœnit. c. Pœnitent. prior. Tert. Auguſt. refert. ead. diſt. e. Pœni. poſt. Quart. Ambroſ. refert. diſt. 1. de pœnit. c. Vera pœnitent.

Harum definitionum examen.

2. Inepte dividunt. lib. 4. Sem. 16. cap. 1.

etſi

de pœnit. diſtinct. 1. c. Perfecta pœnit.

etſi videri volunt totam ætatem in ſyllogiſmis contexendis detrivisſe. Verum ſiquis à definitione ratiocinetur (quod geous argumentandi apud Dialecticos valet) poſſe aliquem anteacta peccata deflere, & flenda non committere: poſſe præterita mala plangere, & plangenda non committere: poſſe punire, quod doleret commiſiſſe, &c. quamvis ore non confiteatur: quomodo ſuam partitionem tuebuntur? Si enim ille vere pœnitens non confitetur, pœnitentia ſine confeſſione eſſe poteſt. Quod ſi reſpondeant, hanc partitionem ad pœnitentiam referri quatenus eſt Sacramentum, vel de tota pœnitentiæ perfectione iotelligi, quam ſuis definitionibus non comprehendunt, non eſt unde accuſer: ſibi ipſi imputent, qui non purius ac dilucidius definiunt. Ego certe pro mea craſſitie, cum de re aliqua diſputatur, ad ipſam definitionem omnia refero, quæ eſt totius diſputationis cardo ac fundamentum. Sed ſit illa magiſtralis licentia: jam partes ipſas ordioe perluſtremus. Quod neglectim quaſi frivola tranſilio quæ ipſi gravi ſupercilio pro myſteriis venditant, non facio inſcitia: (neque enim mihi valde laborioſum eſſet excutere, quæcunque argute & ſubtiliter ipſi exiſtimant à ſe diſputari) ſed mihi religio eſſet fatigare talibus ineptiis Lectores abſque fructu. Certe de rebus ignotis eos garrire, ex quæſtionibus quas movent & agitant, & quibus miſere ſe impediunt, cognitu facile eſt. qualis illa eſt, An unius peccati pœnitentia Deo placeat? ubi in aliis durat obſtinatio. Item, an pœnæ divinitus inflictæ ad ſatisfactionem valeant. Item, an ſæpius iterari poſſit pro mortalibus peccatis. ubi turpiter & impie definiunt nonniſi de venialibus peccatis quotidie agi pœnitentiam. Similiter craſſo errore valde ſe torquent in dicto Hieronymi, *pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium.* in quo oſtendunt ſe nunquam à bruto ſtupore evigilaſſe, ut milleſimam vitiorum ſuorum partem vel procul ſentirent.

Reſponſionis eorum dilutio.

3. Sunt vaniloqui, & ſpinoſis quæſtionibus impediunt animos legentium.

4. Seipſos implicant & invertunt.

Quam neceſſaria ſit falſæ Scholaſticorum doctrinæ refutatio.

2. Velim autem animadvertant Lectores, oon hic de aſini umbra rixam eſſe, ſed rem omnium maxime ſeriam tractari: nempe de peccatorum remiſſione. Quum enim tria ad pœtutentiam requirunt, compunctionem cordis, oris confeſſionem, operis ſatisfactiooem: ſimul ad impetraodam peccatorum remiſſiooem neceſſaria eſſe docent. Siquid autem in tota religione ſcire noſtra refert, id certe refert maxime, nempe intelligere ac probe tenere, qua ratione, qua lege, qua conditione, qua facilitate aut difficultate obtineatur peccatorum remiſſio. Hæc notitia niſi perſpicua certaque conſtat, nullam omnino requiem, nullam cum Deo pacem, oullam fiduciam aut ſecuritatem habere poteſt conſcientia: ſed aſſidue trepidat, fluctuatur, æſtuat, cruciatur, divexatur, horret, odit, ac fugit conſpectum Dei. Quod ſi ab his conditionibus pendet peccatorum remiſſio, quibus eam ipſi alligant: nihil nobis miſerius nec deploratius. Contritionem, primam obtinendæ veniæ partem faciunt, eamque debitam exigunt, hoc eſt, juſtam & plenam: ſed interim non conſtituunt quando ſecurus aliquis eſſe poſſit, ſe hac contritione, ad juſtum modum defunctum eſſe. Equidem ſedulo & acriter inſtandum eſſe fateor, ut quiſque amare deflendo ſua peccata, ſe ad eorum diſplicentiam & odium magis acuat. Hæc enim eſt *non pœnitenda triſtitia, quæ pœnitentiam gignit in ſalutem.* Sed ubi exigitur doloris acerbitas, quæ culpæ magnitudini reſpondeat, & quæ in trutina appendatur cum fiducia veniæ: hic vero miſeræ conſcientiæ miris modis torquentur, & exagitantur, dum ſibi debitam peccatorum contritionem imponi vident, nec aſſequuntur debiti menſuram, ut ſecum decernere poſſint, ſe perſolviſſe quod debebant. Si dixerint faciendum quod in oobis eſt, eodem ſemper revolvimur. quando enim audebit ſibi promittere quiſpiam, omnes ſe vires contuliſſe ad lugenda peccata? Ubi ergo diu ſecum luctatæ, & longis certamitibus exercitæ conſcientiæ, portum tandem, in quo reſideant, non inveniunt: ut ſe aliqua ſaltem parte leniant, dolorem à ſe extorquent, & lachrymas exprimunt, quibus ſuam contritionem perficiant.

De Contritione, eorundem ſententia.

Examen illius ſententia.

2 Cor. 7. verſ. 10.

3. Quod ſi me calumniari aiunt: prodeant ſane, & unum aliquem oſtendant qui hujuſmodi contritionis doctrina, vel non ſit ad deſperationem adactus: vel ſimulationem doloris, judicio Dei, pro vero dolore, non oppoſuerit. Diximus & nos quodam loco, nunquam ſine pœnitentia obvenire peccatorum remiſſionem, quod nulli, niſi afflicti, & peccatorum cooſcientia vulnerati, Dei miſericordiam implorare ſincere poſſunt: ſed ſimul adjecimus, pœnitentiam non eſſe cauſam remiſſionis peccatorum. Illa autem animarum tormenta ſuſtulimus, quod debita præſtanda ſit. Peccatorem docuimus non in ſuam compunctionem, neque in ſuas lachrymas intueri, ſed utrumque oculum in ſolam Domini miſericordiam defigere. Tantum admonuimus, vocari à Chriſto laborantes & oneratos, quando *miſſus ſit ad euangelizandum pauperibus, ad ſanandum contritos corde, prædicandum captivis remiſſionem, ad educendos vinctos, conſolandos lugentes.* Quo excluderentur & Phariſæi, qui ſua juſtitia ſaturi, paupertatem ſuam non agnoſcunt: & contemptores, qui ſecuri iræ Dei, malo ſuo remedium non quærunt. Tales enim non laborant, nec onerati ſunt, nec contriti corde, oec vincti, nec captivi. Multum vero intereſt doceaſne emereri peccatorum remiſſionem juſta & plena contritione (qua nunquam defungi poſſit peccator) an eum inſtituas ad eſuriendam & ſitiendam Dei miſericordiam, quo per miſeriæ ſuæ agnitionem, ſuum æſtum, laſſitudinem, captivitatem, illi oſtendas ubi quærere refrigerium, requiem, libertatem debeat: illum denique doceas in ſua humilitate dare Deo gloriam.

Falſa & vera contritionis conſideratio.

Math. 11. verſ. 28.
Jeſa 61: 1.
Luc. 4: 18.

4. De confeſſione ſemper iogens fuit pugna inter Canoniſtas & Theologos ſcholaſticos: his contendentibus mandari divino præcepto confeſſionem: illis reclamantibus, Eccleſiaſticis duntaxat conſtitutionibus præcipi. In eo vero certamine inſignis Theologorum impudentia apparuit, qui tot locos Scripturæ depravarunt, & vi detorſerunt, quot in rem ſuam citabant. Et quando ne ſic quidem obtineri poſſe viderunt quod poſtulabant, qui arguti volebant præ aliis videri, hoc effugio elapſi ſunt, confeſſionem à jure divino profectam, quantum ad ſubſtantiam: ſed formam poſtea accepiſſe à jure poſitivo. Nempe ſic qui inter leguleios ſunt ineptiſſimi, citationem ad jus divinum referunt, quia dictum ſit, *Adam ubi es?* Exceptionem item, quia reſponderit Adam quaſi excipiens, *Uxor quam dediſti mihi*, &c. utrique tamen formam à jure civili datam. Sed videamus quibus argumentis confeſſionem hanc vel formatam vel informem Dei eſſe mandatum probant. Miſit, inquiunt, leproſos Dominus ad Sacerdotes. Quid? miſitne ad confeſſionem? quis unquam fando audivit, audiendis confeſſionibus præfectos Leviticos Sacerdotes? Confugiunt ergo ad allegorias: Sancitum erat Lege Moſaica ut Sacerdotes diſcernerent inter lepram & lepram: peccatum ſpiritualis eſt lepra: de hac pronunciare, Sacerdotum eſt. Antequam reſpondeo, quæro obiter ſi hic locus ſpiritualis lepræ eos judices facit, cur naturalis & carnalis lepræ cognitionem ad ſe trahunt? Scilicet hoc non eſt Scripturis ludere. Lex cognitionem lepræ defert Sacerdotibus Leviticis: hanc nobis uſurpemus. Peccatum eſt lepra ſpiritualis: ſimus & peccati cognitores. Nunc reſpondeo: *Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt Legis tranſlationem fieri.* Omnia ſacerdotia ad Chriſtum tranſlata ſunt, in eo impleta & finita:

De confeſſione auriculari, An ſit, necne, de jure divino.

Canoniſtarum & Scholaſticorum argumenta.

Geneſ. 3. verſ. 9. 12.

1. Argumentum, quod eſt allegoricum, & Judaiſmum inducens.

Mat. 8: 4.
Luc. 5: 15.
& 17: 14.
Lev. 14: 2.

Reſponſio 1.
Heb. 7: 12.

ad

ad eum igitur unum jus omne & honos ſacerdotii tranſlatus eſt. Si tantopere amant allegorias ſectari, unicum Sacerdotem Chriſtum ſibi proponant, & rerum omnium libera juriſdictione tribunal ejus cumulent: facile id feremus. Adhæc importuna eſt ipſorum allegoria, quæ Legem mere politicam, inter ceremonias reponit.

Reſp. 2. quæ cauſam reddit cur leproſi ad Sacerdotes miſſi ſint à Chriſto.

Cur igitur Chriſtus ad Sacerdotes leproſos mittit? Ne calumniarentur Sacerdotes, ipſum Legem violare, quæ jubebat coram Sacerdote repræſentari à lepra curatum, & oblato ſacrificio expiari: jubet mundatos leproſos facere ea quæ Legis erant. *Ite*, inquit, *oſtendite vos Sacerdotibus, & offerte munus quod præcepit Moſes in Lege, ut ſit in teſtimonium ipſis.* Et vere futurum erat illis in teſtimonium miraculum hoc: pronunciaverant eos leproſos, nunc curatos pronunciant. Nonne, velint nolint, coguntur fieri teſtes miraculorum Chriſti? Explorandum illis Chriſtus ſuum miraculum permittit, diffiteri non poſſunt: quia autem adhuc tergiverſantur, eſt illis hoc opus in teſtimonium. Sic alibi, *Prædicabitur Euangelium hoc in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus.* Item, *Ante Reges & Præſides ducemini, in teſtimonium ipſis.* Id eſt, quo in judicio Dei fortius convincantur.

Matth. 24. verſ. 14.
Matth. 10. verſ. 18.
Homil. 12. de muliere Cananæa.

Quod ſi Chryſoſtomo acquieſcere malunt, ille etiam propter Judæos à Chriſto id factum docet, ne Legis prævaricator haberetur. Quanquam in re tam clara ſuffragium ullius hominis accerſere pudet: ubi Chriſtus pronunciat ſe jus legale relinquere Sacerdotibus integrum, tanquam profeſſis Euangelii hoſtibus, qui ſemper ad obſtrependum intenti erant, niſi os fuiſſet occluſum. Quare ut hanc poſſeſſionem retineant Papales ſacrifici, palam concedant in eorum partes quos neceſſe eſt vi compeſci, ne Chriſto maledicant. Nam ad veros ejus miniſtros nihil hoc pertinet.

2. Argumentum allegoricum.

5. Secundum argumentum ex eodem fonte ducunt, hoc eſt, ex allegoria: quaſi multum valeant allegoriæ ad dogma aliquod confirmandum. Sed valeant ſane, niſi eas ipſas oſtendero ſpecioſius à me obtendi, quam ab ipſis poſſe.

Joan. 11. verſ. 44.
1. Reſponſio.

Dicunt ergo, Dominus diſcipulis præcepit, ut ſuſcitatum Lazarum faſciis ſolverent & expedirent. Hoc primum mentiuntur: nuſquam enim legitur, hoc dixiſſe Dominum diſcipulis, eſtque multo veriſimilius dixiſſe Judæis aſtantibus, quo citra ullam fraudis ſuſpicionem evidentius fieret miraculum, & major ſua virtus eluceret, quod nullo tactu, ſua ſola voce mortuos ſuſcitaret. Sic equidem interpretor, Dominum, quo omnem ſiniſtram ſuſpicionem Judæis tolleret, voluiſſe illos revolvere lapidem, fœtorem percipere, certa mortis ſigna ſpectare, ſola verbi virtute ſurgentem videre, viventem primos attrectare. Atque hæc Chryſoſtomi ſententia eſt.

Serm. contra Judæos, Gentiles & hæret.
2. Reſponſio.

Sed demus hoc dictum diſcipulis, quid tum obtinebunt? Dominum dediſſe Apoſtolis ſolvendi poteſtatem. quanto aptius & magis dextre hæc allegorice tractari poterunt, ſi dicamus hoc ſymbolo Deum voluiſſe fideles ſuos inſtituere, ut ſolverent à ſe ſuſcitatos: hoc eſt, ne in memoriam peccata revocarent quæ ipſe oblitus eſſet: ne ceu peccatores damnarent quos ipſe abſolviſſet: ne adhuc exprobrarent quæ ipſe condonaſſet: ne ubi miſericors ipſe eſſet, & ad parcendum facilis, ipſi ad puniendum ſeveri & moroſi eſſent? Certe nihil ad ignoſcentiam flectere nos magis debet quam judicis exemplum, qui ſe nimium rigidis & inhumanis implacabilem fore minatur. Eant nunc & allegorias ſuas vendirent.

3. Argumentum, à duobus Scripturæ locis.
Mat. 3: 6.
Jac. 5: 16.
Prioris loci expoſitio.

6. Jam propius manus conſerunt, dum apertis (ut ſibi videntur) ſententiis pugnant: Qui ad Joannis Baptiſmum veniebant, confitebantur peccata ſua: & Jacobus vult ut alter alteri peccata confiteamur. Nihil mirum ſi confitebantur peccata ſua qui volebant baptizari. dictum enim ante eſt, Joannem *prædicaſſe Baptiſmum pœnitentiæ, baptizaſſe aqua in pœnitentiam.* Quos igitur baptizaſſet, niſi qui ſe peccatores confeſſi eſſent? Baptiſmus ſymbolum eſt remiſſionis peccatorum: & qui ad hoc ſymbolum admitterentur, niſi peccatores, & qui ſe tales agnoſcunt? Confitebantur itaque peccata ſua, ut baptizarentur.

Poſterioris expoſitio.

Nec ſine cauſa præcipit Jacobus ut alii aliis confiteamur. Verum ſi animadverterent quod proxime ſequitur, intelligerent, parum etiam hoc ſibi ſuffragari. *Confitemini*, inquit, *alter alteri peccata veſtra, & orate pro invicem.* Mutuam confeſſionem & mutuam orationem ſimul jungit. Si ſolis ſacrificulis confitendum eſt: ergo & pro illis ſolis orandum. Quid, quod ſequeretur ex verbis Jacobi, ſolos ſacrificulos confiteri poſſe? ſiquidem dum vult ut mutuo confiteamur, eos ſolos alloquitur, qui aliorum confeſſionem audire poſſint. ἀλλήλοις, inquit, *mutuo*, *invicem*, *viciſſim*, aut ſi malunt, *reciproce*. Confiteri autem reciproce nequeunt niſi qui ſunt audiendis confeſſionibus idonei. Qua prærogativa quando ſolos ſacrificulos dignantur, nos quoque confitendi munus ad eos ſolos ablegamus. Faceſſant igitur hoc genus nugamenta, & ipſam Apoſtoli mentem accipiamus: quæ ſimplex eſt & aperta, nempe ut noſtras infirmitates viciſſim alter in alterius ſinum deponamus, mutuum conſilium, mutuam compaſſionem, mutuam inter nos conſolationem accepturi. Deinde ut fraternis infirmitatibus mutuo conſcii, pro illis ad Dominum oremus. Quid ergo contra nos Jacobum citant, qui tantopere confeſſionem miſericordiæ Dei urgemus? Confiteri autem Dei miſericordiam nemo poteſt niſi miſeriam ſuam prius confeſſus. Quin potius anathema eſſe pronunciamus, quicunque non ſe coram Deo, coram Angelis ejus, coram Eccleſia, coram omnibus denique hominibus peccatorem confeſſus fuerit. *Omnia enim concluſit Dominus ſub peccatum, ut omne os obſtruatur, & humilietur omnis caro coram Deo:* ſolus autem ipſe juſtificetur & exaltetur.

Gal. 3: 22.
Roman. 3. v. 9. & 19.

Confeſſionem hanc non eſſe juris divini probatur, quod uſus ejus fuerit liber per annos circiter 1200 à Chriſto.
Fuit ille Papa 183.

7. Miror autem qua fronte auſint contendere confeſſionem, de qua loquuntur, juris eſſe divini: cujus equidem vetuſtiſſimum eſſe uſum fatemur: ſed quem facile evincere poſſumus olim fuiſſe liberum. Certe nullam de ea ſtatam fuiſſe legem aut conſtitutionem ante Innocentii III. tempora, eorum quoque annales narrant. Certe ſi lex illis fuiſſet antiquior, potius eam arripuiſſent, quam contenti Lateranenſis Concilii decreto, pueris quoque ipſis ridiculos ſe feciſſent. Non dubitant in aliis rebus excudere fictitia decreta, quæ vetuſtiſſimis Conciliis adſcribunt, ut ipſa antiquitatis veneratione ſimplicium oculos perſtringant. In hoc capite talem fallaciam objicere non venit illis in mentem. Itaque (ipſis teſtibus) nondum elapſi ſunt anni trecenti ex quo injectus ab Innocentio III. laqueus, & impoſita confitendi neceſſitas.

Qualis autem, & quam inepta lex tum lata fuerit, oſtenditur.

Atque ut de tempore taceam, ſola verborum barbaries fidem legi abrogat. Nam quod jubent boni patres, omnem utriuſque ſexus quotannis ſemel proprio ſacerdoti confiteri omnia peccata, faceti homines lepide excipiunt hoc præcepto teneri ſolos hermaphroditos, ad neminem vero ſpectare qui ſit vel mas vel fœmina. Craſſior deinde inſulſitas in diſcipulis ſe prodidit, dum explicare nequeunt quid ſit proprius ſacerdos. Quicquid blaterent omnes conductitii Papæ rabulæ, tenemus neque Chriſtum hujus legis auctorem eſſe, quæ ad enumeranda peccata homines cogit: imo fluxiſſe annos mille & ducentos à reſurrectione Chriſti antequam talis ulla lex ferretur. Itaque tyrannidem hanc fuiſſe demum invectam, quum extincta pietate & doctrina, ſine delectu quidvis licentiæ ſibi jam ſumpſiſſent larvæ Paſtorum.

Propoſitionis confirmatio, petita ex hiſtoria Eccleſiæ.

Deinde luculenta teſtimonia extant tum in hiſtoriis, tum apud antiquos alios ſcriptores, quæ doceant hanc fuiſſe politicam diſciplinam, ab Epiſcopis inſtitutam, non legem à Chriſto aut Apoſtolis poſitam. Unum duntaxat

Eccl. ſuæ hiſt. lib. 7. cap. 17.

taxat è oiultis proferam, quod non obſcurum ejus rei documentum erit. Refert Sozomenus fuiſſe hanc Epiſcoporum conſtitutionem diligenter obſervatam in Eccleſiis Occidentalibus, præſertim vero Romæ. Quo ſigoificat non fuiſſe univerſale omnium Eccleſiarum inſtitutum: unum autem è Presbyteris peculiariter deſtinatum fuiſſe dicit qui huic muneri præeſſet. Quo abunde coofutat quod iſti de clavibus univerſo ſacerdotali ordini in hunc uſum promiſcue datis mentiuntur. ſiquidem non omnium Sacerdotum commuois erat functio, ſed ſingulares unius partes, qui ad id electus ab Epiſcopo fuerat. Is eſt quem hodie quoque in ſingulis cathedralibus Eccleſiis pœnitentiarium vocant, graviorum criminum, & quorum cenſura ad exemplum pertinet, cognitor. Subjicit deinde, eum quoque morem Conſtantinopoli fuiſſe, donec matrona quædam, confitentem ſimulans, ea ſpecie conſuetudinem, quam habebat cum Diacono, prætexuiſſe deprehenſa eſſet. Ob id facinus Nectarius, vir & ſanctitate & eruditione clarus illius Eccleſiæ Epiſcopus, confitendi ritum abrogavit. Hic aures aſini iſti arrigant. Si Lex Dei erat auricularis confeſſio, quî auſus eſſet Nectarius eam refigere ac coovellere? Nectarium ſanctum Dei hominem, omnibus veterum ſuffragiis probatum, hæreſeos & ſchiſmatis accuſabunt? Sed eodem calculo damnabunt Eccleſiam Conſtantinopolitanam, in qua confitendi morem noo ad tempus modo diſſimulatum fuiſſe, ſed ad ſuam uſque memoriam obſoleviſſe affirmat Sozomenus. Imo non Conſtantinopolitanam, ſed Orientales omnes Eccleſias defectionis reas agant, quæ inviolabilem (ſi verum dicunt) legem & Chriſtianis omnibus mandatam neglexerunt.

Veteris confeſſionis auricularis ſimulachrum inter Pontificios, in judicium illis.

In Eccleſia Conſtantinopolitana, ſublatus iſtius confeſſionis uſus.

Quod ex Chryſoſtomi variis teſtimoniis etiam colligere licet: cui hoc genus confeſſionis admodum diſplicuit.

Homil. 2. in Pſal. 50. Serm. de pœnit. & confeſſ. Homil. de incompr. Dei natura, contra Anomœos. Homil. de Lazaro.

8. Hanc autem abrogationem tot locis evidenter Chryſoſtomus teſtatur, Conſtantinopolitanæ & ipſe Eccleſiæ præſul, ut mirum ſit iſtos audere contra mutire. *Peccata*, inquit, *tua dicito, ut deleas illa. ſi confunderis alicui dicere quæ peccaſti, dicito quotidie ea in anima tua. Non dico ut confitearis conſervo tuo, qui exprobret: dicito Deo qui curat ea. Peccata tua ſuper ſtratum confitere, ut ibi ſua mala quotidie conſcientia tua recognoſcat.* Item, *Nunc autem neque neceſſarium eſt præſentibus teſtibus confiteri: cogitatione tua fiat delictorum exquiſitio. ſine teſte ſit hoc judicium: ſolus Deus te confitentem videat.* Item, *Non te in conſervorum tuorum theatrum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo: repete coram Deo conſcientiam tuam, & explica. Oſtende Domino, præſtantiſſimo medico, tua vulnera, & pete ab eo medicamentum: oſtende ei qui nihil opprobret, ſed humaniſſime curet.* Item, *Certe ne homini dixeris, ne tibi opprobret. neque enim conſervo eſt confitendum qui in publicum proferat: ſed Domino (qui tui curam gerit, & qui humanus eſt, & medicus) oſtende vulnera.* Poſtea Deum ita loquentem inducit, *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes. mihi ſoli dic peccatum tuum privatim, ut ſanem ulcus.* Dicemusne Chryſoſtomum eo progredi temeritatis, quum hæc & ſimilia ſcribit, ut conſcientias hominum liberet his vinculis, quibus divina Lege conſtringuntur? Minime vero. ſed quod Dei verbo intelligit nequaquam eſſe præſcriptum, exigere ceu neceſſarium non audet.

Falſa confeſſione remota, confeſſionis verbo Dei traditæ conſideratio ſubjungitur.

9. Verum, ut res tota planior & expeditior fiat, primum bona fide referemus, quod genus confeſſionis verbo Dei nobis traditum ſit: deinde & eorum commenta ſubjiciemus, non quidem omnia (quis enim immenſum illud mare exhauriret?) ſed ea duntaxat quibus ſummam arcanæ ſuæ confeſſionis complectuntur. Hic commemorare piget quam frequenter vetus interpres verbum *confiteri* reddiderit pro *laudare*, quod rudiſſimis idiotis vulgatum eſt: niſi quod eorum audaciam traduci expedit, dum ad tyrannicum ſuum edictum transferunt, quod de laudibus Dei ſcriptum erat. Ut confeſſionem probent valere ad exhilarandas mentes, obtrudunt illud Pſalmi, *in voce exultationis & confeſſionis.* Atqui ſi talis metamorphoſis valeat, quodlibet nobis ex quolibet naſcetur. Verum quando ita illos depuduit, meminerint pii Lectores juſta Dei vindicta in reprobam mentem fuiſſe conjectos, quo magis deteſtabilis eſſet eorum audacia. Quod ſi nobis in ſimplici Scripturæ doctrina acquieſcere libet, periculum non erit oequis talibus fucis nobis illudat. Illic enim una præſcribitur confitendi ratio, nempe quando Dominus eſt qui peccata remittit, obliviſcitur, delet: huic peccata noſtra ut confiteamur veniæ obtinendæ cauſa. Ille medicus eſt: vulnera igitur noſtra illi exponamus. Ille læſus eſt & offenſus: ab illo pacem petamus. Ille eſt cordium cognitor, & cogitationum omnium conſcius: coram ipſo corda noſtra effundere properemus. Ille eſt denique qui peccatores vocat, ad ipſum accedere ne moremur. *Peccatum meum*, inquit David, *cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti iniquitatem cordis mei.* Talis eſt altera ipſius Davidis confeſſio, *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Talis & Danielis, *Peccavimus Domine, perverſe egimus, impietates fecimus, & rebelles fuimus, declinando à mandatis tuis.* Et aliæ quæ paſſim in Scripturis occurrunt: quarum recitatio volumen fere impleret. *Si confitemur peccata noſtra*, inquit Joannes, *fidelis eſt Dominus ut remittat nobis peccata noſtra.* Cui confiteamur? ipſi ſcilicet: hoc eſt, ſi afflicto & humiliato corde coram ipſo procidamus, ſi apud ipſum nos ex animo accuſantes & damnantes, bonitate ejus & miſericordia abſolvi petamus.

Primum autem error veteris interpretis homonymia decepti refellitur.

Pſal. 42: 5.

Deinde Scripturæ teſtimoniis probatur, peccatorum confeſſionem ad Deum ſolum dirigi.

Pſal. 32: 5. Pſal. 51: 3. Dan. 9: 5.

1 Joan. 1. verſ. 9.

Arcanæ hujus confeſſionis, quæ ſoli Deo fit, effectus.

10. Qui animo & coram Deo hanc confeſſionem amplexus fuerit, habebit haud dubie & linguam ad confeſſionem paratam, quoties opus fuerit apud homines Dei miſericordiam prædicare: neque tantum ut uni & ſemel & in aurem cordis ſecretum inſuſurret: ſed ſæpius, ſed palam, ſed toto orbe audiente, ingenue & ſuam ignominiam, & Dei magnificentiam ac decus commemoret. In hunc modum, quum David à Nathan argueretur, conſcientiæ aculeo punctus, peccatum & coram Deo & coram hominibus coofitetur. *Peccavi*, inquit, *Domino*: hoc eſt, Jam nihil excuſo, non tergiverſor quominus peccatorem me omnes judicent, & quod clam Domino eſſe volui, hominibus quoque ipſis patefiat. Arcanam ergo illam confeſſionem, quæ Deo fit, ſequitur voluntaria apud homines coofeſſio, quoties id vel divioæ gloriæ, vel humiliationis noſtræ intereſt. Hac ratione inſtituit Dominus olim io populo Iſraëlitico, ut præeuote verbo à Sacerdote, populus ſuas iniquitates palam in templo confiteretur. Siquidem hoc adminiculum illis neceſſarium eſſe providebat, quo unuſquiſque melius adduceretur ad juſtam ſui recognitionem. Et æquum eſt ut miſeriæ noſtræ confeſſiooe, bonitatem ac miſericordiam Dei noſtri inter oos & coram toto mundo illuſtremus.

2 Sam. 12. verſ. 13.

Levit. 16. verſ. 21.

Alterum genus confeſſionis, quæ fit hominibus.

11. Hoc vero confitendi genus & ordinarium eſſe in Eccleſia convenit: & tuoc extra ordinem ſingulari modo uſorpari, ſiquando populum communi aliquo delicto obſtringi contigerit. Hujus ſecuodi generis exemplum habemus, in ſolenni illa confeſſione, qua populus univerſus auſpiciis ductuque Eſdræ & Nehemiæ defungitur. Nam, quum exilium illud diuturnum, urbis ac templi excidium, religionis diſſipatio, communis omnium defectionis fuiſſet pœna, non poterant liberationis beneficium ut par erat agnoſcere, niſi ſe ante reos peragerent. Neque refert ſi in una congregatione pauci

Hujus duæ ſpecies, publica & privata. Publica, aut ordinaria, aut extraordinaria.

Nehem. 1. verſ. 7.

pauci aliqui interdum ſint inſontes: quando enim membra ſunt languidi ac male affecti corporis, non debent ſanitatem jactare. Imo fieri non poteſt, quin aliqua labe contracta, aliquid ipſi etiam culpæ ſuſtineant. Ergo quoties vel peſte, vel bello, vel ſterilitate, vel alia qualibet calamitate affligimur: ſi officii noſtri eſt, ad luctum, ad jejunium, & alia reatus ſigna confugere: ipſa confeſſio, ex qua alia omnia dependent, minime eſt negligenda. Ordinariam illam, præterquam quod ore Domini commendata eſt, nemo ſanus, expenſa ejus utilitate, improbare audeat. Nam quum in omni ſacro conventu ſiſtamus nos in conſpectum Dei & Angelorum: quod erit aliud initium actionis noſtræ, quam iniquitatis noſtræ recognitio? Atqui illa, inquies, fit qualibet precatione. quoties enim precamur veniam, peccata noſtra confitemur. Fateor. At ſi conſideres quanta ſit noſtra vel ſecuritas, vel ſomnolentia, vel ſocordia, concedes mihi ſalutare fore inſtitutum, ſi ſolenni aliquo confitendi ritu Chriſtiana plebs ad humiliationem exerceatur. Tametſi enim ceremonia, quam Dominus Iſraelitis præcepit, ex Legis pædagogia erat: res tamen ipſa aliquo modo ad nos quoque pertinet. Et ſane videmus hunc morem in Eccleſiis bene moratis cum fructu obſervari, ut ſingulis diebus Dominicis miniſter formulam confeſſionis ſuo & populi nomine concipiat, qua reos omnes iniquitatis peragit, & veniam à Domino comprecatur. Denique, hac clave tam ſingulis privatim, quam omnibus publice aperitur ad precandum janua.

Extraordinaria uſus. *Ordinaria uſus.* *Objectio adverſus confeſſiones & preces publicas.* *Reſponſio.*

12. Duas præterea privatæ confeſſionis formas Scriptura probat. Unam quæ noſtra cauſa fiat: quo pertinet illud Jacobi, ut *alter alteri peccata confiteamur.* ſentit enim ut noſtras infirmitates alter alteri detegentes, conſilio & conſolatione mutua nos juvemus. Alteram, quæ in proximi gratiam facienda eſt, ad ipſum placandum, & nobis reconciliandum, ſi qua in re noſtro vitio læſus fuerit. Ac in priore quidem ſpecie, tametſi Jacobus neminem nominatim aſſignando, in cujus ſinum nos exoneremus, liberum permittit delectum, ut ei confiteamur qui ex Eccleſiæ grege maxime idoneus fuerit viſus: quia tamen paſtores præ aliis ut plurimum judicandi ſunt idonei, potiſſimum etiam nobis eligendi erunt. Dico autem ideo præ aliis appoſitos, quod ipſa miniſterii vocatione nobis à Domino deſignantur, quorum ex ore erudiamur ad ſubigenda & corrigenda peccata, tum conſolationem ex veniæ fiducia percipiamus. Quemadmodum enim mutuæ admonitionis & correptionis officium Chriſtianis quidem omnibus demandatum eſt, miniſtris tamen ſpecialiter eſt injunctum: ſic quum omnes mutuo nos debeamus conſolari, & in fiducia divinæ miſericordiæ confirmare, videmus tamen miniſtros ipſos, ut de remiſſione peccatorum certiores reddant conſcientias, teſtes ejus ac ſponſores conſtitui: adeo ut ipſi dicantur remittere peccata, & animas ſolvere. Quum audis hoc illis tribui, in uſum tuum eſſe cogita. Ergo id officii ſui unuſquiſque fidelium eſſe meminerit, ſi ita privatim angitur & afflictatur peccatorum ſenſu, ut ſe explicare niſi alieno adjutorio nequeat, non negligere quod illi à Domino offertur remedium: nempe ut ad ſe ſublevandum privata confeſſione apud ſuum Paſtorem utatur: ac ad ſolatia ſibi adhibenda privatim ejus operam imploret, cujus officium eſt & publice & privatim populum Dei Euangelica doctrina conſolari. Verum ea moderatione ſemper utendum eſt, ne ubi Deus nihil certum præſcribit, conſcientiæ certo jugo alligentur. Hinc ſequitur, ejuſmodi confeſſionem liberam eſſe oportere, ut non ab omnibus exigatur, ſed iis tantum commendetur qui ea ſe opus habere intelligent. Deinde ne hi ipſi qui illa utuntur pro ſua neceſſitate, ad enumeranda omnia p[...]a vel præcepto aliquo cogantur, vel arte inducantur: ſed quoad intereſſe ſua putabunt, ut ſolidum conſolationis fructum referant. Hanc Eccleſiis libertatem non modo relinquere, ſed tueri quoque & fortiter vindicare debent fidi Paſtores, ſi volunt & tyrannidem abeſſe à ſuo miniſterio, & à populo ſuperſtitionem.

Privata confeſſio duplex.
Jac. 5: 16.
1. Noſtra cauſa.
2. Proximi cauſa.
Prioris uſus.
Qui multum à fidis Eccleſiæ Paſtoribus promovetur & juvatur.
Matth. 16. verſ. 19.
Matth. 18. verſ. 18.
Joan. 20. verſ. 23.
Quid hic cavendum ſit, & obſervandum.

13. De altera autem loquitur Chriſtus apud Matthæum, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum, & abi, prius que reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Sic enim ſarcienda eſt charitas quæ noſtra culpa diſſilierit, culpam quam admiſimus agnoſcendo & deprecando. Sub hoc genere comprehenditur eorum confeſſio, qui uſque ad totius Eccleſiæ offenſionem peccarunt. Nam ſi tanti privatam unius hominis offenſam æſtimat Chriſtus, ut à ſacris arceat eos omnes qui in fratres aliquid peccarunt, donec juſta ſatisfactione redierunt in gratiam: quanto major eſt ratio, ut qui Eccleſiam læſit malo aliquo exemplo, eam ſibi culpæ agnitione reconciliet? Ita receptus eſt Corinthius ille in communionem, quum ſe obſequentem correptioni præbuiſſet. Hæc etiam forma confitendi in veteri Eccleſia fuit: quemadmodum & Cyprianus meminit, *Pœnitentiam*, inquit, *agunt juſto tempore: deinde ad exomologeſin veniunt, & per manuum impoſitionem Epiſcopi & cleri, jus communionis accipiunt.* Aliam confitendi vel rationem vel formam Scriptura prorſus ignorat. neque noſtrum eſt adſtringere novis vinculis conſcientias, quas in ſervitutem redigere Chriſtus ſeveriſſime vetat. Interim quin ſiſtant ſe paſtori oves, quoties ſacram Cœnam participare volunt, adeo non reclamo, ut maxime velim hoc ubique obſervari. Nam & qui habent impeditam conſcientiam, referre inde poſſunt ſingularem fructum: & qui admonendi ſunt, monitionibus locum ita præbent, modo ſemper abſit tyrannis & ſuperſtitio.

Poſterioris à Chriſto commendata uſus.
Matth. 5. v. 23, 24.
Quid comprehendat.
2 Cor. 2: 6.
Aliam confitendi rationem Scriptura prorſus ignorat.

14. In tribus illis confeſſionis generibus poteſtas clavium locum habet, vel quum ſolenni recognitione vitiorum ſuorum veniam deprecatur tota Eccleſia: vel quum privatus, qui aliquo notabili delicto commune offendiculum peperit, pœnitentiam ſuam teſtatur: vel quum is qui ob conſcientiæ inquietudinem ope miniſtri indiget, ſuam illi infirmitatem aperit. Tollendæ vero offenſionis diverſa eſt ratio: quia etſi tunc quoque conſcientiæ paci conſulitur, præcipuus tamen finis eſt, ut ſublato odio inter ſe uniantur animi vinculo pacis. Sed fructus ille, quem dixi, minime ſpernendus eſt, quo libentius confiteamur peccata noſtra. Quum enim tota Eccleſia velut coram Dei tribunali adſtat, ream ſe confitetur, unum refugium habet in Dei miſericordia: non vulgare aut leve ſolatium eſt, habere illic præſentem Chriſti legatum, reconciliationis mandato præditum, à quo denunciari ſibi abſolutionem audiat. Hic utilitas clavium merito commendatur, quum rite, quo ordine & qua religione decet, iſta peragitur legatio. Similiter quum is qui ſe ab Eccleſia quodammodo alienaverat, reſtituitur in fraternam unitatem accepta venia, quantum beneficium eſt quod ſibi ab iis agnoſci intelligit quibus dixit Chriſtus, *Quibuſcunque remiſeritis peccata in terris, remiſſa in cælo erunt?* Nec minoris efficaciæ aut fructus eſt privata abſolutio, ubi ab iis petitur qui ſingulari remedio ad infirmitatem ſuam ſublevandam opus habent. Accidit enim non raro, ut qui generales promiſſiones audit, quæ ad totam fidelium congregationem deſtinantur, maneat nihilominus in aliqua dubitatione, ac velut remiſſione nondum impetrata, inquietum adhuc animum habeat. Idem ſi Paſtori ſuo ſecretum animi vulnus aperuerit, atque illam Euangelii vocem peculiariter ad ſe directam audierit, *Remittuntur tibi peccata tua, confide:*

Poteſtas clavium in his tribus confeſſionum generibus locum habet.
Hujus poteſtatis utilitas, reſpectu confeſſionis & abſolutionis publicæ.
Matth. 18. verſ. 18.
Joan. 20. verſ. 23.
Et privatæ.
Mat. 9: 2.

animum

animum confirmabit ad ſecuritatem, illaque qua prius æſtuabat trepidatione liberabitur. At vero quum de clavibus agitur, ſemper cavendum eſt ne facultatem aliquam ſomniemus ab Euangelii prædicatione ſeparatam. Alio iterum loco plenius hæc res explicanda erit, ubi de Eccleſiæ regimine agetur: atque illic videbimus verbo alligatum eſſe quicquid juris ad ligandum vel ſolvendum Chriſtus Eccleſiæ ſuæ contulit. Hoc tamen in miniſterio clavium maxime verum eſt, cujus tota vis in eo poſita eſt, ut Euangelii gratia per eos quos Dominus ordinavit, fidelium animis publice ac privatim obſignetur: quod fieri, niſi ſola prædicatione, nequit.

Cautio obſervanda. lib. 4. c. 11. & 12.

Papiſtici errores de confeſſione. 1. Neceſſitas confitendi omnia peccata omnibus præſcripta. C. Omnis utriuſque ſexus. De ſumma Trin. & fide cathol. decretum eſt Innoc. in concil. Lateran.

15. Quid Romanenſes theologi? Statuunt ut omnes utriuſque ſexus, ſtatim atque ad diſcretionis annos pervenerint, ſemel ad minimum quotannis confiteantur omnia ſua peccata proprio ſacerdoti: nec peccatum dimitti niſi confitendi votum firmiter conceptum fuerit. quod votum niſi oblata facultate perſolutum fuerit, jam nullum patere paradiſi ingreſſum. Sacerdotem vero poteſtatem habere clavium, quibus peccatorem ſolvat ac liget. quia non ſit irritum Chriſti verbum, *Quodcunque ligaveritis*, &c. De hac vero poteſtate pugnaciter inter ſe belligerantur. Alii dicunt, unicam eſſe clavem in eſſentia, ſcilicet poteſtatem ligandi & ſolvendi: ſcientiam ad bonum quidem uſum requiri, ſed tantum inſtar acceſſorii eſſe, non eſſentialiter cohærere. Alii, quia videbant hanc nimium effrenatam licentiam, duas claves recenſuerunt, diſcretionem & poteſtatem. Alii rurſum, quum tali moderatione cohiberi ſacerdotum improbitatem viderent, alias claves excuderunt, auctoritatem diſcernendi, qua in definiendo uterentur: & poteſtatem, quam exequutione ſuæ ſententiæ exercerent: ſcientiam accedere velut conſiliarium. Iſtud autem ligare & ſolvere non audent interpretari ſimpliciter, peccata remittere & delere: quia Dominum clamantem audiunt apud Prophetam, *Ego ſum, & non alius præter me. ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas Iſraël.* Sed dicunt ſacerdotis eſſe pronunciare qui ligati ſint aut ſoluti, & declarare quorum remiſſa aut retenta ſint peccata: declarare autem, vel per confeſſionem, quum abſolvit, & peccata retinet: vel per ſententiam, quum excommunicat, & recipit ad Sacramentorum communionem. Demum quum intelligunt nondum ſe hoc nodo explicari, quin ſemper objici poſſit, indignos ſæpe ligari & ſolvi à ſuis ſacerdotibus, qui propterea non ligentur aut ſolvantur in cælo: quod ultimum refugium eſt, reſpondent, collationem clavium cum limitatione accipiendam eſſe: quod Chriſtus promiſerit, apud tribunal ſuum approbatum iri ſacerdotis ſententiam, quæ juſte prolata fuerit, ſecundum quod merita ligati aut ſoluti poſtulabant. Porro has claves omnibus ſacerdotibus à Chriſto datas eſſe, quæ illis ab Epiſcopis in promotione conferuntur: ſed liberum uſum penes eos duntaxat eſſe qui muneribus Eccleſiaſticis funguntur: apud excommunicatos & ſuſpenſos manere quidem ipſas claves, ſed rubiginoſas ac ligatas. Et qui hæc dicunt, modeſti ac ſobrii jure videri poſſint præ aliis, qui ſub nova incude novas claves fabricati ſunt quibus theſaurum Eccleſiæ obſerari tradunt: quas poſtea ſuo loco excutiemus.

2. Claves fictitia. Et refert. Lombar. lib. 4. ſen. diſt. 14. c. 2. & diſt. 18. cap. 2. Matth. 18. verſ. 19. *3. Ligandi & ſolvendi mandatum incognitum.* Jeſa. 43. v. 11, 25. *4. Quibus illud munus ligandi & ſolvendi ſit commiſſum.* lib. 3. c. 5. ſect. 2.

Primi erroris refutatio.

16. Ad ſingula paucis reſpondebo. Taceo autem ad præſens quo jure quave injuria fidelium animas ſuis legibus obſtringant: quando id ſuo loco diſpicietur. Quod autem legem imponunt de omnium peccatorum enumeratione: quod peccatum dimitti negant niſi ſub conditione, ſi votum confitendi firmiter conceptum fuerit: quod nullum ſupereſſe ingreſſum paradiſi garriunt, ſi facultas confitendi neglecta fuerit: iſtud vero nullo modo ferendum eſt. Omniane peccata enumeranda ſunt? At David, qui ſecum probe (ut arbitror) meditatus erat peccatorum confeſſionem, tamen exclamabat, *Errores quis intelliget? Ab occultis meis munda me Domine.* Et alibi, *Iniquitates meæ tranſierunt ſuper caput meum, & ſicut onus grave, gravatæ ſunt ultra vires meas.* Nimirum intelligebat quanta eſſet peccatorum noſtrorum abyſſus, quam multæ ſcelerum facies, quot capita ferret, & quam longam caudam traheret hæc hydra. Non ergo ad recenſendum catalogum ſe conferebat: ſed è profundo malorum clamabat ad Dominum, *Obrutus ſum, ſepultus ſum & ſuffocatus: inferorum portæ circumdederunt me, immerſum alto puteo, deficientem & moribundum manus tua extrahat.* Quis ſuorum peccatorum nunc ſupputationem cogitet, ubi Davidem videt ſuorum numerum inire non poſſe.

Ab impoſſibili, teſtimonio Davidis. Pſal. 19:13. Pſal. 38:5.

Teſtimonia itaque conſcientiæ, quæ nullo modo huic ſeveriſſimæ obligationi ſatisfacere poteſt.

17. Hac carnificina pluſquam crudeliter divexatæ ſunt eorum animæ qui aliquo Dei ſenſu afficiebantur. Principio ſeſe vocabant ad calculum, peccata in brachia, in ramos, in ramuſculos, in frondes, juxta iſtorum formulas diſſecabant: tum appendebant qualitates, quantitates, circumſtantias. atque aliquantulum quidem res procedebat. Ubi vero longius progreſſi fuerant, cælum undique & undique pontus: nullus portus, nulla ſtatio. quo plura tranſmiſerant, major ſemper congeries oculis ingerebatur: imo vero velut altæ moles aſſurgebant: nec ſpes ulla, vel ſaltem poſt longas ambages, evadendi apparebat. Hærebant itaque inter ſacrum & ſaxum: nec alius tandem exitus reperiebatur quam deſperatio. Ibi ſævi iſti carnifices, ut vulnera levarent quæ fecerant, fomenta quædam adhibuerunt: ut faceret ſcilicet quiſque quod in ſe eſſet. Sed novæ rurſum curæ obſtrepebant, imo novi cruciatus excoriabant miſeras animas. Non ſatis temporis impendi, non juſta opera incubui, multa per negligentiam præterii, & oblivio, quæ ex incuria provenit, non eſt excuſabilis. Suggerebantur adhuc alia pharmaca quæ ejuſmodi dolores demulcebant: Age negligentiæ tuæ pœnitentiam, modo ſupina non ſit, condonabitur. Verum omnia iſta cicatricem obducere non poſſunt: nec tam mali ſunt levamenta quam venena melle oblita, ne ſua acerbitate primum guſtum offendant: ſed in intima penetrent, antequam ſentiantur. Urget ergo ſemper terribilis illa vox, & auribus inſonat, *Confitere omnia peccata tua:* nec poteſt horror iſte pacari niſi certo ſolatio. Hic cogitent Lectores quam poſſibile ſit ad rationem vocare totius anni acta, & quid ſingulis diebus peccarint, colligere: quando experientia unumquemque convincit, ubi ad veſperam excutienda ſunt unius tantum diei delicta, memoriam confundi: tanta ſe turba & varietas ingerit. Neque enim de craſſis & ſtupidis hypocritis loquor, qui, tribus vel quatuor gravioribus animadverſis, defunctos ſe putant: ſed de veris Dei cultoribus, qui poſtquam ſe examine peracto obrui vident, addunt etiam illud Joannis, *Si cor noſtrum arguit nos, major eſt Deus corde noſtro:* itaque expaveſcunt ad judicis illius conſpectum, cujus cognitio ſenſum noſtrum longe ſuperat.

Deinde, quod in deſperationem aut ſtuporem ruere neceſſe ſit.

Confirmatio præcedentium, à conſcientia appellatione.

1 Joan. 3. verſ. 20.

18. Quod autem bona pars orbis talibus blandimentis, quibus tam exitiale venenum temperabatur, acquievit, non id factum eſt quod Deo ſatisfactum crederet, aut ſibi etiam plane ſatisfaceret: ſed ut, quaſi in medio mari fixa anchora, paulum interquieſceret à navigatione, vel quaſi feſſus & fatiſcens viator, in via decumberet. In facienda ejus rei fide non laboro. Sibi enim quiſque teſtis apud ſe eſſe poteſt. Dicam in ſumma qualis lex illa fuerit. Primum ſimpliciter eſt impoſſibilis: itaque nonniſi perdere, damnare, confodere, in ruinam & deſperationem conjicere poteſt. Deinde peccatores, à vero peccatorum ſuorum ſenſu abductos, hypocritas facit, Deique ac ſui ipſorum ignorantes.

A duplici ſimilitudine altera primi erroris refutatio ducta.

Summa totius refutationis.

Siqui-

Siquidem, dum in peccatorum enumeratione toti occupantur, interim obliviſcuntur latentem illam vitiorum lernam, occultas ſuas iniquitates, & interiores ſordes, quarum potiſſimum notitia miſeriani ſuam reputare debuerant.

Tertia refutatio, ab oppoſito, certiſſimam confeſſionis regulam proponens.

At certiſſima erat confeſſionis regula, tantam mali noſtri abyſſum agnoſcere ac fateri, quæ ſenſum quoque noſtrum ſuperet. Hac regula videmus compoſitam Publicani confeſſionem, *Domine, propitius eſto mihi peccatori.* Quaſi diceret, Quantus quantus ſum, totus ſum

Luc. 18:13.

peccator, nec ipſam peccatorum meorum magnitudinem aut mente aut lingua aſſequi poſſum: abyſſus miſericordiæ tuæ hanc peccati abyſſum abſorbeat. Quid, inquies, ergone confitenda non ſunt ſingula delicta? ergo nulla confeſſio Deo accepta, niſi duobus iſtis verbis concluſa, *Peccator*

Hujus regulæ explicatio.

ſum? Imo vero danda potius opera, ut quantum in nobis eſt, totum cor effundamus coram Domino: nec modo nos peccatores uno verbo fateamur, ſed ut tales nos vere & ex animo agnoſcamus: quanta ſit & quam varia peccatorum labes, tota cogitatione recognoſcamus: non modo nos immundos, ſed qualis ſit & quanta, quamque in multis partibus noſtra immundities: non modo debitores, ſed quantis debitis gravati, & quot nominibus obſtricti: non modo vulneratos, ſed quam multis & lethalibus plagis ſaucii ſimus. Hac tamen recognitione quum ſe totum peccator coram Deo effuderit, ſerio ac ſincere cogitet plura adhuc reſtare, ac profundiores eſſe malorum ſuorum receſſus quam quos penitus excutere poſſit. Atque adeo exclamet cum

Pſal. 19:13.

Davide, *Errores quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.*

1 *Objectio.* *Reſponſio.*

Jam vero quod affirmant non dimitti peccata, niſi voto confitendi firmiter concepto, & clauſam eſſe paradiſi portam ei qui facultatem confitendi ſibi oblatam neglexerit; abſit ut iſtud eis concedamus. Non enim alia nunc eſt peccatorum remiſſio quam ſemper fuit. Quotquot remiſſionem peccatorum à Chriſto obtinuiſſe leguntur, non leguntur in aurem ſacrificuli cujuſpiam confeſſi. Nec ſane confiteri poterant, ubi nec ſacrificuli confeſſionarii erant, nec ipſa etiam confeſſio. Et multis poſtea ſeculis inaudita fuit hæc confeſſio, quibus ſine hac conditione remittebantur peccata.

Confirmatio.

Sed ne quaſi de re dubia longius diſceptemus, verbum Dei apertum eſt, quod æternum

Eze. 18. verſ. 21.

manet: *Quotieſcunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Huic verbo qui aliquid audet adjicere, non peccata ligat, ſed Domini miſericordiam.

2. *Objectio.* *Reſponſio.*

Nam quod contendunt non poſſe ferri judicium niſi cauſa cognita, in promptu eſt ſolutio, temere hoc ſibi arrogare qui ſunt à ſeipſis judices creati. Ac mirum eſt tam ſecure ſibi fabricare

3. *Objectio.* *Reſponſio* 1.

principia quæ nemo ſanæ mentis admittet. Jactant ſibi ligandi & ſolvendi munus eſſe mandatum, acſi quædam eſſet juriſdictio quæſtioni adjuncta. Porro hoc jus Apoſtolis fuiſſe incognitum, tota eorum doctrina clamat. Nec vero, certo ſcire ſolvaturne peccator, ad ſacerdotem pertinet, ſed ad eum à quo petitur abſolutio: quando nunquam ſcire poteſt qui audit, ſitne juſta & integra enumeratio. Ita nulla eſſet abſolutio, niſi ad verba ejus, qui

Reſponſio 2.

judicandus eſt, reſtricta. Adde, quod tota ſolvendi ratio ex fide & pœnitentia conſtat: quæ duæ res cognitionem hominis fugiunt, ubi de altero ferenda eſt ſententia. Sequitur ergo ligandi & ſolvendi certitudinem non ſubjici terreni judicis arbitrio; quia miniſter verbi, ubi partes ſuas rite exequitur, non poteſt niſi conditionaliter abſolvere: ſed in gratiam peccatoris hoc dici, *Quorum remiſeritis peccata:* ne dubitent veniam, quæ promittitur ex Dei mandato & voce, in cælis fore ratam.

4. *Objectio, confeſſionem auricularem eſſe rem indifferentem, & etiam utilem.*

19. Nihil itaque mirum ſi auricularem iſtam confeſſionem, rem adeo peſtilentem totque nominibus Eccleſiæ noxiam, damnamus, ac ſublatam è medio cupimus. Quod ſi per ſe res eſſet indifferens, quando tamen nulli uſui eſt nec fructui, tot autem impietatibus, ſacrilegiis, erroribus cauſam dedit: quis non protinus abolendam cenſeat? Recenſent quidem aliquot uſus, quos ut valde fructuoſos venditant: ſed illos aut ementitos, aut nullius prorſus momenti. Unum tantum ſingulari prærogativa commendant, erubeſcentiam confitentis gravem eſſe pœnam, qua & peccator fit in poſterum cautior, & Dei vindictam antevertit, ſeipſum puniens.

Reſponſio, qua patronorum hujus erroris hypocriſin, mendacium, impietatem, & prodigioſas abominationes detegit.

Quaſi non ſatis magna verecundia hominem humiliemus, dum ad ſummum illud tribunal cæleſte, ad Dei, inquam, cognitionem vocamus. Egregie vero profectum eſt, ſi unius hominis pudore peccare deſinimus, Deum non erubeſcimus habere malæ conſcientiæ noſtræ teſtem. Quanquam id quoque ipſum falſiſſimum eſt. nulla enim re fieri majorem peccandi confidentiam aut licentiam paſſim videre eſt, quam dum, confeſſione ſacerdoti facta, homines exiſtimant ſe poſſe *tergere os, & dicere, Non feci.* Nec toto ſolum anno fiunt ad peccandum audaciores: ſed in reliquum anni tempus de confeſſione ſecuri, nunquam ad Deum ſuſpirant, nunquam ad ſe redeunt, ſed peccata peccatis accumulant: donec omnia, ut opinantur, ſimul evomant. Ubi autem evomuerunt, ſarcina ſua exonerati ſibi videntur, judiciumque à Deo tranſtuliſſe, quod ſacerdoti detulerunt: Deo oblivionem induxiſſe, ubi conſcium ſacerdotem fecerunt. Porro quis confeſſionis diem lætus inſtare videt? quis ad confitendum alacri animo pergit? ac non potius, quaſi obtorto collo in carcerem trahatur, invitus ac reluctanti ſimilis venit? niſi forte ipſi ſacrificuli, qui mutuis facinorum ſuorum narrationibus, quaſi jocoſis fabulis, ſe delicate oblectant. Non multas chartas inficiam referendis prodigioſis abominationibus, quibus ſcatet auricularis confeſſio. Tantum dico, ſi non inconſulte fecit ſanctus ille vir, qui ob unum ſcortationis rumorem, confeſſionem ex eccleſia ſua, vel potius à ſuorum memoria ſuſtulit: infinitis hodie ſtupris, adulteriis, inceſtis, lenociniis, quid facto opus ſit admonemur.

Nectarius, de quo ſect. 7.

Secundi erroris refutatio.

20. Quod huc obtendunt poteſtatem clavium, & in ea regni ſui proram (ut aiunt) & puppim confeſſionarii locant, videndum quantum valere debet: Ergo ſine cauſa (inquiunt) datæ ſunt claves? ergo ſine cauſa dictum eſt, *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis?* Fruſtramur ergo verbum Chriſti?

Matth. 18. verſ. 18.

Reſpondeo, gravem fuiſſe cauſam cur darentur claves: quemadmodum & nuper expoſui, & ubi de excommunicatione agetur, explicatius iterum docebo.

lib. 4. c. 12.

1. Sacrificuli non ſunt Apoſtolorum ſucceſſores.

Sed quid, ſi uno gladio ejuſmodi omnibus eorum poſtulatis anſam præcidam, ſacrificulos non eſſe Apoſtolorum vicarios nec ſucceſſores? Verùm iſtud quoque alibi tractandum erit,

lib. 4. c. 6.

nunc, unde ſe munire maxime volunt, arietem erigunt quo molitiones omnes ſuæ dejiciantur. Chriſtus enim non ante Apoſtolis ligandi & ſolvendi poteſtatem fecit quam eos Spiritu ſancto donavit.

2. Non habent Spiritum S. qui ſolus eſt clavium moderator & arbiter.

Nego igitur ullis competere clavium poteſtatem, qui non prius acceperint Spiritum ſanctum. Nego quenquam clavibus uti poſſe niſi præeunte docenteque Spiritu ſancto, & dictante quid agendum ſit. Spiritum ſanctum habere ſe illi nugantur: ſed re ipſa negant. niſi forte Spiritum ſanctum rem eſſe vanam & nihili fingunt, ut certe fingunt: ſed illis non credetur. Atque hac quidem machina in univerſum ſubvertuntur, ut cujuſcunque oſtii clavem ſe habere jactent, ſemper interrogandi ſint habeantne Spiritum ſanctum, qui clavium eſt arbiter & moderator.

Ratio.

Si habere ſe reſpondeant, rurſum interpellandi ſunt, an errare poſſit Spiritus ſanctus? Iſtud diſerte profari non audebunt, tametſi oblique ſua doctrina inſinuant. Inferendum ergo erit,

nullos

nullos ſacrificulos babere clavium poteſtatem, qui paſſim ſine delectu ſolvunt quæ ligari Dominus voluerat, ligant quæ ſolvi juſſerat.

Tertii erroris refutatio.

21. Quando clariſſimis experimentis evinci ſe vident, quod dignos & indignos promiſcue ſolvant & ligent, poteſtatem uſurpant ſine ſcientia. Et quanquam negare non audent ad bonum uſum requiri ſcientiam, poteſtatem tamen ipſam malis diſpenſatoribus traditam ſcribunt.

1. Mandatum & promiſſum Chriſti ignorant.

Atqui hæc poteſtas eſt, *Quodcunque ligaveris aut ſolveris in terra, erit in cælis ligatum aut ſolutum.* Aut promiſſum Chriſti mentiri oportet, aut bene ligant & ſolvunt qui ſunt hac poteſtate præditi. Nec eſt quod tergiverſentur, Chriſti dictum limitari ſecundum ejus merita qui ligatur aut ſolvitur.

Objectionis dilutio.

Et nos etiam fatemur nec ligari nec ſolvi poſſe niſi dignos qui ligentur aut ſolvantur. Sed babent Euangelii nuncii & Eccleſia verbum quo dignitatem hanc metiantur. In hoc verbo nuncii Euangelii poſſunt omnibus remiſſionem peccatorum in Chriſto polliceri per fidem, poſſunt damnationem edicere in omnes & ſuper omnes qui Chriſtum non amplectuntur.

1 Cor. 6. verſ. 10.

In hoc verbo Eccleſia pronunciat, ſcortatores, adulteros, fures, bomicidas, avaros, iniquos partem in regno Dei non habere: taleſque certiſſimis vinculis ligat. Eodem verbo ſolvit quos reſipiſcentes conſolatur.

2. In abſurda innumera incurrunt, à Dei verbo (quod eſt certa ligandi & ſolvendi regula) recedentes.

Sed quæ erit iſthæc poteſtas, neſcire quid ligandum ſit aut ſolvendum? ligare autem non poſſe aut ſolvere, niſi ſcias? Cur ergo dicunt ſe abſolvere auctoritate ſibi data, quum incerta ſit abſolutio? quo nobis imaginaria hæc poteſtas, ſi nullus ſit uſus? Jam autem habeo, aut nullum eſſe, aut tam iocertum eſſe, ut pro nullo habendus ſit. Quum enim fateantur bonam eſſe ſacerdotum partem qui non rite utantur clavibus, poteſtatem vero ſine legitimo uſu inefficacem: quis mihi fidem faciet, eum à quo ſolvor booum eſſe clavium diſpenſatorem? quod ſi malus eſt, quid aliud habet quam frivolam iſtam diſpenſationem? Quid in te ligandum ſit aut ſolvendum, neſcio, quando juſto clavium uſu careo: ſed ſi mereris, te abſolvo. Ac tantundem poſſet, non dico laicus (quando id æquis auribus non ferrent) ſed Turca, aut diabolus. Id enim eſt dicere, Verbum Dei non habeo certam ſolvendi regulam: ſed auctoritas mihi data

vid. ſect. 15.

eſt te abſolvendi; ſi ita ſunt tua merita. Videmus igitur quorſum ſpectarint, quum diffinierunt, claves eſſe auctoritatem diſcernendi, & exequutionis poteſtatem, ſcientiam accedere conſiliarium, & inſtar conſiliarii ad bonum uſum eſſe. Nempe libidinoſe, licenter, ſine Deo & verbo ejus voluerunt regnare.

Exceptio adverſus hanc tertii erroris refutationem.

22. Si excipiat quiſpiam, legitimos Chriſti miniſtros non minus perplexos fore in ſuo officio, quia abſolutio, quæ à fide pendet, ſemper ambigua erit: deinde nullum peccatoribus, aut frigidum ſolatium fore, quia miniſter ipſe qui idoneus judex non eſt eorum fidei, de eorum abſolutione certus non eſt: in promptu eſt ſolutio.

Reſp. 1. ad abſurda varia Pontificios deducens, ſeu ſacrificulum, ſeu confitentem ſpectes.

Dicunt enim illi, non remitti à ſacerdote peccata niſi quorum ipſe eſt cognitor. ita ſecundum eos remiſſio ex ſacerdotis judicio pendet. qui niſi prudenter diſcernat quinam venia digni ſint, tota actio caſſa eſt ac irrita. Denique poteſtas de qua loquuntur, juriſdictio eſt examini annexa, ad quod reſtringitur venia & abſolutio. In hac parte nihil firmum reperitur: imo profunda eſt abyſſus: quia ubi integra non eſt confeſſio, mutila etiam eſt ſpes veniæ. deinde ſacerdos ipſe ſuſpenſus hæreat neceſſe eſt, dum neſcit an bona fide enumeret peccator ſua mala. poſtremo (quæ inſcitia & ruditas ſacerdotum eſt) major pars ad hoc munus exercendum nihilo aptior eſt quam ſutor ad agros colendos: alii fere omnes ſibi merito ſuſpecti eſſe debent. Hinc igitur perplexitas & dubitatio de abſolutione Papali, quod eam fundatam eſſe volunt à ſacerdotis perſona: neque id modo, ſed à cognitione, ut tantum de rebus delatis, quæſitis & compertis judicet. Jam ſiquis à bonis iſtis doctoribus quærat, reconcilieturne Deo peccator, peccatis quibuſdam remiſſis, non video quid reſpondeant: niſi quod fateri cogentur infructuoſum eſſe quicquid pronunciat ſacerdos de remiſſis peccatis, quorum recitationem audierit, quamdiu alia non eximuntur à reatu. Ex parte confitentis quam pernicioſa anxietas conſcientiam devinctam teneat, hinc patet, quod dum recumbit in ſacerdotis diſcretionem, ut loquuntur; nihil ex verbo Dei ſtatuere poteſt.

Reſp. 2. exceptioni abunde ſatisfaciens.

Ab his omnibus abſurdis libera & immunis eſt doctrina quam tradimus. Conditionalis enim eſt abſolutio, ut confidat peccator ſibi propitium eſſe Deum, modo ſincere in Chriſti ſacrificio expiationem quærat, & acquieſcat oblatæ ſibi gratiæ. Ita errare non poteſt qui pro officio præconis, quod ſibi ex Dei verbo dictatum eſt, promulgat. Peccator vero certam & liquidam abſolutionem amplecti poteſt, ubi ſimplex illa conditio apponitur de amplexanda Chriſti gratia, ſecundum generalem illam magiſtri ipſius regulam, quæ impie ſpreta in Papatu fuit, *Secundum fidem tuam fiat tibi.* Mat. 9:29.

Quarti erroris (jus ſolvendi ſacrificulis concedentis) refutatio.

23. Quam inſulſe miſceant quæ de clavium poteſtate docet Scriptura, promiſi me alibi dicturum: & locus erit opportunior in tranctando regimine Eccleſiæ. Meminerint tamen Lectores præpoſtere ad auricularem & ſecretam confeſſionem torqueri quæ partim de Euangelii prædicatione, partim de excommunicatione à Chriſto dicta ſunt. lib. 4. c. 12.

1. Petitio principii & ignoratio elenchi.

Quare dum objiciunt, jus ſolvendi datum eſſe Apoſtolis, quod ſacerdotes exerceant, peccata ſibi agnita remittendo, falſum & frivolum principium ſumi palam eſt: quia abſolutio quæ fidei ſervit, nihil aliud eſt quam teſtimonium veniæ ex gratuita Euangelii promiſſiooe ſumptum. altera autem quæ ex diſciplina Eccleſiæ pendet, nihil ad ſecreta peccata, ſed ad exemplum magis pertinet, ut tollatur publica Eccleſiæ offenſio.

2. Eccleſiaſtica diſciplina inverſio.

Objectio 1.

Quod autem hinc inde teſtimonia corradunt, quibus probent non ſufficere vel ſoli Deo vel laicis confiteri peccata, niſi ſacerdos ſit cognitor, putida ac pudenda eſt eorum diligentia.

Reſponſio 1.

Nam ſi quando peccatoribus ſuadent vetuſti Patres ut ſe exonerent apud ſuum Paſtorem, de recitatione accipi non poteſt, quæ tunc in uſu non fuit. 2. Deinde, ut ſiniſtri fuerunt Lombardus & ſimiles, videntur data opera libris adulterinis fuiſſe addicti, quorum prætextu deciperent ſimplices. Recte quidem fatentur, quia pœnitentiam ſemper comitatur ſolutio, nullum proprie vinculum manere ubi quis pœnitentia tactus eſt, quamvis nondum confeſſus fuerit: ideoque tunc ſacerdotem non tam remittere peccata, quam pronunciare & declarare remiſſa eſſe. 3. Quanquam in verbo Declarandi, craſſum errorem inſinuant, ceremoniam ſubrogantes in locum doctrinæ.

Objectio 2. *Reſponſio.*

Quod autem attexunt, in facie Eccleſiæ abſolvi qui jam coram Deo veniam adeptus erat, intempeſtive trahunt ad peculiarem cujuſque uſum, quod jam diximus communi diſciplinæ eſſe deſtinatum, ubi tollenda eſt gravioris & notæ culpæ offenſio.

Objectio 3. *Reſponſio.*

Sed paulo poſt moderationem pervertunt & corrumpunt, addentes alium modum remittendi: nempe cum injunctione pœnæ & ſatisfactionis. in quo ſuis ſacrificulis jus arrogant dimidiandi quod Deus ubique in ſolidum nobis promiſit. Quum enim ſimpliciter pœnitentiam & fidem exigat, partitio hæc vel exceptio prorſus ſacrilega eſt. Perinde enim valet ac ſi ſacerdos, tribuni perſonam ſuſtinens, Deo intercederet, nec vellet Deum pati mera ſua liberalitate in gratiam recipere niſi qui ad tribunitium ſubſellium proſtratus jacuerit, illicque ſit mulctatus.

24. Tota

Concluſio totius diſputationis adverſus confeſſionem hanc fictitiam, cujus orsum, tyrannidem, blaſphemiam, ſacrilegium & multiplicem impietatem depingit.

24. Tota huc ſumma redit: ſi Deum facere velint confeſſionis hujus fictitiæ auctorem, eorum vanitatem coargui: ſicuti monſtravi falſarios in paucis quos citant locis. Quum vero palam ſit legem eſſe ab hominibus impoſitam, dico & tyrannicam eſſe & cum Dei injuria latam, qui verbo ſuo conſcientias aſtringens vult ab hominum imperio ſolutas eſſe. Jam quum ad obtinendam veniam neceſſitas ejus res præſcribitur quam Deus voluit eſſe liberam, dico ſacrilegium eſſe minime tolerabile: quia nihil Deo magis proprium, quam peccata remittere, in quo nobis ſita eſt ſalus. Adhæc oſtendi invectam demum fuiſſe hanc tyrannidem, quum fœda barbarie oppreſſus eſſet mundus. Docui præterea legem eſſe peſtiferam, quia vel in deſperationem præcipitat miſeras animas, ubicunque viget Dei timor: vel, ubi eſt ſecuritas, inanibus blanditiis demulcens, magis hebetat. Poſtremo expoſui, quaſcunque afferunt mitigationes, non alio tendere niſi ut involvant, obſcurent ac depravent puram doctrinam, fucoſis autem coloribus impietates tegant.

De ſatisfactione, cui tertium locum aſſignant Sophiſtæ in pœnitentia, errores & mendacia.
lib. 4. Sent. diſtinct. 10. cap. 10.
c. non ſufficit, de Pœnitent.
c. med. eadem diſt.
c. nullus. ead. diſt.

25. Tertium locum ſatisfactioni in pœnitentia aſſignant; de qua quicquid blaterant, uno verbo ſubverti poteſt. Dicunt non ſufficere pœnitenti à præteritis malis abſtinere, & mores in melius commutare, niſi de iis quæ facta ſunt ſatisfaciat Deo. Eſſe autem multa adminicula, quibus peccata redimamus: lachrymas, jejunia, oblationes, charitatis officia: iis Dominum propitiandum, iis debita juſtitiæ Dei perſolvenda, iis compenſanda delicta, iis veniam emerendam. quamvis enim largitate miſericordiæ culpam remiſerit, pœnam tamen retinere diſciplina juſtitiæ. hanc eſſe pœnam quæ ſatisfactionibus redimenda ſit. In hanc tamen ſummam recidunt omnia, nos quidem à Dei clementia delictorum veniam impetrare, ſed intercedente merito operum, quibus peccatorum noxa compenſetur, quo debita juſtitiæ Dei ſatisfactio perſolvatur. Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remiſſionem, qua nihil in Scriptura clarius prædicatur. Primum quid eſt remiſſio niſi meræ liberalitatis donum? Non enim remittere dicitur creditor, qui an tapocha teſtatur ſibi numeratam pecuniam: ſed qui, nulla ſolutione, ultro ſua beneficentia nomen expungit. Cur deinde *gratis* additur, niſi ad tollendam omnem ſatisfactionis opinionem? Qua igitur confidentia ſuas ſatisfactiones adhuc erigunt, quæ tam valido fulmine proſternuntur? Quid autem? quum Dominus per Jeſaiam clamat, *Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non ero memor:* annon aperte denunciat, cauſam & fundamentum remittendi a ſola ſua bonitate ſe petere? Præterea quum Scriptura univerſa teſtimonium Chriſto deferat, quod *per nomen ejus ſit accipienda peccatorum remiſſio*, nonne alia omnia nomina excludit? Quomodo igitur per ſatisfactionum nomen accipi docent? Neque vero hoc ſe dare ſatisfactionibus negent, etiamſi ipſæ intercedant quaſi ſubſidia. Nam quod Scriptura ait, *Per nomen Chriſti*, intelligit nihil nos afferre, nihil noſtrum prætendere, ſed ſola Chriſti commendatione niti. quemadmodum Paulus aſſerens, *quod Deus erat mundum ſibi in Chriſto reconcilians, non imputans propter ipſum hominibus delicta*, modum rationemque mox ſubjicit, *quia pro nobis factus eſt peccatum qui peccati expers erat.*

His opponitur vox, 1. Remiſſionis.
Jeſa. 52: 2.
Rom. 5: 8.
Col. 2: 14
Tit. 3: 5.
2. Gratuita.
3. Dei iniquitates delentis.
Jeſ. 43: 25.
4. Per & propter Chriſtum.
Act. 10: 43
Nihil ergo opus eſt ſatisfactione noſtra.
2 Cor. 5. verſ. 19.

1. Objectio, Chriſti gratiam & efficaciam anguſtis limitibus includens.

26. Verum qua ſunt perverſitate, & peccatorum remiſſionem, & reconciliationem fieri ſemel dicunt, quum in gratiam Dei per Chriſtum in Baptiſmo recipimur: poſt Baptiſmum, reſurgendum eſſe per ſatisfactiones: ſanguinem Chriſti nihil prodeſſe, niſi quatenus per claves Eccleſiæ diſpenſatur. Nec de re dubia loquor, quum ſuam impuritatem clariſſimis ſcriptis prodiderint: nec unus aut alter, ſed univerſi Scholaſtici. Nam ipſorum magiſter, poſtquam Chriſtum in ligno pœnam peccatorum ſolviſſe, juxta Petri doctrinam, confeſſus eſt: ſubjuncta illico exceptione ſententiam illam corrigit, quod in Baptiſmo omnes peccatorum pœnæ temporales relaxantur: ſed poſt Baptiſmum, pœnitentiæ beneficio minorantur: ut ita ſimul cooperetur crux Chriſti & noſtra pœnitentia. Sed longe aliter Joannes, *Si quis peccaverit*, ait, *habemus advocatum apud Patrem, Jeſum Chriſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Scribo vobis filioli: quia remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.* Certe fidelibus loquitur, quibus dum Chriſtum proponit peccatorum propitiationem, non aliam eſſe ſatisfactionem oſtendit, qua offenſus Deus propitiari placarive poſſit. Non dicit, Semel vobis per Chriſtum reconciliatus eſt Deus, nunc vobis alias rationes quærite: ſed perpetuum facit advocatum, qui ſua interceſſione in Patris gratiam nos ſemper reſtituat: perpetuam propitiationem, qua peccata expientur. Eſt enim illud perpetuo verum, quod alter Joannes dicebat, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Tollit (inquam) ipſe, non alius. hoc eſt, quando ipſe ſolus eſt Agnus Dei, ſolus quoque oblatio eſt pro peccatis, ſolus expiatio, ſolus ſatisfactio. Nam quum jus & poteſtas ignoſcendi proprie competat in Patrem, ubi à Filio diſtinguitur, ut jam viſum eſt: in altero gradu Chriſtus hic locatur, quod pœnam nobis debitam in ſe transferens, reatum noſtrum deleverit coram Dei judicio. Unde ſequitur, non aliter nos fore participes expiationis à Chriſto peractæ, niſi apud eum reſideat honor ille, quem ſibi rapiunt qui Deum placare tentant ſuis compenſationibus.

lib. 3. Sent. diſtinct. 9.
1 Pet. 2: 24.
Reſponſio 1. ex Joanne Euangeliſta.
1 Joan. 2. v. 1, 2, 12.
Reſponſio 2. ex Joanne Baptiſta.
Joan. 1: 29.
Reſponſionum harum conſequens.

27. Ac duo hic perpendere convenit: ut integer & illibatus ſuus honor Chriſto ſervetur: ut conſcientiæ de peccati venia ſecuræ, pacem apud Deum habeant. Jeſaias ait, Patrem *poſuiſſe in Filium noſtras omnium iniquitates, ut livore ejus ſanemur*. Quod aliis verbis repetens Petrus, ait *Chriſtum pertuliſſe in corpore ſuo peccata noſtra ſuper lignum*. Paulus ſcribit *damnatum eſſe peccatum in ejus carne, quum pro nobis peccatum factus eſt:* hoc eſt, vim & maledictionem peccati in ejus carne interemptam, quum in hoſtiam datus eſt, in quam tota peccatorum noſtrorum moles, cum ſua maledictione & execratione, cum horrendo judicio Dei, & mortis damnatione, rejiceretur. Hic nequaquam audiuntur nugamenta illa: quod poſt initialem purgationem, paſſionis Chriſti efficaciam non aliter noſtrûm unuſquiſque ſentiat, quam pro ſatisfactoriæ pœnitentiæ modo: ſed ad unicam Chriſti ſatisfactionem, quoties lapſi fuerimus, revocamur. Nunc tibi peſtilentes eorum nænias propone: *Gratiam Dei in prima peccatorum remiſſione ſolam operari: ſi poſtea ceciderimus, ad ſecundam veniam impetrandam opera noſtra cooperari.* Hæc ſi locum habeant, anne quæ Chriſto ſuperius ſunt attributa, illi ſalva manent? Immane quantum hæc differunt, iniquitates noſtras poſitas eſſe in Chriſto ut in ipſo expiarentur, & noſtris operibus expiari: Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris, & Deum operibus propitiandum. Quod ſi de pacificanda conſcientia agitur: quæ iſthæc erit pacificatio, ſi audiat peccata redimi ſatisfactionibus? quando tandem illi ſatisfactionis modus conſtare poterit? Ergo ſemper dubitabit an Deum habeat propitium, ſemper æſtuabit, ſemper horreſcet. Nam qui levibus ſatisfactiunculis acquieſcunt, nimis contemptim judicium Dei æſtimant: & parum reputant quanta ſit peccati gravitas: ut alibi dicemus. Et ut ipſis concedamus, peccata aliquot juſta ſatisfactione redimere, quid tamen facient ubi tot peccatis obruuntur, quorum ſatisfactionibus nec centum vitæ, vel ſi totæ in hoc ſint, ſufficere queant? Adde, quod loci omnes quibus aſſeritur peccatorum remiſſio, non ad catechumenos pertinent, ſed ad regenitos

Duo quæ hic obſervanda erant; ſatisfactionis commento violantur.
Jeſa. 53: 6.
1 Pet. 2: 24.
Rom. 8: 3.
Gal. 3: 13.
Primum, videlicet Chriſti honorem illibatum ſervare debere, probatur ſigillatim.
Alterum, de pacificanda conſcientia, probatur ſtare non poſſe, ſi detur locus huic ſatisfactioni.
2. Objectio, qua peccatorum re-

miſſionem ad Catechumenos reſtringunt, diluitur.

Dei filios, & qui in Eccleſiæ ſinu fuerunt diu nutriti. Legatio illa quam tam ſplendide extollit Paulus, *Obſecro vos Chriſti nomine, reconciliamini Deo:* non ad exteros dirigitur, ſed ad eos qui pridem regeniti fuerant. Atqui ſatisfactionibus valere juſſis,

2 Cor. 5. verſ. 20.

ad Chriſti crucem eos ablegat. Sic quum ſcribit

Col. 1: 20.

Coloſſenſibus *Chriſtum pacificaſſe per ſanguinem crucis quæ ſunt in cælo vel in terra,* non reſtringit hoc ad momentum quo recipimur in Eccleſiam, ſed ad totum curſum extendit. Quod facile ex contextu patet, ubi dicit *fideles habere redemptionem per ſanguinem Chriſti, nempe remiſſionem peccatorum.* Quanquam plures locos congerere ſupervacuum eſt, qui ſubinde occurrunt.

3. Objectio, peccata venialia & mortalia pro ſuo arbitrio fabricans, id eſt, cum Deo ludens, & Scripturæ repugnans.

28. Hic in aſylum confugiunt ineptæ diſtinctionis, *Peccata* quædam *venialia* eſſe, quædam *mortalia*: pro mortalibus gravem ſatisfactionem deberi; venialia facilioribus remediis purgari, oratione Dominica, aquæ benedictæ aſperſione, abſolutione Miſſæ. Sic cum Deo ludunt & ineptiunt. Quum tamen aſſidue peccatum veniale & mortale in ore habeant, nondum alterum ab altero diſcernere potuerunt, niſi quod impietatem & immunditiem cordis, peccatum veniale faciunt. Nos autem (quod

Rom. 6: 23. Ezech. 18. verſ. 20.

Scriptura juſti & injuſti regula docet) *peccati ſtipendium* pronunciamus eſſe *mortem: & animam, quæ peccaverit, morte dignam.* Cæterum fidelium peccata venialia eſſe: non quia non mortem mereantur,

Reſp. peccati venialis veram diſtinctionem aperiens.

ſed quia Dei miſericordia *nulla eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*: quia non imputantur, quia venia delentur. Scio quam inique doctrinam hanc noſtram calumnientur. dicunt enim paradoxum eſſe Stoicorum, de peccatorum æqualitate: ſed ſuo ipſorum ore nullo negotio convincentur. Quæro enim,

Inſtantia ex ſuperiore objectione nata.

Reſponſio.

annon inter ea ipſa peccata quæ mortalia fatentur,

Rom. 8: 1.

aliud alio minus agnoſcant. Non igitur protinus ſequitur, paria eſſe peccata quæ ſimul mortalia ſint. Quum Scriptura definiat, ſtipendium peccati mortem eſſe: Legis obedientiam, eſſe vitæ viam: tranſgreſſionem, mortem: hanc ſententiam evadere non poſſunt. Quem ergo ſatisfaciendi exitum invenient in tanto peccatorum cumulo? ſi unius diei eſt ſatisfactio peccati unius, dum illam meditantur, pluribus ſe involvunt: quando diem nullum præterit juſtiſſimus quiſque, quo non aliquoties labatur. Ad eorum vero ſatisfactiones dum ſe accingent, numeroſa, vel potius innumera cumulabunt. Jam præciſa eſt ſatisfaciendi fiducia. quid morantur? quomodo adhuc de ſatisfaciendo cogitare audent?

4. Objectio, pœnæ & culpæ diſtinctionem inducens, ut ſatisfactionis figmentum ſtabiliat.

29. Conantur quidem ſe expedire: ſed aqua (ut dicitur) illis hæret. Fingunt ſibi *diſtinctionem pœnæ & culpæ: culpam* remitti fatentur Dei miſericordia: ſed culpa remiſſa *pœnam* reſtare; quam perſolvi Dei juſtitia poſtulat. Ad pœnæ igitur remiſſionem proprie ſpectare ſatisfactiones. Quæ iſta, bone Deus, deſultoria levitas? culpæ remiſſionem nunc gratuitam proſtare confitentur, quam precibus &

Reſponſio 1.

lachrymis, aliiſque omne genus præparationibus

Reſponſio 2. variis Scripturæ teſtimoniis illuſtrata.

emereri ſubinde docent. Verum adhuc cum iſta diſtinctione ex diametro pugnat quicquid de peccatorum remiſſione in Scriptura nobis traditur. Quod tametſi ſatis ſuperque exiſtimo jam à me confirmatum, ſubnectam tamen quædam alia teſtimonia, quibus adeo conſtringantur tortuoſi iſti angues, ut ne ſummam quidem caudam complicare poſthac

Jerem. 31. verſ. 31, 34.

queant. *Hoc eſt teſtamentum novum quod Deus in Chriſto ſuo nobiſcum pepigit, Quod iniquitatum noſtrarum non recordabitur.* Quid his ſignificaverit,

Ezech. 18. verſ. 24, 27.

diſcimus ex altero Propheta, ubi Dominus, *Si juſtus,* inquit, *à juſtitia ſua deflexerit, omnium juſtitiarum ejus non recordabor: ſi impius ab impietate ſua receſſerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Quod ſe juſtitiarum recordaturum negat, utique hoc eſt, nullam ſe earum habiturum rationem, ut remuneretur. Ergo & peccatorum non recordari, eſt ea non poſtulare ad pœnam. Idipſum alibi dicitur, *projicere poſt tergum, delere inſtar nubis, demergere in profundum maris, non imputare, tectumque habere.* Talibus loquendi formulis non

Jeſ. 38: 17. & 44: 22. Mich. 7. verſ. 19. Pſal. 32: 1.

obſcure ſenſum ſuum nobis explicuerat Spiritus ſanctus, ſi dociles aures illis accommodaremus. Cer-

Rationibus.

te ſi punit Deus peccata, imputat: ſi vindicat, recordatur: ſi ad judicium vocat, tecta non habet: ſi examinat, poſt tergum non projecit: ſi inſpicit, non obliteravit inſtar nebulæ: ſi ventilat, non projecit in profundum maris. Atque in hunc modum

Præclaro Auguſtini dicto.

in Pſal. 31.

interpretatur Auguſtinus claris verbis, *Si texit peccata Deus, noluit advertere: ſi noluit advertere, noluit animadvertere: ſi noluit animadvertere, noluit punire: noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid erat, Deum videre peccata, niſi punire?* Audiamus vero & ex alio Prophetæ loco, quibus legibus peccata remittat Dominus. *Si fuerint,* inquit, *peccata veſtra*

Jeſa. 1: 18.

ut coccinum, quaſi nix albeſcent: & ſi rubuerint ut vermiculus, erunt quaſi lana. Apud Jeremiam autem ſic

Jer. 50: 20.

legitur, *In illa die requiretur iniquitas Jacob, & non invenietur: peccatum Jehudah, & non erit: quia propitiabor reliquiis quas ſervavero.* Vis breviter tenere

Aliis oppoſitis Scripturæ locis.

quis ſit verborum iſtorum ſenſus? Expende quid è converſo ſibi velint loquutiones illæ, *Dominum in ſacculo iniquitates colligare, in faſciculum colligere & recondere, ſtylo ferreo exarare in lapide adamantino.*

Job. 14: 17. Oſe. 13: 12. Jerem. 17.

Nempe ſi vindictam repenſum iri ſignificant (quod extra dubium eſt) neque etiam dubitandum eſt, quin contrariis ſententiis omnem vindictæ reprehenſionem Dominus ſe remittere affirmet. Hic mihi obteſtandi ſunt Lectores, non ut gloſſis meis auſcultent: ſed tantum ut verbo Dei locum aliquem eſſe ſinant.

Reſponſio 3. à conſideratione efficaciæ mortis Chriſti.

30. Quid, quæſo, nobis præſtitiſſet Chriſtus, ſi adhuc pro peccatis pœna exigeretur? Nam quum dicimus *eum pertuliſſe omnia peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum,* non aliud ſignificamus, quam defunctum pœna & vindicta quæ peccatis noſtris de-

1 Pet. 2: 24.

bebatur. Idipſum ſignificantius declaravit Jeſaias,

Jeſa. 53: 5.

quum dicit, *Caſtigationem* (ſive correctionem) *pacis noſtræ fuiſſe ſuper eum.* Quid vero eſt correctio pacis noſtræ, niſi pœna peccatis debita, & à nobis perſolvenda, antequam Deo reconciliari poſſemus niſi vices noſtras ipſe ſubiiſſet? En clare vides, Chriſtum peccatorum pœnas ſuſtinuiſſe, ut ſuos ab illis eximeret. Et quoties de redemptione per eum facta meminit Paulus, vocare ſolet ἀπολύτρωσιν, quo non

Rom. 3: 24. 1 Cor. 1. verſ. 30. Eph. 1: 7. Col. 1: 14. 1 Tim. 2: 6.

ſimpliciter *redemptionem* indicat, qualiter vulgo intelligitur: ſed *pretium* ipſum & ſatisfactionem redemptionis. Qua ratione & *Chriſtum ipſum ſe pro nobis ἀντίλυτρον dediſſe* ſcribit. *Quæ apud Dominum propitiatio eſt* (inquit Auguſtinus) *niſi ſacrificium? Et quod eſt ſacrificium, niſi quod pro nobis oblatum eſt in morte Chriſti?* Validum autem in primis arietem nobis

Reſponſio 4. à conſideratione ſacrificiorum ſub Lege.

ſuppeditat quod de expiandis peccatorum noxis in Lege Moſaica præſcribitur. Neque enim illic Dominus hanc aut illam ſatisfaciendi rationem conſtituit: ſed totam in ſacrificiis compenſationem requirit. Ubi tamen alioqui diligentiſſime atque exactiſſimo ordine omnes expiandi ritus exequitur. Qui fit autem ut nullis prorſus operibus admiſſa delicta procurare jubeat, ſed ſola in expiationem ſacrificia requirat, niſi quod ita teſtari vult unicum eſſe ſatisfactionis genus, quo judicium ſuum placatur? Nam quæ tum immolabant ſacrificia Iſraëlitæ, non hominum opera cenſebantur: ſed à ſua veritate, hoc eſt, unico Chriſti ſacrificio, æſtimabantur.

Reſponſio 5. à conſideratione veræ ſatisfactionis noſtræ.

Qualem autem compenſationem à nobis recipiat Dominus, paucis verbis eleganter Oſeas expreſſit. *Omnem,* inquit, *tolles iniquitatem ò Deus:* En peccatorum remiſſio. *Et vitulos labiorum perſolvemus:* En ſatisfactio. Scio quidem ſubtilius adhuc ipſos elabi, dum inter æternam pœnam & temporales diſtin-

Oſe. 14: 3. vid. Calvin. ad

Concil. Trident. ſeſſ.6. c. 1.

Diſtinctionis Sophiſtarum dilutio.

diſtinguunt: ſed quum temporalem pœnam quodvis ſupplicium eſſe tradant, quod tam de corpore quam de anima ſumit Deus, excepta modo æterna morte, parum eos ſublevat hæc reſtrictio. Nam ſuperiores loci quos citavimus, hoc nominatim volunt, hac nos conditione recipi à Deo in gratiam, ut quicquid eramus pœnæ meriti remittat, culpam ignoſcendo. Et quoties David aut alii Prophetæ peccatorum veniam petunt, ſimul pœnam deprecantur. Imo divini judicii ſenſus huc eos impellit. Ruſum, quum à Domino miſericordiam promittunt, ſemper fere ex profeſſo de pœnis earumque remiſſione concionantur. Certe quum Dominus apud Ezechielem pronunciat finem ſe impoſiturum Babylonico exilio, idque propter ſe, non propter Judæos: gratuitum eſſe utrumque ſatis demonſtrat. Denique ſi à reatu liberamur per Chriſtum, pœnas, quæ inde proveniunt, ceſſare oportet.

Ezech. 36. v.22.& 32.

5. Objectio, ſex Scripturæ teſtimoniis abutens.

1. De animadverſione in Davidem.

2 Sam 12. verſ. 13,14.

2. De juſtitia redimentis peccata.

Prov. 16:6.

3. De charitate peccata operiente.

Prov. 10. verſ. 12.

1 Pet.4: 8.

4. De miſericordia expiante iniquitatem.

5. De eleemoſynis omnia mundantibus.

Dan.4:24.

6. De peccatis multis mulieri condonatis, quod multum dilexiſſet.

Luc.7: 47.

31. Verum quando & ipſi Scripturæ teſtimoniis ſeſe armant, videamus qualia ſint quæ ipſi obtendunt argumenta. David (inquiunt) de adulterio & homicidio à Propheta Nathan objurgatus, veniam peccati accipit: & tamen morte filii, quem ex adulterio ſuſtulerat, poſtea plectitur. Tales pœnas, quæ poſt culpæ etiam remiſſionem infligendæ eſſent, ſatisfactionibus redimere docemur. Hortabatur enim Daniel Nebuchadnezer, *ut eleemoſynis peccata redimeret*. Et Solomo ſcribit, *propter æquitatem & pietatem remitti iniquitates*. Alibi etiam, *charitate operiri multitudinem peccatorum*. Quam ſententiam confirmat & Petrus. Item apud Lucam Dominus de muliere peccatrice ait, *remiſſa eſſe illi peccata multa, quia dilexerit multum*. Ut perverſe ſemper & præpoſtere facta Dei æſtimant! At ſi obſervaſſent, (quod minime prætereundum erat) duo eſſe divini judicii genera: longe aliam in hac Davidis correptione vidiſſent pœnæ formam, quam quæ ad ultionem tendere putanda ſit. Quoniam autem noſtra omnium non mediocriter refert intelligere quorſum pertineant Dei caſtigationes, quibus in peccata noſtra animadvertit: & quantum ab exemplis differant, quibus impios & reprobos cum indignatione perſequitur: ſummatim perſtringere non abs re, arbitror, fuerit. *Judicium* unum, docendi cauſa, vocemus *vindictæ*: alterum, *caſtigationis*. Porro judicio vindictæ ſic intelligendus eſt Deus inimicos ſuos ulciſci, ut iram adverſus illos ſuam exerceat, confundat, diſſipet, in nihilum redigat. Id ergo ſit nobis proprie Dei vindicta, ubi punitio cum ejus indignatione eſt. Judicio caſtigationis non ita ſævit ut iraſcatur: nec vindicat ut perdat vel fulminet ad interitum. Unde non eſt ſupplicium proprie aut vindicta, ſed correctio & admonitio. Alterum judicis eſt, alterum patris. Judex enim quum facinoroſum punit, in ipſum delictum animadvertit, & de facinore ipſo pœnam expetit. Pater quum filium ſeverius corrigit, non hoc agit ut vindicet aut mulctet, ſed magis ut doceat & cautiorem in poſterum reddat. Paulo diverſa ſimilitudine Chryſoſtomus alicubi utitur, quæ tamen eodem recidit. *Verberatur* (inquit) *filius: verberatur & famulus. ſed hic ut ſervus, quia peccavit, punitur: ille vero, ut liber & filius diſciplina indigens, caſtigatur*. Huic correptio in probationem & emendationem cedit, illi in flagella & pœnas.

Huic objectioni ut ſatisfiat, quædam præmittuntur de duplici judicio Dei.

1. Vindictæ.

2. Caſtigationis.

Ex utriuſque conſideratione duæ producuntur diſtinctiones, quarum prior iram Dei (ubi pœna eſt ad ultionem) teſtatur: cui opponitur

32. Ut breviter & expedite rem totam teneamus, hæc ex duabus ſtatuatur prima diſtinctio, Ubicunque pœna eſt ad ultionem, ibi maledictio & ira Dei ſe exerit, quam ſemper à fidelibus continet. Caſtigatio contra, & Dei benedictio eſt, & amoris habet teſtimonium, ut docet Scriptura. Hoc diſcrimen ſatis Dei verbo paſſim notatur. Quicquid enim afflictionum in præſenti vita ſuſtinent impii, nobis depingitur ceu quoddam inferorum atrium, unde æternam ſuam damnationem eminus jam conſpiciunt. tantumque abeſt ut inde emendentur, aut fructum aliquem percipiant, ut potius talibus præludiis ad diriſſimam, quæ tandem eos manet, gehennam apparentur. *Caſtigans autem caſtigat ſervos ſuos Dominus, ſed morti non tradit eos.* quare ejus ferula verberari, bonum id ſibi fuiſſe fatentur ad veram eruditionem. Ut autem ſanctos ubique legimus tales pœnas placido animo ſuſcepiſſe, ita ſuperioris generis flagella ſemper vehementer ſunt deprecati. *Caſtiga me Domine* (inquit Jeremias) *ſed in judicio, non in ira tua: ne forte imminuas me. Effunde furorem tuum in gentes quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocarunt.* David autem, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Neque obeſt quod ſæpiuſcule ſanctis ſuis iraſci dicitur Dominus, quum in eorum peccata animadvertit. Qualiter apud Jeſaiam, *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: converſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.* Item Habacuc, *Quum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Michæas vero, *Iram Dei portabo, quia peccavi ei.* Ubi admonet non ſolum nihil obſtrependo proficere qui juſte plectuntur, ſed doloris mitigationem ſuppetere fidelibus, conſilium Dei reputando. Eadem enim ratione hæreditatem ſuam profanare dicitur: quam tamen, ut ſcimus, in æternum non profanabit. Id autem non ad Dei punientis conſilium vel affectum, ſed ad vehementem doloris ſenſum refertur, quo afficiuntur qui vel qualemcunque ejus ſeveritatem ſuſtinent. Atqui fideles ſuos non mediocri tantum auſteritate pungit, ſed interdum ita vulnerat, ut ſibi non longe ab inferorum exitio diſtare videantur. Sicquidem teſtatur iram ſuam promeritos, atque ita expedit ut ſibi in malis ſuis diſpliceant, Dei placandi majore cura tangantur, & ſollicite ad veniam petendam feſtinent: ſed in eo ipſo luculentius interim clementiæ quam iræ ſuæ teſtimonium profert. Stat enim fœdus in vero noſtro Solomone nobiſcum percuſſum, cujus fidem nunquam fore irritam, is qui fallere non poteſt, affirmavit. *Si dereliquerint*, inquit, *filii ejus Legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint: ſi ſtatuta mea profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint: viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: miſericordiam autem meam non auferam ab eo.* Cujus miſericordiæ quo nos certiores faceret, *virgam*, qua Solomonis poſteritatem arguet, dicit fore *virorum*, & *verbera filiorum hominum*. Quibus particulis dum moderationem & lenitatem ſignificat, ſimul innuit non poſſe niſi extremo lethalique horrore confundi qui Dei manum ſibi adverſam eſſe ſentiunt. Hujus lenitatis quantam habeat rationem in Iſraële ſuo caſtigando, oſtendit apud Prophetam, *In igne repurgavi te*, inquit, *ſed non velut argentum. nam & ipſe totus abſumptus eſſes.* Quanquam purgationis loco caſtigationes illi eſſe docet: eas tamen ipſas addit ita ſe temperare, ne plus juſto per eas deteratur. Idque omnino neceſſe eſt: quia ut quiſque Deum magis reveretur, & ad colendam pietatem ſe addicit; ſic tenerior eſt ad ferendam ejus iram. Reprobi enim, quamvis ſub flagellis gemant, quia tamen non expendunt cauſam, quin potius tam ſuis peccatis quam Dei judicio tergum obvertunt, ex ſocordia illa contrahunt duritiem: vel quia fremunt & calcitrant, adeoque tumultuantur contra ſuum judicem, furioſus ille impetus amentia & furore eos obſtupefacit. Fideles autem Dei ferulis admoniti, ſtatim deſcendunt ad reputanda peccata, & metu horroreque perculſi, ad deprecationem ſupplices confugiunt. Hos dolores, quibus ſe cruciant miſeræ animæ, niſi leniret Deus, ſuccumberent centies etiam in mediocribus iræ ejus ſignis.

caſtigatio, amoris paterni teſtimonium: quod multis locis Scriptura confirmatur.

Job.5: 17. Prov 3:11. Heb.12: 5. Pſ.118:18. & 119:71. Jer.10: 24. Pſal 6: 2. & 38: 2.

Objectio, Atqui Deus electos ſuos ſæpius iraſcitur.

Jeſa 12: 1. Hab. 3: 2. Mich.7: 9.

Reſponſio, oſtendens cur ſuos Deus in hac vita graviſſimis plagis feriat,

Ita tamen ut miſericordiam ſuam non auferat ab eis.

Pſal. 89. verſ. 31.

2 Sam. 7. verſ. 14.

Confirmatio ab ejus promiſſione.

A teſtimonio & exemplo, perpetua Eccleſiæ Dei experientia illuſtrata.

Jeſ.48: 10.

Reproborum & electorum, dum caſtigantur, diſcrimen.

33. Sit deinde hæc altera diſtinctio, quod dum flagellis Dei reprobi feriuntur, jam pœnas illius judicio quodammodo pendere incipiunt, & quan-

Poſterior diſtinctio. Dum fla-

gellantur reprobi, pœnas æternas quodammodo pendere incipiunt. Caſtigationes piorum eos ad reſipiſcentiam & Dei gratiam amplectendam invitant: quod & S. Patrum & Scripturæ teſtimoniis confirmatur.

quam illis non impune cedet talibus iræ divinæ documentis non auſcultaſſe, non tamen ideo plectuntur quo ad meliorem mentem redeant: ſed tantum ut Deum magno ſuo malo judicem & ultorem experiantur. Ferulis autem verberantur filii, non ut mulctam delictorum Deo perſolvant, ſed ut inde ad reſipiſcentiam proficiant. Proinde in futurum eas potius quam in præteritum tempus reſpicere intelligimus. Id Chryſoſtomi verbis malim quam meis exprimere. *Propter hoc*, inquit, *imponit nobis pœnam, non de peccatis ſumens ſupplicium, ſed ad futura nos corrigens.* Sic & Auguſtinus, *Quod pateris, unde plangis, medicina eſt tibi, non pœna: caſtigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate*, &c. *Tota iſta miſeria generis humani in qua gemit mundus, noveritis fratres quia dolor medicinalis eſt, non ſententia pœnalis*, &c. Has ſententias ideo citare placuit, ne cui videretur nova aut minus uſitata loquutio quam poſui. Atque huc pertinent querimoniæ indignationis plenæ, quibus Deus ſæpe de populi ingratitudine expoſtulat, quod pervicaciter contempſerit omnes pœnas. Apud Jeſaiam, *Ad quid percuterem vos ultra? à planta pedis ad verticem non eſt ſanitas.* Sed quia talibus ſententiis abundant Prophetæ, breviter indicaſſe ſatis fuerit, non alio conſilio Deum punire ſuam Eccleſiam niſi ut ſubacta reſipiſcat. Ergo quum Saulem regno abjecit, puniebat ad vindictam: quum Davidem parvulo filio orbavit, ad emendationem corripiebat. In hanc ſententiam accipiendum eſt quod ait Paulus, *Quum judicamur à Domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Hoc eſt, dum nos filii Dei manu cœleſtis Patris affligimur, non hæc pœna eſt qua confundamur, ſed caſtigatio duntaxat qua erudiamur. Qua in re plane nobiſcum eſt Auguſtinus: docet enim, pœnas, quibus homines pariter caſtigantur à Deo, varie conſiderandas eſſe: quia ſanctis ſunt, poſt peccatorum remiſſionem, certamina & exercitationes: reprobis, ſine remiſſione, ſupplicia iniquitatis. Ubi pœnas Davidi aliiſque piis inflictas commemorat, & eo ſpectaſſe dicit, ut eorum pietas hujuſmodi humilitate exerceretur ac probaretur. Neque vero quod dicit Jeſaias, *remiſſam eſſe* populo Judaico *iniquitatem, quod plenam accepiſſet caſtigationem de manu Domini*, à pœnæ ſolutione pendere delictorum veniam arguit: ſed perinde eſt acſi diceret, Satis jam pœnarum exactum eſt: quarum ob gravitatem & multitudinem, quia jam diuturno luctu & mœrore confecti fuiſtis, tempus eſt ut accepto plenæ miſericordiæ nuncio, animi veſtri in lætitiam diffuſi me patrem ſentiant. Nam illic Deus patris induit perſonam, quem juſtæ quoque ſeveritatis pœnitet, ubi coactus eſt aſperius in filium animadvertere.

in Serm. de pœnit. & confeſſione.
in Pſ. 102. circa fin.
Jeſ. 1: 5, 6.
1 Sam. 15. verſ. 23.
2 Sam. 12. verſ. 18.
1 Cor. 11. verſ. 32.
lib. de peccat. meritis ac remiſ. 2. c. 33. & 34.
Jeſ. 40: 2.

Doctrina quæ hac diſtinctione continetur, duplex uſus, fidelis animæ reſpectu.

34. His cogitationibus fidelem inſtrui neceſſe eſt in afflictionum acerbitate. *Tempus eſt ut judicium incipiat à domo Domini, in qua invocatum eſt nomen ejus.* Quid facerent filii Dei, ſi ſeveritatem, quam ſentiunt, ultionem ejus eſſe crederent? Qui enim manu Dei percuſſus, Deum judicem punientem cogitat, non poteſt niſi iratum & adverſum ſibi concipere: ipſum vero Dei flagellum, ut maledictionem & damnationem, deteſtari. denique ſe à Deo diligi nunquam perſuaderi poterit, qui ſic erga ſe affectum ſentiet, ut adhuc punire velit. Sed ille demum ſub Dei flagellis proficit, qui ſuis vitiis iraſcentem, ſibi autem propitium ac benevolum ipſum reputat. Alioqui enim neceſſe eſſet evenire quod Propheta ſe expertum conqueritur, *Super me tranſierunt furores tui Deus: terrores tui oppreſſerunt me.* Item quod ſcribit Moſes, *Quoniam defecimus in ira tua, & in indignatione tua conturbati ſumus: Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, occulta noſtra in lumine vultus tui. Quoniam omnes dies noſtri receſſerunt in ira tua: conſumpti ſunt anni noſtri, ſicut verbum ex ore emiſſum.* Contra vero David de paternis caſtigationibus, ut illis adjuvari magis fideles quam opprimi doceat, ſic canit, *Beatus homo quem tu corripueris Domine, & in Lege tua erudieris, ut præſtes illi quietem à diebus malis, dum foditur peccatori fovea.* Dura certe tentatio, ubi Deus parcens incredulis, & eorum ſcelera diſſimulans rigidior erga ſuos apparet. Ideoque ſolatii cauſa addit Legis admonitionem, qua diſcant ſaluti ſuæ conſuli dum revocantur in viam, impii vero præcipites ferantur in ſuos errores, quorum finis eſt fovea. Nec refert ſitne æterna pœna aut temporaria. Tam enim bella, famês, peſtilentiæ, morbi, maledictiones Dei ſunt, quam ipſum mortis æternæ judicium: dum inferuntur in eum finem, ut ſint adverſus reprobos iræ vindictæque Domini inſtrumenta.

1 Pet. 4. verſ. 17.
Jer. 25: 29.

Prior, ut in afflictione Deum ſibi benevolum, vitiis ſuis etſi iraſcentem, credat.

Pſalm. 88. verſ. 17.
Pſal. 90: 7.
Pſalm. 94. verſ. 12.

Alter, reprobis temporarias pœnas maledictionis æternæ eſſe præludia.

35. Perſpiciunt nunc omnes (ni fallor) quo ſpectet illa Domini animadverſio in Davidem: nempe ut documentum eſſet, graviter Deo diſplicere homicidium & adulterium, adverſum quod tantam offenſionem in dilecto & fideli ſervo declaraſſet: ut erudiretur ipſe David ne poſtea tale facinus auderet: non autem ut pœna eſſet qua compenſationem quandam Deo ſolveret. Sic & de altera correptione judicandum eſt, qua Dominus populum vehementi peſte affligit, ob Davidis inobedientiam, ad quam in recenſendo ipſo populo prolapſus fuerat. Nam peccati quidem noxam Davidi gratis remiſit: ſed quia tum ad publicum omnium ſeculorum exemplum, tum ad Davidis quoque humiliationem pertinebat, tale facinus non impunitum manere; ipſum flagello ſuo aſperrime caſtigavit. Quem ſcopum in univerſali quoque humani generis maledictione præ oculis habere decet. Quum enim impetrata gratia, omnes tamen adhuc perpetimur, quæ in peccati pœnam parenti noſtro indictæ fuerant, miſerias: talibus exercitamentis admoneri nos ſentimus, quam graviter Deo Legis ſuæ tranſgreſſio diſpliceat: quo miſeræ noſtræ ſortis conſcientia dejecti & humiliati, ad veram beatitudinem ardentius aſpiremus. Stultiſſimus vero fuerit ſiquis arbitretur præſentis vitæ calamitates in peccati noxam eſſe nobis impoſitas. Id mihi videtur Chryſoſtomus voluiſſe: quum ita ſcripſit, *Si ob hoc pœnas infert Deus, ut in malis perſeverantes ad pœnitentiam vocet, oſtenſa pœnitentia, ſuperflua jam erit pœna.* Quare, prout uniuſcujuſque ingenio expedire novit, ita hunc majori aſperitate, illum benigniore tractat indulgentia. Itaque ubi docere vult ſe non eſſe in pœnis exigendis immodicum, exprobrat duro & obſtinato populo quod percuſſus non tamen faciat finem peccandi. Hoc ſenſu conqueritur, *Ephraim eſſe quaſi placentam ab una parte torridam, ab altera parte incoctam*: quia ſcilicet non penetrabant in animos ferulæ, ut vitiis excoctis populus ipſe capax veniæ fieret. Certe qui ſic loquitur, oſtendit, ſimulac quiſque reſipuerit, ſe mox fore placabilem, ſibique noſtra pervicacia exprimi quem exercet rigorem in caſtigandis delictis, cui voluntaria correctio occurreret. Quando tamen ea eſt noſtra omnium durities & ruditas quæ caſtigatione in univerſum opus habeat, viſum eſt prudentiſſimo Patri omnes ſine exceptione communi flagello per totam vitam exercere. Mirum autem eſt cur ſic in unum Davidis exemplum oculos conjiciant, tot exemplis non permoveantur; in quibus gratuitam peccatorum remiſſionem licebat contemplari. Legitur *Publicanus deſcendiſſe è templo juſtificatus:* pœna nulla ſequitur. Petrus delicti veniam obtinuit: *lachrymas ejus*, inquit Ambroſius, *legimus: ſatisfactionem non legimus.* Et audit paralyticus, *Surge, remittuntur tibi peccata tua:* pœna non imponitur. Omnes quæ in Scriptura commemorantur abſolutiones, gratuitæ deſcribuntur. Ex hac exemplorum frequentia regula potius

Duplici diſtinctione de judicio Dei explicata, reſponſio ſubjicitur ad 5. objectionis primum membrum, de animadverſione in Davidem, quæ caſtigatio fuit non pœna.

2 Sam. 24. verſ. 15.

Hypotheſeos revocatio ad theſin, confirmata teſtimoniis & exemplis.

Homil. 3. de provid. ad Stagirium.
Jer. 5: 3.
Oſeæ 7: 8.

Cur omnes communi flagello Dei per totam vitam exerceantur.

Luc. 18. verſ. 14.
Luc. 22. verſ. 61.
Serm. 46. de pœnitent. Petri.
Mar. 9: 2.

peti

peti debuerat, quam ab unico illo, quod neſcio quid ſingulare continet.

Dan. 4: 24.
Ad alterum membrum 5. diſtinctionis, de juſtitia redimente peccata, reſponſio.

36. Daniel ſua exbortatione, qua ſuadebat Nebucbadnezer *ut peccata ſua juſtitia redimeret, & iniquitates ſuas miſeratione pauperum*, non voluit ſignificare juſtitiam & miſericordiam eſſe Dei propitiationem & pœnatum redemptionem: (abſit enim ut alia unquam fuerit [illegible] quam ſanguis Chriſti) ſed illud redimere, ad bomines potius quam ad Deum retulit. acſi dixiſſet, Exercuiſti, ô Rex, injuſtam & violentam dominationem, oppreſſiſti humiles, ſpoliaſti pauperes, dure & inique tractaſti populum tuum: pro injuſtis exactionibus, pro violentia & oppreſſione nunc refer miſericordiam & juſtitiam. Similiter Solomon *charitate operiri multitudinem peccatorum* ait: non apud Deum, ſed inter bomines ipſos. Sic enim babet integer verſus, *Odium excitat contentiones: charitas vero operit cunctas iniquitates.* Quo verſu, more ſuo, per antitheſin, mala quæ ex odiis naſcuntur, cum fructibus charitatis confert, in hunc ſenſum, Qui inter ſe oderunt, viciſſim mordent, carpunt, exprobrant, lacerant, omnia vitio vertunt: at vero qui ſe diligunt, multa inter ſe mutuo diſſimulant, ad multa connivent, multa viciſſim condonant: non quod alter alterius vitia probet, ſed tolerat, & admonendo medetur, potius quam inſectando exulceret. Eodem ſenſu citatum locum bunc à Petro nihil ambigendum eſt: niſi depravatæ vafreque detortæ Scripturæ inſimulare eum volumus. Ubi vero miſericordia & beoignitate docet expiari peccatum, non intelligit illis coram facie Domini compenſari, ut tali ſatisfactione pacatus Deus, pœnam, quam alioqui erat expetiturus, remittat: ſed familiari Scripturæ more indicat, quod ipſum ſibi propitium reperturi ſint, qui vitiis ac nequitiis prioribus valere juſſis, per pietatem & veritatem ad ipſum convertuntur. acſi diceret, iram Domini reſidere, ac quieſcere ejus judicium ubi à flagitiis noſtris quieſcimus. Nec vero cauſam veniæ, ſed potius modum veræ converſionis deſcribit. Sicuti frequenter denunciant Prophetæ fruſtra Deo hypocritas ingerere fictitios ritus pro pœnitentia, quem oblectat integritas cum officiis charitatis. Sicut etiam admonet auctor epiſtolæ ad Hebræos, *beneficentiam & bumanitatem* commendans, *ejuſmodi ſacrificia placere Deo.* Nec certe Chriſtus, dum Pbariſæos ſublannans quod purgandis tantum catinis intenti, cordis munditiem negligerent, jubet eos, *quo omnia munda ſint, dare eleemoſynas*, ad ſatisfacieodum bortatur: ſed tantum docet qualis probetur Deo mundities. De qua loquutione alibi tractatum eſt.

Prov. 10. verſ. 12.
Reſponſio ad tertium membrum de charitate multitudinem peccatorum operiente.

1 Pet. 4: 8.
Prov. 16: 6.
Ad quartum membrum, de miſericordia peccatum expiante, reſponſio.

Item, ad quintum, de eleemoſynis omnia mundantibus.
Heb. 13. verſ. 16.
Matth. 23. verſ. 25.
Luc. 11. verſ. 41.
vid. Calv. in Harm. Euang.

Luc. 7: 39.
Et ad poſtremum, de peccatis mulieri multis condonatis, quod multum dilexiſſet.

37. Quantum attinet ad locum Lucæ, nemo, qui parabolam illic à Domino propoſitam ſano judicio legerit, nobis ex eo controverſiam faciet. Phariſæus apud ſe cogitabat, non cognoſci à Domino mulierem quam tanta facilitate ad ſe admiſiſſet. Sentiebat enim non fuiſſe admiſſurum, ſi peccatricem, qualis erat cognoviſſet. Atque ex eo colligebat non eſſe Propbetam, qui eum in modum falli poſſet. Dominus, ut peccatricem non eſſe oſtenderet cui jam remiſſa eſſent peccata, parabolam propoſuit: *Duo debitores erant uni fæneratori. alter quinquaginta debebat, alter quingenta: utrique remiſſum eſt debitum. uter majorem gratiam babet?* Reſpondet Phariſæus, *Is utique cui plus donatum eſt.* Subjicit Dominus, Hinc agnoſce *remiſſa eſſe huic mulieri peccata, quia dilexit multum.* Quibus verbis (ut vides) ejus dilectionem non facit cauſam remiſſionis peccatorum, ſed probationem. Sunt enim ſumpta à ſimili ejus debitoris, cui remiſſa erant quingenta, cui non dixit ideo remiſſa quia multum dilexiſſet: ſed ideo multum diligere, quia remiſſa ſint. Atque huc eam ſimilitudinem applicari convenit, in hanc formam: Putas mulierem banc eſſe peccatricem. atqui talem non eſſe agnoſcere debueras, quando ei remiſſa ſint peccata. Remiſſionis autem peccatorum fidem tibi facere debuerat ejus dilectio, qua ob beneficium gratiam refert. Eſt autem argumentum à poſteriori, quo aliquid demonſtratur à ſignis ſequentibus. Qua autem ratione peccatorum remiſſionem illa obtinuerit, palam Dominus teſtatur. *Fides*, inquit, *tua te ſalvam fecit.* Fide igitur remiſſionem aſſequimur: charitate gratias agimus, & Domini beneficentiam teſtamur.

Dilectio mulieris non cauſa remiſſionis peccatorum, ſed probatio.

Argumentum eſt à poſteriori.

38. Patum autem me movent quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam ſimpliciter, omnes fere quorum libri extant) aut bac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſpere ac dure loquutos: ſed non concedam eos ipſos adeo fuiſſe rudes & imperitos, ut eo ſenſu illa ſcripſerint quo à novis iſtis ſatisfactionariis leguntur. Cbryſoſtomus alicubi ita ſcribit, *Ubi miſericordia flagitatur, interrogatio ceſſat: ubi miſericordia poſtulatur, judicium non ſævit: ubi miſericordia petitur, pœnæ locus non eſt: ubi miſericordia, quæſtio nulla: ubi miſericordia, condonata reſponſio eſt.* Quæ verba uteunque torqueantur, cum dogmatibus tamen Scholaſticis conciliari nunquam poterunt. In libro autem de dogmatibus Eccleſiaſticis, qui Auguſtino inſcribitur, ſic legis, *Pœnitentiæ ſatisfactio eſt, cauſas peccatorum excidere, nec eorum ſuggeſtionibus aditum indulgere.* Quo apparet, illis quoque ſeculis irriſam paſſim fuiſſe ſatisfactionis doctrinam, quæ pro admiſſis delictis rependi diceretur: quum omnem ſatisfactionem ad cautionem referat ſe in poſterum à peccatis abſtineodi. Nolo citare quod tradit idem Chryſoſtomus, eum nihil à nobis ultra requirere quam ut delicta noſtra, cum lachrymis apud ſe confiteamur: quando ejuſmodi ſententiæ ſubinde in ejus & aliorum ſcriptis recurrunt. Auguſtinus quidem alicubi *opera miſericordiæ remedia* nuncupat *obtinendæ peccatorum remiſſionis*: ſed ne in verbulo iſto quis impingat, ipſe alio loco occurrit. *Caro Chriſti*, inquit, *verum eſt & unicum pro peccatis ſacrificium, non modo iis quæ univerſa in Baptiſmate delentur, ſed quæ poſtea ex infirmitate ſubrepunt: propter quæ univerſa quotidie clamat Eccleſia, Remitte nobis debita noſtra. Et remittuntur per ſingulare illud ſacrificium.*

6. Objectio pro ſatisfactione, ex veterum ſcriptis.

Homil. 2. in Pſal. 50. cap. 54.
Horum nonnulli eſſi hac in parte aut lapſi ſunt, aut nimis aſpere ac duriter loquuti, tamen cum Scholaſticis non conveniunt, ut ex Auguſtini & Chryſoſtomi teſtimoniis conſtat.

Homil. 10. in Geneſ.

Enchir. ad Laurent.

Mat. 6: 12.

39. Vocatunt autem ut plurimum ſatisfactionem, non compenſationem quæ Deo redderetur: ſed publicam teſtificationem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant, quum in communionem recipi vellent, Eccleſiam reddebant de ſua pœnitentia certiorem. Indicebantur enim illis pœnitentibus certa jejunia, & alia quibus ſe prioris vitæ vere & ex animo pertæſos eſſe approbarent, vel potius priorum memoriam obliterarent: atque ita dicebantur non Deo, ſed Eccleſiæ ſatisfacere. Quod etiam his ipſis verbis ab Auguſtino expreſſum eſt in Enchiridio ad Laurentium. Ex antiquo eo ritu ſumpſerunt originem confeſſiones & ſatisfactiones quæ hodie in uſu ſunt. Viperei ſane partus, quibus factum eſt, ut ne umbra quidem melioris illius formæ ſuperſit. Scio veteres interdum duriuſcule loqui: nec, ut nuper dixi, forſan lapſos eſſe nego. ſed quæ pauculis nævis aſperſa erant, dum illotis iſtorum manibus tractantur, prorſus inquinantur. Et ſi veterum auctoritate pugnandum eſt, quos, Deus bone, veteres nobis obtrudunt? Bona pars eorum quibus Lombardus eorum coryphæus centones ſuos contexuit, ex inſulſis quorundam monachorum deliriis, quæ ſub Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini & Chryſoſtomi nomine feruntur, decerpta eſt, ut in præſenti argumento omnia fere ſumit è libro Auguſtini de pœnitentia, qui à rapſodo aliquo inepte ex bonis pariter ac malis auctoribus conſarcinatus, Auguſtini quidem nomen præfert, ſed quem nemo, vel medioeriter doctus, agnoſcere pro ſuo dignetur. Quod autem in eorum ineptias non

De ſatisfactionibus enim ita loquuti ſunt, ut appareat eo tempore ſatisfactiones Eccleſiæ pacem, non Dei thronum reſpexiſſe.

cap. 65. citatur in Decr. c. in act. pœnit. diſtinct. 1.

Scholaſtici autem, quod obſcure à nonnullis, inſulſe ab ignotis monachis prolatum eſt, peſſime ſunt interpretati.

tam argute exquiro, ignoſcant Lectores, quos volo moleſtia levare. Mihi certe nec valde laborioſum, & tamen plauſibile eſſet traducere cum maximo proſtro quæ antehac pro myſteriis jactarunt: ſed quia fructuoſe docere propoſitum eſt, ſuperſedeo.

CAP. V.

De ſupplementis quæ ad ſatisfactiones adjiciunt, nempe indulgentiis & purgatorio.

Partes capitis.

1. *Indulgentiarum Papiſticarum ſumma, deſcriptio & refutatio, ſect. 1. & 2.*
2. *Earundem confutatio ex Leone & Auguſtino collecta, ſimulque additur ad duas objectiones quæ hunc errorem fulciunt reſponſio, ſect. 3. & 4. Papæ item in parte profana turpis lucri cupiditas, & indulgentiarum origo, detegitur, ſect. 5.*
3. *Purgatorii Papiſtici examen neceſſarium, impietas horrenda, ſect. 6. explicatio quinque locorum Scripturæ, quibus ſomnium illud Sophiſtæ confirmare nituntur, ſect. 7. 8. 9. Deinde quid veteres Theologi de hoc purgatorio ſenſerint, diſſeritur, ſect. 10.*

Satisfactionis doctrina indulgentiarum mater.

EX bac porro ſatisfactionis doctrina ſcatu|riunt indulgentiæ. Nam quod ad ſatisfaciendum facultatibus noſtris deeſt, iſtis ſuſfici nugantur: atque eo proſiliunt inſaniæ ut diſpenſationem eſſe definiant meritorum Chriſti & Martyrum, quam Papa ſuis bullis partitur. Etſi autem helleboro magis quam argumentis digni ſunt, ut non magnum operæpretium ſit tam frivolis erroribus refellendis iocumbere, qui multis arietibus percuſſi ſua ſponte conſeneſcere & ad inclinationem ſpectare incipiunt: quia tamen imperitis quibuſdam utilis erit brevis refutatio, eam non omittam. Et ſane quod tamdiu ſalvæ conſtiterint indulgentiæ, ac in tam impotenti & furioſa laſcivia tam diuturnam impunitatem retinuerint, id vero documento eſſe poteſt quam alta errorum nocte immerſi fuerint aliquot ſeculis homines. Videbant ſe à Papa & ſuis bulligerulis palam nec diſſimulaoter ludibrio haberi: quæſtuoſas nundinationes de animarum ſuarum ſalute exerceri, pauculis nummis ſalutis pretium taxari, nihil gratuitum proſtare: bac ſpecie emungi ſe oblationibus, quæ in ſcorta, in lenones, in comeſſationes turpiter abſumerentur: ſummos indulgentiarum buccinatores, ſummos eſſe contemptores: monſtrum iſtud majori in dies licentia graſſari ac luxuriari, nec finem ullum fieri, plumbum ſemper novum afferri, oovos nummos elici. Excipiebant tamen ſumma veneratione indulgentias, adorabaot, redimebant: & qui cernebant inter alios acutius, exiſtimabant tamen pias eſſe fraudes, quibus cum fructu aliquo falli poſſent. Tandem ubi orbis aliquantum ſibi ſapere permiſit, frigent indulgentiæ, & paulatim etiam congeleſcunt, dooec plane evaoeſcant.

Ad vanitas.

Tamen diu invaluerunt, & qua de cauſa.

Teſtes ſunt autem impie avaritia Pontificis & Cleri Romani: horrenda item cacitatis qua Chriſtianus orbis jam dudum percuſſus eſt.

Harum deſcriptio ex Sophiſtarum ſententia.

2. Verum quoniam plurimi, qui ſordes, impoſturas, furta, rapacitates (quibus luſerunt hactenus, & nos ludificati ſunt indulgentiarũ) vident, fontem ipſum impietatis non conſpiciunt: operæpretium eſt indicare non ſolum quales ſint indulgentiæ, ſed quid omnino ſint omni macula abſterſæ. *Theſaurum Eccleſiæ* vocant, Chriſti & ſanctorum Apoſtolorum Martyrumque merita. Hujus horrei radicalem cuſtodiam (ut attigi) Romaoo Epiſcopo traditam fingunt, penes quem ſit tantorum bonorum diſpenſatio, ut & ipſe per ſe elargiri poſſit, & elargiendi juriſdictionem aliis delegare. Hinc nuoc plenariæ indulgentiæ à Papa, nunc certorum annorum: à Cardinalibus, centum dierum: ab Epiſcopis, quadraginta. Sunt autem illæ (ut genuine deſcribam) ſanguinis Chriſti profanatio, Satanæque ludibrium, quo Chriſtianum populum à Dei gratia, à vita quæ eſt in Chriſto, abducant, & à vera ſalutis via avertant. Quî enim poterat fœdius profanari Chriſti ſanguis, quam dum negatur ſufficere ad peccatorum remiſſionem, ad reconciliatioaem, ad ſatisfactionem; niſi velut areſcentis & exhauſti defectus aliunde ſuppleatur &

Revera quid ſint: & tanta impietatis refutatio, ſoptem Scripturæ locis confirmata.

ſufficiatur? *Chriſto Lex & Prophetæ omnes*, inquit Actor. 10.
Petrus, *teſtimonium perhibent, quod per ipſum accipien-* verſ. 43.
da ſit remiſſio peccatorum: indulgentiæ remiſſionem
peccatorum per Petrum, Paulum & Martyres lar-
giuntur. *Sanguis Chriſti emundat nos à peccato*, inquit 1 Joan. 1.
Joannes: indulgentiæ ſanguioem Martyrum fa- verſ. 7.
ciunt peccatorum ablutionem. *Chriſtus*, inquit Pau- 2 Cor. 5.
lus, *qui peccatum non noverat, factus pro nobis eſt pecca-* verſ. 21.
tum (id eſt, peccati ſatisfactio) *ut juſtitia Dei efficere-
mur in illo*: indulgentiæ peccatorum ſatisfactionem
in ſanguine Martyrum reponunt. Clamabat Paulus 1 Cor. 1.
& Corihtbiis teſtificabatur, ſolum Chriſtum pro verſ. 13.
ipſis crucifixum & mortuum eſſe: indulgentiæ pro-
nunciant, Paulum & alios pro nobis mortuos. Alibi
dicit, *Chriſtum acquiſivisse Eccleſiam ſuo ſanguine*: Actor. 20.
indolgentiæ aliud pretium acquiſitionis in Marty- verſ. 28.
rum ſanguine ſtatuunt. *Una oblatione Chriſtus con-* Heb. 10.
ſummavit in perpetuum ſanctificatos, ait Apoſtolus: verſ. 14.
indulgentiæ reclamant, à Martyribus perfici ſan-
ctificationem, quæ alioqui non ſufficeret. Joannes Apoc. 7.
dicit, *ſanctos omnes laviſſe ſtolas in ſanguine Agni*: in- verſ. 14.
dulgentiæ docent lavare ſtolas in ſanguine Sancto-
rum.

Item luculento Leonis, Rom. Epiſcopi, teſtimonio.

3. Præclare adverſus hæc ſacrilegia Leo Romanus Epiſcopus ad Palæſtinos, *Quamvis*, inquit, *multorum ſanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi. Accepere juſti, non dederunt coronas; & de fortitudine fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ. ſingulares quippe eorum mortes fuere, nec alterius quiſpiam debitum ſuo fine perſolvit: quum unus extiterit Dominus Chriſtus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, ſepulti, ſuſcitati.* Quam ſententiam, ut erat memorabilis, alibi quoque repetiit. Nihil certe clarius ad confodieodum impium hoc dogma deſiderari queat. Nec tamen minus appoſite Auguſtinus in eandem ſententiam, *Etſi fratres*, inquit, *pro fratribus morimur, nullius tamen ſanguis Martyris in peccatorum remiſſionem funditur: quod fecit Chriſtus pro nobis: neque in hoc quod imitaremur, ſed quod gratularemur contulit nobis.* Item alibi, *Sicut ſolus Filius Dei factus eſt Filius hominis, uti nos ſecum filios Dei faceret: ita pro nobis ſolus ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, ut nos per ipſum ſine bonis meritis conſequeremur indebitam gratiam.* Equidem quum tota eorum doctrina ex horrendis ſacrilegiis & blaſphemiis conſuta ſit, hæc tamen præ aliis prodigioſa eſt blaſphemia. Agnoſcant annon bæc ſint ſua placita, Martyres plus morte ſua Deo præſtitiſſe ac meritos eſſe quam ſibi opus eſſet: tantamque illis meritorum largitatem ſuperfuiſſe, quæ in alios redundaret. Ne igitur ſupervacuum ſit tantum bonum, commiſceri eorum ſanguinem ſanguini Chriſti, & ex utroque theſaurum Eccleſiæ confici, ad remiſſionem & ſatisfactionem peccatorum. Atque ita accipiendum quod ait Paulus, Col. 1: 24.

epiſt. 81. Pſal. 116. verſ. 15. epiſt. 95.

Cui Auguſtinus ſuffragatur. Tract. in Joan. 84. lib. 4. ad Bonif. c. 4.

Nihilominus tamen Papiſtici doctores prodigioſam hanc indulgentiarum blaſphemiam tuere, & quidem Apoſtoli auctoritate, conantur.

Suppleo

Suppleo in corpore meo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia. Quid hoc eſt, niſi Chriſto nomen relinquere, cæterum vulgarem ſanctulum facere, qui in turba vix dignoſcatur? Unum, unum illum prædicari decebat, unum proponi, unum nominati, unum reſpici, quum de obtinenda peccatorum remiſſione, expiatione, ſanctificatione agitur. Sed audiamus eorum enthymemat: Ne ſine fructu effuſus ſit ſanguis Martyrum, in commune Eccleſiæ bonum confeſtur.

Reſponſio 1.

Itane? an vero nullus erat fructus glorificare Deum per mortem? veritati ejus ſuo ſanguine ſubſcribere? teſtificari præſentis vitæ contemptu, meliorem ſe vitam quærere? fidem Eccleſiæ ſua conſtantia confirmare, hoſtium autem pertinaciam frangere? Sed hoc eſt ſcilicet, nullum fructum agnoſcunt, ſi ſolus Chriſtus eſt propitiator, ſi ſolus mortuus eſt propter peccata noſtra, ſi ſolus eſt oblatus pro noſtra redemptione.

Inſtantia nova diluitio.

Nihilominus (inquiunt) coronam victoriæ adepti eſſent Petrus & Paulus ſi in lectulis defuncti eſſent ſua morte. Quod autem ad ſanguinem uſque certarunt, id ſterile & infructuoſum relinquere, juſtitiæ Dei non quadraret. Quaſi vero pro donorum ſuorum menſura gloriam in ſervis ſuis augere Deus non noverit. Utilitas autem ſatis magna in commune ab Eccleſia percipitur, ubi illorum triumphis accenditur ad pugnandi zelum.

Reſponſio 2. ad Apoſtoli locum, quem indulgentiarii malitioſe detorquent.

4. Quam vero malitioſe Pauli locum detorquent, ubi dicit *ſe ſupplere in corpore ſuo ea quæ deerant paſſionum Chriſti!* Non enim defectum illum, ſupplementumve illud ad redemptionis, ſatisfactionis, expiationis opus refert, ſed ad eas afflictiones, quibus Chriſti membra, nempe fideles omnes exerceri oportet, quamdiu in hac carne agent. Dicit ergo hoc reſtare paſſionum Chriſti, quod in ſeipſo ſemel paſſus, quotidie in membris ſuis patitur. Eo nos honore dignatur Chriſtus, ut noſtras afflictiones ſuas reputet ac ducat. Quod autem addidit Paulus, *pro Eccleſia:* non intelligit pro redemptione, pro reconciliatione, pro ſatisfactione Eccleſiæ: ſed pro ædificatione & profectu.

Confirmatio reſponſionis, à collatione aliorum locorum.

Quemadmodum alibi ait, *ſe ſuſtinere omnia propter electos, ut ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

2 Tim. 2. verſ. 10.

Et Corinthiis ſcribebat, *pro eorum conſolatione & ſalute ſe perferre,* quaſcunque tribulationes patiebatur.

2 Cor. 1:6.

Et continuo ibidem ſeipſum explicat, quum addit ſe factum Eccleſiæ miniſtrum, non ad redemptionem, ſed ſecundum diſpenſationem quæ illi commiſſa erat, ad prædicandum Chriſti Euangelium.

Ab Auguſtini, Paulum interpretantis, teſtimonio.

Quod ſi alium quoque interpretem requirunt, audiant Auguſtinum. *Paſſiones,* inquit, *Chriſti in ſolo Chriſto, ut in capite: in Chriſto & Eccleſia, ut in toto corpore. Unde dicit membrum unum Paulus, Suppleo in corpore meo quod deeſt paſſionibus Chriſti. Si ergo in membris Chriſti es, quiſquis hæc audis, quicquid pateris ab iis qui non ſunt Chriſti membra, deerat paſſionibus Chriſti.*

in Pſal. 16.

Paſſiones vero Apoſtolorum pro Eccleſia ſuſceptæ quorſum tendant, alibi exponit, *Chriſtus mihi janua eſt ad vos. quia oves Chriſti eſtis, ſanguine ejus comparatæ: agnoſcite pretium veſtrum, quod à me non datur, ſed per me prædicatur.* Deinde ſubnectit, *Quomodo ipſe animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere, ad ædificandam pacem, ad fidem aſſerendam.* Hæc Auguſtinus.

Tract. in Joan. 47.

Ab aliis Apoſtoli locis, qui conſilium ſervi Dei aperiunt.

Abſit autem ut deeſſe aliquid putaverit Paulus paſſionibus Chriſti, quantum ad omnem juſtitiæ, ſalutis ac vitæ plenitudinem attinet: aut addere aliquid voluerit, qui adeo luculenter & magnifice concionatur, exuberantiam gratiæ per Chriſtum tanta largitate effuſam, ut omnem vim peccati longe ſupergreſſa fuerit.

Rom. 5. v. 15. &c.

Hac ſola ſancti omnes ſalvi facti ſunt, non vitæ aut mortis ſuæ merito, quemadmodum Petrus diſerte teſtatur: ut in Deum & Chriſtum ejus contumelioſus fuerit, qui ullius ſancti dignitatem alibi quam in ſola Dei miſericordia repoſuerit. Sed quid hic diutius, perinde atque in re adhuc obſcura, moror, quum talia prodigia traducere, vincere ſit?

Act. 15:11.

Profana turpis lucri cupiditas Pontificis Romani refellitur.

5. Porro, ut tales abominationes prætereamus, quis docuit Papam plumbo & membranæ gratiam Jeſu Chriſti includere, quam Dominus verbo Euangelii diſpenſari voluit? Sane aut mendax Dei Euangelium eſſe oportet, aut mendaces indulgentias. Nam Euangelio Chriſtum, cum omni affluentia bonorum cæleſtium, cum omnibus ſuis meritis, omni ſua juſtitia, ſapientia, gratia, nulla exceptione, nobis offerri teſtis eſt Paulus, quum dicit *depoſitum eſſe apud miniſtros verbum reconciliationis, quo hac legationis forma fungantur, ceu Chriſto per ipſos hortante, Obſecramus, reconciliamini Deo. Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut juſtitia Dei efficeremur in illo.*

2 Cor. 5. verſ. 18. 20. & 21.

Et quid valeat Chriſti *κοινωνία*, quæ (eodem Apoſtolo teſte) fruenda nobis in Euangelio offertur, norunt fideles.

1 Cor. 1:9.

Contra indulgentiæ demenſum aliquod gratiæ ex armario Papæ recluſum, plumbo, membranæ, loco etiam affigunt, à verbo Dei avellunt.

Indulgentiarum origo.

Siquis autem originem requirat, hinc videtur hic abuſus emanaſſe, quod quum injungerentur olim ſeveriores ſatisfactiones pœnitentibus quam ut ab omnibus ferri poſſent, qui pœnitentia ſibi impoſita gravari ſe ultra modum ſentiebant, petebant ab Eccleſia relaxationem. Remiſſio, quæ talibus fiebat, indulgentia vocabatur. Ubi autem ſatisfactiones ad Deum tranſtulerunt, ac compenſationes eſſe dixerunt, quibus ſe redimant homines à judicio Dei, ſimul etiam indulgentias eo traxerunt, ut eſſent expiatoria remedia, quæ nos pœnis meritis liberent. Illas vero quas retulimus blaſphemias, tanta impudentia confinxerunt, ut nullum prætextum habere queant.

Purgatorii à Papiſtis confictis examen quam ſit neceſſarium.

6. Jam nec de ſuo Purgatorio moleſti nobis ſint: quod hac ſecuri fractum, ditutum & à fundamentis prorſus everſum eſt. Neque enim quibuſdam aſſentior, qui diſſimulandum hac in parte cenſent, & mentionem Purgatorii omittendam, ex qua acres (ut aiunt) pugnæ oriuntur, minimum ædificationis referri poteſt. Equidem & ipſe tales nugas negligendas conſulerem, niſi ſeriis ducerent.

Ratio 1. à rei ipſius conſideratione.

Sed quum ex multis blaſphemiis conſtructum ſit Purgatorium, & novis quotidie fulciatur, quum multas & graves offenſiones ſuſcitet: profecto connivendum non eſt. Illud forte utcunque ad tempus diſſimulari poterat, quod ſine Dei verbo, curioſa audacique temeritate excogitatum erat: quod de ipſo creditum erat neſcio quibus revelationibus Satanæ arte confictis: quod ad ipſius confirmationem aliquot Scripturæ loci inſcite detorti erant.

2. A Dei auctoritate.

Quanquam non fert Dominus humanam audaciam ſic in abditos judiciorum ſuorum receſſus perrumpere: & ſevere prohibuit, neglecta voce ſua, ſciſcitari à mortuis veritatem: nec verbum ſuum tam irreligioſe contaminari permittit.

Deut. 18. verſ. 11.

Demus tamen, illa omnia tolerari aliquantiſper potuiſſe, ut res non magni momenti.

3. A conſideratione meriti Chriſti, quod hoc commento abolетur.

at ubi peccatorum expiatio alibi quam in Chriſti ſanguine quæritur, ubi ſatisfactio alio transfertur, periculoſiſſimum ſilentium. Clamandum ergo non modo vocis, ſed gutturis ac laterum contentione, Purgatorium exitiale Satanæ eſſe commentum, quod Chriſti crucem evacuat, quod contumeliam Dei miſericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem noſtram labefacit & evertit.

Purgatorium, quid.

Quid enim illis eſt Purgatorium, niſi quæ poſt mortem à defunctorum animis pendatur pro peccatis ſatisfactio? ut diruta ſatisfaciendi opinione, ipſum ab imis radicibus extemplo evertatur. Quod ſi proxima diſputatione pluſquam perſpicuum eſt, Chriſti ſanguinem, unicam eſſe pro fidelium peccatis ſatisfactionem, expiationem, purgationem: quid ſuper-

4. Ratio, ab impietatibus ex hoc fonte ſcaturientibus.

ſupereſt niſi Purgatorium meram eſſe, eamque horribilem in Chriſtum blaſphemiam? Prætereo ſacrilegia quibus quotidie defenditur, offendicula quæ in religione parit, aliaque innumera, quæ ex tali impietatis fonte prodiiſſe conſpicimus.

Locorum Scripturæ pro Purgatorio citatorum explicatio.

Matth. 12. verſ. 32.
Marc. 3. verſ. 28.
Luc. 12: 10.

1. De peccato quod neque in hoc, neque in futuro ſeculo condonatur: unde inferunt, quorundam eſſe in futuro ſeculo peccatorum remiſſionem.

7. Quos tamen è Scriptura locos arripere falſo & perperam ſolent, illis è manibus excutere operæpretium eſt. Quum Dominus, inquiunt, peccatum in Spiritum ſanctum, *neque in hoc, neque in futuro ſeculo remittendum* aſſeverat, ex eo ſimul innuit, quorundam eſſe in futuro ſeculo peccatorum remiſſionem. Verum quis non videat, Dominum illic de peccati culpa loqui? Quod ſi ita eſt, quid ad eorum Purgatorium, utpote quorum illic pœna ex eorum opinione, luitur, culpam in præſenti vita remiſſam eſſe non inficiantur? Ne tamen adhuc nobis obſtrepant, planiorem habebunt ſolutionem. Quum Dominus ſpem omnem veniæ præcidere vellet tam flagitioſæ nequitiæ, non ſatis habuit dicere, nunquam remiſſum iri: ſed quo magis amplificaret, partitione uſus eſt, qua & judicium complexus eſt quod ſentit in hac vita uniuſcujuſque conſcientia, & poſtremum illud, quod palam in reſurrectione feretur: acſi diceret, Vos à malitioſa rebellione, non ſecus ac præſentiſſimo exitio, cavete. Nam qui oblatam Spiritus lucem deſtinato extinguere conatus fuerit, neque in hac vita, quæ peccatoribus ad converſionem data eſt, veniam conſequetur, neque ultimo die, quo per Angelos Dei agni ab hœdis ſegregabuntur, & regnum cæleſte omnibus ſcandalis repurgabitur. Proferunt deinde illam ex Matthæo parabolam, *Concordiam habe cum adverſario tuo: nequando te ille judici tradat, judex lictori, lictor carceri: unde non exeas donec perſolveris ultimum quadrantem.* Si judex hoc loco Deum ſignificat, litigator Diabolum, lictor Angelum, carcer Purgatorium, libenter dabo manus. Verum ſi nulli non conſtat, voluiſſe illic Chriſtum oſtendere, quot periculis ac malis ſe objiciant, qui ſummum jus obſtinate pertentare malunt quam ex æquo & bono agere, quo vehementius ad æquam concordiam ſuos exhortaretur: ubi, quæſo, reperietur Purgatorium?

2. De ultimo quadrante perſolvendo.

Matth. 5. verſ. 25.

3. De genuflexione infernorum.

Phil. 2: 10.

8. Petunt ex Pauli dicto argumentum, ubi *cæleſtium, terreſtrium & infernorum genua Chriſto flecti* affirmat. Infernos enim non poſſe intelligi, qui æternæ damnationi addicti ſunt, pro confeſſo aſſumunt. Proinde ſupereſt ut ſint animæ in Purgatorio laborantes. Non peſſime ratiocinarentur, ſi Apoſtolus verum pietatis cultum per geniculationem deſignaret: ſed quum ſimpliciter doceat, delatam eſſe Chriſto dominationem, qua ſubjugandæ ſint univerſæ creaturæ: quid obſtat quominus per infernos, diabolos intelligamus, qui ſane ad Domini tribunal ſiſtentur, Judicem ſuum agnituri, cum terrore & trepidatione? Qualiter eandem prophetiam Paulus ipſe alibi interpretatur: *Omnes*, inquit, *ſiſtemur ad tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim, Vivo ego, mihi flectetur omne genu*, &c. Atqui in eum modum interpretari non licet, quod in Apocalypſi habetur, *Omnem creaturam, quæ in cælo, & quæ ſuper terram, & quæ ſub terra, & quæ in mari, & quæ in ipſis ſunt, omnia audivi dicentia, Sedenti in throno, & Agno, benedictio & honor & gloria & poteſtas in ſecula ſeculorum.* Id quidem facile concedo: ſed quales hic creaturas recenſeri putant? Certo enim certius eſt, & ratione carentes & inanimatas comprehendi. Quo non aliud affirmatur quam ſingulas orbis partes, à ſummo cælorum vertice ad uſque terræ centrum, ſuo modo Creatoris gloriam enarrare. Quod ex Machabæorum hiſtoria proferunt, reſponſione non dignabor, ne opus illud videar in ſacrorum librorum catalogum referre. At Auguſtinus pro canonico recepit. Primum quam certa fide? *Scripturam*, inquit, *Machabæorum non habent Judæi ſicut Legem, Prophetas, & Pſalmos, quibus teſtimonium perhibet Dominus tanquam teſtibus ſuis, dicens, Oportebat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege, & Pſalmis, & Prophetis de me. Sed recepta eſt ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobrie legatur vel audiatur*, &c. Hieronymus autem ſine dubitatione, minime valere ejus auctoritatem ad aſſerenda dogmata docet. Et ex libello illo vetuſto, qui ſub nomine Cypriani de expoſitione Symboli inſcribitur, aperte conſtat locum nullum in veteri Eccleſia habuiſſe. Et quid fruſtra hic contendo? Quaſi auctor ipſe non ſatis oſtendat quantum ſibi deferendum ſit, quum veniam in fine precatur, ſiquid minus bene dixerit. Certe qui ſcripta ſua indigere venia fatetur, Spiritus ſancti oracula non eſſe clamat. Adde, quod non alio nomine laudatur Judæ pietas, niſi quia ſpem firmam de ultima reſurrectione habuerit, ubi oblationem miſit pro mortuis Hieroſolymam. Neque enim ad pretium redemptionis trahit ſcriptor hiſtoriæ quod ille egit: ſed ut conſortes æternæ vitæ eſſent cum reliquis fidelibus, qui pro patria & religione occubuerant. Superſtitione quidem & præpoſtero zelo non caruit hoc factum: ſed pluſquam fatui ſunt qui ſacrificium legale ad nos uſque trahunt: quando adventu Chriſti ſcimus ceſſare quæ in uſu tunc fuerunt.

Rom. 14. verſ. 10.

Apoc. 5. verſ. 13.

4. De exemplo Judæ Machabæi, oblationem pro mortuis Hieroſolymam mittentis.

2Mach. 12. verſ. 43.

contra ſecund. Gaudent. epiſt. cap. 23.

Luc. 24. verſ. 44.

2Mach. 15. verſ. 39.

9. Verum habent invictum cuneum in Paulo, qui non ita facile percelli queat. *Siquis ſuperædificat*, inquit, *ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: uniuſcujuſque opus quale ſit, dies Domini manifeſtabit: quod in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur. ipſe autem ſalvus erit: ſed quaſi per ignem.* Quis (inquiunt) ille ignis eſſe poteſt niſi purgatorius, per quem peccatorum ſordes abſterguntur, quo puri ingrediamur in regnum Dei? Atqui alium eſſe ſenſerunt veterum plerique, nempe tribulationem ſeu crucem, per quam Dominus ſuos examinat, ne in carnis ſordibus acquieſcant: idque multo probabilius quam Purgatorium confingendo. Quanquam nec illis aſſentior: quia mihi videor certiorem multo & lucidiorem ejus loci intelligentiam aſſequutus. Antequam tamen eam profero, velim mihi reſpondeant, putentne Apoſtolis ac ſanctis omnibus per hunc ignem purgatorium tranſeundum fuiſſe. Negabunt, ſcio: nimis enim abſonum foret eos purgari oportuiſſe, quorum merita ultra menſuram ad univerſa Eccleſiæ membra redundare ſomniant. Verum Apoſtolus hoc affirmat: neque enim dicit, quorundam opus probatum iri, ſed omnium. Neque hoc meum argumentum eſt, ſed Auguſtini, qui ſic interpretationem illam oppugnat. Et (quod magis abſurdum eſt) non dicit tranſituros ob qualibet opera: ſed ſi Eccleſiam ſumma fidelitate ædificarint, mercedem recepturos, ubi opus eorum igni fuerit examinatum. Principio, videmus Apoſtolum metaphora uſum eſſe, quum doctrinas hominum capite excogitatas, lignum, fœnum, & ſtipulam vocavit. Ratio quoque metaphoræ prompta eſt: nempe quod velut lignum, ſtatim atque igni admotum fuerit, conſumitur & deperditur, ſic neque illæ perdurare poterunt, quum eas examinari contigerit. Porro, ejuſmodi examen à Spiritu Dei proficiſci, neminem latet. Quo igitur filum metaphoræ proſequeretur, ac partes juſta correlatione inter ſe aptaret, ignem appellavit examen Spiritus ſancti. Perinde enim atque aurum & argentum, quo propius ad ignem admoventur, eo certiorem probitatis puritatiſque probationem referunt: ita Domini veritas, quo exactius ſpirituali examine expenditur, eo majorem ſumit auctoritatis confirmationem. Quemadmodum fœnum, lignum, ſtipula igni admota, corripiuntur in ſubitam conſumptionem: ita hominum inventa, Domini verbo non ſtabilita,

5. De igne, uniuſcujuſque opus probante.

1 Cor. 3. verſ. 12.

Chryſoſt. Auguſt. & alii.

Veterum Theologorum ſententia.

Reſponſio, ad abſurda deducens adverſarios.

Auguſtini teſtimonio confirmata.

Enchir. ad Laur. c. 68.

Senſus Apoſtoli.

Ignis, eo loco quid.

Metaphoræ expoſitio perſpicua.

bilita, Spiritus ſancti examen ferre nequeunt, quin concidant protinus & diſpereant. Denique, ſi commentitiæ doctrinæ, ligno, fœno, ſtipulæ comparantur, quod inſtar ligni, fœni, ſtipulæ comburantur ab igne, & corrumpantur in interitum, non autem conficiuntur aut profligantur, niſi à Domini Spiritu: ſequitur, Spiritum eſſe ignem illum à quo probabuntur. cujus probationem vocat Paulus *diem Domini*, vulgato Scripturæ uſu. Dies enim Domini eſſe dicitur quoties ſuam præſentiam hominibus aliquo modo manifeſtat. Tum vero potiſſimum facies ejus lucet, ubi veritas ejus illucet. Jam evictum eſt, non alium eſſe ignem Paulo, quam Spiritus ſancti examen. Quomodo autem per ignem illum ſalvi fiunt qui operis jacturam patiuntur? Idipſum intelligere non erit difficile, ſi conſideremus de quo genere hominum loquatur. Siquidem eos Eccleſiæ architectos notat, qui retento legitimo fundamento, diſparem materiam ſuperſtruunt: hoc eſt, qui non deflectentes à præcipuis & neceſſariis fidei capitibus, in minoribus, nec ita periculoſis hallucinantur, commenta ſua Dei verbo admiſcentes. Tales, inquam, operis jacturam facere oportet, abolitis eorum commentis: ipſi autem ſalvi fiunt, ſed quaſi per ignem, hoc eſt, non quod eorum ignorantia & hallucinatio coram Domino ſit probabilis: ſed quia Spiritus ſancti gratia & virtute ab illa repurgantur. Proinde quicunque auream divini verbi puritatem iſto purgatorii ſtercore infecerunt, operis jacturam facere neceſſe eſt.

Dies Domini.

Quomodo per ignem ſalvi fiant qui operis jacturam patiuntur.

10. At vetuſtiſſima fuit Eccleſiæ obſervatio. Hanc objectionem ſolvit Paulus, dum ſuam quoque ætatem in ea ſententia comprehendit, ubi denunciat, jacturam operis ſui facere oportere, omnes qui in Eccleſiæ ſtructura aliquid fundamento minus conſentaneum poſuerint. Quum ergo mihi objiciunt adverſarii, ante mille & trecentos annos uſu receptum fuiſſe, ut precationes fierent pro defunctis, eos viciſſim interrogo, quo Dei verbo, qua revelatione, quo exemplo factum ſit. Neque enim hic Scripturæ teſtimonia deſunt tantum: ſed quæcunque illic leguntur ſanctorum exempla, nihil tale oſtendunt. De luctu & officio ſepulturæ habentur illic multæ, & interdum longæ narrationes: de precibus ne minimum quidem apicem videas. Atqui quo majoris momenti res eſt, eo magis debuerat commemorari. atque ipſi etiam veteres qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei, & legitimo exemplo hic ſe deſtitui videbant. Cur ergo audebant? In eo dico aliquid humani paſſos eſſe: ideoque ad imitationem trahendum non eſſe contendo quod fecerunt. Nam quum nihil operis debeant aggredi fideles, niſi certa conſcientia, ut Paulus præcipit, in oratione potiſſimum requiritur hæc certitudo. Credibile tamen eſt aliqua ratione ad id impulſos: nempe ſolatium quærebant quo ſublevarent ſuum mœrorem: & inhumanum videbatur non edere coram Deo aliquod ſuæ erga mortuos dilectionis teſtimonium. Ad hunc affectum quam ſit propenſum hominis ingenium, omnes experiuntur. Fuit etiam inſtar facis recepta conſuetudo, quæ ardorem multorum animis injiceret. Scimus apud cunctas gentes, & ſeculis omnibus juſta fuiſſe ſoluta mortuis, & luſtratas quotannis fuiſſe eorum animas. Etſi autem his præſtigiis ſtultos mortales deluſit Satan, fallendi tamen occaſionem ex recto principio ſumpſit: mortem non eſſe interitum, ſed tranſitum ex hac vita in alteram. Nec dubium eſt, quin Gentiles etiam ipſa ſuperſtitio convictos apud Dei tribunal teneat, quod futuræ vitæ, quam ſe credere profitebantur, curam negligerent. Jam, ne deteriores eſſent profanis hominibus Chriſtiani, puduit eos nullum mortuis officium præſtare, acſi penitus extincti forent. Hinc male conſulta ſedulitas: quia ſi pigri eſſent in curandis funeribus, in epulis & oblationibus, putabant ſe magno probro expoſitum iri. Quod autem ex perverſa æmulatione fluxerat, novis ſubinde incrementis ſic auctum eſt, ut præcipua ſanctitas Papatus ſit mortuis laborantibus opem afferre. Verum aliud ſolatium longe melius ac ſolidius ſuppeditat Scriptura, quum *beatos mortuos* teſtatur *qui in Domino moriuntur*. Et rationem addit: *quia ex eo requieſcunt à laboribus ſuis.* Amori autem noſtro non debemus eo uſque indulgere, ut perverſum orandi morem in Eccleſia erigamus. Certe quiſquis mediocri prudentia pollet, facile agnoſcit, quicquid de hac re legitur apud veteres, publico mori & vulgi imperitiæ fuiſſe datum. Abrepti etiam ipſi, fateor, in errorem fuerunt: nempe ut inconſiderata credulitas privare judicio ſolet hominum mentes. Interea, quam dubitanter preces pro mortuis commendent, lectio ipſa demonſtrat. Monicam matrem ſuam in libris confeſſionum Auguſtinus narrat vehementer rogaſſe, ut ſui memoria in peragendis myſteriis fieret ad altare. Anile ſcilicet votum quod filius non exegit ad normam Scripturæ: ſed pro naturæ affectu probari aliis voluit. Liber autem, de cura pro mortuis agenda, ab eo compoſitus tot hæſitationes continet, ut ſuo frigore merito debeat ſtulti zeli calorem extinguere. ſiquis mortuorum patronus eſſe appetat, frigidis certe veriſimilitudinibus ſecuros reddet qui prius erant ſolliciti. Hæc enim una eſt fultura, quia invaluit conſuetudo ut preces adhibeantur pro mortuis, non eſſe ſpernendum hoc officium. Cæterum ut concedam, vetuſtis Eccleſiæ ſcriptoribus pium eſſe viſum ſuffragari mortuis, regula quæ fallere nequit ſemper tenenda eſt, fas non eſſe in precibus noſtris quicquam afferre proprium, ſed vota noſtra Dei verbo ſubjicienda eſſe: quia penes ejus arbitrium eſt præſcribere quid peti velit. Nunc quum tota Lex & Euangelium ne una quidem ſyllaba libertatem ſuggerant orandi pro mortuis, profanatio invocationis Dei eſt tentare pluſquam nobis præcipiat. Verum ne glorientur adverſarii noſtri, quaſi veterem Eccleſiam erroris ſui ſociam habeant, dico eſſe longum diſcrimen. Agebant illi memoriam mortuorum, ne viderentur omnem de ipſis curam abjeciſſe: ſed ſimul fatebantur ſe dubitare de ipſorum ſtatu. de purgatorio certe adeo nihil aſſerebant, ut pro re incerta haberent. Iſti quod de purgatorio ſomniarunt, pro fidei dogmate haberi ſine quæſtione poſtulant. Illi parce, & tantum ut defungerentur, in communione ſacræ Cœnæ ſuos mortuos Deo commendabant. Hi mortuorum curam aſſidue urgent: & importuna prædicatione efficiunt, ut omnibus charitatis officiis præferatur. Quin etiam, nonnulla veterum teſtimonia proferre, nobis haud difficile eſſet, quæ totas illas pro mortuis preces, quæ tunc uſitatæ erant, manifeſte evertunt. Quale eſt hoc Auguſtini: quum reſurrectionem carnis & æternam gloriam expectari docet ab omnibus: requiem vero, quæ poſt mortem ſequitur, tunc unumquemque accipere, ſi dignus eſt, quum moritur. Itaque pios omnes, non minus quam Prophetas & Apoſtolos & Martyres, ſtatim à morte beata quiete frui teſtatur. Si talis eſt eorum conditio, quid illis obſecro conferent noſtræ preces? Craſſiores illas ſuperſtitiones, quibus ſimplicium animos faſcinarunt, omitto: quæ tamen ſunt innumeræ, & pleræque adeo portentoſæ, ut nullo honeſto colore prætexere ipſas poſſint. Illas quoque turpiſſimas nundinationes taceo, quas in tanto mundi ſtupore ſua libidine exercuerunt. Nam nec ullus futurus eſſet finis, & ſine commemoratione ſatis habebunt hic pii Lectores unde conſcientias ſuas ſtabiliant.

6. Vetuſta quidem eſt hæc opinio, quam vetuſtior Apoſtolus refellit.

Nec firmis teſtimoniis aut argumentis à veteribus fulta eſt.

Rom. 14. verſ. 23.

Imo vero recepta conſuetudine & non moderato ad regulam verbi Dei zelo nitebatur.

Sed ex perverſa æmulatione fluxit, quæ tandem in ſuperſtitionem impiam, à Spiritu Dei, Apoc. 14. verſ. 13. *refutatam, converſa eſt.*

Apoc. 14. verſ. 13.

Puriores autem, ut Auguſtinus, dubitanter preces pro mortuis commendant.

Quicquid ſit, regula verbi Dei tenenda eſt, quæ ejuſmodi commenta rejicit.

Cæterum ingens eſt diſcrimen inter veteres illos, & recentiores Purgatorii architectos: ut ex hac brevi collatione conſtat.

Homil. in Joan. 49. cap. vide eund. lib. 4. de Civit. Dei, c. 13. verſ. 16.

CAP. VI.

De vita hominis Chriſtiani: ac primum, quibus argumentis ad eam nos hortetur Scriptura.

Quæ hoc ſexto capite & quatuor ſequentibus de Vita hominis Chriſtiani diſputantur, eo ordine videntur eſſe congeſta, ut omnia ad duo præcipua capita referri poſſint. Primum, *ut hoc unum apud omnes pro confeſſo habeatur, Neminem Chriſtianum eſſe qui non afficitur ſingulari quodam juſtitiæ amore, cap. 6.*

Deinde, *quod ad normam attinet, qua quiſque vitam ſuam formare debet, etſi ea 7. caput tantum occupare videatur, reliqua tamen tria quæ ſequuntur ad eam ſpectant. Nam quæ duo homini Chriſtiano præſtanda eſſe docet, quum tam ardua deprehendantur, ut in iis præſtandis ſumma patientia ſit opus: hujus rei gratia & utilitatem crucis ex profeſſo deſcribit, cap. 8. & ad futuræ vitæ meditationem revocat, cap. 9. deinde (quod ad hanc rem non parum conducit) quomodo hac vita ejuſque adjumentis utendum ſit, nequid ex ulla parte in eo peccetur, perſpicue oſtendit, cap. 10.*

Porro hujus 6. capitis partes ſunt duæ.

1. *Tractationis de vita Chriſtiana cum doctrina de regeneratione ſeu pœnitentia, connexio, ejuſdemque methodus & partes, ſect. 1. 2. 3.*
2. *Quæ extrema ſint fugienda. 1. Pſeudo-Chriſtiani Chriſtum factis abnegantes damnantur, ſect. 4. Chriſtianis autem non eſt deſperandum, etiamſi perfectionis metam nondum attigerint: modo in ſtadio pietatis & juſtitiæ aliquos progreſſus in dies faciant, ſect. 5.*

Connexio hujus capitis cum doctrina de regeneratione.

SCopum regenerationis eſſe diximus, ut in vita fidelium appareat inter Dei juſtitiam & eorum obſequium ſymmetria & conſenſus: atque ita adoptionem confirment qua recepti ſunt in filios. Etſi autem novitatem illam qua imago Dei in nobis inſtauratur, Lex ipſius in ſe continet,

Neceſſitas doctrinæ de vita hominis Chriſtiani.

quia tamen tarditas noſtra multis tam ſtimulis quam adminiculis opus habet, proderit ex variis Scripturæ locis rationem vitæ reformandæ colligere, ne in ſtudio ſuo aberrent quibus reſipiſcentia cordi eſt. Porro dum vitam Chriſtiani hominis formandam ſuſcipio, argumentum me ingredi non ignoro varium & copioſum, & quod magnitudine ſua longum volumen explere poſſit, ſi numeris ſuis omnibus ipſum abſolvere libeat. Videmus enim in quantam prolixitatem diffundantur veterum parænęſes

Brevitas hujus tractationis, quæ tamen abſolutiſſima videtur.

de ſingulis tantum virtutibus compoſitæ. Neque id loquacitate nimia. ſiquidem quamcunque virtutem commendare oratione propoſitum ſit, ultro ſtylus in eam amplitudinem, materiæ copia deducitur, ut rite diſſeruiſſe non videaris niſi multa dixeris. Mihi vero animus non eſt, quam me traditurum nunc profiteor vitæ inſtitutionem eo uſque extendere, ut & peculiariter ſingulas proſequatur virtutes, & in exhortationes exſpatietur. Ex aliorum ſcriptis, præſertim vero ex veterum homiliis, hæc

Methodus.

petantur. Mihi abunde erit ſi methodum oſtendero, qua vir pius ad rectum conſtituendæ vitæ ſcopum deducatur, ac regulam quandam univerſalem breviter finiero, ad quam officia ſua non male exigat. Declamationibus ſuum aliquando forte tempus erit: vel aliis partes, quibus non adeo ſum idoneus, relinquam. Amo natura brevitatem: & forte ſi copioſius loqui vellem, non ſuccederet. Quod ſi maxime plauſibilis eſſet prolixior docendi ratio, experiri tamen vix liberet. præſentis autem operis ratio poſtulat ut ſimplicem doctrinam, quanta licebit brevitate, perſtringamus. Quemadmodum au-

Scriptura ſancta in formandis moribus præſtans œconomia, non fucata, ſed aperta & ſimplex.

tem certos recti & honeſti fines habent Philoſophi, unde particularia officia totumque virtutum chorum deducunt: ita nec ordine ſuo caret in hoc Scriptura, quin pulcherrimam œconomiam tenet, ac Philoſophicis omnibus multo certiorem. Hoc tantum intereſt quod illi (ut erant ambitioſi homines) exquiſitam diſpoſitionis perſpicuitatem, qua ingenii dexteritatem oſtentarent, ſedulo affectarunt: Spiritus vero Dei, quia ſine affectatione docebat, non ita exacte nec perpetuo methodicam rationem obſervavit: quam tamen, dum alicubi ponit, ſatis innuit non eſſe à nobis negligendam.

Partes generales hujus methodi duæ.

2. Porro duabus potiſſimum partibus incumbit hæc, de qua loquimur, Scripturæ inſtitutio. Prior eſt, ut juſtitiæ amor, ad quem alioqui natura minime propenſi ſumus, animis noſtris inſtilletur ac inferatur: altera, ut nobis norma præſcripta ſit, quæ nos in juſtitiæ ſtadio aberrare non ſinat. Commendandæ autem juſtitiæ rationes habet plurimas & optimas, ex quibus multas ſupra diverſis locis notavimus, nonnullas adhuc breviter hic attingemus. A quo fundamento melius exordiatur quam dum admonet nos ſanctificari oportere, quia *Deus noſter ſanctus eſt?* Siquidem, quum inſtar disjectarum ovium diſperſi eſſemus, ac per mundi labyrinthum diſſipati, ipſe nos recollegit, ut ſibi aggregaret. Quum noſtræ cum Deo conjunctionis mentionem audimus, meminerimus ſanctitatem oportere ejus eſſe copulam. non quia ſanctitatis merito veniamus in ejus communionem: (quum potius adhærere primo illi oporteat, ut ejus ſanctitate perfuſi ſequamur quo vocat) ſed quoniam ad ejus gloriam magnopere pertinet, non eſſe illi conſortium cum iniquitate & immunditia. Quare & hunc vocationis noſtræ finem eſſe docet, in quem reſpicere ſemper convenit, ſi vocanti Deo velimus reſpondere. Quorſum enim à mundi nequitia & pollutione, in quibus demerſi eramus, nos erui attinebat, ſi nobis permittimus tota vita in illis volutari? Adhæc ſimul etiam admonet nos, ut in Domini populo cenſeamur, ſanctam civitatem Jeruſalem oportere inhabitare: quam ut ipſe ſibi conſecravit, ita incolarum impuritate nefas eſt profanari. unde ſunt eæ voces, Locum iis futurum in Dei tabernaculo qui incedunt ſine macula, & juſtitiæ ſtudent, &c. quia ſanctuarium, in quo habitat, minime decet inſtar ſtabuli ſordibus eſſe refertum.

hæc 2. pars tractatur cap. 7.

Prioris partis commendatio duplex.

Prior à ſanctificatione noſtra.

1. quia Deus noſter ſanctus eſt.

Levit. 19. verſ. 1, 2.

1 Pet. 1: 16.

2. Nos cum eo conjungimur ſeu in populo ejus cenſemur: ideo ſanctos eſſe convenit.

Jeſa. 35: 8. & alibi.

Pſal. 15: 2. & 24: 3. 4.

3. Ac, quo melius nos expergefaciat, oſtendit Deum Patrem, quemadmodum nos ſibi in Chriſto ſuo conciliavit, ita in eo nobis imaginem ſignaſſe ad quam nos conformari velit. Age, præſtantiorem œconomiam mihi apud Philoſophos reperiant, qui apud eos ſolos rite atque ordine diſpoſitam putant Philoſophiam moralem. Illi, dum ad virtutem egregie volunt adhortari, nihil aliud afferunt quam ut naturæ convenienter vivamus: Scriptura autem à vero fonte deducit exhortationem, quum non modo vitam noſtram ad Deum auctorem, cui obſtricta eſt, referre præcipit: ſed, poſtquam degeneraſſe nos docuit à vera creationis noſtræ origine ac lege, ſubjungit, Chriſtum, per quem in gratiam cum Deo rediimus, nobis propoſitum eſſe exemplar, cujus formam in vita noſtra exprimamus. Quid hoc uno efficacius requiras? imo quid ultra hoc unum requiras? Hac enim conditione ſi adoptamur in filios à Domino, ut Chriſtum, noſtræ adoptionis vinculum, vita noſtra repræſentet: niſi nos juſtitiæ addicimus ac devovemus, non modo à Creatore

Poſterior à redemptione noſtra.

Rom. 6. verſ. 4, 5, 6, &c.

Unde liquet eximiam methodum in Scriptura S. contineri, quæ morum ſinceram Philoſophiam nobis tradit.

Speciales rationes ſeu exhortationes, ad vitam Chriſtianam inſtituendam.

Prima. Mala. 1: 6. Eph. 5: 1. 1 Joan. 3: 1.

tore noſtro deficimus peſſima perfidia, ſed ipſum quoque ſervatorem ejuramus. Deinde ab omnibus Dei beneficiis quæ nobis commemorat, ac ſingulis ſalutis noſtræ partibus ſumit exhortandi materiam. Ex quo ſe nobis Patrem Deus exhibuit, extremæ ingratitudinis nos eſſe arguendos, niſi viciſſim illi filios nos exhibeamus. Ex quo nos Chriſtus ſanguinis ſui lavacro purificavit, atque hanc purgationem per Baptiſmum communicavit, non decere ut novis ſordibus inquinemur.

Secunda. Eph. 5: 26. Hebr. 10. verſ. 10. 1 Cor. 6. verſ. 11. 1 Pet. 1. v. 15, 19.

Ex quo nos ſuo corpori inſeruit, ſollicite cavendum ne nobis, qui ſumus ejus membra, maculam aut labem ullam aſpergamus. Ex quo ipſe idem, qui caput eſt noſtrum, in cælum aſcendit, convenire ut depoſito terræ affectu, illuc toto pectore aſpiremus.

Tertia. 1 Cor. 6. verſ. 15. Joan. 15: 3. Eph. 5: 23.

Ex quo nos Spiritus ſanctus templa Deo dedicavit, dandam operam ut Dei gloria per nos illuſtretur: nec vero eſſe committendum ut peccati ſpurcitia profanemur.

Quarta. Col. 3: 1, 2.

Ex quo & anima noſtra & corpus cæleſti incorruptioni & immarceſſibili coronæ deſtinata ſunt, ſtrenue enitendum eſſe ut pura & incorrupta in diem Domini conſerventur.

Quinta. 1 Cor. 3. verſ. 16. & 6: 19. 2 Cor. 6. v. 16. &c. *Sexta.* 1 Theſſ. 5. verſ. 23.

Hæc, inquam, auſpicatiſſima ſunt bene conſtituendæ vitæ fundamenta, quibus nequaquam ſimilia deprehendas apud Philoſophos: qui in commendatione virtutis, nunquam ſupra hominis naturalem dignitatem conſcendunt.

Hujus de vita Chriſtiana doctrinæ hoſtes pſeudo-Chriſtiani increpantur.

4. Atque hic locus eſt compellandi eos qui nihil habentes Chriſti præter titulum ac ſymbolum, Chriſtiani tamen nominari volunt. Qua tandem fronte ſacro ejus nomine gloriantur? Siquidem nihil eſt commercii cum Chriſto, niſi his qui rectam ejus cognitionem ex verbo Euangelii perceperunt.

1. Quod Chriſtum non recte didicerunt. Eph. 4: 22.

Atqui eos omnes Chriſtum recte didiciſſe negat Apoſtolus, qui non edocti ſunt, *abjecto vetere homine, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, ipſum eſſe induendum.* Falſo igitur atque etiam injuria Chriſti cognitionem obtendere arguuntur, quamlibet diſerte interim ac volubiliter de Euangelio garriant.

2. Quod Euangelium linguæ doctrinam, non vitæ faciant.

Non enim linguæ eſt doctrina, ſed vitæ: nec intellectu memoriaque duntaxat apprehenditur, ut reliquæ diſciplinæ, ſed tum recipitur demum ubi animam totam poſſidet, ſedemque & receptaculum invenit in intimo cordis affectu.

3. Quod magiſtrum Chriſtum non imitentur.

Aut ergo deſinant cum Dei contumelia jactare id quod non ſunt, aut ſe non indignos Chriſto magiſtro diſcipulos præſtent. Doctrinæ, qua religio noſtra continetur, priores dedimus partes: quandoquidem ab ea ſalus noſtra inchoatur. verum ea in pectus transfundatur atque in mores tranſeat oportet, adeoque nos in ſe transformet, ut ſit nobis non infructuoſa.

4. Quod Dei Spiritum ab ejus verbo ſeparare velint.

Si jure in eos Philoſophi excandeſcunt, eoſque probroſe à grege ſuo abigunt, qui quum artem profiteantur quæ magiſtra vitæ eſſe debeat, eam in Sophiſticam loquacitatem convertunt: quanto meliori ratione nugaces iſtos Sophiſtas deteſtabimur, qui Euangelium in ſummis labris volutare contenti ſunt, cujus efficacia centuplo magis quam frigidæ Philoſophorum parænеſes, in affectus cordis intimos penetrare, animæ inſidere, ac totum hominem afficere debuerat?

Nec tamen Chriſtiani animum deſpondere debent.

5. Neque requiro ut nihil quam abſolutum Euangelium Chriſtiani hominis mores ſpirent. quod tamen ipſum & optandum eſt & conari neceſſe eſt. Sed non ita ſevere requiro Euangelicam perfectionem, ut non ſim pro Chriſtiano agniturus qui nondum ad eam pertigerit. ſic enim ab Eccleſia excluderentur omnes: quando nemo reperitur qui non ſit longo adhuc intervallo diſſitus: multi vero parum adhuc progreſſi ſunt, qui tamen immerito abjicerentur.

1. Modò verbum Dei pro ſcopo habeant.

Quid ergo? ſcopus ille ante oculos præfigatur, ad quem ſolum dirigatur ſtudium noſtrum. Præſtituatur meta illa, ad quam & enitamur & contendamus. Non enim ita partiri cum Deo fas eſt, ut ex iis quæ tibi ejus verbo præſcribuntur, partem ſuſcipias, partem arbitrio tuo prætereas.

2. Integritatem ex animo colant.

Primo enim loco integritatem, tanquam præcipuam cultus ſui partem, ubique commendat. quo nomine ſinceram animi ſimplicitatem intelligit, quæ fuco & fictione careat: cui cor duplex opponitur. acſi diceretur, ſpirituale eſſe recte vivendi principium, ubi interior animi affectus ſine fictione ad ſanctitatem & juſtitiam colendam Deo addicitur.

3. In viis Domini pro ſuo modulo incedant.

Sed quoniam nemini tantum ſuppetit in terreno hoc corporis carcere roboris, ut juſta curſus alacritate feſtinet, majorem vero numerum tanta premit debilitas, ut vacillando & claudicando, humi etiam reptando modice promoveant, eamus quiſque pro facultatulæ ſuæ modo, & inceptum iter proſequamur. Nemo tam infeliciter incedet, quin aliquantum ſaltem viæ quotidie emetiatur.

4. Aliquos progreſſus in ea faciant.

Hoc ergo agere non deſinamus, ut aliquid aſſidue in via Domini proficiamus: neque ob ſucceſſus tenuitatem deſperemus. utcunque enim ſucceſſus voto non reſpondeat, non tamen perdita eſt opera ubi hodiernus dies heſternum vincit: ſincera modo ſimplicitate in ſcopum noſtrum reſpiciamus, & ad metam aſpiremus, non aſſentatorie blandientes nobiſipſis, nec malis noſtris indulgentes,

5. Perſeverent in pio hoc propoſito.

ſed perpetuo conatu in hoc incumbentes, ut meliores nobiſipſis evadamus, donec ad ipſam perventum fuerit bonitatem: quam quidem toto vitæ ſpatio quærimus ac ſequimur, tum apprehendemus, quum nos carnis infirmitate exuti, in plenum ejus conſortium recepti fuerimus.

CAP. VII.

Summa vitæ Chriſtianæ: ubi de abnegatione noſtri.

Partes capitis.

1. *Norma quæ nos in juſtitiæ ſtadio non ſinit aberrare duo poſtulat, videlicet ut homo à ſe diſcedens ſe totum dedat Dei obſequio: unde conſequitur, non quæ noſtra, ſed quæ Dei ſunt eſſe quærenda, ſect. 1. & 2.*
2. *Ex Apoſtolo ad Titum hujus renovationis ſeu vitæ Chriſtianæ deſcriptio deſumpta, quæ in ſpeciales quaſdam partes diſtributa accurate explicatur, à 3. ſectione ad poſtremam*

Poſterioris partis generalis, de inſtitutione vitæ Chriſtianæ, conſideratio. prior pars explicata eſt 2. verſ. cap. 6. Rom. 12: 1. *Hujus principium & ſumma.*

ETſi optimam & aptiſſime diſpoſitam conſtituendæ vitæ methodum habet Lex Domini, viſum tamen eſt cæleſti magiſtro, accuratiore etiamnum ratione ad ipſam quam in Lege præſcripſerat regulam ſuos formare. Atque hujus quidem rationis principium hoc eſt: quod fidelium officium eſt, *præbere Deo ſua corpora hoſtiam viventem, ſanctam, & illi acceptam:* atque in eo ſitum eſſe *legitimum ejus cultum.* Unde exhortandi argumentum ducitur, *ne ſe accommodent ad figuram ſeculi hujus, ſed transformentur renovatione mentis ſuæ, ut probent quæ ſit voluntas Dei.* Jam hoc magnum eſt, nos eſſe Deo conſecratos ac dedicatos: nequid poſthac cogitemus, loquamur, meditemur, agamus, niſi in ejus gloriam.

Duplex reſpectus. 1. Noſtri enim non ſumus. ad hoc caput & tria ſequentia confer Auguſtini librum de

Sacrum enim non ſine inſigni in eum injuria ad profanos uſus applicatur. Quod ſi noſtri non ſumus, ſed Domini: & quis error ſit fugiendus, & quorſum dirigendæ ſint vitæ noſtræ actiones univerſæ apparet. Noſtri non ſumus: ergo ne vel ratio noſtra, vel voluntas in conſiliis noſtris factiſque dominetur. Noſtri non ſumus: ergo ne ſtatuamus nobis hunc finem, ut quæramus quod

nobis

moribus Eccleſiæ catholicæ. vide & Calv. de ſcandalis.

nobis ſecundum carnem expediat. Noſtri non ſumus: ergo quoad licet obliviſcamur noſmetipſos, ac noſtra omnia. Rurſum, Dei ſumus: illi ergo vivamus ac moriamur. Dei ſumus: cunctis ergo noſtris actionibus præſideat ſapieotia ejus & voluntas. Dei ſumus: ad illum igitur, tanquam ſolum legitimum finem, contendant omnes vitæ noſtræ partes. O quantum ille profecit qui ſe non ſuum edoctus, dominium regimenque ſui propriæ rationi abrogavit, ut Deo aſſerat! Nam ut hæc ad perdendos homines efficaciſſima eſt peſtis, ubi ſibiipſis obtemperant, ita unicus eſt ſalutis portus, nihil nec ſapere, nec velle per ſeipſum, ſed Domioum præeuntem duntaxat ſequi. Sit bic itaque primus gradus, bominem à ſeipſo diſcedere, quo totam ingenii vim applicet ad Domini obſequium. Obſequium dico, non modo quod in verbi obedieotia jacet, ſed quo mens hominis, proprio carnis ſenſu vacua, ſe ad Spiritus Dei nutum tota convertit. Hanc transformationem (quam *renovationem mentis* Paulus appellat) quum primus ſit ad vitam ingreſſus, Philoſophi omnes ignorarunt. Solam enim rationem bomini moderatricem præficiunt, banc ſolam putant audiendam, buic denique uoi morum imperium deferunt ac permittunt: at Chriſtiana Philoſophia illam loco cedere, Spiritui ſancto ſubjici ac ſubjugari jubet: ut bomo jam non ipſe vivat, ſed Chriſtum io ſe ferat viventem ac regnantem.

2. Dei ſumus.

Reſpectus utriuſque fructus & uſus.

Rom. 14. verſ. 8.

Eph. 4. 23.

Omnibus Philoſophis incognitus, qui rationem in Spiritus ſancti throno collocarunt.

Gal. 2: 20.

Quid ex hac conſideratione conſequatur: videlicet quum noſtri non ſimus, Dei gloriam quæramus, & ejus voluntati pareamus.

2. Inde conſequitur & illud alterum, Ut ne quæramus quæ noſtra ſunt, ſed quæ & ex Domini ſint voluntate, & faciant ad gloriam ejus promovendam. Magni & hoc profectus, ut noſtri pene obliti, certe ratione noſtri poſthabita, Deo ejuſque mandatis fideliter ſtudium noſtrum impendere conemur. Quum enim nos privatam noſtri rationem omittere jubet Scriptura, non modo habendi cupiditatem, potentiæ affectationem, hominum gratiam ex animis noſtris eradit: ſed ambitionem quoque & omnem gloriæ humanæ appetitum, aliaſque ſecretiores peſtes eradicat. Ita ſane compoſitum & comparatum eſſe convenit hominem Chriſtianum, ut ſibi in tota vita negotium cum Deo eſſe reputet. Hac ratione, ut omnia ſua ad arbitrium calculumque ejus revocabit, ita totam mentis intentionem religioſe ad eum referet. Nam qui Deum in omni re agenda intueri didicit, ſimul ab omni vana cogitatione avertitur. Hæc illa eſt noſtri abnegatio, quam diſcipulis ſuis à primo tirocinio mandat tanta diligentia Chriſtus: quæ ubi ſemel in animo obtinuit, primum neque ſuperbiæ, neque faſtui, neque oſtentationi, deinde neque avaritiæ, neque libidini, neque luxuriæ, neque mollitiæ, neque aliis, quæ ex amore noſtri generantur, malis ullum locum relinquit. Contra ubicunque non regoat, illic vel ſpurciſſima vitia ſine pudore pervagantur: vel ſi qua eſt virtutis ſpecies, prava gloriæ cupidine vitiatur. Oſtende enim bominem, ſi potes, qui niſi ſibi, juxta Domioi mandatum, renunciarit, gratis exercere bonitatem inter bomines velit. Nam quicunque non fuerunt hoc ſenſu occupati, laudis ſaltem gratia virtutem ſequuti ſunt. Qui autem unquam ex Philoſophis virtutem propter ſe expetendam maxime contenderunt, tanta arrogantia inflati fuerunt, ut appareat non ob aliud virtutem expetiiſſe, niſi ut ſuperbiendi haberent materiam. Atqui adeo non oblectatur Deus neque illis popularis auræ captatoribus, nec turgidis illis pectoribus, ut pronunciet illos in mundo *ſuam recepiſſe mercedem*: bis propiores regno cælorum faciat meretrices & publicanos. Necdum tamen ad liquidum expoſuimus quot & quantis obſtaculis impediatur homo à recti ſtudio, quamdiu ſeipſum non abnegaverit. Vere enim dictum eſt olim, *Mundum vitiorum eſſe reconditum in hominis animo*: Nec aliud remedium invenias, quam ſi te abnegato, ac præterita tui ratiooe, mentem ad ea quærenda totam intendas, quæ abs te Dominus requirit, & ideo tantum quærenda, quia illi placent.

Hæc eſt abnegatio noſtri, Chriſti diſcipulis commendata. Cujus multiplex fructus in tota vita curriculo.

A qua quiſquis aberrat, aut hypocriſi vel ſuperbia deceptus ruit in æternum exitium.

3. Alibi diſtinctius idem Paulus ſingulas vitæ bene compoſitæ partes, quamvis breviter, exequitur. *Illuxit gratia Dei ſalutifera omnibus bominibus, erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentiis, ſobrie & juſte & pie vivamus in præſenti ſeculo, expectantes beatam ſpem, & manifeſtationem gloriæ magni Dei, & Servatoris Jeſu Chriſti, qui dedit ſe pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi populum peculiarem, ſtudioſum bonorum operum.* Poſtquam enim ad nos animandos Dei gratiam propoſuit, ut nobis ad Deum vere colendum viam ſternat, duo tollit obſtacula quæ maxime impediuot: impietatem ſcilicet, ad quam natura ſumus nimium proclives; deinde mundanas cupiditates quæ ſe longius extendunt. Ac ſub *impietate* quidem, non modo ſuperſtitiones notat, ſed comprehendit etiam quicquid pugnat cum ſerio timore Dei. *Mundanæ* autem *cupiditates* tantundem valent atque carnis affectus. Itaque ad utramque Legis tabulam jubet nos proprium ingenium exuere, & abnegare quicquid ratio & voluntas dictat. Jam omoes vitæ actiones ad tria membra reſtringit, ſobrietatem, juſtitiam, & pietatem: ex quibus *ſobrietas* haud dubie tam caſtitatem & temperantiam, quam purum & frugalem temporalium bonorum uſum, & inopiæ tolerantiam denotat. *Juſtitia* autem omnia æquitatis officia complectitur, ut reddatur unicuique quod ſuum eſt. Sequitur *pietas*, quæ nos à mundi inquinamentis ſegregatos vera ſanctitate cum Deo conjungit. Hæc ubi ioſolubili vinculo inter ſe connexa ſunt, ſolidam efficiunt perfectionem. Verum quia oihil magis difficile eſt, quam ratione carnis valere juſſa, & domitis cupiditatibus, imo abnegatis, Deo & fratribus nos addicere, & Angelicam vitam in terræ ſordibus meditari: Paulus, ut animos noſtros ab omnibus laqueis extricet, revocat nos ad ſpem beatæ immortalitatis: non fruſtra nos certare admonens: quia ut ſemel apparuit Chriſtus redemptor, ita ultimo ſuo adventu fructum ſalutis à ſe partæ oſtendet. Atque hoc modo illecebras omnes diſcutit quæ nos obnubilant, ne aſpiremus, ut decet, ad cœleſtem gloriam: imo docet peregrinandum eſſe in mundo, ne pereat vel excidat nobis cœleſtis hæreditas.

Ejuſdem conſiderationis diſtinctio, qua duo fugienda, & tria ſequenda eſſe in vita noſtra ſtudio jubet.

Titum. 2. v. 11, 12.

Fugienda impietas.

Mundanarum item cupiditatum caterva.

Sequenda ſobrietas.

Juſtitia.

Pietas.

Stimulus ad vitam recte inſtituendam.

4. Porro in his verbis perſpicimus abnegationem noſtri partim quidem in homines reſpicere, partim vero (idque præcipue) in Deum. Quum enim ſic nos cum homioibus gerere jubet Scriptura, ut illos bonore nobis anteferamus, ut procurandis eorum commodis totos nos bona fide impendamus: ea dat mandata quorum minime capax eſt animus noſter, niſi ante naturali ſenſu evacuatus. Nam (qua cæcitate omnes in amorem noſtri ruimus) ſibi quiſque juſtam cauſam habere videtur ſe efferendi, alios autem præ ſe omnes contemnendi. Siquid in nos contulit Deus non pœnitendum, eo freti, ſtatim animos tollimus: nec tantum intumeſcimus, ſed pene rumpimur ſuperbia. Vitia, quibus abundamus, & occultamus ſedulo apud alios, & nobis ipſis levia mioutaque eſſe fingimus, blandiendo; imo interdum pro virtutibus oſculamur. Eædem, quas in nobis admiramur, dotes, ſi in aliis apparent, vel etiam ſuperiores, ne cogamur illis cedere, noſtra malignitate deterimus ac carpimus: ſiqua ſunt vitia, ſevera acrique animadverſiooe ea obſervare non contenti, odioſe amplificamus. Hinc illa inſolentia, ut quiſque noſtrûm, ceu communi lege exemptus, ſupra reliquos velit eminere: neminem vero mortalium non ſecure & ferociter contemnat, vel certe tanquam inferiorem deſpiciat. Cedunt divitibus pauperes, plebeii nobilibus, ſervi dominis, literatis indocti: ſed nemo

Sententia Pauli ſumma eſt abnegatio noſtri.

Rom. 12. verſ. 10.

Phil. 2: 3.

Hæc abnegatio, hominum reſpectu, quando honore nobis ſunt anteferendi, admodum eſt difficilis.

Quia ſumus ſuperbi.

Hypocritæ.

Maligni.

Invidi.

Inſolentes.

Feroces.

Philauti.

eſt

eſt qui non aliquam præſtantiæ opinionem intus alat. Ita ſinguli ſibi adulando regnum quoddam gerunt in pectore. ſibi enim arrogantes quo ſibi placeant, de aliorum ingeniis & moribus cenſuram

Contentioſi.

agunt: ſi vero ad contentionem ventum fuerit, illic erumpit venenum. Nam multi ſane nonnullam manſuetudinem præ ſe ferunt, quamdiu blanda omnia & amabilia experiuntur: at vero qui eundem ſervet modeſtiæ tenorem ubi pungitur & irritatur, quotuſquiſque eſt?

Tot animæ morborum remedia.
1. Ambitio removenda.

Nec aliud remedium eſt, quam ut revellatur ex imis viſceribus hæc noxioſiſſima τῆς φιλονεικίας καὶ φιλαυτίας peſtis: quemadmodum etiam Scripturæ doctrina revellitur. Sic enim inſtituimur, ut quas Deus nobis largitus eſt dotes, memioerimus non noſtra eſſe bona, ſed gratuita Dei dona: quibus ſiqui ſuperbiant, ingratitu-

1 Cor. 4:7.

dinem ſuam produnt. *Quis te præſtantiorem reddit?* inquit Paulus: *quod ſi acceperis omnia, quid gloriaris acſi tibi data non eſſent?*

2. Humilitas amplectenda.

Deinde aſſidua vitiorum noſtrorum recognitione ad humilitatem uos revocemus. Ita nihil in nobis reſtabit quo turgeamus: multa vero erit dejectionis mateſia. Rurſum jubemur, quæcunque in aliis reſpicimus Dei dona, ſic revereri ac ſuſpicere, ut eos quoque honoremus penes quos reſident.

3. Candor magnifaciendus.
4. Charitas mutua conſervanda.

Nam, quo ipſos honore dignatus eſt Dominus, magnæ improbitatis foret eum illis adimere. Ad vitia autem docemur conoivere, non equidem ut adulando foveamus, ſed ne illorum cauſa inſultemus iis quos benevolentia & honore fovere convenit. Ita fiet, ut cum quocunque mortalium negotium nobis ſit, non tantum moderate nos & modeſte, ſed comiter & amice etiam geramus.

5. Modeſtia ſincere colenda.

Quemadmodum ad veram manſuetudinem nuoquam alia via pervenies, quam ſi & tui dejectione, & alterius reverentia imbutum pectus habueris.

Quum autem quærenda eſt proximi utilitas, abnegatio noſtri prorſus eſt neceſſaria, & admodum difficilis, propter philautiam nobis ingenitam.

5. Jam in quærenda proximi utilitate officium præſtare quantum habet difficultatis? Niſi à tui conſideratione diſcedas, & te quodammodo exuas, nihil hic efficies. Quomodo enim opera exhibeas quæ charitatis eſſe Paulus docet, niſi tibi renunciaveris, ut aliis totum te addicas? *Charitas*, inquit, *patiens eſt, benigna, non procax, non faſtidioſa, non invidet, non inflatur, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur*, &c. Hoc unum ſi exigatur, ne quæramus quæ noſtra ſunt, non tamen minima viſ erit afferenda naturæ: quæ ſic in ſolam noſtri dilectionem nos inclinat, ut non tam facile patiatur nos ac noſtra negligenter

1 Cor. 13. verſ. 4.

Huic malo duplex remedium oppoſitum.

tranſire, quo alienis commodis invigilemus: imo jure noſtro ſponte cedere, quod alteri reſignemus. At Scriptura, ut eo nos manu ducat, præmonet, quicquid à Domino gratiarum obtinemus, eſſe nobis hac lege concreditum, ut in commune Eccleſiæ bonum conferatur:

1. Beneficia nobis collata eſſe, ut in commune Eccleſiæ bonum conferantur.

ideoque legitimum gratiarum omnium uſum eſſe, liberalem ac benignam cum aliis communicationem. Nulla nec certior regula, nec validior ad eam tenendam exhortatio excogitari poterat, quam ubi docemur, omnes quibus pollemus dotes, Dei eſſe depoſita, ea lege fidei noſtræ commiſſa, ut in proximorum bonum diſpenſentur. Sed ulterius etiamnum pergit Scriptura, dum illas facultatibus comparat, quibus prædita ſunt humani corporis membra.

2. Quicquid poſſumus, proximis poſſe debemus: quod comparatione membrorum corporis humani illuſtratur.

Nullum membrum ſuam facultatem ſibi habet, nec in privatum uſum applicat: ſed ad ſocia membra transfundit: nec ullam inde utilitatem capit, niſi quæ ex communi corporis totius commoditate procedit. Sic pius vir quicquid poteſt, fratribus debet poſſe, ſibi non aliter privatim conſulendo, quam ut ad communem Eccleſiæ ædificationem intentus ſit animus. Hæc itaque ſit nobis ad benignitatem beneficentiamque methodus: quicquid in nos Deus contulit quo proximum queamus adjuvare, ejus nos eſſe œcooomos, qoi ad reddendam diſpenſationis rationem aſtringimur. Eam porro demum rectam eſſe diſpenſationem, quæ ad dilectionis exigatur regulam. Ita fiet ut non modo alieni commodi ſtudium cum propriæ utilitatis cura ſemper conjungamus, ſed hanc illi ſubjiciamus.

Hujus ergo proximos officii ratio, à mandato Dei, charitatem erga illos commendantis, petita.

Ac ne forte nos lateret, eam eſſe legem rite adminiſtrandi quæcunque à Deo dona ſuſcipimus, in minimis quoque benignitatis ſuæ muneribus eam olim poſuit. Primitias enim frugum offerri ſibi mandavit, quibus teſtaretur populus nefas ſibi eſſe aliquem percipere fructum ex bonis non illi ante conſecratis. Quod ſi ita demum ſanctificantur nobis Dei dona, poſtquam ipſi auctori manu noſtra ea dedicavimus: impurum eſſe abuſum conſtat qui non ejuſmodi dedicationem redoleat.

Exod. 22. verſ. 29. & 23: 19.

Atqui Dominum fruſtra rerum tuarum communicatione locupletare contendas. *ad eum* igitur *quum pervenire benignitas nequeat tua* (ut Propheta inquit) ea tibi *erga ſanctos ejus qui in terra ſunt* exercenda eſt: ideoque ſacris oblationibus comparantur eleemoſynæ, ut legalibus illis nunc reſpoodeant.

Pſ. 16: 2, 3. Heb. 13. verſ. 16. 2 Cor. 9. verſ. 12.

Charitatis hujus comites eſſe debent patientia & benignitas.

6. Porro ne benefaciendo fatiſcamus (quod protinus fieri alioqui neceſſe foret) accedere oportet alterum illud quod ponit Apoſtolus, *Patientem eſſe charitatem, nec irritari.* Omnibus in univerſum benefacere Dominus præcipit, quorum magna pars indigniſſimi ſunt, ſi proprio merito æſtimentur: ſed hic optima ratione ſubvenit Scriptura, quum docet, non eſſe reſpiciendum quid ex ſeipſis mereantur bomines, ſed imaginem Dei in cuoctis conſiderandam, cui nibil non & honoris & dilectionis debeamus.

Imago enim Dei in proximis, præcipue in fidei domeſticis, conſideranda.

In domeſticis autem fidei illam eandem diligentius obſervandam, quatenus per Chriſti Spiritum renovata eſt & inſtaurata. Ergo quiſquis hominum tibi nunc offeratur qui officio tuo indigeat, cauſam non babes cur illi te impendere detrectes.

Gal. 6: 10. Jeſa. 58: 7.

Unde quadruplex emergit conſideratio, qua objectiones omnes refellit.

Dic extraneum eſſe: at Dominus notam illi impreſſit quæ familiaris eſſe tibi debet: qua ratione vetat carnem tuam deſpicere. Dic contemptibilem ac nihili: at eum Dominus eſſe demonſtrat, quem imaginis ſuæ decore dignatus ſit. Dic nullis ejus officiis te eſſe obæratum: at eum velut in vicem ſuam ſubſtituit Deus, erga quem tot ac tanta recognoſcas beneficia quibus te ſibi devinxit. Dic indignum eſſe cujus cauſa vel minimum labores: at digna eſt imago Dei, qua tibi commendatur, cui te & omnia tua exhibeas. Quod ſi non modo nihil boni promeritus eſt, ſed injuriis quoque ac maleficiis te provocavit, ne hæc quidem juſta cauſa eſt, cur illum & dilectione complecti & dilectionis officiis proſequi deſinas.

Communis objectionis dilutio imprimis obſervanda.

Longe aliter (inquies) de me promeritus eſt. At quid meritus eſt Dominus? qui dum illi jubet remitti quicquid in te peccavit, ſibi certe vult imputari. Hac profecto una via pervenitur ad id quod humanæ naturæ prorſus adverſum eſt, nedum difficile: ut diligamus eos qui nos odio habent, beneficiis mala penſemus, probris benedictiones referamus: ſi meminerimus, non hominum malitiam reputandam eſſe, ſed inſpiciendam in illis Dei imaginem: quæ, inductis ac obliteratis eorum delictis, ad eos amandos amplexandoſque ſua pulchritudine ac dignitate nos alliciat.

Mat. 5: 44. Mat. 6: 14. & 18: 35. Luc. 17: 3.

Ex ſuperioribus liquet ſine charitate, id eſt, ſincero cordis affectu, nullam in homine agnoſcendam eſſe vitæ Chriſtianæ regulam.

7. Hæc ergo mortificatio tum demum babebit in nobis locum, ſi charitatis numeros impleamus. Ille autem implet non qui omnibus charitatis officiis ſolummodo defungitur, etiamſi nullum prætermittat; ſed qui ex ſincero amoris affectu id facit. Poteſt enim accidere, ut quis exolvat quidem ad plenum omnibus quod debet, quantum attinet ad externa officia: interim tamen longe abſit à vera exolvendi ratione. Quoſdam enim videas qui valde liberales videri volunt, qui tamen nihil largiuntur quod non ſuperbia vultus, aut etiam verborum inſolentia exprobrent. Atque huc calamitatis hoc infelici ſeculo deventum eſt, ut nullæ prope eleemoſynæ, ſaltem à maxima parte hominum, ſine contumelia porrigantur. Quæ pravitas ne inter

Ethnicos quidem tolerabilis eſſe debuerat: nam à Chriſtianis plus aliquid etiamnum requiritur quam ut hilaritatem in vultu præ ſe ferant, & verborum comitate amabilia reddant ſua officia.

Vitiorum, quæ huic charitati adverſantur, remedia.

Primum, ejus quem ope ſua indigere conſpiciunt perſonam ſuſcipiant oportet, ac fortunæ perinde miſereantur, acſi eam ſentirent ipſi ac ſuſtinerent: ut miſericordiæ atque humanitatis ſenſu ad ferendas illi ſuppetias, non aliter quam ſibi, ferantur.

1. Miſericordia.

Qui ſic animatus ad operam fratribus ſuis dandam accedet, non

2. Humilitas.

modo nulla vel arrogantia vel exprobratione officia ſua contaminabit: ſed nec fratrem, cui benefacit,

3. Modeſtia.

vel tanquam opis egenum deſpiciet, vel tanquam ſibi obligatum ſubjugabit. non magis ſcilicet quam vel ægro membro inſultamus, cui refocillando reliquum corpus laborat: vel reliquis membris putamus ſpecialiter obligatum, quia plus operæ ad ſe traxerit quam rependerit.

4. Alacritas.

Siquidem officiorum inter membra communicatio nihil gratuitum habere creditur, ſed potius ſolutio eſſe ejus, quod naturæ lege debitum negare prodigioſum eſſet.

5. Perſeverantia.

Hac quoque ratione fiet, ut ne liberatum ſe putet qui uno genere officii defunctus fuerit: quemadmodum vulgo fieri ſolet, ut dives, poſtquam aliquid de ſuo erogavit, alia onera, tanquam nihil ad ſe pertinentia, aliis deleget. Sed ita potius ſecum quiſque cogitabit, ſe, quantus quantus eſt, proximis debitorem ſui eſſe: nec alium exercendæ erga ipſos beneficentiæ ſtatuendum eſſe finem, niſi quum facultates deficiunt: quæ, quam late extenduntur, ad charitatis regulam limitari debent.

Abnegationis noſtri, reſpectu Dei, conſideratio nos ad æquanimitatem tolerantiamque format.

8. Præcipuam abnegationis noſtri partem, quam diximus in Deum ſpectare, iterum plenius exequamur: ac multa quidem de ea jam dicta ſunt, quæ repetere ſupervacuum foret. ſufficiet tractare quatenus ad æquanimitatem tolerantiamque nos format. Principio igitur in quærenda vitæ præſentis vel commoditate vel tranquillitate, huc nos Scriptura vocat, ut Domini arbitrio nos noſtraque omnia reſignantes, domandos ac ſubjugandos cordis noſtri affectus illi tradamus.

1. Ut Deo ſemper ſubditi ſimus.

2. Ambitionem & avaritiam fugiamus.

Ad opes honoreſque expetendos, ad ambiendam potentiam, ad cumulandas divitias, ad eas omnes ineptias, quæ ad magnificentiam pompamque facere videntur, congerendas, furioſa eſt noſtra libido, infinita cupiditas. Rurſum paupertatis, ignobilitatis, humilitatis mirus timor, mirum odium: quibus ad illa modis omnibus amolienda ſtimulamur. Hinc videre eſt quam irrequieto ſint ingenio, quot tentent artes, quibus ſtudiis ſe fatigent quicunque vitam proprio conſilio componunt: quo ſcilicet adipiſcantur quæ vel ambitionis, vel avaritiæ fert affectus: rurſum quo pauperiem humilitatemque defugiant. Piis ergo hominibus, ne talibus laqueis implicentur, hæc tenenda eſt via.

3. A ſola Dei benedictione proſpera omnia expectemus, & toti pendeamus.

Principio non aliunde proſperandi rationem vel appetant, vel ſperent, vel cogitent quam ex Domini benedictione: ideoque in eam ſe tuto ac confidenter rejiciant ac reclinent. Nam utcunque ſibi pulchre ſufficere videatur caro, dum vel propria induſtria ad honores opeſque contendit, vel ſtudio enititur, vel adjuvatur hominum gratia: certum eſt tameo omnia hæc nihil eſſe, neque aliquid vel ingenio, vel labore nos profecturos, niſi quatenus utrumque Dominus proſperabit. At è converſo ſola ipſius benedictio, etiam per omnia impedimenta viam reperit, ut nobis in lætum fauſtumque exitum ſuccedere omnia faciat: deinde ut maxime ſine ipſa poſſimus aliquid gloriæ atque opulentiæ nobis comparare: (quemadmodum videmus quotidie impios magnis & honoribus & opibus cumulari) quando tamen ne minimam quidem felicitatis particulam deguſtant, quibus incumbit Dei maledictio, ſine ipſa nihil niſi quod male oobis vertat conſequemur. Porro nequaquam appetendum quod homines magis miſeros facit.

4. Opes & honores extra hanc minime cupiamus.

9. Ergo ſi omnem proſperi ſucceſſus atque optabilis rationem in ſola Dei benedictione credimus eſſe poſitam, qua abſente miſeriæ nos omne genus & calamitates maoeant: reſtat etiam ut ne propria vel ingenii dexteritate vel ſedulitate freti, nec hominum favore ſubnixi, vel inani fortunæ imaginatione confiſi, ad opes honoreſque cupide contendamus; ſed in Dominum ſemper reſpiciamus, ut ejus auſpiciis ad quamcunque ille providerit ſortem deducamur.

5. Impiorum artes haud ſequamur.

Ita primum fiet, ut non per nefas, & dolis ac malis artibus, vel rapacitate, cum proximorum iojuria ruamus ad captandas opes, ad honores invadendos: ſed eas tantum fortunas ſequamur, quæ nos ab innocentia non abducant. Quis enim ſperet divinæ benedictionis, inter fraudes, rapinas, aliaſque nequitiæ artes, auxilium? Nam ut illa niſi pure cogitantem ac recte ageotem non ſequitur: ita eos omnes à quibus expetitur ab obliqua cogitatione praviſque facinoribus revocat. Deinde injectum erit nobis frenum, ne immodica diteſcendi cupiditate ardeamus, neve honoribus ambitioſe inhiemus. Qua enim fronte quis à Deo ſe adjutum iri confidat ad ea conſequenda, quæ contra ejus verbum deſiderat? Abſit enim ut quod ore ſuo Deus maledicit, benedictionis ſuæ adjutorio proſequatur.

6. Vocatione noſtra contenti, eventuum omnium onus & curam in Dei ſinum deponamus.

Poſtremo, ſi pro voto ac ſpe oon ſuccedat, cobibebimur tamen ab impatientia, & qualiſcunque noſtræ conditioois deteſtatione: quod ſciemus id eſſe murmurare adverſus Deum, cujus arbitrio divitiæ & paupertas, contemptus & honores diſpenſantur. In ſumma, qui ſe eo quo dictum eſt modo in Dei benedictionem reclinarit, nec ea quæ furioſe expeti ab hominibus ſolent, malis artibus aucupabitur, quibus ſe nihil profecturum cogitabit: nec, ſi quid proſpere acciderit, ſibi imputabit, ac ſuæ vel ſedulitati, vel iodustriæ, vel fortunæ; ſed Deo auctori acceptum feret.

7. Aliorum proſperitati nunquam invideamus, ſed Dei conſilio acquieſcamus.

Quod ſi florentibus aliorum rebus, ipſe parum promoveat, imo etiam retro delabatur: majori tamen æquitate ac moderatione animi ſuam tenuitatem feret, quam profanus quiſpiam mediocrem ſucceſſum, qui voto duntaxat noo reſpondeat: habens ſcilicet ſolatium, in quo tranquillius acquieſcat quam in ſummo vel opulentiæ, vel potentiæ faſtigio: quia ut ſaluti ſuæ conducit, ita res ſuas ordinari à Domino reputat. Sic Davidem fuiſſe affectum videmus, qui dum ſequitur Deum, ſeque ei regendum tradit, ſimilem ſe teſtatur *puero ablactato, neque ambulare in rebus altis vel* Pſal. 131.
mirabilibus ſupra ſe. verſ. 1, 2.

8. Omnes vitæ noſtræ partes Dei arbitrio committamus.

10. Neque in hac tantum parte conſtare piis animis debet illa tranquillitas & tolerantia: verum ad omnes etiam caſus, quibus obnoxia eſt præſens vita, extendatur neceſſe eſt. Ergo nemo ſe rite abnegavit, niſi qui ſe totum ita reſignavit Domino, ut omnes vitæ ſuæ partes ejus arbitrio gubernari ferat. Qui vero ſic animo compoſitus erit, quicquid accidat, nec miſerum ſe reputabit, nec de ſua ſorte cum Dei invidia conqueretur.

Hujus doctrinæ neceſſitas.

Quam vero neceſſaria ſit hæc affectio, inde patebit, ſi conſideres quot accidentibus ſubjecti ſimus. Alii atque alii morbi nos identidem iofeſtant: ounc fævit peſtilentia, nunc belli calamitatibus crudeliter vexamur: nunc gelu aut grando, ſpe anni devorata, ſterilitatem inducit, quæ nos ad penuriam redigat: uxor, parentes, liberi, propinqui, morte abripiuotur: incendio abſumitur domus: hæc ſunt quorum eventu, vitæ ſuæ maledicunt homines, ſuum natalem deteſtantur, cælum & lucem execrationi habent, obloquuotur Deo: & (ut ſunt facundi ad blaſphemias) iniquitatis eum & ſævitiæ accuſaot.

Multiplex uſus in variis afflictionibus.

Fidelem vero in his quoque oportet Dei clementiam & vere paternam indulgentiam intueri. Proinde, ſive ſuas ædes, ſublatis propinquis, in ſolitudinem redactas videat, ne ſic quidem deſinet benedicere Domino: quin potius ad hanc cogitationem ſe convertet, Gratia

tamen

tamen Domini, quæ domum meam inhabitat, eam
deſolatam non relinquet. Sive aduſtis pruina ſege-
tibus, aut gelu conſumptis, aut grandine procul-
catis, imminere famem videat, non tamen deſpon-
debit animum, nec Deo invidiam faciet: ſed in hac
Pſal. 79. fiducia permanebit, Nos tameo in tutela Domini
verſ. 13. ſumus, & oves in paſcuis ejus educatæ: ille igitur
alimenta oobis eriam io extrema ſterilitate ſuppedi-
tabit. Sive morbo affligtabitur, ne tum quidem
frangetur doloris acerbitate, ut ad impatientiam
prorumpat, atque ita cum Deo expoſtulet: ſed ju-
ſtitiam ac lenitatem in Dei ferula conſiderando, ad
tolerantiam ſe revocabit. Denique, quicquid eve-
niet, quia ſciet manu Domini ordinatum, placido
gratoque animo ſuſcipiet, ne contumaciter ejus
imperio reſiſtat, cujus in poteſtate ſe ſuaque omnia
ſemel permiſit. Faceſſat, in primis à pectore Chri- *Abuſus & corruptela Ethnica.*
ſtiani hominis, ſtulta illa & miſerrima Ethnicorum
conſolatio, qui ut animum contra res adverſas con-
firmarent, eas fortunæ imputabant: contra quam
indignari ſtultum eſſe judicabant, quod ἄσκοπος
eſſet ac temeraria, quæ cæcis oculis merentes ſi-
mul ac immerentes vulneraret. Hæc enim è con- *Quam pietatis regula tollit.*
verſo pietatis eſt regula, ſolam Dei manum
utriuſque fortunæ arbitram eſſe & moderatricem:
ac eam quidem ipſam non ruere inconſiderato im-
petu, ſed ordinatiſſima juſtitia nobis bona ſimul ac
mala diſpenſare.

CAP. VIII.

De crucis tolerantia, quæ pars eſt abnegationis.

Partes hujus capitis.

1. *Crux quid ſit: hujus neceſſitas & dignitas, ſect. 1. & 2.*
2. *Multiplex crucis utilitas deſcribitur, ſect. 3. 4. 5. & 6.*
3. *Crucis ſpecies omnium aliarum præſtantiſſima, quæ tamen omnem doloris ſenſum minime tollit, ſect. 7. & 8.*
4. *Conflictus ſub cruce deſcriptio, & ad Chriſti exemplum veræ patientiæ (à Philoſophica diſtinctæ) effigies, ſect. 9. 10. & 11.*

Crux quid ſit. QUin altius etiamnum conſceodere piam
mentem decet, nempe quo diſcipulos
Matth. 16. ſuos vocat Chriſtus, ut *ſuam unuſquiſ-*
verſ. 24. *que crucem tollat.* Quoſcunque eoim Do-
mious cooptavit, ac ſuorum conſortio dignatus eſt,
ii ſe ad duram, laborioſam, inquietam, plurimiſ-
que ac variis malorum generibus refertam vitam
A quo impoſita. præparare debeot. Sic eſt cæleſtis Patris voluntas,
ut certum de ſuis experimentum capiat, eos talem
Quibus. in modum exercere. A Chriſto primogenito ſuo
exorſus, erga filios omnes ſuos hunc ordinem pro-
Mat. 3: 17. ſequitur. nam quum eſſet ille Filius præ aliis dile-
& 17: 5. ctus, & in quo Patris animus acquieſcebat, vide-
mus tameo quam non indulgenter ac molliter habi-
tus fuerit: ut vere dici queat, non modo perpetua
cruce exercitatum fuiſſe, quamdiu terram incoluit:
ſed totam ejus vitam nihil aliud fuiſſe quam perpe-
Quo de cauſa, unde conſtat ejus neceſſitas. tuæ crucis ſpeciem. Cauſam Apoſtolus aſſignat,
quod *obedientiam diſcere oportuerit ex iis quæ paſſus*
eſt. Cur nos ergo ab ea conditione eximamus, quam
ſubire Chriſtum caput noſtrum oportuit; præſer-
tim quum noſtra cauſa ſubierit, ut nobis in ſeipſo
Rom. 8. patientiæ exemplar exhiberet? Quamobrem Apo-
verſ. 28. ſtolus omnibus filiis Dei hunc eſſe deſtinatum finem
Et dignitas, ex qua inſignis conſolatio in adverſis. docet, ut *conformes ejus fiant.* Unde etiam inſignis
conſolatio ad nos redit, in rebus duris atque aſpe-
ris, quæ adverſæ malæque exiſtimantur, nos Chri-
ſti paſſionibus commuoicare: ut quemadmodum ille
à malorum omnium labyrintho in gloriam cæle-
Actor. 14. ſtem ingreſſus eſt, ita in eandem per varias tribula-
verſ. 22. tiones deducamur. ſic enim loquitur alibi Paulus
Phil. 3: 10. ipſe: quod *dum communionem diſcimus afflictionum*
ejus, ſimul apprehendimus potentiam reſurrectionis:
ac dum *conformes reddimur morti ejus*, ita præpa-
ramur ad glorioſæ reſurrectionis conſortium. Quan-
Quæ ſit hæc dignitas. tum hoc valere poteſt ad leniendam omnem cru-
cis acerbitatem, quod quo magis rebus adverſis af-
flictamur, eo certius confirmatur noſtra cum Chri-
ſto ſocietas? cujus communione paſſiones ipſæ non
modo benedictæ nobis fiunt, ſed ad promoven-
dam quoque noſtram ſalutem multum afferunt ad-
jumenti.

Crux nobis neceſſaria. 2. Adde, quod Dominus noſter crucem ferendam
ſuſcipere nihil neceſſe habuit niſi ad teſtaodam ap-
probandamque Patri ſuam obedientiam: nobis ve-
1. Ut ſuperbia noſtra retundatur. ro multis rationibus neceſſe eſt ſub aſſidua cruce vi-
tam degere. Primum, ut natura nimium propenſi
ſumus ad omnia carni noſtræ tribuenda, niſi nobis
imbecillitas noſtra velut oculo demonſtrata fuerit,
facile virtutem noſtram ſupra juſtum modum æſti-
mamus, nec dubitamus, quicquid eveniat, contra
omoes difficultates infractam fore & invictam. Un-
de in ſtolidam & inanem carnis confidentiam evehi-
mur: qua freti, contumaciter deinde ſuperbimus
in Deum ipſum, perinde acſi propriæ nobis facul-
tates citra ejus gratiam ſufficerent. Hanc arrogan-
tiam melius retundere non poteſt, quam dum ex-
perimento nobis comprobat, quanta non modo
imbecillitate, ſed etiam fragilitate laboremus.
Ergo vel ignominia, vel paupertate, vel orbitate,
vel morbo, vel aliis calamitatibus oos affligit: qui-
bus ſuſtinendis longe impares, quantum ad nos atti-
net, mox ſuccumbimus. Sic humiliati diſcimus in- *2. Ut humiliati diſcamus invocare Dei auxilium.*
vocare ejus virtutem: quæ ſola ſub pondere affli-
ctionum conſiſtere nos facit. Quin etiam ſanctiſſimi,
utcunque Dei gratia non propriis viribus ſtare ſe
noverint, de ſua tamen fortitudine & conſtantia
plus juſto ſecuri ſunt, niſi eos crucis probatiooe in
penitiorem ſui notitiam abducat. Hæc ſocordia Da- *Confirmatio ab exemplo Davidis.*
vidi quoque obrepſit, *Ego dixi in quiete mea, Non*
movebor perpetuo. Jehova, ſtabiliveras in beneplacito tuo Pſal. 30: 7.
monti meo robur. abſcondiſti faciem tuam: fui percul-
ſus. Fatetur enim torpore in rebus proſperis obſtu-
pefactos fuiſſe ſuos ſenſus, ut poſthabita Dei gratia,
à qua pendere debuerat, ſibi innixus fuerit ut perpe-
tuitatem ſibi promitteret. Si hoc tanto Prophetæ
accidit, quis noſtrûm non timeat ut caveat? Quod
ergo, rebus tranquillis, majoris conſtantiæ & pa-
tientiæ opinione ſibi blaodiebantur, rebus aſperatis
humiliati, hypocriſin fuiſſe diſcunt. Talibus, in-
quam, documentis admoniti ſuorum morborum fi-
deles, proficiunt ad humilitatem; ut prava carnis
confidentia exuti, ad Dei gratiam ſe conferant. Por- *3. Ut ejus præſentiam experiamur.*
ro ubi ſe contulerunt, divinæ virtutis præſentiam,
in qua ſatis ſuperque præſidii ineſt, experiuntur.

Crucis utilitas multiplex. 3. Atque id eſt quod Paulus docet, *tribulationibus*
generari patientiam, patientia probationem. Nam
quod Deus promiſit fidelibus ſe adfuturum in tribu-
Rom. 5: 3. &c. lationibus, id verum eſſe ſentiunt dum patienter
ſubſiſtunt, ejus manu ſuffulti: quod ſuis viribus ne-
1. Patientia inde oritur. quaquam poſſent. Patientia igitur experimentum
affert ſanctis, quod Deus quam pollicitus eſt opem, re
Spei confirmatio. ipſa dum opus eſt exhibeat. Inde ſpes quoque eorum
confirmatur: quando ingratitudinis nimiæ foret, non
expectare in poſterum quam conſtantem ac firmam
experti ſint Dei veritatem. Videmus jam quot uno

In Deum firma & ſincera fiducia.

contextu bona ex cruce naſcantur. Illam enim quam falſo de propria virtute præſumimus opinionem evertens, noſtramque hypocriſin, quæ delicias nobis facit, detegens, pernicioſam carnis confidentiam excutit. ſic humiliatos, in Deum unum reclinare docet: quo fit ut non opprimamur, nec ſuccumbamus.

Victoria.

Victoriam autem ſpes ſequitur: quatenus ſcilicet Dominus, quod promiſit præſtando, ſuam in futurum veritatem ſtabilit. Sane ut ſolæ ſint iſtæ rationes, apparet quam neceſſaria nobis ſit crucis exercitatio. Neque enim parvi momenti eſt cæcum tui amorem abſtergi, ut imbecillitatis tuæ conſcius probe fias: imbecillitatis propriæ ſenſu affici, ut diffidere tibi diſcas: diffidere tibi, ut fiduciam in

Perſeverantia.

Deum transferas: cordis fiducia in Deum recumbere, ut ipſius auxilio fretus ad ultimum invictus perſeveres: conſiſtere ipſius gratia, ut veracem eſſe

Fides invicta.

in ſuis promiſſis intelligas: certitudinem promiſſionum ejus habere compertam, ut ſpes tua inde roboretur.

2. Exploratio patientiæ, & eruditio ad obedientiam.

4. Alium quoque finem habet Dominus affligendi ſuos, ut ipſorum patientiam exploret, & ad obedientiam eos erudiat. Non equidem quod poſſint illi obedientiam præſtare, niſi quam ipſe dederit: ſed ita placet ei præclaris documentis teſtatas facere ac illuſtres quas in ſanctos contulit gratias: ne intus otioſæ lateant. Ergo tolerandi virtutem ac conſtantiam, qua ſervos ſuos inſtruxit, in apertum proferendo, dicitur eorum patientiam explorare.

Confirmatio, ab exemplo Abrahami, & Petri teſtimonio.

Unde illæ ſunt loquutiones, quod *tentaverit Deus Abraham*, & pietatem ejus compertam habuerit, ex eo quod non detrectaſſet proprium filium & unicum immolare. Quare Petrus non ſecus *fidem noſtram tribulationibus* docet *probari, quam aurum* in fornace *igni examinatur*.

Geneſ. 22. verſ. 1, 12.
1 Pet. 1: 7.

Quis autem non expedire dicat ut præſtantiſſimum patientiæ donum, quod à Deo ſuo fidelis accepit, in uſum producatur, ut certum manifeſtumque fiat? Neque enim aliter unquam homines ipſum pro merito æſtimabunt. Quod ſi Deus ipſe, ne in obſcuro lateant, imo inutiles jaceant ac depereant quas fidelibus ſuis virtutes contulit, jure facit dum illis excitandis materiam ſuppeditat: optimam rationem habent ſanctorum afflictiones: ſine quibus nulla foret eorum patientia.

Eruditio ad obedientiam quam utilis.

Ad obediendum quoque erudiri cruce dico: quia ſic non ad proprium votum, ſed Dei arbitrium vivere docentur. Sane, ſi omnia illis ex ſententia fluerent, neſcirent quid eſſet Deum ſequi. Atqui illud Seneca commemorat fuiſſe vetus proverbium, quum ad res adverſas tolerandas quempiam hortarentur, *Deum ſequere*.

de vita beata, c. 15.

Quo ſcilicet innuebant, tum vere demum jugum Dei ſubire hominem, quum ejus ferulæ manum ac tergum præberet. Quod ſi æquiſſimum eſt ut cæleſti Patri nos per omnia obſequentes eſſe approbemus, non eſt certe detrectandum ut ad reddendam ſibi obedientiam modis omnibus nos aſſuefaciat.

Neceſſaria item ad domandam carnis noſtræ laſciviam, quæ appoſita ſimilitudine depingitur.

5. Necdum tamen perſpicimus quam neceſſaria ſit nobis iſthæc obedientia, niſi ſimul reputamus quanta ſit ad excutiendum Dei jugum carnis noſtræ laſcivia, ſimulatque mollius aliquantiſper atque indulgentius habita eſt. Idem enim prorſus accidit illi quod equis refractariis, qui ſi aliquot dies otioſi ſaginantur, præ ferocitate domari poſtea nequeunt: nec ſeſſorem recognoſcunt, cujus imperio utcunque antea obtemperabant. Atque omnino illud in nobis perpetuum eſt, quod fuiſſe in populo Iſraëlitico conqueritur Deus, ut pinguefacti & adipe obducti recalcitremus adverſus eum qui nos aluit & enutrivit.

Deut. 32. verſ. 15.

Debebat quidem nos Dei beneficentia ad reputandam ac deamandam ejus bonitatem allicere: ſed quando ea eſt noſtra malignitas, ut perpetuo ejus indulgentia potius corrumpamur; pluſquam neceſſarium eſt nos aliqua diſciplina contineri, ne in talem petulantiam exultemus.

Inde variæ crucis ſpecies, quibus pii premuntur.

Sic, ne immodica opum abundantia ferociamus, ne honoribus elati ſuperbiamus, ne inflati reliquis vel animæ, vel corporis, vel fortunæ bonis inſoleſcamus, Dominus ipſe, prout providet expedire, occurrit, & carnis noſtræ ferociam crucis remedio ſubigit ac refrenat. idque variis modis: quantum ſcilicet unicuique ſalubre eſt. Neque enim aut iiſdem morbis peræque graviter laboramus omnes, aut perinde difficili curatione indigemus. Inde videre eſt ut alii alio crucis genere exerceantur. Quum autem alios lenius tractet, alios aſperioribus remediis purget cæleſtis medicus, dum vult omnium ſanitati conſulere: neminem tamen immunem ac intactum prætermittit: quia omnes ad unum novit eſſe morbidos.

3. Infirmitates noſtras prævenit Deus, & præterita delicta corrigit, ut nos in obedientia contineat.

6. Adde, quod non modo infirmitatem noſtram prævenire, ſed præterita etiam delicta ſæpe corrigere neceſſe habet clementiſſimus Pater: ut nos in legitima erga ſe obedientia contineat. Proinde quoties affligimur, ſubire protinus in mentem debet anteactæ vitæ recordatio: ita proculdubio reperiemus, nos admiſiſſe, quod dignum ejuſmodi caſtigatione eſſet. Neque tamen à peccati agnitione præcipue ſumenda eſt ad patientiam exhortatio. Nam Scriptura meliorem longe conſiderationem ſuppeditat, quum dicit rebus adverſis *nos à Domino corripi, ne cum hoc mundo damnemur*.

1 Cor. 11. verſ. 31, 32.

Ergo in ipſa quoque tribulationum acerbitate, Patris noſtri clementiam erga nos ac benignitatem recognoſcere, convenit: quando ne tum quidem deſinit ſalutem noſtram promovere. Affligit enim non ut perdat vel perimat, ſed potius ut à mundi damnatione liberet.

Confirmatio, à teſtimonio Solomonis.

Ea cogitatio nos deducet ad id, quod alibi docet Scriptura, *Fili mi, ne reſpuas correctionem Domini, neque afficiaris tædio quum ab eo argueris. Quem enim diligit Deus, corripit: & eum, velut Pater filium, amplectitur.*

Prov. 3: 11.

Ubi ferulam Patris agnoſcimus, an noſtrum non eſt obedientes potius docileſque filios exhibere, quam contumacia deſperatos homines imitari, qui maleficiis induruerunt?

Ab Apoſtoli dicto.

Perdit nos Deus niſi à ſe delapſos correptione revocat: ut recte dicat ille, *nos ſpurios eſſe, non filios, ſi extra diſciplinam ſumus.*

Heb. 12: 8.

Perverſiſſimi ergo ſumus ſi ipſum ferre non poſſumus, dum ſuam nobis benevolentiam & quam habet de ſalute noſtra curam declarat. Hoc inter incredulos & fideles intereſſe docet Scriptura, quod illi, velut inveteratæ recoctæque nequitiæ mancipia, flagellis deteriores modo ac obſtinatiores fiunt: hi ceu filii ingenuitate præditi, ad pœnitentiam proficiunt. Eligendum nunc utro in numero eſſe malis. Sed quoniam de hac re alibi dictum eſt, contentus breviter attigiſſe, finem faciam.

Singularis autem ſub cruce conſolatio eſt, ubi pro juſtitia (quæ longe patet) perſequutionem patimur.

7. Porro ſingularis illa eſt conſolatio, ubi pro juſtitia perſequutionem patimur. Succurrere enim tum debet quanto nos honore dignetur Deus, quod ita nos peculiari militiæ ſuæ nota inſignit. Perſequutionem pati pro juſtitia dico, non tantum qui pro Euangelii defenſione, ſed qui pro quolibet juſtitiæ patrocinio laborant. Sive ergo in aſſerenda adverſus Satanæ mendacia Dei veritate, ſive in ſuſcipienda bonorum atque innocentium contra improborum injurias tutela, neceſſe eſt incurrere in mundi offenſiones & odia, unde aut vitæ noſtræ, aut fortunis, aut honori periculum immineat: ne grave ſit nobis aut moleſtum eatenus impendere nos Deo, aut ne miſeros in iis nos putemus, in quibus ipſe ſuo ore nos beatos pronunciavit.

Mat. 5: 10.

Paupertas quidem, ſi in ſe ipſa æſtimetur, miſeria eſt: ſimiliter exilium, contemptus, carcer, ignominia: mors denique ipſa extremum eſt omnium calamitatum. Verum ubi aſpirat favor Dei noſtri, nihil eſt iſtorum quod non in felicitatem nobis cedat. Contenti ergo potius ſimus Chriſti teſtimonio, quam falſa carnis æſtimatione. Ita fiet ut Apoſtolorum exemplo gaudeamus, quoties nos *reputabit dignos qui pro ſuo nomine contumeliam patiamur*.

Act. 5: 41.

Partes quædam hujus conſolationis,

Quid enim? ſi innocentes ac nobis bene conſcii, impiorum ſcelere exuimur

exuimur facultatibus, ad inopiam quidem redigimur apud homines, ſed vere apud Deum in cælis divitiæ ita nobis accreſcunt: ſi penatibus noſtris extrudimur, eo interius recipimur in Dei familiam; ſi vexamur & contemnimur, eo firmiores agimus in Chriſto radices: ſi probris ac ignominia notamur, eo ampliore loco ſumus in regno Dei: ſi trucidamur, ita nobis ingreſſus patefit ad beatam vitam. Pudeat nos minoris æſtimare, quibus tantum pretium Dominus ſtatuit, quam umbratiles & evanidas vitæ præſentis illecebras.

Hac crucis ſpecies, fidelium maxime propria, libenter ac hilariter è manu Dei ſuſcipienda eſt.

8. Quum ergo his & ſimilibus monitis abunde ſoletur Scriptura, quas pro juſtitiæ defenſione ſuſtinemus vel ignominias vel calamitates; nimis ingrati ſumus niſi libenter atque hilariter eas è manu Domini ſuſcipimus: præſertim quum ſit hæc crucis ſpecies fidelium maxime propria, qua vult Chriſtus in nobis glorificari: quemadmodum & Petrus docet. Quia vero ingenuis naturis acerbius eſt contumeliam quam centum mortes pati, nominatim admonet Paulus non modo *perſequutiones* nos manere, ſed etiam *probra*, *quia ſperamus in Deum vivum.* Sicut alibi ſuo exemplo ambulare nos jubet *per infamiam & bonam famam.* Neque vero ea requiritur à nobis hilaritas quæ omnem acerbitatis dolorisque ſenſum tollat: alioqui nulla in cruce eſſet ſanctorum patientia, niſi & dolore torquerentur, & angerentur moleſtia. Si nulla eſſet in egeſtate aſperitas, nullus in morbis cruciatus, nulla in ignominia punctio, nullus in morte horror: cujus foret vel fortitudinis vel moderationis, ea ſuſque deque habere? At quum unumquodque ipſorum ingenita ſibi amaritudine noſtros omnium animos naturaliter mordeat, in eo ſe profert fidelis hominis fortitudo, ſi ejuſmodi amaritudinis ſenſu tentatus, utcunque graviter laboret, fortiter tamen obſiſtendo eluctatur: in eo ſe exerit patientia, ſi acriter exſtimulatus, timore tamen Dei refrenatur, ne in aliquam intemperiem erumpat: in eo elucet alacritas, ſi triſtitia & mœrore vulneratus, in ſpirituali Dei conſolatione acquieſcit.

1 Pet. 4. v. 11, 13, 14.
1 Tim. 4. verſ. 10.
2 Cor. 6:8.
Hilaritas autem ſtupida non requiritur, ſed quæ ſub onere gemat & patienter expectet Dominum.

Hujus conflictus deſcriptio ex Apoſtoli verbis deſumpta.
2 Cor. 4:8.
Stoicorum vanitati oppoſita.

9. Hunc conflictum, quem adverſus naturalem doloris ſenſum ſuſtinent fideles, dum patientiæ ac moderationi ſtudent, eleganter deſcripſit Paulus his verbis, *In omnibus premimur, at non anxii reddimur: laboramus, at non deſtituimur: perſequutionem patimur, at in ea non deſerimur: dejicimur, at non perimus.* Vides ut patienter ferre crucem, non ſit prorſus obſtupeſcere & omni doloris ſenſu privari, quemadmodum Stoici magnanimum hominem ſtulte olim deſcripſerunt, qui exuta humanitate, rebus adverſis perinde ac proſperis, triſtibus perinde ac lætis afficeretur. Et quid iſta ſublimi ſapientia profecerunt? nempe ſimulachrum patientiæ depinxerunt, quod neque repertum eſt unquam inter homines, neque extare poteſt. Quin potius dum nimis exactam ac præciſam patientiam habere volunt, ejus vim ſuſtulerunt è vita humana. Nunc quoque ſunt inter Chriſtianos novi Stoici, quibus non modo gemere ac flere, ſed triſtari quoque & ſollicitum eſſe vitioſum eſt. Atque hæc quidem paradoxa fere ab otioſis hominibus procedunt, qui ſpeculando magis quam agendo ſe exercentes, nihil quam talia paradoxa parere nobis queunt. At nihil nobis cum ferrea iſta Philoſophia, quam magiſter ac dominus noſter non verbo tantum, ſed exemplo etiam ſuo damnavit. Nam & ſuis & aliorum malis ingemuit & illachrymavit: nec aliter diſcipulos ſuos inſtituit. *Mundus*, Inquit, *gaudebit: vos autem lugebitis ac flebitis.* Ac, nequis vitio id verteret, propoſito edicto beatos pronunciavit qui lugent: nec mirum. Nam ſi improbantur omnes lachrymæ, quid de Domino ipſo judicabimus, cujus è corpore ſanguineæ lachrymæ diſtillarunt? Si quælibet formido infidelitatis notatur, quo loco habebimus horrorem illum quo non leviter conſternatum fuiſſe legimus? ſi omnis triſtitia diſplicet, quomodo placebit quod animam ſuam fatetur eſſe triſtem uſque ad mortem?

Chriſti authoritate & exemplo illuſtrata.
Joan. 16. verſ. 20.
Mat. 5: 4.
Luc. 22. verſ. 44.

Electorum Dei perpetua experientia & teſtimonio comprobata.

10. Hæc eo dicere volui ut pios animos à deſperatione revocarem, ne ſtudio patientiæ ideo protinus renuncient, quod naturalem doloris affectum exuere non poſſunt. Quod neceſſe eſt evenire iis, qui ex patientia ſtuporem, ex homine forti & conſtanti ſtipitem faciunt. Sanctis enim tolerantiæ laudem defert Scriptura, dum ita malorum duritia affictantur, ut non frangantur nec concidant: ita amaritudine punguntur, ut ſimul perfundantur ſpirituali gaudio: ita premuntur anxietate, ut Dei conſolatione exhilarati reſpirent. Interim verſatur in eorum cordibus illa repugnantia, quod naturæ ſenſus, quæ ſibi ſentit adverſa, refugit atque horret: pietatis autem affectus ad obedientiam divinæ voluntatis etiam per has difficultates contendit. Hanc repugnantiam expreſſit Dominus, quum ita loqueretur Petro, *Quum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas quo libebat. Quum autem ſenueris, præcinget te alius, & ducet quo non voles.* Non eſt ſane veriſimile, Petrum, quum neceſſe eſſet glorificare Deum per mortem, invitum ac reſtitantem eo tractum eſſe: alioqui parum haberet laudis ejus martyrium. Verum, utcunque cordis ſumma alacritate divinæ ordinationi pareret, quia tamen humanitatem non exuerat, duplici voluntate diſtringebatur. Nam dum cruentam illam mortem, quam erat obiturus, per ſe reputabat, ejus horrore perculſus, libenter effugiſſet. Rurſum dum ſuccurrebat Dei imperio ſe ad eam vocari, evicto ac proculcato timore, libenter atque adeo hilariter eam ſubibat. Hoc ergo ſtudendum eſt, ſi Chriſti diſcipuli eſſe volumus, ut tanta Dei obſervantia atque obedientia imbuantur animi noſtri, quæ contrarias omnes affectiones domare ac ſubjugare ejus ordinationi queat. Ita fiet ut quocunque vexemur crucis genere, in ſummis etiam animi anguſtiis patientiam conſtanter retineamus. Res enim ipſæ adverſæ habebunt ſuam aſperitatem qua mordeamur. Sic morbo afflicti, & ingemiſcemus, & inquietabimur, & ſanitatem expetemus: ſic egeſtate preſſi, ſollicitudinis & triſtitiæ aculeis perſtringemur: ſic ignominiæ, contemptus, & injuriæ dolore feriemur: ſic in funeribus noſtrorum debitas naturæ lachrymas exolvemus: ſed hæc ſemper erit clauſula, Atqui Dominus ita voluit: ergo ejus voluntatem ſequamur. Imo inter ipſas doloris punctiones, inter gemitus & lachrymas, neceſſe eſt interveniat hæc cogitatio, quæ animum ad ea ipſa, quorum cauſa ſic afficitur, alacriter ferenda inclinet.

Item, ſpecialis exemplo Petri Apoſtoli.
Joan. 21. verſ. 18.

Qualis ſit patientia quæ à nobis requiritur.

Philoſophica ac Chriſtiana patientiæ diſcrimen.

11. Quoniam autem præcipuam crucis tolerandæ rationem à divinæ voluntatis conſideratione ſumpſimus, paucis definiendum eſt quid inter Philoſophicam ac Chriſtianam patientiam interſit. Equidem pauciſſimi ex Philoſophis eo rationis conſcenderunt, ut manu Dei nos exerceri per afflictiones intelligerent, & Deo hac in parte obtemperandum cenſerent: ſed illi quoque ipſi non aliam afferunt rationem, niſi *quia ita neceſſe ſit.* Quid autem iſtud eſt dicere niſi cedendum eſſe Deo, quia fruſtra contendas obluctari? Nam ſi Deo tantum paremus quia neceſſe eſt: ſi evadere liceat parere deſinemus. Scriptura autem longe aliud in voluntate Dei conſiderare jubet, nempe juſtitiam primum & æquitatem: deinde ſalutis noſtræ curam. Hujuſmodi ergo ad patientiam ſunt Chriſtianæ exhortationes. Sive paupertas, ſive exilium, ſive carcer, ſive contumelia, ſive morbus, ſive orbitas, ſeu quid aliud ſimile nos cruciat, cogitandum nihil iſtorum accidere niſi nutu ac providentia Dei. Porro ipſum nihil niſi juſtiſſimo ordine agere. Quid enim? annon innumera ac quotidiana noſtra delicta promerentur ſeverius ac gravioribus ferulis caſtigari, quam quæ nobis ab ejus clementia infliguntur? Annon æquiſſi-

Philoſophica neceſſitatem obtendit, cui non poſſis reſiſtere. Chriſtiana juſtitiam Dei proponit & ſalutis noſtræ curam.

Hujus diſcriminis diffuſior explicatio.

æquiſſimum eſt carnem noſtram domari, & veluti jugo aſſuefieri, ne libidinoſe pro ſuo ingenio ferociat? annon digna eſt juſtitia & veritas Dei cujus cauſa laboremus? Quod ſi iodubia Dei æquitas io afflictionibus apparet, non poſſumus ſine iniquitate vel obmurmurare vel obluctari. Noo audimus jam illam frigidam cantionem, Cedendum, quia neceſſe eſt: ſed vividam ac plenam efficaciæ præceptionem, Obtemperandum, quia reſiſtere nefas eſt: Patienter ferendum, quoniam impatientia ſit adverſus Dei juſtitiam contumacia. Jam vero quia illud demum amabile nobis eſt, quod ſaluti ac bono nobis eſſe agnoſcimus, hâc etiam parte conſolatur nos optimus Pater, dum aſſerit, ſe eo ipſo quod nos cruce affligit, ſaluti noſtræ conſulere. Quod ſi ſalutares nobis tribulationes eſſe conſtat, cur non grato placidoque animo eas ſuſciperemus? Quare eas patienter ferendo non ſuccumbimus neceſſitati, ſed bono noſtro acquieſcimus. Iſtæ, inquam, cogitationes faciunt, ut quantum animi noſtri contrahuntur in cruce, naturali acerbitatis ſenſu, tantum ſpirituali lætitia diffundantur. Unde & gratiarum actio ſequitur, quæ nulla ſine gaudio eſſe poteſt. Quod ſi laus Domini, & gratiarum actio nonniſi ab hilari lætoque pectore emanare poteſt: nihil autem eſt quod eam interpellare in nobis debeat: binc apparet quam neceſſarium ſit, crucis amaritudinem ſpirituali gaudio temperari.

Cap. IX.

De meditatione futuræ vitæ.

Partes capitis.

1. *Præcipua crucis utilitas ea eſt, quod nos variis modis tum ad præſentis vitæ contemptum aſſuefacit, tum ad futuræ meditationem excitat, ſect. 1. 2.*
2. *Neceſſe eſt nos ita vi abſtrahi ex præſenti vita, ut illam neque fugiamus, neque odio proſequamur: ſed futuræ deſiderio præſentem alacriter in morte deſeramus, cum bona ſummi noſtri Imperatoris venia, ſect. 3. 4.*
3. *Infirmitatis noſtræ mortem formidantis deſcriptio, correctio, & tuta remedia, ſect. 5. 6.*

Dei ſuos affligentis conſilium.

Quocunque autem tribulationis genere premamur, reſpiciendus ſemper eſt hic finis, ut aſſueſcamus ad præſentis vitæ contemptum, indeque ad futuræ meditationem excitemur.

1. Vult aſſueſcamus ad præſentis vitæ contemptum.

Quoniam enim optime novit Deus quantopere in belluinum mundi hujus amorem ſimus natura inclinati, aptiſſimam rationem adhibet ad nos retrahendos & torporem excutiendum, ne nimis tenaciter in eo amore inhæreſcamus. Nemo quidem eſt noſtrûm qui non videri cupiat ad cæleſtem immortalitatem toto vitæ curriculo aſpirare & eniti. Pudet enim nos nulla re antecellere brutas pecudes: quarum conditio nihilo noſtra inferior futura eſſet, niſi ſpes æternitatis poſt mortem nobis ſuperſit.

Cujus amore inſanimus.

Verum ſi conſilia, ſtudia, facta cujuſque examines, nihil aliud illic videbis quam terram. Inde autem ſtupiditas, quod mens noſtra fulgore inani opum, potentiæ, honorum, perſtricta bebetatur, ne longius cernat. Cor etiam avaritia, ambitione, libidine occupatum degravatur, ne altius aſſurgat. Denique tota anima carnis illecebris irretita, felicitatem in terra ſuam quærit.

Quem amorem variis afflictionum variarum pharmacis extinguit.

Huic malo ut occurrat Dominus, aſſiduis miſeriarum documentis ſuos de præſentis vitæ vanitate edocet. Ergo ne altam ſibi & ſecuram pacem in ea promittant: vel bellis, vel tumultibus, vel latrociniis, vel aliis injuriis inquietari ſæpe infeſtariqne permittit. Ne aviditate nimia fluxis & caducis divitiis inhient, aut in iis quas poſſident acquieſcant: nunc exilio, nunc ſterilitate terræ, nunc incendio, nunc aliis modis ad inopiam eos redigit, aut certe in mediocritate continet. Ne nimium placide in bonis conjugii delicientur: aut uxorum improbitate vexari facit, aut mala progenie ipſos bumiliat, aut orbitate affligit. Quod ſi in his omnibus indulgentior illis eſt, ne tamen vel ſtulta gloria intumeſcant, vel confidentia exultent, morbis & periculis ob oculos illis ponit quam inſtabilia ſint ac evanida quæcunque mortalitati obnoxia ſunt bona. Tum ergo demum rite proficimus crucis diſciplina, ubi diſcimus hanc vitam, quum in ſe æſtimatur, inquietam, turbulentam, innumeris modis miſeram, nulla ex parte plane beatam eſſe: omnia quæ æſtimantur ejus bona, incerta, fluida, vana, multiſque admixtis malis vitiata eſſe: atque ex eo ſimul conſtituimus, nihil hic quærendum aut ſperandum quam certamen:

2. In cælum attollamus oculos ad coronam immortalem.

attollendos in cælum oculos, ubi de corona cogitamus. Sic enim habendum eſt, nunquam ſerio ad futuræ vitæ deſiderium ac meditatiooem erigi animum, niſi præſentis contemptu ante imbutus fuerit.

Qui præſentis vitæ amore detinetur, futuram meditari haud facile poteſt.

2. Siquidem inter iſta duo nihil medium eſt: aut vileſcat nobis terra oportet, aut intemperato amore ſui vinctos nos detineat. Proinde ſiqua æternitatis cura eſt, huc diligenter incumbendum ut malis iſtis compedibus nos explicemus. Porro quoniam plurimas blanditias habet præſens vita quibus nos pelliciat: multam amœnitatis, gratiæ, ſuavitatis ſpeciem qua nos demulceat: magnopere noſtra refert, identidem nos avocari, ne talibus lenociniis faſcinemur.

Id confirmans proſperitatis incommoda.

Quid enim, obſecro, fieret, ſi perpetuo bonorum ac felicitatis concurſu hic frueremur: quum aſſiduis malorum ſtimulis non poſſimus ſatis expergefieri ad reputandam ejus miſeriam? Vitam humanam fumi vel umbræ inſtar eſſe, non modo eruditis notum eſt, ſed vulgus quoque hominum proverbium nullum magis tritum habet: & quia rem eſſe videbant in primis cognitu utilem, multis inſignibus ſententiis commendarunt.

Humani judicii cæcitas.

Verum nulla fere res eſt quam vel negligentius expendamus vel minus meminerimus: omnia enim molimur perinde atque immortalitatem nobis in terra conſtituentes.

Momentanea etiam eorum Philoſophia, qui melioris vitæ deſiderio tenentur.

Si effertur funus aliquod, vel inter ſepulchra ambulamus, quia tunc oculis obverſatur mortis ſimulachrum, egregie, fateor, de vitæ bujus vanitate philoſophamur. Quanquam ne id quidem facimus perpetuo: plerumque enim nihil nos afficiunt iſta omnia. Verum ubi accidit, momentanea eſt Philoſophia, quæ ſimulatque terga vertimus, evaneſcit, ac ne minimum quidem poſt ſe recordationis veſtigium relinquit: denique non aliter effluit atque theatralis plauſus in jucundo aliquo ſpectaculo. Neque enim mortis tantum, ſed mortalitatis quoque ipſius obliti, acſi nullus unquam de ea rumor ad nos perveniſſet, in ſupinam terrenæ immortalitatis ſecuritatem revolvimur. Siquis interim proverbium occinat, *hominem animal eſſe* ἐφήμερον, fatemur id quidem: ſed adeo nulla attentione, ut perpetuitatis cogitatio nihilominus aoimis inſideat.

Concluſio, neceſſariam eſſe crucem, qua piis ad futuræ vitæ meditationem & amorem excitantur.

Quis ergo neget, nobis omnibus ſummum operæpretium eſſe, non dico verbis admoneri, ſed quibuſcunque fieri poteſt experimentis convinci de miſera terreſtris vitæ conditione: quando vix convicti etiam deſinimus prava ſtultaque ejus admiratione obſtupeſcere, acſi ultimam bonorum metam in ſe contineret? Quod ſi neceſſe habet

Deus

Deus nos erudire: noſtri viciſſim officii eſt auſcultare vocanti, & torporem noſtrum vellicanti: ut contempto mundo ad futuræ vitæ meditationem toto pectore contendamus.

Verumtamen præſens vita non eſt deteſtanda, quum ſit divinæ benevolentiæ erga pios teſtimonium.

3. Sed enim ad talem præſentis vitæ contemptum ſeſe aſſuefaciant fideles, qui neque ejus odium generet, nec adverſus Deum ingratitudinem. Siquidem hæc vita, utcunque infinitis miſeriis referta ſit, cenſetur tamen merito inter non aſpernandas Dei benedictiones. Quare ſi nibil in ea re cognoſcimus divini beneficii, rei jam ſumus non parvæ in Deum ipſum ingratitudinis. Præſertim vero fidelibus teſtimonium eſſe debet divinæ benevolentiæ: quando ad ſalutem eorum promovendam tota eſt deſtinata. Prius enim quam æternæ gloriæ hæreditatem nobis palam exhibeat, minoribus documentis ſe nobis Patrem vult declarare: ea ſunt quæ quotidie ab ipſo nobis conferuntur bona. Quum ergo nobis ſerviat vita bæc ad intelligendam Dei bonitatem, faſtidiemusne eam quaſi nullam boni micam in ſe haberet? Hunc igitur ſenſum atque affectum induere nos oportet, ut ipſam reponamus inter minime reſpuenda divinæ benignitatis dona. Nam ſi deeſſent Scripturæ teſtimonia (quæ plurima ſunt & clariſſima) ipſa quoque natura nos bortatur ad reddendam Domino gratiarum actionem, quod in ejus lucem nos protulit, quod uſuram nobis concedit, quod omnia ad eam conſervandam neceſſaria præſidia largitur. Et multo illa major eſt ratio, ſi reputamus in ea nos ad gloriam regni cæleſtis quodammodo præparari. Sic enim Dominus ordinavit, ut qui olim coronandi ſunt in cælo, certamina prius in terris obeant, ne triumphent niſi ſuperatis belli difficultatibus, & parta victoria. Deinde altera: quod variis beneficiis divinæ benignitatis ſuavitatem delibare in ea incipimus: quo ſpes ac deſiderium noſtrum acuatur ad plenam ejus revelationem expetendam. Ubi conſtitutum illud fuerit, divinæ clementiæ munus eſſe, quod terrenam vitam vivimus, cujus gratia ut ſumus illi obligati, ita memores gratoſque eſſe oportere: tum opportune deſcendemus ad conſiderandam miſerrimam ejus conditionem: quo ſcilicet extricemur à nimia ejus cupiditate, ad quam, ut dictum eſt, ultro natura propenſi ſumus.

Præterea, nos ad gratiarum actionem Deo Opt. Max. reddendam hortatur & impellit.

Poſt certamina cum in terris victoriam & coronam electis in cælo repoſuit.

Tædium vitæ præſentis quomodo temperandum.

4. Porro quicquid detrahitur pravo ejus amori, debet melioris vitæ deſiderio accedere. Fateor ſane veriſſime ſenſiſſe eos, quibus viſum eſt *optimum non naſci: proximum, quam citiſſime aboleri.* ſiquidem Dei lumine & vera religione deſtituti, quid in ea cernere poterant non infauſtum ac tetrum? Nec ſine ratione illi, qui natales ſuorum mœrore ac lacbrymis, funera ſolenni gaudio proſequebantur. ſed id faciebant ſine profectu: quia recta fidei doctrina orbati, non videbant quomodo piis in bonum cedat, quod per ſe nec beatum nec deſiderabile eſt. itaque judicium ſuum deſperatione terminabant. Hic ergo ſit ſcopus fidelium in æſtimanda mortali vita, ut dum intelligunt nihil per ſe quam miſeriam eſſe, eo alacriores & magis expediti totos ſe ad futuræ illius & æternæ meditationem conferant. Ubi ad eam comparationem ventum eſt, tum vero illa non modo ſecure negligi poteſt, ſed præ hac penitus contemnenda eſt ac faſtidienda. Nam ſi cælum patria eſt, quid aliud terra quam exilium? Si migratio è mundo eſt in vitam ingreſſus, quid aliud mundus quam ſepulchrum? in ipſo manere quid aliud quam in morte demerſum eſſe? Si liberari à corpore, eſt aſſeri in ſolidam libertatem, quid aliud eſt corpus quam carcer? Si Dei præſentia frui ſuprema felicitatis ſumma eſt, nonne ea carere miſerum? Atqui donec è mundo evaſerimus, *peregrinamur à Domino.* Ergo ſi cum cæleſti vita terrena comparetur, non dubium quin facile & contemnenda & proculcanda ſit. Odio certe habenda nunquam eſt, niſi quatenus nos peccato tenet obnoxios: quanquam ne illud quidem odium proprie in ipſam convertendum eſt. Utcunque ſit, nos tamen ita ejus vel tædio, vel odio affici decet, ut finem ejus deſiderantes, parati quoque ſimus ad arbitrium Domini in ea manere: quo ſcilicet tædium noſtrum ſit procul ab omni murmure & impatientia. Eſt enim inſtar ſtationis, in qua nos Dominus collocavit, tamdiu nobis conſervanda quoad ille revocarit. Deflet quidem ſortem ſuam Paulus, quod voto ſuo diutius corporis vinculis alligatus teneatur, & ſuſpirat ardenti redemptionis deſiderio: nibilominus, ut Dei imperio pareat, paratum ſe ad utrumque profitebatur: quia ſe id Deo debere agnoſcit, ut nomen ejus *vel per mortem, vel vitam glorificet.* ipſius autem eſt ſtatuere quid maxime ad gloriam ſuam expediat. Itaque ſi *Domino vivere ac mori* nos decet, ejus arbitrio relinquamus mortis vitæque noſtræ terminum: ſed ita, ut & illius ſtudio flagremus, & in meditatione ſimus aſſidui: banc vero præ futura immortalitate contemnamus, & ob peccati ſervitutem ei renunciare, quoties Domino placuerit, optemus.

Scopus fidelium in ea æſtimanda.

Præſentis & futuræ collatio.

2 Cor. 5:6.

Quatenus præſens vita odio eſt habenda.

Ex qua non ſine Dei arbitrio exire licet.

Phil. 1: 23. Rom. 7. verſ. 24.

Phil. 1: 20.

Rom. 14. v. 7, 8.

Contra, damnantur Chriſtiani qui ad mortis nomen trepidant.

5. Hoc vero portenti ſimile, quod pro illo mortis deſiderio, tanta ejus formidine tenentur multi, qui ſe Chriſtianos eſſe jactant, ut ad quamlibet ejus mentionem contremiſcant, velut rei penitus ominoſæ & infauſtæ. Equidem non eſt mirum ſi naturalis ſenſus in nobis exhorreſcat, audita noſtri diſſolutione. At iſtud nullo modo ferendum, non eſſe in pectore Chriſtiano pietatis lumen, quod majori conſolatione qualemcunque illum timorem ſuperet ac ſupprimat. Nam ſi cogitemus hoc inſtabile, vitioſum, corruptibile, caducum, emarcidum, putre corporis noſtri tabernaculum ideo diſſolvi, ut in firmam, perfectam, incorruptibilem, cæleſtem denique gloriam mox inſtauretur: annon ardenter fides experere coget quod natura reformidat? Si cogitemus per mortem ab exilio nos revocari, ut patriam, & cæleſtem patriam incolamus, an nihil inde ſolatii conſequemur? At nihil eſt quod non permanere appetat. Fateor ſane: atque ideo ad futuram immortalitatem reſpiciendum nobis contendo, ubi ſtata conditio obtingat, quæ in terra nuſquam apparet. Optime enim Paulus fideles alacriter ad mortem pergere docet, *non* quia velint *exui*, *ſed* quia *ſuperindui cupiant.* An vero bruta animalia, atque adeo inanimæ ipſæ creaturæ uſque ad ligna & lapides, præſentis ſuæ vanitatis ſibi conſciæ, in ultimum reſurrectionis diem intentæ erunt, ut cum filiis Dei à vanitate eximantur: nos & ingenii luce præditi, & ſupra ingenium, Dei Spiritu illuminati, quum de eſſentia noſtra agitur, non attollemus animos ultra hanc terræ putredinem? Verùm non eſt hujus inſtituti aut loci contra tantam hanc perverſitatem agere. Et jam initio profeſſus ſum me locorum communium fuſiorem tractationem hic minime velle ſuſcipere. Ego hujuſmodi timidulis animis ſuaderem, ut Cypriani libellum de mortalitate legerent, niſi digni eſſent qui ad Philoſophos ablegarentur: ut inſpecto, quem illi præ ſe ferunt, mortis contemptu, erubeſcere incipiant. Hoc tamen habeamus conſtitutum, neminem bene in Chriſti ſchola profeciſſe, niſi qui & mortis, & ultimæ reſurrectionis diem cum gaudio expectet. Nam & hac nota fideles univerſos deſcribit Paulus, & Scripturæ familiare eſt, quoties ſolidæ lætitiæ argumentum proponere vult, eo nos revocare. *Exultate*, inquit Dominus, *& levate capita veſtra: appropinquat enim redemptio veſtra.* An rationabile, quæſo, eſt, ut quod ille tantum valere voluit ad exultationem & alacritatem in nobis excitandam, nihil quam triſtitiam ac conſternationem pariat? Si ita eſt, quid adhuc eo quaſi magiſtro gloriamur? Saniorem ergo mentem concipiamus: atque, ut repugnet cæca & ſtupida carnis cupidi-

1. Ratio.

2. Altera.

Objectio.

Reſponſio.

2 Cor. 5: 2.

3. Tertia ratio, à comparatis, & à minori ad majus.

Rom. 8. verſ. 19.

4. Quarta, à teſtimoniis.

5. Quinta, à vocatione & ſpe noſtra.

Tit. 2: 13.

Luc. 21. verſ. 28.

6. Sexta, à redemptionis fine.

cupiditas, non dubitemus adventum Domini non votis modo, ſed gemitu etiam ac ſuſpiriis, velut rem omnium fauſtiſſimam, expetere. Adveniet enim nobis redemptor, qui ab hoc immenſo malorum & miſeriarum omoium gurgite extractos, in beatam illam vitæ & gloriæ ſuæ hæreditatem inducat.

7. Septima, à vita præſentis conſideratione.
Rom. 8. verſ. 35.
1 Cor. 15. verſ. 19.
8. Octava, à vita futura meditatione.

6. Sic eſt ſane: totam fidelium nationem, quamdiu terram inhabitant, oportet eſſe *tanquam oves mactationi deſtinatas*, quo Chriſto capiti ſuo conformentur. Deploratiſſimi ergo eſſent, niſi, in cælum mente erecta, ſuperarent quicquid in mundo eſt, & præſentem rerum faciem trajicerent. Contra, ubi ſemel caput ſupra omnia terrena extulerint, etiamſi videant florentes impiorum opes & honores, ſi alta pace frui, ſi rerum omnium ſplendore ac luxu ſuperbire, ſi deliciis omnibus affluere cernant: ſi præterea eorum improbitate pulſentur, ſi contumelias ab eorum faſtu ſuſtineant, ſi avaritia expilentur, ſi alia quavis libidine vexentur: non difficulter ſe in talibus quoque malis ſuſtinebunt. Erit enim ſub oculis dies ille, quo Dominus in regni ſui quietem fideles ſuos recipiet, abſterget ab eorum oculis omnem lachrymam, ſtola gloriæ & lætitiæ ipſos induet, deliciarum ſuarum inenarrabili ſuavitate paſcet, in ſuæ altitudinis ſocietatem evehet, denique felicitatis ſuæ participatione dignabitur. Impios vero illos, qui in terra floruerint, in extremam ignominiam projiciet: eorum delicias cruciatibus, riſum & lætitiam fletu ſtridoreque dentium permutabit, pacem diro conſcientiæ tormento inquietabit, mollitiem plectet igne inextincto; piis etiam, quorum patientia abuſi fuerint, eorum capita ſubjiciet. *Hæc* enim *eſt juſtitia* (teſte Paulo) *dare miſeris & injuſte afflictis relaxationem, reddere vero afflictionem improbis qui pios affligunt, quum revelabitur Dominus Jeſus è cælo.* Hæc profecto unica eſt noſtra conſolatio: quæ ſi auferatur, aut neceſſe erit deſpondere animum, aut vanis mundi ſolatiis in exitium noſtrum delinire. Siquidem & Propheta ſibi vacillaſſe pedes confitetur, dum in præſenti impiorum proſperitate reputanda nimium immoratur: oeque potuiſſe aliter conſiſtere quam dum ſanctuarium Dei ingreſſus, ad noviſſimum piorum ac malorum finem convertit oculos. Ut uoo verbo concludam, tunc demum in pectoribus fidelium triumphat crux Chriſti de diabolo, carne, peccato & impiis, ſi oculi in reſurrectionis potentiam convertuntur.

Jeſ. 25: 8. Apoc. 7. verſ. 17.
9. Poſtrema, ab impiorum exitus horrendi deſcriptione ducta.
2 Theſ. 1. verſ. 6.
Pſal. 73: 2.
ibid. v. 17.
Concluſio.

CAP. X.

Quomodo utendum præſenti vita, ejuſque adjumentis.

Partes hujus capitis.

1. *Hujus doctrinæ neceſſitas ac utilitas: quæ extrema item nobis fugienda, ſi præſenti vita ejuſque adjumentis recte uti cupimus, ſect. 1. & 2.*
2. *Horum extremorum alterum, nempe carnis intemperies diligenter eſt compeſcenda, idque quatuor modis ordine deſcriptis, ſect. 3. 4. 5. & 6.*

Quam neceſſaria ſit hæc doctrina.
Ratio.

TAlibus rudimentis probe nos ſimul inſtituit Scriptura quis rectus ſit bonorum terreſtrium uſus: res in componenda vitæ ratione minime negligenda. Nam ſi vivendum eſt, utendum quoque neceſſariis vitæ adminiculis: nec fugere ea quoque poſſumus quæ videntur oblectationi magis quam occeſſitati inſervire. Modum ergo tenere oportet, ut pura conſcientia ſive ad neceſſitatem ſive ad oblectamentum utamur. Eum Dominus verbo ſuo præſcribit, quum docet, vitam præſentem quandam peregrinationem ſuis eſſe, qua in cæleſte regnum contendunt. Si per terram traoſeundum eſt duntaxat, non dubium quin eatenus utendum ſit ejus bonis, ut curſum noſtrum juvent potius quam moreotur. Ideo non abs re ſuadet Paulus *hoc mundo ita utendum eſſe quaſi non utamur*: eodem animo emendas eſſe poſſeſſiones quæ veoduntur. Verum quia lubricus eſt bic locus, & utramque in partem proclivis ad lapſum, ſtudeamus pedem figere ubi tuto ſtare liceat. Fuerunt enim nonnulli, boni & ſancti alioqui bomines, qui quum viderent intemperiem ac luxuriam effreni libidine perpetuo evagari niſi ſeverius coërceatur, corrigere autem tam perniciosſum malum cuperent: quæ una illis occurrebat ratio, corporeis bonis uti homini permiſerunt, quatenus neceſſitatis intereſſet. Pium quidem conſilium: ſed impendio auſteriores fuerunt. Nam (quod eſt valde periculoſum) arctiores laqueos induerunt conſcientiis, quam quibus verbo Domini ſtringerentur. Neceſſitas porro illis eſt, ab omnibus abſtinere quibus carere poſſis: ita ſecundum eos vix ad panem cibarium & aquam addere quicquam liceret. Aliorum major auſteritas, qualis refertur de *Cratete Thebano*, qui opes ſuas in mare projecit: quia niſi perirent, perditum ſe ab illis iri putabat. Multi autem hodie, dum prætextum quærunt quo in rerum externarum uſu carnis intemperies excuſetur, & interim laſcivienti viam ſternere volunt: pro confeſſo aſſumunt quod minime illis concedo, nulla modificatione reſtringendam eſſe hanc libertatem: ſed permittendum cujuſque conſcientiæ ut uſurpet quantum ſibi licere videat. Equidem fateor nec debere nec poſſe conſcientias ſtatis præciſiſque legum formulis hic alligari: ſed quum Scriptura generales legitimi uſus tradat regulas, ſecundum illas certe limitandus nobis eſt.

Uſus bonorum vitæ præſentis.
1 Cor. 7. v. 30, 31.
Extrema fugienda.
1. Nimia auſteritas.
Plutarch. lib. de vitando ære ali. Philoſtr. in vita Apoll.
2. Carnis intemperies & laſcivia.

2. Sit hoc principium, uſum donorum Dei non aberrare, quum in eum finem refertur in quem illa nobis auctor ipſe creavit ac deſtinavit: ſiquidem in bonum noſtrum creavit, non in perniciem. Quamobrem nemo iter rectius tenebit quam qui diligenter finem hunc intuebitur. Jam ſi reputemus, quem in finem alimenta creaverit, reperiemus non neceſſitati modo, ſed oblectamento quoque ac hilaritati voluiſſe conſulere. Sic in veſtibus, præter neceſſitatem, finis ei fuit decorum & honeſtas. In herbis, arboribus, & frugibus, præter uſus varios, aſpectus gratia, & jucunditas odoris: niſi enim id verum eſſet, non recenſeret Propheta inter beneficia Dei, quod *vinum lætificat cor hominis, quod oleum ſplendidam ejus faciem reddit.* Non commemorarent paſſim Scripturæ, ad commendandam ejus benignitatem, ipſum ejuſmodi omnia dediſſe hominibus. Et ipſæ naturales rerum dotes ſatis demonſtrant quorſum & quatenus frui liceat. An vero tantam floribus pulchritudinem indiderit Dominus, quæ ultro in oculos incurreret: tantam odoris ſuavitatem, quæ in olfactum influeret: & nefas erit vel illos pulchritudine, vel hunc odoris gratia affici? Quid? annon colores ſic diſtinxit ut alios aliis faceret gratiores? Quid? annon auro & argento, ebori ac marmori gratiam attribuit, qua præ aliis aut metallis aut lapidibus pretioſa redderentur? Denique annon res multas, citra neceſſarium uſum, commendabiles nobis reddidit?

Quod ad primum attinet, Deus tot bona creando, non modo neceſſitati noſtræ, ſed oblectamento quoque ac hilaritati conſuluit.
Confirmatio, à dicto Prophetæ.
Pſal. 104. verſ. 15.
Ab experientia ipſa.

3. Faceſſat ergo inhumana illa Philoſophia, quæ dum nullum niſi neceſſarium uſum concedit ex creaturis,

Nimia igitur hæc auſteritas explodenda eſt.

turis,

turis, non tantum maligne nos privat licito beneficentiæ divinæ fructu: ſed obtinere non poteſt, niſi hominem cunctis ſenſibus ſpoliatum in ſtipirem redegerit. Sed non minus diligenter altera ex parte occurrendum eſt carnis libidini: quæ niſi in ordinem cogitur, ſine modo exundat: & habet (ut dixi) ſuos ſuffragatores, qui ſub prætextu conceſſæ libertatis, nihil non illi permittunt. Primo frænum illi unum injicitur, ſi ſtatuatur, ideo condita nobis eſſe omnia, ut cognoſcamus auctorem, ac ejus indulgentiam erga nos gratiarum actione proſequamur. Ubi gratiarum actio, ſi te epulis aut vino ita ingurgites ut vel obſtupeſcas, vel inutilis reddaris ad pietatis tuæque vocationis officia? Ubi Dei recognitio, ſi caro ex nimia abundantia in fœdam libidinem ebulliens, mentem impuritate ſua inficit, nequid recti aut honeſti cernas? Ubi in veſtibus gratitudo erga Deum, ſi ſumptuoſo earum ornatu & nos admiremur, & alios faſtidiamus? ſi elegantia & nitore ad impudicitiam nos comparemus? Ubi recognitio Dei, ſi in earum ſplendorem defixæ ſint mentes? nam totos ſuos ſenſus multi ſic deliciis addicunt, ut mens obruta jaceat: multi marmore, auro, picturis ita delectantur ut marmorei fiant, vertantur quaſi in metalla, ſimiles ſint pictis figuris. Nidor culinæ vel odorum ſuavitas alios obſtupefacit, nequid ſpirituale olfaciant. Id quoque ipſum in reliquis videre eſt. Quamobrem conſtat hic jam abutendi licentiam aliquantum cohiberi, & confirmari illam Pauli regulam, *ne carnis curam agamus ad ejus concupiſcentias*, quibus ſi nimium conceditur, ſine modo vel temperie ebulliunt.

Nec minus diligenter carnis laſcivia.

1. Sciendum, creaturas nos ad Creatoris cognitionem, amorem & honorem revocare.

Quod præſtari nequit ab impiis, qui terrenis iſtis intemperanter abutuntur.

Rom. 13. verſ. 14.

4. Sed nulla certior aut expeditior via eſt, quam quæ nobis fit à præſentis vitæ contemptu & cæleſtis immortalitatis meditatione. Inde enim conſequuntur duæ regulæ, *ut qui utuntur hoc mundo, perinde affecti ſint, acſi non uterentur: qui uxores ducunt, acſi non ducerent: qui emunt, acſi non emerent*, quemadmodum Paulus præcipit. Deinde ut non minus placide ac patienter penuriam, quam moderate abundantiam ferre noverint. Qui præſcribit utendum hoc mundo tanquam non utaris, non modo in cibo & potu, gulæ intemperiem; in menſis, ædificiis, veſtibus nimiam mollitiem, ambitionem, ſuperbiam, faſtum, moroſitatem exſcindit: ſed omnem curam atque affectionem, quæ te vel abducat, vel impediat à cæleſtis vitæ cogitatione & excolendæ animæ ſtudio. Atqui vere illud olim à Catone dictum eſt, *Cultus magnam curam, magnam virtutis eſſe incuriam*: & veteri proverbio uſurpatum, Eos qui multum in corporis cura occupantur, fere animæ eſſe negligentes. Ergo ut ad certam formulam non exigenda ſit fidelium in rebus externis libertas, huic tamen certe legi ſubjecta eſt, ut quam minimum ſibi indulgeant: contra, perpetua animi intentione ſibi inſtent ad reſcindendum omnem ſupervacuæ copiæ apparatum, nedum coërcendam luxuriam: ac diligenter caveant ne ex adjumentis ſibi faciant impedimenta.

2. Eatenus hæc omnia contemnenda, quatenus ad vitæ cæleſtis meditationem expedit.

1 Cor. 7. verſ. 29, 30, 31.

Hac meditatio nimio rerum creatarum amore extinguitur.

Primum, intemperantia.

5. Altera regula erit, ut quibus res anguſtæ ſunt ac tenues, patienter carere noverint, ne immodica earum cupiditate ſollicitentur: quam moderationem qui tenent, non mediocriter in ſchola Domini profecerunt. Quemadmodum vix habere poteſt quo ſe diſcipulum Chriſti eſſe probet, qui non hac in parte aliquatenus ſaltem profecerit. Nam præterquam quod rerum terrenarum appetentiam comitantur pleraque alia vitia: qui impatienter fert penuriam, contrarium etiam in abundantia morbum ut plurimum prodit. Hoc intelligo, quod qui ſordida veſte erubeſcet, pretioſa gloriabitur: qui tenui coenula non contentus, lautioris deſiderio inquietabitur, intemperanter quoque lautitiis illis abutetur, ſi contingant: qui privatam humilemque conditionem difficulter feret ac inquieto animo, ſi ad honores conſcendat à faſtu haudquaquam abſtinebit. Huc ergo contendant omnes quibus non fictum pietatis ſtudium eſt, ut diſcant, Apoſtoli exemplo, *ſaturari & eſurire; abundare, & penuriam pati*. Habet præterea Scriptura & tertiam regulam, qua rerum terrenarum uſum modificat: de qua nonnihil dictum eſt, quum præcepta charitatis tractaremus. Statuit enim, omnes illas ſic eſſe datas nobis Dei benignitate, & in commodum noſtrum deſtinatas, ut ſint velut depoſita quorum reddenda ſit olim ratio. Sic ergo diſpenſare oportet, ut aſſidue auribus noſtris inſonet vox illa, *Redde rationem villicationis tuæ*. Simul occurrat, à quo ejuſmodi ratio exigatur, nempe ab eo qui ut abſtinentiam, ſobrietatem, frugalitatem, modeſtiam tantopere commendavit: luxum, ſuperbiam, oſtentationem, vanitatem denique execratur. cui non alia bonorum diſpenſatio approbatur quam quæ ſit cum charitate conjuncta: qui delicias quaslibet, quæ à caſtitate ac puritate hominis animum abſtrahunt, vel mentem caligine hebetant, ore ſuo jam condemnavit.

Deinde impatientia; & immodica appetentia.

Remedium adverſus hæc mala.

Phil. 4: 12.

3. Creatura in noſtrum uſum ita deputata ſunt, ut ſi-mus de eis rationem reddituri juſto judici, qui abuſum omnem damnavit.

6. Poſtremo eſt illud notabile, quod Dominus unumquemque noſtrûm in cunctis vitæ actionibus in ſuam vocationem intueri jubet. Novit enim quanta inquietudine ferveat humanum ingenium, quam deſultoria levitate huc atque illuc feratur, quam cupida ſit, ad res diverſas ſimul amplexandas, ejus ambitio. Ergo; ne ſtultitia & temeritate noſtra, omnia ſurſum deorſum miſcerentur, diſtinctis vitæ generibus ſua cuique officia ordinavit. Ac nequis temere ſuos fines tranſiliret, ejuſmodi vivendi genera *vocationes* appellavit. Suum ergo ſingulis vivendi genus eſt quaſi ſtatio à Domino attributa, ne temere toto vitæ curſu circumagantur. Adeo autem neceſſaria eſt iſta diſtinctio, ut actiones omnes noſtræ inde coram ipſo æſtimentur, ac ſæpe quidem longe aliter quam pro humanæ ac Philoſophicæ rationis judicio. Nullum magis præclarum facinus habetur, etiam apud Philoſophos, quam liberare tyrannide patriam: atqui voce cæleſtis arbitri aperte damnatur qui privatus manum tyranno intulerit. Verum nolo in recenſendis exemplis immorari: ſatis eſt ſi noverimus vocationem Domini, eſſe in omni re bene agendi principium ac fundamentum: ad quam qui ſe non referet, nunquam rectam in officiis viam tenebit. Poterit forte interdum nonnihil in ſpeciem laudabile deſignare: ſed illud qualecunque ſit in conſpectu hominum, apud Dei thronum reſpuetur. deinde in ipſis vitæ partibus nulla erit ſymmetria. Proinde tum optime compoſita erit tua vita, quum ad hunc ſcopum dirigetur. quia nec quiſquam propria temeritate impulſus, plus tentabit quam ferat ſua vocatio: quia ſciet fas non eſſe tranſilire ſuas metas. Qui obſcurus erit privatam vitam non ægre colet, ne gradum in quo divinitus locatus erit deſerat. Rurſum hæc erit curis, laboribus, moleſtiis aliiſque oneribus non parva levatio, dum quiſque ſciet Deum in his omnibus ſibi eſſe ducem. Libentius magiſtratus partes ſuas obibit, paterfamilias ſe ad officium aſtringet, quiſque in ſuo vitæ genere incommoda, ſollicitudines, tædia, anxietates perferet ac vorabit, ubi perſuaſi fuerint onus cuique à Deo eſſe impoſitum. Hinc & eximia conſolatio naſcetur, quod nullum erit tam ſordidum ac vile opus quod (modo illic vocationi pareas) non coram Deo reſplendeat & pretioſiſſimum habeatur.

4. Deus unumquemque noſtrûm in cunctis vitæ actionibus in ſuam vocationem intueri jubet, nequid temere aut dubia conſcientia tentemus.

Utilitas & uſus hujus doctrinæ.

Eximia conſolatio.

CAP. XI.

De juſtificatione fidei, ac primo de ipſa nominis & rei definitione.

Hoc capite & ſeptem ſequentibus orthodoxa de Juſtificatione fidei doctrina explicatur, refutatis erroribus oppoſitis. Poſſunt autem hoc ordine ita connecti, ut caput 11. rem ipſam aſſerat: quatuor proxime ſuccedentia, juſtitiam operum deſtruendo, fidei juſtitiam confirment, ſingula ſecundum eam rationem quam in ſuis quæque titulis præ ſe ferunt. nempe 12. à deſcriptione perfectæ juſtitiæ. 13. à duobus quæ cavenda ſunt. 14. à conſideratione initii & progreſſus ſanctificationis in renatis. 15. à duobus peſſimis effectis quæ juſtitiam operum continuo comitantur.

Tria reliqua ſunt refutatoria. 16. calumnias adverſariorum diſcutit. 17. argumentis reſpondet quæ ex promiſſionibus vel Legis, vel Evangelii ducuntur. 18. refellit ea quibus ex promiſſa mercede colligitur operum juſtitia.

Porro tres præcipuæ ſunt partes hujus capitis.

1. *De loquutionibus, quæ in hac tractatione occurrunt, diſputat, ſect. 1. 2. 3. & 4.*
2. *Oſiandri delirium de eſſentiali juſtitia impugnat, à 5. ſect. ad 13.*
3. *A ſect. 13. ad finem capitis contra juſtitiam operum fidei juſtitiam erigit.*

Doctrina de regeneratione Juſtificationis locus conjunctus explicatur. lib. 2. c. 6. & 7. lib. 3. ab initio uſque ad hunc locum.

JAm mihi ſatis diligenter expoſuiſſe ſupra videor, quomodo hominibus à Lege maledictis unicum recuperandæ ſalutis reſtet in fide ſubſidium. Rurſum quid fides ipſa ſit, & quæ in hominem Dei beneficia conferat, & quos in eo fructus edat. Summa autem hæc fuit, Chriſtum nobis Dei benignitate datum, fide à nobis apprehendi ac poſſideri, cujus participatione duplicem potiſſimum gratiam recipiamus: nempe ut ejus innocentia Deo reconciliati, pro judice jam propitium habeamus in cælis Patrem: deinde ut ejus Spiritu ſanctificati, innocentiam puritatemque vitæ meditemur. Ac de regeneratione quidem, quæ ſecunda eſt gratia, dictum fuit quantum ſufficere videbatur. Juſtificationis ratio levius ideo attacta eſt, quoniam ad rem pertinebat intelligere primum & quam otioſa non ſit à bonis operibus fides, qua ſola gratuitam juſtitiam, Dei miſericordia obtinemus: & qualia ſint ſanctorum bona opera, in quibus pars hujus quæſtionis verſatur. Ea ergo nunc penitus diſcutienda: & ita diſcutienda ut meminerimus præcipuum eſſe ſuſtinendæ religionis cardinem: quo majorem attentionem curamque afferamus. Niſi enim primum omnium, quo ſis apud Deum loco, & quale de te ſit illius judicium, tenes: ut nullum habes ſtabiliendæ ſalutis fundamentum, ita nec erigendæ in Deum pietatis. Sed neceſſitas cognoſcendi melius ex cognitione ipſa eluceſcet.

Hujus autem notitia duplici nomine admodum eſt neceſſaria.

Quæ ut facilius aſſequamur, traditur definitio vocum.

2. Porro ne impingamus in ipſo limine (quod fieret ſi de re incognita diſputationem ingrederemur) primum explicemus, quid ſibi velint iſtæ loquutiones, *Hominem coram Deo juſtificari*, *Fide juſtificari vel operibus*.

1. Juſtificari coram Deo.

Juſtificari coram Deo dicitur, qui judicio Dei & cenſetur juſtus, & acceptus eſt ob ſuam juſtitiam: ſiquidem ut Deo abominabilis eſt iniquitas, ita nec peccator in ejus oculis poteſt invenire gratiam, quatenus eſt peccator & quamdiu talis cenſetur. Proinde ubicunque peccatum eſt, illic etiam ſe profert ira & ultio Dei. Juſtificatur autem qui non loco peccatoris, ſed juſti habetur, eoque nomine conſiſtit coram Dai tribunali, ut peccatores omnes corruunt. Quemadmodum ſi reus innocens ad tribunal æqui judicis adducatur, ubi ſecundum innocentiam ejus judicatum fuerit, juſtificatus apud judicem dicitur: ſic apud Deum juſtificatur qui numero peccatorum exemptus, Deum habet ſuæ juſtitiæ teſtem & aſſertorem.

2. Juſtificari operibus.

Juſtificari ergo *operibus* ea ratione dicetur in cujus vita reperitur ea puritas ac ſanctitas, quæ teſtimonium juſtitiæ apud Dei thronum mereatur: ſeu qui operum ſuorum integritate, reſpondere & ſatisfacere illius judicio queat.

3. Juſtificari fide.

Contra *juſtificabitur ille fide*, qui operum juſtitia excluſus, Chriſti juſtitiam per fidem apprehendit, qua veſtitus in Dei conſpectu non ut peccator, ſed tanquam juſtus apparet.

Definitio rei.

Ita nos juſtificationem ſimpliciter interpretamur acceptionem, qua nos Deus in gratiam receptos, pro juſtis habet. Eamque in peccatorum remiſſione ac juſtitiæ Chriſti imputatione poſitam eſſe dicimus.

Vocis (Juſtificari) multiplex ſignificatio.

3. In hujus rei confirmationem extant multa & clara Scripturæ teſtimonia. Principio hanc eſſe propriam & uſitatiſſimam verbi ſignificationem negari non poteſt. Sed quia nimis longum eſſet locos omnes colligere & inter ſe conferre, ſatis ſit lectores monuiſſe: per ſe enim facile obſervabunt. Paucos tantum producam, ubi hæc, de qua loquimur, juſtificatio nominatim tractatur.

Prima, laudem Deo & veritati tribuere. Luc. 7. v. 29. 35.

Primum ubi narrat Lucas plebem Chriſto audito *juſtificaſſe Deum*, & ubi pronunciat Chriſtus *ſapientiam juſtificari à filiis ſuis*, non ſignificat illic juſtitiam conferre, quæ manet ſemper integra apud Deum, quamvis totus mundus eripere conetur: neque hic etiam ſalutis doctrinam facere juſtam, quæ per ſe hoc habet: ſed utraque loquutio tantundem valet, ac laudem Deo ejuſque doctrinæ tribuere quam merentur.

2. Inanem juſtitiam oſtentare. Luc. 16:15.

Rurſum quum Phariſæis exprobrat Chriſtus quod *ſeipſos juſtificent*, non intelligit acquirere juſtitiam recte agendo, ſed ambitioſe captare juſtitiæ qua vacui ſunt famam. Hunc ſenſum melius intelligunt Hebraicæ linguæ periti: ubi etiam *ſceleſti* vocantur non modo qui ſibi conſcii ſunt ſceleris, ſed qui judicium damnationis ſubeunt. Neque enim Bethſabe, dum ſe & Solomonem dicit fore *ſceleſtos*, crimen agnoſcit: ſed probro ſe & filium expoſitum iri conqueritur, ut numerentur inter reprobos & damnatos. (1 Reg. 1. verſ. 21.) Ex contextu tamen facile patet, verbum hoc, etiam dum Latine legitur, non poſſe aliter accipi, nempe *relative*, non autem ut qualitatem aliquam denotet.

3. Juſtitiam ex fide imputare. Gal. 3:8.

Quod vero ad cauſam præſentem attinet, ubi Paulus ait *Scripturam prævidiſſe quod ex fide juſtificet Gentes Deus*, quid aliud intelligas quam Deum juſtitiam ex fide imputare? Item, quum dicit *Deum juſtificare impium qui eſt ex fide Chriſti*, quis ſenſus eſſe poteſt, niſi fidei beneficio à damnatione liberare quam ipſorum impietas merebatur? (Rom. 3. verſ. 26. Rom. 4:5.) Apertius etiamnum in concluſione, dum ſic exclamat, *Quis accuſabit electos Dei? Deus eſt qui juſtificat: quis condemnabit? Chriſtus eſt qui mortuus eſt: imo qui reſurrexit, & nunc interpellat pro nobis.* (Rom. 8. v. 32. 33.) Perinde enim eſt acſi diceret, Quis accuſabit quos Deus abſolvit? quis damnabit quos ſuo patrocinio Chriſtus defendit? Juſtificare ergo nihil aliud eſt, quam eum qui reus agebatur, tanquam approbata innocentia à reatu abſolvere.

Per & propter Chriſtum.

Quum itaque nos Chriſti interceſſione juſtificet Deus, non propriæ innocentiæ approbatione, ſed juſtitiæ imputatione nos abſolvit: ut pro juſtis in Chriſto cenſeamur, qui in nobis non ſumus.

Prima confirmatio, à dicto Pauli. Actor. 13. verſ. 38.

Sic Actorum 13. in concione Pauli, *Per hunc vobis annunciatur remiſſio peccatorum, & ab omnibus iis à quibus non potuiſtis juſtificari in Lege Moſis, omnis qui credit in eum, juſtificatur.* Vides poſt remiſſionem peccatorum, juſtificatio-

catio-

cationem hanc velut interpretationis loco poni: vides aperte pro abſolutione ſumi: vides operibus Legis adimi: vides merum Chriſti beneficium eſſe: vides fide percipi: vides denique interponi ſatisfactionem, ubi dicit nos à peccatis juſtificari per Chriſtum. Sic quum *publicanus* dicitur *juſtificatus è templo deſcendiſſe*, non poſſumus dicere aliquo operum merito conſequutum eſſe juſtitiam. Hoc ergo dicitur, poſt impetratam peccatorum veniam, pro juſto eſſe coram Deo habitum. Juſtus ergo fuit non operum approbatione, ſed gratuita Dei abſolutione. Quare eleganter Ambroſius, qui peccatorum confeſſionem vocat juſtificationem legitimam.

Et Chriſti. Luc. 18. verſ. 14.

in Pſ. 118. Serm. 10.

Altera confirmatio, ex collatione aliarum vocum, quæ nomine juſtificationis gratuitam coram Deo juſtitiam per fidem in Chriſtum intelligunt.

4. Atque ut omittamus contentionem de voce, rem ipſam ſi intuemur qualiter nobis deſcribitur, nulla manebit dubitatio. Nam Paulus acceptionis nomine certe juſtificationem deſignat, quum dicit ad Epheſios 1: 5. *Deſtinati ſumus in adoptionem per Chriſtum, ſecundum beneplacitum Dei, in laudem glorioſæ ipſius gratiæ, qua nos acceptos vel gratioſos habuit.* Id enim ipſum vult quod alibi dicere ſolet, *Deum nos gratuito juſtificare.* Quarto autem capite ad Romanos, primum appellat juſtitiæ imputationem: nec eam dubitat in peccatorum remiſſione collocare. *Beatus homo*, inquit, *à Davide dicitur cui Deus accepto fert vel imputat juſtitiam ſine operibus: ſicut ſcriptum eſt, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, &c. Illic ſane non de juſtificationis parte, ſed de ipſa tota diſputat. Ejus porro definitionem à Davide poſitam teſtatur, quum beatos eſſe pronunciat, quibus datur gratuita peccatorum venia. Unde apparet, juſtitiam hanc de qua loquitur, ſimpliciter reatui opponi. Sed ad hanc rem locus ille eſt omnium optimus, ubi hanc eſſe ſummam docet legationis Evangelicæ, *ut reconciliemur Deo:* quia ipſe nos per Chriſtum vult in gratiam recipere, *non imputando nobis peccata.* Sedulo expendant lectores totum contextum. nam paulo poſt exegetice addens, Chriſtum, *qui peccati expers erat, factum eſſe pro nobis peccatum:* ut modum reconciliationis deſignet, non aliud haud dubie reconciliandi verbo intelligit, quam juſtificari. Nec ſane quod alibi tradit ſtaret, *obedientia Chriſti nos conſtitui juſtos*, niſi in ipſo & extra nos juſti reputamur coram Deo.

1. Acceptio. Rom. 3. verſ. 23.
2. Juſtitiæ imputatio. Rom. 4. v. 6, 7, 8.
3. Remiſſio peccatorum.
4. Beatitudo.
5. Reconciliatio cum Deo. 2 Cor. 5. v. 18, 19. ibid. v. 21.
6. Juſtitia per obedientiam Chriſti. Rom. 5. verſ. 19.

Altera pars capitis, Oſiandri deliria de eſſentiali juſtitia refellens.

5. Verum quia Oſiander monſtrum neſcio quod eſſentialis juſtitiæ invexit, quo etſi noluit abolere gratuitam juſtitiam, ea tamen caligine involvit, quæ pias mentes obtenebratas ſerio gratiæ Chriſti ſenſu privet: antequam ad alia tranſeo, hoc delirium refellere operæpretium eſt. Primo hæc ſpeculatio meræ eſt jejunæque curioſitatis. Multa quidem Scripturæ teſtimonia accumulat, quibus Chriſtum probet unum eſſe nobiſcum, & nos viciſſim cum ipſo: quod probatione non indiget; ſed quia non obſervat hujus unitatis vinculum, ſeipſum illaqueat. Nobis vero omnes ejus nodos expedire facile eſt, qui tenemus nos cum Chriſto uniri arcana Spiritus ejus virtute. Conceperat vir ille quiddam affine Manichæis, ut eſſentiam Dei in homines transfundere appeteret. Hinc aliud ejus commentum, Adam fuiſſe formatum ad imaginem Dei: quia jam ante lapſum deſtinatus erat Chriſtus exemplar humanæ naturæ. Sed quia brevitati ſtudeo, in præſenti cauſa inſiſtam. Dicit nos unum eſſe cum Chriſto. Fatemur: interea negamus miſceri Chriſti eſſentiam cum noſtra. Deinde perperam hoc principium trahi dicimus ad illas ejus præſtigias: Chriſtum nobis eſſe juſtitiam, quia Deus eſt æternus, fons juſtitiæ, ipſaque Dei juſtitia. Ignoſcent lectores ſi nunc tantum attingo, quæ ratio docendi in alium locum differri poſtulat. Quamvis autem excuſet ſe voce juſtitiæ eſſentialis non aliud intendere, quam ut huic ſententiæ occurrat, nos propter Chriſtum juſtos reputari: dilucide tamen exprimit ſe non ea juſtitia contentum, quæ nobis obedientia & ſacrificio mortis Chriſti parta eſt, fingere nos ſubſtantialiter in Deo juſtos eſſe, tam eſſentia quam qualitate infuſa. Hæc enim ratio eſt cur tam vehementer contendat, non ſolum Chriſtum, ſed Patrem & Spiritum in nobis habitare. Quod etſi verum eſſe fateor, perverſe tamen ab eo torqueri dico. Modum enim habitandi expendere decebat, nempe quod Pater & Spiritus in Chriſto ſunt: & ſicut in ipſo habitat plenitudo divinitatis, ita in ipſo poſſidemus totum Deum. Quicquid ergo ſeorſum de Patre & Spiritu profert, non alio tendit niſi ut ſimplices abſtrahat à Chriſto. Deinde ſubſtantialem mixtionem ingerit, qua Deus ſe in nos transfundens, quaſi partem ſui faciat. Nam virtute Spiritus ſancti fieri, ut coaleſcamus cum Chriſto, nobiſque ſit caput, & nos ejus membra, fere pro nihilo ducit, niſi ejus eſſentia nobis miſceatur. Sed in Patre & Spiritu apertius, ut dixi, prodit quid ſentiat: nempe juſtificari nos non ſola Mediatoris gratia, nec in ejus perſona juſtitiam ſimpliciter vel ſolide nobis offerri: ſed nos fieri juſtitiæ divinæ conſortes, dum eſſentialiter nobis unitur Deus.

1. Argumentum Oſiandri. Reſponſio.

2. Argumentum. Reſponſio 1. Altera.

3. Argumentum.

Reſponſio 1.

Reſponſio 2.

6. Si tantum diceret Chriſtum nos juſtificando, eſſentiali conjunctione noſtrum fieri: nec ſolum quatenus homo eſt, eſſe caput noſtrum, ſed divinæ quoque naturæ eſſentiam in nos diffundi: minore noxa deliciis ſe paſceret, nec forte propter hoc delirium tanta eſſet excitanda contentio: ſed quum principium hoc ſit inſtar ſepiæ, quæ egeſtione atri turbidique ſanguinis multas caudas occultat, niſi velimus ſcientes & volentes pati nobis juſtitiam illam eripi, quæ ſola de ſalute gloriandi fiduciam nobis affert, acriter reſiſtere neceſſe eſt. Nam in hac tota diſputatione nomen juſtitiæ & verbum juſtificandi ad duas partes extendit, ut juſtificari ſit non ſolum reconciliari Deo gratuita venia, ſed etiam juſtos effici: ut juſtitia ſit non gratuita imputatio, ſed ſanctitas & integritas quam Dei eſſentia in nobis reſidens inſpirat. Deinde fortiter negat, quatenus Chriſtus ſacerdos peccata expiando, Patrem nobis placavit, ipſum eſſe juſtitiam noſtram, ſed ut eſt Deus æternus, & vita. Ut probet illud primum, Deum non tantum ignoſcendo, ſed regenerando juſtificare, quærit an quos juſtificat, relinquat quales erant natura, nihil ex vitiis mutando. Reſponſio perquam facilis eſt: ſicut non poteſt diſcerpi Chriſtus in partes, ita inſeparabilia eſſe hæc duo, quæ ſimul & conjunctim in ipſo percipimus, juſtitiam & ſanctificationem. Quoſcunque ergo in gratiam recipit Deus, ſimul Spiritu adoptionis donat, cujus virtute eos reformat ad ſuam imaginem. Verum ſi Solis claritas non poteſt à calore ſeparari, an ideo dicemus luce calefieri terram, calore vero illuſtrari? Hac ſimilitudine nihil ad rem præſentem magis accommodum. Sol calore ſuo terram vegetat ac fœcundat, radiis ſuis illuſtrat & illuminat. hic mutua eſt ac individua connexio: transferre tamen quod unius peculiare eſt ad alterum, ratio ipſa prohibet. In hac duplicis gratiæ confuſione, quam obtrudit Oſiander, ſimilis eſt abſurditas: quia enim re ipſa ad colendam juſtitiam renovat Deus, quos pro juſtis gratis cenſet, illud regenerationis donum miſcet cum hac gratuita acceptatione, unumque & idem eſſe contendit. Atqui Scriptura utrumque conjungens diſtincte tamen enumerat, quo multiplex Dei gratia melius nobis pateat. Neque enim ſupervacuum eſt illud Pauli, *datum fuiſſe nobis Chriſtum in juſtitiam & ſanctificationem.* Et quoties à ſalute nobis parta, à paterno amore Dei, à Chriſti gratia ratiocinatur nos ad ſanctitatem & munditiem vocatos eſſe, aperte indicat aliud eſſe juſtificari quam fieri novas creaturas. Ubi vero ad Scripturam ventum eſt, totidem corrumpit locos quot citat. Ubi Paulus dicit *reputari fidem ad juſtitiam non operanti, ſed credenti in eum qui juſtificat impium,*

Quam neceſſaria ſit hæc refutatio.

A conſideratione falſa interpretationis vocum præcipuarum, & ab ignoratione elenchi.

4. Argumentum.

Reſponſio.

Similitudine confirmata.

Secunda reſponſio, ducta ab abſurdo.

1 Cor. 1. verſ. 30.

5. Argumentum.

Reſponſio. *impium*, exponit juſtum efficere. Eadem temeritate depravat totum illud quartum caput ad Romanos: neque dubitat eodem fuco inficere quod nuper citavi, *Quis accuſabit electos Dei? Deus eſt qui juſtificat.* ubi de reatu & abſolutione ſimpliciter agi palam eſt, ac ex antitheſi pendere Apoſtoli ſenſum. Ergo tam in ratione illa, quam in citandis Scripturæ ſuffragiis nimium futilis deprebenditur. *6. Argumentum.* Nihilo etiam rectius de nomine juſtitiæ diſſerit, quod ſcilicet *Abrahæ reputata fuerit fides in juſtitiam*, poſtquam amplexus Chriſtum (qui Dei juſtitia eſt, & Deus ipſe) eximiis virtutibus excelluerat. *Reſponſio.* Unde apparet ex duobus integris ab ipſo vitioſe fieri unum corruptum. neque enim juſtitia, cujus illic fit mentio, ad totum vocationis curſum pertinet: quin potius teſtatur Spiritus, quamvis eximia eſſet præſtantia virtutum Abrahæ, diuque perſeverando tandem auxiſſet, non tamen aliter placuiſſe Deo, niſi quod gratiam in promiſſione oblatam fide recepit. Unde ſequitur, in juſtificatione nullum operibus eſſe locum, ſicuti Paulus ſcite contendit.

7. Argumentum. 7. Quod objicit, vim juſtificandi non ineſſe fidei ex ſeipſa, ſed quatenus Chriſtum recipit, libenter *Reſponſio.* admitto. nam ſi per ſe, vel intrinſeca, ut loquuntur, virtute juſtificaret fides, ut eſt ſemper debilis & imperfecta, non efficeret hoc niſi ex parte: ſic manca eſſet juſtitia quæ fruſtulum ſalutis nobis conferret. Nos quidem nihil tale imaginamur, ſed proprie loquendo Deum unum juſtificare dicimus: deinde hoc idem transferimus ad Chriſtum, quia datus eſt nobis in juſtitiam. fidem vero quaſi vaſi conferimus, quia niſi exinaniti ad expetendam Chriſti gratiam, aperto animæ ore accedimus, non ſumus Chriſti capaces. Unde colligitur, non detrahere nos Cbriſto vim juſtificandi, dum prius eum *8. Argumentum.* fide recipi docemus quam illius juſtitiam. Neque *Reſponſio.* tamen interea tortuoſas hujus Sophiſtæ figuras admitto, quum dicit fidem eſſe Cbriſtum: quaſi vero olla fictilis ſit theſaurus, quod in ea reconditum ſit aurum. Neque enim diverſa ratio eſt, quin fides, etiamſi nullius per ſe dignitatis ſit vel pretii, nos juſtificet, Chriſtum afferendo, ſicut olla pecuniis referta hominem locupletat. Inſcite ergo fidem, quæ inſtrumentum eſt duntaxat percipiendæ juſtitiæ, dico miſceri cum Cbriſto, qui materialis eſt cauſa, tantique beneficii auctor ſimul & miniſter. Jam expeditus eſt ille quoque nodus, quomodo intelligi debeat vocabulum fidei, ubi de juſtificatione agitur.

9. Argumentum. 8. In Cbriſti receptione longius provebitur: nempe verbi externi miniſterio verbum internum recipi, quo nos à ſacerdotio Chriſti & Mediatoris *Reſponſio.* perſona ad æternam ejus divinitatem traducat. Nos quidem Chriſtum non dividimus, ſed eundem, qui in carne ſua nos Patri reconcilians juſtitia donavit, eſſe æternum Sermonem Dei: nec vero ab eo potuiſſe aliter impleri Mediatoris partes fatemur, & juſtitiam nobis acquiri, niſi eſſet Deus æternus. *1. Inſtantia.* Sed hoc Oſiandri placitum eſt, quum Deus & homo ſit Chriſtus, reſpectu divinæ naturæ, non huma-*Reſponſio 1.* næ, factum nobis eſſe juſtitiam. Atqui ſi proprie hoc in divinitatem competit, peculiare non erit Cbriſto, ſed commune cum Patre & Spiritu: quando *Reſponſio 2.* non alia eſt unius quam alterius juſtitia. Deinde, quod naturaliter ab æterno fuit, non congrueret *Reſponſio 3.* dici *nobis eſſe factum.* Sed ut hoc demus, Deum nobis factum eſſe juſtitiam, qui illud quod interpoſitum eſt conveniet *factum eſſe à Deo?* Hoc certe peculiare eſt Mediatoris perſonæ: quæ etſi in ſe continet divinam naturam, hic tamen inſignitur proprio elogio, quo ſeorſum à Patre & Spiritu *2. Inſtantia.* diſcernitur. Ridicule vero in verbo uno Jeremiæ *Jer. 23:6. & 33:16.* triumphat, ubi promittit *Jebovam* fore *noſtram juſtitiam*. *Reſponſio 1.* Atqui nihil inde aliud eliciet, niſi Chriſtum, qui noſtra eſt juſtitia, eſſe Deum manifeſtatum in carne. Alibi retulimus in concione Pauli, *Deum ſibi acquiſiviſſe Eccleſiam ſuo ſanguine.* *Reſponſio 2. Act. 20:28.* Siquis inde inferat, ſanguinem, quo expiata ſunt peccata, eſſe divinum, & divinæ naturæ, quis tam fœdum errorem ferat? Atqui hoc tam puerili cavillo ſe omnia adeptum eſſe putat Oſiander, tumet, exultat, multaſque paginas farcit ſuis ampullis. quum tamen ſimplex ſit, & expedita ſolutio, Jebovam quidem, ubi factus fuerit germen Davidis, fore piorum juſtitiam: ſed quo ſenſu, docet Jeſaias, *Cognitione ſui juſtificabit multos juſtus ſervus meus.* *Confirmatio. Jeſ. 53:12.* Notemus Patrem loqui: Filio attribuere juſtificandi partes: cauſam addere, quod juſtus ſit: modum vel medium (ut loquuntur) locare in doctrina qua Cbriſtus cognoſcitur. Nam vocem דעת paſſive accipere commodius eſt. *Concluſio reſponſionum ad 9. argumentum.* Hinc colligo Cbriſtum eſſe factum juſtitiam quando ſervi ſpeciem induit: ſecundo, nos juſtificare quatenus obſequentem ſe Patri præbuit: ac proinde non ſecundum divinam naturam hoc nobis præſtare, ſed pro diſpenſationis ſibi injunctæ ratione. Etſi enim ſolus Deus fons eſt juſtitiæ, nec aliter quam ejus participatione ſumus juſti: quia tamen infelici diſſidio ab ejus juſtitia alienati ſumus, neceſſe eſt deſcendere ad hoc inferius remedium, ut nos Cbriſtus mortis & reſurrectionis ſuæ virtute juſtificet.

10. Argumentum. 9. Si objiciat, opus hoc ſua præſtantia ſuperare hominis naturam, ideoque non poſſe niſi divinæ *Reſponſio.* naturæ adſcribi, prius concedo: in hoc ſecundo dico eum inſcite hallucinari. Nam etſi neque ſanguine ſuo animas noſtras purgare, neque Patrem ſuo ſacrificio placare, neque à reatu abſolvere nos poterat Chriſtus, nec denique munus ſacerdotis peragere, niſi verus fuiſſet Deus, quia tanto oneri impar erat carnis facultas: certum tamen eſt his omnibus perfunctum eſſe ſecundum bumanam naturam. Quomodo enim juſtificati ſumus ſi quæritur, reſpondet Paulus, *Cbriſti obedientia.* *Rom. 5. verſ. 19.* An vero aliter obedivit quam aſſumpta ſervi figura? *Philip. 2. verſ. 7, 8.* Unde colligimus, in carne ejus exhibitam nobis eſſe juſtitiam. Similiter in aliis verbis (quæ ſæpius citare quomodo Oſiandrum non pudeat valde miror) non alibi ſtatuit juſtitiæ fontem quam in carne Chriſti. *Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut eſſemus juſtitia Dei in illo.* *2 Cor. 5. verſ. 21. Inſtantia 1.* Juſtitiam Dei inflatis buccis attollit Oſiander, & triumphum canit, quaſi evicerit eſſe ſpectrum illud ſuum eſſentialis juſtitiæ: *Reſponſio.* quum longe aliud verba ſonent, juſtos nos eſſe expiatione per Cbriſtum facta. *Inſtantia 2.* Juſtitiam Dei accipi pro ea quæ Deo probatur, notum eſſe debuerat elementariis: ſicuti apud Joannem *Joan. 12. verſ. 43.* confertur gloria Dei bominum gloriæ. *Reſponſio.* Scio interdum vocari Dei juſtitiam, cujus eſt ipſe auctor, & qua nos donat: ſed hoc loco nihil aliud intelligi, quam nos mortis Cbriſti piaculo ſuffultos apud Dei tribunal ſtare, ſani lectores me tacente agnoſcunt. Neque in voce tantum eſt momenti, modo nobiſcum de hoc conſentiat Oſiander, nos in Chriſto juſtificari quatenus pro nobis factus eſt expiatrix victima: quod à divina ejus natura abhorret. Qua etiam ratione, ubi juſtitiam & ſalutem, quam nobis attulit, obſignare vult Chriſtus, certum ejus pignus in carne ſua proponit. *Inſtantia 3.* Vocat quidem ſe *panem vivum:* *Reſponſio.* ſed modum explicans, adjungit, *carnem ſuam eſſe vere cibum, & ſanguinem vere potum.* Quæ ratio docendi in Sacramentis perſpicitur: quæ etſi fidem noſtram ad totum Chriſtum, non dimidium dirigunt, ſimul tamen juſtitiæ & ſalutis materiam in ejus carne reſidere docent: non quod à ſeipſo juſtificet aut vivificet merus homo, ſed quia Deo placuit, quod in ſe abſconditum & incomprehenſibile erat, in Mediatore palam facere. Unde ſoleo dicere, Chriſtum eſſe nobis quaſi expoſitum fontem, unde hauriamus quod alioqui ſine fructu lateret in occulta illa & profunda ſcaturigine, quæ

in

Inſtantia 4. Mediatoris perſona ad nos emergit. Hoc modo &
Reſponſio. ſenſu noo inficiot Chriſtum, ut eſt Deus & homo,
oos juſtificare, commuoe eſſe etiam hoc opus Patris & Spiritus ſancti, denique juſtitiam, cujus
nos conſortes facit Chriſtus, æternam eſſe Dei
æterni juſtitiam, modo firmis & apertis, quas citavi, rationibus cedat.

Quo ſenſu Chriſtus dicatur noſtra juſtitia. 10. Porro ne ſuis cavillis decipiat imperitos, fateor hoc tam incomparabili bono nos privari donec
Chriſtus noſter fiat. Conjunctio igitur illa capitis &
membrorum, babitatio Cbriſti io cordibus noſtris,
myſtica denique unio à oobis in ſummo gradu ſtatuitur: ut Cbriſtus ooſter factus, donorum, quibus præditus eſt, oos faciat conſortes. Non ergo
eum extra nos procul ſpeculamut, ut nobis imputetur ejus juſtitia: ſed quia ipſum induimus, & inſiti
ſumus in ejus corpus, unum denique nos ſecum efficere dignatus eſt, ideo juſtitiæ ſocietatem nobis cum
eo eſſe gloriamur. Ita refellitur Oſiandri calumnia,
fidem à nobis ceoſeri juſtitiam: quaſi Chriſtum ſpoliemus jure ſuo, quum dicimus fide nos ad eum vacuos accedere, ut ejus gratiæ locum demus, quo nos
11. Argumentum. ipſe ſolus impleat. Sed Oſiander hac ſpirituali conjunctione ſpreta, craſſam mixturam Chtiſti cum fidelibus urget: atque ideo Zuinglianos odioſe nominat quicunque non ſubſcribunt fanatico errori de
eſſentiali juſtitia: quia non ſentiant Chriſtum in
Reſponſio 1. Coena ſubſtantialiter comedi. Mihi vero probrum
hoc audire ab homine ſuperbo ſuiſque præſtigiis
dedito ſumma gloria eſt. Quanquam non me ſolum,
ſed quos modeſte venerari debuerat ſcriptores, orbi
ſatis cognitos, perſtringit. Mea vero oihil refert,
qui privatam cauſam non ago. quo ſincetius banc
cauſam ago, qui liber ſum ab omni pravo affectu.
Altera. Quod ergo eſſentialem juſtitiam, & eſſentialem in
nobis Chriſti habitationem tam importune exigit,
huc ſpectat, primum ut craſſa mixtura ſe Deus in
nos transfundat, ſicut in Coena carnalis manducatio ab ipſo fingitur, deinde ut juſtitiam ſuam nobis
inſpiret, qua realiter ſimus cum ipſo juſti: quandoquidem ſecundum ipſum juſtitia hæc tam eſt
Deus ipſe, quam probitas, vel ſanctitas, vel inte-
12. Argumentum. gritas Dei. Non multum operæ impendam diluendis quæ adducit teſtimoniis, quæ perperam à
cæleſti vita ad ſtatum præſentem detorquet. *Per*
1 Pet. 1: 4. *Chriſtum*, inquit Petrus, *donata ſunt nobis pretioſa
& maxima promiſſa, ut conſortes efficeremur divinæ*
Reſponſio. *naturæ*. Quaſi vero nunc ſimus quales Euangelium
fore promittit ultimo Chriſti adventu: imo admo-
1 Joan. 3. verſ. 2. net Joannes, *tunc nos Deum viſuros ſicuti eſt, quia
ſimiles ei erimus*. Tantum exilem guſtum dare volui
lectoribus, data opera me ſuperſedere ab bis nugis,
oon quod difficile ſit eas diluere, ſed quia nolo moleſtus eſſe in labore ſupervacuo.

13. Argumentum, de duplici juſtitia. 11. Cæterum in ſecundo membro plus veneni
latet, ubi nos una cum Deo juſtos eſſe docet. Satis
jam me probaſſe arbitror, quamvis non tam peſtiferum eſſet hoc dogma, quia tamen frigidum & jejunum eſt, ſuaque vanitate diffluit, ſanis & piis lecto-
Reſponſio. tibus merito debere eſſe inſipidum. Verum hæc minime tolerabilis eſt impietas, prætextu duplicis juſtitiæ labefactare ſalutis fiduciam, & oos taptare
ſupra nubes, ne gratiam expiationis fide amplexi,
14. Argumentum. Deum quietis animis invocemus. Ridet eos Oſiander, qui *juſtificari* docent eſſe verbum forenſe: quia
oporteat nos re ipſa eſſe juſtos. nihil etiam magis
reſpuit quam nos juſtificari gratuita imputatione.
Reſponſio 1. Agedum, ſi oos Deus non juſtificat abſolvendo &
2 Cor. 5. verſ. 19, 21. ignoſcendo, quid ſibi vult illud Pauli? *Erat Deus
in Chriſto mundum ſibi reconcilians, non imputans hominibus peccata. Eum enim qui peccatum non fecerat,
pro nobis peccatum fecit, ut eſſemus juſtitia Dei in illo.*
Primum obtineo, juſtos cenſeri qui Deo reconciliantur. modus inſeritut, quod Deus ignoſcendo juſtificet: ſicuti alio loco juſtificatio accuſationi opponitur. quæ antitbeſis clare demonſttat ſumptam
eſſe loquendi formam à forenſi uſu. Nec vero quiſquam mediocriter in lingua Hebraica verſatus (modo idem ſedato ſit cerebro) inde ortam eſſe phraſin
hanc ignorat, deinde quorſum tendat & quid valeat.
Jam vero mihi reſpondeat Oſiander, ubi dicit Pau- *Reſponſio 2.*
lus *deſcribi à Davide juſtitiam ſine operibus in bis ver-* Rom. 4: 7.
bis, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, ſitne ple- Pſal. 32: 1.
na hæc definitio, an dimidia. Certe Prophetam non
adducit teſtem, acſi doceret partem juſtitiæ eſſe veniam peccatorum, vel ad hominem juſtificandum
concurrere, ſed totam juſtitiam in gratuita remiſſione includit, *beatum hominem* pronuncians *cujus tecta ſunt peccata, cui remiſit Deus iniquitates, & cui
transgreſſiones non imputat*: felicitatem ejus inde
æſtimat & cenſet, quia boc modo juſtus eſt non re
ipſa, ſed imputatione. Excipit Oſiander, contume- *Oſiandri*
lioſum boc fore Deo, & naturæ ejus contrarium, ſi *exceptio.*
juſtificet qui re ipſa impii manent. Atqui tenendum *Reſponſio 3.*
memoria eſt quod jam dixi, non ſeparari juſtificandi
gratiam à regeneratione, licet res ſint diſtinctæ. Sed
quia experientia plus ſatis notum eſt, manere ſem- *Juſtitia imputata &*
per in juſtis reliquias peccati, neceſſe eſt longe aliter *inchoata diſtinguenda.*
juſtificari quam reſormantur in vitæ novitatem.
Nam boc ſecundum ſic inchoat Deus in electis ſuis,
totoque vitæ curriculo paulatim, & interdum lente
in eo progreditur, ut ſemper obnoxii ſint apud ejus
tribunal mortis judicio. Juſtificat autem oon ex
parte, ſed ut libere, quaſi Cbriſti puritate induti, in
cælis compareant. Neque enim conſcientias pacaret
aliqua juſtitiæ portio, donec ſtatutum ſit nos Deo
placere: quia ſine exceptione juſti coram ipſo ſumus. Unde ſequitur perverti & funditus everti juſtificationis doctrinam, ubi animis injicitur dubitatio, concutitut fiducia ſalutis, libeta & intrepida
invocatio remoram patitur: imo ubi non ſtabilitut
quies & tranquillitas cum ſpirituali gaudio. Unde
Paulus à repugnantibus arguit, *bæreditatem non* Gal. 3: 18.
eſſe ex Lege: quia boc modo exinanita eſſet fides, quæ
ſi operum reſpectum habeat, labaſcit: quando nemo ex ſanctiſſimis illic reperiet in quo confidat.
Hoc diſcrimen juſtificandi & tegenetandi (quæ duo *Ab Oſiandro*
confundens Oſiandet, duplicem juſtitiam nominat) *confunduntur.*
pulchre exprimitut à Paulo: nam de reali ſua juſtitia
loquens, vel de integritate qua donatus erat (cui
Oſiander titulum imponit eſſentialis juſtitiæ) flebiliter exclamat, *Miſer ego, quis me liberabit ex corpore* Rom. 7.
mortis hujus? Ad juſtitiam veto confugiens quæ in verſ. 24.
ſola Dei miſericordia fundata eſt, magnifice & vitæ,
& morti, & probris, & inediæ, & gladio, rebuſque
omnibus adverſis inſultat. *Quis accuſabit contra electos* Rom. 8.
Dei, quos ipſe juſtificat? Certo enim perſuaſus ſum, quod verſ. 32, 33.
nihil nos ſeparabit ab amore ejus in Chriſto. Juſtitiam
ſibi eſſe clare prædicat quæ ſola ad ſalutem in ſolidum ſufficiat coram Deo, ut gloriandi fiduciæ non
deroget, ac nihil remoræ injiciat miſeta illa ſervitus,
cujus ſibi conſcius ſortem ſuam paulo ante deflebat.
Hæc diverſitas ſatis nota eſt, adeoque familiaris ſanctis omnibus qui ſub onere iniquitatum gemunt, &
interea victrice fiducia emergunt ſupra omnes metus. Quod autem objectat Oſiander, diſſentaneum eſ- *15. Argumentum.*
ſe à natura Dei, in eum recidit: nam etſi duplici juſti- *Reſponſio.*
tia tanquam pellita veſte ſanctos veſtit, fateri tamen
cogitur, ſine peccatorum remiſſiooe neminem placere Deo. Quod ſi verum eſt, ſaltem concedat ſecundum tatam partem imputationis (ut loquuntur) juſtos cenſeri qui re ipſa non ſunt. Quouſque autem
extendet peccator acceptationem banc gratuitam,
quæ ſubrogatur in locum juſtitiæ? ex deunce, an ex
uncia? Ambiguus profecto & vacillans in hanc & in
hanc partem pendebit: quia non licebit quantum ad
fiduciam neceſſarium erit juſtitiæ ſibi ſumere. Bene
eſt quod hujus cauſæ non eſt arbiter, qui Deo legem
vellet præſcribere. Cæterum illud ſtabit fixum, *Ut* Pſal. 51: 6.
juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas quum judicaris.

Quantæ autem arrogantiæ eſt damnare ſummum judicem quum gratis abſolvit, ne valeat illud re- [Exod. 33. verſ. 19.] ſponſum, *Miſerebor cujus miſerebor?* Et tamen Moſis interceſſio, quam hac voce compeſcuit Deus, non eo tendebat ne cui parceret, ſed ut omnes pariter, abolito reatu, quamvis obnoxii culpæ eſſent, abſolveret. Ac nos quidem dicimus ideo ſepultis peccatis juſtificari coram Deo perditos: quia (ut peccatum odio habet) non poteſt amare niſi quos juſtificat. Sed hæc eſt mirabilis juſtificandi ratio, ut Chriſti juſtitia tecti non exhorreant judicium quo digni ſunt, & dum ſeipſos merito damnant, juſti extra ſe cenſeantur.

[*16. Argumentum ſeu delirium Oſiandri.*] 12. Monendi tamen ſunt lectores, ut ad myſterium, quod ſe illos celare nolle jactat, ſedulo advertant. Poſtquam enim diu & prolixe contendit, non ſola imputatione juſtitiæ Chriſti nos favorem conſequi apud Deum, quia hoc ei impoſſibile eſſet habere pro juſtis qui non ſunt: (utor ejus verbis) tandem concludit Chriſtum non humanæ naturæ, ſed divinæ reſpectu datum nobis eſſe in juſtitiam: & quamvis hæc nonniſi in perſona Mediatoris reperiri queat, eſſe tamen non hominis ſed Dei juſtitiam. [*Reſponſio.*] Non colligat nunc ſuum funiculum ex duabus juſtitiis, ſed plane juſtificandi officium adimit humanæ Chriſti naturæ. Operæpretium autem eſt tenere qua ratione pugnet. Dicitur eodem loco *Chriſtus factus in ſapientiam*: quod non convenit niſi æterno Sermoni. Ergo nec Chriſtus homo juſtitia eſt. Reſpondeo, unigenitum Dei Filium æternam quidem fuiſſe ejus ſapientiam, ſed diverſo modo nomen hoc ei [Col. 2: 3.] attribui apud Paulum, quia *in ipſo reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ.* Quod ergo apud Patrem habebat, nobis manifeſtavit: & ita non ad eſſentiam Filii Dei, ſed ad uſum noſtrum refertur quod dicit Paulus, & humanæ Chriſti naturæ rite aptatur: quia etſi lux in tenebris lucebat antequam carnem indueret, erat tamen lux abſcondita, donec [Mal. 4: 2.] prodiit idem Chriſtus in natura hominis, *Sol juſtitiæ:* [Joan. 8: 12.] qui ſe ideo *lucem mundi* appellat. Stulte etiam ab eo [17. *Argumentum.*] objicitur, juſtificandi virtutem tam Angelis quam [*Reſponſio.*] hominibus longe ſuperiorem eſſe: quando hoc non ex dignitate creaturæ cujuſquam, ſed ex Dei ordinatione pendet. Si Angelis libeat Deo ſatisfacere, nihil proficient: quia non ſunt ad hoc deſtinati. ho- [Galat. 3. verſ. 13.] mini autem Chriſto hoc ſingulare fuit, *qui Legi ſubjectus eſt ut nos à maledictione Legis redimeret.* Nimis [18 *Argumentum.*] etiam improbe calumniatur eos, qui negant Chriſtum ſecundum divinam naturam eſſe nobis juſtitiam, relinquere unam tantum partem de Chriſto, & (quod deterius eſt) facere duos Deos: quia etſi fatentur Deum habitare in nobis, reclamant tamen [*Reſponſio.*] non eſſe nos juſtos juſtitia Dei. Neque enim ſi Chri- [Heb. 2: 14.] ſtum, quatenus mortem ſubiit, *ut deſtrueret eum qui habebat mortis imperium*, vocamus auctorem vitæ, protinus totum ipſum, ut eſt Deus in carne manifeſtatus, fraudamus hoc honore: ſed tantum diſtinguimus, quomodo ad nos perveniat juſtitia Dei, ut ea fruamur. in quo nimis fœde lapſus eſt Oſiander. Neque vero negamus, quod nobis in Chriſto palam eſt exhibitum, ab arcana Dei & gratia & virtute manare: neque de eo pugnamus quin juſtitia, quam nobis Chriſtus confert, juſtitia Dei ſit, quæ ab ipſo proficiſcitur: ſed conſtanter illud tenemus nobis in morte & reſurrectione Chriſti eſſe juſtitiam & vi- [19. *Argumentum.* *Reſponſio.*] tam. Omitto pudendam illam locorum congeriem, qua ſine delectu, atque etiam ſine communi ſenſu oneravit lectores, ubicunque fit juſtitiæ mentio, debere hanc eſſentialem intelligi: ſicuti ubi David Dei juſtitiam ad ferendas ſibi ſuppetias implorat, quum id faciat plus centies, tot ſententias corrum- [20. *Argumentum.*] pere non dubitat Oſiander. Nihilo etiam firmius eſt quod objectat, juſtitiam proprie dici & recte [Phil. 2: 13.] qua ad recte agendum movemur, ſolum vero *Deum* [*Reſponſio.*] *operari in nobis & velle & perficere.* Neque enim negamus quin reformet nos Deus Spiritu ſuo in vitæ ſanctitatem & juſtitiam: ſed primo videndum eſt, faciatne hoc per ſe immediate, an vero per manum Filii ſui penes quem omnem Spiritus ſancti plenitudinem depoſuit, ut ſua abundantia membrorum inopiæ ſubveniret. Deinde quamvis ex occulto divinitatis fonte prodeat ad nos juſtitia, non tamen ſequitur, Chriſtum, qui in carne ſe propter [Joan. 17. verſ. 19.] nos ſanctificavit, ſecundum divinam naturam nobis juſtitiam eſſe. Non minus frivolum eſt quod ad- [21. *Argumentum.*] ducit, Chriſtum ipſum divina juſtitia fuiſſe juſtum: quia niſi eum voluntas Patris impuliſſet, ne ipſe quidem injunctis ſibi partibus ſatisfeciſſet. Nam etſi [*Reſponſio.*] alibi dictum fuit, omnia Chriſti ipſius merita fluere ex mero Dei beneplacito, nihil hoc tamen ad phantaſma quo ſuos & ſimplicium oculos faſcinat Oſiander. Quis enim colligere permittat, quia fons & principium juſtitiæ noſtræ Deus eſt, eſſentialiter nos eſſe juſtos, & eſſentiam juſtitiæ Dei in nobis habitare? In redimenda Eccleſia (inquit Jeſaias) *Deus* [Jeſ. 59: 17.] *juſtitiam ſuam induit quaſi loricam*: an ut Chriſtum armis ſpoliaret, quæ dederat, ne eſſet perfectus redemptor? Atqui nihil aliud voluit Propheta, quam Deum extra ſe nihil mutatum eſſe, neque fuiſſe ullo ſubſidio adjutum ad nos redimendos. Quod aliis verbis breviter ſignavit Paulus, ſalutem nobis de- [Rom. 3. verſ. 24, 25.] diſſe *in oſtenſionem ſuæ juſtitiæ.* Sed hoc minime evertit quod alibi docet, *nos unius hominis obedien-* [Rom 5: 19.] *tia juſtos eſſe.* Denique quiſquis duplicem juſtitiam [*Concluſio refutationis errorum Oſiandri.*] involvit, ne quieſcant miſeræ animæ in mera & unica Dei miſericordia, Chriſtum implexis ſpinis per ludibrium coronat.

[*Poſtrema pars capitis, Sophiſtas fingentes juſtitiam ex fide & operibus compoſitam refellens.*] 13. Sed quoniam bona pars hominum juſtitiam ex fide & operibus compoſitam imaginatur, præmonſtremus id quoque, ſic inter ſe differre fidei operumque juſtitiam, ut altera ſtante, neceſſario altera evertatur. Dicit Apoſtolus *ſe omnia pro ſtercoribus reputaſſe ut Chriſtum lucrifaceret, & in illo reperiretur non habens ſuam juſtitiam quæ eſt ex Lege, ſed quæ eſt ex fide Jeſu Chriſti, juſtitiam quæ eſt ex Deo per fidem.* Vides & contrariorum eſſe hic comparatio- [*Ratio. Ita differunt inter ſe fidei & operum juſtitia, ut altera ſtante, altera neceſſario evertatur.*] nem, & indicari propriam juſtitiam oportere pro derelicto haberi ab eo qui velit Chriſti juſtitiam obtinere. Quare alibi hanc Judæis ruinæ cauſam fuiſſe tradit, *quod ſuam volentes juſtitiam ſtabilire, juſtitiæ Dei non fuerunt ſubjecti.* Si propriam juſtitiam ſtabiliendo, Dei juſtitiam excutimus: ut hanc conſequa- [Phil. 3: 8, 9.] mur, oportet profecto illam penitus aboleri. Id- [Rom. 10: 3.] ipſum quoque oſtendit quum negat *per Legem ex-* [Rom. 3. verſ. 26.] *cludi gloriationem noſtram, ſed per fidem.* Unde ſequitur, quantiſper manet quantulacunque operum juſtitia, manere nobis nonnullam gloriandi materiam. Jam ſi fides omnem gloriationem excludit, cum juſtitia fidei ſociari nullo pacto juſtitia operum poteſt. In hunc ſenſum tam clare loquitur quarto capite ad Romanos, ut nullum cavillis aut tergiverſationibus locum relinquat. *Si operibus*, inquit, *juſti-* [Rom. 4: 2.] *ficatus eſt Abraham, habet gloriam.* Subjungit, *Atqui non habet gloriam apud Deum.* Conſequens ergo eſt, non juſtificatum eſſe operibus. Ponit deinde alterum argumentum à contrariis. Quum rependitur operibus *merces*, id fit *ex debito, non ex gratia.* Fidei [Rom. 4: 4.] autem tribuitur juſtitia ſecundum gratiam. Ergo id non eſt ex meritis operum. Valeat igitur eorum ſomnium qui juſtitiam ex fide & operibus conflatam comminiſcuntur.

[*Effugium Sophiſtarum homonymia ludentium.*] 14. Subtile effugium habere ſe putant Sophiſtæ, qui ſibi ex Scripturæ depravatione & inanibus cavillis ludos & delicias faciunt: nam opera exponunt, quæ literaliter tantum & liberi arbitrii conatu, extra Chriſti gratiam faciunt homines nondum regeniti. Id vero ad opera ſpiritualia ſpectare negant. Ita ſecundum eos tam fide quam operibus juſtificatur homo, modo ne ſint propria ipſius opera, ſed dona Chriſti & regenerationis fructus. Paulum enim

non

non alia de cauſa ita loquutum, niſi ut Judæos viribus ſuis fretos, convinceret ſtulte ſibi arrogaſſe juſtitiam, quum ſolus Chriſti Spiritus eam nobis conferat, non ſtudium ex proprio naturæ motu.

Reſponſio prior.

Atqui non obſervant in antitheſi Legalis & Euangelicæ juſtitiæ, quam alibi Paulus adducit, excludi quælibet opera, & quocunque ornentur titulo. Docet enim juſtitiam Legis hanc eſſe, ut ſalutem obtineat qui præſtitit quod Lex jubet: *juſtitiam* vero *fides, ſi credimus Chriſtum eſſe mortuum, & reſurrexiſſe.*

Galat. 3. verſ. 11, 12. Rom. 10 verſ. 5. &c.

Altera.

Adhæc videbimus poſtea ſuo loco, diverſa eſſe Chriſti beneficia, ſanctificationem & juſtitiam. Unde ſequitur ne ſpiritualia quidem opera in calculum venire, ubi vis juſtificandi fidei adſcribitur. Nec vero Paulus, ubi negat (quod nuper citavi) *Abraham habere cur glorietur apud Deum*, quia operibus juſtus non eſt, reſtringi hoc debet ad literalem & externam virtutum ſpeciem, vel liberi arbitrii conatum: ſed quamvis ſpiritualis & fere Angelica fuerit Patriarchæ vita, non tamen ſuppetere operum merita, quæ illi juſtitiam coram Deo acquirant.

Secundum effugium ſeu ſophiſma.

15. Craſſius paulo Scholaſtici, qui præparationes ſuas miſcent: hi tamen non minus pravo dogmate ſimplices & incautos imbuunt, ſub prætextu Spiritus & gratiæ, miſericordiam Dei, quæ ſola trepidas animas placare poteſt, tegentes. Nos vero fatemur cum Paulo, *juſtificari apud Deum Legis factores*: ſed quia à Legis obſervatione longe omnes abſumus, hinc colligimus, quæ maxime ad juſtitiam valere deberent opera, ideo nihil nos juvare, quia illis deſtituimur.

Reſponſio, duplicem fallaciam aperiens.

Quod ad vulgares Papiſtas pertinet vel Scholaſticos, dupliciter hic falluntur: & quod fidem appellant conſcientiæ certitudinem, in expectanda à Deo pro meritis mercede: & quod gratiam Dei non gratuitæ juſtitiæ imputationem, ſed Spiritum ad ſtudium ſanctitatis adjuvantem interpretantur.

Heb. 11:6.

Legunt apud Apoſtolum, *Accedentem ad Deum oportet primum credere quod Deus ſit, deinde quod remunerator ſit quærentibus ſe.* Sed non animadvertunt quis ſit quærendi modus.

lib. 3. Sent. diſt. 6. c. 11.

In nomine vero gratiæ eos hallucinari palam fit ex eorum ſcriptis. Lombardus enim juſtificationem per Chriſtum nobis datam duobus modis interpretatur. *Primum*, inquit, *mors Chriſti nos juſtificat, dum per eam excitatur charitas in cordibus noſtris, qua juſti efficimur: deinde quod per eandem extinctum eſt peccatum, quo nos captivos diſtinebat diabolus, ut jam non habeat unde nos damnet.* Vides ut Dei gratiam præcipue in juſtificatione conſideret, quatenus ad bona opera per Spiritus ſancti gratiam dirigimur. Voluit ſcilicet Auguſtini opinionem ſequi: ſed procul ſequitur, atque etiam à recta imitatione multum deflectit: quia & obſcurat ſiquid ab illo perſpicue dictum eſt, & quod non adeo impurum in illo erat, corrumpit.

Hujus ſophiſmatis fructus peſſimus.

Scholæ in deterius ſemper aberrarunt, donec tandem præcipiti ruina devolutæ ſunt ad quendam Pelagianiſmum. Ac nec Auguſtini quidem ſententia, vel ſaltem loquendi ratio per omnia recipienda eſt. Tametſi enim egregie hominem omni juſtitiæ laude ſpoliat, ac totam Dei gratiæ tranſcribit: gratiam tamen ad ſanctificationem refert, qua in vitæ novitatem per Spiritum regeneramur.

Reſponſio 2. qua quid ſit fidei juſtitia ex Scripturis aperit.

16. Scriptura autem, quum de fidei juſtitia loquitur, longe alio nos ducit: nempe ut ab intuitu operum noſtrorum averſi, in Dei miſericordiam ac Chriſti perfectionem tantum reſpiciamus. Siquidem hunc juſtificationis ordinem docet, quod principio peccatorem hominem mera gratuitaque bonitate dignetur complecti Deus, nihil in ipſo, quo ad miſericordiam moveatur, reputans, niſi miſeriam: quippe quem videt à bonis operibus prorſus nudum ac vacuum: à ſeipſo cauſam petens cur illi benefaciat, quod peccatorem ipſum bonitatis ſuæ ſenſu afficiat, qui de propriis operibus diffiſus, totam ſalutis ſuæ ſummam in ipſius miſericordiam rejiciat. Hic eſt fidei ſenſus, per quem peccator in poſſeſſionem venit ſuæ ſalutis, dum ex Euangelii doctrina agnoſcit, Deo ſe reconciliatum: quod intercedente Chriſti juſtitia, impetrata peccatorum remiſſione, juſtificatus ſit: & quanquam Spiritu Dei regeneratus, non in bonis operibus, quibus incumbit, ſed in ſola Chriſti juſtitia repoſitam ſibi perpetuam juſtitiam cogitat. Hæc ubi ſigillatim expenſa fuerint, perſpicuam ſententiæ noſtræ explicationem reddent. Quanquam alio quam propoſita ſint ordine melius digerentur. Sed parum intereſt, modo inter ſe ita cohæreant, ut rem totam rite expoſitam certoque confirmatam habeamus.

Id ut melius appareat, duo loci ex Apoſtolo depromuntur.

17. Hic memoria repetere convenit quam prius relationem conſtituimus inter fidem & Euangelium: quia inde juſtificare dicitur fides quod oblatam in Euangelio juſtitiam recipit & amplectitur. Quod autem per Euangelium dicitur offerri, eo excluditur omnis operum conſideratio. Quod quum alias ſæpe, tum duobus locis clariſſime Paulus demonſtrat.

Prior, ex epiſt. ad Rom. c. 10. verſ. 5.

nam ad Romanos Legem & Euangelium inter ſe conferens, *Juſtitia*, inquit, *quæ ex Lege eſt, ſic habet, Qui fecerit hæc homo, vivet in ipſis: quæ autem fidei eſt juſtitia, ſalutem denunciat, Si credideris in corde tuo, & ore confeſſus fueris Dominum Jeſum, & quod Pater illum ſuſcitavit à mortuis.* Videſne ut Legis & Euangelii diſcrimen hoc faciat, quod illa operibus juſtitiam tribuat, hoc citra operum ſubſidium gratuitam largiatur? Inſignis locus, & qui nos à multis difficultatibus extricare queat, ſi intelligamus, eam quæ nobis per Euangelium donatur juſtitiam, Legis conditionibus ſolutam eſſe. Hæc ratio eſt cur tanta repugnantiæ ſpecie promiſſionem Legi non ſemel opponat. *Si ex Lege eſt hæreditas, jam non eſt ex promiſſione*: & quæ eodem capite in hanc ſententiam habentur. Gal. 3: 18.

Certe & Lex ipſa ſuas habet promiſſiones. Quare in promiſſionibus Euangelicis diſtinctum aliquid ac diverſum eſſe oportet, niſi velimus fateri ineptam eſſe collationem. Quale autem iſtud erit, niſi quod gratuitæ ſunt, ac ſola Dei miſericordia ſuffultæ, quum Legis promiſſiones ab operum conditione pendeant. Neque hic obganniat quiſpiam, repudiari quam ex proprio Marte & libero arbitrio juſtitiam obtrudere Deo volunt homines. quando ſine exceptione docet Paulus, Legem jubendo nihil prodeſſe: quia nemo eſt qui impleat, non tantum ex vulgo, ſed ex perfectiſſimis quibuſque. Rom. 8: 3.

Dilectio certe præcipuum eſt caput Legis: quum ad eam nos formet Spiritus Dei, cur non eſt nobis juſtitiæ cauſa, niſi quod in ſanctis etiam mutila eſt, ideoque per ſe nihil pretii meretur?

Alter locus, ex Abacuc c. 2. v. 4. & epiſt. ad Galat. c. 3. verſ. 11, 12.

18. Secundus locus eſt, *Quod ex Lege nemo juſtificetur apud Deum, manifeſtum eſt: quia juſtus ex fide vivet. Lex autem non eſt ex fide: ſed qui fecerit hæc homo, vivet in ipſis.* Quomodo alioqui conſtaret argumentum, niſi conveniat in calculum fidei non venire opera, ſed prorſus ſeparanda eſſe? Lex, inquit, eſt à fide diverſa. Quare? Propterea quod ad illius juſtitiam opera requiruntur. Ergo ad hujus juſtitiam ſequitur non requiri. Ex iſta relatione apparet, citra operum meritum, imo extra operum meritum juſtificari, qui fide juſtificantur, quia fides eam quam Euangelium largitur juſtitiam accipit. Euangelium autem eo à Lege differt, quod operibus non alligat juſtitiam, ſed in ſola Dei miſericordia collocat. Simile eſt quod ad Romanos contendit, *Abraham non habere gloriandi materiam, quia fides illi in juſtitiam ſit imputata*: ac confirmationem ſubjicit, quod tum fidei juſtitiæ locus eſt, ubi nulla ſunt opera, quibus debeatur merces. Rom. 4: 2.

Ubi (inquit) ſunt opera, illis debitum præmium expenditur: quod datur fidei, gratuitum eſt: ſiquidem & verborum, quibus illic utitur, ſenſus huc quoque pertinet. Quod ſubnectit aliquanto poſt, ideo *ex fide nos obtinere hæreditatem, ut ſecundum gratiam* Rom. 4: 16.

hinc colligit gratuitam eſſe hæreditatem, quia fide percipitur. unde id, niſi quia fides ſine operum adminiculo, tota in Dei miſericordiam recumbit?

Rom. 3:21. Atque eodem ſenſu haud dubie alibi docet *juſtitiam Dei abſque Lege manifeſtatam eſſe, quamvis teſtimonium habeat à Lege & Prophetis:* quia excluſa Lege operibus adjuvari negat, nec operando nos eam conſequi, ſed vacuos accedere ut eam recipiamus.

Tertium ſophiſma Papiſtarum, excluſivam particulam (ſola) repudiantium.

19. Jam perſpicit lector, quanta æquitate doctrinam noſtram hodie Sophiſtæ cavillentur, quum dicimus *hominem ſola fide juſtificari. Fide* juſtificari hominem quia toties in Scriptura recurrit, negare non audent: ſed quum nuſquam exprimatur *ſola*, hanc adjectionem fieri non ſuſtinent. Itane: ſed

Reſponſio 1. Rom. 4: 2. quid ad hæc Pauli verba reſpondebunt, ubi contendit non eſſe ex fide juſtitiam, niſi ſit gratuita? Quomodo gratuitum cum operibus conveniet?

Secunda. Rom. 1. verſ. 17. Quibus etiam calumniis eludent quod alibi dicit, *in Euangelio Dei juſtitiam manifeſtari?* Si manifeſtatur in Euangelio juſtitia, certe non lacera nec dimidia, ſed plena & abſoluta illic continetur. Lex ergo in ea locum non habet. Nec falſa modo, ſed plane ridicula tergiverſatione in excluſiva particula conſiſtunt.

Tertia. Annon enim ſatis ſolide ſoli fidei tribuit omnia, qui operibus adimit? Quid ſibi, amabo, volunt iſtæ

Rom. 3. verſ. 21, 24. loquutiones, *ſine Lege manifeſtatam eſſe juſtitiam, juſtificari gratis hominem, & ſine operibus Legis?* Hic ingenioſum ſubterfugium habent: quod tametſi non excogitarunt ipſi, ſed ab Origine & quibuſdam veterum ſumpſerunt, ineptiſſimum tamen eſt.

Quartum ſophiſma, ſeu fallacia dictionis. *Reſponſio 1.* Galat. 3. verſ. 10, 12. Opera Legis ceremonialia excludi garriunt, non moralia. Sic proficiunt aſſidue rixando, ut ne prima quidem Dialecticæ elementa teneant. An putant delirare Apoſtolum dum ad ejus ſententiæ probationem locos iſtos adducit? *Qui fecerit hæc homo, vivet in ipſis.* Et, *Maledictus omnis qui non impleverit omnia quæ ſcripta ſunt in volumine Legis.* Niſi inſaniant, non dicent promiſſam vitam ceremoniarum cultoribus, nec denunciatam maledictionem ſolis earum tranſgreſſoribus. Si ſunt de Lege morali intelligendi: non dubium quin à juſtificandi poteſtate moralia quoque opera excludantur.

Secunda. Rom. 3. verſ. 20. & 4: 15. Eodem ſpectant iſtæ ratiocinationes quibus utitur, *Quoniam per Legem cognitio peccati*, ideo non juſtitia. *Quia Lex iram operatur*, ergo non juſtitiam. Quia Lex certam non poteſt reddere conſcientiam, ideo nec juſtitiam conferre valet. Quia *imputatur fides in juſtitiam*, ergo non eſt operis merces juſtitia, ſed indebita donatur. Quia *ex fide juſtificamur*, abſciſſa eſt

Tertia. Gal. 3: 21. gloriatio. *Si data eſſet Lex quæ poſſet vivificare, vere ex Lege eſſet juſtitia: ſed Deus concluſit omnia ſub peccato, ut promiſſio daretur credentibus.* Nugentur, ſi audeant, in ceremonias iſta competere, non in mores: atqui pueri quoque ipſi exploderent tantam impudentiam. Maneat ergo nobis certum, de Lege tota verba fieri, quando Legi derogatur juſtificandi facultas.

Quintum ſophiſma. bona opera juſtitiæ titulo & mercede digna haberi. Reſponſio, firmiſſimo Pauli argumento munita.

20. Siquis autem miretur cur tali adjectione uſus ſit Apoſtolus, non contentus opera nominaſſe: in promptu eſt ratio. Siquidem ut tanti æſtimentur opera, pretium à Dei approbatione magis quam à propria dignitate illud habent. Quis enim operum juſtitiam Deo venditare audeat, niſi quam ipſe approbarit? quis tanquam illis debitam repoſcere mercedem, niſi quam ille promiſerit? Habent ergo id ex Dei beneficentia, quod & juſtitiæ titulo & mercede digna habentur: atque adeo hac una ratione valent, dum per ipſa propoſitum eſt obedientiam Deo exhibere. Quare ut probet alibi Apoſtolus, Abraham juſtificari ex operibus non potuiſſe,

Gal. 3: 17. allegat, *ferme quadringentis demum & triginta annis poſt percuſſum fœdus latam eſſe Legem.* Riderent hujuſmodi argumentum imperiti, quod ante promulgationem Legis potuerint eſſe juſta opera: ſed quia operibus nonniſi ex Dei teſtimonio ac dignatione tantum ineſſe momenti noverat, pro confeſſo aſſumpſit ante Legem vim juſtificandi non habuiſſe. Habemus cur opera Legis nominatim exprimat, dum vult illis detrahere juſtificationem: quia ſcilicet de illis ſolis controverſia moveri poteſt. Quanquam & ſine adjectione quælibet interdum opera excipit, ut quum Davidis teſtimonio beatitudinem

Rom. 4. verſ. 5, 6. homini aſſignari dicit *cui Deus ſine operibus imputat juſtitiam.* Facere ergo nullis cavillis poſſunt quin generalem excluſivam obtineamus.

Sextum ſophiſma. Ac fruſtra etiam frivolam ſubtilitatem captant, juſtificari nos ſola *fide quæ per dilectionem operatur*, ut nitatur charitate juſtitia.

Reſponſio. Gal. 5: 6. Fatemur quidem cum Paulo, non aliam fidem juſtificare, quam illam charitate efficacem: ſed ab illa charitatis efficacia juſtificandi vim non ſumit. Imo non alia ratione juſtificat, niſi quia in communicationem juſtitiæ Chriſti nos inducit. Alioqui excideret id totum quod tanta contentione

Rom. 4: 4. Apoſtolus urget. *Ei qui operatur*, ait, *non imputatur merces ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei vero qui non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, imputatur ſua fides ad juſtitiam.* Poteratne evidentius loqui quam ſic agendo? nullam eſſe fidei juſtitiam, niſi ubi nulla ſunt opera quibus debeatur merces: ac tum demum fidem imputari in juſtitiam, ubi per indebitam gratiam juſtitia confertur.

Oſiandro & Sophiſtis refutatis, definitio juſtitiæ fidei probatur.

21. Nunc illud quam verum ſit excutiamus, quod in finitione dictum eſt, juſtitiam fidei eſſe reconciliationem cum Deo, quæ ſola peccatorum remiſſione conſtet. Semper ad illud axioma redeundum eſt, univerſis iram Dei incumbere, quamdiu peccatores eſſe perſeverant. Id eleganter ſignificavit Jeſaias his verbis, *Non eſt abbreviata manus Domini, ut ſervare nequeat; neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diſſidium fecerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiat.*

ſupra, circa finem 2. ſect. Jeſ. 59: 1, 2.

Audimus peccatum eſſe diviſionem inter hominem & Deum, vultus Dei averſionem à peccatore. nec fieri aliter poteſt: quandoquidem alienum eſt ab ejus juſtitia quicquam commercii habere cum peccato. Unde

Rom. 5. verſ. 8, 10. Apoſtolus inimicum eſſe Deo hominem docet, donec in gratiam per Chriſtum reſtituatur. Quem ergo Dominus in conjunctionem recipit, eum dicitur juſtificare: quia nec recipere in gratiam, nec ſibi adjungere poteſt, quin ex peccatore juſtum faciat. Iſtud addimus fieri per peccatorum remiſſionem. Nam ſi ab operibus æſtimentur quos ſibi Dominus reconciliavit, reperientur etiamnum revera peccatores, quos tamen peccato ſolutos puroſque eſſe oportet. Conſtat itaque, quos Deus amplectitur, non aliter fieri juſtos, niſi quod abſterſis peccatorum remiſſione maculis purificantur: ut talis juſtitia uno verbo appellari queat peccatorum remiſſio.

Confirmatio hujus probationis. 1. Teſtimonio Scripturæ.

22. Utrumque horum pulcherrime liquet ex iſtis Pauli verbis quæ jam recitavi, *Erat Deus in Chriſto mundum ſibi reconcilians, non imputans hominibus ſua delicta, & depoſuit apud nos verbum reconciliationis.* Deinde ſummam ſuæ legationis ſubdit, *Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut juſtitia Dei efficeremur in illo.*

1 Cor. 5. verſ. 19. ibid. v. 21.

Juſtitiam & reconciliationem hic promiſcue nominat, ut alterum ſub altero viciſſim contineri intelligamus. Modum autem aſſequendæ hujus juſtitiæ docet, dum nobis delicta non imputantur. Quare ne poſthac dubites quomodo nos Deus juſtificet, quum audis reconciliare nos ſibi, non imputando delicta.

Rom. 4. verſ. 6, 7. Sic ad Romanos, Davidis teſtimonio probat *homini imputari juſtitiam ſine operibus*, *quia ille beatum pronunciat hominem cujus remiſſæ ſunt iniquitates, cujus tecta ſunt peccata, cui Dominus non imputavit delicta.* Beatitudinem procul dubio pro juſtitia illic ponit: eam quum aſſerat

in

in remiſſione peccatorum conſiſtere, non eſt cur aliter ipſam definiamus. Proinde Zacharias pater
Luc. 1: 77. Joannis Baptiſtæ *cognitionem ſalutis in remiſſione peccatorum* poſitam canit. Quam regulam ſequutus Paulus in concione quam de ſalutis ſumma apud Antiochenos habuit, concluſiſſe in hunc modum à
Actor. 13. verſ. 38, 39. Luca narratur, *Per hunc remiſſio peccatorum vobis annunciatur: & ab omnibus iis à quibus non potuiſtis juſtificari in Lege Moſis, in hunc omnis qui credit, juſtificatur.* Sic remiſſionem peccatorum connectit Apoſtolus cum juſtitia, ut idem prorſus eſſe oſtendat: unde merito ratiocinatur gratuitam eſſe nobis juſtitiam quam indulgentia Dei obtinemus. Neque

2. Veterum Theologorum.

inuſitata videri debet loquutio, juſtos non operibus, ſed gratuita acceptione eſſe fideles coram Deo: quum & toties occurrat in Scriptura, & veteres etiam

Auguſtin. lib. de civ. Dei 19. cap. 27. Bernard. Serm. 21. & 23. in Cant.

interdum ſic loquantur. Sic enim alicubi Auguſtinus, *Sanctorum juſtitia in hoc mundo magis peccatorum remiſſione conſtat quam perfectione virtutum.* Cui reſpondent præclaræ Bernardi ſententiæ, *Non peccare, Dei juſtitia eſt: hominis autem juſtitia, Dei indulgentia.* Ante autem aſſeruerat Chriſtum nobis eſſe juſtitiam in abſolutione, ideoque ſolos eſſe juſtos qui veniam ex miſericordia conſequuti ſunt.

Sequitur, non ideo hominem fide juſtificari, quoniam illa Spiritum Dei participat, quo juſtus redditur: ſed quia Chriſti juſtitiam fide apprehendit.

23. Hinc & illud conficitur, ſola interceſſione juſtitiæ Chriſti nos obtinere ut coram Deo juſtificemur. Quod perinde valet acſi diceretur, hominem non in ſeipſo juſtum eſſe, ſed quia Chriſti juſtitia imputatione cum illo communicatur: quod accurata animadverſione dignum eſt. Siquidem evaneſcit nugamentum illud, ideo juſtificari hominem fide, quoniam illa Spiritum Dei participat quo juſtus redditur. quod magis eſt contrarium ſuperiori doctrinæ quam ut conciliari unquam queat. Neque enim dubium, quin ſit inops propriæ juſtitiæ, qui juſtitiam extra ſeipſum quærere docetur. Id autem
2 Cor. 5. verſ. 21. clariſſime aſſerit Apoſtolus, quum ſcribit *eum qui peccatum non noverat, pro nobis hoſtiam peccati expiatricem eſſe factum, ut efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Vides non in nobis, ſed in Chriſto eſſe juſtitiam noſtram: nobis tantum eo jure competere quia Chriſti ſumus participes. ſiquidem omnes ejus divitias cum ipſo poſſidemus. Nec obſtat quod alibi docet, *damnatum eſſe de peccato peccatum in Chriſti carne, ut juſtitia Legis compleretur in nobis:* ubi non aliud complementum deſignat quam quod imputatione conſequimur. Eo enim jure communicat nobiſcum Dominus Chriſtus ſuam juſtitiam, ut mirabili quodam modo, quantum pertinet ad Dei judicium, vim ejus in nos transfundat. Aliud non ſenſiſſe abunde liquet

Exceptionis ſolutio. Rom. 8: 3.

ex altera ſententia, quam paulo ante poſuerat, *Quemadmodum per unius inobedientiam conſtituti ſumus peccatores, ita per obedientiam unius juſtificari.* Rom. 5. verſ. 19.
Quid aliud eſt in Chriſti obedientia collocare noſtram juſtitiam, niſi aſſerere eo ſolo nos haberi juſtos, quia Chriſti obedientia nobis accepta fertur, acſi noſtra eſſet? Quare mihi elegantiſſime videtur Ambroſius hujus juſtitiæ paradigma in benedictione Jacob ſtatuiſſe: nempe quemadmodum ille primogenituram à ſeipſo non meritus, habitu fratris occultatus, ejuſque veſte indutus, quæ optimum odorem ſpirabat, ſeipſum inſinuavit patri, ut ſuo commodo ſub aliena perſona benedictionem acciperet: ita nos ſub Chriſti primogeniti noſtri fratris pretioſa puritate deliteſcere, ut teſtimonium juſtitiæ à conſpectu Dei referamus. Verba Ambroſii ſunt, *Quod Iſaac odorem veſtium olfecit, fortaſſe illud eſt, quia non operibus juſtificamur, ſed fide: quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento eſt, ſed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum.* Et ſane ita res habet: nam quo in ſalutem coram facie Dei compareamus, bono ejus odore fragrare nos neceſſe eſt, & ejus perfectione vitia noſtra obtegi ac ſepeliri.

Juſtitia fidei paradigma ex Ambroſio. lib. de Jacob & vita beata, c. 2.

CAP. XII.

Ut ſerio nobis perſuadeatur gratuita juſtificatio, ad Dei tribunal tollendas eſſe mentes.

Partes hujus capitis.

1. *Juſtitiæ Dei meditatio operum juſtitiam imaginariam evertit, ut patet ex teſtimoniis Scripturæ & piorum confeſſionibus ac exemplis, ſect. 1. 2. 3.*
2. *Conſcientiæ item ſerium examen, & ad cæleſte tribunal perpetua citatio, ſect. 4. & 5.*
3. *Unde non hypocriſis & meriti operum vana opinio, ſed vera humilitas in cordibus piorum naſcitur, quod auctoritate Scripturæ & Publicani exemplo illuſtratur, ſect. 6. 7.*
4. *Concluſio, abjiciendam eſſe arrogantiam & ſecuritatem: quia tantum quiſque objicit impedimenti divinæ beneficentiæ, quantum in ſeipſo acquieſcit, ſectione 8.*

Fuſi errorum de operum juſtitia.

HÆc omnia tametſi luculentis teſtimoniis veriſſima eſſe patet, tamen quam neceſſaria ſint, non prius nobis clare conſtiterit, quam ea nobis ob oculos poſuerimus quæ totius diſputationis fundamenta eſſe debent. Principio ergo nobis ſuccurrat illud: non de humani fori juſtitia, ſed cæleſtis tribunalis, ſermonem eſſe inſtitutum: ne ad modulum noſtrum metiamur, qua operum integritate divino judicio ſatisfiat. Atqui mirum eſt quanta temeritate & audacia id vulgo definiatur. Quinetiam videre eſt, ut nulli confidentius, & plenioribus, quod aiunt, buccis de operum juſtitia garriant, quam qui vel palpabilibus morbis prodigioſe laborant, vel intercutibus crepant vitiis. Id fit quia Dei juſtitiam non cogitant, cujus ſi vel minimo ſenſu afficerentur nunquam tanto eam ludibrio haberent. Atqui certe ultra modum flocci penditur, ſi talis tamque perfecta non agnoſcitur, ut nihil ei acceptum ſit niſi omni ex parte integrum & abſolutum, nullaque ſorde inquinatum. quale in homine reperire nec licuit unquam, nec licebit. Facile eſt ſcilicet ad promptum cuilibet, in ſcholarum umbraculis de operum dignitate ad juſtificandos homines nugari: ſed ubi in conſpectum Dei ventum eſt, faceſſant tales deliciæ oportet, quia res illic agitur ſerio, non ludicra λογομαχία exercetur. Huc, huc referenda mens eſt, ſi volumus de vera juſtitia cum fructu inquirere: quomodo cæleſti judici reſpondeamus, quum nos ad rationem vocaverit. Statuamus nobis judicem illum, non qualem intellectus noſtri ſponte imaginantur, ſed qui depingitur nobis in Scriptura: cujus ſcilicet fulgore obtenebrantur ſtellæ, cujus robore liqueſiunt montes, cujus ira terra concutitur, cujus ſapientia deprehenduntur in aſtutia ſua prudentes, cujus puritate inquinantur omnia, cujus ferendæ juſtitiæ nec Angeli pares ſunt, qui nocentem non facit innocentem, cujus vindicta, quum ſemel accenſa eſt, penetrat uſque ad inferni noviſſima. Sedeat, inquam, ille ad examinanda hominum facta: quis ſecurus ad ejus thronum ſe ſiſtet? *Quis habitabit cum igne devorante?* inquit Propheta: *quis manebit cum ardoribus ſempiternis? Qui ambulat in juſtitiis, & loquitur veritatem,* &c. Sed prodeat ille quiſquis eſt.

Putarunt Sophiſtæ de tribunali quodam humano quæſtionem inſtitui.

Agitur autem de Dei majeſtate & juſtitia.

Certum quod nihil acceptum eſt, niſi omni ex parte integrum & abſolutum.

vide præcipue Jobi librum.

Teſtimonia hanc doctrinam confirmantia. *Jeſaia.* Jeſ. 33: 14.

Imo

Davidis. Pſal. 130. verſ. 3. *Jobi.* Job. 4: 17.

Imo vero facit illa reſponſio nequis prodeat. Ex adverſo enim terribilis vox inſonat, *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Pereundum ſane mox ſit omnibus, ut alibi ſcribitur, *Numquid homo Dei comparatione juſtificabitur: aut purior erit factore ſuo? Ecce qui ſerviunt ei non ſunt fideles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem. Quanto magis qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur coram tinea? A mane uſque ad veſperam ſuccidentur.* Item, *Ecce, inter ſanctos ejus nemo eſt fidelis: & cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus. Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem?* Fateor quidem in libro Job mentionem fieri juſtitiæ quæ excelſior eſt obſervatione Legis. atque hanc diſtinctionem tenere operæpretium eſt: quia etiamſi quis Legi ſatisfaceret, ne ſic quidem ſtaret ad examen illius juſtitiæ, quæ ſenſus omnes exſuperat. Itaque etiamſi Job bene ſibi conſcius ſit, attonitus tamen obmuteſcit: quia videt ne Angelica quidem ſanctitate poſſe Deum placari, ſi ad ſummam trutinam revocet eorum opera. Ego igitur juſtitiam illam quam attigi, quia incomprehenſibilis eſt, nunc omitto: ſed tantum dico, ſi exigitur vita noſtra ad normam ſcriptæ Legis, nos eſſe pluſquam ſocordes, niſi horrenda formidine nos torqueant tot maledictiones, quibus nos expergefieri voluit Deus: atque inter alias hæc generalis, *Maledictus omnis qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in hoc libro.* Denique inſipida vel diluta erit hæc tota diſputatio, niſi ſe quiſque reum ſiſtat coram cœleſti judice, & de ſua abſolutione ſollicitus ultro ſe proſternat ac exinaniat.

Job. 15. verſ. 14, 15, & 16.

Imo vero ſi ad Legis juſtitiam deſcendatur, maledictio quamprimum apparet.

Deut. 27. verſ. 26.

Fiducia hypocritarum origo.

2. Huc, huc attollendi erant oculi, ut trepidare potius diſceremus, quam inaniter exultare. Facile quidem eſt, dum in hominibus ſubſiſtit comparatio, ut ſe quiſque habere reputet quod alii contemnere non debeant: ſed ubi ad Deum aſſurgimus, corruit dicto citius ac deperit fiducia illa. Atque id prorſus animæ noſtræ erga Deum uſu venit, quod erga viſibile cælum corpori. acies enim oculi, quantiſper rebus adjacentibus perluſtrandis inſiſtit, perſpicientiæ ſuæ documenta capit: ſi in ſolem dirigitur, nimio ejus fulgore perſtricta & obſtupefacta, non minorem in ejus intuitu debilitatem ſentit, quam in rerum inferiorum aſpectu robur. Ne fallamus ergo nos vana fiducia, etiamſi reliquis hominibus vel pares vel ſuperiores nos eſſe ducimus: nihil id ad Deum, cujus ad arbitrium revocanda eſt iſta cognitio. Quod ſi domari ferocia noſtra monitionibus iſtis nequit, reſpondebit nobis quod Phariſæis dicebat, *Vos eſtis qui vos juſtificatis coram hominibus. At quod hominibus altum eſt, abominabile eſt Deo.* Eas nunc, & de juſtitia tua tumide inter homines glorieris, dum illam Deus è cælo abominetur. Quid autem ſervi Dei, vere eruditi ejus Spiritu? *Ne intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Alter vero, quanquam ſenſu paulum diverſo, *Non poterit homo juſtus eſſe cum Deo: ſi voluerit contendere cum eo, non poterit reſpondere unum pro mille.* Hic jam ad liquidum audimus, qualis ſit Dei juſtitia, cui ſcilicet nullis humanis operibus ſatisfiet: cui mille ſcelerum nos interroganti, unius purgatio afferri non poterit. Talem nimirum juſtitiam bene animo conceperat electum illud Dei organum Paulus, quum profiteretur *ſe nihil ſibi conſcium eſſe, ſed non in hoc juſtificari.*

Simili appoſito explicata.

Item exhortatione.

Luc. 16. verſ. 15.

Deinde teſtimonio Davidis, Jobi & Pauli. Pſ. 143: 2. Job. 9: 2.

1 Cor. 4: 4.

Poſtremo, Auguſtini & Bernardi confeſſione. lib. ad Boniſ. 3. c. 5.

3. Nec in ſacris modo literis extant talia exempla: ſed omnes pii ſcriptores hunc ſibi ſenſum fuiſſe demonſtrant. Sic Auguſtinus, *Omnium,* inquit, *piorum ſub hoc onere corruptibilis carnis & in hac vitæ infirmitate gementium una ſpes eſt, quod Mediatorem unum habemus Jeſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt exoratio pro peccatis noſtris.* Quid audimus? ſi unica hæc illis ſpes eſt, ubi operum fiducia? Solam enim quum dicit, nullam aliam relinquit. Bernardus vero, *Et re vera, ubi tuta firmaque infirmis requies & ſecuritas niſi in vulneribus Salvatoris? tanto illic ſecurior habito, quanto potentior eſt ad ſalvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur. Non cado, quia fundatus ſum ſupra firmam petram. Peccavi peccatum grave. Turbatur conſcientia: ſed non perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor.* Poſtea ex iis concludit, *Meritum proinde meum miſeratio Domini: non ſum plane meriti inops, quamdiu non fuerit ille inops miſerationum. Quod ſi miſericordiæ Domini multæ, multus ergo peræque ſum in meritis. Numquid juſtitias meas cantabo? Domine, meminero juſtitiæ tuæ ſolius. Ipſa enim eſt & mea, nempe factus eſt mihi juſtitia à Deo.* Item alibi, *Hoc totum hominis meritum, ſi totam ſpem ponat in eum qui totum hominem ſalvum facit.* Similiter ubi pacem ſibi retinens, gloriam relinquit Deo, *Tibi,* inquit, *illibata maneat gloria: mecum bene agitur ſi pacem habuero. Abjuro gloriam prorſus: ne ſi uſurpavero quod meum non eſt, perdam & oblatum.* Apertius etiam alio loco, *De meritis quid ſollicita ſit Eccleſia? cui de propoſito Dei firmior ſuppetit ſecuriorque gloriandi ratio? Sic non eſt quod quæras, quibus meritis ſperemus bona: præſertim quum audias apud Prophetam, Non propter vos faciam, ſed propter me, dicit Dominus. Sufficit ad meritum ſcire quod non ſufficiant merita: ſed ut ad meritum ſatis eſt de meritis non præſumere, ſic carere meritis ſatis ad judicium eſt.* Quod merita libere uſurpat pro bonis operibus ignoſcendum eſt conſuetudini. In fine vero conſilium ejus fuit terrere hypocritas, qui peccandi licentia contra Dei gratiam proterviunt: ſicuti mox explicat, *Felix Eccleſia cui nec merita ſine præſumptione, nec præſumptio abſque meritis deeſt. Habet unde præſumat, ſed non merita. Habet merita, ſed ad promerendum, non præſumendum. Ipſum non præſumere nonne promereri eſt? Ergo eo præſumit ſecurius quo non præſumit, cui ampla materies gloriandi eſt, miſericordiæ Domini multæ.*

super cantic. Serm. 61.

in Pſalm. Qui habit. ſerm. 15. Serm. 13. in Cant.

Serm. 68.

Ezech. 36. verſ. 22, 32.

Altera machina, operum juſtitiam evertens, conſcientia videlicet examen ſerium, & ad Dei perfectionem imperfectionis humanæ comparatio.

4. Ita eſt ſane. Hoc unicum ſalutis aſylum, in quo reſpirare tuto poſſint, ſentiunt exercitatæ conſcientiæ, ubi cum Dei judicio negotium eſt: nam ſi, quæ lucidiſſimæ videbantur noctu ſtellæ, ſplendorem ſuum perdunt Solis aſpectu, quid putamus vel rariſſimæ hominis innocentiæ futurum, ubi ad Dei puritatem composita fuerit? Erit enim ſeveriſſimum illud examen, quod in abditiſſimas quaſque cordis cogitationes penetrabit: & quemadmodum ait Paulus, *Revelabit occulta tenebrarum, & abſcondita cordium reteget:* quod latitantem & reſtitantem conſcientiam proferre coget omnia quæ nunc è memoria quoque noſtra elapſa ſunt. Urgebit accuſator diabolus, conſcius omnium flagitiorum ad quæ perpetranda nos impulerit: illic nihil proderunt externæ bonorum operum pompæ, quæ ſolæ nunc æſtimantur: ſola poſtulabitur voluntatis ſinceritas. Quare hypocriſis, non modo qua homo coram Deo ſibi male conſcius, oſtentare ſe apud homines affectat, ſed qua ſibi quiſque coram Deo imponit (ut ſumus ad nos palpandos adulandoſque proclives) confuſa concidet, utcunque nunc pluſquam temulenta audacia ſuperbiat. Ad ejuſmodi ſpectaculum qui ſenſum ſuum non dirigunt, ſuaviter quidem & placide juſtitiam ſibi ad momentum adſtruere poſſunt, ſed quæ in judicio Dei mox illis ſit excutienda: non ſecus ac magnæ opes, per ſomnium cumulatæ, expergefactis evaneſcunt. Qui autem ſerio, tanquam ſub Dei conſpectu, de vera juſtitiæ regula quærent, illi certo comperient, omnia hominum opera, ſi ſua dignitate cenſeantur, nihil niſi inquinamenta eſſe & ſordes: & quæ juſtitia vulgo habetur, eam apud Deum meram eſſe iniquitatem: quæ integritas cenſetur, pollutionem: quæ gloria ducitur, ignominiam.

1 Cor. 4: 5.

Hypocritæ contra ſibi ipſis plaudunt.

Simile.

Qui fiat, ut ſæpenumero imaginaria

5. Ab hac divinæ perfectionis contemplatione ad nos ſine blanditiis cæcove amoris affectu reſpiciendos deſcendere ne pigeat. Mirum enim non

eſt

Hujus juſtitia operum opinione detineamur.

eſt ſi tantopere cæcutimus in hac parte, quum à
peſtilenti erga ſe indulgentia nemo noſtrûm caveat,
quam in nobis omnibus naturaliter hærere clamat
Scriptura. *Cuique viro*, inquit Solomo, *recta eſt via*
Prov. 21: 2. & 16: 2. *in oculis ſuis.* Item, *Omnes viæ hominis mundæ vi-*
dentur in oculis ejus. Quid autem? an iſta halluci-
natione abſolvitur? imo vero (quemadmodum
ibidem ſubjungit) *Dominus ponderat corda*: hoc
eſt, dum homo ob externam, quam præ ſe fert, ju-
ſtitiæ larvam ſe demulcet, interim Dominus laten-
tem cordis impuritatem trutina ſua examinat.
Quum ergo talibus blandimentis adeo non proficia-
tur, ne illudamus nobis ultro in noſtram perniciem.

Hujus mali remedium: ſumma Dei majeſtatis, & miſeriæ noſtræ conſideratio. Cujus viva ſubjicitur deſcriptio.

Quo autem nos probe excutiamus, neceſſario ad
Dei tribunal revocanda eſt noſtra conſcientia. Illius
enim luce omnino opus eſt ad detegenda, quæ alio-
qui nimis profunde latent, pravitatis noſtræ invo-
lucra. tum dilucide demum perſpiciemus quid iſta
valeant: longe abeſſe quin juſtificetur coram Deo
homo, putredo & vermis, abominabilis & vanus:
qui bibit tanquam aquas iniquitatem. Nam quis pone-
ret mundum de immundo conceptum ſemine? ne unus
Job. 15: 16. *quidem.* Tum & idipſum experiemur quod de ſe
Job. 14: 4. Job dicebat, *Si innocentem me oſtendere voluero, os*
Job. 9: 20. *meum condemnabit me; ſi juſtum, pravum comproba-*
bit. Neque enim ad ſeculum unum, ſed ad omnia
pertinet, quod Propheta de Iſraële olim quereba-
Jeſa. 53: 6. tur, *omnes quaſi oves erraſſe, unumquemque declinaſſe*
in viam ſuam. Siquidem omnes illic comprehendit
ad quos perventura eſſet redemptionis gratia. Atqui
eo uſque procedere debet iſtius examinis rigor,
donec in plenam conſternationem nos ſubegerit,
eoque modo ad recipiendam Chriſti gratiam com-
pararit. Fallitur enim qui putat ſe hujus fruendæ
eſſe capacem, niſi omnem prius animi altitudinem
1 Pet. 5: 5. dejecerit. Notum eſt illud, *Deum ſuperbos confun-*
dere, humilibus dare gratiam.

Hæc demum vera eſt humilitas Chriſtiana, ſi depoſita omni imaginaria juſtitia noſtra fiducia, in Dei miſericordia per Chriſtum fide apprehenſum acquieſcamus.

6. Quæ autem humiliandi noſtri ratio, niſi ut
toti inopes ac vacui Dei miſericordiæ locum demus?
Non enim humilitatem voco, ſiquid nobis reſiduum
eſſe putamus. Et hactenus perniciosam hypocriſin
docuerunt qui hæc ſimul duo junxere, humiliter
de nobis ſentiendum coram Deo, & juſtitiam no-
ſtram aliquo loco habendam. Si enim contra quam
ſentimus confitemur coram Deo, improbe illi men-
timur: ſentire autem non poſſumus ut decet, quin
prorſus quicquid videtur in nobis eſſe glorioſum
conteratur. Quum ergo audis apud Prophetam,
paratam eſſe ſalutem humili populo, dejectionem oculis
ſuperborum: primum cogita, ad ſalutem non patere
Pſ. 18: 28. acceſſum niſi depoſita omni ſuperbia, & aſſumpta

Humilitas illa deſcribitur.

ſolida humilitate: deinde humilitatem illam non
eſſe modeſtiam aliquam, qua Domino de jure tuo
pilum cedas, (qualiter humiles vocantur coram
hominibus qui nec ſe faſtuoſe efferunt, nec aliis
inſultant, quum tamen nonnulla excellentiæ con-
ſcientia nitantur) ſed ſubmiſſionem non ſimulatam
animi ſerio miſeriæ inopiæque ſuæ ſenſu conſter-
nati. ſic enim ubique verbo Dei deſcribitur. Quum

Teſtimoniis Scripturæ comprobatur.

Dominus apud Sophoniam ſic loquitur, *Auferam*
de te exultantem: reſiduum faciam in medio populi tui
afflictum & pauperem: & ſperabunt in Domino:
Soph. 3. verſ. 11, 12. annon aperte demonſtrat qui ſint humiles? Nempe
qui ſuæ paupertatis cognitione afflicti jacent. Con-
trà ſuperbos vocat exultantes, quod rebus proſperis
læti homines ſoleant exultare. Humilibus vero,
quos ſalvare inſtituit, nihil facit reliquum, niſi ut
Jeſ. 66: 2. ſperent in Domino. Sic & apud Jeſaiam, *Ad quem*
autem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpi-
Jeſ. 57: 15. *ritu, ac trementem ſermones meos?* Item, *Excelſus &*
ſublimis, habitans æternitatem, & ſanctum nomen
ejus, in excelſo & in ſancto habitans, & cum contrito
humilique ſpiritu: ut vivificet ſpiritum humilium, &
cor contritorum. Quum audis toties contritionis no-
men, intellige cordis vulnus, quod hominem humi
proſtratum attolli non ſinat. Tali contritione vul-
neratum eſſe cor tuum decet, ſi velis cum humilibus,
juxta Dei ſententiam, exaltari. Id ſi non fit, humi-
liaberis potenti Dei manu in tuum pudorem & de-
decus.

Publicani parabola repræſentatur.

7. Ac verbis non contentus optimus Magiſter,
in parabola, velut in tabula, legitimæ humilitatis
imaginem nobis repræſentavit. Publicanum enim
profert, *qui procul ſtans, nec oculos audens in cælum* Luc. 18: 13.
erigere, cum multo planctu orat, Domine, propitius
eſto mihi peccatori. Ne putemus eſſe hæc fictæ mo-
deſtiæ ſigna, quod cælum non audet intueri, nec
propius accedere, quod pectus plangendo peccato-
rem ſe fatetur: ſed interioris affectus ſciamus eſſe
teſtimonia. Ex adverſo Phariſæum opponit, *qui gra-*
tias agit Deo quod non ſit ex vulgo hominum, aut raptor,
aut injuſtus, aut adulter: quoniam bis jejunaret in ſabba-
tho, decimas daret omnium quæ poſſidebat. Aperta con-
feſſione agnoſcit eſſe Dei donum quam habet juſti-
tiam: ſed quia juſtum ſe eſſe confidit, diſcedit à facie

Propriis ſuis & veris elogiis commendatur.

Dei ingratus & odioſus. Publicanus ſuæ iniquitatis
agnitione juſtificatur. Hinc videre licet quanta ſit
humiliationis noſtræ gratia coram Domino: ut non
pateat ſuſcipiendæ ejus miſericordiæ pectus, niſi
omni propriæ dignitatis opinione prorſus vacuum.
Hæc ubi occupavit, illi claudit aditum. Quod ne-
cui dubium foret, cum hoc mandato dimiſſus eſt
Chriſtus à Patre in terram, *ut euangelizaret paupe-* Jeſa. 61: 1.
ribus, mederetur contritis corde, prædicaret captivis
libertatem, clauſis apertionem, conſolaretur lugentes:
daret illis gloriam pro cinere, oleum pro luctu, pallium
laudis pro ſpiritu mœroris. Secundum iſtud manda-
tum, nonniſi laborantes & oneratos ad participan- Matth. 11. verſ. 28.
dam ſuam beneficentiam invitat. Et alibi, *Non veni* & 9: 13.
ad juſtos vocandos, ſed peccatores.

Hinc ſequitur abjiciendam eſſe arrogantiam & ſecuritatem.

8. Ergo ſi Chriſti vocationi locum dare libet,
faceſſat procul omnis à nobis tum arrogantia, tum
ſecuritas. Illa ex ſtulta propriæ juſtitiæ perſuaſione
naſcitur, ubi homo habere ſe aliquid putat cujus
merito apud Deum commendetur: hæc etiam ſine
ulla operum perſuaſione eſſe poteſt. Multi enim
peccatores, quia vitiorum dulcedine inebriati, Dei
judicium non cogitant, tanquam veterno quodam
obſtupefacti jacent, ne aſpirent ad oblatam ſibi
miſericordiam. At vero non minus excutiendus
talis torpor quam abjicienda quævis noſtri confi-
dentia, quo expediti ad Chriſtum feſtinemus, quo

Deinde noſtri confidentiam.

vacui & jejuni impleri ipſius bonis queamus. Nun-
quam enim illi ſatis confidemus, niſi de nobis pe-
nitus diffiſi: nunquam in ipſo ſatis animos erige-
mus, niſi prius in nobis dejectos: nunquam in ipſo
nos ſatis ſolabimur, niſi in nobis deſolati. Gratiæ

Si modo Dei gratiam apprehendere ac obtinere percupimus.

ergo Dei apprehendendæ ac obtinendæ, abjecta
quidem prorſus noſtri fiducia, freti vero ſola boni-
tatis ejus certitudine, idonei ſumus, *dum* (ut ait
Auguſtinus) *noſtra merita obliti, Chriſti dona amplecti-* de verb. Apoſtol. cap. 8.
mur: quia ſi in nobis merita quæreret, non veniremus
ad ejus dona. Cui pulchre ſuccinit Bernardus, ſervis Serm. 13. in Cant.
infidis comparans ſuperbos, qui meritis ſuis vel mi-
nimum arrogant: quia laudem gratiæ per ſe tranſ-
euntis improbe retinent, perinde ac ſi paries ra-
dium ſe parturire dicat quem ſuſcipit per feneſtram.

Regula, ſeu ſumma ſuperioris doctrinæ.

Ne longius hic immoremur, habeamus brevem ſed
generalem certamque regulam, eum ad partici-
pandos divinæ miſericordiæ fructus comparatum,
qui ſeipſum non dico juſtitia (quæ nulla eſt) ſed
vana ventoſaque juſtitiæ imagine penitus exinani-
vit: quia tantum quiſque objicit impedimenti Dei
beneficentiæ, quantum in ſe ipſo acquieſcit.

CAP. XIII.

Duo eſſe in gratuita juſtificatione obſervanda.

Partes capitis.

1. *Gloria Dei & conſcientiæ tranquillitas in juſtificatione gratuita obſervandæ occurrunt. In gloriam Dei peccant, qui in ſe gloriantur & extra Chriſtum (cujus juſtitia fide apprehenſa coram Deo electis omnibus ad reconciliationem & ſalutem æternam obtinendam imputatur) juſtitiam quærunt, ſect. 1. & 2.*
2. *Conſcientiæ tranquillitas nulla alia ratione quam juſtificatione gratuita acquiri poteſt: quod abunde probatur, ſect. 3. 4. & 5.*

Dei gloria ſarta tecta manet, ubi ſolus ipſe juſtus agnoſcitur.

ATque omnino quidem duo hic præcipue ſpectanda ſunt, nempe ut Domino illibata conſtet ac veluti ſarta tecta ſua gloria, conſcientiis vero noſtris coram ipſius judicio placida quies ac ſerena tranquillitas. Videmus quoties ac quam ſollicite Scriptura nos hortetur ad reddendam ſoli Deo laudis confeſſionem, ubi de juſtitia agitur. Atque adeo hunc finem Domino fuiſſe teſtatur Apoſtolus conferendæ nobis in Chriſto juſtitiæ, ut ſuam ipſe demonſtraret. Mox vero qualis illa ſit demonſtratio ſubjungit: nempe ſi ſolus ille *juſtus cognoſcatur, ac juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.* Vides juſtitiam Dei non ſatis illuſtrari niſi & ſolus cenſeatur juſtus, & immerentibus juſtitiæ gratiam communicet? Hac ratione vult *omne os obturari, & obnoxium ſibi reddi univerſum mundum:* quia quantiſper habet homo quod in ſuam defenſionem loquatur, Dei gloriæ nonnihil decedit. Sic apud Ezechielem docet quantopere ex recognitione noſtræ iniquitatis nomen ſuum glorificemus. *Recordabimini,* inquit, *viarum & omnium ſcelerum quibus polluti eſtis: & diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro, in omnibus malitiis quas commiſiſtis. Et ſcietis quia ego Dominus, quum benefecero vobis propter nomen meum: & non ſecundum ſcelera veſtra peſſima.* Si hæc in vera Dei notitia continentur, ut propriæ iniquitatis conſcientia attriti, nobis benefacere indignis illum reputemus; quid magno noſtro malo tentamus vel ullam particulam ex iſta gratuitæ benignitatis laude Domino ſuffurari? Similiter Jeremias, dum clamat, *Ne glorietur ſapiens in ſapientia ſua, aut dives in divitiis ſuis, aut fortis in fortitudine ſua: ſed qui gloriatur, in Domino glorietur:* annon innuit de gloria Dei nonnihil deperire ſi in ſemetipſo homo gloriatur? In hunc certe uſum Paulus verba illa accommodat, quum omnes ſalutis noſtræ partes apud Chriſtum depoſitas eſſe tradit, ut nonniſi in Domino gloriemur. Significat enim contra Deum inſurgere, & tenebras obducere gloriæ ejus, quiſquis vel tantillum de ſuo ſe habere putat.

[Margin: *Confirmatio, à teſtimoniis.* Rom. 3. verſ. 25. — Rom. 3. verſ. 19. — *Ezechielis.* Ezech. 20. verſ. 42, 43. 44. — *Jeremiæ.* Jerem. 9. v. 23. 24. — *Pauli.* 1 Cor. 1. verſ. 29, 30, 31.]

Qui igitur in ſe gloriantur, adverſus Deum gloriantur.

2. Ita eſt ſane: nunquam in ipſo vere gloriamur, niſi noſtra gloria penitus abdicati. Contra, hoc habendum eſt catholicum theorema, adverſus Deum gloriari quicunque in ſe gloriantur. Siquidem ita demum reddi obnoxium Deo mundum cenſet Paulus, dum prorſus adempta eſt hominibus quævis gloriandi materia. Proinde Jeſaias, quum juſtificationem Iſraël in Deo fore denunciat, addit ſimul & laudem: quaſi diceret, in hunc finem à Domino juſtificari electos, ut in ipſo, non alibi glorientur. Qualiter autem laudari nos in Domino conveniat, proximo verſu docuerat: nempe *ut juremus eſſe in Domino juſtitias noſtras, & fortitudinem noſtram.* Obſerva, non exigi ſimplicem confeſſionem, ſed juramento confirmatam: ne ficta neſcio qua humilitate defungendum putes. Neque hic cauſetur quiſpiam ſe nequaquam gloriari, dum citra arrogantiam, propriam juſtitiam recognoſcit. talis enim æſtimatio eſſe non poteſt quin fiduciam generet, nec fiducia quin gloriam pariat. Meminerimus ergo in tota juſtitiæ diſputatione finem hunc eſſe ſpectandum, ut illius laus penes Dominum ſolida integraque maneat. Quandoquidem *in demonſtrationem juſtitiæ ſuæ,* gratiam ſuam, teſte Apoſtolo, in nos effudit, *quo ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum qui eſt ex fide Chriſti.* Unde alio loco, quum docuiſſet Dominum nobis ſalutem contuliſſe, quo nominis ſui gloriam illuſtraret: poſtea, quaſi idem repetens, ſubjicit, *Gratia eſtis ſalvati, ac Dei dono, non operibus, ne quis glorietur.* Et Petrus, dum admonet nos in ſpem ſalutis vocatos eſſe, *ut virtutes enarremus ejus qui è tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum,* haud dubie vult ita perſonare in aure fidelium ſolas Dei laudes, ut alto ſilentio obruant omnem carnis arrogantiam. Summa hæc eſt, non poſſe hominem ſibi ullam juſtitiæ micam ſine ſacrilegio vendicare, quia tantundem ex divinæ juſtitiæ gloria decerpitur ac delibatur.

[Margin: Rom. 3. verſ. 19. — Jeſ. 45: 25. — *Objectio.* — *Reſp. Apoſtolorum* — *Pauli & Petri authoritate firmata.* Rom. 3. verſ. 25. — Epheſ. 1: 6. — Epheſ. 2: 8. — 1 Pet. 2: 9.]

Conſcientiæ tranquillitas ex ſola juſtificatione gratuita naſcitur.

3. Jam ſi quærimus qua ratione ſerenari queat coram Deo conſcientia, non aliam reperiemus quam ſi gratuita nobis juſtitia, Dei dono conferatur. Subeat ſemper illud Solomonis, *Quis dicet, Mundavi cor meum, purificatus ſum à peccato meo?* Nemo eſt certe qui non infinita colluvie obruatur. In ſuam ergo conſcientiam deſcendat vel perfectiſſimus quiſque, & facta ſua ad calculum vocet, quem tandem exitum habebit? An, quaſi bene compoſita ſibi ſint cum Deo omnia, ſuaviter conquieſcet, ac non potius diris tormentis lacerabitur, quum in ſe damnationis materiam, ſi ab operibus æſtimetur, reſidere ſentiet? Conſcientiam, ſi Deum reſpicit, vel cum illius judicio certam pacem habere neceſſe eſt, vel inferorum terroribus obſideri. Nihil ergo proficimus de juſtitia diſſerendo, niſi eam ſtatuerimus cujus ſtabilitate anima noſtra in Dei judicio fulciatur. Ubi habebit anima noſtra quo & intrepida coram Dei vultu appareat, & inconcuſſa ejus judicium excipiat; tum ſciamus demum nos non fictitiam juſtitiam reperiſſe. Non ergo ſine cauſa tantopere hac parte inſiſtit Apoſtolus, cujus verbis agere quam meis malo. *Si ex Lege,* inquit, *promiſſio hæreditatis, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.* Prius infert, exinanitam & evacuatam eſſe fidem, ſi juſtitiæ promiſſio operum noſtrorum merita reſpiciat, aut ex Legis obſervatione pendeat. Nunquam enim in ea ſecure acquieſcere quiſquam poſſet: quando nunquam futurum eſt ut certo apud ſe quiſquam ſtatuat ſe Legi ſatisfeciſſe, ut certe nullus unquam per opera plene ſatisfacit. Cujus rei ne longe petantur teſtimonia, ſibi quiſque teſtis eſſe poteſt, qui ſe recto oculo intueri volet. Atque hinc apparet in quam profundos receſſus, & tenebricoſos, hominum mentes defodiat hypocriſis, dum tam ſecure ſibi indulgent ut opponere ſuas blanditias non dubitent Dei judicio: quaſi juſtitium quoddam illi indicerent. Fideles autem, qui ſincere ſeipſos excutiunt, longe alia ſollicitudo angit & excruciat. Igitur in omnium animos ſubiret primum hæſitatio, demum & deſperatio: dum pro ſe quiſque ſubduceret quanta debiti mole adhuc premeretur, quamque longe diſtaret ab impoſita ſibi conditione. En jam oppreſſam extinctamque

[Margin: *Teſte Solomone.* Prov. 20: 9. — *Conſcientia ipſa.* — *Et Apoſtolo; qui fidem exinanitam eſſe contendit, ſi juſtitia promiſſio ex Legis obſervatione pendeat.* Rom. 4. verſ. 14.]

ctamque fidem. non enim fluctuari, variare, ſurſum deorſum ferri, hæſitare, ſuſpenſum teneri, vacillare, deſperare denique, fidere eſt, ſed conſtanti certitudine ac ſolida ſecuritate animum obfirmare, habereque ubi recumbas ac pedem figas.

Deinde & promiſſionem.

4. Alterum quoque adjungit, irritam & evanidam fore promiſſionem. Si enim ejus complementum à oostro merito dependet, quando tandem huc ventum fuerit ut Dei beneficentiam promereamur? Quin etiam ſecuodum iſtud membrum ex priore conſequitur: ſiquidem noo implebitur promiſſio niſi iis qui fidem illi habuerint. Collapſa igitur fide, nulla vis promiſſionis reſidua erit. *Ideo ex fide hæreditas, ut ſecundum gratiam, ad ſtabiliendam promiſſionem.* Abunde enim confirmata eſt, dum ſola Dei miſericordia nititur: quia perpetuo nexu conjunctæ ſuot inter ſe miſericordia & veritas; hoc eſt, quæcuoque Deus miſericorditer pollicetur, fideliter quoque præſtat. Sic David, aotequam ſalutem ſibi ex Dei eloquio poſtulet, cauſam primum ſtatuit in ejus miſericordia. *Veniant*, inquit, *ad me miſericordiæ tuæ, ſalus tua ſecundum eloquium tuum.* Et merito: quia oon aliunde ad promittendum inducitur Deus niſi ex mera miſericordia. Itaque hic ſpem totam ſiſtere convenit & velut profunde figere, non reſpectare ad noſtra opera, quo ex illis ſubſidium aliquod petatur. Sic & Auguſtinus ageodum præcipit: ne hic novum aliquid dicere nos putes. *In æternum*, inquit, *regnabit Chriſtus in ſervis ſuis. Hoc promiſit Deus, hoc dixit Deus: ſi parum eſt, hoc juravit Deus. Quia ergo non ſecundum merita noſtra, ſed ſecundum illius miſericordiam firma eſt promiſſio: nemo debet cum trepidatione prædicare de quo non poteſt dubitare.* Bernardus quoque, *Quis poterit ſalvus eſſe? dicunt diſcipuli Chriſti. At ille, Apud homines impoſſibile hoc eſt, ſed non apud Deum. Hæc tota fiducia noſtra, hæc unica conſolatio, hæc tota ratio ſpei noſtræ. Sed de poſſibilitate certi, de voluntate quid agimus? Quis ſcit un odio vel amore dignus ſit? Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Hic jam plane fidem nobis ſubvenire neceſſe eſt: hic oportet ſuccurrere veritatem: ut quod de nobis latet in corde Patris, per Spiritum reveletur, & Spiritus ejus teſtificans perſuadeat cordibus noſtris quod filii Dei ſumus. Perſuadeat autem vocando & juſtificando gratis per fidem: in quibus nimirum velut medius quidam tranſitus eſt ab æterna prædeſtinatione ad futuram gloriam.* Breviter ſic colligamus: Scriptura oon eſſe firmas Dei promiſſiones indicat, niſi certa conſcientiæ fiducia arripiantur. ubicunque eſt dubitatio aut incertitudo, irritas fieri proonunciat. rurſum nihil quam vacillare ac fluctuari pronunciat ſi operibus noſtris incumbunt. Ergo aut pereat nobis juſtitia neceſſe eſt, aut ne veniaot in cooſiderationem opera, ſed ſola fides locum habeat, cujus iſthæc natura eſt, aures arrigere, oculos claudere: hoc eſt, uni promiſſioni intentam eſſe, cogitationem avertere ab omni hominis vel dignitate vel merito. Ita impletur præclarum illud Zachariæ vaticinium, Quod *ubi deletu fuerit iniquitas terræ, vocabit vir amicum ſuum ſubter vineam, & ſubter ficum ſuum.* Ubi Propheta innuit, noo aliter vera pace frui fideles, quam poſt impetratam peccatorum remiſſionem. Tenenda enim eſt analogia hæc in Prophetis, ubi de Chriſti regno diſſerunt, externas Dei benedictiones quaſi ſpiritualium bonorum figuras proponere. Unde & Chriſtus *Rex pacis* & *pax noſtra* vocatur: quia omnes cooſcientiæ agitatiooes ſedat. Modus ſi quæritur, ad ſacrificium, quo pacatus eſt Deus, venire neceſſe eſt: quia trepidare nunquam deſinet, quiſquis non ſtatuet ſola expiatione propitiari Deum qua Chriſtus iram ejus ſuſtinuit. Denique non alibi quam in Chriſti redemptoris oostri terroribus pax nobis quærenda.

Quæ ſine fide plane corruit.

Fide autem in Dei ſola miſericordia per Chriſtum ſtante, promiſſio abunde confirmata eſt: quod ex Auguſtino & Bernardo probatur.

Pſal. 119. v. 36, 77.

in Pſal. 88. tract. 1.

Serm. 5. in dedic. templi.

Eccl. 9: 1. 1 Cor. 2. verſ. 16.

Deinde firmiſſimo argumento ex ſupra dictis concinnato, & Prophetarum perſpicuis prædictionibus illuſtrato.

Zach. 3. v. 9, 10.

Jeſa. 9: 6. Eph. 2: 14.

Tertio, aperta Apoſtoli demonſtratione.

5. Sed quid obſcuriore teſtimonio utor? Negat ubique Paulus pacem vel tranquillum gaudium relinqui conſcientiis, niſi ſtatutum ſit juſtificari nos fide. Unde autem illa certitudo, ſimul declarat, *quum* ſcilicet *amor Dei in corda noſtru diffuſus eſt per Spiritum ſanctum:* acſi diceret non poſſe aliter ſedari animas noſtras niſi certo perſuaſi ſimus Deo nos placere. Uode etiam alibi exclamat ex piorum omnium perſona, *Quis nos ſeparabit ab amore Dei, qui eſt in Chriſto?* quia ad minimam quamque auram trepidabimus donec appulerimus ad portum illum: ſecuri autem erimus in caligine mortis, quamdiu ſe nobis paſtorem Deus oſtendet. Ergo quicuoque garriunt nos fide juſtificari, quia regeniti, ſpiritualiter vivendo juſti ſumus, nunquam guſtarunt gratiæ dulcedinem, ut Deum ſibi propitium fore coofiderent. Unde etiam ſequitur, rite orandi modum nihilo magis eos ſcire quam Turcas & profanas alias qualibet gentes. Neque enim, teſte Paulo, vera eſt fides niſi dictet & ſuggerat ſuaviſſimum illud Patris nomen, imo niſi os nobis aperiat proferendo libero clamori, *Abba Pater.* Quod alibi clarius exprimit, *In Chriſto nos habere audaciam & aditum in fiducia per fidem ejus.* Hoc certe non contiogit regenerationis dono: quod ut mutilum ſemper eſt io hac carne, ita multiplicem dubitandi materiam io ſe contioet. Quare ad remedium illud venire neceſſe eſt, ut ſtatuant fideles ooo alio jure ſperandam ſibi eſſe hæreditatem regni cæleſtis, oiſi quia inſiti in Chriſti corpus, juſti gratis reputantur. Nam quoad juſtificationem res eſt mere paſſiva fides, nihil afferens noſtrum ad conciliandam Dei gratiam, ſed à Chriſto recipiens quod nobis deeſt.

Rom. 5: 1. ibid. v. 5.

Rom. 8. verſ. 34.

Pſal. 23: 4.

Poſtremo, ab oppoſiti ſophiſmatis refutatione, nempe non ideo juſtos eſſe, quia regeniti ſpiritualiter vivimus. Ratio.

Gal. 4: 6. Eph. 3: 12.

CAP. XIV.

Quale initium juſtificationis & continui progreſſus.

Partes hujus capitis.

Ut facilius quæ dicta ſunt percipiantur, qualis eſſe poſſit toto vitæ decurſu hominis juſtitia diſcutiendum ſuſcipit, omneſque homines in quatuor claſſes tribuit.

1. *Prima claſſis luſtratur, ſect.* 1. 2. 3. 4. 5. & 6.
2. *Secunda & tertia conjunctim, ſect.* 7. & 8.
4. *Quarta, ſect.* 9. *& inde ad finem capitis.*

Homines toto vitæ decurſu, aut idololatra,

QUo res dilucidior fiat, qualis poſſit eſſe toto vitæ decurſu hominis juſtitia, excutiamus. quadruplicem vero faciamus gradum. Homines enim aut oulla Dei agnitione præditi, in idololatria demerſi ſunt: aut ſacrameotis initiati, vitæ impuritate Deum, quem ore confitentur, factis abnegantes, titulo tenus ſunt Chriſti: aut hypocritæ ſunt, qui cordis nequitiam inanibus fucis teguot: aut Spiritu Dei regeoerati, veram ſanctimoniam meditantur. In primis, quando naturalibus dotibus cenſendi ſuot, à vertice capitis ad plantam uſque pedis ſcintilla boni oon reperietur: niſi forte volumus inſimulare falſi Scripturam, dum hiſce elogiis univerſos filios Adam commendat,

aut impii, aut hypocrita, aut regeniti.

I. Idololatra, ſunt omni juſtitia exuti.

quod

Jer. 17:9. Gen. 8: 21. Pſ. 94: 11. & 36: 2. & 14: 2, 3. Gen. 6: 3, 5.

Impietate & injuſtitia obruti.

Gal. 5: 19.

quod pravo ſint & præfracto corde, quod omne figmentum cordis eorum malum ſit à primis annis, quod vana ſint eorum cogitationes, quod timorem Dei præ oculis non habeant, quod nemo eorum intelligat aut requirat Deum. Breviter *quod caro ſint:* quo nomine intelliguntur opera illa omnia quæ enumerantur à Paulo, *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum cultus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia,* & quicquid fœditatis & abominationis excogitari poteſt. Hæc eſt dignitas ſcilicet cujus fiducia ſuperbire debeant.

Prorſus miſeri & perditi coram Deo.

Quod ſiqui inter eos ea morum honeſtate pollent quæ ſpeciem aliquam ſanctitatis habeat inter homines: quia tamen ſcimus Deum non morari externum ſplendorem, ad fontem ipſum operum penetrandum eſt, ſiquid ipſa valere velimus ad juſtitiam. Inſpiciendum, inquam, penitus eſt ex quo affectu cordis opera iſta prodeant. Quanquam autem latiſſimus hic dicendi campus patet, quia tamen pauciſſimis verbis poteſt res expediri, ſequar quantum licebit in docendo compendium.

Multum tamen intereſt inter quoſdam virtute præditos & alios deploratiſſimos. Quod diſcrimen 1. in Dei donis, 2. diſtinctione inter honeſta & turpia, 3. vitæ præſentis benedictionibus elucet.

2. Principio, non inficior eſſe Dei dona, quæcuoque in incredulis apparent egregiæ dotes. Neque vero ſic à ſenſu communi diſſideo, nihil ut intereſſe contendam inter Titi & Trajani juſtitiam, moderationem, æquitatem, ac Caligulæ, vel Neronis, vel Domitiani rabiem, intemperiem, ſævitiam: inter obſcœnas Tiberii libidines, & Veſpaſiani hac in parte continentiam; ac (ne in ſingularibus aut virtutibus aut vitiis immoremur) inter juris legumque obſervationem ac contemptum. Tantum enim eſt juſti & injuſti diſcrimen, ut vel in mortuo illius ſimulachro appareat. Quid enim ordinatum reſtabit in mundo, ſi hæc inter ſe confundamus? Itaque ejuſmodi diſtinctionem inter honeſta & turpia facinora non modo ſingulorum mentibus Dominus inſculpſit, ſed providentiæ quoque ſuæ diſpenſatione ſæpe confirmat. Videmus enim ut multis præſentis vitæ benedictionibus proſequatur eos, qui inter homines virtutem colunt. Non quod externa illa virtutis imago minimum ejus beneficium mereatur: ſed ita placet illi approbare quantopere cordi ſit ſibi vera juſtitia, dum externam quoque & ſimulatam temporali remuneratione carere non patitur. Unde ſequitur quod nuper confeſſi ſumus, Dei eſſe dona qualeſcunque iſtas virtutes aut virtutum potius imagines: quando nihil eſt ullo modo laudabile quod non ab ipſo proficiſcatur.

Verum quicquid ab hujuſmodi virtute humana præditis fit, quantumvis laudabile videatur, corruptum eſt.

lib. 4. contra Julianum.

3. Atqui nihilominus verum eſt quod Auguſtinus ſcribit, omnes à Dei unius religione alienos, utcunque ob virtutis opinionem admirabiles habeantur, non modo nulla remuneratione dignos, ſed magis punitione: quod pura Dei bona cordis ſui pollutione contaminant. Etſi enim Dei inſtrumenta ſunt ad conſervandam, juſtitia, continentia, amicitia, temperantia, fortitudine, prudentia, hominum ſocietatem: bona tamen hæc Dei opera peſſime exequuntur: quia non ſincero boni ſtudio, ſed vel ſola ambitione, vel amore ſui, vel alio quovis obliquo affectu continentur à male agendo.

1. Cordis impuritate.

Quum ergo ab ipſa cordis impuritate, velut à ſua origine, corrupta ſint, non magis inter virtutes ponenda erunt, quam vitia quæ ob affinitatem ac ſimilitudinem virtutis imponere ſolent.

2. Recti finis deſertione.

Denique quum perpetuum eſſe meminerimus recti finem, ut Deo ſerviatur: quicquid alio contendit, jam merito amittit recti nomen. Quia ergo ſcopum non reſpiciunt quem Dei ſapientia præſcribit: tametſi officio bonum videtur quod agunt, fine tamen perverſo peccatum eſt. Conſtituit igitur, omnes Fabricios, Scipiones & Catones in illis ſuis præclaris facinoribus hoc peccaſſe, quod quum fidei luce carerent, non ad eum finem ipſa retulerunt ad quem referre debuerunt. non fuiſſe ergo in illis veram juſtitiam: quia non actibus, ſed finibus penſantur officia.

3. Chriſti (extra quem non eſt vita) privatione.

1 Joan. 5. verſ. 12.

4. Præterea ſi verum eſt quod Joannes ait *non eſſe vitam extra Filium Dei:* qui partem in Chriſto non habent, quales quales ſint, quicquid agant, vel moliantur, in exitium tamen æternæque mortis judicium toto curſu pergunt. Secundum hanc rationem illud ab Auguſtino dictum eſt,

Quod Auguſtini pronunciatis confirmatur.

lib. 3. ad Bon. cap. 5. Præf. in Pſal. 31.

Religio noſtra juſtos ab injuſtis non operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit: ſine qua quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Quamobrem belle idem ipſe alibi, dum talium hominum ſtudium erroneo curſui comparat. Quo enim magis ſtrenue currit quis extra viam, eo longius à ſcopo recedit, ideoque fit miſerior. Quare melius eſſe contendit in via claudicare, quam extra viam currere. Poſtremo malas eſſe arbores conſtat, quando ſine Chriſti communicatione nulla eſt ſanctificatio. pulchros ergo & aſpectu ſpecioſos, guſtu etiam ſuaves fructus generare poſſunt: bonos nequaquam. Hinc facile cernimus eſſe maledictum, nec modo nullius ad juſtitiam pretii, ſed certi in damnationem meriti, quicquid cogitat, meditatur, perficit homo, antequam Deo per fidem reconcilietur. Et quid tanquam de re dubia diſputamus, quum jam probatum ſit teſtimonio Apoſtoli, *impoſſibile eſſe ut ſine fide quiſpiam placeat Deo?* Heb. 11:6.

4. Naturalis hominis conditione. Scriptura verbis deſcripta, quæ hominem ante regenerationem in peccatis mortuum eſſe teſtantur, in regeneratione unicam Dei gratiam prædicant.

5. Sed probatio etiamnum apertior lucebit ſi naturali hominis conditioni Dei gratia è regione opponatur. Clamat enim ubique Scriptura, nihil in homine Deum reperire quo ad benefaciendum illi incitetur, ſed gratuita ſua benignitate illum prævenire. Quid enim ad vitam poſſit mortuus? Atqui dum ſui cognitione nos illuminat, dicitur à morte ſuſcitare, ac novam creaturam facere. Hoc ſiquidem titulo (præſertim apud Apoſtolum) videmus ſæpe Dei erga nos benignitatem commendari. *Deus,* inquit, *qui dives eſt in miſericordia, propter multam charitatem qua dilexit nos, etiam quum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto,* &c. Alibi dum ſub typo Abrahæ generalem fidelium vocationem tractat, *Deus eſt,* inquit, *qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt tanquam ſint.* Si nihil ſumus, quid quæſo poſſumus? Quare arrogantiam iſtam valide retundit Dominus in hiſtoria Job, in his verbis, *Quis prævenit me, & retribuam ei? omnia enim mea ſunt.* Quam ſententiam explicans Paulus eo confert, ne putemus nos aliquid ad Dominum afferre præter meram inopiæ & vacuitatis ignominiam. Quare loco ſupra citato, ut probet ſola ejus gratia, non operibus, in ſpem ſalutis nos perveniſſe, allegat, *nos illius eſſe creaturas, quoniam regenerati ſumus in Chriſto Jeſu ad bona opera, quæ præparavit ut in illis ambulemus.* Acſi diceret, Quis noſtrûm jactet ſe ſua juſtitia Deum provocaſſe, quum prima noſtra ad bene agendum potentia ex regeneratione fluat? Ut enim natura conditi ſumus, citius ex lapide oleum quam ex nobis opus bonum exprimetur. Mirum profecto ſi homo, tantæ ignominiæ damnatus, audet ſibi adhuc reliquum aliquid facere. Fateamur ergo cum præclaro iſto Dei organo, *nos à Domino vocatos vocatione ſancta: non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ac gratiam ejus. ac benignitatem dilectionemque erga nos Salvatoris Dei apparuiſſe: quia non ex operibus juſtitiæ quæ fecerimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit: ut juſtificati illius gratia, hæredes efficeremur vitæ æternæ.* Hac confeſſione, omni juſtitia uſque ad minimam particulam hominem ſpoliamus, donec ſola miſericordia in ſpem vitæ æternæ regeneratus fuerit: quando, ſi aliquid operum juſtitia ad nos juſtificandos confert, falſo dicimur gratia juſtificari. Non exciderat ſane ſibi Apoſtolus quum gratuitam aſſeruit

Joan. 5: 25. Ephes. 2: 4. Rom. 4. verſ. 17. Job. 41: 2. Rom. 11. verſ. 35. Eph. 2: 10. 1 Tim. 1: 9. Tit. 3: 4.

Rom. 11. verſ. 6.
Mat. 9:13.

aſſeruit juſtificationem, qui alio loco argumentatur, *gratiam jam non eſſe gratiam* ſi quid opera valeant. Et quid aliud ſibi vult Dominus, quum negat *ſe veniſſe ad vocandos juſtos, ſed peccatores?* Si ſoli peccatores admittuntur, quid per fictitias juſtitias aditum quæramus?

6. Redit eadem mihi ſubinde cogitatio, periculum eſſe ne Dei miſericordiæ ſim injurius, qui tanta anxietate in ea aſſerenda laborem, perinde acſi dubia obſcurave foret. Sed quoniam ea eſt noſtra malignitas, quæ nunquam niſi validiſſime depulſa concedat Deo quod ſuum eſt, cogor paulo longius inſiſtere. Quia tamen ſatis perſpicua eſt in hac re Scriptura, ejus potius verbis quam meis pugnabo.

5. Jeſaia Propheta teſtimonio.
Jeſa. 59. v. 15, 16.

Jeſaias, ubi deſcripſit univerſale generis humani exitium, pulchre ordinem reſtitutionis ſubtexit. *Vidit Dominus, & malum apparuit in oculis ejus. Et vidit quia non eſt vir: & admiratus eſt, quia non eſt qui intercedat: & ſalutem poſuit in brachio ſuo, & juſtitia ſua ſe confirmavit.* Ubi ſunt noſtræ juſtitiæ, ſi verum eſt quod ait Propheta, neminem eſſe qui in recuperanda ſua ſalute Domino opituletur?

Cui ſuffragatur Oſeas.
Oſeæ 2. v. 19, 23.

Sic alius Propheta, ubi Dominum de reconciliandis ſibi peccatoribus agentem inducit, *Deſponſabo*, inquit, *te mihi in perpetuum in juſtitia, judicio, gratia, & miſericordia. Dicam miſericordiam non conſequutæ, Miſericordiam conſequuta.* Ejuſmodi fœdus, quod primam nobis eſſe cum Deo conjunctionem conſtat, ſi miſericordia Dei nititur, nullum relinquitur juſtitiæ noſtræ fundamentum. Et vero intelligere ex iis, qui hominem cum aliqua operum juſtitia Deo obviam procedere fingunt, cupiam, an omnino ullam juſtitiam eſſe putent niſi quæ ſit accepta Deo. Id cogitare ſi inſanum eſt; quid Deo gratum ab ejus inimicis prodeat, quos totos cum omnibus ſuis factis averſatur?

Paulus item & Joannes.
Rom. 5. v. 6, 10.
Col. 1: 21.
1 Joan. 4. verſ. 10.
Oſe. 14: 4.

Omnes, inquam, nos eſſe capitales ac profeſſos inimicos Dei noſtri teſtatur veritas: donec juſtificati, in amicitiam recipimur. Si principium dilectionis eſt juſtificatio, quæ operum juſtitiæ illam præcedent? Ita, ut peſtilentem illam arrogantiam avertat Joannes, diligenter nos monet quomodo *non priores eum dilexerimus.* Et idipſum jam olim per Prophetam ſuum Dominus docuerat. *Diligam*, inquit, *eos ſpontanea dilectione: quia converſus eſt furor meus.* Operibus certe non inſtigatur, ſi ſponte ad nos inclinavit ſe ejus dilectio.

6. Validiſſima ratione, quæ vulgi, ſuorum operum juſtitiam cum redemptione per Chriſtum nobis acquiſita confundentis, errorem tollit.
1 Cor. 6. verſ. 11.
1 Pet. 1: 2.
Phil. 1: 29.

Sed rude hominum vulgus nihil id aliud eſſe putat, niſi quod, ut redemptionem noſtram perageret Chriſtus, nemo promeritus fuerit: ut autem redemptionis poſſeſſionem adeamus, operibus noſtris adjuvari. Imo vero, utcunque à Chriſto redempti ſimus, donec tamen vocatione Patris inſerimur in illius communionem, & tenebræ & mortis hæredes & Dei adverſarii ſumus. Non enim ab immunditiis noſtris purgari nos & ablui Paulus docet Chriſti ſanguine, niſi dum purgationem illam Spiritus in nobis efficit. Quod idem dicere volens Petrus, declarat *Spiritus ſanctificationem* valere *in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Chriſti.* Si Chriſti ſanguine in purificationem per Spiritum aſpergimur, ne putemus alios nos eſſe ante hujuſmodi irrigationem, quam eſt ſine Chriſto peccator. Maneat ergo illud, principium noſtræ ſalutis eſſe quandam velut à morte in vitam reſurrectionem: quia ubi *propter Chriſtum nobis datum eſt in eum credere*, tunc incipimus demum tranſire à morte in vitam.

Secunda claſſis impios nomine tenus Chriſtianos & hypocritas comprehendit, à quibus nihil niſi prorſus damnabile prodit.

7. Sub hac ratione, qui ſecundus & tertius in diviſione ſupra poſita notatus fuit hominum ordo, comprehenditur. Conſcientiæ enim impuritas utroſque nondum eſſe Dei Spiritu regeneratos arguit. Rurſum autem, regenerationem in eis nullam eſſe, hoc defectum prodit fidei. Unde liquet, Deo nondum reconciliatos, nondum in ejus conſpectu juſtificatos: quando ad hæc bona niſi per fidem non pervenitur. Quid pariant peccatores à Deo alienati, niſi illius judicio execrabile? Hac quidem ſtolida confidentia cum impii omnes turgent, tum præſertim hypocritæ: quod, utcunque totum cor ſuum obſcœnitate ſcatere norint, ſiqua tamen edunt ſpecioſa opera, digna æſtimant quæ Deus non aſpernetur. Hinc pernicioſus ille error, quod ſceleratæ & nefariæ mentis convicti, adigi tamen nequeunt ut ſe juſtitia vacuos fateantur: ſed injuſtos ſe agnoſcentes, quia inficiando non ſunt, juſtitiam tamen nonnullam ſibi arrogant.

Teſte Haggæo Propheta.
Hag. 2: 11.

Hanc vanitatem egregie Dominus refutat per Prophetam: *Interroga*, inquit, *Sacerdotes, dicens, Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & panem aut alium cibum admoverit, numquid ſanctificabitur? Reſponderunt autem Sacerdotes, Non. Et dixit Haggæus, Si tetigerit pollutus in anima aliquid horum, nonne contaminabitur? Reſponderunt Sacerdotes, Contaminabitur. Dixit Haggæus, Sic populus iſte ante faciem meam, dicit Dominus: & ſic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerint mihi, contaminata erunt.* Utinam hæc ſententia vel plenam fidem poſſet obtinere apud nos, vel memoriæ probe inſidere. Nemo enim eſt, quamlibet alioqui tota vita flagitioſus, qui perſuadere ſibi ſuſtineat quod hic Dominus clare pronunciat. Simulac nequiſſimus quiſque uno vel altero Legis officio perfunctus eſt, non dubitat ſibi juſtitiæ loco acceptum ferri: at Dominus reclamat, nullam inde acquiri ſanctificationem niſi corde prius bene purgato. Neque eo contentus, contaminari cordis impuritate, quæcunque à peccatoribus prodeunt opera, aſſeverat. Faceſſat ergo nomen juſtitiæ ab his operibus quæ pollutionis ore Domini damnantur. Et quam eleganti ſimilitudine illud demonſtrat?

Objectio.
Reſponſio.

poterat enim objectari, ſanctum inviolabiliter eſſe quod Dominus præcepiſſet. Ipſe vero contra opponit, nihil mirum eſſe, ſi, quæ ſanctificata ſunt in Lege Domini, improborum ſpurcitia contaminantur: quum ſacrum attrectando, immunda manus profanet.

Deinde Jeſaia.
Jeſa. 1: 13. vid. c. 58. ejuſdem Prophetæ.

8. Eandem etiam cauſam egregie apud Jeſaiam perſequitur: *Ne efferatis*, inquit, *ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi: Calendas & ſolennitates veſtras odit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens. Quum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis: quum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine. Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum.* Quid iſthuc ſibi vult quod Dominus ita nauſeat ad obſequium ſuæ Legis? Imo vero nihil hic reſpuit quod ſit ex germana Legis obſervatione: cujus initium eſſe ubique docet, ſincerum ſui nominis timorem. Illo ſublato, non modo nugæ ſunt quæcunque illi offeruntur, ſed fœtidæ abominandæque ſordes. Eant nunc hypocritæ, & involutam corde pravitatem retinentes, Deum operibus ſtudeant demereri. Atqui magis ac magis hoc modo irritabunt.

Salomone.
Prov. 15: 8.

Execrabiles enim illi ſunt impiorum victimæ: ſola rectorum oratio accepta eſt illi. Conſtituimus ergo extra dubium, quod vulgatiſſimum eſſe debet mediocriter in Scripturis exercitato, quæ vel ſummo ſplendore conſpicua ſunt opera in hominibus nondum vere ſanctificatis, tam procul abeſſe à juſtitia coram Domino, ut peccata cenſeantur.

Auguſtino item & Gregorio.
Aug. lib. de pœnit. & Greg. cujus verba referuntur 3. quæſt. 7.
Gen. 4: 4.
Jerem. 5: 3.

Ac proinde veriſſime illi qui non conciliari perſonæ apud Deum gratiam per opera tradiderunt: ſed è converſo tum placere demum opera ubi perſona gratiam prius in Dei conſpectu invenerit. Religioſeque eſt obſervandus hic ordo ad quem Scriptura nos manu ducit. *Reſpexiſſe Dominum ad Abel*, ſcribit Moſes, *& ad opera ejus.* Vides ut Dominum hominibus propitium deſignet, antequam ad eorum opera reſpiciat? Quare purificationem cordis præcedere oportet, ut quæ à nobis prodeunt opera, benigne à Deo excipiantur. quia ſemper viget illa Jeremiæ ſententia, *oculos Dei reſpi-*

cere

Act. 15: 9.

cere veritatem. Porro ſolam *fidem eſſe qua corda hominum purificantur*, Spiritus ſanctus per os Petri aſſeruit, unde conſtat primum eſſe in vera vivaque fide fundamentum.

Quarta claſſis, eſt regeneratorum.

9. Inſpiciamus nunc quid habeant juſtitiæ quos in ordine quarto poſuimus. Fatemur, dum nos intercedente Chriſti juſtitia ſibi reconciliat Deus, ac gratuita peccatorum remiſſione donatos pro juſtis habet, cum ejuſmodi miſericordia conjunctam ſimul eſſe hanc ejus beneficentiam, quod per Spiritum ſuum ſanctum in nobis habitat, cujus virtute concupiſcentiæ carnis noſtræ magis ac magis in dies mortificantur: nos vero ſanctificamur, hoc eſt, conſecramur Domino in veram vitæ puritatem, cordibus noſtris in Legis obſequium formatis. Ut hæc ſit præcipua noſtra voluntas, voluntati ejus ſervire, ac ejus duntaxat gloriam modis omnibus provehere. Enimvero etiam dum ſancti Spiritus ductu in viis Domini ambulamus, ne tamen noſtri obliti animos tollamus, remanent imperfectionis reliquiæ, quæ nobis humilitatis argumentum præbeant. *Non eſt juſtus*, ait Scriptura, *qui faciat bonum & non peccet.* Qualem ergo juſtitiam ex ſuis operibus etiamnum obtinebunt? Primum dico, quod optimum ab illis proferri poteſt, aliqua tamen ſemper carnis impuritate reſperſum & corruptum eſſe, ac tanquam aliquid fæcis admixtum habere. Seligat, inquam, ex tota ſua vita ſanctus Dei ſervus quod in ejus curſu maxime eximium ſe putabit edidiſſe, bene revolvat ſingulas partes: deprehendet proculdubio alicubi quod carnis putredinem ſapiat: quando nunquam ea eſt noſtra alacritas ad bene agendum quæ eſſe debet, ſed in curſu retardando multa debilitas. Quanquam non obſcuras eſſe maculas videmus, quibus reſperſa ſint opera ſanctorum, fac tamen minutiſſimos eſſe nævos duntaxat: ſed an oculos Dei nihil offendent, coram quibus ne ſtellæ quidem puræ ſunt? Habemus, nec unum à ſanctis exire opus, quod, ſi in ſe cenſeatur, non mereatur juſtam opprobrii mercedem.

Hi etſi Spiritus S. ductu recta incedant.

1 Reg. 8. verſ. 46.

Quicquid tamen optimum proferunt, carnis impuritate reſperſum & corruptum eſt.

Præſertim quum ad Dei tribunal accedunt.

Præterea, vel unicum delictum ſatis eſt ad delendam omnem prioris juſtitiæ memoriam.

10. Deinde etiamſi fieri poſſet ut aliqua nobis eſſent omnino pura abſolutaque opera, unum tamen peccatum ſatis eſt ad delendam extinguendamque omnem memoriam prioris juſtitiæ, ut ait Propheta. Cui & Jacobus conſentit, *Qui offendit* (inquit) *in uno, factus eſt omnium reus.* Jam quum hæc vita mortalis nunquam à peccato pura ſit aut vacua, quicquid juſtitiæ à nobis comparatum foret, id ſequentibus identidem peccatis corruptum, oppreſſum, & perditum, in conſpectum Dei non veniret, nec in juſtitiam nobis imputaretur. Denique ubi de operum agitur juſtitia, non opus Legis reſpiciendum eſt, ſed mandatum. Ideo ſi ex Lege juſtitia quæritur, fruſtra unum aut alterum opus proferamus: ſed neceſſaria eſt perpetua Legis obedientia. Quare illam, de qua loquuti ſumus, peccatorum remiſſionem non ſemel (ut multi ſtolide opinantur) nobis in juſtitiam Deus imputat, ut impetrata præteritæ vitæ venia, poſtea in Lege juſtitiam quæramus: quod nihil quam in ſpem falſam inductos rideret ac luderet. Quum enim perfectio nulla obtingere nobis poſſit quamdiu hac carne induti ſumus, Lex autem mortem ac judicium omnibus denunciet qui non integram juſtitiam opere præſtiterint: habebit ſemper quo nos accuſet, reoſque agat, niſi contra occurreret Dei miſericordia, quæ aſſidua peccatorum remiſſione nos ſubinde abſolveret. Quare id ſemper conſtat quod principio diximus, Si ipſi ex noſtra dignitate æſtimamur, quicquid meditemur aut moliamur, nos tamen cum omnibus noſtris conatibus & ſtudiis morte & interitu dignos eſſe.

Eze. 18: 24.
Jac. 2: 10.

Ideo operibus nullo modo juſtificari poſſunt.

Superioribus duabus rationibus breviter repetitis tertia additur adverſus Sophiſtas, Scripturam perſpicue docere utcunque bonis operibus polleant regenerati, ſola tamen fide & gratuita juſtitia Chriſti imputatione juſtificatos eſſe.

11. Duobus his fortiter inſiſtendum, nullum unquam extitiſſe pii hominis opus quod ſi ſevero Dei judicio examinaretur, non eſſet damnabile. Adhæc ſi tale aliquod detur (quod poſſibile homini non eſt) peccatis tamen, quibus laborare auctorem ipſum certum eſt, vitiatum ac inquinatum gratiam perdere. atque hic præcipuus eſt noſtræ diſputationis cardo. Nam de principio juſtificationis nihil inter nos & saniores Scholaſticos pugnæ eſt, quin peccator gratuito à damnatione liberatus juſtitiam obtineat, idque per remiſſionem peccatorum. niſi quod illi ſub vocabulo juſtificationis renovationem comprehendunt, qua per Spiritum Dei reformamur in Legis obedientiam: juſtitiam vero hominis regenerati ſic deſcribunt, quod homo per Chriſti fidem Deo ſemel reconciliatus, bonis operibus juſtus cenſeatur apud Deum, & eorum merito ſit acceptus. Verum Dominus contra, *ſe fidem imputaſſe Abrahæ in juſtitiam* pronunciat, non eo tempore quo idolis adhuc ſerviebat, ſed quum multis jam annis vitæ ſanctitate excelluiſſet. Diu ergo coluerat Abraham Deum ex puro corde, & eam Legis obedientiam præſtiterat quæ ab homine mortali præſtari poteſt: habet tamen adhuc repoſitam in fide juſtitiam. Unde colligimus, ſecundum Pauli ratiocinationem, *non ex operibus.* Similiter quum apud Prophetam dicitur, *Juſtus ex fide vivet*: non de impiis & profanis habetur ſermo, quos Dominus ad fidem convertendo juſtificet: ſed oratio ad fideles dirigitur, & iis vita promittitur ex fide. Paulus quoque omnem ſcrupulum ſolvit, quum pro confirmatione illius ſententiæ iſtum Davidis verſiculum ſumit, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* Certum eſt vero Davidem non de impiis, ſed de fidelibus loqui, qualis ipſe erat: quia ex conſcientiæ ſuæ ſenſu loquebatur. Ergo hanc beatitudinem non ſemel habere, ſed tota in vita tenere nos oportet. Poſtremo legationem de gratuita cum Deo reconciliatione non in unum aut alterum diem promulgari, ſed perpetuam in Eccleſia eſſe teſtatur. Proinde non aliam juſtitiam ad finem uſque vitæ habent fideles quam quæ illic deſcribitur. Manet enim perpetuo Mediator Chriſtus, qui Patrem nobis reconciliet. ac perpetua eſt mortis ejus efficacia: nempe ablutio, ſatisfactio, expiatio, perfecta denique obedientia, qua iniquitates omnes noſtræ conteguntur. Nec Paulus ad Epheſios dicit nos initium ſalutis habere ex gratia, ſed *per gratiam ſalvatos eſſe, non ex operibus, ne quis glorietur.*

Rom. 4: 3.
Hab. 2: 4.
Rom. 4: 7.
Pſal. 32: 1.
2 Cor. 5. v. 18, 19.
Epheſ. 2. verſ. 8, 9.

Scholaſticorum ſophiſma adverſus ſuperiorem doctrinam de quarta hominum claſſe.

12. Quæ ad evadendum ſubterfugia quærunt hic Scholaſtici, eos non expediunt. Aiunt non tanti eſſe intrinſeca dignitate bona opera ut ad juſtitiam comparandam ſufficiant: ſed hoc acceptantis eſſe gratiæ, quod tantum valent. Deinde, quia fateri coguntur juſtitiam operum hic ſemper eſſe imperfectam, concedunt nos, quamdiu vivimus, remiſſione peccatorum indigere, qua defectus operum ſuppleatur: ſed delicta quæ committuntur, operibus ſupererogationis compenſari. Acceptantem enim quam vocant gratiam, non aliam eſſe reſpondeo quam gratuitam ejus bonitatem, qua nos in Chriſto amplectitur Pater: dum innocentia Chriſti nos induit, eamque fert nobis acceptam, ut ejus beneficio pro ſanctis, puris & innocentibus nos habeat. Juſtitiam enim Chriſti (quæ ut una perfecta eſt, ita ſola Dei conſpectum ſuſtinere poteſt) pro nobis ſiſti oportet, ac judicio repræſentari velut ſponſorem. Hac nos inſtructi aſſiduam peccatorum remiſſionem in fide obtinemus. Hujus puritate velatæ noſtræ ſordes & imperfectionum immunditiæ, non imputantur: ſed velut ſepultæ conteguntur, ne in judicium Dei veniant: donec hora adveniat, qua confecto in nobis ac plane extincto veteri homine, divina bonitas nos in beatam pacem cum novo Adam recipiet: ubi diem Domini expectemus, quo in gloriam cæleſtis regni, receptis incorruptis corporibus, transferamur.

Reſponſio.

13. Hæc

Hujus reſponſionis explicatio.

13. Hæc ſi vera ſunt, nulla certe noſtra opera nos ex ſe Deo acceptos gratioſoſque reddere queunt: ac ne ipſa quidem placere, niſi quatenus homo, juſtitia Chriſti opertus, Deo placet, & vitiorum ſuorum remiſſionem obtinet. Non enim certis operibus promiſit Deus vitæ mercedem: ſed tan-
Lev. 18:5. tum pronunciat, *qui fecerit hæc victurum*: maledictionem illam celebrem apponens contra omnes eos qui non perſtiterint in omnibus.

Quæ commentum partialis juſtitiæ & de ſufficienda per ſupererogationis opera compenſatione refellit.

Quibus abunde refellitur commentum partialis juſtitiæ, ubi non alia juſtitia admittitur in cœlis quam integra Legis obſervatio. Neque vero ſolidius eſt quod garrire ſolent de ſufficienda per ſupererogationis opera compenſatione. Quid enim? annon eo ſemper redeunt unde jam ſunt excluſi? eum, qui ex parte Legem ſervat, eatenus juſtum operibus eſſe? Quod illis nemo ſani judicii conceſſerit, nimis impudenter pro confeſſo aſſumunt. Toties teſtificatur Dominus nullam ſe agnoſcere operum juſtitiam niſi in perfecta Legis ſuæ obſervatione. Quæ eſt improbitas, quum ea deficiamur, ne videamur omni gloria ſpoliati, hoc eſt, prorſus Deo ceſſiſſe, neſcio quibus paucorum operum fruſtulis nos jactare; & quod

Primo, quod ſatisfactionibus ſublatis, ejuſmodi figmenta corruere neceſſe eſt.

deeſt, redimere per alias ſatisfactiones conari? Satisfactiones jam potenter dirutæ ſupra fuerunt, ut ne per ſomnium quidem venire nobis in mentem debeant. Tantum dico, eos qui ſic ineptiunt, minime reputare quam res ſit coram Deo execrabilis peccatum. intelligerent enim profecto, totam hominum juſtitiam in unum cumulum coactam, unius compenſationi parem eſſe non poſſe. Videmus nam-
Gen. 3. que hominem uno delicto ſic à Deo abjectum fuiſſe
verſ. 17. & abdicatum, ut ſimul omnem recuperandæ ſalutis rationem perdiderit. Sublata eſt igitur ſatisfactionis facultas, qua qui ſibi blandiuntur, nunquam certe Deo ſatisfacient: cui nihil gratum acceptumve eſt quod ab inimicis profectum ſit. Inimici porro ſunt omnes quibus imputare peccata inſtituit. Tecta igitur & remiſſa peccata nobis ante oportet, quam ad ullum opus noſtrum Dominus reſpiciat. Ex quo ſequitur gratuitam eſſe peccatorum remiſſionem: quam ſcelerate blaſphemant qui ſatisfactiones ullas
Phil. 3. ingerunt. Nos ergo, exemplo Apoſtoli, *quæ retro*
v. 13. 14. *ſunt obliviſcentes, ad ea autem pergentes quæ ante nos ſunt, curramus in ſtadio noſtro, tendentes ad palmam ſupernæ vocationis.*

Deinde, quod longe aliud ſonat præceptum illud Chriſti, Quum feceritis omnia, &c.
Luc. 17. verſ. 10.

14. Jactare vero ſupererogationis opera, quomodo cum illo convenit quod nobis præceptum eſt, *ut quum fecerimus quæcunque præcipiuntur nobis, dicamus nos ſervos eſſe inutiles, nec plus feciſſe quam quod debuimus*? Dicere coram Deo, non eſt ſimulare aut mentiri: ſed quod pro certo habeas apud te conſtituere. Jubet itaque Dominus nos ſincere ſentire & nobiſcum reputare, nulla ſibi præſtare gratuita officia, ſed debitas operas reddere. Et merito: ſervi enim ſumus tot obſequiis defœnerati quot defungi non poſſumus, etiamſi omnes noſtræ cogitationes omniaque membra in Legis officia verterentur. Ideoque quod ait, *Quum feceritis quæcunque præcipiuntur vobis*, perinde valet acſi pluſquam omnes hominum juſtitiæ unius forent. Nos ergo (quorum nemo non longiſſime abeſt ab iſta meta) quomodo audeamus gloriari nos cumulum addidiſſe ad juſtam menſuram? Nec eſt quod excipiat quiſpiam, nihil obſtare quominus ultra neceſſaria officia prodeat ejus ſtudium, qui à neceſſariis aliqua in parte ceſſat. Sic enim penitus habendum, nihil nobis vel quod ad Dei cultum, vel quod ad dilectionem conferat, in mentem venire poſſe, quod non ſub Dei Lege comprehendatur. Quod ſi pars eſt Legis, ne voluntariam liberalitatem jactemus, ubi aſtringimur neceſſitate.

Objectio, ex Pauli gloriatione arrepta.

15. Atque in hanc rem intempeſtive allegatur illa Pauli gloriatio, Quod inter Corinthios jure ſuo ſponte ceſſerit, quod licebat alioqui, ſi libuiſſet, uſurpare: nec illis tantum impenderit quod ex officio 1 Cor. 9.
debebat, ſed gratuitam operam ultra officii finem largitus ſit. Atqui animum advertere conveniebat ad rationem illic ſignatam, hoc feciſſe *ne infirmis offendiculo foret.*

Reſponſio 1. ſenſum Apoſtoli oſtendens. ibid. v. 22.

Venditabant enim ſe hoc benignitatis lenocinio mali fraudulentique operarii, quo & favorem ſonticis ſuis dogmatibus conciliarent, & odium conflarent Euangelio: ut neceſſe Paulo fuerit, vel in periculum accerſere Chriſti doctrinam, vel ejuſmodi artibus obviare. Agedum, ſi res eſt homini Chriſtiano media, offendiculum incurrere, quum abſtinere liceat, fateor Apoſtolum aliquid Domino ſupererogaſſe: ſin hoc ipſum jure requirebatur à prudenti Euangelii diſpenſatore, dico feciſſe quod debebat.

Altera, generalem doctrinam proponens ex Chryſoſtomo.

Deinde etiamſi talis cauſa non appareat, verum tamen ſemper eſt illud Chryſoſtomi, noſtra omnia eandem habere conditionem cum ſervorum peculiis, quæ jure ipſo deberi domino conſtat. Neque id diſſimulavit Chriſtus in parabola. interrogat enim *quam gratiam habituri ſimus ſervo*, ubi tota die vario labore exercitatus ad nos veſperi rediit. Luc. 17. verſ. 9.
Atqui fieri poteſt ut majori induſtria incubuerit quam auſi fuiſſemus exigere. Eſto: nihil tamen fecit quod non ex conditione ſervitutis deberet: quia cum tota ſua facultate noſter eſt.

Tertia, ſupererogationes iſtorum nihil eſſe quam nugas vaniſſimas.

Taceo, quales ſint ſupererogationes, quas iſti venditare Deo volunt. nugæ enim ſunt quas neque ipſe unquam imperavit, neque approbat, nec quum reddenda erit apud ſe ratio, acceptas feret. Hac demum ſignificatione concedemus eſſe ſupererogationis opera, utpote de quibus apud Prophetam dictum Jeſa. 1. verſ. 12.
eſt, *Quis quæſivit hæc de manibus veſtris*? Sed meminerint quid & alibi dicatur de iis, *Quare appenditis argentum veſtrum, & non in panibus? laborem veſtrum inſumitis, & non in ſaturitate?* Id. c. 55. verſ. 2.
Non eſt quidem valde laborioſum otioſis iſtis Rabbinis hæc ſub umbra in mollibus cathedris diſputare. at quum ſummus ille Judex pro tribunali ſederit, evaneſcere ventoſa hujuſmodi placita oportebit. Hoc, hoc quærendum erat, quam ad ejus tribunal defenſionis fiduciam afferre, non quid in ſcholis & angulis fabulari poſſumus.

Quarta, Scripturae à fiducia qualibet in operum juſtitia nos depellere.

16. Duæ ſunt potiſſimum nobis abigendæ hac parte ex animis peſtes: nequid in operum juſtitia fiduciæ ponant, nequid illis gloriæ adſcribant. Fiducia qualibet nos paſſim depellunt Scripturæ, quum docent juſtitias omnes noſtras fœtere in Dei conſpectu, niſi à Chriſti innocentia bonum odorem ducant: nihil quam irritare Dei ultionem poſſe, niſi miſericordiæ ejus indulgentia ſuſtineantur. Ita porro nihil reliquum nobis faciunt, niſi ut judicem noſtrum deprecemur, cum illa Davidis confeſſione, Pſal. 143.
Neminem juſtificatum iri coram ipſo, ſi rationem à verſ. 2.
ſervis ſuis repoſcat. Ubi autem Job dicit, *Si impie* Job. 10.
egi, væ mihi: ſi autem juſte, nec ſic erigam caput: verſ. 15.
quanquam reſpicit ad ſummam illam Dei juſtitiam, cui ne Angeli quidem reſpondent: ſimul tamen oſtendit, ubi ad Dei judicium venitur, nihil reſtare cunctis mortalibus niſi ut obmuteſcant. Non enim eo tantum pertinet quod cedere ultro malit, quam cum rigiditate Dei periculoſe certare: ſed ſignificat non aliam ſenſiſſe eum in ſeipſo juſtitiam, quam quæ primo momento eſſet à facie Dei collapſura.

Quinta, gloriationem quoque à nobis procul removere.

Exacta fiducia gloriationem quoque omnem faceſſere neceſſe eſt. Quis enim juſtitiæ laudem aſſignet operibus, quorum confidentia trepidet à Dei conſpectu? Veniendum ergo quo nos vocat Jeſaias, *ut in Deo laudetur ac glorietur omne ſemen Iſraël*: quia Jeſa. 45.
veriſſimum eſt quod alibi dicit, *nos plantationem eſſe* verſ. 25.
gloriæ Dei. Rite ergo tum purgatus erit animus, Jeſa. 61: 3.
quum nec in fiducia operum ulla ex parte recumbet, nec in gloria exultabit. Ad falſæ autem & mendacis iſtius fiduciæ flatum ſtultos homines hic error animat, quod ſuæ ſalutis cauſam in operibus ſemper locant.

Sexta reſponſio, à quatuor generibus cauſarum nullum operibus in conſtituenda noſtra ſalute convenire, ſigillatim demonſtrans.

1. Efficiens eſt gratuita Dei Patris erga nos dilectio. Joan. 3. verſ. 16.

2. Materialis, Chriſtus justitiam nobis acquirens.

3. Inſtrumentalis, fides.

4. Finalis, divina juſtitia demonſtratio & bonitatis laus. Rom. 3. v.22, 23.

17. Verum, ſi quatuor cauſarum genera reſpicimus, quæ in rerum effectu conſiderare præcipiunt Philoſophi, nullum eorum reperiemus operibus in conſtituenda ſalute noſtra convenire. Efficientem enim vitæ æternæ nobis comparandæ cauſam ubique Scriptura prædicat Patris cæleſtis miſericordiam, & gratuitam erga nos dilectionem: materialem vero, Chriſtum cum ſua obedientia, per quam nobis juſtitiam acquiſivit: formalem quoque vel inſtrumentalem quam eſſe dicemus niſi fidem? Atque tres ſimul iſtas una ſententia comprehendit Joannes, quum dicit, *Sic Deus dilexit mundum ut Filium unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Porro finalem teſtatur Apoſtolus eſſe, & divinæ juſtitiæ demonſtrationem, & bonitatis laudem: ubi & alias tres diſertis verbis commemorat. Sic enim ad Romanos loquitur, *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. juſtificantur autem gratis ipſius gratia:* hic habes caput & primum fontem, quod Deus nos gratuita miſericordia complexus eſt. Sequitur, *Per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu:* hic habes veluti materiam qua nobis juſtitia conficitur. *Per fidem in ſanguine ipſius:* hic cauſa inſtrumentalis oſtenditur, qua Chriſti juſtitia nobis explicatur. Poſtremo ſubjungit finem, quum dicit, *In demonſtrationem juſtitiæ ipſius, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum qui eſt ex fide Chriſti.* Atque (ut obiter quoque denotet juſtitiam hanc reconciliatione conſtare) nominatim ponit, *Chriſtum datum eſſe in reconciliationem.* Sic & primo ad Epheſios capite docet nos recipi à Deo in gratiam ex mera miſericordia: id fieri Chriſti interceſſione: fide apprehendi: omnia in hunc finem, ut divinæ bonitatis gloria ad plenum eluceat. Quum videamus omnes ſalutis noſtræ particulas ita extra nos conſtare, quid eſt quod jam operibus vel confidamus vel gloriemur? Nec de efficiente, nec de finali controverſiam nobis movere poſſunt vel conjuratiſſimi divinæ gratiæ hoſtes, niſi totam Scripturam abnegare velint. In materiali & formali fucum faciunt, quaſi dimidiatum cum fide Chriſtique juſtitia locum opera noſtra teneant. Sed id quoque Scriptura reclamante: quæ & Chriſtum nobis eſſe in juſtitiam & vitam ſimpliciter affirmat, & hoc juſtitiæ bonum ſola fide poſſideri.

Secunda objectio, à piorum ſancta gloriatione. Reſponſio, has loquendi formas explicans & diſtinguens.

18. Quod autem innocentiæ integritatiſque ſuæ memoria ſæpiuſcule ſancti ſe confirmant ac conſolantur, nec etiam ab ea prædicanda interdum abſtinent, id fit bifariam: vel quod bonam ſuam cauſam cum mala impiorum cauſa comparando, ſecuritatem inde victoriæ concipiunt, non tam ſuæ juſtitiæ commendatione, quam juſta meritaque adverſariorum damnatione: vel quod etiam ſine aliena comparatione, dum ſe coram Deo recognoſcunt, nonnullam illis & conſolationem & fiduciam affert propriæ conſcientiæ puritas. De priore ratione poſtea videbimus: nunc de poſteriore breviter expediamus, quomodo cum eo conveniat quod ſupra diximus, nulla eſſe in Dei judicio operum fiducia ſubnitendum, nulla eorum opinione gloriandum.

vid. c. 17. ſect. 14. & cap. 10. ſect. 10.

Quomodo affecti ſint ſancti quum de certitudine ſua ſalutis agitur.

Hæc porro convenientia eſt, quod ſancti, quum de fundanda conſtituendaque ſalute ſua agitur, citra operum reſpectum in ſolam Dei bonitatem oculos intendunt. Neque ad eam modo ante omnia tanquam ad beatitudinis principium ſe convertunt: ſed tanquam in complemento conquieſcunt. Sic fundata, erecta, ſtabilita conſcientia operum quoque conſideratione ſtabilitur: quatenus ſcilicet teſtimonia ſunt Dei in nobis habitantis ac regnantis. Quando igitur iſthæc operum fiducia locum non habet, niſi totam prius animi fiduciam in miſericordiam Dei rejeceris, non debet illi videri contraria unde pendet. Quare dum operum fiduciam excludimus, hoc volumus duntaxat, ne mens Chriſtiana ad operum meritum, velut ad ſalutis ſubſidium, reflectatur: ſed penitus reſideat in gratuita juſtitiæ promiſſione. Non vetamus autem ne divinæ erga ſe benevolentiæ ſignis hanc fidem fulciat & confirmet. Nam ſi dum memoria repetuntur quæcunque in nos dona Deus contulit, ſunt nobis quodammodo inſtar radiorum divini vultus, quibus illuminemur ad ſummam illam bonitatis lucem contemplandam: multo magis bonorum operum gratia, quæ Spiritum adoptionis nobis datum commonſtrat.

Quid de ſuis operibus coram Deo cogitent.

Altera reſponſio, Dei electos hujuſmodi gloriatione nihil aliud quam à vocationis ſuæ fructibus ſe à Patre cæleſti adoptatos eſſe reputare.

19. Quum igitur à conſcientiæ innocentia fidem ſuam confirmant ſancti, & exultandi materiam ſumunt, nihil aliud quam à fructibus vocationis ſe in filiorum locum à Domino cooptatos eſſe reputant. Quod ergo à Solomone traditur, *in timore Domini eſſe firmam ſecuritatem:* quod interdum hanc obteſtationem ſancti uſurpant quo exaudiantur à Domino, *ſe ambulaſſe coram facie ejus in integritate & ſimplicitate:* ea locum in jaciendo firmandæ conſcientiæ fundamento nullum habent: ſed tum demum valent ſi à poſteriori ſumuntur: quia & nullibi eſt timor ille qui ſecuritatem plenam offirmare queat: & ſancti ſibi talis integritatis conſcii ſunt, cui multæ carnis reliquiæ adhuc ſunt permixtæ. Sed quoniam ex regenerationis fructibus, habitantis in ſe Spiritus ſancti argumentum capiunt, inde ſe non mediocriter ad expectandum in omnibus neceſſitatibus Dei auxilium confirmant, quum in re tanta patrem experiuntur. Ae ne id quidem poſſunt, niſi primom Dei bonitatem, nulla alia quam promiſſionis certitudine obſignatam, apprehenderint. Nam ſi illam æſtimare incipiunt à bonis operibus, nihil erit incertius, nec magis infirmum: quandoquidem ſi per ſe opera æſtimentur, non minus iram Dei ſua imperfectione arguent, quam utcunque inchoata puritate benevolentiam teſtantur.

Prov. 14. verſ. 26. Gen. 24. verſ. 40. 2 Reg. 20. verſ. 3.

Hujus gloriationis ordo.

Fundamentum, ſtructura & partes.

Denique ſic Dei beneficia prædicant, ut tamen non deflectant à gratuito Dei favore, in quo teſtatur Paulus *longitudinem, latitudinem, profunditatem & altitudinem ſitam eſſe.* quaſi diceret, quocunque ſe vertant piorum ſenſus, quantumvis alte conſcendant, quantumvis longe & late ſe extendant, non debere tamen à Chriſti dilectione egredi, quin ſe in ea meditanda totos contineant: quia omnes dimenſinnes in ſe comprehendit. Ideoque dicit eam *excellere & eminere ſupra omnem ſcientiam: & dum agnoſcimus quantopere nos Chriſtus dilexerit, impleri in omnem plenitudinem Dei.* Sicut alibi dum gloriatur pios in omni certamine eſſe victores, rationem mox addit, *Propter eum qui dilexit eos.*

Eph. 3. verſ. 18. Eph. 3:19. Rom. 8. verſ. 37.

Concluſio, ſanctos nec operum meritis quidquam tribuere, nec quippiam derogare juſtitia quam in Chriſto conſequuntur.

Confirmatio, à dicto Auguſtini, duas cauſas proponentis, propter quas nemo piorum auſit ſua opera Deo venditare.

20. Videmus jam non eam in ſanctis fiduciam operum eſſe quæ vel eorum merito aliquid tribuat (quando ea non aliter quam Dei dona intuentur, unde ejus bonitatem recognoſcant, non aliter quam vocationis ſigna unde electionem reputent) vel quippiam deroget gratuitæ, quam in Chriſto conſequimur, juſtitiæ: quando ab ea dependet, nec ſine ea ſubſiſtit. Hoc ipſum Auguſtinus paucis verbis, ſed eleganter ſignificat, quum ſcribit, *Non dico Domino, Opera manuum mearum ne deſpicias. Exquiſivi Dominum manibus meis, & non ſum deceptus. Sed opera manuum mearum non commendo: timeo enim ne quum inſpexeris, plura invenias peccata quam merita. Hoc ſolum dico, hoc rogo, hoc cupio, Opera manuum tuarum ne deſpicias. Opus tuum in me vide, non meum. Nam ſi meum videris, damnas: ſi tuum videris, coronas. Quia & quæcunque mihi ſunt opera bona, abs te ſunt.* Duas cauſas ponit cur non auſit ſua opera Deo venditare, quia ſiquid bonorum operum habet, illic nihil videt ſuum: deinde quia id quoque peccatorum multitudine obruitur. Unde fit ut plus inde timoris & conſternationis ſentiat conſcientia, quam ſecuritatis. Ergo non aliter Deum intueri vult ſua recte facta, quam ut vocationis ſuæ gratiam in illis recognoſcens, opus quod inchoavit perficiat.

in Pſ. 137.

21. Quod

Tertia objectio, bona fidelium opera ſunt cauſa benefiteriorum Dei.

21. Quod autem præterea bona fidelium opera Scriptura cauſas eſſe oſtendit cur illis Dominus benefaciat, id ſic intelligendum eſt, ut ſtet inconcuſſum quod antea poſuimus, effectum noſtræ ſalutis in Dei Patris dilectione ſitum eſſe: materiam, in Filii obedientia: inſtrumentum, in Spiritus illuminatione, hoc eſt, fide: finem eſſe tantæ Dei benignitatis gloriam. Iſtis nihil obſtat quominus opera Dominus tanquam cauſas inferiores amplectatur: ſed unde id? nempe quos ſua miſericordia, æternæ vitæ hæreditati deſtinavit, eos ordinaria ſua diſpenſatione per bona opera inducit in ejus poſſeſſionem. Quod in ordine diſpenſationis præcedit, poſterioris cauſam nominat. Hac ratione ab operibus interdum vitam æternam deducit: non quod illis referenda ſit accepta: ſed quia quos elegit, juſtificat, ut demum glorificet, priorem gratiam, quæ gradus eſt ad ſequentem, cauſam quodammodo facit. At quoties aſſignanda eſt vera cauſa, non ad opera jubet confugere, ſed in ſola miſericordiæ cogitatione nos retinet. Quale enim iſtud eſt quod per Apoſtolum docet, *Stipendium peccati mors: gratia Domini vita æterna*? Cur non ut vitam morti, ſic peccato juſtitiam opponit? Cur non ut peccatum mortis, ita juſtitiam vitæ cauſam ſtatuit? Sic enim rite conſtatura erat antitheſis, quæ iſta variatione nonnihil abrumpitur. Sed Apoſtolus, id quod erat, exprimere iſta comparatione voluit, meritis hominum deberi mortem: vitam nonniſi in ſola Dei miſericordia eſſe repoſitam. Denique iſtis loquutionibus ſeries magis notatur quam cauſa: quia Deus gratias gratiis cumulando, ex prioribus cauſam ſumit ſecundas addendi, nequid ad locupletandos ſervos ſuos omittat: atque ita liberalitatem ſuam proſequitur, ut tamen gratuitam electionem, quæ fons & initium eſt, reſpicere nos ſemper velit. Quanquam enim quæ nobis quotidie confert dona, quatenus ex illo fonte prodeunt, amat: noſtrum tamen eſt, gratuitam illam acceptionem tenere, quæ ſola fulcire animas noſtras poteſt: quæ vero Spiritus ſui dona deinde largitur, ita ſubnectere primæ cauſæ, ut ei nihil derogent.

Reſp. 1. Sunt cauſæ inferiores.

Rom. 8. verſ. 30.

A gratuita juſtificatione pendent, quæ eſt ſola vera cauſa

Cur Deus nobis benefaciat.

Rom. 6. verſ. 23.

Reſp. 2. Iſtis loquutionibus ſeries magis notatur quam cauſa.

CAP. XV.

Quæ de operum meritis jactantur, tam Dei laudem in conferenda juſtitia, quam ſalutis certitudinem evertere.

Partes hujus capitis.

1. *Doctrinæ de gratuita juſtificatione opponitur quæſtio, An apud Deum opera gratiam mereantur, nec ne, ſect. 1. Cui reſpondetur, ſect. 2. & 3.*
2. *Explicantur deinde teſtimonia Scripturæ, quæ in confirmationem erroris de merito proferuntur, ſect. 4. 5.*
3. *Poſtremo, Scholaſticorum Semipelagianorum ſophiſmata refelluntur, ſect. 6. & 7.*
4. *Additur concluſio quæ orthodoxæ doctrinæ ſufficientem uſum detegit, ſect. ult.*

Rerum quæ ante dicta ſunt (à cap. 11. huc uſque) *brevi repetitioni ſubjicitur quæſtio.*

JAm quod præcipuum eſt in hac cauſa expedivimus: quia ſi operibus fulciatur juſtitia, corruere protinus à conſpectu Dei neceſſe ſit: ſola Dei miſericordia, ſola Chriſti communicatione, ideoque ſola fide contineri. Præcipuum autem hunc eſſe cauſæ cardinem diligenter animadvertamus, ne illa implicemur communi non vulgi modo, ſed doctorum etiam hallucinatione. Simul enim atque quæritur de fidei operumque juſtificatione, decurrunt ad eos locos qui aliquod operibus meritum coram Deo tribuere videntur: perinde vero acſi evicta foret operum juſtificatio, ſi probatum fuerit alicujus eſſe apud Deum pretii. Enim, vero ſupra clare oſtendimus, in perfecta tantummodo, abſolutaque Legis obſervatione conſiſtere operum juſtitiam. Unde ſequitur, non juſtificari operibus hominem, niſi qui ad ſummum perfectionis evectus, nullius, vel minimæ tranſgreſſionis argui queat. Altera igitur & ſeparata eſt quæſtio, Utcunque ad juſtificandum hominem minime ſufficiant opera, annon tamen illa apud Deum gratiam promereantur?

An opera apud Deum gratiam mereantur, nec ne.

Prior reſponſio, Meriti vocem expendens.

2. Primum, de *meriti* nomine id mihi præfari neceſſe eſt: quicunque primus illud operibus humanis ad Dei judicium comparatis aptavit, eum fidei ſinceritati peſſime conſuluiſſe. Equidem à logomachiis libens abſtineo, ſed cuperem eam ſervatam fuiſſe ſemper inter Chriſtianos ſcriptores ſobrietatem, ne uſurpare, quum nihil opus foret, extranea à Scripturis vocabula in animum induxiſſent, quæ multum parerent offendiculi, fructus minimum. Quorſum enim, obſecro, opus fuit invehi nomen *meriti*, quum pretium bonorum operum ſignificanter alio nomine citra offendiculum explicari poſſet? Quantum autem ipſum offenſionis in ſe contineat, magno cum orbis detrimento patet. Certe ut eſt faſtuoſiſſimum, nihil quam obſcurare Dei gratiam, & homines prava ſuperbia imbuere poteſt. Uſi ſunt (fateor) paſſim vetuſti Eccleſiæ ſcriptores: atque utinam voculæ unius abuſu erroris materiam poſteris non præbuiſſent. Quanquam nonnullis ipſi quoque locis teſtantur, quam non præjudicare veritati voluerint. Sic enim alicubi loquitur Auguſtinus, *Humana merita hic conticeſcant, quæ perierunt per Adam: & regnet Dei gratia, per Jeſum Chriſtum.* Item, *Meritis ſuis nihil tribuunt ſancti: totum nonniſi miſericordiæ tuæ tribuent, ô Deus.* Alibi, *Et quum viderit homo quicquid boni habet, non ſe habere à ſe, ſed à Deo ſuo, videt id totum quod in eo laudatur, non de ſuis meritis, ſed de miſericordia Dei eſſe.* Vides ut adempta homini bene agendi virtute, meriti quoque dignitatem proſternat. Chryſoſtomus autem, *Noſtra ſiqua ſequuntur Dei gratuitam vocationem opera, retributio ſunt & debitum: at Dei munera, gratia & beneficentia & largitionis magnitudo.* Omiſſo tamen nomine, rem potius cernamus: citavi quidem antea ex Bernardo ſententiam, *Ut ad meritum ſatis eſt de meritis non præſumere: ſic carere meritis, ſatis eſt ad judicium.* Sed continuo addita interpretatione, duritiem vocis ſatis emollit, quum dicit, *Proinde merita habere cures: habita, data noveris: fructum ſperes Dei miſericordiam: & omne periculum evaſiſti, paupertatis, ingratitudinis, præſumptionis. Felix Eccleſia cui nec merita ſine præſumptione, nec præſumptio ſine meritis deeſt.* Et paulo ante abunde oſtenderat quam pio ſenſu uteretur. *Nam de meritis,* inquit, *quid ſollicita ſit Eccleſia, cui de propoſito Dei firmior ſecuriorque exiſtit glorianđi ratio? Non poteſt ſeipſum negare Deus: faciet quod promiſit. Sic non eſt quod quæras, quibus meritis ſperemus bona? præſertim quum audias, Non propter vos, ſed propter me. Sufficit ad meritum ſcire quod non ſufficiant merita.*

Quæ vox operibus perperam eſt impoſita.

Pium tamen ſenſum habuit.

Teſte Auguſtino.

de Præ-deſt. ſanct.

in Pſ. 139.

in Pſal. 88.

Chryſoſtomo.

Homil. 33. in Geneſ.

Bernardo.

in Cantic. ſerm. 98.

Ezech. 36. v. 22, 32.

3. Quid promereantur omnia opera noſtra, Scriptura oſtendit quum Dei conſpectum ferre poſſe negat, quia immunditiæ ſint plena: quid deinde promeritura ſit perfecta Legis obſervatio, (ſiqua reperiri poſſet) quum præcipit *ut nos inutiles ſervos reputemus quum fecerimus omnia quæ præcipiuntur nobis:* quia nihil gratuitum impenderimus

Altera reſponſio perſpicua ad quæſtionem, primum per negationem:

Luc. 17. verſ. 10.

Domino, ſed debitis obſequiis tantum defuncti ſimus, quibus non eſt habenda gratia.

Deinde, per conceſſionem.

Dominus tamen, quæ in nos contulit bona opera, & noſtra appellat, & non tantum accepta ſibi eſſe teſtatur, ſed remunerationem etiam habitura. Noſtrum eſt viciſſim tanta promiſſione animari, animoſque colligere, ne bene agendo defatigemur, & tantam Dei benignitatem vera gratitudine proſequi.

Quid in operum remuneratione Deo tribuendum ſit.

Gratiam Dei eſſe non dubium eſt quicquid in operibus eſt quod laudem meretur: nullam eſſe guttam quam proprie nobis adſcribere debeamus: id ſi revera ſerioque agnoſcimus, evaneſcit quælibet meriti non fiducia tantum, ſed opinio. Bonorum, inquam, operum laudem non (ut ſophiſtæ faciunt) inter Deum & hominem partimur: ſed totam, integram ac illibatam Domino ſervamus.

Quid homini.

Tantum hoc homini aſſignamus, quod ea ipſa quæ bona erant, ſua impuritate polluit & contaminat. Nihil enim ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non ſit aliqua macula inquinatum. Vocet igitur Dominus in judicium quæ in humanis operibus optima ſunt: ſuam in illis quidem juſtitiam agnoſcet, hominis vero dedecus & probrum.

Bona opera quare Deo placeant & operantibus ſint fructuoſa.

Placent itaque Deo bona opera, nec ſuis auctoribus ſunt infructuoſa: quin magis ampliſſima Dei beneficia remunerationis loco referunt: non quia ita merentur, ſed quia divina benignitas hoc illis ex ſeipſa pretium ſtatuit.

In operibus juſtitiam quærentium ingratitudo duplici ſimilitudine aperta.

Quæ autem iſta eſt malignitas, non contentos illa Dei largitate, quæ nihil tale merentia opera indebitis præmiis muneratur, ſacrilega ambitione ultra contendere, ut operum meritis videatur rependi quod divinæ totum eſt munificentiæ? Hic ſenſum communem uniuſcujuſque appello. Si is qui uſumfructum in agro aliena liberalitate habet, proprietatis quoque titulum ſibi vendicet: annon hujuſmodi ingratitudine eam ipſam quam tenebat poſſeſſionem amittere meretur? Similiter ſi manumiſſus à domino ſervus, diſſimulata libertinæ conditionis humilitate, pro ingenuo ſe venditet: annon dignus eſt qui in priſtinam redigatur ſervitutem? Hic enim legitimus demum eſt fruendi beneficii uſus, ſi nec plus arrogamus nobis quam datum eſt, nec boni auctorem ſua laude fraudamus: quin potius ſic nos gerimus ut reſidere quodammodo apud eum videatur quod in nos tranſtulit. Hæc moderatio ſi erga homines præſtanda eſt, videant ſinguli & reputent qualis Deo debeatur.

Objectio 1. ex Eccleſiaſtico.
Eccl. 16. verſ. 15.
Altera, ex epiſtola ad Hebr.
Heb. 13. verſ. 16.
Reſponſio duplex.
Ad primam.

4. Scio ſophiſtas abuti locis quibuſdam, unde probent meriti nomen erga Deum in Scripturis reperiri. Citant ex Eccleſiaſtico ſententiam, *Miſericordia faciet locum unicuique ſecundum meritum operum ſuorum.* Ex epiſtola autem ad Hebræos, *Beneficentiæ & communicationis nolite oblviſci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* In repudianda Eccleſiaſtici auctoritate jus meum nunc remitto. Nego tamen fideliter citare quod ſcripſit Eccleſiaſticus, quicunque fuerit ille ſcriptor: ſic enim habet Græcum exemplar, πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποιήσει τόπον· ἕκαστος γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει. *Omni miſericordiæ faciet locum: unuſquiſque enim ſecundum opera ſua inveniet.* Atque hanc eſſe germanam lectionem quæ in Latina verſione depravata ſit, cum ex ſolo verborum iſtorum complexu, tum ex longiore ſuperioris orationis contextu liquet.

Reſp. ad ſecundam objectionem.

In epiſtola ad Hebræos non eſt cur decipolas in verbulo uno nobis tendant: quando in Græcis Apoſtoli verbis nihil aliud habetur quam *tales hoſtias placere* acceptaſque eſſe Deo. Id unum abunde ſufficere debeat ad compeſcendam retundendamque noſtræ ſuperbiæ inſolentiam, ne quam operibus dignitatem ultra Scripturæ formulam affingamus.

2. Reſponſio.

Porro Scripturæ doctrina eſt, aſperſa eſſe perpetuo ſordibus multis bona noſtra opera, quibus merito Deus offendatur ac nobis ſuccenſeat: tantum abeſt, ut vel conciliare illum nobis queant, vel ejus erga nos beneficentiam provocare: quia tamen illa pro ſua indulgentia non jure ſummo examinat, perinde accipere acſi puriſſima eſſent, ideoque licet immerita infinitis beneficiis remunerari, tum præſentis vitæ, tum etiam futuræ.

Diſtinctionis infirma refutatio.

Non enim à doctis alioqui ac piis viris poſitam diſtinctionem recipio, meritoria eſſe bona opera earum quæ nobis in hac vita conferuntur gratiarum: ſolius fidei præmium eſſe æternam ſalutem. Mercedem enim laborum & certaminis coronam in cælo Dominus ſemper fere collocat. Rurſum operum merito ſic tribuere, ut gratiæ adimatur quod aliis ſuper alias gratiis à Domino cumulamur, eſt contra Scripturæ doctrinam. Tametſi dicit Chriſtus, *habenti datum iri, & ſuper multa conſtitutum iri fidelem ac probum ſervum, qui in parvis ſe fidelem geſſerit:* ſimul tamen alibi oſtendit incrementa fidelium eſſe gratuitæ ſuæ benignitatis munera. *Omnes,* inquit, *ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, venite, emite abſque argento & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Quicquid ergo nunc in ſalutis adminiculum piis confertur, tum ipſa beatitudo, mera eſt Dei beneficentia: tamen & in hac, & illis teſtatur ſe operum habere rationem, quia ad teſtandam erga nos dilectionis ſuæ magnitudinem, non modo nos, ſed quæ nobis largitus eſt dona tali honore dignatur.

Mat. 25. v. 21, 29.
Jeſa. 55. verſ. 1, 2.

3. Reſponſio firmiſſima, ad Chriſtum ſalutis fundamentum, id eſt, propriam juſtitiam unicam, nos revocans.
1 Cor. 3. verſ. 11.

5. Hæc ſi quo oportuerat ordine tractata digeſtaque eſſent anteactis ſeculis, nunquam tantum turbarum ac diſſenſionum ortum eſſet. Paulus ait in architectura Chriſtianæ doctrinæ retinendum eſſe quod poſuerat ipſe fundamentum apud Corinthios, *præter quod nullum aliud poni queat: id autem eſſe Jeſum Chriſtum.* Quale nobis in Chriſto fundamentum eſt? an quod initium nobis ſalutis fuit, ut complementum à nobis ſequeretur? & viam aperuit tantum per quam ipſi noſtro Marte pergeremus? Minime vero, ſed quomodo paulo ante poſuerat, illum dum agnoſcimus nobis datum eſſe in juſtitiam. Nemo ergo bene in Chriſto fundatus eſt, niſi qui ſolidam habet in ipſo juſtitiam: quando non dicit Apoſtolus miſſum eſſe quo ad juſtitiam conſequendam nos juvet: ſed ut ipſe ſit noſtra juſtitia.

1 Cor. 1. verſ. 30.
Quomodo ſit juſtitia noſtra.
Epheſ. 1. v. 3, 4, 5.
Coloſ. 1. verſ. 14, 19. & 20.
Joan. 1. verſ. 12.
Joan. 10. verſ. 28.

Nimirum quod in ipſo electi ſumus ab æternitate ante mundi conſtitutionem, nullo noſtro merito, ſed ſecundum divini beneplaciti propoſitum: quod ejus morte ipſi à mortis damnatione redempti, ac liberati à perditione ſumus: quod in ipſo adoptati ſumus in filios & hæredes à Patre cæleſti: quod per ipſius ſanguinem huic ſumus reconciliati: quod illi in cuſtodiam dati, pereundi excidendique periculo eximimur: quod illi ita inſerti, jam vitæ æternæ quodammodo ſumus participes, in regnum Dei per ſpem ingreſſi.

Unde liquido conſtat, nos in Chriſto (cujus omnia noſtra ſunt) omnia habere, in nobis nihil.
Mat. 28. verſ. 28.

Necdum finis: quod talem ejus participationem adepti, utcunque ſimus adhuc in nobis ſtulti, ipſe nobis coram Deo ſapientia eſt: ut peccatores ſimus, ipſe nobis juſtitia: ut immundi ſimus, ipſe nobis puritas: ut infirmi ſimus, ut inermes & Satanæ expoſiti, noſtra tamen eſt quæ ipſi data eſt in cælo & in terra poteſtas, qua pro nobis Satanam conterat, & inferorum portas confringat: ut corpus mortis adhuc nobiſcum circumferamus, ipſe tamen nobis vita eſt. Breviter quod omnia illius noſtra ſunt, & nos in illo omnia habemus, in nobis nihil. Super hoc, inquam, fundamentum ædificari nos convenit, ſi volumus in templum Domino ſanctum creſcere.

Ideo deteſtanda ſophiſtica.

6. At longe aliter jampridem inſtitutus eſt orbis: reperta ſunt moralia neſcio quæ bona opera, quibus gratioſi Deo reddantur homines antequam Chriſto inſerantur. Quaſi vero mentiatur Scriptura quum dicit, in morte eſſe omnes qui Filium non poſſederint. Si in morte ſunt, quomodo vitæ materiam generarent? Quaſi nihil illud valeat, *peccatum eſſe quicquid fit extra fidem:* quaſi arboris malæ poſſint extare boni fructus. Chriſto vero ubi ſuam

1 Joan. 5. verſ. 12.
Rom. 14. verſ. 23.

virtu-

Qui Chriſti meritum aboleverunt, ut humanum ſtabilirent.

Horum autem impietas illuſtribus Scripturæ ſententiis refellitur.

1 Joan. 5. verſ. 12. Joan. 5:24. Rom. 3. verſ. 23. 1 Joan. 3. verſ. 24. Eph. 2: 6. Col. 1: 3.

virtutem exerat, quid peſtilentiſſimi ſophiſtæ reliquerunt? Aiunt meruiſſe nobis primam gratiam, hoc eſt, occaſionem merendi: eſſe jam noſtrarum partium, occaſioni oblatæ non deeſſe. O projectam impietatis impudentiam! quis expectaſſet ut Chriſti nomen profeſſi, illum ita denudatum ſua virtute, tantum non proculcare auderent? Hoc teſtimonium illi paſſim redditur, quod juſtificati ſint quicunque in eum credunt: iſti nihil aliud beneficii ab eo provenire docent niſi ut ſingulis ad ſeipſos juſtificandos aperta ſit via. Utinam vero guſtarent quid ſibi velint iſtæ ſententiæ, *Vitam habere quicunque Filium Dei habeant: Quicunque credit, tranſiſſe à morte in vitam: Juſtificatos eſſe nos illius gratia, ut hæredes efficeremur vitæ æternæ*: Fideles Chriſtum habere in ſe manentem, per quem Deo adhæreant: participes vitæ ejus, ſedere cum ipſo in cæleſtibus: traductos eſſe in regnum Dei, & ſalutem conſequutos: & ſimiles innumeræ. Non enim aut comparandæ juſtitiæ, aut ſalutis tantum acquirendæ facultatem fide Chriſti obtingere ſignificant, ſed utrumque nobis donari. Proinde ſimulatque per fidem inſertus es Chriſto, jam filius Dei factus es, cælorum hæres, juſtitiæ particeps, vitæ poſſeſſor: ac (quo melius eorum mendacia coarguantur) non adeptus merendi opportunitatem, ſed omnia Chriſti merita: ſiquidem tibi communicantur.

Juniorum Sophiſtarum errores. Prior.

7. Ita Sorbonicæ ſcholæ, errorum omnium matres, juſtificationem fidei, quæ pietatis eſt totius ſumma, nobis ſuſtulerunt. Fatentur quidem verbo, *juſtificari fide formata hominem*, ſed id poſtea interpretantur, quoniam à fide habent bona opera ut ad juſtitiam valeant: ut pene per ludibrium videantur nominare fidem, quia ſine ingenti invidia ſileri non poterat, quum toties à Scriptura repetatur. Necdum etiam contenti, in laude bonorum

Alter.

operum Deo ſuffurantur quod ad hominem transferant. Quia vident parum valere ad hominem attollendum bona opera, ac ne merita quidem proprie vocari, ſi divinæ gratiæ fructus cenſeantur: ex vi liberi arbitrii ea eliciunt, oleum ſcilicet ex lapide. Ac principalem quidem cauſam in gratia eſſe non negant: ſed eo tamen contendunt non excludi liberum arbitrium, per quod ſit omne meritum.

Ex Lombardi lacunis hauſti. lib. 2. ſent. diſt. 28. *Ab Auguſtino refutati.* in Pſ. 144. epiſt. 105.

Neque id tradunt poſteriores modo Sophiſtæ, ſed eorum Pythagoras Lombardus: quem ſi cum iſtis compares, ſanum & ſobrium eſſe dicas. Miræ profecto cæcitatis fuit, quum Auguſtinum toties in ore haberet, non vidiſſe quanta ſollicitudine vir ille caverit, ne ulla ex bonis operibus gloriæ particula in hominem derivaretur. Supra, quum de libero arbitrio diſputatio eſſet, recitavimus aliquot in hanc rem ipſius teſtimonia, quibus ſimilia identidem in ejus ſcriptis recurrunt, ut quum vetat ne merita noſtra uſquam jactemus, quia & ipſa Dei dona ſunt: & quum ſcribit, *omne meritum noſtrum non niſi à gratia eſſe, non parari per noſtram ſufficientiam, ſed per gratiam totum fieri*, &c. Ad Scripturæ

Item à Scriptura 8.

lucem cæcutiſſe, minus mirum: in qua non ita feliciter exercitatum fuiſſe apparet. Nihil tamen deſiderari poſſit adverſus eum & ejus diſcipulos clarius iſto Apoſtoli verbo. interdicta enim Chriſtianis omni gloriatione, rationem cur gloriari nefas ſit, ſubjungit, *Quia Dei factura ſumus, creati ad bona opera, quæ præparavit, ut in illis ambulemus.* Eph. 2:10.
Quum ergo nihil à nobis boni prodeat niſi quatenus regenerati ſumus: regeneratio autem noſtra, tota citra exceptionem, Dei ſit: non eſt cur unciam nobis in bonis operibus vendicemus. Poſtremo, dum aſſidue inculcant bona opera, ſic interim conſcientias inſtituunt, ut confidere nunquam auſint Deum ſe propitium ac faventem ſuis operibus habere.

Tertius error.

Nos autem contra, nulla meriti mentione, ſingulari tamen conſolatione fidelium animos noſtra doctrina erigimus, dum eos docemus in ſuis operibus Deo placere, indubieque acceptos eſſe. Quin etiam hic exigimus ut nullum quiſquam opus tentet aut aggrediatur ſine fide: hoc eſt, niſi certa animi fiducia prius definiat Deo placiturum.

Refutatur.

Concluſio, fundamentum quod poſitum eſt, abunde ſufficere ad doctrinam & exhortationem.

8. Quamobrem ab unico illo fundamento nequaquam abduci nos ne latum quidem unguem patiamur: quo jacto, ſapientes deinde architecti recte atque ordine ſuperædificant. Nam ſive doctrina & exhortatione opus eſt, admonent quod *in hoc Dei Filius apparuit ut diſſolvat opera diaboli: ne peccent qui ex Deo ſunt: Sufficere præteritum tempus implendis Gentium deſideriis: Electos Dei vaſa eſſe miſericordiæ ſelecta in honorem*, quæ à ſordibus emundari debeant. Sed omnia ſemel dicuntur, quum oſtenditur quod tales velit Chriſtus diſcipulos, qui *ſeipſis abnegatis, ac ſublata ſua cruce, ipſum ſequantur.* Qui ſeipſum abnegavit, malorum omnium radicem execuit, ne amplius quærat quæ ſua ſunt. Qui crucem ſuam ſuſtulit, ad omnem patientiam ac manſuetudinem ſe comparavit. Ac Chriſti exemplum & hæc & alia omnia pietatis ac ſanctitatis officia complectitur. Ille ſe Patri obedientem præſtitit ad mortem uſque. ille totus fuit in operibus Dei perficiendis. ille Patris gloriam toto pectore ſpiravit. ille animam ſuam pro fratribus poſuit. ille hoſtibus ſuis bene & fecit & precatus eſt.

1 Joan. 3. verſ. 8. 1 Pet. 4: 3. 2 Tim. 2. verſ. 20. Luc. 9: 23.

Tum etiam ad conſolationem. 2 Cor. 4:8.

Quod ſi conſolatione opus fuerit, mirificam afferent conſolationem: *quod affligimur, non tamen anxii reddimur: laboramus, ſed non deſerimur: humiliamur, ſed non confundimur: dejicimur, ſed non perimus: mortificationem Jeſu Chriſti ſemper in corpore noſtro circumferentes, ut vita Jeſu manifeſtetur in nobis. quod ſi commortui ſumus, & convivemus: ſi compatimur, & conregnabimus. quod ita configuramur ejus paſſionibus, donec perveniamus ad reſurrectionis ſimilitudinem: quando Pater prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui, quos in ipſo elegit, ut ſit primogenitus inter cunctos fratres.* Itaque quod *neque mors, neque præſentia, neque futura ſeparabunt nos à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto*: quin potius in bonum ac ſalutem cedent omnia.

2 Tim. 2. verſ. 11. Phil. 3: 20. Rom. 8. verſ. 29. ibid. v. 39.

Summa orthodoxa doctrina de juſtificatione.

Ecce, non juſtificamus hominem ex operibus coram Deo: ſed omnes qui ex Deo ſunt, dicimus regenerari, & novam creaturam fieri, ut ex regno peccati tranſeant in regnum juſtitiæ: atque hoc teſtimonio certam facere ſuam vocationem, & tanquam arbores à fructibus judicari. 2 Pet. 1: 10.

Cap. XVI.

Refutatio calumniarum quibus hanc doctrinam odio gravare conantur Papiſtæ.

Partes hujus capitis.

1. *Propoſitis Papiſtarum adverſus orthodoxam de juſtificatione doctrinam calumniis, has ad duas claſſes revocat, quarum prior cum ſua appendice, ſect. 1. 2. & 3. refellitur.*
2. *Ad alteram calumniam, quæ à priori dependet, poſtrema ſectione reſpondetur.*

Calumnia Papiſtarum. 1. Nos abolere bona opera, atque ab eorum ſtudio abducere homines.

Hoc uno verbo refelli poteſt impiorum quorundam impudentia, qui calumniantur nos abolere bona opera, atque ab eorum ſtudio abducere homines, quum dicimus eos non juſtificari ex operibus, nec ſalutem mereri: deinde nimis facile ad juſtitiam iter ſternere, quum in gratuita peccatorum remiſſione ipſam jacere docemus, & hac illecebra homines,

2. Eoſdem

ſuapte

ad peccandum allicere.

ſuapte ſponte plus nimio proclives, ad peccandum allicere. Hæ, inquam, calumniæ uno illo verbo ſatis refutantur: breviter tamen reſpondebo ad utramque. Per fidei juſtificationem cauſantur deſtrui bona opera. Superſedeo dicere quales ſint bonorum operum zelotæ, qui ita nobis obtrectant. Liceat illis tam impune convitiari quam licentioſe vitæ ſuæ obſcœnitate totum mundum inficiunt. Dolere ſibi ſimulant, dum tam magnifice extollitur fides, opera excidere ſuo gradu. Quid ſi magis erigantur & ſtabiliantur? Non enim aut fidem ſomniamus bonis operibus vacuam, aut juſtificationem quæ ſine iis conſtet: hoc tantum intereſt, quod quum fidem & bona opera neceſſario inter ſe cohærere fateamur, in fide tamen, non operibus juſtificationem ponimus. Id qua ratione fiat, explicare promptum eſt, ſi ad Chriſtum modo convertamur, in quem dirigitur fides, & unde totam vim accipit. Quare ergo fide juſtificamur? quia fide apprehendimus Chriſti juſtitiam, qua una Deo reconciliamur. Hanc vero apprehendere non poſſis quin & ſanctificationem ſimul apprehendas. *Datus eſt enim nobis in juſtitiam, ſapientiam, ſanctificationem, redemptionem.* Nullum ergo Chriſtus juſtificat quem non ſimul ſanctificet. Sunt enim perpetuo & individuo nexu conjuncta hæc beneficia, ut quos ſapientia ſua illuminat, eos redimat: quos redimit, juſtificet: quos juſtificat, ſanctificet. Sed quia de juſtitia & ſanctificatione tantum quæſtio eſt, in iis inſiſtamus. Inter ſe diſtinguamus licet, inſeparabiliter tamen utramque Chriſtus in ſe continet. Vis ergo juſtitiam in Chriſto adipiſci? Chriſtum ante poſſideas oportet: poſſidere autem non potes, quin fias ſanctificationis ejus particeps, quia in fruſta diſcerpi non poteſt. Quum ergo hæc beneficia, nonniſi ſeipſum erogando, fruenda nobis Dominus concedat, utrumque ſimul largitur: alterum nunquam ſine altero. Ita liquet quam verum ſit nos non ſine operibus, neque tamen per opera juſtificari: quoniam in Chriſti participatione, qua juſtificamur, non minus ſanctificatio continetur quam juſtitia.

Prioris calumniæ refutatio.
1. Qui ſint cenſores iſti.
2. Juſtificatio per fidem, doctrinam de bonis operibus erigit & ſtabilit.
Ratio. Sanctificatio & juſtificatio cohærent, quamvis ſint diſtincta.
1 Cor. 1. verſ. 30.

2. Illud quoque falſiſſimum eſt, abduci hominum animos ab affectu bene agendi, quum illis merendi opinionem tollimus. Obiter hic monendi ſunt lectores, inſulſe eos ratiocinari à mercede ad meritum, ut poſtea clarius explicabo: quia ſcilicet principium illud ignorant, non minus liberalem eſſe Deum, ubi mercedem operibus aſſignat, quam dum recte agendi facultatem largitur. Hoc tamen in ſuum locum differre malo. Nunc quam infirma ſit eorum objectio attingere ſatis erit, quod duobus modis fiet. Nam primo, quod aiunt nullam fore curam bene inſtituendæ vitæ niſi ſpe mercedis propoſita, tota via errant. Si enim hoc tantum agitur, ut homines mercedem ſpectent quum Deo ſerviunt, & illi ſuas operas locent aut vendant, parum proficitur: gratis coli vult, gratis amari: hunc, inquam, cultorem probat, qui præciſa omni ſpe recipiendæ mercedis, colere tamen eum non deſinat. Porro ſi incitandi ſunt homines, nemo poſſit acriores admovere ſtimulos quam à redemptionis ac vocationis noſtræ fine: quales adhibet verbum Domini, quum tradit nimis impiam eſſe ingratitudinem non mutuo *redamare eum qui nos prior dilexit: ſanguine Chriſti emundari ab operibus mortuis conſcientias noſtras, ad ſerviendum Deo viventi*: indignum eſſe ſacrilegium *ſi ſemel mundati, novis ſordibus nos inquinantes, ſacrum illum ſanguinem profanamus. Liberatos eſſe nos è manu hoſtium noſtrorum, ut ſine timore ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus vitæ noſtræ: nos à peccato emancipatos eſſe*, ut libero ſpiritu juſtitiam colamus: *crucifixum eſſe veterem noſtram hominem, ut in vitæ novitatem reſurgamus.* Item, *ſi mortui ſimus cum Chriſto* (ut decet ejus membra) *quærenda eſſe quæ ſurſum ſunt*, & in mundo peregrinandum, ut in cælos adſpiremus, ubi eſt theſaurus noſter. *In hoc apparuiſſe gratiam Domini, ut abnegata omni impietate & mundanis deſideriis, ſobrie, ſancte, & pie vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & apparitionem gloriæ magni Dei & Salvatoris.* Quare *nos non eſſe conſtitutos, ut iram nobis conciteemus, ſed ut ſalutem conſequamur per Chriſtum. Nos eſſe templa Spiritus ſancti* quæ profanari ſit nefas: *nos tenebras non eſſe, ſed lucem in Domino, quos ut filios lucis ambulare oporteat: nos non ad immunditiam vocatos, ſed ad ſanctitatem: quia hæc ſit voluntas Dei, ſanctificatio noſtra, ut nos abſtineamus ab illicitis deſideriis*: vocationem noſtram eſſe ſanctam, nos ei non reſpondere niſi vitæ puritate: in hoc nos eſſe liberatos à peccato, ut juſtitiæ obediamus. An incitari ad charitatem ullo vivaciori argumento poſſimus quam illo Joannis, *ut mutuo inter nos diligamus, quemadmodum dilexit nos Deus? In hoc differre ejus filios à filiis diaboli, filios lucis à filiis tenebrarum, quia in dilectione manent?* Illo item Pauli, Nos, ſi Chriſto adhæremus, unius eſſe corporis membra, quæ invicem adjuvari mutuis officiis conveniat? An ad ſanctitatem fortius provocari, quam dum rurſum ab Joanne audimus, *omnes qui habent hanc ſpem, ſanctificare ſeipſos, quoniam Deus eorum ſanctus eſt?* Item ex ore Pauli, Ut adoptionis promiſſione freti *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus?* quam dum Chriſtum audimus ſe nobis exemplar proponentem, ut ſua veſtigia ſequamur?

Duobus modis hæc & ſequenti ſectione refellitur prioris calumniæ appendix, nempe abduci homines à bene agendo ſi merendi opinionem tollimus.
Primus modus refutationis, varius & quidem firmiſſimis argumentis confirmatus.
1 Joan. 4. v. 10, 19.
Heb. 9. verſ. 14.
Heb. 10. verſ. 29.
Luc. 1. v. 74. 75.
Rom. 6. verſ. 18.
ibid. v. 6.
Coloſſ. 3. verſ. 1.
Tit. 2. 11.
1 Theſ. 5. verſ. 9.
1 Cor. 3. verſ. 16.
1 Cor. 6. verſ. 19.
Eph. 2: 21.
Eph. 5: 8.
1 Theſ. 4. v. 3. & 7.
2 Tim. 1. verſ. 9.
1 Pet. 1. verſ. 15.
Rom. 6. verſ. 18.
1 Joan. 4. verſ. 10.
1 Joan. 3. verſ. 10.
1 Cor. 6. v. 15, 17. & 12: 12.
1 Joan. 3. verſ. 3.
2 Cor. 7. verſ. 1.

3. Atque hæc quidem paucula tantum in guſtum propoſui. Nam ſi ſingula perſequi eſſet animus, longum volumen contexendum foret. Toti paræneſibus, adhortationibus, caſtigationibus pleni ſunt Apoſtoli, quibus hominem Dei ad omne opus bonum inſtituant, idque citra meriti mentionem. Quin potius inde potiſſimas ducunt exhortationes, quod nullo noſtro merito, ſola Dei miſericordia ſtet noſtra ſalus. Quemadmodum Paulus, ubi tota epiſtola diſſeruit nullam eſſe nobis ſpem vitæ, niſi in Chriſti juſtitia, ubi ad paræneſes deſcendit, per illam Dei miſerationem qua nos dignatus eſt, obſecrat. Et ſane hæc nobis una cauſa ſatis eſſe debuerat, ut Deus in nobis glorificetur. Quod ſi qui Dei gloria non adeo vehementer afficiuntur, memoria tamen beneficiorum ejus ſufficientiſſima eſt, quæ tales ad benefaciendum incitet. Verum iſti quia ſervilia forte aliqua coactaque Legis obſequia ingerendis meritis extundunt, mentiuntur nos nihil habere quo ad bona opera exhortemur, quia non eadem ingredimur via. Quaſi vero talibus obſequiis valde oblectetur Deus, qui profitetur *ſe hilarem datorem diligere*, & quicquam dari quaſi ex triſtitia aut neceſſitate vetat. Neque id dico quod id vel reſpuam vel negligam adhortationis genus quod Scriptura ſæpenumero uſurpat, ne ullam omittat nos undique animandi rationem. Commemorat enim *mercedem quam Deus redditurus ſit unicuique ſecundum opera ſua*: ſed illud unicum atque etiam in multis præcipuum eſſe nego. Deinde exordium inde ſumendum non concedo. Adhæc, nihil facere ad erigenda qualia iſti prædicant merita contendo: quemadmodum poſtea videbimus. Poſtremo neque uſui eſſe niſi doctrina illa præoccupaverit, Solo Chriſti merito, quod per fidem apprehenditur, nos juſtificari, nullis autem operum noſtrorum meritis: quia nulli ad ſanctitatis ſtudium apti eſſe poſſunt, niſi qui doctrinam hanc prius imbiberint. Quod & Propheta pulchre innuit, dum ſic Deum alloquitur, *Apud te eſt propitiatio Domine, ut timearis*: nullum enim eſſe Dei cultum oſtendit, niſi agnita ejus miſericordia, qua ſola & fundatur & ſtabilitur. Quod apprime notatu dignum eſt, ut ſciamus non modo principium Dei rite colendi eſſe fiduciam miſericordiæ ejus, ſed timorem Dei (quem meritorium

Meriti nulla mentio apud Apoſtolos, quum ad bona opera adhortantur: quin potius, meritis hominum excluſis, ad unicam Dei miſericordiam nos revocant.
Rom. 12. verſ. 1.
Mat. 5. verſ. 16.
Exceptio. Reſponſio.
Chryſoſt. homil. in Geneſ.
2 Cor. 9. verſ. 7.
Alter modus refutationis, quadruplex.
1.
2.
3.
4.
Pſal. 130. verſ. 4.

eſſe

eſſe volunt Papiſtæ) ideo non poſſe meriti nomine cenſeri, quia fundatus eſt in peccatorum venia & remiſſione.

Poſterioris calumniæ refutatio.

4. Longe vero futiliſſima calumnia, invitari ad peccandum homines, quum gratuitam peccatorum remiſſionem, in qua collocatam dicimus juſtitiam,
1. affirmamus. Tanti enim eſſe dicimus, ut nullo noſtro bono penſari poſſit: ideoque nunquam impe-
2. trandam, niſi gratuita foret. Porro nobis quidem eſſe gratuitam, Chriſto non item, cui tam magno conſtitit: nempe ſuo ſacratiſſimo ſanguine, extra quem nullum ſatis dignum pretium fuit quod Dei
3. judicio ſolveretur. Hæc quum docentur homines, admonentur per ipſos non ſtare quominus toties ſacratiſſimus ille ſanguis effundatur quoties peccant.
4. Ad hoc, diſcimus eam eſſe noſtram fœditatem, quæ niſi hujus puriſſimi ſanguinis fonte nunquam elua-
5. tur. Hæc qui audiunt annon majorem debent concipere horrorem peccati, quam ſi bonorum operum
6. aſperſione abſtergi diceretur? Et ſi quid Dei habent, quomodo non horreant ſemel purificati, denuo ſe in lutum provolvere, quo hujus fontis puritatem quantum in ſe eſt conturbent & inficiant? *Lavi pedes meos*, (inquit fidelis anima apud Solomonem) *quomodo rurſum inquinabo illos?* Nunc palam eſt utri & viliorem peccatorum remiſſionem faciant, & juſtitiæ dignitatem magis proſtituant. Illi Deum frivolis ſuis ſatisfactionibus, hoc eſt, ſtercoribus, placari nugantur: nos graviorem aſſerimus eſſe peccati noxam, quam quæ tam levibus nugis expietur: graviorem Dei offenſam quam quæ his nihili ſatisfactionibus remittatur: proinde hanc ſolius ſanguinis Chriſti prærogativam eſſe. Illi juſtitiam, ſicubi deficiat, inſtaurari dicunt ac reparari ſatisfactoriis operibus: nos pretioſiorem eſſe putamus, quam ut æquari ulla operum compenſatione queat: ideo ut reſtituatur, ad ſolam Dei miſericordiam confugiendum eſſe. Cætera quæ ad peccatorum remiſſionem pertinent, ex capite proximo petantur.

Cant. 5: 3.

Refellitur hujus calumniæ appendix, nimis facile iter ad juſtitiam ſterni, quum in gratuita peccatorum remiſſione conſtituitur.

CAP. XVII.

Promiſſionum Legis & Euangelii conciliatio.

Partes hujus capitis, in quibus Sophiſtarum fidei juſtificationem diruere aut deterere ſtudentium argumenta revocantur ad duas claſſes, quarum *prior* eſt generalis, *poſterior* ſpecialis, & quædam argumenta præcipua continet.

1. *Prima claſſis, quæ generalis eſt, & omnium argumentorum veluti fundamentum, continet* argumentum *à legalibus promiſſionibus petitum, quod ſect. 1. 2. & 3. expenditur.*
2. *Altera, à priori fluens, & ſpecialia argumenta proponens:* ſecundum *autem ex Cornelii hiſtoria hauſtum explicatur, ſect. 4. 5.*
3. *Hac occaſione additur luculenta expoſitio locorum Scripturæ, qui clementem ac propitium juſtitiæ cultoribus Deum affirmant, ſect. 6.*
4. Tertium *argumentum ex locis qui bona opera juſtitiæ titulo inſigniunt, & hominem illis aſſerunt juſtificari, ſect. 7. & 8. diluitur.*
5. *Deinde firmo dilemmate urgentur adverſarii, tolliturque partialis eorum juſtitia, ſect. 9. & 10.*
6. Quartum *argumentum, Apoſtolum Jacobum cum Paulo committens, conſideratur, ſect. 11. & 12.*
7. *Ad* quintum *argumentum ex Apoſtoli loco, factores Legis, non auditores juſtificari, reſponſio, ſect. 13.*
8. Sexti *argumenti, ex locis quibus fideles ſuam juſtitiam Dei judicio examinandam audacter offerunt, ac ſecundum eam de ſe ſtatui cupiunt, conſideratio, ſect. 14.*
9. Poſtremum, *à teſtimoniis quæ juſtitiam & vitam viis fidelium adſcribunt, ſect. 15. excutitur.*

Brevis ſumma cap. 15. & 16. Quomodo & cur operibus juſtificatio detrahatur.

NUnc perſequamur alia quoque argumenta quibus Satan per ſuos ſatellites fidei juſtificationem aut diruere aut deterere molitur. Illud jam excuſſum eſſe puto calumniatoribus, ne nobiſcum perinde agant atque bonorum operum inimicis. ſiquidem operibus detrahitur juſtificatio: non ut nulla bona fiant opera, aut bona eſſe negentur quæ fiunt: ſed ne illis fidamus, ne gloriemur, ne ſalutem adſcribamus. Fiducia enim hæc noſtra eſt, hæc gloria, & unica ſalutis anchora, quod Chriſtus filius Dei noſter eſt, ac nos in ipſo viciſſim filii Dei regnique cœleſtis hæredes, Dei benignitate, non noſtra dignitate, in ſpem æternæ beatitudinis vocati. Sed quia aliis præterea machinis, ut dictum eſt, nos impetunt: age, in illis quoque propulſandis pergamus. Primum redeunt ad legales promiſſiones, quas Legis ſuæ cultoribus edidit Dominus: & rogant velimusne irritas eſſe prorſus an efficaces. Irritas dicere quoniam abſonum ac ridiculum fuerit, pro confeſſo aſſumunt, alicujus eſſe efficaciæ. Hinc ratiocinantur, non ſola fide nos juſtificari. Sic enim Dominus loquitur, *Eritque ſi audieris præcepta & judicia hæc, cuſtodierisque ea & feceris, cuſtodiet etiam Dominus pactum tibi & miſericordiam quam juravit patribus tuis: diliget te ac multiplicabit, & benedicet tibi*, &c. Idem, *Si bene direxeritis vias veſtras & ſtudia veſtra, non ambulaveritis poſt deos alienos, judicium feceritis inter virum & virum, nec in malitiam receſſeritis, ambulabo in medio veſtri.* Nolo mille ejuſdem formæ fruſtra recitare, quæ, quando nihil ſenſu differunt, iſtarum ſolutione explicabuntur. Summa, *propoſitam* teſtatur Moſes in Lege *benedictionem & maledictionem, mortem & vitam.* Sic ergo argumentantur, aut benedictionem iſtam otioſam infructuoſamque fieri, aut non ſolius eſſe fidei juſtificationem. Jam ſupra oſtendimus quomodo ſi in Lege hæreamus, omni benedictione defectis, ſola nobis maledictio imminet, quæ univerſis tranſgreſſoribus edicta eſt. Non enim promittit Dominus quippiam niſi perfectis Legis ſuæ cultoribus, qualis nemo reperitur. Manet igitur illud, totum hominum genus per Legem argui maledictioni & iræ Dei obnoxium: à qua ut ſalventur, è poteſtate Legis exire neceſſe eſt, & velut ab ejus ſervitute in libertatem aſſeri: non carnalem quidem illam, quæ ab obſervatione Legis nos ſubducat, ad rerum omnium licentiam invitet, concupiſcentiam noſtram, velut ruptis repagulis, aut effuſis habenis laſcivire permittat: ſed ſpiritualem, quæ perculſam & conſternatam conſcientiam ſoletur & erigat, liberam illam oſtendens à maledictione ac damnatione, qua illam Lex vinctam ac conſtrictam premebat. Hanc à ſubjectione Legis liberationem, &, ut ita dicam, manumiſſionem aſſequimur, quum per fidem miſericordiam Dei in Chriſto apprehendimus, qua ſecuri certique reddimur de peccatorum remiſſione, quorum ſenſu pungebat nos Lex ac mordebat.

1. Argumentum adverſariorum à legalibus promiſſionibus petitum.

Deut. 7. v. 12, 13.

Jerem. 7. v. 5, 6, 7.

Deut. 11. verſ. 26.

Hujus argumenti ſumma.

Reſponſio, Quicunque juſtificari coram Deo cupiunt, à poteſtate Legis eos exire neceſſe eſt.

Quo pacto id fiat.

2. Hac ratione, & quæ in Lege nobis offerebantur promiſſiones, inefficaces forent omnes & irritæ, niſi Dei bonitas per Euangelium ſuccurre-

Confirmatio reſponſionis, ducta ab impoſſibili.

ret. Hæc enim conditio ut Legem perficiamus, à qua ipſæ pendent, & à qua demum præſtandæ ſunt, nunquam implebitur. Sic autem opitulatur Dominus, non partem juſtitiæ in operibus nobis relinquendo, partem ex ſua indulgentia ſufficiendo: ſed dum unicum Chriſtum pro juſtitiæ complemento aſſignat.

Ab Apoſtoli teſtimonio.
Gal. 2: 16.

Nam Apoſtolus præfatus ſe aliosque *Judæos, ſcientes, quod ex Legis operibus non juſtificatur homo, in Jeſum Chriſtum credidiſſe:* rationem ſubjicit, non ut adjuvarentur ad juſtitiæ ſummam, ex fide Chriſti; ſed *ut illa juſtificarentur, non ex operibus Legis.* Si fideles à Lege in fidem demigrant, ut in hac juſtitiam inveniant, quam abeſſe ab illa vident: certe juſtitiæ Legis renunciant. Itaque amplificet nunc qui volet retributiones quæ Legis obſervatorem manere dicuntur, modo ſimul animadvertat noſtra pravitate fieri ne fructum inde ullum ſentiamus, donec aliam ex fide juſtitiam fuerimus adepti.

Item & Davidis, Pſal. 25. fermè toto.

Sic David, ubi retributionis meminit, quam præparavit ſervis ſuis Dominus, ſtatim ad peccatorum recognitionem deſcendit, quibus illa exinanitur. Pſalmo etiam 19: 12. magnifice Legis beneficia deprædicat: ſed continuo exclamat, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Prorſus hic locus cum ſuperiore congruit:

Pſalm. 25.
V. 10, 11.

ubi quum dixiſſet, *Cunctas vias Domini bonitatem & veritatem timentibus eum:* ſubnectit, *Propter nomen tuum Domine, propitiaberis pravitati meæ: multa eſt enim.* Sic & nos recognoſcere debemus, expoſitam quidem eſſe nobis in Lege Dei benevolentiam, ſi operibus eam demereri liceat: ſed illorum merito nunquam ad nos pervenire.

Occurrit objectioni, & ad quid hæ promiſſiones datæ ſint oſtendit: videlicet ſi in ſe conſiderentur, vel ad operum noſtrorum merita reſpiciant, efficaciam ſuam non proferre, & quodammodo aboleri: ſed dum Euangelicæ promiſſiones ſubſtituuntur, non modo efficere ut ipſi Deo accepti ſimus, ſed ut operibus quoque noſtris ſit ſua gratia: atque ex triplici cauſa divinæ liberalitatis, qua fit ut accepta ſint fidelium opera.

3. Quid ergo? an datæ ſunt, ut ſine fructu evaneſcerent? Jam nuper teſtatus ſum non eſſe id meæ ſententiæ. dico ſane efficaciam ſuam ad nos non proferre, quamdiu ad operum merita reſpiciunt: quare ſi in ſe conſiderentur, quodammodo aboleri. Sic præclaram illam promiſſionem, *Dedi vobis bona præcepta, quæ qui fecerit, vivet in ipſis:* nullius momenti eſſe Apoſtolus docet ſi in ea reſiſtamus, nec pilo plus profuturam quam ſi data non eſſet: quia ne ſanctiſſimis quidem Dei ſervis competit: qui procul omnes abſunt à Legis complemento, multis vero tranſgreſſionibus ſunt circumdati. Sed dum promiſſiones Euangelicæ ſubſtituuntur, quæ gratuitam peccatorum remiſſionem denunciant, non efficiunt modo ut ipſi Deo accepti ſimus, ſed ut operibus quoque noſtris ſit ſua gratia: neque hoc tantum, ut ea Dominus grata habeat, ſed benedictionibus etiam, quæ ex pacto debebantur Legis ſuæ obſervationi, proſequatur. Fateor ergo fidelium operibus rependi quæ juſtitiæ & ſanctitatis cultoribus in Lege ſua Dominus promiſit: verum in hac retributione, conſideranda ſemper eſt cauſa quæ gratiam operibus conciliet. Eam porro triplicem eſſe cernimus. Prima eſt, quod Deus averſo à ſervorum ſuorum operibus intuitu, quæ probrum magis quam laudem perpetuo merentur, ipſos in Chriſto complectitur, ac ſola fide intercedente, citra operum ſubſidium reconciliat ſibi. Altera, quod opera, non æſtimata eorum dignitate, paterna benignitate atque indulgentia, huc honoris attollit ut alicujus pretii habeat. Tertia, quod ea ipſa cum venia ſuſcipit, non imputata imperfectione, qua omnia inquinata, peccatis magis quam

Lev. 18: 5.
Eze. 20. verſ. 11.
Rom. 10. verſ. 5.

virtutibus accenſenda alioqui forent. Atque hinc apparet quantopere deluſi ſint ſophiſtæ, qui belle ſe abſurda omnia evaſiſſe putarunt quum dicerent, non intrinſeca ſua bonitate valere opera ad ſalutem demerendam, ſed ex pacti ratione: quia Dominus liberalitate ſua tanti æſtimavit.

Diſtinctionis ſophiſticæ de operum dignitate ex pacto, & intrinſeca, refutatio.

Atqui non obſervabant interim, quæ meritoria opera eſſe volebant, quantum abeſſent à promiſſionum conditione, niſi & juſtificatio ſola fide ſubnixa, & peccatorum remiſſio, per quam à maculis bona quoque opera abſtergi neceſſe habent, præcederet. Itaque ex tribus divinæ liberalitatis cauſis, quibus fit ut accepta ſint fidelium opera, unam tantum annotabant: duas, & eas quidem præcipuas, ſupprimebant.

2. Argumentum, ex Cornelii hiſtoria.
Act. 10. v. 34. 35.

4. Citant Petri ſententiam quam Lucas in Actis recitat, *In veritate comperio quod non ſit perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui facit juſtitiam, acceptus eſt illi.* Atque hinc, quod minime dubium eſſe videtur, colligunt, ſi rectis ſtudiis conciliat ſibi homo Deum, non ſolius eſſe Dei beneficium quod ſalutem conſequitur. Imo ſic pro ſua miſericordia Deum peccatori ſuccurrere, ut operibus ad miſericordiam flectatur.

Reſponſio, per diſtinctionem duplicis acceptionis. Prior.

Verum Scripturas nullo modo conciliare poſſis, niſi duplicem hominis apud Deum acceptionem obſerves. Qualis enim naturâ eſt homo, nihil in eo reperit Deus quo ad miſericordiam inclinetur, præter unicam miſeriam. Nudum ergo & egenum omnis boni, omni contra malorum genere refertum & oneratum hominem ſi conſtat eſſe, ubi primum à Deo ſuſcipitur: quam ob dotem, quæſo, dignum illum cæleſti vocatione dicemus? Faceſſat ergo inanis meritorum imaginatio, ubi gratuitam clementiam Deus tam evidenter commendat.

Exceptionis ſophiſtarum dilutio.

Nam quod ibidem Cornelio Angeli voce dicitur, *orationes ejus & eleemoſynas aſcendiſſe in Dei conſpectum:* peſſime detorquetur ab iis, præparari hominem ad recipiendam Dei gratiam, bonorum operum ſtudio. Jam enim Spiritu ſapientiæ illuminatum fuiſſe Cornelium oportuit, qui vera ſapientia, timore ſcilicet Dei præditus erat: eodem Spiritu ſanctificatum, qui juſtitiæ cultor erat: quam illius certiſſimum eſſe fructum Apoſtolus docet. Gal. 5:5. Ea itaque omnia quæ Deo placuiſſe in eo referuntur, habebat ab illius gratia: tantum abeſt ut ad eam recipiendam illis ſuo Marte ſe præpararet. Nulla ſane Scripturæ ſyllaba proferetur quæ non huic doctrinæ conſentiat: non eſſe aliam Deo cauſam hominis ad ſe recipiendi niſi quia modis omnibus perditum videt ſi ſibi relinquatur: perditum autem quia non vult, ſuam in ipſo liberando miſericordiam exercere. Nunc videmus ut iſta acceptio non hominis juſtitiam ſpectet, ſed purum ſit divinæ erga miſeros tantoque beneficio longe indigniſſimos peccatores bonitatis documentum.

Poſterior.

5. Poſtquam vero Dominus hominem ex abyſſo perditionis reductum, ſibi per gratiam adoptionis ſegregavit: quia illum regeneravit ac reformavit in novam vitam, jam ut novam creaturam, cum Spiritus ſui donis amplectitur.

Ex hac diſtinctione liquet Cornelium prius gratuito fuiſſe acceptum, quam bona opera ejus accepta eſſe poſſent.

Hæc illa eſt acceptio cujus meminit Petrus, qua poſt ſuam vocationem Deo fideles approbantur, operum quoque reſpectu: quia Dominus non amare & oſculari non poteſt quæ per Spiritum ſuum in illis efficit bona. Verum id ſemper memoria repetendum eſt, non aliter operum ratione illos eſſe Deo acceptos, niſi quia illorum cauſa & in gratiam, quicquid bonorum operum contulit, liberalitatem ſuam augendo, ſua quoque acceptione dignatur. Unde enim illis bona opera, niſi quod Dominus illos, quemadmodum vaſa in honorem elegit, ita vult vera puritate exornare? Unde etiam bona reputantur acſi nihil illis deeſſet; niſi quod nævis & maculis, quæ illis adhæreſcunt, veniam benignus Pater indulget? In ſumma, nihil aliud ſignificat hoc loco quam gratos eſſe Deo & amabiles ſuos filios in quibus notas & lineamenta vultus ſui videt. Regenerationem enim alibi, imaginis divinæ reparationem in nobis eſſe docuimus. Quoniam ergo ubicunque faciem ſuam Deus contemplatur, & merito amat, & in honore habet: non ſine cauſa dicitur illi placere fidelium vita, ad ſanctitatem & juſtitiam compoſita. Sed quia pii mortali carne circumdati, adhuc ſunt peccatores, & opera eorum bona, inchoata duntaxat, &

carnis

carnis vitium redolentia: neque illis neque his propitius eſſe poteſt, niſi in Chriſto magis quam in ſeipſis amplexetur. In hunc modum accipiendi ſunt loci qui clementem ac miſericordem juſtitiæ cultoribus Deum teſtantur. Dicebat Moſes Iſraëlitis, *Dominus Deus tuus cuſtodiens pactum ac miſericordiam diligentibus ſe, & cuſtodientibus præcepta ſua, in mille generationes:* quæ ſententia in frequentem formulam uſurpata poſtea à populo fuit. Sic Solomo in ſolenni precatione, *Domine Deus Iſraël, qui cuſtodis pactum & miſericordiam ſervis tuis qui ambulant coram te in toto corde ſuo.* Eadem verba & à Nehemia repetuntur. Siquidem ut in omnibus miſericordiæ ſuæ pactis integritatem ac ſanctimoniam vitæ viciſſim à ſervis ſuis Deus ſtipulatur, ne ludibrio ſit ſua bonitas, neve quis inani ob eam exultatione turgidus, benedicat animæ ſuæ, ambulans interim in pravitate cordis ſui; ita in fœderis communionem admiſſos, vult hac via in officio continere: nihilo tamen minus fœdus ipſum & gratuitum initio feritur, & perpetuo tale manet. Secundum hanc rationem David, quamvis prædicet ſibi redditam fuiſſe mercedem puritatis manuum, non tamen fontem illum quem notavi præterit, quod *extractus fuerit ab utero, quia Deus eum dilexit:* ubi ita commendat cauſæ ſuæ bonitatem, ut nihil deroget gratuitæ miſericordiæ, quæ dona omnia, quorum origo eſt, prævenit.

Atque hic eſt ſenſus ſimilium locorum qui clementem & propitium juſtitiæ cultoribus Deum teſtantur.

Deut. 7: 9.
1 Reg. 8. verſ. 23.
Neh. 1: 5.
Deut. 29. verſ. 18.
2 Sam. 22. verſ. 20, 21. &c.

6. Atque hic obiter notare profuerit quid diſtent iſtæ loquendi formæ à Legalibus promiſſionibus. Legales promiſſiones appello, non quæ ubique ſparſæ ſunt in libris Moſaicis: (quando in illis quoque Euangelicæ multæ occurrunt:) ſed quæ proprie ad Legis miniſterium pertinent. Ejuſmodi promiſſiones, quocunque nomine vocare libeat, ſub conditione, *Si feceris quod tibi præcipitur*, paratam eſſe remunerationem denunciant. At quum dicitur, *Dominum cuſtodire pactum miſericordiæ iis qui ſe diligunt*, magis demonſtratur quales ſint illius ſervi, qui bona fide ejus fœdus ſuſceperint, quam exprimatur cauſa cur illis Dominus benefaciat. Hæc porro demonſtrationis ratio: Quemadmodum in hunc finem æternæ vitæ gratia nos dignatur Deus ut diligatur, timeatur, colatur à nobis; ita quæcunque miſericordiæ in Scriptura promiſſiones habentur, merito ad hunc diriguntur finem, ut revereamur & colamus beneficiorum auctorem. Quoties ergo audimus ipſum benefacere iis qui Legem ſuam obſervant, meminerimus Dei filios ab officio deſignari quod in illis perpetuum eſſe debet: hac ratione nos eſſe adoptatos, ut ipſum patris loco veneremur. Ne ergo ipſi adoptionis jure nos abdicemus, huc ſemper enitendum quo tendit noſtra vocatio. Id tamen rurſum teneamus, non pendere ab operibus fidelium complementum miſericordiæ Domini: ſed ipſum ideo ſalutis promiſſionem adimplere iis qui vitæ rectitudine ſuæ vocationi reſpondent, quia in illis germana demum filiorum inſignia agnoſcit, qui Spiritu ejus ad bonum reguntur. Huc referatur quod eſt in Pſalmo 15: 1. de civibus Eccleſiæ, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis requieſcet in monte tuo ſancto? Innocens manibus & mundo corde*, &c. Item apud Jeſaiam, *Quis habitabit cum igne devorante? Qui facit juſtitiam, qui loquitur recta*, &c. Non enim firmamentum quo fideles coram Domino ſubſiſtant, deſcribitur: ſed modus quo in ſuum conſortium eos clementiſſimus Pater introducit, & in ipſo tuetur & confirmat. Quia enim peccatum deteſtatur, juſtitiam amat: quos ſibi conjungit, eos Spiritu ſuo purificat, ut ſibi regnoque ſuo reddat conformes. Ergo ſi prima cauſa quæratur unde pateſiat ſanctis acceſſus in Dei regnum, unde habeant ut conſiſtant in eo ac permaneant, prompta eſt reſponſio, Quia Dominus eos ſua miſericordia & adoptavit ſemel, & perpetuo tuetur. Si autem de modo quæſtio eſt, tum ad regenerationem eſt deſcendendum, ejuſque fructus qui Pſalmo illo recenſentur.

Expoſitio horum locorum: qui ut melius intelligantur, animadvertendum, num ſit promiſſa Legalis an Euangelica. Legalis enim ſemper ſub conditione à nobis poſtulatur, Si fecerimus. Euangelica vero, quamvis conditionem adhibet, Si crediderimus, & Deum diligamus: tamen ad ſolam Dei miſericordiam nos deducit, cujus complementum ab operibus noſtris minime pendet.

Jeſa. 33. verſ. 14.

7. At vero plus longe difficultatis eſſe videtur in his locis qui & bona opera juſtitiæ titulo inſigniunt, & hominem illis aſſerunt juſtificari. Plurimi ſunt prioris generis, ubi mandatorum obſervationes, juſtificationes vocantur ſeu juſtitiæ. Alterius generis exemplum eſt quod apud Moſen habetur, *Erit hæc juſtitia noſtra, ſi cuſtodierimus præcepta iſta omnia.* At ſi promiſſionem eſſe Legalem excipias, quæ adnexa conditioni impoſſibili, nihil probet, ſunt alia de quibus idem reſpondere non poſſis: quale eſt illud, *Eritque tibi id pro juſtitia coram Domino, reddere pauperi depoſitum*, &c. Item quod Propheta dicit, zelum in vindicando Iſraëlis probro, *imputatum fuiſſe Phinees in juſtitiam.* Itaque Phariſæi noſtri temporis amplam inſultandi materiam hic ſe habere putant. Nam quum dicamus, erecta fidei juſtitia cadere operum juſtificationem; eodem jure argumentantur, Si ex operibus juſtitia, ergo falſum eſt nos ſola fide juſtificari. Ut dem Legis præcepta vocari juſtitias, nihil mirum: ſunt enim re vera. Quanquam monendi ſunt Lectores, Græcos parum apte vocem Hebraicam חקים vertiſſe δικαιώματα pro edictis. De voce tamen facile litem remitto. Neque vero hoc denegamus Legi Dei quin perfectam juſtitiam contineat. Tametſi enim, quia debitores ſumus omnium quæ præcipit, etiam plena ejus obedientia defuncti, ſervi inutiles ſumus: quia tamen eam honore juſtitiæ Dominus dignatus eſt, non detrahimus quod ille dedit. Fatemur ergo libenter, abſolutam Legis obedientiam eſſe juſtitiam: mandati uniuſcujuſque obſervationem, eſſe juſtitiæ partem: ſiquidem in reliquis etiam partibus tota juſtitiæ ſumma conſtet. Sed extare uſquam talem juſtitiæ formam negamus. Atque ideo Legis juſtitiam tollimus, non quod manca per ſe ſit ac mutila: ſed quod ob carnis noſtræ debilitatem, nuſquam compareat. Atqui non modo præcepta Domini ſimpliciter Scriptura juſtitias vocat: ſed operibus quoque ſanctorum tribuit hoc nomen. Ut quum Zachariam & ejus conjugem refert *ambulaſſe in juſtitiis Domini:* ſane dum ita loquitur, opera magis ex Legis natura æſtimat quam propria ipſorum conditione. Etſi rurſus hic obſervandum quod nuper dixi, ex incuria Græci interpretis non eſſe ſtatuendam legem. Sed quia Lucas in recepta verſione nihil mutare voluit, neque ego contendam. Deus enim ea quæ Lege continentur mandavit hominibus in juſtitiam: ſed eam juſtitiam non exequimur, niſi totam Legem obſervando: qualibet enim transgreſſione corrumpitur. Quum ergo Lex nihil niſi juſtitiam præſcribat: ſi in ipſam reſpicimus, juſtitiæ ſunt ſingula ejus mandata: ſi homines ſpectamus à quibus fiunt, juſtitiæ laudem minime conſequuntur ex uno opere, in multis transgreſſores, & ex eo opere quod aliqua ſemper ex parte propter imperfectionem vitioſum eſt.

3. Argumentum, ex locis qui bona opera juſtitiæ titulo inſigniunt, & hominem illis aſſerunt juſtificari.

Deut. 6. verſ. 25.
Deut. 24. verſ. 13.
Pſal. 106. v. 30, 31.

Reſponſio ad priorem partem hujus argumenti, de bonorum operum nomine.

Cur ſanctorum opera vocentur juſtitiæ.

Luc. 1: 6.

Diſtinctio obſervanda.

8. Sed venio ad ſecundum genus, in quo præcipua eſt difficultas. Nihil magis firmum habet Paulus ad probandam fidei juſtitiam, quam quod de Abraham ſcribitur, *fidem illi ſuam pro juſtitia imputatam fuiſſe.* Quum ergo editum facinus à Phinees *imputatum illi fuiſſe ad juſtitiam* dicatur: quod de fide contendit Paulus, licebit nobis de operibus ratiocinari. Proinde adverſarii noſtri, quaſi re evicta, conſtituunt nos quidem ſine fide non juſtificari: ſed neque per eam juſtificari ſolam. opera eſſe quæ juſtitiam noſtram impleant. Ego hic pios obteſtor, ut ſi veram juſtitiæ regulam ex ſola Scriptura petendam norunt, mecum religioſe & ſerio expendant quomodo Scriptura ſecum ipſa ſine cavillis rite conciliari poſſit. Quum ſciret Paulus, fidei juſtificationem ſuffugium eſſe iis qui propria juſtitia deficiun-

Ad ſecundam partem tertii argumenti, hominem operibus juſtificari.

Rom. 4:3.
Gal. 3: 6.
Pſal. 106. verſ. 31.

Reſponſio.

Digitized by Google

ciuntur: audacter infert, juſtitia operum excluſos quicunque fide juſtificantur. Quoniam vero conſtat omnium illam eſſe fidelium communem, ex eo pari fiducia conſtituit operibus neminem juſtificari: quin magis contra, nullo operum adminiculo juſtificari. Sed aliud eſt diſputare quid per ſe valeant opera, aliud quo loco poſt ſtabilitam fidei juſtitiam habenda ſint.

Opera per ſe nihil valent, fideque ſola juſtificamur.

Si operibus ſtatuendum eſt pro dignitate ſua pretium, indigna eſſe dicimus quæ in conſpectum Dei prodeant: ideo nihil operum habere hominem quo apud Deum glorietur: inde omni operum adminiculo exutum, ſola fide juſtificari.

Hujus juſtitiæ definitio.

Eam porro juſtitiam definimus, quod in Chriſti communionem receptus peccator, ejus gratia Deo reconciliatur: dum illius ſanguine purgatus peccatorum remiſſionem obtinet: & juſtitia non ſecus ac propria veſtitus, coram cæleſti tribunali ſecurus ſubſiſtit.

Bonorum operum æſtimatio unde.

Præpoſita peccatorum remiſſione, quæ jam ſequuntur bona opera aliam quam à ſuo merito æſtimationem habent: quia quicquid in illis eſt imperfectum, Chriſti perfectione contegitur: quicquid nævorum eſt aut ſordium, ejuſdem puritate abſtergitur, ne in judicii divini quæſtionem veniat. Obliterata igitur omnium transgreſſionum culpa, quibus impediuntur homines ne quicquam Deo gratum proferant, ſepulto etiam imperfectionis vitio quod bona quoque opera fœdare ſolet, quæ fiunt à fidelibus bona opera, juſta cenſentur: vel (quod idem eſt) in juſtitiam imputantur.

Reſponſionis confirmatio, dilemmate firmiſſ. munita. Bona opera vel in juſtitiam imputantur per ſe: vel ſingula & omnia ſimul: quod falſum eſt.

9. Nunc mihi ſiquis iſtud objectet ad impugnandam fidei juſtitiam, primum interrogabo, num homo juſtus cenſeatur ob unum aut alterum ſanctum opus, reliquis vitæ operibus Legis transgreſſor? Pluſquam abſurdum quidem eſt. Deinde requiram an ob multa quoque bona opera, ſi quidem prævaricationis aliqua in parte reus tenetur? Ne hoc quidem contendere audebit, reclamante Legis ſanctione, maledictoſque omnes proclamante qui non omnia Legis mandata ad ultimum impleverint. Adhæc ultra progrediar, ſitne ullum opus quod nullius impuritatis aut imperfectionis argui mereatur? Et quomodo eſſet coram iis oculis quibus nec ſtellæ ſatis mundæ ſunt, nec Angeli ſatis juſti? Ita nullum extare bonum opus concedere cogetur quod non & appoſitis ſibi transgreſſionibus, & ſua ipſius corruptione pollutum ſit, ne juſtitiæ honorem teneat.

Deut. 27. verſ. 26.
Job. 4: 18.

Vel in juſtitiam imputantur per fidem & propter juſtitiam fidei, & ſingula & omnia ſimul. Ergo ſola fides juſtificat & totum hominem & omnia ejus bona opera.

Quod ſi conſtat à juſtificatione fidei proficiſci, ut opera impura alioqui, immunda, dimidiata, indigna Dei conſpectu, nedum amore, juſtitiæ imputentur: quid hujus jactatione deſtruere illam moliuntur, quæ ſi non eſſet, hanc fruſtra jactarent? Vipereumne partum facere volunt? Eo enim tendunt impiorum dicta. Fidei juſtificationem, principium, fundamentum, cauſam, argumentum, ſubſtantiam operum juſtitiæ eſſe non poſſunt inficiari: concludunt tamen fide non juſtificari hominem, quod bona quoque opera in juſtitiam reputentur. Omittamus ergo iſtas ineptias, & quod res eſt fateamur: ſi à fidei juſtificatione dependet qualiſcunque tandem cenſetur operum juſtitia, non modo per hanc nihil imminui, ſed potius confirmari: quo nimirum vis ejus potentior elucet. Neque etiam ſic putemus commendari poſt gratuitam juſtificationem opera, ut & ipſa in locum juſtificandi hominis poſtea ſuccedant, aut ejuſmodi officium cum fide partiantur. Niſi enim perpetuo maneat ſolida fidei juſtificatio, illorum immundities detegetur. Nihil autem abſonum eſt, ſic fide hominem juſtificari ut non ipſe modo juſtus ſit, ſed opera quoque ejus ſupra dignitatem juſta cenſeantur.

Ea ſenſu fidelium partialis juſtitia, id eſt, imperfecta, accepta eſt: non illa autem quam adverſarii gratuita juſtitia per fidem ſomniant.

10. Hac ratione concedemus, non partialem modo in operibus juſtitiam (quod ipſi adverſarii volunt) ſed perinde approbari Deo acſi perfecta abſolutaque foret. Sed ſi meminerimus quo fundamento fulciatur, ſoluta erit omnis difficultas. Gratum enim opus tunc demum eſſe incipit ubi cum venia ſuſcipitur. Porro unde venia, niſi quia Deus nos & noſtra omnia in Chriſto intuetur? Quemadmodum ergo nos ipſi, ubi in Chriſtum inſiti ſumus, ideo juſti apparemus coram Deo, quia ejus innocentia conteguntur noſtræ iniquitates: ſic opera noſtra juſta ſunt & habentur, quia quicquid aliâs vitii in ipſis eſt, Chriſti puritate ſepultum, non imputatur. Ita merito dicere poſſumus, ſola fide non tantum nos, ſed opera etiam noſtra juſtificari. Jam ſi iſta qualiſcunque operum juſtitia à fide & gratuita juſtificatione pendet, & ab ea efficitur: debet ſub eam includi, & tanquam effectus cauſæ ſuæ (ut ita loquar) ſubordinari: tantum abeſt ut erigi debeat ad illam vel deſtruendam vel obſcurandam. Sic Paulus, ut extorqueat, beatitudinem noſtram Dei miſericordia, non operibus conſtare, urget maxime illud Davidis, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus cui non imputavit Dominus peccatum.* Rom.4: 7. Pſal. 32: 1.
Siquis contra obtrudat innumera elogia, quibus videtur beatitudo operibus dari: qualia ſunt, *Beatus vir qui timet Dominum,* Pſ. 112: 1.
qui miſeretur pauperis, qui non ambulavit in conſilio Prov. 14.
impiorum, qui ſuffert tentationem: beati qui cuſto- verſ. 21.
diunt judicium, immaculati, pauperes ſpiritu, mi- Pſal. 1: 1.
tes, miſericordes, &c. non efficient quominus ve- Jac. 1: 12.
rum ſit quod ait Paulus. Quoniam enim illa quæ Pſ. 106: 3.
prædicantur, omnia nunquam ſic ſunt in homine & 119: 1.
ut Deo propterea id approbetur, conficitur, miſe- Matth. 5.
rum ſemper eſſe hominem niſi à miſeria per veniam verſ. 3. &c.
peccatorum eximatur.

Concluſio refutationum tertii argumenti.

Quoniam ergo univerſa quæ Scripturis extolluntur beatitudinis genera, irrita concidunt, ut nullius fructum percipiat homo, donec beatitudinem peccatorum remiſſione adeptus fuerit, quæ deinde illis locum faciat: ſequitur hanc eſſe non modo ſummam & præcipuam, ſed unicam: niſi forte velis ab illis enervari quæ in ea ſola conſiſtunt. Multo jam minus rationis eſt cur nos conturbare debeat appellatio juſtorum quæ fidelibus plerumque tribuitur. Juſtos certe à vitæ ſanctimonia nuncupari fateor: ſed quum in juſtitiæ ſtudium magis incumbant quam juſtitiam ipſam impleant, qualemcunque hanc juſtitiam, fidei juſtificationi cedere par eſt, unde habet id quod eſt.

4. Argumentum, ex epiſt. catholica Jacobi Apoſtoli.

11. Sed enim cum Jacobo plus adhuc negotii nobis reſtare aiunt, ut qui aperta voce nobis repugnet. Docet enim & *Abraham ex operibus fuiſſe juſtificatum, & nos quoque omnes operibus juſtificari, non ſola fide.* Jacob. 2. v. 21, 24.

Reſponſio 1. Apoſtolum cum Apoſtolo non eſſe committendum.

Quid igitur? pertrahentne in certamen Paulum cum Jacobo? Si Jacobum pro Chriſti miniſtro habent, ſic accipienda eſt ejus ſententia, ne à Chriſto per os Pauli loquente diſſentiat. Spiritus per os Pauli aſſerit, Abraham fide, non operibus juſtitiam fuiſſe conſequutum: nos quoque fide docemus omnes ſine operibus Legis juſtificari. Idem Spiritus per Jacobum tradit, & Abrahæ & noſtram juſtitiam operibus, non fide tantum conſtare. Spiritum ſecum non pugnare, certum eſt.

Reſponſio 2. adverſariis, de conſcientiæ tranquillitate parum ſollicitis, ſatis eſſe ſi juſtitiam fidei arrodere poſſint.

Quæ erit ergo iſtorum concordia? adverſariis abunde eſt, ſi convellerint quam nos altiſſimis radicibus ſtabilitam volumus fidei juſtitiam: ſuam autem conſcientiis tranquillitatem reddere, non magnæ curæ eſt. Unde videas quidem eos fidei juſtificationem arrodere, ſed nullam interim conſtituere juſtitiæ metam ubi conſcientiæ ſiſtantur. Triumphent ergo ut libet, modo non aliam jactare victoriam poſſint, quam omnem juſtitiæ certitudinem ſe ſuſtuliſſe. Ac miſeram quidem hanc victoriam obtinebunt, ubi extincta veritatis luce, mendaciorum tenebras offundere illis Dominus permittet. Ubicunque autem ſtabit Dei veritas, nihil proficient. Nego itaque Jacobi ſententiam, quam aſſidue tanquam Achillis clypeum nobis obtendunt, illis vel tantillum

Reſponſio 3. ſumpta ex ſcopo Jacobi.

lium ſuffragari. Id quo planum fiat, intuendus primum erit Apoſtoli ſcopus: deinde obſervandum ubi hallucinentur. Quoniam tum erant plerique (quod malum io Eccleſia perpetuum eſſe ſolet) qui infidelitatem ſuam manifeſte prodebant, quæcunque propria ſuot fidelium opera negligendo ac omittendo, falſo tamen fidei nomine gloriari noo deſinebant: ſtolidam talium fiduciam hic eludit Jacobus. Noo eſt ergo illi propoſitum veræ fidei vim ulla ex parte deterere, ſed oſtendere quam inepte ougatores iſti vacuæ ejus imagini tantum arrogarent, ut hac contenti, ſecure diffluerent io omnem vitiorum licentiam. Hoc ſtatu concepto, facile erit animadvertere ubi peccent noſtri adverſarii. Incidunt enim in duplicem paralogiſmum: alterum in fidei vocabulo, alterum in verbo juſtificandi. Quod fidem nominat Apoſtolus, inanem opinionem procul à fidei veritate diſſitam, conceſſionis eſt quæ nihil cauſæ derogat: quod ab initio ipſe demonſtrat his verbis, *Quid prodeſt, fratres mei, ſiquis fidem dicat ſe habere, opera autem non habeat?* noo dicit, Si fidem quis habeat ſine operibus: ſed, Si jactet. Clarius etiam paulo poſt, ubi deteriorem diabolica notitia per ludibrium facit: poſtremo ubi mortuam vocat. Sed à definitione ſufficienter deprehendas quid velit. *Tu credis*, inquit, *quod Deus eſt*: ſane ſi nihil in iſta fide continetur niſi ut credatur Deum eſſe, jam nihil mirum eſt ſi non juſtificet. Nec vero dum hoc illi adimitur, quicquam derogari putemus fidei Chriſtianæ, cujus longe diverſa eſt ratio. Quo enim modo vera fides juſtificat, niſi dum nos Chriſto coogluttinat, ut unum cum illo facti, participatione juſtitiæ ejus fruamur? noo ergo eo juſtificat quod divinæ eſſeotiæ ootitiam concipiat: ſed quod in miſericordiæ certitudioe recumbit.

Qui dupli- cem adverſariorum paralogiſmum deregit. 1. In fidei vocabulo. fides enim hic eſt inanis opinio, per conceſſionem: apud Paulum inſtrumentum eſt quo Chriſtum juſtitiam noſtram apprehendimus.

2. Alter paralogiſmus in verbo juſtificandi.

12. Nondum ſcopum attigimus, niſi diſcutiamus & alterum paralogiſmum: ſiquidem juſtificationis partem in operibus Jacobus reponit. Si & reliquis Scripturis, & ſibiipſi conſentaneum Jacobum facere velis, neceſſarium eſt, *Juſtificandi* verbum alio ſignificatu accipere quam apud Paulum. Juſtificari enim dicimur à Paulo, quum obliterata injuſtitiæ noſtræ memoria, juſti reputamur. Eo ſi ſpectaſſet Jacobus, præpoſtere citaſſet illud ex Moſe, *Credidit Abraham Deo*, &c. Sic enim contexit, *Abraham operibus conſequutus eſt juſtitiam quod filium immolare, jubente Deo, non dubitavit. Atque ita impleta eſt Scriptura, quæ dicit illum credidiſſe Deo, & imputatum ei ad juſtitiam.* Si abſurdum eſt, effectum eſſe ſua cauſa priorem, aut falſo teſtatur Moſes eo loco imputatam fuiſſe Abrahæ fidem in juſtitiam, aut ex ea quam in Iſaac offerendo præſtitit obedientia, juſtitiam non fuit promeritus. Noodum coocepto Iſmaële, qui jam adoleverat antequam Iſaac naſceretur, fide ſua juſtificatus fuit Abraham. Quomodo igitur dicemus obedientia diu poſt ſequuta juſtitiam ſibi comparaſſe? Quare aut perperam ordinem iovertit Jacobus (quod cogitare eſt nefas) aut juſtificatum noluit dicere, quaſi promeritus ſit ut juſtus cenſeretur. Quid ergo? Certe de juſtitiæ declaratione, non autem imputatione ipſum loqui apparet: acſi diceret, Qui vera fide juſti ſunt, ii ſuam juſtitiam obedientia boniſque operibus probant, noo ouda & imaginaria fidei larva. Io ſumma, non diſputat qua ratione juſtificemur: ſed juſtitiam operatricem à fidelibus requirit. Et quemadmodum Paulus citra operum adminiculum juſtificari contendit: ita hic juſtos haberi non patitur qui bonis careant operibus. Hujus ſcopi conſideratio nos omni ſcrupulo extricabit. nam hinc præcipue falluntur noſtri adverſarii, quod putant Jacobum juſtificationis rationem definire: quum nihil aliud ſtudeat quam pravam eorum ſecuritatem diruere, qui excuſaodo bonorum operum contemptui fidem inaniter obtendebant. Ergo quoslibet in modos Jacobi verba torqueant, oihil præter duas ſententias expriment, Inane fidei ſpectrum non juſtificare, & fidelem, tali imaginatione non contentum, operibus bonis ſuam juſtitiam declarare.

Paulus de cauſa, Jacobus de effectis juſtificationis loquitur, agens de Abrahamo. Paulus de juſtitia imputatione, Jacobus de juſtitia cognitione & declaratione.

Summa diſputationis Apoſtoli Jacobi.

13. Quod autem ex Paulo in eundem ſenſum citaot, minimum eos juvat, *Factores Legis, non auditores juſtificari.* Nolo ſolutione Ambroſii evadere, ideo eſſe illud dictum *quia complementum Legis ſit in Chriſtum fides.* Video enim merum eſſe effugium, quo nihil opus eſt ubi aperta patet via. Illic ſtolida confideotia Judæos dejicit Apoſtolus, qui ſola Legis agnitione ſe venditabant, quum interim ſummi eſſent ejus contemptores. Ne ergo nuda Legis peritia tantopere ſibi placerent: admonet, ſi ex Lege quæratur juſtitia, non ejus ootitiam, ſed obſervationem quæri. Nos certe iſtud in dubium oon vocamus, quin Legis juſtitia conſiſtat in operibus: ac ne illud quidem, quin conſiſtat in operum dignitate & meritis juſtitia. Sed nondum probatum eſt operibus nos juſtificari, niſi uoum aliquem proferant qui Legem impleverit. Non aliud autem ſenſiſſe Paulum erit ſatis amplo teſtimonio orationis cootextus. Poſtquam Gentes ac Judæos in commune injuſtitiæ damnaverat, tum ad diſtributionem deſcendit, ac dicit *eos qui ſine Lege peccaverunt, ſine Lege perire*: quod ad Gentes refertur. *qui vero in Lege peccaverunt, per Legem judicari*: quod Judæorum eſt. Porro quoniam illi ſuis prævaricationibus conniventes, ſola Lege ſuperbiebant: adjungit quod optime congruebat, non ideo latam eſſe Legem ut audita ſolummodo ejus voce juſti redderentur: ſed tum demum ſi obedirent. acſi diceret, In Lege quæris juſtitiam? ne auditum ejus prætexas, qui parvi eſt per ſe ponderis: ſed afferas opera quibus declares Legem non tibi fruſtra poſitam. His quoniam deficiebantur omnes, ſequebatur, Legis gloriatione eſſe ſpoliatos. Itaque cootrarium potius ex mente Pauli argumentum formandum eſt, Juſtitia Legis io operum perfectione ſita eſt. nemo jactare poteſt ſe per opera Legi ſatisfeciſſe. nulla ergo eſt à Lege juſtitia.

5. Argumentum, ex Paulo. Rom. 2. verſ. 13.

Reſponſio, ſenſum Apoſtoli explicans.

Altera. adverſarios ad impoſſibile deducens.

Cur hoc uſus ſit argumento Paulus.

Tertia, argumentum retorquens.

14. Jam & ex locis illis pugnant quibus ſuam juſtitiam fideles examinandam Dei judicio audacter offerunt, ac ſecundum eam de ſe ſtatui cupiunt. Quales ſunt, *Judica me Domine ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam, quæ ſunt in me.* Item, *Exaudi Deus juſtitiam meam. Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, & non eſt inventa in me iniquitas.* Item, *Retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum rependet mihi. Quia cuſtodivi vias Domini, nec impie deſeci à Deo meo. Et ero immaculatus, & obſervabo me ab iniquitate mea.* Item, *Judica me Domine, quoniam in innocentia mea ambulavi. Non ſedi cum viris mendacibus, cum inique gerentibus non introibo. Ne perdas cum impiis animam meam, cum viris ſanguinum vitam meam. In quorum manibus iniquitates ſunt: dextera quorum repleta eſt muneribus. Ego autem innocenter ambulavi.* Dixi ſupra de fiducia quam ſibi ſancti ſimpliciter ab operibus ſumere videntur. Quæ autem huc adduximus teſtimonia nos non valde impedient ſi ſecundum ſuam περίστασιν, hoc eſt, complexum, vel (ut vulgo loquuntur) circumſtantiam, accipiantur. Ea porro duplex eſt. nam nec de ipſis in univerſum quæſtionem haberi volunt, ut pro totius vitæ tenore vel damnentur vel abſolvantur: ſed ſpecialem cauſam in judicium diſceptandam afferunt: nec divinæ perfectionis reſpectu, ſed ex improborum ac ſceleſtorum comparatione juſtitiam ſibi arrogant. Primum, quum de homine juſtificando agitur, non tantum quæritur ut bonam in re aliqua particulari cauſam habeat: ſed perpetuam quandam tota vita juſtitiæ

ſym-

6. Argumentum, ex locis quibus fideles ſuam juſtitiam Dei judicio examinandam audacter offerunt, ac ſecundum eam de ſe ſtatui cupiunt.

Pſal. 7: 9.
Pſal. 17: 1.
Pſal. 18. verſ. 21.
Pſal. 26. v. 1, 9, 10.

Reſponſio, per duplicis circumſtantia conſiderationem.

1. Specialem cauſam tantum in judicium afferunt.

ſymmetriam. Atqui ſancti, dum ad comprobandam ſuam innocentiam Dei judicium implorant, non ſeipſos omni noxa ſolutos & omni ex parte inculpatos offerunt: ſed quum in ſola ejus bonitate ſalutis fiduciam defixerint, confiſi tamen eſſe vindicem pauperum præter jus & æquitatem afflictorum, profecto cauſam in qua innocentes opprimuntur, illi commendant.

2. Ex improborum comparatione juſtitiam ſibi arrogant.

Dum vero ſecum adverſarios ad tribunal Dei ſiſtunt, non jactant innocentiam quæ Dei puritati reſponſura ſit, ſi ſevere conquiratur: ſed quia præ adverſariorum malitia, improbitate, aſtutia, nequitia, ſinceritatem, juſtitiam, ſimplicitatem, puritatemque ſuam Deo compertam gratamque eſſe norunt, non reformidant, inter ſe & illos judicem invocare.

1 Sam. 26. verſ. 23.

Sic quum David Sauli dicebat, *Reddat Dominus unicuique ſecundum juſtitiam & veritatem ejus*, non intelligebat ut Dominus unumquemque per ſe examinaret ac muneraretur pro meritis: ſed Dominum atteſtabatur, quanta eſſet ſua innocentia, præut erat Saulis iniquitas.

2 Cor. 1. verſ. 12.

Ac ne Paulus quidem, quum hac gloriatione ſe jactat, *quod bonum habeat conſcientiæ teſtimonium, ſe cum ſimplicitate & integritate verſatum eſſe in Eccleſia Dei*, vult ejuſmodi gloriatione apud Deum niti: ſed coactus impiorum calumniis, fidem ac probitatem ſuam, quam divinæ indulgentiæ acceptam eſſe ſciebat, adverſus quamlibet hominum maledicentiam aſſerit.

1 Cor. 4. verſ. 4.

Videmus enim quid alibi dicat, *ſe nihil eſſe ſibi male conſcium, ſed non in hoc juſtificari.* Quia ſcilicet intelligebat, judicium Dei humanam lippitudinem longe tranſcendere.

Ita tamen ut coram Deo ſuppliciter miſericordiam petant.

Utcunque ergo pii contra impiorum hypocriſin ſuam innocentiam Deo teſte ac judice defendant: ubi tamen cum ſolo Deo negotium eſt, omnes uno ore clamant, *Si iniquitatem obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Item, *Ne ingrediaris in judicium cum ſervis tuis: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* ſuiſque operibus diffiſi, libenter canunt, *Bonitas tua melior quam vita.*

Pſ. 130: 3.
Pſ. 143: 2.
Pſal. 63:4.

Poſtremum argumentum, à teſtimoniis quæ juſtitiam & vitam operibus fidelium adſcribunt.

15. Sunt & alii non abſimiles ſuperioribus loci, in quibus ſubſiſtere etiamnum quis poſſit. Dicit Solomon, *eum qui ambulat in integritate ſua, juſtum eſſe.* Item, *In ſemita juſtitiæ eſſe vitam, ac in ea ipſa non eſſe mortem.* Qua ratione Ezechiel perhibet *vita victurum qui judicium ac juſtitiam fecerit.* Nihil eorum vel inficiamur, vel obſcuramus. Sed prodeat unus ex filiis Adam cum tali integritate. Si nemo eſt, aut pereant à conſpectu Dei oportet, aut ad miſericordiæ aſylum confugiant.

Prov. 20:7. & 28: 18.
Ezech. 18. v. 9. 21. & 33: 15.

Reſponſio: Id ex paterna Dei benignitate procedit: non quod fidelium opera, ut Scholaſtici tradunt, in pretium æqualitatis Dei acceptione evehantur.

Neque interim negamus quin fidelibus ſua integritas, dimidiata licet ac imperfecta, gradus ſit ad immortalitatem. Sed unde id, niſi quoniam quos in fœdus gratiæ aſſumpſit Dominus, eorum opera non excutit pro meritis, ſed paterna benignitate oſculatur? Quo non tantum intelligimus quod tradunt Scholaſtici, *à gratia acceptante habere opera ſuum valorem.* Illi enim ſentiunt, imparia alioqui opera ex Legis pacto ſaluti comparandæ, in æqualitatis tamen pretium Dei acceptione evehi. Ego autem dico, ea, tum aliis tranſgreſſionibus, tum ſuis ipſorum maculis inquinata, non aliud valere niſi quod Dominus veniam utriſque indulget. quod eſt, gratuitam homini juſtitiam largiri. Neque tempeſtive hic obtruduntur illæ Apoſtoli precationes, ubi tantum fidelibus perfectionem optat, *ut ſint inculpati & irreprehenſibiles in die Domini.*

Eph. 1: 4.
1 Theſſ. 3. verſ. 13. & alibi.

Hæc quidem verba Cæleſtini valde olim exagitabant, ad perfectionem juſtitiæ in hac vita aſſerendam. Sed quod arbitramur ſufficere, breviter poſt Auguſtinum reſpondemus: ad hanc quidem metam aſpirare pios omnes debere ut immaculati aliquando & inculpati appareant coram Dei facie. ſed quia optima & præſtantiſſima vitæ præſentis ratio nihil aliud eſt quam profectus, ad eam metam nos tum demum perventuros ubi hac peccati carne exuti, Domino ad plenum adhærebimus. Neque tamen pertinaciter cum eo litigabo qui perfectionis titulum ſanctis tribuere volet: modo eam quoque Auguſtini ipſius verbis definiat. *Perfectam*, inquit, *ſanctorum virtutem quam nominamus, ad ipſam perfectionem pertinet etiam imperfectionis tum in veritate tum in humilitate cognitio.*

Perfectio ſanctorum. lib. 3. ad Bon. cap. 7.

CAP. XVIII.

Ex mercede male colligi operum juſtitiam.

Partes hujus capitis.

1. *Solutio duarum generalium objectionum quæ ad operum juſtitiam ſtabiliendam proferuntur. 1. Deum unicuique redditurum ſecundum opera ſua. 2. Vitam æternam operum mercedem appellari, à prima ſectione ad ſextam.*
2. *Ad alias ſpeciales objectiones inde deductas, & ex Scripturæ depravatis teſtimoniis deſumptas, reſponſio, ſectione* 6. 7. 8. 9.
3. *Sophiſmatis, fidem opus vocari, ideo nos opere juſtificari aſſerentis, dilutio, poſtrema ſectione.*

Prima generalis objectio.

Mat. 16. verſ. 27.
2 Cor. 5. verſ. 10.
Rom. 2:6.
Joan. 5. verſ. 29.
Mat. 25. verſ. 34.

TRanſeamus nunc ad eas ſententias quæ affirmant Deum unicuique redditurum ſecundum opera ſua: cujuſmodi ſunt, *Unuſquiſque referet quod geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum. Gloria & honor operanti bonum: tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum.* Et, *Ibunt qui bona egerint, in reſurrectionem vitæ: qui male fecerint, in reſurrectionem judicii. Venite benedicti Patris mei: eſurivi, & dediſtis mihi cibum: ſitivi, & potum tribuiſtis*, &c.

Altera.

Prov. 12. verſ. 13. & 13: 13.
Mat. 5: 12.
Luc. 6: 35.
1 Cor. 3:8.

Atque illis quoque eas conjungamus quæ mercedem operum appellant vitam æternam: quo in genere ſunt, *Retributio manuum hominis reſtituetur ei. Qui timet mandatum, remunerabitur. Gaudete & exultate: ecce merces veſtra copioſa eſt in cælis. Unuſquiſque mercedem accipiet ſecundum laborem.*

Prima objectionis ſolutio.

Quod unicuique dicitur redditurus Deus ſecundum opera, parvo negotio diſſolvitur. Ordinem enim conſequentiæ magis quam cauſam indicat loquutio. Extra dubium autem eſt, Dominum bis miſericordiæ ſuæ gradibus ſalutem noſtram conſummare dum electos ad ſe vocat, vocatos juſtificat, juſtificatos glorificat.

Rom. 8. v. 28, 29.

Ejuſdem explicatio.

Tametſi ergo ſola miſericordia ſuos in vitam ſuſcipiat: quia tamen in ejus poſſeſſionem ipſos deducit per bonorum operum ſtadium, ut quod deſtinavit ordine ſuum in illis opus impleat: nihil mirum ſi ſecundum opera ſua dicuntur coronari: quibus haud dubie ad recipiendam immortalitatis coronam præparantur. Quin hac ratione appoſite dicuntur *ſalutem ſuam operari*, dum bonis operibus incumbendo, vitam æternam meditantur. nempe ſicut alibi jubentur *operari cibum qui non perit*, dum in Chriſtum credendo ſibi vitam acquirunt: & tamen mox additur, *quem filius hominis daturus eſt vobis.* Unde apparet *Operandi* verbum nequaquam opponi gratiæ, ſed referri ad ſtudium: ac proinde non ſequitur, vel fideles ipſos eſſe ſalutis ſuæ auctores, vel ab ipſorum operibus eam emanare. Quid ergo? ſimulatque per Euangelii notitiam, & Spiritus ſancti illuminationem adſciti ſunt in Chriſti conſortium, inchoata eſt in illis æterna vita. Jam *quod in illis bonum opus inchoavit Deus, & perfici oportet*

Phil. 2: 12.
Joan. 6. verſ. 27.

Operandi verbum quid ſignificet.

Phil. 1: 6.

oportet uſque in diem Domini Jeſu. Perficitur porro, quum juſtitia & ſanctitate Patrem cæleſtem referentes, ſe filios ejus oon degeneres eſſe probaot.

Secunda objectionis generalis ſolutio.

1. Opera ſalutis cauſam non facere, ab hæreditatis nomine & natura oſtenditur.

2. Ex *Mercedis* nomine non eſt cur opera noſtra ratiocinemur cauſam eſſe ſalutis. Principio iſtud ſancitum ſit in cordibus noſtris, regnum cælorum non ſervorum ſtipendium, ſed filinrum eſſe hæreditatem: qua ſoli potientur qui à Domino in filios cooptati fuerint: neque ullam aliam ob cauſam quam ob hanc adoptionem. *non enim erit hæres filius ancillæ, ſed filius liberæ.* Adeoque in iis ipſis locis quibus gloriam æternam mercedem operibus fore pollicetur Spiritus ſanctus, hæreditatem nominatim exprimendo, aliunde nobis provenire demonſtrat. Sic Chriſtus npera recenſet, quæ cæli remuneratione compenſat, dum in ejus poſſeſſionem electos vocat: ſed ſimul adjungit, hæreditatis jure poſſidendum. Sic Paulus jubet ſervos, fideliter ageotes quod officii ſui eſt, ſperare retributionem à Domino: ſed addit *hæreditatis.* Videmus ut quaſi præſcriptis verbis diligenter caveant ne acceptam feramus operibus æternam beatitudinem: ſed Dei adoptioni. Cur ergo ſimul operum mentionem faciunt? Uno Scripturæ exemplo iſta quæſtio eluceſcet. Ante nativitatem Iſaac, promiſſum erat Abrahæ ſemen in quo benedicendæ erant nmoes terræ nationes: ſeminis propagatin quæ æquatura eſſet ſtellas cæli, & arenas maris, aliaque ſimilia. Multis poſt annis, ut erat oraculo juſſus, Abraham ad filium immolandum ſe accingit. Iſta obedientia defuoctus, recipit promiſſionem. *Per memetipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti proprio filio unigenito: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli & arenas maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Quid audimus? an obedientia ſua promeritus eſt benedictionem Abraham, cujus promiſſionem receperat antequam ederetur præceptum? Hic profecto citra ambages tenemus, iis bonis munerari Dominum fidelium opera quæ illis jam ante cogitata opera dederat: nihildum cauſæ habens cur ipſis benefaceret niſi ſuam miſericordiam.

Eph. 1:18.
Gal. 4:30.
Matth. 25. verſ. 34.
Col. 3:24.

2. Inſigni quo exemplo confirmatur, iis bonis Dominum remunerari fidelium opera, quæ illis ante cogitata opera dederat.

Gen. 15:5. & 17:1, 2.
Geneſ. 22. verſ. 3, 17.

Prima cauſa cur vita æterna dicatur merces operum: videlicet ut per ſancta vitæ ſtudium ad æterna gratuita præmia alacrius contendamus.

3. Neque tamen fruſtratur aut ludit nos Dominus quum ait ſe operibus rependere quod gratis ante opera donaverat. Quia enim bonis operibus vult nos exerceri ad meditandam eorum quæ promiſit exhibitionem vel fruitionem, ut ita loquar, ac per ea decurrere, ut contendamus ad beatam ſpem nobis propoſitam in cælis, rite & illis aſſignatur promiſſionum fructus, ad cujus maturitatem nos perducunt. Eleganter expreſſit utrumque Apoſtolus, quum diceret officiis charitatis ſtudere Coloſſenſes, *propter ſpem in cælis ſibi repoſitum, de qua ante audierant per ſermonem veracis Euangelii.* Nam quum ait eos ex Euangelio cognoviſſe ſpem ſibi in cælis repoſitam, declarat ſoln Chriſto, nullis autem ſuffultam operibus. cui concioit illud Petri, *Cuſtodiri pios Dei virtute per fidem, in ſalutem quæ parata eſt manifeſtari ſuo tempore.* Dum ipſos ait ejus cauſa laborare, ſignificat currendum eſſe fidelibus toto vitæ ſpatio ut apprehendant. Ne vern putaremus ad meriti modum redigi quam nobis Dominus mercedem pollicetur, parabolam propoſuit, in qua ſe fecit patremfamilias, qui quoſcuoque habet obvios, mittit in vineæ ſuæ culturam: alios quidem hora diei prima, alios ſecunda, alios tertia, qunſdam etiam undecima: veſperi rependit nmnibus æquale pretium. Cujus interpretatinnem breviter & vere complexus eſt quicunque ſit ille tandem vetuſtus ſcriptnr, cujus liber De vocatinne Gentium ſub Ambroſii nomine fertur. Ejus verbis potius quam meis utar. *Hujus,* inquit, *comparationis regula Dominus multimodæ vocationis varietatem ad unam gratiam pertinentem adſtruxit: ubi ſine dubio qui hora undecima intromiſſi in vineam totius diei operariis exæquantur, eorum præferunt ſortem quos ad commendandam gratiæ excellentiam, in defectu diei, & concluſione vitæ, divina indulgentia muneravit: non labori pretium ſolvens, ſed divitias bonitatis ſuæ in eos, quos ſine operibus elegit, effundens: ut etiam qui in multo labore ſudarunt, nec amplius quam noviſſimi acceperunt, intelligant donum ſe gratiæ, non operum accepiſſe mercedem.* Poſtremo hoc quoque notatu dignum eſt, in his locis, ubi vita æterna merces operum vocatur, non ſimpliciter prn illa commuoicatione accipi quam habemus cum Deo ad beatam immortalitatem, quum nos paterna benevolentia in Chriſtn amplectitur: ſed pro beatitudinis poſſeſſinne vel fruitinne, ut vocant, ſicut etiam ſonant ipſa Chriſti verba, *In futuro vitam æternam.* Et alibi, *Venite, poſſidete regnum,* &c. Hac rationa & Paulus vocat *adoptionem*, revelationem adnptionis quæ in reſurrectione fiet: ac poſtea interpretatur, *redemptionem corporis noſtri.* Alioqui autem quemadmodum alienatio à Deo æterna mors eſt, ſic quum hnmo in gratiam à Deo recipitur ut cnmmunicatione ejus fruatur, uniumque cum eo fiat, transfertur à morte ad vitam: id quod fit ſolius adoprionis beneficio. Et ſi more ſuo pertinaciter urgeant operum mercedem, regerere illud Petri licebit, vitam æternam eſſe fidei mercedem.

Col. 1:4, 5.
1 Pet. 1:5.
Mat. 20:1.

Conſenſu Ambroſii. lib. 1. c. 3.

Regula obſervanda.

1 Chriſti. Marc. 10. verſ. 30. Matth. 25. verſ. 34.

2. Apoſtoli auctoritate. Rom. 8. verſ. 23.

1 Pet. 1:9.

Secunda cauſa, Deum noſtræ imbecillitati ſic occurrere, ne animis fatiſcamus.

4. Itaque ne cogitemus Spiritum ſanctum hujuſmodi promiſſione commendare nperum noſtrorum dignitatem, acſi talem mercedem mereaotur. Nihil enim nnbis Scriptura reliquum facit quo in conſpectu Dei exaltemur. Quin potius tota in hoc eſt ut arrogantiam noſtram retundat, nos humiliet, dejiciat, & prorſus conterat. Verum noſtræ imbecillitati ſic occurritur, quæ ſtatim alioqui collaberetur ac cnncideret, niſi hac ſe expectatione ſuſtineret ac ſolatin leniret ſua tædia. Primum quam durum ſit, noo modo ſua nmnia, ſed ſe quoque ipſum relinquere & abnegare, reputent pro ſe quiſque ſinguli. Et tamen hoc tirocinio diſcipulos ſuos, hoc eſt, pios omnes, Chriſtus initiat. Deinde ſic per omnem vitam ſub crucis diſciplina erudit, ne cor adjiciant ad bonorum præſentium vel cupiditatem vel fiduciam. Breviter, ſic fere tractat, ut quocunque flectant oculos quam longe hic mundus patet, nonniſi deſperationem ſibi ubique obverſantem habeant: ut Paulus dicat, *miſerabiliores eſſe nos omnibus hominibus, ſi in hoc mundo duntaxat ſperemus.* In his tantis anguſtiis ne deficiant, adeſt illis Dominus, qoi monet ut altius caput exerant, & longius oculos conjiciant, beatitudinem, quam in mundo nnn vident, apud ſe reperturos: hanc beatitudioem, præmium, mercedem, retributionem vocat: non operum æſtimans meritum, ſed compenſationem eſſe ſignificans eorum preſſuris, paſſionibus, cootumeliis, &c. Quamobrem nihil nbeſt quominus vitam æternam remunerationem, Scripturæ exempln, vocemus: quod io ea Domious ſuos ex laboribus in quietem, ex afflictione in proſperum & optabilem ſtatum, ex mœſtitia in gaudium, ex paupertate in affluentiam, ex ignominia in gloriam recipiat: omnia denique quæ perpeſſi ſunt mala, bonis majoribus permutet. Sic & nihil erit incommodi ſi vitæ ſanctitatem exiſtimemus eſſe viam, nnn quidem quæ aditum aperiat in glnriam cæleſtis regni, ſed qua electi à Deo ſuo in ejus manifeſtationem ducantur: quando hæc bona ejus voluntas eſt, glorificare quos ſanctificavit. Tantum ne correlatiooem meriti ac mercedis imaginemur, in qua importune hærent Sophiſtæ, quia iſtum quem exponimus finem non conſiderant. Quam autem præpoſterum eſt, ubi in unum finem vocat nos Dominus, alior ſum reſpicere? Nihil clarius eſt quam ad ſublevandam aliquo ſolatio carnis noſtræ

Hujus ſolatii prima neceſſitas.

Altera.

Tertia.

1 Cor. 15. verſ. 19.

Quarta.

Sanctitas via regni, non cauſa regnandi.

Rom. 8. verſ. 29.

Sophiſtarum elenchus.

 debili-

debilitatem, non autem ad inflandos gloria animos, mercedem bonis operibus promitti. Qui ergo meritum operum inde colligit, vel appendit in trutina opus cum mercede, à recto Dei ſcopo longiſſime aberrat.

Objectio: Deus opera ſuorum coronat.
2 Tim. 4. verſ. 8.
Reſponſio 1. ex Auguſtino.
Auguſt. ad Valent. de gratia, & lib. arbit.
Altera, quæ Auguſtini mentem aperit.
Tertia, ex Scriptura.

5. Proinde quum Scriptura dicit, *Deum juſtum judicem redditurum olim ſuis juſtitiæ coronam*, non tantum cum Auguſtino excipio, *Cui redderet juſtus judex coronam, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? & quomodo eſſet juſtitia niſi præceſſiſſet gratia quæ juſtificat impium? quomodo iſta debita redderentur, niſi prius illa indebita darentur?* ſed aliud etiam addo, Quomodo juſtitiam imputaret noſtris operibus, niſi quod injuſtitiæ in illis eſt abſconderet ſua indulgentia? Quomodo cenſeret digna mercede, niſi quod in illis pœna dignum eſt, immenſa benignitate aboleret? Solet enim ille vir gratiam nominare vitam æternam, quia gratuitis Dei donis reddatur, dum operibus rependitur. At Scriptura nos ultra humiliat & ſimul erigit. Nam præterquam quod in operibus gloriari vetat, quia ſunt gratuita Dei dona, ſimul fæcibus quibuſdam ſemper inquinata eſſe docet: ut Deo ſatisfacere non poſſint ſi ad judicii ejus regulam examinentur: ſed, ne concidat nobis alacritas, mera venia placere. Etſi autem paulo aliter Auguſtinus quam nos loquitur: in re tamen non ita diſſentire conſtabit ex ejus verbis, libro ad Bonifacium tertio, cap. 5. Ubi quum inter ſe duos contuliſſet homines, alterum vitæ uſque ad miraculum ſanctæ & abſolutæ: alterum probum quidem & integris moribus, non tamen adeo perfectum quin deſiderari in eo multum queat: tandem infert, *Nempe iſte qui moribus illo videtur inferior, propter rectam in Deum fidem ex qua vivit, & ſecundum quam in omnibus delictis ſuis ſe accuſat, in omnibus bonis operibus Deum laudat, ſibi tribuens ignominiam, illi gloriam: atque ab ipſo ſumens & indulgentiam peccatorum & dilectionem recte factorum, de hac vita liberandus, in conſortium Chriſti migrat. Quare, niſi propter fidem? quæ licet ſine operibus neminem ſalvat (ipſa enim eſt non reproba fides, quæ per dilectionem operatur) tamen per ipſum etiam peccata ſolvuntur, quia juſtus ex fide vivit: ſine ipſa vero quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.* Hic certe non obſcure fatetur quod tantopere contendimus, inde pendere bonorum operum juſtitiam quod per veniam Deo approbantur.

Quarta, ex eodem Auguſtino ſeipſum interpretante.
Hab. 2: 4.

Prima ſpecialis objectio: In cœlis theſaurizare jubemur.
Luc. 16:9.
1 Tim. 6. verſ. 17. 18. & 19.

6. Superioribus locis proximum ſenſum habent iſti: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Divitibus hujus ſeculi præcipe non ſuperbe ſapere, neque ſperare in incertis divitiis, ſed in Deo vivo: bene agere, divites fieri in bonis operibus, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* Opibus enim comparantur bona opera, quibus in beatitudine vitæ æternæ fruamur. Reſpondeo, nos ad veram eorum intelligentiam nunquam acceſſuros niſi oculos in ſcopum convertamus quo ſua verba Spiritus dirigit. Si verum eſt quod ait Chriſtus, *Ibi animum noſtrum reſidere ubi eſt theſaurus noſter*: quemadmodum filii ſeculi intenti eſſe ſolent ad ea comparanda quæ ad præſentis vitæ delicias faciunt; ita fidelibus videndum eſt, poſtquam hanc vitam inſtar ſomnii mox evanituram didicerunt, ut ea quibus vere frui volunt, eo tranſmittant ubi ſolidam vitam ſunt habituri. Quod ergo faciunt qui demigrare inſtituunt in locum aliquem, ubi perpetuam vitæ ſedem elegerunt, nobis imitandum eſt: præmittunt illi ſuas facultates, neque illis ad tempus ægre carent: quia ſe beatiores eo putant quo plus habent bonorum ubi diu ſunt futuri. Nobis ſi cœlum patriam eſſe credimus, illuc potius tranſmittere opes noſtras convenit, quam hic retinere ubi ſubita migratione perituta nobis ſint. Quomodo autem tranſmittemus? nempe ſi pauperum neceſſitatibus communicamus: quibus quicquid erogatur, ſibi datum Dominus imputat. Unde egregia illa promiſſio, *Qui largitur pauperi, Domino fœneratur.* Item, *Qui benigne ſeminat, benigne metet.* Deponuntur enim in manu Domini quæ fratribus ex charitatis officio impenduntur. Ille, ut eſt bonæ fidei depoſitarius, olim reſtituet cum copioſo fœnore. Ergone tanti ſunt apud Deum noſtra officia ut ſint in ejus manu quaſi reconditæ nobis opes? Et quis horreat ita loqui, quum toties ac tam aperte id teſtetur Scriptura? Cæterum ſiquis à mera Dei benignitate tranſilire velit ad operum dignitatem, his teſtimoniis ad errorem aſtruendum nihil juvabitur. Nihil enim rite inde colligas niſi meram divinæ erga nos indulgentiæ propenſionem: quandoquidem quo nos ad benefaciendum animet, quamlibet vel ſolo ejus intuitu indigna ſint quæ illi exhibemus obſequia, nullum tamen perditum ſinit.

Reſponſio: Nihil aliud ſignificant hi loci, quam ut noſtrum eſſe doceant, ſi cœlum patriam eſſe credimus, illuc potius tranſmittere opes noſtras, quam hic retinere, ubi ſubita migratione amittenda ſunt.
Mat. 6:21.
Quomodo id fieri poſſit.
Matth. 25. verſ. 40.
Prov. 19. verſ. 17.
2 Cor. 9:6.
Summa totius reſponſionis.

7. Sed magis urgent Apoſtoli verba: qui dum Theſſalonicenſes in tribulationibus conſolatur, eas immitti illis docet *ut digni habeantur regno Dei pro quo patiuntur. Siquidem*, inquit, *juſtum eſt apud Deum, reddere iis qui vos affligunt, afflictionem: vobis autem relaxationem nobiſcum, quum revelabitur Dominus Jeſus è cælo.* Auctor vero epiſtolæ ad Hebræos, *Non eſt*, inquit, *injuſtus Deus ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, quod miniſtratis ſanctis.* Ad priorem locum reſpondeo, Nullam illic meriti dignitatem ſignificari: ſed quia Deus Pater vult nos, quos elegit filios, Chriſto primogenito conformari: ſicut oportuit illum primo pati, & tum demum intrare in gloriam ſibi deſtinatam: ita & nos per multas tribulationes oportet ingredi in regnum cœlorum. Tribulationes ergo dum patimur pro Chriſti nomine, quædam veluti notæ imprimuntur nobis, quibus oves gregis ſui Deus ſignare ſolet. Hac ergo ratione digni habemur regno Dei, quia ſtigmata Domini noſtri & magiſtri portamus in corpore, quæ ſunt filiorum Dei ſigna. Huc & illæ ſententiæ pertinent, *Nos circumferre mortificationem Jeſu Chriſti in corpore noſtro: ut vita ipſius manifeſtetur in nobis. Nos paſſionibus ejus conformari, ut perveniamus ad ſimilitudinem reſurrectionis ex mortuis.* Quæ ſubjicitur ratio, non ad probandam ullam dignitatem, ſed ſpem regni Dei confirmandam pertinet: acſi diceret, Ut juſto Dei judicio convenit, vindictam ab inimicis veſtris expetere, earum quas vobis intulerint vexationum: ita vobis relaxationem & quietem à vexationibus impertiri. Alter locus, qui ſic juſtitiam Dei decere tradit ſuorum obſequia oblivioni non mandare, ut prope injuſtum fore innuat ſi obliviſcatur, hanc rationem habet: Deus, quo ſegnitiem noſtram acueret, fiduciam nobis fecit, non irritum fore quem in gloriam nominis ſui ſuſcepimus laborem. Semper meminerimus, hanc promiſſionem ut cæteras omnes, nihil fructus nobis allaturam niſi præcederet gratuitum miſericordiæ fœdus, cui tota ſalutis noſtræ certitudo incumberet. Eo autem freti, confidere ſecure debemus, obſequiis etiam noſtris quamlibet indignis non defuturum à Dei liberalitate præmium. In ea expectatione ut nos confirmet Apoſtolus, Deum aſſerit non eſſe injuſtum, quin conſtaturus ſit fidei ſemel datæ. Juſtitia igitur iſta magis ad divinæ promiſſionis veritatem, quam ad reddendam debiti æquitatem refertur. In quem ſenſum inſigne eſt dictum Auguſtini: quod ut vir ſanctus repetere ſæpius pro memorabili non dubitavit, ita non indignum judico quod aſſidue memoria repetamus. *Fidelis*, inquit, *Dominus qui ſe nobis fecit debitorem: non aliquid à nobis accipiendo, ſed omnia promittendo.*

Secunda objectio: Per afflictiones pii qui juſtitiam & charitatem exercent, digni habentur regno Dei.
2 Theſ. 1. verſ. 5.
Heb. 6: 10.
Reſponſio ad priorem locum.
Rom. 8. verſ. 28.
Luc. 24. verſ. 26.
Act. 14: 22.
Digni, qui & quomodo.
Gal. 6: 17.
2 Cor. 4. verſ. 10.
Phil. 3: 10.
Reſp. ad alterum locum, ex epiſtola ad Hebr. deſumptum.
Juſtitia quid.
in Pſal. 32. 109. & alibi ſæpe.

8. Adducuntur & illæ Pauli ſententiæ, *Si habeam omnem fidem, ita ut montes loco dimoveam,*

Tertia objectio ex tre-

chari-

bus Apoſtoli locis collecta. 1 Cor. 13. v. 2, & 13. Col. 3:14.

charitatem autem non habeam, nihil ſum. Item, *Nunc manent ſpes, fides, charitas: ſed maxima in his charitas.* Item, *Super omnia habete charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis.* Ex primis duobus contendunt noſtri Phariſæi charitate nos juſtificari potius quam fide: virtute nimirum, ut ipſi aiunt, potiore.

Reſponſio: Primus locus non loquitur de fide juſtificante: ſed de fide miraculorum. Secundus locus transfert quæſtionis ſtatum. de juſtificatione agitur, qua fides eſt: quoniam illa tanquam inſtrumento Chriſti juſtitiam apprehendimus & gratis obtinemus, non autem charitate cujus officium illud non eſt, etiamſi magis fructuoſa ſit.

At nullo negotio diluitur hæc argutatio. Expoſuimus enim alibi, ad veram fidem nihil pertinere, quæ primo loco dicuntur. Alterum nos quoque de vera fide interpretamur, qua majorem eſſe charitatem dicit non tanquam ſit magis meritoria, ſed quia magis fructuoſa eſt, quia latius patet, quia pluribus ſervit, quia ſemper viget: quum fidei uſus ad tempus conſiſtat. Si excellentiam ſpectamus, merito Dei dilectio primas teneat: de qua hic ſermo Pauli non eſt. Siquidem unum iſtud urget ut mutua charitate nos in Domino viciſſim ædificemus. Sed fingamus, modis omnibus charitatem fidei præcellere: quis tamen ſano judicio, imo quis omnino ſano cerebro, ex eo ratiocinetur magis juſtificare? Vis juſtificandi quæ penes fidem eſt, non in dignitate operis locatur. Sola Dei miſericordia & merito Chriſti conſtat noſtra juſtificatio, quam dum fides apprehendit, juſtificare dicitur. Nunc ſi adverſarios interroges quo ſenſu juſtificationem charitati aſſignent: reſpondebunt, Quia officium eſt Deo gratum, ejus merito ex divinæ bonitatis acceptatione juſtitiam nobis imputari. Hinc vides quam belle procedat argumentum. Fidem juſtificare dicimus, non quia juſtitiam nobis ſua dignitate mereatur: ſed quia inſtrumentum ſit quo Chriſti juſtitiam gratis obtinemus. Iſti, prætermiſſa Dei miſericordia, Chriſtoque præterito (ubi ſumma juſtitiæ eſt) charitatis beneficio nos juſtificari pugnant, quia ſupra fidem excellat.

Confirmatio à ſimili.

Perinde acſi quis aptiorem eſſe Regem diſputet conficiendo calceo quam ſutorem, quia ſit infinito præſtantior. Hic unus ſyllogiſmus amplo documento eſt ſcholas omnes Sorbonicas ne ſummis quidem labris deguſtare quid ſit fidei juſtificatio.

Item ab explicatione mentis Apoſtoli.

Siquis autem rixator adhuc interpellet cur fidei nomen tantulo intervallo apud Paulum varie accipiamus, hujus interpretationis non levis ratio mihi conſtat. Quum enim dona illa quæ enumerat Paulus, fidei & ſpei quodammodo ſubſint, quia ad cognitionem Dei ſpectant, ea omnia κατ' ἀνακεφαλαίωσιν ſub nomine fidei & ſpei complectitur: acſi diceret, Ex prophetia, & linguæ, & interpretandi gratia & ſcientia hunc habent ſcopum ut nos ad cognitionem Dei deducant. Deum autem nonniſi per ſpem & fidem in hac vita agnoſcimus. Quum ergo fidem & ſpem nomino, hæc omnia ſimul comprehendo. *Manent itaque hæc tria, Spes, Fides, Charitas*: hoc eſt, quantacunque ſit donorum varietas, huc omnia referuntur. *Inter hæc præcipua eſt charitas*, &c.

Tertius locus alio ſenſu perfectionis vinculum charitati tribuit: & utcunque accipiant, nihil tamen horum errorem juvat.

Ex tertio loco inferunt, Si perfectionis vinculum eſt charitas: ergo & juſtitiæ, quæ nihil aliud eſt quam perfectio. Primo, ut omittamus perfectionem illic à Paulo vocari dum probe conſtitutæ Eccleſiæ membra inter ſe bene cohærent, ac fateamur charitate nos coram Deo perfici: quid tamen novi afferunt? Ego enim ſemper contra excipiam, ad perfectionem iſtam nunquam nos pervenire niſi charitatis numeros impleamus: indeque inferam, quum omnes à charitatis complemento ſint remotiſſimi, ſpem omnem illis perfectionis abſciſſam eſſe.

9. Nolo ſingula perſequi quæ hodie ſtulti Sorboniſtæ arrepta ex Scripturis temere (ut quodque primum obvium ſe tulit) teſtimonia adverſum nos jaculantur. Sunt enim quædam ita ridicula, ut nec commemorare ipſe poſſim, niſi velim haberi merito ineptus. Itaque finem faciam, ubi Chriſti ſententiam explicuero, qua mirum in modum ſibi placent.

Quarta objectio: Chriſtus juſſit quendam per mandatorum obſervationem regnum Dei acquirere. Matth. 19. verſ. 17.

Reſpondet enim Legiſconſulto roganti quid eſſet ad ſalutem neceſſarium, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Quid ultra, inquiunt, volumus, quum ab ipſo gratiæ auctore per mandatorum obſervationem acquirere jubeamur regnum Dei? Quaſi vero non conſtet, Chriſtum iis reſponſa ſua attemperaſſe quibuſcum negotium eſſe ſibi videbat.

Reſponſio ex verbis ipſius interrogantis.

Hic à Legis doctore interrogatur de ratione obtinendæ beatitudinis: neque id ſimpliciter, ſed quid faciendo ad ipſam perveniant homines. Et loquentis perſona & ipſa interrogatio Dominum inducebat ut ſic reſponderet. Ille perſuaſione Legalis juſtitiæ imbutus, in operum fiducia cæcutiebat. Deinde non aliud quærebat niſi quæ eſſent opera juſtitiæ, quibus ſalus comparetur. Ergo merito remittitur ad Legem, in qua eſt abſolutum juſtitiæ ſpeculum. Nos quoque clara voce prædicamus ſervanda eſſe mandata, ſi in operibus vita quæritur. Atque hæc doctrina cognitu neceſſaria eſt Chriſtianis: quomodo enim ad Chriſtum confugerent, niſi ſe agnoſcerent à via vitæ in mortis præcipitium excidiſſe? Quomodo autem intelligerent quam procul aberrarint à via vitæ, niſi prius qualis ſit illa intelligant? Tum igitur demum recuperandæ ſalutis aſylum in Chriſto eſſe admonentur, dum cernunt quantum ſit vitæ ſuæ cum divina juſtitia, quæ Legis obſervatione continetur, diſſidium.

Summa expoſitionis horum Chriſti verborum.

Summa hæc eſt: ſi in operibus ſalus quæritur, ſervanda eſſe mandata quibus inſtituimur ad perfectam juſtitiam. Sed non eſt hic hærendum niſi velimus in medio curſu deficere: nemo enim noſtrûm ſervandis mandatis par eſt. Quoniam ergo Legis juſtitia excludimur, ad aliud ſubſidium nos conferamus neceſſe eſt: nempe ad fidem Chriſti. Quamobrem ut hic Dominus quem vana operum confidentia turgere noverat Legis doctorem, ad Legem revocat, unde diſcat ſe eſſe peccatorem, tremendo æternæ mortis judicio obnoxium: ſic alios qui ejuſmodi ſui notitia jam humiliati ſunt, alibi omiſſa Legis mentione, gratiæ promiſſione ſolatur, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: & invenietis requiem animabus veſtris.* Matth. 11. v. 28, 29.

Poſtrema objectio, ex eo quod Joan 6:29. *fides dicitur opus.*

10. Tandem, poſtquam Scripturam invertendo defatigati ſunt, ad argutias & ſophiſmata delabuntur. Cavillantur in eo, quod fides alicubi opus vocatur: atque inde colligunt nos perperam fidem operibus opponere.

Reſp. fides non juſtificat quatenus eſt opus.

Quaſi vero fides, quatenus obedientia eſt divinæ voluntatis, ſuo merito juſtitiam nobis conciliet: ac non potius, quod Dei miſericordiam amplectendo, Chriſti juſtitiam ab ea nobis oblatam in Euangelii prædicatione, cordibus noſtris obſignat. Talibus ineptiis diluendis ſi non immoror, veniam dabunt lectores: ipſæ enim, ſine alieno impetu, ſuapte debilitate ſatis franguntur. Objectionem tamen unam, quæ ſpeciem habet aliquam rationis, obiter diſcutere libet, ne quibus non adeo exercitatis negotium faciat.

Inſtantia, eandem eſſe contrariorum regulam.

Quum eandem eſſe contrariorum regulam dictet ſenſus communis, ac peccata ſingula injuſtitiæ nobis vertantur, conſentaneum eſſe aiunt, ſingulis quoque bonis operibus juſtitiæ laudem tribui.

Reſponſio 1.

Qui reſpondent, ab una infidelitate proprie prodire hominum damnationem, non à particularibus peccatis, mihi non ſatisfaciunt. Equidem illis aſſentior, fontem ac radicem omnium malorum, incredulitatem eſſe. Eſt enim prima à Deo defectio, quam ſequuntur deinde particulares contra Legem transgreſſiones.

Reſponſio 2. per diſtinctionem bonorum contrariorum, quorum diverſiſſima eſt ratio.

Sed quod videntur eandem ſtatuere bonorum & malorum operum rationem in æſtimanda juſtitia vel injuſtitia, in eo cogor ab ipſis diſſentire. Juſtitia enim operum eſt perfecta Legis obedientia. Itaque juſtus operibus eſſe non potes niſi hanc velut rectam lineam perpetuo vitæ tenore ſequaris. Ab ea ubi primum deflexiſti, in injuſtitiam prolapſus es. Hinc apparet, juſtitiam non ex uno aut paucis operibus contingere, ſed ex inflexibili indefeſſaque obſervatione divinæ voluntatis.

At judicandæ injuſtitiæ multo diverſiſſima eſt ratio. Qui enim ſcortatus eſt aut furatus, uno delicto, mortis eſt reus: quia in Dei majeſtatem offendit. Impingunt ideo noſtri iſti argutatores, quod ad illud

Jac. 2: 10. Jacobi non advertunt animum, *Qui peccaverit in uno, factum omnium reum jam eſſe: quia qui vetuit occidere, vetuit & furari*, &c. Proinde abſurdum videri non debet, quum dicimus, mortem juſtum eſſe uniuſcujuſque peccati ſtipendium: quia juſta Dei indignatinne ac ultione digna ſunt ſingula. Sed inſulſus eris ratiocinator ſi ex adverſo inferas, uno opere bono conciliari poſſe hominem Deo, qui multis peccatis ejus iram promeretur.

CAP. XIX.

De libertate Chriſtiana.

Partes hujus capitis.

1. *Neceſſitas doctrinæ de libertate Chriſtiana, ſect. 1. ejuſdemque libertatis præcipuæ partes explicantur, ſect. 2. uſque ad 9.*
2. *Hujus libertatis natura & efficacia, adverſus Epicureos, & alios qui infirmorum rationem minime habent, ſect. 9. & 10.*
3. *De ſcandalo dato & accepto: ejuſdemque conſideratio prolixa nec non neceſſaria, à ſect. 11. ad capitis finem.*

Connexio hujus capitis cum prioribus de juſtificatione, & quam utilis ac neceſſaria ſit libertatis Chriſtianæ vera cognitio.

1. Conſcientias pacat.

TRactandum nunc de Chriſtiana libertate: cujus explicatio prætermitti minime ab eo debet cui ſummam Euangelicæ doctrinæ compendio complecti propoſitum ſit. Eſt enim res apprime neceſſaria, ac citra cujus cognitionem nihil fere ſine dubitatione aggredi conſcientiæ audent: in multis hæſitant & reſiliunt, ſemper variant & trepidant: præſertim vero appendix eſt juſtificationis, & ad vim ejus intelligendam non parum valet. Imo qui Deum ſerio timent, hinc fructum incomparabilem percipient ejus doctrinæ quam impii & Lucianici homines lepide ſuis dicteriis exagitant: quia in ſpirituali ebrietate, qua correpti ſunt, quævis protervia illis eſt licita. Quare nunc opportune in medium prodibit: deinde planiorem ejus diſputationem (nam leviter aliquoties ſupra à nobis attacta eſt) in hunc locum rejicere utile fuit: quia ſimulatque injecta eſt aliqua mentio Chriſtianæ libertatis, ibi aut fervent libidines, aut inſani motus ſurgunt, niſi mature obviam eatur laſcivis ingeniis iſtis, quæ alioqui optima quæque peſſime corrumpunt. Partim enim hujus libertatis prætextu omnem Dei obedientiam excutiunt, & in effrenatam licentiam ſe proripiunt: partim indignantur, putantes omnem moderationem, ordinem, rerumque delectum tolli. Quid hic agamus, talibus anguſtiis circumſepti? An Chriſtiana libertate valere juſſa, hujuſmodi periculis opportunitatem præcidamus? Atqui, ut dictum eſt, niſi ea tenetur, nec Chriſtus, nec Euangelii veritas, neque interior pax animæ recte cognoſcitur. Danda potius opera ne adeo neceſſaria doctrinæ pars ſupprimatur, & occurratur tamen interim abſurdis illis objectionibus quæ inde enaſci ſolent.

2. Laſcivis ingeniis aversat.

3. Chriſti meritum, Euangelii veritatem, animæ pacem tuetur.

Partes tres hujus libertatis.

1. Prima eſt, ut Legis juſtitia omiſſa, fideles unum Chriſtum intueantur.

2. Chriſtiana libertas in tribus (ut ego quidem ſentio) partibus ſita eſt. Prima, ut fidelium conſcientiæ, dum fiducia ſuæ coram Deo juſtificationis quærenda eſt, ſeſe ſupra Legem erigant atque efferant, totamque Legis juſtitiam obliviſcantur. Nam quum Lex (ut alibi jam demonſtratum eſt) neminem juſtum relinquat: aut ab omni ſpe juſtificationis excludimur, aut ab illa nos ſolvi oportet: ac ſic quidem, ut nulla prorſus operum ratio habeatur. Nam qui vel tantillum operum ſe afferre debere ad obtinendam juſtitiam cogitat, non poteſt modum aut finem præfigere: ſed debitorem univerſæ Legis ſe conſtituit. Sublata igitur Legis mentione, & omni operum cogitatione ſepoſita, unam Dei miſericordiam amplecti convenit quum de juſtificatione agitur: & averſo à nobis aſpectu, unum Chriſtum intueri. Non enim illic quæritur quomodo juſti ſimus: ſed quomodo, injuſti licet ac indigni, pro juſtis habeamur. Cujus rei ſi certitudinem aliquam aſſequi volunt conſcientiæ, nullum Legi dare locum debent. Neque hinc recte quis colligat, Legem fidelibus ſupervacaneam eſſe, quos non ideo docere & exhortari & ſtimulare ad bonum deſinit, tametſi apud Dei tribunal in eorum conſcientiis locum non habet. Hæc enim duo ut multo diverſiſſima ſunt, ita probe diligenterque ſunt à nobis diſtinguenda. Tota Chriſtianorum vita, quædam pietatis meditatio eſſe debet: quoniam in ſanctificationem vocati ſunt. In hoc ſitum eſt Legis officium, ut eos officii ſui admonendo, ad ſanctitatis & innocentiæ ſtudium excitet. At ubi conſcientiæ ſollicitantur quomodo Deum habeant propitium, quid reſponſuræ ſint, & qua fiducia conſtaturæ ſi ad ejus judicium poſtulentur: ibi non ſubducendum eſt quid Lex requirat, ſed unus Chriſtus pro juſtitia proponendus, qui omnem Legis perfectionem ſuperat.

Objectio.

Reſponſio, per diſtinctionem juſtitiæ Legalis & Euangelicæ.

Eph. 1: 4. 1 Theſ. 4. verſ. 5, 7.

Primam hanc partem tota ad Galatas epiſtola comprobari, ex tribus illis præcipuis capitibus, in quibus verſatur, manifeſtum eſt.

Gal. 3: 13. & 5. v. 1. & ſeqq.

3. In hoc cardine totum fere argumentum epiſtolæ ad Galatas vertitur. Nam inſulſos eſſe interpretes qui docent Paulum in ea pro ceremoniarum tantum libertate pugnare, ex locis argumentorum probari poteſt. Quales iſti ſunt, *Quod Chriſtus factus ſit pro nobis execratio, ut nos ab execratione Legis redimeret.* Item, *In libertate qua Chriſtus vos liberavit, ſtate, & ne rurſus jugo ſervitutis implicemini. Ecce, ego Paulus dico, ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Et qui circumciditur, debitor eſt univerſæ Legis. Chriſtus vobis otioſus factus quicunque per Legem juſtificamini: à gratia excidiſtis.* Quibus certe aliquid ſublimius continetur quam ceremoniarum libertas. Equidem fateor Paulum illic de ceremoniis tractare: quia illi cum pſeudoapoſtolis pugna eſt, qui veteres Legis umbras, Chriſti adventu abolitas, reducere in Chriſtianam Eccleſiam moliebantur. Verum ad hanc quæſtionem expediendam diſputandi erant altiores loci, in quibus tota controverſia poſita erat. Primum, quia umbris illis Judaicis obſcurabatur Euangelii claritas, oſtendit in Chriſto nos ſolidam eorum omnium exhibitionem habere quæ Moſaicis ceremoniis adumbrabantur. Deinde, quia illi impoſtores peſſima opinione imbuebant plebem, quod hæc ſcilicet obedientia valeret ad promerendam Dei gratiam: hic plurimum inſiſtit, ne ullis Legis operibus, nedum minutis illis elementis, juſtitiam ſe conſequi poſſe coram Deo exiſtiment fideles. Et ſimul docet damnatione Legis, quæ univerſis hominibus alias impendet, eſſe per crucem Chriſti liberos; ut plena ſecuritate in uno Chriſto acquieſcant. Qui locus huc proprie pertinet. Poſtremo, conſcientiis fidelium ſuam aſſerit libertatem, ne qua religione in rebus non neceſſariis obſtringantur.

Primum caput.

Secundum.

Galat. 4 verſ. 5, 21. & ſeqq.

Tertium.

2. Altera pars libertatis.

4. Altera, quæ ex ſuperiore illa pendet, ut conſcientiæ non quaſi Legis neceſſitate coactæ, Legi obſe-

tatis Chriſtianæ, ut conſcientia à Legis jugo libera voluntati Dei ultro obediant.

obſequantur: ſed Legis ipſius jugo liberæ, voluntati Dei ultro obediant. Quoniam enim in perpetuis terroribus verſantur, quamdiu ſub Legis dominio ſunt, alacri promptitudine in obedientiam Dei nunquam compoſitæ erunt, niſi hujuſmodi prius libertate donatæ. Exemplo & brevius & magis perſpicue aſſequemur quo hæc pertineant. Legis præceptum eſt, ut *diligamus Deum noſtrum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus*. Id ut fiat, anima prius omni alio ſenſu & cogitatione eſt evacuanda, cor omnibus deſideriis expurgandum, vires in hoc unum colligendæ & contrahendæ. Qui præ aliis multum progreſſi ſunt in via Domini, longiſſime abſunt ab hac meta. Nam etſi Deum ex animo diligunt, & ſincero cordis affectu: multam tamen adhuc cordis & animæ partem occupatam habent carnis cupiditatibus, quibus retrahuntur & ſiſtuntur quominus citato ad Deum curſu pergant. Multo quidem conatu contendunt: ſed caro partim eorum vires debilitat, partim ad ſeſe applicat. Quid hic faciant, dum ſentiunt nihil ſe minus quam Legem præſtare? Volunt, aſpirant, conantur: ſed nihil ea qua decet perfectione. Si Legem intuentur, quicquid tentant aut meditantur operis, maledictum eſſe vident. Nec eſt quod ſe quiſque fallat, colligens opus eo ipſo non omnino malum eſſe quia imperfectum, & ideo quod in eo boni eſt Deo nihilominus acceptum eſſe. Nam Lex perfectam dilectionem exigens, omnem imperfectionem damnat, niſi rigore mitigato. Opus igitur ſuum conſideret, quod pro parte bonum videri volebat: & eo ipſo transgreſſionem Legis eſſe inveniet quia imperfectum eſt.

Deut. 6: 5.

Id fieri non poteſt, quamdiu ſub Lege ſumus.

Ratio.

Ubi vero ab hac ſevera Legis exactione (quæ perfectam obedientiam poſtulat) liberamur, hilares & magna alacritate Deo vocanti reſpondere poſſumus.

5. En quomodo omnia noſtra opera Legis maledictioni ſubjacent ſi ad Legis modum exigantur. Quomodo autem tum ſe alacriter accingerent ad opus infelices animæ, pro quo nonniſi maledictionem ſe referre poſſe confiderent? Rurſum ſi ab hac ſevera Legis exactione, vel potius toto Legis rigore liberatæ, paterna lenitate ſe à Deo appellari audiant, hilares & magna alacritate vocanti reſpondebunt, & ducentem ſequentur. In ſumma, qui Legis jugo aſtringuntur, ſervis ſunt ſimiles, quibus certæ in ſingulos dies operæ à dominis indicuntur. Hi enim nihil effectum putant, nec in conſpectum dominorum venire audent niſi exactus operarum modus conſtiterit. Filii vero, qui liberalius, & magis ingenue à patribus tractantur, eis non dubitant inchoata & dimidiata opera, aliquid etiam vitii habentia offerre, confiſi ſuam obedientiam & animi promptitudinem illis acceptam fore, etiamſi minus exacte effecerint quod volebant. Tales nos eſſe oportet qui certo confidamus, obſequia noſtra indulgentiſſimo Patri probatum iri, quantulacunque ſint, & quantumvis rudia ac imperfecta. Qualiter etiam per Prophetam nobis confirmat. *Parcam eis*, inquit, *ſicut ſolet pater filio parcere ſervienti ſibi*: ubi *Parcere* pro indulgere vel humaniter ad vitia connivere poſitum conſtat, quum ſimul obſequi meminerit. Neque hæc fiducia parum nobis neceſſaria eſt, ſine qua fruſtra omnia conabimur: ſiquidem nullo noſtro opere ſe coli reputat Deus, niſi quod in ejus cultum vere à nobis fiat. Id autem quî poſſit, inter illos terrores, ubi dubitatur offendaturne Deus an colatur noſtro opere?

Mal. 3: 17.

Probatio hujus ſecundæ partis ex Apoſtolo.

6. Atque ea cauſa eſt cur auctor epiſtolæ ad Hebræos quicquid in ſanctis Patribus bonorum operum fuiſſe legitur, ad fidem referat, & ea duntaxat ex fide æſtimet. De hac libertate illuſtris eſt locus in epiſtola ad Romanos, ubi Paulus ratiocinatur, *peccatum non debere nobis dominari, quia non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia*. Quum enim fideles hortatus eſſet *ne peccatum in eorum mortali corpore regnaret, neve exhiberent membra ſua arma iniquitatis peccato, ſed Deo ſe devoverent tanquam ex mortuis viventes, & membra ſua arma juſtitiæ Deo*: illi vero contra objicere poſſent, ſe adhuc carnem ſecum ferre, plenam concupiſcentiis, & peccatum in ſe habitare: ſubjicit eam conſolationem à Legis libertate, acſi diceret, Tametſi nondum extinctum peccatum, needum juſtitiam in ſe vivere plane ſentiant, non tamen eſſe cur formident, & animo dejiciantur quaſi Deum ſemper offenſum habeant ob peccati reliquias: quando per gratiam à Lege ſint manumiſſi, ne ejus regulâ ſua opera examinentur. Qui vero peccandum inferunt, quia non ſimus ſub Lege, hanc libertatem nihil ad ſe pertinere intelligant: cujus finis eſt, nos ad bonum animare.

Heb. 11: 2.
Rom. 6. verſ. 14.

ibid. v. 12, & 13.

Finis ejus eſt, hac libertate non ad malum accendi, ſed ad bonum animari.

3. Tertia pars, rerum indifferentium liber uſus.

7. Tertia, ut nulla rerum externarum, quæ per ſe ſunt ἀδιάφοραι, religione coram Deo teneamur: quin eas nunc uſurpare, nunc omittere indifferenter liceat. Atque hujus etiam libertatis cognitio perquam nobis neceſſaria eſt: quæ ſi aberit, nulla conſcientiis noſtris futura eſt quies, nullus ſuperſtitionum finis. Videmur hodie pleriſque inepti qui diſceptationem movemus de libero eſu carnium, de libero feriarum veſtiumque uſu, & ſimilibus, ut illis quidem videtur, frivolis nugis: ſed plus iſtis in eſt momenti quam vulgo creditur. Nam ubi ſemel ſe in laqueum conjecerunt conſcientiæ, longum & inextricabilem labyrinthum ingrediuntur, unde non facilis poſtea exitus patet. Siquis dubitare inceperit an ſibi in linteis, induſiis, ſudariis, mantilibus, lino uti liceat: nec de cannabe poſtea ſecurus erit, tandem & de ſtupis incidet dubitatio: ſecum enim volutabit annon ſine mantilibus cœnare poſſit, annon ſudariis carere. Sicui paulo delicatior cibus illicitus viſus fuerit, demum nec cibarium panem ac vulgaria edulia tranquillus coram Deo comedet: dum in mentem venit, ſe vilioribus adhuc cibis poſſe corpus ſuſtentare. Si in ſuaviori vino hæſitaverit, deinde nec vappam, cum bona conſcientiæ pace bibet: poſtremo nec dulciorem mundioremque aliis aquam attingere audebit. Denique eo demum veniet ut ſuper transverſam (quod dicitur) feſtucam incedere nefas ducat. Non enim hic leve certamen inchoatur: ſed hoc controvertitur an his aut illis nos uti Deus velit: cujus voluntas conſiliis noſtris ac factis omnibus præire debet. Hinc alios deſperatione in confuſam voraginem abripi neceſſe eſt: alios contempto Deo & abjecto ejus timore, viam ſibi ruina facere quam expeditam non habeant. Quicunque enim tali dubitatione impliciti ſunt, quoquo ſe vertant, præſentem ubique conſcientiæ offenſionem vident.

Hujus partis cognitio neceſſaria, ad deſperationem & ſuperſtitionem tollendam.

Superſtitionis deſcriptio.

8. *Scio*, inquit Paulus, *quia nihil commune eſt* (per commune, profanum accipiens) *niſi qui exiſtimat aliquid commune, illi commune eſt*. Quibus verbis res omnes externas libertati noſtræ ſubjicit: modo ejus libertatis ratio animis noſtris apud Deum conſtet. Verum ſiqua ſuperſtitioſa opinio ſcrupulum nobis injiciat, quæ ſuapte natura pura erant, nobis contaminantur. Quare ſubjicit, *Beatus qui non judicat ſeipſum in eo quod probat. At qui dijudicat, ſi ederit, condemnatus eſt: quoniam non edit ex fide. Porro quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Inter hujuſmodi anguſtias qui omnia ſecure nihilominus audendo, ſe animoſiores oſtendunt, nonne ſe tantundem à Deo avertunt? qui vero aliquo Dei timore penitus afficiuntur, quum & ipſi cogantur multa admittere averſante conſcientia, formidine conſternantur ac concidunt. Omnes quotquot tales ſunt, nihil donorum Dei accipiunt cum gratiarum actione, qua tamen ſola nobis omnia in uſum noſtrum ſanctificari teſtatur Paulus. Intelligo autem gratiarum actionem ex animo profectam, qui Dei beneficentiam & bonitatem in ſuis donis agnoſcat. Nam multi quidem eorum Dei bona eſſe intelligunt quibus utuntur, & Deum in operibus

Probatio hujus tertiæ partis ex Apoſtolo ad Romanos.
Rom. 14. verſ. 14.

Rom. 14. verſ. 22.

Hanc qui non obſervant, tandem evadunt,
1. Dei contemptores.
2. Deſperabundi.
3. Ingrati.
1 Tim. 4. verſ. 5.

ribus ſuis laudant: ſed quum ſibi data eſſe perſuaſum non habeant, quomodo gratias Deo agerent tanquam datori? Videmus in ſumma, quorſum hæc tendat libertas, nempe ut Dei donis, nullo conſcientiæ ſcrupulo, nulla animi perturbatione, utamur in quem uſum nobis ab ipſo data ſunt: qua fiducia & pacem cum eo habeant animæ noſtræ, & ejus erga nos largitatem agnoſcant. Hic enim comprehenduntur omnes liberæ obſervationis ceremoniæ, ne qua neceſſitate ad eas obſervandas conſcientiæ aſtringantur: ſed earum uſum Dei beneficio ſibi ad ædificationem ſubjectum eſſe meminerint.

Finis & ſcopus hujus tertia partis.

Altera pars capitis, de natura & efficacia libertatis Chriſtiana.

9. Eſt autem diligenter obſervandum, Chriſtianam libertatem omnibus ſuis partibus rem ſpiritualem eſſe: cujus tota vis in formidoloſis conſcientiis coram Deo pacificandis poſita ſit, ſive de peccatorum remiſſione inquietæ ſint ac ſollicitæ, ſive anxiæ ſint utrum opera imperfecta & vitiis carnis noſtræ inquinata Deo placeant, ſive de rerum indifferentium uſu torqueantur. Quare perverſe interpretantur, vel qui ſuis cupiditatibus ipſam prætexunt, ut bonis Dei donis abutantur in ſuam libidinem: vel qui nullam eſſe putant niſi coram hominibus uſurpatam: ideoque in ea utenda nullam infirmorum fratrum rationem habent. Primo genere majorem in modum hoc ſeculo peccatur. Nullus fere eſt cui ſumptuoſo eſſe per facultates liceat, quem non delectet, in cœnarum apparatu, in cultu corporis, in extruendis domibus luxurioſus ſplendor: qui non omni lautitiarum genere inter alios eminere velit: qui non ſibi in ſuo nitore mirifice blandiatur. Et hæc omnia ſub Chriſtianæ libertatis prætextu defenduntur. Aiunt res eſſe indifferentes. fateor: modo iis indifferenter quis utatur. Cæterum ubi nimis cupide appetuntur, ubi ſuperbe jactantur, ubi luxurioſe effunduntur, quæ per ſe licita alioqui erant, his vitiis fœdari certum eſt. Inter res indifferentes optime diſtinguit illud Pauli, *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, quando polluta eſt eorum mens & conſcientia.* Cur enim maledicuntur divites, qui conſolationem ſuam habent, qui ſaturati ſunt, qui nunc rident, qui dormiunt in lectis eburneis, qui conjungunt agrum agro, quorum convivia citharam, lyram, tympanum, & vinum habent? Certe & ebur, & aurum, & divitiæ, bonæ Dei creaturæ ſunt, hominum uſibus permiſſæ; imo Dei providentia deſtinatæ: nec ridere, aut ſaturari aut novas poſſeſſiones veteribus atque avitis adjungere, aut concentu muſico delectari, aut vinum bibere, uſquam prohibitum eſt. Verum iſtud quidem: ſed ubi rerum copia ſuppetit, in deliciis volutari, ac ſe ingurgitare, mentem & animum inebriare præſentibus voluptatibus, noviſque ſemper inhiare, hæc à legitimo donorum Dei uſu longiſſime abſunt. Tollant ergo immoderatam cupidinem, tollant immodicam profuſionem, tollant vanitatem & arrogantiam: ut pura conſcientia, Dei donis pure utantur. Ubi ad hanc ſobrietatem animus compoſitus fuerit, habebunt legitimi uſus regulam. Deſit rurſum hæc moderatio, plebeiæ communeſque deliciæ nimiæ ſunt. Nam illud vere dicitur, In burrho & rudi panno ſæpe animum purpureum habitare: interdum ſub byſſo & purpura ſimplicem humilitatem latere. Ita in ſuo quiſque ordine vel tenuiter, vel modice, vel ſplendide vivat: ut meminerint omnes ſe à Deo ali ut vivant, non ut luxurientur: ac legem hanc Chriſtianæ libertatis putent, ſi cum Paulo didicerint, *in quibus ſunt, iis contenti eſſe: ſi norint & humiles eſſe & excellere: ſi docti ſint ubique & in omnibus & ſaturari & eſurire, & abundare & penuriam pati.*

1. Adverſus Epicureos.

Quorum ingenium deſcribitur.

Pretextus item & allegatio, quibus ſatisfit, & de uſu ἀδιαφόρων agitur.

Tit. 1: 15.

Luc. 6. v. 24, 25.
Amos 6:1. & ſeqq.
Jeſa. 5: 8.

Abuſus item detegitur.

Quomodo ſit corrigendus.

Phil. 4: 12.

2. Adverſus eos qui ra-

10. Errant & in eo plerique, quod perinde acſi ſua libertas incolumis ac ſalva non eſſet niſi teſtes haberet homines, promiſcue & imprudenter ea utuntur. Qua importuna uſurpatione infirmos fratres ſæpenumero offendunt. Videas hodie quoſdam, quibus ſua libertas non videtur conſiſtere, niſi per eſum carnium die Veneris in ejus poſſeſſionem venerint. Quod edunt, non reprehendo: ſed exigenda eſt ex animis falſa iſthæc opinio: ſiquidem cogitare debebant, nihil ſe ſua libertate novum conſequi in hominum conſpectu, ſed apud Deum: & tam in abſtinendo conſtitutam eſſe, quam in utendo. Si coram Deo nihil referre intelligunt veſcanturne carnibus an ovis, rubrisne an nigris veſtibus induantur: ſatis ſuperque eſt. Jam ſoluta eſt conſcientia, cui ejus libertatis beneficium debebatur. Ergo etiamſi poſthac carnibus tota vita abſtineant, & colorem unum perpetuo ferant, non minus liberi ſunt. Imo ideo quia liberi ſunt, libera conſcientia abſtinent. Pernicioſiſſime vero labuntur quod fratrum infirmitatem nullius penſi habent, quam ſic ſuſtineri à nobis decet, ne quid temere admittamus cum eorum offendiculo. Verum interdum quoque intereſt, coram hominibus aſſeri noſtram libertatem. Et hoc fateor: modus tamen ſumma cautione tenendus eſt: ne infirmorum curam, quos nobis tantopere Dominus commendavit, abjiciamus.

tionem infirmorum nullam habent.

Ejuſmodi hominum error refellitur.

Lapſus pernicioſiſſimus detegitur.

Objectio.

Reſponſio.

11. Dicam hic itaque de ſcandalis nonnihil, quo in diſcrimine habenda ſint, quæ cavenda, quæ item negligenda: unde poſtea ſtatuere liceat quis ſit inter homines libertati noſtræ locus. Placet autem vulgaris illa partitio, quæ *ſcandalum aliud datum, aliud acceptum*, tradit: quando & apertum Scripturæ teſtimonium habet, nec inepte exprimit quod ſignificat. Siquid importuna aut levitate, aut laſcivia, aut temeritate, non ordine, nec ſuo loco facias quo imperiti imbecilleſque offendantur, ſcandalum abs te datum dicetur: quoniam tua culpa factum fuerit ut ejuſmodi offenſio ſuſcitaretur. Ac omnino ſcandalum in re aliqua datum dicitur, cujus culpa ab auctore rei ipſius profecta eſt. Scandalum acceptum vocatur, quum res alioqui non improbe nec importune admiſſa, malevolentia aut ſiniſtra quadam animi malignitate in offenſionis occaſionem rapitur. Non enim hic datum erat ſcandalum: ſed ſiniſtri illi interpretes ſine cauſa accipiunt. Priore illo ſcandali genere nonniſi infirmi offenduntur: hoc autem ſecundo acerba ingenia & Pharifaica ſupercilia. Quare alterum vocabimus ſcandalum infirmorum, alterum Phariſæorum: ac ſic libertatis noſtræ uſum temperabimus, ut fratrum infirmorum ignorantiæ cedere debeat: Phariſæorum auſteritati nequaquam. Quid enim infirmitati dandum ſit, abunde multis locis oſtendit Paulus. *Infirmos*, inquit, *in fide ſuſcipite.* Item, *Ne poſthac alius alium judicemus: verum illud magis ne offendiculum ponatur fratri, aut lapſus occaſio:* & multa in eum ſenſum, quæ ex eo loco peti ſatius eſt quam hic referri. Summa eſt, *ut nos, qui robuſti ſumus, infirmitates impotentium ſufferamus, nec placeamus nobiſipſis: ſed unuſquiſque noſtrûm proximo placeat in bonum, ad ædificationem.* Alibi, *Sed videte ne quo modo facultas veſtra offendiculo ſit iis qui infirmi ſunt.* Item, *Omnia quæ in macello venduntur edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Porro conſcientiam non veſtram dico, ſed alterius.* Denique *tales eſtote, ut nullum præbeatis offendiculum neque Judæis, neque Græcis, neque Eccleſiæ Dei.* Alio etiam loco, *In libertatem vocati eſtis, fratres, tantum ne libertatem veſtram detis in occaſionem carni, ſed per charitatem ſervite vobis invicem.* Ita eſt ſane. Libertas noſtra non adverſus imbecilles proximos data eſt, quorum nos per omnia ſervos charitas ſtatuit: ſed magis, ut pacem cum Deo in animis noſtris habentes, pacate etiam inter homines vivamus. Phariſæorum autem offenſio quanti ſit facienda, diſci-

Revocatio commoda & aptiſſima theſeos ad hypotheſin ſeu locum doctrina de libertate Chriſtiana oppoſitum, videlicet de ſcandalis: quorsum duo ſunt genera.

Scandalum datum.

Scandalum acceptum.

De ſcandalo dato, doctrina paucis comprehenſa.

Rom. 14 v. 1. & 13.
Rom. 15. verſ. 1.

1 Cor. 8. verſ. 9.
ibid. 10:25.
ibid. v. 28.
ibid. v. 32.

Gal. 5: 13.

De ſcandalo

Pharisæorum ſeu accepto. Matth. 15. verſ. 14.

diſcimus ex verbis Domini, quibus jubet *omitti illos, quia cæci ſunt, duces cæcorum.* Admonuerant diſcipuli, eos ſermone ipſius offenſos fuiſſe. Reſpondet negligendos, nec curandam eſſe eorum offenſionem.

Quinam ſint habendi infirmi & Pharisæi.

12. Res tamen adhuc incerta pendet, niſi teneamus qui nobis ſint habendi infirmi, & qui Phariſæi: quo diſcrimine ſublato, non video quis prorſus reſtet inter offenſiones libertatis uſus, qui nunquam ſine ſummo periculo foret. Verum mihi clariſſime definiiſſe videtur Paulus, tum doctrina tum exemplis, quatenus vel moderanda ſit libertas noſtra, vel offendiculis redimenda.

Exemplis & doctrina Pauli probatur. Act. 16: 3. Gal. 2: 3.

Timotheum quum in conſortium ſuum aſſumeret, circumcidit: Titum ut circumcideret non adduci potuit. Diverſa facta: nulla conſilii nec animi mutatio. nempe in circumcidendo Timotheo, quum liber eſſet ab omnibus, omnibus ſemetipſum ſervum fecit: *& factus eſt Judæus quaſi Judæus, ut Judæos lucrifaceret: iis qui ſub Lege erant, quaſi eſſet ſub Lege, ut eos qui ſub Lege erant lucrifaceret: omnibus omnia, ut multos ſervaret,* quemadmodum alibi ſcribit.

1 Cor. 9. verſ. 19. ibid. v. 22. *Unde conſtat juſta Chriſtiana libertatis moderatio.*

Habemus juſtam libertatis moderationem, ſi cum fructu aliquo indifferenter contineri poſſit. Quid reſpexerit quum Titum circumcidere fortiter abſtinuit, ipſe teſtatur, ſic ſcribens: *Sed neque Titus, qui mecum erat, quum eſſet Græcus, compulſus fuit circumcidi: propter obiter ingreſſos falſos fratres, qui ſubintroierant ad explorandum libertatem noſtram quam habemus in Chriſto Jeſu, quo nos in ſervitutem adigerent: quibus ne ad tempus quidem ceſſimus per ſubjectionem, ut Euangelii veritas maneret apud vos.*

Qua neceſſario eſt vindicanda. Tum hypocritas negligendo. 1 Cor. 10. verſ. 23.

Habemus & neceſſitatem vindicandæ libertatis, ſi per iniquas exactiones pſeudoapoſtolorum, ea infirmis in conſcientiis periclitatur. Ubique ſtudendum charitati, & ſpectanda proximi ædificatio. *Omnia,* inquit alibi, *mihi licent: at non omnia expediunt. omnia mihi licent: at non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat: ſed quod alterius.* Nihil jam hac regula expeditius, quam utendum libertate noſtra, ſi in proximi noſtri ædificationem cedat: ſin ita proximo non expediat, ea tunc abſtinendum.

Tum infirmorum & proximorum ædificationem curando.

Sunt qui Paulinam prudentiam ſimulant in abſtinentia libertatis, nihil minus quam in officia charitatis eam conferentes. Suæ enim quieti ut conſulant, omnem libertatis mentionem ſepultam optant: quum non minus interſit proximorum libertatem in eorum bonum & ædificationem interdum uſurpare, quam pro ipſorum commodo, eam loco moderari. Pii autem hominis eſt cogitare, ſibi liberam in rebus externis poteſtatem ideo eſſe conceſſam, quo ſit ad omnia charitatis officia expeditior.

Ita tamen, ut hæc doctrina ad res indifferentes referatur.

13. Quicquid autem de cavendis offendiculis docui, ad res medias & indifferentes referri volo. Nam quæ neceſſaria ſunt factu, nullius offendiculi timore omittenda ſunt. Quemadmodum enim charitati ſubjicienda eſt noſtra libertas: ita ſub fidei puritate ſubſidere viciſſim charitas ipſa debet. Equidem & hic charitatis rationem haberi decet, ſed uſque ad aras: hoc eſt, ne in gratiam proximi Deum offendamus. Non eſt probanda eorum intemperies qui nihil niſi tumultuando agunt, & qui perrumpere omnia malunt quam diſſuere. At nec audiendi ſunt, qui quum in mille impietatis formas duces ſe præbeant, ſic ſibi agendum fingunt ne proximis ſint offendiculo. quaſi non interim proximorum conſcientias in malum ædificent: præſertim ubi nulla ſpe exitus in eodem ſemper hærent luto. Et ſuaves homines, ſeu doctrina, ſeu vitæ exemplo ſit inſtituendus proximus, aiunt lacte paſcendum eſſe: quem peſſimis exitialibuſque opinionibus imbuunt.

1 Cor. 3. verſ. 2.

Lactis potu ſe aluiſſe Corinthios Paulus commemorat: ſed ſi tum inter eos fuiſſet Papalis miſſa, an ſacrificaſſet, ad præbendum ipſis lactis potum? Minime: nam lac venenum non eſt. Mentiuntur ergo ſe alere quos ſub blanditiarum ſpecie crudeliter necant. Atque ut demus, probandam ad tempus iſtiuſmodi diſſimulationem; quouſque tandem pueros ſuos eodem potabunt lacte? Nam ſi nunquam grandeſcunt, ut vel tenuem ſaltem aliquem cibum ferre poſſint: nec lacte fuiſſe unquam educatos certum eſt.

vide epiſt. de fugiendis impiorum illicitis ſacris. item epiſt. de abjiciendis vel adminiſtrandis ſacerdotiis. item libellum de vitandis ſuperſtit.

Cur nunc acrius cum illis non congrediar, duæ rationes impediunt: quia vix dignæ ſunt eorum ineptiæ quæ refutentur, quum apud omnes ſanos merito ſordeant: deinde quia peculiaribus ſcriptis hoc aliunde præſtiti, nolo actum agere. Tantum hoc teneant lectores, quibuſcunque ſcandalis Satan & mundus avertere nos moliantur à Dei placitis, vel nos morari ne ſequamur quod ille præſcribit, ſtrenue nihilominus pergendum eſſe: deinde quicquid diſcriminum impendeat, non tamen liberum eſſe vel latum unguem deflectere ab ejuſdem Dei imperio, nec ullo prætextu fas eſſe quicquam tentare niſi quod permittit.

Nam quæ neceſſaria ſunt factu, nullius offendiculi timore omittenda ſunt.

Refutatis iis qui in libertatis Chriſtianæ naturam & efficaciam peccant: conſcientias piorum, indifferentium rerum reſpectu, traditionum humanarum laqueis liberas eſſe docetur.

14. Jam vero quum hac libertatis prærogativa, qualem antea deſcripſimus, donatæ fideles conſcientiæ, id Chriſti beneficio conſequutæ ſint, ne ullis obſervationum laqueis in iis rebus implicentur, in quibus eas eſſe liberas Dominus voluit: omnium hominum poteſtate exemptas eſſe conſtituimus. Eſt enim indignum aut Chriſto gratiam tantæ ſuæ liberalitatis perire, aut conſcientiis ipſis fructum. Neque res levicula exiſtimanda nobis eſt, quam videmus tanti Chriſto conſtitiſſe: utpote quam non auro aut argento, ſed proprio ſanguine æſtimavit: ut Paulus non dubitet dicere, irritam fieri ejus mortem, ſi animas noſtras hominibus in ſubjectionem tradimus. Siquidem non aliud agit aliquot capitibus epiſtolæ ad Galatas, quam Chriſtum nobis obſcurari, vel potius extingui, niſi in ſua libertate ſtent conſcientiæ noſtræ: à qua certe exciderunt, ſi poſſunt hominum arbitrio, legum ac conſtitutionum vinculis illaqueari.

1 Pet. 1. v. 18, 19. Gal. 5: 1, 4. 1 Cor. 7. verſ. 23.

Verum, ut res eſt cognitu digniſſima, ita longiori magiſque perſpicua explicatione indiget. Statim enim atque de humanarum conſtitutionum abrogatione verbum factum eſt, ingentes turbæ partim à ſeditioſis, partim à calumniatoribus commoventur: quaſi univerſa ſimul tollatur ac ſubvertatur hominum obedientia.

Quod ita eſt intelligendum, ut regimen ſpirituale à politico diſcernatur.

15. Ad eum ergo lapidem nequis impingat, primum animadvertamus duplex eſſe in homine regimen: alterum ſpirituale, quo conſcientia ad pietatem & ad cultum Dei inſtituitur: alterum politicum, quo ad humanitatis & civilitatis officia, quæ inter homines ſervanda ſunt, homo eruditur. Vulgo appellari ſolent juriſdictio ſpiritualis & temporalis, non impropriis nominibus. quibus ſignificatur, priorem illam regiminis ſpeciem ad animæ vitam pertinere: hanc autem in his quæ præſentis vitæ ſunt verſari: non quidem in paſcendo tantum aut veſtiendo, ſed in præſcribendis legibus quibus homo inter homines vitam ſancte, honeſte modeſteque exigat. Nam illa in animo interiori ſedem habet: hæc autem externos mores duntaxat componit. Alterum vocare nobis liceat, regnum ſpirituale: alterum, regnum politicum.

Leges item quæ prius illud ſpectant conſiderandæ ſunt, nec perperam ad poſterius pertrahendæ.

Hæc autem duo, ut partiti ſumus, ſeorſum ſingula diſpicienda ſemper ſunt: & dum alterum conſideratur, avocandi avertendique ab alterius cogitatione animi. Sunt enim in homine veluti mundi duo, quibus & varii reges & variæ leges præeſſe poſſunt. Hac diſtinctione fiet ne quod de ſpirituali libertate docet Euangelium, perperam ad politicum ordinem trahamus: acſi minus ſecundum externum regimen humanis legibus ſubjicerentur Chriſtiani, quia ſolutæ ſunt coram Deo ipſorum conſcientiæ: quaſi propterea eximerentur omni carnis ſervitute, quod ſecundum ſpiritum liberi ſunt. Deinde

Videndum item an ſint conſentanea verbo Dei, ... ne.

quia in iis etiam conſtitutionibus quæ ad ſpirituale regnum videntur pertinere, poteſt aliqua eſſe hallucinatio, inter has etiam ipſas diſcernere oportet quæ legitimæ habendæ ſint, ut Dei verbo conſentaneæ: quæ rurſus locum apud pios habere non debeant.
lib. 4. c. 20. De civili regimine erit alibi dicendi locus. De legibus etiam Eccleſiaſticis dicere in præſentia ſuperſedeo: quia plenior tractatio quarto libro conveniet, ubi de Eccleſiæ poteſtate agetur.

Concluſio diſputationis.

Hujus autem diſputationis hæc ſit clauſula. Quæſtio, ut dixi, per ſe non adeo obſcura vel perplexa, pleroſque ideo impedit quod inter externum (ut vocant) & conſcientiæ forum non ſatis ſubtiliter diſcernunt. Præterea difficultatem auget quod Paulus
Rom. 13. v. 1. & 5. *obediendum eſſe magiſtratui* præcipit, *non pœnæ ſolum metu, ſed propter conſcientiam.* Unde ſequitur, politicis quoque legibus obſtringi conſcientias. Quod ſi ita eſſet, caderet quicquid paulo ante diximus ac jam dicturi ſumus de ſpirituali regimine.

Porro ut clarius liqueat, quatenus humanis conſtitutionibus conſcientia ligentur: primum traditur conſcientiæ definitio.

Ut hic nodus ſolvatur, primo operæpretium eſt tenere quid ſit conſcientia. ac definitio quidem ex etymo vocis petenda eſt. Nam ſicuti quum mente intelligentiaque homines apprebendunt rerum notitiam, ex eo dicuntur ſcire, unde & ſcientiæ nomen ducitur: ita quum ſenſum habent divini judicii, quaſi ſibi adjunctum teſtem, qui ſua peccata eos occultare non ſinit quin ad judicis tribunal rei pertrahantur, ſenſus ille vocatur conſcientia. Eſt enim quiddam inter Deum & hominem medium: quia hominem non patitur in ſeipſo ſupprimere quod novit, ſed eo uſque perſequitur donec ad reatum adducat.

Apoſtolicis teſtimoniis explicata.

Hoc eſt quod intelligit Paulus, quum tradit, *conſcientiam ſimul atteſtari hominibus, ubi cogitationes eos accuſant vel abſolvunt* in judicio Dei.
Rom. 2. verſ. 15. Simplex notitia in homine reſidere poſſet veluti incluſa. Ergo ſenſus hic qui hominem ſiſtit ad Dei judicium, eſt quaſi appoſitus homini cuſtos, qui omnia ejus arcana obſervet ac ſpeculetur, nequid in tenebris ſepultum maneat. Unde & vetus illud proverbium, *Conſcientia mille teſtes.* Eadem ratione &
1 Pet. 3. verſ. 21. Petrus *bonæ erga Deum conſcientiæ interrogationem* poſuit pro tranquillitate animi, quum perſuaſi de Chriſti gratia, nos intrepide coram Deo offerimus. Et auctor epiſtolæ ad Hebræos,
Heb. 10:2. *non habere amplius conſcientiam peccati:* pro liberatos vel abſolutos eſſe, ut peccatum nos amplius non arguat.

Deinde oſtenditur quam relationem habeat ad externam obedientiam: primum in iis rebus quæ per ſe aut bona ſunt, aut mala: ſecundo, in mediis & indifferentibus.

16. Itaque ſicut opera reſpectum ad homines habent, ita conſcientia ad Deum refertur: ut conſcientia bona nihil aliud ſit, quam interior cordis integritas. In quem ſenſum Paulus ſcribit *complementum Legis eſſe charitatem ex pura conſcientia & fide non ficta.* Poſtea etiam eodem capite quantum ab intelligentia differat, oſtendit, dicens *quoſdam à fide naufragium feciſſe, quia bonam conſcientiam dereliquerant.* His enim verbis, vivum eſſe colendi Dei affectum, ſincerumque pie & ſancte vivendi ſtudium indicat. Interdum quidem ad homines quoque extenditur, ut quum teſtatur apud Lucam idem Paulus, *ſe operam dediſſe, ut bona conſcientia ambularet erga Deum & homines.* Sed hoc ideo dictum eſt, quod bonæ conſcientiæ fructus ad homines uſque manant ac perveniunt. Proprie autem 1 Tim. 1. v. 5. & 19.
loquendo, ſolum Deum reſpicit, ut jam dixi. Actor. 24. verſ. 16.
Hinc fit ut obſtringere conſcientiam lex dicatur, quæ ſimpliciter hominem ligat, ſine hominum intuitu, vel non habita eorum ratione. Exempli gratia, Non modo caſtum ſervare animum purumque ab omni libidine, Deus præcipit, ſed quamlibet verborum obſcœnitatem & externam laſciviam prohibet. Hujus legis obſervationi, etiamſi nullus in mundo homo viveret, conſcientia mea ſubjicitur. Ita qui ſe intemperanter gerit, non tantum eo peccat quod malum exemplum præbet fratribus: ſed conſcientiam reatu obſtrictam habet apud Deum. Alia in rebus per ſe mediis eſt ratio. Abſtinere enim debemus ſiquod pariant offendiculum: ſed libera conſcientia. Ita de carne idolis conſecrata Paulus loquitur. Siquis injiciat ſcrupulum, inquit, *noli attingere, propter conſcientiam. Dico* 1 Cor. 10. verſ. 28.
autem conſcientiam, non tuam, ſed alterius. Peccaret homo fidelis, qui prius admonitus, ejuſmodi carnem nihilominus ederet. Sed utcunque fratris reſpectu neceſſaria illi ſit abſtinentia, ut à Deo præſcribitur; non tamen conſcientiæ libertatem retinere deſinit. Videmus ut lex iſta externum opus ligans, conſcientiam ſolutam relinquat.

CAP. XX.

De Oratione, quæ præcipuum eſt fidei exercitium, & qua Dei beneficia quotidie percipimus.

Partes hujus capitis præcipuæ.

1. *Tractationis de oratione cum ſuperioribus connexio: quid item, & quam neceſſarium ſit illud Chriſtianorum exercitium, ſect. 1. & 2.*
2. *Quis ſit orandus, addita objectionis quæ nimium frequenter animis occurrit neceſſaria refutatione, ſect. 3.*
3. *Leges quæ inter invocandum ſunt obſervandæ à piis hominibus, ſect. 4. uſque ad 17.*
4. *Per quem eſt invocandus, ſect. 17. 18. & 19.*
5. *Error adverſus doctrinam de unico mediatore & interceſſore erectus excutitur, additis reſponſionibus ad præcipua argumenta quæ pro Sanctorum interceſſione proponuntur, à 20. ſect. ad 28.*
6. *Orationis ſpecies, & accidentia quædam, ſect. 28. 29. 30. 31. 32. & 33.*
7. *Perfectæ invocationis formula, ſeu Dominicæ orationis enarratio, à 34. ſect. ad 50. uſque.*
8. *Nonnullæ circa orationem obſervandæ rationes de tempore, de perſeverantia, de animi affectu & certa fidei perſuaſione, ſect. 50. ad finem cap.*

1.
Summa eorum quæ expoſita ſunt ab operis initio, & tranſitio ad doctrinam de Dei invocatione.

EX his quæ hactenus diſputata ſunt, non obſcure perſpicimus, quam ſit homo bonorum omnium egenus ac inanis: utque illi omnia deſint ſalutis adjumenta. Quare ſi præſidia, quærit quibus inopiæ ſuæ ſuccurrat, extra ſe exeat oportet, & aliunde ea ſibi comparet. Hoc poſtea nobis explicatum eſt, Dominum ſeſe ultro ac liberaliter in Chriſto ſuo exhibere, in quo pro noſtra miſeria omnem felicitatem, pro noſtra inopia opulentiam offert, in quo cæleſtes theſauros nobis aperit, ut dilectum Filium ſuum tota fides noſtra intueatur, ab ipſo tota noſtra expectatio pendeat, in ipſo tota ſpes noſtra hæreat & acquieſcat. Hæc quidem ſecreta eſt abſconditaque Philoſophia, & quæ ſyllogiſmis erui non poteſt: ſed ſcilicet eam perdiſcunt quibus oculos aperuit Deus, ut in ſuo lumine lumen videant.

Hujus cum tractatu de fide connexio.

Poſtquam vero fide edocti ſumus, agnoſcere quicquid nobis neceſſe eſt, nobiſque apud nos deeſt, id in Deo eſſe ac Domino noſtro Jeſu Chriſto: in quo ſcilicet omnem ſuæ largitatis plenitudinem Pater reſidere voluit, ut inde (velut ex uberrimo fonte) hauriamus omnes: ſupereſt

Uſus. eſt ut in ipſn quæramus, & ab ipſo precibus poſtulemus quod io ipſo eſſe didicimus. Alioqui ſcire Deum bonnrum omnium dominum ac largitorem, qui nos ad ſe poſcendum iovitet: ipſum vern nec adire, nec poſcere, adeo non prodeſſet, ut perinde id futurum ſit acſi quis indicatum theſaurum humi
Rom. 10. verſ. 14. ſepultum ac defoſſum negligat. Proinde Apoſtolus, ut oſtenderet otioſam à Dei invocatione eſſe non poſſe veram fidem, hunc ordinem poſuit: Sicuti ex Euangelio naſcatur fides, ſic per eam ad invocandum Dei nomen corda noſtra formari. Atque hoc ipſum eſt quod aliquanto ante dixerat, *Spiritum adoptionis*, qui teſtimonium Euangelii cordibus noſtris obſignat, erigere ſpiritus noſtros, ut
Rom. 8. v. 25, 26. vota ſua exponere Deo audeant, *excitare gemitus inenarrabiles*, *clamare cum fiducia*, *Abba, Pater*. Hoc ergo poſtremum, quia obiter duntaxat ante dictum & quaſi leviter attactum eſt, nunc fuſius tractari convenit.

2. Ergo id nrationis obtinemus beneficin, ut ad eas quæ nobis apud cæleſtem Patrem repoſitæ ſunt
Orationis definitio. opes penetremus. Eſt enim quædam hominum cum Deo communicatio: qua ſanctuarium cæli ingreſſi, de ſuis promiſſis illum coram appellant: ut quod verbo duntaxat annuenti crediderunt non fuiſſe vanum, ubi neceſſitas ita poſtulat experiantur. Itaque nobis proponi nihil videmus, à Domino expectandum, quod non & precibus jubeamur poſtulare. adeo verum eſt, oratione effodi theſauros, quos Euangelio Domini indicatos fides noſtra
Neceſſitas. intuita fuerit. Jam vero quam neceſſaria ſit & quot modis utilis ſit precandi exercitatin, nullis verbis ſatis poteſt explicari. Non abs re eſt profecto quod cæleſtis Pater unicum in ſui nominis invocatione ſalutis præſidium eſſe teſtatur: qua ſcilicet præſentiam & providentiæ ejus, per quam rebus noſtris curandis advigilet: & virtutis, per quam nos ſuſtineat imbecilles & prope deficientes: & bonitatis, per quam miſere peccatis oneratos in gratiam recipiat, advocamus: qua denique totum ipſum, ut ſe nobis præſeotem exhibeat accerſimus.
Utilitas. Hinc eximia conſcientiis noſtris requies ac tranquillitas naſcitur. ſiquidem neceſſitate, quæ nos premebat, Dominn expoſita, vel in eo abunde quieſcimus, quod illum oihil malorum noſtrorum latet, quem & optime nobis velle & optime conſulere poſſe perſuaſi ſimus.

II. *Objectio. Exercitium illud inutile videtur: quandoquidem Deus ſapiens & bonus novit qua neceſſitate urgeamur, & quid nobis expediat.*

3. Sed enim, dicet quiſpiam, annon ſine monitore etiam novit & qua parte urgeamur, & quid nobis expediat: ut ſupervacuum quodammodo videri queat ipſum precibus noſtris ſollicitari, perinde atque conniventem, aut etiam dormientem, donec voce noſtra expergefactus fuerit? Verum qui ſic ratiocinantur, quem io fioem ſuos ad orandum inſtituerit Dominus non animadvertunt: neque enim id tam ſua ipſius, quam ooſtra potius cauſa ordinavit. Vult quidem, ut æquum eſt, ſibi jus ſuum reddi, dum ei acceptum fertur quicquid expetuot homines, & ſentiunt ad ſuam utilitatem facere, idque
Reſponſio, ab orationis inſtitutione & fine. vntis teſtatum faciuot. Sed hujus quoque ſacrificii quo ipſe colitur utilitas ad nos redit. Itaque ſancti Patres quo Dei beneficia apud ſe & alios confidentius jactarunt, eo acrius ad precandum fuerunt
Confirmatio ab exemplo. incitati. Unum Eliæ exemplum nobis ſatis erit, qui
1 Reg. 18. verſ. 42. de conſilio Dei certus, poſtquam regi Achab pluviam nnn temere pollicitus eſt, anxie tamen inter genua precatur, famulumque ſeptem vicibus mittit ad explorandum: non quod oraculo fidem abroget, ſed quod officii ſui eſſe nnvit, ne ſomnolenta vel torpida ſit fides, ſua deſideria apud Deum depo-
A neceſſario. nere. Quare tametſi nobis ad miſerias noſtras ſtupidis & hebeſcentibus, ipſe pro nobis vigilat & excubat, ac interdum quoque ſuccurrit non rogatus: noſtra tamen plurimum intereſt aſſidue ipſum à nobis implnrari, ut ſerin ardentique ejus ſemper quærendi, amandi, colendi deſiderio cor noſtrum inflammetur, dum aſſueſcimus ad ipſum, velut ad ſacram anchoram in omni neceſſitate confugere.
Deinde ut nulla cupiditas, nullumque omoino votum animum noſtrum ſubeat, cujus ipſum teſtem facere pudeat: dum vota noſtra omnia coram ejus oculis ſiſtere, adeoque totum cor effundere diſcimus. *Ab honeſto.* Tum ut ad beoeficia ejus vera animi gratitudine atque etiam gratiarum actione excipienda comparemur: quæ ab ejus manu nobis provenire noſtra precatione admonemur. *Ab officii noſtri perpetua recordatione.* Adhæc quod petebamus conſequuti, votis noſtris ipſum reſpondiſſe perſuaſi, hinc ad meditandam ejus benignitatem ardentius feramur: & ſimul majori cum voluptate amplexemur quæ precibus agnoſcimus fuiſſe impetrata. Poſtremo, ut ejus providentiam *A divina providentia meditatione.* animis noſtris pro imbecillitatis noſtræ modo uſus ipſe & experimentum confirmet, dum intelligimus ipſum non modo polliceri, ſe nunquam nobis defuturum, & aditum ultro ad ſe appellandum in ipſo neceſſitatis articulo patefacere: ſed manum ſemper babere extentam ad ſuos juvandos: nec lactare eos verbis, ſed præſenti ope tueri. Eas ob res clementiſſimus Pater, utcunque nunquam vel dormiat vel torpeat, dormientis tamen torpentiſque ſpeciem plerumque præbet, quo ita ad ſe peteodum, rogandum, flagitandum magno noſtro bono nos, alioqui deſides & ignavos, exerceat. Nimium ergo inſulſe illi qoi ut hominum animos ab oratione revocent, Dei providentiam, rerum omnium cuſtodiæ excubantem, fruſtra noſtris interpellationibus fatigari garriunt: quum non fruſtra Dominus contra teſtetur ſe *propinquum eſſe omnibus invocantibus nomen ſuum in veritate.* *Concluſio, utiliſſimum eſſe invocationis Dei exercitium, tribus teſtimoniis confirmata.*
Nihilo ſecius eſt quod alii nugantur, ſuperfluam eſſe eorum petitionem quæ ultro largiri paratus Pſal. 145.
ſit Dominus: quum ea ipſa quæ à ſpontanea ejus verſ. 18.
liberalitate nobis fluunt, precibus noſtris conceſſa velit agnoſci. Quod teſtatur memorabilis illa ſententia Pſalmi, cui multæ ſimiles reſpoodent, *Oculi* Pſal. 34.
Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum: verſ. 16.
quæ Dei providentiam ſua ſponte curandæ piorum ſaluti intentam ſic commendat, ut tamen non prætereat fidei exercitium, quo abſtergitur ſocordia ex homioum animis. Vigilant ergo Dei oculi ut cæcorum neceſſitati ſubveniat: ſed vult ipſe viciſſim audire noſtros gemitus, quo ſuum erga nos amorem melius probet. Atque ita utrumque verum eſt, *non dormire neque dormitare cuſtodem Iſraëlis*, & tamen ceſſare quaſi noſtri oblitum, Pſ. 121: 4.
ubi nos torpentes ac mutos videt.

4. Porro rite probeque inſtituendæ orationis III.
eſto hæc prima lex, ut non aliter quam eos decet qui ad Dei colloquium ingrediuntur, mente animoque compoſiti ſimus. *Leges orationis Christianæ. Prima, ut Deum revocentur.* Quod ſcilicet quantum ad mentem conſequemur, ſi carnalibus curis cogitationibuſqoe expedita, quibus à recto puroque Dei intuitu avocari aut deduci queat, noo modo tota intendat ſe in precatiooem, ſed etiam quoad fieri potuerit ſupra ſeipſam elevetur ac feratur. Neque vero mentem hic requiro ita explicitam, ut nulla ſollicitudine pungatur ac mordeatur: quum oporteat contra multa anxietate, orandi fervorem in nobis accendi (qualiter ſanctos Dei ſervos, ingentes cruciatus nedum ſollicitudines videmus teſtari, quum è profunda abyſſo atque è mediis mortis faucibus querulam ſe ad Dominum efferre vocem dicuot) ſed alienas & extraneas omnes curas abigendas dico, quibus huc & illuc vaga ipſa mens circumferatur, & è cælo detracta in terram deprimatur. *Qualis eſſe debeat mentis Christianæ compoſitio.* Supra ſe vero ipſam elevari oportere intelligo, nequid eorum quæ cæca & ſtolida noſtra ratio commentari ſolet, in Dei conſpectum proferat, nec ſe intra vanitatis ſuæ modulum conſtrictam teneat; ſed ad puritatem Deo dignam aſſurgat.

5. Utrum-

Hic igitur videndum, 1. Ut levitate omni depoſita, ſtudia ſenſuſque noſtros ſerio ad orandum applicemus.

5. Utrumque notatu apprime dignum, ut quiſquis ſe ad orandum comparat, illuc ſuos ſenſus ſtudiaque applicet, neque (ut fieri ſolet) diſtrahatur erraticis cogitationibus: quia nihil magis contrarium Dei reverentiæ quam levitas illa, teſtis licentiæ nimium laſcivientis & ab omni metu ſolutæ. Qua in re tanto enixius laborandum eſt, quanto magis difficilem experimur. nemo enim ſic intentus eſt ad precandum quin multas obliquas cogitationes obrepere ſentiat, quæ orationis curſum vel abrumpant, vel flexu aliquo ac diverticulo morentur. Hic vero nobis ſuccurrat quam indignum ſit, ubi Deus nos ad familiare alloquium admittit, abuti tanta ejus humanitate, ſacra profanis miſcendo, dum ejus reverentia mentes noſtras ſibi devinctas non tenet: ſed perinde acſi nobis ſermo eſſet cum homine vulgari inter orandum, omiſſo illo, huc vel illuc transvolamus. Sciamus ergo non alios rite probeque ſe accingere ad orandum, niſi quos afficit Dei majeſtas, ut expediti terrenis curis & affectibus ad eam accedant. Atque id ſibi vult ceremonia elevationis manuum, ut meminerint homines ſe procul remotos eſſe à Deo, niſi ſenſus ſuos in ſublime tollant. Sicut etiam dicitur in Pſalmo, *Ad te levavi animam meam.* Et ſæpius hanc loquendi formam uſurpat Scriptura, *Orationem tollere*: ne iij ſuis fæcibus deſideant qui cupiunt à Deo exaudiri. Hæc ſumma ſit, quo liberalius nobiſcum Deus agit, comiter nos invitans ut in ſinum ſuum curas noſtras exoneremus, minus nos eſſe excuſabiles, niſi tam præclarum & incomparabile ejus beneficium rebus aliis omnibus apud nos præponderat, noſque ad ſe trahit, ut ſtudia ſenſuſque noſtros ſerio ad orandum applicemus. quod fieri non poteſt niſi mens cum impedimentis fortiter luctando ſurſum emergat. Alterum propoſuimus, ne petamus niſi quantum nobis Deus permittit. Etſi enim jubet nos effundere corda noſtra, non tamen ſtultis ac pravis affectibus indifferenter habenas laxat: & dum promittit ſe facturum ſecundum piorum voluntatem, non eo uſque procedit indulgentia, ut eorum arbitrio ſe ſubmittat. Atqui in utroque paſſim graviter delinquitur: neque enim modo temere ſine fronte, ſine reverentia Deum plerique de ſuis ineptiis interpellare audent, & quicquid per ſomnium adlibuerit, ad ejus tribunal impudenter proferre: ſed tanta vel ſtoliditas vel ſtupiditas eos tenet, ut ſpurciſſimas quaſque cupiditates obtrudere Deo auſint, quarum conſcios facere homines vehementer pudeat. Audaciam hanc riſerunt atque etiam deteſtati ſunt quidam profani homines, vitium tamen ipſum ſemper regnavit: atque hinc factum eſt ut ambitioſi Jovem ſibi patronum aſciſcerent, avari Mercurium, Apollinem & Minervam doctrinæ cupidi, bellicoſi Martem, Venerem libidinoſi. Sicuti hodie (ut nuper attigi) majorem licentiam illicitis ſuis cupiditatibus homines in precibus indulgent, quam ſi pares cum paribus jocoſe fabularentur. Atqui non patitur Deus ſuam facilitatem ita haberi ludibrio; ſed jus ſuum ſibi vendicans, vota noſtra ſuo imperio ſubjicit & freno coërcet. ideo tenendum eſt illud Joannis, *Hæc eſt fiducia noſtra, quod ſiquid petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.* Cæterum quia tantæ perfectioni longe abeſt quin pares ſint facultates noſtræ, quærendum eſt remedium quod ſubveniat. Quemadmodum mentis aciem in Deum intendere convenit, ita cordis affectum eodem ſequi neceſſe eſt. Utrumque vero longe infra ſubſiſtit, imo verius fatiſcunt & deficiunt, aut in contrarium feruntur. Ideo ut huic imbecillitati ſuccurrat Deus, Spiritum in precibus nobis dat magiſtrum, qui dictet quod rectum eſt, atque affectus noſtros moderetur. *Quia enim quid orandum ſit quemadmodum oportet neſcimus, in ſubſidium ille ſubit, & pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus*: non quod ipſe revera vel precetur vel ingemiſcat; ſed fiduciam, vota, ſuſpiria in nobis excitat, quibus concipiendis haudquaquam ſufficerent naturæ vires. Neque abs re *gemitus inenarrabiles* Paulus vocat quos duce Spiritu emittunt fideles: quia non ignorant qui vere exercitati ſunt in precibus, cæcis anxietatibus ita ſe perplexos conſtringi, ut vix reperiant quid profari expediat: imo dum conantur balbutire, implicití hæſitant. unde ſequitur ſingulare eſſe recte orandi donum. Hæc non eo dicuntur quo nos ipſi propriæ deſidiæ faventes, ad Dei Spiritum orandi provinciam relegemus, & torpeamus in illa incuria ad quam plus ſatis ſumus proclives: (qualiter impiæ quorundam voces audiuntur, oſcitanter eſſe expectandum, donec ille mentes noſtras alibi occupatas præveniat) ſed potius ut noſtram ignaviam ſocordiamque pertæſi, tale Spiritus adminiculum expetamus. Nec vero Paulus quum jubet *orare in Spiritu*, ideo deſinit ad vigilantiam hortari: ſignificans ita vigere Spiritus inſtinctum ad formandas preces, ut conatum noſtrum minime impediat vel retardet: quoniam hac in parte vult Deus experiri quam efficaciter corda noſtra impellat fides.

Quod elevationis manuum ceremonia confirmatur.
Pſal. 25: 1.
2. Ne petamus niſi quantum nobis Deus permittit.
Pſ. 62: 9.
1 Joan. 5. verſ. 14.
Hæc quia non poſſumus, ut noſtra imbecillitati Deus opem ferat, Spiritum ſuum in precibus nobis dedit magiſtrum.
Rom. 8. v. 25, 26.
Quale ſit illud magiſterium.
Non tamen ut ipſi interim officium precandi corde & ore negligamus.
1 Cor. 14. verſ. 15.

Secunda lex, ut vera noſtra ſenſus.

6. Eſto & altera lex, ut rogando ſemper inopiam noſtram vere ſentiamus, ac ſerio cogitantes omnibus quæ petimus nos indigere, ſerium imo ardentem impetrandi affectum jungamus cum ipſa precatione. Multi enim defunctorie preces ex formula recitant, acſi penſum Deo ſolverent: & quanquam fatentur neceſſarium ſuis malis remedium hoc eſſe, quia Dei ope quam implorant carere exitiale ſit: apparet tamen hoc officio ipſos defungi ex more: quia interim frigent animi, neque expendunt quid poſtulent. Generalis quidem & confuſus neceſſitatis ſuæ ſenſus illuc eos ducit: ſed non eos ſollicitat quaſi in re præſenti, ut egeſtatis ſuæ levamen petant. Porro quid odioſius aut etiam Deo magis execrandum putamus hac fictione, ubi quis veniam peccatorum poſtulat, interim aut ſe peccatorem non eſſe cogitans, aut certe peccatorem eſſe non cogitans? nempe qua Deus ipſe plane ludibrio habetur. Atqui ejuſmodi pravitate, ut nuper dixi, refertum eſt hominum genus, ut defungendi cauſa permulta ſæpe flagitent à Deo quæ citra ejus beneficentiam aut ſibi aliunde evenire, aut jam apud ſe reſidere pro certo judicant. Aliorum levius delictum eſſe videtur, ſed neque ipſum tolerabile: ut preces ſine meditatione demurmurent, qui tantum hoc principio imbuti ſunt, votis litandum eſſe Deo. Piis autem maxime cavendum, ne unquam prodeant in conſpectum Dei quicquam poſtulaturi, niſi quod & ſerio animi affectu exardeſcunt, & ab ipſo ſimul obtinere cupiunt. Quin etiam tametſi in iis quæ in Dei gloriam duntaxat petimus, non videmur primo intuitu neceſſitati noſtræ conſulere, ea tamen non minori deſiderii fervore & vehementia peti convenit. Ut quum poſcimus nomen ejus ſanctificari, ardenter (ut ita dicam) eſurienda & ſitienda eſt illa ſanctificatio.

1. In eam peccant defunctorie & ex formula garrientes.
2. Hypocritæ, qui peccatorum ſuorum ſenſu nullo modo tanguntur.
3. Oſcitantes, qui nihil inter precandum cogitant. Remedium.

7. Si quis objiciat, non ſemper æquali neceſſitate urgeri nos ad precandum, fateor id quidem: atque hæc diſtinctio nobis à Jacobo utiliter traditur, *Triſtatur quis inter vos? oret: quis lætus eſt, canat.* Ergo dictat ipſe communis ſenſus, quia nimium pigri ſumus, prout res exigit, nos acrius à Deo pungi ad ſtrenue orandum. Et hoc tempus opportunum nominat David: quia (ſicuti pluribus aliis locis docet) quo nos durius premunt moleſtiæ, incommoda, timores, aliæque ſpecies tentationum, acſi nos Deus ad ſe accerſeret, liberior patet acceſſus. Interea non minus verum eſt illud Pauli, *omni tempore orandum eſſe*: quia utcunque ex animi noſtri ſententia res proſpere fluant, & undique nos circumdet lætitiæ materia, nullum tamen eſt punctum tempo-

Objectio: Non ſemper æquali neceſſitate urgemur ad precandum. Reſponſio: Semper eſt orandum.
Jac. 5: 13.
Pſal. 32: 6.
Eph. 6: 18.

Digitized by Google

temporis quo nos ad precandum inopia noſtra non hortetur.

Hujus reſponſionis confirmatio, ab enumeratione periculorum quæ ſingulis momentis vitæ & ſaluti noſtræ imminent.

Abundat quiſpiam vino & tritico: quando buccella panis niſi aſſidua Dei gratia frui non poteſt, non impedient cellæ vel horrea quominus panem quotidianum poſtulet. Jam ſi reputemus quot ſingulis momentis diſcrimina immineant, nullum ab orando immune nobis eſſe tempus docebit metus ipſe. Hoc tamen in ſpiritualibus melius licet cognoſcere. Quando enim tot peccata, quorum nobis ſumus conſcii, nos ſecuros ceſſare ſinent quin ſuppliciter & culpam & pœnam deprecemur? Quando nobis tentationes inducias concedunt quin ad auxilium properemus? Adhæc regni Dei & gloriæ ſtudium non per intervalla, ſed aſſidue nos rapere ad ſe ita debet, ut eadem ſemper nos maneat opportunitas.

A Dei mandato.

Ergo non fruſtra toties nobis præcipitur orandi aſſiduitas. Nondum de perſeverantia loquor, cujus poſtea fiet mentio: ſed Scriptura aſſidue orandum admonens ſocordiam noſtram coarguit: quia non ſentimus quam neceſſaria ſit nobis hæc cura & ſedulitas. Hac regula hypocriſis & Deo mentiendi calliditas ab oratione arcetur, imo longe abigitur.

Ab ejuſdem promiſſione.

Promittit Deus *ſe propinquum fore omnibus qui invocaverint eum in veritate*, *& inventuros* denunciat *qui quæſierint in toto corde*. en minime aſpirant qui ſibi placent in ſuis ſordibus.

A vera pœnitentia natura, & impœnitentia conſideratione.

Itaque pœnitentiam legitima oratio poſtulat. Unde illud tritum in Scripturis, *Deum ſceleratos non exaudire, & preces eorum eſſe execrabiles*: ſicuti & ſacrificia: quia æquum eſt ut Dei aures clauſas inveniant qui obſerant corda ſua; nec Deum flexibilem ſentiant qui ſua duritie provocant ejus rigorem. Apud Jeſaiam minatur in hunc modum,

Jeſa. 1: 15.

Quum multiplicaveritis preces veſtras, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Item apud Jeremiam,

Jerem. 11. v. 7, 8, 11.

Clamavi, & renuerunt audire: clamabunt ipſi viciſſim, & non audiam. quia ſummi probri loco ducit, jactari fœdus ſuum ab improbis, qui ſacrum ejus nomen tota vita polluunt. Unde apud Jeſaiam conqueritur,

Jeſa. 29. verſ. 13.

quum labiis ad ſe Judæi *accedant*, *cor eorum eſſe longe remotum.* Non reſtringit quidem hoc ad ſolas preces: ſed fictionem in ſingulis cultus ſui partibus ſe abominari aſſerit. Quo pertinet illud Jacobi,

Jac. 4: 3.

Petitis, & non accipitis: quia male petitis, ut in voluptates veſtras inſumatis. Verum quidem eſt (ut paulo poſt iterum videbimus) non inniti dignitati piorum quas fundunt preces: non tamen ſupervacua eſt Joannis admonitio,

1 Joan. 3. verſ. 22.

Siquid petierimus, accipiemus ab eo, quia præcepta ejus ſervamus: quandoquidem mala conſcientia januam nobis claudit.

Concluſio.

Unde ſequitur nec rite precari, nec exaudiri niſi ſinceros Dei cultores. Diſpliceat igitur ſibi in ſuis malis quiſquis ſe ad orandum comparat: & (quod ſine pœnitentia fieri non poteſt) induat mendici perſonam & affectum.

Tertia lex, omnis ſuperbiæ abdicatio.

8. Huc & tertia accedat, ut omni propriæ gloriæ cogitatione ſe abdicet, omnem dignitatis opinionem exuat, omni denique ſui fiducia decedat quiſquis ſe coram Deo ſiſtit precandi cauſa, dans in abjectione ſui gloriam Deo in ſolidum: ne ſiquid, vel minimum, arrogemus nobis, cum inani noſtra inflatione ab ejus facie concidamus.

Exempla.

Hujus ſummiſſionis, quæ omnem altitudinem proſternit, frequentia exempla in Dei ſervis habemus: quorum ut quiſque eſt ſanctiſſimus, ita quum in Domini conſpectum prodit, plurimum proſternitur.

Daniel.

Dan. 9. v. 18, 19.

Sic Daniel, quem tanto elogio Dominus ipſe commendavit, *Non in juſtitiis noſtris*, dicebat, *coram te fundimus preces: ſed in miſericordiis tuis magnis. Exaudi nos Domine, Domine propitius ſis nobis. Exaudi nos, & fac quæ petimus, propter temetipſum: quia invocatum eſt nomen tuum ſuper populum tuum, & ſuper locum ſanctum tuum* Neque vero obliqua figura, ut fieri ſolet, quaſi unus è populo ſe turbæ permiſcet, quin potius ſeorſum reatum fatetur, ſupplexque ad veniæ aſylum confugit: ſicuti diſerte pronunciat, *Quum ego confeſſus eſſem peccata mea & populi mei.*

David.

Pſal. 143. verſ. 2.

Hanc quoque humilitatem ſuo exemplo præſcribit David, *Ne intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.*

Jeſaias.

Jeſa. 64. verſ. 5. & ſeqq.

Tali forma precatur Jeſaias, *Ecce tu iratus es, quia peccavimus: in viis tuis fundatum eſt ſeculum, ideo ſervabimur. Et ſumus omnes repleti immunditia: & quaſi pannus fœdatus omnes juſtitiæ noſtræ, & emarcuimus nos omnes quaſi folium, & iniquitates noſtræ quaſi ventus diſpergunt nos. Et non eſt qui invocet nomen tuum: qui ſe excitet ut apprehendat te. Quoniam abſcondiſti faciem tuam à nobis, & tabeſcere nos feciſti in manu iniquitatis noſtræ. Nunc igitur Domine, tu es pater noſter, nos ſumus lutum: tu es formator noſter, & nos ſumus opus manus tuæ. Ne iraſcaris Domine, neque in æternum recorderis iniquitates. En reſpice, agedum, nos omnes ſumus populus tuus.* Vide ut nulla prorſus fiducia nitantur, niſi hac una, quod ſe Dei eſſe cogitantes, illi ſe fore curæ non deſperant.

Jeremias.

Jer. 14: 7.

Non ſecus Jeremias, *Si iniquitates noſtræ reſponderint contra nos, fac propter nomen tuum.* Veriſſime enim ſimul ac ſanctiſſime ſcriptum eſt (à quocunque tandem ſit) quod ab incerto auctore ſcriptum, Prophetæ Baruch tribuitur,

Baruch.

Baruch 2. verſ. 18.

Anima triſtis & deſolata ſuper magnitudine mali, curva, & infirma, anima famelica, & oculi deficientes dant tibi gloriam Domine. Non ſecundum juſtitias patrum fundimus preces in conſpectu tuo, & coram facie tua petimus miſericordiam, Domine Deus noſter: ſed quia tu es miſericors, miſerere noſtri, quia peccavimus coram te.

Hujus abdicationis utilitas, veniæ ſcilicet deprecatio cum humili confeſſione & certa miſericordiæ fiducia conjuncta. Davide teſte.

9. Denique rite precandi initium atque etiam præparatio eſt veniæ deprecatio cum humili & ingenua culpæ confeſſione. Neque enim ſperandum eſt, ut quicquam à Deo impetret vel ſanctiſſimus quiſque, donec gratis reconciliatus ei ſit: nec fieri poteſt ut aliis Deus ſit propitius, niſi quibus ignoſcit. Unde non mirum ſi hac clave januam ſibi fideles aperiunt ad orandum: quod ex compluribus Pſalmorum locis diſcimus. David enim aliud poſtulans dicit,

Pſal. 25. verſ. 6, 7, & 18.

Peccatorum juventutis meæ & transgreſſionum mearum ne memineris: ſecundum miſericordiam tuam reminiſcere mei, propter bonitatem tuam Domine. Item, *Reſpice afflictionem meam & laborem meum, & remitte omnia peccata mea.* Ubi etiam videmus non ſatis eſſe ſi in ſingulos dies pro recentibus peccatis nos ad calculum vocemus, niſi in memoriam nobis redeant quibus oblivio pridem inducta videri poterat.

Pſal. 51. verſ. 7

Nam & idem Propheta alibi ſcelus unum grave confeſſus, hac occaſione uſque ad uterum matris revolvitur, in quo jam labem contraxerat: non ut culpam ex naturæ corruptela extenuet, ſed ut totius vitæ peccata accumulans, quo ſeverior eſt in ſe damnando, magis exorabilem Deum reperiat.

Quæ non ſemper expreſſis verbis concepta ſuit.

Etſi autem non ſemper expreſſis verbis peccatorum remiſſionem poſtulant ſancti, ſi tamen diligenter expendimus quas Scriptura refert eorum preces, facile quod dico occúrret, orandi animum ſumpſiſſe ex ſola Dei miſericordia, atque ita ſemper exordium feciſſe ab eo placando: quia ſi quiſque ſuam conſcientiam interroget, tantum abeſt, ut audeat familiariter curas ſuas apud Deum deponere, ut ad omnem acceſſum trepidet, niſi miſericordia & venia fretus.

Eſt præterea ſpecialis piorum pœnitentium.

Eſt quidem & alia ſpecialis confeſſio, ubi pœnarum levationem optant, ut ſimul orent peccata ſibi ignoſci: quia abſurdum eſſet effectum tolli velle, manente cauſa. Cavendum enim eſt ne ſtultos ægrotos imitemur, qui de curandis tantum accidentibus ſolliciti, radicem ipſam morbi negligunt. Quin prius danda opera eſt, ut nobis propitius ſit Deus, quam ut favorem ſuum externis ſignis teſtetur: quia & hunc ordinem tenere vult ipſe, & parum nobis prodeſſet eum habere beneficum, niſi conſcientia placatum ſentiens, penitus amabilem nobis redderet. Quod etiam

mone-

Digitized by Google

monemur Chriſti reſponſo: nam quum paralyticum ſanare decretum eſſet, *Remittuntur*, inquit, *tibi peccata tua*: erigens animos ſcilicet ad id quod
Mat. 9: 2.
præcipue optandum eſt, ut nos in gratiam recipiat Deus: deinde fructum reconciliationis in ope nobis ferenda proferat. Cæterum præter ſpecialem illam præſentis reatus confeſſionem, qua fideles pro impetranda cujuſque culpæ & pœnæ venia ſupplicant, generalis illa præfatio, quæ conciliat precibus favorem, nunquam omittenda eſt: quia niſi in gratuita miſericordia fundatæ nunquam Deum exorabunt.

Generalis item præfatio, quæ precibus favorem conciliat, nunquam eſt omittenda.

Quo referri poteſt illud Joannis, *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut nobis remittat, & nos emundet ab omni iniquitate.* Unde preces ſub Lege ſanguinis expiatione conſecrari oportuit, ut acceptæ eſſent, atque ita commonefieret populus ſe tanta honoris prærogativa indignum eſſe, donec à ſuis inquinamentis purgatus, ex ſola Dei miſericordia conciperet precandi fiduciam.

1 Joan. 1. verſ. 9.

Objectio adverſus tertiam rectæ invocationis legem. De gloriatione ſanctorum.

10. Quod autem propriæ juſtitiæ ſuffragium interdum ad exorandum Deum citare ſancti videntur (ut quum David dicit, *Cuſtodi animam meam, quia bonus ſum.* Item Ezechias, *Recordare Domine obſecro, quod ambulavi coram te in veritate, fecique in oculis tuis bonum*) talibus loquendi formulis nihil ſibi aliud volunt quam ex ipſa regeneratione, ſervos Dei ſe ac filios teſtari, quibus ipſe fore ſe propitium recipit. Per Prophetam docet (ut jam viſum eſt) *oculos ſuos ſuper juſtos eſſe, aures ſuas in preces eorum.* Ruſus per Apoſtolum, *nos impetraturos quicquid petierimus, ſi mandata ſua obſervemus.* Quibus ſententiis pretium orationi non ſtatuit ab operum meritis: ſed ita ſtabilire vult eorum fiduciam qui ſibi non fucatæ integritatis & innocentiæ probe conſcii ſunt, quales oportet eſſe fideles univerſos. Siquidem ex ipſa Dei veritate ſumptum eſt quod dicit apud Joannem cæcus illuminatus, *non exaudiri à Deo peccatores*: ſi peccatores modo recepto Scripturæ uſu intelligimus, qui citra juſtitiæ deſiderium toti ſuis peccatis indormiunt & acquieſcunt: quando nullum cor in ſinceram Dei invocationem unquam prorumpet quod non ſimul ad pietatem aſpiret. Talibus ergo promiſſis reſpondent ſanctorum obteſtationes, quibus ſuæ vel puritatis vel innocentiæ mentionem injiciunt, quo ſibi exhiberi ſentiant quod eſt omnibus Dei ſervis expectandum.

Pſ. 86: 2.
2 Reg. 20. verſ. 3.
Reſponſio. Ejuſdem reſponſionis ratio ſeu confirmatio.
Pſ. 34: 16.
1 Joan. 3. verſ. 22.
A contrario.
Joan. 9. verſ. 31.

A comparatione piorum cum impiis.

Deinde tum fere uſi reperiuntur hoc precationis genere dum ſe coram Domino cum ſuis hoſtibus comparant, è quorum iniquitate ejus manu vindicari optarunt. In hac vero comparatione mirum non eſt ſi juſtitiam ſuam & cordis ſimplicitatem protulerunt, quo ex cauſæ ipſius æquitate magis ad ferendas ſibi ſuppetias Dominum permoverent. Id ergo boni pio pectori non præripimus, quin ſuæ puritatis conſcientia coram Domino fruatur ad ſe confirmandum in promiſſionibus, quibus veros ſuos cultores Dominus ſolatur & fulcit: ſed impetrandi fiduciam, depoſita proprii meriti cogitatione, ſola Dei clementia ſubniti volumus.

Quarta lex ſive conditio, certa fiducia exauditionis, nos ad precandum animans.

11. Quarta demum, ut ita proſtrati & ſubacti vera humilitate, nihilominus certa ſpe exorandi ad orandum animemur. Res quidem in ſpeciem contrariæ, cum ſenſu juſtæ ultionis Dei conjungere certam fiduciam favoris: quæ tamen inter ſe optime conveniunt, ſi propriis malis oppreſſos ſola Dei bonitas erigat. Sicuti enim ante docuimus pœnitentiam & fidem ſocias eſſe inſeparabili vinculo ſimul connexas, quarum tamen altera nos terret, altera exhilarat: ita in precibus mutuo eas occurrere oportet. Atque hunc conſenſum paucis verbis exprimit David, *Ego*, inquit, *in multitudine bonitatis tuæ ingrediar domum tuam: adorabo in templo ſanctitatis tuæ cum timore.* Sub Dei bonitate fidem complectitur, timorem interea non excludens: quia non tantum ejus majeſtas ad reverentiam nos cogit, ſed propria etiam indignitas omnis ſuperbiæ & ſecuritatis oblitos ſub metu nos continet. Fiduciam vero non intelligo, quæ ſolutam omni anxietudinis ſenſu mentem ſuavi & perfecta quiete demulceat: nam ita placide acquieſcere, eorum eſt qui rebus cunctis ex voto fluentibus nulla tanguntur cura, nullo deſiderio uruntur, nullo timore æſtuant. Optimus autem ad invocationem Dei ſtimulus ſanctis eſt, dum neceſſitate ſua diſtricti ſumma inquietudine vexantur, & tantum non exanimantur in ſeipſis, donec opportune fides ſuccurrit: quia inter tales anguſtias ita ipſis affulget Dei bonitas, ut præſentium quidem malorum gravitate defatigati gemant, majorum etiam timore laborent & crucientur, illa tamen freti, & tolerantiæ difficultatem ſublevent ac ſolentur, & exitum liberationemque ſperent.

Pſal. 5: 8.

Qualis fiducia à nobis requiratur: miſeria noſtra videlicet ſerius ſenſus cum certa ſpe conjunctus.

Ex utroque ergo affectu emergat pii hominis oratio convenit, utrumque etiam contineat & repræſentet: nempe ut malis præſentibus ingemat, & à novis ſibi anxie timeat: tamen confugiat ſimul ad Deum, minime dubitans quin auxiliarem ille manum porrigere ſit paratus.

Inde pii hominis oratio emergit.

Mirum enim quam diffidentia noſtra irritetur Deus, ſi poſcamus à ſe quam non expectamus beneficentiam. Itaque nihil magis conſentaneum precationum naturæ quam legem hanc illis præſcribi & ſtatui, ne temere prorumpant, ſed fidem præeuntem ſequantur. Ad hoc principium nos omnes Chriſtus vocat, hac ſententia, *Dico vobis, quæcunque petitis, credite vos accepturos, & evenient vobis.* Idem & alibi confirmat, *Quicquid petieritis in oratione credentes*, &c. Cui concinit Jacobus, *Siquis indiget ſapientia, poſtulet ab eo qui dat omnibus ſimpliciter, nec exprobrat; poſtulet autem in fide, nihil hæſitans.* Ubi hæſitationi fidem opponens, vim ejus aptiſſime exprimit. Non minus etiam notandum quod addit, nihil proficere qui Deum perplexi & dubii invocant, nec ſtatuunt in animis ſuis exaudiendi ſint nec ne. Quos etiam fluctibus comparat qui varie moventur à vento & circumferuntur. Unde alibi *orationem fidei* pro legitima nuncupat.

Quam obſeœrat diffidentia.
Marc. 11. verſ. 24.
Mat. 21. verſ. 22.
Jac. 1: 5.
Jac. 5: 15.

Deinde quum Deus ſecundum ſuam cuique fidem ſe daturum toties affirmet, citra fidem nihil conſequi nos poſſe innuit. Denique fides eſt quæ impetrat quicquid orando conceditur. Id ſibi vult celebris illa Pauli ſententia, ad quam inſipidi homines parum attendunt, *Quomodo invocabit quiſpiam in quem non credidit? quis autem credet niſi audierit? Fides autem ex auditu, auditus ex verbo Dei.* Nam precandi exordium ex fide gradatim deducens, aperte contendit non poſſe Deum ab aliis ſincere invocari, niſi quibus Evangelii prædicatione clementia ejus & facilitas innotuerit, imo familiariter fuerit expoſita.

In ſumma, fides requiritur.
Rom. 10 verſ. 14.

12. Hanc neceſſitatem minime cogitant adverſarii noſtri. Itaque quum certa animi fiducia fideles jubemus ſtatuere, Deum ſibi propitium eſſe ac benevolum, rem omnium abſurdiſſimam dicere nos putant. Atqui ſi ullum veræ precationis uſum haberent, intelligerent profecto, ſine firmo illo divinæ benevolentiæ ſenſu non poſſe Deum rite invocari. Quum vero fidei vim bene perſpicere nemo queat niſi qui experimento eam in corde ſuo ſentit: quid cum ejuſmodi hominibus diſputando proficias, qui aperte oſtendunt nihil ſe unquam præter vanam imaginationem habuiſſe? Quid enim valeat & quam neceſſaria ſit illa quam requirimus certitudo, ex invocatione potiſſimum diſcitur: quod qui non videt, valde ſtupidam habere ſe conſcientiam prodit. Nos igitur, omiſſo hoc cæcorum genere, defixi in illa Pauli ſententia hæreamus, non poſſe ab aliis invocari Deum, niſi qui ejus miſericordiam ex Evangelio cognitam habent, & eam ſibi paratam eſſe certo perſuaſi ſunt. Qualis enim erit iſta oratio? O Domine, ego quidem an exaudire me velis dubius ſum: ſed quia anxietate premor, ad te conſu-

Hanc fidem & ſpem certam exorandi pro re abſurdiſſima habent adverſarii.

Quorum error depingitur & refellitur variis Scripturæ teſtimoniis.

Digitized by Google

confugio, ut ſi dignus ſum mihi ſuccurras. Non ita
ſollicitı ſunt omnes ſancti, quorum orationes in
Scripturis legimus. Nec ita nos inſtituit per Apo-
Heb. 4:16. ſtolum Spiritus ſanctus qui jubet nos *adire ad thro-
num cæleſtem cum fiducia, ut gratiam conſequamur*:
Eph. 3:12. & quum alibi docet *nos habere audaciam & aditum
in fiducia per fidem Chriſti.* Hanc ergo obtinendi
quod petimus ſecuritatem (quam & ſua voce Domi-
nus mandat, & omnes ſancti exemplo ſuo docent)
utraque manu tenere nos oportet, ſi cum fructu
orare volumus. Ea enim demum accepta Deo eſt
oratio, quæ ex tali, ut ita loquar, præſumptione
fidei naſcitur, & intrepida ſpei certitudine fundata
eſt. Poterat ſimplici fidei nomine eſſe contentus:
atqui non modo fiduciam addidit, ſed eam quoque
inſtruxit libertate vel audacia, ut hac nota diſcerne-
ret à nobis incredulos, qui Deum promiſcue qui-
dem nobiſcum orant, ſed fortuito. Qua ratione
Pſ. 33:22. tota Eccleſia in Pſalmo orat: *ſit miſericordia tua ſu-
per nos, quemadmodum ſperavimus in te.* Eadem
Pſ. 56:10. etiam conditio alibi ponitur à Propheta, *Quo die cla-
mavero, hoc ſcio quod Deus mecum.* Item, *Mane
Pſal. 5:4. diſponam tibi & ſpeculabor.* Ex his enim verbis elici-
mus preces in aërem fruſtra projici, niſi ſpes ſit an-
nexa, unde velut è ſpecula Deum quieti expecte-
mus. Quibus convenit ſeries Paulinæ exhortatio-
Eph. 6:18. nis: nam antequam fideles ad *precandum in ſpiritu*
ſollicitet *omni tempore cum vigilantia & aſſiduitate*,
in primis jubet *aſſumere ſcutum fidei, galeam ſalu-
tis, & gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei.* Memo-
ria porro hic repetant lectores quod ante dixi, mi-
nime labefactari fidem, ubi cum miſeriæ, egeſta-
tis, ſordiumque noſtrarum agnitione connectitur.
Quantumvis enim gravi ſcelerum mole premi ſe
vel laborare ſentiant fideles, nec modo rebus omni-
bus vacuos quæ favorem conciliare apud Deum
queant, ſed oneratos multis noxis quæ eum merito
formidabilem reddant, non tamen deſinunt ſe offer-
re, neque terret eos hic ſenſus quominus ad ipſum
ſe conferant: quando non alius eſt ad eum ingreſſus.
Neque enim inſtituta eſt oratio qua nos arroganter
coram Deo efferamus, aut quicquam noſtrum ma-
gno æſtimemus, ſed qua reatum noſtrum confeſſi,
ærumnas noſtras apud eum deploremus: quemad-
modum filii apud parentes familiariter querelas ſuas
deponunt. Quin potius immenſa malorum noſtro-
rum congeries calcaribus vel ſtimulis referta eſſe de-
bet quæ nos ad precandum incitent: qualiter etiam
Pſal. 41:5. nos ſuo exemplo docet Propheta, *Sana animam
meam, quia peccavi tibi.* Fateor quidem in iis acu-
leis mortiferas fore punctiones niſi Deus ſuccurre-
ret: verum pro incomparabili ſua indulgentia opti-
mus Pater tempeſtivum remedium addidit, quo
perturbationem omnem ſedans, curas leniens, me-
tus abſtergens, comiter nos ad ſe alliceret, imo
ſcrupulos omnes tollens, nedum obſtacula, facilem
viam ſterneret.

Orationem Deo acceptam certa fiducia & ſpe intrepida comitatam deſcribentibus.

Non cum hac doctrina pugnat quod illa certitudo cum miſeria, egeſtatis, ſordiumque noſtrarum agnitione connectitur.

13. Ac primo quidem orare nos jubens, ipſo
præcepto nos coarguit impiæ contumaciæ, niſi ob-
ſequimur. Nihil magis præciſe mandari poterat
quam quod habetur in Pſalmo, *Invoca me in die tri-
Pſ. 50:15. bulationis.* Sed quia inter pietatis officia nullum fre-
quentius commendant Scripturæ, non eſt quod lon-
Mat. 7:7. gius hic immorer. *Petite* (inquit magiſter) *& acci-
pietis: pulſate, & aperietur vobis.* Quanquam hic
præcepto adjungitur etiam promiſſio, ut neceſſe
eſt: etſi enim præcepto eſſe obediendum fatentur
omnes, major tamen pars refugeret Deum vocan-
tem, niſi ſe exorabilem adeoque obvium fore pro-
mitteret. His quidem duobus poſitis, certum eſt
quicunque tergiverſantur, ne recta ad Deum ve-
niant, non modo eſſe rebelles & immorigeros, ſed
etiam incredulitatis convinci: quia promiſſionibus
diffidunt. Quod eo magis notandum eſt, quia hypo-
critæ, humilitatis & modeſtiæ prætextu, tam ſuper-
be contemnunt Dei præceptum, quam fidem beni-
gnæ invitationi abrogant: imo eum fraudant præ-
cipua cultus ſui parte. Nam ubi ſacrificia repudia-
vit in quibus tunc videbatur ſita eſſe tota ſanctitas,
hoc ſummum eſſe & ſibi præ aliis pretioſum decla-
rat, invocari in die neceſſitatis. Quare ubi quod
ſuum eſt exigit, & ad parendi alacritatem nos ani-
mat, nulli ſunt tam ſpecioſi dubitandi colores qui
nos excuſent. Quæcunque ergo paſſim occurrunt
in Scripturis teſtimonia quibus nobis præcipitur
Dei invocatio, totidem ante oculos noſtros figun-
tur vexilla, quæ nobis fiduciam inſpirent. Temeri-
tatis eſſet prorumpere in Dei conſpectum, niſi ipſe
anteverteret nos vocando. Itaque viam nobis ſua
voce patefacit: *Dicam illis, Populus meus vos: dicent
mihi, Tu Deus noſter.* Videmus ut cultores ſuos præ- Zach. 13. verſ. 9.
veniat, velitque ſubſequi, ideoque timendum non
eſſe, ne parum ſuavis ſit hæc melodia quam ipſe
dictat. Inſigne præſertim illud Dei elogium nobis
in mentem veniat, quo freti omnia obſtacula nullo
negotio ſuperabimus, *Tu Deus exaudiens precatio- Pſal. 65:3.
nem: ad te uſque omnis caro veniet.* Quid enim magis
amabile vel blandum quam Deum hoc titulo indui,
qui certiores nos reddat, nihil magis eſſe naturæ
ejus proprium quam ſupplicum votis annuere?
Hinc januam patere colligit Propheta non pau-
cis, ſed cunctis mortalibus: quia etiam omnes hac
voce compellat, *Invoca me in die afflictionis: eruam* Pſ. 50:15.
te, & glorificabis me. Secundum hanc regulam Da-
vid promiſſionem ſibi datam objicit, ut obtineat
quod petit. *Tu Deus revelaſti in aurem ſervi tui: pro-* 2 Sam. 7.
pterea invenit ſervus tuus cor ſuum ut oraret. Unde verſ. 27.
colligimus pavidum fuiſſe niſi quatenus eum pro-
miſſio erexerat. Sic alibi generali doctrina ſe in- Pſal. 145.
ſtruit, *Voluntatem timentium ſe faciet.* Imo hæc in verſ. 19.
Pſalmis animadvertere licet, quaſi abrupto orandi
contextu tranſitum fieri nunc ad Dei potentiam,
nunc ad bonitatem, nunc ad fidem promiſſionum.
Videri poſſet intempeſtive David ſententias illas
inſerens, preces mutilas reddere: ſed uſu & expe-
rientia compertum habent fideles langueſcere ardo-
rem, niſi adhibeant nova fomenta: ideoque mini-
me inter precandum ſupervacua eſt tam naturæ Dei
quam verbi meditatio. Atque ita exemplo Davidis
inſerere ne pigeat quæ languidos animos novo vi-
gore reficiant.

Huic noſtra indignitati opponimus, 1. Dei præceptum. 2. Promiſſionem.

Quod rebelles & hypocritas ſatis ſuperque damnat.

Teſtimonia Scripturæ, præceptum de invocatione confirmantia.

14. Ac mirum eſt tanta promiſſionum dulcedine
vel frigide vel nullo fere modo nos affici, ut per
ambages vagando bona pars malit relicto aquarum
viventium fonte ſibi fodere aridas ciſternas, quam
Dei liberalitatem ultro ſibi oblatam amplecti. *Arx
inexpugnabilis nomen Domini* (inquit Solomo) *ad
eam confugiet juſtus, & ſervabitur.* Joël vero, poſt- Prov. 18. verſ. 10.
quam de horribili quæ inſtabat clade vaticinatus
eſt, memorabilem illam ſententiam ſubjicit, *Quiſ- Joël. 2:32.
quis invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*: quam
ſcimus proprie ad curſum Euangelii ſpectare. Vix
centeſimus quiſque movetur, ut in occurſum Deo
prodeat. Clamat ipſe per Jeſaiam, *Invocabitis me,* Jeſa. 65.
& exaudiam vos. Imo antequam clametis reſpondebo verſ. 24.
vobis. Hoc quoque eodem honore alibi totam Eccle-
ſiam communiter dignatur: ſicuti ad omnia Chri-
ſti membra pertinet. *Clamavit ad me, exaudiam* Pſal. 91.
eum: cum ipſo ſum in tribulatione, ut eripiam eum. verſ. 15.
Neque tamen (ut jam dixi) locos omnes numerare
propoſitum eſt: ſed eximios quoſque deligere, ex
quibus guſtemus, quam humaniter ad ſe nos Deus
alliciat, & quam arctis vinculis conſtricta ſit no-
ſtra ingratitudo, ubi inter tam acres ſtimulos adhuc
pigritia noſtra cunctatur. Quare in auribus no-
ſtris ſemper reſonent hæ voces, *Prope eſt Dominus* Pſal. 145.
omnibus invocantibus ſe, invocantibus in veritate. verſ. 18.
Item quas ex Jeſaia & Joële citavimus: quibus affir-
mat Deus ſe intentum eſſe ad exaudiendas preces,
adeoque oblectari quaſi grati odoris ſacrificio, ubi

Alia teſtimonia de promiſſionibus quæ ad pios Deum invocantes pertinent.

curas noſtras in ipſum conjicimus. Hunc ſingularem percipimus promiſſionum Dei fructum, ubi non dubitanter &, trepida concipimus preces: ſed ejus verbo freti cujus nos alioqui terreret majeſtas, audemus eum invocare Patrem, quando hoc ſuaviſſimum nomen ſuggerere nobis dignatur. Reſtat ut talibus invitamentis præditi, ſciamus inde ſatis eſſe nobis materiæ ad exorandum: quando preces noſtræ nullo merito nituntur, ſed tota earum dignitas & ſpes impetrandi fundata eſt in Dei promiſſionibus, atque ab eis pendet: ut neque indigeat alia fultura, neque ſurſum huc vel illuc circumſpiciat.

Nec obſtat, quod non excellimus pari ſanctitate qua in eximiis aliis Dei ſervis commendatur, modo inani fiducia vacui ad Dei miſericordiam ſincero animo confugiamus.

Itaque cum animis noſtris ſtatuendum eſt, etiamſi non excellimus pari ſanctitate quæ laudatur in ſanctis Patribus, Prophetis & Apoſtolis, quia tamen commune eſt nobis orandi præceptum & communis fides, ſi verbo Dei innitimur, nos in hoc jure eorum eſſe ſocios. Deus enim (ut ante viſum eſt) ſe facilem ac propitium omnibus fore denuncians, miſerrimis quibuſque ſpem obtinendi quod petierint, facit. atque ideo notandæ ſunt generales formæ, quibus nemo (ut vulgo dicunt) à primo ad ultimum excluditur: tantum adſit cordis ſinceritas, diſplicentia noſtri, humilitas, & fides: ne hypocriſis noſtra Dei nomen fallaci invocatione profanet: non reſpuet optimus Pater, quos non modo ad ſe venire hortatur, ſed quibuſcunque poteſt modis ſollicitat. Hinc illa precandi ratio Davidis quam nuper reci-

2 Sam. 7. verſ. 27. tavi, *En pollicitus es Domine ſervo tuo: eam ob rem collegit animum hodie ſervus tuus, & invenit quod oraret coram te. Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua vera erunt. Loquutus es ſervo tuo de his be-*

Pſal. 119. verſ. 76. *neficiis*: iocipe ergo & fac. Sicut etiam alibi, *Præſta ſervo tuo ſecundum eloquium tuum*. Et omnes ſimul Iſraëlitæ, quoties ſe fœderis recordatione muniuot, ſatis declarant non eſſe timide orandum, ubi Deus ita præſcribit. atque in hoc imitati ſunt Patrum

Gen. 32. verſ. 10. exempla, præſertim Jacobi, qui poſtquam confeſſus eſt, ſe minorem eſſe tot miſericordiis quas ſuſceperat è manu Dei, ad majora tamen poſtulanda ſe animari dicit, quia Deus ſe facturum promiſerat.

Ex adverſo idololatra ſunt quicunque Deum, urgente neceſſitate, non invocant.

Quoſcunque vero colores obtendant increduli, ubi ad Deum oon confugiunt quoties urget neceſſitas, ipſum non requirunt, nec ejus opem implorant, oon aliter defraudant eum legitimo honore, quam ſi fabricarent ſibi novos Deos & idola: ſiquidem hoc modo Deum ſibi bonorum omnium auctorem eſſe negant. Contra nihil validius ad pios omni ſcrupulo liberandos, quam armari hac cogitatione, non eſſe cur ulla remora impediat dum morem gerunt Dei mandato, qui obedieotia nihil ſibi gratius eſſe pronunciat.

Denique, quod metus & fiducia in recta invocatione concurrant, bene conveniunt hæ loquutiones, pios ſuas coram Deo preces proſternere & levare.

Hinc rurſus quod prius dixi clarius eluceſcit: probe cum metu, reverentia, ſollicitudine quadrare intrepidum precandi ſpiritum, neque vero abſurdum eſſe ſi proſtratos Deus erigat. Hoc modo belle ioter ſe conſeotiunt quæ io ſpeciem repugnant loquendi formæ. Dicunt Jeremias & Daniel *ſe proſternere preces coram Deo*. Alibi Jeremias, *Cadat oratio noſtra in conſpectu Dei, ut miſereatur reſiduæ plebis ſuæ*. Rurſus ſæpe fideles dicuntur *orationem levare*. Sic loquitur Ezechias, Prophetam rogans ut iotercedendi vices ſuſcipiat. Et David precem ſuam *aſcendere* cupit *ſicuti incenſum*. Nem-

Jer. 42: 9. Dan. 9: 18. Jer. 42: 2. 2 Reg. 19. verſ. 4. Pſal. 141. verſ. 2.

pe quamvis de paterno Dei amore perſuaſi in ejus fidem ſe alacriter conferant, oec dubitent quam ultro opem promittit implorare; non tamen ſupina eos quaſi projecta fronte ſecuritas attollit, ſed ita per gradus promiſſionum ſurſum aſcendunt, ut tamen ſupplices maneant in ſui dejectione.

Objectio, à quibuſdam exemplis poſita: Effectum conſequuta ſunt preces quorundam, quamvis ad verbi præſcriptum non eſſent formatæ.

15. Hic non una objicitur quæſtio: nam Scriptura refert votis quibuſdam Deum morem geſſiſſe, quæ tameo ex animo mioime ſedato vel compoſito eruperant. Juſta quidem de cauſa Joatham incolas Sichem cladi quæ poſtea ſupervenit devoverat: ſed tamen fervore iracundiæ & ultionis accenſus: morem execrationi gerens Deus, videtur impetus male ordinatos probare. Talis etiam fervor Samſonem rapuit, quum diceret, *Robora me Deus ut ſumam ultionem de incircumciſis*. Etſi enim aliquid fuit probi zeli admixtum, fervida tamen atque ideo vitioſa cupiditas vindictæ illic dominata eſt. Annuit Deus. Jud. 9: 20.
Unde colligi poſſe videtur, quamvis ad verbi præ- Jud. 16.
ſcriptum formatæ non ſint preces, effectum tamen verſ. 28.
conſequi.

Reſponſio.

Reſpondeo, ſingularibus exemplis non aboleri perpetuam legem: deinde ſpeciales interdum motus inditos paucis hominibus fuiſſe, quibus factum eſt ut diſſimilis illorum eſſet atque vulgi ratio. Notandum eſt enim reſponſum illud Chriſti, Luc. 9: 55.
quum diſcipuli exemplum Eliæ inconſiderate æmulari cuperent, *eos neſcire quo ſpiritu eſſent præditi*.

Quamvis ad imitationem nobis propoſita non ſint ejuſmodi exempla, ampliſſimus tamen fructus inde ad nos procedit, nempe invocatio ex fide naſcens, orandi fervor, exauditio, gratitudo, &c.

Cæterum ultra progredi neceſſe eſt, noo ſemper placere Deo vota quibus annuit: ſed quatenus ad exemplum pertinet, claris documeotis palam fieri quod Scriptura docet, eum ſcilicet miſeris ſuccurrere, & eorum exaudire gemitus qui injuſte afflicti opem ejus implorant: ideo exequi ſua judicia, dum ad eum ſurgunt inopum querimoniæ, quamvis indignæ quæ tantillum impetrent. Quoties enim de impiorum ſævitia, rapinis, violentia, libidine aliiſque ſceleribus pœnas ſumens, compeſcens audaciam & furorem, tyrannicam quoque potentiam evertens, indigne oppreſſis ſe opem ferre teſtatus eſt, qui tamen incertum numen orando aërem verberabant? Et Pſalmus unus clare docet non carere effectu preces quæ tamen fide in cælum non penetrant. Colligit enim quas incredulis non mious Pſal. 107.
quam piis neceſſitas extorquet preces ex naturæ ſenſu: quibus tamen Deum propitium eſſe ex eventu demonſtrat. An quia tali facilitate gratas ſibi eſſe teſtetur? imo ut ſuam miſericordiam amplificet vel illuſtret hac circumſtantia, quod ne incredulis quidem negantur ſua vota: deinde ut probos ſuos cultores ad orandum magis exſtimulet, dum vident profanos ejulatus non carere interdum profectu. Non tamen eſt cur fideles deflectant à lege ſibi divinitus impoſita, vel invideant incredulis, quaſi magnum lucrum fecerint, ubi adepti ſunt quod volebant. Hoc modo diximus flexum fuiſſe 1 Reg. 21.
Deum ficta pœnitentia Achab, ut hoc documeoto verſ. 29.
probaret quam ſit exorabilis erga ſuos electos, ubi ad ipſum placandum vera affertur converſio. Ideoque in Pſalmo eum Judæis expoſtulat, quod experti Pſal. 106.
ipſum votis ſuis facilem, ad ingenii ſui pervica- verſ. 43.
ciam paulo poſt reverſi ſint. Quod etiam ex Judicum hiſtoria liquido patet, quoties ſcilicet fleveruot, etſi fallaces erant eorum lachrymæ, fuiſſe tamen ereptos ex hoſtium manibus. Sicut ergo promiſcue Deus ſolem ſuum producit ſuper bonos & malos: ita nec fletus eorum contemnit quorum juſta eſt cauſa, & auxilio dignæ ærumnæ. Interea non magis hos io ſalutem exaudit, quam bonitatis ſuæ contemptoribus alimenta ſuppeditat.

Objectio 2. Effectum non ſunt conſequutæ preces quorundam piorum.

Difficilior videtur eſſe quæſtio de Abrahamo & Samuele: quorum alter oullo Dei verbo inſtructus pro Sodomitis, alter etiam contra maoifeſtam prohibitionem pro Saule oravit. Eadem ratio Jeremiæ, qui urbis excidium deprecatus eſt. quamvis enim repulſam Gen. 18.
paſſi fuerint, durum tamen videtur eos fide privare. verſ. 23.
Atqui ſolutio hæc modeſtis lectoribus, ut ſpero, 1 Sam. 15.
ſatisfaciet: generalibus principiis fultos, quibus ju- verſ. 11.
bet Deus indignos quoque miſericordia proſequi, & 16: 1.
non prorſus fide caruiſſe, quamvis in ipſa ſpecie fru- Jer. 32: 16.
ſtrata eos fuerit opinio. Prudenter alicubi Auguſti- & ſeqq.

Reſponſio, Auguſtini præclaro dicto confirmata.

nus, *Quomodo*, inquit, *fide orant ſancti, ut petant à Deo contra quam decrevit? nempe quia ſecundum voluntatem ejus orant, non illam abſconditam & incommutabilem, ſed quam illis inſpirat, ut eos exaudiat alio modo: ſicut prudenter diſtinguit*. Recte dictum: quia lib. 22. de civit. Dei cap. 2.
pro ſuo incomprehenſibili conſilio ſic temperat

rerum

rerum eventus, ut non irritæ ſint ſanctorum preces quæ fide & errore ſimul implicitæ ſunt. Neque tamen hoc ad imitationem magis valere debet quam ſanctos ipſos excuſat: quos non inficior modum exceſſiſſe.

Regula recte orandi.

Quare ubi non extat certa promiſſio, conditione interpoſita rogandus eſt Deus. Quo pertinet illud Davidis, *Evigila ad judicium quod mandaſti*: quia ad petendum temporale beneficium ſpeciali oraculo ſe inſtructum eſſe admonet.

Pſal. 7: 7.

Quatuor autem illas rite precandi leges non ita rigide exigi, ut preces qua in eas regulas nonnihil peccant Deus repudiet, oſtenditur exemplis.

16. Hoc etiam notare operæpretium eſt, quæ de quatuor recte orandi legibus diſſerui, non ita exigi ſummo rigore, ut preces repudiet Deus in quibus non invenit perfectam vel fidem vel pœnitentiam, una cum zeli ardore votiſque recte compoſitis. Diximus, quamvis oratio familiare ſit piorum cum Deo colloquium, ſervandam tamen eſſe reverentiam & modeſtiam, ne habenas laxemus quibuslibet votis, ac ne concupiſcamus niſi quantum Deus permittit: deinde, ne vileſcat nobis Dei majeſtas, tollendas eſſe ſurſum mentes ad puram caſtamque ejus venerationem. Hoc nemo qua par fuiſſet integritate unquam præſtitit. nam (ut de vulgo non loquar) quam multæ Davidis querimoniæ intemperiem ſapiunt! non quod conſulto vel expoſtulare cum Deo velit, vel ejus judiciis obſtrepere: ſed quia præ infirmitate fatiſcens, non aliud invenit melius ſolatium quam ſi dolores ſuos in illius ſinum conjiciat.

1. Davidis.

Exemplum ex prima lege precandi, de qua ſect. 4.

Quin etiam toleratur à Deo noſtra balbuties, & inſcitiæ datur venia, quoties inconſiderate aliquid nobis excidit: ut certe ſine hac indulgentia nulla eſſet precandi libertas. Cæterum quamvis Davidi animus eſſet, Dei ſe arbitrio totum ſubjicere, nec minore patientia quam impetrandi ſtudio oraret: emergunt tamen, imo interdum ebulliunt turbulenti affectus, qui à prima quam poſuimus lege non parum diſtant. Maxime ex clauſula Pſalmi triceſimi noni conſpicere licet quanta doloris vehementia abreptus fuerit ſanctus vir, ne ſibi modum ſtatueret. *Deſine* (inquit) *à me, donec abeam, & non ſim.* Diceres hominem deſperatum nihil aliud expetere niſi ut ceſſante Dei manu in ſuis malis putreſcat. Non quod devoto animo ruat in illam intemperiem, aut, ut ſolent reprobi, velit Deum faceſſere: ſed tantum conqueritur iram Dei ſibi eſſe intolerabilem. In illis etiam tentationibus ſæpe effluunt vota non ſatis bene formata ad regulam verbi Dei, & in quibus non ſatis expendunt ſancti quid fas ſit & expediat. His quidem vitiis quæcunque maculatæ ſunt preces repudiari merentur: modo tamen ingemiſcant ſancti, caſtigent ſeipſos, & ſtatim ad ſe redeant, ignoſcit Deus.

Pſ. 39: 14.

Exemplum ex ſecunda lege, de qua ſect. 6.

Sic etiam in ſecunda lege peccant: quia & cum frigore ſuo illis ſæpe luctandum eſt, neque ſua illos egeſtas & miſeria ſatis acriter pungit ad ſerio precandum. Jam ſæpe contingit eorum mentes dilabi & prope evaneſcere: venia igitur hac quoque in parte opus eſt, ne languidæ vel mutilæ vel interruptæ & vagæ preces repulſam patiantur. Hoc naturaliter indidit Deus hominum mentibus, legitimas non eſſe preces niſi mentibus ſurſum ſublatis. Hinc ceremonia elevationis manuum, ut ante diximus, quæ omnibus ſeculis & gentibus trita fuit, ſicuti adhuc viget: ſed quotuſquiſque, dum manus levat, non ſibi conſcius eſt tarditatis? quia cor in terra ſubſidit.

Exemplum ex tertia, de qua ſect. 8.

Quod ad petendam peccatorum remiſſionem ſpectat, quamvis hoc caput nemo fidelium prætereat, ſentiunt tamen qui vere ſunt in precibus exercitati, vix decimam ejus ſacrificii partem ſe afferre de quo loquitur David, *Sacrificium Deo acceptum, ſpiritus afflictus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Ita ſemper duplex petenda eſt venia, quod & ſibi conſcii ſint multorum delictorum, quorum tamen ſenſu non ita tanguntur ut ſibi quantum oportet diſpliceant: & quatenus in pœnitentia & timore Dei proficere illis datum eſt, juſto mœrore ob ſuas offenſas proſtrati, judicis vindictam deprecentur.

Pſal. 51. verſ. 19.

Exemplum ex quarta, de qua ſect. 11.

Maxime fidei debilitas vel imperfectio fidelium preces vitiat niſi ſuccurreret Dei indulgentia: ſed nihil mirum eſt hunc defectum à Deo ignoſci, qui aſperis documentis ſæpe ſuos exercet, acſi data opera fidem eorum vellet extinguere. Duriſſima eſt hæc tentatio, ubi clamare coguntur fideles, *Quouſque iraſceris ſuper oratione ſervi tui?* acſi preces ipſæ Deum exacerbarent. Sic quum dicit Jeremias, *Excluſit Deus orationem meam*, non dubium eſt violenta perturbatione fuiſſe concuſſum. Innumera ejus generis exempla occurrunt in Scripturis, ex quibus patet fidem ſanctorum ſæpe mixtam fuiſſe dubitationibus & agitatam, ut credendo & ſperando aliquid tamen infidelitatis proderent: ſed quia non perveniunt quo optandum eſt, eo magis eniti eos oportet ut correctis vitiis propius in dies ad perfectam orandi legem accedant, ac interea ſentire in quanta malorum profunditate ſint demerſi, qui in ipſis remediis novos ſibi morbos accerſunt: quando nulla eſt oratio quam non merito faſtidiat Deus, niſi ad maculas conniveat quibus omnes aſperſæ ſunt.

1. Davidis.

Pſal. 80: 5.

2. Jeremiæ.

Thren. 3: verſ. 8.

3. Piorum multorum.

Concluſio ſive ſumma hujus ſectionis.

Hæc non ideo commemoro, ut ſibi quicquam fideles ſecure condonent, ſed ut ſeipſos ſevere caſtigando contendant ſuperare hæc obſtacula: & quamvis omnes vias obſtruere conetur Satan, ut eos ab orando prohibeat, nihilominus perrumpant, certo perſuaſi, utcunque non omnibus remoris expediti ſint, conatus tamen ſuos Deo placere, votaque ſua probari, modo contendant & nitantur quo non ſtatim pertingunt.

IV.

Per quem Deus ſit invocandus: ſeu, quis noſter apud Patrem cœleſtem mediator. nempe Jeſus Chriſtus, Filius dilectus.

17. Quando vero nemo eſt hominum dignus qui ſe Deo repræſentet, ac in ejus conſpectum prodeat: ipſe cœleſtis Pater, ut nos pudore ſimul & metu eximeret, qui noſtros omnium animos dejicere debebant, Filium nobis ſuum donavit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: qui apud ipſum nobis ſit advocatus & mediator, cujus ductu ad ipſum ſecure accedamus: tali interceſſore confiſi, nihil, quod ejus nomine petierimus, nobis denegatum iri, ut illi à Patre nihil denegari poteſt. Atque huc omnino referri neceſſe eſt quicquid antehac de fide docuimus: quia ſicuti promiſſio Chriſtum mediatorem nobis commendat, ita niſi ſpes impetrandi eo ſubnixa ſit, orandi beneficio ſe privat.

1 Tim. 2. verſ. 5.

1 Joan. 2. verſ. 1.

Ratio à conſideratione divinæ majeſtatis.

Nam ſimulac in mentem venit horribilis Dei majeſtas, fieri non poteſt quin expaveſcamus, ac nos indignitatis propriæ agnitio procul abigat, donec medius occurrat Chriſtus, qui ſolium formidabilis gloriæ in ſolium gratiæ commutet: ſicuti etiam docet Apoſtolus, ut *cum omni fiducia apparere audeamus, miſericordiam conſecuturi, & gratiam inventuri in auxilio opportuno.*

Heb. 4: 16.

A Dei ipſius præcepto & promiſſione.

Atque ut lex de invocando Deo poſita eſt, ut promiſſio data, exauditum iri qui invocaverint: ita in nomine Chriſti invocare peculiariter jubemur: & promiſſionem habemus propoſitam, impetraturos quod in ejus nomine petierimus. *Hactenus*, inquit, *non petiiſtis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis. In illo die in nomine meo petetis: & quicquid petieritis, faciam, ut glorificetur Pater in Filio.*

Joan. 14. verſ. 13. & 16 24.

Ideo non alio quam Chriſti nomine Deus eſt invocandus

Hinc ſine controverſia clarum eſt, eos qui in alio quam Chriſti nomine Deum invocant, illius juſſa contumaciter prævaricari, ac voluntatem pro nihilo reputare: nullam vero promiſſionem habere quicquam impetrandi. Siquidem, ut ait Paulus, *omnes Dei promiſſiones in Chriſto ſunt etiam & amen*: id eſt, confirmantur & implentur.

2 Cor. 1. verſ. 20.

Etſi fideles omnes, ab initio, per hunc ſolum exauditi ſunt; tamen hac gratia ad tempus, quod aſcen-

18. Ac diligenter notanda eſt circumſtantia temporis, dum Chriſtus diſcipulos ad ſuam interceſſionem jubet confugere, poſtquam in cœlum aſcenderit, *In illa hora*, inquit, *petetis in nomine meo.* Certum quidem eſt ab initio non fuiſſe exauditos quicunque precati ſunt, niſi Mediatoris gratia. Hac ratione inſtituerat in Lege Deus ut ſolus Sacerdos ſanctuarium ingrediens geſtaret in humeris no-

ſionem Chriſti in cælos eſt ſequutum, potiſſimum reſtringitur.

Joan. 16. verſ. 26.
Exod. 28. v. 9. 12. & 21.

mina tribuum Iſraël, & totidem ante pectus lapides pretioſos: populus autem procul ſtaret in atrio, atque inde vota ſua conjongeret cum Sacerdote. Quin etiam huc valebat ſacrificium ut ratæ eſſent ac firmæ preces. Ergo illa umbratilis Legis ceremonia docuit arceri nos omnes à facie Dei, ideoque mediatore opus eſſe, qui nomine noſtro appareat, noſque geſtet in humeris, & pectori alligatos teneat, ut in ejus perſona exaudiamur: deinde ſanguinis aſperſione preces mundari, quas alioqui nunquam ſordibus vacuas eſſe dictum eſt. Et videmus Sanctos, quum impetrare aliquid cuperent, ſpem ſuam in ſacrificiis fundaſſe: quia ſciebant votorum omnium eſſe ſanctiones. *Recordetur oblationis tuæ*,

Pſal. 20: 4.

inquit David, *& holocauſtum tuum pingue reddat*. Hinc colligitur, Deum ab initio Chriſti deprecatione fuiſſe placatum, ut piorum vota ſuſciperet.

Ratio hujus reſtrictionis.

Cur ergo novam horam aſſignat Chriſtus qua in ſuo nomine orare incipient diſcipuli, niſi quia hæc gratia, ut eſt hodie illuſtrior, ita plus commendationis apud nos meretur? Et hoc eodem ſenſu paulo ante dixerat, *Hactenus non petiiſtis quicquam in nomine meo: petite*. Non quod de Mediatoris officio nihil prorſus tenerent (quum his rudimentis imbuti eſſent omnes Judæi) ſed quia nondum liquido cognoverant, Chriſtum ſuo in cælum aſcenſu certiorem quam ante fore Eccleſiæ patronum. Ergo abſentiæ ſuæ dolorem ut aliquo non vulgari fructu ſoletur, munus advocati ſibi vindicat, & docet præcipuo hactenus beneficio eos caruiſſe, quo frui illis dabitur dum ejus patrocinio fulti liberius Deum invocabunt: ſicut dicit Apoſtolus, *viam ejus recentem ejus ſanguine dicatam eſſe*. Quo minus excuſabilis eſt noſtra pravitas, niſi tam inæſtimabile beneficium, quod nobis proprie deſtinatum eſt, utroque (ut aiunt) brachio amplectimur.

Hebr. 10. verſ. 20.

Ira Dei manet ſuper eos qui Chriſtum unicum mediatorem deſerunt.

19. Porro, quum ſit ipſe unica via, ac unus acceſſus quo ad Deum ingredi nobis datur: qui ab hac via deflectunt, & hunc acceſſum deſerunt, iis neque via ulla neque acceſſus ad Deum ſupereſt: nihil in ejus throno reliquum ſit præter iram, judicium, ac terrorem. Denique quum hunc pro capite ac duce Pater nobis ſignaverit, qui ab eo ullo modo declinant vel obliquant, conantur quantum in ſe eſt notam à Deo impreſſam delere & adulterare. Ita unus ſtatuitur Mediator Chriſtus, cujus interceſſione propitius & exorabilis nobis reddatur Pater.

Hac tamen ratione mutua ſanctorum in terris interceſſio non excluditur.

Epheſ. 6. v. 18, 19.
1 Tim. 2. verſ. 1.

Quanquam interim & ſuæ ſanctis interceſſiones relinquuntur, quibus alii aliorum ſalutem mutuo inter ſe Deo commendant, de quibus meminit Apoſtolus: ſed tales quæ ab unica illa dependeant: tantum abeſt ut delibent ex ea quippiam. Nam ut à dilectionis affectu ſcaturiunt, quo nos ultro citroque amplectimur ceu unius corporis membra: ita etiam ad capitis unitatem referuntur. Quum ergo illæ quoque in Chriſti nomine fiunt, quid aliud quam teſtantur, neminem ullis omnino precibus, niſi Chriſto intercedente, poſſe adjuvari? Atque ut non obſtat ſua interceſſione Chriſtus, quominus in Eccleſia precibus alter alteri viciſſim patrocinemur: ita fixum maneat, omnes totius Eccleſiæ interceſſiones in illam unicam eſſe dirigendas. Imo hoc maxime nomine cavenda nobis ingratitudo eſt, quod Deus, indignitati noſtræ ignoſcens, non tantum ſingulis pro ſe orare permittit, ſed etiam alios pro aliis admittit deprecatores. Cujus enim ſuperbiæ eſſet, ubi Deus Eccleſiæ ſuæ patronos conſtituit qui merito repudiari merentur, ſi pro ſe quiſque privatim oret, hac liberalitate abuti ut Chriſti honorem obſcurent?

V.
Errorum, Chriſti interceſſionem obſcurantium, refutatio.

20. Porro merum eſt nugamentum quod balbutiunt Sophiſtæ, Chriſtum eſſe *redemptionis Mediatorem*, fideles autem *interceſſionis*. Quaſi vero Chriſtus temporaria mediatione defunctus, æternam & nunquam intermorituram ad ſervos ſuos rejecerit. Benigne ſcilicet illum tractant, qui tantulam honoris portionem illi decîdunt. Atqui longe aliter Scriptura, cujus ſimplicitate, omiſſis iſtis impoſtoribus, contentum eſſe pium hominem convenit. nam quum dicit Joannes, *Siquis peccaverit, advocatum nos habere apud Patrem Chriſtum Jeſum*: an patronum olim nobis fuiſſe intelligit, ac non potius perpetuam illi interceſſionem aſſignat? Quid, quod Paulus ſedentem ad Patris dexteram etiam pro nobis intercedere affirmat? Quum vero alibi *unicum Dei & hominum Mediatorem* illum nuncupat, annon ad precationes reſpicit quarum ante paulo meminerat? Siquidem pro omnibus hominibus intercedendum præfatus, in ejus ſententiæ confirmationem mox ſubnectit, *unum eſſe omnium Deum, & unum Mediatorem*. Neque vero aliter interpretatur Auguſtinus, quum ſic loquitur, *Homines Chriſtiani invicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus veruſque Mediator eſt. Paulus Apoſtolus, quanquam ſub capite præcipuum membrum, quia tamen membrum erat corporis Chriſti, & noverat non per figuram in interiora veli ad ſancta ſanctorum, ſed per expreſſam & firmam veritatem in interiora cæli ad ſanctitatem non imaginariam, ſed æternam intraſſe maximum & veriſſimum Sacerdotem Eccleſiæ, ſe orationibus fidelium ipſe quoque commendat. Nec mediatorem ſe facit inter populum & Deum: ſed rogat ut omnia corporis Chriſti membra invicem pro ſe orent: quoniam invicem ſollicita ſunt membra; & ſi patitur unum membrum, reliqua compatiuntur. Ac ſic membrorum omnium adhuc in terra laborantium mutuæ pro ſe invicem orationes aſcendant ad caput quod præceſſit in cælum, in quo eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Nam ſi eſſet mediator Paulus, eſſent utique & reliqui Apoſtoli: ac ſic multi mediatores eſſent, nec conſtaret ipſius Pauli ratio, qua dixerat, Unus enim Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus: in quo & nos unum ſumus, ſi ſervamus unitatem fidei in vinculo pacis.* Item alibi, *At vero Sacerdotem ſi requiras, ſuper cælos eſt, ubi interpellat pro te, qui in terra mortuus eſt pro te.*

1. Chriſtus eſt mediator redemptionis; ſanctis, interceſſionis.

Reſponſio, clariſſima auctoritate Scripturæ, & Auguſtini teſtimonio firmata.

1 Joan. 2. verſ. 1.
Rom. 8. verſ. 33.
1 Tim. 2: 5.
lib. 2. contra Parmen. l. c. 8.
Rom. 15. verſ. 30.
Eph. 6: 19.
Col. 4: 3.
1 Cor. 12. verſ. 25.
1 Tim. 2. verſ. 5.
Eph. 4: 3.
in Pſal. 94.

Qualis ſit Chriſti interceſſio.

Neque vero ſomniamus illum, Patris genibus advolutum, ſuppliciter pro nobis deprecari: verum cum Apoſtolo intelligimus, ſic eum apparere coram facie Dei, ut mortis ejus virtus ad perpetuam pro nobis interceſſionem valeat: ſic tamen, ut ſanctuarium cæli ingreſſus, ad conſummationem uſque ſeculorum ſolus populi eminus in atrio reſidentis vota ad Deum deferat.

De Sanctorum in cælis cum Chriſto viventium interceſſione.

21. Quantum ad Sanctos attinet qui carne mortui, in Chriſto vivunt, ſiquam illis orationem attribuimus, ne iis quidem ipſis ſomniemus aliam eſſe rogandi Dei viam, quam Chriſtum, qui ſolus via eſt: aut alio nomine Deo eſſe acceptas eorum preces. Itaque poſtquam Scriptura nos ab omnibus ad Chriſtum unum revocat, poſtquam cæleſtis Pater vult omnia in ipſo recolligere: nimii ſtuporis fuit, ne dicam inſaniæ, nobis per ipſos acceſſum ſic velle moliri, ut ab illo abduceremur ſine quo nec eis aditus ullus patet.

Qualis fingatur ſub Papiſmo.

Id autem aliquot ſeculis factitatum quis neget, hodieque ubicunque Papiſmus viget, factitari? Ad conciliandam Dei benevolentiam eorum merita ſubinde obtruduntur: atque ut plurimum, Chriſto præterito, per eorum nomina Deus obſecratur.

Refutatur primum ab abſurdo. Deinde, ab eo quod hujus Scriptura nunquam meminit.

Annon hoc, quæſo, eſt munus unicæ illius interceſſionis, quam Chriſto ſupra aſſeruimus, ad illos traducere? Deinde quis vel Angelus, vel dæmon ulli hominum de ejuſmodi quam fingunt ipſorum interceſſione ſyllabam unquam renunciavit? in Scriptura enim nihil extat. Quæ ergo ejus comminiſcendæ fuit ratio? Certe dum humanum ingenium ſubſidia ſibi ita quæritat, quibus non munitur per Dei verbum, luculente ſuam diffidentiam prodit.

Tertio, ab appellatione

Quod ſi conſcientia eorum omnium appelletur qui Sanctorum interceſſione

oble-

conſcientia ſuperſtitioſorum.

oblectantur, reperiemus non aliunde id evenire, niſi quia anxietate laborant, perinde acſi hic Chriſtus deficeret, aut nimium ſeverus foret. Qua primum perplexitate Chriſtum inhonorant, & ſolius Mediatoris titulo ſpoliant: qui ut illi in ſingularem prærogativam à Patre datus eſt, ita neque alio transferri debet.

Quarto, à blaſphemiis, quibus redemptionis noſtra myſteria, Dei benignitatem, Chriſti charitatem & officium obruunt.

Atque hoc quidem ipſo gloriam nativitatis ejus obſcurant, crucem evacuant; quicquid denique aut fecit, aut paſſus eſt, ſua laude exuunt ac defraudant: ſiquidem huc tendunt omnia, ut ſolus ſit & habeatur mediator. Simul Dei benignitatem abjiciunt, qui ſe illis in patrem exhibebat: non enim illis pater eſt, niſi Chriſtum ſibi fratrem eſſe agnoſcant. Quod plane abnegant, niſi fraterno eſſe erga ſe affectu (quo nihil mollius aut tenerius eſſe poteſt) cogitant. Quare illum unice Scriptura nobis offert, ad ipſum nos mittit, & in ipſo ſiſtit.

lib. de Iſaac & anima.

Ipſe, inquit Ambroſius, *os noſtrum eſt, per quod Patri loquimur: oculus noſter, per quem Patrem videmus: dextera noſtra, per quam nos Patri offerimus. Quo niſi intercedente, nec nobis nec ſanctis omnibus quicquam cum Deo eſt.*

Exceptio.

Si excipiant quas in templis concipiunt publicas preces finiri hac appendice, *Per Chriſtum*

Reſponſio 1.

Dominum noſtrum, frivolum effugium eſt: quia non minus profanatur Chriſti interceſſio, dum mortuorum precibus & meritis miſcetur, quam ſi ea penitus

2\. omiſſa ſoli mortui in ore eſſent. Deinde in ſuis omnibus litaniis, hymnis & proſis, ubi Sanctis mortuis nihil non honoris defertur, nulla Chriſti mentio.

3. Errorum portenta, ex prioribus enata.

22\. Eo autem uſque progreſſa eſt ſtoliditas, ut hic expreſſum habeamus ſuperſtitionis ingenium, quæ ubi ſemel frenum excuſſit, nullum laſciviendi finem facere ſolet.

1\. Nam poſtquam cœptum fuerat in ſanctorum interceſſionem reſpicere, ſenſim ſua cuique procuratio eſt attributa, ut pro negotii diverſitate nunc hic nunc ille advocaretur interceſ-

2\. ſor: tum ſinguli peculiares ſibi divos aſciverunt, in quotum, non ſecus atque tutelarium deorum fidem ſe contulerunt. Neque modo (quod olim Iſraëli

Jer. 2: 28. & 11: 13.

exprobrabat Propheta) *ſecundum urbium numerum dii ſunt erecti*, ſed ſecundum capitum multitudi-

Refelluntur.

nem. Atqui, quum in unam Dei voluntatem deſideria ſua omnia referant, hanc intueantur, in ea

3\. acquieſcant: ſtolide & carnaliter atque etiam contumelioſe de iis cogitat, qui aliam ipſis orationem aſſignat, quam qua Dei regnum advenire expetant: à quo longiſſime abeſt quod illis affingunt, unumquemque privato affectu in ſuos cultores eſſe

4\. propenſiorem. Tandem nec ab horrendo ſacrilegio abſtinuerunt plurimi, non ut ſuffragatores jam, verum ut ſalutis ſuæ præſides, invocando. En quo recidant miſeri homines, dum à legitima ſua ſta-

5\. tione, hoc eſt, Dei verbo, evagantur. Omitto craſſiora impietatis monſtra, in quibus tametſi Deo, Angelis & hominibus ſunt deteſtabiles, eorum tamen nondum ipſos pudet vel piget. Proſtrati ad ſtatuam aut picturam Barbaræ, Catharinæ, & ſimilium, demurmurant *Pater noſter*. Hunc furorem tantum abeſt ut Paſtores ſanandum vel cohibendum curent, ut quæſtus odore allecti, plauſu ſuo

Exceptio patronorum tam impiæ ſuperſtitionis.

comprobent. Verum ut tam fœdi criminis invidiam à ſe derivent; hoc tamen quo colore defendent, rogari Eligium vel Medardum ut ſervos ſuos reſpiciant & juvent è cælo? ſanctam Virginem ut

Reſponſio.

Filium facere jubeat quod petunt? Olim vetitum fuit in Concilio Carthaginenſi, ne ad altare directa fieret precatio ad Sanctos: ac probabile eſt, quum ſancti viri impetum pravæ conſuetudinis non poſſent in totum compeſcere, hanc ſaltem moderationem adhibuiſſe ne hac forma vitiarentur publicæ orationes, *Sancte Petre ora pro nobis*. Quanto autem longius evaſit diabolica eorum importunitas, qui ad mortuos transferre non dubitant quod Dei & Chriſti proprium erat?

Papiſtarum argumenta

23\. Quod autem efficere ſtudent ut Scripturæ auctoritate videatur ſubniti ejuſmodi interceſſio,

pro interceſſione Sanctorum.

fruſtra in eo laborant. Angelorum, inquiunt, orationes leguntur ſæpius: neque id modo, ſed in Dei

1. Ab officio & munere Angelorum. Reſponſio.

conſpectum per eorum manus perferri dicuntur fidelium preces. Verum ſi Angelis Sanctos præſenti vita defunctos conferre libet, probandum fuerit eſſe adminiſtratorios ſpiritus, quibus delegatum ſit miniſterium curandæ noſtræ ſalutis, Heb. 1:14 quibus demandata ſit provincia cuſtodiendi nos in omnibus Pſal. 91. viis noſtris, qui nos circumeant, qui moneant & verſ. 11. conſolentur, qui pro nobis excubias agant. Pſal. 34: 8. quæ omnia illis deferuntur: his autem minime. Quam præpoſtere Angelis Sanctos mortuos involvant, ſatis ſuperque ex tot diverſis muneribus patet, quibus alios ab aliis Scriptura diſtinguit. Cauſidici partibus apud terrenum judicem fungi nemo audebit niſi admiſſus: unde ergo vermibus tanta licentia ut Deo patronos obtrudant quibus munus injunctum non legitur? Voluit Deus Angelos curandæ noſtræ ſaluti præficere: unde & ſacros cœtus frequentant, & Eccleſia illis theatrum eſt, in quo mirentur variam & multiplicem Dei ſapientiam. Eph. 3:10. Quod illis peculiare eſt, ad alios qui transferunt, certe ordinem à Deo poſitum, qui inviolabilis eſſe debebat, confundunt ac pervertunt. Eadem dexteritate pergunt in citandis aliis teſtimoniis.

2. A Jeremiæ dicto, de Moſe & Samuele.

Jeremiæ dicebat Deus, *Si ſteterint Moſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Quomodo ſic de mortuis, inquiunt, loquutus foret, niſi pro Jer. 15: 1. vivis intercedere illos noviſſet?

Reſponſio, qua argumentum validiſſime torquet in adverſarios.

Ego vero contra ſic colligo: quum inde appareat neque Moſen neque Samuelem interceſſiſſe pro populo Iſraëlitico, tunc nullam fuiſſe prorſus mortuorum interceſſionem. Quis enim Sanctorum de populi ſalute laborare credendus ſit ceſſante Moſe, qui alios omnes in hac parte longo intervallo, dum viveret, ſuperavit? Ergo ſi minutulas iſtas argutias ſectantur, Mortui pro viventibus intercedunt, quoniam dixit Dominus, *Si interceſſerint*: ego longe ſpecioſius argumentabor in hunc modum, In extrema populi neceſſitate Moſes non intercedebat, de quo dicitur, *Si interceſſerit*. Ergo neminem alium intercedere veriſimile ſit, quum omnes à Moſis humanitate, bonitate & paterna ſollicitudine procul abſint. Id ſcilicet cavillando conſequuntur, ut iis armis vulnerentur quibus ſe pulchre munitos putabant.

Senſus Prophetæ.

At vero ſimplicem ſententiam ſic contorqueri valde ridiculum eſt: quia tantum pronunciat Dominus populi flagitiis ſe non parciturum, etiamſi Moſes aliquis patronus illis contingeret, aut Samuel, quorum precibus ſe tantopere indulgentem præſtiterat.

Simili Ezechielis loco confirmatur. Ezech. 14. verſ. 14.

Qui ſenſus ex ſimili Ezechielis loco luculentiſſime elicitur: *Si fuerint*, inquit Dominus, *iſti tres in civitate viri, Noah, Daniel & Job, filios & filias non liberabunt in ſua juſtitia: ſed animas tantum ſuas liberabunt.* Ubi dubium non eſt quin indicare voluerit, ſi reviviſcere duos ex illis contingat. nam tertius eo tempore ſuperſtes erat, Daniel ſcilicet, quem tum conſtat in primo adoleſcentiæ flore incomparabile dediſſe pietatis ſpecimen.

Item, Apoſtoli teſtimonio. Act. 13:36.

Eos igitur omittamus quos Scriptura clare demonſtrat curſum ſuum conſummaſſe. Ideo Paulus, quum de Davide loquitur, non docet precibus ipſum juvare poſteritatem, ſed duntaxat *ætati ſuæ inſervuiſſe*.

3. A charitatis natura, qua in Sanctis cum Chriſto viventibus eſt perfectior. Reſponſio.

24\. Excipiunt rurſum, Ergo eos omni pietatis voto exuemus, qui nihil toto vitæ decurſu quam pietatem & miſericordiam ſpirarunt? Equidem, ut curioſius excutere nolim quid agant, aut quid meditentur, ita nequaquam eſt probabile variis & particularibus votis huc illuc circumferri: ſed potius ſtata atque immota voluntate in Dei regnum aſpirare. quod non minus impiorum interitu, quam fidelium ſalute conſtat. Quod ſi verum eſt, eorum quoque charitatem in communione corporis Chriſti non dubium eſt contineri, nec

latius patere quam fert communionis illius natura. Jam vero tametſi in hunc modum pro nobis orare concedam, non tamen ideo à ſua quiete diſcedunt ut diſtrahantur in terrenas curas: ac multo minus à nobis ideo protinus invocandi erunt.

Inſtantia.

Neque id agendum ex eo conſequitur quod qui in terris degunt homines, viciſſim alii aliorum precibus commendare ſe poſſunt.

Reſponſio.

Hoc enim alendæ in ipſis charitati officium ſervit, dum ſuas inter ſe neceſſitates veluti partiuntur, & mutuo ſuſcipiunt. Atque id quidem faciunt ex Domini præcepto, neque promiſſione deſtituuntur: quæ duo ſemper in oratione primas tenent. Omnes ejuſmodi rationes à mortuis abſunt: quos à noſtro contubernio dum ſubduxit Dominus, nullum nobis cum illis reliquit commercium, ac ne illis quidem nobiſcum, quantum aſſequi licet conjecturis.

Eccleſ. 9. verſ. 5, 6.

Secunda inſtantia.

Quod ſi quis cauſetur, fieri non poſſe quin eandem erga nos charitatem retineant, ut ſunt una nobiſcum fide conjuncti:

Reſponſio.

quis tamen eo uſque longas illis eſſe aures revelavit, quæ ad voces noſtras porrigantur? oculos etiam tam perſpicaces qui neceſſitatibus noſtris advigilent?

Tertia, de Trinitatis ſpeculo.

Nugantur in ſuis umbris neſcio quid de fulgore divini vultus ipſos irradiante, in quo, ceu in ſpeculo, res hominum ex alto deſpiciant:

Reſponſio.

verùm id affirmare, qua præſertim confidentia illi audent, quid eſt niſi per temulenta cerebri noſtri ſomnia velle in abdita Dei judicia, ſine ejus verbo penetrare & perrumpere, ac Scripturam conculcare? quæ toties carnis noſtræ prudentiam, ſapientiæ Dei inimicam eſſe pronunciat: vanitatem ſenſus noſtri in univerſum damnat: proſtrata omni noſtra ratione, ſolam Dei voluntatem à nobis vult ſpectari.

Rom. 8: 6.

4.

A Moſis teſtimonio, de Patriarcharum nomine ſuper poſteros invocando.

25. Quæ vero alia Scripturæ teſtimonia propugnando huic ſuo mendacio aſciſcunt, peſſime contorquent. Sed enim, inquiunt, Jacob *ut ſuum patrumque Abraham & Iſaac nomen ſuper ſuam poſteritatem invocetur* rogat. Primum videamus qualis iſta ſit invocationis forma inter Iſraelitas.. non enim patres ſuos ad ferendas ſibi ſuppetias implorant: ſed Deum obteſtantur quo ſervorum ſuorum, Abraham, Iſaac & Jacob meminerit.

Geneſ. 48. verſ. 16.

Eorum ergo exemplum nihil iis patrocinatur qui ad ſanctos ipſos ſermonem habuerint.

Reſponſio, per interpretationem loci illius cum Jeſaiæ ſimili dicto collati.

Verum quia ſtipites iſti, qua ſunt hebetudine, nec quid ſit nomen Jacob invocare, nec cur invocandum ſit capiunt: non mirum ſi in ipſa quoque forma ſic pueriliter titubant. Loquutio hæc non ſemel in Scripturis occurrit. Jeſaias enim *virorum nomen invocari ſuper mulieres* dicit, dum eos habent maritorum loco ſub quorum fide & tutela degant.

Jeſ. 4: 1.

Ergo invocatio nominis Abraham ſuper Iſraelitas, in hoc ſita eſt, dum generis ſui originem ad eum referunt, eumque pro auctore & parente ſuo memoria celebri colunt. Neque vero id facit Jacob quod ſit de propaganda nominis ſui celebritate ſollicitus: ſed quum totam poſterorum beatitudinem conſtare noverit hæreditate fœderis, quod ſecum Deus pepigerat: quod illis bonorum omnium ſummum fore videt, comprecatur ut genere ſuo cenſeantur. id enim aliud non eſt quam fœderis ſucceſſionem ad eos tranſmittere. Illi viciſſim, dum memoriam ejuſmodi precibus ſuis inducunt, non ad interceſſiones mortuorum ſuffugiunt: ſed Domino fœderis ſui recordationem objiciunt, quo clementiſſimus Pater illis ſe propitium ac beneficum fore, in Abrahæ, Iſaac & Jacob gratiam recepit.

Secunda reſponſ. ex publica Eccleſiæ voce petita.

Alioqui quam parum in Patrum merita ſancti reclinaverint, teſtatur publica vox Eccleſiæ apud Prophetam, *Tu pater noſter, & Abraham neſcivit nos, & Iſraël ignoravit nos. Tu Domine pater noſter, & redemptor noſter.* Ac dum ſic quidem loquuntur, ſimul addunt, *Convertere Domine propter ſervos tuos:* nullam tamen cogitantes interceſſionem, ſed ad fœderis beneficium animum advertentes.

Jeſ. 63. verſ. 16.

Nunc vero quum Dominum Jeſum habeamus, in cujus manu non percuſſum modo, ſed confirmatum ſit nobis æternum miſericordiæ fœdus: cujus potius nomen in precibus noſtris prætendamus?

Tertia, quæ ſit refellenda.

Et quoniam boni iſti magiſtri his verbis Patriarchas volunt ſtatui interceſſores, ſcire ex ipſis velim cur in tanta turba ne minimum quidem apud eos locum obtineat Abraham, Eccleſiæ pater. Ex qua colluvie ſibi advocatos ſumant minime ignotum eſt. Abraham, quem Deus aliis omnibus prætulit, & quem evexit in ſummum honoris gradum, negligi ac ſupprimi quam conſentaneum ſit mihi reſpondeant. Nempe quum palam eſſet talem uſum veteri Eccleſiæ fuiſſe incognitum, placuit, occultandæ novitatis cauſa, de antiquis Patribus ſilere: acſi nominum diverſitas recentem & adulterinum morem excuſaret.

Objectio.

Quod autem objiciunt quidam, rogari Deum ut in Davidis gratiam populi miſereatur,

Reſponſio.

adeo non ſuffragatur eorum errori, ut ad ejus refutationem maxime ſit efficax. Nam ſi expendimus quam perſonam ſuſtinuerit David: ſegregatur ab omni ſanctorum cœtu, ut quod in ejus manu pactum Deus pepigit, ſtabiliat. Ita & fœderis potius quam hominis habetur ratio, & ſub figura Chriſti interceſſio unica aſſeritur. Nam quod ſingulare fuit Davidi, quatenus Chriſti imago fuit, in alios non competere certum eſt.

5.

Ab exauditis precibus quæ à ſanctis ſunt.

26. Sed hoc quoſdam ſcilicet movet, quod ſanctorum orationes ſæpe leguntur exauditæ. Cur? nempe quia orarunt. *In te ſperaverunt*, inquit Propheta, *& ſalvi facti ſunt: clamaverunt, & non ſunt confuſi.* Oremus ergo & nos eorum exemplo, ut eorum inſtar exaudiamur.

Pſal. 22: 5.

Reſponſio.

Hi vero, contra quam decet, præpoſtere ratiocinantur, non exauditum iri niſi qui ſemel exauditi ſunt. Quanto melius Jacobus? *Elias*, inquit, *homo erat nobis ſimilis: & precatione precatus eſt, ne plueret, & non pluit ſuper terram annos tres & menſes ſex. Rurſum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.*

Jac. 5: 17.

Quid? An ſingularem aliquam Eliæ prærogativam colligit, ad quam ſit nobis confugiendum? Minime vero: ſed vim piæ puræque orationis perpetuam docet, ut nos ad ſimiliter orandum exhortetur. Nam Dei promptitudinem ac benignitatem in exaudiendis illis maligne interpretamur, niſi talibus experimentis confirmamur in certiorem promiſſionum ejus fiduciam: quibus non uni aut alteri, aut etiam paucis inclinatam fore aurem ſuam pollicetur, ſed omnibus qui nomen ſuum invocaverint.

Confirmatio reſponſionis, auctoritate Scripturæ munita.

Atque eo minus excuſabilis eſt inſcitia hæc, quod tot Scripturæ admonitiones videntur quaſi ex profeſſo contemnere. Liberatus eſt ſæpius David Dei virtute: an ut eam ad ſe traheret, ut ejus ſuffragio liberaremur? Longe aliter affirmat ipſe, *Me expectant juſti donec rependas mihi.* Item, *Videbunt juſti, & gaudebunt, & ſperabunt in Domino. Ecce pauper iſte clamavit ad Deum, & reſpondit ei.*

Pſal. 142. verſ. 8.

Pſal. 52: 8.

Pſal. 34. 7.

Multæ in Pſalmis ſunt ejuſmodi preces, quibus ad præbendum quod poſtulat hac ratione Deum provocat, ne pudefiant juſti, ſed ſuo exemplo erigantur ad bene ſperandum. Uno jam contenti ſimus, *Propterea orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.*

Pſal. 32: 6.

Quem locum eo libentius citavi, quod non puduit rabulas, qui operam linguæ meritoriæ ad defenſionem Papatus locant, eum obtendere ad probandam mortuorum interceſſionem. Quaſi vero aliud velit David quam fructum oſtendere qui ex Dei clementia & facilitate proveniet ubi exauditus fuerit. Atque hoc in genere tenendum eſt, experientiam gratiæ Dei, tam erga nos quam erga alios, non vulgare eſſe adminiculum ad confirmandam promiſſionum illius fidem. Non recito plurimos locos ubi David Dei beneficia ſibi proponit in fiduciæ materiam, quia Pſalmorum lectoribus ſponte occurrent. Hoc idem ſuo exemplo prius docuerat Jacob,

Et illuſtrata.

Minor

Digitized by Google

exemplis Jacobi. Gen. 32. verſ. 10.

Minor ſum cunctis miſerationibus tuis & veritate quam præſtitiſti ſervo tuo. In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum: & nunc cum duabus turmis egredior. Promiſſionem quidem allegat, ſed non ſolam: quin ſimul effectum conjungit, quo animoſius in futurum confidat eundem erga ſe Deum fore. Neque enim ſimilis eſt mortalibus, quos liberalitatis ſuæ tædet, vel quorum exhauritur facultas: ſed à propria natura æſtimandus eſt, ſicut prudenter facit David. *Redemiſti me*, inquit, *Deus verax*. Poſtquam ſalutis ſuæ laudem Deo tribuit, adjungit veracem eſſe: quia niſi perpetuo ſimilis ſui eſſet, non ſatis firma ſumi poſſet fiduciæ & invocationis ratio ex ejus beneficiis. Ubi autem ſcimus, quoties nobis auxiliatur, ſpecimen ac probationem dare bonitatis ſuæ & fidei, timendum non eſt ne ſpes noſtra pudefiat, vel nos fruſtretur.

Davidis. Pſal. 31: 6.

Concluſio, ſanctorum invocationem eſſe rem impiam.

27. Summa hæc ſit, quum Scriptura in Dei cultu hoc nobis ſummum caput commendet ut eum invocemus (ſicuti poſthabitis omnibus ſacrificiis à nobis hoc pietatis officium exigit) non ſine manifeſto ſacrilegio orationem ad alios dirigi. Unde etiam in Pſalmo dicitur, *Si expandimus manus noſtras ad deum alienum, nonne Deus requiret iſta?* Deinde quum Deus nonniſi ex fide velit invocari, & diſerte ad amuſſim verbi ſui orationes formari jubeat: denique quum fides in verbo fundata, ſit rectæ orationis mater: ſimulac à verbo deflectitur, orationem adulterari neceſſe eſt. Atqui jam oſtenſum eſt ſi conſulitur tota Scriptura, illic hunc honorem ſoli Deo vendicari. Quod ad interceſſionis munus pertinet, etiam vidimus Chriſto peculiare eſſe, nec ullam Deo gratam eſſe precationem niſi quam Mediator ille ſanctificat. Ac tametſi fideles ultro citroque preces apud Deum pro fratribus offerunt, hoc nihil unicæ Chriſti interceſſioni derogare oſtendimus: quia omnes ſimul ea ſubnixi tam ſe quam alios Deo commendant. Adhæc docuimus inſcite hoc trahi ad mortuos, quibus nuſquam legimus mandatum eſſe ut pro nobis orent. Sæpe nos Scriptura hortatur ad mutuas hujus officii vices: de mortuis ne ſyllaba quidem: imo Jacobus hæc duo conjungens, *ut confiteamur peccata noſtra inter nos, & viciſſim alii pro aliis oremus*, mortuos tacite excludit. Proinde ad hunc errorem damnandum ſufficit una illa ratio, exordium rite orandi naſci ex fide, fidem vero eſſe ex auditu verbi Dei, ubi nulla fictitiæ interceſſionis mentio: quia temere patronos ſibi aſcivit ſuperſtitio, qui divinitus dati non erant. Nam quum multis precandi formis referta ſit Scriptura, nullum reperitur exemplum hujus advocationis, ſine qua in Papatu nulla creditur eſſe oratio. Adhæc, ſuperſtitionem hanc conſtat ex diffidentia natam eſſe: quia vel Chriſto deprecatore contenti non fuerint, vel eum omnino ſpoliaverint hac laude. Atque hoc poſterius ex eorum impudentia facile coarguitur: quia non alio validiore argumento pugnant, opus nobis eſſe ſanctorum patrocinio, quam dum objiciunt nos eſſe indignos familiari ad Deum acceſſu. Quod nos veriſſimum quidem eſſe fatemur, ſed inde colligimus nihil eos Chriſto reliquum facere, qui pro nihilo ducunt ejus interceſſionem, niſi accedant Georgius & Hippolytus, aut ſimiles larvæ.

1. Quia Deo ſuam gloriam eripit. Pſal. 44. verſ. 21.
2. Fidem evertit.
3. Chriſti interceſſionem abolet.
4. Verbo Dei repugnat.
Jacob. 5. verſ. 16.
5. Rite precandi regula adverſatur.
6. Exemplis probatis caret.
7. Ex diffidentia orta eſt.
Poſtrema objectio.
Reſponſio.

VI. *Orationis ſpecies. Vota. Preces. Petitiones.*

28. Etſi autem oratio proprie ad vota & preces reſtringitur, tanta eſt tamen inter petitionem & gratiarum actionem affinitas, ut commode ſub nomine uno comprehendi queant. Nam quas Paulus enumerat ſpecies, ſub prius membrum hujus partitionis recidunt. Rogando & precando deſideria noſtra apud Deum effundimus, poſcentes tam quæ faciunt ad propagandam ejus gloriam & illuſtrandum ejus nomen, quam beneficia quæ uſui noſtro conducunt. Gratias agendo, benefacta ejus erga nos juſta laude celebramus, acceptum ferentes ejus liberalitati quicquid ad nos bonorum pervenit. Itaque duas iſtas partes ſimul complexus eſt David, *Invoca me in die neceſſitatis: eruam te, & glorificabis me.* Utrumque nobis continenter in uſu eſſe non abs re præcipit Scriptura. tantam enim noſtram eſſe inopiam alibi diximus, res vero ipſa clamat tot ac tantis nos anguſtiis undique urgeri ac premi, ut ſatis ſit cauſæ omnibus cur aſſidue gemant & ſuſpirent ad Deum, ſupplice ſque eum implorent. Nam etſi à rebus adverſis ſint immunes, ſanctiſſimos tamen quoſque ſtimulare debet ſcelerum ſuorum culpa, deinde innumeri tentationum inſultus ad expetendum remedium. In ſacrificio autem laudis & gratiarum actionis nulla eſſe poteſt ſine ſcelere interruptio: quando non ceſſat Deus alia aliis beneficia cumulare, ut nos, quamvis lentos & pigros, ad gratitudinem cogat. Denique tanta ac tam effuſa benefactorum ejus largitas nos pene obruit, tot ac tam ingentia ejus miracula, quaquaverſum ſpectes, cernuntur, ut nunquam nobis deſit laudis gratiarumque actionis argumentum ac materia. Atque, ut hæc planius aliquanto explicentur, quum ſic in Deo ſpes omnes opeſque noſtræ ſitæ ſint (quod jam antea ſatis probatum eſt) ut neque nos, neque noſtra omnia proſpere habere niſi ejus benedictione poſſimus: aſſidue nos ei noſtraque omnia oportet commendemus. Deinde quicquid deliberamus, loquimur, agimus, ſub ejus manu ac voluntate, ſub ſpe denique auxilii ejus deliberemus, loquamur, agamus. Omnes enim à Deo maledicti pronunciantur qui ſui alteriuſve cujuſpiam fiducia, conſilia agitant ac ſtatuunt, qui extra ejus voluntatem, ipſoque non invocato, quicquam moliuntur, aut inchoare tentant. Et quum jam aliquoties dictum ſit, juſto eum honore affici, ubi bonorum omnium auctor agnoſcitur: inde conſequitur, ſic ex manu ejus ſuſcipienda eſſe illa omnia, ut aſſidua gratiarum actione proſequamur: nullamque eſſe juſtam rationem qua ejus beneficia uſurpemus, quæ non alio fine ab ejus largitate nobis profluunt ac proveniunt, niſi etiam in laude ejus confitenda & gratiis agendis aſſidui ſimus. Paulus enim, dum teſtatur *per verbum & orationem ſanctificari*, ſimul innuit, ſine verbo & oratione minime ſancta & pura nobis eſſe: per verbum ſcilicet fidem metonymice intelligens. Proinde eleganter David, dum percepta Domini liberalitate, *datum ſibi in os canticum novum* prædicat. quo ſcilicet innuit, malignum eſſe ſilentium, ſiquod ejus beneficium ſine laude præterimus: quum toties benedicendi materiam nobis exhibeat quoties benefacit. Sicut etiam Jeſaias, ſingularem Dei gratiam prædicans, ad canticum novum & non vulgare hortatur fideles. Quo ſenſu alibi David, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Similiter Ezechias & Jonas hunc ſibi liberationis finem teſtantur fore, ut canticis Dei bonitatem in Templo celebrent. Hanc eandem legem David generaliter piis omnibus præſcribit. *Quid rependam Domino*, inquit, *pro omnibus quæ in me contulit? Calicem ſalutum accipiam, & nomen Domini invocabo.* Et eam ſequitur Eccleſia alio Pſalmo, *Salvos fac nos Deus noſter, ut confiteamur nomini tuo, & gloriemur in laude tua.* Item, *Reſpexit ad precem ſolitarii, & non contempſit preces eorum. Scribetur hoc ad generationem poſteram, & populus creatus laudabit Dominum, ut annuncient in Sion nomen ejus, & laudem ejus in Jeruſalem.* Imo quoties obſecrant Deum fideles ut faciat *propter nomen ſuum*: ſicuti indignos ſe profitentur qui obtineant quicquam proprio nomine, ita ſe obligant ad gratias agendas: & hunc ſibi rectum beneficentiæ Dei uſum fore promittunt, ut ejus ſint præcones. Sic Oſeas, de futura Eccleſiæ redemptione loquens, *Aufer*, inquit, *iniquitatem ô Deus, & attolle bonum: nos autem vitulos labiorum ſolvemus.* Nec modo lin-

Gratiarum actiones.
Pſal. 50. verſ. 15.
Harum connexio, perpetuus uſus, & neceſſitas.
Accuratior explicatio, rationibus, teſtimoniis & exemplis confirmata.
Jac. 4: 14. & ſeqq. Jeſa. 30: 1. & 31: 1.
1 Tim. 4. verſ. 5.
Pſal. 40: 4.
Jeſ. 42: 10.
Pſal. 51. verſ. 17.
Jeſ. 38: 20. Jon. 2: 10.
Pſal. 116. verſ. 12.
Pſal. 106. verſ. 47.
Pſal. 102. verſ. 18. & ſeqq.
Oſeæ 14. verſ. 2.

guæ præconium ſibi vendicant Dei beneficia, ſed amorem ſibi naturaliter conciliant. *Dilexi* (inquit David) quia *exaudiit Dominus vocem deprecationis meæ*. Item, alibi quæ ſenſerat auxilia recitans, *Diligam te Deus fortitudo mea*. Nec vero unquam placebunt Deo laudes quæ non fluent ex hac dulcedine amoris. Quin etiam tenendum eſt illud Pauli, vota omnia perverſa & vitioſa eſſe quibus non annexa eſt gratiarum actio. Sic enim loquitur, *In omni oratione* (inquit) *& obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*. Nam quia multos impellit moroſitas, tædium, impatientia, doloris acerbitas, & metus, ut orando obmurmurent, jubet ita temperari affectus, ut fideles antequam adepti ſint quod cupiunt, hilariter nihilominus benedicant Deo. Quod ſi hæc copula in rebus fere contrariis vigere debet, eo ſanctiore vinculo nos obſtringit Deus ad canendas ſuas laudes, quoties nos votorum compotes facit. Sicuti autem docuimus Chriſti interceſſione conſecrari noſtras preces: quæ alioqui pollutæ eſſent, ita Apoſtolus, jubens nos *per Chriſtum offerre hoſtiam laudis*, nobis ad celebrandum Dei nomen os non ſatis purum eſſe admonet, niſi intercedat Chriſti ſacerdotium. Unde colligimus prodigioſe faſcinatos fuiſſe homines in Papatu, ubi major pars Chriſtum vocari advocatum miratur. Hæc ratio eſt cur præcipiat Paulus *ſine intermiſſione & orare & gratias agere:* volens ſcilicet quanta fieri poteſt aſſiduitate, omni tempore, omni loco, omnibus in rebus ac negotiis erecta eſſe ad Deum omnium vota, quæ & omnia ab eo expectent, & omnium ei laudem referant, ſicuti perpetua laudandi orandique argumenta nobis offert.

Pſal. 116. verſ. 1. Pſal. 18. verſ. 1.

Regula de hac precum & gratiarum actione. Phil. 4: 6.

Quæ Chriſti interceſſione Deo conſecrantur. Hebr. 13. verſ. 15.

1 Theſſ. 5. v. 17, 18.

Orationis accidentia Privata videlicet & publica, aſſidua, ſtatis horis, &c.

29. Hæc autem orandi aſſiduitas, etſi præſertim proprias ac privatas cujuſque reſpicit, nonnihil tamen ad publicas quoque Eccleſiæ orationes pertinet. Atqui nec aſſiduæ eſſe poſſunt, nec aliter etiam fieri debent quam ex politia quæ communi inter omnes conſenſu convenerit. Fateor ſane. Ideo enim & certæ horæ condicuntur ac præſtituuntur, ut apud Deum indifferentes, ita hominum uſibus neceſſariæ, quo ſit omnium commoditati proſpectum, & omnia decenter & compoſite, juxta Pauli ſententiam, in Eccleſia adminiſtrentur. Sed enim iſtud nihil obſtat quominus unaquæque Eccleſia, cum ſubinde ad frequentiorem precationum uſum ſe exſtimulare, tum majore aliqua neceſſitate admonita acriore ſtudio flagrare debeat. De perſeverantia autem, quæ multam cum aſſiduitate affinitatem habet, erit circa finem dicendi locus. Porro hæc nihil ad βαττολογίαν qua interdictum nobis Chriſtus voluit: non enim diu, nec ſæpe, nec multo cum affectu inſiſtere precibus vetat: ſed ne aliquid à Deo extorquere nos poſſe confidamus, garrula loquacitate ejus aures obtundendo, acſi humano more perſuadendus foret. Scimus enim hypocritas, quia non reputant ſibi negotium eſſe cum Deo, non ſecus pompas ſuas in precibus agere quam in triumpho. Nam Phariſæus ille qui gratias Deo agebat quod non eſſet aliis ſimilis, ſibi haud dubie plaudebat in hominum oculis, acſi vellet ex precatione captare ſanctitatis famam. Hinc βαττολογία illa quæ hodie ſimili de cauſa graſſatur in Papatu, dum alii preculas eaſdem iterando tempus fruſtra terunt, alii longa verborum congerie apud vulgus ſe venditant. Quum hæc garrulitas pueriliter illudat Deo, non mirum eſt ab Eccleſia prohiberi, nequid illic perſonet niſi ſerium & profectum ex corde intimo. Huic corruptelæ vicina eſt & ſimilis altera, quam ſimul damnat Chriſtus: quod ſcilicet hypocritæ oſtentationis cauſa venantur multos teſtes, ac forum potius occupant ad orandum, quam mundi laude careant ipſorum preces. Quando vero hunc eſſe orationis ſcopum jam prius dictum eſt, ut erecti in Deum animi ferantur, tum ad confeſſionem laudis, tum ad opem implorandam, ex eo intelligere licet primas ejus partes in mente & animo poſitas eſſe: vel potius orationem ipſam, eſſe proprie interioris cordis affectum, qui apud Deum, cordium ſcrutatorem, effunditur & exponitur. Quamobrem (ut jam dictum eſt) cæleſtis magiſter, quum optimam orandi legem ferre vellet, juſſit *intrare in cubiculum, ibique oſtio clauſo orare Patrem noſtrum in abſcondito, ut Pater noſter qui eſt in abſcondito nos exaudiat.* Nam ubi ab hypocritarum exemplo abſtraxit, qui ambitioſa precum oſtentatione hominum favorem captabant, ſimul adjicit quod ſit melius: intrare ſcilicet cubiculum, & clauſo oſtio ibi orare. Quibus verbis (ut ego interpretor) ſeceſſum, qui nos eo juvet ut tota cogitatione in cor noſtrum deſcendamus & ingrediamur penitus, quærere nos docuit: propinquum nobis Deum animi affectibus promittens, cujus templa eſſe debent corpora noſtra. Neque enim negare voluit quin aliis quoque locis orare expediat: ſed eſſe quiddam ſecretum oſtendit orationem, quæ & in animo potiſſimum locata ſit, & ejus tranquillitatem, procul omnibus curarum turbis, requirat. Non ergo ſine cauſa ipſe quoque Dominus, quum precibus incumbere vehementius vellet, in ſeceſſum, procul hominum tumultu, ſe conferebat: ſed ut ſuo nos exemplo commonefaceret, non eſſe negligenda iſthæc adminicula, quibus animus noſter per ſe nimium lubricus magis ad ſerium orationis ſtudium intenditur. Interim vero, quemadmodum neque in media hominum turba, ſiquando ita tulerat occaſio, à precando abſtinebat: ſic nos in locis omnibus, quibus opus fuerit, tollamus puras manus. Atque adeo ſic habendum eſt, quiſquis in ſacro piorum conventu orare detrectat, neſcire quid ſit orare ſeorſum, vel in receſſu, vel domi. Rurſus qui ſolus & privatim orare negligit, quantumvis ſedulo frequentet cœtus publicos, ventoſas tantum preces illic concipere: quia plus hominum opinioni defert quam arcano Dei judicio. Interea, ne contemptui eſſent communes Eccleſiæ preces, eas ſplendidis elogiis olim Deus ornavit: præſertim ubi templum vocavit *domum orationis*. Nam & præcipuam cultus ſui partem hac voce docuit eſſe precandi officium: atque ut in eo ſe fideles uno conſenſu exercerent, inſtar vexilli erectum illis fuiſſe Templum. Addita etiam fuit inſignis promiſſio, *Te expectat Deus, laus in Sion: & tibi votum reddetur*. Quibus verbis admonet Propheta nunquam irritas eſſe Eccleſiæ preces: quia Deus populo ſuo ſemper canendi materiam cum gaudio ſuppeditat. Etſi autem ceſſarunt Legales umbræ, quia tamen hac ceremonia inter nos quoque fidei unitatem Deus fovere voluit, non dubium quin ad nos pertineat eadem promiſſio, quam & Chriſtus ore ſuo ſancivit, & Paulus perpetui vigoris eſſe docet.

1 Cor. 14. verſ. 40. *Exceptio, tempore neceſſitatis.*

ſect. 51. & 52. *Qualis debeat eſſe orationis aſſiduitas, adverſus garrulam loquacitatem, Papiſtis etiam hodie familiarem.* Mat. 6: 7. Luc. 18.

Garrulitatis & hypocriſeos Phariſaica refutatio.

Orationis ſcopus & partes.

Deſcriptio.

Mat. 6: 6.

Orare clauſo oſtio, quid.

Orare omnibus in locis.

1 Tim. 2: 8.

Orare privatim.

Precum publicarum elogium. Jeſa. 56: 7.

Pſal. 65: 2.

30. Jam ut communes fidelibus preces Deus verbo ſuo edicit, ſic & templa publica ipſis peragendis deſtinata eſſe oportet: ubi qui orationem cum Dei populo communicare reſpuunt, non eſt quod iſto prætextu abutantur, cubiculum ſe ingredi, quo Domini mandato pareant. Ille enim qui pollicetur ſe facturum quicquid duo aut tres petierint in nomine ſuo congregati, palam conceptas preces ſe minime aſpernari teſtatur: modo faceſſat oſtentatio & humanæ gloriolæ aucupium, modo adſit ſincera veraque affectio quæ in cordis arcano habitet. Si hic legitimus eſt templorum uſus (ut certe eſt) cavendum eſt rurſum ne aut (quemadmodum ſeculis aliquot haberi cœperunt) propria eſſe Dei habitacula ducamus, unde propius aurem nobis admoveat: aut ſecretam neſcio quam illis affingamus ſanctitatem, quæ ſacratiorem apud Deum orationem reddat. Vera enim Dei templa quum ſimus ipſi, in nobis oremus opor-

De locis publicis ſeu templis, ubi communes preces concipi debent.

Matth. 18. verſ. 20.

Templorum legitimus uſus.

Abuſus.

Joan. 4. verſ. 23.

oportet, ſi in ſancto templo ſuo Deum volumus invocare. Illam vero craſſitiem Judæis aut Gentibus relinquamus, qui præceptum habemus de invocando, citra loci diſcretionem, *in ſpiritu & veritate* Domino. Dedicatum quidem templum erat olim Dei juſſu precibus ac victimis offerendis: ſed quo tempore veritas ſub talibus umbris figurata deliteſcebat, quæ nunc ad vivum nobis expreſſa in nullo materiali templo hærere nos patitur. Ac ne Judæis quidem ea conditiooe commendatum fuit templum, ut Dei præſentiam ejus parietibus includerent, ſed quo ad contemplandam veri templi effigiem exercerentur. Itaque graviter à Jeſaia & Stephano reprehenſi ſuot qui Deum in templis manufactis babitare ullo modo putarent.

Jeſ. 66: 1. Act. 7: 48.

De voce & cantu, quæ in oratione nullius ſunt momenti, niſi ex ſincero cordis affectu proficiſcantur.

31. Hinc præterea pluſquam clarum eſt, neque vocem neque caotum (ſi in oratione intercedant) habere quicquam momenti, aut hilum proficere apud Deum, niſi ex alto cordis affectu profecta. Quin ejus iram adverſus nos provocant, ſi è ſummis duntaxat labris & gutture exeunt: quando id eſt ſacroſancto ejus nomine abuti, ac ejus majeſtatem deriſui habere: ſicuti ex Jeſaiæ verbis elicimus, quæ etſi latius patent, ad hoc quoque vitium coarguendum pertinent. *Populus*, inquit, *iſte appropinquat mihi ore ſuo, & labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt à me: & timuerunt me mandato & doctrina hominum. Propterea ecce faciam in populo hoc miraculum grande & ſtupendum: peribit enim ſapientia à ſapientibus eorum, & prudentia ſeniorum evaneſcet.* Neque tamen vocem aut cantum hic damnamus: quin potius valde commendamus, modo animi affectum comitentur. Sic enim mentem in Dei cogitatione exercent, & intentam retinent: quæ, ut lubrica eſt & verſatilis, facile remittitur, & in varia diſtrahitur, niſi variis fulciatur adminiculis. Præterea, quum Dei gloria in ſingulis corporis noſtri partibus elucere quodammodo debeat, convenit præſertim linguam huic miniſterio addictam eſſe ac devotam tum canendo, tum loquendo: quæ peculiariter ad enarrandam prædicandamque Dei laudem condita eſt. Potiſſimus tamen linguæ uſus eſt in orationibus publicis, quæ in fidelium conventu habentur: quibus hoc agitur, ut Deum, quem uno ſpiritu eademque fide colimus, communi una voce & veluti eodem omnes ore pariter glorificemus, idque palam, ut omnes viciſſim, à ſuo quiſque fratre, confeſſionem fidei accipiant, ad ejus exemplum invitentur & incitentur.

Jeſ. 29: 13. Mat. 15: 8.

Vox autem, ejuſdemque uſus ad publicas preces magis quam ad privatas pertinere videtur.

Canendi ritus eſt quidem vetuſtiſſimus.

32. Canendi vero in Eccleſiis ritum (ut id quoque obiter dicam) noo modo vetuſtiſſimum eſſe conſtat, ſed Apoſtolis quoque in uſu fuiſſe, ex illis Pauli verbis colligere licet, *Canam ſpiritu, canam & mente.* Item ad Coloſſenſes, *Docentes & commonefacientes vos mutuo in hymnis, pſalmis & canticis ſpiritualibus, canentes cum gratia in cordibus veſtris Domino.* Priore enim loco, voce & corde canendum eſſe præcipit: altero cantilenas ſpirituales commendat, quibus ſe mutuo pii ædificent. Id tamen univerſale oon fuiſſe teſtatur Auguſtiuus, qui refert ſub Ambroſio demum cœpiſſe canere Eccleſiam Mediolanenſem: cùm ſæviente adverſus fidem orthodoxam Juſtina Valentiniani matre, populus ſolito magis aſſiduus in vigiliis eſſet: reliquas deinde occidentales Eccleſias ſequutas. Paulo enim ante dixerat, ab orientalibus profectum fuiſſe hunc morem. Indicat etiam libro Retractationum 2. ſua ætate fuiſſe in Africa receptum. *Hilarius quidam*, inquit, *vir tribunitius, morem, qui tunc eſſe apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de Pſalmorum libro, vel ante oblationem, vel quum diſtribueretur populo quod fuiſſet oblatum, maledica reprehenſione ubicunque poterat lacerabat. Huic reſpondi, jubentibus fratribus.* Et certe ſi ad eam, quæ Dei & Angelorum conſpectum decet, gravitatem attemperatus ſit cantus, cum dignitatem & gratiam ſacris actionibus conciliat, tum ad excitandos in verum precandi ſtudium ardoremque animos plurimum valet. Cavendum tamen diligeoter ne ad modulationem iotentiores ſint aures, quam animi ad ſpiritualem verborum ſenſum. Quo periculo ſe permotum fatetur alicubi idem Auguſtinus, ut interdum optarit inſtitui morem ab Athanaſio obſervatum, qui lectorem tam modico vocis flexu jubebat ſonare, ut pronuncianti vicinior foret, quam canenti. Verum, quum reminiſceretur quantam ſibi utilitatem cantus attuliſſent, in alteram partem inclinabat. Hac ergo adhibita moderatione, nihil dubium quin ſanctiſſimum ſit ac ſaluberrimum inſtitutum. Quemadmodum rurſus, quicuoque ad ſuavitatem duntaxat auriumque oblectationem compoſiti ſunt cantus, nec Eccleſiæ majeſtatem decent, nec Deo non ſummopere diſplicere poſſunt.

1 Cor. 14. verſ. 15.

Coloſſ. 3. verſ. 16.

Non tamen fuit univerſalis.

Confeſſ. lib. 9. cap. 7.

Quomodo ſit componendus.

Confeſſ. lib. 10. cap. 33.

Populari, non exotico, ſermone concipiendæ ſunt preces publicæ.

1. Ratio, ab Eccleſiæ conſideratione.

2. Ratio, ab Apoſtoli auctoritate.

1 Cor. 14. verſ. 16.

33. Quo etiam plane conſtat, non Græco inter Latinos, nec Latino inter Gallos aut Anglos (ut hactenus paſſim factitatum eſt) ſed populari ſermone concipiendas eſſe publicas orationes, qui vulgo à toto cœtu intelligi poſſit: quandoquidem in totius Eccleſiæ ædificationem fieri convenit: ad quam ex ſono non intellecto nullus penitus fructus redit. Apud quos vero nulla eſt nec charitatis nec humanitatis ratio, ii ſaltem Pauli auctoritate moveri aliquantulum debebant, cujus verba minime ambigua ſunt. *Si benedixeris*, inquit, *ſpiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo ad tuam benedictionem reſpondebit Amen, quandoquidem quid dicas neſcit? nam tu quidem gratias agis, ſed alius non ædificatur.* Quis ergo effrenem Papiſtarum licentiam ſatis miretur, qui Apoſtolo palam ſic reclamante, exotica lingua verboſiſſimas preces reboare non formidant, in quibus nec ſyllabam unam ipſi interdum aſſequuntur, nec alios intelligere volunt? Nobis vero ſecus agendum præſcribit Paulus. *Quid ergo?* inquit, *orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Spiritus voce ſingulare linguarum donum ſignificans, quo nonnulli præditi abutebantur, quum à mente, hoc eſt, intelligentia illud avellerent. Sic tamen omnino ſentiendum, nulla ratione fieri poſſe, nec in publica oratione, nec in privata, quin lingua ſine animo ſummopere Deo diſpliceat. Ad hoc, cogitationis ardore mentem eſſe debere incitatam, quo totum longe ſuperet quod lingua enunciando exprimere poteſt. Poſtremo, ne eſſe quidem orationi privatæ oeceſſariam lioguam, niſi quoad interior ſenſus vel ſibiipſi ad incitationem ſufficere non valet, vel incitationis vehementia linguæ actionem ſecum rapit. Nam etſi optimæ interdum orationes voce careot, ſæpe tamen uſu venit ut affectu mentis exultante, & lingua in vocem, & membra alia in geſticulationem ſine ambitione erumpant. Inde ſcilicet incertum iſtud Hannæ murmur, cujus ſimile quiddam ſancti omoes perpetuo in ſe experiuntur, dum in abruptas & conciſas voces proſiliont. Corporis autem geſtus in precatione obſervari ſoliti (quales ſunt geniculatio & capitis detectio) exercitia ſunt, quibus ad majorem Dei venerationem aſſurgere conamur.

Adverſus Papiſtas.

1 Cor. 14. verſ. 15.

Animi ſincerus affectus ſemper & in omnibus precibus requiritur.

Non ſemper autem neceſſaria eſt lingua.

1 Sam. 1. verſ. 13.

Geniculatio & capitis detectio qualia exercitia.

VII.

Forma orandi à Chriſto propoſita duplici ratione immenſam cæleſtis Patris bonitatem nobis depingit.

34. Nunc certior orandi non modo ratio, ſed forma quoque ipſa diſcenda eſt: ea ſcilicet quam per dilectum Filium ſuum nobis cæleſtis Pater tradidit: ubi immeoſam bunitatem ac manſuetudinem agnoſcere licet. Nam præterquam quod nos monet atque hortatur ut ſe in omni noſtra neceſſitate quæramus (qualiter filii in parentum fidem, quoties ulla anxietate afflictantur, confugere ſolent) quoniam videbat ne id quidem ſatis nos perſpicere, quam anguſta eſſet noſtra paupertas, quid æquum poſtulare, quid è re noſtra eſſet, huic etiam noſtræ

Mat. 6: 9. Luc. 11: 2.

ſtræ ignorantiæ occurrit: & quod captui noſtro deerat, de ſuo ipſe ſupplevit ac ſuffecit. Præſcripſit enim nobis formulam, qua velut in tabula propoſuit quicquid à ſe expetere licet, quicquid in rem noſtram conducit, quicquid poſtulare neceſſe eſt.

Magnuſque conſolationis fructus à nobis inde percipitur.

in. Alcibiade 2. vel de voto.

Ex qua ejus benignitate magnum conſolationis fructum percipimus, quod nihil abſurdum, nihil alienum aut importunum, nihil denique non illi acceptum poſtulare nos intelligimus, qui pene ex ejus ore rogamus. Plato quum hominum imperitiam videret in votis ad Deum perferendis, quibus conceſſis peſſime illis ſæpius conſultum fuerit: optimam precandi rationem hanc eſſe pronunciat, è veteri Poeta ſumptam, *Jupiter rex, optima nobis & voventibus & non voventibus tribue: mala autem poſcentibus quoque abeſſe jube.* Atque homo quidem ethnicus in eo ſapit, quod judicat quam ſit periculoſum à Domino expetere quod cupiditas noſtra dictaverit: ſimul noſtram infelicitatem prodit, qui ne hiſcere quidem ſine diſcrimine coram Deo poſſimus, niſi ad rectam orandi normam nos Spiritus inſtituat. Quo majore in pretio cenſeri apud nos meretur hoc privilegium, dum unigenitus Dei filius verba nobis in os ſuggerit, quæ mentem noſtram omni hæſitatione expediant.

Rom. 8. v. 25, 26.

Orationis Dominicæ diviſio in ſex petitiones.

Auguſtin. in Enchir. ad Lauren. cap. 116. Chryſoſt. in opere imperf. vide fin. ſect. 53.

Subdiviſio in duas præcipuas partes: quarum prior Dei gloriam, poſterior ſalutem noſtram reſpicit.

35. Hæc orandi ſeu forma, ſeu regula ſex petitionibus conſtituta eſt. Nam ne iis accedam qui ſeptem capitibus diſtinguunt, facit, quod adverſativa dictione interjecta videtur Euangeliſta duo illa membra voluiſſe inter ſe colligere: acſi dixiſſet, Ne tentatione apprimi nos ſinas, quin potius noſtræ fragilitati opem feras, & liberes, ne ſuccumbamus. Nobiſcum etiam ſentiunt veteres Eccleſiæ ſcriptores, ut jam quod ſeptimo loco apud Matthæum additum eſt, exegetice ad ſextam petitionem referendum ſit. Tametſi autem ejuſmodi eſt tota oratio, ut ubique gloriæ Dei ratio in primis habenda ſit: priores tamen tres petitiones Dei gloriæ peculiariter deſtinatæ ſunt: quam ſolam in illis intueri nos oportet, nullo commodi noſtri (ut aiunt) reſpectu. Tres reliquæ noſtri curam gerunt, ac proprie iis quæ ex uſu noſtro ſunt poſtulandis ſunt aſſignatæ. Ut quum nomen Dei ſanctificari petimus, quia probare vult Deus gratiſne an ſpe mercedis ametur à nobis & colatur, nihil tum de noſtro commodo cogitandum eſt: ſed ejus gloria nobis proponenda eſt, quam intentis oculis unam intueamur: nec aliter in reliquis hujuſmodi precibus affectos eſſe fas eſt.

Partium iſtarum ordo.

Atque hoc quidem ipſum nobis in magnum commodum cedit, quod dum ita ut petimus ſanctificatur, fit etiam noſtra viciſſim ſanctificatio. Sed ad hujuſmodi utilitatem oculi noſtri (ut dictum eſt) connivere ac quodammodo cæcutire debent, ne in ipſam omnino reſpiciant. Ut ſi omnis ſpes privati noſtri boni præciſa eſſet, hæc tamen ſanctificatio, & alia quæ ad Dei gloriam pertinent, à nobis optari & precibus poſtulari non deſinant. Ut in exemplis Moſis & Pauli ſpectatur, quibus grave non fuit mentes & oculos à ſeipſis avertere, ac vehementi incenſoque zelo ſuum ipſorum interitum expetere, ut vel ſuo diſpendio gloriam & regnum Dei promoverent. Rurſus quum panem noſtrum quotidianum nobis dari petimus: tametſi optemus quod eſt noſtri commodi: tamen hic quoque Dei gloriam quærere præſertim debemus, ut ne petituri quidem ſimus, niſi in ejus gloriam vergat. Nunc ad ipſam orationis enarrationem aggrediamur.

Exod. 32. verſ. 32. Rom. 9:3.

Pater noſter qui es in cælis, &c.

Patris nomen exigit, 1. Ut in unius Christi nomine Deum precemur.

36. Primum, in ipſo limine occurrit quod antea diximus, omnem à nobis orationem offerri Deo non aliter debere quam in Chriſti nomine: ut nullo alio nomine illi commendari poteſt. Nam ex quo patrem vocamus Deum, nomen certe Chriſti prætendimus. qua enim fiducia Deum aliquis patrem nominaret? quis huc temeritatis prorumperet, ut ſibi uſurparet honorem filii Dei, niſi in Chriſto adoptati eſſemus in filios gratiæ? Qui quum verus ſit Filius, nobis in fratrem ab ipſo datus eſt, ut quod natura ipſe proprium habet, adoptionis beneficio noſtrum fiat, ſi tantam beneficentiam certa fide amplectimur. Quemadmodum Joannes ait, *datam eſſe poteſtatem iis qui credunt in nomen unigeniti Filii Dei, ut filii Dei ipſi quoque fiant.* Itaque & patrem ſe noſtrum appellat, & ſic à nobis vocari vult: hac tanta nominis ſuavitate omni nos diffidentia eximens, quando nullus alibi major amoris affectus quam in patre reperiri poſſit. Itaque nullo certiore documento immenſam ſuam erga nos charitatem teſtificari potuit, quam ex eo quod filii Dei nominamur. Ipſius vero charitas tanto erga nos major præſtantiorque eſt omni parentum noſtrorum charitate, quanto ipſe omnes homines bonitate & miſericordia ſuperat: ut ſi quotquot in terra ſunt patres, omni paternæ pietatis ſenſu exuti, filios deſtituerent, ipſe nobis nunquam defuturus ſit: quoniam ſeipſum negare non poteſt. Habemus enim ejus promiſſum, *Si vos, quum mali ſitis, noſtis bona dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter qui in cælis eſt?* Item apud Prophetam, *Poteſtne mater oblviſci filiorum? Et ſi obliviſcatur, ego tamen non obliviſcar tui.* Quod ſi filii ejus ſumus, ut filius in fidem extranei alienique hominis ſe conferre non poteſt, niſi ſimul de patris vel ſævitia vel inopia queratur: ita aliunde ſubſidia quam ab ipſo quærere non poſſumus, niſi exprobrata illi egeſtate, ac facultatum inopia, vel ſævitia nimiaque auſteritate.

vid. ſupra ſect. 17, 18, 19.

Joan. 1:12.

2. Ut diffidentiam omnem exuamus.

3. Ut ab ipſo bona omnia expectemus, niſi eum egeſtatis ac facultatum inopiæ, vel nimiæ auſteritatis accuſare velimus.

2 Tim. 2. verſ. 13.

1 Joan. 3. verſ. 1.

Pſ. 27: 10. Jeſ. 63: 16. Mat. 7: 11. Jeſ. 49: 15.

Objectio: Peccata nos arcent à conſpectu ejus quem judicem non patrem reddidimus.

Reſponſio, à natura Dei, qua ab Apoſtolo deſcribitur.

2 Cor. 1: 3.

37. Nec cauſemur, nos merito timidos reddi peccatorum conſcientia, quæ Patrem, quamvis clementem ac manſuetum, tamen nobis offenſum quotidie reddant. Nam ſi inter homines, nullo meliore patrono cauſam ſuam apud patrem filius agere poteſt, nullo meliore interprete perditam ejus gratiam ſibi conciliare ac recolligere, quam ſi ipſe ſupplex ac demiſſus, culpam agnoſcens, patris miſericordiam imploret (non enim tum ſe paterna viſcera diſſimulare poſſunt quin ad tales preces commoveantur) quid ille *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis?* annon potius filiorum pro ſe deprecantium lachrymas & gemitus exaudiet (quum præſertim ad id nos invitet & exhortetur) quam quævis aliorum patrocinia? ad quorum ſubſidium ideo pavidi ſuffugiunt, non ſine aliqua deſperationis ſpecie, quia de patris ſui manſuetudine ac clementia diffidunt. Hanc paternæ manſuetudinis exuberantiam nobis in parabola pingit ac repræſentat: ubi pater filium, qui ab eo ſe alienaverat, qui ſubſtantiam ejus diſſolute prodegerat, qui modis omnibus graviter in eum deliquerat, obviis ulnis amplectitur: nec expectat donec verbis veniam poſtulet, ſed ipſe antevertit, redeuntem eminus agnoſcit, ultro illi occurrit, ſolatur, in gratiam recipit. Hoc enim tantæ manſuetudinis exemplum in homine ſpectandum proponens, docere nos voluit quam effuſiorem expectare debeamus à ſe, non modo patre, ſed patrum omnium longe optimo ac clementiſſimo: quamvis ingrati, rebelles ac improbi filii: modo tamen in ejus miſericordiam nos conjiciamus. Ac quo certiorem fidem faceret ſe hujuſmodi patrem nobis eſſe, ſi Chriſtiani ſumus, non modo *Pater*, ſed nominatim *noſter* dici voluit: acſi in hunc modum cum eo ageremus. Pater, qui tanta in filios pietate es præditus, tanta ad ignoſcendum facilitate, nos filii tui te appellamus, ac poſcimus, ſecuri ac plane perſuaſi non alio te eſſe erga nos affectu quam paterno, quantumvis indignos tali patre. Verum quia tantam favoris immenſitatem non capiunt cordis noſtri anguſtiæ, non modo adoptionis pignus & arrha nobis Chriſtus eſt, ſed ejuſdem adoptionis teſtem nobis dat Spiritum, per quem

Ab exemplo ſeu parabola illuſtri.

Luc. 15. verſ. 20.

Poſtremo, ab eo quod noſter dici voluit.

Cujus adoptionis Chriſtus eſt arrha, & teſtis Spiritus S.

libera

Gal. 4: 6. libera & ſonora voce clamare licet, *Abba Pater.* Quties itaque nobis obſtabit aliqua cunctatio, petere ab ipſo meminerimus ut correcta noſtra timiditate, Spiritum illum magnanimitatis ducem ad audacter orandum præficiat.

Cur noſter in commune dicatur.

38. Quod autem non ita inſtituimur ut ſuum quiſque Patrem peculiariter nominet, ſed potius ut noſtrum in commune omnes vocemus: ex eo admooemur, quantum fraternæ dilectinnis affectum inter nos intercedere oporteat, qui talis patris, eodem miſericordiæ & gratuitæ liberalitatis
Mat. 23: 9. jure pariter ſumus filii. Nam ſi uous omnibus nobis communis eſt pater, à quo provenit quicquid omnino boni obtingere nobis poteſt: nihil inter nos diviſum eſſe decet quod non magna animi alacritate parati ſimus alter alteri communicare, quantum uſus poſtulat. Jam ſi ita ut par eſt, viciſſim manum porrigere atque opem ferre cupimus, non eſt in quo magis commodare fratribus poſſimus, quam ſi optimi Patris curæ ac providentiæ commendemus, quo propitio ac favente, nihil omnino deſiderari poteſt. Et ſane hoc ipſum Patri etiam noſtro debemus. Ut enim qui patrem aliquem familias vere & ex animo diligit, totam ſimul ejus domum amore ac benevolentia complectitur; ad bunc modum, qno ſimus in bunc cæleſtem Patrem ſtudio atque affectu, erga ejus populum, ejus familiam, ejus denique hæreditatem oſtendere convenit, quam tantopere honoravit ut
Eph. 1:23. plenitudinem unigeniti Filii ſui vocaverit. Ad hanc igitur legem Chriſtianus bomo preces ſuas exigat, ut communes ſint, ac omnes complectantur qui illi ſunt in Chriſto fratres. Neque ſolum quos tales ad præſens videt atque cognoſcit, ſed omnes qui ſuper terram agunt bomines: de quibus quid ſtatuerit Deus, extra notitiam eſt: niſi quod illis optima optare & ſperare non minus pium quam hu-
Gal. 6: 10. manum eſt. Etſi præ aliis in domeſticos fidei ſingulari quodam affectu propenſos eſſe decet: quos Apoſtolus peculiariter nobis omni in re commeodavit. In ſumma, ſic debent omnes eſſe orationes, ut in eam ſpectent communitatem quam Dominus noſter in regno ſuo ac domo ſua conſtituit.

Simile, rationem ſuperiorem de charitate fraterna confirmans.

Licet etiam pro nobis & pro certis aliis ſpecialiter orare, modo animum ad hanc communitatem per omnia ſeſe referat: quod ſimilitudine, ab eleemoſynis ad preces deducta, confirmatur.

39. Neque id tamen obeſt quominus & pro nobis & pro certis aliis orare ſpecialiter liceat: modo tamen animus ab hujus communitatis intuitu non diſcedat, nec deflectat quidem, ſed omnia iſtuc referat. Nam quamvis ſingulariter concipiantur, quia tamen ad eum ſcopum diriguntur, communes eſſe non deſinunt. Id totum ſimilitudine facile intelligi poteſt. Generale eſt Dei mandatum de ſublevanda pauperum omnium egeſtate, & huic tamen obediunt qui in eum finem eorum inopiæ ſuccurrunt quos laborare aut norunt aut vident: etiamſi multos prætereunt qui non leviori neceſſitate premuntur: vel quia non omnes noſſe, vel quia non omnibus ſufficere poſſint. In hunc modum neque ii voluntati Dei repugnant qui communem hanc ſocietatem Eccleſiæ ſpectantes & cogitantes, hujuſmodi particulares orationes concipiunt, quibus publico animo ſingularibus verbis ſe aut alios Deo commendant, quorum neceſſitatem propius ipſis innoteſcere voluit. Quanquam non omnia quidem in oratione & facultatum erogatione ſunt ſimilia: nam benignitas largiendi exerceri nonniſi erga eos poteſt quorum perſpecta eſt nobis inopia: juvare autem oratione vel alieniſſimos vel ignotiſſimos licet, quantumlibet longo terrarum intervallo à nobis diſſiti ſint. Id autem fit per generalem illam precationis formulam qua omnes filii Dei continentur, in quibus & illi ſunt. Huc
1 Tim. 2. verſ. 8. referre licet quod Paulus ſuæ ætatis fideles hortatur *ut puras manus ubique tollant abſque contentione:* quia diſſidium precibus januam claudere admonens, unanimes vota ſua in commune vult conferre.

Quo ſenſu dicatur Deus eſſe in cælis.

40. Adſcribitur, *Ipſum eſſe in cælis.* Ex quo non protinus ratiocinandum eſt, ipſum cæli circumferentia, quaſi cancellis quibuſdam, incluſum & circumſcriptum alligari. Siquidem & Salomon confi-
1 Reg. 8. verſ. 27. tetur *cælos cælorum eum capere non poſſe.* Et ipſe per
Jeſ. 66: 1. Prophetam ait, *cælum ſuam ſedem eſſe, terram autem*
Act. 7:49. & 17: 24. *ſcabellum pedum ſuorum.* Quo ſcilicet ſignificat, non certa aliqua regione ſe limitari, ſed diffundi per omnia. Verum quia aliter inenarrabilem ejus gloriam mens noſtra pro ſua craſſitie concipere non poterat, nobis per cælum deſignata eſt, quo nihil auguſtius aut majeſtate plenius ſub aſpectum noſtrum venire poteſt. Quando igitur ubicunque rem quampiam apprehendunt ſenſus noſtri, affigere illic ſolent: extra omnem locum Deus ſtatuitur: ut dum quærere volumus ipſum, ſupra omnem corporis & animæ ſenſum attollamur. Deinde hac loquendi formula ſupra omnem aut corruptionis aut mutationis aleam evehitur: demum univerſum orbem complecti & continere, ſuaque potentia moderari ſignificatur. Quare hoc perinde eſt acſi dictus eſſet infinitæ magnitudinis aut ſublimitatis, incomprehenſibilis eſſentiæ, immenſæ potentiæ, æternæ immortalitatis. Id vero dum audimus, exerenda eſt altius noſtra cogitatio, quum de Deo ſermo eſt: ne quicquam terrenum aut carnale de eo ſomniemus: ne ipſum noſtris modulis metiamur, neve ejus voluntatem ad noſtros affectus exigamus. Simul erigenda eſt noſtra fiducia in ipſum, cujus providentia & virtute cælum & terram gubernari intelligimus. Summa ſit, ſub Patris nomine nobis in medio ſtatui Deum illum qui in imagine ſua nobis apparuit, ut certa fide invocetur: nec modo fiduciæ aptari familiare Patris nomen, verum etiam ad retinendas mentes valere ne ad dubios vel fictitios deos trahantur: ſed ab unigenito Filio ad unicum Angelorum & Eccleſiæ Patrem conſcendant: deinde quod ſolium ejus locatur in cælis, ex mundi gubernatione nos commonefieri non fruſtra ad eum nos
Heb. 11. verſ. 6. venire qui præſenti cura ſponte occurrit. *Qui ad Deum accedunt*, inquit Apoſtolus, *eos primo credere oportet Deum eſſe: deinde remuneratorem omnibus qui ipſum quærunt.* Utrumque hic Chriſtus Patri ſuo aſſerit, ut in ipſo ſiſtatur fides noſtra: deinde ut certo perſuaſi ſimus ſalutem noſtram ab eo non negligi: quia ſuam ad nos uſque providentiam extendere dignatur. Quibus rudimentis Paulus nos ad rite orandum comparat: nam antequam jubeat petitiones noſtras coram Deo innoteſcere, præfatur hoc
Phil. 4: 6. modo, *De nulla re ſitis ſolliciti: Dominus prope eſt.* Unde apparet, dubitanter & perplexe vota ſua in animo volvere qui hoc probe infixum non habent,
Pſ. 33: 18. *Oculum Dei eſſe ſuper juſtos.*

Triplex hujus doctrinæ uſus ad noſtram conſolationem.

Tria autem cavenda.

Summa doctrinæ hujus præfationis in orationem Domini. 1. 2. 3. 4. 5.

Confirmatio, ex Paulo & Davide.

Prima petitionis neceſſitas noſtram injuſtitiam arguit.

41. Prima petitio eſt, Ut *ſanctificetur Dei nomen*, cujus neceſſitas magno cum noſtro dedecore conjuncta eſt. Quid enim magis indignum quam ut Dei gloriam obſcuret partim noſtra ingratitudo, partim malignitas: audacia vero & furioſa protervia, quantum in ſe eſt, deleat? Crepent, licet, omnes impii cum ſacrilega ſua libidine, refulget tamen
Pſ. 48: 11. nominis Dei ſanctitas. Nec abs re exclamat Propheta, *Sicut nomen tuum Deus, ita laus tua in omnes fines terræ.* Nam ubicunque innotuerit Deus, fieri non poteſt quin ſe proferant ejus virtutes, potentia, bonitas, ſapientia, juſtitia, miſericordia, veritas, quæ in ejus admirationem nos rapiant, & incitent ad celebrandam ejus laudem. Quia ergo tam indigne ſua Deo ſanctitas eripitur in terris, ſi eam aſſerere nobis non datur, ſaltem jubemur ejus curam votis ſuſcipere. Summa eſt, ut optemus ſuum haberi Deo honorem qui dignus eſt, ut nunquam de ipſo loquantur vel cogitent homines ſine ſumma veneratione: cui opponitur profanatio, quæ ſemper nimium in mundo vulgaris fuit,

Nomen Dei, quid.

Quomodo ſanctificetur.

ut hodie adhuc graſſatur. Atque hinc petitionis neceſſitas, quam, ſi mediocris inter nos pietas vigeret, ſupervacuam eſſe decebat. Quod ſi Dei nomini ſua conſtat ſanctitas, ubi ab aliis omnibus ſegregatum meram gloriam ſpirat, hic non tantum petere jubemur, ut Deus ſacrum illud nomen ab omni contemptu & ignominia vindicet, ſed etiam ut ad ejus reverentiam ſubigat totum humanum genus.

Partes hujus ſanctificationis.

Jam quum Deus partim doctrina, partim operibus ſe nobis manifeſtet, non aliter à nobis ſanctificatur quam ſi utraque in parte tribuamus ei quod ſuum eſt, atque ita quicquid ab ipſo profectum erit, amplexemur: nec laudem ſuam apud nos minus obtineat ejus ſeveritas quam clementia: quando in multiplici operum diverſitate gloriæ ſuæ notas inſculpſit, quæ confeſſionem laudis merito ex omnibus linguis eliciant. Ita fiet ut Scriptura juſtam apud nos auctoritatem obtineat, nec ullus eventus impediat benedictionem, quam Deus in toto gubernationis mundi curſu meretur.

Deprecatio malorum quibus nomen Dei profanatur.

Huc etiam rurſum tendit petitio, ut omnis impietas quæ ſanctum hoc nomen polluit, pereat atque aboleatur: quæcunque hanc ſanctificationem obſcurant, aut diminuunt, tam obtrectationes quam ludibria, faceſſant: ac dum ſacrilegia omnia compeſcit Deus, magis ac magis hinc clareſcat ejus majeſtas.

Secunda petitionis à prima diſtinctio.

42. Secunda petitio, Ut *adveniat regnum* Dei: quæ etſi nihil continet novum, à prima tamen non ſine ratione diſtinguitur: quia ſi noſtram in re omnium maxima ſomnolentiam expendimus, quod per ſe notiſſimum eſſe debuerat, pluribus verbis inculcari operæpretium eſt. Poſtquam ergo Deum rogare juſſi ſumus ut agat in ordinem, ac tandem prorſus deleat quicquid maculam aſpergit ſacro ejus nomini: jam additur alterum ſimile & fere idem votum, ut regnum ejus adveniat.

Regnum Dei, quid.

Etſi autem regni hujus definitio ante à nobis poſita eſt, breviter nunc repeto, Deum regnare ubi homines tam ſui abnegatione quam mundi terrenæque vitæ contemptu illius juſtitiæ ſe addicunt, ut ad cæleſtem vitam aſpirent.

Hujus partes.

Ita duæ ſunt hujus regni partes: altera, ut Deus pravas omnes carnis cupiditates, quæ turmatim contra eum belligerantur, Spiritus ſui virtute corrigat: deinde ut ſenſus omnes noſtros formet ad imperii ſui obſequium. Itaque non alii legitimum ordinem tenent in hac prece, niſi qui à ſeipſis incipiunt, nempe ut purgentur corruptelis omnibus, quæ tranquillum regni Dei ſtatum perturbant, & puritatem inficiunt.

Quomodo adveniat.

Jam quia verbum Dei inſtar ſceptri regii eſt, precari hic jubemur, ut omnium mentes & corda voluntariæ ejus obedientiæ ſubjiciat. Quod fit ubi arcano Spiritus ſui inſtinctu efficaciam verbi ſui exerit: ut emineat in quo meretur gradu honoris. Poſtea ad impios deſcendere convenit, qui pervicaciter & deſperato furore, ejus imperio reſiſtunt. Regnum ergo ſuum erigit Deus totum mundum humiliando, ſed diverſis modis: quia aliorum laſcivias domat, aliorum indomitam ſuperbiam frangit.

Peculiaris expoſitio hujus petitionis.

Id quotidie fieri optandum eſt, ut ſibi Deus Eccleſias colligat ex omnibus mundi plagis: eas numero propaget atque augeat, donis ſuis locupletet, legitimum in illis ordinem ſtabiliat, ex oppoſito proſternat omnes puræ doctrinæ & religionis hoſtes, diſſipet eorum conſilia, conatus dejiciat. Unde apparet non fruſtra nobis præcipi ſtudium quotidiani progreſſus: quia nunquam tam bene agitur cum rebus humanis, ut diſcuſſis purgatiſque vitiorum ſordibus plena floreat ac vigeat integritas. Plenitudo autem ejus ad ultimum Chriſti adventum protenditur: quo Paulus *Deum omnia in omnibus fore* docet.

1 Cor. 15. verſ. 28.

Tria nos monet hæc petitio.

Atque ita hæc precatio retrahere nos debet à mundi corruptelis, quæ nos à Deo ſeparant, quominus regnum ejus intra nos vigeat: ſimul accendere ſtudium mortificandæ carnis: poſtremo ad crucis tolerantiam nos inſtituere: quando hoc modo vult Deus regnum ſuum propagari. Nec vero inique ferendum eſt exteriorem hominem corrumpi, modo interior renovetur. Hæc enim regni Dei conditio eſt, ut dum nos ſubjicimus ejus juſtitiæ, gloriæ ſuæ conſortes reddat.

Regni Dei in mundo adventus.

Hoc fit dum lucem ac veritatem ſuam novis ſemper incrementis illuſtrans, quibus Satanæ regnique ejus tenebræ ac mendacia evaneſcant, extinguantur, pereant, ſuos protegit, Spiritus ſui auxilio in rectitudinem dirigit, & ad perſeverantiam confirmat: impias vero hoſtium conſpirationes dejicit, inſidias & fraudes diſcutit, occurrit malitiæ, pervicaciam retundit, donec tandem Antichriſtum Spiritu oris ſui conficiat, omnemque impietatem illuſtratione adventus ſui deleat.

Tertia petitionis à ſecunda diſtinctio.

43. Tertia petitio eſt, Ut *fiat voluntas Dei in terra ſicut in cælo*. Quod tametſi à regno ejus dependet, neque ab eo poteſt disjungi, non fruſtra tamen ſeorſum additur propter noſtram ruditatem, quæ non facile vel ſtatim apprehendit quid ſit Deum in mundo regnare. Hoc ergo exegetice ſumere abſurdum non erit: tunc Deum fore regem in mundo, ubi ſe omnes ejus voluntati ſubjicient.

Voluntas de qua hic agitur, non arcana ſeu beneplaciti.

vide infra, cap. 24. ſect. 17.

Porro non agitur hic de arcana ejus voluntate qua omnia moderatur & in ſuum finem deſtinat. Quamvis enim tumultuoſe Satan & homines contra ipſum ferantur, novit tamen incomprehenſibili ſuo conſilio non ſolum flectere eorum impetus, ſed in ordinem agere, ut per eos faciat quod decrevit.

Sed patefacta in verbo, ſive ſigni, ut vocant.

Pſ. 103. 20.

Sed hic notatur alia Dei voluntas, nempe cui reſpondet voluntarium obſequium, ideoque nominatim confertur cælum terræ: quia Angeli, ut in Pſalmo dicitur, ſponte obediunt, & intenti ſunt ad exequenda ejus juſſa.

Quomodo fiat in terra, ſicut in cælis.

Jubemur ergo optare, ſicut in cælo nihil geritur niſi ex Dei nutu, placideque Angeli ad omnem rectitudinem compoſiti ſunt, ſic terram omni contumacia & pravitate extincta, ejuſmodi imperio ſubigi. Atque id quidem poſtulantes, carnis noſtræ deſideriis renunciamus: quia niſi quis affectus ſuos Deo reſignet ac permittat, ejus voluntati, quantum in ſe eſt, ſe opponit, quando nihil ex nobis prodit niſi vitioſum. Atque iterum hac precatione ad noſtri abnegationem formamur, ut Deus pro ſuo arbitrio nos regat: neque id ſolum, ſed etiam ut novas mentes novoſque animos, noſtris in nihilum redactis, creet, ne quem ſentiamus in nobis cupiditatis motum quam merum conſenſum cum ejus voluntate. In ſumma, nequid ex nobis velimus ipſi, ſed ut Spiritus ejus corda noſtra gubernet, quo intus docente diſcamus amare quæ ei placent, odiſſe vero quæ diſplicent. Unde hoc quoque ſequitur, ut quicunque ejus voluntati repugnant affectus, eos vanos & irritos reddat.

Concluſio trium priorum petitionum.

vide ſupra ſect. 35.

En prima tria capita precationis, in quibus poſcendis ſolam Dei gloriam præ oculis habere convenit, omiſſa noſtri ratione, nec ſpectata ulla noſtra utilitate, quæ tametſi larga inde nobis provenit, hic tamen à nobis quærenda non eſt. Hæc autem omnia quamvis nec cogitantibus, nec optantibus, nec petentibus nobis, ſuo nihilominus tempore evenire oporteat, optanda tamen & poſcenda nobis ſunt. Idque facere non leve operæpretium eſt, ut ſic nos ſervos eſſe ac filios Dei teſtemur & profiteamur, ejus honori (quod domino patrique debetur) quantum in nobis eſt ſtudentes, vereque & penitus addicti. Itaque qui hoc affectu ac ſtudio promovendæ Dei gloriæ non petunt, ut nomen Dei ſanctificetur, ut ejus regnum adveniat, ut fiat voluntas ejus: ii neque inter filios & ſervos Dei habendi ſunt: ac quemadmodum hæc omnia illis invitis fient, ita in confuſionem illis cedent ac interitum.

Secunda partis Dominicæ orationis ſumma.

1 Cor. 10. verſ. 31.

44. Sequitur pars orationis ſecunda, in qua ad noſtras utilitates deſcendimus: non quidem ut gloria Dei valere juſſa (quæ teſte Paulo etiam in cibo & potu ſpectanda eſt) tantum quæramus quod nobis

expe-

expedit: ſed hoc diſcrimen eſſe admonuimus, quod Deus peculiariter tria vota ſibi vendicans, nos ad ſe totos rapit, ut pietatem noſtram hoc modo probet. Deinde concedit etiam commodis noſtris proſpicere: hac tamen lege, nequid nobis expetamus niſi in illum finem ut quæcunque nobis confert beneficia gloriam ejus illuſtrent, quia nihil æquius eſt quam nos ei vivere & mori. Cæterum hic, per primam ſecundæ hujus partis petitionem, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, in genere omnia, quibus corporis uſus ſub elementis hujus mundi indiget, à Deo petimus: non modo quo alamur ac veſtiamur, verum etiam quicquid omnino nobis condocere ipſe proſpicit, ut panem noſtrum in pace comedamus. Qua breviter nos in ejus curam tradimus, ac providentiæ committimus, ut nos paſcat, foveat, ſervet. Non enim dedignatur optimus Pater, corpus etiam noſtrum in fidem ac cuſtodiam ſuam ſuſcipere, ut fidem noſtram minutis iſtis in rebus exerceat: dum ab eo omnia, uſque ad micam panis, & guttam aquæ, expectamus. Nam quum ſit neſcio qua noſtra iniquitate comparatum, ut majori carnis quam animæ ſollicitudine afficiamur ac torqueamur; multi qui audent Deo de anima fidere, ſunt tamen adhuc de carne ſolliciti, adhuc hæſitant quid edant, quid veſtiantur: & niſi præ manibus habeant vini, frumenti & olei copiam, trepidant. Tanto pluris nobis eſt hujus momentaneæ vitæ umbra, quam æterna illa immortalitas. Qui vero Deo confiſi, illam de carnis cura anxietatem ſemel abjecerunt, ſimul ſtatim quæ majora ſunt, etiam ſalutem & vitam æternam, ab eo expectant. Non ergo leve eſt fidei exercitium, ea de Deo ſperare quæ alioqui nos tantopere anxios habent: neque parum profectum eſt, ubi hanc, quæ in omnium pene hominum oſſibus mordicus hæret, infidelitatem exuimus. Quod porro de pane ſuperſubſtantiali quidam philoſophantur, mihi videtur Chriſti ſententiæ perparum convenire: imo niſi in hac etiam caduca vita tribueremus Deo nutricii partes, mutila eſſet precatio. Ratio quam afferunt nimis eſt profana: non eſſe conſentaneum ut filii Dei, qui ſpirituales eſſe debent, non modo adjiciant animum ad terrenas curas, ſed Deum quoque illis ſecum implicent. Quaſi vero non refulgeat etiam in victu benedictio ejus & paternus favor, aut de nihilo ſcriptum ſit *pietatem habere promiſſiones non tantum futuræ vitæ ſed etiam præſentis*. Etſi autem peccatorum remiſſio longe pluris eſt quam alimenta corporis, quod tamen inferius erat priore loco poſuit Chriſtus, ut nos ad reliquas duas petitiones gradatim eveheret, quæ propriæ ſunt cæleſtis vitæ: in quo tarditati noſtræ conſuluit. Jubemur autem petere *panem noſtrum*, ut contenti ſimus demenſo quod nobis erogare dignatur cæleſtis Pater, neque artibus illicitis lucrum captemus. Interea tenendum eſt noſtrum fieri donationis titulo, quia nec induſtria nec labor nec manus noſtræ (ut dicitur apud Moſem) nobis per ſe quicquam acquirunt, niſi adſit Dei benedictio: imo ne panis quidem copia nobis tantillum proficeret, niſi divinitus in alimentum verteretur. Ac proinde non minus divitibus quam egenis neceſſaria eſt hæc Dei liberalitas: quia plenis cellis & horreis aridi & vacui deficerent, niſi per ejus gratiam pane ſuo fruerentur. Particula *hodie*, vel *quotidie*, ut eſt apud alterum Evangeliſtam: item epitheton *quotidiani*, frenum injiciunt immodicæ rerum fluxarum cupiditati, qua ſolemus præter modum ardere, & cui accedunt alia mala: quia ſi largior ſuppetit abundantia, ambitioſe in voluptatem, delicias, oſtentationem, aliaſque luxus ſpecies profundimus. Itaque petere jubemur duntaxat quantum neceſſitati noſtræ ſatis eſt, & velut in diem, hac fiducia, ubi nos hodie nutrierit cæleſtis Pater, neque craſtino deſuturum. Quantacunque igitur rerum copia nobis affluat, etiam ubi expleta fuerint horrea & plena cellaria: ſemper tamen panem quotidianum nos petere convenit; quia certo tenendum eſt omnem ſubſtantiam nihil eſſe, niſi quatenus effuſa ſua benedictione Dominus eam continuo progreſſu fœcundat: quæ etiam in manu noſtra eſt, ne eam quidem noſtram eſſe, niſi quatenus in ſingulas horas portiunculam nobis largitur uſumque permittit. Id quia ægerrime ſibi perſuaderi patitur hominum ſuperbia, ſingulare in omnia ſecula documentum ſe præbuiſſe teſtatur Dominus, quum manna in deſerto populum ſuum educavit, ut nos commonefaceret, *non in ſolo pane vivere hominem, ſed in verbo potius quod ex ore ſuo egreditur*. Quo indicatur, ſolam ejus virtutem eſſe qua ſuſtentantur vita & vires: tametſi eam ſub corporeis inſtrumentis nobis adminiſtrat. Quemadmodum & contrario documento nos erudire ſolet, quum robur panis (& ut ipſe vocat, *baculum*) quoties libet confringit, quo ſcilicet edentes tabeſcant fame; & bibentes ſiti areſcant. Qui vero pane quotidiano non contenti, ſed effreni cupiditate infinitis inhiantes: aut qui abundantia ſua ſaturi, & divitiarum ſuarum cumulo ſecuri, hac nihilominus precatione Deo ſupplicant, nihil quam ipſum irrident. Priores enim petunt quod impetratum nollent, imo quod maxime abominantur, nempe panem quotidianum duntaxat: quantumque poſſunt avaritiæ ſuæ affectum Deo diſſimulant: quum vera oratio totam ipſam mentem & quicquid intus latet, apud ipſum effundere debeat. Alteri vero poſtulant quod minime ab eo expectant, nempe quod ſibi apud ſe eſſe arbitrantur. In eo quod *noſter* dicitur, magis quidem, ut diximus, eminet Dei benignitas, quæ noſtrum facit quod nullo jure nobis debetur. Neque tamen repudiandum eſt quod etiam attigi, ita deſignari juſto labore & innoxio partum, non autem impoſturis quæſitum aut rapinis: quia alienum ſemper eſt quicquid cum aliqua noxa nobis acquirimus. Quod *dari* nobis petimus, ſignificatur eſſe ſimplex ac gratuitum Dei donum, undecunque nobis adveniat: etiam ubi maxime viſus fuerit arte atque induſtria noſtra quæſitus, ac manibus noſtris comparatus. quando ſola ejus benedictione efficitur, ut laboribus noſtris recte ſuccedat.

45. Sequitur, *Remitte nobis debita noſtra*: qua petitione & proxima breviter amplexus eſt Chriſtus quicquid ad cæleſtem vitam facit: quemadmodum his tantum duobus membris conſtat ſpirituale fœdus quod Deus in ſalutem Eccleſiæ ſuæ pepigit, *Leges meas inſcribam cordibus ipſorum, & propitius ero eorum iniquitati*. Hic à remiſſione peccatorum Chriſtus incipit, deinde mox adjunget ſecundam gratiam, ut nos Spiritus ſui virtute tueatur Deus & auxilio ſuſtineat, ut invicti ſtemus contra omnes tentationes. Peccata vero *debita* nuncupat quod eorum pœnam debemus, nec ſatisfacere ullo modo poſſemus, niſi hac remiſſione ſolveremur: quæ venia eſt gratuitæ miſericordiæ ejus, quum ipſe liberaliter hæc debita expungit, nullum à nobis pretium accipiens: ſed ſua ipſius miſericordia ſibi ſatisfaciens in Chriſto, qui ſemel in compenſationem ſeipſum tradidit. Itaque qui ſuis aut aliorum meritis Deo ſatisfieri confidunt, hiſque ſatisfactionibus peccatorum remiſſionem penſari ac redimi, huic gratuitæ condonationi minime communicant: ac dum in hanc formam Deum invocant, nihil aliud quam in ſuam accuſationem ſubſcribunt, adeoque damnationem obſignant ſuo ipſorum teſtimonio. fatentur enim ſe debitores, niſi remiſſionis beneficio ſolvantur, quam tamen non accipiunt, ſed magis reſpuunt, dum ſua merita ac ſatisfactiones Deo obtrudunt: ſic enim non ejus miſericordiam implorant, ſed judicium appellant. Qui

Tres petitiones. Prima, quid contineat.

Nobis teſtatur Dei ſummam benignitatem.

Diffidentiam noſtram.

Panis, *quid.*

1 Tim. 4. verſ. 8.

Cur panis petitio remiſſionem peccatorum præcedat.

Noſter, *quare dicitur.*

Levit. 26. verſ. 20.

Hodie, *vel* quotidie, *cur petendus.*

Doctrina quæ ex hac petitione fluit.

Exemplo illuſtrata.

Deut. 8: 3. Mat. 4: 4.

Et documentis oppoſitis.

Levit. 26. verſ. 26.

Duo hominum genera in hanc precationis partem peccant.

Noſter, *quo ſenſu panis dicatur.*

Cur eum nobis dari *petimus.*

Affinitas & conjunctio hujus quintæ petitionis cum ſequente.

Jer. 31: 33. & 33: 8.

Peccata cur debita dicantur.

Rom. 3. verſ. 24.

In hanc petitionem peccant, 1. Qui ſuis aut aliorum meritis Deo ſatisfieri credunt.

2. Qui ſibi perfectionem ſomniant qua venia petenda neceſſitatem tollat.

vid. Calvin. in Daniel. cap. 9. verſ. 20.

veto ſibi perfectionem ſomniant, quæ veniæ petendæ neceſſitatem tollat, diſcipulos habeant quos aurium pruritus ad fallacias impellit: modo erepros eſſe Chriſto conſtet quoſcunque ſibi acquirunt: quando omnes ille ad fatendum reatum inſtituens, nullos admittit niſi peccatores: non quod blanditiis ſoveat peccata, ſed quia fideles nunquam plane exui carnis ſuæ vitiis ſciebat, quin ſemper maneant Dei judicio obnoxii. Optandum quidem eſt, atque etiam enixe laborandum, ut omnibus officii noſtri numeris defuncti, vere apud Deum nobis gratulemur nos eſſe puros ab omni macula: ſed quia Deo placet paulatim ſuam in nobis imaginem refingere, ut ſemper aliquid contaginnis in carne noſtra reſideat, remedium minime negligendum fuit.

Cur electi in hac vita perfectionis metam non attingant.

Libertini iſti, perfectionis ſomniatores, refelluntur.

Quod ſi Chriſtus, pro auctoritate ſibi à Patre data, jubet nos toto vitæ curſu ad reatus deprecationem confugere: quibus tolerabiles erunt novi magiſtri, qui perfectæ innocentiæ ſpectro, ſimplicium oculos perſtringere conantur, ut ſe ab omni culpa reddi poſſe immunes confidant?

1 Joan. 1. verſ. 10.

Quod, teſte Joanne, nihil aliud eſt quam mendacem facere Deum. Eadem etiam opera nebulones iſti fœdus Dei, quo vidimus ſalutem noſtram contineri, capite uno inducto lacerant, atque ita funditus labefaciunt: non tantum in eo ſacrilegi quod ſeparant res adeo conjunctas; ſed etiam impii & crudeles quod miſeras animas obruunt deſperatione: in ſeipſos quidem & ſibi ſimiles perfidi, quod ſocordiam ſibi accerſunt Dei miſericordiæ ex diametro adverſam.

Eorundem objectio diluitur.

Quod autem objiciunt, regni Dei adventum optando ſimul nos peccati abolitionem petere, nimis puerile eſt: quia in priore orationis tabula ſumma nobis perfectio, hic autem infirmitas proponitur. Ita duo hæc apte inter ſe conveniunt, ut aſpirando ad metam, quæ neceſſitas noſtra remedia exigit non negligamus.

Quo ſenſu dicamur nos aliis remittere qui in nos peccarunt.

Petimus demum remiſſionem nobis fieri, *ut ipſi debitoribus noſtris remittimus*: hoc eſt, ut omnibus parcimus ac veniam damus à quocunque ulla in re læſi ſumus, aut facto inique tractati, aut dicto contumelioſe accepti. Non quod delicti atque offenſæ culpam remittere noſtrum ſit, quod ſolius Dei eſt: verum hæc noſtra eſt remiſſio, iram, odium, vindictæ appetentiam ex animo ultro deponere, & injuriarum memoriam voluntaria oblivione conterere.

Jeſa. 43. verſ. 25.

Quamobrem peccatorum remiſſio à Deo petenda non eſt, niſi offenſas etiam ipſi noſtras omnibus remittamus, qui nobis injurii vel ſunt vel fuerunt. Si qua vero odia animis retinemus, ultiones meditamur, & qua noceamus occaſione cogitamus: imo vero niſi cum inimicis redire in gratiam, ipſoſque omni officiorum genere demereri, nobiſque conciliare nitimur; hac precatione Deum obteſtamur, ne peccatorum remiſſionem nobis faciat. Poſcimus enim ut nobis faciat, quam aliis facimus. Hoc vero eſt petere ne nobis faciat niſi ipſi facimus. Qui ergo hujuſmodi ſunt, quid conſequuntur ſua petitione niſi gravius judicium?

Hac conditio quo ſenſu accipienda.

Poſtremo obſervandum eſt, non hanc conditionem ideo adjici, ut remittat nobis ſicut debitoribus noſtris remittimus, propterea quod noſtra, quam aliis facimus, remiſſione, ejus remiſſionem mereamur, acſi notata eſſet cauſa: verum hoc verbo ſolari partim voluit Dominus fidei noſtræ imbecillitatem. addidit enim hoc tanquam ſignum quo confirmemur tam certo nobis factam à ſe remiſſionem peccatorum, quam certo conſcii ſumus aliis eam à nobis fieri; ſi tamen animus nobis omni odio, livore, vindicta, vacuus purgatuſque eſt: partim hac veluti nota, è filiorum numero expungit qui ad ulciſcendum præcipites, ad remittendum difficiles, pertinaces inimicitias exercent, & indignationem quam à ſe deprecantur, ipſi adverſus alios fovent, ne ſe pro Patre invocare auſint. quod etiam diſerte in Chriſti verbis exprimitur apud Lucam.

Sextæ petitionis ſenſus, ad tres articulos revocatus.

46. Sexta petitio, ut diximus, promiſſioni reſpondet de Lege Dei cordibus noſtris inſculpenda: ſed quia non ſine continua militia duriſque & arduis certaminibus Deo paremus, hic petimus nos armis inſtrui & præſidio defendi, ut pares ſimus ad victoriam: quo monemur non tantum nobis opus eſſe Spiritus gratia, quæ corda noſtra intus emolliat, flectat & dirigat in Dei obſequium, ſed etiam auxilio, quo nos inſuperabiles reddat contra omnes Satanæ tam inſidias quam violentos conflictus.

1. Varia tentationum forma.

A pravis animi conceptionibus.

Jacob. 1. v. 2, & 14. Math. 4. verſ. 1, 3. 1 Theſſ. 3. verſ. 5.

A Satana, vel à dextris, vel à ſiniſtris.

Jam vero multæ ſunt ac variæ tentationum formæ. Nam & pravæ animi conceptiones, in Legis tranſgreſſionem nos provocantes, quas vel concupiſcentia noſtra nobis ſuggerit, vel diabolus excitat, tentationes ſunt: & quæ ſuapte natura mala non ſunt, diaboli tamen arte tentationes fiunt, quum ſic oculis noſtris ingeruntur, ut eorum objectu à Deo abſtrahamur, aut declinemus. Et hæ quidem tentationes ſunt vel à dextris vel à ſiniſtris. A dextris, ut divitiæ, potentia, honores, quæ plerumque ſuo fulgore & boni ſpecie quam præ ſe ferunt, hominum aciem perſtringunt, & blanditiis ſuis ineſcant, ut talibus præſtigiis capti, ut tali dulcedine ebrii, Deum ſuum obliviſcantur. A ſiniſtris, ut paupertas, probra, contemptus, afflictiones, & cætera id genus: quorum acerbitate difficultateque offenſi animos deſpondeant, fiduciam ac ſpem abjiciant, demum à Deo prorſus alienentur.

2. Quid ſit induci in tentationem.

His tentationibus utriſque, quæ vel concupiſcentia noſtra in nobis accenſæ, vel Satanæ vafritia nobis propoſitæ nobiſcum pugnant, ne cedere nos permittat, à Deo patre noſtro precamur: verum ut potius manu ſua nos ſuſtentet ac erigat: quo ejus virtute robuſti, contra omnes maligni hoſtis inſultus firmi ſtare poſſimus, quaſcunque cogitationes animis noſtris immittat: deinde quicquid nobis in utramque partem proponitur, in bonum vertamus: hoc eſt, ne inflemur proſperis, nec adverſis dejiciamur.

Non poſtulamus non tentari à Deo.

Neque tamen hic poſtulamus ne ullas omnino tentationes ſentiamus, quibus magis excitari, pungi, vellicari, magnopere nobis opus eſt, ne nimium reſides torpeamus. Neque enim abs re David tentari optabat: nec citra cauſam electos ſuos quotidie tentat Dominus, eos per ignominiam, paupertatem, tribulationem, & alias crucis ſpecies caſtigans.

Pſal. 26: 2. Gen. 22: 1. Deut. 8: 2. & 13: 3.

Sed petimus ne nos inducas in Satanæ tentationes.

Sed aliter Deus tentat, aliter Satan: hic ut perdat, damnet, confundat, præcipitet: Deus vero, ut ſuos probando, experimentum de eorum ſinceritate ſumat, & exercendo robur confirmet: eorum carnem mortificet, excoquat, adurat, quæ niſi in hunc modum coerceretur, laſciviret, & ſupra modum exultaret. Præterea Satan inermes & imparatos adoritur, ut incautos opprimat: *Deus una cum tentatione facit eventum, ut ſufferre ſui patienter poſſint* quicquid illis immittit.

1 Cor. 10. verſ. 13. 2 Pet. 2: 9.

3. Malignus quis.

1 Pet. 5: 8.

Summa hujus petitionis.

Malìgni nomine diabolum an peccatum intelligamus, quam minimum refert. Satan quidem ipſe hoſtis eſt qui vitæ noſtræ inſidiatur: peccato autem armatus eſt in noſtrum exitium. Hæc igitur noſtra eſt poſtulatio, ne ullis tentationibus vincamur ac obruamur, ſed Domini virtute contra omnes adverſas virtutes, quibus oppugnamur, fortes ſtemus; quod eſt non ſuccumbere tentationibus: ut in ejus cuſtodiam ac fidem ſuſcepti, ac protectione ejus ſecuri, ſupra peccatum, mortem, inferorum portas, & totum diaboli regnum invicti duremus; quod eſt à maligno liberari.

Quam neceſſaria ſit.

Ubi etiam diligenter animadvertendum eſt, non noſtrarum eſſe virium cum diabolo tanto bellatore congredi, nec vim ejus atque impetum ferre. Alioqui fruſtra aut per ludibrium à Deo poſceretur quod domi apud nos eſſet. Sane qui ſui fiducia ad talem ſe pugnam comparant, non ſatis intelligunt cum quam pugnaci atque inſtructo hoſte ſibi res ſit. Nunc petimus ab ejus

pote-

poteſtate liberari, tanquam ab ore inſani ac rabidi alicujus leonis, ſtatim ejus dentibus ac unguibus diſcerpendi, ejus faucibus deglutiendi, niſi nos Dominus è media morte eripiat: hoc tamen ſimul ſcientes, quod ſi Dominus aderit, ac pro nobis tacentibus pugnabit, in ejus virtute faciemus virtutem. Confidant alii ut volent propriis liberi arbitrii (quas à ſe habere ſibi videntur) facultatibus ac viribus: nobis ſatis ſit, quod una Dei virtute ſtamus ac valemus. Plus autem iſta precatio complectitur quam prima ſpecie præ ſe ferat: nam ſi Dei Spiritus virtus noſtra eſt ad certamen cum Satana depugnandum, victoriam referre ante non poterimus, quam illo pleni omnem carnis noſtræ infirmitatem exuerimus. A Satana igitur & peccato dum petimus liberari, novis gratiæ Dei incrementis locupletari ſubinde expetimus: donec ad plenum iis referti, de omni malo triumphemus. Durum & aſperum videtur quibuſdam, peti à Deo ne in tentationem nos inducat, quando ejus naturæ contrarium eſt nos tentare, teſte Jacobo. Sed jam ea parte ſoluta quæſtio eſt, quod omnium tentationum quibus vincimur, concupiſcentia noſtra proprie cauſa eſt, ideoque culpam ſuſtinet. Neque aliud vult Jacobus quam fruſtra & injuſte in Deum vitia transſcribi quæ nobis imputare cogimur: quia ſumus eorum nobis conſcii. Cæterum hoc non obſtat quominus nos Deus, ubi ita viſum eſt, Satanæ mancipet, projiciat in ſenſum reprobum fœdaſque cupiditates, atque ita in tentationes inducat, juſto quidem judicio, ſæpe tamen occulto: quia ſæpe hominibus abſcondita eſt cauſa, quæ tamen apud eum certa eſt. Unde colligitur non eſſe impropriam loquutionem, ſi perſuaſi ſumus non abſque ratione ipſum toties minari, quum percutientur cæcitate & obduratione cordis reprobi, hæc certa fore vindictæ ſuæ documenta.

Pſ. 60: 14.
Superbiam ſuperſtitioſorum damnat.
Multa egregia complectitur.
Quo ſenſu Deus in tentationem inducere dicatur.
Jacob. 1. v. 13, 14.

47. Tres iſtæ precationes, quibus peculiariter nos ac noſtra omnia Deo commendamus, evidenter oſtendunt quod antea diximus, Chriſtianorum orationes publicas eſſe debere, ac in publicam Eccleſiæ ædificationem communioniſque fidelium profectum ſpectare. Non enim ſibi quiſque privatim dari quicquam poſtulat: verum omnes in commune panem noſtrum, remiſſionem peccatorum, ne inducamur in tentationem, ut à maligno liberemur, poſcimus. Cauſa præterea ſubjicitur cur tanta ſit nobis & petendi audacia, & fiducia obtinendi: quæ tametſi in Latinis exemplaribus non extat, magis tamen appoſite hic quadrat quam ut omittenda videatur: nempe quod *ejus eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula ſeculorum.* Hæc ſolida tranquillaque eſt fidei noſtræ requies: nam ſi noſtra dignitate noſtræ Deo orationes commendandæ eſſent, quis vel mutire coram eo auderet? Nunc, ut miſerrimi ſimus, ut omnium indigniſſimi, ut omni commendatione vacui, nunquam tamen orandi nos cauſa deficiet, nunquam fiducia deſtituet: quando nec Patri noſtro regnum ſuum, potentia, gloria eripi poteſt. Ad finem additur, *Amen:* quo ardor deſiderii exprimitur obtinendi quæ à Deo petita ſunt: & ſpes noſtra confirmatur, hujuſmodi omnia jam impetrata eſſe, & certo nobis conceſſum iri: quando à Deo promiſſa ſunt, qui fallere non poteſt. Atque hoc convenit cum illa quam prius retulimus formula, *Fac Domine propter nomen tuum, non propter nos, aut juſtitiam noſtram:* qua non tantum finem votorum ſuorum exprimunt ſancti, ſed fatentur indignos ſe eſſe qui impetrent, niſi Deus cauſam à ſeipſo petat: ac ſibi exorandi eſſe fiduciam ex ſola Dei natura.

Porro tres iſtæ poſtremæ petitiones oſtendunt Chriſtianorum preces publicas eſſe debere.
ſect. 38. & 39.
Appendix orationis Dominicæ petendi audaciam & obtinendi fiduciam parit.
vide ſupra ſect. 11, 12. 13, 14, 36, & 37.
Quo ſenſu addatur, Amen.

48. Habemus quicquid à Deo petere debemus, ac omnino etiam poſſumus, deſcriptum hac formula, & velut orandi regula ab optimo magiſtro Chriſto tradita: quem nobis doctorem Pater præfecit, & quem unum auſcultari voluit. Nam & æterna ejus ſapientia ſemper fuit: & homo factus, Angelus magni conſilii hominibus datus eſt. Atque adeo numeris omnibus abſoluta eſt hæc oratio, ut quicquid illi extraneum alienumque additur, quod ad eam referri non poſſit, impium ſit & indignum quod à Deo probetur. Hac enim ſumma præſcripſit quid ſe dignum, quid ſibi acceptum, quid neceſſarium nobis ſit, quid denique concedere ipſe velit. Quamobrem qui ultra progredi audent, & præter hæc aliquid à Deo poſtulare, primùm quidem ſapientiæ Dei ex ſuo addere volunt (quod ſine inſana blaſphemia eſſe non poteſt) deinde ſub voluntate Dei non ſe continent: ſed ea contempta, longius cupiditate evagantur. Poſtremo nihil unquam aſſequentur, quum ſine fide orent. Quin vero omnes ejuſmodi orationes citra fidem fiant nihil eſt dubium: quia hic abeſt verbum Dei, quo niſi fides ſemper nititur, ſtare nullo modo poteſt. Qui vero poſthabita magiſtri regula ſuis votis indulgent, non modo verbo Dei carent, ſed quantum omni conatu valent adverſantur. Eleganter ergo non minus quam vere Tertullianus *legitimam orationem* nuncupavit: alias omnes exleges & illicitas eſſe tacite indicans.

Quicquid à Deo petere debemus ac poſſumus, hac formula deſcriptum eſt.
Mat. 17: 5.
Jeſa. 11: 2.
Qui ultra progrediuntur tripliciter, peccant.
vid. Auguſtin. de orat. ad Probam.
De fuga in perſequutione.

49. Hæc ita nolumus accipi, quaſi hac precandi formula adſtringamur, ut nec verbum aut ſyllabam mutare liceat. Multæ enim paſſim in Scripturis leguntur orationes, verbis ab iſta longe diverſæ, eodem tamen Spiritu conſcriptæ, & quarum uſus valde utilis nobis eſt. Multæ ab eodem Spiritu fidelibus aſſidue ſuggeruntur, quæ verborum ſimilitudine non ita multum conveniunt. Id duntaxat ſic docendo agimus, ne quis omnino aliud quærat, exſpectet aut poſtulet, quam quod hac oratione ſummatim comprehenſum eſt: & verbis licet diverſiſſimis, ſenſu tamen non varier. Quo modo omnes & quæ in Scripturis habentur, & quæ ex piis pectoribus prodeunt orationes, in hanc conferri certum eſt: nullam ſane reperire uſquam liceat, quæ hujus perfectionem æquare, nedum ſuperare poſſit. Nihil hic omiſſum eſt quod in Dei laudes cogitari, nihil quod homini pro ſuis commodis in mentem venire debeat: & adeo quidem exacte, ut omnibus merito ſpes ablata ſit melius aliquid tentandi. In ſumma, meminerimus hanc divinæ ſapientiæ eſſe doctrinam: quæ quod voluit, docuit: voluit autem quod neceſſe fuit.

Poſſumus tamen aliis verbis preces concipere, aliorum ſanctorum exemplo. Modo quoad ſenſum nulla fuerit diſcrepantia.

50. Quanquam autem ſupra jam dictum eſt, ſublatis ad Deum animis ſemper ſuſpirandum, & ſine intermiſſione orandum: quando tamen ea noſtra eſt imbecillitas quæ multis adminiculis ſuſtentari, is noſter torpor qui calcaribus excitari opus habeat: convenit ut ſibi quiſque noſtrûm exercitationis cauſa peculiares horas conſtituat quæ non ſine oratione effluant, & quæ totos animi affectus in hoc penitus occupatos habeant: nempe dum mane ſurgimus, antequam diurnam operam aggredimur, dum ad paſtum diſcumbimus, dum Dei benedictione paſti ſumus, dum ad quietem nos recipimus. Hæc modo ſit non ſuperſtitioſa horarum obſervatio, quibus, ceu penſum Deo ſolventes, in cæteras horas defuncti nobis videamur: ſed imbecillitatis noſtræ pædagogia, qua ſic exerceatur, & ſubinde ſtimuletur. Præſertim ſollicite curandum eſt, quoties aliqua rerum anguſtia aut ipſi premimur, aut premi alios videmus, ut ad eum ſtatim 1.
citatis non pedibus ſed animis recurramus: deinde 2.
ne quam aut noſtram aut aliorum proſperitatem præterire ſinamus, quin laude ac gratiarum actione manum ejus agnoſcere nos teſtemur. Poſtremo, 3.
hoc in omni oratione diligenter obſervandum eſt, ne certis circumſtantiis Deum alligare velimus, nec illi præſcribere, quo quid tempore, quo loco, qua ratione facturus ſit. Qualiter hac oratione docemur

VIII.
Circumſtantia quædam obſervanda.
1. De peculiaribus horis ad precandum conſtituendis.
Quid tunc cavendum & curandum.

Voluntas Dei votorum noſtrorum regula.

nullam illi legem figere, aut conditionem imponere, ſed ejus arbitrio permittere, ut quæ facturus eſt, qua ſibi ratione, quo tempore, quo loco viſum fuerit, faciat. Propterea aotequam ullam pro nobis precem concipimus, præfamur ut ejus voluntas fiat: ubi jam ejus voluntati noſtram ſubjicimus, quo non ſecus ac injecto freno coërcita, Deum in ordinem cogere ne præſumat, ſed eum votorum omnium ſuorum arbitrum ac moderatorem ſtatuat.

2. De perſeverantia in precibus.

51. Si animis in hanc obedientiam compoſitis, providentiæ divinæ legibus nos regi patimur, facile diſcemus in oratione perſeverare, ac ſuſpenſis deſideriis patienter expectare Dominum: certi, etiamſi minime apparet, nobis tamen ſemper adeſſe, ſuoque tempore declaraturum quam non habuerit ſurdas aures precibus, quæ in homioum oculis neglectæ videbantur. Erit vero iſthæc præſentiſſima conſolatio, ne deficiamus, ac deſperatiooe concidamus, ſiquando ad prima noſtra vota Deus non reſpondeat. Quemadmodum ſolent qui dum ſuo tantum ardore feruntur, ſic Deum invocant, ut niſi ad primos impetus adfuerit, ac præſentem opem attulerit, ſtatim iratum ſibi infenſumque fingant, & omni ſpe exorandi abjecta, invocare deſinant.

Nobis maximopere commendata, præceptis & exemplis Scripturæ.

Quin potius ſpem noſtram bene temperata animi æquitate differendo, in eam perſeverantiam inſiſtamus, quæ tantopere nobis commendatur in Scripturis. Nam in Pſalmis frequeoter videre licet, ut David & reliqui fideles, dum precando fere laſſi videntur aërem verberaſſe, quia Deo ſurdo verba ſparſerint, non tamen à precando deſiſtunt: quia ſua verbo Dei auctoritas non aſſeritur, niſi locatur ejus fides ſupra omnes eventus.

Cui opponitur eorum fremitus qui Deo tempus & modum exaudiendi præſcribunt.

Deinde etiam ne Deum tentemus, & noſtra improbitate fatigatum, adverſum nos provocemus: quod multis ſolenne eſt, qui nonniſi certa conditione cum Deo paciſcuntur, & perinde acſi ſuarum cupiditatum ſervus eſſet, ſtipulationis ſuæ legibus adſtringunt: quibus niſi extemplo pareat, indignantur, fremunt, obloquuntur, murmurant, tumultuantur. Talibus ergo ſæpe in

Num. 11. v. 18, 33.

furore ſuo iratus coocedit quod aliis in miſericordia propitius denegat. Documento ſunt filii Iſraël, quibus ſatius fuerat non exaudiri à Domino, quam cum carnibus ejus indignationem vorare.

3. De fidei dignitate, qua precibus noſtris ſemper obtinemus quicquid maxime expedit.

52. Quod ſi demum nec poſt longam expectationem aſſequatur ſenſus noſter quid orando profectum ſit, nec fructum inde ullum ſentiat: fides tamen noſtra, quod ſenſu percipi non poterit, nobis certum faciet, nos obtinuiſſe quod expediebat: quando toties ac tam certo ſibi curæ fore moleſtias noſtras Dominus recipit, ex quo ſemel in ſuum ſinum depoſitæ fuerint. Atque ita efficiet ut in paupertate abundantiam, in afflictione conſolationem poſſideamus. Nam ut deficiant omnia, Deus tamen nunquam nos deſtituet, qui expectationem ac patientiam ſuorum fruſtrari non poteſt. Erit ipſe unus nobis pro omnibus: quando bona omnia in ſe complectitur, quæ olim nobis revelabit in die judicii, quo regnum ſuum plane manifeſtabit. Adde, quod etiamſi nobis annuat Deus, non tamen ſemper ad diſertam voti formulam reſpondet: ſed in ſpeciem nos ſuſpendens, modo tamen incognito preces noſtras non vanas fuiſſe oſtendit. Hoc ſibi volunt Joannis verba, *Si novimus quod audit nos quum quid petierimus ab eo, novimus quod habemus petitiones quas petimus ab eo.* Diluta videtur hæc verborum ſuperfluitas: ſed apprime utilis eſt declaratio, quod ſcilicet Deus, etiam ubi nobis morem non gerit, precibus tamen noſtris facilis eſt ac propitius, ut ſpes verbo ejus innixa nunquam nos fruſtretur. Hac vero patientia ſuſtentari eo uſque opus habent fideles, ut non diu conſtaturi ſint niſi in eam recumberent. Non enim levibus experimentis ſuos probat Dominus, nec molliter exercet: ſed in extrema quæque ſæpe adigit, & adactos diu in eo luto hærere ſinit, antequam guſtum ſuæ dulcedinis aliquem illis præbeat. Atque, ut ait Hanna, *Mortificat, & vivificat: deducit ad inferos, & reducit.* Quid hic poſſent niſi linqui animis, & in deſperationem ruere: niſi afflictos, deſolatos, & jam ſemimortuos hæc cogitatio erigeret, ſe à Deo reſpici, & finem præſentibus malis affore? Utcuoque tamen ejus ſpei ſecuritate conſiſtant, orare ioterea non deſinuot: quandoquidem, niſi adſit in oratione perſeverandi conſtantia, nihil orando agimus.

1 Joan. 5. verſ. 15.

Quod quidem cognitu valde neceſſarium eſt, ne pii impatientia & deſperatione obruantur.

1 Sam. 2. verſ. 6.

CAP. XXI.

De electione æterna, qua Deus alios ad ſalutem, alios ad interitum prædeſtinavit.

Partes hujus capitis.

1. *Neceſſitate & utilitate hujus de electione æterna doctrinæ aperta, curioſis frenum injicitur, ſect. 1. & 2.*
2. *Deinde nonnullis perperam modeſtis, qui tractationem de prædeſtinatione fugiunt, ſatisfit, ſect. 3. 4.*
3. *Poſtremo, orthodoxa doctrina traditur, ſect. 5. 6. & 7.*

Doctrina de electione ac prædeſtinatione.

JAm vero quod non apud omnes peræque homines fœdus vitæ prædicatur, & apud eos quibus prædicatur, noo eundem locum vel æqualiter vel perpetuo reperit: in ea diverſitate mirabilis divini judicii altitudo ſe profert. Nec enim dubium quin æternæ Dei electionis arbitrio hæc quoque varietas ſerviat.

Eſt neceſſaria.

Quod ſi palam eſt Dei nutu fieri ut aliis ultro offeratur ſalus, alii ab ejus aditu arceantur: hic magnæ & arduæ protinus emergunt quæſtiones, quæ aliter explicari nequeuot quam ſi de electione ac prædeſtinatione conſtitutum habeant piæ mentes quod tenere convenit. Perplexa (ut multis videtur) quæſtio: quia nihil minus conſentaneum putant, quam ex communi hominum turba alios ad ſalutem, alios ad interitum prædeſtinari. Ut autem perperam ſe ipſi impediant, ex contextu poſtea liquebit.

Utilis item & ſuaviſſima.

Adde, quod in ipſa quæ terret caligine, non modo utilitas hujus doctrinæ, ſed ſuaviſſimus quoque fructus ſe profert. Nunquam liquido ut decet perſuaſi erimus ſalutem noſtram ex fonte gratuitæ miſericordiæ Dei fluere, donec innotuerit nobis æterna ejus electio: quæ hac comparatione gratiam Dei illuſtrat, quod non omnes promiſcue adoptat in ſpem ſalutis, ſed dat aliis quod aliis negat.

Hujus ignorantia gloriam Dei imminuit.

Hujus principii ignorantia quantum ex gloria Dei imminuat, quantum veræ humilitati derrahat, palam eſt. Atqui quod ita cognitu neceſſarium eſt, cognoſci poſſe negat Paulus, niſi Deus, omiſſo prorſus operum reſpectu, quos apud ſe decrevit, eligat. *In hoc*, ioquit, *tempore reliquiæ ſecundum electionem gratuitam ſalvæ fuerunt. Quod ſi per gratiam, non jam ex operibus: quandoquidem gratia jam non eſſet gratia. Si ex operibus, non ex gratia: quandoquidem opus non eſſet opus.* Si ad electionis originem revocandi ſumus, ut conſtet non aliunde quam ex mera Dei liberalitate contingere nobis ſalutem, qui hoc extinctum volunt, maligne quantum in ſe eſt obſcurant quod magnifice ac plenis buccis celebrandum erat, & ipſam humilitatis radicem evellunt. Clare teſtatur Paulus, ubi reſidui po-

Rom. 11. verſ. 5.

Humilitatis radicem evellit.

puli

puli ſalus electioni gratuitæ adſcribitur, tunc demum cognoſci Deum mero beneplacito ſervare quos vult, non autem mercedem rependere, quæ nulla deberi poteſt.

Et ſuperbiam gignit ac fovet in mentibus hominum.

Qui fores occludunt, nequis ad guſtum hujus doctrinæ accedere audeat, non minorem hominibus quam Deo faciunt injuriam: quia neque ad nos ut par eſt humiliandos quicquam aliud ſufficiet, nec quam ſimus obſtricti Deo, ex animo ſentiemus.

Contra, inde oritur certitudo ſalutis. Joan. 10. verſ. 26, 27, &c. *Pax conſcientiæ.*

Nec vero alibi ſolidæ fiduciæ fultura, etiam Chriſto auctore: qui ut nos inter tot diſcrimina, inſidias & lethales conflictus, omni metu liberet, invictoſque reddat, ſalvum fore promittit quicquid à Patre accepit in cuſtodiam. Ex quo elicimus, continua trepidatione miſeros fore quicunque ſe peculium Dei eſſe ignorant: ac proinde eos peſſime & ſibi & cunctis fidelibus conſulere, qui ad tres quas notavimus utilitates cæcutiendo, ſalutis noſtræ fundamentum è medio ſublatum cuperent.

Eccleſia nativitas. Serm. in Cant. 78.

Quid quod nobis inde emergit Eccleſia, quæ alioqui, ut recte docet Bernardus, non poſſet inveniri, nec inter creaturas agnoſci? quia miro utroque modo latet intra gremium beatæ prædeſtinationis, & intra maſſam miſeræ damnationis.

Duplici autem hominum generi primum occurrit. *1. Curioſis.*

Sed antequam rem ipſam ingredior, cum duplici hominum genere mihi bifariam præfandum eſt. Diſputationem de prædeſtinatione, quum per ſe ſit aliquantum impedita, valde perplexam atque adeo periculoſam reddit hominum curioſitas: quæ nullis repagulis cohiberi poteſt, quin & in vetitas ambages evagetur, & in ſublime ſe proripiat: nihil, ſi liceat, arcani, quod non ſcrutetur atque evolvat, Deo relictura. In hanc audaciam & improbitatem quum multos videamus paſſim ruere, & in iis quoſdam alioqui non malos: opportune admonendi ſunt quis ſit in hac parte officii ſui modus.

Quorum hac in parte officium deſcribitur.

Primum ergo meminerint, in prædeſtinationem dum inquirunt, ſe in divinæ ſapientiæ adyta penetrare, quo ſiquis ſecure ac confidenter prorumpat, nec quo ſuam curioſitatem ſatiet aſſequetur, & labyrinthum ingredietur cujus nullum reperiet exitum. Neque enim æquum eſt ut quæ in ſeipſo abſcondita eſſe voluit Dominus, impune homo excutiat: & ſapientiæ ſublimitatem (quam adorari & non apprehendi voluit, ut per ipſam quoque admirabilis nobis foret) ab ipſa æternitate evolvat. Quæ nobis patefacienda cenſuit voluntatis ſuæ arcana, ea verbo ſuo prodidit. Cenſuit autem, quatenus noſtra intereſſe nobiſque conducere providebat.

Confirmatur ſententia Auguſtini. Homil. 35 in Joan. *Admonitione Chriſti.* Joan. 16. verſ. 12.

2. *Pervenimus in viam fidei*, inquit Auguſtinus: *eam conſtanter teneamus. Ipſa perducit ad cubiculum Regis, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi. Non enim ipſe Dominus Chriſtus ſuis magnis & ſelectiſſimis diſcipulis invidebat quum diceret, Multa habeo vobis dicenda: ſed non poteſtis portare nunc. Ambulandum eſt, proficiendum eſt, creſcendum eſt: ut ſint corda noſtra capacia earum rerum quas capere modo non poſſumus. Quod ſi nos ultimus dies proficientes invenerit, ibi diſcemus quod hic non potuimus.* Hæc cogitatio ſi apud nos valeat, verbum Domini unicam eſſe viam quæ ad inveſtigandum quicquid de eo teneri fas eſt nos deducat, unicum eſſe lumen quod ad perſpiciendum quicquid de ipſo conſpici oportet nobis præluceat; facile nos ab omni temeritate retinebit ac cohibebit. Scimus enim, ubi primum verbi fines exceſſerimus, nobis extra viam & in tenebris eſſe curſum, in quo errare, labi, impingere identidem neceſſe ſit. Sit igitur primum nobis hoc præ oculis, aliam prædeſtinationis notitiam appetere quam quæ verbo Dei explicatur, non minoris eſſe inſaniæ, quam ſiquis vel per invium incedere, vel in tenebris cernere velit. Neque vero nos pudeat aliquid in ea re neſcire ubi eſt aliqua docta ignorantia. Quin potius libenter ab ejus ſcientiæ inquiſitione abſtineamus, cujus eſt cum ſtulta tum periculoſa, atque adeo exitialis affectatio.

Dicto Solomonis. Prov. 25. verſ. 27.

Quod ſi nos ſollicitat ingenii laſcivia, ſemper illud, quo retundatur, opponere expediet, *ſicut nimium mellis non bonum eſt, ita inveſtigationem gloriæ non cedere curioſis in gloriam.* Eſt enim cur ab ea audacia abſterreamur quæ nihil quam in ruinam præcipitare nos poteſt.

2 Occurrit aliis, perperam modeſtis, qui hanc doctrinam nullo modo attingi volunt.

3. Sunt alii, qui dum huic malo mederi volunt, tantum non ſepeliri jubent omnem prædeſtinationis mentionem: ſane à qualibet ejus quæſtione, non ſecus atque à ſcopulo, refugere docent. Quorum tametſi jure in eo laudanda eſt moderatio, quod tanta ſobrietate delibanda cenſent myſteria: quia tamen nimis infra modum deſcendunt, parum proficiunt apud humanum ingenium, quod ſe coërceri non temere patitur. Ergo, ut hac quoque in parte legitimum finem teneamus, redeundum erit ad verbum Domini, in quo habemus certam intelligentiæ regulam.

Quorum ſimulata moderationis adhibetur correctio prima.

Eſt enim Scriptura, ſchola Spiritus ſancti, in qua ut nihil prætermiſſum eſt ſcitu & neceſſarium & utile, ſic nihil docetur niſi quod ſcire conducat. Quicquid igitur de prædeſtinatione in Scriptura proditur, cavendum eſt ne ab eo fideles arceamus: ne videamur aut illos maligne fraudare Dei ſui beneficio, aut Spiritum arguere ac ſugillare qui ea vulgarit quæ utile ſit ullo modo ſupprimi.

Altera.

Permittamus, inquam, Chriſtiano homini cunctis qui ad eum diriguntur, Dei ſermonibus mentem aureſque reſerare, modo cum hac temperantia, ut quum primum Dominus ſacrum os clauſerit, ille quoque viam ſibi ad inquirendum præcludat.

Tertia.

Hic optimus ſobrietatis terminus erit, ſi non modo in diſcendo præeuntem ſemper ſequamur Deum, ſed ipſo finem docendi faciente, ſapere velle deſinamus. Neque tanti eſt quod timent periculum, ut à Dei oraculis avertere animos ideo debeamus.

Et objectio ex Solomone. *Prov. 25:2. petita diluitur Moſis teſtimonio.*

Celebre eſt Solomonis dictum, *gloriam eſſe Dei celare verbum.* Sed quum de re qualibet hoc promiſcue non intelligi & pietas & ſenſus communis dictet: quærenda nobis diſtinctio eſt, ne modeſtiæ & ſobrietatis prætextu bruta inſcitia nobis placeat. Ea vero paucis à Moſe verbis dilucide exprimitur: *Arcana*, inquit, *ſua ſunt Deo noſtro: nobis autem & filiis noſtris hæc manifeſtavit.*

Deut. 29. verſ. 29.

Videmus enim ut ſtudium doctrinæ Legis populo commendet tantum à cæleſti decreto, quia Deo placuit eam promulgare: populum vero eodem contineat in iis cancellis, hac ſola ratione, quia fas non eſt mortalibus ſe in arcana Dei ingerere.

Secunda eorundem objectio, profanos homines impingere in hanc doctrinam.

4. Arripiunt ſubito, fateor, profani homines in prædeſtinationis materia quod vel carpant, vel cavillentur, vel allatrent, vel ſubſanneot. At ſi nos abſterret eorum procacitas, celanda erunt præcipua quæque fidei dogmata, quorum fere nullum à blaſphemia inviolatum aut ipſi aut eorum ſimiles relinquunt.

1. Reſponſio, in multis aliis orthodoxæ fidei capitibus idem facerent impii.

Refractarium ingenium non minus inſolenter ſe efferet quum audierit tres in Dei eſſentia ſubeſſe perſonas, quam ſi audiat Deum prævidiſſe quid de homine futurum eſſet quum crearet. Nec abſtinebunt à cachinnis quum intellexerint, paulum ſupra quinque annorum millia effluxiſſe à creatione mundi. quærent enim cur tamdiu otioſa fuerit ac ſopita Dei virtus. Nihil denique proferetur quod non ludibriis ſuis impetant. Quo hæc ſacrilegia compeſcamus, an de Filii & Spiritus divinitate tacendum? an ſilendo tranſmittenda mundi creatio?

2. Dei veritas ſeipſam ſatis ſuperque tuetur. cap. 15. uſque ad 20.

Imo vero potentior eſt in hac parte & ubique Dei veritas quam ut impiorum maledicentiam reformidet. Quemadmodum & Auguſtinus in opuſculo de bono perſeverantiæ valide contendit. Videmus enim pſeudoapoſtolos non potuiſſe efficere, veram Pauli doctrinam infamando ac criminando, ut eum ipſius puderet.

Tertia objectio, periculoſam eſſe

Quod autem piis quoque mentibus periculoſam eſſe dicunt totam hanc diſputationem, quia ſit exhortationibus adver-

hanc diſputationem etiam pii.

adverſa, quia fidem quatefaciat, quia cor ipſum
conturbet atque exanimet: inane eſt. Has ob cauſas redargui ſe ſolitum non diſſimulat Auguſtinus,

1 Reſponſio, idem Auguſtino objectum eſt. de bono perſeverantiæ, cap. 14.

quod prædeſtinationem nimium libere prædicaret.
ſed, quod illi promptum erat, abunde refellit. Nos
autem, quia multæ & variæ huc ingeruntur abſurditates, unamquamque ſuo loco diluendam ſervare maluimus. Tantum illud in uoiverſum obtinere apud eos cupio ut quæ in occulto recondita
Dominus reliquit, ne ſcrutemur: quæ in apertum

2. Quæ Deus aperuit, ne contemnamus. lib. 5. de Geneſ. ad liter.

protulit, ne negligamus: ne aut una ex parte nimiæ curioſitatis; aut ex altera, ingratitudinis
damnemur. Nam & illud ſcite ab Auguſtino dictum eſt, nos tuto Scripturam ſequi poſſe, quæ
velut materno inceſſu ſubmiſſius graditur, ne infirmitatem noſtram deſerat. Qui vero tam cauti

3. Arrogantes eſſe hujuſmodi objectores, & in Deum blaſphemos.

ſunt vel timidi ut prædeſtinationem obrutam cupiant, ne debiles animas conturbet: quonam obſecro colore tegent ſuam arrogantiam, quum oblique Deum inſimulent ſtultæ incogitantiæ, quaſi
periculum, cui prudenter occurrere ſibi videntur,
non præviderit? Quiſquis igitur prædeſtinationis
doctrinam invidia gravat, aperte maledicit Deo:
acſi inconſiderate ei elapſum foret quod eſt Eccleſiæ noxium.

Quod ad rem ipſam attinet, ab omnibus receptam, à quibuſdam cavillis involvitur.

1. Præſcientiæ nomine, quam prædeſtinationis cauſam conſtituunt. Ideo quid ſit Præſcientia & Prædeſtinatio oſtenditur: nec præſcientiam, ſed Dei beneplacitum prædeſtinationis eſſe cauſam.

5. Prædeſtinationem, qua Deus alios in ſpem
vitæ adoptat, alios adjudicat æternæ morti, nemo,
qui velit pius cenſeri, ſimpliciter negare audet: ſed
eam multis cavillis involvunt, præſertim vero qui
præſcientiam faciunt ejus cauſam. Ac nos quidem
otramque in Deo ſtatuimus: ſed præpoſtere dicimus alteram alteri ſubjici. Præſcientiam quum tribuimus Deo, ſignificamus omnia ſemper fuiſſe ac
perpetuo manere ſub ejus oculis: ut ejus notitiæ
nihil futurum aut præteritum, ſed omnia ſint præſeotia. & ſic quidem præſentia, ut non ex ideis
rantum imaginetur (qualiter nobis obverſantur ea
quorum memoriam mens noſtra retinet) ſed tanquam ante ſe poſita vere intueatur ac cernat. Atque hæc præſcientia ad univerſum mundi ambitum & ad omnes creaturas extenditur. Prædeſtinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud
ſe conſtitutum habuit quid de unoquoque homine
fieri vellet. Non enim pari conditione creantur
omnes: ſed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna
præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem
quiſque conditus eſt, ita vel ad vitam vel ad mor-

Id primum ex gratuita electione ſobolis Abrahæ, & aliorum omnium reprobatione apparet.

tem prædeſtinatum dicimus. Hanc vero Deus non
modo in ſingulis perſonis teſtatus eſt, ſed ſpecimen
ejus in tota Abrahæ ſobole edidit, unde palam fieret, in ejus arbitrio eſſe qualis cujuſque gentis futura ſit conditio. *Quum divideret Altiſſimus gentes, & ſepararet filios Adam, pars ejus fuit populus Iſraël, funiculus hæreditatis ejus.* Ante omnium oculos eſt
ſegregatio: in Abrahæ perſona, quaſi in arido
Deut. 32. trunco, populus unus aliis rejectis peculiariter eli-
verſ. 9. gitur: cauſa vero non apparet, niſi quod Moſes,
ut poſteris anſam gloriandi præcidat, gratuito tantum Dei amore excellere eos docet. Liberationis
Deut. 4. enim hanc aſſignat cauſam, quod *Deus Patres di-*
verſ. 37. *lexerit, & elegerit ſemen eorum poſt eos.* Expreſſius
Deut. 7: 8. alio capite, *Non quia reliquas gentes ſuperaſtis numero, complacuit ei in vobis ut vos eligeret: ſed quia dilexit vos.* Sæpius eadem apud ipſum admonitio re-
Deut. 10. petitur, *En Domini Dei tui cælum eſt, terra, &*
verſ. 14. *quæcunque in ea ſunt: & tantummodo complacuit ſibi in patribus tuis, & amavit eos, elegitque vos ſemen eorum.* Item illis alibi ſanctificatio præcipitur, quod
Deut. 23. *electi ſint in populum peculiarem.* Et alibi iterum dile-
verſ. 5. ctio aſſeritur eſſe protectionis cauſa. Quod etiam fi-
Pſal. 47: 5. deles una voce prædicant, *Elegit nobis hæreditatem noſtram, gloriam Jacob quem dilexit.* Dotes enim
quibus ornati à Deo erant, omnes in gratuitum
amorem transſcribunt: non modo quia ſciebant
nullis eas meritis ſe adeptos, ſed ne ſanctum quidem
Patriarcham ea fuiſſe virtute præditum, ut ſibi &
poſteris tantam honoris prærogativam acquireret.
Et, quo validius conterat omnem ſuperbiam, ex-
probrat nihil tale fuiſſe promeritos, quum populus Deut 9: 6.
ſit contumax ac duræ cervicis. Sæpe etiam odioſe
& probri loco hanc electionem Prophetæ Judæis
objiciunt, quoniam ab ea turpiter deſciverant.
Quicquid ſit, nunc in medium prodeant qui Dei
electionem volunt aſtringere vel dignitati hominum, vel operum meritis. Quum videant gentem
unam aliis omnibus præferri, audiant nullo reſpectu
adductum fuiſſe Deum ut in paucos & ignobiles,
deinde etiam pravos & immorigeros eſſet propenſior: cum eone litigabunt, quia tale miſericordiæ
documentum proferre voluit? Atqui neque obſtreperis ſuis vocibus opus ejus impedient, nec conviciorum lapides in cælum jactando, juſtitiam ejus
ferient aut lædent: quin potius in eorum capita recident. Ad hoc etiam principium gratuiti fœderis
revocantur Iſraëlitæ, ubi vel gratiæ Deo agendæ
ſunt, vel ſpes in futurum tempus erigenda. *Ipſe fe-*
cit nos, & non ipſi nos, inquit Propheta: *populus ejus* Pſal. 100.
& oves paſcuorum ejus. Non eſt ſupervacua nega- verſ. 3.
tio, quæ ad nos excludendos adjicitur, ut ſciant bonorum omnium, quibus excellunt, Deum non modo eſſe auctorem, ſed à ſeipſo cauſam ſumpſiſſe,
quia nihil in ipſis erat tanto honore dignum. Mero
etiam Dei beneplacito contentos eſſe jubet, his ver-
bis, *Semen Abrahæ, ſervi ejus: filii Jacob, electi ejus.* Pſ. 105: 6.
Et poſtquam continua Dei beneficia recenſuit tanquam electionis fructus, tandem concludit, ita liberaliter egiſſe, quia *recordatus eſt fœderis ſui.* Cui do-
ctrinæ reſpondet totius Eccleſiæ canticum, *Dextra* Pſal. 44: 4.
tua & lumen vultus tui patribus noſtris dedit terram: quia complacitum tibi eſt in illis. Notandum vero eſt,
ubi fit terræ mentio, ſymbolum eſſe viſibile arcanæ
ſegregationis, in qua continetur adoptio. Ad eam-
dem gratitudinem populum hortatur alibi David, Pſal. 33.
Beata gens cujus Jehova eſt Deus, populus quem elegit verſ. 12.
in hæreditatem ſibi. Ad bonam ſpem vero animat
Samuel, *Non deſeret vos Deus, propter magnum nomen* 1 Sam. 12.
ſuum: quando placuit ei vos ſibi creare in populum. verſ. 22.
Quomodo & ſeipſum David, dum impetitur ejus
fides, ad pugnam armat: *Beatus quem elegiſti, habi-* Pſal. 65: 5.
tabit in atriis tuis. Quia autem electio, in Deo abſcondita, tam liberatione prima quam ſecunda aliiſque intermediis beneficiis ſancita fuit, illuc trans-
fertur verbum eligendi apud Jeſaiam, *Miſerebitur* Jeſa. 14: 1.
Deus Jacob, & eliget adhuc de Iſraël. quia futurum
tempus deſignans, collectionem reſidui populi,
quem viſus fuerat abdicaſſe, ſignum fore dicit ſtabilis firmæque electionis, quæ ſimul excidiſſe viſa fue-
rat. Quum etiam alibi dicitur, *Elegi te, & non abjeci* Jeſa. 41: 9.
te: continuum inſignis liberalitatis paternæ benevolentiæ curſum commendat. Apertius apud Za-
chariam Angelus, *Eliget adhuc Deus Jeruſalem:* Zach. 2.
quaſi eam durius caſtigando reprobaſſet, vel exilium verſ. 12.
fuiſſet electionis interruptio: quæ tamen inviolabilis manet, licet non ſemper appareant ſigna.

Deinde, quod ex Abraha ſecundum carnem filios quoſdam repudiavit, quoſdam ſpeciali gratia Deus dignatus eſt.

6. Addendus eſt ſecundus gradus reſtrictior, vel
in quo conſpicua fuit Dei gratia magis ſpecialis:
quando ex eodem genere Abrahæ alios repudiavit
Deus, alios in Eccleſia fovendo, ſe inter filios retinere oſtendit. Iſmaël parem initio gradum cum
fratre Iſaac adeptus erat, quia ſpirituale fœdus in
eo non minus obſignatum fuerat ſymbolo Circumciſionis. Exciditur ille: deinde Eſau: poſtremo innumera multitudo & totus fere Iſraël. In Iſaac vocatum fuit ſemen: eadem vocatio in Jacob duravit.
Simile exemplum edidit Deus Saulem reprobando:
quod etiam in Pſalmo magnifice prædicatur, *Repu-* Pſal. 78.
lit tribum Joſeph, & tribum Ephraim non elegit: ſed v. 67, 68.
elegit tribum Juda. Quod aliquoties ſacra hiſtoria
repetit, quo melius in iſta mutatione admirabile
gratiæ Dei arcanum pateat. Vitio ſuo & culpa,
fateor,

fateor, exciderunt ab adoptione Iſmaël, Eſau, & ſimiles: quia appoſita erat conditio, ut fideliter colerent Dei fœdus, quod perfide violarunt. Fuit tamen hoc ſingulare Dei beneficium, quod eos reliquis gentibus præferre dignatus fuerat: ſicut dicitur in Pſalmo, *Non ita fecit aliis nationibus, nec judicia ſua manifeſtavit eis.* Cæterum hic duos gradus notandos eſſe non temere dixi: quia jam in totius gentis electione oſtendit Deus ſe in mera ſua liberalitate nullis legibus aſtrictum: ſed liberum eſſe, ut minime ab eo exigenda ſit æqualis gratiæ partitio: cujus inæqualitas ipſam vere eſſe gratuitam demonſtrat. Ideo Malachias Iſraëlis ingratitudinem amplificat, quod non tantum ex toto genere humano electi, ſed etiam ex ſacra domo in peculium ſegregati, perfide & impie Deum tam beneficum Patrem ſpernant. *Nonne frater erat Eſau Jacob?* inquit. *Atqui Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Sumit enim Deus pro confeſſo, quum uterque eſſet progenitus ex ſancto patre, & fœderis ſucceſſor, denique ramus ex ſacra radice: jam filios Jacob non fuiſſe vulgariter obſtrictos, qui in illam dignitatem aſciti fuerant: ſed quum rejecto Eſau primogenito, pater eorum qui natura erat inferior, hæres factus eſſet, bis ingratos coarguit, ac conqueritur duplici illo vinculo non fuiſſe retentos.

Pſal. 147. verſ. 20.

Mal. 1: 2.

Poſtremo, quod in Chriſtianis quoque hoc ipſum factum eſſe Apoſtolus oſtendat, uſque ad ſingulas perſonas.

Rom. 9: 8.
Galat. 3. verſ. 16, 19, 20.

7. Quanquam ſatis jam liquet Deum occulto conſilio libere quos vult eligere, aliis rejectis, nondum tamen niſi dimidia ex parte expoſita eſt gratuita ejus electio, donec ad ſingulas perſonas ventum fuerit, quibus Deus non modo ſalutem offert, ſed ita aſſignat ut ſuſpenſa vel dubia non ſit effectus certitudo. Hi in ſemine illo unico cenſentur cujus meminit Paulus: nam etſi adoptio in manu Abrahæ fuit depoſita, quia tamen multi ex poſteris quaſi putrida membra reſecti ſunt: ut efficax & vere ſtabilis ſit electio, neceſſe eſt aſcendere ad caput in quo electos ſuos cæleſtis Pater inter ſe colligavit, & ſibi inſolubili nexu devinxit. Ita in adoptione generis Abrahæ enituit quidem liberalis Dei favor, quem aliis negavit: in Chriſti tamen membris longe præſtantior eminet vis gratiæ: quia capiti ſuo inſiti nunquam à ſalute excidunt. Scite itaque Paulus ex Malachiæ loco quem nuper citavi ratiocinatur, ubi Deus, interpoſito vitæ æternæ pacto, populum quempiam ad ſe invitat, ſpecialem electionis modum in parte ſubeſſe, ut non omnes promiſcua gratia efficaciter eligat. Quod dicitur, *Jacob dilexi*, pertinet ad totam ſobolem Patriarchæ, quam Propheta illic opponit poſteris Eſau. Hoc tamen non obſtat quominus in perſona unius hominis ſpecimen electionis propoſitum nobis fuerit, quæ effluere non poteſt quin ad metam ſuam perveniat. Hos Paulus vocari *reliquias* non fruſtra obſervat: quia experientia oſtendit ex magna multitudine pleroſque dilabi & evaneſcere, ut ſæpius maneat exigua tantum portio. Quod autem generalis electio populi non ſemper firma & rata ſit, in prompto ſe offert ratio: quia cum quibus paciſcitur Deus, non protinus eos donat Spiritu regenerationis, cujus virtute uſque in finem in fœdere perſeverent: ſed externa mutatio abſque interiori gratiæ efficacia, quæ ad eos retinendos valida eſſet, medium quiddam eſt inter abjectionem humani generis, & electionem exigui piorum numeri. Hæreditas Dei vocatus eſt totus populus Iſraël, ex quo tamen multi fuerunt extranei: ſed quia non de nihilo pepigerat Deus ſe Patrem & Redemptorem illius fore, gratuitum iſtum favorem potius reſpicit, quam perfidam multorum defectionem: per quos etiam non abolita fuit illius veritas: quia ubi ſibi reſiduum aliquid ſervavit, vocationem ejus apparuit eſſe abſque pœnitentia. Nam quod Deus ſibi Eccleſiam ſubinde ex filiis Abrahæ potius quam ex profanis gentibus collegit, rationem habuit fœderis ſui quod ab ipſa multitudine violatum ad paucos reſtrinxit, ne prorſus intercideret. Denique communis illa adoptio ſeminis Abrahæ, viſibilis quædam imago fuit majoris beneficii quo Deus aliquos ex multis dignatus eſt. Hæc ratio eſt cur tam ſedulo diſcernat Paulus filios Abrahæ ſecundum carnem à ſpiritualibus, qui exemplo Iſaac vocati ſunt: non quod ſimpliciter eſſe Abrahæ filium res fuerit inanis & infructuoſa (quod non ſine fœderis contumelia diceretur) ſed quia immutabile Dei conſilium, quo ſibi prædeſtinavit quos voluit, efficax demum per ſe his ſolis poſterioribus in ſalutem fuit. Donec autem productis Scripturæ locis quid ſentiendum ſit liqueat, ne in utramvis partem ſibi præjudicium afferant lectores moneo. Quod ergo Scriptura clare oſtendit dicimus, æterno & immutabili conſilio Deum ſemel conſtituiſſe quos olim ſemel aſſumere vellet in ſalutem, quos rurſum exitio devovere. Hoc conſilium quoad electos in gratuita ejus miſericordia fundatum eſſe aſſerimus, nullo humanæ dignitatis reſpectu: quos vero damnationi addicit, his juſto quidem & irreprehenſibili, ſed incomprehenſibili ipſius judicio, vitæ aditum præcludi. Jam vero in electis vocationem ſtatuimus electionis teſtimonium. Juſtificationem deinde, alterum ejus manifeſtandæ ſymbolum, donec ad gloriam in qua ejus complementum extat perveniatur. Quemadmodum vocatione & juſtificatione electos ſuos Dominus ſignat, ita reprobos vel à notitia ſui nominis, vel à Spiritus ſui ſanctificatione excludendo, quale maneat eos judicium iſtis veluti notis aperit. Multa hic prætereibo figmenta, quæ ad evertendam prædeſtinationem commenti ſunt ſtulti homines. Non enim refutatione indigent, quæ ſimulac proferuntur ſuam ipſa falſitatem abunde redarguunt. In iis tantum immorabor vel de quibus inter doctos diſceptatur, vel quæ difficultatem ſimplicibus adferre poſſint, vel quæ ſpecioſe ad ſugillandam Dei juſtitiam prætendit impietas.

Mal. 1: 2.
Rom. 9. verſ. 13.

Rom. 11. verſ. 5.

Cur generalis electio

Iſraëlis non ſemper firma & rata ſit.

Communis illa adoptio majoris beneficii imago.

Ex ſupradictis ſequitur, Deum immutabili conſilio de gratuita quorundam hominum electione & aliorum juſta rejectione ſemel conſtituiſſe.

Summa hujus capitis & trium ſequentium.

CAP. XXII.

Confirmatio hujus doctrinæ ex Scripturæ teſtimoniis.

Partes hujus capitis.

1. *Orthodoxæ doctrinæ, adverſus duplex hominum genus, confirmatio, ex Pauli & Chriſti teſtimoniis, diligenter expoſitis, collecta*, *ſect.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *&* 7.
2. *Quarundam objectionum ex veteribus, Thoma Aquinate, & recentioribus, repetitarum, dilutio*, *ſect.* 8. 9. *&* 10.
3. *De reprobatione, cujus fundamentum in Dei juſta voluntate prorſus ſitum eſt*, *ſect. ult.*

Nonnulli exiſtimant Deum, prout cujuſque merita fore prævidet,

HÆc omnia quæ poſuimus controverſia apud multos non carent, maxime gratuita fidelium electio: quæ tamen labefactari non poteſt. Vulgo enim exiſtimant Deum, prout cujuſque merita fore prævidet, ita inter homines diſcernere: quos ergo ſua gratia fore non indignos præcognoſcit, eos in filiorum locum cooptare; quorum ingenia ad malitiam & impietatem propenſura diſpicit, eos mortis damnationi devovere. Sic interpoſito præſcientiæ velo electio-

alios eligere, alios reprobare.

electionem non modn obſcurant, ſed originem aliuode habere fingunt. Neque bæc vulgo recepta opinio ſnlius vulgi eſt: habuit enim ſeculis omnibus magnos auctores. Quod ingenue fateor, ne quis cauſæ noſtræ magnopere obfuturum confidat ſi eorum nomina contra opponantur. Certior eſt enim bic Dei veritas quam ut concutiatur, clarior quam ut obruatur hominum auctoritate.

Alii litem Deo intendunt, quod quoſdam eligens alios prætereat.

Alii vero neque in Scriptura exercitati, neque ullo ſuffragio digni, majori improbitate ſanam doctrinam lacerant quam ut tolerabilis ſit eorum protervia. Quia Deus eligens ſuo arbitrin quoſdam, alios præterit, litem ei intendunt. Verum ſi res ipſa nota eſt, quid proficient contra Deum jurgando? Nihil docemus quod uſu compertum non ſit, Deo quibus vult gratiam ſuam erogare liberum ſemper fuiſſe. Non quæram unde aliis poſteritas Abrahæ præcelluerit, niſi ex illa dignatione cujus extra Deum cauſa non invenitur.

Utrique refelluntur. I. Firmiſſimis rationibus.

Reſpondeant cur homines ſint magis quam boves aut aſini: quum in manu Dei eſſet canes ipſos fingere, ad imaginem ſuam formavit. Concedentne brutis animalibus de ſua ſorte cum Deo expoſtulare, quaſi iojuſtum ſit diſcrimen? Certe prærogativa quam nullis meritis adepti ſunt, eos potiri nibilo æquius eſt, quam Deum ſua beneficia pro judicii ſui menſura varie diſtribuere. Si ad perſooas tranſiliant, ubi magis odioſa illis eſt inæqualitas, ſaltem ad Cbriſti exemplum debebunt expaveſcere, ne de ſublimi hoc myſterio tam ſecure garriant. Concipitur ex ſemine Davidis mortalis bomo: quibus virtutibus promeritum fuiſſe dicent ut in ipſo utero fieret caput Angelorum, unigenitus Dei Filius, imago & gloria Patris, lux, juſtitia & ſalus mundi?

2. Auguſtini teſtimonio. Aug. de cor. & gratia, ad Valent. c. 15. Item, de bono perſeverantiæ, c. ult. Et de verbis Apoſt. Serm. 8.

Hoc prudenter animadvertit Auguſtinus, in ipſo Eccleſiæ capite lucidiſſimum eſſe gratuitæ electionis ſpeculum, ne in membris nos conturbet, nec juſte vivendo factum eſſe filium Dei, ſed gratis tanto bonore fuiſſe donatum, ut alios poſtea faceret donorum ſuorum conſortes. Hic ſiquis quærat cur non alii quod ille, vel cur ab illo nos omnes longo intervallo diſtemus, cur nos omnes corrupti, ille puritas: non modn veſaniam ſuam, ſed impudentiam ſuam quoque ſimul prodet. Quod ſi pergunt velle Deo liberum jus eligendi ac reprobandi eripere, ſimul etiam quod datum eſt Chriſto auferant. Jam quid de unoquoque pronunciet Scriptura operæpretium eſt attendere.

3. Apoſtoli auctoritate. Eph. 1: 4.

Paulus quum docet *nos in Chriſto electos fuiſſe ante mundi creationem*, omnem certe dignitatis noſtræ reſpectum tollit: perinde enim eſt acſi diceret, Quoniam in univerſo Adæ ſemine nihil electione ſua dignum reperiebat cæleſtis Pater, in Chriſtum ſuum oculos convertiſſe: ut tanquam ex ejus corpore membra eligeret quos in vitæ conſortium ſumpturus erat. Valeat igitur apud fideles hæc ratio, ideo nos in Cbriſto fuiſſe in cæleſtem bæreditatem adoptatos, quia in nobiſipſis non eramus tantæ excellentiæ capaces.

Col. 1: 12.

Quod & alibi quoque notat, quum bortatur ad gratiarum actionem Coloſſenſes, ex eo quod divinitus redditi fuerint idonei ad participandam ſortem ſanctorum. Si gratiam iſtam Dei, ut idonei ad gloriam futuræ vitæ obtinendam reddamur, præcedit electio, quid jam reperiet in nobis Deus ipſe quo ad nos eligendos moveatur? Apertius etiamnum altera ejus ſententia quod volo exprimetur.

Eph. 1: 4.

Elegit nos, inquit, *antequam jacerentur mundi fundamenta, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, ut eſſemus ſancti & immaculati, & irreprebenſibiles in conſpectu ipſius.* Ubi Dei beneplacitum quibuslibet noſtris meritis opponit.

Qui electi.

2. Quo ſolidior ſit probatio, ſingulas ejus loci partes notare operæpretium eſt, quæ ſimul connexæ nihil dubitationis relinquunt. Electos nominans, minime dubium eſt quin fideles compellet, ſicuti etiam mox aſſerit: quare nimis fœdo commento depravant nomen illud qui ad ætatem detorquent qua publicatum fuit Euangelium.

Quando.

Electos fuiſſe dicens ante creatum mundum, omnem dignitatis reſpectum tollit. Quæ enim diſcriminis ratio inter eos qui nondum erant, & qui deinde in Adam pares futuri erant?

In quo.

Jam ſi electi in Chriſto, ſequitur non modo unumquemque extra ſe, ſed etiam alios ab aliis ſegregatos: quando videmus non omnes eſſe Chriſti membra.

Ad quid.

Quod additur, fuiſſe electos, ut eſſent ſancti, errorem aperte refutat qui electionem ex præſcientia deducit: quando reclamat Paulus, quicquid virtutis in hominibus apparet, electionis eſſe effectum.

Qua de cauſa.

Jam ſi cauſa ſuperior quæritur, reſpondet Paulus Deum ita prædeſtinaſſe, & quidem pro voluntatis ſuæ beneplacito. Quibus verbis evertit quæcunque in ſeipſis imaginantur bomines electionis ſuæ media: nam & quæcunque ad ſpiritualem vitam beneficia confert Deus, ex boc uno fonte manare docet, quia elegit quos voluit Deus, & antequam nati eſſent, gratiam qua dignari eos volebat, ſeorſum illis repoſitam habuit.

Hæc cauſa. I. Dei beneplacitum, ita in electione regnat, ut nulla in conſiderationem veniant opera, nec præterita, nec futura: quod probatur Pauli & Chriſti præclaris teſtimoniis. 2 Tim. 1. verſ. 9.

3. Ubicunque vero regnat boc Dei placitum, nulla in conſiderationem veniunt opera. Antitheſin quidem hic non proſequitur, ſed ſubaudienda eſt, qualis alibi explicatur ab ipſomet. *Vocavit nos*, inquit, *vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto ante tempora ſecularia.* Ex jam oſtendimus in eo quod ſequitur, *Ut eſſemus ſancti & immaculati*, ſcrupulum omnem adimi. Dic enim, Quoniam futuros prævidit ſanctos, ideo elegit: & ordinem Pauli invertes. Sic ergo colligere tuto potes, Si elegit nos ut ſancti eſſemus, non elegit quia futuros tales prævidebat. Pugnant enim inter ſe hæc duo, babere pios ab electione ut ſancti ſint, & ad eam ratione operum pervenire. Neque valet bic cavillum quo ſubinde confugiunt, nullis præcedentibus meritis Dominum rependere electionis gratiam, futuris tamen concedere. Quum enim dicitur electos fuiſſe fideles ut ſancti eſſent, ſimul innuitur, quæ in ipſis futura erat ſanctitas, ab electione habuiſſe exordium. Et quomodo quadrabit iſtud verbum, quæ ab electione derivantur, electiooi cauſam dediſſe? Idipſum quod dixerat, videtur magis poſtea confirmare, ubi ait, *Secundum propoſitum voluntatis ſuæ, quod propoſuerat in ſemetipſo*: ſiquidem Deum in ſemetipſo propoſuiſſe, perinde valet acſi diceretur nihil extra ſe conſideraſſe, cujus rationem in diſcernendo haberet. Eph. 1: 9.

Itaque protinus ſubjicit huc pertinere totam electionis noſtræ ſummam, ut ſimus *in laudem divinæ gratiæ*. Certe Dei gratia non ſola prædicari in electione noſtra meretur niſi bæc gratuita ſit. Porro hæc gratuita non erit, ſi in ſuis eligendis Deus ipſe qualia ſint futura cujuſque opera reputat. Proinde quod ſuis diſcipulis dicebat Cbriſtus, in univerſum valere inter omnes fideles comperitur, *Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos.* Ubi non præterita tantum merita excludit, ſed nihil habuiſſe in ſeipſis ſignificat cur eligerentur, niſi ſua miſericordia anteverſiſſet. Joan. 15. verſ. 16.

Quomodo & illud Pauli intelligendum, *Quis prior dedit illi, & retributionem accipiet?* Siquidem oſtendere vult, ſic Dei bonitatem homines prævenire, ut nihil apud ipſos nec præteritum, nec futurum reperiat, quo ipſis concilietur. Rom. 11. verſ. 35.

Deinde illuſtri diſputatione Apoſtoli ad Romanos. Rom. 9. verſ. 6, 11.

4. Jam ad Romanos, ubi argumentum hoc & repetit altius, & fuſius proſequitur, negat omnes eſſe Iſraëlitas qui progeniti ſunt ab Iſraële: quia etſi jure hæreditario omnes eſſent benedicti, ſucceſſio tamen noo ad omnes peræque tranſibat. Origo bujus diſputationis erat ex ſuperbia fallacique gloriatione Judaici populi: nam quum ſibi Eccleſiæ nomen aſſererent, volebant à ſuo arbitrio pendere fidem Euangelii. Sicuti hodie libenter Papiſtæ fictitio hoc colore ſe in Dei locum ſubſtituerent. Paulus,

quamvis concedat ſanctam eſſe Abrahæ progeniem ratione fœderis, contendit tamen extraneos eſſe in ea pleroſque: neque id modo quia degenerent, ut fiant ex legitimis adulterini: ſed quia in ſummo faſtigio emineat ac regnet ſpecialis Dei electio, quæ ſola ratam illius adoptionem facit. Si alios ſua pietas ſtabiliret in ſpe ſalutis, alios abdicaret ſola ſua defectio: ſtulte profecto & abſurde Paulus ad arcanam uſque electionem lectores eveheret. Jam ſi Dei voluntas (cujus cauſa extra ipſum neque apparet neque quærenda eſt) alios ab aliis diſcernit, ut non omnes filii Iſraël ſint veri Iſraëlitæ, fruſtra cujuſque conditio in ſeipſo initium habere fingitur.

Cujus ſcopus & methodus aperitur.

Longius deinde rem proſequitur ſub exemplo Jacob & Eſau: nam quum ambo eſſent filii Abrahæ, pariter incluſi in utero matris, primogenituræ honorem transferri ad Jacob, portento ſimilis fuit mutatio, qua tamen Paulus contendit teſtatam fuiſſe electionem unius, & alterius reprobationem.

Hanc autem impugnant præſcientiæ doctores, quos Apoſtolus refellit, electionem ſpecialem & prorſus gratuitam aſſerens.

Quæritur origo & cauſa quam præſcientiæ doctores in hominum virtutibus & vitiis expoſitam eſſe volunt. Hoc enim illis facile compendium eſt, Deum monſtraſſe in perſona Jacob, ſe gratia ſua dignos eligere: in perſona Eſau, ſe repudiare quos prævidet indignos. ſic quidem audacter illi. Paulus autem quid? *Quum nondum nati eſſent, nec quippiam boni aut mali feciſſent, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt, Major ſerviet minori: ſicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Si quid valeret præſcientia in hoc fratrum diſcrimine, importuna certe fieret temporis mentio. Demus Jacob fuiſſe electum, quia futuris virtutibus parta ei fuit dignitas: quorſum diceret Paulus nondum fuiſſe natum? Jam hoc inconſiderate additum foret, nihildum boni feciſſe: quia in promptu erit exceptio, nihil Deum latere, atque ita pietatem Jacob coram ipſo fuiſſe præſentem. Si opera conciliant gratiam, ſuum illis pretium merito jam tunc conſtare debuit ante natum Jacob, perinde acſi adoleviſſet. Atqui in expediendo nodo pergit Apoſtolus, docetque adoptionem Jacob, non ex operibus profectam eſſe, ſed ex vocatione Dei. In operibus futurum vel præteritum tempus non interponit: deinde præciſe ea opponit Dei vocationi, uno poſito alterum diſerte evertere volens: acſi diceret, conſiderandum eſſe quid Deo placuerit, non quid attulerint ex ſeipſis homines. Poſtremo certum eſt *electionis & propoſiti* vocibus, quaſcunque comminiſci homines ſolent cauſas, extra arcanum Dei conſilium, ab hac cauſa removeri.

Iſtorum doctorum effugium.

5. Quidnam ad hæc obſcuranda prætexent qui operibus vel præteritis vel futuris locum aliquem in electione aſſignant? Hoc enim eſt prorſus eludere quod contendit Apoſtolus, non ex aliqua operum ratione, ſed ex mera Dei vocatione pendere fratrum diſcrimen: quia inter nondum natos conſtitutum fuerit.

Reſponſio.

Neque vero eum latuiſſet iſtorum argutia, ſiquid ſolidi habuiſſet: ſed quia optime noverat in homine Deum prævidere nihil boni poſſe, niſi quod electionis ſuæ beneficio jam prius largiri ſtatuerit: non confugit ad præpoſterum illum ordinem, ut opera bona cauſæ ſuæ præferat.

Summa diſputationis Apoſtolicæ, ejuſdemque analyſis.

Habemus ex verbis Apoſtoli, ſolius divinæ electionis arbitrio fundatam eſſe fidelium ſalutem: neque illum favorem operibus conciliari, ſed ex gratuita vocatione provenire. Habemus & ejus rei propoſitam quaſi ὑποτύπωσιν. Fratres ſunt Eſau & Jacob, iiſdem geniti parentibus, eodem adhuc utero concluſi, nondum editi in lucem. In illis omnia paria, diverſum tamen de illis Dei judicium. Alterum enim aſſumit, alterum rejicit. Sola erat primogenitura, cujus jure alter alterum præcederet. Atqui illa quoque præterita, juniori defertur quod negatur majori. Imo in aliis quoque deſtinato conſilio primogenituram videtur ſemper contempſiſſe Deus, ut omnem gloriandi materiam carni præcideret. Repudiato Iſmaële animum ad Iſaac adjicit. Poſtpoſito Manaſſe, Ephraim magis honorat.

Exceptio.

6. Quod ſi quiſpiam interpellet, ab iſtis inferioribus & minutis beneficiis non ſtatuendum eſſe de ſumma futuræ vitæ: ut qui in primogenituræ honorem evectus fuerit, ideo reputetur in cœli hæreditatem cooptatus (ſunt enim plurimi qui ne Paulo quidem parcant, quaſi ad alienum ſenſum Scripturam detorſerit in his teſtimoniis citandi)

Reſponſio 1.

Reſpondeo ſicut antehac, nec incogitantia lapſum fuiſſe Apoſtolum, nec Scripturæ teſtimoniis ſponte fuiſſe abuſum. [2.] Sed videbat (quod ipſi conſiderare non ſuſtinent) voluiſſe Deum ſpiritualem Jacobo electionem, quæ apud inacceſſum ejus tribunal alioqui latebat, terreno ſymbolo declarare. Niſi enim conceſſam illi primogenituram ad futurum ſeculum referimus, inanis fuerit & ridicula benedictionis ſpecies, ex qua nihil ei acceſſerit præter multiplices ærumnas, incommoda, triſte exilium, multaſque triſtitiæ & curarum acerbitates. Quum ergo Paulus citra dubitationem, Deum externa benedictione teſtificatum cerneret, quam in regno ſuo ſpiritualem & minime caducam ſervo ſuo paraverat: non dubitavit, ad hanc comprobandam, ex illa petere argumentum. [3.] Tenendum etiam illud memoria, terræ Chanaan annexum fuiſſe cæleſtis domicilii pignus: ut dubitari minime debeat Jacob cum Angelis inſitum fuiſſe in Chriſti corpus, ut ejuſdem vitæ ſocius eſſet. Eligitur ergo Jacob, Eſau repudiato, & Dei prædeſtinatione diſcernitur, à quo nullis meritis differebat. Cauſam ſi quæris, hanc reddit Apoſtolus, *Quia Moſi dictum ſit, Miſerebor cujus miſerebor, & miſeratione dignabor quemcunque miſeratione dignabor.* [Rom. 9. verſ. 15.] Et quid hoc, quæſo, ſibi vult? Nempe clariſſime Dominus pronunciat, nullam hominibus benefaciendi rationem in ipſis ſe habere, ſed à ſola ſua miſericordia ſumere: ideoque ſuum eſſe opus ſuorum ſalutem. Quum tuam in ſe uno ſalutem Deus ſtatuat, cur ad teipſum deſcendes? Quum unam tibi ſuam miſericordiam aſſignet, cur ad propria merita decurres? Quum tuam cogitationem in ſua miſericordia contineat, cur ad operum tuorum intuitum partem reflectes?

Efficacia autem electionis gratuita pertinet tantum ad fideles, qui populus præcognitus appellantur.

Itaque ad minorem illum populum venire neceſſe eſt, quem Paulus alibi *præcognitum* fuiſſe Deo ſcribit, [Rom. 11. verſ. 2.] non qualiter iſti imaginantur, præſcire ex otioſa ſpecula quæ non facit: ſed quo ſenſu ſæpe legitur. Nam certe quum dicit Petrus apud Lucam, *Chriſtum definito conſilio & præſcientia Dei fuiſſe morti addictum*, [Act. 2: 23.] non ſpeculantem Deum inducit, ſed ſalutis noſtræ auctorem. Sic & idem Petrus *electos juxta præcognitionem Dei* [1 Pet. 1:2.] fuiſſe dicens fideles ad quos ſcribit, proprie exprimit arcanam illam prædeſtinationem, qua Deus filios ſibi quos voluit ſignavit.

Porro hæc Dei præcognitio vel præſcientia, non eſt ſpeculativa, ſed activa.

Et propoſitum quod loco ſynonymi conjungit, quum ubique fixam (ut vulgo loquuntur) determinationem exprimat, Deum haud dubie, dum auctor eſt noſtræ ſalutis, non egredi extra ſeipſum docet. Quo ſenſu in eodem capite Chriſtum dicit *agnum fuiſſe præcognitum ante mundi creationem*. Quid enim inſulſius aut frigidius quam Deum è ſublimi ſpectaſſe unde ventura eſſet humano generi ſalus? Populus ergo præcognitus tantundem Paulo valet atque exigua portio turbæ permixta, quæ falſo Dei nomen obtendit. Alibi quoque Paulus, ut eorum jactantiam retundat qui ſibi larva tantum obtecti, primas inter pios coram mundo arrogant, dicit *Deum cognoſcere qui ſui ſint.* [2 Tim. 2. verſ. 19.] Denique illa voce duplicem nobis populum deſignat Paulus, unum ex toto genere Abrahæ: alterum vero inde ſegregatum, & qui ſub oculis Dei reconditus, hominum conſpectum latet. Nec dubium eſt ſumpſiſſe hoc ex Moſe, qui

Deum

Deum quibus voluerit miſericordem fore affirmat (quamvis de electo populo ſermo eſſet, cujus æqualis erat in ſpeciem conditio) perinde acſi diceret, in communi adoptione incluſam eſſe apud ſe ſingularem erga aliquos gratiam, inſtar ſanctioris theſauri: nec obſtare commune fœdus quominus paucitas illa communi ordine eximeretur: atque hujus rei liberum diſpenſatorem & arbitrum facere ſe volens, præciſe negat ſe uni potius quam alteri fore miſericordem niſi quia ita libuerit: quia ubi quærenti miſericordia occurrit, etſi repulſam non patitur ille quidem, favorem tamen, cujus laudem ſibi vendicat Deus, aut prævenit, aut ex parte ſibi acquirit.

Poſtremo, hoc ipſum ex ipſius Chriſti verbis probatur.

7. Nunc de re tota pronunciet ſupremus cognitor ac magiſter. Tantam in ſuis auditoribus duritiem cernens, ut apud turbam verba prope ſine fructu funderet, ut medeatur huic ſcandalo, exclamat, *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet. Hæc enim eſt voluntas Patris, ut quicquid dederit mihi non perdam ex eo quicquam.* (Joan. 6. verſ. 37.) Obſerva à Patris donatione fieri initium, ut in Chriſti fidem ac clientelam tradamur. *Exceptio.* Revolvet hic forte quiſpiam circulum, atque excipiet, eos ſeri in Patris peculio eos duntaxat quorum voluntaria ex fide fuit deditio. *Reſponſio.* Atqui in eo tantum laborat Chriſtus, etiamſi defectiones ingentium turbarum totum mundum concutiant, firmum tamen cæliſque ipſis ſtabilius fore conſilium Dei ne unquam labaſcat electio. Electi dicuntur ante fuiſſe Patris quam eos donaret unigenito Filio. Quæritur an natura: imo qui alieni erant, trahendo ſuos facit. Major io eſt Chriſti verbis claritas quam ut tergiverſando ullis nebulis obduci queat. *Nemo*, inquit, *poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum. Qui autem audivit & didicit à Patre, ille ad me venit.* (Joan. 6. verſ. 44.) Si promiſcue omnes coram Chriſto genu flecterent, communis eſſet electio: nunc in paucitate credentium manifeſta apparet diverſitas. Itaque poſtquam diſcipulos qui ſibi dati ſunt, aſſeruit Chriſtus fuiſſe Dei Patris peculium, paulo poſt addit, *Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* (Joan. 17. verſ. 9.) Unde fit ut totus mundus ad ſuum creatorem non pertineat, niſi quod à maledictione, & ira Dei ac morte æterna non multos eripit gratia, qui alioqui perituri erant: mundum autem in ſuo interitu, cui deſtinatus eſt, relinquit. Interea quamvis ſe medium Chriſtus inſerat, ſibi tamen jus eligendi communiter vendicat cum Patre. *Non de omnibus*, inquit, *loquor: ſcio quos elegerim.* (Joan. 13. verſ. 18.) Si quis roget unde elegerit, alibi reſpondet, *Ex mundo*, (Joan. 15. verſ. 19.) quem à precibus ſuis excludit ubi diſcipulos Patri commendat. Hoc quidem tenendum eſt, ubi affirmat ſe ſcire quos elegerit, ſpeciem aliquam notari in genere humano: deinde non diſtingui qualitate ſuarum virtutum, ſed cæleſti decreto. *Concluſio reſponſionis, & inſtantia de Juda ſoluta.* Unde ſequitur, nullos proprio Marte vel induſtria excellere, quando ſe Chriſtus electionis facit auctorem. Nam quod alibi Judam inter electos numerat, (Joan. 6. verſ. 70.) quum Diabolus eſſet, hoc tantum refertur ad munus Apoſtolicum, quod etſi illuſtre ſpeculum eſt favoris Dei, (ſicuti in ſua perſona toties agnoſcit Paulus) non tamen ſpem in ſe continet æternæ ſalutis. Potuit ergo Judas, quum perfide Apoſtolatum gereret, Diabolo eſſe deterior: ſed quos inſeruit ſemel Chriſtus in corpus ſuum, eorum neminem perire ſinet: quia in conſervanda eorum ſalute quod pollicitus eſt præſtabit: nempe exeret Dei potentiam quæ major omnibus eſt. Nam quod alibi dicit, *Pater ex his quos dediſti mihi nemo periit niſi filius perditionis*, (Joan. 17. verſ. 12.) etſi κατάχρησις eſt loquutio; nulla tamen ambiguitate laborat. Summa eſt, Deum gratuita adoptione creare quos vult habere filios: ejus vero intrinſecam eſſe in ipſo cauſam: quia arcano ſuo beneplacito contentus eſt.

1. Objectio, ex veteribus Patribus.

8. At Ambroſius, Origenes, Hieronymus cenſuerunt, Deum ſuam gratiam inter homines diſpenſare, prout ea quemque bene uſurum præviderit. Adde & Auguſtinum in ea fuiſſe aliquando ſententia: ſed quum melius in Scripturæ cognitione profeciſſet, non retractavit modo ut evidenter falſam, ſed fortiter confutavit. (libr. 1. Retract. cap. 11.) *Reſponſio ex Auguſtino melius edocto.* Quin & poſt retractationem, Pelagianos perſtringens, quod in eo errore perſiſterent, *Quis iſtum*, inquit, *acutiſſimum ſenſum Apoſtolo defuiſſe non miretur? Nam quum rem ſtupendam propoſuiſſet de illis nondum natis, & deinde ſibi quæſtionem objiceret, Quid ergo? numquid eſt iniquitas apud Deum? erat locus ut reſponderet Deum prævidiſſe utriuſque merita: non tamen hoc dicit, ſed ad Dei judicia & miſericordiam confugit.* (epiſt. 106. ad Sixtum.) Et alibi, quum omnia ante electionem merita ſuſtuliſſet, *Hic certe*, inquit, *vacat vana illorum ratiocinatio qui præſcientiam Dei defendunt contra gratiam Dei, & ideo dicunt nos electos ante mundi conſtitutionem, quia præſcivit Deus futuros nos bonos, non ſeipſum nos facturum bonos. Non hoc dicit qui dicit, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Nam ſi propterea nos elegiſſet, quia bonos futuros præſciverat: ſimul etiam præſciviſſet quod eramus eum electuri*, & quæ in eam rem ſequuntur. (Homil. in Joan. 8.) (Joan. 15. verſ. 16.) Valeat Auguſtini teſtimonium apud eos qui libenter in Patrum auctoritate acquieſcunt. Quanquam non patitur Auguſtinus ſe à reliquis disjungi: ſed claris teſtimoniis divortium hoc, cujus invidia gravabant eum Pelagiani, oſtendit falſum eſſe. *Ex Ambroſio, quem citat Auguſtinus.* Citat enim ex Ambroſio (lib. de Prædeſt. ſanct. cap. 19.) *Chriſtus quem miſeratur vocat.* Item, *Si voluiſſet, ex indevotis feciſſet devotos: ſed Deus quos dignatur vocat: & quem vult religioſum facit.* Si ex Auguſtino integrum volumen contexere libeat, lectoribus oſtendere promptum eſſet, mihi nonniſi ejus verbis opus eſſe: ſed eos prolixitate onerare nolo. *Ex firmiſſima ratione Apoſtoli.* Sed age, fingamus ipſos non loqui, ad rem ipſam intendamus. Difficilis quæſtio mota erat, Num juſte faceret Deus qui certos homines ſua gratia dignaretur: qua ſe uno verbo expedire Paulus poterat, ſi operum reſpectum obtendiſſet. Cur ergo id non facit: quin ſermonem potius continuat qui in eadem difficultate verſetur? Cur, niſi quia non debuit? non enim oblivionis vitio laborabat Spiritus ſanctus qui per os ejus loquebatur. Nullis ergo ambagibus reſpondet, Ideo ſuis electis favere Deum, quia velit: ideo miſereri, quia velit. Perinde enim valet oraculum, *Miſerebor, cujus miſerebor: & miſeratione complectar, quem miſeratione complectar:* (Exod. 33. verſ. 19.) acſi diceretur, Deum non alia ratione ad miſericordiam moveri, niſi quia miſereri velit. *Cujus ſumma additur.* Verum ergo manet illud Auguſtini, *Gratiam Dei non invenire eligendos, ſed facere.*

2. Objectio, ex Thoma Aquinate. (in 1. Sent. tract. 25. quæſt. 23.)

9. Ac ne illam quidem Thomæ argutiam moramur, præſcientiam meritorum non ex parte quidem actus prædeſtinantis eſſe prædeſtinationis cauſam: ex parte autem noſtra, quodammodo ſic vocari poſſe, nempe ſecundum particularem prædeſtinationis æſtimationem: ut quum dicitur Deus prædeſtinare homini gloriam ex meritis, quia gratiam ei largiri decrevit qua gloriam mereatur. *Reſponſio 1.* Quum enim nihil in electione niſi meram bonitatem velit nos intueri Dominus, ſiquis plus aliquid proſpicere hic cupiat, prępoſtera erit affectatio. 2. Quod ſi certare ſubtilitate libeat, non deeſt quo iſtam Thomæ argutiolam retundamus. Ipſe contendit, gloriam electis quodammodo prædeſtinari ex meritis: quia gratiam illis prædeſtinat Deus qua gloriam mereantur. Quid ſi contra excipiam, prædeſtinationem ad gratiam electioni ad vitam ſubſervire, eſſeque ejus veluti pediſſequam? gratiam iis prædeſtinari quibus gloriæ poſſeſſio jam diu aſſignata ſit: quia in juſtificationem ex electione filios ſuos adducere Domino placeat? Inde enim ſequetur, prædeſtinationem gloriæ cauſam potius eſſe prædeſtinationis gratiæ, quam è converſo. 3. Sed valeant hæc certamina, ut ſunt ſupervacua inter eos qui ſatis ſapientiæ

Ambroſ. de vocat. gent. lib. 1. cap. 2.

tiæ ſibi in verbo Dei eſſe ducent. Vera enim illud ab Eccleſiaſtico ſcriptore olim dictum fuit, Qui Dei electionem meritis aſſignant, eos pluſquam oportet ſapere.

3. Objectio recentiorum.

10. Objiciunt nonnulli, Deum ſibi fore contrarium, ſi univerſaliter omnes ad ſe invitet, paucos vero electos admittat. Sic promiſſionum univerſitas diſcretionem ſpecialis gratiæ, ſecundum eos, tollit: atque ita loquuntur moderati quidam homines, non tam opprimendæ veritatis cauſa, quam ut ſpinoſas quæſtiones arceant, ac frenent multorum curioſitatem.

Reſponſio.

Laudabilis voluntas: ſed conſilium minime probandum: quia nunquam excuſabilis eſt tergiverſatio. Eorum vero qui protervius inſultant, nimis certe putidum cavillum, vel nimis pudendus error.

Conciliatio locorum ſpecie tenus pugnantium.

Quomodo Scriptura hæc duo conciliet, externa prædicatione vocari omnes ad pœnitentiam & fidem, neque tamen omnibus dari reſipiſcentiæ & fidei Spiritum, alibi explicui, & mox aliquid repetendum erit. Jam quod poſtulant illis nego, ut duobus modis falſum eſt: nam qui minatur, dum ſuper urbem unam pluet, ſiccitatem fore ſuper alteram, qui famem doctrinæ alibi denunciat, non obſtringit ſe certa lege ut æqualiter vocet omnes. Et qui Paulum vetans in Aſia verbum facere, & eundem à Bithynia avertens in Macedoniam trahit, ſui juris eſſe demonſtrat, theſaurum hunc quibus viſum eſt diſtribuere. Per Jeſaiam tamen apertius demonſtrat quo modo electis peculiariter ſalutis promiſſiones deſtinet: nam de illis tantum, non autem indifferenter de toto genere humano, prædicat ſibi fore diſcipulos. Unde conſtat perperam quibuslibet proſtitui ſalutis doctrinam ut efficaciter proſit, quæ ſolis Eccleſiæ filiis ſeorſum repoſita eſſe dicitur.

Amos 4. 7. & 8: 11.
Act. 16: 6.
Jeſa. 8. v. 16. &c.

Cur multi vocati, pauci ſint electi.

Hoc in præſentia ſufficiat, quamvis generaliter omnes compellet vox Evangelii, rarum tamen eſſe fidei donum. Cauſam aſſignat Jeſaias, quod *non omnibus pateſiat brachium Dei.* Si diceret Evangelium maligne & perverſe contemni, quia audire pertinaciter multi recuſant: valeret forte hic color de univerſali vocatione. Neque vero Prophetæ conſilium eſt extenuare hominum culpam, ubi cæcitatis fontem eſſe tradit quod Deus non dignetur illis brachium ſuum patefacere: tantum admonet, quia fides ſingulare donum eſt, externa doctrina aures fruſtra verberari. Scire autem ex doctoribus iſtis velim, ſolane prædicatio filios Dei faciat, an fides. Certe quum dicitur Joannis primo, Quicunque credunt in Filium Dei unigenitum, filios Dei ipſos quoque fieri, non confuſa illic ponitur congeries: ſed ſpecialis ordo datur fidelibus, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*

Jeſa. 53: 1.
Joan. 1. verſ. 12.

1 Exceptio nis de mutuo conſenſu fidei cum verbo ſolutio.

At fidei, inquiunt, mutuus eſt cum verbo conſenſus. Nempe ubicunque eſt fides. ſed ſemen inter ſpinas cadere, vel in locis lapidoſis, novum non eſt: non ſolum quia major pars contumax reipſa apparet adverſus Deum, ſed quia non omnes oculis & auribus ſunt præditi.

2. Ad quam ſatisfit verbis Auguſtini, Pauli, & Bernardi.

Quomodo igitur conveniet, Deum ad ſe vocare quos ſcit non venturos? Reſpondeat pro me Auguſtinus: *Diſputare vis mecum? Mirare mecum, & exclama, O altitudo! Ambo conſentiamus in pavore, ne in errore pereamus.* Adde, quod ſi electio, teſte Paulo, fidei mater eſt, in eorum caput retorqueo argumentum, ideo non eſſe generalem fidem, quia ſpecialis eſt electio. Nam à ſerie cauſarum & effectuum facile colligitur, ubi dicit Paulus nos eſſe refertos *omni benedictione ſpirituali, ſicuti nos elegerat Deus ante mundi creationem:* ideo non omnibus eſſe communes has divitias, quia elegit Deus tantum quos voluit. Hæc ratio eſt cur alibi *fidem electorum* commendet, ne quiſquam putetur fidem ſibi proprio motu acquirere, ſed penes Deum reſideat hæc gloria, illuminari ab eo gratis quos ante elegerat. Recte enim Bernardus: *Amici (inquit) ſeorſum audiunt, quibus & loquitur, Nolite timere puſille grex, quia vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum. Qui ſunt hi? Utique quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui. Magnum ſecretumque innotuit conſilium. Novit Dominus qui ſui ſint: ſed quod notum erat Deo, manifeſtatum eſt hominibus: nec alios ſane dignatur tanti participatione myſterii, niſi eos ipſos quos fore ſuos præſcivit & prædeſtinavit.* Paulo poſt concludit, *Miſericordia Dei ab æterno uſque ad æternum ſuper timentes eum: ab æterno, ob prædeſtinationem: in æternum, ob beatificationem: altera principium, altera finem neſciens.*

Auguſtin. de verb. Apoſtol. Serm. 11.
Epheſ. 1. verſ. 3.
Tit. 1: 1.
Ad Thomam præpoſitum Beneriæ, epiſt. 107.

Item Chriſti aperto teſtimonio.

Sed quid Bernardum citare teſtem opus eſt, quando ex magiſtri ore audimus, non alios videre niſi *qui ſunt ex Deo?* Quibus verbis ſignificat, eos omnes qui ex Deo non ſunt regeniti, ad ſplendorem vultus ejus obſtupeſcere. Ac electioni quidem apte conjungitur fides, modo ſecundum gradum teneat. Quem ordinem clare exprimunt alibi Chriſti verba, *Hæc eſt voluntas Patris, ut non perdam quod dedit. Hæc enim voluntas ejus eſt ut quiſquis credit in Filium, non pereat.* Si omnes vellet ſalvos, cuſtodem illis præficeret Filium, & omnes in ejus corpus ſacro fidei vinculo inſereret. Nunc conſtat fidem ſingulare eſſe paterni amoris pignus, filiis quos adoptavit reconditum. Ideo Chriſtus alibi dicit, *oves ſequi paſtorem, quia noverunt vocem ejus: alienum vero non ſequi, quoniam non agnoſcunt vocem alienorum.* Unde autem iſta diſcretio, niſi quia divinitus perforatæ ſunt illis aures? Nemo enim ſe ovem facit, ſed formatur cæleſti gratia. Unde & ſalutem noſtram Dominus perpetuo certam & tutam fore docet: quia inſuperabili Dei potentia cuſtoditur. Proinde concludit, incredulos non eſſe ex ovibus ſuis: nempe quia non ſunt ex eorum numero quos Deus ſibi per Jeſaiam pollicitus eſt fore diſcipulos. Porro quia teſtimoniis quæ citavi exprimitur perſeverantia, inflexibilem electionis conſtantiam ſimul teſtantur.

Joan. 6. verſ. 46.
ibid. v. 39.
Joan. 10. verſ. 4, 5.
ibid. v. 29.
ibid. v. 26.

De reprobatione quid ſit ſtatuendum.

11. Nunc de reprobis, quos ſimul illic conjungit Apoſtolus. Ut enim Jacob, nihildum bonis operibus promeritus, aſſumitur in gratiam: ſic Eſau, nullo adhuc ſcelere inquinatus, odio habetur. Si ad opera convertimus oculos, injuriam irrogamus Apoſtolo, quaſi idipſum quod nobis perſpicuum eſt non viderit. Porro non vidiſſe convincitur, quando hoc nominatim urget, *quum nihildum boni aut mali deſignaſſent*, alterum electum, alterum rejectum: ut probet divinæ prædeſtinationis fundamentum in operibus non eſſe. Deinde ubi objectionem movit num iniquus ſit Deus, illud quod certiſſimum & apertiſſimum fuiſſet juſtitiæ ejus patrocinium, non uſurpat, Deum rependiſſe Eſau ſecundum ſuam malitiam: ſed diverſa ſolutione contentus eſt, quod in hunc finem excitentur reprobi ut Dei gloria per illos illuſtretur.

Rom. 9. verſ. 13.

Cujus fundamentum in Dei juſta voluntate ſitum.

Demum ſubnectit clauſulam, *Deum cujus vult miſereri, & quem vult indurare.* Vides ut in ſolum Dei arbitrium utrumque conferat? Ergo ſi non poſſumus rationem aſſignare cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quoniam ita illi placet: neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus quam ejus voluntatem. Quum enim dicitur Deus vel indurare, vel miſericordia proſequi quem voluerit, eo admonentur homines nihil cauſæ quærere extra ejus voluntatem.

ibid. v. 18.

CAP. XXIII.

Refutatio calumniarum quibus hæc doctrina ſemper inique gravata fuit.

Conſtat hoc caput quatuor partibus, quæ præcipuas objectiones variaſque adverſariorum inſtantias & exceptiones, ab his objectionibus pendentes, refellunt. His præmittitur 1. ſect. refutatio eorum qui electionem fatentur, reprobationem negant.

1. *Primæ objectionis adverſus doctrinam de electione & reprobatione conſideratio, ſect. 2. 3. 4. & 5.*
2. *Ad ſecundam objectionem reſponſio, ſect. 6. 7. 8. & 9.*
3. *Objectionem tertiam, ejuſdemque confirmationem diluit, ſect. 10. & 11.*
4. *Quarta refellitur ſect. 12. & 13. addita ſect. 14. utilis & neceſſaria cautione.*

Falluntur qui reprobationem negant.
vid. Bernard. in die aſcenſ. Serm. 2.

HÆc vero dum audit humanum ingenium, contineri nequit ejus protervia quin velut ad canticum claſſici, varie & ſupra modum tumultuetur. Ac multi quidem, acſi invidiam à Deo repellere velleot, electionem ita fatentur ut negent quenquam reprobari: ſed inſcite oimis & pueriliter: quando ipſa electio niſi reprobationi oppoſita non ſtaret.

1. *Electio enim niſi reprobationi oppoſita non ſtat.*

Dicitur ſegregare Deus quos adoptat in ſalutem: fortuito alios adipiſci, vel ſua induſtria acquirere, quod ſola electio paucis confert, pluſquam inſulſe dicetur. Quos ergo Deus præterit, reprobat: neque alia de cauſa niſi quod ab hæreditate quam filiis ſuis prædeſtinat, illos vult excludere.

2. *Proterve agunt cum Deo, cujus conſilio Angeli ipſi adorant.*

Nec vero tolerabilis eſt hominum protervia, ſi Dei verbo frenari ſe non ſuſtinet, ubi agitur de incomprehenſibili ejus conſilio quod Angeli ipſi adorant. Atqui nunc audivimus induratiooem non minus in manu Dei & arbitrio eſſe quam miſericordiam. Nec vero Paulus, horum quos dixi exemplo, anxie laborat ut mendacii patrocinin Deum excuſet: tantum admonet figmeoto nefas eſſe cum fictore ſuo rixari.

Rom. 9. verſ. 20.
3. *Expreſſis Scripturæ teſtimoniis refelluntur.*

Jam qui non admittunt, ullos à Deo reprobari, quomodo ſe expedient ab illa Chriſti ſententia, *Omnis arbor quam non plantavit Pater meus, eradicabitur?*

Matth. 15. verſ. 13.

Aperte exitio addici & devoveri audiunt quoſcunque cæleſtis Pater dignatus non eſt quaſi ſacras arbores in agro ſuo plantare. Si hoc reprobationis ſignum eſſe negant, nihil eſt tam liquidum quod illis queat probari.

4. *Deo obſtrepunt, per Apoſtolum conſilia ſua aperiente.*
Rom. 9. verſ. 22.

Quod ſi obſtrepere non deſinunt, contenta ſit fidei ſobrietas hac Pauli admonitione, non eſſe cauſam litigandi cum Deo, ſi ab una parte *volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ferat in multa tolerantia & lenitate vaſa iræ apparata in interitum:* ab altera autem *notas faciat divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Obſervent lectores, ut anſam ſuſurris & obtrectationibus præcidat Paulus, ſummum dare imperium iræ & potentiæ Dei: quia iniquum eſt calculo noſtro ſubjici profunda illa judicia quæ ſenſus omnes noſtros abſorbent.

Exceptio 1.

Quod reſpondent adverſarii frivolum eſt, Deum non prorſus rejicere quos in lenitate tolerat: ſed ſuſpenſo manere erga eos animo, ſi forte reſipiſcant.

Reſponſio.

Quaſi vero patientiam Deo tribuat Paulus, qua eorum converſionem expectet quos dicit aptatos eſſe ad interitum. Recte enim Auguſtinus locum hunc explicans, ubi potentia tolerantiæ adjungitur, Deum non ſinere, ſed virtute ſua moderari.

lib. 5. contra Julian. cap. 5.
Exceptio 2.

Addunt etiam noo abs re vaſa iræ dici apparata ad interitum, vaſa autem miſericordiæ Deum præparaſſe: quia hoc modo ſalutis laudem Deo adſcribit & vendicat; perditionis culpam rejicit in eos qui proprio arbitrio ipſam ſibi accerſunt.

Reſponſio.

Sed ut illis concedam diverſa loquendi forma Paulum aſperitatem lenire prioris membri: minime tamen conſentaneum eſt, præparationem ad interitum alio transferre quam ad arcaoum conſilium Dei: quod etiam paulo ante in contextu aſſeritur, Quod *Deus excitaverit Pharaonem*, deinde *quos vult induret.* Unde ſequitur abſconditum Dei conſilium obdurationis eſſe cauſam.

Auguſtini voce confirmata.
lib. 1. de prædeſt. ſanctor. cap. 2.

Hoc ſaltem obtineo quod tradit Auguſtinus, ubi ex lupis Deus oves facit, gratia potentiore eos reformare, ut dometur eorum durities: proinde obſtinatos ideo non convertit quia potentiorem illam gratiam non exerit Deus, qua non deſtituitur ſi eam proferre vellet.

2. Hæc quidem piis & modeſtis abunde ſufficerent, & qui ſe homines reminiſcuntur. Quia tamen non unam blaſphemiæ ſpeciem virulenti iſti canes evomunt contra Deum, ad ſingulas, prout res feret, reſpondebimus. Multis modis cum Deo litigant ſtulti homines, quaſi eum teneant ſuis criminationibus obnoxium.

1. *Objectio. Deum immerito iraſci iis quos exitio, citra proprium meritum, devovet.*

Primum ergo interrogant quo jure ſuis creaturis iraſcatur Dominus, à quibus nulla ante offenſa provocatus fuerit: nam exitio devovere quos placuerit, tyranni magis libidini, quam legitimæ judicis ſententiæ convenire. Eſſe igitur cur cum Deo expoſtulent homines, ſi nudo ejus arbitrio, citra proprium meritum in æternam mortem prædeſtinantur.

Reſponſio 1. à conſideratione divinæ voluntatis.

Ejuſmodi cogitationes ſiquando piis hominibus in mentem veniant, ad frangendos earum impulſus, vel hoc uno ſatis armabuntur, ſi reputent quantæ ſit improbitatis, cauſas divinæ voluntatis duntaxat percontari: quum omnium quæ ſunt, ipſa ſit cauſa, & merito eſſe debeat. Nam ſi ullam cauſam habet, aliquid eam antecedat oportet, cui veluti alligetur: quod nefas eſt imaginari.

Hoc ex Auguſtin. ſumptum lib. 1. de Geneſi contra Manich. cap. 3.

Adeo enim ſumma eſt juſtitiæ regula Dei voluntas, ut quicquid vult, eo ipſo quod vult, juſtum habendum ſit. Ubi ergo quæritur cur ita fecerit Dominus, reſpondendum eſt, Quia voluit. Quod ſi ultra pergas rogando cur voluerit, majus aliquid quæris, & ſublimius Dei voluntate, quod inveniri non poteſt. Compeſcat igitur ſe humana temeritas, & quod non eſt ne quærat: ut ne forte id quod eſt non inveniat. Hoc, inquam, freno bene continebitur quiſquis de arcanis Dei ſui cum reverentia philoſophari volet. Adverſus impiorum audaciam, qui Deo palam maledicere non formidant, Dominus ipſe ſua juſtitia, ſine noſtro patrocinio, ſatis ſe defendet, quum eorum conſcientiis omnem tergiverſationem adimendo, convictas ſtringet, reaſque peraget.

Quæ ſit illa voluntas, & quomodo conſideranda.

Neque tamen commentum ingerimus abſolutæ potentiæ: quod ſicuti profanum eſt, ita merito deteſtabile nobis eſſe debet. Non fingimus Deum exlegem, qui ſibiipſi lex eſt: quia (ut ait Plato) lege indigent homines qui cupiditatibus laborant: Dei autem voluntas non modo ab omni vitio pura, ſed ſumma perfectionis regula, etiam legum omnium lex eſt. Verùm negamus obnoxium eſſe reddendæ rationi: negamus etiam nos eſſe idoneos judices, qui proprio ſenſu pronunciemus de hac cauſa. Quare ſi tentamus ultra quam licet, metum incutiat illa comminatio Pſalmi, *Deum fore victorem quoties ab homine mortali judicabitur.*

Pſ. 51: 6.

Reſponſ. 2. eaque trimembris.

3. Tacendo poteſt Deus ita compeſcere hoſtes ſuos. Sed ne illos ſacrum nomen ſuum impune ludibrio habere patiamur, arma quoque adverſus eos nobis ex verbo ſuo ſuppeditat. Proinde ſiquis nos hujuſmodi verbis aggrediatur, cur ab initio Deus ad mortem aliquos prædeſtinaris, qui quum nondum eſſent, mereri judicium mortis nondum potuerant: nos, reſponſionis loco, viciſſim eos rogemus,

Deus nihil homini debet.

Æquiſſima juſtitiæ ratione peccato corruptos odio proſequitur.

mus, quid Deum homini debere exiſtiment, ſi eum à natura ſua æſtimare velit. Qualiter peccato vitiati ſumus omnes non poſſumus non eſſe Deo odioſi, idque non tyrannica ſævitia, ſed æquiſſima juſtitiæ ratione. Quod ſi judicio mortis obnoxii ſunt omnes naturali conditione, quos ad mortem Dominus prædeſtinat, de qua (obſecro) ejus iniquitate erga ſe conquerantur? Veniant omnes filii Adam: cum ſuo creatore contendant ac diſceptent, quod æterna illius providentia, ante ſuam generationem perpetuæ calamitati addicti fuerint. Quid obſtrepere adverſus hanc defenſionem poterunt, ubi Deus illos ad ſui recognitionem contra vocabit? Ex corrupta maſſa ſi deſumpti ſunt omnes, non mirum ſi damnationi ſubjacent. Ne ergo Deum iniquitatis inſimulent ſi æterno ejus judicio morti deſtinati ſint, ad quam à ſua ipſorum natura ſponte ſe perduci, velint nolint, ipſi ſentiunt. Unde apparet quam perverſa ſit obſtrependi affectatio, quod data opera ſuppriment quam in ſe agnoſcere coguntur damnationis cauſam, ut Dei prætextus eos liberet. Atqui ut centies Deum eſſe auctorem confitear, quod veriſſimum eſt, non protinus tamen crimen eluunt quod eorum conſcientiis inſculptum ſubinde eorum oculis recurrit.

Sua ipſorum conſcientia ſenſu & judicio reprobi omnes morti deſtinari juſto Dei judicio agnoſcunt.

Exceptio. Ad peccatum reprobos praeordinatos videri.

4. Rurſum excipiunt, Nonne ad eam, quæ nunc pro damnationis cauſa obtenditur, corruptionem Dei ordinatione prædeſtinati ante fuerant? Quum ergo in ſua corruptione pereunt, nihil aliud quam pœnas luunt ejus calamitatis in quam ipſius prædeſtinatione lapſus eſt Adam, ac poſteros ſuos præcipites ſecum traxit. Annon itaque injuſtus, qui creaturis ſuis tam crudeliter illudit?

Reſponſio.

Fateor ſane in hanc qua nunc illigati ſunt, conditionis miſeriam, Dei voluntate decidiſſe univerſos filios Adam: atque id eſt quod principio dicebam, redeundum tandem ſemper eſſe ad ſolum divinæ voluntatis arbitrium, cujus cauſa ſit in ipſo abſcondita.

Ejuſdem expoſitio.

Sed non protinus ſequitur, huic obtrectationi Deum ſubjacere. Occurremus enim cum Paulo in hunc
Rom. 9. verſ. 20. modum, *O homo, tu quis es qui diſceptes cum Deo? Num figmentum dicit ei qui ſe finxit, Cur me finxiſti ſic? Annon habet poteſtatem figulus, ut ex eadem maſſa faciat vas aliud in honorem, aliud in contumeliam?*

Inſtantia.

Negabunt ita vere defendi Dei juſtitiam, ſed ſubterfugium captari, quale habere ſolent qui juſta excuſatione deſtituuntur. Quid enim hic aliud dici videtur quam Deo eſſe potentiam quæ impediri nequeat quominus, prout libitum fuerit, quidvis agat?

Solutio, textum Apoſtoli à calumniis praeclare vindicans.

Verum longe ſecus eſt: quæ enim potentior afferri ratio poteſt quam dum jubemur cogitare quis ſit Deus? Quomodo enim ullam iniquitatem admitteret, qui judex eſt orbis? Ad Dei naturam ſi proprie pertinet judicium facere, juſtitiam igitur naturaliter amat, injuſtiam averſatur. Proinde non quaſi deprehenſus foret Apoſtolus, ad cuniculos reſpectavit: ſed indicavit altiorem eſſe juſtitiæ divinæ rationem, quam ut vel humano modo metienda ſit, vel ingenii humani tenuitate poſſit comprehendi. Fatetur quidem Apoſtolus, eam ſubeſſe divinis judiciis profunditatem, à qua mentes omnes hominum abſorbendæ ſint ſi conentur eo penetrare. Sed docet etiam quam indignum ſit ad eam legem redigere Dei opera, ut ſimulac eorum ratio nobis non conſtiterit, improbare audeamus. Notum eſt
Prov. 26. verſ. 10. dictum Solomonis (quod tamen pauci dextre intelligunt) *Magnus creator omnium mercedem reddit ſtulto, & mercedem transgreſſoribus.* Exclamat enim de magnitudine Dei: in cujus arbitrio eſt pœnam ſumere de ſtultis & transgreſſoribus, quamvis eos Spiritu ſuo non dignetur. Ac prodigioſus eſt hominum furor, dum ita rationis ſuæ modulo ſubjicere appetunt quod immenſum eſt. Angelos qui ſtete-
1 Tim. 5. verſ. 21. runt in ſua integritate, Paulus *electos* vocat: ſi eorum conſtantia in Dei beneplacito fundata fuit, aliorum defectio arguit fuiſſe derelictos. Cujus rei cauſa non poteſt alia adduci quam reprobatio, quæ in arcano Dei conſilio abſcondita eſt.

Eadem ſolutio Auguſtini auctoritate confirmatur.

5. Age, adſit nunc Manichæus aliquis aut Cæleſtinus, divinæ providentiæ calumniator, dico cum Paulo, rationem ejus non eſſe reddendam: quia magnitudine ſua intelligentiam noſtram longe ſuperet. Quid mirum? aut quid abſurdum? veline Dei potentiam ſic limitatam eſſe, ut nequid plus ad agendum valeat quam mens ſua capiat? Dico
cum Auguſtino, *eſſe à Domino creatos, quos in exitium ituros ſine dubitatione præſciebat: idque ita factum, quia ſic voluit. Cur autem voluerit, non eſſe noſtrum rationem exigere, qui comprehendere non poſſumus: neque convenire, ut divina voluntas in controverſiam apud nos deſcendat*, de qua quoties habetur ſermo, ſub ipſius nomine ſuprema juſtitiæ regula nominatur. epiſt. 106.

Proſopopœia item egregia illuſtratur.

Quid ergo de iniquitate quæſtio movetur, ubi juſtitia clare apparet? Neque vero nos pudeat improborum ora, Pauli exemplo ſic obſtruere: ac quoties oblatrare audebunt, identidem repetere, Quinam eſtis miſeri homines, qui Deo accuſationem intentatis? & ideo intentatis, quia operum ſuorum magnitudinem ad ruditatem veſtram non attemperat? Quaſi vero ideo perverſa ſint quia carni ſunt occulta. Immenſitas judiciorum Dei claris experimentis vobis nota eſt. Scitis vocari pro-
Pſal. 36:7. fundam abyſſum: nunc ingenii veſtri anguſtias conſulite, an quod decrevit apud ſe Deus, capiant. Quid ergo juvat veſana inquiſitione vos demergere in abyſſum, quam vobis exitialem fore ratio ipſa dictat? Cur non vos metus aliquis ſaltem cohibet, quod de incomprehenſibili Dei ſapientia & terribili potentia tam hiſtoria Job quam Prophetici libri prædicant? Si tumultuatur mens tua, ne pigeat Auguſtini conſilium amplecti. *Tu homo expectas à me reſponſum: & ego ſum homo. Itaque ambo audiamus dicentem, O homo, tu quis es? melior eſt fidelis ignorantia quam temeraria ſcientia. Quære merita: non invenies niſi pœnam: ô altitudo! Petrus negat: latro credit: ô altitudo! Quæris tu rationem? Ego expaveſcam altitudinem. Tu ratiocinare, ego mirabor: tu diſputa, ego credam: altitudinem video, ad profundum non pervenio. Requievit Paulus, quia admirationem invenit. Vocat ille inſcrutabilia Dei judicia: & tu ſcrutari veniſti? Ille dicit inveſtigabiles ejus vias: & tu veſtigas?* Ulterius procedendo nihil proficiemus: nam nec ſatisfiet eorum petulantiæ, nec alia eget defenſione Dominus, quam qua per Spiritum ſuum uſus eſt qui per os Pauli loquebatur: & ipſi dediſcimus bene loqui ubi cum Deo loqui deſinimus.

Et praeclaro Auguſt. dicto, de verbis Apoſt. Serm. 20.

2. Objectio. Deus imputare non debet hominibus peccata quorum neceſſitatem ſua prædeſtinatione impoſuit.

6. Alterum quoque objectum ab impietate emergit, quod tamen non tam ad Dei ſugillationem, quam ad peccatoris excuſationem recta ſpectat. Etſi, qui à Deo damnatur peccator, nonniſi cum judicis ignominia juſtificari demum poteſt. Sic ergo profanæ linguæ obganniunt; Cur ea vitio Deus imputaret hominibus, quorum neceſſitatem ſua prædeſtinatione impoſuit? Quid enim facerent? an cum decretis ejus luctarentur? At fruſtra id facturi ſint, quum omnino facere non poſſint. Non ergo jure ob ea puniuntur quorum præcipua in Dei prædeſtinatione cauſa eſt.

Prima reſponſio, veterum, quæ infirma cenſetur. Ratio.

Hic abſtinebo à defenſione ad quam fere ſcriptores Eccleſiaſtici recurrunt, non impedire Dei præſcientiam quominus homo peccator reputetur: quandoquidem illius mala, non ſua Deus prævideat. Non enim hic ſubſiſteret cavillatio, ſed potius urgeret, Deum tamen malis quæ præviderit potuiſſe occurrere, ſi voluiſſet: quum non fecerit, deſtinato conſilio creaſſe hominem in eum finem, ut ſe in terra ita gereret. Quod ſi Dei providentia in hanc conditionem homo creatus eſt, ut poſtea faceret quæcunque facit, non eſſe illi crimini vertendum quod nec effugere

 poſſit,

poſſit, & Dei voluntate conſtringatur. Ergo videamus quomodo rite nodus expediri debeat. Primum omnium conſtare inter omnes debet quod ait Solomon, *Deum omnia propter ſemetipſum condidiſſe, impium quoque ad diem malum.* Ecce, quum rerum omnium diſpoſitio in manu Dei ſit, quum penes ipſum reſideat ſalutis ac mortis arbitrium, conſilio nutuque ſuo ita ordinat, ut inter homines naſcantur, ab utero certæ morti devoti, qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent. Siquis cauſetur, nullam eis inferri neceſſitatem ex Dei providentia, ſed potius ea conditione ab ipſo eſſe creatos, quoniam futuram eorum pravitatem præviderit: neque nihil dicit, neque totum. Solent quidem interdum hac ſolutione uti veteres, ſed quaſi dubitanter. Scholaſtici vero in ea quieſcunt, acſi nihil contra opponi poſſet. Equidem præſcientiam ſolam nullam inferre neceſſitatem creaturis libenter conceſſero, tametſi non omnes aſſentiantur: ſunt enim qui ipſam quoque cauſam rerum eſſe volunt. Verum mihi acutius ac prudentius videtur perſpexiſſe Valla, homo alioqui in ſacris non admodum exercitatus, qui ſupervacuam eſſe hanc contentionem oſtendit: quoniam & vita & mors divinæ magis voluntatis quam præſcientiæ ſint actiones. Si hominum eventa prævideret Deus duntaxat, non etiam ſuo arbitrio diſponeret ac ordinaret; tum non abs re agitaretur quæſtio, ecquid ad eorum neceſſitatem valeat ipſius providentia: ſed quum non alia ratione quæ futura ſunt, prævideat, niſi quia ita ut fierent decrevit; fruſtra de præſcientia lis movetur, ubi conſtat ordinatione potius & nutu omnia evenire.

Prov. 16. verſ. 4.

Secunda reſponſio, etiam diluta.

Tertia reſponſio, quam Valla propoſuit, probata.

7. Diſertis verbis hoc extare negant, decretum fuiſſe à Deo ut ſua defectione periret Adam. Quaſi vero idem ille Deus, quem Scriptura prædicat facere quæcunque vult, ambiguo fine condiderit nobiliſſimam ex ſuis creaturis. Liberi arbitrii fuiſſe dicunt ut fortunam ipſe ſibi fingeret: Deum vero nihil deſtinaſſe niſi ut pro merito eum tractaret. Tam frigidum commentum ſi recipitur, ubi erit illa Dei omnipotentia, qua ſecundum arcanum conſilium quod aliunde non pendet omnia moderatur. Atqui prædeſtinatio, velint nolint, in poſteris ſe profert. Neque enim factum eſt naturaliter ut à ſalute exciderent omnes, unius parentis culpa. Quid eos prohibet fateri de uno homine quod inviti de toto humano genere concedunt? Quid enim tergiverſando luderent operam? Cunctos mortales in unius hominis perſona morti æternæ mancipatos fuiſſe Scriptura clamat. Hoc quum naturæ adſcribi nequeat, ab admirabili Dei conſilio profectum eſſe minime obſcurum eſt. Bonos iſtos juſtitiæ Dei patronos perplexos hærere in feſtuca, altas vero trabes ſuperare nimis abſurdum eſt. Iterum quæro, Unde factum eſt ut tot gentes una cum liberis eorum infantibus æternæ morti involveret lapſus Adæ abſque remedio, niſi quia Deo ita viſum eſt? Hic obmuteſcere oportet tam dicaces alioqui linguas. Decretum quidem horribile, fateor: inficiari tamen nemo poterit quin præſciverit Deus quem exitum eſſet habiturus homo, antequam ipſum conderet; & ideo præſciverit quia decreto ſuo ſic ordinarat. In præſcientiam Dei ſiquis hic invehatur, temere & inconſulte impingit. Quid enim, quæſo, eſt cur reus agatur cæleſtis judex quia non ignoraverit quod futurum erat? In prædeſtinationem competit ſiquid eſt vel juſtæ vel ſpecioſæ querimoniæ. Nec abſurdum videri debet quod dico, Deum non modo primi hominis caſum, & in eo poſterorum ruinam prævidiſſe: ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe. Ut enim ad ejus ſapientiam pertinet omnium quæ futura ſunt eſſe præſcium; ſic ad potentiam, omnia manu ſua regere ac moderari. Et hanc quoque quæſtionem Auguſtinus, ut alias, ſcite expedit, *Saluberrime confitemur quod rectiſſime credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura præſcivit: & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere quam mala eſſe non ſinere: ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet quid poſſet liberum arbitrium, deinde quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium, juſtitiæque judicium.*

1. Exceptio, decretum non fuiſſe à Deo ut Adam ſua defectione periret, diluitur multiplici ratione, à fine creationis, Dei omnipotentia, ſapientia & juſtitia incomprehenſibili.

vid. Calv. libr. de prædeſt. plurib. in locis.

Item Auguſtini præclaro teſtimonio.

Enchir. ad Laurent.

8. Hic ad diſtinctionem voluntatis & permiſſionis recurritur: ſecundum quam obtinere volunt, permittente modo, non autem volente Deo perire impios. Sed cur permittere dicemus niſi quia ita vult? Quanquam nec ipſum quidem per ſe probabile eſt, ſola Dei permiſſione, nulla ordinatione hominem ſibi acceſſiſſe interitum. Quaſi vero non conſtituerit Deus qua conditione præcipuam ex creaturis ſuis eſſe vellet. Non dubitabo igitur cum Auguſtino ſimpliciter fateri, *voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem, atque id neceſſario futurum eſſe quod ille voluerit: quemadmodum ea vere futura ſunt quæ præviderit.* Nunc vero ſi pro ſua & impiorum excuſatione vel Pelagiani, vel Manichæi, vel Anabaptiſtæ, vel Epicurei (namcum iſtis quatuor ſectis nobis in hoc argumento negotium eſt) neceſſitatem, qua ex Dei prædeſtinatione conſtringuntur, objiciant: nihil afferunt ad cauſam idoneum. Si enim prædeſtinatio nihil aliud eſt quam divinæ juſtitiæ, occultæ quidem, ſed inculpatæ, diſpenſatio: quia non indignos fuiſſe certum eſt qui in eam ſortem prædeſtinarentur, juſtiſſimum quoque eſſe interitum quem ex prædeſtinatione ſubeunt, æque certum eſt. Ad hoc, ſic ex Dei prædeſtinatione pendet eorum perditio, ut cauſa & materia in ipſis reperiatur. Lapſus eſt enim primus homo, quia Dominus ita expedire cenſuerat: cur cenſuerit, nos latet. Certum tamen eſt non aliter cenſuiſſe, niſi quia videbat nominis ſui gloriam inde merito illuſtrari. Ubi mentionem gloriæ Dei audis, illic juſtitiam cogita. Juſtum enim eſſe oportet quod laudem meretur. Cadit igitur homo, Dei providentia ſic ordinante: ſed ſuo vitio cadit. Pronunciaverat paulo ante Dominus, *omnia quæ fecerat eſſe valde bona.* Unde ergo illa homini pravitas ut à Deo ſuo deficiat? Ne ex creatione eſſe putaretur, elogio ſuo approbaverat Deus quod profectum erat à ſeipſo. Propria ergo malitia, quam acceperat à Domino puram naturam corrupit, & ſua ruina totam poſteritatem in exitium ſecum attraxit. Quare in corrupta potius humani generis natura evidentem damnationis cauſam, quæ nobis propinquior eſt, contemplemur, quam abſconditam ac penitus incomprehenſibilem inquiramus in Dei prædeſtinatione. Neque immenſæ Dei ſapientiæ ſubmittere hucuſque ingenium pigeat, ut in multis ejus arcanis ſuccumbat. Eorum enim quæ ſcire nec datur, nec fas eſt, docta eſt ignorantia; ſcientiæ appetentia, inſaniæ ſpecies.

2. Exceptio. Permittente, non volente Deo perire impios.

Reſponſio.

lib 6. de Geneſ. ad literam, cap. 15.

Inſtantia.

Reſponſio 1. à prædeſtinationis deſcriptione.

Reſp. 2. à voluntario lapſu Adami & gloria Dei conſideratione.

Gen. 1:31.

Pia exhortatio.

9. Dicet forte quiſpiam me nondum attuliſſe quod ſacrilegam illam excuſationem compeſceret. Ego vero ne id quidem effici poſſe fateor quin ſemper fremat impietas & obmurmuret: mihi tamen dixiſſe videor quod ad loquendi non rationem tantum, ſed prætextum quoque adimendum ſufficeret. Excuſabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi neceſſitatem: præſertim quum ex Dei ordinatione ſibi injiciatur hujuſmodi neceſſitas. Nos vero inde negamus rite excuſari, quandoquidem Dei ordinationi, qua ſe exitio deſtinatos conqueruntur, ſua conſtet æquitas: nobis quidem incognita, ſed illa certiſſima. Unde conſtituimus, nihil illos ſuſtinere mali quod non juſtiſſimo Dei judicio infligatur. Deinde 2.
præpoſtere docemus agere ipſos, qui ad quærendam ſuæ damnationis originem, in recondita divini conſilii adyta oculos intendant: ad naturæ corruptionem,

3. Exceptio.

Reſponſio 1.

nem, unde illa vore ſcaturit, conniveant. Hanc autem imputare ne Deo poſſint obſtat quod ſuæ creationi teſtimonium reddat. Tametſi enim æterna Dei providentia, in eam cui ſubjacet calamitatem conditus eſt homo: à ſeipſo tamen ejus materiam, non à Deo ſumpſit: quando nulla alia ratione ſic perditus eſt, niſi quia à pura Dei creatione in vitioſam & impuram perverſitatem degeneravit.

3. *Objectio. Ex prædeſtinationis doctrina ſequi Deum eſſe perſonarum acceptorem.*

10. Jam & tertia abſurditate Dei prædeſtinationem infamant ejus adverſarii: quum enim non alio referamus quam ad divinæ voluntatis arbitrium, quod univerſali exitio eximantur quos in regni ſui hæredes Deus aſſumit, ex eo colligunt apud ipſum ergo eſſe acceptionem perſonarum: quod ubique Scriptura negat. Ergo vel Scripturam eſſe ſibi diſſentaneam, vel in electione Dei eſſe meritorum reſpectum.

Reſp. quid ſit perſonarum acceptio.

Primum, alio ſenſu negat Scriptura Deum eſſe perſonarum acceptorem, quam quo ipſi judicant, ſiquidem *Perſonæ* vocabulo non hominem ſignificat, ſed quæ in homine oculis conſpicua, vel favorem, gratiam, dignitatem conciliare; vel odium, contemptum, dedecus conflare ſolens. Qualia ſunt, divitiæ, opes, potentia, nobilitas, magiſtratus, patria, formæ elegantia, & cætera hujuſmodi. Item paupertas, inopia, ignobilitas, ſordes, contemptus, & ſimilia. Sic Petrus & Paulus perſonarum acceptorem non eſſe Dominum docent, quia non diſcernat inter Judæum & Græcum, quo ſolius gentis ratione alterum reſpuat, amplectatur alterum. Sic Jacobus iiſdem verbis utitur, dum vult aſſerere Deum in ſuo judicio divitias nihil morari. Paulus autem alio loco de Deo ſic loquitur, quod libertatis aut ſervitutis in judicando nullam habeat rationem. Proinde nihil repugnantiæ erit, ſi dicemus, Deum ſecundum beneplaciti ſui arbitrium eligere in filios, nullo merito, quos viſum fuerit, aliis rejectis ac reprobatis.

Actor. 10. verſ. 34.
Rom. 2. verſ. 11.
Gal. 3:28.
Jac. 2: 5.
Col. 3:25.
Eph. 6: 9.

Reſponſio 2. oſtendens nihil repugnantiæ iſtis ineſſe.
vide Auguſtin. epiſt. 105. & lib. ad Boniſ. 2. cap. 7.

Res tamen ſic explicari poteſt, ut plenius ſatisfiat. Quærunt qui fiat ut ex duobus quos nullum meritum diſcriminat, alterum prætereat in electione ſua, alterum aſſumat Deus. Ego viciſſim rogo, putentne in eo qui aſſumitur eſſe aliquid quod Dei animum ad ipſum inclinet. Si nihil fatebuntur (quod neceſſe eſt) ſequetur Deum non hominem intueri, ſed à ſua bonitate rationem petere cur illi benefaciat. Quod igitur hominem unum eligit Deus, altero rejecto, id non provenit ab hominis reſpectu, ſed à ſola ejus miſericordia: cui liberum eſſe debet proferre ſe & exerere ubi & quoties placet. Nam & alibi vidimus non multos ab initio vocatos fuiſſe nobiles, vel ſapientes, vel ſplendidos, ut Deus humiliaret carnis ſuperbiam: tantum abeſt ut perſonis devinctus fuerit ejus favor.

1 Cor. 1. verſ. 26.

Exceptio. Peccatores peræque ſunt puniendi: aut inæqualis eſt Dei juſtitia. Reſponſio.

11. Quare falſo & peſſime Deum inæqualis juſtitiæ inſimulant nonnulli quod non eundem erga omnes tenorem in ſua prædeſtinatione ſervat. Si omnes, inquiunt, noxios deprehendit, peræque omnes puniat: ſi inſontes, ab omnibus judicii rigorem abſtineat. Atqui perinde cum ipſo agunt acſi vel interdicta illi foret miſericordia, vel, dum vult miſereri, cogatur in totum judicio renunciare. Quid eſt quod flagitant? ſi omnes ſunt noxii, ut ſimul eandem omnes luant pœnam. Fatemur communem noxam: ſed dicimus quibuſdam ſuccurrere Dei miſericordiam. Succurrat, aiunt, omnibus.

Inſtantiæ dilutio, teſtimoniis Auguſtini firmata.
epiſt. 106. de præ-deſt. & gratia. de bono perſev. cap. 12.

Sed excipimus, æquum eſſe ut puniendo ſe quoque æquum judicem oſtendat. Id dum non ſuſtinent, quid aliud quam vel miſerandi facultate Deum ſpoliare conantur, vel hac ſaltem lege ipſam permittere ut judicio ſe prorſus abdicet? Quare pulcherrime quadrant iſtæ Auguſtini ſententiæ, *Quum in primo homine univerſa generis maſſa in condemnationem defluxerit, quæ fiunt ex ea vaſa in honorem, non propriæ juſtitiæ, ſed Dei miſericordiæ vaſa eſſe. Quod vero alia fiunt in contumeliam, non iniquitati, ſed judicio deputandum*, &c. Quod Deus iis quos reprobat, debitam pœnam rependit: iis quos vocat, immeritam gratiam largitur: ab omni accuſatione liberari, ſimilitudine creditoris, cujus in poteſtate eſt, alteri remittere, ab altero exigere. Poteſt igitur Dominus etiam dare gratiam quibus vult, quia miſericors eſt: non omnibus dare, quia juſtus judex. Dando quibuſdam quod non merentur, gratuitam ſuam oſtendere gratiam: non omnibus dando, quid mereantur omnes declarare. Nam quum Deum ſcribit Paulus *clauſiſſe omnia ſub peccato ut omnium miſereatur*, ſimul addendum eſt nemini eſſe debitorem: quia nemo illi prior dedit, ut mutuum exigat.

Rom. 11. verſ. 32.

4. *Objectio. Hac doctrina ſecuritatem & impietatem parit.*

12. Hoc quoque ad evertendam prædeſtinationem exagitant, quod ipſa ſtante concidat omnis ſollicitudo, & bene agendi ſtudium. Quis enim audiat, inquiunt, æterno & immutabili Dei decreto ſibi fixam eſſe aut vitam aut mortem, quin protinus in mentem veniat, nihil intereſſe quomodo ſe gerat: quando ſuo opere nihil aut impediri aut promoveri queat Dei prædeſtinatio? Ita omnes projicient ſe, & deploratum in morem, quocunque libido tulerit præcipites ibunt.

Reſp. 1 per conceſſionem, reproborum quorundam reſpectu.

Et ſane non in univerſum mentiuntur. ſunt enim plerique porci qui prædeſtinationis doctrinam impuris iſtis blaſphemiis conſpurcant, atque hoc etiam obtentu admonitiones & objurgationes quaslibet eludunt, Scit Deus quid de nobis agere ſemel ſtatuerit. ſi ſalutem decrevit, adducet nos ad eam ſuo tempore: ſi mortem deſtinavit, fruſtra contra tenderemus.

2. A fine Scripturæ hanc doctrinam proponentis.

At Scriptura, dum præcipit quanto majori & reverentia & religione ſit de tanto myſterio cogitandum, tum pios in longe diverſum ſeorſum inſtituit, tum ſceleſtam illorum intemperiem probe redarguit. Non enim prædeſtinationem eo commemorat ut in audaciam erigamur, & inacceſſa Dei ſecreta excutere nefaria temeritate tentemus: ſed potius ut humiliati ac dejecti, ad judicium ejus tremere, miſericordiam ſuſpicere diſcamus. Ad hunc ſcopum fideles collimabunt.

3. Ab auctoritate Apoſtoli.

Ille autem fœdus porcorum grunnitus à Paulo rite compeſcitur. Securos ſe in vitiis pergere dicunt: quia ſi ſint è numero electorum, nihil obfutura ſint vitia quominus tandem ad vitam perducantur.

4. Ab electionis ſcopo.
Eph. 1: 4.

Atqui in hunc finem electos eſſe nos Paulus admonet, ut ſanctam ac inculpatam vitam traducamus. Si electionis ſcopus eſt vitæ ſanctimonia, magis ad eam alacriter meditandam expergefacere & ſtimulare nos debet, quam ad deſidiæ prætextum valere. Quantopere enim hæc inter ſe diſſident, à bene agendo ceſſare, quia electio ad ſalutem ſufficiat, & electioni propoſitum eſſe finem ut in bonorum ſtudium incumbamus? Faceſſant ergo ejuſmodi ſacrilegia quæ totum electionis ordinem perperam invertunt.

Inſtantia impia.

Quod autem ſuas blaſphemias longius extendunt, dum eum qui ſit à Deo reprobatus, perditurum operam dicunt ſi innocentia & probitate vitæ ſe illi approbare ſtudeat:

Reſponſio.

in eo vero impudentiſſimi mendacii convincuntur. Unde enim tale ſtudium oriri poſſit niſi ex electione? Nam quicunque ſunt ex reproborum numero, ut ſunt vaſa in contumeliam formata, ita non deſinunt perpetuis flagitiis iram Dei in ſe provocare, & evidentibus ſignis confirmare quod jam in ſe latum eſt Dei judicium: tantum abeſt ut cum ipſo fruſtra contendant.

Poſtrema objectio ex ſuperiori pendens.
1. Reſponſio, ex ſcriptis Auguſtini, Pauli methodum & Chriſti ...

13. Maligne tamen atque impudenter hanc doctrinam calumniantur alii, acſi omnes ad pie vivendum exhortationes everteret. Qua de re magnam olim invidiam ſuſtinuit Auguſtinus, quam abſterſit libro De correptione & gratia ad Valentinum: cujus lectio pios omnes & dociles facile placabit. pauca tamen hic libabo, quæ (ut ſpero) probis & non contentioſis ſatisfacient. Quam apertus & vocalis præco electionis gratuitæ fuerit Paulus, ante

Ariſtam ſequentis, qua refellit hujuſmodi objectionem, collecta.

1 Theſ. 4. verſ. 7. Eph. 2: 10.

viſum eſt: an ideo monendo & hortando frigidus? Conferant boni iſti zelotæ ejus vehementiam cum ſua, glacies in ipſis reperietur præ incredibili illius fervore. Et certe principium illud ſcrupulos omnes tollit, *non eſſe nos vocatos ad immunditiem, ſed ut quiſque vas ſuum poſſideat in honore*, &c. deinde *nos eſſe Dei figmentum, creatos ad bona opera, quæ præparavit, ut in illis ambulemus.* In ſumma, qui mediocritee exercitati ſunt in Paulo, abſque longa demonſtratione intelligent, quam apte conciliet quæ iſti fingunt intee ſe pugnare. Præcipit Chriſtus ut in ſe credatur: neque tamen vel falſa eſt ejus definitio, vel præcepto contraria, ubi dicit, *Nemo poteſt venire ad me niſi cui datum fuerit à Patre meo.*

Joan. 6. verſ. 44.

Curſum igitur ſuum habeat prædicatio, quæ adducat homines ad fidem, & continuo profectu in perſeverantia contineat. Neque tamen impediatur prædeſtinationis cognitio, ut qui obediunt non tanquam de ſuo ſuperbiant, ſed in Domino glorientur. Non abs re dicit Chriſtus, Qui habet aures audiendi, audiat. Ergo dum exhortamur & prædicamus, qui auribus præditi ſunt, libenter obediunt: qui vero carent, in illis impletur quod ſcriptum eſt, Ut audientes non audiant. Cur autem (inquit Auguſtinus) *illi habeant, illi non: quis cognovit ſenſum Domini? numquid ideo urgandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt?* Hæc fideliter ex Auguſtino retuli: ſed quia plus fotte auctoritatis habebunt ejus verba quam mea, agedum prodeant in medium quæ apud ipſum leguntur.

Mat. 13: 9.

Jeſa. 6: 9.

lib. de bono perſev. cap. 15.

2. Reſponſio, Auguſtinum ipſum, calumniatores hujus doctrinæ refellentem, inducens.

Numquid ſi hoc audito nonnulli in torporem ſegnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem poſt concupiſcentias eant, propterea de præſcientia Dei falſum putandum eſt quod dictum eſt? Nonne ſi Deus illos bonos fore præſcivit, boni erunt, in quantalibet nunc malitia verſentur: &, ſi malos fore præſcivit, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Numquid ergo propter hujuſmodi cauſas, quæ de præſcientia Dei vera dicuntur, vel neganda ſunt vel tacenda? tunc ſcilicet, quando, ſi non dicantur, in alios itur errores? Alia, inquit, *ratio eſt verum tacendi; alia, verum dicendi neceſſitas. Cauſas verum tacendi longum eſſet omnes quærere: quarum tamen eſt hæc una, ne pejores fiant qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt, facere doctiores: qui nobis tale aliquid dicentibus doctiores quidem non fiunt, ſed nec redduntur pejores. Quum autem res vera ita ſe habet, ut fiat pejor, nobis eam dicentibus qui capere non poteſt: nobis autem tacentibus, ille qui poteſt: quid putamus faciendum? nonne potius eſt dicendum verum, ut qui poteſt capere, capiat; quam tacendum, ut non ſolum id ambo non capiant, verum etiam qui eſt intelligentior, ille fit pejor, qui ſi audiret & caperet, per eum etiam plures diſcerent? Et nos dicere nolumus, quod teſte Scriptura dicere licebat. Timemus enim videlicet ne loquentibus nobis offendatur qui capere non poteſt: non autem timemus ne tacentibus nobis, qui veritatem poteſt capere, falſitate capiatur.* Quam ſententiam brevius tandem perſtringeos, clarius etiam confirmat. *Quamobrem, ſi Apoſtoli & qui eos ſequuti ſunt Eccleſiæ doctores utrumque fecerunt, ut de æterna Dei electione pie diſſererent, & ſub piæ vitæ diſciplina continerent fideles: quid eſt quod invicta concluſi violentia veritatis illi noſtri ſe recte dicere exiſtimant, non eſſe populo prædicandum, etſi verum ſit, quod de prædeſtinatione dicitur? Imo prædicandum eſt prorſus: ut qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, ſi non accipit ab eo qui ſe daturum promittit? Certe qui non accipit, rejiciat; dum tamen qui capit, ſumat & bibat, bibat & vivat. Sicut enim prædicanda eſt pietas, ut rite colatur Deus: ita & prædeſtinatio, ut qui habet aures audiendi, de gratia Dei in Deo, non in ſe glorietur.*

cap. 16.

Cauſa verum tacendi.

Prædeſtinationis doctrina cur non tacenda, ſed prædicanda.

ejuſd. lib. cap. 20.

Confirmatio, ab Apoſtolorum & Apoſtolic. virorum exemplo.

14. Et tamen ut ſingulare ædificationis ſtudium ſancto viro fuit, ſic docendi veri rationem temperat, ut prudenter caveatur quoad licet offenſio. Nam quæ vere dicuntur, congruenter ſimul poſſe dici admonet. Siquis ita plebem compellet, Si non creditis, ideo fit, quia jam divinitus exitio deſtinati eſtis: is non modo ignaviam fovet, ſed etiam indulget malitiæ. Siquis in futurum quoque tempus ſententiam extendat, quod ooo ſint credituri qui audiunt, quia reprobati ſunt: imprecatio erit magis quam doctrina. Tales itaque Auguſtinus non immerito tanquam vel inſulſos doctores, vel ſiniſtros & ominoſos Prophetas ab Eccleſia jubet faceſſere. Teoendum quidem vere alibi contendit, *quod tunc correctione proficit homo, quum miſeretur atque adjuvat qui facit quos voluerit etiam ſine correptione proficere. Sed quare iſti ſic, illi aliter: abſit ut dicamus judicium luti eſſe non figuli.* Item poſtea, *Quum homines per correptionem in viam juſtitiæ ſeu veniunt ſeu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille qui quolibet plantante & irrigante dat incrementum? cui volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit liberum arbitrium. Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei (qui in cælo & in terra quæcunque voluit fecit, & qui etiam quæ futura ſunt fecit) humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult: quandoquidem de ipſis hominum voluntatibus quod vult facit.* Item, *Quum vult adducere homines, numquid corporalibus vinculis alligat? Intus agit, intus corda tenet, intus corda movet: eoſque voluntatibus eorum, quas in illis operatus eſt, trahit.* Sed quod continuo ſubjicit, minime omitti debet: *quia neſcimus quis ad prædeſtinatorum numerum pertineat, vel non pertineat, ſic nos affici decere ut omnes velimus ſalvos fieri. Ita fiet ut quiſquis nobis occurret, eum ſtudeamus facere pacis conſortem. Sed pax noſtra ſuper filios pacis requieſcet. Ergo, quantum ad nos pertinet, omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, ſalubris & ſevera inſtar medicinæ adhibenda erit correptio: Dei autem erit illis utilem facere quos præſcivit & prædeſtinavit.*

Quomodo prædicanda ſit & populo tradenda: ita videlicet ut ædificatio Eccleſiæ quæratur, & prudenter caveatur, quoad licet, offenſio.

Summa orthodoxa doctrina de prædeſtinatione, ab Auguſtino tradita.

Cap. XXIV.

Electionem ſanciri Dei vocatione: reprobos autem ſibi accerſere juſtum cui deſtinati ſunt, interitum.

Hujus capitis duas eſſe partes vel ipſum argumentum oſtendit.

1. *De Electis, à prima ſectione ad duodecimam agitur.*
2. *De Reprobis, à duodecima ad finem capitis.*

cap. 22. ſect. 10, 11.

Dei arcana quidem eſt electio.

SEd ut res melius eluceſcat, tum de electorum vocatiooe, tum de excæcatiooe & induratione impiorum agendum eſt. Et de priore quidem jam aliquid diſſerui, eorum errorem refellens quibus generalitas promiſſionum videtur æquare totum humanum genus. Atqui oon abſque delectu electionem, quam io ſeipſo alioqui abſcoo-ditam habet, vocatione demum ſua Deus manifeſtat: quam ideo appellare proprie licet ejus teſtificationem. Nam *quos præſcivit, eos & præfinivit conformes fieri imagini Filii ſui: quos autem præfinivit, eos & vocavit: quos vocavit, eos & juſtificavit*, ut olim glorificet. Quum ſuos eligendo jam in filiorum locum Domious adoptarit: videmus tamen ut in

Sed vocatione efficaci demum manifeſtatur.

Rom. 8. verſ. 29.

in tanti boni poſſeſſionem non veniant niſi dum vocantur: contra ut vocati, quadam jam fruantur electionis ſuæ communicatione. Qua ratione Spiritum, quem accipiunt, & *adoptionis Spiritum*, & *ſigillum*, & *arrhabonem hæreditatis* futuræ vocat Paulus: quia ſcilicet eorum cordibus futuræ adoptionis certitudinem ſuo teſtimooio ſtabilit & obſignat. Nam etſi Euangelii prædicatio ex fonte electionis ſcaturit, quia tamen reprobis etiam communis eſt, non eſſet per ſe ſolida illius probatio. Deus autem efficaciter electos ſuos docet ut ad fidem adducat: ſicuti citavimus ante ex verbis Chriſti, *Qui ex Deo eſt, hic vidit Patrem*, non alius. Item, *Manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi.* Quum alibi dicat, *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit eum.* Quem locum prudenter expendit Auguſtinus: cujus verba ſunt, *Si (ut dicit veritas) omnis qui didicit venit: quiſquis non venit, profecto nec didicit. Non eſt igitur conſequens ut qui poteſt venire etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit: ſed omnis qui didicit à Patre, non ſolum poteſt venire, ſed etiam venit: ubi jam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus & actionis effectus adeſt.* Alibi etiam clarius, *Quid eſt, Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me: niſi, nullus eſt qui audiat & diſcat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit, profecto omnis qui non venit, non audivit à Patre nec didicit: nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret. Valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur & docet, ut veniatur ad Filium.* Paulo poſt, *Hæc gratia quæ occulte humanis cordibus tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primum auferatur. Quando itaque Pater intus auditur, aufert cor lapideum, & dat cor carneum. Sic quippe facit filios promiſſionis & vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Cur ergo non omnes docet ut veniant ad Chriſtum, niſi quia omnes quos docet, miſericordia docet: quos autem non docet, judicio non docet? quoniam cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat.* Filios ergo ſibi deſignat, ac patrem ſe iis deſtinat Deus quos elegit. Vocando porro, in familiam eos ſuam aſciſcit, ac ſeipſum iis coadunat ut ſimul unum ſint. Quum autem electioni vocatio ſubnectitur, io eum modum Scriptura ſatis innuit, in ea nihil requirendum præter gratuitam Dei miſericordiam. Si enim quærimus quos vocet, & qua ratione: reſpondet, quos elegerat. Ad electionem autem dum venitur, ſola illic miſericordia undecuoque apparet. Atque adeo vere hic locum babet illud Pauli, *Non eſſe volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Neque id, quemadmodum vulgo accipiunt qui inter Dei gratiam, voluntatem, curſumque hominis partiuntur. Exponunt enim, deſiderium hominis ac conatum nihil per ſe quidem habere momenti, niſi Dei gratia proſperentur: ſed quum adjuvantur illius benedictione, habere ſuas quoque partes in comparanda ſalute contendunt. Quorum cavillum Auguſtini verbis refellere quam meis malo. *Si nihil aliud voluit Apoſtolus, niſi non eſſe ſolius volentis aut currentis, niſi adſit miſericors Dominus: retorquere è converſo licebit, non ſolius eſſe miſericordiæ, niſi adſit voluntas & curſus.* Quod ſi aperte impium eſt, non dubitemus Apoſtolum omnia miſericordiæ Domini dare, noſtris autem voluntatibus aut ſtudiis nihil relinquere. In hanc ſententiam ille ſanctus vir. Nec pili æſtimo quam inducunt argutiolam, non fuiſſe id dicturum Paulum, niſi aliquis in nobis foret conatus, & aliqua voluntas. Non enim quid eſſet in homine reputavit: ſed quum videret quoſdam ſalutis partem hominum induſtriæ aſſignare, ſimpliciter eorum errorem damnavit priore membro, deinde totam ſalutis ſummam Dei miſericordiæ vendicavit. Et quid aliud agunt Prophetæ quam ut gratuitam Dei vocationem perpetuo deprædicent?

Quæ ſit hujus vocationis efficacitas.
Rom. 8. v. 15, 16.
Eph. 1: 13. & alibi.
Joan. 6. verſ. 46.
Joan. 17. verſ. 6.
Joan. 6. verſ. 44.
lib. 1. de gratia Chriſti contra Pelag. & Cæleſt. c. 14. & 31.
lib. de prædeſt. ſanctorum, cap. 8.
Quemadmodum autem electio, ita & vocatio efficax in gratuita miſericordia Dei fundata eſt.
Rom. 9. verſ. 16.
Cavillum quorundam interpretum refellitur Auguſtini verbis.
Enchir. ad Laurent. cap. 31.
Exceptionis eorundem dilutio.

2. Adhæc ipſa quoque vocationis natura & diſpenſatio perſpicue id demonſtrat: quæ non ſola verbi prædicatione, ſed & Spititus illuminatione conſtat. Quibus offerat verbum ſuum Deus, habemus apud Prophetam, *Repertus ſum à non quærentibus me: palam apparuiis qui me non interrogabant. Populo qui non invocavit nomen meum, dixi, Ecce adſum.* Ac ne Judæi ad Gentes modo eam clementiam pertinere ducerent, ipſis quoque in memoriam reducit unde aſſumpſerit patrem eorum Abraham, quum ipſum ſibi conciliare dignatus eſt: nimirum ex media idololatria, in qua cum ſuis omnibus demerſus erat. Verbi ſui luce dum immerentibus primum affulget, eo gratuitæ bonitatis ſuæ ſpecimen ſatis luculentum exhibet. Hic ergo jam ſe exerit immenſa Dei bonitas, ſed non omnibus in ſalutem: quia reprobos manet gravius judicium, quod teſtimonium amoris Dei repudient. Atque etiam Deus, illuſtrandæ gloriæ ſuæ cauſa, Spiritus ſui efficaciam ab illis ſubducit. Interior igitur hæc vocatio pignus eſt ſalutis quod fallere non poteſt. Quo pertinet illud Joannis, *Inde agnoſcimus nos eſſe ejus filios, ex Spiritu quem dedit nobis.* Ac ne glorietur caro quod vocanti & ultro ſe offerenti ſaltem reſponderit, nullas ad audiendum eſſe aures, nullos ad videndum oculos affirmat, niſi quos ipſe fecerit. Facere autem non ſecundum cujuſque gratitudinem, ſed pro ſua electione. Cujus rei inſigne habes exemplum apud Lucam, ubi Pauli & Barnabæ concionem audiunt communiter Judæi & Gentes. Eodem tum verbo quum edocti eſſent omnes, narrantur *crediſſe qui ad vitam æternam erant ordinati.* Qua fronte gratuitam eſſe vocationem negemus, in qua ad ultimam uſque partem ſola regnat electio?

Vocationem eſſe gratuitam probat, 1. Ejus natura & diſpenſatio
2. Dei ipſius vox.
Jeſa 65: 1.
3. Abrahæ patris credentium vocatio.
Joſuæ 24. verſ. 3.
4. Joannis teſtimonium.
1 Joan. 3. verſ. 24.
5. Et exemplum vocatorum.
Actor. 13. verſ. 48.

3. Duo autem errores hic cavendi ſunt: quia nonnulli cooperarium Deo faciunt hominem, ut ſuffragio ſuo ratam electionem faciat: ita ſecundum eos voluntas hominis ſuperior eſt Dei conſilio. Quaſi vero Scriptura doceat tantum nobis dari ut credere poſſimus, ac non potius fidem ipſam. Alii, quanquam non ita enervant gratiam Spiritus ſancti, neſcio tamen qua ratione inducti electionem à poſteriori ſuſpendunt: quaſi dubia eſſet atque etiam inefficax, donec fide confirmetur. Equidem confirmari, quoad nos, minime obſcurum eſt: eluceſcere etiam arcanum Dei conſilium quod latebat, ante vidimus: modo hoc verbo nihil aliud intelligas quam comprobari quod iocognitum erat, & velut ſigillo conſignari. Sed falſo dicitur electionem tunc eſſe demum efficacem poſtquam Euangelium amplexi ſumus, ſuumque inde vigorem ſumere. Certitudo quidem ejus inde nobis petenda: quia ſi ad æternam Dei ordinationem penetrare tentemus, profunda illa abyſſus nos ingurgitabit. Sed ubi eam nobis patefecit Deus, altius conſcendere oportet, ne effectus cauſam obruat. Quid enim magis abſurdum & indignum, quum Scriptura doceat nos eſſe illuminatos, ſicuti nos Deus elegit, lucis hujus fulgore oculos noſtros perſtringi, ut attendere ad electionem recuſent? Neque interea inficior, ut certi de ſalute noſtra ſimus, initium à verbo fieri debere, eoque debere fiduciam noſtram eſſe contentam ut Deum Patrem invocemus. Præpoſtere enim quidam ut de conſilio Dei (quod nobis prope eſt in ore & corde) certiores reddantur, ſupra nubes volitare cupiunt. Cohibenda igitur eſt illa temeritas ſobrietate fidei, ut Deus occultæ ſuæ gratiæ nobis teſtis ſufficiat in externo verbo, modo ne impediat canalis, ex quo large ad bibendum nobis aqua profluit, quominus ſcaturigo ſuum honorem obtineat.

Porro in ſinceram vocationis electorum doctrinam impingunt, 1. Qui momentum voluntati humanæ tribuunt.
2. Qui electionem à fide ſuſpendunt, quorum error multis argumentis retunditur.
Deut. 30. verſ. 14.

4. Ergo ut perperam faciunt qui electionis vim ſuſpendunt à fide Euangelii, qua illam ad nos ſen-

Ea de cauſa, ſectione

hac & quinque ſequentibus agitur de electionis certitudine adverſus Satanæ inſultus. Hujus præcipua argumenta. 1. Vocatio efficax. 2. Chriſtus fide apprehenſus. 3. Protectio Chriſti electos cuſtodientis.

timus pertinere: ita optimum tenebimus ordinem, ſi in quærenda electionis noſtræ certitudine, in iis ſignis poſterioribus, quæ ſunt certæ ejus teſtificationes, hæreamus. Nulla tentatione vel gravius vel periculoſius fideles percellit Satan, quam dum ipſos ſuæ electionis dubitatione inquietans, ſimul prava ejus extra viam inquirendæ cupiditate ſollicitat. Extra viam inquirere voco, ubi in abditos divinæ ſapientiæ receſſus perrumpere homuncio conatur, &, quo intelligat quid de ſe ſit conſtitutum apud Dei tribunal, ad ſupremam uſque æternitatem penetrare. Tunc enim ſe in profundum immenſæ voraginis abſorbendum præcipitat: tunc innumeris atque inexplicabilibus laqueis ſe induit: tunc cæcæ caliginis abyſſo ſe adobruit. Sic enim æquum eſt horribili ruina ingenii humani ſtoliditatem puniri, ubi ſuopte Marte aſſurgere ad divinæ ſapientiæ altitudinem tentat. Eoque exitialior eſt hæc tentatio, quod ad nullam aliam propenſiores ſimus fere omnes. Rariſſimus enim eſt cujus non interdum animus hac cogitatione feriatur, Unde tibi ſalus niſi ex Dei electione? Electionis porro quæ tibi revelatio? Quæ ſi apud quempiam ſemel invaluit, aut diris tormentis miſerum perpetuo excruciat, aut reddit penitus attonitum. Nullu ſane certiore argumento confirmare velim, quanta pravitate prædeſtinationem imaginentur hujuſmodi homines, quam illa ipſa experientia: ſiquidem nullo peſtilentiori errore inficí mens poſſit quam qui ſua erga Deum pace ac tranquillitate conſcientiam diruit ac deturbat. Ergo naufragium ſi timemus, ſollicite ab hoc ſcopulo cavendum, in quem nunquam ſine exitio impingitur. Et vero licet periculoſi maris inſtar habeatur prædeſtinationis diſputatio: patet tamen in ea luſtranda, tuta & pacata, addo & jucunda navigatio, niſi quis periclitari ultro affectet. Nam quemadmodum in exitialem abyſſum ſe ingurgitant qui ut de ſua electione fiant certiores, æternum Dei conſilium ſine verbo percontantur: ita qui recte atque ordine ipſam inveſtigant qualiter in verbo continetur, eximium inde referunt conſolationis fructum.

Non autem in abditos divinæ ſapientiæ receſſus perrumpendum eſt, ut intelligamus quid ſit de nobis conſtitutum apud Dei tribunal.

Sed à Dei vocatione exordium ſumendum eſt, & in ea deſinendum.

Sit igitur hæc nobis inquirendi via, ut exordium ſumamus à Dei vocatione, & in ipſam deſinamus. Quanquam hoc non obſtat quin fideles quæ percipiunt quotidie beneficia ex Dei manu, ſentiant ex recondita illa adoptione deſcendere: ſicuti loquuntur apud Jeſaiam,

Jeſa. 25: 1. *Feciſti mirabilia: cogitationes tuæ antiquæ, veræ & fideles:* quando ea ceu teſſera vult nobis confirmare Deus quantum de ſuo conſilio ſciri fas eſt. Ne cui autem videatur infirmum iſtud teſtimonium: reputemus quantum & claritatis & certitudinis nobis afferat.

Quod Bernardi apposite dicto confirmatur. Serm. 23. ſuper cantic.

Qua de re appoſite Bernardus: poſtquam enim de reprobis loquutus eſt, *Stat*, inquit, *propoſitum Dei, ſtat ſententia pacis ſuper timentes eum, ipſorum diſſimulans mala, & remunerans bona: ut miro modo eis non modo bona, ſed & mala cooperentur in bonum. Quis accuſabit electos Dei? Sufficit mihi ad omnem juſtitiam, ſolum habere propitium cui ſoli peccavi. Omne quod mihi ipſe non imputare decrevit, ſic eſt quaſi non fuerit.* Et paulo poſt, O *veræ quietis locus, & quem non immerito cubiculi appellatione cenſuerim, in quo Deus non quaſi turbatus ira, nec velut diſtentus cura proſpicitur, ſed probatur voluntas ejus in eo bona & beneplacens & perfecta. Viſio iſta non terret, ſed mulcet: inquietam curioſitatem non excitat, ſed ſedat: nec fatigat ſenſus, ſed tranquillat. Hic vere quieſcitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aſpicere quieſcere eſt.*

Vocationis autem hujus ut & electionis fundamentum eſt Chriſtus.

5. Primum, ſi paternam Dei clementiam propitiumque animum quærimus, ad Chriſtum convertendi ſunt oculi, in quo ſolo Patris anima acquieſcit. Si ſalutem, vitam, & regni cæleſtis immortalitatem, non alio tum quoque confugiendum eſt: quando ipſe unus & vitæ fons eſt, & ſalu- Mat. 3: 17.
tis anchora, & regni cælorum hæres. Jam quorſum electio pertinet niſi ut in filiorum locum à cæleſti Patre cooptati, ejus favore ſalutem & immortalitatem obtineamus? Quantumlibet revolvas & excutias, ultimum tamen ejus ſcopum non ultra tendere intelliges. Proinde quos Deus ſibi filios aſſumpſit, non in ipſis eos dicitur elegiſſe, ſed in Chriſto ſuo: Eph. 1: 4. quia nonniſi in eo amare illos poterat, nec regni ſui hæreditate honorare niſi ejus conſortes ante factos.

In quem unum qui non recumbit, de electione ſua certus eſſe non poteſt.

Quod ſi in eo ſumus electi, non in nobiſipſis reperiemus electionis noſtræ certitudinem: ac ne in Deo quidem Patre, ſi nudum illum abſque Filio imaginamur. Chriſtus ergo ſpeculum eſt in quo electionem noſtram contemplari convenit, & ſine fraude licet. Quum enim is ſit cujus corpori inſerere deſtinavit Pater quos ab æterno voluit eſſe ſuos, ut pro filiis habeat quotquot inter ejus membra recognoſcit, ſatis perſpicuum firmumque teſtimonium habemus, nos in libro vitæ ſcriptos eſſe ſi cum Chriſto communicamus. Porro ille certa ſui communione nos donavit, quum per Euangelii prædicationem teſtatus eſt ſe nobis à Patre datum, ut cum ſuis omnibus bonis noſter eſſet. Illum induere dicimur, in ipſum coaleſcere ut vivamus: quia ipſe vivit. Toties repetitur hæc doctrina, *Filio unigenito non pepercit Pater, ut quiſquis credit in eum, non pereat.* Rom. 8. verſ. 32. *Qui* vero *in eum credit*, dicitur *tranſiiſſe à morte in vitam.* Joan. 3. verſ. 15. Quo ſenſu vocat ſe *panem vitæ, quem qui comederit, non morietur in æternum.* Joan. 5. verſ. 24. Ille (inquam) nobis teſtis fuit, filiorum loco habitum iri à Patre cæleſti omnes à quibus fide Joan. 6. verſ. 35. receptus fuerit. Siquid plus appetimus quam ut inter Dei filios cenſeamur & hæredes, ſupra Chriſtum conſcendamus licet. Si hæc ſuprema nobis eſt meta, quantopere inſanimus, extra ipſum quærendo quod & in ipſo jam conſequuti ſumus, & in ſolo ipſo inveniri poteſt?

Eſt enim æternum conſilii de ſalute noſtra fidus interpres.

Præterea quum ſit æterna Patris ſapientia, immutabilis veritas, firmum conſilium, non eſt timendum ne quod ſuo ſermone nobis enarrat, ab illa quam quærimus Patris voluntate vel minimum variet: quin potius eam fideliter nobis aperit qualis ab initio fuit, ac ſemper futura eſt. Hujus doctrinæ praxis in precibus quoque vigere debet. Nam etſi ad Dei invocationem nos animat electionis fides: ubi tamen vota concipimus, eam obtrudere Deo præpoſterum eſſet, vel hac conditione paciſci, Domine, ſi electus ſum, me exaudias: quando ſuis promiſſionibus vult nos eſſe contentos, neque alibi quærere an futurus ſit nobis exorabilis. Hæc prudentia nos à multis laqueis expediet ſi in rectum uſum accommodare ſcimus quod recte ſcriptum eſt: non autem inconſiderate huc illuc trahamus quod reſtringi debuerat.

Alia firmitudo electionis noſtræ, Chriſti paſtoris noſtri protectio.

6. Accedit ad ſtabiliendam fiduciam alia, quam cum vocatione noſtra conjungi diximus, electionis firmitudo. Quos enim nominis ſui cognitione illuminatos in Eccleſiæ ſuæ ſinum Chriſtus aſciſcit, eos dicitur in fidem tutelamque ſuam recipere. Quoſcunque autem recipit, ei à Patre commiſſi dicuntur ac concrediti ut in vitam æternam cuſtodiantur. Quid nobis volumus? clamat alta voce Chriſtus, Joan. 6. v. 37, 39. & 17. verſ. 6, 12. quotquot Pater ſalvos eſſe velit, eos ſibi in protectionem tradidiſſe. Ergo ſi reſcire libet an Deo curæ ſit noſtra ſalus, quæramus an Chriſto commendaverit: quem conſtituit unicum ſuorum omnium ſalvatorem.

Quomodo nobis pateſit.

Jam ſi dubitamus an ſimus à Chriſto in fidem cuſtodiamque recepti, ille dubitationi occurrit, dum ſe paſtorem ſponte offert, ac Joan. 10. verſ. 9. 11. in ovium ſuarum numero nos fore pronunciat ſi vocem ſuam audiamus. Chriſtum ergo benigne nobis expoſitum, & obviam prodeuntem amplectamur: ille autem nos in grege ſuo recenſebit, & inter ſua ſepta concluſos tenebit.

Objectio 1. de ſtatu futuro.

At ſubit futuri ſtatus anxietas: nam ut Paulus vocari docet qui electi ante fuerint: Rom. 8. verſ. 29. ita Chriſtus oſtendit *multos eſſe vocatos,*

paucos

Matth. 22. verſ. 14. *paucos vero electos*. Quin etiam ipſe quoque Paulus alibi à ſecuritate dehortatur: *Qui bene ſtat*, inquit, *videat ne cadat*.
1 Cor. 10. verſ. 12. Item, *Inſertus es in populum Dei? noli ſuperbire, ſed time: poteſt enim Deus rurſum ſuccidere, ut alios inſerat*.
Rom. 11. verſ. 20. Denique ipſa experientia ſatis docemur, parvi eſſe vocationem ac fidem, niſi accedat perſeverantia, quæ non omnibus contingit.
2. De perſeverantia. Solutio prioris objectionis. Sed enim iſta ſollicitudine liberavit nos Chriſtus: nam in poſterum certe reſpiciunt iſtæ promiſſiones, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venerit ad me, non ejiciam foras*.
Joan. 6. v. 37, 40. Item, *Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me Patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi: ſed reſuſcitem ea in noviſſimo die*.
Joan. 10. verſ. 27. Item, *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me. Ego cognoſco eas, & vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater qui dedit mihi, major omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei*.
Poſterioris ſolutio. Jam ubi pronunciat, *Omnis arbor quam non plantavit Pater meus, eradicabitur*: ex oppoſito innuit nunquam poſſe à ſalute evelli qui radicem in Deo habent.
Matth. 15. verſ. 13. Cui conſentit illud Joannis, *Si ex nobis fuiſſent, non exiſſent utique à nobis*.
1 Joan. 2 verſ. 19. Hinc etiam magnifica Pauli gloriatio contra vitam & mortem, præſentia & futura: quam in dono perſeverantiæ fundatam eſſe oportet.
Rom. 8. v. 37, 38. Nec dubium eſt quin ad electos omnes ſententiam hanc dirigat. Alibi idem
Phil. 1: 6. Paulus, *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti*.
Pſal. 138. verſ. 8. Sicuti etiam David, quum labaſceret ejus fides, in hanc fulturam recubuit, *Opus manuum tuarum non deſeres*. Jam vero neque hoc dubium eſt, quum orat Chriſtus pro omnibus electis, quin idem
Luc. 22. verſ. 32. illis precetur quod Petro, ut nunquam deficiat fides eorum. Ex quo elicimus, extra periculum defectionis eſſe, quia eorum pietati conſtantiam poſtulans Filius Dei, repulſam paſſus non eſt. Quid hinc nos diſcere voluit Chriſtus, niſi ut confidamus perpetuo nos fore ſalvos, quia illius ſemel facti ſumus?

Inſtantia in reſp. ad 1. objectionem, qui videntur electi, aliquoties deficiunt. 7. At quotidie accidit, ut qui videbantur eſſe Chriſti, rurſum deficiant ab eo, & corruant. Imo eo ipſo loco, ubi aſſerit neminem periiſſe ex iis qui ſibi à Patre dati fuerant, excipit tamen filium perditionis.
Joan. 17. verſ. 12. Verum eſt id quidem: ſed æque etiam certum, nunquam ea cordis fiducia tales Chriſto adhæſiſſe qua nobis electionis certitudinem ſtabiliri dico.
Reſponſio. *Exierant è nobis*, inquit Joannes, *ſed è nobis non erant. Si fuiſſent enim è nobis, permanſiſſent utique nobiſcum*.
Exceptionis dilutio. Nec inficior quin habeant vocationis ſimilia cum electis ſigna: ſed illud certum electio-
1 Joan. 2. verſ. 19. nis ſtabilimentum, quod fideles à verbo Euangelii petere jubeo, illis minime concedo. Quamobrem ejuſmodi exempla nequaquam nos permoveant quominus in Domini promiſſionem tranquilli recumbamus, ubi pronunciat à Patre datos eſſe ſibi
Joan. 3. verſ. 16. & 6: 39. omnes à quibus vera fide recipitur: quorum nemo, ſe cuſtode ac paſtore, periturus ſit. De Juda mox dicetur.
Locus Pauli à ſecuritate dehortantis explicatus, & qualis timor requiratur ab electis. Paulus non ſimplicem ſecuritatem Chriſtianis diſſuadet, ſed ſupinam ac ſolutam carnis ſecuritatem, quæ faſtum, arrogantiam, aliorum contemptum ſecum trahat, humilitatem extinguat, ac reverentiam Dei, acceptæque gratiæ oblivionem inducat. Gentiles enim alloquitur, quos docet, non eſſe Judæis ſuperbe & inhumaniter inſultandum ideo quia ipſis abdicatis in eorum locum ſubſtituti eſſent. Timorem quoque requirit, non quo conſternati vacillent, ſed qui ad ſuſcipiendam humiliter Dei gratiam nos inſtituens, nihil ex ejus fiducia diminuat: quemadmodum alibi dictum eſt. Adde, quod non ſingulos, ſed generatim ſectas ipſas alloquitur. Nam quum diviſa eſſet Eccleſia in duas partes, & æmulatio diſſidium pareret, admonet Paulus Gentiles, quod ſubrogati ſunt in locum peculiaris & ſancti populi, timoris & modeſtiæ debere illis eſſe cauſam. Atqui inter eos multi erant ventoſi, quorum utile fuit inanem jactantiam retundere. Cæterum alibi vidimus, ſpem noſtram in futurum tempus extendi, etiam ultra mortem, nec quicquam magis contrarium eſſe ejus naturæ quam ambigere quid de nobis futurum ſit.

8. Illa Chriſti ſententia de multis vocatis, paucis autem electis, peſſime in eum modum accipitur. *Explicatio dicti, de multis vocatis & paucis electis.* Nihil erit ambiguum ſi tenemus quod debet ex ſuperioribus liquere, duplicem eſſe vocationis ſpeciem. Eſt enim univerſalis vocatio, qua per externam verbi prædicationem omnes pariter ad ſe invitat Deus: Matth. 22. verſ. 14. etiam quibus eam in mortis odorem, & gravioris condemnationis materiam proponit. Eſt *Duplex vocatio.* altera ſpecialis, qua ut plurimum ſolos fideles dignatur: dum interiori ſui Spiritus illuminatione efficit ut verbum prædicatum eorum cordibus inſideat. Interdum tamen eos quoque facit participes quos ad tempus duntaxat illuminat: deinde ſuæ ingratitudinis merito deſerit, & majori percutit cæcitate. Jam quum videret Dominus Euangelium late longeque publicari, à plurimis contemptui haberi, apud paucos juſto in pretio eſſe: Deum ſub Matth. 22. regis perſona nobis deſcribit, qui convivium ſo- verſ. 2. lenne inſtituens, vocatores ſuos circumquaque mittat, ad magnam turbam invitandam, à pauciſſimis tamen impetrare queat: quia pro ſe quiſque impedimenta cauſetur: ut tandem recuſantibus illis cogatur è triviis obvium quemlibet accerſere. Hactenus de externa vocatione intelligendam parabolam nemo non videt. Subjungit poſtea, Deum boni convivatoris inſtar agere, qui circumeat menſas, ad ſuos hoſpites comiter excipiendos. Quod ſi quem reperiat veſte nuptiali non ornatum, minime paſſurum ut convivii feſtivitatem ſuis ſordibus dehoneſtet. Hoc membrum fateor intelligendum de iis qui fidei profeſſione in Eccleſiam ingrediuntur: ſed Chriſti ſanctificatione nequaquam induti. Talia Eccleſiæ ſuæ dehoneſtamenta, & velut καρκινώματα non ſuſtinebit perpetuo Deus: ſed prout meretur eorum turpitudo, extra projiciet. Pauci ergo electi ſunt ex magno vocatorum numero: non tamen ea vocatione unde fidelibus dicimus æſtimandam ſuam electionem. Illa enim impiorum etiam communis eſt, hæc ſecum affert Spiritum regenerationis, qui eſt arrhabo & ſigillum futuræ hære- Epheſ. 1. ditatis, quo in diem Domini obſignantur corda no- v. 13, 14. ſtra. In ſumma, quum hypocritæ, non ſecus ac veri Dei cultores, pietatem jactent, pronunciat Chriſtus ejectum tandem iri ex loco quem male occupant: ſicuti in Pſalmo dicitur, *Domine quis habi-* Pſal. 15: 1. *tabit in tabernaculo tuo? Innocens manibus, & puro corde*. Item alibi, *Hæc eſt generatio quærentium* Pſal. 24. *Deum, quærentium faciem Dei Jacob*. Atque ita ad verſ. 6. tolerantiam hortatur Spiritus fideles, ne ægre ferant Iſmaelitas ſibi miſceri in Eccleſia: quoniam tandem detracta larva cum dedecore ejicientur.

9. Eadem eſt ratio exceptionis nuper adductæ, *Explicatio alius dicti, neminem periiſſe niſi filium perditionis.* ubi ait Chriſtus *neminem periiſſe niſi filium perditionis*. eſt quidem impropria loquutio, ſed minime obſcura: ille enim non reputabatur inter oves Chriſti, quia vere eſſet; ſed quia locum tenebat. Quod porro ipſum alibi electum cum Apoſtolis à ſe fuiſſe Joan. 17. aſſerit Dominus, id duntaxat ad miniſterium refer- verſ. 12. tur. *Duodecim*, inquit, *elegi, & unus ex eis diabo-* Joan. 6. *lus eſt*. Nempe in Apoſtoli munus eum elegerat. verſ. 70. Quum autem de electione loquitur in ſalutem, eum procul ab electorum numero arcet, *Non de omnibus* Joan. 13. *loquor: ego ſcio quos elegerim*. Siquis vocabulum ele- verſ. 18. ctionis utrobique confundat, miſere ſe implicabit; ſi diſtinguat, nihil eſt expeditius. Peſſime ergo *Exceptionis adverſus certitudinem de electione refutatio.* & pernicioſe Gregorius, dum vocationis tantum noſtræ conſcios eſſe nos tradit, electionis incertos: unde ad formidinem & trepidationem omnes hortatur: hanc etiam rationem uſurpans, quia etiamſi quales hodie ſimus ſciamus, quales tamen ſimus Homil. 38. futuri, neſcimus. Verum eo loco ſatis declarat quo-

quomodo in bunc ſcopum impegerit. Quoniam enim ab operum meritis electionem ſuſpendebat, dejiciendis animis plus ſatis illi ſuppetebat cauſæ: confirmare non poterat, qui à ſeipſis ad divinæ bonitatis fiduciam non transferebat. Hinc qualemcunque ejus quod initio poſuimus, guſtum habent fideles: prædeſtinationem, ſi rite cogitetur, non fidei convulſionem, ſed optimam potius confirmationem afferre. Neque tamen inficior, Spiritum ad modulum ſenſus noſtri interdum accom-
Ezech. 13. verſ. 9. modare ſermooem. Sicuti quum dicit, *In arcano populi mei non erunt, & in catalogo ſervorum meorum non ſcribentur.* Acſi Deus ſcribere inciperet io libro vitæ quos recenſet io numero ſuorum:
Luc. 10. verſ. 20. Phil. 4: 3. quum tamen ſciamus vel teſte Chriſto, ſcripta eſſe filiorum Dei nomina in libro vitæ ab initio. Sed ſimpliciter his verbis eorum abdicatio notatur qui viſi ſunt inter electos præcipui: ſicut dicitur
Pſal. 69. verſ. 29. in Pſalmo, *Deleantur è libro vitæ, & cum juſtis non ſcribantur.*

Explicatis locis qua adverſus electionis certitudinem proferuntur, de vocationis præſtantia agitur hac ſectione & ſequenti.

10. Enimvero electi, nec ſtatim ab utero, nec eodem omnes tempore, ſed prout viſum eſt Deo ſuam illis gratiam diſpenſare, in ovile Chriſti per vocationem aggregantur. Ante vero quam ad ſummum illum Paſtorem colligantur, in communi deſerto diſſipati aberrant: nec ab aliis quicquam differunt, niſi quod ſingulari Dei miſericordia proteguntur, oe in ultimum mortis præcipitium ruant. In ipſos ergo ſi reſpicias, videbis Adæ progeniem, quæ communem maſſæ corruptionem redoleat. Quod non in extremam & deſperatam uſque impietatem feruntur, id oon fit aliqua illis ingenita bonitate: ſed quia in ipſorum ſalutem excubat Dei oculus, & manus extenta eſt. Nam qui ab ipſa nativitate inſitum eſſe eorum cordibus ſemen neſcio quod electionis ſomniant, cujus virtute ſemper ad pietatem timoremque Dei ſint ioclinati, nec Scripturæ auctoritate adjuvantur, & ipſa redarguuntur experientia.

Exempla, quibus quidam probare conantur, electionis ſemen ab ipſa nativitate, electorum cordibus inſitum eſſe.

Exempla quidem pauca proferunt, unde probent, electos ante illuminationem quoque non fuiſſe à religione alienos: Paulum in ſuo Phariſaiſmo vixiſſe irreprehenſibilem: Cornelium eleemoſynis & orationibus fuiſſe acceptum Deo, & ſiqua ſunt ſimilia. De Paulo illis concedimus: in Cornelio dicimus hallucinari. jam enim tum illuminatum ac regeneratum fuiſſe apparet, ut nihil illi
Phil. 3: 5, 6. deeſſet præter perſpicuam Euangelii revelationem.
Act. 10: 2. Sed enim quid pauculis iſtis exemplis tandem extorquebunt? electosne omnes pietatis Spiritu ſemper

1. Reſponſio, Exemplum unum aut alterum non conſtituit regulam: quod confirmatur ab oppoſito exempla.

eſſe præditos? Non magis quam ſiquis demonſtrata Ariſtidis, Socratis, Xenocratis, Scipionis, Curii, Camilli, & aliorum integritate, inde colligat, omnes qui in cæcitate idololatriæ deſeruntur, ſanctimoniæ & probitatis fuiſſe ſtudioſos. Quin etiam Scriptura non uno io loco illis palam reclamat. Qui enim deſcribitur à Paulo Epheſiorum ſtatus ante regenerationem, granum hujus ſeminis nullum oſtendit.

2. Scriptura reclamat huic errori.

Eratis, inquit, *delictis & peccatis mortui, in quibus ambulaſtis juxta ſeculum mundi hujus, juxta principem aëris, qui nunc agit in filiis contumacibus:
Eph. 2: 1. inter quos & nos omnes verſabamur aliquando in con-
ibid. v. 3. cupiſcentiis carnis noſtræ, facientes quæ carni & menti libebant. Et eramus natura filii iræ, ſicuti & cæteri.*
ibid. v. 12. Item, *Mementote quod ſine ſpe aliquando fueritis,
Eph. 5: 8. & Deo carueritis in mundo.* Item, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate.*

Exceptionis delutio.

Eph. 4: 18. At ea forte referri volent ad ignorantiam veri Dei, qua electos antequam vocentur, detineri non negant. Quanquam hoc eſſet impudenter calumniari, quum ex illis inſerat, non jam amplius eſſe vel mentiendum, vel furandum: quid tamen ad alios locos reſpondebunt?

3. Reſponſio, ab Apoſtoli expreſſis teſtimoniis.

Qualis ille eſt ad Corinthios, ubi quum denunciaſſet, *neque ſcortatores,
1 Cor. 6. neque idololatras, neque adulteros, neque molles, neque
verſ. 9, 11. pædicatores, neque fures, neque avaros, regni Dei fore hæredes:* continuo ſubjungit, illos iiſdem flagitiis fuiſſe, ante Chriſtum cognitum, implicitos: nunc vero & ſanguine ejus ablutos, & Spiritu liberatos. Item alter ad Romanos, *Quemadmodum præ- Rom. 6.
buiſtis membra veſtra ſerva immunditiæ, & iniqui- verſ. 19.
tati ad iniquitatem, nunc addicite illa in ſervitutem juſtitiæ. Quem enim fructum ex illis habuiſtis, in quibus nunc merito erubeſcitis?* &c.

Tertia reſponſionis explicatio & confirmatio.

11. Quale tunc, amabo, electionis ſemen in iis germinabat, qui tota vita multifariam contaminati, quaſi deſperata nequitia volutabantur in flagitio omnium maxime nefando & execrabili? Secundum eos ſi loqui voluiſſet, debuerat oſtendere quantum Dei beneficentiæ deberent, per quam conſervati eſſent ne io tantas fœditates prolaberentur. Sic & Petrus debuiſſet ſuos hortari ad gratitudinem, ob ſemen electionis perpetuum. Contra autem admonet, 1 Pet. 4: 3.
ſuffeciſſe præteritum tempus Gentium libidinibus conſummandis. Quid ſi venitur ad exempla? Quale ju- Joſuæ 2.
ſtitiæ germen in Rahab meretrice ante fidem? in verſ. 1, &c.
Menaſſe, quum Jeruſalem intingeretur & prope im- 2 Reg. 21.
mergeretur ſanguine Prophetarum? in latrone, qui verſ. 16.
inter ultimos tandem ſpiritus de reſipiſcentia cogi- Luc. 23.
tavit? v. 41, 42.
Faceſſant ergo hæc argumenta, quæ ſibiipſis bomines curioſuli temere ſine Scriptura excogitant.
Maneat autem nobis quod habet Scriptura, *Omnes* Jeſa. 53: 6.
pariter ovium perditarum inſtar aberraſſe, unumquemque declinaſſe inviam ſuam, hoc eſt, perditionem. Hoc perditionis gurgite quos aliquando eruere Dominus ſtatuit, eos in ſuam opportunitatem differt: tantum conſervat, in blaſphemiam irremiſſibilem ne devolvantur.

Altera pars capitis, quæ de reprobis agitur.

12. Quemadmodum ſuæ erga electos vocationis efficacia, ſalutem, ad quam eos æterno conſilio deſtinarat, perficit Deus: ita ſua habet adverſus reprobos judicia, quibus conſilium de illis ſuum exequatur. Quos ergo in vitæ contumeliam & mortis exitium creavit, ut iræ ſuæ organa forent, & ſeveritatis exempla, eos, ut in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat & obſtupefacit.

Horum quoſdam audiendi verbi ſui facultate privat Deus.

Prioris membri quum innumera ſint exempla, unum tamen, quod eſt præ aliis illuſtre ac notabile, eligamus. Quatuor circiter annorum millia ante Chriſti adventum effluxerunt, quibus ſalutiferæ doctrinæ lucem cunctis gentibus occultavit. Siquis reſpondeat, tanti beneficii compotes ideo non feciſſe quia indignos judicarit: nihilo erunt digniores poſteri.
cujus rei præter experientiam teſtis locuples eſt Ma- Mal. 4: 1.
lachias, qui incredulitatem craſſis blaſphemiis permiſtam coarguens, venturum tamen redemptorem denunciat. Cur ergo his potius quam illis datur? fruſtra ſe torqueat qui hic cauſam requirat arcano & inſcrutabili Dei conſilio altiorem. Nec eſt timendum nequis Porphyrii diſcipulus Dei juſtitiam impune arrodat, nobis pro ea nihil reſpondentibus. Quum enim aſſerimus oullos perire immerentes, gratuitæ eſſe beneficentiæ Dei quod nonnulli liberantur, abunde pro illuſtranda ejus gloria dictum eſt, ut ooſtra tergiverſatione nequaquam indigeat. Prædeſtinationi igitur ſuæ viam facit ſummus ille arbiter, ubi quos ſemel reprobavit, lucis ſuæ communicatinneorbatos deſerit in cæcitate.

Alios ejus prædicatione magis excæcat & obſtupefacit.

Alterius membri cum extant quotidiana documenta, tum multa in Scripturis continentur. Apud centum eadem fere habetur concio, viginti prompta fidei obedientia ſuſcipiunt: alii vel nullius penſi habent, vel rident, vel explodunt, vel abominantur. Siquis reſpondeat, diverſitatem ex eorum provenire malitia & perverſitate, nondum ſatisfactum fuerit: quia & illorum ingenium eadem malitia occuparetur, niſi Deus ſua bonitate corrigeret. Ideoque ſemper im-
plicabimur, niſi ſuccurrat illud Pauli, *Quis te diſ-* 1 Cor. 4
cernit? Quo ſignificat non propria virtute, ſed verſ. 7.
ſola Dei gratia alios aliis præcellere.

13. Cur

Nec alia cauſa reddi poteſt cur Deus ita faciat, niſi quia reprobi ſunt vaſa iræ in contumeliam, & ad interitum aptata.
Act. 13. verſ. 48.
lib. de Geneſi ad liter. c. 10.
Homil. de converſ. Pauli.

13. Cur ergo gratiam illis largiendo, hos prætermittit? De illis cauſam reddit Lucas, *Quia ad vitam ſunt ordinati.* De his ergo quid ſentiemus, niſi quia ſunt vaſa iræ in contumeliam? Quare ne cum Auguſtino loqui nos pigeat. *Poſſet* (inquit ille) *Deus malorum voluntatem in bonum convertere, quia omnipotens eſt. Poſſet plane. Cur ergo non facit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt.* Debemus enim non plus ſapere quam oportet: multoque id ſatius eſt, quam tergiverſari cum Chryſoſtomo, Quod *volentem trahat & manum porrigentem*, ne diſcrimen in Dei judicio, ſed ſolo hominum arbitrio ſitum videatur. Adeo quidem non ſitum eſt in proprio hominis motu, accedere, ut piis quoque & Deum timentibus ſingulari adhuc inſtinctu Spiritus opus ſit.

1. *Confirmatio ab appoſitis electorum exemplis.*
Act. 16. verſ. 14.

Lydia purpuraria Deum timebat, & tamen cor ejus aperiri oportuit, ut attenderet doctrinæ Pauli, & in ea proficeret. Hoc non de una muliere dictum eſt, ſed ut ſciamus profectum cujuſque in pietate, opus eſſe arcanum Spiritus. Iſtud quidem in quæſtionem trahi non poteſt, multis verbum ſuom Dominum mittere, quorum cæcitatem magis velit aggravari.

3. *Ab exemplo appoſito Pharaonis.*

Quorſum enim tot mandata deferri jubet ad Pharaonem? an quia ſæpius repetitis legationibus mitigatum iri ſperabat? Imo antequam inciperet, exitum & noverat & prædixerat. *Ito* (dicebat Moſi) *& expone illi voluntatem meam: ego autem indurabo cor ejus ne obtemperet.*

Exod. 4. verſ. 21.
Ezech. 2: 3. & 12: 2.
Jer. 1: 10.

Sic quum Ezechielem ſuſcitat, præmonet ſe mittere ad populum rebellem & contumacem: ne terreatur ſi ſurdis ſe canere videat. Sic Jeremiæ prædicit, futuram ejus doctrinam in ignem, ut populum inſtar ſtipulæ perdat & diſſipet.

Et populi Judaici ante & poſt Christum in carne exhibitum.
Jeſa. 6: 9.

Sed magis etiamnum premit Jeſaiæ prophetia: ſic enim à Domino dimittitur, *Vade, & dic filiis Iſraël, Audiendo audite, & ne intelligatis. Videndo videte, & ne ſciatis. Obſtina cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus oblinе: ut ne forte videat oculis ſuis, & audiat auribus ſuis, & corde intelligat, quo converſus ſanetur.* Ecce, vocem ad eos dirigit, ſed ut magis obſurdeſcant: lucem accendit, ſed ut reddantur cæciores: doctrinam profert, ſed qua magis obſtupeſcant: remedium adhibet, ſed ne ſanentur.

Joan. 12. verſ. 39.

Atque hanc prophetiam adducens Joannes, Judæos Chriſti doctrinæ non potuiſſe credere aſſerit, qoia in eos incumberet hæc Dei maledictio. Neque hoc quoque controverti poteſt, quos Deus illuminatos non vult, illis doctrinam ſuam ænigmatibus involutam tradere: ne quid inde proficiant, niſi ut in majorem hebetudinem tradantur.

Matth. 13. verſ. 11.

Teſtatur enim Chriſtus ſe ideo ſolis Apoſtolis ediſſerere parabolas, in quibus apud multitudinem loquutus erat: *quia his datum ſit noſſe myſteria regni Dei, vulgo non item.* Quid, inquies, ſibi vult Dominus eos docendo, à quibus ne intelligatur curat? Conſidera unde vitium, & deſines interrogare. In verbo enim qualiſcunque ſit obſcuritas, ſatis tamen ſemper eſt lucis ad convincendam impiorum conſcientiam.

Quæſtio, Cur Deus reprobos excæcat.
Reſponſio 1.
Reſp. 2. *ad quam neceſſario eſt tranſeundum.*
Rom. 9. verſ. 17.

14. Reſtat nunc ut videamus cur id Dominus faciat quod eum facere palam eſt. Si reſpondeatur, ſic fieri quia id impietate, nequitia, ingratitudine ſua meriti ſunt homines: bene id quidem & vere dicetur: ſed quia nondum patet iſtius varietatis ratio, cur aliis in obedientiam flexis, iſti obdurati perſiſtant, in ea excutienda, neceſſario ad illud quod ex Moſe annotavit Paulus tranſeundum erit: nempe *quod ab initio eos excitarit Dominus ut oſtenderet nomen ſuum in univerſa terra.* Quod igitur ſibi patefacto Dei verbo non obtemperant reprobi, probe id in malitiam pravitatemque cordis eorum rejicietur, modo ſimul adjiciatur, ideo in hanc pravitatem addictos, quia juſto, ſed inſcrutabili Dei judicio ſuſcitati ſunt, ad gloriam ejus ſua damnatione illuſtrandam. Similiter quum de filiis Heli narratur, quod non auſcultarunt ſalutaribus monitis, *quia voluerit Dominus occidere eos*: non negatur contumaciam à propria ipſorum nequitia profectam eſſe: verum ſimul notatur cur in contumacia deſerti fuerint, quum potuerit eorum corda Dominus emollire: quia ſcilicet eos ſemel exitio deſtinaſſet immutabile ejus decretum.

Confirmatio, à perſpicuo dicto & teſtimonio ex hiſtoria ſacra.
1 Sam. 2. verſ. 25.
Ex Euangelicis teſtimoniis.
Joan. 12. verſ. 38.

Eodem pertinet illud Joannis, *Quum tanta ſigna feciſſet, nemo credidit in eum: ut ſermo Jeſaiæ impleretur, Domine, quis credidit auditui noſtro?* Etſi enim à culpa non liberat pervicaces, contentus eſt tamen illa ratione, quod inſipida ſit hominibus Dei gratia, donec Spiritus ſanctus ſaporem afferat.

Joan. 6: 45.

Et Chriſtus Jeſaiæ vaticinium citans, *Erunt omnes docti à Deo*, non alio tendit niſi Judæos eſſe reprobos & ab Eccleſia extraneos: quia ſunt indociles. nec aliam cauſam affert niſi quod ad eos non pertineat Dei promiſſio.

Ex Pauli dicto.
1 Cor. 1. verſ. 23.

Quod confirmat illud Pauli, *Chriſtum, qui Judæis eſt ſcandalum, & Gentibus ſtultitia, eſſe vocatis virtutem & ſapientiam Dei.* Nam ubi dixit quid fere contingat quoties prædicatur Euangelium, nempe ut alios exaſperet, ab aliis ſpernatur, dicit apud ſolos vocatos eſſe in pretio. Paulo ante quidem nominaverat credentes, ſed gratiæ Dei, quæ fidem præcedit, noluit gradum ſuum negare: quin potius hoc ſecundum correctionis vice addidit, ut Dei vocationi fidei ſuæ laudem adſcriberent qui Euangelium amplexi fuerant. Sicuti etiam paulo poſt docet à Deo electos eſſe.

Reproborum objectio.

Hæc dum impii audiunt, quiritantur Deum miſeris ſuis creaturis inordinata potentia in ſævitiæ ſuæ ludum abuti.

Reſponſio.

Sed nos, qui cunctos homines tot nominibus Dei tribunali obnoxios novimus ut de mille interrogati ne in uno quidem ſatisfacere queant, confitemur nihil pati reprobos quod non juſtiſſimo Dei judicio conveniat. Quod rationem ad liquidum non aſſequimur, aliquid neſcire non recuſemus, ubi ſe Dei ſapientia in ſuam ſublimitatem attollit.

Adverſus hanc de juſta reproborum rejectione doctrinam objectiones.
Prima, ex Ezechiele.
Ezech. 34. verſ. 11.
Reſponſio.

15. At quoniam objici ſolent pauci Scripturæ loci, quibus videtur negare Deus ſua ordinatione fieri ut iniqui pereaot, niſi quoad ſe reclamante ipſi mortem ſponte ſibi accerſunt; eos breviter explicando demonſtremus nihil ſuperiori ſententiæ adverſari. Profertur Ezechielis locus, quod *Deus nolit mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat.* Si hoc ad totum humanum genus extendere placet, cur plurimos ad reſipiſcentiam non ſollicitat, quorum animi ad obedientiam magis ſunt flexibiles quam eorum qui ad quotidianas ejus invitationes magis ac magis obdureſcunt?

Matth. 13. verſ. 23.

Apud Ninivitas & Sodomitas, teſte Chriſto, Euangelii prædicatio & miracula plus fructus attuliſſent quam in Judæa. Qui fit ergo, ſi vult Deus omnes ſalvos fieri, ut miſeris, qui ad gratiam recipiendam paratiores eſſent, januam pœnitentiæ non aperiat? Hinc videmus violenter torqueri locum, ſi Dei voluntas, cujus meminit Propheta, opponitur æterno ejus conſilio, quo electos diſcrevit à reprobis.

Prophetæ locus explicatur.

Nunc ſi quæritur genuinus Prophetæ ſenſus, tantum ſpem veniæ reſipiſcentibus facere vult. Atque hæc ſumma eſt, non eſſe dubitandum quin Deus paratus ſit ignoſcere, ſimulac converſus fuerit peccator. Ergo ejus mortem non vult, quatenus vult pœnitentiam. Experientia autem docet, ita velle reſipiſcere quos ad ſe invitat, ut non tangat omnium corda. Neque tamen ideo dicendum eſt, fallaciter ipſum agere: quia etſi vox externa tantum inexcuſabiles reddit qui eam audiunt, neque obſequuntur, vere tamen cenſetur teſtimonium gratiæ Dei quo ſibi reconciliat homines. Teneamus ergo Prophetæ conſilium, non placere Deo mortem peccatoris: ut confidant pii, ſimulac pœnitentia tacti fuerint, ſibi paratam eſſe apud Deum veniam: impii vero ſentiant duplicari crimen ſuum, quod tantæ Dei clemen-

clementiæ & facilitati non reſpondent. Pœniten-
tiæ igitur ſemper obvia Dei miſericordia occurret;
ſed pœnitentia quibus detur, tam omnes Prophetæ
quam Apoſtoli atque ipſe Ezechiel clare docent.

Secunda, ex Paulo. 16. Adducitur ſecundo Pauli locus, ubi tradit
Deum velle omnes ſalvos fieri: cujus etſi diverſa eſt
1 Tim. 2. verſ. 4. quam ſuperioris ratio, aliquid tamen eſt commune.
Reſponſio. Reſpondeo, primum ex contextu palam fieri quo-
modo velit: utrumque enim copulat Paulus, quod
velit ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis perve-
nire. Si hoc æterno Dei conſilio fixum eſſe volunt,
ut ſalutis doctrinam percipiant: quid ſibi vult illud
Deut. 4:7. Moſis, *Quæ gens eſt tam inclyta, ut ad eam appropin-
quet Deus ſicut ad te?* Quî factum eſt ut privaverit
Deus Euangelii luce multos populos, qua alii fruе-
bantur? Quî factum eſt ut nunquam pura doctri-
næ pietatis cognitio ad quoſdam pervenerit, alii
Senſus Apoſtoli. vix obſcura quædam rudimenta guſtaverint? Hinc
jam elicere promptum erit quorſum tendat Paulus.
Præceperat Timotheo ſolennes in Eccleſia preca-
tiones pro regibus & principibus concipere. quum
autem abſurdum nonnihil videretur orationes ad
Deum fundi pro genere hominum prope deplorato
(quia non tantum à Christi corpore alieni omnes
erant, ſed ad regnum ejus opprimendum totis viri-
bus enitebantur) ſubjicit, *acceptum id eſſe Deo, qui
velit omnes homines ſalvos fieri.* Quo nihil aliud pro-
fecto ſignificat, quam nulli hominum ordini viam
ad ſalutem præcluſiſſe: quin potius miſericordiam
ſuam ſic effudiſſe ut nullum ejus expertem eſſe velit.
Aliæ ſententiæ non declarant quid de omnibus oc-
culto ſuo judicio Dominus ſtatuerit: ſed paratam
denunciant omnibus peccatoribus veniam, qui
Tertia, ex Scriptura dicto, Deum velle omnium miſereri. modo ſe ad eam requirendam convertunt. Nam ſi
tenacius urgeant quod dicitur, velle miſereri
omnium, ego contra excipiam quod alibi ſcribitur,
Deum noſtrum eſſe in cælo, ubi faciat quæcunque velit.
Sic ergo exponendum erit hoc verbum, ut cum
Reſponſio. altero conveniat, *Miſerebor cujus miſerebor, &
Pſ. 115:3. commiſerabor quem fuero miſeratus.* Qui deligit quos
Exod. 33. miſericordia proſequi debeat, eam non omnibus
verſ. 19. impertitur. Sed ubi clare apparet non de ſingulis
hominibus, ſed de hominum ordinibus illic agi, fa-
ceſſat longior diſputatio. Quanquam ſimul notan-
dum eſt, Paulum non aſſerere quid ſemper & ubi-
que & in omnibus faciat Deus: ſed liberum ei relin-
quere ut reges tandem & magiſtratus participes fa-
ciat cæleſtis doctrinæ, quamvis adverſus eam pro
Quarta ex cæcitate ſua inſaniant. Videntur fortius urgere ob-
2 Pet. 3:9. jecto Petri loco, *Deum neminem velle perire, ſed
Reſponſio. omnes recipere ad pœnitentiam.* Verum nodi ſolutio
jam mox in ſecundo verbo occurrit: quia voluntas
recipiendi ad pœnitentiam non alia intelligi poteſt
niſi quæ paſſim traditur. Sane converſio in Dei
manu eſt. an velit omnes convertere, interrogetur
Ezech. 36. ipſe: dum paucis quibuſdam ſe daturum promittit
verſ. 26. cor carneum, aliis cor lapideum relinquendo. Ve-
rum quidem eſt, niſi recipere paratus eſſet qui ejus
miſericordiam implorant, concidere illam ſenten-
Zach. 1:3. tiam, *Convertimini ad me, & convertar ad vos*: ſed
dico neminem mortalium ad Deum accedere niſi
qui divinitus prævenitur. Ac, ſi in hominis arbi-
2 Tim. 2. trio eſſet pœnitentia, non diceret Paulus, *Si forte
verſ. 25. det illis pœnitentiam*: imo niſi idem Deus qui ad pœ-
nitentiam omnes voce hortatur, arcano Spiritus
Jer. 31:18. motu electos adduceret, non diceret Jeremias,
*Converte me Domine, & convertar: ubi enim con-
vertiſti me, egi pœnitentiam.*

Quinta objectio, duplicem voluntatem in Deo videri. 17. Sed enim (inquies) ſi ita eſt, parum erit
fidei promiſſionibus Euangelicis, quæ quum de
voluntate Dei teſtantur, eum velle aſſerunt
quod inviolabili ejus decreto adverſetur. Mini-
Reſponſio. me vero: quamlibet enim univerſales ſint ſalu-
tis promiſſiones, nihil tamen à reproborum præ-
deſtinatione diſcrepant: modo in earum effectum
mentem dirigamus. Efficaces nobis tum eſſe de-
mum promiſſiones ſcimus ubi eas fide recipimus:
ubi contra exinanita eſt fides, ſimul abolita eſt pro-
miſſio. Ea ſi eſt natura ipſarum, videamus jam num-
quid inter ſe hæc diſſideant, quod dicitur ab æter-
no Deus ordinaſſe quos amore complecti, in quos
iram exercere velit: & quod ſalutem omnibus in-
diſcriminatim denunciat. Equidem dico optime
convenire: ſic enim promittendo, nihil aliud vult
quam omnibus expoſitam eſſe ſuam miſericordiam,
qui modo eam expetunt atque implorant. quod non
alii faciunt niſi quos illuminavit. Porro illuminat
quos prædeſtinavit ad ſalutem. His, inquam, con-
ſtat certa & inconcuſſa promiſſionum veritas, ut
dici nequeat aliquid eſſe diſſenſionis inter æternam
Dei electionem, & quod fidelibus offert gratiæ ſuæ
teſtimonium. Sed cur omnes nominat? Nempe *Exceptio 1.*
quo tutius piorum conſcientiæ acquieſcant, dum *Salus omnibus offertur.*
intelligunt nullam eſſe peccatorum differentiam, *Reſponſio.*
modo adſit fides: impii autem non cauſentur ſibi
deeſſe aſylum, quo ſe à peccati ſervitute recipiant,
dum oblatum ſibi ingratitudine ſua reſpuunt. Ergo
quum utriſque Dei miſericordia per Euangelium
offeratur, fides eſt, hoc eſt, Dei illuminatio, quæ
inter pios & impios diſtinguit: ut Euangelii effica-
ciam illi ſentiant, hi vero nullum inde fructum
conſequantur. Illuminatio quoque ipſa electionem
Dei æternam pro regula habet. Querimonia Chri- *Exceptio 2.*
ſti quam citant, *Jeruſalem, Jeruſalem, quoties vo-* Matth. 23.
lui congregare pullos tuos, & noluiſti? nihil illis ſuffra- verſ. 37.
gatur. Fateor Chriſtum non tantum in perſona ho- *Reſponſio.*
minis loqui, ſed exprobrare quod ſeculis omnibus
repudiaverint ſuam gratiam. Sed definienda eſt illa
Dei voluntas de qua agitur. neque enim obſcurum
eſt quam ſedulo incubuerit Deus ad retinendum
illum populum, & quanta pervicacia à primis ad
ultimos vagis ſuis cupiditatibus dediti collectio-
nem reſpuerint: ſed inde non ſequitur irritum
fuiſſe conſilium Dei hominum malitia. Excipiunt, *Exceptio 3.*
nihil minus eſſe conſentaneum Dei naturæ quam
ut ſit duplex in eo voluntas. Quod ego illis concedo, *Reſponſio 1.*
modo dextri ſint interpretes. Sed cur non conſide-
rant tot teſtimonia, ubi Deus humanos affectus in-
duens, infra ſuam majeſtatem deſcendit? Dicit ſe
protenſis brachiis rebellem populum vocaſſe: mane & Jeſa. 65:2.
ſero dediſſe operam ut eum ad ſe reduceret. Hæc
omnia ſi Deo aptare volent, ac figuram negligere,
multæ ſupervacuæ contentiones emergent: quas
una hæc ſolutio componit, quod humanum eſt ad
Deum transferri. Quanquam ſolutio alibi à nobis *Reſponſio 2.*
adducta abunde ſufficit, quamvis multiplex ſit Dei lib. 1. c. 18.
voluntas quoad ſenſum noſtrum, non tamen eum ſect. 3.
hoc & illud in ſe velle, ſed pro ſapientia ſua varie & lib. 3.
multiplici (ut eam Paulus vocat) attonitos reddere cap. 20.
ſenſus noſtros, donec cognoſcere nobis dabitur mi- ſect. 43. Eph. 3:10.
rabiliter eum velle quod nunc videtur eſſe volun-
tati ejus adverſum. Cavillis etiam ludunt, quum *Exceptio 4.*
Deus omnium ſit pater, injuſtum eſſe ut quenquam
abdicet niſi qui ſua culpa pœnam hanc ante fuerit
promeritus. Quaſi vero non uſque ad porcos & ca- *Reſponſio 1.*
nes pateat Dei liberalitas. Quod ſi de humano ge- 2.
nere agitur, reſpondeant cur Deus ſeſe devinxerit
uni populo, ut ejus eſſet pater: cur etiam exiguum
inde numerum quaſi florem decerpſerit. Sed con- 3.
vitiatores iſtos impedit ſua maledicendi libido ne
conſiderent Deum ita ſolem ſuum producere ſuper Mat. 5:45.
bonos & malos ut paucis repoſita ſit hæreditas, qui-
bus olim dicetur, *Venite benedicti Patris mei, poſſi-* Matth. 25.
dete regnum, &c. Objiciunt etiam, *Deum nihil* verſ. 34.
odiſſe eorum quæ fecit: quod ut illis concedam, fal- *Sexta objectio.*
ſum tamen manet quod doceo, reprobos Deo ex- *Reſponſio.*
oſos eſſe, & quidem optimo jure, quia ejus Spiritu
deſtituti nihil proferre queunt quam maledictionis
cauſam. Addunt *non eſſe diſcrimen Judæi & Genti-* *Septima objectio.*
lis, ideoque indiſcriminatim omnibus proponi Dei
gratiam:

Reſponſio. Rom. 9. verſ. 24.

gratiam : oempe modo admittant (ſicuti definit Paulus) tam ex Judæis quam ex Gentibus Deum pro ſuo beneplacito vocare, ita ut nemini ſit obſtrictus.

Octava. Rom 11. verſ. 32.

Hoc etiam modo quod ex alio loco ohtendunt daluitur, *Deum clauſiſſe omnia ſub peccato, ut omnium miſereatur:*

Reſponſio.

nempe quia omnium qui ſalvi fiunt ſalutem miſericordiæ ſuæ vult adſcribi: quamvis non omnibus ſit commune hoc beneficium.

Concluſio breviſſima, veriſſima, firmiſſima, ſanctiſſima.

Porro ubi multa ultro citroque adducta fuerint, ſit hæc nobis clauſula, ad tantam profunditatem cum Paulo expaveſcere : quod ſi obſtrepant petulantes linguæ, non pudefieri in hac ejus exclamatione, *O homo, tu quis es qui litigas cum Deo?* Vere enim Auguſtinus perverſe facere contendit, qui juſtitiæ humanæ modo divinam metiuntur.

Rom. 9. verſ. 20. De præd. & grat. c. 2.

CAP. XXV.

De reſurrectione ultima.

Partes hujus capitis.

1. *Orthodoxæ doctrinæ de reſurrectione ultima, Philoſophis ignota, utilitas, neceſſitas, veritas, adminicula immota proponuntur, ſect. 1. 2. 3. & 4.*
2. *Atheorum, Sadducæorum, Chiliaſtarum, & aliorum fanaticorum ſinceram hanc doctrinam impugnantium blaſphemiæ refelluntur, ſect. 5. 6. & 7.*
3. *Explicatur reſurrectionis ultimæ modus, ſect. 8. & 9.*
4. *De æterna tandem electorum felicitate, & ſempiterna reproborum miſeria, ſect. 10. 11. & 12. agitur.*

Ut inviſti ſub cruce in vocatione noſtra perſeveremus, beata ſpes nobis expectanda eſt, & adventus gloriæ magni Dei.

2 Tim. 1. verſ. 10.
Joan. 5. verſ. 24.
Eph. 2. v. 6, 19.
Rom. 8. verſ. 26.
Hebr. 11. verſ. 1.
2 Cor. 5. verſ. 6.
Col. 3: 3.
Tit. 2: 12.

ETſi Chriſtus, ſol juſtitiæ, morte devicta per Euangelium illucens, vitam nobis illuminavit, teſte Paulo, unde & credendo dicimur *tranſiiſſe à morte in vitam, non jam peregrini & advenæ, ſed cives ſanctorum & domeſtici Dei*, qui nos cum ipſo unigenito ſedere fecit in cæleſtibus, ut ad plenam felicitatem nihil deſit: ne tamen moleſtum ſit nobis exerceri adhuc ſub dura militia, ac ſi nullus victoriæ à Chriſto partæ fructus conſtaret, tenendum eſt quod alibi docetur de ſpei natura. Quoniam enim ſperamus quæ non apparent, atque, ut alibi dicitur, *fides eſt demonſtratio rerum inviſibilium*: quamdiu carnis ergaſtulo ſumus incluſi, peregrinamur à Domino. Qua ratione alibi idem dicit Paulus *nos eſſe mortuos, & vitam noſtram cum Chriſto abſconditam eſſe in Deo: & quum ipſe, qui vita noſtra eſt, apparuerit, tunc & nos cum ipſo apparituros in gloria.* Hæc igitur noſtra conditio eſt, *ut ſobrie & juſte & pie vivendo in hoc ſeculo, expectemus beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Hic patientia non vulgari opus eſt, ne defatigati vel retroflectamus curſum, vel ſtationem noſtram deſeramus.

Idque ornati eximia quadam patientia.

Itaque quicquid hactenus de ſalute noſtra expoſitum fuit, mentes in cælum erectas flagitat, *ut Chriſtum, quem non vidimus, diligamus, & in eum credentes exultemus lætitia inenarrabili & glorioſa, donec reportemus finem fidei noſtræ*, ut Petrus admonet.

1 Pet. 1:8.
Col. 1: 5.

Qua ratione Paulus fidem & charitatem piorum reſpicere dicit *ad ſpem quæ in cælo eſt repoſita.* Quum ita oculis in Chriſtum defixis è cælo pendemus, nec quicquam eos moratur in terra quo minus ad promiſſam beatitudinem oos ferant, impletur vere illud, *cor noſtrum eſſe ubi eſt theſaurus noſter.*

Mat. 6: 25.

Non obſtantibus tarditatis noſtræ dilationibus.

Hinc tam rara io mundo fides, quod tarditati noſtræ nihil magis difficile eſt quam per innumera obſtacula tranſcendere pergendo ad palmam ſupernæ vocationis.

Profanorum ludibriis,

Ad ingentem miſeriarum cumulum, quo fere obruimur, accedunt profanorum hominum ludibria, quibus impetitur noſtra ſimplicitas: dum bonorum præſentium illecebris ſponte renunciantes, videmur beatitudinem quæ nos latet, quaſi fugitantem umbram captare.

Violentis tentationibus.

Denique ſurſum & deorſum, à fronte & à tergo violentæ nos tentationes obſident, quibus ſuſtinendis longe eſſent animi noſtri impares, niſi explicitι rebus terrenis, cæleſti vitæ, quæ in ſpeciem procul remota eſt, devincti eſſent. Quare ille demum ſolide in Euangelio profecit qui ad continuam beatæ reſurrectionis meditationem aſſuefactus eſt.

Perfecta autem illa felicitas,

2. De ſummo fine bonorum anxie diſputarunt olim Philoſophi, atque etiam inter ſe certarunt: nemo tamen, excepto Platone, agnovit ſummum hominis bonum eſſe ejus conjunctionem cum Deo.

Philoſophis ignota, Dei electis in ultima reſurrectione proponitur.

qualis autem hæc eſſet, ne obſcuro quidem guſtu ſentire potuit: oec mirum, ut qui de ſacro illius vinculo nihil didicerat. Nobis unica & perfecta felicitas in hac quoque terrena peregrinatione nota eſt: ſed quæ ſui deſiderio corda noſtra magis ac magis quotidie accendit, donec plena fruitio nos ſatiet. Ideo dixi ex Chriſti beneficiis fructum non percipere niſi qui ad reſurrectionem animos attollunt. Sicuti hunc ſcopum præfigit Paulus fidelibus, ad quem ſe eniti dicit, & omnia oblivíſci, donec eo perveniat.

Phil. 3: 8.

Ad quam attollendi ſunt animi.

Quo nos quoque alacrius eodem contendere oportet, ne ſi mundus hic nos occupet, triſtes deſidiæ noſtræ poenas demus. Proinde alibi fideles inſignit hac nota, quod *eorum converſatio in cælis ſit, unde & Servatorem ſuum expectant.* Ac ne flacceſcant animis in hoc curſu, idem illis omnes creaturas adjungit ſocias.

ibid. 20.

Maxime, quum omnes creatura ſuo quodam modo & more tantum bonum appetere videantur.

Nam quia ubique deformes conſpiciuntur ruinæ, dicit quæcunque in cælo & terra ſunt eniti ad renovationem. Nam quum Adam ſuo lapſu diſſipaverit integrum naturæ ordinem, ſua creaturis ſervitus, cui propter hominis peccatum ſubjectæ ſunt, moleſta & gravis eſt: non quod præditæ ſint aliquo ſenſu, ſed quia integrum ſtatum à quo exciderunt, naturaliter appetunt. *Gemitum* ergo & *parturitionis dolorem* illis attribuit Paulus, ut nos, qui primitiis Spiritus donati ſumus, pudeat io noſtra corruptione tabeſcere, ac non imitari ſaltem mortua elementa, quæ alieni peccati poenam ſuſtinent.

Rom. 8. verſ. 19.

Quo autem acrius nos pungat, ultimum Chriſti adventum vocat *noſtram redemptionem.* Verum quidem eſt, jam completos eſſe omnes redemptionis noſtræ numeros: ſed quia Chriſtus ſemel oblatus eſt pro peccatis, iterum abſque peccato conſpicietur in ſalutem. Quibuslibet ærumnis premamur, hæc nos redemptio ad ſuum uſque effectum ſuſtineat.

Hebr. 10. verſ. 12.

Præcipue vero hujus doctrina veritas & neceſſitas erigere nos debet: quum, niſi reſurgant mortui, totum Euangelium fallax & inane ſit.

3. Studium noſtrum acuet ipſum rei pondus. Nec enim Paulus abs re contendit, *niſi mortui reſurgant, totum Euangelium inane & fallax eſſe: quia miſerior eſſet noſtra quam aliorum mortalium conditio*, utpote qui multorum odiis & probris expoſiti, *in ſingulas horas periclitamur*, imo ſumus quaſi oves mactationi deſtinatæ: ac proinde concideret ejus auctoritas non una in parte duntaxat, ſed in tota ſumma, quam & adoptio & ſalutis noſtræ effectus complectitur. Atque ita in rem maxime omnium ſeriam ſimus attenti, ut nulla diuturnitas laſſitudinem afferat. Quo conſilio etiam in hunc locum diſtuli quod de ea breviter tractandum erat, ut diſcant lectores, ubi Chriſtum receperint perfectæ ſalutis auctorem, altius aſſurgere, ſciantque cæleſti immortalitate & gloria veſtitum, ut totum

1 Cor. 15. v. 13, 14, 16, 17. &c.

corpus

corpus capiti conſorme reddatur. Quemadmodum etiam in ejus perſona Spiritus ſanctus reſurrectionis exemplum ſubinde proponit.

Et quoniam hæc reſurrectio eſt creditu difficilis, duo adminicula nobis ſuppeditantur.
1. Chriſti ſimilitudo.
2. Dei omnipotentia.

Res eſt creditu difficilis, ubi putredine conſumpta fuerint corpora, tandem ſuo tempore reſurrectura eſſe. Itaque quum multi ex Philoſophis aſſeruerint immortales eſſe animas, carnis reſurrectio à paucis probata fuit: in quo etſi nulla fuit excuſatio, inde tamen monemur rem eſſe magis arduam quam ut hominum ſenſus ad ſe trahat. Quo tantum obſtaculum ſuperet fides, duo adminicula Scriptura ſuppeditat: alterum eſt in Chriſti ſimilitudine, alterum vero in Dei omnipotentia.

Primi adminiculi demonſtratio prima, noſtra cum Chriſto excitato è mortuis inſeparabilis conjunctio.

Jam quoties de reſurrectione agitur, occurrat Chriſti imago, qui in natura quam à nobis ſumpſerat ſic peregit curſum mortalis vitæ ut nunc immortalitatem adeptus, ſit nobis pignus futuræ reſurrectionis. Nam in miſeriis quibus obſidemur *mortificationem ejus circumferimus in carne noſtra, at vita ejus manifeſtetur in nobis.* Et ſeparare eum à nobis non licet, ac ne poſſibile quidem eſt quin laceretur.

2 Cor. 4. verſ. 10.
Caput reſurrexit: ergo membra reſurgent.
1 Cor. 15. verſ. 13.

Unde illa Pauli ratiocinatio, *Si mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit:* quia ſcilicet confeſſum illud principium ſumit, Chriſtum non ſibi privatim morti fuiſſe ſubjectum, vel de morte adeptum eſſe victoriam reſurgendo; ſed inchoatum fuiſſe in capite quod impleri in omnibus membris neceſſe eſt, ſecundum cujuſque gradum & ordinem. Nam ei per omnia æquari ne rectum quidem eſſet.

Pſal. 16. verſ. 10.

Dicitur in Pſalmo, *Non permittes manſuetum tuum videre corruptionem.* Hujus fiduciæ portio etſi ad nos pertinet ſecundum menſuram donationis, ſolidus tamen effectus nonniſi in Chriſto apparuit, qui immunis ab omni putredine, integrum corpus recepit.

Altera. Electorum corpora conformia debent eſſe capitis, ſui glorioſa carnis. Eſt illa in cælis evecta. Ergo electorum corpora reſurgent, & reſumptis animabus cum Chriſto regnabunt in cælis.
Phil. 3:21. Coloſſ. 3. verſ. 4.

Jam ne ambigua ſit nobis beatæ cum Chriſto reſurrectionis ſocietas, ut hoc pignore ſimus contenti, diſerte affirmat Paulus ideo ſedere in cælis & venturum ultimo die judicem, *ut corpus noſtrum humile & abjectum configuret corpori ſuo glorioſo.* Alibi etiam docet, Deum non ſuſcitaſſe Filium à morte, ut ſpecimen unum ederet ſuæ virtutis: ſed ut eandem erga nos fideles Spiritus efficaciam exerat: quem ideo vitam appellat, dum habitat in nobis, quia in hunc finem datus eſt, ut quod in nobis mortale eſt vivificet. Compendio perſtringo quæ & uberius tractari poſſent, & merentur ſplendidius ornari: & tamen in paucis verbis ſatis materiæ pios lectores reperturos confido quod ad fidem eorum ædificandam ſufficiat. Reſurrexit ergo Chriſtus ut nos haberet ſocios futuræ vitæ. Suſcitatus eſt à Patre, quatenus erat Eccleſiæ caput, à qua nullo modo patitur divelli. Suſcitatus eſt virtute Spiritus, qui nobis ad vivificandi munus communis eſt. Denique ſuſcitatus eſt ut eſſet reſurrectio & vita. Sicut autem diximus in hoc ſpeculo conſpicuam nobis eſſe vivam reſurrectionis imaginem, ita ſit nobis ad fulciendos animos noſtros firma hypoſtaſis, modo ne longioris moræ nos tædeat vel pigeat: quia noſtrum non eſt proprio arbitrio temporum articulos metiri, ſed patienter quieſcere, dum pro ſua opportunitate Deus regnum ſuum inſtauret.

1 Cor. 15. verſ. 23.

Quo ſpectat illa Pauli exhortatio, *Primitiæ Chriſtus: deinde qui Chriſti ſunt: quiſque ſuo ordine.*

Tertia. Reſurrectio Chriſti variis modis teſtata, fidem futuræ noſtræ nobis facit.

Cæterum nequa de Chriſti reſurrectione, in qua fundata eſt noſtra omnium, moveretur quæſtio, videmus quot & quam variis modis illam nobis teſtatam fecerit. Ridebunt naſuti homines quaſi puerile ludicrum, quæ ab Evangeliſtis refertur hiſtoriam. Cujus enim momenti erit nuncius quem pavidæ mulierculæ perferunt, & deinde confirmant diſcipuli fere exanimes? Cur non potius in medio templo & foro illuſtria victoriæ ſuæ trophæa Chriſtus ſtatuit? Cur non formidabilis prodit in conſpectum Pilati? Cur non etiam redivivum ſe ſacerdotibus & toti Hieroſolymæ probat? Teſtes vero quos ſeligit, vix idoneos eſſe concedent homines profani.

Et quamvis quoſdam circumſtantias videant profanus, admirabilis tamen ibi lucet Dei providentia, quæ tot teſtibus & tam variis noſtræ ſalutis complementum, reclamantibus inferorum portis, obſignavit.

Reſpondeo, quanquam in illis exordiis contemptibilis fuerit ejus infirmitas, admirabili tamen Dei providentia hoc totum fuiſſe gubernatum: ut qui nuper metu exanimati fuerant, eos partim amor Chriſti & pietatis zelus, partim ſua incredulitas ad ſepulchrum raperet: non tantum ut oculati eſſent rei teſtes, ſed ut audirent idem ex Angelis quod oculis cernebant. Quomodo ſuſpecta erit nobis eorum fides qui fabulam eſſe putarunt quod audierant ex mulieribus, donec in rem præſentem ſunt adducti? Totum vero populum, & ipſum præſidem, poſtquam ſatis ſuperque convicti fuerant, nihil mirum eſt tam Chriſti aſpectu quam aliis ſignis fuiſſe privatos.

Matth. 27. verſ. 66 & 28: 11.

Obſignatur ſepulchrum, cuſtodes excubias agunt, non reperitur tertio die corpus. Pecunia corrupti milites rumorem ſpargunt, fuiſſe à diſcipulis ſubreptum. Quaſi vero vel turmæ cogendæ facultas eſſet, vel arma ſuppeterent, vel etiam ad tale facinus audendum exercitati eſſent. Quod ſi militibus ſatis non erat animi ad illos abigendos, cur non perſequuti ſunt, ut ope plebis adjuti aliquos deprehenderent? Vere ergo annulo ſuo Pilatus Chriſti reſurrectionem obſignavit: & qui appoſiti fuerunt ad ſepulchrum cuſtodes, tacendo vel mentiendo ejuſdem reſurrectionis præcones facti ſunt. Interea perſonuit vox Angelorum,

Luc. 24: 6. ibid. v. 38.

Surrexit: non eſt hic. Splendor cæleſtis non homines ſed Angelos eſſe palam oſtendit. Poſtea Chriſtus ipſe ſiquid dubitationis adhuc hærebat, ſuſtulit. Viderunt eum non ſemel diſcipuli, atque etiam pedes & manus palparunt, & eorum incredulitas non parum ad confirmandam fidem noſtram profuit.

Act. 1. v. 3. & 9.

Diſſeruit inter eos de myſteriis regni Dei, tandem ipſis videntibus aſcendit in cælum: nec undecim modo Apoſtolis exhibitum fuit hoc ſpectaculum,

1 Cor. 15. verſ. 6.

ſed pluſquam quingentis fratribus ſimul viſus eſt. Jam miſſo Spiritu ſancto certum documentum edidit non tantum vitæ, ſed etiam ſummi imperii:

Joan. 16. verſ. 7.

ſicuti prædixerat, *Expedit vobis ut abeam, alioqui Spiritus ſanctus non veniet.*

Act. 9: 4.

Jam vero Paulus non mortui virtute proſtratus eſt in itinere, ſed eum quem oppugnabat ſumma potentia pollere ſenſit.

Act. 7: 55.

Stephano apparuit in alium finem, ut vitæ certitudine mortis timorem vinceret. Tot ac tam authenticis teſtimoniis fidem derogare non diffidentiæ eſt, ſed pravæ adeoque furioſæ obſtinationis.

Secundi adminiculi demonſtratio prima. Deus eſt omnipotens. Poteſt ergo mortuos excitare.

4. Quod diximus, in probanda reſurrectione ſenſus noſtros oportere dirigi ad immenſam Dei potentiam, hoc breviter docet Paulus. *Ut corpus noſtrum abjectum* (inquit) *conforme reddat corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem virtutis ſuæ, qua poteſt ſibi ſubjicere omnia.* Quare nihil minus conſentaneum quam hic reſpicere quid naturaliter fieri poſſit, ubi inæſtimabile miraculum nobis proponitur, quod ſenſus noſtros ſua magnitudine abſorbet.

Phil. 3: 21.
Altera. Ordo naturæ id nos edocet.

Paulus tamen propoſito naturæ documento, ſocordiam eorum coarguit qui reſurrectionem negant. *Stulte,* inquit, *quod ſeminas non vegetatur, niſi prius moriatur,* &c. In ſemente reſurrectionis ſpeciem cerni dicit, quia ex putredine naſcitur ſeges. Nec vero res tam difficilis eſſet creditu ſi ad miracula quæ ſe per omnes mundi plagas oculis noſtris ingerunt, attenti ut par eſt eſſemus.

Tertia. Piorum omnium fides ante & poſt Chriſtum exhibitum, hanc gloriam Dei omnipotentiæ tribuit.
Jeſ. 26: 19. Pſ. 68: 21. Job 19. verſ. 25.

Cæterum meminerimus, neminem de futura reſurrectione vere eſſe perſuaſum niſi qui in admirationem raptus, Dei virtuti ſuam dat gloriam. Hac fiducia elatus Jeſaias exclamat, *Vivent mortui tui: cadaver meum reſurget. Expergiſcimini & laudate habitatores pulveris.* Rebus deſperatis ſeſe attollit ad Deum vitæ auctorem, *penes quem ſunt exitus mortis,* ut dicitur in Pſalmo. Job etiam cadaveri ſimilior quam homini, fretus Dei potentia, non dubitat quaſi integer ad diem illum ſe attollere, *Scio quod redemptor meus vivit: & in noviſſimo die ſurget ſuper pulverem* (nempe ut ſuam potentiam illic exerat) *&*

rurſum

rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: viſurus ſum ipſe, & non alius. nam etſi quidam ſubtilius detorquent locos iſtos, acſi de reſurrectione exponi non deberent, confirmant tamen quod evertere cupiunt: quia non aliunde ſancti viri ſolatium petunt in ſuis malis, quam ex reſurrectionis ſimilitudine.

Ezech. 37. verſ. 8.

Quarta. Hanc potentiam gratiam Deus viſibili ſymbolo teſtatus eſt.

Quod melius ex loco Ezechielis cognoſcitur. nam quum promiſſionem reditus Judæi reſpuerent, ac objicerent, nihilo magis eſſe probabile ſibi aperiri viam quam mortuos exire è ſepulchro, viſio Prophetæ offertur, campi pleni oſſibus aridis: ea jubet Deus carnem & nervos recipere. Quanquam ſub figura illa populum ad ſpem reditus erigit, materiam tamen ſperandi ſumit ex reſurrectione: ſicuti nobis præcipuum eſt exemplar liberationum omnium quas ſentiunt fideles in hoc mundo.

Chriſtus eandem propoſuit.

Joan. 5:28.

Sic Chriſtus, poſtquam vocem Evangelii vivificam eſſe docuit: quia hoc non recipiebant Judæi, mox addit, *Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui ſunt in monumentis, audient vocem Filii Dei, & prodibunt.*

Paulus reſpexit, & nos idem facere docuit.

2 Tim. 1. verſ. 12. & 4: 8.

2 Theſ. 1. verſ. 6.

Ergo exemplo Pauli alacriter jam triumphemus inter medias pugnas, *quod potens ſit* qui nobis promiſit futuram vitam, *ſervare depoſitum*: atque ita gloriemur *repoſitam eſſe nobis coronam juſtitiæ, quam reddet nobis juſtus judex* Sic fiet ut quicquid moleſtiarum perpetimur, oſtenſio nobis ſit futuræ vitæ, quia Dei naturæ convenit *rependere afflictionem impiis qui nos affligunt, nobis vero qui injuſte affligimur, requiem, in manifeſtatione Chriſti cum Angelis potentiæ ſuæ, in flamma ignis.* Sed tenendum eſt quod paulo poſt adjungit, venturum *ut glorificetur in ſanctis ſuis, & admirabilis fiat in omnibus qui crediderunt, quia fides habita fuerit Evangelio.*

Secunda pars, qua refelluntur hujus doctrinæ hoſtes.

1. Athei.

Eccleſ. 9: 4.

ibid. 3: 21.

5. Etſi autem hominum mentes in hoc ſtudio aſſidue occupari decebat: quaſi tamen data opera abolere vellent omnem reſurrectionis memoriam, mortem vocarunt lineam rerum omnium, & interitum hominis. Nam certe de communi & recepta opinione loquitur Solomo, quum dicit *canem vivum meliorem eſſe mortuo leone.* Et alibi, *Quis ſcit an hominis anima aſcendat ſurſum, & anima jumenti deſcendat deorſum?* Omnibus autem ſeculis graſſatus eſt hic brutus ſtupor, adeoque in ipſam Eccleſiam perrupit:

2. Sadducæi.

Marc. 12. verſ. 18.

Luc. 20. verſ. 27.

Act. 23: 8.

quia palam auſi ſunt profiteri Sadducæi nullam eſſe reſurrectionem, imo animas eſſe mortales. Sed ne quem levaret craſſa hæc ignorantia, ipſo naturæ inſtinctu increduli ſemper effigiem reſurrectionis habuerunt ante oculos. Quorſum enim ſacer & inviolabilis mos ſepeliendi, niſi ut arrha eſſet novæ vitæ? Neque excipere licet, ex errore hoc eſſe natum; quia & ſepulturæ religio apud ſanctos Patres ſemper viguit, & Deus apud Gentes manere voluit eundem morem, ut objecta reſurrectionis effigies, earum torporem expergefaceret. Quamvis autem profectu caruerit ceremonia illa, utilis tamen nobis eſt ſi prudenter finem ſpectamus: quia non levis eſt incredulitatis refutatio, omnes ſimul profeſſos eſſe quod nemo credebat. Atqui non modo obſtupefecit Satan hominum ſenſus, ut ſepelirent una cum corporibus reſurrectionis memoriam: ſed partem hanc doctrinæ variis figmentis corrumpere molitus eſt, ut tandem intercideret. Omitto quod jam Pauli tempore eam convellere cœpit: ſed paulo poſt ſequuti ſunt Chiliaſtæ, qui mille annis finierunt Chriſti regnum.

3. Chiliaſtæ.

Eorum effugium.

Apoc. 20. verſ. 4.

Reſponſio 1.

Ac eorum quidem commentum puerilius eſt quam ut refutatione vel indigeat, vel dignum ſit. Nec illis ſuffragatur Apocalypſis, ex qua errori ſuo colorem induxiſſe certum eſt: quando in millenario numero non agitur de æterna Eccleſiæ beatitudine, ſed tantum de variis agitationibus quæ Eccleſiam

2\. adhuc in terris laborantem manebant. Cæterum tota Scriptura clamat finem nullum fore nec electorum beatitudini nec reproborum ſupplicio. Omnium porro rerum quæ & conſpectum noſtrum 3.
fugiunt, & mentis captum longe ſuperant, aut fides ex certis Dei oraculis petenda eſt, aut prorſus abjicienda. Qui mille annos aſſignant filiis Dei, ad fu- 4.
turæ vitæ hæreditatem fruendam, non animadvertunt quantam contumeliam inurant & Chriſto & ejus regno. Nam ſi immortalitate non induentur, ergo nec Chriſtus ipſe, ad cujus gloriam transformabuntur, in gloriam immortalem receptus eſt. ſi aliquem habebit finem eorum beatitudo, ergo regnum Chriſti, cujus ſoliditati innititur, temporarium eſt. Denique aut imperitiſſimi ſunt rerum 5.
omnium divinarum, aut obliqua malignitate totam Dei gratiam Chriſtique virtutem labefactare moliuntur: quarum complementum non aliter conſtat, niſi obliterato peccato, & abſorpta morte, vita æterna ad plenum inſtauretur.

4. Reproborum patroni.

Quam vero ſtolide ineptiant qui timent nimiam Deo ſævitiam adſcribere ſi æternis pœnis reprobi addicantur, vel cæcis perſpicuum eſt. Scilicet injurius erit Dominus, ſi regno ſuo privaverit, qui eo ſe indignos per ingratitudinem reddiderint.

Exceptio 1.

Reſponſio.

Exceptio 2.

Reſponſio.

At peccata eorum temporaria ſunt. Fateor. ſed Dei majeſtas, atque etiam juſtitia, quam peccando violarunt, æterna eſt. Merito igitur non perit iniquitatis memoria. At ita pœna modum excedet delicti. Hæc vero eſt non ferenda blaſphemia, dum tam parvo æſtimatur Dei majeſtas, dum non pluris ſit ejus contemptus quam animæ unius exitium. Sed omittamus nugatores iſtos, ne contra quam præfati ſumus, videamur eorum deliramenta refutatione digna judicare.

5. Curioſi quidam morte totum hominem interire, & tandem animas cum corporibus reſurrecturas ſomniantes.

6. Duo præter hæc deliria invecta ſunt ab hominibus perperam curioſis. Alii putarunt, quaſi totus homo intereat, animas reſurrecturas cum corporibus: alii, quum immortales eſſe ſpiritus concedant, novis corporibus indutum iri: quo negant carnis reſurrectionem. De priore quoniam aliquid attigi in creatione hominis, ſatis mihi erit monere iterum lectores quam belluinus ſit error, ex ſpiritu ad imaginem Dei formato flatum evanidum facere, qui in hac tantum caduca vita corpus vegetet: & templum Spiritus ſancti redigere in nihilum: eam denique partem noſtri, in qua maxime refulget divinitas, & inſignes ſunt immortalitatis notæ, hac dote ſpoliare: ut melior atque excellentior ſit corporis conditio quam animæ.

Variis Scripturæ S. teſtimoniis refelluntur, qua animas poſt corporum interitum ſuperſtites eſſe, ad beatos ſpiritus & ad Chriſtum ipſum aggregari tradunt.

2 Pet. 1: 14.

2 Cor. 5: 1.

Hebr. 12. verſ. 23.

Longe aliter Scriptura, quæ corpus tugurio comparat, ex quo nos migrare dicit quum morimur; quia ab ea parte nos æſtimat quæ nos à brutis animalibus diſcernit. Sic Petrus morti propinquus dicit *tempus veniſſe quo tabernaculum ſuum deponat.* Paulus vero de fidelibus loquens, poſtquam dixit, *ubi terreſtris domus noſtra diſſoluta fuerit, nobis eſſe ædificium in cælis*: adjungit *nos peregrinari à Domino quamdiu manemus in corpore, ſed expetere Dei præſentiam in abſentia corporis.* Niſi ſuperſtites eſſent animæ corporibus, quid eſt quod habet Deum præſentem ubi eſt à corpore ſeparatum? Dubitationem vero tollit Apoſtolus, dum tradit nos eſſe *aggregatos ad ſpiritus juſtorum.* quibus verbis intelligit, nos ſociari ſanctis Patribus, qui etiam mortui eandem pietatem nobiſcum colunt, ut non poſſimus eſſe Chriſti membra, niſi cum ipſis coaleſcamus. Niſi etiam animæ corporibus exutæ retinerent ſuam eſſentiam, ac beatæ gloriæ capaces eſſent, non dixiſſet Chriſtus latroni, *Hodie mecum eris in paradiſo.*

Luc. 23. verſ. 43.

ibid. v. 46.

Act. 7: 59.

1 Pet. 2. verſ. 25.

Quis ſit animarum ſtatus & locus à morte ad diem ultimum.

Tam claris teſtimoniis freti, ne dubitemus, Chriſti exemplo, morientes Deo commendare animas noſtras: vel, exemplo Stephani, tradere Chriſto in cuſtodiam, qui non temere vocatur fidelis earum paſtor & epiſcopus. Porro de intermedio earum ſtatu curioſius inquirere neque fas eſt, neque expedit. Valde ſe torquent multi diſputando quem locum occupent, & an cæleſti gloria jam fruantur, nec ne. Atqui ſtul-

tum & temerarium eſt de rebus incognitis altius inquirere quam Deus nobis ſcire permittat. Scriptura,

Joan. 12. verſ. 32.

ubi dixit Chriſtum illis præſentem eſſe, & eas recipere in paradiſum, ut conſolationem percipiant, reproborum vero animas cruciatus quales meritæ ſunt perpeti, non ultra progreditur: quis jam doctor aut magiſter quod Deus celavit nobis patefaciet? De loco non minus inepta & futilis eſt quæſtio: quando ſcimus non eam eſſe animæ dimenſionem quam corporis.

De ſinu Abrahæ.

Quod *ſinum Abrahæ* dicitur beata ſanctorum ſpirituum collectio, nobis abunde eſt ex hac peregrinatione excipi à commuoi fidelium Patre, ut nobiſcum fidei ſuæ fructum communicet. Interea quum Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adveotus Chriſti, & gloriæ coronam eo uſque differat, contenti ſimus his finibus divinitus nobis præſcriptis, animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum feliei lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant: atque ita omnia teneri ſuſpenſa donec Chriſtus appareat redemptor. Reprobis vero eandem eſſe ſortem dubium non eſt

Jud. v. 6.

quam Judas diabolis aſſignat, vinctos catenis teneri donec ad ſupplicium cui addicti ſunt trahantur.

6. Vaniloqui nonnulli & Manichæi, nova corpora fingentes, refelluntur variis argumentis è Scriptura depromptis.

7. Æque prodigioſus eſt eorum error, qui animas non recepturas quibus nunc iodutæ ſunt corpora, ſed novis & aliis præditas fore imaginantur. Ac Manichæorum quidem perquam futilis ratio fuit, minime conſentaneum eſſe ut caro quæ immunda eſt, reſurgat. Quaſi vero nulla ſit animarum immundities: quas tamen à ſpe cæleſtis vitæ non arcebant. Perinde igitur fuit acſi dicerent, purgari divinitus non poſſe quod peccati labe infectum eſt: nam illud delirium, quod naturaliter immunda eſſet caro, quia à Diabolo creata, nunc prætereo. Tantum oſtendo, quicquid ounc cælo indigaum in nobis eſt, reſurrectioni ooo obſtare.

1. Corpora mundanda ſunt, & judicabuntur.
2 Cor. 7: 1.
2 Cor. 5. verſ. 10.

Atqui primo quum jubeat Paulus fideles ſe *mundare ab omni inquinamento carnis & ſpiritus*, inde ſequitur quod alibi denunciat judicium, *ut reportet unuſquiſque per corpus ſive bonum ſive malum*. Cui conſentit quod ſcribit ad Corinthios, *ut vita Jeſu Chriſti manifeſtetur in carne noſtra mortali*.

1 Cor. 3. verſ. 11.

Qua ratione alibi non minus precatur *ut Deus integra corpora conſervet uſque ad diem Chriſti*, quam animas & ſpiritus.

2. Vita Chriſti in iis manifeſtabitur.

Nec mirum: quia corpora quæ ſibi in templa dicavit Deus, in putredinem ſine ſpe reſurrectionis decidere, abſurdiſſimum eſſet.

2 Cor. 4. verſ. 10.
1 Theſſ. 5. verſ. 23.
3. Sunt membra Chriſti.

Quid quod etiam membra ſunt Chriſti? Quid quod ſingulas eorum partes ſibi Deus ſanctificari præcipit? quod vult linguis nomen ſuum celebrari, tolli ad ſe puras manus, ſacrificia offerri? Quam igitur hominis partem tam præclaro honore dignatur cæleſtis judex, cujus ameotiæ eſt ab homine mortali in pulverem redigi abſque ulla ſpe inſtaurationis?

1 Cor. 6. verſ. 15.
1 Tim. 2. verſ. 8.

Similiter Paulus, quum nos ad ferendum Dominum hortatur *tam in corpore, quam in anima, quia utrumque Dei eſt*: non patitur certe quod Deo tanquam ſacrum vendicat, æternæ putredini adjudicari.

4 Ferunt Dominum.
1 Cor. 6. verſ. 20.

Nec vero ulla de re elarior ſuppetit Scripturæ definitio, quam de carnis quam geſtamus reſurrectione.

5. Induent incorruptionem & immortalitatem.

Oportet, ioquit Paulus, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*.

1 Cor. 15. verſ. 53.

Si oova corpora formaret Deus, ubi hæc qualitatis mutatio? Si dictum eſſet oportere nos renovari, ambigua loquutio forte occaſionem cavillo dediſſet: nunc ubi corpora, quibus ſumus circumdati, digito monſtrans, incorruptionem illis promittit, nova fabricari ſatis aperte negat.

lib. de reſurr. carnis.

Imo magis expreſſe (inquit Tertullianus) *non poterat loqui, niſi cutem ſuam manibus teneret.*

6 Coram tribunali Chriſti ſiſtentur.

Nec ullo cavillo effugient quod alibi Chriſtum fore muodi judicem dicens, Jeſaiæ teſtimonium citat,

Rom. 14. verſ. 11.
Jeſa. 49. verſ. 18.

Vivo ego, dicit Dominus, mihi flectetur omne genu: quando aperte obnoxios ad rationem vitæ reddendam quos alloquitur fore deounciat. Quod non quadraret ſi nova corpora ad tribunal ſiſterentur. Porro in verbis Danielis oihil eſt perplexum,

7. E terra pulveris ſuſcitabuntur.
Dan. 12: 2.

Multique dormientium in terra pulveris expergiſcentur, hi ad vitam æternam, illi ad opprobria, & ad contemptum ſempiternum. quando non ex quatuor elementis novam materiam ad conflandos homines, ſed ex ſepulchris mortuos evocat. Atque hoc dictat aperta ratio.

8. Inſtauratio per Chriſtum ad corpora pertinet.

Nam ſi mors, quæ originem habet à lapſu hominis, accidentalis eſt: inſtauratio, quam attulit Chriſtus, ad idem illud corpus pertinet quod mortale eſſe cœpit.

9. Hæc corporum reſurrectio ab Epicureis irriſa eſt.

Et ſane quod rident Athenienſes dum aſſeritur à Paulo reſurrectio, hinc colligere licet qualis ejus prædicatio fuerit: ac omnino riſus ille non parum ad confirmandam fidem noſtram valet.

10. A Chriſto aſſeritur.
Matth. 10. verſ. 28.

Digna etiam obſervatu eſt Chriſti ſententia, *Nolite metuere eos qui occidunt corpus, animam occidere non poſſunt: ſed eum metuite qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam ignis.* Neque enim timendi cauſa, niſi ſupplicio obnoxium eſſet quod nunc geſtamus corpus. Nec vero obſcurior eſt altera ejuſdem Chriſti ſeotentia,

Joan. 5. verſ. 28.

Venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei: & prodibunt qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii.

11. Conformia erunt corpori Chriſti, quod vere reſurrexit: & ſi aliud corpus recepiſſet Chriſtus, rueret ſalus noſtra.

An dicemus animas in ſepulchris quieſcere, ut illinc Chriſtum exaudiant? ac non potius ad ejus imperium corpora io vigorem à quo exciderant reditura? Adhæc ſi novis corporibus donaodi ſumus, ubi capitis & membrorum conformitas? Reſurrexit Chriſtus: ao novum ſibi corpus fingendo? imo, ut prædixerat, *Deſtruite templum hoc, & triduo erigam illud.*

Joan. 2: 19.

Quod prius geſtaverat mortale corpus, iterum recepit: neque enim multum nobis profuiſſet, ſubrogato oovo corpore, aboleri illud quod in ſacrificium expiationis oblatum fuerat.

12. Reſurgent hæc noſtra, non nova corpora, ut Chriſti corpus mortuum in cruce, reſurrexit, & ſanctorum item quorundam corpora.

Tenenda eſt etiam illa ſocietas quam prædicat Apoſtolus, Nos reſurgere, quia Chriſtus reſurrexit: quia nihil minus probabile quam ut privetur Chriſti reſurrectione caro noſtra, in qua circumferimus mortificationem ipſius Chriſti. Quod quidem illuſtri documento patuit, dum reſurgente Chriſto multa corpora ſanctorum exierunt è ſepulchris. Neque enim negari poteſt, hoc ultimæ quam ſperamus reſurrectionis præludium fuiſſe, vel potius arrham:

1 Cor. 15. v. 52. &c.
Matth. 27. verſ. 52.

qualis ante io Henoch & Elia jam extabat: quos Tertullianus *Reſurrectionis candidatos* vocat:

lib. de reſurr. carnis.

quia corpore & anima à corruptione exempti, in Dei cuſtodiam recepti fuerint.

8. Pudet me io re tam clara tantum verborum conſumere: ſed hanc moleſtiam placide mecum vorabunt lectores, ne qua rima ad decipiendos ſimplices perverſis & audacibus ingeniis pateat.

13. Sacramenta, corporibus noſtris percepta, ſunt nobis ſymbola reſurrectionis: quod non eſſent, ſi ipſa corpora non reſurgerent.

Cerebri ſui commentum proferunt volatici ſpiritus quibuſcum nunc diſputo: in reſurrectione novorum corporum fore creationem. Qua ratione impulſi ita ſentiunt, niſi quia incredibile illis videtur, cadaver tam longa putredine conſumptum poſſe in priſtinum ſtatum redire? Ergo ſola in illis incredulitas hujus ſententiæ eſt mater. Nos contra Spiritus Dei ad ſperandam carnis noſtræ reſurrectionem in Scriptura paſſim hortatur. Hac ratione Baptiſmus,

Col. 2: 12.

teſte Paulo, ſigillum nobis eſt futuræ reſurrectionis:

14. Vivificabuntur, quamvis ſint mortalia.

nec minus ſacra Cœna ad ejus fiduciam nos invitat, dum ſymbola ſpiritualis gratiæ ore percipimus. Et certe tota Pauli exhortatio, *Ut membra noſtra exhibeamus arma in obedientiam juſtitiæ*,

Rom. 6. verſ. 13.

frigeret, niſi accederet quod poſtea ſubjungit, *Qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra.*

Rom. 8. verſ. 11.

Quid enim juvaret, applicare pedes, manus, oculos & linguas in obſequium Dei, oiſi fructus & mercedis eſſent participes?

1 Cor. 6. verſ. 13, 15, & 19.

Quod ſuis verbis aperte confirmat Paulus, *Corpus non ſcortationi, ſed Domino: & Dominus corpori.*

15. Virtute Chriſti ſuſcitabuntur.

Qui vero ſuſcitavit Chriſtum, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.

Cla-

Clariora ſunt quæ ſequuntur, *ea eſſe templa Spiritus ſancti & membra Chriſti.* Interea videmus ut reſurrectionem cum caſtitate & ſanctimonia conjungat: ſicuti paulo poſt pretium redemptionis ad corpora

16. Abjecta, & ſupplicii affecta, conformia corpori glorioſo Servatoris noſtri reddentur.

extendit. Jam rationi conſentaneum non eſſet, Pauli corpus, in quo ſtigmata Chriſti portavit, & in quo magnifice Chriſtum glorificavit, orbari coronæ præmio. Unde & illa gloriatio, *Expectamus redemptorem è cælis, qui corpus noſtrum abjectum, conforme reddet corpori claritatis ſuæ.* Ac ſi verum eſt illud, *per multas afflictiones oportere nos ingredi in regnum Dei*, ab hoc ingreſſu corpora prohibere nulla ratio ſuſtinet, quæ & ſub crucis vexillo exercet Deus, & victoriæ laude ornat. Itaque nulla ejus rei dubitatio inter ſanctos orta eſt quin ſe Chriſti comites fore ſperarent: qui omnes quibus probamur afflictiones in perſonam ſuam transfert, ut vivificas eſſe doceat.

Gal. 6: 17.
Phil. 3: 21.
Act. 14: 22.

17. Externa ceremonia ſub Lege fideles de corporum ſuorum reſurrectione edocti ſunt, ut ex exemplis Abrahami & Jacobi, ipſiuſque Chriſti dicto colligi poteſt.

Imo & ſanctos Patres ſub Lege, externa ceremonia Deus in hac fide exercuit. Quorſum enim ſepeliendi ritus, ſicuti ante viſum eſt, niſi ut reconditis corporibus ſcirent paratam eſſe novam vitam? Huc aromata quoque, aliaque immortalitatis ſymbola ſpectarunt, quibus ſub Lege adjuta fuit non aliter quam ſacrificiis, doctrinæ obſcuritas. Nec morem illum peperit ſuperſtitio: quando videmus Spiritum in narrandis ſepulturis non minus diligenter inſiſtere quam in præcipuis fidei myſteriis. Et Chriſtus officium hoc tanquam non vulgare commendat, non alia certe de cauſa niſi quia à ſepulchri, quod omnia corrumpit & abolet, intuitu in ſpectaculum renovationis oculos attollit. Præterea tam ſedula obſervatio ceremoniæ quæ laudatur in Patribus, ſatis comprobat rarum illis fuiſſe & pretioſum fidei adminiculum. Neque enim adeo ſollicite curaſſet Abraham uxoris ſepulchrum, niſi religio illi propoſita fuiſſet ante oculos, & utilitas mundo ſuperior, nempe ut mortuum uxoris corpus inſignibus reſurrectionis exornans, ſuam & familiæ fidem confirmaret. Clarior vero hujus rei probatio eminet in exemplo Jacob, qui ut poſteris teſtetur, ne morte quidem ſpem terræ promiſſæ animo ſuo excidiſſe, jubet oſſa ſua illuc referri. Quæſo, ſi novo corpore induendus erat, nonne ridiculum dediſſet mandatum de pulvere in nihilum redigendo?

Matth. 26. verſ. 10.
Gen. 23. v. 4. & 19.
Gen. 47. verſ. 30.

18. Scriptura auctoritas, reſurrectionis vox, & dormiendi verbum ſuperiora argumenta confirmant.

Quare ſiqua apud nos viget Scripturæ auctoritas, nullius doctrinæ clarior vel certior deſiderari poteſt probatio. Hoc ipſum pueris ſonant *reſurrectionis* & *ſuſcitandi* voces. neque enim reſurgere dicemus quod nunc primum creatur: nec ſtaret illud Chriſti, *Quicquid dedit mihi Pater, non peribit, ſed ſuſcitabo illud in noviſſimo die.* Eodem tendit *dormiendi* verbum, quod nonniſi in corpora competit. Unde & cœmeteriis nomen impoſitum.

Joan. 6: 39.

De reſurrectionis modo.

Supereſt ut de reſurrectionis modo aliquid delibem. Hoc verbo utor; quia Paulus myſterium vocans, ad ſobrietatem nos hortatur, & liberius argutiuſque philoſophandi licentiam frenat.

1 Cor. 15. verſ. 51.

Qualitas corporum alia erit, non ſubſtantia.

Primo tenendum eſt quod diximus, nos in eadem quam geſtamus carne reſurrecturos quoad ſubſtantiam: ſed qualitatem aliam fore. ſicuti quum eadem Chriſti caro quæ in victimam oblata fuerat, ſuſcitata fuerit, aliis tamen dotibus excelluit acſi alia prorſus foret. Quod Paulus familiaribus exemplis declarat. Nam ſicut humanæ & belluinæ carnis eadem eſt ſubſtantia, non qualitas: ſtellis omnibus eadem eſt materia, claritas diverſa: ita quanquam retinebimus ſubſtantiam corporis, mutationem fore docet: ut longe præſtantior ſit conditio.

1 Cor. 15. verſ. 39.

Id eſt, corpora integra induent incorruptionem. Suſcitabuntur autem virtute Dei omnipotentis.

Corpus ergo corruptibile, ut ſuſcitemur, non peribit nec evaneſcet; ſed induet, depoſita corruptione, incorruptionem. Quoniam vero elementa Deus omnia præſto habet ad ſuum nutum, nulla eum difficultas impediet quominus & terræ & aquis & igni imperet, ut quod videtur ab illis conſumptum reddant. Quod etiam, licet non abſque figura, Jeſaias teſtatur, *Ecce Dominus egredietur de loco ſuo ut viſitet iniquitatem terræ: & terra diſcooperiet ſanguinem ſuum, neque teget amplius interfectos ſuos.* Sed notandum eſt diſcrimen inter eos qui pridem mortui fuerint, & quos dies ille ſuperſtites reperiet.

Jeſa. 26. verſ. 21.

At qui die reſurrectionis vivi in terris reperientur, in puncto temporis immutabuntur.

Neque enim omnes dormiemus (teſte Paulo) *ſed omnes immutabimur*: hoc eſt, neceſſe non erit diſtantiam temporis inter mortem & initium ſecundæ vitæ intercedere: quia in puncto temporis & nictu oculi penetrabit clangor tubæ qui mortuos excitet incorruptibiles, & vivos ſubita mutatione reformet in eandem gloriam. Sic alibi fideles quibus mors obeunda eſt conſolatur: quia non prævenient mortuos qui tunc erunt ſuperſtites, quin potius reſurgent priores qui dormierunt in Chriſto. Siquis objiciat illud Apoſtoli, *ſtatutam eſſe cunctis mortalibus ſemel mori*: facilis ſolutio eſt: ubi mutatur naturæ ſtatus, ſpeciem eſſe mortis, & apposite ſic nominari: ac proinde hæc inter ſe conveniunt, morte renovatum iri omnes dum exuent mortale corpus: non fore tamen neceſſarium corporis & animæ diſſidium ubi erit ſubita immutatio.

1 Cor. 15. verſ. 51.
1 Theſ. 4. verſ. 15.
Heb. 9. verſ. 27.

Quæſtio, An impii reſurgent, quum reſurrectio ſit ſingulare Chriſti beneficium.

9. Sed hic difficilior quæſtio exoritur, Quo jure communis ſit impiis & à Deo maledictis reſurrectio, quæ ſingulare eſt Chriſti beneficium. Scimus omnes in Adam morti fuiſſe addictos: venit Chriſtus reſurrectio & vita: an ut promiſcue totum genus humanum vivificet? Sed quid minus conſentaneum quam eos in obſtinata ſua cæcitate conſequi, quod ſola fide recuperant pii Dei cultores? Manet tamen illud fixum, aliam fore judicii, aliam vitæ reſurrectionem, & Chriſtum venturum ut ſegreget agnos ab hœdis.

Joan. 11. verſ. 25.
Matth. 25. verſ. 32.

Reſponſio.

Reſpondeo, non debere videri tam inſolitum, cujus ſimilitudinem in quotidiano uſu cernimus. Nos totius mundi hæreditate ſcimus in Adam fuiſſe privatos: nec minus æqua ratione ab alimentis communibus nos arceri, quam ab eſu arboris vitæ. Unde igitur fit ut Deus non ſolum oriri faciat ſolem ſuum ſuper bonos & malos, ſed quoad præſentis vitæ uſus, ineſtimabilis ejus liberalitas larga copia aſſidue profluat? Hinc certe cognoſcimus, quæ propria ſunt Chriſti & membrorum ejus, ad impios quoque exundare: non ut legitima ſit poſſeſſio, ſed quo magis reddantur inexcuſabiles. Sic Deum impii ſæpe experiuntur beneficum, non vulgaribus documentis, ſed quæ omnes piorum benedictiones interdum obſcurent, illis tamen cedant in majorem damnationem.

Mat. 5: 45.

Exceptio.

Siquis excipiat, caducis & terrenis beneficiis reſurrectionem non apte conferri:

Reſponſio 1.

hic quoque reſpondeo, ubi primum alienati ſunt à Deo vitæ fonte, Diaboli interitum fuiſſe promeritos quo prorſus abolerentur: admirabili tamen Dei conſilio repertum fuiſſe medium ſtatum, ut extra vitam in morte viverent.

2. Cur impii reſurgent.

Nihilo abſurdius videri debet, ſi accidentalis eſt impiis reſurrectio quæ invitos trahat ad tribunal Chriſti, quem nunc audire magiſtrum & doctorem recuſant. Levis enim eſſet pœna, morte abſumi, niſi pœnas ſuæ contumaciæ daturi coram judice ſiſterentur, cujus in ſe vindictam ſine fine & modo provocarunt.

3.
Act. 24: 15.

Cur reſurrectio ſolis electis propoſita.

Cæterum quanquam tenendum quod diximus, & quod celebris illa Pauli confeſſio apud Felicem continet, *ſe futuram expectare reſurrectionem juſtorum & impiorum*: ſæpius tamen Scriptura reſurrectionem ſolis Dei filiis una cum cæleſti gloria proponit: quia non venit proprie Chriſtus in mundi exitium, ſed in ſalutem. Ideo & in Symbolo ſola fit mentio beatæ vitæ.

Poſtrema pars capitis, de æterna felicitate.

10. Quoniam autem tum demum implebitur prophetia de abſorpta per victoriam morte, ſemper nobis in mentem veniat æterna felicitas, reſurrectionis finis: de cujus excellentia ſi omnia dicta fuerint quibus omnium hominum linguæ ſufficiant, vix tamen infima ejus particula delibata fuerit. Nam utcunque vere audiamus, regnum Dei

Oſeæ 13. verſ. 14.
1 Cor. 15. verſ. 54.

1. Hujus excellentia captum noſtrum longe ſuperat.

claritate, gaudio, felicitate, gloria fore refertum: illa tamen quæ nominantur, à ſenſu noſtro remotiſſima & quaſi ænigmatibus involuta manent, donec venerit dies ille, quo nobis ſuam gloriam ipſe facie ad faciem conſpiciendam exhibebit.

1 Joan. 3. verſ. 2.

Scimus nos eſſe Dei filios (inquit Joannes) *ſed nondum apparuit. Ubi autem ſimiles ei erimus, videbimus eum qualis eſt.* Quamobrem Prophetæ, quia ſpiritualem illam beatitudinem in ſeipſa nullis verbis exprimere poterant, ſub rebus corporeis eam fere delinearunt. Quia tamen rurſum aliquo ſuavitatis illius guſtu accendi in nobis deſiderii fervorem oportet, in hoc præcipue cogitando immoremur, Si Deus bonorum omnium plenitudinem, ceu fons quidam inexhauſtus, in ſe continet, nihil ultra eum expetendum iis qui ad ſummum bonum & omnes felicitatis numeros contendunt: ſicuti

Gen. 15: 1.

pluribus locis docemur. *Abraham, ego merces tua magna valde.*

Pſal. 16: 5.

Cui ſententiæ ſuccinit David, *Portio mea Jehova: ſors mihi præclare cecidit.* Item

Pſ. 17: 15.

alibi, *Satiabor vultu tuo.* Atqui Petrus denunciat

2 Pet. 1: 4.

in hoc vocatos fideles ut *divinæ fiant conſortes naturæ.* Quomodo iſtud? *Quia glorificabitur in omnibus ſanctis ſuis, & admirabilis fiet in iis qui crediderunt.* Si Dominus gloriam, virtutem, juſtitiam ſuam cum electis participabit, imo ſeipſum illis fruendum dabit, & quod præſtantius, quodammodo in unum cum ipſis coaleſcet: meminerimus ſub hoc beneficio omne felicitatis genus contineri.

Regula obſervanda.

Et quum multum in hac meditatione profecerimus, recognoſcamus tamen nos in imis adhuc radicibus ſubſidere, ſi mentis noſtræ conceptio cum myſterii hujus ſublimitate conferatur. Quo nobis in hac parte magis colenda eſt ſobrietas, ne moduli noſtri immemores, quo majore audacia in ſublime transvolabimus, fulgor cæleſtis gloriæ nos obruat. Sentimus etiam uti immodica cupido pluſquam fas eſt ſciendi nos titillet: unde ſubinde & frivolæ & noxiæ quæſtiones ſcaturiunt. frivolas voco, ex quibus nulla poteſt elici utilitas. Sed hoc ſecundum deterius, quod qui ſibi in illis indulgent, pernicioſis ſpeculationibus ſeſe implicant: quamobrem voco noxias.

2. Non æqualis omnibus Dei filiis gloriæ modus futurus eſt.

Quod Scripturæ docent, ab omni controverſia exemptum apud nos eſſe debet: nempe ſicuti varie Deus ſua dona ſanctis in hoc mundo diſtribuens eos inæqualiter irradiat, ita non fore æqualem gloriæ modum in cælis ubi dona ſua coronabit Deus. Neque enim competit indifferenter in omnes quod dicit Paulus,

1 Theſſ. 2. verſ. 19.

Vos eſtis gloria mea & corona in die Chriſti. Et illud Chriſti ad Apoſtolos,

Matth. 19. verſ. 28.

Sedebitis judicantes duodecim Tribus Iſraël. Sed Paulus (qui ſciebat, prout ſanctos locupletat Deus ſpiritualibus donis in terra, ita in cælo gloria decorare) peculiarem ſibi coronam pro laborum ratione repoſitam eſſe non dubitat. Chriſtus autem, ut Apoſtolis dignitatem muneris quo præditi erant commendet, fructum ejus admonet in cælo eſſe reconditum.

Dan. 12: 3.

Sic & Daniel, *Intelligentes autem fulgebunt ut ſplendor firmamenti: & juſtificantes multos tanquam ſtellæ in ſeculum & in æternum.* Ac ſiquis attente Scripturas conſideret, non modo vitam æternam promittunt fidelibus, ſed ſpecialem cuique mercedem.

2 Tim. 4. verſ. 14.

Unde & illud Pauli, *Rependat illi Deus in illa die.* Quod promiſſio Chriſti

Matth. 19. verſ. 29.

confirmat, *Centuplum recipietis in vita æterna.* Denique ſicuti corporis ſui gloriam multiplici donorum varietate inchoat Chriſtus in mundo, & amplificat per ſuos gradus, ita etiam in cælo perficiet.

Spinoſis quæſtionibus exploſis, ad quaſdam non inutiles additur reſponſio.

11. Quemadmodum autem hoc uno conſenſu recipient omnes pii, quia verbo Dei ſatis teſtatum eſt: ſic rurſum ſpinoſis quæſtionibus, quas ſibi obſtaculo eſſe cognoſcent, valere juſſis, metas ſibi propoſitas non tranſilient. Quantum ad me ſpectat, non ſolum privatim mihi à ſupervacua rerum inutilium inveſtigatione tempero: ſed cavendum mihi arbitror ne aliorum levitatem reſpondendo foveam. Sciſcitantur vanæ ſcientiæ jejuni homines quanta inter Prophetas & Apoſtolos, rurſus inter Apoſtolos & Martyres futura ſit diſtantia: quot gradibus different à conjugatis virgines: denique nullum cæli angulum ab excutiendo intactum relinquunt.

Prima, quorſum orbis reparatio, quando nullius rei erunt indigi fideles.

Deinde ſubit illis in mentem, quorſum pertineat orbis reparatio: quando ex tanta & incomparabili copia nullius rei indigi erunt filii Dei: ſed erunt ſimiles Angelis, quorum inedia æternæ beatitudinis ſymbolum eſt. Ego autem reſpondeo, in ipſo aſpectu tantam fore amœnitatem, tantam ſine uſu ſuavitatem in ſola notitia, ut hæc felicitas omnia quibus nunc juvamur adminicula longe exuperet. Fingamus in opulentiſſima, & ubi nulla nos voluptas deficiat, mundi plaga eſſe poſitos: quem non ſui morbi ab uſu beneficiorum Dei ſubinde impediunt ac prohibent? cui non ſua intemperies curſum ſæpe abrumpit? Unde conſequitur liquidam & puram ab omni vitio fruitionem, quamvis nullus ſit corruptibilis vitæ uſus, felicitatis eſſe cumulum.

Secunda, de reſtitutione rerum creatarum.

Alii ſe transferunt longius, & quærunt annon ſcoria & aliæ corruptelæ in metallis procul à reſtitutione abſint, & ab ea diſſideant. Quod ut illis aliquatenus concedam, expecto cum Paulo vitiorum reparationem quæ initium ſumpſerunt à peccato, ad quam gemunt & parturiunt.

Rom. 8. v. 19, 20, & 21.

Tertia, quænam melior conditio nos maneat, quum ſobolis benedictio finem tunc ſumptura ſit.

Longius iterum progrediuntur, quænam melior conditio maneat genus humanum, quum ſobolis benedictio finem tunc ſumptura ſit. Facilis eſt illius quoque nodi ſolutio. Quod tam magnifice eam commendat Scriptura, ad incrementa pertinet quibus Deus aſſidue naturæ ordinem provehit ad ſuam metam: in perfectione vero ipſa aliam rationem eſſe notum eſt. Sed quia incautos ſtatim captant illecebræ, & labyrinthus deinde profundius trahit, tandem, ubi ſua cuique placita arrident, nullus eſt concertationum modus:

Pia admodum & neceſſaria admonitio.

hoc ſit nobis vitæ compendium, contentos eſſe ſpeculo & ænigmate donec cernemus facie ad faciem. Nam pauci ex ingenti multitudine qua in cælos eundum ſit curant: omnes autem quid illic agatur ſcire ante tempus appetunt. Omnes fere ad obeundum certamina pigri & lenti, triumphos imaginarios ſibi jam depingunt.

A felicitate electorum Dei ad miſeriam reproborum appoſita digreſſio

12. Porro quia divinæ in reprobos ultionis gravitatem nulla deſcriptio æquare poteſt, per res corporeas eorum tormenta & cruciatus nobis figurantur: nempe per tenebras, fletum, & ſtridorem dentium, ignem inextinguibilem, vermem ſine fine cor arrodentem.

Mat. 8: 12. & 22: 13. ibid. 3. 12. Marc. 9. verſ. 42. Jeſa. 66. verſ. 24. Jeſa. 30. verſ. 33.

Talibus enim loquendi modis certum eſt Spiritum ſanctum voluiſſe ſenſus omnes horrore conturbare: ut quum dicitur præparatam eſſe ab æterno gehennam profundam, nutrimenta ejus eſſe ignem & ligna multa: flatum Domini, ceu torrentem ſulphuris, eam ſuccendere. Quibus ut nos adjuvari oportet ad concipiendam utcunque impiorum miſeram ſortem: ita nos in eo potiſſimum defigere cogitationem oportet, quam ſit calamitoſum alienari ab omni Dei ſocietate: neque id modo, ſed majeſtatem Dei ita ſentire tibi adverſam, ut effugere nequeas quin ab ipſa urgearis.

Quæ miſeria erit ſumma & ſempiterna.

Nam primum ejus indignatio inſtar ignis eſt violentiſſimi, cujus attactu omnia devorentur & abſorbeantur. Deinde illi ad exercendum judicium ſic ſerviunt omnes creaturæ, ut cælum, terram, mare, animalia, & quicquid eſt, velut dira indignatione adverſum ſe inflammata & in perniciem ſuam armata ſenſuri ſint, quibus iram ſuam ita Dominus palam faciet. Quare non vulgare aliquid pronunciavit Apoſtolus, quum dicit *infideles daturos pœnas interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus.*

2 Theſ. 1. verſ. 9.

Et quoties metum corporeis figuris incutiunt Prophetæ, quamvis nihil pro tarditate

noſtra

noſtra byperbolicum afferant, præludia tamen admiſcent futuri judicii in ſole & luna totoque mundi opificio. Quare nullam requiem inveniunt infelices conſcientiæ, quin diro turbine vexentur ac diſſipentur, quin ab infeſto Deo ſe diſcerpi ſentiant, & confixæ mortiferis aculeis lancinentur, quin ad Dei fulmen expaveſcant, & conterantur onere manus ejus: ut abyſſos & voragines quaslibet ſubire levius ſit quam in illis terroribus ſtare ad momentum. quale hoc & quantum eſt, æterna & nuſquam deſitura illius obſidione urgeri? Qua de re Pſalmus nonageſimus continet memorabilem ſententiam: quamvis ſolo aſpectu cunctos mortales diſſipet, ac in nihilum redigat, cultores tamen ſuos, quo magis ſunt timidi in hoc mundo, urgere, ut cruce oneratos ad properandum incitet, donec ſit ipſe omnia in omnibus.

Ejuſdem varia deſcriptiones.

Hujus doctrina uſus.

JOANNIS CALVINI
INSTITUTIONIS
CHRISTIANÆ RELIGIONIS
LIBER QUARTUS.
DE
EXTERNIS MEDIIS
vel adminiculis, quibus Deus in Chriſti ſocietatem nos invitat, & in ea retinet.

ARGUMENTUM.

Prioribus libris Symboli Apoſtolici, de Deo creatore, redemptore, ſanctificatore, tres partes explicatæ ſunt. Quarta ſupereſt, de ſancta Eccleſia Catholica & ſanctorum communione, quæ poſtremo hoc libro abſolvitur.

Ad tres autem præcipuos locos viginti illa, quibus conſtat, capita commode revocabimus.

I. De Eccleſia.
II. De Sacramentis.
III. De Politica adminiſtratione.

Primus locus, qui uſque ad finem decimi tertii capitis extenditur, multa continet: quæ tamen omnia ad quatuor præcipua capita referri poſſunt.

1. De Notis Eccleſiæ, ſeu de ratione qua Eccleſia dignoſci poteſt, quoniam unitas cum ea neceſſario colenda nobis eſt, agitur cap. I. & II.
2. De regimine vel gubernatione Eccleſiæ, cap. III. IV. V. VI. VII.
   Quis ſit ordo gubernandæ Eccleſiæ, cap. 3.
   Quæ forma apud veteres in uſu fuerit, cap. 4.
   Qualis ſit quæ ſub Papatu hodie viget, cap. 5. & de Papæ primatu, cap. 6. & quibus gradibus ſe in hanc tyrannidem extulit, cap. 7.
3. De poteſtate Eccleſiæ, cap. VIII. IX. X. XI.
   Quoad dogmata fidei, quæ vel in ſingulis, cap. 8. vel in univerſis, utpote Conciliis, reſidet, cap. 9.
   Deinde in legibus ferendis, cap. 10.
   Poſtremo in Eccleſiaſtica juriſdictione, cap. 11.
4. De diſciplina Eccleſiæ, cap. XII. & XIII.
   De hujus præcipuo uſu, cap. 12.
   De ejuſdem abuſu, cap. 13.

Secundus locus de Sacramentis tres partes continet.

1. De Sacramentis in genere, cap. XIV.
2. De utroque ſigillatim, cap. XV. XVI. XVII. XVIII.
   De Baptiſmo, cap. 15. qua occaſione de Pædobaptiſmo ſeorſim, cap. 16.
   Deinde de Cœna Domini, cap. 17. & ejuſdem profanatione, cap. 18.
3. De illis quinque quæ Sacramenta falſo habita ſunt, cap. XIX.

Tertius locus de Politica adminiſtratione, cap. XX.

De hac primum in genere.
Deinde de ſingulis ejus partibus:
Magiſtratu,
Legibus,
Populo.
} Eodem capite.

CAP. I.

De vera Eccleſia cum qua nobis colenda eſt unitas: quia piorum omnium mater eſt.

Partes bujus capitis.

1. *Articulus Symboli*, de ſancta Eccleſia Catholica & ſanctorum communione, *breviter explicatur, ſimulque oſtenditur quibus nominibus nobis commendata ſit Eccleſia, ſect.* 1. 2. 3. 4. 5. & 6.
2. *De notis Eccleſiæ, ſect.* 7. 8. & 9.
3. *A ſancta Eccleſia Catholica & ſanctorum communione non eſt ullo modo diſcedendum: ea propter Novatianorum, Anabaptiſtarum, ac ejuſmodi ſchiſmaticorum & male feriatorum hominum circa hanc doctrinam errores à ſect. 10. ad fin. cap. abunde refelluntur.*

De Eccleſia nunc neceſſario agendum eſt.

FIde Euangelii Chriſtum fieri noſtrum, & allatæ ab eo ſalutis æternæque beatitudinis nos fieri participes, proximo libro expoſitum fuit. Quia autem ruditas noſtra & ſegnities (addo etiam ingenii vanitatem) externis ſubſidiis indigent, quibus fides in nobis & gignatur & augeſcat, & ſuos faciat progreſſus uſque ad metam: ea quoque Deus addidit, quo infirmitati noſtræ conſuleret. atque ut vigeret Euangelii prædicatio, theſaurum hunc apud Eccleſiam depoſuit.

Apud eam enim Deus depoſuit quicquid ad fidem & rectum ordinem neceſſarium fuit.

Paſtores inſtituit ac doctores, quorum ore ſuos doceret: eos auctoritate inſtruxit: nihil denique omiſit quod ad ſanctum fidei conſenſum & rectum ordinem faceret. In primis Sacramenta inſtituit, quæ nos experimento ſentimus pluſquam utilia eſſe adjumenta ad fovendam & con-
Eph. 4: 11. firmandam fidem. Nam quia ergaſtulo carnis noſtræ incluſi ad gradum Angelicum nondum pervenimus, Deus ſe ad captum noſtrum accommodans, pro admirabili ſua providentia modum præſcripſit quo procul disjuncti ad eum accederemus.

Summa & partes hujus libri.

Quare poſtulat docendi ratio ut nunc de Eccleſia ejuſque regimine, ordinibus, poteſtate, item de Sacramentis tractemus, & poſtremo de politico etiam ordine: ac ſimul pios lectores revocemus à corruptelis quibus Satan in Papatu adulteravit quæcunque Deus in ſalutem noſtram deſtinaverat.

Cur ab Eccleſia incipiat.

Incipiam autem ab Eccleſia: in cujus ſinum aggregari vult Deus filios ſuos, non modo ut ejus opera & miniſterio alantur quamdiu infantes ſint ac pueri, ſed cura etiam materna regantur donec adoleſcant, ac tan-
Marc. 10. verſ. 9. dem perveniant ad fidei metam. Hæc enim quæ Deus conjunxit ſeparari fas non eſt, ut quibus ipſe eſt pater, Eccleſia etiam mater ſit: neque id ſub Lege modo, ſed etiam poſt Chriſti adventum, teſte
Gal. 4: 26. Paulo, qui novæ & cæleſtis Hieroſolymæ nos eſſe filios docet.

Quo ſenſu articulus Symboli de Eccleſia ſit accipiendus.

2. In Symbolo, ubi profitemur nos credere ECCLESIAM, id non ſolum ad viſibilem, de qua nunc agimus, refertur, ſed ad omnes quoque electos Dei, in quotum numero comprehenduntur etiam qui morte defuncti ſunt. Ideo & CREDENDI verbum ponitur: quia nullum ſæpe diſcrimen inter filios Dei & profanos, inter proprium ejus gregem & fera animalia notari poteſt. Nam quod particula IN à multis interponitur, probabili ratione caret. Fateor quidem eſſe uſitatius, & vetuſtatis etiam ſuffragio non deſtitui: quando & ſymbolum Nicenum, qualiter in Eccleſiaſtica hiſtoria recitatur, præpoſitionem addit. Simul tamen ex ſcriptis veterum animadvertere licet, fuiſſe olim citra controverſiam receptum ut dicerent ſe Eccleſiam credere, non in Eccleſiam.

Cur dicamus, Credo Eccleſiam, non in Eccleſiam.

Non enim ſic modo loquuntur Auguſtinus, & quiſquis ille eſt vetuſtus ſcriptor cujus opuſculum extat ſub nomine Cypriani, *De Symboli expoſitione*: ſed diſerte quoque annotant loquutionem fore impropriam ſi præpoſitio attexatur: ac ſuam ſententiam ratione non frivola confirmant. Ideo enim credere in Deum nos teſtamur, quod & in ipſum ut veracem animus noſter ſe reclinat, & fiducia noſtra in ipſo acquieſcit: quod in Eccleſiam non ita conveniret, quemadmodum nec in remiſſionem peccatorum, aut carnis reſurrectionem. Itaque tametſi nolim de verbis litigare, malim tamen loquendi proprietatem ſequi, quæ aptior ſit rei exprimendæ, quam formulas affectare quibus res ſine cauſa obſcuretur.

Finis hujus articuli.

Finis autem eſt, ut ſciamus, quamvis ad diruendam Chriſti gratiam omnes lapides moveat Diabolus, & eodem etiam ferantur veſano impetu Dei hoſtes: non poſſe tamen extingui, nec ſterilem poſſe reddi Chriſti ſanguinem, quin fructum aliquem producat. Ita & arcana electio Dei & interior vocatio ſpectanda eſt:
quia *ſolus novit qui ſui ſint*, & ſub ſignaculo (ut loquitur Paulus) incluſos tenet: niſi quod inſi- 2 Tim. 2. verſ. 19.
gnia ejus geſtant, quibus dignoſcantur à reprobis. Sed quia exiguus numerus & contemptibilis latet ſub ingenti turba, & grana tritici pauca teguntur paleæ congerie, ſoli Deo permittenda eſt cognitio ſuæ Eccleſiæ, cujus fundamentum eſt arcana illius electio. Nec vero ſatis eſt electorum turbam cogitatione animoque complecti, niſi talem Eccleſiæ unitatem cogitemus in quam nos eſſe inſitos vere ſimus perſuaſi. Niſi enim ſub capite noſtro Chriſto coadunati ſimus reliquis omnibus membris, nulla nos manet ſpes hæreditatis futuræ.

Catholica, ſeu univerſalis, cur dicta.

Ideo CATHOLICA dicitur, ſeu univerſalis: quia non duas aut tres invenire liceat quin diſcerpatur Chriſtus: quod fieri non poteſt. Quin ſic electi Dei omnes in Chriſto ſunt connexi, ut quemadmodum ab uno capite pendent, ita in unum velut corpus coaleſcant, ea inter ſe compage cohærentes qua ejuſdem corporis membra: vere unum facti, qui una fide, ſpe, charitate, eodem Dei Spiritu ſimul vivunt, non in eandem modo vitæ æternæ hæreditatem, ſed in unius Dei ac Chriſti participationem etiam vocati. Quamvis ergo triſtis vaſtitas, quæ nobis undique occurrit, nihil Eccleſiæ reſiduum eſſe clamet, ſciamus fructuoſam eſſe Chriſti mortem, Deumque mirabiliter Eccleſiam ſuam quaſi in latebris ſervare. Sicuti Eliæ dictum eſt, *Servavi* 1 Reg. 19. verſ. 18.
mihi ſeptem millia virorum qui non flexerunt genu coram Baal.

Sanctorum Communio quid ſit.

3. Quanquam articulus Symboli ad externam quoque Eccleſiam aliquatenus pertinet, ut ſe quiſque noſtrûm in fraterno conſenſu cum omnibus Dei filiis contineat: Eccleſiæ deferat quam meretur auctoritatem: denique ſe ita gerat ut ovis ex grege. Atque ideo adjungitur SANCTORUM COMMUNICATIO: quæ particula licet à veteribus ferè prætermiſſa ſit, non tamen negligenda eſt: quia Eccleſiæ qualitatem optime exprimit, quaſi dictum eſſet, hac lege aggregari ſanctos in ſocietatem Chriſti, ut quæcunque in eos beneficia Deus confert, inter ſe mutuo communicent.

An tollat varia dona ſanctis collata, aut ordinem politicum.

Quo tamen non tollitur gratiarum diverſitas, ſicuti ſcimus varie diſtribui Spiritus dona: neque etiam convellitur ordo politicus, quo ſuas unicuique facultates privatim poſſidere licet; ut neceſſe eſt, pacis inter homines conſervandæ cauſa, rerum dominia in-

inter

ter ipſos propria & diſtincta eſſe. Sed aſſeritur com-
Act.4: 32. munitas qualem Lucas deſcribit, quod *multitudi-*
nis credentium eſſet cor unum & anima una: & Pau-
Eph. 4: 4. lus quum hortatur Epheſios ut ſint *unum corpus*,
unus ſpiritus, *ſicuti vocati ſunt in una ſpe*. Neque
enim fieri poteſt, ſi vere perſuaſi ſint Deum com-
munem ſibi omnibus patrem eſſe, & Chriſtum com-
mune caput, quin fraterno inter ſe amore conjun-
Quis fructus articuli de Eccleſia & ſanctorum communione.
cti, ultro citroque ſua communicent. Jam pluri-
mum noſtra intereſt ſcire quis inde ad nos fructus
redeat. Hac enim lege credimus Eccleſiam, ut certo
perſuaſi ſimus nos eſſe ejus membra. Hoc enim
modò nititur ſalus noſtra certis ſolidiſque fulcris,
ut etiamſi tota orbis machina labefactetur, cor-
1. ruere ipſa & concidere nequeat. Primum ſtat cum
Dei electione, nec niſi cum æterna illius providen-
2. tia variare aut deficere poteſt. Deinde quodam-
modo conjuncta eſt cum firmitudine Chriſti: qui
non magis patietur à ſe divelli ſuos fideles, quam
3. membra ſua diſcerpi ac dilaniari. Accedit quod ve-
ritatem, dum in Eccleſiæ ſinu continemur, ſemper
4. nobis conſtaturam ſecuri ſumus. Poſtremo quod
Joël.2: 32. promiſſiones iſtas ſentimus ad nos pertinere, *Salus*
Obad. 17. *erit in Sion: Deus in æternum commorabitur in medio*
Pſal. 46: 6. *Jeruſalem, ne unquam commoveatur*. Tantum po-
Fructus Communionis ſanctorum.
teſt Eccleſiæ participatio, ut nos in Dei ſocietate
contineat. In ipſo quoque nomine communionis
plurimum eſt conſolationis: quod dum ad nos per-
tinere fixum eſt quicquid membris ſuis ac noſtris
largitur Dominus, omnibus eorum bonis ſpes no-
ſtra confirmatur. Cæterum ad amplexandam eo
An Eccleſiam oporteat eſſe viſibilem, ut unitatem ejus amplectamur.
modo Eccleſiæ unitatem, nihil (ut diximus) opus
eſt Eccleſiam ipſam oculis cernere, vel manibus
palpare: quin potius eo quod in fide ſita eſt, ad-
monemur nihilo minus cogitandam eſſe, dum in-
telligentiam noſtram præterit, quam ſi palam ap-
pareat: neque ideo deterior eſt fides noſtra quod
incognitam apprehendit: quando hic non jubemur
reprobos ab electis diſcernere (quod Dei eſt ſolius,
non noſtrum) ſed certo ſtatuere in animis noſtris,
omnes eos qui Dei Patris clementia, per Spiritus
ſancti efficaciam, in Chriſti participationem vene-
runt, in Dei peculium ac propriam poſſeſſionem ſe-
gregatos, ac quum ſimus in eorum numero, tantæ
gratiæ nos eſſe conſortes.

Porro quum de viſibili Eccleſia ſit ſermo, matris nomen oſtendit quam neceſſaria ſit Eccleſiæ cognitio: extra eam enim non eſt ſalus.
4. Verum quia nunc de viſibili Eccleſia diſſe-
rere propoſitum eſt, diſcamus vel *matris* elogio
quam utilis ſit nobis ejus cognitio, imo neceſſaria:
quando non alius eſt in vitam ingreſſus niſi nos ipſa
concipiat in utero, niſi pariat, niſi nos alat ſuis ube-
ribus, denique ſub cuſtodia & gubernatione ſua
nos tueatur, donec exuti carne mortali, ſimiles eri-
mus Angelis. Neque enim patitur noſtra infirmi-
tas à ſchola nos dimitti donec toto vitæ curſu diſci-
puli fuerimus. Adde, quod extra ejus gremium nulla
eſt ſperanda peccatorum remiſſio, nec ulla ſalus,
Matth. 22. teſte Jeſaia & Joële: quibus ſubſcribit Ezechiel,
verſ. 30. quum denunciat in catalogo populi Dei non fore
Jeſ.37: 32. quos à cœleſti vita abdicat. Sicuti ex oppoſito di-
Joël.2: 32. cuntur nomen ſuum inſcribere inter cives Jeroſo-
Eze. 13: 9. lymæ, qui ſe ad pietatis cultum convertunt. Qua
Pſal. 106. ratione & alio Pſalmo dicitur, *Memento mei Je-*
verſ. 4. *hova in beneplacito populi tui: viſita me in ſalute tua,*
ut videam beneficentiam electorum tuorum, lœter in
lætitia gentis tuæ, gaudeam cum hæreditate tua. Qui-
bus verbis paternus Dei favor & peculiare ſpiritua-
lis vitæ teſtimonium ad gregem ejus reſtringitur:
ut ſemper exitialis ſit ab Eccleſia diſceſſio.

Mater autem nobis conſtituitur, quatenus miniſterium ſacrum apud eam Dominus depoſuit, quod nobis abundè eſt, donec ejus educatione in virilem ætatem adoleſcamus.
5. Cæterum quod hujus loci proprium eſt exe-
qui pergamus. Scribit Paulus, *Chriſtum, ut imple-*
ret omnia, dediſſe alios quidem Apoſtolos, alios vero
Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem Pa-
ſtores ac Doctores, ad inſtaurationem ſanctorum in opus
adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti: do-
nec perveniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis
Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis
plene adultæ Chriſti. Videmus ut Deus, qui poſſet
momento ſuos perficere, nolit tamen eos adoleſcere
in virilem ætatem niſi educatione Eccleſiæ. Vide-
mus modum exprimi: quia Paſtoribus injuncta eſt
cœleſtis doctrinæ prædicatio. Videmus omnes
ad unum cogi in eundem ordinem, ut manſueto
& docili ſpiritu regendos ſe doctoribus in hunc
usum creatis permittant. Et hac nota pridem re- Eph.4: 11.
gnum Chriſti inſignierat Jeſaias, *Spiritus meus qui* Jeſ.59:21.
in te eſt, & verba quæ poſui in ore tuo, nunquam diſ-
cedent neque ex ore tuo, neque ex ore ſeminis tui &
nepotum. Unde ſequitur dignos eſſe qui fame &
inedia pereant, quicunque ſpiritualem animæ ci-
bum divinitus ſibi per manus Eccleſiæ porrectum
reſpuunt. Fidem nobis Deus inſpirat, ſed Euan-
gelii ſui organo: ſicuti admonet Paulus *fidem eſſe* Rom. 10.
ex auditu. Sicuti etiam penes Deum ſua reſidet po- verſ. 17.
tentia ad ſervandum: ſed eam in Euangelii prædi-
catione (eodem Paulo teſte) depromit atque ex-
plicat. Hoc conſilio voluit olim ſacros haberi con-
ventus ad Sanctuarium, ut fidei conſenſum aleret
doctrina per os Sacerdotis prolata. Nec alio ſpe-
ctant magnifici illi tituli, ubi Templum vocatur Pſal. 132.
requies Dei, Sanctuarium, ejus domicilium, ubi verſ. 14.
dicitur ſedere inter Cherubin: quam ut pretium, Pſal.80: 2.
amorem, reverentiam ac dignitatem cœleſtis do-
ctrinæ miniſterio concilient: quibus alioqui non
parum derogaret mortalis & contempti hominis
aſpectus. Ergo ut ſciamus ex vaſis teſtaceis nobis 2 Cor.4:7.
proferri inæſtimabilem theſaurum, Deus ipſe in
medium prodit, & quatenus hujus ordinis auctor
eſt, vult ſe præſentem in ſua inſtitutione agnoſci.
Itaque poſtquam auguriis, divinationibus, artibus Levit. 19.
magicis, necromantiæ, aliiſque ſuperſtitionibus v. 30, 31.
ſuos vetuit dare operam, ſubjicit ſe daturum quod
pro omnibus ſufficere debeat, nempe Prophetis
nunquam deſtitutum iri. Sicuti autem veterem po-
Nec hic educationis modus eſt contemnendus.
pulum non ablegavit ad Angelos, ſed doctores ex-
citavit è terra, qui vere præſtarent munus Angeli-
cum: ita & nos hodie humanitus vult docere. Ac
ſicut olim non contentus fuit ſola Lege, ſed Sacer-
dotes addidit interpretes, ex quorum labiis populus
inquireret verum illius ſenſum: ita hodie non tan-
tum vult nos eſſe lectioni attentos, ſed magiſtros
Imo duplici ratione nobis eſt utilis.
etiam præficit quorum opera adjuvemur. Cujus
rei duplex eſt utilitas: nam ab una parte optimo
examine obedientiam noſtram probat, ubi ejus
miniſtros, non ſecus atque ipſum, loquentes audi-
mus: ex oppoſito etiam noſtræ infirmitati conſu-
lit, dum per interpretes humano more nos mavult
alloqui, ut ad ſe alliciat, quam tonando à ſe abi-
gere. Et certe quam nobis expediat hæc familia-
ris docendi ratio, ſentiunt omnes pii ex formidine
Quam utilitatem tollunt qui Eccleſia contemnunt paſtores & doctores.
qua merito illos conſternat Dei majeſtas. Quibus
autem videtur ex hominum, qui ad docendum vo-
cati ſunt, contemptu exinaniri doctrinæ auctori-
tas, hi ingratitudinem ſuam produnt: quia inter
tot præclaras dotes quibus ornavit Deus humanum
genus, hæc prærogativa ſingularis eſt, quod di-
gnatur ora & linguas hominum ſibi conſecrare, ut
in illis ſua vox perſonet. Quare ne viciſſim & nos
obedienter amplecti pigeat ſalutis doctrinam, ejus
mandato & ore propoſitam: quia etſi externis me-
diis alligata non eſt Dei virtus, nos tamen ordina-
rio docendi modo alligavit: quem dum recuſant te-
nere fanatici homines, multis ſe exitialibus laqueis
Horum contemptorum protervia retunditur, rationibus & Scriptura S. teſtimoniis.
involvunt. Multos impellit vel ſuperbia, vel faſti-
dium, vel æmulatio, ut ſibi perſuadeant privatim
legendo & meditando ſe poſſe ſatis proficere, atque
ita contemnant publicos cœtus, & prædicationem
ſupervacuam ducant. Quoniam autem ſacrum uni-
tatis vinculum quantum in ſe eſt ſolvunt vel abrum-
punt, nemo juſtam impii hujus divortii pœnam ef-
fugit, quin ſe peſtiferis erroribus ac teterrimis deli-

riis faſcinet. Quare ut vigeat apud nos pura fidei ſimplicitas, ne uti gravemur hoc pietatis exercitio, quod Deus nobis ſua inſtitutione monſtravit eſſe neceſſarium, & tantopere commendat. Deo qui aures diceret claudendas eſſe, nemo unquam vel ex petulantiſſimis canibus inventus eſt: ſed omnibus ſeculis difficile fuit certamen Prophetis & piis doctoribus contra impios, quorum pervicacia nunquam jugum hoc ſubire poteſt, ut ore & miniſterio hominum doceantur. Quod perinde eſt ac Dei faciem, quæ nobis in doctrina affulget, delere. Neque enim fideles olim alia de cauſa faciem Dei in

Pſal. 105. verſ. 4.

ſanctuario quærere juſſi ſunt, idque toties repetitur in Lege, niſi quia Legis doctrina & Propheticæ exhortationes erant illis viva Dei imago: ſicuti Pau-

2 Cor. 4. verſ. 6.

lus in ſua prædicatione lucere aſſerit *gloriam Dei in facie Chriſti.* Quo magis deteſtabiles ſunt apoſtatæ, qui ſcindendis Eccleſiis inhiant, perinde acſi oves abigerent à caulis, ac projicerent in fauces luporum. Nobis vero quod ex Paulo citavimus tenendum eſt, Eccleſiam non aliter ædificari quam externa prædicatione, nec alio vinculo inter ſe retineri ſanctos, niſi dum uno conſenſu diſcendo & proficiendo ordinem Eccleſiæ à Deo præſcriptum

In hunc finem, educationis ſcilicet filiorum Eccleſiæ, juſſi ſunt olim confluere ad ſanctuarium.

colunt. In hunc præcipue finem, ut dixi, juſſi ſunt olim fideles ſub Lege confluere ad ſanctuarium: quia dum Moſes de habitaculo Dei loquitur, ſimul locum nominis Dei appellat ubi Deus memoriam nominis ſui poſuit. Quo aperte docet nullum ſine pietatis doctrina eſſe illius uſum. Nec dubium eſt quin eadem etiam ratione David ingenti ſpiritus amaritudine queratur, ſe tyrannica hoſtium ſævi-

Exod. 20. verſ. 24. Pſal. 84. toto.

tia prohiberi tabernaculi ingreſſo. Multis fere videtur puerilis lamentatio, quod minimum jacturæ fieret, non multum etiam voluptatis periret, carere templi atrio, modo ſuppeterent aliæ deliciæ. Hac tamen una moleſtia, anxietate & mœſtitia ſe uri & cruciari & prope abſumi deplorat: nempe quod fidelibus nihil pluris eſt hoc adminiculo, quo Deus ſuos gradatim in ſublime attollit. Nam & hoc notandum eſt, Deum in ſpeculo ſuæ doctrinæ ita ſemper ſe oſtendiſſe ſanctis Patribus, ut ſpiritualis

Pſal. 132. verſ. 7. Pſal. 99: 5. 1 Paral. 28. verſ. 2.

eſſet cognitio. Unde & Templum non modo facies ejus, ſed (omnis ſuperſtitionis tollendæ cauſa) ſcabellum pedum vocatur. Atque hic eſt felix ille occurſus in unitatem fidei, dum à ſummo uſque ad infimum omnes ad caput adſpirant. Quicquid tem-

Templorum ante & poſt Chriſtum exhibitum abuſus, & legitimus uſus.

plorum alio conſilio ædificarunt Deo Gentes, mera fuit cultus ejus profanatio: ad quam etſi non pari craſſitie, aliquatenus tamen prolapſi ſunt Judæi: quod illis ex ore Jeſaiæ Stephanus exprobrat, *Deum ſcilicet non habitare in templis manufactis*, &c. Quia

Act. 7: 48.

ſolus Deus templa ſibi ſuo ſermone in legitimum uſum ſanctificat. Et ſi quid temere tentamus ejus injuſſu, protinus malo principio adhæreſcunt adventitia figmenta, quibus malum ſine modo propa-

Cic. lib. 2. de legibus. Strabo, lib. 14.

gatur. Inconſiderate tamen Xerxes, dum conſilio magorum omnia Græciæ templa exuſſit, vel diruit: quod abſurdum putaret deos, quibus omnia libere patere debent, parietibus & tegulis includi. Quaſi vero non ſit in Dei poteſtate, ut nobis propinquus ſit, quodammodo ad nos deſcendere: & tamen neque mutare locum, neque nos affigere terrenis mediis: ſed potius vehiculis quibuſdam nos ſurſum efferre ad cæleſtem ſuam gloriam, quæ ſua immenſitate omnia replet, tum vero cælos altitudine ſuperat.

Miniſterium quidem efficax eſt, non tamen à Spiritu Dei ſeparatum.

6. Porro quia hoc tempore magna fuit concertatio de efficacia miniſterii, dum ejus dignitatem hyperbolice amplificant alii, alii contendunt perperam transferri ad hominem mortalem quod proprium eſt Spiritus, ſi miniſtros & doctores cenſemus penetrare ad mentes & corda, ut tam illorum cæcitatem quam horum duritiem corrigant: recta hujus controverſiæ definitio tradenda eſt. Quod utrimque diſceptant, nullo negotio facile tranſigetur, locos diſerte obſervando, ubi Deus auctor *Teſtimonia.*
prædicationis Spiritum ſuum cum ea conjungens, fructum inde promittit: vel rurſum ubi ſe ab externis ſubſidiis ſeparans, tam initia fidei quam totum curſum ſibi uni vendicat. Officium ſecundi Eliæ fuit, teſte Malachia, illuminare mentes, *& con-* Mal. 4: 6.
vertere corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum. Chriſtus ſe Apoſtolos mittere Joan. 15.
pronunciat, *ut fructum afferant* ex labore ſuo: quis verſ. 16.
autem ſit fructus ille breviter definit Petrus, nos re- 1 Pet. 1.
gigni dicens ſemine incorruptibili. Itaque gloria- verſ. 23.
tur Paulus *ſe per Euangelium genuiſſe* Corinthios, 1 Cor. 4.
eoſque apoſtolatus ſui ſigillum eſſe: imo ſe non eſſe li- verſ. 15.
teralem miniſtrum, qui tantum ſonitu vocis aures 1 Cor. 9: 2.
percuſſerit, ſed datam ſibi efficaciam Spiritus, ne inu- 2 Cor. 3: 6.
tilis ſit doctrina. Quo ſenſu etiam alibi *Euangelium* 1 Theſſ. 1.
ſuum fuiſſe negat *tantum in ſermone, ſed in virtute.* verſ. 5.
Affirmat etiam Galatas *ex auditu fidei Spiritum acce-* 1 Cor. 2: 4.
piſſe. Denique pluribus locis non modo ſe coopera- Gal. 3: 2.
rium Dei facit, ſed partes ſibi aſſignat conferendæ 1 Cor. 3: 9.
ſalutis. Hæc certe omnia nunquam eo protulit ut vel tantillum ſibi ſeorſum à Deo tribueret: ſicuti
breviter alibi exponit, *Labor noſter non fuit inuti-* 1 Theſſ. 3.
lis in Domino ſecundum potentiam ejus, potenter in me verſ. 5.
efficacem. Item alibi, *Qui efficax fuit in Petro erga* Gal. 2: 8.
Circumciſionem, in me etiam efficax fuit apud Gentes. Cæterum quam nihil ſeparatim miniſtris reſiduum
faciat, ex aliis locis patet, *Qui plantat nihil eſt, &* 1 Cor. 3.
qui rigat nihil eſt: ſed Deus qui dat incrementum. verſ. 7.
Item, *Plus omnibus laboravi: non ego, ſed gratia Dei quæ mihi aderat.* Et certe retinere ſententias illas oportet, ubi Deus ſibi adſcribens mentis illuminationem & renovationem cordis, ſacrilegium eſſe admonet, ſi quam utriuſque partem homo ſibi arrogat. Interim ſi miniſtris, quos Deus præficit, ſe quiſque docilem offerat, ex fructu cognoſcet non fruſtra placuiſſe Deo hunc docendi modum, nec fruſtra etiam fidelibus jugum hoc modeſtiæ impoſitum eſſe.

Altera pars cap. de notis Eccleſiæ. Quæ eſt inviſibilis, & quo reſpectu.

7. Enimvero de Eccleſia viſibili, & quæ ſub cognitionem noſtram cadit, quale judicium facere conveniat, ex ſuperioribus jam liquere exiſtimo. Diximus enim bifariam de Eccleſia ſacras literas loqui. Interdum quum Eccleſiam nominant, eam intelligunt quæ revera eſt coram Deo, in quam nulli recipiuntur niſi qui & adoptionis gratiâ filii Dei ſunt, & Spiritus ſanctificatione, vera Chriſti membra. Ac tunc quidem non tantum ſanctos qui in terra habitant comprehendit, ſed electos omnes qui

Et viſibilis.

ab origine mundi fuerunt. Sæpe autem Eccleſiæ nomine univerſalem hominum multitudinem in orbe diffuſam deſignat, quæ unum ſe Deum & Chriſtum colere profitetur: Baptiſmo initiatur in ejus fidem: Cœnæ participatione unitatem in vera doctrina & charitate teſtatur: conſenſionem habet in verbo Domini, atque ad ejus prædicationem miniſterium conſervat à Chriſto inſtitutum. In hac

Viſibilis Eccleſiæ ſtatus.

autem plurimi ſunt permixti hypocritæ, qui nihil Chriſti habent præter titulum & ſpeciem: plurimi ambitioſi, avari, invidi, maledici, aliqui impurioris vitæ, qui ad tempus tolerantur: vel quia legitimo judicio convinci nequeunt, vel quia non ſemper ea viget diſciplinæ ſeveritas quæ debebat. Quemadmodum ergo nobis inviſibilem, ſolius Dei oculis conſpicuam Eccleſiam credere neceſſe eſt; ita hanc, quæ reſpectu hominum Eccleſia dicitur, obſervare ejuſque communionem colere jubemur.

Deus ſolus novit qui ſui ſint.

8. Proinde quatenus eam agnoſcere noſtra intererat, Dominus certis notis & quaſi ſymbolis nobis deſignavit. Hæc quidem ſingularis eſt Dei ipſius prærogativa, noſſe qui ſui ſint, ut ſupra citavimus 2 Tim. 2.
ex Paulo. Et certe ne hominum temeritas eo ſe pro- verſ. 19.
riperet proviſum eſt, ipſo quotidie eventu admo-

nente

nenæ quam longe ſeo ſum noſtrum ſuperent arcana illius judicia. Nam & qui perditiſſimi videbantur planeque deplorati fuerant, ejus bonitate in viam revocantur: & qui præ aliis ſtare videbantur, ſæpe corruunt. Itaque *ſecundum occultam Dei prædeſtinationem* (ut inquit Auguſtinus) *plurimæ ſunt foris oves, plurimi lupi intus.* Novit enim ac ſignatos habet qui nec eum nec ſe norunt. Ex iis autem qui palam ejus feruut ſignum, ipſius unius oculi vident qui & ſine fictione ſancti ſint, & in finem uſque perſeveraturi: quod demum eſt ſalutis caput.

Hom. 45. in Joan.

Attamen nobis deſignavit qui ſint pro filiis habendi.

Rurſum tamen, quia aliquatenus expedire providebat ut ſciremus qui nobis habendi pro ipſius filiis eſſent, hac in parte ſe captui noſtro accommodavit. Et quoniam fidei certitudo neceſſaria non erat, quoddam charitatis judicium ejus loco ſubſtituit, quo pro Eccleſiæ membris agnoſcamus qui & fidei confeſſione, & vitæ exemplo, & Sacramentorum participatione eundem nobiſcum Deum ac Chriſtum profitentur.

Idque certis notis.

Ipſius autem corporis notitiam quo magis ſaluti noſtræ neceſſariam eſſe noverat, eo certioribus notis commeodavit.

Hæ notæ ſunt, miniſterium verbi Dei, & ſacramentorum à Chriſto inſtitutorum adminiſtratio.

9. Hinc naſcitur nobis & emergit conſpicua oculis noſtris Eccleſiæ facies. Ubicunque enim Dei verbum ſineere prædicari atque audiri, ubi Sacramenta ex Chriſti inſtituto adminiſtrari videmus, illic aliquam eſſe Dei Eccleſiam nullo modo ambigendum eſt: quando ejus promiſſio fallere noo poteſt, *Ubicunque duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum ſum.*

Matth. 18. verſ. 20.

Gradus in agnoſcenda Eccleſia.

Sed ut ſummam hujus rei liquido teneamus, his veluti gradibus progrediendum eſt: Eccleſiam univerſalem, eſſe collectam ex quibuſcunque gentibus multitudinem, quæ intervallis locorum diſſita & diſperſa, in unam tamen divinæ doctrioæ veritatem conſentit, & ejuſdem religionis vinculo colligata eſt. Sub hac ita comprehendi ſiogulas Eccleſias, quæ oppidatim & vicatim pro neceſſitatis humanæ ratione diſpoſitæ ſunt, ut unaquæque nomen & auctoritatem Eccleſiæ jure obtineat: ſiogulos homines, qui pietatis profeſſione inter Eccleſias ejuſmodi cenſentur, etiamſi ab Eccleſia ſint revera extranei, ad ipſam tamen quodammodo pertinere, donec publico judicio exterminati fuerint.

Nec tamen eadem eſt in ſingulis hominibus, atque in Eccleſiis æſtimandis ratio.

Quanquam paulo diverſa eſt in privatis hominibus atque in Eccleſiis æſtimandis ratio. Uſu enim venire poteſt ut quos non omnino putabimus dignos eſſe piorum conſortio, tractare tamen inſtar fratrum, & fidelium loco habere debeamus, propter communem Eccleſiæ conſenſum, quo feruntur & tolerantur in Chriſti corpore. Tales ſuffragio noſtro non approbamus eſſe Eccleſiæ membra: ſed quem in populo Dei locum tenent, illis relinquimus, dooec legitimo jure adimatur. At de ipſa multitudine aliter ſentiendum eſt: quæ ſi miniſterium habet verbi, & honorat ſi ſacramentorum adminiſtrationem, Eccleſia proculdubio haberi & cenſeri meretur: quia ſine fructu illa non eſſe certum eſt. Ita & Eccleſiæ univerſali ſuam ſervamus unitatem, quam diſſecare ſemper ſtuduerunt diabolici ſpiritus: nec conventus legitimos, qui pro locorum opportunitate diſtributi ſunt, ſua auctoritate fraudamus.

Tertia pars, oſtendens, ab Eccleſia his notis inſignita, nullo modo eſſe diſcedendum.

10. Symbola Eccleſiæ digooſcendæ, verbi prædicationem, ſacramentorumque obſervationem poſuimus. Nam hæc nuſquam eſſe poſſunt quin fructificent, & Dei benedictione proſperentur. Non dico, ubicunque prædicatur verbum, illic fructum mox exoriri: ſed nullibi recipi & ſtatam habere ſedem, niſi ut ſuam efficaciam proferat. Utcunque ſit, ubi reverenter auditur Euangelii prædicatio, neque Sacramenta negliguntur, illic pro eo tempore neque fallax neque ambigua Eccleſiæ apparet facies: cujus vel auctoritatem ſperoere, vel monita reſpuere, vel conſiliis refragari, vel caſtigationes ludere, nemini impune licet: multo minus ab ea deficere, ac ejus abrumpere uoitatem.

Qui ſecus faciunt, ſunt Apoſtatæ.

Taoti enim Eccleſiæ ſuæ communionem facit Dominus, ut pro transfuga & deſertore religionis habeat, quicunque ſe à qualibet Chriſtiana ſocietate, quæ modo verum verbi ac ſacramentorum miniſterium colat, contumaciter alienarit.

Veritatis & domus Dei deſertores.

Sic ejus auctoritatem commendat, ut dum illa violatur, ſuam ipſius imminutam cenſeat. Neque enim parvi momenti eſt, quod vocatur *columna & firmamentum veritatis, & domus Dei.*

1 Tim. 3. verſ. 15.

Quibus verbis ſignificat Paulus, ne intercidat veritas Dei in mundo, Eccleſiam eſſe fidam ejus cuſtodem: quia ejus miniſterio & opera voluit Deus puram verbi ſui prædicatiooem conſervari, & ſe nobis oſtendere patremfamilias, dum nos ſpiritualibus alimentis paſcit, & quæcunque ad ſalutem noſtram faciunt procurat.

Dei & Chriſti abnegatores.

Non vulgaris etiam laus, quod electa ſegregataque dicitur à Chriſto in ſponſam, *quæ eſſet ſine ruga & macula, corpus & plenitudo ejus.*

Eph. 1:23. & 5:27.

Unde ſequitur, diſceſſionem ab Eccleſia, Dei & Chriſti abnegationem eſſe: quo magis à tam ſcelerato diſſidio cavendum eſt: quia dum veritatis Dei ruinam, quantum in nobis eſt, molimur, digni ſumus ad quos conterendos toto iræ ſuæ impetu fulminet.

Conjugii ſacri violatores.

Nec ullum atrocius fingi crimeo poteſt, quam ſacrilega perfidia violare conjugium quod nobiſcum unigenitus Dei Filius contrahere dignatus eſt.

Eo diligentius hæ notæ retinendæ ſunt, quod eas Satan molitur aut tollere, aut defectione nos ab Eccleſia eripere.

11. Quare notas illas diligenter animis impreſſas teneamus, & pro Domini arbitrio æſtimemus. Nihil eſt enim quod magis Satan moliatur quam iſtorum alterutrum vel utrumque tollere & abolere: nunc ut notis iſtis abolitis & deletis, veram germanamque tollat Eccleſiæ diſtinctionem: nunc ut injecto earum contemptu, manifeſta defectione nos ab Eccleſia abripiat. Ejus arte factum eſt, ut pura verbi prædicatio aliquot ſeculis evanuerit: & nunc eadem improbitate incumbit ad labefactandum mioiſterium: quod tamen ſic in Eccleſia Chriſtus ordinavit, ut illo ſublato hujus ædificatio pereat. Jam vero quam periculoſa, imo quam exitialis tentatio eſt, ubi vel in mentem venit diſceſſionem facere ab ea congregatione in qua ſigna conſpiciuntur ac teſſeræ, quibus ſufficienter Eccleſiam deſcriptam Dominus putavit?

Duo errores. 1. Spernere veram Eccleſiam.

Videmus quanta utrimque adhibeoda ſit cautio. Nam ne ſub Eccleſiæ titulo impoſtura nobis fiat, ad illam probationem, ceu ad Lydium lapidem, exigenda eſt omnis congregatio quæ Eccleſiæ nomen obtendit. Si ordinem habet in verbo & ſacramentis à Domioo commendatum, noo fallet: ſecure illi honorem Eccleſiis debitum deferamus:

2. Revereri falſam.

rurſum vero ſi abſque verbo & ſacramentis ſe venditat, à talibus præſtigiis non mious religioſe cavendum, quam in altera parte temeritas ſuperbiaque fugienda.

Non ſatis cauſa eſt, ut quiſpiam ab Eccleſia viſibili deficiat, etiamſi vel communis profeſſio quibuſdam corruptelis inquinetur.

12. Quod dicimus purum verbi miniſterium & purum in celebrandis ſacramentis ritum, idoneum eſſe pignus & arrhabonem, ut tuto poſſimus ſocietatem in qua utrumque extiterit, pro Eccleſia amplexari, uſque eo valet ut nuſquam abjicienda ſit quamdiu in illis perſtiterit, etiamſi multis alioqui vitiis ſcateat. Quin etiam poterit vel in doctrinæ, vel in ſacramentorum admioiſtratione vitii quidpiam obrepere, quod alienare nos ab ejus communione non debeat. Non enim unius ſunt formæ omnia veræ doctrinæ capita. Sunt quædam ita neceſſaria cognitu, ut fixa eſſe & indubitata omnibus oporteat, ceu propria religionis placita: qualia ſunt, Uoum eſſe Deum: Chriſtum Deum eſſe, ac Dei Filium: In Dei miſericordia ſalutem nobis conſiſtere: & ſimilia.

Quæ poſſunt eſſe ejuſmodi corruptela.

Sunt alia, quæ ioter Eccleſias controverſa, fidei tamen uoitatem non dirimant. Quæ enim ob hoc unum Eccleſiæ diſſideant, ſi altera citra contentionis libidinem, citra pervicaciam aſſerendi,

animas

Digitized by Google

animas à corporibus demigrantes in cælum convolare putet: altera nihil auſit definire de loco, cæterum vivere tamen Domino certo ſtatuat? Verba ſunt Apoſtoli, *Quicunque perfecti ſumus, idem ſentiamus: ſiquid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Dominus revelabit.*

Phil. 3:15.

Annon ſatis indicat, diſſenſionem de rebus iſtis non ita neceſſariis, diſſidii materiam eſſe non debere inter Chriſtianos?

Ratio hujus obſervationis.

Primum quidem eſt, ut per omnia conſentiamus: ſed quoniam nemo eſt qui non aliqua ignorantiæ nubecula obvolutus ſit: aut nullam relinquamus Eccleſiam oportet, aut hallucinationem condonemus in iis rebus, quæ & inviolata religionis ſumma & citra ſalutis jacturam ignorari poſſint.

Cautio neceſſaria.

Hic autem patrocinari erroribus vel minutiſſimis nolim, ut blandiendo & connivendo cenſeam fovendos: ſed dico, non temere ob quaslibet diſſentiunculas deſerendam nobis Eccleſiam, in qua duntaxat ea ſalva & illibata doctrina retineatur qua conſtat incolumitas pietatis, & Sacramentorum uſus à Domino inſtitutus cuſtodiatur.

Membrorum Eccleſiæ officium.

Interim ſi nitimur emendare quod diſplicet, facimus id ex officio noſtro. Et huc pertinet illud Pauli: *Si melius quid ſedenti revelatum fuerit, prior taceat.*

1 Cor. 14. verſ. 30.

Unde conſtat ſingulis Eccleſiæ membris demandatum publicæ ædificationis ſtudium pro menſura gratiæ ſuæ, modo decenter & ſecundum ordinem, hoc eſt, ne vel Eccleſiæ communionem renunciemus, vel in ea permanentes pacem & diſciplinam rite compoſitam turbemus.

Nec recedendum eſt ab Eccleſia, etiamſi quorundam vita plurimis vitiis referta ſit.

13. In vitæ autem imperfectione toleranda multo longius procedere indulgentia noſtra debet: hic enim valde lubricus eſt lapſus: neque vulgaribus machinamentis hic Satan nobis inſidiatur. Fuerunt enim ſemper qui falſa abſolutæ ſanctimoniæ perſuaſione imbuti, tanquam aërii quidam dæmones jam facti eſſent, omnium hominum conſortium aſpernarentur, in quibus humanum adhuc aliquid ſubeſſe cernerent. Tales olim erant Cathari, & (qui ad eorum veſaniam accedebant) Donatiſtæ. Tales hodie ſunt ex Anabaptiſtis nonnulli, qui ſupra alios volunt videri profeciſſe. Alii ſunt qui inconſiderato magis juſtitiæ zelo quam inſana illa ſuperbia peccant.

In hanc regulam peccant veteres & recentes Cathari.

Dum enim apud eos quibus Euangelium annunciatur, ejus doctrinæ non reſpondere vitæ fructum vident, nullam illic eſſe Eccleſiam ſtatim judicant. Juſtiſſima quidem eſt offenſio, & cui plus ſatis occaſionis hoc miſerrimo ſeculo præbemus: nec excuſare licet maledictam noſtram ignaviam, quam Dominus impunitam non ſinet: ut jam gravibus flagellis caſtigare incipit. (Væ ergo nobis, qui tam diſſoluta flagitiorum licentia committimus ut propter nos vulnerentur imbecilles conſcientiæ.)

Ratio.

Sed in hoc viciſſim peccant illi quos diximus, quod offenſioni ſuæ modum ſtatuere neſciunt. Nam ubi Dominus clementiam exigit, omiſſa illa, totos ſe immoderatæ ſeveritati tradunt. Quia enim non putant eſſe Eccleſiam ubi non eſt ſolida vitæ puritas & integritas, ſcelerum odio à legitima Eccleſia diſcedunt, dum à factione improborum declinare ſe putant.

Horum objectio prima. Reſp. ex tribus Chriſti parabolis.

Allegant, Eccleſiam Chriſti ſanctam eſſe. Verum, ut ſimul intelligant eſſe ex bonis & malis permixtam, illam ex ore Chriſti parabolam audiant, in qua reti comparatur, quo piſces omne genus colliguntur, neque ſeliguntur donec in litore ſint expoſiti.

Matth. 13. verſ. 47.

Audiant agri eſſe ſimilem, qui bona fruge conſitus, zizaniis, inimici fraude inficitur: quibus non expurgatur, donec in aream advecta fuerit meſſis.

ibid. v. 24.

Audiant denique aream eſſe, in qua ſic collectum eſt triticum, ut ſub palea deliteſcat, donec vanno & cribro repurgatum, in horreum tandem recondatur.

Matth. 3. verſ. 12.

Quod ſi hoc malo ad diem uſque judicii laboraturam Eccleſiam pronunciat Dominus, ut improborum permixtione oneretur, fruſtra nullo nævo inſperſam quærunt.

Objectio ſecunda.

14. Sed enim rem intolerabilem eſſe clamant, quod vitiorum peſtis ita paſſim graſſatur. Quid ſi Apoſtoli ſententia hic quoque occurrit?

Reſponſio, à conſideratione ſtatus Eccleſiæ Corinthiacæ.

Inter Corinthios non pauculi erraverant, ſed totum prope corpus labes occuparat: non una erat peccati ſpecies, ſed plurimæ: neque levia erant errata, ſed horrenda quædam flagitia: non ſola erat morum corruptio, ſed doctrinæ. Quid hic ſanctus Apoſtolus, hoc eſt, cæleſtis Spiritus organum, cujus teſtimonio ſtat & cadit Eccleſia? an diviſionem ab illis quærit? an eos à Chriſti regno abdicat? an ultimo anathematis fulmine ferit? Non modo nihil horum agit: ſed Eccleſiam Chriſti ſanctorumque ſocietatem & agnoſcit & prædicat. Si inter Corinthios manet Eccleſia, ubi fervent contentiones, ſectæ, æmulationes: ubi lites vigent & jurgia, cum habendi cupiditate: ubi palam approbatur ſcelus quod Gentibus ipſis foret execrabile: ubi petulanter proſcinditur Pauli nomen, quem ceu patrem colere debuerant: ubi quidam mortuorum reſurrectionem ludibrio habent, cum cujus ruina totum corruit Euangelium: ubi Dei gratiæ ambitioni non charitati ſerviunt: ubi permulta indecenter & inordinate geruntur: & ideo manet quod miniſterium verbi & Sacramentorum illic non repudiatur: quis audeat Eccleſiæ titulum eripere iis quibus decima pars iſtorum criminum impingi nequeat?

1 Cor. 1. verſ. 11. & 3: 3. & 5: 1. & 6: 7. & 9: 1. & 15: 12.

Et Eccleſiarum Galatiæ.

Qui tanta moroſitate ſæviunt in præſentes Eccleſias, quid quæſo Galatis feciſſent tantum non Euangelii deſertoribus: apud quos tamen idem Apoſtolus Eccleſias reperiebat?

in principio epiſt.

Tertia objectio.

15. Objiciunt etiam quod Paulus graviter Corinthios objurgat, quia flagitioſum hominem in ſuo contubernio ferant: deinde generalem ſententiam ponit, qua nefas eſſe pronunciat cum homine probroſæ vitæ vel panem comedere.

1 Cor. 5. v. 11, 12.

Hic exclamant, Si vulgarem panem comedere non licet, panem Domini comedere qui liceat?

Reſponſio 1. per conceſſionem.

Fateor certe magnum probrum eſſe ſi inter filios Dei locum habeant porci & canes: multo etiam majus ſi illis proſtituatur ſacroſanctum Chriſti corpus. Neque vero, ſi bene moratæ erunt Eccleſiæ, ſceleratos in ſinu ſuo ferent: nec ad ſacrum illud epulum dignos ſimul ac indignos promiſcue admittent. Verum quia non ita ſedulo ſemper advigilant Paſtores, interdum etiam indulgentiores ſunt quam oporteat, vel impediuntur quominus eam quam vellent ſeveritatem exercere poſſint: fit ut non ſemper ſubmoveantur etiam palam mali à ſanctorum contubernio. Hoc vitium eſſe fateor: neque extenuare volo, quum Paulus acriter in Corinthiis reprehendat. Verum etiamſi Eccleſia in officio ceſſet, non ideo protinus uniuſcujuſque privati erit judicium ſeparationis ſibi ſumere.

Reſponſio 2. per diſtinctionem. Inſtantia dilutio.

Non equidem nego quin pii hominis ſit ab omni privata improborum conſuetudine ſe ſubducere, nulla ſe voluntaria cum ipſis neceſſitudine implicare: ſed aliud eſt malorum fugere contubernium; aliud, ipſorum odio, Eccleſiæ communionem renunciare. Quod autem ſacrilegium eſſe putant participare cum illis panem Domini, in eo rigidiores multo ſunt quam Paulus.

vid. Calv. libellum de cœna Domini: & inſtruct. adv. Anabaptiſtas.

Nam quum ad ſanctam & puram participationem nos hortatur, non exigit ut unus alium examinet, aut unuſquiſque totam Eccleſiam: ſed ut ſinguli ſe probent.

1 Cor. 11. verſ. 28.

Si cum indigno communicare nefas eſſet, juberet certe Paulus nos circumſpicere, annon aliquis in multitudine eſſet cujus immunditia pollueremur: nunc quum probationem ſui ipſorum ſolum à ſingulis requirit, oſtendit minime nobis obeſſe ſiqui indigni ſe nobiſcum ingerant. Nec alio ſpectat quod poſtea ſubjicit, *Qui indigne manducat, judicium ſibi manducat & bibit.*

ibid. v. 29.

Non dicit aliis, ſed ſibi. Et merito: neque enim in ſingulorum arbitrio ſitum eſſe debet qui recipiendi & qui repellendi ſint. Totius Eccleſiæ hæc cognitio eſt, quæ

exerceri

exerceri ſine legitimo ordine oon poteſt, ut fuſius poſtea dicetur. Iniquum ergo erit privatum aliquem alterius indignitate pollui, quem arcere ab acceſſu nec poteſt nec debet.

Harum objectionum origo, & ſchiſmaticorum pictura.

16. Quanquam autem ex inconſiderato juſtitiæ zelo bæc tentatio bonis etiam interdum oboritur: hoc tamen reperiemus, nimiam moroſitatem ex ſuperbia magis & faſtu falſaque ſanctitatis opiolone, quam ex vera ſanctitate veroque ejus ſtudio naſci. Itaque qui ad faciendam ab Eccleſia defectionem ſunt aliis audaciores, & quaſi anteſignani, ii ut plurimum nihil aliud cauſæ habent niſi ut omnium cootemptu oſtentent ſe aliis eſſe meliores.

Ab Auguſtino jam olim delineata.
lib. 3. contra Parm. cap. 1.

Bene ergo & prudenter Auguſtinus, *Quum pia*, inquit, *ratio & modus Eccleſiaſticæ diſciplinæ unitatem Spiritus in vinculo pacis maxime debeat intueri: quod Apoſtolus ſufferendo invicem præcipit cuſtodiri, &, quo non cuſtodito, medicinæ vindicta non tantum ſuperflua, ſed etiam pernicioſa, & propterea jam nec medicina eſſe convincitur: illi filii mali, qui non odio iniquitatum alienarum, ſed ſtudio contentionum ſuarum infirmas plebes, jactantia ſui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certe dividere affectant, ſuperbia tumidi, pervicacia veſani, calumniis inſidioſi, ſeditionibus turbulenti, ne luce veritatis carere oſtendantur, umbram rigidæ ſeveritatis obtendunt: & quæ in Scripturis ſanctis, ſalva dilectionis ſinceritate, & cuſtodita pacis unitate, ad corrigenda fraterna vitia, moderatiori curatione fieri præcepta ſunt, ad ſacrilegium ſchiſmatis, & occaſionem præciſionis uſurpant.*

Pium adverſus hæc ſcandala conſilium ac tutum remedium, idque multiplex.
ejuſdem libri cap. 2.

Piis autem & placidis hominibus hoc conſilium dat, ut miſericorditer corripiant quod poſſunt: quod non poſſunt, patienter ferant, & cum dilectione gemant atque lugeant: donec aut emendet Deus ac corrigat, aut in meſſe eradicet zizania, & paleas ventilet. His armis præmunire ſe pii omnes ſtudeant, ne, dum ſtrenui & animoſi juſtitiæ vindices ſibi videntur, à regno cælorum (quod eſt unicum juſtitiæ regnum) deficiſcant. Nam quia in hac externa ſocietate, Eccleſiæ ſuæ communionem Deus coli voluit, qui odio improborum teſſeram ejus ſocietatis frangit, viam ingreditur qua proclivis eſt à ſanctorum
1. communione lapſus. Cogitent in magna multitudine complures eſſe vere ſanctos & innocentes coram
2. oculis Domioi, qui aſpectum ſuum fugiant. Cogitent, & ex iis qui morbidi videntur, multos eſſe qui in vitiis ſuis nequaquam ſibi placent aut blandiuntur, ſed ſerio timore Domini identidem expergefacti, ad integritatem majorem adſpirant.
3. Cogitent non ferendum eſſe de homine judicium ab uno facto: quando ſanctiſſimi interdum graviſ-
4. ſimo caſu excidunt. Cogitent plus ſubeſſe ad colligendam Eccleſiam momenti, tum verbi miniſterio, tum ſacrorum myſteriorum participationi, quam ut quorundam impiorum culpa, vis illa tota eva-
5. neſcere queat. Poſtremo reputent, in cenſenda Eccleſia pluris eſſe divinum quam humanum judicium.

Quarta objectio.

17. Quod etiam obtendunt non abs re ſanctam vocari Eccleſiam, perpendere convenit qua excellat ſanctitate: ne, ſi Eccleſiam nolimus admittere oiſi numeris omoibus abſolutam, nullam relinquamus.

Reſponſio 1.
Eph. 5:25.

Verum quidem eſt quod ait Paulus, *Chriſtum ſeipſum tradidiſſe pro Eccleſia, ut illam ſanctificaret: mundaſſe lavacro aquæ in verbo vitæ, ut ſibi exhiberet glorioſam ſponſam, non habentem maculam aut*
2. *rugam*, &c. Nihilo tamen minus & iſtud verum eſt, Dominum quotidie operari in rugis ejus expoliendis, maculiſque abſtergendis. Unde ſequitur nondum peractam eſſe ejus ſanctitatem. Sic ergo ſancta eſt Eccleſia, ut quotidie proficiat, noodum perfecta ſit: quotidie procedat, nondum pervenerit ad ſanctitatis metam: quemadmodum alibi quoque fuſius explicabitur.

Inſtantia.
Joël. 3:17.
Jeſa. 35:8.

Quod ergo *ſanctam fore Jeruſalem* vaticinantur Prophetæ, *per quam alieni non ſint tranſituri*: ſacroſanctum Templum, *quo impuri non ſint ingreſſuri*: non accipiamus perinde acſi nullus in Eccleſiæ membris nævus reſideret:

Reſponſio 1.

ſed quia roto ſtudio ad ſanctimoniam & ſolidam puritatem adſpirant, munditiies illis quam nondum plene conſequuti ſunt, Dei benignitate tribuitur. 2.
Et quanquam rara ſæpius indicia ejuſmodi ſanctificationis extant inter homines, ſtatuendum tamen eſt, nullum fuiſſe ab orbe condito tempus quo Eccleſiam ſuam Dominus non babuerit: nullum etiam fore ad conſummationem uſque ſeculi, quo non ſit habiturus. Nam etſi ſtatim à principio univerſum genus hominum Adæ peccato corruptum ac vitiatum eſt: ex hac tamen ceu polluta maſſa ſemper vaſa aliqua in honorem ſanctificat: ne ulla ſit ætas quæ non ſuam miſericordiam experiatur.

Confirmatio, a Dei promiſſionibus.
Pſal. 89:4.
Pſal. 132. verſ. 13.
Jer. 31:35.

Quod certis promiſſionibus teſtatum fecit, quales ſunt iſtæ, *Ordinavi teſtamentum electis meis: juravi David ſervo meo, Uſque in æternum propagabo ſemen tuum, in generatione & generatione ædificabo ſedem tuam.* Item, *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi: hæc requies mea in ſeculum ſeculi*, &c. Item, *Hæc dicit Dominus qui dat ſolem in lumen diei, lunam & ſtellas in lumen noctis, Si defecerint leges iſtæ coram me, tunc & ſemen Iſraël deficiet.*

Confirmatio altera, ab exemplis Chriſti & fidelium Dei ſervorum. Eccleſia facies Prophetarum ſeculo.
Jeſa. 1:10.

18. Hujus rei Chriſtus ipſe, Apoſtoli, & fere omnes Prophetæ exemplum oobis præbuerunt. Horrendæ ſunt illæ deſcriptiones quibus Jeſaias, Jeremias, Joël, Habacuc, & alii, Eccleſiæ Jeroſolymitanæ morbos deplorant. In plebe, in magiſtratu, in ſacerdotibus omnia uſque adeo corrupta erant, ut non dubitet Jeſaias æquare Jeroſolymam Sodomæ & Gomorrhæ. Religio partim contempta, partim cootaminata: in moribus paſſim referuntur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes, & ſimilia ſcelera. Neque tamen propterea aut novas ſibi Eccleſias erigebant, aut nova altaria extruebant Prophetæ, in quibus ſeparata ſacrificia haberent: ſed qualeſcunque eſſent homioes, quia tamen reputabant Dominum apud eos verbum ſuum depoſuiſſe, & ceremonias inſtituiſſe quibus illic colebatur, in medio impiorum cœtu puras manus ad illum extendebant. Certe ſi putaſſent aliquid inde contagionis ſe contrahere, centies potius mortui fuiſſent quam paſſi fuiſſent illuc ſe pertrahi. Nihil ergo eos retinebat quominus diſceſſionem facerent, quam ſervandæ unitatis ſtudium. Quod ſi religio ſanctis Prophetis fuit, ob plurima & maxima ſcelera oon unius aut alterius hominis, ſed propemodum totius populi, ſe ab Eccleſia alienare: nimium nobis arrogamus, ſi protinus audemus ab Eccleſiæ communione deficere, ubi non omoium mores vel noſtro judicio vel Chriſtianæ etiam profeſſioni ſatisfaciunt.

Chriſti item & Apoſtolorum ætate.

19. Jam Chriſti & Apoſtolorum ſeculum quale fuit? Neque tamen impedire potuit deſperata illa Phariſæorum impietas, & quæ tunc paſſim regnabat diſſoluta vivendi licentia, quin iiſdem ſacris cum populo uterentur, & in unum cum reliquis Templum ad publica religionis exercitia convenirent. Unde id, niſi quia ſciebant malorum ſocietate minime pollui qui pura conſcientia iiſdem ſacris commuoicarent?

Et Apoſtolicorum virorum.
lib. 3. epiſt. 5.

Siquem parum movent Prophetæ & Apoſtoli, ille ſaltem Chriſti auctoritati acquieſcat. Bene ergo Cyprianus, *Etſi videntur*, inquit, *in Eccleſia zizania, aut vaſa impura, non eſt tamen cur ipſi de Eccleſia recedamus: nobis modo laborandum ut frumentum eſſe poſſimus: nobis danda opera & quantum licet innitendum ut vas aureum vel argenteum ſimus. Cæterum fictilia vaſa confringere, ſolius Domini eſt, cui & virga ferrea data eſt: nec quiſquam ſibi quod proprium eſt ſoli Filio vendicet, ut ad aream ventilandam & purgandam paleam ſufficiat, zizaniaque omnia humano judicio ſegreganda. Superba eſt iſta obſtinatio,*

& ſacri-

Qui tamen externam Eccleſiæ communionem non deſeruerunt.

& ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor pravus aſſumit, &c. Fixum igitur utrumque iſtorum maneat, nihil excuſationis eum habere qui externam Eccleſiæ communionem ſponte deſerit, ubi Dei verbum prædicatur, & Sacramenta adminiſtrantur: deinde nihil obſtare vel paucorum vel multorum vitia quominus illic rite ceremoniis à Deo inſtitutis fidem noſtram profiteamur: quia nec alterius ſive paſtoris ſive privati indignitate læditur pia conſcientia, nec minus pura ſunt ac ſalutaria myſteria homini ſancto & recto, quia ſimul ab impuris attrectentur.

Quinta objectio.

20. Ultra etiam progreditur eorum moroſitas & faſtus: quia Eccleſiam non agnoſcunt niſi minimis quibuſque nævis puram, imo probis doctoribus ſuccenſent, quia fideles ad profectum hortando, tota vita ſub vitiorum onere gemere doceant, & ad veniam confugere. Hoc enim modo jactant à perfectione abduci. Fateor quidem in urgenda perfectione non lente vel frigide laborandum, ac multo minus ceſſandum eſſe: ſed ejus fiducia, dum adhuc in curſu ſumus, imbuere animos, diabolicum eſſe commentum dico. Itaque in Symbolo Eccleſiæ peccatorum remiſſio appoſite ſubnectitur: hanc enim non conſequuntur niſi ſoli illius cives ac domeſtici, quemadmodum legitur apud Prophetam. Præcedere ergo debet ædificatio cæleſtis Jeruſalem, in qua deinde indulgentia hæc Dei locum habeat, ut quicunque ad eam conceſſerint, eorum deleatur iniquitas. Dico autem ædificari primum oportere, non quod Eccleſia ſine peccatorum remiſſione ulla eſſe queat: ſed quia miſericordiam ſuam Dominus non promiſit niſi in ſanctorum communione. Eſt ergo primus nobis in Eccleſiam ac regnum Dei ingreſſus, peccatorum remiſſio: ſine qua nihil eſt nobis cum Deo fœderis aut conjunctionis. Sic enim per Prophetam loquitur, *In illa die percutiam vobis fœdus cum beſtia agri, cum volucre cæli & reptili terræ. Arcum, gladium & bellum conteram de terra, & dormire faciam homines abſque terrore. Deſponſabo vos mihi in ſempiternum. Deſponſabo (inquam) in juſtitia, in judicio, in miſericordia & miſerationibus.* Videmus qualiter per ſuam miſericordiam nos ſibi Dominus reconciliet. Sic & alibi dum prædicit recolligendum populum, quem in ira diſſipaverat, *Mundabo*, inquit, *eos ab omni iniquitate qua peccarunt mihi.* Quare in Eccleſiæ ſocietatem ablutionis ſigno initiamur: quo doceamur non patere nobis in Dei familiam aditum, niſi primum ejus bonitate ſordes noſtræ abſtergantur.

Reſponſio obſervanda adverſus veteres ac novos Catharos & Novatianos, de peccatorum remiſſione.

Jeſa. 33. verſ. 24.

Oſeæ 2. v. 17, 18.

Jerem. 33. verſ. 8.

Reſponſionis ad quintam objectionem continuatio, per remiſſionem peccatorum perpetuam reddi manſionem piorum in Eccleſia.

21. Neque vero per peccatorum remiſſionem nos in Eccleſiam modo ſemel recipit & cooptat Dominus, ſed per eandem nos in ipſa conſervat ac tuetur. Quorſum enim attineret, veniam nobis fieri quæ nulli uſui futura eſſet? Irritam autem & deluſoriam fore Domini miſericordiam, ſi ſemel duntaxat obtingeret, unuſquiſque piorum ſibi teſtis eſt: quia nemo non ſibi conſcius eſt per totam vitam multarum infirmitatum, quæ Dei miſericordia indigent. Et ſane non fruſtra ſuis domeſticis peculiariter hanc gratiam Deus promittit, nec fruſtra quotidie eundem reconciliationis nuncium illis deferri jubet. Itaque ut per totam vitam peccati reliquias circumferimus, niſi aſſidua in remittendis delictis Domini gratia ſuſtentemur, momentum unum in Eccleſia vix perſiſtemus. Vocavit autem ſuos Dominus in æternam ſalutem: ſuis ergo illi peccatis veniam ſemper paratam eſſe cogitare debent. Quare certo ſtatuendum, divina liberalitate, intercedente Chriſti merito, per Spiritus ſanctificationem, peccatorum gratiam nobis factam eſſe ac quotidie fieri, qui in Eccleſiæ corpus aſciti & inſerti ſumus.

Id vel ex hoc uno ſatis liquet, quod claves Eccleſiæ in hunc finem præcipue datæ ſunt, ut quotidie hoc bonum nobis impertiant.

22. Ad hoc bonum nobis impartiendum claves Eccleſiæ datæ ſunt. Non enim quum Apoſtolis mandatum dedit Chriſtus, & poteſtatem contulit remittendi peccata, hoc tantum voluit ut eos ſolverent à peccatis qui ab impietate ad Chriſti fidem converterentur: ſed magis ut hoc officio fungerentur perpetuo inter fideles. Quod Paulus docet, quum ſcribit legationem reconciliationis depoſitam eſſe apud Eccleſiæ miniſtros, quo ſubinde populum nomine Chriſti exhortentur ad ſe reconciliandum Deo. Ergo in ſanctorum communione, ipſius Eccleſiæ miniſterio nobis aſſidue remittuntur peccata, quum Presbyteri vel Epiſcopi, quibus hoc munus commiſſum eſt, pias conſcientias Euangelicis promiſſionibus in ſpe veniæ & remiſſionis confirmant: idque tam publice quam privatim, prout neceſſitas poſtulat. Sunt enim permulti, qui pro ſua infirmitate, ſingulari pacificatione indigent. Et Paulus non tantum pro communi concione, ſed *etiam per domos teſtificatum ſe* refert *fidem in Chriſtum*, & unumquemque ſigillatim admonuiſſe de ſalutis doctrina. Tria igitur hic nobis obſervanda ſunt: Primum, quantalibet ſanctitate polleant filii Dei, hac tamen conditione ſemper eſſe, quamdiu in mortali corpore habitant, ut ſine peccatorum remiſſione conſiſtere nequeant coram Deo. Deinde, hoc beneficium ſic eſſe Eccleſiæ proprium, ut non aliter eo fruamur quam ſi permaneamus in illius communione. Tertio, per Eccleſiæ miniſtros & paſtores nobis diſpenſari, vel Euangelii prædicatione, vel Sacramentorum adminiſtratione: atque hac in parte maxime eminere clavium poteſtatem, quam Dominus fidelium ſocietati contulit. Proinde unuſquiſque noſtrûm hoc officii ſui eſſe cogitet, non alibi quærere remiſſionem peccatorum quam ubi Dominus eam poſuit. De publica reconciliatione, quæ ad diſciplinam ſpectat, ſuo loco dicetur.

Matth. 16. verſ. 19. & 18. 18. Joan. 20. verſ. 23. 2 Cor. 5. verſ. 20.

Act. 20. v. 20, 21.

Summa reſponſionum ad quintam objectionem, & brevis refutatio Catharorum.

Sexta objectio.

23. Quoniam autem phrenetici illi quos dixi ſpiritus hanc unicam ſalutis anchoram eripere Eccleſiæ conantur: adverſus tam peſtilentem opinionem fortius roborandæ ſunt conſcientiæ. Novatiani olim iſto dogmate Eccleſias exagitarunt: ſed Novatianis non multum diſſimiles noſtrum quoque ſeculum habet quoſdam ex Anabaptiſtis, qui ad eadem deliramenta relabuntur. Fingunt enim regenerari Dei populum in Baptiſmo in puram & Angelicam vitam, quæ nullis carnis ſordibus vitietur. Quod ſi poſt Baptiſma quis delinquat, nihil præter inexorabile Dei judicium illi relinquunt. Breviter, peccatori poſt acceptam gratiam lapſo ſpem veniæ nullam faciunt: quia non aliam agnoſcunt peccatorum remiſſionem niſi qua primum regeneramur.

A Novatianis olim propoſita, ab Anabaptiſtis renovata.

Etſi autem mendacium nullum à Scriptura clarius refutatur: quia tamen reperiunt iſti quibus imponant (quemadmodum & Novatus olim plurimos habuit ſectatores) breviter oſtendamus quantopere in ſuam aliorumque perniciem inſaniant. Principio, quum Domini juſſu quotidie ſancti reperant hanc precem, *Remitte nobis debita noſtra*, ſe nimirum debitores confitentur. Neque fruſtra petunt: quia Dominus non aliud ubique petendum præſcripſit quam quod ipſe daturus eſſet. Imo quum totam orationem exauditum iri à Patre ſit teſtatus, hanc tamen abſolutionem peculiari etiamnum promiſſione obſignavit. Quid ultra volumus? peccatorum confeſſionem à ſanctis, & eam quidem aſſiduam, tota vita requirit Dominus, & veniam pollicetur. Quæ audacia eſt aut à peccato illos eximere: aut, ſi impegerint, à gratia prorſus excludere? Jam quibus vult nos condonare ſeptuageſies ſepties? annon fratribus? Quorſum præcepit niſi ut ſuam clementiam imitemur? Condonat igitur non ſemel aut bis: ſed quoties delictorum agnitione conſternati, ad eum ſuſpirant.

Reſponſio 1. forma precandi à Domino inſtituta hunc errorem manifeſto convellit.

Matth. 6. verſ. 12.

Matth. 18. verſ. 22.

Reſponſio 2. exemplis quibuſdam ex veteri

24. Atque (ut ab ipſis pene incunabulis Eccleſiæ ordiamur) Patriarchæ circumciſi erant, in fœderis participationem allecti, edocti haud dubie patris diligentia juſtitiam & integritatem, quum in

fratri-

Teſtamento deſumptis, Moſis item & Davidis teſtimonio comprobata.
Gen. 37. v. 18, 28.
Gen. 34. verſ. 25. & 35: 22. & 38: 16.
2 Sam. 11. verſ. 4, 15. & 12: 13.

fratricidium conſpirarunt: ſcelus erat vel perditiſſimis latronibus abominandum. Tandem manſuefacti Judæ monitionibus, vendiderunt: hæc quoque intolerabilis fuit immanitas. Simeon & Levi, nefaria ultione & patris quoque judicio damnata, in Sichimitas ſævierunt. Ruben cubile paternum ſpurciſſima libidine contaminavit. Judas dum ſcortationi vult indulgere, præter naturæ legem ad nutum ingreditur. Atqui tantum abeſt quin expungantur è populo electo, ut potius in capita erigantur. Quid porro David? quum præſes eſſet juſtitiæ, quanto cum flagitio, per innocentis ſanguinis effuſionem, viam cæcæ libidini patefecit? Jam regeneratus erat, ac inter regeneratos inſignibus elogiis Domini ornatus: quod tamen vel inter Gentes horribile eſt flagitium perpetravit: & veniam tamen eſt conſequutus. Et (ne ſingularibus exemplis immoremur) quot in Lege & Prophetis erga Iſraëlitas extant divinæ miſericordiæ promiſſiones; toties comprobatur Dominus ſe placabilem exhibere populi ſui offenſis. Quid enim Moſes promittit fore ubi populus in apoſtaſiam prolapſus redierit ad Dominum? *Reducet te Deus è captivitate, & miſerebitur tui, & congregabit te ex populis ad quos fueris diſperſus. Si ad cardines cæli fueris diſſipatus, inde ego te recolligam.*

Deut. 30. verſ. 3.

Reſponſio 3. teſtimoniis perſpicuis Jeremiæ, Ezechielis, & Salomonis firmata.
Jerem. 3. v. 1, & 12.

25. Sed nolo enumerationem inchoare quæ nunquam finienda eſſet: pleni enim ſunt Prophetæ ejuſmodi promiſſionibus, quæ populo infinitis ſceleribus cooperto miſericordiam tamen afferant. Quod gravius eſt flagitium rebellione? divortium enim inter Deum & Eccleſiam vocatur: at hoc Dei bonitate ſuperatur. *Quis eſt vir* (inquit per Jeremiam) *cujus ſi uxor corpus ſuum adulteris proſtituerit, cum ea redire in gratiam ſuſtineat? Tuis autem ſcortationibus omnes viæ pollutæ ſunt Juda, repleta fuit terra fœdis amoribus tuis. Revertere tamen ad me, & ego te ſuſcipiam. Revertere averſatrix, non avertam à te faciem meam: quia ſanctus ſum, & non iraſcor in perpetuum.* Et ſane non alius eſſe affectus ejus poteſt, qui affirmat *ſe nolle mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat.* Ideo quum Templum Solomon dedicaret, in hunc quoque uſum deſtinabat, ut nrationes pru impetranda peccatorum venia factæ inde exaudirentur. *Si peccaverint*, dicebat, *tibi filii tui (non eſt enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis ſuis, & egerint pœnitentiam in corde ſuo, & converſi deprecati te fuerint in captivitate ſua, dicentes, Peccavimus, inique egimus: & oraverint verſus terram quam dediſti patribus eorum, & verſus Templum hoc ſanctum: exaudies in cælo preces eorum, & propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum quibus prævaricati ſunt in te.* Nec fruſtra in Lege, quotidiana pro peccatis ſacrificia Dominus ordinavit: niſi enim aſſiduis peccatorum morbis populum ſuum laborare Dominus prævidiſſet, nunquam illi conſtituiſſet hæc remedia.

Ezech. 18. v. 23, & 32.
1 Reg. 8. verſ. 46.
Reſponſio 4. à ſacrificiis petita.
Num. 28. verſ. 3.

Reſponſio 5. ex novo Teſtamento.
Ratione,
Teſtimoniis. Tit. 2: 11. & 3: 4. 2 Tim. 1. verſ. 9, 10.
Exemplis ſpecialibus. Math. 10. verſ. 33.

26. An adventu Chriſti, quo plenitudo gratiæ exerta fuit, hoc ademptum eſt fidelibus beneficium, ne pro delictorum venia audeant ſupplicare? ne, ſi Dominum offenderint, ullam miſericordiam conſequantur? Quid hoc erit aliud quam Chriſtum dicere in ſuorum perniciem veniſſe, non ſalutem, ſi quæ in veteri Teſtamento aſſidue ſanctis parata erat Dei indulgentia in peccatis condonandis, nunc è medio ſublata dicitur? Quod ſi Scripturis fidem habemus, diſerte clamantibus, in Chriſto demum gratiam & humanitatem Domini ad plenum apparuiſſe, effuſam miſericordiæ opulentiam, reconciliationem Dei & hominum adimpletam: ne dubitemus quin multo benignior nobis clementia cæleſtis Patris exuberet potius quam abſciſſa aut decurtata fuerit. Neque vero deſunt illius documenta. Petrus, qui audierat abnegatum iri coram Angelis qui apud homines nomen Chriſti non eſſet confeſſus, ter una nocte, nec ſine execratione, abnegavit: non tamen à venia depellitur. Qui inordinate vivebant apud Theſſalonicenſes, ſic caſtigantur ut invitentur ad pœnitentiam. Ne ipſi quidem Simnni mago deſperatin injicitur, quin potius jubetur bene ſperare, quum ad preces confugere ſuadet illi Petrus.

Marc. 8. verſ. 38.
Matth. 26. v. 69. &c.
2 Theſ. 3. v. 6, 11, & 12.
Act. 8: 22.

Generalibus item.
Gal. 1: 6. & 3: 1. & 4: 9.
2 Cor. 12. verſ. 21.
1 Cor. 1. v. 11, 12. & 5: 1.
Inſigni teſtimonio.
Pſal. 89. v. 30, 31. &c.
Et diſpoſitione Symboli.

27. Quid quod totas interdum Eccleſias graviſſima peccata occuparunt, à quibus tamen eas Paulus clementer potius extricavit quam earum capita devnveret? Galatarum defectin non mediocre erat delictum: Corinthii eo minus illis erant excuſabiles, quod pluribus neque levioribus flagitiis abundabant: neutri tamen à miſericordia Domini excluduntur. Imo illi ipſi qui præ aliis immunditia, fornicatione & impudicitia deliquerant: nominatim invitantur ad pœnitentiam. Manet enim æternumque manebit inviolabile pactum Domini, quod ſolenniter cum Chriſto vero Solomone, ejuſque membris ſancivit bis verbis, *Si dereliquerint filii ejus Legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint: ſi juſtitias meas profanarint, mandata mea non cuſtodierint: viſitabo in virga iniquitates eorum, in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meam non auferam ab eo.* Denique ipſa Symboli diſpoſitione admonemur perpetuam reſidere in Eccleſia Chriſti delictorum gratiam: quod Eccleſia velut conſtituta remiſſin peccatorum adhuc ſubjungitur.

Aliorum objectio, voluntariam tranſgreſſionem peccatores ex Eccleſia ejicere.
Reſponſio 1. ſumpta à ſacrificiorum conſideratione.
Levit. 4.
2. A ſumma Evangelii.
3. Ab exemplis Davidis, Patriarcharum, Corinthiorum, Petri.

28. Quidam aliquanto prudentiores, ubi vident tanta Scripturæ perſpicuitate Novati dogma refutari, non quodlibet delictum irremiſſibile faciunt, ſed voluntariam Legis tranſgreſſionem, in quam ſciens quis ac volens impegerit. Porro ſic loquentes peccatum nullum venia dignantur, niſi ſicubi aberratum ignorantia fuerit. Verum quum Dominus in Lege, alia pro expiandis fidelium voluntariis peccatis, alia pro ignorantiis redimendis mandarit offerri ſacrificia: quantæ eſt improbitatis voluntario peccato nullum concedere piaculum? Dico nihil eſſe apertius quam unicum Chriſti ſacrificium valere ad remittenda ſanctorum voluntaria peccata: quando Dominus carnalibus hoſtiis, veluti ſignaculis, id teſtatum fecit. Deinde quis ab ignorantia Davidem excuſet, quem tantopere conſtat fuiſſe in Lege eruditum? An neſciebat David quantum foret adulterii & homicidii crimen, qui quotidie ipſum in aliis puniebat? An fratricidium res legitima Patriarchis videbatur? An ita male profecerant Corinthii, ut laſciviam, impuritatem, ſcortationem, odia, contentiones placere Deo putarent? An Petrus tam diligenter admonitus ignorabat quanti eſſet magiſtrum ejurare? Ergo Dei miſericordiæ tam benigne ſe exerenti viam noſtra malignitate ne præcludamus.

Poſtrema objectio Novatianorum, ex Patribus, pœnitentiam ſolennem iterari nolentibus.
Reſponſio 1. quæ hanc ſeveritatem interpretatur.

29. Equidem non me latet veteres ſcriptores peccata quæ quotidie remittuntur fidelibus, interpretatos eſſe quæ ex infirmitate carnis obrepunt leviora errata: pœnitentiam vero ſolennem, quæ pro gravioribus flagitiis tum exigebatur, illis viſam eſſe non magis iterandam quam Baptiſmum. quæ ſententia non ita eſt accipienda quaſi aut præcipitare in deſperationem voluerint qui à prima pœnitentia iterum recidiſſent, aut illa errata elevare, perinde atque coram Deo exilia: ſciebant enim infidelitate ſæpius titubare ſanctos, juramenta ſupervacua interdum excidere, in iram nonnunquam effervere, imo prorumpere ad manifeſta uſque convitia, aliis præterea malis laborare quæ Dominus non leviter abominatur: ſed ita vocabant, ut diſtinguerent à publicis criminibus, quæ cum magno offendiculo in Eccleſiæ cognitionem veniebant. Quod autem adeo difficulter ignoſcebant iis qui dignum aliquid animadverſione Eccleſiaſtica perpetra-

 petra-

petraraot, non ideo fiebat quod diffieilem illis apud Dominum veniam putarent: ſed hac ſeveritate volebant alios deterrere ne temere proruerent io flagitia, quorum merito ab Eccleſiæ communione

Reſponſio 2.

alienarentur. Quanquam verbum Domini, quod hic pro unica regula nobis eſſe debet, majorem certe moderationem præſcribit. Siquidem eo uſque intendendum docet diſciplinæ rigorem, ne abſorbeatur à triſtitia is cui præcipue conſultum oportet: ut fuſius ſupra diſſeruimus.

qua moderationem laudatam huic ſeveritati opponit.

CAP. II.

Comparatio falſæ Eccleſiæ cum vera.

Partes capitis.

1. *Falſæ Eccleſiæ deſcriptio, accommodata ad Papiſmum, ſucceſſione perſonali tumentem, cujus refutatio ſubjicitur, ſect. 1. 2. 3. & 4.*
2. *Ad criminationes Papiſtarum de ſchiſmate & hæreſi, Orthodoxarum Eccleſiarum nomine reſponſio, & quales hodie habendæ Eccleſiæ ſub Papatu degentes, à quinta ſectione ad finem capitis.*

Aʼ ranspo-Amiorem eorum quæ ſuperiori capite dicta ſunt.

QUanti apud nos valere verbi & ſacramentorum miniſterium, & quouſque procedere ejus reverentia debeat, ut ſit nobis perpetua teſſera dignoſcendæ Eccleſiæ, explicatum eſt. Nempe ubicunque integrum extat & illibatum, nullis morum vitiis aut morbis impediri quominus Eccleſiæ nomen ſuſtineat. Deinde, illud ipſum leviuſculis erroribus non vitiari quominus legitimum æſtimetur. Porro errores quibus talis debeatur venia, eos eſſe indicatum eſt quibus præcipua religionis doctrina non læditur, quibus non opprimantur quæ inter fideles omnes convenire debent religionis capita: in Sacramentis vero, qui legitimam auctoris iſtitutionem non aboleaot, nec labefactent.

Summa hujus, Ubi regnant falſitas & mendacium, illic non eſt Eccleſia. Falſitas, ubi ſincera doctrina de Chriſto non viget.

Atqui, ſimulac in arcem religionis mendacium irrupit, ſumma neceſſariæ doctrioæ inverſa eſt, Sacramentorum uſus corruit: certe Eccleſiæ interitus conſequitur: perinde atque de vita hominis actum eſt, jugulo transfixo, vel præcordiis lethaliter ſauciatis. Atque id ex Pauli verbis liquido evincitur, quum docet, *Eccleſiam fundatam eſſe ſuper doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo Chriſto ſummo angulari lapide.*

Eph. 2: 20.

Si Eccleſiæ fundamentum eſt Prophetarum & Apoſtolorum doctrina, qua ſalutem ſuam in uno Chriſto reponere fideles jubentur, illam doctrinam tolle, quomodo amplius ædificium conſtabit? Corruat ergo Eccleſia neceſſe eſt ubi iotercidit illa religionis ſumma quæ ſola ſuſtinere eam poteſt.

1 Tim. 3. verſ. 15.

Deinde ſi vera Eccleſia columna eſt ac firmameotum veritatis, certum eſt non eſſe Eccleſiam ubi regnum occupavit mendacium & falſitas.

Ea autem falſitas regnat ſub Papiſmo. Unde ſequitur Papiſmum non eſſe Eccleſiam: quod à partium enumeratione probatur.

2. In eum modum quum res habeat ſub Papiſmo, intelligere licet quid Eccleſiæ illic ſuperſit. Pro verbi miniſterio perverſa & mendaciis conflata illic regnat gubernatio, quæ puram lucem partim extinguit, partim ſuffocat. In locum Cœnæ Domini, fœdiſſimum ſacrilegium ſubiit: cultus Dei varia & non ferenda ſuperſtitionum congerie deformatus: doctrina (citra quam Chriſtianiſmus non conſtat) tota ſepulta & exploſa: publici conventus, idololatriæ & impietatis ſcholæ. Quare nullum eſt periculum ne ab exitiali tot flagitiorum participatione deſciſcendo, ab Eccleſia Chriſti divellamur.

vide cap. 1. ſect. 1. & infra ſect. 10. & cap. 8. ſect. 12. vide ſect. 11. & 12.

Eccleſiæ communio non ea lege inſtituta eſt ut vinculum ſit quo idololatria, impietate, ignorantia Dei, aliiſque malorum generibus irretiamur: ſed potius quo in timore Dei, & veritatis obedientia retineamur.

Papiſtæ tamen ſuam Eccleſiam magnifice commendant, ac ſecus ſentientes ſchiſmaticos & hæreticos conſtituunt.

Magnifice illi quidem ſuam nobis Eccleſiam commendant, ne qua alia in mundo eſſe videatur: poſtea, quaſi re confecta, omnes ſchiſmaticos eſſe conſtituunt qui ab ejus quam pingunt Eccleſiæ obedientia ſubducere ſe: omnes hæreticos, qui contra ejus doctrinam mutire audent. Sed quibus rationibus veram ſe Eccleſiam habere confirmant? Allegant ex vetuſtis annalibus quid olim in Italia, in Gallia, in Hiſpania fuerit. A ſanctis illis viris qui ſana doctrina fundaruot excitaruntque Eccleſias, doctrinamque ipſam & Eccleſiæ ædificationem ſuo ſanguine ſtabilierunt, ſe originem ducere. Eccleſiam vero ſic & ſpiritualibus donis, & Martyrum ſanguine apud ſe conſecratam, perpetua Epiſcoporum ſucceſſione conſervatam fuiſſe ne intercideret.

vid. ſect. 5.

Hanc commendationem ſucceſſionis perſonalis nomine tueri conantur.

Commemorant quanti hanc ſucceſſionem fecerint Irenæus, Tertullianus, Origenes, Auguſtinus, & alii. Quam frivola ſint iſta & plane ludicra, faciam ut nullo negotio iotelligant ii qui mecum ea paululum expendere volent. Equidem eos quoque hortarer ut huc animum ſerio adverterent, ſi quid docendo proficere me apud eos poſſe confiderem: ſed quando illis, omiſſa veritatis ratione, hoc unum propoſitum eſt quacunque poſſunt via rem ſuam agere, pauca tantum dicam quibus ſeſe boni viri & veri ſtudioſi ab eorum captionibus expedire queant.

Sed nullius eſſe momenti probatur iſta ſucceſſio, quæ à Chriſti veritate receſſit.

Primum ab illis quæro cur non Africam citent, & Ægyptum & totam Aſiam. Nempe quia in omnibus illis regionibus deſiit ſacra hæc Epiſcoporum ſucceſſio, cujus beneficio ſe Eccleſias retinuiſſe gloriantur. Eo igitur recidunt, ſe ideo veram habere Eccleſiam, quia ex quo eſſe cœpit, non fuerit Epiſcopis deſtituta: perpetua enim ſerie alios aliis ſucceſſiſſe. Sed quid ſi Græciam illis regeram? Quæro igitur iterum ab ipſis cur apud Græcos periiſſe Eccleſiam dicant, apud quos nunquam interrupta fuit illa Epiſcoporum ſucceſſio, unica, eorum opinione, Eccleſiæ cuſtos & conſervatrix. Græcos faciunt ſchiſmaticos: quo jure? quia à ſede Apoſtolica deſciſcendo, privilegium perdiderunt. Quid? annon multo magis perdere merentur qui à Chriſto ipſo deficiunt? Sequitur ergo evanidum eſſe prætextum ſucceſſionis, niſi Chriſti veritatem, quam à patribus per manum acceperint, ſalvam & incorruptam poſteri retineaot, ac in ea permaneant.

Confirmatio hujus probationis.

3. Ergo non aliud hodie prætendunt Romanenſes quam Judæos olim obtendiſſe apparet, quum cæcitatis, impietatis, idololatriæ à Prophetis Domini arguerentur. Nam ut illi templum, ceremonias, ſacerdotia glorioſe jactabant, quibus rebus Eccleſiam, magno, ut ſibi videbantur, argumento metiebantur: ita pro Eccleſia externæ quædam larvæ ab his opponuntur, quæ longe ſæpe abſuot ab Eccleſia, & citra quas Eccleſia optime conſtare poteſt.

1. Exemplis & teſtimoniis petitis ex Jeremia.

Jer. 7: 4.

Quare neque alio argumento refutandi nobis ſunt, quam quo adverſus ſtultam illam Judæorum coofidentiam pugnabat Jeremias, nempe *ne glorientur in verbis mendacibus, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt.* Quando nihil Dominus uſpiam ſuum agnoſcit niſi ubi verbum ſuum auditur, ac religioſe obſervatur.

Ezech. 14 verſ. 4.

Ita quum gloria Dei inter Cherubim in ſanctuario ſederet, eamque ſedem ſibi ſtatam fore pollicitus eſſet ipſis: ubi cultum ejus pravis ſuperſtitionibus corrumpunt Sacerdotes, alio tranſmigrat, & locum ſine ulla ſanctitate relinquit. Si templum illud quod videbatur perpetuæ Dei habitationi conſecratum, derelioqui à Deo ac profaneſcere potuit, non

eſt

eſt quod nobis iſti fingant Deum ita perſonis aut locis alligatum, & affixum externis obſervationibus, ut manere apud eos oporteat qui titulum modo &

Ex Apoſtolo.

ſpeciem Eccleſiæ habent. Atque hæc eſt contentio quam habet Paulus in epiſtola ad Romanos, à nono capite uſque ad duodecimum. Hoc enim vehementer turbabat infirmas conſcientias, quod quum viderentur eſſe populus Dei, Euangelii doctrinam non modo reſpuebant, ſed etiam perſequebantur. Poſtquam ergo doctrinam expoſuit, hanc difficultatem removet: ac negat Judæos illos, veritatis hoſtes, eſſe Eccleſiam, utcunque nihil eis deeſſet quod poſſet ad externam Eccleſiæ formam alias deſiderari. Ideoque negat, quia Chriſtum non amplecterentur. Aliquanto etiam expreſſius in epiſtola ad Ga-

Galat. 4. v. 22. &c.

latas, ubi Iſmaelem cum Iſaac comparando, multos dicit in Eccleſia tenere locum ad quos non pertinet hæreditas: quia primogeniti non ſunt ex libera matre. Unde etiam ad comparationem duplicis Jeroſolymæ deſcendit: quia ſicuti in monte Sina Lex eſt lata, Euangelium vero ex Jeruſalem prodiit: ſic multi ſerviliter nati & educati, filios Dei & Eccleſiæ ſe eſſe non dubitanter jactant: imo ſuperbe deſpiciunt genuinos Dei filios, quum ſint ipſi degeneres. Nos quoque ex oppoſito, dum audi-

Gen. 21. verſ. 10.

mus ſemel è cælo pronunciatum eſſe, *Ejice ancillam & filium ejus*: hoc inviolabili decreto freti, fortiter ſpernamus inſipidas eorum jactantias. Nam ſi externa profeſſione ſuperbiunt, Iſmaël quoque circumciſus erat: ſi antiquitate pugnant, ille erat primogenitus: videmus tamen abdicari. Si cauſa quæ-

Rom. 9: 6.

ritur, eam Paulus aſſignat non cenſeri inter filios niſi qui geniti ſunt ex puro & legitimo doctrinæ

Ex Malachia. Malach. 2. verſ. 4.

ſemine. Secundum hanc rationem negat ſe Deus impiis Sacerdotibus obſtrictum eſſe, quia pepigerit cum patre eorum Levi ipſum ſibi Angelum vel interpretem fore: imo in eos retorquet falſam eorum gloriationem, qua ſolebant inſurgere contra Prophetas: quod ſcilicet dignitas Sacerdotii in ſingulari pretio habenda foret. Hoc ipſe libenter admittit, & hanc conditionem cum ipſis diſceptat, quia pactum ſervare paratus ſit. dum autem ipſi mutuo non reſpondent, repudiari merentur. En quid valeat ſucceſſio, niſi imitatio etiam conjuncta ſit atque æquabilis tenor: nempe ut poſteri, ſimulac convicti fuerint deſciviſſe à ſua origine, omni ho-

Ex Joanne Euangeliſta.

nore priventur. Niſi forte quia Caiphas multis piis Sacerdotibus ſucceſſit (imo ab Aarone uſque ad illum continua fuit ſeries) ideo ſceleratus ille cœtus

2. Ratione à pari, de imperiis ducta.

Eccleſiæ titulo dignus fuit. Atqui ne in terrenis quidem imperiis hoc ferri poſſet, ut verus Reipublicæ ſtatus dicatur tyrannis Caligulæ, Neronis, Heliogabali, & ſimilium, quia Brutis, Scipionibus, & Camillis ſucceſſerint. Præſertim vero in Eccleſiæ regimine nihil magis frivolum, quam omiſſa doctrina ſucceſſionem in ipſis perſonis locare. Nec vero quicquam minus ſanctis Doctoribus, quos falſo nobis obtrudunt, propoſitum fuit, quam præciſe quaſi hæreditario jure probare, eſſe Eccleſias ubicunque Epiſcopi alii aliis ſubrogati fuerant. Sed quum extra controverſiam eſſet, nihil à principio uſque ad illam ætatem mutatum fuiſſe in doctrina, ſumebant quod omnibus novis erroribus conficiendis ſufficeret, illis oppugnari doctrinam ab ipſis uſque Apoſtolis conſtanter & unanimi conſenſu retentam. Non eſt igitur cur fucum amplius facere pergant ex Eccleſiæ nomine, quam nos ut decet reverenter colimus: ſed ubi ad definitionem ventum eſt, non modo aqua (ut dicitur) illis hæret, ſed hærent in ſuo luto: quia fœtidam meretricem ſubſtituunt pro ſacra Chriſti ſponſa.

Auguſtini authoritate. ad Vincentium, epiſt. 48.

Quæ ſuppoſitio ne nos fallat, præter alias admonitiones hæc quoque Auguſtini nobis ſuccurrat: nam de Eccleſia loquens, *Ipſa eſt*, inquit, *quæ aliquando obſcuratur, & tanquam obnubilatur multitudine ſcandalorum: aliquando tranquillitate temporis quieta & libera apparet: aliquando tribulationum & tentationum fluctibus operitur atque turbatur.* Exempla profert, quod ſæpius firmiſſimæ columnæ vel pro fide exularent fortiter, vel toto orbe latitarent.

Quicquid igitur obtendant Papiſtæ, nulla eſt Eccleſia ubi verbum Dei non apparet.

4. In hunc modum hodie nos vexant Romanenſes, ac imperitos terrefaciunt Eccleſiæ nomine, quum capitales ſint Chriſti adverſarii. Quamvis igitur templum, ſacerdotium, & reliquas hujuſmodi larvas obtendant, minime permovere nos debet inanis hic fulgor quo ſimplicium oculi perſtringuntur, ut Eccleſiam eſſe recipiamus ubi verbum Dei non apparet. Hæc enim perpetua eſt nota, qua ſignavit ſuos Dominus noſter, *Qui eſt ex veritate*, Joan. 18. verſ. 37.
inquit, *audit vocem meam.* Item, *Ego ſum paſtor ille bonus, & agnoſco oves meas, & cognoſcor à meis.* Joan. 10. verſ. 14.
Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Paulo autem ante dixerat, *Oves* ibid. v. 4.
paſtorem ſuum ſequi, quia noverunt vocem ejus: alienum autem non ſequi, ſed effugere ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.

Ratio, ex dictis Chriſti & Pauli.

Quid igitur ſponte in cenſenda Eccleſia inſanimus, quum eam minime dubio ſymbolo deſignarit Chriſtus, quod ubicunque ſpectatur, fallere non poteſt quin illic Eccleſiam certo oſtendat: ubi vero abeſt, nihil reſtat quod veram Eccleſiæ ſignificationem dare poſſit. Non enim ſuper hominum judicia, non ſuper ſacerdotia fundatam eſſe Eccleſiam, ſed ſuper doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum, commemorat Paulus. Quin Eph. 2: 20.
potius Jeruſalem à Babylone, Chriſti Eccleſia à Satanæ conjuratione hoc diſcrimine dignoſcenda eſt quo eas inter ſe Chriſtus diſtinxit: *Qui ex Deo eſt*, Joan. 8.
inquit, *verba Dei audit. Propterea non auditis quia ex Deo non eſtis.* verſ. 47.
In ſumma, quum Eccleſia regnum ſit Chriſti, regnet autem ille nonniſi per verbum ſuum: an ullis jam obſcurum erit quin illa mendacii verba ſint, quibus Chriſti regnum abſque ejus ſceptro (id eſt, ſacroſancto ipſius verbo) eſſe fingitur?

Refutata objectione ſucceſſionis perſonalis, altera de criminatione ſchiſmatis & hæreſeos, argumento à definitione ducto, tam ex Auguſtino quam ex Scripturis S. diluitur. lib. quæſt. Euangel. ſec. Mat.

5. Jam vero quod reos ſchiſmatis & hæreſeos nos agunt quia & diſſimilem prædicemus doctrinam, & ſuis legibus non pareamus, & ſeorſum conventus ad preces, ad Baptiſmum, ad Cœnæ adminiſtrationem, aliaſque ſacras actiones habeamus: graviſſima quidem eſt accuſatio, ſed quæ nequaquam longa aut laborioſa defenſione opus habet. Hæretici & ſchiſmatici vocantur, qui diſſidio facto Eccleſiæ communionem dirimunt. Hæc porro duobus vinculis continetur, ſanæ doctrinæ conſenſione, & fraterna charitate. Unde inter hæreticos & ſchiſmaticos hoc diſcriminis ponit Auguſtinus, quod illi quidem falſis dogmatibus fidei ſinceritatem corrumpant: hi autem interdum etiam in fidei ſimilitudine, ſocietatis vinculum diſrumpant. Verum id quoque notandum eſt, hanc charitatis conjunctionem ſic à fidei unitate pendere, ut hæc illius initium, finis, unica denique regula eſſe debeat. Meminerimus ergo, quoties Eccleſiaſtica unitas nobis commendatur, hoc quæri ut dum mentes in Chriſto conſentiunt, voluntates etiam noſtræ mutua in Chriſto benevolentia inter ſe conjunctæ ſint. Itaque Paulus, dum ad illam nos hortatur, pro fun- Eph. 4: 5.
damento ſumit, unum eſſe Deum, unam fidem, & Phil. 2.
unum Baptiſmum. Imo ubicunque nos idem ſen- v. 2. & 5.
tire & idem velle docet, continuo addit, In Chriſto, vel ſecundum Chriſtum: ſignificans impiorum eſſe factionem, non conſpirationem fidelium, quæ fit extra verbum Domini.

Idipſum Cypriani authoritate confirmatur. de ſimplicitate Prælatorum.

6. Paulum quoque ſequutus Cyprianus totius Eccleſiaſticæ concordiæ fontem ab unico Chriſti epiſcopatu ducit: poſtea ſubjicit, *Eccleſia una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quo modo Solis radii multi, ſed lumen unum: & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum. Et quum de fonte uno rivi plurimi defluunt,*

numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen manet in origine. Avelle radium Solis à corpore, diviſionem unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præciſus areſcit. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per totum orbem porrigitur: unum tamen lumen eſt quod ubique diffunditur. Nihil elegantius dici potuit ad exprimendam individuam illam connexionem quam habent inter ſe omnia Chriſti membra. Videmus ut ad caput ipſum perpetuo nos revocet. Proinde hæreſes & ſchiſmata inde oriri pronunciat, quod ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec cæleſtis magiſtri doctrina ſervatur. Eant nunc, & clamitent hæreticos nos eſſe qui ab ipſorum Eccleſia receſſerimus: quum nulla alienationis cauſa fuerit niſi hæc una, quod puram veritatis profeſſionem nullo modo ferre poſſunt. Taceo autem quod anathematibus & diris nos expulerunt. Quod tamen ipſum ſatis ſuperque nos abſolvit, niſi Apoſtolos quoque ſchiſmatis damnare velint, quibuſcum ſimilem habemus cauſam. Prædixit, inquam, Chriſtus Apoſtolis ſuis, fore ut à ſynagogis propter nomen ſuum ejicerentur. Illæ porro ſynagogæ de quibus loquitur, tunc habebantur legitimæ Eccleſiæ. Quum ergo ejectos eſſe nos conſtet, idque propter Chriſti nomen fuiſſe factum parati ſimus oſtendere, de cauſa certe prius quærendum eſt quam aliquid de nobis in hanc vel illam partem definiatur. Sed hoc illis, ſi ita volunt, ſponte remitto: abunde enim mihi eſt, oportuiſſe nos ab ipſis recedere ut ad Chriſtum accederemus.

Unde apparet anathemata Papiſtica nullius eſſe momenti.
Ratio.
Joan. 16:2.

7. Sed apparebit etiamnum certius, quo loco nobis eſſe debeant Eccleſiæ omnes quas Romani illius idoli tyrannis occupavit, ſi cum Iſraëlitica illa veteri, qualis apud Prophetas delineata eſt, conferatur. Vera tum extabat apud Judæos & Iſraëlitas Eccleſia, quum in fœderis legibus perſtarent: ea ſcilicet obtinentes Dei beneficio quibus Eccleſia continetur. Doctrinam veritatis habebant in Lege, ejus miniſterium penes Sacerdotes erat & Prophetas: Circumciſionis ſymbolo in religionem initiabantur, aliis Sacramentis exercebantur ad fidei confirmationem. Non dubium quin competerent in eorum ſocietatem elogia quibus Eccleſiam Dominus honoravit. Poſtquam deſerta Lege Domini, degenerarunt ad idololatriam & ſuperſtitionem, illa prærogativa pro parte exciderunt. Quis enim auſit Eccleſiæ titulum iis præripere apud quos verbi ſui prædicationem, & myſteriorum obſervationem depoſuit Deus? Rurſum, quis auſit eum cœtum nulla cum exceptione Eccleſiam appellare, ubi verbum Domini palam & impune conculcatur? ubi ejus miniſterium, præcipuus nervus, atque adeo anima Eccleſiæ, diſſipatur?

Eo enim loco habendæ ſunt Eccleſiæ Papiſticæ quo Iſraëlitica, quæ ad ſuperſtitionem & idololatriam ſub Jarobeamo defecerunt.

8. Quid ergo? (dicet quiſpiam) nullane igitur reliqua erat in Judæis Eccleſiæ particula ex quo ad idololatriam defecerunt? Facilis eſt reſponſio. Primum dico in ipſa defectione fuiſſe gradus quoſdam: neque enim dicemus eundem fuiſſe lapſum Judæ & Iſraëlis, quo primum tempore uterque à puro Dei cultu deflexit. Jarobeam, quum vitulos fabricaret contra apertam Dei prohibitionem, & adorationi locum non licitum dedicaret, religionem prorſus corrupit. Judæi prius ſe impiis moribus & ſuperſtitioſis inquinarunt quam ſtatum in externa religionis forma perperam mutarent. Quanquam enim ſub Rechabeam multas jam perverſas ceremonias vulgo ſibi aſciverant, quia tamen Hieroſolymis manebant & Legis doctrina & ſacerdotium, & ritus quales Deus inſtituerat, habebant illic pii tolerabilem Eccleſiæ ſtatum. Apud Iſraëlitas, uſque ad regnum Achab res minime in melius reſtitutæ, tunc vero etiam in deterius prolapſæ ſunt. Qui poſtea ſucceſſerunt, uſque ad interitum regni, partim ejus fuerunt ſimiles, partim (quum aliquando meliores eſſe vellent) exemplum Jarobeam ſequuti ſunt, omnes autem ad unum impii & idololatræ. In Judæa variæ ſubinde mutationes fuerunt, dum alii reges cultum Dei falſis & commentitiis ſuperſtitionibus pervertunt, alii diſſipatam religionem inſtaurant: donec ipſi quoque ſacerdotes templum Dei profanis abominandiſque ritibus polluerunt.

Quales fuerint tunc Eccleſia Iſraëlitica.

vide lib. 1. & 2. hiſtoriæ Regum.

9. Age nunc, negent Papiſtæ ſi poſſunt, ut ſua vitia maxime extenuent, religionis ſtatum ita apud ſe corruptum vitiatumque eſſe ut fuit in regno Iſraëlitico ſub Jarobeam. Atqui idololatriam habent craſſiorem: neque in doctrina, guttula una ſunt puriores: niſi forte in hac quoque ipſa magis ſint impuri. Deus, imo quicunque mediocri judicio præditi ſunt, mihi erunt teſtes, & res etiam ipſa declarat quam nihil hic amplificem. Jam quum ad Eccleſiæ ſuæ communionem adigere nos volunt, duo poſtulant à nobis: primum ut precibus, ſacriſque, & ceremoniis ſuis omnibus communicemus: deinde ut quicquid honoris, poteſtatis, juriſdictionis Eccleſiæ ſuæ tribuit Chriſtus, id Eccleſiæ ſuæ deferamus. Quod ad primum attinet, fateor Prophetas omnes qui Hieroſolymis fuerunt, quum res illic eſſent admodum corruptæ, nec ſeorſum ſacrificaſſe, nec ſeparatos habuiſſe ab aliis ad orandum coetus. Habebant enim Dei mandatum, quo in templum Solomonis convenire jubebantur: ſacerdotes Leviticos, quos, quia ſacrorum antiſtites ordinati erant à Domino, necdum abdicati, utcunque indigni eo honore eſſent, locum illum jure adhuc tenere noverant. Quod vero caput eſt totius quæſtionis, ad nullum ſuperſtitioſum cultum adigebantur: imo nihil ſuſcipiebant quod non eſſet à Deo inſtitutum. Apud hos autem, Papiſtas dico, quid ſimile? Vix enim ullum cum ipſis conventum poſſumus habere in quo non aperta idololatria nos polluamus. Certe præcipuum communionis vinculum in Miſſa eſt, quam nos ut maximum ſacrilegium abominamur. Atque id merito an temere à nobis fiat, alibi videbitur. Nunc ſatis eſt oſtendere aliam in hac parte cauſam noſtram eſſe quam fuerit Prophetarum, qui ut impiorum ſacris intereſſent, nullas ceremonias vel ſpectare vel uſurpare cogebantur niſi à Deo inſtitutas. Ac, ſi exemplum omnino ſimile habere libet, ſumamus ex regno Iſraëlitico. Secundum inſtitutum Jarobeam manebat circumciſio, fiebant ſacrificia, Lex ſancta habebatur, invocabatur Deus ille quem à Patribus acceperant: ſed propter commentitios ac vetitos cultus, quicquid illic agebatur, Deus improbabat ac damnabat. Cedo mihi Prophetam unum, vel pium aliquem virum, qui ſemel adoraverit in Bethel, aut ſacrum fecerit. Noverant enim ſe id non facturos quin aliquo ſacrilegio ſe contaminarent. Habemus ergo, non eo uſque valere apud pios debere Eccleſiæ communionem, ut ſi illa ad profanos pollutoſque ritus degeneraret, ſequi protinus neceſſe ſit.

Inde liquet, Papiſtas iniquæ facere, dum ad Eccleſiæ ſuæ communionem adigere nos volunt.

Duo poſtulant à Chriſtianis.

Ad primum reſponſio.

Exod. 29. verſ. 9.

Caput quæſtionis.

Cur externo cultui Papiſtico intereſſe non poſſimus.

cap. 18 hujus 4. libri.

1 Reg. 12. verſ. 31.

10. Verum de altera parte magis etiamnum contendimus: nam ſi Eccleſia ſecundum eum modum conſideratur, cujus revereri judicium, cujus auctoritati deferre, cujus monitionibus parêre, cujus caſtigationibus commoveri, cujus communionem religioſe in omnibus colere oporteat: Eccleſiam illis concedere non poſſumus quin ſubjectionis & obedientiæ neceſſitas nos maneat. Libenter tamen eis concedemus quod Judæis & Iſraëlitis ſui ſeculi dederunt Prophetæ, quum res aut in pari ſtatu aut etiam meliore illic eſſent. Videmus autem ut paſſim clament profana eſſe conventicula, quibus non magis conſentire liceat quam Deum abnegare. Et certe ſi illæ Eccleſiæ fuerunt, ſequitur ab Eccleſia Dei alienos fuiſſe, in Iſraële quidem Heliam, Michæam,

Ad ſecundum poſtulatum Papiſtarum reſponſio, An eorum ſynagoga ſit Eccleſia, nec ne.

Jeſa. 1: 14.

Michæam, & ſimiles: in Juda autem Jeſaiam, Jeremiam, Oſeam, & reliquos ejus notæ, quos pejus quibuſvis incircumciſis oderant & execrabantur ſui ſeculi Prophetæ, Sacerdotes, & populus. Si illæ Eccleſiæ, ergo Eccleſia non columna veritatis, ſed firmamentum mendacii; non tabernaculum Dei viventis, ſed idolorum receptaculum. Neceſſe igitur habebant ab eorum cœtuum conſenſione deſciſcere, quæ nihil aliud erat quam impia adverſus Deum conſpiratio. Eadem ratione ſiquis præſentes cœtus idololatria, ſuperſtitione, impia doctrina contaminatos pro Eccleſiis agnoſcat, in quarum plena communione perſtandum ſit homini Chriſtiano uſque ad doctrinæ conſenſionem, valde errabit. Nam ſi Eccleſiæ ſunt, poteſtas clavium penes ipſas eſt: atqui claves individuum habent nexum cum verbo, quod illinc profligatum eſt. Deinde ſi Eccleſiæ ſunt, valet apud eas Chriſti promiſſio, *Quodcunque ligaveritis*, &c. Contra autem, abdicant à ſua communione quicunque ſe Chriſti ſervos non ficte profitentur. Ergo aut evanida eſt Chriſti promiſſio, aut non ſunt, hoc ſaltem intuitu, Eccleſiæ. Denique pro verbi miniſterio habent ſcholas impietatis & errorum omne genus ſentinam. Proinde aut Eccleſiæ, ſecundum hanc rationem, non ſunt: aut nullum reſtabit ſymbolum quo legitimi fidelium cœtus à Turcarum conventibus diſcernantur.

1 Tim. 3. verſ. 15.

Matth. 16. verſ. 19. & 18: 18. Joan. 20. verſ. 23.

11. Ut tamen manebant olim inter Judæos peculiares quædam Eccleſiæ prærogativæ, ita nec hodie Papiſtis adimimus quæ ſupereſſe ex diſſipatione veſtigia Eccleſiæ inter eos Dominus voluit. Cum illis fœdus ſuum ſemel pepigerat Deus, id ſua magis ipſius firmitate ſubnixum contra eorum impietatem eluctando perſiſtebat, quam ab illis conſervabatur. Quæ itaque certitudo eſt ac conſtantia divinæ bonitatis, reſidebat illic fœdus Domini: nec obliterari illorum perfidia poterat ejus fides: nec impuris eorum manibus profanari ita circumciſio poterat, quin ſimul verum eſſet ſignum & ſacramentum ejus fœderis. Unde liberos qui illis naſcebantur, ſuos Dominus vocabat: qui niſi ſpeciali benedictione, nihil ad eum pertinerent. Sic quum fœdus ſuum in Gallia, Italia, Germania, Hiſpania, Anglia depoſuerit: ubi illæ provinciæ Antichriſti tyrannide oppreſſæ ſunt, quo tamen fœdus ſuum inviolabile maneret, Baptiſmum primo illic conſervavit, fœderis teſtimonium, qui ejus ore conſecratus, invita humana impietate vim ſuam retinet: deinde ſua providentia effecit ut aliæ quoque reliquiæ extarent, ne Eccleſia prorſus interiret. Ac quemadmodum ita ſæpe diruuntur ædificia ut fundamenta & ruinæ maneant, ita non paſſus eſt Eccleſiam ſuam ab Antichriſto vel à fundamento ſubverti, vel ſolo æquari (utcunque ad puniendam hominum ingratitudinem, qui verbum ſuum contempſerant, horribilem quaſſationem ac disjectionem fieri permiſerit) ſed ab ipſa quoque vaſtatione ſemirutum ædificium ſupereſſe voluit.

Etſi Papatus proprie non poteſt dici Eccleſia, manſit tamen, invito ipſo Antichriſto, in Papatu aliquod Eccleſiæ veſtigium.

Ezech. 16. verſ. 20.

Ut Baptiſmus, & alia quædam reliquia.

12. Quum ergo Eccleſiæ titulum non ſimpliciter volumus concedere Papiſtis, non ideo Eccleſias apud eos eſſe inficiamur: ſed tantum litigamus de vera & legitima Eccleſiæ conſtitutione, quæ in communione cum ſacrorum, quæ ſigna ſint profeſſionis, tum vero potiſſimum doctrinæ requiritur. Antichriſtum in templo Dei ſeſſurum prædixerunt Daniel & Paulus: Illius ſcelerati & abominandi regni ducem & anteſignanum apud nos facimus Romanum Pontificem. Quod ſedes ejus in templo Dei collocatur, ita innuitur, tale fore ejus regnum quod nec Chriſti nec Eccleſiæ nomen aboleat. Hinc igitur patet, nos minime negare quin ſub ejus quoque tyrannide Eccleſiæ maneant: ſed quas ſacrilega impietate profanarit, quas immani dominatione afflixerit, quas malis & exitialibus doctrinis, ceu venenatis potionibus, corruperit, & propemodum enecarit: in quibus ſemiſepultus lateat Chriſtus, obrutum Euangelium, profligata pietas, cultus Dei fere abolitus: in quibus denique omnia ſic ſint conturbata, ut Babylonis potius quam civitatis Dei ſancta facies illic appareat. In ſumma, Eccleſias eſſe dico quatenus populi ſui reliquias, utcunque miſere diſperſas ac disjectas, illic mirabiliter Dominus conſervat, quatenus permanent aliquot Eccleſiæ ſymbola: atque ea præſertim quorum efficaciam nec Diaboli aſtutia nec humana pravitas deſtruere poteſt. Sed quia è converſo deletæ ſunt illic notæ, quas præcipue in hac diſputatione reſpicere debemus, dico unumquemque cœtum & totum corpus carere legitima Eccleſiæ forma.

Eccleſiæ nomen Papatui non conceditur: quamvis ſub ejus tyrannide fuerint Eccleſiæ quædam.

Et ita impleta eſt Pauli prophetia, Antichriſtum ſeſſurum in templo Dei.

Dan. 9: 27. 2 Theſſ. 2. verſ. 4.

Quarum deplorandus ſtatus ad vivum depingitur.

Summa hujus capitis.

Cap. III.

De Eccleſiæ doctoribus & miniſtris, eorumque electione & officio.

Partes hujus capitis.

1. *In genere quædam de ordine Eccleſiæ, & de miniſterii Eccleſiaſtici fine, utilitate, neceſſitate, dignitate, præmittuntur, ſect. 1. 2. 3.*
2. *Seorſim deinde agitur de perſonis miniſterio Eccleſiaſtico fungentibus, à ſect. 4. ad 10.*
3. *A decima ſectione ad finem capitis de ordinatione vel vocatione miniſtrorum Eccleſiæ.*

Summa dicendorum.

JAm de ordine dicendum eſt quo Eccleſiam ſuam gubernari voluit Dominus. Tametſi enim ſolum ipſum regere ac regnare in Eccleſia, in ea quoque præeſſe vel eminere, & imperium hoc ſolo ejus verbo exerceri atque adminiſtrari oportet; quia tamen viſibili præſentia inter nos non habitat, ut voluntatem nobis ſuam ore coram declaret, hominum miniſterium in hoc adhibere diximus, & quaſi vicariam operam, non ad eos jus ſuum honoremque transferendo, ſed tantum ut per os ipſorum ſuum ipſe opus agat: qualiter ad opus quoque faciendum inſtrumento utitur artifex. Quæ jam ante expoſui, iterum repetere cogor. Poſſet id quidem vel per ſeipſum ſine alio quovis aut adminiculo aut organo, vel etiam per Angelos facere: ſed complures ſunt cauſæ cur per homines malit. Hoc enim modo primum dignationem erga nos ſuam declarat, quum ex hominibus ſumit qui pro ſe in mundo legatione fungantur, qui arcanæ ſuæ voluntatis ſint interpretes, qui perſonam denique ſuam repræſentent. Sicque experimento comprobat non vanum eſſe quod paſſim nos vocat templa ſua, dum ex ore hominum velut ex ſanctuario, reſponſa hominibus reddit. Deinde hoc optimum ac utiliſſimum ad humilitatem exercitium eſt, dum nos ad obediendum verbo ſuo aſſuefacit, utcunque per homines ſimiles nobis, interdum etiam dignitate inferiores, prædicetur. Si de cælo ipſe loqueretur, nihil mirum foret ſi ſacra ejus oracula omnium auribus atque animis reverenter ſine mora exciperentur. Quis enim præſentem ejus poteſtatem non horreret? quis non ad primum tantæ majeſtatis aſpectum proſterneretur? quis non immenſo illo fulgore confunderetur? Verum ubi homuncio quiſpiam ex pulvere emerſus in nomine Dei loquitur, hic noſtram erga Deum ipſum pieta-

Rationes cur Deus in Eccleſia gubernanda miniſterio hominum utitur.

Matth. 26. verſ. 11. cap. 1. ſect. 1. lege Auguſt. lib. 1. de doctrin. Chriſt.

1. Ut dignationem erga nos ſuam declaret.

2. Ut ad humilitatem & obedientiam nos aſſuefaciat, noſtra infirmitati appoſito remedio conſulens.

 tem

tem & obſervantiam optimo teſtimonio declaramus, ſi dociles nos exhibemus ejus miniſtro, quum nulla tamen in re nos excellat. Hac igitur etiam cauſa cæleſtis ſuæ ſapientiæ theſaurum in vaſis fragilibus ac luteis abſcondit, quo certius experimentum capiat quanti à nobis fiat.

2 Cor. 4. verſ. 7.

3. Ut homines hoc vinculo adſtricti mutuam charitatem melius inter ſe fovere diſcant.

Adhæc nihil ad fovendam mutuam charitatem aptius erat quam hoc vinculo homines inter ſe colligari, dum unus conſtituitur Paſtor qui reliquos ſimul doceat: qui vero diſcipuli eſſe jubentur, communem ex uno ore doctrinam excipiant. Si enim ſibi quiſque ſufficeret, nec indigeret alterius opera (quæ ſuperbia eſt humani ingenii) contemneret quiſque alios, & ab illis contemneretur. Quem igitur firmiſſimum retinendæ unitatis nodum fore providit Dominus, eo Eccleſiam ſuam adſtrinxit, dum ſalutis ac vitæ æternæ doctrinam apud homines depoſuit, ut per eorum manus reliquis communicaret.

Confirmatio harum rationum, ex præclaro Apoſtoli teſtimonio deſumpta.

Eph. 4: 4. &c.

Huc reſpexit Paulus, quum Epheſiis ſcriberet, *Unum corpus, unus Spiritus, quemadmodum & vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma. Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Verum unicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Quapropter dicit, Quum aſcendiſſet in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Qui deſcendit, idem ille eſt qui aſcendit ut impleret omnia. Et idem dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios Paſtores ac Doctores, ad inſtaurationem ſanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti: donec perveniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenæ adultæ: ut non amplius ſimus pueri, qui circumferamur omni vento doctrinæ: ſed veritatem ſectantes in charitate, adoleſcamus in illum per omnia, qui eſt caput, nempe Chriſtum, in quo totum corpus coagmentatum & compactum per omnem commiſſuram ſubminiſtrationis, juxta actum in menſura uniuscujuſque partis, incrementum corporis facit, in ædificationem ſui ipſius per charitatem.*

Quo teſtimonio apparet, hominum illud miniſterium eſſe utiliſſimum toti Eccleſiæ.

Eph. 4: 10.

2. His verbis illud oſtendit, hominum miniſterium, quo Deus in gubernanda Eccleſia utitur, præcipuum eſſe nervum quo fideles in uno corpore cohæreant: tum vero etiam indicat, non aliter incolumem ſervari Eccleſiam poſſe, quam ſi his præſidiis fulciatur, in quibus ſalutem ejus reponere Domino placuit. *Aſcendit Chriſtus in altum*, inquit, *ut omnia impleret*. Hæc autem implendi ratio, quod per miniſtros, quibus officium hoc mandavit, & muneris obeundi gratiam contulit, ſua dona diſpenſat ac diſtribuit Eccleſiæ: ſeque adeo ipſum præſentem quodammodo exhibet, Spiritus ſui virtutem in ſua hac inſtitutione exerendo, ne inanis ſit vel otioſa.

Ratio ab enumeratione commodorum.

Eph. 4: 12.

Sic inſtauratio ſanctorum peragitur: ſic ædificatur corpus Chriſti: ſic adoleſcimus per omnia in eum qui eſt caput, & inter nos coaleſcimus: ſic redigimur omnes in unitatem Chriſti, ſi prophetia inter nos viget, ſi Apoſtolos recipimus, ſi doctrinam nobis adminiſtratam non aſpernamur. Eccleſiæ ergo diſſipationem, vel ruinam potius & exitium molitur, quiſquis ordinem hunc, de quo diſputamus, & hoc genus regiminis vel abolere ſtudet, vel quaſi minus neceſſarium elevat.

A ſimili.

Neque enim vel Solis lumen ac calor, vel cibus ac potus tam ſunt præſenti vitæ fovendæ ac ſuſtinendæ neceſſaria, quam eſt conſervandæ in terris Eccleſiæ Apoſtolicum ac Paſtorale munus.

In hunc finem miniſterii dignitas præclaris elogiis inſignitur.

3. Proinde ſupra admonui, Deum quibus potuit elogiis ejus dignitatem nobis ſæpe commendaſſe: ut in ſummo honore ac pretio, tanquam res omnium præſtantiſſima, apud nos eſſet. Singulare beneficium ſe hominibus largiri, Doctores eis excitando, teſtatur, ubi jubet Prophetam exclamare, *pulchros eſſe pedes, & beatum adventum annunciantium pacem*: quum Apoſtolos *lucem mundi & ſalem terræ* nominat. Nec ſplendidius ornari poterat hoc officium quam quum dixit, *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*. Sed nullus eſt illuſtrior locus quam apud Paulum in ſecunda ad Corinthios, ubi hanc quæſtionem velut ex profeſſo tractat. Contendit ergo nihil Euangelii miniſterio in Eccleſia magis præclarum aut glorioſum eſſe, quum ſit adminiſtratio Spiritus & juſtitiæ & vitæ æternæ. Hæc & ſimilia eo pertinent, ne illa gubernandæ ac retinendæ per miniſtros Eccleſiæ ratio, quam Dominus in perpetuum ſancivit, apud nos vileſcat, ac ipſo tandem contemptu obſoleſcat.

Jeſa. 52: 7. Matth. 5. v. 13, 14. Luc. 10. verſ. 16. 2 Cor. 3. v. 6. &c.

Ejuſdemque neceſſitas multis exemplis à Deo commendatur.

Act. 10: 3. Actor. 9. v. 6. 19, 20.

Ac ejus quidem neceſſitas quanta ſit, non verbis modo, ſed exemplis quoque declaravit. Cornelio quum plenius affulgere vellet veritatis ſuæ luce, Angelum è cælo miſit qui ad eum Petrum amandaret. Paulum quum ad notitiam ſui vocare, ac in Eccleſiam inſerere vellet, non ſua ipſius voce alloquitur, ſed ad hominem remittit, à quo & ſalutis doctrinam & Baptiſmi ſanctificationem percipiat. Si non temere fit quod Angelus, qui Dei eſt interpres, ab enarranda Dei voluntate ipſe abſtinet, hominem vero jubet accerſiri qui eam enarret: quod Chriſtus unicus fidelium magiſter, hominis magiſterio Paulum committit, & Paulum illum quem in tertium cælum rapere & mirifica rerum ineffabilium revelatione dignari conſtituerat: quis nunc contemnere miniſterium illud audeat, vel quaſi ſupervacuum præterire, cujus uſum talibus documentis teſtatum facere Deus voluit?

2 Cor. 12. verſ. 2.

Altera pars capitis, de miniſtris Eccleſiaſticis ſpeciatim.

Eph. 4: 11.

Horum alii, ut Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ, ad tempus fuerunt inſtituti.

4. Qui Eccleſiæ regimini ſecundum Chriſti inſtitutionem præſunt, nominantur à Paulo primum *Apoſtoli*, deinde *Prophetæ*, tertio *Euangeliſtæ*, quarto *Paſtores*, poſtremo *Doctores*. Ex quibus duo tantum ultimi ordinarium in Eccleſia munus habent: alios tres initio regni ſui Dominus excitavit: & ſuſcitat etiam interdum, prout temporum neceſſitas poſtulat. Quæ ſit Apoſtolica functio ex mandato illo conſtat, *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ*. Non attribuuntur illis certi fines: ſed totus orbis aſſignatur redigendus in obedientiam Chriſti: ut Euangelium ubicunque gentium poterunt ſpargendo, regnum ejus ubique erigant. Proinde Paulus, quum ſuum Apoſtolatum approbare vellet, ſe non unam aliquam urbem Chriſto acquiſiviſſe, ſed longe lateque propagaſſe Euangelium commemorat: neque alienis fundamentis apposuiſſe manus, ſed ubi inauditum fuerat Domini nomen, Eccleſias plantaſſe. Miſſi ergo ſunt Apoſtoli qui orbem à defectione in veram Dei obedientiam reducerent, regnumque ejus ubique Euangelii prædicatione conſtituerent: vel, ſi mavis, qui tanquam primi Eccleſiæ architecti, ejus fundamenta in toto mundo jacerent.

Marc. 16. verſ. 15. Rom. 15. verſ. 9, 20.

Prophetæ.

Eph. 2: 20.

Prophetas vocat non quoslibet divinæ voluntatis interpretes, ſed qui ſingulari revelatione excellebant: quales nunc vel nulli extant, vel minus ſunt conſpicui.

Euangeliſtæ.

Per Euangeliſtas, eos intelligo qui quum dignitate eſſent Apoſtolis minores, officio tamen proximi erant, adeoque vices eorum gerebant. Quales fuerunt, Lucas, Timotheus, Titus, & reliqui ſimiles: ac fortaſſis etiam ſeptuaginta diſcipuli, quos ſecundo ab Apoſtolis loco Chriſtus deſignavit. Secundum hanc interpretationem (quæ mihi & verbis & ſententiæ Pauli conſentanea videtur) tres illæ functiones non ideo inſtitutæ in Eccleſia fuerunt ut perpetuæ forent, ſed ad id modo tempus quo erigendæ erant Eccleſiæ ubi nullæ ante fuerant, vel certe à Moſe ad Chriſtum traducendæ.

Luc. 10: 1.

Exceptio.

Quanquam non nego quin Apoſtolos poſtea quoque, vel ſaltem eorum loco Euangeliſtas interdum excitarit Deus, ut noſtro tempore factum eſt. Talibus enim qui Eccleſiam ab Antichriſti defectione reducerent,

opus

opus fuit. Munus tamen ipſum nihilominus extraordinarium appello, quia in Eccleſiis rite conſtitutis locnm non babet. Sequuntur Paſtores ac Doctores, quibus carere nunquam poteſt Eccleſia: inter quos hoc diſcriminis eſſe puto quod Doctores nec diſciplinæ, nec Sacramentorum adminiſtrationi, nec monitionibus aut exbortationibus præſunt, ſed Scripturæ taotum interpretationi: ut ſincera ſanaque doctrina inter fideles retineatur. Paſtorale autem munus hæc omnia in ſe continet.

Alii autem, ut Paſtores & Doctores, functiones perpetuas retinent, nec iis unquam carere poteſt Eccleſia.

5. Habemus quæ in Eccleſiæ regimine temporaria miniſteria fuerint, & quæ ideo inſtituta ut perpetuo dnreot. Quod ſi Euangeliſtas Apoſtolis jungamus, reſtabunt nobis duo paria quodammodo ioter ſe reſpondentia. Quam enim ſimilitudinem habent noſtri Doctores cum veteribus Prophetis, eam habent cum Apoſtolis Paſtores. Excellentius fuit Propheticum munus propter ſingulare revelationis donum qun pollebant: ſed Doctorum officium ſimilem fere rationem & unum prorſus finem habet. Ita duodecim illi, quos Dominus elegit, ut novam Euangelii prædicationem orbi promulgarent, ordine & dignitate cæteros anteceſſerunt. Tametſi enim ex ratione & etymn verbi rite Apoſtoli poſſunt vocari omnes miniſtri Eccleſiaſtici, quia à Domino omnes mittuntur, ejuſque ſunt nuncii: quia tamen magni referebat, certam haberi de eorum miſſione notitiam, qui rem novam & inauditam afferrent, duodecim illos (quorum oumero poſtea acceſſit Paulus) peculiari titulo ante alios inſigniri oportuit. Hoc nnmen tribuit quidem alicubi Paulus ipſe Andronico & Juniæ, quos dicit fuiſſe inſignes inter Apoſtolos: ſed quum proprie loqui vult, nonniſi ad primarium illum ordinem refert. Atque hic eſt communis Scripturæ uſus. Paſtores tamen (excepto quod certas ſinguli Eccleſias ſibi attributas regunt) eandem ſuſtinent cum Apoſtolis provinciam. Porro quale illud ſit, clarius adhuc audiamus.

Euangeliſtæ ſi Apoſtolis jungantur, reſtant duo paria. Paſtores cum Apoſtolis: Doctores cum Prophetis.

Cur ſpeciali Apoſtolorum nomine duodecim illi ſint inſigniti.

Luc. 6: 13.
Gal. 1: 1.
Rom. 16. verſ. 7.

6. Dominus, quum Apoſtolos mitteret, mandatum illis dedit (ſicut dictum eſt nuper) de prædicandn Euangelin, & baptizandis credentibus in remiſſionem peccatorum. Antea autem mandaverat ut ſacra ſymbola corporis & ſanguinis ſui ad exemplum ſuum diſtribuerent. En ſanctam, inviolabilem, perpetuamque legem impoſitam iis qui in Apoſtolorum locum ſucceduot, qua mandatum accipiunt de Euangelii prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione. Unde colligimus, eos qui utrumque iſtorum negliguot, falſo prætexere Apoſtolorum perſonam. Quid autem Paſtores? Paulus non de ſeipſo taotum, ſed de omnibus illis loquitur, quum inqnit, *Sic nos æſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Item alibi, *Oportet Epiſcopum tenacem eſſe ejus qui ſecundum doctrinam eſt fidelis ſermonis, ut potens ſit exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes refellere.* Ex his & ſimilibus locis qui paſſim occurrunt colligere licet, in Paſtorum quoque functione bas eſſe duas præcipuas partes, Euangelium annunciare, & Sacramenta adminiſtrare. Docendi autem ratio oon in publicis tantum concionibus conſiſtit, ſed ad privatas etiam admonitiones pertinet. Ita Paulus teſtes citat Epheſios, quod nibil ſuffugerit eorum quæ in rem ipſorum erant, *quin annunciaret ac doceret eos publice & per ſingulas domos, teſtificans Judæis ſimul ac Græcis pœnitentiam & fidem in Chriſtum.* Item paulo poſt, *Quod non deſtiterit cum lachrymis monere unumquemque eorum.* Neque tamen præſentis inſtituti eſt ſingulas boni Paſtoris dotes perſequi: ſed tantum indicare quid profiteantur qui ſe Paſtores appellant: nempe ita ſe præeſſe Eccleſiæ non ut otioſam habeant dignitatem, ſed ut Chriſti doctrina populum ad veram pietatem inſtituant, ſacra myſteria adminiſtrent, rectam diſciplinam conſervent atque exerceant. Quicunque enim ſpeculatores poſiti ſunt i●Eccleſia, illis Domioos aonunciat, ſiquis per ignorantiam, eorum negligentia pereat, ſanguinem ſe de ipſorum manibus requiſiturum. In eos quoque omnes competit quod de ſe ait Paulus, *Væ mihi, niſi Euangelizem, quum diſpenſatio mihi ſit commiſſa.* Denique, quod nrbi univerſo præſtiterunt Apoſtoli, id gregi ſuo, cui deſtinatus eſt, debet Paſtor unuſquiſque.

Sicut Apoſtolis, ita & Paſtoribus verbi prædicatio & ſacramentorum adminiſtratio commiſſa eſt.

Matth. 10. verſ. 1. & 28: 19.
Luc. 22. verſ. 19.
1 Cor. 4: 1.
Tit. 1: 9.

Verbi prædicatio, qualis eſſe debeat.

Actor. 20. v. 20, 31.
Eze. 3: 27. & ſeqq.
1 Cor. 9. verſ. 16.

7. Etſi dum ſingulis aſſignamus ſuas Eccleſias, interim non negamus quin alias Eccleſias juvare is poſſit qui uni eſt alligatus, ſive quid inciderit turbarum, quod ejus præſentiam requirat: ſive ab ipſo petatur de re aliqua obſcuriore conſilium. Sed quia ad retinendam Eccleſiæ pacem neceſſaria eſt iſta politia, unicuique eſſe propoſitum quod agat, ne ſimul omnes tumultuentur, ſine vocatinne incerti diſcurrant, in unum omnes locum temere confluant, & ne vacuas Eccleſias pro libidine deſerant, qui de ſua commoditate magis quam de Eccleſiæ ædificatione ſunt ſolliciti: hæc diſtributio quoad licet nbſervari communiter debet, ut ſuis quiſque finibus contentus in alienam proviociam non irrumpat. Nec bumannm eſt inventum, ſed Dei ipſius inſtitutum. Legimus enim, Paulum & Barnabam creaſſe per ſingulas Lyſtrenſium, Antiochenorum, Iconium Eccleſias Presbyteros: & Paulus ipſe Tito præcipit ut oppidatim Presbyteros conſtituat. Sic alibi Philippenſium Epiſcopos, & alibi Archippum Coloſſenſium Epiſcopum commemorat. Et extat inſignis ejus concio apud Lucam, ad Presbyteros Eccleſiæ Epheſinæ. Quiſquis ergo Eccleſiæ unius regimen ac curam ſuſceperit, huic divinæ vocationis legi obligatum ſe eſſe ſciat: non quod veluti glebæ addictus (ut Juriſconſulti dicunt) id eſt, mancipatus & quaſi affixus, pedem inde movere neqneat, ſi ita publica utilitas poſtularit, modo id rite & ordine fiat: ſed is qui in unnm locum vocatus eſt, non debet ipſe de migratione cogitare, nec prout ſibi commodum putarit, quærere liberationem. Deinde, ſiquem expediat alio transferri, non tamen debet boc privato conſilin teotare, ſed expectare publicam auctoritatem.

Ordo autem poſtulat, ut Paſtoribus ſinguli ſua aſſignentur Eccleſia. non adeo tamen unumquemque alligatum eſſe, quin & alias juvare poſſit, Eccleſiæ ædificatione ita poſtulante: modo rite & ordine id publica auctoritate fiat.

Actor. 14. verſ. 23.
Tit. 1: 5.
Phil. 1: 1.
Col. 4: 17.
Actor. 20. verſ. 28.

8. Cæterum quod Epiſcopos, & Presbyteros, & Paſtores, & Miniſtros promiſcue vocavi qui Eccleſias regunt, id feci ex Scripturæ uſu, quæ vocabula iſta confundit: quicunque enim verbi miniſterio funguntur, iis titulum Epiſcoporum tribuit. Sic apud Paulum obi juſſus eſt Titus conſtituere Presbyteros oppidatim, continuo ſubjicitur, *Oportet enim Epiſcopum eſſe inculpabilem*, &c. Sic alibi plnres in una Eccleſia Epiſcopos ſalutat. Et in Actis refertur convocaſſe Presbyteros Epheſinos, quos ipſe Epiſcopos ſua nratione nominat. Hic jam nbſervandum eſt, nos hactenus nonniſi ea officia recenſuiſſe, quæ in verbi miniſterio conſiſtunt: nec de aliis Paulus meminit illo quarto ad Epheſios capite quod citavimus. Verum in epiſtola ad Romanos, & priore ad Coriothios, alia enumerat, ut poteſtates, dnnum ſanationum, interpretatinoem, gubernatinnem, pauperum curationem. Ex quibus quæ temporaria fuerunt omitto: quia nullum operæpretium eſt in iis immorari. Duo autem ſuot quæ perpetuo manent: gubernatin, & cura pauperum. Gubernatores fuiſſe exiſtimn Seniores è plebe delectos, qui cenſuræ mnrum & exercendæ diſciplinæ una cum Epiſcopis præeſſent. Neque eoim ſecus interpretari queas quod dicit, *Qui præeſt, id faciat in ſollicitudine.* Habuit igitur ab initio unaquæque Eccleſia ſuum Senatum, conſcriptum ex viris piis, gravibus & ſanctis: penes quem erat illa, de qua poſtea loquemur, juriſdictio in corrigendis vitiis. Porro ejuſmodi ordinem non unius ſeculi fuiſſe, experientia ipſa declarat. Eſt

Epiſcopi, Presbyteri, Paſtores & Miniſtri apud Apoſtolos unum idemque ſunt.

Tit. 1: 5, 7.
Phil. 1: 1.
Actor. 20. verſ. 17.
Rom. 12. verſ. 7.
1 Cor. 12. verſ. 28.

Alia functiones, temporaria, omittuntur. Duæ autem, Seniorum videlicet & Diaconorum, utpote ad miniſterium verbi pertinentes (& de quibus poſtea) retinentur.

Rom. 12: 8.

igitur & hoc gubernationis munus ſeculis omnibus neceſſarium.

Diaconorum gradus diſtincti ab Apoſtolo.
Rom. 12. verſ. 8.

9. Cura pauperum diaconis mandata fuit. Quanquam ad Romanos duo ponuntur genera. *Qui largitur*, inquit illic Paulus, *id faciat in ſimplicitate: qui miſeretur, in hilaritate.* quum de publicis Eccleſiæ muneribus eum loqui certum ſit, oportet duos fuiſſe gradus diſtinctos. Niſi me fallit judicium, priore membro diaconos deſignat, qui eleemoſynas adminiſtrabant. Altero autem eos qui pauperibus & ægrotis curandis ſeſe dedicaverant: quales erant viduæ, quarum mentionem facit ad Timotheum. Nullum enim aliud publicum officium obire mulieres poterant, quam ſi in obſequium pauperum ſe darent. Si hoc recipimus (ut omnino recipiendum eſt) duo erunt genera Diaconorum: quorum alteri in rebus pauperum adminiſtrandis, alteri in pauperibus ipſis curandis Eccleſiæ ſervient. Tametſi autem nomen ipſum διακονίας latius patet, hos ſpecialiter tamen diaconos Scriptura nuncupat quos eleemoſynis diſpenſandis gerendæque pauperum curæ præfecit Eccleſia, & velut publici pauperum ærarii œconomos conſtituit: quorum origo, inſtitutio ac functio à Luca in Actis deſcribitur. Quum enim murmur à Græcis excitatum eſſet, quod in pauperum miniſterio eorum viduæ negligerentur, Apoſtoli excuſantes ſe non poſſe ſufficere utrique muneri, & prædicationi verbi & menſarum miniſterio, petierunt à multitudine ut eligerentur viri probi ſeptem, quibus id operæ demandarent. En quales habuerit diaconos Apoſtolica Eccleſia, quales ad ejus exemplum habere nos conveniat.

1 Tim. 5. verſ. 9, 10.

Alteri eleemoſynarii, alteri pauperum infirmorum curam gerentes.

Act. 6: 3.

Tertia pars capitis, de ordinatione ſeu vocatione miniſtrorum Eccleſiæ.
1 Cor. 14. verſ. 40.

10. Jam vero quum ordine omnia & decenter in ſacro cœtu gerenda ſint, nihil eſt in quo id ſervari diligentius oporteat, quam in conſtituenda gubernatione: quia nuſquam majus periculum eſt ſi quid inordinate geritur. Itaque, ne homines inquieti ac turbulenti (quod alias futurum erat) temere ſe ad docendum vel regendum ingererent, nominatim cautum eſt ne quis ſine vocatione publicum in Eccleſia munus ſibi ſumat. Ergo ut quis cenſeatur verus Eccleſiæ miniſter, primo rite vocatus ſit oportet: deinde ut ſuæ vocationi reſpondeat, id eſt, injunctas ſibi partes ſuſcipiat & exequatur. Hoc apud Paulum animadvertere ſæpius licet: qui ubi ſuum Apoſtolatum vult approbare, cum ſua in munere obeundo fidelitate vocationem ſemper fere allegat. Si tantus Chriſti miniſter auctoritatem ſibi arrogare non audet ut in Eccleſia audiatur, niſi quia & Domini mandato in hoc eſt conſtitutus, & fideliter peragit quod ſibi commiſſum eſt: quanta impudentia erit ſi quiſpiam mortalium, utroque vel altero iſtorum deſtitutus, ejuſmodi honorem ſibi poſtulet? Verum quia de obeundi muneris neceſſitate ſuperius attigimus, nunc de vocatione tantum agamus.

Hujus tractationis partes quatuor. Duplex vocatio, externa & interna: quomodo item utraque conſideranda.

11. Ejus autem tractatio in quatuor verſatur: ut ſciamus quales & qualiter & à quibus inſtituendi ſint miniſtri, & quo ritu quave ceremonia initiandi. De externa & ſolenni vocatione loquor quæ ad publicum Eccleſiæ ordinem ſpectat: arcanam vero illam, cujus ſibi quiſque miniſter coram Deo conſcius eſt, Eccleſiam teſtem non habet, omitto. Eſt autem bonum cordis noſtri teſtimonium, quod neque ambitione, neque avaritia, neque ulla alia cupiditate, ſed ſincero Dei timore, & ædificandæ Eccleſiæ ſtudio oblatum munus recipiamus. Id quidem unicuique noſtrûm (ut dixi) ſi volumus miniſterium noſtrum Deo approbare, neceſſarium eſt. Coram Eccleſia tamen rite nihilominus vocatus eſt qui mala conſcientia eo acceſſit, modo non ſit aperta ejus nequitia. Solent etiam dicere ad miniſterium vocatos etiam privatos homines, quos aptos & idoneos ad id obeundum vident: quia ſcilicet eruditio conjuncta cum pietate & reliquis boni paſtoris dotibus, quædam ſit ad ipſum præparatio. Quos enim tanto muneri deſtinavit Dominus, eos prius iis armis inſtruit quæ ad id implendum requiruntur, ne inanes & imparati veniant. Unde & Paulus ad Corinthios, quum de ipſis officiis vellet diſputare, dona prius recenſuit quibus pollere debent qui officiis funguntur. Sed quia hoc eſt primum ex quatuor capitibus quæ propoſui, eo jam pergamus.

1 Cor. 12. verſ. 7.

1. Quales miniſtri Eccleſiæ ſint eligendi.
Tit. 1: 7. 1 Tim. 3. verſ. 1.

12. Quales eligere Epiſcopos deceat, Paulus duobus locis copioſe exequitur: ſumma tamen huc redit, non eſſe eligendos niſi qui ſint ſanæ doctrinæ, & ſanctæ vitæ, nec aliquo vitio notabiles, quod & illis adimat auctoritatem, & miniſterio ignominiam afferat. De diaconis & ſenioribus ſimilis prorſus eſt ratio. Videndum ſemper ne ad onus quod illis imponitur, ſuſtinendum impares ſint aut inepti, hoc eſt, ut inſtructi ſint iis facultatibus quæ ad implendum ſuum munus erunt neceſſariæ. Sic Chriſtus, quum Apoſtolos miſſurus eſſet, eos armis & inſtrumentis quibus carere non poterant exornavit. Et Paulus, depicta boni ac veri Epiſcopi imagine, Timotheum admonet ne quem ab ea alienum eligendo ſeipſum contaminet. Particulam *qualiter* non ad ritum eligendi, verum ad religioſum timorem, qui in electione ſervandus eſt, refero. Hinc jejunia & orationes, quibus uſos fuiſſe fideles narrat Lucas, quum Preſbyteros crearent. Nam quum intelligerent ſe rem agere omnium maxime ſeriam, nihil tentare audebant niſi cum ſumma reverentia & ſollicitudine. Potiſſimum vero incubuerunt in preces, quibus Spiritum conſilii & diſcretionis à Deo peterent.

Luc. 21. verſ. 15. & 24: 49. Marc. 16. verſ. 15. Act. 1: 8. 1 Tim. 5. verſ. 22.

2. Qualiter eligendi ſint.

3. A quibus.

13. Tertium quod in partitione poſuimus, erat, A quibus eligendi ſint miniſtri. Hujus autem rei certa regula ex Apoſtolorum inſtitutione peti non poteſt, quæ nonnihil habuit à communi reliquorum vocatione diſſimile. Quia enim extraordinarium miniſterium erat, ut aliqua inſigniori nota conſpicuum redderetur, ipſius Domini ore vocari & conſtitui oportuit qui ipſo fungerentur. Illi ergo nulla humana electione, ſed ſolo Dei & Chriſti mandato inſtructi, ſe ad opus accinxerunt. Hinc eſt quod quum alium ſubſtituere in locum Judæ volunt Apoſtoli, non audent unum aliquem certo nominare, ſed duos in medium producunt, ut Dominus ſorte declaret utrum ex iis velit ſuccedere. In hunc quoque modum accipere convenit, quod negat Paulus *ſe ab hominibus vel per hominem creatum fuiſſe Apoſtolum, ſed per Chriſtum & Deum Patrem.* Prius illud ſcilicet, Ab hominibus, cum piis omnibus verbi miniſtris commune habuit. neque enim potuit quiſpiam hanc adminiſtrationem rite ſuſtinere niſi qui eſſet à Deo vocatus. Alterum autem proprium & ſingulare illi fuit. Hoc ergo dum gloriatur, non tantum ſe habere jactat quod vero ac legitimo Paſtori conveniat, ſed inſignia quoque ſui Apoſtolatus profert. Quum enim eſſent apud Galatas qui ejus auctoritatem ſtudentes elevare, gregarium aliquem diſcipulum ipſum facerent à primariis Apoſtolis ſubrogatum: quo ſalvam prædicationi ſuæ dignitatem vindicaret, cui inſidias iſtas intentari noverat, omni ex parte nihilo ſe reliquis Apoſtolis inferiorem oſtendere neceſſe habuit. Proinde ſe non hominum judicio, inſtar vulgaris unius Epiſcopi, delectum eſſe affirmat, ſed ipſius Domini ore & manifeſto oraculo.

Apoſtoli cur à Chriſto ſolo electi.
Act. 1: 23.

De S. Pauli vocatione & electione.
Gal. 1: 1.

Paſtores ordinarii etiam ab aliis paſtoribus deſignantur.
Gal. 1: 1.

14. At vero ut ab hominibus deſignentur Epiſcopi, omnino ex ordine legitimæ vocationis eſſe, nemo ſobrius inficiabitur: quando in hanc rem extant tot Scripturæ teſtimonia. Nec reclamat illud Pauli, ut dictum eſt, *ſe non ab hominibus neque per homines* fuiſſe miſſum: quum de ordinaria miniſtrorum electione illic non loquatur, ſed quod erat

ſpe-

Cur aliquoties quidam ex Apoſtolis ab hominibus etiam ſint deſignati.

ſpeciale Apoſtolis ſibi aſſerat. Quanquam ſic Paulum quoque ſingulari prærogativa Dominus per ſe ipſum deſignavit, ut diſciplina Eccleſiaſticæ vocationis interim uteretur: ſic enim refert Lucas, *Jejunantibus & orantibus Apoſtolis, dicit Spiritus ſanctus, Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod ſelegi eos.* Quorſum iſthæc ſegregatio & manuum impoſitio, poſtquam ſuam electionem teſtatus eſt Spiritus ſanctus, niſi ut Eccleſiaſtica diſciplina in deſignandis per homines miniſtris conſervaretur? Nullo igitur illuſtriore documento ejuſmodi ordinem approbare Deus potuit, quam dum Paulum Gentibus Apoſtolum ſe deſtinaſſe præfatus, eum tamen ab Eccleſia vult deſignari. Quod ipſum in Matthiæ electione cernere licet. Nam quia tanti erat munus Apoſtolicum, ut unum aliquem ſuo judicio in eum gradum cooptare non auſint, duos in medio conſtituunt, quorum in alterum ſors caſura ſit: ut ita & electio compertum è cælo teſtimonium habeat, neque tamen omnino prætereatur Eccleſiæ politia.

Act. 13: 2.
Act. 1: 23.

Porro iſta electio non ad unum quempiam pertinet: ſed præeſſe huic debent alii paſtores, & accedere populi conſenſus ac approbatio. quod variis argumentis & teſtimoniis confirmatur.

15. Quæritur nunc, à totane Eccleſia eligi debeat miniſter, an à collegis tantum & ſenioribus qui cenſuræ præſunt, an vero unius auctoritate conſtitui poſſit. Qui hoc jus ad unum hominem deferunt, citant quod ait Paulus ad Titum, *Propterea reliqui te in Creta, ut conſtituas oppidatim Presbyteros.* Item ad Timotheum, *Manus nemini cito impoſueris.* Sed falluntur, ſi putant vel Timotheum Epheſi, vel Titum in Creta regnum exercuiſſe, ut ſuo uterque arbitrio omnia diſponeret. Præfuerunt enim tantum ut bonis & ſalutaribus conſiliis populo præirent: non ut ſoli, excluſis aliis omnibus, agerent quod placeret. Ac nequid fingere videar, planum id faciam ſimili exemplo. Refert enim Lucas conſtitutos eſſe per Eccleſias Presbyteros à Paulo & Barnaba: ſed rationem vel modum ſimul notat, quum dicit factum id eſſe ſuffragiis: χειροτονήσαντες, inquit, πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. Creabant ergo ipſi duo: ſed tota multitudo, ut mos Græcorum in electionibus erat, manibus ſublatis declarabat quem habere vellet. Nempe ſic Romani hiſtorici non raro loquuntur, Conſulem, qui comitia habuerit, creaſſe novos magiſtratus, non aliam ob cauſam niſi quia ſuffragia receperit, & populum moderatus ſit in eligendo. Non eſt certe credibile Paulum plus conceſſiſſe Timotheo & Tito quam ſibi ipſe ſumpſerit. Videmus autem ipſum ex populi ſuffragiis Epiſcopos creare ſolitum. Sic ergo intelligendi ſunt ſuperiores loci, nequid de communi Eccleſiæ jure ac libertate imminuant. Bene ergo Cyprianus, dum contendit *ex divina auctoritate deſcendere, ut ſacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur.* Siquidem hoc videmus juſſu Domini in ſacerdotibus Leviticis fuiſſe obſervatum, ut ante conſecrationem in conſpectum populi producerentur. Non aliter adſcribitur Matthias Apoſtolorum collegio, nec aliter ſeptem Diaconi creantur quam populo vidente & approbante. *Hæc exempla,* inquit Cyprianus, *oſtendunt ſacerdotis ordinationem nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere: ut ſit ordinatio juſta & legitima, quæ omnium teſtimonio fuerit examinata.* Habemus ergo, eſſe hanc ex verbo Dei legitimam miniſtri vocationem, ubi ex populi conſenſu & approbatione creantur qui viſi fuerint idonei. Præeſſe autem electioni debere alios paſtores, nequid vel per levitatem, vel per mala ſtudia, vel per tumultum à multitudine peccetur.

Tit. 1: 5.
1 Tim. 5. verſ. 22.
Act. 14. verſ. 23.
libr. 1. epiſt. 3.
Levit. 8. verſ. 3. 4. & ſeqq.
Num. 20. verſ. 26.
Act. 1: 26. & 6: 6.

4. Quo ritu miniſtri Eccleſiæ ſint ordinandi.

16. Supereſt ritus ordinandi, cui ultimum locum in vocatione dedimus. Conſtat autem Apoſtolos non alia ceremonia uſos eſſe, quum aliquem miniſterio admovebant, quam manuum impoſitione. Hunc autem ritum fluxiſſe arbitror ab Hebræorum more, qui quod benedictum ac conſecratum volebant, manuum impoſitione Deo quaſi repræſentabant. Sic Jacob benedicturus Ephraim & Manaſſe, eorum capitibus manus impoſuit. Quod ſequutus eſt Dominus noſter, quum ſuper infantes precationem faceret. Eodem (ut arbitror) ſignificatu Judæi ex Legis præſcripto ſuis ſacrificiis manus imponebant. Quare Apoſtoli per manuum impoſitionem eum ſe Deo offerre ſignificabant quem initiabant in miniſterium. Quanquam uſi ſunt etiam ſuper eos quibus viſibiles Spiritus gratias conferebant. Utcunque ſit, fuit hic ſolennis ritus quoties ad miniſterium Eccleſiaſticum aliquem vocabant. Sic paſtores & doctores, ſic diaconos conſecrabant. Licet autem nullum extet certum præceptum de manuum impoſitione: quia tamen fuiſſe in perpetuo uſu Apoſtolis videmus, illa tam accurata eorum obſervatio præcepti vice nobis eſſe debet. Et certe utile eſt ejuſmodi ſymbolo cum miniſterii dignitatem populo commendari, tum eum qui ordinatur admoneri, ipſum jam non eſſe ſui juris, ſed Deo & Eccleſiæ in ſervitutem addictum. Præterea non erit inane ſignum, ſi in germanam ſuam originem reſtitutum fuerit. Nam ſi nihil fruſtra Spiritus Dei in Eccleſia inſtituit, hanc ceremoniam, quum ab eo profecta ſit, ſentiemus non eſſe inutilem, modo in ſuperſtitioſum abuſum non vertatur. Hoc poſtremo habendum eſt, non univerſam multitudinem manus impoſuiſſe ſuis miniſtris, ſed ſolos paſtores. Quanquam incertum eſt an plures ſemper manus impoſuerint nec ne. Illud quidem in diaconis Paulo & Barnaba, & paucis quibuſdam aliis factum fuiſſe conſtat. Sed Paulus ipſe alibi ſe, non alios complures, Timotheo manus impoſuiſſe commemorat. *Admoneo te* (inquit) *ut gratiam ſuſcites quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.* Nam quod in altera epiſtola de *impoſitione manuum presbyterii* dicitur, non ita accipio quaſi Paulus de ſeniorum collegio loquatur: ſed hoc nomine ordinationem ipſam intelligo: quaſi diceret, Fac ut gratia quam per manuum impoſitionem recepiſti, quum te Presbyterum crearem, non ſit irrita.

Gen. 48. verſ. 14.
Matth. 19. verſ. 15.
Act. 19: 6.

Hujus ritus nullum extat præceptum, ſed uſus eum nobis commendavit.

A quibus imponebantur manus.

Act. 6: 6. & 13: 3.
2 Tim. 1. verſ. 6.
1 Tim. 4. verſ. 14.

CAP. IV.

De ſtatu veteris Eccleſiæ & ratione gubernandi quæ in uſu fuit ante Papatum.

Partes capitis.

1. *Qualis fuerit hæc veteris Eccleſiæ gubernandi ratio, à ſect. 1. ad 10.*
2. *De ſolenni Epiſcoporum & Miniſtrorum veteris Eccleſiæ ordinatione, à decimo ſect. ad finem capitis.*

Veteris Eccleſiæ ratio gubernandi.

HActenus de ordine gubernandæ Eccleſiæ, ut nobis ex puro Dei verbo traditus eſt, de miniſteriis, ut ſunt à Chriſto inſtituta, diſſeruimus. Nunc quo iſta omnia clarius ac familiarius pateſiant, ac melius etiam in animis noſtris figantur, utile erit in iis rebus veteris Eccleſiæ formam recognoſcere, quæ nobis divinæ inſtitutionis imaginem quandam oculis repræſentabit. Tametſi enim multos canones ediderunt illorum temporum Epiſcopi, quibus plus viderentur exprimere quam ſacris literis expreſſum eſſet: ea tamen cautione totam ſuam œconomiam compoſuerunt ad unicam

Non omni ex parte ad verbi Dei normam compoſita.

unicam illam verbi Dei normam, ut facile videas nihil fere hac parte habuiſſe à verbo Dei alienum. Verum etiam ſiquid poſſit in ipſorum inſtitutis deſiderari, quia tamen ſincero ſtudio conati ſunt Dei inſtitutionem conſervare, & ab ea non multum aberrarunt, plurimum conducet hic breviter colligere qualem obſervationem habuerint. Quemadmodum tradidimus triplices miniſtros nobis commendari in Scriptura, ita quicquid miniſtrorum habuit vetus Eccleſia, in tres ordines diſtinxit: nam ex ordine Presbyterorum partim eligebant Paſtores ac Doctores: reliqua pars cenſuræ morum & correctionibus præerat. Diaconis commiſſa erat cura pauperum & eleemoſynarum diſpenſatio. Lectores autem & Acoluthi nomina non erant certorum munerum: verum quos Clericos vocabant, eos ab adoleſcentia certis exercitiis aſſuefaciebant ad ſerviendum Eccleſiæ, quo melius intelligerent quorſum eſſent deſtinati, & paratiores in tempore ad officium accederent: ut copioſius mox oſtendam. Itaque Hieronymus, ubi quinque propoſuit Eccleſiæ ordines, enumerat Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, Catechumenos: reliquo clero & monachis locum proprium nullum tribuit.

Miniſtros in tres ordines diſtinctos habuit: quorum duo explicantur. ſecundus, qui eſt ſeniorum, omittitur, & de Eccleſia diſciplina agitur cap. 12.
In Jeſa. cap. 9.

1. Presbyteri, ſeu Paſtores, quibus (ordinis conſervandi gratia) Epiſcopus præerat. Epiſcopi munus.

2. Quibus ergo docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros. Illi ex ſuo numero in ſingulis civitatibus unum eligebant, cui ſpecialiter dabant titulum Epiſcopi: ne ex æqualitate, ut fieri ſolet, diſſidia naſcerentur. Neque tamen ſic honore & dignitate ſuperior erat Epiſcopus ut dominium in collegas haberet: ſed quas partes habet Conſul in ſenatu, ut referat de negotiis, ſententias roget, conſulendo, monendo, hortando, aliis præeat, auctoritate ſua totam actionem regat, & quod decretum communi conſilio fuerit exequatur: id muneris ſuſtinebat Epiſcopus in Presbyterorum cœtu. Atque idipſum pro temporum neceſſitate fuiſſe humano conſenſu inductum fatentur ipſi veteres. Ita Hieronymus in epiſtolam ad Titum, *Idem*, inquit, *Presbyter qui Epiſcopus. Et antequam diaboli inſtinctu diſſidia in religione fierent, & in populis diceretur, Ego Pauli, ego Cephæ, communi conſilio Presbyterorum Eccleſiæ gubernabantur. Poſtea, ut diſſenſionum ſemina evellerentur, ad unum omnis ſollicitudo eſt delata. Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe, ex Eccleſiæ conſuetudine, ei qui præeſt ſubjectos: ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine quam Dominicæ diſpoſitionis veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere.* Alibi tamen docet quam fuerit antiquum inſtitutum. dicit enim Alexandriæ, à Marco Euangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium, Presbyteros ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocaſſe, quem Epiſcopum nominabant. Habebant ergo ſingulæ civitates Presbyterorum collegium, qui Paſtores erant ac Doctores. Nam & apud populum munus docendi, exhortandi & corrigendi, quod Paulus Epiſcopis injungit, omnes obibant; &, quo ſemen poſt ſe relinquerent, junioribus, qui ſacræ militiæ nomen dederant, erudiendis navabant operam. Unicuique civitati erat attributa certa regio, quæ Presbyteros inde ſumeret, & velut corpori Eccleſiæ illius accenſeretur. Singula (ut dixi) collegia politiæ tantum & pacis conſervandæ gratia uni Epiſcopo ſuberant: qui ſic alios dignitate antecedebat, ut fratrum cœtui ſubjiceretur. Quod ſi amplior erat ager, qui ſub ejus Epiſcopatu erat, quam ut ſufficere omnibus Epiſcopi muniis ubique poſſet, per ipſum agrum deſignabantur certis locis Presbyteri, qui in minoribus negotiis ejus vices obirent. Eos vocabant Chorepiſcopos, quod per ipſam provinciam Epiſcopum repræſentabant.

Presbyter & Epiſcopus, idem.
Comment. in epiſt. ad Tit. c. 1.
ad Evagrium.
Hujus ordinis inſtitutum, antiquum.
Tit. 1: 9.

Epiſcopi & Presbyterorum officium.

3. Sed quantum ad officium attinet de quo nunc agimus, tam Epiſcopum quam Presbyteros verbi & ſacramentorum diſpenſationi incumbere oportuit. Nam Alexandriæ tantum (quoniam illic Arrius Eccleſiam turbaverat) inſtitutum fuit ne Presbyter concionem ad populum haberet, ut ait Socrates libro 9. Tripertitæ hiſtoriæ. Quod tamen ipſum Hieronymus ſibi diſplicere non diſſimulat. Certe inſtar portenti habitum eſſet, ſiquis ſe pro Epiſcopo venditaſſet, qui non etiam re ipſa exhibuiſſet verum Epiſcopum. Ea igitur fuit temporum illorum ſeveritas, ut Miniſtri omnes ad implendum munus, quale ab ipſis Dominus requirit, adigerentur. Nec unius tantum ætatis morem refero: ſiquidem ne Gregorii quidem tempore, quo Eccleſia jam fere collapſa erat (certe multum ab antiqua puritate degeneraverat) tolerabile fuiſſet Epiſcopum aliquem à concionibus abſtinere. *Sacerdos* (inquit ipſe alicubi) *moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur: quia iram contra ſe occulti judicis exigit, ſi ſine ſonitu prædicationis incedit.* Et alibi, *Quum teſtatur Paulus ſe mundum eſſe à ſanguine omnium, in hac voce nos convincimur, nos conſtringimur, nos rei eſſe oſtendimur, qui Sacerdotes vocamur, qui ſuper ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus; quia tot occidimus quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.* Tacentes ſe & alios vocat, quia minus aſſidui eſſent in opere quam conveniret. Quum ne iis quidem parcat qui officium dimidia ex parte agebant: quid facturum fuiſſe putas ſiquis in totum ceſſaſſet? Valuit ergo diu illud in Eccleſia, ut primæ Epiſcopi partes eſſent, populum verbo Dei paſcere, ſeu ædificare Eccleſiam publice ac privatim ſana doctrina.

epiſt. ad Evagrium.
In vetere Eccleſia rigide conſervatum.
epiſt. 24.
Homil. in Ezech. 11.
Act. 20. verſ. 26.

De Archiepiſcopis & Patriarchis: quorum rariſſ. uſus.
In quem finem inſtituti.

4. Quod autem ſingulæ provinciæ unum habebant inter Epiſcopos Archiepiſcopum: quod item in Nicena ſynodo conſtituti ſunt Patriarchæ, qui eſſent ordine & dignitate Archiepiſcopis ſuperiores: id ad diſciplinæ conſervationem pertinebat. Quanquam in hac diſputatione præteriri non poteſt quod rariſſimi erat uſus. Ob hanc igitur cauſam potiſſimum inſtituti ſunt illi gradus, ut ſiquid in Eccleſia qualibet incideret quod non poſſet bene à paucis expediri, ad ſynodum provincialem referretur. Si magnitudo aut difficultas cauſæ majorem quoque diſcuſſionem poſtularet, adhibebantur Patriarchæ una cum ſynodis, à quibus non eſſet provocatio niſi ad univerſale concilium. Gubernationem ſic conſtitutam nonnulli Hierarchiam vocarunt, nomine (ut mihi videtur) improprio: certe Scripturis inuſitato. Cavere enim voluit Spiritus ſanctus nequis principatum aut dominationem ſomniaret, quum de Eccleſiæ gubernatione agitur. Verum ſi rem omiſſo vocabulo intuemur, reperiemus veteres Epiſcopos non aliam regendæ Eccleſiæ formam voluiſſe fingere ab ea quam Deus verbo ſuo præſcripſit.

Hierarchia, nomen improprium, & Scripturis inuſitatum.

Diaconi, ſecundus ordo miniſtrorum veteris Eccleſiæ: horumque munus proprium.
vide c. 3. ſect. 6.
Inſpectorem habebant Epiſcopum.

5. Nec alia tunc fuit Diaconorum ratio quam ſub Apoſtolis. Oblationes enim fidelium quotidianas & annuos Eccleſiæ proventus recipiebant, ut conferrent in veros uſus, id eſt, partim miniſtris, partim pauperibus alendis diſtribuerent: Epiſcopi tamen arbitrio, cui & œconomiæ ſuæ rationes quotannis reddebant. Nam quod Canones Epiſcopum ubique faciunt bonorum omnium Eccleſiæ diſpenſatorem, non ita intelligendum eſt quaſi ipſe per ſe eam ſollicitudinem geſſerit: ſed quia ipſius erat præſcribere Diacono qui in publicam Eccleſiæ alimoniam recipiendi eſſent, de eo quod reſiduum erat, quibus & quantum cuique erogandum eſſet: quia inſpectionem habebat an hic fideliter exequeretur quod officii ſui eſſet. ſic enim in Canonibus quos Apoſtolis adſcribunt, legitur, *Præcipimus ut in ſua poteſtate res Eccleſiæ habeat Epiſcopus. Si enim animæ hominum pretioſiores illi creditæ ſunt, multo magis decet eum curam de pecuniis agere: ita ut ejus poteſtate omnia pauperibus diſpenſentur per Presbyteros & Diaconos: ut cum timore & omni ſollicitudine miniſtrentur.*

Digitized by Google

cap. 35.

tur. Et in concilio Antiocheno decretum eſt ut coërceantur Epiſcopi, qui ſine Presbyterorum & Diaconorum conſcientia res Eccleſiæ pertractant. Sed de eo non eſt longius diſputandum, quum ex plurimis Gregorii epiſtolis conſtet, illo quoque tempore quo aliàs Eccleſiaſticæ ordinationes multum vitiatæ erant, hanc tamen obſervationem duraſſe, ut Diaconi ſub Epiſcopo pauperum eſſent œconomi. Hypodiaconos veriſimile eſt fuiſſe initio Diaconis attributos, ut eorum opera circa pauperes uterentur: ſed illud diſcrimen paulatim confuſum fuit. Archidiaconi autem creari tunc cœperunt quum amplitudo facultatum novam & exactiorem adminiſtrandi rationem poſtularet: quanquam Hieronymus jam ætate ſua fuiſſe commemorat. Erat autem penes eos ſumma redituum, poſſeſſionum, ſupellectilis, & quotidianarum oblationum procuratio. Unde Gregorius Salonitano Archidiacono denunciat reatu conſtrictum teneri ipſum, ſiquid ex bonis Eccleſiæ vel negligentia, vel illius fraude deperierit. Quod autem Euangelii ad populum lectio illis dabatur, & exhortatio ad precandum: quod item ad porrigendum in ſacra Cœna calicem adhibebantur: id muneris ornandi cauſa fiebat, quo majori religione ipſum obirent, quum admonerentur talibus ſymbolis non eſſe profanam aliquam villicationem quam gererent, ſed ſpiritualem & Deo dicatam functionem.

Hypodiaconos item adjutores: & Archidiaconos præfectos.

epiſt. ad Nepotianum.

epiſt. 10. lib. 1.

Euangelii lectio Diaconorum muneri adventitium, honoris gratia.

6. Hinc etiam judicare licet quis bonorum Eccleſiaſticorum uſus fuerit, & qualis diſpenſatio. Paſſim tum in ſynodorum decretis, tum apud vetuſtos ſcriptores reperias, quicquid poſſidet Eccleſia vel in fundis, vel in pecunia, pauperum eſſe patrimonium. Itaque ſubinde illic hæc cantilena Epiſcopis & Diaconis canitur, ut meminerint ſe non proprias opes, ſed pauperum neceſſitati deſtinatas attrectare: quas ſi mala fide ſupprimant aut dilapident, rei ſanguinis futuri ſint. Unde admonentur cum ſummo tremore & reverentia, velut in conſpectu Dei, ſine perſonarum acceptione, eas diſtribuere quibus debentur. Hinc & illæ apud Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum, & alios ſimiles Epiſcopos, graves obteſtationes, quibus ſuam integritatem apud populum aſſeverant. Quum autem æquum ſit, & Domini etiam Lege ſancitum, ut qui ſuam Eccleſiæ operam impendunt, publicis Eccleſiæ ſumptibus alantur, & nonnulli etiam eo ſeculo Presbyteri patrimoniis ſuis Deo conſecratis, voluntarii pauperes facti eſſent; talis erat diſtributio ut nec miniſtris deeſſent alimenta, & pauperes non negligerentur. Cavebatur tamen interim ne miniſtri ipſi, qui frugalitatis exemplum dare aliis debent, tantum haberent unde ad luxum aut delicias abuterentur: ſed duntaxat quo ſuam inopiam ſuſtinerent. *Qui enim bonis parentum ſuſtentari poſſunt clerici*, inquit Hieronymus, *ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium committunt: & per abuſionem ejuſmodi judicium ſibi manducant & bibunt.*

Bonorum autem Eccleſia diſpenſatio hac fuit olim.

1. Ut inde pauperes fideliter alerentur.

2. Miniſtris Eccleſia juſta alimenta non deeſſent.

refert. cap. Clericos. 1. & 2.

7. Principio libera & voluntaria fuit adminiſtratio, quum ſponte fideles eſſent Epiſcopi ac Diaconi, & conſcientiæ integritas vitæque innocentia pro legibus foret. Deinde quum ex quorundam cupiditate vel pravis ſtudiis naſcerentur mala exempla: ad hæc vitia corrigenda compoſiti ſunt Canones, qui Eccleſiæ reditus in quatuor partes diviſerunt, quarum unam aſſignarunt clericis, alteram pauperibus, tertiam ſacris ædibus & aliis ædificiis ſartis tectis tuendis, quartam vero advenis pauperibus. Nam quod hanc poſtremam Epiſcopo attribuunt alii Canones, id nihil variat ab ea quam dixi partitione. Neque enim propriam ejus eſſe volunt, ut vel ſolus ipſe ingurgitet, vel quo libuerit profundat, ſed ut hoſpitalitati, quam ab ordine illo Paulus exigit, ſufficiat. Atque ita interpretantur Gelaſius & Gregorius: non enim aliam rationem adducit Gelaſius cur ſibi quicquam Epiſcopus vendicet, niſi ut captivis & peregrinis largiri queat. Et clarius etiamnum loquitur Gregorius: *Mos eſt*, inquit, *Apoſtolicæ ſedis, ordinato Epiſcopo præcepta dare, ut de omni ſtipendio quod provenit, quatuor fiant portiones: una videlicet Epiſcopo & familiæ ejus, propter hoſpitalitatem atque ſuſceptionem: altera clero: tertia pauperibus: quarta reparandis Eccleſiis.* Nihil ergo Epiſcopo in ſuum uſum capere licuit, niſi quod ad moderatum frugalemque victum ac veſtitum ſatis eſſet. Quod ſi quis inſoleſcere cœpiſſet, vel luxu, vel oſtentatione ac pompa, ſtatim à collegis reprimebatur: niſi paruiſſet, honore abdicabatur.

Porro libera & voluntaria primum fuit.

Deinde Eccleſia reditus in 4. partes diviſi.

1 Tim. 3. verſ. 2.

cap. Præſulum. 16. quæſt. 3. refert. cap. Mos eſt, 12. quæſt. 12.

8. Porro quod in ornatum ſacrorum conferebant, perquam exiguum primo erat: deinde quum paulo ditior Eccleſia facta eſſet, ſervarunt tamen ea in re mediocritatem. Et tamen quicquid pecuniæ illic collocabatur, ſalvum pauperibus manebat, ſiqua major neceſſitas incidiſſet. Ita Cyrillus, quum fames Hieroſolymorum provinciam occupaſſet, nec poſſet aliter inopiæ ſubveniri, vaſa & veſtes diſtraxit, ac inſumpſit in pauperum alimoniam. Similiter Acatius Amidæ Epiſcopus, quum magna Perſarum multitudo fame propemodum interiret, convocatis clericis, & habita præclara illa oratione, *Deus noſter neque diſcis neque calicibus opus habet, quia neque comedit neque bibit:* vaſa conflavit unde miſeris & cibum & redemptionis pretium conficeret. Hieronymus quoque, dum in nimium templorum ſplendorem invehitur, honoris cauſa Exuperium Tholoſæ Epiſcopum ſui temporis refert, qui corpus Domini in caniſtro vimineo portabat, & ſanguinem in vitro: nullum vero pauperem eſurire patiebatur. Id quod nuper de Acatio dixi, Ambroſius de ſeipſo recitat: nam quum illum gravarent Arriani, quod in redemptionem captivorum vaſa confregiſſet, pulcherrima hac excuſatione uſus eſt, *Qui ſine auro miſit Apoſtolos, & Eccleſias ſine auro congregavit. Aurum habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt cuſtodire quod nihil adjuvat? An ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini Aſſyrii ſuſtulerint? Nonne melius conflat ſacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quam ſacrilegus aſportat hoſtis? Nonne dicturus eſt Dominus, Cur paſſus es tot inopes fame emori? & certe habebas aurum, unde miniſtraſſes alimoniam. Cur tot captivi abducti ſunt, nec redempti? Cur tot ab hoſte occiſi ſunt? Melius fuerat, ut vaſa viventium ſervares quam metallorum. His non poteris reſponſum dare. quid enim diceres? Timui ne templo Dei ornatus deeſſet. Reſponderet, Aurum ſacramenta non quærunt, neque auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus ſacramentorum, redemptio captivorum eſt.* In ſumma, videmus veriſſimum fuiſſe quod idem alibi dicit, *quicquid tunc Eccleſia poſſideret, ſumptum fuiſſe egenorum.* Item, *Nihil Epiſcopum habere quod pauperum non eſſet.*

Etſi tertia pars horum redituum in ornatum ſacrorum conferretur: ea tamen, quoties opus fuit, ceſſit pauperibus.

vid. lib. 1. cap. 11. ſect. 7, 13. & lib. 3. cap. 20. & inf. c. 5. ſect. 18.

Tripart. hiſt. lib. 5. & 11.

ad Nepotian.

Præclara ad hanc rem dicta, teſtimonia & exempla ex Cyrillo, Acatio, Hieronymo, Exuperio, Ambroſio.

de offic. lib. 2. cap. 28.

libr. 5. epiſtol. c. 31. 33.

9. Hæc quæ recenſuimus veteris Eccleſiæ miniſteria fuerunt. Alia enim, de quibus mentionem faciunt Eccleſiaſtici ſcriptores, magis exercitia fuerunt & quædam præparationes, quam certa munera. Nam ſancti illi viri, ut Eccleſiæ ſeminarium poſt ſe relinquerent, adoleſcentes, qui ex parentum conſenſu & auctoritate, militiæ ſpirituali nomen dabant, recipiebant in ſuam fidem ac tutelam, atque etiam diſciplinam: eoſque ſic formabant à tenera ætate, ne rudes ac novi ad obeundum munus accederent. Omnes autem qui ejuſmodi tirociniis imbuebantur, generali nomine vocabantur *Clerici.* Vellem quidem aliud nomen magis proprium inditum illis fuiſſe: hæc enim appellatio ex errore, vel certe prava affectione nata eſt: quum tota Eccleſia clerus, hoc eſt, hæreditas Domini, à Petro dicatur. Ipſum tamen inſtitutum ſan- 1 Pet. 5:3.

Clerici autem, inter quos Oſtiarii & Acoluthi, exercitiorum nomina ac veluti tironum rudimenta fuerunt.

ctum

Digitized by Google

ctum ac ſalutare in primis fuit, ut qui ſe ac ſuam operam Eccleſiæ conſecrare vellent, ita ſub Epiſcopi cuſtodia educarentur, ne quis niſi bene præformatus, Eccleſiæ miniſtraret, & qui à prima adoleſcentia tum ſanctam doctrinam imbibiſſet, tum ex ſeveriore diſciplina, gravitatis ſanctioriſque vitæ habitum quendam induiſſet, tum à curis profanis fuiſſet alienus, curiſque ac ſtudiis ſpiritualibus aſſuefactus. Quemadmodum autem militiæ tirones umbratilibus pugnis inſtituuntur ad verum ſeriumque certamen, ſic erant certa rudimenta quibus exercebantur in clericatu, priuſquam ad ipſa munia promoverentur. Illis ergo primum aperiendi claudendique templi curam mandabant, ac eos nominabant *Oſtiarios*. Poſtea vocabant *Acoluthos*, qui Epiſcopo in domeſticis obſequiis adeſſent, cumque perpetuo comitarentur, primum honoris cauſa, deinde nequa ſuſpicio naſceretur. Præterea ut ſenſim populo innoteſcerent, & commendationem ſibi acquirerent: ſimul ut diſcerent ferre omnium conſpectum, & coram omnibus loqui: ne Presbyteri facti, quum ad docendum prodirent, pudore confunderentur, locus legendi ipſis dabatur in ſuggeſtu. In hunc modum gradatim promovebantur, ut ſuam ſedulitatem in ſingulis exercitiis approbarent, donec Hypodiaconi fiebant. Hoc tantum volo, fuiſſe hæc tironum rudimenta magis, quam functiones quæ veris Eccleſiæ miniſteriis accenſerentur.

Altera pars capitis, de vocatione Miniſtrorum agens. cap. 3. ſect. 11. & 12.

10. Quod primum & ſecundum in miniſtrorum vocatione eſſe diximus, quales eligere, & quantam religionem in ea re adhibere oporteat: in eo Pauli præſcriptum & Apoſtolorum exempla vetus Eccleſia ſequuta eſt. Solebant enim ad eligendos Paſtores cum ſumma reverentia ac ſollicita nominis Dei invocatione convenire. Adhæc formulam examinis habebant, qua eligendorum vitam & doctrinam ad illam Pauli amuſſim exigebant. Tantum peccarunt hic nonnihil immodica ſeveritate, quod plus requirere voluerunt in Epiſcopo quam Paulus requirat: ac præſertim ſucceſſu temporis cælibatum. Verum in cæteris conſentanea fuit ipſorum obſervatio cum Pauli deſcriptione. In eo autem quod tertio loco poſuimus, quinam ſcilicet Miniſtros inſtituere debeant, non unum ſemper tenuerunt ordinem. Antiquitus ne in clericorum quidem cœtum recipiebatur quiſpiam ſine conſenſu totius plebis, ut Cyprianus diligenter excuſet quod Aurelium quendam inconſulta Eccleſia lectorem conſtituerit: quia id præter morem, tametſi non ſine ratione factum fuerat. Sic autem præfatur, *In ordinandis clericis, fratres chariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare.* Verum quia in minoribus illis exercitiis non multum erat periculi, quod ad diuturnam probationem & non magnam functionem aſſumerentur, rogari conſenſus plebis deſiit. Poſtea in reliquis quoque ordinibus excepto Epiſcopatu, plebs Epiſcopo ac Presbyteris judicium delectumque fere permiſit, ut cognoſcerent quinam idonei ac digni forent: niſi forte quum parochiis novi Presbyteri deſtinabantur: tunc enim loci multitudinem nominatim conſentire oportuit. Nec mirum eſt quod de retinendo ſuo jure populus hac in parte minus ſollicitus fuerit: nemo enim Hypodiaconus fiebat qui non longum ſui experimentum in clericatu, ſub ea quæ tunc erat diſciplinæ ſeveritate, dediſſet. Poſtquam in eo gradu probatus fuerat, Diaconus conſtituebatur: inde ad Presbyterii honorem perveniebat, ſi fideliter ſe geſſiſſet. Ita nullus promovebatur de quo non revera multis annis habitum eſſet ſub populi oculis examen. Et erant multi Canones ad punienda eorum vitia: ut Eccleſia malis Presbyteris aut Diaconis non gravaretur, niſi remedia negligeret. Quanquam in Presbyteris quoque ſemper exigebatur civium conſenſus: quod etiam teſtatur Canon primus diſt. 67. qui Anacleto tribuitur. Denique omnes ordinationes ideo ſtatis anni temporibus fiebant, nequis clanculum ſine fidelium conſenſu obreperet, aut nimia facilitate abſque teſtibus promoveretur.

Nonnihil hic immodica ſeveritate, ſucceſſu temporis, cælibatus reſpectu, peccatum eſt. 1 Tim. 3:2.

In tertio capite ordinationis Miniſtrorum, quoad conſenſum populi, non eadem ſemper fuit obſervatio veteris Eccleſiæ: & cur populus minus ſollicitus fuerit in retinendo ſuo jure. libr. 2. epiſt. 5.

Quo tempore ordinationes fierent.

11. In eligendis Epiſcopis diu ſua populo libertas fuit conſervata: nequis obtruderetur qui non omnibus acceptus eſſet. Hoc igitur in concilio Antiocheno vetitum eſt, nequis invitis ingeratur. Quod & Leo primus diligenter confirmat. Hinc iſtæ ſententiæ: *Is eligatur quem clerus & plebs aut major numerus poſtularint.* Item, *Qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur.* Qui enim ignotus & non examinatus præficitur, neceſſe eſt ut per vim intrudatur. Item, *Is eligatur qui à clericis electus, à plebe expetitus fuerit: & à provincialibus cum metropolitani judicio conſecretur.* Adeo autem caverunt ſancti patres ne ullo pacto imminueretur hæc populi libertas, ut quum ſynodus univerſalis Conſtantinopoli congregata Nectarium ordinaret, id facere noluerit ſine totius cleri & populi approbatione: ut ſua ad ſynodum Romanam epiſtola teſtata eſt. Proinde quum Epiſcopus quiſpiam ſucceſſorem ſibi deſignaret, non aliter ratum erat quam ſi totus populus ſciſceret. Cujus rei non modo exemplum, ſed formulam quoque habes apud Auguſtinum in nominatione Eradii. Et Theodoritus, quum refert Petrum ab Athanaſio ſucceſſorem nominatum, continuo adjungit, ſacerdotalem ordinem ratum id habuiſſe, magiſtratum & primores populumque univerſum ſua acclamatione approbaſſe.

At in ordinandis Epiſcopis populo diu ſua libertas ſervata. epiſt. 90. cap. 2.

Notatu digniſſ. narratio. epiſt. 110. lib. 4. c. 20.

12. Eſt quidem & illud, fateor, optima ratione ſancitum in Laodicenſi concilio, ne turbis electio permittatur. Vix enim unquam evenit ut tot capita uno ſenſu rem aliquam bene componant: & fere illud verum eſt, *Incertum ſcindi ſtudia in contraria vulgus.* Verum huic periculo adhibitum erat optimum remedium. Primum enim ſoli clerici eligebant: quem elegerant, offerebant magiſtratui, vel ſenatui ac primoribus. Illi, habita deliberatione, electionem, ſi juſta videbatur, conſignabant: ſin minus, eligebant alium quem magis probarent: tum ad multitudinem res deferebatur, quæ tametſi præjudiciis illis non alligaretur, minus tamen tumultuari poterat. Aut ſi à multitudine incipiebatur, tantum id fiebat ut ſciretur quem potiſſimum expeteret: auditis popularium votis, clerici demum eligebant. Ita nec clericis licebat quem vellent præficere, nec tamen ſtultis populi deſideriis obſequi neceſſe habebant. Hunc ordinem ponit alibi Leo, quum dicit, *Expectanda ſunt vota civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum.* Item, *Teneatur honoratorum teſtimonium, ſubſcriptio clericorum, ordinis conſenſus ac plebis. aliter,* inquit, *fieri nulla ratio ſinit.* Nec aliud ſibi vult illud decretum ſynodi Laodicenſis, quam ne ab inconſiderata multitudine patiantur ſe abripi clerici & primores: ſed potius ſua prudentia & gravitate ſtultas ejus cupiditates, ſiquando opus fuerit, reprimant.

Poſt vero cancellis quibuſdam incluſa eſt, ne inconſiderata multitudinis arbitrio res permitteretur. cap. 18.

epiſt. 87.

13. Hæc eligendi ratio adhuc ætate Gregorii valebat, & veriſimile eſt diu poſtea duraſſe. Extant apud eum plurimæ epiſtolæ quæ luculentum hujus rei teſtimonium dant: quoties enim de creando alicubi novo Epiſcopo agitur, ſcribere ſolet ad clerum, ordinem & plebem, interdum etiam ad ducem, prout eſt regimen civitatis conſtitutum. Quod ſi ob incompoſitum Eccleſiæ ſtatum vicino alicui Epiſcopo inſpectionem in electione mandat, ſemper tamen requirit ſolenne decretum, omnium ſubſcriptionibus roboratum. Quin etiam quum creatus Mediolani Epiſcopus eſſet Conſtantius quidam, & ob incurſiones barbarorum multi Mediolanenſium Genuam confugiſſent: non aliter fore legitimam electionem putat, quam ſi ipſi quoque in commune convocati aſſenſi fuerint. Imo nondum

Hæc eligendi ratio diu poſtea duravit. Teſte Gregorio.

libr. 2. epiſt. 69.

Et Nicolas. diſt. 23. cap. In nomine.

dum anni quingenti effluxerunt ex quo Nicolaus Papa de Romani Pontificis electione in hunc modum ſtatuit, ut præirent Cardinales Epiſcopi, deinde reliquum clerum ſibi adjungerent, poſtremo plebis conſenſu electio firma eſſet. Et in fine recitat illud quod nuper citavi Leonis decretum, ac in poſterum valere præcipit. Quod ſi ita invaluerit improborum malitia, ut clerici ad puram electionem faciendam urbe egredi cogantur: aliquos tamen è populo ſimul adeſſe jubet. Imperatoris ſuffragium, quantum intelligere licet, in duabus tantum Eccleſiis requirebatur, Romana & Conſtantinopolitana: quod illic duæ Imperii ſedes eſſent. Nam quod Mediolanum ad gubernandam novi Epiſcopi electionem miſſus fuit Ambroſius cum poteſtate à Valentiniano, id propter graves factiones quibus inter ſe cives flagrabant, extraordinarium fuit. Romæ autem tantum olim valuit Imperatoris auctoritas in Epiſcopo creando, ut Gregorius ſe ipſius juſſu in Eccleſiæ gubernaculis conſtitutum eſſe dicat: quum tamen ſolenni ritu à populo fuiſſet expetitus. Hoc autem moris fuit, ut quum aliquem deſignaſſent ordo, clerus ac populus, ad Imperatorem ſtatim referret ille, ut vel ſciſceret electionem ſua approbatione, vel improbando abrogaret. Neque huic conſuetudini repugnant decreta quæ à Gratiano colliguntur: ubi nihil aliud dicitur quam nullo modo ferendum eſſe, ut ſublata canonica electione, Rex pro ſua libidine Epiſcopum conſtituat, & à Metropolitis non eſſe conſecrandum qui per violenta imperia ſic fuerit promotus. Aliud enim eſt, ſpoliare Eccleſiam jure ſuo, ut totum ad unius hominis libidinem transferatur: aliud, hoc honoris Regi aut Imperatori dare, ut ſua auctoritate legitimam electionem confirmet.

epiſt. 5. lib. 1.

Nec huic repugnant Gratiani decreta.

Ritus hujus ordinationis in vetere Eccleſia.

14. Sequitur jam ut tractemus quo ritu poſt electionem initiarentur veteris Eccleſiæ miniſtri in ſuum officium. Hanc Latini ordinationem vel conſecrationem, Græci χειροτονίαν, interdum etiam χειροθεσίαν vocarunt: licet χειροτονία id genus electionis proprie dicatur, ubi declarantur ſuffragia manuum elevatione. Extat autem decretum Niceni concilii, ut Metropolites cum omnibus provinciæ Epiſcopis conveniat ad eum qui electus fuerit ordinandum. Si autem itineris longitudine, aut valetudine, aut alia neceſſitate pars impeditur, ut tamen tres minimum conveniant: qui autem abſunt, ſuam conſenſionem per literas teſtentur. Atque hic Canon quum deſuetudine obſoleſceret, pluribus deinde Synodis renovatus fuit. Omnes autem, aut ſaltem quicunque excuſationem non haberent, ideo adeſſe jubebantur, quo gravius de doctrina & moribus ordinandi haberetur examen: neque enim ſine examine res peragebatur. Et apparet ex Cypriani verbis, non poſt electionem vocari, ſed electioni intereſſe olim ſolitos: atque in eum finem ut eſſent quaſi moderatores, nequid in ipſa turba fieret turbulenti. Ubi enim dixit, plebi eſſe poteſtatem vel dignos eligendi ſacerdotes, vel indignos recuſandi: aliquanto poſt ſubjungit, *Propter quod diligenter de traditione divina atque Apoſtolica ſervandum eſt & tenendum (quod apud nos quoque & fere per provincias univerſas tenetur) ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente.* Sed quum tardius interdum cogerentur, & periculum eſſet ne illa mora abuterentur quidam ad ambiendi occaſionem, ſatis fore viſum eſt ſi deſignatione facta ipſi accederent, ac legitima inquiſitione probatum conſecrarent.

epiſt. 4. lib. 1.

Qui paulatim immutatus eſt.

15. Hoc quum ubique ſine exceptione fieret, paulatim mos diverſus inolevit, ut metropolim ad petendam ordinationem electi concederent. Quod ambitione magis & veteris inſtituti depravatione factum eſt, quam bona aliqua ratione. Nec multo poſt, aucta jam Romanæ ſedis auctoritate, obtinuit altera adhuc deterior conſuetudo, ut totius fere Italiæ Epiſcopi conſecrationem inde peterent. Quod animadvertere licet ex epiſtolis Gregorii. Paucis tantum civitatibus, quæ non ita facile ceſſerant, antiquum jus ſervatum erat: ut de Mediolano exemplum illic habetur. Fortaſſis ſolæ metropoles retinuerunt ſuum privilegium. Solebant enim ad Archiepiſcopum conſecrandum omnes provinciales Epiſcopi convenire in ipſam primariam civitatem. Cæterum ritus erat manuum impoſitio. Nihil enim præterea ceremoniarum adhibitum lego: niſi quod aliquem ornatum in ſolenni cœtu habebant Epiſcopi, quo à reliquis Presbyteris diſtinguerentur. Presbyteros quoque & Diaconos ſola manuum impoſitione ordinabant: ſed ſuos Presbyteros quiſque Epiſcopus cum Presbyterorum collegio ordinabat. Quanquam autem idem agebant omnes: quia tamen præibat Epiſcopus, & quaſi ejus auſpiciis res gerebatur, ideo ipſius dicebatur ordinatio. Unde veteres hoc ſæpe habent, non differre alia re ab Epiſcopo Presbyterum, niſi quia ordinandi poteſtatem non habeat.

libr. 2. epiſt. 69. & 76.

Qualis fuerit ille ritus.

CAP. V.

Antiquam regiminis formam omnino peſſundatam fuiſſe tyrannide Papatus.

Capitis hujus duæ ſunt partes.

1. *Qui, quales, & qua ratione ſub Papatu vocentur ad miniſterium Eccleſiaſticum, ſect. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.*
2. *Quam fideliter munus ſuum adimpleant, à ſect. 8. ad finem capitis.*

NUnc ordinem gubernandæ Eccleſiæ, quem hodie tenet Romana ſedes ac omnes ejus ſatellites, totamque hierarchiæ illius quam perpetuo in ore habent imaginem ob oculos ponere operæpretium eſt, ac cum illo quem deſcripſimus, primæ ac veteris Eccleſiæ conferre, quo ex comparatione eluceat qualem Eccleſiam habeant qui hoc ſolo titulo ad nos gravandos vel potius obruendos ferociunt. Præſtat autem à vocatione incipere, ut videamus qui & quales & qua ratione vocentur ad hoc miniſterium. Tum deinde conſiderabimus quam fideliter munus ſuum impleant. Dabimus autem primum locum Epiſcopis: quibus utinam hoc honori eſſe poſſet, in hac diſputatione primum tenere ordinem. Sed res ipſa non patitur me vel leviter attingere hoc argumentum ſine ſummo ipſorum dedecore. Et tamen meminero in quo ſcripti genere nunc verſer: nec orationem meam, quæ ad ſimplicem doctrinam compoſita eſſe debet, ultra ſuas metas diffluere patiar. Sed tamen reſpondeat mihi quiſpiam eorum qui non prorſus frontem perdiderunt, quales hodie Epiſcopi paſſim eligantur. Sane examen haberi de doctrina, nimis obſoletum eſt: quod ſi quis habetur doctrinæ reſpectus, juriſconſultum aliquem deligunt, qui in foro magis litigare noverit quam in Eccleſia concionari. Hoc conſtat, à centum annis vix centeſimum quemque fuiſſe electum qui ſacræ doctrinæ aliquid teneret. Superioribus ſeculis non ideo parco, quod multo meliora fuerint, ſed quod de præſenti modo

Qui & quales Epiſcopi paſſim eligantur in Papatu. 1. Nullum examen de doctrina habetur.

2. Quod ad mores, eliguntur vel indocti. Vel diſſoluti.

Eccleſia nobis quæſtio eſt. Si de moribus fiat cenſura, paucos aut propemodum nullos fuiſſe reperiemus quos non indignos veteres Canones judicaſſent. Qui non fuit ebrioſus, fuit ſcortator: qui ab hoc quoque ſcelere purus fuit, aut aleo fuit, aut venator, aut in aliqua parte vitæ diſſolutus. Sunt enim leviora vitia quæ ſecundum vetuſtos Canones

Aut pueri.

hominem ab Epiſcopatu excludunt. Hoc vero longe abſurdiſſimum, quod pueri quoque vix decennes, Papæ conceſſione, Epiſcopi ſunt facti. Eo im-

Aut prodigioſo flagitioſi.

pudentiæ ac ſtuporis provecti ſunt, ut ne illud quidem extremum & adeo prodigioſum flagitium horrerent, quod ab ipſo naturæ ſenſu penitus abhorret. Hinc apparet quam religioſæ fuerint electiones, ubi tam ſupina negligentia fuit.

3. Jus populi in eligendo ſublatum eſt, Leone, Cypriano & ſynodis reclamantibus.

2. Jam in eligendo totum illud jus populi ſublatum eſt. Vota, aſſenſus, ſubſcriptiones & omnia ejuſmodi evanuerunt. Ad ſolos Canonicos integra poteſtas tranſlata eſt. Illi in quem volunt, conferunt Epiſcopatum, eum mox in conſpectum plebis producunt: ſed adorandum, non examinandum. Atqui reclamat Leo, nullam rationem id ſinere, ac violentam impoſitionem eſſe pronunciat.

epiſt. 90. cap. 2.
lib. 2. epiſt. 5.

Cyprianus quum fluere ex jure divino teſtatur ne fiat niſi ex conſenſu populi, pugnare diverſum morem eum verbo Dei oſtendit. Tot Synodorum decreta ne ſecus fiat ſeveriſſime prohibent: ac, ſi factum ſit, jubent eſſe irritum.

Sequitur nullam Canonicam electionem ſupereſſe in Papatu.

Si hæc vera ſunt, nulla hodie neque divino neque Eccleſiaſtico jure Canonica electio in toto Papatu supereſt. Verum etiamſi nihil aliud mali foret, qui tamen hoc excuſare poterunt quod ita ſpoliaverint ſuo jure Eccleſiam?

Exceptio 1.

Atqui ita, inquiunt, exigebat temporum corruptio, ut quoniam apud plebem & magiſtratus plus valebant odia & ſtudia in aſſumendis Epiſcopis, quam rectum ſanumque judicium, ejus rei arbitrium paucis deferretur.

Reſponſio.

Fuerit ſane hoc extremum mali in rebus deploratis remedium. Verum ubi medicina morbo ipſo nocentior apparuit, cur non & novo huic malo ſuccurritur?

Exceptio 2.

Sed eſt, inquiunt, ipſis Canonicis exacte præſcriptum quid ſequi in

Reſponſio.

electione debeant. Sed an dubitamus quin ſanctiſſimis legibus olim plebs ſe aſtringi intelligeret, quum videret ſibi regulam è verbo Dei propoſitam, dum ad Epiſcopum eligendum conveniret? Siquidem illa una vox Dei qua deſcribit veram Epiſcopi effigiem, merito pluris eſſe debebat quam infinitæ Canonum myriades. Sed nihilominus, peſſimo affectu corrupta, nullam habebat legis aut æquitatis rationem. Sic hodie etſi optimæ ſcriptæ ſunt leges, manent tamen in chartis ſepultæ.

Electiones Papiſticæ quales, & qui eligantur.

Interim ut plurimum moribus receptum eſt, & (quaſi ratione fiat) etiam approbatum, ut ebrioſi, ſcortatores, aleones paſſim ad hunc honorem promoveantur. parum dico: ut Epiſcopatus adulteriorum & lenociniorum ſint præmia. Nam quum venatoribus & aucupibus dantur, præclare res cecidiſſe exiſtimanda eſt. Tantam indignitatem ullo modo excuſare, nimis improbum eſt. Habebat, inquam, olim optimum canonem populus, cui præſcribebat Dei verbum,

1 Tim. 1. verſ. 1.

oportere Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, doctorem, non pugnacem, &c. Cur ergo eligendi provincia à populo ad iſtos tranſlata eſt? Quia ſcilicet inter populi tumultus & factiones verbum Dei non exaudiebatur. Et cur hodie ab iſtis rurſum non transferatur, qui non modo leges omnes violant, ſed abjecto pudore, libidinoſe, avare, ambitioſe humana divinis commiſcent & confundunt?

Reſponſionis ad priorem exceptionem plenior explicatio, qua populi, Epiſcoporum (præcipue Romanorum) & Principum errata deteguntur.

3. Sed mentiuntur quum aiunt hoc remedii loco fuiſſe inventum. Sæpe in Epiſcopis eligendis tumultuatas olim fuiſſe urbes legimus: nemo tamen unquam de auferendo civibus jure cogitare auſus eſt. Alias enim habebant vias quibus vel obviarent his vitiis, vel jam admiſſa corrigerent. Verùm dicam quid ſit. Quum populus in delectu habendo negligentior eſſe cœpiſſet, & hanc curam, quaſi minus ſibi congruentem, in Presbyteros rejiceret, illi hac occaſione ad tyrannidem ſibi uſurpandam abuſi ſunt: quam poſtea novis Canonibus editis ſtabilierunt. Ordinatio autem nihil aliud eſt quam merum ludibrium. Species enim examinis, quam illic oſtentant, adeo inanis eſt & jejuna, ut omni etiam ſuco careat. Itaque quod alicubi pactione impetrarunt Principes à Romanis Pontificibus, ut nominarent ipſi Epiſcopos, in eo nihil novi damni fecit Eccleſia: quia Canonicis duntaxat electio, quam nullo jure rapuerant, vel certe furati erant, adempta eſt. Eſt hoc ſane fœdiſſimum exemplum, quod ex aula mittuntur Epiſcopi ad occupandas Eccleſias: & piorum Principum eſſet à tali corruptela abſtinere. Eſt enim impia Eccleſiæ ſpoliatio, quoties alicui populo ingeritur Epiſcopus quem non petierit, vel ſaltem libera voce approbarit. Verum inordinatus ille mos qui in Eccleſiis jampridem fuit, occaſionem Principibus dedit, ut præſentationem Epiſcoporum ſibi ſumerent. Maluerunt enim ſuum eſſe beneficium, quam eorum in quos nihilo plus id competebat, & qui non minus perperam eo abutebantur.

Electio Presbyterorum & Diaconorum in Papatu nulla.

4. En præclara vocatio, cujus cauſa Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores ſe eſſe jactant. Presbyteros autem creandi jus ſibi ſolis competere dicunt. Sed in hoc peſſime corrumpunt vetus inſtitutum, quod non Presbyteros ſua ordinatione creant, qui

1. Quia in alium finem ordinantur.

populum regant ac paſcant, ſed Sacerdotes qui ſacrificent. Similiter quum Diaconos conſecrant, nihil agunt de vero ac proprio ipſorum officio: ſed ad certas modo ceremonias circa calicem & patinam ordinant.

diſt. 70. can. 1.

At in ſynodo Chalcedonenſi contra ſancitum eſt, ne fiant abſolutæ ordinationes, hoc eſt, quin locus ſimul aſſignetur ordinatis ubi munus ſuum exerceant. Hoc decretum duplici nomine utiliſſimum eſt, Ne onerentur Eccleſiæ ſupervacuo ſumptu, & in homines otioſos expendatur quod erogari pauperibus debet. Deinde ut ii qui ordinantur, cogitent non ſe ad honorem promoveri, ſed munus ſibi mandari ad quod obeundum ſolenni teſtificatione obligentur.

2. Contra inſtitutum verbi Dei & ſynodi Chalcedonenſis nulli loco aſſignantur.

At Romanenſes magiſtri (qui nihil in religione curandum putant præter ventrem) primo titulum interpretantur reditum qui ad alimoniam ſufficiat: ſive ex patrimonio ſit, ſive ex ſacerdotio. Itaque quum Diaconum vel Presbyterum ordinant, nihil ſolliciti ubi debeant miniſtrare, ordinem illis conferunt, ſi modo ſatis divites ſint ad ſe alendos. Verum quis hominum hoc recipiat, ut titulus quem requirit Concilii decretum, ſit annuus proventus ad alimoniam? Jam vero quia recentiores Canones Epiſcopos damnabant eorum alimonia, quos ſine idoneo titulo ordinaſſent, quo ſic reprimerent nimiam eorum facilitatem, etiam cautio excogitata eſt qua eluderent pœnam. Nam qui ordinatur, nominato qualicunque titulo, promittit eo ſe fore contentum. Eo pacto ab alimentorum actione depellitur.

3. Mille fraudibus nomen & rem ipſam conſquinant.

Taceo mille fraudes quæ hic fiunt: ut quum alii inanes ſacerdotiorum titulos mentiuntur, unde quinque aſſes annuatim conficere nequeant: alii ſub arcana ſtipulatione ſacerdotia commodato accipiunt, quæ ſtatim reddituros ſe pollicentur, ſed interdum non reddunt. Et alia ejus generis myſteria.

Iſtarum corruptelarum refutatio. Prima, de ordinationis vero fine.

5. Verum etiamſi illi abuſus craſſiores tollerentur, annon illud ſemper abſurdum eſt, Presbyterum conſtituere cui locum nullum aſſignes? neminem enim ordinant niſi ad ſacrificandum. Atqui legitima Presbyteri ordinatio eſt, ad Eccleſiæ gubernationem; Diaconi, ad eleemoſynæ procurationem vocari. Multis quidem pompis adumbrant id quod agunt, quo ſpecie ipſa venerationem apud ſimplices habeat: ſed apud ſanos quid valere poſſunt iſtæ larvæ, ubi nihil ſolidi aut veri ſubeſt? Nam ceremo-

nias

De examine, & aliis rebus neceſſariis.

nias adhibent vel ex Judaiſmo accerſitas, vel ex ſeipſis confictas: quibus abſtinere ſatius foret. De vero autem examine (umbram enim illam quam retinent nihil moror) de populi conſenſu, de aliis rebus neceſſariis, nulla mentio. Umbram voco ridiculas illas geſticulationes ad ineptam ac frigidam vetuſtatis imitationem compoſitas. Habent Epiſcopi ſuos vicarios, qui ante ordinationem de doctrina inquirant.

Quibus vaniſſimam pompam & deplorandam cæcitatem oppoſuerunt impii & ſanguinarii homines.

Sed quid? an legere ſuas Miſſas poſſint: an vulgare aliquod nomen, quod in lectione occurret, declinare, an conjugare verbum, an vocis unius ſignificationem, noverint: neque enim neceſſe eſt, ut vel unius verſiculi ſenſum reddere ſciant. Neque tamen adhuc ſacerdotio repelluntur qui in his quoque puerilibus elementis deficiunt, modo aliquam pecuniæ vel gratiæ commendationem attulerint. Ejuſdam farinæ eſt quod quum ad altare admoventur ordinandi, quæritur ter voce non intellecta, ſintne digni honore. Reſpondet unus (qui eos nunquam vidit, ſed nequid formulæ deſit, has partes habet in fabula) Digni ſunt. Quid in venerandis iſtis Patribus accuſes, niſi quod in tam apertis ſacrilegiis ludendo, Deum & homines nullo pudore rident? At quia in diuturna ejus rei poſſeſſione ſunt, putant id ſibi jam licere. Quiſquis enim contra hæc tam clara tamque atrocia flagitia biſcere audet, quaſi qui ſacra Cereris in apertum olim protulerat, ad capitale judicium ab ipſis rapitur. An hoc facerent ſi quem putarent eſſe Deum?

Secunda corruptela refutatio, de locorum aſſignatione, quam beneficiorum collationem nominant: ubi multiplices abuſus paucis verbis deteguntur.

6. Jam in beneficiorum collationibus (quæ res olim conjuncta erat cum ordinatione, nunc prorſus eſt ſeparata) quanto melius ſe gerunt? Eſt autem apud eos multiplex ratio: neque enim ſoli Epiſcopi conferunt ſacerdotia, & in his etiam quorum vocantur collatores, non ſemper plenum jus habent: ſed alii præſentationem habent, ipſi autem collationis titulum retinent, honoris cauſa. Accedunt etiam nominationes ex ſcholis, reſignationes, vel ſimplices, vel permutationis cauſa factæ: reſcripta commendatitia, præventiones, & quicquid tale eſt. Verum ita ſe omnes gerunt, ut nullus eorum poſſit alteri quippiam exprobrare. Sic contendo, vix centeſimum quodque beneficium hodie in Papatu ſine ſimonia conferri: qualiter ſimoniam veteres definierunt. Non dico omnes numerato pretio emere: ſed cedo mihi unum ex viginti qui nulla obliqua commendatione ad ſacerdotium perveniat. Alios cognatio vel affinitas promovet, alios parentum auctoritas: alii obſequiis favorem ſibi conciliant.

Sacerdotia cur Beneficia dicantur in Papatu.

Denique in hunc finem conferuntur ſacerdotia, non ut Eccleſiis ſit proſpectum, ſed iis qui accipiunt. Itaque Beneficia appellant: quo nomine ſatis declarant ſe non alio loco ea habere quam Principum donativa, quibus vel conciliant favorem militum, vel eorum labores remunerantur. Omitto quod in tonſores, coquos, muliones, atque ejus fæcis homines hæc præmia conferuntur. Jam vero nullis fere litibus magis hodie perſtrepunt judicia quam ob ſacerdotia: ut dicas nihil aliud quam prædam eſſe canibus objectam ad venationem. An hoc vel auditu tolerabile eſt, Paſtores vocari qui in Eccleſiæ poſſeſſionem, quaſi in hoſtile prædium irruperint? qui forenſibus jurgiis evicerint? qui pretio redemerint? qui ſordidis obſequiis emeruerint? qui pueri vixdum balbutientes, eam, ceu hæreditariam à patruis & cognatis, interdum etiam à patribus ſpurii creverint?

Deinde, quod unus quanque aut ſex Eccleſiis gubernandis præficitur.

7. An unquam eo progreſſa eſſet populi, quantumvis corrupti & exlegis, licentia? Sed hoc quoque majus portentum eſt, quod unus homo (non dico qualis, certe qui ſeipſum regere non poteſt) quinque aut ſex Eccleſiis gubernandis præficitur. Videre eſt hodie in aulis Principum adoleſcentes ter Abbates, bis Epiſcopos, ſemel Archiepiſcopos. Paſſim vero ſunt Canonici, quinque, ſex, ſeptem ſacerdotiis onuſti: quorum nullam prorſus niſi in recipiendo proventu curam habent.

Quæ corruptela fœdiſſima ſeveriſſ. multorum Conciliorum ſanctionibus damnatur.

Non objiciam, verbum Dei ubique reclamare: quod jampridem deſiit apud eos habere tantillum momenti. Non objiciam, multas ſeveriſſimas ſanctiones in pluribus Conciliis contra hanc improbitatem eſſe factas: nam has quoque, quoties libet, fortiter contemnunt. Sed dico utrumque eſſe prodigioſum flagitium, quod Deo, naturæ, & Eccleſiaſtico regimini prorſus adverſetur, ut unus prædo pluribus ſimul Eccleſiis incubet: ut Paſtor nominetur, qui gregi ſuo adeſſe, etiamſi velit, nequeat: & tamen (qua ſunt impudentia) tam abominandas fœditates Eccleſiæ nomine prætexunt, quo ab omni reprehenſione eximant. Quin etiam, ſi Deo placet, in iſtis nequitiis continetur ſacroſancta illa ſucceſſio, cujus merito effectum eſſe jactant ne Eccleſia periret.

Altera pars capitis.

Quam fideliter munus ſuum exerceant.

8. Nunc (quæ ſecunda nota eſt in æſtimando legitimo Paſtore) videamus quam fideliter munus ſuum exerceant. Ex ſacerdotibus, qui illic creantur, alii ſunt Monachi, alii quos vocant Seculares.

1. Monachi, nullum inter Presbyteros locum habentes.

Prior ille grex incognitus fuit veteri Eccleſiæ: & habere talem in Eccleſia locum, adeo cum monaſtica profeſſione pugnat, ut quum olim ex monaſteriis in clerum cooptarentur, monachi eſſe deſinerent. Atque adeo Gregorius, cujus tempos multum fæcis habuit, hanc tamen confuſionem fieri paſſus non eſt. Vult enim clericatu abdicari qui Abbates facti fuerint: quod monachus ſimul eſſe & clericus rite nemo queat: quum alterum alteri ſit impedimento.

epiſt. 11. lib. 3.

Exceptio.

Nunc ſi interrogem quomodo munus ſuum bene impleat quem Canones non eſſe idoneum declarant: quid, obſecro, reſponſuri ſunt? Citabunt mihi ſcilicet abortiva illa decreta Innocentii & Bonifacii, quibus monachi ad ſacerdotii honorem & poteſtatem ſic recipiuntur, ut in monaſteriis ſuis maneant.

Reſponſio 1.

Sed quæ iſta eſt ratio, ut indoctus quivis aſinus, ſimulac Romanam ſedem occupaverit, totam antiquitatem verbulo uno evertat? Verum de hac re poſtea. Iſtud nunc ſufficiat, pro magna abſurditate habitum eſſe in Eccleſia puriori, ſi monachus ſacerdotio fungeretur. Nam Hieronymus ſe officium ſacerdotis agere negat, quum inter monachos degit: ſeque unum ex plebe facit qui à ſacerdotibus regatur.

Altera.

Verum ut hoc illis demus, quid tamen officii faciunt? Ex mendicantibus nonnulli concionantur: reliqui omnes monachi vel cantillant vel demurmurant Miſſas in ſuis latibulis. Quaſi ad hoc fieri Presbyteros, aut Chriſtus voluerit, aut muneris natura patiatur. Quum Scriptura palam teſtetur, Presbyteri eſſe propriam Eccleſiam regere, annon impia eſt profanatio alio transferre, imo penitus immutare ſacrum Dei inſtitutum? Nam quum ordinantur, nominatim vetantur facere quæ Deus Presbyteris omnibus injungit.

Actor. 20. verſ. 28.

Tertia.

Siquidem illis hæc cantilena canitur, Monachus ſuo clauſtro contentus, nec Sacramenta adminiſtrare, nec aliud quippiam publici muneris gerere præſumat. Negent, ſi poterunt, apertum eſſe Dei ludibrium, in hoc aliquem Presbyterum fieri, ut à vero & germano officio abſtineat, & eum qui nomen habet, rem non poſſe habere.

3. Presbyteri: quorum alii beneficiarii, alii mercenarii.

9. Venio ad ſeculares: qui partim beneficiarii ſunt (ut loquuntur) id eſt, habent ſacerdotia quibus alantur: partim quotidianas operas locant miſſando vel canendo, & quaſi collecta inde ſtipe victitant.

Beneficiarii, Epiſcopi. Parochi. Canonici. Capellani. Abbates. Priores.

Beneficia, aut curam animarum habent, ut Epiſcopatus & Parochiæ: aut ſtipendia ſunt hominum delicatorum, qui cantillando victum acquirunt: ut præbendæ, canonicatus, perſonatus, ac dignitates, capellaniæ, & ſimilia. Quanquam, rebus ſurſum deorſum jam converſis, Abbatiæ & Prioratus non tantum ſecularibus Presbyteris, ſed pueris quoque (privilegio, id eſt, vulgari & uſitata conſuetudine) conferuntur.

Mercenarii.

Quantum ad mercenarios attinet, qui

in diem victum quærunt, quid aliud facerent quam quod faciunt: nempe ut illiberali ac pudendo modo ſeſe proſtituant ad quæſtum: præſertim in tanta multitudine quanta nunc orbis ſcatet. Iraque quum palam mendicare non audeant, vel hac via reputent ſe parum profecturos, velut canes famelici circumeunt, & ſua importunitate non ſecus ac latratu extorquent ab invitis hominibus quod in aridum ventrem ingerant. Hic ſi verbis perſequi coner quantum ſit dedecus Eccleſiæ, eo rediiſſe honorem & munus Presbyterii, nullus erit finis. Non eſt igitur cur à me expectent lectores orationem quæ tam flagitioſæ indignitati reſpondeat. Breviter dico, Si Presbyteri officium eſt (quod & verbum Dei præſcribit, & vetuſti Canones requirunt) Eccleſiam paſcere, & ſpirituale Chriſti regnum adminiſtrare: tales omnes ſacrifici qui nullum niſi in Miſſarum nundinatione opus aut ſtipendium habent, non modo ceſſant in officio, ſed nullum quod exerceant legitimum habent officium. Locus enim docendi illis nullus datur, nullam plebem habent quam gubernent. Denique nihil illis reliquum eſt præter altare in quo Chriſtum ſacrificent: quod non eſt Deo, ſed dæmoniis litare, ut alibi videbimus.

A verbo Dei iſti Presbyteri damnantur. 1 Cor. 4:1.

Beneficiarios autem illos, qui otioſis ſacerdotiis aluntur, nullo Eccleſiæ miniſterio fungi probatur. cap. 18. ſect. 3. 9. & 14.

10. Non attingo hic extranea vitia, ſed duntaxat inteſtinum malum quod in ipſorum inſtitutione radicitus hæret. Addam vocem, quæ male ſonabit in eorum auribus: ſed quia vera eſt, dicere oportet: eodem loco habendos eſſe Canonicos, Decanos, Capellanos, Præpoſitos, & quicunque otioſis ſacerdotiis aluntur. Quale enim Eccleſiæ miniſterium præſtare queunt? Nam verbi prædicationem, curam diſciplinæ, & ſacramentorum adminiſtrationem, tanquam onera nimis moleſta à ſe depulerunt. Quid ergo habent reliquum quo ſe veros Presbyteros eſſe jactent? Cantum ſcilicet & ceremoniarum pompam. At quid hoc ad rem? Si conſuetudinem, ſi uſum, ſi longi temporis præſcriptionem allegant: ego contra Chriſti definitionem regero, qua & veros Presbyteros nobis expreſſit, & quid
2. habere debeant qui tales haberi volunt. Quod ſi tam duram legem ferre nequeunt ut ſe Chriſti regulæ ſubjiciant, patiantur ſaltem hanc cauſam ex aucto-
3. ritate primæ Eccleſiæ decîdi. At nihilo melior erit ipſorum conditio, ſi ex vetuſtis Canonibus de eorum ſtatu judicetur. Qui in Canonicos degenerarunt, Presbyteri eſſe debuerant, ut fuerunt olim, qui Eccleſiam cum Epiſcopo in commune regerent, & veluti collegæ ejus eſſent in munere paſtorali. Dignitates illæ Capitulares quas vocant, nihil prorſus ſpectant ad veram Eccleſiæ gubernationem: multo minus Capellaniæ, & reliqua fæx talium nominum. *Quo igitur loco eos omnes habebimus? Certe & verbum Chriſti, & veteris Eccleſiæ obſervatio eos à Presbyterii honore excludit. Presbyteros tamen ſe eſſe contendunt: ſed detrahenda eſt larva: ſic reperiemus, totam eorum profeſſionem alieniſſimam eſſe ac remotiſſimam ab illo munere Presbyterorum quod & Apoſtoli nobis deſcribunt, & in prima Eccleſia requiſitum fuit. Omnes ergo ejuſmodi ordines quibuſcunque titulis inſigniantur, novitii quum ſint, certe nec Dei inſtitutione, nec antiqua Eccleſiæ obſervatione ſuffulti, locum nullum habere debent in deſcriptione regiminis ſpiritualis, quod ore Domini ipſius conſecratum Eccleſia recepit. At (ſi rudius ac craſſius me loqui malunt) quando Capellani, Canonici, Decani, Præpoſiti, & ejus farinæ otioſi ventres ne minimo quidem digito particulam ullam attingunt ejus officii quod in Presbyteris neceſſario requiritur, non eſt ferendum ut falſo ſibi honorem uſurpando, ſanctam Chriſti inſtitutionem violent.

Exceptio.

Reſponſio 1.

Canonicos quales eſſe oportuit.

Altera exceptio.

Reſponſio.

Concluſio: iſtos beneficiarios, non presbyteros eſſe, imo vero veneficiarios.

Epiſcopi, &

11. Superſunt Epiſcopi & Parochiarum rectores: qui utinam de retinendo officio contenderent. Libenter enim illis concederemus, eos habere pium & eximium munus, ſi quidem eo defungerentur: ſed quum Eccleſias ſibi commiſſas deſerendo, earumque curam in alios rejiciendo, haberi paſtores volunt, perinde faciunt acſi munus paſtoris eſſet nihil agere. Siquis fœnerator, qui nunquam pedem urbe moveret, aratorem ſe aut vinitorem eſſe profiteretur: ſi miles, qui aſſiduus fuiſſet in acie & caſtris, forum aut libros nunquam vidiſſet, pro juriſconſulto ſe venditaret: quis ferret tam putidas ineptias? Atqui aliquanto abſurdius iſti faciunt, qui videri volunt & nominari legitimi Eccleſiæ paſtores, & tamen eſſe nolunt. Quotus enim quiſque eſt qui vel in ſpeciem Eccleſiæ ſuæ regimen obeat? plurimi Eccleſiarum reditus tota vita devorant, ad quas ne inſpiciendi quidem cauſa unquam accedunt. Alii ſemel quotannis aut veniunt ipſi, aut œconomum mittunt, ne quid in locatione depereat. Quum hæc corruptela primum obreperet, privilegiis ſe eximebant qui frui volebant hoc genere vacationis; nunc rarum exemplum eſt ut quis in Eccleſia ſua reſideat: æſtimant enim non ſecus ac villas, quibus vicarios ſuos tanquam villicos aut colonos præficiunt. Atqui hoc ipſe quoque naturæ ſenſus repudiat, paſtorem eſſe gregis, qui ovem ex eo nullam unquam viderit.

Parochiarum rectores, Eccleſias deſerentes earumque regimen abjicientes, vano nomine gloriantur.

12. Jam ætate Gregorii apparet quædam hujus mali ſemina extitiſſe, ut Eccleſiarum rectores negligentiores in docendo eſſe inciperent: quia id graviter alicubi conqueritur. *Mundus*, inquit, *ſacerdotibus plenus eſt: ſed tamen in meſſe rarus invenitur operator: quia officium quidem ſacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officii non implemus.* Item, *Quia charitatis viſcera non habent, domini videri volunt: patres ſe minime recognoſcunt. Humilitatis locum in elationem dominationis mutant.* Item, *Sed nos, ô Paſtores, quid agimus, qui mercedem conſequimur, & operarii non ſumus? Ad exteriora negotia delapſi ſumus: & aliud ſuſcipimus, aliud præſtamus. Miniſterium prædicationis relinquimus: & ad pœnam noſtram, ut video, Epiſcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis tenemus.* Quum tanta verborum aſperitate utatur adverſus eos qui tantum erant in officio minus aſſidui vel ſeduli, quid, quæſo, dicturus eſſet ſi videret ex Epiſcopis fere nullum, aut certe pauciſſimos, ex reliquis vix centeſimum quemque, ſuggeſtum ſemel tota vita conſcendere? Nam eo furoris ventum eſt, ut vulgo exiſtimetur res Epiſcopali dignitate inferior, concionem ad populum habere. Tempore Bernardi res aliquanto magis prolapſæ erant: ſed videmus etiam quam acerbis objurgationibus invehatur in totum ordinem: quem tamen credibile eſt fuiſſe tunc non paulo integriorem quam nunc ſit.

Hujus mali ſemina, ætate Gregorii, in mercenarios invalentis. Homil. 17.

Et Bernardi, acerbius eos objurgantis.

13. Quod ſi quis totam hanc gubernationis Eccleſiaſticæ faciem, quæ hodie ſub Papiſmo eſt, rite perpendat ac excutiat, reperiet nullum eſſe ſpoliarium, in quo licentioſius ſine lege & modo latrones graſſentur. Certe omnia illic à Chriſti inſtitutione adeo diſſimilia ſunt, imo aliena, adeo ab antiquis Eccleſiæ inſtitutis ac moribus degenerarunt, adeo cum natura & ratione pugnant, ut nulla major Chriſto fieri injuria poſſit quam dum ejus nomen ad defenſionem tam inordinati regiminis obtendunt. Nos (inquiunt) ſumus Eccleſiæ columnæ, religionis antiſtites, Chriſti vicarii, fidelium capita: quia poteſtas Apoſtolica per ſucceſſionem ad nos pervenit. Quaſi apud ſtipites loquantur, iſtis ineptiis perpetuo ſuperbiunt. Quoties vero iſtuc jactabunt, quæram ab iis viciſſim quid habeant cum Apoſtolis commune. Non enim de hæreditario aliquo honore agitur, qui dormientibus deferri queat: ſed de prædicationis munere, quod ipſi tantopere defugiunt. Similiter quum ipſo-

Summa Papiſtica adminiſtrationis deſcriptio.

Ridicula iſtorum Eccleſiæ pſeudodominiſtrorum allegatio.

Reſponſio.

Eorundem exceptio.

ipſorum regnum tyrannidem Anticbriſti eſſe aſſerimus, continuo excipiunt, eſſe venerabilem illam tnties à magnis & ſanctis viris laudatam hierarchiam.

Reſponſio.

Quaſi vero ſancti Patres, quum Eccleſiaſticam hierarchiam aut ſpirituala regimen, ut ipſis per manus ab Apoſtolis traditum erat, commendarent, hoc deforme & vaſtitatis plenum chaos ſomniarent, ubi Epiſcopi vel rudes ut plurimum aſini ſunt, qui ne prima quidem & plebeia fidei rudimenta tenent: aut interdum pueri à nutrice adhuc recentes: & ſiqui doctiores ſunt (quod tamen rarum eſt exemplum) Epiſcopatum nihil aliud eſſe putant quam ſplendoris & magnificentiæ titulum: ubi Eccleſiarum rectores non magis de paſcendo grege cogitant quam ſutor de arando: ubi omnia pluſquam Babylnnica diſſipatione ſic confuſa ſunt, ut nullum integrum veſtigium paternæ illius ordinationis amplius appareat.

Mores autem eorum ſunt longe omnium turpiſſimi. Matth. 5. v. 13, 14.

14. Quid ſi ad mores deſcendamus? ubi erit illa lux mundi quam Chriſtus requirit? ubi ſal terræ? ubi illa ſanctitas quæ velut perpetua cenſura eſſe poſſit? Nullus hodie eſt hnminum ordo magis infamis luxu, mollitie, deliciis, omni denique genere libidinum: nullo ex ordine aptiores aut peritiores omnis impoſturæ, fraudis, proditionis, perfidiæ magiſtri: nuſquam tantum ad nocendum vel ſolertiæ, vel audaciæ. Taceo faſtum, ſuperbiam, rapacitatem, ſævitiam. Taceo diſſolutam in omnibus vitæ partibus licentiam. Quibus ferendis ita fatigatus eſt mundus, ut verendum non ſit ne quid nimium exaggerare videar.

Nec ullus fere reperiatur, qui ex veterum Canonum ſententia non ſit vel excommunicandus, vel minimum à munere abdicandus.

Unum dico quod inficiari ne ipſi quidem poterunt, Ex Epiſcopis fere nullum, ex parochiarum præfectis non eſſe centeſimum quemque, cujus ſi de moribus ferenda ſit ſecundum veteres Canones ſententia, non ſit vel excommunicandus, vel minimum à munere abdicandus. Videor aliquid incredibile dicere, adeo priſca illa diſciplina, quæ exactiorem cenſuram de moribus cleri fieri præcipiebat, obſnlevit: ſed omnino ita res habet. Eant nunc qui ſub Romanæ ſedis vexillis & auſpiciis militant, & de ſacerdotali apud ſe ordine glorientur. Certe quem habent, neque à Chriſto, neque ab ejus Apoſtolis, neque à Patribus, neque ab Eccleſia veteri eſſe conſtat.

Quoad Diaconiam, nulla prorſus in Papatu extat, licet quandam umbram illius obtineant. vide c. 19. ſect. 32.

15. Prodeant nunc in medium Diaconi, & illa ſanctiſſima quam habent bonorum Eccleſiaſticorum diſtributio. Quanquam Diaconos ſuos ad eam rem minime jam creant: nihil enim aliud ipſis injungunt niſi ut miniſtrent ad altare, Euangelium recitent aut canant, & neſcio quas agant nugas. Nihil de eleemoſynis, nihil de cura pauperum, nihil de tota illa functione quam olim gerebant. De ipſa inſtitutione loquor: nam ſi ſpectemus quod faciunt, re ipſa non munus illis eſt, ſed gradus duntaxat ad presbyterium. Una in re, qui locum Diaconi in Miſſa tenent, inane ſimulachrum antiquitatis repræſentant: recipiunt enim oblationes ante conſecratinnem.

Mos veteris Eccleſiæ à Diaconis Papiſticis corruptus.

Fuit autem id antiqui moris ut ante Cœnæ communionem ſe mutuo oſcularentur fideles, & eleemoſynas ad altare offerrent: ita ſymbolo prius, deinde ipſa beneficentia charitatem ſuam declarabant. Diaconus, qui œconomus erat pauperum, recipiebat quod dabatur, ut diſtribueret. Nunc ex illis eleemoſynis nihilo plus pervenit ad pauperes quam ſi in mare projicerentur. Ludunt ergo Eccleſiam cum iſto mendacii diaconatu. Certe in eo nec cum Apoſtolica inſtitutione, nec cum veteri obſervatione ſimile quippiam habent. Ipſam vero bonorum diſpenſationem alio tranſtulerunt: & ita compoſuerunt ut nihil fingi queat magis inordinatum.

Simile appoſitum.

Quemadmodum enim latrones, jugulatis hominibus, prædam inter ſe dividunt: ita iſti poſt extinctum verbi Dei lumen, quaſi jugulata Eccleſia, putarunt expoſitum eſſe prædæ ac direptioni quicquid in ſanctos uſus dicatum erat. Itaque facta diviſione, rapuit ad ſe quiſque quantum potuit.

Bona Eccleſiaſtica, quæ à veris Diaconis olim adminiſtrabantur, Epiſcopi & Canonici inter ſe diripuerunt, pauperibus defraudatis.

16. Hic tntæ illæ veteres rationes quas expoſuimus, non tantum conturbatæ, ſed prorſus & expunctæ & inductæ ſunt. Potiſſimam partem Epiſcopi & Presbyteri urbani (qui facti hac præda dlvites, verſi ſunt in Canonicos) inter ſe diripuerunt. Partitionem tamen fuiſſe tumultuariam ex eo apparet, quod de finibus ad hunc uſque diem litigant. Quicquid ſit, hac deciſione proviſum eſt ne obolus unus ex omnibus Eccleſiæ bonis ad pauperes rediret, quorum dimidia ſaltem ex parte fuerant. Nominatim enim quartam partem Canones illis attribuunt: alteram vero quartam ideo deſtinant Epiſcopis, ut in hnſpitalitatem & alia benignitatis officia erogent. Taceo quid ſua portione facere clerici, & quem in uſum illam conferre debuerint: nam reliquum quod templis, ædificiis, & aliis ſumptibus deputatur, debere pauperibus in neceſſitate patere ſatis demonſtratum eſt. Quæſo, ſi ſcintillam unam timoris Dei in corde haberent, ſuſtinerentne hanc conſcientiam, quod quicquid comedunt ac veſtiuntur, ex furto, imo ex ſacrilegio provenit? Sed quia Dei judicio parum commoventur, ſaltem cogitarent homines eſſe, ſenſu & ratione præditos, quibus perſuadere volunt ſe habere tam pulchros & diſpoſitos in Eccleſia ſua ordines quam jactare ſolent. Reſpondeant mihi breviter, an Diaconia ſit furandi ac latrocinandi licentia. Hoc ſi negant, fateri etiam cogentur, nullam ſe Diaconiam reliquam habere: quando apud eos tota opum Eccleſiaſticarum adminiſtratio in ſacrilegam deprædationem palam converſa eſt.

Prædonum iſtorum blaſphema exceptio.

17. Sed hic utuntur pulcherrimo colore: dicunt enim Eccleſiæ dignitatem non indecenter hac magnificentia ſuſtineri. Et habent ex ſua ſecta quoſdam ita impudentes ut audeant palam jactare, ſic demum adimpleri vaticinia illa quibus ſplendorem regni Chriſti deſcribunt veteres Prophetæ, ubi regius ille apparatus in ordine ſacerdotali viſitur. Non fruſtra, inquiunt, hæc Deus Eccleſiæ ſuæ promiſit: *Venient Reges, adorabunt in conſpectu tuo, tibi afferent munera.* Pſal. 72. verſ. 10. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Jeruſalem.* Jeſa. 52: 1. & 60: 6. *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi.*

Reſponſio 1.

In hac imprnbitate confutanda ſi multum inſiſtam, vereor ne ineptus videar. Proinde verba temere perdere non libet.

Reſponſio 2. teſtimoniis allatis lucem faciens.

Quæro tamen, Siquis Judæus iſtis teſtimoniis abuteretur, quam ſolutionem daturi eſſent? Nempe reprehenderent ejus ſtuporem, quod quæ de ſpirituali Chriſti regno ſpiritualiter dicta ſunt, ad carnem & mundum transferret. Scimus enim Prophetas ſub imagine rerum terreſtrium, cæleſtem Dei gloriam, quæ lucere in Eccleſia debet, nobis delineaſſe. His enim benedictinnibus, quas exprimunt eorum verba, nunquam minus abundavit Eccleſia, quam ſub Apoſtolis: & tamen vim regni Chriſti tunc maxime effloruiſſe omnrs fatentur. Quid ergo ſibi volunt illæ ſententiæ? Quicquid uſpiam eſt pretioſum, ſublime, præclarum, id oportere Domino ſubjici.

Reges Chriſtum adorantes.

Quod autem nominatim de Regibus dicitur, faſces ſubmiſſuros Chriſto, diademata ſua projecturos ad ejus pedes, opes ſuas conſecraturos Eccleſiæ, quando verius ac plenius exhibitum fuiſſe dicent,

Theodoſius.

quam quum Theodoſius, abjecta purpura, relictis Imperii inſignibus, tanquam unus quilibet ex plebe coram Deo & Eccleſia ſe ad ſolennem pœnitentiam ſubmiſit? quam quum ipſe & alii ſimiles pii Principes ſua ſtudia & ſuas curas ad puram in Eccleſia doctrinam conſervandam, ad fovendos & protegendos ſanos Doctores contulerunt? At vero quam

non luxuriarint tunc ſupervacuis opibus Sacerdotes, una illa vox ſynodi Aquileienſis, cui præerat Ambroſius, ſatis declarat, *Glorioſa in Sacerdotibus Domini paupertas.* Habebant certe tunc Epiſcopi nonnullas facultates, quibus conſpicuum Eccleſiæ decus reddere poterant, ſi putaſſent hæc eſſe vera Eccleſiæ ornamenta. Sed quum ſcirent Paſtorum officio nihil eſſe magis adverſum, quam menſarum deliciis, veſtium nitore, magno famulitio, magnificis palatiis ſplendere ac ſuperbire, humilitatem ac modeſtiam, imo paupertatem ipſam quam Chriſtus inter ſuos miniſtros conſecravit, ſequebantur & colebant.

Ambroſii vox, prædonum Papiſticorum infamiam arguens.

Altera iſtorum exceptio, de templorum ornatu.

Reſponſio 1. vide lib. 1. cap. 11. ſect. 7, 13. & lib. 3. cap. 20. & ſup. c. 4. ſect. 8.

18. Verum ne hic ſimus longiores, iterum in brevem ſummam colligamus, quam procul abſit ea quæ nunc eſt opum Eccleſiaſticarum vel diſpenſatio, vel diſſipatio, à vera Diaconia quam & verbum Dei nobis commendat, & vetus Eccleſia obſervavit. Quod in templorum ornatum confertur, perperam collocari dico, ſi non adhibeatur is modus quem & ipſa natura ſacrorum præſcribit, & Apoſtoli aliique ſancti Patres tum doctrina tum exemplis præſcripſerunt. At quid tale hodie in templis conſpicitur? Quicquid, non dico ad priſcam illam frugalitatem, ſed ad honeſtam aliquam
2. mediocritatem eſt compoſitum, reſpuitur. Nihil
3. omnino placet, niſi quod luxum & temporum corruptelam ſapiat. Interim tantum abeſt ut vivorum templorum juſtam habeant curam, ut potius multa pauperum millia fame perire paſſuri ſint, quam minimum calicem aut urceolum confringant ad ino-
4. piam eorum ſublevandam. Nequid gravius à meipſo pronunciem, hoc tantum pios lectores cogitare velim, ſi nunc Exuperium illum Tholoſæ Epiſcopum, quem retulimus, ſi Acatium, ſi Ambroſium, aut ſimilem quempiam excitari à mortuis contingat, quidnam ſint dicturi. Certe non probabunt, in tanta pauperum neceſſitate, quaſi ſuperfluas opes alio transferri. Ut taceam, hos uſus quibus impenduntur (etiamſi nulli ſint pauperes) multis modis noxios: utiles vero nulla ex parte eſſe.
5. Sed homines omitto. Bona hæc Chriſto ſunt dicata: ejus itaque arbitrio diſpenſanda ſunt. Fruſtra autem partem hanc impenſam Chriſto ferent, quam
6. præter ejus mandatum profuderunt. Quanquam (ut verum fatear) non multum de ordinario Eccleſiæ reditu his ſumptibus deciditur. Nulli enim ſunt tam opulenti Epiſcopatus, nullæ tam opimæ Abbatiæ, nulla denique neque tam multa neque tam ampla Sacerdotia, quæ ad explendam Sacerdotum ingluviem ſufficiant. Verum dum ſibi vo- 7.
lunt parcere, populum ſuperſtitione inducunt ut quod erat in pauperes erogandum, ad extruenda templa, ad erigendas ſtatuas, ad emenda vaſa, ad pretioſas veſtes comparandas convertant. Ita hoc gurgite quotidianæ eleemoſynæ abſumuntur.

Poſtrema reſponſio, qua prorſus everſam Eccleſiaſticorum bonorum Diaconiam ab impuris iſtis prædonibus, ventre ſuo ſervientibus, juſſa oſtendit.

19. De reditu quem ex agris & poſſeſſionibus percipiunt, quid aliud dicam quam quod jam dixi, & eſt ante omnium oculos? Maximam portionem videmus qua fide adminiſtrent qui Epiſcopi vocantur & Abbates. Quæ inſania eſt Eccleſiaſticum ordinem hic quærere? An in ſatellitii numero, ædium ſplendore, veſtitus & epularum deliciis, Principum lautitias æmulari eos decebat, quorum vitam oportuerat ſingulare frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, humilitatis eſſe exemplar? Quantum & hoc ab eorum officio abhorrebat, quos æternum inviolabileque Dei edictum turpis lucri appetentes eſſe vetat, & ſimplici victu contentos eſſe jubet, non Tit. 1: 7.
modo vicis & arcibus manum injicere, ſed in ampliſſimas ſatrapias involare, demum imperia ipſa occupare? Si verbum Dei contemnunt, quid reſpondebunt ad vetuſta illa Synodorum decreta? quibus ſtatuitur ut Epiſcopus non procul ab Eccleſia hoſpitiolum habeat, vilem menſam, & ſupellectilem. Concil. Carth. 4. c. 14, 15.
Quid ad illud ſynodi Aquileienſis elogium, quo in Sacerdotibus Domini glorioſa paupertas prædicatur? Nam illud forte quod Hieronymus Nepotiano præcipit, ut menſulam ejus pauperes & peregrini & cum illis Chriſtus conviva noverit, tanquam nimis auſterum repudiabunt. Verum quod ſtatim ſubjicit pudebit eos diffiteri, *Gloriam eſſe Epiſcopi, pauperum opibus providere: ignominiam omnium Sacerdotum, propriis ſtudere divitiis.* Hoc autem recipere nequeunt quin ſe omnes ignominiæ condemnent. Sed non eſt neceſſe durius hic eos perſequi, quum nihil aliud voluerim quam demonſtrare ſublatum eſſe jampridem de medio apud ipſos legitimum Diaconatus ordinem: ne amplius hoc titulo ad Eccleſiæ ſuæ commendationem ſuperbiant. Quod me abunde feciſſe exiſtimo.

Summa & ſcopus hujus tractationis de Diaconatu.

Cap. VI.

De primatu Romanæ ſedis.

Partes hujus capitis.

1. *Statu quæſtionis propoſito, argumenti pro primatu Pontificis Rom. ex veteri Teſtamento deſumpti refutatio additur, ſect.* 1. *&* 2.
2. *Ad varia argumenta quæ ex novi Teſtamenti verbis,* Tu es Petrus, *&c. ad fulciendum hunc primatum proferuntur, reſponſiones, à ſect.* 3. *uſque ad capitis finem.*

Brevis ἀνακεφαλαίωσις cap. 4. & 5.

HActenus eos recenſuimus Eccleſiæ ordines qui in veteris Eccleſiæ gubernatione fuerunt: ſed poſtea temporibus corrupti, magis deinde ac magis vitiati, nunc in Eccleſia Papali titulum duntaxat retinent, re vera nihil aliud ſunt quam larvæ: ut ex comparatione judicaret pius lector qualem habeant Eccleſiam Romanenſes, in cujus gratiam reos ſchiſmatis nos faciunt, quoniam ab ea diſceſſerimus. Caput autem ac faſtigium totius ordinis, hoc eſt, primatum Romanæ ſedis, unde probare contendunt penes ſe ſolos eſſe Catholicam Eccleſiam, non attigimus: quia neque ex Chriſti inſtituto, neque ex Eccleſiæ veteris uſu ſumpſit originem, ut illæ ſuperiores partes: quas oſtendimus ita ab antiquitate ortas eſſe, ut temporum vitio prorſus degeneraverint, imo prorſus novam formam induerint. Et tamen perſuadere mundo conantur, hoc eſſe præcipuum ac prope unicum Eccleſiaſticæ unitatis vinculum, ſi Romanæ ſedi adhæreamus, ac in ejus obedientia perſeveremus. Hac, inquam, fultura potiſſimum nituntur, quum nobis Eccleſiam adimere & ſibi vendicare volunt, quod retinent caput ex quo pendet Eccleſiæ unitas, & ſine quo diſſilire eam ac disrumpi neceſſe eſt. Sic enim exiſtimant, Eccleſiam corpus eſſe quodammodo mutilum ac truncum, niſi Romanæ ſedi, tanquam capiti, ſit ſubjecta. Itaque quum de hierarchia ſua diſputant, ab hoc ſemper axiomate ſumunt exordium: Romanum Pontificem (tanquam Chriſti, qui caput eſt Eccleſiæ, vicarium) ejus loco Eccleſiæ univerſali præſidere: nec aliter bene conſtitutam Eccleſiam, niſi ſedes illa ſuper alias

Cur de primatu ibi nulla mentio.
vide Calv. adv. concil. Trident. & Theologos Pariſienſes.

Quem tamen Papiſtæ unitatis Eccleſiaſticæ fingunt eſſe vinculum.

Et ab hoc axiomate de ſua hierarchia diſputantes exordium ſumunt.

alias omnes primatum teneat. Quamobrem hoc quoque quale ſit excutiendum eſt: nequid omittamus quod ad juſtum Eccleſiæ regimen pertineat.

Status quæſtionis adſcriptus.

2. Hic igitur ſit quæſtionis ſtatus, Utrum ad veram hierarchiæ (ut vocant) ſeu Eccleſiaſtici ordinis rationem neceſſe ſit ſedem unam inter alias & dignitate & poteſtate eminere, ut ſit totius corporis caput. Nos vero nimis iniquis legibus ſubjicimus Eccleſiam, ſi hanc ei neceſſitatem ſine verbo Dei injicimus.

Cujus affirmativam partem adverſarii ex ſummi Sacerdotii conſideratione probare contendunt.

Ergo ſi volunt evincere adverſarii quod poſtulant, oſtendere eos primum oportet œconomiam hanc à Chriſto eſſe inſtitutam. In hanc rem citant ex Lege ſummum ſacerdotium, ſummum item judicium, quod Deus Hieroſolymis inſtituit. At facilis eſt ſolutio, eaque multiplex, ſi quidem una illis non ſatisfaciat.

Reſponſio, quæ hujus inſtitutionis ſub Lege cauſas aperit.

Primum, quod in natione una fuit utile, id in univerſum orbem extendere nulla ratio cogit: imo gentis unius & totius orbis longe diverſa erit ratio. Quia undique ab idololatris ſepti erant Judæi, ne religionum varietate diſtraherentur, cultus ſui ſedem in medio terræ ſinu Deus collocavit: illic unum antiſtitem præfecit, quem omnes reſpicerent, quo melius in unitate continerentur. Nunc ubi vera religio in totum orbem diffuſa eſt, uni dari Orientis & Occidentis moderationem, quis non videat eſſe prorſus abſurdum? Perinde enim eſt acſi quis contendat totum mundum à præfecto uno debere regi, quia ager unus non plures præfectos habeat.

Secunda reſponſ. quæ ſummum ſacerdotium ad Pontificem Rom. transferri non poſſe demonſtrat.

Sed eſt altera etiamnum ratio cur illud in imitationem trahi non debeat. Summum illum Pontificem typum fuiſſe Chriſti nemo ignorat: nunc translato ſacerdotio, jus illud transferri convenit. Ad quem porro translatum eſt? Non ad Papam ſane (ut ipſe impudenter jactare audet) quum hoc ad ſe elogium trahit: ſed ad Chriſtum, qui ut ſolus munus ipſum ſine vicario aut ſucceſſore ſuſtinet, ita honorem alteri nemini reſignat. Non enim in doctrina modo, ſed in propitiatione Dei, quam in morte ſua peregit Chriſtus, & illa interceſſione qua nunc apud Patrem fungitur, conſiſtit hoc ſacerdotium.

Argumenta pro primatu Rom. Pont. è novo Teſtamento.
Matth. 16. verſ. 18.
Joan. 21. verſ. 15.
Reſponſio 1. in genere.

3. Non eſt igitur quod exemplo iſto, quod temporarium fuiſſe videmus, quaſi perpetua lege, nos obſtringant. Ex novo Teſtamento nihil habent quod in ſententiæ ſuæ confirmationem proferant niſi quod uni dictum eſt, *Tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Item, *Petre amas me? paſce oves meas.* Verum ut firmæ ſint iſtæ probationes, oſtendant in primis oportet, ei mandari poteſtatem in omnes Eccleſias qui paſcere Chriſti gregem jubetur: nec aliud eſſe ligare & ſolvere, quam toti mundo præſidere. Atqui ut mandatum Petrus à Domino acceperat, ita alios omnes Presbyteros hortatur ut paſcant Eccleſiam.

1 Pet. 5: 2.

Hinc colligere licet aut illa Chriſti voce nihil præ aliis datum eſſe Petro: aut Petrum, jus quod acceperat, cum aliis ex æquo communicaſſe.

Reſponſio 2.
Joan. 20. verſ. 23.

Verum, ne fruſtra litigemus, habemus alibi claram ex ore Chriſti expoſitionem, quid ſit ligare & ſolvere: nempe retinere & remittere peccata. Modum vero ligandi & ſolvendi cum Scriptura tota paſſim oſtendit, tum Paulus optime declarat, quum dicit Euangelii miniſtros habere mandatum reconciliandi homines Deo, & ſimul poteſtatem habere exercendæ vindictæ in eos qui beneficium hoc reſpuerint.

2 Cor. 5. verſ. 18. & 10. 6.

Reſponſio 3. fundamentum quo potiſſimum muniuntur, vera ac genuina interpretatione promiſſionis Chriſti de clavibus, evertitur.

4. Quam indigne torqueant locos illos qui ligandi & ſolvendi mentionem faciunt, cum alibi perſtrinxi, tum fuſius paulo poſt explicandum erit. Nunc tantum quid ex celebri illo Chriſti ad Petrum reſponſo eliciant, videre operæpretium eſt. Promiſit ei claves regni cælorum: dixit, *quodcunque ligaret in terra, ligatum fore in cælis.* Si de clavium voce & ligandi modo inter nos conveniat, ſtatim ceſſabit omnis contentio. Nam & Papa libenter injunctam Apoſtolis provinciam omitteret quæ laboris & moleſtiæ plena ſuas ei delicias abſque lucro excuteret.

Matth. 16. verſ. 19.

Quoniam Euangelii doctrina nobis cæli aperiuntur, eleganti metaphora inſignitur clavium nomine. Jam non alio modo ligantur & ſolvuntur homines niſi dum fides alios reconciliat Deo, alios ſua incredulitas magis conſtringit. Si hoc tantum ſibi ſumeret Papa, neminem fore puto qui vel invideat vel certamen moveat. Sed quia hæc ſucceſſio laborioſa & minime lucroſa nequaquam Papæ arridet, jam inde naſcatur litis principium, quid Petro Chriſtus promiſerit. Ergo ex re ipſa colligo nonniſi muneris Apoſtolici dignitatem notari, quæ ab onere disjungi non poteſt.

Quæ claves aliis Apoſtolis, ut & Petro, promiſſa & data ſunt.

Nam ſi recipitur illa quam poſui definitio (quæ nonniſi impudenter rejici poteſt) nihil Petro hic datur quod non fuerit collegis etiam commune: quia alioqui non modo perſonis fieret injuria, ſed claudicaret ipſa doctrinæ majeſtas. Reclamant illi: ſed quid juvat, obſecro, ad hanc rupem impingere? Neque enim efficient quin ſicuti omnibus Apoſtolis ejuſdem Euangelii injuncta fuit prædicatio, ita etiam communiter ligandi & ſolvendi poteſtate inſtructi fuerint.

2. Argumentum.
Reſponſio.
Matth. 18. verſ. 18.
Joan. 20. verſ. 23.

Chriſtus (inquiunt) Petrum Eccleſiæ univerſæ principem conſtituit, quum daturum ſe illi promiſit claves. Atqui quod uni tunc promiſit, alibi reliquis ſimul omnibus confert, & quaſi in manum tradit. Si idem juris conceſſum eſt omnibus quod uni promiſſum, qua in re erit ille collegis ſuperior?

3. Argumentum.
Reſponſ. ex verbis Cypriani & Auguſtini, ſuperiorem interpretationem confirmans.

In eo, inquiunt, excellit, quod & communiter & ſeorſum accipit: quod aliis non datur niſi in commune. Quid ſi cum Cypriano & Auguſtino reſpondeam, non ideo id feciſſe Chriſtum ut hominem unum aliis præferret, ſed ut Eccleſiæ unitatem ſic commendaret? Sic enim loquitur Cyprianus, *In perſona unius hominis Dominum dediſſe omnibus claves, ut omnium unitatem denotaret: hoc itaque fuiſſe reliquos quod erat Petrus, pari conſortio præditos & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate fieri, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur.*

de ſimpl. Prælat.
Homil. in Joan. 50.

Auguſtinus vero, *Si in Petro non eſſet Eccleſiæ myſterium, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claves: ſi enim hoc Petro dictum eſt, non habet Eccleſia: ſi autem Eccleſia habet, Petrus quando claves accepit, Eccleſiam totam deſignavit.*

Homil. 11.
Repet. Hom. 124.

Et alibi, *Quum interrogati eſſent omnes, ſolus Petrus reſpondet, Tu es Chriſtus: & ei dicitur, Tibi dabo claves, quaſi ligandi & ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem: quum & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam perſonam gerens ipſius unitatis, acceperit. Ideo unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus.*

4 Argumentum.
Matth 16. verſ. 18.
Reſponſio.
Epheſ. 2. verſ. 20.
1 Pet. 2: 5.

5. At illud, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, nuſquam alteri dictum legitur. Quaſi vero aliud de Petro illic Chriſtus prædicet quam quod Paulus & Petrus ipſe de omnibus Chriſtianis. Ille enim Chriſtum lapidem ſummum & angularem facit, in quo ſuperſtruantur qui creſcunt in templum ſanctum Domino: hic autem nos lapides vivos eſſe jubet, qui illo electo & pretioſo lapide fundati, hac junctura & compagine cum Deo noſtro & inter nos cohæreamus.

Inſtantia.
Reſponſio 1. per conceſſionem.

Ille (inquiunt) præ aliis: quia peculiariter nomen habet. Hunc certe honorem Petro libenter concedo, ut in ædificio Eccleſiæ inter primos collocetur: vel (ſi hoc quoque velint) primus omnium fidelium: verum ut primatum in alios eum habere ex eo deducant, non permittam. Quæ enim eſt iſthæc ratio colligendi? Alios fervore ſtudii, doctrina, animi magnitudine præcedit: ergo poteſtatem in eos habet.

Joan. 1. v. 40, 41.
Reſp. 2. per diſtinctionem ordinis & poteſtatis.

Quaſi vero non meliori prætextu colligere liceat, Andræam eſſe ordine priorem Petro, quia tempore ipſum anteceſſit, & Chriſto adduxit: ſed hoc omitto. Priores ſane habeat Petrus: multum tamen intereſt inter honorem ordinis & poteſtatem. Videmus Apoſtolos hoc fere Petro detuliſſe ut in cœtu

verba faceret, & quodammodo præiret, referendo, hortando, monendo: ſed de poteſtate nihil omnino legimus.

5. Argumentum, In Petro fundata eſt Eccleſia, quia dicitur, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam. Reſponſio, ſenſum verborum aperiens.

6. Quanquam nondum in ea diſputatione ſumus, tantum hoc in præſentia habere volo, nimis futiliter eos argumentari, quum ex ſolo Petri nomine imperium in Eccleſiam univerſam ſtruere volunt. Nam illæ veteres ineptiæ, quibus fucum initio facere tentarunt, relatu quoque, nedum refutatione, indignæ ſunt, In Petro fundatam eſſe Eccleſiam: quia dictum ſit, *Super hanc petram*, &c. At nonnulli ex Patribus ſic expoſuerunt. Sed quum reclamet tota Scriptura, quid eorum auctoritas adverſus Deum prætenditur? Imo quid de verborum iſtorum ſenſu, quaſi obſcurus ſit aut ambiguus, certamus: quum nihil dici queat magis liquidum nec certum? Confeſſus erat Petrus ſuo & fratrum nomine Chriſtum eſſe Filium Dei. Super hanc petram ædificat ſuam Eccleſiam Chriſtus: quia unicum eſt, ut ait Paulus, fundamentum, præter quod ſtatui aliud non poteſt. Neque hic Patrum auctoritatem ideo repudio, quia eorum teſtimoniis deſtituar ad probandum quod dico, ſi citare libeat: ſed, quemadmodum dixi, nolo de re tam clara diſceptando fruſtra moleſtus eſſe lectoribus: præſertim quum hæc res à noſtris hominibus ſatis diligenter pridem tractata & explicata fuerit.

Matth. 16. verſ. 16.
1 Cor. 3. verſ. 11.

Hujus reſponſionis confirmatio, multis Scripturæ teſtimoniis, quæ evincunt Petrum fuiſſe aliorum Apoſtolorum parem & ſocium, non dominum.

7. Et tamen revera nullus quæſtionem hanc ſolvere melius poteſt quam Scriptura ipſa, ſi locos omnes conferamus ubi docet quid muneris & poteſtatis habuerit Petrus inter Apoſtolos, qualiter ſe geſſerit, qualiter etiam fuerit ab ipſis acceptus. Percurre quicquid extat, nihil aliud reperies quam fuiſſe unum ex numero duodecim, parem reliquis, & ſocium, non dominum. Refert quidem ad concilium ſiquid faciendum eſt, & quid factu opus ſit admonet: ſed alios ſimul audit, nec locum tantum concedit dicendæ ſententiæ, ſed arbitrium illis permittit: ubi ſtatuerunt, ſequitur & obtemperat. Quum ad Paſtores ſcribit, non mandat ex imperio, quaſi ſuperior: ſed collegas ſuos facit, & comiter hortatur ut inter æquales fieri ſolet. Quum accuſatur quod ad Gentes ingreſſus fuerit, etiamſi id ſit immerito, reſpondet tamen & ſeſe purgat. Juſſus à collegis ire cum Joanne in Samariam, non detrectat. Quod eum mittunt Apoſtoli, eo declarant ſe minime eum habere pro ſuperiori: quod obſequitur & legationem ſibi mandatam ſuſcipit, eo fatetur ſibi cum illis eſſe ſocietatem, non adverſus eos imperium. Quod ſi nihil iſtorum extaret, una tamen epiſtola ad Galatas omnem dubitationem eximere nobis facile poteſt: ubi duobus fere capitibus nihil aliud contendit Paulus quam ſe honore Apoſtolatus Petro eſſe parem. Hinc commemorat ſe ad Petrum veniſſe, non ut ſubjectionem profiteretur, ſed tantum ut teſtatam omnibus faceret doctrinæ conſenſionem. Petrum quoque ipſum nihil tale poſtulaſſe, ſed dediſſe ſibi dextram ſocietatis, ut communiter in vinea Domini laborarent. Sibi non minorem gratiam collatam eſſe inter Gentes quam Petro inter Judæos. Denique quum minus fideliter ageret Petrus, fuiſſe à ſe correctum, & reprehenſioni paruiſſe. Hæc omnia palam faciunt aut fuiſſe æqualitatem inter Paulum & Petrum, aut certe nihilo plus poteſtatis fuiſſe Petro in reliquos quam ipſi in illum habuerint. Atque id, ſicuti jam dixi, ex profeſſo agit Paulus, nequis ſibi in Apoſtolatu vel Petrum vel Joannem anteferat, qui collegæ erant, non domini.

Act. 15: 7.
1 Pet. 5: 1.
Actor. 11. verſ. 3, 4.
ibid. 8: 14.
Galat. 1. verſ. 18. & 2: 8.

Et quamvis aliqua dignitate reliquos Apoſtolos Petrus antecelluiſſet, id tamen Rom. Pontificis primatum in omnes orbis Eccleſias & Paſtores minime juvat.

8. Verum ut de Petro illis concedam quod petunt, fuiſſe ſcilicet Apoſtolorum principem, & dignitate reliquos antecelluiſſe: non eſt tamen cauſa cur ex ſingulari exemplo univerſalem faciant regulam, & quod ſemel factum fuit ad perpetuitatem trahant: quum longe diverſa ſit ratio. Unus inter Apoſtolos ſummus fuit: nempe quia pauci erant numero. Si unus duodecim hominibus præfuit, an propterea conſequetur, unum debere centum millibus hominum præfici? Quod duodecim unum habuerint inter ſe qui omnes regeret, nihil mirum. Hoc enim fert natura, hoc hominum ingenium poſtulat, ut in quovis cœtu, etiamſi æquales ſint omnes poteſtate, unus tamen ſit veluti moderator, in quem alii reſpiciant. Nulla eſt curia ſine conſule, nullus conſeſſus judicum ſine prætore ſeu quæſtore, collegium nullum ſine præfecto, nulla ſine magiſtro ſocietas. Sic nihil abſurdi eſſet ſi fateremur Apoſtolos detuliſſe Petro talem primatum. Sed quod inter paucos valet, non protinus trahendum ad univerſum orbem terrarum, ad quem regendum nemo unus ſufficit. Atqui illud (inquiunt) non minus in naturæ univerſitate quam in ſingulis partibus locum habet, ut ſit unum ſummum omnium caput. Et hujus rei, ſi Deo placet, probationem ſumunt à gruibus & apibus, quæ ſibi ducem unum ſemper eligunt, non plures. Recipio ſane quæ proferunt exempla: ſed an ex toto orbe confluunt apes ut regem unum eligant? ſuis alvearibus contenti ſunt reges ſinguli. Ita in gruibus unaquæque caterva proprium regem habet. Quid inde aliud evincent quam ſingulis Eccleſiis debere ſuos Epiſcopos attribui? Ad civilia deinde exempla nos vocant. citant Homericum illud, Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, & quæ eodem ſenſu in monarchiæ commendationem leguntur apud profanos ſcriptores. Facilis eſt reſponſio. non enim hoc ſenſu vel ab Homerico Ulyſſe vel ab aliis laudatur monarchia, quaſi unus debeat totum orbem imperio regere: ſed indicare volunt, regnum duos non capere: & poteſtatem (ut ait ille) impatientem eſſe conſortis.

6. Argumentum, à ſimili ſeu exemplo.
Reſponſio, exemplum in Pontifices appoſite torquens.
7. Argumentum, à civilibus exemplis.
Reſponſio 1.
Lucan. lib. 1.

Reſponſio 2. gubernationem Politicam ab Eccleſiaſtica diſtinguens. In Eccleſia enim Chriſtus unicum caput viget & vivit, cujus politia diſertis verbis præſcripta omnes ſervos acquieſcere par eſt.

9. Verum ſit ſane, ut volunt, bonum atque utile, orbem totum monarchia contineri: quod eſt tamen abſurdiſſimum. ſed ita ſit: non tamen propterea concedam idipſum in Eccleſiæ gubernatione valere. Habet enim illa Chriſtum unicum ſuum caput, ſub cujus principatu omnes inter nos cohæremus, ſecundum eum ordinem & eam politiæ formam quam ipſe præſcripſit. Inſignem itaque injuriam Chriſto faciunt quum eo prætextu volunt hominem unum præeſſe Eccleſiæ univerſæ, quia hæc capite carere non poſſit. *Chriſtus enim caput eſt, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſura cujuſque membri, augmentum corporis facit.* Vides ut omnes mortales ſine exceptione in corpore collocet, honorem & nomen capitis relinquat uni Chriſto? Vides ut ſingulis membris tribuat certam menſuram, & finitam ac limitatam functionem: quo tum gratiæ perfectio, tum ſumma gubernandi poteſtas penes Chriſtum unum reſideat? Nec me latet quid cavillari ſoleant quum hoc illis objicitur, Chriſtum ſcilicet proprie vocari unicum caput, quia ſua auctoritate ſuoque nomine ſolus regnet: ſed iſtud nihil obſtare quominus ſub ipſo ſit alterum caput miniſteriale (ut loquuntur) quod ejus vices in terris gerat. Verum hoc cavillo nihil proficiunt, niſi prius oſtenderint hoc miniſterium à Chriſto eſſe ordinatum. Apoſtolus enim totam ſubminiſtrationem per membra diffuſam eſſe docet, virtutem ab uno illo cæleſti capite fluere. Aut, ſi quid volunt apertius, quum Scriptura teſtetur Chriſtum eſſe caput, & hunc ei ſoli honorem vindicet, non debet in alium transferri, niſi quem Chriſtus ipſe vicarium ſuum fecerit. Atqui non modo id nuſquam legitur, ſed refelli abunde ex multis locis poteſt.

Epheſ. 4. v. 15, 16.
8. Argumentum, de capite miniſteriali.
Reſponſio 1.
Eph. 1: 22. & 4: 15. & 5: 23. Col. 1: 18. & 2: 10.

Reſponſio 2.

10. Aliquoties vivam Eccleſiæ imaginem nobis

Paulus

Paulum in depingenda Eccleſia imagine capitis hujus miniſterialis nullam feciſſe mentionem.

Paulus depingit. De uno capite nulla illic mentio. Quin potius ex ejus deſcriptione colligere licet à Chriſti inſtitutione id eſſe alienum. Chriſtus aſcenſu ſuo viſibilem ſui præſentians nobis abſtulit: aſcendit tamen ut impleret omnia: nunc igitur ipſum adhue præſentem habet Eccleſia, & ſemper habitura eſt. Rationem qua ſe exhibet dum vult Paulus oſtendere, ad miniſteria quibus utitur nos revocat.

Eph. 4: 10. Epheſ. 4. v. 7. & 11.

In omnibus nobis (inquit) *eſt Dominus, ſecundum menſuram gratiæ quam unicuique membro contulit, Ideo conſtituit alios quidem Apoſtolos, alios vero Paſtores, alios Euangeliſtas, alios Doctores*, &c. Cur non dicit, unum omnibus præfeciſſe qui vices ſuas gereret? Id enim locus maxime poſtulabat, nec ullo modo debuit omitti, ſi verum eſſet. Chriſtus (inquit) nobis adeſt. Quomodo? Per miniſterium hominum, quos gubernandæ Eccleſiæ præfecit. Cur non potius, per caput miniſteriale, cui vices ſuas mandavit? Unitatem nominat: ſed in Deo & in Chriſti fide. Hominibus nihil tribuit niſi commune miniſterium, & unicuique modum particularem. Cur in illa commendatione unitatis, poſtquam dixerat *unum corpus, unum Spiritum, unam ſpem vocationis, unum Deum, unam fidem, unum Baptiſma*, non etiam continuo addidit, unum ſummum Pontificem qui Eccleſiam in unitate contineat? Nihil enim aptius dici poterat, ſi quidem ita res haberet. Expendatur diligenter locus ille: non dubium quin repræſentare illic penitus voluerit ſacrum & ſpirituale Eccleſiæ regimen, quod poſteri hierarchiam dixerunt. Monarchiam inter miniſtros non modo nullam ponit, ſed etiam indicat nullam eſſe. Non dubium eſt etiam quin modum conjunctionis exprimere voluerit, quo fideles cum Chriſto capite cohærent. Illie non modo nullum miniſteriale caput commemorat, ſed operationem ſingulis membris particularem attribuit, pro modo gratiæ unicuique diſtributæ. Nec eſt quod de comparatione cæleſtis & terrenæ hierarchiæ ſubtiliter philoſophentur: nam nec de illa tutum eſt ultra modum ſapere: & in hac conſtituenda non alium typum ſequi oportet quam Dominus ipſe ſuo verbo delineavit.

Eph. 4: 4.

Apoſtolum incogitantia & inſcitia labe aſpergunt Pontificii.

Reſponſio 3. Non conſequi, Rom. Pontificem eſſe caput miniſteriale, etiamſi Petro nomen hoc concederetur.

11. Jam ut alrerum illis largiar, quod nunquam apud ſanos homines obtinebunt, ſic conſtirutum in Petro Eccleſiæ primatum, ut perpetua ſucceſſione ſemper maneret: unde tamen evincent, ſedem Romæ ita collocatam, ut quicunque ſit urbis illius Epiſcopus, orbi univerſo præſideat? Quo jure hanc loco dignitatem alligant, quæ ſine loci mentione data eſt? Petrus, inquiunt, Romæ vixit & mortuus eſt. Quid Chriſtus ipſe? nonne Hieroſolymis functus eſt Epiſcopatu dum vixit, & moriendo ſacerdotii munus implevit? Princeps paſtorum, ſummus Epiſcopus, caput Eccleſiæ, non potuit honorem loco acquirere: Petrus longe ipſo inferior potuit? Nonne ſunt ineptiæ iſtæ magis quam pueriles? Chriſtus honorem primatus contulit Petro: Petrus Romæ ſedit: Ergo illie collocavit ſedem primatus. Nempe hac ratione ſedem primatus debuerunt olim Iſraëlitæ conſtituere in deſerto, ubi Moſes ſummus doctor & princeps Prophetarum miniſterio ſuo functus erat, & mortuus.

Exceptio, Petrus Romæ vixit & mortuus eſt, Ergo Romana Eccleſia Petri privilegio gaudet, diluitur.

Deut. 34. verſ. 5.

Reſp. qua ex adverſariorum hypotheſi Antiochena Eccleſia primatum deferendum eſſe probat.

12. Videamus tamen quam eleganter ratiocinentur. Petrus, inquiunt, principatum habuit inter Apoſtolos. Ergo Eccleſia in qua ſedit, hoc privilegii habere debet. Ubi autem primum ſedit? Antiochiæ, inquiunt. Ergo Antiochena Eccleſia primatum ſibi jure vendicat. Fatentur fuiſſe olim primam: ſed Petrum, inde migrando, Romam tranſtuliſſe quem ſecum honorem attulerat. Extat enim ſub nomine Marcelli Papæ ad Presbyteros Antiochenos epiſtola, ubi ſic loquitur, *Petri ſedes initio apud vos fuit, quæ poſtea, jubente Domino, huc tranſlata eſt.* Sie Antiochena Eccleſia, quæ olim prima erat, Romanæ ceſſit ſedi. Verum quo oraculo habuerat bonus ille vir, Dominum ſic juſſiſſe? Nam ſi jure definienda ſit hæc cauſa, neceſſe eſt reſpondeant, velintne privilegium hoc perſonale eſſe, an reale, an mixtum. Unum enim ex his tribus eſſe oportet. Si dixerint perſonale, nihil igitur ad locum: ſin reale, ergo ubi ſemel datum eſt loco, non adimitur propter perſonæ vel mortem, vel diſceſſum. Supereſt igitur ut mixtum eſſe dicant: tunc autem non ſimplex erit loci conſideratio, niſi perſona ſimul reſpondeat. Eligant quicquid volent, protinus inferam, & facile evincam, Romam nulla ratione primatum ſibi arrogare.

12. quæſt. 1. cap. Rogamus.

Altera reſp. dilemmatica.

Tertia reſp. Pontificios ad abſurda deducens.

13. Eſto tamen: translarus fuerit (ut nugantur) primatus Antiochia Romam. Cur tamen non retinuit Antiochia ſecundum locum? Nam ſi ideo primas habet Roma, quod illic uſque ad extremum vitæ ſedit Petrus: cui ſecundæ potius dabuntur quam ubi ſedem primam habuerat? Quî factum eſt igitur ut Antiochiam Alexandria præcederet? Quî convenit diſcipuli unius Eccleſiam ſuperiorem eſſe ſede Petri? Si cuique Eccleſiæ pro fundatoris ſui dignitate honor debetur, quid de reliquis etiam Eccleſiis dicemus? Paulus nominat tres qui videbantur columnæ eſſe, Jacobum, Petrum & Joannem: ſi in honorem Petri Romanæ ſedi primus locus tribuitur, nonne proximum & tertium merentur Epheſina & Hieroſolymitana, ubi ſederunt Joannes & Jacobus? Atqui inter Patriarchias ultimum locum habuit olim Hieroſolyma, Epheſus ne ultimo quidem angulo hærere potuit. Præteritæ ſunt & aliæ Eccleſiæ, tum quaſcunque fundavit Paulus, tum quibus alii Apoſtoli præfuerunt. Sedes Marci, qui unus tantum ex diſcipulis fuit, honorem adepta eſt. Aut præpoſterum illum ordinem fateantur fuiſſe: aut nobis concedant, non eſſe hoc perpetuum, ut cuique Eccleſiæ debeatur honoris gradus quem quiſque fundator habuit.

Gal. 2: 9.

Quarta reſp. Petrum non fuiſſe Epiſcopum Romanum evincens.

14. Quanquam quod de ſeſſione Petri in Romana Eccleſia referunt, non video quid fidei habere debeat. Certe quod eſt apud Euſebium, præfuiſſe illic viginti quinque annos, nullo negotio refellitur. Conſtat enim ex primo & ſecundo capite ad Galatas, circiter viginti annos à Chriſti morte fuiſſe Hieroſolymis, veniſſe deinde Antiochiam: ubi quamdiu fuerit incertum eſt. Gregorius ſeptem, Euſebius autem viginti quinque annos numerat. Atqui à morte Chriſti uſque ad finem imperii Neronis (ſub quo ipſum cæſum fuiſſe memorant) reperientur tantum triginta ſeptem anni. Paſſus enim eſt Dominus ſub Tiberio, anno imperii ejus decimo octavo. Si viginti annos decîdas, quibus habitaſſe Petrum Hieroſolymis teſtis eſt Paulus, reſtabunt ſeptendecim ad ſummum: quos nunc inter duos Epiſcopatus partiri oportet. Si diu Antiochiæ moratus eſt, non potuit Romæ ſedere, niſi per exiguum tempus. Quod ipſum clarius adhuc demonſtrare licet. Scripſit Paulus Romanis ex itinere, quum Hieroſolymam proficiſceretur, ubi captus fuit & Romam adductus. Veriſimile ergo eſt, epiſtolam hanc quadriennio ante ſcriptam eſſe, quam Romam veniret. Illie nulla adhuc Petri mentio: quæ minime omittenda erat, ſi Eccleſiam illam rexiſſet. Quin etiam in fine, dum longum piorum catalogum recitat quos ſalutari jubet, ubi ſcilicet omnes ſibi notos colligit, de Petro prorſus adhue ſilet. Neque hic longa aut ſubtili demonſtratione opus eſt apud ſanioris judicii homines: res enim ipſa & totum epiſtolæ argumentum clamat, non debuiſſe Petrum præterire, ſi Romæ fuiſſet.

Rom. 15. v. 15, 16.

Rom. 16. verſ. 1. & ſeqq.

Reſponſionis quartæ continuatio.

15. Adducitur deinde vinctus Romam. Exceptum fuiſſe à fratribus narrat Lucas. De Petro nihil. Scribit illinc ad multas Eccleſias. Alicubi etiam quorundam nomine ſalutationes adſcribit: non uno

Act. 28. verſ. 13.

verbo

verbo indicat, Petrum illic tunc fuiſſe. Cui obſecro credibile erit, ſilere potuiſſe, ſi adfuiſſet? Imo ad Philippenſes, ubi dixit neminem ſe habere qui ita fideliter curet opus Domini ut Timotheum, conqueritur *omnes quærere quæ ſua ſunt*. Et ad eundem Timotheum gravior eſt querimonia, quod *nullus illi adfuerit in prima defenſione, ſed omnes eum dereliquerint*. Ubi tunc igitur Petrus? Nam ſi Romæ fuiſſe aiunt, quantam illi ignominiam inurit Paulus, quod deſertor fuerit Euangelii? Siquidem de fidelibus loquitur: quia ſubjungit, *Deus illis non imputet*. Quamdiu igitur & quo tempore ſedem illam tenuit Petrus? At conſtans eſt ſcriptorum opinio, uſque ad mortem Eccleſiam illam gubernaſſe. At inter ipſos ſcriptores non conſtat quis fuerit ſucceſſor: quia alii Linum, alii Clementem faciunt. Et multas abſurdas fabulas narrant de diſputatione inter eum & Simonem magum habita. Nec diſſimulat Auguſtinus, de ſuperſtitionibus diſputans, ex opinione temere concepta morem Romæ inoleviſſe, ne eo die jejunarent quo palmam retulerat Petrus de Simone mago. Denique res illius temporis ita ſunt opinionum varietate implicitæ, ut non temere adhibenda ſit fides, ubi aliquid ſcriptum legimus. Et tamen propter hunc ſcriptorum conſenſum, non pugno quin illic mortuus fuerit: ſed Epiſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore, perſuaderi nequeo. Neque id etiam multum moror: quando teſtatur Paulus Petri Apoſtolatum peculiariter ad Judæos pertinere, ſuum vero ad nos. Proinde ut ſocietas illa quam inter ſe pacti ſunt, rata apud nos ſit, imo ut Spiritus ſancti ordinatio firma apud nos habeatur, in Pauli Apoſtolatum magis quam Petri reſpicere nos convenit: ſiquidem ita inter eos provincias diviſit Spiritus ſanctus, ut Petrum Judæis, nobis Paulum deſtinaret. Nunc itaque ſuum primatum alibi quærant Romanenſes quam in verbo Dei, ubi minime fundatus invenitur.

Phil. 2:20.
2 Tim. 4. verſ. 16.
Exceptio.
Reſponſio 1.
epiſt. 2. ad Januar.
Reſp. 2. per conceſſionem.
Reſp. 3. à conſideratione Apoſtolatus Petri.
Concluſio.

16. Veniamus nunc ad Eccleſiam veterem, ut palam quoque fiat, ejus ſuffragio non minus temere & falſo ſuperbire noſtros adverſarios, quam teſtimonio verbi Dei. Quum itaque ſuum illud axioma jactant, non aliter contineri Eccleſiæ unitatem poſſe quam ſi unum ſit in terris ſupremum caput, cui membra omnia pareant: ideoque Dominum Petro, & deinde ſucceſſionis jure ſedi Romanæ dediſſe primatum, ut in ea uſque ad finem reſideat: aſſerunt id fuiſſe ab initio ſemper obſervatum. Quoniam autem multa teſtimonia perperam detorquent, hoc primum præfari volo, me non negare quin magnum Romanæ Eccleſiæ honorem ubique deferant veteres, reverenterque de ea loquantur. Quod tribus maxime de cauſis fieri arbitror. Opinio enim illa, quæ neſcio quomodo invaluerat, fundatam & conſtitutam eam fuiſſe Petri miniſterio, ad conciliandam gratiam & auctoritatem plurimum valebat: itaque in Occidente ſedes Apoſtolica, honoris cauſa vocabatur. Deinde quum illic eſſet caput Imperii, & hac ratione credibile eſſet præſtantiores tum doctrina, tum prudentia, tum peritia, & multarum rerum uſu, viros illic eſſe quam alibi uſquam: ejus rei merito habebatur ratio, ne & Urbis nobilitas & alia etiam Dei dona multo excellentiora contemni viderentur. Acceſſit ad hæc & tertium; quod quum Orientales & Græcæ Eccleſiæ, Africanæ etiam, multis opinionum diſſenſionibus inter ſe tumultuarentur, hæc ſedatior aliis & minus turbulenta fuerit. Ita factum eſt, ut pii & ſancti Epiſcopi ſedibus ſuis pulſi, illuc ſe velut in aſylum aut portum quendam ſæpe reciperent. Nam quo minus acuto & celeri ingenio ſunt Occidentales Aſiaticis & Afris, eo etiam ſunt rerum novarum minus cupidi. Hoc ergo Romanæ Eccleſiæ plurimum addidit auctoritatis, quod non ita, dubiis illis temporibus, tumultuata eſt ut reliquæ, ac doctrinæ ſemel traditæ fuit aliis omnibus tenacior; quemadmodum melius ſtatim explicabimus. Has inquam tres ob cauſas non vulgari in honore habita fuit, & multis præclaris veterum teſtimoniis commendata.

9. Arg. Unitas Eccleſiæ aliter contineri non poteſt quam ſi unum ſit in terris ſupremum caput: quod veteres Romanum Epiſcopum eſſe agnoverunt.
Reſponſio 1. *tres cauſas proponens, propter quas veteres magnum honorem Eccleſiæ Romanæ detulerunt.*

17. Verum quum primatum inde & ſummam in alias Eccleſias poteſtatem ei aſtruere volunt noſtri adverſarii, nimis perperam (ut dixi) faciunt. Quod ut melius conſtet, primum breviter oſtendam quid de hac, quam tantopere urgent, unitate ſenſerint veteres. Hieronymus ad Nepotianum, poſtquam multa unitatis exempla recenſuit, deſcendit tandem ad Eccleſiaſticam hierarchiam. *Singuli*, inquit, *Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur.* Hic loquitur Romanus Presbyter, unitatem in ordine Eccleſiaſtico commendat: cur non commemorat, uno capite, tanquam vinculo, omnes inter ſe Eccleſias eſſe colligatas? Nihil erat quod præſenti cauſæ magis ſerviret: nec dici poteſt oblivione factum ut præterierit: nihil enim feciſſet libentius ſi res paſſa eſſet. Vidit itaque proculdubio, illam eſſe veram unitatis rationem quam Cyprianus pulcherrime deſcribit his verbis: *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur: & Eccleſia una eſt, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur. Quo modo multi radii ſunt Solis, & lumen unum: & rami arboris multi, robur autem unum, radice tenaci fundatum: & quo modo de fonte uno rivi plurimi defluunt, & numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur integra in origine: ſic & Eccleſia Domini luce perfuſa per totum orbem radios ſuos porrigit, unum lumen tamen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur: ramos ſuos per univerſum orbem extendit, perfluentes largiter rivos, unum tamen caput eſt & una origo*, &c. Deinde, *Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti: unam domum novit, unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit.* Vides ut Chriſti unius Epiſcopatum univerſalem faciat, qui totam ſub ſe Eccleſiam capiat: illius partes in ſolidum ab omnibus teneri dicat qui ſub hoc capite Epiſcopatu funguntur. Ubi primatus ſedis Romanæ, ſi penes Chriſtum ſolum integer reſidet Epiſcopatus, à ſingulis pars ejus in ſolidum tenetur? Hæc eo pertinent ut obiter intelligat lector, axioma illud quod Romanenſes pro confeſſo & indubio ſumunt, de unitate terreni capitis in hierarchia, veteribus fuiſſe prorſus ignotum.

Reſponſio 2. *de unitate Eccleſiæ quid ſenſerint veteres, nullum tamen primatum Eccleſiæ Romanæ in alias tribuentes: ſed hunc honorem uni Chriſto, univerſalis Eccleſiæ capiti, deferentes.*
de ſimpl. Prælatorum.

CAP. VII.

De exordio & incrementis Romani Papatus, donec ſe in hanc altitudinem extulit, qua & Eccleſiæ libertas oppreſſa, & omnis moderatio everſa fuit.

Partes hujus capitis quinque.

1. *Patriarchatus à ſynodo Nicena, deinde Chalcedonenſi Romano Epiſcopo tributus ac confirmatus, minimè tamen probatus à cæteris Epiſcopis, fuit Papatus initium, ſect. 1. 2. 3. & 4.*
2. *Deinde Romana Eccleſia pios exules, præſidii cauſa, impios etiam eo confugientes injuſto patrocinio fovens, iniquitatis myſterio dedit incrementum: tametſi tunc neque ordinatio Epiſcoporum, neque admonitiones vel cenſuræ, neque jus convocandi Synodos, neque jus audiendarum appellationum ad Epiſcopos Romanos pertineret, & à Gregorio profana iſtorum πολυπραγμοσύνη damnaretur, à ſect. 5. uſque ad 14.*
3. *Sequuta ſunt certamina poſt Taurinenſe concilium de Metropolitanorum auctoritate, & turpes illæ conflictationes inter Conſtantinopolitanum & Romanum Patriarchas, quibus rixis impurus latro Phocas, Bonifacio procurante, finem impoſuit, ſect. 14. 15. 16. 17. 18.*
4. *Bonifacii malis artibus ſucceſſerunt horrendæ fraudes à recentioribus excogitatæ, & à veteribus, Gregorio præſertim ac Bernardo, expreſſis verbis damnatæ, ſect. 19. 20. 21. & 22.*
5. *Tandem numeris ſuis abſolutus prodiit Papatus Antichriſti ſedes, cujus ſedis impietas, execranda tyrannis, & ſcelerata capita vivis coloribus depinguntur, à 23. ſectione uſque ad finem capitis.*

Prima pars capitis, qua Papatus Romani exordium detegitur in ſynodo Nicena, ubi tamen primum locum minime obtinet.

QUantum ad primatus ſedis Rnmanæ vetuſtatem, nihil ad eam ſtabiliendam habetur antiquius decreto illn ſynodi Nicenæ, quo & primus inter Patriarchas tribuitur locus Romano Epiſcopo, & ſuburbanas Eccleſias jubetur curare. Ubi Concilium ſic inter ipſum & alios Patriarchas dividit, ut ſingulis ſuos fines aſſignet: certe nnn eum conſtituit omnium caput, ſed unum ex præcipuis facit. Aderant Vitus & Vincentius Julii nomine, qui Romanam Eccleſiam tunc gubernabat: iis datus eſt quartus locus. Obſecro, ſi caput Eccleſiæ agnoſceretur Julius, an in quartam ſedem rejicerentur ejus legati? An præſideret Athanaſius in Concilio, ubi maxime elucere debet effigies nrdinis hierarchici? In ſynodo Epheſina apparet Cæleſtinum, (qui tunc Pontifex erat Romanus) obliquo artificio uſum eſſe ut ſedis ſuæ dignitati caveret. Nam quum mitteret illuc ſuos, Cyrillo Alexandrino, qui alioqui præfuturus erat, vices ſuas mandavit. Quorſum iſtud mandatum, niſi ut quovis modo nomen ſuum in prima ſede hæreret? Sedent enim ejus legati loco inferinre, ſententiam inter alios rogantur, ſuo ordine ſubſcribunt: interim Alexandrinus Patriarcha nomen ejus ſuo admiſcet. Quid dicam de concilio Epheſino ſecundo: ubi quum adeſſent Leonis legati, Alexandrinus tamen Patriarcha Dinſcorus velut ſuo jure præſidebat? Excipient, non fuiſſe nrthodnxum Concilium à quo ſanctus vir Flavianus damnatus, & Eutyches abſolutus, ejuſque impietas comprobata. At quum Synodus cogeretur, quum ſeſſiones inter ſe Epiſcopi diſtribuerent: illic certe inter alios Romanæ Eccleſiæ legati nnn aliter quam in ſancto & legitimn Concilio ſedebant. Non contendunt tamen de primo locn, ſed eum alteri cedunt: nequaquam id facturi ſi ſuum jure eſſe crederent. Nunquam enim puduit Romanos Epiſcopos maximas quaſque contentiones pro ſuis honoribus ſuſcipere, & hanc ſnlam nb cauſam multis ſæpe & pernicioſis certaminibus vexare & turbare Eccleſiam: ſed quia videbat Leo nimis improbum fore poſtulatum ſi legatis ſuis primam ſedem ambiret, eo ſuperſedit.

Imo in Conciliis ſequentibus alii Epiſcopi primas tenuerunt.

Exceptionis dilutio.

Nec tunc de prima ſede litem movere auſi ſunt.

2. Sequutum eſt Chalcedonenſe concilium, in quo primam ſedem Imperatoris conceſſione occuparunt Romanæ Eccleſiæ legati. Sed hoc fuiſſe extraordinarium privilegium Leo ipſe confitetur: nam quum id petit à Marciano Imperatore, & Pulcheria Auguſta, non contendit ſibi deberi, ſed tantum prætexit, Orientales, qui Epheſinn concilio præfuerant, turbaſſe tunc omnia, & ſua poteſtate male abuſos. Quum itaque gravi moderatore opus eſſet, nec eſſet veriſimile, eos qui tam leves & tumultuarii ſemel fuiſſent, ad hanc rem fore idoneos, rogat ut propter aliorum vitium & ineptitudinem, gubernandi vices ad ſe transferantur. Quod ſingulari privilegio & extra ordinem petitur, non eſt certe ex communi lege. Ubi hoc tantum prætexitur, opus eſſe novn alio præſide, quia ſe male geſſerant priores: conſtat neque ante fuiſſe factum, neque perpetuum eſſe debere: ſed præſentis duntaxat periculi intuitu fieri. Primum igitur locum habet in Chalcedonenſi concilin Pontifex Romanus, non quod ſedi hoc debeatur, ſed quia Synodus gravi & apto moderatore deſtituitur, dum ii quos præeſſe decuerat, per ſuam intemperiem & libidinem ſeſe loco excludunt. Atque id quod dicn ſucceſſor Leonis reipſa comprobavit. Siquidem quum ad quintam Synodum Conſtantinnpolitanam, quæ lnngo poſt tempore eſt habita, legatos ſuos mitteret, non rixatus eſt de prima ſede, ſed Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum præſidere facile paſſus eſt. Ita in cnncilio Carthaginenſi, cui interfuit Auguſtinus, videmus non legatos Rom ſedis, ſed Aurelium loci Archiepiſcopum præfuiſſe: quum tamen lis eſſet de Rom. Pntificis auctoritate. Quin etiam habitum in ipſa Italia fuit Concilium univerſale, cui Rnm. Epiſcopus nnn interfuit. Præerat Ambroſius, qui tunc inſigni auctoritate pollebat apud Cæſarem: nulla illic Pontificis Romani fit mentio. Ergo tunc Ambroſii dignitate factum eſt ut illuſtrior eſſet Mediolanenſis ſedes quam Romana.

Etſi autem in Chalcedonenſi primum locum occuparunt, id extraordinaria ratione factum eſt.

Nec à ſucceſſoribus in aliis Conciliis eſt impetratum.

Aquileienſe concilium.

3. Quantum ad ipſum titulum primatus, & alios ſuperbiæ titulos, quibus nunc mirabiliter ſe jactat, non eſt difficile judicare quando & qualiter obrepſerint. Cyprianus ſæpe meminit Cornelii: non alio nomine ipſum inſignit quam fratris, aut coëpiſcopi, aut cnllegæ. Ad Stephanum vero quum ſcribit, Cornelii ſucceſſorem, non modo eum ſibi & reliquis æqualem facit, ſed durius etiam compellat, nunc arrogantiam, nunc inſcitiam ei objiciens. Poſt Cyprianum habemus quid de ea recenſuerit tota Eccleſia Africana. Vetuit enim concilium Carthaginenſe nequis *Princeps Sacerdotum* vocaretur, aut *primus Epiſcopus: ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus.* Quod ſi vetuſtiora monumenta quis evolvat, reperiet communi fratris appellatione contentum tunc fuiſſe Rom. Epiſcopum. Certe quamdiu duravit Eccleſiæ vera & pura facies, iſta nmnia ſuperbiæ nomina, quibus inſoleſcere poſtea cœpit Romana ſedes, prorſus erant inaudita: quid eſſet ſummus Pntifex, & unicum Eccleſiæ in terris caput, neſciebatur. Quod ſi tale quid ſumere ſibi auſus fuiſſet Romanus Epiſcopus, erant cordati viri qui mox ejus ſtultitiam reprimerent. Hieronymus quum Romanus eſſet Presbyter, non malignus fuit in prædi-

Nec primatus titulo Rom. Epiſcop. dignati ſunt antiqui Patres.

libr. 2. epiſt. 2. & libr. 4. epiſt. 6.

Can. 47.

prædicanda Eccleſiæ ſuæ dignitate, quantum res & temporum ſtatus patiebantur: videmus tamen qualiter ipſam quoque in ordinem redigat. *Si auctoritas quæritur*, inquie, *orbis major eſt urbe. Quid mihi profers unius urbis conſuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas? Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ejuſdem meriti eſt & ejuſdem ſacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas ſuperiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit.*

in epiſt. ad Evagrium.

Contra, Gregorius, cognomine Magnus, hunc titulum fortiter impugnavit, quum Epiſcopus Conſtantinop. eum ambiret: nec eum ſibimetipſi, propria ſedis jure, vendicavit.

4. De titulo univerſalis Epiſcopi, Gregorii demum tempore exorta eſt contentio: cui occaſionem præbuit ambitio Joannis Conſtantinopolitani. Ille enim (quod uemo unquam alius tentaverat) ſeſe volebat facere univerſalem. In ea contentione non cauſatur Gregorius ſibi jus adimi quod io ſe competeret: ſed fortiter reclamat, appellationem eſſe profanam, imo ſacrilegam, imo Antichriſti prænunciam. *Corruit univerſa Eccleſia à ſtatu ſuo*, inquit, *ſi is qui univerſalis dicitur cadit.* Alibi, *Triſte valde eſt patienter ferre, ut omnibus deſpectis, frater & coëpiſcopus noſter ſolus nominetur Epiſcopus. Sed in hac ejus ſuperbia quid aliud niſi propinqua jam eſſe Antichriſti tempora deſignatur? Quia illum videlicet imitatur qui ſpreta Angelorum ſocietate, aſcendere conatus eſt culmen ſingularitatis.* Alibi Eulogio Alexandrino, & Anaſtaſio Antiocheno: *Nullus unquam deceſſorum meorum hoc profano vocabulo uti voluit: quia videlicet ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc à Chriſtiana mente, id ſibi velle quempiam arrogare, unde fratrum ſuorum honorem ex quantulacunque parte imminuat. In iſto ſceleſto vocabulo conſentire, nihil aliud quam fidem perdere eſt. Aliud eſt*, ioquit, *quod conſervandæ unitati fides, aliud quod debemus comprimendæ elationi. Ego autem fidenter dico quia quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit: quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit.* Item rurſum Anaſtaſio Alexandrino, *Dixi pacem nobiſcum habere non poſſe, niſi elationem ſuperſtitioſi ac ſuperbi vocabuli corrigeret, quam primus Apoſtata invenit: atque (ut de honoris veſtri injuria taceam) ſi unus Epiſcopus vocatur univerſalis, univerſa Eccleſia corruit ubi ille univerſus cadit.* Quod autem ſcribit, oblatum fuiſſe Leooi hunc honorem in ſynodo Chalcedonenſi, nullam habet veri ſpeciem: nec enim tale quippiam in actis illius Syoodi legitur. Et Leo ipſe, qui multis epiſtolis decretum illic in honorem Conſtantinopolitanæ ſedis factum impugnat, non præteriiſſet proculdubio hoc argumentum quod erat omnium maxime plauſibile, ſi verum fuiſſet, ipſum repudiaſſe quod ſibi dabatur: & homo alioqui honoris plus ſatis cupidus noo libenter omiſiſſet quod ad ſuam laudem faceret. Falſus eſt igitur in eo Gregorius quod titulum illum putavit ſedi Romanæ fuiſſe delatum à ſynodo Chalcedonenſi: ut taceam ridiculum eſſe quod à ſancta Synodo profectum teſtatur, & ſimul ſceleſtum, profanum, nefandum, ſuperbum & ſacrilegum nuncupat: imo à diabolo excogitatum, & ab Antichriſti præcone publicatum. Et tamen ſubjungit, præceſſorem ſuum recuſaſſe, ne dum privatim aliquid daretur uni, ſacerdotes honore debito privarentur univerſi. Alibi, *Nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit: ne ſi in Pontificatus gradu ſibi gloriam ſingularitatis arriperet, hanc fratribus omnibus denegaſſe videretur.*

lib. 4. epiſt. 76. Mauric. Auguſt. Conſtant. Auguſt. epiſt. 78. ejuſd. libr. ejuſd. libr. epiſt. 80. Aviano Dia. epiſt. 78. ejuſd. lib. Mauricio Auguſt. epiſt. 154 libr. 7.

libr. 6. epiſt. 188.

Quamvis Conſtantinopolitanum ejeciſſe videtur, ut Romanus ſedem conſortis impatientem pararet, non ſine horrendo Dei judicio in Occidentis Eccleſias.

libr. 4. epiſt. 76. ad Maur. Eulogio, ſupra & epiſt. 76. lib. 7. Euſeb. epiſt. Theſſal.

Pars ſecunda, ambitionem Romanæ ſedis, ut primatum ſibi acquireret, aperiens.

5. Veoio nunc ad juriſdictionem quam ſioe controverſia ſe habere in omnes Eccleſias Pontifex Romaous aſſerit. Scio quantæ fuerint olim de hac diſceptationes: nullum enim fuit tempus quo non Romana ſedes imperium in alias Eccleſias appetiverit. Atque hoc loco oon erit intempeſtivum, quibus modis ſenſim tunc emerſerit ad aliquam potentiam, inveſtigare. Nondum de hoc infinito imperio loquor, quod non ita pridem ſibi arripuit: nam id in ſuum locum differemus: verum hic paucis indicare operæpretium eſt qualiter olim & quibus rationibus ſeſe extulerit, ut aliquid juris ſibi io alias Eccleſias ſumeret. Quum Orientales Eccleſiæ diviſæ eſſent ac turbatæ Arrianorum factionibus, ſub Conſtantio & Conſtante Cæſaribus, Conſtaotini Magni filiis, ac ſede ſua pulſus eſſet Athanaſius fidei orthodoxæ præcipuus illic defenſor: ejuſmodi calamitas ipſum Romam venire coëgit, ut Romanæ ſedis auctoritate tum hoſtium ſuorum rabiem utcunque reprimeret, tum pios laborantes confirmaret. Suſceptus eſt ipſe honorifica à Julio tunc Epiſcopo, ac obtiouit ut cauſæ ſuæ defenſionem Occidentales ſuſciperent. Quum ergo pii externo præſidio magnopere indigerent, in Romana autem Eccleſia cernereot ſibi optimum eſſe præſidium, libenter ei defetebant quam plurimum poterant auctoritatis. Verum id totum nihil aliud erat, niſi ut magni æſtimaretur ejus communio, ab ea autem excommunicari ignominioſum duceretur. Poſtea mali & improbi multum ipſi quoque addiderunt, nam ut legitima judicia effugerent, ad hoc aſylum ſe conferebant. Itaque ſiquis Presbyter à ſuo Epiſcopo, ſiquis Epiſcopus à Synodo ſuæ provinciæ damnatus erat, ſtatim provocabant Romam. Et has appellationes Romaoi Epiſcopi cupidius quam par erat recipiebaot: quod videbatur eſſe ſpecies extraordinariæ poteſtatis, ſe longe lateque ita negotiis interponere. Sic quum Euryches à Flaviano Conſtantinopolitano damoatus eſſet, apud Leonem cooqueſtus eſt, factam ſibi eſſe injuriam. Ille nihil moratus, patrocinium malæ cauſæ oon minus temere quam ſubito ſuſcepit: in Flavianum graviter invectus eſt, quaſi iocognita cauſa hominem innoxium damnaſſet. atque hac ſua ambitione effecit ut Eutychiana impietas ſpatio temporis ſe confirmaret. In Africa id ſæpius accidiſſe conſtat: ſimul enim ac oebulo quiſpiam in ordinario judicio ſuccubuerat, advolabat Romam, multis calumniis ſuos gravabat: Romaoa autem ſedes interponere ſe ſemper erat parata. Quæ improbitas coëgit Africanos Epiſcopos ſancite oequis ſub pœna excommunicationis ultra mare provocaret.

Pios exules honorifice excipiendo.

Horum provocationes & hæreticorum etiam querelas audiendo.

Quam ambitionem Eccleſia Africana obſtiterunt.

6. Quicquid tamen fuerit, inſpiciamus quid juris aut poteſtatis habuerit tunc Romana ſedes. Continetur autem poteſtas Eccleſiaſtica his quatuor capitibus, Ordinatione Epiſcoporum, Conciliorum indictione, Audiendis appellatiooibus, aut juriſdictione, Monitionibus caſtigatoriis, aut cenſuris. Ordinari Epiſcopos à ſuis Metropolitis jubent omnes veteres Synodi: nuſquam advocari Romanum Epiſcopum jubent, niſi io ſua Patriarchia. Senſim autem mos obtinuit ut Italici Epiſcopi ad petendam conſecrationem omnes Romam venirent, exceptis Metropolitis, qui ſe in hanc ſervitutem redigi paſſi noo ſunt: ſed quum ordinandus erat aliquis Metropolita, mittebat illuc unum ex ſuis Presbyteris Romanus Epiſcopus, qui tantum adeſſet, non autem præeſſet. Cujus rei exemplum extat apud Gregorium in conſecratione Conſtantii Mediolaneoſis, poſt Laurentii obitum. Quanquam non puto illud fuiſſe vetuſtiſſimum inſtitutum: ſed quum honoris & benevoleotiæ cauſa initio mitterent & ultro & citro legatos, qui teſtes forent ordinationis, ad communionem teſtandam: quod voluntarium erat, pro neceſſario haberi poſtea cœpit. Utcunque ſit, conſtat ordinandi poteſtatem non fuiſſe olim Romano Epiſcopo niſi in provincia ſuæ Patriarchiæ, hoc eſt, in Eccleſiis ſuburbicariis, ut canon ſynodi Nicenæ loquitur. Ordinationi annexa erat epiſtolæ ſynodicæ miſſio, iu qua nihilo ſuperior erat aliis. Solebaot Patriarchæ ſtatim poſt

Interim poteſtate Eccleſiaſtica in ordinandis Epiſcopis, indicendis Conciliis, decidendis controverſiis, caſtigandis contradicentibus, Epiſcopi Romani niſi in ſua Patriarchia fruebantur.

libr. 2. epiſt 68. & 70.

ſuam

ſuam conſecrationem ſolenni ſcripto fidem ſuam conſignare, qua profitebantur ſe ſanctis & orthodoxis Conciliis ſubſcribere. Ita, reddita fidei ſuæ ratione, mutuo ſe alii aliis approbabant. Si hanc confeſſionem recepiſſet ab aliis Romanus Epiſcopus, & non dediſſet, eo fuiſſet agnitus ſuperior: ſed quum oportuerit non minus dare quam ab aliis exigere, & communi legi eſſe ſubjectum, certe ſocietatis ſignum id fuit, non dominii. Ejus rei exemplum habetur in epiſtola Gregorii ad Anaſtaſium & Cyriacum Conſtantinopolitanum, & alibi ad omnes ſimul Patriarchas.

lib. 1. epiſt. 24. & 25. item lib. 6. epiſt. 169.

Siquos enim caſtigarunt admonitionibus, ab iiſdem aut aliis Epiſcopis graviter correpti ſunt.

7. Sequuntur admonitiones vel cenſuræ, quibus ut olim uſi ſunt Romani Epiſcopi erga alios, ſic eas viciſſim pertulerunt. Irenæus Victorem graviter corripuit, quod temere ob rem nihili pernicioſo diſſidio turbaret Eccleſiam. Paruit ille, non reclamavit. Ea libertas tunc uſitata fuit ſanctis Epiſcopis, ut fraterno jure uterentur in Romanum Præſulem, admonendo & caſtigando, ſiquando peccaret. Ille viciſſim, ubi res poſtulabat, alios admonebat officii, & ſiquid erat vitii reprehendebat. Nam Cyprianus, quum Stephanum hortatur ut moneat Galliæ Epiſcopos, non ſumit argumentum ex ampliori poteſtate, ſed ex communi jure quod habent inter ſe Sacerdotes. Quæſo, ſi Galliæ tunc præfuiſſet Stephanus, annon dicturus erat Cyprianus, Coërceas iſtos, quia tui ſunt? ſed longe aliter loquitur, *Hoc fraterna* (inquit) *ſocietas, qua inter nos devincti ſumus, requirit, ut mutuo moneamus.* Et videmus etiam quanta verborum acerbitate vir alioqui manſueti ingenii in ipſum Stephanum invehatur, ubi nimis eum inſoleſcere exiſtimat. Ergo hac etiam in parte nondum apparet ulla juriſdictione præditum fuiſſe Romanum Epiſcopum adverſus eos qui ſuæ provinciæ non eſſent.

epiſt. 13. lib. 3.

ad Pompeium contra epiſt. Stephani.

Neque jus convocandi provinciales Synodos obtinuerunt, præterquam in ſuis finibus. Concilii univerſalis indictio ad ſolum Imperatorem pertinebat.

8. Quantum ad Synodos convocandas, hoc erat Metropolitæ cujuſque officium, ut provincialem Synodum ſtatis temporibus cogeret: illic nihil juris habuit Romanus Epiſcopus. Univerſale autem Concilium indicere ſolus Imperator poterat. Siquis enim Epiſcoporum hoc tentaſſet, non modo vocationi non paruiſſent qui extra provinciam erant, ſed tumultus ſtatim exortus eſſet. Ergo Imperator omnibus ex æquo ut adeſſent denunciabat. Refert quidem Socrates Julium cum Orientalibus Epiſcopis expoſtulaſſe, quod ſe ad ſynodum Antiochenam non vocaſſent, quum vetitum eſſet Canonibus ſine Romani Pontificis conſcientia quidpiam decerni. Sed quis non videt hoc de iis decretis intelligendum quæ univerſam Eccleſiam obſtringunt? Porro nihil mirum ſi cum urbis antiquitati & amplitudini, tum ſedis dignitati id datur ne abſente Romano Epiſcopo univerſale de religione decretum fiat, ſi quidem intereſſe non recuſet. Verum quid hoc ad totius Eccleſiæ dominium? Neque enim unum ex præcipuis fuiſſe negamus: ſed recipere nolumus quod nunc contendunt Romanenſes, habuiſſe in omnes imperium.

Tripart. hiſt. lib. 4.

Nec Romanum tribunal alii Epiſcopi agnoverunt.

9. Supereſt quarta ſpecies poteſtatis, quæ appellationibus conſtat. Summum imperium penes eum eſſe conſtat ad cujus tribunal provocatur. Multi ſæpe Romanum Pontificem appellarunt: ipſe quoque cauſarum cognitionem ad ſe trahere conatus eſt: ſed ſemper fuit deriſus, quoties ſuos fines exceſſit. Nihil dicam de Oriente aut Græcia: ſed conſtat Galliæ Epiſcopos fortiter reſtitiſſe quum ſibi imperium in eos ſumere videretur. In Africa diu fuit de ea re diſceptatum: nam quum in Milevitano concilio, ubi aderat Auguſtinus, excommunicati eſſent qui provocarent ultra mare, conatus eſt Romanus Pontifex efficere ut id decretum corrigeretur. Legatos miſit qui id privilegii ſibi à Niceno concilio datum eſſe oſtenderent. Proferebant legati acta Niceni concilii, quæ ex Eccleſiæ ſuæ armario ſumpſerant. Reſtiterunt Africani, negaruntque fidem Romano Epiſcopo habendam eſſe in cauſa propria: proinde ſe Conſtantinopolim miſſuros, & in alias Græciæ urbes, ubi exemplaria minus ſuſpecta haberentur. Compertum eſt nihil illic tale ſcriptum quale obtenderant Romani. Ita ratum fuit decretum illud quod Rom. Pontifici ſummam cognitionem abrogaverat. Qua in re flagitioſa ipſius Romani Pontificis impudentia apparuit: nam quum fraude Sardicenſem ſynodum pro Nicena ſuppoſuiſſet, turpiter in manifeſta falſitate deprehenſus fuit. Sed major etiamnum ac impudentior fuit eorum nequitia qui fictitiam epiſtolam ad Concilium addiderunt, qua neſcio quis Epiſcopus Carthaginenſis, Aurelii deceſſoris ſui arrogantiam damnans quod à ſedis Apoſtolicæ obedientia ſubducere ſe auſus eſſet, ac ſui ſuæque Eccleſiæ deditionem faciens, ſuppliciter veniam precatur. Hæc ſunt egregia vetuſtatis monumenta, quibus fundata eſt Romanæ ſedis majeſtas: dum ita pueriliter ſub prætextu antiquitatis mentiuntur, ut vel cæci palpare queant. *Aurelius*, inquit, *diabolica audacia & contumacia elatus, Chriſto & ſancto Petro rebellis fuit: proinde anathemate damnandus.* Quid Auguſtinus? Quid vero tot Patres qui Milevitano concilio interfuerunt? Sed quid opus eſt inſulſum illud ſcriptum multis verbis refellere, quod ne ipſi quidem Romanenſes, ſiquid frontis habent reliquum, ſine magno pudore inſpicere poſſint? Sic Gratianus, malitiane an inſcitia neſcio, ubi decretum illud retulit, Ut communione priventur qui trans mare provocaverint, adjungit exceptionem, Niſi forte Romanam ſedem appellarint. Quid facias iſtis beſtiis, quæ adeo ſenſu communi carent, ut illud unum à lege excipiant, cujus cauſa legem eſſe poſitam nemo non videt? Siquidem Concilium, quum tranſmarinas appellationes damnat, hoc tantum prohibet ne quis Romam provocet. Hic bonus interpres Romam à communi lege excipit.

Imo ei fortiter Galliæ Epiſcopi reſtiterunt. Reſtiterunt & Africani.

vid. 1. volum. Concil.

Detecta Romani Pontificis impudentia & repetita falſitate.

Gratiani item inſulſa exceptione.

2 quæſt. 4. cap. Placuit.

10. Verum (ut ſemel quæſtionem hanc finiamus) qualis olim fuerit Romani Epiſcopi juriſdictio, una hiſtoria palam faciet. Accuſaverat Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum Donatus à caſis nigris. Damnatus fuerat reus indicta cauſa. Nam quum ſciret conjurationem contra ſe ab Epiſcopis factam, comparere noluit. Ventum inde eſt ad Conſtantinum Imperatorem. Ille quum vellet cauſam Eccleſiaſtico judicio finiri, cognitionem mandavit Melciadi Romano Epiſcopo, cui addidit collegas nonnullos ex Italia, ex Gallia, ex Hiſpania Epiſcopos. Si id erat ex ordinaria Romanæ ſedis juriſdictione, audire appellationem in cauſa Eccleſiaſtica, cur alios ſibi adjungi patitur Imperatoris arbitrio? imo cur ipſe juſſu magis Imperatoris quam ex officio ſuo ſuſcipit judicium? Sed audiamus quid poſtea contigerit. Vincit illic Cæcilianus, Donatus à caſis nigris cadit actione calumnioſa: provocat. Conſtantinus appellationis judicium demandat Epiſcopo Arelatenſi: ſedet ille judex, ut poſt Rom. Pontificem quod viſum fuerit pronunciet. Si Romana ſedes ſummam habet poteſtatem ſine provocatione: cur ſibi tam inſignem ignominiam irrogari patitur Melciades, ut ſibi Epiſcopus Arelatenſis præferatur? Et quis Imperator hoc facit? Conſtantinus ſcilicet, quem jactant non modo omne ſuum ſtudium, ſed omnes fere Imperii opes contuliſſe ad amplificandam ſedis ſuæ dignitatem. Videmus ergo jam quantum modis omnibus abfuerit tunc Romanus Pontifex ab illa ſuprema dominatione quam ſibi in omnes Eccleſias datam eſſe à Chriſto aſſerit, & quam ſeculis omnibus ſe totius orbis conſenſu obtinuiſſe mentitur.

Juriſdictionem porro in alias Eccleſias aut cauſas Epiſcopum Romanum minime habuiſſe, ex probata hiſtoria liquet.

Auguſtin. epiſt. 162. in brevi collat. contra Donat. & alibi.

11. Scio quam multæ ſint epiſtolæ, quam multa reſcripta & edicta, quibus Pontifices ei nihil non

Nec Papatus uſurpa-

tam in alias Eccleſias hac ex parte tyrannidem juvans Rom. Pontificum decretales epiſtolæ, quarum vanitas & ambitio detegitur.

diſt. 22. cap. Sacroſancta.

tribuunt & confideoter vendicaot. Sed hoc quoque omnes, qui vel minimum habent ingenii & doctrinæ, ſciunt, ita inſulſa eſſe pleraque ex ipſis ut primo guſtu facile ſit deprehendere ex qua officina prodieriot. Quis enim ſanus ac ſobrius Anacleti eſſe putet egregiam illam ioterpretationem, quæ ſub Anacleti nomine in Gratiano refertur, nempe quod Cephas ſit caput? Plurimis ejus farinæ nugis, quas ſine judicio conſarcinavit Gratianus, Romanenſes bodie contra nos abutuotur ad ſedis ſuæ defenſionem: & tales fumos, quibus imperitos olim in tenebris ludebant, adhuc in tanta luce vendere volunt. Sed ego multum operæ ponere in iis refellendis noln, quæ ſeipſa propter nimiam inſulſitatem palam refellunt. Fateor extare etiam veras epiſtolas priſcorum Pontificum, quibus ſedis ſuæ amplitudinem magnificis elogiis venditant: quales ſunt aliquæ Leonis. Fuit enim vir ille, ut eruditus ac facundus, ita gloriæ & dominationis ſupra modum cupidus: ſed an Eccleſiæ fidem tunc babuerint ejus teſtimooio, dum ita ſe extollit, id vero eſt quod quæritur.

v. epiſt. 85. epiſt. 83.

Apparet autem multos ejus ambitione nffenſos, ejus quoque cupiditati reſtitiſſe. Alicubi vices ſuas Theſſalnnicenſi Epiſcopo demandat per Græciam & alias regiones vicinas: alibi Arelatenſi, aut alteri cuipiam per Gallias. Sic Hormiſdam Epiſcopum Hiſpalenſem vicarium ſuum per Hiſpanias conſtituit: ſed ubique excipit, ea lege ſe dare ejuſmodi mandata ut ſalva & iotegra maneant antiqua privilegia Metropolitis. Atqui hoc unum eſſe ex illis privilegiis declarat Leo ipſe, ut ſiqua de re inciderit dubitatio, Metropolitanus

epiſt. 89.

primo loco conſulatur. Hac ergo conditione erant iſtæ vices, ne aut Epiſcopus quiſpiam in ordinaria ſua juriſdictione, aut Metropolita in cognoſcendis appellationibus, aut provinciale Concilium in cooſtituendis Eccleſiis impediretur. Hoc autem quid aliud erat quam omni juriſdictione abſtinere: ſed ſe ad ſedandas diſcordias interponere, duntaxat quantum fert lex & natura Eccleſiaſticæ communionis?

Et licet Gregorii ſeculo aucta eſſet Rom. Epiſcopi auctoritas, ea tamen non alio tendebat quam ut alios Epiſcopos juvaret, & quidem Imperatoris mandato, ac Epiſcopis ipſis aſſentientibus.

12. Gregorii tempore jam multum mutata erat priſca illa ratio. Convulſo enim ac lacerato Imperio, quum Galliæ & Hiſpaniæ multis ſubinde acceptis cladibus afflictæ eſſent, vaſtatum Illyricum, vexata eſſet Italia, Africa vero aſſiduis calamitatibus fere perdita: quo in tanta rerum civilium cnnvulſinne fidei ſaltem iotegritas maneret, aut certe non prorſus interiret, omnes uodique Epiſcopi ſe ad Romanum Pontificem magis adjunxeruot. Eo factum eſt ut ſedis non modo dignitas, ſed etiam potentia vehementer creſceret. Quanquam non adeo moror quibus rationibus id factum ſit. Majorem certe tunc fuiſſe conſtat quam ſuperioribus ſeculis. Et tamen multum intereſt quin fuerit effrenis dominatio, ut imperare uous aliis pro ſua libidine potuerit. Sed hanc reverentiam babebat ſedes Romana ut improbos & cootumaces, qui à ſuis collegis io officio contineri non poterant, ſua auctoritate compeſceret ac reprimeret: ſiquidem

ad Mediolan. clerum, epiſt. 68. lib. 2. ad Dominicum Carthag. Epiſcopum, epiſt. ult. libr. 2. epiſt. 64. libr. 7.

boc diligenter ſubinde teſtatur Gregorius, ſe non mious fideliter ſervare aliis eorum jura, quam ab aliis ipſe ſua requirat. *Nec ulli*, ioquit, *quod ſui juris eſt, ambitu ſtimulante derogo: ſed fratres meos per omnia bonorare cupio.* Nulla eſt vox in ejus ſcriptis, qua ſuperbius jactet primatus ſui amplitudinem quam iſta, *Neſcio quis Epiſcopus non ſubjectus ſit ſedi Apoſtolicæ, ubi in culpa invenitur.* Continuo tameo ſubjungit, *Ubi culpa non exigit, omnes ſecundum rationem bumilitatis æquales ſunt.* Tribuit ſibi jus corrigendi eos qui peccarunt: ſi omnes faciunt officium, aliis ſe parem facit. Atque ipſe quidem id juris ſibi tribuit: aſſentiebantur autem qui volebant: aliis autem quibus non placebat, licebat impune reclamare. quod feciſſe etiam pleroſque notum eſt. Adde quod illic de Primate Byzanceno loquitur: qui quum eſſet à provinciali Synodn damnatus, repudiaverat totum judicium. Hanc bominis contumaciam ad Imperatorem detulerant ejus collegæ. Imperator Gregorium cognitorem eſſe voluerat. Videmus ergo eum oec tentare aliquid, quo violet nrdinariam juriſdictionem, & id ipſum quod facit, ut aliis ſit ſubſidio, noonisi mandato Imperatoris facere.

Præterea, quamvis Romanus Epiſcopus alios ut fratres alloqueretur, nec eos ſolus judicaret, borumque ſubiret judicium, id totum Gregorio valde diſplicuiſſe conſtat, quod talibus curis ita diſtraberetur, ut ad meliora animum applicare non poſſet.

13. Hæc igitur tunc tota fuit Romani Epiſcopi poteſtas, opponere ſe præfractis & indomitis capitibus, ubi extraordinario aliquo remedio opus erat: idque ut adjuvaret alios Epiſcopos, non impediret. Itaque nibilo ſibi plus io alios ſumit quam omnibus io ſe alibi concedit, quum fatetur ſe paratum ab omnibus corrigi, ab omnibus emendari. Sic alibi Aquileienſem Epiſcopum jubet quidem Romam venire ad cauſam dicendam in cootroverſia fidei, quæ inter ipſum & alios exorta erat: non tamen ex ſua poteſtate jubet, ſed quia id Imperator mandaverat. Neque ſe ſolum judicem fore denunciat: ſed Synodum ſe coacturum promittit, à qua negotium totum judicetur. Quanquam autem ea adhuc erat moderatio, ut ſuos certos fines haberet poteſtas Romanæ ſedis, quos excedere non liceret, atque ipſe Romanus Epiſcopus non magis præeſſet aliis, quam ſubeſſet: apparet tameo quantopere Gregorio diſplicuerit ejuſmodi ſtatus. ſubinde enim conqueritur, ſe ſub colore Epiſcopatus ad ſeculum fuiſſe reductum: ſeque magis implicitum eſſe curis terrenis, quam in vita laica unquam fuiſſet: premi ſe in illo honore tumultu ſecularium negotiorum.

Theotiſtæ, epiſt. 5. libr. 1. Anaſtaſ. Antioch. epiſt. 7. & 25. libr. 1.

Alibi, *Tanta me*, inquit, *occupationum onera deprimunt, ut ad ſuperna animus nullatenus erigatur. Multis cauſarum fluctibus quatior: & poſt illa quietis otia, tumultuoſæ vitæ tempeſtatibus affligor: ita ut recte dicam, Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Hioc collige quid dicturus fuerit ſi in hæc tempora iocidiſſet. Officium Paſtoris ſi non explebat, faciebat tamen. Ab imperii civilis gubernatione abſtinebat: ac ſe una cum aliis fatebatur Imperatori ſubjectum. In curam aliarum Eccleſiarum non ſe ingerebat oiſi neceſſitate coactus. Et tamen ſibi in labyriotho videtur eſſe, quia ſimpliciter Epiſcopi officio totus vacare oequit.

Tertia pars capitis, qua primatus Rom. incrementum aperit, in Metropolitanorum definiendis limitibus.

diſt. 80.

14. Litigabat eo tempore de primatu Conſtantinopolitanus Epiſcopus cum Romano, ut jam dictum eſt. Poſtquam enim Imperii ſedes Conſtantinopoli firmata fuit, id poſtulare viſa eſt Imperii majeſtas, ut Eccleſia quoque illa ſecuodum à Romana bonoris locum baberet. Et certe initio nihil magis valuerat ad primatum Romæ deferendum, niſi quod tuoc illic erat Imperii caput. Extat apud Gratianum reſcriptum ſub oomine Lucini Papæ, ubi dicit oon aliter eſſe diſtinctas urbes, ubi Metropolitæ & Primates præſidere debeant, quam ex ratione civilis gubernationis, quæ ante fuerat. Alterum etiam ſimile ſub nomine Clementis Papæ, ubi dicit, In iis urbibus quæ olim primos Flamines habuerant, fuiſſe conſtitutos Patriarchas. Quod tametſi vanum eſt, tamen ex vero eſt ſumptum.

cap. 1.

Conſtat enim, quo minimum fieret mutationis, pro ſtatu rerum qui tunc erat, diſtributas fuiſſe provincias, Primateſque & Metropolitas io iis urbibus collocatos, quæ honoribus & poteſtate reliquas antecedebant.

Unde ſequutum eſt concilio Taurinenſi decretum.

Itaque in Concilio Taurinenſi decretum fuit, ut quæ in civili gubernatione primæ urbes eſſent cujuſque provinciæ, primæ eſſent Epiſcoporum ſedes. Quod ſi honorem civilis regiminis ex una urbe in alteram transferri contigiſſet, ut jus Metropoleos una illuc transferretur.

Ab Innocentio ambitioſe abrogatum.

Innocentius vero Romanus Pontifex, quum antiquam urbis dignitatem obſoleſcere videret, ex qua ſedes Imperii Cooſtantinopolim tranſlata erat, ſedi ſuæ metueos, contrariam legem ſancivit: in qua negat

gat

gat neceſſe eſſe Metropoles Eccleſiaſticas mutari prout Imperatoriæ Metropoles mutantur. Verum merito Synodi auctoritas, unius hominis ſententiæ præferenda eſt: tum ſuſpectus eſſe nobis debet Ionocentius ipſe in propria cauſa. Utcunque ſit, ſua tamen cautinne oſtendit, ab initio ſic fuiſſe comparatum, ut ſecundum externum Imperii ordinem Metropoles diſponereotur.

Hinc ingens certamen de priore & ſecundo loco inter Epiſcopos Conſtantinopolitanum & Romanum.

Socrat. hiſt. trip. libr. 9. cap. 13. item in Decret. 22. diſt. cap. Conſtantinopol.

15. Ex hoc veteri inſtituto ſancitum eſt in ſyoodo Conſtantinopolitana prima, ut civitatis illius Epiſcopus bonoris privilegia haberet poſt Romanum Pontificem, eo quod eſſet nova Roma. Atqui longo poſt tempore, quum ſimile decretum Chalcednne factum eſſet, Leo acriter reclamavit. Nec modo ſibi permiſit pro nihilo ducere quod ſexcenti Epiſcopi aut ſupra decreverant: ſed gravibus etiam convitiis eos exagitavit, quod alius ſedibus derogaſſent id honoris quod io Conſtantinopolitanam Eccleſiam conferre auſi eſſent. Obſecro, quid aliud hominem incitare potuit ad turbandum nrbem pro re tantula, niſi mera ambitio? Ait inviolabile eſſe oportere quod ſemel ſancivit Nicena ſynodus. Quaſi vero periclitetur fides Chriſtiana ſi una Eccleſia alteri præferatur, aut quaſi in alium finem diſtinctæ illic eſſent Patriarchiæ quam politiæ cauſa. Scimus autem politiam pro varietate temporum recipere, imo exigere varias mutationes. Futile igitur eſt quod obtendit Leo, non eſſe deferendum honorem Conſtantinopolitanæ ſedi qui ſynodi Nicenæ auctoritate, Alexandrinæ datus foret. Hoc enim dictat communis ſenſus, fuiſſe ejuſmodi decretum quod pro temporum ratione tolli poſſet. Quid quod Orientalium nemn repugnabat, quorum intererat id maxime? Aderat certe Proterius, quem Alexandriæ in locum Dioſcori præfecerant; aderant alii Patriarchæ, quorum honnr imminuebatur. Illorum erat intercedere, non Leonis, qui ſuo loco ioteger manebat. Quum vero tacent illi omnes, imo quum aſſentiuntur, unus Romanus reſiſtit: promptum eſt judicare quidnam eum moveat: ſcilicet providebat quod non multo poſt accidit, decreſcente veteris Romæ gloria, fore ut Conſtantinopolis, ſecundo loco non contenta, de primatu cum ea litigaret. Neque tamen clamando tantum profecit quin ratum eſſet Concilii decretum. Itaque ſucceſſores ejus, quum fractos ſe videreot, ab illa pervicacia placide deſtiterunt: tulerunt enim ut ſecuodus Patriarcha baberetur.

Et ſuperba Romanorum ambitio detecta, quæ nec ſuperiorem nec ſocium paſſa eſt.

Nihilominus tamen Conſtantinopolitanus multa molitus eſt ut Romanum de gradu dejiceret. Qui aſtuto antagoniſtam evertit.

16. Verum paulo poſt eo uſque erupit Joannes, qui Gregorii tempore Conſtantinopolitanam Eccleſiam regebat, ut ſe univerſalem Patriarcham diceret. Hic Gregorius, oe in nptima cauſa, ſedis ſuæ defenſioni deeſſet, conſtanter ſe oppoſuit. Et erat certe intolerabilis cum ſuperbia tum ioſania Joannis, qui Epiſcopatus ſui fines æquare Imperii finibus volebat. Neque tamen quod alteri negat Gregorius, ſibipſi vendicat: ſed vocem illam, à quocunque tandem uſurpetur, ut ſceleſtam, & impiam, & nefandam abominatur. Quin etiam Eulogio Alexandrino Epiſcopo alicubi ſuccenſet, à quo fuerat ejuſmodi titulo honoratus. *Ecce*, inquit, *in præfatione epiſtolæ, quam ad meipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, Papam me univerſalem appellando imprimere curaſtis. Quod peto ſanctitas veſtra ulterius non faciat: quia vobis ſubtrahitur, quod alteri, pluſquam exigit ratio, datur. Ego honorem non deputo, in quo fratrum meorum honorem minui video. Meus enim honor eſt honor univerſalis Eccleſiæ, fratrumque meorum ſolidus vigor. Si autem univerſalem me Papam ſanctitas veſtra dicit, negat ſe hoc eſſe quod me fatetur univerſum.* Bona quidem erat & honeſta Gregorii cauſa: ſed Joannes, Mauritii Imperatoris favore adjutus, dimoveri à propoſito ooo potuit. Cyriacus quoque ejus ſucceſſor nuoquam de ea re paſſus eſt ſe exnrari.

libr. 7. epiſt. 30.

Et tandem, interfecto Conſtantinopolitani patrono, à latrone Phoca nomen tamdiu affectatum adeptus eſt.

17. Taodem Phocas, qui cæſo Mauritio in ejus locum ſuffectus eſt (neſcio qua de cauſa Romanis amicior, imn quia illic abſque certamine coronatus fuerat) Bonifacio tertio conceſſit quod minime poſtulabat Gregorius, ut Roma caput eſſet omnium Eccleſiarum. In hunc modum dirempta eſt controverſia. Neque tamen adeo profuiſſet hoc Imperatoris beneficium ſedi Romanæ, niſi alia deinde acceſſiſſent. Nam Græcia, & tota Aſia paulo poſt ab ejus communione abſciſſæ ſuot. Gallia ſic ipſum reverebatur, ut non parêret niſi quoad libebat. Tunc vero primum io ſervitutem redacta eſt, ubi Pipinus regnum occupavit. Nam quum Zacharias Pontifex Romanus ei adjutor fuiſſet ad perfidiam ac latrocinium, ut pulſo legitimo Rege, regnum quaſi prædæ expoſitum raperet: hoc mercedis tulit, ut in Eccleſias Gallicanas juriſdictionem haberet Romana ſedes. Quemadmodum prædnnes commuoe ſpolium ſolent partiendo diripere, ita boni iſti viri inter ſe compararunt, ut Pipioo quidem cederet terrenum ac civile dominium, ſpoliato vero Rege: Zacharias autem caput fieret omnium Epiſcoporum, ac ſpiritualem poteſtatem haberet: quæ quum initio infirma foret (ut ſolet uſu venire in rebus oovis) Caroli iode auctoritate confirmata fuit, ſimili fere de cauſa: erat enim ipſe quoque Romano Pnntifici obnoxius, quod ejus ſtudio ad bonorem Imperii pervenerat. Quanquam autem credibile eſt, prius valde deformatas fuiſſe ubique Eccleſias, conſtat tamen veterem Eccleſiæ formam tunc demum in Gallia & Germania ſuiſſe prorſus obliteratam. Extant adhuc in archivis curiæ Pariſienſis breves illorum temporum commentarii, qui ubi de rebus Eccleſiaſticis agitur, mentionem pactionum faciunt tum Pipini tum Caroli cum Romano Pontifice. Inde colligere licet, factam tunc fuiſſe veteris ſtatus mutationem.

Quod nullius fere momenti fuiſſet, niſi malis artibus in Gallicanam Eccleſiam Rom. Pontifices manus injeciſſent.

Poſtea paulatim ſtabilita eſt tyrannis Pontificia, quam Bernardus ſuo tempore, acerbis deflet querelis.

18. Ex eo tempore quum res paſſim in deterius quotidie prolaberentur, ſtabilita quoque ſubinde & aucta eſt Romanæ ſedis tyrannis: idque Epiſcoporum partim ioſcitia partim ignavia. Nam quum unus omnia ſibi ſumeret, ac ſine modo ſe contra jus & fas extollere magis magiſque pergeret: nec zelo quo debuerant, incubuerunt Epiſcopi ad arcendam ejus libidinem. atque ut animus nnn defuiſſet, deſtituebantur tamen vera doctrina & peritia: ut ad tantam rem tentandam eſſent minime idonei. Itaque videmus qualis fuerit & quam prodigioſa Romæ omnium ſacrorum profanatio, & totius Eccleſiaſtici ordiois diſſipatio Bernardi ætate. Conqueritur ex totn orbe Romam confluere ambitioſos, avaros, ſimoniacos, ſacrilegos, concubinarios, inceſtuoſos, & quæque iſtiuſmodi monſtra, ut Apoſtolica auctoritate vel obtinerent honores Eccleſiaſticos, vel retinerent: fraudem, & circumveotionem, & violentiam invaluiſſe. Eum judicandi modum qui tunc uſitatus erat, execrabilem eſſe dicit: nec modo Eccleſiæ, ſed foro indecorum. Clamat plenam eſſe ambitioſis Eccleſiam; nec eſſe qui magis exhorreat flagitia perpetrare quam latrones in ſpeluoca quum ſpolia viatorum diſtribuunt. *Pauci* (inquit) *ad os legiſlatoris, ad manus omnes reſpiciunt. Non immerito tamen. Omne Papale negotium illæ agunt. Quale eſt quod de ſpoliis Eccleſiarum emuntur, qui dicunt tibi, Euge, euge? Pauperum vita in plateis divitum ſeminatur: argentum micat in luto: accurritur undique: tollit illud non pauperior, ſed fortior: aut qui forte citius præcurrit. A te tamen mos iſte, vel potius mors iſta, non venit: utinam in te deſinat. Inter hæc tu paſtor procedis, multo & pretioſo circumdatus ornatu. Si auderem dicere, dæmonum magis quam ovium paſcua hæc. Scilicet ſic factitabat Petrus: ſic Paulus ludebat. Curia tua recipere bonos magis quam facere conſuevit. Mali enim illic*

lib. 1 de conſider. ad Eugenium.

circa finem lib. 4.

Summa querelarum tanti viri, quæ à ſequentibus Pontificibus non exaudita, imo ludibrio habita ſunt.

non proficiunt, ſed boni deficiunt. Jam quos appellationum abuſus refert, nemn pius ſine magno horrore legat. Tandem ſic de effreni illa Romanæ ſedis cupiditate in juriſdictione uſurpanda concludit, *Murmur loquor & querimoniam communem Eccleſiarum. Truncari ſe clamitant ac demembrari. Vel nullæ vel paucæ admodum ſunt quæ plagam iſtam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? ſubtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis*, &c. *Mirum ſi excuſari hoc queat. Sic factitando, probatis vos habere plenitudinem poteſtatis: ſed juſtitiæ non ita. Facitis hoc quia poteſtis: ſed utrum etiam debeatis quæſtio eſt. Ad honorem quibuſque ſuum gradumque conſervandum poſiti eſtis, non invidendum.* Hæc pauca ex multis referre libuit, ut partim videant lectores quam graviter tunc Eccleſia concidiſſet, partim etiam ut agnoſcant quanto in mœrore ac gemitu pios omnes tenuerit iſthæc calamitas.

lib. 3.

Piorum in Bernardo cogitationes ſub ſpirituali Babylone.

Quarto capitis pars. Etſi dignitas & eminentia hac Gregoriani ſeculi Rom. Eccleſia concederetur, nihil tamen ad hodiernum primatum facit. Capita enim hujus tyrannidis aliam prorſus faciem oſtentant.

19. Jam vero ut Romano Pontifici hodie concedamus eminentiam illam & juriſdictionis amplitudinem quam mediis temporibus, ut Leonis & Gregorii, habuit hæc ſedes: quid hoc ad præſentem Papatum? Noodum loquor de terreno dominio, nec de civili poteſtate, de quibus poſtea ſuo loco videbimus: ſed ipſum ſpirituale regimen quod jactant, quid ſimile cum illorum temporum conditinne habet? Papam enim nnn aliter definiunt quam ſummum in terris Eccleſiæ caput, & univerſalem totius orbis Epiſcopum. Ipſi vero Pontifices, quum de ſua auctoritate loquuntur, magno ſupercilin pronunciant, penes ſe eſſe imperandi poteſtatem, alios manere obediendi neceſſitatem: ſic ſanctiones omnes ſuas habendas eſſe quaſi divina Petri voce firmatas: provinciales Synodos, quia Papæ non habeant præſentiam, vigore carere: ſe poſſe de qualibet Eccleſia clericos ordinare: & qui alibi fuerint ordinati, eos poſſe ad ſedem ſuam vocare. Innumera ejus generis habentur in farragine Gratiani, quæ non recenſeo, ne nimis moleſtus ſim lectoribus. Summa tamen huc redit, penes unum Pontificem Romanum eſſe ſupremam Eccleſiaſticarum omnium cauſarum cognitionem, ſive in dijudicandis definieodiſque doctrinis, ſive in ferendis legibus, ſive in conſtituenda diſciplina, ſive in exercendis judiciis. Privilegia quoque quæ ſibi ſumunt in reſervationibus (ut vocant) & longum eſſet recenſere & ſupervacuum. Quod autem omnium maxime iotolerabile eſt, nullum in terris judicium relinquunt coërcendæ ac refrenandæ ſuæ libidini, ſi tam immenſa poteſtate abutantur. *Nemini*, inquiunt, *judicium ſedis hujus liceat retractare, propter Romanæ Eccleſiæ primatum.* Item, *Neque ab Auguſto, neque à Regibus, neque ab omni clero, neque à populo judex judicabitur.* Id quidem plus ſatis imperioſe, quod unus homo omnium ſe judicem conſtituit, nullius autem judicio parêre ſuſtinet. Sed quid ſi tyrannidem in populum Dei exerceat? ſi diſſipet ac vaſtet regnum Chriſti? ſi totam Eccleſiam conturbet? ſi munus paſtorale in latrocinium convertat? Imo ut ſit ſceleratiſſimus, ſe ad reddendam rationem aſtringi negat. Sunt enim iſtæ Pontificum voces, *Aliorum hominum cauſas voluit Deus per homines terminare, ſed ſedis hujus Præſulem ſuo ſine quæſtione ſervavit arbitrio.* Item, *Facta ſubditorum judicantur à nobis: noſtra autem à ſolo Deo.*

Nicolaus, cujus ſententia hæc in Decretis 17. q. 3. c. Nemini. Innocentii 9. q. 3. c. Nemo. Symmach. 9. q. 3. c. Alinrum. Antherius ibid. cap. Facta.

Nec ea quæ poſtulant, à veteribus (ut ipſi mentiuntur) ſibi conceſſa ſunt.

20. Ac quo ejuſmodi edicta plus haberent ponderis, falſo ſuppoſuerunt veterum Pontificum nomina, quaſi res à primordio ſic fuiſſent inſtitutæ: quum certo certius ſit novum eſſe & nuper fabricatum quicquid Romano Pontifici plus tribuit quam ei à vetuſtis Conciliis datum fuiſſe retulimus. Quin etiam eo impudentiæ venerunt ut reſcriptum ediderint ſub nomine Anaſtaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani, in quo teſtatur antiquis regulis fuiſſe ſancitum, ne quid vel in remotiſſimis provinciis agaretur quod non ad Romanam ſedem prius relatum foret. Præterquam quod vaniſſimum id eſſe conſtat, cui hominum credibile erit, tale Romanæ ſedis elogium ab adverſario & honoris dignitatiſque æmulo profectum eſſe? Sed oportuit ſcilicet eo dementiæ ac cæcitatis provehi iſtos Antichriſtos, ut omnibus ſanæ mentis hominibus, qui modo oculos aperire volunt, conſpicua eſſet ipſorum nequitia. Decretales autem epiſtolæ à Gregorio nono congeſtæ: item Clementinæ, & Extravagantes Martini, apertius adhuc & plenioribus buccis immanem ferociam, & velnti Barbarorum regum tyrannidem ubique ſpirant. Atqui hæc ſunt oracula ex quibus volunt Romanenſes Papatum ſuum æſtimari. Hinc orta ſunt præclara illa axiomata, quæ vim oraculorum paſſim hodie in Papatu obtinent, Papam errare non poſſe, Papam eſſe ſuperiorem Conciliis, Papam eſſe univerſalem omnium Eccleſiarum Epiſcopum, & ſummum in terris Eccleſiæ caput. Taceo ineptias multo abſurdiores, quas ſtulti Canoniſtæ in ſcholis ſuis deblaterant: quibus tamen Romanenſes theologi nnn modo aſſentiuntur, ſed etiam applaudunt, ut idolo ſuo adulentur.

ibid. cap. Antiquis.

Nec iis acquieverunt Gregorius IX. Martinus & alii, qui alia prorſus indigna & intoleranda confinxerunt.

21. Non agam cum illis ſummo jure. Huic tantæ inſolentiæ opponeret quiſpiam alius Cypriani ſententiam, qua uſus eſt apud Epiſcopos quorum Concilio præſidebat, *Nemo noſtrûm Epiſcopum ſe Epiſcoporum dicit, aut tyrannico terrore collegas ad obſequendi neceſſitatem adigit.* Objiceret quod aliquanto poſt Carthagine decretum fuit, *Ne quis vocaretur princeps Sacerdotum, aut primus Epiſcopus.* Colligeret ex hiſtoriis multa teſtimonia, ex Synodis canones, ex veterum libris multas ſententias, quibus Romanus Pontifex in ordinem cogeretur. Sed ego iſtis ſuperſedeo, ne videar nimis præciſe eos urgere. Reſpondeant tamen mihi optimi patroni Romanæ ſedis, qua fronte titulum univerſalis Epiſcopi defendere audeant, quem vident toties anathemate damnari à Gregorio. Si valere debet Gregorii teſtimonium, eo declarant Antichriſtum eſſe ſuum Pontificem quod eum univerſalem faciunt. Nomen etiam Capitis nihilo magis fuit uſitatum. Sic enim alicubi loquitur, *Petrus præcipuum in corpore membrum, Joannes, Andreas, Jacobus particularum plebium capita. Omnes tamen ſub uno capite membra Eccleſiæ ſunt: imo ſancti ante Legem, ſancti ſub Lege, ſancti in gratia, omnes perficientes corpus Domini, in membris ſunt conſtituti, & nemo ſe unquam univerſalem dici voluit.* Quod autem jubendi poteſtatem ſibi arrogat Pontifex, parum conſentaneum eſt cum eo quod alibi dicit Gregorius. Nam quum Eulogius Alexandrinus Epiſcopus ſe ab eo juſſum dixiſſet, reſpondet in hunc modum, *Hoc verbum juſſionis, peto, à meo auditu removete: ſcio enim qui ſim, & qui ſitis: loco mihi fratres eſtis, moribus patres. Non ergo juſſi: ſed quæ utilia viſa ſunt, indicare curavi.* Quod juriſdictionem ſuam ita ſine fine extendit, in eo gravem & atrocem facit injuriam non tantum reliquis Epiſcopis, ſed etiam ſingulis Eccleſiis: quas eo modo diſcerpit ac lacerat, ut ex earum ruinis ſedem ſuam ædificet. Quod autem omnibus ſe judiciis eximit, ac tyrannico more ſic vult regnare, ut ſuam unius libidinem pro lege habeat, id certe magis indignum eſt, & alienum ab Eccleſiaſtica ratione quam ut ſuſtineri ullo modo queat. Prorſus enim abhorret non modo à ſenſu pietatis, ſed etiam humanitatis.

Quorum inſolentiæ etſi opponi poſſet Cyprianus, Conciliorum item, Hiſtoriarum ac veterum Theologorum probata fides: hoc uno ſatis refellantur, quod à Gregorio ſuo verbis expreſſis damnati ſunt.

epiſt. 92. lib. 4. ad Joan. Conſtantinopolit.

libr. 7. epiſt. 28.

22. Verum ne ſingula perſequi & excutere cogar, iterum iſtos appello qui hodie Romanæ ſedis patroni & optimi & fideliſſimi haberi volunt, ecquid pudeat ipſos præſentem ſtatum Papatus defendere: quem conſtat centuplo corruptiorem eſſe quam Gregorii & Bernardi ſeculis fuerit: qui tamen tunc ſanctis illis viris tantopere diſplicebat.

Ad ſummum autem impudentia Papatus patronos perveniſſe oportet:

Con-

quum Gregorius & Bernardus admodum flebiliter conqueſti ſint de ſuæ ætatis malitia, quam centuplo nunc ſuperatam eſſe & totis viribus foveri ac augeri à Rom. Pontifice, conſtat.

epiſt. 5. lib. 1. ad Theotiſt. epiſt. ad Anaſtaſ. item 25. & alibi.

Conqueritur paſſim Gregorius, ſe alienis occupationibus ſupra modum diſtrahi: ſe ſub colore Epiſcopatus ad ſeculum eſſe reductum: ubi tantis terræ curis inſerviret quantis ſe nunquam in vita laica deſerviiſſe reminiſceretur: ſe premi tumultu ſecularium negotiorum, ut ad ſuperna animus nullatenus erigatur: ſe multis cauſarum fluctibus quati, & tumultuoſæ vitæ tempeſtatibus affligi: ut merito dicat, *Veni in altitudinem maris*. Certe inter illas terrenas occupationes poterat tamen plebem pro concionibus docere, privatim admonere & corrigere quos oportebat, Eccleſiam ordinare, collegis dare conſilium, eoſque ad officium hortari: ſuper hæc, reſtabat aliquid temporis ad ſcribendum: & tamen calamitatem ſuam deplorat, quod ſit in profundiſſimo mari demerſus. Si adminiſtratio illius temporis mare fuit, quid de præſenti Papatu dicendum erit? Quid enim ſimile inter ſe habent? Hic nullæ ſunt conciones, nulla diſciplinæ cura, nullum Eccleſiarum ſtudium, nulla ſpiritualis functio: nihil denique niſi mundus. Perinde tamen laudatur hic labyrinthus quaſi nihil inveniri queat magis ordinatum ac diſpoſitum. Bernardus vero quas fundit querimonias, quos edit gemitus dum ſuæ ætatis vitia intuetur? Quid igitur, ſi hoc noſtrum ferreum ſeculum, & ſiquid eſt ferro deterius, inſpiceret? Quæ iſta eſt improbitas, non modo pertinaciter tueri velut ſacroſanctum ac divinum, quod uno ore ſancti omnes ſemper improbarunt: ſed eorum quoque teſtimonio abuti ad defenſionem Papatus, quem conſtat fuiſſe illis prorſus incognitum? Quanquam de tempore Bernardi fateor tantam fuiſſe tunc corruptionem rerum omnium, ut non fuerit multum noſtro diſſimile. Verum omni pudore carent qui ex medio illo ſeculo, Leonis ſcilicet & Gregorii & ſimilium, prætextum aliquem petunt: perinde enim faciunt acſi quis ad ſtabiliendam Cæſarum monarchiam, antiquum Romani Imperii ſtatum laudaret: hoc eſt, libertatis laudes ad ornandam tyrannidem mutuaretur.

Quinta & poſtrema pars capitis, quæ præcipuam continet reſponſionem: Papam videlicet non eſſe Epiſcopum in Dei Eccleſia.

23. Poſtremo, etiamſi hæc darentur omnia, exoritur tamen illis novum de integro certamen, quum negamus eſſe Romæ Eccleſiam, in qua ejuſmodi beneficia reſidere queant: quum negamus eſſe Epiſcopum qui hæc dignitatis privilegia ſuſtineat. Sint igitur vera illa omnia (quæ tamen illis jam extorſimus) Petrum voce Chriſti conſtitutum fuiſſe univerſæ Eccleſiæ caput: ipſumque honorem ſibi collatum in Romana ſede depoſuiſſe: id veteris Eccleſiæ auctoritate fuiſſe ſancitum, longo uſu confirmatum: Romano Pontifici ſummam poteſtatem fuiſſe ſemper uno conſenſu ab omnibus delatam: ipſum fuiſſe omnium & cauſarum & hominum judicem, nullius judicio ſubjectum fuiſſe. habeant etiam plura ſi velint: reſpondeo tamen uno verbo, nihil iſtorum valere niſi Romæ ſit Eccleſia & Epiſcopus. Hoc mihi concedant neceſſe eſt, non poſſe Eccleſiarum matrem eſſe, quæ ipſa non ſit Eccleſia: non poſſe Epiſcoporum eſſe principem, qui ipſe non ſit Epiſcopus. Volunt igitur ſedem Apoſtolicam habere Romæ? Dent mihi verum & legitimum Apoſtolatum. Volunt habere ſummum Pontificem? Dent mihi Epiſcopum. Quid autem? ubi ullam Eccleſiæ faciem nobis oſtendent? Nominant quidem, & ſubinde in ore habent. Certe Eccleſia ſuis certis notis cognoſcitur: & Epiſcopatus, nomen officii eſt. Hic non de populo loquor: ſed de ipſo regimine, quod lucere in Eccleſia perpetuo debet. Ubi illic miniſterium, quale requirit Chriſti inſtitutio? Meminerimus quod de Presbyterorum & Epiſcopi officio ante dictum eſt. Si ad regulam illam exigemus officium Cardinalium, fatebimur nihil minus eſſe quam Presbyteros. Ipſe vero Pontifex quid omnino habeat Epiſcopale ſcire velim. Primum in munere Epiſcopi caput eſt, plebem Dei verbo docere: alterum & proximum huic, Sacramenta adminiſtrare: tertium, monere & hortari, corrigere etiam eos qui peccant, ac in ſancta diſciplina populum continere. Quid iſtorum facit: imo quid facere ſe ſimulat? Dicant igitur qua ratione velint haberi Epiſcopum, qui nullam officii partem minimo digito vel in ſpeciem ſaltem attingit.

Reſponſionis hujus explicatio.

Confirmatio ab enumeratione partium eſſentialium Epiſcopalis muneris.

Altera confirmatio, ab auctoritate inſtitutionis Chriſti.

24. Non ita de Epiſcopo eſt ut de Rege: hic enim, etſi non exequatur quod proprium eſt Regis, honorem nihilominus ac titulum retinet. At in Epiſcopo dijudicando reſpicitur Chriſti mandatum, quod ſemper in Eccleſia valere debet. Hunc ergo nodum mihi ſolvant Romanenſes. Nego ipſorum Pontificem eſſe Epiſcoporum principem, quum non ſit Epiſcopus. Iſtud proximum neceſſe eſt probent falſum eſſe, ſi vincere in illo priore volent. Quid quod non modo nihil habet Epiſcopi proprium, ſed omnia potius contraria? Sed hic, ô Deus, unde incipiam? à doctrinane, an à moribus? Quid dicam, aut quid tacebo? ubi deſinam? Hoc dico: quum mundus hodie tot perverſis impiiſque doctrinis refertus ſit: tot ſuperſtitionum generibus plenus, tot erroribus excæcatus, in tanta idololatria demerſus: nihil uſpiam iſtorum eſſe quod non illinc vel emanarit, vel ſaltem fuerit confirmatum. Nec alia eſt cauſa cur tanta rabie ferantur Pontifices in renaſcentem Euangelii doctrinam, ad eam opprimendam nervos omnes ſuos intendant, Reges omnes ac Principes ad ſævitiam accendant, niſi quod collabi ac corruere totum ſuum regnum vident ubi primum Chriſti Euangelium obtinuerit. Crudelis fuit Leo: ſanguinarius Clemens: truculentus eſt Paulus. Sed non tam natura eos ad impugnandam veritatem impulit, quam quod una hæc illis ratio erat tuendæ ſuæ potentiæ. Salvi igitur quum eſſe non poſſint niſi profligato Chriſto, non aliter laborant in hac cauſa quam ſi pro aris ac focis, ſuiſque ipſorum capitibus pugnarent. Quid ergo? num illic nobis erit ſedes Apoſtolica ubi nihil cernimus niſi horrendam apoſtaſiam? Erit Chriſti vicarius, qui furioſis conatibus Euangelium perſequendo, Antichriſtum ſe eſſe palam profitetur? Erit Petri ſucceſſor, qui ad demoliendum quicquid ædificavit Petrus, ferro & igni graſſatur? Erit caput Eccleſiæ, qui Eccleſiam à Chriſto ſolo vero capite reſciſſam ac truncatam, in ſeipſa diſcerpit ac lacerat? Fuerit ſane olim Roma omnium Eccleſiarum mater: verum ex quo Antichriſti ſedes fieri cœpit, deſiit eſſe id quod erat.

Tertia, à contrariis: quod in doctrina & moribus ab Epiſcopi vero munere tota via deſlet Pontifex Romanus.

Concluſio, Romam non eſſe hodie ſedem Apoſtolicam, ſed Apoſtaticam: non eſſe Eccleſiarum, ſed errorum matrem, & Antichriſti thronum.

25. Videmur nonnullis nimis maledici ac petulantes, quum Romanum Pontificem vocamus Antichriſtum. Sed qui hoc ſentiunt, non intelligunt ſe Paulum immodeſtiæ inſimulare, poſt quem nos loquimur: imo ex cujus ore ſic loquimur. Ac nequis objiciat nos Pauli verba, quæ alio pertinent, perperam torquere in Romanum Pontificem, breviter oſtendam non aliter quam de Papatu poſſe intelligi. Antichriſtum *in templo Dei ſeſſurum* Paulus ſcribit. Alibi quoque Spiritus deſcribens ejus imaginem in Antiochi perſona, oſtendit regnum ejus in magniloquentia & Dei blaſphemiis ſitum fore. Hinc colligimus tyrannidem eſſe in animas magis quam in corpora, quæ adverſus ſpirituale Chriſti regnum erigatur. Deinde talem eſſe quæ nec Chriſti nec Eccleſiæ nomen aboleat: ſed potius Chriſti prætextu abutatur, & ſub Eccleſiæ titulo velut larva delitescat. Tametſi autem omnes quæ ab initio extiterunt hæreſes ac ſectæ ad regnum Antichriſti pertineant: quum tamen prædicit Paulus venturam defectionem, hac deſcriptione ſignificat, ſedem illam abominationis tunc erigendam ubi univerſalis quædam defectio Eccleſiam occuparit: utcunque multa Eccleſiæ membra in vera fidei unitate

Probatio hujus concluſionis, Papam videlicet eſſe Antichriſtum, ex Paulo & Daniele.

2 Theſſ. 2. verſ. 4.

Dan. 7: 25.

Quorum (præcipue vero Apoſtoli) ſententia explicatur.

tate

Conſequens ſententia Pauli.

tate ſparſim perſeverent. Quum vero addit ſuo tempore *cœpiſſe moliri in myſterio opus iniquitatis*, quod poſtea palam facturus eſſet; ex eo intelligimus, calamitatem hanc neque per unum hominem fuiſſe inferendam, neque in uno homine finiendam. Porro quum hac nota deſignet Antichriſtum, quod ſuum Deo honorem prærepturus ſit ut ſibi ſumat: hoc præcipuum indicium eſt quod ſequi debemus in quærendo Antichriſto: præſertim ubi ejuſmodi ſuperbia ad publicam uſque Eccleſiæ diſſipationem procedit. Quum ergo conſtet Pontificem Romanum impudenter ad ſe tranſtuliſſe quod Dei unius & Chriſti maxime proprium erat, dubitandum non eſt quin impii & abominandi regni dux ſit & anteſignanus.

Non igitur Roma alligandus eſt primatus, etſi olim hæc ſedes prima omnium fuerit.

lib. 3. c. 5.

26. Eant nunc Romanenſes, & antiquitatem nobis opponant. Quaſi in tanta rerum omnium converſione ſedis honor ſtare poſſit ubi nulla eſt ſedes. Narrat Euſebius, Deum ut vindictæ ſuæ locus fieret, Eccleſiam, quæ Hieroſolymis erat, Pellam tranſtuliſſe. Quod ſemel factum fuiſſe audimus, fieri ſæpius potuit. Proinde ſic loco alligare honorem primatus, ut qui revera infeſtiſſimus eſt hoſtis Chriſti, ſummus Euangelii adverſarius, maximus Eccleſiæ vaſtator ac diſſipator, crudeliſſimus ſanctorum omnium mactator & carnifex, vicarius nihilominus Chriſti, Petri ſucceſſor, primus Eccleſiæ antiſtes habeatur, tantummodo quia ſedem occupat quæ olim prima omnium fuit: id vero nimis ridiculum eſt ac ineptum.

Maxime quum Eccleſia Romana jampridem in Cancellariam & turpem negotiationem verſa ſit.

Taceo quantum ſit diſcriminis inter Papæ Cancellariam, & bene compoſitum Eccleſiæ ordinem. Quanquam hæc una res omnem de hac quæſtione dubitationem poteſt optime tollere. Nemo enim ſanæ mentis Epiſcopatum in plumbo & bullis includet: multo minus in illo captionum omnium ac circumſcriptionum magiſterio, quibus rebus cenſetur ſpirituale Papæ regimen. Eleganter igitur à quodam dictum eſt, illam quæ jactatur, Romanam Eccleſiam pridem converſam fuiſſe in Curiam: quæ ſola nunc Romæ viſitur. Neque hic accuſo hominum vitia: ſed Papatum ipſum ex diametro cum Eccleſiaſtica ratione pugnare demonſtro.

De re ipſa hactenus. Nunc ad perſonas. Et primum quod ad religionem attinet, Pontifices Romani nullum eſſe Deum, Euangelium & doctrinam de vita æterna meras eſſe fabulas jampridem profeſſi ſunt.

27. Ad homines autem ſi veniamus, ſatis ſcitur quales reperturi ſimus Chriſti vicarios: Julius ſcilicet, & Leo, & Clemens, & Paulus Chriſtianæ fidei columnæ erunt, primique religionis interpretes, qui nihil aliud de Chriſto tenuerunt, niſi quod didicerant in ſchola Luciani. Sed quid tres aut quatuor Pontifices enumero? Quaſi vero dubium ſit qualem religionis ſpeciem profeſſi ſint jampridem Pontifices cum toto Cardinalium collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ quæ inter eos regnat, caput eſt, Nullum eſſe Deum. Alterum, Quæcunque de Chriſto ſcripta ſunt ac docentur, mendacia eſſe & impoſturas. Tertium, Doctrinam de futura vita & ultima reſurrectione, meras eſſe fabulas. Non omnes ita ſentiunt, & pauci ita loquuntur: fateor: jampridem tamen hæc ordinaria eſſe cœpit Pontificum religio. hoc quum ſit notiſſimum omnibus qui Romam noverunt, non ceſſant tamen Romanenſes theologi jactare, Chriſti privilegio cautum eſſe ne Papa errare poſſit, quia Petro dictum ſit, *Oravi pro te, ne deficiat fides tua.*

Luc. 22. verſ. 32.

Quid, obſecro, tam impudenter ludendo proficiunt, niſi ut totus mundus intelligat, eos ita ad extremum improbitatis veniſſe, ut neque Deum timeant, neque homines revereantur?

Tum etiam Joannes XXII. teſte Gerſone, qui tunc vivebat, nominatim erravit in doctrina de immortalitate animarum.

28. Sed fingamus latere eorum quos dixi Pontificum impietatem, quod eam neque concionibus neque ſcriptis publicarint: ſed in menſa duntaxat, & cubiculo, aut ſaltem inter parietes prodiderint. Atqui ſi privilegium quod obtendunt, ratum eſſe velint, expungant è numero Pontificum oportet Joannem viceſimum ſecundum, qui palam aſſeruit, animas eſſe mortales, unaque cum corporibus interire uſque ad diem reſurrectionis. Atque ut videas totam ſedem cum præcipuis ſuis fulturis tunc prorſus concidiſſe: nemo Cardinalium huic ſe tantæ inſaniæ oppoſuit, ſed ſchola Pariſienſis Regem Galliæ impulit, ut ad palinodiam hominem cogeret. Rex ejus communionem ſuis interdixit, niſi mox reſipiſceret: idque de more publicavit per præconem. Hac neceſſitate adactus ille, errorem abjuravit.

Ac proinde expungendus eſt ex Pontificum catalogo, vel potius ineptum eſt quod citant de firmitudine fidei ſedis Romanæ.

Hoc exemplum facit ne me oporteat cum adverſariis amplius de eo diſputare quod dicunt, ſedem Romanam ejuſque Pontifices labi in fide non poſſe, quia Petro dictum ſit, *Oravi pro te, ne deficiat fides tua.* Certe ille tam fœdo lapſus genere à recta fide excidit, ut ſit inſigne poſteris documentum, non omnes eſſe Petros qui Petro in Epiſcopatum ſuccedunt. Quanquam iſtud quoque magis per ſe puerile eſt quam ut reſponſione egeat: nam ſi volunt ad Petri ſucceſſores trahere quicquid Petro dictum eſt, ſequetur omnes illos eſſe Satanas, quum iſtud quoque Petro dixerit Dominus, *Vade retro Satan: quia offendiculum es mihi.* Tam enim facile nobis erit retorquere hoc poſterius, quam illis alterum objicere.

Luc. 22. verſ. 32.

Matth. 16. verſ. 23.

Deinde, quoad mores, Romani Pontifices, athei, aut religionis hoſtes conjurati, & ſuo & aliorum ſcelere ſunt turpiſſimi.

29. Verum certare ineptiendo non libet: redeo igitur unde digreſſus eram. Sic alligare loco & Chriſtum & Spiritum ſanctum, & Eccleſiam, ut quicunque illic præſideat, etiamſi ſit diabolus, Chriſti tamen vicarius & caput Eccleſiæ cenſeatur, quia fuerit olim Petri ſedes: non modo impium & Chriſto contumelioſum, ſed nimis abſurdum, & à ſenſu communi alienum eſſe dico. Jampridem Romani Pontifices aut omni prorſus carent religione, aut maximi ſunt religionis hoſtes. Nihilo igitur magis fiunt, ob ſedem quam occupant, Chriſti vicarii, quam idolum, ubi in templo Dei collocatur, pro Deo habendum eſt. Jam ſi de moribus fiat cenſura: ipſi pro ſe Pontifices reſpondeant quid omnino ſit in quo Epiſcopi agnoſci queant. Primum, quod Romæ ſic vivitur, ipſis non modo conniventibus ac tacentibus, ſed tacito etiam quaſi nutu approbantibus, id prorſus indignum eſt Epiſcopis: quorum officium eſt plebis licentiam diſciplinæ ſeveritate coërcere. Sed ego tam rigidus in eos non ero ut alienis delictis ipſos gravem.

Cardinalium & cleri Romani pictura.

Quod autem ipſi cum ſua familia, cum toto fere Cardinalium collegio, cum toto cleri ſui grege, ad omnem nequitiam, obſcœnitatem, ſpurcitiam, ad omne ſcelerum & flagitiorum genus adeo ſunt proſtituti, ut monſtra referant magis quam homines: in eo ſane produnt ſe nihil minus eſſe quam Epiſcopos. Neque tamen vereri debent ne ſuam turpitudinem ulterius detegam. Nam & in tam putido cœno verſari piget: & parcendum eſt pudicis auribus: & mihi videor ſatis ac ſuper demonſtraſſe quod volebam; etiamſi caput Eccleſiarum olim fuiſſet Roma, non tamen hodie eſſe dignam quæ in minimis pedum digitis cenſeatur.

Cardinales autem nihil aliud quam Presbyteri Romanæ Eccleſiæ olim fuerunt, ac Epiſcopis longe inferiores.

30. Quantum ad Cardinales (quos vocant) attinet, neſcio quid factum ſit ut ita ſubito in tantam amplitudinem emerſerint. Hic titulus Gregorii ætate in ſolos Epiſcopos competebat: nam quoties meminit Cardinalium, non Romanæ Eccleſiæ, ſed aliis quibuslibet eos attribuit. ut in ſumma, nihil aliud ſit *Sacerdos Cardinalis*, quam Epiſcopus. Apud ſuperioris ſeculi ſcriptores nomen hoc non reperio. Video tamen fuiſſe tunc Epiſcopis minores, quos nunc longe antecellunt. Notum eſt illud Auguſtini, *Quanquam ſecundum honorum vocabula quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio major ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt.* Hic certe Romanæ Eccleſiæ Presbyterum ab aliis minime diſcernit: ſed omnes ex æquo poſtponit Epiſcopis. Idque eo uſque fuit obſervatum, ut in concilio Carthaginenſi, quum

epiſt. 15. 77. & 79. libr. 2. epiſt. 6. 25. & multis aliis.

epiſt. 19. ad Hieron.

duo

duo adeſſent legati Romanæ ſedis, unus Epiſcopus, ſecundus Presbyter: hic in ultimum locum rejectus fuerit. Verum ne nimis vetera perſequamur, extat Concilium ſub Gregorio habitum Romæ, in quo Presbyteri ultimo loco ſedent, & ſeorſum ſubſcribunt: Diaconi locum nullum in ſubſcriptione habent. Et ſane nihil officii tunc habebant, niſi ut in doctrinæ & Sacramentorum adminiſtratione Epiſcopo adeſſent ac ſubeſſent. Nunc adeo mutata ſors eſt, ut facti ſiot Regum & Cæſarum cognati. Nec dubium eſt quin una cum ſuo capite ſenſim creverint, donec ad hoc dignitatis faſtigium evecti fuerunt. Verum hoc quoque paucis verbis quaſi obiter attingere placuit, quo melius intelligerent lectores, ſedem Romanam, qualis hodie eſt, plurimum differre ab illa veteri, cujus prætextu hæc ſe tuetur ac defendit. Verum qualeſcunque fuerint olim, quando nihil habent veri ac legitimi in Eccleſia muneris, fucum duntaxat & inanem larvam retinent: imo quando omnia habent penitus contraria, neceſſe fuit illis evenire quod tam ſæpe ſcribit Gregorius. *Flens*, inquit, *dico, gemens denuncio: quia quum Sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit.* Quin potius impleri in illis oportuit quod de talibus ait Malachias, *Vos receſſiſtis de via & offendere feciſtis in Lege plurimos. Itaque irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus. Propterea ecce ego dedi vos contemptibiles ac viles omni populo.* Jam relinquo piis omnibus cogitandum quale ſupremum ſit Romanæ hierarchiæ faſtigium: cui ipſum quoque Dei verbum, quod cælo & terræ, hominibus & Angelis venerabile ac ſacroſanctum eſſe oportuerat, ſubjicere nefaria impudentia Papiſtæ non dubitant.

lib. 4. regiſt.

Ut vero nunc ſunt, nihil habent veri & legitimi muneris in Eccleſia.

lib. 4. epiſt. 25. & 55. lib. 5. epiſt. 7. & alibi.

Mal. 2: 8.

Concluſio hujus tractationis.

CAP. VIII.

De poteſtate Eccleſiæ quoad fidei dogmata: & quam effreni licentia ad vitiandam omnem doctrinæ puritatem tracta fuerit in Papatu.

Duabus præcipuis partibus conſtat hoc caput.

1. *Novem prioribus ſectionibus, quinam termini ſint, quos Eccleſia ſibi debet in hujuſmodi rebus conſtituere, oſtenditur.*
2. *Deinde, coarguitur Eccleſia Romana, quod hos limites transgredi auſa ſit, à ſectione decima uſque ad finem capitis.*

De notis & regimine Eccleſiæ actum eſt 7 prioribus capitibus. Nunc de ejuſdem poteſtate diſſeritur: cujus partes tres, nempe doctrina, legum latio, juriſdictio. quas admonitio neceſſaria præcedit de fine totius diſputationis de hac poteſtate.

2 Cor. 10. verſ. 8. & 13: 10.

SEquitur nunc tertius locus, de Eccleſiæ poteſtate, quæ partim in Epiſcopis ſingulis, partim in Conciliis, & iis vel provincialibus, vel generalibus ſpectatur. De ſpirituali tantum poteſtate loquor, quæ propria eſt Eccleſiæ. Ea autem conſiſtit vel in doctrina, vel in juriſdictione, vel in legibus ferendis. Locus de doctrina duas habet partes, auctoritatem dogmatum tradendorum, & eorum explicationem. Antequam incipimus de ſingulis in ſpecie diſſerere, pios lectores volumus admonitos, ut quicquid de Eccleſiæ poteſtate docetur, meminerint ad eum finem referre, in quem, teſte Paulo, data eſt: nempe *ad ædificationem, & non in deſtructionem:* qua qui legitime utuntur, nihil plus ſe eſſe exiſtimant quam miniſtros Chriſti, ſimulque miniſtros populi in Chriſto. Porro ædificandæ Eccleſiæ una hæc ratio eſt, ſi miniſtri ipſi ſuam Chriſto auctoritatem conſervare ſtudent, quæ ſalva aliter eſſe non poteſt quam ſi id ei relinquatur quod à Patre accepit: nempe ut ſit unicus Eccleſiæ magiſter. Non enim de alio quopiam, ſed de ipſo ſolo ſcriptum eſt, *Ipſum audite.* Eſt igitur Eccleſiaſtica poteſtas non maligne quidem ornanda, ſed tamen includenda certis finibus: ne pro hominum libidine huc atque illuc trahatur. Ad id plurimum proderit obſervare qualiter à Prophetis & Apoſtolis deſcribatur. Nam ſi ſimpliciter hominibus concedimus quam ſumere ipſis viſum fuerit poteſtatem, omnibus in promptu eſt, quam ſit proclivis in tyrannidem lapſus, quæ procul à Chriſti Eccleſia abeſſe debet.

Prima pars hujus poteſtatis eſt doctrina, in cujus conſideratione illud primum occurrit, auctoritatem & dignitatem à Scriptura S. miniſtris Eccleſiæ delatam, non hominibus ipſis, ſed miniſterio cui præfecti ſunt, tribui. Id oſtenditur primum in Moſe & Sacerdotibus.

2. Proinde hic meminiſſe oportet, quicquid auctoritatis ac dignitatis Spiritus in Scriptura, ſive Sacerdotibus, ſive Prophetis, ſive Apoſtolis, ſive Apoſtolorum ſucceſſoribus defert, id totum non proprie hominibus ipſis, ſed miniſterio cui præfecti ſunt dari: vel (ut expeditius loquamur) verbo, cujus minſterium illis eſt commiſſum. Ut enim ordine omnes perſequamur, non reperiemus, ullos docendi aut reſpondendi auctoritate fuiſſe præditos, niſi in nomine & verbo Domini. Ubi enim vocantur ad munus, ſimul illis injungitur nequid afferant ex ſeipſis: ſed loquantur ex ore Domini. Nec eos ante producit ipſe in medium ut à populo audiantur, quam præceperit quidnam loqui debeant: ne quid præter verbum ſuum loquantur. Moſes ipſe, Prophetarum omnium princeps, audiendus præ aliis fuit: ſed ante inſtruitur ſuis mandatis, nequid omnino nunciare queat niſi à Domino. Itaque populus, doctrinam ejus amplexus, *in Deum & in ejus ſervum Moſen* dicitur *credidiſſe.* Sacerdotum quoque auctoritas ne contemptui foret, graviſſimis pœnis ſancita eſt. Verum ſimul oſtendit Dominus qua lege audiendi eſſent, quum dicit *ſe percuſſiſſe fœdus ſuum cum Levi, ut Lex veritatis eſſet in ore ejus.* Et paulo poſt addit, *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Ergo ſi audiri velit Sacerdos, præſtet ſe Dei nuncium: id eſt, mandata quæ ab auctore ſuo accepit, fideliter referat. Atque ubi de iis audiendis agitur, nominatim hoc ponitur, Ut *ſecundum Legem Dei reſpondeant.*

Exod. 3: 4. ibid. 14: 31. Deut. 17. verſ. 12. Malach. 2. v. 4, 6, 7.

Deut. 17. verſ. 11.

Deinde in Prophetis.

Ezech. 3. verſ. 17.

3. Prophetarum qualis in univerſum fuerit poteſtas, eleganter apud Ezechielem deſcribitur: *Fili hominis*, ait Dominus, *ſpeculatorem dedi te domui Iſraël: audies igitur ex ore meo verbum, & annunciabis illis ex me.* Qui audire jubetur ex ore Domini, nonne quicquam ex ſe comminiſci prohibetur? Quid vero eſt, nunciare à Domino, niſi ſic loqui ut confidenter jactare auſit, non ſuum eſſe ſed Domini verbum quod attulerit? Tantundem eſt apud Jeremiam aliis verbis: *Propheta*, inquit, *apud quem eſt ſomnium, narret ſomnium: & qui habet verbum meum, loquatur verbum meum verum.* Certe illis univerſis legem dicit. Eſt autem ejuſmodi, quod non patitur quempiam plus docere quam juſſus fuerit. Et poſtea paleam vocat quicquid à ſe uno profectum non eſt. Itaque nemo ex ipſis Prophetis os aperuit, niſi Domino verba præeunte. Unde illa toties apud eos occurrunt, *Verbum Domini, Onus Domini, Sic ait Dominus, Os Domini loquutum eſt.* Et merito: exclamabat enim Jeſaias, polluta ſibi eſſe labia: Jeremias ſe neſcire loqui fatebatur, quia puer eſſet. Quid ab illius polluto, ab hujus fatuo ore prodire poterat niſi immundum aut inſulſum, ſi ſuum ipſi ſermonem loquuti eſſent? Sancta vero & pura illis labia fuerunt quum Spiritus ſancti cœperunt eſſe organa. Ubi hac religione obſtricti ſunt Prophetæ nequid tradant niſi quod acceperint, tunc inſigni poteſtate ac eximiis titulis ornantur. Nam quum Dominus teſtatur

Jerem. 23. verſ. 28.

Jeſa. 6: 5. Jer. 1: 6.

ibid. v. 10. ibid. v. 9.

tur *ſe præfeciſſe illos gentibus ac regnis, ut evellant & exſtirpent, perdant & deſtruant, ædificent ac plantent:* continuo ſubjungit cauſam, *Quia verba ſua in eorum ore poſuerit.*

Poſtremo in Apoſtolis, & Chriſto ipſo.

Matth. 5. v. 13, 14. Luc. 10. verſ. 16. Joan. 20. verſ. 23.

4. Jam ſi in Apoſtolos reſpicias, multis quidem & inſignibus elogiis commendantur, quod *lux ſint mundi, & ſal terræ:* quod *pro Chriſto audiendi:* quod *quæcunque in terra ligaverint aut ſolverint, ligata erunt aut ſoluta in cælo.* Verum ſuo nomine præ ſe ferunt quantum ſibi in ſuo munere permiſſum ſit: nempe ſi Apoſtoli ſunt, ne garriant quicquid collibitum fuerit, ſed mandata ejus à quo miſſi ſunt, bona fide perferant. Et ſatis clara ſunt Chriſti verba, quibus eorum legationem terminavit, quum mandavit illis ut *irent ac docerent omnes gentes, quæcunque præceperat.* Quin ipſe quoque hanc in ſe legem (ne cui eam detrectare fas eſſet) recepit, ſibi que impoſuit. *Doctrina,* inquit, *mea non eſt mea: ſed ejus qui me miſit*, Patris. Is qui unicus ac æternus Patris Conſiliarius ſemper fuit, quique Dominus ac Magiſter omnium eſt conſtitutus à Patre, quia tamen docendi miniſterio fungitur, miniſtris omnibus ſuo exemplo præſcribit quam in docendo regulam ſequi debeant. Non eſt igitur Eccleſiæ poteſtas infinita, ſed ſubjecta verbo Domini, & in eo quaſi incluſa.

Matth. 28. verſ. 19. Joan. 7. verſ. 16.

Unde ſequitur, Eccleſiam verbo Dei ſcripto eſſe alligatam. Ratio. Chriſtus eſt unicus doctor Eccleſiæ, à cujus ore miniſtri haurire tenentur quicquid aliis ad ſalutem proponunt.

5. Atqui quum hoc ab initio in Eccleſia valuerit, hodieque valere debeat nequid doceant ſervi Dei quod non ab ipſo didicerint: pro temporum tamen varietate diverſas habuerunt diſcendi rationes. Ea vero quæ nunc eſt, plurimum à ſuperioribus differt. Principio, ſi verum eſt quod ait Chriſtus, quod *nemo Patrem viderit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare:* oportuit certe ab æterna illa Sapientia ſemper dirigi qui ad Dei notitiam pervenire vellent. Quomodo enim Dei myſteria aut animo comprehendiſſent, aut eloquuti eſſent, niſi docente eo cui ſoli patent arcana Patris? Deum igitur non aliter cognoverunt olim ſancti homines, quam ipſum in Filio, velut in ſpeculo intuiti. Hoc quum dico, intelligo Deum non alia ſe unquam ratione manifeſtaſſe hominibus quam per Filium, hoc eſt, unicam ſuam ſapientiam, lucem, ac veritatem. Ex hoc fonte hauſerunt Adam, Noë, Abraham, Iſaac, Jacob & alii quicquid habuerunt cæleſtis doctrinæ. Ex eodem Prophetæ omnes hauſerunt & ipſi quoque quicquid cæleſtium oraculorum ediderunt. Enimvero hæc Sapientia non uno modo ſemper ſe exeruit. Apud Patriarchas arcanis revelationibus eſt uſus: ſed ſimul ad eas confirmandas ejuſmodi ſigna adhibuit, ut minime dubium illis eſſe poſſet, Deum eſſe qui loquebatur. Patriarchæ quod acceperant, ad poſteros per manus tranſmiſerunt: ea enim lege apud ipſos depoſuerat Deus ut ita propagarent. Filii vero ac nepotes, Deo intus dictante, ſciebant è cælo eſſe, non ex terra, quod audiebant.

Matth. 11. verſ. 27.

Variis equidem modis illam docuit, qui tamen pios ad eundem doctorem ſemper deduxerunt. Primum, per revelationes, eas vero minime dubias. Deinde per Legem & Prophetas.

Mal. 2: 7.

6. Ubi autem Deo viſum eſt illuſtriorem Eccleſiæ formam excitare, verbum ſuum mandari ſcripto ac conſignari voluit, ut inde peterent Sacerdotes quod populo traderent, utque ad eam regulam omnis quæ traderetur doctrina exigeretur. Itaque poſt Legis promulgationem quum jubentur Sacerdotes docere ex ore Domini, ſenſus eſt, nequid extraneum aut alienum ab eo doctrinæ genere doceant quod Deus in Lege comprehenderat: addere vero ac minuere nefas illis fuit. Sequuti ſunt deinde Prophetæ, per quos nova quidem oracula publicavit Deus quæ ad Legem adderentur: non ſic tamen nova quin ex Lege manarent, & in ipſam reſpicerent. Quantum enim ad doctrinam, Legis duntaxat interpretes fuerunt: nec aliquid ad eam addiderunt niſi vaticinia de rebus futuris. His exceptis, nihil aliud prodiderunt quam puram Legis explicationem. Verum quia Domino placebat illuſtriorem extare doctrinam & ampliorem, quo melius infirmis conſcientiis ſatisfieret, Prophetias quoque ſcriptis mandari præcepit, & haberi verbi ſui partem. His ſimul acceſſerunt Hiſtoriæ, quæ & ipſæ Prophetarum ſunt lucubrationes, ſed dictante Spiritu ſancto compoſitæ. Pſalmos Prophetiis adnumero: quando his commune eſt quod illis tribuimus. Totum ergo illud corpus ex Lege, Prophetis, Pſalmis, & Hiſtoriis compactum, verbum Domini fuit veteri populo, ad cujus regulam Sacerdotes & Doctores uſque ad Chriſti adventum, ſuam doctrinam exigere debuerunt: nec fas illis fuit vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram deflectere: quia totum ipſorum munus his finibus incluſum erat, ut ex ore Dei populo reſponderent. Quod ex inſigni loco Malachiæ colligitur, ubi jubet memores eſſe Legis, & ad eam attendere uſque ad Euangelii prædicationem. Nam ita eos arcet ab omnibus adventitiis doctrinis, nec concedit vel tantillum à via deflectere quam Moſes fideliter illis monſtraverat. Atque hæc ratio eſt cur tam magnifice prædicet David Legis excellentiam, totque ejus encomia recenſeat: ne ſcilicet Judæi quicquam appeterent extraneum, quum tota perfectio illic incluſa eſſet.

Qui Prophetæ, quoad doctrinam, fuerunt Legis interpretes.

Horum ſcriptis hiſtoria ſacra & Pſalmi acceſſerunt.

Mal. 4: 4.

Pſal. 19. & 119.

Poſtremo, per ſeipſum in carne manifeſtatum.

7. Verum ubi demum in carne manifeſtata eſt Dei Sapientia, quicquid humana mente de Patre cæleſti comprehendi poteſt, & cogitari debet, pleno ore nobis ediſſeruit. Nunc itaque, ex quo illuxit Sol juſtitiæ Chriſtus, perfectum habemus divinæ veritatis fulgorem, qualis in meridie claritas eſſe ſolet, quum ante ſubobſcura lux fuerit. Non enim profecto vulgare aliquid prædicare voluit Apoſtolus, quum ſcripſit, *Deum olim multifariam multiſque modis Patribus loquutum eſſe per Prophetas: at extremis his diebus nobis per dilectum Filium loqui cœpiſſe:* ſignificat enim, imo aperte declarat, Deum non poſthac, ut antea, per alios ſubinde atque alios loquuturum, nec prophetias additurum prophetiis, aut revelationes revelationibus: ſed ſic omnes docendi partes in Filio compleviſſe, ut hoc ultimum æternumque ab eo habendum ſit teſtimonium. Qua ratione totum hoc novi Teſtamenti tempus ex quo cum Euangelii ſui prædicatione nobis apparuit Chriſtus ad diem uſque judicii, per *horam noviſſimam, noviſſima tempora, noviſſimos dies* deſignatur: quo ſcilicet doctrinæ Chriſti perfectione contenti, diſcamus nullam ultra novam aut nobis fingere, aut ab aliis confictam admittere. Itaque non temere Filium ſingulari prærogativa nobis doctorem Pater ordinavit: ipſum, non hominum quempiam præcipiens audiri. Paucis quidem verbis, ejus nobis magiſterium commendavit, quum dicit, *Ipſum audite:* ſed quibus ineſt plus quiddam ponderis ac energiæ quam vulgo exiſtimetur: perinde enim eſt ac ſi ab omnibus hominum doctrinis abductos, huic uni nos ſiſteret: ab uno omnem ſalutis doctrinam petere juberet: ab uno pendere, in uno hærere: denique (quod verba ſonant) unius voci auſcultare. Et ſane quid jam ab homine aut expectari aut expeti debeat, ubi Verbum ipſum vitæ familiariter ſe nobis ac coram explicavit? Quin omnium hominum ora clauſa eſſe convenit poſtquam ſemel loquutus eſt ille, in quo cæleſtis Pater omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauros voluit eſſe abſconditos, & ſic quidem loquutus eſt, ut & Dei ſapientiam (quæ nulla in parte hiulca eſt) & Meſſiam (à quo omnium revelatio ſperabatur) decebat: hoc eſt, ut poſt ſe nihil aliis dicendum reliquerit.

Hebt. 1. verſ. 12.

Qua diſpenſatio hora noviſſima, &c. nominatur, ut aliam perfectiorem extra verbum Dei ſcriptum nemo pius ſomniet.

Matth. 17. verſ. 5.

Col. 2: 3.

Joan. 4. verſ. 25.

Unde certiſſime ſequitur, Nemini licere aliud in Eccleſia docere quam quod

8. Eſto igitur hoc firmum axioma, Non aliud habendum eſſe Dei verbum cui detur in Eccleſia locus, quam quod Lege primum & Prophetis, deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur, nec alium eſſe rite docendi in Eccleſia modum niſi ex ejus verbi præſcripto & norma. Hinc etiam colligimus, non

aliud

in Prophetis ac Apoſtolicis ſcriptis, à Chriſti Spiritu dictatis, continetur.

aliud permiſſum fuiſſe Apoſtolis quam quod olim habuerant Prophetæ: nempe ut veterem Scripturam exponerent, ac oſtenderent in Chriſto completa eſſe quæ illic traduntur: id ipſum tamen non facerent niſi ex Domino, hoc eſt, præeunte & verba quodammodo dictante Chriſti Spiritu. Hac enim

Matth. 28. v. 19, 20.

lege eorum legationem definivit Chriſtus, quum juſſit ut irent ac docerent, non quæ temere ipſi eſſent fabricati, ſed quæcunque ipſis præceperat. Et

Matth. 23. v. 8, 10.

nihil apertius dici poterat quam quod alibi dicit, *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus enim magiſter veſter, Chriſtus.* Deinde quo altius hoc eorum animis infigeret, bis eodem loco repetit. Et quia quæ audierant ac didicerant ex ore Magiſtri, capere pro

Joan. 14. verſ. 26. & 16: 13.

ſua ruditate non poterant, Spiritus veritatis illis promittitur, à quo dirigantur in veram omnium intelligentiam. Illa enim reſtrictio attente notanda, ubi partes Spiritui ſancto aſſignat, ſuggerere quæcunque ante ore docuit.

Nec Apoſtolis, nec Apoſtolicis viris licuiſſe, nec univerſa Eccleſia licere has metas tranſgredi.

1. Confirmatio à Petri & Pauli teſtimoniis.

9. Proinde nihil aliud vel ſibi vel aliis reliquum facit Petrus, optime à Magiſtro edoctus quantum ſibi liceret, niſi ut traditam à Deo doctrinam diſpenſet. *Qui loquitur* (inquit) *loquatur tanquam ſermones Dei:* hoc eſt, non dubitanter, ut trepidare ſolent ſibi male conſcii, ſed alta confidentia, quæ ſervum Dei certis mandatis inſtructum decet. Quid hoc aliud eſt quam omnes humanæ mentis inventiones (à quocunque tandem capite profectæ ſint) arcere, ut purus Dei ſermo in fidelium Eccleſia doceatur ac diſcatur? omnium hominum (cujuſcunque ſint ordinis) placita vel potius figmenta tollere, ut ſolius Dei decreta rata maneant? Hæc ſunt *arma illa ſpiritualia potentia Deo ad demolitionem munitionum: quibus conſilia demoliantur* fidi Dei milites, *& omnem celſitudinem quæ extollitur adverſus cognitionem Dei: & captivam ducant omnem cogitationem ad obediendum Chriſto.* En ſummam poteſtatem, qua Eccleſiæ Paſtores, quocunque demum nomine vocentur, præditos eſſe convenit, nempe ut verbo Dei confidenter omnia audeant: ejus majeſtati omnem mundi virtutem, gloriam, ſapientiam, altitudinem cedere atque obedire cogant: ejus potentia fulti, omnibus à ſummo uſque ad noviſſimum imperent: Chriſti domum ædificent, Satanæ ſubvertant: oves paſcant, lupos profligent: dociles inſtituant & exhortentur; rebelles & pervicaces arguant, increpent, ſubigant: ligent ac ſolvant: fulgurent denique, ſi opus eſt, ac fulminent: ſed omnia in verbo Dei.

1 Pet. 4. verſ. 11.
2 Cor. 10. verſ. 4.

2. Ab argumento à majori ad minus. Apoſtoli verbo Dei alligati ſunt, quanto magis alios Eccleſiæ miniſtros ab eodem verbo ſcripto pendere oportet?

Quanquam inter Apoſtolos & eorum ſucceſſores hoc, ut dixi, intereſt, quod illi fuerunt certi & authentici Spiritus ſancti amanuenſes, & ideo eorum ſcripta pro Dei oraculis habenda ſunt: alii autem non aliud habent officii niſi ut doceant quod ſacris Scripturis proditum eſt ac conſignatum. Conſtituimus igitur, non eſſe jam fidelibus miniſtris relictum ut novum aliquod dogma excludant, ſed ſimpliciter inhærendum eſſe doctrinæ cui Deus omnes ſine exceptione ſubjecit. Hoc quum dico, non tantum oſtendere volo quid ſingulis hominibus liceat, ſed quid etiam univerſæ Eccleſiæ. Quantum ad ſingulos attinet, Paulus certe Corinthiis ordinatus erat à Domino Apoſtolus:

2 Cor. 1. verſ. 24.

fidei tamen eorum dominari ſe negat. Quis jam dominium ſibi arrogare audeat quod ſibi non competere teſtatur Paulus? Quod ſi hanc docendi licentiam agnoviſſet, ut quicquid tradiderit Paſtor, in eo certam ſibi fidem haberi jure poſtulet: nunquam

1 Cor. 14. v. 29, 30.

hanc diſciplinam tradidiſſet iiſdem Corinthiis, ut *loquentibus Prophetis duobus vel tribus, cæteri dijudicarent: quod ſi alicui ſedenti revelatum eſſet, primus taceret.* Sic enim nemini pepercit, cujus auctoritatem verbi Dei cenſuræ non ſubjiceret.

Imo vero & univerſam Eccleſiam, ex- preſſo ipſius Pauli teſtimonio.

At de univerſa Eccleſia, dicet quiſpiam, alia ratio eſt. Reſpondeo, Paulum huic quoque dubitationi alibi occurrere, quum dicit, *fidem eſſe ex auditu, auditum autem ex verbo Dei.* Scilicet ſi à ſolo Dei verbo pendet, ſi in illud ſolum reſpicit & recumbit: quis jam totius mundi verbo locus relinquitur? Neque hic hæſitare poterit quicunque bene noverit quid ſit fides: ea enim firmitudine ſubnixam eſſe oportet, qua adverſus Satanam & omnes inferorum machinas, totumque mundum invicta & intrepida conſiſtat. Hanc firmitudinem nonniſi in uno Dei verbo reperiemus.

Rom. 10. verſ. 17.

3. Ab auctoritate ſummi Magiſtri, id eſt, Dei.

Deinde univerſalis eſt ratio, quam hic reſpicere convenit: Deum idcirco adimere hominibus proferendi novi dogmatis facultatem, ut ſolus ipſe nobis ſit in ſpirituali doctrina magiſter: ut ſolus eſt verax qui nec mentiri nec fallere poteſt. Hæc ratio non minus ad totam Eccleſiam, quam ad unumquemque fidelium pertinet.

Contra, Tyranni Romani aliam doctrinam tradiderunt.

10. Iſthæc vero quam diximus Eccleſiæ poteſtas, ſi cum ea conferatur qua ſe aliquot jam ſeculis in populo Dei venditarunt ſpirituales tyranni, qui Epiſcopos ſe & religioſos Præſules falſo vocarunt, nihilo melior erit conſenſus quam Chriſto cum Belial. Neque hic mihi propoſitum eſt exponere qualiter & quam indignis modis ſuam tyrannidem exercuerint: tantum referam doctrinam, quam ſcriptis primum, deinde ferro & igni hodie tuentur.

Sua Concilia errare non poſſe.

Quoniam pro confeſſo ſumunt, univerſale Concilium eſſe veram Eccleſiæ imaginem, hoc principio ſumpto, ſimul abſque dubio ſtatuunt, regi immediate à Spiritu ſancto ejuſmodi Concilia, ideoque errare non poſſe. Quum vero ipſi Concilia regant, imo conſtituant, revera ſibi vendicant quicquid contendunt deberi Conciliis.

Ideo ſibi eſſe permiſſum nova dogmata cudere, negativa & affirmativa, quæ Chriſtiani omnes, tanquam fidei articulos amplecti teneantur.

Fidem igitur noſtram ſuo arbitrio ſtare volunt & cadere, ut quicquid ipſi utramque in partem conſtituerint, firmum animis noſtris ſtatumque ſit: ut ſive quid probaverint, ipſum nobis nulla dubitatione probari: ſive quid damnaverint, id quoque pro damnato eſſe oporteat. Interim ſua libidine, contemptoque Dei verbo, cudunt dogmata, quibus poſtea fidem hac ratione haberi poſtulant. Nec enim Chriſtianum eſſe, niſi qui in omnia ſua dogmata, tam affirmativa quam negativa, certo conſentiat: ſi non explicita fide, tamen implicita: quia penes Eccleſiam ſit condere novos fidei articulos.

Ad Papiſtarum argumenta pro Eccleſia auctoritate reſpondetur.

11. Primum audiamus quibus argumentis hanc Eccleſiæ datam auctoritatem confirment: deinde videbimus quantum eos juvet quod de Eccleſia allegant. Præclaras, inquiunt, promiſſiones habet Eccleſia, quod nunquam à ſponſo ſuo Chriſto ſit deſerenda quin ejus Spiritu ducatur in omnem veritatem.

1. Eccleſia ducitur in omnem veritatem.

Reſponſio 1. Non modo univerſa Eccleſia, ſed ſingulis fidelibus hæc promiſſa facta eſt.

At vero ex promiſſionibus quas allegare ſolent, multæ non minus fidelibus ſingulis, quam toti Eccleſiæ datæ ſunt. Nam tametſi duodecim Apoſtolis loquebatur Dominus, quum dicebat, *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Item, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum ſcilicet veritatis:* non tantum numero duodenario id promittebat, ſed illis quoque ſingulis: imo aliis ſimiliter diſcipulis vel quos jam aſſumpſerat, vel qui poſtea acceſſuri erant. Quum autem ejuſmodi promiſſiones, eximiæ conſolationis plenas, ſic interpretantur, quaſi nemini Chriſtianorum datæ ſint, ſed univerſæ ſimul Eccleſiæ: quid aliud quam Chriſtianis omnibus fiduciam tollunt, quæ inde ad ipſos animandos redire debuerat?

Joan. 16. verſ. 13.
Matth. 28. verſ. 20.
Joan. 14. verſ. 16.

Neque hic nego quin tota fidelium ſocietas multiplici donorum varietate inſtructa, longe ampliori & uberiori cæleſtis ſapientiæ theſauro prædita ſit, quam ſeorſum ſinguli: neque hoc ita fidelibus communiter dictum eſſe volo quaſi Spiritu intelligentiæ & doctrinæ ex æquo omnes polleant: ſed quia concedendum non eſt adverſariis Chriſti, ut ad defenſionem malæ cauſæ Scripturam in alienum ſenſum detorqueant.

Reſp. 2. quæ argumentum adver-

Verum hoc omiſſo, ſimpliciter fateor id quod res habet, Dominum perpetuo ſuis adeſſe, & eos Spiritu ſuo regere.

Hunc

ſariorum inventis. Spiritus Dei non docet errores, verbo Dei ſcripto oppoſitos.

Eph. 1: 18. Joan. 14. verſ. 17. 1 Cor. 2. verſ. 12.

Reſponſ. 3. Veritas in quam pii ducuntur, incluſa eſt in verbo Dei ſcripto.

Phil. 3: 12.

Hunc Spiritum non eſſe erroris, ignorantiæ, mendacii aut tenebrarum: ſed *certæ revelationis, ſapientiæ, veritatis*, ac lucis, à quo non fallaciter diſcant *quæ ſibi donata ſint*: hoc eſt, *quæ ſit ſpes vocationis ſuæ, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis Dei in ſanctis*. Verum quum primitias, & quendam duntaxat guſtum ejus Spiritus percipiant in hac carne fideles, etiam qui excellentioribus gratiis præ aliis donati ſunt: nihil illis potius reſtat quam imbecillitatis ſuæ conſcios, ſeſe intra verbi Dei fines ſollicite continere; ne ſi proprio ſenſu longius evagentur, à recta via protinus aberrent, quatenus ſcilicet Spiritu illo adhuc vacui ſunt, quo ſolo docente, verum à falſo diſcernitur. Omnes enim cum Paulo fatentur, ſe nondum ad metam pertigiſſe. Itaque ad quotidianum profectum magis contendunt quam perfectione gloriantur.

Exceptio adverſus primam reſponſionem, per negationem diluta.

12. Sed excipient, quicquid partim ſanctorum unicuique tribuitur, id penitus & ad plenum competere in ipſam Eccleſiam. Hoc tametſi habet nonnullam veri ſpeciem, verum tamen eſſe nego. Sic quidem ſingulis membris diſtribuit Deus dona Spiritus ſui ad menſuram, ut corpori univerſo nihil deſit neceſſarium, ubi dona ipſa in commune conferuntur. Verum tales ſunt ſemper Eccleſiæ divitiæ, ut multum deſit ad ſummam illam perfectionem quam adverſarii noſtri jactant. Nec ideo ulla in parte deſtituitur Eccleſia quin ſemper habeat quantum ſatis ſit: novit enim Dominus quid ejus neceſſitas requirat. Verum ut eam ſub humilitate & pia modeſtia contineat, non plus ei largitur quam novit expedire. Scio quid hic quoque objectare ſoleant, Eccleſiam ſcilicet *mundatam eſſe lavacro aquæ in verbo vitæ, ut eſſet ſine ruga & macula*: & ideo alibi vocari *columnam & firmamentum veritatis*. Verum priore loco magis docetur quid quotidie operetur in ea Chriſtus, quam quid jam perfecerit. Nam ſi omnes ſuos in dies ſanctificat, expurgat, expolit, maculis abſtergit: certe adhuc nævis ac rugis quibuſdam aſperſos eſſe, eorumque ſanctificationi deeſſe nonnihil, conſtat. Eccleſiam vero ſanctam & immaculatam jam penitus ac omni ex parte cenſere, cujus membra omnia maculoſa & nonnihil impura ſint, quam inane ac fabuloſum eſt? Verum eſt igitur ſanctificatam eſſe Eccleſiam à Chriſto: at ejus ſanctificationis initium hic duntaxat viſitur: finis vero & ſolidum complementum extabit quum Sanctus ſanctorum Chriſtus ſua eam ſanctitate vere & in ſolidum implebit. Verum eſt etiam deletas eſſe ejus maculas & rugas: ſed ita ut quotidie adhuc deleantur, donec ſuo adventu Chriſtus quicquid reſiduum eſt, penitus auferat. Niſi enim hoc recipimus: neceſſe erit ut cum Pelagianis aſſeramus, perfectam eſſe fidelium juſtitiam in hac vita: cum Catharis & Donatiſtis nullam in Eccleſia infirmitatem feramus. Alter locus, ut alibi vidimus, prorſus alium habet ſenſum quam intendunt. Ubi enim Timotheum inſtituit Paulus, & ad verum Epiſcopi officium formavit, dicit ſe ideo feciſſe, *ut ſciat qualiter oporteat ipſum verſari in Eccleſia*. Ac quo majore religione & ſtudio in eam rem intentus eſſet, ſubjungit *Eccleſiam ipſam eſſe columnam ac ſtabilimentum veritatis*. Quid autem aliud ſibi volunt hæc verba, quam in Eccleſia conſervari Dei veritatem, prædicationis ſcilicet miniſterio? Quemadmodum alibi docet, *Chriſtum dediſſe Apoſtolos, Paſtores, atque Doctores, ne amplius circumferamur quolibet vento doctrinæ*, aut ab hominibus deludamur: ſed vera Filii Dei cognitione illuminati, *omnes ſimul occurramus in fidei unitatem*. Quod ergo non extinguitur in mundo veritas, ſed ſalva perſtat, id fit quod fidam habet cuſtodem Eccleſiam, cujus opera & miniſterio ſuſtinetur. Atqui ſi hæc cuſtodia in miniſterio Prophetico & Apoſtolico ſita eſt, ſequitur totam inde pendere, ſi verbum Domini fideliter conſervetur, ſuamque puritatem retineat.

2. & 3. Argumentum, ex Pauli locis.

Eph. 5: 26. 1 Tim. 3. verſ. 15.

Ad 2. reſponſio, mentem Apoſtoli de Eccleſiæ puritate aperiens.

Reſp. ad 3. argumentum, quo ſenſu Eccleſia veritatis columna ac ſtabilimentum dicatur.

Eph. 4: 11.

4. Arg. à primo dependens. Eccleſia ducitur in omnem veritatem. Ergo errare non poteſt. Et quem ſenſum inde eliciant adverſarii. Reſponſio, quo ſenſu vera Eccleſia errare non poſſit oſtendens. Confirmatio à nomine Eccleſiæ conſideratione.

13. Atque ut melius intelligant lectores, in quo potiſſimum cardine verſetur hæc quæſtio; quid poſtulent noſtri adverſarii, & in quo ipſis reſiſtamus, paucis exponam. Quod illi negant errare poſſe Eccleſiam, huc ſpectat, atque ita interpretantur, Quando Spiritu Dei gubernatur, tuto incedere ſine verbo poſſe: quocunque pergat, non poſſe ſentire aut loqui niſi verum: proinde ſiquid extra aut præter Dei verbum ſtatuerit, id habendum eſſe non alio loco, quam certum Dei oraculum. Nos ſi demus illud primum, errare non poſſe Eccleſiam in rebus ad ſalutem neceſſariis: hic ſenſus noſter eſt, ideo hoc eſſe quod abdicata omni ſua ſapientia, à Spiritu ſancto doceri ſe per verbum Dei patitur. Hoc igitur eſt diſcrimen. Illi Eccleſiæ auctoritatem extra verbum Dei collocant: nos autem volumus verbo annexam, nec ab eo ſeparari patimur. Et quid mirum, ſi ſponſa ac diſcipula Chriſti ſuo ſponſo magiſtroque ſubjicitur, ut ab ejus ore aſſidue ac ſedulo pendeat? Hæc enim eſt domus bene compoſitæ ratio, ut mariti imperio uxor obtemperet: hæc ſcholæ bene moratæ regula, ut magiſtri ſolius doctrina illic audiatur. Quamobrem non ex ſe ſapiat Eccleſia, non ex ſe cogitet quicquam: ſed ſapientiæ ſuæ terminum ſtatuat ubi loquendi finem ille fecerit. In hunc modum & omnibus rationis ſuæ inventis diffidet: in quibus autem verbo Dei nititur, nulla diffidentia aut hæſitatione vacillabit, ſed magna certitudine firmaque conſtantia conquieſcet. Sic etiam earum quas habet promiſſionum amplitudine confiſa, habebit unde fidem ſuam præclare ſuſtineat: ut nihil addubitet, Spiritum ſanctum ſibi ſemper adeſſe, optimum rectæ viæ ducem: ſed memoria ſimul tenebit quem è ſuo Spiritu uſum percipi Deus velit. *Spiritus*, inquit, *quem à Patre mittam, ducet vos in omnem veritatem*. Sed quomodo? *Quia ſuggeret*, inquit, *omnia quæ dixi vobis*. Nihil ergo plus ex ſuo Spiritu denunciat exſpectandum, quam ut mentes noſtras illuminet, ad percipiendam doctrinæ ſuæ veritatem. Proinde ſciſſime Chryſoſtomus, *Multi*, inquit, *Spiritum ſanctum jactant: ſed qui propria loquuntur, falſo illum prætendunt. Ut Chriſtus non à ſeipſo loqui ſe teſtabatur, quia ex Lege loquebatur & Prophetis: ita ſiquid præter Evangelium ſub titulo Spiritus obtruditur, ne credamus. Quia ſicut Chriſtus Legis & Prophetarum impletio eſt: ita Spiritus Evangelii*. Hæc ille. Jam colligere in promptu eſt quam perperam faciant noſtri adverſarii, qui non alio fine jactant Spiritum ſanctum, niſi ut peregrinas & extraneas à verbo Dei doctrinas ejus titulo commendent: quum ipſe individuo nexu cum verbo Dei conjunctus eſſe velit, idque de eo profiteatur Chriſtus dum Eccleſiæ ſuæ eum promittit. Sic eſt ſane. Quam ſobrietatem ſemel Eccleſiæ ſuæ præſcripſit Dominus, eam perpetuo vult obſervari. Vetuit autem nequid verbo ſuo adderet, nequid ex eo detraheret. Hoc inviolabile eſt Dei ac Spiritus ſancti decretum, quod abrogare conantur noſtri adverſarii quum Eccleſiam ſine verbo regi à Spiritu fingunt.

Item à ſpei & fidei ejuſdem præſtantia.

Joan 14. verſ. 26. Joan. 16. v. 7. & 13.

Serm. de ſancto & adorando Spiritu. Joan. 12. verſ. 50. & 14. 10. Rom. 10. verſ. 4.

Quam abſurdum & impium ſit conſequens quod ex ſuperiore antecedente Pontificii elicere conantur.

5. Arg. Oportuit Eccleſiam verbi ſcripti defectum traditionibus non ſcriptis ſupplere.

14. Hic iterum obmurmurant, oportuiſſe Eccleſiam nonnulla addere ſcriptis Apoſtolorum, vel illos ipſos ſupplere poſtea viva voce quod minus clare tradidiſſent, nempe quum illis dixerit Chriſtus, *Multa habeo vobis dicenda, quæ non poteſtis portare modo*: atque hæc eſſe placita, quæ ſine Scriptura, uſu duntaxat & moribus recepta fuerunt. At quænam iſthæc eſt impudentia? Rudes adhuc, fateor, & prope indociles erant diſcipuli quum iſtud à Domino audirent: verum hacne tarditate tum etiam tenebantur, quum doctrinam ſuam ſcriptis commendarent, ut poſtea viva voce ſupplere neceſſe habuerint quod in ſcriptis ſuis ignorantiæ vitio omiſerant? Si vero jam à Spiritu veritatis ducti in omnem veritatem, ſua ſcripta ediderunt, quid obfuit quo-

Joan. 16. verſ. 12.

Reſponſio 1.

minus

minus perfectam Euangelicæ doctrinæ cognitio-
nem complexi ſint illic, conſignatamque reliquе-
2. rint? Sed age, demus illis quod petunt: deſignent
modo ea quæ revelari ſine ſcripto debuerunt: id ſi
tentare audeant, agam cum ipſis Auguſtini verbis, *Homil. in Joan. 96.*
hoc eſt, *Quum Dominus tacuerit, quis noſtrûm dicat,*
3. *Illa vel illa ſunt? aut ſi dicere audeat, unde probat?* Sed
quid de re ſupervacua contendo? Nam vel puero
notum eſt, in ſcriptis Apoſtolicis quæ iſti mutila quo-
dammodo & dimidia faciunt, fructum extare ejus
revelationis quam tunc eis Dominus promittebat.

6. Argumentum. Matth. 18. verſ. 17. *Reſponſio* I.

15. Quid? inquiunt, annon extra controver-
ſiam poſuit Chriſtus quicquid docet ac decernit Ec-
cleſia, quum jubet haberi pro ethnico & publicano
qui contradicere audeat? Primum illic non fit do-
ctrinæ mentio, ſed tantum cenſuris aſſeritur ſua
auctoritas ad corrigenda vitia, ne ſe ejus judicio op-
2. ponant qui admoniti vel objurgati fuerint. At hoc
omiſſo, valdè mirum eſt, tam nihil eſſe frontis
iſtis nebulonibus ut ferocire inde non dubitent.
Quid enim tandem obtinebunt, niſi non ſpernen-
dum Eccleſiæ conſenſum, quæ nunquam niſi in ve-
ritatem verbi Dei conſentit? Eccleſia audienda eſt,
inquiunt. Quis negat? quandoquidem nihil pro-
3. nunciat niſi ex verbo Domini. Si plus aliquid poſtu-
lant, ſciant nihil ſibi in eo ſuffragari hæc Chriſti
verba. Nec videri debeo nimis contentioſus quod
adeo vehementer in hoc inſiſto, Non licere Eccleſiæ
condere ullam novam doctrinam, hoc eſt, plus do-
cere, & pro oraculo tradere, quam quod Dominus
verbo ſuo revelavit. Vident enim ſani homines
quantum ſit periculum ſi hominibus ſemel conceſ-
ſum fuerit tantum juris. Vident etiam quanta fene-
ſtra aperiatur impiorum ſannis & cavillis, ſi dicamus
id pro oraculo habendum eſſe inter Chriſtianos
4. quod homines cenſuerint. Adde, quod pro temporis
ſui ratione loquens Chriſtus, ſynedrio tribuit hoc
nomen, ut poſtea diſcipuli ſui ſacros Eccleſiæ con-
ventus revereri diſcant. Ita fieret ut ſingulis urbibus
& pagis par eſſet in dogmatibus cudendis libertas.

Confirmatio ſuperioris argumenti 6. Pædobaptiſmus ex Eccleſiæ decreto emanavit. Cap. 16. hujus libri. *Et dogma de Filii ὁμοουσίᾳ. Reſponſio, ad poſtremam illam partem.*

16. Exempla quibus utuntur, nihil eos juvant.
Aiunt Pædobaptiſmum non tam ex aperto Scri-
pturæ mandato, quam ex Eccleſiæ decreto ema-
naſſe. At miſerrimum aſylum foret ſi pro defen-
ſione Pædobaptiſmi ad nudam Eccleſiæ auctori-
tatem ſuffugere cogeremur: verum ſatis alibi pate-
bit, longe ſecus eſſe. Similiter, quod objiciunt nuſ-
quam haberi in Scripturis quod in ſynodo Nicena
pronunciatum fuit, Filium eſſe conſubſtantialem
Patri: eo gravem faciunt Patribus injuriam, quaſi
temere damnarint Arrium quod in ſua verba jurare
noluerit, quum totam eam doctrinam profiteretur
quæ Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis eſt compre-
henſa. Non extat, fateor, hoc vocabulum in Scri-
ptura: ſed quum illic toties aſſeratur unum eſſe
Deum, rurſum toties vocetur Chriſtus verus &
æternus Deus, unus cum Patre: quid aliud faciunt
Patres Niceni, quum declarant eſſe unius eſſentiæ,
niſi quod nativum Scripturæ ſenſum ſimpliciter
enarrant? Atque hac præfatione in eorum cœtu
uſum fuiſſe Conſtantinum refert Theodoritus. *In* lib. 1. c. 5. hiſt. Eccleſ.
diſputationibus, inquit, *rerum divinarum habetur*
*præſcripta Spiritus ſancti doctrina: Euangelici & Apo-
ſtolici libri, cum Prophetarum oraculis, plene nobis
oſtendunt ſenſum numinis. Proinde diſcordia poſita,
ſumamus ex verbis Spiritus quæſtionum explicationes.*
His ſanctis monitionibus nemo tunc fuit qui refra-
garetur. Nemo excepit, Eccleſiam aliquid adjicere
poſſe de ſuo: Spiritum non omnia revelaſſe Apo-
ſtolis, vel ſaltem ad poſteros non tradidiſſe, aut tale
aliquid. Si verum eſt quod volunt noſtri adverſarii,
primum perperam egit Conſtantinus, qui Eccleſiæ
ſuam poteſtatem eripuit: deinde quod nemo Epi-
ſcoporum tum ſurrexit, ut eam contra vindicaret
hoc ſilentium perfidia non carebat: ſic enim erant
proditores juris Eccleſiaſtici. Sed quum Theodo-
ritus referat libenter amplexos eſſe quod dicebat
Imperator: conſtat novum hoc dogma tunc fuiſſe
omnino incognitum.

CAP. IX.

De Conciliis, eorumque auctoritate.

Partes hujus capitis.

Quoniam Eccleſiæ ſenſum & conſenſum, præcipue quod ad auctoritatem dogmatum tradendorum & eorum explicationem, Papiſtæ Conciliis ſuis tribuunt: neceſſario fuit de illis prius agendum, quam de priori illa parte poteſtatis Eccleſiaſticæ circa doctrinam verſanti inſtituta eſſet tractatio.

1. *Primum igitur de Conciliorum auctoritate in dogmatis tradendis habetur diſputatio, & oſtenditur Spiritum Dei Eccleſiæ Paſtoribus non eſſe ita alligatum ut adverſarii ſentiunt, quorum objectiones diluuntur, ſect.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.
2. *Quorundam Conciliorum errores, antilogiæ, infirmitates deteguntur, & refellitur effugium illud, Præpoſitis ſine diſtinctione eſſe obediendum, ſect.* 8. 9. 10. 11. 12.
3. *Poſtremo de Conciliorum auctoritate circa Scripturæ S. interpretationem agitur, ſect.* 13. 14.

Sex illa pro Eccleſiæ auctoritate prolata ſophiſmata, ſuperiori capite, nil juvant Papiſtas. vide Calvin. adv. Theologos Pariſ. item ad Sadolet. & de neceſſit. refor. Eccleſiæ. *Occupatio, qua reſpondetur tacitæ objectioni, regulis appoſitis, quæ, qualia eſſe debeant Concilia, demonſtrant.*

NUnc ut omnia illis de Eccleſia concedam: pro ſua tamen intentione ne ſic quidem multum adhuc profecerint. Nam quicquid de Eccleſia dicitur, id mox ad Concilia transferunt, quum eorum opinione Eccleſiam repræſentent. Imo quod tam pertinaciter contendunt de Eccleſiæ poteſtate, non alio conſilio faciunt, niſi ut Romano Pontifici, & ejus ſatellitio totum deferant quod extorſerint. Antequam vero hanc quæſtionem expedire incipiam, duo hic mihi breviter præfari neceſſe eſt. Quod hic rigidior ſum futurus, non ideo eſſe quod vetuſta Concilia minoris faciam quam decet. Veneror enim ea ex animo, ſuoque in honore apud omnes eſſe cupio. Sed hic eſt aliquis modus: ut nihil ſcilicet Chriſto derogetur. Porro hoc eſt Chriſti jus, ut Conciliis omnibus præſideat, nec ſocium habeat hominem in iſta dignitate. Tunc autem demum præſidere dico, ubi totum conſeſſum verbo & Spiritu ſuo moderatur. Deinde quod minus Conciliis tribuo quam adverſarii petunt, non ea cauſa facere quod à Conciliis metuam, quaſi illorum cauſæ ſuffragentur, noſtræ vero ſint contraria. Nam ſicuti ad plenam doctrinæ noſtræ approbationem, & totius Papiſmi everſionem abunde verbo Domini inſtructi ſumus, ut nihil præterea requirere magnopere opus ſit: ita ſi res flagitet, magna ex parte quod ſatis ſit ad utrumque vetera Concilia nobis ſubminiſtrant.

Unde Conciliorum auctoritas.

2. Jam de re ipſa loquamur. Si ex Scripturis quæ ſit Conciliorum auctoritas quæritur, nulla extat illuſtrior promiſſio quam in hac Chriſti ſententia, *Ubi duo aut tres congregati in nomine meo fuerint, illic in medio eorum ſum.* Verum id nihilo minus in particularem quemvis cœtum competit quam in Concilium univerſale. Neque tamen in eo hæret quæſtionis nodus: ſed quod addita eſt conditio, ita demum fore Chriſtum in medio Concilii, ſi in ſuo nomine congregetur. Quare ut millies Epiſcopo-
rum Matth. 18. verſ. 20. *Nempe, ſi in nomine Chriſti congregentur,*

rum Concilia nominent adverſarii, parum promovebunt: nec ante efficient ut credamus quod contendunt, regi à Spiritu ſancto, quam fidem fecerint, congregari in Chriſti nomine. Siquidem tam poſſunt impii improbique Epiſcopi adverſus Chriſtum conſpirare, quam boni & probi in ejus nomine coire. Hujus rei luculento nobis documento ſunt plurima decreta quæ à talibus Conciliis prodiere. Sed hoc poſtea videbitur. Nunc tantum uno verbo reſpondeo, Chriſtum nihil polliceri niſi iis qui in ſuo nomine congregantur.

Quid hoc ſit.

Quid ergo illud ſit definiamus. Nego in Chriſti nomine congregari eos qui abjecto Dei mandato, quo vetat quicquam addi verbo ſuo aut detrahi, proprio arbitrio quidvis ſtatuunt: qui non contenti Scripturæ oraculis, hoc eſt, unica perfectæ ſapientiæ regula, de ſuo capite novum aliquid comminiſcuntur.

Deut. 4: 2. Apoc. 22. v. 18, 19.

Nota perpetua legitimorum Conciliorum.

Certe quum non Conciliis quibuslibet ſe adfuturum promiſerit Chriſtus, ſed peculiarem notam appoſuerit qua vera & legitima ab aliis diſcerneret, nos hanc diſcretionem minime negligere convenit. Hoc eſt pactum quod olim cum Leviticis Sacerdotibus Deus pepigit, ut docerent ex ore ſuo. Hoc ſemper à Prophetis requiſivit: hanc quoque legem videmus Apoſtolis fuiſſe impoſitam. Qui hoc pactum violant, eos nec honore ſacerdotii, nec ulla auctoritate dignatur Deus. Hunc nodum mihi ſolvant adverſarii, ſi velint fidem meam hominum placitis citra Dei verbum mancipare.

Malach. 2. verſ. 7.

1. Objectio. In Eccleſia non remanet veritas niſi inter Paſtores, & Concilia.

3. Nam quod in Eccleſia remanere veritatem non putant niſi inter Paſtores conſtet, nec Eccleſiam ipſam conſiſtere niſi in Conciliis generalibus emineat: multum abeſt quin id verum ſemper fuerit, ſi vera de ſuis temporibus teſtimonia nobis reliquerunt Prophetæ.

Reſponſio. 1. ex vet. Teſtamento, oſtendens Paſtores tum ſæpius vacuos fuiſſe Spiritu ſcientiæ & veritatis.

Erat Jeſaiæ tempore Eccleſia Hieroſolymis, quam Deus nondum deſeruerat. De Paſtoribus vero ſic loquitur, *Speculatores ejus cæci omnes, neque quicquam noverunt. Omnes canes muti, nec valent latrare: jacentes dormiunt, & amant dormitionem: & Paſtores ipſi nihil ſciunt nec intelligunt: & in univerſum reſpiciunt ad vias ſuas.* In eundem modum Oſeas, *Speculator Ephraim cum Deo, laqueus aucupis, odium in domo Dei.* Ubi ironice eos Deo conjungens, evanidum ſacerdotii prætextum eſſe docet. Durabat quoque Eccleſia ad tempus Jeremiæ. Audiamus quid de Paſtoribus dicat, *A Propheta uſque ad Sacerdotem quiſque ſectatur mendacium.* Item, *Prophetæ mendacium prophetant in nomine meo: quum ego non miſerim eos, neque præceperim eis.* Ac ne prolixi nimium in recitandis ejus verbis ſimus, legantur quæ toto viceſimo tertio capite & quadrageſimo ſcripſit.

Jeſ. 56. v. 10. 11. Oſeæ 9: 8. Jer. 6: 13. & 14: 14.

Tunc ex altera parte nihilo mitius in eoſdem invehebatur Ezechiel. *Conjuratio*, inquit, *Prophetarum in medio ejus ſicut leo rugiens & qui rapit prædam. Sacerdotes ejus violaverunt Legem meam, & profanaverunt ſancta mea: nec diſcrimen fecerunt inter ſanctum & profanum:* & cætera quæ ſubjungit in eum ſenſum. Similes querimoniæ paſſim extant in Prophetis: ut nihil illic frequentius recurrat.

Ezech. 22. verſ. 25.

Reſp. 2. ex novo Teſtamento, ubi prædictum eſt noſtrum ſeculum ab eo malo immune haud futurum.

4. Sed enim id forte inter Judæos valuerit: noſtrum vero ſeculum à tanto malo immune eſt. Utinam quidem eſſet: verum aliter fore Spiritus ſanctus denunciavit; clara enim ſunt Petri verba: *Quemadmodum* (inquit) *fuerunt in populo veteri Pſeudoprophetæ: ſic & inter vos erunt falſi doctores, ſectas perditionis inſinuantes.* Viden' ut non à plebeiis imminere periculum prædicat, ſed ab iis qui Doctorum & Paſtorum titulo ſe venditabunt? Præterea quoties à Chriſto & ejus Apoſtolis eſt prædictum, fore ut à Paſtoribus ſumma Eccleſiæ pericula impenderent? Imo palam oſtendit Paulus, non alibi ſeſſurum Antichriſtum quam *in templo Dei.* Quo ſignificat, non aliunde venturam horrendam illam calamitatem, de qua ibi loquitur, niſi ab iis qui pro Paſtoribus in Eccleſia ſedebunt.

2 Pet. 2: 1. Matth. 24. v. 11, 24. 2 Theſſ. 2. verſ. 4.

Et alibi tanti mali exordia jam prope inſtare demonſtrat. Nam dum Epheſinos Epiſcopos alloquitur, *Scio*, inquit, *quod poſt diſceſſum meum intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi. Et ex vobiſipſis erunt qui loquantur perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe.*

Act. 20. v. 29, 30.

Quantum inter Paſtores afferre corruptionis potuit longa annorum ſeries, quum tantulo temporis ſpatio degenerare ſic potuerint? Ac ne enumerando multum chartarum impleam: omnium fere ſeculorum exemplis monemur, nec veritatem ſemper in ſinu Paſtorum ali, nec Eccleſiæ incolumitatem ab eorum ſtatu pendere.

Confirmatio ab exemplis omnium fere ſeculorum.

Decebat quidem illos Eccleſiaſticæ pacis ac ſalutis, cui conſervandæ deſtinati ſunt, præſides eſſe ac cuſtodes: ſed aliud eſt præſtare quod debeas; aliud, debere quod non præſtes.

Secunda objectionis occupatio. ne quiſquam neſciat, non omnes Paſtores eſſe qui ſeſe pro Paſtoribus vendicant.

5. Neque tamen noſtra iſta verba in eam partem quis accipiat, quaſi Paſtorum auctoritatem paſſim ac temere, nulloque delectu labefactare velim. Tantum inter eos ipſos delectum habendum eſſe moneo, ne qui dicuntur, eſſe quoque Paſtores continuo exiſtimemus. At Papa cum toto Epiſcoporum ſuorum grege, non alia ratione niſi quia Paſtores nuncupantur, excuſſa verbi Dei obedientia, volvunt omnia, verſantque pro libidine: interim perſuadere contendunt, ſeſe luce veritatis deſtitui non poſſe: Spiritum Dei perpetuo in ſe reſidere: Eccleſiam in ſe ſubſiſtere, & ſecum emori. Quaſi vero jam nulla ſint Domini judicia, ut eodem pœnæ genere in mundum hodie animadvertat quo populi veteris ingratitudinem aliquando ultus eſt: nempe ut Paſtores *percutiat cæcitate & ſtupore.* Nec intelligunt ſtolidiſſimi homines, eandem ſe canere cantilenam quam canebant olim illi qui cum verbo Dei belligerabantur.

Zach. 12. verſ. 4.

Sic enim ſeſe contra veritatem inſtruebant hoſtes Jeremiæ, *Venite, & cogitabimus contra Jeremiam cogitationes: quandoquidem non peribit Lex à Sacerdote, nec conſilium à Sapiente, nec verbum à Propheta.*

Jer. 18: 18.

Tertia objectio, Concilia generalia repræſentant Eccleſiam, quæ alioqui conſiſtere nequit.

6. Hinc facile eſt reſpondere ad illud alterum de Conciliis generalibus. Quin Judæi veram Eccleſiam ſub Prophetis habuerint, negari non poteſt. Quod ſi generale Concilium tunc ex Sacerdotibus coactum fuiſſet, qualis apparuiſſet Eccleſiæ facies?

Reſp. vanitatem hujus objectionis aperte detegens, exemplis quibuſdam ex vetere Teſtamento.

Audimus quid Deus non uni aut alteri eorum, ſed ordini univerſo denunciet, *Obſtupeſcent Sacerdotes, & Prophetæ terrebuntur.* Item, *Lex peribit à Sacerdote, & conſilium à Senioribus.* Item, *Nox vobis pro viſione erit, & tenebræ pro divinatione: & occumbet ſol ſuper Prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies,* &c. Age, ſi coacti in unum tunc fuiſſent omnes ejuſmodi, quis Spiritus in eorum cœtu præfuiſſet? Ejus rei inſigne ſpecimen habemus in eo Concilio quod convocavit Achab. Aderant quadringenti Prophetæ. Sed quia non alio animo convenerant niſi ut Regi impio adularentur: mittitur à Domino Satan, qui ſit Spiritus mendax in ore omnium. Illic omnium ſuffragiis damnatur veritas: Micha pro hæretico damnatur, percutitur, conjicitur in carcerem. Sic Jeremiæ factum eſt; ſic aliis Prophetis.

Jer. 4: 9. Ezech. 7. verſ. 26. Mich. 3: 6. 1 Reg. 22. verſ. 5. 6, & 22.

Deinde ex Novo

7. Sed unum exemplum, quod eſt præ aliis memorabile, pro omnibus ſufficiat. In eo Concilio quod collegerunt Pontifices & Phariſæi Hieroſolymis adverſus Chriſtum, quid deſideres quod quidem ad externam ſpeciem attinet?

Joan. 11. verſ. 47.

Niſi enim tunc fuiſſet Hieroſolymis Eccleſia, nunquam ſacrificiis aliiſque ceremoniis communicaſſet Chriſtus. Fit ſolemnis convocatio: præibat ſummus Pontifex: totus ordo Sacerdotalis aſſidebat: damnatur tamen illic Chriſtus, & ejus doctrina è medio profligatur. Hoc facinus documento eſt, incluſam minime fuiſſe in illo Concilio Eccleſiam.

Exceptio. Reſponſio.

At non eſt periculum nequid tale nobis eveniat. Quis nobis fidem fecit? Nam in re tanta nimis ſecuros eſſe, ſocordiæ culpa non caret. Quin ubi diſertis verbis vaticinatur Spiritus

ritus

2 Theſſ. 2. verſ. 3.

ritus per os Pauli, venturam defectionem (quæ venire non poteſt quin Paſtores Deum primi derelinquant) quid ſponte hic io exitium noſtrum cæcutimus? Quare nullo modo concedendum eſt, Eccleſiam in Paſtorum cœtu conſiſtere, quos Dominus nuſquam recepit bonos perpetuo fore, malos autem interdum fore pronunciavit. Ubi autem de periculo admonet, ideo facit ut nos cautiores reddat.

Quarta objectio. Attamen Concilia ſunt admittenda.

8. Quid ergo? inquies, nullane erit in definiendo Conciliorum auctoritas? Imo vero: oeque enim bic omnia Concilia damnanda, aut omnium acta reſcindenda, & (quod dicitur) una litura eſſe inducenda diſputo. At cogis tamen, inquies, omnia in ordinem: ut cuilibet in medio poſitum ſit recipere vel repudiare quod ſtatuerint Concilia. Minime vero: ſed enim quoties Concilii alicujus decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum ſit, qua de cauſa habitum, & quo conſilio, quales bomines interfuerint: deinde illud ipſum, de quo agitur, ad Scripturæ amuſſim examinari: idque in eum modum ut Concilii definitio pondus ſuum habeat, ſitquo inſtar præjudicii: neque tamen examen, quod dixi, impediat. Utinam eum omnes modum ſervarent quem præſcribit Auguſtinus libro adverſus Maximinum tertio. Nam quum hunc hæreticum de Synodorum decretis litigantem breviter vult compeſcere, *Nec ego*, ioquit, *Nicenam Synodum tibi, nec tu mihi Ariminenſem debes tanquam præjudicaturus objicere. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, ſed quæ utriſque ſunt communes, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione certet.* Sic fieret ut Coocilijs ſua eſſet quæ eſſe debet majeſtas: interim tamen ſuperiore loco emineret Scriptura, nequid eſſet quod non illius regulæ ſubjiceretur. Sic priſcas illas Synodos, ut Nicenam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, Chalcedonenſem ac ſimiles, quæ confutandis erruribus habitæ ſunt, libenter amplectimur, reveremurque ut ſacroſanctas, quantum attinet ad fidei dogmata: nihil enim continent quam puram & nativam Scripturæ interpretationem, quam ſancti Patres ſpirituali prudentia, ad frangendos religionis hoſtes qui tunc emerſerant, accommodaruot. In poſterioribus quoque nonnullis videmus elucere verum pietatis ſtudium, notas adhæc ingenii, doctrinæ, prudentiæ, non obſcuras. Sed quemadmodum ſulent res in deterius fere prolabi, ex recentioribus Conciliis videre eſt quantum ſubinde Eccleſia à puritate illius aurei ſeculi degeneraverit. Nec dubito quin iſtis quoque corruptioribus ſeculis habuerint Concilia ſuos melioris notæ Epiſcopos. Sed in his accidit quod in Romanis Senatuſcooſultis non recte fieri olim conquerebaotur ipſi Senatores. Dum enim numerantur, non appenduntur ſententiæ, meliorem partem à majore vinci ſæpius neceſſe fuit. Certe multas impias ſententias protulerunt. Neque hic opus eſt ſpecies colligere: vel quod nimis longum foret, vel quod hoc alii fecerunt diligentius quam ut multum addere liceat.

Reſponſio, per diſtinctionem. Admittenda quidem, ſed quatenus ad Scripturæ amuſſim conveniunt.

Teſte Auguſtino.

Exempla ſunt, Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum, &c.

Poſteriora autem, quæ multum jam impuritatis contraxerant, cum limitatione tantum recipienda.

9. Porro quid Concilia cum Conciliis pugnantia recenſeam? Nec eſt quod mibi quiſpiam obmurmuret, ex bis quæ pugnant, alterutrum non eſſe legitimum. Unde enim id æſtimabimus? Nempe ex eo, niſi fallor, quod ex Scripturis judicabimus, non eſſe orthodoxa illius decreta. Hæc enim una eſt certa lex diſcretionis. Jam nongenti circiter anni ſuot quum ſynodus Conſtantinopolitana ſub Leone Imperatore congregata, ſubvertendas & confringendas imagines in templis collocatas cenſuit. Paulo poſt concilium Nicenum, quod in ejus invidiam Irene coëgit, reſtituendas decrevit. Utrum ex duobus agnoſcemus pro legitimo? Vulgo obtinuit boc poſterius, quod in templis locum imaginibus dedit. At Auguſtinus id fieri poſſe negat ſine præſentiſſimo idololatriæ periculo. Epiphanius ætate ſuperior aſperius multo loquitur: nefas enim & abominationem eſſe tradit, aſpici in templis Chriſtianorum, imagines. Qui ſic loquuntur, an approbarent Concilium illud ſi hodie eſſent ſuperſtites? Quod ſi & vera narrant Hiſtorici, & actis ipſis creditur, non imagines tantum ipſæ, ſed earum cultus illic receptus fuit. Tale vero placitum palam eſt à Satana manaſſe. Quid quod totam Scripturam depravando & lacerando, ludibrio eam ſibi fuiſſe demonſtrant? Quod ego ſuperius abunde planum feci. Quicquid ſit, non aliter diſcernere inter contrarias & diſſentientes Synodos, quæ multæ fuerunt, poterimus, niſi omnes illa quam dixi omnium hominum & Angelorum ſtatera, id eſt, verbo Domini examinemus. Sic Chalcedonenſem amplectimur, repudiata Epheſina ſecunda, quod in hac Eutychiana impietas confirmata fuit, quam illa altera damnavit. Ejus rei judicium nonniſi ex Scripturis fecerunt ſancti viri, quos ſic in judicando ſequimur, ut Dei verbum quod illis præluxit, nobis nunc quoque præluceat. Eant nunc Romanenſes, & affixum alligatumque ſuis Conciliis Spiritum ſanctum pro more jactent.

Pugnantia concilianda, & quæ cum Dei veritate conſentiunt, amplectenda, quæ ab ea diſſentiunt, rejicienda. Confirmatio ab exemplo concilii Conſtantinopol. & Niceni.

libr. 1. cap. 11. ſect. 14.

Chalcedonenſis item & Epheſini ſecunda.

10. Quanquam in illis quoque antiquis & purioribus eſt quod jure deſideres, vel quod eruditi alioqui & prudentes viri qui tum aderant, præſentibus negotiis diſtracti, multa alia non proſpiciebant: vel quod gravioribus & magis ſeriis occupatos, nonnulla levioris momenti ſubterfugiebant: vel quod ſimpliciter, ut homines, imperitia falli poterant: vel quod nimio affectu nonnunquam præcipites ferebantur. Hujus poſtremi (quod omnium duriſſimum videtur) exemplum illuſtre extitit in Nicena ſynodo: cujus dignitas omnium conſenſu ſumma veneratione, ut merebatur, excepta eſt. Nam quum primarium fidei noſtræ caput illic periclitaretur, adeſſet hoſtis Arrius in procinctu, quocum manus conſerendæ eſſent, ſummum vero momentum in eorum concordia eſſet qui ad oppugnandum Arrii errorem parati venerant: ipſi nihilominus tantorum diſcriminum ſecuri, imo velut gravitatis, modeſtiæ, & omnis humanitatis obliti, omiſſo quod in manibus erat certamine (quaſi ea deſtinato, Arrio gratificaturi, eo conceſſiſſent) inteſtinis diſſidiis ſeſe proſcindere cœperunt: & ſtylum qui in Arrium ſtringendus erat, in ſeipſos dirigere. Fœdæ criminationes audiebantur: libelli accuſatorii volitabant: nec contentionum finis ullus factus eſſet, donec mutuis vulneribus ſe confodiſſent, niſi Imperator Conſtantinus occurriſſet, qui inquiſitionem in eorum vitam, rem eſſe ſupra ſuam cognitionem profeſſus, talem intemperiem laude magis quam objurgatione caſtigavit. Quam multis partibus & alia quæ deinde ſequuta ſunt Concilia lapſa fuiſſe veriſimile eſt? Nec longa demonſtratione opus hæc res habet: ſiquis enim acta perlegat, multas illic infirmitates animadvertet: nequid dicam gravius.

Puriorum Conciliorum errata & lapſus, quorum quatuor vel cauſæ vel occaſiones.

Exemplum in ſynodo Nicena, ubi inteſtinis diſſidiis Epiſcopi inter ſe conflixerant.

11. Et Leo Romanus Pontifex oon dubitat ſynodo Chalcedonenſi, quam in dogmatibus orthodoxam fatetur, ambitionem & inconſultam temeritatem objicere. Legitimam quidem eſſe non negat: ſed errare potuiſſe palam aſſerit. Ineptus forte alicui videar qui de commonſtrandis hujuſmodi erroribus laborem: quum fateantur adverſarii, errare Concilia poſſe in iis quæ ad ſalutem non ſunt neceſſaria. Sed neque ſupervacuus eſt hic labor. Tametſi enim coacti, verbo quidem id fatentur: quum tamen omnium Conciliorum determinationem in re qualibet, nullo diſcrimine, pro Spiritus ſancti oraculo nobis obtrudant, plus exigunt quam initio ſumpſerant. Quid ſic agendo contendunt, niſi errare non poſſe Concilia: aut ſi errant, nefas eſſe

Aliud exemplum in ſynodo Chalcedonenſi, cui ambitionem & inconſultam temeritatem Leo Romanus objicit.

tamen

tamen verum cernere, aut non aſſentari erroribus?

Quorſum ejuſmodi lapſus in medium proferantur.

Neque aliud intendo, quam inde poſſe colligi, Spiritum ſanctum ſic pias alioqui & ſanctas Synodos gubernaſſe, ut interim aliquid eis humanitus accidere ſineret, ne nimium hominibus confideremus. Hæc multo melior eſt ſententia, quam illa Gregorii Nazianzeni,

epiſt. 55. ad Procopium. *Nullius unquam Concilii ſe vidiſſe bonum finem.* Nam quia aſſerit omnia ſine exceptione male deſiiſſe, non multum auctoritatis illis relinquit.

Provincialium conciliorum eadem ratio.

De provincialibus Conciliis mentionem ſeorſum facere, nihil jam neceſſe eſt: quando ex generalibus æſtimare promptum eſt quantum auctoritatis ad condendos fidei articulos, & quodcunque viſum fuerit doctrinæ genus recipiendum habere debeant.

Papiſtarum effugium, ex Hebr 13. verſ. 17.

12. At noſtri Romanenſes, ubi in cauſæ ſuæ defenſione omnia rationis præſidia labaſcere ſibi vident, ad extremum illud miſerumque ſuffugium concedunt, Etiamſi mente & conſilio ſtupidi ipſi ſint, animo vero & voluntate nequiſſimi: manere tamen verbum Domini, quod Præpoſitis obedire jubet.

Reſponſio 1. Eorum Præpoſitos non eſſe vere Præpoſitos.

Itane vero? quid ſi Præpoſitos eſſe negem qui tales ſunt? Non enim plus ſibi arrogare debent quam habuerit Joſue, qui & Propheta Domini fuit, & eximius Paſtor. Audiamus autem quibus verbis inauguretur in ſuum munus à Domino: *Non*

Joſuæ 1. *recedat*, inquit, *volumen Legis ab ore tuo: ſed medi-*

verſ. 7, 8. *taberis in eo diebus ac noctibus. Neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinabis: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Illi igitur ſpirituales nobis erunt Præfecti qui à Lege Domini neque huc neque illuc deflectent.

Reſponſio 2. Pſeudoprophetæ expreſſo mandato ſunt fugiendi.

Quod ſi nulla hæſitatione accipienda eſt quorumvis Paſtorum doctrina, quorſum attinebat toties tamque ſollicite Domini voce nos admoneri, ne Pſeudoprophetarum ſermoni auſcultemus? *No-*
lite (inquit per Jeremiam) *audire verba Propheta-*

Jer. 23:16. *rum, qui prophetant vobis. Vanitatem enim vos do-*

Mat. 7:15. *cent, & non ex ore Domini.* Item, *Cavete vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.*

Reſponſio 3. Spiritus ſunt probandi, & cæci non ſequendi.

Fruſtra & Joannes nos hortaretur ut *probemus ſpiritus numquid ex Deo ſint.* Cui judicio ne Angeli quidem eximuntur, nedum Satan cum ſuis mendaciis. Quid autem iſtud, *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadent?* annon

1 Joan. 4. ſatis declarat multum intereſſe quales Paſtores au-

verſ. 1. diantur, nec temere omnes audiendos? Quare non

Gal. 1:8. eſt quod ſuis nos titulis abſterreant, quo in partici-

Matth. 15. pationem trahant ſuæ cæcitatis: quum videamus

verſ. 14. contra ſingularem Domino curam fuiſſe abſterrendi, ne alieno errore duci nos pateremur, ſub quacunque nominis larva lateat.

Concluſio diſputationis de poteſtate Eccleſiæ circa dogmata.

Nam ſi verum eſt Chriſti reſponſum, cæci quique duces, ſive Antiſtites, ſive Præſules, ſive Pontifices dicantur, nihil poſſunt quam ſuos conſortes in idem rapere præcipitium. Quare nulla Conciliorum, Paſtorum, Epiſcoporum nomina (quæ tam falſo obtendi quam vere uſurpari poſſunt) nos impediant quominus & verborum & rerum documentis moniti, omnes omnium ſpiritus ad divini verbi regulam exigamus, quo *probemus num ex Deo ſint.*

Poſtrema pars capitis de Eccleſiæ poteſtate circa Scripturæ interpretationem.

13. Quoniam probavimus non eſſe datam Eccleſiæ poteſtatem erigendæ novæ doctrinæ, dicamus nunc de poteſtate quam illi tribuunt in Scripturæ interpretatione. Nos certe libenter concedimus, ſi quo de dogmate incidat diſceptatio, nullum eſſe nec melius nec certius remedium quam ſi verorum Epiſcoporum ſynodus conveniat, ubi controverſum dogma excutiatur. Multo enim plus ponderis habebit ejuſmodi definitio in quam communiter Eccleſiarum Paſtores, invocato Chriſti Spiritu, conſenſerint, quam ſi quiſque ſeorſum domi conceptam populo traderet, vel pauci homines privatim eam conficerent. Deinde ubi collecti in unum ſunt Epiſcopi, commodius in commune deliberant quid ſibi & qua forma docendum ſit, ne diverſitas offendiculum pariat. Tertio, hanc rationem præ-

ſcribit Paulus in dijudicandis doctrinis. Nam quum 1 Cor. 14.

ſingulis Eccleſiis attribuat *dijudicationem*, oſten- verſ. 29.

dit quis in gravioribus cauſis ſit ordo agendi: nempe ut Eccleſiæ inter ſe communem cognitionem ſuſcipiant. Atque ita nos ipſe pietatis ſenſus inſtituit, ut ſi quis turbet Eccleſiam dogmate inuſitato, atque eo res perveniat ut ſit periculum à graviore diſſidio, conveniant primum Eccleſiæ: quæſtionem propoſitam examinent: demum, juſta diſcuſſione habita, definitionem ex Scriptura ſumptam proferant, quæ & dubitationem in plebe tollat, & os obſtruat improbis & cupidis hominibus, ne pergere amplius audeant.

Ex quo fonte hauriendа ſit iſta interpretatio.

Sic exorto Arrio coacta eſt Nicena ſynodus, quæ ſua auctoritate & ſceleratos impii hominis conatus fregit, & pacem reſtituit Eccleſiis quas vexaverat, & æternam Chriſti divinitatem contra ſacrilegum ejus dogma aſſeruit.

Conciliorum auctoritas, & ratio conſervandæ unitatis in Eccleſia.

Quum deinde novas turbas moverent Eunomius & Macedonius, ſimili remedio eorum inſaniæ occurſum eſt per Conſtantinopolitanam ſynodum: Epheſino concilio profligata eſt Neſtorii impietas. Hæc denique ab initio fuit ordinaria in Eccleſia ratio conſervandæ unitatis, quoties Satan aliquid machinari cœperat.

Ita tamen ut juſto Dei judicio, ſinceræ doctrinæ defenſores non ſemper appareant, & Pſeudodoctorum artibus veritas ad tempus ſepeliatur.

Sed meminerimus, non omnibus ſeculis vel locis haberi Athanaſios, Baſilios, Cyrillos, & ſimiles veræ doctrinæ vindices, quos tunc Dominus excitavit. Imo cogitemus quid Epheſi ſecunda ſynodo acciderit, ubi Eutychiana hæreſis obtinuit: ſanctæ memoriæ vir Flavianus in exilium ejectus cum aliquot piis viris: multa ejuſmodi flagitia deſignata: nempe quia illic Dioſcorus, homo factioſus & peſſimi animi, non autem Spiritus Domini præſidebat. At non erat illic Eccleſia. Fateor. Sic enim omnino ſtatuo, Non ideo interire in Eccleſia veritatem, etiamſi ab uno Concilio opprimatur: ſed mirabiliter à Domino ſervari, ut iterum ſuo tempore emergat & ſuperet. Hoc autem perpetuum eſſe nego, ut vera ſit & certa Scripturæ interpretatio quæ Concilii ſuffragiis fuerit recepta.

Papiſtarum impudentia, ut tyrannidem ſuam ſtabiliant, refutatur.

14. Verum alio ſpectant Romanenſes, quum poteſtatem interpretandi Scripturam penes Concilia eſſe tradunt, & eam ſine provocatione. Hoc enim colore abutuntur, ut Scripturæ interpretationem vocent quicquid in Conciliis ſtatutum ſit. De purgatorio, de Sanctorum intercеſſione, de confeſſione auriculari, & ſimilibus, non reperietur una ſyllaba in Scripturis.

Ab eo quod Scripturæ pugnantia in eorum Conciliis ſanciuntur.

Verum quia Eccleſiæ auctoritate ſancita ſunt hæc omnia, hoc eſt (ut verius loquamur) opinione & uſu recepta, pro Scripturæ interpretatione unumquodque habendum erit. Neque id modo, ſed ſiquid reclamante Scriptura ſtatuerit Concilium, interpretationis habebit nomen.

Teſte prohibitione communionis ſub utraque ſpecie, & conjugii.

Jubet Chriſtus omnes de calice quem in Cœna porrigit, bibere: Conſtantienſe concilium vetuit ne plebi daretur, ſed ſolum Sacerdotem bibere voluit. Quod ſic ex diametro pugnat cum inſtitutione Chriſti, pro ejus interpretatione haberi vo-

lunt. Paulus conjugii prohibitionem vocat *hypo-* Matth. 26.

criſin dæmoniorum: ſanctum vero *in omnibus conju-* verſ. 26.

gium & honorabile Spiritus alibi pronunciat. Quod 1 Tim. 4.

poſtea Sacerdotibus interdixerunt conjugium, id verſ. 3.

veram & nativam Scripturæ interpretationem ha- Heb. 13:4.

beri poſtulant: quum nihil magis alienum fingi queat.

Alia impudentia, approbationem Scripturæ hominum placitis ſubjicients.

Siquis hiſcere contra auſit, hæreticus judicabitur: quando ſine provocatione eſt Eccleſiæ determinatio, & de ejus interpretatione, quin vera ſit, dubitari nefas eſt. Tantam impudentiam quid inſecter? demonſtraſſe enim, viciſſe eſt. Quod de po-

teſtate approbandæ Scripturæ docent, prudens cap. 8.

omitto. Subjicere enim in eum modum Dei oracula ſect. 9.

hominum cenſuræ, ut ideo rata ſint quia placue- pleniſſime

rint hominibus, blaſphemia indigna eſt quæ com- autem

memoretur: & ego jam ſuperius hoc ipſum attigi. lib. 1. c. 7.

Unum

Refutatio hujus erroris.

Uoum tamen eos rogabo, Si in Eccleſiæ approbatiooe fundata eſt Scripturæ auctoritas, cujus Concilii citabunt de ea re decretum? Nullum, opinor, habent. Cur igitur Niceæ vinci ſe patiebatur Arrius teſtimoniis ex Joannis Euangelio adductis? Erat enim, ſecundum iſtos, liberum repudiare: quando nulla univerſalis Concilii præceſſerat approbatio. Allegant veterem catalogum, qui Canon vocatur, quem dicunt ex Eccleſiæ dijudicatione manaſſe.

Exceptionis Papiſticæ dilutio.

Sed rogo iterum, quo io Concilio Canon ille editus fuerit. Hic obmuteſcant oportet. Quanquam ſcire præterea cupio, qoalem eſſe illum Canonem arbitrentur. Video enim inter veteres id parum conſtitiſſe. Et ſi valere debet quod ait Hierooymus, libri Machabæorum, Tobias, Eccleſiaſticus, & ſimiles in ordinem apocryphorum rejicientur; quod iſti nullo modo facere ſuſtinent.

Præfat. io libros Solomonis.

CAP. X.

De poteſtate in legibus ferendis, in qua ſæviſſimam tyrannidem in animas & carnificinam exercuit Papa cum ſuis.

Partes præcipuæ hujus capitis.

1. *De conſtitutionibus humanis in genere, ubi de diſcrimine legum politicarum & Eccleſiaſticarum, de conſcientia, cur & quo ſenſu miniſtri Eccleſiæ conſcientiis leges imponere nequeant,* ſect. 1. 2. 3 4. 5. 6. 7. & 8.
2. *De traditionibus ſeu conſtitutionibus Papiſticis, ceremonias & diſciplinam ſpectantibus, quas multis vitiis ſcatere probat, à ſect. 9. ad 17. deinde refelluntur argumenta quibus ſe harum traditionum defenſores tueri ſolent, à ſect. 17. uſque ad 27.*
3. *Ab hac ſect. 27. uſque ad finem de bonis ac legitimis conſtitutionibus Eccleſiaſticis agitur.*

Hac ſecunda pars Eccleſiaſtica poteſtatis, fons eſt humanarum traditionum. vide initium c. 8. Mat. 23: 4. Loc. 11. verſ. 46. lib. 3. c. 4. ſect. 4. & ſequentib. maxime ſect. 17. *Quæſtionis ſtatus.*

SEquitur pars ſecunda, quam in legibus ferendis ſitam eſſe volunt: ex qua ſcaturigine ortæ ſunt innumeræ traditiones humanæ, totidem ad ſtrangulandas miſeras animas laquei. Neque enim major illis religio fuit quam Scribis & Phariſæis, *imponere aliorum humeris onera quæ digito noluiſſent attingere.* Alibi docui quam crudelis ſit carnificina quod de auriculari confeſſione præcipiunt. In aliis legibus tanta violentia non apparet: ſed quæ videntur omnium maxime tolerabiles, tyrannice conſcientias premunt. Taceo quod adulterant cultum Dei; & Deum ipſum, qui unicus eſt Legislator, ſuo jure ſpoliant. Hæc poteſtas tractanda nunc eſt, an Eccleſiæ liceat conſcientias obſtringere ſuis legibus. In qua diſputatiooe non attingitur ordo politicus, ſed tantum hoc agitur ut rite colatur Deus ſecuodum præſcriptam à ſe regulam; & ſpiritualis libertas, quæ Deum reſpicit, ſalva nobis maneat. Uſus obtinuit ut traditiones humanæ vocentur, quæcunque de cultu Dei præter ejus verbum profecta ſuot ab hominibus edicta. Contra has nobis eſt certamen, non contra ſanctas & utiles Eccleſiæ conſtitutiones, quæ vel ad diſciplinam vel honeſtatem vel pacem conſervandam faciont. Finis autem certandi, ut coërceatur immenſum & barbarum imperium, quod ſibi uſurpant in animas qui Paſtores Eccleſiæ haberi volunt, re autem vera ſæviſſimi ſunt carnifices. Quas enim leges condunt, ſpirituales eſſe aiunt, ad animam pertinentes, & eas ad vitam æternam neceſſarias affirmant. Sic autem regnum Chriſti, ut nuper attigi, iovaditur: ſic libertas, ab ipſo fidelium conſcientiis data, opprimitur penitus ac disjicitur. Taceo nunc quanta impietate legum ſuarum obſervationem ſanciant, dum ex ipſa & peccatorum remiſſionem, & juſtitiam, & ſalutem quærere docent, dum totam religionis & pietatis ſummam in ipſa ſtatuunt. Hoc unum contendo, neceſſitatem imponi conſcientiis non debere in quibus rebus à Chriſto liberantur, nec niſi liberatæ, ut antea docuimus, quieſcere apud Deum poſſunt. Unicum Regem agnoſcant, ſuum liberatorem Chriſtum: & una libertatis lege, oempe ſacro Euangelii verbo regantur oportet, ſi gratiam, quam in Chriſto ſemel obtinuerunt, retinere volunt: nulla ſervitute teneantur, nullis vinculis aſtringantur.

Contra nuper invectas traditiones tantum inſtituitur diſputatio.

Harum traditionum impietas.

2. Fingunt quidem Solones iſti, ſuas conſtitutiooes leges eſſe libertatis, ſuave jugum, onus leve: ſed mera eſſe meodacia quis non videat? Nullam ipſi quidem legum ſuarum gravitatem ſentiunt, qui abjecto Dei timore tam ſuas quam divinas leges ſecure ac ſtrenue negliguot. Qui vero aliqua ſalutis ſuæ cura tanguntur, plurimum abeſt quin ſe liberos exiſtiment quamdiu his laqueis implicantur. Videmus quanta cautione verſatus ſit in hac parte Paulus, ut ne una quidem in re laqueum injicere auſus fuerit: neque id nulla cauſa; proſpiciebat certe quantum vulnus infligeretur conſcientiis, ſi earum rerum neceſſitas illis imponeretur, quarum relicta eſſet à Domino libertas. Contra numerari vix poſſunt conſtitutiones quas iſti graviſſime æternæ mortis denunciatione ſanxerunt, quas ſeveriſſime exigunt tanquam ad ſalutem neceſſarias. Et in his permultæ ſunt obſervatu difficillimæ: omnes vero (ſi io turbam ſuam congerantur) impoſſibiles: tantus eſt acervus. Qui ergo fieri poterit ut non extrema anxietate & terrore perplexi urantur quibus tanta difficultatis moles incumbit? Hujus generis ergo conſtitutiones hic impugnare animus eſt: quæ in hoc feruntur ut animas intus coram Deo ligent, & religionem injiciant, acſi de rebus ad ſalutem neceſſariis præciperent.

Quas etſi Papiſtæ præclaris titulis exornant, tamen revera obſervatu non modo ſunt difficiles, verum etiam impoſſibiles. 1 Cor. 7. verſ. 35.

3. Hæc quæſtio pleroſque ideo impedit quod inter externum (ut vocant) & conſcieotiæ forum non ſatis ſubtiliter diſcernunt. Præterea difficultatem auget quod Paulus obediendum eſſe Magiſtratui præcipit, *non pœnæ ſolum metu, ſed etiam propter conſcientiam.* Unde ſequitur, politicis quoque legibus obſtringi conſcientias. Quod ſi ita eſſet, caderet quicquid proximo capite diximus, ac jam dicturi ſumus de ſpirituali regimine. Ut hic nodus ſolvatur, primo operæpretium eſt tenere quid ſit conſcientia. Ac definitio quidem ex etymo vocis petenda eſt: oam ſicuti quum mente intelligentiaque homines apprehendunt rerum notitiam, ex eo dicuntur ſcire, unde & ſcientiæ nomen ducitur: ita quum ſenſum habent divini judicii quaſi ſibi adjunctum teſtem, qui ſua peccata eos occultare non ſinit quin ad judicis tribunal rei pertrahantur, ſenſus ille vocatur conſcientia. Eſt enim quiddam inter Deum & hominem medium: quia hominem non patitur in ſeipſo ſupprimere quod novit, ſed eo uſque perſequitur donec ad reatum adducat. Hoc eſt quod intelligit Paulus, quum tradit *conſcientiam ſimul atteſtari hominibus, ubi cogitationes eos accuſant vel abſolvunt* in judicio Dei. Simplex notitia in homine reſidere poſſet veluti incluſa. Ergo ſenſus hic qui hominem ſiſtit ad Dei judicium, eſt quaſi appoſitus homini cuſtos, qui omnia ejus arcana obſervet ac ſpeculetur, nequid in tenebris ſepultum maneat. Unde & vetus illud proverbium, *Conſcientia mille teſtes.* Eadem ratione & Petrus *bonæ erga*

Ut autem quæſtio commodius explicetur, à definitione conſcientiæ initium ſumendum eſt, vide lib. 3. cap. 19. ſect. 15. Rom. 13. verſ. 5.

Quid ſit conſcientia

Rom. 2. verſ. 15.

1 Pet. 3. verſ. 21.

 Deum

Deum conſcientiæ interrogationem poſuit pro tranquillitate animi, quum perſuaſi de Chriſti gratia, nos intrepide coram Deo offerimus. Et auctor epi-

Heb. 10:2.

ſtolæ ad Hebræos, *non habere amplius conſcientiam peccati*, pro liberatos vel abſolutos eſſe, ut peccatum non amplius nos arguat.

Definitionis expoſitio. Conſcientia adjuncta, diſcrimina & relationes.

4. Itaque ſicut opera reſpectum ad homines habent, ita conſcientia ad Deum refertur: ut conſcientia bona nihil aliud ſit quam interior cordis integritas. In quem ſenſum Paulus ſcribit, *complementum Legis eſſe charitatem, ex pura conſcientia & fide non ficta.* Poſtea etiam eodem capite quantum

1 Tim. 1. verſ. 5.

ab intelligentia differat, oſtendit, dicens *quoſdam à fide naufragium feciſſe, quia bonam conſcientiam dereliquerant.* His enim verbis vivum eſſe colendi Dei affectum, ſincerumque pie & ſancte vivendi ſtudium indicat. Interdum quidem ad homines quoque extenditur, ut quum teſtatur apud Lucam idem

Act. 24:16.

Paulus, *ſe operam dediſſe ut bona conſcientia ambularet erga Deum & homines.* Sed hoc ideo dictum eſt quod bonæ conſcientiæ fructus ad homines uſque manant ac perveniunt. Proprie autem loquendo, ſolum Deum reſpicit, ut jam dixi. Hinc fit ut obſtringere conſcientiam lex dicatur quæ ſimpliciter hominem ligat, ſine hominum intuitu, vel non ha-

Exempla, quæ definitionem conſcientiæ, & ejus ad Deum relationem illuſtrant.

bita eorum ratione. Exempli gratia, Non modo caſtum ſervare animum purumque ab omni libidine Deus præcipit, ſed quamlibet verborum obſcœnitatem & externam laſciviam prohibet. Hujus legis obſervationi, etiamſi nullus in mundo homo viveret, conſcientia mea ſubjicitur. Itaque qui ſe intemperanter gerit, non eo tantum peccat quod malum exemplum præbeat fratribus: ſed conſcientiam reatu obſtrictam habet apud Deum. Alia in rebus per ſe mediis eſt ratio. Abſtinere enim debemus ſi quod pariant offendiculum: ſed libera conſcientia. Ita de carne idolis conſecrata Paulus loqui-

1 Cor. 10. verſ. 28.

tur. *Si quis injiciat ſcrupulum*, inquit, *noli attingere, propter conſcientiam: dico autem conſcientiam, non tuam, ſed alterius.* Peccaret homo fidelis, qui prius admonitus, ejuſmodi carnem nihilominus ederet. Sed utcunque fratris reſpectu neceſſaria illi ſit abſtinentia ut à Deo præſcribitur, non tamen conſcientiæ libertatem retinere deſinit. Videmus ut lex iſta externum opus ligans, conſcientiam ſolutam relinquat.

Quum autem iſtiuſmodi legibus & traditionibus humanis conſcientia obſtringi non debeant, Paulus docens obediendum eſſe magiſtratibus propter conſcientiam (cujus mens aperitur) errori Papiſtarum de traditionibus conſcientias obligantibus minime favet.

5. Nunc ad humanas leges redeamus. Si in hunc finem latæ ſint ut religionem nobis injiciant, quaſi per ſe neceſſaria ſit earum obſervatio, dicimus conſcientiæ imponi quod fas non erat. Neque enim cum hominibus, ſed cum uno Deo negotium eſt conſcientiis noſtris. Quo pertinet illud vulgare diſcrimen inter terrenum & conſcientiæ forum. Quum totus orbis denſiſſima ignorantiæ caligine obvolutus eſſet, hæc tamen exigua lucis ſcintilla reſidua manſit, ut humanis omnibus judiciis ſuperiorem eſſe hominis conſcientiam agnoſcerent. Quanquam quod uno verbo fatebantur, poſtea reipſa labefactabant: voluit tamen Deus teſtimonium aliquod Chriſtianæ libertatis tunc quoque extare, quod ab hominum tyrannide conſcientias eximeret. Sed nondum expedita eſt illa difficultas quæ ex Pauli verbis naſcitur. Nam ſi Principibus obediendum eſt non pœnæ tantum, ſed conſcientiæ cauſa, inde conſequi videtur, in conſcientiam quoque dominari Principum leges. Quod ſi verum eſt, idem & de Eccleſiaſticis dicendum erit. Reſpondeo, primum inter genus & ſpeciem bic eſſe diſtinguendum. Nam etſi leges ſingulæ conſcientiam non attingant, generali tamen præcepto Dei tenemur, quod magiſtratuum auctoritatem nobis com-

Rom. 13. verſ. 4.

mendat. Atque in hoc cardine verſatur Pauli diſputatio, Magiſtratus, quoniam à Deo ſint ordinati, honore proſequendos eſſe. Interea minime docet, quæ ab illis ſcribuntur leges, ad interiorem animæ gubernationem pertinere: quum ubique & Dei cultum, & ſpiritualem juſte vivendi regulam ſupra quælibet hominum placita extollat. Alterum quo-

Altera ratio, à ſuperioribus pendens.

que notatu dignum eſt (quod tamen ex ſuperioribus pendet) leges humanas, ſive à magiſtratu, ſive ab Eccleſia ferantur, tametſi ſint obſervatu neceſſariæ (de probis & juſtis loquor) ideo tamen non ligare per ſe conſcientiam, quia tota obſervandi neceſſitas ad generalem finem reſpicit, non autem conſiſtit in rebus præceptis. Ab hoc ordine procul diſtant quæ & novam formam præſcribunt colendi Dei, & neceſſitatem conſtituunt in rebus liberis.

Ad ipſam quæſtionem applicatio.

6. Tales autem ſunt quæ hodie vocantur Eccleſiaſticæ conſtitutiones in Papatu, quæ pro vero ac neceſſario Dei cultu ingeruntur. Atque ut ſunt innumeræ, ita infinita ſunt ad captandas illaqueandaſque animas vincula. Etſi autem in Legis expoſitione nonnihil attigimus: quia tamen juſtæ tractationi bic opportunior erat locus, nunc ſtudebo totam ſummam quo potero optimo ordine colligere. Et quia de tyrannide quam ſibi in licentia docendi quicquid libuerit arrogant Pſeudoepiſcopi nuper diſſeruimus quantum ſatis eſſe videbatur, totam illam partem omittam: in explicanda tantum, quam ſe habere dicunt legum ferendarum

Quis ſit diſputationis ſtatus.

poteſtate, bic immorabor. Hoc igitur prætextu Pſeudoepiſcopi noſtri conſcientias novis legibus onerant, quod ſint ſpirituales legiſlatores à Domino conſtituti, ex quo illis commiſſa eſt Eccleſiæ gubernatio. Itaque quicquid jubent ac præſcribunt, id neceſſario obſervandum eſſe contendunt à populo Chriſtiano: qui violaverit, eum duplicis inobedientiæ reum eſſe, quod Deo & Eccleſiæ ſit rebel-

Controverſia brevis deciſio, per diſtinctionem & conceſſionem.

lis. Sane ſi veri Epiſcopi eſſent, aliquid eis in hac parte auctoritatis tribuerem, non quantum ſibi poſtulant, ſed quantum ad politiam Eccleſiæ rite ordinandam requiritur: nunc quum nihil minus ſint quam quod haberi volunt, non poſſunt tantillum ſibi ſumere quin modum excedant. Sed quia hoc quoque alibi viſum eſt, demus eis in præſentia, quicquid poteſtatis habent veri Epiſcopi, id jure in

Item per negationem: nec enim Papiſtis licet leges contra Dei verbum conſcientiis imponere.

eos competere. Nego tamen, propterea legiſlatores eſſe fidelibus impoſitos, qui præſcribere à ſeipſis poſſint vivendi regulam, vel ad ſua placita plebem ſibi commiſſam adigere. Quum hoc dico, intelligo ipſis minime licere, quod ipſi à ſe abſque Dei verbo excogitaverint, Eccleſiæ obſervandum pro neceſſario mandare. Id jus quum & Apoſtolis fuerit incognitum, & toties Eccleſiæ miniſtris ore Domini ademptum: miror quinam præter Apoſtolorum exemplum, & contra manifeſtam Dei prohibitionem arripere auſi fuerint, & hodie defendere audeant.

Perfecta ſiquidem bene vivendi regula in Lege Dei tradita eſt: & duplici de cauſa Deus eſt unicus noſter Legiſlator.

7. Quod ad perfectam bene vivendi regulam pertinebat, id totum ſic complexus eſt Dominus Lege ſua, ut nihil hominibus reliquerit quod ad ſummam illam adderent. Idque eo effecit primum, ut, quia tota vivendi rectitudo in hoc ſita eſt, ſi omnia noſtra opera ad ejus voluntatem (tanquam ad normam) exigantur, unicus vitæ magiſter ac director à nobis haberetur: deinde ut teſtatum faceret, ſe à nobis nihil magis requirere quam obedientiam. Hac ratione Jacobus, *Qui judicat fratrem,*

Jacob. 4. v. 11, 12.

inquit, *judicat Legem: qui Legem judicat, non eſt obſervator Legis, ſed judex. Unus autem Legiſlator qui poteſt ſervare & perdere.* Audimus, Deum hoc ſibi uni velut proprium aſſerere, ut verbi ſui imperio ac legibus nos regat. Atque idipſum ante ab

Jeſa. 33. verſ. 22.

Jeſaia dictum fuerat, quamvis paulo obſcurius, *Dominus Rex noſter, Dominus Legiſlator noſter, Dominus Judex noſter, ipſe ſalvabit nos.* Utroque ſane loco oſtenditur vitæ & mortis ei eſſe arbitrium qui jus habet in animam. Imo Jacobus hoc clare pronunciat. Id porro ſibi nemo hominum ſumere poteſt.

Deum

Deum igitur unicum animarum Regem agnoſci oportet, penes quem unum, ſervandi perdendique poteſtas eſt: aut, ut illa Jeſaiæ verba ſonant, & regem & judicem & legiſlatorem & ſervatorem. Itaque Petrus, dum Paſtores officii ſui admonet, ſic

1 Pet. 5: 3.

gregem paſcant hortatur *ne dominium exerceant adverſus cleros:* quo nomine hæreditatem Dei, hoc eſt, fidelium populum, ſignificat. Id ſi rite expendimus, nefas eſſe ad hominem transferri quod Deus ſuum unius facit: intelligemus ita præciſum quicquid ſibi poteſtatis vendicant qui ſe ad aliquid in Eccleſia jubendum ſine verbo Dei efferre volunt.

8. Porro quoniam tota cauſa inde pendet, ſi Deus eſt unicus Legiſlator, non licere hominibus id ſibi honoris ſumere: ſimul duas illas rationes quas poſuimus memoria tenere convenit, cur hoc

Prioris cauſa conſideratio.

ſibi uni Dominus aſſerat. Prior autem eſt, ut ejus voluntas perfecta ſit nobis omnis juſtitiæ & ſanctitatis regula: atque ita in ejus cognitione perfecta ſit

Poſterioris.

bene vivendi ſcientia. Altera, ut ipſe unus (ubi ejus rite probeque colendi quæritur modus) imperium habeat in animas noſtras, cui parere & à cujus

Unde neceſſario ſequitur, humanas traditiones, quales finguntur in Papatu, verbo Dei eſſe contrarias.

nutu pendere debeamus. His duabus rationibus obſervatis, facilis erit dijudicatio, quæ hominum conſtitutiones ſint verbo Domini contrariæ. ſunt autem ejus generis omnes quæ ad verum Dei cultum finguntur pertinere, & quibus ſervandis conſcientiæ obligantur, quaſi obſervatu neceſſariæ eſſent. Hac ergo lance meminerimus ponderandas eſſe omnes humanas leges, ſi volumus habere certum examen, quod nuſquam aberrare nos ſinat. Priore contendit Paulus in epiſtola ad Coloſſenſes, adverſus pſeudoapoſtolos, qui novis oneribus premere Eccleſias tentabant. Secunda magis utitur in Galatis in ſimili cauſa. Hoc ergo in epiſtola ad Coloſſenſes exequitur, non eſſe de vero Dei cultu petendam ab hominibus doctrinam: quia Dominus fideliter nos & ad plenum inſtituit qualiter ſit colendus. Quo hoc demonſtret, primo capite dicit in Euangelio contineri omnem ſapientiam, qua perfectus reddatur homo Dei in Chriſto. Initio ſecundi

Coloſſ. 2. v. 2. ad 10.

dicit *omnes ſapientiæ & intelligentiæ theſauros in Chriſto eſſe abſconditos:* inde poſtea concludit, caveant fideles *ne per inanem Philoſophiam abducantur* à grege Chriſti, *ſecundum conſtitutiones hominum.* In fine autem capitis majore adhuc fiducia damnat omnes *ἐθελοθρησκείας*, hoc eſt, fictitios cultus, quos homines ſibiipſi comminiſcuntur, vel ab aliis accipiunt, & quæcunque de cultu Dei tradere præcepta ex ſe audent. Habemus ergo, impias eſſe omnes conſtitutiones, in quarum obſervatione cultus Dei

Galat. 5. v. 1. &c.

ſitus eſſe fingitur. Loci vero quibus in Galatis urget non eſſe laqueos conſcientiis induendos (quas à ſolo Deo regi convenit) ſatis ſunt aperti: præſertim capite quinto. Ideo ſufficiat annotaſſe.

Altera pars capitis, in qua revocatur theſis ad hypotheſin, & de traditionibus Papiſticis agitur. Harum aliæ ceremonias, aliæ diſciplinam magis ſpectant. Ceremonialium traditionum Papiſticarum impietas. Pro vero Dei cultu habentur.

9. Sed quia exemplis res tota melius pateſiet, antequam ultra progredimur, operæpretium eſt hanc doctrinam ad noſtra tempora accommodare. Conſtitutiones quas vocant Eccleſiaſticas, quibus Papa cum ſuis onerat Eccleſiam, dicimus pernicioſas eſſe & impias: adverſarii noſtri ſanctas eſſe & ſalutares defendunt. Sunt autem duo earum genera: nam aliæ ſunt de ceremoniis & ritibus, aliæ ad diſciplinam magis ſpectant. Eſtne igitur juſta cauſa quæ nos ad utraſque impugnandas moveat? Juſtior certe quam vellemus. Primum nonne auctores ipſi clara voce definiunt, ipſiſſimum (ut ita loquar) Dei cultum in ipſis contineri? In quem finem conferunt ſuas ceremonias, niſi ut per illas Deus colatur? Neque id fit ſolo errore imperitæ multitudinis: ſed eorum approbatione qui locum docendi habent. Nondum craſſas abominationes attingo, quibus totam pietatem moliti ſunt peſſundare: ſed apud eos non tam atrox fingeretur crimen, in minima quaque traditiuncula eſſe lapſum, niſi Dei cultum ſuis commentis ſubjicerent. Quod ergo tolerabile non eſſe docuit Paulus, legitimum colendi Dei ritum ad hominum arbitrium redigi, ſi hodie ferre non poſſumus, quid peccamus? præſertim vero quum ſecundum elementa mundi hujus colere præcipiunt, quod Paulus adverſari Chriſto teſtatur.

Col. 2: 20.

Rurſum quam præciſa neceſſitate aſtringant conſcientias ad ſervandum quicquid jubent, non eſt ignotum. Hic dum reclamamus, cauſam habemus cum Paulo communem, qui nullo modo patitur fideles conſcientias in hominum ſervitutem redigi.

Gal. 5: 1.

2. Propter has irritum fit Dei præceptum.

10. Porro iſtud peſſimum accedit, quod ubi talibus vanis figmentis definiri religio ſemel cœpta eſt, perverſitatem illam perpetuo ſequitur & altera execrabilis pravitas, quam Phariſæis exprobrabat Chriſtus, *ut irritum fiat præceptum Dei propter hominum traditiones.* Nolo contra præſentes noſtros

Matth. 15. verſ. 3.

nomothetas verbis meis pugnare: vicerint ſane, ſi quo modo ab hac Chriſti accuſatione purgare ſe poterunt. Sed quomodo excuſarent, quum immenſo

Hujus 2. impietatis probatio ab enumeratione partium, & collatione iſtarum traditionum cum Dei mandatis.

apud eos ſceleratius ſit auricularem confeſſionem vertente anno prætermiſiſſe, quam nequiſſimam vitam in ſolidum annum produxiſſe? linguam die Veneris infeciſſe modico carnis guſtu, quam totum corpus diebus omnibus ſcortando fœdaſſe, manum die ſanctulis neſcio quibus conſecrato, admoviſſe honeſto operi, quam peſſimis facinoribus aſſidue membra omnia exercuiſſe? ſacrificum legitimo uno connubio copulari, quam alligari mille adulteriis? votivam peregrinationem non perſolviſſe, quam in promiſſis omnibus fidem fallere? in prodigioſos nec minus ſupervacuos ac inutiles templorum luxus non aliquid profudiſſe, quam defuiſſe ultimis pauperum neceſſitatibus? idolum ſine honore prætериiſſe, quam hominum omne genus contumelioſe tractaſſe? non demurmuraſſe certis horis longa ſine ſenſu verba, quam legitimam orationem animo nunquam concepiſſe? Quid eſt irritum

Item ab eo quod non modo Dei mandata in Papatu negliguntur, verum etiam traditionum iſtarum reſpectu nihili fiunt, & ſepelliuntur.

facere propter ſuas traditiones Dei præceptum, niſi hoc eſt? quum obſervationes mandatorum Dei frigide tantum & defunctorie commendantes, ſuorum exactam obedientiam nihilominus ſtudioſe & anxie urgent, quam ſi totam pietatis vim in ſe continerent, quum divinæ Legis tranſgreſſionem levibus ſatisfactionum mulctis ulciſcentes, unius ſui decreti vel minimam offenſionem nulla leviore pœna plectunt quam carcere, exilio, incendio, aut gladio. In Dei contemptores non ita aſperi & inexorabiles, ſuos contemptores implacabili odio ad extremum perſequuntur: ac eos omnes ſic inſtituunt, quorum ſimplicitatem captivam tenent, ut æquiore animo univerſam Dei legem ſubverſam viſuri ſint, quam apiculum in præceptis (ut vocant) Eccleſiæ violatum. Primum graviter in eo

Tanta impietatis refutatio.

delinquitur quod ob res leviculas, & (ſi Dei judicio ſtaretur) liberas, alter alterum contemnit, judicat, & abjicit. Nunc vero quaſi id parum mali eſſet, pluris appenduntur *frivola illa hujus mundi elementa* (ut Paulus Galatis ſcribens nuncupat)

Gal. 4: 9.

quam cæleſtia Dei oracula. Et qui prope in adulterio abſolvitur, judicatur in cibo: cui ſcortum permittitur, interdicitur uxor. Hoc ſcilicet prævaricatrice illa obedientia proficitur, quæ tantum à Deo avertitur quantum ad homines inclinat.

3. Sunt inutiles & inepta.

11. Sunt alia quoque duo non levia vitia, quæ in iiſdem conſtitutionibus improbamus. Primum quod magna ex parte inutiles, interdum etiam ineptas obſervationes præſcribunt: deinde quod im-

4. Immenſa & Judaiſmum invehentes.

menſa earum multitudine opprimuntur piæ conſcientiæ, & in Judaiſmum quendam revolutæ, umbris ſic adhæreſcunt ut ad Chriſtum nequeant pervenire. Ineptas quod dico & inutiles, ſcio carnis prudentiæ credibile non futurum: cui tantopere arrident ut Eccleſiam prorſus deformari putent

ubi

Col. 2: 23. ubi auferuntur. Sed hoc eſt quod Paulus ſcribit, *habere ſpeciem ſapientiæ in commentitio cultu, in humilitate, & eo quod auſteritate ſua valere ad domandam carnem videntur.* Saluberrima certe admonitio, quæ excidere nobis nunquam debet. Fallunt, inquit, humanæ traditiones ſub ſpecie ſapientiæ. Unde hunc colorem habent? Nempe quia confictæ ſunt ab hominibus, humanum ingenium quod ſuum eſt illic recognoſcit, & recognitum libentius amplectitur, quam optimum aliquid quod ſuæ vanitati minus conveniret. Deinde quia videntur apta eſſe rudimenta ad humilitatem, quod hominum mentes jugo ſuo depreſſas humi detinent, hinc alteram habent commendationem. Poſtremo quia videntur eo ſpectare ut carnis delicias cohibeant, & abſtinentiæ rigore illam ſubigant, ideo videntur prudenter excogitatæ. Quid autem ad hæc Paulus? num larvas illas excutit, ne falſo prætextu ſimplices deludantur? Quoniam hoc ſatis ad refellendum eſſe cenſuerat, quod dixerat eſſe hominum commenta, hæc omnia, tanquam pro nihilo habeat, ſine refutatione præterit. Imo quia noverat in Eccleſia omnes commentitios cultus eſſe damnatos, & eo magis ſuſpectos eſſe fidelibus quo humanum ingenium magis oblectant: quia noverat falſam illam externæ humilitatis imaginem à vera humilitate tantum diſtare, ut facile diſcerneretur: quia denique noverat illam pædagogiam non pluris æſtimari quam corporis exercitationem: ea ipſa pro humanarum traditionum refutatione voluit eſſe fidelibus, quorum gratia illæ apud imperitos commendabantur.

Unde inutiles & inepta traditiones ſapientiæ colorem habeant.

Harum refutatio.

12. Sic hodie ceremoniarum ſpectaculo non modo vulgus indoctum, ſed ut quiſque mundana prudentia maxime inflatus eſt, mirifice capitur. Hypocritæ vero & fatuæ mulierculæ nihil nec ſpecioſius nec melius cogitari poſſe exiſtimant. At qui penitius diſcutiunt & verius expendunt ſecundum pietatis regulam quid tot ac tales ceremoniæ valeant, intelligunt primum nugas eſſe, quod nihil utilitatis habeant: deinde præſtigias, quod ſpectantium oculos inani pompa deludant. De iis ceremoniis loquor quibus ſubeſſe magna myſteria volunt Romanenſes magiſtri: nos nihil quam mera ludibria experimur. Nec mirum eſt, earum auctores eo delapſos eſſe, ut frivolis ineptiis & ſe & alios luderent: quia partim ex Gentium deliriis exemplar ſibi ſumpſerunt, partim ſimiarum more temere imitati ſunt veteres Moſaicæ Legis ritus, qui nihilo magis ad nos pertinebant quam pecudum victimæ, & reliqua his ſimilia. Sane etiamſi nullum aliud ſit argumentum, tamen ex farragine tam male conſuta nemo ſanus aliquid boni ſperabit. Et res ipſa palam demonſtrat, plurimas ceremonias non alium habere uſum, niſi ut populum obſtupefaciant magis quam doceant. Sic & in novitiis iſtis Canonibus, qui diſciplinam invertunt magis quam conſervant, multum momenti reponunt hypocritæ: ſiquis introſpiciat melius, reperiet nihil eſſe præter umbratile & evanidum diſciplinæ ſpectrum.

Traditionum quæ ad Judaiſmum & Gentiliſmum deflectunt, vanitas & impoſtura traducitur.

13. Jam vero (ut ad alterum veniam) quis non videt traditiones, alias aliis coacervando, in tantum numerum excreviſſe, ut Chriſtianæ Eccleſiæ nullo modo ſint tolerabiles? Hinc factum eſt, ut in ceremoniis appareat Judaiſmus neſcio quis, aliæ obſervationes gravem piis animis carnificinam afferant. Conquerebatur Auguſtinus quod ſuo tempore, neglectis Dei præceptis, tam multis præſumptionibus plena eſſent omnia, ut gravius corriperetur qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerat, quam qui mentem vinolentia ſepelierat. Conquerebatur, Eccleſiam quam Dei miſericordia liberam eſſe voluit, ſic premi ut tolerabilior fuerit Judæorum conditio. Si in ſeculum noſtrum incidiſſet ſanctus ille vir, quibus querelis deploraſſet eam quæ nunc eſt ſervitutem? Nam & numerus eſt decuplo major, & ſinguli apices centuplo rigidius quam tunc exiguntur. Ita fieri ſolet, ubi ſemel perverſi iſti legiſlatores imperium occuparunt: nullum finem jubendi & vetandi faciunt, donec ad extremum moroſitatis perveniant. Quod Paulus etiam eleganter indicavit his verbis, *Si mortui eſtis mundo, quid quaſi viventes decretis tenemini? Ne manducaris, ne guſtaveris, ne attrectaris.* Nam quum verbum ἅψῃ & manducare & tangere ſignificet, in priore ſignificatu hic proculdubio accipitur, ne ſupervacua ſit repetitio. Hic ergo pſeudoapoſtolorum progreſſus pulcherrime deſcribit. Initium à ſuperſtitione eſt, quod non tantum edere vetant, ſed etiam tenuiter eſitare: ubi hoc obtinuerunt, jam guſtare etiam prohibent. Poſtquam hoc quoque illis conceſſum eſt, ne digito quidem contrectare fas eſſe ducunt. Col. 2: 20.

4. In tantum numerum excreverunt, ut multitudine ſint intolerabiles. Quod ab Auguſtino, ſecundum Apoſtoli doctrinam, damnatum eſt.

ad Januar. epiſt. 119.

14. Hanc tyrannidem in humanis conſtitutionibus merito hodie reprehendimus, qua factum eſt ut innumeris edictis & immodica eorum exactione miſeræ conſcientiæ mirabiliter torqueantur. De Canonibus ad diſciplinam pertinentibus alibi dictum eſt. De ceremoniis quid dicam, quibus hoc perfectum eſt, ut ſemiſepulto Chriſto ad Judaicas figuras redierimus? *Dominus noſter Chriſtus*, inquit Auguſtinus, *Sacramentis numero pauciſſimis, ſignificatione præſtantiſſimis, obſervatione facillimis, novi populi ſocietatem colligavit.* Ab hac ſimplicitate quantum abſit rituum multitudo & varietas quibus hodie implicari Eccleſiam cernimus, ſatis enarrari non poteſt. Scio quo artificio nonnulli acuti homines hanc perverſitatem excuſent: Aiunt inter nos eſſe plurimos peræque rudes atque fuerunt in populo Iſraëlitico: Illorum cauſa inſtitutam eſſe ejuſmodi pædagogiam, qua tametſi firmiores carere poſſunt, negligere tamen eam non debent, quum videant infirmis fratribus eſſe utilem. Reſpondeo, nos non neſcire quid fratrum infirmitati debeatur: ſed ex adverſo excipimus, non eſſe hanc rationem qua conſulatur infirmis, ut magnis ceremoniarum acervis obruantur. Non fruſtra hoc diſcrimen poſuit Deus inter nos & veterem populum quod illum voluit pueriliter erudire ſignis & figuris, nos ſimplicius, ſine tanto externo apparatu. Quemadmodum, inquit Paulus, puer à pædagogo pro ætatis captu regitur & ſub cuſtodia continetur: ita ſub Lege cuſtodiebantur Judæi. Nos autem adultis ſimiles ſumus, qui à tutela & curatione liberati, puerilibus rudimentis opus non habent. Dominus certe quale futurum eſſet in Eccleſia ſua vulgus providebat, & qualiter regendum foret. Hoc tamen quo dictum eſt modo inter nos & Judæos diſcrevit. Stulta igitur ratio eſt ſi volumus imperitis conſulere, Judaiſmum à Chriſto abrogatum erigendo. Hanc quoque diſſimilitudinem veteris & novi populi notavit Chriſtus ſuis verbis quum diceret mulieri Samaritanæ, *veniſſe tempus quo veri cultores adorent Deum in ſpiritu & veritate.* Hoc profecto ſemper factum fuerat: ſed in hoc differunt novi cultores à veteribus, quod ſub Moſe ſpiritualis Dei adoratio multis ceremoniis adumbrata & quodammodo implicita erat, quibus abolitis nunc ſimplicius adoratur. Proinde qui hanc diſſimilitudinem confundunt, ordinem evertunt à Chriſto inſtitutum & ſancitum. Ergone (inquies) nihil ceremoniarum rudioribus dabitur ad juvandam eorum imperitiam? Id ego non dico: omnino enim utile illis eſſe ſentio hoc genus adminiculi. Tantum hic contendo ut is modus adhibeatur qui Chriſtum illuſtret, non obſcuret. Ceremoniæ ideo nobis divinitus paucæ datæ ſunt, & minime laborioſæ, quo præſentem Chriſtum demonſtrent: Judæis plures datæ ſunt, quo eſſent abſentis imagines. Abſentem autem fuiſſe dico, non virtute, ſed ſignificandi modo.

Innumerus iſte traditionum numerus quam fuerit Eccleſiæ noxius.

ſupra in fine ſect. 12. item toto cap. 12 & nominatim in fine ſect. 28.

Epiſt. 118. ad Januar.

Nec excuſari poteſt, quod dicant eos traditiones inſtitui eſſe ad pædagogiam rudium.

Ad Judaiſmum enim nos reducunt.

Gal. 4: 1.

Spiritualem adorationem iterum ceremoniis obſcurant.

Joan. 4. verſ. 23.

Chriſtum denique ita involvunt, ut agnoſci nequeat.

Proinde

Proinde modus ut retineatur, illam in numero paucitatem, in obſervatione facilitatem, in ſignificatione dignitatem, quæ etiam claritate conſtat, retinere neceſſe eſt. Id non eſſe factum quid attinet dicere? res enim eſt in omnium oculis.

5. Traditiones Papiſticæ eo impellunt ſuperſtitioſos, ut exiſtiment eas ſacrificia eſſe & expiatoria & meritoria. Hujus erroris refutatio.

15. Hic prætereo quam pernicioſis opinionibus imbuantur hominum mentes, ſacrificia eſſe quibus rite litetur Deo, quibus eapientur peccata, quibus juſtitia & ſalus comparetur. Negabunt eatraneis ejuſmodi erroribus vitiari res bonas: quum in operibus quoque à Deo præceptis bac parte non minus peccari queat. Hoc tamen plus indignitatis habet, operibus temere bumano arbitrio confictis tantum honoris tribui ut meritoria vitæ æternæ credantur. Ideo enim opera à Deo mandata remunerationem babent, quod Legislator ipſe obedientiæ reſpectu ea accepta habet. Non igitur à propria dignitate propriove merito pretium accipiunt: ſed quod Deus obedientiam erga ſe noſtram tanti æſtimat. De ea operum perfectione hic loquor quæ à Deo mandatur, non ab hominibus præſtatur. Ideo enim nec opera Legis quæ facimus, niſi ea gratuita Dei benignitate gratiam habent, quia in ipſis infirma & mutila obedientia eſt. Sed quia bic non diſputatur quid opera ſine Chriſto valeant, quæſtionem illam omittamus. Quod præſentis argumenti proprium eſt iterum repeto, quicquid in ſe commendationis babent opera, habere obedientiæ intuitu, quam ſolam Deus reſpicit, ut teſtatur per Propbetam: *Non præcepi de ſacrificiis & victimis: ſed tantum ut audiendo audiatis vocem meam.* De fictitiis autem operibus alibi loquitur, *Appenditis argentum veſtrum, & non in panibus.* Item, *Fruſtra me colunt præceptis hominum* Hoc itaque nullo modo excuſabunt, quod patiuntur miſeram plebem in externis illis nugis juſtitiam, quam Deo opponant, & qua ſe ante cæleſte tribunal ſuſtineant, quærere. Præterea annon boc dignum inſectatione vitium eſt, quod non intellectas ceremonias, velut biſtrionicam ſcenam aut magicam incantationem, oſtentant? Certum enim eſt ceremonias omnes corruptas eſſe & noxias, niſi per eas bomines ad Chriſtum dirigantur. Quæ autem in uſu ſunt ceremoniæ ſub Papatu, à doctrina ſeparantur, ut homines in ſignis omni ſignificatione carentibus retineant. Poſtremo (ut ingenioſus artifex eſt venter) apparet multas ab avaris ſacrificulis inventas eſſe, ut eſſent captandæ pecuniæ aucupia. Quamcunque autem habeant originem, ſic omnes ſunt ad fœdum quæſtum proſtitutæ, ut bonam partem reſcindere neceſſe ſit, ſi efficere volumus quominus profana & ſacrilega nundinatio in Eccleſia exerceatur.

Jer. 7: 12.
Jeſa. 55:2. & 29: 13. Matth. 15. verſ. 8, 9.

6. A doctrina ſeparata nil aliud quam hiſtrionicam oſtentationem, aut incantationem magicam oſtentant.
7. Omnes ſunt ad fœdum quæſtum proſtituta.

A'νάβασις & revocatio hypotheſeos ad theſin. Omnes ejuſmodi traditiones ſimilibus vitiis fuiſſe obnoxias. Ratio, ex Jeſ. 29:13.

16. Tametſi videor non perpetuam doctrinam de bumanis conſtitutionibus tradere, quod ætati noſtræ prorſus accommodata eſt bæc oratio: nihil tamen dictum eſt quod non ſit omnibus ſeculis futurum utile. Nam quoties obrepit hæc ſuperſtitio ut Deum ſuis figmentis colere bomines velint, quæcunque in eum finem feruntur leges, ſtatim ad craſſos iſtos abuſus degenerant. Hanc enim maledictionem non uni aut alteri ætati, ſed omnibus ſeculis minatur Deus, quod cæcitate & ſtupore percutiet eos à quibus colitur doctrinis hominum. Hæc excæcatio perpetuo facit ut nullum abſurditatis genus fugiant qui contemptis tot Dei monitis, ſponte ſe in exitiales iſtos laqueos induunt. Quod ſi remotis circumſtaotiis, ſimpliciter babere libet quæ ſint omnium temporum humanæ traditiones, quas ab Eccleſia repudiari & à piis omnibus improbari convenit: erit illa, quam ſuperius poſuimus, certa & clara definitio, Eſſe omnes leges ſine Dei verbo in hunc fioem ab bominibus poſitas ut vel modum colendi Dei præſcribant, vel conſcientias religione obſtringant, quaſi de rebus præcipiant ad ſalutem neceſſariis. Si ad alterum vel ad utrumque iſtorum accedunt alia vitia, quod ſua multitudine Euangelii claritatem obſcurent: quod nihil ædificent, ſed inutiles ſint ac luſoriæ occupationes potius quam vera pietatis eaercitia: quod ſint ad ſordes ac turpem quæſtum eapoſitæ: quod ſint obſervatu nimium difficiles: quod ſint malis ſuperſtitionibus inquinatæ: hæc erunt adjumenta ut facilius deprebendamus quantum ſit in ipſis mali.

Quæ ſint traditiones quæ ab Eccleſia profligari debeant.

Argumenta Papiſtarum pro ſuis traditionibus.
1. Traditiones iſtas eſſe à Deo, & à Dei Eccleſia quæ errare non poteſt.

17. Audio quid ipſi pro ſe reſpondeant, ſuas traditiones non à ſe, ſed à Deo eſſe. Eccleſiam enim, ne errare poſſit, à Spiritu ſancto regi: ejus vero auctoritatem penes ſe reſidere. Hoc impetrato, ſimul conficitur, eorum traditiones Spiritus ſancti eſſe revelationes, quæ niſi impie ac contempto Deo contemni nequeant. Et nequid tentaſſe ſine magnis auctoribus videantur, bonam ſuarum obſervationum partem fluxiſſe ab Apoſtolis credi volunt: & ſatis uno eaemplo oſtendi contendunt quid in aliis fecerint Apoſtoli: quando in unum Concilium coacti, ex Concilii ſententia Gentibus omnibus denunciarunt, *ut ſe ab idolothytis, ſanguine & ſuffocato abſtinerent.* Jam alibi eapoſuimus quam falſo ad ſe venditandos ementiantur Eccleſiæ titulum. Quantum intereſt præſentis cauſæ, ſi detractis larvis ac fucis omnibus, id vere quod nobis curæ in primis eſſe debet, ac noſtra etiam potiſſimum refert, intuemur, qualem ſcilicet Eccleſiam habere velit Chriſtus, ut ad ipſius regulam nos formemus ac comparemus: facile nobis conſtabit, Eccleſiam non eſſe quæ præteritis verbi Dei finibus, ſerendis novis legibus laſcivit ac luxuriat. Annon enim illa ſemel Eccleſiæ dicta lex æterna manet? *Quod præcipio tibi, boc obſervabis ut facias: non addes quicquam nec detrabes.* Et alibi, *Non addas ad verbum Domini, neque minuas ex eo: ne te forte arguat, inveniariſque mendax.* Id quum Eccleſiæ dictum negare non poſſint, quid aliud quam ipſius contumaciam prædicant, quam poſt talia interdicta addere nihilominus & admiſcere de ſuo doctrinæ Dei auſam fuiſſe jactant? Abſit autem ut eorum mendaciis aſſentiamur, qnibus tantum Eccleſiæ contumeliam irrogant: ſed falſo Eccleſiæ nomen prætendi intelligamus, quoties de iſta bumanæ temeritatis libidine agitutur, quæ ſeſe intra Dei præſcripta continere non poteſt quin procaciter exultet, ac in ſuas inventiones eacurrat. Nihil in verbis iſtis involutum, nihil obſcurum, nihil ambiguum: quibus addere verbo Dei aut detrahere quicquam vetatur Eccleſia univerſa, quum de Domini cultu & ſalutaribus præceptis agitur. Verum de Lege ſola id dictum fuit, quam ſubſequutæ ſunt Prophetiæ & tota Euangelii adminiſtratio. Fateor certe: & ſimul addo, quæ Legis complementa ſunt potius quam vel additamenta, vel defectiones. Quod ſi vero Dominus mioiſterio Moſis, plurimis involucris, ut ita dicam, obſcuro, nibil tamen addi nec detrahi ſuſtinet, donec per ſervos ſuos Prophetas, ac tandem per dilectum Filium clariorem doctrinam adminiſtret: cur non multo nobis ſeverius vetitum arbitremur nequid Legi, Prophetis, Pſalmis, Euangelio addamus? Non à ſemetipſo degeneravit Dominus, qui nulla re tantopere ſe offendi jampridem declaravit, quam dum humanis inventiooibus colitur. Unde illæ apud Prophetas præclaræ voces, quæ auribus noſtris continenter inſonare debuerant, *Non ſum loquutus patribus veſtris, quo die eduxi eos ex Ægypto, verba de ſacrificio & bolocauſto. Sed boc verbum præcepi eis, dicens, Audiendo audite vocem meam: & ero vobis Deus, & eritis mihi populus, & ambulabitis in omni via quam mandavero vobis.* Item, *Conteſtando conteſtatus ſum patres veſtros, Audite vocem meam.* Aliæque ejuſdem generis: ſed hæc præ aliis inſignis, *Numquid vult Dominus bolocauſta & victimas, & non potius*

Actor. 15. v. 2[illegible], 29.
Reſponſ. 1. Eam non eſſe Dei Eccleſiam, quæ verbo Dei novas leges addere velit.
cap 8. ſect. 10, 11, 12, 13
Deut. 12. verſ. 32.
Prov. 30. verſ. 6.
Reſp. 2. In veram Eccleſiam iſti contumelioſe admodum inſurgunt, quæ nihil addit aut detrahit verbo Dei ſcripto.
Reſp. 3. A comparatis: Non licuit doctrinæ Legis addere, multo minus doctrinæ Euangelii.
Jerem. 7. verſ. 22.
Jerem. 11. verſ. 7.
1. Sam. 15. verſ. 22.

ut obediatur voci ſuæ? Melior enim eſt obedientia quam victimæ, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum. Quoniam quaſi peccatum ariolandi, repugnare: & quaſi idololatriæ iniquitas, non acquieſcere. Quicquid igitur humanarum ioventionum hac in parte Eccleſiæ auctoritate defenditur, quum ab impietatis crimine excuſari nequeat, falſo Eccleſiæ id imputari, arguere promptum eſt.

Reſponſ. 4. Impudentiam eſſe non ferendam, aſſidue de Eccleſia poteſtate vociferari: interim vero quid illi à Domino ſit mandatum, & quam obedientiam huic mandato præſtare teneatur, diſſimulare.

18. Hac ratiune in iſtam humanarum traditionum tyrannidem, quæ ſub Eccleſiæ titulo ſupercilioſe nobis ingeritur, libere iovehimur. Neque enim (quod noſtri adverſarii ad faciendam nobis invidiam inique mentiuntur) Eccleſiam ludibrio habemus: ſed obedientiæ laudem qua majorem oullam agnoſcit, illi tribuimus. Ipſi potius vehementer ſunt Eccleſiæ injurii, qui adverſus Dominum ſuum contumacem illam faciunt, dum ultra progreſſam fingunt quam per verbum Dei licuerit: ut taceam inſignem eſſe impudentiam cum pari malitia conjunctam, aſſidue de Eccleſiæ poteſtate vociferari: interim & quid illi à Domino mandatum ſit, & quam Domioi maodato obedientiam debeat, diſſimulare. At ſi nobis, ut par eſt, animus fuerit cum Eccleſia conſentire, hoc magis ad rem pertinet, ſpectare ac meminiſſe quid nobis ac Eccleſiæ à Domino præcipiatur, ut illi uno conſenſu obediamus. Non enim dubium eſt quin cum Eccleſia optime conſenſuri ſimus ſi nos Domino per omnia obedientes præſtemus.

2. Secundum argumentum: traditiones eſſe Apoſtolicas. Reſponſ. per negationem. Imo ſunt meræ impoſturæ.

Jam vero referre ad Apoſtolos traditionum originem quibus hactenus oppreſſa eſt Eccleſia, meræ fuit impoſturæ: quando tota in hoc incumbit Apoſtolorum doctrina ne novis obſervationibus ooerentur conſcientiæ, aut Dei cultus noſtris inventionibus contaminetur. Deinde ſiqua hiſtoriis vetuſtiſque monumentis ineſt fides, Apoſtolis non ignotum modo, ſed inauditum fuit quod illis tribuunt. Nec garriant, pleraque eorum placita uſu & moribus recepta fuiſſe quæ ſcriptis tradita non fuerunt. Illa ſcilicet quæ Chriſto adhuc vivente intelligere non poterant: poſt ejus autem aſcenſum Spiritus ſancti revelatione didicerint. De ejus loci interpretatiooe alibi viſum eſt.

Vel potius ſunt obſervationes aut Judaicæ, aut Gentiles, aut inepta & inanes geſticulationes & ceremoniola. Quod ex diligenti hiſtoriarum Eccleſiaſticarum conſideratione liquet.

Quod ad præſentem cauſam ſatis eſt, ridiculos profecto ſe faciunt, quum ingentia illa myſteria, quæ tanto tempore Apoſtolis incomperta fuerint, partim obſervationes eſſe conſtet aut Judaicas aut Gentiles (quarum illæ inter Judæos, hæ vero apud Gentes omnes promulgatæ multo ante fuerant) partim ineptas geſticulationes & inanes ceremoniolas, quas inſulſi ſacrificuli, qui nec nare ſciunt, nec literas, perquam rite peragunt: imo quas pueri & moriones adeo appoſite effinguot, ut videri poſſit nullos eſſe magis idoneos talium ſacrorum antiſtites. Si oullæ eſſent hiſtoriæ, ex re tamen ipſa æſtimarent ſani homines, non ſubito erupiſſe in Eccleſiam tantam rituum & obſervationum congeriem, ſed ſenſim obrepſiſſe. Nam quum ſanctiores illi Epiſcopi, qui Apoſtolis ætate proximi fuerunt, noonulla inſtituiſſent quæ ad ordinem ac diſciplinam pertinebaot, ſubſequuti poſtea ſunt homines, alii poſt alios, neque ſatis conſiderati & nimis curioſi ac cupidi: quorum ut quiſque poſterior erat, ita ſtulta æmulatione cum ſuis deceſſoribus certavit, ne rerum novatum inventione cederet. Et quia periculum erat ne brevi obſoleſcerent ſua inventa, ex quibus laudem ad poſteros affectabant, in exigenda eorum obſervatione erant multo rigidiores. Hæc κακοζηλία bonam iſtorum rituum partem nobis peperit quos iſti pro Apoſtolicis nobis venditant. Atque id quoque hiſtoriæ teſtantur.

Confirmatio ſuperioris reſp. ad 2. argum. ab exemplo ceremoniarum quæ ad cœnæ Domini adminiſtrationem paulatim acceſſerunt.

19. Ne omnium catalogum texeodo ſimus nimium prolixi, uno exemplo contenti erimus. In cœna Domini adminiſtranda fuit ſub Apoſtolis magna ſimplicitas. Proximi ſucceſſores ad ornandam myſterii dignitatem aliquid addiderunt quod non eſſet improbandum. Sed poſtea ſupervenerunt ſtulti illi imitatores, qui varia fruſtula ſubinde conſuendo, hunc quem in Miſſa videmus ſacerdotis veſtitum, hæc altaris ornamenta, has geſticulationes & totam rerum inutilium ſupellectilem nobis compoſuerunt.

Exceptio ex Auguſtino.

Atqui objiciunt fuiſſe hanc olim perſuaſionem, Quæ in Eccleſia univerſa uno conſenſu fierent, ab ipſis Apoſtolis prodiiſſe. Cujus rei Auguſtinum citant teſtem.

Reſponſ. ad exceptionem. epiſt. 118.

Ego vero non aliunde quam ex ipſius Auguſtini verbis ſolutionem afferam. *Quæ toto*, inquit, *terrarum orbe ſervantur, vel ab ipſis Apoſtolis, vel Conciliis generalibus, quorum eſt ſaluberrima in Eccleſia auctoritas, ſtatuta eſſe intelligere licet: ſicuti quod Domini paſſio, & reſurrectio, & in cælum aſcenſus, & adventus Spiritus ſancti, anniverſaria ſolennitate celebrantur. Et ſiquid aliud tale occurreris quod ſervatur ab univerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia.* Quum tam pauca enumeret exempla, quis non videat eum ad auctores fide & reverentia dignos referre voluiſſe uſitatas tunc obſervationes, nonniſi ſimplices illas & raras & ſobrias quibus Eccleſiæ ordinem contineri utile eſt? Quantum autem hoc ab eo diſtat, quod Romanenſes magiſtri extorquere volunt, ut nulla ſit apud eos ceremoniola quæ non pro Apoſtolica cenſeatur?

Secunda confirmatio, ab exemplo aquæ luſtralis.

20. Ne longior ſim, unum tantum exemplum proferam. Siquis eos interroget unde aquam ſuam luſtralem habeant, protinus reſpondent, Ab Apoſtolis. Quaſi non hanc inventionem neſcio cui Romano Epiſcopo tribuant hiſtoriæ, qui ſi Apoſtolos adhibuiſſet in conſilium, nunquam profecto contaminaſſet Baptiſmum alieno & iotempeſtivo ſymbolo. Etſi nec mihi veriſimile eſt, tam vetuſtam eſſe ejus conſecrationis originem quam illic ſcribitur. Quod enim dicit Auguſtinus quaſdam ſuo tempore Eccleſias ſolennem Chriſti imitationem in lotione pedum refugiſſe, ne ad Baptiſmum ritus ille pertinere videretur, ſubindicat nullum fuiſſe lotionis genus quod cum Baptiſmo ullam haberet ſimilitudinem. epiſt. 118. ad Januar. Quicquid ſit, hoc à Spiritu Apoſtolico profectum fuiſſe minime concedam, ut dum quotidiano ſigno Baptiſmus in memoriam reducitur, quodammodo repetatur. Nec moror quod alibi ipſe idem Auguſtious alia quoque Apoſtolis adſcribit. Nam quum nihil præter conjecturas habeat, non debet ab ipſis de re tanta judicium fieri.

Altera reſp. ad 2. argumentum. Si quæ ab antiquis Patribus inventæ ſunt ceremoniæ, multum diſferunt à Papiſticis.

Poſtremo, ut etiam demus, illa quæ commemorat, ab ætate Apoſtolorum fluxiſſe: multum tamen intereſt inſtituaſne aliquod pietatis exercitium quo libera conſcientia utantur fideles; ſi autem non erit illis utilis uſus, abſtineant: an legem feras quæ conſcientias ſervitute illaqueet. Nunc vero à quocunque auctore emanarint, poſtquam videmus in tantum abuſum prolapſas eſſe, nihil obſtat quominus ſine ulla ejus contumelia abrogemus: quando nunquam ita ſunt commendatæ ut perpetuo immobiles eſſe oporteat.

3. Tertium argum. à decreto Apoſtolorum.

21. Nec magnopere eos juvat quod ad excuſandam ſuam tyrannidem prætexunt Apoſtolorum exemplum. Apoſtoli, inquiunt, & Seniores primæ Eccleſiæ decretum præter Chriſti mandatum ſanxerunt, quo præcipiebant Gentibus omnibus, *ſe abſtinere ab idolothytis, ſuffocato, & ſanguine.* Actor. 15. verſ. 20. Id ſi illis licuit; cur non & ſucceſſoribus, quoties ita res poſtulat, idem imitari liceat?

Reſponſio 1. locum S. hiſtoriæ explanans.

Utinam vero cum ſemper alias, tum in hac re eos imitarentur. Nam (quod valida ratione confirmare promptum eſt) Apoſtolos novum illic quicquam inſtituiſſe aut decreviſſe nego. Siquidem quum in eo Concilio Petrus tentari Deum pronunciet ſi jugum imponitur cervicibus diſcipulorum, verſ. 10. ſuam ipſe ſententiam ſubvertit, ſi jugum poſtea aliquod conſentit imponi. Imponitur autem, ſi ſua auctoritate decernant Apoſtoli, prohibendum Geotibus ne idolothyta, ſanguinem & ſuffocatum attingant. Manet

Primum caput hujus decreti Apoſtolorum.

net quidem adhuc ſcrupulus, quod nihilominus videantur prohibere. Atqui facile diſſolvetur ſiquis propius decreti ipſius ſenſum animadvertat: cujus primum ordine, & momento præcipuum caput eſt, relinquendam eſſe Gentibus ſuam libertatem, nec illis obturbandum eſſe, aut de Legis obſervationibus exhibendam moleſtiam. Hactenus nobis egregie patrocinatur. Quæ autem proxime ſequitur exceptio, nec nova lex eſt ab Apoſtolis lata, ſed divioum æternumque Dei mandatum de noo violanda charitate, nec punctum ex illa libertate delibat: ſed Geotes duntaxat admonet qua ratione ſeſe fratribus attemperent, ne ſua libertate in eorum offenſionem abutantur. Sit hoc igitur ſecundum caput, ut innoxia libertate utantur Gentes, ac citra fratrum offenſionem. At certum tamen aliquid præſcribunt: nempe quatenus pro tempore expediebat, docent ac deſignant quibus rebus in fratrum offenſionem poſſint incurrere, quo ab illis caveant: nihil tameo novum ad æternam Dei Legem, quæ fratrum offenſionem probibet, de ſuo afferunt.

Alterum caput.

Applicatio hujus loci, oſtendens quædam in Papatu recepta poſſe ad tempus à piis ſine ſuperſtitione, propter fratres infirmos.

22. Quemadmodum ſiqui Eccleſiis nondum bene conſtitutis præſunt fideles paſtores, omnibus ſuis edicant, ne, dooec imbecilles quibuſcum vivunt adoleſcant, palam die Veneris carnibus veſcantur, aut feriis in publico laborent, aut ſimile quidpiam. Hæc enim tametſi, ſepoſita ſuperſtitione, indifferentia per ſe ſint: ubi tamen accedit fratrum offenſio, ſine delicto admitti nequeunt. Sic autem ſunt tempora, ut ſpectaculum hoc infirmis fratribus proponere non poſſint fideles, quin eorum conſcientias graviſſime vulnerent. Quis, niſi calumniator, ſic novam ferri ab iis legem dicat, quos conſtat duntaxat ſcandalis occurrere, quæ ſunt à Domino ſatis diſerte prohibita? Nibilo autem magis & de Apoſtolis dici poteſt, quibus nihil aliud propoſitum erat, offenſionum materiam tollendo, quam divinam urgere Legem de vitanda offenſione: acſi dixiſſent, Præceptum Domini eſt oe fratrem infirmum lædatis: quæ idolis oblata ſunt, ſuffocatum & ſanguioem manducare non poteſtis quin offendantur infirmi fratres. Edicimus igitur vobis in verbo Domini, ne cum ſcandalo manducetis. Idque ipſum ſpectaſſe Apoſtolos, Paulus optimus eſt
1 Cor. 8. v. 4, 7, 9. teſtis, qui certe nonniſi ex Concilii ſententia ſic ſcribit, *De eſcis quæ idolis immolantur, ſcimus quia ſimulachrum nihil eſt. Quidam autem cum conſcientia idoli, quaſi idolis immolatum, manducant: & conſcientia eorum infirma quum ſit, polluitur. Videte ne facultas veſtra offendiculum fiat infirmis.* Cui iſthæc probe perpenſa fuerint, ei poſtbac fucus non fiet, qualem faciunt qui ſuæ tyrannidi Apoſtolos prætexunt, acſi Eccleſiæ libertatem ſuo decreto infringere cœpiſſent. Verum, ut effugere nequeant quin ſua etiam confeſſione ſolutionem baoc approbent, reſpondeant mihi quo jure illud ipſum decretum auſi ſiot abrogare. Nempe quia ab illis offenſionibus ac diſſidus, quibus occurrere voluerant Apoſtoli, nibil amplius periculi erat: legem vero à ſuo fine æſtimandam noveraot. Quum igitur lex iſta reſpectu charitatis lata ſit, in ea nihil præſcribitur niſi quantum charitatis intereſt. Quum fatentur nibil aliud eſſe legis hujus tranſgreſſionem quam violatiooem charitatis, nonne ſimul agnoſcunt non commentitium aliquod eſſe additamentum ad Legem Dei, ſed germanam ſimplicemque accommodationem ad tempora & mores quibus deſtinabatur?

Reſp. 2. ab adverſariorum confeſſione petita. Ipſi enim abrogarunt decretum Apoſt. quorum tamen exemplo traditiones ſuas ſtabilire volunt.

Inſtantia. Reſp. Ejuſmodi tyrannis duobus nominibus eſt improbanda.

23. At vero ut iniquæ centies ſint nobis & injuriæ ejuſmodi leges, eſſe tamen ſine exceptione audiendas contendunt: non enim hic agi, ut erroribus conſentiamus; ſed tantum ut dura Præfectorum imperia ſubditi perferamus, quæ detrectare non eſt noſtrum. Verum hic quoque optime verbi ſui veritate occurrit Dominus, noſque à tali ſervitute in libertatem vendicat quam ſacro ſuo ſanguine nobis acquiſivit: cujus beneficium verbo ſuo non ſemel obſignavit. Non enim (quod malitioſe fingunt) id ſolum agitur ut gravem aliquam oppreſſionem in corpore noſtro perferamus, ſed ut conſcientiæ libertate ſua, hoc eſt, ſanguinis Chriſti beneficio ſpoliatæ ſerviliter crucientur. Quanquam iſtud etiam, acſi parum ad rem faceret, omittamus. At quanti putamus referre, ſuum Domino regnum eripi, quod tanta ſeveritate ſibi aſſerit? Eripitur autem quoties bumanarum inventionum legibus colitur: quum ſolus ipſe cultus ſui velit haberi legiſlator. Ac ne rem eſſe nihili quis exiſtimet, audiamus quaoti reputetur à Domino. *Quoniam*, inquit, *timuit me populus iſte mandato & doctrinis hominum, ecce ego ſtupefaciam eum miraculo grandi & ſtupendo: peribit enim ſapientia à ſapientibus ejus, & intelligentia à ſenioribus recedet.* Alibi, *Fruſtra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.* Et ſane quod ſe filii Iſraël pluribus idololatriis inquinarunt, totius mali cauſa adſcribitur impuræ huic mixturæ, quod tranſgreſſi Dei maodata, cultus novos fabricarint. Ideoque refert ſacra biſtoria novos advenas qui ad incolendam Samariam traducti fuerant à Rege Babylonio, fuiſſe diſcerptos & conſumptos à feris beſtiis, *eo quod neſcirent judicia vel ſtatuta Dei terræ illius.* Quamvis in ceremoniis nihil peccaſſent, non tamen probata fuiſſet Deo inanis pompa: ſed interim cultus ſui violationem, quod homines aliena à verbo ſuo commenta ingererent, ulciſci non deſtitit. Unde poſtea dicitur, pœna illa territos, ritus in Lege præſcriptos ſuſcepiſſe: ſed quia nondum pure colebant verum Deum, bis repetitur, *timuiſſe ipſum & non timuiſſe.* Unde colligimus, partem reverentiæ quæ illi defertur, in eo eſſe poſitam dum io illo colendo ſimpliciter quod mandat, nullas noſtras inveotiones miſcendo, ſequimur. Atque ideo ſæpius laudantur pii Reges, quod fecerint ſecundum omnia præcepta, nec declinaverint vel ad dexteram vel ad ſiniſtram. Ultra progredior, etiamſi in commentitio aliquo cultu palam non apparet impietas: ſevere tamen à Spiritu damnatur, ex quo à Dei præcepto diſceſſum eſt. Altare Achaz, cujus exemplar Damaſco illatum erat, videri potuit augere Templi ornatum, quum ejus conſilium eſſet ſoli Deo illic ſacrificia offerre, quod ſplendidius facturus erat quam in primo & vetuſto altari: videmus tamen ut Spiritus S. audaciam illam deteſtetur non alia de cauſa, niſi quod hominum inventa in Dei cultu impuræ ſunt corruptelæ. Et quo nobis clarius patefacta eſt Dei voluntas, eo minus eſt excuſabilis quicquam tentandi protervia. Ac proinde merito aggravatur hac circumſtantia crimen Manaſſe, quod altare novum extruxerit in Jeruſalem, *de qua pronunciaverat Deus, Ponam illic nomen meum*: quia nunc quaſi ex profeſſo reſpuitur Dei auctoritas.

1. Et corpora & conſcientias excruciat.

2. Deo ſuum dominium eripit, unde horrenda ſequuntur judicia.

Jeſa. 29. verſ. 13.

Matth. 15. verſ. 9.

2 Reg. 17. v. 24. ad 34.

2 Reg. 22. verſ. 1, 2. & alibi.

2 Reg. 16. verſ. 10.

2 Reg. 21. verſ. 3, 4.

24. Mirantur plerique cur adeo acriter interminetur Dominus ſe facturum ſtupenda populo à quo mandatis homioum colebatur, & ſe fruſtra coli pronunciet hominum præceptis. At ſi ſpectarent quid ſit in religionis (hoc eſt, cæleſtis ſapientiæ) cauſa, ab uno Dei ore pendere, ſimul viderent non levem eſſe rationem cur perverſa hujuſmodi obſequia ſic abominetur Dominus, quæ pro bumani ingenii libidioe ſibi præſtantur. Nam tametſi ſpeciem babent quandam humilitatis in ſua hac obedientia, qui ejuſmodi legibus in Dei cultum parent: minime tamen ſunt coram Deo humiles, cui eaſdem præſcribunt leges quas ipſi ſervant. Hæc vero ratio eſt cur nos tam diligenter cavere vult Paulus ne decipiamur per traditiones hominum, & illam quam vocat ἐθελοθρησκείαν, id eſt, voluntarium cultum, & præter Dei doctrinam ab bominibus excogitatum.

Nec mirum. Deo enim diſplicent in cauſa religionis hominum inventa,

Ratio. Hæc ſapientia ex ſuperbia & hypocriſi proficiſcitur.

Coloſſ. 2. verſ. 3, 4. & 7, 8. &c.

Sic

Sic eſt profecto: ſtulteſcere & noſtram nobiſipſis & omnium hominum ſapientiam oportet, quo ſolum illum ſapere permittamus. Quam viam minime tenent qui confictis hominum arbitrio obſervatiunculis, illi ſe approbare meditantur, & quaſi invito prævaricatricem erga eum obedientiam, quæ hominibus defertur, obtrudunt. Qualiter & aliquot ante ſeculis & noſtra memoria factum eſt, & fit hodie quoque in iis locis in quibus creaturæ pluris eſt quam Creatoris imperium: ubi religio (ſi tamen religio vocari ea meretur) pluribus magiſque inſulſis ſuperſtitionibus conſpurcata eſt quam ulla unquam paganitas. Quid enim poſſet parere hominum ſenſus quam carnalia fatuaque omnia, & quæ ſnos anctores vere referant?

Exemplo confirmata.

4. Quartum arg. ab exemplis. 1. Samuelis. 1 Sam. 7. verſ. 17.

25. Quod etiam obtendunt ſuperſtitionum patroni, Samuelem ſacrificaſſe in Ramatha, & quamvis præter Legem id fieret, placuiſſe tamen Deo: facilis ſolutio eſt, non fuiſſe ſecundum aliquod altare quod unico opponeret: ſed quia nondum arcæ fœderis deſtinatus erat locus, oppidum ubi habitabat ſacrificiis deſtinaſſe tanquam maxime commodum. Certe animus ſancti Prophetæ non fuit quicquam novare in ſacris, ubi Deus tam arcte vetabat addi vel minui. Quod ad exemplum Menoha ſpectat, extraordinarium & ſingulare fuiſſe dico. Obtulit ille Deo ſacrificium homo privatus, nec ſine Dei approbatione: nempe quia non temerario animi ſui motu, ſed cæleſti inſtinctu hoc ſuſcepit. Quantopere autem abominetur Deus quæ mortales ex ſeipſis excogitant ad eum colendum, alter non inferior Menoha Gedeon inſigni documento eſt, cujus Ephod non modo ei & familiæ, ſed toti populo ceſſit in ruinam. Denique adventitia quælibet inventio, qua Deum homines colere appetunt, nihil aliud eſt quam veræ ſanctimoniæ pollutio.

Reſp. ad primum exemplum.

2. Manoha. Jud. 13. verſ. 19. *Ad ſecundum.*

Jud. 8: 27.

5. Poſtremum arg. Chriſtus ejuſmodi onera ferri voluit. Mat 23: 3. Mat. 16:6.

26. Cur igitur, inquiunt, ferri voluit Chriſtus onera illa importabilia quæ alligabant Scribæ & Phariſæi? Imo cur alibi idem Chriſtus caveri voluit à fermento Phariſæorum? fermentum (interprete Matthæo Euangeliſta) appellans quicquid propriæ doctrinæ verbi Dei puritati admiſcerent. Quid apertius volumus, quam quod totam eorum doctrinam jubemur fugere & cavere? Unde nobis certiſſimum fit, neque altero loco Dominum voluiſſe ſuorum conſcientias propriis Phariſæorum traditionibus vexari. Et verba ipſa, ſi modo non torqueantur, nihil tale ſonant. Illic ſiquidem Dominus acerbe in Phariſæorum mores invehi inſtituens, ſimpliciter ſuos auditores ante erudiebat, ut quanquam nihil in illorum vita cernerent quod ſequerentur, non tamen ea facere deſinerent quæ verbo docebant, quum in cathedra Moſis (hoc eſt, ad enarrandam Legem) ſederent. Non ergo aliud voluit quam præcavere ne malis docentium exemplis plebs ad contemptum doctrinæ induceretur. Verum quia nonnulli rationibus minime permoventur, auctoritatem ſemper requirunt, ſubjiciam Auguſtini verba, quibus idem prorſus dicitur. *Habet ovile Domini præpoſitos partim fidos, partim mercenarios. Præpoſiti qui fidi ſunt, veri ſunt Paſtores: audite tamen, quod & mercenarii neceſſarii ſunt. Multi quippe in Eccleſia, commoda terrena ſectantes, Chriſtum prædicant, & per eos vox Chriſti auditur: & ſequuntur oves non mercenarium, ſed Paſtorem per mercenarium. Audite mercenarios ab ipſo Domino demonſtratos. Scribæ, inquit, & Phariſæi cathedram Moſis inſident, quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Quid aliud dixit, niſi per mercenarios vocem Paſtoris audite? Sedendo enim in cathedra, Legem Dei docent: ergo per illos Deus docet. ſua vero ſi illi docere velint, nolite audire, nolite facere.* Hæc Auguſtinus.

Reſponſio 1. conſilium Domini oſtendens.

Reſponſio 2. Auguſtin. in Joan. tract. 46.

Tertia pars capitis, de legitimis

27. Quando vero imperiti plerique, dum humanis traditionibus impie ligari hominum conſcientias, & fruſtra Deum coli audiunt, eadem litura leges omnes inducunt quibus Eccleſiæ ordo conſtituitur: illorum quoque errori commodum hic occurrendum eſt. Falli hic ſane perquam eſt lubricum: quia non prima ſtatim facie apparet quantum inter illas & has interſit. Sed ego ita dilucide rem totam paucis expediam, ne cui imponat ſimilitudo. Hoc primum habeamus, ſi in omni hominum ſocietate neceſſariam eſſe politiam aliquam videmus, quæ ad alendam communem pacem, & retinendam concordiam valeat: ſi in rebus agendis vigere ſemper aliquem ritum, quem non reſpui publicæ honeſtatis intereſt, atque adeo humanitatis ipſius: id in Eccleſiis præſertim obſervandum eſſe, quæ cum bene compoſita rerum omnium conſtitutione optime ſuſtinentur, tum vero ſine concordia nullæ ſunt prorſus. Quamobrem ſi Eccleſiæ incolumitati bene proſpectum volumus, diligenter omnino curandum eſt quod Paulus jubet, *ut decenter omnia & ſecundum ordinem fiant*. At quum in hominum moribus tanta inſit diverſitas, tanta in animis varietas, tanta in judiciis ingeniiſque pugna: neque politia ulla ſatis firma eſt, niſi certis legibus conſtituta: nec ſine ſtata quadam forma ſervari ritus quiſpiam poteſt. Huc ergo quæ conducunt leges, tantum abeſt ut damnemus, ut his ablatis, diſſolvi ſuis nervis Eccleſias, totaſque deformari ac diſſipari contendamus. Neque enim haberi poteſt quod Paulus exigit, ut decenter omnia & ordine fiant, niſi additis obſervationibus, tanquam vinculis quibuſdam, ordo ipſe & decorum conſiſtat. Id tantum ſemper in iſtis obſervationibus excipiendum eſt, ne aut ad ſalutem credantur neceſſariæ, atque ita conſcientias religione obſtringant: aut ad Dei cultum conferantur, atque ita in illis reponatur pietas.

conſtitutionibus Eccleſiaſticis.

Quarum fundamentum niti tur generali axiomate Apoſtoli, ut omnia fiant ἐυσχημόνως ϗ κατὰ τάξιν.

1 Cor. 14. verſ. 40.

In his autem duo extrema cavenda.

28. Habemus ergo optimam & fideliſſimam notam, quæ inter impias illas conſtitutiones diſtinguat (quibus veram obſcurari religionem, & conſcientias ſubverti dictum eſt) & legitimas Eccleſiæ obſervationes: ſi his meminerimus alterum ſemper ex duobus eſſe propoſitum, aut utrumque ſimul, ut in ſacro fidelium cœtu decenter peragantur omnia, & qua convenit dignitate: ut ipſa hominum communitas velut quibuſdam humanitatis & moderationis vinculis in ordine retineatur. Ubi enim ſemel publicæ honeſtatis cauſa poſita lex intelligitur, jam ſublata eſt ſuperſtitio, in quam incidunt qui humanis inventis Dei cultum metiuntur. Rurſum ubi ad communem uſum ſpectare cognoſcitur, everſa eſt falſa illa obligationis & neceſſitatis opinio, quæ ingentem terrorem conſcientiis injiciebat, cùm putarentur traditiones ad ſalutem neceſſariæ. Siquidem hic nihil quæritur, niſi ut communi officio alatur inter nos charitas. Sed operæpretium eſt clarius adhuc definire quid ſub illo decoro quod Paulus commendat, quid item ſub ordine comprehendatur. Ac decori quidem finis eſt, partim ut dum adhibentur ritus qui venerationem rebus ſacris concilient, talibus adminiculis ad pietatem excitemur: partim etiam ut modeſtia & gravitas, quæ in omnibus honeſtis actionibus ſpectari debet, illic maxime eluceat. In ordine hoc primum eſt, ut qui præſunt, regulam ac legem bene regendi noverint: plebs vero quæ regitur, ad obedientiam Dei rectamque diſciplinam aſſuefiat. Deinde ut bene compoſito Eccleſiæ ſtatu, paci & tranquillitati conſulatur.

Ad hanc amuſſim conſtitutiones omnes examinanda, ad hunc finem referenda.

Quid decori & ordinis nomine intelligat Paulus.

29. Decorum ergo non vocabimus in quo nihil præter inane oblectamentum inerit: quale exemplum videmus in illo theatrico apparatu quo utuntur Papiſtæ in ſuis ſacris, ubi nihil quam inutilis elegantiæ larva, & luxus ſine fructu apparet. Sed illud nobis decorum erit, quod ita erit ad ſacrorum myſteriorum reverentiam aptum ut ſit idoneum ad pietatem exercitium: vel ſaltem quod ad ornatum faciet actioni congruentem: neque idipſum ſine fructu: ſed ut fideles admoneat quanta modeſtia, reli-

Decorum nullum in Papiſticis ceremoniis.

Veri decori deſcriptio.

religione, obſervantia, ſacra tractare debeant. Porro ut pietatis exercitia ſint ceremoniæ, ad Chriſtum

Nullus ordo in pompis Papiſticis.

recta nos deducant neceſſe eſt. Similiter ordinem non conſtituemus in illis nugatoriis pompis quæ nihil habent præter evanidum ſplendorem, ſed in ea compoſitione quæ omnem confuſionem, barbariem, contumaciam, turbas omnes & diſſidia

Chriſtiani decori exempla.

1 Cor. 11. verſ. 21.

ibid. v. 5.

tollat. Prioris generis exempla ſunt apud Paulum, Ut ne profana ſympoſia cum ſacra Domini Cœna commiſceantur: Ne mulieres in publicum niſi velatæ procedant. & alia plurima in quotidiano uſu habemus: quale eſt, Quod flexis genibus nudoque capite oramus: Quod Domini Sacramenta non ſordide, ſed cum aliqua dignitate adminiſtramus: Quod in ſepeliendis mortuis quandam honeſtatem

Veri ordinis exempla.

adhibemus: & quæ alia eodem pertinent. In altero genere ſuot horæ publicis precationibus, concionibus & myſticis actionibus deſtinatæ: in ipſis concionibus quies ac ſilentium, loca deſtinata, hymnorum concentus, dies celebrandæ Domini Cœnæ

1 Cor. 14. verſ. 34.

præfixi, quod Paulus vetat ne mulieres in Eccleſia doceant, & ſiqua ſunt ſimilia. In primis vero quæ diſciplinam conſervant, ut catecheſis, cenſuræ Eccleſiaſticæ, excommunicatio, jejunia, & quæ in

Duo capita conſtitutionum Eccl.

eundem catologum referri poſſunt. Ita omnes Eccleſiaſticas conſtitutiones, quas pro ſanctis & ſalutaribus recipimus, in duo capita referre licet: alteræ enim ad ritus & ceremonias, alteræ ad diſciplinam & pacem reſpiciunt.

Porro nullæ conſtitutiones ejuſmodi ſunt, niſi quæ Dei auctoritate fundatæ, & ex Scriptura deſumptæ ſunt.

30. Sed quia hic periculum eſt ne ab una parte Pſeudoëpiſcopi prætextum inde captent ad impias ſuas & tyrannicas leges excuſandas, ab altera ſint quidam nimis meticuloſi, qui ſuperioribus malis admoniti, nullum quamlibet ſanctis legibus locum relinquant: hic teſtari operæpretium eſt, eas demum humanas conſtitutiones me probare quæ & Dei auctoritate fuodatæ, & ex Scriptura deſumptæ, adeoque prorſus divinæ ſint. Exemplum ſit in geniculatione quæ fit dum ſolennes babentur precationes. Quæritur ſitne humana traditio, quam repudiare vel negligere euivis liceat. Dico ſic eſſe humanam ut ſimul ſit divina. Dei eſt quatenus pars eſt

1 Cor. 14. verſ. 40.

decori illius eujus cura & obſervatio nobis per Apoſtolum commendatur: hominum autem, quatenus ſpecialiter deſignat quod in genere fuerat iodicatum magis quam expoſitum. Ab hoc uno exemplo

Secundum genus, divina eſſe debent, licet quoad ſpeciem humanitus ordinata ſint.

æſtimare licet quid de toto boc genere ſit ſentiendum: nempe quia Dominus & totam veræ juſtitiæ ſummam, & omnes cultus numinis ſui partes, & quicquid ad ſalutem neceſſarium erat, ſacris ſuis oraculis tum fideliter complexus eſt, tum perſpicue enarravit: in his ſolus Magiſter eſt audiendus. Quia autem in externa diſciplina & ceremoniis non voluit ſigillatim præſcribere quid ſequi debeamus (quod iſtud pendere à temporum conditione prævideret, neque judicaret unam ſeculis omnibus formam convenire) confugere hic oportet ad generales quas dedit regulas, ut ad eas exigantur quæcunque ad ordinem & decorum præcipi neceſſitas Eccleſiæ

Optima vero iſtarum moderatrix charitas eſt, quæ Eccleſiæ ædificationem reſpicit.

poſtulabit. Poſtremo quia ideo nihil expreſſum tradidit, quia nec ad ſalutem hæc neceſſaria ſunt, & pro moribus uniuſcujuſque gentis ac ſeculi varie accommodari debent ad Eccleſiæ ædificationem: prout Eccleſiæ utilitas requiret, tam uſitatas mutare & abrogare quam novas inſtituere conveniet. Fateor equidem, non temere, nec ſubinde, nec levibus de cauſis ad novationem eſſe decurrendum. Sed quid noceat vel ædificet, charitas optime judicabit: quam ſi moderatricem eſſe patiemur, ſalva erunt omnia.

Ideo Chriſtianorum eſt, ejuſmodi conſtitutiones neque negligere, neque contemnere, ſed fideliter obſervare: idque libera conſcientia.

31. Jam vero Chriſtiani populi officium eſt, quæ ſecundum hunc canonem fuerint inſtituta, libera quidem conſcientia, nullaque ſuperſtitione, pia tamen & facili ad obſequendum propenſione ſervare, non contemptim habere, non ſupina negligentia præterire: tantum abeſt ut per faſtum & contumaciam violare aperte debeat. Qualis (inquies) in tanta obſervantia & cautione conſcientiæ libertas eſſe poterit? Imo vero præclare conſtabit ubi reputabimus, non fixas eſſe & perpetuas ſanctiones quibus adſtricti ſimus, ſed externa humanæ infirmitatis rudimenta: quibus tametſi non indigemus omnes, tamen omnes utimur, quia alii aliis ad fovendam inter nos charitatem mutuo ſumus obnoxii. Hoc in exemplis ſuperius poſitis recognoſcere licet. Quid? an in mulieris carbaſo ſita religio

Exemplis, quæ frequenter occurrere poſſunt, hæc concluſio illuſtratur.

eſt, ut nudo capite egredi ſit nefas? An ſanctum de ejus ſilentio decretum, quod violari ſine ſummo ſcelere non poſſit? An aliquod in genuflexione, in humando cadavere myſterium, quod præteriri ſine piaculo non poſſit? Minime. Nam ſi tali feſtinatione opus ſit mulieri in juvando proximo quæ velare caput non ſinat, nihil delinquit ſi aperto capite accurrat. Et eſt ubi loqui non minus opportunum illi ſit quam alibi tacere. Stantem quoque orare qui morbo impeditus curvare genua nequit, nihil vetat. Denique ſatius eſt mature humare mortuum, quam ubi linteum deeſt, ubi non adſunt qui deducant, expectare dum inhumatus putreſcat. Sed eſt nihilo-

Regula obſervanda.

minus in iſtis rebus quod agendum aut cavendum mos regionis, inſtituta, ipſa denique bumanitas & modeſtiæ regula dictet: ubi ſi imprudentia & oblivione quid erratum fuerit, nullum admiſſum crimen eſt: ſin contemptu, improbanda eſt contumacia. Similiter dies ipſi qui ſint, & horæ, quæ locorum ſtructura, qui quo die canantur Pſalmi, nihil intereſt. Verum & certos dies & ſtatas eſſe horas convenit, & locum recipiendis omnibus idoneum, ſiqua ſervandæ pacis ratio habetur. Nam quanta-

Ratio.

rum rixarum ſemen futura ſit earum rerum confuſio, ſi prout cuique libitum ſit, mutare liceat quæ ad communem ſtatum pertinent? quando nunquam futurum eſt ut omnibus idem placeat, ſi res velut in medio poſitæ, ſingulorum arbitrio relictæ fuerint. Quod ſiquis obſtrepat & plus ſapere hic velit quam oportet, viderit ipſe qua moroſitatem ſuam ratione Domino approbet. Nobis tamen iſtud Pauli ſatis-

1 Cor. 11. verſ. 16.

facere debet, *nos contendendi morem non habere, neque Eccleſias Dei*.

Ex altera parte cavendum, 1. ne unquam irrepat aliquis error qui hos conſtitutiones inquinet.

32. Porro ſumma diligentia incumbendum eſt nequis irrepat error, qui putum hunc uſum vel inficiat vel obſcuret. Quod quidem obtinebimus, ſi quæcunque erunt obſervationes, manifeſtam utilitatem præ ſe ferant, ſi parciſſimæ admittantur: potiſſimum vero ſi accedat fidelis Paſtoris doctrina, quæ pravis opinionibus viam præcludat. Hæc autem cognitio facit ut ſua cuique in bis rebus omnibus libertas conſtet, & quandam nihilominus ſuæ quiſque libertati neceſſitatem ultro imponat, quatenus aut illud quod diximus τὸ πρέπον, aut charitatis ratio exiget. Deinde ut & in earum rerum obſervatione

2. Aut ſuperſtitio, quæ pietatem aut charitatem offendat.

nulla ſuperſtitione verſemur ipſi, nec moroſe nimium ipſam ab aliis requiramus, ne potiorem Dei cultum ceremoniatum multitudine æſtimemus, ne Eccleſia Eccleſiam ob externæ diſciplinæ varietatem contemnat. Poſtremo ut nullam hic perpetuam le-

3. Aut neceſſitas quædam, quæ libertatem Eccleſiarum tollere velit.

gem nobis ſtatuentes, totum obſervationum uſum & finem ad Eccleſiæ ædificationem referamus: qua poſtulante, non modo mutari aliquid, ſed quicquid ante in uſu nobis obſervationum fuerit, inverti nulla offenſione feramus. Hoc enim ferre temporum rationem ut ritus quoſdam, non impios alioqui nec indecoros, pro rei opportunitate abrogari conveniat, præſenti experimento eſt hæc ætas. Nam (quæ ſuperiorum temporum cæcitas fuit & ignorantia) tam corrupta opinione tamque pertinaci ſtudio antehac in ceremoniis bæſeruot Eccleſiæ, ut vix ſatis repurgari à prodigioſis ſuperſtitionibus queant, quin multæ ceremoniæ tollantur nec abs re olim forte inſtitutæ, & nulla per ſe impietate notabiles.

CAP. XI.

Cap. XI.

De Eccleſiæ juriſdictione, ejuſque abuſu, qualis cernitur in Papatu.

Caput XI. ad duas partes præcipuas commode revocari poteſt.

1. *Juriſdictionis Eccleſiaſticæ neceſſitas, origo, deſcriptio, partes eſſentiales, nempe ſacrum verbi miniſterium, & excommunicationis diſciplina perpetua, cujus ſcopus, uſus item ac abuſus declaratur, ſect.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.
2. *Argumenta quæ Papiſtæ proferunt in defenſionem Pontificiæ tyrannidis, jus utriuſque gladii, Imperatoriam pompam ac dignitatem, ditiones alienas, & immunitatem (quam vocant) uſurpantis, refelluntur, à nona ſectione ad finem capitis.*

Abſoluta tractatione de poteſtate Eccleſiaſtica circa doctrinam & leges ferendas, ſupereſt diſputatio de eadem poteſtate quoad juriſdictionem, quæ hoc capite & ſequenti abſolvitur. Hujus autem juriſdictionis neceſſitas, origo, & deſcriptio paucis oſtenditur & probatur Apoſtoli verbis.

RESTAT tertia pars, & quidem in ſtatu bene compoſito præcipua, Eccleſiaſticæ poteſtatis, quam in juriſdictione poſitam eſſe diximus. Tota autem Eccleſiæ juriſdictio pertinet ad morum diſciplinam, de qua mox tractandum erit. Quemadmodum enim nulla urbs nullusve pagus ſine magiſtratu & politia ſtare poteſt: ſic Eccleſia Dei (quod jam docui, ſed nunc iterum cogor repetere) ſua quadam ſpirituali politia indiget: quæ tamen à civili prorſus diſtincta eſt, eamque adeo nihil impedit aut imminuit, ut potius multum juvet ac promoveat. Iſta igitur juriſdictionis poteſtas nihil aliud erit in ſumma quam ordo comparatus ad ſpiritualis politiæ conſervationem. In hunc finem fuerunt ab initio conſtituta in Eccleſiis judicia quæ cenſuram de moribus agerent, animadverterent in vitia, & exercendo clavium officio præeſſent. Hunc ordinem deſignat Paulus in epiſtola ad Corinthios, quum *gubernationes* nominat. Item ad Romanos, quum dicit, *Qui præeſt, in ſollicitudine præſit.* Non enim alloquitur magiſtratus (qui nulli tunc erant Chriſtiani) ſed eos qui ad ſpirituale Eccleſiæ regimen erant adjuncti Paſtoribus. Ad Timotheum quoque duplices facit Presbyteros: alios qui laborant in verbo, alios qui verbi prædicatione non funguntur, & tamen bene præſunt. Hoc poſteriore genere non dubium eſt quin eos intelligat qui ad inſpectionem morum & totum clavium uſum conſtituti erant. Nam poteſtas hæc, de qua loquimur, tota pendet à clavibus quas Chriſtus Eccleſiæ contulit, Matthæi decimo octavo capite: ubi jubet graviter publico nomine admoneri eos qui privatas monitiones contempſerint: quod ſi in ſua contumacia pergant, à ſocietate fidelium abdicandos docet. Porro monitiones iſtæ & correctiones ſine cauſæ cognitione fieri nequeunt: proinde opus eſt & judicio & ordine aliquo. Quamobrem niſi velimus irritam facere clavium promiſſionem; & excommunicationem, ſolennes monitiones, & quicquid tale eſt de medio tollere: aliquam Eccleſiæ juriſdictionem demus neceſſe eſt. Obſervent lectores non agi illo loco de generali doctrinæ auctoritate, ſicuti Matthæi cap. 16. & Joannis 20. ſed jus ſynedrii in poſterum transferri ad Chriſti gregem. Ad illum uſque diem Judæis ſua fuerat gubernandi ratio, quam in Eccleſia ſua ſtabilit Chriſtus, quoad puram inſtitutionem atque in gravi ſanctione. Sic enim oportuit, quum Eccleſiæ ignobilis & contemptæ judicium à temerariis & faſtuoſis hominibus ſperni alioqui poſſet. Ac ne lectores impediat quod Chriſtus iiſdem verbis res aliquantulum inter ſe diverſas notat, hunc nodum ſolvere utile erit. Duo igitur ſunt loci qui de ligando & ſolvendo loquuntur. Alter eſt Matthæi decimo ſexto, ubi Chriſtus, poſtquam ſe claves regni cælorum Petro daturum promiſit, continuo ſubjungit, *Quodcunque ipſe in terra ligaverit aut ſolverit, ratum in cælo fore.* Quibus verbis nihil aliud ſignificat quam alia quæ habentur apud Joannem, quum diſcipulos miſſurus ad prædicandum, poſtquam inſufflavit in eos, *Quorum*, inquit, *remiſeritis peccata, remiſſa erunt: & quorum retinueritis, retenta erunt in cælo.*

vide initium c. 8.
1 Cor. 12. verſ. 28.
Rom. 12. verſ. 8.
1 Tim. 5. verſ. 17.

Pendet hæc juriſdictio à clavibus, Eccleſiæ conceſſis.

Clavium autem duplex eſt conſideratio.

Cujus explicatio ſubjungitur, ex duobus locis Euangeliſtarum deprompta.

Matth. 16. verſ. 19.
Joan. 20. verſ. 23.

Adferam interpretationem non argutam, non coactam, non detortam: ſed germanam, fluentem, obviam. Hoc de remittendis & retinendis peccatis mandatum, & illa de ligando & ſolvendo Petro facta promiſſio, non alio debent referri quam ad verbi miniſterium, quod dum Apoſtolis committebat Dominus, ſimul & hoc ſolvendi ligandique munere ipſos inſtruebat. Quæ enim eſt ſumma Euangelii, niſi quod omnes ſervi peccati & mortis ſolvimur ac liberamur per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu? qui vero Chriſtum liberatorem ac redemptorem non ſuſcipiunt nec agnoſcunt, eos æternis vinculis damnatos addictoſque eſſe? Hanc legationem quum Apoſtolis ſuis in omnes nationes perferendam traderet Dominus, ut ſuam eſſe & à ſe profectam approbaret, hoc præclaro teſtimonio eam honoravit: idque in eximiam confirmationem tum Apoſtolorum ipſorum, tum eorum quoque omnium ad quos perventura erat. Referebat, ut Apoſtoli conſtantem ac ſolidam ſuæ prædicationis certitudinem haberent: quam non modo infinitis laboribus, curis, moleſtiis, periculis obituri erant, ſed ſuo demum ſanguine obſignaturi. Ipſam, inquam, ut ſcirent non vanam eſſe nec inanem, ſed potentiæ plenam ac virtutis: referebat ut in tanta anxietate & rerum difficultate tantiſque diſcriminibus, Dei ſe negotium agere perſuaſi eſſent: ut toto mundo adverſante & repugnante, Deum pro ſe ſtare cognoſcerent: ut Chriſtum doctrinæ ſuæ auctorem, aſpectu in terra præſentem non habentes, ipſum eſſe in cælo intelligerent, ad firmandam ejus quam ſibi tradiderat doctrinæ veritatem. Oportebat rurſum & auditoribus certiſſime teſtificatum eſſe, illam Euangelii doctrinam non Apoſtolorum eſſe ſermonem, ſed Dei ipſius: non vocem in terra natam, ſed è cælo delapſam. Non enim in hominis poteſtate hæc eſſe poſſunt, peccatorum remiſſio, promiſſio vitæ æternæ, ſalutis nuncium. Teſtificatus eſt ergo Chriſtus nihil in Euangelii prædicatione Apoſtolorum eſſe præter miniſterium: ſe eſſe qui per eorum ora, velut per organa, loqueretur omnia & promitteret. Itaque peccatorum remiſſionem quam annunciarent, veram eſſe Dei promiſſionem: damnationem quam pronunciarent, certum eſſe Dei judicium. Hæc autem teſtificatio ſeculis omnibus data eſt, firmaque manet, quæ certiores omnes ſecuroſque reddat, Euangelii verbum, à quocunque tandem homine prædicetur, ipſiſſimam eſſe Dei ſententiam, apud ſummum tribunal promulgatam, in libro vitæ ſcriptam, in cælo ratam, firmam, ac fixam. Habemus, poteſtatem clavium eſſe ſimpliciter in illis locis Euangelii prædicationem: nec tam poteſtatem eſſe quam miniſterium, ſi ad homines reſpicimus. Non enim hominibus hanc poteſtatem proprie Chriſtus dedit, ſed verbo ſuo, cujus homines miniſtros fecit.

Matth. 16. verſ. 19.

Prior pars clavium, quæ miniſterium verbi reſpicit, ad diſputationem de Eccleſiaſtica juriſdictione non eſt referenda.

Eſt enim prædicatio & miniſterium, non juriſdictio.

2. Alter, quem de ligandi & ſolvendi poteſtate extare diximus, locus Matthæi 18. habetur: ubi ait Chriſtus, *Si frater aliquis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: quæcunque ſolveritis, ſoluta erunt.* Hic locus

Altera pars, quæ pertinet ad diſciplinam excommunicationis, ea eſt de

non

quo hoc capite agitur. non omnino eſt priori ſimilis, ſed paulo io diverſam partem intelligendus eſt. Non autem ſic diverſos facio ut non multam habeant inter ſe affinitatem. Hoc primum utrobique ſimile eſt, quod utraque eſt generalis ſententia, eadem ſemper ligandi ſolvendique poteſtas (nempe per verbum Dei) idem mandatum, eadem promiſſio. *Quid differant.* Eo autem differunt, quod prior locus peculiariter de prædicatione eſt qua verbi miniſtri funguntur: hic ad diſciplinam excommunicationis pertinet, quæ Eccleſiæ permiſſa eſt. *Quomodo per diſciplinam liget Eccleſia.* Ligat autem Eccleſia quem excommunicat: non quod in perpetuam ruioam ac deſperationem conjiciat, ſed quia ejus vitam ac mores damnat, ac niſi reſipuerit, jam eum ſuæ damnationis admonet. *Quomodo ſolvat.* Solvit quem in communionem recipit: quia velut participem eum facit unitatis quam habet in Chriſto Jeſu. Nequis ergo contumaciter Eccleſiæ judicium contemnat, aut parvi faciat ſe fidelium ſuffragiis damnatum: teſtatur Dominus tale fidelium judicium non aliud eſſe quam ſententiæ ſuæ promulgationem, ratumque haberi in cælis quod illi in terra egerint. *Qualis eſſe debeat.* Habent enim verbum Dei, quo perverſos damnent: habent verbum quo reſipiſcentes in gratiam recipiant. Errare autem non poſſunt, nec à Dei judicio diſſentire, quia nonniſi ex Lege Dei judicant, quæ non incerta eſt aut terrena opinio, ſed ſancta Dei voluntas & cæleſte oraculum. *Utriuſque teſtimonii & clavis abuſus in Papatu.* Ex iſtis duobus locis, quos ut breviter, ita & familiariter & vere enarraſſe mihi videor, furioſi illi, nullo diſcrimine, prout ſua vertigine feruntur, nunc confeſſionem, nunc excommunicationem, nunc juriſdictionem, nunc jus condendi leges, nunc indulgentias ſtatuere conantur. Priorem vero ad aſtruendum Romanæ ſedis primatum allegant: ita norunt claves ſuas quibus viſum eſt aptare ſeris & oſtiis: ut dicas tota vita eos artem fabrilem exercuiſſe.

Porro diſciplina illa excommunicationis eſt perpetua. unde ſequitur, eos falli qui exiſtimant illi locum non eſſe, ubi Chriſtiani ſunt magiſtratus. 3. Nam quod nonnulli omnia illa temporaria fuiſſe imaginantur, quum magiſtratus à religionis noſtræ profeſſione alieni adbuc forent: in eo falluntur, quod non animadvertunt quantum ſit diſcrimen & qualis diſſimilitudo Eccleſiaſticæ & civilis poteſtatis. Neque enim jus gladii habet Eccleſia quo puniat vel coërceat, non imperium ut cogat, non carcerem, non pœnas alias quæ ſolent infligi à magiſtratu. Deinde noo hoc agit ut qui peccavit, invitus plectatur: ſed ut voluntaria caſtigatione pœnitentiam profiteatur. Eſt igitur longe diverſa ratio: quia nec quicquam ſibi ſumit Eccleſia quod ſit proprium magiſtratus, neque boc efficere poteſt magiſtratus quod ab Eccleſia peragitur. *Diſtinctio civilis & Eccleſiaſticæ poteſtatis, exemplo illuſtrata, quæ juriſdictionis Eccleſiæ neceſſitatem aperit.* Exemplo fiet hoc faciliùs. Inebriatus eſt aliquis? in urbe bene conſtituta, pœna erit carcer: ſcortatus eſt? aut ſimilis, aut potius major. Ita erit ſatisfactum & legibus, & magiſtratui, & externo judicio. At fieri poterit ut nullam det pœnitentiæ ſignificationem: quin potius ut obmurmuret vel fremat. An illic ceſſabit Eccleſia? At recipi ad Cœnam tales nequeunt quin fiat & Chriſto & ſacræ ejus inſtitutioni injuria. Et hoc poſtulat ratio, ut qui Eccleſiam offendit malo exemplo, ſolenni pœnitentiæ declaratione offendiculum, quod excitavit, tollat. Ratio quam adducunt illi qui contra ſentiunt, nimis eſt frigida. *Exceptio.* Mandabat, inquiunt, Chriſtus has partes Eccleſiæ, quum non eſſet magiſtratus qui exequeretur. *Reſponſio 1.* Sed accidit ſæpenumero ut ſit negligentior magiſtratus: *2.* imo nonnunquam forte ut ſit ipſemet caſtigandus: quod & Tbeodoſio Cæſari contigit. Adhæc tantundem dici poterit de toto fere verbi miniſterio. Nunc ergo ſecondum eos deſinant reprehendere Paſtores maoifeſta flagitia: deſinant objurgare, arguere, increpare. Sunt enim Chriſtiani magiſtratus, qui legibus & gladio debent bæc corrigere. *3.* At quemadmodum magiſtratus, puniendo, & manu coërcendo, purgare debet Eccleſiam offendiculis: ita verbi miniſter viciſſim ſublevare debet magiſtratum, ne tam multi peccent. Sic conjunctæ debeot eſſe operæ ut altera ſit adjumento alteri, non impedimento.

4. Et ſane ſiquis propius expendat Cbriſti verba, facile perſpiciet, ſtatum & perpetuum Eccleſiæ ordinem, non temporarium illic deſcribi. *Confirmatio proxime præcedentis aſſertionis, excommunicationis diſciplinam eſſe perpetuam.* Neque enim conſentaneum eſt, ut qui monitionibus noſtris obtemperare noluerint, eos ad magiſtratum deſeramus: quod tamen neceſſe foret ſi in vicem Eccleſiæ ille ſuccederet. Quid iſta promiſſio, an unius anni dicenda erit, vel paucorum, *Amen, amen dico vobis: quicquid ligaveritis in terra*? Præterea Cbriſtus nihil hic novum inſtituit, ſed conſuetudinem in veteri gentis ſuæ Eccleſia ſemper obſervatam ſequutus eſt: quo ſignificavit, noo poſſe carere Eccleſiam ſpirituali juriſdictione, quæ ab initio fuiſſet. Atque id omnium temporum conſenſu fuit confirmatum. *Et ſub Imperatoribus & magiſtratibus Chriſtianis fuiſſe ordinatam.* Neque enim ubi cœperuot Imperatores & magiſtratus Cbriſto nomen dare, protinus abrogata eſt ſpiritualis juriſdictio: ſed ita duntaxat ordinata nequid civili derogaret, aut cum ea confunderetur. Et merito: noo enim magiſtratus, ſi pius eſt, eximere ſe volet communi filiorum Dei ſubjectione, cujus non poſtrema pars eſt, Eccleſiæ ex verbo Dei judicanti ſe ſubjicere: tantum abeſt ut judicium illud tollere debeat. *Quid enim honorificentius* (inquit Ambroſius) *quam ut Eccleſiæ filius dicatur Imperator? Imperator enim bonus, intra Eccleſiam, non ſuper Eccleſiam eſt.* (epiſt. 32. ad Valentianum.) Quare illi qui ut magiſtratum ornent, Eccleſiam ſpoliant hac poteſtate, non modo falſa interpretatione corrumpunt Chriſti ſententiam, ſed ſanctos omnes Epiſcopos, qui tam multi à tempore Apoſtolorum extiterunt, non leviter damnant, quod honorem officiumque magiſtratus falſo prætextu ſibi uſurpaverint.

5. Sed hoc quoque ex adverſo operæpretium eſt videre; quis fuerit olim verus uſus Eccleſiaſticæ juriſdictionis, & quantus abuſus obrepſerit: *Quis ſcopus & uſus Eccleſiaſticæ juriſdictionis, in vetere Eccleſia.* ut ſciamus quid abrogandum ſit, & quid ex antiquitate reſtituendum, ſi volumus, everſo regno Antichriſti, verum Chriſti regnum iterum erigere. Primum hic ſcopus eſt, ut ſcandalis obviam eatur: quod ſiquid ſcandali exortum ſit, aboleatur. *In quo duo obſervanda.* In uſu duo ſunt conſideranda: ut à jure gladii prorſus ſeparetur hæc ſpiritualis poteſtas; deinde ne unius arbitrio, ſed per legitimum conſeſſum adminiſtretur. (1 Cor. 5:4.) Utrumque in puriore Eccleſia obſervatum fuit. *1. A jure gladii prorſus ſeparata fuit hæc ſpiritualis poteſtas.* Neque enim vel mulctis, vel carceribus, vel aliis civilibus pœnis poteſtatem ſuam exercuerunt ſancti Epiſcopi: ſed ſolo Domini verbo, ut decebat, uſi ſunt. Severiſſima enim Eccleſiæ vindicta, & quaſi ultimum fulmen, eſt excommunicatio: quæ nonniſi in neceſſitate adhibetur. Illa porro nec vim, nec manum deſiderat, ſed verbi Dei potentia contenta eſt. Denique veteris Eccleſiæ juriſdictio nihil aliud fuit quam practica (ut ita loquar) declaratio ejus quod docet Paulus de ſpirituali Paſtorum poteſtate. Data eſt, inquit, nobis poteſtas, *qua demoliamur munitiones, qua humiliemus omnem altitudinem quæ ſe extollit adverſus cognitionem Dei, qua ſubigamus omnem cogitationem, & captivam ducamus in obedientiam Chriſti: in promptu vero habemus vindictam adverſus omnem inobedientiam.* (2 Cor. 10. verſ. 4. 5.) Quemadmodum hoc fit prædicatione doctrinæ Chriſti: ita, ne doctrina ſit ludibrio, ſecundum idipſum quod docetur judicari debent qui ſe profitentur fidei domeſticos. Id porro fieri nequit niſi una cum miniſterio conjunctum ſit jus vocandi eos qui privatim monendi ſunt, vel acrius corrigendi: jus etiam arcendi eos à Cœnæ communione qui recipi ſine tanti myſterii profanatione nequeunt. Itaque dum alibi negat non eſſe noſtrum extraneos judicare, (1 Cor. 5. verſ. 12.) filios Eccleſiæ cenſuris ſubjicit quæ eorum vitia caſtigent, ac tunc viguiſſe judicia innuit à quibus nemo fidelium eſſet immunis.

 6. Ejuſ-

Digitized by Google

2. Non unius arbitrio, ſed per legitimum conſeſſum adminiſtrabatur.

6. Ejuſmodi vero poteſtas (ut propoſuimus) non penes unum erat, ut pro ſua libidine quidvis ageret: ſed penes conſeſſum Seniorum, qui erat in Eccleſia quod in urbe eſt Senatus. Cyprianus, quum meminit per quos ſuo tempore exerceretur, adjungere ſolet totum clerum Epiſcopo. Sed alibi quoque demonſtrat, ſic præfuiſſe clerum ipſum ut plebs interim à cognitione non excluderetur: ſic enim ſcribit, *Ab initio Epiſcopatus mei ſtatui ſine cleri concilio, & plebis conſenſu, nihil agere.* Verum hæc erat communis & uſitata ratio, ut per ſenatum Presbyterorum Eccleſiæ juriſdictio exerceretur: quorum duo (ut dixi) erant genera. Alii enim ad docendum erant ordinati, alii morum cenſores duntaxat erant.

epiſt. 14. lib. 3. & ejuſd. lib. epiſt. 19. & alibi. epiſt. 10. libr. 3.

Sed paulatim ſublata eſt. Primum enim ſoli clerici tractarunt judicia Eccleſiaſtica.

in 5. cap. 1. ad Tim.

Paulatim degeneravit hoc inſtitutum à ſuo primordio: ut jam Ambroſii ſeculo ſoli clerici in judiciis Eccleſiaſticis eſſent cognitores. Quod ipſe conqueritur his verbis, *Synagoga vetus*, inquit, *& poſtea Eccleſia Seniores habuit, quorum ſine conſilio nihil agebatur: quod qua negligentia obſoleverit neſcio, niſi forte doctorum deſidia, vel magis ſuperbia: dum ſoli volunt aliquid videri.* Videmus quantopere ſanctus vir indignetur aliquid de meliore ſtatu concidiſſe: quum tamen adhuc illis ſtaret ordo ſaltem tolerabilis. Quid igitur ſi has deformes ruinas intueretur quæ nullum prope veſtigium referunt vetuſti ædificii? qua deploratione uteretur?

Deinde Epiſcopus ad ſe unum traxit quod toti Eccleſiæ datum erat.

Principio contra jus & fas, quod Eccleſiæ datum erat, ſibi uni vendicavit Epiſcopus. Perinde enim eſt acſi Senatu expulſo Conſul imperium ſolus occuparet. Atqui, ut eſt reliquis honore ſuperior, ita in ipſo collegio plus eſt auctoritatis quam in uno homine. Fuit igitur facinus nimis improbum, quod unus homo, tranſlata ad ſe communi poteſtate, & tyrannicæ libidini patefecit aditum, & Eccleſiæ quod ſuum erat eripuit, & conſeſſum à Chriſti Spiritu ordinatum ſuppreſſit & abdicavit.

Tandem Epiſcopi quod ſibi ſolis vendicaverant, ad alios, quos Officiales vocant, ablegarunt, & ſpiritualem juriſdictionem in profana judicia converterunt. Exempla, quæ impiam hanc ἀταξίαν traducunt.

7. Verum (ut aliud malum ſemper ex alio naſcitur) Epiſcopi velut rem ſua cura indignam faſtidientes, ad alios ablegarunt. Inde creati Officiales, qui locum illum ſuſtinerent: nondum dico quale genus hominum, hoc tantum dico, nihil differre à profanis judicibus. Et tamen ſpiritualem juriſdictionem adhuc vocant, ubi nonniſi de rebus terrenis litigatur. Ut nihil ſit aliud mali, forum litigioſum qua fronte vocare audent judicium Eccleſiæ? At illic ſunt monitiones, eſt excommunicatio. Scilicet ita cum Deo luditur. Debet pauperculus aliquis pecuniam? Citatur: ſi comparet, damnatur. Damnatus niſi ſatisfaciat, monetur: à monitione ſecunda gradus fit ad excommunicationem: ſi non comparet, monetur ut ſe ſiſtat judicio: ſi moram facit, monetur, & mox excommunicatur. Quæſo, quid omnino ſimile vel cum inſtituto Chriſti, vel cum more priſco, vel cum ratione Eccleſiaſtica? At fit etiam illic de vitiis cenſura. Nempe ſcortationes, laſcivias, ebrietates, & ejus generis flagitia non tantum tolerant, ſed tacita quodammodo approbatione fovent ac confirmant: neque id in plebe modo, ſed in ipſis quoque clericis. Ex multis paucos ad ſe vocant, vel ne videantur nimis ſocordes in connivendo, vel ut pecuniam emulgeant. Taceo prædas, rapinas, peculatus, ſacrilegia, quæ inde colliguntur. Taceo quales ut plurimum deligantur ad hoc munus. Hoc ſatis ſuperque eſt, quod quum juriſdictionem ſuam ſpiritualem jactant Romanenſes, oſtendere promptum eſt inſtitutæ à Chriſto rationi nihil eſſe magis contrarium: cum priſca vero conſuetudine nihilo plus habere ſimilitudinis quam tenebras cum luce.

Repetitio eorum quæ ab initio capitis huc uſque dicta ſunt, à qua

8. Tametſi non omnia diximus quæ huc adferri poterant, & ea quoque ipſa quæ diximus, paucis perſtricta ſunt: ſic tamen debellatum eſſe confido ut nihil jam ſit cur quiſquam ambigat, ſpiritualem poteſtatem, qua Papa cum toto ſuo regno ſuperbit, impiam eſſe contra Dei verbum, ac injuſtam in ejus populum tyrannidem.

Papalis poteſtas confutatur.

Ac ſpiritualis quidem poteſtatis nomine tum audaciam complector in fabricandis novis doctrinis, quibus miſeram plebem à germana verbi Dei puritate averterunt, tum iniquas traditiones quibus ipſam illaquearunt, tum pſeudo-eccleſiaſticam juriſdictionem, quam per ſuffraganeos & officiales exercent.

Summa eſt, Chriſtum voluiſſe verbi ſui miniſtros à civili dominatione ac terreno imperio arcere.

Nam ſi Chriſto regnum inter nos permittimus, fieri non poteſt quin totum iſtud dominationis genus extemplo proſternatur ac corruat. Jus autem gladii quod ſibi quoque tribuunt, quia in conſcientias non exercetur, tractare præſentis negotii non eſt. Qua tamen in parte animadvertere operæpretium eſt, ſui ſemper eſſe ſimiles: nihil ſcilicet minus quam quod haberi volunt, Eccleſiæ paſtores. Nec peculiaria hominum vitia, ſed commune totius ordinis ſcelus, adeoque ipſam ordinis peſtem arguo: quando mutilus ille fore creditur, niſi opulentia & ſuperbis titulis ſpectabilis fuerit. Si hac de re Chriſti auctoritatem quærimus, non dubium quin verbi ſui miniſtros à civili dominatione ac terreno imperio arcere voluerit, quum diceret, *Reges Gentium dominantur illis: vos autem non ſic.* Significat enim non modo Paſtoris officium diſtinctum eſſe ab officio Principis: ſed res eſſe magis ſeparatas quam ut in unum hominem coire queant.

Matth. 20. verſ. 25. Luc. 22. verſ. 25.

Exceptio.

Exod. 18. verſ. 16.

Nam quod Moſes utrumque ſimul ſuſtinuit, primum raro id miraculo factum eſt: deinde fuit temporarium, donec res melius componerentur. Ubi autem certa forma à Domino præſcribitur, civilis gubernatio ei relinquitur, ſacerdotium jubetur fratri reſignare. & merito: eſt enim ſupra naturam ut unus homo utrique oneri ſufficiat: idque fuit ſeculis omnibus diligenter in Eccleſia obſervatum. Nec quiſquam extitit Epiſcoporum, quamdiu duravit vera aliqua Eccleſiæ facies, qui de uſurpando jure gladii cogitaret: ut iſtud eſſet vulgare proverbium Ambroſii ætate, *Imperatores magis ſacerdotium optaſſe quam imperium Sacerdotes.* Erat enim in omnium mentibus infixum quod poſtea dicit, *Ad Imperatorem pertinere palatia, ad Sacerdotem Eccleſias.*

refert hoc Homil. de baſilic. tradendis.

9. Poſteaquam vero excogitata fuit ratio, qua Epiſcopi titulum, honorem, opes ſui muneris tenerent ſine onere ac ſollicitudine: ne otioſi prorſus relinquerentur, jus illis gladii datum eſt, vel potius ipſi ſibi uſurparunt. Hanc impudentiam quo tandem prætextu defendent? An judiciorum cognitionibus, civitatumque & provinciarum adminiſtrationibus ſeſe involvere, & occupationes à ſe tam alienas latiſſime amplecti, id Epiſcoporum erat? quibus tantum in ſuo munere operæ ac negotii eſt, ut ſi illic toti aſſiduique ſint, nec ullis avocamentis diſtrahantur, vix tamen ſufficere queant.

Papiſtarum exceptiones. 1. Hac pompa extollitur & floret gloria Chriſti.

At vero, qua ſunt pervicacia, jactare non dubitant, ſic pro dignitate florere gloriam regni Chriſti, nec ſe interim nimium abſtrahi à vocationis ſuæ partibus.

2. Se non abſtrahi à vocationis ſuæ partibus.

Ad 1. reſp.

Quantum ad prius illud attinet, ſi hoc decorum eſt ſacri muneris ornamentum, eo faſtigii evectos eſſe ut ſummis quibuſque monarchis ſint formidabiles: eſt cur cum Chriſto expoſtulent, à quo graviter eo modo læſus eſt eorum honor. Quid enim contumelioſius, eorum quidem opinione, dici poterat iſtis verbis? *Reges Gentium & Principes dominantur illis: vos autem non ſic.* Nec tamen duriorem legem ſervis ſuis impoſuit quam ipſe primus ſibi tulit ac recepit. *Quis me*, inquit, *judicem conſtituit aut diviſorem inter vos?* Videmus judicandi munus ſimpliciter à ſe rejicere, quod non faceret ſi res eſſet ſuo muneri conſentanea. In ordinem cui ſe Dominus ſubjecit, non patientur ſervi ſe cogi?

Matth. 20. verſ. 25. Luc. 22. verſ. 25. Luc. 12. verſ. 14.

Ad 2. reſp.

Alterum vellem tam experimento probarent quam dictitare facile eſt. Atqui quum Apoſtolis viſum non fuerit, derelicto Dei ſermone, miniſtrare menſis: ex eo quia doceri nolunt, convincuntur, non ejuſdem eſſe &

Actor. 6. 2.

bonum

bonum Epiſcopum præſtare & bonum Principem. Nam ſi illi qui pro donorum, quibus præditi erant, amplitudine, pluribus longe & gravioribus curis ſufficere poterant quam ulli poſt eos nati homines, confeſſi ſunt tamen ſe verbi & menſarum miniſterio incumbere ſimul non poſſe quin oneri ſuccumberent: quomodo iſti, præ Apoſtolis nihili homunciones, poſſent eorum induſtriam centuplo ſuperare? Id quidem tentare impudentiſſimæ nimiumque audaciæ confidentiæ fuit. Sed tamen factum videmus: quo ſucceſſu, palam eſt: neque enim aliter evenire poterat quam ut deſerta ſua functione in aliena caſtra commigrarent.

Hujus tyrannidis initia & progreſſus: ubi etiam oſtenditur quibus gradibus huc uſque tandem conſcenderint. Primus gradus, curioſitas.

10. Nec dubium quin ea tenuibus initiis paulatim tantos progreſſus fecerint. Neque enim primo paſſu huc uſque poterant conſcendere: ſed nunc vafritie & obliquis artibus ſeſe clanculum eatulerunt, ita ut nemo futurum proſpiceret, donec factum eſſet: nunc per occaſionem, terrore & minis extorſerunt à Principibus aliquod potentiæ ſuæ auctarium: nunc quum viderent Principes ad largiendum non difficiles, ſtulta & inconſiderata eorum facilitate ſunt abuſi. Olim pii, ſiquid controverſiæ inciderat, ut litigandi neceſſitatem effugerent, Epiſcopo mandabant arbitrium: quod de ejus integritate non dubitabant. Talibus arbitriis ſæpe implicabantur veteres Epiſcopi: quod ipſis quidem ſummopere diſplicebat (quemadmodum alicubi teſtatur Auguſtinus) ſed ne partes ad contentioſum judicium proſilirent, hanc moleſtiam inviti obibant. Iſti ex voluntariis arbitriis quæ prorſus à forenſi ſtrepitu abhorrebant, fecerunt ordinariam juriſdictionem.

Secundus, ambitio.

Quum urbes ac regiones aliquanto poſt tempore variis difficultatibus premerentur, ad Epiſcoporum patrocinium ſe contulerunt, ut ipſorum fide protegerentur: iſti miro artificio ex patronis dominos ſe fecerunt.

Tertius, violentia. Quartus, hypocriſis.

Quin violentis factionibus bonam partem occuparint, negari non poteſt. Qui vero Epiſcopis juriſdictionem ſponte contulerunt Principes, variis ad id ſtudiis impulſi ſunt. Verum ut aliquam pietatis ſpeciem habuerit ipſorum indulgentia, non optime tamen hac præpoſtera ſua largitate conſuluerunt Eccleſiæ commodis, cujus antiquam veramque diſciplinam ſic corruperunt: imo, ut vere dicam, penitus aboleverunt.

Quintus, impietas.

Qui vero tali Principum bonitate abuſi ſunt in ſuum commodum Epiſcopi, hoc uno ſpecimine edito, ſatis ſuperque teſtati ſunt, ſe minime eſſe Epiſcopos. Nam ſi quam ſcintillam habuiſſent Apoſtolici Spiritus, reſpondiſſent proculdubio ex ore Pauli,
2 Cor. 10. verſ. 4. *arma militiæ noſtræ non carnalia, ſed ſpiritualia ſunt.* Verum cæca cupiditate rapti, & ſe & poſteros & Eccleſiam perdiderunt.

Poſtremus, iniquitatis myſterium, & Antichriſti Satanicus furor, regnis & imperio manus injiciens. Hunc tyrannidis Bernardus ſuo ſeculo fortiter reclamavit.

11. Tandem Romanus Pontifex mediocribus ſatrapiis non contentus, regnis primum, deinde imperio quoque manum injecit. Atque ut poſſeſſionem mero latrocinio occupatam, qualicunque colore retineat, nunc jure divino ſe habere gloriatur, nunc Conſtantini donationem, nunc alium titulum prætendit. Primum cum Bernardo reſpondeo, Eſto ut alia quacunque ratione hoc ſibi vendicet, non tamen Apoſtolico jure. *Neque enim Petrus quod non habuit dare potuit: ſed dedit ſucceſſoribus quod habebat, ſollicitudinem Eccleſiarum. Quum vero dicat Dominus ac Magiſter, ſe non eſſe conſtitutum inter duos judicem, non debet ſervo ac diſcipulo indignum*
lib. de conſider. 2. *videri ſi non judicet univerſos.* Loquitur autem Bernardus de judiciis civilibus: ſubjungit enim, *Ergo*
Luc. 12. verſ. 14. *in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra: quoniam propter illa, non propter has accepiſtis claves regni cælorum. Quænam tibi videtur major dignitas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? Nulla comparatio.*
ibidem. *Habent hæc infima & terrena Judices ſuos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos invaditis?* &c. Item, *Factus es ſuperior* (Eugenium Papam alloquitur) *ad quid? Non enim ad dominandum, opinor. Nos igitur, ut multum ſentiamus de nobis, meminerimus impoſitum miniſterium, non dominium datum. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro, ut opus facias Prophetæ.* Item, *Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi uſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum.* Et continuo poſt, *Forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur: indicitur miniſtratio.* Hæc quum ab homine ſic dicta ſint ut ipſam veritatem loqui omnibus palam ſit, imo quum ſine ullis verbis res ipſa pateat: nihil tamen puduit Romanum Pontificem in concilio Arelatenſi decernere, ſupremum jus utriuſque gladii ſibi competere jure divino.

Attamen jus utriuſque gladii Papa ſibi tribuit.

12. Quantum ad Conſtantini donationem pertinet, qui mediocriter in illorum temporum hiſtoriis verſati ſunt, non opus habent doceri quam ſit hoc non modo fabuloſum, ſed etiam ridiculum. Sed ut omittamus hiſtorias, unus Gregorius hujus rei & idoneus & locupletiſſimus eſt teſtis. Nam quoties de Imperatore loquitur, Sereniſſimum Dominum vocat: & ſe indignum ejus ſervum. Item alibi, *Sacerdotibus autem non ex terrena poteſtate dominus noſter citius indignetur: ſed excellenti conſideratione, propter eum cujus ſervi ſunt, eis ita dominetur ut etiam debitam reverentiam impendat.* Videmus ut in ſubjectione communi velit haberi tanquam unus è populo. Non enim alterius cujuſpiam, ſed ſuam illic cauſam agit. Alibi, *In omnipotenti Deo confido quod longam piis dominus vitam tribuet, & nos ſub manu veſtra ſecundum ſuam miſericordiam diſponet.* Neque hæc ideo adduxi quod mihi propoſitum ſit hanc de Conſtantini donatione quæſtionem penitus excutere: ſed tantum ut obiter videant lectores quam pueriliter mentiantur Romanenſes, quum terrenum imperium ſuo Pontifici aſſerere conantur. Quo fœdior Auguſtini Steuchi impudentia fuit, qui in cauſa tam deplorata operam ſuam & linguam Romano Pontifici venditare auſus eſt. Valla, quod homini docto & acris ingenii difficile non erat, valide refutaverat fabulam illam. Neque tamen (ut homo parum in rebus Eccleſiaſticis exercitatus) omnia dixerat quæ ad rem factura erant. Irrumpit Steuchus, ac putidas nænias ſpargit ad claram lucem obruendam. Et certe non minus frigide domini ſui cauſam agit quam ſi facetus quiſpiam, idem ſe agere ſimulans, Vallæ ſuffragaretur: ſed digna eſt cauſa ſcilicet cui tales patronos mercede redimat Papa: æque autem digni conductitii rabulæ quos ſpes lucri fruſtretur, ſicuti Eugubino contigit.

Præterea donationem fictitiam Conſtantini allegavit, ut ſuam tyrannidem ſtabiliret. Cujus vanitas detegitur.

epiſt. 5. libr. 2.
epiſt. 20. libr. 3.
epiſt. 61. libr. 2.
epiſt. 31. libr. 4.
epiſt. 34. libr. 4.

13. Cæterum ſi quis tempus requirat ex quo commentitium hoc imperium cœpit emergere, nondum elapſi ſunt anni quingenti quum in ſubjectione Principum adhuc manebant Pontifices, nec Pontifex ſine Imperatoris auctoritate creabatur. Hujus ordinis novandi occaſionem præbuit Gregorio ſeptimo Imperator Henricus, ejus nominis quartus, homo levis & temerarius, nullius conſilii, magnæ audaciæ, & vitæ diſſolutæ. Nam quum Epiſcopatus totius Germaniæ haberet in aula ſua partim venales, partim prædæ expoſitos, Hildebrandus, qui laceſſitus ab eo fuerat, plauſibilem prætextum arripuit quo ſe vindicaret. Quia autem videbatur bonam & piam cauſam agere, multorum favore adjuvabatur. Et erat alioqui Henricus, propter inſolentiorem adminiſtrandi rationem, pleriſque Principum exoſus. Tandem Hildebrandus, qui ſe Gregorium ſeptimum vocabat, ut erat homo impurus & nequam, animi ſui malitiam prodidit: quæ cauſa fuit ut à multis qui cum eo conſpiraverant, deſtitueretur. Hoc tamen profecit ut impune liceret ſucceſſoribus non modo jugum excutere, ſed Imperatores quoque obnoxios ſibi facere. Huc acceſſit quod multi deinde fuerunt Imperatores

Quo tempore, & qua ratione ad eam Imperatoriam dignitatem Rom. Pontifices pervenerint. Hildebrandus, homo impurus & nequam, tyrannidis Papiſticæ architectus.

Henrico ſimiliores quam Julin Cæſari: quos ſubigere non fuit difficile, quum domi rerum omnium ſecuri & ignavi deſiderent, ubi maxime opus erat Pontificum cupiditatem virtute & legitimis modis reprimere. Videmus quo colore prætexta ſit egregia illa donatio Conſtantini, qua imperium Occidentale Papa traditum ſibi fingit.

Quibus artibus urbem Romam & alienas ditiones invaſerint.

14. Interea temporis non ceſſarunt Pontifices, nunc fraude, nunc perfidia, nunc armis, in alienas ditiones invadere: Urbem quoque ipſam, quæ tunc libera erat, ante annos centum circiter & triginta in poteſtatem ſuam redegerunt: donec in eam potentiam venerunt quam hodie obtinent: & pro qua vel retinenda vel augenda Chriſtianum orbem ita ducentis annis (cœperant enim antequam ſibi raperent Urbis dominatum) turbarunt ut propemodum perdiderint. Olim quum ſub Gregorio bonorum Eccleſiaſticorum cuſtodes manum injicerent prædiis quæ cenſebant Eccleſiæ eſſe, ac fiſcali more titulos imprimerent in ſignum vendicationis, Gregorius coacto Epiſcoporum concilio, graviter in morem illum profanum invectus, rogavit annon pro anathemate haberent clericum, qui ſua ſponte inſcriptione tituli poſſeſſionem aliquam occupare tentaret: ſimiliter Epiſcopum, qui id vel fieri præciperet, vel ſuo injuſſu factum non plecteret. Omnes pronunciarunt, Anathema. Si tituli inſcriptione fundum vendicare, facinus eſt anathemate dignum in clerico: ubi totos ducentos annos nihil aliud meditantur Pontifices quam prælia, ſanguinis effuſionem, exercituum interitus, urbium direptiones, aliarum excidia, gentium clades, vaſtationes regnorum, tantummodo ut alienis dominiis manum injiciant: quæ talibus exemplis puniendis ſufficere poſſunt anathemata? Certe nihil eos minus quærere quam Chriſti gloriam, minime obſcurum eſt. Nam ſi in univerſum quicquid habent ſecularis poteſtatis ſponte reſignent, nullum gloriæ Dei, nullum ſanæ doctrinæ, nullum Eccleſiaſticæ ſalutis periculum vertitur: ſed una dominandi cupiditate cæci ac præcipites feruntur: quia nihil ſalvum eſſe putant niſi *cum auſteritate* (ut Propheta ait) *& cum potentia imperent.*

Quam illos dedeceat talis rapacitas.

Habetur lib. 4. Regiſtr. c. 88.

Ezech. 34. verſ. 4.

Immunitas autem, quam ſibi vendicant, veteribus Epiſcopis ignota eſt.

15. Juriſdictioni annexa eſt immunitas quam ſibi ſumunt clerici Romanenſes. Rem enim indignam eſſe putant ſi in cauſis perſonalibus coram civili judice reſpondeant: atque in eo poſitam eſſe arbitrantur Eccleſiæ tum libertatem tum dignitatem, ſi communibus judiciis ac legibus eximantur. Atqui veteres Epiſcopi, qui alias in aſſerendo Eccleſiæ jure rigidiſſimi erant, nihil lædi ſe ac ſuum ordinem judicarunt ſi ſubjicerentur. Pii quoque Imperatores, nullo reclamante, ad ſua tribunalia, quoties opus erat, clericos ſemper vocarunt. Sic enim loquitur Conſtantinus in epiſtola ad Nicomedenſes, *Siquis Epiſcoporum inconſulte tumultuatus ſit, miniſtri Dei, hoc eſt, mea exequutione, illius audacia coërcebitur.* Et Valentinianus, *Boni Epiſcopi potentiæ Imperatoris non obloquuntur: ſed ſincere, & Dei magni Regis mandata cuſtodiunt & noſtris legibus parent.* Hoc ſine ulla controverſia tunc erat omnibus perſuaſum. Eccleſiaſticæ quidem cauſæ ad Epiſcopale judicium referebantur. Quemadmodum ſiquis clericus nihil in leges deliquiſſet, Canonibus tantum reus agebatur: non citabatur ad commune tribunal, ſed Epiſcopum habebat in ea cauſa judicem. Similiter ſi fidei quæſtio agitabatur, aut quæ ad Eccleſiam proprie pertineret, cognitio deferebatur Eccleſiæ. Sic intelligendum eſt quod ſcribit Ambroſius ad Valentinianum: *Auguſtæ memoriæ pater tuus non modo ſermone reſpondit, ſed legibus quoque ſanxit, in cauſa fidei eum judicare debere qui nec munere ſit impar, nec jure diſſimilis.* Item, *Si Scripturas aut vetera exempla intuemur, quis eſt qui abnuat, in cauſa fidei, in cauſa (inquam) fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare?* Item, *Veniſſem, Imperator, ad conſiſtorium tuum, ſi me vel Epiſcopi, vel populus ire paſſus foret: dicentes, cauſam fidei in Eccleſia coram populo debere tractari.* Contendit quidem ſpiritualem cauſam, hoc eſt, religionis, ad civile forum non eſſe trahendam ubi profanæ controverſiæ agitantur. Merito in hac re ejus conſtantiam laudant omnes. Et tamen in bona cauſa eo uſque progreditur, ut ſi ad vim & manum ventum fuerit, ceſſurum ſe dicat. *Volens*, inquit, *locum mihi commiſſum non deſeram: coactus repugnare non novi, arma enim noſtra preces ſunt & lachrymæ.* Obſervemus ſingularem ſancti hominis moderationem ac prudentiam cum animi magnitudine fiduciaque conjunctam. Juſtina Imperatoris mater, quia in partes Arrianorum pertrahere eum non poterat, expellere ab Eccleſiæ gubernatione moliebatur. Atque id futurum erat ſi in palatium ad cauſam dicendam vocatus veniſſet. Negat igitur Imperatorem idoneum eſſe cognitorem tantæ controverſiæ. Id quod & illius temporis neceſſitas poſtulabat, & ipſa etiam perpetua rei natura. Moriendum enim ſibi potius judicabat quam ut tale exemplum ad poſteros, ſe conſentiente, transmitteretur: & tamen ſi vis afferatur, de reſiſtendo non cogitat. Negat enim id Epiſcopale eſſe, fidem & Eccleſiæ jus armis tueri. Cæterum in aliis cauſis quidvis ſe facere paratum oſtendit quod juſſerit Imperator. *Si tributum petit, non negamus*, inquit: *agri Eccleſiæ tributum ſolvunt. Si agros petit, poteſtatem habet vendicandi: nemo noſtrûm intervenit.* In eum modum loquitur & Gregorius, *Sereniſſimi*, inquit, *domini animum non ignoro, quod ſe in cauſis Sacerdotalibus miſcere non ſoleat: ne noſtris in aliquo peccatis gravetur.* Non generaliter à Sacerdotibus judicandis excludit Imperatorem: ſed certas cauſas eſſe dicit quas Eccleſiaſtico judicio relinquere debeat.

refertur l. 1. Theodor. c. 20.

l. 4. Theodor. c. 8.

Utcunque cauſas fidei vel quaſcunque ad Epiſcopos proprie ſpectarent, ab irreligioſis

Principibus non paterentur ſua cognitioni eripi.

epiſt. 3.

Veterum Epiſcoporum moderatio, fortitudo, conſtantia & prudentia, Pontificia immunitati ex adverſo repugnans.

Homil. de baſil. tradendis.

libr. 5. epiſt. 20.

Quid conſtantia ſua quærebant veteres Epiſcopi.

16. Atque adeo hac ipſa exceptione nihil aliud quæſierunt ſancti viri, quam ne Principes minus religioſi tyrannica violentia & libidine Eccleſiam in ſuo munere peragendo impedirent. Neque enim improbabant ſiquando ſuam auctoritatem interponerent Principes in rebus Eccleſiaſticis, modo conſervando Eccleſiæ ordini, non turbando, diſciplinæque ſtabiliendæ, non diſſolvendæ, hoc fieret. Nam quum Eccleſia cogendi non habeat poteſtatem, neque expetere debeat, (de civili coërcitione loquor) piorum Regum ac Principum partes ſunt, legibus, edictis, judiciis religionem ſuſtinere. Hac ratione quum Mauricius Imperator Epiſcopis quibuſdam mandaſſet ut vicinos collegas à Barbaris expulſos ſuſciperent: eam juſſionem confirmat Gregorius, hortaturque ipſos ut pareant. Ipſe vero ab eodem admonitus ut cum Joanne Epiſcopo Conſtantinopolitano rediret in gratiam, rationem quidem reddit cur non debeat culpari, non tamen fori ſecularis immunitatem jactat, quin potius ſe obſequentem fore promittit, quoad licebit per conſcientiam: & ſimul hoc dicit feciſſe Mauricium quod religioſum Principem deceret, quum talia Sacerdotibus præceperat.

libr. 1. epiſt. 43.

libr. 4. epiſt. 32. & 34.

libr. 7. epiſt. 39.

CAP. XII.

De Eccleſiæ diſciplina, cujus præcipuus uſus in cenſuris & excommunicatione.

Conſtat duabus præcipuis partibus hoc caput.

1. *Prima pars diſciplinæ Eccleſiaſticæ plebem reſpiciens, communis dicta, duas partes obtinet: quarum prior pendet à poteſtate clavium, de qua ſect. 1. uſque ad 14. poſterior in indicendis jejuniis & oratione conſiſtit, de qua ſect. 14. uſque ad 22.*
2. *Altera pars ejuſdem diſciplinæ, ad clerum pertinens, explicatur à 22. ſect. uſque ad finem capitis.*

Prima partis prior pars, de poteſtate clavium, ſeu de communi Eccleſiæ diſciplina.

DIſciplina Eccleſiæ, cujus tractationem in hunc uſque locum diſtulimus, paucis expedienda eſt: ut aliquaodo ad reliqua tranſeamus. Ea autem maxima ex parte à poteſtate clavium & ſpirituali juriſdictiooe peodet. Quod ut facilius intelligatur, dividamus Eccleſiam io duos ordines præcipuos: clerum ſcilicet & plebem. Clericos appello uſitato nomine qui publico miniſterio io Eccleſia funguntur. Loquemur primum de communi diſciplina, cui ſubeſſe omnes debent: deinde veniemus ad clerum, qui præter illam communem, ſuam propriam habet. Sed quia oonoulli, in odium diſciplinæ, ab ipſo quoque nomioe abhorrent, hi ſic habeant: Si oulla ſocietas, imo oulla domus quæ vel modicam familiam habeat, contineri in recto ſtatu ſioe diſciplina poteſt: eam eſſe multo magis neceſſariam io Eccleſia, cujus ſtatum quam ordinatiſſimum eſſe decet. Proinde quemadmodum ſalvifica Chriſti doctrina aoima eſt Eccleſiæ, ita illi diſciplina pro oervis eſt: qua fit ut membra corporis, ſuo quodque loco inter ſe cohæreant. Quamobrem quicunque vel ſublatam diſciplinam cupiuot, vel ejus impediuot reſtitutionem, ſive hoc faciant data opera, ſive per incogitantiam, Eccleſiæ certe extremam diſſipationem quærunt. Quid enim futurum eſt ſi unicuique liceat quod libuerit? Atqui id fieret, niſi ad doctrinæ prædicationem accederent privatæ monitiones, correctiones & alia ejuſmodi adminicula quæ doctrinam ſuſtinent & otioſam eſſe oon ſiount. Diſciplina igitur veluti frenum eſt quo retineantur & domeotur qui adverſus Chriſti doctrinam ferociuot: vel tanquam ſtimulus quo excitentur parum voluntarii: interdum etiam velut paterna ferula, qua clementer & pro Spiritus Chriſti manſuetudioe caſtigentur qui gravius lapſi ſunt. Quum ergo jam imminere cernamus initia quædam horrendæ in Eccleſia vaſtitatis, ex eo quod nulla eſt cura nec ratio continendi populi, ipſa neceſſitas clamat remedio opus eſſe. Porro hoc unicum eſt remedium quod & Chriſtus præcipit, & ſemper uſitatum inter pios fuit.

Hujus diſciplinæ neceſſitas.

Utilitas maxima.

Gradus. 1. Privatæ admonitiones.

2. Primum diſciplinæ fuodamentum eſt, ut privatæ monitiones locum habeant: hoc eſt, ſiquis officium ſponte non faciat, aut inſolenter ſe gerat, aut minus honeſte vivat, aut aliquid admiſerit reprehenſione dignum, ut patiatur ſe moneri: atque ut quiſque fratrem ſuum, dum res poſtulabit, monere ſtudeat. Præſertim vero in hoc advigilent Paſtores ac Presbyteri, quorum partes ſunt ooo modo concionari ad populum, ſed per ſingulas domos monere & exhortari, ſicubi univerſali doctrina non ſatis profecerint: quemadmodum docet Paulus, quum refert ſe docuiſſe privatim & per domos: & ſe mundum à ſanguine omnium atteſtatur, quia *non ceſſaverit cum lachrymis nocte & die monere unumquemque.* Tunc enim vim ac auctoritatem obtinet doctrina, ubi miniſter noo tantum omnibus ſimul expooit quid Chriſto debeaot, ſed jus & rationem habet idipſum exigendi ab iis quos vel parum doctrinæ obſequentes, vel ſegniores aoimadverit. Siquis ejuſmodi monitiooes vel pervicaciter reſpuat, vel pergendo in ſuis vitiis contemnere ſe oſtendat: ubi ſecundo teſtibus adhibitis monitus fuerit, ad Eccleſiæ judicium, qui eſt Seniorum conſeſſus, vocari Chriſtus præcipit: illic gravius admoneri, quaſi publica auctoritate, ut ſi revereatur Eccleſiam, ſubjiciat ſe & pareat. Si ne ſic quidem frangatur, ſed io ſua nequitia perſeveret, tum jubet, tanquam Eccleſiæ contemptorem, à ſocietate fidelium abdicari.

Actor. 20. verſ. 20. & 26: 27.

2. Coram teſtibus reprehenſiones.

Matth. 18. v. 15, 16.

3. Excommunicatio.

Matth. 18. verſ. 17.

Delictorum gradus deinde conſiderandi.

3. Verum quia de occultis modo vitiis illic loquitur, ponenda eſt iſta diviſio, Peccata eſſe alia privata, alia publica vel palam manifeſta. De prioribus dicit Chriſtus unicuique privato, *Argue inter te & ipſum ſolum.* De manifeſtis dicit Paulus Timotheo, *Coram omnibus argue: ut reliqui timorem habeant.* Nam prædixerat Chriſtus, *Si frater tuus in te peccaverit.* Quam particulam aliter (oiſi contentioſus eſſe velis) accipere non potes, quam Sub tua cooſcieotia: ita ut non ſiot plures conſcii. Quod autem Timotheo præcipit Apoſtolus de arguendis palam iis qui palam peccant, ipſe in Petro ſequutus eſt: nam quum ille ad publicum uſque offeodiculum peccaret, non monuit ſeorſum, ſed in conſpectum Eccleſiæ produxit. Erit igitur hæc legitima agendi ſeries, ſi io occultis corrigendis progrediamur ſecundum illos gradus à Chriſto poſitos: in manifeſtis ſtatim procedamus ad ſolennem Eccleſiæ correptionem, ſi quidem offendiculum ſit publicum.

Matth. 18. verſ. 15.

1 Tim. 5. verſ. 20.

Galat. 2. verſ. 14.

Quomodo in utriſque caſtigandis progrediendum.

Diſtinguenda item delicta à flagitiis.

4. Sit altera quoque diſtinctio, Ex peccatis alia eſſe delicta, alia ſcelera vel flagitia. His poſterioribus corrigendis non tantum adhibenda eſt admooitio vel objurgatio, ſed ſeverius remedium: quemadmodum demonſtrat Paulus, qui Corinthium ioceſtum non modo verbis caſtigat, ſed excommunicatiooe punit, ſimulatque de ſcelere factus eſt certior. Nunc ergo melius incipimus cernere quomodo ſpiritualis Eccleſiæ juriſdictio, quæ ex verbo Domini in peccata aoimadvertit, optimum ſit & ſanitatis ſubſidium, & fundamentum ordinis, & vioculum unitatis. Ergo dum Eccleſia manifeſtos adulteros, ſcortatores, fures, prædones, ſeditioſos, perjuros, falſos teſtes, & ejus generis reliquos, item cootumaces (qui de levioribus etiam vitiis rite admoniti, Deum & ejus judicium ludibrio habent) è conſortio ſuo exterminat, nihil ſibi præter rationem uſurpat: ſed juriſdictione ſibi à Domioo delata ſuogitur. Porro, oequis tale Eccleſiæ judicium ſpernat, aut parvi æſtimet ſe fidelium ſuffragiis damnatum, teſtatus eſt Dominus iſtud ipſum nihil aliud eſſe quam ſeotentiæ ſuæ promulgationem, ratumque haberi in cælis quod illi in terra egerint. Habent enim verbum Domini quo perverſos damnent: habent verbum quo reſipiſceotes in gratiam recipiant. Sine hoc, inquam, diſciplinæ vinculo qui diu ſtare poſſe Eccleſias confidunt, opinione falluntur: oiſi forte carere impune poſſimus eo admioiculo, quod Domious fore nobis neceſſarium providit. Et ſane, quanta ſit ejus oeceſſitas, ex multiplici uſu melius perſpicietur.

1 Cor. 5. verſ. 4.

Poſteriora, id eſt, flagitia, ſeverius caſtiganda.

Matth. 16. verſ. 19. & 18: 18.

Joan. 20. verſ. 23.

Fines hujus diſciplinæ.

5. Sunt autem tres fines quos ſpectat Eccleſia in ejuſmodi correctionibus & excommunicatione. Primus eſt, ne cum Dei contumelia ioter Chriſtianos nominentur qui turpem ac flagitioſam vitam agunt, acſi ſancta ejus Eccleſia foret improborum & ſceleratorum hominum conjuratio.

1. Ne impii ad menſam Chriſti admiſſi, Chri-

ſto contumeliam aliquam inurant. Col. 1: 24.

Nam quum ipſa Chriſti ſit corpus, ejuſmodi fœtidis & putridis membris inquinari non poteſt quin aliqua ignominia in caput recidat. Nequid ergo tale extet in Eccleſia unde probrum ſacroſancto ejus nomini inuratur, abigendi ſunt ex ejus familia quorum ex turpitudine ad Chriſtianum nomen infamia reduodaret. Atque hic quoque habenda eſt cœnæ Dominicæ ratio, ne promiſcua exhibitione profanetur. Veriſſimum eſt enim, cum cui commiſſa eſt diſpenſatio, ſi ſciens ac volens indignum admiſerit quem repellere jure poterat, perinde reum eſſe ſacrilegii acſi corpus Domini canibus proſtitueret. Quamobrem Chryſoſtomus graviter invehitur in Sacerdotes, qui dum magnorum potentiam formidant, neminem audent arcere. *Sanguis*, inquit, *è manibus veſtris requiretur. Si hominem timetis, ille vos deridebit: ſin Deum, eritis hominibus quoque ipſis venerabiles. Non faſces horreamus, non purpuram, non diademata, major hic eſt nobis poteſtas. Ego certe corpus meum potius tradam in mortem, ac ſanguinem meum fundi patiar, quam pollutionis iſtius fiam particeps.* Ergo ne ſacratiſſimum hoc myſterium afficiatur ignominia, in eo diſpenſando magnopere delectus requiritur: qui tamen haberi nequit niſi per Eccleſiæ juriſdictionem.

Homil. in Matth. 3. Eze. 3: 18. & 33: 10.

2. Ne alios corrumpant.

Alter finis eſt, ne aſſidua malorum conſuetudine, ut fieri ſolet, boni corrumpantur. Nam (quæ noſtra eſt ad deviandum proclivitas) nihil facilius eſt quam ut malis exemplis à recto vitæ curſu abducamur. Hunc uſum notavit Apoſtolus, quum inceſtum à conſortio ſuo amandare Corinthiis præciperet. *Modicum*, inquit, *fermentum totam maſſam corrumpit*. Ac tantum hic periculum proſpiciebat ut vel ab omni ſodalitate interdiceret. *Siquis*, ait, *frater inter vos nominatur vel ſcortator, vel avarus, vel idolorum cultor, vel ebrioſus, vel maledicus, cum hujuſmodi nec cibum ſumere permitto.*

1 Cor. 5. verſ. 6.

ibid. v. 11.

3. Ut ipſi reſipiſcant.

Tertius, ut eos ipſos pudore confuſos ſuæ turpitudinis pœnitere incipiat. Ita conducit & illis ſuam nequitiam caſtigari, quo expergefiant ſenſu ferulæ qui indulgentia obſtinatiores futuri erant. Id ſignificat Apoſtolus quum in hunc modum loquitur, *Siquis non obedit doctrinæ noſtræ, hunc notate: & ne commiſceamini cum illo, ut pudore ſuffundatur.* Item alibi, quum ſe tradidiſſe ſcribit Corinthium Satanæ, *ut ſpiritus ſalvus fieret in die Domini.* hoc eſt (ut ego quidem interpretor) conceſſiſſe in damnationem temporaneam, ut æternum ſalvus fieret. Ideo autem Satanæ tradere dicit, quia extra Eccleſiam Diabolus eſt, quemadmodum in Eccleſia Chriſtus. Nam quod quidam ad certam carnis vexationem referunt, mihi videtur incertiſſimum.

2 Theſſ. 3. verſ. 14.

1 Cor. 5. verſ. 5.

Auguſtin. de verb. Apoſtol. Serm. 68.

Qua moderatione corrigenda ſint peccata tam publica quam occulta.

6. His finibus propoſitis, ſupereſt videre qualiter hanc partem diſciplinæ, quæ in juriſdictione poſita eſt, Eccleſia exequatur. Principio retineamus illam partitionem ſuperius poſitam, peccatorum alia eſſe publica, alia privata vel occultiora. Publica ſunt quæ non unum vel alterum modo teſtem habent, ſed palam & cum totius Eccleſiæ offenſione deſignantur. Occulta voco, non quæ homines prorſus latent, qualia ſunt hypocritarum, (nam illa ſub Eccleſiæ judicium non cadunt) ſed medii generis, quæ ſcilicet teſtibus non carent: neque tamen ſunt publica. Prior ſpecies non requirit gradus illos quos Chriſtus enumerat: ſed Eccleſia, ubi tale quid emergit, facere officium ſuum debet in vocando peccatore, & corrigendo pro modo delicti. In ſecundo genere non venitur ad Eccleſiam donec acceſſerit contumacia, ſecundum illam Chriſti regulam. Ubi ad cognitionem ventum eſt, tunc obſervanda eſt altera diviſio inter ſcelera & delicta. Neque enim in levioribus peccatis adhibenda eſt tanta ſeveritas, ſed ſufficit verborum caſtigatio: eaque lenis & paterna, quæ non exaſperet peccatorem nec confundat, ſed reducat ad ſeipſum: ut magis gaudeat ſe correctum, quam triſtetur. Flagitia autem acriore remedio caſtigari convenit. neque enim ſatis eſt ſi is qui edito mali exempli facinore, graviter Eccleſiam læſit, verbis tantum caſtigetur: ſed privari ad tempus Cœnæ communione debet, donec reſipiſcentiæ ſuæ fidem fecerit. Neque enim Paulus in Corinthium verborum modo objurgatione utitur, ſed ab Eccleſia eliminat, reprehenditque Corinthios quod tamdiu eum tuliſſent. Hanc rationem tenuit vetus ac melior Eccleſia, quum vigeret legitima gubernatio. Siquis enim flagitium aliquod perpetraverat unde exortum eſſet offendiculum, primum à ſacræ Cœnæ participatione abſtinere, deinde & coram Deo ſeſe humiliare, & coram Eccleſia pœnitentiam teſtari jubebatur. Erant autem ſolennes ritus qui injungi lapſis ſolebant, ut eſſent pœnitentiæ indicia. Ubi ſic defunctus erat ut ſatisfactum Eccleſiæ foret, tum per manuum impoſitionem recipiebatur in gratiam: quæ receptio ſæpius à Cypriano *pax* vocatur, qui etiam ejuſmodi ritum breviter deſcribit. *Pœnitentiam*, inquit, *agunt juſto tempore: deinde ad exomologeſin veniunt, & per manuum impoſitionem Epiſcopi & cleri jus communionis accipiunt.* Quanquam ſic præerat reconciliationi Epiſcopus cum ſuo clero, ut ſimul plebis conſenſum requireret: quemadmodum alibi tradit.

Levia item & gravia.

1 Cor. 5. verſ. 2, 5.

epiſt. 2. libr. 1. epiſt. 14. libr. 3. & ejuſdem libr. epiſt. 26.

Nemo ab hac diſciplina, ne Princeps quidem, eximendus.

7. Hac diſciplina adeo nemo eximebatur, ut Principes quoque una cum plebeiis ſe ad eam ferendam ſubjicerent. Et merito: quum Chriſti eſſe conſtaret, cui omnia Regum ſceptra & diademata ſubmitti æquum eſt. Sic Theodoſius, quum ab Ambroſio ob cædem Theſſalonicæ perpetratam jure communionis privatus eſſet, ſtravit omne quo circumdatus erat inſigne regium: deflevit in Eccleſia publice peccatum ſuum, quod aliorum fraude obrepſerat: gemitu & lachrymis oravit veniam. Neque enim dedecori id ſibi eſſe debent judicare magni Reges, ſi coram Chriſto Rege Regum ſuppliciter ſe proſternant, nec illis diſplicere debet quod per Eccleſiam judicentur. Nam quum in aula ſua nihil fere audiant præter meras aſſentationes, pluſquam neceſſarium illis eſt per os Sacerdotum à Domino corripi. Quin potius optare debent ne ſibi Sacerdotes parcant, quo parcat Dominus. Hoc loco prætereo per quos exercenda iſthæc juriſdictio ſit: quia alibi dictum eſt. Hoc tantum addo, illam eſſe legitimam in excommunicando homine progreſſionem, quam demonſtrat Paulus, ſi non ſoli Seniores ſeorſum id faciant, ſed conſcia & approbante Eccleſia: in eum ſcilicet modum ut plebis multitudo non regat actionem, ſed obſervet ut teſtis & cuſtos, nequid per libidinem à paucis geratur. Tota vero actionis ſeries, præter nominis Dei invocationem, eam gravitatem habere debet quæ Chriſti præſentiam præ ſe ferat: ut dubium non ſit quin ipſe ſuo judicio præſideat.

Ambroſ. libr. 1. epiſt. 3. in orat. habita in funere Theodoſ.

A quibus & qua ſerie actionis exerceri debeat.

Quo animi affectu tradenda.

8. Hoc tamen præteriri non debet, talem ſeveritatem decere Eccleſiam quæ cum ſpiritu manſuetudinis conjuncta ſit. Semper enim diligenter cavendum eſt, quemadmodum præcipit Paulus, *ne abſorbeatur à triſtitia* is in quem animadvertitur: ſic enim ex remedio fieret exitium. Verum ex fine melius ſumi poterit moderationis regula: nam quum hoc in excommunicatione quæratur ut ad pœnitentiam perducatur peccator, & mala exempla tollaotur è medio, ne vel male audiat Chriſti nomen, vel ad imitationem alii provocentur: hæc ſi intuebimur, licebit facile judicare quouſque progredi & ubi deſinere debeat ſeveritas. Ergo ubi pœnitentiæ ſuæ teſtimonium Eccleſiæ dat peccator, & hoc teſtimonio ſcandalum, quantum in ſe eſt, obliterat: nequaquam ultra urgendus eſt: quod ſi urgetur, modum jam excedit rigor. Qua in parte excuſari nullo modo poteſt immodica veterum auſteri-

2 Cor. 2. verſ. 7.

Ratio à fine ejuſdem.

Qua in parte qui-

[…]tiam ex veteribus nimium rigidi fuerunt.

ſteritas, quæ & prorſus à Domini præſcripto diſſidebat, & erat mirum in modum periculoſa. Nam quum peccatori pœnitentiam ſolennem & privationem à ſacra communione nunc in ſeptem, nunc in quatuor, nunc in tres annos, nunc in totam vitam indicerent: quid inde ſequi potuit niſi vel magna hypocriſis, vel maxima deſperatio? Similiter quod nemo qui iterum lapſus eſſet, ad ſecundam pœnitentiam admitteretur, ſed uſque ad finem vitæ ejiceretur ab Eccleſia, id nec utile erat, nec rationi conſentaneum. Quicunque igitur ſano judicio rem æſtimabit, deſiderabit hic eorum prudentiam. Quanquam publicum hic potius morem improbo quam eos omnes accuſo qui eo uſi ſunt, quorum nonnullis diſplicuiſſe certum eſt: ſed ideo ferebant quia non poterant corrigere. Certe Cyprianus declarat quam non ſponte fuerit tam rigidus. *Patientia*, inquit, *& facilitas & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi: opto omnes commilitones noſtros intra Chriſti caſtra & Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa diſſimulo: ſtudio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio examino: delictis pluſquam oportet remittendis pene ipſe delinquo: amplector prompta & plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili & ſimplici confitentes.* Chryſoſtomus aliquanto durior, ſic tamen loquitur, *Si Deus tam benignus eſt, utquid Sacerdos ejus auſterus vult videri?* Scimus præterea qua facilitate uſus ſit Auguſtinus erga Donatiſtas, ut non dubitaverit in Epiſcopatum recipere qui à ſchiſmate redierant, idque ſtatim poſt reſipiſcentiam. Verum quia contraria ratio invaluerat, coacti ſunt proprio judicio cedere ut eam ſequerentur.

More recepto magis quam proprio conſilio. Cypriano, Chryſoſtomo, & Auguſtino, teſtibus.

ad Cornelium epiſt. 3. libr. 1.

Non tantum Eccleſia univerſa, ſed ſingula quoque membra ad eam moderationem ſe accommodare debent: ne ex diſciplina ad carnificinam delabamur.

9. Quemadmodum autem in toto Eccleſiæ corpore hæc manſuetudo requiritur, ut clementer nec uſque ad ſummum rigorem animadvertat in lapſos, ſed potius, ſecundum Pauli præceptum, charitatem in eos confirmet: ita pro ſe quiſque privatus ad hanc clementiam & humanitatem attemperare ſe debet. Non ergo noſtrum eſt tales qui ab Eccleſia ſunt expulſi, expungere ex electorum numero, aut deſperare quaſi jam perditos. Alienos quidem ab Eccleſia judicare fas eſt, & proinde à Chriſto: ſed pro eo tempore quo in divortio manent. Quod ſi tum quoque majorem pervicaciæ quam humilitatis ſpeciem præferunt, eos tamen judicio Domini commendemus, meliora de iis in poſterum ſperantes quam videmus in præſens: nec propterea deſinamus pro iis Deum precari. Et (ut verbo uno complectar) non perſonam ipſam, quæ in manu atque arbitrio Dei ſolius eſt, in mortem addicamus: ſed tantum qualia ſint cujuſque opera æſtimemus ex Lege Domini. Quam regulam dum ſequimur, ſtamus potius divino judicio quam noſtrum proferimus. Plus licentiæ ne nobis in judicando arrogemus, niſi volumus Dei virtutem limitare, ac miſericordiæ ejus legem dicere: cui quoties viſum eſt, peſſimi in optimos mutantur, alieni inſeruntur, extranei cooptantur in Eccleſiam. Idque Dominus agit ut ſic hominum opinionem eludat, & temeritatem retundat: quæ niſi coërceatur, ſibi judicandi jus ſupra quam decet uſurpare audet.

Nec aliò trahi poteſt quod de ligatione & ſolutione Chriſtus pronunciavit.

Matth. 18. verſ. 18.

Anathematis & excommuni-

10. Nam quod promittit Chriſtus ligatum in cælo fore quod ſui in terra ligaverint, ligandi vim ad Eccleſiæ cenſuram limitat: qua non conjiciuntur in perpetuam ruinam ac damnationem qui excommunicantur, ſed vitam moreſque ſuos damnari audientes, ſuæ etiam ipſorum perpetuæ damnationis, niſi reſipuerint, certi fiunt. Siquidem hoc differt ab anathemate excommunicatio, quod illud, adempta omni venia, hominem devovet & addicit æterno exitio: hæc in mores magis vindicat atque animadvertit. Et quanquam plectit etiam ipſa hominem: ſic tamen plectit ut futuræ ſuæ damnationis ipſum præmonendo, in ſalutem revocet. Quod ſi obtineatur, parata eſt reconciliatio & in communionem reſtitutio. Anathematis porro aut perquam rarus aut nullus omnino uſus eſt. Proinde tametſi familiarius verſari aut interiorem conſuetudinem habere cum excommunicatis non liceat per Eccleſiaſticam diſciplinam: debemus tamen contendere, quibus poſſumus modis, ut ad meliorem frugem converſi, in ſocietatem ac unitatem Eccleſiæ ſe recipiant. Quemadmodum Apoſtolus quoque docet, *Nolite* (inquit) *exiſtimare quaſi inimicos, ſed corripite ut fratres.* Hæc humanitas niſi tam privatim quam communiter ſervetur, periculum eſt ne ex diſciplina mox delabamur ad carnificinam.

cationis differentia.

Anathematis rarus aut nullus omnino uſus.

2 Theſſ. 3. verſ. 15.

Nimia quoque moroſitas tam in privatis quam in Paſtoribus cavenda eſt.

11. Hoc quoque ad diſciplinæ moderationem in primis requiritur quod Auguſtinus contra Donatiſtas diſputat, ne vel privati homines, ſi viderint minus diligenter à Seniorum concilio vitia corrigi, diſceſſionem propterea continuo ab Eccleſia faciant: aut ipſi Paſtores, ſi nequeant ex animi ſui voto omnia repurgare quæ correctione indigent, ideo abjiciant miniſterium, vel inuſitata aſperitate totam Eccleſiam perturbent. Eſt enim veriſſimum quod ſcribit: nempe, *quiſquis vel quod poteſt, arguendo corrigit: vel quod corrigere non poteſt, ſalvo pacis vinculo excludit: vel quod ſalvo pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat: hunc à maledictione liberum ac ſolutum eſſe.* Rationem alibi reddit, quia *omnis pia ratio, & modus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, unitatem Spiritus in vinculo pacis ſatagere ſemper debet: quod Apoſtolus ſufferendo nos invicem præcipit cuſtodiri: & quo non cuſtodito, vindictæ medicina non tantum ſupervacua, ſed etiam pernicioſa eſſe incipit: ideoque medicina eſſe deſinit. Hæc* (inquit) *qui diligenter cogitat, nec in conſervatione unitatis negligit diſciplinæ ſeveritatem, nec intemperie correctionis diſrumpit vinculum ſocietatis.* Fatetur quidem non Paſtores modo debere in hanc partem incumbere nequid in Eccleſia vitii remaneat, ſed unicuique eodem enitendum pro ſua virili: nec diſſimulat, eum qui malos monere, arguere, corrigere negligit, etiamſi iis non faveat, nec cum iis peccet, reum eſſe coram Domino: quod ſi talem gerit perſonam ut etiam à Sacramentorum participatione poſſit ſeparare, & non facit, jam non alieno malo peccare, ſed ſuo. Tantum id fieri vult adhibita prudentia quam Dominus quoque requirit, *ne dum eradicantur zizania, frumenta lædantur.* Inde colligit ex Cypriano, *Miſericorditer igitur corripiat homo quod poteſt: quod autem non poteſt, patienter ferat, & cum dilectione gemat atque lugeat.*

libr. 2. contra Parmen. cap. 1.

libr. 3. cap. 1.

cap. 2.

cap. 1.

Matth. 13. verſ. 29.

In quam partem Donatiſtæ peſſime peccarunt.

12. Hoc autem dicit propter Donatiſtarum moroſitatem, qui quum cernerent in Eccleſiis vitia, quæ verbis quidem reprehenderent Epiſcopi, ſed excommunicatione non plecterent, (quia non putabant ſe hac via quicquam profecturos) in Epiſcopos atrociter invehebantur tanquam diſciplinæ proditores: & à Chriſti grege, impio ſchiſmate ſe dividebant. Qualiter hodie faciunt Anabaptiſtæ, qui dum nullum cœtum Chriſti eſſe agnoſcunt niſi Angelica perfectione omni ex parte conſpicuum, ſub prætextu ſui zeli quicquid eſt ædificationis ſubvertunt. *Tales* (inquit Auguſtinus) *non odio iniquitatis alienæ, ſed ſtudio ſuarum contentionum, infirmas plebes jactantia ſui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certe dividere affectant: ſuperbia tumidi, pervicacia veſani, calumniis inſidioſi, ſeditionibus turbulenti, ne luce veritatis carere eos pateat, umbram rigidæ ſeveritatis obtendunt: & quæ in Scripturis ſalva dilectionis ſinceritate, & cuſtodita pacis unitate, ad corrigenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri jubentur, ad ſacrilegium ſchiſmatis & occaſionem præciſionis uſurpant. Ita ſe transfigurat Satan in Angelum*

Et noſtro ſeculo Anabaptiſtæ, qui ab Auguſtino in Patriarcharum ſuorum perſona vivis coloribus depinguntur.

cap. 1.

2 Cor. 11. verſ. 14.

gelum

Digitized by Google

gelum lucis, dum per occaſionem quaſi juſtæ ſeveritatis crudelem ſævitiam perſuadet, nihil aliud appetens niſi ut corrumpat atque dirumpat vinculum pacis & unitatis: quo firmo inter Chriſtianos vires ejus omnes invalidæ fiunt ad nocendum, muſcipulæ inſidiarum comminuuntur, & conſilia everſionis evaneſcunt.

Porro moderatio hæc tum omnium maxime adhibenda eſt, quum non tantum paucos, ſed ipſam multitudinem invaſit peccandi contagio. Auguſtino teſte.

epiſt. 64.

13. Unum iſtud præcipue commendat, ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, vividæ diſciplinæ ſeveram miſericordiam eſſe neceſſariam. *Nam & conſilia* (inquit) *ſeparationis inania ſunt, ac pernicioſa, ac ſacrilega: quia impia atque ſuperba fiunt: & plus perturbant infirmos bonos quam corrigant animoſos malos.* Ac quod aliis ibi præcipit, ipſe quoque fideliter ſequutus eſt. Nam Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi ſcribens, conqueritur ebrietatem impune graſſari in Africa, quæ adeo graviter in Scripturis damnatur: ſuadetque ut coacto Epiſcoporum concilio remedium adhibeatur. Subjungit deinde, *Non aſpere, quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur: magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda eſt in peccata paucorum.* Neque tamen intelligit connivendum propterea aut tacendum Epiſcopis, quod ſeverius punire publicæ flagitia nequeant: quemadmodum ipſe poſtea exponit. Sed corrigendi modum ita vult temperari, ut quoad licet ſanitatem potius quam exitium corpori afferat. Atque ideo ſic tandem concludit, *Quamobrem & illud præceptum Apoſtoli nullo modo negligendum eſt, de malis ſegregandis, quum ſine periculo violandæ pacis fieri poteſt: quia nec aliter fieri voluit: & iſtud quoque ſervandum eſt, ut ſufferentes invicem ſtudeamus ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis.*

cap. 2. libr. 3. contra Parmen.
1 Cor. 5. verſ. 13.
Epheſ. 4. verſ. 2, 3.

Altera pars communis diſciplinæ, jejunia, ſolennes ſupplicationes, & alia ſancta exercitia reſpiciens.

Fidelibus Dei ſervis ſub utroque fœdere uſitata.

14. Reliqua pars diſciplinæ, quæ clavium poteſtate proprie non continetur, in eo eſt ut pro temporum neceſſitate plebem exhortentur Paſtores vel ad jejunia vel ad ſolennes ſupplicationes: vel ad alia humilitatis, pœnitentiæ, ac fidei exercitia: quorum nec tempus, nec modus, nec forma præſcribitur verbo Dei, ſed in Eccleſiæ judicio relinquitur. Hujus quoque partis obſervatio, ſicuti eſt utilis, ita veteri Eccleſiæ ab ipſis uſque Apoſtolis ſemper fuit uſitata. Quanquam ne ipſi quidem Apoſtoli primi fuerunt auctores, ſed exemplum ſumpſerunt ex Lege & Prophetis. Videmus enim illic quoties grave aliquod incidebat negotium, convocatam fuiſſe plebem, ſupplicationes indictas, indictum jejunium. Id ergo ſequuti ſunt Apoſtoli quod & populo Dei novum non erat, & utile fore prævidebant. Similis eſt ratio de aliis exercitiis quibus plebs vel ad officium excitari, vel in officio ac obedientia contineri poteſt. Exempla paſſim exſtant in ſacris hiſtoriis, quæ non opus eſt colligere.

Ad quos uſus revocanda.

Sic in ſumma habendum eſt: quoties de religione incidit controverſia quam vel Synodo, vel Eccleſiaſtico judicio finire oportet, quoties de eligendo Miniſtro agitur, quoties denique tractatur res aliqua difficilis ac magni momenti: rurſum quum apparent judicia iræ Domini, ut ſunt peſtilentia, bellum & fames: hoc ſanctum eſſe, & ſeculis omnibus ſalutare inſtitutum, ut Paſtores ad publicum jejunium & extraordinarias preces plebem hortentur. Siquis teſtimonia quæ ex veteri Teſtamento adduci poſſunt, non recipiat, quaſi Chriſtianæ Eccleſiæ minus conveniant, conſtat Apoſtolos quoque ſic feciſſe. Tametſi de precibus vix puto reperietur aliquis qui moveat quæſtionem.

De jejunio locus.

De jejunio ergo dicamus nonnihil: quia plurimi dum non intelligunt quid utilitatis habeat, non adeo neceſſarium eſſe judicant: alii etiam ut ſupervacuum, prorſus rejiciunt: & uſu ejus non bene cognito, facilis eſt in ſuperſtitionem lapſus.

Hujus tres fines.

15. Sanctum ac legitimum jejunium tres habet fines. Eo enim utimur, vel ad macerandam ac ſubigendam carnem, ne laſciviat, vel ut ad preces ac ſanctas meditationes melius ſimus comparati, vel ut teſtimonium ſit noſtræ coram Deo humiliationis, dum volumus reatum noſtrum coram ipſo confiteri. Primus finis, non ita ſæpe locum habet in publico jejunio: quod non una eſt omnibus corporis conſtitutio, non una valetudo: privato itaque jejunio magis convenit. Secundus, utriuſque communis eſt: tam enim univerſa Eccleſia ejuſmodi præparatione ad preces opus habet, quam privatim fidelium unuſquiſque. Tertius quoque ſimiliter. Fiet enim interdum ut bello, vel peſte, vel calamitate aliqua gentem unam percutiat Deus. In hac communi ferula ream ſe tota plebs faciat oportet, ac reatum profiteatur. Siquem vero privatim feriat manus Domini, idipſum faciat vel ſolus, vel cum ſua familia. Id quidem præcipue ſitum eſt in animi affectu. Sed enim ubi animus afficitur ut debet, fieri vix poteſt quin erumpat in externam teſtificationem: idque tum maxime ſi in communem ædificationem cedit, ut omnes ſimul peccatum ſuum palam confitendo, laudem juſtitiæ Deo reddant, & ſe mutuo ſinguli exemplo ſuo cohortentur.

Primus privato jejunio magis convenit.

Secundus.

Tertius.

Publicum jejunium cum oratione conjunctum indicere ſolent Paſtores, quoties de re aliqua magna Deo ſupplicandum eſt.

16. Unde jejunium, ut eſt ſignum humiliationis, frequentiorem uſum habet in publico, quam inter homines privatos: utcunque ſit commune, ut dictum eſt. Quod ergo ad diſciplinam, de qua nunc tractamus, pertinet: quoties de re aliqua magna Deo ſupplicandum eſt, jejunium una cum oratione indicere expediret. Sic quum Paulo & Barnabæ manus imponunt Antiocheni, quo eorum miniſterium, quod tanti momenti erat, melius Deo commendent, orationi jejunium conjungunt. Sic ambo ipſi poſtea quum miniſtros præficerent Eccleſiis, ſoliti ſunt orare cum jejunio. In genere hoc jejunii non aliud ſpectarunt niſi ut redderentur alacriores & magis expediti ad precandum. Hoc certe experimur, ventre pleno mentem non ita eſſe in Deum erectam, ut & ſerio ardentique affectu ferri in precationem, & in ea perſeverare poſſit. Sic intelligendum eſt quod refert Lucas de Anna, *eam ſerviſſe Domino jejuniis & obſecrationibus.* Neque enim cultum Dei reponit in jejunio: ſed ſignificat ſanctam mulierem ſe hoc modo exercuiſſe ad precandi aſſiduitatem. Tale fuit jejunium Nehemiæ, quum intentiore ſtudio Deum pro liberatione populi ſui precaretur. Hanc ob cauſam dicit Paulus fideles recte facere ſi ad tempus abſtineant à thoro conjugali, ut liberius vacent orationi & jejunio: ubi jejunium precationi vice adminiculi conjungens, nullius per ſe momenti eſſe admonet, niſi quatenus refertur in hunc finem. Deinde quum præcipiat eo loco conjugibus, ut alii aliis mutuam benevolentiam reddant, clarum eſt non de quotidianis precibus eum loqui, ſed quæ attentionem magis ſeriam exigunt.

Act. 13: 3.
ibid. 14: 23.
Luc. 2. verſ. 37.
Neh. 1: 4.
1 Cor. 7. verſ. 5.
ibid. v. 3.

Item, quoties publica aliqua calamitas graſſari incipit.

17. Rurſum ſi graſſari incipit vel peſtilentia, vel fames, vel bellum, aut ſiqua clades imminere alias regioni ac populo videtur: Paſtorum tunc quoque officium eſt hortari ad jejunium Eccleſiam, quo ſuppliciter iram Domini deprecetur. Se enim ad ultionem apparari & quodammodo armari denunciat, ubi periculum apparere facit. Qualiter igitur promiſſa barba, impexo capillo, pulla veſte, ſuppliciter ſe olim demittere rei ſolebant ad conciliandam judicis miſericordiam; ita nos, quum rei agimur coram Dei tribunali, ejus ſeveritatem miſerabili habitu deprecari, tum ejus gloriæ intereſt ac publicæ ædificationis, tum nobis quoque ipſis utile eſt ac ſalutare. Atque id quidem uſitatum fuiſſe in populo Iſraëlitico, ex verbis Joëlis colligere promptum eſt: nam quum jubet *cani tuba, convocari cœtum, indici jejunium,* & ea quæ ſequuntur, loquitur ut de rebus communi conſuetudine receptis.

Exempla ſub Lege.

Joël. 2. verſ. 15.

Paulo

Paulo ante dixerat, de flagitiis populi conſtitutam eſſe quæſtionem, ac jam imminere judicii diem nunciaverat, reoſque citaverat ad dicendam cauſam: deinde vociferatur ut properent ad ſaccum & cinerem, ad fletum & jejunium: hoc eſt, ut externis quoque teſtificationibus ſe coram Domino proſternant. Cinis quidem & ſaccus illis forte temporibus magis conveniebant: ſed convocatio & fletus & jejunium, & quæ ſunt his ſimilia, non dubium quin ad noſtram quoque ætatem ſimiliter pertineant, quoties ita rerum noſtrarum conditio poſtulat. Nam quum ſanctum ſit exercitium cum ad humiliandos homines, tum ad humilitatem confitendam: cur eo minus utamur quam veteres in ſimili neceſſitate? Legimus jejunaſſe in ſignum mœſtitiæ non modo Iſraëliticam Eccleſiam, verbo Dei formatam ac conſtitutam, ſed Ninivitas quoque, qui nihil doctrinæ præter unicam Jonæ prædicationem habebant. Quid cauſæ eſt igitur cur non idem agamus? At externa eſt ceremonia, quæ finem in Chriſto una cum aliis accepit. Imo hodieque optimum fidelibus adminiculum eſt (ut ſemper fuit) & utilis admonitio, ad ſeipſos excitandos, ne ſua nimia ſecuritate & ſocordia Deum magis ac magis provocent, dum ejus flagellis caſtigantur. Proinde Chriſtus, quum Apoſtolos ſuos excuſat quod non jejunent, non dicit abrogatum eſſe jejunium: ſed calamitoſis temporibus ipſum deſtinat, & conjungit cum luctu. *Veniet*, inquit, *tempus, quum auferetur ab illis ſponſus.*

1 Sam. 7: 6. & 31: 13. 2 Reg. 1. verſ. 12. Jonæ 3: 5.

Mat. 9: 15. Luc. 5: 34.

Jejunium in tribus præcipue ſitum eſt: tempore, ciborum qualitate, & parſimonia.

18. Nequis autem error ſit in nomine, definiamus quid ſit jejunium: non enim ſimpliciter continentiam ac parſimoniam in victu hic intelligimus, ſed quiddam aliud. Piorum quidem vita frugalitate & ſobrietate temperata eſſe debet, ut quandam jejunii ſpeciem, quoad fieri poteſt, toto ſuo decurſu præ ſe ferat. Sed eſt præterea jejunium aliud temporale, quum aliquid ex conſueta vivendi ratione retrahimus, vel ad diem unum, vel ad certum tempus: & nobis continentiam indicimus in victu ordinaria illa arctiorem ac ſeveriorem. Hoc in tribus ſitum eſt, in tempore, in ciborum qualitate, & parſimonia. Tempus dico, ut jejuni defungamur iis actionibus quarum cauſa inſtituitur jejunium. Quemadmodum, exempli cauſa, ſi ob ſolennem precationem quis jejunet, ut eo impranſus accedat. Qualitas in eo ſita eſt ut abſint omnes lautitiæ, ac plebeiis vilioribuſque cibis contenti, palatum delicatis non irritemus. Quantitatis ratio in hoc eſt, ut parcius ac levius ſolito veſcamur: tantum ad neceſſitatem, non etiam ad voluptatem.

Ne quid vero ſuperſtitionis obrepat, tria ſunt inculcanda.

19. At vero ſemper in primis cavendum nequid obrepat ſuperſtitionis, quemadmodum antehac magno Eccleſiæ malo accidit. Multo enim ſatius fuerit nullum prorſus eſſe jejuniorum uſum, quam diligenter obſervari, & interim corruptum eſſe falſis pernicioſiſque opinionibus: ad quas mundus ſubinde delabitur, niſi ſumma fide ac prudentia obviam eant Paſtores. Primum eſt ut ſemper urgeant quod docet Joël, *ſcindenda eſſe corda, non veſtimenta*: hoc eſt, admoneant plebem, non magni per ſe æſtimari à Deo jejunium niſi adſit interior cordis affectus, vera peccati & ſuiipſius diſplicentia, vera humiliatio, veruſque dolor ex timore Dei. Imo jejunium non aliam ob cauſam utile eſſe niſi quod iſtis accedit velut inferius adminiculum. Nihil enim magis execratur Deus quam dum homines ſigna & externam ſpeciem pro cordis innocentia objiciendo, fucum ſibi facere conantur. Itaque in hanc hypocriſin ſeveriſſime invehitur Jeſaias, quod Judæi ſatisfactum Deo putarent ubi jejunaverant duntaxat, utcunque impietatem & impuras cogitationes in animo foverent. *Numquid tale eſt* (inquit) *jejunium quod Dominus elegit?* & quæ ſequuntur. Non igitur inutilis modo ac ſupervacua fatigatio eſt hypocritarum jejunium, ſed maxima abominatio. Alterum malum huic affine ſummopere cavendum eſt, ne pro opere meritorio aut ſpecie divini cultus cenſeatur. Nam quum ſit res per ſe media, nec quicquam habeat momenti niſi propter eos fines in quos reſpicere debet, pernicioſiſſima ſuperſtitio eſt, confundere cum operibus à Deo mandatis, & per ſe neceſſariis, non alio reſpectu. Tale fuit olim delirium Manichæorum: quos dum refellit Auguſtinus, ſatis clare docet, jejunium non niſi ab iis quos dixi finibus æſtimandum, nec Deo aliter probari niſi eo referatur. Tertius error non adeo quidem impius, periculoſus tamen, tanquam unum ex præcipuis officiis moroſius ac rigidius exigere, ac immodicis encomiis ſic extollere ut homines ſe aliquid eximium feciſſe putent quum jejunaverint. Qua in parte non in totum excuſare audeo veteres quin & ſuperſtitionis quædam ſemina jecerint, & occaſionem præbuerint tyrannidi quæ poſtea exorta eſt. Occurrunt quidem interdum ſanæ ac prudentes de jejunio ſententiæ: ſed poſtea occurrunt ſubinde immodicæ jejunii laudes, quæ ipſum inter præcipuas virtutes extollunt.

1. *Scindenda eſſe corda, non veſtimenta.* Joël. 2: 13.

Jeſa. 58: 5.

2. *Cavendum ne pro opere meritorio, aut ſpecie divini cultus cenſeatur.*

libr. 2. de morib. Manich. cap. 13. & lib. 30. contra Fauſtum.

3. *Abſtinentiam illam non immodice extollere.*

20. Et tunc paſſim invaluerat ſuperſtitioſa quadrageſimæ obſervatio: quia & vulgus eximium aliquod obſequium Deo ſe in ea præſtare exiſtimabat, & Paſtores eam commendabant pro ſancta Chriſti imitatione: quum planum ſit non ideo jejunaſſe Chriſtum ut aliis exemplum præſcriberet, ſed ut Euangelii prædicationem ſic auſpicando, non humanam doctrinam eſſe, ſed è cælo profectam re ipſa comprobaret. Ac mirum eſt tam craſſam hallucinationem hominibus acuti judicii obrepere potuiſſe: quæ tot ac tam claris rationibus refellitur. Non enim ſæpius jejunat Chriſtus (quod fieri oportuit ſi anniverſarii jejunii legem tradere vellet) ſed ſemel tantum, quum ſe ad Euangelii promulgationem accingit. Nec jejunat humano more, ut par erat ſi homines ad imitationem provocare vellet: ſed magis exemplum deſignat quo in ſui potius admirationem omnes rapiat quam ad æmulandi ſtudium excitet. Denique non alia eſt iſtius jejunii ratio quam ejus quo defunctus erat Moſes, quum Legem è manu Domini acciperet. Nam quum illud in Moſe editum eſſet miraculum ad ſtabiliendam Legis auctoritatem, non debuit in Chriſto prætermitti: ne Legi Euangelium cedere videretur. Atqui ab eo tempore nemini unquam venit in mentem, prætextu imitationis Moſis, talem jejunii formam in populo Iſraëlitico erigere. Nec ullus ex ſanctis Prophetis ac Patribus id ſequutus eſt, quum tamen ad omnes pias exercitationes ſatis animi ac zeli haberent. Nam quod de Elia habetur, eum ſine cibo & potu quadraginta dies tranſegiſſe, non alio pertinebat quam ut populus agnoſceret eum excitatum eſſe Legis vindicem, à qua vulgo prope totus Iſraël deſciverat. Fuit igitur mera κακοζηλία, & ſuperſtitionis plena, quod titulo ac colore imitationis Chriſti, jejunium ornabant. Quanquam in modo jejunii mira tunc erat diverſitas, ut refert Caſſiodorus ex Socrate, hiſtoriæ ſuæ libro nono. *Romani enim* (inquit) *non niſi tres habebant ſeptimanas: ſed illis continuum erat jejunium, excepto die Dominico & Sabbatho. Illyrici & Græci ſex: alii ſeptem: ſed jejunium per intervalla. Nec minus in ciborum diſcrimine diſſidebant: alii non niſi pane & aqua veſcebantur, alii addebant olera: piſcibus alii & volatilibus non abhorrebant: alii nullum habebant in cibis diſcrimen.* Hujus etiam differentiæ meminit Auguſtinus, poſteriore epiſtola ad Januarium.

Quod quum fuit factum, invaluit jejunii quadrageſimalis obſervatio ex κακοζηλίᾳ. Mat. 4: 2.

Quæ obſervatio ſuperſtitioſa tribus rationibus refellitur.

Exod. 24. verſ. 18. & 34: 28.

1 Reg. 19. verſ. 8.

Uſitata quidem apud veteres, ſed diverſa ratione.

21. Sequuta ſunt deinde deteriora tempora, & ad præpoſterum vulgi ſtudium acceſſit Epiſcoporum tum inſcitia & ruditas, tum libido dominandi & tyrannicus rigor. Latæ ſunt impiæ leges quæ con-

Poſtea latæ ſunt leges de ciborum delectu, & variis abu[ſibus]

ſus irrepſerunt, jam inde ab Hieronymi ſeculo.

conſcientias exitialibus vinculis ſtringunt. Interdictus caroium eſus quaſi hominem contaminaret. Additæ ſacrilegæ opiniones aliæ ſuper alias, donec in profundum omnium errorum ventum eſt. Ac nequid pravitatis omitteretur, ineptiſſimo abſtinentiæ prætextu cum Deo ludere cœperunt. Nam in exquiſitiſſimis quibuſque deliciis laus jejunii quæritur: nullæ tunc lautitiæ ſufficiunt: nuoquam major ciborum vel copia, vel varietas, vel ſuavitas. In tali ac tam ſplendido apparatu putant ſe rite ſervire Deo. Tacco quod nunquam fœdius ſe ingurgitant qui volunt haberi ſanctiſſimi. In ſumma, hic ſummus eſt Dei cultus, à carnihus abſtinere, & illis exceptis aſſluere omni genere lautitiarum. Rurſum bæc ultima eſt impietas, & vix morte expiabilis, ſiquis minimum laridi aut rancidæ carnis cum pane cibario guſtaverit. Narrat Hieronymus, jam ſuo ſeculo quoſdam extitiſſe qui talibus ineptiis cum Deo luderent: qui, ne oleo veſcerentur, cibos delicatiſſimos undique advehi ſibi curabant: imo ut naturæ vim inferrent, ab aquæ potu abſtinebant; ſed ſuaves pretioſaſque ſorbitiunculas fieri ſibi curabant: quas non ex calice hauriebant, ſed concha. Quod vitium tunc in paucis erat, hodie vulgare eſt inter omnes divites: ut ſcilicet non alio fine jejunent niſi ut lautius nitidiuſque epulentur.

ad Nepotianum.

Concluſio, nullam eſſe communis diſciplinæ Eccleſiaſticæ praxin in Papatu.

Sed nolo multum verborum profundere in re non adeo dubia. Hoc tantum dico, cum in jejuniis, tum in omnihus aliis diſciplinæ partibus adeo nibil recti, nihil ſinceri, nihil bene compoſiti ac ordinati habere Papiſtas, ut ſuperhiendi occaſionem nullam habeant, quaſi aliquid reliquum ſit apud eos laude dignum.

Altera pars diſciplinæ, Eccleſiæ clerum reſpiciens. Qualis, quamque ſevera olim fuerit.

22. Sequitur altera pars diſciplinæ, quæ ad clerum peculiariter pertinet. Ea Canonihus continetur quos ſihi veteres Epiſcopi ſuoque ordioi impoſuerunt. Quales ſunt, Nequis clericus venationi, nequis aleæ, nequis comeſſationibus vacaret; nequis exerceret fœnus aut mercaturam: nequis laſcivis ſaltatlonibus intereſſet: aliique ejus generis. Adjiciebantur & pœnæ, quibus ipſa Canonum auctoritas ſanciebatur, nequis eos impune violaret. In hunc finem unicuique Epiſcopo committebatur cleri ſui gubernatio, ut ſecundum Canones, ſuos clericos regeret, ac in officio retineret. In bunc finem inſtitutæ erant annuæ inſpectiones ac ſynodi, ut ſiquis foret in officio negligentior, admoneretur: ſiquis peccaſſet, pro modo delicti in eum animadverteretur. Ipſi quoque Epiſcopi quotannis ſuas habebant provinciales ſynodos, antiquitus etiam binas, à quibus judicabantur ſiquid præter officium admiſerant. Nam ſiquis Epiſcopus durior erat aut violentior in ſuum clerum, illuc erat provocatio, etiamſi unus tantum conquerebatur. Animadverſio ſeveriſſima erat, ut deponeretur ab officio qui peccaverat, ac communione ad tempus privaretur. Quia autem erat ille perpetuus ordo, ſynodum dimittere nunquam ſolebant quin locum ac tempus proximæ indicerent. Nam univerſale cogere Concilium ſolius erat Imperatoris, quemadmodum teſtantur omnes vetuſtæ indictiones. Quamdiu vigebat hæc ſeveritas, non plus verbo exigebant clerici à plebe quam exemplo & opere præſtarent. Quin multo rigidinres erant in ſeipſos quam in vulgus. Et ſane ita decet ut humaniore & laxiore (ut ita loquar) diſciplina plebs regatur: clerici inter ſe acriores exerceant cenſuras, minuſque longe ſibi quam aliis indulgeant. Iſtud totum ut obſoleverit nihil opus eſt referre, quum nihil hodie fingi queat hoc ordine magis effrene ac diſſolutum: ac eo licentiæ prorupit ut totus orbis vociferetur. Ne apud ipſos videatur prorſus ſepulta eſſe omnis antiquitas, umbris, fateor, quibuſdam decipiunt ſimplicium oculos, ſed quæ ad vetuſtos mores nihilo propius accedunt quam ſimiæ æmulatio ad id quod ratione & conſilio faciunt homines.

Quam miſere hodie obſoleverit.

Exemplum Papiſtis admodum conveniens.

lib. 8. Pæd. Cyri.

Memorabilis eſt apud Xeoophontem locus, ubi docet, quum turpiter degeneraſſent Perſæ à majorum inſtitutis, & ab auſtero vivendi genere ad mollitieoi & delicias prolapſi eſſent, ut tamen dedecus hoc tegerent, priſcos ritus ſedulo ſervaſſe. Nam quum Cyri tempore eo uſque vigeret ſohrietas & temperantia, ut emungi opus non eſſet, atque etiam probri loco duceretur, apud poſteros duravit religio nequis mucum è naribus traheret: ſorbere vero & intus alere ad putredinem uſque fœtidos humores quos ex ingluvie contraxerant, permiſſum. Ita ex vetere præcepto urceos adſerre ad menſam nefas: merum ingurgitare, ut ebrios auferri neceſſe foret, tolerabile. Semel comedere præſcriptum: hoc non abrogaverant boni iſti ſucceſſores, ſed ut à meridie uſque ad mediam noctem continuarent ſuas crapulas. Conficere diurnum iter jejunos quia lex jubebat, perpetui apud eos moris fuit: ſed laſſitudinis vitandæ cauſa iter ad duas boras contrahere, liberum & uſitatum ex conſuetudine fuit. Quoties degeneres ſuas regulas ohtendent Papiſtæ ut ſe oſtendant affines eſſe ſanctis Patribus, ridiculam eorum imitationem hoc exemplum ſatis coarguet, ut nullus pictor magis ad vivum poſſit exprimere.

Locus, de Sacerdotum cælibatu, in quo diſciplina Eccleſiaſtica vim omnem Pontificii conſtituerunt.

23. Una in re pluſquam rigidi ſunt & inexorabiles, ne conjugium Sacerdotihus permittant. Quanta apud eos ſcortandi graſſetur impunitas, dicere nihil attinet: ac fœtido ſuo cælibatu freti occalluerunt ad omnia flagitia: hæc tamen prohibitio clare oſtendit quam peſtiferæ ſint omnes traditiones: utpote quæ non ſolum orbavit Eccleſiam probis & idoneis Paſtorihus, ſed horrendam invexit ſcelerum colluviem, multaſque animas in gurgitem deſperationis projecit. Certe quod Sacerdotibus interdictum fuit conjugium, id factum eſt impia tyrannide, non modo contra verbum Dei, ſed etiam contra omnem æquitatem. Primum vetare quod Dominus liberum reliquiſſet, nulla ratione hominibus licuit. Deinde nominatim Deum caviſſe verbo ſuo ne hæc libertas infringeretur, clarius eſt quam ut longa demonſtrarione uti neceſſe ſit. Omitto quod Paulus pluribus locis Epiſcopum vult eſſe *unius uxoris virum*: ſed quid potuit vehementius dici, quam ubi ex Spiritu ſancto denunciat, *fore noviſſimus temparibus homines impios qui conjugium prohibeant*; eoſque non modo impoſtores nuncupat, ſed dæmones? Hoc igitur vaticinium, hoc ſacrum oraculum eſt Spiritus ſancti, quo Eccleſiam ab initio præmunire adverſus pericula voluit, Doctrinam dæmoniorum eſſe conjugii prohibitionem. Verum belle ſe elapſos eſſe putant quum hanc ſententiam detorquent ad Montanum, Tatianos, Encratitas, alioſque veteres hæreticos. Illi, inquiunt, ſoli matrimonium damnarunt: nos minime damnamus, ſed Eccleſiaſticum ordinem tantum ab eo arcemus, cui putamus non ſatis convenire. Quaſi vero etiamſi in illis ſuperioribus completum ſit primo loco hoc vaticinium, non in iſtos etiam competat: aut quaſi auditu digna ſit puerilis iſta argutiola, quod prohibere ſe negant, quia non omnibus prohibent. Perinde enim eſt acſi tyrannus iniquam non eſſe legem contendat, cujus iniquitate pars duntaxat civitatis prematur.

Refutatio impiæ hujus tyrannidis ex Scriptura.

1 Tim. 3. verſ. 2.
Tit. 1: 6.
1 Tim. 4. verſ. 3.

Exceptionis Papiſticæ ad locum Apoſtoli dilutio.

1. Argumentum Papiſt. pro Sacerdotum cælibatu. Reſponſio.

24. Objiciunt, aliqua nota differre oportere à plebe Sacerdotem. Quaſi non providerit hoc quoque Dominus quibus ornamentis excellere deberent Sacerdotes. Ita Apoſtolum perturbati ordinis confuſique decoris Eccleſiaſtici inſimulant, qui quum abſolutam boni Epiſcopi ideam delinearet, inter reliquas dotes quas in eo requirebat, auſus ſit conjugium ponere. Scio qualiter boc interpretentur, nempe eligendum non eſſe qui ſecundam babuerit uxorem. Atque hanc interpretationem non eſſe

Exceptio.

Reſponſio 1.

novam

novam concedo: ſed falſam eſſe, ex ipſo contextu palam eſt: quia ſtatim præſcribit quales Epiſcoporum & Diaconorum uxores eſſe oporteat. Paulus inter Epiſcopi virtutes numerat conjugium: iſti intolerabile vitium in ordine Eccleſiaſtico eſſe docent. Et, ſi Deo placet, hac generali vituperatione non contenti, immunditiem & pollutionem carnis in ſuis Canonibus vocant. Cogitet quiſque apud ſe ex qua officina hæc prodierint. Chriſtus eo honore dignatur conjugium, ut imaginem eſſe velit ſacræ ſuæ cum Eccleſia conjunctionis. Quid ſplendidius dici poterat ad commendandam conjugii dignitatem? Qua igitur fronte immundum vel pollutum vocabitur in quo ſimilitudo ſpiritualis Chriſti gratiæ elucet?

Reſponſio 2.

Reſponſio 3.

Syricios ad Epiſcopos Hiſpaniarum.

2. Argumentum.

25. Jam vero quum ita clare cum verbo Dei pugnet eorum prohibitio, inveniunt tamen in Scripturis quo eam defendant. Sacerdotes Leviticos, quoties ad eos miniſtrandi vices redibant, oportuit ab uxoribus ſecubare, quo puri & immaculati ſacra tractarent. Noſtra ergo ſacra, quum & multo nobiliora ſint & quotidiana, à conjugatis tractari valde fuerit indecorum. Quaſi vero eadem ſit Evangelici miniſterii perſona quæ fuit ſacerdotii Levitici. Illi enim tanquam ἀντίτυποι, Chriſtum repræſentabant, qui mediator Dei & hominum, abſolutiſſima ſua puritate reconciliaturus Patrem nobis erat. Quum vero omni ex parte exhibere peccatores typum ſanctitatis ejus non poſſent, quibuſdam tamen lineamentis ut adumbrarent, juſſi ſunt ultra humanum morem ſe purificare, dum ad Sanctuarium accederent: quia tunc ſcilicet proprie Chriſtum figurabant, quod veluti pacificatores, ad reconciliandum Deo populum apparebant ad tabernaculum, cæleſtis tribunalis ſimulachrum. Hanc perſonam quia hodie non ſuſtinent Eccleſiaſtici Paſtores, fruſtra eum illis comparantur. Quare Apoſtolus citra exceptionem ſecure pronunciat *honorabile eſſe inter omnes conjugium, ſcortatores autem & adulteros manere Dei judicium.* Et ipſi Apoſtoli ſuo exemplo comprobarunt, nullius quamlibet excellentis functionis ſanctitate indignum eſſe conjugium. Nam eos non tantum uxores retinuiſſe, ſed ſecum etiam circumduxiſſe, teſtis eſt Paulus.

Reſponſio.

Hebr. 13. verſ. 4.

1 Cor. 9. verſ. 5.

3. Argumentum. Reſponſio, Apoſtolorum auctoritate, & veteris Eccleſiæ teſtimonio firmata.

26. Deinde mira fuit impudentia, quod decorum iſtud caſtitatis pro neceſſaria re venditarunt, in ſummam veteris Eccleſiæ ignominiam: quæ quum abundarit eximia Dei eruditione, plus tamen ſanctimonia excelluit. Nam ſi Apoſtolos nihil morantur (ut ſolent eos interdum ſtrenue contemnere) quid, amabo, facient omnibus vetuſtis Patribus, quos certum eſt non modo conjugium in Epiſcoporum ordine toleraſſe, ſed etiam approbaſſe? Alebant ſcilicet fœdam ſacrorum profanationem, quando ita non rite apud eos Domini myſteria colebantur. Agitatum quidem fuit in Nicena ſynodo de indicendo cælibatu: ut nunquam deſunt ſuperſtitioſuli, qui ſemper novum aliquid comminiſcuntur unde admirationem ſibi concilient. Sed quid conſtitutum fuit? nempe in ſententiam Paphnutii diſceſſum eſt, qui pronunciavit *caſtitatem eſſe cum propria uxore concubitum.* Manſit ergo inter ipſos ſacrum conjugium: neque aut ipſis dedecori ceſſit, aut maculam ullam aſpergere miniſterio creditum eſt.

Hiſt. tripart. lib. 2. cap. 14.

27. Sequuta ſunt deinde tempora quibus invaluit nimis ſuperſtitioſa cælibatus admiratio: hinc illa ſubinde & ſine modo decantata virginitatis encomia: ut vix ulla alia virtus cum ea conferenda vulgo crederetur. Et quanquam non damnabatur impuritatis conjugium, ſic tamen extenuabatur ejus dignitas, & ſanctitas obſcurabatur, ut non videretur ſatis forti animo ad perfectionem adſpirare qui non ab ipſo ſibi temperaret. Hinc illi Canones quibus primo vetitum eſt, ne matrimonium contraherent qui perveniſſent ad ſacerdotii gradum: deinde ne in eum ordinem aſſumerentur niſi cælibes, aut qui thoro conjugali una cum uxoribus renunciarent. Hæc, quia videbantur reverentiam ſacerdotio conciliare, magno plauſu etiam antiquitus recepta eſſe fateor. Sed ſi mihi antiquitatem objiciant adverſarii, primum reſpondeo, hanc libertatem & ſub Apoſtolis & aliquot poſtea ſeculis extitiſſe, ut conjuges eſſent Epiſcopi: hac, ſine difficultate, uſos eſſe ipſos Apoſtolos, & alios primariæ auctoritatis Paſtores, qui in eorum locum ſucceſſerunt. Illius antiquioris Eccleſiæ exemplum pluris merito nobis debere eſſe quam ut illicitum vel indecorum nobis putemus quod tunc cum laude receptum uſitatumque fuit. Deinde illam ætatem, quæ immodica virginitatis affectione cœpit eſſe conjugio iniquior, non ita impoſuiſſe Sacerdotibus legem cælibatus quaſi res per ſe neceſſaria eſſet, ſed quia cælibes conjugatis anteferret. Poſtremo non ita exegiſſe ut neceſſitate ac vi adigeret ad continentiam qui ad eam ſervandam idonei non eſſent. Nam quum ſeveriſſimis legibus in ſcortationes vindicaret: de iis qui matrimonium contraherent, hoc tantum ſtatuebat ut à functione ſuperſederent.

4. Argumentum, à virginitatis ſupra conjugium commendatione petitum.

Reſponſio 1.

Reſponſio 2.

Reſponſio 3.

28. Ergo quoties cælibatui ſuo defendendo prætextum antiquitatis quærent novæ iſtius tyrannidis defenſores, toties excipiendum erit ut veterem illam caſtimoniam in ſuis Sacerdotibus reſtituant, amoveant adulteros ac ſcortatores: ne eos, in quibus honeſtum ac pudicum thori uſum non ſuſtinent, in omne libidinis genus impune ruere ſinant: revocent illam obſoletam diſciplinam, qua omnes laſciviæ coërceantur: liberent Eccleſiam hac tam flagitioſa turpitudine, qua jamdiu deformata eſt. Ubi hoc conceſſerint, tum rurſus admonendi erunt ne eam rem pro neceſſaria venditent, quæ per ſe libera ex Eccleſiæ utilitate pendet. Neque tamen hæc dico quod ulla omnino conditione dandum eſſe locum iis Canonibus cenſeam, qui vinculum cælibatus Eccleſiaſtico ordini injiciunt; ſed ut intelligant cordatiores qua fronte hoſtes noſtri ſanctum conjugium, objecto antiquitatis nomine, in Sacerdotibus infament. Quantum ad Patres attinet, quorum ſcripta extant, neque ipſi, quum ex ſuo judicio loquebantur, excepto Hieronymo, tanta malignitate conjugii honeſtati obtrectarunt. Contenti erimus uno Chryſoſtomi elogio: quod is, quum præcipuus fuerit virginitatis admirator, non poteſt in matrimonii commendationem videri fuiſſe aliis profuſior. Sic autem loquitur, *Primus gradus caſtitatis eſt, ſincera virginitas: ſecundus, fidele conjugium. Ergo ſpecies ſecunda virginitatis eſt, matrimonii caſta dilectio.*

Concluſio diſputationis de cælibatu, oſtendens quid ſit excipiendum, quoties antiquitatis prætextu commenta ſua defendunt Papiſtæ.

Veteres item huic errori non profſus faviſſe.

Hom. de inventione Crucis.

CAP. XIII.

De votis, quorum temeraria nuncupatione quiſque ſe miſere implicuit.

Conſtat hoc caput duabus partibus.

1. *Primum in genere de votis agitur, à prima ſectione ad octavam.*
2. *Deinde vero uſque ad finem nominatim de votis monaſticis: nempe de monaſtica profeſſione & moribus, ſect.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. *Poſtea de monachorum votis, & præcipue de voto cælibatus, ſect.* 17. 18. 19. 20. & 21.

Tranſitio à tota ſuperiori tractatione de tyrannide pſeudopaſtorum ad hanc ſequentem.

DEploranda quidem res eſt, Eccleſiam, cui inæſtimabili ſanguinis Chriſti pretio empta erat libertas, crudeli tyrannide ſic fuiſſe oppreſſam, & ingenti traditionum congerie fere obrutam: ſed privata interim cujuſque amentia oſtendit, non ſine juſtiſſima cauſa tantum fuiſſe divinitus Satanæ ejuſque miniſtris permiſſum. Neque enim ſatis fuit neglecto Chriſti imperio quælibet onera à falſis doctoribus impoſita perferre, niſi propria etiam ſinguli ſibi accerſerent: adeoque cavernas ſibi fodiendo ſe profundius demergerent. Id factum eſt dum certatim excogitant vota ex quibus ad communia vincula major & arctior obligatio accederet. Quando itaque docuimus eorum audacia qui ſub Paſtorum titulo dominati ſunt in Eccleſia, vitiatum fuiſſe Dei cultum, ubi iniquis ſuis legibus miſeras animas illaquearunt: hic malum affine annectere non intempeſtivum erit, ut appareat, mundum pro ingenii ſui pravitate, quibus potuit obſtaculis ſemper adjumenta repuliſſe quibus ad Deum adduci debuerat.

Ex generalibus quibuſdam fundamentis oſtenditur quo loco vota ſint habenda.

Porro quo melius pateat graviſſimam perniciem ex votis invectam eſſe, principia jam ante poſita teneant lectores. Docuimus enim primum, quicquid ad vitam pie ſancteque inſtituendam deſiderari poteſt, in Lege eſſe comprehenſum. Docuimus rurſus, Dominum, quo melius nos ab excogitandis novis operibus avocaret, totam juſtitiæ laudem in ſimplici voluntatis ſuæ obedientia incluſiſſe. lib. 2. c. 8. ſect. 5. Hæc ſi vera ſunt, judicare promptum eſt, fictitios omnes cultus, quos nobis ipſi ad promerendum Deum comminiſcimur, minime eſſe illi acceptos, quantumvis nobis arrideant. Et certe Dominus ipſe multis locis non tantum aperte eos reſpuit, ſed graviter abominatur. Hinc exoritur de votis dubitatio quæ præter expreſſum Dei verbum fiunt, quo loco ſint habenda, an nuncupari rite poſſint ab hominibus Chriſtianis, & quatenus eos obſtringant. Nam quod inter homines dicitur Promiſſio, id Dei reſpectu Votum appellatur. Hominibus autem pollicemur ea quæ vel putamus illis fore grata, vel quæ ex officio debemus. Longe igitur majorem in votis obſervantiam eſſe decet, quæ ad ipſum Deum, cum quo maxime ſerio agendum eſt, diriguntur.

Quam ſuperſtitioſe non tantum Ethnici, ſed etiam Chriſtiani, in votis nuncupandis peccarint.

Hic mirum in modum omnibus ſeculis graſſata eſt ſuperſtitio: ut homines ſine judicio, ſine delectu, quicquid in mentem, vel etiam in buccam veniret, Deo protinus voverent. Hinc illæ votorum ineptiæ, imo prodigioſæ abſurditates apud Ethnicos, quibus nimis inſolenter cum diis ſuis luſerunt. Atque utinam hanc illorum audaciam non imitati eſſent etiam Chriſtiani. Minime id quidem decuit: ſed videmus aliquot ſeculis nihil fuiſſe hac improbitate uſitatius: ut populus contempta paſſim Dei Lege, vovendi quicquid per ſomnium arriſiſſet, inſano ſtudio totus flagraret. Nolo odioſe exaggerare, nec ſigillatim recenſere quam graviter ac quot modis hic peccatum ſit: ſed hoc obiter dicere viſum eſt, quo melius appareat, nos nequaquam de re ſupervacua quæſtionem inſtituere quum de votis tractamus.

Diſputatio de votis ad tres articulos revocata.

2. Porro ſi nolumus errare judicando quæ vota ſint legitima, quæ præpoſtera: tria expendere convenit: nempe quis ſit is cui votum nuncupatur: qui ſimus nos qui vovemus: quo animo denique voveamus.

1. Quis ille ſit cui votum nuncupatur, nempe Deus.

Primum eo ſpectat ut cogitemus nobis cum Deo eſſe negotium: quem adeo delectat noſtra obedientia, ut ἐθελοθρησκείας omnes, quamlibet in oculis hominum ſpecioſæ ſint ac ſplendidæ, maledictas eſſe pronunciet. Col. 2: 23. Si voluntarii omnes cultus, quos ipſi ſine mandato excogitamus, Deo ſunt abominabiles; ſequitur; nullum ei acceptum eſſe poſſe niſi qui ejus verbo approbetur.

Huic nihil vovendum, niſi quod ipſe requirit.

Ergo ne tantum licentiæ nobis ſumamus, ut audeamus Deo vovere quod nullum teſtimonium habeat qualiter ab ipſo æſtimetur. Nam quod Paulus docet *peccatum eſſe quicquid fit abſque fide*, quum ad actiones quaſlibet extendatur, tunc certe præcipue locum habet ubi cogitationem tuam recta in Deum dirigis. Rom. 14. verſ. 23. Imo ſi in minimis quibuſque (ut illic de ciborum diſcrimine diſputat Paulus) labimur vel erramus ubi non prælucet fidei certitudo: quanto plus modeſtiæ adhibendum eſt ubi rem maximi ponderis aggredimur? Siquidem nihil magis ſerium eſſe nobis decet religionis officiis. Sit igitur hæc prima in votis cautio, ut nunquam ad aliquid vovendum deſcendamus quin certo prius conſcientia conſtituerit, ſe nihil temere tentare. Tunc autem à temeritatis periculo tuta erit quum Deum ſibi habebit præeuntem, & quaſi ex verbo ſuo dictantem quid factu bonum ſit vel inutile.

2. Qui ſimus nos qui vovemus. Hic primum metienda vires noſtræ. Deinde vocationis noſtræ habenda ratio.

3. In altero quod hic diximus conſiderandum, id continetur, ut metiamur vires noſtras, ut vocationem noſtram intueamur: ne beneficium libertatis, quod nobis Deus contulit, negligamus. Nam qui vovet quod vel non eſt ſuæ facultatis, vel cum vocatione ſua pugnat, temerarius eſt: & qui Dei beneficentiam, qua rerum omnium dominus conſtituitur, contemnit, ingratus. Quum ita loquor, non intelligo quicquam eſſe ſic in manu noſtra poſitum, ut propriæ virtutis fiducia ſubnixi, illud Deo promittamus. Veriſſime enim in Arauſicano concilio cap. 11. decretum fuit, nihil rite Deo voveri niſi quod de manu ejus acceperimus: quando omnia quæ illi offeruntur, mera ſunt ejus dona. Sed quum Dei benignitate alia nobis data ſint, ejus æquitate alia negata: 1 Cor. 12. verſ. 11. menſuram collatæ ſibi quiſque gratiæ (ut jubet Paulus) reſpiciat. Rom. 12. verſ. 3. Nihil ergo hic aliud volo, quam vota eſſe attemperanda ad eum modum quem tibi ſua donatione Deus præſcribit: ne ſi ultra coneris quam ille permittat, teipſum, nimis tibi arrogando, præcipites.

Alioqui facile peccamus.

Exemplis id probatur.

Exempli gratia, Quum voverent ſicarii illi quorum mentio fit apud Lucam, ſe nihil cibi guſtaturos niſi occiſo Paulo: Act. 23: 12. etiamſi non fuiſſet ſceleratum conſilium, temeritas tamen ipſa minime erat ferenda, quod hominis vitam & mortem ſubjicerent ſuæ poteſtati. Sic Jephthe ſtultitiæ ſuæ pœnas dedit, quum præcipiti fervore inconſideratum votum concepit. Judic. 11. verſ. 30.

Qua quum clerus Papiſticus non animadverterit, fœde, & horrendum in modum lapſus eſt.

In quo genere primatum veſanæ audaciæ tenet cælibatus. Sacrifici enim, monachi & moniales ſuæ infirmitatis obliti, cælibatui ſe pares eſſe confidunt. Quo autem oraculo edocti ſunt, conſtaturam ſibi tota vita caſtitatem, in cujus finem eam vovent? Audiunt de univerſali hominum conditione Dei vocem, *Non eſt bonum homini eſſe ſoli.* Gen. 2. verſ. 18. Intelligunt, atque utinam non ſentirent, peccatum in nobis manens non carere acerrimis aculeis. Illam generalem vocationem qua fiducia

cia excutere audent in totam vitam? quum donum continentiæ ſæpius in certum tempus, prout opportunitas requirit, concedatur. In tali pervicacia ne Deum auxiliatorem expectent: ſed meminerint potius ejus quod dictum eſt, *Dominum Deum tuum non tentabis.* Hoc vero Deum tentare eſt, contra inditam ab eo naturam niti, ac præſentia ejus dona ſpernere acſi nihil ad nos pertinerent. Quod iſti non modo faciunt, ſed matrimonium etiam quod inſtituere non alienum ſua majeſtate cenſuit Deus, quod in omnibus honorabile pronunciavit, quod Chriſtus Dominus noſter ſua præſentia ſanctificavit, quod primo ſuo miraculo cohoneſtare dignatus eſt, pollutionem vocare audent: tantum ut qualemcunque cœlibatum miris encomiis tollant. Quaſi vero non aliud cœlibatum eſſe, aliud virginitatem, luculentum ipſi documentum præbeant in ſua vita: quam tamen impudentiſſime Angelicam vocant. In hoc certe Angelis Dei nimium injurii, quibus ſcortatores, adulteros, & aliquid multo pejus ac fœdius comparant. Et ſane argumentis hic minime opus eſt, ubi re ipſa palam revincuntur. Videmus enim palam, quam horrendis pœnis hujuſmodi arrogantiam, & ex præfidentia donorum ſuorum contemptum paſſim ulciſcatur Dominus. Et occultioribus præ pudore parco: de quibus hoc ipſum quod intelligitur nimium eſt. Nihil eſſe vovendum quod nobis ſit impedimento quominus vocationi noſtræ ſerviamus, extra controverſiam eſt. Quemadmodum ſi paterfamilias voveat, relictis liberis & uxore, ſe alia onera ſuſcepturum: vel qui ad gerendum magiſtratum idoneus eſt, ubi eligitur, voveat ſe privatum fore. Quid autem ſibi velit quod de libertate noſtra non ſpernenda diximus, nonnihil habet difficultatis, niſi explicetur. Itaque ſic paucis accipe: Quum rerum omnium dominos conſtituerit nos Deus, & eas ſic nobis ſubjecerit, ut omnibus pro noſtra commoditate uteremur: non eſt quod ſperemus gratum Deo fore officium, ſi rebus externis, quæ nobis adminiculo eſſe debent, nos in ſervitutem addicamus. Hoc ideo dico, quod nonnulli laudem humilitatis ex eo captant ſi ſe illaqueent multis obſervationibus, à quibus non fruſtra nos liberos atque immunes Deus eſſe voluit. Proinde ſi hoc periculum volumus effugere, ſemper meminerimus, ab ea œconomia, quam Dominus in Eccleſia Chriſtiana inſtituit, nobis minime eſſe diſcedendum.

Deut. 6. verſ. 16.

Quum enim conjugium probris affecerint Papiſtæ, horrendas pœnas Deo luerunt.

Hebr. 13. verſ. 4.
Joan. 2. v. 2, & 9.

Proinde nihil vovendum quod vocationi noſtræ repugnet.

Nec libertas à Domino nobis acquiſita ſpernenda eſt.

3. *Quo animo votum eſt nuncupandum, ſi Deo ipſum approbari volumus.*

4. Nunc venio ad illud quod tertio loco poſui: multum ſcilicet referre quo animo votum nuncupes ſi velis ipſum Deo approbari. Nam quia Dominus cor, non externam ſpeciem intuetur, fit ut eadem res, mutato animi propoſito, nunc placeat ei, acceptaque ſit, nunc vehementer diſpliceat. Vini abſtinentiam ſi ita voves quaſi in ea ſubſit aliquid ſanctimoniæ, ſuperſtitioſus es: ſi in alium finem non perverſum reſpicis, nemo poteſt improbare. Sunt autem, quantum poſſum judicare, quatuor fines ad quos vota noſtra rite dirigentur: quorum duos, docendi cauſa, ad præteritum tempus refero; duos reliquos ad futurum. Ad præteritum tempus pertinent vota quibus vel noſtram erga Deum gratitudinem pro acceptis beneficiis teſtamur, vel ad iram ejus deprecandam, ipſi à nobis pœnam ob admiſſa delicta exigimus. Priora vocemus, ſi placet, exercitia gratiarum actionis: altera, pœnitentiæ. Prioris generis exemplum habemus in decimis, quas vovebat Jacob, ſi Dominus eum incolumem ab exilio in patriam reduceret. Præterea in ſacrificiis veteribus pacificorum, quæ pii Reges ac duces, juſtum bellum ſuſcepturi vovebant ſe redditur os ſi victoria potiti eſſent: aut certe quum majori aliqua difficultate premebantur, ſi Dominus eos liberaſſet. Sic intelligendi ſunt omnes loci in Pſalmis, qui de votis loquuntur. Ejuſmodi vota hodie quoque nobis in uſu eſſe poſſunt, quoties nos Dominus vel à clade aliqua, vel à morbo difficili, vel ab alio quovis diſcrimine eripuit. Neque enim à pii hominis officio tunc abhorret votivam oblationem, velut ſolenne recognitionis ſymbolum, Deo conſecrare: ne ingratus erga ejus benignitatem videatur. Secundum genus quale ſit, uno duntaxat familiari exemplo oſtendere ſufficiet. Siquis in aliquod flagitium, gulæ vitio prolapſus ſit, nihil obſtabit quominus ad caſtigandam intemperiem lautitiis omnibus poſſit ad aliquod tempus renunciare, idque facere voto adhibito, quo arctiore vinculo ſe adſtringat. Neque tamen ſic perpetuam legem iis ſtatuo qui ſimiliter deliquerint: ſed oſtendo quid facere illis liceat, qui tale votum ſibi utile eſſe cenſuerint. Sic igitur ejuſmodi votum licitum facio, ut liberum interim relinquam.

Sunt autem votorum quatuor fines, quorum duo tempus præteritum, reliqui futurum reſpiciunt, & ſunt exercitia gratiarum actionis ac pœnitentiæ.

Votorum primi generis exempla & uſus.

Gen. 28. verſ. 20.
Pſa. 22: 26. & 56: 13. & 116. v. 14, 18.

Votorum ſecundi generis exempla, uſus & libertas.

5. Quæ in futurum tempus conferuntur vota, partim, ut diximus, eo tendunt, ut reddamur cautiores: partim, ut quibuſdam veluti ſtimulis, ad officium excitemur. Videt aliquis ſe adeo proclivem eſſe in certum vitium, ut in re alias non mala ſibi temperare nequeat quin protinus in malum delabatur: nihil abſurdum faciet, ſi ejus rei uſum ad aliquod tempus ſibi voto præcidat. Quemadmodum ſiquis periculoſum ſibi eſſe hunc vel illum corporis ornatum agnoſcat, & tamen cupiditate illectus vehementer appetat, quid melius faciat quam ut frenum ſibi injiciendo, hoc eſt, neceſſitatem abſtinendi imponendo, ſeſe omni dubitatione liberet? Similiter ſiquis vel oblivioſus ſit, vel piger ad neceſſaria pietatis officia, cur non ſuſcepto voto, & memoriam expergefaciat, & pigritiam excutiat? In utroque ſpeciem eſſe pædagogiæ fateor: ſed eo ipſo quod ſunt infirmitatis adminicula, à rudibus & imperfectis non ſine utilitate uſurpantur. Proinde quæ ad unum ex his finibus reſpiciunt vota, præſertim in rebus externis, legitima eſſe dicemus, ſi modo & Dei approbatione ſint ſuffulta, & vocationi noſtræ conveniant, & ad facultatem gratiæ nobis à Deo datæ ſint limitata.

Finis votorum quæ in futurum tempus conferuntur. Exempla.

6. Jam nec difficile eſt colligere quid de votis in univerſum ſentiendum ſit. Unum eſt votum fidelium omnium commune, quod in Baptiſmo nuncupatum, Catechiſmo ac Cœnæ ſumptione confirmamus, & quaſi ſancimus: ſunt enim Sacramenta tanquam ſyngraphæ, quibus Dominus miſericordiam nobis ſuam atque ex ea vitam æternam defert: nos viciſſim illi obedientiam pollicemur. Hæc autem voti formula vel certe ſumma, Quod Satanæ renunciantes, Deo nos in ſervitutem addicimus, ut ſanctis ejus mandatis obediamus, non autem obſequamur pravis carnis noſtræ deſideriis. Hoc votum quum à Scriptura teſtimonium habeat, imo à filiis Dei omnibus exigatur, quin ſanctum ſit & ſalutare dubitari non debet. Nec obſtat quod perfectam Legis obedientiam, quam exigit Deus à nobis, nemo in hac vita præſtat. Quando enim hæc ſtipulatio in fœdere gratiæ eſt incluſa, ſub quo & remiſſio peccatorum & Spiritus ſanctificationis continetur: pollicitatio quam illic facimus, & cum veniæ deprecatione & cum auxilii poſtulatione conjuncta eſt. In judicandis particularibus votis tres ſuperiores regulas memoria tenere neceſſe eſt: unde tuto licebit, quale ſit unumquodque votum, æſtimare. Neque tamen ea ipſa vota, quæ ſancta eſſe aſſero, ſic commendare me putes, ut quotidiana eſſe velim. Nam etſi nihil præcipere de numero aut tempore audeo: ſiquis tamen conſilio meo obtemperet, nonniſi ſobria & temporaria ſuſcipiet. Si enim ad multa vota nuncupanda ſubinde erumpas, tota religio ipſa aſſiduitate vileſcet, & proclivis erit in ſuperſtitionem lapſus. Si perpetuo voto te obſtringas, aut magna moleſtia tædioque ſolves, aut etiam diuturnitate fatigatus, violare aliquando audebis.

De votis in univerſum doctrina.

Votum commune omnium Chriſtianorum in Baptiſmo, &c.

Et quidem ſanctum ac ſalutare.

Vota autem particularia ad tres ſuperiores regulas ſunt exigenda.

Unde ſatis conſtat quam miſera fuerit aliquot ſeculis hominum ignaro & ſuperſtitioſo viventium conditio: quod primum in genere oſtenditur.

7. Jam nec obſcurum eſt, quanta ſuperſtitione in hac parte laboraverit mundus aliquot ſeculis. Alius ſe abſtemium fore vovebat: quaſi vini abſtinentia cultus eſſet per ſe Deo gratus. Alius jejunio, alius carnis abſtinentiæ ſe adſtringebat ad certos dies, quibus ſingularem aliquam præ aliis religionem ſubeſſe ſibi vana opinione finxerat. Quædam etiam longe magis puerilia nuncupabantur: etſi non à pueris. Fuit enim boc pro magna ſapientia habitum, votivas peregrinationes ad ſanctiora loca ſuſcipere, ac ioterdum vel pedibus iter cooficere, vel corpore ſemioudo, quo plus meriti ex laſſitudine acquireretur. Hæc & ſimilia, quorum incredibili ſtudio mundus aliquandiu æſtuavit, ſi ſecundum eas quas antea poſuimus regulas examinentur, non tantum inania deprebendentur ac nugatoria, ſed plena manifeſtæ impietatis. Utcunque enim judicet caro, nihil magis abominatur Deus quam cultus fictitios. Accedunt pernicioſæ illæ & damnatæ opiniones, quod hypocritæ, ubi talibus nugis defuncti ſunt, credunt ſe non vulgarem juſtitiam ſibi comparaſſe: ſummam pietatis in externis obſervatioiubus reponunt: alios omnes deſpiciuot qui apparent earum rerum minus curioſi.

Deinde in ſpecie, in votis monachorum. Atque ita ad ſecundam capitis partem devenitur, & primum qualis fuerit veterum monachorum vita, quale inſtitutum: unde liquet quam diſſimilis & ridiculus ſit Papiſticus monachiſmus.

8. Singulas formas enumerare nihil attinet. Sed quia vota monaſtica majore io veneratione habentur, quod videntur publico Eccleſiæ judicio approbata, de iis breviter dicendum eſt. Principio, nequis longi temporis præſcriptione defendat monachiſmum qualis bodie eſt, notandum eſt, fuiſſe olim in monaſteriis longe aliud vivendi inſtitutum. Qui ſe ad ſummam auſteritatem & patientiam volebant exercere, eo concedebant. Qualem enim ſub Lycurgi legibus fuiſſe Lacedæmoniorum diſciplinam narrant, tunc talis erat apud monacbos, ac multo etiam rigidior. Humi dormiebant: potus erat aqua: cibus, panis, herbæ ac radiculæ: præcipuæ lautitiæ in oleo & ciceribus. Ab omni delicatiore victu & corporis cultu abſtinebant. Hæc byperbolica videri poſſent niſi ab oculatis & expertis teſtibus traderentur, Gregorio Nazianzeno, Baſilio & Cbryſoſtomo. Talibus vero rudimentis ſe ad majora munera præparabaot. Monaſtica enim collegia fuiſſe tunc veluti ſeminaria ordinis Eccleſiaſtici, cum illi quos nuper nominavimus, ſatis claro documento ſunt (nam omnes in monaſteriis educati, illinc ad Epiſcopale munus vocati ſunt) tum alii complures eorum ætate magni ac præſtantes viri. Et Auguſtinus illud ſuo quoque tempore fuiſſe uſitatum oſtendit, ut Eccleſiæ clericos cœnobia miniſtrarent: nam monachos Caprariæ inſulæ

epiſt. 82.

ſic alloquitur, *Vos autem fratres exbortamur in Domino, ut propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & in finem perſeveretis: ac ſiquando operam veſtram mater Eccleſia deſideraverit, nec elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis: ſed miti corde obtemperetis Deo. Nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis: cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini non inveniretis.* Loquitur autem de miniſterio quo fideles ſpiritualiter renaſcuntur. Item ad Aurelium, *Et ipſis lapſus occaſio, & ordini clericorum fit indigniſſima injuria, ſi deſertores monaſteriorum ad militiam clericatus eliguntur: quum ex iis qui in monaſterio permanent, non tamen niſi probatiores ac meliores in clerum aſſumere ſoleamus. Niſi forte, ſicut vulgus dicit, Malus choraules, bonus eſt ſymphoniacus: ita & de nobis jocabitur, Malus monachus, bonus clericus eſt. Nimis dolendum, ſi ad tam ruinoſam ſuperbiam monachos ſurrigamus, & tam gravi contumelia clericos dignos putemus: quum aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat, ſi adſit ei ſufficiens continentia, & tamen deſit neceſſaria doctrina.* Ex his locis apparet pios bomines ſeſe ad Eccleſiæ gubernationem monaſtica diſciplina ſolitos fuiſſe præparare, quo aptiores & melius formati tantum munus

epiſt. 76.

ſubirent. Non quod omnes ad hunc finem pervenirent, aut etiam tenderent, quum majori ex parte eſſent homioes illiterati: ſed qui idonei erant ſeligebantur.

Veterum monachorum ex Auguſtino pictura.

9. Duobus tamen præcipue locis veteris monaſtices formam nobis depingit. Libro *De moribus Eccleſiæ Catholicæ*, ubi adverſus Manichæorum calumnias ejus profeſſionis ſanctimoniam opponit: & altero, cui titulum fecit, *De opere monachorum*: ubi in degeneres quoſdam monachos, qui iostitutum illud corrumpere cœperant, invebitur. Ego hic eorum quæ tradit ſummam ita colligam, ut verbis quoque ejus, quoad licebit, utar: *Contemptis*, inquit, *mundi hujus illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt, viventes in orationibus, lectionibus, diſputationibus: nulla ſuperbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi. Nemo quicquam poſſidet proprium: nemo cuiquam oneroſus eſt. Operantur manibus ea quibus & corpus paſci poſſit, & mens à Deo impediri non poſſit. Opus autem ſuum tradunt eis quos Decanos vocant. Illi autem Decani cum magna ſollicitudine omnia diſponentes, rationem uni reddunt, quem Patrem vocant. Hi vero Patres non ſolum ſanctiſſimi moribus, ſed etiam divina doctrina excellentiſſimi, omnibus rebus excelſi, nulla ſuperbia conſulunt iis quos filios vocant, magna ſua in jubendo auctoritate, magna ipſorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de ſuis quiſque babitaculis, dum adhuc jejuni ſunt, ad audiendum illum Patrem: & conveniunt ad ſingulos Patres, terna ut minimum hominum millia* (de Ægypto potiſſimum & Oriente loquitur) *corpus deinde reficitur, quantum ſaluti & ſalubritati ſat eſt: coërcente unoquoque concupiſcentiam ne ſe profundat vel in ea ipſa quæ præſto ſunt, parca & viliſſima. Ita non ſolum à carnibus & vino abſtinent pro ſufficientia domandarum libidinum, ſed ab iis quæ tanto concitatius ventris & gutturis provocant appetitum, quanto quaſi mundiora nonnullis videntur. Quo nomine ſolet turpe deſiderium exquiſitorum ciborum quod à carnibus alienum eſt, ridicule turpiterque defendi. Quicquid neceſſario victui redundat* (*redundat autem plurimum ex operibus manuum, & epularum reſtrictione*) *tanta cura egentibus diſtribuitur quanta non ab ipſis qui diſtribuunt comparatum eſt. Nullo enim modo ſatagunt ut hæc ſibi abundent: ſed omni modo agunt ut non apud ſe remaneat quod abundaverit.* Deinde commemorata auſteritate, cujus ipſe exempla & Mediolani & alibi viderat, *Inter hæc*, inquit, *nemo urgetur in aſpera, quæ ferre non poteſt: nulli quod recuſat imponitur: nec ideo condemnatur à cæteris, quod in eorum imitatione ſe fatetur invalidum. meminerunt enim quantopere commendata ſit charitas: meminerunt omnia munda mundis*, &c. *Itaque non rejiciendis generibus ciborum, quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ invigilat omnis induſtria. Meminerunt, Eſca ventri, & venter eſcis*, &c. *Multi tamen firmi propter infirmos abſtinent. Multis non eſt cauſa iſta faciendi: ſed quod viliore victu & minime ſumptuoſe ſe ſuſtentare placet. Itaque iidem ipſi, qui ſani ſibi temperant, ſi ratio valetudinis cogat, ægroti ſine ulla formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt: nec tamen ſe eo inquinari putant: nam languidioribus & qui ſine ipſo nequeunt ſalutem corporis obtinere, humaniſſime præberi faciunt: & nonnullos ſtulte recuſantes fraterne admonent ne vana ſuperſtitione debiliores citius quam ſanctiores fiant. Ita pietatem ſedulo exercent: corporis vero exercitationem ad exiguum tempus pertinere noverunt. Charitas præcipue cuſtoditur, charitati victus, charitati ſermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in unam conſpiraturque charitatem: hanc violare, tanquam Deum, nefas ducitur: huic ſiquis reſiſtit, ejicitur atque vitatur: hanc ſiquis offendit, uno die durare non ſinitur.* Quoniam his verbis, veluti in tabula, qualis olim fuerit monaſtice, repræſentaſſe viſus

de moribus Eccl. cath. c. 31.

Horum pietas. Modeſtia. Paupertas. Labor manuum. Œconomia. Inſtitutio. Conventus. Victus ratio. Amor erga pauperes. Auſteritas.

ibid. c. 33.

Moderata. Abſtinentia.

Tit. 1: 15.

1 Cor. 6. verſ. 13.

Humanitas. Superſtitionis odium. Charitas.

eſt

eſt ſanctus ille vir, ea, tametſi longiora, huc inſerere non piguit: quod me longiorem aliquanto fore cernebam, ſi ex diverſis eadem colligerem, quantumvis ſtuderem compendio.

Quantum à veteri monachatu novus deſcerit.

10. Hic autem mihi propoſitum non eſt totum iſtud argumentum perſequi, ſed obiter tantum iodicare non modo quales habuerit vetus Eccleſia monachos, ſed qualis tunc fuerit monaſtica profeſſio: ut ex comparatione judicare poſſint ſani lectores quid fronris habeant qui ad ſuſtinendum præſentem monachiſmum, antiquitatem allegant.

1. Inconſiderato rigore.

Auguſtious dum ſanctum ac legitimum monachiſmum nobis deformat, omnem rigidam exactionem vult abeſſe earum rerum quæ nobis verbo Domini liberæ relinquuntur. Atqui nibil eſt quod bodie ſeverius exigatur. Scelus enim inexpiabile eſſe ducunt ſiquis in colore aut ſpecie veſtis, ſiquis in genere cibi, ſiquis in aliis frivolis ac frigidis ceremoniis vel minimum à præſcripto deflexerit.

2. Inutili otio.
de opere monachorum.

Auguſtinus fortiter contendit non licere monachis de alieno otioſis vivere. Tale exemplum ſuo tempore extitiſſe negat bene cooſtituti monaſterii. Noſtri præcipuam ſanctimoniæ ſuæ partem in otio collocant. Nam ſi otium illis tollas, ubi erit illa contemplativa vita qua ſe alios omnes excellere, & ad Angelos propius accedere gloriantur?

3. Falſa perfectionis venditatione.

Auguſtinus denique monachiſmum requirit qui nibil aliud ſit quam exercitium adjumentumque ad pietatis officia, quæ Chriſtianis omnibus commendantur. Quid? quum ſummam, adeoque prope unam ejus regulam facit charitatem, an putamus conſpirationem laudare qua pauci homines inter ſe devincti, ab uoiverſo Eccleſiæ corpore ſepareotur? Imo vero eos exemplo ſuo reliquis vult prælucere ad ſervandam Eccleſiæ unitatem. In utroque adeo diverſa eſt præſentis monachiſmi ratio, ut vix quicquam magis diſſimile, ne dicam contrarium, reperias. Siquidem monachi noſtri noo contenti ea pietate cujus unius ſtudio ſuos eſſe perpetuo intentos Chriſtus jubet, oovam neſcio quam imaginantur, cujus meditatione ſint aliis omnibus perfectiores.

Imaginaria & falſiſſima hujus perfectionis monaſtica refutatio.

11. Hoc ſi negant, ſcire ab illis velim cur ordinem ſuum perfectionis titulo unum dignentur, & eundem omnibus Dei vocationibus adimant. Neque me latet illa ſophiſtica ſolutio, non ideo ſic vocari quia perfectionem in ſe contineat, ſed quia ad acquirendam perfectionem ſit omnium optimus. Quum ſe apud plebem venditare, quum rudibus ac ignaris adoleſcentulis laqueum iojicere, quum privilegia ſua aſſerere, quum in aliorum contumeliam, ſuam dignitatem extollere volunt, jactant ſe eſſe in ſtatu perfectionis.

Exceptionis dilutio.

Quum propius urgentur quam ut inanem hanc arrogantiam tueri queant, ad iſtum cuoiculum ſuffugiunt, ſe nondum perfectionem eſſe conſequutos, io eo tameo ſtatu eſſe quo ad ipſam præ aliis aſpirant. Ioterim manet illa in plebe admiratio, quaſi ſola vita monaſtica ſit Angelica, perfecta, ab omni vitio repurgata. Hoc prætextu quæſtuoſiſſimas nundinas exercent: illa autem moderatio in paucis libris ſepulta manet. Hanc eſſe intolerandam ludificationem quis non videt?

Ad rem ipſam acceſſus.

Sed perinde cum ipſis agamus acſi nihil plus tribuerent ſuæ profeſſioni quam vocando ſtatum adipiſcendæ perfectionis. Sane hoc illi nomen deferendo, tanquam ſpeciali nota ab aliis vitæ generibus diſtinguunt. Et quis boc ferat ut tantus bonor transferatur ad inſtitutum, nuſquam vel una ſyllaba approbatum: eodem indignæ cenſeantur omnes Dei vocationes, ſacro ejus ore non modo præceptæ, ſed inſignibus elogiis ornatæ? Et quanta, obſecro, injuria ſit Deo, quum omnibus vitæ generibus ab eo ordinatis, ejus teſtimonio laudatis, commentitium neſcio quod antefertur?

1. Argumentum pro monaſtica perfectione.

12. Age, calumniam eſſe dicant quod antea tradidi, non eſſe cootentos præſcripta à Deo regula. Atqui etiamſi taceam, ipſi plus ſatis ſe accuſant: aperte enim docent ſe plus oneris ſuſcipere, quam ſuis Chriſtus impoſuerit: quoniam ſcilicet Euangelica conſilia de diligendis inimicis, de non appetenda vindicta, de non jurando, &c. ſe ſervaturos promittant, quibus non ſunt communiter aſtricti Chriſtiani. Mat. 5:44.

Reſponſio.

In eo quam nobis antiquitatem obtendent? Nulli unquam veterum boc venit in mentem: omnes una voce clamant, nullam penitus voculam à Cbriſto emiſſam cui non ſit neceſſario obtemperandum. Et hæc ipſa nominatim quæ illi boni interpretes Chriſtum conſuluiſſe duntaxat nugantur, juſſa eſſe, nulla dubitatione ubique docent. Sed quia bunc peſtileotiſſimum errorem eſſe ſupra docuimus, ſatis hic ſit breviter notaſſe, ea opinione fundatum eſſe monachiſmum qui nunc eſt, quam merito pii omnes execrari debent: ut ſcilicet fingatur aliqua eſſe perfectior vivendi regula quam iſta commuunis univerſæ Eccleſiæ à Deo tradita. Huic fundamento quicquid ſuperſtruitur, nonniſi abominabile eſſe poteſt.

2. Argumentum.

13. Verum aliud ſuæ perfectionis argumentum afferunt quod ſibi firmiſſimum eſſe putant. Dixit enim Domious adoleſcenti de perfectione juſtitiæ interroganti, *Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 19. verſ. 21.

Id an faciaot ipſi, noodum diſputo: demus hoc illis in præſentia. Perfectos igitur ſe factos jactant, omoia ſua relinquendo.

Reſponſio 1.

Si in hoc ſita eſt perfectionis ſumma, quid ſibi vult quod Paulus docet, eum *qui omnia ſua diſtribuerit pauperibus niſi charitatem habet, nihil eſſe?* 1 Cor. 13. verſ. 3.

qualis iſta eſt perfectio, quæ ſi abeſt charitas, in nihilum cum homine redigitur? Hic reſpondeant neceſſe eſt, ſummum hoc quidem, ſed non unicum eſſe perfectionis opus. Verum hic quoque reclamat Paulus, Col. 3: 14.

qui non dubitat *charitatem* ſine ejuſmodi renunciatione facere *vinculum perfectionis.*

Reſponſio 2. dictum Chriſti, quo monachi abutuntur, explanans.

Si certum eſt, inter magiſtrum & diſcipulum nihil eſſe diſſenſioois, alter autem clare negat hominis perfectiooem in eo conſiſtere ut ſuis omnibus renunciet, & rurſum ſine eo conſtare aſſerit: videndum eſt qualiter accipiendum ſit illud Cbriſti, *Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes.* Porro minime obſcurus erit ſeoſus, ſi expendamus (quod in omnibus Chriſti concionibus obſervare ſemper convenit) ad quem dirigantur hæc verba. Adoleſcens interrogat quibus operibus ingredietur in vitam æternam. Luc. 10. verſ. 25.

Chriſtus quia de operibus rogabatur, eum remittit ad Legem. & merito: eſt enim via æternæ vitæ, ſi in ſe conſideretur: nec aliunde iovalida eſt ad ſalutem nobis afferendam, quam ex ooſtra pravitate. Hoc reſponſo declaravit Chriſtus, ſe non aliam vitæ formandæ rationem tradere quam quæ in Lege Domini tradita olim fuerat. Ita & teſtimonium Legi divinæ reddebat, quod eſſet perfectæ juſtitiæ doctrina: & ſimul calumniis occurrebat, ne videretur nova aliqua vivendi regula, ad Legis defectionem populum incitare. Juvenis non mali quidem animi, ſed vana confidentia tumidus, ſe omnia Legis præcepta à puero ſervaſſe reſpondet. Certo certius eſt immenſo ſpatio procul ab eo abfuiſſe quo ſe pervenoiſſe jactabat. Et ſi vera fuiſſet gloriatio, nihil illi defuiſſet ad ſummam perfectionem. Supra enim demonſtratum eſt, quod in ſe contineat Lex perfectam juſtitiam: & hoc ipſum inde patet, quod via æternæ ſalutis vocatur ejus obſervatio. Ut edoceretur quantulum in ea juſtitia profeciſſet, quam ſe impleviſſe nimis audacter reſponderat, operæpretium fuit, familiare ejus vitium excutere. Divitiis autem quum abundaret, cor illis affixum habebat. Ergo quia vulnus boc ſecretum non ſentiebat, à Chriſto lancinatur. *Vade*, inquit, *vende omnia quæ habes.* Si tam bonus fuiſſet cuſtos Legis quam putabat, non diſcederet mœſtus, hoc verbo audito. Nam qui Deum diligit ex toto corde, quicquid

cum ejus dilectione pugnat, non tantum habet pro ſtercore, ſed tanquam exitiale abominatur. Ergo quod divitem avarum relinquere jubet Chriſtus omnia quæ habet, perinde eſt acſi ambitioſum omnibus honoribus, voluptuoſum omnibus deliciis, impudicum omnibus libidinis inſtrumentis juberet renunciare. Sic ad particularem mali ſui ſenſum revocandæ ſunt conſcientiæ, quæ nullo generalis admonitionis ſenſu tanguntur. Fruſtra igitur hypotheſin iſtam ad generalem interpretationem trahunt, acſi Chriſtus hominis perfectionem in renunciatione bonorum ſtatueret: quum nihil aliud voluerit hoc dicto, quam juvenem ſibi ultra modum placentem, ad ſentiendum ulcus ſuum adigere: ut intelligeret ſe longo adhuc intervallo abeſſe à perfecta Legis obedientia, quam ſibi alias falſo arrogabat. Fateor hunc locum fuiſſe à quibuſdam ex Patribus male intellectum, atque hinc natam eſſe voluntariæ paupertatis affectationem: qua illi demum beati putabantur, qui abdicatis omnibus rebus terrenis, nudi ſe Chriſto devoverent. Sed confido bonis omnibus & non contentioſis ſatisfactum iri hac mea explicatione ut de mente Chriſti nihil ambigant.

Paralogiſmus monachorum.

14. Quanquam nihil minus cogitarunt Patres quam ſtabilire ejuſmodi perfectionem quæ poſtea à cucullatis Sophiſtis fabrefacta fuit, ut duplicem Chriſtianiſmum ſic erigerent. Nondum enim natum erat ſacrilegum illud dogma quod profeſſionem monaſtices Baptiſmo comparat, imo palam aſſerit, formam eſſe ſecundi Baptiſmi. Ab hac blaſphemia quis dubitet Patres toto animo abhorruiſſe? Jam illud extremum quod apud veteres monachos fuiſſe dicit Auguſtinus, ut ſcilicet totos ſe ad charitatem accommodarent, quid opus eſt verbis demonſtrare eſſe ab hac novitia profeſſione alieniſſimum? Res ipſa loquitur, eos omnes qui in cœnobia concedunt, diſceſſionem ab Eccleſia facere. Quid enim? annon ſe à legitima fidelium ſocietate ſeparant, peculiare ſibi miniſterium & privatam Sacramentorum adminiſtrationem aſciſcendo? Quid eſt Eccleſiæ communionem diſſipare, ſi hoc non eſt? Atque (ut eam quam cœpi facere comparationem perſequar, & ſemel claudam) quid ſimile hac in parte habent cum veteribus monachis? Illi tametſi ſeparatim ab aliis habitabant, non tamen habebant ſeparatam Eccleſiam: Sacramenta participabant cum aliis: ad ſolennes conventus ſe ſiſtebant: illic pars plebis erant. Iſti privatum ſibi altare erigendo, quid aliud quam vinculum unitatis abrupérunt? Nam & ſe ab univerſo Eccleſiæ corpore excommunicarunt, & ordinarium contempſerunt miniſterium, quo pacem ac charitatem voluit Dominus inter ſuos conſervari. Itaque quot ſunt hodie monaſteria, tot eſſe dico ſchiſmaticorum conventicula, qui turbato Eccleſiaſtico ordine, à ſocietate fidelium legitima ſunt execti. Et ne obſcura eſſet iſta diſceſſio, varia factionum nomina ſibi indiderunt. Nec ipſos puduit in eo gloriari quod ſic execratur Paulus ut ſatis exaggerare non poſſit. Niſi forte Chriſtum fuiſſe à Corinthiis diviſum arbitramur, quum alius alio doctore ſuperbiret: & nunc ſine ulla Chriſti injuria fieri quod pro Chriſtianis alios Benedictinos, alios Franciſcanos, alios Dominicanos vocari audimus: & ita vocari, ut ipſi dum affectant à vulgo Chriſtianorum diſtingui, hos titulos pro religionis profeſſione faſtuoſe ſibi ſumant.

Quum vero ipſorum verba (ſuam cucullam alterum aliquod Baptiſma eſſe ſomniantium) & res ipſa demonſtrent novos monachos diſceſſionem à Dei Eccleſia facere: conſtat, quot ſunt hodie monaſteria, tot eſſe ſchiſmaticorum conventicula: ſicuti ex variis ſectarum ſuarum nominibus & regulis apparet.

1 Cor. 1. v. 12, 13. & 3: 4.

15. Hæc quæ hactenus inter veteres & noſtræ ætatis monachos diſcrimina recenſui, non in moribus ſunt, ſed in ipſa profeſſione. Proinde meminerint lectores, fuiſſe me de monachiſmo potius quam de monachis loquutum, & ea vitia notaſſe non quæ in paucorum vita hærent, ſed quæ ab ipſo vivendi inſtituto ſeparari nequeunt. In moribus autem quanta ſit diſcrepantia, quid attinet ſigillatim exponere? Hoc conſtat, nullum eſſe hominum ordinem magis omni vitiorum turpitudine inquinatum: nuſquam magis fervent factiones, odia, ſtudia partium, ambitus. In paucis quidem cœnobiis pudice vivitur: ſi pudicitia vocanda eſt ubi eatenus reprimitur libido ne palam ſit infamis: decimum tamen quodque vix reperias quod non lupanar ſit potius quam caſtitatis ſacrarium. At in victu qualis frugalitas? Non aliter porci in haris ſaginantur. Sed ne querantur ſe nimis inclementer à me tractari, non ulterius pergo. Quanquam in his paucis quæ attigi, nihil eſſe accuſatorie dictum fatebitur quicunque rem ipſam novit. Auguſtinus, quum tanta caſtitate, ſecundum ejus teſtimonium excellerent monachi, queritur tamen multos eſſe errones, qui malis artibus & impoſturis ſimpliciores pecunia emungant, qui reliquias Martyrum circumferendo turpes nundinationes exerceant, imo pro Martyrum reliquiis, quorumlibet mortuorum oſſa venditent: qui multis ſimilibus flagitiis ignominiam ordini inurant. Ut ſe nullos vidiſſe meliores prædicat, quam qui in monaſteriis profecerint: ita deplorat nullos ſe deteriores vidiſſe quam qui in monaſteriis defecerint. Quid diceret, ſi hodie conſpiceret tot ac tam deploratis vitiis exundare, & quodammodo crepare omnia fere cœnobia? Ego nihil niſi quod omnibus eſt notiſſimum dico. Neque tamen ad omnes ſine ulla prorſus exceptione pertinet hæc vituperatio. Quemadmodum enim nunquam adeo bene conſtituta fuit in monaſteriis ſancte vivendi regula & diſciplina, quin extarent aliqui fuci longe aliis diſſimiles: ita non ſic hodie à ſancta illa antiquitate monachos degeneraſſe dico, quin aliquos in ſuo grege bonos adhuc habeant: ſed hi pauci & diſperſi in illa ingenti malorum & improborum multitudine deliteſcunt: nec contemnuntur modo, ſed etiam petulanter inceſſuntur, interdum etiam crudeliter tractantur ab aliis: qui (ut eſt in Mileſiorum proverbio) nemini apud ſe bono locum eſſe debere credunt.

Nec tantum profeſſio ipſa hodie vitioſa eſt, ſed & mores eorum longe ſunt corruptiſſimi.

de opere monachorum, in fine.

16. Hac veteris & hodierni monachiſmi comparatione effeciſſe me quod volui confido, ut appareat, cucullatos noſtros ad profeſſionis ſuæ defenſionem, primæ Eccleſiæ exemplum falſo prætexere: quandoquidem ab illis non minus differunt quam ſimiæ ab hominibus. Interim non diſſimulo, vel in illa quam Auguſtinus commendat priſca forma, eſſe nonnihil quod mihi parum placeat. In externis rigidioris diſciplinæ exercitiis non fuiſſe ſuperſtitioſos concedo: at immodicam affectationem
& κακοζηλίαν non abfuiſſe dico. Pulchrum fuit ab- 1.
dicatis facultatibus, omni terrena ſollicitudine 2.
carere: at pluris à Deo fit familiæ pie regendæ cura, ubi ſanctus paterfamilias, omni avaritia, ambitione, aliiſque carnis cupiditatibus ſolutus & liber, hoc habet ſibi propoſitum ut in certa vocatione Deo ſer-
viat. Pulchrum eſt in ſeceſſu, procul hominum 3.
conſuetudine, philoſophari: at Chriſtianæ manſuetudinis non eſt, quaſi odio humani generis, in deſertum & ſolitudinem confugere, & ſimul ea officia deſerere quæ Dominus in primis mandavit.
Etiamſi demus nihil aliud fuiſſe mali in ea profeſſio- 4.
ne, hoc certe non mediocre malum fuit, quod exemplum inutile & periculoſum in Eccleſiam induxit.

Et in priſco illo monachiſmo nonnihil quoque eſt, quod non admodum placere debeat: idque in 4 vitiis potiſſimum oſtenditur.

17. Nunc igitur videamus cujuſmodi ſint vota quibus in præclarum hunc ordinem hodie initiantur monachi. Primum, quia novum & fictitium cultum promerendi Dei cauſa inſtituere illis animus eſt: abominationi eſſe apud Deum quicquid vovent, ex ſuperioribus concludo. Deinde quia nullo vocationis Dei intuitu, nullaque ejus approbatione, vivendi genus quale libet ſibi ipſi comminiſcuntur: temerarium, ideoque illicitum ausum eſſe dico: quia nihil habet ipſorum conſcientia quo ſe apud Deum ſuſtineat: & *quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt.* Præterea quum ad multos ſimul perverſos atque

Veterum monaſticorum refutatio generalis.

Prima.

Secunda.

Rom. 14. verſ. 23.

Tertia.

atque impios cultus, quos hodiernus monachatus
ſub ſe continet, ſeipſos adſtringant: eos non Deo
conſecrari, ſed dæmonio, contendo. Cur enim
Deut. 32. verſ. 17. Pſal. 106. verſ. 37. Prophetæ dicere licuerit, Iſraëlitas *filios ſuos immo-
laſſe dæmoniis & non Deo*, tantum ob id quod ve-
rum Dei cultum profanis ceremoniis corruperant:
idem de monachis dicere non liceat, qui una cum
cucullo mille impiarum ſuperſtitionum laqueum
Specialis refutatio. 1. Voti continentiæ. ſibi induunt? Jam quæ votorum ſpecies? Virgini-
tatem Deo perpetuam promittunt, quaſi cum Deo
ante pepigerint ut ſe à conjugii neceſſitate liberaret.
Non eſt quod cauſentur, ſe non niſi gratia Dei fre-
tos votum hoc nuncupare: nam quum ipſe non
Matth. 19. verſ. 11. omnibus dari pronunciet, fiduciam ſpecialis doni
concipere noſtrum non eſt. Qui habent, eo utan-
tur: ſiquando ſe à carne ſua inquietari ſentiunt,
confugiant ad ejus opem cujus ſola virtute poſſunt
reſiſtere. Si non proficiunt, ne remedium quod
ipſis offertur, contemnant. Certa enim Dei voce
citantur ad conjugium quibus continendi facultas
denegatur. Continentiam appello, non qua cor-
pus ſolum à ſcortatione purum ſervatur, ſed qua
mens impollutam caſtitatem ſervat. Neque enim
externam tantum laſciviam, ſed animi quoque
1 Cor. 7. verſ. 9. uſtionem caveri Paulus præcipit. Hoc, inquiunt,
ab ultima memoria fuit obſervatum, ut ſe alliga-
Inſtantia 1. rent continentiæ voto qui totos ſe Domino dicare
Reſponſio. vellent. Fateor certe antiquitus quoque receptum
fuiſſe hunc morem: ſed eam ætatem ſic ab omni vi-
tio liberam fuiſſe non concedo, ut pro regula ha-
bendum ſit quicquid tunc factum eſt. Et paulatim
irrepſit inexorabilis illa ſeveritas, ut poſt concep-
tum votum nullus pœnitentiæ locus fieret. Quod
epiſt. 11. ex Cypriano conſtat. *Si ſe ex fide Chriſto dicaverunt
virgines, pudice & caſte ſine ulla fabula, perſeverent.
Ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent.
Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius
eſt nubant, quam in ignem deliciis ſuis cadant.* Qui-
bus probris non lacerarent nunc eum qui continen-
tiæ votum tali æquitate temperare vellet? Longe
ergo ab illo vetuſto more diſceſſerunt, qui non
modo nullam admittunt moderationem aut veniam
ſi quis præſtando voto impar deprebendatur: ſed
gravius peccare nullo pudore pronunciant, ſi ac-
cepta uxore, carnis intemperantiæ medetur, quam
ſi ſcortando corpus & animam contaminet.

Inſtantia 2. pro continentia voto. 18. Verum inſtant adhuc, & ſub Apoſtolis uſi-
tatum fuiſſe tale votum oſtendere conantur: quia
Paulus viduas, quæ ſemel in publicum miniſterium
1 Tim. 5. verſ. 12. receptæ nuberent, *primam fidem abnegare* dicit.
Reſponſio, locum Apoſtoli de viduis Eccleſiæ inſervientibus explanans. Ego vero illis minime nego, viduas quæ ſeſe ſuaſ-
que Eccleſiæ operas addicerent, perpetui cælibatus
legem ſimul ſuſcepiſſe: non quia in eo religionem
aliquam ſtatuerent, ut poſtea fieri cœptum eſt: ſed
quoniam niſi ſui juris, & jugo maritali ſolutæ, fun-
ctionem illam ſuſtinere non poſſent. Quod ſi data
fide ad novas nuptias reſpectarent, quid hoc erat
aliud quam Dei vocationem excutere? Non igi-
tur mirum quod talibus deſideriis laſcivire in Chri-
ſtum eas dicit. Poſtea vero amplificandi cauſa ſub-
jungit, adeo ipſas quod Eccleſiæ pollicitæ ſunt non
præſtare, ut primam quoque fidem in Baptiſmo da-
tam violent ac irritam faciant: in qua hoc compre-
henditur ut vocationi quiſque ſuæ reſpondeat. Niſi
forte hoc mavis intelligere, quod veluti amiſſo pu-
dore omnem deinde boneſtatis curam abjicerent,
ad omnem laſciviam & petulantiam ſe proſtitue-
rent, licentioſa diſſolutaque vita nihil minus quam
Chriſtianas mulieres præ ſe ferrent: qui ſenſus
mihi perplacet. Reſpondemus ergo, quæ tunc ad
publicum miniſterium recipiebantur viduæ, eas
ſibi perpetui cælibatus conditionem impoſuiſſe: ſi
poſtea nuberent, facile intelligimus accidiſſe quod
dicit Paulus, ut projecto pudore, inſolentiores fie-
rent quam deceret mulieres Chriſtianas. Ita non
ſolum peccaſſe, fidem Eccleſiæ datam fallendo:
ſed à communi piarum mulierum lege deſciviſſe.
Sed primum nego, alia ratione profeſſas eſſe cæli-
batum, niſi quia conjugium cum ea quam ſubibant
functione minime conveniret: ac omnino ſe ad cæ-
libatum aſtrinxiſſe, niſi quatenus ferret vocationis
ſuæ neceſſitas. Deinde ita obligatas non concedo
fuiſſe quin illis tunc quoque ſatius eſſet nubere
quam vel carnis aculeis ſollicitari, vel in aliquam
prolabi obſcœnitatem. Tertio, eam ætatem dico à
Paulo præſcribi quæ ſit communiter extra pericu-
lum: præſertim quum eas tantum deligi jubeat quæ
unico matrimonio contentæ, continentiæ ſpeci-
men jam ante præbuerint. Votum autem cælibatus
non alia ratione improbamus niſi quia & pro cultu
perperam æſtimatur, & temere ab iis nuncupatur
quibus continendi poteſtas facta non eſt.

19. Ad moniales vero qui trahere licuit hunc *Inſtantia 3. locum Apoſtoli de viduis ad moniales pertrahens.*
Pauli locum? Creabantur enim diaconiſſæ, non
ut cantionibus aut murmure non intellecto Deum
demulcerent, reliquum temporis viverent otioſæ:
ſed ut publico Eccleſiæ miniſterio erga pauperes
defungerentur, ut omni ſtudio, ſedulitate, dili- *Reſponſio, conſtans tribus rationibus.*
gentia, in officia charitatis incumberent. Non vo-
vebant cælibatum, ut cultum inde aliquem exbi-
berent Deo quod à nuptiis abſtinerent: ſed tantum
quod eſſent ad exequendum ſuum munus expedi-
tiores. Denique non vovebant vel ineunte adole-
ſcentia, vel medio adhuc ætatis flore, ut ſero poſtea
experimento diſcerent quantum ſe in præcipitium
dediſſent: ſed quum omne periculum ſuperaſſe vi-
derentur, non minus tutum quam ſanctum votum
nuncupabant. Verum ut duo priora non urgeam, *In adverſarios inſtantia retorquetur.*
dico neſas fuiſſe ad vovendam continentiam recipi
mulieres, ante annum ſexageſimum: quum Apo-
ſtolus ſolas ſexagenarias admittat, juniores nubere
& liberos parere jubeat. Ergo nec illa primum duo-
decim, deinde viginti, poſtea triginta annorum
facta relaxatio ullo modo excuſari poteſt: & multo
minus tolerabile eſt quod miſeræ puellæ, ante-
quam vel per ætatem ſe noſſe potuerint, vel ullum
ſui experimentum capere, ut in illos maledictos la-
queos ſe induant, non tantum fraude inducuntur,
ſed vi ac minis compelluntur. In reliquis duobus *2. Superſunt vota paupertatis & obedientiæ.*
votis impugnandis non inſiſtam. Hoc tantum di-
co: præterquam quod non paucis ſuperſtitioni-
bus ſunt implicita (ut hodie res habent) in hoc
compoſita eſſe videntur, ut qui ea nuncupant,
Deo illudant & hominibus. Sed ne videamur ſin-
gulas particulas nimis maligne exagitare, illa gene-
rali, quæ ſuperius poſita eſt, confutatione con-
tenti erimus.

20. Cujuſmodi legitima ſint & accepta Deo vo- *Vota temeraria facta de perpetuo cælibatu an conſcientias obligent.*
ta, ſatis expoſitum eſſe arbitror. Quia tamen in-
terdum rudes ac timidæ conſcientiæ, etiam ubi vo-
tum aliquod diſplicet ac improbatur, de obliga-
tione nihilominus dubitant, & graviter excrucian-
tur, quum & violare datam Deo fidem horrent, &
verentur è converſo ne ſervando magis peccent:
hic ſuccurrendum illis eſt, quo ſe poſſint ab hac dif-
ficultate eripere. Ut autem ſemel omnem ſcrupu- *Quæſtionis ſolutio.*
lum tollam: dico omnia non legitima nec rite con-
cepta vota, ut apud Deum nihili ſunt, ſic nobis ir-
rita eſſe debere. Nam ſi in humanis contractibus ea
tantum promiſſa nos obligant in quibus is cum quo
contrahimus, vult nos habere obligatos: abſur-
dum eſt, ad ea præſtanda nos adigi quæ à nobis mi-
nime Deus requirit: præſertim quum non aliter
recta ſint opera noſtra niſi ubi Deo placent, & hoc
conſcientiæ teſtimonium habent quod placeant.
Manet enim illud fixum, *Quicquid non eſt ex fide,* Rom. 14.
peccatum eſt. Quo intelligit Paulus, quod cum du- verſ. 23.
bitatione ſuſceptum eſt opus, propterea vitioſum
eſſe, quod omnium bonorum operum radix eſt fi-
des, qua certi ſumus illa Deo accepta eſſe. Ergo ſi

 nihil

nihil niſi hac certitudine aggredi licet homini Chriſtiano, cur non, ſiquid temere ſuſceperint ignorationis vitio, ab errore poſteà liberati deſiſtant? Ejuſmodi quum ſint vota inconſiderate ſuſcepta, non modo nihil obligant, ſed neceſſario ſunt reſcindenda. Quid autem, quod non tantum pro nihilo æſtimantur in conſpectu Dei, ſed abominationi quoque ſunt? ut prius demonſtratum eſt. Supervacuum eſt de re non neceſſaria longius diſſerere. Hoc unum argumentum ad pacandas & omni ſcrupulo liberandas pias conſcientias abunde eſſe mihi videtur, Quæcunque non ex puro fonte emanant opera, & in legitimum finem diriguntur, à Deo repudiari: & ita repudiari ut non minus in illis pergere, quam ipſa inchoare nos vetet. Inde enim conficitur, quæ ab errore & ſuperſtitione profecta ſunt vota, & nullius eſſe apud Deum momenti, & à nobis deſerenda.

Ex ſuperiori ſolutione ſequitur immerito eos fractæ fidei accuſari, qui à monachatu ad honeſtum vivendi genus concedunt.

21. Habebit præterea qui hanc tenebit ſolutionem, quo adverſus improborum calumnias eos defendat qui ex monachiſmo ad honeſtum aliquod vivendi genus concedunt. Fractæ fidei & perjurii graviter accuſantur, quod vinculum (ut vulgo creditur) inſolubile, quo erant Deo & Eccleſiæ obligati, abruperint. At ego nullum fuiſſe vinculum dico, ubi quod homo confirmat, Deus abrogat. Deinde, ut demus fuiſſe obligatos, quum ignoratione Dei & errore impliciti tenerentur: nunc poſtquam veritatis notitia ſunt illuminati, ſimul Chriſti gratia liberos eſſe dico. Nam ſi tantam efficaciam habet crux Chriſti ut à Legis divinæ maledictione qua vincti detinebamur, nos abſolvat: quanto magis ab extraneis vinculis (quæ nihil ſunt quam captioſa Satanæ retia) nos eruet? Quibuſcunque ergo Chriſtus Euangelii ſui luce affulget, non dubium eſt quin ab omnibus eos laqueis expediat quibus ſe per ſuperſtitionem induerant. Quanquam nec illis deeſt altera defenſio, ſi ad cælibatum non fuerunt idonei. Nam ſi votum impoſſibile certum eſt animæ exitium, quam ſervatam vult Deus, non perditam: ſequitur in eo minime eſſe permanendum. Quam autem impoſſibile ſit votum continentiæ iis qui ſingulari dono præditi non ſunt, antea docuimus: & experientia, me tacente, loquitur: neque enim eſt ignotum quanta obſcœnitate ſcateant omnia fere monaſteria. Et ſiqua videntur honeſtiora magiſque verecunda eſſe aliis, non ideo tamen caſta ſunt quod impudicitiæ malum intus premunt ac continent. Ita ſcilicet horrendis exemplis hominum audaciam ulciſcitur Deus, quum ſuæ infirmitatis immemores, repugnante natura id affectant quod eſt illis denegatum, & contemptis remediis quæ Dominus illis ad manum dederat, contumacia & obſtinatione incontinentiæ morbum ſuperare ſe poſſe confidunt. Quid enim aliud quam contumaciam eſſe dicemus, ubi quis admonitus conjugio ſibi opus eſſe, idque ſibi à Domino remedii loco dari, non modo id contemnit, ſed etiam ſacramento ſe adigit ad contemptum?

Prima eorum defenſio, libertas Chriſtiana. Gal. 3: 3.

Altera: in voto impoſſibili & animæ exitioſo non eſt permanendum.

CAP. XIV.

De Sacramentis.

Hoc caput conſtat duabus præcipuis partibus.

1. *De Sacramentis in genere: ubi primum doctrinæ ſumma proponitur, ſect.* 1. 2. 3. 4. 5. *&* 6. *deinde contra adverſarios utrimque munitur, nempe adverſus eos qui vim Sacramentorum enervant, ſect.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. *&* 13. *tum adverſus alios qui nimium Sacramentis tribuunt, ſect.* 14. 15. 16. *&* 17.
2. *De Sacramentis ſpeciatim, tum veteris tum novi Teſtamenti, de quorum ſcopo & re ſignificata agitur, refutatis iis qui aut veterum Sacramenta nimium extenuaverunt, aut noſtra nimium extulerunt, à ſect.* 18. *uſque ad finem capitis.*

Prima pars capitis, agens de Sacramentis in genere.

PRædicationi Euangelii aliud affine eſt fidei noſtræ adjumentum in Sacramentis: de quibus certam aliquam doctrinam tradi, magnopere noſtra refert, unde nos & quem in finem inſtituta fuerint, & quis eorum nunc uſus ſit, diſcamus. Principio animadvertere convenit quid ſit Sacramentum. Videtur autem mihi hæc ſimplex & propria fore definitio, ſi dixerimus externum eſſe ſymbolum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientiis noſtris Dominus obſignat, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem: & nos viciſſim pietatem erga eum noſtram tam coram eo & Angelis quam apud homines teſtamur. Licet etiam majore compendio aliter definire: ut vocetur divinæ in nos gratiæ teſtimonium externo ſigno confirmatum, cum mutua noſtræ erga ipſum pietatis teſtificatione. Utramlibet ex his definitionibus eligas, ab illa Auguſtini, quæ Sacramentum eſſe tradit *rei ſacræ viſibile ſignum*, aut *inviſibilis gratiæ viſibilem formam*, ſenſu nihil differt: rem vero ipſam melius ac certius explicat. Nam quum in illa brevitate ſit aliqua obſcuritas, in qua multi rudiores hallucinantur, volui pluribus verbis pleniorem reddere ſententiam, nequid dubitationis hæreret.

Quid ſit Sacramentum.

Alia definitio.

De ſignificatione vocis.

2. Qua ratione vocabulum hoc uſurpaverint veteres in eo ſenſu, non eſt obſcurum. Nam quoties Græcam vocem *μυστήριον* Latine reddere voluit Vetus interpres, præſertim ubi de rebus divinis agebatur, tranſtulit *Sacramentum*. Sic ad Epheſios, *Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ.* Item, *Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis, quoniam ſecundum revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum.* Ad Coloſſenſes, *Myſterium quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis ejus, quibus voluit Dominus notas facere divitias ſacramenti hujus*, &c. Item ad Timotheum, *Magnum pietatis ſacramentum: Deus manifeſtatus eſt in carne.* Noluit autem dicere arcanum, nequid rerum magnitudine inferius dicere videretur. Sacramentum ergo poſuit pro arcano, ſed rei ſacræ. In ea ſignificatione apud Eccleſiaſticos ſcriptores ſubinde occurrit. Et ſatis notum eſt, quæ ſacramenta vocantur apud Latinos, Græcis eſſe myſteria: quæ ſynonymia litem omnem dirimit. Atque hinc factum eſt ut ad ſigna illa quæ auguſtam ſublimium ac ſpiritualium rerum repræſentationem haberent, deduceretur. Quod etiam notat alicubi Auguſtinus: *Longum*, inquit, *eſſet diſputare de varietate ſignorum: quæ quum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur.*

Epheſ. 1: 9. & 3: 2.

Col. 1: 26.

1 Tim. 3. verſ. 16.

epiſt. 5. ad Marcell.

Definitionis explicatio.

1. Cur Sacramentis promiſſiones ſuas Deus nobis obſignet.

3. Porro ex hac quam poſuimus definitione intelligimus, nunquam ſine præeunte promiſſione eſſe Sacramentum, ſed ei potius tanquam appendicem quandam adjungi, eo fine ut promiſſionem ipſam confirmet ac obſignet, nobiſque teſtatiorem, imo ratam quodammodo faciat: quo modo noſtræ ignorantiæ ac tarditati primum, deinde infirmitati opus eſſe Deus providet: neque tamen (proprie loquendo) tam ut ſacrum ſuum ſermonem firmet quam ut nos in ipſius fide ſtabiliat. Siquidem Dei veritas per ſe ſatis ſolida certaque eſt: nec aliunde

me-

meliorem confirmationem quam à ſeipſa accipere poteſt. Verum ut exigua eſt & imbecilla noſtra fides, niſi undique fulciatur ac modis omnibus ſuſtentetur, ſtatim concutitur, fluctuatur, vacillat, adeoque labaſcit. Atque ita quidem hic ſe captui noſtro pro immenſa ſua indulgentia attempetat miſericors Dominus, ut quando animales ſumus, qui humi ſemper adrepentes, & in carne hærentes, nihil ſpirituale cogitamus, ac ne concipimus quidem, elementis etiam iſtis terrenis nos ad ſe deducere non gravetur, atque in ipſa carne proponere bonorum ſpiritualium ſpeculum. *Nam ſi incorporei eſſemus* (ut Chryſoſtomus ait) *nuda & incorporea nobis hæc ipſa daret. Nunc quia corporibus inſertas habemus animas, ſub viſibilibus ſpiritualia tradit. Non quia tales inditæ ſint dotes naturis rerum quæ in Sacramentis nobis proferuntur: ſed quia in hanc ſignificationem à Deo ſignatæ ſunt.*

Hom. 60. ad populum.

2. Quid ſit verbum illud quod accedere debet ad elementum, unde fit & conſtat Sacramentum.

4. Atque hoc eſt quod vulgo dicunt, conſtare Sacramentum verbo & externo ſigno. Verbum enim intelligere debemus, non quod ſine ſenſu & fide inſuſurratum, ſolo ſtrepitu, velut magica incantatione, conſecrandi elementi vim habeat: ſed quod prædicatum intelligere nos faciat quid viſibile ſignum ſibi velit. Quod ergo ſub Papæ tyrannide factitatum eſt, non caruit ingenti myſteriorum profanatione: putarunt enim ſatis eſſe ſi Sacerdos, populo ſine intelligentia obſtupente, conſecrationis formulam demurmuraret. Imo id data opera caverunt, nequid doctrinæ inde ad plebem perveniret: omnia enim Latine pronunciarunt apud homines illiteratos. Poſtea eo uſque erupit ſuperſtitio, ut conſecrationem non niſi rauco murmure, quod à paucis exaudiretur, rite peragi crederent. At longe aliter de verbo Sacramentali docet Auguſtinus: *Accedat*, inquit, *verbum ad elementum, & fiet Sacramentum. Unde enim iſta tanta virtus aquæ ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, inquit Apoſtolus. Unde in Actis Apoſtolorum, Fide mundans corda eorum. Et Petrus Apoſtolus, Sic & nos Baptiſma ſalvos facit: non depoſitio ſordium carnis, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: quo ſine dubio, ut mundare poſſit, conſecratur & Baptiſmus.* Vides ut prædicationem requirat unde naſcatur fides. Nec eſt quod in hac probatione laboremus, quando minime obſcurum eſt quid Chriſtus fecerit, quid nobis facere mandaverit, quid ſequuti ſint Apoſtoli, quid purior Eccleſia obſervaverit. Imo ab initio uſque mundi notum eſt, quoties ſignum aliquod obtulit Deus ſanctis Patribus, inſeparabilem fuiſſe doctrinæ copulam, ſine qua attoniti nudo aſpectu ſenſus noſtri redderentur. Ergo quum de verbo ſacramentali fieri mentionem audimus, promiſſionem intelligamus quæ clara voce à miniſtro prædicata, plebem eo manu ducat quo ſignum tendit ac nos dirigit.

Homil. in Joan. 13.

Rom. 10. verſ. 8.
Act. 15: 9.
1 Pet. 3. verſ. 21.

Adverſus eos qui verbum ſeu Dei promiſſionem ab elemento divellere conantur. Sacramenta ſunt ſignacula & σφραγῖδες quorum adminiculo fidem adhibemus iis quæ in verbo ſcripta ſunt.

5. Nec audiendi ſunt quidam qui contra pugnare conantur arguto magis quam ſolido dilemmate. Aut verbum, inquiunt, Dei, quod Sacramentum præcedit, ſcimus eſſe veram Dei voluntatem, aut neſcimus. Si ſcimus, nihil ex Sacramento, quod poſtea ſequitur, novum diſcimus. Si neſcimus, neque id docebit Sacramentum, cujus vis omnis in verbo ſita eſt. Quibus breviter reſponſum ſit, Sigilla, quæ diplomatibus aliiſque publicis actis appenduntur, per ſe accepta nihil ſunt, utpote quæ fruſtra appenſa forent ſi membrana nihil haberet deſcriptum: neque tamen ideo non confirmant atque obſignant quod ſcriptum eſt, dum ſcriptis adduntur. Neque hanc ſimilitudinem nuper à nobis confictam jactare poſſunt, quam Paulus ipſe uſurpavit, Circumciſionem vocans σφραγῖδα, ubi ex profeſſo contendit, non fuiſſe Circumciſionem Abrahæ in juſtitiam, ſed ejus pacti obſignationem, cujus fide fuerat jam ante juſtificatus. Et quid eſt obſecro, quod aliquem magnopere offendat, ſi promiſſionem doceamus obſignari Sacramentis, quum ex ipſis promiſſionibus palam ſit alteram altera confirmari? Nempe ut quæque eſt manifeſtior, ita eſt ad fulciendam fidem magis idonea. Sacramenta vero & promiſſiones afferunt clariſſimas, & hoc habent præ verbo peculiare, quod eas veluti in tabula depictas nobis ad vivum repræſentant. Neque nos movere debet quæ inter Sacramenta & diplomatum ſigilla objectari ſolet diſtinctio: quod quum utraque carnalibus hujus mundi elementis conſtent, illa ad promiſſiones Dei obſignandas ſufficere vel paria eſſe nequeant, quæ ſunt ſpirituales & æternæ: quemadmodum hæc ad obſignanda Principum edicta de rebus fluxis ac caducis appendi ſolent. Siquidem vir fidelis, dum oculis Sacramenta obverſantur, non in illo carnali ſpectaculo hæret: ſed illis quos indicavi analogiæ gradibus, ad ſublimia myſteria quæ in Sacramentis latent, pia conſideratione aſſurgit.

Rom. 4. verſ. 11.

In hunc finem ſymbola fœderis dicuntur.

Gen 6: 18. & 9: 9. & 17. v. 2. & ſeqq.

6. Et quando Dominus promiſſiones ſuas fœdera nuncupat: Sacramenta, ſymbola fœderum: ab ipſis hominum fœderibus ſimile adduci poteſt. Porca cæſa quid efficiat niſi verba intercederent? imo niſi præirent? Nam porcæ ſæpius cæduntur citra ullum interius aut ſublimius myſterium. Quid dextera data, quum manus hoſtiliter non raro conſerantur? At ubi verba præierint, talibus ſane ſymbolis fœderum leges ſanciuntur, quamvis prius verbis conceptæ, conditæ, decretæ. Sacramenta igitur exercitia ſunt quæ certiorem verbi Dei fidem nobis faciunt: & quia carnales ſumus, ſub rebus carnalibus exhibentur: ut ita pro tarditatis noſtræ captu nos erudiant, & perinde ac pueros pædagogi manu ducant. Hac ratione Auguſtinus Sacramentum, *verbum viſibile* nuncupat: quod Dei promiſſiones velut in tabula depictas repræſentet, & ſub aſpectum graphice atque ἐναργῶς expreſſas ſtatuat. Aliæ quoque ſimilitudines afferri poſſunt quibus Sacramenta planius deſignentur, ut ſi vocemus fidei noſtræ columnas. Quo enim modo ædificium ſuo quidem fundamento ſtat & incumbit, ſubjectis tamen columnis certius ſtabilitur: ita fides in verbo Dei non ſecus ac fundamento ſidet: ſed quum accedunt Sacramenta, ipſis adhuc ceu columnis, ſolidius innititur. Aut ſi dicamus ſpecula in quibus gratiæ Dei divitias, quas nobis elargitur, contemplari liceat: illic enim ſeſe nobis (ut jam dictum eſt) manifeſtat quantum noſtræ hebetudini agnoſcere datum eſt, ſuamque erga nos benevolentiam & amorem expreſſius quam verbo teſtatur.

in Joan. Homil. 89. lib. 19. contra Fauſtum.

Et nobis ſunt veluti columnæ,

ac ſpecula.

Nec obſtat quod impiis porriguntur.

7. Nec ſatis appoſite ratiocinantur, dum ex eo contendunt non eſſe teſtimonia gratiæ Dei, quia impiis quoque porriguntur, qui tamen Deum nihilo ſibi magis propitium inde ſentiunt, ſed graviorem potius damnationem contrahunt. Nam eodem argumento nec Euangelium eſſet teſtimonium gratiæ Dei, quod à multis auditur ac ſpernitur: nec Chriſtus demum ipſe, qui à compluribus viſus eſt ac cognitus, quorum pauciſſimi eum receperunt. Simile etiam in diplomatibus ſpectare licet: ſiquidem bona pars multitudinis αὐθεντικὸν illud ſigillum, utcunque à Principe ad conſignandam voluntatem ſuam profectum eſſe noverit, irridet tamen atque eludit: alii velut rem ad ſe minime pertinentem, ſuſque deque habent: alii etiam execrantur, ut conſpecta hac tam pari amborum conditione magis ac magis illa ſuperius à me uſurpata ſimilitudo arridere debeat. Itaque certum eſt nobis à Domino miſericordiam ac gratiæ ſuæ pignus, cum ſacro ſuo verbo, tum Sacramentis offerri: verum non apprehenditur niſi ab his qui verbum & Sacramenta

Sunt enim nihilominus teſtimonia gratiæ Dei.

Quæ quidem non

apprehenditur niſi à fidelibus. certa fide accipiunt: qualiter omnibus in ſalutem oblatus à Patre ac propoſitus Chriſtus, non tamen ab omnibus agnitus exceptuſque eſt. Id quum alicubi indicare Auguſtinus vellet, dixit, Verbi efficaciam in Sacramento proferri: *non quia dicitur, ſed quia creditur.* Proinde Paulus dum apud fideles verba facit, ſic de Sacramentis diſſerit ut in illis Chriſti communionem includat: ut quum dicit, *Quicunque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Item, *Unum corpus & unus Spiritus ſumus omnes qui in Chriſto baptizati ſumus.* Quum vero de præpoſtero Sacramentorum uſu loquitur, nihilo plus illis tribuit quam frigidis & inanibus figuris: quo ſignificat, utcunque impii ac hypocritæ ſua perverſitate divinæ gratiæ in Sacramentis effectum vel opprimant, vel obſcurent, vel impediant, id tamen minime obſtare quominus ubi & quoties Deo placet, & verum de Chriſti communicatione teſtimonium afferant, & hoc ipſum quoque exhibeat præſtetque Spiritus ipſius Dei quod promittunt. Conſtituimus ergo Sacramenta vere nominari teſtimonia gratiæ Dei, ac veluti quædam benevolentiæ, qua erga nos affectus eſt, ſigilla: quæ ipſam nobis obſignando, fidem noſtram hoc modo ſuſtinent, alunt, confirmant, adaugent. Quæ vero contra hanc ſententiam objectari à nonoullis ſolent rationes, nimis frivolæ enerveſque ſunt. Aiunt meliorem fidem noſtram fieri non poſſe, ſi bona eſt: non enim eſſe fidem niſi quæ inconcuſſe, firmiter, indiſtracte Dei miſericordiæ innititur. Quibus ſatius fuerat cum Apoſtolis orare ut Dominus ſibi augeret fidem, quam talem fidei perfectionem ſecure obteodere, quam nemo unquam ex filiis hominum aſſequutus eſt, nemo aſſequetur in hac vita. Reſpondeant qualem ei fuiſſe fidem exiſtiment qui dicebat, *Credo domine, adjuva incredulitatem meam.* Nam & illa, utcunque inchoata fides, bona erat, & melior ſublata incredulitate fieri poterat. Sed nullo certiore argumento quam ſua ipſorum conſcientia refelluntur. Nam ſi peccatores ſe fatentur (quod velint nolint, inficiari nequeunt) idipſum fidei ſuæ imperfectioni imputent neceſſe eſt.

Gal. 3: 27.
1 Cor. 12. verſ. 13.
1. Objectio adverſus hanc ſententiam.
Reſponſio.
Luc. 17. verſ. 5.
Marc. 9. verſ. 24.

8. At reſpondit, inquiunt, Philippus Eunucho, Baptizari eum *licere ſi ex toto corde crederet.* Quem hic locum habet Baptiſmi confirmatio, ubi fides totum cor implet? Rurſum ipſos interrogo, annon bonam cordis ſui partem fide vacuam ſentiuot, aonon nova quotidie incrementa agnoſcunt? Gloriabatur ille, ſe diſcendo fieri ſenem. Nos igitur ter miſeri Chriſtiani, ſi nihil proficiendo ſenes ſimus, quorum fides per omnes ætatum gradus progredi debet, donec adoleſcat in virum perfectum. Itaque in hoc loco *ex toto corde credere*, non eſt perfecte Chriſto credere: ſed ex animo duntaxat & ſincera mente illum amplecti: non eo ſaturum eſſe, ſed ardenti affectu eſurire, ſitire, & ad eum ſuſpirare. Hic mos eſt Scripturæ, ut toto corde fieri dicat quod ſincere & ex animo fieri ſignificat. Cujus rationis ſunt iſta, *In toto corde meo exquiſivi te. Confitebor tibi in toto corde meo*, & ſimilia. Quemadmodum contra, ubi fraudulentos ac fallaces objurgat, illis cor & cor exprobrare ſolet. Subjiciunt deinde, Si fides per Sacramenta augeatur, fruſtra datum eſſe Spiritum ſanctum, cujus virtus atque opus eſt, inchoare, tueri, conſummare fidem. Quibus equidem fateor, proprium ac ſolidum Spiritus ſancti opus fidem eſſe, à quo illuminati, Deum ac benignitatis ejus theſauros agnoſcimus, & ſine cujus lumine mens noſtra adeo cæca eſt ut nihil conſpicere, adeo ſtupida ut nihil ſubodorari rerum ſpiritualium poſſit. Verum pro uno Dei beneficio quod ipſi prædicant, nos tria perpendimus. Nam primum verbo ſuo nos docet & inſtituit Dominus: deinde Sacramentis confirmat: poſtremo ſancti ſui Spiritus lumine mentibus noſtris illucet: & aditum in corda noſtra verbo ac ſacramentis aperit, quæ alioqui aures duntaxat percellerent, & oculis obverſarentur, interiora minime afficerent.

2. Objectio.
Act. 8: 37.
Reſponſio 1.
Eph. 4: 13.
Reſponſio 2. locum Lucæ explanans.
Pſ. 119: 10. & 111: 1. & 138: 1.
Pſal. 12: 3.
3. Objectio.
Reſponſio.

9. Quamobrem de confirmatione augmentoque fidei monitum velim lectorem (quod jam minime dubiis verbis expreſſiſſe mihi videor) id miniſterium ſic me Sacramentis aſſignare, non quaſi arcanam vim neſcio quam illis perpetuo inſitam putem, qua fidem per ſe promovere aut confirmare valeant: ſed quia ſunt in hoc à Domino inſtituta, ut ſtabiliendæ augendæque fidei ſerviant. Cæterum munere ſuo tum rite demum perfunguntur, ubi interior ille magiſter Spiritus acceſſerit: cujus unius virtute & corda penetrantur, & affectus permoventur, & Sacramentis in animas noſtras aditus patet. Si deſit ille, nihil Sacramenta plus præſtare mentibus noſtris poſſunt quam ſi vel Solis ſplendor cæcis oculis affulgeat, vel ſurdis auribus vox inſonet. Itaque ſic inter Spiritum Sacramentaque partior, ut penes illum agendi virtus reſideat, his miniſterium duntaxat relinquatur, idque ſine Spiritus actione inane ac frivolum: illo vero intus agente, vimque ſuam exerente, multæ energiæ refertum. Nunc clarum eſt qualiter ſecundum hanc ſententiam, pia mens in fide per Sacramenta confirmetur: nempe quo modo Solis fulgore vident oculi, vocis ſono aures audiunt: è quibus neque illi quovis lumine quicquam afficerentur, niſi inditam haberent aciem quæ ſuapte ſponte illuſtraretur: & hæ clamore quolibet nequicqusm pulſarentur, niſi ad audiendum natæ aptæque forent. At ſi verum eſt quod ſemel inter oos definitum eſſe convènit, quod in oculis noſtris viſus efficit ad lucem conſpiciendam, quod in auribus auditus ad percipiendam vocem: id eſſe io cordibus noſtris Spiritus ſancti opus, ad fidem & concipiendam, & ſuſtinendam, & fovendam, & ſtabiliendam: utrumque perinde conſequitur, Neque Sacramenta hilum proficere ſine Spiritus ſancti virtute, & nihil obſtare quominus in cordibus jam ante à præceptore illo edoctis, fidem & robuſtiorem & auctiorem reddant. Hoc tantum intereſt, quod audiendi videndique facultas naturaliter auribus & oculis indita eſt: Chriſtus autem præter naturæ modum ſpeciali gratia idem in animis noſtris agit.

Quod fides per Sacramenta confirmari & augeri dicitur, nec arcana alicui Sacramentorum virtuti, nec quovis modo Sacramentis ita aſſignatur, quin totum id ab interiore S. Spiritus efficacia pendeat.

10. Quo & illæ quæ nonnullos anxios tenent, objectiones ſimul diſſolvuntur. Si fidei ſeu incrementum ſeu confirmationem creaturis adſcribimus, injuriam fieri Spiritui Dei, quem ſolum ejus auctorem agnoſcere decebat. Neque enim interim illi & confirmationis & incrementi laudem eripimus: quin potius idipſum quod fidem auget atque firmat, nihil eſſe aliud aſſerimus quam interiori ſua illuſtratione mentes noſtras comparare ad ſuſcipiendam eam, quæ à Sacramentis proponitur, confirmationem. Quod ſi adhuc nimium obſcure dictum eſt, ſimilitudine hac quam adducam, fiet plane dilucidum. Siquem verbis ad aliquid agendum perſuadere inſtituas, rationes omnes excogitabis quibus in tuam ſententiam pertrahatur ac pene ſubigatur, ut conſilio tuo obtemperet. Verum nihildum actum eſt, niſi ipſe viciſſim perſpicaci ſit acutoque judicio, quo in rationibus tuis quantum inſit momenti expendere queat: niſi docili etiam ſit ingenio, & ad auſcultandum doctrinæ parato: niſi poſtremo eam de fide prudentiaque tua opinionem conceperit, quæ ad ſubſcribendum cujuſdam ſit illi inſtar præjudicii. Nam & ſunt præfracta plurima capita quæ nullis unquam rationibus flectas: & ubi ſuſpecta fuerit fides, ubi contempta auctoritas, parum apud dociles proficitur. Adſint rurſum illa omnia: efficient profecto ut illis ipſis conſiliis auditor cui conſulis acquieſcat, quæ erat alioqui irriſurus. Id quoque operis agit in nobis Spiritus: nam ne verbum fruſtra aures percellat, ne fruſtra oculos

4. Objectio, à tertia dependens.
Reſponſio.
Similitudine illuſtrata.
Applicatio ſimilitudinis.

Sacra-

Sacramenta verberent, Deum eſſe oſtendit qui nobis iſtic loquitur, cordis noſtri pervicaciam emollit, atque ad eam quæ Domini verbo debetur obedientiam componit. Denique externa illa & verba & ſacramenta ab auribus in animam tranſmittit. Confirmant ergo fidem noſtram & verbum & ſacramenta, dum bonam Patris cæleſtis erga nos voluntatem nobis ob oculos ponunt, cujus recognitione & tota fidei noſtræ firmitudo conſiſtit, & robur augeſcit: confirmat Spiritus, dum eam animis noſtris confirmationem inſculpendo, efficacem reddit. Interea probiberi non poteſt Pater luminum, quin ſicut corporeos oculos Solis radiis, ita mentes noſtras Sacramentis, quaſi intermedio fulgore illuſtret.

Concluſio, fidem confirmari verbo & ſacramentis.

11. Quam externo verbo proprietatem ſubeſſe docuit Dominus, quum in parabola ſemen appellavit. Quemadmodum enim ſemen ſi in deſertam neglectamque agri partem deciderit, nihil aliud quam emorietur: ſi vero in ſegetem apte laboratam atque excultam jactum fuerit, ſuum cum optimo fœnore fructum referet: ita verbum Dei, ſi in duram aliquam cervicem inciderit, velut in arenam projectum, ſterileſcet: ſi animam nactum fuerit cæleſtis Spiritus manu ſubactam, fructuoſiſſimum erit. Atqui ſi eadem eſt ſeminis verbique ratio, ut è ſemine frumentum & naſci, & augeſcere, & conſcendere ad maturitatem dicimus: cur non & fidem è verbo initium, incrementum, perfectionem accipere dicamus? Utrumque Paulus diverſis locis optime explicat. Nam dum Corintbiis reducere in memoriam vult quam efficaciter uſus ſit Deus ſua opera, gloriatur ſe habere miniſterium Spiritus, perinde acſi individuo nexu cum ſua prædicatione conjuncta eſſet vis Spititus ſancti, ad mentem intus illuminandam & permovendam. At vero quum alibi admonere vult quid per ſe valeat Dei verbum ab homine prædicatum, ipſos miniſtros agricolis comparat, qui ubi laborem ac induſtriam in excolenda terra poſuerint, nihil amplius quod faciant habent. Quid autem aratio & ſatio & rigatio prodeſſeot, niſi quod ſatum eſt, cæleſti beneficio vegetaretur? Itaque concludit, & *eum qui plantat, & eum qui rigat, nihil eſſe: ſed omnia eſſe Deo adſcribenda, qui ſolus dat incrementum*. Spiritus ergo potentiam exerunt in ſua prædicatione Apoſtoli, quatenus Deus ordinatis à ſe organis ad ſpiritualis gratiæ ſuæ explicationem utitur. Ea tamen retinenda eſt diſtinctio, ut quid homo per ſe valeat, quid Dei proprium ſit, meminerimus.

De incrementa fidei per verbi prædicationem, cum Spiritus S. efficacia conjunctam, non tamen confuſam, ſed diſtinctam.
Mat. 13:4.
Luc. 8:15.
1Cor. 2:4.
2Cor. 3:6. & ſeqq.
1Cor. 3:6.
ibidem.

12. Adeo autem Sacramenta confirmationes ſunt fidei noſtræ, ut nonnunquam Dominus, quando rerum ipſarum, quæ in Sacramentis ab eo promiſſæ erant, fiduciam tollere vult, Sacramenta ipſa auferat. Quum Adam immortalitatis dono ſpoliat & abdicat, *Non colligat*, inquit, *de fructu vitæ, ne vivat in æternum.* Quid audimus? an ſuam Adæ incorruptionem, à qua jam deciderat, reſtituere poterat fructus ille? Minime: ſed hoc perinde eſt acſi dixiſſet, Ne vana fiducia fruatur ſi promiſſionis meæ ſymbolum teneat: excutiatur illi quod ſpem aliquam immortalitatis facere poſſet. Hac ratione quum Apoſtolus Epheſios hortatur ut *ſe meminerint fuiſſe hoſpites teſtamentorum, alienos à conſortio Iſraëlis, ſine Deo, ſine Chriſto*, dixit non fuiſſe participes Circumciſionis. Quo metonymice ſignificat, à promiſſione ipſa excluſos qui teſſeram promiſſionis non accepiſſent. Ad eorum vero alterum objectum, Dei gloriam ad creaturas derivari, quibus tantum virtutis attribuitur, ſicque eatenus diminui, reſpondere promptum eſt, nullam in creaturis virtutem à nobis reponi. Hoc duntaxat dicimus, Deum mediis ac inſtrumentis, quæ expedire ipſe proſpicit, uti: ut ejus gloriæ omnia obſequantur, quando omnium ipſe Dominus eſt & arbiter. Ergo ut per panem cæteraque alimenta corpora noſtra paſcit: ut per Solem mundum illuminat: ut per ignem calefacit: nec tamen aut panis, aut Sol, aut ignis aliquid ſunt niſi quatenus ſub iis inſtrumentis benedictiones ſuas nobis diſpenſat: ita ſpiritualiter per Sacramenta fidem alit, quorum unicum officium eſt, ejus promiſſiones oculis noſtris ſpectandas ſubjicere, imo nobis earum eſſe pignora. Et ut noſtrum eſt in cæteris creaturis, quæ Dei liberalitate & beneficentia uſibus noſtris deſtinatæ ſunt, quarumque miniſterio bonitatis ſuæ munera nobis largitur, nihil fiduciæ defigere, nec quaſi boni noſtri cauſas admirari & prædicare: ita neque in Sacramentis hærere fiducia noſtra debet, nec Dei gloria in ipſa transferri; ſed omiſſis omnibus, ad ipſum & Sacramentorum & rerum omnium auctorem ſurgere & fides & confeſſio debent.

Quomodo & quatenus Sacramenta ſunt fidei noſtra confirmationes.
Gen. 3:22.
Eph. 2:12.
5. Objett.
Reſponſio, ſimilitudine familiari, admodum illuſtrata.

13. Quod autem ex ipſo demum Sacramenti nomine argumentum nonnulli afferunt, minime firmum eſt. Sacramentum, inquiunt, quum multas habeat apud probatos auctores ſignificationes, unam tantum habet quæ ſignis conveniat: nempe qua ſolenne illud juramentum ſignificat quod miles Imperatori præſtat quum militiæ initiatur. Ut enim militari illo ſacramento fidem ſuam abſtringunt Imperatori novi milites, & militiam profitentur: ita noſtris ſignis Chriſtum Imperatorem profitemur, & ſub ejus ſignis nos militare teſtamur. Addunt ſimilitudines quibus rem magis dilucidam reddant. Ut toga Romanos à palliatis Græcis diſcernebat: ut ipſi inter ſe ordines Romæ ſuis ſymbolis diſtinguebantur: Senatorius ab equeſtri, purpura & lunatis calceis: rurſum à plebeio Equeſter, annulo: ita nos ſymbola noſtra geſtamus quæ nos à profanis diſcernant. At ex ſuperioribus abunde liquet veteres qui Sacramentorum nomen ſignis indiderunt, minime reſpexiſſe quis fuiſſet verbi hujus uſus Latinis ſcriptoribus: ſed novam hanc ſignificationem pro ſuo commodo affinxiſſe, qua ſimpliciter ſacra ſigna deſignarent. Quod ſi altius argutari volumus, videri poſſunt eadem analogia nomen hoc ad ejuſmodi ſignificationem tranſtuliſſe, qua nomen fidei ad eum ſenſum in quo nunc uſurpatur. Quum enim fides ſit in præſtandis promiſſis veritas: fidem tamen dixerunt certitudinem, ſeu certam perſuaſionem quæ de ipſa veritate haberetur. Ad hunc modum, quum ſacramentum ſit militis, quo ſe ſuo Imperatori vovet: fecerunt Imperatoris, quo milites in ordines recipiat. Dominus enim per Sacramenta ſe nobis in Deum fore pollicetur, & nos ſibi fore in populum. Verum tales argutias omittimus: quando ſatis planis argumentis probaſſe mihi videor, nihil aliud ſpectaſſe quam ut ſignificarent ſigna hæc ſanctarum & ſpiritualium rerum eſſe. Similitudines quas afferunt de externis inſignibus, recipimus quidem, ſed non ferimus, quod poſterius eſt in Sacramentis, ab illis primum atque adeo unum conſtitui. Eſt autem hoc primum, ut fidei noſtræ apud Deum ſerviant: poſterius, ut confeſſionem noſtram apud homines teſtentur. Secundum hanc poſteriorem rationem valent illæ ſimilitudines. Maneat interea prius illud: quia alioqui frigerent myſteria (ut viſum eſt) niſi fidei noſtræ adminicula eſſent, doctrinæque appendices in eundem uſum & finem deſtinatæ.

6. Objectio eorum qui Sacramenta nihil volunt eſſe quam nuda quædam ſigna.
Reſponſio 1. à vocis explicatione.
Reſponſio 2. à re ipſa.
Inſtantia diluta.

14. Rurſum admonendi ſumus, ut iſti vim Sacramentorum enervant, uſumque prorſus evertunt: ita ab adverſa parte ſtare alios qui arcanas neſcio quas virtutes Sacramentis affingunt quæ nuſquam illis à Deo inſitæ leguntur. Quo errore periculoſe falluntur ſimpliciores & imperiti, dum & Dei dona quærere docentur ubi reperiri minime poſſunt, & à Deo ſenſim abſtrahuntur ut pro ejus veritate meram amplexentur vanitatem. Magno enim conſenſu ſophiſticæ ſcholæ tradiderunt, Sacramenta novæ Legis, hoc eſt, quæ nunc in uſu ſunt Chriſtianæ Eccleſiæ,

Adverſus eos qui Sacramentis plus æquo tribuunt.
Objectio Scholaſticorum, de vi

Sacramentorum novæ Legis. — *Reſponſio 1.* — *2.*

Eccleſiæ, juſtificare & conferre gratiam, modo non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ ſententia, dici non poteſt quam ſit exitialis & peſtilens, eoque magis quod multis ante ſeculis magna Eccleſiæ jactura, in bona orbis parte obtinuit. Plane certe diabolica eſt: nam dum juſtitiam citra fidem pollicetur, animas in exitium præcipites agit: deinde quia juſtitiæ cauſam à Sacramentis ducit, miſeras hominum mentes, in terram ſuapte ſponte plus ſatis inclinatas, hac ſuperſtitione illigat, ut in ſpectaculo rei corporeæ potius quam in Deo ipſo acquieſcant. Quæ duo utinam adeo comperta non haberemus: tantum abeſt ut longa probatione indigeat. Quid vero eſt Sacramentum citra fidem ſumptum, niſi certiſſimum Eccleſiæ exitium? Nam quum nihil inde extra promiſſionem ſit expectandum: promiſſio autem non minus iram incredulis minetur quam fidelibus gratiam offerat: fallitur qui plus aliquid per Sacramenta ſibi conferri putat, quam quod verbo Dei oblatum, vera fide percipiat. Ex quo alterum etiam conficitur, non pendere ex Sacramenti participatione ſalutis fiduciam, acſi juſtificatio ſita illic foret: quam in uno Chriſto repoſitam, nihilo minus Euangelii prædicatione quam Sacramenti obſignatione nobis communicari ſcimus: ac ſine hac poſſe in ſolidum conſtare. Uſque adeo verum eſt quod ab Auguſtino quoque ſcribitur, Inviſibilem ſanctificationem ſine viſibili ſigno eſſe poſſe, & viſibile rurſum ſignum ſine vera ſanctificatione. *Induunt enim* (ut ipſe quoque alibi ſcribit) *homines Chriſtum aliquando uſque ad Sacramenti receptionem, aliquando uſque ad vitæ ſanctificationem.* Atque illud primum & bonis & malis poteſt eſſe commune: hoc autem alterum, proprium eſt bonorum ac piorum.

libr. 3. de quæſt. vet. Teſtam. — libr. 5. de Baptiſm. contra Donat. cap. 24.

Confirmatio reſponſionis ex Auguſtino diſtinguente inter Sacramentum & rem Sacramenti. — de Baptiſm. parvulorum. — in Pſ. 78. — in Joan. Homil. 26.

15. Hinc illa, ſi rite intelligatur, inter Sacramentum & rem Sacramenti ab eodem Auguſtino ſæpius notata diſtinctio: neque enim ſignificat duntaxat, figuram & veritatem illic contineri, ſed non ita cohærere quin ſeparari queant: ac in ipſa etiam conjunctione oportere ſemper diſcerni rem à ſigno, ne ad alterum transferamus quod alterius eſt. De ſeparatione loquitur quum ſcribit, *in ſolis electis efficere Sacramenta quod figurant.* Item, ubi de Judæis ſic ſcribit, *Sacramenta quum eſſent omnibus communia, non erat communis gratia, quæ virtus eſt Sacramentorum: ſic & nunc commune eſt omnibus lavacrum regenerationis; ſed ipſa gratia qua membra Chriſti cum ſuo capite regenerantur, non omnibus eſt communis.* Rurſus alibi de Cœna Domini, *Nos quoque viſibilem cibum hodie accipimus: ſed aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quid eſt quod multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Nam & buccella Dominica venenum fuit Judæ: non quia malum accepit, ſed quia bonum male malus accepit.* Paulo poſt, *Hujus rei Sacramentum, id eſt, unitatis corporis & ſanguinis Chriſti, alicubi quotidie, alicubi certis dierum intervallis in menſa Dominica præparatur: & de ea ſumitur quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium. Res vero ipſa, cujus & Sacramentum eſt, omnibus ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit.* Et aliquanto ante dixerat, *Non morietur, qui manducaverit: ſed qui pertinet ad virtutem Sacramenti, non ad viſibile Sacramentum: qui manducat intus, non foris: qui manducat corde, non qui premit dente.* Hic ubique audis, Sacramentum ſic à ſua veritate ſeparari indignitate ſumentis, ut nihil maneat præter inanem & inutilem figuram. Ut autem non ſignum veritate vacuum, ſed rem cum ſigno habeas, verbum quod illic incluſum eſt, fide apprehendas oportet. Sic quantum in Chriſti communicatione proficies per Sacramenta, tantum ex illis capies utilitatis.

Supra dictorum plenior explicatio. — libr. 4. Sentent. diſt. 1.

16. Id ſi eſt obſcurius propter brevitatem, pluribus verbis exponam. Chriſtum Sacramentorum omnium materiam, vel (ſi mavis) ſubſtantiam eſſe dico: quando in ipſo totam habent ſuam ſoliditatem, nec quicquam extra ipſum promittunt: quo minus tolerabilis error eſt Petri Lombardi, qui diſerte ea juſtitiæ & ſalutis cauſas facit quorum partes ſunt. Itaque cauſis omnibus quas ſibi fingit hominis ingenium, valere juſſis, nos in hac unica retineri decet. Quantum igitur tum ad veram Chriſti notitiam in nobis fovendam, confirmandam, augendam, tum ad eum plenius poſſidendum, fruendaſque ejus divitias, illorum miniſterio adjuvamur, tantum apud nos efficaciæ habent: id autem fit ubi quod illic offertur, vera fide ſuſcipimus.

Objectio 2. — *Reſponſio, Auguſtini auctoritate confirmata.* — Homil. in Joan. 26. — libr. 3. de doct. Chriſt. cap. 9.

Ergone, inquies, id efficiunt ſua ingratitudine impii, ut irrita ſit Dei ordinatio, ac in nihilum cedat? Reſpondeo, non ſic intelligendum quod dixi, quaſi ab ejus qui recipit conditione aut arbitrio vis & veritas Sacramenti pendent. Manet enim firmum quod Deus inſtituit, naturamque ſuam retinet, utcunque varient homines: ſed quum aliud ſit offerre, aliud recipere: nihil obſtat quominus conſecratum verbo Domini ſymbolum ſit re vera quod dicitur, vimque ſuam conſervet, nulla tamen inde utilitas ad hominem ſceleſtum ac impium perveniat. Sed hanc quæſtionem paucis verbis bene ſolvit Auguſtinus, *Si carnaliter*, inquit, *accipis, ſpirituale eſſe non deſinit: ſed tibi non eſt.* Quemadmodum vero Sacramentum rem eſſe nihili, ſi à veritate ſua ſeparatur, ſuperioribus locis oſtendit Auguſtinus: ſic alibi in ipſa quoque conjunctione, diſtinctione opus eſſe admonet, ne in externo ſigno nimis hæreamus. *Ut literam ſequi*, inquit, *& ſigna pro rebus accipere ſervilis infirmitatis eſt: ſic inutiliter ſigna interpretari, male vagantis erroris eſt.* Duo ponit vitia quæ hic cavenda ſunt. Alterum, dum ita accipimus ſigna acſi fruſtra data eſſent, noſtraque malignitate arcanas eorum ſignificationes elevando aut extenuando efficimus ne quem nobis fructum afferant. Alterum, dum mentes ultra viſibile ſignum non erigendo, ad ipſum transferimus eorum bonorum laudem quæ nonniſi ab uno Chriſto nobis conferuntur, idque per Spiritum ſanctum, qui nos facit Chriſti ipſius participes: & quidem adjuvantibus externis ſignis, quæ ſi nos ad Chriſtum invitant, ubi alio torquentur, indigne evertitur tota eorum utilitas.

Rem Sacramenti, ſemper Sacramenta quoties rite adminiſtrantur, adeſſe, aptiſſima ſimilitudine conſtat. — *Hic porro cavendum, ne Sacramentis plus quam par eſt tribuamus.*

17. Quamobrem fixum maneat, non eſſe alias Sacramentorum quam verbi Dei partes: quæ ſunt offerre nobis ac proponere Chriſtum, & in eo cæleſtis gratiæ theſauros: nihil autem conferunt aut proſunt niſi fide accepta: non ſecus ac vinum, vel oleum, vel alius liquor quamlibet large infundas, effluet tamen ac peribit niſi aperto vaſis ore: vas autem ipſum undique perfuſum, inane nihilominus ac vacuum manebit. Cavendum præterea ne in errorem hujus affinem nos abducant quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulo magnificentius à veteribus ſcripta ſunt: ut ſcilicet arbitremur latentem aliquam virtutem Sacramentis annexam affixamque eſſe, quo ipſa per ſe Spiritus ſancti gratias nobis conferant, quemadmodum vinum in cratere propinatur: quum hoc tantum illis divinitus injunctum ſit munus, teſtificari nobis ac ſancire Dei in nos benevolentiam: nec ulterius proficiant niſi acceſſerit Spiritus ſanctus qui mentes ac corda noſtra aperiat, noſque hujus teſtimonii capaces reddat: ubi etiam variæ diſtinctæque Dei gratiæ luculenter eminent. Sacramenta enim (ut ſupra attigimus) id ſunt nobis à Deo quod ab hominibus rerum lætarum nuncii, vel arrhæ in pactis ſanciendis: utpote quæ non à ſe quidem largiantur aliquid gratiæ, ſed renuncient & oſtendant, atque (ut ſunt arrhæ & teſſeræ) rata apud nos faciant quæ divina largitate nobis data ſunt. Spiritus ſanctus (quem non omnibus promiſcue Sacramenta advehunt, ſed quem Dominus peculiariter ſuis confert) is eſt qui Dei gra-

tias

tias ſecum affert, qui dat Sacramentis in nobis locum, qui efficit ut fructificent. Quanquam autem Deum ipſum præſentiſſima Spiritus ſui virtute, ſuæ iostitutioni adeſſe non inficiamur, oe infructuoſa ſit & inanis quam ordinavit Sacrameotorum adminiſtratio: interiorem tamen Spiritus gratiam, ut ab externo miniſterio diſtincta eſt, ſeorſum reputandam & cogirandam aſſerimus. Præſtat igitur vere Deus quicquid ſignis promittit ac figurat: nec effectu ſuo carent ſigna, ut verax & fidelis probetur eorum auctor. Tantum hic quæritur, propriane & intrinſeca (ut loquuntur) virtute operetur Deus, an externis ſymbolis reſignet ſuas vices. Nos vero contendimus, quæcunque adhibeat organa, primariæ ejus operationi nihil decedere. Id quum docetur de Sacramentis, & eorum digoitas præclare commendatur, & uſus aperte iodicatur, & utilitas abunde prædicatur, & modus in iis omnibus optimus retinetur, ut neque deferatur illis quicquam quod non oportet, neque rurſum quod illis convenit detrahatur. Interim illud tollitur figmentum quo juſtificationis cauſa virtuſque Spiritus ſancti elementis ceu vaſculis ac plauſtris includitur: & præcipua illa vis quæ ab aliis prætermiſſa fuit diſerte explicatur. Hic quoque notandum eſt, quod externa actione figurat ac teſtatur miniſter, Deum intus peragere: ne ad hominem mortalem trahatur quod Deus ſibi uoi vendicat. Id etiam prudenter admonet Auguſtinus: *Quomodo*, inquit, *& Moſes ſanctificat & Deus? non Moſes pro Deo: ſed Moſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum, Deus autem inviſibili gratia per Spiritum ſanctum: ubi totus etiam fructus eſt viſibilium Sacramentorum. Nam ſine iſta ſanctificatione inviſibilis gratiæ, viſibilia iſta Sacramenta quid proſunt?*

Summa diſputationis de Sacramentorum efficacia.

Quid præterea obſervandum.

quæſtion. vet. Teſt. lib. 3. c. 84.

18. Sacramenti nomen, ut de ejus ratione hactenus diſſeruimus, omnia generaliter ſigna complectitur quæ unquam hominibus mandavit Deus, ut certiores ſecuroſque de promiſſioonum ſuarum veritate redderet. Ea vero io rebus naturalibus oonnunquam extare voluit, nonnunquam in miraculis exhibuit. Prioris generis exempla ſunt, ut quum Adæ & Hevæ arborem vitæ, io arrhabonem immortalitatis dedit, ut eam ſecure ſibi promitterent, quamdiu ederent ex illius fructu. Et quum cæleſtem arcum, Noë & ejus poſteritati in monumentum ſtatuit, poſthac ſe diluvio non diſſipaturum terram: hæc Adam & Noë pro Sacrameotis habuerunt. Non quod arbor præſtaret illis immortalitatem, quam ſibi ipſa dare ooo poterat: aut arcus coërcendis aquis foret efficax (qui ſolaris duntaxat radii repercuſſio eſt in oppoſitas nubes) ſed quia notam à verbo Dei inſculptam habebant, ut documenta eſſent teſtamentorum ejus ac ſigilla. Et antea quidem arbor erat arbor: arcus, arcus: ubi inſcripta fuerunt verbo Dei, indita eſt nova forma: ut inciperent eſſe quod prius non erant. Hæc ne fruſtra dici quis exiſtimet, arcus ipſe hodie quoque nobis teſtis eſt ejus fœderis quod pepigit Dominus cum Noë: quem quoties intuemur, hanc Dei promiſſionem io eo legimus, terram diluvio nonquam perditum iri. Itaque ſiquis philoſophaſter, quo fidei noſtræ ſimplicitatem rideat, talem colorum varietatem ex reflexis radiis & oppoſita nobe oriri naturaliter contendat: fateamur quidem, ſed ipſius ſtuporem rideamus, qui Deum naturæ dominum & præſidem non agnoſcat: qui pro ſuo arbitrio elementis omnibus in obſequium gloriæ ſuæ utatur. Quod ſi Soli, ſtellis, terræ, lapidibus, hujuſmodi monumenta impreſſiſſet, illa omnia Sacramenta nobis forent. Cur enim rude ac ſignatum argentum non ejuſdem ſunt pretii, quum idem prorſus ſit metallum? nempe quia illud nihil habet præter naturam: forma publica percuſſum, nummus fit, & novam taxationem recipit. Et Deus ſuas creaturas verbo ſuo ſignare non poterit, ut fiant Sacrameota, quæ prius nuda erant elementa? Secundi generis exempla fuerunt, quum Abrahæ lucem in clibano fumigante oſteodit: quum vellus rore irrigavit, ſicca terra; rurſum terram irroravit, intacto vellere, ad pollicendam Gedeoni victoriam: quum umbram horologii retrorſum decem lineis retraxit, ad promittendam Ezechiæ incolumitatem. Hæc quando fiebant ad ſublevaodam ac ſtabiliendam fidei illorum imbecillitatem, Sacramenta quoque erant.

Altera pars capitis, de Sacramentis in ſpecie. Nominis Sacramenti lata ſignificatio, omnia generaliter ſigna complectens, quæ unquam hominibus data ſunt, ut certiores de promiſſionum ſuarum veritate Deus eos redderet: ſive ea in rebus naturalibus, ſive in miraculis exhibuit: quorum exempla proponuntur.

Geneſ. 2. verſ. 9, 17. & 3: 3.
Geneſ. 9. verſ. 13.
Geneſ. 15. verſ. 17.
Jud. 6: 37.
1 Reg. 20. verſ. 9.
Jeſa. 38. verſ. 7, 8.

19. Verum præſentis inſtituti eſt, de his Sacramentis peculiariter diſſerere quæ Dominus ordinaria eſſe voluit in ſua Eccleſia, ad alendos io unam fidem uniuſque fidei confeſſionem ſuos cultores ac ſervos. *Nam* (ut verbis Auguſtini utar) *in nullum nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum, coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Hanc ergo neceſſitatem quum optimus Pater provideret, certa pietatis exercitia inſtituit ab initio ſervis ſuis: quæ poſtea Satan ad impios & ſuperſtitioſos cultus transferendo, multis modis depravavit ac corrupit. Hinc illæ gentilium ioitiationes in ſua ſacra, & cæteri degeneres ritus: qui tametſi erroris erant ac ſuperſtitiunis pleni, indicio tamen ipſi quoqoe ſimul erant, non poſſe in profeſſione religionis homines externis ejuſmodi ſignis carere. Verum quia nec verbo Dei ſubnixa erant, nec ad eam veritatem referebantur quæ omnibus ſigois propoſita eſſe debet, indigna ſuot quæ commemorentur, ubi mentio fit de ſacris ſymbolis quæ à Deo ſunt inſtituta, nec à ſuo fundamento deflexerunt: nempe ut ſint veræ pietatis adjumenta. Conſtant autem non ſimplicibus ſignis, qualia erant arcus & arbor: ſed ceremoniis: aut (ſi mavis) ſigna quæ hic dantur, ceremooiæ ſunt. Quemadmodum autem ſuperius dictum eſt, eſſe à Domino teſtimonia gratiæ ac ſalutis: ita à nobis viciſſim ſunt profeſſioois notæ, quibus palam in Dei nomen juramus, fidem illi viciſſim noſtram obſtriogentes. Scite ergo Chryſoſtomus ipſa alicubi pactiones nuncupat, quibus & Deus nos ſibi confœderat, & nos in vitæ puritatem ac ſanctimoniam obſtringimur: quia hic mutua ioter Deum & nos ioterponitur ſtipulatio. Ut enim illic ſe pollicetur Dominus inducere ac delere ſiquid delinqueodo noxæ ac pœnæ contractum à nobis fuerit, noſque ſibi reconciliat in Filio uoigenito: ita ad pietatis ac innocentiæ ſtudium hac profeſſione illi nos viciſſim obligamus. ut dicere merito poſſis Sacramenta hujuſmodi, ceremonias eſſe quibus exercere vult populum ſuum Deus ad fidem intus primum fovendam, excitaodam, cunfirmandam: deinde teſtandam apud homines religionem.

De Sacramentis ordinariis in Dei Eccleſia: Quam ſint neceſſaria.

libr. 9. contra Fauſtum Manich. cap. 11.

Quid ſint Dei reſpectu. Quid etiam ſint noſtri reſpectu.

Horum uſus & ſcopus.

20. Hæc etiam ipſa diverſa fuerunt pro varia temporis ratione, ſecundum diſpenſationem qua Domino viſum eſt his aut illis modis ſeſe hominibus exhibere. Abrahæ enim & ejus poſteritati mandata eſt Circumciſio: cui poſtea purificationes & ſacrificia aliique ritus ex Lege Moſaica addita ſunt. Hæc Judæorum fuerunt Sacramenta ad Chriſti uſque adventum: abrogatis illis, duo Sacramenta inſtituta, quibus ounc Chriſtiana Eccleſia utitur, Baptiſmus & Cœna Domioi. Loquor autem de iis quæ in uſum totius Eccleſiæ ſunt inſtituta. Nam impoſitionem manuum, qua Eccleſiæ miniſtri io ſuum munus initiantur, ut non invitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordioaria Sacramenta non oumero. Reliqua autem quæ vulgo recenſentur, quo loco habenda ſint, mox videbimus. Quanquam in euodem, in quem nuoc noſtra iotendunt, ſcopum, & vetera illa ſpectarunt, nempe ut ad Chriſtum dirigerent, & pene manu ducerent: aut ipſum potius, ceu imagines repræſeotarent,

In duo genera diſtribuuntur. Nempe in Sacramenta veteris & novi Teſtamenti.

Utraque vere eodem ſpectant, nempe ut ad Chriſtum

veluti manu nos ducant.

rent, ac cognoſcendum proferrent. Quum enim jam ante docuerimus, eſſe quædam ſigilla quibus promiſſiones Dei obſignantur: ſit autem certiſſimum, nullam unquam Dei promiſſionem hominibus oblatam niſi in Chriſto: ut de aliqua Dei promiſſione nos doceant, Chriſtum oſtendant neceſſe eſt. Quo pertinet cæleſte illud tabernaculi & legalis cultus exemplar, quod Moſi objectum fuit in monte. Unum duntaxat diſcrimen eſt, quod illa Chriſtum promiſſum, quum adhuc expectaretur, adumbrarunt, hæc jam præſtitum & exhibitum teſtantur.

Quod apparet in Sacramentis veteris Teſtamenti.

21. Hæc ubi per partes ac ſigillatim declarata fuerint, multo clariora fient. Circumciſio Judæis ſymbolum erat quo admonerentur, quicquid ex hominis ſemine prodit, hoc eſt, univerſam hominum naturam corruptam eſſe, putationeque habere opus: præterea documentum ac memoriale, quo Geneſ. 12. verſ. 3. ſeſe confirmarent in promiſſione Abrahæ data, de ſemine benedicto *in quo benedicendæ eſſent omnes* Geneſ. 22. verſ. 18. *nationes terræ:* à quo & ſua ipſis benedictio expectanda erat. Porro ſalutare illud ſemen (quemad- Gal. 3: 16. modum à Paulo docemur) erat Chriſtus, in quo ſolo recepturos ſe confidebant quod in Adam perdiderant. Quare illis erat Circumciſio, quod Abrahæ Rom. 4. verſ. 11. fuiſſe tradit Paulus, *ſignaculum* ſcilicet *juſtitiæ fidei*: hoc eſt, ſigillum quo certius confirmarentur, ſuam fidem, qua ſemen ipſum expectabant, ſibi à Deo pro juſtitia acceptam ferri. Sed nos meliore alibi occaſione Circumciſionis Baptiſmique comparatio- Heb. 9. v. 1. ad 14. nem longius proſequemur. Baptiſmata & purificationes ſuam illis immunditiem, ſpurcitiam, pollutionem ante oculos ponebant, qua in ſua natura contaminati erant; aliud vero lavacrum pollicebantur, quo omnes extergerentur & abluerentur eo- 1 Joan. 1. verſ. 7. rum ſordes. Et hoc lavacrum Chriſtus erat: cujus ſanguine abluti, ejus puritatem afferimus in con- Apoc. 1: 5. ſpectum Dei, ut inquinamenta omnia noſtra tegat. Heb. 10. v. 1,2,3,4. Sacrificia illos ſuæ iniquitatis arguebant, ſimulque docebant, neceſſariam eſſe aliquam ſatisfactionem Heb. 4: 14 & 5: 5. & 9: 11. quæ judicio Dei ſolveretur. Fore ergo ſummum quendam Pontificem, inter Deum & homines mediatorem, qui Deo ſatisfaceret per ſanguinis effuſionem, ac hoſtiæ immolationem, quæ in remiſſionem peccatorum ſufficeret. Hic ſummus Sacerdos fuit Chriſtus: proprium ipſe ſanguinem effudit, Phil. 2: 8. victima ipſe fuit: ſe enim Patri obedientem in Rom. 5. verſ. 19. mortem obtulit: qua obedientia, hominis inobedientiam abolevit, quæ Dei indignationem provocaverat.

Deinde in Sacramentis novi Teſtamenti.

22. Quantum ad noſtra attinet, Chriſtum eo clarius nobis offerunt, quo propius manifeſtatus eſt hominibus: ex quo à Patre vere, qualis promiſſus fuerat, exhibitus fuit. Baptiſma enim nobis quod purgati & abluti ſimus teſtificatur: Cœna euchariſtiæ, quod redempti. In aqua figuratur ablutio: in ſanguine, ſatisfactio. Hæc duo in Chriſto reperiun- 1 Joan. 5. verſ. 6. tur, qui (ut ait Joannes) *venit in aqua & ſanguine:* hoc eſt, ut purgaret & redimeret. Cujus rei teſtis quoque eſt Spiritus Dei. Imo *tres in uno ſunt teſtes, Aqua, Sanguis, & Spiritus.* In aqua & ſanguine purgationis & redemptionis habemus teſtimonium: Spiritus vero primarius teſtis hujuſmodi teſtimonii certam nobis fidem facit. Sublime iſtud myſterium Joan. 19. verſ. 34. præclare nobis in Chriſti cruce oſtenſum eſt, quum aqua & ſanguis effluxerunt ex ſacro ejus latere: Homil. in Joan. 20. & ſæpe alias. quod eam ob cauſam jure Auguſtinus Sacramentorum noſtrorum fontem vocavit: de quibus tamen paulo fuſius differendum erit. Quin uberior etiam Spiritus gratia hic ſe proferat, ſi tempus cum tempore compares, non dubium eſt. Nam id ad regni Chriſti gloriam pertinet: ſicuti ex pluribus locis, ac præſertim ex ſeptimo Joannis capite colligimus. Col. 2: 17. Quo ſenſu accipere oportet illud Pauli, *umbras fuiſſe ſub Lege, corpus in Chriſto.* Neque ejus conſilium eſt exinanire ſuo effectu teſtimonia gratiæ in quibus olim Patribus ſe veracem probare Deus voluit, non ſecus ac hodie nobis in Baptiſmo & ſacra Cœna; ſed comparative, magni facere quod nobis datum eſt, ne cui mirum eſſet Chriſti adventu abolitas eſſe Legis ceremonias.

Ex ſuperioribus ſequitur, impiam eſſe Scholaſticorum doctrinam de diſcrimine Sacramentorum veteris & novæ Legis.

23. Scholaſticum autem illud dogma (ut hoc quoque obiter perſtringam) quo tam longum diſcrimen inter veteris ac novæ Legis Sacramenta notatur, perinde acſi illa non aliud quam Dei gratiam adumbrarint, hæc vero præſentem conferant, penitus explodendum eſt. Siquidem nihilo ſplendidius de illis Apoſtolus quam de his loquitur, quum docet *Patres eundem nobiſcum ſpiritualem eſcam manducaſſe:* & eſcam illam Chriſtum interpretatur. 1 Cor. 10. verſ. 3. Quis inane auſit facere ſignum illud quod veram Chriſti communionem Judæis exhibebat? Et ſtatus cauſæ quam illic agit Apoſtolus, pro nobis non obſcure militat: nam nequis frigida Chriſti cognitione, inanique Chriſtianiſmi titulo, ac externis inſignibus fretus, Dei judicium contemnere audeat, divinæ ſeveritatis exempla in Judæis ſpectanda exhibet: ut eaſdem quas illi dederunt pœnas ſciamus nobis imminere, ſi iiſdem vitiis indulgeamus. *Hujus erroris refutatio.* Jam ut apta eſſet comparatio, oportuit oſtendere nihil eſſe inæqualitatis inter nos & ipſos in iis bonis quibus falſo gloriari nos vetabat. Ergo primum in Sacramentis pares nobis facit: nec ullam prærogativæ particulam nobis relinquit quæ animos ad ſpem impunitatis facere queat. Nec vero Baptiſmo noſtro plus tribuere fas eſt quam ipſe alibi Circumciſioni tribuit, quum vocat *ſigillum juſtitiæ fidei.* Rom. 4. verſ. 11. Quicquid ergo nobis hodie in Sacramentis exhibetur, id in ſuis olim recipiebant Judæi, Chriſtum ſcilicet cum ſpiritualibus ſuis divitiis. Quam habent noſtra virtutem, eam quoque in ſuis ſentiebant: ut ſcilicet eſſent illis divinæ erga ſe benevolentiæ ſigilla in ſpem æternæ ſalutis. Si dextri fuiſſent interpretes epiſtolæ ad Hebræos, non ita fuiſſent hallucinati: Heb. 10. v. 1. &c. ſed quum illic legerent legalibus ceremoniis expiata non fuiſſe peccata, imo veteres umbras nihil habuiſſe momenti ad juſtitiam, neglecta comparatione quæ illic tractatur, dum hoc unum arripiunt, Legem per ſe nihil profuiſſe ſuis cultoribus, putarunt ſimpliciter figuras veritate vacuas fuiſſe. Apoſtoli vero conſilium eſt Legem ceremonialem in nihilum redigere donec ad Chriſtum ventum fuerit, à quo ſolo pendet tota illius efficacia.

1. Objectio Scholaſticorum, de Circumciſione à Paulo extenuata.

24. At objicient quæ de Circumciſione literæ apud Paulum leguntur, eam nullo loco eſſe apud Deum, nihil conferre, inanem eſſe. Ejuſmodi enim ſententiæ illam longe infra Baptiſmum noſtrum deprimere videntur. Minime vero. Id enim ipſum de Baptiſmo jure diceretur. Quin etiam dicitur: pri- Rom. 2. v. 27, 29. mum à Paulo ipſo, ubi oſtendit Deum nihil morari 1 Cor. 7. verſ. 19. externam ablutionem qua in religionem initiamur, Gal. 6: 15. niſi animus intus & repurgetur, & in puritate ad 1 Cor. 10. verſ. 5. ultimum perſeveret: deinde à Petro, dum Baptiſmi 1 Pet. 3. verſ. 21. veritatem non in externa poſitam ablutione teſtatur, ſed bono conſcientiæ teſtimonio. At videtur alio etiam loco Circumciſionem manu factam penitus contemnere, dum eam cum Chriſti Circumciſione comparat. *Reſponſio, Apoſtoli conſilium explanans.* Reſpondeo, neque hoc loco aliquid extenuari de ejus dignitate. Illic contra eos diſputat Paulus, qui eam velut neceſſariam requirebant, quum eſſet jam abrogata. Col. 2: 11. Monet igitur fideles ut omiſſis veteribus umbris, in veritate inſiſtant. Urgent (inquit) iſti magiſtri, ut corpora veſtra circumcidantur. Atqui ſpiritualiter circumciſi eſtis ſecundum animam & corpus. Habetis igitur rei exhibitionem, quæ longe potior eſt quam umbra. Poterat autem quiſpiam contra excipere, non ideo ſpernendam eſſe figuram quia rem haberent: quando & apud Patres fuiſſet illa depoſitio veteris hominis de qua loquebatur, quibus tamen

non

non fuiſſet externa Circumciſio ſupervacua. Hanc objectionem prævertit, quum addit continuo, fuiſſe Coloſſenſes *Chriſto conſepultos per Baptiſmum*. Quo ſignificat id hodie eſſe Baptiſmum Chriſtianis, quod veteribus erat Circumciſio: ideoque ſine illius injuria non poſſe hanc injungi Chriſtianis.

2. Objectio, ex locis Scripturæ ſumpta, qui univerſam Legem cum omnibus ceremoniis & ſacrificiis ſuis in totum tollere videntur.

25. At quod ſequitur, & jam nuper citavi, difficilius eſt ad ſolvendum, Judaicas omnes ceremonias fuiſſe *umbras rerum futurarum, corpus eſſe in Chriſto*: longe vero difficillimum quod multis capitibus epiſtolæ ad Hebræos tractatur, ſanguinem pecudum non pertigiſſe ad conſcientias: *Legem habuiſſe umbram futurorum bonorum, non imaginem rerum*: cultores ex ceremoniis Moſaicis nihil perfectionis fuiſſe conſequutos, & ſimilia. Repeto quod jam attigi, Paulum non ideo umbratiles facere ceremonias quod nihil haberent ſolidi, ſed quia eorum

Col. 2: 17. complementum, uſque ad Chriſti exhibitionem,

Heb. 10: 1. quodammodo ſuſpenſum erat.

Reſponſio 1. Deinde non de efficacia, ſed potius de modo ſignificandi hoc intelligendum eſſe dico.

2. Donec enim manifeſtatus eſt in carne Chriſtus, omnia ſigna velut abſentem eum adumbrabant: utcunque virtutis ſuæ ſuique adeo

3. ipſius præſentiam fidelibus intus exereret. Sed hoc maxime obſervare convenit, in his omnibus locis Paulum non ſimpliciter, ſed per contentionem loqui. Quoniam illi certamen erat cum Pſeudoapoſtolis, qui in ceremoniis ſolis, nullo Chriſti reſpectu, pietatem ſitam eſſe volebant: ad eos confutandos ſatis erat duntaxat tractare quid per ſe valeant ceremoniæ.

4. Scopum auctoris epiſtolæ ad Hebræos oſtenderat.

Hunc quoque ſcopum ſequutus eſt auctor epiſtolæ ad Hebræos. Meminerimus ergo hic de ceremoniis, non in ſua vera & nativa ſignificatione acceptis, ſed ad falſam pravamque interpretationem detortis, non de legitimo earum uſu, ſed de ſuperſtitionis abuſu diſputari. Quid igitur mirum ſi ſeparatæ à Chriſto ceremoniæ, omni virtute exuuntur? In nihilum enim redigitur quicquid eſt

Joan. 6: 27. ſignorum, ubi res ſignata tollitur. Sic Chriſtus, ubi negotium habebat cum iis qui manna nihil aliud quam cibum ventris fuiſſe cogitabant, ſermonem accommodat craſſæ eorum opinioni, dicitque ſe meliorem cibum adminiſtrare qui animas ad ſpem immortalitatis paſcat.

5. Quæ omnium ſummam continet, & ad tres articulos revocat.

Quod ſi clariorem ſolutionem requiris, huc tendit omnium ſumma. Primo totum illum ceremoniarum apparatum, qui in Lege Moſaica fuit, niſi ad Chriſtum dirigatur, rem eſſe evanidam ac nihili. Deinde ſic in Chriſtum reſpexiſſe ut eo demum in carne manifeſtato, complementum ſuum habuerint. Poſtremò ejus adventu oportuiſſe abrogari, non ſecus atque umbra in perſpicua Solis luce evaneſcit. Sed quia longiorem adhuc de ea re ſermonem in eum locum differo quo Baptiſmum cum Circumciſione conferre inſtitui, parcius nunc attingo.

3. Objectio, ex Theologis

26. Forte miſeros iſtos Sophiſtas deceperunt immodica etiam illa Sacramentorum encomia, quæ de ſignis noſtris apud veteres leguntur. Quale eſt

veteribus, novi fœderis Sacramenta immodice laudantibus.

illud Auguſtini, *Quod veteris Legis Sacramenta Salvatorem tantum promittebant, noſtra vero dant ſalutem.* Has & ſimiles dicendi figuras quum non animadverterent hyperbolicas eſſe, & ipſi hyperbolica ſua dogmata promulgarunt: ſed prorſus

in proœmio enarra. Pſal. 73.

alieno ſenſu à veterum ſcriptis. Non enim aliud illic voluit Auguſtinus, quam quod idem alibi ſcribit, *Sacramenta Moſaicæ Legis Chriſtum prænunciaſſe: noſtra vero annunciare.* Et contra Fauſtum,

Reſp. illorum ſententias hyperbolicas eſſe: & non de efficacia, ſed de modo ſignificandi intelligendas.

Fuiſſe illas promiſſiones rerum complendarum: hæc indicia completarum: acſi diceret, illa figuraſſe quum adhuc expectaretur: noſtra velut præſentem exhibere qui jam præſtitus eſt. Porro de modo ſignificandi loquitur, ſicut & alibi indicat, *Lex (inquit) & Prophetæ Sacramenta habebant prænunciantia rem*

quæſt. ſup. Num. c. 33.

futuram: noſtri vero temporis Sacramenta veniſſe conteſtantur quod illa venturum prædicabant. Quid au-

libr. 19. cap. 14.

tem de re & efficacia ſenſerit, pluribus locis explicat: ut quum dicit, *Sacramenta Judæorum in ſignis*

lib. 2. contra lit. Petil. cap. 37.

fuiſſe diverſa; in re quæ ſignificatur, paria: diverſa ſpecie viſibili, paria virtute ſpirituali. Item, *In ſignis*

Homil. in Joan. 26.

diverſis, eadem fides: ſic in ſignis diverſis, ut in verbis diverſis: quia verba ſonos mutant per tempora, &

Homil. in Joan. 45.

utique nihil aliud ſunt verba quam ſigna. Bibebant Patres eundem ſpiritualem potum: nam corporalem non eundem. Videte ergo, fide manente, ſigna variata. Ibi petra Chriſtus: nobis Chriſtus, quod in altari ponitur. Et illi pro magno Sacramento biberunt aquam profluentem è petra: nos quid bibamus norunt fideles. Si viſibilem ſpeciem intendas, aliud eſt: ſi intelligibilem ſignificationem, eundem potum ſpiritualem biberunt. Alibi, *Idem in myſterio cibus & potus illo-*

in Pſal. 77.

rum qui noſter: ſed ſignificatione idem, non ſpecie: quia

lib. 19. contra Fauſtum, c. 13.

idem ipſe Chriſtus illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus. Quanquam hac quoque in parte aliquid differentiæ eſſe concedimus. Utraque enim paternam Dei in Chriſto benevolentiam ac Spiritus ſancti gratias nobis offerri teſtantur: ſed noſtra illuſtrius ac luculentius. In utriſque Chriſti exhibitio: ſed in his uberior ac plenior, nempe prout fert illud de quo ſupra diſſeruimus veteris & novi Teſtamenti diſcrimen. Atque id eſt quod voluit idem Auguſtinus (quem ut optimum ex tota antiquitate & fideliſſimum teſtem ſæpius citamus)

de doctrina Chriſt. lib. 3. epiſt. ad Januarium.

quum tradit, Chriſto revelato Sacramenta fuiſſe inſtituta, *numero pauciora, ſignificatione auguſtiora, virtute præſtantiora.* Hujus quoque rei breviter admonitos eſſe lectores expedit, quicquid de opere operato nugati ſunt Sophiſtæ, non modo falſum eſſe, ſed pugnare cum Sacramentorum natura, quæ inſtituit Deus ut fideles, vacui bonorum omnium & inopes, nihil præter mendicitatem eo afferant. Unde ſequitur, ea recipiendo nihil iſtos agere unde laudem mereantur, vel in actione (quæ eorum reſpectu mere paſſiva eſt) nullum illis poſſe opus adſcribi.

CAP. XV.

De Baptiſmo.

Duæ ſunt partes hujus capitis.

1. *De duobus finibus Baptiſmi diſſertatio. De priore, à ſectione prima ad duodecimam. De poſteriore, ſect.* 13.
2. *Altera pars ad quatuor capita referri poteſt.* I. *De uſu Baptiſmi,* 14. *&* 15. *ſect.* II. *De miniſtri dignitate vel indignitate,* 16. 17. 18. *ſect.* III. *De corruptelis quibus hoc Sacramentum fuit inquinatum,* 19. *ſect.* IV. *Ad quos ſpectet ejus adminiſtratio, ſect.* 20. 21. *&* 22.

Baptiſmi definitio. Ejuſdem primus finis.

BAptiſmus ſignum eſt initiationis quo in Eccleſiæ cooptamur ſocietatem, ut Chriſto inſiti, inter filios Dei cenſeamur. Porro in hunc finem nobis à Deo datus eſt (quod myſteriis omnibus commune eſſe docui) primum ut fidei noſtræ apud ſe, deinde ut confeſſioni apud homines ſerviret. Utriuſque inſtitutionis rationem ordine proſequemur. Tria autem affert fidei

Qui in tribus potiſſimum conſtat.

noſtræ Baptiſmus, quæ & ipſa ſigillatim pertractanda ſunt. Hoc primum eſt quod nobis à Domino pro-

proponitur, ut ſymbolum ſit noſtræ purgationis ac documentum: vel (ut melius explicem quod volo) inſtar ſignati cujuſdam diplomatis, quo nobis confirmet, peccata noſtra omoia ſic deleta, inducta, obliterata eſſe, ne unquam in conſpectum ſuum veniant, ne commemorentur, ne imputentur. Vult enim omnes qui crediderint baptizari in remiſſionem peccatorum. Proinde quibus viſum eſt Baptiſmum non aliud eſſe quam teſſeram ac notam qua religionem noſtram apud homines profitemur, quo modo imperatoris ſui ioſignia præferunt milites in ſuæ profeſſionis notam, ii quod primum erat in Baptiſmo non perpenderunt. Id vero eſt, quod à nobis accipiendus ſit cum hac promiſſione, *Quicunque crediderint, & baptizati fuerint, ſalvos fore.*

1. Quod teſtetur peccatorum remiſſionem.

Marc. 16. verſ. 16.

2. In hunc ſeoſum intelligendum quod à Paulo ſcribitur, *Eccleſiam à ſponſo Chriſto ſanctificatam eſſe, & mundatam lavacro aquæ, in verbo vitæ.* Et alibi, *nos ſecundum ejus miſericordiam ſalvos factos eſſe per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti.* Et à Petro, *quod Baptiſma nos ſalvos facit.* Non enim ſignificare voluit ille, ablutionem & ſalutem noſtram aqua perfici, aut aquam purgandi, regenerandi, renovandi virtutem io ſe continere: neque hic ſalutis cauſam, ſed duntaxat talium donorum cognitionem & certitudinem in hoc Sacramento percipi: quod verbis ipſis ſatis evidenter explicatur. Nam verbum vitæ & Baptiſmum aquæ ſimul connectit Paulus: acſi diceret, per Euangelium nobis noſtræ ablutionis & ſanctificationis nuncium afferri, per Baptiſmum hujuſmodi ouncium obſignari. Et ſubdit continuo Petrus, Baptiſma illud non eſſe *depoſitionem ſordium carnis, ſed conſcientiam bonam apud Deum, quæ ex fide eſt.* Imo non aliam nobis purificationem Baptiſmus pollicetur quam per aſperſionem ſanguinis Chriſti: qui per aquam, proptet mundandi abluendique ſimilitudinem, figuratur. Quis ergo nos aqua iſta mundari dicat, quæ certo teſtatur Chriſti ſanguinem verum eſſe atque unicum noſtrum lavacrum? Ut non aliunde peti queat certior ratio ad refelleodam eorum hallucinationem qui ad aquæ virtutem referunt omnia, quam ab ipſius Baptiſmi ſignificatione: quæ tam ab elemento illo viſibili quod oculis noſtris objicitur, abſtrahit, quam ab aliis omnibus mediis, ut uni Chriſto mentes noſtras devinciat.

Hac remiſſio peccatorum quibuſdam Scriptura teſtimoniis comprobatur.

Eph 5: 26.
Tit. 3: 5, 6.
1 Pet. 3: 21.

3. Neque vero exiſtimandum eſt, Baptiſma in præteritum duntaxat tempus conferri, ut novis lapſibus, in quos à Baptiſmate recidimus, quærenda ſint alia nova expiationis remedia io aliis neſcio quibus ſacramentis, perinde acſi illius vis obſoleta eſſet. Hoc quidem errore olim factum eſt, ut oonnulli niſi in ultimo vitæ diſcrimine, atque adeo inter ultimos ſpiritus Baptiſmo initiari nollent, ut ſic totius vitæ obtinerent veniam. In quam præpoſteram cautionem veteres Epiſcopi toties in ſcriptis ſuis invehuntur. Sic autem cogitandum eſt, quocunque baptizemur tempore, nos ſemel in omnem vitam ablui & purgari. Itaque quoties lapſi fuerimus, repetenda erit Baptiſmi memoria, & hac armandus animus, ut de peccatorum remiſſione ſemper certus ſecuruſque ſit. Nam etſi ſemel adminiſtratus præteriiſſe viſus eſt, poſterioribus tameo peccatis non eſt abolitus. Puritas enim Chriſti in eo nobis oblata eſt: ea ſemper viget, nullis maculis opprimitur: ſed omnes noſtras ſordes abluit & extergit. Neque hinc tamen peccandi in futurum licentia captanda eſt (ut certe hinc ad talem audaciam minime inſtruimur) ſed hæc doctrina iis tantum traditur qui ubi peccaverunt, ſub peccatis ſuis fatigati & oppreſſi gemunt, ut habeant quo ſe erigant ac conſolentur, ne in confuſionem ac deſperationem ruant. Sic Paulus ait, *Chriſtum factum nobis eſſe propitiatorem, in remiſſionem præcedentium delictorum.* Quo non negat perpetuam aſſiduamque peccatorum remiſſionem ad mortem uſque in eo obtineri: ſed datum eum à Patre miſeris tantum peccatoribus ſignificat, qui conſcientiæ cauterio vulnerati ad medicum ſuſpirant. His offertur miſericordia Dei. Qui peccandi materiam & licentiam ex impunitate aucupantur, nihil ſibi præter iram & judicium Dei provocant.

Nec ea præteritorum tantum, ſed etiam futurorum peccatorum eſt.

Hinc tamen peccandi licentia minime captanda.

Rom. 3. verſ. 25.

4. Equidem ſcio aliud communiter receptum eſſe, pœnitentiæ & clavium beneficio nos obtinere poſt Baptiſmum remiſſionem, quæ prima regeneratione per ſolum Baptiſmum nobis datur. Sed qui hoc comminiſcuntur, in eo errant quod non cogitant poteſtatem clavium, de qua loquuntur, à Baptiſmo ſic pendere ut nullo modo ſeparari debeat. Remiſſionem accipit peccator Eccleſiæ miniſterio, nempe non ſioe Euangelii prædicatione. Qualis autem illa eſt? Nos ſanguine Chriſti emundari à peccatis. Atqui lavacri illius ſignum ac teſtimonium quid eſt niſi Baptiſmus? Videmus igitur ut ad Baptiſmum abſolutio illa referatur. Et hic error commentitium Pœnitentiæ ſacramentum nobis pepererit: de quo aliquid ante attigi, & quod reſiduum eſt ſuo loco abſolvam. Nihil autem mirum ſi homines qui pro iogenii ſui craſſitie rebus externis immodice ſunt affixi, hac quoque in parte vitium illud prodiderunt: ut puta Dei inſtitutione non contenti, nova ſubſidia à ſeipſis conficta ingererent. Quaſi vero Baptiſmus ipſe non eſſet pœnitentiæ ſacramentum. Quod ſi hæc in totam vitam nobis commendatur, vis quoque Bapeiſmi ad eoſdem uſque fines exteodi debet. Quare nec dubium quin pii omnes toto vitæ curriculo, quoties vitiorum ſuorum conſcientia vexantur, ſeſe ad Baptiſmi memoriam revocare audeant, ut ſe inde confirment in illius unicæ ac perpetuæ ablutionis fiducia quam habemus in Chriſti ſaoguine.

Refutatur eorum error, qui aliter ſentiunt, & inter Baptiſmum & Pœnitentiam ita partiuntur, ut remiſſionem priorum Baptiſmo, ſequentium vero pœnitentia aſſignent.

5. Alterum etiam fructum affert, quia noſtram in Chriſto mortificationem nobis oſtendit, & novam in eo vitam. *Siquidem* (ut ait Apoſtolus) *in mortem ejus baptizati ſumus, conſepulti ipſi in mortem, ut in novitate vitæ ambulemus.* Quibus verbis non ad imitationem ejus nos ſolum exhortatur (acſi diceret, admoneri nos per Baptiſmum, ut quodam mortis Chriſti exemplo, concupiſcentiis noſtris moriamur: & exemplo reſurrectionis, ut in juſtitiam ſuſcitemur) ſed rem longe altius repetit: nempe quod per Baptiſmum Chriſtus nos mortis ſuæ fecerit participes ut in eam inſeramur. Et quemadmodum ſurculus ſubſtantiam alimentumque ducit à radice cui inſitus eſt: ita qui Baptiſmum ea qua debent fide accipiunt, vere efficaciam mortis Chriſti ſeotiunt in mortificatione carnis ſuæ: ſimul etiam reſurrectionis, in vivificatione Spiritus. Inde exhortationis materiem deſumit: quod ſi Chriſtiani ſumus, debemus *mortui eſſe peccato, & juſtitiæ vivere.* Hoc eodem argumento alibi utitur, Quod circumciſi ſumus, & exuimus veterem hominem, *poſtquam per Baptiſmum in Chriſto ſepulti ſumus.* Et hoc ſenſu, eo quem ante citavimus loco, vocavit *lavacrum regenerationis & renovationis.* Itaque primum gratuita peccatorum venia & juſtitiæ imputatio nobis promittitur, deinde Spiritus ſancti gratia, quæ nos in vitæ novitatem reformet.

2. Secundus finis ſeu fructus Baptiſmi eſt, ut intelligamus, nos in mortificationem & novam vitam una cum Chriſto inſeri.

Rom. 6. verſ. 3, 4.

Col. 2: 12.

Tit. 3: 5.

6. Poſtremo & hanc è Baptiſmo utilitatem fides noſtra accipit, quod certo nobis teſtificatur, non modo in mortem & vitam Chriſti nos inſitos eſſe: ſed ſic ipſi Chriſto unitos ut omnium ejus bonorum participes ſimus. Ideo enim Baptiſmum in ſuo corpore dedicavit & ſanctificavit, ut communem eum nobiſcum haberet, ceu firmiſſimum unionis ac ſocietatis, quam nobiſcum inire dignatus eſt, vinculum: ut Paulus ex eo probet, nos eſſe filios Dei, quia Chriſtum in Baptiſmo induimus. Ita videmus Baptiſmi complementum in Chriſto eſſe, quem etiam hac ratione vocamus proprium

3. Ut ſciamus nos ſic ipſi Chriſto eſſe unitos, ut omnium ejus bonorum ſimus participes.

Matth. 3. v. 13. &c.
Gal. 3: 27.

Baptiſmi

Baptiſmi objectum. Proinde mirum non eſt ſi in ejus nomen baptizaſſe narraotur Apoſtoli, qui tamen in Patris quoque & Spiritus nomen baptizare juſſi fuerant. Quicquid enim in Baptiſmo proponitur donorum Dei, in Chriſto uno reperitur. Neque tamen fieri poteſt quin Patris ſimul & Spiritus nomen invocet qui in Chriſtum baptizat. Ideo enim ejus ſanguioe emundamur, quia miſericors Pater nos pro ſua incomparabili clementia recipere in gratiam volens, mediatorem hunc in medio ſtatuit, qui nobis favorem apud ipſum conciliet. Regenerationem vero ita demum ab ejus morte & reſurrectione conſequimur, ſi per Spiritum ſanctificati imbuamur nova & ſpirituali natura. Quamobrem noſtræ tum purgationis tum regenerationis in Patre cauſam, in Filio materiam, in Spiritu effectum conſequimur, & quodammodo diſtincte cernimus. Sic primum Joannes baptizavit, ſic deinde Apoſtoli, *Baptiſmo pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum:* pœniteotiæ verbo hujuſmodi regenerationem intelligentes: remiſſione peccatorum, ablutionem.

Actor. 8. verſ. 16. & 19: 5. Matth. 28. verſ. 19.

Secundus & tertius finis tam in Joannis quam Apoſtolorum Baptiſmo eſt perſpicuus.

Matth. 3. verſ. 6, 11. Luc. 3: 3. Joan. 3: 23. & 4: 1. Actor. 2. v. 38, 41.

7. Quo etiam certiſſimum fit, idem fuiſſe prorſus Joanois miniſterium, quod Apoſtolis poſtea delegatum eſt. Non enim alium Baptiſmum faciunt diverſæ manus quibus adminiſtratur: ſed eundem eſſe eadem doctrina oſtendit. In unam doctrinam Joannes & Apoſtoli conſenſerunt: utrique in pœnitentiam, utrique in remiſſionem peccatorum, utrique in nomen Chriſti, à quo pœnitentia & peccatorum remiſſio eſſet, baptizarunt. Joannes dixit, *agnum eſſe Dei per quem tollerentur peccata mundi:* ubi eum hoſtiam fecit Patri acceptam, propitiatorem juſtitiæ, ſalutiſque auctorem. Quid ad hanc confeſſionem addere poterant Apoſtoli? Quare neminem perturbet quod alterum ab altero diſcernere veteres contendunt, quorum non tanti eſſe nobis debet calculus ut Scripturæ certitudinem quatefaciat. Quis enim Chryſoſtomo potius auſcultet, neganti in Joanois Baptiſmo comprehenſam fuiſſe peccatorum remiſſionem, quam Lucæ contra aſſerenti, *Joannem Baptiſmum pœnitentiæ prædicaſſe in peccatorum remiſſionem?* Nec recipienda eſt illa Auguſtini argutia, *in ſpe dimiſſa fuiſſe peccata Baptiſmo Joannis, Chriſti Baptiſmo reipſa dimitti.* Quum enim Euangeliſta clare teſtetur, Joannem in ſuo Baptiſmo remiſſionem peccatorum pollicitum fuiſſe: quid extenuare hoc elogium opus eſt, quum nulla neceſſitas ad id cogat? Siquis autem differentiam è Dei verbo quærat, non aliam inveniet quam quod in eum qui venturus erat, Joannes baptizabat: Apoſtoli in eum qui jam ſe exhibuerat.

In hunc finem Baptiſmus Joannis & Apoſtolorum unus idemque prorſus eſt.

Joan. 1. verſ. 29.

Homil. in Matth. 14.

Luc. 3: 3.

lib. 5. de Baptiſm. contra Donatiſt. cap. 10.

Luc. 3: 16. Act. 19: 4.

8. Quod luculentiores Spiritus gratiæ à Chriſti reſurrectione effuſæ ſunt, nihil ad ſtatuendam Baptiſmatum diverſitatem attinet. Siquidem Baptiſmus, quem ipſo adhuc in terris agente Apoſtoli adminiſtrabant, ejus vocabatur: neque tamen largiorem Spiritus opulentiam habebat quam Baptiſmus Joannis. Quin ne poſt aſcenſionem quidem, Spiritu ſupra vulgarem priorum fidelium modum donantur Samaritani, etiamſi in oomen Jeſu baptizati fueriot, donec ad eos Petrus & Joannes mittuntur qui manus imponant. Hoc ſolum veteribus impoſuiſſe arbitror, ut hunc ad illum præparationem duntaxat eſſe dicereot, quod legebant rurſum à Paulo baptizatos qui Joannis Baptiſmum ſemel ſuſceperant. Sed quam hic ſint hallucinati, alibi ſuo loco clariſſime explicabitur. Quid ergo eſt quod Joannes dixit, *ſe quidem aqua baptizare: venturum autem* Chriſtum *qui baptizaret Spiritu ſancto & igni?* Paucis expediri hoc poteſt. Non enim Baptiſmum à Baptiſmo diſtinguere voluit, ſed perſonam ſuam cum Chriſti perſona contulit, ſe miniſtrum eſſe aquæ, illum Spiritus ſancti datorem: & hanc virtutem viſibili miraculo declaraturum quo die Spiritum ſanctum Apoſtolis ſub linguis igneis mitteret. Quid Apoſtoli jactare ultra potuerunt? Quid & qui hodie baptizant? ſuot enim exterioris duntaxat ſigoi miniſtri, Chriſtus interioris gratiæ auctor, ut iidem illi veteres ubique docent, in primiſque Auguſtinus, cui hæc præcipua eſt fultura contra Donatiſtas, Qualiſcunque ſit qui baptizat, uoum tamen Chriſtum præeſſe.

Objectio eorum, qui Joannis Baptiſmum ab Apoſtolorum Baptiſmo diverſum eſſe ſtatuunt, diluitur.

Actor. 8. v. 14, 17.

Actor. 19. verſ. 3, 5.

Mat. 3: 11.

Act. 2: 3.

9. Hæc quæ tum de mortificatione, tum de ablutione diximus, in populo Iſrael adumbrata ſunt: quem eam ob cauſam Apoſtolus dicit *in nube & in mari fuiſſe baptizatum.* Mortificatio figurata eſt quum Dominus è manu Pharaonis & crudeli ſervitute eos aſſerens, viam illis ſtravit per mare Rubrum, & Pharaonem ipſum & Ægyptios hoſtes, qui à tergo illis inſtabaot, & cervicibus imminebant, ſubmerſit. Nam & ad hunc modum in Baptiſmo pollicetur nobis, & dato ſigno oſtendit, nos ex Ægypti captivitate, hoc eſt, è peccati ſervitute, ſua virtute eductos & vindicatos: ſubmerſum Pharaonem noſtrum, id eſt, diabolum: quanquam nec ſic etiam exercere nos & fatigare deſinat. Verum ut Ægyptius ille non in profuodum maris dejectus fuerat, ſed in littore proſtratus, terribili aſpectu adhuc Iſraelitas terrebat, nocere tamen non poterat: ita hic noſter adhuc quidem minatur, arma oſtendit, ſentitur, ſed vincere non poteſt. In nube, purgationis ſymbolum fuit. Nam ut tum illos Dominus oppoſita nube operuit, & refrigerium præſtitit, ne inclementiora Solis ardore deficerent & tabeſcerent: ita in Baptiſmo nos Chriſti ſanguine opertos eſſe & protectos agnoſcimus ne Dei ſeveritas, quæ vere eſt flamma intolerabilis, nobis incumbat. Etſi vero tunc obſcurum & paucis cognitum fuit myſterium: quia tamen non alia eſt ſalutis adipiſcendæ ratio quam in illis duabus gratiis, noluit Deus utriuſque teſſera vetuſtos Patres, quos hæredes adoptavarat, privare.

Denique Baptiſmi beneficia in populo Iſrael per tranſitum maris & refrigerium nobis adumbrata ſunt.

1 Cor. 10. verſ. 2.

Exod. 14. v. 21, 22, & 26.

Num. 9. v. 18, 19.

10. Jam perſpicuum eſt quam falſum ſit quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alii perſiſtunt, per Baptiſmum ſolvi nos & eximi ab originali peccato, & à corruptione quæ ab Adam io univerſam poſteritatem propagata eſt: atque in eandem juſtitiam naturæque puritatem reſtitui quam obtinuiſſet Adam, ſi in ea qua primum treatus fuerat, iotegritate ſtetiſſet. Tale enim doctorum genus nunquam quid peccatum originale, quid juſtitia originalis, quæ gratia Baptiſmi eſſet, aſſequutum eſt. Jam vero ante diſputatum eſt, peccatum originale eſſe naturæ noſtræ pravitatem ac corruptionem, quæ primum reos facit nos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert quæ Scriptura vocat *opera carnis.* Hæc itaque duo diſtincte obſervanda: nempe quod ſic omnibus naturæ noſtræ partibus vitiati perverſique, jam ob talem duntaxat corruptionem damnati merito, convictique coram Deo tenemur, cui nihil eſt acceptum niſi juſtitia, ionocentia, puritas. Atque adeo infantes quoque ipſi ſuam ſecum damnationem à matris utero afferunt: qui tametſi ſuæ iniquitatis fructus nondum protulerint, habent tamen in ſe incluſum ſemen. Imo tota eorum natura quoddam eſt peccati ſemen: ideo non odioſa & abominabilis Deo eſſe non poteſt. Hanc damnationem ſublatam & à ſe depulſam eſſe certi per Baptiſmum fideles fiunt: quando (ut dictum fuit) Dominus hoc ſigoo nobis pollicetur plenam ſolidamque remiſſionem factam eſſe, & culpæ quæ imputanda nobis erat, & pœnæ quæ ob culpam luenda: juſtitiam quoque apprehendunt, ſed qualem in hac vita obtinere populus Dei poteſt, nempe imputatione duntaxat: quia pro juſtis & innocentibus eos ſua miſericordia Dominus habet.

Objectio aliorum, qui ſtatum quendam perfectæ inſtaurationis poſt Baptiſmum ſomniant.

Reſponſio, Originalis pravitas remanet poſt Baptiſmum.

Gal. 5: 19.

Et eſt in ipſis infantibus.

Juſti autem ſunt electi Dei baptizati, imputatione juſtitiæ duntaxat in hac vita.

11. Alterum eſt, quod hæc perverſitas nunquam in nobis ceſſat, ſed novos aſſidue fructus parit, ea ſcilicet quæ ante deſcripſimus opera carnis: non ſecus atque incenſa fornax flammam & ſcintillas per-

Ea autem originalis corruptio, toto vitæ hujus curri-

culo piis negotium facesſit.

petuo efflat, aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit. Nam concupiſcentia nunquam plane io hominibus interit & extinguitur, donec per mortem è corpore mortis liberati, ſemetipſos prorſus exuerint. Baptiſmus quidem promittit nobis ſubmerſum eſſe noſtrum Pharaonem, & peccati mortificationem: non tamen ita ut amplius non ſit, aut nobis negotium non faceſſat: ſed tantum ne ſuperet. Nam quamdiu in hoc carcere corporis noſtri clauſi degemus, habitabunt in nobis reliquiæ peccati: ſed ſi promiſſionem in Baptiſmo nobis à Deo datam fide tenemus, oon dominabuntur nec regnabunt. Nemo autem ſe fallat, nemo ſibi in ſuo malo blandiatur, quum audit peccatum ſemper in nobis habitare.

Nec inde tamen peccandi licentiam arripiunt: imo cautius & tutius ambulant in viis Domini.

Non in hoc dicuntur iſta, ut peccatis ſuis ſecure indormiant qui alioqui plus ſatis propenſi ſunt ad peccandum: ſed tantum ne labaſcant, & animum deſpondeant, qui à carne ſua titillantur & pungun-tur. Magis cogitent ſe io via adhuc eſſe, & multum ſe profeciſſe credant, quum è ſua concupiſcentia aliquantulum minui iodies ſenſerint, donec eo pertigerint quo tendunt: nempe ad ultimum interitum carnis ſuæ, qui in hujus vitæ mortalis interitu perficietur. Interea & ſtrenue certare, & ad progreſſum ſe animare, & ad plenam victoriam ſtimulare non deſinant. Nam & hoc magis acuere debet eorum conatus, quod ſibi, poſtquam diu enixi fuerint, non parum adhuc negotii reſtare vident. Sic habendum eſt: baptizamur in mortificationem carnis noſtræ, quæ à Baptiſmo in nobis inchoatur, quam quotidie proſequimur: perficietur autem quum ex hac vita migrabimus ad Dominum.

Pravitatem illam piis faceſſere negotium exemplo & teſtimonio Pauli Apoſtoli oſtenditur.

12. Hic nihil aliud dicimus quam quod Apoſtolus Paulus ſexto & ſeptimo ad Rom. capite clariſſime exponit. Poſtquam enim de gratuita juſtitia diſputaverat, quia nonnulli impii inde inferebant vivendum eſſe pro libidine, quia non eſſemus operum meritis accepti Deo: ſubjungit, eos omnes qui juſtitia Chriſti induuntur, ſimul Spiritu regenerari, & hujus regenerationis nos arrham habere in Baptiſmo. Hinc hortatur fideles, ne dominium peccato permittant in ſuis membris. Jam quia noverat ſemper aliquid eſſe infirmitatis in fidelibus: ne propterea dejicerentur, adjicit conſolationem, quod non ſint ſub Lege. Quia iterum videri poterat, inſoleſcere poſſe Chriſtianos, eo quod non ſint ſub jugo Legis, tractat qualis ſit illa abrogatio: & ſimul quis ſit Legis uſus, quam quæſtionem jam ſecundo diſtulerat. Summa eſt, nos eſſe liberatos à rigore Legis ut Chriſto cohæreamus. Legis vero officium eſſe, ut pravitatis oostræ convicti noſtram impotentiam & miſeriam confiteamur. Porro quia pravitas illa naturæ non tam facile apparet in homine profano, qui ſine timore Dei cupiditatibus ſuis indulget: exemplum in homine regeoerato ponit, hoc eſt, in ſeipſo. Dicit igitur perpetuam ſibi luctam eſſe cum reliquiis carnis ſuæ, ſeque vinctum miſera ſervitute detineri quominus ſe totum divinæ Legis obedientiæ conſecret. Itaque cum gemitu cogitur exclamare, *Infelix ego, Quis me liberabit de corpore hoc morti obnoxio?* Quod ſi filii Dei captivi in carcere detioentur quamdiu vivunt, magnopere anxios eſſe neceſſe eſt periculi ſui cogitatione, oiſi huic timori obviam eatur. Attexit ergo in hunc uſum conſolationem, *nihil eſſe damnationis amplius iis qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Ubi docet, eos quos ſemel Dominus recepit in gratiam, in Chriſti ſui communionem inſeruit, io Eccleſiæ ſocietatem per Baptiſmum cooptavit, dum in Chriſti fide perſeverant, etiamſi à peccato obſideantur, atque adeo peccatum in ſe circumferant, reatu tamen & damnatione eſſe abſolutos. Hæc ſi ſimplex eſt ac genuina Pauli interpretatio, non eſt quod iouſitatum aliquid tradere videamur.

Rom. 6. v. 1, 4. &c.

Rom. 7. verſ. 24.

Secundus finis Baptiſmi eſt, ut noſtra apud homines confeſſioni ſerviat, & quomodo id fiat.

13. Confeſſioni autem noſtræ apud homines ſic ſervit Baptiſmus. Siquidem nota eſt qua palam profitemur nos populo Dei accenſeri velle: qua teſtamur nos in unius Dei cultum, in unam religionem cum Chriſtianis omnibus conſentire: qua denique fidem noſtram publice affirmamus, ut non modo laudem Dei ſpirent corda noſtra, ſed linguæ etiam & omnia corporis membra quibus poſſunt ſignificationibus perſonent. Ita enim, ut decet, noſtra omnia in obſequium gloriæ Dei conferuntur, qua nihil vacuum eſſe debet, & cæteri noſtro exemplo ad eadem ſtudia incitentur. Huc reſpiciebat Paulus, quum interrogaret Corinthios annon in Chriſti oomen baptizati fuiſſent. Innuens ſcilicet, eo ipſo quod in ejus nomen fuiſſent baptizati, ſeſe illi devoviſſe, in ejus oomen juraſſe, & fidem illi ſuam apud homines obſtrinxiſſe, ut confiteri amplius alium non poſſent præter ſolum Chriſtum, niſi confeſſionem abnegare vellent quam in Baptiſmo edide-rant.

1 Cor. 1. v. 12, 13.

Altera capitis pars in 4. partes diſtincta. 1. De uſu Baptiſmi, quantum ad fidei confirmationem.

14. Nunc poſtquam enarratum eſt quid ſpectaverit Dominus noſter in inſtitutione Baptiſmi: quæ ſit nobis utendi accipiendique ratio judicare promptum eſt. Nam quatenus erigendæ, alendæ, confirmandæque fidei noſtræ datur, ſumendus eſt quaſi è manu ipſius auctoris: certum perſuaſumque habere convenit, ipſum eſſe qui nobis per ſignum loquitur, ipſum eſſe qui nos purgat, abluit, delictorum memoriam abolet: ipſum eſſe qui mortis ſuæ participes facit, qui Satanæ regnum adimit, qui concupiſcentiæ noſtræ vires enervat: imo qui in unum coaleſcit nobiſcum, ut eum induti filii Dei cenſeamur. Hæc, inquam, tam vere certoque animæ noſtræ intus præſtare, quam certo videmus corpus noſtrum extra ablui, ſubmergi, circumdari. Iſthæc enim ſive analogia, ſive ſimilitudo, certiſſima eſt Sacramentorum regula: ut in rebus corporeis ſpirituales conſpiciamus, perinde acſi coram oculis noſtris ſubjectæ forent, quando iſtiuſmodi figuris repræſentare Domino viſum eſt: non quia Sacramento tales gratiæ illigatæ incluſæque ſint, quo ejus virtute nobis conferantur: ſed duntaxat quia hac teſſera voluntatem ſuam nobis Dominus teſtificatur, nempe ſe hæc omnia nobis velle largiri. Neque tantum nudo ſpectaculo paſcit oculos: ſed in rem præſentem nos adducit, & quod figurat, efficaciter ſimul implet.

Confirmatio, Cornelii & Pauli exemplo illuſtrata.

15. Hujus documentum ſit Cornelius centurio, qui peccatorum remiſſione, qui gratiis Spiritus ſancti viſibilibus jam antea donatus, baptizatus eſt: non largiorem remiſſionem è Baptiſmo petens, ſed certiorem fidei exercitationem: imo fiduciæ augmentum ex pignore. Objecerit forte aliquis, Cur igitur Paulo dicebat Ananias, ut *peccata ſua per Baptiſmum ablueret*, ſi Baptiſmi ipſius virtute peccata non abluuntur? Reſpondeo, Dicimur accipere, obtinere, impetrare, quod, quantum ad fidei noſtræ ſenſum, nobis à Domino exhibetur, ſive id tum primum teſtatur, ſive teſtatum magis ac certius confirmat. Hoc itaque tantum voluit Ananias, Ut certus ſis, Paule, remiſſa tibi eſſe peccata, baptizare. Promittit enim Dominus in Baptiſmo remiſſionem peccatorum: hanc accipe, & ſecurus eſto. Quanquam mihi animus non eſt Baptiſmi vim extenuare, quin ſigno accedat res & veritas, quatenus per externa media Deus operatur. Cæterum, ex hoc Sacramento, quemadmodum ex aliis omnibus, nihil aſſequimur niſi quantum fide accipimus. Si fides deſit, erit in teſtimonium ingratitudinis noſtræ, quo rei coram Deo peragamur, quia promiſſioni illic datæ iocreduli fuerimus.

Actor. 10. verſ. 48.

Act. 9: 17. & 22: 16.

De uſu Baptiſmi, quantum ad fidei confeſſionem.

Quatenus vero confeſſionis noſtræ ſymbolum eſt, teſtari eo debemus fiduciam noſtram io Dei miſericordia eſſe, & puritatem noſtram in peccatorum remiſſione, quæ parta nobis eſt per Jeſum Chriſtum: noſque in Eccleſiam Dei ingredi, ut uno fidei & charitatis conſenſu cum

fide-

fidelibus omnibus vivamus unaoimes. Hoc poſtremum voluit Paulus, quum inquit, *in uno nos omnes Spiritu baptizatos eſſe, ut unum corpus ſimus.*

1 Cor. 12. verſ. 13.

2. De indignitate ſive dignitate Miniſtri. Nihil hac Baptiſmo afferri vel auferri.

16. Porro ſi verum eſt quod conſtituimus, Sacramentum non ex ejus manu æſtimandum eſſe à quo adminiſtratur, ſed velut ex ipſa Dei manu, à quo haud dubie profectum eſt: inde colligere licet nihil illi afferri vel auferri ejus dignitate per cujus manum traditur. Ac perinde atque inter homines, ſiqua miſſa epiſtola fuerit, modo ſatis & manus & ſignum agnoſcatur, minime refert quis aut qualis tabellarius fuerit: ita nobis ſufficere debet manum & ſignum Domini noſtri in Sacramentis ſuis agnoſcere, à quocunque tandem tabellario deferantur. His Donatiſtarum error pulchre refutatur, qui vim ac pretium Sacramenti metiebantur miniſtri dignitate. Tales hodie ſunt Catabaptiſtæ noſtri, qui rite nos baptizatos pernegant, quod ab impiis & idololatris in regno Papali baptizati ſumus: itaque anabaptiſmum furioſe urgent. Adverſus quorum ineptias ſatis valida ratione muniemur, ſi cogitemus nos Baptiſmo initiatos, non in nomen alicujus hominis, ſed in nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ideoque Baptiſmum non eſſe hominis, ſed Dei: à quocunque tandem adminiſtratus fuerit. Ut maxime Dei & totius pietatis ignari aut contemptores fuerint qui nos baptizabant: non tamen in ſuæ ignorantiæ vel ſacrilegii conſortium nos tinxerunt, ſed in fidem Jeſu Chriſti: quia non ſuum, ſed Dei nomen invocaverunt, nec in aliud nomen nos baptizarunt. Quod ſi baptiſma Dei erat, habuit certe incluſam promiſſionem de peccatorum remiſſione, mortificatione carnis, vivificatione ſpirituali, participatione Chriſti. Sic Judæis nihil obfuit, ab impuris Sacerdotibus & apoſtatis fuiſſe circumciſos: neque propterea irritum fuit ſignum, ut iterari neceſſe foret, ſed ad genuinam originem redire ſatis fuit. Quod objiciunt, in conventu piorum debere Baptiſmum celebrari, non efficit ut totam ejus vim quod in parte vitioſum eſt extinguat. Nam quum docemus quid fieri deceat ut putus ſit Baptiſmus omnique inquinamento vacuus, non abolemus Dei inſtitutionem, quamvis eam idololatræ corrumpant. Nam quum olim multis ſuperſtitionibus vitiata eſſet Circumciſio, pro gratiæ tameo ſymbolo haberi non deſiit: nec Joſias & Ezechias, quum ex toto Iſraële colligerent qui deſecerant à Deo, ad alteram eos Circumciſionem vocarunt.

Unde ſequitur rebaptizandos non eſſe qui ſub Papiſmo baptizati ſunt.

Matth. 28. verſ. 19.

Nec ſatis firmum eſt quod Catabaptiſtæ ab effectu ducunt argumentum, quia poſt Baptiſmum aliquot annis cæci & increduli manſimus.

17. Jam vero quod nos interrogant, quæ tamen fides noſtra Baptiſmum aliquot annis ſequuta ſit, ut inde evincant irritum eſſe Baptiſmum, qui nobis non ſanctificatur niſi verbo promiſſionis fide accepto: ad id poſtulatum reſpondemus, nos quidem cæcos & incredulos, longo tempore promiſſionem quæ in Baptiſmo nobis data erat, non tenuiſſe: promiſſionem tamen ipſam, quando à Deo erat, ſtatam ſemper & firmam veracemque manſiſſe. Etiamſi omnes homines mendaces & perfidi, Deus tamen verax eſſe non deſinit: etiamſi omnes perditi, Chriſtus tamen ſalus manet. Fatemur ergo Baptiſmum pro eo tempore non profuiſſe nobis hilum, quando in eo nobis oblata promiſſio, ſine qua Baptiſmus nihil eſt, neglecta jacebat. Nunc ubi Dei gratia reſipiſcere cœpimus, cæcitatem noſtram & duritiem cordis accuſamus, qui tantæ ejus bonitati tam diu ingrati fuerimus. Cæterum promiſſionem ipſam non evanuiſſe credimus: quin potius ſic reputamus, Deus per Baptiſmum peccatorum remiſſionem pollicetur, & promiſſam indubie omnibus credentibus præſtabit. Ea promiſſio nobis in Baptiſmo fuit oblata: fide igitur amplectamur. Diu quidem nobis propter infidelitatem ſepulta fuit: nunc igitur eam per fidem recipiamus. Quamobrem ubi ad reſipiſcentiam Judaicum populum Dominus invitat, de altera Circumciſione nil iis præcipit, qui impia (ut diximus) & ſacrilega manu circumciſi, eadem aliquandiu impietate impliciti vixerant: ſed ſolam cordis converſionem urget. Quoniam utcunque fœdus ab illis violatum foret, ſymbolum tamen fœderis, ex Domini inſtitutione, firmum inviolabileque ſemper manebat. Sola ergo reſipiſcentiæ conditione in fœdus reſtituebantur, quod ſemel cum illis in Circumciſione Deus percuſſerat: quam tamen per fœdifragi Sacerdotis manum acceptam, quantum in ſe erat, rurſum polluerant, & cujus effectum extinxerant.

Rom. 3. verſ. 3, 4.

Nam Dei promiſſio firma permanet.

Et Deus Judæos ad reſipiſcentiam invitans iterum circumcidi non jubet.

18. Verum igneum ſibi videntur telum vibrare quum allegant, Paulum rebaptizaſſe eos qui Joannis Baptiſmo ſemel baptizati erant. Nam ſi noſtra confeſſione, idem prorſus fuit Joannis Baptiſmus qui nunc noſter eſt: quemadmodum illi antea perverſe inſtituti, ubi rectam fidem edocti ſunt, in eam ſunt rebaptizati: ita Baptiſmus ille qui ſine vera doctrina fuit, pro nihilo reputandus eſt: & ex integro baptizari debemus in veram religionem qua nunc primum imbuti ſumus. Nonnullis videtur, quempiam fuiſſe Joannis κακόζηλον, qui priori Baptiſmate in vanam potius ſuperſtitionem illos initiaſſet. Cujus rei videntur hinc conjecturam ſumere quod ſe ignaros prorſus Spiritus ſancti eſſe confitentur: cujus ſcilicet ruditatis nunquam diſcipulos à ſe Joannes dimiſiſſet. Verùm nec veriſimile eſt Judæos, etiamſi minime fuiſſent baptizati, omni Spiritus cognitione fuiſſe deſtitutos, qui tot Scripturæ teſtimoniis celebratur. Quod ergo reſpondent ſe neſcire an ſit Spiritus, intelligendum eſt acſi dicerent ſe necdum audiviſſe, an gratiæ Spiritus, de quibus rogabantur à Paulo, Chriſti diſcipulis darentur. Ego autem concedo, fuiſſe illud verum Joannis Baptiſma, & unum idemque cum Chriſti Baptiſmate: ſed rebaptizatos nego. Quid igitur ſibi volunt verba, *Baptizati ſunt in nomine Jeſu?* Quidam interpretantur, tantum ſincera doctrina eruditos à Paulo fuiſſe: ſed ſimplicius intelligere malim, Baptiſmum Spiritus ſancti, hoc eſt, gratias Spiritus viſibiles per manuum impoſitionem datas: quas Baptiſmi nomine ſignificari non novum eſt. Qualiter in die Pentecoſtes, recordati Apoſtoli dicuntur verborum Domini de Baptiſmo ignis & Spiritus. Et Petrus eadem ſibi in memoriam rediiſſe commemorat, ubi gratias illas in Cornelium ejuſque familiam & cognationem effuſas vidiſſet. Nec repugnat quod poſtea ſubditur, *Quum impoſuiſſet illis manus, deſcendebat Spiritus ſanctus ſuper eos.* Non enim duo diverſa narrat Lucas: ſed formam narrationis ſequitur Hebræis familiarem, qui primum rei ſummam proponunt, deinde fuſius explicant. Quod ex ipſo verborum contextu animadvertere quivis poteſt. Dicit enim, *His auditu baptizati ſunt in nomine Jeſu. Et quum impoſuiſſet illis manus Paulus, Spiritus ſanctus deſcendebat ſuper illos.* Hac poſteriori loquutione deſcribitur qualis ille fuerit Baptiſmus. Quod ſi priorem Baptiſmum ignorantia vitiat, ut ſit altero Baptiſmo corrigenda: primi omnium rebaptizandi erant Apoſtoli, qui toto poſt Baptiſmum ſuum triennio vix modicam ſincerioris doctrinæ particulam deguſtaverant. Jam & quæ inter nos flumina ſufficerent tot repetendis tinctionibus, quot ignorantiæ, Domini miſericordia, quotidie in nobis corriguntur?

Illud etiam valde infirmum eſt, quod exemplo Pauli ſe muniunt, acſi ille diſcipulos quoſdam rebaptizaſſet.

Actor. 19. verſ. 3, 5.

Baptiſma Joannis & quid ſit baptizari in nomine Jeſu.

Act. 1: 5.

Actor. 11. verſ. 16.

19. Myſterii vis, dignitas, utilitas & finis ſatis jam, niſi fallor, liquere debent. Quod ad externum ſymbolum pertinet, utinam genuina Chriſti inſtitutio valuiſſet quantum par erat ad cohibendam hominum audaciam. Quaſi enim res eſſet contemptibilis, ex Chriſti præcepto, aqua baptizari, inventa eſt benedictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ conſecrationem pollueret. Additus poſtea cereus cum chriſmate: exſufflatio vero januam ad Baptiſmum aperire viſa eſt. Etſi autem me non latet

3. De corruptelis quibus inquinatum fuit hoc Sacramentum.

Incantatio aqua. Cereus. Chriſma. Exſufflatio.

quam

quam vetuſta ſit adventitiæ hujus farraginis origo: reſpuere tamen mihi & pus omnibus fas eſt quicquid ad Chriſti inſtitutionem addere auſi ſunt homines. Quum autem videret Satan ſtulta mundi credulitate abſque negotio fere inter ipſa Euangelii exordia receptas eſſe ſuas impoſturas, ad craſſiora ludibria prorupit: hinc ſputum & ſimiles nugæ palam in Baptiſmi probrum effreni licentia invectæ. Quibus experimentis diſcamus, nihil vel ſanctius eſſe vel melius vel tutius quam uoius Chriſti auctoritate contentos eſſe. Quanto igitur ſatius erat, omiſſis theatricis pompis quæ ſimplicium oculos perſtringunt, & mentes hebetant, quoties baptizandus aliquis eſſet, in cœtum fidelium ipſum repræſentari, & tota Eccleſia, velut teſte, ſpectante & orante ſuper eum, Deo offerri: recitari fidei confeſſionem qua ſit inſtituendus catechumenus: enarrari quæ in Baptiſmo habentur promiſſiones: catechumenum baptizari in nomen Patris & Filii & Spiritus ſancti: remitti demum cum precibus & gratiarum actione. Sic nihil omitteretur quod ad rem faceret, & una illa ceremonia quæ à Deo auctore profecta eſt, nullis exoticis ſordibus obruta, clariſſime effulgeret. Cæterum mergaturne totus qui tingitur, idque ter an ſemel, an infuſa tantum aqua aſpergatur, minimum refert: ſed id pro regionum diverſitate Eccleſiis liberum eſſe debet. Quanquam & ipſum baptizandi verbum mergere ſignificat, & mergendi ritum veteri Eccleſiæ obſervatum fuiſſe conſtat.

Sputum & ſimiles nugæ, quibus multifariam & mirum in modum, ſeculis aliquot anteactis, hominum inventis Baptiſmus vitiatus eſt.

Chriſtiani ac ſinceri Baptiſmi forma & ritus.

Immerſio libera eſſe debet.

20. Hoc etiam ſcire ad rem pertinet, perperam fieri ſi privati homines Baptiſmi adminiſtrationem ſibi uſurpent: eſt enim pars Eccleſiaſtici miniſterii, tam hujus quam Cœnæ diſpenſatio. Neque enim aut mulieribus aut hominibus quibuslibet mandavit Chriſtus ut baptizarent: ſed quos Apoſtolos conſtituerat, iis mandatum hoc dedit. Et quum diſcipulos juſſit facere in Cœnæ adminiſtratione, quod fieri ab ipſo viderant, quum ipſe legitimi diſpenſatoris officio functus eſſet: voluit proculdubio ut in eo ſuum exemplum imitarentur. Quod autem multis abhinc ſeculis, adeoque ab ipſo fere Eccleſiæ exordio uſu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, ſi Miniſter in tempore oon adeſſet, non video quam firma ratione defendi queat. Ne ipſis quidem veteribus, qui hunc morem vel tenebant, vel patiebantur, conſtabat an recte id fieret. Hanc enim dubitationem præ ſe fert Auguſtinus, quum dicit, *Etſi laicus neceſſitate compulſus Baptiſmum dederit, neſcio an pie quiſquam dixerit eſſe repetendum. Nulla enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum eſt.* De mulieribus porro citra ullam exceptionem ſancitum fuit in Concilio Carthaginenſi, ne baptizare omnino præſumant. At periculum eſt oe is qui ægrotat, ſi abſque Baptiſmo deceſſerit, regenerationis gratia privetur. Minime vero. Infantes noſtros, antequam naſcantur, ſe adoptare in ſuos pronunciat Deus, quum ſe nobis in Deum fore promittit, ſeminique noſtro poſt nos. Hoc verbo continetur eorum ſalus. Nec quiſquam in Deum tam contumelioſus eſſe audebit, ut ejus promiſſionem effectui ſuo ſufficere per ſe neget. Quantum damni invexerit dogma illud maſe expoſitum, Baptiſma eſſe de neceſſitate ſalutis, pauci animadvertunt: ideoque minus ſibi cavent: nam ubi invaluit opinio, perditos eſſe omnes quibus aqua tingi oon contigit, noſtra conditio deterior eſt quam veteris populi, quaſi reſtrictior eſſet Dei gratia quam ſub Lege: veniſſe enim Chriſtus cenſebitur non ad implendas promiſſiones, ſed abolendas: quando promiſſio, quæ tunc ante octavum diem ſaluti conferendæ per ſe erat ſatis efficax, nunc abſque ſigni adminiculo rata non eſſet.

4. Ad quos ſpectet Baptiſmi adminiſtratio.

Non ad privatos homines, aut ad mulieres: ſed ad Eccleſiæ miniſtros.

Unde privatorum & mulierum Baptiſmus.

libr. contra epiſt. Parm. 2. cap. 13.

cap. 100.

Objectio pro hac profana corruptela refutatur.

21. Qualis vero ante natum Auguſtinum conſuetudo fuerit, primum ex Tertulliano colligitur, *non permitti mulieri loqui in Eccleſia, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre: ne ullius virilis, nedum ſacerdotalis officii ſortem ſibi vendicet.* Ejuſdem rei locuples teſtis eſt Epiphanius, ubi Marcioni exprobrat quod mulieribus daret baptizandi licentiam. Nec vero me latet eorum qui cootra ſentiunt reſponſio, multum ſcilicet differre communem uſum ab extraordinario remedio quum ultima urget neceſſitas: ſed quum ludibrium eſſe proouncians dare fœminis baptizandi licentiam oihil excipiat, ſatis apparet, corruptelam hanc ab eo damnari, ut oullo prætextu ſit excuſabilis. Libro etiam tertio, ubi ne ſanctæ quidem Chriſti matri fuiſſe permiſſum docet, nullam reſtrictionem addit.

A Tertulliano & Epiphanio etiam exploſa eſt.

lib. contra hæreſ. 1.

22. Intempeſtive citatur Sephoræ exemplum. Nam quod placatus fuit Dei Angelus poſtquam illa arrepto lapide filium circumcidit, inde perperam colligitur factum illius probatum fuiſſe Deo. Alioqui dicendum eſſet placuiſſe Deo quem Gentes ab Aſſyria traductæ erexerant cultum. Sed aliis validis rationibus probatur, inſcite ad imitationem trahi quod egit ſtulta mulier. Si dicerem, fuiſſe aliquid ſingulare quod in exemplum trahi non debet: ac præſertim quum nuſquam legatur olim circumcidendi ſpeciale datum fuiſſe Sacerdotibus mandatum, diſſimilem eſſe rationem Circumciſionis & Baptiſmi: hoc ad refutationem ſatis valeret. Aperta enim ſunt Chriſti verba, *Ite, docete omnes gentes, ac baptizate.* Quando eoſdem conſtituit Euangelii præcones & miniſtros Baptiſmi, *nemo* vero in Eccleſia, teſte Apoſtolo, *honorem ſibi uſurpat, ſed qui vocatus eſt ut Aaron:* quiſquis ſine legitima vocatione baptizat, in alienum involat munus. In rebus etiam minutiſſimis, ut in cibo & potu, quicquid dubia conſcientia aggredimur, Paulus aperte clamat eſſe peccatum. In muliebri igitur Baptiſmo multo gravius peccatur, ubi regulam à Chriſto traditam violari palam eſt, quandoquidem divellere quæ Deus conjungit nefas eſſe ſcimus. Sed hoc totum omitto: tantum lectores attendere velim, nihil minus Sephoræ fuiſſe propoſitum quam ut Deo miniſterium præſtaret. Filium periclitari videns, fremit, & obmurmurat, nec ſine indignatione præputium in terram projicit: marito ſic convitiatur, ut Deo quoque ſuccenſeat. Denique hoc totum ab animi impotentia profectum eſſe palam eſt: quia Deo & marito obſtrepit quod filii ſanguinem fundere cogitur. Adde quod ſi in aliis omnibus probe ſe geſſiſſet, hæc tamen eſt inexcuſabilis temeritas quod præſente marito circumcidit filium, non privato quopiam homine, ſed Moſe primario Dei Propheta, quo nullus unquam major in Iſraële ſurrexit: quod nihilo magis ei licebat quam hodie mulieribus ſub Epiſcopi oculis. Sed hanc controverſiam mox nullo negotio dirimet hoc principium, non arceri à regno cælorum infaotes quos è præſenti vita migrare continget antequam aqua mergi datum fuerit. Atqui jam viſum eſt, fieri noo levem injuriam Dei fœderi oiſi in eo acquieſcimus, acſi per ſe infirmum eſſet: quum ejus effectus neque à Baptiſmo neque ab ullis acceſſionibus pendeat. Accedit poſtea Sacramentum ſigilli inſtar, non quod efficaciam, Dei promiſſioni, quaſi per ſe invalidæ, conferat, ſed eam duntaxat nobis confirmet. Unde ſequitur, non ideo baptizari fidelium liberos, ut filii Dei tunc primum fiant qui ante alieoi fuerint ab Eccleſia, ſed ſolenni potius ſigno ideo recipi in Eccleſiam, quia promiſſionis beneficio jam ante ad Chriſti corpus pertinebant. Proinde ſi in omittendo ſigno nec ſocordia eſt, nec contemptus, nec negligentia, tuti ab omni periculo ſumus. Multo igitur ſanctius eſt, haoc Dei ordinationi reverentiam deferre, ut non aliunde Sacramenta petamus quam ubi Dominus depoſuit. Ubi ab Eccleſia ſumere non licet, non ſic illis alligata eſt Dei gratia quin eam fide ex verbo Domini conſequamur.

Objectio, Sephora exemplo confirmata.

Exod. 4. verſ. 25.

Reſponſio 1.

Matth. 28. verſ. 19.

Heb. 5: 4.

Rom. 14. verſ. 23.

Reſponſio 2.

Reſponſio 3. infantes non arceri à regno cælorum, quos mori contingat priuſquam aqua mergi datum fuerit, modo contemptus & neglectus abſint.

Baptiſmus unde petendus.

CAP. XVI.

CAP. XVI.

Pædobaptiſmum cum Chriſti inſtitutione & ſigni natura optime congruere.

Partes hujus capitis.

1. *Orthodoxæ de pædobaptiſmo doctrinæ confirmatio, ſect.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.
2. *Dilutio argumentorum quæ Anabaptiſtæ adverſus pædobaptiſmum proponunt, à ſect.* 10. *ad* 31.
3. *Serveti ſpeciales objectiones refelluntur, ſect.* 31. & 32.

Diſputationis de Pædobaptiſmo neceſſitas. vide Calvin. in inſtruct. adv. Anabapt. artic. 1.

QUoniam autem hoc ſeculo phrenetici quidam ſpiritus ob pædobaptiſmum graves excitarunt in Eccleſia turbas, nec tumultuari etiamnum deſinunt: facere nequeo quin ad cohibendas eorum furias appendicem hic ſubjiciam. Quæ ſicui impendio prolixior forte viſa fuerit, is, quæſo, ſecum reputet tanti eſſe nobis debere doctrinæ in re maxima puritatem una cum Eccleſiæ pace, ut nihil faſtidioſe ſit excipiendum quod ad utramque redimendam conducat.

Utilitas.

Adde quod diſputationem hanc ita ſtudebo componere, ut myſterio Baptiſmi clarius explicando non parum habitura ſit momenti. Argumento ſane in ſpeciem favorabili pædobaptiſmum impugnant, nulla Dei inſtitutione fundatum eſſe jactando, ſed hominum duntaxat audacia, pravaque curioſitate invectum, ſtulta deinde facilitate uſu temere receptum. Sacramentum enim niſi certo verbi Dei fundamento nitatur, de filo pendet. Verum quid ſi re probe animadverſa ejuſmodi calumniam falſo ac inique ſanctæ Domini ordinationi inuri apparebit?

Pædobaptiſmi ortus à Deo.

Diſquiramus ergo primum ejus ortum. Et ſi quidem conſtiterit, ſola hominum temeritate excogitatum, eo valere juſſo, veram Baptiſmi obſervationem ſola Dei voluntate metiamur. Sin vero certa ejus auctoritate nequaquam deſtitui comprobatum fuerit, cavendum ne ſacroſancta Dei inſtituta convellendo, in ipſum quoque auctorem ſimus contumelioſi.

Id ex promiſſionum conſideratione demonſtratur. Geneſ. 17. verſ. 10.

2. Principio dogma eſt ſatis notum, & inter pios omnes confeſſum, rectam ſignorum conſiderationem non in externis duntaxat ceremoniis ſitam eſſe: verum à promiſſione pendere potiſſimum, ac myſteriis ſpiritualibus, quibus figurandis ceremonias ipſas Dominus ordinat. Itaque qui perdiſcere voluerit quid valeat Baptiſmus, quorſum ſpectet, quid denique omnino ſit: ne cogitationem ſuam in elemento ſiſtat, & corporeo ſpectaculo: ſed eam potius ad Dei promiſſiones, quæ nobis illic offeruntur; & ad interiora, quæ illic repræſentantur, arcana erigat. Hæc qui tenet, ſolidam Baptiſmi veritatem, & totam, ut ita loquar, ejus ſubſtantiam eſt aſſequutus: atque inde etiam docebitur quæ ſit ratio & quis uſus externæ aſperſionis. Rurſum, qui his contemptim præteritis, viſibili ceremoniæ mentem penitus affixam habuerit & alligatam, nec vim nec proprietatem Baptiſmi intelliget: neque id quidem, quid ſibi aqua velit, aut quem uſum habeat. Quæ ſententia pluribus & luculentioribus Scripturæ teſtimoniis comprobata eſt, quam ut longius eam in præſens perſequi neceſſe ſit.

Quæ pædobaptiſmi vim & naturam oſtendunt.

Supereſt ergo jam ut ex promiſſionibus in Baptiſmo datis quæramus quæ vis ejus ſit & natura. Scriptura oſtendit, peccatorum purgationem, quam à Chriſti ſanguine obtinemus, hic primo demonſtrari. Deinde carnis mortificationem, quæ mortis ejus participatione conſtat, per quam in vitæ novitatem regenerantur fideles, atque adeo Chriſti ſocietatem. Ad hanc ſummam referri poteſt quicquid in Scripturis de Baptiſmo traditum eſt: niſi quod etiam prætereа teſtandæ apud homines religionis eſt ſymbolum.

Quales autem ſint promiſſiones aqua ſymbolo annexa, non melius perſpici poteſt, quam in Circumciſionis inſtitutione.

3. Quoniam autem ante inſtitutum Baptiſmum, ejus vice, populo Dei Circumciſio erat: quid inter ſe differant, & qua ſimilitudine conveniant hæc duo ſigna, inſpiciamus: unde pateat quæ ſit alterius ad alterum anagoge. Ubi Dominus Circumciſionem Abrahæ ſervandam mandat, præfatur *ſe illi & ſemini illius in Deum fore:* addens penes ſe affluentiam ſufficientiamque eſſe rerum omnium, quo Abraham manum ejus, omnis boni ſcaturiginem fore ſibi duceret. Quibus verbis æternæ vitæ promiſſio continetur: quemadmodum interpretatur Chriſtus, argumentum hinc ducens ad evincendam fidelium immortalitatem & reſurrectionem. *Neque enim* (inquit) *Deus mortuorum eſt, ſed viventium.* Quare & Paulus Epheſiis demonſtrans ex quo exitio liberaſſet eos Dominus, ex eo quod in Circumciſionis fœdus admiſſi non fuerant, eos *ſine Chriſto, ſine Deo, ſine ſpe, extraneos à teſtamentis promiſſionis fuiſſe* colligit: quæ omnia fœdus ipſum comprehendebat. Primus autem ad Deum acceſſus, primus ad immortalem vitam ingreſſus, eſt peccatorum remiſſio. Unde conficitur, promiſſioni Baptiſmi de noſtra purgatione, hanc reſpondere. Poſt ab Abrahamo Dominus ſtipulatur, ut ambulet coram ſe in ſinceritate & innocentia cordis: quod ad mortificationem pertinet ſeu regenerationem. Ac nequis ambigeret, ſignum mortificationis eſſe Circumciſionem, Moſes alibi clarius explicat, dum Iſraëliticum populum exhortatur ad præputium cordis Domino circumcidendum, propterea quod ſelectus ſit in populum Dei ex omnibus terræ nationibus. Quemadmodum Deus, ubi Abrahæ poſteritatem in populum ſibi cooptat, circumcidi præcipit: ita Moſes corde circumcidi oportere pronunciat, enarrans ſcilicet quæ ſit iſtius carnalis circumciſionis veritas. Deinde nequis ad eam ſui ipſius viribus eniteretur, opus gratiæ Dei eſſe docet. Hæc omnia toties à Prophetis inculcantur, ut multa huc teſtimonia congerere non ſit opus, quæ ſponte paſſim occurrunt. Habemus ergo ſpiritualem promiſſionem in Circumciſione Patribus editam qualis in Baptiſmo nobis datur: quandoquidem peccatorum remiſſionem & carnis mortificationem illis figuravit. Præterea ut fundamentum Baptiſmi, Chriſtum eſſe docuimus, in quo utrumque iſtorum reſidet: ita & Circumciſionis eſſe conſtat. Ipſe enim Abrahæ promittitur, atque in ipſo Gentium omnium benedictio. Cui gratiæ obſignandæ, Circumciſionis ſignum additur.

Matth. 22. verſ. 32. Luc. 20. verſ. 38. Epheſ. 2. verſ. 12. Deut. 10. verſ. 16. Deut. 30. verſ. 6.

Atqui promiſſio & res figurata in Circumciſione & in Baptiſmo adeo unum idemque eſt, ut nulla diſſimilitudo, niſi exteriore ceremonia, reperiatur.

4. Jam nullo negotio videre eſt, quid ſimile ſit in his duobus ſignis, aut quid diverſum. Promiſſio, in qua ſignorum virtutem conſiſtere expoſuimus, in utroque una eſt: nempe paterni Dei favoris, remiſſionis peccatorum, vitæ æternæ. Deinde res figurata etiam una & eadem, nempe regeneratio. Fundamentum quo iſtarum rerum complementum nititur, in utroque unum. Quare nihil in myſterio interiore eſt diſcriminis, è quo tota Sacramentorum vis & proprietas æſtimanda eſt. Quæ reſtat diſſimilitudo, ea in ceremonia exteriore jacet, quæ minima eſt portio: quum potiſſima pars à promiſſione & re ſignata pendeat. Itaque conſtituere licet, quicquid Circumciſioni convenit, ad Baptiſmum ſimul pertinere, excepta viſibilis ceremoniæ differentia. Ad hanc anagogen & comparationem nos manu ducit Apoſtoli regula, qua omnem Scripturæ interpretationem ad proportionem fidei exigere jubemur. Et ſane pene ſe palpandam hæc Rom. 12. v. 3. & 6.

in parte veritas præbet. Perinde enim ac Circumciſio, quia teſſera Judæis quædam erat qua ſe in populum familiamque Dei adoptari fiebant certiores, ac ipſi etiam viciſſim nomen ſe Deo dare profitebantur, primus illis erat in Eccleſiam ingreſſus: nunc quoque per Baptiſmum Deo initiamur, ut ejus populo adſcribamur, & ipſi mutuo in ejus nomen juremus. Quo extra controverſiam apparet, Baptiſmum in Circumciſionis locum ſubiiſſe, ut eaſdem apud nos partes obeat.

Unde ſequitur, non minus Baptiſmum infantibus Chriſtianorum, quam Circumciſionem Judæorum liberis competere: nec à ſigno arceri debere, qui rei ſignatæ ſunt participes.

5. Jam ſi veſtigare placet an jure infantibus Baptiſma communicetur: nonne nimium illum ineptire, imo delirare dicemus, qui in elemento aquæ duntaxat & externa obſervatione immorari velit, ad ſpirituale vero myſterium mentem advertere non ſuſtineat? Cujus ſiqua habeatur ratio, conſtabit proculdubio infantibus merito adminiſtrari Baptiſmum, ut qui illis debeatur. Non enim Dominus olim Circumciſione dignatus eſt quin eorum omnium participes faceret quæ per Circumciſionem ſignata tunc fuerunt. Alioqui meris præſtigiis ludificatus eſſet populum ſuum, ſi fallacibus ſymbolis eos lactaſſet: quod ſolo auditu horrendum eſt. Diſerte namque pronunciat, Circumciſionem infantuli, loco ſigilli futuram ad obſignandam fœderis promiſſionem. Quod ſi fœdus firmum & fixum manet: Chriſtianorum liberis non minus hodie competit, quam ſub veteri Teſtamento ad Judæorum infantes ſpectabat. Atqui ſi rei ſignatæ ſunt participes, cur à ſigno arcebuntur? ſi veritatem obtinent, cur à figura depellentur? Quanquam ſignum exterius in Sacramento ita cum verbo cohæret, ut divelli nequeat: ſi tamen diſcernatur, utrum, quæſo, pluris cenſebimus? Sane quum ſignum videamus verbo ſervire, ſubeſſe illi dicemus, & inferiore loco ſtatuemus. Quum ergo ad infantes deſtinetur Baptiſmi verbum: cur ſignum, hoc eſt, verbi appendix, ab illis prohibebitur? Hæc una ratio, ſi nullæ aliæ ſuppeterent, abunde ſufficeret ad confutandos omnes qui reclamare voluerint.

Objectio de ſtato die Circumciſionis diluitur.

Quod objicitur ſtatum fuiſſe diem Circumciſioni, plane tergiverſatorium eſt. Nos jam certis diebus non eſſe Judæorum inſtar alligatos concedimus: verum quando Dominus, utcunque nullum diem præſcribat, declarat tamen ſibi placere ut ſolenni ritu in ſuum fœdus recipiantur infantes, quid ultra quærimus?

Alterum argumentum, ex fœdere quod cum Abrahamo Dominus pepigit.
1 Cor. 7. verſ. 14.
Gen. 17. verſ. 12.

6. Quanquam Scriptura certiorem adhuc veritatis notitiam nobis aperit. Siquidem evidentiſſimum eſt, quod ſemel cum Abrahamo Dominus fœdus percuſſit, non minus hodie Chriſtianis conſtare, quam olim Judaico populo: adeoque verbum iſtud non minus Chriſtianos reſpicere, quam Judæos tum reſpiciebat. Niſi forte arbitramur, Chriſtum ſuo adventu, Patris gratiam imminuiſſe aut decurtaſſe: quod execrabili blaſphemia non vacat. Quamobrem & Judæorum liberi, quod ejus fœderis hæredes facti ab impiorum liberis diſcernerentur, ſemen ſanctum vocabantur: eadem etiamnum ratione ſancti cenſentur Chriſtianorum liberi, vel altero duntaxat fideli parente geniti: & Apoſtoli teſtimonio differunt ab immundo idololatratum ſemine. Jam quum Dominus, ſtatim poſt fœdus cum Abrahamo percuſſum, ipſum in infantibus conſignari exteriori ſacramento præceperit, quid cauſæ dicent Chriſtiani quominus hodieque ipſum teſtificentur, atque obſignent in ſuis liberis?

Objectionis diluſio.

Neque mihi objiciat quiſpiam, non alio quam Circumciſionis ſymbolo quod jampridem abolitum eſt, Dominum præcepiſſe fœdus ſuum confirmari. Reſpondere enim promptum eſt, ipſum, pro veteris Teſtamenti tempore, Circumciſionem inſtituiſſe confirmando ſuo fœderi: ea vero abrogata, manere tamen ſemper eandem confirmandi rationem quam cum Judæis communem habemus. Proinde diligenter perpetuo intueri convenit quid utriſque ſit commune, quid illi ſeparatum à nobis habeant. Fœdus commune eſt, communis ejus confirmandi cauſa. Modus confirmandi tantum diverſus eſt, quod erat illis Circumciſio, in cujus vicem Baptiſmus nobis ſucceſſit.

Tertium arg. Chriſti adventu factum non eſt, ut obſcurior minuſque teſtata ſit nobis Dei gratia, quam ante Judæis erat.

Alioqui ſi teſtimonium quo Judæi de ſeminis ſui ſalute confirmati fuerunt, nobis eripitur, Chriſti adventu factum fuerit ut obſcurior & minus teſtata ſit nobis Dei gratia quam ante Judæis erat. Id ſi dici non poteſt citra extremam Chriſti contumeliam, per quem infinita Patris bonitas luculentius ac benignius quam unquam in terras effuſa fuit, & hominibus declarata: fateri neceſſe eſt, non malignius ſaltem ſupprimendam, nec minore teſtimonio illuſtrandam quam ſub obſcuris Legis umbris.

Quartum arg. à dicto Chriſti infantes comiter amplectentis.
Matth. 19. verſ. 4.

7. Quamobrem Dominus Jeſus ſpecimen editurus, unde mundus intelligat ipſum amplificandæ potius quam limitandæ Patris miſericordiæ adveniſſe, comiter oblatos ſibi infantes amplectitur, diſcipulos objurgans qui aditu illos prohibere conabantur: quando eos, quorum eſſet regnum cælorum, à ſe abducerent, per quem ſolum pater in cælum ingreſſus.

Exceptio.

Verum quid ſimile (dixerit quiſpiam) Baptiſmo cum hoc Chriſti amplexu? neque enim baptizaſſe illos narratur: ſed excepiſſe, amplexus eſſe, & illis bene precatus. Proinde ſi ejus exemplum imitari libet, precibus infantes adjuvemus: non autem baptizemus.

Reſponſio. Chriſti factum diligenter expendens, & ad pædobaptiſmum appoſitiſſime accommodans.

Verum nos Chriſti geſta paulo attentius reputemus quam tale genus hominum. Neque enim hoc leviter eſt prætereundum quod infantes ſibi offerri Chriſtus jubet, addita ratione, *Quoniam talium ſit regnum cælorum.* Ac poſtea voluntatem ſuam opere teſtatur, dum ipſos amplexus, precatione benedictioneque ſua Patri commendat. Si adduci Chriſto infantes æquum eſt, cur non & ad Baptiſmum recipi, ſymbolum noſtræ cum Chriſto communionis ac ſocietatis? Si eorum eſt regnum cælorum, cur ſignum negabitur, quo velut aditus aperitur in Eccleſiam, ut in eam cooptati, hæredibus regni cæleſtis adſcribantur? Quam iniqui erimus, ſi abigamus quos Chriſtus ad ſe invitat? ſi quos ſuis donis ornat, ſpoliemus? ſi excludamus quos ipſe ultro admittit? Quod ſi diſcutere volumus quantum à Baptiſmo abſit quod illic egit Chriſtus, quanto tamen majore in pretio habebimus Baptiſmum (quo teſtificamur infantes in Dei fœdere contineri) quam ſuſceptionem, amplexum, manuum impoſitionem, precationem, quibus Chriſtus ipſe præſens, & ſuos eſſe, & à ſe ſanctificari declarat?

Inſtantia.

Aliis cavillis, quibus eludere hunc locum nituntur, nihil quam ſuam ignorantiam produnt: argutantur enim ex eo quod dicit Chriſtus, *Sinite venire parvulos*, jam grandiuſculos annis fuiſſe, qui ad ingrediendum jam eſſent idonei.

Reſponſio.

Sed ab Euangeliſtis *βρέφη καὶ παιδία* nominantur: quibus verbis ſignificant Græci infantulos ab uberibus pendentes. *Venire* ergo poſitum eſt ſimpliciter pro *accedere*. En quales cogantur decipulas texere qui adverſus veritatem obduruerunt.

Alia inſtantia.

Porro quod jactant regnum cælorum infantibus non eſſe attributum, ſed eorum ſimilibus, quoniam dicatur talium eſſe, non ipſorum, nihilo eſt ſolidius.

Reſponſio.

Id enim ſi recipitur, qualis futura eſt Chriſti ratio, qua oſtendere vult ætate infantes à ſe non alienos? Quum jubet ut ad ſe infantes accedere ſinantur, nihil eſt clarius quam veram infantiam notari. Quod ne abſurdum videretur, ſubjungit, *Talium eſt regnum cælorum*. Quod ſi infantes comprehendi neceſſarium eſt, minime obſcurum erit, per dictionem *talium*, infantes ipſos ac eorum ſimiles deſignari.

Objectio, nullos infantes per Apoſtolorum manus fuiſſe baptizatos.

8. Nemo jam eſt qui non videat, pædobaptiſmum neqnaquam humanitus fabrefactum fuiſſe, qui tanta Scripturæ approbatione fulciatur. Nec ſatis ſpecioſe nugantur qui objiciunt nuſquam reperiri, vel infantem unum per Apoſtolorum manus fuiſſe baptizatum. Etſi enim id nominatim ab

Reſponſio 1. Actor. 16. v. 15, & 33.

Euangeliſtis non narratur, quia tamen neque ruraſum excluduntur illi quoties familiæ alicujus baptizatæ incidit mentio: quis inde, niſi inſanus, ratiocinetur non fuiſſe baptizatos? Siquid valerent id genus argumanta, mulieres pariter Cœna Domini interdicendæ eſſent, quas Apoſtolorum ſeculo ad eam fuiſſe admiſſas non legimus: ſed enim hic fidei regula contenti ſumus. Dum enim reputamus quid ferat Cœnæ inſtitutio, ex eo etiam quibus communicandus ſit illius uſus facile judicium eſt: quod & in Baptiſmo obſervamus. Siquidem ubi animadvertimus quem in finem inſtitutus fuerit, evidenter conſpicimus & infantibus non minus competere quam natu grandioribus. Eo itaque privari nequeunt quin Dei auctoris voluntati fraus manifeſta fiat. Quod autem apud ſimplicem vulgum diſſeminant, longam annorum ſeriem poſt Chriſti reſurrectionem præteriiſſe, quibus incognitus erat pædobaptiſmus: in eo fœdiſſime mentiuntur: ſiquidem nullus eſt ſcriptor tam vetuſtus qui non ejus originem ad Apoſtolorum ſeculum pro certo referat.

Objectio. Pædobaptiſmum eſſe rem novam. Reſp. per negationem.

Uſus & fructus duplex pædobaptiſmi.

9. Supereſt ut breviter indicemus quiſnam ex hac obſervatione fructus redeat, cum ad fideles qui liberos ſuos Eccleſiæ tingendos ſiſtunt, tum ad ipſos qui ſacra aqua tinguntur infantes: nequis ceu inutilem ac otioſam aſpernetur. Quanquam ſicui in mentem venit, pædobaptiſmum hoc prætextu irridere, Circumciſionis præceptum à Domino poſitum ludibrio habet. Quid enim ad illum impugnandum proferat, quod non in hanc retorqueatur? Sic Dominus ulciſcitur eorum arrogantiam qui protinus damnant quod carnis ſuæ ſenſu non comprehendunt. Verum aliis armis nos inſtruit Deus quibus eorum ſtoliditas retundatur. Neque enim ſancta hæc ejus inſtitutio, qua fidem noſtram eximia conſolatione juvari ſentimus, ſupervacua meretur dici. Siquidem Dei ſignum puero communicatum, velut impreſſo ſigillo, promiſſionem pio parenti datam confirmat, ac ratum eſſe declarat quod Dominus non illi modo, ſed ſemini ejus in Deum ſit futurus: neque eum modo bonitate gratiaque ſua proſequi velit, ſed ejus poſteros in milleſimam uſque generationem. Ubi quum ingens ſeſe proferat Dei benignitas, primum ampliſſimam gloriæ ejus prædicandæ materiam ſuppeditat, & pia pectora lætitia non vulgari perfundit, qua ſimul ad redamandum tam pium Patrem vehementius incitantur: cui propter ſe poſteritatem ſuam curæ eſſe conſpiciunt. Neque moror ſi quiſpiam excipiat, confirmandæ filiorum noſtrorum ſaluti ſufficere debere promiſſionem: quando ſecus Deo viſum eſt, qui prout imbecillitatem noſtram perſpectam habet, tantum illi in hac re indulgere voluit. Proinde qui promiſſionem de miſericordia Dei in liberos ſuos propaganda amplexantur, officii ſui eſſe cogitent, ipſos miſericordiæ ſymbolo ſignandos Eccleſiæ offerre: atque inde ſe ad certiorem animare fiduciam, quod præſenti oculo fœdus Domini filiorum ſuorum corporibus inſculptum cernunt. Nonnihil rurſum emolumenti pueri è ſuo Baptiſmo capiunt, quod in corpus Eccleſiæ inſiti, aliis membris ſunt aliquanto commendatiores. Deinde ubi adoleverint, eo ad ſerium Dei colendi ſtudium non mediocriter ſtimulantur, à quo in filios ſolenni adoptionis ſymbolo accepti fuerint, antequam per ætatem eum agnoſcere Patrem poſſent. Denique terrere nos ſummopere debet illa damnatio, vindicem fore Deum, ſiquis fœderis ſymbolo filium inſignire contemnat: quod eo contemptu, oblata gratia reſpuatur & quaſi ejuretur.

1. Parentum reſpectu.

Exceptionis dilutio.

2. Puerorum item baptizatorum.

Secunda pars capitis, Anabaptiſtarum argumentum proponens.

10. Jam argumenta diſcutiamus quibus ſanctam hanc Dei inſtitutionem furioſæ quædam belluæ impetere non ceſſant. Principio, quoniam ſimilitudine Baptiſmi & Circumciſionis ultra modum urgeri ſe ac conſtringi ſentiunt, longo diſcrimine diſtrahere hæc duo ſigna contendunt, nequid alteri cum altero commune eſſe videatur. Nam & res ſignari varias, & fœdus omnino diverſum, & appellationem puerorum non eandem eſſe dicunt. Atqui dum illud primum inſtituunt probare, Circumciſionem obtendunt mortificationis, non Baptiſmi fuiſſe figuram: quod profecto libentiſſime illis damus. Nobis enim optime patrocinatur. Neque alia ſententiæ noſtræ probatione utimur quam Baptiſmum & Circumciſionem mortificationis eſſe ſigna. Hinc conſtituimus, in hujus vicem illum eſſe ſuffectum, quo idipſum nobis repræſentet quod hæc olim Judæis ſignabat. In aſſerenda fœderis differentia quam barbara audacia Scripturam diſſipant & corrumpunt! neque uno in loco, ſed ita ut nihil ſalvum aut integrum relinquant. Judæos enim adeo carnales nobis depingunt, ut pecudum ſimiliores ſint quam hominum. Quibuſcum ſcilicet percuſſum fœdus ultra temporariam vitam non procedat: quibus datæ promiſſiones, in bonis præſentibus ac corporeis ſubſidant. Quod dogma ſi obtineat, quid reſtat niſi gentem Judaicam fuiſſe ad tempus Dei beneficio ſaturatam (non ſecus ac porcorum gregem in hara ſaginant) ut æterno demum exitio periret? Simul enim ac Circumciſionem eique annexas promiſſiones citamus, Circumciſionem literale ſignum, promiſſiones ejus carnales fuiſſe reſpondent.

1. A diſſimilitudine Circumciſionis & Baptiſmi, quam conſtituunt triplicem. Gen. 17. verſ. 14.

1. Res ſignari varias.

2. Fœdus eſſe diverſum.

3. Puerorum appellationem eſſe figuratam.

Reſponſio 1. res varias non ſignari, nec fœdus eſſe diverſum.

11. Sane ſi literale ſignum erat Circumciſio, nihilo ſecius de Baptiſmo cenſendum eſt. Quandoquidem Apoſtolus Coloſſ. 2. nihilo magis alterum altero ſpirituale facit. Dicit enim nos *in Chriſto circumciſos Circumciſione non manu facta, depoſito corpore peccati quod in carne noſtra habitabat*: quam *Circumciſionem Chriſti* vocat. Poſt in ejus ſententiæ explicationem ſubjungit, nos *per Baptiſmum Chriſto conſepultos*. Quid ſibi vult iſtis verbis niſi Baptiſmi complementum & veritatem, eſſe veritatem ſimul & complementum Circumciſionis, quoniam rem unam figurent? Demonſtrare enim contendit eſſe id Chriſtianis Baptiſmum quod ante fuerat Judæis Circumciſio. Quoniam autem jam ad liquidum expoſuimus, promiſſiones utriuſque ſigni & quæ illis repræſentantur myſteria inter ſe convenire, longius in præſens non immorabimur. Tantum fideles admonebo, me tacente ut ſecum reputene an terrenum ac literale habendum ſit ſignum, cui nihil ſubeſt niſi ſpirituale & cæleſte. Verum, ne fumos ſuos ſimplicibus vendant, objectum unum, quo impudentiſſimum hoc mendacium prætexunt, in tranſcurſu diluemus. Certo certius eſt, primarias promiſſiones, quibus continebatur quod ſub veteri Teſtamento cum Iſraëlitis fœdus Deus ſancivit, ſpirituales fuiſſe, & ad æternam vitam reſpexiſſe. Tum viciſſim à Patribus ſpiritualiter, ut par erat, acceptas, quo fiduciam inde conciperent futuræ vitæ, ad quam toto animi affectu aſpirarent. Interim vero nequaquam inficiamur quin ſuam illis benevolentiam terrenis ac carnalibus beneficiis teſtatus ſit: quibus etiam dicimus ſpem illam promiſſionum ſpiritualium fuiſſe confirmatam. Quo modo ubi æternam beatitudinem ſervo ſuo Abrahæ pollicitus eſt, quo manifeſtum favoris ſui indicium illi ob oculos ſubjiciat, addit alteram de poſſeſſione terræ Chanaan promiſſionem. In hunc modum accipere convenit quæcunque genti Judaicæ terrenæ promiſſiones datæ ſunt: ut ſpiritualis promiſſio, ceu caput, primas ſemper teneat quo illæ referantur. Atque hæc quoniam uberius in diſcrimine novi & veteris Teſtamenti tractavi, nunc levius perſtringo.

Reſponſio 2. amplior: de fœdere, quod in Baptiſmo & Circumciſione non eſſe diverſum oſtenditur: ſive ſigna ſive res ſignificata ſpectentur. Col. 2:11.

Gen. 15. v. 1, & 18.

12. In puerorum appellatione hanc varietatem reperiunt, filios Abrahæ ſub veteri Teſtamento dictos qui ab ejus ſemine originem ducerent: hoc nomine nunc appellari qui fidem ejus imitantur. Ideo infan-

Reſponſio 3. Puerorum appellationem non figuratam,

Sed ſimplicem & eandem eſſe in utroque Sacramento.

infantiam illam carnalem, quæ in ſocietatem fœderis per Circumciſionem inſerebatur, ſpirituales novi Teſtamenti infantes figuraſſe, qui Dei verbo regenerati ſint ad vitam immortalem. In quibus verbis exiguam quidem veritatis ſcintillam intuemur: ſed in hoc graviter peccant leves iſti ſpiritus, quod dum arripiunt quicquid primo in manum illis venit, ubi ultra progrediendum foret, & multa inter ſe conferenda, in verbum unum pertinaciter inſiſtunt. Unde fieri aliter nequit quin ſubinde hallucinentur: quia in nullius rei ſolidam cognitionem

Gal. 4:18. Rom. 4. verſ. 12.

incumbunt. Fatemur certe carnale Abrahæ ſemen locum ad tempus tenuiſſe ſpiritualis ſeminis quod per fidem illi inſeritur. Illius enim filii nuncupamur utcunque nulla cum illo nobis naturalis cognatio intercedat. Verùm ſi intelligunt quod non obſcure demonſtrant, carnali Abrahæ ſemini nunquam ſpiritualem Dei benedictionem promiſſam, bic vero longe falluntur. Proinde in meliorem ſcopum collimare nos oportet: ad quem certiſſimo Scripturæ ductu dirigimur. Dominus ergo Abrahæ pollicetur futurum illi ſemen in quo benedicendæ ſint omnes terræ nationes: ac ſimul fidem dat, ſe illi & ſemini ejus in Deum fore. Quicunque Chriſtum benedictionis auctorem fide recipiunt, hujus promiſſionis ſunt hæredes: ideoque Abrahæ filii nominantur.

Infantes Judæi, ut & Chriſtiani, in fœdere Dei comprehenſi ſunt.

13. Quanquam autem poſt Chriſti reſurrectionem, fines regni Dei longe lateque in quaslibet nationes indiſcriminatim prorogari cœperunt, ut ſecundum Chriſti ſententiam undequaque fideles colligerentur qui in gloria cæleſti accumberent cum Abraham, Iſaac, & Jacob: multis tamen ante ſeculis tanta illa miſericordia Judæos complexus fuerat.

Matth. 8. verſ. 11.

Et quia cunctis aliis præteritis unam hanc gentem ſelegerat in qua gratiam ſuam pro tempore contineret: peculium ſuum & populum acquiſitum dicebat.

Exod. 19. verſ. 5.

Quod Circumciſionis ſigno teſtatum eſt.

Ad teſtandam ejuſmodi beneficentiam data fuit Circumciſio, cujus ſymbolo docerentur Judæi, Deum ſibi eſſe ſalutis præſidem: qua cognitione in ſpem vitæ æternæ erigebantur eorum animi. Quid enim defuturum eſt ei quem ſemel in fidem Deus acceperit? Quare Apoſtolus probaturus Gentiles una cum Judæis eſſe Abrahæ filios, in hanc formam loquitur:

Teſte Apoſtolo. Rom. 4. verſ. 10.

Abraham, inquit, *fide juſtificatus fuit in præputio. Poſt, ſignum accepit circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei, ut pater eſſet omnium fidelium & præputii & circumciſionis, non eorum qui ſola circumciſione gloriantur, ſed qui ſequuntur fidem quam Pater noſter Abraham in præputio habuit.* Annon videmus dignitate utroſque adæquari? Nam ad tempus Dei decreto conſtitutum, pater fuit Circumciſionis.

Eph. 2:14.

Ubi, diruto pariete (quemadmodum alibi ſcribit Apoſtolus) quo Gentes à Judæis ſecernebantur, illis quoque patefactus aditus fuit in regnum Dei, factus eſt illarum pater. idque citra Circumciſionis ſignum: quod Baptiſmum vice Circumciſionis habent. Quod autem nominatim Abraham iis eſſe patrem negat qui ſunt ex Circumciſione tantum, id poſitum eſt ad retundendum quorundam ſupercilium, qui omiſſa pietatis cura, ſolis ceremoniis ſe venditabant. Qualiter hodieque refutari poſſit eorum vanitas qui in Baptiſmo nihil præter aquam quærunt.

Adverſus ſuperiorem reſponſionem exceptio.

14. Sed alter Apoſtoli locus ex epiſt. Rom. 9:7. contra profertur, ubi eos qui ex carne ſunt, non eſſe Abrahæ filios docet: ſed eos modo in ſemine cenſeri qui ſunt filii promiſſionis. Innuere namque videtur, nihil eſſe carnalem Abrahæ cognationem, quam nos aliquo gradu ponimus.

Reſponſio, Apoſtoli locum explanans.

At enim diligentius animadvertendum eſt quam illic cauſam tractet Apoſtolus. Nam Judæis oſtenſurus quam non eſſet alligata ſemini Abrahæ Dei bonitas, imo quam nihil per ſe conferat, ejus rei documento Iſmaëlem & Eſau profert: quibus rejectis non ſecus acſi extranei fuiſſent, tametſi ſecundum carnem germana erant Abrahæ progenies, in Iſaac & Jacob reſidet benedictio. Unde conficitur id quod poſtea affirmat, pendere ſalutem à Dei miſericordia, qua proſequitur quem illi viſum fuerit: cauſam vero non eſſe cur Judæi fœderis nomine ſibi placeant aut glorientur, niſi fœderis legem ſervent, id eſt, verbo obediant. Rurſum ubi vana generis ſui confidentia illos dejecit, quia tamen altera ex parte cernebat, fœdus quod ſemel cum Abrahæ poſteritate initum fuerat, à Deo irritum nullo modo fieri poſſe, cap. 11. carnalem Abrahæ cognationem non eſſe ſua dignitate ſpoliandam diſſerit: cujus beneficio Judæos docet primos ac nativos eſſe Euangelii hæredes, niſi quatenus ſua ingratitudine, ceu indigni, abdicati fuerunt: ſic tamen ut non penitus ab eorum gente cæleſtis benedictio demigrarit. Qua ratione illos, quamlibet contumaces ac fœdifragos, ſanctos nihilominus appellat (tantum honoris defert ſanctæ generationi, quam Deus ſacro ſuo fœdere dignatus fuerat) nos vero, ſi cum illis componamur, velut poſthumos, aut etiam abortivos Abrahæ filios: idque adoptione, non natura: quemadmodum ſi defractus à ſua arbore ſurculus in alienum ſtipitem inſeratur. Ergo ſua prærogativa ne fraudarentur, Euangelium illis primo loco annunciari oportuit. Sunt enim in Dei familia velut primogeniti. Quare hic honor deferendus illis fuit, donec oblatum rejecerunt, & ſua ingratitudine effecerunt ut ad Gentes traduceretur. Neque vero quantacunque contumacia cum Euangelio bellum gerere perſiſtant, ideo tamen nobis ſunt deſpiciendi: ſi reputamus, in promiſſionis gratiam, Dei benedictionem inter eos etiamnum reſidere: ut certe nunquam inde prorſus abſceſſuram Apoſtolus teſtatur: quoniam *ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei.*

Rom. 11. verſ. 29.

Concluſio, Judæos in Dei fœdere fuiſſe comprehenſos: unde ſequitur, inter Circumciſionem & Baptiſmum, quod ad rem ipſam attinet, nullam eſſe diſſimilitudinem.

15. En quid valeat, & qua lance metienda ſit promiſſio, Abrahæ poſteritati data. Proinde quanquam in diſcernendis regni hæredibus à ſpuriis & extraneis, unam Dei electionem libero jure dominari nihil dubitamus: ſimul tamen perſpicimus ei placuiſſe, ſemen Abrahæ peculiariter miſericordia ſua complecti: ac quo teſtatior haberetur, circumciſione obſignare. Porro eadem omnino eſt Chriſtianæ Eccleſiæ ratio. Nam ut illic Paulus ſanctificari à parentibus ſuis Judæos diſputat: ita alibi docet, eandem à parentibus ſanctificationem Chriſtianorum liberos ducere. Unde colligitur, ab aliis merito ſegregari qui impuritatis è converſo damnantur. Jam quis ambigere poſſit quin falſiſſimum ſit quod deinde ſubnectunt, qui olim infantes circumcidebantur, eos infantiam duntaxat ſpiritualem figuraſſe, quæ ex verbi Dei regeneratione emergit?

1 Cor. 7. verſ. 14.

Concluſionis confirmatio ex verbis Apoſtoli.

Neque enim tam argute philoſophatur Apoſtolus, ubi *Chriſtum circumciſionis miniſtrum eſſe* ſcribit, *ad implendas quæ Patribus editæ fuerant promiſſiones*, acſi in hunc modum loqueretur, Quandoquidem fœdus cum Abrahamo percuſſum ad ſemen ejus reſpicit, Chriſtum ut fidem à Patre ſemel datam præſtaret ac ſolveret, in ſalutem adveniſſe genti Judaicæ.

Rom. 15. verſ. 8.

Videsne ut poſt Chriſti reſurrectionem quoque, promiſſionem fœderis non allegorice tantum, ſed ut verba ſonant, carnali Abrahæ ſemini implendam cenſeat? Eodem pertinet quod Petrus, Actorum 2:39. Judæis denunciat, illis ac ſemini eorum, fœderis jure, Euangelii beneficium deberi: ac proxime ſequenti capite eos *Teſtamenti filios*, hoc eſt, hæredes nuncupat.

Act. 3:25.

A quo etiam non longe abludit alter Apoſtoli ſupra citatus locus, ubi impreſſam infantibus circumciſionem pro teſtimonio ejus quam cum Chriſto habent communionis ducit & ponit.

Eph. 2:11.

Et vero, ſi eorum nænias auſcultamus, quid illa promiſſione fiet qua Dominus in ſecundo Legis ſuæ capite, ſervis ſuis recipit ſe eorum

ſemini

ſemini *propitium fore in milleſimam uſque generationem?* hiccine ad allegorias confugiemus? at nimium nugatoria fuerit tergiverſatio. An id dicemus abolitum? Verum ita Lex diſſiparetur, cui potius ſtabiliendæ Chriſtus venit, quatenus in bonum ad vitam nobis cedit. Sit itaque extra controverſiam, Deum ſuis adeo bonum eſſe ac liberalem, ut in eorum gratiam liberos etiam quos procrearint, populo ſuo accenſeri velit.

Appendix argumenti Anabaptiſtarum, quo ceremonias Circumciſionis & Baptiſmi, ad momentum temporis varias eſſe contendunt: & ideo eſſe diſſimilitudinem inter hæc Sacramenta.

16. Quæ præterea inter Baptiſmum ac Circumciſionem injicere diſcrimina moliuntur, non ridicula modo ſunt, & omni rationis ſpecie vacua, ſed inter ſe pugnantia. Nam ubi Baptiſmum ad primum ſpiritualis certaminis diem ſpectare affirmarunt, Circumciſionem autem ad octavum, jam peracta mortificatione: extemplo illius obliti, cantilenam invertunt: ac Circumciſionem quidem figuram appellant mortificandæ carnis; Baptiſmum vero ſepulturam, in quam nulli niſi jam mortui tradendi ſint. Quæ phreneticorum deliria tanta levitate diſſiliant? Nam priore ſententia, Baptiſmus Circumciſioni præire debet: per alteram in poſteriorem locum relegatur. Neque tamen novum exemplum eſt, ut hominum ingenia, ubi pro certiſſimo Dei verbo adorant quicquid ſomniarint, ſurſum deorſum ita volutentur. Nos ergo priorem illam differentiam, merum eſſe ſomnium dicimus. Si in octavo die libebat ἀλληγορεῖν, non tamen eo modo conveniebat. Multo ſatius fuerit poſt veteres numerum octonarium in reſurrectionem octavo die factam referre, unde vitæ novitatem pendere ſcimus: aut ad totum præſentis vitæ curſum, quo procedere ſemper debet mortificatio, donec, eo peracto, ipſa quoque peracta fuerit. Quanquam videri queat Deus ætatis teneritudini proſpicere voluiſſe, Circumciſionem in diem octavum differendo: quoniam vulnus recens natis & adhuc à matre rubentibus, periculoſius futurum erat. Quanto nervoſius eſt illud, nos jam ante mortuos per Baptiſmum ſepeliri: quum Scriptura diſerte reclamet, nos ea conditione in mortem ſepeliri ut emoriamur, ac mortificationem iſtam exinde meditemur? Jam ejuſdem eſt dexteritatis quod fœminas non eſſe baptizandas cavillantur, ſi Baptiſmum Circumciſioni conformari oporteat. Nam ſi compertiſſimum eſt Circumciſionis ſigno teſtatam fuiſſe ſeminis Iſraelitici ſanctificationem: ex eo neque dubium eſt quin maribus pariter ac fœminis ſanctificandis datum fuerit. Sola autem maſculorum corpora ipſo imprimebantur, quæ per naturam poterant: ſic tamen ut fœminæ per eos, Circumciſionis quodammodo ſociæ ac conſortes eſſent. Itaque talibus eorum ineptiis procul ablegatis, in Baptiſmi ac Circumciſionis ſimilitudine hæreamus, quam ampliſſime in myſterio interiori, in promiſſionibus, in uſu, in efficacia quadrare conſpicimus.

Reſp. Etſi, quoad diem, Circumciſionis tempus fuerit præfixum, Baptiſmi non item: quod ad rem nulla tamen eſt diſſimilitudo.

Rom. 6:4.

Inſtantia, de non baptizandis mulieribus, quum ſub Lege non fuerint circumciſæ. Reſponſio.

2. Arg. ab hac 17. ſect. ad 22. Infantes non ad percipiendum Baptiſmum idoneos: ideo non baptizandos eſſe. Reſponſio.

17. Rationem quoque firmiſſimam obtendere ſibi videntur cur arcendi ſint à Baptiſmo pueri, dum cauſantur, non eſſe per ætatem adhuc idoneos qui ſignatum illic myſterium aſſequantur. Id autem eſt ſpiritualis regeneratio, quæ cadere in primam infantiam non poteſt. Itaque colligunt, non alio loco habendos quam pro Adæ filiis, donec in ætatem adoleverint ſecundæ nativitati congruentem. Atqui his omnibus ubique refragatur Dei veritas. Nam ſi inter filios Adæ ſinendi ſunt, in morte relinquuntur: quando in Adam nihil quam mori poſſumus. Contra vero Chriſtus ſibi adduci jubet. Quid ita? quia vita eſt. Eos ergo ut vivificet, ſui participes facit: quum interim iſti, longe abactos, morti adjudicant. Nam ſi tergiverſantur, non ideo perire infantes ſi filii Adæ reputentur, ſatis ſuperque Scripturæ teſtimonio eorum error revincitur. Nam quum in Adam omnes mori pronunciet, ſequitur nullam niſi in Chriſto vitæ ſpem reſtare. Quo igitur vitæ hæredes fiamus, nos cum eo communicare oportet. Rurſum quum ſcriptum alibi ſit, *natura nos iræ Dei omnes eſſe obnoxios*, ac *in peccato conceptos*, cui damnatio perpetuo adhæret: è natura noſtra demigremus oportet antequam in regnum Dei aditus nobis pateat. Et quid dici clarius poteſt, quam *carnem & ſanguinem regnum Dei poſſidere non poſſe?* Aboleatur ergo quicquid noſtrum eſt, (quod non citra regenerationem fiet) tum poſſeſſionem hanc regni cernemus. Denique ſi vere loquitur Chriſtus quum ſe vitam eſſe prædicat, nos in ipſum inſeri neceſſe eſt, quo è mortis ſervitute aſſeramur. At quomodo, inquiunt, regenerantur infantes, nec boni, nec mali cognitione præditi? Nos autem reſpondemus, opus Dei, etiamſi captui noſtro non ſubjaceat, non tamen eſſe nullum. Porro infantes qui ſervandi ſint (ut certe ex ea ætate omnino aliqui ſervantur) ante à Domino regenerari minime obſcurum eſt. Nam ſi ingenitam ſibi corruptionem è matris utero ſecum afferunt, ea repurgatos eſſe oportet, antequam in regnum Dei admittantur: quo *nihil ingreditur pollutum aut inquinatum.* *Si peccatores naſcuntur, quomodo & David & Paulus affirmant: aut Deo ingrati inviſique maneant, aut juſtificentur neceſſe eſt. Et quid ultra quærimus, quum palam ipſe judex affirmet, nullis patere in vitam cæleſtem ingreſſum niſi renatis? Atque ut obloquutores hoc genus compeſceret, documentum præbuit in Joanne Baptiſta, quem in matris utero ſanctificavit, quid in reliquis poſſet. Nec quo hic ludunt tergiverſatione quicquam proficiunt, id ſemel duntaxat factum: unde non ſtatim conſequatur, Dominum ita ſolere paſſim cum infantibus agere. Neque enim nos eum in modum ratiocinamur. Tantum oſtendere animus eſt, inique ac maligne intra eas anguſtias limitari ab eis Dei virtutem, quibus ipſa includi ſe non ſuſtinet. Tantundem habet ponderis & alterum ſuffugium. Uſitatum Scripturæ more perinde valere allegant particulam *Ab utero*, acſi diceretur, E pueritia. Sed videre perſpicue licet, Angelum, quum id Zachariæ denunciaret, aliud voluiſſe: nempe nondum natum, Spiritu ſancto repletum iri. Ne ergo legem Deo imponere tentemus quin ſanctificet quos viſum fuerit quo modo hunc ſanctificavit, quando nihil ejus virtuti deceſſit.

Exceptio diluta.

1 Cor. 15. verſ. 22.

Eph. 2: 3.
Pſal. 51: 7.

1 Cor. 15. verſ. 50.

Joan. 11. verſ. 25. & 14: 6.

Secunda exceptio diluta.

Apoc. 21. verſ. 27.
Pſal. 51:7.
Eph. 2: 3.

Joan. 3: 3.

Luc. 1:15.

Tertia.

Quarta.

Reſponſio 2. ad 2 argumenta, Chriſti exemplo, à prima infantia, ut nos in ſeipſo ſanctificaret, ſanctificato, petita.

18. Et ſane ideo à prima infantia ſanctificatus fuit Chriſtus, ut ex ætate qualibet ſine diſcrimine electos ſuos in ſeipſo ſanctificaret. Nam quemadmodum ad delendam inobedientiæ culpam, quæ in carne noſtra perpetrata fuerat, eam ipſam carnem ſibi induit, in qua perfectam cauſa viceque noſtra obedientiam præſtaret: ita ex Spiritu ſancto conceptus fuit ut ejus ſanctitate in aſſumpta carne ad plenum perfuſus, ipſam ad nos transfunderet. Si abſolutiſſimum in Chriſto habemus gratiarum omnium exemplar quibus filios ſuos Deus proſequitur, hac quoque parte ſcilicet documento nobis erit, infantiæ ætatem non uſque adeo à ſanctificatione abhorrere. Utcunque ſit, hoc tamen extra controverſiam ponimus, neminem electorum è præſenti vita evocari qui non prius ſanctificetur ac regeneretur Dei Spiritu. Quod contra objectant, Spiritum in Scripturis nullam niſi ex incorruptibili ſemine, id eſt, Dei verbo regenerationem agnoſcere: perperam illam Petri ſententiam interpretantur, qua fideles modo comprehendit, qui Euangelii prædicatione edocti fuerant. Talibus quidem fatemur, verbum Domini ſpiritualis eſſe regenerationis ſemen unicum: ſed ex eo negamus colligendum, non poſſe Dei virtute regenerari infantes: quæ illi tam facilis & prompta eſt, quam nobis incomprehenſa & admirabilis. Deinde non ſatis tutum fuerit hoc adimere Domino, ne ſeſe

Quinta exceptio.

1 Pet. 1. verſ. 23.

Reſponſio.

illis

illis quoquo modo exhibere cognoſcendum queat.

Sexta exceptio, quum fide careant infantes, fidei ſymbolo minime donandi ſunt. Reſponſio 1. Deut. 1. verſ. 39.

19. At *fides*, inquiunt, *per auditum*, cujus nondum uſum adepti ſunt, nec Deo cognoſcendo pares eſſe queunt, quos boni ſimul & mali notitia deſtitutos docet Moſes. Verum non animadvertunt Apoſtolum, quum *auditum* fidei principium facit, ordinariam tantum Domini œconomiam & diſpenſationem, quam tenere in vocandis ſuis ſolet, deſcribere: non autem perpetuam ei regulam præſtituere ne alia uti ratione poſſit. Quomodo certe in multorum vocatione uſus eſt: quos interiore modo, Spiritus illuminatione, nulla iotercedente prædicatione, vera ſui cognitione donavit. Quoniam autem valde abſurdum fore putant, ſi infantibus tribuatur ulla cognitio Dei, quos boni & mali intelligentia Moſes privat: reſpondeant quæſo mihi, quid periculi ſit ſi aliquam ejus gratiæ partem nunc accipere dicantur, cujus plena largitate paulo poſt perfruentur? Nam ſi vitæ plenitudo perfecta Dei cognitione conſtet: quum eorum nonnulli, quos prima ſtatim infantia hinc mors abripit, in vitam æternam tranſeant, ad contemplandam certe Dei faciem præſentiſſimam recipiuntur. Quos ergo pleno lucis ſuæ fulgore illuſtraturus eſt Dominus, cur non iis quoque in præſens, ſi ita libuerit, exigua ſcintilla irradiaret; præſertim ſi non ante exuit ipſos ignorantia, quam eripit ex carnis ergaſtulo? Non quod eadem eſſe fide præditos temere affirmare velim quam in nobis experimur, aut omnino habere notitiam fidei ſimilem: (quod in ſuſpenſo relinquere malo) verum ut iſtorum ſtolidam arrogantiam paululum coërceam, qui, prout inflata illis bucca fuerit, ſecure quidvis aut negant aut aſſerunt.

Reſponſio 2. de cognitione Dei qua imbuuntur infantes.

Quid de fide infantium in hac vita ſit ſentiendum.

Septima exceptio, Baptiſmus eſt pœnitentiæ & fidei Sacramentum, quibus quum priventur infantes, ad ſigni participationem nequaquam admitti debent. Reſponſio 1. Circumciſi ſunt, ergo & baptizandi. Rom. 4. verſ. 11.

20. Verum quo adhuc validius hac parte inſiſtant, ſubnectunt, Baptiſmum pœnitentiæ ac fidei Sacramentum eſſe: quare quum neutra in tenellam infantiam cadat, cavendum, ne, ſi in Baptiſmi communionem admittatur, inanis & evanida reddatur ſignificatio. At enim hæc tela in Deum magis quam in nos diriguntur. Siquidem & Circumciſionem fuiſſe pœnitentiæ ſignum, multis Scripturæ teſtimoniis compertiſſimum eſt. Deinde à Paulo nuncupatur *ſigillum juſtitiæ fidei*. Ab ipſo itaque Deo ratio exigatur cur eam infantium corporibus inſcribi juſſerit. Poſtquam enim in eadem ſunt cauſa Baptiſmus & Circumciſio, huic nihil dare poſſunt quod non alteri ſimul concedant. Si ad ſolitum cuniculum reſpectant, figuratos tum fuiſſe per infantiæ ætatem ſpirituales infantes, jam obſtructa eſt illis via. Dicimus ergo, quum Circumciſionem pœnitentiæ fideique Sacramentum infantibus Deus communicarit, non videri abſurdum ſi nunc Baptiſmi participes fiant: niſi palam in Dei inſtitutionem debacchari placet. Verum cum in Dei factis omnibus, tum in hoc quoque ipſo ſatis ſapientiæ, juſtitiæ, ad retundendas impiorum obtrectationes relucet. Nam etſi infantes, quo circumcidebantur momento, quid ſibi vellet ſignum illud intelligentia non comprehendebant: vere tamen circumcidebantur in naturæ ſuæ corruptæ ac contaminatæ mortificationem, quam adulti poſtea meditarentur. Denique nullo negotio ſolvi poteſt objectio hæc, Baptizari in futuram pœnitentiam & fidem: quæ etſi nondum in illis formatæ ſunt, arcana tamen Spiritus operatione utriuſque ſemen in illis latet. Hac reſponſione ſemel evertitur quicquid adverſum nos torquent à Baptiſmi ſignificatione petitum. Quale eſt elogium quo à Paulo inſignitur, ubi vocat *lavacrum regenerationis & renovationis*. Unde ratiocinaotur nemini niſi earum rerum capaci conferendum. Sed enim nobis ex adverſo excipere licet, neque Circumciſionem aliis quam regeneratis fuiſſe conferendam, quæ regenerationem deſignabat. Atque ita Dei inſtitutum à nobis condemnabitur. Proinde (quod jam aliquoties attigimus) quæcunque ad quatefaciendam Circumciſionem argumenta inclinant, vim nullam habent in oppugnando Baptiſmo. Neque elabentur, ſi dixeriot, ſtatum eſſe oobis ac fixum quod Dei auctoritate certo nititur, etiamſi nulla ejus ratio extet: quæ reverentia nequa pædobaptiſmo debetur, neque aliis ſimilibus quæ expreſſo Dei verbo non ſunt nobis commendata: quando hoc dilemmate deprehenſi ſemper tenantur. Aut enim legitimum nulliſque cavillis obnoxium, aut reprehenſione dignum fuit de circumcidendis infantibus Dei præceptum. Si nihil abſoni nec abſurdi io illo fuit, nec in pædobaptiſmi obſervatione quippiam abſurdi notari poterit.

Secunda. Baptizantur in futuram pœnitentiam & fidem, quarum ſemen in illis latet. Inſtantia, à Baptiſmi elogio petita, diluitio. Tit. 3: 5.

Inſtantia altera.

Reſp. dilemmate confirmata.

Octava exceptio, ab abſurdo. Reſponſio.

21. Quam vero conantur hoc loco inurere abſurditatis maculam, ſic eluimus. Quos electione ſua dignatus eſt Dominus, ſi accepto regenerationis ſigno, præſenti vita ante demigrent quam adoleverint, eos virtute ſui Spiritus nobis incomprehenſa renovat, quo modo expedire ſolus ipſe providet. Si grandeſcere in ætatem contingat, qua Baptiſmi veritatem edoceri queant, hinc magis ad renovationis ſtudium accendentur, cujus teſſera ſe à prima ſtatim infantia donatos eſſe diſcent, quo eam toto vitæ decurſu meditarentur. Eodem referatur quod duobus locis Paulus docet, *nos Chriſto per Baptiſmum conſepeliri*. Nam eo non intelligit, conſepultum Chriſto jam prius eum eſſe oportere qui Baptiſmo ſit initiandus: ſed quæ Baptiſmo ſubeſt doctrina, ſimpliciter declarat; idque jam baptizatis: ut ne inſani quidem Baptiſmo præire ex hoc loco pugnaturi ſint. In hunc modum & Moſes & Prophetæ populum admonebant quid ſibi vellet Circumciſio, qua tamen infantes ſignati fuerant. Taotundem valet quod & Galatis ſcribit, *Eos dum baptizati fuerunt, Chriſtum induiſſe*. Quorſum id? Nempe ut Chriſto in poſterum viverent: quia non ante vixiſſent. Et quanquam in natu grandioribus myſterii intelligentiam ſigni ſuſceptio conſequi debet: parvulos tamen alio loco ac numero habendos, mox exponetur. Nec aliud ſtatuendum eſt de loco Petri, in quo ſibi magnum præſidium ſtatuunt: quum dicit *non eſſe ablutionem ad abſtergendas corporis ſordes, ſed bonæ conſcientiæ teſtimonium coram Deo, per Chriſti reſurrectionem*. Contendunt quidem illi ex eo nihil pædobaptiſmo reliquum fieri, niſi ut inanis ſit fumus: nempe à quo longe ſepoſita ſit hæc veritas. Verum hallucinatione iſta identidem peccant, quod rem temporis ordine ſemper ſigno præire velint. Nam & Circumciſionis veritas eodem conſcientiæ bonæ teſtimonio conſtabat. Quod ſi neceſſario præcedere debuiſſet, nunquam infantes Dei mandato fuiſſent circumciſi. Verum ipſe bonæ conſcientiæ teſtimonium circumciſionis veritati ſubeſſe oſtendens, ſimul tamen præcipiens parvulos circumcidi, ea parte in futurum tempus Circumciſionem conferri ſatis indicat. Quare nihil plus in pædobaptiſmo præſentis efficaciæ requirendum eſt, quam ut fœdus cum illis à Domino percuſſum obfirmet & ſanciat. Reliqua ejus Sacramenti ſignificatio, quo tempore Deus ipſe providerit, poſtea conſequetur.

Rom. 6: 4. Col. 2: 12.

Gal. 3: 27.

Inſtantia.

2 Pet. 3. verſ. 21.

Reſponſio.

3. Arg. Baptiſmus in peccatorum remiſſionem datur. Infantes nondum peccarunt: ergo non baptizandi ſunt. Reſp. argumentum retorquens.

22. Neminem jam eſſe puto qui non perſpicue cernat omnes hujus notæ rationes meras eſſe Scripturæ inverſiones. Quæ ſuperſunt his affines, curſim perſequemur. Baptiſmum in peccatorum remiſſionem dari objiciunt. Quod ubi conceſſum fuerit, ſententiæ noſtræ abunde patrocinabitur. Peccatores enim quum naſcamur, remiſſione & venia jam à matris utero opus habemus. Porro quum ſpem miſericordiæ huic ætati non præcidat Deus, ſed potius certam faciat: cur ſignum re ipſa multo inferius præriperemus? Quare quod in nos vibrare moliuntur, hoc ita retorquemus in eos ipſos, Parvuli peccatorum remiſſione donantur: ergo ſigno

privandi

Apoſtoli auctoritate (qua abutuntur adverſarii) confirmata.
Eph. 5: 26.
1 Cor. 12. verſ. 13.

privandi non ſunt. Proferunt ſimul illud ex epiſtola ad Epheſios, *Eccleſiam à Domino mundatam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Quo ad errorem eorum evertendum nihil aptius citari poterat: nam inde nobis facilis naſcitur probatio. Si teſtatam Baptiſmo vult Chriſtus ablutionem qua Eccleſiam ſuam emundat, æquum non videri ut ſuo in parvulis teſtimonio careat, qui in Eccleſiæ parte jure cenſentur, quum hæredes regni cæleſtis ſint nuncupati. Univerſam enim Eccleſiam Paulus complectitur, ubi dicit mundatam lavacro aquæ. Nihilo ſecius & ex eo quod alibi dicit, nos in Chriſti corpus per Baptiſmum eſſe inſertos, colligimus, infantes, quos membris ſuis annumerat, baptizandos eſſe, ne à ſuo corpore divellantur. En quo impetu cum tot machinis in fidei noſtræ præſidia impreſſionem faciant.

4. Argum. ab Apoſtolici ſeculi praxi.
Act. 2: 37. &c.
Act. 8: 37.

23. Jam ad ſeculi Apoſtolici praxin atque conſuetudinem deſcendunt, quo nemo, niſi fidem ante pœnitentiamque profeſſus, ad Baptiſmum admiſſus competitur. Nam ubi rogatur Petrus ab iis quibus erat reſipiſcendi animus, quid factu ſit opus: ut *pœnitentiam* primum *agant* conſulit, deinde *ut baptizentur in remiſſionem peccatorum*. Similiter Philippus, quum baptizari Eunuchus ille poſtularet, reſpondit id *licere, modo toto corde crederet*. Hinc ſibi obtinere poſſe videntur, Baptiſmum, niſi præeunte fide ac pœnitentia, cuiquam concedi minime fas eſſe.

Reſponſio ad utrumque locum ab adverſariis in alienum ſenſum detortum.

Enimvero ſi huic rationi locum damus: prior locus, ubi nulla fidei mentio auditur, ſolam ſufficere pœnitentiam evincet: alter, quo pœnitentia minime requiritur, ſolam ſatis eſſe fidem. Excipient, puto, locum alterum altero adjuvari, ideoque ſimul eſſe connectendos. Ego quoque viciſſim conferendos dico alios locos qui ad iſtius nodi ſolutionem aliquid valent. Quandoquidem multæ in Scriptura ſententiæ habentur, quarum intelligentia à loci circumſtantia pendeat. Quale in præſentia exemplum occurrit: nam quibus hæc dicuntur à Petro & Philippo, ætate ſunt ad pœnitentiam meditandam fidemque concipiendam idonea. Tales, niſi perſpecta eorum converſione & fide (ſaltem quantum hominum judicio explorari poteſt) baptizandos eſſe fortiter negamus.

Reſponſio 2. De infantibus iis locis non agi.

Verum in alium catalogum relegandos eſſe infantes, plus ſatis perſpicuum eſt: nam ſiquis olim ſe Iſraeli adjungebat in religionis communionem, ante & fœdus Domini edoceri & Lege erudiri oportebat quam Circumciſione ſignaretur; quod natione erat ἀλλόφυλος, hoc eſt, alienigena ab Iſraëlitico populo, quocum fœdus, quod Circumciſio ſanciebat, percuſſum fuerat.

Reſponſio 3. à conſideratione fœderis & circumciſionis Abrahami & Iſaaci.
Gen. 15: 1.
Geneſ. 17. v. 12, 13.

24. Quemadmodum nec Dominus, quum Abrahamum ſibi cooptat, à Circumciſione ſumit exordium, interim quid illo ſigno ſibi velit diſſimulans: verum quod ferire cum ipſo fœdus inſtituat, primum denunciat: tum deinde poſt fidem promiſſioni habitam, Sacramenti facit participem. Cur in Abrahamo fidem Sacramentum ſequitur, in Iſaaco filio intelligentiam omnem præcedit? Quoniam eum qui adulta demum ætate in fœderis ſocietatem recipitur à quo fuerat hactenus alienus, ejus conditiones antea perdiſcere æquum eſt: infantem vero ex eo progenitum, non item: qui hæreditario jure, ſecundum promiſſionis formulam, jam à matris utero in fœdere continetur.

Reſponſio 4. A ſigno minime arcendi ſunt, qui res ſignata, id eſt, fœderis ſunt participes.
Ezech. 16. verſ. 20. & 23: 37.
Cur extra fœdus infantes non circumcidebantur ſub Lege, nec ſub Evangelio baptizantur.
Epheſ. 2. v. 12, 13.

Aut (quo res clarius ac brevius indicetur) ſi fidelium liberi, citra intelligentiæ adminiculum, fœderis ſunt participes, non eſt cur ob id à ſigno arceantur quia in fœderis ſtipulationem jurare nequeunt. Hæc certe ratio eſt cur aliquoties Deus infantes qui ab Iſraëlitis oriuntur, ſibi genitos & natos fuiſſe aſſerat. Nam filiorum haud dubie loco habet eorum filios quorum ſemini in patrem ſe fore pollicitus eſt. Qui vero infidelis eſt, impiis ortus parentibus, donec per fidem Deo uniatur, à fœderis communione extraneus cenſetur. Itaque nihil mirum ſi nec ſigno communicet, cujus ſignificatio in eo fallax inaniſque foret. In eam ſententiam Paulus quoque ſcribit, Gentes, quamdiu in ſua idololatria immerſæ fuerunt, extra teſtamentum fuiſſe. Hoc compendio tota res, niſi fallor, perſpicue expediri queat, Qui adulta demum ætate Chriſti fidem amplectuntur, eos, quum hactenus alieni à fœdere fuerint, non eſſe Baptiſmo inſigniendos niſi fide ac pœnitentia intercedente; quæ aditum illis in fœderis ſocietatem patefacere ſolæ poſſunt:

Contra, Chriſtianorum liberi à Deo per Baptiſmum recipiuntur.
Mat. 36. 6.

qui vero à Chriſtianis originem ducunt infantes, ut in fœderis hæreditatem ſtatim ac nati ſunt, à Deo excipiuntur, ita in Baptiſmum recipiendos. Eo referendum eſt quod narrat Evangeliſta, *baptizatos à Joanne fuiſſe qui peccata ſua confiterentur*: quod exemplum obſervandum hodieque cenſemus. Turca enim ſi ſe ad Baptiſmum offerat, non temere à nobis intingeretur niſi confeſſione ſcilicet edita qua Eccleſiæ ſatisfaciat.

5. Arg. ex dicto Chriſti ad Nicodemum.
Joan. 3: 5.

25. Adhæc Chriſti verba quæ Joannis tertio recitantur proferunt, quibus præſentem in Baptiſmo regenerationem exiſtimant requiri, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi in regnum Dei.* En (inquiunt) ut Baptiſmus ore Domini regeneratio vocetur. Quos igitur regenerationis minime capaces eſſe ſatis ſuperque notum eſt, quo prætextu Baptiſmo initiamus qui ſine ipſa conſtare nequit?

Reſponſio 1. Mentio Baptiſmi non fit hoc loco.
Mat. 3: 11.

Primum in eo falluntur quod Baptiſmi mentionem fieri hoc loco putant quia aquæ nomen audiunt. Poſtquam enim naturæ corruptionem Nicodemo expoſuit Chriſtus, ac renaſci oportere docuit: quia ille renaſcentiam corporalem ſomniabat, modum hic indicat quo regenerat nos Deus, nempe per aquam & Spiritum: quaſi diceret, per Spiritum, qui purgando & irrigando fideles animas, vice aquæ fungitur. Aquam ergo & Spiritum ſimpliciter accipio pro Spiritu, qui aqua eſt. Neque hæc nova eſt loquutio: prorſus enim cum illa quæ tertio Matthæi capite habetur convenit, *Qui ſequitur me, ille eſt qui baptizat in Spiritu ſancto & igni.* Quemadmodum ergo Spiritu ſancto & igni baptizare, eſt Spiritum ſanctum conferre, qui in regeneratione ignis officium naturamque habet: ita renaſci aqua & Spiritu nihil aliud eſt quam vim illam Spiritus recipere, quæ in anima id facit quod aqua in corpore. Scio alios aliter interpretari: ſed hunc eſſe germanum ſenſum non dubito: quia conſilium Chriſti non aliud eſt quam ut doceat exuendum eſſe proprium ingenium omnibus qui ad cæleſte regnum aſpirant.

Reſponſio 2. Baptiſmum præcedere fidem & pœnitentiam. Sed priori reſp. adhærendum eſt.

Quanquam, ſi putide eorum more cavillari libeat, regerere illis promptum eſſet (ubi conceſſerimus quod volunt) Baptiſmum priorem eſſe fide & pœnitentia: quando in Chriſti verbis Spiritum præcedit. De ſpiritualibus donis hoc intelligi certum eſt: quæ ſi Baptiſmum ſequuntur, adeptus ſum quod volo. Sed omiſſis cavillis, tenenda ſimplex eſt interpretatio quam attuli, neminem, donec renovatus fuerit aqua viva, hoc eſt, Spiritu, poſſe ingredi in regnum Dei.

Ex hoc Evangelii loco explodendus eſt eorum error, qui omnes non baptizatos æternæ morti adjudicant.
vide Calv. contra Theolog. Par. art. 1.
Joan. 5. verſ. 24.

26. Jam & ex eo explodendum eſſe eorum commentum palam eſt, qui omnes non baptizatos æternæ morti adjudicant. Solis ergo adultis adminiſtrari Baptiſmum ex eorum poſtulato fingamus: quid puero fieri dicent qui pietatis rudimentis rite probeque imbuitur, dum tinctionis dies appetit, ſi ſubita morte præter ſpem omnium abripi contingat? Clara eſt Domini promiſſio, *Quicunque in Filium crediderit, non viſurum mortem, nec in judicium venturum, ſed tranſiiſſe à morte in vitam*: nondum baptizatum nullibi damnaſſe comperitur. Quod in eam à me partem accipi nolo perinde acſi Baptiſmum contemni impune poſſe innuerem (quo contemptu violatum iri Domini fœdus affirmo: tantum abeſt ut excuſare [illegible]ineam) tantum evincere ſufficit, non eſſe adeo neceſſarium, ut periiſſe

protinus exiſtimetur cui ejus obtinendi adempta fuerit facultas. Atqui ſi eotum commento aſſentimur, eos omnes citra exceptionem damnabimus, quos à Baptiſmo caſus aliquis prohibuerit, quantacunque alioqui fide præditos: per quam Chriſtus ipſe poſſidetur. Inſuper infantes omnes æternæ mortis reos peragunt, quibus Baptiſmum negant, ſua ipſorum confeſſione, ad ſalutem neceſſarium, Videriot nunc quam belle ſibi cum Chriſti verbis convetuiat, quibus regnum cælorum illi ætati adjudicatur. Atque ut nihil illis non concedamus quantum ad hujus loci intelligentiam attinet, nihil tamen inde elicient, niſi prius quod jam conſtitutum eſt à nobis dogma de iofantium regeneratione everterint.

Mat. 19. verſ. 14.

6. Argum. ex præcepto & exemplo Chriſti, prius docendum quam baptizandum inſtituentis.

Matth. 28. verſ. 19. Marc. 16. verſ. 16.

Et baptiſmum trigeſimo ætatis anno recipientis.

Matth. 3. verſ. 13. Luc. 3: 23.

27. Sed propugnaculum omnium munitiſſimum in ipſa Baptiſmi inſtitutione ſe habere gloriantur, quam ex capite Matthæi ultimo petunt: ubi Chriſtus Apoſtolos mittens ad gentes univerſas, de illis docendis primum, alterum de baptizandis mandatum dat. Tum & ex Marci ultimo iſtud annectunt, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Quid ultra (inquiunt) quærimus, quum verba Domini aperte ſooent, prius docendum quam baptizandum, & Baptiſmo ſecundum à fide locum aſſignent? Cujus ordinis ſpecimen Dominus etiam Jeſus in ſe præbuit, qui anno demum triceſimo baptizari voluit. Hic vero quot modis, bone Deus, & ſe implicant, & inſcitiam ſuam produnt! Nam in eo jam pluſquam pueriliter labuntur, quod primam Baptiſmi inſtitutionem inde derivant, quem ab exordio prædicationis ſuæ Apoſtolis Chriſtus adminiſtrandum mandaverat. Non eſt igitur cur legem ac regulam Baptiſmi ex iſtis duobus locis petendam contendant, acſi primam inſtitutionem continerent. Hoc ut illis indulgeamus erratum, quam nervoſa tamen eſt iſthæc argumentatio? Equidem ſi tergiverſari libeat, non latebra, ſed latiſſimus campus ad effugiendum ſe aperit. Nam quando ita mordicus verborum ordini inſiſtunt, ut quoniam dictum eſt, *Ite, prædicate & baptizate*: item, *Qui crediderit & baptizatus fuerit*: prædicandum prius quam baptizaodum, & credendum prius quam Baptiſmum appetendum ratiocinentur: cur non & nos viciſſim excipiamus, baptizandum ante quam docendam eorum quæ Chriſtus mandavit obſervationem? nempe quum dicatur, *Baptizate, docentes ſervare quæcunque præcepi vobis.* quod idem annotavimus in illa Chriſti ſententia quæ de aquæ & Spiritus regeneratione nuper citata fuit: nam ſi ita intelligitur ut poſtulant, illic certe priorem ſpirituali regeneratione Baptiſmum eſſe conveniet, quaodo priore loco nominatur. Non enim nos ex Spiritu & aqua, ſed ex aqua & Spiritu regenerandos docet Chriſtus.

Reſponſio 1. Ex his locis lex & regula Baptiſmi haud petenda.

Reſponſio 2. adverſarios implicans.

Marc. 16. v. 15, 16

Mat. 28. v. 19, 20.

28. Jam aliquantum concuſſa videtur inexpugnabilis hæc ratio, qua tantopere confidunt: verum quia ſatis habet in ſimplicitate præſidii veritas, levibus ejuſmodi argutiis elabi nolo. Solidam ergo reſponſionem ſibi habeant. Potiſſimum hic à Chriſto de prædicando Euangelio datur mandatum: cui baptizandi miniſterium inſtar appendicis ſubnectit. Deinde non aliter de Baptiſmo ſermo habetur, niſi quatenus docendi functioni ejus adminiſtratio ſubeſt. Apoſtolos enim mittit Chriſtus ad Euangelium univerſis orbis nationibus promulgandum, ut undique in regnum ſuum perditos ante homines, doctrina ſalutis colligant. Quos autem illos, aut quales? Certum, nullam niſi de iis qui doctrinæ recipiendæ pares ſint, eſſe mentionem. Poſt adjungit, tales, ubi inſtituti fuerint, eſſe baptizandos, addita promiſſione, *Qui crediderint, & baptizati fuerint, ſalvos fore.* An de infantibus toto illo ſermone vel una eſt ſyllaba? Quæ igitur hæc qua nos impetunt argumentationis erit formula? Qui adulta ſunt ætate, ante inſtituendi ſunt, ut credant, quam baptizandi. Baptiſmum ergo infantibus communem facere nefas eſt. Non, ſi ſe rumpant, aliud ex hoc loco oſtendent, niſi aote prædicandum eſſe Euangelium iis qui ſunt audiendi capaces quam baptizentur: quando de illis modo agitur. Inde, ſi poſſunt, obicem ſtruant impediendis à Baptiſmo infantibus.

Reſp. 3. De prædicando Euangelio hic datur præcipue mandatum, cui baptizandi miniſterium inſtar appendicis ſubnectitur.

Reſp. 4. De infantibus nulla his locis mentio.

29. At vero quo cæcis quoque palpabiles ſint eorum fallaciæ, eas admodum perſpicua ſimilitudine indicabo. Siquis alimentis privandos infantes cavilletur hoc prætextu quod Apoſtolus non permittit ut edant niſi qui laborant, nonne dignus erit qui ab omnibus conſpuatur? Cur ita? Quia quod de certo genere hominum ac certa ætate dictum fuerat, ad omnes indifferenter rapit. Nihilo iſtorum in præſenti cauſa major eſt dexteritas. Quod enim ad adultam duntaxat ætatem pertinere nemo non videt, ad infantes trahunt: ut hæc quoque ætas ſubjaceat regulæ quæ nonniſi grandioribus poſita fuerat. Quantum ad Chriſti exemplum attinet, eorum cauſam nequaquam fulcit. Non ante triceſimum annum eſt baptizatus. Verum id quidem, ſed in promptu ratio eſt, quia tum ſolidum Baptiſmi fundamentum ſua prædicatione jacere inſtituebat, vel potius ſtabilire, quod paulo ante ab Joanne jactum fuerat. Baptiſmum ergo quum ſua doctrina inſtituere vellet, quo majorem ſuæ inſtitutioni auctoritatem conciliaret, ſuo ipſius corpore ipſum ſanctificavit, idque qua maxime decebat temporis opportunitate, nempe quum ſuam prædicationem auſpicaretur. Denique nihil aliud conficient, niſi Baptiſmum originem & exordium ſumpſiſſe ab Euangelii prædicatione. Quod ſi annum triceſimum præfigere libet, cur eum non obſervant: ſed ut quiſque eorum judicio ſatis profecit, eum ad Baptiſmum recipiunt? Quin etiam Servetus, unus ex eorum magiſtris, quum tempus hoc pertinaciter urgeret, jam viceſimo primo ætatis anno cœperat Prophetam ſe jactare. Quaſi vero ferendus ſit qui doctoris locum in Eccleſia ſibi arrogat antequam ſit ipſius Eccleſiæ membrum.

Reſp. 5. quæ tertiam confirmat.

2. Theſſ. 3. verſ. 10.

Reſp. 6. de Baptiſmo Chriſti annos 30 nati.

Luc. 3. verſ. 23.

30. Tandem objiciunt, non majorem eſſe cauſam cur infantibus Baptiſmus communicetur, quam Cœna Domini: quæ tamen illis minime conceditur. quaſi vero Scriptura latum modis omnibus diſcrimen non notaret. Fuit quidem id in veteri Eccleſia factitatum, ut ex Cypriano & Auguſtino conſtat: ſed merito mos ille obſolevit. Nam ſi ingenium ac proprietatem Baptiſmi reputamus, quidam certe eſt in Eccleſiam ingreſſus ac velut initiatio, per quam in Dei populum accenſemur: ſignum ſpiritualis noſtræ regenerationis, per quam in filios Dei renaſcimur: quum è converſo Cœna grandiuſculis attributa ſit, qui ſuperata teneriore infantia, jam ferendo ſint ſolido cibo. Quæ diſtinctio perquam evidenter in Scriptura demonſtratur. Nam illic Dominus, quantum ad Baptiſmum attinet, nullum ætatum delectum facit. Cœnam vero non omnibus perinde participandam exhibet, ſed iis modo qui diſcernendo corpori ac ſanguini Domini, qui ſuæ ipſorum examinandæ conſcientiæ, qui morti Domini annunciandæ, qui virtuti ejus expendendæ ſint idonei. Volumus apertius quippiam, quam quod Apoſtolus tradit, dum exhortatur ut *ſe quiſque ipſum probet* atque excutiat, *tum edat ex hoc pane, & è calice bibat*? Examen igitur præire oportet: qood ab infantibus fruſtra expectetur. Item, *Qui indigne manducat, damnationem ſibi manducat & bibit, non diſcernens corpus Domini.* Si digne participare nequeuot, niſi qui ſanctitatem corporis Chriſti rite diſtinguere noverint, cur venenum pro vivifico alimento tenellis noſtris liberis porrigamus? Quid illud Domini præceptum, *in mei commemorationem facietis*? quid alterum, quod

7. Arg. Ad Baptiſmum non eſſe admittendos infantes, quum Cœna Domini haud communicent.

Reſponſio qua utriuſque Sacramenti communionem diſtinctam eſſe oſtendit, temporis & perſonarum reſpectu.

Confirmatio, verbis Apoſtoli, infantes à menſa Domini manifeſto arcentis.

1 Cor. 11. verſ. 28.

ibid. v. 29.

ib. v. 24, 25.

inde

ibid. v. 26. inde Apoſtolus deducit, *Quoties panem hunc manducabitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat?* Quam, obſecro, ab infantibus recordationem exigemus ejus rei quam ſenſu nunquam aſſequuti ſunt? quam prædicationem crucis Chriſti cujus vim ac beneficium nondum mente comprehendunt? Nihil iſtorum in Baptiſmo præſcribitur:

Altera confirmatio, per collationem Circumciſionis & Paſcha cum noſtris Sacramentis.

quare inter hæc duo ſigna plurimum eſt diſcriminis. quod ſub veteri quoque Teſtamento, in ſimilibus ſignis animadvertimus. Circumciſio quidem, quam Baptiſmo noſtro reſpondere notum eſt, infantibus deſtinata erat. Paſcha vero, in cujus vicem nunc Cœna ſubiit, non quoslibet promiſcue convivas admittebat, ſed ab iis rite demum edebatur qui de ejus ſignificatione rogare per ætatem poſſent. Si mica ſani cerebri iſtis reſtaret, an ad rem uſque adeo perſpicuam & obviam cæcutirent?

Poſtrema capitis pars, Serveti argumenta refellens.

31. Tametſi nugarum congerie lectores onerare piget: quas tamen Servetus non minimus inter Anabaptiſtas, imo hujus catervæ magnum decus, ad prælium ſe accingens, ſpecioſas rationes adducere ſibi viſus eſt, breviter diluere operæpretium erit.

1. Argumentum. *Reſponſio.*

Obtendit, Chriſti ſymbola, ut ſunt perfecta, exigere etiam perfectos, vel perfectionis capaces. Atqui ſolutio eſt expedita, Baptiſmi perfectionem, quæ ad mortem uſque extenditur, perperam reſtringi ad unum temporis articulum. Addo etiam, ſtulte primo die in homine quæri perfectionem, ad quam Baptiſmus tota vita per continuos gradus nos invitat.

2. Argumentum. *Reſponſio.*

Objicit Chriſti ſymbola ad memoriam inſtituta eſſe, ut quiſque recolat ſe Chriſto fuiſſe conſepultum. Reſpondeo, Quod ex capite ſuo confinxit, refutatione non egere: imo quod ad Baptiſmum trahit, ſacræ Cœnæ proprium eſſe oſtendunt Pauli verba, Ut ſe quiſque examinet: de Baptiſmo nuſquam aliquid tale. Unde colligimus, rite baptizari, qui nondum pro ætatis modulo examinis ſunt capaces.

3. Argumentum. Joan. 3. verſ. 36. *Reſponſio 1.*

Quod tertio adducit, *Manere in morte omnes qui Filio Dei non credunt, & iram Dei manere ſuper eos:* ideoque infantes, qui credere nequeunt, jacere in ſua damnatione. Reſpondeo, Chriſtum illic non de generali reatu loqui quo impliciti ſunt omnes poſteri Adæ: ſed tantum minari Evangelii contemptoribus, qui oblatam ſibi gratiam ſuperbe & contumaciter reſpuunt. Hoc vero nihil ad infantes.

2\. Simul contrariam rationem oppono, Quemcunque benedicit Chriſtus, eum ab Adæ maledictione & ira Dei eximi. Quum ergo infantes ab eo benedictos eſſe notum ſit, ſequitur à morte exemptos eſſe.

Inſtantia. Falſo deinde citat quod nuſquam legitur, Quiſquis natus eſt ex Spiritu, vocem Spiritus audire.

Dilutio. Quod etſi demus eſſe ſcriptum, nihil tamen aliud eliciet quam fideles, prout operatur in illis Spiritus, ad obſequium formari. Atqui quod de certo numero dictum eſt, ad omnes æque trahere vitioſum eſt.

4. Argumentum. 1 Cor. 15. verſ. 46. *Reſponſio.*

Objicit quarto, Quia præcedit quod animale eſt, expectandum eſſe tempus maturum Baptiſmo qui eſt ſpiritualis. Ego autem, etſi fateor omnes poſteros Adæ ex carne genitos ab ipſo utero geſtare ſuam damnationem, id tamen obſtare nego quominus ſtatim remedium Deus afferat. Neque enim oſtendet Servetus plures annos divinitus fuiſſe præſcriptos quo incipiat ſpiritualis vitæ novitas.

1 Cor. 7. verſ. 14. Paulo quidem teſte, licet natura perditi ſint qui naſcuntur ex fidelibus, ſupernaturali tamen gratia ſancti ſunt.

5. Arg. allegoricum. 2 Sam. 5. verſ. 8. *Reſponſio 1.* Luc. 14. v. 21, 23.

Allegoriam deinde profert, quod David in arcem Sion conſcendens, nec cæcos nec claudos ſecum duxerit, ſed ſtrenuos milites. Quid autem ſi parabolam oppono, in qua Deus ad cæleſte epulum invitat cæcos & claudos, hoc ſe nodo quomodo expediet Servetus?

2\. Quæro etiam annon prius cum Davide militaſſent claudi & mutili.

3\. Longius tamen in hac ratione inſiſtere ſupervacuum eſt, quam ex mera falſitate conflatam, ex ſacra hiſtoria deprehendent lectores.

6. Arg. allegoricum. Matth. 4. verſ. 19.

Sequitur altera allegoria, Apoſtolos piſcatores hominum fuiſſe, non parvulorum. Ego autem quæro quid ſibi velit illud Chriſti, *In rete Evangelii colligi omne piſcium genus.*

Reſponſio 1. Matth. 13. verſ. 47.

Sed quia allegoriis ludere non placet, reſpondeo, quum Apoſtolis injunctum fuit docendi munus, non fuiſſe tamen prohibitos ab infantibus baptizandis.

2\. Quanquam ſcire adhuc velim, quum ἀνθρώπους nominet Evangeliſta (qua voce, abſque exceptione, comprehenditur humanum genus) cur infantes neget eſſe homines.

7. Argumentum. 1 Cor. 2. verſ. 13. *Reſponſio.*

Obtendit ſeptimo, Quum ſpiritualibus quadrent ſpiritualia, infantes qui ſpirituales non ſunt, neque ad Baptiſmum aptos eſſe. Sed primo quam perverſe torqueat locum Pauli plane liquet. Agitur de doctrina. Quum ſibi in vano acumine plus æquo placerent Corinthii, eorum ſocordiam coarguit Paulus, quod primis doctrinæ cæleſtis rudimentis adhuc imbuendi eſſent. Quis inde colliget, negandum eſſe infantibus Baptiſmum, quos ex carne progenitos Deus ſibi gratuita adoptione conſecrat?

8. Arg. *Reſponſio.*

Quod excipit, paſcendos eſſe ſpirituali cibo, ſi novi ſunt homines. ſolutio facilis eſt, Baptiſmo eos admitti in Chriſti gregem, & ſufficere illis adoptionis ſymbolum, donec adulti pares ſint ferendo ſolido cibo. Expectandum ergo eſſe tempus examinis quod Deus in ſacra Cœna diſerte flagitat.

9. Arg. *Reſponſio.*

Objicit poſtea, Chriſtum vocare omnes ſuos ad ſacram Cœnam. Atqui ſatis conſtat eum nullos admittere niſi qui ad celebrandam mortis ſuæ memoriam jam ſunt præparati. Unde ſequitur, infantes, quos amplexu ſuo dignatus eſt, diſtincto & proprio in gradu ſubſiſtere donec adoleſcant, neque tamen exteros eſſe.

Exceptio. *Reſponſio 1.*

Quod excipit, portentum eſſe ſi homo poſtquam natus eſt non comedat: reſpondeo aliter paſci animas quam externo Cœnæ eſu: ideoque Chriſtum infantibus cibum nihilominus eſſe, licet a ſymbolo abſtineant.

2\. Baptiſmi diverſam eſſe rationem, quo illis tantum janua in Eccleſiam aperitur.

Exceptio altera. Matth. 24. v. 45, 46. *Reſponſio.*

Rurſum objicit, bonum œconomum diſtribuere cibum familiæ tempore ſuo. Quod etſi libenter fateor, quo tamen jure definiet nobis Baptiſmi tempus, ut probet non dari tempeſtive infantibus?

10. Arg. Joan 4: 35. *Reſp.*

Adducit præterea illud Chriſti mandatum ad Apoſtolos, ut properent ad meſſem dum albeſcunt agri. Nempe hoc tantum vult Chriſtus, ut Apoſtoli, præſentem laboris fructum cernentes, alacrius ſe ad docendum accingant. Quis inde colligit ſolum meſſis tempus Baptiſmo eſſe maturum?

11. Arg. Actor. 11. verſ. 26. *Reſp.*

Undecima ratio eſt, quod in prima Eccleſia iidem erant Chriſtiani & diſcipuli: ſed jam vidimus eum inſcite ratiocinari à parte ad totum. Diſcipuli vocantur juſtæ ætatis homines qui jam fuerant edocti, & Chriſto nomen dederant: ſicuti Judæos ſub Lege Moſis diſcipulos eſſe oportuit: nemo tamen inde recte inferet extraneos fuiſſe infantes, quos Deus teſtatus eſt pro domeſticis ſibi eſſe.

12. Arg. *Reſp.*

Adhæc obtendit, Chriſtianos omnes eſſe fratres, quo in numero infantes nobis non ſunt, quamdiu à Cœna eos repellimus. Ego vero ad principium illud redeo, non eſſe hæredes regni cælorum, niſi qui Chriſti ſunt membra: deinde Chriſti amplexum veram fuiſſe teſſeram adoptionis, qua infantes adultis communiter junguntur, nec abſtinentiam temporalem à Cœna obſtare quominus pertineant ad Eccleſiæ corpus. Nec vero latro in cruce converſus deſiit eſſe frater piorum, quamvis ad Cœnam nunquam acceſſerit.

13. Arg. *Reſponſio.*

Addit poſtea, neminem fieri fratrem noſtrum niſi per Spiritum adoptionis: qui tantum ex auditu fidei confertur. Reſpondeo, ſemper in eundem relabi paralogiſmum: quia præpoſtere ad infantes trahit quod de ſolis adultis dictum eſt: docet illic Paulus hunc eſſe Deo ordinarium vocationis modum, ut electos ſuos ad fidem adducat, dum illis ſuſcitat fidos doctores, quorum miniſterio & opera manum porrigit. Quis inde legem imponere ei audeat quominus arcana alia ratione infantes Chriſto inſerat?

14. Arg.

Quod objicit,

Actor. 10. v. 44. 47. objicit, Cornelium accepto Spiritu ſancto baptizatum fuiſſe, quam perperam ex uno exemplo
Reſponſio. generalem regulam eliciar, patet ex Eunueho &
ibid. 8: 12, 15, 16, 17. Samaritanis, in quibus diverſum ordinem Deus renuit, ut Baptiſmus dona Spiritus præcederet.
15. *Argumentum.* Decima quinta ratio pluſquam inſulſa eſt, dicit nos regeneratione deos fieri: eſſe autem deos ad
Pſal. 82: 6. 2 Pet. 1: 4. Joan. 10. verſ. 35. quos ſermo Dei factus eſt: quod non competit in pueros infantes. Quod deitatem affingit fidelibus, unum eſt ex ejus deliriis, quod excutere
Reſponſio 1. non eſt præſentis loci: ſed locum Pſalmi torquere in tam alienum ſenſum, perditæ impudentiæ eſt. Dicit Christus Reges & Magiſtratur vocari à Propheta deos, quia munus ſuſtineanr divinitus
2. ſibi iojunctum. Hie vero dexter interpres, quod de ſpeciali gubernandi mandato ad certos bomines dirigitur, ad Euaogelii doctrinam trabir, ut in-
16. *Argumentum.* fantes ab Eccleſia exterminet. Objicit rurſum, Infantes non poſſe novos bomioes cenſeri, quia non
Reſponſio. gignuntur per ſermonem. Ego vero quod ſæpius jam dixi oune quoque repeto, ad nos regenerandos doctrinam ſemen eſſe incorruptibile, ſi quidem ad eam percipiendam ſumus idonei: ubi vero nondum per ætatem nobis ineſt docilitas, Deum tenere
17. *Argum. allegoricum.* ſuos regenerandi gradus. Poſtea ad allegorias ſuas redir, quod ovis & capra in Lege non ſtatim ac egreſſæ erant ex utero, fuerint oblatæ in ſacrifi-
Exod. 12. verſ. 5. cium. Si figuras huc trahere liber, mihi promptum
Reſponſio. eſt regerere, primogenita omnia ſimul ac vulvam
Exod. 13. verſ. 12. aperuerant, fuiſſe Deo ſacra: deinde oportuiſſe agnum anniculum mactari. Unde ſequitur, virile robur minime eſſe expectandum, quin potius & fœtus recentes & adbuc teneros à Deo in ſacrificia
18. *Argumentum.* deligi. Contendit præterea, non poſſe venire ad Chriſtum niſi qui à Joanne fuerint præparati. Quaſi
Reſponſio. vero non fuerit remporale Joannis officium. Sed ut hoc omittam, illa certe præparatio non fuit in pueris quos amplexus eſt Chriſtus, ac benedixit. Qua-
19. *Argumentum.* re valeat cum falſo ſuo prineipio. Patronos tandem accerſir Triſmegiſtum & Sibyllas, quod ſacræ ab-
Reſponſio. lutiones non conveniant niſi adultis. En quam honorifice ſentiat de Chriſti Baptiſmo, quem exigit ad profanos Gentium ritus, ne aliter adminiſtretur quam Triſmegiſto placuerit. Nobis vero pluris Dei auctoritas, cui viſum eſt infantes ſibi conſecrare, ac initiare ſacro ſymbolo, eujus nondum per ætatem vim tenebant. Nec fas eſſe ducimus à Gentium expiationibus mutuari quod æternam & inviolabilem Dei legem, quam de Circumciſione ſanxit, in
Baptiſmo noſtro mutet. Ultimo loco ratiocinatur, Si 20. *Argumentum.*
infantes liceat ſine intellectu baptizare, Baptiſmum à pueris ludentibus mimice & per jocum poſſe adminiſtrari. Atqui de hac re eum Deo litiget, ex *Reſponſio.*
eujus præcepto Circumciſio communis fuit infantibus antequam intelligentiam adepti eſſenr. Fuitne igitur res ludicra, vel obnoxia puerorum ineptiis, ut potuerior ſanctam Dei inſtitutionem everiere? Sed nihil mirum eſt, reprobos iſtos ſpiritus, quaſi phrenitide agitarentur, craſſiſſimas quaſque abſurditates in errorum ſuorum defenſionem ingerere: quia Deus eorum faſtum & pertinaciam tali vertigine juſte ulciſcitur. Certe quam debilibus ſuppetiis fraterculos ſuos Anabaptiſtas Servetus adjuverit, planum me feciſſe confido.

23. Jam nemini ſobrio ambiguum fore arbitror *Cur tanto impetu Satan in pædobaptiſmum feratur.*
quam temere Eccleſiam Chriſti conturbent qui rixas ae contenriones movent ob pædobaptiſmum. Sed enim operæpretium eſt obſervare quid tanta iſta vafritia Satao moliatur: nempe ut ſingularem fiducia & ſpiritualis gaudii fructum, qui hinc colli- *Ratio* 1.
gendus eſt, nobis eripiat, ac de bonitatis etiam divinæ gloria tantundem delibet. Quam enim ſua- 2.
ve piis animis, non verbo tantum, ſed oculari etiam ſpectaculo certiores fieri, tanrum ſe gratiæ apud Patrem cæleſtem obtinere ut poſteritas ſua illi curæ ſit? Hie enim videre eſt ut providentiſſimi erga nos patrisfamilias perſonam ſuſcipir, qui ne poſt mortem quidem noſtram, ſollicitudinem noſtri deponir quin liberis noſtris conſulat ac proſpiciat. An-
non hic exemplo Davidis toto eorde ad gratiarum Pſal. 48. verſ. 11.
actionem debemus exultare, ut tali bonitatis ſpecimine ejus nomen ſanctificetur? Hoc, hoc eerte *Ex hoc Anabaptiſtarum errore duo mala præcipua.*
agit Satan pædobaptiſmum tantis copiis impetendo: quo ſcilicet teſtificatione iſta gratiæ Dei è medio ſublata, quæ per ipſam oculis noſtris obverſatur promiſſio, ſenſim tandem evaneſcar. Unde non *1. Ingratitudo erga Deum.*
impia tantum adverſus Dei miſericordiam ingratitudo naſceretur, ſed in liberis ad pietatem erudiendis ignavia quædam. Neque enim parum incitamur *2. Ignavia in liberis ad pietatem erudiendis.*
hoc aculeo ad eos in ſerio Dei timore Legiſque obſervatione educandos, dum reputamus, ſtatim à partu filiorum loco eſſe ab ipſo habitos & agnitos.
Quamobrem, niſi maligne Dei beneficentiam ob- *Conclusio hortatoria, ut infantes Deo offeramus.*
ſcurare libet, infantes illi noſtros offeramus, quibus locum inter ſuos familiares ac domeſticos, id eſt, Eccleſiæ membra, attribuit.

CAP. XVII.

De ſacra Chriſti Cœna: & quid nobis conferat.

Conſtat hoc caput duabus præcipuis partibus.

1. *Prima pars primum oſtendit quidnam ſit quod Deus in S. Cœna exhibet*, *ſect.* 1. 2. 3. 4. *Deinde quomodo & quatenus id noſtrum ſit*, *à ſect.* 5. *uſque ad* 12.
2. *Secunda pars continet potiſſimum refutationes errorum quos circa Cœnam Domini ſuperſtitio invexit.* Primum *autem Tranſſubſtantiatio refellitur*, *ſect.* 12. 13. 14. 15. Deinde, *Conſubſtantiatio & Ubiquitas*, *ſect.* 16. 17. 18. 19. Tertio, *inſtitutionem ipſam contra hyperbolicos iſtos doctores facere oſtenditur*, *ſect.* 20. 21. 22. 23. 24. 25. Quarto, *aliis rationibus è verbo Dei deſumptis confirmatur orthodoxa ſententia*, *ſect.* 26. 27. Quinto, *auctoritas Patrum adverſariis excutitur*, *ſect.* 28. Sexto, *evertitur præſentia illa quam ipſi ſtatuunt*, *aliaque ſtabilitur*, *ſect.* 29. 30. 31. 32. Septimo, *agitur de communione noſtra*, *& qualis eſſe debeat*, *ſect.* 33. 34. Octavo, *refellitur adoratio ab adverſariis invecta*, *& oſtenditur quorſum inſtituta ſit Cœna Domini*, *ſect.* 35. 36. 37. 38. 39. Poſtremo, *de examine communicantium*, *ſect.* 40. 41. 42. *de externæ actionis ritibus*, *de frequenti communione ſub utraque ſpecie inſtituitur diſceptatio*, *dilutis adverſariorum objectis*, *ſect.* 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. & 50.

5. Cœna cur à Chriſto inſtituta. POſtquam nos ſemel in familiam ſuam recepit Deus, nec tantum ut ſervorum loco nos habeat, ſed filiorum: ut partes impleat optimi patris & de ſua progenie ſolliciti, continuo etiam vitæ curſu nos alendos ſuſcipit. Nec eo contentus, daro pignore nos hujus continuæ liberalitatis certiores reddere voluit. In hunc ergo finem alterum Eccleſiæ ſuæ Sacramentum dedit
per manum unigeniti Filii, ſpirituale epulum Joan. 6. verſ. 51.
ſcilicet, ubi ſe Chriſtus vivificum eſſe paoem teſtatur, quo animæ noſtræ ad veram & beatam immortalitatem paſcuntur. Quoniam vero appri- *Hujus myſterii cognitio quam neceſſaria.*
me neceſſaria eſt tanti myſterii cognitio, & pro ſua magnitudine accuratam explicationem poſtulat:

& Sa-

& Satan, ut hoc inæſtimabili theſauro Eccleſiam privaret, pridem nebulas, deinde tenebras obſcurandæ ejus luci induxit, tum contentiones & pugnas movit quæ ab hujus ſacri alimenti guſtu alienarent ſimplicium mentes, & noſtra etiam ætate idem artificium tentavit: ubi ſummam pro rudium captu complexus fuero, nodos illos quibus mundum illaqueare Satan molitus eſt, expediam.

Quæ ſint ſigna in hoc myſterio.

Primo ſigna ſunt panis & vinum, quæ inviſibile alimentum, quod percipimus ex carne & ſanguine Chriſti, nobis repræſentant. Sicut enim in Baptiſmo nos regenerans Deus, in Eccleſiæ ſuæ ſocietatem inſerit, & adoptione ſuos facit: ita diximus officium providi patrisfamilias in eo præſtare, quod cibum aſſidue miniſtrat, quo nos in ea vita ſuſtineat ac conſervet in quam nos verbo ſuo genuit. Porro unicus animæ noſtræ cibus Chriſtus eſt: ideoque ad eum nos invitat cæleſtis Pater, ut ejus communicatione refecti, vigorem ſubinde colligamus, donec ad cæleſtem immortalitatem perventum fuerit.

Quorſum nobis ea, & non alia, inſtituta ſint.

Quoniam vero myſterium hoc arcanæ Chriſti cum piis unionis natura incomprehenſibile eſt, figuram ejus & imaginem in ſignis viſibilibus exhibet ad modulum noſtrum aptiſſimis: imo velut datis arrhis ac teſſeris tam certum nobis facit quam ſi oculis cerneretur: quia in craſſiſſimas quaſque mentes hæc tam familiaris ſimilitudo penetrat, non ſecus animas Chriſto paſci, quam panis & vinum corporalem vitam ſuſtentant.

Confirmatio ab inſtitutione petita.

Jam ergo habemus in quem finem ſpectet myſtica hæc benedictio: nempe quo nobis confirmet, corpus Domini ſic pro nobis ſemel eſſe immolatum ut nunc eo veſcamur, ac veſcendo, unici illius ſacrificii efficaciam in nobis ſentiamus: ſanguinem ejus ſic pro nobis ſemel fuſum, ut ſit nobis perpetuus potus. Atque ita ſonant verba
Matth. 26. promiſſionis illic additæ, *Accipite: hoc eſt corpus*
verſ. 26. *meum quod pro vobis traditur.* Corpus ergo quod
Marc. 14. oblatum ſemel eſt in ſalutem noſtram, jubemur ac-
verſ. 27. cipere & comedere: ut dum hujus fieri nos videmus
Luc. 22. participes, vivificæ illius mortis virtutem certo ſta-
verſ. 19. tuamus in nobis efficacem fore. Unde & calicem
1 Cor. 11. fœdus vocat in ſuo ſanguine. Fœdus enim quod
verſ. 24. ſanguine ſuo ſemel ſancivit, quodammodo renovat, vel potius continuat, quantum ad fidei noſtræ confirmationem attinet, quoties ſacrum illum ſanguinem libandum nobis porrigit.

Hujus Sacramenti multiplex uſus & fructus, piorum reſpectu.

2. Magnum vero fiduciæ ac ſuavitatis fructum ex hoc Sacramento colligere poſſunt piæ animæ, quod teſtimonium habent in unum corpus nos cum Chriſto coaluiſſe, ut quicquid ipſius eſt, noſtrum vocare liceat. Hinc ſequitur ut nobis ſecure ſpondere audeamus, vitam æternam noſtram eſſe, cujus ipſe eſt hæres: nec regnum cælorum quo jam ingreſſus eſt, poſſe magis nobis excidere quam ipſi: rurſum peccatis noſtris non poſſe nos damnari, à quorum reatu nos abſolvit, quum ea ſibi imputari voluerit acſi ſua eſſent. Hæc eſt mirifica commutatio, qua pro immenſa ſua benignitate nobiſcum uſus eſt: quod filius hominis nobiſcum factus, nos ſecum Dei filios fecerit: quod ſuo in terras deſcenſu, aſcenſum nobis in cælum ſtraverit: quod accepta noſtra mortalitate, ſuam nobis immortalitatem contulerit: quod ſuſcepta noſtra imbecillitate, ſuam in nobis virtutem confirmaverit: quod noſtra in ſe recepta paupertate, ſuam ad nos opulentiam tranſtulerit: quod recepta ad ſe, qua premebamur, injuſtitiæ noſtræ mole, ſua nos juſtitia induerit.

Cœna Domini redemptionis noſtræ miranda beneficia & Chriſtum ipſum nobis exhibet.

3. Horum omnium adeo ſolidam habemus teſtificationem in hoc Sacramento, ut certo ſtatuendum ſit, vere nobis exhiberi, non ſecus acſi Chriſtus ipſe præſens aſpectui noſtro objiceretur, ac manibus attrectaretur. Hoc enim verbum nec mentiri nec illudere nobis poteſt, *Accipite, edite, bibite: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: hic eſt ſanguis, qui in remiſſionem peccatorum effunditur.* Quod accipere jubet, ſignificat noſtrum eſſe: quod edere jubet, ſignificat unam nobiſcum ſubſtantiam fieri: quod de corpore prædicat pro nobis eſſe traditum, de ſanguine pro nobis effuſum, in eo docet utrumque non tam ſuum eſſe quam noſtrum: quia utrumque non ſuo commodo, ſed in ſalutem noſtram & ſumpſit & poſuit.

Quod ex inſtitutionis verbis clariſſime conſtat.

In quibus id præcipue ſit conſiderandum, oſtenditur.

Ac diligenter quidem obſervandum eſt, potiſſimam & pene totam Sacramenti energiam in his verbis ſitam eſſe, *Quod pro vobis traditur, Qui pro vobis effunditur:* alioqui non magnopere nobis conduceret, corpus & ſanguinem Domini nunc diſtribui, niſi in redemptionem ac ſalutem noſtram expoſita ſemel fuiſſent. Itaque ſub pane & vino repræſentantur: quo diſcamus non modo noſtra eſſe, ſed nobis deſtinata in ſpiritualis vitæ alimentum.

Signorum & rerum ſignificatarum convenientia.

Id eſt quod antea admonuimus, à rebus corporeis quæ in Sacramento proferuntur, quadam analogia nos ad ſpirituales deduci. Sic quum panis nobis in ſymbolum corporis Chriſti datur, hæc ſtatim concipienda eſt ſimilitudo, Ut corporis noſtri vitam panis alit, ſuſtinet, tuetur; ita corpus Chriſti vegetandæ ac vivificandæ animæ unicum eſſe cibum. Quum vinum in ſymbolum ſanguinis propoſitum intuemur, cogitandum quos corpori uſus vinum afferat, ut eoſdem ſpiritualiter afferri nobis Chriſti ſanguine reputemus: ſunt autem, fovere, reficere, confirmare, exhilarare. Nam ſi ſatis perpendimus quid nobis ſacroſancti hujus corporis traditio, quid ſanguinis effuſio profuerit; non obſcure perſpiciemus, hæc panis & vini attributa, ſecundum ejuſmodi analogiam, optime illis erga nos convenire dum nobis communicantur.

Quæ ſint præcipuæ hujus Sacramenti partes.

4. Non ergo præcipuæ ſunt Sacramenti partes, corpus Chriſti ſimpliciter & ſine altiori conſideratione nobis porrigere: ſed magis promiſſionem illam qua *carnem ſuam vere cibum* teſtatur, *& ſanguinem ſuum potum*, quibus in vitam æternam paſcimur: qua ſe *panem vitæ* affirmat, *de quo quis manducaverit, vivet in æternum:* illam, inquam, promiſſionem obſignare & confirmare: & quo id efficiat, ad Chriſti crucem mittere, ubi ea promiſſio vere præſtita, & numeris omnibus impleta fuit. Neque enim Chriſto rite & ſalutariter veſcimur niſi crucifixo, dum efficaciam mortis ejus vivo ſenſu apprehendimus. Nam quod ſe panem vitæ nuncupavit, non eam à Sacramento ſumpſit appellationem, ut quidam perverſe interpretantur: ſed quia talis à Patre datus nobis fuerat, talemque ſeſe præſtitit: quum humanæ noſtræ mortalitatis particeps factus, nos divinæ ſuæ immortalitatis conſortes fecit: quum in ſacrificium ſe offerens, maledictionem in ſe noſtram ſuſtulit, ut ſua nos benedictione perfunderet: quum morte ſua mortem deglutivit & abſorbuit; quum in ſua reſurrectione carnem hanc noſtram corruptibilem, quam induerat, in gloriam & incorruptionem ſuſcitavit.

Priore parte primo articulo explicato, ſequitur poſterior, nempe quomodo Chriſtus panis vitæ ſit à nobis recipiendus.

5. Reſtat ut applicatione id totum ad nos perveniat: id fit cum per Evangelium, tum illuſtrius per ſacram Cœnam, ubi & ſe ipſe cum bonis ſuis omnibus nobis offert, & nos fide eum recipimus. Non ergo facit Sacramentum ut Chriſtus panis vitæ eſſe primum incipiat: ſed dum in memoriam revocat, panem vitæ eſſe factum, quo aſſidue veſcamur, ejuſque panis guſtum & ſaporem nobis præbet, ut vim panis illius ſentiamus facit. Pollicetur enim nobis, quicquid fecit aut paſſus eſt Chriſtus, id ad nos vivificandos factum eſſe. Deinde hanc vivificationem, æternam eſſe, qua ſine fine alamur, ſuſtineamur & conſervemur in vita. Siquidem ut panis vitæ nobis non fuiſſet Chriſtus, niſi nobis natus & mortuus fuiſſet, niſi nobis reſurrexiſſet: ita nunc minime eſſet niſi ejus nativitatis, mortis, reſurrectionis efficacia & fructus res æterna foret ac immortalis. Quod totum eleganter his verbis expreſ-
ſit Chriſtus, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam* Joan. 6:51.

ego dabo pro mundi vita. Quibus haud dubie innuit, ſuum nobis corpus ideo pro pane futurum ad ſpiritualem animæ vitam, quia in mortem pro ſalute noſtra exponendum erat: nobis autem porrigi ut veſcamur, quum fide nos facit ejus participes. Semel itaque ipſum dedit quo panis fieret, quum in mundi redemptionem crucifigendum expoſuit: quotidie dat, ubi participandum, quatenus crucifixum eſt, Euangelii verbo nobis offert: ubi eam exhibitionem ſacro Cœnæ myſterio obſignat: ubi idipſum intus complet quod exterius deſignat.

Fide nimirum.

Ubi duo vitia ſunt cavenda, ne videlicet ſigna nimium extenuentur aut extollantur.

Porro nobis hic duo cavenda ſunt vitia: ne aut in extenuandis ſignis nimii, à ſuis myſteriis ea divellere quibus quodammodo annexa ſunt; aut in iiſdem extollendis immodici, myſteria interim etiam ipſa nonnibil obſcurare videamur. Chriſtum eſſe panem vitæ, quo in ſalutem æternam nutriantur fideles, nemo eſt niſi prorſus irreligioſus, qui non fateatur. Sed hoc non perinde inter omnes convenit, qualis ſit ejus participandi ratio. Sunt enim qui manducare Chriſti carnem, & ſanguinem ejus bibere, uno verbo definiunt nihil eſſe aliud quam in Chriſtum ipſum credere.

Præterea non tantum ad fidem, ſed etiam adſi- des effectum receptio illa referenda eſt.

Sed mihi expreſſius quiddam ac ſublimius videtur voluiſſe docere Chriſtus in præclara illa concione, ubi carnis ſuæ manducationem nobis commendat: nempe vera ſui participatione nos vivificari: quam manducandi etiam ac bibendi verbis ideo deſignavit, ne quam ab ipſo vitam percipimus, ſimplici cognitione percipi quiſpiam putaret. Quemadmodum enim non aſpectus, ſed eſus panis corpori alimentum ſufficit: ita vere ac penitus participem Chriſti animam fieri convenit, ut ipſius virtute in vitam ſpiritualem vegetetur. Interim vero hanc non aliam eſſe quam fidei manducationem fatemur: ut nulla alia fingi poteſt.

Manducare Chriſtum, quid.

Verum hoc inter mea & iſtorum verba intereſt, quod illis manducare eſt duntaxat credere: ego credendo manducari Chriſti carnem, quia fide noſter efficitur, eamque manducationem fructum effectumque eſſe fidei dico. Aut ſi clarius velis, illis manducatio eſt fides: mihi ex fide potius conſequi videtur. In verbis quidem parvum, ſed in re non mediocre eſt diſcrimen. Nam etſi docet Apoſtolus,

Eph. 3:17. *Chriſtum in cordibus noſtris habitare per fidem*, nemo tamen habitationem iſtam, fidem interpretabitur: ſed eximium fidei effectum explicari omnes ſentiunt, quod per ipſam fideles conſequuntur ut Chriſtum in ſe habeant manentem.

Chriſtus quo ſenſu panis vitæ. Joan. 6. verſ. 51.

In hunc modum voluit Dominus, panem vitæ ſe nuncupando, non tantum docere in mortis reſurrectioniſque ſuæ fide repoſitam eſſe nobis ſalutem: ſed vera etiam ſui communicatione fieri, ut vita ſua in nos tranſeat, ac noſtra fiat: non ſecus ac panis, dum in alimentum ſumitur, vigorem corpori adminiſtrat.

Auguſtini & Chryſoſtomi auctoritate confirmatur quod de manducatione ſupra dictum eſt.

6. Nec alio ſenſu Auguſtinus, quem illi patronum ſibi advocant, credendo nos manducare ſcripſit, quam ut manducationem iſtam fidei eſſe, non oris indicaret. Quod neque ipſe nego: ſed ſimul tamen addo, nos fide complecti Chriſtum non eminus apparentem, ſed ſe nobis unientem, ut ipſe caput noſtrum, nos vero ejus membra ſimus. Neque tamen loquutionem illam ſimpliciter improbo: ſed tantum nego plenam eſſe interpretationem, ſi definire volunt quid ſit Chriſti carnem edere. Alioqui video Auguſtinum hac loquendi forma ſæpius uſum eſſe, ut quum dicit libro de doctrina Chriſtiana 3.

Homil. in Joan. 31. & 40. & alibi.

Niſi manducaveritis carnem filii hominis: figura eſt, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit. Item quum dicit, *tria illa millia hominum, qui Petri concione converſi ſunt, ſanguinem Chriſti, quem ſæviendo fuderant, credendo bibiſſe.*

Act. 2:41.

Verum plurimis aliis locis illud fidei beneficium egregie commendat, quod per ipſam non minus reficiuntur carnis Chriſti communione animæ noſtræ, quam corpora pane quo veſcuntur. Atque idipſum eſt quod alicubi ſcribit Chryſoſtomus, *Chriſtum non fide tantum, ſed re ipſa nos ſuum efficere corpus.*

Homil. 60. & 61. ad popul. Antiochen. Homil. in Marc. 83.

Neque enim aliunde quam à fide tale bonum conſequi intelligit: ſed hoc tantum vult excludere, nequis, dum fidem nominari audit, nudam imaginationem concipiat. Eos vero qui Cœnam volunt externæ ſolum profeſſionis notam eſſe, nunc prætereo: quia ſatis eorum errorem refutaſſe mihi videor quum agerem de Sacramentis in genere.

cap. 14. ſect. 13. Luc. 22. verſ. 20.

Hoc ſolum obſervent lectores, dum *calix* vocatur *fœdus in ſanguine*, promiſſionem exprimi quæ ad fidem confirmandam valeat. Unde ſequitur, niſi in Deum reſpicimus, & amplectimur quod offert, nos ſacra Cœna recte non uti.

Nec ſatis eſt quod hanc communionem nonnulli, præterita carnis & ſanguinis mentione, nihil quam ſpiritualem eſſe agnoſcunt.

7. Neque illi præterea mihi ſatisfaciunt qui nonnullam nobis eſſe cum Chriſto communionem agnoſcentes, eam dum oſtendere volunt, nos Spiritus modo participes faciunt, præterita carnis & ſanguinis mentione. Quaſi vero illa omnia de nihilo dicta forent, *carnem ejus vere eſſe cibum, ſanguinem ejus vere eſſe potum: non habere vitam niſi qui carnem illam manducaverit, & ſanguinem biberit:* & quæ eodem pertinent. Quare ſi ultra eorum deſcriptionem (ut nimis reſtricta eſt) ſolidam Chriſti communionem progredi conſtat: quouſque pateat & ſeſe proferat, paucis perſtringere aggrediar, antequam de contrario vitio exceſſus verba faciam.

ſect. 12. & ſequentib.

Erit enim mihi longior cum hyperbolicis doctoribus diſputatio, qui dum pro ſua craſſitie abſurdum edendi & bibendi modum fabricant, Chriſtum quoque carne ſua exutum in phantaſma transfigurant:

Hujus tamen communionis tantum eſt myſterium, ut fatendum ſit, hominem in hac vita non poſſe ſatis aſſequi, quomodo ſit de ea ſtatuendum.

ſi tamen ullis verbis complecti tantum myſterium liceat: quod ne animo quidem ſatis me comprehendere video, & libenter ideo fateor, nequis ejus ſublimitatem infantiæ meæ modulo metiatur. Quin potius lectores hortor, ne intra iſtos nimium anguſtos fines, mentis ſenſum contineant: ſed multo altius aſſurgere contendant, quam meo ductu poſſint: nam ego ipſe quoties hac de re ſermo eſt, ubi omnia dicere conatus ſum, parum adhuc mihi pro ejus dignitate dixiſſe videor. Quanquam autem cogitando animus plus valet, quam lingua exprimendo: rei tamen magnitudine ille quoque vincitur & obruitur. Itaque nihil demum reſtat niſi ut in ejus myſterii admirationem prorumpam, cui nec mens plane cogitando, nec lingua explicando par eſſe poteſt. Sententiæ tamen meæ ſummam exponam utcunque: quam ut nihil dubito veram eſſe, ita piis pectoribus non improbatum iri confido.

Quod autem poteſt auctor, hujuſmodi eſt. *1. Nullam omnino vitam eſſe niſi in Chriſto.* *2. Eum vero hanc habere duplici ratione: primum à ſeipſo, ut eſt Deus: deinde transfundendo eam in carnem quam induit, ut inde ad nos vitæ communicatio promanaret.*

8. Primum omnium è Scripturis docemur, Chriſtum ab initio vivificum illud Patris verbum fuiſſe, vitæ fontem & originem, unde omnia ut viverent ſemper acceperunt. Quare Joannes nunc *ſermonem vitæ* nuncupat, nunc *in ipſo vitam fuiſſe* ſcribit, ſignificans illum etiam tum creaturas omnes influentem, vim ſpirandi ac vivendi eis inſtillaſſe. Idem tamen poſtea ſubjicit, manifeſtatam tunc demum fuiſſe vitam quum aſſumpta noſtra carne, Filius Dei ſe viſendum oculis, manibuſque palpandum præbuit.

1 Joan. 1. verſ 1,2,3.

Nam etſi virtutem prius quoque ſuam in creaturas diffundebat: quia tamen homo, per peccatum à Deo alienatus, communicatione vitæ perdita, mortem undique cernebat ſibi imminentem: ut ſpem immortalitatis reciperet, in ejus verbi communionem recipi oportebat. Quantulam enim fiduciam inde concipias ſi Dei quidem verbum, à quo remotiſſimus ſis, vitæ plenitudinem in ſe continere audias; in te autem ipſo ac circumquaque nihil præter mortem occurrat & ante oculos verſetur? At vero ubi fons ille vitæ habitare in carne noſtra cœpit, jam non procul nobis abſconditus latet, ſed coram ſe participandum exhibet. Quin & ipſam, in qua reſidet, carnem vivificam nobis reddit,

Joan. 6. v. 48. 51. ibid. v. 58.

dit, ut ejus participatione ad immortalitatem paſcamur. *Ego ſum*, inquit, *panis vitæ qui de cælo deſcendi. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Quibus verbis docet, non modo ſe vitam eſſe, quatenus ſermo eſt Dei æternus qui è cælo ad nos deſcendit, ſed deſcendeodo vim iſtam in carnem quam induit, diffudiſſe: ut inde ad nos vitæ communicatio promanaret. Hinc

ibid. v. 55.

& illa jam conſequuntur, Quod *caro ejus vere eſt cibus: ſanguis ejus vere eſt potus:* quibus alimentis in vitam æternam fideles educantur. Io boc ergo ſita eſt piis eximia conſolatio, quod vitam in propria carne nunc reperiunt. Sic enim non modo facili ad eam aditu penetrant, ſed ultro ſibi expoſitam & obviam habent. Cordis ſinum tantum protendant quo præſentem amplexeotur, & eam obtinebunt.

9. Etſi autem tantam à ſeipſa virtutem non habet Cbriſti caro, ut nos vivificet, quæ & prima ſua conditione mortalitati obnoxia fuit, & ounc immortalitate prædita per ſe non vivit: jure tamen vivifica dicitur, quæ vitæ plenitudine perfuſa eſt, quam ad nos transmitteret. In quem ſenſum illud Cbriſti dictum cum Cyrillo interpretor, *Sicut Pater vitam babet in ſemetipſo, ita & Filio dedit vitam habere in ſemetipſo.* Illic enim proprie de ſuis dotibus diſſerit, non quas ab initio apud Patrem poſſidebat, ſed quibus ornatus fuit in ea ipſa carne in qua apparuit: proinde in ſua quoque humanitate, vitæ plenitudioem habitare oſtendit: ut quiſquis carni ſuæ ac ſanguini communicarit, vitæ participatione ſimul fruatur. Id quale ſit, familiari exemplo explicare licet. Quemadmodum eoim è fonte aqua nunc bibitur, nunc hauritur, nunc per canales irrigandis agris deducitur: qui tamen non à ſeipſo exuberat in tot uſus, ſed ab ipſa ſcaturigine, quæ perenni fluxu novam ſubinde largitatem illi ſufficit ac ſubminiſtrat: ita Cbriſti caro ioſtar fontis eſt divitis & inexhauſti, quæ vitam à divinitate in ſeipſam ſcaturientem ad nos transfundit. Jam quis non videt, communionem carnis & ſanguinis Cbriſti neceſſariam eſſe omnibus qui ad cæleſtem vitam aſpirant. Huc ſpectant illæ Apoſtoli ſenteotiæ, *Eccleſiam corpus eſſe Cbriſti & ejus complementum: ipſum vero eſſe caput, ex quo totum corpus coagmentatum & compactum per commiſſuras, incrementum corporis facit: Corpora noſtra membra eſſe Cbriſti.* Quæ omnia non poſſe aliter effici intelligimus quin totus Spiritu & corpore nobis adbæreat. Sed arctiſſimam illam ſocietatem qua ejus carni copulamur, ſplendidiore adbuc elogio illuſtravit, quum dixit, *nos eſſe membra corporis ejus, ex oſſibus ejus, & ex carne ejus.* Tandem ut rem omnibus verbis majorem teſtetur, ſermonem exclamatione finit, *Magnum* (inquit) *iſtud arcanum.* Extremæ ergo dementiæ fuerit, nullam agnoſcere cum carne & ſanguine Domini fidelium communionem: quam tantam eſſe declarat Apoſtolus, ut eam admirari quam explicare malit.

Confirmatio, ex Cyrillo.

Joan. 5. verſ. 26.

Et familiari exemplo ſeu ſimilitudine.

Unde conſtat, & quomodo Chriſti caro ſit vivifica, & qualis ſit noſtra cum Chriſto communio.

Epheſ. 1. verſ. 23. & 4: 15. 1 Cor. 6. verſ. 15.

10. Summa ſit, non aliter animas noſtras carne & ſanguine Cbriſti paſci, quam panis & vinum corporalem vitam tueotur & ſuſtinent. Neque enim aliter quadraret analogia ſigni, niſi alimentum ſuum animæ in Cbriſto reperirent: quod fieri non poteſt niſi nobiſcum Cbriſtus vere in unum coaleſcat, noſque reficiat carnis ſuæ eſu & ſanguinis potu. Etſi autem incredibile videtur, in tanta locorum diſtaotia penetrare ad nos Chriſti carnem ut nobis ſit in cibum, meminerimus quantum ſupra ſenſus omnes noſtros emineat arcana Spiritus S. virtus, & quam ſtultum ſit ejus immenſitatem modo noſtro velle metiri. Quod ergo mens noſtra non comprehendit, coocipiat fides, Spiritum vere unire quæ locis disjuncta ſunt. Jam ſacram illam carnis & ſanguinis ſui communicationem, qua vitam ſuam in oos transfundit Cbriſtus, noo ſecus acſi in oſſa & medullas penetraret, in Cœna etiam teſtatur, & obſignat: & quidem non objecto inani aut vacuo ſigno, ſed efficaciam Spiritus ſui illic proferens, qua impleat quod promittit. Et ſane rem illic ſignatam offert & exhibet omnibus qui ad ſpirituale illud epulum accumbunt: quanquam à fidelibus ſolis cum fructu percipitur, qui tantam benignitatem vera fide animique gratitudine ſuſcipiunt. Qua ratione dixit Apoſtolus, *Panem quem frangimus, communionem eſſe corporis Cbriſti: calicem quem* verbo & precibus in hoc *conſecramus, communionem eſſe ſanguinis ipſius.* Nec eſt quod objiciat quiſpiam, figuratam eſſe loquutionem, qua ſignatæ rei nomen ſigno deferatur. Fateor ſane fractionem panis ſymbolum eſſe, non rem ipſam. Verum hoc poſito, à ſymboli tameo exhibitione rem ipſam exbiberi rite colligemus. Niſi eoim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipſo ſymbolum proponi, nunquam dicere audeat. Itaque ſi per fractionem panis Dominus corporis ſui participationem vere repræſentat, minime dubium eſſe debet quin vere præſtet atque exhibeat. Atqua omnino iſthæc piis tenenda regula eſt, ut quoties ſymbola vident à Domino ioſtituta, illic rei ſignatæ veritatem adeſſe certo cogitent, ac ſibi perſuadeant. Quorſum enim corporis ſui ſymbolum tibi Dominus in manum porrigat, niſi ut de vera ejus participatione te certiorem faciat? Quod ſi verum eſt præberi nobis ſigoum viſibile, ad obſignandam inviſibilis rei donationem: accepto corporis ſymbolo, non minus corpus etiam ipſum nobis dari certo confidamus.

Qua nulla locorum diſtantia impediri poteſt.

Itaque ſic in S. Cœna conſignatur, ut in ea non inane ſymbolum, ſed rem ipſam percipiamus, teſte Apoſtolo.

1 Cor. 10. verſ. 16.

Objectio, figuratam tantum eſſe loquutionem.

Reſponſio.

Regula, de Sacramentis, certiſſima.

11. Dico igitur, (quod & ſemper in Eccleſia receptum fuit, & hodie docent quicunque recte ſentiunt) duabus rebus conſtare ſacrum Cœnæ myſterium: corporeis ſignis, quæ ob oculos propoſita, res inviſibiles ſecundum imbecillitatis noſtræ captum nobis repræſentant: & ſpirituali veritate, quæ per ſymbola ipſa figuratur ſimul & exbibetur. Ea qualis ſit dum familiariter demonſtrare volo, tria ſoleo ponere: ſignificationem, matèriam quæ ex ea dependet, virtutem ſeu effectum qui ex utraque conſequitur. Significatio in promiſſionibus eſt ſita, quæ quodammodo ſunt ſigno implicitæ. Materiam aut ſubſtantiam voco Chriſtum cum ſua morte & reſurrectione. Per effectum autem, redemptioοem, juſtitiam, ſanctificationem, vitamque æternam, & quæcunque alia nobis beneficia affert Cbriſtus, intelligo. Porro tametſi fidem hæc omnia reſpiciunt: nullum tamen locum relinquo huic cavillo: quaſi dum fide percipi Cbriſtum dico, intelligentia duntaxat ac imaginatione velim concipi. Offerunt enim illum promiſſiones, non ut in aſpectu modo nudaque notitia hæreamus: ſed ut vera ejus communicatione fruamur. Et ſane non video quomodo in cruce Cbriſti redemptionem ac juſtitiam, in ejus morte vitam habere ſe quis confidat, oiſi vera Cbriſti ipſius communione in primis fretus. Non enim ad nos bona illa pervenirent, niſi ſe prius noſtrum Chriſtus faceret. Dico igitur, in Cœnæ myſterio per ſymbola panis & vini, Chriſtum vere nobis exhiberi, adeoque corpus & ſanguinem ejus, in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis juſtitia adimplevit: quo ſcilicet primum in unum corpus cum ipſo coaleſcamus; deinde participes ſubſtantiæ ejus facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoque ſentiamus.

Concluſio partis primæ iſtius capitis: nempe duabus partibus conſtare Cœnæ Sacramentum, corporeis ſignis, & ſpirituali veritate.

Quæ partes complectuntur ſignificationem, materiam, & effectum.

Per ſymbola Chriſtus nobis vere exhibetur.

12. Jam ad hyperbolicas mixturas quas ſuperſtitio invexit, deſcendo: mira enim aſtutia hic luſit Satan, ut mentes bominum è cælo abſtractas, perverſo errore imbueret, acſi panis elemento affixus eſſet Cbriſtus. Ac primo quidem præſentia Chriſti in Sacramento minime talis ſomnianda nobis eſt qualem Romanæ curiæ artifices confinxerunt:

Altera pars capitis, ad novem articulos reducta.

1. Tranſſubſtantiationis Papiſticæ

conſideratio & refutatio. Hujus origo & abſurditas.

acſi locali præſentia corpus Chriſti manibus attrectandum, atterendum deotibus, ore deglutiendum ſiſteretur. Hanc enim palinodiæ formulam dictavit Berengario Nicolaus Papa, quæ pœnitentiæ teſtis foret: verbis ſcilicet en uſque prodigioſis, ut gloſſæ auctor exclamet, periculum eſſe, niſi prudenter ſibi caveant lectores, ne hæreſin inde hauriant pejorem quam fuerit Berengarii, Diſt. 2. cap. *Ego Berengarius.* Petrus vero Lombardus, etſi in excuſanda abſurditate multum laboret, magis tamen inclinat in diverſam ſententiam.

Cur exploſenda.

Siquidem ut finitum eſſe, pro perpetua corporis humani ratione, minime ambigimus, cæloque contineri quo ſemel receptum eſt, donec ad judicium redeat: ita ſub hæc corruptibilia elementa retrahere ipſum, aut ubique præſens imaginari, prorſus ducimus nefas eſſe.

Chryſoſt. Sermone quodam de Spiritu ſancto.

Neque id ſane opus eſt, quo ipſius participatione fruamur: quando hoc beneficii per Spiritum ſuum nobis Dominus largitur, ut unum corpore, Spiritu & anima, ſecum fiamus. Vinculum ergo iſtius conjunctionis eſt Spiritus Chriſti, cujus nexu copulamur: & quidam veluti canalis, per quem quicquid Chriſtus ipſe & eſt & habet, ad nos derivatur.

Confirmatio refutationis à ſimili.

Nam ſi Solem conſpicimus radiis in terram emicantem, ad generandos, fovendos, vegetandos ejus fœtus ſuam quodammodo ſubſtantiam ad eam trajicere: cur inferior Spiritus Chriſti eſſet irradiatio, ad communionem carnis & ſanguinis ejus in nos traducendam?

A Scriptura ſenſu.

Quapropter Scriptura, ubi de noſtra cum Chriſto participatione loquitur, vim ejus univerſam ad Spiritum refert. Pro multis tamen unus locus ſufficiet.

A Pauli teſtimonio. Rom. 8. v. 9, & 11.

Paulus enim ad Romanos, capite octavo, Chriſtum non aliter in nobis quam per Spiritum ſuum habitare diſſerit: quo tamen illam de qua nunc ſermo eſt carnis & ſanguinis communionem non tollit, ſed ab uno Spiritu effici docet, ut totum Chriſtum poſſideamus & habeamus in nobis manentem.

Qualem transſubſtantiationem finxerint Scholaſtici.

13. Verecundius Scholaſtici, quos tam barbaræ impietatis horror terruit: nihil tamen ipſi quoque quam ſubtilioribus præſtigiis ludunt. Non circumſcriptive, nec corporali modo contineri illic Chriſtum concedunt: ſed rationem deinde comminiſcuntur, quam nec ipſi intelligunt, nec aliis poſſunt explicare: quæ tamen eo recidit, ut Chriſtus in ſpecie panis quam vocant quæratur. Quid enim? quum ſubſtantiam panis in Chriſtum converti dicunt, annon affigunt albedini, quam illic reliquam faciunt? At ſic continetur in Sacramento, ut in cælo maneat, inquiunt: nec aliam quam habitudinis præſentiam ſtatuimus.

Horum error refellitur.

Verum quæcunque faciendo fuco vocabula obtendant, hic omnium finis eſt, per conſecrationem Chriſtum fieri qui antea panis erat: ut deinde ſub illo panis colore lateat Chriſtus. Quod etiam diſerte exprimere eos non pudet: ſunt enim Lombardi verba, *Corpus Chriſti, quod in ſe viſibile eſt, ſub ſpecie panis, facta conſecratione, latere & operiri.*

libr. 4. diſt. 12.

Ita illius panis figura nihil aliud quam larva eſt, quæ carnis conſpectum auferat oculis. Neque vero multis conjecturis opus eſt, ut deprehendamus quas iſtis verbis inſidias tendere voluerint, quum res ipſa clare loquatur.

Quas & quantas ſuperſtitiones hic error invexerit.

Quanta enim ſuperſtitione jam ſeculis aliquot non tantum hominum vulgus, ſed primores quoque ipſi detenti fuerint, ac hodie in Papiſticis Eccleſiis detineantur, videre eſt. Nam de vera fide parum ſolliciti (qua ſola & in Chriſti pervenimus ſocietatem, & cum ipſo cohæremus) modo carnalem ejus præſentiam habeant, quam ultra verbum fabricarunt, ſatis illum præſentem habere ſe putant. Proinde hoc in ſumma profectum videmus iſta ingenioſa ſubtilitate, ut panis pro Deo haberetur.

Cur transſubſtantiatio ficta.

14. Hinc prodiit fictitia illa transſubſtantiatio, pro qua hodie acrius depugnant quam pro omnibus aliis fidei ſuæ capitibus. Neque enim ſe expedire primi localis præſentiæ architecti poterant quomodo Chriſti corpus panis ſubſtantiæ permixtum foret, quin protinus occurrerent multa abſurda. Ergo ad hoc figmentum confugere neceſſe fuit, fieri converſionem panis in corpus: non quod proprie ex pane corpus fiat, ſed quia Chriſtus, ut ſub figura ſe occultet, ſubſtantiam in nihilum redigit.

Contra Scripturam S. & veterum conſenſum.

Mirum autem eſt eo inſcitiæ, imo ſtuporis fuiſſe prolapſos, ut non ſolum repugnante Scriptura, ſed etiam veteris Eccleſiæ conſenſu, monſtrum illud in medium proferrent.

Nam etſi converſionis voce quidam uſi ſunt, transſubſtantiationem Papiſticam nunquam agnoverunt.

Fateor quidem nonnullos veterum, converſionis voce interdum fuiſſe uſos: non quod abolere vellent in externis ſignis ſubſtantiam, ſed ut docerent panem myſterio dicatum longe à vulgari diſtare, ac jam alium eſſe. Ubique autem clare prædicant omnes, ſacram Cœnam duabus partibus conſtare, terrena & cæleſti: ac terrenam ſine controverſia interpretantur panem & vinum. Certe quicquid garriant, vetuſtatis patrocinio, quod evidenti Dei verbo ſæpe opponere audent, in confirmando iſto dogmate deſtitui palam eſt: nec enim ita pridem excogitatum fuit. ignoratum quidem non melioribus illis ſeculis modo, quibus purior adhuc vigebat religionis doctrina: ſed quum jam admodum inquinata eſſet illa puritas. Nemo eſt veterum qui ſacra Cœnæ ſymbola non fateatur diſertis verbis panem & vinum eſſe: etſi, ut dictum eſt, variis epithetis illa interdum inſigniunt, ad commendandam myſterii dignitatem. Nam quod dicunt, in conſecratione fieri arcanam converſionem, ut jam aliud ſit quam panis & vinum: nuper admonui eo non ſignificare in nihilum ipſa redigi, ſed jam alio loco habenda eſſe quam communes cibos, qui duntaxat ad paſcendum ventrem ſunt deſtinati: quum in iis nobis exhibeatur ſpiritualis animæ cibus ac potus. Id neque nos negamus.

Objectio. Reſponſio 1.

Si converſio eſt, inquiunt iſti, neceſſe eſt aliud ex alio fieri. Si intelligunt fieri aliquid quod prius non erat, aſſentior. Si ad ſuam illam imaginationem trahere volunt, reſpondeant mihi quam mutationem fieri ſentiant in Baptiſmo. Nam Patres hic quoque mirificam converſionem ſtatuunt, quum dicunt ex corruptibili elemento fieri ſpirituale animæ lavacrum: aquam tamen manere nemo negat.

Inſtantia dilutio.

At nihil, inquiunt, tale in Baptiſmo habetur quale illud eſt in Cœna, *Hoc eſt corpus meum.* Quaſi de verbis illis agatur, quæ ſatis expeditum ſenſum habent: ac non potius de illa voce converſionis, quæ nihil amplius in Cœna ſignificare debet quam in Baptiſmo. Valeant igitur cum iſtis ſyllabarum aucupiis, quibus nihil aliud quam ſuam jejunitatem produnt.

Transſubſt. Papiſtica ſolida refutatio, non poſſe quadrare ſignificationem Cœnæ, niſi maneat externorum ſignorum ſubſtantia.

Nec vero ſignificatio aliter quadraret, niſi veritas quæ illic figuratur, vivam effigiem haberet in externo ſigno. Voluit Chriſtus externo ſymbolo teſtari, carnem ſuam eſſe cibum. ſi inane duntaxat panis ſpectrum non panem verum proponeret, ubi analogia, vel ſimilitudo, quæ deducere nos à re viſibili ad inviſibilem debet? Nam ut omnia inter ſe conveniant, non longius ſe extendet ſignificatio, quam nos ſpecie carnis Chriſti paſci. Quemadmodum ſi in Baptiſmo figura aquæ oculos falleret, nobis certum non eſſet ablutionis noſtræ pignus: imo fallaci illo ſpectaculo vacillandi nobis occaſio daretur. Evertitur ergo Sacramenti natura, niſi in modo ſignificandi terrenum ſignum rei cæleſti reſpondeat. Ac proinde perit nobis myſterii hujus veritas, niſi verus panis verum Chriſti corpus repræſentet.

Confirmatio, ex verbis Chriſti, Joan. 6. & Apoſtoli.

Iterum repeto, Quum Cœna nihil aliud ſit quam conſpicua ejus promiſſionis teſtificatio quæ Joannis ſexto habetur, nempe Chriſtum *eſſe panem vitæ qui è cælo deſcendit:* panem viſibilem intercedere oportet, quo ſpiritualis ille figuretur: niſi nobis perire volumus omnem fructum quem in hac parte ſuſtinendæ noſtræ imbecillitati Deus indulget. Jam qua ratione colligeret Paulus, *nos omnes panem unum ac corpus unum* 1 Cor. 10. verſ. 17.

eſſe

eſſe qui panem unum ſimul participamus, ſi ſpectrum panis duntaxat, ac non potius naturalis veritas maneret?

2. Errorem illum tranſſubſt. promovit conſecratio, quæ veluti incantatio magica fuit.

15. Nec vero Satanæ præſtigiis tam fœde unquam deluſi fuiſſent, niſi quia jam faſcinati erant illo errore, corpus Chriſti ſub pane incluſum ore corporeo in ventrem transmitti. Tam brutæ imaginationis cauſa fuit, quod conſecratio tantundem apud eos valebat ac magica incantatio. Principium autem illud eos latebat, panem non niſi hominibus, ad quos dirigitur ſermo, eſſe Sacramentum: ſicuti aqua Baptiſmi in ſe non mutatur, ſed nobis eſſe incipit quod prius non erat, ſimulatque annexa eſt promiſſio. Exemplo ſimilis Sacramenti boc melius liquebit. Aqua è rupe profluens in deſerto ejuſdem rei teſſera & ſignum erat Patribus, quam nobis figurat vinum in Cœna. Docet enim Paulus *eundem potum ſpiritualem eos bibiſſe*. Atqui jumentis populi & pecori communis erat aquatio. Unde facile colligitur, in elementis terrenis, dum ad ſpiritualem uſum adhibentur, non aliam fieri converſionem quam hominum reſpectu, quatenus illis promiſſionum ſunt ſigilla. Adhæc quum Dei conſilium ſit, ut jam ſæpius inculco, nos commodis vehiculis surſum ad ſe tollere, illud impie ſua pervicacia fruſtrantur qui ad Chriſtum quidem nos vocant, ſed ſub pane inviſibiliter lateotem. Neque enim fieri poteſt ut mens bominum à locorum immenſitate ſe expediens, ad Chriſtum uſque ſupra cælos penetret. Quod illis negabat natura, magis noxio pharmaco corrigere tentarunt: ut manendo in terris, nulla cælesti Chriſti propinquitate egeamus. En neceſſitas quæ ipſos adegit ad transfigurandum Chriſti corpus. Bernardi quidem ætate, etſi durior invaluerat loquendi ratio, transſubſtantiatio tamen nondum agnita erat. Ac omnibus retro ſeculis ſimilitudo illa in ore omnium volitabat, pani & vino rem ſpiritualem conjunctam eſſe in hoc myſterio. De vocibus acute, ut ſibi videntur, reſpondent, ſed nihil afferendo cauſæ præſenti conſentaneum. Virga, inquiunt, Moſis in ſerpentem converſa, quamvis aſciſcat nomen ſerpentis, priſtinum tamen retinet, virgaque dicitur. Ita ſecundum eos æque probabile eſt, quamvis in novam ſubſtantiam transeat panis, καταχρηστικῶς, ſed tameo non inepte vocari quod apparet oculis. Sed quid ſimile aut vicinum reperiunt inter illuſtre miraculum & fictitiam eorum illuſionem cujus nullus in terra oculus teſtis eſt? Præſtigiis luſerant magi, ut Ægyptiis perſuaſum eſſet, divina virtute ad mutandas creaturas ſupra naturæ ordinem pollere. Prodit Moſes, ac profligatis eorum fallaciis, inſuperabilem Dei potentiam à ſua parte ſtare oſtendit: quia una ejus virga omnes reliquas abſumit. Sed quia ocularis fuit illa converſio, nibil ad præſentem cauſam, ut diximus: & exiguo poſt tempore viſibiliter rediit virga ad ſuam formam. Adde quod neſcitur ſubſtantiæne fuerit illa extemporalis converſio. Spectanda etiam eſt alluſio ad virgas magorum: quas ideo colubros dicere noluit Propheta, ne videretur innuere converſionem quæ nulla erat: quia præſtigiatores illi nibil aliud quam tenebras ſpectantium oculis offuderant. Quid autem cum eo ſimile habent iſtæ loquutiones, *Panis quem frangimus*, *Quoties ederitis panem hunc*, *Communicabant in fractione panis*, & alia ejuſmodi? Incantatione quidem magorum oculos tantum fuiſſe deceptos certum eſt. Quod ad Moſen, magis ambigua res eſt, per cujus manum Deo nihilo magis difficile fuit ex virga facere ſerpentem, & rurſus virgam ex ſerpente, quam induere Angelos carneis corporibus, & paulo poſt exuere. Si eadem vel affinis eſſet hujus myſterii ratio, eſſet aliquis color eorum ſolutioni. Hoc igitur fixum maneat, non vere nec apte promitti nobis in Cœna, carnem Cbriſti vere eſſe in cibum, niſi vera externi ſymboli ſubſtantia reſpondeat. Atque (ut error unus ex alio naſcitur) locus Jeremiæ tam inſulſe detortus eſt ad probandam transſubſtantiationem, ut referre pigeat. Conqueritur Propheta *lignum poſitum in pane ſuo*: ſignificans boſtium ſævitia panem ſuum infectum eſſe amaritudine. Quemadmodum David ſimili figura cibum ſuum fuiſſe felle corruptum, & potum aceto deplorat. Iſti allegorice corpus Chriſti ligno crucis fuiſſe affixum volunt. At ita ſenſerunt nonnulli veterum. Quaſi vero non magis ignoſcendum ſit eorum inſcitiæ, & ſepeliendum dedecus, quam addenda impudentia, ut cogantur eum genuino Prophetæ ſenſu boſtiliter adhuc confligere.

Margin notes: Exod. 17. verſ. 6. — 1 Cor. 10. verſ. 4. — *At panis non eſt Sacramentum ſibi, ſed hominibus quibus porrigitur.* — *Objectio, de virga Moſis in ſerpentem converſa, excutitur, nec transſubſt. Papiſtica favet.* — Exod. 4. verſ. 3. & 7: 10. &c. — Exod. 7. verſ. 12. — vide Ambr. de iis qui initiantur, cap. 9. & Auguſt. libr. 3. de Trinit. cap. 10. — *Nec aliquid ſimile habet cum verbis inſtitutionis Cœnæ.* — 1 Cor. 10. verſ. 16. & 11: 26. Act. 2: 42 — *2. Objectio.* — Jer. 11: 19. — *Reſponſio.* — Pſal. 69. verſ. 22. — *Inſtantia.* — *Reſponſio.*

2. Conſubſtantiationis error detegitur, unde nata Ubiquitas.

16. Alii qui vident non poſſe analogiam ſigni & rei ſignatæ convelli quin myſterii veritas concidat, fatentur panem Cœnæ vere ſubſtantiam eſſe terreni & corruptibilis elementi, nec quicquam in ſe pati mutationis, ſed ſub ſe habere incluſum Chriſti corpus. Si ita ſenſum ſuum explicarent, dum panis in myſterio porrigitur, annexam eſſe exbibitionem corporis, quia inſeparabilis eſt à ſigno ſuo veritas: non valde pugnarem. Sed quia in pane corpus ipſum locantes, ubiquitatem illi affingunt naturæ ſuæ contrariam, addendo autem *ſub pane*, illi occultum latere volunt: tales aſtutias è ſuis latebris pauliſper extrahere neceſſe eſt. Neque enim adhuc ex profeſſo totam hanc cauſam abſolvere in animo eſt: ſed tantum ut diſputationis, quæ mox ſuo loco ſequetur, fundamenta jaciam. Volunt ergo Cbriſti corpus inviſibile eſſe & immenſum, ut ſub pane lateat: quia ſe cum eo communicare aliter non putant quam ſi in panem deſcendat: modum vero deſcenſus, quo nos ad ſe ſurſum evehit, non comprehendunt. Obtendunt quoſcunque poſſunt colores: ſed ubi omnia dixerunt, ſatis apparet, locali Cbriſti præſentiæ inſiſtere. Unde id? nempe quia non aliam carnis & ſanguinis participationem concipere ſuſtinent niſi quæ vel loci conjunctione atque contactu, vel craſſa aliqua incluſione conſtet.

Hujus erroris ſumma.

Ubiquitariorum commentum, naturarum in Chriſto veritatem confundentia.

17. Ac quo errorem ſemel temere ſuſceptum obſtinate tueantur, non dubitant aliqui ex ipſis jactare, non alias unquam dimenſiones habuiſſe Chriſti carnem niſi quam longe lateque cælum & terra patent. Quod autem puer ex utero natus ſit, quod creverit, quod in cruce expanſus, quod ſepulchro incluſus, id diſpenſatione quadam factum, ut naſcendi, moriendi, cæteriſque humanis officiis defungeretur: quod ſolita corporis ſpecie poſt reſurrectionem conſpectus fuerit, quod io cælum aſſumptus, quod poſtremo etiam poſt aſcenſionem Stephano & Paulo viſus, eadem id diſpenſatione factum: ut Regem in cælo conſtitutum hominum aſpectui pateret. Quid boc eſt niſi Marcionem ex inferis excitare? Nemo enim dubitet, corpus Chriſti phantaſma vel phantaſticum fuiſſe, ſi ea coodițione fuit. Alii paulo argutius elabuntur, Corpus hoc quod in Sacramento datur, glorioſum eſſe & immortale: itaque nibil eſſe abſurdi ſi pluribus in locis, ſi nullo loco, ſi nulla forma, ſub Sacramento continetur. Sed quæro, Quale dabat diſcipulis Chriſtus pridie quam pateretur: an non verba ſonant, mortale illud quod paulo poſt tradendum erat dediſſe? Jam ante, inquiunt, ſuam gloriam tribus diſcipulis in monte conſpiciendam præbuerat. Verum id quidem, ſed ea claritate guſtum immortalitatis ad horam præbere illis voluit. Interea non reperient illic duplex corpus, ſed unum illud, quod Chriſtus geſtabat, nova gloria ornatum. Quum vero corpus ſuum in prima Cœna diſtribueret, imminebat jam hora qua à Deo percuſſus & humiliatus, ſine decore ut leproſus jaceret: tantum abeſt ut tunc gloriam reſurrectionis proferre vellet. Et hic quanta Marcioni feneſtra aperitur, ſi Chriſti corpus uno in loco mortale & humile videbatur, in alio immortale & glorioſum tenebatur? Quanquam ſi valeat eorum opinio,

Margin notes: Actor. 1. v. 3. & 9. & 7: 55. & 9: 3. — *Aliorum argutia.* — *Reſponſio 1.* — Matth. 17. verſ. 2. — Jeſ. 53: 4. — *Reſponſio 2.* — *Reſponſio 3.*

opinio, idem quotidie accidit: quia fateri coguntur corpus Chriſti in ſe viſibile inviſibiliter latere ſub panis ſymbolo. Et tamen qui ejuſmodi portenta evomunt, adeo eos non pudet ſui dedecoris, ut nos ultro atrocibus convitiis impetant quia non ſubſcribimus.

Abſurda quæ conſubſtantiationis errorem comitantur.

18. Age, ſi corpus & ſanguinem Domini, pani ac vino affigere libet: alterum ab altero neceſſario divelletur. Nam ut panis ſeorſum à calice porrigitur, ita corpus pani unitum, à ſanguine in calicem incluſo diviſum eſſe oportebit. Quum enim corpus in pane, ſanguinem in calice eſſe affirment, panis autem & vinum locorum ſpatiis inter ſe diſtent: nulla tergiverſatione elabi poſſint quin à ſanguine corpus ſit ſecernendum. Quod autem obtendere ſolent, per concomitantiam (ut fingunt) in corpore eſſe ſanguinem, & in ſanguine viciſſim corpus, nimis ſane frivolum eſt: quum ſymbola, quibus includuntur, ita diſtincta ſint. Cæterum ſi oculis animiſque in cælum evehimur, ut Chriſtum illic in regni ſui gloria quæramus: quemadmodum ſymbola nos ad eum integrum invitant, ita ſub panis ſymbolo paſcemur ejus corpore, ſub vini ſymbolo diſtincte ejus ſanguine potabimur: ut demum toto ipſo perfruamur. Nam tametſi carnem ſuam à nobis ſuſtulit, & corpore in cælum aſcendit, ad dexteram tamen Patris ſedet: hoc eſt, in potentia & majeſtate & gloria Patris regnat. Hoc regnum nec ullis locorum ſpatiis limitatum, nec ullis dimenſionibus circumſcriptum, quin Chriſtus virtutem ſuam, ubicunque placuerit, in cælo & in terra exſerat: quin ſe præſentem potentia & virtute exhibeat: quin ſuis ſemper adſit, vitam ipſis ſuam inſpirans, in iis vivat, eos ſuſtineat, confirmet, vegetet, conſervet incolumes, non ſecus acſi corpore adeſſet: quin denique ſuo ipſius corpore eos paſcat, cujus communionem Spiritus ſui virtute in eos transfundit. Secundum hanc rationem, corpus & ſanguis Chriſti in Sacramento nobis exhibetur.

Exceptionis dilutio.

Orthodoxa ſententia ingenua & pia expoſitio: & ſequenti ſectione 19.

Qualis ſit in Cœna vera præſentia Chriſti.

19. Nos vero talem Chriſti præſentiam in Cœna ſtatuere oportet, quæ nec panis elemento ipſum affigat, nec in panem includat, nec ullo modo circumſcribat, (quæ omnia derogare cæleſti ejus gloriæ palam eſt) deinde quæ nec menſuram illi ſuam auferat, vel pluribus ſimul locis diſtrahat, vel immenſam illi magnitudinem affingat, quæ per cælum & terram diffundatur: hæc enim naturæ humanæ veritati non obſcure repugnant. Iſtas, inquam, duas exceptiones nunquam patiamur nobis eripi. Nequid cæleſti Chriſti gloriæ derogetur: quod fit dum ſub corruptibilia hujus mundi elementa reducitur, vel alligatur ullis terrenis creaturis. Nequid ejus corpori affingatur humanæ naturæ minus conſentaneum: quod fit dum vel infinitum eſſe dicitur, vel in pluribus ſimul locis ponitur. Cæterum his abſurditatibus ſublatis, quicquid ad exprimendam veram ſubſtantialemque corporis ac ſanguinis Domini communicationem, quæ ſub ſacris Cœnæ ſymbolis fidelibus exhibetur, facere poteſt, libenter recipio: atque ita ut non imaginatione duntaxat aut mentis intelligentia percipere, ſed ut re ipſa frui in alimentum vitæ æternæ intelligantur. Cur tam odioſa mundo ſit hæc ſententia, & tam iniquis multorum judiciis præripiatur ejus defenſio, nihil cauſæ eſt, niſi quod horribili faſcino Satan dementavit eorum mentes. Certe quod docemus, Scripturis optime per omnia convenit: nihil continet vel abſurdi, vel obſcuri, vel ambigui: à vera pietate & ſolida ædificatione non abhorret: nihil denique in ſe habet quod offendat, niſi quod ſeculis aliquot, quum in Eccleſia regnaret illa Sophiſtarum inſcitia & barbaries, indigne oppreſſa fuit tam perſpicua lux & expoſita veritas. Quia tamen Satan per turbulentos ſpiritus hodie quoque molitur quibuſcunque poteſt calumniis & probris fœdare, nec in ullam aliam rem majori conatu incumbit: accuratius eam tueri & aſſerere operæpretium eſt.

Vera ſubſtantialiſque corporis ac ſanguinis Domini communicatio.

Orthodoxa ſententia veritas & firmitas.

A turbulentis ingeniis oppugnata.

Ab eorum calumniis vindicatur.

1. Verborum inſtitutionis interpretatione adhibita.

20. Porro antequam ultra progredimur, tractanda eſt ipſa Chriſti inſtitutio: præſertim quia adverſariis hæc maxime plauſibilis eſt objectio, nos diſcedere à Chriſti verbis. Ergo ut falſa invidia, qua nos gravant, levemur, aptiſſimum exordium erit à verborum interpretatione. Narrant tres Euangeliſtæ & Paulus, *Chriſtum accepiſſe panem, fregiſſe gratiis actis, dediſſe ſuis diſcipulis, ac dixiſſe, Accipite, comedite: hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur*, vel *frangitur*. De calice ita Matthæus & Marcus, *Hic calix eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis fundetur in remiſſionem peccatorum*. Paulus vero & Lucas, *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*. Tranſſubſtantiationis patroni per pronomen *hoc* ſpeciem panis notari volunt: quia toto complexu orationis peragitur conſecratio, & nulla eſt ſubſtantia quæ demonſtrari queat. Atqui ſi eos tenet verborum religio, quia Chriſtus quod in manum porrigebat diſcipulis, corpus ſuum eſſe teſtatus eſt: ab eorum ſane proprietate alieniſſimum eſt iſtud commentum, quod fuit panis, jam eſſe corpus. Quod in manus ſumptum Apoſtolis præbet Chriſtus, corpus ſuum aſſeverat: ſumpſerat vero panem: quis ergo non intelligat, panem etiamnum oſtendi? ac proinde nihil abſurdius quam ad ſpeciem transferre quod de pane prædicatur. Alii, dum particulam *eſt* pro tranſſubſtantiari poſitam interpretantur, ad gloſſam ſuffugiunt magis coactam & violenter detortam. Ideoque non eſt cur ſe verborum reverentia moveri obtendant. Eſt enim hoc gentibus ac linguis omnibus inauditum, ut verbum Eſt in hunc ſenſum uſurpetur, nempe pro converti in aliud. Quantum ad eos ſpectat qui panem in Cœna relinquunt, & affirmant eſſe Chriſti corpus, multa illis eſt inter ſe varietas. Qui modeſtius loquuntur, quanquam præciſe urgent literam, *Hoc eſt corpus meum*, poſtea tamen deflectunt à rigore: ac tantundem valere dicunt atque corpus Chriſti eſſe cum pane, in pane, & ſub pane. De re ipſa, quam affirmant, aliquid jam attigimus, & mox plura adhuc dicenda erunt: nunc tantum de verbis diſputo, quibus ſe conſtringi dicunt ne admittant panem vocari corpus, quia ſignum ſit corporis. Atqui ſi tropum omnem refugiunt, cur à ſimplici Chriſti demonſtratione tranſiliunt ad ſuas loquutiones longe diverſas? multum enim differunt, panem eſſe corpus, & corpus eſſe cum pane. Sed quia videbant fieri non poſſe ut ſimplex hæc propoſitio ſtaret, panem eſſe corpus: per illas loquendi formas, quaſi per obliquos flexus, elabi tentarunt. Alii vero audaciores, aſſerere non dubitant, proprie loquendo, panem eſſe corpus: atque hoc modo vere ſe literales eſſe probant. Si objicitur, panem igitur eſſe Chriſtum & eſſe Deum: negabunt id quidem, quia verbis Chriſti expreſſum non eſt. Sed nihil proficient negando: quando omnes conſentiunt totum Chriſtum nobis offerri in Cœna. Intolerabilis autem blaſphemia eſt, ſine figura prædicari de elemento caduco & corruptibili, quod ſit Chriſtus. Quæro jam ex ipſis, idemne valeant duæ iſtæ propoſitiones, *Chriſtus eſt Filius Dei*, & *Panis eſt Chriſti corpus*. Si diverſas eſſe concedant (quod ab invitis extorquebitur) reſpondeant unde differentia. Non aliam, arbitror, adducent, niſi quod Sacramentali modo panis vocatur corpus. Unde ſequitur, Chriſti verba non ſubjici communi regulæ, nec debere ad Grammaticam exigi. Ex omnibus etiam moroſis & præfractis literæ exactoribus quæro, ubi Lucas & Paulus *calicem* dicunt *teſtamentum in ſanguine*, annon idem exprimant quod priore membro, ubi panem nominant corpus? Eadem certe religio fuit in una parte myſterii quæ in altera: & quia

Luc. 22. v. 17. 19. &c.

Matth. 26. verſ. 26.

Marc. 14. verſ. 22.

1 Cor. 11. verſ. 24.

Quam tuentur adverſus tranſſubſtantiatorum gloſſemata.

Et adverſus conſubſtantiatores.

Horum effugia diluuntur, & ad abſurda blaſphemia deducuntur.

Luc. 22. verſ. 20.

1 Cor. 11. verſ. 25.

Non diſcedunt igitur

à Chriſti verbis qui ea interpretantur juxta analogiam fidei: imo in Conſubſtantiatores illud torquere poteſt.

& quia obſcura eſt brevitas, ſenſum melius elucidat longior ſermo. Quoties ergo ex verbo uno contendent, panem eſſe corpus: ego ex pluribus verbis commodam interpretationem afferam, eſſe teſtamentum in corpore. Quid enim? an quærendus erit interpres Paulo & Luca fidelior aut certior? Neque tamen huc tendo, ut quicquam delibem de ea quam confeſſus ſum corporis Chriſti communicatione: ſtultam modo pervicaciam, qua tam hoſtiliter litigant de verbis, refellere propoſitum eſt. Panem, auctoribus Paulo & Luca, corpus Chriſti eſſe intelligo: quia fœdus eſt in corpore. Quod ſi impugnant, non mecum, ſed cum Spiritu Dei certamen illis eſt. Utcunque verborum Chriſti reverentia tangi ſe quiritentur quominus figurate intelligere auſint quæ ſunt aperte dicta: non eſt tamen hic ſatis juſtus prætextus, cur omnes quas contra objicimus rationes ita reſpuant. Interea quale ſit iſtud, In Chriſti corpore & ſanguine teſtamentum, ut jam admonui, tenere convenit: quia non aliter prodeſſet nobis fœdus ſacrificio mortis ſancitum, niſi accederet arcana illa communicatio qua in unum cum Chriſto coaleſcimus.

Nomen rei ſignificatæ cur ſymbolis Sacramentalibus ſit attributum, oſtenditur ex Scriptura locis.

Gen. 17. verſ. 10.
Exod. 12. verſ. 11.
Exod. 17. verſ. 6.
1 Cor. 10. verſ. 4.
Exod. 3: 2.
Pſal. 84: 8. & 42: 3.
Mat. 3: 16.

21. Reſtat igitur ut propter affinitatem quam habent cum ſuis ſymbolis res ſignatæ, nomen ipſum rei fateamur attributum fuiſſe ſymbolo: figurate id quidem, ſed non ſine aptiſſima analogia. Allegorias & parabolas omitto, nequis ſubterfugia me quærere, & extra præſentem cauſam egredi cauſetur. Dico metonymicum eſſe hunc ſermonem, qui uſitatus eſt paſſim in Scriptura, ubi de myſteriis agitur. Neque enim aliter accipere poſſis quod dicitur, *Circumciſionem eſſe fœdus, agnum eſſe tranſitum, ſacrificia Legis eſſe expiationes*: denique *petram*, ex qua in deſerto aqua profluebat, *fuiſſe Chriſtum*, niſi tranſlatitie dictum accipias. Nec modo à ſuperiore ad inferius nomen transfertur: ſed contra, etiam rei ſignatæ tribuitur nomen ſigni viſibilis: ut quum dicitur Deus apparuiſſe Moſi in rubo: arca fœderis vocatur Deus, & Dei facies: & columba, Spiritus ſanctus. Nam etſi eſſentia ſymbolum à re ſignata differt, quod hæc ſpiritualis eſt & cæleſtis, illud corporeum & viſibile: quia tamen rem cui repræſentandæ conſecratum eſt, non figurat tantum ceu nuda & maniteſſera, ſed vere etiam exhibet: cur non ejus appellatio in ipſum jure competat? Quod ſi humanitus excogitata ſymbola, quæ imagines ſunt rerum abſentium potius, quam notæ præſentium, quas etiam ipſas fallaciter ſæpiſſime adumbrant, earum tamen titulis interdum ornantur: quæ à Deo ſunt inſtituta, multo majori ratione rerum nomina mutuantur quarum & certam minimeque fallacem ſignificationem ſemper gerunt, & adjunctam habent ſecum veritatem. Tanta igitur eſt ſimilitudo & vicinitas alterius ad alterum, ut proclivis ultro citroque ſit deductio. Deſinant itaque adverſarii inſulſas facetias in nos congerere, Tropiſtas vocando: quando ex communi Scripturæ uſu Sacramentalem loquendi modum exponimus. Nam cum in multis Sacramenta ſimul conveniunt, tum in hac metonymia quædam eſt ipſis omnibus inter ſe communitas. Ut ergo lapidem, è quo Iſraëlitis ſpiritualis potus ſcaturiebat, Chriſtum fuiſſe Apoſtolus docet, quod viſibile ſymbolum foret ſub quo ſpiritualis ille potus vere quidem, ſed non ad oculum percipiebatur: ita corpus Chriſti panis hodie nuncupatur, quando ſymbolum eſt quo veram corporis ſui manducationem offert nobis Dominus.

1 Cor. 10. verſ. 4.

Item ex Auguſtino. epiſt. 23. ad Bonif.

Neque aliter vel ſenſit vel loquutus eſt Auguſtinus: nequis hoc aſpernetur tanquam novum commentum. *Si Sacramenta* (inquit) *quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt, non haberent, utique Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quendam modum ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt: ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt: ita ſacramentum fidei, fides eſt.* Multi ſunt apud eum ſimiles loci, quos ſupervacuum foret congerere, quum unus ille ſufficiat: niſi quod monendi ſunt lectores idem à ſancto viro tradi in epiſtola ad Euodium. Frivola autem tergiverſatio eſt, ubi docet Auguſtinus frequentem ac tritam eſſe metonymiam in myſteriis, non fieri mentionem Cœnæ: quia hoc recepto, ratiocinari à genere ad ſpeciem non liceret, nec valeret argumentum, Omne animal motu præditum eſt: ergo bos & equus motu præditus eſt. Quanquam longior diſceptatio alibi ejuſdem ſancti verbis dirimitur, ubi dicit *Chriſtum non dubitaſſe vocare corpus ſuum quum ſignum daret corporis ſui*: contra Adimantum Manichæum cap. 12. Et alibi in Pſal. 3. *Mirandu* (inquit) *Chriſti patientia, quod Judam adhibuit ad convivium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendavit & tradidit.*

Exceptio, Auguſtinum non loqui de Cœna. Reſponſio, confirmata ipſius Auguſtini teſtimonio.

Objectio, ex vocabulis, Hoc eſt, conflata.

22. Siquis tamen moroſus, ad alia omnia cæcutiens, huic tantum verbo inſiſtat, HOC EST, quaſi myſterium hoc ab omnibus aliis ſeparet, facilis ſolutio eſt. Verbi ſubſtantivi tantam eſſe emphaſim dicunt, ut nullum ſchema admittat. Quod *Reſponſio* 1.
ſi illis concedimus: nempe in verbis Pauli ſubſtan- 1 Cor. 10.
tivum verbum legitur, ubi panem vocat κοινωνίαν verſ. 16.
corporis Chriſti. Aliud autem eſt communicatio
quam corpus ipſum. Imo fere ubi de Sacramentis
agitur, idem verbum occurrit. *Hoc erit vobis fœdus* Gen. 17.
mecum. Agnus hic erit vobis Paſcha. Ne plura, quum verſ. 13.
dicit Paulus *petram fuiſſe Chriſtum*, cur illis minus Exod. 12.
emphaticum eſt eo loco ſubſtantivum verbum quam verſ. 43.
in Chriſti ſermone? Reſpondeant etiam, ubi dicit 1 Cor. 10.
Joannes, *Nondum erat Spiritus ſanctus, quia Je-* verſ. 4. 2.
ſus nondum erat glorificatus: quid valeat ſubſtanti- Joan. 7.
vum verbum. Nam ſi regulæ ſuæ affixi manent, verſ. 39.
abolebitur æterna Spiritus eſſentia, quaſi initium
acceperit à Chriſti aſcenſione. Reſpondeant de- 3.
mum, quid ſignificet illud Pauli, Baptiſmum eſſe Tit. 3: 5.
lavacrum regenerationis & renovationis: quem con-
ſtat multis eſſe inutilem. Sed nihil ad eos refellen- 4.
dos validius eſt quam illud Pauli, Eccleſiam eſſe
Chriſtum. Nam ſimilitudine corporis humani ad-
ducta ſubnectit, *Sic eſt Chriſtus*: ubi non intelligit 1 Cor. 12.
unigenitum Dei Filium in ſe, ſed in membris. His verſ. 12.
jam me adeptum eſſe arbitror, ut ſanis & integris
hominibus fœteant hoſtium noſtrorum calumniæ,
dum ſpargunt, fidem nos abrogare Chriſti verbis:
quæ nos non minus obedienter amplectimur quam
ipſi, & majori religione expendimus: Imo ſupina
eorum ſecuritas indicio eſt non magnopere eos curare quid voluerit Chriſtus, modo clypeum illis ſuppeditet ad tuendam obſtinationem: ſicuti noſtra diſquiſitio teſtis eſſe debet quanti ſit nobis Chriſti auctoritas. Odioſe jactant, humanum ſenſum nobis obſtare quominus credamus quod Chriſtus ſacro ſuo ore protulit: ſed quam improbe hanc ignominiam nobis inurant, magna ex parte jam planum feci, & clarius deinde liqueſcet. Nihil ergo nos impedit quominus loquenti Chriſto credamus, & ſimulac hoc vel illud annuerit, acquieſcamus. Tantum hoc agitur, an nefas ſit de genuino ſenſu ſciſcitari.

Object. 2. nos philoſophice non theologice agere. Reſponſio.

Objectio 3. A verbis Chriſti ne tantillum quidem eſſe diſcedendum. Reſp deducens ad abſurda.

23. Vetant boni iſti magiſtri, ut literati appareant, vel tantillum à litera diſcedere. Ego contra ubi Scriptura Deum nominat virum bellicoſum: quia ſine tranſlatione nimis aſperam loquutionem fore video, non dubito ſumptam eſſe ab hominibus comparationem. Et ſane non alio prætextu moleſti olim fuerunt orthodoxis Patribus Anthropomorphitæ, niſi quod vocibus illis mordicus arreptis, *Oculi Dei vident, Aſcendit ad ejus aures, Manus ejus extenta, Terra ſcabellum pedum ejus*, clamitabant eripi

Deo

Deo corpus ſuum quod ei Scriptura aſſignat. Hac lege recepta, immanis barbaries totam fidei lucem obruet. Quæ enim abſurditatum monſtra fanaticis hominibus elicere non licebit, ſi illis permittitur ſingulos apices ſtabiliendis ſuis placitis objicere?

Objectio 4. Chriſtum in Cœna perſpicue eſſe loquutum. Reſponſio.

Quod objiciunt, non eſſe veriſimile, quum Chriſtus Apoſtolis ſingulare pararet in rebus adverſis ſolatium, ænigmatice loquutum eſſe vel obſcure: pro nobis facit. Niſi enim Apoſtolis veniſſet in mentem panem vocari figurate corpus, quia ſymbolum eſſet corporis, turbati haud dubie fuiſſent re tam prodigioſa. Eodem fere momento narrat Joannes in minimis quibuſque difficultatibus perplexos hæſiſſe.

Joan. 14. verſ. 5, 8. & 16: 17.

Qui ſecum diſceptant quomodo iturus ſit Chriſtus ad Patrem, & quæſtionem movent quomodo abiturus ſit è mundo: qui de Patre cæleſti nihil eorum quæ dicuntur intelligunt, donec eum viderint: quomodo tam faciles fuiſſent ad credendum quod repudiat omnis ratio, Chriſtum diſcumbere in menſa ſub conſpectu ſuo, & inviſibilem includi ſub pane? Quod ergo panem ſine dubitatione edendo, conſenſum ſuum teſtantur, hinc apparet eodem quo nos ſenſu accepiſſe Chriſti verba: quia illis occurrit quod in myſteriis non debet videri inſolens, nomen rei ſignatæ ſigno transſcribi. Certa igitur & dilucida fuit diſcipulis conſolatio, ut nobis eſt, nullo ænigmate implicita:

Cur interpretationem verborum S. Cœnæ reſpuant adverſarii orthodoxa doctrina. Hujus interpretationis perſpicua aſſertio ex ipſis verbis inſtitutionis collecta.

nec aliud cauſæ eſt cur à noſtra interpretatione quidam reſiliant, niſi quod eos excæcavit Diaboli incantatio, nempe ut ænigmatum tenebras ſibi fingant, ubi obvia eſt concinnæ figuræ interpretatio. Præterea ſi in verbis præciſe inſiſtitur, perperam aliud ſeorſum de pane prædicaret Chriſtus quam de calice. Panem vocat corpus, vinum vocat ſanguinem: aut confuſa erit battologia, aut erit partitio quæ corpus à ſanguine dividat. Imo tam vere dicetur de calice, Hoc eſt corpus meum, quam de pane ipſo: & prædicari viciſſim poterit, panem eſſe ſanguinem. Si reſpondeant, ſpectandum eſſe in quem finem vel uſum inſtituta ſint ſymbola: fateor id quidem: ſed interea minime ſe expedient quin eorum error abſurdum hoc ſecum trahat, Panem eſſe ſanguinem, & vinum corpus. Jam quid hoc ſibi velit, neſcio, quum res diverſas eſſe concedant panem & corpus, aſſerere tamen alterum de altero proprie & ſine figura prædicari: acſi quis diceret veſtem quidem diverſam eſſe ab homine, & tamen proprie vocari hominem. Interea, quaſi in pertinacia & convitiis victoria illis ſita eſſet, Chriſtum accuſari mendacii dicunt, ſi quæritur verborum interpretatio. Jam lectoribus judicare promptum erit quam injuſtam nobis injuriam faciant iſti ſyllabarum aucupes, dum ſimplices imbuunt hac opinione, fidem nos detrahere Chriſti verbis, quæ furioſe ab illis perverti ac confundi, à nobis autem fideliter ac dextre explicari demonſtravimus.

Objectio 5. Nos ita humanæ rationi eſſe addictos, ut Dei omnipotentiæ derogemus. Reſponſio 1.

24. Sed non poteſt hujus mendacii infamia penitus abſtergi niſi diluto altero crimine: nos enim rationi humanæ ita addictos eſſe jactant, ut nihilo plus tribuamus Dei potentiæ quam naturæ ordo patitur, & dictat communis ſenſus. A tam improbis calumniis provoco ad ipſam doctrinam quam tradidi: quæ ſatis dilucide oſtendit, me hoc myſterium minime rationis humanæ modo metiri, vel naturæ legibus ſubjicere. Obſecro, an ex phyſicis didicimus, Chriſtum perinde animas noſtras è cælo paſcere carne ſua, atque corpora pane & vino aluntur? unde hæc carni virtus ut animas vivificet? Naturaliter non fieri, omnes dicent. Humanæ rationi nihilo magis placebit penetrare ad nos Chriſti carnem, ut nobis ſit alimentum. Denique quiſquis doctrinam noſtram guſtaverit, rapietur in admirationem arcanæ Dei potentiæ.

Reſponſio 2. qua objectionem torquet in adverſarios.

Iſti autem boni ejus zelotæ miraculum ſibi fabricant, quo ſublato evaneſcit Deus ipſe cum ſua potentia. Lectores iterum admonitos cupio, ut quid ferat noſtra doctrina diligenter æſtiment, pendeatne à ſenſu communi, an vero fidei alis, ſuperato mundo, tranſcendat in cælos. Dicimus Chriſtum tam externo ſymbolo quam Spiritu ſuo ad nos deſcendere, ut vere ſubſtantia carnis ſuæ & ſanguinis ſui animas noſtras vivificet. In his paucis verbis qui non ſentit multa ſubeſſe miracula, pluſquam ſtupidus eſt: quando nihil magis præter naturam, quam ut vitam ſpiritualem & cæleſtem animæ mutuentur à carne quæ originem ſuam è terra accepit, & quæ morti fuit ſubjecta: nihil magis incredibile quam res toto cæli & terræ ſpatio diſſitas ac remotas, in tanta locorum diſtantia non ſolum conjungi, ſed uniri, ut alimentum percipiant animæ ex carne Chriſti. Deſinant ergo præpoſteri homines invidiam putida calumnia nobis facere, acſi de immenſa Dei potentia maligne aliquid reſtringeremus. Ipſi enim vel nimis ſtulte errant, vel improbe mentiuntur.

De omnipotentia Dei non eſt quæſtio in hac diſputatione, ſed de voluntate.

Non enim hic quæritur quid Deus potuerit, ſed quid voluerit. Affirmamus autem id factum eſſe quod illi placitum erat. Placuit autem Chriſtum *fratribus per omnia ſimilem fieri, excepto peccato.* Qualis eſt noſtra caro? nonne quæ certa ſua dimenſione conſtat, quæ loco continetur, quæ tangitur, quæ videtur?

Heb 4: 15.

Inſtantia.

Et cur (inquiunt) non faciat Deus ut caro eadem plura diverſaque loca occupet, ut nullo loco contineatur, ut modo & ſpecie careat?

Solutio, Auguſtini teſtimonio confirmata.

Inſane, quid à Dei potentia poſtulas, ut carnem faciat ſimul eſſe & non eſſe carnem? Perinde acſi inſtes, ut lucem faciat ſimul eſſe lucem & tenebras. At lucem vult eſſe lucem: tenebras, tenebras: carnem, carnem. Convertet quidem quum volet tenebras in lucem, & lucem in tenebras: ſed quum exigis ut lux & tenebræ non differant, quid aliud quam ordinem ſapientiæ Dei pervertis? Carnem igitur carnem eſſe oportet: ſpiritum, ſpiritum: unumquodque qua à Deo lege & conditione creatum eſt. Ea vero eſt carnis conditio ut uno certoque loco, ut ſua dimenſione, ut ſua forma conſtat. Ea conditione carnem induit Chriſtus, cui, teſte Auguſtino, *incorruptionem quidem & gloriam dedit, naturam & veritatem non abſtulit.*

epiſt. ad Dardanum.

Objectio 6. Se niti expreſſis Chriſti verbis. Reſponſio 1. Reſponſio 2.

25. Excipiunt, ſe verbum habere quo palam facta eſt Dei voluntas: nempe ſi illis conceditur donum interpretationis ex Eccleſia profligare quod lucem verbo afferat. Fateor illos habere verbum: ſed quale olim Anthropomorphitæ, quum Deum corporeum facerent: quale Marcion & Manichæi, quum fingerent Chriſti corpus vel cæleſte, vel phantaſticum. Citabant enim teſtimonia, *Primus Adam è terra terreſtris, ſecundus Adam è cælo cæleſtis.* Item, *Chriſtus ſeipſum exinanivit forma ſervi accepta, & ſimilitudine repertus ut homo.*

1 Cor. 15. verſ 47. Philip. 2. verſ. 7.

Reſponſio 3.

Verum craſſi comeſtores nullam Dei potentiam eſſe exiſtimant, niſi monſtro in cerebris ſuis fabricato evertatur totus ordo naturæ: quod potius eſt Deum circumſcribere, ubi figmentis noſtris appetimus experiri quid poſſit. Ex quo enim verbo ſumpſerunt, corpus Chriſti in cælo viſibile eſſe, latere autem inviſibile in terra ſub innumeris panis fruſtulis?

Exceptionis dilutio.

Dicent neceſſitatem hoc flagitare, ut Chriſti corpus detur in Cœna. Nempe quia carnalem eſum ex Chriſti verbis elicere libuit, ſuo ipſorum præjudicio abrepti, neceſſe habuerunt argutiam hanc excudere, cui reclamat tota Scriptura. Quicquam vero à nobis imminui de potentia Dei, uſque eo falſum eſt, ut noſtra doctrina apprime magnificum ſit ejus elogium.

Objectio 7. Nos Chriſti dicta reſpuere.

Sed quia ſemper nos inſimulant, fraudari Deum ſuo honore, dum reſpuimus quod ſecundum communem ſenſum difficile eſt creditu, licet ore Chriſti promiſſum fuerit:

Reſponſio 1.

iterum reſpondeo quod nuper, nos in fidei myſteriis ſenſum communem non conſulere, ſed placida docilitate & ſpiritu manſuetudinis, quem commendat Jacobus, ſuſcipere profectam è

Jacob. 1. verſ. 21.

cælo

Reſponſio 2.

cælo doctrinam. Sed in quo ipſi pernicioſe errant, nos utilem moderationem ſequi non diſſiteor.

Objectio 8. Miraculum ſubeſſe in hoc Sacramento, Dei omnipotentia innitens, unde faſtuoſa voces.

Illi auditis Chriſti verbis, *Hoc eſt corpus meum*, miraculum ab ejus mente remotiſſimum imaginantur. Ubi autem ex hoc commento emergunt fœdæ abſurditates, quia jam præcipiti feſtinatione laqueos induerunt, demergunt ſe in abyſſum omnipotentiæ Dei: ut hoc modo veritatis lucem extinguant. Hinc faſtuoſa illa moroſitas, Nolumus ſcire quomodo ſub pane lateat Chriſtus, hac ipſius voce contenti, *Hoc eſt corpus meum.*

Reſponſio 1.
Reſponſio 2.

Nos vero, ut in tota Scriptura, ſanam hujus loci intelligentiam non minore obedientia quam cura conſequi ſtudemus: neque præpoſtero fervore temere arripimus & ſine delectu quod primum ſe mentibus noſtris ingerit: ſed ſedula meditatione adhibita, ſenſum amplectimur quem Spiritus Dei ſuggerit: quo freti, deſpicimus ex alto quicquid terrenæ ſapientiæ contra opponitur.

Reſponſio 3.

Imo captivas tenemus mentes noſtras, ne verbulo duntaxat obſtrepere; ac humiliamus, ne inſurgere audeant. Hinc nata eſt expoſitio verborum Chriſti, quam ex perpetuo Scripturæ uſu Sacramentis communem eſſe, omnes in ea mediocriter verſari norunt. Nec vero nefas eſſe nobis ducimus,

Luc. 1: 34.

ſanctæ Virginis exemplo, in re ardua ſciſcitari quomodo fieri poſſit.

4. Aliis rationibus è verbo Dei deſumptis orthodoxa ſententia confirmatio. Prima, à conſideratione veritatis corporis Chriſti, ab adverſariorum cavillis vindicata.

26. Sed quia nihil ad confirmandam piorum fidem magis valebit, quam ubi didicerint, quam poſuimus doctrinam ex puro Dei verbo ſumptam eſſe, ejuſque auctoritati inniti: hoc quoque qua potero brevitate planum faciam. Corpus Chriſti, ex quo reſurrexit, non Ariſtoteles, ſed Spiritus ſanctus tradit finitum eſſe, ac cælo comprehendi uſque ad ultimum diem. Nec me latet, locos, qui in hanc rem citantur, ſecure ab ipſis eludi. Quoties dicit Chriſtus ſe abiturum relicto mundo, excipiunt diſceſſum illum nihil aliud eſſe quam mutationem mortalis ſtatus. Atqui hoc modo non ſubſtitueret Chriſtus Spiritum ſanctum, ſupplendo, ut loquuntur, abſentiæ ſuæ defectui: quando in illius locum non ſuccedit, nec rurſum deſcendit Chriſtus ipſe ex cæleſti gloria, ut conditionem mortalis vitæ ſuſciperet.

Joan. 14. verſ. 2, 3, & 28.

Certe adventus Spiritus & aſcenſus Chriſti antitheta ſunt: ideoque fieri non poteſt ut eodem modo ſecundum carnem nobiſcum habitet Chriſtus, quo Spiritum ſuum mittit.

Secunda, à dicto Chriſti, ſe non ſemper fore in mundo.
Matth. 26. verſ. 11.

Adde quod diſerte exprimit, ſe cum diſcipulis non ſemper fore in mundo. Hoc etiam dictum pulchre ſibi diluere videntur: quaſi neget Chriſtus ſe pauperem & miſerum ſemper fore, vel neceſſitatibus caducæ vitæ obnoxium. Atqui circumſtantia loci palam reclamat: quando non agitur de egeſtate & inopia, vel miſero terrenæ vitæ ſtatu, ſed de cultu & honore. Unctio diſcipulis non placebat, quod putarent ſupervacuum & inutilem eſſe ſumptum, & luxuriæ affinem: ideoque in pauperes impenſum maluiſſent pretium illud, quod male profuſum fuiſſe putabant. Reſpondet Chriſtus ſe non ſemper fore præſentem ut tali honore colatur.

Auguſtini expoſitione confirmatur.
tract. in Joan. 50.
Matth. 28. verſ. 20.

Nec aliter expoſuit Auguſtinus, cujus hæc minime ambigua ſunt verba, *Quum diceret Chriſtus, Me non ſemper habebitis vobiſcum, loquebatur de præſentia corporis. Nam ſecundum majeſtatem ſuam, ſecundum providentiam, ſecundum ineffabilem & inviſibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum eſt, Ecce, ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi: ſecundum carnem vero quam verbum aſſumpſit, ſecundum id quod de Virgine natus eſt, ſecundum id quod à Judais comprehenſus eſt, quod ligno confixus, quod de cruce depoſitus, quod linteis involutus, quod in ſepulchro conditus, quod in reſurrectione manifeſtatus, Non ſemper habebitis me vobiſcum. Quare? Quoniam converſatus eſt ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis, & deducentibus eis videndo non ſequendo aſcendit. Non eſt hic: ibi enim ſedet ad dexteram Patris. Et tamen hic eſt: quia non receſſit præſentia majeſtatis. Aliter ſecundum præſentiam majeſtatis, ſemper habemus Chriſtum: ſecundum præſentiam carnis recte dictum eſt, Me autem non ſemper habebitis. Habuit enim Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus: modo fide tenet, oculis non videt.*

Sententia Auguſtini brevis explicatio.

Ubi (ut hoc quoque breviter annotem) tribus modis eum nobis præſentem facit, majeſtate, providentia, ineffabili gratia, ſub qua mirificam iſtam corporis & ſanguinis ejus communionem comprehendo: modo Spiritus ſancti virtute fieri intelligamus, non fictitia illa corporis ipſius ſub elemento incluſione. Siquidem carnem ſe habere & oſſa Dominus noſter teſtatus eſt, quæ palpari & videri poſſent. Et *abire* ac *aſcendere*, non ſpeciem aſcendentis abeuntiſque dare ſignificant, ſed vere id facere quod verba ſonant. Ergone, dicet quiſpiam, certam cæli regionem Chriſto aſſignabimus? Ego autem cum Auguſtino reſpondeo, curioſiſſimam eſſe hanc & ſupervacaneam quæſtionem, modo tamen in cælo eſſe credamus.

lib. de fide & ſymb. cap. 6.

Tertia ab aſcenſionis Chriſti conſideratione, addita ſophiſmatum Ubiquitiſtarum refutatione.

27. Quid vero, toties repetitum aſcenſus nomen annon migrationem ab uno loco in alterum ſignificat? Negant: quia per altitudinem ſecundum eos tantum notatur imperii majeſtas. Sed quid ipſe aſcendendi modus? annon *ſpectantibus diſcipulis in ſublime evehitur*? annon clare narrant Euangeliſtæ receptum fuiſſe in cælos? Excipiunt acuti iſti Sophiſtæ, nube interpoſita ſubductum fuiſſe è conſpectu: ut diſcerent fideles non fore poſtea in mundo viſibilem. Quaſi vero non debuerit potius momento evaneſcere, ut fidem faceret præſentiæ inviſibilis: vel nubes eum colligere non debuerit antequam pedem moveret. Dum vero ſublimis fertur in aërem, & ſubjecta nube ſe amplius in terra quærendum non eſſe docet, tuto colligimus domicilium nunc ei in cælis eſſe: ſicut etiam aſſerit Paulus, & inde à nobis expectari jubet. Hac ratione admonent Angeli diſcipulos, fruſtra eos in cælum ſuſpicere: *quia Jeſus qui aſſumptus eſt in cælum, ſic veniet quemadmodum eum viderant aſcendere.*

Actor. 1: 9.
Marc. 16. verſ. 19.
Luc. 24. verſ. 51.
Phil. 3: 20.

Effugium de viſibili & inviſibili præſentia refellitur.

Hic quoque faceta, ut ſibi videntur, tergiverſatione effugiunt ſanæ doctrinæ adverſarii, venturum tum viſibilem, qui nunquam è terra diſceſſit quin apud ſuos inviſibilis maneat. Quaſi vero Angeli duplicem illic præſentiam inſinuent, ac non ſimpliciter diſcipulos faciant oculatos teſtes aſcenſus, nequa ſuperſit dubitatio: perinde ac ſi dicerent, Vobis videntibus in cælum receptus, cæleſte ſibi imperium aſſeruit: ſupereſt ut patienter expectetis dum rurſus adveniat mundi judex: quia nunc cælum ingreſſus non eſt, ut illud ſolus occupet, ſed ut ſecum vos & omnes pios colligat.

5. Auctoritas Patrum adverſariorum erroribus de Chriſti præſentia non ſuffragatur.

28. Quoniam vero patronos adulterini dogmatis veterum ſuffragiis nihil pudet illud ornare, ac præſertim Auguſtini: quam perverſe id conentur, paucis expediam.

Auguſtinus illis excutitur, ut etiam eſt adverſariis.

Nam quum à doctis & piis viris collecta fuerint eorum teſtimonia, nolo rem actam agere; ex eorum lucubrationibus petat qui volet. Ne ex Auguſtino quidem congeram quæcunque ad rem facerent: ſed contentus ero paucis oſtendere, ſine controverſia totum eſſe noſtrum. Quod adverſarii, ut eum nobis extorqueant, prætexunt, paſſim in ejus libris occurrere, carnem & ſanguinem Chriſti diſpenſari in Cœna, nempe victimam ſemel in cruce oblatam, frivolum eſt: quum ſimul vocet vel Euchariſtiam, vel Sacramentum corporis. Cæterum quo ſenſu voces Carnis & Sanguinis uſurpet, non eſt quod longo circuitu quæramus: quando ſeipſum explicat, dicens *Sacramenta ex ſimilitudine rerum quas ſignant, nomina accipere: ideoque ſecundum quendam modum Sacramentum corporis eſſe corpus.* Cui concinit alter locus ſatis vulgaris, *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, quum ſignum daret.* Iterum objectant, diſerte ſcribere Auguſtinum,

ad Bonif. epiſt. 23. nam apertæ ſunt quæ dicit lib. de civ. Dei 16. cap. 27. in Pſal. 26. & 46. tractat. 13. 102. 106. 107. in Joan. & alibi. contra Adimant. Manich. l. 12.

libr. 3. de Trinit. cap. 10.

num, corpus Christi cadere in terram, & in os ingredi: nempe eodem ſenſu quo conſumi affirmat: quia utrumque ſimul conjungit. Nec obſtat quod dicit, peracto myſterio panem conſumi: quia paulo

in Pſal. 33.

ante dixerat, *Quia hominibus hæc nota ſunt, quando per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere: tanquam mira, non poſſunt*. Nec alio ſpectat quod adverſarii nimis inconſiderate ad ſe trahunt, Chriſtum ſe quodammodo portaſſe manibus ſuis, quum panem myſticum diſcipulis porrigeret. Nam adverbio ſimilitudinis interpoſito ſatis declarat, non vere nec realiter fuiſſe ſub pane incluſum. Nec

epiſt. ad Dardanum.

mirum: quando alibi aperte contendit, *corpora, ſi illis tollantur ſpatia locorum, nuſquam fore; & quia nuſquam erunt, penitus non fore*. Jejuna eſt cavillatio, illic non agi de Cœna, in qua Deus ſpecialem virtutem exerit: quia de Chriſti carne mota erat quæſtio, & ſanctus vir ex profeſſo reſpondens,

Præclarus Auguſtini locus, placidis ingeniis ſatis ſuperque faciens.

Immortalitatem, inquit, *carni ſuæ dedit Chriſtus, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam non putandus eſt ubique diffuſus: cavendum enim ne ita divinitatem aſtruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens ut quod in Deo eſt ſit ubique ut Deus*. Subjicitur mox ratio, *Una enim perſona Deus & homo eſt, & utrumque unus Chriſtus: ubique per id quod eſt Deus, in cælo per id quod eſt homo*. Cujus ſocordiæ fuiſſet non excipere Cœnæ myſterium, rem adeo ſeriam & gravem, ſiquid doctrinæ quam tractabat illic fuiſſet adverſum? Et tamen ſiquis attente quod paulo poſt ſequitur legat, reperiet ſub illa generali doctrina Cœnam quoque comprehendi, Chriſtum unigenitum Dei Filium, eundemque Filium hominis, ubique totum præſentem eſſe, tanquam Deum: in templo Dei (hoc eſt, in Eccleſia) eſſe tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cæli, propter veri corporis modum. Videmus ut ad Chriſtum cum Eccleſia uniendum, corpus ejus è cælo non eliciat: quod certe facturus erat, ſi corpus Chriſti vere cibus nobis non eſſet

tract. 50. in Joannem.

niſi ſub pane incluſum. Alibi definiens quomodo fideles Chriſtum nunc poſſideant, *Habes*, inquit, *per ſignum crucis, per Baptiſmatis Sacramentum, per altaris cibum & potum*. Quam recte ſuperſtitioſum ritum inter ſymbola præſentiæ Chriſti numeret, non diſputo: ſed qui præſentiam carnis comparat crucis ſigno, ſatis oſtendit ſe Chriſtum bicorporem non fingere, ut occultus ſub pane lateat qui in cælo viſibilis ſedet. Quod ſi explicatione indiget, con-

Auguſtinus ſeipſum explicat.

Matth. 26. verſ. 11.

Exceptio.

tinuo poſt illic adjungitur, *Secundum præſentiam majeſtatis nos ſemper habere Chriſtum: ſecundum præſentiam carnis recte dictum eſſe, Me non ſemper habebitis*. Excipiunt ſimul etiam hoc addi, *Secundum ineffabilem & inviſibilem gratiam impletur quod ab eo dictum eſt, Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*. Sed nihil in eorum commodum: quia

Matth. 28. verſ. 20.

Reſponſio.

hoc tandem ad majeſtatem reſtringitur, quæ ſemper opponitur corpori, ac nominatim caro à gratia virtuteque diſcernitur. Sicut alibi eadem antitheſis apud eum legitur, quod *reliquerit Chriſtus diſcipulos præſentia corporali, ut futurus ſit cum illis præſentia ſpirituali*: ubi clarum eſt, carnis eſſentiam diſtingui à Spiritus virtute, quæ nos Chriſto conjungit, locorum alioqui diſtantia procul diſſitos. Eodem loquendi genere ſæpius utitur, ut quum dicit, *Venturus eſt ad vivos & mortuos præſentia itidem corporali, ſecundum fidei regulam ſanamque doctrinam: nam præſentia ſpirituali ad eos utique erat venturus, & cum tota Eccleſia futurus in mundo uſque ad conſummationem ſeculi. Ergo ad credentes dirigitur hic ſermo, quos ſervare jam cœperat præſentia corporali, & quos relicturus erat abſentia corporali, ut eos cum Patre ſervaret præſentia ſpirituali*. Corporale accipere pro viſibili, nugatorium eſt: quando & corpus opponit divinæ potentiæ: & addens, *cum Patre ſervare*, clare exprimit gratiam ſuam è cælo per Spiritum ad nos diffundere.

Perſpicua ejuſdem ſententia, adverſariorum errorem de carnali Chriſti præſentia evertens.

29. Et quoniam tantum fiduciæ ponunt in hac latebra præſentiæ inviſibilis, agedum videamus quam bene in ea ſe occultent. Primo ſyllabam non proferent ex Scripturis, qua probent inviſibilem eſſe Chriſtum: ſed pro confeſſo ſumunt quod nemo ſanus illis dabit, non poſſe aliter Chriſti corpus in Cœna dari niſi opertum panis larva. Atque hoc ipſum eſt de quo nobiſcum litigant: tantum abeſt ut principii locum obtineat. Ac dum ita garriunt, coguntur duplex facere Chriſti corpus: quia in ſe viſibile eſt in cælo ſecundum eos, in Cœna autem ſpeciali diſpenſationis modo inviſibile. Quam vero belle hoc conveniat, tum ex aliis Scripturæ locis, tum Petri teſtimonio facile judicium eſt. Dicit Petrus *oportere Chriſtum in cælo capi vel comprehendi, donec iterum adveniat*. Docent iſti ubique locorum eſſe, ſed abſque forma. Excipiunt, iniquum eſſe naturam glorioſi corporis ſubjicere communis naturæ legibus. Atqui Serveticum illud delirium (quod piis omnibus merito deteſtabile eſt) abſorptum fuiſſe corpus à divinitate, ſecum trahit hæc reſponſio. Non dico eos ita ſentire: verum ſi inter dotes glorificati corporis numeratur, inviſibili modo omnia implere: corpoream ſubſtantiam aboleri palam eſt, nec diſcrimen ullum relinqui deitatis & humanæ naturæ. Deinde ſi ita multiforme & varium eſt Chriſti corpus, ut uno in loco appareat, in altero ſit inviſibile: ubi ipſa corporis natura, quod ſuis dimenſionibus conſtat? & ubi unitas? Longe rectius Tertullianus, qui verum & naturale Chriſti corpus fuiſſe contendit: quia ejus in myſterio Cœnæ figura nobis proponitur in pignus ac certitudinem vitæ ſpiritualis. Et certè de corpore glorioſo dicebat Chriſtus, *Videte & palpate, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*. Ecce ipſius Chriſti ore carnis veritas probatur, quia palpari poteſt ac videri: aufer iſta, jam caro eſſe deſinet. Semper ad latibulum confugiunt ſuæ diſpenſationis quam ſibi fabricarunt. Noſtrum vero eſt, quod abſolute pronunciat Chriſtus ita amplecti, ut ſine exceptione apud nos valeat quod vult aſſerere. Se non ſpectrum eſſe probat: quia ſit in carne ſua viſibilis. Tollatur quod tanquam proprium corporis ſui naturæ vendicat: nonne excudenda erit nova corporis definitio? Jam quocunque ſe circumagant, in loco illo Pauli fictitia eorum diſpenſatio locum non habet, ubi dicit, *Nos expectare è cælo Salvatorem, qui corpus noſtrum humile configurabit corpori ſuo glorioſo*. Neque enim ſperanda nobis eſt conformitas in illis, quas Chriſto affingunt, qualitatibus: ut cuique inviſibile ſit ac immenſum corpus. Nec vero reperietur quiſpiam tam bardus cui tantam abſurditatem perſuadeant. Ne igitur corpori Chriſti glorioſo hanc adſcribant dotem, multis in locis ſimul eſſe, nulloque ſpatio contineri. Denique vel aperte negent carnis reſurrectionem, vel concedant Chriſtum veſtitum cæleſti gloria, non exuiſſe carnem, qui nos in carne noſtra illius ejuſdem gloriæ facturus eſt conſortes ac ſocios, quando nobis futura eſt communis cum eo reſurrectio. Quid enim clarius tradit tota Scriptura, quam Chriſtum, ut veram noſtram carnem induit quum è Virgine natus eſt, in vera carne noſtra paſſus eſt, quum pro nobis ſatisfecit: ita eandem veram carnem & reſurgendo recepiſſe, & in cælum ſuſtuliſſe? Hæc enim nobis noſtræ reſurrectionis & in cælum aſcenſionis ſpes eſt, quod Chriſtus reſurrexit, & aſcendit: atque (ut ait Tertullianus) *arrham noſtræ reſurrectionis ſecum in cælos tulit*. Porro quam infirma & fragilis foret ſpes illa, niſi hæc ipſa noſtra caro in Chriſto vere ſuſcitata, & in regnum cælorum ingreſſa eſſet? Atqui hæc eſt propria corporis veritas, ut ſpatio contineatur, ut ſuis dimenſionibus conſtet, ut ſuam faciem habeat. Faceſſat igitur ſtultum illud commentum quod tam mentes hominum quam Chriſtum pani affigit. Quorſum enim occulta ſub

6. Præſentia inviſibilis ab adverſ. conſicta refutatio.

1.

2.

3.

Act. 3: 21.

Exceptionis dilutio.

4. Refutatio ex Tertulliano.

5. Ex dictis Chriſti, etiam poſt reſurrectionem.

Luc. 24. verſ. 39.

6. A veri corporis definitione.

Phil. 3. v. 20, 21.

7. Ab abſurdo.

8. A Scripturæ teſtimoniis expreſſis quæ veram carnem Chriſto tribuunt.

9. A fidei noſtræ fundamento.

Digitized by Google

10 Ab eo quod Chriſtus ſurſum vult quæri. Illi autem in elementa hærent. Joan. 20. verſ. 17.

ſub pane præſentia, niſi ut qui Chriſtum ſibi habere conjunctum cupiunt, in ſymbolo illo ſubſidant? Atqui Dominus ipſe non oculos tantum, ſed omnes ſenſus noſtros è terra ſubducere voluit, ſe attingi à mulieribus vetans, donec aſcendiſſet ad Patrem. Quum pio reverentiæ ſtudio Mariam videat properare ad oſculandos pedes, cur tactum hunc improbet ac prohibeat, donec in cælum receptus fuerit, nulla cauſa eſt, niſi quia nuſquam alibi vult quæri. Quod objiciunt, poſtea viſum fuiſſe Stephano, facilis ſolutio eſt: neque enim ideo neceſſe fuit Chriſto locum mutare, qui ſervi ſui oculis perſpicaciam dare potuit quæ cælos penetraret. Idem & de Paulo dicendum. Quod Chriſtum exiviſſe è ſepulchro clauſo, & clauſis januis ad diſcipulos ingreſſum eſſe objiciunt, nihilo magis eorum errori ſuffragatur. Nam ſicut aqua non ſecus ac ſolidum pavimentum, Chriſto iter præbuit ſuper lacum ambulanti: ita nihil mirum ſi ad ejus occurſum ſe flexit lapidis durities. Etſi probabilius eſt, ejus imperio amotum fuiſſe lapidem, & mox, tranſitu dato, in ſuum locum rediiſſe. Nec januis clauſis intrare tantundem valet ac penetrare per ſolidam materiam, ſed ſibi aditum patefacere divina virtute, ut repente ſteterit inter ſuos diſcipulos, plane admirabili modo, quum obſeratæ eſſent fores. Quod citant ex Luca, Chriſtum *ſubito evanuiſſe* ex diſcipulorum oculis, quibuſcum Emaunta profectus erat, nihil illis prodeſt, & nos adjuvat. Nam ut ſui conſpectum illis auferret, non factus eſt inviſibilis, ſed tantum diſparuit. Sicuti, eodem Luca teſte, quum ſimul iter faceret, non induit novam faciem ne agnoſceretur: ſed tenuit eorum oculos. Iſti vero non modo Chriſtum transformant, ut in terra verſetur: ſed alium alibi ſuique diſſimilem eſſe fingunt. Denique ita nugando, non uno quidem verbo, ſed periphraſi, ex carne Chriſti ſpiritum faciunt: nec eo contenti, qualitates ei penitus contrarias induunt. Unde neceſſario ſequitur duplicem eſſe.

Objectiones adverſarior. 1. & 2. (Chriſtus viſus eſt à Stephano & Paulo: exiit item è clauſo ſepulchro, & occluſis januis ad diſcipulos eſt ingreſſus. Ergo Chriſti corpus eſt in terra) diluuntur. Act. 7: 55. Actor 9:4. Mat. 28:6. Joan. 20. verſ. 19. Matth 14. verſ. 25.

Object. 3. dilutio. Luc. 24. verſ. 31. ibid. v. 16.

11 Refutatio hujus commenti inviſibilis præſentia, quod duplicem Chriſtum fabricat.

30. Jam ut illis demus quod garriunt de inviſibili præſentia, nondum tamen probata erit immenſitas, ſine qua fruſtra Chriſtum ſub pane includere tentabunt. Niſi ubique ſimul eſſe poſſit Chriſti corpus nulla loci circumferentia, ſub pane in Cœna latere credibile non erit. Qua neceſſitate ab illis inducta eſt prodigioſa ubiquitas. Atqui firmis clariſque Scripturæ teſtimoniis demonſtratum eſt, circumſcribi humani corporis menſura: deinde ſuo in cælum aſcenſu palam feciſſe non omnibus ſe eſſe in locis, ſed, dum in unum tranſit, priorem relinquere. Nec vero promiſſio quam adducunt, ad corpus trahenda eſt, *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Primum non ſtabit perpetua conjunctio niſi extra Cœnæ uſum Chriſtus in nobis corporaliter habitet: ideoque juſta ratio non eſt, cur tam acerbe de verbis Chriſti litigent, ut Chriſtum in Cœna includant ſub pane. Deinde contextus evincit, Chriſtum nihil minus quam de carne ſua loqui, ſed invictum auxilium promittere diſcipulis, quo eos adverſus omnes Satanæ mundique inſultus tueatur & ſuſtineat. Nam quum difficilem provinciam injungeret, ne eam aggredi dubitent, vel trepide obeant, præſentiæ ſuæ fiducia eos confirmat: acſi diceret non defore illis ſuum præſidium, quod inſuperabile erit. Niſi omnia confundere liberet, annon præſentiæ modum diſtinguere oportuit? Et certe quidam cum magno dedecore prodere inſcitiam ſuam malunt, quam vel minimum de errore cedere. Non loquor de Papiſtis: quorum tolerabilior, vel ſaltem magis verecunda eſt doctrina: ſed quoſdam ita abripit contentio, ut dicant, propter unitas in Chriſto naturas, ubicunque eſt divinitas Chriſti, illic quoque eſſe carnem, quæ ab illa ſeparari nequit. Quaſi vero unio illa conflaverit ex duabus naturis medium neſcio quid, quod neque Deus eſſet, neque homo. Sic quidem Eutyches, & poſt eum Servetus. Verum ex Scriptura aperte colligitur, ſic unicam Chriſti perſonam conſtare ex duabus naturis, ut cuique tamen ſua maneat ſalva proprietas. Ac Eutychen jure fuiſſe damnatum negare eos pudebit: ad damnationis cauſam mirum eſt eos non attendere: quod diſcrimine inter naturas ſublato, perſonæ unitatem urgens, ex Deo hominem faceret, & ex homine Deum: cujus ergo amentiæ eſt, cælum terræ potius miſcere, quam non extrahere Chriſti corpus è cæleſti ſanctuario? Nam quod pro ſe teſtimonia illa adducunt, *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit, filius hominis qui in cælo eſt.* Item, *Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit:* ejuſdem eſt ſtuporis ſpernere idiomatum κοινωνίαν, quæ non fruſtra olim à ſanctis Patribus inventa eſt. Certe quum *Dominus gloriæ crucifixus* dicitur, non intelligit Paulus in ſua divinitate quicquam fuiſſe paſſum: ſed quia Chriſtus, qui abjectus & contemptus in carne patiebatur, idem Deus erat & Dominus gloriæ. Ad hunc modum & filius hominis in cælo erat: quia ipſe idem Chriſtus, qui ſecundum carnem filius hominis habitabat in terris, Deus erat in cælo. Qua ratione eo ipſo loco deſcendiſſe dicitur ſecundum divinitatem: non quod divinitas cælum reliquerit, ut in ergaſtulum corporis ſe abderet: ſed quia tametſi omnia impleret, in ipſa tamen Chriſti humanitate corporaliter, id eſt, naturaliter habitabat, & ineffabili quodam modo. Trita eſt in Scholis diſtinctio, quam me referre non pudet. Quamvis *totus* Chriſtus ubique ſit, non tamen *totum* quod in eo eſt, ubique eſſe. Atque utinam Scholaſtici ipſi vim hujus ſententiæ probe expendiſſent: quia ita occurſum fuiſſet inſulſo commento de carnali Chriſti præſentia. Mediator ergo noſter quum totus ubique ſit, ſuis ſemper adeſt: & in Cœna ſpeciali modo præſentem ſe exhibet, ſic tamen ut totus adſit, non totum: quia, ut dictum eſt, in carne ſua cælo comprehenditur donec in judicium appareat.

Ubiquitas corpori Chriſti affingenda eſt neceſſario ab iis qui ſub pane corpus illud incluſum eſſe ſomniant. Ubiquitariorum ſophiſma ex Matth. 28. verſ. 20. refellitur variis argumentis.

1.

2.

Alterum ſophiſma, quod affine eſt hæreſi Eutychis & Serveti.

Tertium ſophiſma, ex Scripturis collectum. Joan. 3. 13. & 1: 18.

Idiomatum κοινωνία ab ubiquitariis ſublata. 1 Cor.2:8.

Vera item Scholarum diſtinctio, Totus Chriſtus ubique, non tamen Totum Chriſti.

31. Longe autem falluntur qui nullam carnis Chriſti præſentiam in Cœna concipiunt niſi in pane ſiſtatur. Ita enim arcanæ Spiritus operationi quæ nobis Chriſtum ipſum unit, nihil reliquum faciunt. Chriſtus præſens illis non videtur niſi ad nos deſcendat. Quaſi vero ſi ad ſe nos evehat, non æque potiamur ejus præſentia. Ergo tantum de modo quæſtio eſt: quia Chriſtum ipſi in pane locant, nobis autem non ducimus fas eſſe eum è cælo detrahere. Utrum rectius ſit judicent lectores. Tantum faceſſat calumnia illa, auferri Chriſtum à ſua Cœna niſi ſub panis integumento lateat. Nam quum myſterium hoc cæleſte ſit, neceſſe non eſt Chriſtum elicere in terras ut nobis ſit conjunctus.

Huic imaginariæ Papiſtarum, conſubſtantiatorum & ubiquitariorum præſentiæ, vera carnis Chriſti, arcana Spiritus S. unione, præſentia opponitur.

32. Porro de modo ſiquis me interroget, fateri non pudebit, ſublimius eſſe arcanum quam ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat: atque, ut apertius dicam, experior magis quam intelligam. Itaque veritatem Dei, in qua acquieſcere tuto licet, hic ſine controverſia amplector. Pronunciat ille carnem ſuam eſſe animæ meæ cibum, ſanguinem eſſe potum. Talibus alimentis animam illi meam paſcendam offero. In ſacra ſua Cœna jubet me ſub ſymbolis panis ac vini corpus ac ſanguinem ſuum ſumere, manducare ac bibere: nihil dubito quin & ipſe vere porrigat, & ego recipiam. Tantum abſurda rejicio quæ aut cæleſti Chriſti majeſtate indigna, aut ab humanæ ejus naturæ veritate aliena eſſe apparet: quando & cum Dei verbo pugnare neceſſe eſt, quod & ſic in gloriam regni cæleſtis receptum fuiſſe Chriſtum docet, ut ſupra omnem mundi conditionem eum evehat, nec minus diligenter in humana ejus natura commendat quæ propria ſunt vere humanitatis. Neque hoc vel incredibile vel à ratione abſonum videri debet, quia ut ſpirituale eſt totum Chriſti

Ea qualis ſit oſtenditur: ita tamen ut modus agnoſcatur incomprehenſibilis.

Abſurda rejicienda.

Luc. 24. verſ. 26.

Irenæus lib.4.c.34.

regnum, ita quicquid agit cum ſua Eccleſia, ad rationem ſeculi hujus minime exigendum eſt. Vel, ut Auguſtini verbis utar, *per hominem hoc myſterium peragitur ut reliqua, ſed divinitus: in terra, ſed cælitus.* Ea (inquam) eſt corporis præſentia, quam Sacramenti ratio poſtulat: quam tanta virtute tantaque efficacia hic eminere dicimus, ut non modo indubitatam vitæ æternæ fiduciam animis noſtris afferat, ſed de carnis etiam noſtræ immortalitate ſecuros nos reddat. Siquidem ab immortali ejus caroe jam vivificatur, & quodammodo ejus immortalitati communicat.

Adverſariorum hyperbola quid efficiant.

Qui ſupra hæc ſuis hyperbolis evehuntur, nihil aliud quam talibus involucris ſimplicem & planam veritatem obſcurant. Sicui nondum ſatisfactum fuerit, hic velim pauliſper mecum reputet, de Sacrameoto nunc haberi ſermonem, cujus omnia ad fidem referenda ſunt.

Fide participamus re ipſa Chriſtum.

Mixtura autem & transfuſiones, à curioſis excogitata, repudianda ſunt.

Fidem vero nos iſta quam enarravimus corporis participatione non minus laute affluenterque paſcimus, quam qui ipſum Chriſtum è cælo detrahunt. Ingenue interea confiteor, mixturam carnis Chriſti cum anima noſtra, vel transfuſionem qualis ab ipſis docetur, me repudiare: quia nobis ſufficit Chriſtum è carnis ſuæ ſubſtantia vitam in animas noſtras ſpirare: imo propriam in nos vitam diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipſa Chriſti caro. Adde quod fidei analogiam, ad quam omnem Scripruræ interpretationem exigere jubet Paulus, hac in parte mihi præclare conſtare nihil dubium eſt.

Rom. 12. verſ. 6.

Qui veritati adeo perſpicuæ reclamant, ad quam fidei amuſſim ſe forment viderint. *Qui non confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt.* Iſti, licet diſſimulent, vel non advertant, ipſum carne ſua ſpoliant.

1 Joan. 4. verſ. 2, 3. 2 Joan. verſ. 7.

7. Hactenus quæ ad ſacram Cœnam à parte Dei exhibentis ſpectare videntur, ſunt propoſita: ſuperſunt ea quæ nos propius reſpiciunt, explananda. In primis, noſtra cum carne & ſanguine Chriſti communicatio.

33. De communicatione idem ſentiendum, quæ nulla ab ipſis agnoſcitur niſi Chriſti carnem ſub pane deglutiant. Atqui Spiritui ſancto non levis fit injuria, niſi credimus fieri incomprehenſibili ejus virtute ut cum carne & ſanguine Chriſti communicemus. Imo ſi vis myſterii qualis à nobis traditur, & cognita fuit veteri Eccleſiæ ab annis quadringentis, pro dignitate expenſa eſſet, ſatis ſuperque erat unde nobis ſatisfieret: clauſa fuiſſet multis fœdis erroribus janua, ex quibus accenſæ ſunt horrendæ diſſenſiones, quibus tum olim, tum noſtra etiam ætate Eccleſia miſere vexata eſt: dum hyperbolicum præſentiæ modum exigunt curioſi homines, quem Scriptura nunquam oſtendit. Ac de re ſtulte & temere concepta perinde tumultuantur acſi incluſio Chriſti ſub pane, prora & puppis (ut aiunt) pietatis eſſet. Quomodo Chriſti corpus, ut ſemel pro nobis traditum eſt, noſtrum fiat: quomodo ſanguinis effuſi participes fiamus, ſcire in primis referebat: quia id eſt totum Chriſtum crucifixum poſſidere, ut bonis ejus omnibus fruamur. Nunc his omiſſis, qnibus tantum inerat momenti, imo neglectis & pene ſepultis, hæc una ſpinoſa quæſtio illis placet, quomodo ſub pane, vel ſub ſpecie panis lateat Chriſti corpus.

Quæ tametſi ſpiritualis, non oralis, realis eſſe non deſinit. Non quæritur enim an verum Chriſti corpus pro nobis crucifixum percipiamus, (id enim eſt extra controverſiam) ſed quo modo.

Falſo jactant, quicquid docemus de ſpirituali manducatione, veræ & reali (ut loquuntur) opponi: quandoquidem nonniſi ad modum reſpicimus, qui apud eos carnalis eſt, dum Chriſtum pane includunt; nobis ſpiritualis, quia vis arcana Spiritus noſtræ cum Chriſto conjunctionis vinculum eſt. Nihilo verior eſt altera objectio, nos fructum vel effectum duntaxat quem ex eſu carnis Chriſti capiunt fideles, attingere. Diximus enim antca Chriſtum ipſum Cœnæ eſſe materiam: inde vero ſequi effectum, quod ſacrificio mortis ejus expiamur à peccatis, ſanguine abluimur, reſurrectione erigimur in ſpem cæleſtis vitæ. Sed ſtulta imaginatio, cujus auctor fuit Lombardus, pervertit eorum mentes, dum eſum carnis Chriſti Sacramenrum eſſe putant.

Falſa interpretationis

Sic enim ille, *Sacramentum & non res, ſunt ſpecies panis & vini: Sacramentum & res, caro & ſanguis Chriſti: res & non Sacramentum, myſtica ejus caro.* Item paulo poſt, *Res ſignificata & contenta, eſt propria caro Chriſti: ſignificata & non contenta, myſticum corpus.*

Scholaſticorum oralem & carnalem corporis Chriſti manducationem aſſerentium refutatio.

Quod inter carnem Chriſti diſtioguit, & alendi efficaciam qua prædita eſt, aſſentior: quod autem Sacramentum eſſe fingit, & quidem ſub pane contentum, error eſt non ferendus. Hinc nata eſt ſacramentalis manducationis falſa interpretatio: quia putarunt impios quoque & ſceleratos edere Chriſti corpus, quamlibet ſint ab eo alieni.

libr. 4. diſt. 8.

Atqui ipſa Chriſti caro in myſterio Cœnæ non minus ſpiritualis res eſt, quam æterna ſalus. Unde colligimus, quicunque vacui ſunt Chriſti Spiritu, carnem Chriſti nihilo magis poſſe edere, quam vinum bibere cui non ſit conjunctus ſapor. Certe nimis indigne laceratur Chriſtus, quum proſtituitur incredulis emortuum & nullius vigoris ejus corpus: & repugnant aperta ejus verba, *Quiſquis ederit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.*

Joan. 6. verſ. 56.

Exceptio 1. pro manducatione orali.

Excipiunt, illic non agi de ſacramentali eſu: quod ego fateor, modo ne ad eundem ſcopulum ſubinde impingant, comedi carnem ipſam abſque ullo fructu. Scire autem ex ipſis velim quamdiu eam contineant ubi manducarunt. Hic, meo judicio, exitum non reperient.

Altera.

Sed objiciunt, non poſſe hominum ingratitudine quicquam detrahi vel intercidere de fide promiſſionum Dei. Fateor ſane, & vim myſterii integram manere dico, quantumvis impii eam, quoad in ſe eſt, exinanire ſtudeant. Aliud tamen eſt offerri, aliud recipi. Spiritualem hunc cibum omnibus porrigit Chriſtus, potumque ſpiritualem propinat: alii avide veſcuntur, alii faſtidioſe reſpuunt: an horum rejectio faciet ut cibus & potus ſuam naturam perdant?

Tertia.

Dicent hac ſimilitudine ſententiam ſuam juvari, nempe carnem Chriſti, licet inſipida ſit, eſſe nihilominus carnem. Ego vero nego poſſe comedi abſque fidei guſtu: vel (ſi cum Auguſtino loqui magis placet) nego plus referre homines ex Sacramento quam vaſe fidei colligunt. Ita Sacramento nihil decedit: imo illibata manet ejus veritas & efficacia, quamvis ab externa ejus participatione inanes diſcedant impii.

Quarta.

Si rurſus objiciant, derogari huic verbo, *Hoc eſt corpus meum*, ſi panem corruptibilem & nihil præterea impii recipiunt: in promptu ſolutio eſt, Deum nolle veracem agnoſci in ipſa receptione, ſed in bonitatis ſuæ conſtantia, ubi indignis præſtare quod rejiciunt paratus eſt, imo liberaliter offert. Atque hæc eſt Sacramenti integritas, quam violare totus mundus non poteſt, carnem & ſanguinem Chriſti non minus vere dari indignis, quam electis Dei fidelibus: ſimul tamen verum eſt, non ſecus atque pluvia ſuper duram rupem decidens effluit, quia nullus in lapidem ingreſſus patet, ita impios ſua duritie repellere Dei gratiam quominus ad ipſos penetret. Adde quod Chriſtum abſque fide recipi nihilo magis conſentaneum eſt quam ſemen in igne germinare.

Quinta.

Quod autem quærunt quomodo in damnationem quibuſdam venerit Chriſtus niſi eum indigne recipiant, frigidum eſt: quando nuſquam legimus, Chriſtum indigne recipiendo, mortem ſibi accerſere homines, ſed potius reſpuendo.

Sexta, ex Mat. 13: 7.

Nec eos juvat Chriſti parabola, ubi dicit, ſemen enaſci inter ſpinas, & poſtea ſuffocatum corrumpi: quia illic diſſerit quid valeat temporalis fides, quam edendæ Chriſti carni, & bibendo ſanguini neceſſariam eſſe non putant, qui Judam hac in parte æqualiter faciunt ſocium Petri. Quin potius eadem parabola refellitur eorum error, ubi dicit Chriſtus aliud ſemen cadere ſuper viam, aliud ſuper lapides, ac neutrum agere radicem.

Math. 13. verſ. 4. 5.

Unde ſequitur incredulis ſuam duritiem eſſe obſtaculo quominus ad eos Chriſtus perveniat. Quiſquis ſalutem noſtram hoc myſterio adjutam cupit, nihil aptius inveniet quam ut fideles ad fontem deducti, vitam hauriant ex Dei Filio. Dignitas vero ſatis magni-

magnifice commendatur, ubi tenemus adminiculum eſſe quo inſeramur in corpus Chriſti, vel inſiti, magis ac magis coaleſcamus, donec ſolide nos ſecum uniat in cæleſti vita.

Septima.
1 Cor. 11. verſ. 27.

Objiciunt, non debuiſſe fieri à Paulo *reos corporis & ſanguinis Chriſti*, niſi eorum eſſent participes. Ego autem reſpondeo, non ideo damnari quod comederint, ſed tantum quod myſterium profanaverint, pignus ſacræ cum Deo conjunctionis, quod reverenter ſuſcipere debebant, calcando.

Octava, ex Auguſtino, quem huic errori faviſſe falſo aſſerunt.

34. Porro, quia Auguſtinus inter vetuſtos ſcriptores præcipue aſſeruit caput illud doctrinæ, Sacramentis nihil decedere, nec evacuari quam figurant gratiam infidelitate vel malitia hominum: utile erit ex verbis ejus clare probare quam inſcite & perperam illud ad cauſam præſentem trahant, qui canibus edendum projiciunt Chriſti corpus. Sacramentalis manducatio, ſecundum iſtos, eſt qua impii Chriſti corpus & ſanguinem abſque virtute Spiritus vel ullo gratiæ effectu recipiunt.

Homil. in Joan. 26.
Joan. 6. v. 50, 54.

Auguſtinus contra, verba illa prudenter expendens, *Qui manducaverit carnem meam & biberit ſanguinem meum, non morietur in æternum. Nempe* (inquit) *virtutem Sacramenti, non tantum viſibile Sacramentum: & quidem intus, non foris: qui corde comedit, non qui premit dente.* Unde tandem concludit hujus rei Sacramentum, id eſt, unitatis corporis & ſanguinis Chriſti, in Cœna Dominica proponi, quibuſdam in vitam, aliis ad exitium: rem vero ipſam cujus Sacramentum eſt, omnibus ad vitam, nulli ad exitium, quicunque fuerit particeps.

Explicatio ſententiæ Auguſtini.

Ne quis hic cavilletur, rem vocari non corpus, ſed quæ ab illo ſeparari poteſt Spiritus gratiam, has nebulas diſcutit antitheſis inter epitheta Viſibile & Inviſibile: nam ſub priore comprehendi non poteſt Chriſti corpus. Unde ſequitur, viſibili tantum ſymbolo incredulos communicare.

Varia ejuſdem teſtimonia adverſus manducationem oralem.
Homil. in Joan. 59.
Exod. 16. v. 14, 15.

Ac, quo melius tollatur dubitatio, poſtquam dixerat panem hunc interioris hominis quærere eſuriem, ſubjicit, *Moſes & Aaron, & Phinees, multique alii qui manna comederunt, placuerunt Deo. Quare? Quia viſibilem cibum ſpiritualiter intelligebant, ſpiritualiter eſuriebant, ſpiritualiter guſtabant, ut ſpiritualiter ſatiarentur. Nam & nos hodie accepimus viſibilem cibum: ſed aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti.* Paulo poſt, *Ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſignum corporis & ſanguinis.* Audimus rurſum opponi viſibile ſignum ſpirituali manducationi. Quo refellitur error ille, corpus Chriſti inviſibile ſacramentaliter re vera comedi, quamvis non ſpiritualiter. Audimus etiam profanis & impuris nihil concedi præter viſibilem ſigni ſumptionem.

Homil. 62.

Hinc celebre ejus dictum, reliquos diſcipulos *panem Dominum* manducaſſe, Judam vero *panem Domini*: quo incredulos clare excludit à participatione corporis & ſanguinis.

libr. 5. de Baptiſm. contra Donatiſt.
2 Cor. 12. verſ. 7.
1 Cor. 11. verſ. 29.

Nec alio ſpectat quod alibi dicit, *Quid miraris ſi datus eſt Judæ panis Chriſti, per quem manciparetur diabolo: quum videas è contrario datum Paulo Angelum diaboli per quem perficeretur in Chriſto?* Dicit quidem alibi, *corpus Chriſti fuiſſe illis panem Cœnæ quibus dicebat Paulus, Qui manducaverit indigne, judicium ſibi manducat & bibit: nec ideo nihil accepiſſe, quia male acceperint.*

Quomodo impii corpus Chriſti comedant.

Sed quo ſenſu, plenius alio loco explicat: nam ex profeſſo definiendum ſuſcipiens quomodo improbi & ſcelerati, qui fidem Chriſtianam ore profitentur, factis autem abnegant, Chriſti corpus comedant (& quidem adverſus quorundam opinionem, qui non ſolo Sacramento eos edere, ſed re ipſa putabant)

libr. de civit. Dei 21. cap. 25.

Sed nec (inquit) *dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quia in membris Chriſti computandi non ſunt. Ut enim alia taceam, non poſſunt ſimul eſſe membra Chriſti & membra meretricis. Denique*

Joan. 6:56.

ipſe dicens, Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo: oſtendit quid ſit, non Sacramento tenus, ſed revera corpus Chriſti edere: hoc enim eſt in Chriſto manere, ut in illo Chriſtus maneat. Sic enim hoc dixit tanquam diceret, Qui non manet in me, & in quo ego non maneo, non ſe dicat aut exiſtimet manducare corpus meum aut ſanguinem bibere.

Sacramento tenus, non revera impii edunt corpus Chriſti.
contra Fauſtum libr. 13. cap. 16.

Expendant lectores antitheta, Sacramento tenus, & revera edere: & nulla reſtabit dubitatio. Idem confirmat non minus clare his verbis, *Nolite parare fauces, ſed cor: inde commendata eſt iſta Cœna. Ecce credimus in Chriſtum quum fide accipimus: in accipiendo novimus quid cogitemus: modicum accipimus, & in corde ſaginamur: non ergo quod videtur, ſed quod creditur, paſcit.* Hic quoque quod ſumunt impii, reſtringit ad ſignum viſibile: nec aliter Chriſtum quam fide recipi docet. Sic etiam alio loco, diſerte pronuncians bonos & malos ſignaculis communicare, hos à vera carnis Chriſti manducatione excludit. Nam ſi rem ipſam perciperent, non tacuiſſet omnino quod cauſæ magis erat conſentaneum.

Serm. 2. de verb. Apoſt.

Alio etiam loco de manducatione ejuſque fructu diſſerens, ſic concludit, *Tunc vita unicuique erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur.* Ergo qui incredulos faciunt participes carnis & ſanguinis Chriſti, ut cum Auguſtino conſentiant, nobis repræſentent corpus Chriſti viſibile: quando tota veritas ſecundum eum ſpiritualis eſt. Et certo ex ejus verbis colligitur, ſacramentalem eſum, ubi veritati aditum claudit incredulitas, tantundem valere ac viſibilem vel externum.

Spiritualiter & vere, idem Auguſtino.

Quod ſi vere nec tamen ſpiritualiter comedi poſſet Chriſti corpus, quid ſibi vellet quod alibi tradit? *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri ſanguinem quem fundent qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis: ſpiritualiter intellectum vivificabit vos.* Negare certe noluit quin idem corpus quod in ſacrificium Chriſtus obtulit, in Cœna porrigatur: ſed manducationis modum notavit: quod ſcilicet in cæleſtem gloriam receptum, arcana Spiritus virtute vitam nobis inſpiret.

Quo ſenſu dicat ab infidelibus comedi corpus Chriſti.

Fateor quidem, ſæpius apud eum occurrere iſtam loquendi formam, *Comedi corpus Chriſti ab infidelibus*: ſed ſeipſum explicat, addens, *in Sacramento*. Et alibi ſpiritualis manducatio ab eo deſcribitur, in qua gratiam morſus noſtri non conſumunt. Ac ne congerie me pugnare dicant adverſarii, ſcire velim quomodo ab una ejus ſententia ſe expediant, ubi dicit, Sacramenta in ſolis electis efficere quod figurant. Certe inficiari non audebunt quin figuret in Cœna panis, Chriſti corpus. Unde ſequitur, reprobos ab ejus participatione arceri.

Cyrilli ſententia de manducatione carnis Chriſti.

Cyrillum quoque non aliter ſenſiſſe declarant hæc verba, *Perinde ac ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat: ita neceſſe eſt, ſi quis carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo conjungi, ut Chriſtus in eo & ipſe in Chriſto inveniatur.* His verbis liquere arbitror, vero & reali eſu privari qui ſacramentaliter tantum Chriſti corpus comedunt, quod à ſua virtute ſeparari nequit: nec ideo labaſcere fidem promiſſionum Dei, qui non deſinit è cælo pluere, quamvis pluviæ liquorem ſaxa & rupes non concipiant.

8. A communicatione tranſitio ad adorationem: ac primum oſtenditur quam infirma ſit adverſariorum de concomitantia conjectura.

35. Hæc cognitio nos facile à carnali etiam adoratione abſtrahet, quam perverſa temeritate quidam in Sacramento erexerunt: quod ſecum ſubducerent, Si corpus eſt, & anima igitur, & divinitas ſunt una cum corpore, quæ jam divelli non poſſunt: igitur illic adorandus Chriſtus. Primum, ſi ſua illa quam obtendunt concomitantia ipſis negetur, quid facient? Nam ut maxime abſurditatem urgeant ſi corpus ab anima & divinitate ſeparetur, quis tamen ſanus & ſobrius Chriſti corpus Chriſtum eſſe ſibi perſuadeat? Videntur quidem ſibi ſuis id

ſyllogiſmis pulcbre conficere. Verum quum de corpore & ſanguine ſuo diſtiocte loquatur Cbriſtus, modum autem præſeotiæ non deſcribat, quomodo ex re ambigua certo conficient quod volunt? Quid ergo? oonne ſi graviore aliquo ſenſu eorum conſcientias exerceri contigerit, protinus cum ſuis ſyllogiſmis diſſolveotur ac liqueſceot? nempe ubi certo Dei verbo defici ſe videbunt, quo uno conſiſtunt animæ noſtræ quum ad rationem vocaotur, & ſine quo primo quoque momento labaſcunt: ubi Apoſtolorum doctrinam & exempla ſibi adverſari, ſe vero ſolos ſibi auctores eſſe cogitabunt. Accedent ad tales impulſus & alii non leves ſtimuli. Quid? an res erat nullius momenti, Deum hac forma adorare, ut nihil nobis præſcriberetur? An quum de vero Dei cultu ageretur, tanta levitate fuerat tentandum de quo nullum uſquam verbum legebatur? At ſi qua decet humilitate cogitationes omnes ſuas ſub Dei verbo continuiſſent, auſcultaſſent certe quod ipſe dixit, *Accipite, manducate, bibite*: huicque mandato paruiſſent, quo accipi Sacramentum, non adorari jubet. Qui vero, ut à Deo mandatum eſt, ſine adoratione accipiunt, ſecuri ſunt ſe à mandato Dei oon deflectere: qua ſecuritate nibil melius eſt quum quid operis inſtituimus. Habent Apoſtolorum exemplum, quos non legimus proſtratos adoraſſe, ſed, ut eraot diſcumbentes, accepiſſe & manducaſſe. Habent Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum, ubi fideles non in adoratione, ſed io fractione panis communicaſſe, à Luca narratur. Habent Apoſtolicam doctrinam qua Paulus Corinthiorum Eccleſiam inſtituit, profeſſus ſe à Domino accepiſſe quod tradebat.

Deinde quanta temeritate ſuperbiaque turgeant, dum ſigna adorantes Chriſti verbo addunt, & Eccleſia Apoſtolica uſum minime ſequuntur.

Math. 26. verſ. 26.

Act. 2: 42.

1 Cor. 11. verſ. 23.

Hic adorationis ſignorum error damnatus eſt.

1. A Chriſto ipſo Sacramenti auctore, qui mentes ſurſum attolli jubet.

36. Atque hæc quidem eo tendunt, ut expendant pii lectores quam non tutum ſit in rebus tam arduis à ſimplici Dei verbo ad cerebri noſtri ſomnia evagari. Quæ autem ſuperius dicta ſunt, omni hac in re ſcrupulo liberare nos debent. Nam ut Cbriſtum illic rite apprehendant piæ animæ, in cælum erigantur neceſſe eſt. Quod ſi hoc Sacramenti officium eſt, meotem bominis infirmam alioqui adjuvare, ut ad percipiendam ſpiritualium myſteriorum altitudinem ſurſum aſſurgat: qui in ſigno externo detinentur, à recta quærendi Chriſti via aberrant. Quid ergo? ſuperſtitioſum eſſe cultum negabimus, quum ſeſe homines coram pane proſternunt ut Chriſtum illic adorent? Huic malo proculdubio voluit obviare Nicena Synodus, quum vetuit nos humiliter attentos eſſe ad propoſita ſymbola. Nec alia cauſa inſtitutum olim fuit ut ante conſecrationem populus alta voce admoneretur habere *ſurſum corda*. Ipſa quoque Scriptura, præterquam quod Chriſti aſcenſionem diligenter nobis enarrat, qua corporis ſui præſentiam à conſpectu noſtro conſuetudineque ſubduxit: quo nobis omnem de eo carnalem cogitationem excutiat, quoties ipſius meminit, mentibus ſurſum erigi jubet, & ipſum in cælo quærere ſedentem in Patris dextera. Secundum hanc regulam erat potius ſpiritualiter in cælesti gloria adorandus, quam excogitaodum iſtud tam periculoſum adorationis genus, plenum carnalis craſſæque de Deo opinionis. Quare qui Sacrameoti adorationem excogitarunt, eam non modo à ſeipſis ſomniarunt citra Scripturam, ubi nulla illius mentio oſtendi poteſt (quæ tamen non fuiſſet prætermiſſa ſi Deo accepta foret) ſed reclamante Scriptura, ſuæ ſibi libidinis arbitrio Deum fabricati ſunt, derelicto Deo vivente. Quid enim eſt idololatria, ſi hoc non eſt, dona pro datore ipſo colere? Ubi dupliciter peccatum eſt. nam & honor Deo raptus, ad creaturam traductus eſt: & ipſe etiam in polluto ac profanato ſuo beneficio inhonoratus, dum ex ſancto ejus Sacramento factum eſt execrabile idolum. Nos è converſo, ne io eandem incidamus foveam, aures, oculos, corda, meotes, linguas penitus defigamus io ſacra Dei doctrina. Eſt enim ea Spiritus ſancti optimi magiſtri ſcbola, in qua ſic proficitur, ut nihil ſit aliunde aſciſcendum: ignorandum vero libenter quicquid in ea non docetur.

2. A Synodo Nicena.

3. A vetere conſuetudine.

4. Ab ipſa Scriptura, qua Col. 3: 1, 2. & alibi mentes noſtras in cælos erigit.

Unde ſequitur adorationem ſignorum eſſe meram idololatriam.

Cui tutum opponitur remedium.

37. Jam vero (ut ſuperſtitio rectos fines ſemel egreſſa, nullum peccandi finem facit) longe ulterius prolapſi ſunt. ritus enim excogitarunt à Cœnæ inſtitutione prorſus extraneos: in hoc tantum ut divinis honoribus ſignum afficerent. Chriſto, inquiunt, hanc venerationem deferimus. Primum ſi in Cœna boc fieret, dicerem adorationem eam demum eſſe legitimam quæ non in ſigno reſidet, ſed ad Chriſtum in cælo ſedentem dirigitur. Nunc vero quo prætextu ſe Chriſtum in illo pane honorare jactant, quum nullam habeant hujus rei promiſſionem? Conſecrant boſtiam, ut vocant, quam circumferant in pompa: quam ſpectandam, colendam, invocaodam ſolenni ſpectaculo exhibeant. Quæro qua virtute putent eſſe rite conſecratam: nempe verba illa profereot, *Hoc eſt corpus meum*. Ego vero contra objiciam, ſimul dictum eſſe, *Accipite & manducate*. Neque id de oihilo faciam: quum enim præcepto annexa ſit promiſſio, dico hanc ſub illo ita incluſam, ut ſeparata fiat omnino nulla. Id ſimili exemplo fiet clarius. Mandatum dedit Deus quum diceret, *Invoca me*: promiſſionem addidit, *Exaudiam te*. Si quis invocato Petro aut Paulo, hac promiſſione glorietur, nonne omnes clamabunt eum perperam facere? Et quid aliud quæſo faciunt, qui omiſſo mandato de manducatione, mutilam promiſſionem arripiunt, *Hoc eſt corpus meum*, ut ea in alienos à Chriſti inſtitutione ritus abutantur? Meminerimus ergo banc promiſſionem iis eſſe datam qui mandatum cum ea conjunctum obſervant, eos autem omni verbo deſtitui qui Sacramentum alio transferunt. Antea diſſeruimus quomodo noſtræ apud Deum fidei ſerviat ſacræ Cœnæ myſterium. Quando autem tantam hic ſuæ bonitatis largitatem, quantam prius enarravimus, oon ſolum nobis in memoriam Dominus revocat, ſed quaſi de manu in manum profert, & ad eam agnoſcendam nos excitat: ſimul admonet ne tam effuſæ beneficentiæ ingrati ſimus: quin potius eam quibus par eſt laudibus prædicemus, & gratiarum actione celebremus. Itaque quum Sacramenti ipſius inſtitutum Apoſtolis traderet, ut *id in ſui memoriam facerent* docuit. Quod Paulus interpretatur, *Mortem Domini nunciare*. Id autem eſt publice, atque uno ſimul omnes ore palam fateri, totam vitæ ac ſalutis fiduciam in morte Domini poſitam nobis eſſe: ut noſtra illum confeſſione glorificemus, & alios noſtro exemplo ad dandam illi gloriam exhortemur. Hic apparet rurſum quo Sacramenti ſcopus ſpectet: nempe ut nos in mortis Chriſti memoria exerceat. Quod enim jubemur *mortem Domini annunciare, donec* ad jodicandum *veniat*, non aliud eſt niſi ut oris confeſſione prædicemus, quod fides noſtra in Sacrameoto agnovit: mortem ſcilicet Cbriſti ooſtram eſſe vitam. Hic ſecundus eſt Sacramenti uſus, qui ad externam confeſſionem attinet.

5. A Sacramenti natura & inſtitutione, cui hæc adorationis forma minime congruit.

6. A promiſſione & mandato inſtituentis: nullum mandatum extat adorationis: ergo Nullum Sacramentum habent adoratores ſignorum. Ratio, à ſimili Scriptura teſtimonio mandata promiſſionem conjungente.

Luc. 22. verſ. 19.

1 Cor. 11. verſ. 26.

Non igitur in adorationem datum eſt hoc Sacramentum: ſed in alios quoſdam fines.

1. Ut excitet nos ad gratiarum actionem.

2. Ut exerceat nos in recolenda mortu Chriſti memoria.

38. Tertio & exhortationis vice nobis Dominus eſſe voluit: qua non alia vehemeotius cum ad puritatem & ſanctimoniam vitæ, tum vero ad charitatem, pacem, conſenſum animare nos inflammareque poſſet. Nam ſic ſuum illic corpus Dominus communicat, ut unum prorſus oobiſcum fiat, noſque cum illo. Porro quum nonoiſi unum illi corpus ſit, cujus nos omnes participes facit, neceſſe eſt & nos omnes unum corpus bujusmodi participatione fieri. Quam unitatem repræſentat panis qui in Sacramento exbibetur, qui velut ex multis granis confectus eſt, ſic inter ſe commixtis ne alterum ab altero diſcernere liceat: in bunc modum & nos taota animorum conſeoſiooe conjunctos connexoſque eſſe decet, oequid diſſidii aut diviſionis intercedat.

3. Ut nos excitet ad vita puritatem & ſanctimoniam.

4. Tum ad charitatem & pacem erga proximos.

1 Cor. 10. v. 16, 17.

dat. Id Pauli verbis explicari malo: *Calix*, inquit, *benedictionis, cui benedicimus, communicatio eſt ſanguinis Chriſti: & panis benedictionis quem frangimus, participatio eſt corporis Chriſti. Itaque unum corpus ſumus omnes, qui de uno pane participamus.* Præclare vero in Sacramento profecerimus ſi impreſſa ioſculptaque animis noſtris fuerit hæc cogitatio, non poſſe à nobis quenquam ex fratribus lædi, contemni, rejici, violari, aut ullo modo offendi, quin ſimul in eo Chriſtum lædamus, ſpernamus, violemus noſtris injuriis: non poſſe nos à fratribus diſſidere, quin ſimul à Chriſto diſſideamus: Chriſtum à nobis diligi non poſſe, quin diligatur in fratribus: qualem corporis noſtri curam gerimus, talem fratrum quoque gerendam, qui membra ſunt corporis noſtri: quomodo nulla corporis noſtri pars aliquo doloris ſenſu tangitur, qui noo in alias omnes diffundatur; ita non ferendum eſſe, fratrem malo aliquo affici, cujus non & ipſi compaſſione tangamur. Quamobrem non abs re Auguſtinus toties hoc Sacramentum appellat *charitatis vinculum*. Quis enim acrior admoveri ſtimulus poterat ad excitandam mutuam inter nos charitatem, quam dum Chriſtus ſeipſum nobis donans, non modo ſuo nos exemplo, ut alter alteri nos mutuo devoveamus ac tradamus, invitat: ſed quatenus ſe facit omnium communem, nos quoque omnes unum in ſeipſo eſſe facit.

De hac charitate & pace cum proximo colenda, admodum neceſſaria admonitio.

Auguſtini teſtimonio comprobata.

39. Hinc autem optime coofirmatur quod alibi dixi, rectam Sacramenti adminiſtrationem non abſque verbo cooſtare. Quæcunque enim ex Cœna nobis provenit utilitas, verbum requirit: ſive in fide confirmandi ſumus, ſive in confeſſione exercendi, ſive excitandi ad officium, prædicatione opus eſt. Nihil ergo magis præpoſterum fieri in Cœna poteſt, quam ſi vertatur in mutam actionem: quod ſub Papæ tyrannide factum eſt. Totam ſiquidem vim conſecrationis à Sacerdotis intentione pendere voluerunt, quaſi hoc nihil ad populum pertineret, cui myſterium maxime explicari oportuerat. Inde autem natus eſt hic error, quod non obſervabant promiſſiones illas quibus conficitur conſecratio, non ad elementa ipſa, ſed ad eos qui recipiunt, deſtinari. Atqui non panem alloquitur Chriſtus, ut corpus ſuum fiat: ſed diſcipulos jubet manducare, atque illis corporis & ſanguinis ſui communicationem pollicetur. Nec alium ordinem docet Paulus, quam ut una cum pane & calice promiſſiones fidelibus offerantur. Ita eſt ſane. Non hic magicam aliquam incantationem imaginari nos decet, ut ſatis ſit verba demurmuraſſe, quaſi ab elementis exaudiantur: ſed verba illa vivam prædicationem eſſe intelligamus, quæ auditores ædificet, quæ intus penetret in eorum animos, quæ cordibus imprimatur ac inſideat, quæ efficaciam in complemento ejus quod promittit, exerat. His rationibus clare patet, repoſitionem Sacramenti, quam nonnulli urgent ut ægrotis extra ordinem diſtribuatur, inutilem eſſe. Aut enim ſine recitatione inſtitutionis Chriſti accipient, aut Miniſter una cum ſigno veram myſterii explicationem conjunget. In ſilentio eſt abuſus ac vitium. Si reſcruntur promiſſiones, & myſterium enarratur, ut cum fructu recipiant qui recepturi ſunt, non eſt quod dubitemus hanc eſſe veram conſecrationem. Quorſum igitur evadet altera, cujus vis ad ægrotos uſque non pervenit? Sed enim qui ſic faciunt, habent veteris Eccleſiæ exemplum. Fateor: verum in re tanta, & in qua non ſine magno periculo erratur, nihil tutius eſt quam ipſam veritatem ſequi.

Hinc liquet quam longe à Sacramenti natura abſit, quod fit ſub Papatu.

1. Vertitur in mutam actionem.

2. Conſecratio ad elementa ipſa, non ad recipientes deſtinatur.

3. Verba ſine intellectu & ædificatione demurmurantur.

4. Fit inutilis repoſitio panis, vino omiſſo.

5. Vera conſecratio ignoratur.

6. Veteris Eccleſiæ exemplo abutuntur.

40. Porro quemadmodum ſacrum hunc panem Cœnæ Domini, ſpiritualem eſſe cibum videmus, ſuavem ac delicatum non minus quam ſalutiferum piis Dei cultoribus, cujus guſtu ſentiunt Chriſtum ſuam eſſe vitam, quos ad gratiarum actionem erigit, quibus ad mutuam inter ſe charitatem exhortatio eſt: ita rurſum in nocentiſſimum venenum omnibus vertitur quorum fidem non alit & confirmat, & quos ad confeſſionem laudis charitatemque non excitat. Non enim aliter ac cibus corporalis, ubi ventrem offendit vitioſis humoribus occupatum, ipſe quoque vitiatus & corruptus nocet magis quam nutrit; cibus etiam hic ſpiritualis, ſi in animam inciderit malitia nequitiaque pollutam, majore illam ruina præcipitat: non ſuo id quidem vitio, ſed quia *pollutis & infidelibus nihil eſt mundum*, quamlibet alioqui ſanctificatum Domioi benedictione. Nam, ut ait Paulus, *qui indigne manducant & bibunt, rei ſunt corporis & ſanguinis Domini, judiciumque ſibi manducant & bibunt, non dijudicantes corpus Domini.* Tale enim hominum geous, quod ſine ulla fidei ſcintilla, ſine ullo charitatis ſtudio, ad uſurpandam Cœnam Domini, inſtar porcorum ſe proripit, minime diſcernit corpus Domini. Nam quatenus corpus illud ſuam eſſe vitam non credunt, qua poſſunt contumelia ipſum afficiunt, omni ſua dignitate ſpoliantes: ac demum ſic accipiendo, profanant & contaminant. Quatenus vero alieoati à fratribus ac diſſidentes, ſacrum corporis Chriſti ſymbolum cum ſuis diſſidiis commiſcere audent, non ſtat per eos quominus Chriſti corpus diſcerpatur, ac membratim dilanietur. Itaque non immerito rei ſunt corporis & ſanguinis Domini, quod ſacrilega impietate fœde adeo polluunt. Hac ergo indigna manducatione damnationem ſuam accipiunt. Nam quum nullam in Chriſto fidem repoſitam habeant, Sacramento tamen accepto, profitentur non alibi quam in eo eſſe ſibi ſalutem, omnemque aliam fiduciam abjurant. Quare ipſi ſibi ſunt accuſatores: teſtimonium ipſi adverſum ſe pronunciant, damnationem ipſi ſuam obſignant. Deinde quum odio ac malevolentia diviſi diſtractique à fratribus, hoc eſt, Chriſti membris, partem in Chriſto nullam habeant: teſtificantur tamen hanc unam ſalutem eſſe, Chriſto communicare, & illi nnitum eſſe. Eam ob rem præcipit Paulus ut *probet ſeipſum homo antequam de hoc pane edat, aut bibat è calice.* Quo (ut ego quidem interpretor) voluit unumquemque in ſe deſcendere, & ſecum reputare an interiore cordis fiducia in ſalutem à Chriſto partam recumbat: an oris confeſſione agnoſcat: deinde an innocentiæ ac ſanctitatis ſtudio ad Chriſti imitationem aſpiret: an ejus exemplo ſeſe fratribus dare paratus ſit, ac ſe iis communicare quibuſcum Chriſtum communem habet: an ut ipſe à Chriſto cenſetur, ita viciſſim fratres omnes pro corporis ſui membris habeat: an eos inſtar membrorum ſuorum fovere, tueri, juvare cupiat. Non quia hæc tum fidei tum charitatis officia nunc perfecta in nobis eſſe poſſint: ſed quia huc nos contendere & votis omnibus aſpirare oportet, ut inchoatam fidem magis in dies ac magis augeamus.

Poſtremus articulus ſecundæ partis, agens primo loco de indigne ad menſam Chriſti accedentibus.

Tit. 1: 15.

1 Cor. 11. v. 27; 29.

Quales illi ſunt.

Et quam grave judicium ipſis immineat.

Huic malo remedium proponit Apoſtolus, nempe ſerium uniuſcujuſque examen: & quale illud eſſe debeat.

41. Vulgo dum homines ad eam manducandi dignitatem comparare volunt, miſeras conſcientias torſerunt ac divexarunt diris modis: nec tamen quicquam eorum quæ in rem eſſent attulerunt. *Digne manducare* eos dixerunt qui in ſtatu gratiæ eſſent. In ſtatu gratiæ eſſe interpretati ſunt purum purgatumque omni peccato eſſe. Quo dogmate omnes quotquot in terris unquam fuerunt & ſunt homines, ab hujus Sacramenti uſu arcebantur. Nam ſi hoc agitur ut noſtram à nobis dignitatem petamus, actum de nobis eſt: deſperatio tantum & exitialis ruina nos manet. Totis licet viribus adnitamur, non aliud proficiemus niſi ut tum denique indigniſſimi futuri ſimus, quum de quærenda dignitate maxime laboratum à nobis fuerit. Quo huic ulceri mederentur, modum excogitarunt acquirendæ dignitatis:

Falſum vero à Papiſtis inductum examen, oſtenditur eſſe dirum tormentum, quod homines arceat à menſa Domini.

ut quantum in nobis eſt examine habito, repoſcitaque à nobis factorum omnium ratione, contritione, confeſſione, fatisfactione, noſtram indignitatem eapiaremus: quæ eapiandi ratio qualis ſit, dictum eſt ubi erat aptior dicendi locus. Quod ad præſens inſtitutum attinet, dico hæc nimium eſſe jejuna evanidaque ſolatia conſternatis dejectiſque conſcientiis, & peccati ſui horrore perculſis. Nam ſi Domious interdicto neminem in Cœnæ ſuæ participationem admittit, niſi juſtum & innocentem: noo levi cautione opus eſt, quæ aliquem ſuæ juſtitiæ ſecutum reddat, quam à Deo requiri audit. Unde vero hæc nobis confirmatur ſecuritas, apud Deum defunctos eſſe qui fecerunt quod in ſe eſt? Quod ſi etiam ita eſſet, quando tamen etit ut ſpondere quis ſibi audeat, ſe feciſſe quod in ſe erat? Ita quum nulla certa noſtræ dignitatis ſecuritas fiat, manebit ſemper clauſus aditus, horribili illo interdicto, quo edicitur *judicium ſibi manducare & bibere qui indigne manducant & bibunt*.

Hujus examinis Papiſtici refutatio.

1.

2.

42. Nunc judicare promptum eſt qualis ſit hæc quæ in Papatu regnat doctrina, & à quo auctore profecta ſit, quæ miſeros peccatores & trepidatione mœſtitiaque afflictos, hujus Sacramenti conſolatione immani ſua auſteritate orbat & ſpoliat: in quo tamen omnes Euangelii deliciæ illis proponebantur. Certe diabolus nullo majori compendio homines perdere poterat, quam ſic eos infatuando, oe guſtum & ſaporem talis alimenti perciperent, quo eos optimus Pater cæleſtis paſcere voluerat. Ne igitur in hujuſmodi præcipitium tuamus, meminerimus has ſacras epulas ægrotis eſſe pharmacum, peccatoribus ſolatium, pauperibus largitionem: quæ ſanis, juſtis, & divitibus, ſiqui reperiri poſſent, nullum afferrent operæpretium. Nam quum in illis Chriſtus nobis in cibum detur, intelligimus, nos ſioe ipſo tabeſcere, liqui, deficere: qualiter inedia corporis vigorem eatinguit. Deinde quum in vitam detur, intelligimus oos ſine ipſo in nobis plane mortuos eſſe. Quare ea eſt dignitas quam onam & optimam afferre Deo poſſumus, ſi ooſtram ei vilitatem, & (ut ita loquar) iodignitatem offeramus, ut ſua miſericordia nos ſe dignos faciat: ſi animos in nobis deſpondeamus, ut nos in ipſo conſolemur: ſi nos humiliemus, ut ab ipſo erigamur: ſi nos accuſemus, ut ab ipſo juſtificemur: præterea ſi ad eam quam in ſua Cœna nobis commendat unitatem aſpiremus: & quemadmodum nos omnes uoum in ſeipſo eſſe facit, ita unam omnino animam, cor unum, linguam unam nobis omnibus optemus. Hæc ſi perpeoſa & meditata habuerimus, nunquam nos illæ cogitationes, etiamſi concutiant, proſternent: Nos bonorum omnium egeni & nudi, nos peccatorum ſordibus inquinati, nos ſemimortui, quomodo corpus Domini digne manducaremus? Magis cogitabimus nos pauperes venire ad benignum largitorem, ægros ad medicum, peccatores ad juſtitiæ auctorem, mortuos denique ad eum qui vivificat: dignitatem illam, quæ à Deo mandatur, fide præcipue conſtare, quæ omnia in Chriſto, nihil in nobis reponit: deinde charitate, & ea quidem ipſa quam Deo imperfectam offerre ſatis ſit, ut ipſam in melius augeat: quaodo præſtari ſolida non poteſt. Alii nobiſcum in hoc conſentientes, dignitatem ipſam in fide & charitate poſitam eſſe: in modo tamen ipſo dignitatis longe aberrarunt, fidei perfectionem eaigentes, cui nihil omnino accedere poſſit: & charitatem parem ei quam Chriſtus erga nos declaravit. At eo ipſo omnes ab hujus Cœnæ ſacroſanctæ acceſſu, oon ſecus ac priores illi, abigunt. Si enim obtineret eorum ſententia, nemo niſi indigne acciperet: quando ad unum omnes rei convictique ſuæ imperfectionis tenerentur. Et ſane nimii ſtuporis, ne dicam ſtoliditatis, fuerit, eam perfectionem in recipiendo Sacrameoto requirere, quæ Sacramentum irritum ſupervacuumque faciat: quod non perfectis inſtitutum eſt, ſed infirmis ac debilibus, ad vellicandum, excitandum, ſtimulandum, eaercendum fidei & charitatis affectum: defectum vero utriuſque corrigendum.

Concluſio, examen à Papiſtis invectum, eſſe ſpiritus mendacis figmentum.

Cui opponitur Chriſtianum examen, cujus hæ ſunt partes.

1. Dignitatis & efficacia Chriſti conſideratio.

2. Indignitatis noſtræ ſenſus, qui nos ad Chriſtum deducat.

3. Fidei & charitatis incrementum.

Ita tamen ut animos non deſpondeamus etiamſi fides infirma, & charitas imperfecta ſit: quandoquidem perfectis & ſine labe credentibus non eſt inſtituta Cœna Domini, ſed ægrotis, imbecillis in fide, & peccatoribus ad Chriſti perfectionem confugientibus.

43. Cæterum, quod ad externum actionis ritum ſpectat, in manum accipiaot fideles, oec ne: inter ſe dividant, aut ſinguli quod ſibi datum fuerit, edant: calicem in Diaconi manu reponant, an proaimo tradant: panis ſit fermentatus, an azymus: vinum rubrum, an album: nihil refert. Hæc indifferentia ſunt, & in Eccleſiæ libertate poſita. Quanquam certum eſt, veteris Eccleſiæ ritum fuiſſe ut omnes in manum acciperent. Et Chriſtus dixit, *Dividite inter vos*. Fermentatum & vulgarem panem fuiſſe ante tempus Alexandri Romani Epiſcopi, narrant hiſtoriæ: qui primus azymo pane delectatus eſt: qua id ratione, non video, niſi ut plebis oculos novo ſpectaculo in admirationem traheret magis quam ut animos proba religione inſtitueret. Omnes objuro, qui vel levi aliquo pietatis ſtudio tanguntur, annon evidenter perſpiciaot, & quanto præclarius Dei gloria hic reſplendeat, & quanto affluentior ſpiritualis conſolationis ſuavitas ad fideles redeat, quam in iſtis frigidis & hiſtrionicis nugis, quæ nullum alium uſum afferunt niſi ut ſtupentis populi ſenſum fallant. Id populum religione contineri vocant, quum ſuperſtitione ſtolidus & infatuatus, quovis trahitur. Siquis vetuſtate tueri hujuſmodi ioventiones velit, nec ipſe ignoro quam vetuſtus ſit chriſmatis & ex ſufflationis in Baptiſmo uſus, quam non longe ab ætate Apoſtolorum Cœna Domioi tacta rubigine fuerit: ſed iſthæc ſcilicet humanæ confidentiæ procacitas eſt, quæ ſe continere nequit quin ſemper in Dei myſteriis ludat & laſciviat. Nos vero meminerimus tanti eſſe Deo verbi ſui obedientiam, ut in ea & Angelos ſuos & orbem univerſum judicare oos velit. Porro tanta ceremoniarum congerie faceſſere juſſa, ſic adminiſtrari decentiſſime poterat, ſi ſæpiſſime & ſingulis ad minimum hebdomadibus proponeretur Eccleſiæ. initium autem fieret à publicis precibus: haberetur deinde concio: tum Miniſter, propoſito in menſa pane & vino, inſtitutionem Cœnæ referret: deinde promiſſiones enarraret quæ in ea nobis relictæ ſunt, ſimul eos omnes excommunicaret qui interdicto Domini ab ea arcentur: poſtea oraretur, ut qua Dominus benignitate factum hoc alimentum nobis largitus eſt, nos quoque ad id ſuſcipiendum fide & animi gratitudine erudiret & formaret: & quando ea nobis non ſumus, ſua miſericordia nos dignos faceret tali convivio: hic vero aut caoerentur Pſalmi, aut aliquid legeretur, & quo decet ordine fideles ſacroſanctis epulis communicarent, Miniſtris panem frangentibus, & populo præbentibus: finita Cœna, exhortatio haberetur ad ſinceram fidem & fidei confeſſionem, ad charitatem & mores Chriſtianis dignos: poſtremo gratiarum actio referretur, & laudes Deo caoerentur. Quibus finitis Eccleſia dimitteretur in pace.

Secundo loco agitur de ritibus externis: ubi multa ſunt indifferentia.

Alia autem non item.

Luc. 22. verſ. 17.

Nonnulla autem a ſuperſtitione introducta ſunt, & ad neceſſitatem quandam audacter ac male reſtricta.

Quibus faceſſere juſſis, externus S. Cœnæ actionis ritus, ut quam decentiſſime adminiſtrari queat, paucis & ex veteris Eccleſiæ inſtituto, idque majori ex parte, deſcribitur.

44. Quæ de Sacrameoto hoc hactenus diſſeruimus, abunde oſtenduot, non inſtitutum ideo fuiſſe ut ſemel quotannis acciperetur, idque perfunctorie (ut nunc communiter moris eſt) verum quo frequenti in uſu Chriſtianis omnibus eſſet, ut frequenti memoria paſſionem Chriſti repetereot: qua recordatione & fidem ſuam ſuſtinerent ac roborarent, & ſeſe ad confeſſionem laudis Deo canendam bonitatemque ejus prædicandam hortarentur, & qua poſtremo mutuam charitatem alerent, & ſibi etiam ioter ſe teſtificarentur, cujus copulam in unitate corporis Chriſti viderent. Quoties enim ſymbolo corporis Domini communicamus, velut data & accepta teſſera, alter alteri nos viciſſim obſtringimus ad omnia dilectionis officia, ut nequid admittat

Tertio loco, Cœnæ participationem Chriſtianis omnibus frequentem eſſe debere probatur,

1. purioris Eccleſiæ praxi.

mittat noſtrûm quiſpiam quo fratrem lædat, ne quid prætermittat quo eum juvare poſſit, ubi neceſſitas poſtulat & facultas ſuppetit. Talem fuiſſe Eccleſiæ Apoſtolicæ uſum, Lucas in Actis commemorat, quum fideles ait *perſeverantes fuiſſe in doctrina Apoſtolorum, communicatione, fractione panis, & orationibus.* Sic agendum omnino erat, ut nullus Eccleſiæ conventus fieret ſine verbo, orationibus, participatione Cœnæ & eleemoſynis. Hunc & apud Corinthios fuiſſe inſtitutum ordinem, ſatis ex Paulo conjicere licet: & multis poſtea ſeculis in uſu fuiſſe conſtat. Inde enim veteres illi Canones, quos Anacleto & Calixto tribuunt, *ut peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus.* Et in vetuſtis illis Canonibus quos Apoſtolorum vocant, habetur, *Qui non perſeverant uſque ad finem, & ſacram communionem non percipiunt, tanquam inquietudinem Eccleſiæ moventes corrigendos.* In Antiocheno etiam Concilio decretum eſt, ut qui Eccleſiam intrant, Scripturas audiunt, & à communione abſtinent, ab Eccleſia removeantur, donec vitium hoc correxerint. Quod tametſi in Concilio Toletano primo vel mitigatum fuerit, vel mitioribus ſaltem verbis propoſitum, tamen illic quoque ſtatuitur, ut qui audita concione nunquam communicare deprehenſi fuerint, admoneantur: ſi poſt monitionem abſtineant, arceantur.

Act. 2: 42.

2. Veterum etiam Epiſcoporum inſtitutis.

45. His ſcilicet conſtitutionibus volebant ſancti viri retinere ac tueri frequentem communionis uſum, ab ipſis Apoſtolis traditum: quem fidelibus maxime ſalutarem eſſe, vulgi autem negligentia ſenſim obſoleſcere videbant. De ætate autem ſua teſtatur Auguſtinus: *Hujus,* inquit, *res ſacramentum unitatis corporis Domini alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, in Dominica menſa præparatur, & de menſa illa ſumitur: quibuſdam ad vitam, aliis ad exitium.* Et in epiſtola ad Januarium priore: *Alii quotidie communicant corpori & ſanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi Sabbatho tantum & Dominico, alibi nonniſi Dominico.* Quoniam autem, ut diximus, plebs interdum remiſſior erat, inſtabant ſancti viri ſeveris objurgationibus, ne connivere ad hanc ſocordiam viderentur. Tale exemplum eſt apud Chryſoſtomum in epiſtolam ad Epheſios, *Non eſt dictum ei qui convivium dehoneſtabat, Quare recubuiſti? ſed, Quare ingreſſus es? Quiſquis myſteriorum particeps non eſt, improbus eſt, & impudens quod hic adſtat. Quæſo, ſiquis ad convivium vocatus venerit, manus laverit, diſcubuerit, viſus fuerit ſe ad edendum comparare, deinde nihil guſtet, nonne contumelia & convivium afficiet & convivatorem? Sic tu, inter eos ſtans qui oratione ſe ad ſumendum ſacroſanctum cibum præparant, te unum eſſe ex eorum numero, eo ipſo quod non abſceſſiſti, confeſſus es, tandem non participas: nonne ſatius foret te non comparuiſſe? Indignus ſum, inquis. Ergo nec communione orationis dignus eras, quæ eſt ad ſumendum ſacrum myſterium præparatio.*

Quibus ſocordiam populi ſevere damnarunt.
Frequens S. Cœnæ participatio Auguſtini ætate.
in 6. cap. Joan. tractat. 26.

Neglecta tempore Chryſoſtomi, ac culpata ab eodem.
in cap. 1. homil 26.
Matth. 22. verſ. 12.

46. Et ſane hæc conſuetudo quæ ſemel quotannis communicare jubet, certiſſimum eſt diaboli inventum: cujuſcunque tandem miniſterio invecta fuerit. Aiunt Zepherinum ejus decreti fuiſſe auctorem: quod tale fuiſſe nequaquam credibile eſt quale nunc habemus. Ille enim ſuo inſtituto non forte peſſime Eccleſiæ conſulebat, ut tum erant tempora. Minime enim dubium eſt quin tum ſacra Cœna proponeretur fidelibus quoties in cœtum convenirent: nec dubium etiam quin bona eorum pars communicaret: ſed quum vix unquam eveniret ut omnes ſimul communicarent, eſſet vero neceſſe eos qui permixti erant profanis & idololatris, externo aliquo ſymbolo fidem ſuam teſtari: diem illum, ordinis & politiæ cauſa, vir ſanctus ſtatuerat, quo totus Chriſtianorum populus fidei confeſſionem participatione Cœnæ Domini ederet. Probum alioqui Zepherini inſtitutum male detorſit poſteritas, quum certa lex de una quotannis communicatione poſita eſt: qua factum eſt ut fere omnes, quum ſemel communicaverunt, quaſi in reliquum anni tempus pulchre defuncti, in utramque aurem ſecuri dormiant. Longe aliter factum oportuit: ſingulis ad minimum hebdomadibus proponenda erat Chriſtianorum cœtui menſa Domini, declarandæ promiſſiones quæ nos in ea ſpiritualiter paſcerent: nullus quidem neceſſitate cogendus, ſed cohortandi omnes, & ſtimulandi: objurgandus etiam ignavorum torpor. Omnes gregatim, ut famelici, ad tales lautitias convenirent. Non injuria igitur principio conqueſtus ſum, diaboli arte intruſam hanc conſuetudinem: quæ dum unum anni diem præſcribit, in totum annum ſocordes reddit. Videmus quidem perverſum hunc abuſum Chryſoſtomi tempore jam obrepſiſſe: ſed videre ſimul licet quantopere ipſi diſplicuerit. Conqueritur enim gravibus verbis eo quem nuper citavi loco, tantam eſſe hujus rei inæqualitatem, quod aliis anni temporibus ſæpenumero, nec quum mundi eſſent, accederent: in Paſchate, etiam immundi. Deinde exclamat, *O conſuetudinem! ô præſumptionem! Fruſtra ergo habetur quotidiana oblatio: fruſtra ſtamus ad altare. Nemo eſt qui ſimul participet.* Tantum abeſt ut auctoritate ſua interpoſita comprobarit.

Papiſtica autem conſuetudo quotannis ſemel communicare jubens, execrandum eſt inventum, licet ex fonte non prorſus impuro primum promanaſſe potuit.

Huic malo remedium, etiam noſtro ſeculo, neglectum.

A Chryſoſtomo deſideratum, non impetratum.

47. Ex eadem prodit officina & altera conſtitutio, quæ dimidiam Cœnæ partem meliori populi Dei numero vel furata eſt, vel eripuit: nempe ſymbolum ſanguinis, quod laicis & profanis (his ſcilicet titulis Dei hæreditatem inſigniunt) interdictum, paucis raſis & unctis in peculium ceſſit. Edictum æterni Dei eſt ut omnes bibant: quod homo nova & contraria lege antiquare & abrogare audet, edicens ne omnes bibant. Ac ne ſine ratione adverſus Deum ſuum pugnent tales legislatores, pericula obtendunt quæ accidere poſſent ſi omnibus paſſim exponeretur ſacer hic calix: acſi ab æterna Dei ſapientia proſpecta ea & animadverſa non eſſent. Deinde argute ſcilicet ratiocinantur, unum pro duobus eſſe ſatis. Nam ſi corpus eſt (inquiunt) totus Chriſtus eſt, qui à ſuo corpore jam divelli non poteſt. Ergo & corpus ſanguinem per concomitantiam complectitur. En ſenſus noſtri cum Deo conſenſum, ubi vel tantillum laxis habenis laſcivire ferocireque cœpit. Dominus, panem oſtendens, corpus ſuum eſſe dicit: calicem dum oſtendit, ſanguinem vocat. Humanæ rationis audacia contra reclamat, panem eſſe ſanguinem, vinum eſſe corpus: acſi Dominus nulla cauſa corpus ſuum à ſanguine & verbis & ſignis diſtinxiſſet: & unquam fando auditum eſſet, corpus Chriſti, aut ſanguinem, Deum & hominem appellari. Sane ſi deſignare ſe totum voluiſſet, dicere poterat, *Ego ſum:* qualiter loqui in Scripturis conſuevit: non autem, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.* Sed fidei noſtræ infirmitati ſuccurrere volens, calicem ſeorſum à pane ſtatuit, ut doceat ſe ad potum non minus quam cibum ſufficere. Nunc tollatur pars una, nonniſi dimidium alimentorum in eo reperiemus. Ergo, ut verum ſit quod obtendunt, ſanguinem eſſe in pane per concomitantiam, & corpus rurſum in calice: confirmatione tamen fidei, quam Chriſtus ut neceſſariam tradit, pias animas fraudant. Itaque, argutiis eorum valere juſſis, retinenda nobis eſt utilitas, quæ in duplici arrha ex Chriſti ordinatione percipitur.

Quartelico. ſub una tantum ſpecie communio in Papatu, Satana inventum eſſe probatur.

Nec hujus erroris patronis favent pericula & effugia quæ obtendunt, quorum etiam ſubjicitur refutatio.

Quare Chriſtus panem & vinum, corpus & ſanguinem diſtincte expreſſiſque verbis nominarit.

48. Equidem ſcio, Satanæ miniſtros (ut ſolenne illis eſt Scripturas ludibrio habere) hic cavillari. Primum cauſantur, ex ſimplici facto non eſſe ducendam regulam qua Eccleſia ad perpetuam obſervationem obligetur. At mentiuntur quum ſimplex factum eſſe dicunt: neque enim porrexit tantum

Aliud Papiſtarum effugium.

Reſponſio.

calicem

Poſtremum, calicem ad ſolos ſacrificulos, Apoſtolorum ſucceſſores, pertinere.

1. Poſtulatum primum huic poſtremo cavillo oppoſitum reſponſionis loco.

2. Secundum poſtulatum veteris Eccleſiæ teſtimonio & praxi firmatum.

calicem Chriſtus: ſed inſtituit ut Apoſtoli ſic io poſterum facerent. Præcipientis enim verba ſunt, *Bibite ex hoc calice omnes.* Et Paulus ſic factum eſſe commemorat, ut pro certo inſtituto commendet. Alterum effugium eſt, ſolos Apoſtolos in hujus Cœnæ participationem à Chriſto admiſſos, quos jam in ſacrificorum ordinem allegerat & cooptaverat. Velim tamen mihi ad quinque poſtulata reſpondeant: quibus elabi noo poterunt quin facile cum ſuis meodaciis revincantur. Primum, quo oraculo revelatam habent hanc ſolutionem, tam alienam à verbo Dei? Scriptura duodecim recenſet qui accubuerint cum Jeſu: ſed noo ita Chriſti dignitatem obſcurat, ut ſacrificos eos appellet: de quo nomine poſtea ſuo loco. Etſi duodecim tum dedit, præcepit tamen ut ſic facerent: nempe ut ſic inter ſe diſtribuerent. Secundo, cur meliore illo ſeculo, ab Apoſtolis ad mille uſque annos poſtea, ſioe exceptione omnes fiebant utriuſque ſymboli participes? ignorabatne vetus Eccleſia quos Chriſtus convivas ad Cœnam ſuam admiſiſſet? Perditiſſimæ impudentiæ fuerit hic reſtitare & tergiverſari. Extant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, extant veterum libri, qui aperta hujus rei teſtimonia ſuggerunt. *Caro* (inquit Tertullianus) *corpore & ſanguine Chriſti paſcitur, ut anima de Deo ſaginetur. Quomodo hujuſmodi manibus* (dicebat Ambroſius Theodoſio) *ſacrum Domini corpus ſuſcipies? Qua audacia poculum ſanguinis pretioſi ore tuo participabis?* Hieronymus, *Sacerdotes, qui Euchariſtiam conficiunt, & ſanguinem Domini populo diſtribuunt.* Chryſoſtomus, *Non ſicut in veteri Lege partem quidem Sacerdos comedebat, partem vero populus: verum omnibus corpus unum proponitur, & poculum unum. Ea quæ ſunt Euchariſtiæ, communia ſunt omnia inter Sacerdotem & populum.* Id ipſum Auguſtinus plurimis locis teſtatur.

lib. de reſurr. carn.
Theodorit. lib. 3. cap. 18.
Hier. in 2. Malach.
Chryſoſt. in 2 Cor. cap. 8 homil. 18.

Secundi illius poſtulati amplior conſideratio, Gregorii; Gelaſii, Cypriani auctoritate comprobata.

49. Sed quid de re notiſſima diſputo? Legantur omnes Græci & Latini ſcriptores: paſſim occurrent ejuſmodi teſtimonia. Neque obſolevit hæc conſuetudo, dum aliqua integritatis gutta in Eccleſia ſuperfuit. Gregorius quem ultimum Romæ Epiſcopum fuiſſe jure dicere poſſis, ſua ætate ſervatam fuiſſe docet. *Quis ſit ſanguis Agni, jam non audiendo, ſed bibendo didiciſtis. Ejus ſanguis in fidelium ora profunditur.* Imo quadringentis poſt ejus mortem annis, quum jam omnia degeneraſſent, adhuc duravit. Neque enim id pro more duntaxat, ſed pro lege inviolabili habebatur. Vigebat enim tunc divinæ inſtitutionis reverentia: nec ſacrilegium eſſe dubitabant, ſeparare quæ eſſent à Domino conjuncta. Sic enim loquitur Gelaſius, *Comperimus quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice abſtineant: qui procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione videntur adſtricti, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Diviſio enim iſtius myſterii ſine grandi ſacrilegio non admittitur.* Audiebantur illæ Cypriani rationes, quæ ſane Chriſtianam mentem permovere debent. *Quomodo*, inquit, *docemus aut provocamus eos in confeſſione Chriſti ſanguinem fundere, ſi militaturis ſanguinem ejus denegamus? Aut quomodo facimus ad martyrii poculum idoneos, ſi non eos ad bibendum Domini poculum prius in Eccleſia jure communionis admittimus?* Quod autem ad Sacerdotes reſtringunt Canoniſtæ illud Gelaſii decretum, magis puerile eſt cavillum quam ut refutari debeat.

refertur de conſecr. diſt. 2. c. Comperimus.
Serm. 5. de lapſis.

3. Tertium poſtulatum.

4. Quartum.

5. Quintum.

50. Tertio, cur de pane ſimpliciter dixit ut ederent: de calice, ut omnes biberent? Acſi Satanæ calliditati ex deſtinato occurrere voluiſſet. Quarto, ſi ſua Cœna Dominus ſolos ſacrificos (ut ipſi volunt) dignatus eſt, quis unquam hominum auſus eſſet vocare in participationem extraneos, qui à Domino excluſi eſſent? & participationem quidem ejus doni cujus penes ſe poteſtas non eſſet, nullo ejus mandato qui ſolus dare poterat? Imo qua id fiducia hodie uſurpant, ut plebeculæ ſymbolum Chriſti corporis diſtribuant, ſi nullum habent Domini vel mandatum vel exemplum? Quinto, an mentiebatur Paulus, quum dicebat Corinthiis, *ſe accepiſſe à Domino quod illis tradiderat?* Nam poſtea traditionem declarat, ut omnes promiſcue utroque ſymbolo communicarent. Quod ſi à Domino Paulus acceperat, omnes ſine diſcrimine admittendos: videant à quo acceperint qui univerſam pene Dei plebem abigunt: quando jam Deum auctorem prætendere non poſſunt, apud quem non eſt Eſt & Non. Et adhuc tales abominationes nomine Eccleſiæ prætexere audent, & hoc prætextu defendere: quaſi vero aut iſti Antichriſti Eccleſia ſint, qui Chriſti doctrinam & inſtitutiones tam facile proterunt, diſſipant, abrogant: aut Apoſtolica Eccleſia, Eccleſia non fuerit, in qua tota vis religionis effloruit.

1 Cor. 11. v. 23. &c.
2 Cor. 1. v. 19, 20.

Concluſio dilemmatica.

CAP. XVIII.

De Miſſa Papali, quo ſacrilegio non modo profanata fuit Cœna Chriſti, ſed in nihilum redacta.

Partes hujus capitis.

1. *Miſſæ abominatio, ſect. 1. multiplex impietas quinque capitibus comprehenſa, ſect. 2. 3. 4. 5. 6. 7. ejuſdemque origo deſcribitur, ſect. 8. & 9.*
2. *De nomine ſacrificii, quod S. Cœnæ veteres tribuerunt, ſect. 10. 11. 12. & de ſacrificiis appoſita diſputatio, Papiſtarum pro Miſſatico ſacrificio argumenta refellens, ſect. 13. 14. 15. 16. 17. & 18.*
3. *Summa doctrinæ de Sacramentis Eccleſiæ Chriſti, qua viam ſibi munit auctor ad ſequentem tractationem de quinque falſo nominatis Sacramentis, ſect. 19. & 20.*

Omnium abominationum adverſus Cœnam Domini erectarum Miſſa Papalis eſt caput.

Hujus deſcriptio.

Deſcriptionis plenior traditio.

HIs & ſimilibus inventis conatus eſt Satan, velut offuſis tenebris, ſacram Chriſti Cœnam infuſcare & inquinare: ne ſaltem ejus puritas in Eccleſia retineretur. Sed horrendæ abominationis caput fuit, quum ſignum extolit, quo non modo obſcuraretur & perverteretur, ſed penitus obliterata & abolita evaneſceret, & hominum memoria excideret: nempe quum peſtilentiſſimo errore totum pene orbem occæcavit, ut crederet Miſſam ſacrificium & oblationem eſſe ad impetrandam peccatorum remiſſionem. Quomodo initio dogma iſtud acceperint ſaniores Scholaſtici, nihil moror: valeant ipſi cum ſpinoſis ſuis argutiis: quæ utcunque cavillando defendi queant, ideo tamen repudiandæ ſunt bonis omnibus, quod nihil quam Cœnæ claritatem multis tenebris inducunt. Illis ergo valere juſſis, congredi me hic lectores intelligant cum ea opinione qua Romanus Antichriſtus ac ejus prophetæ totum orbem imbuerunt, nempe Miſſam eſſe opus quo ſacerdos qui Chriſtum offert, & alii qui in oblatione participant, Deum promereantur: vel expiatoriam eſſe victimam, qua ſibi Deum reconcilient. Neque id communi tantum vulgi opinione receptum eſt, ſed ipſa quoque actio ſic eſt inſtituta, ut genus ſit placationis, quo pro vivorum & mortuorum expiatione Deo ſatisfiat. Hoc quoque ſonant verba quibus utuntur: nec aliud ex quotidiano uſu colligere licet.

Abominationis hujus efficacia.

Impietas quintuplex.

licet. Quam altas radices fixerit hæc peſtis, ſcio i quanta ſub ſpecie boni lateat, ut nomen Chriſti præferat, ut uno *Miſſæ* nomine totam fidei ſummam complecti ſe multi credant. Sed ubi verbo Dei clariſſime comprobatum fuerit, banc quantumvis fucatam & ſplendidam, inſigni contumelia Chriſtum afficere, crucem ejus ſepelire & opprimere, mortem ejus in oblivinnem tradere, fructum qui ex ea nobis proveoiebat tollere, Sacramentum, quo mortis memoria relicta erat, enervare & diſſipare: an eruot ullæ tam profundæ radices quas oon validiſſima hæc ſecuris, verbum inquam Dei, cooſcindat & evertat? An ulla iam ſpecioſa facies ſub qua latens malum lux hæc oon prodat?

1. Prima Miſſa Papalis impietas. Intolerabili blaſphemia Chriſtum unicum Eccleſia Sacerdotem afficit, Sacerdotes (acſi nullus eſſet) ei ſubſtituens.

2. Oſteodamus ergo quod primo loco propoſitum eſt, intolerabilem illic blaſphemiam ac contumeliam Chriſto irrogari. Sacerdos enim & Pontifex à Patre conſecratus eſt, non ad tempus: quomodo illi in veteri Teſtamento conſtituti leguntur, quorum quum vita mortalis eſſet, ſacerdotium immortale eſſe non poterat: quare & ſucceſſoribus opus erat qui ſubiode io demortuorum locum ſubrogarentur. At Chriſtn, qui immortalis eſt, vicarium ſubſtitui mioime neceſſe eſt. Itaque à Patre deſignatus eſt *Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec*: ut æternum permanente ſacerdotin

Hebr. 5. v. 5, 6, 10. & 7. v. 17, 21, 23, 24. & 9: 11. & 10: 21. Geneſ. 14. verſ. 18. Pſal. 110. verſ. 4.

fungeretur. Hoc myſterium in Melchiſedec ante multo figuratum fuerat: quem ubi Scriptura ſemel induxit Sacerdotem Dei viventis, nunquam poſtea ejus meminit, acſi nullum vitæ finem babuiſſet. Hac ſimilitudine Chriſtus, ſecundum ejus ordinem Sacerdos dictus eſt. Jam vero qui quotidie ſacrificant, oblationibus ſacerdotes præficiant oeceſſe eſt, quos Chriſto velut ſucceſſores & vicarios ſubrogent. Qua ſubrogatione non modo Chriſtum ſuo bonore ſpoliant, & æterni ſacerdotii prærogativam illi rapiunt: ſed è dextra Patris deturbare ipſum conantur: io qua ſedere immortalis non poteſt quin ſimul æternus Sacerdos maneat.

Exceptio Papiſtarum.

Neque cauſentur non ſuffici ſuns ſacrificulos Chriſtn quaſi demortuo, ſed ſuffraganeos duntaxat eſſe æterni ejus ſacerdntii quod propterea ſtare oon deſinit.

Hebr. 7. verſ. 23.

Verbis enim Apoſtoli fortius conſtringuotur quam ut ſic elabi poſſint: nempe alios *plures eſſe factos ſacerdotes quia morte impedirentur permanere*. Chriſtus ergo qui morte noo impeditur unus eſt, nec cooſortibus indiget.

Exemplo Melchiſedeci defenditur.

Quæ tamen eorum eſt improbitas, ad impietatem ſuam tuendam, exemplo Melchiſedec ſe armant. Quia eoim *obtuliſſe* dicitur *panem & vinum*, colligunt fuiſſe præludium Miſſæ ſuæ, acſi ioter eum & Chriſtum ſimilitudo eſſet in panis & vini oblatione.

Reſponſio, locum Moſis explanans.

Quod magis jejunum eſt ac frivnlum quam ut refutatione egeat. Panem & vinum dedit Melchiſedec Abrahæ & ejus comitibus, ut laſſos ex itinere & prælin reficeret: quid hoc ad ſacrificium? Humanitas ſancti Regis laudatur à Moſe: myſterium importune iſti excuduot cujus nulla fit mentio.

Inſtantia.

Fucant tameo ſuum errorem alio colore, quia ſequitur contiouo poſt, *Et erat Sacerdos Dei altiſſimi.*

Reſponſio 1. verbis Apoſtoli.

Reſpondeo, perperam eos trahere ad panem & vinum quod Apoſtolus ad benedictionem refert. *Quum ergo Sacerdos eſſet Dei, benedixit Abrahæ.*

Heb. 7: 1. Geneſ. 14. v. 18, 19. Heb. 7: 7.

Unde idem Apoſtolus (quo melior non eſt quærendus interpres) colligit ejus præſtaotiam: quia *minor benedicitur à majore*. Quod ſi oblatio Melchiſedec ſacrificii Miſſalis figura eſſet, an Apoſtolus, obſecro, qui minima quæque excutit, rem adeo ſeriam & gravem fuiſſet oblitus?

Altera.

Jam (quicquid nugentur) rationem quæ ab ipſo Apoſtolo adducitur, fruſtra convellere tentabuot, ceſſare jus & bonorem ſacerdotii ioter homines mnrtales, quia Chriſtus, qui immortalis eſt, unicus ac perpetuus eſt Sacerdos.

2. Secunda Miſſa impietas. Chriſti crucem evertit, altare erigens.

3. Altera Miſſæ virtus propoſita erat, quod Chriſti crucem & paſſionem npprimit & nbruit. Hoc quidem certiſſimum eſt, everti Chriſti crucem ſimulac erigitur altare: nam ſi in cruce ſemetipſum in ſacrificium obtulit, quo nos in perpetuum ſanctificaret, & æternam redemptionem nobis acquireret: baud dubie vis atque efficacia ejus ſacrificii oullo fine perſtat.

Hebr. 9. v. 11, 12, & ſeqq.

Alioqui nihilo bonorificentius de Chriſto ſeotiremus quam de bobus & vitulis qui ſub Lege immolabantur: quorum oblationes ea eo inefficaces arguuntur & imbecillæ, quod ſæpius iterabantur.

Ratio firmiſſima.

Quare aut Chriſti ſacrificio, quod in cruce implevit, purgatinnis æternæ vim defuiſſe fatendum erit, aut uno ſemel ſacrificio Chriſtum in omnia ſecula defunctum eſſe. Id eſt quod dicit Apoſtolus, Summum bunc Pontificem Chriſtum *ſemel per immolationem ſui apparuiſſe, ſub conſummationem ſeculi, ad peccati profligationem.* Item, *Voluntate Dei nos ſanctificatos eſſe per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel factam.* Item, *Chriſtum una oblatione in perpetuum conſummaſſe ſanctificatos.* Quibus inſignem ſententiam ſubnectit, *Acquiſita ſemel peccatorum remiſſione, nullam amplius reſtare oblationem.*

Hebr. 9. verſ. 26. Hebr. 10. verſ. 10. ibid. v. 14. ibid. v. 16.

Altera, Chriſti poſtrema voce confirmata.

Hoc & poſtrema ſua voce & ioter ultimos ſpiritus edita Chriſtus ſignificavit, quum dixit, *Conſummatum eſt.* Snlemus extremas morientium voces pro oraculis obſervare. Chriſtus moriens teſtatur unn ſuo ſacrificio perfectum eſſe & impletum quicquid in ſalutem noſtram erat.

Joan. 19. verſ. 30.

Nobis hujuſmodi ſacrificio, cujus perfectionem luculeoter adeo commendavit, quaſi imperfecto, ao innumera quotidie aſſuere licebit?

Tertia.

Quando ſacroſanctum Dei verbum non affirmat modn, ſed clamat etiam & conteſtatur, hoc ſacrificium ſemel peractum fuiſſe, ejus vim æternam permanere: qui aliud poſtulant, nonoe ipſum imperfectionis inſimulant & infirmitatis?

Quarta, à Miſſa ipſius inſtitutione.

At vero Miſſa quæ hac lege tradita eſt, ut millies centena ſacrificia in ſingulos dies peragantur, quo ſpectat niſi ut Chriſti paſſin, qua unicam hoſtiam ſe Patri nbtulit, ſepulta ſubmerſaque jaceat? Quis, niſi cæcus, non videat, Satanæ audaciam fuiſſe quæ veritati adeo apertæ ac dilucidæ nbluctaretur?

Exceptio 1.

Nec me latet quibus præſtigiis bane ſuam fraudem prætexere ſoleat pater ille mendacii, Non varia eſſe nec diverſa ſacrificia, ſed uoum idem ſæpius repeti.

Reſponſio.

Verum tales fumi nullo negotio diſcutiuntur: tota enim diſputatione contendit Apoſtolus nno modo nulla alia eſſe ſacrificia, ſed unum illud ſemel oblatum fuiſſe, nec amplius iterandum.

Exceptio 2.

Subtiliores occultiore etiamnum rima effugiunt, non repetitionem eſſe, ſed applicationem.

Reſponſio, Pauli teſtimonio comprobata.

Sed oibilo difficilius boc quoque ſophiſma confutatur: neque enim hac lege ſe obtulit ſemel Chriſtus, ut novis quotidie oblationibus ratum fieret ſuum ſacrificium: verum ut Euangelii prædicatione ac ſacræ Cœnæ adminiſtratione fructus ejus nobis communicetur. Sic Paulus dicit *Chriſtum Paſcha noſtrum immolatum eſſe*: ac nos epulari jubet.

1 Cor. 5. verſ. 7.

Hæc (inquam) ratin eſt qua nobis rite applicatur crucis ſacrificium dum fruendum nobis communicatur, & nos vera fide recipimus.

Exceptio 3. ex Malachia dicto.

4. Sed operæpretium eſt audire quo præterea fundamento Miſſarium ſacrificium fulciant. Nam huc Malachiæ vaticinium trahuot, quo pollicetur Domious futurum ut *incenſum per orbem univerſum offeratur nomini ſuo, & oblatio munda.*

Mal. 1: 8.

Reſponſio, ſenſum Prophetæ aperiens.

Quaſi vero novum ſit aut inſolitum Prophetis quum de Gentium vocatione loquuntur, ſpiritualem Dei cultum, ad quem illas hortantur, ea terno Legis ritu deſignare: quo familiarius ſeculi ſui hominibus indicarent io veram religionis ſocietatem eſſe vocandas.

Confirmatio, ex aliis locis petita.

Qualiter etiam io univerſum, rerum veritatem quæ per Euangelium eahibita fuit, ætatis ſuæ typis deſcribere ſolent. Sic prn converſione ad Dominum, aſcenſum in Jeruſalem: prn Dei adoratione, munerum omne genus nblationem: pro ampliore ejus notitia, qua in regno Chriſti fideles donandi

Jeſa. 19. verſ. 21. & 24: 23.

erant,

Joël. 2:28. Jeſa. 19. verſ. 18, 19. &c.

erant, ſomnia & viſiones ponunt. Quod ergo citant, alteri Jeſaiæ vaticinio ſimile eſt, ubi Propbeta de tribus altaribus in Aſſyria, Ægypto & Judæa erigendis prædicit. Primum enim quæro, aonon hujus propbetiæ complementum in regno Chriſti eſſe concedant. Deinde, ubi ſint aræ illæ, aut quando uoquam ſint erectæ. Tertio, num exiſtiment ſingulis regnis deſtinari ſingula templa, quale illud Hieroſolymitanum fuit. Hæc ſi perpendunt, fatebuotur, opinor, Propbetam ſub typis ætati ſuæ congruentibus, de ſpirituali Dei cultu in totum orbem propagando vaticinari. Quam nos illis ſolutionem damus. Hujus tamen rei quia paſſim obvia exempla occurrunt, noo ero io enumeratione longiori ſollicitus.

Reſponſio 2.

Quanquam in hoc quoque miſere hallucinantur, quod nullum agnoſcunt ſacrificium niſi Miſſarium: quum revera nunc ſacrificent Domino fideles, & mundam offerant oblationem, de qua moa dicetur.

3. Tertia Miſſæ impietas. Mortem Chriſti ex hominum memoria excutit. Nam Chriſti teſtamentum obliterat.

5. Nuoc deſcendo ad tertias Miſſæ partes, ubi eaplicandum eſt quomodo veram & unam mortem Cbriſti obliteret, & ex bominum memoria excutiat. Nam ut inter bomioes teſtameoti confirmatio à morte teſtatoris pendet: ita etiam teſtamentum, quo nos peccatorum remiſſione & æterna juſtitia donavit, morte ſua confirmavit Dominus noſter. In hoc teſtamentò qui variare quicquam aut innovare audent, mortem ejus abnegant, & tanquam nullius momenti habeot. Quid vero eſt Miſſa oiſi novum & prorſus diverſum teſtamentum? quid enim? annoo ſingulæ Miſſæ novam peccatorum remiſſionem, novam juſtitiæ acquiſitionem promittunt: ut jam tot ſint teſtamenta quot Miſſæ? Veniat ergo rurſum Chriſtus, & altera morte novum hoc teſtamentum, vel potius infinitis mortibus inoumera Miſſarum teſtamenta rata faciat. Annon igitur verum principio diai, unicam & veram Chriſti mortem obliterari per Miſſas?

Chriſtum iterum mactat, & cruci affigit.

Heb. 9:16.

Quid, quod eo directe ſpectat Miſſa, ut rurſum, ſi fieri poſſit, trucidetur Chriſtus? *Nam ubi teſtamentum eſt* (inquit Apoſtolus) *mortem teſtatoris intercedere illic neceſſe eſt.* Miſſa novum Chriſti teſtamentum præ ſe fert: ejus ergo mortem poſtulat. Præterea, hoſtiam quæ offertur, occîdi & immolari neceſſe eſt. Si Cbriſtus ſiogulis Miſſis ſacrificatur: eum ſingulis momentis mille in locis crudeliter interfici oporret. Non id meum eſt, ſed Apoſtoli argumentum, *Si neceſſe babuiſſet offerre ſæpius ſemetipſum, oportuiſſe illum frequenter pati ab origine mundi.*

Exceptio Papiſtarum.

Fateor eſſe illis io promptu reſponſum quo nos etiam calumniæ notant: aiunt enim ſibi objici quod nec cogitarint unquam, ac ne poſſint quidem.

Reſponſio.

Nos vero ſcimus, mortem ac vitam Chriſti nequaquam io eorum manu eſſe. An ipſum interficere inſtituaot; non reſpicimus: tantum oſtendere animus eſt, quale abſurdum coofequatur ex impio ac ſceleſto eorum dogmate. Quod ipſum ex ore Apoſtoli demonſtro.

Exceptio 2. de incruento ſacrificio. Reſponſio.

Reclament centies licet, ſacrificium hoc eſſe ἀναίμακτον: negabo ea hominum arbitrio pendere, ut ſacrificia naturam mutent: quia hoc modo cooncideret ſacra & inviolabilis Dei inſtitutio. Unde ſequitur, firmum eſſe illud principium Apoſtoli,

Heb. 9:22.

requiri ſanguinis effuſionem ne deſit ablutio.

4. Quarta Miſſæ impietas. Mortis Chriſti fructum nobis præripit. Illiuſque impietatis viva delineatio.

6. Jam quartum Miſſæ munus tractandum, ut ſcilicet fructum qui è morte Chriſti ad nos redibat, nobis præripiat: dum ne agnoſcamus & cogitemus, facit. Quis enim cogitet ſe morte Cbriſti redemptum eſſe, ubi oovam in Miſſa redemprionem viderit? Quis peccata ſibi remiſſa confidat, ubi novam remiſſionem viderit?

Exceptionis dilutio.

Neque evadet qui diaerit, non alia cauſa nos peccatorum remiſſionem in Miſſa obtinere, oiſi quia morte Chriſti jam acquiſita eſt. Non enim aliud affert quam ſi jactet ea lege nos à Chriſto redemptos eſſe, ut nos ipſi redimamus: hujuſmodi enim à Satanæ miniſtris doctrina ſparſa eſt, & talem hodie clamoribus, ferro, igni tueotur. Nos, quum Chriſtum Patri in Miſſa offerimus, hoc oblationis opere aſſequi peccatorum remiſſionem, & participes fieri paſſionis Chriſti. Quid jam paſſioni Cbriſti ſupereſt, niſi ut ſit exemplum redemptionis, quo diſcamus noſtri eſſe redemptores? Chriſtus ipſe, dum in Cœnæ veoiæ fiduciam obſignat, non jubet diſcipulos in actione illa hærere, ſed ablegat eos ad mortis ſacrificium: Cœnam monumentum vel memoriale (ut vulgo loquuntur) eſſe ſignificans, ex quo diſcant, victimam expiatricem qua placandus erat Deus, nonniſi ſemel offerri debuiſſe. Neque enim ſufficit Cbriſtum tenere unicam eſſe victimam, niſi & unica immolatio accedat: ut fides noſtra cruci ejus affiaa ſit.

7. Ad coronidem nunc venio, nempe ſacram Cœnam, in qua Dominus paſſionis ſuæ memoriam inſculptam formatamque reliquerat, erecta Miſſa, è medio ſublatam, inductam, & deperditam. *5. Quinta Miſſæ impietas. Cœnam Domini ſuſtulit.* Siquidem Cœna ipſa donum Dei eſt, quod cum gratiarum actione accipiendum erat. Sacrificium Miſſæ pretium Deo numerare fingitur quod ipſe in ſatisfactionem accipiat. Quantum intereſt inter dare & accipere, tantum à Sacramento Cœnæ ſacrificium differt. *In Cœna enim Pater Chriſtum nobis offert. In Miſſa ſacrificuli Chriſtum Patri offerunt.* Atque bæc quidem miſerrima hominis ingratitudo eſt, quod ubi agnoſcenda erat divinæ bonitatis largitas, gratiæque agendæ, in eo Deum ſibi debitorem facit. Sacramentum promittebat, nos Chriſti morte non ſemel duntaxat reſtitutos in vitam: ſed aſſidue vivificari, quia tunc omnes noſtræ ſalutis numeri impleti ſiot. Miſſæ ſacrificium longe aliam cantilenam canit, Cbriſtum oporrere quotidie ſacrificari, ut aliquid nobis commodet. Cœna in publico Eccleſiæ cœtu diſtribuenda erat, quo nos de communione doceret qua omnes cohæremus in Chriſto Jeſu. *Cœna Chriſtianis omnibus commune eſt Sacramentum.* Hanc communitatem diſſolvit ac diſtrahit Miſſæ ſacrificium: poſtquam enim error invaluit, oportere eſſe Sacerdotes, qui pro populo ſacrificarent: quaſi relegata eſſet ad eos Cœna, deſiit juata Domini mandatum, fidelium Eccleſiæ communicari. *Miſſa peculiaris eſt unico ſacrificulo.* Aditus Miſſis privatis eſt patefactus, quæ ea communicationem quandam magis referrent, quam communitatem illam à Domino inſtitutam, quum ſacrificulus ſuam victimam ſeorſim voraturus, ſe à toto fidelium populo ſegreget. Miſſam privatam voco (ne quis fallatur) ubicunque nulla eſt inter fideles Dominicæ Cœnæ participatio, etiamſi alias magna bominum multitudo interſit.

8. Ac ipſum quidem *Miſſæ* nomen unde natum ſit, nunquam certo potui judicare: niſi quod mihi veriſimile eſt, ab oblationibus quæ conferebantur, fuiſſe ſumptum. *De Miſſa origine.* Unde & veteres plurali fere numero uſurpant. Sed ut de nomine remittamus controverſiam, dico privatas Miſſas cum Chriſti inſtitutione ea diametro puguare: ideoque impiam eſſe ſacræ Cœnæ profanationem. *Privatas Miſſas impiam eſſe Cœnæ profanationem.* Quid enim mandavit nobis Dominus? noone accipere & dividere inter nos? Qualem mandati obſervationem docet Paulus? nonne fractionem panis, quæ communio ſit corporis & ſanguinis? 1 Cor. 10. verſ. 16. Quum igitur unus ſine diſtributione accipit, quid ſimile eſt? At ille unus totius Eccleſiæ nomine facit. Quo mandato? annon hoc aperte illudere Deo eſt, quum unus privatim ad ſe rapit quod nonniſi inter plures fieri debuerat? Sed quia ſatis clara Chriſti & Pauli verba ſunt, breviter concludere licet: ubicunque oon eſt fractio panis ad communionem fidelium, illic non Cœnam Domini, ſed falſam & præpoſteram Cœnæ imitationem eſſe. Falſa autem imitatio, depravatio eſt. Porro depravatio tanti myſterii, impietate non caret. In Miſſis ergo privatis impius eſt abuſus. Atque (ut vitium unum in religione aliud ſubinde parit) poſtquam ſemel obrepſit ille mos ſine communione offerendi, paulatim cœperunt in *Unde tot Miſſæ, quæ tot locis de-*

ſingulis

murmurantur, nata ſint, & quam multiplici impietate ſcateant.

ſingulis templorum angulis innumerabiles Miſſas facere, & populum huc atque illuc diſtrahere, quem in unum cœtum coire oportuerat, ut ſuæ unitatis myſterium recognoſceret. Eant nunc, & idolatriam eſſe negent quod panem in ſuis Miſſis oſtendunt pro Chriſto adorandum: fruſtra enim promiſſiones illas de Chriſti præſentia jactant: quæ utcunque intelligantur, non ideo certe datæ ſunt ut homines impuri & profani, quoties velint & in quemcunque libeat abuſum, corpus Chriſti conficiant: ſed ut fideles, dum religioſa obſervatione ſequuntur Chriſti mandatum in Cœna celebranda, vera ejus participatione fruantur.

Puriori autem Eccleſiæ hæc abominatio fuit incognita.

9. Adde quod hæc perverſitas puriori Eccleſiæ incognita fuit. Utcunque enim fucum hic facere conentur qui ſunt inter adverſarios impudentiores, certo tamen certius eſt, totam antiquitatem ipſis adverſari: ut ſuperius in aliis demonſtravimus, & certius ex aſſidua veterum lectione judicari poterit. Verum antequam finem dicendi faciam, Miſſarios noſtros doctores interrogo, quum ſciant *potiorem eſſe Deo obedientiam, quam victimas: & magis poſcere ut voci ſuæ auſcultetur, quam ut ſacrificia offerantur:* quomodo hanc ſacrificandi rationem Deo acceptam credant, cujus nullum illis conſtat mandatum, & quam ne una quidem Scripturæ ſyllaba probari vident? Præterea quum Apoſtolum audiant dicentem, *neminem ſibi* nomen atque *honorem ſacerdotii uſurpare niſi qui vocatus eſt, ut Aaron:* quin nec Chriſtum ipſum ſeſe ingeſſiſſe, ſed obediſſe Patris vocationi: aut ſacerdotii ſui auctorem Deum inſtitutoremque proferant oportet: aut honorem non eſſe à Deo fateantur, in quem non vocati, improba temeritate irruperunt. Atqui ne apicem quidem literæ obtendere poſſunt qui ſuo ſacerdotio patrocinetur. Cur non igitur ſacrificia evaneſcent, quæ ſine ſacerdote offerri non poſſunt?

1 Sam. 15. verſ. 22.

Nec in Dei verbo fundata eſt.

Heb. 5: 4.

Altera pars capitis à 9. ſectione fluens: veteres nonnullos Cœnam ſacrificium appellaſſe, ſed non propitiatorium, ut ſuum Miſſaticum Papiſtæ ſomniant.

10. Siquis hinc inde conciſas veterum ſententias obtrudat, & eorum auctoritate contendat aliter intelligendum eſſe quod in Cœna peragitur ſacrificium, quam nos exponamus: hic breviter reſponſum ſit, Si de approbando ſacrificii commento, quale in Miſſa confinxerunt Papiſtæ, agitur, ejuſmodi ſacrilegio veteres nequaquam patrocinari. Utuntur quidem illi ſacrificii vocabulo: verum ſimul exponunt ſe aliud nihil intelligere, quam memoriam veri illius & unici ſacrificii, quod in cruce peregit Chriſtus, unicus (ut ipſi paſſim prædicant) noſter Sacerdos. *Hebræi*, inquit Auguſtinus, *in victimis pecudum quas offerebant Deo, prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam Chriſtus obtulit: Chriſtiani jam peracti ſacrificii memoriam celebrant ſacroſancta oblatione & participatione corporis Chriſti.* Hic certe penitus idem docet quod pluribus verbis in libro *De fide ad Petrum Diaconum* habetur, quicunque tandem ſit auctor. Verba ſunt, *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, ipſum Unigenitum, carnem pro nobis factum, ſe pro nobis obtuliſſe ſacrificium & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis: cui cum Patre & Spiritu ſancto, tempore veteris Teſtamenti animalia ſacrificabantur: & cui nunc cum Patre & Spiritu ſancto (cum quibus una eſt illi divinitas) ſacrificium panis & vini ſancta Eccleſia per univerſum orbem offerre non ceſſat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Chriſti, quam pro peccatis noſtris ipſe erat oblaturus: & ſanguinis, quem erat effuſurus in remiſſionem peccatorum. In iſto autem ſacrificio, gratiarum actio atque commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit: & ſanguinis, quem pro nobis idem effudit.* Unde Auguſtinus ipſe pluribus locis nihil aliud quam ſacrificium laudis eſſe interpretatur. Denique paſſim apud eum reperies, non alia ratione vocari Cœnam Domini ſacrificium, niſi quod eſt memoria, imago, teſtimonium illius ſingularis, veri & unici ſacrificii quo nos Chriſtus expiavit. Memorabilis etiam locus eſt lib. 4. De Trinitate, cap. 24. ubi poſtquam diſſeruit de unico ſacrificio, ita concludit, *Quoniam in ſacrificio quatuor conſiderantur, cui offeratur, & à quo, quid offeratur, & pro quibus: idem ipſe unus veruſque Mediator per ſacrificium pacis nos reconcilians Deo, unum cum ipſo manet cui obtulit: unum in ſe fecit pro quibus offerebat: unus ipſe eſt qui obtulit, & quod obtulit.* In eundem quoque ſenſum loquitur Chryſoſtomus. Honorem vero ſacerdotii ita Chriſto vendicant, ut Antichriſti vocem fore teſtetur Auguſtinus, ſiquis Epiſcopum inter Deum & homines interceſſorem faciat.

Quod Auguſtinus teſtimoniis probatur.

libr. 20. contra Fauſtum, cap. 18.

contra adverſarium Legis ſæpius.

lib. 2. contra Parm. cap. 8.

Quidam tamen ex veteribus ad Legis umbras nimium deflexiſſe videntur.

11. Neque tamen diffitemur quin ita nobis monſtretur illic Chriſti immolatio, ut crucis ſpectaculum pene ob oculos ſtatuatur: qualiter in oculis Galatarum Chriſtum fuiſſe crucifixum dicit Apoſtolus, dum illis propoſita crucis prædicatio fuerat. Sed quia veteres quoque illos video alio hanc memoriam detorſiſſe, quam inſtitutioni Domini conveniebat, (quod neſcio quam repetitæ, aut ſaltem renovatæ, immolationis faciem eorum Cœna præ ſe ferebat) nihil tutius piis pectoribus fuerit quam in pura ſimplicique Dei ordinatione acquieſcere: cujus etiam ideo vocatur Cœna quoniam ſola hic ejus auctoritas vigere debet. Equidem quum pium atque orthodoxum de toto hoc myſterio ſenſum retinuiſſe eos videam, neque deprehendam voluiſſe unico Domini ſacrificio vel minimum derogare, ullius impietatis damnare eos non ſuſtineo: excuſari tamen non poſſe arbitror, quin aliquid in actionis modo peccaverint. Imitati ſunt enim propius Judaicum ſacrificandi morem, quam aut ordinaverat Chriſtus, aut Euangelii ratio ferebat. Sola igitur eſt præpoſtera illa anagoge in qua merito eos quis redarguat, quod non contenti ſimplici ac germana Chriſti inſtitutione, ad Legis umbras nimis deflexerunt.

Gal. 3: 1.

Proinde nihil tutius quam Dei verbo inniti.

Quod non ſatis attente ab illis expenſum eſt.

Magnum enim diſcrimen conſtituendum eſt inter Moſaica ſacrificia, & Cœnam Domini, qua ſacrificium Euchariſticum dicitur.

12. Siquis diligenter expendat, hoc diſcrimen inter Moſaica ſacrificia & Euchariſtiam noſtram verbo Domini ſtatui obſervabit, quod quum illa eandem mortis Chriſti efficaciam populo Judaico repræſentarint quæ nobis in Cœna hodie exhibetur, diverſa tamen fuerit repræſentationis ſpecies. Siquidem illic Sacerdotes Levitici quod peracturus erat Chriſtus ſacrificium jubebantur figurare: ſiſtebatur hoſtia, quæ vicem ipſius Chriſti ſubiret: erat altare in quo immolaretur: ſic denique gerebantur omnia, ut ob oculos poneretur ſacrificii effigies quod Deo in expiationem offerendum erat. At peracto ſacrificio aliam nobis rationem Dominus inſtituit: nempe ut fructum oblati ſibi à Filio ſacrificii ad populum fidelem tranſmittat. Menſam ergo nobis dedit in qua epulemur, non altare ſuper quod offeratur victima: non ſacerdotes conſecravit, qui immolent; ſed miniſtros, qui ſacrum epulum diſtribuant. Quo ſublimius eſt ac ſanctius myſterium, eo religioſius ac majore reverentia tractari convenit. Ergo nihil tutius quam ut ablegata omni humani ſenſus audacia, in eo ſolo quod Scriptura tradit hæreamus. Et certe ſi cogitamus Domini non hominum Cœnam eſſe, non eſt cur ulla hominum auctoritate vel annorum præſcriptione patiamur nos ab illa vel latum unguem dimoveri. Itaque Apoſtolus dum vult eam vitiis omnibus repurgare quæ jam in Corinthiorum Eccleſiam irrepſerant, quæ ad id expeditiſſima via erat, ad unicam illam inſtitutionem revocat: unde perpetuam eſſe tenendam regulam oſtendit.

Regula certa in hac diſputatione.

1 Cor. 11. verſ. 23.

Locus de ſacrificio & ſacerdote.

13. Porro nequis rixator ex *ſacrificii* ac *ſacerdotii* nominibus nobis pugnam faciat, id quoque, ſed compendio, expediam, quid per ſacrificium, quid per ſacerdotem tota diſputatione ſignificaverim. Qui *ſacrificii* vocabulum ad ſacras omnes ceremonias & religioſas actiones extendunt, qua ratione

Sacrificii nomen.

id faciant non video. Nos perpetuo Scripturæ uſu ſacrificium appellari ſcimus quod Græci nunc θυσίαν, nunc προσφορὰν, nunc τελετὴν dicunt. Quod generaliter acceptum, complectitur quicquid omnino Deo offertur. Quare diſtinguamus oportet: ſic tamen ut hæc diſtinctio anagogen à ſacrificiis Legis Moſaicæ habeat: ſub quorum umbris univerſam ſacrificiorum veritatem populo ſuo repræſentare voluit Dominus.

Diſtinctio.

Illorum autem quanquam variæ fuerunt formæ, tamen ad duo membra referri omnes poſſunt.

1. Propitiatorium.
2. Eucharisticum.

Aut enim pro peccato fiebat oblatio quadam ſatisfactionis ſpecie, qua noxa coram Deo redimebatur: aut ſymbolum erat divini cultus, religioniſque teſtificatio: nunc vice ſupplicationis, ad favorem Dei poſtulandum: nunc gratiarum actionis, ad gratitudinem animi pro acceptis beneficiis teſtandam: nunc pro ſimplici pietatis exercitatione, ad renovandam fœderis ſanctionem. ad quod poſterius membrum holocauſta & libamenta, oblationes, primitiæ, pacificæ victimæ pertinebant.

Sacrificii Euchariſtici alia nomina.

Proinde & nos in duo genera diſtribuamus, ac alterum, docendi cauſa, vocemus λατρευτικὸν & σεβαστικὸν: quoniam veneratione cultuque Dei conſtat, quem illi fideles & debent & reddunt: vel ſi mavis εὐχαριστικὸν: quandoquidem à nullis Deo exhibetur niſi qui immenſis ejus beneficiis onuſti, ſe totos cum actionibus ſuis omnibus illi rependunt. Alterum *propitiatorium*, ſive *expiationis*.

Propitiatorium, quid.

Eſt autem *expiationis ſacrificium*, cui propoſitum eſt iram Dei placare, ipſius judicio ſatisfacere, eoque peccata abluere & abſtergere: quo peccator eorum ſordibus repurgatus, & in juſtitiæ puritatem reſtitutus, in gratiam cum Deo ipſo redeat. Sic vocabantur in Lege victimæ, quæ pro peccatis expiandis offerebantur: non quod reconciliandæ Dei gratiæ aut delendæ iniquitati pares forent: ſed quod verum hujuſmodi ſacrificium adumbrarent, quod tandem ab uno Chriſto reipſa peractum fuit: ab ipſo autem uno, quia ab alio nullo poterat.

Exod. 29. verſ. 36.
Nullum aliud, niſi Chriſti mors.

Et ſemel, quod illius unius à Chriſto peracti efficacia & vis æterna eſt, ut ſua ipſe voce teſtatus eſt, quum dixit, perfectum eſſe & impletum: hoc eſt, quicquid reconciliandæ Patris gratiæ, impetrandæ peccatorum remiſſioni, juſtitiæ, ſaluti neceſſarium erat, id totum unica illa ſua oblatione præſtitum & conſummatum; adeoque nihil deeſſe, ut nullus poſtea locus alteri hoſtiæ relinqueretur.

Joan. 19. verſ. 30.

Unde ſequitur, Cœnam Domini (multo minus Miſſam Papiſticam) ſacrificium propitiatorium dici non poſſe.

14. Quamobrem conſtituo, ſceleratiſſimum probrum, & non ferendam eſſe blaſphemiam tam in Chriſtum, quam in ſacrificium quo per mortem ſuam in cruce pro nobis defunctus eſt, ſiquis, repetita oblatione, de redimenda peccatorum venia, de propitiando Deo, & obtinenda juſtitia cogitet. At quid aliud miſſando agitur, niſi ut novæ oblationis merito, paſſionis Chriſti ſiamus participes? Et ne ullus eſſet inſaniendi modus, parum eſſe putaverunt, ſi dicerent commune ex æquo fieri ſacrificium pro tota Eccleſia, niſi adderent, ſui arbitrii eſſe huic aut illi, cui vellent, peculiariter applicare: vel potius cuicunque qui talem ſibi mercem numerato pretio emere vellet. Porro quoniam ad Judæ taxationem accedere non poterant: ut tamen vel aliqua nota auctoris ſui exemplum referrent, numeri ſimilitudinem retinuerunt. Vendiderat ille triginta argenteis: hi, ſecundum Gallicam quidem ſupputationem, triginta nummulis æreis vendunt. ſed ille, ſemel: hi, quoties emptor occurrit.

Nec Sacerdotes dici poſſunt qui Miſſam demurmurant.

Hoc ſenſu & Sacerdotes eſſe negamus, nempe qui tali oblatione apud Deum pro populo intercedant, qui propitiato Deo, peccatorum expiationem peragant. Nam Chriſtus, unicus eſt novi Teſtamenti Pontifex & Sacerdos, in quem tranſlata ſunt omnia ſacerdotia, & in quo clauſa ac terminata. Et ſi nihil Scriptura de æterno Chriſti ſacerdotio meminiſſet: quia tamen Deus, abrogatis illis veteribus, nullum inſtituit, manet invictum Apoſtoli argumentum, *Neminem ſibi honorem uſurpare niſi qui à Deo vocatus ſit.* Qua ergo fiducia ſacrilegi iſti, qui ſe jactant Chriſti carnifices, audent ſe Dei viventis Sacerdotes appellare?

Heb. 5: 4.

Quorum vanitas vel ab ipſo Platone ſatis arguitur, dum hos falſo ridet, quia expiationibus ejuſmodi nixi ſecurius agunt, quod talibus piaculis pœnas redimi opinentur.

15. Eſt apud Platonem libro de Republ. ſecundo alegantiſſimus locus. Ubi quum de veteribus piaculis diſſerit, ſtultamque improborum ac ſceleſtorum hominum confidentiam ridet, qui putarent bis quaſi velis obtegi ſua flagitia ne à diis cernerentur, & tanquam facta cum diis pactione, ſecurius ſibi indulgerent: prorſus videtur ad Miſſariæ expiationis uſum, qualis hodie in mundo eſt, alludere. Fraudare alium & circumvenire, nefas eſſe omnes ſciunt. Vexare injuriis viduas, pupillos expilare, moleſtiam inferre pauperibus, malis artibus aliorum bona ad ſe rapere, perjuriis & fraudibus involare in cujuſquam fortunas, vi ac tyrannico terrore opprimere quenquam, impium eſſe fatentur omnes. Quomodo igitur hæc omnia paſſim audent tam multi, tanquam impune auſuri? Sane ſi rite expendimus, non alia cauſa tantum illis animi facit, niſi quia Miſſario ſacrificio, tanquam ſoluto pretio, ſatisfacturos ſe Deo confidunt, aut ſaltem banc ſibi cum eo tranſigendi facilem eſſe viam. Pergit deinde Plato craſſum eorum ſtuporem ridere qui talibus piaculis pœnas redimi opinantur, quas alioqui apud inferos ſubituri eſſent. Et quorſum hodie ſpectant anniverſaria, & major pars Miſſarum, niſi ut qui tota vita crudeliſſimi tyranni fuerunt, aut rapaciſſimi prædones, aut ad omne flagitium proſtituti, tanquam hac mercede redempti, purgatorium ignem evadant?

Ad Euchariſticum genus omnia pietatis in Deum, & charitatis in proximum officia ſpectant.

16. Sub altero ſacrificii genere, quod εὐχαριστικὸν diximus, continentur omnia charitatis officia, quibus dum fratres noſtros complectimur, Dominum ipſum in membris ſuis honoramus: omnes deinde noſtræ preces, laudes, gratiarum actiones, & quicquid in Dei cultum à nobis agitur. Quæ demum omnia à majore ſacrificio dependent, quo anima & corpore in templum ſanctum Domino conſecramur. Neque enim ſatis eſt ſi externæ noſtræ actiones ad illius obſequium applicentur: ſed nos primo, deinde noſtra omnia conſecrari ac dedicari illi convenit: ut quicquid in nobis eſt, gloriæ ejus ſerviat, & ejus amplificandæ ſtudium ſpiret.

Quæ ſacrificii ſpecies nihil ad iram Dei placandam pertinet.

Hæc ſacrificii ſpecies nihil ad iram Dei placandam, nihil ad impetrandam peccatorum remiſſionem, nihil ad promerendam juſtitiam pertinet: ſed in magnificando duntaxat & exaltando Deo verſatur. Siquidem gratum acceptumque Deo eſſe non poteſt, niſi ex eorum manu quos jam accepta peccatorum remiſſione ſibi aliunde reconciliavit, ideoque piaculo abſolvit.

Nec poteſt ab Eccleſia ſeparari.
Quod Propheta & Apoſtoli teſtimoniis comprobatur.

Eſt autem adeo Eccleſiæ neceſſaria ut abeſſe ab ea non poſſit. Itaque æterna futura eſt quamdiu ſtabit populus Dei, quemadmodum jam ex Propheta ſuperius viſum eſt: ſiquidem eo ſenſu accipere libet vaticinium iſtud, *Quoniam à ſolis ortu uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus: & in omni loco incenſum offeretur nomini meo, atque oblatio munda: quoniam terribile eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus:* tantum abeſt ut ſubmoveamus. Sic Paulus jubet nos *offerre corpora noſtra, hoſtiam viventem, ſanctam, acceptam Deo, rationalem cultum.* Ubi ſignificanter admodum loquutus eſt, quum hunc eſſe rationalem noſtrum cultum ſubjecit: intellexit enim ſpiritualem colendi Dei ritum, quem carnalibus Legis Moſaicæ ſacrificiis tacite oppoſuit. Sic *beneficentia & communicatio, victimæ* appellantur *quibus placetur Deo.* Sic Philippenſium benignitas qua Pauli inopiam ſublevarant, *hoſtia bonæ fragrantiæ:* ſic omnia fidelium bona opera, ſpirituales hoſtiæ.

Mal. 1: 11.
Rom. 12. verſ. 1.
Hebr. 13. verſ. 16.
Phil. 4: 18.

Orationes, gratiarum

17. Et quid multa perſequor? Subinde enim in Scripturis recurrit hæc loquendi forma. Quin

etiam

actiones, & ejuſmodi ſacra exercitia, ideo ſacrificia dicta ſunt.

etiam dum adhuc ſub externa Legis pædagogia Dei populus continebatur, ſatis tamen exprimebant Prophetæ, ſubeſſe illis carnalibus ſacrificiis veritatem, quæ Chriſtianæ Eccleſiæ cum Judaica gente communis eſt. Qua ratione precabatur David, ut
Pſ. 141: 2. *oratio ſua, ſicut incenſum, in conſpectum Dei aſcen-*
Oſe. 14: 3. *deret.* Et Oſeas gratiarum actiones dicebat *vitulos*
Pſal. 50. *labiorum*, quas alibi David *ſacrificia laudis* nuncu-
v. 14. 23. pat. Quem Apoſtolus imitatus, *hoſtias laudis* etiam
Pſ. 51: 21. ipſe vocat: & interpretatur *fructum labiorum con-*
Hebr. 13. *fitentium nomini ejus.* Hujus generis ſacrificio carere
verſ. 15. non poteſt Cœna Domini: in qua dum ejus mortem annunciamus, & gratiarum actionem referimus, nihil aliud quam offerimus ſacrificium laudis. Ab hoc ſacrificandi munere, *regale ſacerdotium* nuncupamur omnes Chriſtiani: quod *per Chriſtum offerimus* illam, de qua loquitur Apoſtolus, *hoſtiam laudis Deo, fructum labiorum confitentium nominis ejus.* Neque enim nos cum noſtris muneribus,
1 Pet. 2: 9. ſine interceſſore, in conſpectum Dei apparemus.
Hebr. 13. Chriſtus eſt, quo mediatore intercedente, nos ac
verſ. 15. noſtra Patri offerimus. Ille Pontifex noſter, qui in ſanctuarium cæli ingreſſus, acceſſum nobis aperit. Ille altare, cui donaria noſtra imponimus: ut in illo audeamus quicquid audemus. Ille, inquam, eſt, qui
Apoc. 1: 6. nos *Patri regnum ac ſacerdotes fecit.*

Cœna Domini eodem ſenſu Euchariſtia nominatur.

Hoc ſenſu fideles omnes ſunt ſacerdotes.

Concluſio, Miſſæ abominationem calicem eſſe quo inebriati ſunt reges terræ & populi, ac Helenam illam pro qua tanta atrocitate digladiantur.

18. Quid ſupereſt niſi ut cæci videant, ſurdi audiant, pueri intelligant hanc Miſſæ abominationem? quæ in calice aureo propinata, omnes reges terræ & populos, à ſummo uſque ad noviſſimum, ſic inebriavit, ſic percuſſit ſopore ac vertigine, ut brutis ipſis ſtupidiores, proram & puppim ſuæ ſalutis in hac una exitiali voragine ſtatuerint. Certe nulla unquam validiore machina Satan incubuit ad oppugnandum expugnandumque Chriſti regnum. Hæc eſt Helena, pro qua veritatis hoſtes tanta hodie rabie, tanto furore, tanta atrocitate digladiantur: & vere Helena, cum qua ſpirituali fornicatione (quæ omnium eſt maxime execrabilis) ita ſe conſpurcant. Non hic vel minimo digito attingo craſſos illos abuſus quibus ſacræ ſuæ Miſſæ profanatam puritatem prætendere poſſent: quam turpes nundinas exerceant, quam ſordidos quæſtus faciant ſuis miſſationibus, quanta rapacitate avaritiam ſuam expleant. Tantum indico, idque paucis & ſimplicibus verbis, qualis ſit ſanctiſſima ipſa Miſſæ ſanctitas: ob quam adeo ſpectabilis eſſe, tantaque in veneratione haberi aliquot ſeculis meruit. Nam & tanta hæc myſteria pro dignitate illuſtrari, majoris operis fuerit: & illas obſcœnas ſordes, quæ ante oculos oraque omnium verſantur, admiſcere nolo: ut omnes intelligant, Miſſam in selectiſſima ſua, & qua maxime venditari poteſt integritate acceptam, ſine ſuis appendicibus à radice ad faſtigium omni genere impietatis, blaſphemiæ, idololatriæ, ſacrilegii ſcatere.

Miſſæ elogia.

Capitis poſtrema pars, ſummam eorum repetens quæ de S. Baptiſmo & Cœna tenero convenit: ſimulque oſtenditur cur Cœna ſæpius iteretur, Baptiſmus non item.

19. Habent lectores in compendium collecta ea fere omnia quæ ſciri de duobus iſtis Sacramentis referre duximus: quorum uſus à primordio novi Teſtamenti ad conſummationem uſque ſeculi, Chriſtianæ Eccleſiæ eſt traditus: ut ſcil. Baptiſmus, quidam quaſi ingreſſus in ipſam eſſet, & fidei initiatio: Cœna vero aſſiduum velut alimentum, quo Chriſtus fidelium ſuorum familiam ſpiritualiter paſcit. Quare ut non niſi *unus eſt Deus, una fides, unus Chriſtus*, una Eccleſia ejus corpus: ita *Baptiſmus* non niſi *unus* eſt, nec ſæpe iteratur: Cœna autem ſubinde diſtribuitur, ut intelligant ſe Chriſto aſſidue paſci qui ſemel in Eccleſiam allecti ſunt. Præter hæc duo ut nullum aliud à Deo inſtitutum eſt, ita nec ullum agnoſcere debet fidelium Eccleſia. Rem enim non eſſe humani arbitrii, erigere ac ſtatuere nova Sacramenta, facile intelliget qui meminerit quod ſupra ſatis plane explicatum fuit, Sacramenta in hoc à Deo poſita eſſe, ut de aliqua ejus promiſſione nos edoceant, & bonam erga nos voluntatem nobis teſtificentur: qui præterea cogitet, nul-

Nec homo quiſpiam poteſt erigere nova Sacramenta.

lum fuiſſe Deo conſiliarium qui nobis certum ali- Jeſa. 40.
quid de ejus voluntate ſpondere poſſit, aut certiores verſ. 13.
ſecuroſque reddere quo ſit in nos affectu, quid dare, Rom. 11.
quid negare velit. Simul namque conſtituitur, nemi- verſ. 34.
nem ſignum proponere poſſe quod ejus voluntatis & promiſſionis alicujus teſtimonium futurum ſit: ſolus ipſe eſt, qui ſigno dato, de ſe apud nos teſtari poteſt. Dicam brevius, & forte rudius, ſed apertius: Sacramentum, ſine ſalutis promiſſione eſſe nunquam poteſt. Omnes homines in unum ſimul coacti, nihil à ſe nobis polliceri de ſalute noſtra poſſunt. Ergo nec à ſe edere aut erigere Sacramentum.

Argumento firmiſſ. id demonſtratur.

20. His ergo duobus contenta ſit Chriſtiana Eccleſia, nec modo nullum aliud tertium ad præſens admittat aut agnoſcat: ſed ne appetat quidem, aut expectet, ad conſummationem uſque ſeculi. Nam quod diverſa aliquot Judæis, pro varia temporum inclinatione, præter ſua illa ordinaria data ſunt (ut man, aqua è petra profluens, ſerpens æneus, & ſimilia) hac variatione admonebantur ne talibus
figuris inſiſterent, quatum ſtatus parum firmus
eſſet: ſed melius aliquid à Deo expectarent, quod Exod. 16.
nullo interitu nulloque fine perſtaret. Alia longe verſ. 13,
ratio nobis eſt, quibus revelatus eſt Chriſtus: *in* 14, 15.
quo theſauri omnes ſcientiæ & ſapientiæ ſunt abſcon- & 17: 6.
diti, tanta affluentia & ubertate, ut novam aliquam 1 Cor. 10.
acceſſionem ad hos theſauros ſperare vel poſtulare, verſ. 3, 4.
vere Deum irritare ſit, & adverſum nos provocare. Num. 21.
Unum duntaxat Chriſtum eſurire, quærere, ſpe- verſ. 8, 9.
ctare, diſcere, ediſcere nos oportet: donec magnus Joan. 3.
ille dies illuxerit quo gloriam regni ſui Dominus ad verſ. 14.
plenum manifeſtabit, & ſe qualis eſt, nobis ſpectan- Col. 2: 3.
dum oſtendet. Atque hac ratione noſtrum hoc ſeculum in Scripturis, per *noviſſimam horam, novif-* 1 Joan. 2.
ſimos dies, noviſſima tempora deſignatur, ne quis verſ. 18.
vana novæ alicujus doctrinæ aut revelationis expe- 1 Pet. 1.
ctatione ſeſe fallat. *Sæpenumero enim multiſque mo-* verſ. 20.
dis antea loquutus per Prophetas, ultimis his diebus lo- Act. 2: 17.
quutus eſt cæleſtis Pater *in* dilecto *Filio ſuo*, qui ſo- Hebr. 1: 2.
lus Patrem manifeſtare poteſt: & revera ad plenum Luc. 10.
manifeſtavit quantum noſtra intereſt, dum nunc verſ. 22.
per ſpeculum eum conſpicimus. Jam vero ut hoc 1 Cor. 13.
hominibus ablatum eſt, ne nova Sacramenta in verſ. 12.
Eccleſia Dei condere poſſint; ita optandum eſſet iis ipſis quæ à Deo ſunt, quam minimum humanæ inventionis admiſceri. Perinde enim atque infuſa aqua vinum fugit & diluitur, aſperſoque fermento tota farinæ maſſa aceſcit: ſic myſteriorum Dei ſinceritas nihil aliud quam inquinatur ubi homo quicquam de ſuo adjicit. Et tamen videmus quantum à germana ſua puritate degenerarint Sacramenta, ut hodie quidem tractantur. Plus ſatis ubique pomparum, ceremoniarum, geſticulationum: at verbi Dei interim nulla neque ratio, neque mentio: ſine quo Sacramenta etiam ipſa, Sacramenta non ſunt. Quin nec ceremoniæ ipſæ à Deo inſtitutæ in tanta turba caput exerere poſſunt, ſed tanquam oppreſſæ jacent. Quantulum in Baptiſmo aſpicitur quod unum illic lucere & ſpectari debuerat, ut alibi juſte conqueſti ſumus, nempe Baptiſmus ipſe? Cœna prorſus ſepulta eſt quum verſa fuit in Miſſam, niſi quod ſemel quotannis, ſed concerpta & dimidiata laceraque forma viſitur.

Chriſtianos hiſce duobus contentos eſſe debere: quod collatione temporum ante & poſt Chriſtum probatur.

Quid efficiant ab hominibus excogitata Sacramenta, aut additamenta, quæ S. Baptiſmum fœdarunt, & Cœnam ſepelierunt.

Cap. XIX.

De quinque falſo nominatis Sacramentis: ubi Sacramenta non eſſe quinque reliqua, quæ pro Sacramentis hactenus vulgo habita ſunt, declaratur, tum qualia ſint oſtenditur.

Duæ ſunt partes hujus capitis.

1. *In genere de his quinque Sacramentis diſſeritur, ſect.* 1. 2. & 3.
2. *Deinde ſpeciatim, à ſect.* 4. *uſque ad finem capitis.*
   1. *De confirmatione, ſect.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.
   2. *De pœnitentia, ſect.* 14. 15. 16. & 17.
   3. *De extrema unctione, ſect.* 18. 19. 20. & 21.
   4. *De ordine, ex quo ſeptem ſacramentula prodierunt, ſect.* 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. & 33.
   5. *De matrimonio, ſect.* 34. 35. 36. & 37.

Præſentis diſputationis cum tractatione de S. Baptiſmo & Cœna connexio. Cauſa.

POterat ſuperior de Sacramentis diſputatio apud dociles & ſobrios hoc obtinere ne ultra curioſius progrederentur, nec præter illa duo quæ à Domino inſtituta noſſent, ulla alia Sacramenta ſine Dei verbo amplecterentur. Verum quoniam illa de ſeptem Sacramentis opinio, omnium fere ſermone trita, ſcholaſque & conciones omnes pervagata, vetuſtate ipſa radices egit, ac hominum animis etiamnum inſidet: viſus ſum mihi operæpretium facturus, ſi quinque reliqua, quæ veris ac germanis Domini Sacramentis vulgo accenſentur, ſeorſum ac propius excuterem, omnique abſterſo fuco, ſimplicibus ſpectanda proponerem qualia ſint, & quam falſo pro Sacramentis hactenus habita fuerint. Principio hic teſtatum volo piis omnibus, me hanc de nomine contentionem minime litigandi cupiditate ſuſcipere: ſed gravibus cauſis adduci ad impugnandum ejus abuſum. Noo me latet, Chriſtianos, ut verborum, ſic rerum omnium eſſe dominos: poſſe igitur pro ſuo arbitrio voces rebus accommodare, modo pius ſenſus retineatur, etiam ſiqua ſit in loquendo improprietas. Hoc totum concedo: etſi melius fuerit verba rebus ſubeſſe quam res verbis ſubjici. Sed in nomine Sacramentali alia eſt ratio. Nam qui ſeptem ponuot, ſimul illam definitionem omnibus tribuunt, ut ſint gratiæ iovisibilis viſibiles formæ: omnia ſimul faciunt vaſa Spiritus ſancti, inſtrumenta conferendæ juſtitiæ, cauſas obtinendæ gratiæ. Adeoque ipſe Magiſter Senteotiarum, Moſaicæ Legis Sacramenta negat proprie vocari hoc nomine: quia non exhibueriot quod figurabant. Eſtne, obſecro, tolerabile, ut quæ ſymbola Dominus ore ſuo conſecravit, quæ eximiis promiſſionibus inſignivit, ea pro Sacramentis non cenſeantur: interim hic honor transferatur ad eos ritus quos bomioes vel à ſe excogitarunt, vel ſaltem ſine expreſſo Dei mandato obſervant? Ergn aut definitionem mutent, aut hac verbi uſurpatione abſtineant, quæ falſas & abſurdas opiniones poſt generet. Eſt, inquiunt, extrema unctio inviſibilis gratiæ figura & cauſa, quia eſt Sacramentum. Quod inferunt ſi nullo modo concedere oportet, io ipſo certe nomine eſt occurreodum, ne ea mercede recipiamus ut ejuſmodi errori occaſionem præbeat. Rurſus quum probaot Sacramentum eſſe, cauſam adjungunt: quia externo ſigno cooſtet ac verbo. Si nec mandatum, nec promiſſionem invenimus, quid aliud poſſumus quam reclamare?

Neceſſitas, gravibus rationibus innitens.

Quarum præcipua eſt doctorum Papiſtarum impietas, humanis ritibus plus quam Dei inſtitutis tribuentium.

Exemplo perſpicuo id probatur.

Unde liquet non de verbis, ſed de rebus graviſſ. agi. Nec poſſe homines Sacramenta inſtituere.

2. Jam apparet non de vocabulo nos rixari, ſed de re ipſa non ſupervacuam controverſiam movere. Proinde hoc fortiter retinendum eſt quod invicta ratione prius coofirmavimus, Sacramenti inſtituendi arbitrium nonniſi penes Deum unum eſſe. Siquidem Sacramentum certa Dei promiſſione erigere fidelium conſcieotias ac conſolari debet: quæ eam certitudinem nunquam ab homine acciperent. Sacramentum nobis teſtimonium eſſe debet bonæ erga nos Dei voluntatis: cujus nullus homioum aut Angelorum teſtis eſſe poteſt: quando nemo Dei conſiliarius fuit. Solus ergo ipſe eſt qui de ſe nobis per verbum ſuum teſtificatur legitima auctoritate. Sacramentum ſigillum eſt quo Dei teſtamentum ſeu promiſſio obſignatur. Obſignari vero non poſſet rebus corporeis & elementis hujus mundi, niſi virtute Dei ad hoc formentur & deſignentur. Inſtituere ergo Sacramentum homo non poteſt: quia facere ut ſub rebus tam abjectis tanta Dei myſteria lateant, id vero humanæ virtutis ooo eſt. Verbum Dei præeat oportet quod Sacramentum eſſe Sacramentum faciat: ut Auguſtinus optime docet. Præterea retineri aliquod diſcrimen utile eſt inter Sacramenta & alias ceremonias, niſi volumus in multa abſurda incidere. Apoſtoli orarunt genibus flexis: geoua igitur non flectentur ſine Sacramento. Diſcipuli feruntur oraſſe verſus Orientem: ſit nobis Sacramentum Orientis aſpectus. Paulus vult *omni loco viros tollere puras manus*, & elevatis manibus oratio ſæpius à ſanctis facta memoratur: & manuum quoque extenſio Sacramentum fiat: omnes deoique ſanctorum geſtus in Sacramenta tranſeant: etſi ne hæc quidem admodum morarer, modo non eſſent cum majoribus illis incommodis conjuncta.

Jeſa. 40. verſ. 13.
Rom. 11. verſ. 34.

Homil. in Joan. 80.

Deinde, utile eſſe ut aliquod diſcrimen inter Sacramenta & alias ceremonias retineatur, ne omnia in Sacramenta inepte tranſeant.

Act. 9: 40. & 20: 36.
1 Tim. 2. verſ. 8.

3. Si veteris Eccleſiæ auctoritate premere nos velint, dico eos fucum facere. Nuſquam enim apud Eccleſiaſticos ſcriptores numerus hic ſeptenarius invenitur; nec ſatis conſtat quo primum tempore obrepſerit. Fateor quidem in vocabulo Sacramenti eſſe interdum liberiores: ſed quid eo ſignificant? nempe ceremonias omnes & externos ritus, omniaque pietatis exercitia. Quum autem de iis ſignis loquuntur quæ divinæ in nos gratiæ teſtimonia eſſe debent, duobus iſtis, Baptiſmo & Euchariſtia, contenti ſunt. Neqois falſo jactari boe à me putet, pauca Auguſtini teſtimonia hic referam. Ad Januarium, *Primo* (inquit) *tenere te volo, quod eſt hujus diſputationis caput, Dominum noſtrum Chriſtum* (*ſicut ipſe in Evangelio loquitur*) *leni jugo nos ſubdidiſſe & ſarcinæ levi. Unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit. Sicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, & communicatio corporis & ſanguinis Domini, & ſiquid aliud in Scripturis canonicis commendatur.* Item, De doctrina Chriſtiana, *A reſurrectione Domini quædam pauca ſigna pro multis, eademque factu facillima, intellectu auguſtiſſima, obſervatione caſtiſſima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt Baptiſmus, & celebratio corporis & ſanguinis Domini.* Cur nullam hic ſacri numeri, hoc eſt, ſeptenarii, mentionem facit? An veriſimile eſt prætermiſſurum fuiſſe ſi tunc fuiſſet in Eccleſia inſtitutus: præſertim quum ſit alias in obſervandis oumeris curioſior quam neceſſe foret?

Nec apud Eccleſiaſticos ſcriptores ſeptem Sacramenta inveniuntur.

Auguſtinus, qui inſtar omnium eſſe poteſt, duo tantum divina in nos gratiæ teſtimonia, & Chriſtianorum Sacramenta agnovit.

Epiſt. 118.
lib. 3. c. 9.

Imo

Sic & Ambroſ. lib. de iis qui init. myſter. & io ſex lib. de Sacrament.

Imo quum Baptiſmum & Cœnam nominat, alia ſubticet: annon ſatis innuit, hæc duo myſteria ſingulari dignitate præſtare, alias ceremonias inferiore loco ſubſidere? Quare ſacramentarios iſtos Doctores non tantum verbo Domini, ſed veteris etiam Eccleſiæ conſenſione deſtitui dico, utcunque hoc prætextu maxime ſuperbiant. Sed jam ad ipſas ſpecies deſcendamus.

Concluſio, verbo Dei & veteris Eccleſiæ conſenſu Papiſtas carere.

De Confirmatione.

Qualis olim fuerit Confirmatio.

vide Calv. adv. Conc. Trident. item præf. in Catech. Latinum.

4. HIc mos olim fuit ut Chriſtianorum liberi, poſtquam adoleverant, coram Epiſcopo ſiſterentur: ut officium illud implerent quod ab iis exigebatur qui ſe ad Baptiſmum adulti offerebant. Hi enim inter catechumenos ſedebant, donec rite fidei myſteriis inſtituti poterant fidei confeſſionem coram Epiſcopo ac populo edere. Qui ergo Baptiſmo initiati erant infantes, quia fidei confeſſione apud Eccleſiam tunc defuncti non erant, ſub finem pueritiæ, aut ineunte adoleſcentia, repræſentabantur iterum à parentibus, ab Epiſcopo examinabantur ſecundum formulam Catechiſmi, quam tunc habebant certam ac communem. Quo autem hæc actio, quæ alioqui gravis ſanctaque merito eſſe debebat, plus reverentiæ haberet ac dignitatis, ceremonia quoque adhibebatur manuum impoſitionis. Ita puer ille, fide ſua approbata, cum ſolenni benedictione dimittebatur. Hujus moris ſæpe mentionem faciunt veteres. Leo Papa, *Siquis ab hæreticis redit, ne iterum baptizetur: ſed quod illic ei defuit, per Epiſcopalem manuum impoſitionem virtus Spiritus ei conferatur.* Clamabunt hic noſtri adverſarii, Sacramentum jure vocari in quo Spiritus ſanctus conferatur. Verum ipſe Leo alibi explicat quid his verbis ſibi velit: *Qui apud hæreticos baptizatus eſt*, inquit, *non rebaptizatur, ſed Spiritus ſancti invocatione per manuum impoſitionem confirmetur: quia Baptiſmi tantum formam ſine ſanctificatione accepit.* Meminit & Hieronymus contra Luciferianos. Quanquam autem non inficior, in eo nonnihil hallucinari Hieronymum, quod Apoſtolicam eſſe obſervationem dicit: longiſſime tamen ab iſtorum ineptiis abeſt. Et illud ipſum mitigat quum addit, hanc benedictionem ſolis Epiſcopis eſſe datam, *magis in honorem ſacerdotii, quam ex Legis neceſſitate.* Talem ergo manuum impoſitionem, quæ ſimpliciter loco benedictionis fiat, laudo, & reſtitutam hodie in purum uſum velim.

Impoſitio manuum.

epiſt. 39.

epiſt. 77.

Hodie in purum uſum reſtituenda.

Qualis poſt introducta ſit Confirmatio.

5. Poſterior autem ætas, re prope obliterata, fictitiam neſcio quam confirmationem pro Dei Sacramento poſuit. Confirmationis virtutem eſſe finxerunt, Spiritum ſanctum conferre ad gratiæ augmentum, qui in Baptiſmo collatus ſit ad innocentiam: confirmare eos ad pugnam qui in Baptiſmo regenerati ſint ad vitam. Peragitur hæc confirmatio unctione, & hac verborum formula, *Conſigno te ſigno ſanctæ crucis, & confirmo chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Pulchre omnia, & venuſte. Sed ubi Dei verbum quod Spiritus ſancti præſentiam hic promittat? Ne jota quidem obtendere poſſunt. Unde ergo nos certiores facient, chriſma ſuum eſſe vas Spiritus ſancti? Videmus oleum, craſſum ſcilicet & pinguem liquorem: præterea nihil. *Accedat*, inquit Auguſtinus, *verbum ad elementum, & fiet Sacramentum.* Hoc, inquam, verbum proferant, ſi quicquam nos intueri in oleo volunt aliud quam oleum. Quod ſi Sacramentorum ſe miniſtros, ut par eſt, agnoſcerent, non diutius pugnandum eſſet. Hæc prima miniſtri lex eſt, nequid ſine mandato obeat. Age, mandatum hujus miniſterii aliquod producant, & verbum non addam. Si mandato deficiuntur, ſacrilegam audaciam excuſare non poſſunt. Hac ratione Phariſæos Dominus interrogabat, *eſſetne Baptiſmus Joannis è cælo, an ex hominibus.* Si reſpondiſſent, ex hominibus; obtinebat, frivolum eſſe & vanum: ſi è cælo, doctrinam Joannis agnoſcere cogebantur. Itaque ne eſſent nimium in Joannem contumelioſi, non auſi ſunt fateri, eſſe ex hominibus. Si itaque ex hominibus eſt confirmatio, vana & frivola eſſe convincitur: ſi è cælo perſuadere volunt, probent.

Quam falſo Sacramentum nominetur.

Verbo enim & mandato caret.

Dilemma adverſus Confirmationem hanc.

Matth. 21. verſ. 25.

6. Tuentur ſe quidem Apoſtolorum exemplo, quos nihil temere feciſſe exiſtimant. Recte id ſane: neque à nobis reprehenderentur ſi ſe Apoſtolorum imitatores oſtenderent. Sed quid fecerunt Apoſtoli? Narrat Lucas in Actis, Apoſtolos, qui Hieroſolymis erant, quum audiſſent Samariam recepiſſe verbum Dei, miſiſſe illuc Petrum & Joannem: illos pro Samaritanis oraſſe ut Spiritum ſanctum acciperent, qui nondum in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Jeſu: oratione facta, manus illis impoſuiſſe: per quam impoſitionem Spiritum ſanctum Samaritani acceperunt. Et de hac manuum impoſitione aliquoties meminit. Audio quid Apoſtoli fecerint: nempe ſuum miniſterium fideliter exequuti ſunt. Viſibiles illas & admirabiles Spiritus ſancti gratias, quas tunc in populum ſuum effundebat, voluit Dominus à ſuis Apoſtolis per manuum impoſitionem adminiſtrari & diſtribui. Huic autem impoſitioni manuum non altius ſubeſſe myſterium cogito: ſed hujuſmodi ceremoniam adhibitam ab illis interpretor, ut ipſo geſtu ſignificarent, ſe Deo commendare & velut offerre eum cui manus imponebant. Hoc miniſterium quo tunc Apoſtoli fungebantur, ſi adhuc in Eccleſia maneret, manuum quoque impoſitionem oporteret ſervari: ſed ubi gratia illa conferri deſiit, quorſum pertinet manuum impoſitio? Adhuc certe adeſt populo Dei Spiritus ſanctus: quo niſi ductore & directore conſiſtere nequit Dei Eccleſia. Habemus enim æternam & perpetuo conſtaturam promiſſionem, qua Chriſtus ſitientes ad ſe vocat, ut bibant aquas vivas. Sed ceſſarunt illa virtutum miracula, & manifeſtæ operationes, quæ per manuum impoſitionem diſtribuebantur: nec niſi ad tempus eſſe debuerunt. Oportuit enim novam Evangelii prædicationem, novum Chriſti regnum, inauditis & inuſitatis miraculis illuſtrari & magnificari. A quibus ubi ceſſavit Dominus, non protinus Eccleſiam ſuam deſeruit: ſed regni ſui magnificentiam, verbique ſui dignitatem ſatis excellenter manifeſtatam docuit. Qua igitur in parte hiſtriones iſti Apoſtolos ſe imitari dicent? Hoc agendum erat manuum impoſitione, ut evidens Spiritus ſancti virtus ſtatim ſe exereret. Id non efficiunt: quid igitur pro ſe jactant manuum impoſitionem, quam Apoſtolis quidem in uſu fuiſſe legimus, ſed prorſus in alium finem?

1. Argumentum, pro Confirm. Papiſtica, ab Apoſtolorum exemplo.

Actor. 8. 15, & 17.

Reſponſio 1.

Joan. 7. v. 37, 38.

Hiſtrionum Papiſticorum vanitas.

7. Ejuſdem hoc rationis eſt acſi quis doceret flatum illum quo Dominus diſcipulos ſuos afflavit, Sacramentum eſſe quo detur Spiritus ſanctus. Atqui hoc ſemel Dominus quum fecit, non à nobis fieri etiam voluit. Ad eum modum & Apoſtoli manus imponebant, pro eo tempore quo viſibiles Spiritus ſancti gratias ad eorum preces adminiſtrari, Domino placebat: non ut poſteri vacuum & frigidum ſignum (quod ſimiæ iſtæ faciunt) mimitice tantum & ſine re effingerent. Quod ſi manuum impoſitione Apoſtolos ſe imitari evincant (in qua nihil cum Apoſtolis ſimile habent præter neſcio quam præpoſteram κακοζηλίαν) unde tamen oleum, quod vocant ſalutis? Quis eos in oleo ſalutem quærere docuit? quis vim roborandi illi attribuere? An Paulus, qui nos ab elementis hujus mundi longe abſtrahit, qui nihil magis damnat quam talibus obſervatiunculis hærere? Hoc vero non à me, ſed à Domino audacter pronuncio. Qui oleum vocant oleum ſalutis, ſalutem quæ in Chriſto eſt abjurant, Chriſtum abnegant, partem in regno Dei non habent. Oleum enim

Reſponſionis confirmatio, à ſimili exemplo Chriſti.

Joan. 20. verſ. 22.

Gal. 4: 9.
Col. 2: 20.

Reſp. 3. ab abſurdo, & impio dicto

Digitized by Google

iſtorum, qui ſuum oleum vocant oleum ſalutis. Exceptionis dilutio.

enim ventri, & venter oleo: utrumque Dominus deſtruet. Omnia enim iſta infirma elementa quæ uſu ipſo intereunt, nihil ad regnum Dei pertinent, quod ſpirituale eſt, & nunquam interiturum. Quid igitur (dixerit aliquis) eadem linea metiris aquam qua baptizamur; & panem ac vinum ſub quibus Cœna Domini exhibetur? Reſpondeo, in Sacramentis divinitus traditis duo ſpectanda eſſe: ſubſtantiam rei corporeæ quæ nobis proponitur, & formam quæ illi à verbo Dei impreſſa eſt, in qua tota vis jacet. Quatenus ergo ſubſtantiam ſuam retinent panis, vinum, aqua, quæ aſpectui noſtro in Sacramentis offeruntur, valet ſemper illud Pauli, *Eſca ventri, & venter eſcis: Deus utrumque deſtruet.* Prætereunt enim & evaneſcunt cum figura hujus mundi. Quatenus autem verbo Dei ſanctificantur ut Sacramenta ſint: non in carne nos retinent, ſed vere & ſpiritualiter docent.

1 Cor. 6. verſ. 13.

2. Argum. Baptiſmum ſine Confirmatione rite perfici non poſſe.

8. Verum propius adhuc inſpiciamus quot monſtra foveat alatque hæc pinguedo. Dicunt iſti unctores, Spiritum ſanctum in Baptiſmo ad innocentiam dari: in confirmatione, ad gratiæ augmentum: in Baptiſmo nos regenerari ad vitam, in confirmatione nos ad pugnam inſtrui. Et adeo nihil eos pudet, ut negent Baptiſmum rite ſine confirmatione perfici poſſe. O nequitiam! Annon igitur in Baptiſmo Christo conſepulti ſumus, facti participes mortis ejus, ut & reſurrectionis ſimus conſortes? Hanc autem ſocietatem cum morte & vita Chriſti, Paulus interpretatur mortificationem carnis noſtræ & vivificationem Spiritus: quod *vetus homo noſter crucifixus eſt, quo nos in novitate vitæ ambulemus.* Quid eſt inſtrui ad pugnam, niſi hoc eſt? Quod ſi Dei verbum conculcare pro nihilo ducebant, cur non Eccleſiam ſaltem reverebantur, cui tam ubique obſequentes videri volunt? Quid autem gravius in hanc ipſorum doctrinam proferri poteſt, quam illud Milevitani Concilii decretum? *Qui dicit Baptiſmum in remiſſionem peccatorum dari tantum, & non in adjutorium futuræ gratiæ, anathema ſit.* Quod autem Lucas, eo quem citavimus loco, dicit *baptizatos in nomine Jeſu Chriſti fuiſſe,* qui non accepiſſent Spiritum ſanctum: non ſimpliciter negat, ullo Spiritus dono præditos qui in Chriſtum corde crederent, & ipſum ore confiterentur: ſed acceptionem Spiritus intelligit, qua manifeſtæ virtutes, & viſibiles gratiæ percipiebantur. Sic dicuntur Apoſtoli Spiritum accepiſſe in die Pentecoſtes, quum longe antea illis à Chriſto dictum eſſet, *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Videte malitioſam & ſonticam Satanæ fraudem, qui ex Deo eſtis. Quod vere in Baptiſmo dabatur, in ſua confirmatione dari mentitur: ut furtim incautos à Baptiſmo abducat. Quis jam dubitet, hanc Satanæ eſſe doctrinam, quæ promiſſiones Baptiſmi proprias, à Baptiſmo abſciſſas alio derivat & transfert? Deprehenditur, inquam, quali nitatur fundamento præclara iſta unctio. Dei verbum eſt, *Omnes, qui in Chriſto baptizati ſunt, Chriſtum induiſſe* cum ſuis donis. Verbum unctorum, Nullam promiſſionem in Baptiſmo percepiſſe, qua in agonibus inſtruantur. Illa vox eſt veritatis, hanc mendacii eſſe oportet. Verius ergo definire hanc confirmationem poſſum quam ipſi hactenus definierint: nempe inſignem eſſe Baptiſmi contumeliam, quæ uſum ipſius obſcurat, imo abolet: falſam eſſe diaboli pollicitationem, quæ nos à veritate Dei abſtrahit. Aut ſi mavis, Oleum diaboli mendacio pollutum, quod velut offuſis tenebris, ſimplicium mentes fallit.

Reſponſio.
Rom. 6: 4.
ibid. v. 6.
Confirmatio reſponſionis, à Milevitani Concilii decreto petita.
Act. 2: 4.
Matth. 10. verſ. 20.
Reſponſio 2. triplicem impietatem hujus dogmatis retegens. Prima, ſine Confirmatione Baptiſmum non prodeſſe.
Gal. 3: 27.
de conſecr. diſt. 5. c. ſp.
Confirmationis hujus deſcriptio.

Secunda impietas, ſine Confirmatione pleni Chriſtiani eſſe non poſſumus.

9. Addunt præterea, fideles omnes Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem accipere debere poſt Baptiſmum, ut pleni Chriſtiani inveniantur: quia nunquam erit Chriſtianus niſi qui confirmatione Epiſcopali fuerit chriſmatus. Hæc illi ad verbum. Atqui putabam, quæcunque ad Chriſtianiſmum pertinent, omnia Scripturis perſcripta ac comprehenſa eſſe. Nunc, ut video, aliunde quam ex Scripturis vera religionis forma petenda diſcendaque eſt. Dei ergo ſapientia, cæleſtis veritas, tota Chriſti doctrina, Chriſtianos duntaxat inchoat: oleum perficit. Hac ſententia damnantur omnes Apoſtoli, & tot Martyres, quos nunquam fuiſſe chriſmatos, certo certius eſt: quando nondum erat factum oleum, quo perfuſi, omnes Chriſtianiſmi numeros implerent, vel potius Chriſtiani fierent, qui nondum erant. Verùm ut taceam, abunde ſe ipſi refellunt. Quotam enim populi ſui partem poſt Baptiſmum perungunt? cur igitur patiuntur in ſuo grege tales ſemichriſtianos, quorum imperfectioni mederi facile erat? cur tam ſupina negligentia omittere eos ſinunt quod omitti ſine gravi piaculo non licebat? cur non ſeverius exigunt rem adeo neceſſariam & ſine qua ſalus obtineri non poteſt? niſi forte quis ſubita morte præpeditus fuerit: ſcilicet, dum ita licenter contemni patiuntur, tacite fatentur non tanti eſſe quanti venditant.

verba c. 1. de conſecr. diſt. 5.
Conc. Aurel. cap. Ut jejuni. de conſecr. diſt. 5.
Hujus impietatis refutatio 1.
2.

Tertia impietas, hanc ſuam in Confirmatione unctionem præſtantiorem eſſe Baptiſmo, idque primum quod à digniore conferatur, &c.

10. Poſtremo conſtituunt, ſacram hanc unctionem majori in veneratione habendam eſſe quam Baptiſmum: quod illa ſummorum Pontificum manibus peculiariter adminiſtratur, Baptiſmus ab omnibus vulgariter ſacerdotibus diſtribuitur. Quid hic dicas niſi plane furioſos eſſe, qui ſuis inventionibus ita blandiuntur ut præ ipſis ſacroſanctas Dei inſtitutiones ſecure contemnant? Os ſacrilegum, tune pinguedinem fœtore duntaxat anhelitus tui inquinatam, & verborum murmure incantatam, audes Chriſti Sacramento opponere, & conferre cum aqua verbo Dei ſanctificata? At parum hoc ipſum erat tuæ improbitati, niſi etiam præferres. Hæc ſunt ſanctæ ſedis reſponſa, hæc Apoſtolici tripodis oracula. Sed quidam eorum hanc, ſua quoque opinione, effrenem inſaniam cœperunt paulum moderari. Majori, inquiunt, veneratione colenda eſt: forte non ob majorem virtutem & utilitatem quam conferat: ſed quia à dignioribus datur, & in digniori parte corporis fit, id eſt, in fronte: vel quia majus augmentum virtutum præſtat, licet Baptiſmus plus ad remiſſionem valeat. Verum prima ratione nonne ſe Donatiſtas produnt, qui vim Sacramenti à miniſtri dignitate æſtimant? Faxo tamen, vocetur dignior confirmatio à dignitate Epiſcopalis manus. Sed ſiquis ab illis ſciſcitetur unde tanta prærogativa Epiſcopis delata fuerit, quam rationem afferent præter ſuam libidinem? Soli Apoſtoli eo jure uſi ſunt, qui ſoli Spiritum S. diſtribuerunt. An ſoli Epiſcopi Apoſtoli? imo an omnino Apoſtoli? Demus tamen & iſtud: cur non eodem argumento contendunt, ſolis Epiſcopis Sacramentum ſanguinis in Cœna Domini attingendum eſſe? quod laicis ideo denegant quia ſolis Apoſtolis à Domino datum fuerit. Si ſolis Apoſtolis, cur non inferunt, Ergo ſolis Epiſcopis? Sed Apoſtolos eo loco ſimplices presbyteros faciunt: nunc capitis vertigo alio eos rapit ut ſubito Epiſcopos creent. Poſtremo non erat Apoſtolus Ananias, ad quem tamen Paulus miſſus eſt ut viſum reciperet, baptizaretur, & impleretur Spiritu ſancto. Addam & hoc ad cumulum: Si jure divino proprium hoc munus Epiſcoporum fuerat, cur auſi ſunt ad plebeios presbyteros transferre? quemadmodum in quadam Gregorii epiſtola legitur.

cap. De his vero. eadem diſtinct.
lib. 4 ſent. diſt. 7. c 2.
Hujus impietatis refutatio 1.
2.
3.
4.
5.
Act. 9: 17.
diſt. 95. cap. Pervenit.

Deinde, quod in digniore parte corporis fit. Reſponſio 1. qua impietatem iſtorum nebulonum aperit.

11. Altera ratio quam frivola, inepta, & ſtolida eſt, Digniorem vocare ſuam confirmationem, quam Dei Baptiſmum: quia in ea frons oleo inficiatur, in Baptiſmo cranium? quaſi vero Baptiſmus, oleo, & non aqua peragatur. Teſtor vero pios omnes, an non hoc unum admoliantur iſti nebulones, ut Sacramentorum puritatem fermento ſuo vitient. Dixi hoc alibi, vix in Sacramentis per rimulas

inter-

Digitized by Google

interlucere quod Dei eſt, inter bumanarum inventionum turbam. Siquis ejus rei tum fidem mibi non habebar, ſuis ſalrem magiſtris nune babeat. Ecce, præterita aqua, & nullo numero habita, unum oleum in Baptiſmo magni faciunt. Nos ergo contra dicimus in Baptiſmo quoque frontem aqua tingi. Præ hac, veſtrum oleum non unius ſtercoris facimus, ſive in Baptiſmo ſive in confirmatione. Quod ſi quis pluris vendi alleget, hac pretii acceſſione ſiquid boni alioqui ineſſet vitiatur, tantum abeſt ut furto venditare liceat fœdiſſimam impoſturam.

Reſponſio 2.

Tertio, quod majus virtutum augmentum conferat. Refutatio.

Tertia ratione impietatem ſuam traducunt, dum majus virtutum augmentum conferri in confirmatione garriunr quam in Baptiſmo. Impoſitione manuum Apoſtoli viſibiles Spiritus gratias adminiſtrarunt. Qua in re iſtorum pinguedo ſe fœcundam oſtendit? Sed valeant iſti moderatores, qui ſacrilegium unum multis ſacrilegiis operiunt. Nodus Gordianus eſt, quem abrumpere ſatius ſit quam in diſſolvendo tantopere laborare.

3. Argum. à conſuetudinis vetuſtate. Reſponſio 1.

12. Jam vero quum verbo Dei & probabili ratione defici ſe vident, prætexunt quod ſolent, vetuſtiſſimam eſſe bane obſervationem, & multorum ſeculorum conſenſu firmatam. Etiamſi id verum eſſet, nihil tamen efficiunr: non è rerra eſt Sacramentum, ſed è cælo: non ex bominibus, ſed ab uno Deo. Deum ſuæ Confirmationis auctorem probent oportet, ſi Sacramentum baberi volunt. Sed quid vetuſtatem objectant, quum veteres, dum proprie loqui volunt, nuſquam plura duobus Sacramentis recenſeant? Si ab hominibus petendum eſſet fidei noſtræ præſidium, babemus arcem inexpugnabilem, nunquam veteribus agnita fuiſſe pro Sacramentis quæ iſti Sacramenta ementiuntur. De manuum impoſitione loquuntur veteres, ſed an Sacramentum vocant? Auguſtinus aperte affirmat nihil aliud eſſe quam orationem. Neque bic mibi putidis ſuis diſtinctionibus obganniant, non ad confirmatoriam Auguſtinum illud retuliſſe, ſed curatoriam vel reconciliatotiam. Extat liber, & in hominum manibus verſatur: ſi in alium ſenſum detorqueo quam Auguſtinus ipſe ſcripſit, cedn, non convitiis modo, pro ſolenni ſuo more, ſed ſputis me obruant. Loquitur enim de iis qui à ſchiſmate ad Eccleſiæ unitatem redibant. Eos iteratione Baptiſmi opus habere negat: ſufficere enim manuum impoſitionem, ut per vinculum pacis Spiritum ſanctum illis Dominus largiatur. Quoniam autem abſurdum videri poterat manuum impoſitionem repeti potius quam Baptiſmum, diſcrimen oſtendit: *Quid enim*, inquit, *aliud eſt manuum impoſitio quam oratio ſuper hominem?* Atque bunc eſſe ſenſum, ex altero loco apparet, ubi dicit, *Propter charitatis copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus ſancti, ſine quo non valent ad ſalutem quæcunque alia ſancta in homine fuerint, manus bæreticis correctis imponitur.*

2.

Auguſtinus de Confirmatione quid ſenſerit. libr. 3. de Baptiſmo, contra Donatiſt. cap. 16.

3.

libr. 5. cap. 23.

Vetus autem illa Confirmatio fuit admodum laudabilis.

13. Utinam vero morem retineremus quem apud veteres fuiſſe admonui, priuſquam abortiva hæc Sacramenti larva naſceretur: non enim eſſet confirmatio talis qualem iſti fingunt, quæ ſine Baptiſmi injuria nec nominari poteſt: ſed catecheſis, qua pueri aut adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponerent. Eſſet autem optima catechizandi ratio ſi formula in bunc uſum conſcripta eſſet, ſummam continens & familiariter explicans omnium fere religionis noſtræ capitum, in quæ univerſa fidelium Eccleſia conſentire ſine controverſia debet: puer decennis Eccleſiæ ſe offerrer ad edendam fidei confeſſionem: rogaretur de ſingulis capitibus, ad ſingula reſponderet: ſiquid ignoraret, aut minus intelligeret, doceretur. Ita unicam, veram & ſinceram fidem, qua unanimiter Deum unum colit fidelium populus, teſte & ſpectante Eccleſia profiteretur. Hæc diſciplina ſi bodie valeret, profecto parentum quorundam ignavia acueretur, qui liberorum inſtitutionem quaſi rem nibil ad ſe pertinentem, ſecure negligunt, quam tum ſine publico dedecore omittere non poſſent: major eſſer in populo Chriſtiano fidei conſenſus, nec tanta multorum inſcitia & ruditas: non adeo temere quidam novis & peregrinis dogmatibus abriperentur: omnibus denique eſſet quædam velut methodus doctrinæ Chriſtianæ.

Et noſtro hoc ſeculo in Chriſtianis Eccleſiis reſtituenda.

De Pœnitentia.

De Pœnitentia confuſe, incerte & inſulſe diſſerunt Pontificii doctores.

14. PRoximo loco ſtatuunt pœnitentiam: de qua ſic confuſe & perturbate diſſerunt, ut nihil certi nec ſolidi ex eorum doctrina referre poſſint conſcientiæ. Nos alio loco, quæ de pœnitentia didiceramus ex Scripturis, tum deinde quid & illi doceant, prolixe enarravimus: nunc id tantum nobis attingendum erit, quid rationis habuerint qui opinionem de Sacramento, quæ in templis ac ſcholis diu antehac regnavit, excitarunt. Dicam tamen prius aliquid breviter de veteris Eccleſiæ ritu, eujus prætextu abuſi ſunt illi ad ſtabiliendum ſuum commentum. Hunc ordinem in publica pœnitentia obſervabant, ut qui injunctis ſibi ſatisfactionibus defuncti erant, ſolenni manus impoſitione reconciliarentur. Symbolum illud erat abſolutionis, quo & ipſe peccator erigebatur coram Deo veniæ fiducia, & Eccleſia admonebatur ut eum benigne, abolita offenſæ memoria, in gratiam reciperet. Hoc Cyprianus ſæpenumero appellat, *pacem dare*. Quo aurem & gravior eſſet, & plus commendarionis apud populum baberet iſta actio, conſtitutum fuit ut ſemper Epiſcopi auctoritas bie intercederet. Hinc illud decretum Concilii Carthaginenſis ſecundi, *Reconciliare publice pœnitentem in Miſſa Presbytero non liceat.* Et alterum Concilii Arauſicani, *Qui pœnitentiæ tempore ex hac vita migrant, ſine reconciliatoria manus impoſitione ad communionem admittantur: ſi revaluerint ex morbo, ſtent in ordine pœnitentium; completoque tempore, reconciliatoriam manus impoſitionem ab Epiſcopo accipiant.* Irem Carthaginenſis tertii, *Presbyter ſine auctoritate Epiſcopi non reconciliet pœnitentem.* Hæc omnia eo ſpectabant, ne nimia facilitate ſeveritas quam ſervari in ea re volebant, collaberetur. Epiſcopum ergo cognitorem eſſe voluerunt, quem veriſimile erat in examine habendo circumſpectiorem fore. Quanquam Cyprianus alicubi tradit, non ſolum Epiſcopum manum impoſuiſſe, ſed totum etiam clerum: ſic enim loquitur, *Pœnitentiam agunt juſto tempore: deinde ad communionem veniunt; & per manuum impoſitionem Epiſcopi & cleri, jus communionis accipiunt.* Poſtea ſucceſſu temporis eo delapſa res eſt, ut extra publicam pœnitentiam in privatis quoque abſolurionibus hac ceremonia uterentur. Hinc illa diſtinctio apud Gratianum inter publicam & privatam reconciliationem. Ego veterem illam obſervationem, de qua Cyprianus meminit, ſanctam & Eccleſiæ ſalutarem fuiſſe judico: ac bodie reſtitutam eſſe cuperem. Recentiorem hanc tametſi improbare, vel ſaltem acrius inſectari non audeo, minus tamen neceſſariam arbitror. Utcunque ſit, videmus tamen manuum impoſitionem in pœnitentia ceremoniam eſſe ab hominibus, non à Deo inſtitutam, quæ inter res medias & externa exercitia ponenda ſit: non illa quidem contemnenda, ſed quæ inferiore loco eſſe debeant quam quæ Domini verbo nobis ſunt commendata.

libr. 3. c. 3. & 4.

Adverſus quos primum oſtenditur, quis apud veteres uſus fuerit ſolemnis illius manuum impoſitionis.

lib. epiſt. 1. epiſt. 2.

cap. 31.

lib. epiſt. 3. epiſt. 14.

in decr. 26. quæſt. 6.

Quam iſti faciunt veluti fundamentum Sacramenti Pœnitentiæ.

15. Romanenſes autem & Scholaſtici (quibus ſolenne eſt omnia perperam interpretando corrumpere) anxie in reperiendo hic Sacramento deſudant: nec mirum videri debet; nodum enim in ſcirpo

Deinde, inter eos ipſos non convenit, qua ratione vel

Quo ſenſu Pœnitentia dicatur Sacramentum.

quærunt. Quod tamen optimum habent, rem implicitam, ſuſpenſam, incertam, opinionumque varietate confuſam ac turbatam relinquunt. Dicunt ergo, vel pœnitentiam exteriorem eſſe Sacramentum: &, ſi ita eſt, exiſtimari debere ſignum eſſe interioris pœnitentiæ, id eſt, contritionis cordis, quæ erit res Sacramenti: vel utramque ſimul eſſe Sacramentum: nec duo, ſed unum completum. Verum exteriorem eſſe Sacramentum duntaxat: interiorem, rem & Sacramentum. Remiſſionem autem peccatorum, rem tantum, & non Sacramentum.

Porro, quicquid obtendant, definitio Sacramenti nullo modo ei convenit.

Qui Sacramenti definitionem ſupra à nobis poſitam memoria tenent, ad eam exigant id quod dicunt eſſe Sacramentum, & invenient non eſſe ceremoniam eaternam à Domino inſtitutam ad fidei noſtræ confirmationem. Quod ſi cauſentur, definitionem meam legem non eſſe cui parere neceſſe habeant: audiant Auguſtinnm, quem ſacroſanctum ſe habere fingunt. *Sacramenta*, inquit, *propter carnales, viſibilia inſtituta ſunt: ut ab iis quæ oculis cernuntur ad ea quæ intelliguntur, Sacramentorum gradibus transferantur.* Quid tale aut ipſi videot, aut aliis queunt oſtendere in eo quod Sacrameotum pœnitentiæ vocant? Idem alibi, *Sacramentum ideo dicitur quia in eo aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem.* Neque ullo modo Sacramento pœnitentiæ (quale fingunt ipſi) conveniunt hæc: ubi nulla ſpecies eſt corporalis quæ ſpiritualem fructum repræſentet.

libr. 3. quæſt. vet. Teſtam.

in ſermone quodam de Baptiſm. infant.

Longe ſpecioſius abſolutionem Sacerdotis quam pœnitentiam Sacramentum dicere potuerunt.

16. Ac (ut iſtas belluas in ſua arena conficiam) ſi ullum hic Sacramentum quæratur, nonne longe ſpecioſius jactari poterat, abſolutionem ſacerdotis Sacramentum eſſe, quam pœnitentiam vel interiorem vel exteriorem? Promptum enim erat dicere, ceremoniam eſſe ad confirmandam fidem noſtram de peccatorum remiſſione, habereque promiſſionem clavium, ut vocant, *Quodcunque ligaveritis aut ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & ligatum in cælis.*

Non obſtante, quod Sacerdotes non ſemper efficaciter abſolvant: quod illi contra objici poſſe verentur.

Sed objeciſſet quiſpiam, pleroſque ſolvi à ſacerdotibus, quibus nihil tale accedit tali abſolutione: quum ex eorum dogmate Sacramenta novæ Legis efficere debeant quod figurant. Ridiculum. Ut in Eucharistia duplicem manducationem ſtatuunt: ſacramentalem, quæ bonis æque ac malis communis eſt: ſpiritualem, quæ bonorum tantum eſt propria: cur non & abſolutionem bifariam percipi fingerent? Nec tamen hactenus intelligere potui quid ſibi vellent cum illo ſuo dogmate: quod quam longe à Dei veritate diſſideat, docuimus quum id argumentum ſerio tractaremus. Tantum hic oſtendere volo, hunc ſcrupulum nihil impedire quominus abſolutionem ſacerdotis Sacramentum nuncupent. Reſpondere enim per os Auguſtini licebat, *Sanctificationem eſſe ſine viſibili Sacramento, & viſibile Sacramentum ſine interiori ſanctificatione.* Item, *Sacramenta in ſolis electis efficere quod figurant.* Item, *Induere Chriſtum alios uſque ad Sacramenti perceptionem, alios uſque ad ſanctificationem.* Illud, bonos & malos pariter facere: iſtud, bonos ſolos. Sane hallucinati ſunt pluſquam pueriliter, & cæci in ſole fuerunt, qui quum multa difficultate æſtuarent, rem planam adeo & cuivis obviam non perſpexerunt.

libr. 5. de Baptiſm. contra Donatiſt. libr. 3. quæſt. vet. Teſtam. de Baptiſm. parvulorum.

Sed quacunque in parte Sacramentum poſuerint, non eſt vere Sacramentum.

17. Ne tamen animos tollant, quacunque in parte Sacramentum poſuerint, nego jure haberi pro Sacramento. Primum quod nulla Dei promiſſio ſingularis ad hanc rem extet, unica Sacramenti hypoſtaſis. Deinde quod quæcunque hic ceremonia proferatur, merum ſit hominum inventum: quum ceremonias Sacramentorum nonniſi à Deo inſtitui poſſe jam definitum ſit. Mendacium ergo & impoſtura fuit quod de Sacramento pœnitentiæ commenti ſunt. Ementitum hoc Sacramentum ornarunt quo decebat elogio, *ſecundam eſſe tabulam poſt naufragium*: quia ſiquis veſtem innocentiæ in Baptiſmo perceptam peccando corruperit, per pœnitentiam reparare poteſt. Sed dictum eſt Hieronymi. Cujuſcunque ſit, quin plane impium ſit excuſari nequit, ſi ex eorum ſenſu exponitur. Quaſi vero per peccatum deleatur Baptiſmus, & non potius in memoriam revocandus ſit peccatori quoties de peccati remiſſione cogitat, ut illinc ſeſe colligat, animumque recipiat, & fidem confirmet, peccatorum remiſſionem ſe impetraturum quæ ſibi in Baptiſmo promiſſa ſit. Quod autem dure & improprie Hieronymus dixit, pœnitentia reparari Baptiſmum (à quo excidunt qui excommunicari ab Eccleſia merentur) boni iſti interpretes ad ſuam impietatem trahunt.

Ideo licentius peccarunt, quando Pœnitentiam appellarunt ſecundam tabulam poſt naufragium.

lib. 4 ſent. diſt. 14. cap. 1. de pœnit. diſt. 1. cap. 2.

Baptiſmus eſt pœnitentia Sacramentum.

Aptiſſime itaque dixeris ſi Baptiſmum vocaveris pœnitentiæ Sacramentum, quum in confirmationem gratiæ & fiduciæ ſigillum iis datus ſit qui pœnitentiam meditantur. Quod ne commentum eſſe noſtrum putes, præterquam quod Scripturæ verbis conforme eſt, apparet in veteri Eccleſia fuiſſe pervulgatum inſtar certiſſimi axiomatis. Nam in libello De fide ad Petrum, qui Auguſtino inſcribitur, *Sacramentum fidei & pœnitentiæ* dicitur. Et quid ad incerta confugimus? Quaſi vero apertius quippiam requirendum ſit, quam quod recitat Euangeliſta, *Joannem prædicaſſe Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.*

Citatur Decret. 15. quæſt. 1. cap. Firmiſſime. Marc. 1: 4. Luc. 3: 3.

De ultima, ut vocant, unctione.

Extremæ unctionis deſcriptio.

vid. Calv. epiſt. de fugiendis illicitis ſacris.

18. TErtium fictitium Sacramentum, eſt extrema unctio: quæ nonniſi à Sacerdote perficitur, idque in extremis (ſic loquuntur) & oleo ab Epiſcopo conſecrato, atque hac verborum forma, *Per iſtam ſanctam unctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Deus quicquid peccaſti per viſum, per auditum, odoratum, tactum, guſtum.* Ejus duas eſſe virtutes fingunt, peccatorum remiſſionem, & corporalis morbi levamen, ſi ita expedit: ſin minus, animæ ſalutem.

Quam in Jacobi Apoſtoli verbis ſtabilitam eſſe volunt.

Jac. 5: 14.

Sed ab hiſtrionica hypocriſi oritur.

Aiunt autem inſtitutionem ab Jacobo poſitam eſſe, cujus verba ſunt, *Infirmatur quis inter vos? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: fideſque obſecratio ſalvum reddet laborantem, ac eriget eum Dominus: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Ejuſdem rationis eſt iſta unctio, cujus eſſe manuum impoſitionem ſupra demonſtravimus: nempe hiſtrionica hypocriſis, qua citra rationem, & ſine fructu, Apoſtolos referre volunt.

Nec Papiſtis favet locus D. Jacobi, quum unctio Apoſtolica fuerit temporaria & miraculoſa.

Marc. 6. verſ. 13.

Refert Marcus, Apoſtolos in prima ſua miſſione, juxta mandatum quod à Domino acceperant, mortuos ſuſcitaſſe, dæmonia ejeciſſe, leproſos mundaſſe, infirmos ſanaſſe, in curatione autem ægrorum, oleum adhibuiſſe. *Ungebant*, inquit, *oleo multos infirmos: & ſanabantur.* Huc reſpexit Jacobus quum juſſit accerſi Presbyteros ad ungendum infirmum. Talibus ceremoniis nullum altius ſubeſſe myſterium facile judicabunt qui obſervarint quanta libertate & Dominus & ejus Apoſtoli verſati ſint in rebus iſtis externis. Dominus cæco redditurus viſum, ex pulvere & ſputo lutum compoſuit, alios tactu ſanavit, alios verbo. Ad hunc modum Apoſtoli alios morbos ſolo verbo, alios tactu, alios unctione curarunt. At veriſimile eſt unctionem iſtam non temere (ut nec omnia alia) fuiſſe uſurpatam. Fateor: non tamen ut eſſet curationis organum, ſed ſymbolum duntaxat, quo imperitorum ruditas admoneretur unde tanta virtus prodiret: ne ſcilicet ejus laudem Apoſtolis tribuerent. Oleo autem ſignificari Spiritum ſanctum ejuſque dona, vulgare ac tritum eſt. Cæterum evanuit gratia illa curationum, quemadmodum & reliqua miracula: quæ ad tempus edi voluit Dominus, quo novam Euangelii prædicationem in æternum admirabilem redderet. Ut igitur maxime demus unctionem Sacramentum

Joan. 9: 6. Mat. 9: 29. Luc. 18. verſ. 42. Act. 3: 6. & 5: 16. & 19: 12.

Pſal. 45:8.

fuiſſe,

fuiſſe earum virtutum quæ tum per manus Apoſtolorum adminiſtrabantur: nihil nunc ad nos pertinet, quibus virtutum adminiſtratio commiſſa non eſt.

Deinde, nulla majore ratione poſſunt ex hac unctione facere Sacramentum, quam ex aliis quibuſvis ſymbolis in Scriptura commemoratis.

Joan. 9: 7.
Actor. 20. verſ. 10.

19. Et qua majori ratione Sacramentum ex hac unctione faciunt quam ex aliis quibuſvis ſymbolis quæ nobis in Scriptura commemorantur? Cur non aliquam natatoriam Siloah deſtinant, in quam certis temporum vicibus ſe immergant male habentes? Fruſtra, inquiunt, id fieret. Certe non magis fruſtra quam unctio. Cur non mortuis incubant, quoniam puerum mortuum, illi incubando, ſuſcitavit Paulus? Cur non lutum ex ſputo & pulvere Sacramentum eſt? Sed alia ſingularia exempla fuerunt, hoc autem ab Jacobo præcipitur: nempe pro eo tempore loquebatur Jacobus, quo adhuc hujuſmodi Dei benedictione fruebatur Eccleſia. Affirmant quidem eandem etiamnum vim ſuæ unctioni ineſſe: ſed aliter experimur. Nemo jam miretur quomodo animas, quas verbo Dei, hoc eſt, vita & luce ſua ſpoliatas, ſtupidas eſſe & cæcas ſciebant, tanta coofidentia ludificati ſint: quum nihil eos pudeat, corporis ſenſus vivos ac ſentientes velle fallere. Ridiculos ergo ſe faciunt dum gratia curationum præditos ſeſe jactant. Adeſt ſane ſuis Dominus omnibus ſeculis: & eorum languoribus, quoties opus eſt, medetur, noo minus quam olim: manifeſtas tameo illas virtutes non ita exerit, nec miracula per Apoſtolorum manus diſpenſat: quia & temporale fuit illud donum, & aliqua etiam ex parte hominum ingratitudine ſtatim intercidit.

Tertio, nullam ſuam illam unctionem hodie pollere.

Quarto, injurios eſſe Spiritui ſancto, qui putidum & inutile oleum faciunt ejus virtutem.

Mat. 6: 13.
Mat. 3: 16.
Joan. 1: 32.

20. Itaque ut non abs re Apoſtoli gratiam curationum ſibi demandatam, olei ſymbolo palam teſtati ſunt, non ſuam, ſed Spiritus ſancti eſſe virtutem: ita rurſum Spiritui ſancto ſunt injurii qui putidum & nullius energiæ oleum faciunt ejus virtutem. Perinde id eſt acſi quis diceret, omne oleum virtutem eſſe Spiritus ſancti, quod eo nomine in Scriptura nuncupetur: omnem columbam eſſe Spiritum ſanctum, quod ea ſpecie apparuerit. Verum de iis viderint. Quod nobis in præſentia abunde eſt, certo certius perſpicimus, eorum unctionem Sacramentum non eſſe: quæ nec ceremooia eſt à Deo inſtituta, nec ullam promiſſionem habet. Siquidem quum duo iſta in Sacramento exigimus, ut ceremonia ſit à Deo inſtituta, ut Dei promiſſionem habeat: ſimul poſtulamus ut ceremonia illa nobis tradita ſit, & promiſſio ad nos ſpectet. Non enim Circumciſionem jam Sacramentum Chriſtianæ Eccleſiæ quiſquam eſſe contendit, tametſi & Dei inſtitutum erat, & promiſſionem annexam habebat: quia nec nobis mandata fuit, nec promiſſio quæ illi adjuncta fuerat, nobis eadem conditione data. Promiſſiooem quam in uoctione ſcrociter jactant, nobis non eſſe datam evidenter demonſtravimus, & ipſi experieotia declarant. Ceremonia uſurpari non debuit, niſi ab iis qui curationum gratia præditi fuerant: non ab iſtis carnificibus, qui plus mactando ac trucidando valent, quam ſanando.

Quinto, utcunque ſit, unctionem illam Sacramentum non eſſe, quum nec à Domino inſtituta ſit, nec promiſſionem habeat.

Sexto, nullam eſſe convenientiam inter unctionem ab Apoſtolo præceptam & pinguedinem Papiſticam, quinque collationibus oſtenditur.

Jac. 5: 14.

21. Quanquam etiamſi obtinuerint, huic ætati
convenire quod de unctione ab Jacobo præcipitur,
(à quo longiſſime abſunt) nec ſic quidem adhuc
multum promoverint in approbanda ſua unctione
qua hactenus nos illeverunt. Jacobus omnes infirmos
vult inungi: iſti non infirmos, ſed ſemimortua
cadavera, ſua pinguedine inficiunt: quum jam jam
anima in primoribus labris laborat, vel (ut ipſi loquuntur)
in extremis. Si præſentem habent medicinam
in ſuo Sacramento, qua vel morborum acerbitatem
leniant, vel ſaltem aliquod animæ ſolatium
adferant, crudeles ſunt qui nunquam in tempore
medentur. Jacobus vult infirmum ungi à ſeniori-
1. bus Eccleſiæ: iſti unctorem non admittunt niſi ſa-
2. crificulum. Quod apud Jacobum Presbyteros interpretantur
Sacerdotes, & pluralem numerum ad decorem
poſitum nugantur, nimis frivolum eſt: quaſi
vero Eccleſiæ eo tempore ſacrificorum examinibus
abundarint, ut in longa pompa procedere potue-
rint ad ferendum ſacri olei ferculum. Jacobus, 3.
dum ſimpliciter ungi infirmos jubet, non aliam
unctionem mihi ſignificat, quam vulgaris olei: nec
aliud habetur in Marci narratione. Iſti oleum non
dignantur niſi ab Epiſcopo conſecratum: hoc eſt,
multo halitu calefactum, multo murmure incantatum,
& novies flexo genu ſalutatum: ter, *Ave ſanctum
oleum*: ter, *Ave ſanctum chriſma*: ter, *Ave
ſanctum balſamum*. A quo tales exorciſmos hauſe-
runt? Jacobus dicit, Ubi unctus oleo fuerit infir- 4.
mus, & precatio concepta fuerit ſuper eum, ſi in
peccatis fuerit, remiſſum iri: ut ſcilicet abolito reatu,
pœnæ levationem impetret: non intelligens
pinguedine deleri peccata, ſed fidelium orationes,
quibus afflictus frater Deo commendatus fuerit,
non fore irritas. Iſti per ſacram ſuam, id eſt, abominabilem
unctionem, peccata remitti, impie mentiuntur.
En quam pulchre proficient, ubi Jacobi
teſtimonio pro ſua libidine prolixe abuti permiſſi
fuerint. Ac ne diutius ſit nobis in probatione laborandum,
hac difficultate nos eorum quoque annales
liberant: referunt enim Innocentium Papam, qui 5.
Auguſtini ætate Romanæ Eccleſiæ præfuit, inſtituiſſe
ut non Presbyteri modo, ſed omnes etiam
Chriſtiani oleo uterentur, in ſuam ſuorumque neceſſitatem
ungendo. Auctor Sigebert. in Chronic.

De Ordinibus Eccleſiaſticis.

De Sacramento Ordinis admodum fœcundo dicturus, duo diſcutienda proponit.

22. QUartum locum in eorum catalogo tenet Sacramentum Ordinis: ſed adeo fœcundum, ut ſeptem ex ſe ſacramentula pariat. Eſt vero iſtud perquam ridiculum, quod quum affirment ſeptem eſſe Sacramenta, dum recenſere ipſa volunt, tredecim enumerant. Neque vero cauſari poſſunt, unum eſſe Sacramentum, quia omnia io unum ſacerdotium tendunt, & velut quidam ad ipſum ſunt gradus. Siquidem quum in ſingulis diverſas eſſe ceremooias conſtet, diverſas eſſe gratias ipſi loquantur: nemo dubitet quin ſeptem Sacramenta dici debeant ſi eorum placita recipiuntur. Et quid, quaſi rem ambiguam, controvertimus, quando ipſi plane diſtincteque ſeptem declarant? Primum autem obiter perſtringemus, quot & quam inſulſas abſurditates nobis ingerant, dum nobis ſuos Ordines pro Sacramentis commendare volunt: deinde an omnino Sacramentum dici debeat ceremonia qua utuntur Eccleſiæ in ordinandis miniſtris, videbimus. Septem ergo ordines vel gradus Eccleſiaſticos faciunt: quos inſigniuot titulo Sacramenti. Sunt autem, Oſtiarii, Lectores, Exorciſtæ, Acoluthi, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes. Et ſeptem quidem eſſe dicunt propter ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam, qua præditi eſſe debent qui ad eos promoventur. Augetur autem illis & largius cumulatur in promotione. Jam numerus ipſe perverſa Scripturæ interpretatione conſecratus eſt: quod videntur ſibi apud Jeſaiam legiſſe, ſeptem Spiritus ſancti virtutes: quum & vere plures non referantur ab Jeſaia quam ſex, nec Propheta omnes eo loco concludere voluerit: tam enim alibi *Spiritus vitæ, ſanctificationis, adoptionis filiorum* dicitur, quam illic *ſapientiæ, intelligentiæ, conſilii, fortitudinis, ſcientiæ, & timoris Domini*. Quanquam alii acutiores, noo ſeptem ordines, ſed novem faciunt, ad ſimilitudinem, ut aiunt, triumphantis Eccleſiæ. Atque inter eos etiam pugna eſt, quod alii clericalem tonſuram volunt eſſe primum omnium ordinem, Epiſcopatum ultimum: alii, excluſa tonſura, Archiepiſcopatum ordinibus annumerant. Iſidorus aliter diſtinguit, facit enim diverſos, Pſalmiſtas & Lectores; illos cantionibus

1. Quot & quam inſulſas abſurditates nobis hic ingerant.

lib. 4. ſent. diſt. 24. c. 9.

2. An Ordo Eccleſiaſticus ſit Sacramentum.

Ac primo, quod ſeptem faciunt, id ab inſcitia & nimia incogitantia promanavit.

Jeſ. 11: 2, 3.
Eze. 1: 20.
Rom. 1: 4. & 8: 15.

Secundo, non inter ipſos convenire, quot, quive ſint Ordines.

Opinio hæc eſt Hugonis: altera Guliel. Pariſienſ.

Iſid. lib. 7.

etym. allegatur. cap. Cleros, diſt. 21. & diſt. 33. cap. Lector. & cap. Oſtiarius.

nibus præficit, bos legendis Scripturis, quibus plebs erudiatur. Atque hæc diſtioctio Canonibus obſervatut. In tanta varietate quid ſequi aut fugere nos volunt? Dicamusne ſeptem eſſe ordines? Sic docet magiſter ſcholæ: ſed illuminatiſſimi doctores aliter determinant. Rurſum inter ſe ipſi diſſident. Præterea ſacratiſſimi Canones alio nos vocant. Sic ſcilicet conſentiunt homines quum de rebus divinis ſine verbo Dei diſceptant.

Tertio, iniquiſſime in ſingulis illis ſuis ordinibus Chriſtum ſibi collegam faciunt, ut ſuas ineptias magis commendent.

23. Verum hoc omnem ſtultitiam ſuperat, quod io ſingulis Chriſtum ſibi collegam faciunt. Primum, inquiunt, oſtiarii munere functus eſt, quando *vendentes & ementes, flagello ex funiculis facto, è templo ejecit.* Oſtiarium ſe eſſe ſignificat, quum dicit, *Ego ſum oſtium.* Lectoris munus aſſumpſit, quum in ſynagoga Jeſaiam legit. Exorciſtæ officio functus eſt, quum linguam & aures ſurdi & muti ſaliva tangens, auditum reddidit. Acoluthum ſe eſſe his verbis teſtatus eſt, *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Subdiaconi officio functus eſt, quum linteo præcinctus pedes diſcipulorum lavit. Diaconi perſonam ſuſtinuit, quum corpus & ſanguinem diſtribuit in Cœna. Sacerdotis partes implevit, quum in cruce Patri ſe hoſtiam obtulit. Hæc abſque riſu adeo audiri non poſſunt ut mirer abſque riſu ſcripta eſſe: ſi tamen homines erant qui ſcribebant. Sed in primis ſpectabilis eſt argutia qua in acoluthi oomine philoſophantur, ceroferarium appellantes, verbo (ut arbitror) magico, certe inaudito gentibus ac linguis omnibus: quum ἀκόλουθος Græcis ſimpliciter ſignificet *pediſſequum.* Quanquam ſi his ſerio refellendis inhæream, jure & ipſe quoque rideat: adeo frivola ſunt & ludicra.

Joan. 2:15. Joan. 10:7. Luc. 4:17. Marc. 7. verſ. 33. Joan. 8:12. Joan. 13:5. Matth. 26. verſ. 26. Matth. 27. verſ. 50.

Quarto, horum ordinum maxima pars nihil aliud ſunt quam vana nomina, nullum certum munus ſecum trahentia.

24. Ne tamen mulierculis adhuc fucum faciaot, traducenda eſt obiter eorum vanitas. Creant eximia pompa ac ſolennitate ſuos lectores, pſalmiſtas, oſtiarios, acoluthos, ad ea miniſteria exequenda quibus vel pueros, vel certe quos vocant laicos, præficiuot. Quis enim cereos ut plorimum accendit, quis urceolo vinum & aquam infundit, niſi puer, aut ex laicis ſordidulus aliquis qui ex ea re quæſtum facit? Nonne iidem canunt? nonne templorum januas claudunt & aperiunt? Quis enim in eorum templis unquam vidit vel acoluthum, vel oſtiarium ſuis partibus fungentem? Quin potius qui puer aeoluthi munere functus eſt, quum in ordinem acoluthorum cooptatur, deſinit eſſe id quod dici incipir: ut videantut ex profeſſo velle munus ipſum abjicere quum titulum aſſumunt. En cur Sacramentis conſecrari & Spiritum ſanctum accipere neceſſe habeant, nempe ut nihil agant.

Ridicula exceptio.

Si prætexant, hanc eſſe temporum perverſitatem, quod miniſteria ſua deſerunt ac negligunt, ſimul fateantut nullum hodie eſſe in Eccleſia uſum nec fructum ſacrorum ſuorum ordinum quos mirifice deprædicant, totamque Eccleſiam ſuam anathemate plenam: quandoquidem cereos & urceolos à pueris & profanis attrectari permittat, quibus tangendis nulli digni ſuot niſi in acolutbos conſecrati; quando cantiones ad pueros ablegat, quæ niſi ab ore conſecrato audiri noo debebant.

Exorciſtæ Papiſtici.

Actor. 19. verſ. 13.

Exorciſtas vero in quem tandem finem conſecrant? Audio Judæis fuiſſe ſuos exorciſtas: ſed ab exorciſmis dictos video, quos exercebant. De ementitis iſtis exorciſtis quis unquam fando audivit quod ſpecimen unum ſuæ profeſſionis ediderint? Fingitur illis poteſtas data imponendi manus ſuper energumenos, & catechumenos, & dæmoniacos: ſed tali ſe poteſtate præditos dæmonibus perſuadere non poſſunt, non modo quia eorum imperiis non cedunt dæmones, ſed etiam quia ipſis imperant. Vix enim decimum quemque teperias qui non malo ſpiritu agatur.

Quid de iſta ordinum inordinatione.

Quæcunque igitur de minutulis ſuis ordinibus balbutiunt, conflata ſunt ex inſcitis inſulſiſque mendaciis. De veteribus acoluthis & oſtiariis & lectoribus alibi dictum eſt, quum Eccleſiæ ordinem exponeremus. Nobis hic propoſitum eſt duntaxat pugnare contra novitium illud inventum de ſeptemplici Sacramento in ordinibus Eccleſiaſticis: de quo nuſquam alibi quam apud ineptos iſtos rabulas, Sorboniſtas & Canoniſtas, legitur.

rum ἀταξία ſentiendum ſit.

2. Ad ſecundum illud veniens, nempe an ordines ceremonias quas utuntur, dicendebeat, primum oſtendit quanta vanitate clericos ſuos in vertice radant.

25. Jam de ceremoniis quas adhibent videamus. Principio, quoſcunque in militiam ſuam adſcribunt, communi ſymbolo initiant in clericatum. Radunt eoim eos in vertice, ut corona regale decus ſignificet: quia Reges debent eſſe clerici, ut ſe & alios regant. De iis enim ſic loquitur Petrus, *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* At ſacrilegium fuit, quod univerſæ Eccleſiæ tribuitur, ſolis ſibi arrogare, & titulo ſuperbe gloriari quem fidelibus præripuerant. Petrus totam Eccleſiam alloquitut: iſti ad pauculos raſos detorquent: quaſi ſolis illis dictum ſit, *Sancti eſtote:* quaſi ſoli illi ſanguioe Chriſti acquiſiti ſint: quaſi ſoli illi per Chriſtum facti ſint regnum & ſacerdotium Deo. Aſſignant deiode & alias rationes: ſummitas capitis denudatur, ut eorum mens ad Dominum libera demonſtretur, quæ revelata facie, Dei gloriam contempletur: vel ut vitia oris & oculorum doceantur præcidenda. Vel raſura capitis eſt temporalium depoſitio: circumferentia vero coronæ, reliquiæ ſunt bonorum quæ ad ſuſtentationem retinentur. Omnia in figuris: quia ſcilicet velum templi noodum ſciſſum eſt. Itaque perſuaſi ſe præclare defunctos eſſe ſuis partibus quod talia per coronam ſuam figuraverint, nihil eorum re ipſa præſtant. Quouſque nos talibus fucis & præſtigiis ludent? Clerici detonſis aliquot capillis ſignificant temporalium bonorum abundantiam ſe abjeciſſe, gloriam Dei contemplari, aurium oculorumque concupiſcentiam mortificaſſe: at nullum eſt hominum genus rapacius, ſtupidius, libidinoſios. Cur non magis ſanctitatem vere exhibent quam falſis mendacibuſque ſignis ipſius ſpeciem ſimulant?

c. dup. 12. quæſt. 1. 1 Pet. 2: 9. Levit. 11. verſ. 44. lib. 4. ſent. diſt. 24. cap. Duo ſunt.

Deinde, quam inſulſis & irrationalibus rationibus inſtitutum illud tueantur.

lib. 4. ſent. diſt. 24. cap. 1.

Tertio, coronam hanc ſuam à Nazaræis, aut à Priſcilla, Acyla & Paulo deducentes, ineptè judaizare deprehenduntur.

26. Porro quum dicunt coronam clericalem habere originem à Nazaræis, & rationem, qoid aliud adferuot quam ſua myſteria à Judaicis ceremoniis nata eſſe, vel potius merum eſſe Judaiſmum? Quod autem addunt, Priſcillam, Acylam, & Paulum ipſum ſuſcepto voto ſibi raſiſſe caput, ot purificarentut: craſſam ſuam ignorantiam produnt. Nuſquam enim legitur de Priſcilla: ac de Acyla etiam incertum eſt: ſiquidem tam ad Paulum referri poteſt tonſura illa quam ad Acylam. Ne vero illis relinquamus quod petuot, exemplum eos habere à Paulo: obſervandum eſt ſimplicioribus, Paulum nunquam caput ſibi totondiſſe ad ſanctificationem aliquam, ſed duntaxat ut fratrum infirmitati ſerviret. Soleo ejuſmodi vota appellare charitatis, oon pietatis: hoc eſt, non ſuſcepta ad cultum aliquem Dei, ſed ad tolerandam infirmorum ruditatem: quemadmodum ipſe ait, *Judæis ſe Judæum factum,* &c. Ergo hoc fecit, & quidem ſemel, atque ad breve tempus, ut Judæis ſe tantiſper accommodaret. Iſti quum Nazaræorum purificationes nullo oſu imitari volunt, quid aliud quam alterum Judaiſmum erigunt dum veterem perperam æmolari affectant? Eadem religione decretalis illa epiſtola compoſita eſt, quæ prohibet clericis, juxta Apoſtolum, ne comam nutriaot, ſed inſtar ſphæræ radant: quaſi Apoſtolus, docens quid vitis omnibus decorum ſit, de ſphærica clericorum raſura ſollicitus fuerit. Hinc lectores reputent qualis ſint energiæ ac dignitatis alia quæ ſequuotur myſteria, quibus talis eſt ingreſſus.

Actor. 18. verſ. 18.

Cur Paulus ex voto caput ſibi abraſit.

1 Cor. 9. verſ. 20.

Num. 6. verſ. 18.

cap. Prohibe. diſt. 25. 1 Cor. 11. verſ. 14.

Hujus clericalis tonſuræ origo, ex Auguſtino.

27. Unde originem habuerit clericorum tonſura, abunde vel ex uno Auguſtino conſtat. Quum illo ſeculo capillum non alerent niſi delicati, & qui nitorem elegantiamque noo ſatis virilem affectabant: videbatur eſſe non boni exempli ſi clericis id per-

Auguſtin. de opere

Monach. in fine. item in retract.

permitteretur. Jubebantur ergo clerici vel tondere caput, vel radere, nequam effœminati cultus ſpeciem præ ſe ferrent. Adeo autem id vulgare erat, ut monachi quidam, quo magis ſuam ſanctimoniam notabili diſtinctoque ab aliis habitu venditarent, comam demitterent.

Progreſſus.

Quum vero poſtea res ad crines rediiſſet, & ad Chriſtianiſmum accederent gentes quædam quæ ſemper comatæ fuerant, ut Gallia, Germania, Anglia: veriſimile eſt clericos ubique raſiſſe caput, ne comæ ornamentum viderentur affectare.

Corruptio.

Tandem corruptiore ſeculo, quum priſca omnia inſtituta vel inverſa forent, vel in ſuperſtitionem degeneraſſent, quia in raſura clericali nihil cernebant cauſæ (neque enim quicquam retinuerant præter ſtultam imitationem) ad myſterium confugerunt: quæ nunc ſuperſtitioſe nobis obtrudunt pro Sacramenti ſui approbatione.

Alia inepta ceremonia quibus Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas & Acoluthos conſecrant.

Oſtiarii in conſecratione claves templi accipiunt, quo ſibi mandari cuſtodiam intelligant. Lectores, ſacra Biblia. Exorciſtæ, formulas exorciſmorum, quibus ſuper energumenos & catechumenos utantur. Acoluthi, cereos & urceolum. En ceremoniæ quibus (ſi Deo placet) tantum ineſt arcanæ virtutis, ut eſſe poſſint gratiæ inviſibilis non modo ſigna ac teſſeræ, ſed etiam cauſæ.

lib. 4. ſent. diſt. 24. cap. 8.

Indigna ſunt quæ Sacramenti nomine inſigniantur.

Hoc enim ſecundum ſuam definitionem poſtulant, quum inter Sacramenta haberi volunt. Verùm ut paucis abſolvam, dico abſurdum eſſe quod in ſcholis & canonibus minores iſtos ordines Sacramenta faciunt: quando eorum etiam qui hoc tradunt confeſſione, primitivæ Eccleſiæ incogniti fuerunt, & multis poſtea annis excogitati. Sacramenta autem, quum Dei promiſſionem contineant, neque ab Angelis, neque ab hominibus, ſed à Deo ſolo inſtitui debent: cujus unius eſt promiſſionem dare.

De Ordinibus majoribus ſacros vocant.

28. Superſunt tres Ordines, quos majores vocant. Ex quibus Subdiaconatus (ut aiunt) in eum numerum translatus eſt, ex quo turba illa minorum pullulare cœpit. Quia autem videotur pro his teſtimonium habere à verbo Dei, ſacros ordines, honoris cauſa, peculiariter nominant. Sed quam oblique Domini inſtitutis in prætextum ſuum abutantur, videndum eſt.

Sacerdotes quod attinet. Quorum munus deſcribitur.

Incipiemus autem ab ordine presbyterii ſive ſacerdotii. His enim duobus nominibus rem unam ſignificant: ac ſic appellant eos ad quos pertinere aiunt ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti in altari conficere, orationes concipere, ac benedicere dona Dei. Itaque in ordinatione patenam cum hoſtiis accipiunt, in ſymbola collatæ ſibi poteſtatis placabiles Deo hoſtias offerendi, manuſque illis inunguntur: quo ſymbolo docentur datam ſibi eſſe conſecrandi poteſtatem. Sed de ceremoniis poſtea. De re ipſa dico, adeo nullum apicem habet à verbo Dei quod obtendunt, ut non potuerint improbius ordinem à Deo poſitum depravare.

1. Chriſti Sacerdotio ſunt injurii, quod placationis hoſtiam ſe offerre profitentur. Unde liquet, eorum ſacerdotium non Sacramentum eſſe, ſed impietatem ac ſacrilegium.

Principio quidem pro confeſſo eſſe debet (quod de Miſſa Papali tractando aſſeruimus) injurios omnes eſſe Chriſto qui ſe Sacerdotes appellant, ad offerendam placationis hoſtiam. Conſtitutus ille & conſecratus à Patre Sacerdos cum jurejurando fuit, ſecundum ordinem Melchiſedec, nullo fine, nullo ſucceſſore. Hoſtiam ſemel obtulit æternæ expiationis & reconciliationis: nunc etiam ſanctuarium cæli ingreſſus, intercedit pro nobis. In ipſo omnes ſumus ſacerdotes, ſed ad laudes & gratiarum actiones, ad nos denique noſtraque Deo offerenda. Illi uni ſingulare fuit, ſua oblatione Deum placare, & peccata expiare. Id quum ſibi iſti uſurpent, quid ſupereſt niſi eorum ſacerdotium impium eſſe ac ſacrilegum? Certe nimis improbi ſunt dum Sacramenti titulo inſignire audent.

Pſa. 110: 4. Heb. 5: 6. & 7: 3. & 9: 11, 12.

2. A vero presbyterio, cujus ceremonia ſano ſenſu Sacramentum dici poſſit, plurimum abſunt.

Quantum ad verum presbyterii munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, libenter eo loco habeo: illic enim ceremonia eſt, primum ex Scripturis ſumpta, deinde quam non eſſe inanem nec ſupervacuam, ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum, teſtatur Paulus. Quod autem tertium in numero non poſui, eo factum eſt quod non ordinarium nec commune eſt apud omnes fideles, ſed ad certam functionem ſpecialis ritus.

1 Tim. 4. verſ. 14.

3. Verbo Dei deſtituitur eorum ordinatio.

Verum quum hic honor Chriſtiano miniſterio tribuitur, non eſt propterea quod ſuperbiant Papiſtici ſacerdotes: Euangelii enim ſui ac myſteriorum diſpenſatores ordinari juſſit Chriſtus, non victimarios inaugurari. Mandatum de prædicando Euangelio paſcendoque grege, non de hoſtiis immolandis dedit. Spiritus ſancti gratiam promiſit, non ad peragendam peccatorum expiationem, ſed ad gubernationem Eccleſiæ rite obeundam ac ſuſtinendam.

Matth. 28. verſ. 19. Marc. 16. verſ. 15. Joan. 21. verſ. 15.

4. Inſulſa & impia Chriſti inſufflationem imitati ſunt.

29. Cum re ipſa optime congruunt ceremoniæ. Dominus noſter quum Apoſtolos amandaret ad Euangelii prædicationem, inſufflavit in eos. Quo ſymbolo Spiritus ſancti virtutem, qua illos donabat, repræſentavit. Hanc inſufflationem retinuerunt boni iſti viri, & quaſi Spiritum ſanctum è gutture ſuo egerant, ſuper ſuos quos formant ſacrificulos demurmurant, *Accipite Spiritum ſanctum*. Adeo nihil prætereunt quod non præpoſtere effingant, non dico more hiſtrionum (qui nec ſine arte geſticulantur, nec ſine ſignificatione) ſed inſtar ſimiarum, quæ laſcive & abſque ullo delectu quidvis imitantur.

Joan. 20. verſ. 22.

Exceptionis dilutio.

Servamus (inquiunt) exemplum Domini. At multa egit Dominus, quæ nobis exempla eſſe noluit. Dixit Dominus diſcipulis, *Accipite Spiritum ſanctum*. Dixit & Lazaro, *Lazare, veni foras*. Dixit paralytico, *Surge & ambula*. Cur non eadem dicunt omnibus mortuis & paralyticis? Divinæ ſuæ virtutis ſpecimen edidit quum inſufflando in Apoſtolos, Spiritus ſancti gratia illos replevit. Hoc ipſum ſi conantur efficere, Deum æmulantur, & tantum non ad certamen provocant: ſed longiſſime abſunt ab effectu, nec aliud inepto iſto geſtu quam Chriſtum illudunt.

Joan. 11. verſ. 43. Mat. 9: 5. Joan. 5: 8.

Alia exceptio profana refellitur.

Sunt quidem adeo effrontes ut aſſerere auſint conferri à ſe Spiritum ſanctum: ſed quam id verum ſit, docet experientia, quæ clamat ex equis fieri aſinos, ex fatuis phreneticos quicunque in ſacerdotes conſecrantur. Nec tamen hinc pugnam illis facio: tantum ceremoniam ipſam damno quæ in exemplum trahi non debuit, quandoquidem à Chriſto in ſingulare miraculi ſymbolum uſurpata eſt: tantum abeſt ut illis patrocinari debeat imitationis excuſatio.

5. Unctio eorum improbatur.

30. Unctionem vero à quo tandem acceperunt? Reſpondent ſe accepiſſe à filiis Aaron, à quo & ſuus ordo ſumpſit initium. Perverſis igitur exemplis perpetuo ſe tueri malunt, quam fateri à ſe excogitatum quod temere uſurpant: ſed interim non animadvertunt, dum ſucceſſores ſe profitentur filiorum Aaron, Chriſti ſacerdotio ſe eſſe injurios: quod unum omnibus veteribus ſacerdotiis adumbratum figuratumque fuit. In eo igitur omnia concluſa & impleta fuerunt, in eo ceſſarunt: ut jam aliquoties repetitum à nobis eſt, & epiſtola ad Hebræos nullis gloſſis adjuta teſtatur.

lib. 4. ſent. diſt. 14. cap. 8. & in Can. diſt. 21. cap. 1.

Nam Judaiſmum, ſed imperfectum, invehit.

Quod ſi tantopere Moſaicis ceremoniis oblectantur, cur non boves, vitulos, agnos ad ſacrificia rapiunt? Habent quidem bonam partem antiqui tabernaculi & totius Judaici cultus: ſed hoc tamen eorum religioni deeſt, quod vitulos & boves non immolant. Quis non videat hanc unctionis obſervationem Circumciſione multo eſſe pernicioſiorem: præſertim ubi accedit ſuperſtitio & Phariſaica opinio de dignitate operis?

Per conſequens iſti fiunt Apoſtatæ à Chriſto; & lupi, non paſtores.

Judæi in Circumciſione fiduciam juſtitiæ reponebant: iſti in unctione ſpirituales gratias. Ergo dum Levitarum æmuli eſſe appetunt, apoſtatæ fiunt à Chriſto, ſeque Paſtorum munere abdicant.

5. Impoſitionem manuum nul-

31. Hoc eſt (ſi Deo placet) ſacrum oleum quod characterem indelebilem imprimit. Quaſi vero oleum pulvere & ſale abſtergi non poſſit, aut (ſi tena-

cius

lum hic locum habere oſtenditur, ſed ejus vices ſupplevit unctio, cujus profanitas ridicula detegitur.

Exod. 30. verſ. 30.

cius adhæſit) ſapone. At character ille ſpiritualis eſt. Quid oleo cum anima? An obliti ſunt quod ex Auguſtino occinunt, Si detrahatur verbum ab aqua, nihil fore niſi aquam: habere autem à verbo ut ſit Sacramentum? Quod verbum oſtendent in ſua pinguedine? an quod Moſi mandatum eſt de filiis Aaron ungendis? At illic etiam mandatur de tunica, de ephod, de galero, de corona ſanctitatis, quibus ornandus erat Aaron: de tunicis, balteis, mitris, quibus erant veſtiendi ejus filii. Mandatur de mactando vitulo, de adolendo ejus adipe, de arietibus ſecandis & comburendis, de ſanctificandis auriculis & veſtimentis, alterius arietis ſanguine: & innumeræ aliæ obſervationes, quibus prætermiſſis, miror cur una unctio olei illis placeat. Si autem aſpergi gaudent, cur oleo potius aſperguntur quam ſanguine? Scilicet rem ingenioſam conantur: ex Chriſtianiſmo & Judaiſmo & Paganitate, velut conſutis centunculis, religionem unam conficere. Fœtet igitur eorum unctio, quæ ſale, id eſt, verbo Dei, deſtituitur. Supereſt Impoſitio manuum, quam ut in veris legitimiſque ordinationibus Sacramentum eſſe concedo, ita nego locum habere in hac fabula, ubi nec Chriſti mandato obtemperant, nec finem reſpiciunt quo nos ducere debet promiſſio. Signum ſi non negari ſibi volunt, ad rem ipſam cui dedicatum eſt, accommodent oportet.

Quod ad Diaconos attinet, ceremoniæ quibus ordinantur, eorumque occupationes, à verorum Diaconorum inſtitutione & officio remotiſſima, damnantur, utpote verbo Dei & Apoſtolicæ Eccleſiæ ordini ex diametro oppoſita.

32. De ordine quoque Diaconatus nihil pugnarem, ſi reſtitueretur in ſuam integritatem miniſterium illud quod ſub Apoſtolis & in puriore Eccleſia fuit. At vero quos iſti fingunt Diaconos quid habent ſimile? Non de hominibus loquor (ne querantur, inique ex hominum vitiis ſuam doctrinam æſtimari) ſed pro iis ipſis quos ſua doctrina nobis tradunt, teſtimonium ab eorum exemplo quos Apoſtolica Eccleſia Diaconos inſtituit, indigne peti contendo. Aiunt ad ſuos Diaconos pertinere, aſſiſtere Sacerdotibus, miniſtrare in omnibus quæ aguntur in Sacramentis, ſcilicet in Baptiſmo, in chriſmate, in patena, in calice: oblationes inferre & diſponere ſuper altare, componere menſam Domini, & veſtire: crucem ferre, prædicare & decantare Euangelium & Epiſtolam ad populum. An hic verbum unum de vero Diaconorum miniſterio? Nunc inſtitutionem audiamus: Diacono qui ordinatur, ſolus Epiſcopus manum imponit. Orarium illi & ſtolam ſuper lævum humerum collocat, ut intelligat ſe accepiſſe jugum Domini leve, quo ad ſiniſtram pertinentia divino timori ſubjiciat. Textum Euangelii præbet, ut ſe ejus præconem agnoſcat. Et iſthæc quid ad Diaconos? Perinde vero faciunt acſi quis Apoſtolos ſe inſtituere diceret quos duntaxat adolendis thuribus, ſimulachris poliendis, converrendis templis, captandis muribus, fugandis canibus præficeret. Quis id hominum genus vocari Apoſtolos pateretur, & conferri cum ipſis Chriſti Apoſtolis? Poſthac ergo ne Diaconos eſſe mentiantur quos nonniſi ad hiſtrionicos ſuos ludos inſtituunt. Quin etiam ipſo nomine ſatis declarant quale ſit officium. Levitas enim appellant, eorumque rationem ac originem ad filios Levi referri volunt. Quod per me quidem licet, modo ne alienis plumis eos poſtea veſtiant.

De Subdiaconis idem ſentiendum, ac de omnibus in univerſum: & in ſumma, Spiritum ſanctum iſtis minime includi: ideo eas Sacramentorum nomine eſſe ſpoliandas.

33. De Hypodiaconis quid dicere attinet? nam quum revera curæ pauperum olim præfuerint, nugatoriam neſcio quam functionem illis attribuunt, ut calicem ac patenam, urceolum cum aqua, mantile ad altare deferant, aquam fundant ad manus lavandas, &c. Jam vero quod de oblationibus recipiendis & inferendis dicunt, eas intelligunt quas velut anathemati deſtinatas ingurgitant. Huic muneri optime reſpondet initiandi ritus, Ut ab Epiſcopo patenam & calicem, ab Archidiacono urceolum cum aqua, manuale & hujuſmodi ſcruta accipiat. His ineptiis ut incluſum Spiritum ſanctum fateamur poſtulant. Quis pius hoc concedere ſuſtineat? Verum, ut ſemel finiamus, licet de iis idem quod de reliquis ſtatuere: neque enim opus eſt longius repetere quæ ſupra ſunt explicata. Hoc ſatis eſſe poterit modeſtis & docilibus (quales inſtituendos ſuſcepi) nullum eſſe Dei Sacramentum niſi ubi ceremonia oſtenditur annexa promiſſioni: aut certe potius, niſi ubi promiſſio in ceremonia ſpectatur. Hic ne ſyllaba quidem habetur certæ alicujus promiſſionis: fruſtra igitur quæratur ceremonia ad confirmandam promiſſionem. Rurſum nulla ceremonia ex iis quas uſurpant, à Deo inſtituta legitur. Sacramentum igitur nullum eſſe poteſt.

De Matrimonio.

Matrimonium Sacramentum non eſſe ut evidentius appareat, primum adverſariorum rationes tolluntur: & oſtenditur, multa Sacramenta protinus emerſura, ſi perinde ac illi faciunt, ratiocinari liceret.

34. Poſtremum eſt matrimonium, quod ut à Deo inſtitutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum nemo uſque ad Gregorii tempora viderat. Et cui unquam ſobrio in mentem veniſſet? Ordinatio Dei bona eſt & ſancta: & agricultura, architectura, ſutrina, tonſtrina, ordinationes ſunt Dei legitimæ, nec tamen Sacramenta ſunt: id enim non tantum in Sacramento quæritur ut Dei ſit opus, ſed ut ſit ceremonia exterior à Deo poſita ad confirmandam promiſſionem. Nihil tale eſſe in matrimonio pueri quoque judicabunt. Sed ſignum eſt, inquiunt, ſacræ rei, hoc eſt, ſpiritualis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia. Si verbo ſigni, ſymbolum intelligunt à Deo nobis in hoc propoſitum ut fidei noſtræ certitudinem erigat, longe à ſcopo aberrant: ſi ſignum ſimpliciter accipiunt, quod in ſimilitudinem adductum ſit, oſtendam quam acute ratiocinentur. Paulus ait, *Sicut ſtella à ſtella differt in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorum.* En unum Sacramentum. Chriſtus ait, *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapi.* En alterum. Rurſum, *Simile eſt regnum cælorum fermento.* Ecce tertium. Jeſaias ait, *Ecce Dominus gregem ſuum paſcet quaſi paſtor.* Ecce quartum. Alibi, *Dominus quaſi gigas egredietur.* Ecce quintum. Et quis tandem finis aut modus? nihil hac ratione Sacramentum non erit: quot in Scriptura parabolæ ſunt & ſimilitudines, tot erunt Sacramenta. Quin etiam furtum Sacramentum erit: quandoquidem ſcriptum eſt, *Dies Domini ſicut fur.* Quis ferat iſtos Sophiſtas tam inſcite garrientes? Fateor quidem, quoties aſpicitur vitis, optimum eſſe in memoriam revocari quod ait Chriſtus, *Ego ſum vitis, vos palmites, Pater meus cultor.* Quoties occurrit paſtor cum grege, & illud etiam occurrere bonum eſſe, *Ego ſum paſtor bonus: oves meæ meam vocem audiunt.* Verum ſiquis tales ſimilitudines Sacramentis annumeret, in Anticyram mittendus ſit.

1 Cor. 15. v. 41, 42.
Matth. 13. verſ. 31.
ibid. v. 33.
Jeſa. 40. verſ. 11.
Jeſa. 42. verſ. 13.
1 Theſſ. 5. verſ. 2.
Joan. 15. verſ. 1, 5.
Joan. 10. verſ. 11.

Secundo, locum Apoſtoli, cujus interpretatio additur, adverſariorum errorem minime tueri oſtenditur.

35. Verba tamen Pauli obtrudunt, quibus Sacramenti nomen matrimonio attribui dicunt, *Qui uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo unquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carnem unam. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* At ſic tractare Scripturas, terram cælo miſcere eſt. Paulus ut oſtenderet maritis, quam ſingulari amore uxores ſuas complecti debeant, Chriſtum illis in exemplar proponit. Ut enim ille viſcera pietatis effudit in Eccleſiam, quam ſibi deſponderat; ſic unumquemque affectum eſſe vult erga propriam uxorem. Sequitur deinde, *Qui uxorem diligit, ſemetipſum diligit: quemadmodum Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Porro ut doceret quomodo Chriſtus dilexerit Eccleſiam perinde atque ſemetipſum, imo quomodo ſe unum fecerit cum ſponſa ſua Eccleſia, refert ad eum quæ Moſes narrat Adam de ſe dixiſſe.

Epheſ. 5. v. 28, 29, & ſeqq.

Quum

Geneſ. 2. verſ. 23.

Quum enim adducta eſſet in ejus conſpectum Heva, quam è ſua coſta formatam ſciebat: *Hæc*, inquit, *eſt os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Totum id ſpiritualiter impletum in Chriſto, & in nobis teſtatur Paulus, quum *membra nos eſſe* ait *corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus*, adeoque unam cum ipſo carnem. Tandem epiphonema ſubnectit, *Magnum hoc myſterium:* & ne quis amphibologia falleretur, exprimit ſe non de carnali viri & mulieris conjunctione loqui, ſed de ſpirituali Chriſti & Eccleſiæ conjugio. Et ſane vere magnum myſterium eſt, quod ſibi Chriſtus coſtam detrahi paſſus eſt unde formaremur: hoc eſt, quum fortis eſſet, debilis eſſe voluit, quo ſua fortitudine roboraremur: ut jam non vivamus ipſi, ſed vivat ipſe in nobis.

Gal. 2: 20.

Erroris occaſio, ex amphibologia. Sacramenti enim vocem male intellexerunt: unde multiplex orta eſt abſurditas, ut primum quod docent matrimonium eſſe Sacramentum: quod refutatur.

36. Impoſuit illis *Sacramenti* nomen. Verum æquumne erat ut eorum inſcitiæ pœnas tota Eccleſia penderet? *Myſterium* dixerat Paulus: quam dictionem quum relinquere poſſet Interpres, Latinis auribus non infrequentem, vel arcanum vertere; Sacramentum ponere maluit, non tamen alio ſenſu quam Græce à Paulo myſterium dictum erat. Eant nunc, & linguarum peritiam clamoſe inſectentur, quarum ignorantia in re facili & cuivis obvia tamdiu fœdiſſime hallucinati ſunt. Sed cur in uno hoc loco Sacramenti voculam tantopere urgent, aliquoties neglectam prætereunt? Nam & in epiſtola ad Timotheum priore à vulgari Interprete poſita eſt: ac in eadem ipſa ad Epheſios epiſtola, ubique pro myſterio. Condonetur tamen illis hic lapſus: ſaltem mendaces oportuerat eſſe memores. Matrimonium vero, Sacramenti titulo commendatum, immunditiem poſtea, & pollutionem, & carnales ſordes vocare quam vertiginoſa eſt levitas? Quam abſurdum eſt arcere à Sacramento Sacerdotes? Si à Sacramento ſe arcere negent, ſed à coitus tantum libidine: non ita mihi elabuntur. Nam & coitum ipſum partem eſſe Sacramenti tradunt: eoque demum figurari unionem quæ nobis eſt cum Chriſto, in naturæ conformitate: quia vir & mulier nonniſi carnali copula una caro fiant. Quanquam duo Sacramenta quidam eorum hic repererunt: alterum Dei & animæ, in ſponſo & ſponſa: alterum Chriſti & Eccleſiæ, in marito & uxore. Utcunque, coitus tamen Sacramentum eſt, à quo ullum Chriſtianum arceri nefas fuit. Niſi forte Chriſtianorum Sacramenta adeo male conveniunt, ſtare ut ſimul non poſſint. Eſt & altera in eorum dogmatibus abſurditas. In Sacramento conferri gratiam Spiritus ſancti affirmant: coitum tradunt eſſe Sacramentum: in coitu negant unquam Spiritum ſanctum adeſſe.

1 Tim. 3. v. 9. & 16. Eph. 3: 9. lib. 4. ſent. diſt. 17. c. 4. & in Decr. 27. q. 2. c. Quum ſocietas. Gl. c. Lex divina. ibid. Decr. lib. 4 ſent. diſt. 33. cap. 2. & in Decr. 31. q. 2. c. Quicquid.

Poſtremo, ubi id ſemel obtinuere, ad ſe quoque traxerunt matrimonialium cauſarum cognitionem. Tum leges ſanxerunt, partim impias, partim iniquiſſimas.

37. Ac ne ſimpliciter Eccleſiam luderent, quam longam errorum, mendaciorum, fraudum, nequitiarum ſeriem uni errori attexuerunt? ut dicas nihil aliud quam abominationum latebram quæſiiſſe, dum è matrimonio Sacramentum fecerunt. Ubi enim id ſemel obtinuere, conjugalium cauſarum cognitionem ad ſe traxerunt: quippe res ſpiritualis erat profanis judicibus non attrectanda. Tum leges ſanxerunt quibus tyrannidem ſuam firmarunt, ſed partim in Deum manifeſte impias, partim in homines iniquiſſimas. Quales ſunt, Ut conjugia inter adoleſcentulos, parentum injuſſu contracta, firma rataque maneant. Ne inter cognatos ad ſeptimum uſque gradum legitima ſint matrimonia: & quæ contracta ſunt, diſſolvantur. Gradus vero ipſos, contra gentium omnium jura, & Moſis quoque politiam confingunt. Ne viro qui adulteram repudiaverit, alteram inducere liceat. Ne ſpirituales cognati matrimonio copulentur. Ne à Septuageſima ad octavas Paſchæ, tribus hebdomadibus ante natalem Joannis, ab Adventu ad Epiphaniam nuptiæ celebrentur: & ſimiles innumeræ, quas recenſere longum fuerit. Et ex eorum cœno aliquando emergendum eſt, in quo jam diutius hæſit oratio quam animus ferebat. Aliquantulum tamen mihi profeciſſe videor, quod leonis pellem iſtis aſinis quadam ex parte detraxi.

Levit. 18. verſ. 6 & ſeqq.

Concluſio hujus capitis.

CAP. XX.

De politica adminiſtratione.

Conſtat hoc caput duabus præcipuis partibus.

1. *Generalis eſt tractatio de politicæ adminiſtrationis neceſſitate, dignitate & uſu, adverſus Anabaptiſtarum furores, ſect.* 1. 2. 3.
2. *Specialis additur explicatio trium partium quibus hæc adminiſtratio præcipue conſtat, à ſect.* 4. *uſque ad finem capitis.* I. *Pars prima agit de magiſtratuum functione, quorum auctoritas & vocatio probatur, ſect.* 4. 5. 6. 7. *Deinde, tres formæ civilis regiminis adduntur, ſect.* 8. *Tertio, de magiſtratus officio, pietatæ & juſtitiæ reſpectu diſſeritur, ubi de præmiis & pœnis, nempe de ſontibus plectendis, innocentibus tuendis, ſeditioſis reprimendis, pacis & belli artibus tractandis habetur diſputatio, ſect.* 9 10. 11. 12. 13. II. *Altera pars, de legibus, earum utilitate, neceſſitate, forma, auctoritate, conſtitutione & ſcopo, ſect.* 14. 15. 16. III. *Poſtrema eſt de populo, ubi primum exponitur, quis legum, judiciorum, magiſtratuum uſus ad communem Chriſtianorum ſocietatem redeat, ſect.* 17. 18. 19. 20. 21. *Secundo, quantum magiſtratibus privati deferre teneantur, & quouſque obedientia progredi debeat, à ſect.* 22. *uſque ad finem capitis.*

Altera & poſtrema pars totius operis, vita civilis inſtitutionem ſpectans.

Porro quum duplex in homine regimen ſuperius ſtatuerimus: & de altero illo, quod eſt in anima, ſeu interiori homine poſitum, æternamque vitam reſpicit, ſatis multa verba alibi fecerimus: de altero etiam, quod ad inſtituendam civilem duntaxat, externamque morum juſtitiam pertinet, nonnihil ut diſſeramus, locus hic appetit. Etſi enim à ſpirituali fidei doctrina, quam tractandam ſuſcepi, ſeparata eſſe videtur hujus argumenti ratio: progreſſus tamen oſtendet, merito à me conjungi, imo neceſſitate me impelli ut id faciam: præſertim quoniam ab una parte amentes & barbari homines ordinem hunc divinitus ſancitum, furioſe evertere conantur: Principum vero adulatores eorum potentiam ſine modo extollentes, Dei ipſius imperio opponere non dubitant. Utrique malo niſi obviam eatur, peribit fidei ſinceritas. Adde quod ſcire quam benigne hac in parte conſuluerit Deus generi humano, non parum noſtrâ refert, ut ad gratitudinem teſtandam majus in nobis vigeat pietatis ſtudium. Principio antequam in rem ipſam ingrediamur, tenenda illa eſt diſtinctio ante à nobis poſita, ne (quod multis vulgo accidit) hæc ſimul duo imprudenter permiſceamus quæ diverſam prorſus rationem habent. Illi enim quum in Evangelio promitti libertatem audiunt, quæ nullum inter homines regem, nullumque magiſtratum agnoſcat, ſed in Chriſtum unum intueatur: nullum libertatis ſuæ fructum capere ſe poſſe putant quamdiu aliquam ſupra ſe eminere poteſtatem vident. Itaque nihil fore ſalvum exiſtimant, niſi totus in novam faciem orbis reformetur:

Cujus tractatio eſt neceſſaria. *1. Ut Anabaptiſtæ refellantur.* *2. Item Principum adulatores.* *3. Ut ad gratitudinem erga Deum excitemur.* *Adverſus Anabaptiſt. errorem oſtenditur, politicam adminiſtrationem non adverſari Chriſtianæ libertati.*

tur: ubi nec judicia ſint, nec leges, nec magiſtratus, & ſiquid ſimile eſt quod officere ſuæ libertati opinantur.

Etiamſi à ſpirituali regno Chriſti eam diſtingui oporteat.

At vero qui inter corpus & animam, inter præſentem hanc fluxamque vitam, & futuram illam æternamque, diſcernere noverit: neque difficile intelliget, ſpirituale Chriſti regnum & civilem ordinationem, res eſſe plurimum ſepoſitas. Quum ergo Judaica illa ſit vanitas, Chriſti regnum ſub elementis hujus mundi quærere ac includere: nos magis quod perſpicue Scriptura docet, ſpiritualem eſſe fructum cogitantes, qui ex Chriſti beneficio colligitur, totam hanc libertatem, quæ in ipſo nobis promittitur atque offertur, meminerimus intra ſuos fines continere. Nam quid eſt quod

Gal. 5: 1. ipſe idem Apoſtolus, qui jubet ut ſtemus, nec ſub-
1 Cor. 7. jiciamur jugo ſervitutis, alibi ſollicitos eſſe ſervos
v. 20, 21. de ſtatu ſuo vetat: niſi quia ſpiritualis libertas cum politica ſervitute optime ſtare poteſt? In quem etiam ſenſum accipiendæ ſunt iſtæ ejus ſententiæ,
Gal. 3: 28. *In regno Dei non eſt Judæus neque Græcus, non maſ-*
Col. 3: 11. *culus aut fœmina, non ſervus aut liber.* Item, *Non eſt Judæus, nec Græcus; præputium, circumciſio; Barbarus, Scytha; ſervus, liber: ſed omnia in omnibus Chriſtus.* Quibus ſignificat, nihil referre qua ſis apud homines conditione, cujus gentis legibus vivas, quando in rebus iſtis minime ſitum eſt Chriſti regnum.

1. Anabaptiſtarum objectio, civilem adminiſtrationem homine Chriſtiano eſſe indignam.
2. Ejuſmodi in ſe eſſe, ut Chriſtianæ profeſſioni ex diametro repugnet.

2. Neque tamen eo iſta diſtinctio pertinet, quo totam politiæ rationem, rem eſſe pollutam reputemus, ad homines Chriſtianos nihil pertinentem. Sic quidem fanatici quos delectat effrenis licentia, vociferantur ac jactant, Poſtquam mortui ſumus per Chriſtum elementis hujus mundi, & tranſlati in regnum Dei, ſedemus inter cæleſtes: indignum hoc nobis eſſe, ac infra noſtram excellentiam longe poſitum, profanis iſtis ac impuris curis occupari quæ circa aliena à Chriſtiano homine negotia verſantur. Quorſum, inquiunt, leges ſine judiciis & tribunalibus? Quid autem cum judiciis ipſis homini Chriſtiano? Imo ſi occidere non licet, quo nobis leges & judicia?

Contra utramque objectionem oſtenditur, hanc adminiſtrationem ejuſmodi eſſe, ut vel in hac vita immortalitatem quodammodo auſpicetur.

Verum ut diſtinctum iſtud regiminis genus à ſpirituali illo & interno Chriſti regno nuper monuimus, ita nec quicquam pugnare ſciendum eſt. Nam illud quidem initia cæleſtis regni quædam jam nunc ſuper terram in nobis inchoat: & in hac mortali evanidaque vita, immortalem & incorruptibilem beatitudinem quodammodo auſpicatur: aut huic deſtinatum eſt, quamdiu inter homines agemus, externum Dei cultum fovere & tueri, ſanam pietatis doctrinam & Eccleſiæ ſtatum defendere, vitam noſtram ad hominum ſocietatem componere, ad civilem juſtitiam mores noſtros formare, nos inter nos conciliare, communem pacem ac tranquillitatem alere: quæ omnia ſupervacua eſſe fateor, ſi præſentem vitam extinguit regnum Dei, quale nunc intra nos eſt. Sin ita eſt voluntas Dei, nos dum ad veram patriam adſpiramus, peregrinari ſuper terram: ejus vero peregrinationis uſus talibus ſubſidiis indiget: qui ipſa ab homine tollunt, ſuam illi eripiunt humanitatem.

Nobis item in Eccleſia & politia verſantibus ſit apprime neceſſaria.

Nam quod tantam in Eccleſia Dei perfectionem debere eſſe cauſantur, cui ſua pro lege moderatio ſatis ſit: eam ſtolide ipſi imaginantur, quæ in hominum communitate reperiri nunquam poſſit. Quum enim tanta ſit improborum inſolentia, nequitia tam contumax, quæ multa legum ſeveritate coërceri vix poſſit: quid facturos expectamus ſi patere ſuæ improbitati videant impunitam licentiam? qui, ne male faciant, neque vi ſatis coguntur.

Reſponſionis hujus probatio: nempe hanc adminiſtrationem non tantum in rebus terrenis nobis uſui eſſe, ſed etiam ad Chriſti regnum & tuendum & propagandum.

3. Sed de politiæ uſu erit alius opportunior dicendi locus. Nunc iſtud tantum intelligi volumus, de ea exterminanda cogitare, immanem eſſe barbariem: cujus uſus non minor inter homines quam panis, aquæ, Solis & aëris: dignitas quidem multo etiam præſtantior. Non enim (quæ illorum omnium commoditas eſt) huc ſpectat duntaxat ut ſpirent homines, edant, bibant, foveantur (quanquam hæc certe omnia complectitur, dum efficit ut ſimul vivant: non tamen, inquam, huc ſpectat ſolum) ſed ne idololatria, ne in Dei nomen ſacrilegia, ne adverſus ejus veritatem blaſphemiæ, aliæque religionis offenſiones publice emergant ac in populum ſpargantur: ne publica quies perturbetur: ut ſuum cuique ſalvum ſit & incolume: ut innoxia inter ſe commercia homines agitent: ut honeſtas & modeſtia inter ipſos colatur. Denique, ut inter Chriſtianos publica religionis facies exiſtat, inter homines conſtet humanitas. Nec quenquam moveat quod recte conſtituendæ religionis curam ad hominum politiam nunc refero, quam extra hominum arbitrium poſuiſſe ſupra videor. Siquidem nihilo hic magis quam antea, leges de religione ac Dei cultu hominibus ſuo arbitrio ferre permitto quum politicam ordinationem probo, quæ in hoc incumbit ne vera religio, quæ Dei Lege continetur, palam, publiciſque ſacrilegiis impune violetur ac conſpurcetur.

Deinde, perſpicuitatis cauſa diſputatio ad tres partes præcipuas revocatur.

Verum ipſa ordinis perſpicuitate adjuti lectores, melius, quid de toto genere politicæ adminiſtrationis ſentiendum ſit, aſſequentur, ſi ejus partes ſeorſum pertractemus. Sunt autem tres: Magiſtratus, qui præſes eſt legum ac cuſtos: Leges, ſecundum quas ipſe imperat: Populus, qui legibus regitur, & magiſtratui paret. Videamus ergo primum de ipſa magiſtratus functione,

1. De magiſtratu.

num legitima ſit ac Deo probata vocatio, quale officium, quanta poteſtas: deinde quibus inſtituenda ſit legibus Chriſtiana politia: tum poſtremo, quis legum uſus ad populum redeat, quæ magiſtratui obedientia debeatur.

2. De legibus.
3. De populo.

Magiſtratuum functio, Dei voce & elogiis probata.
1. Dii vocantur.

4. Magiſtratuum functionem non modo ſibi probari acceptamque eſſe teſtatus eſt Dominus: ſed honorificentiſſimis inſuper elogiis ejus dignitatem proſequutus mirifice nobis commendavit. Ut pauca commemorem, Quod *Dii* nuncupantur quicunque magiſtratum gerunt, ne in ea appellatione
leve ineſſe momentum quis putet: ea enim ſigni- Exod. 22.
ficatur, mandatum à Deo habere, divina auctori- verſ. 8. 9.
tate præditos eſſe, ac omnino Dei perſonam ſuſti- Pſal. 82.
nere, cujus vices quodammodo agunt. Non meum verſ. 1, 6.
hoc eſt cavillum, ſed Chriſti interpretatio. *Si Scri-* Joan. 10.
ptura, inquit, *eos vocavit Deos, ad quos verbum Dei* v. 34, 35.
factum eſt. Quid hoc eſt, niſi demandatum illis eſſe à Deo negotium, ut illi in ſuo munere ſer-
viant? & (quod Judicibus ſuis dicebant Moſes & Deuter. 1.
Joſaphat, quos per ſingulas civitates Juda conſti- v. 16, 17.
tuebant) *judicium exerceant non pro homine, ſed pro* 2 Par. 19.
Deo? Eodem pertinet quod Sapientia Dei per os verſ. 6, 7.

2. A Dei ſapientia ordinatur.

Solomonis affirmat, ſuum eſſe opus, quod *Reges regnant, & Conſiliarii decernunt juſta:* quod *Princi-*
pes principatum gerunt, & munifici omnes Judices Prov. 8.
terræ. Perinde enim iſtud valet acſi dictum eſſet, verſ. 15.
non humana perverſitate fieri ut penes Reges & Præfectos alios ſit in terris rerum omnium arbitrium, ſed divina providentia & ſancta ordinatione: cui ſic viſum eſt res hominum moderari: quandoquidem illis adeſt ac etiam præeſt in ferendis legibus & judiciorum æquitate exercenda. Quod &
Paulus aperte docet, dum *Præfecturas* inter Dei Rom. 12.
dona enumerat, quæ ſecundum gratiæ diverſitatem verſ. 8.
varie diſtributa, à ſervis Chriſti in ædificationem Eccleſiæ conferri debeant. Tametſi enim illic proprie de ſenatu loquitur gravium virorum, qui in primitiva Eccleſia conſtituebantur ut conforman-
dæ publicæ diſciplinæ præeſſent (quod munus in 1 Cor. 12.
epiſtola ad Corinthios *κυβερνήσεις* vocat) quia tamen verſ. 28.
videmus eodem recidere finem civilis poteſtatis, non dubium quin omne juſtæ præfecturæ genus nobis commendet. Multo vero clarius, ubi juſtam ea
de re diſputationem inſtituit. Nam & *poteſtatem*, Rom. 13.
Dei ordinationem eſſe tradit: *nec poteſtates eſſe ullas,* verſ. 1, &c.
niſi

niſi à Deo ordinatas. Ipſos autem *Principes, miniſtros eſſe Dei bene agentibus, in laudem: malis, ad iram ultores.* Huc accedunt & ſanctorum virorum exempla: quorum alii regnis, ut David, Joſias, Ezechias: alii ſatrapiis, ut Joſeph, & Daniel: alii civilibus præfecturis in libero populo, ut Moſes, Joſue, ac Judices, functi ſunt: quorum functiones ſibi probatas eſſe Domious declaravit. Quare nulli jam dubium eſſe debet quin civilis poteſtas, vocatio ſit, non modo coram Deo ſancta & legitima, ſed ſacerrima etiam, & io tota mortalium vita longe omnium boneſtiſſima.

Sanctorum item virorum, qui in ea functione pie verſati ſunt, exemplis confirmatur.

Exceptio, Judaïs, non Chriſtianis inſtitutam fuiſſe banc politiam.

5. Excipiunt qui anarchiam inducere cuperent, quamvis olim rudi populo præfuerint Reges ac Judices, hodie tamen perfectioni quam Chriſtus cum Euangelio ſuo attulit, mioime quadrare ſervile illud gubernandi genus. In quo non ſuam modo inſcitiam, ſed diabolicum faſtum produnt, dum perfectionem ſibi arrogant, cujus ne centeſima quidem pars in illis conſpicitur. Verum qualeſcunque ſint, refutatio facilis eſt: quia ubi David Reges & præfectos omnes ad oſculandum Dei Filium hortatur, non jubet imperio depoſito ad privatam vitam concedere, ſed poteſtatem qua ſunt inſtructi, Chriſto ſubjicere: ut unus ſupra omnes emineat. Similiter Jeſaias, dum promittit *Reges fore Eccleſiæ nutricios, & Reginas nutrices*, non abdicat eos honore: quio potius honorifico elogio patronos conſtituit piis Dei cultoribus. nam ad Cbriſti adventum pertinet vaticinium illud. Plurima teſtimonia ſciens omitto quæ paſſim occurrunt, ac præſertim in Pſalmis, quibus ſuum jus præfectis omoibus aſſeritur. Omnium vero maxime illuſtris eſt locus Pauli, ubi Timotbeum admoneos, in cœtu publico concipiendas eſſe preces pro Regibus, rationem mox ſubjicit, *Ut tranquillam vitam ſub ipſis agamus cum omni pietate & boneſtate.* Quibus verbis eorum patrocioio & tutelæ ſtatum Eccleſiæ commeodat.

Reſponſio, ex Davide, Jeſaia & Paulo, magiſtratuum patrocinio & tutela ſtatum Eccleſiæ hodie commendari.

Pſalm. 2. v. 10, 12.

Jeſ. 49:23.

1 Tim. 2. verſ. 2.

Hujus doctrinæ uſus magiſtratuum reſpectu.

1. Maxima cum pietate, æquitate & diligentia, in ſuo munere verſari debent.

6. Quæ cogitatio magiſtratus ipſos aſſidue exercere debet, quando ingentem illis ſtimulum addere quo ad officium excitentur, & ſingularem conſolationem afferre poteſt, qua muneris ſui difficultates (quæ multæ certe & graves ſunt) leniant. Quantum enim iotegritatis, prudentiæ, manſuetudiois, continentiæ, innocentiæ ſtudium ſibiipſis imperare debent, qui divinæ juſtitiæ miniſtros ſe conſtitutos eſſe norunt? Qua fiducia iniquitatem in tribunal ſuum admitteot, quod Dei viventis thronum eſſe audiunt? Qua audacia injuſtam ſententiam pronunciabuot eo ore quod divinæ veritati deſignatum eſſe organum intelligunt? Qua conſcientia in impia decreta ſubſcribent ea manu quam ad perſcribenda Dei acta ſciunt ordinatam? In ſumma, ſi ſe Dei vicarios eſſe memioerint, omni cura, ſedulitate, induſtria invigilent oportet, quo hominibus quandam divinæ provideotiæ, cuſtodiæ, bonitatis, benevolentiæ, juſtitiæ, imaginem in ſe repræſentent. Ac perpetuo illud ſibi ſubjiciant, Si maledicuntur omnes *qui opus vindictæ Dei exequuntur in dolo*, multo gravius maledici, qui in juſta vocatione fraudulenter verſantur. Itaque quum ſuos Judices ad officium cohortari vellent Moſes & Joſaphat, nibil habuerunt efficacius quo illorum animos afficerent quam quod prius retulimus, *Videte quid agatis. non enim pro homine exercetis judicium, ſed pro Deo: quippe qui juxta vos eſt in cauſa judicii. Nunc igitur ſit pavor Domini ſuper vos. Videte, & agite: quoniam non eſt ulla perverſitas apud Dominum Deum noſtrum.* Et alio loco dicitur, *Deum ſtetiſſe in ſynagoga deorum, & in medio deorum judicem agere:* quo ad officium animentur, dum audiunt Dei ſe legatos eſſe, cui adminiſtratæ provinciæ rationem aliquando reddere oporteat. Et merito apud eos plurimum bæc admonitio valere debet: nam ſi quid delinquunt, non hominibus modo ſunt injurii, quos ſcelerate vexant, ſed in Deum quoque ipſum contumelioſi, cujus ſacroſancta judicia polluunt. Rurſum habeot & unde ſe præclare conſolentur, dum ſecum reputant non in profanis nec à ſervo Dei alienis occupationibus ſe verſari, ſed ſanctiſſimo munere: quippe qui Dei legatione funguntur.

Jerem. 48. verſ. 10.

Deuter. 1. verſ. 16.

2 Par. 19. verſ. 6.

Pſal. 82:1.

Jeſa. 3: 14.

2. Præclara fulciuntur conſolatione.

3. Anabaptiſtarum furores feſcere debent: quum iſti non homines, ſed Deum ipſum, ne regnet, abjiciant.

7. Qui vero non moventur tot Scripturæ teſtimoniis quominus ſacrum hoc miniſterium inſectari auſint, quaſi rem à religione & pietate Chriſtiana abborrentem: quid aliud quam Deum ipſum ſugillant: cujus ignominia cum miniſterii ſui probro non eſſe conjuncta non poteſt? Ac prorſus non magiſtratus reprobant, ſed *Deum abjiciunt ne ſuper ſe regnet.* Si enim iſtud vere de populo Iſraël à Domino dictum eſt, quod Samuelis imperium detrectaſſent: quî minus vere hodie de iis dicetur qui in præfecturas omnes à Deo inſtitutas debacchari ſibi permittunt? At quum diſcipulis dictum eſt à Domioo, *Reges gentium dominari illis, inter ipſos vero non ita eſſe, ubi qui primus ſit, fieri minimum oporteat:* hac voce interdictum eſt Chriſtianis omnibus ne regna aut præfecturas capeſſant. O dextros interpretes! Ioter diſcipulos orta erat contentio quis alium præcelleret: hanc vanam ambitionem ut compeſceret Dominus, eorum miniſterium non eſſe regois ſimile docuit, in quibus inter cæteros uous eminet. Quæ collatio quid quæſo ad ignominiam regiæ dignitatis facit? imo quid omnino evincit, oiſi Regium munus, Apoſtolicum non eſſe miniſterium? Præterea inter ipſos magiſtratus tametſi variæ ſunt formæ, nullum tamen diſcrimen hac io parte eſt, quin pro Dei ordinibus ſuſcipiendæ à nobis omnes ſint. Nam & omnes ſimul complectitur Paulus, quum ait *non eſſe poteſtatem niſi à Deo:* & quæ omnium minime arridebat, eximio præ aliis teſtimonio commendata eſt, nempe unius poteſtas: quæ quia publicam omoium ſervitutem ſecum fert (excepto uno illo cujus libidini omnia ſubjicit) heroicis & excellentioribus ingeniis minus olim approbari potuit. At Scriptura, quo iniquis iſtis judiciis occurrat, divinæ ſapientiæ providentiam eſſe nominatim affirmat quod Reges regnant: & peculiariter Regem honorari præcipit.

1 Sam. 8. verſ. 7.

Nec obſtat Chriſti dictum quod male intellectum peſſime animo abjiciunt.

Luc. 22. verſ. 25.

Omnes enim à Deo ordinata ſunt.

Rom. 13. verſ. 1, 2.

Nec refert qua ſit gubernationis forma.

Prov. 8. verſ. 15.

1 Pet. 2. verſ. 17.

8. Et ſane valde otioſum eſſet, quis potiſſimus ſit politiæ, in eo quo vivunt loco, futurus ſtatus, à privatis homioibus diſputari: quibus de conſtitueoda re aliqua publica deliberare non licet. Tum etiam ſimpliciter id definiri niſi temere non poſſet, quum magna hujus diſputationis ratio in circumſtaòtiis poſita ſit. Et ſi ipſos etiam ſtatus citra circumſtantias inter ſe compares, non facile ſit diſcernere quis utilitate præponderet, adeo æquis conditionibus contendunt. Proclivis eſt à regno in tyrannidem lapſus: ſed non multo difficilior ab optimatum poteſtate in paucorum factionem: multo vero facillimus, à populari dominatione in ſeditionem. Equidem ſi in ſe conſiderentur tres illæ, quas ponunt Philoſophi, regiminis formæ, minime negaverim vel ariſtocratiam, vel temperatum ex ipſa & politia ſtatum, aliis omnibus longe excellere: non id quidem per ſe, ſed quia rariſſime contingit Reges ita ſibi moderari, ut nunquam à juſto & recto diſcrepet eorum volontas: deinde, tanto acumine & prudeotia inſtructos eſſe ut unuſquiſque videat quantum ſatis eſt. Facit ergo bominum vitium vel defectus, ut tutius ſit ac magis tolerabile plures tenere gubernacula, ut alii aliis mutuo ſint adjutores, doceant ac moneant alii alios, ac ſi quis plus æquo ſe efferat, plures ſint ad cohibendam ejus libidinem cenſores ac magiſtri. Id cum experimento ipſo ſemper fuit comprobatum, tum ſua quoque auctoritate Dominus confirmavit, quum ariſtocratiam politiæ vicinam apud Iſraëlitas inſtituit, quum optima conditione eos habere vellet donec imaginem

Tres autem ſunt formæ regiminis civilis, Monarchia, Ariſtocratia, Democratia. Utra melior ſit, definiri certo non poteſt.

Porro, Ariſtocratia bene temperata, potior videtur.

Experimento ipſo & Dei auctoritate comprobata.

nem Chriſti produceret in Davide. Atque ut libenter fateor, nullum eſſe gubernationis genus iſto beatius, ubi libertas ad eam quam decet moderationem eſt compoſita, & ad diuturoitatem rite conſtituta: ſic & beatiſſimos ceo ſeo quibus bac conditione frui licet: & ſi in ea cooſervanda retinendaque ſtreoue ac conſtanter laborant, eos nihil ab officio alienum facere concedo. Quin etiam buc ſumma diligentia inteoti magiſtratus eſſe debent, nequa in parte libertatem, cujus præſides ſunt conſtituti, minui, nedum violari patiantur: ſi io eo ſuot ſegniores & parum ſolliciti, perfidi ſunt in officio, & patriæ ſuæ proditores. Verum ſi boc ipſum ad ſe transferant, quibus Dominus aliam gubernationis ſpeciem atiribuit, ut inde ad commutationem expetendam ſullicitentur, noo modo ſtulta erit & ſupervacua, ſed prorſus ooxia etiam cogitatio. Quod ſi non io unam duntaxat civitatem oculos defigas, ſed univerſum ſimul orbem circumſpicias ac contempleris, vel aſpectum in longiora ſaltem regionum ſpatia diffundas, comperies profecto divina providentia illud non abs re comparatum, ut diverſis politiis regiones variæ adminiſtreotur. Nam quemadmodum noooiſi inæquali temperatura, elementa inter ſe cohærent: ita bæ ſua quadam ioæqualitate optime contineotur. Quaoquam bæc etiam omnia fruſtra bis dicuntur quibus Domini voluntas ſatisfaciet. Nam ſi illi viſum eſt, reges regnis præficere, liberis civitatibus ſenatores aut decuriones, quoſcunque locis præfecerit in quibus degimus, noſtrum eſt iis nos morigeros ac obedientes præſtare.

Tres vero illa forma à Deo ſunt, cujus providentia fit ut & diverſis politiis variæ regiones adminiſtrentur.

Ultimus locus primæ partis, de magiſtratuum officio.

9. Jam officium magiſtratuum, quale verbo Dei deſcribitur, ac quibus in rebus ſitum ſit, obiter boc loco indicandum eſt. Extendi vero ad utramque Legis tabulam ſi non doceret Scriptura, ex profanis ſcriptoribus diſcendum eſſet: nullus eoim de magiſtratuum officio, ſerendis legibus & publico ſtatu diſſeruit, qui non exordium faceret à religione & divino cultu. Atque ita confeſſi ſunt omnes nullam politiam feliciter poſſe conſtitui, niſi prima cura pietatis ſit: & præpoſteras eſſe leges quæ neglecto Dei jure tantum hominibus conſulunt. Quum igitur apud omnes Philoſophos religio primum gradum teneat, ac univerſali gentium omnium conſenſu ſemper id obſervatum fuerit, Chriſtianos principes ac magiſtratus pudeat ſuæ ſocordiæ, niſi in hanc curam incumbant. Ac jam oſtendimus, has illis partes à Deo ſpecialiter injuogi: ſicuti æqoum eſt tuendo & aſſerendo ejus bonori operam impendere cujus vicarii ſunt, & cujus beoeficio imperant. Hoc quoque nomine maxime laudantur ſancti Reges in Scriptura, quod Dei cultum corruptum vel everſum reſtituerint, vel curam geſſerint religionis, ut ſub illis pura & incolumis floreret. Contra vero ſacra biſtoria inter vitia anarchias ponit, quod *non eſſet Rex in Iſraël*, ideoque *faceret quiſque quod placebat.* Unde coarguitur eorum ſtultitia qui vellent, neglecta Dei cura, jori inter homines dicundo tantum inteotos eſſe. Quaſi vero præfectos Deus ſuo nomine conſtituerit qui terrenas controverſias deciderent: quod vero longe gravioris momenti erat prætermiſerit, ut ipſe pure coleretur ex Legis ſuæ præſcripto. Sed buc turbulentos bomines impellit impune omnia novandi cupiditas, ut omnes violatæ pietatis vindices è medio ſublatos cupiant. Quod ad ſecundam tabulam pertinet, Regibus denunciat Jeremias ut *faciant judicium & juſtitiam, liberent vi oppreſſum de manu calumniatoris, peregrinum & viduam & pupillum ne contriſtent, ne injuriam faciant, & ſanguinem innocentem ne effundant.* Eodem ſpectat quæ in Pſal. 82. exhortatio legitur: *ut jus reddant pauperi & egeno, inopem & egenum abſolvant, eripiant pauperem & egenum è manu oppreſſoris.* Moſes vero principibus quos in vices ſuas ſuffecerat, edicit, *Audiant cauſam*

Horum prima cura debet eſſe, religionis Chriſtianæ & veræ pietatis conſervatio. Id exemplis & teſtimoniis probatur.

Argumento item à contrariis.
Jud. 21:25.
Ab abſurdo.

Altera cura, juſtitiæ adminiſtratio: quod teſtimoniis probatur.
Jer. 22: 3.

Deut. 1. verſ. 16.

fratrum ſuorum, & judicent inter virum & fratrem ejus, & peregrinum, neque facies agnoſcant in judicio, tam parvum quam magnum audiant, neque timeant ab ullo viro: quia judicium Dei eſt. Illa autem omitto; *Ne multiplicent ſibi equos Reges, ne ad avaritiam adjiciant animum, ne eleventur ſuper fratres ſuos: ut in meditanda Lege Domini ſint aſſidui cunctis diebus vitæ ſuæ.* Ne judices quivis declinent ad alteram partem, ne munera accipiant, & quæ paſſim io Scripturis ſimilia leguntur: quoniam io exponendo bic magiſtratuum officio, non tam magiſtratus ipſos inſtituere conſilium eſt, quam alios docere quid ſiot magiſtratus & quem in finem à Deo poſiti. Videmus ergo publicæ innocentiæ, modeſtiæ, honeſtatis & tranquillitatis protectores ſtatui ac vindices, quibus ſtudium unum ſit communi omnium ſaluti ac paci proſpicere. Quarum virtutum exemplar ſe fore David profitetur, ubi io regale ſolium evectus fuerit: ne ſcilicet conſentiat ullis ſceleribus, ſed deteſtetur impios, calumniatores & ſuperbos: conſiliarios vero probos & fidos undique accerſat. Id vero quum præſtare non poſſint, niſi viros bonos ab improborum injuriis prohibeant, oppreſſis adſiot ope ac præſidio, poteſtate quoque armati ſunt, qua palam maleficos ac facinoroſos (quorum oequitia perturbatur vel exagitatur publica quies) ſevere coërceant. Siquidem id prorſus experimur quod dicebat Solon, *Præmio & pœna res omnes publicas conſiſtere: iis ſublatis, totam civitatum diſciplinam collabi ac diſſipari.* Friget enim in multorum animis æqui juſtique cura, niſi virtuti paratus ſit ſuus bonos: nec contineri ſceleratorum bominum libido, niſi ſeveritate ac pœnarum animadverſione poteſt. Atque hæ duæ partes compreheoſæ ſunt à Propbeta, dum Reges alioſque præfectos jubet facere judicium & juſtitiam. Juſtitia quidem eſt, innocentes in fidem ſuſcipere, complecti, tueri, vindicare, liberare. Judicium autem, impiorum audaciæ obſiſtere, vim comprimere, delicta punire.

ibid. 17. verſ. 16.

ibid. 16. verſ. 19.

Pſal. 101. toto.

Ob eam cauſam poteſtate armati ſunt.

Præmio ſcilicet & pœna, quibus Reſpub. omnes conſiſtunt.

Jer. 21: 12. & 22: 3.

10. Verum ardua bic, ut videtur, & difficilis naſcitur quæſtio, Si lege Dei occidere Chriſtiani omnes vetantur, & Propheta de *monte ſancta* Dei, boc eſt, Eccleſia, vaticinatur quod *non affligent in ea, neque nocebunt*: quomodo magiſtratibus & piis ſimul & ſanguinariis eſſe licet? At ſi intelligamus, magiſtratum in exercendis ſuppliciis oon à ſe agere quicquam, ſed ipſiſſima Dei judicia exequi, nihil boc ſcrupulo impediemur. Occidere Lex Domini prohibet: at ne impunita ſint homicidia, gladium in manum ſuis miniſtris dat ipſe Legislator, quem io bomicidas omnes exerant. Affligere & nocere, piorum non eſt: atqui hoc nocere non eſt, nec affligere, piorum afflictiones Domini mandato ulciſci. Utinam iſtud ſemper animis noſtris obverſaretur, nihil hic homiois temeritate, ſed Dei jubentis auctoritate omnia fieri: qua præeunte, à recta via nunquam aberratur. Niſi forte divioæ juſtitiæ injectum eſt frenum oe de ſceleribus pœnas ſumat. Quod ſi illi legem dicere fas non eſt, cur ejus mioiſtris calumniam intendemus? *Non fruſtra gladium gerunt*, ioquit Paulus: *nam Dei miniſtri ſunt ad iram, ultores male agentibus.* Itaque, ſi nihil Domino ſua obedientia fore acceptius oorunt principes aliique præfecti, in boc miniſterium incumbant, ſi quidem ſuam Deo pietatem, juſtitiam, integritatem approbare ſtudent. Hoc ſcilicet affectu agebatur Moſes, quum ſe deſtinatum Domini virtute populi ſui liberatorem cognoſcens, Ægyptio manus intulit. Deinde quum cæſis uno die tribus hominum millibus, io populi ſacrilegium vindicavit. David quoque quum ſub vitæ ſuæ finem Solomoni filio præcepit de occidendo Joab & Semei. Unde etiam inter regias virtutes hanc commemorat, *perimere impios terræ, ut omnes operarii iniquitatis profligentur ex urbe Dei.* Quo etiam pertioet laus quæ Solomoni tribuitur,

Adverſus ſuperiorem doctrinam, qua magiſtratibus dat locum in Eccleſia Dei, Anabaptiſtarum objectiones. 1. Lex Dei Chriſtianos ab effuſione ſanguinis abſtinere jubet, & in Dei Eccleſia non erit qui affligat aut noceat, inquit Propheta. At magiſtratus ſanguinem effundunt: affligunt item & nocent. Ergo, &c.

Exod. 20. verſ. 13.
Deuter. 5. verſ. 17.
Mat. 5:21.
Jeſ. 11: 9. & 65: 25.

Reſp. Magiſtratus judicia Dei exequuntur, & adeo non peccant

Dilexiſti

ſcelerato: puniendo, ut hac ſit una è regiis virtutibus pietatiſque earum approbatio.

Id quod teſtimoniis Scripturæ, exemplis item Moſis, Davidis, Salomonis, confirmatur.

Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem. Quomodo lene illud & placidum Moſis ingenium in tantam truculentiam exardet, ut fratrum ſuorum ſanguine aſperſus ac madidus, per caſtra decurrat ad novas ſtrages? Quomodo David tanta in omni vita manſuetudine vir cruentum illud teſtameotum inter ultimos ſpiritus nuncupat, *ut filius ſuus canitiem* Joab & Semei *in pace ad ſepulcbrum deducat?* Verum uterque manus ſuas, quas parcendo inquinaſſet, ſic ſæviendo ſanctificavit, dum ultionem ſibi à Deo commiſſam exequutus eſt. *Abominatio eſt apud Reges*, inquit Solomo, *facere iniquitatem: quoniam in juſtitia ſolium firmatur.* Rurſum, *Rex qui ſedet in ſolio judicii, ſpargit oculos in omnem malum.* Item, *Diſſipat impios Rex ſapiens, & convertit ſuper eos rotam.* Item, *Aufer ſcoriam ab argento, & egredietur vas conflatori: aufer impium à conſpectu Regis, & ſtatuetur in juſtitia ſolium ejus.* Item, *Qui impium juſtificat, & qui condemnat juſtum, uterque abominatio eſt Domino.* Item, *Rebellis acquirit ſibi malum, & mittitur ad eum nuncius crudelis.* Item, *Qui dicit impio, Tu es juſtus: hunc populi maledicunt & nationes.* Nunc ſi vera eorum eſt juſtitia, ſtricto gladio ſontes & impios perſequi: gladium recondant & puras à ſanguine manus contineant, dum perditi homines nefarie per cædes interim & ſtrages graſſantur: ſumma ſeſe impietate obſtringent, tantum abeſt ut bonitatis & juſtitiæ laudem inde referant. Faceſſat modo abſciſſa ſævaque aſperitas, & tribunal illud quod *reorum ſcopulus* jure nominetur. Non enim is ſum qui aut importunæ ſævitiæ faveam, aut æquum judicium pronunciari poſſe cenſeam, niſi ſemper aſſidente optima illa Regum conſiliaria, & certiſſima, ut Solomo affirmat, regii throni conſervatrice, clementia: quam primam eſſe Principum dotem vere à quodam olim dictum eſt. Utrumque tamen magiſtratui videndum, ne aut nimia ſeveritate vulneret, magis quam medeatur: aut ſuperſtitioſa clementiæ affectatione, in crudeliſſimam incidat humanitatem, ſi molli diſſolutaque indulgentia cum multorum pernicie diffluat.. Eſt enim & iſtud non abs re quondam ſub Nervæ imperio jactatum, Malum quidem eſſe ſub Principe vivere, ſub quo nihil liceat: ſed multo pejus, ſub quo liceant omnia.

Rom. 13. verſ. 4.
Exod. 2. verſ. 12.
Actor. 7. v. 24, 25.
Exod. 32. verſ. 26. & ſeqq.
1 Reg. 2:5.
Pſa 101: 8.
Pſal. 45: 8.
Prov. 16. verſ. 12.
ibid. 20:8.
ib. 20: 26. & 25: 4.5.
Prov. 17. verſ. 15.
ibid. v. 11.
ib. 24: 24.
Tribunal Caſſii.

Hic autem vitandi duo ſcopuli, nimia clementiæ affectatio, & nimius rigor.

apud Dionem.

Ex ſuperiori reſponſione ſequitur, omnia bella quæ ad exercendam publicam vindictam ſuſcipiuntur, eſſe legitima.

11. Quando vero Regibus populiſque, ad exercendam hujuſmodi publicam vindictam, arma capere interdum neceſſe eſt: ex hac ratione ſimul æſtimare licet, legitima eſſe quæ ſic ſuſcipiuntur bella. *Ratio 1.* Nam ſi tradita illis eſt poteſtas qua ditionis ſuæ quietem tueantur, qua inquietorum hominum ſeditioſos motus comprimant, qua vi oppreſſis opitulentur, qua in maleficia animadvertant: an majore opportunitate proferre eam poſſint, quam ad compeſcendum ejus furorem, à quo & privatim ſingulorum otium, & communis omnium tranquillitas perturbatur? qui ſeditioſe tumultuatur, à quo violentiæ, oppreſſiones & indigna maleficia perpetrantur? *Ratio 2.* Si legum cuſtodes eſſe ipſos, & aſſertores convenit, omnium conatus pariter evertant oportet, quorum ſcelere legum diſciplina corrumpitur. *Ratio 3.* Imo ſi jure eos latrones plectunt, quorum injuriæ in paucos tantum progreſſæ fuerint: an totam latrocinis regionem impune affligi vaſtarique ſinent? Siquidem nihil intereſt, Rexne ſit, an infima de plebe, qui in alienam regionem, in quam juris nihil habet, irruit, eamque hoſtiliter vexat: omnes æque pro latronibus habendi ſunt & puniendi. *Concluſio.* Hoc ergo & naturalis æquitas & officii ratio dictat, armatos eſſe Principes non tantum ad privata maleficia judiciariis pœnis coërcenda, ſed ad ditiones quoque fidei ſuæ commiſſas, bello defendendas, ſiquando hoſtiliter impetantur. Et ejuſmodi bella Spiritus ſanctus multis Scripturæ teſtimoniis legitima eſſe declarat.

2. Objectio. Nullum exemplum aut teſtimonium extat in novo Teſtamento, quod doceat bellum rem eſſe licitam Chriſtianis.

Reſponſio trimembris, Auguſtini teſtimonio ex epiſt. 5. ad Marcell. confirmata.

Item Joannis Baptiſtæ præcepto ad milites.

Luc. 3: 14.

12. Quod ſi mihi objicitur, in novo Teſtamento nullum extare vel teſtimonium vel exemplum quod doceat bellum rem eſſe licitam Chriſtianis: primum reſpondeo, rationem gerendi belli, quæ olim fuit, hodie quoque permanere: neque eſſe ex adverſo cauſam quæ magiſtratus à ſuorum ſubditorum defenſione arceat. Deinde non eſſe quærendam in Apoſtolicis literis expreſſam iſtarum rerum enarrationem: ubi non politiam formare, ſed ſpirituale Chriſti regnum inſtituere, propoſitum eſt. Poſtremo illic quoque obiter indicari, Chriſtum ſuo adventu nihil hac in parte mutaſſe. *Nam, ſi Chriſtiana diſciplina* (ut Auguſtini verbis loquar) *omnia bella damnaret, hoc potius militibus conſilium ſalutis petentibus diceretur, ut arma abjicerent, ſeque militia penitus ſubducerent. Dictum eſt autem eis, Neminem concuſſeritis, nemini injuriam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.* Verum magiſtratuum omnium fuerit ſummopere hic cavere, ne cupiditatibus ſuis vel tantillum obſequantur: quin magis, ſive expetendæ ſunt pœnæ, non præcipiti iracundia ferantur, non rapiantur odio, non implacabili auſteritate ardeant: *miſereantur etiam communem in eo naturam* (ut Auguſtinus loquitur) *in quo puniant proprium delictum.* Sive arma in hoſtem, hoc eſt, armatum latronem induenda ſunt, non ex facili occaſionem captent: imo nec oblatam accipiant, niſi ſumma neceſſitate adacti. Nam ſi multo plus nobis præſtandum eſt quam exegerit Ethnicus ille, qui bellum videri voluit pacem quæſitam: omnia prius certe tentanda ſunt quam armis decernendum. In utroque demum genere, nullo privato affectu patiantur ſe corripi: ſed publico duntaxat ſenſu ducantur. Alioqui poteſtate ſua peſſime abutuotur: quæ non in ſuum illis commodum, ſed aliorum bonum ac miniſterium data eſt. Ex eodem præterea belligerandi jure pendet & præſidiorum, & fœderum, & civilium aliarum munitionum ratio. Præſidia autem voco quæ ad tuendos regionis fines, per civitates diſponuntur: fœdera, quæ à finitimis Principibus in hanc legem feruntur, ut ſiquid turbarum in agris ſuis inciderit, mutuam ſibi opem ferant, & vires in commune conferant ad opprimendos humani generis communes hoſtes: civiles munitiones, quarum in arte militari uſus eſt.

Interea cavendum, ne cupiditatibus ſuis, aut affectu magis quam boni publici ſenſu & amore, magiſtratus ducantur.

Cic. in lib. de Offic.

Hinc etiam ſequitur, præſidia, fœdera, & politica alia auxilia eſſe licita.

Tributa etiam & vectigalia.

13. Libet iſtud quoque poſtremo adjicere, tributa & vectigalia legitimos eſſe Principum reditus: quos ad ſuſtinenda quidem potiſſimum publica muneris ſui onera conferant, quibus tamen uti ſimiliter poſſint ad ſplendorem ſuum domeſticum, qui cum imperii, quod gerunt, dignitate quodammodo conjunctus eſt. Qualiter Davidem, Ezechiam, Joſiam, Joſaphat, alioſque ſanctos Reges, Joſeph etiam & Danielem, videmus pro perſonæ quam ſuſtinebant modo, inoffenſa pietate, fuiſſe ex publico ſumptuoſos, & ampliſſimum agri ſpatium Regibus attributum legimus apud Ezechielem. Ubi tametſi Chriſti ſpirituale depingit regnum, à legitimo tamen hominum regno ſimulachri exemplar petit. Sic quidem, ut viciſſim meminerint Principes ipſi, fiſcos ſuos non tam privatas eſſe arcas, quam totius populi æraria (ſic enim Paulus teſtatur) quæ prodigere aut dilapidare ſine manifeſta injuria non poſſint. Vel potius ipſum pene eſſe populi ſanguinem, cui non parcere duriſſima ſit inhumanitas: ſuas autem indictiones & oblationes aliaque tributorum genera, nonniſi publicæ neceſſitatis ſubſidia eſſe reputent, quibus miſeram plebem abſque cauſa fatigare, tyrannica ſit rapacitas. Hæc Principibus ad profuſionem & luxuriam ſumptuum non faciunt animos: (ut certe facem eorum cupiditatibus, plus juſto ſponte accenſis, ſubjicere

Ezech. 48. verſ. 21.

Quamvis & hic quoque magiſtratuum eſt cavere, ut quicquid audent, id bona coram Deo conſcientia audeant.

Rom. 13. verſ. 6.

cere opus non eſt) ſed quum plurimum referat, ipſos pura coram Deo conſcieotia audere quicquid audent, ne impia confidentia in Dei contemptum veniant, docendi ſunt quantum ſibi liceat. Neque hæc doctrina privatis hominibus ſupervacua eſt, ne quoſvis Principum ſumptus, tametſi vulgarem civilemque modum excedunt, temere ac procaciter ſugillare ſibi permittant.

Privati autem à calumniis in principes & magiſtratus abſtinere debent.

Altera pars tractationis, de legibus earumque utilitate & neceſſitate.

14. Proximæ ſunt magiſtratui in politiis leges, validiſſimi rerumpublicarum nervi, vel (quomodo ſecundum Platonem à Cicerone vocantur) animæ, ſine quibus conſiſtere nequit magiſtratus, quemadmodum nec ipſæ rurſum ſine magiſtratu quicquam vigoris habent. Proinde nibil dici verius porerat, quam mutum eſſe magiſtratum, legem: magiſtratum, legem eſſe vivam. Quod autem dicturum me recepi, quibus legibus conſtituenda ſit Chriſtiana politia, non eſt cur longam de optimo legum genere diſputationem quis expectet: quæ & immenſa foret, nec præſentis eſſet argumenti & loci: paucis tantum & quaſi in tranſcurſu notabo, quibus legibus pie coram Deo uti poſſit, & inter homines rite adminiſtrari. Quod etiam ipſum prorſus ſilentio tranſmittere maluiſſem, niſi intelligerem periculoſe bic à multis aberrari. Sunt enim qui recte compoſitam eſſe rempublicam negent, quæ neglectis Moſe politicis, communibus gentium legibus regitur. Quæ ſententia quam perticuloſa ſit & turbulenta, viderint alii: mibi falſam eſſe ac ſtolidam demonſtraſſe ſatis erit. Eſt autem obſervanda vulgata illa partitio, quæ univerſam Dei Legem per Moſen promulgatam in mores, ceremonias, judicia diſtribuit: ac diſpiciendæ ſingulæ partes, ut habeamus quid ex iis ad nos pertineat, quid minus. Nec interim quempiam moretur hic ſcrupulus, quod ad mores etiam judicia & ceremoniæ pertinent. Veteres enim qui partitionem hanc tradiderunt, tametſi duas iſtas poſteriores partes non ignorabant circa mores verſari, quia tamen ſalvis moribus mutari & abrogari poterant, morales non dixerunt. Primam illam partem peculiariter appellarunt eo nomine, citra quam non conſtet vera morum ſanctitas & immutabilis recte vivendi norma.

Sublato eorum errore qui Moſis politiam & leges in omni repub. retinendas contendunt.

Diſtinctio Legis per Moſen promulgata in moralem, ceremonialem & judicialem.

Summa & ſcopus Legis moralis.

15. Lex itaque moralis (ut inde primum incipiam) quum duobus capitibus contineatur, quorum alterum pura Deum fide & pietate colere, alterum ſincera homines dilectione complecti ſimpliciter jubet, vera eſt æternaque juſtitiæ regula, gentium omnium ac temporum hominibus præſcripta, qui ad Dei voluntatem vitam ſuam componere volent. Siquidem hæc æterna eſt & immutabilis ejus voluntas, ut à nobis ipſe quidem omnibus colatur, nos vero mutuo inter nos diligamus. Ceremonialis Judæorum pædagogia fuit, qua populi illius quandam velut pueritiam exercere Domino viſum eſt, donec veniret tempus illud plenitudinis quo ſapientiam ſuam terris ad plenum manifeſtaret, ac veritatem exhiberet earum rerum quæ tum figuris adumbrabantur. Judicialis, politiæ loco illis data, certas æquitatis & juſtitiæ formulas tradebat, quibus innocenter & quiete inter ſe agerent. Atque ut illa ceremoniarum exercitatio ad pietatis quidem doctrinam proprie pertinebat, (utpote quæ Judæorum Eccleſiam retinebat in Dei cultu ac religione) ab ipſa tamen pietate diſtingui poterat: ita hæc judiciorum forma (quanquam non alio ſpectabat, quam quî optime ſervari poſſet ea ipſa charitas quæ æterna Dei Lege præcipitur) ab ipſo tamen dilectionis præcepto diſtinctum quiddam habebat. Quemadmodum ergo ſalva & incolumi pietate abrogari potuerunt ceremoniæ: ita & judiciariis his conſtitutionibus ſublatis, perpetua charitatis officia & præcepta manere poſſunt. Quod ſi verum eſt, libertas certe ſingulis gentibus relicta eſt condendi quas ſibi conducere providerint leges: quæ tamen ad perpetuam illam charitatis regulam exigantur, ut forma quidem varient, rationem habeant eandem. Nam barbaras illas & feras leges, quâles fuerunt quæ fures honore proſequebantur, quæ promiſcuos coitus permittebant, aliæque multo tum fœdiores tum abſurdiores, pro legibus habendas minime cenſeo: quandoquidem abhorrent ab omni non juſtitia modo, ſed bumanitate etiam & manſuetudine.

Ceremonialis.

Gal. 3: 24.
ibid. 4: 4.

Judicialis.

Concluſio, ſingulis gentibus libertatem eſſe condendi leges quas ſibi conducere providerint, modo ad perpetuam charitatis regulam exigantur.

Ideo in omnibus legibus vigere debent æquitas & conſtitutio: quarum prior immota eſſe debet; altera variare poteſt, pro ratione circumſtantiarum.

16. Id quod dixi planum fiet, ſi in legibus omnibus duo bæc, ut decet, intuemur, legis conſtitutionem & æquitatem, cujus ratione conſtitutio ipſa fundata eſt ac nititur. Æquitas, quia naturalis eſt, non niſi una omnium eſſe poteſt: ideo & legibus omnibus, pro negotii genere, eadem propoſita eſſe debet. Conſtitutiones, quia circumſtantias aliquas habent à quibus pro parte pendeant, modo in eundem æquitatis ſcopum omnes pariter intendant, diverſas eſſe nihil obeſt. Jam quum Dei Legem quam moralem vocamus, conſtet non aliud eſſe quam naturalis legis teſtimonium, & ejus conſcientiæ quæ hominum animis à Deo inſculpta eſt, tota bujus de qua nunc loquimur æquitatis ratio io ipſa præſcripta eſt. Proinde ſola quoque ipſa legum omnium & ſcopus, & regula, & terminus ſit oportet. Ad eam regulam quæcunque formatæ erunt leges, quæ in eum ſcopum directæ, quæ eo termino limitatæ, non eſt cur à nobis improbentur, utcunque vel à lege Judaica, vel inter ſe ipſæ alias differant. Lex Dei furari prohibet. Quæ furtis conſtituta fuerit pœna in politia Judæorum, videre eſt io Exodo. Aliarum gentium vetuſtiſſimæ leges furtum duplo puniebant: quæ poſtea ſequutæ ſunt, diſcreverunt inter manifeſtum & non manifeſtum. Aliæ ad exilium progreſſæ ſunt, aliæ ad flagrum, aliæ denique ad capitis ſupplicium. Falſum teſtimonium talionis pœna inter Judæos plectebatur: alibi gravi tantum ignominia, alibi ſuſpendio, alibi cruce. Homicidium omnes pariter leges ſanguine ulciſcuntur, diverſis tamen mortis generibus. In adulteros alibi ſeveriores, alibi leviores edictæ ſunt pœnæ. Videmus tamen ut ejuſmodi diverſitate in eundem omnes finem tendant. Nam uno ſimul ore pœnam pronunciant in ea quæ æterna Dei Lege damnata ſunt facinora: nempe homicidia, furta, adulteria, falſa teſtimonia: ſed in pœnæ modo non conveniunt. neque vero id neceſſe eſt, neque etiam expedit. Eſt regio, quæ niſi horrendis exemplis in bomicidas ſæviat, cædibus ſtatim & latrociniis perdenda ſit. Eſt ſeculum, quod pœnarum acerbitatem augeri poſtulet. Siquid turbatum ſit in ſtatu publico, novis edictis corrigenda ſunt quæ iode naſci ſolent mala. Belli tempore io armorum ſtrepitu concideret omnis bumanitas niſi inſolito pœnarum metu injecto. In ſterilitate, in peſtilentia, niſi adhibeatur major ſeveritas, peſſum ibunt omoia. Eſt gens in vitium quoddam propenſior niſi acerrime compeſcatur. Quam malignus fuerit, ac publico bono invidus, qui tali diverſitate offendetur, ad retinendam Legis Dei obſervationem accommodatiſſima? Nam quod jactatur à quibuſdam, fieri contumeliam Legi Dei per Moſem latæ, quum abrogata illa, novæ aliæ illi præferuntur, vaniſſimum eſt: neque enim aliæ illi præfetuntur dum magis probantur, non ſimplici collatione, ſed temporum, loci, gentis conditione: aut illa abrogatur quæ nobis lata nunquam fuit. Siquidem non eam Dominus per manum Moſis tradidit quæ in gentes omnes promulgaretur, & ubique vigeret: ſed quum Judaicam gentem in fidem, patrocinium, clientelam ſuam ſuſcepiſſet, illi etiam peculiariter legislator eſſe voluit: ac quod ſapieotis legislatoris erat, ſingularem quandam ejus rationem in ferendis legibus babuit.

Id exemplis quibuſdam illuſtratur, pœnis ex legibus adverſus fures, falſos teſtes, homicidas, adulteros.

Æquitas damnat apud omnes populos ejuſmodi ſcelera: conſtitutio ſuppliciorum varia eſt.

Alia conſtitutionis conſideratio, pro ratione temporum & perſonarum.

Lex politica Moſis quomodo etiamnum viget & abrogata eſt.

17. Supereſt nunc ut videamus quod poſtremo loco

Poſtrema pars tra-

ſtationis ſpecialis de adminiſtratione politica, populum reſpiciens. Hujus ſumma ad duo capita refertur.

1. De uſu legum, reſpectu privatorum.

loco propoſitum erat, Quis legum, judiciorum, magiſtratuum uſus ad communem Chriſtianorum ſocietatem redeat. Cui etiam annexa eſt altera quæſtio, Quantum magiſtratibus debeant privati homines deferre, & quouſque obedientia progredi debeat. Plurimis videtur ſupervacaneum eſſe munus magiſtratus inter Chriſtianos, quod ſcilicet implorare pie non poſſint, ut pote quibus vindicare, in judicium poſtulare, litigare, vetitum ſit. At quum Paulus contra clare teſtetur, *miniſtrum Dei nobis eſſe in bonum*: ex eo intelligimus, ita divinitus ordioatum eſſe, ut ejus manu ac præſidiis adverſus flagitioſorum hominum improbitatem & injurias defenſi, quietam ac ſecuram vitam agamus. Quod ſi fruſtra in præſidium nobis à Domino datus eſt, niſi tali oobis beneficio uti licet, ſatis apparet implorari quoque & appellari noo impie poſſe. Hic vero mihi cum duplici hominum genere agendum eſt: ſunt enim permulti qui tanta litigandi rabie æſtuant, ut quietem nunquam habeant apud ſe, niſi cum aliis pugnent. Lites vero ipſas & capitali odiorum acerbitate, & inſana vindicandi oocendique cupiditate exequuotur, & implacabili pertinacia perſequuotur ad ſui uſque adverſarii ruinam. Interim nequid niſi jure agere exiſtimentur, judiciorum prætextu talem perverſitatem defendunt. At ſi cum fratre judicio agere permiſſum eſt, non protinus odiſſe ipſum licet, non furioſo nocendi ſtudio in illum ferri, non pertinaciter ioſequi.

Rom. 13. verſ. 4.

Stabilita magiſtratuum auctoritate, in adminiſtranda civili & criminali (quam vocant) juſtitia: primum in homines cum animi impotentia litigantes invehitur.

Et quæ ſit moderatio, ad cujus normam iſtiuſmodi litigantes exigere ſe debeant, oſtenditur.

18. Sic ergo tales habeant, Legitima eſſe judicia ſiquis recte utatur. Rectum autem eſſe uſum, tum actori, agendi; tum defendendi, reo: ſi hic quidem poſtulatus ad condictam diem ſe ſiſtit, & qua poteſt exceptione cauſam defendit citra acerbitatem: ſed hoc tantum affectu, ut quod ſuum eſt jure tueatur: ille vero indigne ſive io capite, ſive in fortunis oppreſſus, io magiſtratus fidem ſe conferat, querimoniam exponat, quod æquum eſt ac bonum poſtulet: ſed omni procul nocendi vindicandive libidine, procul a ſperitate & odio, procul conteotionis ardore: quin potius paratus ſuo cedere, & quidvis perpeti, quam inimico in adverſarium animo ferri. Contra ubi animi malevolentia ſuffuſi ſunt, corrupti invidia, iracundia inceoſi, ultionem ſpirantes, aut ſic denique ardore certaminis ioflammati ut de charitate aliquid remittant: tota etiam juſtiſſimæ cauſæ actio non impia eſſe non poteſt. Nam hoc conſtitutum eſſe axioma Chriſtianis omnibus convenit: nunquam quantumvis æquam litem juſte tractari à quovis poſſe, niſi pari adverſarium dilectione benevolentiaque proſequatur, acſi jam amice, quod controvertitur negotium traoſactum ac compoſitum eſſet. Injecerit forte aliquis, talem moderationem adeo nunquam in judicium afferri, ut inſtar ſit prodigii futura ſi qua reperta fuerit. Fateor ſane, ut ſunt horum temporum mores, rarum extare probi litigatoris exemplum: ſed res tameo ipſa oullius mali acceſſione inquinata, bona eſſe & pura non deſinit. Cæterum quum ſanctum eſſe Dei donum audimus auxilium magiſtratus, eo diligeotius cavendum eſt ne noſtro vitio polluatur.

Deinde refelluntur Anabaptiſtæ qui judiciarias omnes diſceptationes præciſe damnant.

19. Qui vero judiciarias omnes diſceptationes præciſe damnant, intelligant ſe ſanctam Dei ordinationem ſimul repudiare, & donum ex eorum genere quæ mundis munda eſſe poſſunt: oiſi forte Paulum flagitii inſimulare volent, qui & accuſatorum calumoiis, eorum quoque vafritiem & malitiam exponendo, à ſe depulit: & Romanæ civitatis prærogativam ſibi in judiciis aſſeruit: & ab iniquo præſide, ad Cæſaris tribunal, quum opus fuit, provocavit. Nec obeſt quod Chriſtianis omnibus interdicta eſt vindictæ cupiditas, quam & nos à Chriſtianis ſubſelliis longiſſime abigimus. Nam ſive civiliter contenditur, noo recta incedit via niſi qui innoxia ſimplicitate rem ſuam judici tanquam publico tutori commendat, nihil minus quam mutuam mali vicem (qui eſt vindictæ affectus) rependere cogitans: ſive capitalis aut gravior aliqua intenditur actio, eum accuſatorem requirimus qui nullo olciſcendi æſtu correptus, nulla privatæ injuriæ offenſione tactus, in forum accedat; ſed in aoimo duntaxat habens, pernicioſi hominis conatus impedire, ne reipublicæ noceant. Quod ſi vindicem animum tollis, nihil in mandatum illud delinquitur quo ultio Chriſtianis interdicitur. At non ſolum vindictam appetere vetantur, ſed manum quoque Domini jubeotur expectare, qui ſe oppreſſis & afflictis adfuturum ultorem pollicetur: illam autem cæleſtis patroni ultionem omnem antevertunt, qui opem aut ſibi aut aliis ferri à magiſtratu poſtulant. Minime id vero: ſiquidem magiſtratus vindictam non hominis, ſed Dei eſſe cogitandum eſt, quam per hominis miniſteriom in bonum noſtrum (ut ait Paulus) exerit atque exercet.

Act. 22: 1. & 24: 12. ib. 16: 37. & 22: 25. & 25: 10.

Objectio 1. Chriſtianis interdictam eſſe vindictam.

Levit. 19. verſ. 18. Mat. 5: 39. Deut. 32. verſ. 35. Rom. 12. verſ. 19.

Reſponſio.

Objectio 2. Chriſtiani jubentur expectare Dominum.

Reſponſio.

Rom. 13. verſ. 4.

Objectio 3. Chriſtus reſiſtere malo prohibet, &c.

Mat. 5: 39.

Reſponſio.

20. Nihilo etiam magis cum Chriſti verbis pugnamus, quibus *reſiſtere malo* prohibet, & *dexteram maxillam obvertere* præcipit *ei qui alapam in ſiniſtram impegerit: permittereque ei pallium qui tunicam auferat.* Vult quidem illic ſuorum animos à retaliandi cupidine tantopere abhorrere, ut citius duplicari in ſe injuriam laturi ſint, quam rependere eam appetant: à qua quidem patientia nec ipſi eos abducimus. Vere enim Chriſtianos eſſe oportet hominum genus ad contumelias injuriaſque ferendas natum, peſſimorum hominum nequitiæ, impoſturis, ludibriis expoſitum. neque id modo: ſed eorum omnium malorum tolerantes eſſe oportet: hoc eſt, ſic totis animis compoſitos ut ſuſcepta una offenſione, ad alteram ſe comparent, nihil ſibi in totam vitam promittentes quam perpetuæ crucis tolerantiam. Interim & *iis qui ſibi injurii ſunt benefaciant, & maledicentibus bene precentur*: & (quæ unica eſt ſua victoria) *bono malum vincere* contendant. Sic affecti non quærent *oculum pro oculo*, *dentem pro dente* (qualiter ſuos diſcipulos inſtituebant Phariſæi, ad appetendam ultionem) ſed (quomodo à Chriſto erudimur) & corpus ſuum mutilari, & malitioſe ſua ſibi eripi ſic ferent, ut eas injurias, ſimulac irrogatæ ſibi fuerint, remiſſuri ſint ac ultro condonaturi. Neque iſthæc tamen aoimorum æquitas & moderatio impediet quin integra in ſuos inimicos amicitia, magiſtratus ope ad rerum ſuarum cooſervationem utantur: aut publici boni ſtudio, ſontem ac peſtilentem hominem ad pœnam poſtulent, quem emendari niſi morte non poſſe noverint. Vere enim Auguſtinus hæc præcepta omnia eo tendere interpretatur, *ut paratus ſit homo juſtus & pius eorum malitiam patienter ſuſtinere quos fieri bonos quærit: ut numerus potius creſcat bonorum, non ut pari malitia ſe quoque numero addat malorum: deinde ad præparationem cordis quæ intus eſt, magis pertinere quam ad opus quod in aperto fit: ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentia: in manifeſto autem id fiat quod illis videmus prodeſſe poſſe quibus bene velle debemus.*

Rom. 12. v. 20, 21.

Matth. 5. v. 38, 39.

Chriſtiani poſſunt Chriſti dicto ſatisfacere & magiſtratus ope ſimul uti.

epiſt. 5. ad Marcellinum.

Objectio 4. Paulus in univerſum lites damnavit.

1 Cor. 6. verſ. 6, 7.

Reſponſio, locum Apoſtoli explanans.

21. Quod autem objectari ſolet, lites à Paulo in univerſum eſſe damnatas, id quoque falſum eſt. Intelligi ex ejus verbis facile poteſt, immodicum fuiſſe litigandi furorem io Corinthiorum Eccleſia: uſque eo ut Chriſti Euangelium & totam quam profitebantur religionem, impiorum cavillis ac maledicentiæ exponerent. Id primum reprehendit in illis Paulus, quod Euangelium apud infideles diſſenſionum ſuarum intemperie traducerent. Deinde & hoc ipſum, quod eum in modum inter ſe diſſiderent fratres cum fratribus. Tam enim procul à ferenda injuria alieni erant, ut alii aliorum fortunis avide inhiarent, ultro laceſſerent, & damnum inferrent. In illam ergo litigandi ioſaniam

inve-

Inſtantia.

invehitur, non ſimpliciter in quasvis controverſias. At omnino vitium vel infirmitatem eſſe pronunciat, quod non potius damnum acciperent rerum ſuarum, quam pro his conſervandis ad contentiones uſque laborarent: nempe quum adeo facile quibuslibet damnis commoverentur, & minimis de cauſis ad forum & lites decurrerent, hoc indicio eſſe dicit, quod animo eſſent nimis irritabili, & ad patientiam minus comparato. Id ſane Chriſtianis agendum eſt, ut de ſuo jure decedere ſemper maliot quam in forum progredi: unde vix exire poſſint niſi commotiore animo & in fratris odium accenſo. Verum ubi quis citra charitatis diſpendium rem ſuam ſe poſſe tueri viderit, cujus jactura gravi ſibi diſpendio futura ſit, id ſi faciat, nihil in iſtam Pauli ſententiam delinquit. Denique (quod initio docuimus) optimum cuique conſilium dabit charitas, ſine qua quæcunque ſuſcipiuntur, & ultra quam quæ progrediuntur diſceptationes, injuſtas eſſe & impias, extra controverſiam ponimus.

Chriſtianorum in litibus perſequendis officium.

Alterum caput poſtrema partis, de reverentia & obedientia quam privati magiſtratibus debent. Primum autem reverentia exigit, ut de magiſtratuum functione privati quam honorificentiſſime ſentiant.

22. Subditorum erga ſuos magiſtratus officium primum eſt, de eorum functione quam honorificentiſſime ſentire, quam ſcilicet velut delegatam à Deo juriſdictionem agnoſcunt: eoſque ob id ſuſpicere ac revereri ut Dei miniſtros ac legatos. Quoſdam enim reperias qui ſuis ſe magiſtratibus valde obſequentes præbeant, ac nolint quidem non eſſe quibus obſequantur, quod bono publico ita expedire norunt: de ipſis tamen magiſtratibus non ſecus exiſtiment ac malis quibuſdam neceſſariis. Verum plus quiddam à nobis requirit Petrus, quum *Regem honorari*; & Solomo, quum *Deum & Regem timere* præcipit. Ille enim ſub honorandi verbo ſinceram ac candidam exiſtimationem complectitur: hic Regem cum Deo conjungens, ſanctæ cujuſdam venerationis ac dignitatis plenum eſſe oſtendit. Eſt & illud præclarum apud Paulum elogium, *Ut obediamus non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam.* Quo intelligit, non terrore modo principum ac præfectorum adduci ſubditos debere ut in eorum ſubjectione contineantur, (qualiter ſuccumbere hoſti armato ſolent qui vindictam fore promptam vident ſi reſtiterint) verum quia Deo ipſi redduntur obſequia quæ iſtis præſtantur, quando eorum poteſtas à Deo eſt. De hominibus non diſputo, acſi larva dignitatis ſtultitiam, vel ignaviam, vel crudelitatem moreſque improbos & flagitii plenos tegeret, atque ita vitiis acquireret laudem virtutum: ſed dico ordinem ipſum honore & reverentia dignum eſſe: ut quicunque præſunt, apud nos ſint in pretio, & venerationem obtineant præfecturæ ſuæ reſpectu.

1 Pet. 2: 17.
Prov. 24. verſ. 21.
Rom. 13. verſ. 5.

Deinde, ut obedientiam præſtent.

23. Ex eo & alterum deinde ſequitur, ut propenſis in eorum obſervationem animis, ſuam illis obedientiam approbent: ſive edictis parendum, ſive tributa ſolvenda, ſive ſubeunda publica munera atque onera quæ ad communem defenſionem ſpectent, ſive quæ alia juſſa capeſſenda. *Omnis anima*, inquit Paulus, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: qui enim poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Admoneto illos* (ſcribit idem Tito) *ut principatibus ac poteſtatibus ſubditi ſint, ut magiſtratibus pareant, ut ad omne opus bonum ſint parati.* Et Petrus, *Subditi*, inquit, *eſtote cuivis humanæ creaturæ* (vel potius, ut ego quidem interpretor, *ordinationi*) *propter Dominum: ſive Regi tanquam præcellenti; ſive præſidibus, qui per eum mittuntur, ad vindictam quidem nocentium, laudem vero recte agentium.* Porro quo non ſubjectionem ſimulare, ſed ſincere & ex animo ſubjectos ſe eſſe teſtentur, addit Paulus, ut eorum ſub quibus vivunt ſalutem ac proſperitatem Deo commendent. *Adhortor*, inquit, *ut fiant deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus in eminentia conſtitutis, ut placidam & quietam vitam degamus, cum omni pietate ac honeſtate.* Neque hic ſe quiſquam fallat. Quando enim reſiſti magiſtratui non poteſt quin ſimul Deo reſiſtatur: etiamſi impune contemni videtur poſſe inermis magiſtratus, Deus tamen armatus eſt qui ſui contemptum fortiter ulciſcatur. Sub hac præterea obedientia moderationem comprehendo, quam ſibi in publico imperare debent privati homines, ne ſe ultro admiſceant publicis negotiis, aut temere irrumpant in partes magiſtratus, ac nequid omnino publice moliantur. Siquid in publica ordinatione corrigi intererit, non tumultuentur ipſi, nec admoveant operi manus, quas illis omnibus ligatas eſſe hac in parte decet: ſed ad magiſtratus cognitionem deferant, cujus unius hic ſoluta eſt manus. Intelligo autem, nequid injuſſi audeant: nam ubi acceſſit præfecti imperium, jam ipſi quoque publica auctoritate præditi ſunt. Ut enim aures atque oculos principis vocare vulgo ſolent ejus conſiliarios: ita non inſulſe principis manus quis dicat quos rebus agendis mandato ſuo præfecerit.

Rom. 13. verſ. 1.
Tit. 1: 3.
1 Pet. 2: 13.

Idque ſincero animi affectu.

Magiſtratuum ſalutem ac proſperitatem Deo commendantes.

1 Tim. 2. verſ. 1.
Rom. 13. v. 1, 2, 3.

Moderate viventes, & in officio ſe continentes.

Non tumultuantes.

Nec in partes magiſtratus temere irrumpentes.

24. Quoniam autem hactenus magiſtratum deſcripſimus qui vere ſit quod dicitur, ille ſcilicet patriæ pater, & (ut Poëta loquitur) paſtor populi, cuſtos pacis, præſes juſtitiæ, innocentiæ vindex: inſanus merito judicandus ſit cui tale non probetur imperium. Ac quum omnium prope ſeculorum hoc exemplum ſit, ut principum alii, eorum omnium ſecuri quibus providendis intenti eſſe debuerant, procul omni ſollicitudine ſocordes delicientur: alii ad rem ſuam attenti, jura omnia, privilegia, judicia, diplomata, venalia proſtituant: alii plebeculam exhauriant pecunia quam poſtea inſanis largitionibus profundant: alii expilandis domibus, virginibus ac matronis violandis, mactandis innocentibus, mera latrocinia exerceant: eos vero pro principibus agnoſcendos eſſe, quorum imperio, quoad licet, parendum ſit, multis perſuaderi non poteſt. Siquidem dum in tanta indignitate ac inter tam aliena, non à magiſtratus modo, ſed hominis quoque officio, facinora, nullam ſpeciem imaginis Dei intuentur quæ in magiſtratu elucere debuerat: dum nullum conſpiciunt veſtigium ejus miniſtri Dei, qui in laudem bonis, malis in ultionem datus erat: ita neque etiam præfectum illum agnoſcunt, cujus dignitatem atque auctoritatem Scriptura commendat. Et ſane is ſemper hominum animis ingenitus fuit ſenſus, non minore tyrannos odio atque execratione inſectari, quam dilectione & veneratione proſequi legitimos Reges.

Hæc bonis principibus & magiſtratibus utcunque ſe debere fateantur omnes, multi tamen ſunt quibus perſuaderi non poteſt in ipſa tyrannis deberi.

25. Verum ſi in Dei verbum reſpicimus, longius nos deducet, ut non eorum modo principum imperio ſubditi ſimus, qui probe, & qua debent fide, munere ſuo erga nos defunguntur: ſed omnium qui quoquo modo rerum potiuntur, etiamſi nihil minus præſtent quam quod ex officio erat principum. Tametſi enim ſummum ſuæ beneficentiæ munus eſſe magiſtratum, ad ſalutem hominum conſervandam, teſtatur Dominus, ac ſuos magiſtratibus ipſis fines præſcribit: ſimul tamen declarat, qualeſcunque ſint, non niſi à ſe habere imperium. Eos quidem qui publico bono imperant, vera ejus ſuæ beneficentiæ exemplaria eſſe & ſpecimina: qui vero injuſte & impotenter dominantur, eos ad vindicandam populi iniquitatem à ſe excitatos: omnes ex æquo ſancta illa majeſtate eſſe præditos qua legitimam poteſtatem inſtruxit. Non ultra progrediar donec certa ejus rei aliquot teſtimonia ſubjecero. Nec tamen quo furorem Domini ſuper terram eſſe impium Regem, confirmemus, laborandum eſt, quando neminem futurum arbitror qui reclamet, nec ſic de Rege plus dictum fuerit quam de prædone qui rem tuam diripiat: & adultero, qui thorum tuum polluat: de ſicario, qui te ad

At Dei verbum jubet us non tantum bonis ſubditi ſimus, ſed etiam omnibus qui rerum potiuntur, etiamſi nihil minus præſtent, quam quod ex officio erat principum.

Job. 34: 30.
Oſeæ 13. verſ. 11.
Jeſ. 3: 4.
Jeſ. 10: 5.
Deut. 28. verſ. 29.

cædem

cædem appetat: quum hujuſmodi calamitates omnes, inter Dei maledictiones Scriptura recenſeat. Verum in eo probando inſiſtamus magis, quod non ita facile in hominum mentes cadit: in homine deterrimo honoreque omni indigniſſimo, penes quem modo ſit publica poteſtas, præclaram illam & divinam poteſtatem reſidere, quam Dominus juſtitiæ ac judicii ſui miniſtris verbo ſuo detulit: proinde à ſubditis eadem in reverentia & dignatione habendum, quantum ad publicam obedientiam attinet, qua optimum Regem, ſi daretur, habituri eſſent.

Id ut admittatur, duo probantur ex Scriptura. 1. Non ſine Dei providentia ac ſingulari actione magiſtratus conſtitui.

26. Principio velim animadvertant, ſeduloque obſervent lectores, illam, quæ non ſine cauſa toties nobis in Scripturis commemoratur, Dei providentiam, ac ſingularem actionem in diſtribuendis regnis, ſtatuendiſque quos illi viſum fuerit Regibus. Apud Danielem, *Dominus mutat tempora & vices temporum, ubjicit Reges & inſtituit.* Item, *Ut cognoſcant viventes quod potens ſit Altiſſimus in regno hominum: & cui ipſe voluerit, dabit illud.* Cujuſmodi ſententiis quum paſſim abundet Scriptura, illa tamen Prophetia peculiariter ſcatet. Jam qualis Rex fuerit Nebuchadnezar, is qui Jeruſalem expugnavit, ſatis ſcitur, nempe ſtrenuus aliorum invaſor ac populator. Dominus tamen apud Ezechielem ſe illi terram Ægypti dediſſe affirmat pro obſequio quod ſibi in vaſtanda illa præſtiterat. Et illi dicebat Daniel, *Tu Rex, Rex es Regum: cui Deus cælorum dedit regnum potens ac forte atque glorioſum: tibi inquam dedit & omnes terras ubi habitant filii hominum, beſtiæ ſylveſtres, & volucres cæli: eas tradidit in manum tuam, ac fecit te dominari eis.* Rurſum ejus filio Belſaſar, *Deus altiſſimus dedit Nebuchadnezar patri ſuo regnum & magnificentiam, honorem & gloriam: & propter magnificentiam quam dedit illi, omnes populi, tribus, & linguæ fuerunt trementes & timentes à conſpectu ejus.* Quum audimus, à Deo impoſitum eſſe Regem, ſimul illa de honorando & timendo Rege cæleſtia edicta animo repetamus: & nequiſſimum tyrannum non dubitabimus eo habere loco quo Dominus ipſum dignatus fuerit. Samuel, quum populo Iſraël denunciaret qualia eſſet à Regibus ſuis paſſurus, *Hoc jus erit Regis*, dicebat, *qui regnabit ſuper vos: filios veſtros tollet, & ponet eos ad currum ſuum, ut ponat eos pro equitibus ſuis, & ut arent agros ſuos, & meſſem ſuam metant, & arma fabricentur. Filias veſtras tollet, ut ſint pigmentariæ, coquæ, & piſtrices. Agros denique veſtros, vineas veſtras, & oliveta optima auferet, & dabit ſervis ſuis. Semina veſtra, & vineas veſtras decimabit, & dabit eunuchis & ſervis ſuis. Servos veſtros, ancillas & aſinos tollet: & adhibebit operi ſuo, quin & greges veſtros decimabit: & vos eritis ſervi illius.* Certe non id jure facturi erant Reges, quos optime ad omnem continentiam Lex inſtituebat: ſed jus in populum vocabatur, cui parere ipſi neceſſe eſſet, nec obſiſtere liceret: ac ſi dixiſſet Samuel, Eo ſe proripiet licentiæ Regum libido, quam cohibere veſtrum non erit: quibus hoc reſtabit unum, juſſa excipere, ac dicto audientes eſſe.

Dan. 2: 21. & 37.
ibid. 4. 17. 25.
Ezech. 29. verſ. 19.
Dan. 2: 37.
Dan. 5: 18.

2. Eo ſe admonitiones duci ut iis pareamus.

Jus Regis, quod apud Samuelem.
1 Sam 8. verſ. 11.

Ex Jeremia magiſtratuum authoritas, & obedientia illis debita, confirmatur.
Jerem 27. v. 5.6,7.8.

27. Inprimis autem inſignis eſt & memorabilis apud Jeremiam locus, quem (tametſi prolixiorem) ideo non pigebit referre, quia totam hanc quæſtionem clariſſime definit. *Ego feci terram & homines, ait Dominus, & animalia quæ ſunt in ſuperficie terræ, in fortitudine mea magna & brachio extento: & ipſam trado ei qui placuerit in oculis meis. Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas in manum Nebuchadnezar ſervi mei, & ſervient gentes ei omnes, & Reges magni: donec tempus veniet terræ ejus. Eritque, ut gens & regnum quæ non ſervierit Regi Babel, viſitabo gentem illam in gladio, fame & peſte: quare ſervite Regi Babel & vivite.* Videmus quanta obedientia Dominus tetrum illum ferocemque tyrannum coli voluerit, non alia ratione niſi quia regnum obtinebat. Id autem ipſum erat cæleſti decreto in ſolium regni impoſitum eſſe, ac in regiam majeſtatem aſſumptum, quam violare nefas eſſet. Hoc nobis ſi aſſidue ob animos & oculos obſervetur, eodem decreto conſtitui etiam nequiſſimos Reges quo Regum authoritas ſtatuitur: nunquam in animum nobis ſeditioſæ illæ cogitationes venient, tractandum eſſe pro meritis Regem: nec æquum eſſe ut ſubditos ei nos præſtemus qui viciſſim Regem nobis ſe non præſtet.

Objectio. Mandatum illud fuiſſe Iſraelitis peculiare. Reſponſio, oſtendens fuiſſe generale, quum omnes eo æquo doceat, cuicunque delatum fuerit imperium ei ſerviendum eſſe.

28. Fruſtra objiciat quis mandatum illud fuiſſe Iſraëlitis peculiare. Obſervandum enim eſt qua ratione ipſum Dominus ſtabiliat. *Detuli*, inquit, *Nebuchadnezar regnum, quare ſervite illi, & vivite.* Cuicunque ergo delatum fuiſſe regnum conſtabit, ei ſerviendum eſſe ne dubitemus. Atque ſimulac in regium faſtigium quempiam evehit Dominus, teſtatam nobis facit ſuam voluntatem, quod regnare illum velit. De eo enim extant generalia Scripturæ teſtimonia. Solomo, *Propter iniquitatem terræ ſunt multi Principes.* Item Job, *Subjectionem tollit à Regibus, & rurſum accingit eos cingulo.* Eo autem confeſſo, nihil reſtat niſi ut ſerviamus & vivamus. Eſt apud Jeremiam Prophetam alterum quoque Domini mandatum, quo jubet populum ſuum *quærere pacem Babylonis, in quam captivi abducti eſſent: & orare ad ſe pro ea: quoniam in pace ejus futura eſſet pax eorum.* Ecce, Iſraëlitæ fortunis omnibus exuti, è domibus ſuis avulſi, in exilium abacti, in miſeram conjecti ſervitutem, pro victoris proſperitate orare jubentur: non quomodo jubemur alias perſecutoribus noſtris bene precari: ſed ut ſalvum illi regnum & tranquillum conſervetur, ut ſub eo ipſi quoque proſpere agant. Sic David, jam Rex Dei ordinatione deſignatus, ſanctoque ejus oleo unctus, quum nullo ſuo merito indigne à Saule impeteretur, inſidiatoris tamen ſui ſacroſanctum habebat caput, quod Regni honore Dominus ſanctificaverat. *Abſit à me* (dicebat) *ut coram Domino faciam rem iſtam, domino meo Meſſiæ Domini, ut mittam manum meam in eum, quoniam Chriſtus Domini eſt.* Item, *Pepercit tibi anima mea: dixique, Non mittam manum meam in dominum meum, quoniam Chriſtus Domini eſt.* Item, *Quis mittet manum ſuam in Chriſtum Domini & innocens erit? Vivit Dominus, niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium deſcenderit: abſit à me ut mittam manum meam in Chriſtum Domini.*

Jer. 27: 17.

Teſtimoniis quibuſdam, nec non Davidis exemplo, reſponſio confirmatur.

Prov. 28: 2.
Job. 12. verſ 18.
Jer. 29: 7.
1 Sam. 24. verſ. 7.
ibid. 11.
1 Sam. 26. verſ. 9.

Quibus cogitationibus impatientiam ſuam frænare debeant qui ſub tyrannis vivunt.

29. Hunc reverentiæ atque adeo pietatis affectum debemus ad extremum præfectis noſtris omnibus, qualeſcunque tandem ſint. Quod ſæpius ideo repeto, ut diſcamus non homines ipſos excutere, ſed ſatis habeamus, quod eam, voluntate Domini, perſonam ſuſtineant, cui inviolabilem majeſtatem impreſſit ipſe & inſculpſit. At mutuas (inquies) ſubditis ſuis vices debent præfecti. Id jam confeſſus ſum. Verum ſi ex eo ſtatuis, nonniſi juſtis imperiis rependenda obſequia, inſulſus es ratiocinator. Nam & viri uxoribus, & liberis parentes, mutuis officiis aſtringuntur. Diſcedant ab officio parentes & mariti: illi liberis, quos prohibentur ad iracundiam provocare, ſic ſe duros & intractabiles præbeant ut ſua eos moroſitate ultra modum fatigent: hi ſuas uxores, quas diligere, & quibus ceu vaſculis fragilibus parcere jubentur, contumelioſiſſime accipiant: an minus tamen & parentibus liberi, & conjugibus mulieres obſequentes erunt? At improbis quoque & inofficioſis ſubjiciuntur. Quin, quum omnibus iſtud agendum ſit potius, ne in manticam à tergo pendentem reſpectent, hoc eſt, ne alii in aliorum inquirant

Objectionis dilutio.

Epheſ. 6: 1.
Eph. 5: 25.
1 Petr. 3: 7.

quirant officia, ſed quod ſui eſt muneris, id ſibi unum ſinguli ſubjiciant: id vero intet eos præſertim valere debet, qui ſub aliorum ſunt poteſtate poſiti.

Prima cogitatio.

Quare ſi à ſævo Principe crudeliter torquemur, ſi ab avaro, aut luxurioſo rapaciter expilamur, ſi ab ignavo negligimur, ſi ab impio denique & ſacrilego vexamur ob pietatem: ſubeat primum delictorum noſtrorum recordatio quæ talibus haud dubie Domini flagellis caſtigantur. Inde humilitas impatientiam noſtram frænabit.

Altera.

Succurrat deinde & hæc cogitatio, non noſtrum eſſe hujuſmodi ma-
Dan. 9: 7. lis mederi: hoc tantum eſſe reliquum, ut Domini
Prov. 21. opem imploremus, cujus in manu ſunt Regum
verſ. 1. corda, & regnorum inclinationes. Ille *Deus eſt qui*
Pſal 82: 1. *ſtabit in ſynagoga deorum, & in medio deos dijudicabit*, à cujus facie concident & conteremur Reges
Pſal. 2: 10 omnes, & Judices terræ quicunque non oſculati
Jeſa. 10: 1. fuerint Chriſtum ejus: *qui ſcripſerint leges iniquas, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium: ut viduas haberent in prædam, & pupillos diriperent.*

Tertia. Sperandum eſt, Jehovam in tempore affuturum, qui tyrannorum licentiam coercebit: idque duobus modis.

30. Atque hîc mirabilis ejus, tum bonitas, tum potentia, tum providentia ſeſe profert: nam modo ex ſervis ſuis manifeſtos vindices excitat, ac mandato ſuo inſtruit qui de ſcelerata dominatione pœnas ſumant, & oppreſſum injuſtis modis populum è miſera calamitate eximant: modo furorem aliud cogitantium & aliud molientium hominum eo deſtinat. Sic populum Iſraël è tyrannide
Exod 3: 7. Pharaonis per Moſen: è violentia Chuſam Regis
Jud. 3: 9. & ſequentibus. Syriæ, per Othoniël: ex aliis ſervitiis, per alios vel Reges vel Judices, in libertatem aſſeruit. Sic Tyri ſuperbiam per Ægyptios: Ægyptiorum inſolentiam, per Aſſyrios: Aſſyriorum ferociam, per Chaldæos: confidentiam Babylonis, per Medos & Perſas domuit, quum jam Medos Cyrus ſubjugaſſet. Regum vero Juda & Iſraël ingratitudinem & erga tot ſua beneficia impiam contumaciam nunc per Aſſyrios, nunc per Babylonios contudit & afflixit: quanquam non eadem omnia ratione. Priores enim illi quando ad edenda talia facinora, legitima Dei vocatione accerſiti erant, in Reges arma ſumendo, minime violabant eam quæ divina ordinatione Regibus indita eſt majeſtatem: ſed è cælo armati minorem poteſtatem majore coërcebant, perinde ac in ſuos ſatrapas Regibus animadvertere licet. Hi tametſi Dei manu, quo illi viſum erat, deſtinabantur, opuſque ejus inſcientes peragebant, nihil tamen aliud animo quam ſcelus volutabant.

Privatos homines ſuis Principibus, quicunque tandem fuerint, ſeſe ſubdere oportet.

31. Verum utcunque ipſa hominum facta cenſeantur, Dominus tamen per ea ſuum æque opus exequebatur, quum ſanguinaria Regum inſolentium ſceptra confringeret, ac intolerandas dominationes everteret. Audiant Principes, & terreantur. Nobis autem interim ſummopere cavendum, ne illam plenam venerandæ majeſtatis magiſtratuum authoritatem, quam Deus graviſſimis edictis ſanxit, etiamſi apud indigniſſimos reſideat, & qui eam ſua nequitia, quantum in ſe eſt, polluunt, ſpernamus aut violamus. Neque enim, ſi ultio Domini eſt effrænatæ dominationis correctio, ideo protinus demandatam nobis arbitremur: quibus nullum aliud quam parendi & patiendi datum eſt mandatum. De privatis hominibus ſemper loquor.

Hoc tamen non obſtat, quin populares quidam magiſtratus eſſe poſſint, penes quos ſit ferocienti Regum licentiæ intercedere, & populi libertatem tueri.

Nam ſi qui nunc ſint populares Magiſtratus ad moderandam Regum libidinem conſtituti (quales olim erant, qui Lacedæmoniis Regibus oppoſiti erant, Ephori: aut Romanis Conſulibus, Tribuni plebis: aut Athenienſium Senatui, Demarchi: & qua etiam forte poteſtate, ut nunc res habent, funguntur in ſingulis regnis tres ordines, quum primarios conventus peragunt) adeo illos ferocienti Regum licentiæ pro officio intercedere non veto, ut ſi Regibus impotenter graſſantibus, & humili plebeculæ inſultantibus conniveant, eorum diſſimulationem nefaria perfidia non carere affirmem: quia populi libertatem, cujus ſe Dei ordinatione tutores poſitos norunt, fraudulenter produnt.

Eatenus autem Regibus & aliis magiſtratibus obediendum eſt, quatenus eorum placita cum verbo Dei conſentiunt. Si quid enim adverſum imperant, occurrit regula, Obediendum Deo potius quam hominibus.

32. At vero in ea quam præfectorum imperiis deberi conſtituimus obedientia, id ſemper excipiendum eſt, imo inprimis obſervandum, ne ab ejus obedientia nos deducat, cujus voluntati Regum omnium vota ſubeſſe, cujus decretis juſſa cedere, cujus majeſtati faſces ſubmitti par eſt. Et vero, ut hominibus ſatisfacias, in ejus offenſionem incurrere propter quem hominibus ipſis obedias, quam præpoſterum fuerit? Dominus ergo Rex eſt Regum: qui ubi ſacrum os aperuit, unus pro omnibus ſemel ac ſupra omnes eſt audiendus: iis deinde qui nobis præſunt hominibus ſubjecti ſumus: ſed non niſi in ipſo. Adverſus ipſum ſiquid imperent, nullo ſit nec loco nec numero: neque hic totam illam qua magiſtratus pollent dignitatem quicquam moremur: cui injuria nulla fit dum in ordinem, præ ſingulari illa vereque ſumma Dei poteſtate,
cogitur. Secundum hanc rationem Daniel ſe quic- Dan. 6: 22.
quam in regem peccaſſe negat ubi impio ejus edicto non paruit: quia exceſſerat ille fines ſuos, nec modo injurius fuerat in homines, ſed cornua tollendo adverſus Deum, poteſtatem ſibi ipſe abrogaverat. Ex oppoſito damnantur Iſraëlitæ quod impio Regis edicto nimium fuerant morigeri. Nam quum Jarobeam vitulos aureos conflaſſet, relicto Dei templo in ejus gratiam ad novas ſuper-
ſtitiones defecerant. Eadem facilitate poſteri ſeſe Oſeæ 5.
flexerant ad Regum ſuorum placita: hoc illis ſe- verſ. 11.
vere Propheta exprobrat, quod Regis edicta am- 1 Reg. 12.
plexi fuerint: tantum abeſt ut laudem mereatur v. 29, 30.
modeſtiæ prætextus, quo aulici adulatores ſe tegunt, & ſimplices decipiunt, dum ſibi fas eſſe negant quicquam abnuere à Regibus ſuis impoſitum: quaſi vero jus ſuum Deus reſignaverit mortalibus, eos generi humano præficiens: aut minuatur terrena poteſtas, dum ſuo authori ſubjicitur, coram quo cæleſtes etiam Principatus ſupplices expaveſcunt. Scio quantum quamque præſens huic conſtantiæ periculum immineat, quod indigniſſime ſe contemni Reges ferant: *quorum indignatio nuntius eſt mortis*, inquit Solomon. Sed quum iſtud à cæleſti præcone Petro pronunciatum ſit edictum,
Obediendum Deo potius quam hominibus: hac nos Act. 4: 19.
cogitatione conſolemur, illam tum nos præſtare & 5: 29.
quam Dominus exigit obedientiam, dum quidvis perpetimur potius quam à pietate deflectamus. Et ne nobis labaſcant animi, alium etiam ſtimulum
Paulus admovet, Nos ideo tanti à Chriſto redem- 1 Cor. 7.
ptos eſſe quanti illi conſtitit noſtra redemptio, ne verſ. 23.
pravis hominum cupiditatibus nos mancipemus in obſequium: multo vero minus impietati ſimus addicti.

F I N I S.

IN
JOANNIS CALVINI INSTITUTIONEM
Materiarum maxime notatu dignarum
INDEX.

Ad cujus ac reliquorum etiam uſum, obſervabit Benignus Lector, Numero priori Librum; Sequenti caput; Ultimo Sectionem capitis notari: unico tantum expreſſo, præcedentis Libri & Capitis ſolam monſtrari ſectionem.

A.

Abnegatio noſtri quæ Chriſtianæ vitæ formandæ principium eſt, duabus partibus, una quæ Deum, altera quæ homines ſpectet, abſolvitur: in priori ſola Dei gloria, in hac proximi commodum tantum quærendum eſt, 3. 7. 1 — 10. & 3. 20. 45.
Abraham omnium fidelium pater, ejuſque quoad terrenam vitam miſera conditio, 2. 10 11. & per ſolam fidem juſtificatio, 3. 11. 13. Abrahæ filii qui, 4. 16. 12.
Acatii epiſcopi Amidæ probitas, 4. 4. 8.
Actio gratiarum primo præcepto contenta, 2. 8. 16. omni tempore Deo præſtanda, 3. 20. 28.
Acceptio hominis apud Deum duplex, 3 17. 4, 5.
Achab ficta ſua pœnitentia qualiter veniam à Deo conſecutus, 3 3 25. & 3. 20. 15.
Acoluthi qui in Vetere Eccleſia 4. 4. 2, 9.
Adamici lapſus gradus & cauſæ, 2. 1. 4. in contigit Dei providentia, 3. 23. 7, 8. per eum ſupernaturalia dona ſublata, naturalia corrupta ſunt, 2. 2. 4. 12.
Adam ſecundus cur Chriſtus dictus, 1. 15. 4. & 2. 12. 7. Vide Chriſtus.
Adminiſtratio ſacramentorum quibus permittenda. 4. 15. 20, 21, 22.
Adminiſtratio bonorum Eccleſiaſticorum, quam ſacrilega in Papatu, 4 5. 15.
Admonitiones privatæ in Eccleſia maxime uſus, 4. 12. 2 quem habeant uſum erga fideles & reprobos, 2. 5. 5, 4.
Adoratio per primum præceptum Deo debita, 2. 8. 16 & quidem ei ſoli, 1. 12. 2, 1. non ſimulachris, 1. 11. 11.
Adventus Chriſti in judicium, 2. 16. 17.
Adventus regni Dei, 3. 20. 42.
Adulterii ſeptimo præcepto prohibiti voce quid comprehendatur, 2. 8 41 — 44
Ædificationis ratio maxima habenda, 3. 23. 14. ad eam ſolam tendit poteſtas Eccleſiaſtica, 4. 8. 1.
Ægyptiorum de ſua antiquitate garrulitas, 1. 8. 4. & 1. 14 1.
Afflictiones fidelibus immiſſæ quas cogitationes ſuggerere debeant, 1. 17. 8. quot nominibus ipſis neceſſariæ ſeu earum utilitas, 3. 8. 1 — 6. & 3. 9 1. quotuplices item & qualiter ferendæ, an ſine ullo animi dolore cum Stoicis, 3. 8. 7 — 10. Chriſtiana contra eas conſolatio à Philoſophica quantum differat, 11. longum inter eas & ſupplicia reproborum diſcrimen, 3 4. 31 — 35.
Agilitas mentis in cogitando, 1. 5 5. & 1. 15 2.
Allegoriæ non ſunt argumentativæ, 2. 5. 19. & 3. 4. 4. 5.
Ambroſii magnanimitas in excommunicando Theodoſio, 4. 12. 7.
Anabaptiſtæ refutati in ſuis extra Scripturam revelationibus, 1. 9. 1, 2, 3. in materia de juramento, 2. 8. 26. de ſpirituali Patrum fœdere, 2. 10. 1, 7. de imperfecta fidelium regeneratione, 3. 3. 14. & 4. 1. 13. &c. & 4. 12. 12. de non iterando baptiſmo 4. 15. 1, 17, 18. de Pædobaptiſmo, 4. 16. 1, &c. de Magiſtratus exercitio per Chriſtianum, licitaque ipſi Magiſtratus imploratione in acceptâ injuria, 4. 20. 1, 2, &c.
Anathematis uſus rarus & quid ſit, 4 12. 10.
Angeli à Deo creati, deque creationis eorum tempore, 1. 14. 4. ad Dei etiam facti ſunt imaginem, 1. 15. 3. cur ita dicti, eorum item alia nomina tum appellativa, tum propria, munus, ſuntque ſubſiſtentis eſſentiæ. 1. 14. 5 — 9. & 3 19. 25. impie adorantur, 1. 14 10, 11, 12 malorum angelorum nomina, lapſus, &c. 1. 14 13 — 19.
Animæ immortalitas rationibus adſtructa & Scripturæ teſtimoniis, 1. 5. 2. & 15. 5. & 3. 25. 6. ipſius naturales facultates, 1 15. 6, 7, 8. non eſt ex traduce eſſentiæ divinæ, 1. 15 5.
Antichriſtus eſt Rom. Pontifex, 4 2 12 & 4. 7. 25.
Apoſtaſiæ cauſa in reprobis, 2. 5. 3. & 3 3. 21 — 24.
Aqua luſtralis Pontif. quando emerſerit, 4 10. 29.
Arbitrium liberum, vide Liberum Arbitrium.
Archelai dictum, 2. 8 44.
Archiepiſcopi & Patriarchæ qui, 4. 4. 4. de Archiepiſcopatu, 4 7. 15.
Aſcenſus Chriſti in cælum omnino neceſſarius ad plenam ſui regni erectionem, 2. 16. 14.
Aſtrologiæ uſus, 1. 5. 2, 5.
Atheiſmus refutatus, 1. 3. 1, 2, 3. & 1. 5. 1, &c.
Audire pro credere, 3 2. 6.
Aulicorum adulatorum impia modeſtia, 4. 20. 32.
Auſteritas Veterum nimia in correctionibus, 3. 3. 16. & 4. 12. 8.
Authoritas Eccleſiæ & conciliorum quanti fieri debeat, & an errare poſſint, 4. 8. 2, &c. & 4. 9. 1, &c.

B.

Balaami de Dei immutabilitate confeſſio, 1. 17 12.
Baptiſmus tum fidei noſtræ, apud Deum, tum confeſſioni apud homines ſervit, eoque non de præteritorum tantum peccatorum remiſſione, ſed & futurorum confirmamur, pœnitentiæ etenim ſacramentum eſt, 4. 15. 1 — 13. & 4. 19. 17. idem fuit ille Joannis & Apoſtolorum, 2. 9. 5. & 4. 15. 7, 8. per eum in ſtatum plenariæ integritatis inhæſivæ non reſtituimur, 4. 15. 10, 11, 12. ei nihil indignitate miniſtri decedit, hinc nullus eſt anabaptiſmus, 4. 15. 16, 17, 18. tollenda ab eo aquæ incantatio magica, ibid. 19. & à ſolis miniſtris exerceri debet, ibid. 20, 21, 22. Infantum baptiſmus aſtruitur, 4. 16. 1, &c. qui cum circumciſione confertur, 3 — 6.
Bella an aliqua legitima & quæ nam, 4. 20. 11. 12.
Benedictio Dei eſt hæc præſens vita, 2. 8. 37. & 3. 9. 3
ad Beneficentiam in proximum quid movere nos debeat, 3. 7. 5, 8.
Beneficia Dei obedientiæ & ſanctitatis argumenta ſunt, 2. 8. 12. & 3. 8. 3.
Beneficia cur Abbatias & Epiſcopatus Pontificii vocent, & in iis fœda eorum ſimonia, 4. 5. 6. 9.
Benevolentia divina fidei objectum, & quid contineat, 3. 2. 28. quomodo ab humana differat, 2. 10. 9.
Blaſphemia in Spiritum S. irremiſſibilis ejus divinitatem arguit, 1. 13. 15. ejus i. e. peccati in Spiritum S. vulgo dicti natura & horrendum crimen deſcribitur, 3 3. 21 — 24.
Bonifacii Papæ ambitio, 4. 7. 17.
Bonitas Dei ubique conſpicua, 1. 5. 6.
Bonorum terreſtrium legitimus uſus, 3. 10. 1, &c.
Bona Eccleſiaſtica qualiter diſpenſata in Vetere Eccleſia, 4. 4. 6 ea diſpenſatio ut degeneravit in Pontificatu. 4. 5. 15 — 19.
Bonum ſummum Dei ſimilitudo & conjunctio, 2. 3. 3. & 3. 25. 2.

C.

Cæleſtiani refutantur, & eorum impudentia, 2. 1. 5. & 2. 3. 5. & 3. 17. 15 & 3. 25. 5.
Caligula audax Dei contemptor, 1. 3. 2.
Calumnia damnatur, 2. 8. 47.
Canon Script. apud Veteres qualis fuerit, 4. 9. 14.
Canones veteres in papatu omnino eſſe antiquatos, 4. 5. 14 fuerunt enim illi rigidiſſimi, 4. 12 22.
Canonici quales in papatu, 4 5. 10.
Cantus in Eccleſiam introductus & quando, quanti item fieri debeat, 3. 20. 31, 32, 33.
Capellani Pontificii, 4. 5. 10.
Capitis inter precandum detectio humilitatis ſignum, 3. 20. 33.
Caput miniſteriale in Eccleſia nullum, 4. 6. 9.
Cardinales quomodo ita ſubito ſupra presbyteros vulgares elati, 4. 7. 30.
Carnis opera, 3 1. 3 & 4. 15. 11. ejus in externarum rerum uſu libido reprimenda, 3. 10. 3. carnis cum Spiritu pugna, 2. 2. 27. & 3. 3. 14. & 2. 7. 5. & 3. 3 10.
Caro Chriſti vere cibus, 3. 27. 3. & 4. 17. 7 vivifica item, ibid. 9.
Caſſii tribunal, 4. 20. 10.
Caſtigatio Dei in fideles qualis, 3. 2. 21. & 3. 4. 31 — 34 & 3 8. 1 — 10
Caſu an aliquid fiat, 1. 16. 5, 2, 9, 10,
Catechizandi in Vetere Eccleſia ratio, quam expediret reſtitui, 4. 19. 13.
Catharorum errores refutati, 3. 3. 10 — 14. & 4. 1. 13.
Catonis dictum, 3. 10. 4.
Cauſæ ſalutis quatuor, nulla earum operibus congruente, 3. 14. 17. 21.
Cenſuræ Eccleſiaſticæ, 4. 12. 1, &c. quarum ibi neceſſitas & utilitas deſcribitur, nimiuſque Veterum in iis rigor, qui & perſtringitur; iis autem & alii Epiſcopi in Romanum uſi, 4. 7. 7.
Ceremoniis omnibus legalibus præfiguratus Chriſtus, 2. 6. 2. & 4. 1. 29 & 2. 7. 1. & 4. 14. 21. quo ſenſu ſint abrogatæ, 2. 7. 16, 17. ius ceremonialis, moralis & judicialis, 4. 20. 14, 15.
Ceremoniarum papalium inutilitas & impietas, 4. 10. 9 — 20.
Charitas à Deo præcepta & pars altera legis, proximi amor eſt, non noſtri, & in alieniſſimos etiam ferri debet, quamvis gradus conſanguinitatis non negligendi, 2. 8. 11, 51. 54, 55. & 3 7 6. perfectæ charitatis & ſinceræ officia, 3. 7. 7 & 3 4. 16. ea tamen non juſtificamur, 3. 18. 8. ubi etiam exponitur quomodo fide ſit major; etſi à fide originem trahat, 3. 2. 41. per eam enim fides eſt efficax, 3. 11 20 hæc præcavet ſcandala dein, 3. 19. 20. ejus colendæ in ſacra cœna percipimus ſymbolum, 4. 17. 38.
Characteris indelebilis ſeu unctionis in papiſtica ordinatione uſitatæ ineptiæ, 4. 19. 31.
Cherubim cur uſui fuerint, 1. 11. 3. & an imaginum fabricæ patrocinentur, ibid.
Chiliaſtarum error refutatus, 3 25. 5.
Chorepiſcopi in Vetere Eccleſia qui, 4 4. 2.
Chriſmatis pontificii futilitas, ſimul une confirmationem in qua adhibetur eſſe ſacramentum, deſtitutamque eſſe oſtenditur omni Veteris Eccleſiæ exemplo, 4. 19. 4 — 13.
Chriſtiani cur ita dicti, & ipſorum ſacerdotium, regia item & prophetica dignitas, 2. 15. 5, 6. & 4. 18. 16, 17. tales confirmatione papiſtica non fiunt, 4. 19. 9. eorum officium qui id nominis gerunt, 3 6. 4. & 3 9 5.
Chriſti probatur divinitas ex nominibus divinis ei tributis, operibus, ſpeciatim miraculis ab ipſo tanquam primario eorum authore editis, 1. 13. 7 — 13. & 2. 14. 2, 5 — 8. Veritas humanitatis ejus contra Marcionem & Manichæum oſtenditur ac vindicatur, 2. 13. 1 — 4. ejus munera, propheticum, ſacerdotale, regium; (quod omnino ſpirituale eſt, 4 5. 17. & 4 17. 18.) quo & unctio ejus ſpiritualis pertinet, unde Chriſtus ſeu Meſſias dictus, 2. 15. 1, &c. duarum ejus naturarum in unam perſonam unio, 2. 14 1, &c. Cur Jeſus dictus, 2. 16. 1. in ipſo omnia reperiri quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ibid. 19 ubi totius humiliationis ejus ſtatus, qui in abjecta illa conditione, morte crucis & ſepultura conſpicuus fuit, explicatur, ut & ſtatus exaltationis, ubi de reſurrectione, aſcenſu in cælum, adventu in judicium, &c. ibid. 6 — 18. merituſque nobis eſt gratiam Dei & ſalutem, 2. 17. 1 — 5. Alter ſeu ſecundus Adam dictus, 1. 15. 4. & 2. 12. 7. perpetuus noſter apud Patrem interceſſor excluſis omnibus ſanctis & angelis, 1. 14. 12. 21, 22. & 3. 20. 17 — 27. Angelus etiam vocatur, 1. 14. 9. Hominum etiam & Angelorum in ſtatu integritatis caput, 2. 12. 4. & 2. 14. 5. ſolus Eccleſiæ ſuæ doctor, 4. 8. 7 & caput, 4. 6. 9. An etiam in carnem venturus fuerit homine integro, 2. 12. 4 — 7. Dei eſt perfectiſſima imago, 1. 15. 3. 4. omnium ſacramentorum materia, 4. 14. 16. & 4. 17. 11. & baptiſmi objectum, 4. 15. 6. In eo ſolo Deus etiam Judaicæ Eccleſiæ ſe oſtendit propitium, 2. 6. 2, 3. Verum gratuitæ electionis ſpeculum, 2. 17. 2. & 3. 24. 5. & 3 22. 1 per eum eoque tantum mediante Pater fidei objectum, 2. 6 4. & 3. 2. 1. totius legis complementum & finis, ſub qua etiam cognitus, 2. 6. 2, 4. diverſis obnoxius miſeriis nobis in exemplum, 3. 8. 1. cur vigeſimo tantum anno baptizatus, 4 16 29. & cur xl. dies jejunaverit, 4. 12. 20. pleniſſimus in Satanam victor, 3. 24. 13. carne quoque vivificante prædita, 2 17 5. & 4 17. 9.
Circumciſio à baptiſmo ut differat, 4. 14. 21, 22. ut cum eo conveniat, 4. 16. 3. 4 gratiæque eſt figura ſeu ſymbolum mortificationis, 4. 16. 10. nunquam vero eſt repetita, 4 15. 18.
Claves regni cælorum qualiter uſurpent Romanenſes, 3. 4. 13. quorum tyrannidi non patrocinantur, ibid. 21. imo apud eos nullo modo ſunt locandæ, 4. 2. 10. peſſimeque earum uſum explicant, 4 6. 3, 4.
Clementia Dei in toto naturæ curſu conſpicua, 1. 5. 6.
Clemens Papa crudelitas, 4 7. 14.
Clerici (quod nomen ex prava affectatione ortum) qui olim fuerint, 4. 4. 9. & 4. 12. 2. uſurpata ab ipſis immunitas à forenſi foro nulla eſt, 4. 11. 13. eorum Judaica imitatio in tonſura, 4. 19. 26, 27.
Cœlibatus continentibus tantum utilis, matrimoniumque cæterum honeſtum, 4. 8. 41, 42, 43. & 4. 12. 25 — 28. & 4. 13. 18.
Cœmeterii nomen reſurrectionem evincit, 3. 25. 8.
in Cœna Dominica cur pane & vino uti Chriſtus voluerit, 4. 17. 1, 2, 3. in ea ineffabile nobis myſterium exponitur, ſacra videlicet noſtra cum Chriſto unio, quæ intuitu tantum Chriſti participatione abſolvitur, 4 — 9. Hæc communio non imaginaria ſed vera eſt, quantacunque ſit interim inter nos & Chriſtum diſtantia, 10. totum autem myſterium conſtat corporeis ſignis & ſpirituali veritate, quæ ſub ſe ſignificationem, effectum & materiam comprehendit, 11. Tranſubſtantiatio autem & conſubſtantiatio hujus ſacramenti tollunt ſignificationem & efficaciam adeoque nullæ ſunt, 12 — 32. ſpiritualis Chriſti manducatio nullo modo reali opponenda eſt, ubi & de infidelium manducatione agitur, & quatenus illis Chriſti corpus offeratur, 33, 34. Verborum, *Hoc eſt corpus meum*, expoſitio, & an corporalem præſentiam evincant, 20 — 25. Quid de hoſtiæ adoratione ſtatuendum ſit & de ejus theatrali per plateas circumgeſtatione, 35 — 37. Præcipue hæc quam colimus in cœna communio ad charitatem & mutuum amorem incitare nos debet,

bet, 37, 38. repoſitio Sacramenti ad ægros transferendi quanti facienda, 39. Ejus adminiſtrandi decentiſſimus ritus, 41. de dignitate & indignitate manducantium, & qualis requiratur præparatio, quantumque ab ea abſit quod de ea traditur in Papatu, 40, 41, 42. frequentiſſimus cœnæ uſus eſſe debet ut videatur contemnis, & quod ajunt de unica in anno communicatione diabolicum eſſe inventum, 44—46 Utraque item ſpecies Laicis porrigenda, contrarius abuſus figmento concomitantiæ excuſari non poteſt, 47—50. Cur cœnam quotidie exhiberi fidelibus, baptiſmum ſemel tantum iis adminiſtrari oporteat. 4. 18. 19.
Cœtus Eccleſiaſtici & conventus neceſſarii, 2. 8. 32. & 4. 1. 5.
Cognitio Chriſti ſalutaris ex ſolo Euangelio mitur, 5. 2. 6.
Cognitio Dei omnibus naturaliter hominibus inſita, 1. 3. 1, 2, 3. quamvis plerumque ſuffocetur, 1. 4. 1—4. qualis autem ea eſſe debeat, & in quem finem tendere, 1. 1. 1, 2. & 1. 5. 9, 10. hanc etiam cognitionem mutæ creaturæ ſuppeditant & continua mundi gubernatio. 1. 5. 2—10. quæ pariter multis modis vanitate corrumpitur, 11—15. Cognitionis Dei & noſtri comparatio, 1. 2. 1, 2, 3.
Cognoſci homo dupliciter poteſt, ut integer vel lapſus, 1. 15. 1. & 2. 1. 2. utriuſque notitiæ uſus qui eſt ad humilitatem accendere. *ibid.*
Colere levius quam ſervire, 1. 12. 11. & 1. 18. 2.
Collationes beneficiorum (Eccleſiarum adminiſtrationes intelligunt) quam ſint in Papatu Simoniacæ, 4. 5. 6.
Collegia Monachorum qualia in Vetere Eccleſia fuerint; quantumque à priſtina illa forma hodie degenerarint, 4. 13. 8—11.
Colloquium cum Deo oratio noſtra recte ſtatui poteſt, 3. 20. 2.
Comminationes Dei adverſus immorigeros an liberum arbitrium evincant, 2. 5. 11. aut merita, 3. 17. 1, 2, 3.
Communicatio Idiomatum explicata, 2. 14. 1, 2, 3.
Communio Sanctorum nunquam divellenda, 4. 1. 5, 12. & 4. 13. 14.
Comparatio Chriſti & Moſis, 2. 13. 4.
Concilia quæ ſint legitima & eorum auctoritas, 4. 9. 1—14. qualiter autem ſæpe errarint *ibid.* 6, 7, 9, 10, 11. à quibus convocanda, 4. 7. 8. & 4. 12. 22. inter hæc celebria maxime ſunt Aquilejenſe, 4. 5. 17 Chalcedonenſe, 4. 7. 1. & 4. 9. 9. Laodicenſe, 4. 4. 12 Milevitanum. 4. 7. 9. Taurinenſe, 4. 7. 11. Nicenum, 1. 11. 14. in quo turpiſſime lapſi ſunt Patres; Elibertinum, 1. 11. 8.
Concupiſcentiam inter decimo præcepto damnatam & conſilium diſcrimen, 2. 8. 49. illa & reperitur in regeneratis, 3. 3. 10. Concupiſcentiæ hæ omnes, non quà naturales, ſed quà legi Dei contrariæ, malæ ſunt. 3. 3. 12, 13 & 2. 8. 50.
Confeſſio Papalis omnino tyrannica & ab Euangelii puritate remota. 3. 4. 1, 2, &c. de ea inter ſcholaſticos & Canoniſtas certamen, an mandati divini ſit, quod evertitur, ſimulque oſtenditur primis initiis liberum ejus fuiſſe uſum, 3. 4. 4—8. ex oppoſito traditur vera peccatorum confeſſio quæ ſemper locum habere debeat, 9—14. papiſticæque omnes eripiuntur prætextus & detegitur carnificina, 15—24.
Confirmatio papalis everſa, 4. 19. 4, &c. qualis in Vetere Eccleſia fuerit, quæ ſalutariter & maximo cum fructu poſſit revocari, *ibid.* 4. 15. quæ ei ſucceſſit in Papatu primis eſt abuſus, 5. Apoſtolorumque exemplo non defenditur, 8. ſed blaſphemias cumulantur dum oleum ſalutis vocant, 7. 8. & ea non inſigniri ſemichriſtianos, 9. & ſupra baptiſmum impie extollunt, 10, 21. an in ea Spiritum ſanctum papiſtæ conferant. 6.
Conformitas noſtri cum Chriſto in afflictionibus, 3. 8. 1. & reſurrectione. 3. 25. 3.
Congregatio in Chriſti nomine non omnibus conciliis competit, & qualis ſit, 4. 9. 2.
Congregationum Eccleſiaſticarum neceſſitas & militas, 2. 8. 32. & 4. 1. 5.
Conjectura & dubitatio affectata fidei contraria, 3. 2. 38.
Conjugium nulli interdicendum, 2. 8. 42, 45. & 4. 12. 25—28 & 4. 13. 3. 17, 18. & 4. 19. 34.
Conjunctio Dei cum fidelibus conjugii vocabulo expreſſa in Scriptura, 2. 8. 18, 28.
Conſcientia quid, 3. 19. 15. & 4. 10. 3. ſolum Deum reſpicit, 3. 19. 16. & 4. 10. 4. unde nulli injiciendi laquei aut humanæ leges ponendæ, 3. 4. 24. & 4. 10. 1, 2. quo fundamento earum pax ſubnitatur, 3. 15. 3. omnium coram legis juſtitiam debent obliviſci quum de juſtificatione coram Deo eſt quæſtio, 3. 19. 2, 3. voluntarie autem 10 legis obſequium feruntur, non ſervili metu, *ibid.* 4, 5, 6. ſuntque in rebus externis & indifferentibus plane liberæ, 7, 8. quæ libertas maxime regimen animæ ſpirituale concernit, in qua etiam præcipue locanda eſt, 14. 15.
Conſecratio in cœna an tranſſubſtantiationem probet. 4. 17. 14.
Conſecrationis miniſtrorum ritus & modus, 4. 4. 14. 15. quam impia ſit ſacrificorum ad Chriſtum immolandum conſecratio. 4. 19. 28.
Conſenſus Eccleſiæ ad confirmandam Scripturæ auctoritatem non eſt neceſſarius & qui id ſtatuunt, dogma fovent impium. 1. 8. 1, 2, &c.
Conſenſus V. & N. Teſtamenti, 2. 10. 1, 2, &c.
Conſiſtoriorum ſeu Presbyterii inſtitutio, 4. 3. 8. & 4. 11. 1.
Conſolationes fidelium, 3. 14. 6. & 1. 16. 3. & 1. 17. 11. & 1. 8. 21. & 2. 16. 5, 18. & 3. 5. 4. & 3. 8. 7. & 3. 9. 6. & 3. 15. 8. & 3. 20. 52. & 3. 25. 4. & 4. 1. 3.
Conſtantini Imperatoris in Eccleſiam cura, 4. 7. 10. ficta ejus donatio excutitur, 4. 11. 12.
Conſtitutionum Eccleſiaſticarum quarum tyrannicæ, & cur tales habendæ quæ in Papatu obtinent, 4. 10. 1—16. quibus omnes prætextus tolluntur, *ibid.* 17—28. quæ item bonæ earumque neceſſitas, *ibid.* 27—32.
Conſubſtantialis Patri recte Chriſtus dicitur, 1, 13. 4.
Conſubſtantiatio everſa, 4. 17. 18—19.
Conſuetudinis laudabilis exemplum, 4. 12. 20.
Contemptus miniſterii non manebit inultus, 4. 1. 5.
Contemptus Sacramentorum tantum damnat, 4. 14. 23.
Contemptus Verbi Dei apud Fanaticos, 1. 9. 5.
Contemptus utilium conſtitutionum Eccleſiaſticarum eſt improbus, 4. 10. 32.
Contentio pro obtinendo univerſalis Epiſcopi titulo, 4. 7. 4.
Continentia definitio, 4. 13. 17. donum ea eſt ſingulare, 2. 8. 42.
Contritio tum vera tum falſa, 3. 4. 2, 3.
Contumelia vera in Chriſtum eſt papalis miſſa, 4. 18. 2.
Contumacia gradus etiam peccati Adæ, 2. 1. 4. ſemper improbanda, 4. 10. 31.
Conventus Eccleſiaſtici neceſſarii, 2. 8. 32. & 4. 1. 5.
Converſio qualis fiat in Sacramentis, 4. 17. 14. 15.
Converſio ad Deum pœnitentiæ pars, 3. 3. 7. ſolius Dei opus eſt, *ibid.* 21. & 2. 3, 5. & 2. 5. 9.
Corda hominum in Dei manu, 1. 18. 2, 2. & 2. 4. 7.
Cordis affectus in precibus moderandi, 3. 20. 3. ejus naturalis durities, ſeu cor lapideum, cui opponitur carneum, 3. 3. 6, 8
Cornelii Centurionis fides quamvis infirma, 3. 2. 32. cur baptizatus, 4. 15. 15. nullo ſuo merito Deo acceptus, 3. 17. 4. & 3. 24. 10, 11.
Corpus etiam noſtrum Deo ſacrum, 3. 25. 7. 8.
Corpus Chriſti cur templum vocetur, 2. 14. 4. finitum etiam poſt ejus aſcenſionem, 4. 17. 28. quomodo in cœna edatur ibique præſens ſit, *ibid.* 5.
Corruptio hominis eſt adventitia, non à natura, quatenus tamen naturalis dici poſſit, 2. 1. 11. & 2. 13. 4.
Cratetis Thebani nimia auſteritas, 3. 10. 2.
Creationis hiſtoria neceſſaria fuit, 1. 14. 1, 20. refutantur qui profane mundum ante aliquot tantum annorum millia creatum rident, *ibid.* ea ſex diebus, non uno momento fuit abſoluta, *ibid.* 2, 22. ejus conſideratio ad duo nos animat, ut Authoris virtutes ingrata oblivione tranſeamus, deinde ut excitemur ad ejus amorem, *ibid.* 21, 22. Deus autem momentaneus Creator non eſt, 1. 16. 3.
Credentes diſcipulorum voce expreſſi. 3. 2. 6.
Credere Eccleſiam quid, 4. 1. 2. ex toto corde quid, 4. 14. 8.
Cruciatus impiorum æterni & graviſſimi, 3. 25, 12.
Crucis tolerantia Chriſtianis incumbit, quum ad rem abnegatio ſui ipſius eſt neceſſaria, 3. 8. 1. multiplex ejus utilitas, *ibid.* 2—6. magnum in ſolatium ſi pro juſtitia feratur, *ibid.* 7. inter eam & pœnas improborum diſcrimen, 3. 4. 31—34.
Crux Chriſti magis fuit currus triumphalis, 2. 16. 6.
Cucullatorum Monachorum hodiernorum à veteribus diſcrimen. 4. 13. 15.
Culpæ inter & pœnæ peccati remiſſionem futilis diſtinctio, 3. 4. 29.
Cultus Dei qualis eſſe debeat, 1. 2. 1. & 1. 5. 9. ille omnis juſtitiæ eſt fundamentum, 2. 8. 11.
Cupiditates quæ damnata & quatenus, 2. 8. 50. & 3. 3. 12.
Curioſitas Epicuri circa Deum ſine ejus cultu omnium vana, 1. 2. 2. quæ etiam de Deo notitiam corrumpit, 1. 4. 1. ea circa quælibet ſine exceptione objecta damnatur, 3. 14. 1, 4. 7, 8. 14. 16. & 1. 15. 8. & 2. 1. 10. & 2. 12. 5. & 2. 16. 18. & 2. 17. 5, 6. & 3. 20. 24. & 3. 21. 2, 2. & 3. 25. 6, 10.

D.

David figura & imago Chriſti, 2. 7. 2. & 3. 20. 15.
Debita noſtra & officia erga Deum. 2. 8. 2, 16.
Decorum in Eccleſia ſervandum. 4. 10. 29.
Decretum Apoſtolorum de Idolothytis & ſuffocatis, 4. 10. 21.
Decretum impium de Papæ præeminentia, 4. 7. 19.
Deliberationes de futuris & conſilia conveniunt rectiſſime cum Dei providentia, 1. 17. 4.
Deus eſt unus, 1. 10. 1, 3. & 1. 13. 10. & 2. 8. 16. non eſt acceptor perſonarum, 3. 23. 10. origo & fons bonorum omnium, 1. 2. 1. non eſt author peccati, 1. 14. 16. & 1. 18. 4. & 2. 4. 2. ſolus conditor novi, 2. 8. 23. & 1. 4. 9. ſolus omnium rerum creator, 1. 14. 3. Doctor fidelium, 5. 2. 6. & Eccleſiæ legiſlator, 2. 8. 8. & 4. 10. 7. ſibi ipſi lex eſt, 3. 23. 2 omnipotens, 1. 18. 2, 3. ſponſus Eccleſiæ, 2. 8. 18. maxime liberalis, 3. 20. 26 Rex æternus. 3. 20. 42 ſemper ſibi ſimilis, 1. 4. 2. 3. & 1. 11. 13. viſibilem ſe quodam modo in Chriſto reddidit, 2. 8. 4. & 2. 9. 1. cur mundum non uno momento ſed ſex diebus creare, 1. 14. 22. non debet ulla viſibili forma exprimi, 1. 11. 1, &c. quomodo in cœlo eſſe dicatur, 1. 3. 15. & 3. 20. 40. eſt ſimplicis & infinitæ eſſentiæ, 1. 13. 1. omnia ſua providentia regit, 1. 18. 1, &c. quomodo utatur reprobis, 1. 18. 1, 2. Nomen autem Dei proprio ſenſu nulli creaturæ tribuitur, 1. 13. 1, 20. cum adjectione aliquando. *ibid.* 9. ejus juſtitia & bonitas ex mundi gubernatione liqueat, 1. 5. 5, 6. & 1. 14. 2. quo ſenſu pœnitentia ei tribuatur, 1, 17. 12, 13. apparuit aliquando ſub forma humana, & an id imaginum fabricam excuſet, 1. 11. 5. de eo non minori religione loquendum quam cogitandum, 1. 13. 3. Ejus notitia cum cognitione noſtri conjuncta, 1. 1. 1, 2, 3. ejus exiſtentia ex proprio cujuſque conſcientia & mundi gubernatione eruitur, 1. 3. 1, &c. & 1. 5. 1, &c. Chriſtus Dei imago, 1. 15. 3. Deitas Filii & Spiritus S. probatur, 1. 13. 7—13.
De Diabolis in Scriptura quæ traduntur quo tendant, 1. 14. 13. magnæ eorum ſunt copiæ, *ibid.* 14. Dei & noſter Satan eſt adverſarius, *ibid.* 15. praviſſimuſque, quamvis non ex creatione ſed depravatione propriæ naturæ, *ibid.* 16. ubi & docentur quæ de ejus lapſu Scriptura tradit, illiuſque ejus malitiam Deus dupliciter moderatur tum ad captivandos & excæcandos reprobos, tum exercendos fideles. *ibid.* 17, 18. ſuntque intelligentes ſpiritus, & ſubſtantiam propriis ſubſiſtentiis prædita, *ibid.* 19. ſimul voluntarie & neceſſario mali, 2. 3. 5. & 2. 3. 1.
Diaconi in Eccleſia duorum ſunt generum, eorumque munus, 4. 3. 9. ii quales jam in Papatu, 4. 5. 15. & 4. 19. 32, 33. at ſanctiſſimi ex oppoſito in Vetere Eccleſia, ubi de Hypodiaconis & Archidiaconis agitur, & quando creari cœperint, 4. 4. 5. qualiter bona Eccleſiaſtica diſpenſaverint, *ibid.* 6, 7. nunc autem inde reſtat tantum merum latrocinium, 4. 5. 16, 18, 19. opes quas adminiſtrant non ſunt conferendæ in luxum Eccleſiaſticum ſub prætextu gloriæ regni Chriſti. 4. 5. 17.
Diaconiſſarum exemplum an ſequantur in papatu moniales, 4. 13. 19.
Diagoræ impia procacitas. 1. 5. 3.
Dies Dominicus an pari cum Sabbatho Judæorum veneratione & opinione ſanctitatis ſervandus, 2. 8. 33. 34
Dii ethnicorum & Papiſtarum tutelares, 1. 13. 20, 22. & 1. 12. 1, 3. & 3. 20. 22.
Dilectio ad inimicos uſque extenditur, 2. 8. 3, 36. ſecunda tabula præcipitur, 11.
Diœceſos diſtinctus, 4. 4. 2.
Diſciplina maxime neceſſaria in Eccleſia, 4. 12. 2. in qua non ultimum locum tenent monitiones privatæ, *ibid.* 2. de iis qui ſibi diſciplinæ præſunt, 4. 3. 8. cui & Principes tenentur ſubeſſe, *ibid.* 7. de diſciplina Veteris Eccleſiæ nimio rigore, *ibid.* 8. ubi potius manſuetudo regnare debebat, *ibid.* 9. periit autem omnino ſub papatu, niſi quod ejus perniciosiſſimæ umbræ appareant, *ibid.* 20. à civili enim regimine diſcriminanda eſt, 4. 11. 5. Clero & plebi communis eſſe debet, 4. 12. 2, &c.
Diſciplina rigidiſſima Laconum, 4. 13. 8.
Dionyſii Pſeudoareopagitæ garrulitas, 1. 14. 4.
Diſcendi in Eccleſia pro temporum ratione diverſus modus, 4. 8. 5, 6, 7. & 2. 6. 2.
Diſcipuli pro credentibus, 3. 2. 6.
Diſcrimen inter prohibitiones Dei & hominum, 2. 8. 6. ejuſque beneficentiam & noſtram, 2. 10. 9. & 3. 20. 26.
Diſcrimen inter legem & Euangelium, 2. 9. 2, 3, 4. inter Vetus & Novum Teſtamentum, 2. 11. 2, &c. inter neceſſitatem & coactionem, 2. 3. 5. & 2. 5. 1. inter paſtores & doctores, 4. 3. 4.
Diſcrimen Patrum ſub Vetere, & fidelium ſub Novo Teſtamento, 2. 7. 18. & 2. 9. 1, 2, 4. & 2. 10. 5. & 2. 14. 5. & 4. 10. 14. & 4. 14. 23.
Diſcrimen inter veram religionem & ſuperſtitionem, 1. 12. 1. inter Sacramenta V. & N. Teſtamenti, 4. 14. 23—28. inter ſchiſmaticos & hæreticos, 4. 2. 5. Vide Diſtinctio.
Diſplicentia ſui magni profectus eſt, 2. 3. 23.
Diſputatio inter Petrum & Simonem magum Romæ habita ficta, 4. 6. 15.
Diſſimulatio quorundam in permittenda impietate reprehenditur, 3. 5. 6. & 2. 19. 13.
Diſtantia localis Chriſti & fidelium ejus fruitionem realem in Cœna non tollit, 4. 17. 10.
Diſtinctio fidei formatæ & informis nugatoria, 3. 2. 8. ejus & notæ eſt illa duliæ & latriæ, 1. 12. 11. & 1. 12. 2. quanti illa de tribus libertatis generibus facienda, 2. 2. 5. diſtinctio egregia neceſſitatis, 1. 18. 9. diſtinctio remiſſionis pœnæ & culpæ futiliſſima, 3. 4. 29. peccati item mortalis & venialis, 2. 8. 58. & 3. 4. 28.
Diſtinctio inter Sacramentum & rem Sacramenti, 4. 14. 15. Vide Diſcrimen.
Docendi in Eccleſia verus modus, 4. 8. 8. id muneris in V. Eccleſia omnes Epiſcopi obibant, 4. 4. 2.
Docendi fidelis populi modus non per imagines, 1. 11. 7. qualiter eum Deus doceat, 1. 6. 3.
Doctores in Eccleſia neceſſarii, 4. 3. 4.
Doctrinæ Moſis ſcopus, 2. 8. 7.
Doctrina Chriſti anima Eccleſiæ eſt, 4. 12. 1.
Doctrina fidei in papatu plane corrupta, 3. 2. 5. ut & pœnitentiæ. 3. 4. 1.
Donorum Dei diverſitas gratiam ejus commendat, 2. 2. 17.
Donatio Conſtantini fictitia eſſe evincitur, 4. 11. 12.
Donatiſtæ refutantur. 4. 1. 13. & 4. 12. 12. & 4. 15. 16.
Dona in homine ſpecialem gratiam Dei arguunt, 2. 2. 17.
Dubitatio affectata fidei contraria, 3. 2. 38.
Duliæ & latriæ inepta diſtinctio, 1. 11. 10. & 1. 12. 2.
Durities cordis in homine naturaliter quanta, 2. 3. 6, 8.

E.

Eccleſia vera eaque fidelium mater, 4. 1. 1, 4. 5. Articulus de Eccleſia in ſymbolo explicatur, *ibid.* 2, 3. ejus ſanctitas nondum eſt perfecta ex omni parte, *ibid.* 17, 13, 19. & 4. 8. 12. Eccleſia tum inviſibilis tum viſibilis eſſe docetur, hujuſque notæ,

Digitized by Google

nota, 4. 1. 7—13. ubi eæ ſunt nota ab ea minime diſcedendum, quamvis aliqui nævi tum in doctrina, non fundamentali tamen, tum in moribus obrepſerint, *ibid.* 12—20. ſemper in mundo fuit, nunquam deficiet, *ibid.* 17. docere autem Eccleſia nihil poteſt, quam quod à Domino acceperit, ubi plene explicatur ejus circa dogmata fidei poteſtas, 4. 8. 1—4. 8, 9. Varii autem in orbe condito fuerunt docendi modi, *ibid.* 5, 6, 7. Falſum eam eſſe adeoque nullam evincitur ubi mendacium regnat & veritas doctrinæ exulat, qualis eſt illa paparus, quæ nequicquam ſucceſſione ſea tumet, 4. 2. 3—4 unde eam deſerendo nec hæretici facti ſumus nec ſchiſmatici, *ibid.* 5, 6. ſtatus enim ejus non eſt melior quam Iſraëliticæ ſub Jerobomo, *ibid.* 7—10. quamvis pauca veritatis ibi reliquiæ ſuperſint, etiam invito Antichriſto, *ibid.* 11, 12. univerſam autem Eccleſiam errare poſſe oſtenditur, 4. 8. 13 unde non debet nec poteſt quicquam addere ſcriptis Apoſtolicis, *ibid.* 14. 15, 16. quo in argumento papiſtæ refutantur, *ibid.* 12. Habet etiam Eccleſia ſuam juriſdictionem, 4. 22. 1. ſtat invicta & perpetua per vires Capitis ſui, 2. 15. 3. aliquando nomine Chriſti exprimitur, 4, 17. 12. Veteris Eccleſiæ ſeu ejus quæ fuit ante paparum conditio, 4. 4. 1, 2, &c. quam ſibi rapit Romana Eccleſia poteſtatem Veteres ſcriptores convellunt, 4. 6. 16. quomodo Eccleſia ædificetur, 4. 8. 1. ejus anima doctrina Chriſti, 4. 12. 1. quale ejus fundamentum, 1. 7. 3 qualiter eam Deus erudiat, 1. 6. 1. à doctoribus non docenda per imagines, 1. 11. 7.

Eccleſiaſticus dubiæ authoritatis, 1. 3. 16.

Electi ſoli gratiæ divinæ ſiunt compotes, 2. 2. 20. & 2. 3. 6 & vere credunt, *ibid.* 8. & 3. 2. 12. & 3. 24. 12. Deumque ſoli timent, 2. 3. 4. perire nequeunt, nec à fide deſciſcere, 3. 24. 6, 7. ipſorum fiducia à temporaria reproborum fide multum differt, 3. 2. 11. in & ipſorum humilitas & timor in caſtigatione ab eorum duritie, *ibid.* 27. & 3. 4. 32. & 3. 2. 6. & 2. 5 8 & 3. 13. 5. & 5. 20. 16, 23.

Electio autem ipſa Dei eſt æterna, 3. 21. 1. gratuita, 3. 22 1. & Eccleſiæ fundamentum, 4. 1. 2. vocatione ſtabilitur & confirmatur, 3. 24. 1. ejus conſtantia, *ibid.* 4. finis qui eſt vitæ ſanctimonia, 3. 23. 12. De ea vero univerſim diſputatur, 3. cap 21—24. gratiarum omnium eſt initium, 3. 14. 21. & fides ejus fructus, 3. 2 11.

Electio ad Apoſtolatum alia eſt ab ea quæ fit ad ſalutem, 3. 24. 9.

Electio miniſtrorum quando populo & cur erepta fuerit, 4. 4. 5 n. 1 n. & 4. 5. 2. in papali electione antiquos canones violari, & jus populi, *ibid.* 3, 4.

Elia jejunium extraordinarium, 4. 12. 20.

Elevatio manuum in precibus attentionis adminiculum, 3 20. 3. 16.

Elohim nomen creaturis ſed cum reſtrictione tributum, & quatenus, 1 15. 9.

Encratitæ hæretici matrimonium damnabant, 4. 12 23.

Energia naturalis in homine ad diſcendas & excogitandas artes, 2. 2. 14.

Epicurus qualem Deum finxerit, 1. 2. 2. ejus ſequaces ſeu epicurei ſemper multi qui Dei providentiam negarent. 1. 16 4.

Epiphanius muliebrem baptiſmum damnavit, 4. 9. 9. & 4. 15 21.

Epiſcopi nomina, presbyteri, paſtoris, miniſtri idem deſignant, 4. 3. 8. quales ſint eligendi, *ibid.* 12. quales ſint in papatu, 4. 5. 4. 6, 11 & 4. 12. 6 in eorum etiam electione violatos eſſe canones antiquos & jus populi. 4. 5. 3, 4. maleque ibi Epiſcopos officium ſuum facere, 8—14. id nominis in vetere Eccleſia uni alicui fuiſſe attributum, ſed Politiæ tantum cauſa, 4 4. 2. functio autem erat verbi prædicatio & adminiſtratio Sacramentorum, *ibid.* 3. in eorum vocatione obſervavit Vetus Eccleſia præſcriptum Apoſtolicum, *ibid.* 10—13. quo ritu in ea poſt electionem fuerint initiati, *ibid.* 14, 15. & 4. 28. 28. ſtatus vero Epiſcoporum in Eccleſia ſæpe fuit corruptiſſimus, 4. 2. 3. 4, 5. his niſi in Domino obediendum non eſt, *ibid.* 12.

Erectio manuum attentionis in precibus adminiculum, 3. 20. 5, 16.

Errores ſæpe fidei eſſe permixtos, 3. 2. 32. quod in Saræ & Rebeccæ nimia præcipitantia conſpicuum, *ibid.*

Eſau & qualis illius fuerit pœnitentia, 3. 3. 25. homo cruentus, 2 10. 18.

Ethnicorum templa quanti facienda, 4 1. 5 invalida tamen ratione ea exurenda Xerxes ſtatuit, *ibid.*

Evangeliſtarum munus, 4 3 4

Evangelium ſæpe pro manifeſta arcani Chriſti revelatione ſumitur, 2. 9. 2. à lege ut diſſerat, *ibid.* 4. ejus ſumma, 3. 3. 2, 19 totam ſalutis doctrinam complectitur, 2 10. 3. recta vocatur doctrina fidei, 3. 2. 6, 29. 30. & 2. 11. 8 aliquando reprobis etiam annunciatur, ſed cur & quo cum fructu, 3 24 1. fuit Patribus quoque cognitum quamvis obſcurius, 2 9 2. nobis vero nunc clarius, *ibid.* 1 iſta autem clara manifeſtatio promiſſiones de futura vita non abolet, *ibid.* 3. inter id & legem medius fuit Joannes baptiſta, cujus quale fuerit miniſterium traditio, *ibid.* 5.

Eunuchi pietas & in Meſſiam fides, 3. 2. 32.

Eutyches hæreticus damnatus, & refutatus, 2. 14. 4, 8. & 1. 13 4. 5. & 4. 17. 30.

Examen peccatorum quam ſeverum Deus habeat ſi propria velimus ſubſiſtere juſtitia in ejus judicio, 3. 12. 4.

Examen Spiritus S ſeu ignis ejus doctrinæ hominum probatorius, 3 5. 8

Examen, quo vicinii Epiſcoporum in conſtituendo presbytero utuntur, puerile eſt, 4. 5. 5, 24. verum quale eſſe debeat, 4. 4. 14.

Examen noſtri ante cœnam quale eſſe debeat, 4. 17. 33, 40.

Excommunicatio quid ſit, & quos ſibi fines propoſitos habeat, 4. 12. 4, 5. quomodo ab anathemate differat, *ibid.* 12. poteſtas excommunicandi à clavibus derivatur, 4. 11. 2. nimia autem in ea ſeveritas eſt vitanda, ubi nimodice auſteri fuerunt Veteres, 4. 12. 8. quales excommunicati à privatis habendi ſint, *ibid.* 9, 10.

Exhortationes ad jejunia & preces temporibus calamitoſis neceſſariæ, 4. 12. 14

Exhortationum ad pietatis ſtudium erga regenitos & irregenitos uſus, & an ponat liberum arbitrium, 2. 5. 4. 5. & 2 7. 2.

Exorciſtæ papiſtici ridiculi, & ipſi à malo dæmone poſſeſſi, 4 19. 24.

Exuperii Epiſcopi Tholoſani in adminiſtranda cœna pauper ſed laudabilis mundities, 4. 4. 8. & in pauperes cura, 4. 5. 18.

F.

FAcetiarum falſarum ſcurrilitas, 2. 8. 48.

Facultates animæ quot qualeſque ſint, & de iis tum aliorum, tum vera ſententia, 1. 15. 6, 6, 7, 8. & 2. 2. 2. atque earum & in naturalium & in ſupernaturalium inveſtiganda cognitione cæcitas, quantumque ibi valeant quantumque deficiant, *ibid.* 3—27.

Fanaticorum tumidæ revelationes, 1. 9. 1.

Fatum Stoicorum omnino à Providentia differt, 1. 16. 8.

Fidei nomen quid prophanis ſcriptoribus, quid item Scripturæ notet, 4. 14. 13. in qua etiam diverſimode ſumitur, ubi variæ ejus ſignificationes, 3. 2. 9. 13, 43. ejus objectum Deus, ſed mediante Chriſto, 2. 6. 4. & 3. 2. 1. ubi & docetur fidem veram non eſſe ſimpliciter vulgarem Evangelicæ hiſtoriæ aſſenſum, ut nugantur papiſtæ: ea quatenus implicita, quod tamen affectatæ ignorantiæ & fidei carbonarii non patrocinatur, cum ſine intelligentia conſiſtere nullo modo poſſit, *ibid.* 2—5. Verum quidem totius Verbi fidei objectum, ſpecialiter tamen promiſſiones, & in iis Chriſtum conſiderat, *ibid.* 6, 7. formatæ & informis fidei diſtinctio quanti facienda, 8. de fide temporaria, & quomodo à ſalvifica & electorum differat, 10, 11, 12. hanc oſtenditur vocari agnitionem & ſcientiam, ſed quo certitudine magis quam apprehenſione conſiſtet, 14. (item, 1. 7. 5.) non eſt autem contenta dubia opinione, ſed fixam certitudinem requirit, 15, 18. (1. 7. 5.) huic non obſtant inquietæ tentationes fidelium, quibus omnes ſunt expoſiti, quia nunquam à certa fiducia de Dei miſericordia deſciſcunt, quod Davidis exemplo præcipue oſtenditur, & unde illa oratio, 17, 18, 37. (ad hunc fiducialem ſenſum nunquam aſſurgunt ψυχικοὶ ſeu homines mere naturales, 8. 2. 18.) ſemi-papiſtarum quorundam circa hanc firmam fidei perſuaſionem peſtilens error tollitur, 24, 23. intuitus enim ejus eſt certiſſimus quamvis ſæpe non ita clarus, 19, 20. quippe in omnibus adverſis & timoribus ſe verbo Domini munit, unde victrix evadit. 21, 28, 13. Timor qui ſanctis tribuitur non evertit eam παῤῥησίαν & audacem acceſſus ad thronum gratiæ, 26, 27. Itaque reſpicit fides divinam benevolentiam, à qua tum præſentis tum futuræ vitæ benedictiones expectat, 28. in hoc fidei objecto præcipue locanda eſt gratuita ſalutis promiſſio, non excluſis tamen aliis verbi partibus, 29, 30. quo univerſo non minus opus habet quam fructus viva radice arboris, 6. & 31. Conſideratione etiam potentiæ divinæ ſe ſuſtentat fides, à qua novit derivari promiſſionum complementum, *ibid.* in nihilominus errores ſibi ſæpe permixtos habet, ut in exemplis Iſaaci, Saræ & Rebeccæ liquet. *ibid.* quas vero reſpicit fides promiſſiones, à Chriſto tanquam earum ſcaturigine derivandæ ſunt in eoque ſolo fundantur, 32. propterea nec illa Naamanis Syri, nec Eunuchi, nec tandem Cornelii, ſine Meſſiæ cognitione, fuit, *ibid.* eſt autem Spiritus Sancti donum non ſolum quoad Intellectus illuminationem quam cordis confirmationem, quod utrumque ad fidem, niſi mortuam habere velimus, requiritur, 33—36. (1. 7. 5. & 2. 3. 8. & 3. 14. 8 & 3 1. 4) tota hæc doctrina vindicatur contra pernicioſum ſcholaſticorum dogma de gratiæ divinæ & ſalutis incertitudine, ubi ex oppoſito earum certiſſima, quæ animis noſtris à Spiritu S. obſignatur, perſuaſio aſſeritur, & quo nitatur fundamento, 38, 39, 40. quæ omnia cum Apoſtolica fidei definitione conveniunt, 41. Charitate eam eſſe priorem Bernardi teſtimonio confirmatur, *ibid.* ex eadem ſpes oritur quæ ejus individua comes eſt, utriuſque diſcrimen & convenientia, 42, 43. ab electione proficiſcitur, 8. 3 8. & 3 22. 10. quo ſenſu opus dicatur, 3. 18. 10. regenerat, 3. 3. 2. & 3. 14. 8. & 3. 2. 1. invocationis eſt mater, 3. 20. 1. omnium operum bonorum radix, 4. 13. 20. & ſola juſtificat, 3. 15. 13. 23. quale ejus ſemen in infantibus, 4. 16. 20 inter eam & Evangelium relatio, 3. 11. 17. ejus merces, 3. 18. 3. quamdiu in hac carne verſamur eſt imperfecta, 4. 14. 7, 8. credendorum ſeu fidei qua creditur ſumma ſymbolo Apoſtolico comprehenſa eſt, 2. 16. 18.

Fideles cur juſti appellati, 3. 17. 10. 4 15. 10 Filii ſunt Dei, 4. 17. 2. & ex uno uno Chriſto, 2. 13. 2. quamvis in hoc mundo perpetuo peccatores, cum carnis ſuæ reliquiis luctantes, 3. 3. 10—14 4. 15. 10, 11, 23. Deo prophetæ, ſacerdotes, & Reges conſecrati, 2. 15. 6. & 4. 18. 4. 16. à Deo edocentur, 3. 2. 6. multas patiuntur in fide ſua tentationes, 3. 2. 18, 36. morti & reſurrectioni Chriſti in carnis ſuæ mortificatione & alteræ novitate ſunt participes, 8. 3. 9. quomodo aliquando coram Deo innocentiam ſuam in teſtimonium proferre auſint, 3. 14. 18, 19. unde Chriſtiani dicti, 2. 15. 5. ipſorum contra Satanam perpetuum bellum, & quibus viribus in eo ſubſiſtant, 1. 14 13, 15 18. & 3. 20. 46. Eorum afflictiones, 3. 8. 1, &c. 3 8. 6. quæ ab improborum ſuppliciis infinito differunt, 3. 4. 32—34. in & diſcrimen eorum in iis perferendis, 3 2. 27. Veteris Teſtamenti fideles ejuſdem nobiſcum gratiæ participes, 2. 10. 1, & 2. futuram vitam in ſummum bonum ſibi præſtituunt, 3. 25. 2. eorum hac in terra ſub Chriſti regno conditio, 2. 15. 3 & Dei timor, 3. 2. 28, 23, 26, 27. ex aſcenſu Domini quem fructum colligant, 2. 16. 16. eorum felicitas, 2. 13 4 & 3. 25. 10. quænam in ſancta vita perfectio ipſis adſcribenda ſit, 3. 17. 15. à ſalute nunquam excidunt, 3. 24. 7.

Fiducia in Deum noſtræ ejus finis, 1. 1 8, 2. in eo ſolo locanda, 1. 14. 12. & 2. 8. 16. cum fide eſt conjuncta & ejus anima, 3. 2. 28. ſine ea preces recte concipi nequeunt, 3. 20. 12. propriæ vero perfectionis fiducia vana, 4. 1. 20. nec ponenda in operum juſtitia, 3. 14. 16.

Figuris ſeu ſimulacris omnibus Dei vox oppoſita, 1. 11. 11.

Filius Dei Chriſtus qua ratione, & an talis figuratus tantum ſub V T 2. 14. 5—8. Vide Chriſtus.

Filii Dei fideles ſpecialis prærogativa, 0. 14. 2. & unde naſcantur, 2. 13. 2. & 1. 14. 19. eorum ſchola, 1. 6. 1, 4. eorum caſtigatio qualis, 3. 4. 31.

Filii Abrahæ qui, 4. 16. 12.

Filii Diaboli qui, 1. 14 19.

Fines diverſi diverſam reddunt ratione agentium eandem actionem, 1. 18. 4 & 2. 4. 2.

Finis in ſingulis decalogi præceptis reſpiciendus, ut eorum habeatur interpretatio, 2 8 8.

Finis regenerationis noſtræ, 1. 15. 4. & 3. 3. 19.

Fletus in pœnitentia aliquando non parvi uſus, 3. 3. 17.

Felicitas Chriſtiana quatenus poſſeſſa & quatenus adhuc ab iis poſſidenda, 3. 25. 1. erit æterna, *ibid.* 10.

Fortuita etiam à Deo reguntur, 1 16. 6.

Fortuna quatenus in rebus naturalibus locum, & quatenus non habeat, 1. 16. 2, 8, 9 Ethnico tamen more conſiderata univerſim nulla eſt, 1. 16. 4. & 1. 17 10.

Fundamentum Eccleſiæ Scriptura, 1. 7. 2, 4. & 4. 2. 1.

Fundamentum fidei gratuita Dei promiſſio, 3. 2. 29.

Furtum prohibitum, 2. 8 45. ubi varia furti genera explicantur, & qualemcunque habeant apud homines ſpeciem, apud Deum tamen damnari docetur. Qualiter unuſquiſque præcepto decalogi de non furando ſatisfacere poſſit, *ibid.* 46.

G.

GAleni in ſcrutando humani corporis artificio induſtria, 2. 5. 2.

Gaudium fidelium unde & quale, 3. 9. 5.

Gelaſii de communicatione ſub utraque ſpecie decretum, 4. 17. 49.

Generatio hominis quatenus nunc immunda, 2. 13. 3. & 2. 1. 5, 6.

Geniculatio coram throno Chriſti vel invita vel voluntaria, 3. 5. 8. quanti in oratione facienda ſit, 4. 10. 31. in qua certe adhibenda, 3. 20. 33.

Gentium vocatio præfigurata quidem in Veteri, ſed complementum tantum naſta in Novo Teſtamento, 2. 11. 11, 18.

Gloria ſua Deo & Chriſto tum in noſtra reconciliatione, 3 4 27. tum in noſtra juſtificatione, 3. 13. 1. illibata manere debet: impie autem idolorum fabrica corrumpitur, 1. 11. 1.

Gloria fidelium poſt hanc vitam qualis, 3. 25. 10. in hoc mundo quæ, 2. 15. 4. in Dei ſolius honore fundata, non noſtri fiducia, 3. 13. 1.

Gradus quos Deus obſervat in nobis deducendis ad ſalutem, 3. 18. 1.

Gratiæ operantis & cooperantis diſtinctio quanti, 2. 2. 6. quo ſenſu poſſit admitti, 2. 3. 11.

Gratia Dei omnino libera, 3. 21. 6. & 3. 88. 2.

Gratia Dei purgans & cohibens tantum, 2. 3. 3, 4. eſt omnis boni cauſa, 8. 3. 6. & 3 14. 5.

Gratiarum actio ex mandato primi præcepti Deo referenda, 2. 8. 16.

Gregorii ſeptimi aſtus in ſupplantando Imperatore, 4. 11. 13.

Grylli apud Plutarchum egregia ſententia, 1. 3. 3.

Gubernationum nomine ſeniorum cœtus expreſſus, quantique ea ſint uſus & neceſſitatis, 4. 3. 8. & 4. 11. 1.

H

HAbitationis modus quo totus Deus in fidelibus manet, 3. 11. 5.

Habitus corporis ſeu veſtimenta ad quam munditiem componenda, 2. 8. 44.

Hæretici & ſchiſmatici quinam, 4. 2. 5.

Henrici Imperatoris in agendis rebus inconſulta temeritas, unde facile ab Hildebrando ſupplantatus, 4 11. 15.

Hierarchia cæleſtis à pſeudo-Dionyſio nimis temere deſcripta, 1. 14. 4. cum de ea nihil poſſit definiri, *ibid.* 8 & 4. 6. 10. & 4. 19. 22.

Hildebrandi, poſtea Gregorii ſeptimi dicti, verſutia, 4. 11. 13.

Homicidium prohibitum decalogo, & quid eo præcepto ex oppoſito jubeatur, 1. 8. 39

Hominis artificioſa ſtructura (unde μικρόκοσμος dicitur) Deum evincit, ut ingrati ſint ex hominibus qui

qui eo prætexto ad eum negandum abutuntur, 2. 3. 3, 4. ejus creatio & Dei pro eo cura, 1. 14. 2, 20. & 1. 15. 3. ea propriis ſui cognitione ad quærendum Deum quaſi manu ducitur, 1. 1. 1, 2. ſola quam habet de Deo notitia à brutis differt, 2. 3. 3. Duplex ejus haberi poteſt notitia, una qualiter creatus ſit prima origine, & altera qualis extiterit poſt Adæ lapſum, ex priore ad gratitudinem, ex poſteriore ad humilitatem eruditur, 1. 15. 1. & 2. 1. 1, 2, 3. duabus conſtat partibus & ſubſtantiis per ſe ſolas ſubſiſtentibus, 1. 15. 2. ad imaginem Dei fuit creatus, & quid id ſit, ibid. 3, 4. non eſt tamen ejus anima divinæ eſſentiæ portio aliqua, ibid. 5. quibus facultatibus in prima creatione excelluerit, ibid. 4, 8. & 2. 1. 10. & 2. 5. 18. ejus causa totus mundus conditus, 1. 14. 2, 22. & 1. 16. 6. ſpecialiter providentiæ divinæ ſubjicet, ibid. In naturali ſtatu, cum quoad intellectum tum voluntatem eſt corruptus, 2. 3. 1, 2, 5, 4. miſera ejus, ſi extra Chriſtum conſideretur, conditio, 2. 16. 2. varia quæ ei imminent pericula ſola providentiæ divinæ conſideratione leniuntur, alioqui futuro miſerrimo, 1. 17. 10.

Honeſtas in Eccleſia & decorum quoad ordinem ſervandum, 4. 10. 27 — 31.

Honor ſuperioribus debitus ex quarto præcepto quid complectatur, 2. 8. 35, 38.

Horæ precibus definitæ ad decorum Eccleſiæ pertinent, 4. 10. 28 & 3. 20. 50

Humiliationis Chriſti ſtatus deſcribitur, 2. 16. 3 — 12. & 2. 14. 2.

Humilitas totius Chriſtianiſmi fundamentum, 2. 2. 10, 11. & 3. 12. 6, 7, 8. & 2. 3. 5. & 2. 1. 1, 2, 3. ad eam nos Deus per afflictiones erudit, 3. 2.

Hypocriſis homini naturalis, 1. 1. 2. Deo fictitios & ſuos reſpuit cultus obtrudit, 1. 4. 5, 4. cuncta ejus opera Deo abominationi, 3. 3. 6. & 3. 4. 16. & 3. 14. 7, 8. & 4. 12. 19. hypocritarum preces quibus populi auram captant, 3. 20. 28. quomodo in Eccleſia viſibili lateant, 4. 1. 7.

Hypoſtatica naturarum Chriſti in unam perſonam unio fuſe probatur, 2. 14. 1 — 5.

I.

JAcob vitæ quoad terrenam conditionem miſeræ inſigne exemplar, 2. 10. 13. unde promiſſiones divinæ ei factæ futuram immortalitatem concernere debuerunt, ibid.

Jactura bonorum patienter ferenda, 3. 7. 9.

Idiomatum communicatio quid, 2. 14. 1. & 4. 17. 30.

Idola ſecundo præcepto vetita, 2. 8. 17. & 1. 11. 1, &c. vero Deo opponuntur, 1. 10. 1 — 3. & 2. 8. 15. non tantum ut huic ſoli meram Dei nomen vindicetur, ſed præcipue cultus, nec alio transferatur quod in divinitatem competit, 2. 12. 1. Quare impio mendacio ejus gloria corrumpitur, ubi talibus formis exprimitur, 1. 11. 1, 2. quod non ad Judæos ſolum, ſed ad omnes gentes communiter pertinet, ibid. Quæ Deus præſentiæ ſuæ aliquando ſigna viſibilia dedit, cum momento evaneſcerent, & Dei ineffabilem Majeſtatem ſimul edocerent, non fuerunt unquam à Judæis obtenta ad eum corporali figura exarandum, ibid. ubi oſtenditur nequicquam huc facere imagines Cherubim. non omnia quotquot fabricantur ſimulacra gloriam Dei corrumpunt, nec ad ſculptura modo ſit ſed & pictura, ibid. 4. ridiculum dictum Gregorii, imagines eſſe libros laicorum & idiotarum refellitur, quum prædicatione verbi & Sacramentorum adminiſtratione Dei populus docendus ſit, Papiſtarum vero imagines perditiſſimi luxus ſint exemplaria. 5, 6, 7. Idolorum origo ex diffidentia præſentiæ Dei, & ejus ortus tempus, ibid. 8. & ex nimia temeritate qua quiſque ſibi Deum pro libidine imaginatur, (1. 5. 12.) ex qua perverſa opinione ſtatim ſimulacri adoratio oritur. 9. etiam in Papatu, ubi oſtenditur prætextum illum quo evadunt, ſe imagines pro Diis non habere, eſſe vanum, 9, 10. ineptæ diſtinctionis latriæ & duliæ deteguntur, 11. (& 1. 12. 2.) His tamen de cauſis non rejiciunt picturæ & ſculpturæ uſus, cum dona ſint Dei, ſed moderatus uſus requiritur, 12. tutius eſt nullas imagines in Chriſtianorum templis haberi. 13. quas autem contrarium probare conati ſunt Patres in concilio Niceno, ſe omnium fecerunt ludibrium, 14, 15. & 4. 9. 9. Vide Imagines.

Idololatræ omnes ſemper ſenſerunt unum eſſe Deum, ſed illa ſenſus ad inexcuſabilitatem tantum valuit, 1. 10. 3. nec unquam ſua ſimulacra pro ipſis Diis habuerunt, idololatriæ nihilominus rei, 1. 11. 9. multis ea iis Athei, 1. 3. 12.

Idololatria notitiæ de Deo naturaliter omnium hominum cordibus inſcriptæ argumentum, 1. 3. 1. ejus origo, 1. 5. 12.

Jejunium ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinet, ut & preces extraordinariæ: primus uſus jam ſub Vetere Teſtamento, 4. 12. 14. ejus ubi legitimum eſt tres fines, ibid. 15. quando inprimis indicendum ſit, 16, 17. ejus definitio, 18. ſuperſtitio autem ſemper ab eo arcenda. 19. quæ in quadrageſimæ obſervatione conſpicitur, 20, 21. eſt ordinarium, vel extraordinarium tota enim piorum vita quædam eſt jejunii ſpecies, 3. 3. 11, 17 & 3. 10. 3. cur Moſes 40. dies jejunaverit, 4. 12. 20. Elias item & Chriſtus, ibid.

Jephthe inconſideratum votum, 4. 13. 3

Jeruſalem quo ſenſu nomine Dei inſignita fuerit, 1. 13. 9.

Jeſus cur Redemptor noſter dictus, & ejus nominis ſumma ac origo, 2. 16. 1, 19. Vide Chriſtus.

Jeſuitarum perverſa de pœnitentia doctrina, 3. 3. 2.

Ignatii de quadrageſimæ obſervatione putidæ næniæ, & an ejus ſint, 4. 12. 19.

Ignis pro Spiritus S. examine, & pro afflictionibus poſitus, 3. 5. 2.

Ignorantia affectata cum fide non conſiſtit, quod fidei ſit permixta, ex ejus imperfectione contingit, 3. 2. 2 — 5.

Illuminat aliquando Deus immediate ſine prædicatione verbi, 4. 16. 19.

Illuminatio mentis Spiritus opus eſt, 2. 2. 21. ad fidem eſt neceſſaria, 3. 2. 16, 33 — 35.

Imago Dei, ad quam homo eſt conditus, quatenus in externo corpore reluceat, circa eam Oſiandri figmentum refellitur, in anima enim cujuſque potentiis quærenda eſt, 1. 15. 3. & 2. 12. 6. in mentis luce, cordis rectitudine & partium omnium ſanitate ſita fuit, ibid. 4. ea docet hominem tum ſola Dei participatione fuiſſe beatum, 2. 2. 1. debet nos extimulare ad beneficentiam in proximum, & vitæ ipſius conſervationem, 2. 8. 40. & 2. 7. 6.

Imagines tum licitæ tum illicitæ, 1. 11. 12. an in templis ferendæ, & quando ibi poſitæ fuerint, ibid. 13. ineptum Gregorii de eo dictum, eſſe idiotarum & laicorum libros, ibid. 5. quod refellitur, ibid. Vide Idola.

Immunitas cleri Pontificii tum à foro, & Judiciis Magiſtratus terreni, tum à tributis, non eſt juris divini, ſed vi & fraudibus irrepſit, 4. 3. 15. & 4. 11. 15, 16.

Impiorum opera quomodo Deus utatur, 1. 18. 3. & 1. 4. 2. eorum pœnæ & quomodo à caſtigationibus fidelium differant, 3. 4. 31 — 34. æterni in inferno cruciatus, 3. 25. 12. Chriſti Judicis virtute, non Redemptoris, reſurrecturi ſunt, ibid. 9. ad tempus impuniti, ſed poſtea gravius ſenſuri judicium, 1. 5. 7. Eccleſiæ viſibilis quomodo ſæpe membra, 4. 1. 7. Deitatis ſenſum naturaliter ſibi inſculptum excutere nequeunt, 1. 3. 3. unde ſufficienter ejus notitia redduntur inexcuſabiles, 1. 4. 1. quo ſenſu Deum eſſe negent, ibid. 2. Vide Improbi.

Impoſitio manuum in ordinandis miniſtris Apoſtolicæ inſtitutionis, 4. 3. 16. an Sacramentum, 4. 14. 20. in ea adventitiis ceremoniis corrupta ſit in Papatu, 4. 19. 31.

Improbi carent excuſatione quamvis etiam in ſuis malis actionibus Dei inſtrumenta, 1. 17. 5. & 1. 18. 4. & 2. 4. 2. ſpreta Verbi divini exhortationibus redduntur inexcuſabiles, 2. 5. 5. divinis caſtigationibus indurantur, 3. 4. 32. & 5. 3. 6. qualem habeant Dei timorem, 4. 10. 25. egregiis aliquando dotibus excellunt, 2. 3. 3, 4. & 3. 14. 2. Vide Impii.

Indulgentiæ ſatisfactionibus pœnitentialibus additæ, & quomodo tam diu ſalvæ ſteterint, 3. 5. 1. earum ſacrilega impietas, ibid. 2, 3, 4. earum origo. ibid. 5.

Induratio quomodo reprobis & quo ſenſu Deo adſcripta, 1. 18. 2. & 2. 4. 3, 4. & 3. 24. 14.

Infantes damnationem ſecum ex matrum utero afferunt, 2. 1. 5, 6 & 4. 15. 10. quomodo regenerentur & quatenus, 4. 16. 17. ſunt baptizandi, 4. 16. 1, &c. Vide Pædobaptiſmus.

Infidelitas Adami in ejus lapſu cæterorum peccatorum radix fuit, 2. 1. 4.

Inimici etiam diligendi, 2. 8. 57.

Inobedientia primi hominis humani generis perdities, 2. 1. 4 & 12. 3.

Intellectus & voluntas animæ partes, 1. 15. 7. utræque corruptæ poſt lapſum, 2. 2. 2, &c.

Intelligentia fidei debet conjungi, 3. 2. 5.

Intentio bona ſæpe non impedit quominus labamur, 2. 2. 25.

Interceſſio Chriſti qualis ſit, an alios eo in munere ſocios admittat, & unde orta illa Sanctorum, 3. 20. 20 — 27.

Invocatio ſoli Deo debita, 3. 20. 27. & 2. 8. 16. & 1. 12. 1, 2, 3. à fide manare debet, 3. 20. 22. Vide Oratio.

Johannis Baptiſtæ munus, medius autem fuit inter legem & Evangelium, & Evangelii præco, cur Elias dictus, 2. 9. 3. ejus baptiſmus idem cum illo Apoſtolorum, 4. 15. 7. in matris utero quem in finem ſanctificatus, 4. 16. 17.

Ira Dei ardentiſſima in reprobos, 3. 25. 12.

Iræ divinæ ſigna, 3. 4. 17. & 4. 12. 17.

Iſaaci miſera quoad præſentem vitam conditio, 2. 10. 1. ejus fides erroribus permixta, 3. 2. 31.

Iſraëlis ſeu Judæorum prærogativæ, 2. 11. 11

Judæi vi fœderis Evangelii hæredes & in Dei familia primogeniti, 4. 16. 14. Vide Iſrael.

Judas electus quo ſenſu dicatur, 3. 24. 9. panem Domini, non panem Dominum accepit in cœna, 4. 17. 34.

Judicia Dei duplicia vel caſtigationis vel ſupplicii, prioribus in fideles, poſterioribus in reprobos utitur, 3. 4. 31.

Judiciorum forenſium uſus quomodo Chriſtianis licitus, 4. 20. 17, 18. ſublata nempe vindictæ cupiditate, ibid. 19. cui præceptum Chriſti de permittendo ei pallio qui tunicam abſtulerit non adverſatur. 20. nec Paulus dum litigandi furorem omnium in Corinthiis damnat, 21.

Judicium ultimum à Chriſto peragendum, 2. 16. 17, 18. id graviſſimum in reprobos futurum eſt, 3. 25. 12. quam in univerſum tepidum, 3. 12. 4.

Juramenti definitio; ubi legitimum eſt, ſpecies eſt divini cultus, in eoque tum perjurium, tum Dei contemptor (qui jurejurando ſupervacuo innotitur) tum alterius quam Dei invocatio cavenda ſunt, 2. 8. 23, 24, 25. taliter uſurpatum à Chriſto non eſt prohibitum, 26. nec publice ſolum licitis ſed & privata, 27. juris jurandi formula, 24.

Juriſdictio in homine duplex, ſpiritualis & corporalis, 3. 19. 15.

Juriſdictio in Eccleſia neceſſaria, & penes quos eſſe debeat, 4. 11. 1. tyrannidi Romani pontificis occaſionem dedit, 4. 7. 5.

Juſtificatio fidei maximi eſt momenti, 3. 11. 1. ac primo oſtenditur eſſe nomen forenſe, non infuſionem juſtitiæ denotare, 2. 3. & paucis ejus veritas in antecesſum & quid ſit monſtratur, 4. nullo autem modo fit per eſſentialem juſtitiam, quæ nobis infundatur, ut ſomniat Oſiander, qui refellitur, 5 — 11. ubi oſtenditur quomodo Chriſtus nobis ſit factus juſtitia, utriuſque nimirum naturæ reſpectu; aſcribenda autem eſt juſtificatio omni ex parte fidei, nullo modo operibus, & recte nos reſtringere probatur hoc modo, ſola fide nos juſtificari, 13 — 20. hæc juſtificatio reconciliatione cum Deo quæ ſola peccatorum remiſſione conſtet, abſolvitur. 25. ut hæc gratuita fidei juſtificatio nobis perſuadeatur, ad Dei tribunal attollendas eſſe mentes, quæ conſideratione omnium operum juſtitia evaneſcit, 3. 12. 1 — 8. ad ulterius evincitur ex duobus quæ in juſtificatione obſervanda ſunt. Dei gloria, & conſcientiæ tranquillitate, 3. 13. 1 — 5. & ex ejus initio continuiſque progreſſibus, 3. 14. 1 — 21. Quæ omnia vindicantur, contra operum merita, 3. 15. 1 — 8. in cujus cap. ſect. 5. ſumma hujus doctrinæ proponitur; qua bona opera & ſtudium bene agendi minime evertitur, nec homines ad peccandum illiciuntur, 3. 16. 1 — 4. quo vero ſenſu dicat aliquando Scriptura fideles operibus juſtificari, 3. 17. 8 — 12. & legis factores, ibid. 13. item eum qui ambulat in ſua integritate juſtum eſſe, ibid. 15. Quod autem fideles juſtitiam ſuam ſæpenumero Deo examinandam offerant, nihil obſtat, 14. nec Chriſti dictum, ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, 3. 18. 9.

Juſtitia Chriſti perfectiſſima, 3. 14. 12. & 3. 13. 5. qualis illa & noſtra ſit, 3. 11. 30. iſta priore ſola juſti ſumus, 3. 11. 22, 23.

Juſtitia operum ex mercede in promiſſa colligi non poteſt, 3. 18. 1. Sophiſtarum juſtitia partialis operum refellitur, 3. 14. 13. Vide Juſtificatio.

Juſti cur fideles appellati, 3. 17. 10. & 4. 15. 30.

L.

LAbyrinthus omnibus hominibus mero lumine naturali prædito ſuum ingenium eſt, 1. 5. 12. talis & nobis fulgor divini vultus, niſi Verbi linea in ipſum dirigamur, 1. 6. 3. & 1. 13. 21. labyrinthus conſcientiæ ſeu ejus ſcrupuli vitandi, 3. 19. 7.

Lacedæmoniorum rigidiſſima diſciplina, 4. 13. 8.

Laicis ſeu non vocatis ad miniſterium baptizare illicitum, 4. 15. 20.

Lampadum inſtar ſunt Dei opera ad ejus gloriam illuſtrandam, 1. 5. 14.

Lapſus primi hominis & ejus gravitas deſcribitur, 2. 1. 1, 4. & ejus deplorandi oſtenduntur effectus, 5 — 8.

Lapſus lubricus eſt, non ferre Eccleſiam niſi omni modo perfectam, 4. 1. 13.

Lapſus ſeu Apoſtaſiæ in reprobis cauſa, 2. 5. 3. is plene deſcribitur, 3. 3. 21 — 24.

Laqueis Papales impii & tyrannici, conſcientiis intolerabile jugum imponentes, 4. 10. 1, 2, 3, 12. & 5. 4. 24.

Larvæ tantum paſtorum nunc in Papatu, 3. 4. 7. & 4. 5. 4.

Latrones papiſtici bona Eccleſiaſtica inter ſe diviſerunt, 4. 5. 16. in Latrone nullum cum crucifigeretur electionis ſemen, 3. 24. 11.

Latriæ & duliæ nugatoria diſtinctio, 1. 11. 10. & 1. 12. 2.

Lazarum è ſepulchro egreſſum faſciis quinam ſolverint, diſcipuli Chriſti an adſtantes Judæi, 3. 4. 6.

Lectio Scripturæ neceſſaria, 1. 9. 1, 2.

Lectores quinam in Vetere Eccleſia, 4. 4. 3, 9.

Legiſlator mentium unus Deus, 4. 10. 7.

Leproſi ad Sacerdotes cur miſſi, 3. 4. 4.

Lex cur promulgata, 1. 6. 2. miraculoſe fuit conſervata, in perſecutionum vehementia, 1. 8. 9. legis moralis ſumma, 2. 8. 11, 51. ejus uſus tum quoad regenitos, tum quoad irregenitos, populum autem ſpecialem Iſraëliticum ad Chriſtum duxit, 2. 11. 1. & 2. 7. 1 — 13. & 3. 19. 2. & 4. 15. 12. lex tum ceremonialis tum moralis quatenus abolita fuerit, 2. 7. 14 — 17. eſt ſpiritualis animumque reſpicit, 2. 8. 6, 51. ob carnis imbecillitatem, obſervari à nullo homine plene poteſt adeoque eſt impoſſibilis, 2. 5. 6, 7. & 2. 7. 4, 5. duabus conſtat partibus, una quæ Deum, altera quæ proximum reſpicit, 2. 8. 11, 12, 50. & 4. 20. 15. ejus plena explicatio, 2. 8. 1 — 59. lex naturalis cum morali & inſita juſti & æqui cognitione convenit, niſi quod hæc expreſſior ſit, 2. 2. 22. & 2. 8. 1. & Dei juſtitiam noſtramque iniquitatem & ex ea humilitatem nos melius edoceat, 2. 8. 2, 3. nihil ei Chriſtus addidit, 2. 8. 7. in ejus præceptis & interdictis ſemper plus ineſt quam verbis exprimatur; itaque in iis explicandis utrorumque ratio ſeu finis inſpiciendus eſt, ibid. 8, 9. & cur Deus in iis efferendis conciſis ejuſmodi loquendi formulis uſus ſit, 10. legis univerſim ſumpta diviſio in moralem, ceremonialem & forenſem, 4. 20. 14.

Leges civiles Reipubl. nervi, 4. 20. 14. à Magiſtratu poſſunt ferri, ibid. 15. & an forenſes Judæorum ubique obſervandæ ſint in omnibus regnis, ibid. 14, 15, 16.

Leges

Digitized by Google

Leges nullæ ab hominibus conſcientiis poni poſſunt, 3. 3. 24 & 4. 10. 9, &c.
Libertatis Chriſtianæ cognitio ſumme neceſſaria, 3. 19. 1. in tribus partibus ſita eſt, ibid. 2 — 8. male autem ad carnis licentiam rapitur & fratrum ſcandalum, cum tota ſpiritualis ſit, ibid. 9. 10.
Libertas populo in eligendis Epiſcopis quamdiu manſerit, & quando erepta fuerit, 4. 4. 11, 12, 13, & 4. 5. 2.
Libero arbitrio homo in prima creatione fuit præditus, lapſu autem; ex hujus rei ignoratione errores apud Philoſophos de naturali virtutis amore, &c. oriuntur, quibuſcum faciunt ii inter Chriſtianos qui paganiſmum cum Chriſtianiſmo miſcentes in corrupto hoc ſtatu id homini aſſignant, 1. 15. 8. ea facultas in primo homine fuit mutabilis & flexibilis ad malum, quod lapſum tamen non excuſat, ibid. Ut vero jam eſt, nullam ejuſmodi habet libertatem: itaque & ad Dei gloriam pertinet & ad nos ipſos noſtra eſt confiteri vires noſtras eſſe baculum arundineum, & quid in hac diſputatione cavendum, 2. 2. 1. Philoſophorum de libero arbitrio ſententia viribuſque intellectus & voluntatis, ibid. 2, 3. Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui licet mentis ſanitatem & voluntatis electionem a peccato vulneratas agnoſcerent, nimis hic philoſophice & obſcure ſæpius ſunt loquuti (excepto uno Auguſtino) & quæ ad id eos cauſæ moverint, 4. quibus in rebus vulgo concedant homini liberum arbitrium, ubi de triplici ejus voluntate, & triplici voluntatis libertate, 5. Recentiorum hac de re judicium qui in deterius ſemper lapſi ſunt, Lombardique de arbitrii libertate ingenua confeſſio, ubi de trita diſtinctione gratiæ operantis & cooperantis, 6. & quorſum ipſum nomen ſuſcipiendum ſit, 7. quantaque cum cautione à Veteribus, præcipue Auguſtino, ſit uſurpatum, 8. quamvis hic vacillarint ita Veteres, apparet tamen ex eorum infinitis ſententiis, humanas virtutes quam minime æſtimare, omnem bonorum laudem Spiritui ſancto detuliſſe, 9. non eſt autem æſtimanda hæc libertas ab eventu, ſed a judicii & voluntatis electione, 2. 4. 8. fundamentum vero hujus diſputationis debet eſſe humilitas, nequid nobis quod noſtrum non eſt arrogemus, 2. 2. 10, 11. eum in finem adfertur & explicatur egregia illa ſententia Auguſtini naturalia dona per peccatum fuiſſe corrupta, ſupernaturalia ſublata, 12. Quæ in prioribus ipſi libertas & notitia adhuc remanſerit, ubi ſi aliquando excellit, agnoſcenda eſt Spiritus S. gratia, 12 — 17. Quoad ſupernaturalia oſtenditur intellectum ejus eſſe cæcum, 18 — 25. voluntatem in malum pronam, 26. 27 (2. 4. 1.) id porro evincitur ex elogiis quibus homo in Scripturis inſignitur, 2. 3. 1. 2. Nec obſtat Ethnicorum aliquorum exemplum qui natura duce honeſtiſſimam vitam duxerunt, 3. 4. Hæc omnia diffuſius probantur ex adjutorio gratiæ, quod homini eſt neceſſarium ad omne bonum, 6 — 10, &c. tota hæc doctrina contra adverſariorum objectiones vindicatur, ac docetur peccatum eſſe neceſſarium, nec tamen minus debere imputari: eſſe voluntarium nec tamen evitabile, 2. 5. 1. aliaſque in contrarium argumenta ſolvuntur, 2 — 19. ubi oſtenditur quem uſum habeant etiam erga infideles admonitiones & adhortationes præcepta, promiſſiones, &c. & ſpecialis quædam teſtimonia ab adverſariis detorta explicantur, quo item ſenſu opera bona dicantur noſtra, &c.
Libertini refutati, 1. 9. 1, 2, 3. & 3. 3. 14.
Ligare & ſolvere quid, 4. 6. 3. & 4. 11. 1. 2.
Litera occidens & Spiritus quid ſint & quomodo opponantur, 1. 9. 3. & 2. 7. 2, 7. & 2. 11. 8.
Lucretii in ſuis Scriptis impietas, 1. 5. 5.
Lycurgi rigidiſſimæ leges, 4. 13. 8.

M.

Macedonius hæreticus refutatus, 3. 13. 6.
Magiſtratus functio ſancta & legitima coram Deo eſt, 4. 20. 4. hæc cogitatio piis Magiſtratibus ad leniendas muneris ſui difficultates eſt ſolatium, ibid. 6. Hanc functionem & gubernandi genus non impedit allata à Chriſto Evangelii perfectio, 1. 5. 7. utriuſque tabulæ legis Dei debent eſſe vindices, quod ſine poteſtate gladii fieri non poteſt, 9. pietas Magiſtratus non tollit punitionem ſontium & ſanguinis effuſionem, modo omnia abſit ſeveritas & ſuperſtitioſa clementiæ affectatio, 10. de eis debent honorificentiſſime ſubditi ſentire tanquam de Dei miniſtris, 9. 14. 22. illis obedire, ſive edictis parendum ſive tributa ſolvenda ſint, nec eorum eſt in illorum officium involare, 23. Principes etiam tyrannice dominantes ferendos eſſe, 24, 25. quia ſine ſingulari Dei providentia ad hunc honoris gradum erecti non ſunt, 26 — 28. & 31. iis tamen qui vindices conſtituti ſunt libertatis populi, eorum frænare furorem licet, 31. iſtiuſmodi Deus mirabili ſua bonitate in populi aliquando libertatem excitat. Quæcunque autem Regibus debetur obedientia, à mandatis Dei abducere nos non debet; ſi illa contrarium jubeant, ſatius eſt Deo obedire quam hominibus, 32, & 2. 8. 38.
Magnitudo animi Chriſtiani in afflictionibus doloris ſenſum non tollit, 3. 8. 8.
Maledicentia damnatur, 2. 8. 47. 48.
— tum Malitia tum ſuperſtitione notitia Dei homini naturaliter inſculpta ſuffocatur, 1. 4. 4.
Mandata ſeu præcepta legis perfectiſſimam continent juſtitiam, 2. 8. 4. ex conſideratione finium ſeorum capienda ſunt, ibid. 8. mandatum Dei de ſe invocando, 3. 20. 13. mandata Dei, 3. 20. 31. & 4. 10. 6.
Manducatio carnis Chriſti ſalutifera & realis, non tamen corporalis, 4. 17. 1, 4. quomodo a ſimplici in Chriſtum fide differat, 5, 4, 7, 8, &c.
Manichæi hæretici refelluntur, 1. 13. 1. & 1. 14. 3. & 1. 15. 5. & 2. 1. 11. & 2. 11. 3. & 2. 12. 1, 2. & 2. 14. 8. & 3. 13. 3. & 3. 23. 5. & 3. 25. 7. & 4. 11. 19.
Mannæ deſcenſus Moſis doctrinam confirmavit, 1. 8. 5. 6. non ad ſublevandam Iſraëlitarum famem modo, ſed confirmandam fidem præcipue valebat, 3. 10. 5, 6.
Manoah Deum videt & adorat, non Angelum, 1. 13. 10.
Manuum impoſitio in paſtorum electione Apoſtolicæ inſtitutionis, 4. 3. 16. manuum elevatio in precibus attentionis adminiculum, 3. 20. 3.
Marcionitæ refutantur, 2. 13. 1, 2. & 4. 17. 17.
Maria Chriſti mater Joſephi conſanguinea, 2. 13. 3.
Martyrum ſanguis Scripturæ autoritati noſtris confirmat fidem, 1. 8. 13. alios ejus fructus, 3. 5. 4.
Matrimonium divinæ eſt inſtitutionis ad ſublevandam hominum imbecillitatem, quibus duplici nomine, ſi continere ſe nequeant, nunc neceſſarium eſt: 2. 8. 41, 42, 43. unde nulli, non Eccleſiæ miniſtris, debet interdici, 4. 12. 23, &c. & 4. 13. 17, 18, 19. libidinum tamen, quarum eſt remedium, incitamentum eſſe non debet, 2. 8. 44. non eſt Sacramentum, 4. 19. 34 — 37.
Mediatoris ut poſſet præſtare officium Chriſtus debuit fieri homo, alius autem id muneris obire non poterat nec ex Angelis nec ex Adæ filiis, 2. 12. 1, 2, 3. Cum vero officium illud ſuſceperit ut peccatores liberaret, recte contra Oſiandrum colligitur Chriſtum hominem futurum non fuiſſe ſi Adam perſtitiſſet, 4 — 7. non redemptionis mediator tantum, ſed & interceſſionis eſt, 3. 20. 20. Quomodo duæ naturæ Mediatoris unam efficiant perſonam, ubi idiomatum communicatio explicatur & Neſtorius Eutyches refutatur, 2. 14. 1 — 4. ac Serveti circa ejus perſonam impia figmenta quæ diluuntur, oſtenditurque ſimul contra ipſum fuiſſe jam Filium ante incarnationem, 5 — 8. Vide Chriſtus & Jeſus.
Meditationes piæ de Dei operibus, 1. 5. 5. & 1. 14. 21. & 3. 25. 1.
Merces fidelibus cur promiſſa, 3. 18. 3, 4. non probat merita operum, ibid.
Mendacium præcepto nono damnatum, cujus & expoſitio additur, 2. 8. 47. 48.
Meritum recte Chriſto & ejus paſſionibus tribuitur, 2. 17. 1 — 5. quærere an ſibi aliquid meruerit, temerariæ & ſtultæ curioſitatis eſt, ibid. 6.
Merita quæ Papiſtæ tribuunt operibus, tam Dei gloriam quam ſalutis noſtræ certitudinem evertunt, 3. 13. 1, &c. meriti nomen qui primus bonis operibus aptavit, male fidei ſinceritati conſuluit, ibid. 1. qui autem huc torquentur loci, exponuntur, 3, 4. imo non meritis Deus gratiam reddit, ſed ex mera ſua benignitate, 2. 3. 2. Nec Chriſtus primam tantum gratiam nobis confert, cujus nos poſtea dona operibus mereamur, ſed ſalutem dat ex aſſe, 3. 13. 6. 7.
Michaelis nomen ne Angelorum ordinem & hierarchiam evincat, 1. 14. 8.
Michael Servetus, vide Servetus.
Mileſiorum proverbium, 4. 13. 15.
Miniſterium Verbi in Eccleſia neceſſarium, ejuſque efficacia, 4. 1. 5, 6. Cum Deus per ſe immediate nos docere poſſit vel per Angelos, cur id per homines peragi velit, 4. 3. 1, 2, 3. quæ miniſtrorum Eccleſiæ, Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Paſtorum & Doctorum functio, ibid. 5. Apoſtolorum & paſtorum præcipuæ ſunt partes Evangelium annuntiare, & adminiſtrare Sacramenta, 6. hi ita ſunt locis alligati ne alio migrare ſine publica authoritate nequeant, 10 quo ab Apoſtolis differunt, 7. Epiſcoporum autem, presbyterorum, paſtorum & miniſtrorum nomina indiſcriminatim uſurpantur, 8. quod hi omnes in Eccleſia ſpargunt verbum, cum ſemini comparetur totum profectum à Spiritus efficacia accipit, ubi oſtenditur miniſterii autoritas & interni differentia, & quantum prius illud valeat, 4. 1. 6. & 4. 14. 11. Nullus ſe ad hoc uſurpandum ingerere poteſt, ſed vocatio requiritur, 4. 3. 10. quales Epiſcopos eligi oporteat, & à quibus, quoque ritu muneri ſuo initiandi ſint, ibid. 11 — 16. ordines miniſtrorum in Vetere Eccleſia, Paſtores nempe, Seniores & Diaconi, 4. 4. 1. 12. Mandatum remittendorum & retinendorum peccatorum, cum illud ligandi & ſolvendi ad verbi miniſterium referri debet, 4. 11. 2. Miniſtrorum paupertas glorioſa, 4. 5. 17. Vide Paſtores.
Miniſterium Joannis baptiſtæ partim legale, partim Evangelicum, 2. 9. 5. non ita tamen quin cum illo Apoſtolorum unum fuerit, 4. 15. 7.
Miniſterialis caput in Eccleſia nullum, 4. 6. 9.
Miracula Chriſti propria ipſius, non miniſteriali virtute edita, 1. 13. 13. miracula Moſis nulli cavillis obnoxia legis ab ipſo latæ divinitatem probant, 1. 8. 5.
Miſeriæ humanæ mederi Deus voluit pro immenſa ſua bonitate per Filii miſſionem, 2. 12. 3. miſeriis perpetuis homo ſubjectus, 2. 3. 3. & 2. 17 10. & 3. 7. 10. & 3. 8. 11. miſeriæ impiorum in inferno ſumma, 3. 25. 12.
Miſericordia Dei & ejus veritas perpetuo nexu conjunctæ, 3. 13 3. & 3. 2. 7. illa in omnes creaturas eſt effuſa, 1. 5. 6.
Miſſa quid ex Romaneſium ſenſu & quid ex vera deſcriptione, 4. 18. 1. ejus ſacrilegia; abolet Chriſti ſacerdotium, ejus crucem ſepelit, erecto alio altari, 2, 3. nec juvat miſſarios Chriſti mactatores incenſum illud Malachiæ ubique offerendum, 4. Mortis Chriſti memoriam præterea ex hominum mentibus obliterat, fructumque ejus nobis tollit, & cœnæ Sacramentum antiquat, 6, 7. (2. 15. 6 & 4. 1. 9.) Miſſæ nomen unde deſumpſerit, 8. quæ Veterum authoritate defendi non poteſt, quamvis eorum communiter ſacrificium diverſos & nimis deflexerint ad legis umbras, 10. 11. quanti autem ſit æſtimari poteſt quod ejus fiducia multi ſecure ſuis vitiis indulgeant, 13. alii deſcribuntur abuſus qui circa eam locum habent, 18. ſordus miſſariorum quæſtus, 4. 5. 9.
Moderatorum Eccleſiæ munus, 4. 3. 8. & 4. 11. 2.
Modeſtia præcipua fidelium virtus, 2. 2. 1, 11. & 3. 12. 6, 7. 8.
Monachi primitivæ Eccleſiæ incogniti, 4. 5. 8. in Veteri vero Eccleſia qui ſanctitate excelluerint & quam rigide vixerint Auguſtini verbis enarratur, 4. 13. 8, 9, 10. hodiernorum corruptiſſimi mores, ibid. 15. & factionum nomina, 14. ac temeraria vota quibus dæmonis potius quam Deo ſe conſecrant, 17. ſuperbus perfectionis titulus, quo ſe vendicant, excutitur, 11 — 13. ac aſſeritur ipſos Eccleſiæ communionem ſuo diſceſſu in cœnobia & ſeparatis religionis exercitiis diſcerpere, 14. Veteres tamen Eccleſiæ monachi ne quidem omni ex parte excuſandi ſunt, 18. Immerito fractæ fidei accuſari & perjurii qui à Monachiſmo ad honeſtum vitæ genus concedunt; quum vota illegitima, qualia ſunt illa monachorum, ne quidem fieri, multo minus præſtari debuerint, 20, 21.
Moniales veteri Eccleſiæ ignotæ, nec verbo Dei nititur ipſarum inſtitutum, 4. 13. 18.
Monicæ matris Auguſtini ultimum votum, 3. 5. 10.
Monitiones privatæ & publicæ in Eccleſia neceſſariæ, 4. 12. 2.
Monothelitæ refelluntur, 2. 16. 12.
Montanus refutatur, 4. 12. 23.
Mortis Chriſti magna vis, ubi docetur Chriſtum, quamvis tota vita Redemptoris partes obierit, Scripturam tamen nos perpetuo ad mortem ejus mittere & cur, quaque de cauſa mortem crucis ſpecialiter paſſus ſit, per quam mortificationem veteris noſtri hominis perficit, 2. 16. 5, 6, 7. & 3. 3. 9. univerſa miſſæ ſacrilegio abolentur, 4. 18. 4. 8.
Mors fanaticorum quorundam voluntaria ex mera intemperie, 1. 8. 13. ſed vehementi zelo eam martyres obierunt, ibid. à fidelibus contemni debet, 3. 9. 5.
Mortificatio carnis noſtræ vi mortis Chriſti peragitur, 2. 16. 7. & pœnitentiæ partem conſtituit, 3. 3. 8. 9.
Morum examen ſemper habitum à Veteribus in miniſtrorum ordinatione, 4. 5. 14.
Mortuorum interceſſio nulla, 3. 20. 21.
Moſes omnium Prophetarum Princeps, 4. 8. 2. familiariter & populariter hiſtoriam ſuam conſcripſit, 1. 14. 3. ejus authoritas & miracula, 1. 8. 4. 5.
Motus qualeſcunque animi ſeu boni ſeu mali Dei directioni ſubjecti, 1. 18. 2.
Mulieres ſub hominum nominibus in genealogiis comprehenduntur, nec tamen ἀνθρωποι, 2. 13. 3. iis baptizare illicitum, 4. 15. 20. ne in earum carbaſo & ſilentii religio, 4. 10. 31.
Mundi duo in homine ſeu duplex regimen, 3. 19. 15. & 4. 20. 1. mundus vitiorum in hominis anima reconditus, 3. 7. 2. mundus à Deo creatus, 1. 14. 1, &c. idque hominis cauſa, 1. 18. 8. ejus gubernatio per divinam providentiam, ibid. 1 — 3.
Myſterii nomen quibus rebus à Vetere interprete adaptatum, 4. 19. 1. myſteria ſpiritualia homo naturalis non intelligit, 2. 2. 20.

N.

Naamanis Syri fides in Chriſtum etiam reſpexit, 3. 2. 32.
Natales ne à quibuſdam populis juſta de cauſa lachrymis conſperſi, 3. 9. 4. & an non naſci ſeu ſtatim ſenſerim melius eſſe, quam in lucem edi, ibid.
Naturæ humanæ univerſalis poſt peccatum corruptio, 2. 5. 1. & 2. 3. 6.
Natura duplex in una Mediatoris perſona, 2. 14. 1.
Nebucadnezar ſervus Dei cur dictus, 1. 18. 1. & 4. 20. 27.
Neceſſitas recte diſtinguitur in eam quæ eſt ſecundum quid & abſolutam, 1. 16. 9. neceſſitas & coactio differunt, 2. 3. 5. illa peccato competit, nec tamen propterea peccatum eſſe deſinit, 2. 5. 1. Neceſſitas fatalis Stoicorum longe à providentia differt, 1. 16. 8.
Nehemiæ jejunium ſanctum nec ſuperſtitioſum, 4. 12. 16.
Neſtorius hæreticus refellitur, 2. 14. 4. 5.
Nicenæ ſynodi ſecundæ, quæ imagines & collocandas in templis & adorandas decrevit, impietas, 1. 11. 14 & 4. 8. 9.
Nomen Dei ſumma cum reverentia uſurpandum, 2. 8. 22. quomodo ſanctificandum, 3. 20. 41. Chriſti nomen aliquando Eccleſiæ ejus tribuitur, 4. 17. 22.
Notæ Eccleſiæ veræ quæ, 4. 1. 7.
Notitia Dei cum noſtri cognitione conjuncta, 1. 1. 1, 2, 3. quo tendere debeat, 1. 2. 1, 1. 3. & 1. 5. 9, 10. malitia & ſuperſtitione ſæpe ſuffocatur, 1. 4. 1 — 4. inſculpta quidem eſt omnium cordibus, 1. 3. 1, 2, 3. & in mundi gubernatione lucet, 1. 5. 1 — 10. ſed quia hæc poſtmodo etiam hominum malignitate ſine profectu effluit, ibid. 11 — 15. clarius in ſcripturis ob oculos poni neceſſe fuit, 1. 6. 1. Vide Cognitio.
Novatiani refelluntur, 3. 3. 21 & 4. 1. 23.

Obca-

O.

OBcæcationis reproborum cauſa, 3. 20. 48. & 3. 24. 12. & 1. 18. 2.
Obedientia Mediatoris Adæ inobedientiæ oppoſita debuit, ut Deus nobis reconciliaretur, 2. 12. 3. eadem noſtra delevit peccata, 2. 16. 5. obedientia Deo gratiſſima, 2. 8. 5. & 4. 10. 17. parentibus debita, 2. 8. 35, 37, 38. Regibus etiam & Magiſtratibus quibuſcunque, 4. 20. 8, 22, 23. ſed ad aras. *ibid.* 32.
Objectum fidei an Deus ſine interventu Chriſti, 2. 6. 4. & 3. 2. 1. objectum fidei quod, 3. 2. 6. & 3. 3. 1, 9.
Obſervatio dierum ſuperſtitioſa damnanda, 2. 8. 31. quæ autem à nobis obſervantur, ad decorum tantum pertinent, *ibid.* legis obſervatio eſt impoſſibilis, 2. 7. 5.
Occidere illicitum, 2. 8. 39. etiam ſeipſum, 3. 9. 3, 4.
Odium fratris eſt homicidium, 2. 8. 39. odium peccati pœnitentiæ eſt exordium, 3. 3. 20.
Officiales Epiſcoporum in papatu quale genus hominum, 4. 11. 7. 8.
Officium paſtoris differt ab officio Principis, 4. 11. 8. & Regis, 4. 7. 24.
Oleum papiſtarum in extrema unctione nugatorium, 4. 19. 20. Spiritum S. ſæpe olei nomine exprimimus, 2. 15. 5. & 1. 1. 3. & 4. 19. 18.
Omnipotentia Dei non otioſa ſed operoſa & efficax, 1. 16. 3.
Opera Dei ordinaria, & extraordinaria ejus exiſtentiam evincunt, 1. 5. 10, &c. fides aliquando opus dicitur, 3. 18. 10. opus vero eſt Spiritus Sancti, 3. 2. 33—38. & 4. 14. 8. in opere eodem quomodo Deus, diabolus & homo concurrant, ille juſtus, hi injuſti ſint, 1. 18. 4. & 2. 4. 2. Opera carnis à peccato originali oriunda, 2. 1. 8. & 4. 15. 10. Hypocritarum opera Deus reſpuit, 3. 14. 7. opera ſupererogationis refutata, 2. 8. 58. & 3. 14. 14. & 4. 13. 12. opera bona à Dei gratia procedunt, 2. 3. 6, 13. & à fide quæ ejus donum, 4. 13. 20. Operum juſtitia nulla, 3. 14. 12—15. & 3. 18. 1. nec iis homo juſtificatur, ſed ſola fide, 3. 11. 13—23. ubi autem ipſa Perſona eſt juſtificata coram Deo ipſa etiam opera Deo probantur, ſed perſonæ reſpectu quam gratuito juſtificat, 3. 17. 20. nullo enim modo ſunt coram Deo in ſe pura, 3. 12. 4. 5. diviſa omni Adæ progenie in quatuor partes, oſtenditur tum eos qui nulla Dei agnitione præditi ſunt, tum titulares Chriſtianos & hypocritas, quin & ipſos Dei filios & qui regeniti ſunt, operibus non poſſe juſtificari, 3. 14. 1—11. quare nulla in iis fiducia ponenda. 3. 14. 16. operibus noſtris nulla ex quatuor cauſis convenit, ut poſſint dici juſtitiæ aut juſtificationis noſtræ cauſæ, 3. 14. 17. quod ſancti ad operum ſuorum innocentiam & vitæ ſanctitatem etiam coram Deo ſæpenumero recurrant, quomodo accipiendum ſit, *ibid.* 18, 19, 20. & quo ſenſu Scriptura aſſerat illa Deum incitare ad nobis benefaciendum, 21. quatenus bona opera dicantur noſtra, 2. 5. 14. & iis remuneratio promittatur, 3. 15. 3. nulla dantur moralia opera quibus ante inſitionem in Chriſtum homines gratioſi Deo reddantur. *ibid.* 8. & 3. 17. 4. quæ juſtitiæ cultoribus in Lege ſua Dominus promiſit, fidelium operibus rependit, ſed ex mera gratia, 3. 17. 1, 2, 3. duplex quidem hominis apud Deum acceptio & perſonæ & operum, ſed utraque Dei miſericordiæ adſcribenda, *ibid.* 4, 5. cumque dicitur Deus iis benefacere qui ipſum diligunt, magis indicatur quales reddantur illi quibus Deus benefacit, quam cauſa cur illis benefiat, 6. cur bona opera juſtitiæ titulo aliquando inſigniantur, 7. unum bonum opus aut plura non ſufficiunt ad ſalutem, quamvis ad damnationem. hicque fallit contrariorum regula, 3. 18. 10. qua de cauſa Dominus teſtetur ſe operibus noſtris rependere, quod jam ante gratis promiſerat 3. 18. 3—7. fidelium vero juſtitia in operibus unde pendet quod à Deo per veniam approbentur. *ibid.* 5.
Oraculorum ope primo omnium Patriarchas Deus docuit, 1. 6. 2. & 4. 8. 5.
Oratio veræ fidei ſemper eſt conjuncta nec hæc ſine illa eſſe ullo modo poteſt, 3. 20. 1. quam hæc Dei invocatio ſit neceſſaria & utilis, licet Dominus monitore opus non habeat, 2. 3. orationis leges, cujus prima eſt ut ad reverentiam compoſitam mentem habeamus, tanquam cum ſummo Rege collocuturi, 4, 5. altera, ut petendo inopiam noſtram vere ſemper ſentiamus, ſerioſque impetrandi affectus cum hoc indigentiæ noſtræ ſenſu conjunctus ſit. 6. hac de cauſa ſemper orandum, ad quod nos debet etiam incendere peccatorum noſtrorum recordatio quorum remiſſione indigemus, 7. tertia precandi lex eſt omnis propriæ fiduciæ abdicatio, 8. quapropter perpetua veniæ deprecatio & humilis culpæ confeſſio cum precibus conjuncta eſſe debent, 9. & quo ſenſu accipiendæ ſint Sanctorum orationes in quibus etiam coram Deo ad innocentiam ſuam confugiunt, 10. Quarta lex eſt ut vera humilitate in nobis proſtrati, certa nihilominus Deum exorandi ſpe ad precandum animemur; ita in precibus cum pœnitentia fides concurrit, 11, 12. hæc exorandi fiducia ſubmittitur, tum Dei mandato quo ſe invocari juſſit, tum promiſſionibus, quibus, ſe invocantibus ad futurum promiſit, 13, 14. & cur aliquorum precibus annuerit quæ nulla promiſſione nitebantur, 15. non ita tamen rigide has leges Deus exigit, quin multas hic infirmitates toleret, 16. In Chriſti vero ſolius nomine orandum, neque alius interventu unquam exaudiri fideles, 17, 18, 36. qui alio confugiunt, præter illum in throno Dei nihil ſibi factum reliquum, 19. ubi ſimul oſtenditur quomodo Chriſti mediationi & interceſſioni non ſit contrarium, quod alii pro aliis orare jubeamur. Refelluntur Sophiſtæ qui redemptionis tantum Chriſtum mediatorem eſſe volunt, non item interceſſionis, 20. hunc enim honorem Sancti mortui evehi non debent, nec Chriſtus miſellorum hominum turbæ miſceri, 21, 22. contraria argumenta refelluntur, 23—27. orationis ſpecies, ubi occurrit gratiarum actio, cui perpetuo fidelibus incumbendum, 28, 29. de Papiſtarum in precibus battologia, de quærendo in iis habendis ſeceſſu, deque orationibus publicis, 29. ſunt autem vernaculo ſermone concipiendæ & quomodo contra hanc regulam peccetur in papatu, ubi & de genuculatione & capitis detectione, 33. formulam orandi, quia perpetuo nos aberrare contingeret, pro immenſa ſua bonitate Chriſtus nobis tradidit, quæ nobis ex parte explicatur, propoſita orationis Dominicæ diviſione, 34, 35. expoſitione, 52, &c. abſolutiſſima hæc oratio eſt, 48. cui nihil addendum, quamvis non ſemper iiſdem verbis noſtras preces concipi neceſſe ſit, 49. peculiariter ſine ulla Dei offenſione pro nobis & certis aliis precari licet, quamvis alioqui pro omnibus orandum, maxime pro domeſticis fidei, 38, 39, 47. quo in loco audacia petendi & fiducia obtinendi, quam Dominus ſuis concedit, enarratur. Ut autem magis ad precandum ſtimulemur, certas ſibi quemque horas conſtituere conduceret, modo abſit ſuperſtitioſa earum obſervatio, 50. ubi monſtratur Deum iniquis conditionibus & circumſtantiis non eſſe alligandum. Perſeverantia & patientia maxime in precum exercitio præ cæteris ſunt neceſſariæ, 51, 52.
Ordinatio miniſtrorum quo ritu & quando peragi debeat, 4. 3. 18. & 4. 4. 6, 10, 14.
Ordo & miniſteria Eccleſiæ quæ, 4. 8. 2. Ordo Eccleſiaſticus Papiſtarum Sacramentum non eſt, 4. 19. 22, 23. cum jam in ſeptem alia ſacramentula diviſerint ut ipſi de numero pugnaciter digladientur, *ibid.* ordines autem ſuos, ut acoluthos, oſtiarios, item lectores, & exorciſtas, quibus ceremoniis conſecrent, 24. totaque illa ordinum inſtitutio quam vana ſe oſtenditur, ubi de clericali tonſura, ridicula ejus ſignificatione, & unde originem ſumpſerit, 25, 26, 27. tres ordines eorum majores non minoribus ſcatent ſacrilegiis, præcipue ſacerdotium ſeu presbyterium, quia in eo alii Sacerdotes Chriſto unico & æterno Sacerdoti ſurrogantur, 28. & ut perverſe in eorum conſecratione Chriſti efflationem tanquam ſimiæ imitentur, 29. & oleum uſurpent, quod dum ad Aaronis filios referunt, ſe à Chriſto faciunt apoſtatas, 30, 31. Ordo & decorum in Eccleſia quomodo ſervari poſſit, 4. 10. 28. Ordines trea regnorum qua poteſtate polleant, 4. 20. 31.
Originale peccatum cum ſuis triſtibus effectis definitur & deſcribitur, 2. 1. 5—11. & 4. 15. 10.
Oſiander refellitur, 1. 15. 3, 5. & 2. 12. 5, 6, 7. & 3. 11. 5—12.
Oſtiarii quinam olim in vetere Eccleſia fuerint, 4. 4. 9.
Otio hodierni monachi quantopere dediti, 4. 13. 30.

P.

PÆdobaptiſmum optime cum Chriſti inſtitutione & ſigni natura congruere oſtenditur, tum ex ſucceſſione baptiſmi in locum circumciſionis, & illius cum hac ſimilitudine, 4. 16. 1—5. tum ex communione fœderis Abrahamici, quod initum Deus ſtatim ſymbolo confirmavit; ei autem etiamnum infantes omnes participant, 6. ex loco item Matthæi 19. 13, 14. ubi Chriſtus parvulos amplectitur, manus iis imponit & regnum cælorum adjudicat. Porro vero liquet quæ res in baptiſmo ſignatæ participes ſunt infantes, & à Domino, modo quamvis nobis imperceptibili, regenerentur, 17, 18. Adverſariorum quædam eſt ex argumentis exceptiones refutantur, quando pertendunt res alias in baptiſmo quam circumciſione figurari, aliosque hodie quam tunc infantes dici, infinitoque intervallo utraque Sacramenta diſtrahunt, 10—16. Variæ eorum objectiones diluuntur, 8. 20—29. colligitur vero ita magnus qui inde ad nos redit fructus tum parentum tum infantium reſpectu, 9. 32. In adultis quidem fides & pœnitentia, intelligentia item baptiſmi receptionem debet præcedere, ſed infantium ratio alia eſt, 24. Errant longiſſime qui omnes non baptizatos æternæ morti addicunt, 26. Cauſæ huic nihil obſtat quod Chriſtus anno ætatis xxx. tantum ſit baptizatus, 29. Nec tamen inde recte colligitur pari ratione ipſis adminiſtrandam etiam cœnam, 30. ſpecialiter exhibentur Serveti circa hoc argumentorum nugæ, 31, 32. nullo itaque modo ex Eccleſiæ tantum traditione ortum docti, 4. 8. 18. & 4. 18. 1.
Panis pro rebus in univerſum corpori ad ſuſtentationem neceſſariis, 3. 20. 44. unde nutriendi trahat vim. & non eam habeat propriam, *ibid.* & 1. 16. 7. quo ſenſu dicatur corpus Chriſti, 4. 17. 20. &c. ejus in dominica cœna uſus, quid ibi figuret, *ibid.* 1, 2, 3. azymus an fermentatus in ea uſurpari debeat, *ibid.* 43.
Papa Chriſti ſe facit vicarium ſed quo jure, 4. 6. 1. & 4. 7. 26. eſt potius Antichriſtus, 4. 2. 12. & 4. 7. 21, 23. & 4. 9. 4. quo aſtu imperium occidentale ſibi ſubjecerit, 4. 11. 13. quo pacto & quando in id faſtigium excreverit, 4. 7. 3—21. (ex Papiſtarum ordine recenſentur qui monſtra magis fuerunt quam homines, *ibid.* 28, 27.) ſordes ejus in indulgentiis mundinatio, 3. 5. 2. quo nomine præſederit in Leonis perſona concilio Chalcedonenſi, 4. 7. 1. refute oſtenditur non eſſe primatum ſedis alicujus & maxime Romanæ ex Chriſti inſtituto, 4. 6. 1—4. quemvis Petrus in Eccleſia aut inter Apoſtolos habuit, 5, 6, 7. quippe non nequit ut homo unus univerſæ Eccleſiæ præſit, 8, 9, 10. Ejuſmodi principatum licet habuiſſet Petrus, eo tamen dignitas Romæ conferenda non foret, nec ejus Epiſcopo ſeu hodierno Papæ, 11, 12, 13. itaque Petri in hoc ſucceſſor non eſt qui Romanus Epiſcopus non ſuit, 14, 15. Hic autem principatus unius uſui Eccleſiæ veteris directe repugnat, 16, 17. In pleriſque conciliis non Romanus pontifex aut ejus legati, ſed alii quivis ex Epiſcopis primum locum tenuerunt, 4. 7. 1, 2. faſtuoſi primarii tituli, quibus ſe jactat Papa, quando & quomodo obrepſerint, 3. illum vero Epiſcopi univerſalis ab Antichriſti tantum præcone potuiſſe publicari aſſerit Gregorius, 4. quare non habet juriſdictionem in omnes Eccleſias, ſive ſpectes Epiſcoporum ordinationem, ſive Eccleſiaſticas cenſuras, ſive indictionem conciliorum, ſive jus audiendarum appellationum, 5—10. (& 4. 11. 11.) Quod ſedis olim ſuæ amplitudinem plerumque Epiſcopi Romani in ſuis deprædicarunt epiſtolis, ex ambitione factum eſt; recentiores autem præter illa eorum ſcripta multa ficta ſuppoſuerunt, 11, 20. Quamvis Gregorii tempore jam multum eſſet aucta hæc injuſta Romani Epiſcopi authoritas, ad hodiernam tamen tyrannidem nondum evaſerat, 12, 13, 22. Certatum porro diu de primatu inter Conſtantinopolitanum Epiſcopum & Romanum, 14, 15, 16. donec Bonifacio tertio latro Phocas concederet, ut Roma eſſet caput mundi; quod myſterium plane in lucem protrudit Pipini ſacrilega liberalitate juriſdictionem in Gallicanas Eccleſias Romana ſedes obtinuit, 17. hæc tyrannis paulatim crevit tum inſcitia, tum Epiſcoporum ignavia; quam Eccleſiæ diſſipationem deplorat Bernardus, 18, 22. Impudentiam itaque ſummam & inſolentiam pontificum Romanorum mirari neceſſe eſt in deprædicanda ſua authoritate, 19, 20. quam injuſtam eſſe ex Gregorio & Cypriano arguitur, 21. Primatus vero licet ante competiiſſet Romanæ ſedi, loco tamen alligandus non foret. Papæ, Cardinalium, totiuſque Romanæ aulæ excutiuntur mores & theologia, 27, 22. Roma etiam mater omnium Eccleſiarum eſſe non poteſt, quum non ſit Eccleſia, nec Papa Epiſcoporum princeps, quum non ſit Epiſcopus, 23, 24. ſed potius primum regulis, deinde & imperiorum manum injecerit, quod Apoſtolico ſucceſſore eſſe indignum aſſerit Bernardus, 4. 11. 11. neque enim poteſt obtendere Conſtantini donationem, quæ nulla eſt, *ibid.* 12. & in ſubjectione Principum omnes omnino Pontifices ante quingentos etiam annos manſerunt, Cæſarumque tantum indulgentia & ignavia excuſſerint, 14. refacta tandem urbe quoque ante annos circiter centum & triginta in ſuam poteſtatem, 14.
Papatus quo ſenſu adhuc Eccleſia concedi poſſit, quo denegari debeat, 4. 2. 10, 11. unde ſumpſerit initium, 4. 7. 1. qualis ſit hodie qua ſtatum, *ibid.* 22.
Paphnutii de conjugii caſtitate inſigne dictum, 4. 12. 20.
Papiſtarum inſignes errores conſpiciuntur in Sacramento Ordinis quod ſeptem alia ſacramentula ex ſe parit, 4. 19. 22—31. ubi oſtenditur unum in Chriſtum unicum Sacerdotem eſſe impiuſque dum ſacerdotes creant, (item 2. 15. 6.) ipſoſque inſtar ſimiarum quovis in opere Chriſtum ridicule imitari, & apoſtatas fieri à Chriſto dum Levitarum ſimuli eſſe cupiunt, 28—31. portentum ipſorum in defendendis imaginibus effugium, 1. 11. 5, 7. Chriſtum ignorant, 2. 15. 2. eorum jejunia, 4. 12. 20, &c. eorum licentia in uſurpanda lingua incognita inter publicas preces, 3. 20. 33.
Paſtorum in Eccleſia neceſſitas & uſus, 4. 3. 4, 5. paſtor, Epiſcopus, presbyter & miniſter unum idemque in Scripturis, *ibid.* 8. eorum munus, 2. 8. 46. & 3. 8. 17. & 4. 12. 14, 17. & 4. 2. 1, 5, 22. & 4. 3. 6. & 4. 8. 2. vocatio, ſeu quales, qualiter & à quibus inſtituendi ſint, 4. 3. 10—15. poteſtas ad cudenda fidei dogmata ſe non extendit, 4. 8. 8—13. & 4. 10. 8, &c. iis deficientibus conſtare tamen Eccleſiam poſſe, 4. 9. 5. corruptionem etiam aliquorum ex iis & apoſtaſiam prædicit Scriptura, *ibid.* 4.
Patientia ob varias adverſitates & infortunia fidelibus neceſſaria, 3. 8. 8. in precibus etiam ob diuturnam promiſſionum dilatum complementum, 3. 20. 52. & 3. 8. 5, 8. differentia inter Philoſophorum & Chriſtianam patientiam, 3. 8. 11. hæc tolerantia abnegationis noſtræ pars eſt, prout Deum reſpicit, 3. 7. 8, 9, 10. à fidelibus autem patientia non exigitur quæ doloris ſenſu careat, ſed quæ crucis in ſerendæ truce repugnantiam ſubeat, ut idolum potius quam verum ſapientem Stoici deſcripſerunt, 3. 8. 9, 10.
Patres V. T. in ceremoniarum virtute cæleſtis gratiæ participes, 1. 7. 16. quatenus apud ipſos Evangelium claritatem ſuam obtinuerit, & quatenus obſcurius fuerit oſtenſum, 2. 9. 1, 2, 4. & 4. 10. 20. fuſe demonſtratur futuræ vitæ habuiſſe eos promiſſiones, fœdus illud meræ Dei miſericordiæ ſubſtitiſſe, & in Chriſto fuiſſe fundatum, 2. 10. 2. & 2. 14. 5. ipſorumque Sacramenta cum noſtris ejuſdem fuerunt efficaciæ, 4. 14. 23—26.

Paulus

NOTATU DIGNARUM.

Patriarchis V. T. quomodo Deus ſe manifeſtarit, 4. 8. 5. & 8. 6. 2.

Patriarchæ in Vetere Eccleſia qui, 4. 4. 4.

Paupertas in Sacerdotibus Domini glorioſa, 4. 4. 9. & 4. 7. 35. 17.

Pauperum cura quibus demandata, 4. 3. 9. quam fideliter & ſincere eam ſuſceperint Eccleſiæ veteris Epiſcopi, 4. 4. 9.

Pax conſcientiæ ſua ſemper eſt tecta ſarta conſervanda, 3. 4. 27. & 3. 15. 1. quæ procedit à remiſſione peccatorum, *ibid.* 4.

Peccata non omnia per ignorantiam committi, quod volebat Plato, refellitur, ut nec deſtinata ſemper malitia in iis intervenit, 2. 2. 22, 25, 25. peccatum omne ad leviſſimam uſque concupiſcentiam mortale eſt, & quid ſit Sophiſtis peccatum veniale, 2. 8. 58, 59. & 3. 4. 28. quomodo accipiendum quod dicitur, Deum peccata parentum in filiis plectere: eaque vindicta an divinam juſtitiam dedeceat, 2. 8. 19, 20. peccata cur debita appellentur, 3. 20. 45. peccata Sanctorum quomodo venialia, 2. 8. 59. ex peccatis alia privata, alia publica, 4. 12. 3, 6. an ſola condonantur Eccleſia, 4. 1. 20. & 3. 10. 45. omnia ſigillatim numerari nec poſſunt nec debent, 3. 4. 14, 18. eorum remiſſio (quæ juſtificationis pars eſt, 3. 11. 21, 22.) ad peccandum rurſum non incitat, 3. 19. 4.

Peccati originalis definitio aſſeritur: & probatur non ſolas ab Adamo pœnas in nos graſſari, ſed & ab ipſo ortam luem in nobis reſidere, ut ita non peccatum alienum ſit, ſed proprium, quod non ad appetitum tantum inferiorem, ſed ad univerſam mentem & cor ipſum penetravit, 2. 1. 8, 9. & 4. 15. 10, 11. hæc vitioſitas quomodo ſit naturalis & tamen adventitia, 10, 11. quomodo ad nos propagetur, quod ſiqui probatur, nec imitatione tantum in nobis locum habeat, *ibid.* 5, 6. an ad hanc diſputationem neceſſum ſit definita an animæ à Deo creentur, an vero à parentibus orian-tur, 7.

Peccati primi ſeu lapſus Adæ gravitas & gradus, *ibid.* 4.

Peccatum in Spiritum Sanctum quale quantumque ſit, ejuſque exempla & natura, tum ex aliorum mente, tum ſecundum veritatem Scripturæ traditur, quæ oſtendit non eſſe particularem lapſum, ſed univerſalem defectionem, unde merito Deus iis qui id commiſerunt eſt implacabilis, 3. 3. 22, 23. quod ſi quibuſdam tribuantur gemitus & lachrymæ, id excitum ex deſperatione tormentum fuit, non vera converſio, 24.

Peccatores juſte puniuntur, licet Dei ordinationi ſerviant, 1. 17. 5. id nomen exceſſum notat aliquando & ſignat homines ſumme improbos, 3. 20. 10. Peccatrix mulier apud Lucam quo fundamento peccatorum remiſſionem nacta, 3. 4. 37.

Pelagiani refelluntur, 2. 1. 5. & 2. 2. 25. & 2. 3. 5, 7. & 3. 22. 8.

Perfectio Eccleſiæ in hac vita quanta ſit, 4. 8. 12. quæ item ſingulorum fidelium in hac vita, 3. 17. 15. an nullus Chriſtianus, niſi qui perfectus, 3. 6. 5. fidei ipſius perfectio qualis, 4. 14. 7, 8. & 3. 2. 17. perfectionis conſilia apud monachos quanti facienda, 4. 13. 11, 12, 13. & 2. 8. 56. perfectio qua ſuperbiunt fanatici vana, 4. 1. 20. & 3. 3. 10 — 24.

Perjurium prohibitum, ubi de juramentis legitimis, 2. 8. 24.

Perpetuitas Eccleſiæ quo fundamento nitatur, 2. 15. 3.

Perſæ ſolem adorabant, 1. 11. 1. eorum putida affectatio ut priſtinæ majorum ſuorum ſobrietatis haberent famam, 4. 12. 22.

Perſecutio pro juſtitia magnum in afflictionibus ſolamen, 3. 8. 7.

Perſeverantia gratuitum donum Dei, electorumque tantum propria, 2. 3. 11. & 2. 5. 3. & 3. 24. 9, 7.

Perſonæ vocabuli ſignificatio, cum de perſonarum acceptione coram Deo agitur, 3. 23. 10. Perſonæ vocabulum an recte uſurpetur in materia de Sacroſancta Trinitate, & quid ſit, 1. 13. 3, 6. in qua tres eſſe probatur tum conjunctim, *ibid.* 2. 16. tum ſeparatim, 7 — 15.

Petrus nullum habuit jus in alios Apoſtolos, 4. 6. 5, 5. nec Romæ fuit, *ibid.* 14. 15.

Petulantia carnis cohibenda, 3. 10. 3.

Phantaſiæ qualibet an peccata, 2. 8. 50. & 3. 3. 10.

Phariſæorum onera importabilia, quæ & quatenus ferenda, 4. 10. 29.

Philoſophorum in commendanda virtute arrogantia, 3. 7. 2. quod diſcrimen inter eorum Ethicam & Chriſtianam, 3. 9. 1, 3. ipſi non vacillarunt in materia de animæ immortalitate, 1. 15. 6. homini etiam in ſtatu corrupto Liberum arbitrium vendicant, *ibid.* 9. & 2. 5. 2. & univerſim ipſorum de eo opiniones, 2. 2. 8, 3, 4, 22, 25, 25. ac in tradendis artibus acumen, *ibid.* 15. vanitaſque in Deo ejuſque natura apprehendenda, 1. 5. 12.

Phocæ latronis in Bonifacium tertium nimia liberalitas, 4. 7. 17.

Picturarum quarum licitæ, quæ item illicitæ, & an in templis haberi conveniat, 1. 11. 4, 6, 12, 13.

Pietatis definitio, 1. 2. 1.

Pighius calumniator refutatur, 3. 2. 34.

Pœnæ & culpæ remiſſionis nugatoria diſtinctio, 3. 4. 29. inter pœnas reproborum & piorum afflictiones diſcrimen, 31 — 34. peccati pœna, 2. 8. 58, 59. & 3. 4. 28. & 3. 14. 21.

Pœnitentia a fide naſcitur, non eam præcedit, 3. 3. 1. quæ contra objiciuntur, refelluntur, 2. ubi oſtenditur, non tamen aliquod temporis intervallum inter utriuſque exiſtentiam fingi, ac ridetur inſulſitas Anabaptiſtarum, Jeſuitarum, &c. qui eam certis diebus terminant. Aliorum de illa ſententia qui eam in mortificationem quam vulgo contritionem vocant, & vivificationem partiuntur, in illa dolorem ob peccatum, hæc ſpirituale gaudium notet; non ita tamen accurata, 3. alii enim ejus ponunt formas, legalem unam, alteram Evangelicam, & utriuſque exempla, 4. ſecundum veram & accuratam ſententiam proponitur pœnitentiæ definitio, quæ licet à fide ſeparari non poſſit, diſtingui tamen debet, 5. definitionis illuſtratio, requiritur enim converſio ad Deum, non in operibus tantum externis, ſed in anima ipſa, 6. ea converſio ex timore Dei proficiſcitur, qui dolor eſt ſecundum Deum, 7. Duæ ejus partes, carnis mortificatio, & Spiritus vivificatio, plenius explicantur, 8. utrumque nobis contingit ex Chriſti participatione, illud vi mortis ejus, hoc reſurrectionis, in ipſa pœnitentia reformatur ad imaginem Dei ſit, & inſtauratio in Chriſti ſanctitatem, quæ uno momento tamen non impletur, 9. Carnis enim ſemper in electis manent reliquiæ quæ peccata ſunt, 10 — 14. locus Pauli 2 Cor. 7. de pœnitentiæ ſeu partibus, ſeu cauſis, ſeu affectibus vel affectionibus expoſitus, 15. ejus fructus ſunt erga Deum Pietas & Charitas erga proximum, quæ præcipue locanda in interiori cordis affectu, ut inde ſanctitatis externa teſtimonia emergant, quæ plus æquo urgent veteres Scriptores, 16. quia converſio ad Deum eſt præcipuum ejus caput, ſaccus, cinis, fletus, &c. ſeparabilia ſunt ab ea mihi ea, & magis ad publicam pœnitentiam pertinentia, 17. quæ peccatorum confeſſio in hac ſit neceſſaria, 18. neceſſarium eſt in orante requiſitum, (3. 20. 7) connexa quoque cum juſtificatione & fide, 19. & hæc beneficia pœnitentium tantum ſunt propria, qui multum proficiunt ſi plurimum ſibi diſplicere diſcant, 20. Pœnitentia eſt ſingulare donum Dei, 21. (& 3. 24. 15.) quamvis ſola ejus ſimulatione Deus non placetur, quomodo tamen Achabo, qui eam fictam ſolum habuit, pepercerit, explicatur, 25. (& 3. 20. 15) Sophiſtarum hallucinationes in aſſignanda pœnitentiæ definitione, partitione & nugaciſſimis quæſtionibus, 3. 4. 1. tres vero conſtituunt ejus partes, contritionem cordis quæ examinatur, 2, 3. confeſſionem oris quæ, 4 — 24. excutitur, & ſatisfactionem operis, quæ, 25 — 38. fuſe refutatur. an pœnitentia iterari poſſit, & quo ſenſu Veteres dixerint, eam, ubi ſolemnis eſt, non magis poſſe iterari quam baptiſmum, 3. 3. 21. & 4. 1. 29. ubi oſtenditur contra Novatianos poſſe repeti. De ritu Eccleſiæ veteris in publica pœnitentium & pœnitentia cum Eccleſia reconciliatione, 4. 19. 14. an ſit Sacramentum, qua in quæſtione miſere Sophiſtæ ipſi fluctuant, 15, 19, 17. & 4. 15. 4. qui ſenſu Scriptura pœnitentiam Deo tribuat, 1. 17. 12, 13.

Platonis de immortalitate animæ ſententia, 1. 15. 6.

Plumbum quanti ſit Papæ uſui, 3. 5. 5.

Politica adminiſtratio à regimine interiori animæ diſtinguenda, quo diſcrimine neglecto furioſa quidam Magiſtratus functionem tollunt, 4. 20. 1, 2. eſt donum Dei, humano generi utile, & religionis ſtatui neceſſarium, 3. ubi tres ejus ſtatuuntur partes, Magiſtratus, leges, populus. Tres regiminis civilis formæ, Ariſtocratica, Democratica & Monarchica, ex his quæ melior: omnibus tamen tenentur parere ſubditi, 8. univerſim ejus functio cum pietate Chriſtiani hominis convenire monſtratur, 4 — 7, 10. quale Magiſtratus ſit officium, 9. & an bella ipſi gerere ſit licitum, 11. ad ea ſuſtinenda vectigalium indictio ipſis permiſſa, & quæ in eorum uſu moderatio ipſis tenenda ſit, 13. non tantum Magiſtratui bono ſed & tyrannico eſſe obediendum, 24 — 28. ſed ad aras, 32. (2. 7. 8, 38.) eo autem uti ſeu jus ſuum in foro publico defendere Chriſtianis omnibus licitum, ſed qua cum moderatione, 17 — 21. an à Magiſtratus juriſdictione immunes ſint Clerici, 4. 11. 15. in fidei cauſis cognitio penes Eccleſiam ſemper fuit, quamvis aliquando Principes emboritatem ſuam interponerent, *ibid.* 5. 15, 16. Jus gladii ſeu Magiſtratus ab Epiſcopis papanis paulatim uſurpatum, & quo nomine, 9, 10.

Pontifex Romanus, vide Papa.

Poſſibiliane ſit legis impletio, 1. 5. 6. & 2. 7. 5.

Potentia Dei totum hoc univerſum productum, 1. 14. 20, 21. in quo etiam mirifice ſe exerit, 1. 5. 6. non otioſa eſt ſed efficax, 1. 16. 3. & 3. 2. 31. & 3. 21. 4. quanta ſit & quouſque ſe extendat, 4. 17. 24. ejus documentum dedit in liberatione populi Iſraëlitici, 2. 8. 15.

Potentiæ animæ humanæ ſeu ejus facultates, 1. 15. 6, 7, 8. & 2. 2. 2, 3. potentia noſtra & facultates in artibus tum excogitandis, tum addiſcendis, *ibid.* 13, 14, 15. quæ invalida eſt ad implendam legem, 2. 5. 6. & 2. 8. 3.

Poteſtas ligandi ſine ſcientia in confeſſione auriculari quanti, 3. 4. 21. poteſtas clavium quid quantaque, *ibid.* 14. 15. poteſtas Prophetarum quibus incluſa limitibus, 4. 8. 3. ut & illa Eccleſiæ in univerſum, *ibid.* 1. hæc quibus partibus conſtet, 4. 7. 6

Præcepta Dei ex hominis facultate non metienda, nec liberum arbitrium evincunt, quod ea præſtare nequit, 2. 5. 4, 6 — 9. (ubi & tres eorum recenſentur formæ) & 2. 8. 2, 3. in expoſitione præcepti alicujus ex decalogo, ejus finis ſeu ratio ſemper inſpicienda, *ibid.* 8.

Prædeſtinationis doctrina fructum habet ſuaviſſimum utiliſſimaque eſt quamvis ardua; nimia modo vitanda eſt curioſitas ne ultra Scripturæ præſcriptos limites, 3. 21. 1, 2. itaque doceri debet, nec ejus mentio, ut quidam volunt, ſepelienda, 3, 4. quid ſit oſtenditur & à præſcientia multum diſtingui: proponiturque ejus in tota Abrahæ ſobole exemplum, 5. 10. qua tamen ipſa electione ſpecialior adhuc gradus notandus eſt, quo inter ipſos Abrahæ filios diſcreverit, 6, 7. quæ omnia locupletiſſime Scripturæ monſtrantur teſtimoniis, refutantur qui prædeſtinationis cauſam merita faciunt, 3. 22. 1. regnat enim in ea ſolum ejus beneplacitum, quod & confirmatur ex Auguſtino, rejecta Thomæ argutia inepta, 2 — 11. Prædeſtinatis autem ſolis ſalutis deſtinantur promiſſiones, 3. 24. 17. nec hoc duo pugnant cerbi prædicatione multos à Deo vocari, concedi tamen pauciſſimis tantum fidei donum, 3. 22. 10. Nec vero ſolum Deus elegit quoſdam, ſed & econtra aliquos reprobavit, 3. 23. 1. litigant certe fruſtra cum Deo reprobi, cum nihil ipſis debeat; nihil non juſte velit, & ipſi ſibi damnationis cauſa ſint, 2 — 5. eorum ſacrilegum interrogatum refellitur qui quærunt cur hominibus ea Deus imputet quorum neceſſitas illis prædeſtinatione videtur impoſita, 6, 8, 9. ubi & ponitur ejus deſcriptio. Nec propterea perſonarum habet acceptionem Deus, 10, 11. oſtenditur profane vitiis indormiri prædeſtinationis obtentu, nec inde ſtabilita bene agendi ſtudium concidere, 12, 13. Prudentia nihilominus quædam & ſobrietas in ea prædicanda adhibenda eſt, 14. Quod quidam Dei obediant prædicato Verbo, alii contemnant & indurentur magis, id fieri quidem horum malitia, tenendum tamen ſimul eſſe hanc diverſitatem ex hoc Dei arcano conſilio pendere, 3. 24. 12, 13, 14. Quod aſſerit Deus ubique, ſe reclamante impios ſibi mortem arceſſere, doctrinæ huic non repugnat, 15. 16. 17. ubi conditur difficultas, quomodo Univerſitas promiſſionum ſalutis nihil afferat ſententiæ nobiſcum Prædeſtinationi æquandæ quomodo vitam ſternat Dominus, 3. 14. 12.

Prædicatio Evangelii cur reprobis etiam communis, 3. 24. 1.

Præparationes Papiſtarum everſæ, 2. 2. 27. & 3. 4. 29. & 3. 18. 25.

Præſcientia Dei quid, & an cum prædeſtinatione confundenda, hujuſque cauſa ſit, 3. 21. 5.

Præſentia Dei ad humilitatis ſenſum adductos homines perterrefacit, 1. 1. 3.

Præſidia, urbium tuendarum munimenta, ad Magiſtratus etiam pertinent curam, 4. 20. 12.

Presbyteri, paſtores, miniſtri, &c. nomina æquipollent, 4. 3. 8. eorum munus, 4. 12. 2. presbyteri ſeculares qui apud Romanenſes, 4. 3. 9.

Preces debent eſſe aſſiduæ, 3. 20. 7. & 51. preces hypocritarum Deo ſunt abominabiles, *ibid.* 29. an eas pro nobis habeant Sancti defuncti, 21. preces pro mortuis quam, 4. 5. 10. Vide Oratio.

Primatum ſedis Romanæ Chriſti carere teſtimonio & Veteris Eccleſiæ exemplo oſtenditur, 4. 9. 1, &c. quibuſque gradibus ad id faſtigii emerſerit, 4. 7. 1, &c.

Primogenitura æternæ vitæ erat ſymbolum, 2. 10. 14. & 1. 2. 31. hæc Jacob gratuito collata ad quid Iſraëlitas ejus poſteros ſtimulare debuerit, 3. 21. 6. ex Chriſto attributa quid notet, 2. 15. 2. hac ſe ad electionem aut alia eorum prærogativis non moveri oſtendit Deus, in exemplo Jacob, 3. 22. 5.

Principes ipſi diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſubjiciuntur, 4. 12. 7. quid habeant poteſtatis in rebus Eccleſiaſticis, 4. 11. 19. Principibus quibuſcunque obediendum, ſeu bonis ſeu malis, 4. 20. 4, 5, 24 … 31. ſed uſque ad aras, ut ipſis blandiendum non ſit, 32. & 2. 9. 38. Vide Politica Adminiſtratio.

Principia duo non ſunt rerum omnium, ut ſomniabant Manichæi, bonum unum, alterum malum, 1. 14. 3. & 2. 1. 11. principium converſionis à Deo, 2. 3. 5. exemplum generalis alicujus principii, ſeu maxima neceſſariæ Doctrinæ, 2. 4. 4.

Probatio ſui ipſius ante cœnæ communionem neceſſaria, 4. 17. 40.

Promeritusne nobis ſit Chriſtus gratiam Dei & ſalutem, & an nomen meriti recte ejus paſſionibus & obedientiæ tribuatur, 2. 17. 1. 5. noſtrane opera vitam æternam promereantur, 3. 15. 1, &c. Vide Meritum.

Promiſſiones omnes in Chriſto fundatæ, hinc non aliter Naaman Syrus, Cornelius Centurio aut Eunuchus ad Dei cognitionem penetrarunt, 3. 2. 32. & 2. 9. 2. promiſſio gratuita fidei eſt fundamentum, 3. 2. 29. in Decalogo eas Deus præceptis ſubjunxit, ut nos eo majori juſtitiæ amore inflammaret, 2. 8. 4. & an liberum arbitrium evincant, earumque ſimul uſus, 2. 5. 12. quamvis conditionales, non tamen fruſtra datæ, 2. 7. 4. quomodo promiſſiones legis & Evangelii conſentiant, 3. 17. 1, 2, 3. promiſſio Dei facta Patribus quod eſſet eorum Deus futuram ipſis immortalitatem monſtrabat, 2. 10. 9. explicatur promiſſio præcepti ſecundi de propaganda Dei miſericordia in mille generationes, 2. 8. 21. in ſolis electis promiſſiones Dei ſunt efficaces, 3. 24. 19, 17.

Prophetæ qui, 4. 3. 4. legis fuerunt interpretes, eorumque poteſtas quouſque ſe extenderit, 1. 6. 2. & 4. 8. 2, 1. 6.

Proverbium falſum, 2. 8. 54. proverbium Mileſiorum, 4. 15. 35.

Providentiæ agnitio vere pios à profanis diſcernit, qui quamvis confuſo ſenſu Deum fateantur creatorem, ad ſingularem tamen mundi gubernationem non advertunt, quæ aſſeritur tum ex mundi machina, tum Scripturæ teſtimoniis, 1. 5. 1 — 7. 10. & 1. 16. 1. Hanc fortunæ nullus locus, quæ hinc ſpecial-

ſpeciali

ſpeciali moderationi in Dei verbo oppoſitus, 2. quia ipſa naturalia & inanimata etſi inditam habeant quæque proprietatem, eam tamen niſi præſenti manu Dei mota non exerunt, Dei enim omnipotentia quæ circa illa verſatur, non otioſa, ſed efficax credenda eſt, 2. 3. Hæc qui negant, Deum fraudant ſuo honore, & ſe ipſos egregiæ conſolationis fructu, ibid. ita ut non ſpeculari ſolum conſpiciendus ſit Deus quæ fiunt, ſed eventus ipſos moderari: unde evertitur figmentum de nuda præſcientia, errores item Epicureorum & aliorum profanorum; ut & generalis tantum providentia: quo tamen ſenſu illa poſſit admitti, 4. Quare non motus tantum principium penes Deum eſt, ſed quævis ſpeciales benedictiones & maledictiones ad ipſum referendæ, 5. Præcipue vero in genere humano, propter quod cætera omnia condita, hæc gubernatio conſpicitur, 6, 7. non tamen hoc modo dogma Stoicorum aſſerimus, 8. quo ſenſu *fortuna*, *caſus*, &c. voces locum habeant & quo non: & an vocabula, *forte*, *forſan*, &c. Chriſtiano uſurpare liceat, 8, 9. Doctrinæ hujus conſideratio practica, & quem in finem ſit referenda, ut ejus nobis conſtet utilitas, nempe ne Deo abloquamur ubi fortunæ cæco motu videntur cuncta rotari, 1. 17. 1. vindicatur contra canes quoſdam qui eam ſub modeſtiæ prætextu negant, 2. ut nihilominus non evertantur preces, de rebus futuris conſilia, 3, 4. nec excuſandi ſint qui impietates perpetrant, 3. (& 1. 18. 4.) ſancta vero providentiæ meditatio primum edocet nihil fortuito contingere, tum eam ſpecialiter pro ſuis excubare, cunctoſque ſub ſua tenere manu, ut nocere nihil poſſint niſi ipſo permittente, & inimicorum odia in benevolentiam poſſe convertere, 6. 7. in adverſis ſuppeditat patientiam, quia in Deum, non in homines, reſpicimus, 8. Quod ſiquid receperimus ab aliquo beneficii, non tamen ingrati; ſiquid damni, culpam fatebimur: in rebus autem futuris quamvis non feremur proprio ſenſu, externa ſubſidia non negligemus. 9. Inde deſcribitur piæ mentis hac in parte, dum in Dei recumbit providentiam, felicitas, cum illi qui hanc negant, miſeri conſtringi anxietate neceſſum ſit ob infinitas humanæ vitæ miſerias, 10, 11. Defenditur hæc doctrina ab objectionibus. Quod Deo aliquando pœnitentia, aliquando decretorum adſcribitur abrogatio, & quo id fiat ſenſu, 12, 13, 14. Nec vero ad bona tantum ſe extendit Dei directio, ſed & mala, idque non permiſſu. (quod putidum tantum eſt effugium mendacii patrocinio Dei juſtitiam à ſiniſtra nota aſſerens:) ſed voluntate; oſtenditur enim nihil Satanam aut reprobos moliri, niſi quod jam ante Deus arcana ſua directione decreverit, 1. 18. 1. tum in actionibus externis, tum præcipue in arcanis cordis motibus, quod ex induratione, &c. patet, quæ Deo tribuitur. ſed cum in iis juſtam ſuam vindictam exerceat, ſcelerum author non eſt, 1, 4. Objectio ſuperborum quorundam modeſtiæ ſe tegentium titulo evertitur, duas hoc modo contrarias in Deo ſtatui voluntates, ibid. 3. Hinc patet Deum in omnium hominum cordibus operari, & quomodo id agat, 2. 4. 1. involvi tamen hominum culpæ non poteſt, quia longe alio operatur fine & modo juſtitiæ convenienti. 2. Hæc quamvis aliquando Veteres ad permiſſionem retulerint, ne darent impiis occaſionem Dei opera cavillandi; Scriptura tamen, cum dicit Deum excæcare, indurare, tradere in reprobum ſenſum, &c. plus quid notat, ſic tamen ut non negetur quin Deus primum eos deſerat, Spiritumque ſuum ab iis auferat, poſtea tradat Satanæ iræ ſuæ miniſtro, 3, 4. cujus opera in inſtigandis & excæcandis reprobis intercedit, ibid. 2, 5. commendatur quoque nobis Dei providentia in regnorum diſtributione, quæ ab ipſo ſolo aut bonis aut malis Principibus donantur, 4. 20. 26.

Proximus quis. 2. 8. 55.

Prudentia quædam nobis naturalis utendi quibuſvis mediis ad aſſequendum propoſitum. 1. 17. 4.

Pugna fidelibus eſt perpetua, tum cum Satana, quem tandem Ducis ſui robore inſtructi ſuperant, 1. 14. 13, 14. 18. & 3. 20. 46. tum cum ſua carne, 3. 3. 10 & 4. 15. 11, 12. & 3. 2. 18.

Punitio peccatorum in reprobis juſta, quamvis Dei ordinationi ſerviant, 1. 17. 5. punitiones impiorum a fidelium afflictionibus quomodo differant, 3. 4. 31 — 34. etſi pro ſuo quiſque peccato puniendus ſit, quomodo tamen Deus non ſit injuſtus, ubi peccata parentum in filiis plectit, 2. 8. 19. 20

Purgatorii ſacrilegia ferenda non ſunt, nec cum quibuſdam diſſimulanda, ac ſimul refellitur, 3. 5. 6. loci, quos fruſtra Papiſtæ eum in finem detorquent, explicantur, 7, 8, 9. ſolvitur quod ajunt vetuſtiſſimam eſſe Eccleſiæ obſervationem ut pro mortuis preces fierent: in quo oſtenditur non parum à Veteribus fuiſſe erratum, ortamque conſuetudinem ex prava Ethnicorum æmulatione, quamvis ad poſtremum, magnum adhuc interſit inter eos & hodiernos Romanenſes diſcrimen, 10.

Q.

QUadrageſimæ obſervatio ſuperſtitioſa, & unde ortum traxerit, 1. 13. 29. & 4. 12. 20.

Quales ad miniſterium vocandi, qualiter & à quibus, 4. 3. 11 — 16

Quatuor hominum ſpecies, è quibus nulli operibus juſtitiam apud Deum conſequi, ſeu juſtificari poſſunt, 3. 14. 1, &c. quatuor inprimis Deo debita, 2. 8. 16. quatuor ſalutis cauſæ, 3. 14. 17, 21.

Querimonia Senecæ de Idolorum vana impietate, 1. 11. 2.

Quæſtiones omnes inutiles & curioſæ nimis rejiciendæ, 1. 14. 1, 4. & 1. 16. 8. & 2. 12. 4, 5. exempla quæſtionum, 1. 18. 1. & 2. 17 1.

Quies ſpiritualis corporali Sabbathiſmo Judæorum figurata, 28. 28 — 34. ubi quæ nobis Chriſtianis colenda ſit quies quantumque ab illa Judæorum differat oſtenditur.

R.

RAhab nullum electionis habuit incluſum ſibi ſemen, antequam vocaretur, 3. 24. 11.

Rationis humanæ regimen an non nimium à Philoſophis æſtimatum, 2. 2. 3. & ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus, 4. 5. (& jam à Papiſtis, 1. 15. 8.) aliquorum adhuc valet in rebus naturalibus, & aliqua ibi ipſi eſt perſpicientia, quamvis non diu ſubſiſtat, ſed ſtatim concidat in vanitatem, 12. in rebus terrenis non eſt omnino cæca, ſic quid poteſt in Oeconomia, Politia, cæteris artibus, 13. quod acumen etſi univerſale videatur generis humani bonum, agnoſcenda tamen eſt ſpecialis in eo Dei gratia, & cur, 14, 17. (& 2. 4. 8, 7.) rationis ergo eximia quædam præſtantia liquet, in artium inventione, traditione methodica & cognitione, quæ in antiquis Juriſconſultis, Philoſophis, Mathematicis refulſerunt, 15. quæ nihilominus omnia Spiritus, authoris omnis veritatis, dona ſunt, 16 in rebus vero ſpiritualibus & cæleſtibus quæ tribus capitibus continentur. Dei recta notitia, cognitione paterni ejus erga nos favoris, & ſcientia formandæ ſecundum legis regulam vitæ, omni ex parte cæcutit, 18 — 21. in poſtremo videtur quidem aliquantum eſſe perſpicacior, ſed cum legis infuſæ notitia imperfecta ſit, hic quoque ratio deficit, 13. nec enim ſemper in univerſali boni & mali judicio verum aſſequitur, ſed & quoad primam, & ſecundam tabulam ſæpe hallucinatur, 23, 24. quare nihil à Deo ſit nec ſubſiſtit hæc aliqualis ſagacitas 25. Vide Liberum Arbitrium.

Rebeccæ peccatum & nimia præcipitantia ex fide nimeo orta, 3. 2 31.

Rebellio in Deum graviſſimum flagitium, 4. 1. 05. rebellio in Magiſtratum illicita. 4. 10. 31.

Reconciliator Dei & hominum Chriſtus, 2. 6. 1. & 1. 18. 1 & quomodo reconciliationem peregerit, 2. 16. 1, &c. quomodo conſiſtat Deum hominibus fuiſſe inimicum donec iis reconciliaretur, cum ipſa Chriſti donatio amoris documentum ſit, ibid. 2, 5. & 2. 17. 2, 2 Vide Chriſtus, item Jeſus.

Redemptionis cognitio illi Creatoris debet ſuccedere, quia hanc ſolam inutilem nobis eſſe contingeret, propterea illa ſemper à mundi exordio inter Dei filios viguit, 2. 6. 1. & in Redemptoris perſona Eccleſiæ ſolia ſtatus perpetuo fuit fundatus, 2, 3. 4. eas partes quomodo Chriſtus impleverit, 2. 16. 1. &c.

Regenerationis imperfectio evincitur, & Anabaptiſtarum refellitur intemperies qui pro ea phreneticam libidinem ſubſtituunt, 3. 3. 10 — 14. fit vero per fidem, 3. 3. 1. ejus finis. in priſtinam Dei imaginem reſtauratio, 1. 15 4. & 3. 3. 9. & 3 6. 1. gradatim in nobis adaugetur, 3. 3. 9. & 4. 16. 31. ejus opera ſeu fructus, 3. 3. 16 regeneratio in infantibus an detur, & quomodo perficiatur, 4. 16. 17.

Reges Eccleſiæ nutritii, ne proinde legitima functione præditi, 4. 20. 5. utriuſque tabulæ vindices, ibid. 9. non ſolum æqui & juſti, quin & tyrannici ac injuſti ferendi, ibid 8, 22 — 31. obedientiam vero tantum uſque ad aras, 32. Dii aliquando nominantur, 4. faceſſere ab iis oportet aſſentatores, 32. Vide Magiſtratus, Princeps, Politica adminiſtratio.

Regimen in homine duplex ſpirituale unum, alterum politicum, utriuſque differentia, 3. 19. 15. & 4. 10. 1. regimen rationis humanæ an ubique ſanum etiam in naturalibus, 1. 13. 8 & 2. 2. 2 — 6, 18. 24. (Vide ratio humana) politici regiminis tres ſpecies, Monarchia, Ariſtocratia & Democratia, 4. 20. 8.

Regnum Chriſti æternum, 2. 15. 3, 3. (& 2. 14. 3.) totum ſpirituale eſt, 4. (& 4. 5. 17.) qualis ejus nunc ſtatus, 2. 16. 16, 17 Regni divini adventus quid, 3 20. 42. à Chriſto fuit prædicatum, 3 3. 19. Regna cuncta Dei diſtribuuntur ſingulari providentia, 4 20. 26.

Regulæ Chriſtiano obſervandæ ut vitetur nimia curioſitas, 1. 14. 4. ut Deus ab omni ſiniſtra nota liberetur. 1. 15. 1. tum etiam adverſus infidelitatem, 1. 16. 3. tres regulæ ad explicationem decalogi neceſſariæ, 2. 8. 6, 8. 11. alia de legitimum ſ. juramentum, ibid. 27. item de Patrum ſub Veteri Teſtamento fide, 2. 13 10. digna obſervatu ne erretur circa Mediatoris perſonam, 2. 14. 5. & doctrinam de juſtificatione. 3. 13. 8. aut mercedem operum, 3. 18 3. ſervandus alius canon in peccatorum confeſſione, 3. 4. 18. ut & leges recte precandi, 3. 20 4. 8, 8, 11, 15 & gratias agendi. 28. norma ipſa orandi à Chriſto præſcripta, ibid. 34. regula ſobrietatis notanda de futura electorum æterna felicitate, 3 25. 10. quemadmodum & de Eccleſiaſticis conſtitutionibus, quæ ſint legitimæ, 4. 10. 31. ut & de Dominica cœna, 4. 17. 18. & in ea, 4. 18 12. regula contrariorum eos fallat in juſtificatione operum. 3. 18. 10

Relatio maxima & indivulſa inter fidem & Dei verbum, præcipue Evangelium, 3. 2. 6, 29, 31. & 3. 11. 17. & qualis, 3. 22. 10.

Religio quid. 1. 2. 1. 2. non eſt tantum calliditate quorundam excogitata, 1. 3. 8. quia ipſis reprobis neceſſitas infinities Dei confeſſionem extorquet, ibid. & 1. 4. 4. cum ſuperſtitione non conſiſtit religio, 1. 4. 1, 5 qualis ejus ſpecies in Romano adhuc extet, 4. 7. 27. à Philoſophis fuit adulterata, 1. 5. 15. & a Papiſtis. 1. 8. 5.

Religioſius loquuti Veteres de reproborum excæcatione, & qua de cauſa. 2. 4. 3.

Remiſſio peccatorum omnibus fidelibus neceſſaria evertit fanaticam. perfectionem quæ veniæ petendæ ſtudium evertat, 3. 20 45. ubi & explicatur quo ſenſu ea dicamur proximo remittere. diſtinctio remiſſionis culpæ & pœnæ futilis, 3 4 29. 30. lapſus omnes fidelibus ſine ſatisfactione gratuito remittuntur, ibid. 25. 31 — 37. quo loco oſtenditur cur David remiſſo jam homicidio & adulterio, morte infantis caſtigatus tamen ſit. Articuli in ſymbolo de remiſſione peccatorum explicatio, in qua unica conſiſtit Eccleſiæ felicitas, 4 1. 20, 21. Juſtificationis non infima pars eſt, 3. 11. 2, 21, 22. nec tantum fit in baptiſmo, ſed per totam vitam, 3. 4. 26. non ſolum in primo ad Eccleſiam ingreſſu communicatur, ſed perpetuo adminiſtratur per claves ipſi conceſſas, 4 1. 22 — 27 Legis etiam voluntatis tranſgreſſio eſt remiſſibilis, quamvis non peccatum in Spiritum Sanctum, 28. & 3. 3. 23. quo ſenſu Chriſtus aſſerat hoc nec in præſenti nec in futuro ſeculo remitti, 3. 5. 7. obtinetur remiſſio peccatorum in ſola Eccleſia. 4. 1. 20. ſola autem conſcientiæ pacem gignit, 3. 13. 4.

Renuntiatio ſui ipſius ad obedientiam legis primus ingreſſus, 3. 3. 8. in Deum & proximum reſpicit, 3. 7. 1, &c Crucis tolerantia ejus pars eſt, 3. 6. 1. Vide Abnegatio ſui ipſius.

Repetitiones vocum idem ſignificantium Hebræis familiares, 1. 15. 5.

Reprehenſiones & objurgationes quem habeant erga fideles & infideles uſum, & an liberum arbitrium evincant, 2 5. 4, 1, 11.

Reprobatio Divinæ voluntati adſcribenda, 3. 22. 11.

Reprobos an Deus velit ſalvare, 3. 24 16. omnes juſte puniuntur cum peccant, 3. 25. 9. (& 1. 17. 5.) Deum judicem ſervili tantum timore metuunt, 3. 0. 27 cur à Deo excæcentur, 3 24. 14. inter pœnas eorum & fidelium caſtigationes diſcrimen, 3. 4. 32 — 34. illorum fides ut à ſalvifica differat, 3. 2. 11, 12. & miſeræ poſt hanc vitam conditio ac graviſſimæ pœnæ, 3. 25. 12. cur ipſis Evangelium aliquando annuncietur, 3. 24 1. quod tamen ſine fructu audiunt, 2. 5. 5.

Reſipiſcentia Vide Pœnitentia & Regeneratio.

Res tum animatæ tum inanimes Dei reguntur providentia, 1. 16 2. res ſpirituales ab homine animali non poſſunt comprehendi, 2. 2. 18, 20.

Reſurrectio Chriſti crucis, mortis & ſepulturæ eſt complementum, ſine qua hæc forent mutila, attulit vero nobis juſtitiam, noſtræ reſurrectionis nobis eſt ſymbolum, & nos regenerat in vitæ novitatem, 2. 16. 13. & 3. 5. 9. ibi ejus hiſtoria exponitur, & indubia ejus demonſtratur veritas, 3 25. 3.

Reſurrectionis carnis meditatio perpetua fidelibus eſſe debet, ne in vocationis ſuæ curſu inter multas difficultates deficiant, 3. 25. 1. 2 ejus doctrina maximi eſt momenti creditu que difficilis, quod obſtaculum ut ſuperemus, duo ſuppeditat Scriptura adminicula, Chriſti ſimilitudinem & Dei omnipotentiam. 3. inde refutantur Sadducæi reſurrectionem negantes. & Chiliaſtæ eam obſcurantes, 5. fiet vero in iiſdem corporibus. unde eſt maxime ſutura admiranda, 7, 8. quo jure impiis cum fidelibus communis ſit, cum ſingulare ſit ut à Chriſto partum beneficium. 9

Revelationes fanaticorum extra Scripturam everſæ, 1 9. 1, 2, 3 quamvis iis Deus uſus erga Patriarchas ſub mundi incunabulis, 1 6. 2 & 4. 8 3.

Ritus vocationis miniſtrorum quis, 4 3. 16.

Roboratio cordium & obfirmatio reproborum Deo tributa an permiſſionem tantum notet, 1. 18. 2. & 2. 4. 4.

Romæ cur nulla Eccleſia, 4. 7. 23. & 4. 2. 7, 8. cur illi multum honoris ſemper delatum, 4. 6. 16. non eſt Eccleſiarum caput, 4. 6 17. ejus faſtus, 4 7. 3. lites ob nomen Novæ Romæ Conſtantinopoli collatum, 4. 7. 6 Romæ primatus everſus tum Scripturæ teſtimoniis, 4 6. 1, &c. tum ex Eccleſiaſtica hiſtoria. 4. 7. 3. &c.

Romanenſes Apoſtolica ſucceſſione gratis gloriantur, 4. 2 2, 5. eorum in conſcientias tyrannis, 4. 8. 10. & impium dogma de Scripturæ interpretatione & approbatione, 4. 9. 14.

Ruben Jacobi primogeniti flagitium, 2. 10 12.

Rudimenta infirmitatis Eccleſiaſticæ conſtitutiones, 4. 10. 11.

Ruditas diſcipulorum Chriſti ipſo vivente. 4. 8. 14.

Ruina noſtra ſolis nobis adſcribenda eſt, 2. 1. 10.

S.

de SAbbatho præcepti finis, tres item cauſæ quibus conſtat, 2. 8. 28. prima eſt ſpiritualis quietis adumbratio, eique ſeptimum diem præciſe Dominus aſſignavit, 29. 30, 31. hæc jam cauſa ſub Chriſtianiſmo plane abolita. ibid. altera eſt ut ſtati ſint Eccleſiaſticis conventibus dies, & tertia, ut ſervis à labore otium concedatur, 32. quæ cauſæ cum & jam habeant locum, patet quatenus ſit Sabbathum Chriſti adventu abolitum: nec omittendi cœtus Eccleſiaſtici ad audiendum verbum & publicas preces deſtinati, ubi de diei Dominici obſervatione, vitandaque in ea Judaica ſuperſtitione, 31, 33, 34.

Sabel-

Sabellius hæreticus refutatus, 1. 13. 4.

Saccus ac cinis triſtitiæ & pœnitentiæ ſigna, 3. 5. 17. & 4. 12. 17.

Sacerdotium Chriſti præcipue cum cæteris muneribus in eo ſpectandum, ut ſciatur quorſum miſſus ſit, 2. 15. 2. eſtque perfectiſſimum, legalibus umbris præfiguratum, nec in eo admittit ſocios, & qui nobis inde fructus redeant, *ibid.* 6. & 4. 6. 2. & 4. 18. 2. & 4. 19. 26. unde & ſolus pro nobis apud Patrem interceſſor, 3. 20. 17 — 27. cur ſuum ſacerdotium juſſus ſit Moſes Aaroni reſignare, 4. 11. 8.

Sacerdotum ſub Veteri fœdere poteſtas quam late ſe extenderit, 4. 8. 2.

Sacerdotes Papiſtici Chriſto injurii, 2. 15. 6. & 4. 18. 2. & 4. 19. 28. quamvis non Chriſtiani, quorum illa communis eſt dignitas, 2. 15. 6. & 4. 18. 13, 16, 17.

Sacramentum quid, 4. 14. 1, 13. quo ſenſu Veteris interpres, veteres item alii Scriptores id nomen uſurpaverint, 2, 13. eſſe non poteſt ſine promiſſione quam Deus ejuſmodi ſigillo obſignat, noſtræ conſulens tum tarditati & ignorantiæ, tum infirmitati, 3, 5, 6, 12. conſtat verbo & ſigno externo, quorum prius longe alio ſenſu ſumandum eſt quam exiſtiment Papiſtæ, 4. non deſinunt gratiæ divinæ eſſe teſtimonia, quamvis impiis porrecta graviorem condemnationem afferant, 7. quod autem dicantur confirmare fidem noſtram, Spiritus Sancti operationem non excludit, cum ſubordinata hæc ſint, 9 — 12. eorum efficacia, 13. Sophiſtarum error diabolicus de perfectione Sacramentorum novæ legis refellitur, 14. cum diſtingui debeat Sacramentum & res Sacramenti, Auguſtino authore: reprobi vero præter externum ſymbolum nihil recipiunt, 15, 16. non habet autem ſignum affixam quandam ſecretam vim qua ipſum per ſe Spiritus Sancti gratias conferat, 17. Sacramentorum partitio in extraordinaria & ordinaria, priorum exempla aliquando Deus in miraculis, aliquando in rebus naturalibus exhibuit, ubi de arbore vitæ & arcu cæleſti, 18. ordinaria Dominus exhibet in gratiæ & ſalutis teſtimonia, nobis viciſſim ſunt profeſſionis notæ, 19. ea quæ fuerunt ſub lege eundem cum noſtris habuerant ſcopum, quare nullo modo admittendum quod ajunt Sophiſtæ, illa gratiam Dei figuraſſe tantum, noſtra etiam præſentem conferre, 20 — 22. ſpecie contrarii loci exponuntur, & Veterum quæ obſtare videntur teſtimonia, 24, 25, 26. Duo tantum ſunt in Eccleſia, licet illa quæ fuit ſub lege plura habuerit, 20. (& 4. 18, 19, 20.) ubi & oſtenditur an impoſitio manuum in miniſtrorum initiatione uſitata ſit ſacramentum & quale. Quum negamus illa quæ à Papiſtis huic numero ſunt adjecta talia eſſe de re maxime neceſſaria contendimus, negamuſque inviſibilis gratiæ eſſe viſibiles formas, ut ipſi volunt, 4. 19. 1. ab hominibus enim, unde ortum ducunt, inſtitui non poſſunt, diſtinguique hanc ad rem debent ſacramenta & aliæ ceremoniæ, quod diſcrimen maximi eſt ponderis, 2. Veterem Eccleſiam nullo modo habent ſociam in ſeptenario ſuo ſacramentorum numero, 3. Dehinc excutiuntur papiſtica ſacramenta, Confirmatio, 4 — 13. pœnitentia, 14 — 17. extrema unctio, 18 — 21. ordo, qui alia ſeptem ſacramentula mira fœcunditate ex ſe peperit, 22 — 33. & matrimonium, 34 — 37. Quorum quæque vide quoque ſuo loco.

Sacrificiorum uſus, qui eſt tum Chriſtum præfigurare, tum culpam & peccata offerentium liquido oſtendere, 3. 6. 2. & 2. 7. 1, 17. & 2. 11. 4. fidelium ſacrificia Euchariſtica, ſunt enim per Chriſtum Patri conſecrati Sacerdotes, 2. 15. 6. & 4. 18. 4, 16. quæ Chriſti ſacerdotio nihil derogant, 17. conſecratio noſtri ipſorum gratiſſimum Deo ſacrificium, 3. 7. 1. quid proprie ſint ſacrificia, quæ item duplicis generis, propitiatoria & Euchariſtica, 13, 16. inter Moſaica & noſtram Euchariſtiam diſcrimen, 12. Chriſti vero repeti nullo modo poteſt, *ibid.* 3. Sacrificia Samuelis, Menohæ & Gedeonis qualia, 4. 10. 25.

Sadducæorum de Angelis præpoſtera opinio refellitur, 1. 14. 9. ut & de animabus ac reſurrectione, 1. 15. 2. & 2. 10. 23. & 3. 25. 5.

Salus & Dei gratia à Chriſto nobis acquiſita, totaque cum omnibus ſuis partibus in ipſo continetur, recteque dicitur eam nobis promeritus, 2. 16. 1, 19. & 2. 17. 1 — 5. & 3. 14. 17. fidei merces eſt, 3. 18. 3. & 3. 14. 21. nobis poteſt eſſe certa, 3. 8. 36, 39. 40. à Dei provenit electione, & quomodo in ejus certitudinem penetrandum, 3. 24. 4, 5. ejus quatuor cauſæ, 3. 14. 17, 21.

Samſonis preces Philiſthæos occiſuri ruina ædium an omni vitio puræ, 3. 20. 15.

Samuelis ſacrificium in Ramatha quale, 4. 10. 25. non ille, ſed ipſe Dominus ab Iſraëlitis rejectus cum Saulem peterent, 4. 20. 7.

Sanctimonia vitæ ab electione oriunda, hujuſque ſcopus eſt, 3. 23. 2. & 3. 23 12. omnis Sanctitas Dei donum, 2. 3. 6. Ejus regula in lege præſcripta additis ad nos exſtimulandos promiſſionibus, 2. 8. 2. 4 quomodo ad eam nos adhortetur Scriptura, 3. 6. 2.

Sancti quomodo aliquando innocentia ſua etiam coram Deo glorientur, 3. 14. 12. & 3. 17. 14. & 3. 20. 10. ineffabilis eorum in cælis gloria, 3. 25. 10. omnes vel puriſſimæ vitæ ex præſentia Dei perterrefiunt, 1. 1. 3. Sancti defuncti an pro nobis preces concipiant & intercedant, videant audiantve quæ facimus, eorumque ſint conſcii, 3. 20. 20 — 24

Sanctificare Dei nomen quid, 3. 20. 41.

Sapientia vera quid & quot partibus conſtet, 1. 1. 1. & 3. 18. 4.

Saræ nimia præcipitantia in promovendo Jacobo, ubi fides erroribus implicita conſpicitur, 1. 2. 31.

Satanæ diverſa nomina, 1. 14. 13. cur Spiritus Dei vocetur vel à Deo, 1. 18. 2. & 2. 4. 2, 5. ejus aſtus in cœna Dominica nos privaret, 4. 17. 1. & ſinceram de SS. Trinitate doctrinam corrumperet, 1. 13. 01. Dei eſt ſimia, 1. 8. 2. & 4. 14. 19. omnis iniquitatis author, 1. 14. 15. niſi volente & permittente Deo nihil poteſt, *ibid.* 17. (& 1. 17 7.) à Chriſto plane ſuperatus, cujus & virtute ipſius membra eum vincunt, & licet aliquando ſuccumbant, ad ultimum tamen ſemper victoriam reportant, 18. quomodo in reprobis operetur, 2. 4. 1, 2. Satanæ tradere quid, 4. 12. 5. ejus ut nos ſeducat fraudes, 1. 8. 2. & 3. 20. 46. & 1. 3. 15. & 4. 1. 21, 13. & 4. 14. 19. & 4. 15. 19. & 4. 16. 32. & 4. 17. 1, 12. & 4. 18. 18.

Satisfactio tertia pœnitentiæ à Papiſtis conſtituta pars quam in Chriſtum injuria, 3. 4. 21. (& 3. 16. 4) non enim ſemel tantum peccata remittuntur in baptiſmo, ut poſtea per ſatisfactiones reſurgendum ſit, 26 ſic Chriſto ſuus honor & conſcientiis pax ſua eripitur, 27. fundamenta ſententiæ Pontificum, quæ ſunt nugatoriæ quædam diſtinctiones peccati mortalis & venialis, item remiſſionis culpæ retenta pœna, diſcutiuntur, 26, 29. Contraria, ut ubi Daniel jubet Nebuchadnezerem peccata miſericordia & juſtitia redimere, & mulieri in Evangelio remiſſa dicuntur peccata, quia multum dilexerit, &c. diluuntur, 36, 37. & quantum inter ſatisfactiones Veterum, quæ Eccleſiæ non Deo dicebantur reddi, interſit, 38, 39

Scala Jacob aſſidere ad ejus extrema Domino exercituum quid notarit, 1. 14. 12.

Scandala duplicia, data & accepta, ex iis quæ vitanda, 3. 19. 11. quinam ſint infirmi quibus offendiculum poni non debet, 12. quod autem prohibemur alicui ſcandalum dare, ad res tantum indifferentes extenditur, nec vero Dei præcepta negligenda nec committenda impia ſunt ne ſimus offendiculo, ut illi qui hoc prætextu ſi Miſſas nunc ferre aſſerunt, 13.

Schiſmatici & hæretici qui, & noſne tales facto à papatu diſceſſu, 4. 2. 5, 6.

Scortationis & adulterii præcepto ſeptimo damnatorum voce quid comprehendatur, 2. 8. 41 — 44.

Scribarum onera importabilia quæ, & quatenus ferenda, 4. 10. 26.

Scriptura ad perfectam Dei notitiam fuit neceſſaria, 1. 6. 1, 4. quem propterea docendi ordinem Deus obſervavit non tantum ex quo Judæos elegit, ſed & erga Adam, Noë cæteroſque Patriarchas, *ibid.* primumque id fecit per oracula & viſiones, quod poſtea verbum publicis tabulis voluit conſignari, ut noſtræ infirmitati conſuleret, 2, 3. porro Scripturæ authoritas ab Eccleſiæ judicio non pendet; quod ſi foret, peſſime nobiſcum ageretur, 1. 7. 1. (& 4 9. 14.) quod commentum Pauli teſtimonio Epheſ. 2. refellitur, & Auguſtini dictum, quo negat ſe Scripturæ crediturum, niſi Eccleſiæ eum moveret authoritas, exponitur, 2, 3. Argumenta autem omnia quæ ejus fidem animis noſtris obſignare poſſunt, non multum juvant, niſi prius Spiritus Sancti ſubſternatur teſtimonium, quo perſuadeamur Deum eſſe qui in Lege, Prophetis & Evangelio loquitur, quod pluribus ex Jeſaia probatur, 4, 5. tum ſecundariæ probationes & fidei adminicula ſuccedere poſſunt quæ ſupra ſcripta omnia humana longe eam evehunt, ut ſunt ordinata quæ in ea relucet ſapientiæ divinæ diſpenſatio, nihil terrenum redolens doctrina, pulcher partium omnium inter ſe conſenſus, & verborum contemptibilium humilitas, profundiſſima tamen & ſublimia regni cæleſtis myſteria pandens, 1. 8. 1, 2. ſcriptorum item Moſis antiquitas, qui non novum tamen Deum comminiſcitur, ſed Iſraëlitis omnibus notiſſimum proponit; ejus miracula nullis cavillis obnoxia, ut & ejus ſinceritas in detegendis ſuis, ſororis, fratris & familiæ ſuæ totius vitiis, Prophetiæ quoque, 3 — 7. Jeſaiæ, Jeremiæ, & Danielis vaticinia antequam vel ulla futurarum rerum ſpecies, imo cum contrarium potius eorum quæ prædicebant, pateret, 6. profana objectio, an fuerit unquam aliquis Moſes, hæcque ejus ſint ſcripta quæ habemus, ſolvitur, 9. nam etiam omnes libri Antiochi ſævitia & perſecutione combuſti, ubi oſtenditur quomodo eos Deus ſemper mirabiliter conſervarit inter innumerorum hoſtium inſultus, 10. In ſpecie aſſeritur Evangeliſtas à Deo fuiſſe inſpiratos ex eorum ſimplicitate plena nihilominus altiſſimis doctrinæ myſteriis, Johannis item, Pauli & Petri majeſtate, admirabili converſione & vocatione ad Apoſtolatum, 11. quo & facit tot ſeculorum, tam variarum gentium & animorum in amplectendis his ſcriptis conſenſus, tantaque eorum pietas qui ea receperunt, 12. quemadmodum quoque tot pro iis oppetita martyria, 13. itaque rejiciendi fanatici qui poſthabita Scripturæ lectione & doctrina, Spiritum extra eam jactant, & ad revelationes tranſvolant, 1. 9. 1, 2. ubi ſolvitur objectio, indignum eſſe Spiritu Dei, cui omnia ſubjicienda ſunt, Scripturæ ſubjacere: ut & alia qua dicunt nos literæ occidenti incubare, 3. talis in illa nobis delineatur Deus, qualis repræſentatur in terræ & cæli gubernatione, nimirum æternus, bonus &c. quæ ejus interpretandæ poteſtas Eccleſiæ competat, 4. 9. 13. quia perperam abutuntur Romanenſes ad errorum & impietatum ſuarum confirmationem, 14. biſariam de Eccleſia loquitur, 4. 1. 7.

Sculptura & pictura an licitæ & quatenus. 1. 11. 12.

Sectæ Monachorum impiæ, periculoſæ, & lacerantes Eccleſiæ communionem, ipſarumque injuria Chriſto nomina, 4. 13. 14.

Seceſſu noſtro à Papatu an ſchiſmatici facti, 4. 2. 5. ſeceſſus quærendus in precibus, 3. 20. 29.

Sedes Chriſti ad dexteram Dei quid notet, 2. 16. 15.

Semina legum, juſti item & æqui, omnium hominum cordibus inſculpta, 2. 2. 13. legis quoque moralis, *ibid.* 22. & 2. 8. 1. ut & religionis, 1. 3. 1. & 1. 5. 1. ſemini cur Verbum aſſimilatum à Chriſto, 3. 21. 10. & 4. 1. 6. & 4. 14. 11.

Senſusne quinque in homine, & quid ſtatuendum de partitione Philoſophorum in intellectum & voluntatem, ad quam item facultatem ſenſus pertineat, 1. 15. 6, 7. ſenſus divinitatis hominum mentibus inſcriptus, 1. 3. 1. & 1. 5. 1, 2, 3.

Sephoræ filium circumcidentis exemplum an mulieri baptiſmo patrocinetur, 4. 15. 22.

Sepulturæ ritus an ſuperſtitioſus, & quid doceat, 3. 5. 10. & 3. 25 8. ſepultura Chriſti & quem nobis fructum conferat, 2. 16. 7. ſepultura quam expetierunt ſub veteri fœdere fideles in terra Canaan quo ſpectarit, 2. 10. 13.

Seraphim in templo collocati an patrocinentur imaginibus, 1. 11. 3.

Sermo Chriſtus dictus, & quando is eſſe cœperit, 1. 13. 7, 8.

Serveti horrendi & impii errores refutati, 1. 13. 10, 22. & 1. 15. 5. & 2. 9. 3. & 2. 10. 1. &c. & 2. 14. 5 — 6. & 4. 16. 29, 31. & 4. 17. 28. 30.

Servorum munus, 2. 8. 46. ad eorum labores relaxandos Sabbathum inſtitutum, *ibid.* 28, 32.

Seſſio Chriſti ad dexteram Dei quid notet, 2, 16. 15.

Sexagenariarum viduarum cœlibatus an monialibus patrocinetur, 4. 13. 16, 19.

Signa pœnitentiæ extrinſeca quanti facienda, & quis in iis ſervandus modus, 3. 3. 15, 16. & 4. 12. 14, 17.

Simonis magi fides qualis, 3. 2. 10. non injecta ipſi deſperatio poſt admiſſum ſuum peccatum, ſed veniæ ſpes data, 4. 1. 26.

Simplicitas ſacrarum Literarum magnæ efficaciæ, ipſarumque divinitatem evincit, 1. 8. 1, 11.

Simplicitas affectata poſt ſuffocatam Dei notitiam an excuſet, 1. 4. 1.

Similis quædam, 1. 1. 2. & 2. 4. 1. & 2. 7. 7. & 2. 8. 18. & 2. 11. 15, 14. & 2. 14. 1. & 3. 2. 34. & 3. 4. 13. & 3. 12. 2, 3. & 3. 15. 3. & 3. 18. 3. & 3. 20. 35. & 4. 3. 2. & 4. 5. 15. & 4. 14. 10, 13.

Simulachra Dei illicita, 1. 11. 6, 9. Vide Idola & Imagines.

Sinus Abrahæ quid, 3. 25. 6.

Sobrietas victus in tota fidelium vita relucere debet, 3. 3. 17. & 3. 10. 3. ubique ab ipſis in rerum Dei verbo traditarum indagatione ſervanda, 1. 9. 3. & 1. 13. 20. & 1. 14. 4. & 2. 4. 3. & 3. 25. 6, 10.

Socraticorum de animæ immortalitate ſententia, 1. 15. 6

Sol omniaque aſtra à Perſis adorata, 1. 11. 1. & 2. 3. 17. ſingularis Dei providentiæ teſtis, 1. 16. 2. Natura corporis Solaris nobis adhuc incognita, 1. 13. 21.

Solonis dictum, 4. 20. 9.

Solvere & ligare quid, 4. 6. 3. & 4. 11. 1. 2.

Spes cum fide conjuncta, 3. 2. 42. quin & pro hac aliquando ponitur, 43. ultra mortem extenditur, 40. ex acceptis à Deo beneficiis in poſterum ad ſe ſtabiliendam confirmatur, 3. 2. 31. natura ejus explicatur, 3. 25. 1.

Spiritus Sancti Deitas probatur, 1. 13. 14, 15. is vinculum eſt quo Chriſto uniunt, cujus cuncta ſine illo beneficia nobis eſſent inutilia, 3. 1. 1, 3. cur nunc Patris, nunc Filii Spiritus dicatur, & Spiritus ſanctificationis, 2. inſignia elogia quibus ornatur in Scriptura ejus efficaciam nobis adumbrantia, 3. Fides nihilominus præcipuum ejus opus eſt, unde vere nobis eſt internus doctor, 4. & 3. 2. 34. 35, 36. cum impiis nihil habet commercii, 3. 2. 16. promiſſiones nobis obſignat, 4. 14. 8, 9. ſuper Chriſtum ſolum requieſcit, 2. 3. 4. & 3. 1. 2.

Spiritus cum carne lucta, 2. 2. 27. & 3. 2. 1. & 3. 3. 14.

Steuchi impudentia in defendenda Papæ cauſa & ſimul frigus, 4. 11. 12.

Stoicorum de Fato opinio, 1. 16. 8. & ἀπάθεια, 3. 8. 9.

Subdiaconi in Veteri Eccleſia qui, 4. 4. 10. in papatu hodie quales, 4. 19. 33.

Summa legis, 2. 8. 11. & 3. 3. 11. & Evangelii, 3. 3. 1, 19.

Superbia homini naturalis, 1. 1. 2. & 1. 3. 3. omnium malorum nobis fuit principium, 2. 1. 4.

Superſtitio an excuſet ſimplices ob corruptam Dei notitiam mentibus ſuis inſculptam, 1. 4. 1, 3. ubi oſtenditur Deo eam tantum illudere, ubi tentat gratificari: & qui ea ducuntur, ſervili timore, non voluntate ad Deum recognoſcendum accedere, 4. Omnes gentiles ad ſapientiſſimos uſque hac implicuit, unde infiniti circa Deum errores & à vero Deo diſceſſio, 1. 5. 12. quantum à vera religione differat, 1. 12. 1. quam ſit callida in adjungendis vero Deo aliis diis minoribus, ut tamen in ordinem cogere non videatur, *ibid.* 2. 3. illa itaque vitanda, ejuſque facilis in præcipitium lapſus, 2. 8. 16. & 3. 19. 7. Superſtitioſus timor attenta providentiæ meditatione tollitur, ejus neglectu nobis ingeneratur, ut patet ex gentibus, 1. 16. 3.

Surſum corda, dictum à Veteribus in cœnæ celebratione uſurpatum, 4. 17. 30.

Symbolum Apoſtolorum cur ita dictum, 2. 16. 18. explicatur ex eo articulis de Chriſti morte, 2. 6. ſepultura, 7. deſcenſu ad inferos, 6 — 12. reſurrectione à mortuis, 13. aſcenſu in cælum, 14. ſeſſione ad dexteram Dei & quem ex ea fructum colligat

ligat fides, 13, 16 reditu ad judicium & quæ inde oritur conſolatione, 17, 18. de Eccleſia Sancta Catholica, 4. 1, 2, 3. & remiſſione peccatorum, *ibid.* 20.

T.

TAtianorum hæreſin an Pontificios excuſet, 4. 12. 23

Templorum neceſſitas ad celebrandos cœtus, 3. 20. 30 eorum uſus, & an ſufficienti inductus ratione Xerxes omnia Græciæ templa dirui juſſerit, 4. 1. 3. in quibus non expedit ullas haberi imagines, præter vivas illas & iconicas, baptiſmi & ſacræ cœnæ, ac prædicati Verbi, 1 11. 7, 13. impietas & putida nœnia Nicenæ Synodi, quæ non habendas ſolum in iis imagines ſed & adorandas decrevit, 14. 13, 16. de eorum, & ſacrorum omnium ornatu, quamque munde habita à Vetere Eccleſia, ut pauperum tamen alimoniæ & reditus nihil inde decederet, 4 4. 6. & quam econtra ſectentur Papiſtæ luxuriem, 4 5. 17, 18

Tempus creationis mundi, 1. 14. 1. & 2. 11. 14. & 3. 21. 4.

Tentare Deum quid, ejuſque tentationis exemplum in coru cælibatus quod nuncupant Monachi, 4 13. 3. & 2. 3. 42. diverſæ illius ſpecies, & an recte Deo tribuatur, 3. 20 46

Terra tota fidelibus benedicta, 1. 8 37. quo ſenſu tamen illis ſit à patria exilium, 3 9. 4.

Teſtamenti Veteris & Novi ſimilitudo, quæ unum re ipſa & ſubſtantia ſunt, etſi adminiſtratione varient, 2. 10. 1. hæc convenientia in tribus capitibus vertitur. 1. carnalem opulentiam non fuiſſe Judæis ultimam metam propoſitam, 2. fœdus cum illis initum ſola Dei miſericordia fuiſſe ſuffultum, nullis operum meritis, & 3. in Chriſtum quoque ipſos reſpexiſſe, 2. (nam ille unicum pacti iſtius fuit fundamentum, 2. 10 4.) primum & ſecundum caput oſtenditur, patres ſcilicet præcipue ſpectaſſe futuram vitam, ex Paulo qui promiſſionum Evangelicarum ipſos facit participes, ac eorum ſacramenta ejuſdem virtutis cum noſtris, 3. 4. 5. quæ vendicantur ab objectione contraria, 6. ex lege item & Prophetis, ſeu fœderis formula, *ego ſum Deus veſter*, ut & *ero Deus ſeminis veſtri poſt vos*, 7. 8. 9. quemadmodum quoque ea diſpenſatione qua Deus uſus eſt ne ullo modo terrenis deliciis mentem poſſent affigere, quod patet ex miſera quoad hanc vitam conditione Abrahami, Iſaaci, Jacobi, multiſque Davidis teſtimoniis, 10 — 12. ulterius ex præclaris Jobi ſententia & poſteriorum Prophetarum aperta declaratione, 19. 21. 22. altera duo capita probantur, *ibid.* 4. 23 & poſtremum, 2 6 2, 4. & 2 7 1, &c. Quinque nihilominus differentiis, quæ diſpenſationem magis quam ſubſtantiam concernunt, à ſe diſtant; quarum prima eſt, quod non immediate Iſraëlitas Deus ad contemplationem cæleſtis hæreditatis duxerit, ſed exhibuerit terrenis beneficiis veſtitam, 2. 11. 1, 2, 3. altera quod nunc ſolidum nobis oſtendetur corpus, & præſens veritas, tunc imagines tantum & corporis abſentis umbræ extiterint. 4, 5, 6. Tertia quod Vetus fuerit literale, Novum ſpirituale, quæ differentia fuſe explicatur, 7, 8. ex qua quarta emergit, illud enim ſervitutis fuit, noſtrum libertatis, 9. & quo ſenſu poſteriores tres differentiæ accipiendæ, 10. Quintam facit vocatio gentium, cum antea Dei fœdus ad unam gentem Iſraëliticam eſſet reſtrictum, 11, 12. Contraria quædam diluuntur objectiones, quibus profani homines hanc in gubernanda Eccleſia varietatem, aliam in docendi modum, & rituum ceremoniarumque mutationem exagitant, ut ſimplicium animis Scripturæ fidem excutiant, 13, 14.

Theodori Epiſcopi futile imaginum patrocinium, 1 11. 14

Theodoſii Mirenſis Epiſcopi ſimilis nænia, 1. 11. 15.

Theodoſius Imperator publice peccatum ſuum confeſſus. 4. 12 7.

Theologiæ præcipuæ partes, 2. 1. 1. Theologia Paparum. Cardinalium, totiuſque Romanæ aulæ qualis, 4. 7 27.

Theſaurus Eccleſiæ quid Papiſtis. 3. 5. 2, 3.

Thomæ de libero arbitrio ſententia, 2. 2. 4. ipſius argutia circa prædeſtinationis doctrinam refellitur, 3 22 9.

Timor primum fecit in orbe Deos, 2. 4 4. timor ſuperſtitioſus quis, & in gentilibus unde oriatur, 1. 16. 3. qualis Dei timor in reprobis, 3. 2. 13, 27. & 4. 10. 23. Timor Domini qui principium ſapientiæ dicitur & fidelibus paſſim defertur, an ſenſui fiduciali fidei repugnet, 3 2. 26 fideles ſæpius laborant timore & diffidentia ex infirmitatis ſenſu, *ibid.* 17. timoris ſpecies orti vel ex exemplis divinæ ultionis in reprobos, vel propriæ infirmitatis conſideratione, fidei certitudinem nequaquam evertentes, fides enim & timor in fideli pectore ſe certo habere poſſunt, ut ex oppoſito in impiis ſimul locantur torpor & anxietas, 20, 22, 23, 26, 27. & 3. 24 7.

Tolerantia Vide Patientia.

Tonſuram clericalem unde derivent Papiſtæ, & an Pauli poſſit exemplo defendi, vera item ejus origo quæ poſtea corrupta. 4 19. 26, 27.

Tradere Satanæ quid, 4 12. 3.

Traditionum humanarum ea in liquet inutilitas, quod Deus exhibiturus veræ juſtitiæ regulam ad ſuam voluntatem omnes ejus partes revocavit, 2. 8. 5. earum vel puriſſimarum impietas detegitur, 4 10 1 — 8. de conſtitutionibus ſpecium Papiſticis (quarum aliæ ritus, aliæ diſciplinam ſpectare videntur,) earumque vanitate & ſacrilegiis, tum quod in iis conſtituatur cultus, tum etiam quia religioſa neceſſitate iis aſtringantur conſcientiæ, quod item ita ſint irritum Dei præceptum, & ipſæ in immenſum accumulentur, 9 — 16. ubi ponitur ſimul vera nota traditionum quas à piis oportet repudiari. Prætextus eorum qui eas defendunt, errare nempe non poſſe Eccleſiam, excutitur, 17. impudenter eas ad Apoſtolica tempora referri, indeque minime originem ducere, 18, 19, 20. Nec ipſis ſuffragari Apoſtolorum de idolothytis & ſuffocato decretum Actor xv. 21, 22. hujuſmodi fictitiis obſervationibus Deo regnum ſuum eripitur, quia hominum, non ſuis præceptis colitur, 23, 24. Nec defenduntur exemplo Manohe hominis privati, ſacrificium nihilominus offerentis, aut Samuelis ſacrificantis in Ramatha, 25. aut Chriſti dicto, jubentis ferre onera importabilia Scribarum & Phariſæorum, 26. ex oppoſito oſtenditur quæ poſſint eſſe ſanctæ, ſi nimirum ſerviant decoro & Eccleſiæ ordini, 1, 27, 28, 29. & illis quis, 30. quodnam ſit populi Chriſtiani erga eas officium, quinam item in iis cavendi errores, 31. 32.

Tranſubſtantiatio Sophiſtarum cœnæ Dominicæ inſtitutioni contraria refellitur, 4. 17 12, 13, 14.

Tributa Principibus & quibuſvis Magiſtratibus ad regni defenſionem perſolvenda, & quomodo ea bona conſcientia hi uti poſſint, 4 20. 13.

Trinitas SS. ſeu in una & ſimplici Dei eſſentia tres diſtincte perſonas eſſe conſiderandas, Græcis hypoſtaſes, probatur, 1. 13. 1. &c. Illi refutantur qui *Perſonæ* nomen tanquam ἄγραφον rejiciunt, 3. 4. 3 ſimulque oſtenditur qua neceſſitate adacti vocibus ὁμοούσιος, *perſona, conſubſtantialis* uſi ſint patres, de diverſis item Hieronymi, Hilarii & Auguſtini hoc in negotio locutionibus, 2, 5, 12. Perſona quid, & de Serveti circa hanc rem erroribus & impietatibus, 6. 22. Chriſti nihilominus adventu familiarius Deus in tribus Perſonis innotuit, 16. Itaque oſtenditur Filii Deitas, cum de Patria non controvertatur, 7 — 13. & Spiritus Sancti, 14, 15. Demonſtratur diſtinctio Patris à Verbo, & Verbi à Spiritu, 17, 16. quæ ſimpliciſſimam Dei unitatem non impedit, 19. ubi & enarratur quo ſenſu Veteres Patrem Filii faciant principium; ſummatim traditur quod de SS Trinitate fide tenendum eſt, de quo ſobrie nobis philoſophandum, Verbumque Dei tantum ſequendum, 21, 22. Serveti hac in materia deliria refutantur, 22. ut & eorum, qui ſolum Patrem faciunt Deum verum & à ſe, Filium vero & Spiritum factitios, 23, 24. 23. quorum ſolvuntur objectiones, oſtenſo quoque non patrocinari ipſis Irenæum aut Tertullianum; cæterum Juſtinum, Hilarium & Auguſtinum pro nobis facere, 26 — 29.

Triſtitia duplex, ſecundum Deum & mundum, 3 3. 7. (& 3 4 2.) eſt autem moderanda in pœnitentia. *ibid.* 15.

Triumphalis currus fuit crux Chriſti, 2. 16. 6.

Turcæ loco Dei idolum tantum adorant, 2. 6. 4.

Tyrannis ab Eccleſia & fidelium conſcientiis arcenda, 3 4 24. & 4 8. 10. & 4. 13. 1. quam tamen ſibi uſurpat Papa. 4. 11. 6.

Tyranni qui, qualiter eorum ferendum jugum, & quatenus iis obediendum, 4 20. 24 — 32.

V.

UBiquitarii refutantur, 4. 17. 16 — 19, 24.

Vectigalia Principibus pendenda. & qua conſcientia iis uti poſſint, 4. 20. 13.

Verbum dictus Chriſtus, & quando eſſe incœperit, 1 13. 7, 6

Verbi ad fidem relatio & viciſſim, 3. 2. 6, 7, 31. & 3. 28. 10. cur ſemini comparatum, 4. 14. 11. ejus ſolius prædicatione docendus populus, non imaginibus, 1. 11. 7. Sacramentum conſtat verbo & externo ſigno, & quid ea in materia verbum notet, 4. 14. 4 eſt perfectæ juſtitiæ regula, 4. 10. 7. Vide Lex & Scriptura.

Veritas & miſericordia Dei conjunctæ, 3. 2. 7. & 3 22. 10.

Viduarum ſexagenariarum cœlibatus an Monialibus papiſticis patrocinetur, 4. 13. 18, 19.

Vigilandum perpetuo ob Diaboli aſtus, 2. 14. 13, 14.

Vindicta Deo relinquenda, 2 2 24. & 4. 20. 20. quod tamen mandatum lites omnes forenſes, quibus noſtra juſte defendimus, non tollit, *ibid.* ejus appetitus etiam in Veteri Teſtamento prohibetur, 2 8. 57.

Vita hominis à Deo ſuis limitibus eſt circumſcripta, 1 16 9 & 1. 17. 4, 11 eſt benedictio Dei. 2 8. 37. & 3. 9. 3. evanida eſt & umbræ ſimilis, *ibid.* 2. quomodo præſenti vita ejuſque adjumentis utendum ſit, ne nimia auſteritate adſtringantur conſcientiæ, nec fræna laxentur intemperantiæ, 3. 10. 1, 2, 3. rectus modus in Scriptura proponitur, 4. 5. Deus non tantum neceſſitati in alimentis cæteriſque vitæ ſubſidiis conſuluit, ſed & oblectationi, 3. 10. 2. in omnibus autem vitæ actionibus vocatio unicuique ſua inſpicienda, *ibid.* 6. ejus conſervationi non dedignatur Deus conſulere. hinc nos docuit panem quotidianum petere, & quid illa petitio complectitur, 3. 20 44. Vita hominis Chriſtiani jejunii quædam ſpecies eſſe debet, & perpetua mortificandæ carnis meditatio, 3. 8. 17, 20. & 3. 10. 3. quamvis ejus formandæ regulam lex contineat, ex Evangelio tamen eam recognoſcere non parum juvat, 3. 6. 1. ad ſanctitatem ergo primum nos adhortatur Scriptura, idque ſtimulis multis ab illis philoſophorum diverſis magiſque efficacibus, 2, 3. quare non ſufficit Chriſti nomen obtendere, ſed vita cum profeſſione reſpondeat oportet, & qualis requiratur in Chriſtiano perfectio, 5 tum deinde ejus normam tradit, quæ abſolutiſſime pertractatur quoad omnes ſuas partes, I. quoad abnegationem ſui, 3 7. 1 — 10. II crucis tolerantiam, 3. 8. 1. — 11. III. futuræ vitæ meditationem, 3. 9. 1 — 6 & IV. uſum vitæ præſentis, 3. 10. 1 — 6. ad futuræ vitæ meditationem multis modis nos Deus erudit, ut præſens nobis viloſcat, & illa juſto pretio æſtimetur, ubi exponitur quanta ejus præſtantia, 3. 10. 1, 2, 4. itaque debemus ejus adipiſcendæ ardore teneri, nec mortem puſillanimes horrere, 3, 6. Vitæ æternæ, quæ fidelium omnium ſcopus eſt, felicitas incomprehenſibilis, in qua gloria omnibus non eſt futura æqualis, 3. 25. 10. ubi inutilis vitanda curioſitas, & ſpinoſæ quæſtiones, 11. quo ſenſu merces aut præmium appelletur, 3. 18. 2, 3, 4.

Unctio extrema non eſt ſacramentum, ubi oſtenditur qualis ſit ejus apud Papiſtas adminiſtratio, quaque fiat verborum forma, nec Jacobi authoritate defendi, 4. 19 18. deſiit enim jam extare gratia curationum in Eccleſia, 19, 20. & ut extet, longe tamen abeſt ab ipſo deſcripta ceremonia ab impia illorum obſervatione, dum oleum invocant & Spiritus S facitunt vehiculum, 21

Unio hypoſtatica qualis ſit quamque arcta, 2. 14. 1 — 3.

Vocatio uniuſcujuſque conſideranda in omnibus vitæ actionibus, 3. 10. 6. & 3. 20. 13. & 4. 20. 31. Vocatione gentium differt Novum Teſtamentum à Veteri, in quo uni genti fœdus Dei erat alligatum, 2. 11. 12. quam hæc de improviſo obvenerit Apoſtolis, 12. ad legitimam Paſtorum Vocationem quæ requirantur. 4. 3. 11 — 16. Vocatio Dei duplex, una univerſalis, ſpecialis altera, 3. 24. 8. efficaci autem vocatione fidelium electio confirmatur, & innoteſcit, *ibid.* 1, 2, 4. Scopus vocationis fidelium, 3 6. 2. & 3. 16 2. & 3. 23 13. ante vocationem nihil ab aliis electi differunt, nec iis inhæret, quod ſomniant quidam, inſitum à nativitate electionis ſemen, 3. 24. 10, 22.

Voluntas Dei omnis juſtitiæ regula, 2. 8. 5. & 3. 23. 3. intercedit etiam malis hominum operibus, 1. 18. 1. nec tamen propterea ejus voluntati ſerviunt improbi, 1, 27. 3 alia eſt arcana, alia cui reſpondet voluntarium obſequium, quæ omnino ſequenda eſt, 1. 17. 2 & 3. 20. 43. & 3. 24, 17. quæ tamen non ſunt ſibi contrariæ, 1. 18 3. ſed una datur eaque ſimplex, 3. 24. 16. voluntas Dei à præcepto eſt diſtinguenda, 1. 18. 4. eſt ſuprema omnium rerum cauſa, 1. 14. 1. & 2. 11. 14. & 1. 26. 3, 9. & 2. 17. 2. & 1. 18. 1, 2. & 3 23. 6, 6.

Voluntas & intellectus humanæ animæ partes, adque has omnes aliæ facultates revocantur, 1. 15. 7. & 2. 2. 2. hominis voluntas eſt in Dei manu, & ejus gubernationi ſubeſt etiam quoad res indifferentes, & quæ ad corporalem magis quam ſpiritualem vitam ſpectant, 2. 4. 6, 7. quo ſenſu dicatur in regeneratione aboleri. quo item remanere, 2. 3 6. & 2 3. 13. ejus libertas non eſt metienda ab eventu, 2. 4 8. poſt peccatum plane eſt corrupta, nec contrarium probat inſitus ipſi boni appetitus, 2. 2. 26, 27. itaque omnem amiſit ſanitatem, & conſtricta eſt mali ſervitute, quamvis ipſa, ut eſt voluntas, perſiſterit, 2. 3. 3. 6. ut non tantum boni conatum in ipſa inchoët, ſed perpetuo moveat & ſuſtentet, ac concedat perſeverantiam, 7 — 12. quod ulterius Auguſtini authoritate oſtenditur, 13, 14 Voluntarium cum libero non confundendum, 2 3. 2

Votum quid, & quid de iis ſentiendum quæ præter expreſſum Dei verbum nuncupantur, 4. 13. 1, 6. tria in iis obſervanda ut ſint legitima, quis ſit is cui vovemus, qui nos qui vovemus, & quo animo vovendum 2, 3, 4. 5. Vota charitatis quæ. 4 19. 26. eorum alia tempus præteritum reſpiciunt, alia in futurum referuntur, & qualis eorum uſus eſſe poſſit, *ibid.* Votum commune nuncupant fideles omnes in baptiſmo, 6 quam temeraria vota cælibatus Monachorum & Monialium in Papatu, 3, 8, (ubi & de voto Jephthæ, an probandum,) 17, 18, 19. & in univerſum quo ſuperſtitionis prorupetit mundus in iis excogitandis, & imponendis ſibi hujuſmodi laqueis, 1, 7. qui infringi poſſunt innocua conſcientia, 20, 21.

Vox Dei ſimulachris omnibus & figuris oppoſita, 1. 11. 2.

X.

XErxes an ſufficienti inductus ratione Græciæ omnia templa dirui juſſerit, 4. 1. 5.

Z.

ZAchariæ Papæ perfidia, & commune cum Pipino regni Gallicani latrocinium, 4. 7. 17.

Zelus pœnitentiæ effectus aut adjunctum, 3 3. 15.

Zepherini de cœnæ celebratione decretum an patrocinetur peſſimo apud Papiſtas mori, ut ſemel quotannis communicent, 4. 17. 46.

FINIS.

INDEX AUTHORUM

Qui in

INSTITUTIONE JOANNIS CALVINI

Sæpius citantur.

Primus numerus librum: alter caput: tertius ſectionem indicat.

Ambroſius, lib. de Philoſophiâ, 1. 8. 44.
de Jacob & vita beata, lib.1. cap.6. 2. 7. 7.
& lib.2. cap.2. 3. 11. 23.
Lib de Iſaac & anima, 3. 20. 21.
Lib. de off. cap.28. 4. 4. 8.
Lib.6. de Sacramentis, 4. 19. 3.
Lib. de iis qui miniſteriis initiantur, 4. 17. 53. & 4. 19. 3.
Lib.1. de vocatione gentium, cap.5, & 2. 3. 13. 3. & 3. 22. 8.
Serm 46. de pœnit. Petri, 3. 4. 15.
Serm. ſeu homilia de baſilicis tradendis, 6. 11. 8. & 15.
Epiſt. 52. ad Valentin. 4. 11. 4. 13.
Epiſt. lib.1. Epiſt.3. 4. 12. 7.
Epiſt. lib.5. Epiſt.31, & 33. 4. 4. 8.
In 5. cap.1. ad Timoth. 4. 11. 16.
Anſelmus, 3. 2. 4.
Ariſtotelica Philoſophus, lib. 1. de hiſt. animal. cap. 1. 5. 7.
Lib.1. de animo, & 1. Metaphyſ. 1. 5. 5.
Lib.6. Ethic. cap ult. & lib.6. cap.2. 1. 15. 6.
Lib 6. Ethic. cap.2. 1. 15. 7.
Lib.3. Ethic. cap.5. 2. 2. 3.
Lib.7. Ethic. cap.3. 2. 2. 23.
Archelaus, 6. 8. 44.

AUGUSTINUS.

Quoniam in citandis & explicandis Auguſtini locis frequens eſt Calvinus, ordinem Tomorum doctis uſitatum ſequuti ſumus.

Tom. 1.
Retractationum lib.1. cap.1. 1. 16. 8.
Lib. eodem, cap.5. 2. 8. 8.
Lib. eodem, cap.5. 2. 8. 50.
Confeſſionum lib.10. cap.33. 3. 20. 32.
Confeſſ. lib.11. cap.12. 1. 14. 1. & 3. 5. 50.
Lib.1. de Ordine, cap.9. 1. 7. 3.
Lib. de morib. Eccl. Catholicæ, 3. 6. 1.
Eod. lib. cap 31, & 33. 4. 13. 9.
Lib. de morib. Manich. cap 13. 4. 12. 19.
Lib. de Geneſi contra Manich. 1. 14. 1.
Eod. lib. cap.3. 3. 23. 2.

Tom. 11.
Epiſtola 8. ad Januar. 4. 6. 13.
Epiſt. 5. ad Marcellin. 4. 20. 12, 20.
Epiſt. 19. ad Hieronym. 4. 7. 50
Epiſt. 23. ad Boniſ. 4. 17. 21, 28.
Epiſt 24. ad Alip. 2. 5. 7.
Epiſt. 41. ad Auguſt. 2. 10. 3.
Epiſt. 44. ad Maxim. 2. 10. 3.
Epiſt 47. ad Valent. 2. 3. 1.
Epiſt. 42 ad Vincent. 1. 13. 4. & 4. 2. 3.
Epiſt 69. ad Deograt. 1. 11. 13.
Epiſt 58. ad Maced. 2. 5. 2.
Epiſt 56 ad Dioſc. 2. 2. 11.
Epiſt 57. ad Dardan. 4. 17. 26, 28.
Epiſt 57. ad Aurel. 4. 12. 13.
Epiſt. 66. ad Maxim. 1. 13. 15.
Epiſt 82. ad Longum, 4. 13. 8.
Epiſt. 89. ad Hilarium, 2. 7. 9.
Epiſt. 95. ad Innocent. 2. 7. 9.
Epiſt. 99. ad Euodium, 2. 16. 9.
Epiſt. 105. ad Sextum, 1. 3. 24. & 5. 15. 7. & 5. 23. 10.
Epiſt. 106. ad Boniſ. 1. 3. 7. & 2. 3. 14. & 3. 17. 15. & 3. 23. 5, 11.
Epiſt. 107. ad Vital. 2. 5. 17.
Epiſt. 108. ad Sixtum, 3. 21. 8.
Epiſt. 110. ad Eradium, 4. 4. 11.
Epiſt. 118. & 119 ad Januar. 4. 10. 11, 14, 19. & 4. 14. 26. & 4. 19. 3.
Epiſt. 144. ad Anaſtaſ. 2. 2. 8.
Epiſt. 162. ad Epiſcop. 4. 7. 10.
Epiſt. 174. ad Paſcent. 1. 13. 19.
Epiſt 200 ad Aſellic. 2. 7. 9. & 2. 8. 50.

Tom. 111.
Lib.1 de doctr. Chriſt. cap 23. 2. 8. 54. 57.
Lib.3. cap.9. 4. 14. 16, 26. & 4. 17. 6. & 4. 19. 3.
Eod. lib. cap.55. 2. 5. 8.
De fide & Symbolo, cap 6. 4. 17. 26.
& cap 8. 2. 56. 16.
Enchirid ad Laurent. 2. 5. 7. & 3. 13. 7.
Eod. enchirid. cap.5. 8. 15. 1.
& cap.10. 2. 2. 8.
& cap.31 3. 14. 1.
& cap 52. 2. 5. 11.
& cap.36. 2. 14. 4.
& cap.68. 1. 5. 9.
& cap.101. 1. 18. 3.
& cap 116. 3. 20. 55.
Lib. de Eccleſiaſt. dogmatib. cap.54. 3. 4. 38.
Lib.2. de Trinitate, cap.4. 1. 16. 8.
& lib.3. cap.10. 4. 17. 15, 28.
& lib.5. cap.2, & 9. 3. 13. 5.
& lib 10. 3. 15. 4.
De geneſi ad literam, lib.5. 3. 11. 4.
& lib.6. cap.15. 3. 23. 8.
& lib.10. cap.10. 3. 24. 13.
& lib.11. cap 7, 8, & 9. 1. 15. 8.
De opere monachorum, 4. 13. 10, 15. & 4. 19. 20.
Lib. de Spiritu & litera. 2. 2. 8. & 2. 7. 5.

Tom. 1v.
Lib. quæſt. Evangel. ſecund. Matth. 4. 8. 3.
Lib.83. quæſt. 1. 6. 18. & 1. 17. 2. & 2. 8. 50.
Lib.2. quæſt. veteris teſtam. 2. 8. 12.
& 3. lib. 4. 14. 14. 17, 26. & 14. 19. 13, 16.
Lib. de continentia, cap.8. 2. 8. 50.
Lib. de pœnitentia. 3. 14. 8.

Tom. v.
De civitate Dei, lib.5. cap.2. 2. 3. 10.
& lib.4. cap.9. 1. 11. 6.
& lib.4. cap.12. 2. 8. 5.
& lib.4. cap.51. 8. 11. 13.
& lib.5. cap.24. 4. 20. 12.
& lib.6. cap 10. 1. 11. 2.
& lib.10. cap 29. 2. 14. 7.
& lib.11. cap 2. 3. 2. 1.
& lib. 19. cap 17. 4. 10. 16.
& lib.19. cap.27. 3. 11. 22.
& lib.21. cap.25. 4. 17. 34.
& lib 22. cap 2. 3. 20. 15.
& lib.24. cap.13. & 16. 3. 3. 10.

Tom. vi.
Contra epiſtolam fundamenti, cap.4. & 5. 1. 7. 3.
Contra Adimantum, cap 12. 4. 17. 11, 28.
Contra Fauſtum, lib.9. cap.11. 4. 14. 19.
& lib.13 cap 16. 4. 17. 54.
& lib 19. cap.13. 4. 14. 6, 26.
& lib.20. cap.18. 4. 18. 10.
& lib.30. 4. 12. 19.
& lib.32. 1. 7. 3.
Contra adverſar. legis & Prophet. 2. 2. 6. & 4. 18. 10.
De bono conjugali, 2. 8. 6.

Tom. vii.
Contra Epiſt. Parmeniani, lib.2, cap.14. 12. 1. 1.
& lib.2. cap.8. 3. 20. 20. & 4. 18. 10.
& lib.2. cap.13. 6. 15. 20.
& lib 3. cap 1. & 2. 4. 1. 16 & 4. 12. 11, 13.
Contra literas Petiliani, lib.2. cap. 3. 4. 14. 26.
Contra Gaudentii Epiſt.2. cap.13. 3. 5. 8.
De Baptiſmo contra Donatiſtas, lib. 2. cap 6, 2. 8. 58.
& lib.2. cap.16. 4. 29. 12.
& lib.5. cap 10. 4. 15. 7. & 4. 17. 54.
& lib.5. cap.10. 4. 59. 12.
& lib 5. cap.24. 4. 14. 14.
In brevi collat. contra Donatiſt. 4. 7. 10.
De peccatorum meritis & remiſſione, lib.1. cap.27. 4. 19. 13.
& lib 2. cap.18. 2. 3. 7. & 1. 2. 41.
& lib.2. cap.33, & 34. 3. 4. 33.
& lib.5. cap.3. 2. 1. 8.
Lib. de natura & gratia, 1. 2. 11. & 2. 5. 6. & 2. 7. 5.
De gratia Chriſti contra Pelag. & Cæleſt. 1. 1. 7. & 3. 24. 1.
Contra Epiſt.2. Pelagianorum ad Bonifacium, lib.1. cap 1. 1. 2. 8.
& lib.2. cap 6. 1. 16. 8.
& lib.1. cap.1. 3. 12. 3. & 3. 14. 4. & 3. 18. 5.
& lib.3, cap.7. & 8. 2. 2. 8. & 1. 17. 13.
& lib.4. cap 4. 3. 3. 10. & 3. 5. 3.
Contra Julianum, lib 1. 3. 3. 10.
& lib.2. 2. 8. 44.
& lib.4. 3. 14. 3.
& lib. 5. 3. 23. 1.
De prædeſtinatione & gratia. 3. 4. 3. & 3. 23. 11. & 5. 14. 17.
De prædeſtin Sanctorum, 2. 2. 9. & 2. 3. 10. & 2. 4. 4. & 2. 17. 1. & 5. 15. 2. & 3. 23. 1. & 3. 24. 1.
Lib. de bono perſeverantiæ, cap.12. 3. 23. 11. & 14. 15, 16, 17, 18, 19.
cap.20. 3. 21. 4. & 3. 22. 3. & 3. 23. 13.
& cap. ult. 8. 17. 1.
De gratia & libero arbit. ad Valent. 3. 18. 5.
eod. lib. cap.16. 2. 5. 7.
& cap 20. 1. 13. 4. & 2. 4. 7.
De baptiſmo parvulorum, 4. 14. 15.
De oratione ad Probam, 3. 30. 48.
De corrept. & gratia ad Valent. 3. 35. 8 & 2. 2. 8. & 2. 3. 13. & 2. 5. 14. & 2. 7. 7, 9. & 2. 14. 7. & 3. 21. 1.
De perfectione juſtitiæ, 2. 2. 8. & 2. 3. 6.

Tom. viii.
Præfat. in Pſalmos, 3. 14. 4.
In Pſalmum, 9. 4. 17. 22.
in pſalmum, 16. 3. 5. 4.
in pſalmum, 19. 2. 1. 4.
in pſalmum, 31. 2. 5. 20
in pſalmum, 32. 6. 18. 7.
in pſalmum, 33. 4. 17. 28.
in pſalmum, 45. 2. 2. 11.
in pſalmum, 68. 1. 13. 19.
in pſalmum, 70. 2. 3. 2. & 2. 7. 9.
in proœmio enarrat. pſal.73. 4. 14. 16.
in pſalmum, 77. 4. 14. 26.
in pſalmum, 78. 4. 14. 15.
in pſalmum, 21 3. 53. 4. & 2. 15. 8.
in pſalmum, 102. 3. 4. 33.
in pſalmum, 109. 2. 13. 9. & 2. 18. 7.
in pſalmum, 113. 1. 11. 9, 13.
in pſalmum, 118. 2. 7. 9. & 2. 6. 50.
in pſalmum, 137. 3. 14. 20.
in pſalmum, 139. 3. 15. 2.
in pſalmum, 141. 2. 8. 50.
in pſalmum, 144. 1. 5. 9, 10. & 3. 15, 7.

Tom. ix.
Homil. ſeu tractatu, 8. in Joan. 3. 22. 6.
& tract. 13. 4. 14. 4.
& tract. 26. 4. 14, 13, 56, 26. & 4. 17. 34. 45.
& tract. 26. 4. 14. 22.
& tract 19. 2. 5. 7.
& tract. 31. 4. 17. 6.
& tract 55. 3. 11. 2.
& tract 36. 1. 13. 19. & 1. 4. 17, 34.
& tract. 40. 4. 17. 6.
& tract. 45. 4. 1. 8. & 4. 14. 26.
& tract. 46. 4. 10. 26.
& tract. 47. 3. 5. 4.
& tract. 49 2. 2. 11. & 5. 5. 16.
& tract 50. 4. 6 4 & 4. 17. 26, 28.
& tract. 53. 2. 2. 8.
& tract. 79. 3. 2. 41.
& tract. 80. 4. 19. 2.
& tract. 21. 2. 2. 1.
& tract. 84. 8. 5. 3.
& tract. 89. 4. 14. 6.
& tract. 90. 3. 2. 41.
& tract. 96. 4. 8. 14.
& tract. 109. 2. 16 14.
& tract. 110. 2. 16. 4.

Tom. x.
Serm. 2. de verb. Apoſt. 3. 2. 35. & 4. 17. 34.
& Serm. 3. 2. 2. 8.
& Serm. 6. 3. 3. 10.
& Serm. 8. 3. 12. 8. & 3. 22 1.
& Serm. 10. 8. 2. 27.
& Serm 15. 8. 3. 30. & 3. 22. 10.
& Serm. 15. 2. 5. 2.
& Serm. 20. 8. 23. 5.
& Serm. 61. 4. 12. 5.
Homil 1. in adventu, 2. 2. 9.
Homil. de baptiſmo infant. 4. 19. 15, 16.
Homil. 38. de tempore, 1. 13. 19.
& homil. 45. 2. 8. 50.
& homil. 61. 4. 17. 34.
& homil 124. 4. 6. 4.
Auguſtinus Steuchus, 4. 11. 12.

B.

Baſilius, 1. 14. 20. & 1. 16. 8.
Bernardus de gratia & lib. arbitrio, 2. 2. 4, 6.
Idem Serm. 2. in Cantica, 2. 3. 12.
& Serm. 11. 3. 3. 15.
& Serm 13. 3. 11. 3, 8.
& Serm. 15. 2. 16. 1.
& Serm. 22. 3. 11. 22.
& Serm. 23. 3. 24. 4.
& Serm. 61. 3. 12. 3.
& Serm. 78. 3. 21. 1.
& Serm 81. 2. 3. 3. & 2. 5. 1.
& Serm. 98. 3. 15. 2.
Serm. 15. in pſal. qui habitat, 3. 12. 3.
Serm. 1. de annunciatione, 3. 2. 41.
Serm. 2. in octava paſchæ, 3. 2. 38.
Serm. 2 in die aſcenſionis. 5. 2. 58. & 3. 23. 3.
Serm. 5. in dedicat. templi, 3. 2. 25. & 6. 13 4.
Epiſt 107. ad Thomam præpoſit. 3. 22. 10.
Lib. 1, 2, 3, & 4. de conſiderat. ad Eugen. 4. 7. 18. & 4. 1. 12.
Boëthius de definitione. 1 5. 3.

Ff n

Carol.

INDEX AUTHORUM

C.

Caroli Magni libellus refutatorius Nicenæ Synodi, 1.11.14.
Cato, 3.10.4.
Chryſoſtom. homil.10. in Gen. 5 4.38.
& homil.18. 2.2.4.
& homil.22. 2.3.3.
& homil 23. 3.23.2.
homil.2. in 50. pſalm. 3.4.8,38.
Opere imperf. in Matth. 3.20.35.
homil.3 in Matth. 4.12.5.
& homil 14 in Matth. 4.13.7.
& homil.12. de Chananæa, 3.4.4.
homil.3 in Marc. 4.17.6.
homil. de Lazaro, 3.4.8.
homil.19. in Joan. 3.2.2.
homil. de converſ. Pauli, 3.24.18.
homil.18. in 2. ad Corinth. cap.8. 4.17.43.
homil 24 in epiſt. ad Epheſ. cap 1. 4.17.46.
homil. de invent. S. crucis, 2.5.7. & 4.12.28.
homil.6. & 61. ad popul. Ant. 4.14.3. & 4.17.8.
homil. de incomprehenſib. Dei natura, 1.13.21. & 3.4.1.
Serm. de pœnit. & confeſſ. 3.4.8. & 3.4.33.
Serm. de Spiritu S. 4.1.13. & 4.17.13.
Serm.3. de providentia ad Stagirium, 5.4.35.
Lib. de compunctione cordis, 2.8.57.
de perfectione Euangel. 2.2.11.
Cicero lib.3. quæſt. Tuſcul. 1.13.6. & 2.2.3.
Lib. de natura deor. 1.5.1,2,3. & 1.5.3,11,12.
& lib.2. 1.5.5. & 1.12.1.
& lib.3: 2.2.5.
de finibus, lib.5. 3.23.6.
de officiis, 4.20.12.
de legib. lib.2. 1.5.13. & 4.1.5.
Cyprianus, epiſtolarum lib.1. epiſt. 2. 4.12.6. & 4.19.14.
& epiſt.3. 4.4.14.
& epiſt 4. 4.7.3.
& lib.2. epiſt.1. 4.7.3.
& epiſt.5. 4.4.10. & 4.3.2.
& lib 3. epiſt.5. 4.1.19.
& epiſt.14. 4.11.9. & 4.18.6. & 4.19.14.
& epiſt.19. 4.11.6.
& lib.4 epiſt 6. 4.7.3.
de Simplicitate prælatorum, 4.2.6. & 4.6.4,13.
Serm.5 de lapſis. 17.4.9.
ad Pompejum contra Epiſt. Steph. 4.7.7.
Cyrillus lib.7. de Trinit. 1.23.19.
Lib.1. Dialogorum, ibid.
de recta fide ad Reginas, 2.16.12.
in Johannem, 4.17.9.

D.

Dionyſius de Hierarchia cæleſti, 1.14.4.

E.

Epiphanius, 4.9.9. & 4.13.21.
Euſebius, 1.11.6. & 4.6.14. & 4.7.26.

G.

Galenus, 1.5.2.
Gelaſius, 4.4.7. & 4.17.49.
Gregorius Nazianzenus, 1.13.17. & 4.9.1.
Gregorius papa homil.11. in Ezech. 4.4.3.
& homil.17. 4.3.12.
Lib.1. Epiſtolarum epiſt.5. 4.4.13. & 4.7.15,22.
& epiſt.7. 4.7.13.
& epiſt.10. 4.4.3.
& epiſt.14. 4.4.3,6,7.
& epiſt.25. 4.7.13,22.
& epiſt.43. 4.18.16.
Lib.2. Epiſtolarum, epiſt 5. 4.18.12.
& epiſt.6. item 13. 4.7.10.
& epiſt.61. 4.13.12.
& epiſt.68. 4.7.6,12.
& epiſt.83. 4.4.13,14.
& epiſt.70. 4.7.6.
& epiſt.76. 4.4.14.
& epiſt. ult. 4.7.12.
Lib.3. Epiſt. epiſt.11. 4.3.8.
& epiſt.20. 4.11.22.
Lib.4. Epiſt. epiſt.23. 4.7.10.
& epiſt.32 item 38. 4.11.16.
& epiſt.34. 4.11.12.
& epiſt 55. 4.7.10.
& epiſt 76, 78. & 80. 4.7.4.
& epiſt 82. 4.7.11.
Lib.5. Epiſt. epiſt.7. 4.7.10.
Lib 6. Epiſt. epiſt 169. 4.7.6.
& epiſt.188. 4.7.4.
Lib.7. Epiſt epiſt 28. 4.7.21.
& epiſt 30. 4.7.16.
& epiſt.38. 4.11.16.
& epiſt 64. 4.7.13.
& epiſt.76. 4.7.4.
& epiſt.109. 1.11.5.
& epiſt 194. 4.7.4.
Lib 9. Epiſt. epiſt.9. 1.11.5.
Lib 11. Epiſt. epiſt.6. 4.19.57.
Lib.4. Regiſt. 4.7.10. & 4.11.14.

H.

Hieronymus præfat. in lib. Solomonis, 4.9.4.
in comment. in Jeſaiam cap 9. 4.4.1.
in Malach. 2. 4.17.48.
In cap 1. epiſt. ad Titum, 4.4.2.
Epiſt ad Euagr. 4.4.2,3. & 4.7.3.
Epiſt. ad Nepotian. 4.4.5,8 & 4.12.21.
Epiſt. ad Cteſiph. 2.3.3. & 2.7.5.
dialog 1. contra Pelag. 2.3.1,17.
& dialog.3. 2.2.4.
Hilarius, 1.13.3,21. & 2.16.11.
Hiſtoria Tripart. lib.2. cap.14. 4.12.26.
lib.4. 4.7.8.
lib.3. 4.4.8.
lib.2. cap.38. 2.8.54.
lib.9. cap.15. 4.7.13.
Homerus, 1.17.3. & 2,2.17. & 4.6.8.
Horatius, 1.11.4.

I.

Ignatius, 1.15.19.
Joſephus, 2.8.4. & 2.8.12.
Irenæus, 1.3.37. & 5.6.4. & 2.14.7. & 4.7.7.
Juſtinus Martyr, 1,10.3. & 3.7.5.
Juvenalis, 1.13.3.

L.

Lactantius, 2.3.32. & 1.4.3. & 1.13.6. & 1.11.1.
Leo Romanus, 3.3.8. & 4 4.11. & 4 3.2. & 4.7.11.
Lombardus, eadem opera refutatus,
lib.2. Sententiarum, diſtinct. 24.28, & 31.21.9. & 2.2.4,5,6. & 2.3.7,13. & 3.13.7,16.
lib.3. Sentent. diſtinct. 5, 16, 13, & 23.
3 4.26. & 3.11.13. & 3.2.8. 3.2.48. &
lib.4. Sentent. diſtinct 1, 7, 10, 12, 14.18, 24, 26.12, 38.34. 4.14.16, & 4.19.10. & 3.4.25. & 4.17.13. & 3.4.13. & 4.19.16, 13, 25, 27, 30, 32. 36, 37.
Lucretius de rerum natura, 1.3.5.

M.

Michaël Servetus, eadem opera refutatus, 1.13.20,22. & 1.13.3. & 2.9.3 & 2.10.1. & 2.14.5,6,3. & 4.16.29,31. & 4.17.29,30.

O.

Origenes, 2.1.4,27. & 2.3.17. & 2.8.32, & 3.22.8,
Oſiander refellitur, 1.15.3,5. & 2.12.3,6,7. & 3.21.3.
Ovidius, 1.15.3. & 2.2.25.

P.

Philoſtratus in vita Apoll. 3.10.1.
Plato variis dialogis, 1.3.3. & 1.5.3,11. & 1,14.12. & 1.13.6,7. & 2.2.3,22. & 3.3.20. & 3.20.34. & 4.19.25.
Plautus, 1.17.3.
Plinius, lib.2. cap.7. 1.18.4.
Plutarchus, 1.3.3 & 1.3.11,11. & 3.10.1.
Pſeudo-Dionyſius de Hierarchia cæleſti, 1.14.4.

S.

Seneca, 2.11.2. & 1.13.1. & 2.3.12. & 2.2.3. & 3.8.4.
Servetus, vide Michaël Servetum.
Socrates, hiſtoria Tripartita, vide Hiſtoria Tripartita.
Solon, 4.20.9.
Sozomenus, lib.7. cap.17. 3.4.7.
Statius, 1.4.4.
Steuchus, 4.11.12.
Strabo, 4.1.5.
Suetonius, 1.3.2.

T.

Tertullianus, 1.10.3. & 1.13.6,28. & 2.14.7. & 3.20.48. & 5.25.7. & 4.13.21. & 4.17.2,23,48.
Themiſtius, 2.15.6. & 2.2.15.
Theodoritus, 4.4.18. & 4.11.15. & 4.17.48.
Thomas Aquinas, 2.2.4,26. & 5.21.9.
Tripartita Hiſtoria, vide Hiſtoria Tripartita.
Triſmegiſtus, 1.3.5.

V.

Valerius Maximus, 1.8.3.
Valla, 3.23.6. & 4.15,52. & 5.23.6.
Varro, 1.11.6.
Virgilius, 1.5.5.

X.

Xenophon, 1.5.12. & 4.12.22.

Digitized by Google

I N D E X,

Quo continentur Bibliorum loci ex ſerie librorum

VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.

Qui præmittitur numerus prior, majori eoque diverſo charactere expreſſus S.S. Caput: poſterior vero minori; verſum indicat. Qui locis ſubjungitur, prior librum: ſecundus, caput: tertius, ſectionem Inſtitutionum denotat.

GENESIS.

I. 1. IN principio Deus creavit cœlum & terram, 1. 14. 20.
2. Et Spiritus Dei expanſus erat ſuper abyſſus, 1. 13. 14 & 1. 13 22.
3. Et dixit Deus, Fiat lux, & lux fuit, 1. 13. 7. & 1. 13. 8 & 1. 16. 2.
11. Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen juxta genus ſuum, 1. 16. 2.
26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, 1. 13. 14. & 1. 15. 3.
27. Et creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creavit illus, maſculum & fœminam, 1. 15. 14. & 1. 15. 3. & 2. 2. 1.
28. Et dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animalibus quæ moventur ſuper terram, 1. 14. 22.
31. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et factum eſt veſpere & mane, dies ſextus, 1. 14. 22. & 3. 25. 8.
II. 1. Igitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum, 1. 14. 4.
2. Complevit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod fecerat, 1. 14. 2. & 2. 8. 30.
7. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem, 1. 14. 2. & 1. 15. 1. & 1. 13. 3.
9. Lignum etiam vitæ in medio paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali, 4. 14. 18.
17. In quocunque die comederis ex eo, morte morieris, 3. 2. 7.
18. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi, 4. 13. 3.
23. Hæc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt, 2. 12. 7.
III. 4. Dixit ſerpens ad mulierem, Nequaquam moriemini, 1. 14. 15.
6. Vidit igitur mulier quod lignum eſſet bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectuque delectabile: & tulit de fructo illius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit, 2. 1. 4.
15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum & tu inſidiaberis calcaneo ejus, 1. 14. 18. & 2. 13. 2. & 2. 13. 2.
17. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, 2. 10. 10. & 3. 14. 13.
19. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, &c. 2. 15. 2.
22. Nunc ergo, ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat & vivat in æternum, ejiciamus eum, 4. 14. 12.
23. Et miſit eum Deus de paradiſo voluptatis ut coleret terram de qua ſumptus eſt, 1. 25. 1.
IV. 4. Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, 3. 14. 8.
7. Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illi, 2. 5. 16.
8. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum, 2. 10. 20.
10. Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, 3. 2. 7.
13. Major eſt iniquitas mea quam ut veniam merear, 3. 5. 4.
VI. 3. Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, &c. 3. 14. 1.
5. Videns autem Dominus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, 2. 2. 25.
6. Tunc pœnituit Dominum quod hominem feciſſet in terra, 2. 17. 12.
18. Ponam fœdus meum tecum, 4 14. 6.
22. Fecit Noë omnia quæ præceperat illi Deus, 2. 10. 10.
VIII. 21. Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua, 2. 2. 25. & 2. 2. 27. & 3 14. 1.
IX. 2. Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cum univerſis quæ moventur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt, 1. 14. 20.
9. Ecce ego ſtatuo pactum meum vobiſcum & cum ſemine veſtro poſt vos, 4. 14 6.
13. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram, 4. 14. 18.
24. Evigilans autem Noë ex vino quum didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, 2. 10. 10.
25. Ait, maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis, ibid.
27. Dilatet Deus Japhet, & habitet in Tabernaculis Sem: ſitque Chanaan ſervus ejus, ibid.
XII. 3. In te benedicentur omnes cognationes terræ, 2. 13. 2.
4. Egreſſus eſt itaque Abraham ſicut præceperat ei Dominus, 2. 10. 11.
10. Facta autem eſt fames in terra, deſcenditque Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi, ibid.
13. Dic ergo obſecro te, quod ſoror mea ſis, ibid.
17. Flagellavit autem Dominus Pharaonem, & domum ejus propter Sarai uxorem Abram, 2 2. 16.
XIII. 7. Et facta eſt rixa inter paſtores Abram, & paſtores gregum Loth, 2. 10. 11.
11. Diviſique ſunt alterutrer à fratre ſuo, ibid.
XIV. 15. Et ecce unus qui evaſerat nunciavit Abram Hebræo, ibid.
18. At vero Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi,) &c. 4. 18. 2.
XV. 1. Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis, 2. 18. 5. & 3. 25. 10. & 4. 18. 18. & 4. 16. 24.
2. Dixitque Abram, Domine Deus quid dabis mihi? &c. 2. 10. 11.
5. Suſpice cœlum & enumera ſtellas ſi potes, & dixit ei, ſic erit ſemen tuum, 3. 16. 2.
17. Quum ergo occubuiſſet Sol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diviſiones illas, 4. 14 18.
18. Semini tuo dabo terram hanc à fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphratem, 4 16. 11.
XVI. 2. Ecce concluſit me Dominus ne parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem, &c. 2 2. 21.
5. Dixitque Sarai ad Abraham, inique agis contra me. Ego dedi ancillam tuam in ſinum tuum, 2. 10. 12 & 3. 2. 31.
9. Dixitque ei Angelus Domini, Revertere ad Dominam tuam, 2. 14. 16.
13. Peperitque Agar Abræ filium, 2. 10. 11.
XVII. 2. Ponam fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis, 2. 18. 1.
3. Conſtitui te patrem multarum gentium, 2. 10. 11.
7. Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te, in generationibus tuis fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te, 2. 8. 21. & 2. 10. 9 & 4. 15. 1 & 4. 15. 20. & 4. 16. 5.
10. Circumcidetur ex vobis omne maſculum, 4. 14. 20. & 4. 16. 3.
11. Et circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos, 4. 16. 24.
12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculum in generationibus veſtris, 4. 16. 5. & 4. 16 6. & 4 16 20.
13. Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus, in æternum, 4 17. 22.
14. Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit, 4 16. 6.
21. Conſtituam pactum meum cum Iſaac, 4. 14. 5.
XVIII. 1. Apparuit autem ei Dominus in convalle Mamre, 1. 11. 3.
2. Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum, 1 14. 6.
10. Revertens veniam ad te tempore iſto vita comite, & habebit filium Sara uxor tua, 3. 18 2.
18. Quum benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ, 2 13. 1.
24. Si fuerint quinquaginta juſti in civitate, peribunt ſimul? & non parces loco illi propter quinquaginta juſtos, ſi fuerint in eo? 3. 20 25.
27. Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, quum ſim pulvis & cinis, 1 1. 3 & 1. 15. 1.
XIX. 1. Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere, 1. 14 6.
XX. 1. 2. Et profectus inde Abraham in terram auſtralem, habitavit inter Cades & Sur, & peregrinatus eſt in Geraris. Dixitque de Sara uxore ſua, Soror mea eſt. Miſit ergo Abimelech Rex Geraræ, & tulit eam, 2. 16 11.
3. En morieris propter mulierem quam tuliſti: habet enim virum, 1. 17. 14.
18. Concluſerat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ, 2 8. 16.
XXI. 2. Concepitque Sara, peperitque filium Abrahæ, in ſenectute ſua, 2. 10. 11.
10. Ejice ancillam hanc & filium ejus, 2. 10. 11. & 4. 2. 3.
12. Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus: quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen, 2. 11. 6.
14. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem & utrem aquæ impoſuit ſcapulæ ejus, tradiditque puerum & dimiſit eam, 2. 10. 11.
24. Dixitque Abraham, Ego jurabo, 2. 8. 27.
25. Et Abraham increpavit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abſtulerant ſervi ejus, 2. 10 11.
30. Ego fodi puteum iſtum, 2. 10 11.
XXII. 1. Quæ poſtquam geſta ſunt, tentavit Deus Abraham, 3. 2. 4. & 2. 20. 46.
2. Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque offeres eum in holocauſtum, 2. 10. 11.
3. Igitur Abraham de nocte conſurgens ſtravit aſinum ſuum, ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum: quumque conſcidiſſet ligna in holocauſtum, abiit in locum quem præceperat ei Deus, 3. 18. 2.
8. Fili mi, Deus providebit ſibi victimam holocauſti, 2. 16. 4.
12. Nunc cognovi quod timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me, 3. 8. 4.
16. Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio unigenito, &c. 3. 18. 2.
17. Benedicam tibi, multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris, ibid.
18. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ, 2. 13. 1. & 4. 14. 21.
XXIII. 4. Advena ſum & peregrinus apud vos: date mihi jus ſepulchri vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum, 3. 25. 2.
7. Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ, filios videlicet Heth, 1. 12. 3.
12. Adoravit Abraham coram Domino & populo terræ, ibid.
19. Atque ita ſepelivit Abraham Saram uxorem ſuam in ſpelunca agri duplici, quæ reſpiciebat Mamre, hæc eſt Hebron in terra Chanaan, 3. 25. 8.
XXIV. 7. Ipſe mittet Angelum ſuum coram te, 1. 14. 6. & 1. 14. 12.
12. Domine Deus Domini mei Abraham, occurre obſecro mihi hodie, & fac miſericordiam cum Domino meo Abraham, 1. 14. 12.
XXV. 28. Iſaac amabat Eſau, eo quod de venationibus illius veſceretur, 3. 2 31.
XXVI. 1. Orta autem fame ſuper terram, poſt eam ſterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Iſaac ad Abimelech Regem Paleſtinorum in Geraris, 2. 10. 12.
4. Et multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli: daboque poſteris tuis univerſas regiones has, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, 2. 15 1.
7. Reſpondit, ſoror mea eſt, timuerat enim confiteri quod ſibi eſſet ſociata conjugio, 2. 10 11.
14. 15. Ob hoc invidentes ei Paleſtini omnes puteos quos foderant ſervi patris illius Abraham, illo tempore obſtruxerunt, implentes humo, 2. 10. 12.
20. Sed & ibi fuit jurgium paſtorum Geraræ, adverſus paſtores Iſaac, 2. 10. 12.
31. Et ſurgentes mane, juraverunt ſibi mutuo, 2. 8. 27.
35. Quæ ambæ offenderant animum Iſaac & Rebeccæ, 2. 10. 12.
XXVII. 9. Pergens ad gregem, & affer mihi duos hædos optimos, &c. 3. 2. 31.
14. Abiit, & attulit, deditque matri, 2. 10. 14.
27. Statimque ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait, Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, 2. 11. 25.
38. Eſau ejulatu magno flevit, 3 3. 24. & 5. 3. 25.
39. In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua, 3. 3. 25.
XXVIII. 5. Iſaac igitur dimiſit Jacob, &c. 2. 10 12.
12. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram & cacumen illius tangens cœlum, 2. 9. 2.
Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per viam, 1. 14. 12.
18. Surgens ergo Jacob mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper, 1. 12. 15.
22. Cunctorum quæ dederis mihi offeram decimas tibi, 4. 13. 12.
XXIX. 20. Servivit Jacob pro Rachel ſeptem annis, 2. 10. 12.
23. Et veſpere Liam filiam ſuam introduxit ad Jacob, 2. 10. 12.
27. Imple hebdomadem dierum hujus copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere quo ſervituruſ es mihi ſeptem annis aliis, 2. 10. 12.
XXX. 1. Cernens autem Rachel quod infœcunda eſſet, invidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo, Da mihi liberos, alioqui moriar, 2. 10. 12.
2. Num pro Deo ego ſum, qui privavit te fructu ventris tui? 1. 16. 7.
XXXI. 19. Et Rachel furata eſt idola patris ſui, 1. 11. 8.
23. Qui aſſumptis fratribus ſuis, perſecutus eſt eum diebus ſeptem: & comprehendit eum in monte Galaad, 2. 10. 12.
40. Die noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis, 2. 10. 12.
53. Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac, 2. 8. 27.

N o 2

XXXII. 1. Jacob

XXXII. 1. Jacob autem abiit in itinere quod cœpe-
rat, fueruntque ei obviam Angeli Dei, 1. 14. 5.
7. Timuit Jacob valde, &c. 2. 10. 12.
10 Minor ſum cunctis miſerationibus tuis & veri-
tate tua quam explevisti ſervo tuo: in baculo meo
tranſivi Jordanem, 5. 20. 14. & 3. 20. 21.
11. Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde
eum timeo, ne forte veniens percutiat matrem cum
filiis, 2. 10. 12. & 3. 20. 14.
28 Nam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis
homines prævalebis? 1. 14. 5.
29 Interrogavit eum Jacob, Dic mihi quo appel-
laris nomine? Reſpondit, Cur quæris nomen
meum, quod eſt mirabile? Et benedixit ei eo in
loco, 1. 13. 10.
30. Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel,
dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva
eſt anima mea, 1. 13. 10.
XXXIII. 3. Et ipſe progrediens adoravit pronus ter-
ram ſepties, donec appropinquaret frater ejus, 2.
10 12.
XXXIV. 5. Intellexit Jacob eum violaſſe filiam
ſuam Dina, 2. 10 12.
25. Simeon & Levi fratres Dinæ, gladiis ingreſſi ſunt
urbem confidentes, interfectiſque omnibus maſcu-
lis, &c. 2. 10. 12. & 4. 1. 24.
30. Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis
& Pherezæis habitatoribus terræ hujus, 2. 10. 12.
XXXV. 18. Egrediente autem anima præ dolore, &
imminente jam morte, vocavit, &c. 2. 10 12.
22. Abiit Ruben, & dormivit cum Bala concubina
patris, quod illum minime latuit, 2 10. 12.
& 4. 1. 24
XXXVII. 28. Et prætereuntibus Madianitis negotia-
toribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt
eum Iſmaelitis viginti argenteis nummis, 4. 1. 14.
32. Tulerunt autem tunicam ejus, mittentes qui fer-
rent ad patrem, &c. 1. 10. 12.
XXXVIII. 18. Ad unum igitur coitum mulier con-
cepit, &c. 2. 10. 12 & 4. 1. 24.
XLII. 6. Fratres Joſeph venerunt, & adoraverunt
eum, 1. 12. 3.
36. Abſque liberis me eſſe feciſtis, Joſeph non ſuper-
eſt, Simeon tenetur in vinculis, & Benjamin auferetis,
in me hæc omnia mala reciderunt, 2. 10. 12.
XLIII. 14. Deus autem meus omnipotens faciat
vobis eum placabilem: & remittat vobiſcum fra-
trem veſtrum quem tenet in vinculis, & hunc Ben-
jamin: ego autem quaſi orbatus abſque liberis ero,
2. 4. 8.
XLV. 8. Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc
miſſus ſum, &c. 1. 17. 6.
XLVII. 7. Et Jacob ſalutavit Pharao, 1. 11. 13.
9. Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta an-
norum ſunt parvi & mali, 2. 10 12.
Et non pervenerunt uſque ad dies patrum meorum
quibus peregrinati ſunt, 2. 10. 13.
29 Facies mihi miſericordiam & veritatem, ut non
ſepelias me in Ægypto, 2. 10. 13.
30. Sed dormiam cum patribus meis, & auferas me
de terra hac, condaſque in ſepulchro majorum
meorum, 2. 10. 13 & 3. 25. 8.
31 Quo jurante, adoravit Iſraël Dominum, conver-
ſus ad lectuli caput, 2. 11. 15.
XLVIII 14 Et Iſraël extendens manum dexteram
poſuit ſuper caput Ephraim, 4. 5. 13.
16. Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat
pueris iſtis, 1. 14. 8.
& ſuper eos invocentur nomina patrum meorum
Abraham & Iſaac, 2. 20. 23.
19. Sed frater ejus minor, major erit illo, & ſemen
illius creſcet in gentes, 3 22. 1.
XLIX 5. Simeon & Levi fratres: vaſa iniquitatis
bellantia, &c. 1 8. 4.
9. Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi aſcendiſti:
requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna, quis
ſuſcitabit eum? 1. 8. 4.
10. Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de fe-
more ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe
erit expectatio gentium, 1. 8. 7.
18. Salutare tuum exſpectabo Domine, 2. 10. 14.
L. 20. Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit
illud in bonum: ut exaltaret me ſicut in præſentia
cernitis, 2. 17. 8.
25. Quum Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea
vobiſcum de iſto loco, 2. 10. 13.

E X O D U S.

II. 12. CUmque circumſpexiſſet huc atque illuc,
& nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum
Ægyptium abſcondit in ſabulo, 4.
20. 10.
III. 2. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis, de
medio rubi, &c. 4 17. 21.
6 Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham & Deus
Iſaac, & Deus Jacob, 2 8. 15. & 2. 10. 9.
8. Deſcendi ut liberem eum de manibus Ægyptio-
rum, & educam de terra illa, 4. 20. 30.
10. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas
populum meum, 4. 8. 2.
14. Qui eſt miſit me ad vos, 1. 13. 23.
21. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis:
& quum egrediemini, non exibitis vacui, 1. 7. 7.
IV. 3. Dixitque Dominus, projice eam in terram:
Projecit, & verſa eſt in colubrum, 4. 17. 15.
11. Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt
mutum & ſurdum videntem & cæcum? nonne
ego? 1. 13. 14.
21. Vide ut omnia oſtenta, quæ poſui in manu tua,
facias coram Pharaone: ego autem indurabo cor
ejus, & non dimittet populum, 1. 18. 2. & 2 4 4.
& 3 24 13.
25. Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & cir-
cumcidit præputium filii ſui, tetigitque pedes
ejus, &c. 4 15. 22.
VI. 7. Et aſſumam vos mihi in populum, & ero ve-
ſter Deus, 2. 10 3.
23. Accepit autem Aaron uxorem Elizabeth filiam
Aminadab, ſororem Nahaſſon, quæ peperit ei
Nadab & Abiu, & Eleazar & Ithamar, 2. 13. 5.
VII, 1. Dixitque Dominus ad Moſen, Ecce conſti-
tui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit
propheta tuus, 1. 3. 9.
3. Sed ego indurabo cor ejus, & multiplicabo ſigna
& oſtenta mea in terra Ægypti, 1. 18. 2. & 2. 4. 3.
& 2. 4. 4.
10. Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſervis
ejus, & verſa eſt in colubrum, 4. 17. 15.
11. Vocavit autem Pharao ſapientes & maleficos: &
fecerunt ipſi per incantationes Ægyptiacas & ar-
cana quædam ſimiliter, 1. 8. 5.
12. Projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ
ſunt in dracones: ſed devoravit virga Aaron virgas
eorum, 4 17 15.
VIII. 15. Videns autem Pharao quod data eſſet re-
quies, ingravavit cor ſuum, 1. 18. 2.
X. 1. Et dixit Dominus ad Moſen, Ingredere ad
Pharaonem: ego enim induravi cor ejus, & ſervo-
rum illius: ut faciam ſigna hæc in eo, 2. 4. 4.
XI. 3. Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo
coram Ægyptiis. Fuitque Moſes vir magnus in
terra Ægypti, coram ſervis Pharaonis, & omni
populo, 2. 4 8.
XII. 3. Erit autem agnus abſque macula, maſculus
anniculus, 4. 18. 31.
28. Et cum dixerint vobis filii veſtri, Quæ eſt iſta re-
ligio? 4 18. 30.
43. Hæc eſt religio Phaſe, Omnis alienigena non
comedet ex eo, 4 17. 22.
46. Nec os illius confringetis, 1. 18. 9
XIII. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum quod
aperit vulvam in filiis Iſraël tam de hominibus,
quam de jumentis: mea ſunt enim omnia, 4.
18. 31.
XIV. 19. Tollenſque ſe Angelus Domini, qui præ-
cedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos, 1 14. 6.
21. Cumque extendiſſet Moſes manum contra mare
abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi &
urente tota nocte, &c. 4. 15. 9.
28. Et ait Dominus ad Moſen, Extende manum etiam
ſuper mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios, ſu-
per currus & equites eorum, 4. 13. 9.
31. Timuitque populus Dominum, & crediderunt
Domino, & Moſi ſervo ejus, 4 8. 2.
XV. 3. Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens
nomen ejus, 1. 13. 24. & 4 17. 23.
XVI. 7. Et mane videbitis gloriam Domini, audivit
enim murmur veſtrum contra Dominum. nos vero
quid ſumus quia muſſitatis contra nos? 1. 8. 8.
14. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit
in ſolitudine minutum, & quaſi piloſum in ſimili-
tudinem pruinæ ſuper terram, 4 17. 34. & 4. 18 20.
XVII. 6. En ego ſtabo ibi coram te, ſupra petra Ho-
reb: percutieſque petram, & exibit ex ea aqua, ut
bibat populus, 4 17. 13. & 4. 17. 21. & 4 18. 20.
15. Ædificavitque Moſes altare: & vocavit nomen
ejus Jehovah-Niſſi, 1. 13 9.
XVIII. 18. Quumque acciderit eis aliqua diſceptatio,
veniunt ad me, ut judicem inter eos, & oſten-
dam præcepta Dei, & leges ejus, 4. 11. 8.
XIX. 5. Eritis mihi in peculium de cunctis populis:
mea eſt enim omnis terra, 4. 18. 13.
6. Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens
ſancta. 2. 7. 1.
18 Jamque advenerat tertius dies, & mane inclaru-
erat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare
fulgura, & nubes denſiſſima operire montem,
clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat: &
timuit populus qui erat in caſtris, 1. 8. 3.
XX. 3. Non habebis Deos alienos coram me, 1.
13 24.
4. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitu-
dinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra
deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra,
1. 11. 1. & 1. 12. 12. & 1. 13. 24.
5. Non adorabis ea neque coles: ego ſum Dominus
Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem
patrum in filios, in tertiam & quartam generatio-
nem eorum qui oderunt me, 1. 12. 2.
6. Et faciens miſericordiam in millia his qui diligunt
me, & cuſtodiunt præcepta mea, 2. 10. 9.
13. Non occides, 4. 20. 10.
24. In omni loco in quo fuerit memoria nominis
mei, veniam ad te & benedicam tibi, 4. 1. 5.
XXI. 13. Qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus tra-
didit eum in manus ejus, &c 1. 16. 6. & 1. 18 3.
17. Qui maledixerit patri ſuo vel matri morte moria-
tur, 2. 8. 18.
XXII. 1. Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, &
occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno
bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove, 4.
20 16.
8. Si latet fur, applicabitur Dominus domus ad Deos,
& jurabit quod non extenderit manum, &c 4. 20. 4.
11. Jusjurandum erit in medio quod non extenderit
manum, ad rem proximi ſui, 2. 8. 26.
29. Decimas & primitias tuas non tardabis reddere,
3. 7. 5.
XXIII. 1. Non ſuſcipies vocem mendacii: nec junges
manum tuam ut pro impio dicas falſum teſtimo-
nium, 2. 8. 47.
4 Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti,
reduc ad eum, 2. 8 16.
5. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non
pertranſibis ſed ſublevabis cum eo, 2 8 56.
12. Septimo die ceſſabis: Ut requieſcat bos & aſinus
tuus & refrigeretur filius ancillæ tuæ & advena,
2. 8 32.
13. Et per nomen externorum deorum non jurabitis,
neque audietur ex ore veſtro, 2. 8. 25.
19. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum
Domini Dei tui, 3. 7. 5.
20. Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat
te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum
quem præparavi, 1. 14. 6.
XXIV. 18. Ingreſſuſque Moſes medium nebulæ, aſcen-
dit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus &
quadraginta noctibus, 1. 8. 3. & 4. 12. 10.
XXV. 17. Facies & propitiatorium de auro mundiſ-
ſimo: duos cubitos & dimidium tenebit longitudo
ejus, & cubitum ac ſemiſſem latitudo, 1. 11 3.
18. Duos quoque Cherubim aureos, & productiles
facies, ex utraque parte oraculi, 1. 11. 3.
20. Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes
alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mu-
tuo verſis vultibus in propitiatorium, quo ope-
rienda eſt arca, in qua pones teſtimonium quod
dabo tibi, 1 11. 3.
40. Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in
monte monſtratum eſt, 2. 7. 1 4. 14. 20.
XXVIII 9. Sumeſque duos lapides Onychinos, &
ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael,
10. Sex nomina in lapide uno, & ſex reliqua in al-
tero, juxta ordinem nativitatis eorum,
12. Portabitque Aaron nomina eorum coram Do-
mino ſuper utrumque humerum ob recordationem,
3. 20. 18.
21. Habebuntque nomina filiorum Iſraël: duodecim
nominibus cælabuntur, ſinguli lapides nominibus
ſingulorum per duodecim tribus, ibid.
XXIX. 9 Cingeſque eos balteo, Aaron ſcilicet &
liberos ejus, & impones eis mitras, eruntque Sa-
cerdotes mihi religione perpetua, &c. 4. 2. 9.
36. Et vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies
ad expiandum: mundabiſque altare, &c. 2. 17. 4.
& 4. 18 13.
XXX. 10. Et deprecabitur Aaron ſuper cornua ejus
ſemel per annum, in ſanguine quod oblatum eſt pro
peccato, 2. 13. 8.
30. Aaron & filios ejus unges, ſanctificabiſque eos,
ut ſacerdotio fungantur mihi, 4. 19. 31.
XXXI. 2 Et implevi Beſaleel, S. Dei, ſapientia,
intelligentia, & ſcientia in omni opere, 2. 3. 16.
13. Videte ut Sabbathum meum cuſtodiatis: quia
ſignum eſt inter me & vos in generationibus ve-
ſtris, ut ſciatis quia ego Dominus qui ſanctifico
vos, 2. 8. 29.
XXXII. 1. Surge, fac nobis deos qui nos præcedant:
Moſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægy-
pti, ignoramus quid acciderit, 1. 11. 8.
4. Dixeruntque, Hi ſunt dii tui Iſraël, qui te eduxe-
runt de terra Ægypti, 1. 11. 9.
27. Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite & re-
dite de porta uſque ad portam, per medium caſtro-
rum, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum
& proximum ſuum, 4 20. 10.
32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele
me de libro tuo, quem ſcripſiſti, 3. 20 35.
XXXIII. 19. Miſerebor cujus voluero, & clemens
ero in quem mihi placuerit, 2. 5. 17 & 3. 11 11.
& 3. 22 6 & 3. 23. 8. & 3. 24. 15.
20. Non poteris videre faciem meam, non enim vi-
debit me homo & vivet, 2. 18 3.
XXXIV. 6. Domino tranſeunte coram eo, ait, Domi-
nator Domine Deus, miſericors & clemens, pa-
tiens & multæ miſerationis, 1. 10 2.
7. Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus
in tertiam & quartam progeniem, 2 8. 19.
28. Fuit ergo ibi cum Domino Moſes, quadraginta
dies, & quadraginta noctes: panem non comedit,
& aquam non bibit, 4 12. 20.
29. Cumque deſcenderet Moſes de monte Sinai, te-
nebat duas tabulas lapideas teſtimonii, & ignora-
bat quod cornuta (*Splendida*) eſſet facies ſua ex
conſortio ſermonis Domini, 1. 8. 5.
XXXV. 2. Sex diebus facietis opus: ſeptimus dies
vobis erit ſanctus, Sabbathum & requies Domini,
2 8. 29.
30. Ecce vocavit Dominus ex nomine Beſeleel,
filium Uri filii Hur, de tribu Juda, 2. 2. 16.
XL. 34. Et nubes operiebat tabernaculum, maje-
ſtate Domini coruſcante, 1. 8. 5.

L E V I T I C U S.

I. 2. HOmo qui obtulerit ex vobis hoſtiam Do-
mino, de pecoribus, id eſt, de bobus &
ovibus offerens victimas, 4 14. 20.
4. Ponetque manus ſuper caput hoſtiæ, & accepta-
bilis erit, atque in expiationem ejus proficiens,
4. 13. 18.
5. Immolabitque vitulum coram Domino, 4. 18. 11.
IV. 2. Anima quæ peccaverit per ignorantiam, &
de univerſis mandatis Domini, &c. 4. 1 23.
V. 15. Et expiabit eum Sacerdos à peccato ſuo, quod
peccavit in uno de iſtis, & remittetur ei, &c.
2. 7 4.
VIII. 8 Congregataque omni turba ante fores taber-
naculi ſtatim abluit Aaron & filios ejus, 4 2. 12.
XI. 44. Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum,
4. 2. 5.
XVI. 2. Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni
tem-

tempore ingrediatur ſanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, 2.15.6.
21. Et Aaron poſita utraque manu ſuper caput hirci viventis, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël, & univerſa delicta atque peccata eorum, 3.4.20.
XVIII. 5. Cuſtodite leges meas atque Judicia mea; Quæ faciens homo vivet in eis, 2.8.4. & 2.17.3. & 3.14.13. & 3.17.3.
6. Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus, 4.19.1.
12. Turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies: quia caro eſt patris tui, 2.13.1.
XIX. 2. Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter, 2.2.14. & 3.6.1. & 4.19.25.
12. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus, 2.8.24.
16. Non eris criminator, nec ſuſurro in populo, 2.8.47.
18. Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum, 2.2.58. & 4.20.19.
31. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos, 4.1.5.
XX. 6. Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam & interficiam illam de medio populi ſui, 1.8.6.
7. Sanctificamini, & eſtote Sancti, quia & ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter, 4.19.25.
9. Qui maledixerit patri ſuo aut matri, morte moriatur, 2.8.36.
XXVI. 3. Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, 2.5.10.
4. Dabo vobis pluvias temporibus ſuis, &c. 1.16.5. & 2.8.4.
12. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus, 2.10.8.
20. Conſumetur incaſſum labor veſter, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt, 3.20.44.
23. Quod ſi nec ſic volueritis recipere diſciplinam, ſed ambulaveritis ex adverſo mihi, &c. 1.17.8.
26. Poſtquam confregero baculum panis veſtri, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, &c. 3.20.44.
33. Vos autem diſpergam in gentes, & evaginabo poſt vos gladium, eritque terra veſtra deſerta, & civitates veſtræ dirutæ, 2.11.1.
36. Et qui de vobis remanſerint, dabo pavorem in cordibus eorum, &c. 1.18.2. & 2.4.6.

NUMERI.

VI. 5. OMni tempore ſeparationis ſuæ novacula non tranſibit per caput ejus, 4.19.16.
18. Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis, cæſarie conſecrationis ſuæ: tolletque capillos ejus, & ponet ſuper ignem, 4.19.26.
IX. 18. Cunctis diebus quibus ſtabat nubes ſuper tabernaculum, ad imperium Domini erigebant tentoria, 4.15.9.
XI. 9. Cumque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & Man, 1.8.5.
18. Sanctificamini, cras comedetis carnes, 3.20.51.
31. Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, 1.16.7.
33. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuſcemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, &c. 3.20.51.
XII. 1. Locutaque eſt Maria & Aaron contra Moſen, propter uxorem ejus Æthiopiſſam, 1.8.4.
XIV. 43. Amalecites & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquieſcere Domino, nec erit Dominus vobiſcum, 1.5.11.
XV. 32. Factum eſt autem, quum eſſent filii Iſraël in ſolitudine, & inveniſſent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, 4.8.19.
XVI. 24. Præcipe univerſo populo ut ſeparetur à tabernaculis Core & Dathan, & Abiron, 1.8.5.
XX. 10. Congregata multitudine ante petram, dixit eis, Audite rebelles & increduli. Num de petra hac poterimus vobis aquam ejicere? 1.8.5.
26. Cumque nudaverit patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium ejus, 4.8.15.
XXI. 8. Fac ſerpentem æneum & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet, 4.13.20.
9. Fecit ergo Moſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem quum percuſſi aſpicerent, ſanabantur, 2.18.3.
XXIII. 10. Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia, 2.10.14.
19. Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur, 1.17.12.
XXVIII. 3. Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis, agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum, 4.2.3.

DEUTERONOMIUM.

I. 16. PRæcepique eis: audite illos, & quod juſtum eſt judicate: ſive civis ſit ille, ſive peregrinus, 4.20.4. & 4.20.6. & 4.20.9.
39. Parvuli veſtri, de quibus dixiſtis, quod captivi ducerentur, & filii qui hodie boni ac mali ignorant diſtantiam, ipſi ingredientur, 4.16.19.
II. 30. Noluit Sehon Rex Heſebon dare nobis tranſitum. Induraverat Dominus Deus tuus Spiritum ejus, & obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, 1.18.2. & 2.4.3. & 2.4.4.
IV. 2. Non addetis ad verbum quod vobis loquor: nec auferetis ex eo, 4.9.2.
7. Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris, 3.14.15.
9. Cuſtodi igitur temetipſum, & animam tuam ſollicite, ne obliviſcaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ, &c. 2.8.5.
11. Et acceſſiſtis ad radices montis qui ardebat, uſque ad cælum: erantque in eo tenebræ, & nubes & caligo, 1.11.3.
15. Cuſtodite igitur ſollicite animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt vobis Dominus, 1.11.2.
16. Ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi vel fœminæ,
17. Similitudinem omnium jumentorum quæ ſunt ſuper terram, vel avium ſub cælo volantium, 2.8.17.
V. 14. Ut requieſcat ſervus & ancilla tua ſicut & tu, 2.8.32.
17. Non occides, 4.20.10.
VI. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota fortitudine tua, 2.7.15. & 2.8.51. & 3.19.4.
13. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis, 2.8.25.
16. Non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis, 4.13.3.
25. Eritque noſtri miſericors, ſi cuſtodierimus & fecerimus omnia præcepta ejus, coram Domino Deo noſtro, ſicut mandavit nobis, 3.17.7.
VII. 6. Quia populus Sanctus es Domino Deo tuo: te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram, 1.8.14.
7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus eſt Dominus, & elegit vos, quum omnibus ſitis populis pauciores, 3.22.5.
8. Sed quia dilexit vos Dominus, & cuſtodivit juramentum quod juravit patribus veſtris, &c. *ibid.*
9. Et ſcies quia Dominus Deus tuus, ipſe eſt Deus fortis & fidelis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus ſe & iis qui cuſtodiunt præcepta ejus, 3.17.5.
12. Si poſtquam audieris hæc judicia, cuſtodieris ea & feceris, cuſtodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi & miſericordiam quam juravit patribus tuis, 3.17.1.
13. Et diliget te & multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui & fructui terræ tuæ, &c. *ibid.*
VIII. 2. Et recordaberis itineris cuncti per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, ut affligeret te, atque tentaret, 3.20.46.
3. Ut oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Domini, 1.16.7. & 3.20.44.
IX. 6. Scito ergo quod non propter juſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in poſſeſſionem, quum duriſſimæ cervicis ſis populus, 3.21.5.
X. 12. Et nunc Iſraël, quid Dominus petit à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum? &c. 2.8.51.
14. En Domini Dei tui cælum eſt, & cælum cæli, terra, & omnia quæ in ea ſunt, 2.11.11. & 3.21.3.
15. Et tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amavit eos, elegitque ſemen eorum poſt eos, &c. 3.21.5.
16. Circumcidite igitur præputium cordis veſtri, & cervicem veſtram ne induretis amplius, 2.5.8. & 2.3.8. & 4.16.3. & 4.16.21.
20. Dominum Deum tuum timebis, & ei ſoli ſervies: ipſi adhærebis juraviſque in nomine illius, 2.8.25.
XI. 26. En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem & maledictionem, 2.17.2.
XII. 13. Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris,
14. Sed in eo quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hoſtias, & facies quæcunque præcipio tibi, 4.2.9.
28. Obſerva, & audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene ſit tibi & filiis tuis poſt te in ſempiternum, &c. 2.8.5.
32. Nec addas quicquam, nec minuas, 4.10.17.
XIII. 3. Tentavit vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima veſtra, 3.20.46.
XIV. 2. Populus ſanctus es Domino Deo tuo: & elegit te ut ſis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus quæ ſunt ſuper terram, 2.8.14.
XVI. 10. Et celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui, 4.18.9.
19. Nec accipies perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos Sapientum, & mutant verba juſtorum, 4.20.9.
XVII. 8. Si difficile & ambiguum apud te judicium perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, &c. 3.4.4.
9. Veniéſque ad Sacerdotes Levitici generis, ac ad Judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, &c. 3.4.4. & 4.8.2.
11. Et docebunt te juxta Legem ejus: ſequeriſque ſententiam eorum.
12. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto Judicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël, 4.2.2.
16. Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, &c. 4.20.9.
18. 19. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus, &c. 1.8.9.
XVIII. 11. Neque qui quærat à mortuis veritatem inveniatur apud te, 3.5.6.
13. Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo, 2.8.51.
15. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, 4.1.5.
XIX. 19. Reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit, 4.20.16.
XXI. 18. Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris & matris imperium, & coërcitus obedire contempſerit, &c. 2.8.36.
23. Maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno, 2.7.15. & 2.16.16.
XXIII. 5. Vertitque Dominus Deus tuus maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te, 3.21.5.
XXIV. 13. Sed ſtatim reddes ei pignus ante Solis occaſum, ut dormiens in veſtimento ſuo benedicat tibi, & habeas juſtitiam coram Domino Deo tuo, 3.17.7.
XXVI. 18. En, Dominus elegit te hodie, ut ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius, 2.3.4.
XXVII. 26. Maledictus qui non permanet in ſermonibus Legis hujus, nec eos opere perficit, 2.7.3. & 2.7.15. & 2.18.8. & 3.11.19. & 3.12.1. & 3.14.13. & 3.17.1. & 3.17.9.
XXVIII. 1. Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque cuſtodias omnia mandata ejus quæ ego præcipio tibi hodie: faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus quæ verſantur in terra, 1.17.2. & 2.5.10.
2. Venientque ſuper te univerſæ benedictiones iſtæ, & apprehendent te, ſi tamen præcepta ejus audieris, 2.8.4.
12. Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ, &c. 1.16.5.
29. Omnique tempore calumniam ſuſtineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te, 4.20.25.
36. Ducetque te Dominus, & Regem quem conſtitues ſuper te, in gentem quam ignoras tu, & patres tui, &c. 2.11.1.
65. Dabit enim tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore, 2.4.8.
XXIX. 2. Vos vidiſtis univerſa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti, &c. 2.2.20.
4. Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ poſſint audire, uſque in præſentem diem, 2.2.20.
18. Ne forte ſit inter vos vir aut mulier, familia, aut tribus, cujus cor averſum eſt hodie à Domino Deo noſtro, ut vadat & ſerviat, &c. 3.17.5.
19. Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat ſibi in corde ſuo, dicens, Pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei, & aſſumat ebria ſitientem, 3.17.5.
20. Et Dominus non ignoſcat ei, ſed tunc, quam maxime furor ejus fumet, & zelus contra hominem illum: & ſedeant ſuper eum omnia maledicta quæ ſcripta ſunt in hoc volumine, &c. 3.3.7.
29. Abſcondita, Domino Deo noſtro: quæ manifeſta ſunt, nobis & filiis noſtris uſque in ſempiternum, ut faciamus univerſa Legis hujus, 1.17.2. & 3.21.3.
XXX. 2. Et reverſus fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis, ſicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, &c. 3.3.6.
3. Reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua, ac miſerebitur tui, & rurſum congregabit te de cunctis populis in quos te ante diſperſit, 4.1.40.
6. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum, &c. 2.5.8. & 2.5.13. & 3.3.6. & 4.16.3.
10. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris præcepta ejus, & ceremonias, quæ in hac Lege præſcripta ſunt, &c. 1.7.3.
11. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, 2.7.5. & 2.15.12.
12. Nec in cælo ſitum ut poſſis dicere, Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? 1.7.5. & 2.17.2.
13. Neque trans mare poſitum: ut cauſeris, & dicas, Quis è nobis poterit tranſfretare mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire? 2.17.2. & 2.5.12.
14. Sed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo & in corde tuo ut facias illum, 2.17.2. & 2.5.12. & 3.24.3.
15. Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum, 3.17.1.
19. Teſtes hodie invoco cælum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & bonum, benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum, 2.5.4. & 2.7.2.
XXXII. 5. Peccaverunt ei, & non filii ejus in ſordibus, generatio prava atque perverſa, 1.8.6.
8. Quando dividebat Altiſſimus gentes? quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, &c. 2.11.12. & 3.22.5.
15. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit. Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, &c. 3.8.3.
17. Immolaverunt dæmoniis & non Deo, 4.15.17.

22. Ipſi

I N D E X.

21. Ipſi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, 1. 13. 25.
35. Mea eſt ultio, & ego retribuam, &c. 2. 8. 56. & 4. 20. 19.
46. Ponite corda veſtra in omnia verba mea quæ ego teſtificor vobis hodie, ut mandetis ea filiis veſtris, cuſtodire & facere, & implere univerſa quæ ſcripta ſunt in volumine legis hujus, 2. 7. 13.
XXXIII. 3. Omnes Sancti in manu illius ſunt, 2. 10. 9.
29. Beatus es tu Iſraël, quis ſimilis tui, popule, qui ſalvaris in Domino, &c. 2. 10. 8.
XXXIV. 5. Mortuuſque eſt ibi Moſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino, 4. 6. 11.

JOSUE.

I. 7. NE declines ab ea ad dexteram vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis, 4. 9. 12.
8. Non recedat volumen Legis hujus ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, &c. 4. 8. 12.
II. 2. Qui pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieverunt apud eam, 3. 24. 11.
9. Et ait Rahab: Novi quod Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ.
11. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum, Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum, 2. 4. 6.
V. 14. Sum Princeps exercitus Domini, 1. 14. 5.
VII. 19. Et ait Joſue ad Achan, Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atque indica mihi quid feceris, 2. 8. 24.
X. 13. Steteruntque Sol & Luna, &c. 1. 16. 2.
XI. 20. Domini enim ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſraël, 1. 18. 2.
XXIV. 2. Trans fluvium habitaverunt patres ab initio, Thare pater Abraham & Nachor: ſervieruntque diis alienis, 1. 11. 8. & 3. 24. 8.
3. Tuli ergo patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaan, &c. 3. 24. 8.

JUDICES.

II. 1. AScenditque Dominus de Galgalis ad locum flentium, &c. 1. 14. 6.
18. Quumque Dominus Judices ſuſcitaret in diebus eorum, flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium, 3. 3. 25. & 3. 20. 15.
19. Poſtquam autem mortuus eſſet judex revertebantur, & multo faciebant pejora quam fecerant patres eorum, ſequentes deos alienos, 3. 3. 25.
III. 9. Et exclamaverunt ad Dominum, qui ſuſcitavit eis Salvatorem, & liberavit eos, 3. 20. 15. & 4. 20. 30.
12. Addiderunt autem filii Iſraël facere malum in conſpectu Domini, 3. 20. 15.
15. Et poſtea clamaverunt ad Dominum: qui ſuſcitavit eis Salvatorem Aod inclytum, filium Gera. 3. 20. 15.
VI. 11. Venit autem Angelus Domini & ſedit ſub quercu, 1. 14. 6.
14. Reſpexitque ad eum Dominus, & ait. Vade in hac fortitudine tua: & liberabis Iſraël de manu Madian, 1. 13. 10. & 1. 14. 5.
34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut ſequeretur ſe, 1. 2. 17.
37. Ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, &c. 4. 14. 12.
VIII. 27. Fecitque ex eo Gedeon Ephod & poſuit illud in civitate ſua Ephra, fornicatuſque eſt omnis Iſraël in eo, & factum eſt Gedeoni & omni domui ejus in ruinam, 4. 10. 25.
IX. 20. Sin autem perverſe, egrediatur ignis ex Abimelech, & conſumat habitatores Sichem, & oppidum Mello, &c. 3. 20. 15.
XI. 30. Votum vovit Domino Jephte dicens, Si tradideris filios Ammon in manus meas, &c. 4. 13. 3.
XIII. 10. Ecce apparuit mihi vir quem ante videram, 1. 14. 6.
16. Cui reſpondit Angelus, Si me cogis non comedam panes tuos: ſi autem vis holocauſtum facere, offer illud Domino, 1. 13. 10.
18. Cur quæris nomen meum quod eſt mirabile? *ibid.*
19. Tulit itaque Manue hœdum de capris & libamenta poſuit ſuper petram, offerens Domino, 4. 10. 25.
22. Morte moriemur, quia vidimus Dominum, 1. 1. 3. & 1. 13. 10. & 1. 14. 5.
23. Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum & libamenta non ſuſcepiſſet, &c. 1. 13. 10.
XVI. 28. At Samſon, invocato Domino, ait: Domine Deus meus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam, ut ulciſcar me de hoſtibus meis, 3. 20. 15.
XXI. 25. In diebus illis non erat Rex in Iſraël, ſed unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat, 4. 20. 9.

RUTH.

III. 13. SIn ille noluerit te retinere, ego te abſque ulla dubitatione ſuſcipiam, vivit Dominus, 4. 8. 9.

I. SAMUEL.

I. 13. POrro Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur. Æſtimavit ergo eam Heli temulentam, 3. 20. 33.
II. 6. Dominus mortificat & vivificat: deducit ad inferos & reducit, 3. 20. 32.
9. Pedes Sanctorum ſuorum ſervabit & impii in tenebris conticeſcent, 2. 2. 18.
10. Et dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui, 2. 6. 2.
25. Et non audierunt vocem patris ſui, quia voluit Dominus occidere eos, 1. 18. 1, 3. & 3. 24. 14.
34. Hoc autem erit tibi ſignum quod venturum eſt duobus filiis tuis Ophni & Phinees: in die uno morientur ambo, 1. 13. 2.
VI. 9. Et aſpicietis: & ſiquidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit malum hoc nobis grande, &c. 1. 16. 8.
VII. 3. Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio veſtri, Baalim & Aſtaroth, & præparate corda veſtra Domino, &c. 3. 3. 5.
6. Et jejunaverunt in die illa atque dixerunt ibi, Peccavimus Domino, &c. 4. 12. 17.
17. Ædificavit etiam ibi altare Domino, 4. 10. 25.
VIII. 7. Non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos, 4. 20. 7.
11. Hoc erit jus Regis qui imperaturus eſt vobis, filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, &c. 4. 20. 16.
X. 6. Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium, 2. 2. 17. & 2. 3. 4.
9. Itaque cum avertiſſet humerum ſuum ut abiret à Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia ſigna hæc in die illo, 3. 2. 33.
26. Saul abiit in domum ſuam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda, 2. 2. 17.
XI. 6. Et inſiliit Spiritus Domini in Saul, cum audiſſet verba hæc, 2. 4. 6.
15. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino, &c. 2. 8. 7.
XII. 22. Et non derelinquet Dominus populum ſuum, propter nomen ſuum magnum, quia juravit Dominus facere vos ſibi populum, 3. 21. 5.
XIV. 44. Et ait Saul, hæc faciat mihi Deus & hæc addat, quia morte morieris Jonathan, 2. 8. 24.
XV. 11. Pœnitet me quod conſtituerim Saul Regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit: Contriſtatuſque eſt Samuel, & clamavit ad Dominum tota nocte, 1. 17. 12. & 3. 20. 15.
22. Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quam victimæ, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum, 4. 10. 17. & 4. 18. 9.
23. Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Pro eo ergo quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus, ne ſis Rex, 4. 19. 17. & 3. 4. 33. & 3. 22. 6.
29. Porro triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitentia non flectetur: neque enim homo eſt ut agat pœnitentiam, 1. 17. 12.
30. At ille ait, Peccavi: ſed nunc honora me coram Senioribus populi mei, &c. 3. 3. 4.
35. Veruntamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quod conſtituiſſet Regem Saul ſuper Iſraël, 3. 20. 15.
XVI. 1. Dixitque Dominus ad Samuelem: uſquequo tu luges Saul, quum ego projecerim eum ne regnet ſuper Iſraël, 3. 20. 15. & 1. 22. 6.
13. Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus. 2. 3. 7. & 2. 2. 17.
14. Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino, 1. 14. 17. & 2. 4. 5.
XVIII. 10. Poſt diem autem alteram, invaſit ſpiritus Dei malus Saul, 1. 14. 17. & 2. 4. 5.
XIX. 9. Et factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul: ſedebat autem in domo ſua, & tenebat lanceam, &c. 2. 4. 5.
XXIII. 26. Et ibat Saul & viri ejus ad latus montis ex parte una, David autem & viri ejus erant in latere montis,
27. Et nuncius venit ad Saul dicens, feſtina, & veni quoniam infuderunt ſe Philiſthiim ſuper terram, 1. 16. 9.
XXIV. 7. Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum qui Chriſtus Domini eſt, 4. 20. 18.
11. Sed pepercit tibi oculus meus: dixi enim, non extendam manum meam in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt, *ibid.*
XXVI. 9. Et dixit David ad Abiſai, ne interficias eum: quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit, *ibid.*
12. Omnes dormiebant, quia ſopor Domini irruerat ſuper eos, 1. 18, 2.
23. Dominus retribuet unicuique ſecundum juſtitiam ſuam & fidem: tradidit enim te Dominus in manum meam, &c. 3. 17. 14.
XXXI. 13. Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Jabes, & jejunaverunt ſeptem diebus, 4. 12. 17.

II. SAMUEL.

V. 8. IDcirco dicitur in proverbio, Cæcus & claudus non intrabunt in templum, 4. 16. 31.
VII. 14. Ego ero ei in patrem & ipſe erit mihi in filium: qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, 3. 4. 32.
27. Quia tu Domine exercituum Deus Iſraël revelaſti in aurem ſervi tui, dicens, domum ædificabo tibi, &c. 3. 20. 13.
28. Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locutus es enim ad ſervum tuum bona hæc. 3. 20. 14.
X. 12. Eſto vir fortis, & pugnemus pro populo noſtro, & civitate Dei noſtri, Dominus autem faciet quod bonum eſt in conſpectu ſuo, 1. 17. 9.
XI. 4. Miſſis itaque David nunciis, tulit eam, quæ cum ingreſſa eſſet ad illum, dormivit cum ea, 4. 1. 20.
15. Scripſit autem in epiſtola, Ponite Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium, & derelinquite eum ut percuſſus intereat, *ibid.*
XII. 12. Tu feciſti abſcondite: ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, 1. 18. 1.
13. Et dixit David ad Nathan, Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris, 3. 3. 4. & 3. 4. 10. & 3. 4. 31. & 4. 2. 24.
14. Veruntamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini: propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi morte morietur, 3. 4. 31.
XVI. 10. Dominus præcepit ei ut malediceret David: & quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit, 1. 17. 8. & 1. 18. 4.
22. Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui, coram univerſo Iſraël, 1. 18. 1. & 1. 18. 4.
XVII. 7. Et dixit Chuſai ad Abſalom, Non eſt bonum conſilium quod dedit Achitophel hac vice, 1. 27. 7.
14. Domini autem nutu diſſipatum eſt conſilium Achitophel utile, ut induceret Dominus ſuper Abſalom malum, 1. 27. 7. & 1. 4. 6.
XXII. 20. Et eduxit me in Latitudinem: liberavit me, quia complacui ei, 3. 17. 5.
21. Retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum munditiam manuum mearum reddidit mihi, *ibid.*
XXIV. 1. Et addidit furor Domini iraſci contra Iſraël, commovitque David in eis dicentem ad Joab, Vade numera Iſraël & Juda, 1. 14. 18.
10. Percuſſit autem cor David eum, poſtquam numeratus eſt populus: & dixit David ad Dominum, Peccavi valde in hoc facto, &c. 3. 3. 4.
20. Et egreſſus adoravit Regem prono vultu in terram, 1. 11. 3.

I. REGUM.

I. [illegible] INclinavit ſe Bethſabee, & adoravit Regem. 1. 12. 3.
21. Eritque cum dormierit Dominus meus Rex cum patribus ſuis, erimus ego & filius meus peccatores, 3. 12. 3.
II. 5. Tu quoque noſti quæ fecerit mihi Joab filius Serviæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Iſraël, &c. 4. 20. 10.
6. Facies ergo juxta ſapientiam tuam, & non deduces caniciem ejus pacifice ad inferos, *ibid.*
8. Habes quoque apud te Semei filium Gera filii Gemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione peſſima, &c. *ibid.*
VIII. 23. Domine Deus Iſraël, non eſt ſimilis tui Deus: qui cuſtodis pactum & miſericordiam ſervis tuis qui ambulant coram te in toto corde ſuo, 3. 17. 5.
46. Quod ſi peccaverit tibi (non eſt enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis ſuis, &c. 3. 7. 5. & 3. 24. 9. & 4. 1. 13.
47. Et egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captivitatis, &c. 4. 1. 25.
58. Sed inclinet corda noſtra ad ſe, ut ambulemus in univerſis viis ejus, & cuſtodiamus mandata ejus, & ceremonias ejus, & quæcunque judicia mandavit patribus noſtris, 2. 3. 9.
XI. 11. Veruntamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum, de manu filii tui ſcindam illud. 2. 6. 7.
19. Suſcitavit ei quoque Deus adverſarium, &c. 1. 19. 3.
31. Ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus, 1. 28. 1.
34. Nec auferam omne regnum de manu ejus, ſed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ ſuæ, propter David ſervum meum, &c. 2. 6. 2.
39. Et affligam ſemen David ſuper hoc, verumtamen non omnibus diebus, *ibid.*
XII. 10. Et dixerunt ei juvenes qui cum eo nutriti fuerant, Sic loquere populo huic, &c. 1. 17. 7.
15. Et non acquievit Rex populo: quoniam averſatus fuerat eum Dominus, &c. 1. 17. 7. & 1. 18. 4. & 2. 4. 6.
20. Nec ſecutus eſt quiſquam domum David præter tribum Juda ſolam, 2. 19. 4.
28. Et excogitato conſilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis, Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem. Ecce Dii tui Iſraël qui te eduxerunt de terra Ægypti, 4. 2. 8.

30. Et

I N D E X.

30. Et factum eſt verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum uſque in Dan, 4. 10. 32.
31. Et fecit fana in excelſis, & Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi, 4. 8. 9.
XV. 4. Sed propter David, dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Jeruſalem, ut ſuſcitaret filium ejus poſt eum, & ſtatueret Jeruſalem. 8. 6. 2.
XVIII. 10. Vivit Dominus Deus tuus, non eſt gens aut regnum in quo non miſerit Dominus meus, &c. 2. 8. 17.
41. Et ait Elias ad Achab, Aſcende & comede & bibe, quia ſonus multæ pluviæ eſt, 8. 20. 3.
42. Elias autem aſcendit in verticem Carmel & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua, ibid.
43. Et dixit ad puerum ſuum, Aſcende, & proſpice contra mare: qui quum aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait, Non eſt quicquam. & rurſum ait illi, Revertere ſeptem vicibus, ibid.
XIX. 8. Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb. 4. 12. 20.
13. Fuitque ut audiens Elias obvolveret faciem ſuam, &c. 2. 1. 3.
18. Dereliqui mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, 4. 1. 2.
XXI. 12. Prædicaverunt jejunium, & ſedere fecerunt Naboth inter primos populi, 4. 12. 17.
28. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam Theſbyten, 3. 3. 25.
29. Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus, &c. 3. 3. 23. & 3. 20. 15.
XXII. 6. Congregavit ergo Rex Iſrael quadringentos circiter Prophetas, 4. 9. 6.
21. Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait, Ego decipiam. Cui locutus eſt Dominus, in quo? 1. 14. 17. & 1. 17. 7. & 1. 18. c.
22. Et ille ait, Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus, 4. 9. 6.
27. Hoc dicit Rex, Mittite virum iſtum in carcerem, & ſuſtentate eum pane tribulationis & aqua anguſtiæ donec revertar in pace, ibid.

II. R E G U M.

V. 17. DIxitque Naaman, Ut vis: ſed obſecro concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum mulorum de terra: non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum, aut victimam diis alienis niſi Domino, 3. 8. 38.
18. Hoc autem ſolum eſt de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo, quando ingredietur Dominus templum, &c. ibid.
19. Qui dixit ei, Vade in pace: abiit ergo ab eo electo tempore, ibid.
VI. 15. Heu heu Domine mi, quid faciemus? 1. 14. 11.
16. Cui reſpondit ille, plures nobiſcum ſunt, quam cum illis.
17. Domine aperi oculos pueri hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſei, 1. 14. 7. & 1. 14. 8. & 1. 14. 11.
31. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi ſteterit caput Eliſei filii Saphat ſuper ipſum hodie, 2. 8. 24.
X. 7. Quumque veniſſent literæ ad eos, tulerunt filios Regis, & occiderunt ſeptuaginta viros, &c. c. 18. 4.
10. Videte ergo nunc quoniam non cecidit de ſermonibus Domini in terram, quos locutus eſt Dominus, &c. ibid.
XVI. 10. Quumque vidiſſet altare Damaſci, miſit Rex Achaz ad Uriam Sacerdotem exemplar ejus, & ſimilitudinem juxta omne opus ejus, 4. 10. 23.
XVII. 24. Adduxit autem Rex Aſſyriorum viros de Babylone, & de Cutha, &c. ibid.
25. Quumque ibi habitare cœpiſſent, non timebant Dominum: & immiſit eis Dominus leones qui interficiebant eos, 4. 18. 23.
32. Et nihilominus colebant Dominum, fecerunt autem ſibi de noviſſimis Sacerdotes excelſorum, &c. 3. 2. 13. & 4. 10. 23. & 4. 11. 22.
33. Et quum Dominum colerent, diis quoque ſuis ſerviebant juxta conſuetudinem Gentium, de quibus tranſlati fuerant Samariam, 3. 2. 13.
34. Uſque in præſentem diem morem ſequuntur antiquum: non timent Dominum, neque cuſtodiunt ceremonias ejus, &c. ibid.
XIX. 4. Et fac orationem pro reliquiis quæ repertæ ſunt, 3. 20. 14.
35. Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia, 1. 14. 6.
XX. 1. Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives, 1. 17. 12.
2. Tunc Ezechias convertit faciem ſuam ad parietem, & oravit Dominum, 3. 3. 4.
3. Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim, 3. 14. 19. & 3. 20. 10.
5. Ecce ſanavi te, die tertio aſcendes in templum Domini. 1. 17. 12.
9. Hoc erit ſignum à Domino. Vis ut aſcendat umbra decem lineis aut ut revertatur totidem gradibus? 4. 14. 18.
11. Invocavit Jeſaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus deſcenderat in horologio Achaz, 1. 16. 2.
XXI. 4. Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus, in Jeruſalem ponam nomen meum, 3. 10. 23.
16. Inſuper & ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleretur Jeruſalem uſque ad os, &c. 3. 24. 11.
XXII. 2. Fecitque Joſias, quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David patris ſui non declinavit ad dextram ſive ad ſiniſtram, 4. 10. 23.
8. Dixit autem Helcias Pontifex ad Saphan ſcribam, Librum legis reperi in domo Domini: deditque Helcias volumen Saphan ſcribæ, qui & legit illud, 1. 8. 9.

I. P A R A L I P.

XXVIII. 2. ET ſcabellum pedum Domini Dei noſtri, 4. 1. 3.

II. P A R A L I P.

XIX. 6. VIdete aut quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium: ſed Domini, 4. 20. 4. & 4. 20. 6.
XXXIV. 15. Et ait ad Saphan ſcribam, Librum legis inveni in domo Domini. Et tradidit ei, At ille intulit Volumen ad Regem, &c. 1. 8. 9.

N E H E M I A S.

I. 4. QUumque audiſſem verba hujuſcemodi, ſedi & flevi, & luxi diebus multis, & jejunabam, & orabam ante faciem Dei cæli, 4. 18. 16.
5. Quæſo Domine Deus cœli fortis, magne atque terribilis, qui cuſtodis pactum, & miſericordiam cum iis qui te diligunt, &c. 1. 17. 5.
7. Vanitate ſeducti ſumus, & non cuſtodivimus mandatum tuum, & ceremonias, & judicia quæ præcepiſti Moſi ſervo tuo, 3. 4. 18.
IX. 3. Erecti in ſtatione ſua legerunt in libro legis Jehovæ Dei ſui, per quadrantem diei, & per quadrantem, &c. 3. 4. 11.
14. Et Sabbathum ſanctificatum tuum oſtendiſti eis, 8. 8. 29.

J O B.

I. 6. QUadam autem die quum veniſſent filii Dei ut aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan, 1. 14. 17. & 1. 14. 19. & 1. 18. 1. & 1. 14. 3.
12. Dixit ergo Dominus ad Satan, Ecce univerſa quæ habet, in manu tua ſunt, tantum in eum ne extendas manum tuam, 1. 17. 7.
17. Sed & illo loquente venit alius, & dixit, Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaſerunt camelos, & tulerunt eos, nec non pueros percuſſerunt gladio, & ego fugi ſolus, ut nunciarem tibi, 8. 4. 2.
21. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum, 1. 17. 8. & 1. 18. 1. & 1. 18. 3. & 2. 4. 2.
II. 1. Venit quoque Satan inter eos ut ſtaret in conſpectu Domini, 1. 14. 17. & 1. 14. 19. & 1. 18. 1.
IV. 17. Numquid homo Dei comparatione juſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir, 3. 12. 3.
18. Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem, 3. 12. 1. & 3. 17. 9.
19. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea, 1. 15. 2. & 1. 13. 8. & 3. 12. 1.
V. 17. Beatus homo qui corripitur à Deo increpationem ergo Domini ne reprobes, 3. 4. 32.
IX. 2. Vere ſcio quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo compoſitus Deo, 3. 12. 2.
4. 5. Eſt ſapiens animo & fortis viribus, &c. Reſiſtit montes ut non animadvertat homines, ſubvertit eos in ira ſua, &c. c. 1. 3.
20. Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendere, pravum me comprobabit, 3. 12. 3.
X. 15. Et ſi impius fuero, væ mihi eſt, & ſi juſtus, non levabo caput, ſaturatus afflictione & miſeria, 1. 14. 16.
XII. 18. Balteum Regum diſſolvit, & præcingit fune renes eorum, 4. 20. 28.
20. Commutat Deus labium veracium, & doctrinam Senum aufert. 2. 4. 4.
XIII. 15. Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo, 2. 10. 19. & 3. 2. 21.
XIV. 4. Quis poteſt facere mundum de immundo, nonne tu qui ſolus es? 8. 1. 3. & 3. 18. 3.
5. Breves dies hominis ſunt, menſium numerus apud te eſt, conſtituiſti terminos ejus qui præteriri non poterunt, 1. 16. 9.
17. Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam, 3. 4. 29.
XV. 15. Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, & cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus, 3. 12. 1.
16. Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit, quaſi aquam, iniquitatem, 3. 12. 1.
XIX. 25. Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, 2. 10. 19. & 3. 25. 4.
26. Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, 8. 10. 19.
27. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius, &c. ibid.
XXI. 13. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, 2. 10. 17.
XXV. 5. Ecce luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus, 3. 12. 1.
XXVI. 14. Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum ejus: & cum vix parvam ſtillam ſermonis ejus audierimus, quis poterit tonitru magnitudinis illius intueri, 1. 17. 2.
XXVIII. 12. Sapientia vero ubi invenitur, & quis eſt locus intelligentiæ? ibid.
21. Abſcondita eſt ab oculis omnium viventium, volucres quoque cœli latet, ibid.
23. Deus intelligit viam ejus, & ipſe novit locum ejus, ibid.
28. Et dixit homini, Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo intelligentia, 1. 17. 2. & 3. 8. 16.
XXXIV. 30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi, 4. 20. 25.
XXXVI. 27. Qui aufert ſtillas pluviæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum, 1. 15. 5.
XLI. 2. Et quis ante dedit mihi, & reddam ei? omnia quæ ſub cœlo ſunt mea ſunt, 3. 14. 3.

P S A L M O R U M.

I. 1. BEatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, 3. 17. 10.
2. Sed in Lege Domini voluntas ejus, & in Lege ejus meditabitur die ac nocte, 8. 7. 13.
II. 2. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſum Chriſtum ejus, 2. 16. 3.
3. Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum, ibid.
4. Qui habitat in cœlis irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos, 1. 5. 1. & 2. 16. 3.
8. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, 2. 11. 11.
9. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos, 8. 13. 3. & 4. 1. 19.
12. Apprehendite diſciplinam: ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta, 2. 6. 2. & 4. 20. 5. & 4. 20. 29.
III. 6. Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi: quia Dominus ſuſcepit me, 3. 2. 37.
IV. 7. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine, 1. 11. 4.
V. 4. 5. Mane aſtabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, 3. 20. 28.
8. Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam: adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo, 3. 8. 23. & 3. 20. 11.
VI. 2. Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me, 3. 4. 32.
VII. 7. Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum, &c. 3. 20. 13. & 3. 17. 17.
9. Judica me Domine ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me, 3. 17. 14.
VIII. 3. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, 1. 16. 3.
5. Quid eſt homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum? 1. 5. 3. & 2. 13. 2.
IX. 11. Et ſperent in te qui noverunt nomen tuum, 3. 8. 23.
X. 11. Dixit enim in corde ſuo, Oblitus eſt Deus, avertit faciem ſuam ne videat in finem, 1. 4. 2.
XI. 4. Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus, in cœlo ſedes ejus, 1. 3. 2.
XII. 3. Vana loquuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa, &c. 4. 14. 8.
7. Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum, 2. 8. 15.
XIV. 1. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, 1. 4. 2.
2. Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum, 3. 14. 1.
3. Non eſt qui facit bonum, non eſt uſque ad unum, 2. 3. 2.
XV. 1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? 3. 17. 6. & 3. 24. 3.
2. Qui ingreditur ſine macula & operatur juſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, 3. 6. 2. & 3. 17. 2.
XVI. 2. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, 3. 8. 52.
3. Sanctis qui ſunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis, 1. 11. 14. & 2. 8. 38. & 3. 7. 3.
5. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu, es qui reſtitues hæreditatem meam mihi, 2. 11. 2. & 3. 25. 10.
10. Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, 3. 25. 3.
XVII. 1. Exaudi Domine juſtitiam: intende deprecationi meæ, 3. 17. 14.
3. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas, ibid.
15. Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cum apparuerit gloria tua, 2. 10. 17. & 3. 25. 10.
XVIII. 2. Diligam te Domine fortitudo mea, 3. 20. 28. & 4. 17. 23.
20. Et eduxit me in latitudinem: ſalvum me fecit, quoniam voluit me, 3. 17. 3.
21. Et retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, 3. 17. 5. & 3. 17. 14.
28. Quoniam tu populum humilem ſalvum facies: & oculos ſuperborum humiliabis, 3. 12. 6.
31. Eloquia Domini igne examinata: protector eſt omnium ſperantium in ſe, 1. 2. 15.
XIX. 2. Cœli enarrant gloriam Dei, 1. 5. 1. 1. 6. 4.
8. Lex Domini immaculata convertens animas: teſtimo-

Digitized by Google

ſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis, 1.6.4. & 2.7.12. & 4.8.6.
13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, 3.4.16 & 3.4.8 & 3.17.2.
XX. 4. Memor ſit omnis ſacrificii tui: & holocauſtum tuum pingue fiat. 3.20.18.
10. Domine ſalvum fac Regem, & exaudi nos in die qua invocaverimus te, 2.6.2.
XXII. 2. Deus Deus meus, quare me dereliquiſti? 2.6.11.
5. In te ſperaverunt patres noſtri: ſperaverunt, & liberaſti eos, 3.20.26.
26. Vota mea reddam in conſpectu timentium eum, 4.13.4
XXIII. 4. Nam etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es, 1.17.11. & 3.11.21 & 3.2.28.
6. Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ, 2.3.12.
XXIV. 3. Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? 3.6.2.
4. Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo, ibid.
6. Hæc eſt generatio quærentium eum, 3.24.8.
XXV. 1. Ad te Domine levavi animam meam, 3.20.5.
6. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum quæ à ſeculo ſunt, 3.20.9.
7. Delicta juventutis meæ, & ignorantias ne memineris: ſecundum miſericordiam tuam memento mei tu, 3.3.8. & 3.20.9.
10. Univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas requirentibus teſtamentum ejus, &c. 3.20.7. & 3.17.2.
11. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum enim eſt, 3.17.2.
18. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea, 3.16.9.
XXVI. 1. Judica me Domine: quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, & in Domino ſperans non infirmabor, 3.17.14.
2. Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum, 3.20.46.
6. Odi Eccleſiam malignantium: & cum impiis non ſedebo, 3.17.14.
8. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, 1.11.14.
9. Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris, &c. 3.17.14.
XXVII. 1. Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? 1.17.11.
3. Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum, ibid.
10. Pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me, 3.20.36.
14. Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum, 3.2.37.
XXVIII. 8. Dominus fortitudo plebis ſuæ & protector ſalvationum Chriſti ſui eſt, 2.6.2. & 2.6.3.
XXIX. 3. Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas, 1.6.4.
9. Vox Jehovæ facit ut pariant cervæ, & denudat ſylvas. At in templo ejus quiſque ei loquitur gloriam, 1.6.4.
XXX. 6. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia, 1.10.8.
7. 8. Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum: Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem: Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus, 3.8.2.
XXXI. 2. In te Domine ſperavi, non confundar in æternum: in juſtitia tua libera me, 3.11.12.
6. In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis, 3.20.26.
16. In manibus tuis ſortes meæ, 1.17.11.
23. Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ, Projectus ſum à facie oculorum tuorum, 3.1.16.
XXXII. 1. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata, 3.4.29. & 3.11.11. & 3.14.11. & 3.17.10.
5. Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi, Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, &c. 3.4.9.
6. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno, &c. 3.20.7 & 3.20.26.
XXXIII. 6. Verbo Domini cæli firmati ſunt: & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum, 1.13.13. & 1.16.1.
12. Beata gens cujus eſt Dominus Deus ejus: populus, quem elegit in hæreditatem ſibi, 2.10.8. & 3.2.28. & 3.21.5.
13. De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum, 1.16.1.
18. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus, 3.20.40.
22. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te, 3.20.12.
XXXIV. 7. Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus ſalvavit eum, 3.20.26.
8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos, 1.14.6. & 1.14.8. & 3.20.23.
15. Diverte à malo, & fac bonum, 3.3.8.
16. Oculi Domini ſuper juſtos: & aures ejus in preces eorum, 1.16.7. & 3.20.3. & 3.20.10.
17. Vultus autem Domini ſuper facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum, 1.16.17.
22. Mors peccatorum peſſima, 2.10.14. & 2.10.18.
23. Redimet Dominus animas ſervorum ſuorum, 2.10.16.
XXXVI. 2. Dixit injuſtus ut delinquat in ſemet ipſo, non eſt timor Dei ante oculos, 3.4.2.
5. Quoniam doloſe egit in conſpectu ejus: ut inveniatur iniquitas ejus ad odium, ibid.
6. Domine in cælo miſericordia tua: & veritas tua uſque ad nubes, 3.2.7.
7. Judicia tua abyſſus multa, 1.17.2. & 3.23.3.
10. Apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen, 2.2.20.
XXXVII. 7. Subditus eſto Domino, & ora eum, 3.2.17.
22. Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei diſperibunt, 2.1.2.
XXXVIII. 2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, 3.4.32.
5. Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me, 3.4.16.
XXXIX. 10. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti, 1.17.8.
13. Advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei, 2.10.15.
14. Remitte mihi, ut refrigerer priuſquam abeam, & amplius non ero, 3.20.16.
XL. 4. Et immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro: videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino, 3.20.26. & 3.20.28.
6. Multa feciſti tu Dominus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi, 1.5.9. & 1.17.1.
7. Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfodiſti mihi, 3.22.10.
8. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, 2.16.5.
9. Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, & Legem tuam in medio cordis mei, ibid.
11. Veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Non abſcondi miſericordiam tuam & veritatem tuam à concilio multo, 3.2.7.
12. Miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me, ibid.
XLI. 5. Sana animam meam, quia peccavi tibi, 3.10.23.
XLII. 3. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? 4.17.21.
5. Tranſibam uſque ad domum Dei, in voce exultationis & confeſſionis, &c. 3.4.9.
6. Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, 3.2.16.
XLIII. 5. Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, ibid.
XLIV. 4. Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſalvavit eos: ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis, 3.21.5.
21. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum, 3.20.27.
22. Nonne Deus requiret iſta? ipſe enim novit abſcondita cordis, 3.20.17.
23. Quoniam propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis, 3.21.3.
XLV. 7. Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi: virga directionis, virga regni tui, 1.13.9.
8. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis, 2.15.5. & 4.19.18. & 4.20.10.
15. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis, 1.11.15.
XLVI. 2. Deus noſter refugium & virtus, adjutor in tribulationibus, 3.2.37.
3. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris, ibid.
6. Deus in medio ejus, non commovebitur, 4.1.3.
XLVII. 3. Dominus excelſus, terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram, 1.13.14.
5. Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Jacob quam dilexit, 3.2.15.
XLVIII. 9. Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri: Deus fundavit eam in æternum, 1.21.14.
11. Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ: juſtitia plena eſt dextera tua, 3.20.41. & 4.16.32.
XLIX. 7. Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur, 2.12.17.
8. Frater non redimit: non dabit Deo placationem ſuam, ibid.
11. Cum viderit ſapientes morientes: ſimul inſipiens, & ſtultus peribunt, ibid.
12. Tabernacula eorum in progenie & progenie: vocaverunt nomina ſua in terris ſuis, ibid.
13. Et homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, ibid.
14. Hæc via illorum ſcandalum ipſis: & poſtea in ore ſuo complacebunt, ibid.
15. Sicut oves in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos: & dominabuntur eorum juſti in matutino, ibid.
L. 15. Et invoca me in die tribulationis: & eruam te, & honorificabis me, 3.20.13. & 3.20.28. & 4.17.37.
23. Qui laudem ſacrificat, is me glorificat: & hæc eſt via per quam oſtendam ei ſalutem Dei, 4.8.17.
LI. 3. Miſerere mei Deus pro bonitate tua, &c. 3.4.6.
6. Ut puris agnoſcaris quando judicaveris, 1.12.3. & 3.11.11. & 3.23.2.
7. En ego in iniquitate formatus ſum, & in peccato concepit me mater, 2.1.5. & 3.3.18. & 3.20.9. & 4.16.17.
12. Cor mundum crea mihi Deus, & ſpiritum firmum intra me innova, 2.2.23. & 2.2.27 & 2.3.9.
17. Aperi Domine labia mea, ut os meum laudem tuam prædicet, 3.20.28.
16. Sacrificia Deo ſpiritus contractus: cor contritum & contractum Deus non deſpicies, 3.20.16.
21. Tunc delectaberis hoſtiis, ſacrificio & holocauſto juſtitiæ: tunc vitulos imponent ſuper aram tuam, 4.18.17.
LII. 10. At ego ſimilis oleæ frondoſæ in domo Dei, 4.10.17.
LIII. 2. Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus, 1.4.2.
4. Non eſt qui quod bonum eſt faciat, 2.3.2.
LV. 23. Rejice in Dominum ſarcinam tuam, & ipſe te ſuſfulciet: non permittet in æternum juſtum perpetuo labaſcat, 1.17.6. & 2.10.17.
24. Tu interim, ô Deus, detrudes ſanguinarios iſtos & fraudulentos in puteum interitum, 2.10.17.
LVI. 5. In Deum ſperavi, nihil metuo quod caro mihi faciat, 1.17.13.
10. Quoties te invoco, hoſtes mei retrocedunt, in hoc certus ſio quod tu es Deus meus, 3.20.11.
13. Vota nuncupabo tibi ô Deus, reddam laudes tibi, 4.13.4.
LIX. 11. Bonitas tua, ô Deus meus, anteverterit me: fac Deus optata in hoſtibus meis videam, 2.3.12.
LX. 14. In Deo fortiter faciemus, & ipſe conculcabit hoſtes noſtros, 3.20.46.
LXII. 9. Effundite ante conſpectum ejus cor veſtrum, Deus refugium nobis, 3.20.3.
10. Filii hominum vani ſunt, mendaces filii viri, ſi ſimul ponantur in bilance, ipſa vanitate leviores erunt, 2.3.8.
LXIII. 4. Bonitas tua, ipſa vita optabilior eſt, 3.2.28. & 3.17.14.
LXV. 2. Tibi ô Deus laus in Sion, tibi perſolvetur votum, 3.20.29.
3. Tu exaudis precem: hinc omnis caro ad te venit, 3.20.13.
5. Beatus quem elegeris, quem tibi adhibueris, habitabit ille in atriis tuis, &c. 3.21.5.
LXVIII. 16. Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, 1.13.11.
21. Domino Deo exitus mortis, 3.21.4.
36. Tremendus es, ô Deus, de ſanctuariis tuis, Deus Iſraelis ipſe dat robur populo, 1.11.14. & 4.7.2.
LXIX. 3. Demerſus ſum in limum profundiſſimum, in quo non eſt fundum, &c. 4.7.13.
5. Ut quæ non rapui rependere cogar, 2.16.5.
22. Et dederunt in cibo meo fel: & cum ſitirem, potaverunt me aceto, 4.17.15.
29. Deleantur de libro viventium, & inter juſtos non ſcribantur, 2.10.18. & 3.24.9.
LXXI. 2. Pro tua juſtitia erue me, & libera me, 3.11.12.
LXXII. 8. Imperitet à mari ad mare uſque, & à flumine uſque ad terminos terræ, 2.11.13.
11. Et adorent eum omnes Reges, omnes gentes ſerviant ei, 4.5.17.
LXXIII. 2. Parum abfuit quin nutarent pedes mei, fere effuſi ſunt greſſus mei, 3.9.6.
17. Donec in ſecretiora Dei adyta penetravi, & intellexi ut poſtremo eſſent quique habitemi, 2.10.16. & 3.9.6.
26. Conſumitur caro mea & cor meum: Deus autem eſt petra cordis mei, & portio mea in æternum, 2.13.2.
LXXIV. 2. Memor ſis cœtus tui, quem jam pridem comparaviſti: & ſortis hæreditatis quam vindicaſti: montis Sionis in quo habitare es ſolitus, 3.20.14.
6. Signa noſtra non videmus, nullus ſupereſt propheta: nemoque nobiſcum qui ſciat quouſque tandem, 2.15.1.
LXXV. 7. Nam nec ab Oriente, nec ab Occidente, neque à Meridie exaltatio contingit, 1.16.6.
LXXVII. 10. Oblitus eſtne miſereri Deus, continebitne in ira miſericordias ſuas? 3.2.16.
11. Tandem cogitabam, Næc mea eſt infirmitas, dextra excelſi vices mutat, 3.2.17.
12. Recordabor operum Domini, & mirabilium ejus ab initio, 3.5.3.
LXXVIII. 8. Nec evadant ſimiles patribus ſuis, nationi deficienti & rebelli, nationi quæ recte cor ſuum haudquaquam inſtituit, & cujus ſpiritus nunquam vere Deo credidit, 2.5.8.
36. Ore ſuo blanditi ſunt ei, lingua autem ſua ei mentiebantur, 3.3.25.
37. Cor enim non erat rectum erga illum, nec fidi fuerunt in fœdere ejus, ibid.
49. Immiſit in eos æſtum iræ ſuæ, iniquum, indignationem & anguſtiam, cacodæmonum incurſiones, 1.14.17.
60. Ut deſereret tabernaculum Silo, tentorium in quo inter homines habitabat, 2.6.2.
67. Et repudiavit tentorium Joſeph, & tribum Ephraim non elegit, 2.6.2. & 3.22.6.
70. Et elegit Davidem ſervum ſuum, à caulis ovium tulit eum, 2.6.2.
LXXIX. 9. Auxiliare nobis, ô Deus ſalutis noſtræ, propter gloriam nominis tui, & libera nos, & propitius ſis peccatis noſtris propter nomen tuum, 3.20.14.
13. Et nos populus tuus, & grex paſcuorum tuorum te celebrabimus in ſeculum, & per omne ævum prædicabimus laudes tuas, 3.7.10.
LXXX. 2. Qui inſides Cherubim, affulge, 1.13.24. & 2.8.15 & 4.1.5.
4. Deus reſtitue nos, & fac illuceſcere faciem tuam, & ſalvi erimus, 3.2.28.
5. Domine Deus exercituum, quouſque tandem excandeſces in oratione populi tui? 3.20.16.
18. Sit manus tua cum viro dexteræ tuæ, cum filio hominis quem tibi corroboraſti, 2.6.2.

LXXXI. 11. Ego

I N D E X.

LXXXI. 11. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, 3.2.31.
LXXXII. 1. Deus conſiſtit in cœtu Dei, in medio Deorum Judicem agit, 4.10.4. & 4.20.6. & 4.20.29.
3. Vindicate pauperem & pupillum, afflictum & miſerum abſolvite, 4.20.9.
4. Eripite tenuem, & inopem de manu impiorum liberate, ibid.
6. Equidem dixeram, Vos dii eſtis, & vos omnes filii Excelſi, 1.14.5. & 4.10.4.
LXXXIV. 2. Quam ſunt amabilia ô Domine exercituum, tabernacula tua? 4.1.5.
3. Ardet, & etiam deperit anima mea ad atria Domini, cor meum & caro mea clamant ad Deum vivum, 1.11.2.
8. Ibunt de virtute in virtutem, comparebit quiſque eorum apud Deum in Sion, 4.17.21.
LXXXVI. 2. Cuſtodi vitam meam, quoniam beneficus ſum: ſerva tu Deus ſervum tuum, 3.20.10.
5. Etenim tu Domine bonus es & propitius, ampla bonitate in omnes qui te invocant, 3.2.19.
11. Dirige me Domine in viis tuis, tunc ambulabo in veritate tua: coge pectus meum, ut timeat nomen tuum, 1.9.9.
LXXXVIII. 17. Super me tranſierunt furores tui & terrores tui me confecerunt, 3.4.34.
LXXXIX. 4. Pepigi fœdus cum electo meo, juravi Davidi ſervo meo.
5. Semen tuum in æternum confirmabo, & ſtabiliam ſolium tuum ad omnem poſteritatem, 4.1.27.
31. Si filii ejus Legem meam deſeruerint, & in judiciis meis non ambulaverint, 3.4.31. & 4.1.27.
32. Si ſtatuta mea prophanaverint, & præcepta mea non cuſtodierint, 3.4.32.
33. Prævaricationes eorum virga viſitabo, & iniquitates eorum flagellis, 3.4.32. & 4.1.27.
34. At bonitatem meam non auferam ab eo, nec fallam illi fidem meam, 3.4.32. & 4.1.27.
36. Semel per Sanctuarium meum juravi, haudquaquam Davidem feſellero, 2.15.3.
37. Semen ejus in æternum erit, ſolium ejus coram me ut Sol perſtabit, ibid.
38. Firmum ut Luna manebit, quæ eſt teſtis in æthere teſtis, 2.13.1.
XC. 4. Mille anni coram te ſunt ut dies heſternus qui præteriit, imo ut noctis vigilia, 3.2.42.
7. Etenim ira tua deficimus, & fervente indignatione tua terremur, 3.4.34.
9. Nam cuncti dies noſtri te iraſcente dilabuntur, annos noſtros finimus dicto citius, 3.23.12.
11. Quis vim iræ tuæ novit? ut te quiſque timent, ita in eos indignatio iræ tuæ ſævit, ibid.
XCI. 1. Sedens in abdito Excelſi, ſub umbra Omnipotentis commoratur, 1.17.8. & 3.2.41.
3. Nam is à laqueo venatoris, & à peſte exitiali te liberabit, 1.17.11.
11. Nam Angelis ſuis tua cauſa præcipiet, ut te omnibus viis tuis te cuſtodiant, 1.14.6. & 3.9.42. & 3.20.23.
15. Me invocabit, ideo eum exaudiam, adero ei in afflictione, eripiam eum & glorioſum eum reddam, 3.20.14.
XCII. 6. Quam magna ſunt facta tua, ô Domine, vehementer profunda conſilia tua, 2.10.17.
7. Vir ſtupidus iſtud non cognoſcet, neque ſtultus intelliget, 1.3.10.
13. Juſtus ut palma florebit, & ſicut Cedrus in Libano ſuccreſcet, 2.10.17.
14. Plantati in domo Domini in atriis Dei noſtri florebunt, ibid.
XCIII. 1. Dominus Rex eſt, induit celſitudinem, induit inquam Dominus robur ſeque accinxit: quin & orbis ſic firmatus eſt ut non moveat, 1.6.3.
5. Domum tuam decet Sanctitudo, Domine, in longitudine dierum, 1.6.4.
XCIV. 11. Novit Dominus cogitationes hominum vanas eſſe, 2.2.25. & 3.14.1.
12. Felix vir quem tu, ô Domine, caſtigaveris, & quem in Lege tua inſtitueris, 3.4.34.
19. Pro æſtu multarum cogitationum intra me, recrearunt animam meam conſulationes tuæ, 3.20.7.
XCV. 7. Si hodie voci ejus auſcultaveritis, 3.2.6.
8. Ne induretis cor veſtrum, ut in Meriba, ut in die Maſſa in deſerto, 2.5.11.
XCVI. 10. Dicite in gentibus, Dominus regnat, & orbis firmabitur ne nutat, &c. 1.6.3.
XCVII. 1. Dominus regnat, exultet terra, & inſularum multitudo lætetur, ibid.
7. Procumbite coram eo dii univerſi, 1.13.23. & 1.11.13. & 1.14.9.
10. Cuſtodit Dominus animas Sanctorum ſuorum, eque manu impiorum eos cuſtodit, 2.10.16.
11. Lux ſata eſt juſtis, & iis qui integro ſunt corde lætitia, ibid.
XCIX. 1. Domino regnante, cum tumultu populi concurrant: inſidet Cherubim, terra movatur, 1.6.3. & 1.8.14.
5. Exaltate Dominum Deum noſtrum, & proſternite vos ad ſcabellum pedum ipſius: ſanctus enim eſt, 1.11.3. & 4.1.3.
9. Exaltate Dominum Deum noſtrum, & proſternite vos ad montem Sanctitatis ejus: eſt enim ſacroſanctus Dominus Deus noſter, 1.11.13.
C. 1. Agnoſcite quod Dominus eſt Deus, ipſe nos fecit, & non ipſi nos: ſumus populus ejus, & grex paſcuorum ejus, 2.3.6. & 3.11.3.
CI. 3. Scelus nefarium ante oculos meos quod deſignem, non proponam, defectores odio proſequar, nec unquam mihi adhæreſcent, 4.20.9.
8. Mature perdam omnes impios terræ, ut è civitate omnes facinoroſi exſcindantur, 4.20.10.
CII. 14. Tu itaque exurgens miſereatis ipſius Sion, 1.13.11.
16. Et timebunt gentes nomen Domini, & omnes Reges terræ gloriam tuam, ibid.
18. At rationem habuerit precationis humilium, neque precationem eorum ſpreverit, 3.20.29.
19. Quod quidem literarum monumentis tranſmittetur ad poſteros: & populus qui creabitur, laudabit Deum, ibid.
22. Ut celebrent homines nomen Domini in Sion, & laudem ejus in Jeruſalem, ibid.
26. Nam pridem terræ fundamenta jeciſti, & cæli ſunt opus manuum tuarum, 1.13.11. & 2.10.15.
27. Quæ interibunt, tu autem perſtas: & univerſa ut veſtis veteraſcent, &c. 2.10.15.
28. Verum tu idem es perpetuo, & anni tui non finiuntur, ibid.
CIII. 8. Miſerator & miſericors Dominus: longanimus & multum miſericors, 3.2.29.
17. Domini autem benignitas erga timentes eum, durat ab æterno in ſempiternum tempus, 2.10.13.
20. Prædicate Dominum Angeli ejus, qui pollentes virtute exequimini ejus voluntatem obediendo voci verborum ejus, 1.14.4. & 3.20.43.
CIV. 2. Luce amictus eſt tanquam veſtimento, 1.5.1.
4. Qui legatos ſuos efficit ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem flammantem, 1.16.7.
15. Et vinum quod exhilaret cor hominis, & oleum quod nitidam reddat faciem, 3.10.2.
27. Univerſa autem ex te pendent, ut eis cibum ſuum des ſuo tempore, 1.16.1.
28. Tequa dante colligunt, & te manum aperiente ſatiantur bonis, ibid.
29. Si autem abſcondas faciem tuam, turbantur: ſique ſpiritum eis eripias, exſpirant, & revertuntur in pulverem, ibid.
30. Rurſum animalia creantur, ſi tuum Spiritum mittas, & renovas terræ faciem, ibid.
CV. 4. Quærite Dominum & robur ejus, ſemper faciem ejus quærite, 4.1.5.
6. O ſemen Abrahami cultoris ipſius, filii Jacobi electi ejus, 3.21.5.
25. Vertitque cor eorum in odium ſui populi, ut dolum commolirentur in ſervos ipſius, 1.18.2. & 2.4.4.
CVI. 3. O beatos qui ſervant judicium, & faciunt ſemper quod juſtum eſt, 3.17.10.
4. Memento mei Domine per favorem erga tuum populum: meique rationem habeto per tuam ſalutem. Ut videam bonum electis tuis hominibus paratum, & gaudeam gaudium gentium tuarum, 4.1.4.
12. Tuncque fidem habuerunt verbis ejus, ut decantarent laudem ipſius, 3.20.13.
13. Verum confeſtim obliti ſunt ejus, neque ſuſtinuerunt conſilium ejus, ibid.
31. Quod ei (Phinea) eſt imputatum pro juſtitia ſempi ternis temporibus, 3.17.7. & 3.17.9.
37. Nam filios ſuos & filias ſuas mactaverunt victimas dæmonibus, 4.13.17.
43. Vicibus multis liberavit nos, ipſi autem exacerbaverunt eum conſilio ſuo, & humiliati ſunt propter iniquitatem ſuam, 3.20.13.
46. Et fecit eos gratioſos apud victores ſuos non ſervos, 3.4.6.
47. Serva nos Domine Deus noſter, & congrega nos ex gentibus, ut confiteamur nomini tuo ſanctiſſimo, & celebremus te laudibus tuis, 3.20.28.
CVII. 4. Qui errabant in deſerto, in ſolitudine per itinera, quibus oppidum habitatum non inveniebant, 1.5.8.
6. Clamaverant ad Dominum in periculis ſuis, & eripuit eos ex anguſtiis ipſorum, 3.20.13.
13. Clamaverunt etiam ad Dominum in periculis, qui eripuit eos ex anguſtiis ipſorum, ibid.
16. Quia contrivit valvas æreas, & effregit obices ferreos, 2.16.9.
19. Clamaverunt etiam ad Dominum, &c. 3.20.13.
25. Qui ſuo imperio ciet ventum procelloſum, qui alta fluctus ipſius attollit, 1.16.7.
29. Et ſedata tempeſtate reddit mare tranquillum, ita ut deſinant fluctus quibus jactabantur, ibid.
40. Nam Deus effundit contemptum in Principes, & errare facit eos per vaſtitatem inviam, 1.12.2. & 2.2.17. & 1.4.4.
43. Quiſquis igitur ſapit, cuſtodiet hæc & beneficia Domini conſiderabit, 1.5.7.
CX. 1. Dixit Dominus Domino meo, Sede mihi ad dexteram, donec inimicos tuos ſubdam ſcabellum tuis pedibus, 2.15.3. & 2.16.16.
4. Juravit Dominus, nec pœnitet eum, tu es Sacerdos æternus ritu Melchiſedech, 2.11.4. & 2.15.5. & 4.19.2. & 4.19.18.
6. Judicabit Meſſias in gentibus & omnia plena cadaveribus erunt, quando contundet capita in multis regionibus, 2.15.5.
CXI. 1. Confitebor Domino ex toto corde, in concilio & cœtu proborum, 4.14.8.
2. Magna ſunt Domini facta, quæ inquiruntur ab omnibus qui delectantur ipſis, 1.13.3.
10. Principium ſapientiæ eſt timor Domini, 2.3.4. & 3.3.26.
CXII. 1. Beatus eſt vir qui timet Dominum, & valde præceptis ejus delectatur, 3.17.10.
6. Memoria juſti uſque durabit, 2.10.16.
9. Ejus juſtitia æternum perſtabit, cornuque ejus altum erit cum gloria, ibid.
10. Minimeq; impii aſſequentur quod deſiderant, ibid.
CXIII. 6. Seque demittit ut inſpiciat quæcunque ſunt in cælo & in terra, 1.16.5.
7. Qui erigit tenuem ex pulvere, & pauperem à ſtercore evehit, 1.5.8.
9. Qui ſterilem matremfamilias efficit matrem gaudentem liberis, 1.16.7.
CXV. 3. Atqui Deus noſter in cælo eſt, qui perficit quicquid voluerit, 1.16.3. & 1.18.1. & 1.18.3. & 3.24.13.
4. Simulacra ipſorum ſunt argentea & aurea opus quod manibus hominis producitur, 1.11.4.
8. Quibus ſimiles evadant qui ea faciunt, & quicunque fidit eis, ibid.
CXVI. 1. Diligo Dominum, quandoquidem exaudivit ſupplicem meam vocem, 3.20.28.
7. Revertere anima mea ad locum tuum quietum, quia Dominus in te beneficium contulit, 3.8.17.
12. Quam gratiam referam Domino pro illis omnibus quæ in me contulit beneficiis? 3.20.28.
13. Sumpto calice quo gratias aguntur, pro accepta ſalute, nomen Domini vocabo, ibid.
14. Meaque vota exolvam Domino nunc coram univerſo populo ipſius, 4.13.4.
15. Nam apud Dominum mors benignorum ipſius magni eſt momenti, 3.20.14. & 3.10.18.
18. Mea vota exolvam nunc coram univerſo populo ipſius, 4.13.4.
CXVII. 2. Benignitas ejus erga nos prævollet, & veritas Domini æternum permanet, 3.2.7.
CXVIII. 6. Domino à me ſtante non timebo quod mihi homo inferre conetur, 1.17.11.
18. Probe me caſtigavit Deus, attamen non permiſit ut morerer, 3.4.32.
25. Ah Domine ſerva quæſo, ah Domine da quæſo felicem ſucceſſum, 1.6.2.
26. Optima quæque illi precamur, qui venit in nomine Domini: noſque fauſta imprecamur vobis è domo Domini, ibid.
CXIX. 1. O beatos qui in vita integram iter tenent, incedentes ad præſcriptum legis Domini, 3.17.10.
10. Quem autem te quæram ex toto corde meo, ne ſinas me aberrare à Mandatis tuis, 2.2.23. & 4.14.8.
14. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, magis quam in omnibus divitiis, 3.2.13.
18. Velamen detrahe oculis meis, ut inſpiciam admirabilem ſapientiam quæ recondita eſt in Lege tua, 2.2.21.
34. Docete me ut teneam Legem tuam, & toto corde illam cuſtodiam, 2.2.13.
36. Inclina cor meum ad obteſtationes tuas, & non ad avaritiam, 2.3.9. & 2.5.11.
41. Et obveniant mihi tua beneficia, & ſalus tua ſecundum eloquium tuum, 3.2.31.
43. Et ne omnino eripias ab ore meo verbum veritatis: ſiquidem tua judicia expecto, 3.2.37.
71. Bonum mihi quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas, 3.4.32.
76. Verum obtingat quæſo mihi tua benignitas, quæ me conſoletur ſecundum eloquium tuum, quod ſpem aperuit ſervo tuo, 3.2.4. & 3.20.14.
80. Sit cor meum integrum in tuis decretis, propterea non pudefiam, 2.2.27.
89. Verbum tuum Domine perſtat æternum in cælo, 4.9.6.
103. Quam dulce eſt palato meo eloquium tuum, certe ori meo dulcius melle eſt, 3.2.43.
105. Verbum tuum lucerna eſt pedibus meis, & lux ad iter meum, 1.17.2. & 2.7.12. & 4.9.6.
111. Æterna hæreditas mihi venerunt teſtimonia tua: ſunt enim gaudium cordis mei, 3.2.13.
112. Adjeci animum meum decretis tuis, ut exequar illa in finem uſque, & adeo æternum, 2.3.11.
127. Quamobrem præcepta tua amavi magis, quam aurum, &c. 3.2.13.
133. Formato greſſus meos eloquio tuo, & ne dominetur mihi ulla vanitas, 2.3.9.
CXXI. 4. Ecce non dormiſcet, neque dormitet qui cuſtodit Iſraelem, 1.20.3.
CXXX. 1. Ex profundo malorum te voco Domine, 3.20.4.
3. Si enim iniquitates obſervare velis, ô Deus, Domine quis ſubſiſtet, 3.12.1. & 3.17.14.
4. Verum apud te elementia eſt, & propterea timearis, 3.3.2. & 3.16.3.
CXXXI. 2. Mala ſit mihi ſi non comparavi, & ſimilem judicavi animam meam puero ablactato apud matrem ſuam: eſtque anima mea in me ſimilis puero ablactato, 3.7.9.
CXXXII. 1. Memento Domine omnium quibus afflictus fuit David, 3.20.25.
7. Adeamus tabernacula ejus, & adoremus ſcabellum pedum ejus, 4.1.5.
11. De fructu ventris tui aliquem ſolio tuo imponam, 2.13.3.
13. Dominus elegit Sion, & expetivit eam ſibi ſedem, 4.1.17.
14. Hæc mea eſt requies ſempiterna, hic habitabo quoniam expetivi eam, 4.1.5.
CXXXIII. 3. Quia Dominus mandavit ibi eſſe benedictionem & vitam ſempiternam, 2.11.2.
CXXXV. 15. Simulacra gentium ſunt argentea & aurea, opus quod manibus hominis producitur, 1.11.4.
CXXXVIII. 1. Confitebor tibi toto corde meo, & coram judicibus pſallam tibi, 4.14.9.
2. Confitebor nomen tuum propter benignitatem, & propter veritatem tuam, 3.2.7.
6. Non omittes opera manuum tuarum, 2.24.6.
CXL. 14. Profecto juſti confitebuntur nomini tuo, & probi permanebunt in conſpectu tuo, 2.20.16.
CXLI. 2. Valeat precatio mea pro incenſo ante te, & levatio manuum mearum pro veſpertino ſacrificio, 3.20.14. & 4.18.17.
CXLII. 6. Proinde Domine ad te clamo, ne dico,

Tu

Tu es, meum confugium, & ſors mea in terra viventium, 2. 11. 2.
8. Et ero juſtia vice corona, quia beneficiis me affeciſti, 3. 20. 26.
CXLIII. 2. Ne ambules tamen in jus cum ſervo tuo: nullus enim vivens coram te juſtus eſt, 2. 7. 3. & 3. 22. 1. & 3. 14. 15. & 3. 17. 14. & 3. 20. 8.
5. Recolo tamen tempora ſuperiora, & de omnibus factis tuis commentor, 1. 2. 31.
CXLIV. 15. Beatum populum cui contingit ita vivere: beatum populum cujus Deus eſt Dominus, 2. 10. 8. & 3. 2. 28.
CXLV. 3. Magnus eſt Dominus & impenſe laudandus, cujus magnitudo inveſtigabilis eſt, 1. 3. 9.
5. De majeſtatis gloria tuæ decore, & rebus tuis admirandis diſſeram, ibid.
6. Dominus enim beneficus & miſericors, patiens & magnæ benignitatis, 1. 10. 1. & 3. 10. 9.
9. Bonus eſt Dominus in omnes, & miſericordia ejus ſuperat omnia opera ipſius, 1. 3. 6.
13. Regnum tuum regnum eſt ſempiternum, & Dominium tuum per ſecula univerſa durat, 1. 13. 14.
18. Præſto adeſt Dominus omnibus vocantibus eum, omnibus eum vocantibus cum veritate, 3. 20. 3. & 4. 20. 7. & 3. 10. 14.
19. Facit autem quicquid volent timentes eum, & clamorem eorum exaudit ac ſervat eos, 3. 20. 5. & 3. 20. 13.
CXLVII. 9. Qui dat pecori ſuum paſtum, & pullis corvorum qui eum vocant, 1. 16. 5.
10. Non probat fortitudinem equi, neque delectatur tibiis viri, 2. 2. 10.
20. Non egit ad hunc modum cum omnibus gentibus, neque manifeſtavit eis judicia, 3. 21. 6.

PROVERBIA.

I. 7. Timor Domini, ſcientiæ initium, 3. 2. 26.
II. 21. Recti enim inhabitabunt terram, & integri ſuperſtites in ea erunt, 2. 11. 2.
22. Impii vero e terra exſcindentur, prævaricatores ex ea funditus evellentur, ibid.
III. 11. Caſtigationem Domini cave averſeris, fili mi, neque faſtidias ad increpationem ejus, 3. 4. 32.
12. Quem enim amat Dominus caſtigat, & tanquam pater in filio delectatur, 3. 8. 6.
VIII. 15. Per me regnant Reges, & Principes decernunt juſtitiam, 4. 20. 4. & 4. 20. 7.
22. Dominus poſſedit me initio viæ ſuæ, ante opera ejus tum etiam, 1. 13. 7.
23. Ab æterno ordinata ſum, & ab initio ante terram, ibid.
24. Nondum erant abyſſi quum ego eſſem formata, nondum fontes aquis redundabant, 1. 13. 7. & 1. 14. 8.
IX. 10. Principium ſapientiæ eſt timor Domini, 3. 2. 26.
X. 7. Memoria juſti laudem habet: impiorum vero memoria ſordet, 2. 10. 18. & 3. 17. 13.
12. Odium excitat occaſiones contentionum: ſed dilectio omnes prævaricationes obtegit, 3. 4. 31. & 3. 4. 36.
XII. 14. Quiſque pro operis ſui ratione donabitur, 3. 18. 2.
28. In ſemita juſtitiæ vita eſt, & hæc ipſa ad mortem nequaquam ducet, 3. 17. 13.
XIII. 13. Qui præceptum timet, huic rependetur, 3. 18. 1.
XIV. 21. Qui proximum ſuum contemnit peccat: qui autem afflictis benigne facit beatus eſt, 3. 17. 10.
26. In timore Domini forte eſt aſylum, & filiis quoque ejus erit perfugium, 3. 14. 19.
XV. 3. In omni loco oculi Domini contemplantur malos & bonos, 4. 17. 23.
8. Sacrificium impiorum abominatur Dominus, oratio autem rectorum gratiſſima eſt ei, 3. 14. 8.
XVI. 1. Hominis eſt diſponere cor: à Domino autem eſt reſponſio linguæ, 1. 16. 6.
2. Hominis omnes viæ ſunt mundæ videntur in oculis ſuis: Dominus autem diſponit ſpiritus, 3. 11. 3.
4. Omnia operatur Dominus propter ſe, impium quoque ad diem malum, 3. 23. 6.
6. Beneficentia & fide expiatur iniquitas, & in timore Domini receditur à malo, 3. 4. 31. & 4. 4. 36.
9. Cor hominis deliberat de via ſua: Dominus autem dirigit greſſum ejus, 1. 17. 14.
11. Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt: & opera ejus omnes lapides ſacculi, 1. 16. 6.
12. Impietatem deſignare, abominandum eſſe debet Regibus: juſtitia enim ſolium fultum eſſe oportet, 4. 20. 10.
14. Ira Regis mortis eſt nuntius: ſapiens autem placare illam poterit, 4. 20. 32.
33. In ſinum dejicitur ſors, at omne judicium earum pendet à Domino, 1. 16. 6.
XVII. 11. Rebellis duntaxat malum quærit, hinc crudelis nuntius mittetur contra eum, 4. 20. 10.
15. Ex æquo abominatur Dominus tam eum qui ſceleſtum abſolvit, quam eum qui inſontem damnat.
XVIII. 10. Turris fortiſſima eſt nomen Domini, quo quum currit juſtus extra telorum jactum eſt, 1. 19. 13. & 3. 20. 14.
XIX. 17. Domino fœnerat quiſquis benefacit pauperi, ſecundum beneficium rependetur, 3. 18. 6.
XX. 7. Juſtus ambulat in ſua integritate, liberi ejus poſt ipſum beati, 2. 8. 21.
8. Rex ſedens in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuendo, 4. 20. 10.
9. Quis dicet, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato meo? 3. 13. 3.
12. Aurem auditum, & oculi viſum, ambo hæc fecit Dominus, 1. 4. 7.
20. Qui maledicit patri ſuo aut matri ſuæ, hujus lucerna extinguetur in mediis tenebris, 2. 8. 36.
24. Greſſus viri fortis à Domino, & mortalis quomodo intelligeret viam ſuam? 1. 16. 6.
26. Diſſipat impios Rex ſapiens, & rotam vertit ſuper eos, 4. 20. 10.
XXI. 1. Cor Regis eſt in manu Domini velut rivus aquarum: quocunque volet inclinat illud, 1. 18. 2. & 2. 4. 7. & 4. 20. 9.
2. Sua cuique via recta videtur, 3. 12. 5.
XXII. 2. Dives & Pauper obviaverunt ſibi: utriuſque operator eſt Dominus, 1. 16. 6.
XXIV. 21. Time Dominum fili mi & Regem, 4. 20. 22.
24. Qui dicit impio, Juſtus es, hunc maledicent populi, hunc nationes deteſtabuntur, 4. 20. 10.
XXV. 2. Gloria Dei eſt celare verbum; at gloria Regum, eſt ſcrutari verbum, 3. 21. 3.
4. Aufer rubiginem ab argento, jam exibit excoctori vas. Auferetur impius à conſpectu Regis, jam thronus ejus juſtitia firmus erit, 4. 20. 10.
21. Si eſuriat qui te odit, ciba illum pane: ſi ſitierit, pota eum aqua, 2. 8. 36.
27. Quemadmodum multum mellis edere non eſt bonum, ſic qui gloriam ſcrutatur opprimetur à gloria, 3. 21. 2.
XXVI. 10. Egregius aliquis ac magnus vir conficit per ſe omnia: ſtultus autem mercede conducit tranſgreſſores, 3. 23. 4.
XXVIII. 2. Propter prævaricationem eorum qui in terra habitant, fit ut alii ſubinde imperent, 4. 20. 28.
14. Beatus eſt homo qui jugiter pavet, qui autem cor ſuum obdurat, corruet in malum, 2. 3. 23.
XXIX. 13. Pauper & fœnerator inter ſeſe convenerunt: utriuſque autem oculos Dominus illuſtrat, 1. 16. 6.
XXX. 4. Quod nomen eſt ejus, & quod nomen filii ejus, ſi noſti? 2. 14. 7.
5. Omnis ſermo Dei purgatus eſt, ſcutum his qui eo nituntur, 3. 2. 13.
6. Ne addas ſermonibus ejus, ne te redarguat & mendax inveniaris, 4. 10. 17.

ECCLESIASTES.

II. 11. ET converſus ſum ad omnia opera mea quæ peregerant meæ manus, & ad laborem quem pertuli; & ecce omnia inanitas & animi moleſtia, 2. 2. 12.
III. 19. Eadem enim ſolent hominibus & brutis animantibus evenire, & qualis eſt mors unius, talis eſt mors alterius, & ſpiritus idem omnibus ineſt, nec habet homo quicquam præſtantius pecore: ſiquidem omnia ſunt inanitas, 3. 2. 32.
21. Quis autem ſcit an ſpiritus hominum ſurſum aſcendat? & ſpiritus pecoris deorſum in terram deſcendat? 3. 23. 3.
VII. 30. Deus hominem probum condidit: ipſi autem plures jam facti cogitationes vanas perſecuti ſunt, 2. 1. 10. & 2. 5. 18.
IX. 1. Homo pariter odium & amorem ignorat eorum quæ ſibi ſunt propoſita, 3. 2. 38. & 3. 1. 4.
2. Omnibus eadem prorſus uſu veniunt juſto & impio, &c. 1. 16. 9.
4. Canis vivens præſtat leoni mortuo, 3. 23. 5.
5. Qui vivunt ſciunt ſe morituros eſſe: at mortui prorſus nihil noverunt, &c. 3. 20. 24.
6. Tum amor ipſorum, tum odium ipſorum, tum invidia ipſorum jam abolita eſt, nec amplius habent ſortem in mundo ex omni eo quod eſt ſub Sole, ibid.
XII. 7. Et revertetur pulvis in terram ſuam: Et ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum, 1. 15. 2. & 2. 13. 5.

CANTICUM CANTICORUM.

II. 14. OStende mihi faciem tuam: ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora, 1. 11. 14.
V. 3. Exui meam tunicam, & quomodo rurſum induam illam, lavi pedes meos & quomodo coinquinabo eos? 1. 16. 4.

ESAIAS.

I. 5. AD quid percutiemini ultra, addituri ſcilicet defectionem? omne caput languet, & omne cor mœret, 3. 4. 33.
10. Audite verbum Domini tyranni Sodomorum, auſculta & tu Gomorrhæ plebs Legem Domini, 4. 1. 18.
12. Quis poſtulavit id à manu veſtra? 3. 14. 13.
13. Ne ultra afferatis fruſtraneum munus, incenſum res eſt mihi abominanda, neomenias, Sabbathum veſtrum defeſſus ſum ferendo, &c. 2. 8. 14. & 3. 14. 8.
14. Neomenias veſtras & ſtatas ferias ex animo odi, laſſum reddunt me, 4. 1. 10.
15. Et quum expanderitis manus veſtras, abſcondam oculos meos à vobis, etiamſi multiplicaveritis orationem, haudquaquam exaudiam, nam manus veſtræ plenæ ſunt ſanguinibus, 3. 20. 7.
16. Auferte malitiam, 3. 3. 8.
17. Diſcite benefacere, ſuſcitemini judicium, erigite oppreſſum, jus dicite pupillo, cauſam viduæ ſuſcipite, 2. 8. 52. & 3. 3. 8.
18. Si peccata veſtra fuerint ut coccus, niva reddentur albiora: ſi rubuerint inſtar purpuræ, ſicut nativa lana fient, 3. 4. 29.
19. Si volueritis & audieritis, bonis terræ fruemini, 3. 3. 10.
20. Si vero renueritis, ac contumaces fueritis, gladio devorabimini, quoniam os Domini loquutum eſt, ibid.
II. 8. Idolis quoque plena eſt terra ejus, operi manuum ſuarum geniculantur, & ei quod fecerunt digiti ſui, 1. 11. 4.
III. 1. Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Jeruſalem & à Juda validum & fortem, omne robur panis & omne robur aquæ, 1. 16. 7.
4. Et dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis, 4. 10. 23.
IV. 1. Modo nomine tuo vocemur, tollaſque opprobrium noſtrum, 3. 10. 25.
V. 8. Væ his qui copulant domum domui, & agrum agro continuant, donec locus deficiat, &c. 1. 18. 1. & 3. 4. 4.
26. Et eriget ſignum genti quæ procul eſt, & ſibilo annuet ei ab extremitate terræ, &c. 3. 19. 9.
VI. 1. Vidi Dominum ſedere in ſolio ſublimi & edito, & fimbriæ ejus replebant regiam, 1. 13. 31. & 1. 13. 19.
2. Seraphim autem ſuperne: ſenæ alæ erant ſingulis, &c. 2. 2. 3. & 1. 11. 3. & 1. 4. 8.
5. Væ mihi quoniam ad ſilentium redactus ſum, eo quod homo ſum, polluta habens labia, 1. 1. 3. & 4. 8. 3.
6. Volavitque ad me unus ex Seraphim, habens in manu ſua carbonem incenſum correptum forcipe ex ara, 1. 8. 3.
9. Dicebat ille, Vade & dicito populo iſti, Audiendo audite, & ne intelligatis, &c. 1. 13. 15. & 3. 23. 13. & 3. 24. 13.
10. Craſſum reddito cor populi hujus, & aures ejus fac hebetes, & oculos ejus oblinе, ne forte vel oculis ſuis valeat, &c. 2. 4. 3.
VII. 4. Obſerva & ſis tranquillus, ne timeas, neque molleſcat cor tuum à duabus caudis iſtorum titionum fumigantium, &c. 1. 17. 11. & 3. 2. 17.
14. Ecce virgo illa concipiet & pariet filium, & vocabis eum Immanuel, 2. 6. 3. & 2. 12. 1.
18. Fiet eodem tempore ut Dominus ſibilo annuat muſcæ quæ eſt ad finem fluminum Ægypti, & api quæ in terra Aſſyriorum, 2. 4. 2.
VIII. 14. Erit in ſanctuarium: ſed lapis offendiculi, & petra ruinæ duabus domibus Iſraelis, 1. 13. 11. & 1. 13. 23.
16. Liga teſtimonium & ſigna Legem in diſcipulis meis, 3. 22. 10.
17. Expectabo Dominum qui abſcondit faciem ſuam à domo Jacob, & præſtolabor eum, 3. 2. 42.
18. En ego & pueri quos dedit mihi Dominus, &c. 3. 22. 10.
IX. 6. Puer natus eſt nobis, filiuſque datus eſt nobis: cujus imperium erit ſuper humeru ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus Heros fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis, 1. 13. 9. & 2. 13. 1. & 2. 17. 6. & 3. 13. 4.
11. Sed manus ejus adhuc extenta eſt, 4. 17. 13.
X. 1. Væ his qui decernunt decreta iniqua, &c. 4. 20. 29.
5. Heu Aſſur virga furoris mei, is eſt baculus, in manu eorum indignatio mea, 1. 18. 1. & 4. 20. 25.
6. Ad gentem hypocritam mittam eum, & contra populum qui indignationem meam commeruit, mandabo ei ut auferat ſpolia, & diripiat prædam, ut redigat eum in conculcationem inſtar luti quod in plateis eſt, 1. 18. 2.
12. Futurum autem eſt, quum Dominus perfecerit univerſum opus ſuum in monte Zion & in Jeruſalem, &c. 1. 18. 1.
15. Num gloriabitur ſecuris adverſus eum qui ea ſecat? aut ſerra magnificabitur adverſus eum qui ſe tractat? Quod perinde eſſet acſi virga ſeſe elevaret contra eum qui ipſam fert, & baculus ſeſe extolleret, quaſi lignum non eſſet, 2. 4. 4.
XI. 2. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, 2. 13. 5. & 4. 19. 22.
3. Et faciet eum ſpirare timore Domini: ob id non ad aſpectum ſuorum oculorum judicabit, neque ad famam, quæ ad aures ejus affertur, arguet, 2. 3. 4.
4. Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium, 1. 13. 15.
9. Non afficient malis, neque vaſtabunt per omnem ſanctum montem meum, &c. 4. 20. 10.
10. Tunc quoque uſuveniet ut radicem Jeſſa (quæ ſtat in ſignum populorum) gentes quoque requirant, 1. 13. 13.
XII. 1. Confitabor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: converſus eſt furor tuus, & conſolatus es me, 3. 4. 32.
XIV. 1. Miſerebitur Dominus Jacob, & eliget adhuc Iſraëlem, 3. 21. 3.
27. Domino exercituum conſtituente, quis faciet ipſum irritum? quumque extenderit manum ſuam, quis eam refellet, 3. 17. 14.
XIX. 18. In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, quæ loquentur lingua Chananaica, & quæ jusjurandum præſtent Domino exercituum, &c. 2. 8. 23.
19. In die illa erit altare Domino in medio terræ Ægyptiacæ, &c. 4. 18. 4.
21. Cognoſcetur Dominus ab Ægyptiis, contra cognoſcent Ægyptii ipſum Dominum in illa die, & colent eum hoſtiis & muneribus, vovebuntque votum Domino, & reddent, ibid.
25. Cui benedixit Dominus exercituum dicens, Benedictus populus meus Ægypti, opus manuum mearum Aſſyrius, 1. 18. 1.
XXIV. 23. Deniq. pudefiet Luna & ipſa Sol erubeſcet, cum regnabit Jehova exercituum, &c. 1. 1. 3.

XXV. 1. De-

I N D E X.

XXV. 1. Deſignaſti admiranda, & conſilia tua ſunt procul vere & firmiter, 3.24.4.
6. Mortem præcipitabit in ſempiternum, & abſterget Dominus lachrymam ab omni facie, &c. 3.9.6.
9. En, hic eſt Deus noſter, expectavimus eum, & ſervabit nos, 1.13.10. & 1.13.24.
XXVI. 1. Urbs fortis nobis eſt, ſalus ponet muros & propugnaculum, 1.17.6.
19. Mortui tui vivent, & quemadmodum corpus meum reſurgent: expergiſcimini, & jubilate habitatores pulveris, &c. 2.10.21. & 3.25.4.
21. Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, viſitaturus iniquitatem habitatorum terræ, & proferet terra ſanguines ſuos, neque occultabit ultra interfectos ſuos, 3.25.8.
XXVIII. 16. Qui crediderit non feſtinabit, 1.13.13.
XXIX. 13. Eo quod populus iſte ore ſuo ad me accedit, & labiis ſuis me honorifice prædicat, cor autem ejus longe abeſt a me, & timor eorum, &c. 4.10.7. & 3.20.31. & 4.10.15. & 4.10.18. & 4.10.21.
14. Ideo en ipſe quoque addam ut mirifice agam cum populo iſto, mira ſcilicet & portentoſa, nempe peribit ſapientia Sapientum ejus, & intelligentia prudentium ejus ſeſe abſcondet, 1.18.2. & 4.10.6.
XXX. 1. Væ filiis deſectoribus, dicit Dominus, qui audent conſilium capere, ſed non ex me; quique fundunt fuſionem, ſed non, &c. 3.20.18.
15. In vocando & ſilendo ſitum erit robur veſtrum, ibid & 3.2.37.
33. Præparata eſt præterea jam olim Tophet, hæc etiam pro Rege præparata eſt, quam profundam & amplam fecit: penetralia ejus ignis, vis lignorum ingens, quæ flatus Domini, ceu ſulphureus torrens incendit, 3.25.12.
XXXI. 1. Væ his qui deſcendunt in Ægyptum pro auxilio, quique equis innituntur, & fiduciam habent in quadrigis quod multæ ſint, 3.20.28.
7. Etenim abjiciet in die illo quiſque ſimulacra argentea ſua, & ſimulacra aurea ſua, quæ fecerant vobis ſceleratæ manus veſtræ, 1.11.4.
XXXIII. 14. Metuunt in Sion peccatores, tenet tremor hypocritas: quis ex nobis, inquiunt, habitabit cum igne devorante? quis noſtrum habitabit cum ardoribus æternis? 3.12.1. & 3.17.6.
22. Dominus Judex noſter, Dominus Legislator noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſervabit nos, 1.10.3. & 2.13.5. & 4.10.17.
24. Populo qui habitat in ea remiſſa eſt iniquitas, 4.1.20.
XXXV. 8. Iſthic quoque erit ſemita & via, & vocabitur via ſancta, pollutus non tranſibit per eam, 4.1.17. & 1.1.2.
XXXVII. 4. Tu ergo ſuſcipias orationem pro reliquiis quæ adhuc ſuperſunt, 3.20.5.
16. Domine exercituum, Deus Iſraëlis qui Cherubim inhabitas, tu ſolus Deus es omnium regnorum terræ, 2.8.15.
32. Quia prodibunt reliquiæ de Jeruſalem, & ſervati de monte Sion, 4.1.4.
35. Propugnabo enim ut ſervem urbem iſtam, propter meipſum, & propter Davidem ſervum meum, 1.17.5.
36. Egreſſus itaque Angelus Domini, percuſſit in caſtris Aſſyriorum centena octogintaquinque millia, &c. 1.14.6.
XXXVIII. 1. Sic dicit Dominus: manda domui tuæ: morieris enim tu & non vives. 1.17.12. & 3.3.4.
3. Mi Domine, memento quæſo quod ambulaverim coram te in fide, & integro corde & quod fecerim quæ tibi placent, 3.20.10.
5. Ecce ego addo ad dies tuos quindecim annos, 1.17.12.
8. Ecce ego reducam umbram gradibus quibus deſcendit in horologio Achaz, 4.14.18.
20. Dominus ad ſervandum me adfuit, & cantica mea celebrabimus omnibus diebus vitæ noſtræ in æde Domini, 3.20.28.
XXXIX. 6. Ecce dies venient ut auferatur Babylonem quicquid domi tuæ eſt, & quicquid repoſuerunt patres tui uſque in hunc diem, nec quicquam fiet reliquum dicit Dominus, 1.8.7.
7. Quin & ex filiis tuis, qui ex te prodibunt, quoſque generabis, auferent, & erunt eunuchi in aula Regis Babylonis, 2.6.19.
XL. 2. Malitia ejus expleta eſt, & iniquitas ejus remiſſa: dupla enim accepit de manu Domini pro omnibus peccatis ſuis, 3.4.13.
3. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domino, in ſolitudine planam facite ſemitam Deo noſtro, 3.3.2.
6. Vox dicebat, Clama: & dixi, Quid clamabo? Omnis caro fœnum, &c. 2.9.5. & 2.10.7.
11. Paſcet gregem ſuum ut paſtor, &c. 4.19.14.
12. Quis menſus eſt vola ſua aquas, & cælos palmo quis æſtimavit? quis comprehendit tribus digitis pulverem terræ, &c. 3.2.31.
13. Quis paravit Spiritum Domini? quis vero à conſiliis ei fuit, & eum docuit, &c. 4.6.19. & 4.19.2.
17. Omnes gentes coram eo tanquam nihil ſunt, & res inanes atque frivolæ reputantur illi comparatæ, 3.2.23.
18. Cui ergo ſimilem facietis Deum? aut quodnam ſimulacrum adornabitis ei? 1.11.2. & 1.11.12.
21. Annon à rerum primordio hoc nunciatum eſt vobis? annon docti eſtis à jactis terræ fundamentis? 1.11.4. & 1.14.1.
22. Qui ſedet ſupra globum terræ, &c. 1.5.5.
29. Ipſe potius dat laſſo virtutem, & ei quem vires deficiunt robur abunde ſuppeditat, 1.1.10.
30. 31. Deficiunt pueri & defatigantur, & juvenes prorſus impingunt. Sed qui expectant Jehovam mutant vires, &c. 2.2.10.
XLI. 7. Faber lignarius confirmavit conflatorem qui expolit malleo, cum eo qui crebris ictibus incudem percutit, & dicit, Bonum hoc est ad plumbaturam, firmavitque ſimulachrum hoc clavis, ne loco moveretur, 2.11.2.
9. Et dixi tibi, ſervus meus es tu. Elegi te, neque unquam te repudiavi, 3.21.5.
29. En vani ſunt omnes illi & opera eorum nihil, ſimulacra eorum ventus ſunt & res informis, 1.11.2.
XLII. 1. Ecce ſervus meus, quo nitar, &c. 2.14.2.
6. Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus, 1.13.9.
9. Priora ecce venerunt, & nova ego annuncio, quæ ego vobis nota facio antequam exoriantur, 1.8.8.
10. Cantate Domino carmen novum, laudem ejus canite ad extrema terræ uſque, 3.10.23.
13. Dominus heros inſtar prodibit, 4.19.34.
XLIII. 1. Ne timeas, ego enim redemi te, vocavi te nomine tuo, ut meus eſſes tu, 3.2.31.
10. Vos teſtes mei dicit Dominus, & ſervus meus quem elegi, ut ſciatis & credatis mihi, utque intelligatis quod ego ſum ille ipſe: ante me non eſt formatus Deus, neque poſt me erit, 1.7.3.
11. Ego, ego inquam ſum Dominus: & præter me non eſt Servator, 3.4.13.
25. Ego, ego ille ipſe ſum, qui deleo tranſgreſſiones tuas, idque propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, 1.13.12. & 3.4.13. & 3.4.23. & 3.10.43.
XLIV. 3. Effundam aquas ſuper ſiticuloſam, & flumine ſuper aridam: id eſt, effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper germina tua, 2.2.10. & 3.1.3. & 3.1.19.
6. Ego ſum primus, & ego ſum noviſſimus, & præter me non eſt Deus, 1.13.23. & 1.15.14.
12. Faber ferrarius forcipe correpta, operatur in prunis, & ſcalpris fingit illud, agit robuſto brachio ſuo quin etiam interim, ita ut vires deficiant: neque aquas bibens, ita ut laſſus concidat, 1.11.4.
22. Ego delevi tranſgreſſiones tuas ut denſas nebulas, & ut nubem peccata tua; revertere ergo ad me, quia redemi te, 3.4.29.
XLV. 1. Sic dicit Dominus Meſſiæ ſuo Cyro, cujus dextram prehendi, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes, & lumbos Regum aperiam, ad aperiendam ante faciem ejus valvas portarum, & portæ non claudantur, 1.6.6.
7. Formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum, ego Dominus facio omnia iſta, 1.17.8. & 1.18.3.
9. Væ diſceptanti cum factore ſuo, vas fictile cum figulis luti ſcilicet. Num enim dicit lutum figulo ſuo, quid facis, & operi tuo non ſunt manus? 1.11.2.
23. Per me juravi, Incurvabitur mihi omne genu, & jurabit mihi omnis lingua, 1.15.11. & 1.13.23. & 3.3.8. & 3.13.7.
25. In Domino juſtificabuntur, & gloriabuntur omne ſemen Iſraelis, 1.13.2. & 3.14.16.
XLVI. 5. Cui quæſo me adſimilabitis, æquiparabitis, aut comparabitis me ut ei ſimilis ſim? 1.11.2.
XLVII. 6. Equidem ita iratus eram populo meo, ut profanarem hæreditatem meam, 3.4.32.
XLVIII. 10. Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum: elegi te probatum in fornace afflictionis, 3.4.31.
16. Dominus Deus miſit me & Spiritus ejus, 1.13.14.
XLIX. 15. Num oblivioni tradit mulier infantem ſuum, quo minus miſereatur filii ventris ſui? &c. 1.17.6. & 3.20.36.
23. Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ eorum nutrices tuæ, &c. 4.20.5.
LI. 6. Cœli ut fumus corrumpentur, & terra ut veſtis vetuſtate peribit, & qui in ea habitant ad eundem modum peribunt: ſalus autem mea in æternum durabit, & juſtitia mea non concidet, 2.10.15.
LII. 1. Exurge, exurge, indue robur tuum Sion, indue veſtes decoris tui ô Jeruſalem, civitas ſancta: quoniam ultra non veniet in te incircumciſus & pollutus, 4.3.17. & 4.1.17.
3. Gratis venundati eſtis, & ideo abſque argento redimemini, 3.4.25.
7. O quam ſpecioſi ſunt ſuper montes pedes evangelizantis, prædicantis pacem, 4.3.3.
LIII. 1. Quis credidit prædicationi noſtræ, & brachium Domini cui revelatum eſt? 1.7.5. & 3.22.10.
4. Quum tamen ipſe portet noſtras infirmitates, & dolores noſtros ipſe bajulet: nos autem exiſtimabamus eum tactum percuſſumque Dei, & afflictum, 2.13.4. & 3.4.27. & 4.17.17.
5. Ipſe vero vulneratus eſt propter tranſgreſſiones noſtras, & attritus propter iniquitates noſtras: mulcta enim correctionis noſtræ ei impoſita eſt, & in livore ejus nobis medicatum eſt, 2.12.4. & 2.16.5. & 2.16.9. & 2.17.4 & 3.4.30.
6. Nos omnes tanquam oves erravimus, quiſque viam ſuam ſectatus. Dominus autem effecit ut incurreret in ipſum omnium noſtrûm iniquitas, 2.16.6. & 3.4.27. & 3.12.5. & 3.24.12.
7. Mulctatus eſt & afflictus, nec tamen os ſuum aperuit: ſicut pecus ad mactationem ducetur, & ſicut agnus coram tonſoribus ſuis mutus fit, ſic non aperuit os ſuum, 2.16.5.
8. Abſque dilatione, citraque judicium raptus eſt, & generationem ejus quis enarrabit? quoniam ſucciſus eſt de terra viventium, &c. 2.13.3.
10. Dominus tamen voluit ipſum infirmando atterere, ut ubi poſuerit animam ſuam hoſtiam delicti, videat ſemen, &c. 2.7.2.
11. Et ipſe bajulabit eorum iniquitates, 2.16.5. & 3.11.6.
12. Et cum tranſgreſſoribus connumeratus eſt, 2.16.5.
LIV. 13. Porro univerſi filii tui docti erunt à Domino, paxque multa filiis tuis, 1.7.5. & 2.2.20. & 3.20.10. & 3.24.14.
LV. 1. O vos omnes qui ſititis, venite ad aquas, & hi quibus non eſt pecunia, adeſte, cibum comparate & comedite, &c. 3.3.10. & 3.1.3. & 3.15.4.
2. Cur expenditis pecuniam pro eo quod cibus non eſt, & laborem veſtrum pro eo quod non ſatiat? 3.14.13. & 4.10.15.
3. Inclinate autem veſtram, & ad me venite, audite, & vivet anima veſtra: feriam enim vobiſcum fœdus ſempiternum, miſericordias Davidis fideles, 2.6.3. & 3.3.16.
4. Ecce dedi eum teſtem populis, Principem ac Præceptorem populis, 2.6.3. & 2.15.1.
6. Quærite Dominum dum invenitur, invocate eum dum prope eſt, 1.3.20.
LVI. 1. Cuſtodite judicium, & facite juſtitiam: quia properat ſalus mea ad veniendum, & juſtitia mea ut reveletur, ibid.
2. Beatus homo qui fecerit hoc, & filius hominis qui hoc apprehenderit, cuſtodiens (ſcilicet) Sabbathum, ne prophanet illud, &c. 2.6.29.
7. Hos adducam ad montem meum ſanctum, & exhilarabo eos in æde mea oratoria, holocauſta & ſacrificia eorum accepta erunt in ara mea: quoniam ædes mea ædes orationis vocabitur cunctis populis, 3.10.28.
10. Speculatores ejus omnes cæci ſunt, omnes ſunt ignari, canes muti, &c. 4.9.3.
LVII. 15. Sic dicit excelſus & ſublimis, inhabitans æternitatem, & cujus nomen ſanctum eſt, &c. 3.12.8.
LVIII. 5. Num hujuſmodi jejunium eſt quod ego elegi, (nimirum) ut certa die homo affligat animam ſuam, aut torqueat caput ſuum, &c. 4.12.19.
6. An non potius hoc jejunium eligo, Aperire nexus improbitatis, &c. 3.3.6.
7. Et à carne tua ne te abſcondas, 3.7.6.
9. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, En me tibi, 3.20.14.
13. Si averteris pedem tuum Sabbatho, quo minus facias voluntatem tuam in die meo ſancto, &c. 2.8.31. & 2.6.14.
LIX. 1. Ecce manus Domini non eſt mutila, quo minus ſervare poſſit: neque aggravata auris ejus, ne qui non exaudiat, 3.11.21.
2. Sed iniquitates veſtræ divellunt inter vos & inter Deum veſtrum, & peccata veſtra abſcondunt vultum ejus à vobis, ne exaudiat, 2.12.1. & 3.11.21.
7. Pedes ipſorum ad malum currunt, & properant ad effundendum innocentem ſanguinem: cogitationes eorum, cogitationes ſunt vanæ, vaſtitas & contritio in viis eorum, 2.3.2.
15. 16. Hæc quum videret Dominus, diſplicuit in oculis ejus quod non eſſet judicium. Et vidit Deus, (idque obſtupeſcens & admirans) quod nemo adeſſet, nemo inquam eſſet, qui ſeſe opponeret. & ſalutem peperit ei brachium ejus, & juſtitia ejus fulcivit eum, 3.14.6.
17. Induit juſtitiam tanquam loricam, & galeam ſalutis capiti ſuo impoſuit, &c. 3.11.12.
20. Porro ipſi Zioni, & eis qui de Jacob à perfida tranſgreſſione reſipuerint, veniet Redemptor, 3.3.20. & 3.3.21.
21. Hoc eſt fœdus meum, Spiritus meus qui ſuper te eſt, & verba mea quæ inſerui ori tuo, nunquam excident de ore tuo, neque de ore ſeminis tui, &c. 1.7.4. & 1.9.1. & 4.8.3.
LX. 2. Ecce enim tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus ſuper te apparebit, 2.3.1.
6. 7. Omnes de Saba venient, aurum & thus ferentes, & laudes Domino annunciantes. Omnes oves Cedar congregabuntur tibi, &c. 4.3.17.
19. Sol non erit tibi ultra in lucem diurnam, & ſplendor Lunæ non lucebit tibi, &c. 2.8.10.
LXI. 1. Spiritus Domini Dei ſuper me eſt, eo quod unxit me Dominus, & miſit me ut læta nunciem manſuetis, &c. 2.15.2. & 3.3.20. & 5.4.3. & 5.18.7.
3. Et vocabuntur arbores juſtitiæ, & plantatio Domini ad glorificandum, 3.14.16.
LXII. 5. Habitabit juvenis cum virgine, & habitabunt in te filii tui: & ut eſt gaudium Sponſo ſuper Sponſam, ſic gaudebit ſuper te Deus tuus, 2.6.16.
LXIII. 10. Porro ipſi rebellarunt & exacerbarunt Spiritum ejus ſanctum, 1.13.13.
16. Quum tu ſis pater noſter, (ſiquidem Abraham nos non cognoſcit, neque Iſrael nos novit,) tu Domine pater noſter es, Redemptor noſter, 6.ſu 25. & 3.20.36.
17. Cur abduxiſti nos Domine a viis tuis, cur indurasti cor noſtrum quo minus timeremus te? 2.4.4. & 3.5.21.
LXIV. 5. Ecce autem iratus es quod peccavimus, 3.20.6.
6. Et fuimus nos omnes veluti immundum, & ſicut veſtis centonum abjectorum omnes juſtitiæ noſtræ, defluximus nos omnes tanquam folium, &c. 3.3.25.

LXV. 1. Quæ-

LXV. 1. Quæſitus ſum ab his qui non interrogaverunt, inventus ſum ab his qui me non quæſierunt, &c. 3. 24. 2.
2. Expendi manus meas tota die ad populum deſertorem, qui graditur in via non bona, 3. 24. 16.
16. Qui ſibi benedicere voluerit in terra, benedicetur ſibi in Deo vero, & qui juraverit, jurabit per Deum verum, &c. 2. 8. 23.
24. Futurumque eſt, ut priuſquam invocent, ego reſpondeam, & adhuc illis loquentibus, ego exaudiam, 8. 20. 24.
25. Non affligent neque vaſtabunt in univerſo monte meo ſancto, &c. 4. 20. 10.
LXVI. 1. Cælum ſolium meum eſt, terra vero ſcabellum pedum meorum: ubi igitur erit domus iſta quam ædificabitis mihi? & ubi locus iſte in quo quieſcam? 3. 20. 30. & 4. 17. 24.
2. Ad quem autem reſpiciam, niſi ad eum, qui eſt humilis & fracto ſpiritu, & qui ad verbum meum contremiſcit? 3. 12. 6.
22. Sicut cœli novi, & terra nova, quæ condituras ſum, ſtant coram me, dicit Dominus: ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum, 2. 10. 22.
23. Et erunt perpetuæ neomeniæ, & perpetua Sabbatha: veniet omnis caro ut adoret coram me, 6. 8. 30.
24. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt faſtidio omni carni, 3. 23. 12.

JEREMIAS.

I. 6. AH Domine Deus, en non novi loqui: quoniam puer ſum ego, 4. 8. 5.
9. Ecce ego poſui verba mea in os tuum, ibid.
10. Ecce ego conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſuper regna, ut evellas & extirpes, ut perdas & diſſipes, ut ædifices & plantes, ibid.
II. 13. Duo mala fecit populus meus, me deſeruerunt fontem aquarum perennium, ut effoderent ſibi puteos, puteos inquam pertuſos, qui aquas continere non valent, 8. 20. 14.
III. 1. Ajunt, ſiquis uxorem ſuam repudiat, illa autem abiens ab eo, alteri viro nubit, &c. 2. 8. 18. & 4. 1. 25.
2. Attolle oculos tuos in vertices, & vide ſicubi non ſis ſubagitata, &c. 2. 8. 18.
12. Revertere tu adverſatrix Iſraël, ait Dominus: non conjiciam vultus meos contra vos, quia beneficus ſum, &c. 2. 8. 18. & 4. 1. 25.
IV. 1. Si reverti voles ô Iſraël (dicit Dominus) ad me revertere: & ſi amoveris abominationes tuas à conſpectu meo, non eris extorris, 2. 5. 10. & 3. 3. 6.
3. 4. Novate vobis novelleta, neque in ſpinas ſeminate. Circumcidimini Domino & auferte præputia cordis veſtri quiſquis in Juda, & cives Jeruſalem, &c. 2. 5. 8 & 3. 3. 8 & 3. 3. 7. & 4 16. 25.
9. Et fiet in die illo, ait Dominus, ut concidat cor Regis & cor Principum, obſtupeſcant Sacerdotes, & Prophetæ conſternentur, 4. 9. 6.
11. In tempore illo dicetur populo iſti & Jeruſalem, Ventus exiccans per vertices venit, in deſerto via filiæ populi mei, &c. 1. 16. 7.
14. Ablue à malitia cor tuum, ô Jeruſalem, &c. 2. 5. 8.
V. 3. Domine, nonne oculi tui ad fidem intenti ſunt? Percuſſiſti eos, & non doluerunt: tu perfeciſti eos, ſed noluerunt recipere diſciplinam, induraverunt vultus ſuos magis quam ſaxum, noluerunt reverti, 2. 4. 15. & 9. 14. 8.
7. Ubi in hac re propitius tibi eſſem? Filii tui deſeruerunt me, & juraverunt per eos qui dii non ſunt, &c. 2. 8. 23.
14. Quia loquuti eſtis verbum iſtud: ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum iſtum in ligna, & vorabit eos, 3. 24. 13.
VI. 13. A minimo eorum uſque ad maximum eorum quiſque avaritiæ & lucris inhiat, & à Propheta uſque ad Sacerdotem quiſque fraudulenter & perfide agit, 4. 8. 3.
VII. 4. Nolite fidere verbis mendacibus, dicendo, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, 4. 2. 3.
5. Si emendando emendaveritis vias veſtras, ac ſtudia veſtra, ſi jus reddideritis inter virum & proximum ejus, &c. 3. 17. 8.
13. Quoniam vos feciſtis omnia opera iſta, dicit Dominus, etiam quum loquerer ad vos mature ſurgens, & loquens, ſed non audiſtis, vocavi, ſed non reſpondiſtis, 2. 5. 11.
14. Faciam domui ſuper quam invocatum eſt nomen meum, &c. quemadmodum ipſi Silo feci, 1. 13. 1. & 2. 3. 11.
22. Nihil loquutus ſum cum patribus veſtris, neque præcepi eis, eo tempore quo educerem eos de terra Ægypti, de ratione holocauſti & ſacrificii, 4. 10. 15.
23. Sed hoc verbum præcepi eis, dicendo, Audite vocem meam, & ero veſter Deus, &c. 4. 10. 15. & 4. 10. 17.
27. Tu quoque loqueris ad eos omnes ſermones iſtos, ſed non auſcultabunt tibi: clamabis ad eos, ſed non reſpondebunt, 2. 5. 11.
28. Hæc eſt gens quæ non audierunt vocem Domini Dei ſui, neque diſciplinam receperunt, ibid.
IX. 23. Ne glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque glorietur robuſtus in robore ſuo, nec glorietur dives in divitiis ſuis, 3. 13. 1.
24. Sed hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus qui facio miſericordiam & judicium & juſtitiam in terra, &c. 1. 10. 2. & 1. 3. 8.

X. 2. A cæli ſignis ne formidetis, nam gentes ab illis formidant, 1. 16. 3.
3. Nam ſtatuta populorum ſunt vanitas & opus manuum artificis, &c. 1. 11. 5.
8. Et hoc uno brueſcunt, & ſtulti fiunt, quod diſciplina vanitatum lignum eſt, 1. 11. 5.
11. Dii qui cælum & terram non condiderunt, pereantur de terra & de ſub cælis iſtis, 1. 15 21.
23. Scio, ô Domine, quod hominis illius non eſt via ſua, nec cujuſquam ut eat & greſſus ſuos diſponat, 1. 16. 6.
24. Caſtiga me, Domine, ſed in judicio, non in furore tuo, ne forte, &c. 3. 4. 31.
XI. 7. Obteſtando obteſtatus ſum patres veſtros, ab eo tempore quo eduxi eos de terra Ægypti in hunc uſque diem, tempeſtive ſurgendo, obteſtando, & dicendo, Audite vocem meam, 3. 20. 7. & 4. 10. 17.
9. Sed non audiverunt, nec inclinaverunt aurem ſuam, &c. Induxi ergo ſuper eos omnia verba fœderis hujus, quæ præceperam ut facerent, &c. 3. 20. 7.
11. Ecce adducam ſuper eos malum, de quo eluctari non poterunt, clamabuntque ad me, & non exaudiam eos, ibid.
19. Contumpamus lignum in cibum ejus, & exſcindamus eum è terra viventium, &c. 4. 17. 15.
XII. 16. Si illi diſcendo didicerint vias populi mei, ut jurent ſcilicet per Nomen meum: nempe, Vivit Dominus, quemadmodum docuerunt, &c. 2. 8. 25.
XIV. 7. Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis, facito tu ô Domine propter nomen tuum; quoniam averſiones noſtræ multæ ſunt, tibi peccavimus, 3. 20. 8.
14. Prophetæ iſti mendacium prophetant in nomine meo, non miſi eos: nihil mandavi eis, &c. 4. 9. 3.
XV. 1. Si ſtarent Moſes & Samuel coram me, non eſſet animus meus ad populum iſtum: ejice eos à facie mea, ut egrediantur, 3. 20. 23.
XVII. 1. Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo, ungueque adamantino exaratum, in tabula cordis veſtri, & in cornibus ararum veſtrarum, 3. 4. 19.
5. Sic dicit Dominus, Execratus vir qui confidit in homine, & carnem ponit brachium ſuum, à Dominoque recedit cor ejus, 2. 8. 10.
9. Vafrum cor ſuper omnia, & ærumnoſum eſt, quis cognoſcet illud? 2. 3. 2.
21. Cavete, quam charæ ſunt vobis animæ veſtræ, ne tollatis onus die Sabbathi, ad inferendum illud per portas Jeruſalem, 2. 8. 29.
22. Neque efferetis unus è domibus veſtris die Sabbathi: imo nihil operis faciatis, ſed ſanctificate diem Sabbathi, &c. ibid.
27. Si vero ore non audieritis, ſanctificando diem Sabbathi, quo minus tollatis onus, & eatis per portas, &c. ibid.
XVIII. 8. Si redierit ea gens (contra quam loquutus eram) à malitia ſua, jam & me quoque pœnitebit mali quod ei facere conſtitueram, 1. 17. 12.
18. Adeſte, & cogitemus contra Jeremiam cogitationes: quoniam non peribit lex à Sacerdote, & conſilium à ſapiente, & verbum à Propheta, 4. 9. 3.
XX. 2. Percuſſit Phaſſur Jeremiam Prophetam, & conjecit eum in nervum, qui erat ad portam Benjamin ſuperiorem, quæ ſuit juxta ædem Domini, 4. 9. 6.
XXI. 12. Jus reddite mane, & aſſerite ſpoliatum de manu ejus qui ei vim facit, &c. 4. 20. 8.
XXII. 3. Facite judicium & juſtitiam, aſſerite ſpoliatum de manu ejus qui ei vim facit, &c. ibid.
XXIII. 1. Væ paſtoribus qui perdunt & diſſipant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus, 4. 2. 3.
5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, ut excitem germen juſtum Davidi, regnabitque Rex, & prudenter rem geret, & faciet judicium & juſtitiam in terra, 2. 6. 3.
6. Et hoc nomen ejus quo vocabunt eum, Dominus juſtitia noſtra, 1. 13. 9. & 3. 11. 8.
16. Ne audieritis verba Prophetarum qui vobis prophetant, vanos reddunt vos, &c. 4. 8. 2.
24. An non cælum & terram impleo, dicit Dominus? 4. 1. 3.
28. Propheta apud quem eſt ſomnium, ſomnium narret: & is apud quem eſt verbum meum, loquatur verbum meum ea fide, 4. 8. 3.
XXIV. 7. Et dabo eis cor, ut ſciant me, quia ego ſum Dominus: ipſi erunt mihi populus, & ego ero eorum Deus, quia revertentur ad me ex toto corde ſuo, 2. 2. 20.
XXV. 6. Et ne proſequamini Deos alienos, colendo & incurvando eos iis, neque provocetis me opere manuum veſtrarum, &c. 1. 11. 4.
9. Ecce ego miſſurus ſum, ut aſſumam omnes nationes aquilonis, ad Nebuchadnezarem Regem Babylonis Servum meum, 1. 18. 1.
11. 12. Redigeturque univerſa iſta terra in ſolitudinem & vaſtitatem, & ſervient gentibus illis, nempe Regi Babylonio ſeptuaginta annos, Quumque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo & ipſius Regis Babylonici & eorum iniquitatem, ait Dominus, &c. 8. 3. 8.
29. Ecce ego incipio affligere urbem quæ vocatur nomine meo, & vos omnino impune abſoluetis! &c. 3. 4. 34.
XXVII. 5. Ego feci cælum & terram, hominem & jumenta, quæ ſunt in ſuperficie terræ, &c. 4. 10. 27.
6. Nunc autem tradidi omnes iſtas terras poteſtati Nabuchodonoſoris Regis Babylonis ſervi mei, &c. 1. 18. 1. & 4. 20. 27. 28.
7. Et ſervient ei omnes gentes, & filio ejus atque nepoti ejus! donec ejus quoque terræ tempus veniat, &c. 4. 20. 27.
8. Porro gens aut regnum quod ſervire Nabuchodonoſori Regi Babylonis, & quod collum ſubdere jugo Regis noluerit, &c. ibid.
9. Vos ergo ne audiatis Prophetas veſtros, divinos veſtros, ſomniatores veſtros, mathematicos veſtros, & veneficos veſtros, qui vobis ſic dicunt, Non ſervietis Regi Babylonis, 4. 9. 3.
14. Ne audiatis ſermones Prophetarum prophetantium, ac dicentium vobis, Non ſervietis Regi Babylonis, ibid.
17. Ne audiatis eos, ſed ſervite Regi Babylonio, & vivite, 4. 20. 28.
XXIX. 7. Quærite pacem ejus civitatis ad quam ego vos tranſtuli, & orate Dominum pro ea: quoniam, &c. ibid.
XXXI. 18. Audivi plane Ephraim ſeſe in captivitate cruciantem, Caſtigaſti me, & caſtigatus ſum, ſicut vitulus non aſſuetus: converte me, & convertar: quoniam tu es Dominus Deus meus, 1. 5. 5. & 2. 3 8. & 2. 24. 13.
19. Protinus enim ut converſus ſum, pœnitui, & poſtquam cognitus ſum mihi, complosi manus ſuper femur, &c. 2. 5. 8.
31. Ecce dies venient, ait Dominus, ut feriam cum domo Iſraël, & cum domo Juda fœdus novum, 2. 11. 7. & 3. 4. 29.
32. Non juxta fœdus quod pepigi cum patribus eorum, tempore quo prehenſa manu eorum, eduxi eos de terra Ægypti, quod fœdus meum irritum fecerunt, &c. 2. 5. 8. & 2. 11. 7.
33. Sed hoc erit pactum cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus, inſeram legem meam in interiora illorum, & in cor eorum ſcribam eam: eroque Deus eorum, ipſique erunt mihi populus, 2. 8. 14. & 3. 20. 45.
34. Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccati eorum non recordabor amplius, 3. 4. 28. & 3. 20. 45.
35. Sic dicit Dominus, qui dedit Solem in lucem diurnam, Lunam ſtellarumque ordines in lucem nocturnam, &c. 4. 17. 17.
XXXII. 16. Poſtquam dediſſem literas emptionis ipſi Baruch filio Neriæ, orabam ad Dominum, 3. 20. 15.
18. Tu facis miſericordiam in millia, & rependis iniquitatem patrum in ſinum filiorum qui poſt eos naſcuntur, &c. 2. 8. 19.
23. Non paruerunt voci tuæ, & in Lege tua non ambulaverunt, & quicquid præcepiſti eis ut facerent, non fecerunt: idcirco effeciſti ut eveniret eis omnia iſta mala, 2. 5. 18.
39. Et dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me univerſis diebus, & bene ſit eis, & filiis eorum poſt eos, 2. 3. 8.
XXXIII. 8. Mundabo eos ab omni iniquitate eorum, qua peccaverunt contra me, ac propitius ero omnibus iniquitatibus eorum quibus in me peccaverunt, 3. 20. 45. & 4. 1. 20.
14. Ecce dies venient, dicit Dominus, & confirmabo verbum bonum quod loquutus ſum ad domum Iſraël & ad domum Juda, 3. 11. 8.
15. In diebus illis & in tempore illo germinare faciam ipſi David germen juſtitiæ: & faciet judicium atque juſtitiam in terra, 3. 21. 8.
16. In diebus illis ſervabitur Juda, & Jeruſalem habitabit ſecure: & hoc eſt quod vocabit eam, Dominus juſtitia noſtra, 1. 13. 9. & 3. 11. 8.
XLII. 2. Sine, quæſo, te exorari, ut pro nobis ores ad Dominum Deum tuum, &c. 3. 20. 14.
9. Sic dixit Dominus Deus Iſraëlis, ad quem eos me miſiſtis ut proſternerem precationem veſtram in conſpectu ejus, ibid.
XLVIII. 10. Maledictus qui facit opus Domini dolo malo, 4. 10. 6.
L. 20. In diebus illis, & in tempore illo, dicit Dominus, quæretur iniquitas Iſraëlis, & nulla erit; & peccatum Juda, & non invenietur, 3. 4. 29.
23. Quomodo fractus eſt & contritus malleus univerſæ terræ? quomodo Babylonia inter gentes redacta eſt in ſolitudinem? 2. 4. 4.
25. Aperuit Dominus armamentarium ſuum, & protulit arma indignationis ſuæ; quoniam hoc opus quod factum eſt in terra Chaldæorum, à Domino Deo exercituum eſt, 1. 18. 1.

LAMENTATIONES.

III. 8. SEd & ſi clamem & ſupplicem, obſtruit aures ad orationem meam. 3. 20. 18.
38. Ex ore Altiſſimi nonne proficiſcuntur mala & bona? 1. 17. 8.
IV. 20. Spiritus narium noſtrarum Unctus Domini captus eſt in retibus eorum, de quo nos dicebamus, In umbra ejus vivemus inter gentes, 2. 6. 3.

EZECHIEL.

I. 20. QUocunque impellebat impetus eundi, illuc ibant: & quocunque erat animus eundi, rota ſubvehebantur è regione ipſorum: quoniam ſpiritus animalium, &c. 4. 12. 25.
28. Et vidi quaſi ſpeciem electri. Velut aſpectum arcus quum fuerit in nube in die pluviæ, hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum. Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini, & vidi & cecidi in faciem meam, &c. 1. 1. 3.
II. 3. Fili hominis, mitto te ad filios Iſraël, ad gentes rebelles, quæ contra me rebellarunt: ipſi & patres eorum perfide mecum egerunt uſque in hunc ipſum diem, 3. 24. 13.

4. Filii ſunt duri facie, & pertinaci corde, ego te mitto ad eos, *ibid.*
III. 14. Spiritus quoque levavit me & aſſumpſit me: & abii amarus in indignatione Spiritus mei: manus enim Domini erat mecum, &c. 1. 1. 3.
17. Fili hominis, ſpeculatorem conſtitui te domui Iſraëlis: audies igitur verbum ex ore meo, & diſerte monebis eos ex me, 4. 8. 1.
18. Si dixero ad impium, morte morieris, &c. ille quidem impius morietur in iniquitate ſua, ſanguinem vero ejus de manu tua requiram, 4. 2. 3. & 4. 3. 6.
VII. 26. Calamitas alia ſuper aliam veniet, & erit rumor ſuper rumorem, & inquirent viſionem à Propheta, & lex peribit à Sacerdote, atque conſilium à Senioribus, 1. 12. 2. & 4. 9. 6.
X. 4. Et ſublata eſt gloria Domini ab ipſo Cherub ad limen ædis, 4. 2. 3.
5. Et ſonitus alarum Cherubim auditus eſt uſque ad atrium exterius, 1. 14. 2.
XI. 19. Dabo eis quoque cor unum, & ſpiritum novum dabo in viſceribus eorum, auferam cor lapideum de carne eorum, & tribuam eis cor carneum, 1. 13. 10. & 2. 3. 1. & 2. 3. 10. & 2. 5. 3. & 3. 24. 1.
20. Ut ambulent in inſtitutis meis, dabo eis cor unum: & cuſtodiant judicia mea, faciamque ea; & erunt mihi populus, ego vero ero eorum Deus, 2. 5. 3.
XII. 2. Domus rebellis ſunt, 3. 14. 13.
13. At ego expendam ſuper eum rete meum, inque ſagena mea capietur: ducamque eum Babylonem in terram Chaldæorum, quam tamen non videbit, & ibi morietur, 3. 4. 4.
XIII. 9. In cœtu populi mei non erunt, & in albo domus Iſraëlis non ſcribentur, &c. 2. 24. 9. & 4. 1. 4.
XIV. 9. Et Propheta ſi ſeductus loquutus fuerit ſermonem, ego Dominus ſeduxi prophetam illum, &c. 1. 18. 2.
14. Et ſi fuerint tres viri illi in medio ejus, Noë, Daniel, & Job: ipſi in juſtitia ſua liberabunt animam ſuam, &c. 3. 2. 23.
XVI. 20. Accepiſti etiam filios tuos & filias tuas quos peperiſti mihi, & ſacrificaſti eos illis ut devorarent, &c. 2. 2. 11. & 4. 16. 24.
XVII. 20. Expandam ſuper eum rete meum, & deprehendetur in caſſibus meis, & adducam eum in Babylonem, ut judicem illic cum eo, idque propter tranſgreſſionem qua tranſgreſſus eſt contra me, 3. 4. 4.
XVIII. 4. Anima quæ peccaverit ipſa morietur, 2. 8. 4. & 3. 4. 11.
9. Qui in ſtatutis meis ambulaverit, & judicia mea cuſtodierit, ut faciat veritatem: juſtus ille eſt, vivendo vivet, dicit Dominus Deus, 3. 17. 15.
20. Anima quæ peccaverit ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii, &c. 2. 8. 9. & 2. 8. 19. & 2. 8. 20. & 2. 8. 59. & 3. 3. 24.
21. Quod ſi averſus fuerit impius ab omnibus peccatis ſuis quæ fecit, & cuſtodierit omnia ſtatuta mea, feceritque judicium & juſtitiam: vivendo vivet, & non morietur, 3. 3. 24. & 3. 4. 12. & 3. 17. 15.
23. Num deſidero aut volo mortem impii, dicit Dominus Deus? An non magis ut ſe convertat à viis ſuis malis & vivat, 4. 1. 25.
24. Et ſi juſtus averterit ſe à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, juxta omnes abominationes quas fecit impius, &c. 3. 4. 19. & 3. 14. 10.
27. Quum impius ſe averterit ab impietate quam fecit, feceritque judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam ſervabit, 3. 4. 19.
31. Abjicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum, &c. 3. 3. 6.
32. Quandoquidem non delector morte morientis, dicit Dominus Deus, convertimini ergo, & vivite, 4. 1. 25.
XIX. 12. Et ventus orientalis exiccavit fructum ejus, 2. 16. 7.
XX. 11. Dedique eis ſtatuta mea, atque judicia mea indicavi eis, in quibus homo, ſi ea fecerit, vivet, 3. 17. 3.
12. Sed & Sabbatha mea dedi eis, quæ eſſent ſignum inter me & inter eos, ut ſcirent quod ego Dominus qui ſanctifico eos, 2. 8. 29.
42. Scietiſque quia ego Dominus, quum induxero vos in terram Iſraëlis, & in terram, &c. 3. 13. 1.
43. Et recordabimini ibi viarum veſtrarum, atque cunctorum ſtudiorum veſtrorum in quibus polluti eſtis, &c. *ibid.*
XXII. 8. Sancta mea deſpexiſti, & Sabbatha mea prophanaſti, 2. 8. 29.
25. Conjuratio Prophetarum ejus in medio ejus, ſicut leo rugiens & qui prædam rapit comederunt animam, 4. 9. 3.
26. Sacerdotes ejus violenter diſcerpſerunt Legem meam, ſanctuaria mea prophanaverunt, nec diſcrimen habuerunt inter ſanctum & prophanum, &c. *ibid.*
XXIII. 37. Filios etiam ſuos quos mihi genuerant, traduxerunt eis in cibum, 4. 16. 24.
38. Polluerunt ſanctuarium meum in die illa, atque prophanarunt ſabbatha mea, 2. 8. 29.
XXVIII. 10. Mortibus incircumciſorum morieris per manum alienorum, quoniam ego loquutus ſum, dicit Dominus Deus, 2. 10. 18.
XXIX. 4. Ego ponam hamos in maxillas tuas, & efficiam ut hæreant piſces fluminum tuorum in ſquamis tuis, &c. 1. 17. 23.
19. Ecce ego do Nebuchodonoſori Regi Babylonis terram Ægypti, & auferet multitudinem ejus, diripiet ſpolia ejus, & deprædabitur prædam ejus, & erit merces exercitui ejus, 4. 20. 26.
20. Pro opere quo mihi miniſtravit in ea, dedi ei terram Ægypti, pro eo quod mihi fecerunt, dicit Dominus Deus, *ibid.*
XXXI. 18. Inter incircumciſos dormies cum interfectis gladio. Hic eſt Pharao & univerſus ſtrepitus ejus, &c. 2. 10. 12.
XXXIII. 8. Cum dixero impio, &c. Ipſe impius in iniquitate ſua morietur, & ſanguinem ejus de manu tua requiram, 4. 12. 3.
11. Non delector morte impii, quin magis quum revertitur impius à via ſua, & vixerit, &c. 3. 24. 15.
14. Si autem dixero impio, morte morieris. Et ſi converſus à peccato ſuo, fecerit judicium & juſtitiam, &c. 3. 17. 15.
XXXIV. 4. Quia in duritia & ſævitia dominati eſtis eis, 4. 11. 14.
23. Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum, qui paſcat eas, Davidem ſervum meum: is paſcet eas, atque is erit eis paſtor, 2. 6. 3.
XXXVI. 21. Et peperci Nomini meo ſancto, quod prophanarunt domus Iſraëlis inter gentes ad quas venerunt, 3. 4. 30.
22. Propterea ita dicito domui Iſraël: Non propter vos ego facio, ô domus Iſraël, ſed propter nomen meum ſanctum quod prophanaſtis inter gentes, &c. 3. 12. 3. & 3. 13. 2.
25. Et ſpargam ſuper vos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, atque à cunctis idolis veſtris mundabo vos, 3. 1. 3.
26. Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in præcordia veſtra: auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, 1. 3. 6. & 2. 3. 8. & 3. 14. 1. & 2. 24. 13.
27. Inferam ſpiritum meum in interiora veſtra, efficiamque ut ambuletis in ſtatutis meis, & judicia mea cuſtodiatis atque faciatis, 2. 3. 10. & 2. 3. 6.
32. Non propter vos ego facio, dicit Dominus Deus, hoc notum ſit vobis: pudeat vos viarum veſtrarum, & erubeſcite domus Iſraëlis, 3. 4. 30. & 3. 12. 3. & 3. 15. 2.
XXXVII. 4. Tum dixit ad me, Vaticinare ſuper oſſa iſta, & dic ad ea, Oſſa arida, audite Verbum Domini, &c. 2. 10. 21.
24. Et David ſervus meus erit Princeps eorum uſque in æternum, 2. 6. 3.
26. Percutiam denique cum eis fœdus pacis, fœdus perpetuum erit cum eis, *ibid.*
XLVIII. 21. Principis autem erit quicquid reliquum eſt utrinque juxta collationem factam, & juxta poſſeſſionem urbis, &c. 4. 20. 13.
35. Et nomen urbis ab eo die, Deus illic, 2. 13. 9.

DANIEL.

II. 21. QUi deponit Reges, & creat Reges, 4. 20. 26.
37. Tu Rex omnium Regum præſtantiſſimus es, in quem Deus cœli regnum, potentiam, robur & decus contulit, *ibid.*
44. Porro temporibus Regum iſtorum Deus cœli Regnum condet, quod æternis temporibus non deſtruetur, nec imperium ejus alteri populo relinquetur, quod comminuet, & finiet omnia iſta regna, ipſum vero æternum ſtabit, 2. 15. 5.
IV. 27. Proin Rex, meum conſilium probetur tibi, & tua peccata redime juſtitia in pauperes, 3. 4. 31. & 3. 4. 36.
V. 18. Tuo parenti Nebuchadnezar, ô Rex, ſummus Deus contulerat Regnum & amplitudinem, & decus & magnificentiam, 4. 20. 26.
VI. 22. Imo & in judice, Rex, nullum ſcelus patravi, 4. 20. 32.
VII. 4. Primum ſimile fuit leoni habens aquilinas alas: ſpectabam vero donec evulſæ ſunt ejus alæ, &c. 1. 8. 7.
10. Decies millies myriades ante ipſum ſtabant: quumque judicium conſediſſet, libri aperti ſunt, 1. 14. 5. & 1. 14. 8. & 3. 2. 41.
25. Et ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos excelſos implicabit: ſibique arrogabit mutare temporum ſtatum & leges, &c. 4. 7. 25.
VIII. 16. Et audivi vocem viri inter Ulai, qui exclamavit & dixit, Gabriel, fac intelligere, &c. 1. 14. 8.
IX. 5. Peccavimus, & iniqui fuimus, impie egimus, & deſcivimus à te, deflectendo etiam à præceptis tuis, & judiciis tuis, 3. 4. 9.
7. Tibi quidem Domine tribuenda eſt juſtitia, nobis autem pudor, &c. 4. 20. 19.
10. Neque obtemperavimus voci Domini Dei noſtri, ut tranſigeremus vitam ex ipſius Legibus, quas propoſuerat nobis per ſuos ſervos Prophetas, 2. 3. 21.
18. Non in precibus noſtris quas effundimus coram te, allegamus noſtram juſtitiam, ſed tuam profuſiſſimam miſericordiam, 3. 20. 8. & 3. 20. 14.
21. Adhuc loquebar in oratione, & vir ille quem videram Gabriel, &c. 1. 14. 8.
24. Septuaginta hebdomades præfinitæ ſunt populo tuo & urbi tuæ ad conſummandum ſcelus, & perficiendum peccata, & expiandum iniquitatem, & ad juſtitiam ſempiternam adducendum, &c. 1. 7. 2. & 2. 15. 1. & 2. 13. 6.
27. Porro hebdomas una confirmabit fœdus erga multos, & dimidium hebdomadis abrogabit victimam & oblationem, eritque vaſtator ſuper abominationum ala, &c. 4. 2. 12.
X. 13. Sed Princeps Regni Perſici reſtitit mihi, &c. 1. 14. 7.
20. Nunc quidem revertar pugnatum adverſus Principem Perſarum, *ibid.*
21. Michael Princeps veſter, 1. 14. 8.
XII. 1. Illo tempore Michaël Princeps magnus rerum potietur, qui ſtat à filiis tui populi, eritque tempus difficile, &c. 1. 14. 7. & 1. 14. 8. & 2. 10. 22.
2. Multique dormientium in terra pulverulenta expergiſcentur: hi ad vitam æternam, illi vero ad probra & contemptum æternum, 3. 25. 7.
3. Porro doctores ſplendebunt ut ſplendor firmamenti; & qui multos ad juſtitiam adducunt, ut ſtellæ ſempiternis temporibus, 3. 25. 10.

HOSEE.

I. 11. ET congregabunt filii Juda & filii Iſraëlis ſimul: ponentque ſibi caput unum, atque aſcendent de terra, 2. 6. 3.
II. 2. Expoſtulate cum matre veſtra, expoſtulate: quoniam ipſa non eſt uxor mea, & ego non ſum vir ejus: ut auferat fornicationes, &c. 2. 8. 18.
5. Siquidem mater eorum ſcortata eſt, & genitrix eorum pudefacta, quia dixit, Ibo, ſequar amatores meos, &c. *ibid.*
18. Et pangam cum eis fœdus in die illa, cum beſtiis campi, & cum volucribus cœli, & cum reptili terræ, &c. 4. 1. 20.
19. Et deſpondebo te mihi in ſempiternum, deſpondebo inquam te mihi in juſtitia & in judicio, & in beneficentia, & in miſerationibus, 1. 8. 18. & 3. 14. 6. & 4. 1. 10.
23. Miſereborque ipſi Lo-ruhamæ: & dicam ad Lo-ami, Ami tu: & ipſe dicet mihi, Deus meus, 3. 14. 6.
III. 5. Poſtea revertentur filii Iſraëlis, & inquirent Dominum Deum ſuum, & Davidem Regem ſuum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonitatem ejus noviſſimis diebus, 2. 6. 3. & 3. 2. 31.
V. 11. Vim ac calumniam paſſus eſt Ephraim, fractus eſt judicio eo, quod animum induxit ſequi præceptum, 4. 20. 32.
15. Et revertar ad locum meum, donec ſe in culpa eſſe cognoſcant, & quærant faciem meam, 2. 5. 13.
VI. 1. Venite, revertamur ad Dominum: quoniam ipſe diſcerpſit, & ſanabit nos: percuſſit & obligabit nos, 3. 3. 2.
VII. 8. Ephraim factus eſt placenta quæ non eſt verſa, 3. 4. 31.
VIII. 4. Ipſi Reges inſtituerunt, ſed non ex me, 1. 12. 4.
IX. 8. Speculator Ephraim cum Deo meo, Propheta laqueus aucupis eſt in omnibus viis ejus, odium in domo Dei ejus, 4. 9. 3.
XII. 6. Et Dominus Deus exercituum: Dominus, memoriale ejus, 1. 13. 10.
XIII. 11. Dabam tibi Regem in furore meo, & ſuſtuli eum in excandeſcentia, 1. 18. 4. & 4. 21. 25.
12. Colligata eſt iniquitas Ephraim, & reſervatum peccatum ejus, 3. 4. 29.
14. De manu inferorum redemiſſem eos, à morte vindicaſſem eos: ubi cauſa tua ô mors? ubi pernicies tua ô inferi, &c. 3. 25. 10.
XIV. 2. Aufer omnem iniquitatem, & accipe bonum, & perſolvemus juvencos labiorum noſtrorum, 3. 4. 30. & 3. 20. 28. & 4. 18. 17.
3. Aſſur non ſalvabit nos, ſuper equis non equitabimus: neque dicemus ultra operi manuum noſtrarum: Vos Dii noſtri eſtis; eo quod in te ſit miſeratio pupillo, 2. 11. 4.
4. Ego ſanabo averſionem eorum, diligam eos liberaliſſime, quoniam averſus eſt furor meus ab eo, 3. 14. 6.

JOEL.

II. 12. COnvertimini ad me, & in toto corde veſtro, jejunio, fletu, & lamento, 3. 3. 8. & 3. 3. 17.
13. Scindite cor veſtrum, & non veſtimenta veſtra, &c. 3. 3. 16. & 4. 12. 19.
15. Clangite tuba in Zione, ſanctificate jejunium, indicite cœtum, 4. 12. 14. & 4. 12. 17.
28. Et poſt hæc, effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt, 2. 15. 2. & 3. 1. 2. & 4. 18. 4.
32. Quicunque invocaverit nomen Domini, liberabitur, quoniam in monte Zion & in Jeruſalem erit ſalvatio, 1. 13. 13. & 1. 13. 20. & 3. 20. 2. & 3. 20. 14. & 4. 1. 3. & 4. 1. 4.
III. 17. Erit Jeruſalem ſacroſancta, nec alieni per eam ultra tranſibunt, 4. 1. 17.

AMOS.

I. 2. DOminus in Zione rugiet, & de Jeruſalem edet vocem ſuam, &c. 2. 8. 15.
III. 6. Eſtne malum aliquod in civitate quod Deus non fecerit? 1. 17. 2. & 1. 18. 3.
IV. 7. Ad hæc pluviam negavi vobis, dum adhuc eſſent tres menſes uſque ad meſſem, & plui ſuper civitatem unam ſuper aliam non plui, &c. 3. 20. 10.
V. 14. Quærite bonum, & non malum, ut vivatis, &c. 2. 5. 10.
VI. 1. Væ opulentis in Zione, &c. 3. 19. 9.
4. Qui dormiunt in lectis eburneis, indecore ſe diſtendentes in grabbatis, &c. *ibid.*
VIII. 11. En dies veniunt, dicit Dominus Deus, ut immiſſurus ſim famem in terram, non panis quidem famem, aut aquæ ſitim, ſed audiendi verba Dei, 3. 20. 10.
IX. 11. Die illa excitabo tabernaculum Davidis collapſum, & ſepe circumdabo rupturas ejus, demolitioneſque ejus inſtaurabo: reædificaboque eam ut retro temporibus, 2. 6. 3.

ABDIAS,

ABDIAS.

17. AT in monte meo Zion, reliquiæ ſupererunt quæ ſervantur, &c. 4. 1. 13.

JONAS.

I. 4. DOminus autem excitavit ventum magnum in mari, factaque eſt ingens tempeſtas in illo mari, 1. 16. 7.
II. 10. Ego autem voce gratulatoria tibi ſacrificabo, quæque vovi perſolvam, ipſa ſalus Domini eſt, 3. 20. 18.
III. 4. Adhuc intra quadraginta dies Ninive ſubvertetur, 1. 17. 22.
5. Crediderunt itaque cives Ninivitæ Deo: & jejunio indicto à magno ad parvum uſque ſaccos induerunt, 3. 3. 4. & 4. 12. 17.
10. Vidit Deus opera eorum, nempe quod à viis ſuis malis averſi eſſent, & Deus quoque pœnitentia ductus eſt ſuper malo quod illis inferre decreverat, & non intulit, 1. 17. 14.

MICHÆAS.

II. 13. AScendit pandens iter ante eos: dividet, & tranſibunt portam, & egredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum, 2. 6. 3.
III. 6. Nox vobis vice viſionis irruet, tenebræque pro divinatione: & occumbet Sol ſuper Prophetas illos, dieſque ſuper eos obtenebreſcet, 4. 9. 6.
V. 2. Et tu Bethlehem Ephrata, parvula quidem es inter Chiliarchas Jehuda, ex te autem prodibit mihi qui Dominator ſit in Iſraele: & exitus, &c. 2. 14. 7.
13. Excidam quoque ſculptilia tua, & ſtatuas tuas è medio tui, ne ultra opus manuum tuarum adores, 1. 11. 4.
VII. 9. Indignationem Domini feram, quia ipſi peccavi, donec cauſam meam egerit, &c. 3. 4. 32.
19. Deponet iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra, 3. 4. 29.

HABACUC.

I. 12. AN non tu es ab initio Domine Deus meus, Sanctus meus, & non moriemur, Domine, 2. 10. 8.
II. 3. Si diſtulerit, expecta eam, certiſſime enim veniet, neque moram nectet, 3. 2. 42.
4. Juſtus in ſua fide vivet, 3. 11. 18. & 3. 14. 11. & 3. 18. 3.
18. Quid proderit ſculptile? quoniam ſculpſit illud fictor ejus? fuſile, & doctor mendax, quod fidit eo fictus, ſcilicet figmento ſuo, ut faceret idola muta, 1. 3. 13. & 1. 11. 5.
20. At Dominus in templo ſanctitatis ſuæ: taceat à conſpectu ejus univerſa terra, 1. 5. 18. & 1. 10. 3. & 2. 8. 15.
III. 2. Memor ſis in ira miſericordiæ, 3. 4. 32.
3. Deus ab Auſtro venit, 1. 15. 27.
13. Egreſſus eſt in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo, &c. 2. 6. 3.

SOPHONIAS.

I. 5. EOs quoque qui in tectis militiam cœli adorant, & qui adorant ac jurant per Dominum, jurantque per Melchom, 2. 8. 23.
III. 11. Nam tum ex te tollam eos, qui in te inſolenter exultant, neque tu te ultra efferes in monte ſancto meo, 3. 11. 6.

HAGGÆUS.

II. 11. 12. INterroga Sacerdotes Legem, dicens: Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ala veſtimenti ſui, &c. 3. 14. 7.

ZACHARIAS.

I. 3. REvertimini ad me, dicit Dominus exercituum, revertarque ad vos, 2. 5. 9. & 3. 24. 13.
II. 4. Angelus alius egrediebatur in occurſum ejus. Et dixit ad eum, Curre, loquere ad puerum iſtum, dicens. Abſque muro habitabitur Jeruſalem, præ multitudine hominum & jumentorum in medio ejus, 1. 13. 10.
8. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei, 1. 13. 10. & 1. 17. 6.
11. Adjungentur denique gentes multæ ad Dominum in illa die, eruntque mihi populus: in medio autem tui habitabo, ſcieſque Dominum exercituum me ad te miſiſſe, 1. 13. 10.
12. Et hæreditate poſſidebit Dominus Jehudam, tanquam partem ſuam, in terra ſancta, & rurſum eliget Jeruſalem, 3. 21. 5.
III. 10. In die illa, dicit Dominus exercituum, quiſque proximum ſuum ſubter vitem & ſubter ficum vocabit, 3. 13. 4.
VII. 13. Et evenit ut quemadmodum ipſe clamaverat, illique non audierunt, ſic jam clament, nec eos exaudiam, dicit Dominus exercituum, 3. 3. 24.
IX. 9. Exulta vehementer filia Sion, jubila filia Jeruſalem, En Rex tuus veniet tibi (juſtus & ſervator ipſe) mitis, &c. 3. 6. 3. & 2. 17. 6.
11. Et tu in ſanguine fœderis tui, dimiſi vinctos tuos, de lacu in quo non eſt aqua, 2. 16. 9.
XII. 4. In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum ſtupore, & eum qui ei inſidet veſania, &c. 4. 9. 5.
XIII. 9. Ipſe invocabit nomen meum, & ego exaudiam eum: dixi, Populus meus hic: & ipſe dicet, Dominus eſt Deus meus, 3. 20. 13.
XIV. 9. Eritque Dominus Rex ſuper omnem terram, in illo die erit Dominus unus, & nomen ejus unum, 1. 12. 3.

MALACHIAS.

I. 2. ANnon Eſau frater erat ipſius Jacob dicit Dominus, 3. 21. 6, 7.
3. Et tamen Jacob dilexi, Eſau autem odio habui, ibid.
6. Filius honorat patrem, & ſervus Dominum ſuum: ſi ergo ego Pater ſum, ubi honor eſt quem mihi impenditis? ſi vero Dominus ſum veſter, ubi meus timor? 1. 8. 14. & 2. 6. 2. & 3. 2. 26.
11. Etenim ab ortu Solis ad occaſum ejus uſque, magnum eſt nomen meum inter gentes, & in omni loco nomini meo incenſum atque oblatio pura offertur, &c. 4. 18. 4, & 16.
II. 4. Tum ſcietis quod ad vos mandatum meum miſerim, ut eſſet fœdus meum cum Levi, dixit Dominus exercituum, 4. 2. 3. & 4. 8. 2.
5. Fœdus meum fuit cum eo, vitæ ſcilicet & pacis: dedique ei timorem, ut me metueret, meique nominis me paveret, 4. 2. 3.
6. Lex veritatis fuit in ore ejus, nec fuit deprehenſa in labiis ejus iniquitas, &c. ibid. & 4. 8. 2.
7. Etenim labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, legemque ex ore ejus requirent: Legatus enim eſt Domini, 4. 8. 2. & 4. 8. 6. & 4. 9. 2.
8. Vos autem receſſiſtis de via, & offendiculo fuiſtis multos in Lege impingere feciſtis, & corrupiſtis fœdus Levi, &c. 4. 2. 3. & 4. 7. 30.
III. 1. Subitoque ad templum ſuum veniet Dominus ille quem vos quæritis, & legatus fœderis quo vos delectamini, &c. 1. 13. 10. & 1. 14. 9.
17. Eiſque parcam, ut quiſpiam filio ſuo ſervienti ſibi parcit, 3. 19. 3.
IV. 1. Ecce dies illa venit, ardens ut clibanus: tum erunt omnes arrogantes, & omnis qui impietatem patrat ſtipula, inflammabitque eos dies ventura, &c. 3. 24. 12.
2. Vobis autem, qui nomen meum timetis, orietur Sol juſtitiæ, &c. 2. 6. 1. & 3. 24. 12.
4. Mementote legis Moſis ſervi mei, quam ei in Horeb ad omnem Iſraëlem mandavi, 4. 8. 6.
5. En ego mittam vobis Eliam Prophetam, priuſquam dies Domini magnus & terribilis veniat, 2. 9. 5.
6. Is reducet cor patrum in filios, & cor filiorum in patres ſuos, 4. 1. 6.

TOBIAS.

III. 25. ET miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphaël, ut curaret eos ambos, 1. 14. 8.

SAPIENTIA.

XIV. 15. ACerbo enim luctu vexatus pater, cum filii defuncti imaginem feciſſet, hominem tunc quidem mortuum, nunc vero ut Deum affecit honoribus, &c. 1. 11. 8.
16. Deinde interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta, ibid.

ECCLESIASTICUS.

XV. 14. DEus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua, 2. 15. 18.
15. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, &c. ibid.
17. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, ibid.
18. Ante hominem vita & mors: bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi, ibid.
XVI. 15. Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundum meritum operum ſuorum, & ſecundum intellectum peregrinationis ipſius, 3. 15. 4.

BARUCH.

II. 18. SEd anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, quæ declinans, & labaſcens abit, mœſtus animus oculique deficientes, & eſuriens anima gloriam tuam prædicabunt & juſtitiam, 3. 20. 8.
19. Neque enim juſte facta patrum, aut Regum noſtrorum freti, preces noſtras coram te Domine Deus noſter effundimus, ibid.
20. Sed quia indignationem & iram tuam immiſiſti nobis, quemadmodum per ſervos tuos Prophetas denuntiaſti, ibid.

I. MACHAB.

I. 59. LIbrique legis qui inventi fuiſſent, concerpti & igne cremati ſunt, 1. 8. 10.

II. MACHAB.

XII. 43. TUm deinde ſtipe viritim coacta, ad duo millia drachmarum argenti, miſit Hieroſolymam ad ſacrificium pro peccato faciendum, &c. 3. 5. 8.
XV. 39. Et ſiquidem recte & commentario congruenter, hoc & ipſe volebam: ſin exiliter ac tenuiter, hoc eſt quod potui, ibid.

MATTHÆUS.

I. 5. SAlmon autem genuit Booz è Rachab. Booz autem genuit Obed è Ruth. Obed autem genuit Jeſſe, 2. 13. 3.
16. Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, ex qua genitus eſt JESUS ille qui dicitur Chriſtus, ibid.
21. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus JESUS. Ipſe enim ſervabit populum ſuum ex peccatis ipſius, 2. 6. 1.
23. Ecce, virgo quædam uterum feret, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel: quod eſt, ſi interpreteris, Nobiſcum Deus, 2. 12. 1.
II. 6. Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es inter duces Juda, ex te enim exibit dux qui paſcet populum illum meum Iſraël, 2. 14. 7.
III. 2. Joannes dicebat, Reſipiſcite, appropinquavit enim regnum cœlorum, 3. 2. 1. & 3. 3. 5. & 3. 3. 19.
6. Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua, 3. 4. 6. & 4. 15. 6. & 4. 16. 24.
11. Ego quidem baptizo vos aqua ad reſipiſcentiam, &c. 4. 15. 6. & 4. 15. 8. & 4. 16. 26.
12. Cujus ventilabrum in manu ipſius, & perpurgabit aream ſuam: & coget triticum ſuum in horreum, paleam autem exuret igne inextinguibili, 3. 25. 12. & 4. 1. 13. & 4. 1. 19.
13. Tunc advenit Jeſus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo, 4. 15. 6. & 4. 16. 27.
15. Omitte me nunc: ita enim decet nos implere omnem juſtitiam. Tunc omittit eum, 2. 16. 15.
16. Et vidit Spiritum Dei deſcendentem tanquam columbam, & venientem ſuper ipſum, 1. 11. 3. & 4. 17. 21. & 4. 19. 20.
17. Et ecce vox è cœlis, dicens, Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo acquieſco, 2. 16. 11. 3. 2. 32. 3. 8. 1. & 2. 24. 5.
IV. 2. Et quum jejunaſſet dies quadraginta & noctes quadraginta, poſtea eſuriit, 4. 12. 20.
3. Et quum veniſſet ad eum tentator, dixit, Si filius es Dei, dic ut iſti lapides panes fiant, 3. 20. 46.
4. Non è ſolo pane vivet homo, ſed ex omni verbo prodeunte per os Dei, 3. 20. 44.
6. Scriptum eſt, Quia Angelis ſuis mandabit de te, & ipſi tollent te in manibus, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum, 1. 14. 9.
10. Tunc dicit ei Jeſus, Abi Satana: ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies, 1. 12. 3.
11. Tunc omittit eum Diabolus: & ecce Angeli accedebant, & miniſtrabant ei, 1. 14. 6.
17. Ex eo tempore cœpit Jeſus prædicare, & dicere, Reſipiſcite: appropinquavit enim regnum cœlorum, 2. 9. 4. & 3. 3. 1, & 19.
19. Sequimini me, & faciam vos piſcatores hominum, 4. 16. 31.
V. 3. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, 3. 17. 10.
4. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem accipient, 3. 8. 9.
8. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt, 3. 25. 6.
10. Beati qui perſequutionem patiuntur juſtitiæ cauſa: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, 3. 8. 7.
12. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis, 2. 8. 8.
13. Vos eſtis ſal terræ, 4. 3. 3. & 4. 8. 4.
14. Vos eſtis lux mundi, 4. 3. 3. & 4. 5. 14.
15. Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſubter modium: ſed in candelabrum, & ſplendet omnibus qui ſunt in domo, 1. 11. 4.
16. Ita ſplendeat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera, glorificentque Patrem veſtrum qui eſt in cœlis, 3. 16. 3.
17. Ne exiſtimate me veniſſe ut diſſolvam Legem aut Prophetas: non veni ut diſſolvam, ſed ut impleam, 2. 7. 14.
19. Quiſquis igitur ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: quiſquis autem fecerit, &c. 2. 8. 59.
21. Audiſtis dictum fuiſſe antiquis, Non occides, quiſquis autem occiderit, tenebitur judicio, 4. 20. 10.
22. Ego vero dico vobis, quicunque iraſcitur fratri ſuo temere, tenebitur judicio, 2. 8. 7. & 2. 8. 39.
25. Eſto amicus adverſario tuo cito, dum es in via cum eo, ne quando, &c. 3. 5. 7.
26. Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc, uſquedum reddideris ultimum quadrantem, 3. 25. 6. & 3. 5. 7.
28. Quicunque aſpicit mulierem ut eam concupiſcat, jam adulteravit eam in corde ſuo, 2. 8. 7.
34. Ne juretis omnino, neque per cœlum, &c. 2. 8. 26. & 4. 15. 12.
39. Ego vero dico vobis ne reſiſtatis malo: ſed quiſquis te cædet in dexteram tuam, obverte ei & alteram, 4. 20. 19. & 4. 20. 20.
44. Diligite inimicos veſtros, benedicite eis qui devovent vos, &c. 2. 8. 57. & 3. 7. 6. & 4. 13. 12.
45. Ut ſitis filii Patris veſtri qui eſt in cœlis: facit enim ut Sol ſuus exoriatur ſuper bonos ac malos, &c. 3. 20. 15. & 3. 24. 16. & 3. 25. 9.
46. Si dilexeritis eos qui diligunt vos, quam mercedem habebitis? nonne & publicani idem faciunt? 2. 8. 7.
VI. 2. Itaque quum dabis eleemoſynam, ne cures buccina cani coram te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & in plateis, ut gloriam conſequantur ab hominibus. Amen dico vobis, eos referre mercedem ſuam, 3. 7. 2.
6. Tu vero, quum precaris, introito in conclave tuum, & clauſo oſtio tuo precare Patrem tuum qui eſt in occulto, &c. 3. 20. 29.
7. Precantes autem ne ſitis loquaces ut Ethnici: putant enim fore ut ſua illa loquacitate exaudiantur, ibid.
9. Vos igitur ita precamini, Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, &c. 3. 20. 6. & 3. 20. 34.
12. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, 3. 5. 14.

I N D E X.

12. Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris, 3. 4. 39. & 4. 1. 33.
21. Nam ubi eſt theſaurus veſter, illic erit etiam cor veſtrum, 3. 2. 25. & 3. 13. 6. & 3. 25. 1.
23. Quod ſi oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Ergo ſi lumen quod eſt in te, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ? 3. 8. 25.
26. Intuemini in volucres cæli: non ſerunt enim, neque metunt, neque cogunt in horrea, & Pater veſter cæleſtis alit eas, 1. 16. 5.
VII. 7. Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis, 3. 20. 13.
11. Si vos igitur quum ſitis mali, noſtis dona bona dare liberis veſtris, quanto magis Pater veſter qui eſt in cælis dabit bona iis qui ab ipſo petent? 3. 20. 36.
12. Quæcunque igitur volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis: iſta enim eſt Lex & Prophetæ, 2. 8. 53.
15. Cavete vobis à pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos cum veſtimentis ovium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces, 4. 9. 2.
VIII. 4. Dicit Jeſus leproſo purgato, Vide ut nulli dicas: ſed abi: oſtende te ipſum Sacerdoti, & offer donum illud quod imperavit Moſes, ut hoc ſit eis teſtimonio, 3. 4. 4.
10. Hæc quum audiſſet Jeſus, miratus eſt: & ait ſequentibus, Amen dico vobis, ne in Iſraël quidem tantam fidem inveni, 3. 2. 13.
11. Multi ab Oriente & Occidente venturi ſunt, & diſcumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob in regno cælorum, 2. 10. 13. & 4. 18. 1.
12. Filii regni ejicientur in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium, 3. 25. 12.
13. Et dicit Jeſus Centurioni: Abi, & ut credidiſti, fiat tibi. Sanatuſque eſt puer ejus eo ipſo momento, 3. 20. 11.
25. Et accedentes diſcipuli excitaverunt eum, dicentes, Domine ſerva nos, perimus, 3. 2. 23.
29. Quid nobis tecum, Jeſu fili Dei? veniſti huc cruciatum nos ante tempus? 1. 14. 19.
IX. 2. Et ecce, obtulerunt ei paralyticum in lecto projectum: quumque vidiſſet Jeſus fidem eorum, dixit paralytico, Confide fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua, 3. 2. 13. & 3. 4. 35. & 3. 20. 9.
3. Quidam è Scribis dicebant apud ſe, Iſte blaſphemat, 1. 13 12.
4. Et quum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum, &c. *ibid.*
5. Utrum enim eſt facilius, dicere, remiſſa ſunt tibi peccata: an dicere, ſurge, & ambula? 4. 19. 29.
6. Ut autem ſciatis authoritatem habere Filium hominis in terra remittendi peccata, (tunc dicit paralytico) Surge, tolle tuum lectum, & abi domum tuam, 1. 13 12.
12. Qui valent non egent medico, ſed male affecti, 2. 12. 4.
13. Non veni ut vocarem juſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam, 3. 3. 20. & 3. 12. 17. & 3. 14. 5.
15. Num poſſunt filii thalami lugere quamdiu eſt cum eis Sponſus, &c. 3. 3. 17. & 4. 12. 27.
29. Tunc tetigit oculos cæcorum, dicens, Secundum fidem veſtram fiat vobis, 3. 2. 43. & 3. 4. 52. & 3. 20. 11. & 4. 19. 13.
34. Phariſæi dicebant, Per Principem dæmoniorum ejicit dæmonia, 3. 3. 22.
35. Et circuibat Jeſus urbes omnes ac vicos, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, &c. 2. 9. 2.
X. 1. Tunc advocatis duodecim Apoſtolis, dedit eis poteſtatem adverſus ſpiritus impuros, 4. 1. 5.
5. In viam Gentium ne abieritis, & in urbem Samaritanorum ne ingrediamini, 2. 11. 12.
8. Ægrotos ſanate, leproſos purgate, mortuos excitate, dæmonia ejicite, 1. 13. 13.
18. Et ad præſides ac Reges adducemini mea cauſa, ut hoc ſit eis & Gentibus teſtimonium, 3. 4. 4.
20. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, is eſt qui loquitur in vobis, 4. 19. 3.
28. Et ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare: ſed timete potius eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna, 1. 15. 2. & 3. 25. 7.
29. Nonne duo paſſerculi aſſario veneunt, & unus ex eis non cadet humi ſine Patre veſtro, 1. 16. 1, & 5. & 1. 17. 6.
30. Veſtri vero etiam capilli capitis omnes numerati ſunt, 1. 16. 2.
31. Ne igitur timete: vos multis paſſerculis præſtatis, 1. 17. 6.
33. Quiſquis autem negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo qui eſt in cælis, 4. 1. 26.
XI. 10. Iſte enim eſt de quo ſcriptum eſt, Ecce, ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te, 3. 3. 19.
11. Non ſurrexit inter eos qui gignuntur è mulieribus quiſquam major Joanne Baptiſta: ſed qui eſt minimus in regno cælorum, major eo eſt, 2. 9. 5.
13. Omnes Prophetæ & ipſa Lex uſque ad Joannem prophetarunt, 2. 12. 5. & 2. 11. 12.
23. Et tu Capernaum, quæ es uſque ad cælum ſublata, uſque ad inferos deprimeris: nam ſi Sodomis editæ fuiſſent virtutes quæ editæ ſunt apud te, manſiſſent uſque ad hodiernum diem, 3. 24. 15.
25. In illo tempore reſpondens Jeſus dixit, Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quod abſconderis hæc à ſapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus, 3. 2. 34.
27. Nemo novit patrem niſi filius, & cuicunque voluerit filius retegere, 4. 3. 5.
28. Venite ad me omnes qui fatigati eſtis & onerati, & ego faciam ut requieſcatis, 3. 3. 20. 3. 4. 3. 3. 12. 7. & 3. 13. 9.
29. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quod mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris, 3. 18. 9.
30. Jugum enim meum facile eſt, & onus meum leve eſt, 4. 19. 3.
XII. 24. Phariſæi vero quum hæc audiſſent, dicebant, Iſte non ejicit dæmonia niſi per Beelzebul principem dæmoniorum, 3. 3. 22.
29. Quomodo poteſt aliquis ingredi domum validi alicujus, & vaſa ejus diripere, niſi primo vinxerit validum illum? 1. 14 13.
31. Quodvis peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: blaſphemia vero in Spiritum non remittetur hominibus, 3. 3. 21. & 1. 13. 15. & 3. 3. 22.
32. Et quiſquis loquutus fuerit adverſus Filium hominis, remittetur ei, quiſquis autem fuerit loquutus adverſus Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro, 3. 5. 7.
41. Ninivitæ reſurgent in judicio cum natione hac, & condemnabunt eam, quod ipſi reſipuerint ad prædicationem Jonæ, &c. 3. 14. 15.
43. Quum impurus Spiritus exierit ab homine, ambulat per arida loca, quærens requiem, & non invenit, &c. 1. 14. 14, & 19.
XIII. 4. Et in ſeminando, alia quidem ceciderunt juxta viam: & venerunt volucres, & devorarunt ea, 3. 22. 10. & 4. 14. 11. & 4. 17. 33.
5. Alia vero ceciderunt in petroſa, ubi non habebant terram multam: & ſtatim exorta ſunt, propterea quod non habebant profundam terram, &c. 4. 17. 33.
7. Alia vero ceciderunt in ſpinas, & aſcenderunt ſpinæ, & ſuffocarunt ea, *ibid.*
9. Qui habet aures ad audiendum, audiat, 3. 23. 13.
11. Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum, 1. 7. 5. & 3. 24. 13.
16. Veſtri vero beati ſunt oculi, quod cernant, & aures veſtræ quod audiant, 2. 9. 1.
17. Amen enim dico vobis, multi Prophetæ & juſti deſiderarunt videre quæ videtis, & non viderunt, 2. 11. 6.
24. Simile eſt regnum cælorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo, &c. 4. 1. 13.
29. At ille dixit: Non: ne colligendo zizania, eradicetis ſimul cum eis triticum, 4. 12. 11.
31. Simile eſt regnum cælorum grano ſinapi, quod acceptum quiſpiam ſeminavit in agro ſuo, 4. 19 34.
33. Aliam parabolam loquutus eſt eis, dicens, Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier condidit in farinæ ſatis tribus, uſque quo fermentaretur tota, 4 19 34.
39. Inimicus autem qui ſeminavit ea, eſt diabolus, 1. 14 15.
47. Simile eſt regnum cælorum reti quod projectum in mare colligit ex omnigenas, 4. 1. 13 & 4. 18 3.
XIV. 25. Quarta autem noctis vigilia abiit ad eos Jeſus ambulans ſuper mare, 4. 17. 29.
XV. 3. Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei per traditionem veſtram? 4. 10. 10.
4. Nam Deus mandavit dicens, Honora patrem tuum & matrem. Et, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur, &c. 2. 8 36.
8. Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat: cor autem eorum procul abeſt à me, 3. 20 31.
9. Sed fruſtra me colunt, docentes doctrinas quæ ſunt mandata hominum, 4. 10. 15. & 23.
13. Omnis planta, quam non plantavit Pater ille meus cæleſtis, eradicabitur, 2. 3. 9. & 3. 2. 12. & 3. 23. 1. & 3. 24. 6.
14. Sinite eos: duces ſunt cæci cæcorum: Porro ſi cæcus cæco præierit, ambo in foveam cadent, 3. 19. 11. & 4. 9. 2. & 4. 9. 12.
24. Non ſum miſſus niſi ad oves perditas domus Iſraël, 2. 11. 12.
XVI. 6. Videte & cavete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum, 4. 10 26.
12. Tunc intellexerunt eum non dixiſſe ut caverent à fermento panis, ſed à doctrina Phariſæorum & Sadducæorum, *ibid.*
16. Tu es Chriſtus ille filius Dei viventis, 4. 6. 6.
17. Beatus eſt Simeon bar-Jona: quia caro & ſanguis hæc non retexit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis, 2. 2. 19. & 3. 1. 4. & 3. 2. 34.
18. Sed & ego tibi dico, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo meam Eccleſiam, 4. 6. 3, & 5.
19. Et tibi dabo claves regni cælorum, & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cælis: & quicquid ſolveris in terra, erit ſolutum in cælis, 3. 4. 12. & 4. 1. 22. & 4. 2. 10. & 4. 6. 4. & 4. 11. 1. & 4. 12. 4.
23. Abſcede à me Satana, ſcandalo es mihi, 4. 7. 23.
24. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam ac ſequatur me, 3. 7. 5. & 3. 8. 1.
27. Futurum eſt ut Filius hominis veniat cum gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundum facta ejus, 3. 18. 1.
XVII. 2. Transformatuſque eſt coram eis, & ſplenduit facies ejus ut Sol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ut nix, 4 17 17.
5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida inumbravit eos: & ecce vox è nube, dicens, Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo acquieſco, ipſum audite, 2. 15. 2. & 3. 2. 32. & 3. 3. 1. & 3. 20. 48. & 4. 8. 1, & 7.
XVIII. 10. Videte ne contemnatis aliquem ex parvis iſtis: dico enim vobis Angelos eorum in cælis per omne tempus videre faciem Patris mei qui in cælis eſt, 1. 14. 9.
11. Venit Filius hominis ut ſervet quod perierat, 2. 16. 4.
15. Si peccaverit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit lucratus es fratrem tuum, 4 11. 2.
17. Quod ſi neglexerit eos audire, dic Eccleſiæ: quod ſi Eccleſiam audire neglexerit, ſit tibi velut quiſpiam ethnicus & quiſpiam publicanus, 4. 3 13. & 4. 11. 2. & 4. 11. 3.
18. Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo, & quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta in cælo, 3. 4. 12, & 20. & 4. 1. 22. & 4. 2. 10. & 4. 8. 4. & 4. 12 4, & 9.
19. Rurſum dico vobis, ſi duo ex vobis conſenſerint in terra, quodcunque petierint fiet eis à Patre meo qui in cælis eſt, 3. 20. 30.
20. Ubi enim ſunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic ſum in medio eorum, 4. 1. 9. & 4. 6. 4. & 4. 9. 2.
22. Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties, 4. 1. 23.
29. Procidens ergo conſervus ejus ad ejus pedes, precabatur eum, dicens, Differ iram erga me, & omnia reddam tibi, *ibid.*
XIX. 6. Itaque non amplius ſunt duo, ſed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo ne ſejungat, 4. 15. 22.
11. Non omnes capiunt hunc ſermonem, ſed quibus datum eſt, 2. 8. 42 & 4. 13 17.
12. Sunt enim eunuchi qui ex matris utero nati ſunt ita: & ſunt eunuchi qui caſtrati ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi qui ſeipſos caſtrarunt propter regnum cælorum, &c. 2. 8. 42.
13. Tunc oblati ſunt ei pueruli ut manus eis imponeret, & precaretur: diſcipuli autem objurgarunt eos, 4. 16. 7.
14. At dixit illis, Sinite puerulos, & ne prohibete eos ad me venire: talium eſt enim regnum cælorum, *ibid.* 17. & 16.
15. Et quum impoſuiſſet eis manus, profectus eſt illinc, 4. 3. 15.
17. Nullus eſt bonus, niſi unus, nempe Deus: Si vis autem ad vitam ingredi, ſerva mandata, 1. 13. 13, & 24. & 3. 18. 9.
18. Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, &c.
19. Honora patrem & matrem, 2. 8. 12.
21. Si vis perfectus eſſe, abi, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, 4. 13. 13.
25. His auditis diſcipuli ejus perculſi ſunt valde, dicentes, Quis ergo poteſt ſervari? 2 7 5.
26. Intuitus autem eos Jeſus dixit eis, Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt, *ibid.*
28. Jeſus dicit eis, Amen dico vobis, vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione quum ſederit filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis etiam, vos inquam, ſuper thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël, 2. 16. 12. & 3. 25. 10.
29. Et quiſquis reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, cauſa nominis mei, centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure poſſidebit, 3. 25. 10.
XX. 1. Simile eſt regnum cælorum patrifamilias, qui exiit cum prima luce ad conducendos operarios quos mitteret in vineam ſuam, &c. 3. 18. 3.
25. Scitis Principes Gentium in eas dominari, & qui magni ſunt licentia uti in eas, 4. 11. 8. & 9.
26. Verum non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter, &c. 4. 11. 8.
28. Sicut Filius hominis non venit ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, daretque animam ſuam in redemptionis pretium pro multis, 2. 16. 5.
XXI. 9. Porro turba quæ præibat, & quæ ſequebatur, clamabat, dicens, Hoſianna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini, 2. 6. 4.
22. Quæcunque precando petieritis, ſi credideritis accipietis, 3. 20. 11.
25. Baptiſma Joannis unde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi ratiocinabantur apud ſe, dicentes, Si dixerimus, è cælo: Dicet nobis, quare ergo non credidiſtis ei? 4 19. 5.
31. Uter è duobus fecit quod voluit ejus pater? Dicunt ei, Prior. Dicit eis Jeſus, Amen dico vobis, publicani & meretrices præeunt vobis in regnum Dei, 2. 3. 14 & 3 7. 2.
XXII. 2. Simile eſt regnum cælorum cuidam Regi qui fecit nuptias filio ſuo, &c. 3. 24. 8.
12. Amice, quomodo huc introiſti non habens veſtem nuptialem? 4. 17. 45.
13. Ligatis pedibus & manibus ejus tollite eum & conjicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium, 3. 25. 12.
14. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi, 3. 24 6.
23. In illo die adierunt illum Sadducæi (qui dicunt non eſſe reſurrectionem,) 2. 10. 23.
30. Nam in reſurrectione, neque uxores ducunt, neque nuptum dantur: ſed ſunt ut Angeli Dei in cælo, 1. 14. 9. & 1. 15. 3. & 3. 12. 6. & 3 25. 11. & 4. 1 4.
32. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium, 2. 10 9. & 4. 16. 3.
37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,

tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua, 2. 8. 11. & 2. 3. 51. & 3. 3. 11.
38. Hoc eſt primum & maximum mandatum.
39. Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ut te ipſum, 2. 8. 11.
43. Quomodo ergo David per ſpiritum vocat eum Dominum? 1. 13. 13.
XXIII. 4. Ligant enim onera gravia difficiliaque portatu, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere, 4. 10. 1, & 26.
8. Vos autem ne vocemini Rabbi. unus enim eſt doctor veſter, nempe Chriſtus: omnes autem vos fratres eſtis, 4. 8. 2.
9. Et patrem veſtrum neminem vocetis in terra: unus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt, 3. 20. 38.
23. Et omittitis quæ graviora ſunt Legis, Judicium, miſericordiam, ac fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere, 2. 8. 52.
25. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam purgatis exteriorem poculi paropſidiſque partem, intus autem illa plena ſunt rapina & intemperantia, 3. 4. 36.
37. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ trucidas Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare liberos tuos, &c. 4. 14. 16.
XXIV. 11. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent ac ſeducent multos, 4. 9. 4.
14. Et prædicabitur iſtud Euangelium regni in univerſa terra, ut ſit teſtimonio omnibus gentibus: & tunc veniet finis, 3. 4. 4.
24. Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna & miracula, ita ut ſeducant (ſi fieri poſſit) etiam electos, 4. 9. 4.
30. Tunc apparebit ſignum filii hominis in cælo: & tunc omnes tribus terræ plangent, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum potentia & gloria multa, 2. 16. 17.
36. De die autem & hora nemo ſcit, ne Angeli quidem cælorum, ſed Pater meus ſolus. 1. 14. 9.
45. Quis igitur eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper famulitium ſuum, ut det illis alimentum in tempore? 4. 16. 31.
XXV. 3. Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus ſuis, non acceperant oleum ſecum, 3. 5. 7.
21. Dixit autem Dominus ſervo, Bene habet, ſerve bone & fidelis: in paucis fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: ingredere in gaudium Domini tui, 2. 3. 18.
23. Bene habet, ſerve bone & fidelis: in paucis fuiſti fidelis, &c. ibid.
29. Omni habenti dabitur, & augebitur: qui vero non habet, etiam quod habet tolletur ab eo, ibid. & 3. 15. 4.
31. Quum venerit Filius hominis cum gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper thronum gloriæ ſuæ, 1. 14. 9. & 2. 16. 17.
32. Et cogentur coram eo omnes gentes: & ſeparabit eos, alteros ab alteris, ut paſtor ſeparat oves ab hœdis, &c. 3. 25. 9.
34. Venite benedicti Patris, poſſidete regnum paratum vobis à jactis fundamentis mundi, 3. 18. 12. 3. & 3. 24. 16.
35. Eſurivi enim, & dediſtis mihi quo veſcerer: ſitivi & dediſtis mihi potum, &c. 3. 12. 1.
40. Amen dico vobis, quatenus id feciſtis uni ex iſtis fratribus meis minimis, mihi feciſtis. 3. 18. 6.
41. Maledicti, abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis ejus, &c. 1. 14. 14, 19. & 3. 25. 5.
46. Et abibunt iſti in ſupplicium æternum: juſti vero in vitam æternam, 3. 25. 5.
XXVI. 10. Quid moleſtiam exhibetis iſti mulieri? opus enim bonum operata eſt erga me, 3. 25. 8.
11. Semper enim pauperes habebitis vobiſcum: me vero non ſemper habebitis, 4. 3. 1. & 4. 17. 26, & 23.
12. Quod enim hæc unguentum hoc injecit corpori meo, ad ſepeliendum me fecit, 3. 35. 8.
15. Ait eis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Ipſi vero appenderunt ei triginta argenteos nummos, 4. 12. 4.
26. Edentibus autem eis accepit Jeſus panem: & quum benedixiſſet, fregit, deditque Diſcipulis, & ait, Accipite, comedite: hoc eſt corpus meum, 4. 14. 20. & 4. 16. 30. & 4. 17. 2. 20. & 4. 29. 23.
27. Et accepto poculo, & gratiis actis, dedit eis, dicens, Bibite ex eo omnes, 4. 9. 14.
38. Tunc dicit eis Jeſus, Undiquaque triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, manete hic, & vigilate mecum, 2. 16. 12. & 3. 3. 9.
39. Et progreſſus paululum, procidit in faciem ſuam precans & dicens, Pater mi, ſi poſſibile eſt, abeat à me poculum iſtud: veruntamen non ut ego volo, ſed ut tu, 3. 16. 12.
53. An putas me non poſſe nunc precari Patrem meum, qui hoc ſiſtat mihi plures quam duodecim legiones Angelorum? 2. 14. 18.
74. Tunc cœpit ſeipſum devovere, & jurare, dicens, Non novi hominem, 4. 1. 26.
75. Tunc meminit Petrus verborum Jeſu, qui dixerat ei, Priuſquam gallus vocem mittat, ter me abnegabis. & egreſſus a foras, flevit amare, 3. 3. 4.
XXVII. 4. Peccavi, prodito ſanguine innoxio. At illi dixerunt, quid ad nos? tu videris, ibid.
12. Et quum ipſe accuſaretur à Principibus & Senioribus, nihil reſpondit, 2. 16. 5.
14. Et non reſpondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur Præſes valde, ibid.
23. Præſes autem ait, Enimvero quid mali fecit? At illi amplius clamabant, dicentes, Crucifigatur, ibid.
24. Videns autem Pilatus ſe nihil proficere, ſed majorem tumultum fieri, accepta aqua ablut manus coram turba, dicens, Innoxius ego ſum à ſanguine hujus juſti: vos videritis, ibid.
46. Circiter vero horam nonam exclamavit Jeſus voce magna, dicens, Eli, Eli, lama ſabachtani? Hoc eſt, Deus meus, Deus meus, cur deſeruiſti me? 2. 16. 11.
50. Jeſus autem quum furſum clamaſſet voce magna, emiſit ſpiritum, 4. 10. 13.
52. Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt, 2. 10. 23. & 3. 25. 7.
53. Qui egreſſi è monumentis poſt reſurrectionem ejus, introierunt in ſanctam urbem, & apparuerunt multis, 2. 10. 13.
66. Ipſi autem profecti munierunt ſepulchrum, obſignato lapide cum cuſtodia, 3. 25. 3.
XXVIII. 5. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus, Vos vero ne timete, &c. 1. 14. 6.
6. Non eſt hic: reſurrexit enim prout dixit, 4. 17. 29.
7. Dicite diſcipulis ejus, eum ſurrexiſſe a mortuis, 1. 14. 6.
11. Proficiſcentibus autem ipſis, ecce, quidam e cuſtodia venerunt in urbem, & annuntiaverunt principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant, 3. 25. 3.
12. Tunc coacti cum ſenioribus, conſilio capto, pecuniam multam dederunt militibus, ibid.
13. Dicentes, dicite, Diſcipuli ejus nocte venerunt, & eum furati ſunt nobis dormientibus, ibid.
18. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra, 3. 15. 9.
19. Profecti ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, 8. 13. 16. & 4. 3. 6. & 4. 8. 4. & 4. 14. 20. & 4. 15. 6, 18, 20, 22. & 4. 16. 27. & 4. 19. 29.
20. Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi, 2. 16. 14. & 4. 1. 8. & 4. 8. 11. & 4. 17. 26, 27. & 4. 19. 29.

MARCUS.

I. 1. PRincipium Euangelii Jeſu Chriſti filii Dei, 2. 9. 2.
4. Baptizabat Joannes in deſerto, & prædicabat baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum, 3. 3. 19. & 4. 19. 17.
15. Et dicens, Impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei: reſipiſcite, & credite Euangelio, 3. 3. 19.
III. 15. Haberentque poteſtatem ſanandi morbos, & ejiciendi dæmonia, 2. 13. 13.
28. Amen dico vobis, quævis peccata remittentur filiis hominum, blaſphemiæ quibuſcunque blaſphemarint, 3. 3. 7.
29. Sed quicunque blaſphemarit in Spiritum Sanctum, non habet remiſſionem in æternum: ſed tenetur in æterno judicio, 1. 13. 15. & 3. 3. 21.
VI. 7. Deditque eis poteſtatem adverſus ſpiritus impuros, 1. 13. 13.
13. Et dæmonia multa ejiciebant; ungebantque multos ægrotos & ſanabant eos, 4. 19. 18. & 4. 19. 23.
VII. 33. Ipſe vero quum abduxiſſet eum e turba privatim, miſit digitos ſuos in auriculas ejus, & quum ſpuiſſet tetigit linguam ejus, 4. 19. 23.
VIII. 38. Quemcunque puduerit mei ac ſermonum meorum in natione iſta adultera & peccatrice, Filium etiam hominis pudebit ejus, &c. 4. 1. 26.
IX. 24. Credo Domine, ſuccurre incredulitati meæ, 4. 14. 7.
48. In gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, 4. 25. 12.
X. 9. Quod ergo Deus conjunxit, homo ne ſejungat, 4. 1. 2.
30. Quin accipiat centuplicia nunc iſto tempore, domos, & fratres & ſorores, & matres & liberos, & agros, cum perſecutionibus, & in ſeculo venturo vitam æternam, 3. 18. 3.
XI. 24. Quæcunque precantes petitis, credite vos accepturos, & erunt vobis, 3. 20. 11.
XII. 18. Tunc veniunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem & interrogaverunt eum dicentes, 3. 25. 5.
XIII. 32. Sed de die illo ac hora nemo ſcit, ne angeli quidem qui in cælo ſunt, nec ipſe Filius, ſed ſolus Pater, 2. 14. 2.
XIV. 22. Et edentibus ipſis, quum accepiſſet Jeſus panem, & benedixiſſet, fregit: deditque eis & ait, Accipite, edite: hoc eſt corpus meum, &c. 4. 17. 1, 20.
33. Et aſſumit Petrum & Jacobum & Joannem ſecum, cœpitque expaveſcere, & graviſſime angi, 3. 8. 9.
34. Et dixit eis, Undiquaque triſtis anima mea uſque ad mortem: manete hic & vigilate, 2. 12. 12.
XV. 28. Et impleta eſt Scriptura quæ dicit, Et cum ſceleratis numeratus eſt, 2. 16. 5.
XVI. 9. Apparuit primum Mariæ Magdalenæ, ex qua ejecerat ſeptem dæmonia, 1. 14. 14.
15. Profecti in mundum univerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, 4. 3. 4, 18. & 4. 16. 27. & 4. 19. 28.
16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur, 4. 15. 1. & 4. 16. 27.
19. Dominus igitur poſtquam loquutus fuiſſet eis, ſurſum receptus eſt in cælum, & ſedit ad dexteram Dei, 2. 14. 3. & 4. 17. 27.

LUCAS.

I. 6. ERant juſti ambo in conſpectu Dei incedentes in omnibus mandatis & conſtitutionibus Domini inculpate, 3. 17. 7.
15. Et Spiritu Sancto implebitur etiam ab utero matris ſuæ, 4. 16. 17.
17. Nam ipſe præcedet in conſpectu ejus, cum Spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam juſtorum, ut paret Domino populum inſtructum, 4. 1. 6.
19. Ego ſum Gabriel qui adſto in conſpectu Dei, 1. 14. 8.
26. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, ibid.
31. Et ecce concipies in utero, & paries filium: & vocabis nomen ejus JESUM, 2. 16. 1.
32. Hic erit magnus, & Filius altiſſimi vocabitur: dabitque ei Dominus Deus ſedem David patris ipſius, 2. 14. 4, & 17.
33. Regnabitque ſuper domum Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis, 2. 14. 3. & 2. 15. 3.
34. Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo erit iſtud, quandoquidem virum non ſum cognitura, 4. 17. 25.
35. Et reſpondens Angelus, dixit ei, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi inumbrabit te: propterea id etiam quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei, 2. 14. 5.
43. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me, 2. 14. 4.
54. Suſcepit Iſraël puerum ſuum, ut memor eſſet miſericordiæ, 2. 10. 4.
72. Ut uteretur miſericordia erga patres noſtros, ac meminiſſet teſtamenti ſui ſancti, ibid.
73. Et juſjurandum quod juravit Abrahamo patri noſtro, &c. ibid.
74. Ut ſine metu, è manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviremus ipſi, 3. 16. 2.
77. Et des cognitionem ſalutis populo ejus, per remiſſionem peccatorum ipſorum, 3. 11. 22.
79. Ut appareret iis qui in tenebris & umbra mortis poſiti ſunt, ad dirigendos pedes noſtros in via pacis, 2. 12. 4.
II. 11. Nempe natum eſſe vobis hodie Servatorem, qui eſt Chriſtus Dominus, in urbe David, 2. 13. 3.
13. Et repente adfuit cum Angelo multitudo exercituum cæleſtium, laudantium Deum, 1. 14. 1.
37. Et quum eſſet vidua quaſi annorum octoginta quatuor, non abſcedebat à templo, jejuniis & deprecationibus ſerviens Deo noctem ac diem, 4. 12. 16.
52. Jeſus autem proficiebat ſapientia, & ſtatura, ac gratia apud Deum & homines, 2. 14. 2.
III. 3. Venit igitur in omnem regionem circumjacentem Jordani, prædicans Baptiſmum reſipiſcentiæ in remiſſionem peccatorum, 3. 3. 19. & 4. 15. 7. & 4. 19. 14.
8. Ferte igitur fructus dignos iis qui reſipuerint, & ne cœperitis dicere apud vos ipſos, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, poſſe Deum etiam ex lapidibus iſtis excitare liberos Abrahamo, 3. 3. 5.
14. Interrogaverunt autem eum etiam milites, dicentes, Et nos quid faciemus? Et ait eis, Neminem concutite, neque calumniemini, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris, 4. 20. 12.
16. Reſpondit Joannes, Ego quidem baptizo vos aqua: ſed venit qui validior me eſt, cujus non ſum dignus qui ſolvam corrigiam ſoleatum: ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto & igni, 3. 1. 3. 4. & 4. 15. 6, & 7.
22. Ac deſcendit Spiritus Sanctus, corporea ſpecie tanquam columba, ſupra eum, & vox de cælo extitit, dicens, Tu es Filius ille meus dilectus, in te acquieſco, 4. 17. 21.
23. Ipſa autem Jeſus incipiebat eſſe quaſi annorum triginta qui fuit filius Heli, &c. 4. 10. 27. & 4. 16. 29.
38. Qui fuit filius Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. 2. 12. 7 & 2. 13. 3.
IV. 10, 11. Scriptum eſt enim, Angelis ſuis mandabit de te, ut cuſtodiant te. Et in manus tollent te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. 1. 14. 9.
17. Tunc datus eſt ei liber Jeſaiæ Prophetæ: quumque explicuiſſet librum, invenit locum in quo ſcriptum erat, 4. 19. 23.
18. Spiritus Domini ſuper me, propterea quod unxit me: ut euangelizem pauperibus miſit me, ut ſanem contritos corde, 2. 15. 2. & 3. 3. 20. & 3. 4. 3.
V. 14. Jeſus tetigit lepraſum, & ſtatim lepra abiit ab eo. Ipſe vero præcepit ei ut nulli hoc diceret: ſed vade, inquit, oſtende teipſum Sacerdoti, & offer pro purgatione tua prout præcepit Moſes, ut hoc ſit eis teſtimonium, 3. 4. 4.
34. Num poteſtis facere ut filii thalami, quo tempore cum ipſis eſt Sponſus, jejunent? 4. 12. 17.
VI. 13. Et cum dies ortus eſſet, advocavit diſcipulos ſuos: & quum ex ipſis elegiſſet duodecim, quos & Apoſtolos nominavit, &c. 4. 3. 3.
23. Gaudete illo die & ſalite, ecce enim, merces veſtra multa eſt in cælis, 3. 18. 1.
24. Sed væ vobis divitibus: nam repoſitam conſolationem veſtram, 3. 19. 9.
36. Eſtote ergo miſericordes, prout & pater veſter miſericors eſt, 3. 7. 6.
VII. 29. Et ita audiit totus populus, & publicani juſtificarunt Deum qui baptizati fuerant Baptiſmo Joannis, 3. 11. 3.
35. Sed juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis omnibus, ibid.
36 Roga-

36. Rogavit autem eum quidam ex Phariſæis, ut cum ipſo veſceretur: itaque ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit, 3. 4. 37.
47. Cujus rei gratia, dico tibi, remiſſa eſſe peccata ejus multa: nam dilexit multum: cui autem paululum remittitur, paululum diligit, 3. 4. 31.
VIII. 2. Et quædam mulieres quas ſanaverat à ſpiritibus malis & morbis, Maria quæ vocabatur Magdalene, ex qua ſeptem dæmonia exierant, 1. 14. 14.
7. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul enatæ ſpinæ ſuffocarunt illud, 3. 20. 10.
13. Qui vero ſuper petram, ii ſunt qui cum audierint, cum gaudio recipiunt ſermonem: ſed iſti radices non habent, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis abſcedunt, ibid.
15. Quod autem in bonam terram cecidit, ii ſunt qui in corde honeſto & bono audiunt ſermonem retinent, & fructum afferunt per patientiam, 4. 14. 11.
IX. 23. Si quis vult me ſequi, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me, 3. 15. 8.
26. Quem enim puduerit mei, & meorum ſermonum, ejus pudebit Filium hominis quando venerit cum gloria ſua, & Patris, ſanctorumque Angelorum, 1. 14. 9.
41. Reſpondens autem Jeſus ait, O natio incredula & perverſa, quouſque tandem ero apud vos, & tolerabo vos? Adduc filium tuum huc, 3. 4. 36.
55. Sed converſus Jeſus objurgavit eos, dicens, Neſcitis cujus ſpiritus vos ſitis. 3. 20. 15.
X. 1. Poſt hæc autem deſignavit etiam Dominus alios ſeptuaginta, miſitque eos binos ante faciem ſuam, &c. 4. 5. 4.
6. Quod ſi fuerit illic quiſpiam filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra, ſin minus ad vos revertetur, 3. 23. 14.
16. Qui vos audit me audit: & qui vos rejicit, me rejicit, 4. 3. 3. & 4. 8. 4.
18. Spectabam Satanam ut fulgur è cœlo cadentem, 1. 14. 19.
20. Sed de eo ne gaudete quod ſpiritus vobis ſubjiciantur, gaudete vero potius quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis, 3. 24. 9.
21. Eo ipſo momento exultavit Jeſus Spiritu, & dixit, Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod hæc abſconderis à ſapientibus & intelligentibus, & detexeris ea infantibus: etiam Pater, quia ita placuit tibi, 3. 8. 34.
22. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, & nemo novit quis ſit Filius, niſi Pater, & quis ſit Pater, niſi Filius, & cuicunque voluerit Filius detegere, 3. 2. 1. & 4. 18. 29.
23. Beati oculi qui vident quæ vos videtis, 2. 9. 1.
24. Dico enim vobis, multos Prophetas & Reges cupiviſſe videre quæ videtis, nec vidiſſe, &c. 9. 9. 1. & 2. 11. 6.
25. Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? 4. 13. 13.
27. Ille vero reſpondens dixit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua: & proximum tuum ut teipſum, 2. 8. 11.
30. Quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Jericho, & incidit in latrones, &c. 2. 3. 19.
36. Quis igitur horum trium tibi videtur proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones, &c. 2. 9. 33.
XI. 2. Dixit autem eis, Quum precamini, dicite, Pater noſter qui es in cælis, &c. 3. 20. 6. & 3. 20. 34.
3. Panem noſtrum quotidianum da nobis in diem, 2. 3. 14.
21. Quum validus quiſpiam armatus cuſtodit aulam ſuam, in pace ſunt ea quæ habet, 1. 14. 13. & 1. 14. 10.
22. Poſtquam vero quiſpiam validior invadens vicerit eum, totam armaturam ejus aufert qua confidebat, & ſpolia ejus diſtribuit, 1. 14. 18.
39. Dixit autem Dominus ei, Vos quidem Phariſæi exteriorem poculi paropſidiſque partem purgatis, ſed quod intra vos eſt plenum eſt rapinis & ſcelere, 3. 4. 39.
46. Væ vobis Legis interpretibus, quoniam oneratis homines oneribus difficilibus portatu, ſed ipſi uno ex digitis veſtris non attingitis onera, 4. 10. 1.
XII. 5. Timete eum qui poſtquam trucidarit, præditus eſt authoritate injiciendi in gehennam, 1. 11. 2.
10. Quiſquis dicet quippiam in Filium hominis, ei remittetur: ei vero qui in Spiritum Sanctum blaſphemaverit, non remittetur, 1. 13. 15. & 3. 3. 21, & 22. & 3. 3. 7.
14. Heus tu, quis me vobis judicem, aut partitorem præfecit? 4. 11. 9, & 11.
XIV. 21. Abi cito in plateas & vicos urbis, & pauperes ac mancos claudoſque & cæcos huc introducito, 4. 16. 31.
XV. 7. Dico vobis ita fore gaudium in cælo ſuper uno peccatore reſipiſcente, majus quam ſuper nonagintanovem juſtis quibus non opus eſt reſipiſcentia. 3. 14. 7.
10. Gaudium eſt apud Angelos Dei ſuper uno peccatore reſipiſcente. 1. 14. 9.
20. Quum autem longe adhuc abeſſet, vidit eum pater ipſius, ac miſericordia motus eſt, & accurrens incidit in collum ejus, & deoſculatus eſt eum, 3. 10. 37.
XVI. 8. Vocavit eum igitur, & dixit ei, Quid, hoc audio de te? redde rationem diſpenſationis tuæ: non enim poteris amplius eſſe diſpenſator, 3. 10. 3.
9. Et ego vobis dico: facite vobis amicos ex mammona injuſto, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, 3. 18. 6.
15. Vos eſtis qui juſtificatis vos ipſos in hominum conſpectu, Deus autem novit corda veſtra. 1. 11. 3. & 3. 12. 2.
16. Lex & Prophetæ uſque ad Joannem: ab eo tempore regnum Dei annunciatur, & quivis in illud vi irrumpit, 2. 7. 16.
22. Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & aſportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ, 1. 14. 7. & 1. 13. 2. & 3. 25. 6.
XVII. 3. Si peccaverit in te frater tuus, objurga eum: & ſi reſipuerit, remitte ei, 3. 7. 6.
5. Tunc dixerunt Apoſtoli Domino, Adde nobis fidem, 4. 14. 7.
7. Quis autem veſtrum habet ſervum arantem, aut paſcentem, qui regreſſo ab agro, &c. 3. 14. 13.
10. Ita & vos, quum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus, nam quod debuimus facere, fecimus, 3. 14. 14. & 3. 15. 3.
14. Quum autem vos vidiſſet, dixit eis, Profecti oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt ut inter eundum purgati ſint, 3. 4. 4.
20. Interrogatus autem à Phariſæis, quando venturum eſſet regnum Dei, reſpondit eis & dixit, Non veniet regnum Dei ita ut obſervari poſſit, 2. 15. 4.
XVIII. 1. Dixit autem eis etiam parabolam hanc ſpectantem, quod oporteret ſemper ipſos precari, nec ſegneſcere, 3. 20. 7.
13. Publicanus autem procul ſtans, nolebat vel oculos in cælum attollere, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori, 3. 4. 19. & 3. 12. 7.
14. Dico vobis, deſcendit Publicanus juſtificatus domum ſuam, potius quam Phariſæus: quia quicunque ſe extollit, deprimetur: & qui ſe deprimit, extolletur, 3. 4. 33. & 3. 11. 3.
42. Et Jeſus dixit ei; Recipito viſum, fides tua te ſervavit, 4. 19. 12.
XIX. 17. Dominus autem ait, Bene habet ſerve bone: quia in minimo fuiſti fidelis, habeto poteſtatem ſuper decem urbes, 3. 3. 11.
26. Omni habenti dabitur: ei autem qui non habet, etiam quod habet, adimetur, ibid.
XX. 27. Tunc nonnulli Sadducæorum (qui negant eſſe reſurrectionem) acceſſerunt, 3. 10. 23. & 3. 26. 5.
37. Mortuos autem excitari, etiam Moſes indicavit apud rubum, quum dicit Dominum Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Jacob, 2. 10. 9.
38. Nam Deus non eſt mortuorum, ſed vivorum, 4. 16. 3.
XXI. 15. Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt contradicere, neque reſiſtere omnes qui ſe vobis opponent, 4. 3. 12.
28. Quum autem hæc fieri incipient, erigite & attollite capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra, 3. 9. 5.
XXII. 17. Et recepto poculo, quum gratias egiſſet, dixit, Accipite hoc, & partimini vobis ipſis, 4. 17. 20, & 43. & 4. 19. 8.
19. Et accepto pane, quum gratias egiſſet, fregit, & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in mei recordationem, 4. 3. 6. & 4. 13. 20. & 4. 16. 30. & 4. 17. 1, 20, & 37.
20. Itidem dedit etiam poculum, poſtquam cœnaſſet, dicens, Hoc poculum eſt Novum illud Teſtamentum per ſanguinem meum, qui pro vobis effunditur, 2. 11. 4. & 2. 17. 3. & 4. 17. 6, & 20.
25. Reges gentium dominantur eis, & qui habent poteſtatem in eas, benefici vocantur: 4. 11. 8, 9. & 4. 20. 7.
26. Vos autem non ita: ſed qui maximus eſt inter vos, ſit ſicut qui minimus eſt: & qui Princeps eſt, ſicut qui miniſtrat, &c. 4. 11. 8.
32. Sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, 3. 14. 6. & 4. 7. 27. & 28.
43. Viſus eſt autem ei Angelus è cœlo corroborans eum, 1. 14. 6. & 2. 16. 11.
44. Erat autem ſudor ejus quaſi grumi ſanguinis deſcendentes in terram, 2. 16. 12. & 3. 8. 9.
61. Tunc converſus Dominus intuitus eſt Petrum: & recordatus eſt Petrus ſermonis Domini, quomodo (nimirum) dixerat ipſi: Priuſquam gallus vocem emiſerit, ter me abnegabis, 3. 4. 33.
62. Et egreſſus foras Petrus flevit amare, 3. 3. 4.
XXIII. 42. Dixitque, Jeſu, Domine, memento mei, quum veneris in regnum tuum, 3. 24. 11. & 4. 16. 31.
43. Tunc dixit ei Jeſus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo, 3. 23. 6.
46. Quumque clamaſſet voce magna Jeſus, ait, Pater in manus tuas depono ſpiritum meum, 1. 13. 2. & 2. 15. 6.
XXIV. 5. Dixerunt eis, Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit? 1. 14. 6.
6. Non eſt hic, ſed reſurrexit: mementote ut loquutus ſit vobis, quum adhuc in Galilæa eſſet, 3. 25. 8.
11. Sed viſa ſunt apud eos quaſi deliramentum verba earum, neque crediderunt eis, 3. 2. 4.
12. Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum: & quum introſpexiſſet, videt linteа ſola illic jacentia: abiitque apud ſemetipſum mirans hoc factum, ibid.
16. Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent, 4. 17. 29.
26. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & introire in gloriam ſuam? 2. 17. 6. & 3. 18. 7. & 4. 17. 38.
27. Et exorſus à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo ſcripta erant, 1. 9. 3. & 3. 2. 34.
31. Sed ipſe ablatus eſt ex eorum conſpectu, 4. 17. 29.
39. Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipſe ſum: contrectate me, & videte: nam ſpiritus carnem & oſſa non habet, prout me conſpicitis habere, 2. 14. 2. & 3. 25. 3. & 4. 17. 29.
44. Oportebat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis de me, 3. 5. 8.
45. Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent Scripturas, 1. 9. 3. & 3. 2. 34.
46. Ita ſcriptum eſt, & ita oportuit Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die, 2. 12. 4. & 3. 3. 19.
47. Et prædicari in ejus nomine reſipiſcentiam ac remiſſionem peccatorum apud omnes Gentes incipiendo ab Hieruſalem, 2. 12. 4. & 3. 3. 1, & 19.
49. Vos autem manete in urbe Hieruſalem, uſquequo induamini virtute ex alto, 4. 3. 12.
51. Et factum eſt, dum ipſe benediceret eis, disjunctus ab eis, ſurſum ferebatur, 4. 17. 27.

SECUNDUM JOANNEM

I. 1. IN principio erat Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum, eratque ille Sermo, Deus, 1. 13. 6, 11, & 22.
3. Omnia per hunc Sermonem facta ſunt, 1. 13. 7, & 17.
4. In ipſo vita erat, & vita erat Lux illa hominum, 1. 13. 13. & 2. 15. 4. & 1. 1. 19. & 2. 6. 1. & 4. 17. 8.
5. Et Lux illa in tenebris lucet, ſed tenebræ eam non comprehenderunt, 2. 2. 12.
9. Hic erat Lux illa vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, 2. 12. 4.
10. In mundo erat, & mundus per eum factus eſt, ſed mundus eum non agnovit, ibid.
12. Quotquot enim acceperunt, dedit eis hanc dignitatem, ut filii Dei fierent, nempe iis qui credunt in nomen ejus, 2. 6. 1. & 3. 1. 4. & 3. 20. 36. & 3. 22. 10.
13. Qui non ex ſanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, ſed ex Deo geniti ſunt, 2. 2. 19. & 2. 13. 2. & 3. 1. 4.
14. Et Sermo ille caro factus eſt: & commoratus eſt inter nos (& ſpectavimus gloriam ejus, gloriam inquam, ut unigeniti egreſſi à Patre) plenus gratiæ ac veritatis, 1. 13. 11. & 2. 12. 4. & 2. 14. 1, & 8.
16. Et ex plenitudine ipſius omnes accepimus & gratiam pro gratia, 2. 13. 1. & 2. 15. 3. & 3. 11. 9. & 3. 20. 14.
17. Nam Lex per Moſem data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum exſtitit, 2. 7. 16.
18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius qui eſt in ſinu Patris, ille nobis expoſuit, 1. 13. 17. & 2. 2. 20. & 2. 9. 1. & 4. 17. 30.
23. Ego ſum vox clamantis in deſerto, Complanate viam Domini, prout dixit Jeſaias Propheta, 2. 9. 5.
29. Ecce agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi, 2. 14. 3. & 2. 16. 3. & 2. 17. 4. & 3. 4. 26. & 4. 11. 7.
32. Teſtatus eſt Joannes, dicens, Conſpexi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, qui etiam manſit ſuper eum, 2. 11. 1. & 4. 19. 20.
33. Et ego non noveram eum: ſed qui miſit me, ut baptizarem aqua, ille mihi dixerat, Super quem videris Spiritum deſcendentem, ac manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat Spiritu Sancto, 2. 15. 5.
36. Ecce agnus ille Dei. 2. 9. 3.
40. Erat Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus qui audierant illa ex Joanne, & ſecuti fuerant eum, 4. 6. 5.
43. Et adduxit Philippum ad Jeſum, ibid.
51. Deinceps videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, ac deſcendentes ſuper Filium hominis, 1. 14. 12. & 2. 9. 2.
II. 2. Vocatus eſt autem etiam Jeſus, ac diſcipuli ejus ad nuptias, 4. 13. 3.
9. Ut autem guſtavit architriclinus aquam illam quæ facta fuerat vinum, ibid.
15. Factoque flagello è funiculis, omnes ejecit è templo, & oves & boves: & argentariorum numulos effudit, menſaſque ſubvertit, 4. 19. 23.
19. Reſpondit Jeſus, & dixit eis, Deſtruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud, 2. 14. 4. & 3. 25. 7.
21. At ille loquebatur de templo corporis ſui, ibid.
23. Quum autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha, die feſto, multi crediderunt in nomen ejus, conſpicientes ſigna quæ edebat, 4. 2. 1.
24. Ipſe autem Jeſus non credebat eis ſemet ipſum, eo quod noſſet omnes, 3. 2. 12.
III. 3. Amen, amen, dico tibi, niſi quis fuerit genitus denuo, non poteſt videre regnum Dei. 2. 3. 1. & 4. 16. 17.
5. Niſi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei, 4. 16 23.
6. Quod genitum eſt ex carne, caro eſt: & quod genitum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt, 2. 1. 6. & 2. 3. 1.
13. Nullus aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, nempe Filius hominis, qui eſt in cœlo, 2. 14. 2. & 4. 17. 30.
14. Prout Moſes extulit ſerpentem in deſerto, ita extolli oportet filium hominis, 2. 12. 4. & 4. 18. 20.
16. Ita Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum dederit, ut quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam, 2. 12. 4.
23. Baptizabat autem etiam Joannes in Ænon prope Salim, &c. 2. 16. 4. & 2. 17. 2. & 3. 14. 17. & 3. 14. 5, 7. & 4. 15. 6.
27. Homo non poteſt recipere quicquam, niſi fuerit ei datum è cœlo, 2. 2. 20.

I N D E X.

33. Qui recipit ejus teſtimonium, is obſignavit quod Deus verax ſit, 3. 2. 8.
34. Nam is quem miſit Deus, verba Dei loquitus, non enim huic admetitur Deus Spiritum, 2. 13. 1. & 2. 25. 3.
36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum, 4. 16. 31.
IV. 1. Ut ergo cognovit Dominus Phariſæos audiſſe ipſum plures diſcipulos facere & baptizare quam Joannem, 4. 15 6.
14. Quiſquis autem biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, non ſitiet in æternum: ſed aqua illa quam ego ei dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, 3. 1. 3.
22. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus: quia ſalus ex Judæis eſt, 1. 5. 12. & 1. 6. 4. & 2 6. 1.
23. Sed venit hora, & nunc eſt, quum veri adoratores adorabunt Patrem Spiritu ac veritate, 3 20. 30. & 4. 10. 14.
24. Deus eſt Spiritus, &c. 1. 13. 14.
25. Scio Meſſiam venturum, qui dicitur Chriſtus: quum venerit ille, nobis annunciabit omnia, 2. 15. 1. & 4. 8. 7.
35. Ecce dico vobis, attollite oculos veſtros, & ſpectate regiones: nam albæ jam ſunt ad meſſem, 4. 18. 31.
42. Et mulieri dicebant, Non amplius propter tuos ſermones credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus hunc eſſe vere Servatorem illum mundi, Chriſtum, 3. 2. 5.
53. Agnovit ergo pater, id factum eſſe illa ipſa hora qua dixerat ei Jeſus, Filius tuus vivit: & credidit ipſe ac domus ejus tota, ibid.
V. 8. Dixit ei Jeſus, Surge, tolle grabatum tuum & ambula, 4. 19. 29.
17. Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor, 1. 13. 7, & 12. & 1. 16 4 & 2. 14. 2.
18. Propterea ergo magis ſtudebant eum Judæi interficere, quia non ſolum ſolviſſet Sabbathum, ſed & Patrem ſuum dixiſſet Deum, parem ſe faciens Deo, 1. 13. 12.
21. Sicut enim Pater excitat mortuos & vivificat, ita & filius quos vult vivificat, 2. 14. 3.
22. Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio, 2. 14. 3 & 2. 16 18.
23. Ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem, Qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui miſit eum, 2 6. 2. & 2. 4. 3.
24. Qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: ſed tranſiit à morte in vitam, 2. 9. 3. & 3. 25. 6. & 3. 24. 3. & 3. 25. 1. & 4. 16 26.
25. Veniet tempus, & nunc eſt, quum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint vivent, 2. 5. 19. & 2. 12. 4. & 3. 14. 5.
26. Sicut pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſeipſo, 4. 17. 9.
28. Ne hoc miramini: nam veniet hora qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus, 3. 25. 4. & 7.
29. Et prodibunt qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem condemnationis, 3. 19. 1.
32. Alius eſt qui teſtatur de me, &c. 1. 13. 17.
35. Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluiſtis ad tempus exultare in ejus luce, 2. 9. 5.
36. Opera quæ dedit mihi Pater ut ea perficerem, ipſa inquam opera quæ ego facio, teſtantur de me quod Pater miſerit me, 1. 13 13.
44. Quomodo vos poteſtis credere, quum gloriam alii ab aliis capitis, & gloriam quæ à ſolo Deo proficiſcitur non quæratis? 3. 11. 9.
46. Si crederetis Moſi, crederetis mihi: de me enim ille ſcripſit, 2. 9. 1.
VI. 27. Operemini non cibo qui perit, ſed cibo illi qui permanet in vitam æternam, quam filius hominis dabit vobis, 3. 18. 1. & 4. 24. 23.
29. Hoc illud eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille, 3. 18. 10.
35. Ego ſum panis ille vitæ: qui venit ad me nequaquam eſuriet: & qui credit in me non ſitiet unquam, 3 24. 5. & 4. 17. 4.
37. Quicquid dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me non ejiciam foras, 3. 22. 7. & 3. 24. 6.
38. Quia deſcendi è cælo ut faciam non voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me, 2. 14. 2.
39. Hæc eſt autem voluntas Patris qui miſit me, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo: ſed ſuſcitem illud in ultimo illo die, 3. 22. 7, & 10. & 3. 24. 6, & 7. & 3. 25. 3.
40. Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, &c. 3. 22. 10. & 3. 24. 6.
44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum: ego vero ſuſcitabo eum ultimo illo die, 2. 2. 20 & 2. 3. 10. & 2. 5. 3. & 3. 24. 1. & 3. 2. 35. & 3. 22. 7.
45. Eſt ſcriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quiſquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me, 2. 3. 10. & 2. 2. 10. & 2. 3. 7. & 2 5 5. & 3 7 14 & 4 24. 1. & 3 24 14.
46. Non quod Patrem viderit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo: hic vidit Patrem, 3. 2. 34. & 3. 22. 10. & 3. 24. 1.
47. Qui credit in me, habet vitam æternam, 1. 13. 13.
48. Ego ſum panis ille vitæ, 3. 11. 9. & 4. 17. 4. & 8.
49. Patres veſtri comederunt manna in deſerto & mortui ſunt, 2. 10. 6.
50. Hic eſt panis ille qui è cælo deſcendit, ut qui eo veſcitur non moriatur, ibid. & 4. 17. 34.
51. Ego ſum panis vivificus qui è cælo deſcendi: ſi quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita, 3. 11. 9. & 4. 11. 7. & 4. 17. 5, & 8, & 14.
53. Dixit ergo eis Jeſus, Amen, amen, dico vobis, niſi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis, 3. 11. 9. & 4 17 6, 7.
54. Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego excitabo eum in ultimo illo die, 3. 11. 9. & 4. 17. 34.
55. Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, 2. 17. 5. & 4. 17. 8.
56. Qui edit meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, 4. 17. 33.
57. Sicut miſit me vivens ille Pater, & ego vivo per Patrem, ita etiam qui ederit me, vivet ipſe quoque per me, 2. 17. 5.
65. Propterea dixi vobis, neminem poſſe venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo, 3. 23. 13.
70. Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis eſt diabolus? 3. 22. 7 & 3. 24. 9.
VII. 16. Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me, 2. 2. 26. & 4 9. 4.
37. Ultimo autem die illo magno feſti ſtetit Jeſus, & clamavit, dicens, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, 2. 16. 4 & 3. 1. 2. & 3. 1. 3. & 4. 19. 6.
39. Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jeſus nondum erat glorificatus, 4 17. 22.
VIII. 12. Jeſus loquutus eſt, dicens, Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, 2. 14. 3. & 3 2. 1. & 3. 22. 12 & 4. 19. 23.
16. Solus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater, 1. 13. 17.
26. Qui me miſit, verax eſt: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor mundo, 2. 2. 26.
30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum, 3. 2. 3.
31. Dicebat ergo Jeſus iis Judæis qui crediderant ipſi, Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis, 3. 2. 18.
34. Amen, amen dico vobis, quiſquis committit peccata, ſervus eſt peccati, 2. 2. 27.
44. Vos ex patre diabolo eſtis, 2. 14. 13.
Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perſtitit: non eſt enim veritas in eo. Quotieſcunque loquitur mendacium, de ſuo loquitur, quia mendax eſt, & mendacii pater, 2. 14. 16, & 18, & 19.
47. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis quia ex Deo non eſtis, 4. 2. 4.
50. Ego vero non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & judicet, 2. 14. 2.
56. Abraham pater veſter geſtivit ut videret diem iſtum meum, & vidit ac gaviſus eſt, 2. 9. 1. & 2. 10. 4.
58. Dixit eis Jeſus, Amen, amen dico vobis, priuſquam Abraham fieret, ego ſum, 2. 14. 2.
IX. 3. Neque iſte peccavit, neque parentes ejus: ſed oportet opera Dei manifeſta fieri in eo, 1. 17. 2.
5. Quamdiu fuero in mundo, Lux ſum mundi, 2. 14 3.
6. Hoc quum dixiſſet, ſpuit humi, & fecit lutum ex ſputo, & illevit lutum oculis cæci, 4. 19 18.
7. Dixitque Jeſus, Vade, lava in piſcina Siloam, (quod eſt, ſi interpreteris, miſſus) abiit ergo & lavit, rediitque videns, 4. 19 19.
24. Et dixerunt ei, Tribue gloriam Deo, 2. 2. 14.
31. Scimus autem Deum peccatores non audire: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus executus, hunc audit, 3 20. 7. & 10.
X. 3. Huic aperit janitor, & oves vocem ejus audiunt: & ſuas oves vocat nominatim, & educit eas, 3. 24. 6.
4. Quumque oves ſuas emiſerit, antegreditur eas, & oves eum ſequuntur, quia norunt vocem ejus, 3 22. 10. & 4. 8. 4.
5. Alium autem nequaquam ſequentur, ſed fugient ab eo: quia non norunt vocem alienorum, 3. 22. 10.
7. Jeſus ergo rurſum dixit eis, Amen, amen dico vobis, ego ſum oſtium ovium, 4. 19. 23.
9. Ego ſum oſtium, per me quiſquis introierit ſervabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet, 2. 14. 3.
11. Ego ſum Paſtor ille bonus: Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus, 4. 19. 34.
14. Ego ſum paſtor ille bonus, & agnoſco oves meas, &c. 4. 2. 4.
15. Prout novit me Pater, ita & ego novi Patrem, & animam meam pono pro ovibus, 2. 16. 5.
16. Alias autem oves habeo, quæ non ſunt ex hac caula, illas quoque oportet me adducere, &c. 3. 24 6.
17. Propterea Pater me diligit, quia pono animam meam, ut eam rurſus aſſumam, 2 12. 4.
18. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo: poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo rurſum eam aſſumendi. Hoc mandatum accepi à Patre meo, 2. 12. 4. & 2. 16 5.
26. Sed vos non creditis: non enim eſtis ex ovibus meis, 3 22. 10.
27. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnoſco, &c. 3. 24. 6.
28. Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam è manu mea, 3 15. 5. & 3. 22. 1. & 3. 22. 7 & 3 24. 6.
29. Pater meus qui eas dedit mihi, major omnibus eſt: neque quiſquam poteſt eas rapere è manibus Patris mei, 3. 22. 10.
30. Ego & Pater unum ſumus, 2. 9. 26.
34. Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra, Ego dixi, Dii eſtis? 4. 19. 31.
35. Si illos dixit deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura, &c. 4 20. 4.
37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, 1. 13. 13.
XI. 25. Ego ſum reſurrectio, & vita. Qui credit in me, etiamſi mortuus, &c. 1. 13 13. & 2. 18. 4. & 3. 25. 9 & 4. 17. 16.
41. Pater, gratias ago tibi quod me audieris, 1. 13. 13.
43. Et cum hæc dixiſſet, clamavit voce magna, Lazare, adesdum foras, 4. 19. 29.
44. Tum qui fuerat mortuus, prodiit manus & pedes vinctus faſciis: facies autem ejus ſudario erat obvincta. Dicit eis Jeſus, Solvite eum, & ſinite abire, 3 4 5.
47. Coëgerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant, Quid facimus? 4 9. 7.
XII. 27. Pater, conſerva me ab hac hora, ſed propterea veni in horam hanc, 2. 16. 12. & 2. 12 4.
28. Pater glorifica nomen tuum, 2. 32. 4.
31. Nunc damnatio adeſt mundi hujus: nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras, 1. 14 13. & 18.
32. Et ego ſi ſublatus fuero è terra, omnes traham ad me ipſum, 2. 25. 6.
39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Jeſaias, &c. 3. 24 13.
41. Hæc dixit Jeſaias quando vidit gloriam ejus, & loquutus eſt de eo, 1 13. 11, & 23.
43. Dilexerunt enim gloriam hominum potius, quam gloriam Dei, 3. 11. 9.
49. Ego ex me ipſo non ſum loquutus, 4 8 13.
XIII. 4. Surgit à cœna, & deponit pallium, & accepto linteo præcinxit ſe, 4. 19 28.
15. Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis, 3. 16. 2.
18. Non de omnibus vobis loquor, ego ſcio quos elegerim, 3. 22 7 & 3. 24 9.
34. Mandatum novum do vobis, ut alii alios diligatis, ſicut inquam dilexi vos, ut etiam diligatis alii alios, 3. 16. 2.
XIV. 1. Creditis in Deum, credite etiam in me, 1. 13. 13 & 2. 6. 4.
5. Dixit ei Thomas, Domine neſcimus quo abeas, quomodo igitur poſſumus viam ſcire? 4. 17. 23.
6. Ego ſum via & veritas, & vita, 1. 13. 27 & 2 6. 1, & 3. 2. 1 & 3. 20. 21. & 4. 16. 17.
8. Dicit ei Philippus, Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis, 4. 17. 23.
10. Non credis me in Patre: & Patrem in me eſſe? Verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor: ſed pater qui in me manet, ipſe facit opera, 1 13 19. & 2 14 2. & 4 3. 13.
11. Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me eſſe, ſin minus, propter ipſa facta credite mihi, 1 13. 13.
13. Et quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio, 3. 20 17.
16. Ego autem rogabo Patrem, & alium conſolatorem dabit vobis, &c. 1. 13. 17. & 4. 8. 11.
17. Nempe Spiritum illum veritatis, quem mundus non poteſt recipere, quia non videt eum nec novit eum, vos autem cognoſcitis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit, 3. 1 4 & 3 2. 39.
26. Conſolator autem ille, id eſt, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis, 1. 9. 1 & 2. 2. 21. & 3. 1. 4. & 4. 8. 3, & 13.
28. Pater major me eſt, 1. 13. 26.
30. Non loquar amplius multa vobiſcum: venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam, 1. 14 13. & 19.
XV. 1. Ego ſum vitis illa vera, & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut plus fructus ferat, 2. 3. 9 & 2. 14. 3. & 4. 19 34.
3. Jam vos puri eſtis propter ſermonem quem loquutus ſum vobis, 3. 6 3.
5. Ego ſum vitis, vos palmites: is qui manet in me & in quo ego maneo, hic fert multum fructum: nam abſque me, &c. 2. 2. 3. & 2 3. 9 & 2. 5. 4. & 4 19 34.
10. Si mandata mea ſervaveritis, manebitis in charitate mea: ſicut & ego Patris mei mandata ſervavi, & maneo in ejus charitate, 3. 16. 2.
16. Ego elegi vos & conſtitui ut abeuntes fructum afferatis, & fructus veſter maneat, 3 22. 3, & 8, & 4. 1 6.
19. Si ex mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſt amaret: quia vero ex mundo non eſtis, ſed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus, 3. 22. 7.
26. Spiritus ille veritatis qui à Patre emanat, 1. 15 17.
XVI. 2. Movebunt vos ſynagogis, 4 2 6.
7. Expedit vobis ut ego abeam. 1. 13. 26. & 2. 16. 14. & 3. 25. 3. & 4. 17. 26.
11. De judicio autem, eo quod Princeps hujus mundi condemnatus ſit, 1. 14. 15.
12. Adhuc habeo multa quæ vobis dicam, ſed nunc non poteſtis portare, 3. 21. 1 & 4. 8. 14.
13. Quum autem venerit ille, id eſt, Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem, non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcunque audierit loquetur, 3. 9. 1. & 3. 2. 14. & 4. 8 9, & 15.

17. Dixe-

17. Dixerunt diſcipuli, quid illud quod dicis, Pauxillum temporis & videbitis me, &c. 4. 17. 21.
20. Amen, amen dico vobis, flebitis vos & lamentabimini, mundus autem gaudebit: vos vero triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra evadet in gaudium, 3. 2. 9.
24. Uſque adhuc non petiiſtis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum, 3. 20. 17.
26. Illo die in nomine meo petetis, 3. 20. 13.
28. Exivi à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum & proficiſcor ad Patrem, 4. 17. 26.
XVII. 3. Hæc eſt autem vita æterna ut te ſolum cognoſcant eſſe Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, 1. 13. 26. & 2. 6. 1. & 3. 2. 8.
5. Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipſum, ea gloria quam habui apud te prius quam hic mundus exiſteret, 1. 13. 2. & 22. & 2. 14. 2.
6. Patefeci nomen tuum hominibus quos dediſti mihi ſelectos è mundo, Tui erant, & mihi eos dediſti, 3. 14. 1, & 6.
9. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro iis quos dediſti mihi, quia tui ſunt, 3. 22. 7.
12. Quum eſſem cum eis in mundo ego ſervabam eos in nomine tuo: quos dediſti mihi, ego cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius ille perditionis, ut Scriptura impleretur, ibid. & 3. 24. 6. 7, & 9.
15. Non rogo ut tollas eos è mundo, ſed ſerves eos à malo, 2. 5. 11.
19. Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati per veritatem, 2. 13. 1, & 4. & 2. 25. 6. & 2. 17. 2. & 3. 11. 12.
21. Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus me à te miſſum eſſe, 3. 2. 24.
XVIII. 4. Jeſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant in ſe, prodiens dixit eis, Quem quæritis? 2. 16. 5.
36. Reſpondit Jeſus, Regnum meum non eſt ex hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei certarent, ne traderer Judæis, nunc autem Regnum meum non eſt hinc, 2. 15. 3.
37. Quiſquis eſt ex veritate, audit vocem meam, 4. 2. 4.
38. Dicit ei Pilatus, Quid eſt veritas? & quum hoc dixiſſet, venit rurſum ad Judæos, & dicit eis, Ego nullum invenio crimen in eo, 2. 16. 5.
XIX. 11. Non haberes poteſtatem adverſus me ullam niſi tibi datum eſſet ſuperne, &c. 4. 20. 4.
30. Quum ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit, Conſummatum eſt, &c. 4. 18. 3, & 15.
34. Sed quidam ex militibus lancea latus ejus fodit, & ſtatim exivit ſanguis & aqua, 4. 14. 22.
32. Non confringetur ullum os ipſius, 1. 16. 9.
XX. 8. Tunc ergo introivit etiam alter ille diſcipulus, qui venerat prior ad monumentum, viditque & credidit, 3. 2. 4.
17. Ne me tangito: nondum enim aſcendi ad Patrem meum, &c. 2. 12. 2. & 4. 17. 29.
19. Quum ergo veſpera eſſet die illo primo hebdomadis, & fores eſſent clauſæ illic ubi erant diſcipuli coacti propter metum Judæorum, venit Jeſus ſtetitque in medio, 4. 17. 29.
22. Et quum hæc dixiſſet, afflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum, 4. 19. 7, & 29.
23. Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſi quorum retinueritis retenta ſunt, 3. 4. 12, & 4. 2. 22. & 4. 2. 10. & 4. 6. 3. & 4. 6. 4. & 4. 5. 4. & 4. 11. 1 & 4. 12. 4.
28. Dixit Thomas: Dominus meus & Deus meus, 1. 13. 11.
31. Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei, & credentes vitam habeatis, &c. 3. 2. 6.
XXI. 15. Simon fili Jonæ, diligis me plus quam hi? dicit ei, Etiam Domine. Tu noſti quod amem te: dicit ei, Paſce agnos meos, &c. 4. 6. 1. & 4. 19. 22.
18. Quum eſſes junior cingebas te, & ibas quo volebas, quum autem ſenueris, &c. 3. 8. 5.

ACTA SANCTORUM APOSTOLORUM.

I. 3. QUibus etiam ſeipſum, poſtquam ipſe paſſus fuit, repræſentarat vivum multis indubitatis ſignis, per dies quadraginta conſpectus ab eis, & dicens quæ ad regnum Dei ſpectant, 2. 16. 14. & 3. 25. 8. & 4. 17. 17.
5. Joannes quidem aqua baptizavit, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto iſtis non multis poſt diebus, 4. 15. 18.
8. Sed recipietis virtutem Spiritus Sancti, poſtquam ſupervenerit in vos, eritiſque mihi teſtes & in Jeruſalem, & in tota Judæa, Samariaque, & uſque ad ultimas terras, 4. 3. 12. & 4. 19. 8.
9. Et quum hæc dixiſſet, aſpicientibus ipſis elevatus eſt: & nubes ſuſceptum eum abſtulit ab oculis eorum, 2. 16. 14. & 3. 25. 3. & 4. 17. 17, 27.
10. Ecce viri duo aſtiterunt illis albo veſtitu qui dixerunt, 1. 14. 6.
11. Hic Jeſus qui ſurſum à vobis receptus eſt in cælum, ita veniet quemadmodum conſpexiſtis eum proficiſcentem in cælum, ibid. & 2. 12. 17. & 4. 17. 14, & 27.
15. Et per eos dies aſſurgens Petrus in medio diſcipulorum, dixit, (erat autem turba capitum eodem loci quaſi centum viginti,) 4. 3. 15.
23. Statuerunt igitur duos, Joſeph, qui vocatur Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Matthiam, 4. 3. 15, & 14.
26. Jecerunt igitur ſortes eorum: & cecidit ſors ſuper Matthiam, qui communibus calculis allectus eſt cum undecim Apoſtolis, 4. 3. 15.
II. 3. Et viſæ ſunt eis diſpertitæ linguæ inſtar ignis, quæ etiam ſedit ſuper unumquemque eorum, 4. 15. 8.
4. Repleti ſunt autem omnes Spiritu Sancto, cœperuntque loqui aliis linguis, 4. 19. 8.
21. Quicunque invocaverit nomen Domini, ſervabitur, 1. 13. 20.
23. Hunc inquam definito conſilio & providentia Dei deditum quum accepiſſetis, manibus ſceleratis cruci affixum interemiſtis, 1. 18. 1. & 3. 21. 6.
24. Quem Deus excitavit, ſolutis doloribus mortis, eo quod impoſſibile erat ipſum ab ea retineri, 2. 16. 11. & 12.
33. Itaque dextera Dei evectus, & promiſſum Sanctum Spiritum adeptus à Patre, effudit hoc quod vos nunc ſpectatis & auditis, 2. 16. 15.
37. His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt, Quid faciemus, viri fratres? 3. 3. 4. & 4. 16. 18.
38. Reſipiſcite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti, 4. 15. 6.
39. Vobis facta eſt promiſſio & liberis veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcunque videlicet advocaverit Dominus Deus noſter, 4. 16. 15.
41. Qui ergo libenter receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt, & additæ ſunt Eccleſiæ die illo capita quaſi ter mille, 4. 15. 6 & 4. 17. 6.
42. Eratque perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione, & fractione panis, & precibus, 4. 17. 5. & 4. 17. 35. & 4. 17. 44.
III. 6. Petrus autem dixit, argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula, 1. 13. 13. & 4. 19. 18.
15. Principem autem vitæ trucidaſtis, quem Deus excitavit à mortuis: cujus rei nos teſtes ſumus, 2. 17. 1.
18. Deus autem implevit omnia quæ prænunciaverat per os omnium Prophetarum ſuorum, Chriſtum paſſurum, 1. 18 5.
19. Reſipiſcite igitur & convertimini, ut deleantur peccata veſtra, 3. 3. 20.
21. Quem oportet quidem cælo capi, uſque ad tempora reſtitutionis omnium, quæ tempore prædixit Deus per os omnium Sanctorum à ſeculo Prophetarum, 2. 16. 15. & 4. 17. 29.
25. Vos eſtis filii Prophetarum & pacti quod pepigit Deus erga patres noſtros, &c. 2. 10. 23. & 2. 11. 1. & 4. 16. 15.
26. Vobis primum Deus excitatum filium ſuum Jeſum miſit qui benediceret vobis, unumquemque avertendo ab ipſius ſceleribus, 3. 3. 20.
IV. 12. Nec eſt in alio quoquam ſalus, nec enim aliud nomen eſt ſub cælo quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſervari, 2. 12. 1. & 2. 12. 14.
28. Ut facerent quæcunque manus tua & conſilium tuum prius definierant facienda, 1. 18. 1. & 3.
32. Multitudinis autem qui crediderant erat cor unum & anima una, 4. 1. 8.
V. 4. Tu non es mentitus hominibus, ſed Deo, 1. 13. 15.
16. Conveniebat autem etiam vulgus vicinarum urbium in Jeruſalem, adducens ægrotos & vexatos à ſpiritibus impuris, qui ſanabantur omnes, 4. 19. 18.
29. Obedire oportet Deo potius, quam hominibus, 3. 3. 19.
31. Hunc inquam Deus dextera ſua evectum conſtituit Principem ac Servatorem, ut det reſipiſcentiam Iſraeli & remiſſionem peccatorum, 3. 3. 19.
41. Ipſi ergo gaudentes profecti ſunt à conſpectu concilii, quod digni habiti eſſent qui pro nomine Jeſu contumelia afficerentur, 3. 8. 7.
VI. 1. Cæterum per eos dies quum multiplicarentur diſcipuli, ortum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, quod ipſorum viduæ deſpicerentur in miniſterio quotidiano, 3. 2. 6.
2. Itaque duodecim illi advocata multitudine diſcipulorum, dixerunt, Non eſt æquum nos derelicto ſermone Dei, miniſtrare menſis, 3. 2. 6. 4. 3. 15. & 4. 11. 9.
3. Diſpicite ergo fratres, ſeptem viros ex vobis, idoneo teſtimonio ornatos, &c. 4. 3. 9.
6. Qui cum precati eſſent, impoſuerunt eis manus, 4. 3, 13.
7. Itaque ſermo Dei creſcebat, & valde multiplicabatur numerus diſcipulorum in Jeruſalem, 3. 2. 6.
10. Sed non potuerunt reſiſtere ſapientiæ & Spiritui per quem loquebatur Stephanus, 3. 3. 22.
VII. 5. Nec dedit ei poſſeſſionem in ea, nec veſtigium quidem pedis, 2. 10. 13.
28. Num tu me vis interimere, quemadmodum interemiſti heri Ægyptium? 4. 20. 10.
44. Tabernaculum teſtimonii fuit cum patribus noſtris in deſerto, prout præceperat is qui dixerat Moſi, ut faceret illud ſecundum exemplar quod viderat, 2. 7. 1.
48. Excelſiſſimus ille non habitat in templis manu factis, 3. 20. 30 & 4. 1. 5.
53. Qui accepiſtis Legem per diſpoſitionem Angelorum, nec ſervaſtis, 1. 14. 9.
55. Quum autem eſſet plenus Spiritu Sancto, intentis in cælum oculis vidit gloriam Dei, & Jeſum adſtantem ad dextram Dei, 4. 17. 17, & 19.
56. Et ait, Ecce conſpicio cælos apertos, & Filium hominis adſtantem ad dextram Dei, 2. 16. 15. & 4. 17. 28.
59. Lapidarunt igitur Stephanum, invocantem & dicentem, Domine Jeſu, ſuſcipe, &c. 1. 13. 13. & 1. 15. 2. & 3. 25. 6.
VIII. 13. Simon verò & ipſe credidit, & baptizatus perdurabat apud Philippum, & conſpiciens ſigna, &c. 3. 2. 10.
14. Apoſtoli miſerunt ad eos Petrum ac Joannem, 4. 2. 7. & 4. 15. 8.
15. Qui quum deſcendiſſent, precati ſunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum, 4. 19. 6.
16. Nondum enim in quenquam illorum illapſus fuerat, ſed baptizati tantum fuerant in nomine Jeſu, 4. 13. 8. & 4. 19. 8.
17. Deinde impoſuerunt eis manus, & receperunt illi Spiritum Sanctum, 4. 15. 8. & 4. 16. 31.
18. Quum autem conſpexiſſet Simon per impoſitionem manuum Apoſtolorum dari Spiritum Sanctum, obtulit eis pecunias, 3. 2. 10.
22. Reſipiſce igitur ab iſta malitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi cogitatio cordis tui, 4. 1. 26.
27. Is igitur ſurgens profectus eſt, & ecce quidam Æthiops Eunuchus, dynaſtes Candaces Reginæ Æthiopum, qui præerat univerſis illius opibus, veneratque adoraturus in Jeruſalem, 3. 2. 32.
31. At ait ille, Qui enim poſſim, niſi quis mihi præiret? ibid.
37. Dixit vero Philippus, Si credis ex toto corde, licet baptizari, 4. 14. 8.
38. Ambo in aquam deſcenderunt Philippus ſimul & Eunuchus, & ille baptizavit eum, 4. 15. 25, & 31.
IX. 1. Saulus adhuc minas ſpirans ac cædem adverſus diſcipulos Domini, 3. 2. 6.
3. Quum autem iter faceret, factum eſt ut appropinquaret Damaſco, & repente circumfulſit eum lux è cælo, 4. 17. 17.
4. Et quum cecidiſſet in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saul, Saul, quid me perſequeris? 3. 25. 3. & 4. 17. 19.
6. Surge & ingredere urbem, & dicetur tibi quid te oportet facere, 4. 5. 3.
10. Erat autem quidam diſcipulus Damaſci, nomine Ananias, ad quem dixit per viſum Dominus, Anania: & ille ait, Ecce ego adſum, Domine, 3. 2. 3.
13. Domine, audivi ex multis de viro iſto quod malis affecerit Sanctos tuos in Jeruſalem, 1. 13. 13.
14. Quin etiam hoc loco habet poteſtatem, à Principibus Sacerdotum vinciendi omnes qui invocant nomen tuum, ibid.
15. Inſtrumentum electum eſt mihi iſte, 4. 3. 5.
17. Abiit igitur Ananias, & introivit domum illam, & impoſitis manibus dixit, Saul frater, Dominus miſit me (Jeſus inquam qui apparuit tibi in via qua veniebas) ut viſum recipias, 4. 19. 10.
19. Fuit autem Saulus cum diſcipulis qui erant Damaſci, per dies aliquot, 3. 2. 3.
25. Acceptum igitur eum diſcipuli nocte, per murum demiſerunt, fune ſummiſſum in ſporta, ibid.
26. Et omnes timebant eum, non credentes quod eſſet diſcipulus, ibid.
36. Joppæ autem fuit quædam diſcipula nomine Tabitha, quæ, ſi interpreteris, dicitur Caprea. Hæc erat dives operum bonorum & eleemoſynarum quas præſtabat, ibid.
38. Quum autem Lydda eſſet prope Joppen diſcipuli, audito Petrum illic eſſe, duos viros miſerunt ad eum, ibid.
40. Ejectis vero omnibus foras, Petrus poſitis genibus precatus eſt, 4. 19. 2.
X. 2. Cornelius pius ac timens Deum, cum tota domo ſua, & præſtans eleemoſynas multas populo, ibid. & 3. 24. 10.
3. Qui quum aſſidue precaretur Deum, vidit per viſum maniſeſte quaſi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem, 4. 3. 3.
25. Ut autem factum eſt ut introiret Petrus, occurrens ei Cornelius, & accidens ad ejus pedes adoravit, 1. 12. 3.
31. Dixitque, Corneli, exauditæ ſunt preces tuæ, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei, 3. 2. 32.
34. In veritate comperio Deum non accipere perſonam, 3. 17. 4. & 3. 13. 10.
42. Præcepit autem nobis ut prædicaremus populo; ac teſtificaremur eum eſſe qui definitus ſit à Deo judex vivorum & mortuorum, 2. 16. 17.
43. Huic etiam omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum 3. 4. 25. & 3. 5. 2.
44. Adhuc loquente Petro verba iſta, illapſus eſt Spiritus Sanctus in omnes qui audiebant hunc ſermonem, 4. 16. 31.
48. Juſſitque eos baptizari in nomine Domini, 4. 15. 15.
XI. 3. Ad viros præputium habentes introiſti, & una ediſti cum eis, 4. 6. 7.
4. Exorſus autem Petrus omnia expoſuit eis ordine, ibid.
16. Memini autem illius dicti Domini: cum diceret, Joannes quidem baptizavit aqua, vos vero baptizabimini Spiritu Sancto, 3. 2. 3. & 4. 15. 18.
18. His autem auditis quieverunt, & glorificaverunt Deum, dicentes, nempe etiam gentibus Deus reſipiſcentiam dedit ad vitam, 3. 3. 21.
26. Ita ut diſcipuli nominarentur primum Antiochiæ Chriſtiani, 3. 2. 6. & 4. 16. 31.
29. Singuli autem diſcipulorum, prout cuique ſuppetebat, decreverunt aliquid ſubſidii mittere, &c. 3. 2. 6.
XII. 15. At illi dicebant, Angelus ejus eſt, 1. 14. 7.
XIII. 2. Separate mihi Barnabam & Saulum operi ad quod eos advocavi, 4. 12. 14.

3. Quum

I N D E X.

3. Quum igitur jejunaſſent & precati eſſent, & impoſuiſſent eis manus, dimiſerunt eos, 4. 3. 15. & 4. 12. 14. & 4. 12. 16.
36. David quidem quum ſua ætate inſerviſſet Dei conſilio, obdormivit, & adjunctus eſt patribus ſuis, ſenſitque corruptionem. 3. 10. 13.
38. Notum ſit igitur vobis, fratres, annunciari vobis remiſſionem peccatorum per iſtum, 3. 11. 5. & 3. 11. 22.
39. Et ab omnibus à quibus per Legem Moſis abſolvi non potuiſtis, per hunc quemvis qui credat abſolvi, 1. 17. 5. & 3. 11. 9.
43. Qui alloquentes eos, perſuaſerunt eis ut perſeverarent in gratia Dei, 2. 3. 8.
48. Gentes autem hæc audientes gaviſæ ſunt, & glorificabant ſermonem Domini, & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam, 3. 2. 11. & 3. 14. 1. & 3. 24. 13.
52. Diſcipuli vero replebantur gaudio & Spiritu Sancto, 3. 2. 8.
XIV 16. Qui præteritis ætatibus ſivit omnes Gentes ſuis ipſarum viis incedere, 1. 5. 14. & 2. 11. 11.
20. Sed quum cinxiſſent eum diſcipuli, ſurrexit, & ingreſſus eſt urbem, 3. 2. 8.
22. Oportet nos per multas oppreſſiones ingredi in regnum Dei, 3. 8. 1. & 3. 18. 7. & 3. 25. 2.
23. Quumque ipſi per ſuffragia creaſſent per ſingulas Eccleſias Presbyteros, precatique eſſent cum jejuniis, commendarunt eos Domino in quem crediderant, 4. 3. 7. & 4. 3. 12. & 4. 3. 15. & 4. 12. 16.
XV. 7. Quum autem multa diſceptatio fuiſſet, ſurgens Petrus dixit eis, Viri fratres, vos ſcitis Deum jampridem inter nos elegiſſe me, &c. 4. 6. 7.
9. Nihilque diſcrevit inter nos & illos, fide purgatis cordibus ipſorum, 3. 14. 8. & 4. 14. 4.
10. Nunc ergo quid tentatis Deum, impoſitu jugo cervici diſcipulorum, 2. 2. 8.
11. Imo per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus nos ſervatum iri, quemadmodum & illos, 3. 5. 4.
20. Sed ad eos ſcribendum ut abſtineant à pollutionibus idolorum, à ſcortatione, & ſuffocato, &c. 4. 10. 17. & 4. 10. 21.
29. Videlicet ut abſtineatis ab iis quæ ſunt immolata ſimulachris, &c. 4. 10. 17.
XVI. 1. Pervenit autem Derbem & Lyſtram: & ecce, diſcipulus quidam erat illic nomine Timotheus, filius mulieris cujuſdam Judææ fidelis, &c. 3. 3. 6.
3. Eum itaque voluit Paulus ſecum proficiſci & aſſumptum eum circumcidit, propter Judæos qui in illis locis erant, 3. 19. 12.
14. Quædam autem mulier nomine Lydia quæ purpuram vendebat in urbe Thyatirorum, Deum colens, &c. 3. 24. 13.
15. Quum vero baptizata fuiſſet & familia ejus, &c. 4. 16. 8.
33. Et baptizatus eſt ipſe, & omnes domeſtici illius illico, ibid.
37. Paulus autem dixit eis, Cæſos nos publice, indicta cauſa, quum ſimus Romani, conjecerunt in carcerem, & nunc clam nos ejiciunt? non profecto: ſed veniant ipſi, & nos educant, 4. 20. 19.
XVII. 23. Pertranſiens enim & contemplans ſacra veſtra, inveni etiam aram cui inſcriptum erat, Ignoto Deo, &c. 1. 5. 12, 13.
27. Ut quærerent Deum, ſi forte palpando eum invenirent, quanquam profecto non longe abeſt ab unoquoque noſtrum, 1. 5. 3. & 1. 5. 9. & 1. 5. 14.
28. Per ipſum enim vivimus & movemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtratium Poëtarum dixerunt: nam hujus progenies etiam ſumus, 1. 5. 3. & 1. 15. 5. & 1. 16. 1. & 2. 18. 4.
29 Progenies ergo Dei quum ſimus, non debemus exiſtimare auro aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artificii aut commentationis hominum numen eſſe, &c. 1. 11. 2.
30. Temporibus igitur iſtis ignorantiæ diſſimulatis, Deus nunc denuntiat omnibus ubique hominibus ut reſipiſcant, 3. 3. 7.
32 Quum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, alii quidem cavillabantur, &c. 3. 25. 7.
XVIII. 18 Quum totondiſſet caput Cenchreis: habebat enim votum. 4. 19. 28.
23. Confirmans omnes diſcipulos, 3. 2. 6.
XIX. 1. Ubi quum diſcipulos inveniſſet, dixit eis, &c. ibid.
3. In quid ergo baptizati eſtis, at illi dixerunt, In Joannis baptiſma, 4. 15. 2. & 4. 15. 18.
4. Joannes quidem baptizavit baptiſmo reſipiſcentiæ, dicens populo ut in eum qui venturus erat poſt ipſum, crederet, 4. 15. 7.
5. His igitur auditis baptizati ſunt in nomen Domini Jeſu, 4. 15. 6. & 4. 15. 8. & 4. 15. 18.
6. Et cum eis impoſuiſſet manus Paulus, venit Spiritus Sanctus in eos: & loquebantur linguis, & prophetabant, 4. 8. 15.
12. Ita ut etiam ad ægrotos deferrentur à corpore ejus ſudaria ſeu ſemicinctia, & diſcederent ab eis morbi, & ſpiritus mali ab eis exirent, 4. 19. 18.
13. Aggreſſi ſunt vero quidam ex circulatoribus Judæis exorciſtis nominare ſuper eos qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Jeſu, dicentes: Adjuramus vos per Jeſum, quem Paulus prædicat, 4. 19. 24.
XX. 1. Poſtquam autem ceſſavit tumultus, quum advocaſſet Paulus diſcipulos, & complexus eſſet, &c. 3. 2. 6.
10. Quum deſcendiſſet autem Paulus, ruit in eum, & complexus dixit, Ne tumultuamini, anima enim ejus in ipſo eſt, 4. 19. 12.
17. Miſſis autem Mileto nuntiis Epheſum, accerſivit Presbyteros Eccleſiæ, 4. 3. 8.
18. Vos ſcitis, à primo die quo ingreſſus ſum Aſiam, quomodo vobiſcum per omne tempus fuerim, 4. 3. 7.
20. Ut nihil ſubterfugerim eorum quæ vobis conducerent, quominus ea vobis annunciarem, & docerem vos publice, & per ſingulas domos, 4. 1. 22. & 4. 3. 8. & 4. 11. 14.
21. Teſtificans Judæis ſimul & Græcis converſionem ad Deum, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum, 3. 2. 1. & 3. 3. 1. & 3. 3. 5.
26. Teſtor vos hodierno die, me purum eſſe à ſanguine omnium, 4. 4. 3 & 4. 12. 2.
28. Attendite igitur ad vos ipſos, & totum gregem in quo vos Spiritus Sanctus conſtituit Epiſcopos, ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam proprio illo ſanguine acquiſivit, 2. 13. 11. & 2. 14. 8 & 3. 5. 2. & 3. 11. 2. & 4. 3. 2. & 4. 3. 8.
29. Ego hoc novi, poſt diſceſſum meum lupos graves, non parcentes gregi ingreſſuros eſſe in vos, 4. 9. 4.
30. Et ex vobis ipſis exorituros qui loquantur perverſa, ut diſcipulos poſt ſe abſtrahant, ibid.
31. Ideo vigilate, memores me per triennium, nocte & die non ceſſaſſe cum lacrymis monere unumquemque, 4. 3. 8.
36. Et quum hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis oravit cum illis omnibus, 4. 19. 2.
XXI. 4. Permanſimus autem ibidem dies ſeptem inventis diſcipulis, 3. 2. 8.
XXII. 1. Viri fratres & patres, audite meam quam nunc apud vos utor defenſionem, 3. 20. 19.
16. Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine Domini, 4. 15. 15.
18. Et vidi eum qui mihi dixit, Feſtina, & exito ex Jeruſalem: quoniam non accipient teſtimonium tuum de me, 4. 17. 27. & 4. 17. 29.
25. Quum autem adſtrinxiſſent eum loris, dixit adſtanti Centurioni Paulus, Num hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? 4. 20. 19.
XXIII. 1. Intentis autem in conſeſſum oculis Paulus ait, Viri fratres, Ego omni conſcientia bona, ſervivi Deo ad hunc uſque diem, 3. 17. 14.
8. Sadducæi quidem dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum, 1. 14. 9. & 1. 15. 2. & 2. 10. 23. & 3. 25. 5.
12. Orto autem die quidam ex Judæis facta coitione devoverunt ſeſe, dicentes, neque eſuros ſe, neque bibituros uſquequo trucidaſſent Paulum, 4. 13. 3.
XXIV. 12. Neque vero me in templo invenerunt cum aliquo diſſerentem, aut coitionem turbæ facientem, neque in ſynagogis, neque in urbe, 4. 20. 19.
15. Et ſpem habeam in Deum, fore quam etiam ii ipſi expectant reſurrectionem mortuorum, tum juſtorum, cum injuſtorum, 3. 25. 9.
16. In hoc igitur me exerceo, ut conſcientiam habeam ſine offendiculo, apud Deum & apud homines ſemper, 3. 19. 16 & 4. 10. 4.
XXV. 10. Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæſaris ſto, ubi me oportet judicari, Judæis nulla in re injuriam feci, ſicut & tu pulchre noſti, 4. 20. 19.
11. Nam ſi quam injuriam, ac dignum morte aliquid feci, non recuſo mori: ſin vero nihil eſt eorum quorum iſti me accuſant, nemo poteſt me illis donare: Cæſarem appello, 4. 20. 19.
XXVI. 17. Eruens te ex hoc populo, & gentibus ad quos nunc te mitto, 3. 2. 1.
18. Ut aperias oculos eorum ut ſe convertant à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum, ut remiſſionem peccatorum & ſortem inter ſanctificatos accipiant per fidem quæ eſt in me. ibid.
20. Sed iis primum qui ſunt Damaſci, & Hieroſolymis, & per omnem regionem Judææ, deinde & gentibus annuntiavi, ut reſipiſcerent & reciperent ſe ad Deum, opera facientes digna iis qui reſipiſcunt, 3. 3. 5.
XXVIII. 15. Unde quum audiſſent fratres de rebus noſtris, prodierunt nobis in occurſum, 4. 8. 15.
16. Quum autem veniſſemus Romam, Centurio tradidit vinctos præfecto exercituum. &c. ibid.
25 Recte ſane Spiritus Sanctus loquutus eſt per Jeſaiam Prophetam Patribus noſtris, &c. 1. 13. 15.

AD ROMANOS.

I. 1. Paulus ſervus Jeſu Chriſti, ex Dei vocatione Apoſtolus, ſeparatus ad prædicandum Evangelium Dei, 2. 14. 8. & 4. 3. 10.
2. Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis, 2. 10. 3.
3. De filio ſuo, facto ex ſemine Davidis ſecundum carnem, 2. 13. 1. & 2. 13. 3 & 2. 14. 8.
4. Declarato filio Dei potenter (ſecundum Spiritum ſanctificationis, per reſurrectionem à mortuis) nempe Jeſu Chriſto Domino noſtro, 2. 18. 13. & 4. 9. 22.
5. Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum ad obedientiam fidei, inter omnes Gentes, &c. 3. 2. 8. & 3. 2. 2. & 3. 2. 29.
7. Gratia vobis ſit & pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto, 1. 13. 13.
9. Teſtis eſt mihi Deus cui ſervio ſpiritu meo in Evangelio Filii ipſius, quod indeſinenter memineram veſtri, 2. 8. 27.
16. Non me pudet Evangelii Chriſti, potentia Dei ſiquidem eſt ad ſalutem cuivis credenti, Judæo inprimis, tum etiam Græco, 2. 9. 4. & 2. 10. 3. & 3. 2. 29. & 4. 1. 5.
17. Juſtitia enim Dei per illud retegitur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt, Juſtus ex fide vivet, 3. 2. 29 & 3. 11. 19 & 3. 2. 32.
19. Quoniam id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in ipſis: Deus enim eis manifeſtum fecit, 1. 5. 1. & 1. 5. 14.
20. Ipſius enim inviſibilia jam inde à condito mundo ex operibus ipſius mente perpenſa pervidentur, 1. 5. 1.
21. Propterea quod cum Deum cognoverint, tamen ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt: ſed vani facti ſunt in ratiocinationibus, &c. 1. 5. 12, 13.
22. Quum ſe profiterentur ſapientes, ſtulti facti ſunt, 1. 4. 1.
26. Propterea tradidit eos Deus fœdis affectibus, &c. 1. 18. 2.
28. Et ſicut non viſum eſt eis, Deum in notitia retinere: ita tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem, ut facerent quæ minime conveniebant. 1. 18. 2.
II. 6. Qui reddet unicuique ſecundum opera ipſius, 3. 16. 3. & 3. 18. 1.
11. Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum, 3. 23. 10.
12. Quicunque enim ſine Lege peccaverunt, ſine Lege quoque peribunt: & quicunque in Lege peccaverunt per Legem damnabuntur, 2. 2. 22.
13. Non enim qui audiunt Legem, juſti ſunt apud Deum, ſed qui legem præſtant, juſtificantur, 3. 11. 15. & 3. 17. 13.
14 Nam quum Gentes quæ legem non habent, natura quæ Legis ſunt faciant, iſti legem non habentes, &c. 2. 2. 22.
15. Ut oſtendant opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, una teſtimonium reddente ipſorum conſcientia, & cogitationibus ſeſe mutuo accuſantibus, &c. ibid. & 3. 19. 15. & 4. 10. 3.
25. Si tranſgreſſor Legis fueris, circumciſio tua facta eſt præputium, 4. 14. 24.
III. 4. Imo eſto Deus verax, omnis autem homo mendax, 4. 15. 17.
9. Quid igitur? præcellimus? nullo modo: nam ante criminati ſumus Judæos & Græcos omnes eſſe ſub peccato, 3. 4. 8.
12. Sicut ſcriptum eſt, Non eſt juſtus ne unus quidem, &c. 2. 1. 9. & 2. 3. 2. & 2. 5. 3.
12. Non eſt qui faciat quod bonum eſt, non eſt uſque ad unum, 2. 3. 3.
15. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, ibid.
19. Scimus autem, quæcunque Lex dicit, iis qui in Lege ſunt dicere: ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei, 2. 7. 8. & 2. 10. 3 & 3. 4. 6.
20. Propterea ex operibus Legis nulla caro juſtificabitur in conſpectu ejus: per Legem enim agnitio peccati, 2. 5. 8. & 2. 7. 7. & 3. 11. 19.
21. Nunc vero abſque Lege Juſtitia Dei patefacta eſt, comprobata teſtimonio Legis & Prophetarum, 2. 9. 4. & 2. 10. 3 & 3. 11. 18. & 3. 11. 19.
23. Juſtificantur autem gratis, id eſt, ejus gratia per redemptionem factam in Jeſu Chriſto, 2. 5. 9. & 2. 18. 5. & 2. 17. 5. & 3. 4. 30. & 3. 11. 4. & 3. 11. 19. & 3. 15. 18. & 3. 20. 45.
24. Quem propoſuit Deus ut eſſet placamentum per fidem, in ſanguine ipſius, ad declarandam juſtitiam ſuam, per remiſſionem præcedentium peccatorum ex Dei tolerantia, 4. 15. 8.
25. Ad declarandam juſtitiam ſuam præſenti tempore: ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu, 3. 11. 12. & 3. 13. 1. & 3. 13. 2. & 3. 14. 17.
26. Ubi igitur glorificatio? excluſa eſt. per quam legem? operum? non, imo per legem fidei, 3. 11. 13 & 3. 13. 2.
IV. 2. Nam ſi Abraham ex operibus juſtificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum, 3. 11. 13. & 3. 11. 18.
3. Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei pro juſtitia, 3. 17. 8 & 3. 17. 10.
4. Ei qui operatur merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito, 3. 11. 20.
5. Ei vero qui non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, imputatur fides ſua pro juſtitia, 3. 12. 3. & 3. 11. 6.
6. Sicut etiam David pronuntiat beatum eum hominem cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus, dicens, 2. 17. 5. & 3. 11. 4. & 3. 11. 20. & 11. 22.
7. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum obtecta ſunt peccata, &c. 3. 11. 11.
10. Quomodo ergo imputata eſt? cum eſſet in circumciſione, an cum eſſet in præputio? &c. 4. 18 3.
11. Et ſignum accepit circumciſionis, quod obſignaret juſtitiam fidei, quæ fuerat in præputio, &c. 4. 14. 5. & 4. 14. 22. & 4. 14. 23. & 4 16 20.
12. Et pater circumciſionis, iis videlicet qui non ſolum ſunt ex circumciſione, &c. 4. 16 12.
13. Non enim per Legem promiſſio ceſſit Abrahæ, aut ſemini ejus ut eſſet hæres mundi, ſed per juſtitiam fidei, 3. 14. 11.
14. Etenim ſi ii qui ex lege ſunt, hæredes ſunt, inanis facta eſt fides, & vana reddita eſt promiſſio, 3. 13. 11. & 3. 13 3.
15. Nam lex iram efficit: ſiquidem ubi non eſt lex, ibi nec tranſgreſſio eſt, 2. 7. 7 & 3. 11. 19.
17. Sicut ſcriptum eſt (patrem multarum gentium conſtitui te) coram eo cui credidit, Deo videlicet vivificante mortuos, & vocante quæ non ſunt, tanquam ſint, 1. 10. 11. & 3. 2. 25. & 3. 14. 5.

23. Ac

Google

INDEX.

23. At plane perſuaſum habens, eum quòd promiſerat, poſſe etiam facere, 3. 2. 31.
25. Traditus in mortem propter offenſas noſtras, & excitatum propter juſtificationem noſtram, 2. 16. 5, & 13. & 2. 17. 5.

V. 1. Juſtificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, 3. 2. 16. & 3. 13. 3, 6.
3. Scientes quod oppreſſio patientiam efficiat, 3. 8. 3.
5. Porro ſpes non pudefacit, quod charitas Dei effuſa ſit in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis, 3. 1. 2. & 3. 2. 12.
8. Commendat autem ſuam charitatem erga nos Deus, quod quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit, 2. 12. 4. & 2. 16. 4. & 3. 4. 25.
9. Juſtificati igitur ejus ſanguine, ſervabimur nunc multo magis per eum ab ira, 2. 16. 5.
10. Nam ſi quum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo, per Filii ejus mortem, multo magis reconciliati ſervabimur per vitam ipſius, 2. 16. 2, 3. & 2. 17. 3. & 2. 16. 4. & 2. 17. 6. & 3. 11. 21. & 3. 14. 6.
12. Sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors: ita & in omnes homines mors tranſiit, in quo omnes peccarunt, 2. 1. 6, 8. & 2. 11. 4.
15. At non ut offenſa, ita etiam eſt quod Deus gratificatur, nam ſi illius unius offenſa multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum per gratiam quæ eſt unius hominis Jeſu Chriſti, &c. 1. 5. 4.
16. Neque ut illud quod introiit per unum qui peccavit, ita eſt beneficium: nam reatus quidem ex una offenſa introiit ad condemnationem: quod autem gratificatur Deus, datur ex multis offenſis ad juſtificationem, 2. 17. 3, & 4.
19. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam, juſti conſtituentur multi, 2. 1. 4. & 2. 16. 5. & 2. 17. 3. & 3. 11. 4. 9, 12, 13. & 4. 14. 21.
20. Lex vero introiit ut augeretur offenſa: ſed ubi auctum eſt peccatum, ibi ſuperabundavit gratia, 2. 5. 6. & 2. 7. 7.

VI. 3. An ignoratis nos quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Jeſum, in mortem ejus eſſe baptizatos? 4. 15. 5.
4. Sepulti igitur ſumus nos cum eo per Baptiſmum in mortem: ut ſicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in nova vita ambulemus, 2. 8. 31. & 2. 16. 7, 13. & 3. 3. 5. & 4. 16. 6, 11. & 4. 19. 8.
6. Illud ſcientes, veterem illum noſtrum hominem cum illo crucifixum eſſe, ut enervetur corpus peccati; ne poſthac nos ſerviamus peccato, 3. 3. 9, & 11.
12. Ne regnet igitur peccatum in mortali veſtro corpore, ut obediatis peccato in cupiditatibus corporis, 3. 3. 13.
14. Peccatum vobis non dominabitur, non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. 3. 19. 6. & 4. 15. 12.
18. Liberati igitur à peccato, mancipati eſtis juſtitiæ, 3. 6. 3. & 3. 16. 2.
19. Humanum more loquor, propter infirmitatem carnis veſtræ. Itaque ſicut ſtitiſtis membra veſtra ſerva impuritati & iniquitati ad patrandam iniquitatem, &c. 3. 24. 10. & 3. 25. 8.
23. Stipendia peccati mors, donum autem Dei eſt vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro, 2. 8. 58, 59. & 3. 4. 28. & 3. 14. 21.

VII. 1. An ignoratis fratres, (peritos enim alloquor) Legem tantiſper dominari homini quoad ipſe vixerit? 4. 15. 12.
7. Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Imo peccatum non cognovi niſi per Legem, &c. 2. 5. 6. & 2. 7. 6.
8. Sed peccatum occaſione per mandatum ſumpta effecit in me omnem cupiditatem, 2. 5. 6.
9. Nam abſque lege peccatum quidem erat mortuum: ego vero vivebam abſque lege quondam, &c. ibid.
11. Nam peccatum, occaſione ſumpta, ſeduxit me, &c. ibid.
12. Itaque lex ipſa quidem ſancta, & mandatum illud ſanctum, juſtum ac bonum, 2. 9. 4.
13. Ergo quod bonum eſt mihi, factum eſt mors? abſit: imo peccatum mihi factum eſt mors, ut manifeſtum ſit quod peccatum mihi per id quod bonum eſt efficiat mortem, &c. 2. 5. 6.
14. Scimus enim Legem eſſe ſpiritualem, ego vero carnalis ſum, 2. 8. 6.
15. Quod enim perpetro, non agnoſco: non enim quod volo, hoc ago, ſed quod odi, hoc facio, 2. 2. 27.
18. Novi enim in me non habitare (id eſt, in carne mea) bonum: nam velle adeſt mihi, &c. ibid. & 2. 1. 9.
19. Non facio bonum quod volo: ſed malum quod nolo hoc ago, 2. 2. 27. & 3. 3. 11.
20. Quod ſi id facio quod ego nolo, non amplius ego id perpetro: ſed peccatum quod in me habitat id perpetrat, 2. 2. 27.
23. Sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis, 3. 3. 14.
24. Miſer ego homo: quis me eripiet ex iſto corpore mortis? 3. 9. 4. & 3. 11. 11. & 4. 15. 12.

VIII. 1. Nulla igitur nunc eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, id eſt, qui non ſecundum carnem incedunt, &c. 3. 4. 28. & 4. 15. 12.
3. Quum enim Legis impotentia nihil poſſet in carne, Deus ſuo ipſius Filio miſſo, conformato carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnavit peccatum in carne, 2. 7. 5. & 2. 12. 4. & 2. 13. 1, 4. & 2. 16. 6. & 3. 2. 32. & 3. 4. 27. & 3. 11. 23.
6. Nam intelligentia carnis, mors eſt: intelligentia vero ſpiritus, vita & pax, 2. 3. 1.
7. Propterea quod intelligentia carnis inimicitia eſt adverſus Deum, Legi enim Dei non ſubjicitur: nam ne poteſt quidem, 2. 1. 9. & 3. 3. 8. & 3. 20. 24.
9. Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu: ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis: quod ſiquis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus, 3. 1. 2, & 3. 2. 39. & 4. 17. 12.
10. Porro ſi Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: ſpiritus autem vita eſt propter juſtitiam, 3. 1. 6. & 3. 11. 3. & 3. 2. 24. & 3. 3. 25. & 4. 17. 12.
11. Si Spiritus ejus qui excitavit Jeſum à mortuis habitat in vobis, is qui excitavit Chriſtum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora veſtra per inhabitantem ejus Spiritum in vobis, 1. 13. 18. & 3. 1. 2. & 3. 2. 39. & 3. 25. 3, 8. & 4. 17. 12.
14. Quotquot Spiritu Dei ducuntur, ii ſunt filii Dei, 3. 2. 39.
15. Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis rurſum ad metum, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis, &c. 2. 11. 9. & 2. 14. 5. & 3. 1. 3. & 3. 2. 11. & 3. 13. 3. & 3. 20. 1. & 3. 24. 1. & 4. 19. 22.
16. Qui ipſe Spiritus teſtatur una cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei, 3. 2. 39.
17. Quod ſi filii, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, &c. 2. 12. 2.
19. Res creatæ quaſi exerto capite obſervantes, expectant revelationem filiorum Dei, 3. 9. 5. & 3. 25. 2.
20. Res creatæ vanitati ſubjectæ ſunt, non ſua ſponte, &c. 2. 1. 5.
21. Scimus omnes res creatas una ſuſpirare & una parturire ad hoc uſque tempus, 2. 1. 5. & 3. 25. 2.
22. Neque vero illæ ſolum, ſed & ipſi qui primitias Spiritus habemus, nos ipſi inquam apud nos ipſos ſuſpiramus, adoptionem expectantes, id eſt, redemptionem corporis noſtri, 3. 18. 3. & 3. 25. 11. & 4. 8. 11.
24. Spe ſervati ſumus, ſpes autem ſi cernatur, non eſt ſpes, &c. 3. 9. 3.
25. Si vero quod non videmus ſperamus, nempe per patientiam expectamus, 3. 2. 41. 42. & 3. 25. 1.
26. Itidem autem & Spiritus una ſublevat infirmitates noſtras, quid enim precemur ut oportet, non novimus, &c. 3. 20. 5.
27. Qui ſcrutatur corda, novit quis ſit ſenſus Spiritus: quia ſecundum Deum interpellat pro ſanctis, 3. 20. 3, 36. & 3. 18. 7. & 3. 24. 1.
28. Quos præſcivit, eoſdem prædeſtinavit, ut conformes ſint imagini filii ſui: ut is ſit primogenitus inter multos fratres, 2. 13. 2. & 3. 1. 1, 3. & 3. 5. 1. & 3. 15. 8.
29. Quos vero prædeſtinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam juſtificavit, quos autem juſtificavit, &c. 2. 3. 2. & 3. 14. 20. & 3. 18. 4. & 3. 24. 6.
31. Is quidem qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, qui non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? 2. 14. 7. & 2. 17. 6. & 3. 24. 3.
33. Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? Deus is eſt qui juſtificat, 3. 11. 3, 6, & 11.
34. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt qui mortuus eſt, imo vero qui etiam excitatus eſt, qui etiam eſt ad dextram Dei, &c. 2. 16. 13, 16, 18. & 3. 20. 20.
35. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? num oppreſſio, num anguſtia, num perſecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? 3. 13. 5.
36. Cauſa tua occidimur totum diem, habiti ſumus velut oves deſtinatæ mactationi, 3. 8. 6. & 3. 25. 3. & 3. 14. 19.
37. Nam mihi perſuaſum eſt neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, 3. 2. 16, 40. & 3. 15. 2. & 3. 24. 6.
38. Neque ſublimitatem, neque profunditatem, neque rem ullam aliam creatam poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro, 3. 2. 16, 28, & 40.

IX. 3. Optarim enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis, cognatis inquam meis ſecundum carnem, 3. 20. 35.
5. Quorum ſunt Patres, & ii ex quibus Chriſtus quod ad carnem attinet, qui eſt ſupra omnes Deus laudandus in ſecula, Amen, 1. 13. 11. & 2. 13. 1, 3. & 2. 14. 6.
6. Non omnes qui ſunt ex patre Iſraële, ſunt Iſraël, 3. 22. 4. & 4. 2. 3.
7. Neque quia ſunt ſemen Abrahæ, ideo omnes ſunt filii: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, 3. 21. 7. & 4. 16. 14.
8. Hoc eſt, non qui filii carnis, ii filii Dei: ſed qui ſunt filii promiſſionis, cenſentur in ſemine, 3. 21. 7.
11. Nondum natis pueris, quum nihil feciſſent boni vel mali, ut propoſitum Dei quod eſt ſecundum ipſius electionem, 3. 21. 6.
12. Non ex operibus ſed ex vocante, firmum maneret, dictum eſt ei, Major ſerviet minori, 3. 2. 25.
13. Sicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui, 3. 21. 7. & 3. 22. 11.
14. Quid igitur dicemus? num injuſtitia eſt apud Deum? Abſit, 3. 21. 3.
15. Miſerebor cujus miſertus fuero, & commiſerabor quem commiſeratus fuero, 3. 22. 6.
16. Nempe igitur electio non eſt ejus qui velit, neque ejus qui currat, ſed miſerentis Dei, 2. 5. 6. 17. & 3. 24. 1.
17. Ad hoc ipſum excitavi te ut oſtendam in te poteſtatem meam, &c. 3. 24. 14.
18. Itaque cujus vult miſeretur, quem autem vult indurat, 1. 18. 2. & 3. 22. 11.
20. Imo vero, ô homo, tu qui es qui ex adverſo reſponſas Deo? 3. 23. 1, 4. & 3. 24. 16.
21. An non habet poteſtatem figulus in lutum, ut ex eadem maſſa. &c. 3. 17. 5.
22. Quid vero ſi volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, pertulit multa lenitate vaſa iræ, &c. 1. 14. 18. & 3. 23. 1.
23. Et ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparavit. &c. 1. 13. 19.
24. Quos etiam vocavit nimirum nos non ſolum ex Judæis, verumetiam ex Gentibus, 3. 24. 16.
27. Jeſaias autem clamat ſuper Iſraël, Etiamſi fuerit numerus filiorum Iſraël ut arena maris, reliquiæ ſervabuntur, 3. 21. 7.
32. Offenderunt ad lapidem offendiculi, 1. 13. 23.
33. Ecce, pono in Sion lapidem offendiculi & petram offenſionis, &c. 1. 13. 11.
Quiſquis credit in eum non pudefiet, 1. 13. 13.

X. 3. Nam ignorantes Dei juſtitiam, & propriam juſtitiam ſtudentes, &c. 3. 11. 13.
4. Finis Legis eſt Chriſtus ad juſtitiam cuivis credenti, 1. 6. 2. & 2. 6. 4. & 2. 7. 2. & 3. 2. 6. & 4. 18. 13.
5. Moſes enim Juſtitiam quæ ex lege eſt deſcribit. Qui præſtiterit ea, vivet per illa, 3. 11. 14, 17. & 3. 17. 3.
6. Atque ex fide eſt juſtitia, ita dicit. Ne dixeris in corde tuo. Quis aſcendet in cælum? &c. 1. 17. 2.
7. Aut quis deſcendet in abyſſum? Hoc eſt, Chriſtum ex mortuis reducere, ibid.
8. Hoc eſt verbum illud fidei quod prædicamus, 2. 5. 12. & 3. 2. 29, 30. & 4. 14. 14.
9. Quod ſi confeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum, & credideris in. &c. 3. 11. 4.
10. Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, 3. 2. 2, & 8.
11. Quiſquis credit in eum non pudefiet, 1. 13. 13.
14. Quomodo igitur invocabunt eum in quem non crediderint? &c. 3. 20. 1, & 11.
17. Fides ex auditu: auditus, &c. 3. 20. 27. & 4. 1. 5. & 4. 8. 9. & 4. 16. 19. & 4. 6. 31.

XI. 2. Non abjecit Deus populum ſuum quem præcognovit, &c. 3. 21. 6.
4. Sed quid dicit ei Divinum reſponſum? Feci ut remanerent mihi ſeptem millia virorum qui non flexerunt genu imagini Baal, 4. 1. 2.
5. Sic igitur & hoc tempore reſervatio ſecundum electionem gratuitam facta eſt, 3. 21. 1, & 7.
6. Quod ſi per gratiam, non jam ex operibus: alioqui gratia jam non eſt gratia, &c. 3. 14. 3.
16. Quod ſi primitiæ ſanctæ, ſancta etiam maſſa & ſi radix ſancta eſt, etiam rami, 4. 16. 15.
17. Quod ſi nonnulli rami defracti ſunt, tu vero quum eſſes oleaſter inſitus es pro ipſis, & particeps radicis & pinguedinis oleæ factus es, 3. 1. 1.
20. Recte: per infidelitatem defracti ſunt, tu vero per fidem ſtas. ne efferaris animo, ſed time, 2. 3. 22. & 3. 24. 6.
26. Et ita totus Iſraël ſervabitur, ſicut ſcriptum eſt, veniet ex Sion ille liberator & avertet impietates Jacob, 3. 3. 21.
29. Dona & vocatio Dei ejuſmodi ſunt ut eorum ipſum pœnitere non poſſit, 4. 16. 14.
32. Concluſit Deus omnes in contumaciam ut omnium miſereatur, 2. 7. 8. & 3. 21. 11. & 3. 24. 16.
33. O profundas divitias tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei, quam inſcrutabilia ſunt ejus judicia, & ejus viæ imperveſtigabiles, 1. 17. 2. & 3. 23. 5.
34. Quis cognovit mentem Domini aut quis ei fuit à conſiliis? 3. 2. 34. & 4. 18. 19. & 4. 19. 2.
35. Aut quis prior dedit ei, & reddetur ei? 3. 14. 15. & 3. 22. 3. & 3. 23. 13.
36. Nam ex eo, & per eum, & in ipſum ſunt omnia, 3. 8. 15.

XII. 1. Precor igitur vos fratres, per miſerationes Dei, ut ſiſtatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, acceptam Deo, rationalem illum cultum veſtrum, 2. 5. 4. & 3. 7. 1. & 3. 16. 3. & 4. 18. 16.
2. Et ne configuremini ſeculo iſti, ſed transformemini per renovationem mentis veſtræ, ad hoc ut probetis quæ ſit voluntas Dei, bona illa, accepta, ac perfecta, 3. 1. 9. & 3. 3. 8.
3. Prout cuique Deus partitus eſt menſuram fidei, 4. 13. 3. & 4. 16. 4.
6. Quemadmodum in uno corpore membra multa habemus, membra autem omnia eandem non habent actionem, &c. 3. 16. 2.
6. Sive Prophetiam, prophetemus pro proportione fidei, 4. 16. 4. & 4. 17. 32.
7. Sive miniſterium, verſemur in miniſtrando: ut is qui docet in docendo, 4. 3. 8.
8. Tum qui exhortatur in exhortatione: qui diſtribuit cum ſimplicitate: qui præeſt cum diligentia: qui miſeretur cum hilaritate, 4. 5. 8, 9. & 4. 11. 1. & 4. 20. 4.
10. Fraterna charitate alii ad alios amandos propenſi: honore alii alios prævenientes, 3. 7. 4.
14. Benedicite iis, qui vos inſectantur, benedicite inquam, & ne imprecemini, 4. 20. 10.
19. Non vosmetipſos ulciſcimini, dilecti, ſed date locum iræ. ſcriptum eſt enim, Mihi eſt ultio, ego rependam, dicit Dominus, 4. 10. 19.
21. Ne vincitor ab eo quod malum eſt, ſed vince bonitate malitiam, 4. 20. 20.

XIII. 1. Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto, non enim eſt poteſtas niſi à Deo: & quæ ſunt poteſtates, à Deo ſunt ordinatæ, 1. 19. 15. & 4. 10. 3, 5. & 4. 20. 4, 7, & 23.

4. Prin-

Pp

4. Princeps enim Dei miniſter eſt tuo bono: quod ſi feceris quod malum eſt, metue, non enim temere gladium geſtat, nam Dei miniſter eſt, ultor ad iram ei qui quod malum eſt fecerit, 4. 20. 10, 17, & 19.
5. Quapropter neceſſe eſt ſubjici, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, 3. 19. 15. & 4. 11. 3. & 4. 20. 22.
6. Propter hoc enim tributa ſolvitis: ſiquidem Dei miniſtri ſunt in hoc ipſum incumbentes, 4. 20. 13.
8. Nemini quicquam debete, niſi, ut alii alios diligatis: nam qui diligit alterum, Legem implevit, 2. 8. 57.
9. Siquidem illud, Non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, & ſi quod aliud eſt mandatum, in hoc ſermone ſummatim comprehenditur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, ibid.
14. Sed induimini Domino Jeſu Chriſto, & carnis curam ne habete, ad explendas cupiditates, 3. 1. 1. & 3. 10. 2.
XIV. 1. Eum qui fide eſt infirmatus aſſumite, non tamen ad certamina diſputationum, 3. 19. 11.
5. Alius quidem æſtimat diem præ die, alius autem pariter æſtimat quemvis diem. Unuſquiſque in animo ſuo plene certus eſto, 3. 3. 33.
10. Omnes ſiſtemur apud tribunal Chriſti, 1. 13. 11, 13. & 3. 5. 8.
11. Scriptum eſt enim, Vivo ego, dicit Dominus: quoniam mihi ſeſe flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo, 1. 13. 11, 25. & 3. 25. 7.
13. Ne amplius igitur alius de alio judicemus: ſed hoc potius adhibete judicium ut ne offendiculum ponatis fratri, 3. 19. 11. & 4. 10. 31.
14. Novi & perſuaſum habeo per Dominum Jeſum, nihil eſſe impurum per ſe, ſed ei qui exiſtimat aliquid eſſe impurum, 3. 19. 3.
17. Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax, & gaudium per Spiritum Sanctum, 2. 15. 4. & 3. 17. 4.
22. Tu fidem habes? apud temetipſum habe coram Deo. Beatus qui non condemnat ſeipſum in eo quod approbat, 3. 19. 3.
23. Qui vero ambiget ſi ederit, condemnatus eſt, quoniam non edit ex fide: quicquid vero ex fide non eſt, peccatum eſt, 3. 5. 10. & 3. 15. 6. & 4. 13. 2, 17, 31. & 4. 15. 22.
XV. 1. Debemus nos qui firmi ſumus, imbecillitates infirmorum portare, ac non indulgere nobiſipſis, 3. 19. 11.
5. Deus autem patientiæ, & conſolationis author, det vobis ut eodem animo inter vos mutuo affecti ſitis, ſecundum Jeſum Chriſtum, 4. 2. 5.
6. Ut concorditer uno ore gloſificetis Deum, ac patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, 3. 20. 29. & 31.
8. Illud autem dico, Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, ut confirmaret promiſſiones patrum, 3. 2. 32. & 4. 16. 15.
12. Erit radix Jeſſe, & qui exurget ad imperandum Gentibus, in ipſo Gentes ſperabunt, 1. 13. 13.
19. Adeo ut ab Jeruſalem & circumjacentibus regionibus, uſque ad Illyricum, impleverim prædicandi Evangelii Chriſti munus, 4. 3. 4.
20. Ita porro ambiens prædicare Evangelium, non ubi nominatus eſſet Chriſtus, ibid.
25. Nunc autem proficiſcor Hieroſolymam miniſtrans Sanctis, 4. 6. 14.
30. Precor autem vos, fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem ſpiritus, ut mecum certetis veſtris pro me apud Deum precibus, 3. 20. 20.
XVI. 3. Salutate Priſcillam & Aquilam, adjutores meos in Chriſto Jeſu, 4. 6. 14.
7. Salutate Andronicum & Juniam, cognatos meos, & concaptivos meos, qui ſunt inſignes inter Apoſtolos, qui etiam ante me fuerunt in Chriſto, 4. 3. 5.
20. Porro Deus pacis Princeps conteret Satanam ſub pedes veſtros cito, 1. 14. 18. & 3. 15. 5.
25. Ex revelatione myſterii quod à temporibus æternis tacitum fuit, 2. 9. 4.
26. Nunc vero factum eſt manifeſtum, & per Scripturas Propheticas, &c. 2. 9. 2.

I. AD CORINTHIOS.

I. 1. PAulus vocatione Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater, 4. 3. 10.
3. Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto, 1. 13. 13.
9. Fidelis Deus per quem vocati eſtis ad communionem filii ipſius Jeſu Chriſti, &c. 2. 5. 5.
11. Declaratum eſt mihi de vobis, fratres mei à domeſticis Chloës, quod lites ſunt inter vos, 4. 1. 14.
12. Hoc autem dico, unumquemque veſtrum dicere, Ego quidem ſum Pauli, &c. 4. 13. 14.
13. Num diſpertitus eſt Chriſtus? num Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomen Pauli baptizati fuiſtis? 3. 5. 2. & 4. 15. 13.
20. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi inquiſitor ſeculi iſtius? 2. 2. 20.
21. Poſtquam in Dei ſapientia mundus non cognovit Deum, ex ejus ſapientia, placuit Deo per ſtultam prædicationem ſervare credentes, 2. 6. 1.
23. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis vero ſtultitiam, 3. 24. 14.
26. Videtis vocationem veſtram, fratres, vos videlicet non eſſe multos ſapientes, ſecundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles, &c. 3. 23. 10.
30. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, juſtitiaque & ſanctificatio, &c. 2. 15. 2. & 2. 16. 19. & 3. 3. 19. & 3. 4. 30. & 3. 11. 6, 12. & 3. 14. 17. & 3. 15. 3. & 3. 16. 1.
II. 2. Non decrevi quicquam ſcire inter vos niſi Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum, 3. 15. 13. & 1. 15. 4, 5. & 2. 15. 2. & 3. 2. 1, & 21.
4. Neque oratio mea, neque prædicatio mea verſata eſt in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione ſpiritus, &c. 1. 8. 1. & 9. 1. 35. & 4. 1. 6. & 4. 14. 11.
5. Ne fides veſtra conſiſtat in ſapientia hominum, ſed in potentia Dei, 1. 8. 1. & 2. 2. 25.
8. Quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit, nam ſi cognoviſſent, &c. 2. 3. 12. & 2. 14. 2. & 4. 17. 30.
10. Nobis autem Deus ea revelavit per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei, 1. 13. 14. & 3. 2. 34.
11. Quis enim hominum novit ea quæ ſunt hominis niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo? ita etiam ea quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus Dei, 3. 2. 34.
12. Nos vero non ſpiritum mundi accepimus, ſed Spiritum qui eſt ex Deo: ut ſciamus quæ Deus eſt nobis gratificatus, 3. 2. 39. & 4. 8. 11.
13. Spiritualia cum iis quæ ſunt ſpiritualia conjungentes, 4. 16. 31.
14. Animalis autem homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei. Sunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur, 2. 2. 20. & 3. 2. 34.
16. Quis novit mentem Domini, qui inſtructurus ſit eum? nos autem Chriſti mentem habemus, 2. 13. 14. & 3. 13. 4.
III. 2. Lactis potu vos alui, & non eſca: nondum enim poteratis id ferre: imo ne nunc quidem adhuc poteſtis, 3. 19. 13.
3. Quum enim in vobis ſint livor & contentio. & diſſidia, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? 4. 1. 14.
4. Etenim quum dicit quidam, Ego quidem ſum Pauli, alter vero, ego ſum Apollo, nonne carnales eſtis? 4. 4. 2. & 4. 13. 14.
6. Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus dedit incrementum, 2. 3. 4. & 3. 23. 14. & 4. 1. 6.
8. Unuſquiſque ſuam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem, 3. 16. 3. & 3. 18. 1.
9. Dei ſumus adminiſtri: Dei arvum, Dei ædificatio eſtis vos, 2. 3. 17. & 4. 1. 6.
11. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt quod eſt Jeſus Chriſtus, 3. 15. 5. & 4. 6. 6.
12. Siquis ſuperædificet ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, 3. 5. 9.
13. Cujuſque opus manifeſtum fiet: dies enim declarabit, nam per ignem retegetur, &c. ibid.
14. Si cujus opus manebit, quod ſuperædificaverit, mercedem accipiet, ibid.
15. Si cujus opus exuſtum fuerit, damnum faciet: ipſe vero ſervabitur, ita tamen ut per ignem, ibid.
16. An neſcitis vos eſſe templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis? 3. 6. 3. & 3. 16. 2. & 3. 25. 7. & 4. 2. 1. & 1. 13. 15.
19. Sapientia mundi hujus, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim, Capit ſapientes cum ſapientia ipſorum, 1. 3. 2. & 2. 2. 20.
21. Itaque nullus glorietur in hominibus: omnia namque veſtra ſunt, 4. 19. 1.
IV. 1. Sic de nobis reputet homo ut de miniſtris Chriſti, & diſpenſatoribus myſteriorum Dei, 4. 3. 6. & 4. 5. 9.
4. Nullius mi mihi conſcius ſum, ſed non per hoc juſtificatus ſum: ſed Dominus is eſt qui me dijudicat, 1. 14. 18. & 3. 12. 2. & 3. 17. 14.
5. Ne ante tempus quicquam judicate, uſquedum venerit Dominus. qui & illuſtraturus eſt occulta tenebrarum, & manifeſta faciet conſilia cordium, 3. 12. 4.
7. Quis te diſcernit? quid autem habes quod non acceperis? quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris, ut qui non acceperis? 2. 3. 5. & 3. 7. 4. & 3. 24. 12.
15. In Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui, 4. 1. 6.
V. 1. Omnino auditur eſſe inter vos ſcortatio, & ejuſmodi ſcortatio, quæ ne inter gentes quidem nominatur, &c. 4. 1. 14.
2. Et vos inflati eſtis, ac non potius luxiſtis, ut tolleretur è medio veſtri qui facinus hoc patravit, 4. 1. 13.
4. Vobis & meo Spiritu in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis, cum poteſtate Domini Jeſu Chriſti, 4. 11. 5. & 4. 12. 4.
5. Ejuſmodi inquam homo tradatur Satanæ, ad interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit die illo Domini Jeſu, 4. 12. 5, & 6.
6. An neſcitis paululo fermenti totam maſſam fermentari? 4. 12. 3.
7. Etenim Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt, nempe Chriſtus, 4. 12. 13. & 4. 18. 5.
11. Siquis quum frater nominetur, ſit ſcortator, aut avarus, aut idololatra, aut conviciator, aut ebrioſus, aut rapax, cum ejuſmodi, inquam, ne edatis quidem, 4. 1. 15. & 4. 12. 5.
12. Quid enim mea intereſt etiam de extraneis judicare? nonne de iis qui intus ſunt, vos judicatis? 4. 11. 5.
VI. 6. Sed frater cum fratre judicio experitur, idque ſub infidelibus. 4. 20. 21.
7. Jam omnino impotentia in vobis eſt, quod judicia habetis inter vosmetipſos, 4. 1. 14.
9. An ignoratis injuſtos non eſſe Dei hæreditatem poſſeſſuros? 3. 4. 21. & 3. 14. 10.
10. Neque enim, neque ſcortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque qui concumbunt cum maſculis, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque conviciatores, neque rapaces, regni Dei hæreditatem poſſidebunt, 3. 4. 21.
11. Et tales eratis quidam, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini Jeſu, & per Spiritum Dei noſtri, 1. 13. 14. & 3. 1. 1. & 3. 6. 3. & 3. 14. 6. & 3. 24. 10.
13. Eſcæ ventri deſtinatæ ſunt, & venter eſcis: Deus autem & hunc & eas abolebit, 3. 25. 8. & 4. 13. 9. & 4. 19. 7.
15. An ignoratis corpora veſtra eſſe membra Chriſti? 3. 6. 3. & 3. 25. 8. & 4. 17. 9.
19. An ignoratis corpus veſtrum eſſe templum Spiritus Sancti, qui eſt in vobis, quem habetis à Deo, &c. 1. 13. 15. & 3. 6. 3. & 3. 25. 8. & 3. 25. 7. & 4. 3. 1.
20. Nam empti eſtis pretio: glorificate igitur Deum in corpore veſtro & in Spiritu veſtro, quæ ſunt Dei, 3. 17. 5. & 3. 23. 7.
VII. 2. Sed propter fornicationem, unuſquiſque uxorem habeat, & propriam quæque virum habeat, 3. 8. 43.
3. Uxori vir debitam benevolentiam reddat: ſimiliter autem & uxor viro, 4. 12. 16.
5. Ne fraudate alius alium, niſi ſiquid ex conſenſu ad tempus, ut vacetis jejunio & precibus: & rurſum ſimul convenite ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram, ibid.
7. Velim omnes homines eſſe ut etiam ipſe ſum: ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita, alius autem ita, 2. 8. 42.
9. Quod ſi non continent, matrimonium contrahant: nam melius eſt matrimonium contrahere, quam uri, 2. 8. 42. & 4. 13. 17.
14. Maritus infidelis ſanctificatus eſt uxori, & uxor infidelis ſanctificata eſt viro: alioqui certe liberi veſtri impuri eſſent: nunc autem ſancti ſunt, 2. 1. 7. & 4. 16. 6, 15. & 31.
19. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei, 4. 14. 24.
21. Servus vocatus es? ne tibi ſit curæ, ſed ſi potes etiam liber fieri, potius eo utere, 4. 20. 1.
23. Pretio empti eſtis, ne eſtote ſervi hominum, 4. 10. 32.
31. Qui utuntur mundo hoc, ut non abutentes, præterit enim ſpecies hujus mundi, 3. 10. 1, 4. & 4. 19. 7.
34. Quæ eſt innupta, curat ea quæ ſunt Domini, ut ſit Sancta cum corpore, tum Spiritu, &c. 2. 8. 43.
35. Hoc autem dico veſtro commodo: non ut laqueum vobis injiciam, &c. 4. 10. 8.
VIII. 1. Cæterum de iis quæ idolis immolantur ſcimus, nos omnes ſcientia eſſe præditos, 4. 10. 28.
5. Etiamſi ſunt qui dicantur dii & in cælo & in terra, &c. 1. 13. 11.
6. Nobis tamen unus eſt Deus Pater ille, à quo omnia & nos in ipſo: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum, 1. 13. 11. & 2. 3. 6. & 2. 14. 1. & 2. 15. 5.
9. Sed videte ne quoquo modo poteſtas illa veſtra offendiculo ſit iis qui infirmi ſunt, 3. 19. 11. & 4. 10. 22.
IX. 1. Nonne ſum Apoſtolus? nonne ſum liber? nonne Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi? nonne opus meum vos eſtis in Domino? 3. 14. 13. & 4. 1. 14. & 4. 17. 17. & 29.
2. Sigillum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino, 4. 1. 6.
5. Annon habemus poteſtatem ſororem uxorem circumducendi, ut reliqui Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? 4. 12. 23.
12. Atqui non uſi ſumus jure iſto: ſed omnia ſuſtinemus, ne quid remoremur Evangelium Chriſti, 3. 14. 15.
16. Væ autem mihi eſt, niſi Evangelizem, 4. 3. 6.
19. Quum liber ſim ab omnibus, omnibus meipſum ſervum feci, ut plures lucrifaciam, 3. 19. 12.
20. Et factus ſum Judæis, ut Judæus, ut Judæos lucrifaciam, &c. 4. 19. 16.
22. Factus ſum infirmis, ut infirmus, ut infirmos lucrifaciam: omnibus factus ſum omnia, ut omnino aliquos ſervem, 3. 19. 12.
X. 1. Nolim autem vos ignorare fratres, Patres noſtros omnes ſub illa nube fuiſſe, & omnes per mare tranſiiſſe, &c. 2. 10. 5.
2. Et omnes in Moſen baptizatos eſſe in nube & mari, 4. 15. 9.
3. Et omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe, 4. 14. 23. & 4. 18. 20.
4. Et omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe: Bibebant enim ex ſequente ſpirituali petra: Petra vero erat Chriſtus, 1. 13. 10. & 2. 9. 1. & 4. 14. 26. & 4. 17. 15, 21, & 22.
5. Sed pleroſque illorum non approbavit Deus: proſtrati ſunt enim in deſerto, 4. 14. 14.
11. Hæc autem omnia typice evenicbant eis: ſcripta autem ſunt ad noſtri admonitionem, in quos fines ſeculorum occurrerunt, 2. 8. 12. & 2. 10. 5.
12. Itaque qui ſibi videtur ſtare, caveat ne cadat, 3. 2. 40. & 3. 24. 6.
13. Tentatio vos non cepit niſi humana, 3. 20. 46.
16. Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? panis quem frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt? 4. 17. 10, 15, 22, 35. & 4. 18. 8.
17. Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, nam omnes unius panis ſumus participes, 4. 17. 14.

23. Omnia

23. Omnia mihi licent, at non omnia conferunt: omnia mihi licent, at non omnia ædificant, 3. 13. 11, & 12.
25. Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam, 3. 19. 11.
28. At ſiquis vobis dixerit, hoc idolis mactatum eſt, ne edite, propter illum qui indicavit, & propter conſcientiam, 2. 3. 8, & 9.
29. Conſcientiam autem dico, non tuam, ſed illius alterius, 4. 10. 4.
31. Sive igitur editis, ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, 3. 20. 44.
32. Eſtote ſine offendiculo & Judæis & Græcis, & Eccleſiæ Dei, 3. 19. 11.
XI. 4. Omnis vir orans aut prophetans operto capite, dedecorat caput ſuum, 4. 19. 26.
5. Omnis vero mulier orans & prophetans non operto capite, dedecorat caput ſuum, 4. 10. 28.
7. Vir non debet velare caput: cum ſit imago & gloria Dei: ac mulier gloria viri eſt, 1. 15. 4.
16. Quod ſiquis videtur contentioſus eſſe, nos ejuſmodi conſuetudinem non habemus, neque Eccleſiæ Dei, 4. 10. 31.
20. Itaque quum convenitis in unum, hoc non eſt Dominicam cœnam edere, 4. 18. 12.
22. Num domos non habetis ad edendum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis? 4. 10. 28.
23. Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, &c. 4. 17. 35, & 50.
24. Et gratiis actis fregiſſe, ac dixiſſe, Accipite, edite, hoc meum eſt corpus quod pro vobis frangitur, hoc facite ad mei recordationem, 4. 17. 1, & 20.
25. Itidem & poculum, poſtquam cœnaſſet, dicendo: Hoc poculum eſt novum illud Teſtamentum per meum ſanguinem, &c. 4. 17. 20.
26. Quotieſcunque ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini enunciabitis, uſque quo venerit, 4. 16. 30. & 17. 15. 4. & 4. 17. 37.
28. Probet autem quiſque ſeipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat, 4. 1. 15. & 4. 16. 30. & 4. 17. 40.
29. Nam qui edit & bibit indigne, damnationem ſibi ipſi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini, 4. 1. 15. & 4. 16. 10. & 4. 17. 33, 34, & 40.
31. Etenim ſi nos ipſos dijudicaremus, non puniremur, 3. 3. 18.
32. Sed quum punimur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur, 3. 4. 33. & 3. 8. 6.
XII. 3. Notum vobis facio, nullum per Spiritum Dei loquentem, dicere Jeſum anathema, &c. 2. 2. 20.
6. Et diſcrimina facultatum ſunt, ſed idem eſt Deus efficiens eas omnes in quibuſvis, 2. 8. 6. & 2. 3. 9.
8. Nam huic quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii vero ſermo cognitionis, per eundem Spiritum, 4. 3. 11.
10. Alii vero genera linguarum, alii vero interpretatio linguarum, 1. 13. 14. & 3. 2. 9.
11. Sed omnia hæc efficit unus ille & idem Spiritus, diſtribuens privatim illa ſingulis, ſicut vult, 1. 13. 14 & 4. 13. 3.
12. Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia vero membra corporis unius multa quum ſint, unum ſunt corpus: ita & Chriſtus, 1. 13. 16 & 3. 7. 5. & 3. 16. 2. & 4. 17. 22.
13. Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus ſive Judæi, ſive Græci, &c. 4. 14 7. & 4. 15. 15. & 4. 18. 22.
25. Ut ne ſit diſſidium in corpore, ſed membra idem curent alia pro aliis, 3. 20. 20.
28. Et alios quidem conſtituit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio doctores, deinde conſtituit poteſtates, deinde dona ſanationum, opitulationes, &c. 4. 3. 8. & 4. 11. 1. & 4. 10. 4.
31. Sed ambite dona potiora, & porro iter ad excellentiam vobis indicabo, 3. 2. 9.
XIII. 1. Si linguis loquar hominum & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum æs reſonans, aut cymbalum tinniens, 2. 5. 4.
2. Et ſi habeam totam fidem, adeo ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum, 3. 18. 8.
3. Et ſi inſumam alendis egenis omnes facultates meas, & ſi tradam corpus meum, ut comburar, charitatem autem non habeam, hoc nihil mihi prodeſt, 4. 13. 13.
4. Charitas patiens eſt, comis eſt, charitas non invidet, charitas non agit perperam, non inflatur, 3. 7. 5, & 8.
9. Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, 3. 2. 20.
10. Poſtquam advenerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt abolebitur, 3. 2. 18.
12. Cernimus nunc per ſpeculum & per ænigma, tunc autem coram cernemus, &c. 3. 25. 11. & 4. 18. 20.
13. Nunc vero manet fides, ſpes, charitas, tria hæc: maxima autem harum charitas, 3. 18. 8.
XIV. 15. Quid eſt igitur? precabor ſpiritu, ſed precabor etiam intelligentia, &c. 3. 20. 5, & 32.
16. Quandoquidem ſi benedixeris ſpiritu, is qui implet locum idiotæ quo modo dicturus eſt Amen ad tuam gratiarum actionem, &c. 3. 20 33.
29. Prophetæ autem duo aut tres loquantur, alii dijudicent, 4. 8. 9 & 4. 18. 13.
30. Quod ſi quid alii patefactum fuerit aſſidenti, prior taceat, 4. 1. 12.
34. Mulieres veſtræ in conventibus ſileant: nec enim permiſſum eſt eis ut loquantur, &c. 4. 10. 29.
40. Omnia vero decenter & ordine fiant, 2. 8. 32. & 3. 20. 28. & 4. 3. 10. & 4. 10. 27, & 30.
XV. 6. Poſtea viſus eſt amplius quam quingentis fratribus ſimul, &c. 3. 25. 3.
10. Amplius quam illi omnes laboravi: non ego tamen, ſed gratia Dei quæ mecum eſt, 2. 3. 12. & 4. 1, 6.
12. Quod ſi Chriſtus prædicatur ex mortuis excitatus eſſe, quomodo dicunt quidam inter vos, non eſſe reſurrectionem mortuorum? 3. 25. 7 & 4. 1. 14.
13. Nam ſi reſurrectio mortuorum non eſt, Chriſtus quoque non eſt excitatus, 2. 13. 12. & 3. 25. 3.
14. Quod ſi Chriſtus non eſt excitatus, inanis videlicet eſt prædicatio noſtra, inanis autem etiam eſt veſtra fides. ibid.
16. Nam ſi mortui non excitantur, Chriſtus quoque non eſt excitatus, 2. 13. 2.
17. Quod ſi Chriſtus non eſt excitatus, inanis, &c. ibid. & 2. 18. 13.
19. Si in hac ſolum vita ſperamus in Chriſtum, miſerrimi omnium hominum ſumus, 3. 9 6. & 5. 18. 4
20. Nunc autem Chriſtus excitatus eſt ex mortuis: & primitiæ eorum qui obdormierunt factus eſt, 2 16. 13.
21. Quia per hominem mors, per hominem quoque reſurrectio mortuorum, 2. 1 6.
22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificantur, ibid. & 4. 18. 17.
23. Unuſquiſque autem ſuo ordine primitiæ Chriſtus, poſtea ii qui ſunt Chriſti, in adventu ipſius, 3. 25. 3.
24. Deinde erit finis, cum reddiderit regnum Deo & Patri, &c. 1. 13. 26 & 2. 14 3. & 2. 15 5.
25. Nam oportet eum regnare, uſquequo omnes inimicos ſubjecerit pedibus ejus, 2. 18. 16.
28. Poſtquam vero ſubjecta ei fuerint omnia, tunc & ipſe Filius ſubjicietur ei, &c. 1. 3. 26. & 2. 8 30. & 2. 14. 3. & 2. 15 5 & 3 20 42. & 3 25 12.
36. Demens, quod tu ſeminas non reviviſcit niſi mortuum fuerit, 3 25. 4.
39. Non omnis caro, eadem caro: ſed alia quidem caro hominum, &c. 3. 25 8.
41. Alia gloria Solis, & alia gloria Lunæ, & alia gloria ſtellarum, ſtella enim à ſtella differt in gloria, 4. 18. 34.
45. Factus eſt prior homo Adam animal vivens, poſterior autem Adam factus eſt ſpiritus vivificus, 1. 15. 4 & 3. 1. 2.
46. At ſpirituale non eſt prius, ſed animale, deinde ſpirituale, 4 16. 31.
47. Primus homo è terra, terrenus; ſecundus homo ipſe Dominus è cælo, 2. 12. 7. & 2. 13. 2, 4. & 4. 17. 25.
50. Caro & ſanguis non poſſunt regni Dei hæreditatem conſequi, &c. 4. 16 17.
51. Ecce myſterium vobis dico, non omnes quidem obdormiemus, ſed omnes mutabimur, 2. 16 17. & 3. 23. 8.
52. Momento & jactu oculi, ad ultimam tubam, (canet enim tuba) & mortui ſuſcitabuntur incorrupti, & nos mutabimur, 2 16. 17.
53. Oportet enim hoc corruptioni obnoxium, induere incorruptam naturam, &c. 3. 25. 7.
54. Quum autem hoc corruptioni obnoxium induerit incorruptam naturam, & mortale hoc induerit immortalitatem, 3. 25. 30.
XVI. 2. Primo quoque die hebdomadis, unuſquiſque veſtrum apud ſe reponat, recondens quod pro Dei benignitate ſuccelerit, &c. 2. 8. 33.
7. Nolo vos nunc in tranſcurſu videre: ſed ſpero temporis aliquantum manſurum me apud vos, ſi Dominus permiſerit, 1. 17. 11.

II. AD CORINTHIOS.

I. 2. Gratia & pax ſit vobis à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto, 1. 15 13.
3. Pater ille miſericordiarum & Deus omnis conſolationis author, 2. 20 37.
6. Sive autem premimur, id ſit pro veſtra conſolatione ac ſalute, quæ efficitur in tolerantia earundem perpeſſionum, quibus & nos affligimur: ſive conſolationem accipimus: id ſit pro veſtra conſolatione ac ſalute, 3. 5. 4.
12. Nam gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium videlicet conſcientiæ noſtræ, quod cum ſimplicitate & ſinceritate Dei, non cum ſapientia carnali, &c. 3. 2. 41. & 3. 17. 14.
19. Dei Filius Jeſus Chriſtus, qui inter vos per nos prædicatus eſt, non fuit Ita & Non, &c. 4. 17. 50.
20. (Quotquot ſunt promiſſiones Dei, in ipſo ſunt Etiam, & in ipſo ſunt Amen,) &c. 2. 9. 8. & 1. 8 32 & 3. 20. 17. & 4. 14. 20.
22. Qui etiam obſignavit nos, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris, 1. 7. 4 & 3. 2. 3. & 3. 2. 36. & 3. 24. 1.
23. Ego vero teſtem Deum invoco in animam meam, me idcirco nondum veniſſe Corinthum, &c. 2. 15. 2. & 2. 8 24, & 27.
24. Non quod dominemur veſtræ fidei, ſed quod adminiſtri ſimus gaudii veſtri, &c. 4. 8. 9.
II. 6. Sufficit iſtiuſmodi homini iſta objurgatio à pluribus profecta, 3 4. 12.
7. Ut è contrario potius vos ei condonetis, eumque conſolemini, ne quo modo redundante triſtitia abſorbeatur vir hujuſmodi, 4. 1. 28 & 4 12. 8.
8. Quapropter precor vos ut ratam faciatis in illum charitatem, 4. 12. 9.
16. Nempe, odor mortis ad mortem his, illis vero odor vitæ ad vitam, &c. 2. 5. 2.
III. 3. Dum palam fit, vos eſſe epiſtolam Chriſti ſubminiſtratam à nobis, inſcriptam non atramento, &c. 2. 8. 57.
5. Non quod idonei ſimus ex nobis ipſis, ad cogitandum quicquam velut ex nobis, &c. 2. 2. 25, 27. & 2. 3. 6.
6. Qui etiam fecit ut idonei eſſemus miniſtri Novi Teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus: nam litera occidit, ſpiritus autem vivificat, 1. 9. 3. & 2. 7. 2. & 2. 1. 4 & 4. 1. 6. & 4. 14. 11.
7. Quod ſi mortis miniſterium literis informatum in ſaxis, fuit glorioſum, adeo ut non poſſent intueri filii Iſrael, &c. 2. 7. 7.
8. Qui non potius miniſterium ſpiritus erit glorioſius? 1. 9. 3.
9. Nam ſi miniſterium condemnationis fuit glorioſum, multo magis miniſterium juſtitiæ abundat gloria, 1. 11. 7. & 4. 3. 3.
14. Itaque occalluerunt mentes eorum: nam uſque ad diem hodiernum, in lectione Veteris Teſtamenti manet non retectum velamen illud, (quod per Chriſtum tollitur,) 2. 10. 23.
15. Sed ad hunc uſque diem quum legitur Moſes, velamen cordi eorum impoſitum eſt, ibid.
17. Dominus vero ſpiritus ille eſt, ubi autem ſpiritus Domini, ibi libertas, 2. 2. 8.
18. Nos autem omnes detecta facie gloriam Domini ut in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, 3. 25. 4, 5. & 3. 2. 20. & 3 3 8.
IV. 4. In quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes, id eſt, infidelibus, ne irradiet eos lumen Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei, 1. 14. 15. & 1. 13 2. & 2 4. 1. & 2. 9 1.
6. Deus qui dixit ut è tenebris lux ſplendeſceret, is eſt qui ſplenduit in cordibus noſtris, &c. 2. 9 1. & 3. 2. 1. & 4 1. 5. & 4. 3. 3.
7. Habemus autem theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis, ut eximia virtutis præſtantia ſit Dei, & non ex nobis, 4. 1. 3. & 4. 3. 1.
8. Dum in omnibus premimur, at non coarctamur: hæſitamus, at non prorſus hæremus, 3. 8. 3. & 3. 15. 8.
9. Perſecutionem patimur, ſed in ea non deſerimur, dejicimur at non perimus, 3. 15. 6.
10. Quolibet die mortificationem Domini Jeſu in corpore circumferentes, ut etiam vita illa Jeſu in corpore noſtro manifeſta fiat, 3. 15. 3, 8. & 3. 18. 7 & 3. 25. 3, & 7.
13. Quia habemus eundem Spiritum fidei, ſecundum illud quod ſcriptum eſt, Credidi, & ideo loquutus ſum, &c. 3 2. 35.
V. 1. Scimus enim nos, ſi terreſtris hujus domus noſtræ tabernaculum diſſolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, 3. 25. 6.
2. In hoc enim ſuſpiramus, expetentes domicilio noſtro, quod è cælo eſt, ſuperindui, 3. 9 5.
4. Non cupimus exui, ſed ſuperindui, ut abſorbeatur mortalitas à vita, 1. 15. 2. & 3. 9 5.
5. Qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus, 2. 9 3. & 3. 2. 36.
6. Confidentes igitur ſemper, & ſcientes nos advenas eſſe in corpore, peregre abſumus à Domino, 1. 15. 2 & 3. 2. 14. & 3. 9. 4. & 3. 25. 1, & 6.
7. Per fidem enim incedimus, non per aſpectum, 3. 2 14.
8. Confidimus autem, & probamus potius migrare è corpore, & ad Dominum ire habitatum, 1. 15. 2.
10. Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Chriſti, &c. 2. 13. 12. & 1. 15. 2. & 3 18. 1. & 3. 25. 7.
17. Siquis igitur eſt in Chriſto, nova creatura eſt, vetera præterierunt, 3 2. 32.
18. Hæc autem omnia ſunt ex Deo, qui reconciliavit nos ſibi per Jeſum Chriſtum, &c. 3. 2. 29, 32. & 3. 5. 5 & 3. 11 6 & 4 6 3.
19. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis peccata ipſorum, &c. 2. 12. 4. & 2. 17 2 & 3. 2. 32. & 3 4 25. & 3. 11. 22. & 3. 14. 11. & 4. 1. 22.
20. Itaque nomine Chriſti legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos, 3. 4. 27. & 4. 1. 22. & 4. 3. 2.
21. Fecit enim ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum eſſet, ut nos efficeremur juſtitia Dei in eo, 2. 16. 5, 6 & 2. 17. 2. & 3. 5. 2. & 3 11 11. & 3. 12. 22, & 23.
VI. 8. Per gloriam & ignominiam, per convitia & laudes, 3. 8. 8.
16. Vos templum eſtis Dei viventis, 1. 13. 15. & 3 6. 3 & 3. 16. 2 & 4. 3. 2.
VII. 1. Has igitur quum habeamus promiſſiones, dilecti, purgemus nos ipſos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, &c. 1. 15. 2. & 2. 5. 21. & 2. 9. 3. & 3 3. 9 & 3. 16 2. & 3. 25 7.
10. Nam qui ſecundum Deum eſt dolor, reſipiſcentiam efficit ad ſalutem, cujus nunquam pœniteat: at mundi dolor mortem efficit, 3. 3. 7. & 3 4. 2.
11. Ecce enim iſthuc ipſum, quod ſecundum Deum triſtitia affecti fuiſtis, quantum in nobis effecit ſtudium, &c. 3. 3. 15.
VIII. 11. At nunc etiam illud ipſum facere abſolvite: ut ſicut adfuit promptum illud velle, ita etiam adſit ipſum perficere ex eo quod habetis. 2, 5. 8.
16. Gratia autem ſit Deo qui cordi Titi indidit idem ſtudium pro vobis, ibid.
17. Quod meam exhortationem illam gratam habuit, &c. ibid.

IX. 6. Qui

IX. 6. Qui ſerit parce, parce etiam metet, & qui ſerit benigne, benigne etiam metet, 3. 18. 6.
7. Quiſque ſicut præoptat corde, ita agat, non ex triſtitia aut neceſſitate: nam hilarem datorem diligit Deus, 3. 26. 3.
12. Nam ſubminiſtratio oblationis iſtius non ſolum ſupplet ſanctorum inopiam, &c. 3. 7. 3.
X. 4. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed divinitus valida, & ad ſubverſionem, &c. 4. 8. 9. & 4. 11. 5, & 12.
6. Et paratum habemus, quo vindicemus omnem contumaciam, poſtquam impleta fuerit veſtra obedientia, 4. 6. 3.
8. Nam ſi amplius etiam quippiam glorier de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus ad ædificationem, &c. 4. 8. 1.
XI. 2. Ambio vos Dei zelotypia. Præparavi enim vos quos uni viro (in virginem puram) ſiſtam, nempe Chriſto, 2. 8. 18.
14. Neque id mirum: ipſe enim Satanas transformatur in Angelum lucis, 1. 9. 2. & 4. 18. 12.
XII. 2. Novi hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (an in corpore neſcio: an extra corpus neſcio, Deus novit) raptum in tertium uſque cœlum, 1. 9. 1. & 1. 14. 4. & 4. 3. 3.
4. Raptum fuiſſe in Paradiſum & audiſſe ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui, 1. 14. 4.
7. Et ne excellentia revelationum ſupra modum efferrer, datus eſt mihi ſtimulus infixus carni, & angelus Satan, &c. 1. 14. 18. & 3. 1. 14. & 4. 17. 34.
8. Super hoc ter Dominum rogavi, ut abſcederet à me, 1. 13. 20.
9. Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, &c. ut potentia Chriſti inhabitet in me, 1. 3. 13. & 1. 13. 10. & 3. 3. 14.
21. Ne iterum, ubi venero, me deprimat Deus meus apud vos, & lugeam multos, &c. 3. 3. 18. & 4. 1. 27.
XIII. 4. Nam etſi crucifixus fuit ex infirmitate, vivit tamen ex potentia Dei: nam & nos infirmi ſumus cum eo, 2. 13. 2. & 2. 14. 6. & 2. 16. 15.
5. Vos ipſos tentate an ſitis in fide, vos ipſos probate: annon agnoſcitis vosmetipſos, videlicet Jeſum Chriſtum in vobis eſſe, niſi reprobi eſtis? 3. 2. 39.
10. Ex poteſtate quam dedit mihi Dominus ad ædificationem, at non ad deſtructionem, 4. 2. 1.
13. Gratia Domini Jeſu Chriſti, & charitas Dei & communicatio Spiritus ſit, cum omnibus vobis, 3. 1. 2.

AD GALATAS.

I. 1. PAulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, 4. 3. 13.
2. Quique mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ, 4. 1. 14.
3. Gratia vobis & pax à Deo patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, 1. 13. 13.
6. Miror vos tam cito deſerto eo qui vocarat vos in gratiam Chriſti, transferri in aliud Evangelium, 4. 1. 27.
9. Sed etiamſi nos, aut Angelus è cœlo Evangelizet vobis præter id quod vobis Evangelizavimus, anathema eſto, 4. 9. 12.
16. Retegere filium ſuum in me, ut Evangelizarem ipſum inter gentes, &c. 3. 22. 7.
18. Deinde tribus poſt annis redii Hieroſolymam, ut viſerem Petrum, & manſi apud eum dies quindecim, 4. 6. 7, & 14.
II. 1. Deinde interjectis annis quatuordecim, rurſum aſcendi Hieroſolymam una cum Barnaba, aſſumpto ſimul & Tito, 4. 6. 14.
3. Sed neque Titus qui mecum erat, cum eſſet Græcus, coactus fuit circumcidi, 3. 19. 12.
6. Perſonam hominis Deus non accipit, 3. 23. 10.
7. Mihi creditum erat Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis, 4. 6. 7.
8. Nam qui efficax fuit per Petrum ad Apoſtolatum circumciſionis, efficax fuit etiam per me inter gentes, 4. 1. 6. & 4. 6. 7.
9. Quumque cognoviſſem gratiam mihi datam Jacobus & Cephas, & Joannes, &c. 4. 6. 15.
14. Sed quum vidiſſem eos non recto pede incedere, in veritate Evangelii congruebat, dixi Petro coram omnibus, Si tu, &c. 4. 18. 3.
16. Scientes juſtificari hominem non ex operibus Legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti, &c. 3. 17. 2.
19. Ego enim per Legem Legi mortuus ſum, ut Deo viverem, 3. 10. 7.
20. Vivo autem non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus, &c. 4. 19. 33.
III. 1. Amentes Galatæ, quis vos faſcinavit ne obſequeremini veritati, &c. 3. 11. 7. & 4. 1. 27. & 4. 18. 11.
2. Ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex fide per auditum percepta? 3. 5. 33. & 4. 1. 6.
6. Sicut Abraham credidit Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam, 3. 17. 8.
8. Providens autem Scriptura Deum ex fide juſtificaturum gentes, ante Evangelizavit Abrahæ, &c. 3. 11. 3, & 13.
10. Quicunque ex operibus Legis ſunt, ſub exſecratione ſunt. Scriptum eſt enim, Execrabilis, quiſquis non manſerit in omnibus, &c. 2. 7. 3, 17. & 2. 16. 2. & 3. 11. 19.
12. Lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea homo, vivet in ipſis, 3. 11. 18, 19.
13. Chriſtus nos redemit ab exſecratione Legis, dum pro nobis factus eſt execratio, &c. 2. 7. 15. & 2. 8. 57. & 2. 16. 2, 6, 19 & 2. 13. 4. & 3. 4. 27. & 3. 11. 18. & 3. 10. 3. & 4. 13. 21.
16. Abrahæ vero dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus, &c. 2. 6. 2. & 2. 13. 3. & 3. 21. 7. & 4. 14. 21.
17. Hoc autem dico, pactionem ante confirmatam à Deo reſpectu Chriſti, Lex quæ poſt annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritam, ut aboleat promiſſionem, 3. 18. 20.
18. Si ex Lege eſt hæreditas, non itaque ex promiſſione, Abrahæ vero per promiſſionem gratificatus eſt Deus hæreditatem, 3. 11. 17.
19. Quid igitur Lex? Tranſgreſſionum gratia addita eſt, &c. 1. 14. 9. & 2. 3. 6. & 2. 7. 2. & 3. 21. 7.
20. Sequeſtrum autem, unius non eſt: Deus vero unus eſt, 2. 21. 7.
21. Num igitur Lex addita eſt adverſus promiſſiones Dei? Abſit, &c. 3. 11. 10. & 1. 4. 6.
22. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus, 3. 4. 6.
24. Itaque Lex pædagogus noſter fuit in Chriſtum reſpiciens, ut ex fide juſtificaremur, 2. 7. 2, 11. & 2. 11. 3.
25. At poſtquam venit fides, non amplius ſub pædagogo ſumus, 3. 2. 6.
27. Nam vos, qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, 3. 1. 1, 13. & 4. 14. 7. & 4. 13. 6. & 4. 10. 21. & 4. 10. 8.
28. Non eſt Judæus neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus ac fœmina, omnes enim vos unus eſtis in Chriſto Jeſu, 2. 11. 11. & 4. 20. 1.
IV. 1. Hoc autem dico, quamdiu hæres eſt infans nihil differt à ſervo, quamvis ſit Dominus omnium, 2. 11. 2, 3, 13 & 4. 10. 14.
2. Sed ſub tutoribus & curatoribus eſt, uſque ad tempus quod pater præfinierit, 2. 11. 13. & 4. 10. 14.
3. Ita & nos quum eſſemus infantes, ſub elementis mundi eramus in ſervitutem redacti, ibid.
4. At poſtquam venit plenum tempus, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, &c. 2. 10. 5. & 2. 7. 15. & 2. 11. 11. & 2. 12. 7. & 2. 13. 1, 3. & 2. 17. 3. & 4. 20. 15.
5. Ut eos qui Legi erant obnoxii, redimeret, ut adoptionem acciperemus, 2. 7. 15. & 3. 10. 2.
6. Quoniam autem eſtis filii, emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamantem, Abba, id eſt, Pater, 2. 14. 5. & 3. 1. 3. & 3. 2. 11. & 3. 13. 5. & 3. 20. 37.
8. Tum quidem ignorantes Deum, ſerviebatis iis qui natura non ſunt dii, 1. 4. 3. & 1. 12. 3.
9. At nunc cum cognoſcatis Deum, imo potius cogniti ſitis à Deo, &c. 4. 1. 27. & 4. 10. 10. & 4. 19. 7.
10. Dies obſervatis & menſes, & tempora & annos, 2. 8. 33.
11. Metuo de vobis ne fruſtra fatigatus ſim apud vos, ibid.
22. Scriptum eſt enim, Abrahamum filios duos habuiſſe, unum ex ancilla, & unum ex libera, &c. 2. 7. 17. & 4. 2. 3.
24. Per quæ aliud figuratur. Nam hæ ſunt duæ illæ pactiones, &c. 2. 11. 2.
25. Sina enim eſt mons in Arabia, pari autem ſerie reſpondet ei Jeruſalem quæ nunc eſt, &c. 3. 2. 6.
26. Sublimis vero illa Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum, 4. 1. 1.
28. Promiſſionis filii ſumus ſecundum Iſaac, 4. 16. 12.
30. Ejice ancillam & filium ejus, &c. 3. 18. 2.
V. 1. In libertate igitur qua Chriſtus nos liberavit, perſtate, &c. 3. 19. 2, 14. & 4. 10. 8, 9. & 4. 20. 1.
4. Evacuati eſtis à Chriſto quicunque per Legem juſtificamini, & a gratia excidiſtis, 1. 10. 14.
5. Nos ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus, 3. 2. 43.
6. In Chriſto Jeſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, ſed fides per Charitatem efficax, 3. 11. 20.
13. Vos enim ad libertatem vocati eſtis, fratres: tantum ne libertatem, &c. 3. 19. 11.
14. Tota lex uno verbo completur, iſto videlicet: Diliges proximum tuum ut te ipſum, 2. 8. 53.
17. Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem, &c. 2. 7. 5. & 2. 2. 27.
19. Manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt adulterium, ſcortatio, impuritas, protervia, &c. 2. 1. 8. & 1. 14. 1. & 4. 15. 10.
VI. 10. Dum tempus habemus ſimus benefici erga omnes, &c. 3. 7. 6. & 3. 20. 38.
14. A me vero abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo, 2. 16. 7.
15. Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, 4. 14. 14.
17. De cætero nequis mihi moleſtias exhibeto: ego enim ſtigmata, &c. 1. 18, 7. & 3. 25. 8.

AD EPHESIOS.

I. 2. GRatia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto, 1. 13. 13.
3. Qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali, in cœlis in Chriſto, 2. 22. 10.
4. Sicut elegit nos in ipſo antequam jacerentur fundamenta mundi, ut ſimus ſancti, &c. 2. 3. 8. & 2. 8. 53. & 2. 12. 5. & 1. 16. 4. & 3. 13. 3. & 3. 17. 13. & 3. 10. 8. & 3. 22. 1. & 3. 23. 12. & 3. 24. 5, & 5.
5. Qui prædeſtinavit nos quos adoptaret in filios per Jeſum Chriſtum in ſeſe, &c. 2. 12. 5. & 3. 11. 4. & 3. 18. 2.
6. Ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, qua nos gratos effecit ſibi gratos in illo dilecto, 2. 17. 2. & 3. 2. 32. & 3. 11. 4.
7. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, &c. 3. 4. 30.
9. Patefacto nobis myſterio voluntatis ſuæ ſecundum gratuitam ſuam benevolentiam, &c. 4. 14. 2. & 6. 19. 36.
10. Ut in pleni, temporis diſpenſatione recolligeret omnia in Chriſto, tum quæ in cœlis ſunt, &c. 1. 15. 3. & 3. 10. 22.
13. In quo eſtis & vos, audito ſermone veritatis, id eſt, Evangelio ſalutis veſtræ, &c. 1. 7. 4. & 2. 9. 3. & 2, 10. 3. & 3. 1. 4. & 3. 2. 36. & 3. 14. 1, & 8.
14. Qui (ſpiritus) eſt arrhabo hæreditatis noſtræ dum in libertatem vindicemur, &c. 3. 24. 8.
17. Ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater illæ gloriæ, det vobis Spiritum ſapientiæ, &c. 2. 2. 21.
18. Ut ſciatis quæ ſit ſpes illa vocationis ipſius & quæ opes gloriæ hæreditatis ipſius in ſanctis, 2. 2. 21. & 3. 2. 16. & 4. 6. 11.
20. Quum exeruit in Chriſto, quum excitavit eum ex mortuis, &c. 2. 16. 13.
21. Longe ſupra omne imperium, ac poteſtatem, & potentiam, & dominium, & omne nomen quod nominatur, &c. 1. 14. 3. & 2. 15. 3. & 2. 16. 15.
22. Eumque conſtituit caput ſupra omnia ipſi Eccleſiæ, 1. 13. 3. & 4. 6. 6.
23. Quæ eſt corpus ipſius, & complementum ejus qui omnia implet in omnibus, 2. 15. 5. & 1. 20. 38. & 4. 1. 10. & 4. 17. 9.
II. 1. Quum eſſetis mortui in offenſis & peccatis, 3. 24. 10.
2. In quibus olim verſati eſtis, ut eſt vita mundi hujus, ſecundum principem cui poteſtas eſt aeris, &c. 1. 14. 13, 10. & 2. 4. 1. & 3. 24. 10.
3. Inter quos & nos omnes converſati ſumus olim, in cupiditatibus carnis noſtræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant, & eramus natura filii iræ, &c. 2. 1. 6, 11. & 4. 16. 17.
4. Sed Deus qui dives eſt miſericordia, propter multam charitatem ſuam qua dilexit nos, 3. 14. 5.
5. Quum per offenſas mortui eſſemus una vivificavit nos, &c. 2. 5. 19.
6. Unaque excitavit, unaque collocavit in cœlis, in Chriſto Jeſu, 2. 10. 16. & 3. 13. 6. & 3. 25. 1.
8. Gratia eſtis ſervati per fidem, idque non ex vobis, ſed Dei donum eſt, 3. 13. 2. & 3. 14. 11.
9. Non ex operibus, nequis glorietur, 3. 15. 2.
10. Nam ipſius ſumus opus, conditi in Chriſto Jeſu ad opera bona, &c. 2. 3. 6. & 3. 3. 21. & 3. 14. 5. & 3. 13. 7. & 3. 15. 18.
11. Mementote vos quondam gentes in carne, qui dicebamini, præputium, &c. 4. 14. 12. & 4. 10. 15.
12. Vos inquam illo tempore fuiſſe abſque Chriſto, alienos à Repub Iſraëlis, &c. 1. 4. 1. & 1. 3. 12. & 2. 6. 1. & 3. 24. 10. & 4. 16. 3, & 14.
14. Ipſe eſt pax noſtra, qui utraque fecit unum, &c. 2. 7. 17. & 2. 11. 11. & 3. 2. 28, 32. & 3. 13. 4. & 4. 16. 13.
16. Et ut utroſque in uno corpore reconciliaret Deo per crucem, &c. 2. 17. 2.
19. Non igitur amplius eſtis hoſpites, & inquilini, ſed concives, &c. 3. 23. 1.
20. Superſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum ac Prophetarum, &c. 1. 7. 2. & 4. 1. 6. & 4. 2. 1, 4. & 4. 6. 3.
21. In quod totum ædificium congruenter coagmentatum creſcit ut ſit templum ſanctum Domino, 3. 13. 3. & 3. 16. 2.
III. 2. Siquidem audiviſtis diſpenſationem gratiæ Dei quæ data eſt mihi apud vos, 4. 14. 8.
7. Cujus factus ſum miniſter ex dono gratiæ Dei, &c. 3. 25. 7.
10. Ut nota nunc fiat per Eccleſiam imperiis ac poteſtatibus quæ in cœlis ſunt, &c. 1. 18. 3. & 2. 11. 12. & 3. 14. 16.
12. In quo habemus libertatem & aditum cum fiducia, &c. 3. 2. 13. & 3. 13. 5. & 3. 20. 12.
14. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, 3. 2. 13.
15. Ex quo tota familia in cœlis, & in terra nominatur, ibid.
16. Ut det vobis, pro divite ſua gloria, ut fortiter corroboremini, &c. 2. 12. 5. & 3. 15. 3.
17. Et inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris, 2. 9. 3. & 1. 22. 5. & 4. 17. 5.
18. Ut in charitate radicati & fundati, valeatis aſſequi cum omnibus ſanctis, &c. 2. 12. 5. & 3. 2. 24. & 3. 14. 19.
19. Et cognoſcere charitatem illam Chriſti omni cognitione ſuperiorem, &c. 2. 12. 5.
IV. 2. Tolerantes alii alios per charitatem, 4. 12. 11, & 13.
3. Studentes ſervare unitatem Spiritus per vinculum pacis, ibid.
4. Unum eſt corpus & unus Spiritus, &c. 4. 1. 3. & 4. 3. 1. & 4. 6. 10.
5. Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, 1. 13. 10. & 4. 2. 3.
7. Sed unicuique noſtrum data eſt gratia, &c. 2. 15. 5. & 3. 1. 2. & 4. 6. 10.
8. Quum aſcendiſſet in ſublime, captivam duxit captivitatem, &c. 1. 13. 11. & 2. 10. 16.
10. Qui deſcendit ipſe eſt etiam qui aſcendit, longe ſupra omnes cœlos, &c. 2. 16. 14. & 4. 3. 2. & 4. 6. 10.
11. Dedit

11. Dedit igitur ipſe alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, &c. 4.1.2, 5. & 4.3.4. & 4.6.10. & 4.8.22.
12. Ad coagmentationem Sanctorum, ad opus miniſterii, &c. 4.1.5.
13. Donec evadamus omnes ad unitatem fidei, &c. 4.14.8.
14. Ut ne ſimus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ, &c. 2.10.23. & 4.3.1.
15. Sed veritatem ſectantes cum charitate, prorſus adoleſcamus in eum, &c. 2.16.15. & 3.1.1, 3. & 4.3.2. & 4.6.9. & 4.17.9.
16. Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes ſuppeditatas commiſſuras, &c. 2.13.1. & 4.6.9.
17. Hoc itaque dico, & obteſtor per Dominum, ne amplius verſemini, &c. 2.1.9 & 2.3.1.
18. Cogitationem habentes obſcuratam, & abalienatam, &c. ibid.
20. Vos non ita didiciſtis Chriſtum, 3.2.6. & 3.6.4.
22. Nempe deponere quod ad priſtinam converſationem attinet, veterem illum hominem, &c. 3.3.8. & 3.6.4.
23. Renovemini Spiritu mentis veſtræ, 2.1.9. & 2.3.1. & 3.3.3. & 3.7.1.
24. Et induite novum illum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt, &c. 1.15.4.
27. Neque date locum diabolo, 2.14.18.
28. Qui furabatur, non amplius furetur, ſed potius laboret, &c. 3.24.10.
30. Et ne triſtitia afficite Spiritum illum Sanctum Dei, per quem, &c. 2.5.8.
V. 1. Eſtote igitur imitatores Dei, ut filii dilecti, 3.6.3.
2. Verſamini cum charitate, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum, &c. 2.17.5. & 4.19.23.
6. Ne quiſquam vos ſeducat inanibus ſermonibus, propter hæc enim, &c. 3.2.27.
8. Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino, &c. 3.16.2. & 3.24.10.
14. Excitare qui dormis, & ſurge à mortuis & illuceſcet tibi Chriſtus, 2.5.19.
23. Quoniam vir eſt caput uxoris ut & Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, 3.6.3. & [illegible] 9.
25. Et ſemetipſum expoſuit pro ea, 4.1.17. & 4.8.12. & 4.20.29.
26. Ut eam ſanctificaret, purgans, &c. 3.3.11. & 3.6.3. & 4.1.11. & 4.15.2. & 4.16.22.
27. Ut ſiſteret eam ſibi glorioſam, id eſt, Eccleſiam non habentem, &c. 3.3.11. & 4.1.10.
28. Ita debent viri diligere ſuas uxores ut ſua ipſorum corpora, &c. 4.19.35.
29. Nullus enim unquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imo enutrit, ac fovet eam, ſicut & Dominus Eccleſiam, ibid.
30. Membra ſumus corporis ejus, ex carne ejus, &c. 2.8.18. & 2.12.2, 17. & 3.1.3. & 4.17.9.
32. Myſterium hoc magnum eſt, loquor autem de Chriſto & Eccleſia, 4.12.24.
VI. 1. Liberi, auſcultate in Domino parentibus veſtris, &c. 2.8.36, 38. & 4.20.29.
4. Et vos patres ne provocate liberos ad iram, &c. 4.29.29.
9. Apud eum nullius eſt perſonæ reſpectus, 3.23.10.
10. Quod ſupereſt, fratres mei, corroboremini per Dominum, &c. 2.5.2.
12. Non eſt nobis lucta adverſus ſanguinem & carnem, &c. 1.14.13. & 1.17.8.
13. Propterea aſſumite univerſam illam armaturam Dei, &c. 1.14.13. & 2.5.11.
16. Inſuper aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis omnia, &c. 3.2.21. & 3.20.12.
18. Omni prece & ſupplicatione, precantes omni tempore per Spiritum, &c. 3.20.5, 7, & 12.
19. Et pro me, ut mihi detur ſermo ad apertionem oris mei cum libertate, 3.20.20.

AD PHILIPPENSES.

I. 3. PAulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti, &c. 4.3.7, & 8.
4. Semper in omni precatione mea pro omnibus vobis, &c. 1.2.15.
6. Perſuaſum habens hoc ipſum, fore ut qui cœpit in vobis opus bonum, &c. 2.3.6. & 3.13.1. & 3.24.6.
20. Secundum intentam expectationem & ſpem meam, quod nulla in re pudefiam, ſed cum omni libertate, &c. 3.2.43.
23. Coarctor enim utrinque, cupiens migrare, & eſſe cum Chriſto, 3.9.4.
29. Vobis enim datum eſt in Chriſti negotio, non ſolum in eum credere, &c. 2.17.5.
II. 2. Explete meum gaudium, ut itidem ſitis affecti, eandem charitatem habentes, &c. 4.2.5.
3. Nihil geritæ per contentionem aut per inanem gloriam, ſed ex modeſtia, &c. 3.7.4.
5. Itaque is ſit affectus in vobis qui fuit in Chriſto Jeſu, 4.2.5.
6. Qui quum eſſet in forma Dei, non duxit rapinam, &c. 1.13.11, & 24.
7. Ipſe ſe exinanivit, forma ſervi accepta, ſimilis hominibus factus, &c. 1.13.24. & 2.13.2. & 2.16.5. & 4.17.25.
8. Et figura inventus ut homo, ipſe ſe ſummiſit, factus obediens uſque ad mortem, &c. 2.13.2. & 2.14.3. & 3.15.8. & 4.14.21.
9. Quapropter & Deus ipſum in ſummum extulit ſublimitatem, ac donavit nomen, &c. 2.12.12. & 2.13.8. & 2.15.5. & 2.16.15. & 2.17.6.
20. Ut ad nomen Jeſu omne genu ſe flectat, &c. 1.13.24. & 2.11.12. & 2.14.3. & 3.5.8.
12. Dilecti mei ſicut ſemper obediſtis, non ut in præſentia mea ſolum, &c. 2.5.11. & 3.2.23. & 3.18.1.
13. Deus is eſt qui efficit in vobis, ut velitis, & ut efficiatis, &c. 2.2.27. & 2.3.6, 9, 11. & 2.5.11. & 3.2.23. & 3.11.12.
15. Ut ſitis irreprehenſi & ſinceri, filii, inquam, Dei, inculpati, &c. 3.17.15.
17. Quin etiam ſi pro libamento offerar, ſuper hoſtia ſacrificioque fidei veſtræ, gaudeo, & gratulor omnibus vobis, 3.2.6.
20. Neminem enim habeo pari animo præditum, qui germane res veſtras curaturus ſit, 4.6.15.
21. Nam omnes quæ ſua ipſorum ſunt quærunt, non quæ Chriſti Jeſu, ibid.
III. 5. Hebræus ex Hebræis: religione Phariſæus, 3.24.10.
6. Quod ad zelum attinet, perſequens Eccleſiam, &c. ibid.
9. Quinetiam omnia duco damnum eſſe propter eminentiam cognitionis Chriſti Jeſu Domini mei, 3.11.13. & 3.25.2.
9. 10. Ut cognoſcam eum, & vim reſurrectionis ipſius, &c. 2.16.13. & 3.8.1. & 3.15.8. & 3.25.2.
12. Nedum ut jam metam apprehenderim aut jam perfectus ſim, ſed, &c. 4.8.12.
14. Unum autem ago, equidem quæ à tergo ſunt obliviſcens, &c. 3.14.18. & 3.21.1.
15. Quotquot perfecti ſumus, hoc ſentiamus, quod ſiquid aliter ſentitis, &c. 3.2.4. & 4.1.12.
20. Non enim ut municipes cœlorum nos gerimus: unde etiam Servatorem expectamus, &c. 3.25.2, 3 & 4.17.17, & 29.
21. Qui transformabit corpus noſtrum humile, &c. 3.25.8. 4.8. & 4.17.19.
IV. 3. Et rogo te quoque, ſocie germane, opitulare ipſis, ut quæ in Evangelio, &c. 3.24.9.
6. De nulla re ſolliciti eſtote: ſed omni in re precibus & ſupplicatione, &c. 3.20.28, & 40.
12. Novi autem deprimi, novi etiam abundare, ubique & in omnibus initiatus ſum, &c. 3.10.5. & 3.19.9.
18. Expletus ſum, inquam, acceptis ab Epaphrodito, quæ à vobis, &c. 4.18.16.

AD COLOSSENSES.

I. 4. AUdita fide veſtra in Chriſto Jeſu, & charitate in omnes ſanctos, 2.10.3. & 3.[illegible] & 4.10.24.
5. Propter ſpem repoſitam vobis in cœlis, &c. 3.18.3. & 3.25.1.
9. Propterea & nos, ex quo die id audivimus, non deſinimus pro vobis orare, &c. 1.2.15.
10. Et creſcentes in agnitionem Dei, ibid. & 1.7.3.
12. Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit, &c. 3.22.1.
13. Qui liberavit nos à poteſtate tenebrarum, &c. 3.15.6.
14. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, &c. 2.17.5. & 3.4.30. & 3.15.5.
15. Qui eſt imago Dei inconſpicui, primogenitus omnis rei creatæ, 2.2.20. & 2.6.4. & 2.12.4, 7. & 2.14.2, & 5.
16. Nam per eum condita ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt & quæ in terra, viſibilia & inviſibilia, &c. 1.14.10. & 2.17.2. & 2.31.7.
18. Eſtque caput corporis Eccleſiæ, 2.12.7. & 4.6.9.
20. Et per eum reconciliare omnia ſibi, &c. 1.14.10. & 2.17.2. & 3.4.27. & 3.15.5.
21. Itaque vos quondam abalienatos & hoſtes, mente operibus, &c. 2.16.2. & 3.14.6.
22. Nunc tamen reconciliavit vos in corpore illo carnis ſuæ, &c. 2.16.2.
24. Nunc gaudeo de iis quæ patior pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, &c. 3.5.2, 4. & 4.12.5.
26. Myſterium abſconditum à ſeculis, & ætatibus, nunc autem illud eſt patefactum ſanctis ejus, 2.11.12. & 2.7.17. & 3.2.14. & 4.14.2.
II. 2. Ut conſolationem accipiant eorum corda, ipſis charitate compactis, &c. 3.2.14.
3. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ ac cognitionis abſconditi, 2.12.4. & 2.15.2. & 3.2.13, & 2.11.5. & 3.11.11. & 4.8.7. & 4.10.8. & 4.18.20.
8. Videte ne quis ſit qui vos deprædetur per philoſophiam ſecundum traditionem, &c. 4.10.8, & 24.
9. Nam in illo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, 1.13.13. & 3.11.5.
10. Et eſtis in eo completi, qui eſt caput omnis imperii ac poteſtatis, 1.14.3. & 4.6.9.
11. In quo etiam circumciſi eſtis, circumciſione quæ fit ſine manibus, &c. 4.14.24. & 4.16.11.
12. Conſepulti cum eo per Baptiſmum, &c. 3.25.8. & 4.15.5. & 4.16.21.
13. Voſque mortuos in peccatis, & præputio carnis veſtræ, &c. 2.7.17.
14. Deleto quod adverſum nos erat rituum chirographo, &c. 2.7.17. & 2.17.5. & 3.4.25.
15. Expoliata imperia ac poteſtates traduxit palam, triumphatis illis per eam, 1.16.6.
16. Ne quis igitur vos damnet ob cibum vel potum, aut reſpectu diei feſti, &c. 2.8.33.
17. Quæ ſunt umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti, 2.7.16. & 2.8.31. & 4.14.22, & 25.
19. Neque obtinens caput, ex quo totum corpus per commiſſuras & compages ſuppeditatum, &c. 2.15.8.
20. Si itaque mortui eſtis in Chriſto, liberi eſtis ab elementis mundi, &c. 4.10.9 & 4.19.7.
21. Ne ederis, ne attigeris, neque guſtaris, 4.10.13.
23. Quæ rationem quidem habet ſapientiæ, in cultu voluntario, &c. 4.10.11, 24. & 4.13.2.
III. 1. Itaque ſi reſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite, ubi eſt Chriſtus ad dextram, &c. 3.6.1. & 4.17.36.
2. Superna curate, non terreſtria, 4.17.36.
3. Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, &c. 2.16.7, 13. & 3.25.1.
5. Mortificate igitur membra veſtra terreſtria, ſcortationem, impuritatem, &c. 2.16.13.
6. Ob quæ venit ira Dei in filios contumaces, 3.2.27.
9. Ne mentimini alius adverſus alium, cum exueritis veterem, &c. 3.3.8.
10. Et indueritis novum illum hominem, qui renovatur, &c. 1.15.4. & 2.12.6. & 3.3.8.
11. Ubi non eſt Græcus & Judæus, Circumciſio & Præputium, Barbarus, &c. 4.20.1.
14. Adhæc autem omnia, induimini charitate quæ eſt vinculum perfectionis, &c. 2.8.53. & 3.18.8. & 4.13.13.
16. Docendo & commonefaciendo vos mutuo Pſalmis, hymnis, &c. 3.20.31.
20. Liberi, auſcultate parentibus, 2.8.36.
24. Scientes vos à Domino recepturos mercedem hæreditatis, &c. 3.18.2.
25. Neque eſt perſonarum reſpectus, 3.23.10.
IV. 3. Precantes ſimul etiam pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis, &c. 3.20.20.
17. Et dicite Archippo, Vide ut miniſterium, quod accepiſti, &c. 4.3.7.

I. AD THESSALONICENSES.

II. 18. IDeo voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus.) &c. 1.17.11.
19. Nam quæ eſt noſtra ſpes aut gaudium, aut corona de qua glorier? nonne vos, &c. 3.15.10.
III. 5. Quamobrem etiam ego non amplius ferens veſtri deſiderium, miſi eum ut cognoſceret fidem veſtram, &c. 3.20.46. & 4.1.6.
12. Faxit autem Dominus abundetis & exuberetis mutua inter vos charitate, &c. 2.6.6.
13. Ut corda veſtra inculpata ſtabiliat in ſanctimonia coram Deo, &c. 3.17.15.
IV. 3. Hæc eſt voluntas Dei, nempe ſanctificatio veſtra, 3.16.2.
7. Non enim vocavit nos Deus ad impuritatem, ſed ad ſanctificationem, ibid. & 3.19.2. & 3.23.13.
15. Hoc enim vobis dicimus verbis Domini, fore ut nos vivi, qui reliqui erimus in adventu Domini, non præveniamus eos qui obdormierunt, 3.25.8.
16. Nam ipſe Dominus cum hortationis clamore, & voce Archangeli ac Dei tuba deſcendet e cœlo, & qui mortui fuerint in Chriſto, reſurgent primum, 1.14.8. & 2.16.17.
17. Deinde nos vivi qui reliqui erimus, rapiemur ſimul cum eis in nubes in occurſum Domini in aera: & ita ſemper cum Domino erimus, 2.16.17.
V. 2. Ipſi enim penitus ſcitis diem illum Domini, ut furem in nocte, ita venturum eſſe, 4.19.14.
9. Non conſtituit nos Deus ad iram, ſed ad ſalutem obtinendam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, 2.16.2.
17. Indeſinenter orate, 3.20.7, & 29.
18. In omnibus gratias agite, hæc enim eſt voluntas Dei per Chriſtum Jeſum erga vos, 3.20.28.
19. Spiritum ne extinguite, 2.9.3. & 2.5.12.
20. Prophetias ne pro nihilo habete, 2.9.3.
23. Deus autem pacis author, ſanctificet vos totos, & integer veſter ſpiritus, anima & corpus inculpate in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſerventur, 3.6.3. & 1.17.15. & 3.23.7.

II. AD THESSALONICENSES.

I. 4. NOs ipſi de vobis gloriamur apud Eccleſias Dei, id eſt, de tolerantia veſtra, & fide in omnibus perſequutionibus veſtris & oppreſſionibus quas toleratis, 3.2.21.
5. Quæ res manifeſto eſt indicio juſti judicii Dei, ut digni cenſeamini regno Dei, pro quo etiam patimini, 3.2.21. & 3.18.7.
6. Juſtum eſt apud Deum viciſſim reddere iis qui affligunt nos, afflictionem, 3.9.6. & 3.18.7. & 3.25.4.
7. Vobis vero qui affligimini relaxationem nobiſcum, quum patefiet Dominus Jeſus de cœlo cum Angelis potentiæ ſuæ, &c. 3.17.7.
9. Qui pœnam pendent æterni exitii, damnati à præſente Domino, & potentia ipſius gloria, 3.25.11.
10. Quum venerit ut ſanctificetur in ſanctis ſuis, & admirandus ſit in fidelibus omnibus (quod fides habita ſit teſtimonio noſtro apud vos) in die illo, 3.25.10.
11. Cujus etiam rei gratia precamur ſemper pro vobis, ut vos dignetur iſta vocatione Deus noſter, & compleat omnem ſuæ bonitatis gratuitam benevolentiam, & opus fidei potenter, 2.5.8. & 3.2.35.
II. 3. Ne quis vos ſeducat ullo modo: non enim adveniet dies Chriſti, quin venerit defectio prius & retectus fuerit homo ille ſceleratus, filius inquam ille perditionis, 4.9.6, & 7.
4. Seſe opponens & efferens adverſus quicquid dicitur Deus, aut numen: adeo ut in templo Dei tanquam Deus ſedeat, &c. 4.2.12. & 4.7.15, 20. & 4.9.4.

9. Illum

I N D E X.

9. Illum inquam, cujus adventus eſt ex efficacia Satanæ, cum omni potentia & ſignis & prodigiis mendacibus, 1. 14. 17.
11. Propterea igitur Deus mittet illis efficaciam deceptionis, ut credant mendacio, *ibid.* & 1. 18. 2. & 2. 4. 3.
12. Ut damnentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed acquieverunt in injuſtitia, 2. 18. 2. & 2. 4. 3.
13. Nos autem debemus gratias agere Domino ſemper de vobis fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos ab initio ad ſalutem per ſanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati, 3. 1. 4.
14. Quo vocavit vos per Evangelium noſtrum, ad obtinendam gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, 2. 10. 3.
III. 6. Denuntiamus autem vobis fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubducatis vos ab omni fratre qui inordinate ſe gerit, &c. 4. 1. 26.
10. Etiam quum eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quod ſiquis nolit operari, etiam non edito, 4. 16. 29.
12. Iis autem qui ſunt iſtiuſmodi, denuntiamus, & eos obſecramus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut cum quiete operantes ſuo pane veſcantur, 4. 1. 26.
14. Quod ſiquis non auſcultat noſtro per epiſtolam ſermoni, hunc notate, & nec commercium cum eo habete, ut eum pudeat, 4. 12. 5.
15. Neque ut inimicum ducite, ſed admonete ut fratrem, 4. 12. 10.

I. AD TIMOTHEUM.

I. 5. Finis mandati eſt charitas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata, 2. 5. 6. & 3. 8. 51. & 3. 2. 12. & 3. 19. 16. & 4. 10. 4.
9. Sciens legem juſto poſitam non eſſe, ſed legis contemtoribus, & iis qui ſubjici neſciunt, impiis, &c. 2. 7. 10.
13. Me inquam qui prius eram blaſphemus, & perſequutor & injurioſus, ſed mei miſertus eſt, nam ignorans id faciebam, fidei expers, 3. 3. 22.
15. Jeſus Chriſtus in mundum venit ut ſervaret peccatores, quorum primus ſum ego, 2. 12. 5.
17. Regi autem æterno, immortali, inviſibili, ſoli ſapienti Deo honor ſit & gloria, 1. 13. 1. & 1. 13. 24.
19. Retinens fidem & bonam conſcientiam, qua repulſa, nonnulli fidei naufragium fecerunt, 3. 2. 12.
II. 1. Adhortor igitur ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, poſtulationes, gratiarum actiones, pro quibuſvis hominibus, 3. 20. 19. & 4. 20. 23.
2. Pro Regibus & quibuſvis in eminentia conſtitutis: ut tranquillam & quietam vitam degamus, cum omni ſanctitate & honeſtate, 4. 20. 5. & 23.
4. Qui quoſvis homines vult ſervari, & ad agnitionem veritatis venire, 3. 24. 15.
5. Unus Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, 2. 12. 1. & 2. 17. 5. & 3. 20. 17. 20. & 4. 12. 25.
6. Qui ſemetipſum dedit redemptionis pretium pro quibuſvis, Chriſtus inquam teſtimonium illud ſuis temporibus deſtinatum, 2. 17. 5. & 3. 4. 30.
8. Velim igitur viros precari in quovis loco, puras manus attollentes abſque ira & diſceptatione, 3. 20. 29. & 3. 23. 7. & 4. 19. 2.
III. 2. Oportet igitur Epiſcopum irreprehenſum eſſe, unius uxoris virum, vigilantem, ſobrium, compoſitum, hoſpitalem, aptum ad docendum, 4. 3. 12. & 4. 4. 7. 10. & 4. 5. 2. & 4. 12. 23. & 4. 12. 24.
9. Tenentes myſterium fidei cum pura conſcientia, 3. 2. [illegible] & 4. 19. 16.
15. Quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & ſtabilimentum veritatis, 4. 1. 10. & 4. 2. 1, 10. & 4. 8. 12.
16. Et ſine controverſia magnum eſt pietatis myſterium, Deus conſpicuus factus eſt in carne, 1. 13. 11. & 4. 14. 2.
IV. 1. Spiritus autem diſerte dicit, fore ut poſterioribus temporibus deſciſcant quidam à fide, ſpiritibus deceptoribus attendentes, ac doctrinis dæmoniorum, 4. 9. 14.
2. Docentium mendacium per hypocriſim, quorum conſcientia cauterio reſecta eſt, *ibid.*
3. Prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abſtinere à cibis quos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem, 4. 9. 14. & 4. 12. 13.
4. Nam quicquid creavit Deus, bonum eſt, nec quicquam rejiciendum eſt, ſi cum gratiarum actione ſumatur, 3. 19. 8.
5. Sanctificatur enim per verbum Dei & preces, 3. 19. 8. & 3. 20. 28.
6. Innutritus in ſermonibus fidei, bonæque doctrinæ quam aſſecutus es, 3. 3. 6. & 13.
8. At pietas ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſſionem habeat vitæ præſentis ac futuræ, 2. 9. 3. & 3. 2. 28. & 3. 20. 44.
10. Idcirco etiam fatigamur & probris afficimur, quod ſperamus in Deo vivo, qui eſt conſervator omnium hominum, maxime vero fidelium, 3. 8. 2.
13. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, interim dum venio, 1. 9. 1.
14. Ne negligas donum quod in te eſt, quod datum eſt tibi ad prophetandum, cum impoſitione manuum presbyterii, 4. 3. 13. & 4. 19. 22.
V. 9. Vidua allegatur non minor annis ſexaginta, quæ fuerit unius viri uxor, 4. 3. 9.
12. Ex eo damnandæ, quod primam fidem rejecerint, 4. 13. 18.
17. Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni habentor, maxime qui laborant in ſermone & doctrina, 2. 8. 35. & 4. 11. 1.
20. Eos qui peccant coram omnibus argue ut & reliqui timeant, 4. 12. 3.
21. Obteſtor te in conſpectu Dei, & Domini Jeſu Chriſti, & electorum Angelorum, ut hæc ſerves, abſque eo ut unum alteri præferas, nihil faciens in alteram partem declinando, 1. 14. 9. 16. & 3. 23. 4.
22. Manus cito ne cui imponito, neque communicato peccatis alienis, 4. 3. 12. & 15.
VI. 4. Is turget nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones ac verborum pugnas, ex quibus naſcitur invidia, lis, maledicentia, ſuſpiciones malæ, 1. 13. 3.
10. Siquidem radix omnium malorum eſt amor pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrarunt à vera fide, & ſeipſos tranſfixerunt doloribus multis, 3. 2. 13.
16. Qui ſolus immortalitatem habet, lucem inacceſſam habitans, quem vidit nemo hominum neque videre poteſt: cui honor, & robur æternum, Amen, 1. 6. 3. & 1. 18. 3. & 3. 2. 1.
17. Iis qui divites ſunt in hoc ſeculo, denuntia ne efferantur animo, neque ſpem ponant in divitiis incertis, ſed in Deo vivo, qui præbet nobis omnia copioſe ad fruendum, 3. 18. 6.
20. Timothee, depoſitum ſerva, & averſare profanos de rebus inanibus clamores, & oppoſitiones falſo nominatæ ſcientiæ, 1. 16. 8.

II. AD TIMOTHEUM.

I. 1. Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, ſecundum promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu, 2. 9. 3.
6. Suggero tibi ut exſuſcites donum Dei quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum, 4. 3. 13.
9. Qui ſervavit nos & vocavit vocatione ſancta, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito, & gratia, &c. 2. 12. 5. & 3. 14. 5. & 3. 22. 3. & 4. 3. 26.
10. Patefacta nunc eſt per illuſtrem illum adventum Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui & mortem abolevit, & vitam in lucem produxit, ac immortalitatem per Evangelium, 2. 9. 2. & 3. 25. 1.
12. Quam ob cauſam & hæc patior, neque erubeſco, novi enim cui crediderim, & mihi perſuaſum eſt, illum poſſe depoſitum meum in illum diem ſervare, 3. 2. 31. & 3. 25. 4.
14. Præclarum depoſitum ſerva per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis, 3. 2. 33.
18. Det ei Deus ut inveniat miſericordiam apud Dominum in die illo, 3. 23. 10.
II. 10. Ideo omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria æterna, 3. 5. 4.
11. 12. Si cum eo mortui ſumus, cum eo etiam vivemus: ſi toleramus, & cum eo regnabimus, 3. 15. 8.
13. Si infidi ſumus, ille tamen fidus manet, negare ſeipſum non poteſt, 1. 4. 2. & 3. 20. 36.
16. Profanos clamores de rebus inanibus cohibe: ad majorem enim procedent impietatem, 3. 2. 13.
19. Solidum tamen Dei fundamentum ſtat, habens ſigillum hoc, Novit Dominus qui ſint ſui, &c. 3. 22. 6. & 4. 1. 2. & 8.
20. In magna domo non tantum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea ac teſtacea, & alia quidem ad decus alia vero ad dedecus, 3. 23. 8.
25. Cum lenitate erudiens eos qui contrario animo ſunt affecti, ecquando det eis Deus ut reſipiſcentes agnoſcant veritatem, 2. 14. 18. & 3. 3. 21. & 3. 24. 13.
26. Et elapſi ex diaboli laqueo, à quo captivi tenentur ad præſtandam illius voluntatem, mentis ſanitatem recipiant, 1. 14. 18. & 3. 3. 21.
III. 7. Semper diſcentes, ſed quæ nunquam ad cognitionem veritatis venire poſſint, 3. 2. 5.
8. Quemadmodum Jannes & Jambres reſtiterunt Moſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, 3. 2. 13.
16. Tota Scriptura divinitus eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in juſtitia, 2. 9. 1. & 2. 7. 14.
17. Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte inſtructus, 1. 9. 1.
IV. 1. Obteſtor igitur ego te coram Deo & Domino Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, in illuſtri illo ſuo adventu & regno ſuo, 2. 16. 17.
8. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, juſtus ille judex, 3. 18. 4. 5. & 3. 25. 4.
16. In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt, 4. 6. 15.

AD TITUM.

I. 1. Paulus ſervus Dei, Apoſtolus autem Jeſu Chriſti, ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem, 3. 2. 12. & 3. 22. 10.
5. Hujus rei cauſa reliqui te in Creta, ut quæ reliqua ſunt pergas corrigere, & conſtituas oppidatim presbyteros, ſicut ego tibi mandavi, 4. 3. 7, 8, & 15.
6. Si quis eſt inculpatus, unius uxoris vir, liberos habens fideles, &c. 4. 3. 12. & 4. 22. 23.
7. Oportet Epiſcopum inculpatum eſſe, tanquam Dei diſpenſatorem, &c. non turpis lucri cupidum, 4. 5. 29.
9. Tenentem fidelis illius ſermonis, qui ad doctrinam facit, ut poſſit etiam exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes convincere, 4. 3. 6.
13. Teſtimonium hoc eſt verum: quam ob cauſam redargue eos præciſe, ut ſani ſint in fide, 3. 2. 13.
15. Omnia quidem pura puris: pollutis autem & infidelibus, nihil eſt purum, &c. 3. 19. 9. & 4. 13. 9. & 4. 17. 4.
II. 2. Ut ſenes ſobrii ſint, venerandi, temperantes, ſani fide, charitate, & tolerantia, 3. 2. 13.
11. Illuxit enim gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus, 2. 12. 4. & 3. 7. 3. & 3. 16. 2. & 4. 1. 26.
12. Erudiens nos ut abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter, juſte & pie vivamus in præſenti ſeculo, 3. 16. 2. & 3. 25. 1.
13. Expectantes beatam illam ſpem, & illuſtrem illum adventum gloriæ magni illius Dei, ac Servatoris noſtri, nempe Jeſu Chriſti, 3. 9. 5. & 3. 16. 2.
III. 1. Suggere ipſis, ut ſeſe ſubjiciant principatibus, ac poteſtatibus obtemperent, ut ad omne opus bonum ſint parati, 4. 20. 23.
4. Poſtquam bonitas, & erga homines amor apparuit Servatoris noſtri Dei, ſervavit nos, 2. 3. 17. & 3. 14. 3. & 4. 1. 26.
5. Non ex operibus juſtis quæ feceramus nos, ſed ex ſua miſericordia, per lavacrum regenerationis, &c. 1. 13. 14. & 3. 4. 25. & 4. 15. 2, 3. & 4. 16. 20. & 4. 17. 22.
7. Ut juſtificati ipſius gratia, hæredes efficeremur ſecundum ſpem vitæ æternæ, 3. 25. 6.
9. Stultas autem quæſtiones & genealogias, & contentiones ac pugnas legales cohibe: ſunt enim inutiles & vanæ, 1. 12. 3.

AD HEBRÆOS.

I. 1. Deus multis vicibus, multiſque modis olim loquutus Patribus per Prophetas, 2. 9. 1. & 2. 15. 1. & 4. 8. 7.
2. Novimis hiſce diebus loquutus eſt nobis per Filium, 1. 13. 7. & 4. 8. 7. & 4. 18. 20.
3. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & character perſonæ illius, ſuſtineatque omnia verbo illo ſuo potente, purgatione peccatorum noſtrorum per ſeipſum facta, &c. 1. 13. 2, 12. & 2. 26. 4. & 2. 8. 20. & 2. 14. 3.
4. Tanto præſtantior factus Angelis, quanto excellentius præ illis ſortitus eſt nomen, 1. 14. 9.
6. Adorent eum omnes Angeli Dei, 1. 13. 21, 23. & 2. 14. 9.
10. Et tu in initio Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli, &c. 1. 13. 21, 23, & 26.
14. Nonne omnes ſunt miniſtratores ſpiritus, qui miniſterii cauſa mittuntur propter eos qui hæredes erunt ſalutis? 2. 14. 9. & 3. 20. 23.
II. 5. Non Angelis ſubjecit mundum illum futurum de quo loquimur, 2. 14. 9.
9. Sed Jeſum illum cernimus gloria & honore coronatum, qui paulisper fuit inferior Angelis factus, propter mortis perpeſſionem, ut beneficio Dei pro omnibus mortem guſtaret, 1. 13. 26. & 2. 16. 7.
11. Nam & qui ſanctificat & qui ſanctificantur, ex uno ſunt omnes, quam ob cauſam non erubeſcit fratres ipſos vocare, 2. 13. 2, 8.
14. Ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet, hoc eſt, diabolum, &c. 1. 14. 18. & 2. 13. 1. 7. & 3. 11. 12.
15. Et liberos redderet quicunque metu mortis, per omnem vitam obnoxii erant ſervituti, 2. 16. 7, & 11.
16. Non enim videlicet Angelos aſſumpſit, ſed ſemen Abrahæ aſſumpſit, 1. 14. 9. & 2. 13. 1. & 2.
17. Debuit per omnia fratribus ſimilis fieri, ut miſericors eſſet, & fidelis pontifex in iis quæ apud Deum agenda forent, 2. 13. 1. & 2. 16. 12, & 19.
III. 14. Chriſti participes facti ſumus, ſi modo principium illud quo ſuſtentamur, firmum retinuerimus ad finem uſque, 3. 2. 16.
IV. 9. Itaque reliquus eſt aliquis ſabbatiſmus populo Dei, 2. 8. 29.
14. Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jeſum Filium Dei, teneamus hanc profeſſionem, 2. 7. 2. & 4. 4. 21.
15. Non habemus Pontificem qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus ſimiliter abſque peccato, 2. 12. 1, 7. & 2. 13. 1. & 2. 16. 12. & 4. 17. 24.
16. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut conſequamur miſericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium, 3. 20. 12, & 17.
V. 1. Omnis autem Pontifex ex hominibus aſſumitur, & pro hominibus conſtituitur in iis quæ apud Deum agenda ſunt, ut offerat donaria & victimas pro peccatis, 2. 12. 4.
4. Neque ſibi ipſi quiſpiam ſumit hunc honorem, ſed qui vocatus à Deo, ſicut & Aaron, 4. 3. 10. & 4. 15. 22. & 4. 18. 9, & 14.
5. Ita & Chriſtus non ſibi hunc honorem tribuit ut fieret Pontifex, &c. 4. 14. 21. & 4. 18. 2.
6. Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, 4. 19. 28.
7. Qui in diebus carnis ſuæ, quum deprecationes & ſupplicationes apud eum, qui poterat ipſum ſervare à morte,

à morte, cum clamore valido ac lacrymis obtuliſſet, & exauditus eſſet ex metu, 2. 16. 11.
8. Quamvis filius eſſet, tamen ex iis quæ paſſus eſt, didicit obedientiam, 3. 8. 1.
10. Cognominatus à Deo Pontifex, ſecundum ordinem Melchiſedech, 4. 18. 2.
VI. 4. Nam fieri non poteſt ut qui ſemel fuerunt illuſtrati, guſtaveruntque donum cæleſte, & participes fuerunt Spiritus Sancti, &c. 3. 2. 11. & 3. 3. 21, & 23.
6. Si prolabantur ut denuo renoventur per reſipiſcentiam, &c. 3. 3. 21.
10. Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & laborioſæ charitatis, quam exhibuiſtis ipſius nomini, 3. 18. 7.
13. Deus enim pollicitus Abrahæ, quum non poſſet per quemquam majorem jurare juravit per ſeipſum, 2. 8. 25.
16. Homines quidem jurant per eum qui ſit major, atque iiſdem omnis controverſiæ finis, eſt juſjurandum ad confirmationem adhibitum, 2. 8. 27.
VII. 3. Sine patre, ſine matre, ſine genere, nec initium dierum, neque vitæ finem habens, ſed aſſimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum, 4. 18. 28.
7. Porro ſine ulla controverſia id quod minus eſt, ab eo quod majus eſt benedicitur, 4. 18. 2.
11. Si conſummatio per Leviticum Sacerdotium erat, &c. Quid opus alium Sacerdotem, &c. 2. 11. 4.
12. Mutato igitur Sacerdotio, neceſſe eſt, ut Legis mutatio fiat, 3. 4. 4. & 4. 6. 2.
17. Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, 4. 18. 2.
19. Nihil enim ſanctificavit Lex, ſed adſcita ſpes melior, per quam appropinquamus, 2. 7. 17. & 2. 11. 4.
21. At hic cum jurejurando per eum qui dixit ei, Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, &c. 4. 18. 2.
22. Tanto potioris fœderis ſponſor factus eſt Jeſus, ibid.
24. At iſte, propterea quod in æternum manet, perpetuum habet ſacerdotium, 2. 15. 6.
25. Unde & ſervare prorſus poteſt eos qui per ipſum accedunt ad Deum, 2. 16. 16.
VIII. 1. Cæterum eorum quæ dicimus hæc ſumma eſt: Talem nos habere Pontificem, qui conſedit ad dextram throni majeſtatis illius cæleſtis, 2. 16. 15.
5. Vide, inquit, ut facias omnia ad exemplar quod oſtenſum eſt tibi in monte, 2. 7. 1.
6. At nunc noſter ille Pontifex eo excellentius miniſterium ſortitus eſt, quo præſtantioris eſt fœderis interceſſor, &c. 2. 16. 12.
IX. 1. Habebat quidem etiam prius fœdus conſtitutos religionis ritus, & ſanctuarium mundanum, 4. 14. 21.
7. In ſecundum autem, ſemel quotannis ſolus Pontifex (ingreditur) non ſine ſanguine, quem offert pro ſeipſo, & pro populi erratis, 2. 15. 6.
8. Hoc declarante Spiritu Sancto, nondum patefactam fuiſſe viam ad ſacrarium, priore tabernaculo adhuc conſiſtente, ibid.
9. Quo dona ſacrificiaque offeruntur, quæ non poſſunt in conſcientia ſanctificare cultorem, 2. 7. 17. & 2. 11. 4. & 4. 14. 25.
11. Adveniens autem Chriſtus Pontifex futurorum, &c. 2. 16. 16. & 4. 14. 21. & 4. 12. 2.
12. Neque ſanguine hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſacrarium, &c. 2. 17. 4. & 4. 18. 3.
13. Nam ſi ſanguis taurorum & hircorum & cinis juvencæ aſpergens inquinatos, ſanctificat ad carnis puritatem, 2. 17. 4.
14. Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulit incolpatum Deo, purgabit, &c. 2. 16. 6. & 3. 16. 1. & 4. 14. 21.
15. Itaque ob id novi fœderis Mediator eſt, ut morte intercedente, &c. 2. 17. 4. & 2. 7. 17.
16. Nam ubi teſtamentum eſt, mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris, 4. 18. 5.
22. Et omnia fere ſecundum Legem ſanguine purificantur, & abſque ſanguinis effuſione non fit remiſſio, 2. 15. 6. & 2. 17. 4.
26. Sed nunc ſemel in conſummatione ſeculorum ad abolendum peccatum, per immolationem ſui ipſius patefactus eſt, &c. 4. 18. 3.
27. Et ſicut illud ſtatutum eſt hominibus ut ſemel moriantur, poſtea vero judicium, 2. 16. 17. & 3. 25. 8.
28. Ita & Chriſtus ſemel oblatus ut multorum peccata tolleret, altera vice abſque peccato conſpicietur iis, qui ipſum expectant ad ſalutem, 3. 25. 2.
X. 1. Lex enim umbram obtinens futurorum bonorum, non expreſſam formam rerum, iis hoſtiis quas ſingulis annis eaſdem aſſidue offerunt, nunquam poteſt accedentes ſanctificare, 2. 7. 16, & 17. & 2. 11. 4. & 4. 14. 23.
2. Alioqui deſiiſſent offerri, propterea quod qui ſacrificaſſent, ut ſemel purgati eſſent, nullorum peccatorum amplius ſibi conſcii eſſent, 3. 19. 15. & 4. 13. 3. & 4. 14. 29.
4. Non enim poteſt ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata, 4. 14. 25.
7. Tunc dixi, Ecce adſum: in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam, 2. 16. 5. 6.
8. Quum ſuperius dixiſſet, Sacrificium & oblationem & holocautomata & hoſtiam pro peccato noluiſti, neque approbaſti, quæ juxta Legem offeruntur: tum dixit, Ecce adſum ut faciam, Deus, voluntatem tuam, 2. 16. 5.
10. Qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel factam, 3. 6. 3. & 4. 13. 3.
14. Unica enim oblatione conſecravit in perpetuum eos qui ſanctificantur, 3. 5. 2. & 4. 18. 3.
18. Porro ubi eſt horum remiſſio non eſt amplius oblatio pro peccato, 4. 18. 3.
19. Quum igitur, fratres, habeamus libertatem ingrediendi Sacrarium per ſanguinem Jeſu, 3. 20. 20.
20. Ea via quam dedicavit nobis recentem & vivam per velum, hoc eſt, carnem ſuam, 3. 20. 18.
26. Si ultro peccaverimus poſt acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua eſt hoſtia, 3. 3. 21, & 23.
27. Sed horrenda quædam expectatio judicii, & ignis fervor qui devoraturus eſt adverſarios, 3. 25. 12.
29. Quanto putatis acerbiore ſupplicio dignus cenſebitur, qui Filium Dei conculcarit, & ſanguinem fœderis per quem fuerat ſanctificatus profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit, 3. 3. 21.
36. Patientia vobis eſt opus, ut ubi voluntatem Dei præſtiteritis, reportetis promiſſionem, 3. 2. 37.
XI. 1. Eſt autem fides, illud quod facit ut extent quæ ſperantur, & quod demonſtrat quæ non videntur, 3. 2. 41. & 3. 25. 1.
3. Per fidem intelligimus conſtructum fuiſſe mundum verbo Dei, ut quæ cernimus non ſint ex apparentibus facta, 1. 5. 1, 13. & 1. 16. 1.
6. Atqui fieri non poteſt ut quiſquam ei ſine fide placeat. Nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet eſſe Deum, & præmia largiri iis qui ipſum requirunt, 3. 11. 15. & 3. 14. 4. & 3. 20. 40.
7. Per fidem divinitus admonitus Noe de iis quæ nondum videbantur, veritus, &c. 3. 2. 30.
9. Per fidem (Abraham) commoratus eſt in terra promiſſa ut alienus, &c. 2. 10. 13.
17. Abraham quum tentaretur, obtulit Iſaac per fidem, unigenitum inquam illum obtulit is qui promiſſiones exceperat, 3. 19. 6.
21. Adoravit baculo innixus, 1. 11. 13.
XII. 3. Reputate igitur quis ille ſit qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſeſe contradictionem, ne animis deficientes, fatiſcatis, 3. 3. 15.
5. Et obliti eſtis exhortationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, Fili mi, ne negligito caſtigationem Domini, neque deficias animo quum ab eo arguetis, 3. 4. 32.
8. Quod ſi eſtis abſque caſtigatione, cujus participes ſunt omnes, nempe ſpurii eſtis, & non filii, 3. 8. 6.
9. Deinde corporum noſtrorum patres habuimus caſtigatores, & eos reveriti ſumus, annon multo magis ſubjiciemur Patri ſpirituum, & vivemus. 3. 25. 2.
17. Scitis eum etiam poſtea, quum vellet hæreditario jure benedictionem aſſequi, reprobatum fuiſſe, non enim reperit pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis benedictionem illam exquiſiſſet, 3. 3. 24.
18. Non enim veniſtis ad contrectabilem montem & incenſum ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, 2. 11. 9.
22. Sed acceſſiſtis ad montem Sion, & civitatem Dei vivi, Jeruſalem cæleſtem, & myriadas Angelorum, 1. 14. 8.
23. Conventum & concionem primogenitorum qui conſcripti ſunt in cælis, & judicem univerſorum Deum, 3. 25. 6.
XIII. 4. Honorabile eſt inter quoſvis conjugium, & cubile impollutum: ſcortatores autem & adulteros damnabit Deus, 4. 2. 14. & 4. 12. 25. & 4. 13. 3.
8. Jeſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſecula, 2. 10. 4.
15. Per ipſum igitur aſſidue offeramus Deo ſacrificium laudis, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus, 3. 20. 28. & 4. 18. 16, & 17.
16. Beneficentiæ vero & communicationis ne obliviſcimini: talibus enim victimis delectatur Deus, 3. 4. 36. & 3. 7. 5. & 3. 15. 4. & 4. 18. 17.
17. Obedite ducibus veſtris, & obſecundate, vigilant enim pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri, 1. 15. 2. & 4. 9. 12.

JACOBI.

I. 2. PRo ſummo gaudio ducite fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis, 3. 20. 46.
12. Beatus vir qui tolerat tentationem, quoniam quum probatus erit accipiet coronam vitæ, 3. 17. 10.
13. Nemo quum tentatur, dicat ſe à Deo tentari: nam Deus tentari malis non poteſt, nec quemquam tentat, 3. 20. 48.
14. Sed unuſquiſque tentatur, dum à propria cupiditate abſtrahitur & ineſcatur, ibid.
15. Deinde cupiditas poſteaquam concepit, parit peccatum: peccatum vero perfectum gignit mortem, 3. 3. 13.
17. Omne munus bonum & omne donum eſt perfectum, ſuperne deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, aut converſionis obumbratio, 1. 13. 8. & 2. 2. 21. & 4. 14. 10.
21. Quapropter abjectis omnibus ſordibus, & excremento malitiæ, cum lenitate recipite inſitum ſermonem, qui poſſit ſervare animas veſtras, 4. 17. 25.
II. 5. Nonne Deus elegit pauperes mundi hujus ut fierent divites fide, cohæredeſque regni quod promiſit iis à quibus diligitur, 3. 23. 10.
10. Quiſquis totam Legem ſervaverit, offenderit autem in uno, omnibus tenetur, 3. 14. 10. & 3. 18. 10.
14. Quæ utilitas, fratres mei, ſi fidem dicat aliquis habere ſe, opera vero non habeat? Num poteſt fides illa eum ſervare? 3. 2. 8, & 12.
19. Tu credis Deum unum eſſe, recte facis, & dæmonia credunt, & horreſcunt, 3. 2. 10.
21. Abraham pater ille noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt, quum obtuliſſet Iſaac filium ſuum ſuper altare? 3. 17. 11.
IV. 3. Petitis & non accipitis, eo quod male petitis, ut in voluptates veſtras inſumatis, 3. 20. 7.
6. Sed majorem offert gratiam, quia dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, modeſtis autem dat gratiam, 2. 2. 10. & 3. 12. 5.
8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: Emundate manus, vos peccatores, & purificate corda, vos duplices animo, 3. 3. 16.
11. Qui damnat fratrem ſuum, loquitur contra Legem, & damnat Legem: quod ſi damnas Legem, &c. 4. 10. 7.
12. Unus eſt Legiſlator qui poteſt ſervare & perdere, ibid.
14. Qui ignoratis quid futurum ſit poſtero die: quæ eſt enim vita veſtra? vapor enim eſt, &c. 3. 20. 28.
15. Pro eo quod dicere debuiſtis, Si Dominus voluerit, & vivamus, faciemus hoc aut illud, ibid.
V. 12. Ante omnia, fratres mei, ne jurate neque per cælum, neque per terram, neque aliud ullum juſjurandum. Sit autem veſtrum eſt, eſt, & non, non, &c. 2. 8. 26.
13. Affligitur aliquis inter vos? oret. eſt aliquis æquo animo? pſallat, 3. 20. 7.
14. Infirmatur quis inter vos? accerſat presbyteros Eccleſiæ, & orent pro eo & ungant oleo, &c. 4. 19. 18, & 21.
15. Et oratio fidei ſervabit laborantem, erigetque eum Dominus: quod ſi peccata commiſerit, remittentur ei, 3. 20. 11.
16. Confitemini alii aliis offenſas, & orate alii pro aliis, ut ſanemini: multum enim valet deprecatio juſti efficax, 3. 4. 6. 11. & 3. 20. 27.
17. Elias homo erat iiſdem affectibus, quibus nos, obnoxius, & precibus precatus eſt ne plueret? & non pluit ſuper terram annos tres & ſex menſes, 3. 20. 26.

I. PETRI.

I. 2. DIlectis ex prænotione Dei Patris ad ſanctificationem Spiritus, per obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, Gratia vobis & pax multiplicetur, 3. 1. 1. & 3. 14. 6. & 3. 22. 6. & 4. 15. 2.
3. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ex multa ſua miſericordia regenuit nos in ſpem vivam per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis, 2. 16. 13.
5. Qui virtute Dei cuſtodimini per fidem ad ſalutem, quæ parata eſt patefieri tempore ultimo, 3. 1. 42. & 3. 13. 3.
7. Ut exploratio fidei veſtræ multo pretioſior exploratione auri, quod perit, & tamen per ignem exploratur, &c. 3. 8. 4.
9. Reportantes mercedem fidei veſtræ ſalutem animarum, 1. 15. 2. & 3. 18. 3. & 3. 25. 1.
11. Scrutantes in quem aut cujuſmodi temporis articulum, præmuntiaret ille qui in ipſis erat, Spiritus Chriſti, declararet eventuras Chriſto perpeſſiones, &c. 1. 13. 7, 18. & 2. 9. 1.
12. Quibus patefactum eſt eos non ſibi, ſed nobis ea adminiſtrare quæ nunc annuntiata ſunt vobis, 1. 14. 12. & 2. 9. 1. & 2. 11. 6.
15. Sed ſicut is qui vos vocavit ſanctus eſt, ipſi quoque ſancti in omni converſatione reddamini, 3. 6. 3.
16. Sancti eſtote, nam ego ſanctus ſum, 3. 6. 2.
18. Ut qui ſciatis vos non caducis rebus, argento vel auro fuiſſe redemptos ex vana veſtra converſatione, ex patrum traditionibus accepta, 2. 17. 5.
19. Sed pretioſo ſanguine, utpote agni immaculati & incontaminati, nempe Chriſti, 2. 17. 5. & 3. 6. 3.
20. Præordinati quidem ante jacta mundi fundamenta, patefacti vero ultimis temporibus propter vos, 3. 22. 6. & 4. 18. 20.
21. Qui per eum creditis Deo, qui excitavit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, ut ſpes ac fides veſtra in Deo eſſet, 2. 16. 13. & 3. 2. 1. & 43.
22. Animabus veſtris purificatis, auſcultando veritati per Spiritum, cum charitate fraterna ſimulationis experti, &c. 1. 13. 2. & 2. 5. 11.
23. Renati non ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per ſermonem Dei vivi, & manentis in æternum, 3. 10. 7. & 3. 2. 21. & 4. 1. 6. & 4. 16. 18, & 31.
II. 5. Ipſi quoque veluti vivi lapides ædificemini, domus ſpiritualis, &c. 4. 6. 5. & 4. 18. 16.
9. Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens ſancta, populus quem ſibi Deus ut proprium vendicat: ut virtutes prædicetis illius qui vos vocavit è tenebris in admirabilem ſuam lucem, 2. 7. 1. & 3. 13. 2. & 4. 18. 17. & 4. 18. 25.
11. Dilecti, precor ut tanquam advenæ & peregrini abſtineatis à carnis cupiditatibus, quæ militant adverſus animam, 1. 15. 2.
13. Subjecti eſtote cuivis humanæ ordinationi, propter Dominum: ſive Regi ut qui ſupereminenat, 4. 20. 23.

17. Omnes

INDEX.

17. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorate, 4. 10. 7, & 11.
18. Famuli, ſubditi eſtote cum omni timore Dominis, non ſolum bonis & æquis, ſed etiam pravis, 4. 20. 13.
21. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut inſequeremini veſtigia ipſius, 3 16. 2.
24. Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: ut peccatis mortui, juſtitiæ viveremus: cujus vibicibus ſanati eſtis, 3. 16. 6 & 2. 14. 4. & 1. 4. 23, 27, 30 & 4. 15. 22.
25. Eratis velut oves errantes: ſed converſi nunc eſtis ad paſtorem & curatorem animarum veſtrarum, 1. 13. 2. & 3. 25 8
III. 7. Viri ſimiliter una verſentur, ut ſcientes decet, vaſi muliebri ut infirmiori tribuentes honorem, &c. 4 20. 29.
18. Nam & ſemel Chriſtus pro peccatis paſſus fuit, juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu, 2. 13. 2.
19. Per quem etiam ſpiritibus qui ſunt in carcere profectus prædicavit, 2. 16. 9.
21. Cui nunc correſpondens exemplar Baptiſmi nos quoque ſervat (non quo carnis ſordes abjiciuntur, ſed quo fit ut bona conſcientia Deum interroget) per reſurrectionem Chriſti, 3. 19. 15. & 4. 10. 3. & 4. 14. 4, 24. & 4. 15. 2. & 4. 16. 21.
IV. 3. Satis eſt nobis quod anteacta vitæ tempore libidinem gentium patraverimus, quum incederemus in protervus, &c. 3. 13. 18 & 3. 24. 11.
8. Ante omnia vero charitatem alii in alios propenſam habentes: nam charitas operiet multitudinem peccatorum, 3. 4. 31, & 38.
10. Ut quiſque accepit donum, ita alius in alium illud ſubminiſtranto, ut boni diſpenſatores variæ Dei gratiæ, 3. 7. 5.
11. Siquis loquitur, loquatur ut eloquia Dei, 3. 8. 8, & 4. 8 9.
17. Nam tempus eſt quo incipiat judicium à domo Dei: quod ſi primum incipit à nobis, quis erit finis? &c 3 4. 34.
V. 1. Presbyteros qui inter vos ſunt precor, ego una presbyter, &c. 4. 6 7.
2. Paſcite Dei gregem qui penes vos, &c. 4. 10. 7. & 4. 6. 3.
3. Neque ut dominantes cleris, 4 4. 9. & 4. 10. 7.
5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, 2. 2. 10. & 3. 12. 3.
6. Submittite igitur vos ipſos potenti manui Dei, ut vos in tempore extollat, 3 2. 40.
7. Omni cura veſtra in eum conjecta, nam illi cura eſt de vobis, 1. 17. 6.
8. Sobrii eſtote, vigilate: nam adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens ambulat, quærens quem devoret, 1. 14. 13, 18. & 3. 20. 46.
10. Cæterum Deus omnis gratiæ author, qui vocavit nos ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, pauliſper afflictos, is inquam abſolutos vos reddat, ſtabiliat, roboret, fundet, 3. 2. 40.

II. PETRI.

I. 4. Ex eo quod nobis maxima & pretioſa promiſſa donata ſunt, ut per hæc efficeremini divinæ conſortes naturæ, &c. 3. 11. 10. & 3. 25. 10.
5. Ad hoc ipſum vero vos omni præterea collato ſtudio, adjicite fidei veſtræ virtutem, virtuti vero ſcientiam, 2. 3. 11.
10. Quapropter fratres potius ſtudete vocationem & electionem veſtram firmam efficere: hæc enim ſi feceritis, nunquam impingetis, 3. 13. 8.
13. Juſtum arbitror quamdiu ſum in hoc tabernaculo excitare vos per admonitionem, 1. 13. 2.
14. Quum ſciam brevi futurum, ut deponam hoc tabernaculum meum: ſicut Dominus Jeſus Chriſtus declaravit mihi, 1. 15. 2. & 3 15. 6.
19. Et habemus firmiſſimum ſermonem Propheticum, cui recte facitis quod attendatis velut lucernæ ſplendenti in obſcuro loco, uſque dum dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordibus veſtris, 1. 2. 9.
21. Non libidine hominis allata eſt olim Prophetia, ſed acti à Spiritu Sancto, loquuti ſunt ſancti Dei homines, 1. 13. 7, & 15.
II. 1. Fuerunt & pſeudoprophetæ in populo: ut etiam inter vos erunt falſi doctores, &c. 4. 9. 4.
4. Si Deus Angelis qui peccaverunt, non pepercit, ſed in tartarum detruſos, catenis caliginis tradidit. &c. 1. 14. 16, & 19.
9. Novit Dominus pios à tentatione eripere, 3. 20. 46.
19. A quo quis ſuperatus eſt, huic etiam in ſervitutem eſt addictus, 2. 2. 8.
III. 4. Ubi eſt pollicitatio adventus ejus: nam ex quo die patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis, 3 2. 42.
8. Unum autem hoc ne vos lateat, dilecti, Unum diem apud Dominum perinde eſſe ut mille annos, & mille annos ut diem unum, ibid.
9. Nolens ullos perire, ſed omnes tendere ad reſipiſcentiam, 3. 24. 15.

I. JOANNIS.

I. 1. Quod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectavimus, & quod manus noſtræ tractarunt de ſermone vitæ, &c. 2. 14. 2, 7. & 4. 17. 8.
7. Quod ſi in luce incedimus, ſicut ipſe eſt in luce, communionem habemus cum eo mutuam, & ſanguis Filii ejus Jeſu Chriſti, purgat nos ab omni peccato, 2. 17. 4. & 3. 3. 4. & 4. 14. 21.
9. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, &c. 3. 4. 10. & 3. 20. 9.
10. Si dixerimus nos non peccaſſe, mendacem facimus eum, &c. 3. 20. 45.
II. 1. Siquis peccaverit, Advocatum apud Patrem habemus Jeſum Chriſtum juſtum, 3. 4. 26. & 3. 20. 17.
2. Ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nec pro noſtris ſolum, ſed etiam pro totius mundi peccatis, 2. 17. 2. & 3. 4. 28 & 3. 20. 20.
12. Scribo vobis filioli, quoniam remiſſa vobis ſunt peccata propter nomen ejus, 2. 17. 3. & 3 4. 28.
18. Pueruli, ultimum tempus adeſt, & ſicut audiſtis Antichriſtum venturum, &c. 4. 18 20.
19. E nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum, &c. 3. 3. 23. & 3. 24 6, & 7.
20. At vos unctionem habetis à Sancto illo profectam, & noſtis omnia, 3. 1 3.
23. Quiſquis negat Filium, is ne Patrem quidem habet, 2. 6 4.
27. Sed unctio quam vos accepiſtis ab eo, manet in vobis, nec neceſſe habetis, ut quiſquam doceat vos: verum ſicut unctio eadem docet vos, &c. 3. 1. 3.
III. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, nempe ut filii Dei vocemur: propterea mundus non novit nos, quia non novit eum, 3. 6 3, & 3 10 36.
2. Chariſſimi nunc filii Dei ſumus, ſed nondum patefactum eſt quod erimus: ſcimus autem fore, ut cum patefactus ipſe fuerit, ſimiles ei ſimus, &c. 2. 9. 3. & 3. 2. 14. & 3. 11. 10. & 3. 23. 10. & 4. 18. 20.
3. Et quiſquis habet hanc ſpem in eo ſitam, purificat ſe, ſicut & ille purus eſt, 3. 16. 2.
8. Qui committit peccatum ex diabolo eſt, quoniam à principio diabolus peccat: Filius autem Dei, &c. 1. 14. 15, 18, 19 & 3. 13. 18.
9. Quiſquis natus eſt ex Deo, peccatum non committit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, nec poteſt peccare, eo quod ex Deo natus eſt, 1. 3. 10. & 2. 5. 11
10. Per hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli, &c. 1. 14. 19 & 3. 16. 2.
15. Quiſquis odit fratrem ſuum, homicida eſt: & noſtis nullum homicidam habere vitam æternam in ſe manentem, 2. 8. 39.
16. Per hoc cognovimus charitatem, quod ille animam ſuam pro nobis poſuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere, 2. 14. 2.
20. Nam ſi nos condemnet cor noſtrum, potentior eſt Deus corde noſtro, & novit omnia, 3. 4. 18.
22. Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam præcepta ejus cuſtodimus, &c. 3 20. 7, & 10.
24. Qui ſervat ejus mandata, in eo habitat, & per hoc novimus eum habitare in nobis, nempe ex Spiritu quem nobis dedit, 3. 1. 4. & 3. 2. 39.
IV. 1. Dilecti, ne cuivis ſpiritui credite, ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint, &c. 4. 9. 2.
3. Quicunque ſpiritus non confitetur Jeſum Chriſtum in carnem veniſſe, ex Deo non eſt, 4 17. 32.
10. In hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſerit Filium ſuum, &c. 2. 17. 2 & 3. 14 6.
11. Dilecti, ſi Deus nos ita dilexit, debemus & nos alii alios diligere, 3. 16. 2.
13. Per hoc cognoſcimus nos in eo habitare, & ipſum in nobis, quod de Spiritu ſuo dedit nobis, 3. 1. 4. & 3. 24. 2.
18. Metus non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras ejicit metum: quoniam metus cruciatum habet, qui autem metuit, non eſt perfectus in charitate, 3. 2. 27.
19. Nos diligimus eum, quoniam ipſe prior dilexit nos, 2. 16. 3.
V. 4. Quicquid natum eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria quæ vicit mundum, nempe fides noſtra, 1. 18 3 & 2. 5. 11. & 3. 2. 21.
6. Hic ille eſt Jeſus Chriſtus qui venit per aquam & ſanguinem, &c. 4. 14. 22.
7. Tres ſunt qui teſtificantur in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt, 3. 1. 1.
8. Et tres ſunt qui teſtificantur in terra, ſpiritus, & aqua, & ſanguis, & hi tres in unum conſentiunt, ibid.
12. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet, 3 14. 3. & 3. 15. 6.
14. Et hæc eſt fiducia quam apud Deum habemus, ipſum, ſiquid petierimus ſecundum voluntatem ejus, nos audire, 3. 20. 5.
15. Quod ſi ſcimus eum audire nos, quicquid petierimus, ſcimus nos habere petitiones quas ab eo petiimus, 3. 20. 52.
18. Qui genitus eſt ex Deo, conſervat ſeipſum, 2. 5. 11.
19. Scimus nos ex Deo eſſe, & mundum totum in malo jacere, 3. 2. 14.
20. Hic eſt verus Deus & vita æterna, 1. 13. 11, & 26.
21. Filioli, cavete vobis ab idolis, Amen, 1. 11. 13.

II. JOANNIS.

℣. 7. Multi impoſtores ingreſſi ſunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carne, &c. 4. 17. 32.

JUDÆ.

℣. 6. Et Angelos qui non ſervarunt ſuæ originis reliquerunt ſuum domicilium, judicium magni illius diei vinculis æternis ſub caligine reſervaſſe, &c. 1. 14. 16, 19. & 3 25. 6.
9. At Michaël Archangelus, quum adverſus diabolum certans diſceptaret de corpore Moſis, non auſus eſt impingere illi notam maledicti, ſed dixit, Increpet te Dominus, 1. 14. 8, & 19.

APOCALYPSIS.

I. 5. Ei qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris per ſanguinem ſuum, 4. 14. 21.
6. Et fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri ſuo, 2. 13. 6. & 4. 18. 17.
V. 13. Et omnem creaturam quæ in cælo eſt & quæ ſuper terram, & ſub terra, & in mari, & quæ in eis ſunt omnia, audivi dicentia, &c. 3. 3. 8.
VII. 14. Hi ſunt qui venerunt ex afflictione magna, & laverunt ſtolas ſuas ac dealbarunt in ſanguine Agni, 3. 3 2.
XIII. 5. Datumque eſt ei os loquens magna & blaſphemias, 4. 7. 25.
XIV. 13. Beati poſthac mortui, ii inquam qui Domini cauſa moriuntur. Etiam dicit Spiritus: requieſcunt enim à laboribus ſuis, 3. 5. 10.
XVIII 6. Reddite ei ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicate ei duplum ſecundum opera ejus, 3. 9. 6.
XIX. 10. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum, ſed dixit mihi, Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, unus ex fratribus tuis, qui habent teſtimonium Jeſu. Deum adora, 1. 12. 3. & 1. 14. 10.
XX. 4. Deinde vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt eis: & animas eorum, qui ſecuri percuſſi ſunt propter teſtimonium Jeſu, & propter ſermonem Dei, quique non adorarunt beſtiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem ejus in frontibus ſuis, aut in manibus ſuis, vixeruntque & regnabunt cum Chriſto mille annis, 1. 25 3.
XXI. 27. Non intrabit in ea quicquam quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, ſed tantum, &c. 4. 16. 17.
XXII. 8. Ego vero hæc quum vidiſſem & audiſſem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli qui mihi hæc oſtendebat, 1. 12. 3. & 1. 14. 10.
9 Is vero dixit mihi, Vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum, & unus fratrum tuorum Prophetarum, &c. 1. 12. 3. & 1. 14. 10.
18. Siquis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas ſcriptas in libro iſto, 4. 9 2.
19. Et ſiquis abſtulerit aliquid ex verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ, &c. ibid.

FINIS.

AMSTELODAMI,

Ex Typographia BORRITII JANSONII SMIT.

M. DC. LXVII.

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI
EPISTOLÆ
ET
RESPONSA.

Quibus interjectæ ſunt inſignium in Eccleſia Dei virorum aliquot etiam Epiſtolæ:

UNA CUM

INDICIBUS RERUM INSIGNIORUM.

A D M O N I T I O
AD
L E C T O R E M.

QUæ in hujus operis editione à nobis requiri poſſe exiſtimavimus, eorum nobis hic reddendam rationem putavimus, quæ tum noſtri officii eſſe ducere-mus, tum ad ipſam operis tractationem comparatiorem Lectorem redderent.

Primum igitur quod ad tempus attinet, ita equidem editionem hanc & ſeram fatemur, & poſthumam, ut ſimul affirmare non dubitemus, ſi quis to-tius operis ex numeroſis & perquam implicitis chartis extricandi ſumptum aliquam apud ſe vel cogitando ſubduxerit, minus forſaſſe noſtram hac in parte ceſſationem eſſe reprehenſurum.

Ordinem vero in Epiſtolis collocandis ad annorum indicationem exegimus bona ſaltem ex parte: exacte tamen non præſtitimus, quod præter aſſiduas difficul-tates à re ipſa naſcentes, ſcriptorum etiam congeries attentionem noſtram aliquando fefellerit.

In delectu ipſo demum (omnia enim iſtiuſmodi ſcripta emittere nunc quidem non potuiſſemus) teſtamur, inprimis unam publici commodi rationem nobis fuiſſe propoſitam: proinde ſi quibus noſtrum hoc judicium ubique non ſatisfaciat, poſtulamus, ut quod noluimus ad cujuſquam probi offenſionem referri (abſit enim illud a nobis) illud ſequius ne accipiant, & ex illo potius interpretentur, nempe, *Opere in tanto fas eſſe obrepere ſomnum.* Intereecimus etiam inſignium illorum in Eccleſia Dei virorum aliquot epiſtolas, quod ad ipſorum pietatem, eruditionem, zelum pro domo Dei, ſanctiſſimam denique inter ſe teſtandam con-junctionem tanquam illis auctoribus propitiis nobis id fas eſſe bono publico perſuaſum haberemus.

Illud inſuper addimus, quod quum pleraſque amicorum Calvini ad ipſum eruditas literas, ac non perinde Calvini ipſius *ἀντιγράφους* nanciſceremur, non ante edendas a nobis illas judicaſſe, quam aliunde iſtas Calvini quæ deſiderantur (quod ab ipſis Lectoribus benigne poſtulamus ſi quas nobis conferre poterunt, uti nos hoc à multis quod ſine ipſorum incommodo ac diſpendio fiat, lubenter expectabimus) adjungere, ac reponere poſſemus. Atque hujus rei argumentum hic agnoſcimus, ne dimidiam quidem partem iſtorum quæ nunc exeunt Calvini ſcriptorum ſalvam futuram penes nos fuiſſe, niſi vel aliunde tranſmiſſa, vel ex ipſis *αὐτογράφοις* deſcripta quamplurima habuiſſemus: uti ad eam rem unius præcipue Caroli Jonvillæi ſtudioſiſſimi iſtarum rerum cuſtodis fidem, diligentiam, ope-ram denique & operoſam & ſumptuoſam nobis opportuniſſimam fuiſſe profitemur.

Alterum etiam adjiciendum putavimus, veniſſe nobis in mentem nempe, fieri poſſe ut quædam ex illis quæ hic reperiantur, apud nonnullos forſaſſe manu-ſcripta non perinde extent, ſive apices ſinguli, ſive dictiones, ac fortaſſis etiam aliquæ ſententiæ conferantur, tum quod bonam hic fidem & certam diligentiam præſtari à nobis ſatis eſſe duxerimus, tum etiam quod nonnulla ſubinde *πάρεργα*, aut mere familiaria, aut denique minus ad rem ipſam pertinentia quum occurrerent, expungenda ſine ulla fraude judicaremus, ne quid videlicet à vere ſeriis Lectorem intentum revocaret.

Poſtremo quum non pauca ex Gallicis iſtius argumenti & exempli ſcriptis occurrerent nobis, quæ cum nonnullis lectorum uſu adjungi Latinis nati ſi & ipſa Latina facta eſſent, videremus, (dum & ipſorum Gallicorum, & Gallicæ Latinorum tranſlationis edendæ occaſio ſeſe deinceps offerret) ad certum uſque nu-merum nunc quidem Gallica Latine exprimenda curavimus: in quibus bonam etiam fidem præſtitam teſtamur, reliqua autem quæ in tranſlationis exactiori opera deſiderarentur, benigne condonari poſtulamus: Translationes ipſas porro hac ad marginem nota (*ex Gallico*) deſignari voluimus.

Illuſtriſſimo & Potentiſſimo

PRINCIPI AC DOMINO,

D. FREDERICO,

Comiti Palatino ad Rhenum, Bavariæ Duci, Sacri Romani Imperii Electori primario, Gratiam & pacem à Domino.

MIgraturus ad Dominum Joannes Calvinus, quum de commodis Eccleſiæ ne tum quidem cogitare deſineret, ſua mihi [illegible], id eſt ſchedarum ingentem acervum commendavit, ut ſi quid in iis inveniſſem quo poſſent adjuvari Eccleſiæ, id quoque in lucem ederetur. Cogitanti autem hac de re mihi, eaque omnia pervolutanti, multiplices obſtiterunt difficultates, quominus id tam cito præſtaretur quam ego volui, & fortaſſis etiam oportuit. Præterquam enim quod evolvendis tot ſchedis aliorum etiam opera fuit adhibenda, & multum in eo temporis ponendum, eæ conſequutæ ſunt in hac civitate calamitates, peſtis videlicet aliquot annos continuata, & tumultus illi ingentes in contiguo nobis regno excitati, quæ & me & illos inſtitutum opus ſæpiſſime abrumpere coëgerunt. Magna quoque nobis in Epiſtolarum delectu difficultas, maligna præſertim ac perverſa hujus ſeculi hominum ingenia reptantibus, oborta eſt: dum horum ſcriptorum editionem ſic temperare ſtudemus, ut quoad ejus fieri poterit, ſine cujuſquam offenſione quam plurimis proſit. Multa quippe familiariter inter amicos dici ſcribique conſueverunt, præſertim ab ingenui ſpiritus hominibus, qualis fuit Calvinus ſi quiſquam noſtris temporibus alius, quæ minime expediat emanare. Et habenda quoque nobis fuit non modo perſonarum, verum etiam temporum & locorum ratio. Itaque ex plurimis non ita multa tandem edidimus, eaque expunctis interdum nominibus, ne cui præberemus expoſtulandi argumentum. qua in re etſi teſtari de noſtra diligentia bonaque fide merito poſſumus, tamen non temere metuimus, ut ne ſic quidem omnium judiciis perinde ſatisfecerimus. Fuerit enim hoc, præſertim in opere tam vario, & tanta ſententiarum multis de rebus varietate; non modo perdifficile, verum etiam [illegible]. Omnibus quidem certe prodeſſe ſtudnimus, & futurum ſperamus, ut illis quidem qui nullum ad hæc legenda præjudicium attulerint, neque ex eorum genere fuerint, quibus vere dicit Comicus nihil quicquam eſſe injuſtins, noſtrum ſaltem inſtitutum probetur: improbos autem calumniatores, aut apertos veritatis hoſtes, non eſt profecto cur vel tantillum moremur. Cæterum Illuſtriſſime Princeps, dum apnd me ipſum reputarem quanti Celſitudinem tuam Calvinus ipſe fecerit, venit & illud in mentem, ſi hanc tibi ultimam ipſius ſcriptorum partem conſecrarem, hoc ipſum facturum me, qnod ille ſi ſuperſtes eſſet, facturus erat. Fuit enim hoc illi in more poſitum, & quidem ut ajebat, Apoſtoli exemplo, ut quos videbat dignos eſſe quorum virtutes reliqui ſibi proponerent imitandas, eos libenter operum ſaltem ſuorum initiis nominatim appellaret. Sed & illud viciſſim auſim mihi ſingulari Celſ. tuæ humanitate fretus polliceri, fore nt qua benevolentia Calvinum ipſum vivum tanquam excellentem ſervum Dei complexns es, eadem quoque ſcriptum iſtud utiliſſima noſtris futuriſque temporibus multa complectens, perinde atque authoris ipſius manu oblatum accipias. quod quidem à Celſ. tua vehementer etiam atque etiam peto. Bene Vale. D. Jeſus Celſ. tuam heroicis omnibus donis magis ac magis locupletet, & ſingulari ſuarum Eccleſiarum bono quam diutiſſime conſervet. Genevæ, Calend. Februariis, Anno temporis ultimi M. D. LXXV.

Celſ. tuæ addictiſſimus

THEODORUS BEZA.

INDEX
EPISTOLARUM

Tum ipſius

C A L V I N I,

Tum etiam aliorum, in quibus nomina adſcripta extabant.

Numerus paginam, *a* columnam primam, *b* ſecundam denotat.

A Cantbio. 118. *b.* 159 *b*
Agneti Angla. 80 *a*
Amadeo Perrino. 53 *b*
Amiralio. 133 *a*
Angliæ protectori. 39 *a*
Anglis Francofurti. 98 *a*
Aquenſibus piis. 150 *b*
Baſileenſibus miniſtris. 2. *b.* 64 *b*
eorundem. 72 *a*
Barth. Hagenio. 114 *b*
Bernenſibus miniſtris. 263 *b*
eorundem. 73 *a*
ad Bezam. 157. *a.* 159 *b.* 162. *a. b*
ejuſdem. 154. *a.* 157. *b. b.* 164. *a.* 165. *a.* 166. *a*
Petro Bigotio. 117 *a*
Blaurero. 132. *a.* 169. *b.* 190 *b*
eidem. 143. *a.* 191. *a*
Bohemo paſtori. 211. *a*
Brentii. 46. *b*
eidem. 47 *b*
Buceri. 2. *a.* 13. *a.* 15 *a* 20. *b.* 25. *a.* 45. *a. b.* 46 *a.* 56. *b.* 229. *a. b.* 232. *a* 233. *a a. b*
eidem. 49. *a* 50 *a*
Bullingeri. 48. *a.* 58. *a* 63. *a.* 68. *b.* 77. *b.* 78 *a.* 91. *a.* 106 *b.* 108. *b*
eidem. 59. *b.* 60. *a.* 75 *a.* 78. *b.* 101. *a.* 107 *a.* 142. *b.* 143. *b.* 162. *b.* 174. *a.* 239 *a.* 241. *a*
Burenſi Miniſtro. 61. *b*
Cæſaribus, Regibus, Principibus & omnibus Chriſto ſubditis. 244. *b*
Capitonis 2 *b*
Cecilio Anglo. 133 *b*
Claubergo. 108. *b.* 111. *a*
Crammeri. 268 *a*
eidem. 61 *a b*
Chriſtophoro Goodmano. 150 *a*
Chriſtophoro Liberteto. 65 *a*
Chriſtophoro Threteo. 170 *b*
Curſolio 171 *a*
Delphinatibus piis. 171 *b*
P Fabro. 110. *b*
Farello 4. *b.* 5. *b.* 6 *b* 8 *b* 9. *a.* 10. *a.* 13. *b* 15 *b.* 17 *a b.* 18 *a b.* 19 *a b* 21. *b* 22 *a* 26 *a.* 33 *b. b* 37. *a.* 38 *a. b.* 43 *b.* 45. *a.* 50 *b* 53. *a* 55 *b b.* 56. *b* 59. *b* 65. *b* 67 *a.* 69. *a. b.* 70. *a a.* 71 *a.* 79 *b.* 103. *b.* 128. *b.* 172. *b* 177. *a.* 231 *a* 240. *a b* 257 *b* 259 *a b.* 260. *b*
ejuſdem. 34. *b.* 48. *b.* 71. *b.* 79. *a.* 90 *b.* 107. *b.* 140. *a.* 261. *a*
Felicis Crucigeri. 160. *b*
eidem. 161 *a*
Ferei. 15. *a*
Francfurd paſtoribus. 71. *a.* 109. *a*
Franciſco Danieli. 1
Gadeo. 67 *b*
Gallis piis. 46 *a*
Garnerio. 106. *b.* 191. *a*
Gaſparis Carmeli. 58. *a*
Gaſparis Lizeri. 81. *a*
eidem. 82. *a*
Gaſp. Oleviani. 140. *b*
eidem. 142. *a.* 207 *b*
Geneuenſi Eccleſia. 3. *b* 10. *b*
Gibotto Toloſano. 167. *a*
Goſſinuno Zenollo. 116. *b*
Grynæi. 226. *b.* 227. *b.* 228. *a b. b*
eidem. 227. *a*
Jacobo Andrea. 114. *b*
Jacobi Bernardi. 12. *b*
eidem. 260 *b*
Joanni Chako. 68 *b*
Joannis Hoperi. 263 *b*
Joanni Sleidano. 85. *a*
Hallero. 62. *a*
Helveticis miniſtris. 63. *b*
Henrycho. 128. *b*
Knoxo 98 *b.* 150. *a.* 201. *b*
ejuſdem. 201. *b*
D. Lantgravio. 124. *b*
Leonis Juda. 12. *a*
Legatorum Pontificis oratiuncula. 178. *a. b*
Londinenſi Epiſcopo. 144. *b*
Luthero. 13. *a*
Macario. 119. *a*
Marpachio. 84 *a*
Martyri. 83. *a.* 100. *a.* 128. *a.* 136 *a*
ejuſdem. 91. *a.* 92. *a.* 127. *b.* 132. *b.* 139. *a*
Martino Schalingio. 112. *b*
Matthia Pharero. 114 *a*
Medicis Monſpeſſulanis. 172. *a*
Melanchthoni. 31. *a.* 33. *a.* 54 *b* 66. *a.* 82. *a.* 97. *a.* 100. *b.* 115 *a*
ejuſdem. 66. *a.* 92. *a.* 100. *b.* 108. *a.* 174. *b*
Menſoni Poppio. 204 *b*
Mercero. 68 *a*
Michaëli Dillero. 125 *a*
Monsbelgardenſibus. 25. *a* 50. *a.* 265. *a*
Myconii 24. *a.* 26. *a.* 34. *a.* 48. *a*
eidem. 26. *b.* 33. *a*
Mycronio. 186. *b*
Navarræ Reginæ. 32. *a*
Neocomenſibus. 28. *a*
Piis Orba oppidi. 92. *b*
D Othoni Henrico. 125. *b*
Othoni Selio. 129. *b*
Perucelio 83. *a*
ejuſdem. 119. *a*
Petro Caroli. 29. *b*
Petro Coloneio. 170. *a*
Petro Sorhio. 130. *a*
Piperino. 103 *b*
Poloniæ Regi. 85. *b.* 104. *a*
Polonis. 99. *a. b.* 104. *b.* 105. *b.* 106. *a. a.* 115. *b.* 130. *b.* 136. *a* 160. *b*
Principum Proteſtantium. 177. *b.* 178. *b*
Rothelburgio. 175 *b*
Richerio. 121. *a*
Salmiaco. 163 *a*
ejuſdem. 163. *b*
Staffhuſan. Miniſtrorum. 174. *b*
Snephſio 266. *a*
Sulzeri. 24. *b.* 30. *b* 84 *a* 91. *b*
eidem. 70. *b.* 83. *b*
Tigurinorum Miniſtrorum. 73. *a.* 261. *a*
iiſdem. 75. *b*
Vireto. 14. *a.* 38. *a.* 44. *a a b.* 51. *a.* 60. *b. b.* 69. *a.* 74. *b.* 103. *a.* 230. *a. b. b.* 231. *a. b.* 232. *a.* 234. *a. b.* 135. *a. a. b.* 236. *b.* 237. *a.*
ejuſdem. 52. *b.* 63. *b.* 93. *b.* 169. *a*
Valdenſium. 145. *a*
iiſdem. 145. *a*
Valentino Pacæo. 54. *a*
Vallevillæo Miniſtro Francofurd. 112. *b*
Valeriano Polano. 83. *a.* 109. *b*
Vatelli. 202. *b*
eidem. 203. *b*
Vilnenſibus piis. 161. *a*
Wirtembergenſi Comiti. 213. *b*
Vladiſlavienſi Epiſcopo. 131. *a*
Viti Theodori. 37. *b*
Utenhoui. 120. *a.* 139. *b*
Zozino Italo. 51. *a.* 57. *a*
Zanchio. 20. *a*

INDEX

INDEX
RERUM INSIGNIORUM
Quæ in hoc
EPISTOLARUM & RESPONSORUM
VOLUMINE CONTINENTUR.

Quorum numerus paginam, a *columnam primam*, b *ſecundam denotat.*

A

Abbas ex perſecutore ſtudioſus veritatis effectus 150. b
Abrahami vernæ quo jure circumciſi 79 b
Abuſus inveterati in Eccleſia tollantur, quid ſequendum. 42. a
Abſcida invecta in doctrinam de Cœna Domini 148. a
Acanthius Chriſto nomen dedit. 157. a
ei Calvinus gratulatus. 152. b
Admirſelius pietatis amantiſſimus 142. b
Admoſcalius ad tolerantiam confirmatus à Deo 135. a
Admodalias libellum ſupplicem piorum in Normania primus offert Franciſco I I. in Procerum conſeſſu. 145 b
Adoleſcentes duo Lutetio combuſti propter verbum Dei. 114 b
Adultes vel Adultera quatenus ad novum matrimonium admittendi. 225. b
Adulterantium veritatem infelix ſchola 128. b
Agnes Angla exul ſpontanea propter Chriſtum 80 b
Agonotheres & propugnatus piorum laborantium Chriſtus. 150. a
Albergli cujuſdam hiſtoriola. 27. b
Alea luſus dedecet Chriſtianos. 214. b
Ambroſii adverſus tyrannos ſancta moderatio. 14. 6
America & Americani 121. 6. b
Amicitia piorum qualis 81 a
Ambroſius Blaurerus. 152. 2. b
Amſdorphius 49. b
Anabaptiſtæ cujuſdam impudentia 57. a
Anna Burgius Senatus Pariſienſis Chriſti Martyr inſignis 191. b
Anglicanæ reformationis lebes. 61. a. 98. a
Anglicana Liturgia 98. a
Anglie Papam recipit 107. a
Antichriſti jugum facile excutitur, ut jugum Chriſti non admittatur 182 a
Apoſtoli Chriſti beneficium ore & ſcriptis prædicarunt 247. b
Archiepiſcopus Colonienſis reformationem Eccleſiæ molitur 64 b
Archiepiſcopus Viennenſis pietatis amans 143. b
Argentinenſes in Euangelio aſſerendo cuncti 10. a
Argentinenſes Miniſtri nullum cultum idololatricum in urbe ferre poſſunt 91. b
Argentinenſis Eccleſia graviſſime periclitatur 155. a. b
Argentina olim feſti dies omnes præter Dominicum aboliti 65 a
Aſcenſio Chriſti quid ſignificet 29 b
Aνάγκη bello invecta quomodo facienda. 171 b
Auguſtana Confeſſio ſuam obſcuritatem habet in articulo de Cœna D. 125. b.
Auguſtanam confeſſionem cum Authoris expoſitione non repudiat Calvinus 113 b
Aug. Confeſſionis articulus de Cœna D. conciliatus inter Luth. & Bucerum 148 a
Aug. Confeſſio quorſum objecta in Colloquio Poſſiaceno 156. b. 157 a. 158. b
Sub Auguſt. Confeſſionis umbra crucem fugiunt multi 141. b
Αὐθέντα to Miniſtro ſummum vitium 68. b

B

Balaam conductitius in Colloquio Poſſiaceno 158. a
In Balthaſarem judicatum ſecundum Calvinum 67. a b
Baptiſmus à privato adminiſtratus nullus eſt 209 b
Baptiſmus obſtetricum non ferendus. 110. a. b
de Baptiſmi neceſſitate 111. a
Baptiſmus ſanguinis 112. a
ad Baptiſmum papalem liberos afferentes notantur 51. b. 200. b
Baptiſmus papalis quatenus efficax 51. b. 57. b
ad Baptiſmum papalem offerre liberos piis qui Eccleſiæ nomen dederunt, minus licet. 214. a
Baptiſmus in Cœtu Eccleſiæ à Miniſtro adminiſtrandus. 201. a. b
Baptiſmus uti Genevæ adminiſtretur 148. 6
non Baptizandi qui non ſunt membra Eccleſiæ 80. a
quatenus Eriorii Ægyptii filium ad Baptiſmum admittere Farellus ſuſtinuerit 79. a
ad Baptiſmum Apoſtatæ & infidelis filiam non admiſit Farellus. ibid.
In Baptiſmo quid à Fidejuſſore requiratur. 80. a
In Baptiſmo Papiſtico Fidejubere piis non licet 127. b
In Baptiſmo Fidejuſſor extraneus ab Eccleſia non admittendus. 200. a
Baſilienſium Miniſtrorum pia prudentia. 65 a
Baſilienſium Miniſtrorum de Serveti dogmate judicium 78 a
Baſilius quidam diſputationem non impetrat Genevæ 7. a
Belgium Libertinis infeſtatum. 92. a
Beneficia Papiſtica à fidelibus retineri ferendum non eſt. 214. a. 226. b
Bernenſium & Genevenſium concordia. 24. a
Bernenſium Miniſtrorum de Serveto judicium. 73. a
Bertelerius. 78. b
Bertelerius Conſiſtorium convellere tentat, 74 b. 75. a. b
Beza à peſte liberatus. 60 b
Beza & Budæus Legati pro piis Gallis laborantibus ad Germanos Principes. 103 b
Bezæ adventus ſui cauſam Reginæ aperit. 134. b
Bezæ ſincera modeſtia. 157. b
Beza Cardinali reſpondet. 155. a
Beza primus cum Cardinali apud Navarrenum congreſſus. 154 b. 155. b
Beza de iniqua Cardinalis agendi ratione queritur. 158. b
Beza conciones habet Lutetio permiſſu Regio numeroſiſſimo piorum omnium ordinum cœtu. 164. a
Bezæ ultimus ad Sangermanum cum Pontificiis congreſſus. 165. a. b
Beza nomen Chriſti in ſplendidiſſimo theatro protulit. 170. a
Bigotius. 117 a
Blandrata. 160. a. 161. b
Blaſphemis omni excuſatione majores ſunt. 193 b
Boſſotas Doctor Chriſtianis infeſtus. 26 a
ejuſdem crudelitas in mulierculam. ibid.
Bremius imparatum deum fortiter impugnat 18. a
Brentius exul propter Euangelium 46 b
ejuſdem deliria de corpore Chriſti. 49. b
Brunſvicenſis Jupiter. 84. a
Bucerus abhorret à fermento in miniſterio 56. b
Bucerus & Capito Miniſtri Argentinæ integerrimi. 84 b
Bucerus & Capito ſubſcribunt Calvino, Farello & Vireto in doctrina de Cœna Domini. 161. b
Bucerus in Calvino laudat ſtudium in ſervandis fratribus. 45. a
Buceri de Calvini doctrina teſtimonium 8. a. 229. a
Bucerus in extremis Eccleſiæ malis bene ſperat. 231. b
Buceri de Serveto judicium. 70. b
Bucerus mediorum conſiliorum approbator habitus 49. b
Buceri mors. 240. b
Bullingeri ſancta confidentia. 63. b
ejuſdem de Farello teſtimonium. 78. a
ejuſdem pro Eccleſia Genevenſi ſolicitudo. 78. a

C

Calemiteres ad quem uſum referendæ 133. a
Caligæ diſſectæ 46. a. 46. a
Calvinus ſine Farello Genevæ non vult reſtitui 9 a
Calvini admonitio ad præfractum quendam ibid.
ejuſdem ærumnæ domeſticæ. 6. a. 9. b
amici in Gallia quales 9 b
Calv. cum Melan. de ceremoniis agit ibid.
ejuſdem Geneva abſentis ſtudium ad fovendam pacem in illa Eccleſia. 11. a. 12. a
quomodo Genevam revocetur. 12. b
ſuos in regenda Eccleſia defectus quatenus agnoſcat 177. a b
vehementia neceſſitate extorta 145. b
in quibuſdam neceſſario ſeverus 157. b
In humilitate pro voto non proficit. 239. a
Calvini theſauri quam merito celebrati 103. b
in Geneva repetenda labor 13. b. 14. a. 18 b. 19. a
erga Genevenſem Eccleſiam affectus 13. b 14. a
admonitiones ad Genevenſes appoſitiſſimæ 9 b. 10. b. 15. a
ad Vormatienſe Colloquium vocatus. 15. a
Calvini & Farelli ejectorum innocentia plebiſcito Genevenſi teſtata 19. b
ipſius Collegæ quidam quales. 25 a b. 27 a
erga illos Calvini moderatio. ibid.
ipſorum artes adverſus diſciplinam Eccleſiæ 27 a
de libero arbitrio adverſus Libertinus excuſatio 32. a
erga Reginam Navarræ obſervantia. ibid.
modeſtia ſingularis in Miniſterio 52 b
Inconſtantiæ notatus iniquiſſime. ibid.
pro piis Gallis periclitantibus ſtudium 55. b 124. b 125. b. 134 a
ad eoſdem laborantes conſolationes 96. b. 122. a 172 b. 175. b
prudentia in Collegæ periculo avertendo. 45 b
fortitudo in ſeditione graſſante compeſcenda. 44 a b
Conſiſterio propter Miniſterium 45 a
Conſtantia in luctu domeſtico. 30 b
Conſtantia adverſus Petrum Capitaneum. 35 b
Moderatio 27. a. 56 b
Prudentia ad ſcribendum. 88. b
patriæ quodammodo ſuperſtes. 61. 6
de ipſius morte Pontificiorum fabula 78. b
in mediis turbis conſtantia 103. b
in illum Calumniæ. 85. b 110. a 182. b. 240 a
de ipſo Melanchthonis judicium. 86. a
Conſilium familiare appoſitiſſimum. 60. b
in Eccleſiam Gallicanam Argentinenſem affectus 84. a
diſciplinam Eccleſiæ fortiter tuetur in Senatu. 74. b 75. 6
eam convellis morte ducit acerbius 79 b
Intercedit ne jus Conſiſtorii in excommunicatione minuatur 141 b
Jus Conſiſtorii uni ſibi tribui non ſinit. 241. a
ipſius ſcriptis multis in doctrina de Sacramentis ſatisfactum 81. b
Confidentia ſancta Urbe trepidante. 143 a
prudentia in delatione ſuſcipienda 144. a
prædictio appoſitiſſima rebus in Gallia pacatioribus 154. a
de colloquio Poſſiaceno judicium certiſſimum 158. b
Sinceritas & diligentia in Blandrata detegendo 161. a b
morbi varii, confecti, graves. 172. a. b. 291. b
Farello ſuperſtiti præſentiſſimo affectu moribundus vale dicit. 172. b
Cæſaris legatio vult Germanos pios ab Helvetiis disjungere. 5. b
Cæſar poſtulat viros doctos ad componenda Religionis dogmata committi. 3. a
delectum colloquii denunciat. 13. a
ejuſdem ad delectos admonitio. ibid.
ejuſdem ſuperſtitio 229. b
In Euangelicos Germaniæ acerbitas 26. a
ejuſdem Julianica reformatio in Belgio. 84. a. b
ejuſdem militum protervia in Miniſterium 58. b
Capito Farellum ejectum Genevæ cum Calvino arigit 2. b
Capitonis pro diſciplina ſtudium. 5. a
Capunculus impudentiſſimus. 56 a. 69 b
Carcaſſonenſes pios circumvenire conantur 182. a. b
Cardinalis Poli in regem Angliæ conjuratio detecta. 8. a. b
ejuſdem blaſphemia. 107. a
Cardinalis Contareni affectus ad evertendos in Germania Euangelicos 16. a
Card. Bellaii impoſtura. 69 b
Cardinalis Tornonii vafrum ſed evanidum ad pios doctores germanicos intercipiendos conſilium. 91. b
ruentibus idolis non habet quo ſe vertat 161. b
Card. Carlus 142 b
Card. Lotharingus nullam erga pios moderationem à mactatione admiſſa ſuſtinet 123 a
ejuſdem impoſtura ad ducem Saxoniæ 140. a
Card. Lothar. refert ad Spiritum ſanctum ritus Catholicorum 141 b
Card. Lotharingi congreſſus privatus cum Beza ex occaſione apud Navarrenum. 154. b
Card. Lotharingus Tranſubſtantiationem non urgendam his concedit Bezæ. 155 b
Idem doctrinam Bezæ de Cœna Domini ſe amplecti teſtatur ad Reginam. 156. a
Bezæ gratulatus à ſe audito. ibid.
de illo prædictio Curſoliæ ibid.
Idem Bezam & Collegas circumvenire conatur. 158. 6
arte ſua capitur. 158 b
in Bezam & Collegas abruptionem colloquii derivare tentat. 159 a
Cardinales tres inquiſitores in Gallia. 125. 6 126 a
Carmelita quidam Lugdunenſis eudax & ambitioſus 61 b
Caro Chriſti vivifica per Spiritum. 100. a
à Carne Chriſti & ſanguine vitam haurimus. ibid.
eadem cibus noſter. 198. a
Caſtellani conſilium perniciosum à Deo inverſum. 91 b
Caſtellio. 89. b
de eodem Sulzeri judicium. 84. a
Catechiſmi uſus neceſſarius. 41 b
in Ceremoniis duo ſpectanda. 85 a
in Ceremoniis noxia contentio. 20. b
in Ceremoniis delectus habendus. 5. b. 147. b. 150. a. 121. a
Ad Ceſſatorem admonitio. 118 b
Charitati obſtant arrogantia & iracundia. 164 a
propter Climeas in Conſiſtorium vocari. 38 b
Chriſmatis & Unctionis nullus nunc uſus in Eccleſia. 42 b 242 b
Chriſma in Baptiſ. papiſtico pluris fit Baptiſmo. ibid.
Chriſto dimidio contenti facile tranſigeremus. 17. b

Chriſtus

Chriſtus offendiculi perpetuus lapis. 95. b
Chriſtum legis finem eſſe ampliſſime docetur. 240. a
Chriſti præſentia localis hic non datur. 131. a. 256. b
Chriſti imminutio efficaciſſima. 140. b
Chriſti Domini & Euangelii ipſius Veritas adverſus profanas Judæi nebulonis inſectationes aſſeritur ampliſſime. 182. a. b & deinceps.
Chriſtus Interceſſor Deus & homo in Mediatoris perſona docetur adverſus Stancarum. 181. a b
Chriſti veri filii Dei & filii hominis unio perſonalis, ejuſque veritas & efficacia aſſeruntur adverſus deliria Mennonis. 236 b
Chriſtus Deum nobis exhibet in ſeſe, & ad Deum deducit. 150. a b
Chriſti perceptio ſpiritualis in Cœna cum Scriptura, Symbolis & Veteribus conſentit. 185. b 186. a
Chriſtus in Cœna percipitur ſpiritualiter, non autem ſolus Chriſti Spiritus. 181. a. 212. b
Chriſtianiſmi profeſſio legitima vel ſecus. 51. b. 65. b 116. b
Cicellius Anglus. 155. b
Clauburgus Senator Francofurtenſis piorum exulum patronus. 108 a
Coadjutores Euangelii. 80. a
in Cœna D. adeunda quid piis cogitandum. 31. a
doctrina de Cœna Domini conciliata inter Germanos. 21. b
in Cœna D. veritas conſtat cum verbis. 23. a
in Cœnæ Domini doctrina tranſubſtantiationem mere excluſiſſe nimis jejunum eſt. 23. b
Cœnam primum adituram Miniſtro ſe ſiſtere laudabile eſt. 25. a b
de Cœnæ apud ægrotos communione. 25. b. 106 b 207 b
de Cœna D. abſurdæ ſententiæ. 213. a. b
de Cœnæ adminiſtrandæ tempore. 106. b
Cœna ex eorum manu non ſumenda qui de illa non recte docent 209. a.
in Cœna Chriſtus vere percipitur virtute Spiritus. 181. a
Cœnæ ſubſtantia ordine fructibus prior. 113. a
ad Cœnam qui admittantur Genevæ. 142. a
Cœnæ D. verba quomodo accipienda. 257. a
Cœnæ D. uſus. 250 a
Cœna D. integra ab omnibus percipienda. ibid.
in Cœnæ D. doctrina ab uno Chriſto pendemus, non ab antiquiſſimis hominum. 254. b
Cœnæ D. cum Miſſa repugnantia. 255 b
ejuſdem in Miſſam transformatio. 242. b
Cœtus Eccleſiæ ab eventu non dijudicandi. 208. a
non deſerendi. 135. a
Cœtus nocturni piorum nec periculo carent nec exemplo 208. a
Inter Collegas toleranda multa propter Dominum. 60 b
Colloquii Poſſiaceni abruptio captata à Pontificiis 157. a
Colloquii Ratiſb. ſumma. 17. a. b. 18. a
Colonienſes Canonici adverſus Archiep. omnia moliuntur. 236. a
Combaudus. 215. b
Communicationis neglectus in Eccleſia damnum adfert. 45. a b
An Communicandum in Cœna D. cum iis quibus hæreſes ſimus 140 b
Communicatio piorum cum Chriſto incomprehenſibilis. 185 a
Concilii pontificii vaniſſima exſpectatio. 215 b
qua ratio Concilii Generalis Chriſtiani iniri poſſit. 109. b 110. a
Concordia in Eccleſia vel neceſſitate retinenda. 168 b
Conciones papiſticæ piis vitandæ. 127. a. 214 b
Concionum libertas tentata 53. a
Concionatoria aulici fermentum. 93. b
ejuſdem viva deſcriptio. 94. a
alterius item. 123. a
Concionatores papiſtæ veritatem promoventes quatenus probandi. 214 b
Concubinæ quomodo pro juſtis uxoribus agnoſcantur. 207. a
Confeſſio fidei Eccleſiæ Pariſ. nomine Henrico II. oblata. 250 a
Confeſſio fidei Eccleſ. Gallicarum ad Imperat. & Status Germaniæ 251 b
Confeſſio veritatis à Chriſtianiſmo inſeparabilis 137 b
Confiſcationem pii viri etiam ad ipſius commodum bona conſcientia petere difficillimum. 215 b
Confidentia piorum legitima. 183 a
bonæ Conſcientiæ fructus. ibid.
Conſcientiæ integritas cum fratrum teſtimonio conjuncta eſſe debet plurimum. 18. a
Conſcientiæ unus legiſlator Deus 133 b
Conſilium Eccleſiaſticum præter Conſiſtorium an habendum ſit 117 b
Conſiſtorii Genevæ conſtituendi ratio. 142. a
Conſiſtorium ex ſolis Miniſtris non conſtat. 76. b
Conſiſtorii jus tentatum 77. a
Conſiſtorii fines. 77. b 117. b
Conſobrinorum conjugia per ſe non prohibita. 215 a b 226 a
Conſtantia civitatis ſtatus quoad Religionem. 48 b
Controverſiæ piorum cum Pontificiis ſumma. 232. b
Contumeliæ pars crucis piorum. 208 a
à Conjuge abſcedere Religionis nomine quatenus liceat. 115. a 218 a. 111. b
Conjugii prohibitio intolerandum hominum interdictum. 259 a
ad Conjugii controverſiam pertinentia. 44 b
Conjugii papiſtici diſcuſſio. 57. a
Conjugium lepra non ſolvi. 107 b
Conjugium in minori ætate temere promiſſum 18. a
quæſtiones Conjugales. 124 a. 125. a
Conjugii inſciis parentibus contracti infauſtum exemplum. 226 a. b
Conjurati Genevæ. 102. a. b
Conventus ſeu congregationis Miniſtrorum uſus. 238 a
Coraldi mors. 4. b
Correctiones fraternæ ad perſonarum circumſtantias exigendæ. 28. a
Corruptiones promiſcuæ adverſus Dei legem non præſcribunt. 138 b
Crammeri Archiep. ſtudium pro conſenſu doctrinæ 61. a b
idem vinctus in Anglia. 92. a
Cultus Dei ſumma quædam. 41. a
Cultus Dei uno ipſius verbo comprehenditur. 89 b
Curati cujuſdam conſilium ad peſtem procurandam. 242. b 243. a

D

Damnati in Gallia quæſtioni extraordinariæ ſubjiciuntur. 123. b
Danielis liber exemplum jactationis & directionis Eccleſiæ. 231. a. b
Deſertores ad Miniſterium non admittendi. 30 a
Deus inſignibus afflictionibus inſignitorum ſuorum propugnationem mulitur. 171. a
Dei nomen ſimpliciter poſitum vel cum diſtinctionis nota. 179. a
de Deo ex ipſius verbo ſapere tantum oportet. 180 a
Deus unus Eſſentia, trinus Perſonis docetur ex Scripturis ibid.
Deitatis Chriſti notitia practica. ibid.
Deitatis Spiritus S. doctrina. ibid.
Deum in Chriſto habitare & omnia implere abſurde non dicitur. 257. a
Diazii Hiſpani cædes. 39. a
Diſciplinæ in Eccleſia remiſſio perniciosiſſima. 45. b
calumniæ in Diſciplinæ reſtauratores. 3. a
Diſciplina nervus Eccleſiæ. 160. b. 172 a
Diſciplinæ neceſſitas. 232. a b
Diſciplinæ ſubſtantia & forma. 29. a
Diſciplinæ cum Doctrina conjunctio. 160 a
Diſciplina unicum ad Eccleſiam retinendam vinculum. 147. a
Diſciplinæ Eccleſ. Genevenſis ſumma quædam. 76. a. 142. a. b
Diſciplina Genevæ impetitur. 75. a 77 a
Diſſenſio in quibuſdam ſervos Dei diſtrahere non debet 85. b 112. b
Diſſidium inter exules propter religionem importuniſſimum. 98. a
Diſtinctio naturarum in Chriſto unionem non lacerat. 257 a
Divitum mollities in cauſa Euangelii. 232. a
Divortii cauſa idonea non eſt morbus. 216 a
Divortio alterius ex conjugibus alter à fide non liberatur. 226 b
Doctores idonei oblati primum à Domino ad Eccleſiam reſtituendam. 87 b
Doctoris perſonam ad tempus ſuſtineat, qui Miniſtri non poteſt. 199. a. b
Doctoris Theologi cujuſdam inveterati mores. 239. a

E.

Ecceleſiæ aſylum invocatio Domini. 17 b
Eccleſiæ ſtatus poſt reditum ex captivitate Bab. 238 a
Eccleſiæ reformandæ opus difficillimum 39. b
ad Eccleſiæ reformationem ſumma quædam capita perquam neceſſaria. 41 a
alia item capita expendenda. 210 a
in Eccleſiæ reformatione omnia ad Dei verbum exigenda. 42. b
Eccleſia in Papatu quatenus. 57. b
Eccleſia vera & adulterina. 85. b
Eccleſiæ regimen cum civili confuſum in Papatu. 118. b
Eccleſia novale Domini 123. a
Eccleſia niſi miraculis non ſervatur. 56. b
Eccleſiæ in Gallia in mediis perſecutionibus. 125. a
Eccleſia prodita à quodam aulico inſtrumento apud Germaniæ Principes. ibid. 126. a
Eccleſiæ unius libertas alterius libertati non præjudicat. 89. b
ab una Eccleſia damnatum, ab altera ſine teſtimonio non admittendum. 38. b
ab una Eccl. probatum ab altera ad confeſſionem fidei non adigendum. 64. a
Eccleſiæ jus in paſtoribus diſcernendis. 31. a
Eccleſiæ conjunctio quantis facienda. 6. b. 9. a. b 11. a
Eccleſiæ morbus paſtorum diſtractio. 61. a
Eccleſiæ morbi quomodo tractandi. 7. a
Eccleſiæ œconomiam ad tribunal forenſe revocari non oportere 30 b
Eccleſiæ renaſcentis & adultæ cœtuum diſcrimen. 102 a. 203. b
Eccleſiæ reformatæ nomen & uſus. 171. a
in Eccleſia videndum quantum hominibus tribuatur. 33 a
de Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtratione 7 a. 20. a. 130. b
Eduardus Angliæ rex piiſſimus. 59. a
ejuſdem pietatis exemplum appoſitum. 81. b
ejuſdem mors 70. a
Electi non ſemper auditionis verbi participes. 146. b
Electionis fides ride Euangelio data conſtat. 154. a
Electionis effectus adoptio & fides. 64 a
Electio gratuita una & prima ſalutis cauſa. 251. b
Electio neceſſario reprobationem ſtatuit. 65. a
Electio cum promotionibus non confundenda 67. a
de Electione Martyr ſentit cum Calvino. 92 b. 127. b
propter Elephantiaſin ſeparari conjuges expedit manente conjugii nexu. 226 a. b
Eliſabetha Angliæ poſt Mariam Regina. 133. a
Eloquentia in Miniſtro ultimo loco habenda. 220. a
Epiſcopus Polonus veritatis ſectator. 131. a
Epiſcopus Trevirenſis obſidet ſuos. 141. a
Epiſcopi in Polonia jus ſuum præſcriptione longi temporis tuentur. 139. b
Epiſcopi Londinenſis propenſum in pios exules ſtudium. 144. b
ſi Epiſcopus vel Curatus ad Eccleſiam ſeſe adjunxerit 212. b
Euangelium humano ingenio repugnat. 40 a
Euangelio cauſa malorum pridem imputata. ibid.
ab Euangelio alieni omnes. ibid.
ab Euangelio etiam allata perturbatio ſalutaris eſt. 152. a
Euangelium vera & non fucata ſapientia 230. a
ab Euangelii notitia nihil abducit in Chriſtum intuentes. 240. a
Euangelio anulato regnum Chriſti exulat 152 a b
Euangelium in Gallia erumpit ſub Franciſco II. 144. a 148. b
cognitionis Euangelii uſus & finis. 10 b 137 a. b
Euangelii notitia ſummum Dei benevolentiæ argumentum. 137 a
Euangelii prædicatio legitima qualis ſit. 48 b
de Euchariſtia inquirendi modus. 20. b
Excommunicationis jus ad Conſiſtorium pertinet. 77 b
Excommunicationem in Eccleſia publica auctoritate fieri procurandum. 204. b
Excommunicationis uſus. 211. a
Excommunicandi facultas non eſt penes unum. 81. a
Excuſatio modeſta filii ad patrem religionis nomine. 88 b
Experientia vaniſſimum Idololatriæ fundamentum. 243. b

F

Fabri ſpurii hiſtoriola. 38. a
Factioſi uni Diſciplinæ Eccleſiæ infenſi. 203. a. b
Falleſius Bolſeco favet. 64 b
Famoſi libelli exoſi. 84. a
Farellus primus Genevæ Miniſter. 14. a
quomodo acceptus aliquando. 76 a
Farelli ignavia aliorum zelum ſuperat. 20 a
Far. Meti nonnunnati aggreſſus. 229. a
Farelli tonitrua Calvinum revocarunt Genevam. 15. a
ejuſdem gravis adverſus P. Caroli conteſtatio 34. b
ſancta confidentia in Opere Domini. 36. a
Farellum habere ſuperſtitem optat Calvinus. 69. a
Farellus in collegam ducior admonitus à Calvino. 69. b
Farellus Calvinum conſolatur & erigit. 107. b
Ferdinandi Imperat. inauguratio Pontifici ignominioſa. 127 b. 131 a
in Feſtis diebus admittendis habendus delectus. 205 b
Fides quid & ipſius effectus. 253. a
Fides ſine fide peti non poteſt. 204. a
Fidei electorum & reproborum diſcrimen. 198. a. b
Fran. Mauiſſii petulantia. 61. a
Fratris mortui viduam in uxorem ducere non licere. 224 a
Frigidi vel Eunuchi matrimonium nullum. 215. b
quia Fructus ex pecunia colligi poſſit legitime facile ſtatui non poteſt. 212. b
Frum. uxoris calumniæ. 38 a. b

G.

Galliæ Rex in clientelam Imperii recipi poſtulat pro Ducatu Sabaudiæ. 16 a
Galliæ Regis abſciſum ad interceſſores Helveticos pro piis reſponſum. 68. b
Galli hoſpites Genevæ in cives allecti. 101 b
Iidem extremo periculo dormientes erepti. 102 a
Gallus quidam nomine adverſarius Melanchthonis. 100. b
Gallicinium ad Melan. excitandum. 301. a
Gardineri Euchariſtica à P. Martyre confutata. 133. a
Gaſpar Liſerus. 81. a. 82. a
Gaſpar Carmelus. 58. a
Gaſparis Oleviani & piorum labor Treveris 141. a
in Genevenſi Eccleſia ſuſtinenda ſingulare Dei beneficium. 81. b
Genevenſes Calvinum repetunt. 15. a
Genevenſium Plebiſcitum. 19. b
Genevenſis Eccleſia obſtricta Tigurinæ. 79. a
Genevenſis tumultus hiſtoria. 101. a. b
Genevæ Ducenti in minorem Senatum inſpiciunt. ibid.
Genevenſis Senatus in conjuratos clementia. 102. a
Genevenſis Senatus quæſtiones ad Tigurinos de diſciplina Eccl. 77. b
Genevenſis Senatus judicium in Servetum à Melan. commendatum. 108 a b
Genevæ erectus ludus literarius. 144. a
Genevæ admiſſæ non impune inſolentiæ exemplum utile. 30. a
Germaniæ ſtatus quoad ad Religionem. 46. a. b
Germanis cum Gallis convenit in ſummis capitibus doctrinæ de Cœna D. 155 b
Germaniæ Principum & Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis interceſſio pro piis Gallis ad Franciſcum I. 177. b
Giberius Toloſanus 167 a
Guiſiani Ducis verba rugentia. 143. b
Guiſianorum colluſio apud Germaniæ Principes 162 b

Gel-

Gribaldi hiſtoria. 123. b
ejuſdem imperitiæ notæ. 114. a. 122. a
calumniæ in Calvinum. 114. a
Grinæus Calv. & Farellum confirmat. 226. b
ejuſdem de Calv. judicium. 228 b
ejuſdem facilitas. 4. b
Grinianus Regis Galliæ legatus. 33. b
Grueti impietas retecta. 236. b

H.

HÆreſes à profanis ingeniis Scripturam invertentibus. 247. a
Hæretici à Magiſtratu plectendi. 92. a
Heliogabalus Romanus Pont. fax belli adv. Euangelium. 151. b
Helveticarum civitatum pro piis Gallis laborantibus ſtudium. 88 b
Henrici Angliæ Regis Eccleſiaſtica reformatio qualis. 2. a. b
Herodis iratus peſtis adv. Chriſti regnum. 215. b
Herodis & Phariſæorum fermentum. 161. a
Heshuſii liber de Cœna D. 148. a
idem Melan. damnat. 249. b
Hierarchia Papiſtarum diſcutitur. 86. b
Hieronymi Bolſeci impudentia & impietas. 83. b. 84. a. b. 85. a.
Hoc eſt corpus meum: à Paulo applicatum. 126. a
Hominis per Chriſtum reſtitutio quomodo accipienda. 41. a. 247. a
Hopperus in carcerem conjectus immerito ſub Eduardo Rege. 60. a
Humanæ infirmitatis magnitudo. 175. a
Hyperius. 171 a
Hypocriſis Papiſtica in multis ad Euangelium traductis hærens. 232. b

I.

JAcobus Andreæ animo cum Calv. conjunctus. 314 b
Jacobus Bernardus diſputationem inſtituit Genevæ. 35. a
nomen JEHOVA quo ſenſu Chriſto tribuitur. 121. b
Idololatria & verbi Dei neglectus duo ſumma in orbe mala. 241 b
de Imaginibus tres ad Sangermanum ſententiæ 126. a
Impœnitentia malorum fomes in Eccleſia. 169. b
Inceſtuoſa conjugia ex Dei lege judicanda. 211. b
Increduli quatenus percipiant Chriſtum in Cœna Domini. 236. b
Incredulitas impedit Chriſti perceptionem in Cœna Domini. 236. a. b
Indigni quo ſenſu rei corporis D. 256. b
ſi Infans ſine Baptiſmo deceſſerit. 200. b
Infantes quo nomine baptizandi. 79. a. b. 122. a
Infideles reformationem Eccleſiæ deformationem judicant. 136. b
Infideles rebus proſperis temere gloriantur. 92. b
Infidelium exemplo creſcat zelus piorum. 139. b
Infirmitas perpetua in ſervis Dei. 81. b
Inſidiæ hoſtium veritatis cavendæ ut vis externa 121. b. 122. a
Integritatis pii hominis exemplum. 128. b. 134. b
Interim Germanicum. 46. b. 48. b. 233 a
Invocatio Dei Chriſtum Mediatorem præſupponit. 179. b
Joannes Habius Conſil. Tigurinus legatus ad Regem pro piis Gallis. 22 b
Joannes à Laſco Pontificiorum carnifex habitus in Polonia. 120. a
Joannes Sleidanus unus ex Inſpectoribus Eccleſiæ Gallicanæ Argentinæ. 35. a
Joannes Ungariæ Rex Turcæ addictus. 320. b.
Irriſorum impietas infauſta adv. Martyrum conſtantiam. 123. b
Juliacenſis Gueldriæ Ducatum repetit. 6. a
ad Judæi cujuſdam quæſtiones & objecta reſponſio Calvini. 192. a. & deinceps
Judæi prophetas ipſos contemnunt. 291. a
Juriſdictio ſpiritualis unius Dei eſt. 254. b
Jus gentium in conjugio ex moribus Orientis petendum non eſt. 214. b
In Juventute difficile fovetur pietatis ſemen. 110 b
Juventutis corruptelas coërceri contendit Calvinus. 44. a. 46. a

K.

KAtabaptiſtæ hæreticos à gladio Magiſtratus eximunt. 59. b
Κατ᾽ ἀντιμετρίαν pollicetur ſe ſcripturum Melanchthon. 102 b
Κοινωνία in Cœna quid ſignificet. 148 a
Κοινωνία ἰδιωμάτων. 181 a
Knoxus & Goodmanus Collegæ in opere Domini. 130. a. b

L.

LAngæus tentavit Melanchthonem. 97. a
Landgravii reſipiſcentia. 233. a
Lapſus Adami. 252. a
Lapſis bene ſperandum à Domino. 96. a
Lapſis manus porrigenda ibidem.
Latomi & ſodalium acerbitas in fideles. 341. a
Lauſanenſis ſynodus. 237. a
Leipſiæ altaria confracta præter unum. 24. b
Leonis Judæ de Calvini Epiſtolis duabus judicium. 12. a
Levitici 18: 18. expenſus. 225. b
Libertinorum ſecta perniciosiſſima. 32. a. 118 a
Liberatio à carcere pio homini ut quærenda. 215. b
Lingua incognita in Eccleſia intoleranda. 236. a
Locarnenſes pro Religione periclitantur. 106. b
Ludi Genevæ editi. 43. b
in Luſu moderatio adhibenda. 104. b
Lutheri Eccleſia una diſciplinam præ cæteris admiſit. 3. a
Lutheri epiſtola ad Melan. 73. a
ſancta confidentia. ibid.
ejuſdem ampliſſima commendatio. 239. b
Lutherus ſublevationem in Cœna ſuſtulit. 24. b
Luthero adverſantur qui Cœnam abſurde venerantur. 142. b

M.

à MAgiſtratus auctoritate non pendet arbitrium doctrinæ. 22. a. b
Magiſtratus non eſt Eccleſiæ rector. 27. b
Magiſtratus officium in vindicandis ſceleribus. 43. a
Magiſtratus Chriſtiani officium ad propagandam pietatem latiſſime patet. 86. a
Magiſtratus non debet ſua auctoritate divortia concedere. 102. a
Magiſtratum per ſe abdicare alicui Miniſterium periculoſiſſimum. 213. b
quatenus Magiſtratus in Seniorem Eccleſiæ eligi poſſit. 217. a
Malorius. 164 b
Martinengus. 128. a
Martyres Nemauſi. 2. b
Martyres Lugduni. 70. a. b
Martyres in Aquitania. 25. a
Martyres in ditione Venetorum. ibid.
Martyres Lutetiæ. 124. b
ad Martyrem deſignatum exhortatio. 316 b
Martyrum tormenta Spiritus virtutem declarant. 222. b. 173 b
Martyrum cineres fœcundi. 127. b
Martyrum ſanguis irrigat Eccleſiam. 223 b
Martyres Domini procuratores. ibid.
Matthæi locus 13. expenſus. 22. a
Matrimonium ſacra Dei ordinatio, etſi non ſacramentum. 255. a
Matrimonii inter impuberes ſtipulatio nulla eſt. 225. b
res Mediæ quæ & quid de illis ſtatuendum 95. a. 99. a
Mediatoris nomen expenditur adv. Stancarum. 112. a
Melanchthon ſimplicitatis amans. 97. a. 174. b
de Melan. Calvini judicium. 66. a. b. 67. a
Calvinum commendat. 97 a
agnoſcit quid debeat Eccleſiæ. 200. b
ſemper timidus. 132. a
atramento nimis parcit. 33. a. 35. a
Inhumani nomen pretioſius redimit. 56. b
ad Philoſophiam nimis Theologiam exegit. 67. a
in doctrina de Electione obſcurus. 82. b
Calvino gratulatur ob editum librum in Servetum. 91. a
Mennonis deliria confutata. 286. b
Meranſes. 26 a. 140. a
Militia ſervorum Dei perpetua. 230. a. 132 b
Miniſter non debet ferre illegitimam aliorum vocationem. 3. a
in Miniſtro alia cautio eſſe debet quam in quovis alio. 220 a
Miniſtri habendi Eccleſiæ, qui puram doctrinam tradunt. 21. b
inter Miniſtros ſumma quædam doctrinæ ſtatuenda. 41. b
Miniſtri ab Eccleſiis non abſtrahendi. 30. a
ſi quis ex Miniſtris diſciplinam conculcabit. 25. b
Miniſter improbus. 23. b. 24. a
Miniſter pius Ulmæ indigne ejectus. 6. a
Miniſtri parter Eccleſia convulſa. 30. b
Miniſter quatenus faſtidio ſuorum cedat. 209. b. 211 b
in Miniſtro popularitas certa commendatur. 26. b
Miniſtri peculiari diſciplina inter ſe opus habent 20. a
in Miniſtro ſummum vitium αὐθάδεια. 20 b
ad Miniſtrum admonitio appoſita. 229. a. b
Miniſter vi ejectus alia conditione poteſt uti. 106. b
Miniſtri verbi ad confeſſionem veritatis peculiariter adſtringuntur. 117. a
Miniſtri ſtatio ſua ad extremum retinenda. 119. a
Miniſter criminis reus non ferendus. 222. a
Miniſtri ab armis tractandis alieni ſint. 221. b
Miniſtrum à populo approbari quouſque pateat. 220 a
Miniſtri electio ex ſtatu Eccleſiæ naſcentis vel adultæ dijudicanda. 217. b. 218 a
Miniſtro an liceat pecuniam fœnori locare. 297. a
in Miniſtro quatenus probandus cœlibatus. 211. a. b
an Miniſter obſtrictus maneat Eccleſiæ negata omni diſciplinæ ratione. 200. a
Miniſtrorum Genevæ eligendorum ratio. 142. a
Miniſterium quanti faciendum. 11. a
Miniſterii vocatio non carens defectu quatenus ferenda. 11. b
ad Miniſterium facile non admittendi qui ſeſe obtrudunt. 23. b
Miniſterium medium ordinatum à Deo ad cordium converſionem. 132 a
Miniſterii Euangelii finis. 124. b
Miſſarum privatarum novitas & impietas. 215. b
Miſſam à piis nec adiri poſſe nec probari. 94. b
Monachus Hungaricus. 10. b
cum Monachis & Sacrificulis quomodo agendum quod ad eorum alimenta ſub Euangelii Miniſterio. 202. a
Mortui in Chriſto melius noſtri quam dum viverent. 172. b
pro Mortuis non precandum. 252. a. b
Mulierem baptizare ferendum non eſt. 205 a. 209. b
Mulieri à viro deſertæ quomodo conſulatur. 110. a
Mundus unus Dei ſervos ferre non poteſt. 133. b

N.

NAamani exemplum. 171. a
Narbonæ fidelibus illuſum. 169. a
Navarrena traducta à Sorbonicis. 1. a
Navarrenus tentatus à Pontifice. 168. b
ad illum appoſita Bezæ admonitio. 124. b
quantum Eccleſiæ damnum attulerit. 126. a
Nazianzeni locus. 92. a
Negligentes Eccleſiæ communionem, excommunicandi. 225. b
Negligentia in liberis inſtituendis notanda. 225. a
Nicolaus Claræus Sorbonicus notatus à ſuis. 1. b
Nicolaus Gallaſius Eccleſiæ Gallicanæ in Anglia Miniſter a cœtu Genevenſi conceſſus. 144. b
Non dolere Chriſtus non docet, ſed dolorem temperare. 177. a
Novi Fœderis nomen. 247. b
Novioduni in Gallia quiddam memorabile. 231. b
Novitas in Eccleſia cum delectu expendenda. 230. a

O.

OCcaſio reformandæ Eccleſiæ facile amittitur. 109. b
Officia noſtra à ſucceſſu apud homines non pendent. 109. b
ad Officialem à pietate non alienum admonitio. 118. a
bonorum Operum commendatio apud quos verbi Miniſtros extat. 89. b
bona Opera nullam juſtitiæ rationem habent in Dei judicio. 253. a
ad pios Orbæ Euangelii reſtitutionem molientes admonitio Calvini. 46. a. 92. b
Orbæ Euangelium obtinet. 92. b. 93. a
Originale peccatum. 232. a
Oſiander. 66. b
ejuſdem in Melan. contumeliæ. 21. b
ejuſdem commentum de Eſſentiali juſtitia. 190. a
ejuſdem in pios procacitas. 216. a
Oſtentatio & πολυπραγμοσύνη in Miniſtro notantur. 61. b. 64. a
D. Othonis Henrici Palatini Comitis in pios Gallos affectus. 225. a

P.

PAnis & vinum quo ſenſu corpus Chriſti. 236. a
Panis adoratio in Miſſa abominationis cumulus. 95. a
Panis animæ primum quærendus. 33. a
Panis animæ cæleſtis. 22. a
Papæ primatus duplici nomine condemnandus. 254. a. b
Papæ motus nullius momenti in Eccleſiæ reformatione. 87. a
Papa, Gallus, Turca conjurati. 232. a
Papæ bulla ſua ſeipſum detegit. 274. b
Papatus quid. 285. a
Papiſtica ſuperſtitio multis malum bene poſitum. 452. b
in Papiſtarum convictu offendicula mutantur. 252. a. b
Pariſienſi Curiæ mollities exprobrata in perſecutionibus. 225. a
Pariſ. Senatorum pontificiorum ad extinguendam religionem conſilium. 266. b
Pariſienſis cuſtodiæ barbaries adverſus pios. 126. a
Paſtores quomodo ordinandi. 87. a. b
circa Paſtores indoctos & incompoſitos quid agendum. 204. b
Paſtoribus & eorum familiis ab Eccleſia proſpici debet. 215. a
Paſtores improbi notantur à Grynæo. 228. b
Paſtorum in Eccleſia perpetuus eſt locus & ſtatus. 254 b
Paſtores Ticulanii à veris diſcernendi. 254. a
ſi quis Pater religionis cauſa periclitetur, quid ſit ipſi agendum. 222. a
Patientia piis unice commendata. 138. a. b. 157. a. b. 173. a
Patientia & labor in opere D. conjunguntur. 150. b
Patriarcharum miſtura in Eccleſia. 86. b
Patroni Papiſtarum eodem modo ſe habent quo veterum idololatrarum. 243. a. b
Pauli locus de Chriſto Mediatore 1 Tim. 2. expenſus. 283. a
Paulus fere unus Gentium Apoſtolus. 86. b
Paulus pœnam non defugit, ſi reus probetur. 72. b
Paulus Fagius Capitonis ſucceſſor. 25 a
Pax publica receptæ Religionis fomento redimitur. 132. a
Peccatis noſtris imputandæ noſtræ calamitates. 10 b
Pedemontani pii duriſſime à Gallis judicibus afflicti. 126. a
Pedemontani cujuſdam Fanatici hiſtoriola. 59. b
Penuria Eccleſiæ Genev. propter incrementum Eccleſiæ in Gallia. 270 a
Pentheſilea. 93 a
Pericula quantumvis aperta neminem ab officio excuſant. 208. a
Perinus Genevenſis. 67. a. b. 101. a. b. 102. a
Perſecutio piorum ab Epiſcopis in Germania. 233. a
Perſecutio veræ Euangelii profeſſionis index. 122 b
ad Perſecutiones ſubeundas appoſitiſſimæ rationes. 122. a. b
Perucelius. 120. a
in Peſte fugienda vocationis ratio præcipua eſſe debet. 207. a
Petrus Martyr. 62. a. 159. a
ejuſdem ingenuitas in veritate aſſerenda. 83. a. b
Petrus Caroli improbus. 29. b
ejuſdem adventus Genevam. 34. b
Supercilium & linguæ amarulentia notatur. 30. a
idem deſpondere Eccleſiam ſibi petit. ibid.
Calvinum accuſans calumniæ damnatur. 127. a
Sorbonicum agit Genevæ. 35 a
verſipellis. 35. b. 36. a
impoſtor. 36. a. b
ejuſdem rictus. 35. b
curſitat falſo perſecutionis nomine. 36. b. 237. a. b

Petrus

I N D E X.

Petrus Faber. 112. b
Petrus Rob. Olivetanus. 244. b
Pharetus Conſul Argentinæ. 114. a
ejuſdem in profligando papatu ſtudium. ibid.
Philoſophiæ cum Dei veritate comparatio. 50. a
Piorum in mundo jactatio perpetua. 65. a. 212. b
Piis quatenus liceat baptizandos ſuos liberos offerre, à quibus Cœnam D. non percipiant. 208. b. 229. a
Piis cum papatus ſuperſtitionibus nihil commune eſſe debet. 117. b
an Piis liceat muneris cauſa proſequi ſuperiorem ad ſacra illicita. 172. a
Piorum conſtantia ab improviſæ liberationis eventu non pendet. 151. b
Piorum officium inſtante perſecutione. 130. b
Pii Treveris accuſati ſeditionis. 140. b 141. b
Piis acerbitates quomodo eluctandæ. 60. b. 61. a
Piorum lucta perpetua. 92. b
Piorum cruenta certamina. 66. b
Pocquetus Libertinorum magiſter. 32. a. b
Pontificiis vera ignoratur paſſim. 25. a
Politici cujuſdam conſilium à D. ſuggeſtum. 141. a. b
Poloniæ Rex debet tranſitum Turcæ. 7. b
Polonia lucem Evangelii percipit. 99. b
Poloniæ Rex Joan. à Laſco reſponſo tuetur. 122. b
Polonorum confeſſio orthodoxa de Trinitate. 160. b
Pontificis tyrannis & ambitio inveterata. 176. b. 179. a
Pontificis bulla pii excluduntur a Concilio. 62. a
Pontificiorum in Germania tria genera. 16. b
Pontificis artes ad Concilium Trid. diſſolvendum. 60. e
Pontificiorum in Germania modificatio in cauſa Eucharistiæ & Confeſſionis auricularis. 16. a. b
Pontificiorum machinæ in Polonia adv. Joannem à Laſco. 120. b
Pontificiorum jactantia adverſus eos qui ab ipſis deficiunt. 144. b
Poralis Syndici Gen. mors piiſſima. 82. a
Preculæ Pontificiorum blaſphemæ. 253. a. b
In quæſtione de Pendeſione Melancht. cum Calv. ſentit. 175. b
Presbyterorum in Eccleſia regenda legitima prudentia eſſe debet. 214. b
Principum culpa in paſtorum diſtractione notatur. 61. b
Proditores qui inter hoſtes Chriſti diutius latent. 231. a. b
Profanitas in multis unde. 105. b
Prophetæ & Apoſtoli rudes rudium doctores. 244. b
Proteſtantium Principum conventus Francofordiæ. 7. b
eorundem laudabile Smalcaldæ facinus. 6. b
fœdus & conſtantia. 9. b
Citati ad comitia diſſimulante Cæſare. 16. a
affectus in Eccleſiam & Remp. 16. b
reſponſio ad Pontificis legatos. 276. b
unum Imperatorem in terra Dominum agnoſcunt. 179. e
Providentiæ Dei fides præſentiſſimum malis remedium. 173. b
Provincialium Synodorum uſus. 26. b
Provincialium piorum in Gallia ſtatus afflictiſſimus. 176. a. 239. b

Q.

QUintinus Libertinorum magiſter. 32. a. b

R.

in REformatione Eccleſiæ mutatio neceſſaria fuit. 242. a
Refutatio otioſarum calumniarum adverſus Eccleſiæ reformationem. 136. a. b
Regnum Dei in terris conſtitui quam ſit difficile 96. b
Regna Chriſti pax externa conſtat. 125. b
Regnum Chriſti quo humilius eo mirabilius. 129. b
Regni Chriſti expectatio piorum fultura. 249. a
Regina mater. 239. b 166. a
Relapſorum in peccata ac deinde reſipiſcentium certa eſt doctrina ex Scriptura. 191. a
Relapſi in peccata ſeverius tractandi. ibid. & 205. e
Religionis veræ cum falſa collatio. 86. b
in Reprehenſionibus extrema duo cavenda. 29. b
in Reprehenſionibus infirmorum modus tenendus. 127. a. b
in Reprehenſionibus non ſola delinquentis perſona inſpicienda. 69. a
Reprehenſionis publicæ uſus. ibid.
Reſipiſcentia reproborum qualis. 193. b
Reſurrectionis doctrina & ejuſdem confirmatio. 52. a
pro Reſurrectione felici precari abſurdum. 204. a
ad Richeburgium Calvini Epiſtola. 275. b
Richerii ex Gallia Antarctica epiſtola. 121. a
in Ritibus Eccleſiæ varietas quædam tolerabilis. 25. b. 26. a
in Ritibus diſtinguendum pro ratione temporum. 66. e
Ritus adulterini quorſum reſtituti in Eccleſiis. 54. e
Rituum legalium ſub Apoſtolis & Papiſticorum diſcrimen. 205. b
Rochæi liberatio mirabilis. 126. b
Roma Eccleſiarum mater ut Babylon. 67. a
Rom. pontifex Epiſcopus Epiſcoporum eſſe non poteſt. 87. a
Rudiorum ad Cœnam admittendorum ratio. 203. a

S.

SAcramentorum author unus Deus. 254. b. 655. a
Sacramenta in Eccleſia adminiſtranda & percipienda. 655. a
Sacramentorum neglectus eſt à faſtu diabolico. ibid.
in Sacramentis ad ſalutem percipiendis requiritur fides. ibid.
Sacramentorum efficacia à miniſtro non pendet. 254. b
Sacramenta non ſunt figuræ inanes rerum. 251. a. 254. b. 256. a
Sacramenta quid ſint. 254. b
in Sacramentorum doctrina quid requiſierit Lutherus. 84. b
Sacramentorum legitima adminiſtratio apud unos verbi Miniſtros extat. 265. b
Sacramenta pars miniſterii ſunt. 147. a. b
an abſque Sacramentorum adminiſtratione ad tempus Eccleſia foveri poſſit. 199. a
Sacramentorum profanatio quæ habenda. 600. a
Sacramentum adorabile Luthero. 49. b
Sacramentariorum nomen calumnioſum. 126. a
Sacramentalis mutatio. 255. b
Sacrificii nomen parum commode ad Cœnam traductum jam olim etſi non eodem ſenſu, qui nunc invaluit. 255. b
Sacrifici Papiſtici quorſum inſtituuntur. 67. b
iidem à Schiſmaticis pridem ordinati. ibid.
Sagrifici tumultus auctores ad Medardi Lotetiæ. 164. a
Sacrificia in lege pro ſpontaneis delictis. 161. a
Saliniacus. 163. a. 165. b
Sanctorum defunctorum recta obſervatio. 90. b
Saracenus Medicus Calvino ægrotanti adfuit. 272. a
Saturitas verbi Dei inauſpicatiſſima. 128. a
Schaffuſianorum Miniſtrorum de Serveto judicium. 74. b
Sciſſio in Eccleſia ſummum artificium Satanæ. 231. a
Scortationes verbo Dei deſtricte damnatæ. 268. b
Scotica Eccleſia. 150. b
in Scriptura quæ ſolida ſunt quærenda. 147. a
Scripturæ autem privilegium ex ſeſe habet. 244. b
Scriptura quomodo legenda. 244. a
Securitas promiſcua ſummum Evangelii impedimentum. 152. b
Sepulturæ moderata ratio. 25. b
Servetus Genevæ comprehenſus. 70. a
ab Helveticis Eccleſiis conſtanter damnatus. 71. a
ex multis hæreſibus conſutus. 72. a
pædobaptiſmum flagellat. 73. a
ſemina impietatis pridem ſpargit. 74. a
blaſphemiæ ipſius horrendæ. ibid.
Servi Dei in ipſius ſunt non in hominum poteſtate. 124. b
Sommerſetus Anglicanæ reformationis procurator. 39. a. 62. a
Sorbonici facti rationem reddere coacti. 1. b
Sorbonicis graviſſima eſt confeſſus Sangermanici de Religione abruptio. 166. b
Sorbonicorum calumniæ ne ſcriptura evulgetur. 244. b
Spenſæ de imaginibus ſententia implicata. 165. b
Spirenſis Epiſcopi decretum crudele. 235. b
Spurii & idololatrarum filii an ad Baptiſmum admittendi. 222. b
Stancari argumenta ad reſtringendum Mediatoris officium ad humanam in Chriſto naturam. 163. b
Supplicationes papiſticæ quas proceſſiones vocant. 243. a
Suſpiciones inter Dei ſervos importuniſſimæ ſunt. 228. a

T.

TAurini verbi Miniſter vinctus. 226. a
Templorum papiſticorum aditio an licita ſit. 205. b
Tepiditas multorum in Gallia. 238. b
Tertullianus ſtridet magis quam loquitur. 170. b
Teſtamenti Chriſti tabulæ ad omnes ſpectant. 246. b
in Teſtimoniis Eccleſiarum admittendis prudentia opus eſt. 64. a
Theatrum ſervorum Dei. 100. b
Theologi ex Germania miſſi poſtulante Navarreno. 261. b
Tigurinæ Eccleſiæ libertas in diebus feſtis. 63. a
Tigurinorum de diſciplina Eccleſiaſtica Genevenſi judicium. 77. b. 78. a
Tigurinorum de Trinitate doctrina & judicium de Serveti. 73. a. b
Tigurinæ cum Genevenſi Eccleſia concordia. 174. b
Tigurinorum erga pios Locarnenſes fides & pietas. 106. b
Timiditas multorum remoratur opus Dei. 135. a
Timiditas quorundam quatenus ferenda. 58. a
Timor diuturnus magna fortitudine compenſandus. 233. b
Traditiones humanæ. 654. a
Trevirenſis Capituli pars Religionem probat. 141. a
Trinitatis & perſonarum voces ad ædificationem Eccleſiæ appoſitæ 261. b
Trinitatis opere intrinſecus indiviſa. 183. b
Turonenſis Synodi deliria de Chriſti externa perceptione. 256. b
Tumultus ad Amboſ. 141. b. 143. a
Tumultus ad Medardi narratio. 164. a

V.

VAdiani mors. 60. b. 240. b
Valdenſium cum Polonis conſenſus. 106. a. 115. b.
eorundem cum Calvino communicatio. 145. a
eorundem in confeſſione, de Cœna D. articulus obſcurior. 116. a
Valentinus Gentilis Blandrata conjunctus. 160. b
Vandelius. 102. b. 103. a
Veritatem diſſimulantium miſerrimus ſtatus. 127. a. b 132. a
Verbi Dei auditio quanti uſus & momenti. 246. b
Verbum caro factum, quo ſenſu. 180. b. 181. a
Veſtes lugubres quatenus tolerabiles. 215. b
Veterum ſalebræ in quibuſdam doctrinæ capitibus. 170. b
Venaliæ mi pii excepti. 119. a
Villagagnonis pietas in America. 121. a
Vintonienſis piorum acerbiſſimus perſecutor in Anglia. 107. a
Viretus Genevenſium Eccleſiam abſente Calvino ſuſtinet. 14. b
eundem Calvinus collegam exoptat. 19. a
Virtembergici Ducis pietas. 82. b
ejuſdem Eccleſiæ reſiduæ. ibid & 83. a
Vitus Theodorus conciunculam Calv. de Cœna laudat. 37. b
Unius arbitrio Eccleſiam regi non oportet. 165. a. 200. a
Vocatio in Eccleſia niſi vi majore expulſis, retinenda. 265. a
Ubi Dominus vocat non ceſſandum. 80. b. 91. a. b. 117. b
Vocationis noſtræ finis. 96. b
Vocatio D. perſequenda. 117. b
de Uſuris reſponſum Calvini. 223. a
Vulpes aulicæ. 165. a
quæ Uxor pro viro ducenda. 53. a. 57. a
qualem Uxorem probet Calvinus. 20. b
Uxoris Calv. mors. 50. b. 52. a

X.

XAnthii Sorbonici blaſphemia. 358. a

Z.

ZUinglii & OEcolampadii memoria in honore. 32. b

F I N I S.

JOAN.

JOANNIS CALVINI EPISTOLÆ ET RESPONSA.

Quibus interjectæ ſunt inſignium in Eccleſia Dei virorum aliquot etiam Epiſtolæ.

JOAN. CALVINUS FR. DANIELI S. D.

QUum mihi ad manum ſit rerum ſylva, quæ argumentum ampliſſimum præbeat, temperabo tamen ſtylum, ut indices magis habeas quam longam narrationem: cui ſi indulgerem, in juſtum volumen prope excreſceret. Ad Calendas Octob., quo anni tempore pueri qui à Grammaticis ad Dialecticam demigrant, exerceri agendis fabulis ſolent, acta eſt in Gymnaſio Navarræ fabula felle & aceto, ut ait ille, pluſquam mordaci conſperſa. Inductæ ſunt perſonæ, Regina muliebriter nendo intenta, & nihil aliud quam colum & acus tractans. Tum Megæra illi faces admovens, ut acus & colum abjiceret. Illa aliquantulum reniti, & obluctari. ubi vero Furiæ ceſſiſſet, Euangelia in manus accepit, ex quibus omnia quibus ante aſſueviſſet, & pene ſeipſam dediſceret. Demum extulit ſe in tyrannidem, & omni genere ſævitiæ miſeros & innoxios vexavit. Multa ejuſmodi figmenta addiderunt, indigna prorſus ea muliere quam non figurate nec obſcure convitiis ſuis proſcindebant. Res in aliquot dies ſuppreſſa eſt. Poſtea vero, ut eſt Veritas filia Temporis, re ad Reginam delata, viſum eſt ſtatui peſſimum exemplum eorum libidini, qui rebus novis inhiant, ſi impunitas daretur huic improbitati. Prætor ſtipatus centum apparitoribus Gymnaſium adiit, & ſuis juſſis domum circumſidere, ne quis elaberetur, ipſe cum paucis ingreſſus, Comicum non reperit. Aiunt eum minime id conſilio providiſſe; ſed quum forte in amici cubiculo eſſet, tumultum prius exaudiſſe quam perſpici poſſet, atque ita latebras quæſiſſe, è quibus per occaſionem effugeret. Prætor tamen pueris actoribus manum injecit: cui dum vult obſiſtere Gymnaſiarcha, inter eorum altercationes lapides à nonnullis pueris conjecti ſunt. Ille nihilominus eos arripuit, & quod pro ſcena recitaſſent, juſſit repetere. Omnia excepta ſunt. Quando auctor ſceleris deprehendi non potuerat, proximum erat de iis inquirere, qui quum prohibere poſſent, permiſiſſent, & tamdiu etiam diſſimulaſſent. Alter, qui & auctoritate præcellit, & nomine, (eſt enim magnus magiſter Lauretus) impetravit ut haberet pro carcere honeſtiorem cuſtodiam domum cujuſdam (ut vocant) Commiſſarii: alter, Morinus, ab illo ſecundus, juſſus ſe domi continere dum inquireretur. nunc quid compertum ſit neſcio: eſt tamen evocatus ad tres breves dies, ut nunc loquuntur. Hactenus de comœdiis. Alterum facinus ediderunt factioſi quidam Theologi æque malignum, etſi non uſque adeo audax. Quum excuterent officinas bibliopolarum, libellum vernaculum, cujus inſcriptio Speculum animæ peccatricis, retulerunt in numerum librorum à quorum lectione interdictum vellent. Regina ubi reſcivit, queſta eſt apud fratrem Regem, profeſſa ſe auctorem. Ille per literas magiſtris Academiæ Pariſienſis imperavit ſibi teſtarentur, an librum recenſuiſſent in numero eorum quos judicaſſent improbatæ religionis. quod ſi ita haberet, ſibi rationem ſui judicii redderent. De ea re Nicolaus Copus Medicus, nunc Rector, retulit ad quatuor artium collegia, Medicinæ, Philoſophiæ, Theologiæ, juris Canonici. Apud magiſtros artium, inter quos locum dicendi primum habuit, longa & acerba oratione invectus eſt in eorum temeritatem, qui ſibi id juris in majeſtatem Reginæ uſurpaſſent. Diſſuaſit ne ſe immiſcerent tanto diſcrimini, ne Regis iram experiri vellent, ne in Reginam virtutum omnium & bonarum literarum matrem arma ſumerent. Poſtremo ne hanc culpam in ſe recipientes, improbitatem eorum alerent, qui parati ſunt quidvis ſemper aggredi ſub prætextu hujus nominis, ut dicant Academiam feciſſe, quod ipſi injuſſu Academiæ perpetrant. Omnium ſententia fuit, factum abjurandum. Idem cenſuerunt Theologi, Canonici, Medici. Rector renunciavit ordinis ſui decretum, poſt Decanus Medicinæ, tertius Canonici juris doctor, quartus Theologus, ultimus verba fecit Clericus Parochus Sancti Andreæ, in quem omnis culpa derivabatur, aliis à ſe amolientibus. Primum magnificis verbis extulit Regis integritatem, qui Fidei ſe animoſum protectorem hactenus geſſerit: Eſſe aliquos ſiniſtros homines, qui hunc egregium animum conentur pervertere, qui etiam conſpiraverint in exitium ſacræ Facultatis: ſibi tamen certam ſpem eſſe nihil obtenturos adverſus talem conſtantiam, quam in Rege eſſe noviſſet. Quantum attineret ad negotium quod eſſet in manibus, ſe quidem fuiſſe delegatum Academiæ decreto ad eam provinciam, nihil tamen minus ſibi in animo fuiſſe quam adverſus Reginam quippiam moliri, fœminam tum ſanctis moribus tum pura religione præditam, cujus rei argumento eſſe poterant juſta quæ matris ſuæ manibus poſt mortem perſolviſſet: ſe pro damnatis libris habuiſſe obſcœnos illos, Pantagruelem, Sylvam amorum, & ejus monetæ: hunc interim inter ſuſpectos repoſuiſſe, quod ſine Facultatis conſilio editus eſſet; magna fraude Arreſti, quo vetitum erat, inconſulta Facultate quicquam edere quod ad Fidem ſpectaret. Denique ſibi hoc eſſe præſidium, mandato Facultatis factum quod in quæſtionem vocabatur. Omnes eſſe culpæ affines, ſi qua eſſet, quantumvis abnegarent. Atque hæc omnia Gallice, ut omnes intelligerent, ſi verum præfabatur: omnes tamen fremebant eum obtendere ignorantiæ ſuæ hanc ſpeciem. Aderant autem Epiſcopus Sylvanectenſis, Stella, & quidam ex præfectis aulæ regiæ. Ubi finem fecit dicendi Clericus, Paruus dixit lectum à ſe librum, nihil ſe dignum litura comperiſſe, niſi oblitus eſſet ſuæ Theologiæ. Demum poſtulavit ut ederetur decretum, quo Regi ſatisfieret. Copus Rector pronunciavit, Academiam non agnoſcere cenſuram illam qualis

qualis fuiſſet, quo libellus cenſitus eſſet in libris aut damnatis aut ſuſpectis, non probare neque in ſe recipere. Viderent qui id feciſſent qua ratione ſe defenſuri eſſent, paratas fore in tempore literas quibus ſe Academia Regi excuſaret, ageret etiam gratias, quod ſe tam benigne paterno more compellaſſet. Allatum eſt Regium diploma, quo Pariſienſi Epiſcopo permittitur præficere quos velit ſingulis parochiis concionatores, qui prius pro libidine illorum eligebantur, ut quiſque erat clamoſiſſimus & ſtolido furore præditus, quem illi zelum vocant: quo nunquam arſit Helias, quo tamen zelo zelabatur ſuper domum Dei. Vale. M. D. XXXIII.

BUCERUS CALVINO S. D.

GRatia & pax augeatur tibi frater & ſymmyſta in Domino unice colende. Oravimus nuper Baſileæ coram, nunc per literas, clariſſimum & vere nobilem virum D. Maurum Muſæum, à te ut nobis impetraret, uti ſuſtineres de religione noſtra nobiſcum coram commentari. Videmur nobis agnoſcere, Dominum inſtituiſſe tui uſum Eccleſiis ſuis uberrimum concedere, eiſque tuo miniſterio latiſſime commodare. Proinde, ut par eſt, optamus non nos modo, quorum non eſt apud Eccleſias tanta auctoritas, ſed Eccleſias ipſas & qui ad illius miniſterium juvenes apud nos & alibi educantur, tecum per omnia convenire. Quam multum ſiquidem parvæ diſſentiunculæ præcipuorum miniſtrorum Eccleſiis obſint, haud dubie ſatis perpenſum habes. Atqui dedit Dominus, ni fallor, ut, ſi liceat tua omnia rite accipere, aliquid ad promovendum hunc tecum Eccleſiarum & miniſtrorum ejus conſenſum poſſimus. Libenter itaque veniemus quo tu voles, ut in Domino ſumma cum obſervantia veritatis Chriſti, & tui, de tota adminiſtratione doctrinæ Chriſti conferamus. Certe ſeculum hoc ſic profecit, tam calumniando etiam quæ recte dicta ſcriptaque ſunt, quam exactiſſime ſeveriſſimeque judicando quæ ſecus, ut nos, quibus modis omnibus curandum eſt ut miniſterium noſtrum adferat fructus plurimum, vituperetur à nemine, nihil ad ſummam diligentiam reliqui facere debeamus, quo noſtra omnia, non ſolum vera ſanctaque ſint, quæ vel ſcribimus vel dicimus, ſed ſic etiam depromantur, ut quæ vera ſanctaque ſint, agnoſcere valeant πάντων in Eccleſia. Ad eam vero rem quanti fecerit ſanctorum conven-
Gal. 2:2. & in Actis. tus & colloquia D. Paulus, noſti mi frater & ſymmyſta in Domino venerande. Quantum leve huic fuit per terras, per maria tranſcurrere ipſum, & ſuos, quos noverat vero ædificandi Eccleſias ſtudio teneri, monere ad ſanctum colloquium. Ergo in Domino ſuſpiciende frater, condic nobis locum, ſive Baſileæ ſive Bernæ, ſi aliter non poteſt, Gebennis, ut pertractemus religioſe quæ etiamſi tibi certa ſunt, nobis tamen pro noſtra tarditate explicatione ampliore indigent. Etiam inſipientibus debitores eſſe noſti, quanquam vere ſapimus. Utinam vero nobis per Eccleſiarum negotia, certe non negligenda, liceat brevi nos Helvetiis videre, etiam invocatos. Optime vale, vir doctiſſime & ſanctiſſime, & ne contemnas preces meas, doloremque eo ſuper dolorem mihi adjicias. Nam quod non eſt datum te noſſe & appellare quum hic eſſes, dici non poteſt ut doleat. Communicat mihi alioqui Capito omnia. Hic neſcio quis ſiniſter ſpiritus eum tam oblivioſum fecerit, ut omiſerit vel non meminerit te mihi prodere, quod & ipſi nunc dolet admodum. Argentorati, Calend. Novembr. M. D. XXXVI.

CALVINUS MINISTRIS BASILIENSIS ECCLESIÆ.

NEgotium, cujus cauſa hominem hunc data opera mittendum ad vos cenſuimus, paucis complectemur. Nemauſi enim, non incelebri linguæ, ut nunc vocant, Occitanæ oppido, nova nuper impiorum ſævitia in miſeros fratres qui illic diſperſi agunt, efferbuit, quum nihil tale ſuſpicaremur. Literas non ita pridem publicas Senatus Argentoratenſis & Baſilienſis obtinueramus, quibus omnium qui tunc per Gallias in vinculis tenebantur, ſalus & incolumitas commendabatur Comiti Gulielmo. Ille à Rege impetraſſe dicebatur, ut ſolverentur omnes. In hac ſpe ſecuri acquieſcebamus, dum renunciatum nobis fuit, ignem illic vehementer flagrare. Duo combuſti fuerunt, de quorum morte ab ipſo ſpectatore audietis. Siquidem Latine vobis narrare queat, quod nobis retulit. Plurimi in vincula conjecti ſunt, qui de capite periclitantur, niſi mature obviam eatur eorum furori, qui jam ebrii duorum ſanguine, finem alioqui ſæviendi nullum facturi ſunt. Duo illi ſingularem conſtantiam ad extremos uſque ſpiritus exhibuerunt: quum tamen exquiſita crudelitate ipſorum patientia tentaretur. Verum qui ſcimus, an eadem aliis conſtatura ſit animi magnitudo? Ferendæ ergo in tempore ſuppetiæ, ſi qua ratione licet, ne terrore concidant ſiqui ſunt imbecilliores. Deinde ſummopere cavendum, ne vileſcat nobis piorum ſanguis, quem ſcimus eſſe in conſpectu Domini pretioſum. Audimus recens fuiſſe à Principibus veſtris percuſſum fœdus cum Rege noſtro, in quo mentio quædam injecta fuerit Religionis, ne ſcilicet ſolita ſeveritate poſthac plecterentur, quibus in Religionis ſenſu vobiſcum conveniret. Id ſi verum eſt, non omittenda eſt nobis juvandorum fratrum tanta opportunitas, quibus ad opem ferendam non modo clara voce nos Chriſtus vocat, ſed ſe deſeri conqueritur, ſi deſerantur. Proinde fratres optimi & pientiſſimi, vos oro animi veſtri ſinceritate in hanc cauſam totos impendite. Quod quia vos ultro facturos confidimus, pluribus non agemus vobiſcum. Agedum ergo, apud Senatum veſtrum efficite, ut ſerio Rex appelletur: idque quam fieri poterit breviſſime, ne furioſi illi antevertant. Scitis enim quam ſedula ſit eorum improbitas. Dominus Jeſus vos novis Spiritus ſui incrementis magis indies locupletet, fratres eruditiſſimi, & nobis dilectiſſimi. Genevæ, 13 Novembr. M. D. XXXVII.

CAPITO FARELLO.

GRatiam & pacem. Ejectio iſta ignominioſa non eſt, neque tantopere nocitura Eccleſiæ Domini ac nos formidabamus. Nam de vobis neque hoſtes exiſtimati aliud prædicant, quam zelum ferventiorem. Peritiores vero rerum Eccleſiaſticarum, cernunt in cauſa fuiſſe totam cohortem miniſtrorum, Euangelium docentium ſine diſciplina, imo neſcientium an diſciplina ſit in Eccleſiam revocanda. Otioſam enim functionem quidam tueri malunt quam fructuoſam, quidam licentiam pro Chriſti libertate induxerunt, quaſi ab Euangelio ſtent quicunque jugum Pontificium abjecerint. Aliqui vero, id eſt, plerique omnes, animadvertentes rem Chriſti in dies abire in pejus, optarent quidem reſtitutam auctoritatem miniſtrorum, ſed aut veram ejus reparandæ rationem ignorant, aut eam videntes deſperant prorſus. Ex quo noſtræ Eccleſiæ omnes ad unam ſine diſciplina ſunt Eccleſiis neceſſaria. In qua re, quid incommodi vobis, quid improbis anſæ ad turbandos datum, in manibus habemus. Auditis enim, Tyranni eſſe voluiſtis in liberam Eccleſiam, voluiſtis novum Pontificatum revocare, atque id genus contumeliarum repugnante

animi

animi judicio in vos jactant ſeditioſi. Fratres autem quos putatis extrema vobis admolitos, nihil habent, quam quod de vehementia queruntur. Ab mi frater, velim ſcires, quo ſudore hic volvam idem ſaxum. Bucerus eſt totus in publicis & amplis rebus tractandis ſumma animi contentione: reſpectat ad noſtram Eccleſiam tumultuanter, neque enim ei curæ vacare poterit. Recte tamen præſcribit nunc aliis: de qua re Domino gratiam habeo. Ego qui reputo mecum, qua in parte Eccleſiæ & quibus præſim, Paſtorem reipſa agere nonnihil conor. at quantæ procellæ à Symmiſtis & à Senioribus in partem curarum vocatis! Nam ſemper exiſtimant, ad nos nihil attinere, quid quiſque agat: quaſi nihil ſit quod Chriſtus ait,
Mat. 18. ovem centeſimam aberrantem inveſtigandam eſſe;
v. 12.15. & ea ejus quærendæ ratio non ſit, quam ibidem præſcripſit Chriſtus, Corripe inter teipſum, adhibe teſtem admonitionis, dic Eccleſiæ, ſit ut Ethnicus, &c. Devoranda ſunt multa indigna, ſed interim hoc ſolatii Dominus dedit, ut optimo Symmyſta ſtipatus ſim, patientiſſimo audiendarum contumeliarum. Deinde non ſucceſſit infeliciſſime, & quos putabamus deploratiſſimos, eos invenimus obſequentiſſimos conſiliis melioribus. Quid multis? Dominus videre dat, quid ſit agere paſtorem, & quantum præcipiti judicio vehementiaque inconſulta abjiciendi ita Pontificis nocuerimus. Nam frenum prorſus excuſſit multitudo, quæ aſſueta eſt & educata propemodum ad licentiam: quaſi auctoritatem Pontificiorum frangendo, vim verbi, Sacramentorum & totius miniſterii, evacuaremus. Nam clamant, Teneo ſatis Euangelii, ipſe ſcio legere: quorſum mihi tua opera? Prædica volentibus audire, deferas eiſdem optionem amplectendi quod velint. Juſtum erga me judicium Domini, quo erudior, ad verbi Dei virtutem penitius inſpiciendam, ad omnem ordinem Dei intelligendum. Ergo quia res difficilis reparatio diſciplinæ, & noſtris Eccleſiis inſolens, inviſa carni & ſanguini, aut non animadverſa, aut neglecta ſynergis, neque extra Lutheri Eccleſiam una uſpiam ſit recte inſtituta, miraremur quod vos duo ſemel tantam urbem reformare non potueritis? Sic in negotii difficultatem rejicere cauſam præſtiterit, & ita ſolent fere vel mediocriter periti rerum Eccleſiaſticarum. Sunt tam craſſa vitia in multis, ut jure boni offendantur: ſed quum eos Deus vocatione atque officio dignatur, quid faciemus nos homunciones? Scimus quanti detrimenti ac damni ſit vel ſimultatulam ſupereſſe in Eccleſia: & experimur Satanam nihil æque admoliri, quam ut ea late pertentet ſanctiſſimos, quo pertrahantur in contentionem, vel ſpecie promovendi Euangelii. Docuit me id Chriſtus meus experiundo munus paſtorium. Neque dubito, quin ſis expertus ampliora meis periculis. Vocatus es ad Neocomum Eccleſiam primam tui miniſterii. ſequaris Dominum, utut ſecus tibi ſic debilitato graviſſimis fluctibus videatur. Propone animo, eum populum unice commiſſum. Juva alios ſine offenſione (quantum vales) bonorum: exemplo Eccleſiæ ac miniſterii tui provocentur alii, ambobus defixus in Deum præſentem, qui ex præſcripto ſuæ vocationis ad ædificationem quemque vult agere: & videbis, mi frater, tantum ſucceſſum, quantum ſperare nullus potuiſſet. Dura patientia nobis opus eſt in hac diſſolutione qua verſamur: & animi vinciendi agglutinandique Chriſti rationibus charitatem redolentibus, quæ temperamentum eſt ardentis animi, quum nos admonet judicii ſincerioris, ut quemque æſtimemus ex ejus affectu corrigendum. Vale.

CALV. FIDELIB. GENEVENSIB.

Dilectiſſimis fratribus ex Genevenſis Eccleſiæ diſſipatione. Miſericordia Dei patris noſtri, & gratia D. N. Jeſu Chriſti, vobis ſemper multiplicetur per Spiritus ſancti communicationem.

ABſtinui hactenus à ſcribendo fratres dilectiſſimi, quum mihi perſuaderem Farelli li- Ex Gallico.
teris, qui hoc in ſe communi nomine receperat, vobis ſatisfactum iri: ac ſimul occaſionem maledicendi illis qui eam captant, ita præreptam vellem: ne videlicet nobis imponerent, quaſi vos ad nos pelliciendo, voſipſos inter vos ſcinderemus. Non potui tamen diutius me continere, quin ſcripto vobis & meum erga vos animum teſtarer, & veſtri apud Dominum recordationem, quorum utrumque ad officium meum pertinet. Sed neque obſtabit deinceps ille timor qui me retinuit hactenus, quum mihi ſatis conſtet prætextum quem illi affingerent ut detraherent de nobis, plane vanum & inanem eſſe. Teſtis eſt nobis Deus, & veſtra conſcientia coram ipſius tribunali, nos quamdiu verſati ſumus inter vos, unice ſtuduiſſe, ut vos omnes in pace & concordia ſoveremus. Ab illis autem qui abceſſerunt à nobis ut partes ſeorſim ducerent, ſciſſio accidit tum in urbe tum in Eccleſia Atque ubi illius incendii fumum percepimus, omnem operam dedimus (ut coram Domino, cui ſervimus) ut remedium adhiberemus. Quare tempus elapſum nos abunde aſſerit ab omnibus illorum calumniis. Nunc vero dum ad vos ſcribimus, ut noſtri memoriam apud vos conſervetis, probro hoc nobis verti non debet. Confidimus enim in conſcientiis noſtris coram Domino, nos ex ipſius vocatione vobiſcum conjunctos; ut penes homines non ſit tale vinculum abrumpere. Ac prout nos ante geſſimus, ita ſperamus Domino faciente nos porro geſturos, ut nullum objectum vel materiam præbeamus turbæ vel diviſionis, niſi illis qui ſeſe ita obfirmarunt contra Dominum Jeſum Chriſtum atque univerſum populum ejus, ut nullam cum ipſius ſervis conjunctionem admittant. Si enim iſtiuſmodi hominibus optimus Servator ille ſcandalum eſt & offendiculum, qui nobis aliter cedat, qui ipſius ſtigmata & corpore & ſpiritu circumferimus? Illud vero nos ſuſtinet, quod illis cauſa à nobis non offeratur: uti neque optimus ille noſter Herus advenit, ut ullam cuiquam moleſtiam afferret, ſed ut eſſet omnibus via, per quam inoffenſi incederent. Enimvero quum manus Domini in vos adhuc ſit extenta, ut audio, ad vos exercendos: ac juſta ipſius permiſſione totus in eo ſit Satan, ut Eccleſiam quæ inter vos erigi cœperat, prorſus diſſipet: vos demum officii commonefieri expedit. Sic igitur ſtatuite ac vobiſcum reputate, quicquid mali inſit in illis qui vos turbant & affligunt, ejuſmodi tamen inſultus quibus vos impetunt, non tam ab hominibus eſſe quam ab ipſo Satana, qui eorum nequitia utatur ut appoſito inſtrumento ad vos impugnandos. Eo pertinet illa Apoſtoli exhor-
tatio, quum ait, Non eſſe nobis colluctationem adver- Ephes. 6.
ſus carnem & ſanguinem, id eſt, adverſus homines, vers. 12.
ſed adverſus rectores tenebrarum & ſpirituales malitias. Noſtis quam neceſſe ſit exploratum habere quicum res nobis ſit, ut teneamus qua via illi ſit obſiſtendum. quare ſi in illud incumbimus, ut certando cum hominibus ultionem perſequamur & noſtras privatas injurias, quid effecturi ſimus in dubio eſt: illud vero extra controverſiam, ea ratione nos à Satana ſuperatum iri. Contra vero ſi eo animo cum hominibus congredimur, ut unius Chriſti nomine illos infenſos nobis habeamus, ita demum obſiſtemus machinationibus adverſarii illius ſpiritualis, inſtructi illis telis quibus ſuos armatos eſſe voluit Dominus; ut de victoriæ certitudine nullo modo dubitandum ſit. Hoc ſi vobis eſt in animo, videte fratres ne malum malo

retundaris: ſed ut potius exuti omnibus affectibus pravis, unius Dei zelo præditi ſitis, quem & Spiritus ipſius moderetur ex verbi præſcripto. Illud præterea vobis cogitandum eſt, iſta vobis non contigiſſe ſine Domini diſpenſatione, qui operatur etiam per malos pro conſilio bonæ ſuæ voluntatis. Atque illa cogitatio apposita erit vobis, ut à veſtris illis adverſariis averſi, deſcendatis in voſmetipſos: ſic agnoſcetis quam merito veſtro ita vos nunc exerceat Dominus, ut veſtram negligentiam caſtiget, atque verbi ſui contemptum, ceſſationem etiam & defectum in illo legitima obedientia proſequendo. Quis enim veſtrûm hic ſe à peccato immunem obtendat? Liceat quidem apud homines juſtitiam veſtram aſſerere, atqui veſtra vos conſcientia apud Deum hac in parte accuſabit. Hanc rationem tenuerunt nimirum ſervi Dei in ſummis ſuis anguſtiis: ut undecunque illis mala imminerent, animum ſemper ad Deum ipſum intenderent atque ad propria peccata, ut ſibiipſis imputarent quod ita à Domino tractarentur. Novo-
Dan.9:5. rat nempe Daniel quæ fuiſſet Regis Babylonii improbitas in opprimendo & exſcindendo populo Dei, ut ſuam unius avaritiam, ambitionem, impotentiam expleret. Conſtabat illi, inquam, quam inique ab illo tyranno Judæi illa paterentur: nihilominus ſibi tantum & ſuis ſummamq; cauſam imputat, quum Babylonios nihil adverſum ipſos potuiſſe per ſe, ſtatutum apud ſe habeat. Ergo ut rectum ordinem teneat, orditur à confeſſione peccatorum tum ſuorum, tum etiam Regum ac populi. Quod ſi ita ſe tantus Propheta dejocit, expendamus, quæſo, quam juſta ſit nobis illius imitandi ratio: ſi, inquam, ita ipſum ſe coram Deo humiliare oportuit, ut ab ipſo miſericordiam eliceret, quam præpoſtere fiet à vobis, ſi in unam adverſariorum improbitatem defixi, in voſipſos & veſtra peccata potius non inſpexeritis, quæ longe aliter ſe habent quam quæ ita tum in ſeſe Propheta agnovit? Quod ad nos attinet, ſi cauſa nobis dicenda ſit contra improbos calumniatores qui nos oppreſſos vellent, hoc habemus, non modo ſtare nos conſcientiæ noſtræ teſtimonio coram Domino, ſed etiam ſupereſſe nobis quo nos apud univerſum mundum purgemus. Atque hoc abunde oſtendimus, quum nos obtulimus ad reddendam omnibus rationem, adeoque coram noſtris adverſariis. Omnino enim de ſuo jure conſtare illi debet, qui ſe ita judicio ſiſtat, ut præter unam juris ſui certitudinem, omnibus in rebus futurus ſit inferior. Quod autem de ipſo Domini judicio præfatus ſum, ſic accipio, ut non immerito nos hic etiam ab illo humiliatos agnoſcam, ut noſtram ignorantiam, imprudentiam & alias infirmitates in memoriam revocaremus. Sic enim apud me ſentio de meipſo, ſic etiam coram ipſius Eccleſia meos defectus profiteor. Neque ſic nos notando adverſarios in jure ſuperiores reddemus: uti neque Danielis mens fuit Nabucadnezarem culpa eximere, dum Judæorum excidium ab ipſius tyrannide profectum, ipſorum peccatis adſcriberet: illud potius ad cumulandum ipſius probrum pertinuit, quum ita conſtitit tyrannum illum Dei flagellum extitiſſe, uti eo in genere primum locum Satan cum ſuis mancipiis occupat. Non magis etiam timendum nobis, ne jus noſtrum hominum probris obnoxium reddatur. Quum enim nos obtulerimus ad reſpondendum de noſtra ſinceritate in muneris noſtri functione coram univerſis Eccleſiis, uti eodem animo nunc etiam ſumus: quis inde colligat anſam illis oblatam à nobis eſſe, ut nos mordeant, atque nobis inſultent? Quod ſi non datur nobis ut illis os obſtruamus: uti non defuerunt, qui non ſua tantum intemperie adverſum nos abrepti, ſed efferato impetu ſeſe in omnia convitia effunderent: conſtat tamen nobis certiſſima illa Domini promiſſio, Dominum nempe patefacturum innocentiam noſtram ut auroram, & juſtitiam noſtram ut ſolem in meridie. Illa nos confidentia merito ſuſtinet adverſum omnes improbos, utcunque coram Domini tribunali infinitis modis obnoxios nos eſſe profiteamur. Nec tamen in noſtra dejectione & humiliatione deſeret nos Dominus, quin ampliſſimo ſolatio nos afferat atque confirmet. Imo illud nobis obvium eſt in ipſa Scriptura, quum teſtatur ferulas illas ſuas quas erga ſervos ſuos adhibet, ad illorum profectum & ſalutem ſpectare, ſi modo rectum illarum uſum tenuerint. Illud igitur, dilectiſſimi fratres, vobis perpetuo in mentem veniat quo vos conſolemini: nempe quantumvis impii veſtram Eccleſiam evertere contenderint, veſtra vero peccata non illud modo, ſed quidvis etiam acerbius commerita ſint, Dominum tamen eum finem allaturum veſtris afflictionibus, ut in ſalutem veſtram cedant. Ira ejus nimirum erga ipſius Eccleſiam ad momentum eſt, qui ipſam perdere non cogitat: miſericordia vero æterna ad venturas generationes porrigitur, à patribus nempe in filios & filios filiorum. Jam ſi in veſtros adverſarios oculos conjeceritis, aperte illic agnoſcetis ut ſeipſos in exitium dent præcipites, quum tamen in portu ſe jam navigare ſibiipſis perſuadeant. Ne igitur animum deſpondete eo nomine, quod ita Domino viſum eſt vos humiliare ad tempus, quum ipſe idem
ille ſit, Scriptura teſte, exaltans nempe dejectum & Pſal. 113.
contemptum ex pulvere, pauperes ex cœno: Coro- Eſai.9. & alibi.
nans gaudio gementes & in lachrymas effuſos, reſtituens lucem jacentibus in tenebris, in vitam denique revocans qui in umbra mortis ſedent. Sperate igitur optatum illum exitum ab optimo Domino, unde nobis materia extet prædicandæ gloriæ ſingularis ipſius erga vos clementiæ. Atque ſub illa ſpe confirmate voſipſos, ut ſubeatis ipſius ferulas, donec tandem ſuum vobis favorem reipſa exhibeat. Neque vero hoc voto ſerius accidet, ſi omnia ut par eſt, providentiæ ipſius permittere didicerimus, quæ una novit tempora & occaſiones: ac multo melius quam quiſquam noſtrûm animo complectatur, tenet quid expediat. Inprimis vigilate in orationibus & ſupplicationibus. Si enim ſpes omnis veſtra in Deo ſita eſt, ut eſſe debet, cor demum in cœlum ferri, & illic verſari oportet ad illum invocandum, & implorandam ab eo quam expectatis miſericordiam. ſic habete, quod ut plurimum remoratur exitum votorum fidelium ſuorum, illud eo ſpectare, ut eos magis afficiat ad ipſius bonitatem exquirendam. Atque adeo vana eſt omnis noſtræ fiduciæ in illum jactatio, niſi illam ita teſtificamur, quum ad ipſum nos precando recipimus. Neque etiam legitimus ille ardor conſtat noſtris precibus, niſi continuo in illis perſeveramus. Oro Deum totius conſolationis, ut vos erigat & ſuſtentet magis ac magis in recta patientia, dum vos in iſtis tribulationibus exercet: atque
ſuis illis promiſſionibus plane confirmet, Neminem 1 Cor. 10.
ſuorum à ſe tentatum iri ſupra quam ferendo ſit, ſed verſ. 23.
cum probatione daturum & vires, & exitum tandem cum ſalute conjunctum. Valete. Argent. 1 Octob. M. D. XXXVIII.

Calv. Farello.

Coraldi morte ita ſum conſternatus, ut nullum ponere modum mœrori poſſim. Nullæ diurnæ occupationes animum meum ſic retinere queunt, ut non in eam ſemper cogitationem revolvatur. Miſerrima diei tormenta excipiunt acerbiores noctis cruciatus. Non enim inſomniis modo, quibus ex conſuetudine obdurui, divexor; ſed enecor etiam pervigiliis, quibus nihil valetudini meæ magis adverſum habeo. Præcipue vero animum meum configit illa indignitas, ſiquidem vera eſt ſuſpicio, cui, velim nolim, cogor locum aliquem dare. Quo tandem recident noſtri poſteri, quum in ipſis exordiis talia portenta jam emergant? Quantum vereor ne ſcelus hoc magna aliqua Eccleſiæ clade brevi luatur. Adhæc non minimum eſt

eſt iræ Dei indicium, io tanta bonorum paucitate, eo qui ioter bonos poſtremus non erat, Eccleſiam orbari. Quid ergo aliud mi frater, quam noſtram calamitatem lugeamus? Quanquam neque validis ſolatiis deficimur. Magnum hoc, quod ſuo dolore & deſiderio teſtantur omnes, quid de ejus virtute ac integritate ſenſerint. Sic enim ne in terris quidem latere patitur Domious boſtium noſtrorum iniquitatem. Nec pilum lucri eo extincto feceruot. ſtat enim coram Domini tribunali teſtis & accuſator eorum oequitiæ, cujus vox clarius ſonabit in eorum perniciem, quam ſi terram concuteret. Nos vero, quos ad tempus ſuperſtites reliquit Dominus, ſecure pergamus ea quam ſequutus eſt via, donec curſum noſtrum peregerimus. Quantælibet objiciantur difficultates, nos tamen non impedient, quominus perveniamus ad eam quietem io quam ille jam receptus eſt. Niſi bæc ſpes nos retineret, quanta nos undique obſidet deſperationis materia? ſed quoniam manet veritas Domini firma & incoocuſſa, in ſpecula noſtra ad finem uſque perſtemus, donec appareat quod nunc abſconditum eſt Domini regnum. Claſſicum porro jam cecinerunt adverſarii clarigatione in Mindam pronunciata. Quoniam cauſa eſt religionis, omnes noſtri neceſſario implicantur. Firmiſſimum & invictum nobis præſidium erit, ſi Dominus exercituum ſua oos virtute tuebitur. Alioqui vix tantum eſt noſtris roboris, quod ad propulſandos boſtium impetus valeat.. Ad unicum ergo illud aſylum confugiamus, quod nunquam commovebitur, etiamſi univerſa concutiatur terra. Conventum non deſinimus flagitare, donec fuerit impetratus. Sonerius alteram à nobis quæſtionem diſcuti voluit, an liceat ſibi ac ſimilibus Cœnam Domini cum ex eorum manibus accipere, tum etiam cum tanta hominum colluvie participare. Mibi cum Capitone nihil fuit in hac re diſſenſionis. Summa hæc fuit: Tantum debere inter Chriſtianos eſſe odium ſchiſmatis, ut ſemper quoad licet refugiant. Tantam mioiſterii ac Sacramentorum reverentiam eſſe oportere, ut ubicunque extare hæc cernunt, Eccleſiam eſſe cenſeant. Quando igitur Domini permiſſu fit, ut per illos, qualeſcunque tandem ſiot, Eccleſia adminiſtretur; ſi Eccleſiæ ſigna illic conſpiciunt, ſatius fore ſi non ſe à communione alienent. Nec obeſt quod impura quædam dogmata illic tradantur: reliquias enim ignorantiæ vix ulla eſt Eccleſia quæ prorſus nullas retineat. Nobis ſufficit, ſi doctrina qua Eccleſia Chriſti fundatur, locum habeat atque obtineat. Nec illud nos remoratur, quod legitimus baberi paſtor non debet, qui in locum veri miniſtri non tantum irrepſerit fraudulenter, ſed nefarie irruperit. Non enim eſt cur ſe privatorum unuſquiſque iſtis ſcrupulis implicet: Sacramenta cum Eccleſia commuoicant: per eorum manus diſpenſari ſibi ſuſtineot. quos enim tenere locum intelligunt, jure ao injuria, quanquam ad ipſos pertinet, de eo tameo judicium ſuſpendere uſque ad legitimam cognitionem poſſunt. Itaque ſi eorum miniſterio utantur, non tamen periculum erit, oe aut agnoſcere, aut approbare, aut ullo pacto ratum habere videantur. Sed hoc uſu patientiæ ſuæ teſtimonium reddunt, dum ſcilicet eos tolerant, quos ſentiant ſolenni judicio damnandos. Initio bonos fratres detrectaſſe nec mirum eſt, neque nobis diſplicet. In eo ſiquidem fervore animorum quem neceſſe fuit tunc ebullire, nihil aliud quam Chriſtum ſcindere fuiſſet. Deinde ambigebant adhuc quorſum tempeſtas vergeret, quæ tunc omoia permiſcebat. Inſtitit poſtea de ſe agere, ſed tanta contentione, ut videretur nunquam deſiturus, donec extorſiſſet quod petebat. Cur oegaremus, erat manifeſta ratio. Nam à miniſtro penes quem diſpenſatio eſt ſacri bujus myſterii, prudentia in delectu habendo requiritur. Ad hoc, non obſcure approbat eorum miniſterium, ſiquis eorum collegium non repudiet. Poſtremo quum huc quæſtio recideret, ſatiusne foret cedere quam recuſare, hoc dilemmate urgebamus: ſi officium rite faceret, primo quoque die ſequuturum exitum; ſi non faceret, flagitium eſſe quod nulla compeoſatione admitti fas eſſet. Verum quum admonitus eſſet à me firmius obtentum quæri, facile præcidit quicquid illud erat. Experti ſumus quam difficile ſit eos moderari, qui inani ſapientiæ opinione deſipiunt. Quum omnes tempus hoc alieniſſimum judicarent tractandæ fratrum cauſæ, Dominus ſpem omnem ſuperavit. Impetratum quicquid petiimus. Videbatur initio Sonerius ægre ferre, quod exigeretur confeſſionis formula: putabat hoc uno noſtris ſatisfieri debere, quod à ſe edocti eraot. Poſtea tamen non adeo reclamavit, atque etiam qualem cooſcripſi eorum nomine, ſioe cootroverſia approbavit. Vereor ne tibi plurimum faceſſat negotii is, cujus partes ſuot te juvare: ſed patiendo tandem eluctaberis. Quæſo te mi frater, in tanta temporum iniquitate, aoimum adjicias ad retinendos omnes, qui utcunque tolerabiles fuerint. De ceremoniolis effice apud fratres, ne eadem certent cum vicinis pertinacia. Ita fiet ut omnia noſtra ſint, nos ab omnibus liberi, ſervi ſimus pacis & concordiæ. Si prætereo quæ neceſſaria erant, eo fit, quod literæ tuæ nondum à Capitone, cui legendas dederam, mihi redditæ ſunt. Dominus te ſervet, ac Spiritus ſui robore ad omnia ſuſtinenda confirmet, frater mi in Domino dilectiſſime. Admonet tua pro me ſollicitudo, ut tui curam viciſſim tibi commendem. Valde enim attritum ſibi te videri omnes narrant. Quæſo atque obſecro mi frater, ſic de aliis cogita, ſimul ut memineris quod ſis Eccleſiæ Chriſti adhuc neceſſarius. Saluta millies mibi fratres omnes qui tecum ſunt, Viretum, etiam Franciſcum & Jacobum quum ad eos ſcribes. Capito, Sturmius, Firmius te peramice ſalvere jubent. Argentorati, 24. Octobr. M. D. XXXVIII.

CALV. FARELLO.

QUoniam verebar ne tibi moleſta eſſet longior mearum literarum expectatio, malui ouper abſciſſas præmittere, quam te differre in Michaëlis adventum. Nunc igitur reliqua contexam. Prius vero quam veniam ad colloquium Philippi, breviter tibi exponam quo progreſſus ſit ex eo tempore rerum ſtatus. Tam iniquas conditiones auſus eſt tandem ferre Cæſaris legatus, ut parum abfuerit quin res iterum ad gladios rediret. Volebat ut ſe à Sacrameotariis noſtri ſubducerent. vides Satanæ artes. Hoc ſcilicet captat, ut non modo vetera, quæ olim ſeminavit, odia alaotur: ſed novæ quoque offenſæ, velut accenſæ faces, ad majora diſſidia excitanda accedant. Atqui noſtri nec Sacramentarios ullos recognoſcuot, & conjunctionem ſibi eſſe volunt cum Helveticis Eccleſiis. Ideoque illud omiſſum eſt à Cæſare, factumque ut ad paciſcendas inducias aoimi inclinarent: quæ utinam Eccleſiæ Chriſti utiles ſint. Mihi certe nihil boni promittunt. Hoc quoque videt Elector Saxooiæ, qui quum hactenus cunctator ſit babitus, neceſſitatem belli impoſitam nobis putavit. Lantgravius præter omnium ſpem bellum diſſuaſit. Ac quaoquam non detrectabat ſequi, ſi aliter ſociis videretur, emollivit tamen eorum animos qui in ejus alacritate plurimum reponebant. Nunc ergo res ad inducias vergit, inter quas de concordia utrimque diſpicietur. Verum adverſarii nibil aliud quam de belli opportunitate cogitabunt. Saxo ab hoc conventu Clivenſem conveniet, cujus ſororem habet io matrimonio. Si ad ſuſcipiendam religionem illum adducere poterit, magnum erit regni Chriſti incrementum. Siquidem hodie non habet inferior Germania potentiorem Principem, & qui latius dominetur: nec ſupe-

tior etiam, excepto uno Ferdinando, qui amplitudine ditionis tantum ſuperat. De legatione ad Regem pro ſalute fratrum ac cauſa religionis commendanda, nihildum erat decretum, quum Bucerus poſtremo ſcripſit. De legationibus enim ultimo loco agetur, quia ex rerum ſuarum conditione melius tunc deliberabunt, qua quidque ratione petere debeant. Ergo in id tempus nos ſuſtineamus. Cum Philippo fuit mihi multis de rebus colloquium: de cauſa concordiæ ad eum prius ſcripſeram, ut bonis viris de ipſorum ſententia certo poſſemus teſtari. Miſeram ergo paucos articulos, quibus ſummam rei breviter perſtrinxeram. Iis ſine controverſia ipſe quidem aſſentitur: ſed fatetur eſſe in illa parte nonnullos, qui craſſius aliquid requirant: atque id tanta pervicacia, ne dicam tyrannide, ut diu in periculo fuerit, quod eum videbant à ſuo ſenſu nonnihil alienum. Quanquam autem non putat conſtare ſolidam conſenſionem, optat tamen ut hæc concordia, qualiſcunque eſt, foveatur, donec in unitatem ſuæ veritatis nos Dominus utrimque adduxerit. De ipſo nihil dubita, quin penitus nobiſcum ſentiat. De aliis rebus quales habuerimus ſermones, longum eſſet enarrare: ſed hæc erit aliquando materia jucundæ inter nos colloquutionis. Ad diſciplinam dum venitur, ipſe aliorum more ingemiſcit. Magis enim deplorare miſeram hac in re Eccleſiæ conditionem licet, quam corrigere: Ne vos iſtic ſolos laborare putes. Eduntur quotidie paſſim exempla, quæ omnes ad optandum remedium excitare merito debeant. Ejectus eſt non ita pridem Ulma vir probus ac doctus cum extrema ignominia, quod non ſuſtineret magis vitiis indulgere. Dimiſſus eſt à collegis ſuis omnibus cum honorifica commendatione, præſertim à Frechtho. Quæ Auguſta nunciantur, nihilo magis læta ſunt. Ita poſthac res luſoria erit Paſtores miniſterio deturbare ac in exilium ejicere. Nec malum iſtud emendari poteſt, quia nec plebs, nec Princeps jugum Chriſti à Papæ tyrannide diſcernunt. Cenſet ergo Philippus nihil melius eſſe, quam ut in tanta tempeſtate ventis adverſis aliquantum obſecundemus: ſpemque facit, ubi plus quietis ab externis hoſtibus erit, opportunitatem fore ut interioribus remediis oculos intendamus. Capito nunc Deum & homines obteſtatur, perditam eſſe Eccleſiam, niſi mature ſuccurratur rebus tam afflictis; nunc, quia profectum nullum videt, mortem precatur. Verum ſi vocatio noſtra ex Domino eſt, ut eſſe non dubitamus. Dominus benedicet, utcunque omnia adverſentur. Tentemus ergo remedia omnia: quæ ſi deſunt, pergamus tamen ad ultimum uſque ſpiritum. Quum te video ſic afflictari, interdum adeſſe cupio, ut nonnihil ſolatii afferam. Rurſum dum ſuccurrit nihil me tibi afferre poſſe, niſi materiam invidiæ majoris, libenter abſum, ne plus ſatis gravatum premam. Fratres Waldenſes coronatum unum mihi debebant, cujus partem à me mutuo acceperant, partem dederam nuncio qui cum fratre venerat, Sonerii mandato. Hunc ut tibi darent, juſſeram. Si dederint, retinebis, quo tantundem ære tuo exonerer. Quod reliquum erit, ſolvam quum potero. Ea enim mea eſt nunc conditio, ut aſſem à me numerare nequeam. Mirum quantum pecuniæ mihi effluat in extraordinariis ſumptibus; & de meo præterea vivendum eſt, niſi velim fratribus oneri eſſe. Valetudinem quam mihi pro tuo in me amore ſollicite commendas, non ita facile curare licet. Sed nimis ſum prolixus. Injuriam enim talibus nunciis facio. Bene vale optatiſſime frater. Dominus te ad hanc moleſtiarum molem ſuſtinendam Spiritus ſui virtute corroboret. Scripta menſe Martio, M. D. XXXIX.

Calvinus tuus.

Calv. Farello.

Poſtridie quam mihi reddita fuerat penultima tua epiſtola, dedi me in viam, ut Francfordiam peterem. Adeo autem tumultuarius fuit diſceſſus, ut tibi reſpondere non vacaverit. Id quod in ſubitis conſiliis fere evenire ſolet. Profectionem vero illam ſuſcipere mihi nunquam in mentem venerat niſi pridie quam exequutus ſum. Verum quum literas à Bucero recepiſſem, quibus indicabat ſe nihildum potuiſſe de fratrum cauſa agere; cupido mihi ſtatim inceſſit eo uſque concedendi: partim ne fratrum ſalus negligenter, ut fit in tanta rerum turba, tractaretur: partim ut cum Philippo de religione atque Eccleſiæ ratione commentarer. Utraque, niſi fallor, ratio juſta tibi videbitur. Accedebant Capitonis ac omnium hortationes, præterea comitum opportunitas. Nam Sturmius & alii boni viri ſe mihi comites adjungebant. De Domino de N. minus credendum eſt quam feratur. Noſti enim quam ſit illud verum, famam eundo vires acquirere. Unum tantum concionatorem appetebat, qui hac Quadrageſima plebem ſuam puriore doctrina imbueret. Domina R. illuc me initio invitavit: ſed quia via non ſatis aperta videbatur, excuſavi me hic alia vocatione detineri, minutula quidem illa, ſed quæ ad me obligandum ſufficeret. Doctor Ulrichus jam ſecundum menſem procul abeſt, ut non poſſim cum eo de literis expoſtulare. Cauſatus eſt ſe eas depoſuiſſe apud N., unum, niſi fallor, ex fratribus qui aliquando contra Solodurenſes tumultuati ſunt. Dolet mihi plurimum eas periiſſe: ſiquidem multa continebant, quæ magni interfuit non evulgari. De conjunctione quod ſuadebam non eſt quod tantopere averſeris: teſtabar enim me nihil magis optare, quam ut longiſſime ſe illinc pii omnes ſubducerent. Hoc unum contendebam, ne ſchiſmate ſcinderent qualemcunque Eccleſiam: quæ utcunque eſſet corruptiſſima moribus, doctrinis etiam exoticis infecta, non tamen deſciverat penitus ab ea doctrina, qua Eccleſiam Chriſti fundari docet Paulus. Sed quia res eſt ejuſmodi quam attingi non expediat, niſi prolixe & ordine excutiatur, non ulterius proſequar: niſi quod teſtatum volo, me non aliam fratribus unionem ſuaſiſſe, quam quæ nobis Chriſti exemplo monſtratur, qui non dubitavit Dei myſteria cum deploratæ impietatis Judæis participare. Atque ut intelligas qua prudentia conſilium meum expenderint, id eos in primis exacerbavit, quod Miniſtrum à Plebe diſcernebam, illumque diſpenſatorem eſſe aſſerebam à quo prudentia & fides requiratur. A privatis minus quiddam & facilius dicebam exigi, ut ſe unuſquiſque probaret. Verum id, ſi dabitur coram colloqui inter nos parvo negotio tranſigetur. Quod video luculenta Dei judicia apparere in ſonticas illas peſtes quæ miſeram Eccleſiam vexabant, partim me conſolatur & recreat, partim autem animum meum perſtringit, quia video non prorſus offendiculo carere. Eſt tamen omnino expetendum, ut quoquo modo Eccleſiam ſuam talibus excrementis purget Dominus. De Gaſtio mihi frater ad liquidum narraverat. Male me habet illa Grynæi facilitas in dandis commendationibus: nec tam diu diſtuliſſem cum eo agere, niſi quo tempore literæ tuæ huc pervenerunt, parcendum ei cenſuiſſem: quia tum uxor ejus in ultimo vitæ periculo verſabatur. nam gravida quum eſſet peſte correpta fuerat. Quæſo mihi ſignifica, quo ſe bonus ille & infractus Chriſti martyr proripuerit. A N. video tibi non parum fore negotii, quamdiu ſic varicari perget. Sed quia tolli non poteſt, neceſſe erit tolerari. Puta tibi datum à Domino qui patientiam tuam exerceat. Habemus tibi non parvam gratiam, quod noſtro nomine Conſulem ſalutaris: nam id quoque refert, ut intelligat utrumque noſtrûm ſic eſſe conjunctum cum Bucero & Capitone, ut omnia inter nos conſilia communicemus.

Digitized by Google

temus. De bonis Eccleſiaſticis utinam tibi poſſem aliquid melius polliceri, quanquam non eſt res peſſimo ſtatu: Bucerus enim tanta conſtantia inſtitit, ut videatur nonnihil promoviſſe. Philippus illum initio rei difficultate deterrebat: dimoveri tamen non potuit quin pergeret. Difficile autem videbatur impetrare, quoniam nihil id Principes ad ſe pertinere putant, qui bona Eccleſiaſtica pro ſuo arbitrio adminiſtrant. Et alii quidem ægre ferunt ſibi de manibus excuti lucrum cui jam aſſueverunt. Alii tametſi nihil jacturæ ſenſuri ſunt, non facile adducuntur, ut invidiam ejus ordinis, quem magnum eſſe in Germania noſti, in ſe concitent. Bucerus ex vetuſta Eccleſiæ conſuetudine modum protulit, quo & Eccleſiæ & paci publicæ Imperii conſulatur. Quoniam ea lege legata ſunt bona, quæ hodie tenent Canonici primariæ Eccleſiæ hujus civitatis, ut à Comitibus adminiſtrentur, permittit ut ſit collegium ex nobilibus familiis, à quo hæc poſſideantur: qui autem in illud collegium aſciſcentur, eos nec Sacerdotes eſſe vult, nec Canonicos: ſed conjuges qui tantum fidem ſuam Eccleſiæ obligatam habeant, ut ad tuendam ipſius quietem impendant ſe ac ſua omnia. Quoniam Epiſcopus eſt Princeps Imperii, nec tolli poteſt locus ille, quin magno cum motu Imperium concutiatur, potat expedire quod olim fiebat, ut in ejus locum ſuccedat ex collegio illorum Comitum, cui maneant ſalvæ poſſeſſiones, quæ ſunt hodie penes Epiſcopum: voceturque Vicedominus, quod magis ſit earum œconomus, quam proprietarius. Ejus officium ſit Eccleſiam tueri ſi alicunde impugnetur, atque in eam rem fidem ſuam ſolenni ſacramento obſtringat. Reliquæ facultates in uſum magis legitimum redigantur, ut ſunt Præbendæ, Capellæ, Prioratus & reliqua. Uſum appello magis legitimum, ut miniſtris & ſcholis, pauperibus, aliiſque Eccleſiæ oneribus deſtinentur. Id ſi obtinetur, erit ut in rebus adeo diſſipatis tolerabilis conditio. Aliqua & quidem jam magna ſpes eſt, quod Principes cœperunt animum inclinare, Civitates autem rem cordi habent, quæ vident Eccleſiarum ſuarum bona tam miſere dilapidari. De Baſilio ſcripſit ad me Talearis, illum petiiſſe nuper Genevæ publicam diſputationem, ſed repulſam paſſum eſſe: quod equidem libenter audio, ne in gente plus ſatis alioqui novitatis cupida falſa dogmata evulgentur, quibus refutandis nemo ſeſe opponat. Nunc ad ſecundam epiſtolam, quam ab ænigmatibus exordiris. Qui ſint enim illi excubitores, ebrioſi, fures, minime aſſequor, niſi apertius expoſueris. Proinde quæſo ut mihi primis literis ediſſeras. De illa Comitis & Genani legatione nihil aliud potuit expectari, quam ut irriti reverterentur. Neſcio an in fratribus tantum ſit conſilii, quantum animi eſſe non dubito. Si Comitem ſine formula certa dimiſerunt, mihi factum eorum penitus improbatur: ſcis enim quid parere noverit illa inanis gravitatis affectatio. Feramus omnia tentari, ne per nos ſtetiſſe videatur quominus Eccleſiæ melius haberent. Abs te hoc jure poſtulare nequeunt, ut miniſterium eorum approbes, quos Eccleſiaſticæ cenſuræ relinquendos nemo non videt. Sed veriſſimum eſt quod ais, omnes qui male conſcii ſunt nihil magis expetere, quam ut omnia in obſcuro demerſa lateant, ne ſua quoque fœditas detegatur. In tantis involucris videndum quid poſſimus: cætera Domino permittenda. Cuperem ſane ut malorum omnium ſepulta eſſet memoria, quæ citra noxam retractari non poſſunt. Sed quid prodeſt, odia, diſſidia tum doctrinæ tum animorum, obtrectationes, cæteraque hæc mala in Eccleſiæ viſceribus concluſa retineri, quæ tandem in peſſimum ulcus erumpant? Optandum potius ut cum acerbitate aliqua diſcutiantur, ſi aliter fieri non poteſt. Sed quid vetat medium aliquod tenere, ut honor miniſterio noſtro ſuus reſtituatur, remedium Eccleſiæ illi miſeræ ac perditæ adhibeatur, quæ inter fratres ſunt offendicula tollantur, diſſimulatis ac ſuppreſſis malis, quæ nihil opus eſt de integro exagitari? Sunt enim quædam vulnera, quæ attactu magis recrudeſcunt: quiete melius & oblivione ſanantur. Quid ſibi obſecro volunt boni viri, quibus hoc venit in mentem, ut ego ſine te redeam, qui tecum ſum ejectus? Ut in operis communicationem manum præbeam iis, à quibus volo eſſe alieniſſimus, donec Eccleſiæ ſatisfecerint? Sic enim rem inſtituunt ut ex quatuor duo nobiſcum remaneant, ut nullo Eccleſiæ judicio quaſi per veniam reſtitutus, locum ſine ulla auctoritate teneam. Quid enim faciemus? unde ſumemus exordium, ſi res collapſas velimus inſtaurare? Si verbum fecero quod diſplicuerit, mox ſilentium imperabunt. Sed nolo apud te hæc & ſimilia ſtylo proſequi, quæ melius ipſe reputas quam dici queant. Rurſum ſi id procedit, fratrum jurgia vix potero ſuſtinere: ſummam enim ſolo meo reditu confectam exiſtimabunt. Proinde optarim ut aliud potius quidvis agant ii qui hunc lapidem moliuntur. Nihil enim quam magnam moleſtiam mihi accerſunt, idque fruſtra. Ut promiſi, breviter tibi perſcribam. Statum rerum Francfordiæ hunc comperimus. Aderant è domo Saxoniæ Elector, ejus frater, & nepos ex Henrico, quem Mauricium vocant. Hi tres in ſuo comitatu habebant equos quadringentos, Lantgravius ſecum totidem equites adduxerat: Luneburgenſis minore pompa. Aderat & Brandeburgenſis junior frater Electoris, Brunſvicenſis junior, aliique tres quorum nomina non teneo. Hi omnes fœderati: cæteri qui in fœdere continentur legatos miſerant, ut Rex Daniæ, Dux Pruſſiæ, aliique nonnulli. De iis nihil mirum videbatur quod domi remanſerant, quia rebus tam dubiis ac periculoſis procul abeſſe tutum illis non erat. Verum nemo erat qui non indigne acciperet, Wirtembergenſem malle venatione ſua & neſcio quibus luſoriis oblectamentis frui, quam conſultationi intereſſe, in qua & patria ejus, & caput fortaſſe agatur, cum biduo tantum abeſſet. Qui volebant excuſatum, dicebant non dubitaſſe curam in reliquos rejicere, quibus negotium cordi eſſe noverat. A Civitatibus primarii viri miſſi fuerant. Primis deliberationibus bellum omnium ſuffragiis decernebatur, donec intervenerunt Electores duo, Comes Palatinus, & Joachimus Brandeburgenſis, cum Cæſaris literis, & legato Epiſcopo Hiſpano, quem Londenſem appellant. Principio mandatum Cæſaris expoſuerunt, quo illis permittebatur vel pacem vel inducias cum noſtris paciſci, quibus rationibus ac legibus optimum fore exiſtimarent. Deinde longa oratione ac validis argumentis conati ſunt animos ad pacem inflectere: præcipue tamen caput hoc premebant, quod Turca non quieturus ſit, ſi videat Germaniam inteſtinis bellis implicatam. Et jam aditum habet patefactum, cum Walachias teneat, tranſitus illi à Polono ex fœdere debeatur. Ita ergo jam nunc Germaniæ imminet. Pacis conditiones ut noſtri excogitarent, voluerunt. Si pax confici non poſſet, rogarunt ut ad inducias decurreretur. Utriuſque fides ac ſinceritas noſtris eſt explorata. Nam Joachimus in cauſam Euangelii omnino propenſus eſt, Palatinus non iniquus. Verum quia mandata quæ ab Hiſpania veniunt minus fidei habent, maluiſſent rem ab Electoribus univerſis compoſitam, penes quos ſumma in Imperio eſt poteſtas. Id impeditum fuit, quod Moguntinus multas ob cauſas à Saxone repudiatus eſt: Joachimus in Comitia conſentire auſus non eſt, à quibus patruus excluderetur. Ergo noſtri articulos obtulerunt, quibus ſe invitos ad belli cogitationem deſcendiſſe oſtendebant: ſiquidem injurias exponebant quibus fuerant ad id conſilium neceſſario adacti. Pacis leges dicebant, ut ſuas ſibi Eccleſias adminiſtrare liceret, ſub qua adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſationem volebant contineri. Integrum deinde ſibi ſervabant, ut in fœde-

ris ſocietatem poſſent admittere qui adjungere ſe vellent. Quum oblati jam eſſent articuli, diſceſſimus. Poſtea ſignificavit Bucerus Electores duos plus aliquanto concedere quam Cæſaris legatum. Ratio eſt, quod Cæſar, quum hoſtium noſtrorum opibus indigeat adverſus Turcam perinde ac noſtrorum, cupit utrique parti ſine alterius offenſa gratificari. Summa tamen poſtulati ejus eſt, ut citra præſentis ſtatus mutationem, viri docti ac probi & minime contentioſi conveniant, inter quos de capitibus religionis controverſis diſceptetur: poſtea res ad Comitia Imperii referatur, ur de ſententia omnium ordinum Eccleſiæ Germanicæ reformatio tranſigatur. Inducias ad ea peragenda anni unius paciſcitur. Noſtri nec brevibus adeo induciis contenti ſunt, & aliquid certius ſibi dari poſtulant. Ita omnia ſunt adhuc in ſuſpenſo: nec extra belli periculum ſumus, niſi Cæſar ulterius procedat. Juliacenſis nuper patre orbatus, legatos miſit cum hujuſmodi mandato, Se ducatum Geldriæ, cujus legitimus erat dominus, Dei beneficio recuperaſſe: nunc ſibi de eo controverſiam moveri tum à Cæſare, tum à Lotharingo, ſine ullo ſatis ſpecioſo prætextu. Lotharingum enim nibil juris poſſe obtendere, niſi quod ſit hæres poſtremi Ducis. Atqui illum per vim, cantra jus & fas, Ducatum poſſediſſe, qui ſententia Imperii familiæ Juliacenſi adjudicatus erat. Cæſarem prætexere quidem emptionis ritulum: ſed quam vel commentitiam, vel nimis fraudulentam eſſe appareat: nempe quum pretium fuerit 50 millium coronatorum, quo vel ſola urbs æſtimari queat: certe eam ſummam infra anni unius reditum eſſe. Rogabat ergo noſtros ut apud Cæſarem intercederent, ne Principem Imperii ſine cauſa laceſſeret. Quod ſi Cæſar nollet precibus acquieſcere, auxilium eorum ad tuendam communem libertatem implorabat. Nibil adhuc reſponſi tulit: quando conſilium capere ex rerum ſuarum inclinatione neceſſe habebunt. De fœdere tamen nulla fiebat mentio, etſi non eſt à religione alienus. Angli petitio fuit ut legatio ad ſe nova mitteretur, cui adjungeretur Philippus: ut haberet cujus conſilio uti poſſet ad Eccleſiam melius conſtituendam. Non erat dubium quin legatinnem miſſuri eſſent Principes. Melanchthonem mittere non placebat, quod mollitiem animi ejus ſuſpectam habeant. Neque vero qua in opinione ſit aut neſcit, aut diſſimulat: tametſi mihi ſanctiſſime dejeravit vanum eſſe hunc timorem. Et ſane ut videor mihi ejus animum perſpicere, non minus illi fidere auſim quam Bucero: dum negotium eſt cum iis qui ſibi indulgeri aliquid volunt. Tanto enim ſtudio propagandi Euangelii flagrat Bucerus, ut quæ præcipua ſunt contentus impetraſſe, interdum ſit æquo lenior in iis concedendis, quæ minutula quidem ipſe putat, ſed habent tamen ſuum pondus. Rex ipſe vix dimidia ex parte ſapit. Sacerdotes & Epiſcopos ſeveris ſanctionibus non tantum miniſterii privatione, arcet à conjugio: Miſſas quotidianas retinet: ſeptem Sacramenta vult ſalva eſſe: ita habet mutilum & ſemilacerum Euangelium, Eccleſiam vero multis adhuc nugis refertam. Jam quod ſani cerebri non eſſe omnes vident, Scripturam vulgari idinmate haberi in regno non patitur: ac novum interdictum nuper publicavit, quo ab ejus lectione plebem arcebat. Atque ut intelligas illum non jocoſe inſanire, nuper virum quendam probum & doctum exuſſit ob negatam præſentiam Chriſti carnalem in pane: cujus mors ab omnibus piis & eruditis valde comploratur. Noſtri tamen utcunque ejuſmodi facinoribus graviter nffendantur, ejus regni rationem habere nnn deſinent. Video de conjuratione nihil ad vos perveniſſe præter obſcurum & ambiguum rumorem. Cardinalis Polus fratrem habebat virum & primariæ nobilitatis, & auctoritatis inter Proceres maximæ. Siquidem eorum familia Regem propinqua cognatione attingit: ipſe vero raræ cujuſdam prudentiæ & gravitatis habebatur. Ita ſibi in cauſa fratris moderatus erat, ut nihilo eſſet apud Regem deteriore loco. Quum Regi minime ſuſpectus eſſet, quia palam diſſidium cum fratre præ ſe ferebat: omnium opinionem ſua calliditate fefellit. Ita inter ſe pepigerant, ut Cardinalis exercitum duceret per Galliam: ſimulatque accederet ad finem regni, tumultum frater ejus cum aliis conjuratis excitaret: quo Rex occupatus in placandis inteſtinis motibus adverſus externum hoſtem defendere ſe non poſſet. Cardinali facile erat armare militem Papæ ſumptibus. Verum priuſquam adventaret, detecta eſt ab indice conſpiratio. Nam quo ſe rite inſtruerent, neceſſe habuerant complures facere conſcios. Nepos vir ſtrenuus quum audiſſet pactiones eſſe deprehenſas, voluit ſibi mortem conſciſcere. Sed quum impeditus fuiſſet, ſævitiam quæſtionis ferre non potuit. Sequuta eſt aliorum confeſſio: in omnes auctores vindicatum eſt. Quum tot ac tantis Dei beneficiis tam male reſpondeat Rex, vereor magnopere ne tandem graves pœnas luat ſuæ ingratitudinis. Interim dum Francfordiæ habetur conventus, mortuus eſt ex inſperato filius Georgii, qui ob inſaniam vinctus cuſtodiebatur. Si fuiſſet patri ſuperſtes, tutela novis motibus potuiſſet præbere cauſam. Nunc ſucceſſor eſt non dubius ille Mauricius Henrici filius, quem in fœdere eſſe ſupra indicavi. Ita bona ſpes eſt, ditionem quam nunc tenet Georgius, ſtatim Chriſti peculio acceſſuram. Nam Georgius ætatem exceſſit procreandæ ſoboli idnneam. Hac ratione vides, quantum ad ſummam rerum, pendere adhuc omnia, nec certam habere inclinationem. Quo magis rogandus eſt nobis Deus, ut fauſtum aliquem exitum rebus tam perplexis afferat. Quid profecerim in cauſa fratrum, ſimul quale fuerit, ac quibus de rebus meum cum Philippo colloquium, reſciſces per Michaëlem, qui ante novem dies abire conſtituit. Cogor enim nunc præ tabellarii feſtinatione mittere dimidiatas literas. Alteram partem tunc excipies. Vale frater mihi amiciſſime. Thomam ac fratres omnes mihi ſaluta. Capito & Sturmius te millies ſalutant. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti tecum. Argentorati, 17. Calendas Apriles. M. D. xxxix.

Calvinus tuus.

Calv. Farello.

NOn memini hoc toto anno fuiſſe diem unum, quo magis obrutus fuerim variis negotiis. Nam quum hic nuncius voluerit principium libri mei ſecum auferre, circiter viginti ſolia relegere me oportuit. Adhæc legendum fuit & concionandum, ſcribendæ quaternæ literæ: tranſigenda quædam controverſiæ, reſpondendum plus decem interpellatoribus. Excuſabis ergo ſi & breviter & minus accurate ſcribo de omnibus rebus. Quid in conventu deliberatum fuerit, non prius intelligemus ad liquidum quam redierit Bucerus, quem ex ejus literis expectamus ante ſeptem dies. Scripſit tamen nobis nunquam ſe vidiſſe paratiore animo Principes noſtros ad Euangelii defenſionem. Certe Smalcaldiæ facinus in re non magna ediderunt, quo prodiderunt animi ſui magnitudinem. Erant enim illic impuræ quædam imagines, quas cum ſuis altaribus diruerunt. Suſtulerunt etiam in Cœna elevationem, quam hactenus retinuerant. Eant nunc qui moderationes neſcio quas ſomniant, ad quas nos revocent. Hoc tibi volui in guſtum præbere, ut intelligas eos procul abeſſe à trepidatione. Senatus quoque noſter cordatum ſe præbet. Nuper Abbatiſſam, quæ dilapidare cœperat bona monaſterii, in cuſtodiam dedit. Camera Imperii Epiſcopi rogatu eam dimitti juſſit. Contemptum eſt mandatum. Socii fœderis factum approbarunt,

runt, & ſe cauſam recepturos teſtati ſunt. Miſſus inde nuncius ad Cameram qui denunciet non ſtaturum Senatum illius judicio, qualecunque tandem fuerit. Expectamus ergo dum luſorium ſuum fulmen jaculentur. Cura obſecro ut Balbotus pecuniam mittat, unde Wendelino ſatisfiat. Non poſſum nunc ulterius pergere. Saluta omnes fratres diligenter. 20 Aprilis. M. D. XXXIX.

Calvinus tuus.

CALV. FARELLO.

PLus jam boni ab iſta qualicunque concordia ſperare incipio quam prius. Quoties reputabam quibuſcum hominibus negotium nobis foret: ſimul quam lubricam ac fluidam eorum fidem toties experti eſſemus: inde colligebam nos iſta quoque reconciliatione aut nihil, aut quam minimum profeciſſe. Ad quod leges utrimque poſitæ, etiamſi nihil haberent majoris indignitatis, mihi tamen non omnino probantur. At nunc ſi verum eſt quod narras, ſollicitari ad defectionem duos illos, neceſſarium profecto erat vel iniquis legibus inter nos transſigendo, talibus malis occurrere. De firmiore autem conſtantia nonnullam ſpem concipio, quod quum fidem ſuam omnibus iſtic Eccleſiis obligarint, validius tenentur, quam ut adeo ex facili diſſiliant. Jam aliqua ex parte ſumus aſſequuti quod primo loco ſemper quæſivimus, ut peſſima illa inter fratres diſſidia, quæ Eccleſias prorſus lacerabant, componerentur. Gratiam igitur Domino nunquam ſatis dignam habebimus, qui ſua benignitate ſpem quoque noſtram ita ſuperat. De reditu puto non procedere quod ſcripſerat Talearis: nullum enim verbum ex eo tempore accepi. Nec dubito quin fratres rem illam tanquam ſupervacuam omiſerint, quum viderunt aliunde contigiſſe remedium. Proinde quia totam actionem vel refrixiſſe, vel concidiſſe ſuſpicor, ea cura minime jam me ſollicitum habet. Nuncium porro illum quem mihi attulerant literæ Talearis, non ſine cauſa tantopere expaveſcebam. Non omnes cauſas tibi recenſui: & paucas illas quas notabam, attigi tamen breviter, non expoſui. Certe quod de te dicebam momenti plurimum ſecum trahit. Nam aut ambos ſimul reſtitui, aut me per veniam reſtitutum videri oportet. Ita perſonæ indulgebitur reſtitutio, non cauſæ dabitur. Sed illa præcipue cogitatio me conſternat, dum ob oculos mihi pono in quantam voraginem ingrederer: nempe qua me abſorberi totum ſentiebam, quum tamen dimidio minor adhuc foret. Habeo, fateor, hic mea certamina, & ea quidem ardua: ſed quibus exercear, non adobruar. Quanquam mihi non parum negotii futurum erat hoc Paſchate, ſi peſtis illa de qua quereris adfuiſſet. Aut enim ad rationem reddendam compuliſſem, aut ad Cœnam Domini admiſſus non fuiſſet. Unus ex ejus diſcipulis, ille quem voluit in Claudium Normanum ſtimulare, venturus erat, niſi præmonuiſſem ut mihi antea ſe purgaret, vel certe reſipiſcentiam promitteret. Toto menſe concionem non audierat, publicum aleæ & ebrietatis veluti forum exercebat. De ſcortationibus etiam rumor ſuſurrabat: & tamen prorupiſſet ad ſacroſanctum illud myſterium, niſi viam præcluſiſſem. Jocatus eſt apud eum qui denunciabat quod volueram illi indicari, ſe relinquere confeſſionem Papiſtis. Reſpondi eſſe quoque genus confeſſionis Chriſtianæ. Si redierit magiſter, erit jam mihi profeſſum cum eo bellum. Nec per me ſtetit, quominus jampridem cum eo congrederer. Ita ejus impietatem palam & aperte etiam pro concione ſugillabam, ut nihilominus aut ipſi, aut aliis dubius eſſet ſermo, quam ſi vel nominaſſem, vel digito demonſtraſſem. Nunc, quia Francfordiam petierat, Bucerum obſecravi ut ab eo non ſecus ac jurato hoſte caveret. Ubi primum ſe ita tractari ſenſerit, quales turbæ mihi præparantur? Ego ſive hic maneo, ſive migro, multæ ſemper curæ, moleſtiæ, difficultates mihi inſtant. Gratum mihi eſſe fateor, quod fratres tanta mei ſollicitudine teneri video, ut ſupplere noſtram inopiam de ſuo parati ſint. Non enim fieri poteſt quin tali amoris teſtimonio delecter. Verum tua, & illorum beneficentia decrevi abſtinere, niſi quæ major neceſſitas compulerit. Dabitur mihi à Wendelino typographo, cui libellum noſtrum commiſi imprimendum, quantum ad extraordinarios ſumptus ſufficiet. In libris meis qui adhuc ſunt Genevæ, erit unde hoſpiti meo ſatisfiat uſque ad hyemem proximam: in poſterum Dominus providebit. Quum innumeros aliquando amicos in Gallia habuerim, nemo fuit qui aſſem mihi obtulerit: & tamen ſi feciſſent, poterant frui gratuita beneficentiæ jactantia: nihilo enim illis conſtitiſſet offerre quod non acceptaſſem. Exciderat mihi Ludovicus, ille unus fuit qui obtulit: ſed ipſe quoque ſuam largitionem nimis magno venditabat: ſiquidem me tantum non ad recantandum hortabatur. Certe clara voce fuiſſe me Eccleſiæ transfugam pronunciabat. Reſpondi quod debui talibus literis: vereor tamen ne literæ intercidérint. Tua igitur ac fratrum benevolentia in præſens contentus ero: facultatem experiar, ſiquando erit neceſſe. Ac viciſſim rogo ut pro iſta in me veſtra humanitate, animi gratitudine contenti ſitis. Dolet mihi periiſſe coronatum: ſed eſt cur ſocordiam hic meam accuſem, niſi quod pudore retineri poſſe arbitrabar, ne ſic abuteretur. Placet maxime veſtrum de Claudio conſilium, ut antequam magis adoleverit, aut etiam induruerit barbaries, quæ manent ſcintillæ adhuc bonæ inſtitutionis in illa pueritia, ejus opera excitentur. Sed quid fidem meam appellas in adjuvando fratrum conatu ad inſtaurandam diſciplinam? Ad quos enim ſcriberem, aut quo ſtylo? Quare aut viam mihi aperi, aut ne expectes dum me temere ingeram. Nuper Philippo in faciem non diſſimulavi, quin mihi admodum illa ceremoniarum copia diſpliceret. Videri enim mihi formam quam tenent, non procul eſſe à Judaiſmo. Quum rationibus inſtarem, noluit mecum de eo contendere, quin nimis abundarent in ritibus illis aut ineptis, aut certe ſupervacuis. Sed dicebat id dandum neceſſario fuiſſe Canoniſtarum qui illic ſunt obſtinationi. Cæterum nullum eſſe in Saxonia locum qui non magis exoneratus eſſet Wittenberga: & eam ipſam paulatim ex tanta farragine multa abſciſſuram. Clauſula autem erat, Luthero non magis probari quas coactus retinuiſſet ceremonias, quam noſtram in illis parſimoniam. Utinam vero perſpectum optimo N. eſſet, quantum ſit in Philippo ſinceritatis. Certe exueret protinus omnem fraudis ſuſpicionem. Quod Bucerus porro defendit Lutheri ceremonias, non ideo fit quod appetat, aut invehere eas moliatur. Cantum Latinum adduci nullo modo poteſt ut probet: ab imaginibus abhorret. Alia partim contemnit, partim non curat. Sed non eſt timendum ut quæ ſemel abrogata ſunt, rurſus poſtliminio reducat. Tantum non patitur, ut ob externas illas obſervatiunculas à Luthero disjungamur. Nec ſane juſtas eſſe puto diſſidii cauſas. Fœdus Germanicum nihil habet quod debeat pium pectus offendere. Cur enim, quæſo, quas dedit eis Dominus vires non conjungant ad communem Euangelii defenſionem? Cæterum in ſocietatem ſuam aut vi, aut quavis neceſſitate neminem pertrahunt. Quin potius ſunt Civitates Euangelicæ quibus magis placuit fœdus cum Papiſtis, & ipſis adeo Epiſcopis, ut Nuremberga. Utinam ſciret N. quibus artibus nuper tentati ſunt in conventu, & qua conſtantia reſtiterunt. Nihil magis conabatur Cæſaris legatus, quam ut eos ab Helveticis Eccleſiis diſtraheret. Neque tamen eas nominabat: ſed exigebat ne Sacramentariorum cauſam ſuſciperent.

Reſpon-

Reſponderunt ſibi fraternam eſſe communionem cum iis quos ille Sacramentarios vocabat. Jam in ultimo actu quantum animi oſtenderunt! Imponebat legem Cæſar ut neminem reciperent in fœdus inter eas quas cum ipſis paciſcebatur inducias: conſenſerunt: ſed hac conditione, ut ſiqui reciperent Euangelium, eſſent tuti etiam extra fœdus. Quod ſi impeterentur, profeſſi ſunt ſe habituros pro fœderatis qui cauſam Chriſti ſuſtinerent. Id quoque mutuum petebant à Cæſare, ut nulla inter id tempus fœdera fierent adverſus Euangelium. Volebat Cæſar ut Sacerdotibus manerent opes Eccleſiaſticæ, uſque ad induciarum finem. Annuerunt noſtri, modo Eccleſiis & ſcholis proſpiceretur: atque illic ad extremum perſtiterunt. Quid ſi referam inſignem civitatis hujus fortitudinem? Nam quum allatæ eſſent Cæſaris conditiones, ut irrita fierent fœdera quæ poſt Nurembergenſem conventum inita fuerant, & ne poſthac nova ferirentur inter noſtros, utque utraque pars integra maneret uſque dum habito colloquio Germanica Eccleſia reformaretur: factum eſt extemplo Senatusconſultum, quo edicebant ſe potius viſuros ut liberi & uxores in conſpectu ſuo necarentur, ut facultates omnes diſperderentur, exſcinderetur urbs, ipſi denique ad internecionem omnes caderent, quam admiſſuros eas leges quibus Euangelio Chriſti via præcluderetur. Mi Farelle, cogita annon faciamus injuriam talibus viris, qui otioſi eos criminamur, dum periculo aut terrore quovis dimoveri ſe à recta linea non ſinunt. Itaque jam res proculdubio ad certamen vergit: & jam impreſſio facta eſt in agrum Luneburgenſem. Noſtrum eſt, inquis, cavere diligenter omnia quibus in bonorum ac piorum offenſionem incurramus. fateor: ſed bonorum & viciſſim cavere, ne temere ac citra rationem offendantur. Interim dum ſcribo, diſcipulus ille, cujus memini, redire in gratiam cupit, ac Claudium ultro ſequeſtrem conſtituit. Spero Dominum daturum ut contumaciam retundamus ſevera lenitate. Bene eſt quod à Cœna Domini abſumus quindecim adhuc diebus, ut ejus experimentum ante capiatur. Saluta mihi amiciſſime Thomam & reliquos fratres. Dominus vos omnes ſibi conſervet diu incolumes & unanimes. Date operam ut precibus intentæ ſint Eccleſiæ, quando ſic urgent nos undequaque diſcrimina. Scripta Aprili. M. D. XXXIX.

Calvinus tuus.

CALV. FARELLO.

SAlve optime ac mihi dulciſſime frater. Quæ mihi per literas ſignificaſti, intelligere mihi gratum fuit, etiamſi parum læta ſint magna ex parte. Nam nec ignorare juvat, & ſcire utile eſt. Ad ſingula tamen reſpondere nihil intereſt. De Claudio nihil audebam divinare, ne me conjectura falleret. Nunc ex principiis judico qualis futurus ſit in reformanda illa Eccleſia ſucceſſus, niſi Dominus ex inſperato affulſerit. Quod ſi bona fide ſe geſſerint noſtri ſucceſſores, intra exiguum tempus ſentient plus ineſſe difficultatis quam cogitarant. Fortaſſe & nobis reddere teſtimonium cogentur bene ac fideliter geſti muneris. Quod zelo tuo moderantur, nihil mirum. Nondum enim ita incaluerunt, ut vel ignaviam tuam currendo aſſequantur. Tu autem vide quid temporis ratio ac neceſſitas poſtulet: atque ad eam amuſſim zelum tuum compone. De Paterniacenſi Eccleſia Sonerio offerenda fuiſſe cogitatum, mihi nullo modo probatur. Peſſimum enim exemplum eſt, ut à ſuis Eccleſiis abſtrahantur fidi Paſtores, quo aliis locus vacuus relinquatur. Si Richardus manet qualis erat, & tamen diſplicet, neſcio quos amare debeamus. Ego certe pluribus Soneriis longe præferre ipſum non dubitem. Nunc quoque dum audio falſo atque immerito ad te delatum, non poſſum facere quin ſuſpicer aliquid malitioſe atque ex compoſito hic eſſe factum. Multum nec ſine cauſa hodie de miniſterii contemptu querimur: & ipſi ſæpe in ſanientem populum noſtra vel ſtultitia vel cupiditate armamus. Nunquam mihi placuerunt artes illæ, ut alter in alterius locum arrogari affectaret: quod fieri bis oculis palam animadverti in alia cauſa. Hæc mi frater tecum loquor, ne dum omnia ſincere fieri pro tuo candore putas, videaris connivendo malis artibus ſuffragari. Neque etiam velim aliquem odioſius gravare dubiis mihi criminibus: ſed pro noſtra amicitia proferre libere non dubito quæ timeo magis quam credo. In eum locum aſſumptum eſſe placet, quem ſine noxa potuit occupare. Zebedæum adeo inclementer tractari mihi plurimum dolet. Neque, mihi crede, magnam gratiam à Bucero ineunt, qui tanta tyrannide libros ejus defendunt. Multo placidius fert ipſe meam libertatem quoties ab ipſo diſſentio. Quanquam de iis mallem tecum potius coram: quod futurum ſpero, niſi modicum laborem detrectaris. Indicavi Bucero tecum iniquiſſime agi, quod omnes ejus amici tibi infeſti eſſe perſeverarent: qui vero amici antea fuerunt, ejus cauſa nunc abs te ſint alienati. Ingemuit gravius quam ſperaveram. Quum remedium quæreret, reſpondi vulnus eſſe ipſo attactu periculoſum: ergo ſineret, donec melior ratio nobis appareret. De conjugio nunc apertius loquar. Ante Michaëlis abitum neſcio an mentionem aliquis forte intulerit iſtius de qua ſcripſi: verum ſemper memineris quid in ipſa quæram: non enim ſum ex inſano amatorum genere, qui vitia etiam exoſculantur, ubi ſemel forma capti ſunt. Hæc ſola eſt quæ me illectat pulchritudo, ſi pudica eſt, ſi non faſtuoſa, ſi parca, ſi patiens, ſi ſpes eſt de mea valetudine fore ſollicitam. Ergo ſi putabis conducere, accinge te, ne quis alius antevertat. Sin aliud cenſes, omittamus. Nihil poſthac ſcribam donec veneris. Venies autem nobis omnibus exoptatiſſimus. Age, animum tuum hac profectione mirum in modum explicabis. Et tamen nihil obſtat quominus ſcribas dum te comparas ad profectionem. Omnes te pluſquam amice ſalutant, Capito, Bucerus, Sturmius, Pedrotus, Gaſpar, & Galli quos non nomino, quia nomina non tenes. Fratres omnes mihi ſaluta. Dominus vos omnes ſibi ſuæque Eccleſiæ diu ſervet incolumes. Argentorati, 19 Maii. M. D. XXXIX.

Calvinus tuus.

CALV. GENEVENSI ECCLESIÆ.

Miſericordia Dei noſtri, & gratia Domini Jeſu Chriſti vobis multiplicetur per Spiritus ſancti communicationem.

NIhil mihi majorem triſtitiam attulit, dilectiſſimi fratres, poſt eas turbas quæ tam miſere diſſipaverant & pene everterant veſtram Eccleſiam, quam ubi intellexi veſtra jurgia & concertationes cum miniſtris ipſis qui vobis ſucceſſerunt. *Ex Gall.* Quamvis enim præpoſteritas illa quæ cum illorum primo aditu conjuncta etiamnum remanebat, merito vos poſſet offendere; quæcunque tamen occaſio ſubſit, non poſſum ſine magno & intimo horrore audire aliquod in Eccleſia ſchiſma reſidere. Quare hoc mihi longe fuit acerbius quam verbis aperire poſſim, quod audivi de veſtris illis contentionibus quamdiu in incerto ſtatu verſati eſtis: quum ea occaſione non ſolum Eccleſia veſtra ſciſſa eſſet, aperte omnino, ſed & ipſum miniſterium Eccleſiaſticum opprobrio & contumeliæ expoſitum. quod eſt infiniti cujuſdam momenti. Quumque per illam [illegible] quæ nunc adhuc viget in Dei Eccleſia, de remedio præſenti pro morbi ratione minus ſpei haberem, accepi

tepi cum ſummo gaudio malum illud in certam unionem & conſenſum commutatum eſſe: quum ſtatuerem ita factum iri ut quiſque in viam rediret, atque ita regnum Domini noſtri Jeſu Chriſti promoveretur. Ubi enim ſunt rixæ & diſcordia, vix ulla eſt ſpes proficiendi in melius. Quum igitur fructum certum ex illa conciliatione mihi ſponderem, facile ſum adductus ut ad illius quoque confirmationem me adjungerem. Si enim in mediis ipſis graviſſimis tempeſtatibus conſcientiæ meæ judicio & certo propoſito ſemper ad Eccleſiæ communionem faciendam & conſervandam ſtudia mea contuli, tanto magis teſtificanda mihi erat propenſio animi mei erga pios ipſos, ubi tam appoſita ad eam rem ſe occaſio offerebat. Ac videbam ſane res ita tum diſſipatas, ut mibi non ita proclive videretur eas in integrum ſtatum reponi atque reſtitoi. Utcunque ſit, optatiſſimam illam & valde opportunam occaſionem judicabam à Domino oblatam ad Eccleſiam veſtram reſtituendam. Nunc vero, ubi contra meam illam expectationem audivi conciliationem illam inter Paſtores veſtros & vicinas Eccleſias, à Farello etiam & à me ratam habitam, idoneam non fuiſſe ad vos ſincero amicitiæ affectu & legitimæ conjunctionis vinculo cum veſtris Paſtoribus quibus animarum veſtrarum cura mandata eſt, colligandos, coactus fui ad ſcribendum me conferre, ut conarer, quantum in me eſſet, medicinam buic malo facere, quod diſſimulare ſine gravi erga Deum offenſione non poſſem. Et quamvis literæ meæ non valde amanter à vobis jam acceptæ fuerint, nolui tamen officio meo deeſſe, ut ſi nihil amplius aſſequerer, ſaltem animam meam liberarem. Nec tamen in dubium adduco quæ ſit veſtra mibi comperta propenſa obedientia erga Deum & miniſtros ipſius, ut hanc meam exbortationem apud vos nullius ponderis futuram verear, neque etiam vos latet mea erga vos ſinceritas. Quod vero non eſt meum à vobis admiſſum conſilium, tempori magis imputandum duco, quum res ita eſſent perturbatæ, ut quam difficile eſſet ſtatuere quid expediret. Nunc ubi res per Dei gratiam magis ſunt ſedatæ & compoſitæ, confido vos facile perſpecturos, non aliud mihi eſſe propoſitum quam ut vos perducam in rectam viam: ut ita de me perſuaſi reipſa exhibeatis quo affectu ducamini ad obediendum veritati. In primis expendite quæſo, ſepoſito omni perſonarum reſpectu, quo honore affecerit & qnid contulerit illis Dominus quos in Eccleſia ſua inſtituit Paſtores & ver-
Mal.2: 7. bi Miniſtros. Non modo enim jubet nos obſequentes
2 Cor. 5. præſtare cum metu & tremore verbo ipſius dum no-
verſ. 20. bis annunciatur: ſed etiam honore & reverentia pro-
1 Theſ. 5. ſequendos mandat verbi miniſtros, tanquam ipſius le-
verſ. 13. gatione ornatos, & quos agnoſci velit ut ſuos etiam Angelos. Sane, quamdiu apud vos fuimus, non multum vobiſcum contendimus de miniſterii noſtri dignitate, ne ſuſpicioni ullam feneſtram aperiremus: nunc vero extra illud periculum poſitus, liberius quod ſentio proferam. Si mihi agendum eſſet cum miniſtris ipſis, docerem quæ eſſet muneris illorum ratio, & ad quid vobis ſuo miniſterio teneantur. Quum vero pro ſe ſingulis tum miniſtris tum privatis ratio reddenda ſit vitæ ſuæ tandem, magis eſt ut in ſeſe quiſq; intueatur quid aliis debeat, quam quid ſibi debeatur ab alio diutius requirat. Ubi illa conſideratio locum habebit inter vos, tum etiam bæc regula fixa bærebit, nempe eos qui locum miniſtrorum verbi tenent, quando regimen animarum veſtrarum ipſis eſt commiſſum, agnoſcendos eſſe vobis parentum loco, & in pretio habendos atque bonorandos propter illud munus quo funguotur apud vos ex Domini vocatione. Nec tamen id eo ſpectat ut auferatur jus illud vobis à Deo collatum (ut & ſuis omnibus) ut examini ſubjiciantur Paſtores omnes, ut diſcernantur probi & improbi, atque reprimantur illi qui ſub larva paſtorum lupinam rapacitatem prodiderint. Tantum hoc volo apud illos qui partes Paſtorum implent aliquatenus, ut ſint tolerabiles, ut vos etiam Chriſtiane geratis, ac proinde magis rationem habeatis ejus quod à vobis debeatur aliis, quam quod ipſis vobis alii debeant. Atque aperte hoc & paucis expediam. Duo hic vobis cogitanda ſunt: Unum, quod miniſtrorum veſtrorum vocatio non accidit ſine Dei voluntate. Quamvis enim mutatio illa quæ noſtro diſceſſu facta eſt, Diaboli artificio deputanda ſit, ut quicqnid eam eſt conſequutum vobis merito ſuſpectum eſſe poſſit: in ea tamen ſingularis Domini gratia agnoſcenda vobis eſt, qui deſtitui vos plane oon ſuſtinuit: neque vos relabi ſub Antichriſti jugum, à quo vos ſemel aſſeruit. Sed potius & doctrinam Euangelii apud vos extare adbuc voluit, & aliquam Eccleſiæ formam vigere, ut pacata conſcientia agere iſtic liceret. Admonuimus vos ſemper nt agnoſceretis illam Eccleſiæ veſtræ everſionem ut viſitationem Domini & vobis & nobis neceſſariam: neque tam attenderetis ad improbos & Satanæ inſtrumenta, quam ad propria peccata, quæ non leviorem pœnam, imo looge etiam graviorem commerita ſint. Idem igitur vobis nunc etiam ſuggero. Præterquam enim quod illud eſt ſingulare remedium & appoſitum ad obtinendam à Domino miſericordiam & relaxationem ab illius juſto judicio quod incumbit vobis, alia etiam ratio ſubeſt quæ buc vos debet adducere: ne videlicet oblivioni mandare videamini tantum illud Domini erga vos beneficium, quo factum eſt ut ædificium Euangelii plane non corrueret apud vos, quum illud ita ſubſtitit, ut miraculi loco habendum ſit exemplum illud potentiæ ipſius, qua una ab extrema calamitate tantum abfueritis. Quicquid ſit, Dei providentiæ opus illud eſt quod extant miniſtri iſtic qui locum paſtorum animarum & Eccleſiæ veſtræ regimen teneant. Accedit & illud quod ſervs Dei qui verbi ipſius miniſterium exercent in vicinis Eccleſiis, ut moderarentur tam peroicinſis concertationibus, ipſi illorum vocationem comprobaverunt. Quorum etiam ſententiæ ſubſcripſimus, quum nulla nnbis alia melior ratio appareret qua veſtro commodo & ſaluti conſuleremus. Quin integritas conſcientiæ noſtræ comperta ſit vobis non dubito, ut ſtatuere debeatis bic nihil non ex animo & ſincere factum eſſe. Præter affectum vero, ipſa etiam rei diſquiſitio perinde ſincera ex me quidem fuit, ut nihil hic involutum à me babeatis. Quare vobis ſerio proſpiciendum eſt ne facile improbetis quod Dei ſervi ad veſtrum & Eccleſiæ commodum & conſervationem eſſe oeceſſarium judicarunt. Alterum eſt ut inſpiciatur quam legitime fungantur partibus ſuis, ut miniſterium Eccleſiæ impleant. Atque bic, fateor, diſcretio plane requiritur (neque auctor velim eſſe tyrannidis ullius io Eccleſiam invebendæ) ut pii homines habeant pro Paſtoribus qui vocationi ſuæ non inſiſtant. Eſt enim illa indignitas non ferenda, ſi certis perſonis illa reverentia & obſervantia deferatur, quam Dominus ipſe unis verbi miniſtris adſignatam voluit. Proinde facile vobis concedo de eo qui non docuerit verbum Domini noſtri Jeſu Chriſti, quemcunque titulum vel prærogativam obtendat, indignum eſſe qui pro Paſtore habeatur, ut illi obedientia miniſterio debita exhibeatur. Quia vero mihi conſtat de fratribus noſtris qui apud vos bodie miniſterii locum tenent, doceri vos Euangelium per illos, non video quid excuſare liceat coram Domino, dum illos negligetis aut rejicietis. Siquis reſpondeat boc vel illud in eorum doctrina vel moribus ſibi noo placere, primum à vobis contendo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut quicquid eſſe poteſt ſerio expendatis primum & ſine ulla judicii præcipitatione. Quum enim hoc ſinguli nobis viciſſim debeamus ex officio cbaritatis ne temere in alios feramus ſententiam, ſed potius clementiam & æquitatem retineamus quantum in nobis

erit,

erit, multo magis illa moderatio obſervanda eſt erga illos quos Dominus peculiariter eminere præ aliis voluit. Atque etiamſi non deſit quod in illis requiri poſſit (de quo non poſſum pronunciare, quum de eo mihi non liqueat) vobis tamen ſuccurrere debet, neminem adeo bene comparatum inveniri, in quo non ſint etiam multa quæ deſiderentur. Quare illa charitatis regula à nobis non præſtatur, niſi ſuſtineamus proximos cum ipſorum infirmitatibus, dummodo verum Dei timorem in illis agnoſcamus, & ſincetum affectum ſectandæ ipſius veritatis. Poſtremo dubitare non poſſum quod ad ipſorum doctrinam attinet, quin fideliter vobis tradant præcipua Chriſtianæ religionis capita & quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ac ſimul adminiſtrationem Sacrameotorum Domini conjungant. Hoc ubi locum habet, illic & ſubſtantia ipſa miniſterii à Domino Jeſu Chriſto ordinati viget, & legitima dignitas & obſervantia illi miniſterio eſt defereoda. Nunc igitur, dilectiſſimi fratres, oro & moneo vos io nomine & virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut averſis ab hominibus animis & mentibus ad unicum illum Redemptorem nos attollamus, illudque reputemus quantum ſacris ipſius mandatis deferre teneamur. Ac ſi quicquid ille inter vos inſtituit, inviolatum merito eſſe debet, nulla ratio vos poteſt demovere ab officio, ut miniſterium, quod tam ſerio vobis commendat, ſartum tectumque non ſervetis. Jam ſi diſceptatis & contenditis cum veſtris Paſtoribus ad rixas uſque & convitia, uti accidiſſe audio, ſatis conſtat ea ratióne miniſterium ipſorum in quo elucere debuit ſplendor gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, opprobrio & contumeliis ſubjici, ac tantum non pedibus calcari. Veſtrum eſt igitur attente illud cavere ne dum hominibus inſultare videmini, Deo ipſi bellum reipſa indicatis. Neque porro illud levis momenti videri vobis debet quod fiant & foveantur in Eccleſia ſchiſmata & ſectæ, quod nullum pectus Chriſtianum ſine horrore etiam auribus hautire poſſit. Quin vero ita ſe res habeat ubi ejuſmodi ſeparatio eſt & quaſi ſeceſſio inter paſtorem & populum, res ipſa loquitur. Tandem igitur hoc accipite, ſi me à vobis pro fratre haberi vultis, ut ſolida ſit inter vos quæ tanto nomini reſpondeat conjunctio, ne miniſterium illud repudietis quod pro veſtro commodo & Eccleſiæ ſalute coactus fui approbare ſine ullo gratiæ vel metus hominum reſpectu. Quia vero totum illud tempus quo fidelis & pius collega meus in Domino hic fuit, quia mihi per ordinarias occupationes licuit, colloquendo conſumptum eſt, non potui vobis plenius ſcribere, ut volebam. Quare ſic inter nos convenit, ut ego quidem paucis traderem vobis rectam viam quam hic teneretis, ipſe autem prout expedire judicaret vos ad officium coram adhortaretur. Hic igitur vobis amantiſſima ſalute à me adſcripta, Dominum Jeſum oro ut vos ſancto ſuo præſidio protegat, vos ſuis donis magis ac magis cumulet, veſtram Eccleſiam in rectum ordinem reſtituat, ac vos in primis Spiritu ſuæ manſuetudinis impleat, ut in vera animorum conjunctione omnes ipſius regno promovendo nos impendere poſſimus. Argentinæ, M. D. XXXIX. 25 Junii.

Vobis deditiſſimus J.C.

Leo Judæ Calvino.

Gratiam & vitæ innocentiam à Deo Patre per Chriſtum.

SUperioribus annis, vir doctiſſime, epiſtolas duas dediſti non tantum doctas, ſed etiam valde utiles & neceſſarias, maxime præſenti rerum ſtatu. Has ego ambas verti Germanice, ut & ii fructum harum perciperent qui Latine ignorant. Altera quam ad Epiſcopum ſcripſiſti, Baſileæ excuſa eſt mea opera; alteram noluerunt excudere typographi, metu periculi fortaſſe deterriti. Nam in hac liberrime & pro Chriſtiana παῤῥησίᾳ loqueris quo pacto ſe gerant qui ſub Papæ tyrannide vivere ac degere coguntur: damnans interim eos qui utroque genu claudicant, & non tam Deo quam Papæ ſervire volunt, putantes ſatis eſſe ſi Fidem corde veram & inconcuſſam ſervent, etiamſi corpus ſanguine Chriſti conſecratum foris idolis proſternant & inclinent, conſortes ſimul Satanæ & Chriſti, ſi fieri poſſet. Hanc ergo receptam Zuikio miſi Conſtantienſi, qui eam non ſine gratulatione legit, rogans ut ſibi per me liceret ut Auguſtam eam epiſtolam mittat excudendam: ſe ſcire quendam qui eam typis mandare velit, modo auctoris nomen (quod ego tuo bono in verſione ſuppreſſeram) permittatur præfigi. Hic ego pro te nihil dicere potui vel aſſerens vel negans: ſtatui ergo expiſcari literis tuam voluntatem, eamque à te receptam Zuikio reſcribere. Tu ergo frater, ſi conſultum reipub. Chriſtianæ velis, & ſuccurſum multorum conſcientiis, non negabis ut præfigatur nomen tuum, quum alea ſemel jacta ſit. Non enim te eum puto qui ob declinandam invidiam aut periculum, tantum fructum impedire velis. Non dubito ſi liber hic evulgetur, multos fore qui abjecto jugo Pontificio & excuſſo metu in caſtra Chriſti libero ſpiritu ſunt advolaturi. Tu vale doctiſſime vir, & mentem tuam hac in re mihi literis ſignifica primo quoque tempore. Tiguri, ultima Febr. M. D. XL.

Leo Judæ tuus.

Jacob. Bernardus Calvino.

QUod ad te huc uſque non ſcripſerim, præcipue per Ludovicum du Four legatum Genevenſem, ne putes propterea factum, venerande ac obſervande Pater, quod aut dedignatus ſim, aut tua redintegratio mihi diſpliceret. Hanc idcirco nunc ad te dedi, ut certo ſcires primum me tum non adfuiſſe Genevæ: petieram enim Lauſannam, conſulturus D. Petrum Viretum ſuper nonnullis quæ ad Eccleſiæ noſtræ ſtatum pertinebânt, ac præterea quam bono erga te ſim ac Chriſtiano animo, & quantum mihi placeat quod videam te denuo à noſtris agnoſci bonum Paſtorem ac fidelem: potiſſimum quod hoc ſciam via Spiritus ſancti actum. Siquidem una dierum Dominica quum haberem concionem apud Rippam, & viderem Eccleſiam noſtram deſolatam (abierant enim qui curam ipſius ſuſceperant, Morentus videlicet & Marcutius: remanſerat vero ſolus Henricus mecum. Sed qui ſumus pro tanto populo ſoli regendo) continere me non potui quin populum in lachrymas effuſum videns admonerem, ut converſus ad Dominum Deum humili oratione per Chriſtum Paſtorum Paſtorem ab eo imploraret Paſtorem, & quidem talem qualem agnoſceret ſuæ profuturum Eccleſiæ. Et ne mentiar, tui non recordabar, nec te illum ſperabam fore. Fecit hoc populus maxima ut dicitur cum devotione. In craſtinum vero Ducentorum congregatur conſilium, & omnes petunt Calvinum: congregatur & generale ſequenti die, itidem clamant omnes, Calvinum probum & doctum virum Chriſti miniſtrum volumus. Quod quum intellexiſſem, non potui non laudare Deum, aliterque judicare quam quod à Domino eſſet factum iſtud, & eſſet mirabile in oculis noſtris: quodque lapidem quem reprobarant ædificantes in caput fieret anguli. Veni ergo, venerande mi Pater in Chriſto: noſter es profecto. Te enim nobis donavit (ut audis) Dominus Deus. Suſpirant etiam poſt te omnes, videbis quam gratus fuerit adventus tuus omnibus quod benigne recipieris. Cognoſces me inſuper non qualem hactenus relatione quotundam. Putaſti (parcat illis Dominus.) Sed pium, ſincerum ac fidelem fratrem ac amicum tuum.

quid

quid dico? in omnibus tuis votis obſequentiſſimum ac deditiſſimum. Ne ergo tarderis venire ut videas Genevam, hoc eſt, gentem novam, renovatam ſane gratia Dei, opera D. Petri Vireti. Faxit Dominus Jeſus ut velox adventus tuus ſit ad nos. Vale, Eccleſiæque noſtræ digneris ſuccurrere. Alioqui requiret de manu tua ſanguinem noſtrum Dominus Deus: dedit enim te ſpeculatorem domui Iſraël quæ apud nos eſt. Iterum vale. Salutabis nomine meo ſi placeat obſervandos illos Patres meos ac Dominos, D. Bucerum ac D. Capitonem, cæteroſque Eccleſiæ illius miniſtros. 6 Febr. anni M. D. XLI.

Tuus Jacobus Bernardus Miniſter Euangelicus Genevæ.

BUCERUS ARGENTORATENSI ECCLESIÆ.

Salutem & Pacem.

ADatis proximis literis nil quam coitionibus in diverſoriis Electorum Saxonis & Brandenburgenſis ac Lantgravii faciendis (ad quas ex Imperatoriis & Regiis multi convenerunt) operam dedimus. In die Paſchæ etiam Cœnam in diverſorio Lantgravii celebravimus, communicante ipſo quoque Lantgravio. Hæc uſque ad 20. hujus, quo die Imperator delectum colloquiorum enunciari fecit noſtris, & legatis Electorum. Poſtridie indicatus is delectus eſt, & toti cœtui Imperii, & de eo conſultatum utrimque. Electores ſtatim conſenſerunt, ſed in conſilio Principum non potuerunt ſtatim convenire. Quidam enim etiam legatum Pontificis adbibendum eſſe contendebant: ſed prævaluit tamen ſententia Electorum, ut Imperatori omnia relinquerentur. Noſtri etiam biduo conſultarunt quod delecti nos ſine arbitris congredi cum tribus alterius partis detrectabamus, & quidam noſtrûm differri negotium nova interceſſione nolebant, ac metuebant ne à parte altera ineptiores adjungerentur. Tandem tamen vicit heri eorum ſententia qui noſtram ſupplicationem, quam in Cancellaria invenietis, Imperatori adhibendam judicarunt. Ad veſperam heri ſub tertiam appellavit nos ſex delectos Imperator apud ſe per Dominum Anaves aſtantibus primis conſiliariis, & negotium dedit ut omni ſtudio vias quæreremus piæ & ſanctæ concordiæ, eoque in negotio tantum Deum & Eccleſiarum ſalutem ſpectaremus, non dominos noſtros aut ullum affectum. Nos poſt detrectationem modeſtam petivimus adjungi quoſdam, ut teſtes utrimque. Id Imperator in deliberationem recepit, & rurſus graviter hortatus eſt, ut hanc cauſam optima fide ageremus. Deditque dextram venientibus & diſcedentibus, ut hoc non ignoretis ſcilicet. Invenit tamen viam ut nobis ſatisfiat, quam poſt noſtram appellationem Lantgravio aperuit. Ut adhibitis utraque parte duobus teſtibus, per Præſidentem quem deſignavit Fridericum Palatinum. Orate Dominum. in horam expectamus ut initium fiat. Delecti ſunt ab altera parte, Julius Plugius, Joannes Eckius, & Gropperus Colonienſis. A noſtra Philippus, Piſtorius, & ego. Ut vigeſima ſecunda Aprilis. M. D. XLI.

LUTHERUS MELANCHTHONI.

ACcepimus jam alteras veſtras literas, mi Philippe. Et licet dextræ tuæ confractæ me miſereat, tamen ego neque tuis omnibus, neque meis credo. Res noſtræ non caſu, ſed certo conſilio, non quidem illo noſtro tam felici ſcilicet, imo ſolius Dei geruntur. Verbum currit, oratio fervet, ſpes tolerat, fides vincit ut palpare cogimur; & niſi caro eſſemus, dormire poſſemus feriarique, ſcilicet memores Moſaici illius, Vos quieſcetis, Dominus pugnat pro vobis. Nam etiamſi omnia aliter velimus conſulere, dicere, facere, vigilantiſſimi; ſi Deus non pugnarit, fruſtra vigilaverimus: illo vero pugnante, non fruſtra dormierimus. Et certum eſt ipſum pugnare, & paulatim & pedetentim deſcendere de throno ad judicium illud expectatiſſimum. Multa ſunt nimis ſigna quæ id mihi perſuadent. Res in domibus veſtris ſalvæ ſunt, gratia Dei. Nolite timere. Eſtote fortes & læti, nihil ſolliciti. Dominus prope adeſt. Agant quicquid poſſunt Henrici, Epiſcopi, atque adeo Turca, & ipſe Satan. Nos regni filii ſumus, qui illum conſputum & occiſum denuo ab iſtis Henricis, Salvatorem colimus & exſpectamus. 22 Aprilis. M. D. XLI.

CALV. FARELLO.

NOn dubito quin fratribus quicunque me ad reditum per literas hortati ſunt, diligenter excuſaris, quod nihil eis reſponderim. Noſti enim me eo biduo tanta animi perplexitate æſtuaſſe, ut vix dimidia ex parte apud me eſſem. Poſtea tamen ut tibi morem gererem, aliquid ad eos in commune ſcribere conatus ſum: ſed poſtea quum cogitarem quid evenire ſoleat communibus iſtis literis, mutavi conſilium. Nam quod ad paucos miſſum eſt, volitat ſtatim per multorum manus, donec paſſim fuerit evulgatum. Hæc igitur mihi ratio fuit, ut tibi uni ſcriberem: ne alios adhibeas lectores quam à quibus videbis nihil eſſe periculi. Cur autem nolim latius diſſipari quod in ſinum tuum depono; intelliges ubi ad finem perveneris. Tametſi animi mei ſenſum penitus tenere te confido, & aliis etiam bona fide expoſuiſſe, breviter tamen hic repetam qualiter hodieque ſim affectus. Quoties memoria repeto, quam miſere illic habuerim, fieri non poteſt quin toto pectore exhorreſcam, ubi agitur de me revocando. Illam inquietudinem omitto, qua ſurſum deorſum jactati perpetuo fuimus, ex quo tibi adjunctus ſum collega: ſcio enim, quocunque concedam, mihi infinitas moleſtias eſſe propoſitas: ſi velim Chriſto vivere, hunc mundum mihi ſemper fore turbulentum: vitam præſentem certamini eſſe deſtinatam. Sed dum cogito quibus tormentis excruciata tum fuerit mea conſcientia, & quibus curis æſtuarit, ignoſce ſi locum illum velut mihi fatalem reformido. Tu ipſe mihi una cum Deo optimus es teſtis, non alio vinculo me illic tamdiu retentum, niſi quod jugum vocationis, quod mihi à Domino impoſitum eſſe noveram, non audebam excutere. Quamdiu igitur ſic eram alligatus, malui extrema quævis perferre, quam in mentem recipere cogitationes mutandi loci, quæ ſæpe alioqui mihi obrepebant. Jam vero ubi Dei beneficio ſemel ſum liberatus, ſi in gurgitem quem mihi exitialem eſſe ſum expertus, non libenter me immergo, quis mihi non veniam concedat? imo vero quotuſquiſque erit, qui non me arguat nimiæ facilitatis, ſi ſciens ac volens me præcipitem dedero? Quid autem quod etiamſi nullo meo periculo abſterrear, miniſterium tamen meum illis utile fore vix confido? Nam quo ingenio præditi ſunt illic plerique? neque ipſi mihi tolerabiles erunt, nec ego ipſis. Adde quod mihi majus ac difficilius certamen erit cum collegis quam cum extraneis. Quid unius hominis opera poterit, tot undique impedimentis fracta? atque ut verum fatear, etiamſi omnia valde expedita mihi forent, neſcio qua tamen deſuetudine oblitus ſum artes regendæ multitudinis. Mihi hic cum paucis negotium eſt, & quorum pars major me non tantum ut paſtorem audit, ſed ut præceptorem obſervat. Dices me nimis eſſe delicatum, qui his blanditiis delibutus nullam aſperiorem vocem nunc audire ſuſtineam. Falleris vero ſi hæc putas; ſed quum paucis atque his nonnihil obſequentibus, bene præeſſe mihi arduum ſentiam, ad

tantam multitudinem continendam quî ſufficerem? Quo autem conſilio me revocent, vix audeo apud me æſtimare: nam ſi ſincero animo ducuntur, cur me potius quam eum cujus miniſterium non minus neceſſarium ad inſtaurandam ipſorum Eccleſiam eſſet, quam principio ad eam fundandam fuit? Quid ſi me ideo vocant ne illis ſint ludibrio, quod ſint ab iis deſtinati, quorum ſubſidio freti nos ablegare auſi fuerant? Neque tamen iſta omnia efficiunt, ne vocationi obtemperem. Nam quo magis ab illa provincia animus meus abhorret, eo magis mihi ſum ſuſpectus. Itaque nec mihi debere deliberare permitto, & à noſtris peto ne me in conſultationem adhibeant: ac quo liberius ſinceriuſque ſtatuant, magna ex parte iſtos cordis mei æſtus diſſimulo. Quid facerem? malo enim prorſus cæcutire, ut me ab aliis regi patiar, quam lippitudini meæ temere fidendo aberrare. Porro ſi te interrogem, quotum maxime arbitrio permittere me debeam: reſpondebis, niſi fallor, non alios eſſe ad conſulendum mihi magis idoneos, quam Capitonem & Bucerum. Quid autem illi ſentiant audiſti ex ipſotum ore. Utinam diligenter fratribus exponas: ac illi nullo præjudicio occupati, ſerio expendant. Summa hæc ſit. Nihil hic aſtute me agere coram Domino teſtor, nec rimas ſcrutari quibus effugiam. Siquidem ut Genevenſi Eccleſiæ proſpectum cupio, ita malim vitam centies exponere, quam eam deſerendo prodere. Sed quoniam ad reditum animus non ſponte inclinat, paratus ſum eos ſequi, quos mihi fidos ac tutos duces fore bona ſpes eſt. Cæterum non eſt quod ante finem Conventus Wormatienſis laborent de me recipiendo: quando legatum nondum miſerunt. Die Dominico habebitur hic publica ſupplicatio per omnia templa: Lunæ ſolvemus. Vos etiam ſanctis precibus nos ad hoc certamen ſuſtinendum adjuvate. Quid moliantur adverſarii noſtri palam eſt. Nempe, ut omnes Imperii ordines in noſtram perniciem arment. Quibus autem artibus nos adoriri inſtituerint, incertum eſt. Quicquid tamen habent calliditatis in hac poſtrema explicabunt. Vale. Saluta omnes amiciſſ. Corderium, Thomam, Fatruum, Clericum & reliquos. Omnes noſtri tibi & illis bene precantur. Argentor. 21 Octobr. M. D. xl.

CALV. VIRETO.

Quum mihi literæ tuæ redderentur jam eramus ad iter accincti, & non memini profectionem fuiſſe mihi in vita magis tumultuoſam: itaque quum non poſſem ipſe reſpondere, Claudio Feræo, quem mecum vidiſti Baſiliæ, & fratri meo mandavi, ut Farello reſcriberent quid haberem animi. Nunc aliquantulum otii nactus, ſcribere etiam tibi ex medio itineris curſu volui: excuſabis autem quod confuſe tibi & breviter reſpondeo, quod neque epiſtolam tuam habeo ad manum, ut ſingula capita poſſim ordine perſpicere, & excutere, nec tantum temporis datur viatori in caupona, ut aliquid bene meditatum, & quaſi conceptum liceat mandare literis: quantum autem memoria teneo, duæ ſunt præcipuæ literarum tuarum partes. Priore oſtendis mihi non eſſe deſerendam Eccleſiam Genevenſem: altera contendis maturandum quoque eſſe reditum, ne quid impedimenti, ſi longius differamus, Satan objiciat. Ad illam non aliter reſpondeo quam quod ſemper ſolitus ſum, Nullum eſſe locum ſub cælo quem magis reformidem, non quia oderim, ſed quoniam tot difficultates illic mihi propoſitas video, quibus ſuperandis ſentio me longe eſſe imparem. Quoties ſuperiorum temporum ſubit recordatio, facere nequeo quin toto pectore exhorreſcam, ſi cogar me iterum antiquis illis certaminibus objicere. Si mihi cum Eccleſia illa tantum eſſet negotium, animo eſſem quietiore, certe minus terrerer: ſed neceſſe eſt te multo plus intelligere quam dicam. Hoc habe uno verbo, dum multis ſignis intelligo, ejus qui plurimum nocere poteſt inexpiabile in me odium manere: dum repeto quot circumcirca pateant illi aditus ad malefaciendum, quot flabella ſemper inflata ſint ad excitandos contentionum ignes, quot occaſiones quæ tunc à me provideri minime poſſunt ſeſe daturæ ſint, prorſus metu exanimor. Sunt & plurima alia in ipſa urbe, quæ nunc mihi non parum ſollicitudinis injiciunt. Quo plus progredior, eo melius cerno quam arduum ſit munus Eccleſiam regere. Neque tamen hæc omnia efficiunt, quin ad opem miſeræ Eccleſiæ ferendam ſim paratiſſimus ſi quid me valere intellexero. Quæcunque enim me hac in re turbant cogitationes, tametſi nonnihil afferunt remoræ dum animum meum anxium tenent, mihi tamen excutere hoc nequeunt, quin facturus ſim omnia, quæ in ejus ſalutem factura putavero. Teſtis eſt Farellus me nunquam uno verbo detrectaſſe illam vocationem, ſed deprecatum eſſe duntaxat ne male conſulendo Eccleſiam ſemel perditam bis perderet. Interim ſatis oſtendi, nihil mihi magis eſſe in votis quam vel animam meam impendere ubi opus eſſet. Poſſem tibi coram luculentis argumentis planum facere quam nihil hic ſimulaverim; ſed hoc mihi certiſſimum videtur, quod quum veniſſent legati Wormatiam, noſtros multis cum lachrymis per omnia ſacra ſum obteſtatus, ut mei obliti diſpicerent, coram Deo, quid Eccleſiæ fidem eorum imploranti, maxime eſſet ſalutare: ubi domum ventum eſt, quamvis nemo inſiſteret, non ceſſavi interpellare ut eam curam ſerio ſuſciperent, nec ipſi etiam, crede mihi, officio ſuo defuerunt: ſed, quod ſuſpicabamur, fere paulo poſt decretum eſt, ut Bucero adjungerer. hoc non videri mihi factum compoſito, ut antea Farello ſcripſi, ita nunc tibi ſancte aſſevero. Ita enim propemodum conſtitutum prius fuerat quam Wormatia rediremus, idque eorum conſilio qui de Geneva minime cogitabant. Equidem, ſi me interroges, non video cauſam cur mittar: verum ut minime ſim idoneus, non tamen fuit meum recuſare. Neceſſario igitur veniendum erat niſi vellem paſſim audire peſſime. Proinde dum literæ tuæ venerunt, quum non eſſet integrum jam deliberare, putavi me tibi ſatis ſuperque fore excuſatum re bene intellecta. Habes nunc ad utrumque tuum poſtulatum quo ſatisfiat, ad hunc uſque diem me ſcilicet nec venire unquam recuſaſſe, nec potuiſſe hactenus. In poſterum hoc tibi pro certo polliceor me conſilium iſtuc proficiſcendi nunquam mutaturum, niſi major aliqua vis mihi viam præcluſerit. Tangor enim illius Eccleſiæ cura, ut par eſt, & jam neſcio quid factum ſit, ut animo incipiam eſſe inclinatiore ad capeſſenda ejus gubernacula, ſiquidem ita res poſtularit. Sic autem inter nos convenit ut ſtatim poſt reditum ego cum Bucero iſtuc concedam, ex re præſenti in commune conſultemus quid expediat, neque tantum de Paſtore conſtituendo, ſed de totius Eccleſiæ inſtauratione, cogitemus. Ita plus auctoritatis habebit ſententia & certior erit in futurum, quoniam adhibebuntur hi à quibus poſtea timendum eſſet. Re ſemel conſtituta jam ſuo ipſi judicio obſtricti erunt ne reclament amplius, aut quicquam ad ordinem noſtrum turbandum moveant. Interim mi frater per Chriſtum te obſecro ne animo frangaris. Quo magis incertum eſt quamdiu ſumus hic futuri, eo minus conturbare te debet longioris moræ cogitatio. Scio eſſe permulta quæ tibi & anxietatem & tædium afferre queant: ſed cogita tibi has partes nunc à Domino eſſe delegatas ſuſtinendæ uſque in adventum noſtrum ejus Eccleſiæ, cui vis conſultum. Pridie quam literas tuas reciperem, Senatui veſtro excuſaveram, quod in præſens non poſſem iſtuc venire: excuſationem meam acceptam eſſe confido. Bene vale frater ſuaviſſime, & amice integerrime. Saluta diligenter meo nomine pios omnes. D. Spiritu

ſuo

ſuo vos confirmet ad omne opus bonum. Ulmæ, Calendis Martiis. M. D. XLI.

FERÆUS FARELLO.

PRoſecturus Ratisbonam Calvinus mihi injunxerat, ut ad te (quoniam tum ei non vacabat) de negotio Gebennenſi ſcriberem: atque ille mihi conceptam quandam argumenti formulam illorum quæ tibi ſcribi volebat, reliquerat: quæ dum exequi volebam, ecce adferuntur ex illo literæ, quas ille Ulmæ ſcripſerat: miſit haud obſignatas, atque ita mitti ad te juſſit, propter illas ad Bernardum, quarum exemplar tibi ſcribi voluit. illas igitur ſic omnes mitto. Ex illis poteris ſatis intelligere quid conſtituerit. quare non opus eſt toties repetere: nihil enim aliud mihi mandarat ſcribendum, præter id quod ex illius ad te & Viretum literis cognoſces, ſe ſcilicet poſt ſuum reditum una cum Bucero ad vos venturum, ſeque facturum quod è re illius Eccleſiæ vobis omnibus videbitur. Quare tu interim res omnes cura, ut certo expectaſſe te, ubi adveniet, comperiat. Illud interim addam, quod poſt acceptas tuas poſtremas literas, omnino ſuſcipere illam provinciam conſtituerit. Antehac enim licet non aperte ac plane reluctaretur, videbatur tamen inclinare potius in aliam ſententiam: verum tuæ literæ omnino in hanc noſtram ſententiam confirmarunt, in illis enim Periclis tonitrua mihi audire videbar. Gratulor itaque tibi ob illam tuam vehementiam, qua effeciſti quod vehementer cupiebam, utileque toti reipublicæ Chriſtianæ providebam. Vale, tui Feræi in orationibus tuis memor. Noſtra tota familia te ſalvum cupit. Argentiæ, 8 Martii.

Tuus Claudius Feræus.

BUCERUS ET ALII FRATRES GENEVENSI ECCLESIÆ.

GRatiam & pacem à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, precamur vobis in dies magis confirmari & augeri, viri prudentiſſimi & cordatiſſimi, dominique obſervandi. Exhibuit nobis veſtras ad ſe literas Calvinus ſymmiſta & frater noſter chariſſimus & colendus, quibus rogatis, ut Eccleſiæ veſtræ deſolatæ conſilium ſalutare adferat, quo rite & ex ſententia Chriſti reſtitui & confirmari queat. Gratulamur hunc animum vobis, quod hunc veſtrum olim fidum miniſtrum reſpicitis ejuſque uti conſilio ſtatuiſtis. vere enim Chriſtus ipſe contemnitur & injuria afficitur ubi tales miniſtri rejiciuntur & indigne tractantur. Bene itaque nunc habent res veſtræ, dum Chriſtum in hoc præclaro ejus organo rurſus agnoſcitis. In eo certe hic animus perpetuo illi conſtitit, ut ſaluti veſtræ conſulere cuperet, etiamſi non labores modo maximi, ſed etiam ſanguis inſumendus eſſet. Nunc autem quid faciat, non ſolum ille, ſed nos quoque (quibus inconſultis, etiamſi id non oporteret, hactenus nihil magni fecit) non videmus. Cras aut poſt biduum abeundum ei nobiſcum Wormatiam eſt ad colloquium de Religione, quod Imperator & Rex Ferdinandus cum Principibus Germanicis inſtituit ad quærendam concordiæ reſtituendæ inter Eccleſias viam & rationem. Sicque res comparatæ ſunt, ut niſi hoc colloquio via iſta & ratio inventa fuerit, expectanda ſit nobis ſatis gravis rerum Germanicarum perturbatio. At Religione in Germania profligata, verendum ut & alibi affligatur. Non videtur igitur conſultum, ut calumniis reſcindat Calvinus vocationem Domini, qua ad hoc colloquium deputatus eſt. Id ſperamus vosipſos quoque agnituros. Ne autem interim Eccleſiæ veſtræ aliquid gravius accidat, viſum eſt Calvino & nobis è re veſtra fore ſi opera Farelli & aliorum impetretis à Vireto viro vere pio, prudente & cordato, ut Lauſanenſi Eccleſia fideli alicui vicario interim commiſſa, apud vos Eccleſiam Chriſti ſuſtineret & inſtauraret, donec inſtitutum illud Wormatienſe colloquium finiretur. Tamen volente Domino, hoc eſt, ſi non obſtet gravius & quod in aliud tempus rejici nequeat negotium Eccleſiarum, aliqui ex noſtris ad vos venire ipſi vellemus, & præſentes id conſulere cum Calvino, & agere quod poſſemus cognoſcere Eccleſiæ veſtræ profuturum. Hoc eſt quod nunc dare vobis conſilii, & operæ quod offerre vobis in præſenti poſſumus. Id ut boni conſulatis rogamus. Nam certe Eccleſiam veſtram maximi facimus: ut quæ recte conſtituta lucem Chriſti in Italiam & Galliam inferre feliciter poſſit. Bene valete in Chriſto, qui & Eccleſiam & rempublicam veſtram tranquillet & beatam reddat, Amen.

Dominationum veſtrarum in
Domino addictiſſimi,
Wolfgangus Capito. D.
Gaſpar Hedio. D.
Martinus Bucerus.
Jo. Sturmius. Jac. Pedrotus.
ac cæteri miniſtri Eccleſiæ
Argentoratenſis, manu mea
M. Bucers ſubſcripſerunt.

CALV. FARELLO.

EX quo hic ſum nihil tibi ſcripſeram, ſed mandaveram Claudio meo ut quicquid à me acciperet curaret ad te pervenire: nam nec erat dignum aliquid tua lectione; & ego abs te literas prius expectabam, quas ea mercede remunerarer. Interim dum expecto nunciatur mihi gravis calamitas, Claudium noſtrum, quem unice diligebam, peſte abſumptum eſſe, Ludovicum fratrem Caroli triduo poſt ſequutum, domum meam miſere diſſipatam eſſe, fratrem meum cum Cardo in vicinum pagum conceſſiſſe, uxorem ſe ad fratrem recepiſſe, minimum ex Claudii diſcipulis decumbere. Ergo ad doloris acerbitatem acceſſit vehementer anxia pro iis qui ſuperſunt ſollicitudo: mihi dies ac noctes obverſatur uxor conſilii inops, quoniam capite ſuo caret. cruciat me mirum in modum optimi Caroli orbitas, qui intra quatriduum fratre unico, & præceptore quem patris vice coluit, privatus eſt. Novi autem ipſum eſſe tenerrimo animo. De Malherbio cogitare non poſſum, quin ſimul in mentem veniant optimi juvenes qui eum cuſtodiunt. Quanquam autem hæc mihi tantum afferunt mœrorem, ut mentem prorſus obruere, & frangere animum poſſint, incredibile tamen eſt quanto luctu ob Claudii mei mortem conficiar: neque mirum tibi videri debet. His duobus annis quantum mihi opus fuerit certo & fideli amico, qui me in tot tamque variis moleſtiis ac perturbationibus ſuſtineret, potes cogitare. Ille vero ſe non modo fideliſſimum, ſed per omnia obſequentiſſimum mihi exhibuit, adeo ut ipſo æque propemodum familiariter ac fratre meo uterer. Quum animi ſuſpenſus, ut ſcis, nuper diſceſſiſſem, ſanctiſſima fide receperat ſe quocunque annuiſſem venturum: neque mihi unquam defuturum. Ergo quo magis reputo quantopere indigeam bono conſiliatio, qui à latere meo nunquam diſcedat; ab altera parte, quam rarum ſit hoc tempore exemplum talis benevolentiæ & fidei: non aliter poſſum judicare quam Dominum mihi hunc auferendo voluiſſe in peccata mea graviter animadvertere. Sed dum obiter volo meas miſerias attingere, ultra modum diffluo. Hoc facit cum optimi viri memoria (quæ utinam mihi tam ſuavis aliquando ſit, quam ſancta ſemper erit) tum pia de reliquis ſollicitudo. Cæſar hactenus exſpectavit dum venirent Principes: adfuerunt ab initio duo Bavari, & latro Brunſvicenſis, Germaniæ dedecus ſimul & exitium: ſenſim venerunt legati, alius

poſt alium. Tandem ſequuti ſunt ex Principibus, Fridericus Palatinus Electoris frater, Otho ejus nepos, junior Wirtembergenſis, Landgravius, Moguntinus, Albertus Badenſis, Princeps ab Anhalt, Saxonis legatus: Elector Brandeburgenſis brevi venturus eſt. alios non deſinet ſollicitare Cæſar, donec protrahat. Saxo juſtiſſimis cauſis abſentiam ſuam excuſavit per legatos. Duæ ſunt urbes in fœdere, Coſlaria, & Brunſvicum, quas Henricus ſub prætextu Banni multis prædationibus & latrociniis aliquandiu infeſtavit. Nuper noſtri decreverant, ut armis communibus defenderentur. Cæſar interea ne impedirentur Comitia, omnia judicia in nos intentata ſuſpendit: omnes etiam ſententias contra nos latas irritas eſſe voluit, donec de tota ſumma hic cognoſceretur. Eo edicto promulgato mandavit etiam Brunſvicenſi nominatim, ut quæ rapuerat reſtitueret, & in poſterum à vi abſtineret. Quanquam facturum ſe omnia recepit, pergit tamen ut cœperat. dicas cum Cæſare colludere. Quicquid ſit, in tanta certe neceſſitate deſerere ſocios non poteſt Saxo: itaque manet in ſpecula, ut ſiquid iſte moverit, ſtatim ſe objiciat. Deinde ex quo tempore denunciatæ erant illæ ſuſpenſiones, citatus fuit ad audiendam Banni, hoc eſt, clarigationis vel proſcriptionis ſententiam. Paucis poſt diebus idipſum nobis eſt factum. Cæſar neſcio qua religione, magna tamen aſſeveratione teſtatur hæc ſibi magnopere diſplicere: ac daturum operam ut in fumum abeant. fiunt tamen non ſine magno noſtro periculo. Quid enim ſi cras pronunciarent? pedem hinc efferre non poſſumus, quin caput nobis auferatur. Exciderat mihi Sabaudus qui huc ſe ſiſtit ad fidem Imperio obligandam, quo noſtris opibus recuperet poſſeſſiones, quas quum teneret, Imperio nunquam accenſeri voluit. ſero igitur, ſed miſſus à Rege Galliæ legatus, advocatus Raimundus, qui pro Ducatu Sabaudiæ in fidem ac clientelam Imperii ipſum recipi peteret. Legationes exterarum gentium adſunt multæ ac magnificæ. Cnntarenus Card. pro ſuo Pontifice, qui nobis primo ingreſſu tot cruces aſperſit, ut biduo poſt brachium illi ex fatigatione laboraſſe arbitrer. Mutinenſis Epiſcopus filius Hieronymi Moroni ſub Nuncii titulo ſeparatim miſſus eſt. Contarenus ſine ſanguine ſubigere nos cupit: proinde tentat omnes vias conficiendi ex ſua utilitate negotii citra arma. Mutinenſis totus eſt ſanguinarius, & bellum ſubinde in ore habet. Uterque in hoc totus eſt, ut omnes amicas tractationes præcidat: ſed hoc poſtea. Veneti ſuum habent legatum ſplendidum hominem. Anglus vero præter ordinarium quem habere ſolet, Vintonienſem miſit magno apparatu, hominem ad malitiam nimis acutum. Omitto Portugallum & reliquos. A Rege quoque Galliæ eſt quidam Velius homo ſtolidus & importunus. Quum Principes nominarem, totam fæcem ordinis Pſafici præterii excepto uno Moguntino. Adſunt tamen Epiſcopi frequentes, Ratiſponenſis, Auguſtanus, Spirenſis, Bremenſis, Saltzburgenſis, Brixinenſis, Wormatienſis, Bambergenſis, Heidelſemenſis, & aliquot alii: ſupereſt ut tibi ſcribam quid futurum ſuſpicemur, ſi tamen ullo modo divinare licet. Nam ego non ſatis certa indicia video, ex quibus ſumi queant probabiles conjecturæ. Noſtrorum omnium animi vehementer ſunt exacerbati adverſus Henrichum, nam virulentiſſimis libellis eos proſcidit nimis atrociter: itaque rogant Cæſarem, ut pro calumniatore cenſeatur, ſi compertum fuerit ipſum impudentiſſimis mendaciis eorum famam laceraſſe. Nec viden qualiter iſtud componi queat, niſi ad Ordinum cognitionem referatur. Jam enim Landgravius negavit Cæſari ſe paſſurum ut tranſactione aut arbitrio controverſia hæc finiatur, ne Cæſarem quidem ipſum voluit arbitrum recipere. Hoc impedimentum tametſi minime videtur ad rerum ſummam pertinere: quoniam tamen turbabit initia, verendum eſt ut multum officiat. Jam negotium religionis ſic habet. Cæſar quia res ſuas plurimum impeditas cernit, non libenter novas ſibi moleſtias accerſit. Timet impreſſionem Turcicam. A Rege Galliæ aut dubia pax, aut aperti belli periculum. Quanquam de Turca variis rumores diſſipantur. Quum Hungaricus ille monachus, qui mortuo Joanne rege pupilli tutelam arripuit, ægre Ferdinandum ſuſtineret, auxilium à Turca petiit: ille nonniſi exiguas copias ſubſidio miſit, quæ Peſtam Ferdinandi urbem aggreſſæ ſunt. Urbs eſt in ripa Danubii, è regione Budæ: ad eam obſidionem ſolvendam miles colligitur. Jam alii Turcam ipſum adventare ferunt magno exercitu & apparatu, alii hunc ejus apparatum neſcio quo domeſtico motu fuiſſe interpellatum aſſerunt: videbimus tamen brevi quale illud ſit: non enim dubium erit quin valde domi ſit impeditus, ſi à Walachis abſtineat. Poſt defectionem à ſuis tyrannis in ejus poteſtatem, ut noſti, ſe tradiderant. Ille Palatinum ex eorum ſtirpe præfecerat, ſed alumnum ſuum: neſcio qui factum ſit, ut ejus ſævitiam experti extrema tentare maluerint, quam ſub ejus dominio manere. Hac igitur hyeme trucidato Palatino, quicquid etiam Turcarum apud ſe fuit ſuſtulerunt. Novum ſibi ducem crearunt, quem jurejurando adegerunt ad promittendas cum Turca æternas inimicitias: arcem occuparunt munitiſſimam, quam ipſe mira celeritate ædificaverat ad fines Poloniæ. Hanc contumeliam ſi non vindicabit, ſciemus alibi eſſe occupatum: & utinam ſit, ut ille dum curat ſua vulnera, nos ſpatii aliquid ad colligendas mentes ac vires habeamus. Polonus vicinos ſuos Walachos poſſet maxime adjuvare, niſi Tartari ejus regno moleſti eſſent: qui ſuperiori hyeme magnas prædas ſubita incurſione abegerunt, & videntur velle pergere ulterius. Quicquid ſit, Cæſar compoſitam habere Germaniam cupit, donec ab illis ſe difficultatibus explicuerit; nec ullos motus hoc tempore excitabit, niſi magna hoſtium noſtrorum importunitate invitus in aliquam neceſſitatem pertrahatur. Noſtri ſemel audientiam ſibi fieri volunt: deinde quoniam nullam fidem aut diuturnam pacem fore ſperant, niſi conſtituta religionis concordia, & Eccleſiis in ordinem reductis, urgebunt ut hanc actionem Ordines ſerio ſuſcipiant. Alioqui nihil magis cupiunt quam omnes diſſenſiones pacificare ſine tumultu, nec bellum aliter horrent quam certam patriæ ſuæ perniciem. Itaque quoad poterunt ſe à turbulentis conſiliis alieniſſimos eſſe oſtendent. Alterius partis tria ſunt genera: ſunt enim qui claſſicum canunt, ac palam inſaniunt, quod non primo die impetamur. Hujus claſſis principes ſunt Moguntinus, Bavari, Brunſvicenſis Henrichus, & ejus frater Epiſcopus Bremenſis. Alii quoniam conſultum patriæ volunt, cujus interitum vel graviſſimam calamitatem ac vaſtationem à bello proſpiciunt, huc conferunt omnia ſua ſtudia, ut ſine religionis conſtitutione qualiſcunque pax fiat. Tertii tolerabilem aliquam & doctrinæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ correctionem libenter admitterent: ſed quoniam vel nondum eo uſque progreſſi ſunt, ut cauſam penitus cognitam habeant, vel ſunt animo ſubmiſſiore quam ut ejus conſilii auctores ſe profiteri audeant, ita ſe gerunt ut videantur nihil niſi publicam tranquillitatem quærere. In eo ordine ſunt Colonienſis, & Auguſtanus, ex grege Sacerdotali: ex Principibus ambo fratres Palatini, Otho eorum nepos, & fortaſſe Dux Clivenſis. Qui turbare moliuntur, quoniam pauciores ſunt numero, & omnes bonos ſibi reclamantes habent, vix conſequentur quod captant. Deinde Cæſaris animus, ut dixi, omnino ad pacem inclinat, ſi poterit obtinere, ut rejecto in aliud tempus religionis ſtudio, hoc nervis omnibus contendet: ſed noſtri non facile acquieſcent, & habebunt ſocios in

flagi-

flagitande Eccleſiæ reformatione. ſic, tametſi exigua, nonnulla tamen ſpes eſt aliquid agendi. Legati Pont. pro ſolenni ſuo more, fortiter adverſantur, ne deſcendamus in aliquam actionem: actum enim de regno ſuo putant, ſi ulla de religione diſceptatio, ſi conſultatio de Eccleſiæ reformatione, ſine idoli illius auctoritate inſtituitur. Palam ſimulant ſe promovere quam cupimus Colloquutionem, ſed clam magnis cum pollicitationibus, tum minis nos oppugnant. Cæſarem parati ſunt adjuvare grandi pecunia, ſi ad arma volet prorumpere: aut quod Contarenus mallet, ſi poteſt nos ſine cæde reprimere. ſin aliquid concedat Rom. ſedis tyrannidi minus conſentaneum, fulmina illa minantur, quibus totum orbem concutere ſolent. Propter res Italicas obnoxius eſt Cæſar. Ergo, ſi licebit, eo confugiet, ut pace temporaria, vel paucorum annorum induciis, Germaniam componat intacta cauſa. Quod difficulter impetrabit. Vides nunc quod initio dixi, tam obſcuras eſſe conjecturas, ut ne divinationi quidem relinquatur locus. Quid ergo agimus? Invocabimus ſcilicet nomen Domini, precabimurque ut hanc maximam & graviſſimam cauſam, in qua & ipſius gloria & Eccleſiæ ſalus continetur, ſua moderatione gubernet, ac in tanto articulo oſtendat, ſibi nihil eſſe pretioſius quam cæleſtem illam ſapientiam, quam nobis in Euangelio revelavit: & eas animas quas ſacro Filii ſui ſanguine redemit. Eoque intentioribus & animis & ſtudiis nobis flagitandus eſt, quo ſunt omnia ab omnibus incertiora. Si totam hujus negotii progreſſionem ac ſeriem diligenter expendimus, reperiemus ipſum mirificis modis, ſine hominum vel conſilio vel auxilio, atque etiam præter omnium ſpem, eventa gubernaſſe. Ab hac igitur virtute quam toties exeruit, nunc toti, rebus tam perplexis, pendeamus. Unum me terret, quod tantum inter nos video ſecuritatis. id vero non me terret modo, ſed conſternat penitus, quod nova quotidie offendicula excitantur, quale eſt ὑποδυσγαμία vel potius δυσγαμία: neque tamen ideo dejicior. Nuper à Vireto literas recepi, quibus ideo breviter reſpondeo, quod nunc minime integrum eſt nobis de ea re deliberare. Utinam, mi Farelle, concedere iſtuc primo die liceat: ſed quid vis faciam? Teneor hic conſtrictus, & vereor magnopere, ne tædio hic contabeſcam. Vale, optime & dulciſſime frater. Saluta amantiſſime meis verbis omnes fratres, Thomam, Michaëlem, cui magnum mœrorem afferent iſtæ literæ, Corderium præceptorem meum, & reliquos. Ratiſponæ, 4. Calendas Apriles. M. D. XLI.

CALV. FARELLO.

ETſi hic adeſſe multis de cauſis piget, veniſſe tamen nunquam pœnitebit. Delirare me putas? ſcio quid dicam. Et me non ſine ratione loqui, aliquando coram audies. Nunc collige ex narratione, quantum poteris. Delecti noſtri de peccato originali non difficulter tranſegerunt: ſequuta eſt diſputatio de libero arbitrio, quæ ex Auguſtini ſententia compoſita fuit: nihil in utroque nobis deceſſit. De juſtificatione acriores fuerunt contentiones. Tandem conſcripta eſt formula, quam adhibitis certis correctionibus utrimque receperunt. Miraberis, ſcio, adverſarios tantum conceſſiſſe, quum legeris exemplar, ita ut poſtrema manu correctum fuit, quod literis incluſum reperies. Retinuerunt etiam noſtri doctrinæ veræ ſummam: ut nihil illic comprehenſum ſit, quod non extet in ſcriptis noſtris: ſcio, deſiderabis clariorem explicationem, & in ea re me tibi aſſentientem habebis. Verum, ſi reputes quibuſcum hominibus negotium nobis ſit, agnoſces multum eſſe effectum. Ventum eſt deinde ad Eccleſiam: in definitione congruebant ſententiæ: in poteſtate diſſidere cœperunt. Quum nullo modo poſſent conciliari, viſum eſt articulum illum omittere. In Sacramentis rixati ſunt nonnihil: ſed quum noſtri ſuas illis ceremonias, ut res medias permitterent, uſque ad Cœnam progreſſi ſunt. Illic fuit inſuperabilis ſcopulus. Repudiata tranſſubſtantiatio, repoſitio, circumgeſtatio, & reliqui ſuperſtitioſi cultus. Hæc adverſariis nequaquam tolerabilia. Collega meus, qui totus ardet ſtudio concordiæ, fremere & indignari, quod intempeſtivæ fuiſſent motæ ejuſmodi quæſtiones. Philippus in adverſam partem magis tendere, ut rebus exulceratis omnem pacificationis ſpem præcideret. Noſtri habita conſultatione, nos convocarunt. Juſſi ſumus omnes ordine dicere ſententias: fuit una omnium vox, tranſſubſtantiationem rem eſſe fictitiam, repoſitionem ſuperſtitioſam, idololatricam eſſe adorationem, vel ſaltem periculoſam, quum fiat ſine verbo Dei. Me quoque exponere Latine oportuit quid ſentirem. Tametſi neminem ex aliis intellexeram, libere tamen ſine timore offenſionis, illam localem præſentiam damnavi: adorationem aſſerui mihi eſſe intolerabilem. Crede mihi, in ejuſmodi actionibus opus eſt fortibus animis, qui alios confirment. Vos illic precamini Dominum diligenter, ut illo fortitudinis Spiritu nos ſuſtineat. Scriptum deinde à Philippo compoſitum, quod ubi Granvellano oblatum eſt, aſperis verbis repudiavit, quod illi tres delecti ad nos retuliſſent. Hæc quum fiant in ipſo limine, cogita quantum adhuc ſuperſit difficultatis, in miſſa privata, in ſacrificio, in communicatione calicis. Quid ſi ad apertam præſentiæ confeſſionem veniretur? quanti tumultus efferveſcerent? Literæ tuæ à Plumario altero menſe quam ſcriptæ fuerunt mihi redditæ ſunt: mirabor, ſi non propediem aliæ non veniant. Salus fratrum mihi commendata eſt ut debet, ſed hæremus adhuc illo obice, quem noſti. Maurus qui ea de cauſa miſſus eſt, diligenter ſatagit in ſolvendo hoc nodo. ſpes ſolito major affulget: Landgravius enim aliquam ſentire fruſtrationem unde omnia ſperabat incipit: ergo inclinabit in illum noſtrum. Id ſi fiet, habebitur, ne dubita, ſingularis fratrum ratio, & Maurus pro ſua virili ut eſt vir pius & cordatus incumbet. Crede mihi, fideliter hactenus ſe geſſit. Nihil tamen amplius impetratum, quam ut illis domum impune redire liceret, modo apud Epiſcopum abjurarent. N. nobis eſt moleſtiſſimus, Dominus eum vel tollat, vel emendet. Saluta amantiſſime omnes fratres. Dominus Jeſus vos conſervet. Philippus & Bucerus te ſalutant. Nudiuſtertius cùm pranderemus cum Landgravio, facta eſt mentio tui amica. Ratiſponæ, 11 Maii. M. D. XLI.

CALV. FARELLO.

NUncius die uno ſerius abiit quam putabam: hic dies nobis aliquid peperit. Granvellanus cùm ſpem omnem ſuo reſponſo noſtris abſcidiſſet, poſtquam de Eckii Apoplexia audivit, forte quoniam illius hominis importunitatem remoram concordiæ afferre cernebat, juſſit Piſtorio quoque excluſo, reliquos quatuor inter ſe abſque arbitris conſultare: quantum potui intelligere, ſi eſſemus dimidio Chriſto contenti, facile tranſigeremus. Philippus & Bucerus formulas de tranſſubſtantiatione compoſuerunt ambiguas & fucoſas, ut tentarent an adverſariis poſſent ſatisfacere nihil dando. Conſilium hoc mihi non placet: tametſi rationem habent quam ſequuntur: ſperant enim fore, ut brevi hæc ſponte eluceſcant, ſi patefactus erit aditus doctrinæ. Itaque tranſilire malunt, nec flexiloquentiam iſtam reformidant, qua nihil alioquin eſſe nocentius poteſt: polliceor tamen & tibi & piis omnibus, utrumque optimo eſſe animo, nec aliud cogitare quam ut promoveant Chriſti regnum. Nec poſſis ab illis quicquam deſiderare, quod non fideli-

ter & conſtanter præſtent, niſi quod in modo agendi ſe tempori nimis accommodant. Male autem me habet quod Bucerus invidia ſe apud multos gravet. Quia ſibi eſt optime conſcius, ſecurior eſt quam utile ſit. Neque enim ſic contenti eſſe debemus conſcientiæ integritate, ut non habeamus frattum reſpectum: ſed hæc apud te defleo mi Farelle, vide ergo ne effluant. Unum boc, ut in malis, mihi gratum eſt, quod nemo eſt qui vehementius pugnet nunc contra impanatum Deum, quam Brentius. ſic enim ipſe appellat. Nolo plura, quo avidius meum ad vos adventum deſideres, ut iſtis narrationibus aures tuas expleam. Vale mi optime frater. Freithus, Muſculus, & Brentius te ſalutant, imo prorſus omnes. Eckius, ut aiunt, convaleſcet: nondum meretur mundus iſta beſtia liberari. Exciderat quod minime præteritum oportuit. Habet Mautus famulum qui aliquando Ludovico & mihi ſervivit Baſileæ, probum juvenem, fidum & modeſtum. Ille ante annos quinque, quum propemodum puer eſſet, inſcio patre, inter pocula puellæ conjugium promiſit: quum pater re indicata reclamaſſet, juvenis dixit ſibi fuiſſe impoſitum. Re male cognita, pejus expenſa, pronunciarunt veſtri judices, auctore Marcutio, ratum debere eſſe conjugium. Ille, ut hanc neceſſitatem effugeret, patria ceſſit. Nunc nuncium accepit de morte patris, ſed ſimul bortantur eum ſui, ut puellam accipiat: ad hanc rem hortator eſt etiam illi Mirabilis. Tentavi & penitus excuſſi animum ejus, ſic abhorret, ut non ſuſtineam magis urgere. Et tamen fatetur boneſtam eſſe puellam: ſed aſſeverat ſe nunquam ad eam animum adjeciſſe. Quia ſalvum cupio, velim ſi fieri queat, amica tranſactione componi negotium. ſic & puellæ conſuleretur. Ea de re ſcripſi ad Mirabilem. Nolo tamen in meam gratiam quidquam facias, niſi quod æquum eſſe judicabis. Neque enim ipſe plus factutus eſſem ſi res in meo arbitrio poneretur. 12 Maii. M. D. XLI.

Calv. Farello.

Qum nullum amplius in Conventu uſum mei fore ſuſpicarer, magna improbitate miſſionem extorſi magis quam impetravi: nam & Bucerus me ægerrime à ſe abire patiebatur, & Philippus qui ſe mihi fore in ea re adjutorem ſemper receperat, quum tempus inſtaret, rogabat ut manerem. Ego tamen me quoquomodo explicui. Neque me tam privatæ meæ rationes quam publicæ, ut adeo inſtarem, impulerunt. Videbam ſcholam noſtram ex quo cœperat Capito laborare, deſtitui. Verebar ne his nundinis Eccleſia præſentiam meam deſideraret. His etiam cauſis utcunque adducti ſunt noſtri, ut mihi tandem concederent. Exponam autem breviter, quo in ſtatu res fuerint quum diſceſſi. Ex quo in quæſtione Euchariſtiæ ſemel diſſiliimus, de nulla alia potuit amplius inter nos convenire. Scis unam fuiſſe inter nos omnes ſententiam, transſubſtantiationem rem commentitiam eſſe, nec tantum cum verbo Domini, ſed cum Sacramenti etiam natura pugnare: adorationem eſſe vel idololatricam, vel nimis periculoſam: repoſitionem ſuperſtitione non carere. Quum in hac reſponſione tres illi delecti conſtanter pergerent, acerbis verbis invectus in Philippum eſt Granvellus: quo fracto, ſperabat à reliquis duobus non tantum fore negotii. Dum nihil extorqueri poſſe videt, ad alia pergere præcipit. Interim Marchio Brandeburgenſis clanculum, non tamen ſine conſcientia Cæſaris, unum ex Principibus ab Anhalt legatum Luthero mittit, quia ſperaret magis in hac quæſtione fore propitium Papiſtis quam nos omnes, propter veterem illam concertationem. Quid attulerit, nondum reſcivi. Confido tamen omnino non male fuiſſe à Luthero reſponſum. Reſtabant in cauſa Euchariſtiæ tres quæſtiones diſputandæ, de ſacrificio miſſæ, de privatis miſſis, de utriuſque ſpeciei diſtributione. Adverſarii, ſublata miſſarum nundinatione & multitudine, unam tantum miſſam in ſingulis templis quotidie retinebant: idque ea lege, ut non ſine aliquo cœtu, cui myſterium exponeretur, deinde ut ad communionem exhortatio fieret. Calicis participationem volebant eſſe liberam, ut haberent qui peterent. Sacrificium fucabant ſophiſtica expoſitione, quam unde ſumpſerint, tu ipſe conjice. Illa omnia ſunt repudiata, ſcripti à Philippo in contrariam ſententiam articuli, & oblati. Ventum deinde eſt ad confeſſionem, in qua moderationem dabant adverſarii, ſcrupuloſam enumerationem remittendo, ſed neceſſitatem exigebant confeſſionis & abſolutionis. Formulam contrariam noſtri dederunt. Sic de invocatione Sanctorum, de primatu Papæ, de auctoritate Eccleſiæ collatum eſt: nec convenire potuit. Articuli omnes noſtri libro adjuncti. Cæſar delectis illis gratias liberalibus verbis egit, quod fidelem operam præſtitiſſent. Ipſe deinde totam deliberationem ad Ordines retulit. Et quoniam nihil ſtatui poterat, niſi deſcripto libro: oblatus eſt in medium cum Articulis. Mox tamen Cæſarem pœnituit facti. Sed quod ſemel decretum erat, Ordines ratum eſſe voluerunt. Dum id agitur, datus eſt Senatus legatis Hungariæ & Auſtriæ, qui ſuppliciter auxilia ſibi dari petierunt. Inſtitit quoque Cæſar, ut omiſſa religionis actione ad illam conſultationem ſe converterent Ordines. Quum illas inducias vidi datas eſſe, occaſionem præterire nolui: ſic elapſus ſum. Rerum ſeriem breviter perſtrinxi. Quod ad ſecretiora conſilia attinet, nonnihil audies quum venero. Velim autem id abs te impetratum, ut Buceri reditum expectemus. Quantum ad fratres attinet qui ob Euangelium laborant, non feci quod volui. Cauſa enim gravem aliquam legationem flagitabat, quam minime ferunt tempora, id eſt, vitioſi hominum affectus. Literas ergo impetravi. Quod ipſum factum fuerat, antequam Senatus admitteret. Sed curavi mutari ac inſeri nonnihil eorum quæ mandabas. Charta plus non capit. Tu iſta omnia, ſi videbitur, curabis Vireto: excuſabiſque apud eum quod non ſcripſerim: opprimor enim, crede mihi, aſſiduis interpellationibus, ut ægre liceat reſpirare. Vale chariſſime frater. Saluta omnes diligenter. Dominus vos omnes conſervet. Argentorati, Julio. M.D. XLI.

Joannes Calvinus tuus.

Calv. Farello.

Qum mihi allatæ ſunt tuæ literæ, jam habebam meas ad te paratas: quæ tametſi non omnino conſentiunt cum tuis poſtulatis, mittendæ tamen fuerunt, ut ſcias in quo affectu me deprebenderunt. Nunc poſtquam vidi te ulterius inſiſtere, & illos etiam veteres noſtros hoſpites palam ſe adjungere ad cauſam, adhibui de integro noſtros. Lectis tuis & Genevatum literis, conſului ecquidnam factu opus fore cenſerent. Reſponderunt minime eſſe diſputandum, an omiſſo Conventu deberem illuc extemplo concedere. Neque enim aut nunc eſſe integrum: aut oportuiſſe illud in dubium vocari, etiamſi nihildum eſſet decretum. Ergo ad iter nos accingimus: ut autem præſenti Eccleſiæ illius neceſſitati ſuccurratur, quam nolumus eſſe deſertam, cenſent modis omnibus eo accerſendum Viretum, interim dum alia vocatione diſtrahor: ubi redierimus, non recuſant quin illuc redeam. Quin etiam Bucerus ſe mecum venturum pollicetur. In eam ſententiam viſum eſt ipſis ſcribere, quo certior fides fieret: meis literis ſuas quoque Bucerus addidit. De meo animo ſic accipe: mihi ſi detur optio, quidvis libentius ſim facturus, quam ut tibi hic obtemperem: ſed quoniam non eſſe mei juris memini, cor meum velut mactatum Domino in ſacrificium offero. Itaque non eſt quod ſuſpiceris tibi verba dari:

noſtra

noſtri nihil niſi ex animo promittunt. Et ego nihil aliud obteſtor, quam ut nulla mei ratione habita, diſpiciant quid maxime ſit ex Dei gloria & Eccleſiæ utilitate. Tametſi non ſum valde ingenioſus, non tamen deficiunt me effugia, quibus ita clanculum elabar, ut facile apud bomines excuſem per me non ſtetiſſe. Verùm ſcio mibi eſſe negotium cum Deo, qui hujuſmodi aſtutias deprehendit. Ergo animum meum vinctum & conſtrictum ſubigo in obedientiam Dei: & quando proprio conſilio deſtituor, me bis regendum trado, per quos ſpero Dominum ipſum mihi loquuturum. Quum Capito ſcripſit, putavit, ut video, me prolixa epiſtola tibi expoſiturum totam deliberationis noſtræ ſeriem, ſed ſatis eſt quod ſummam habes. Quanquam eram id quoque facturus niſi tempus defuiſſet. Verum totus dies variis avocamentis mibi cooſumptus eſt. Nunc à cœna longiori lucubratione valetudinem alioqui dubiam tentare nolui. Hic ſe ad natalem Domini rediturum promiſit cum carruca, in qua poterit afferre Wendelino ex libris ſuis decem exemplaria Inſtitutionis, ſex commentarios in Jeremiam: ea dabis illi advehenda.

CALV. FARELLO.

NOn eſt quod de mea expoſtulatione ſis multum ſollicitus: magis enim jocari tecum quam ſerio conqueri volueram. Satis enim ſcio me animo tuo non excidiſſe, etiamſi ceoties in literis prætereas. Itaque te ſecurum hac parte eſſe jubeo. Utinam tam facilis tibi eſſet compoſitio cum iis, qui te & Eccleſiam tuam vexant & fatigant. Quanquam, ut dicis, bellum cum mundo & carne reformidare non debemus, ſi Cbriſto ſervire libeat, imo ex animo appetendum eſt: ſed tamen optandum eſt, ut quicquid hodie cum Chriſto bellum gerit, in voluntariam obedientiam potius ſe dedat, quam vi & armu ſubactum frangatur, non corrigatur. Verum quoniam vult nos exercere Dominus in ſua militia, nec quieſcere nos patitur, pugnemus ſane forti & conſtanti animo: modo iis armis quibus nos inſtruxit. Nam ſub ejus auſpiciis victoria ſemper erit in manu. Quod cœna Domini celebrata eſt, præſertim cum hac denunciatione quam refers, erit optima ratio, ut ſpero, ad recolligendam Eccleſiam. Et audio ea moderatione, quam nunc adhibes, partim ſedari, partim frangi multorum animos. Dum ſuccedit, nihil omittas quod ad ſanandum vulnus quovis modo valeat. Erit hic pulcherrimus triumphus, ſi Satan cum paucis anteſignanis à ſua acie deſeratur. Quod ad rationes noſtras attinet, plus ſatis verum eſſe experior, quod ſcribis de jugo inæquali; ſed tolero quod tollere oon licet. Itaque ſi mibi Viretus auferatur, prorſus perii: nec hanc Eccleſiam ſalvam retinere potero. Quare te & alios mihi ignoſcere par eſt, ſi omnem moveo lapidem, ne eo ſpolier. Volo interim conſultum Lauſanenſi Eccleſiæ, idque ex piorum fratrum ſententia, & tuo quoque ipſius arbitrio. tantum ille mihi maneat. Id Bernæ nervis omnibus contendo, verum ne in malam partem fratres acciperent, ſi ipſis præteritis ad alios me converterem. Nuper veni Viviacum. Effeci illic meis rationibus, quod vix ſperabam: ut non modo annuerent ſe minime interceſſuros, ſi eum nobis concederent Bernates, ſed aſſererent ſibi videri ex communi Eccleſiarum bono fore, ſi mihi ad tempus adjungeretur. Hic nolim te multis bominibus, alioqui non facillimis, eſſe motoſiorem: nam plus multo bic negotii nobis eſt quam putas. Plebem habemus utcunque obſequentem. Conciones ſaltem frequentantur diligenter: mores ſatis ſunt compoſiti, ſed multum adhuc vitii & in capite & corde: quod niſi curetur ſenſim, vereor ne in peſſimum ulcus demum erumpat. Cum illis inteſtinis malis & abſconditis pugnatur non ſine ſumma difficultate, ut bene noſti; & ſcis quales habeam commilitones, hoc remoto. Fratri conſuluimus fideliter quod videbatur. Cæterum quoties volet, reperiet me ad omnia paratum: verum ideo nunc ſuperſedi, quod non putabam eſſe utile. Si diſſentias, ſequar te potius, nec quidpiam eorum quæ mihi injunges detrectabo. Quamdiu aliquid valebimus nos duo, non eſt quod queraris te nihil poſſe, ſcis enim nos eſſe penitus tuos. Vale, optime & integerrime frater. Saluta diligenter omnes, Corderium præſertim, cui quum primum licuerit reſpondebimus. Totam familiam cupimus eſſe ſalvam. Ganevæ, 11 Novemb. M. D. XLI.

CALV. FARELLO.

SCripturus eram longiores literas & accuratiores, ita enim res poſcebat: verum quum mibi bonus bic frater nunciaſſet, ſublatum eſſe nobis optimum patrem noſtrum & ſanctæ memoriæ Capitonem, Bucerum vero peſte laborare, ita fui mente & animo perculſus, ut nihil aliud nunc queam quam lugere. Ignoſces igitur mi frater, quod breves & confuſas literas de re magna & ſeria à me accipis. Scis ita fuiſſe inter nos ab initio conſtitutum, ut ſi redirem, tu me reduceres, quo utriuſque miniſterium, quod unum fuit, ſimul reſtitueretur. Non paſſus eſt hoc Satan, qui ſub id tempus eam tempeſtatem excitavit, ut non poſſes ab Eccleſia tua ſine magno, imo præſentiſſimo naufragii periculo pedem movere. Diſtulimus eo uſque dum te iſtis turbis Dominus liberaret. Nunc cùm ejus beneficio res iſtic pacatiores eſſe audiamus, cum miniſterii noſtri communis, tum mea privatim, Eccleſiæ etiam univerſæ intereſt, te ſemel huc venire: ſi nulla alia ratio eſſet, præſtare tamen te decet quam mihi fidem dediſti. Verum ſunt, ut dixi, plures & majores cauſæ, quæ nullam tibi excuſationem relinquunt. Audiebam quum iſtic eſſem, prætextus neſcio quos, qui mihi diſplicebant. Dicebas te à populo expulſum, non poſſe igitur à Senatu, hoc eſt, à paucis hominibus reſtitui. Quaſi vero tumultuoſa illa perditorum hominum factio populus fuerit. Et ſi fuit, quaſi non illud plebiſcitum ſatis ſuperque tibi eſſe debeat, quo populus ipſe pronunciavit, te injuria pulſum eſſe. Conſtat eos qui te expuleruot, aut capite pœnam luiſſe, aut urbe eſſe profugos; reliquos autem pudore tacere, aut fateri ſuum ſcelus. Nondum illud plebiſcitum factum fuerat, quo populus innocentiam noſtram una voce comprobavit, quum tu nimia importunitate à me extorſeris, ut venturum me reciperem. Tunc tamen, ut verum fatear, babebam in animo aliquid primo adventu de innocentia noſtra teſtari, & totam cauſam noſtram exponere, ut omnis non tantum maledicendi, ſed etiam muſſitandi occaſio improbis tolleretur. Tametſi non ſum optimus dicendi artifex, non verebar tamen quin tam bona cauſa plauſibilis futura eſſet: verum ubi populus ſeſe damnando, & culpam ſuam confitendo antevertit, putavi hac neceſſitate nos eſſe prorſus liberatos. Imo præter id quod futurus erat ſupervacuus labor, videbam tentari hoc non poſſe ſine ſpecie aliqua inhumanitatis. Quid enim hoc aliud fuiſſet, quam proſtratis hoſtibus ioſultare? Quum autem veniſſem, obiter quidem perſtrinxi qua fide & integritate in hac Eccleſia verſati ſimul eſſemus. De adverſariis verbum unum facere puduit: ne eorum cauſam, qui à Deo & bominibus, ſuoque ipſorum judicio damnati eſſent, viderer in dubium vocare. ſed hæc coram tecum malo diſputare. Nunc ad id quod inſtat: non rite te vocari dicis à Senatu, quum ejectus ſis à populo. Atqui nondum annus eſt, quum primis Senatus literis contentus eras, & jam quodammodo ad iter accinctus. Unde nunc iſta nova religio? Quid quod latum eſt ad populum de te nominatim, quum populus ſcivit, in urbem reducendos eſſe eos quos expulerat?

Neque enim aut de me aut alio quopiam facta mentio eſt; ſed in hæc verba, Nonne hic pronunciatis injuriam eſſe factam Farello & ſociis ejus? Quid ultra requiris à populo, quam ut innocentiam tuam approbando reum ſe faciat? Additum eſt, Vultis ut Farellus cum ſociis ſuis, &c. Dabis veniam mihi, opt. frater, ſiquid durius dixero: ſed hæc difficultas à moroſitate potius, quam à recto judicio, proficiſci videtur. Mihi ſane perſpecta eſt animi tui ſinceritas: neque mihi tot exempla exciderunt, quibus ſatis declaraſti, quam parum te reſpicias. ſed vide nequid tale ſuſpicari queant qui te non penitus norunt: imo ii qui non ſuſpicabuntur, anſam tamen arripiant obtrectandi. At Eccleſia pro modo offenſionis nequaquam ſatisfecit. Quis negat? verùm ſi inſpicias quam res adhuc ſint hic teneræ, nequid aſperius dicam, ipſe conſulas non eſſe ulterius progrediendum in hoc negotio. Te igitur per Chriſtum obteſtor, mi Farelle, ut non quoslibet audias conſultores; ſed eorum acquieſcas conſiliis, qui nec prudentia carent, & non minus de tui miniſterii honore ſunt ſolliciti quam tu ipſe. Quod ſi nos nihil ſapere, nihil videre, nihil judicare exiſtimas, patere tamen ab amicis te ſemel exorari. Vale, optime & chariſſime frater. 3. Calend. Decemb. M. D. XLI.

ZUICKIUS CALVINO.

Salus & pax Chriſti.

ARctiſſima familiaritas eſt quam parit fides: ſic mihi ſcripta tua familiariſſima ſunt. Erit autem gratiſſimum, ſi tuo adventu ſemel familiaritatem iſtam in Domino initam firmes: quod ut brevi fiat, etiam atque etiam rogo. De Comitiorum tractatione neſcio quid dicam: ſtatui autem, ut uno verbo dicam, ab eventu omnia æſtimare. interim precibus interpellabo Dominum ne cauſæ ſuæ deſit. Audimus autem Philippum & reliquos conſtantes eſſe & apertos, quæ res nos miniſtros ſummo gaudio afficit, & decet certe nos nihil vacillare. Ah! quanto tempore adhuc regnabimus? Si primum uno ore glorificemus Deum & patrem D. N. Jeſu Chriſti, deinde pergamus nobis non eſſe diſſimiles. Non decet in hac cauſa cum vulpibus vulpinari, & cum aſtutiſſimis hujus mundi ſapientibus aſtutia certare: certandum eſt nobis ſola perſeverantia, pietate, ſimplicitate, adde & patientia crucis. hanc mentem donet nobis Chriſtus Dominus. Proinde, quo diutius regnemus in Chriſto, exhortare obſecro reliquos fratres omnes quantis potes viribus, ut quoniam Eccleſiæ diſciplina maxima ex parte evanuit, & forte ſine graviore malo reſtitui in ordinem vix poteſt, ut ſaltem & Principes & Magiſtratus noſtri ſtrenue animadvertant in vitia & ſcandala publica, quo ſaltem hac via purgetur Eccleſia, nomenque Chriſti apud reliquos melius audiat, quod ipſum quoque docet Chriſtus ſuo Spiritu. Ah! ne opprimat nos ingratitudo & injuſtitia qui de bonitate & juſtitia Dei tantum gloriamur. Quanta bonorum Eccleſiaſticorum habenda ſit ratio, non opus eſt recitare: tantum da operam apud bonos omnes, ut noſtros ad ſanctum illorum uſum ſerio exhortentur. Huc enim ventum videtur (quod tamen non ſine gemitu dixerim) ut magna noſtrorum pars credat ſeſe tum demum vere regnum Antichriſti evaſiſſe, ſi cum bonis Eccleſiæ ludant pro libito, nec ulli diſciplinæ ſubſint. O egregium Chriſtianiſmum! Da ergo operam ut non ſolum cum Papiſtis vobis negotium ſit, ſed inter vos quoque & cum veſtris tractate quæ in rem Eccleſiæ, Chriſtique gloriam facere poſſunt, quæque placare poſſunt Dominum: ne ingrati peſſime pereamus. Hanc ſollicitudinem & curam largiatur nobis filius Dei Jeſus Chriſtus, Amen. Ille te cum bonis omnibus diutiſſime ſervet. Sed ne graveris meo nomine ſalutare omnes fratres, Philippum, Bucerum, Frechthum, Muſculum & reliquos, & ſervet eos omnes Spiritus Chriſti in unitate, perſeverantia, ſimplicitate, veritate, & tolerantia. Orate vero omnes pro Eccleſia quæ eſt Conſtantiæ, ut in fide creſcat. ſalutant autem te & reliquos Ambroſius & reliqui omnes ſymmiſtæ, rogantes Dominum ſtrenue ut in illo optime habeatis, & Euangelii negotium bene ſuccedat, Amen. Ex Conſtantia, 12 Maii. M. D. XLI.

Tuus Joannes Zuick.

BUCERUS AD ITALOS.

Chriſtum pura fide invocantibus fratribus qui ſunt Bononiæ & Mutinæ ſibi venerandis & chariſſimis.

GRatia & pax à Domino noſtro Jeſu Chriſto, fratres venerandi, ac membra in hoc ipſo Servatore noſtro dulciſſima. Audimus vos cognitione Chriſti in dies proficere, utque natura fert fermenti Euangelici, per vos eadem cognitione complures quotidie imbui. Ea res nobis merito magnam affert conſolationem in Domino & lætitiam. Quem oramus, ut numero, ſe apud vos pura certaque fide invocantium, ſemper aliquos adjungat, eademque fide magis magiſque perficiat eos quos adjunxerit, ac quicquid liberæ nominis ſui invocationi & confeſſioni vobis omnibus obſtiterit, clementer amoliatur, Satanamque pedibus veſtris ſubjiciat, Amen. Nunciatum præterea eſt, diſputationem de ſacra Euchariſtia inter quoſdam fratres agitari: qua in re eos fratres per Chriſtum rogo, & hortor, ut ea inquiſiviſſe ſatis ducant, quæ eo faciunt, ut carne Chriſti & ſanguine vere paſcantur, hoc eſt, ut in Chriſto vivant plenius, & illum viventem in ſe potentius ſentiant, & omni vita prolixius explicent ad proximos. Quæ apud nos de hoc myſterio agitata quæſtio eſt, damni nobis dedit plurimum. Quare vel noſtro malo docti, artes hic Satanæ diligentius cavere debetis. Hæc docuit Dominus clare, noſtram carnem & ſanguinem regni Dei hæreditatem non poſſe percipere: hoc eſt, juſtitiam, & vitam æternam. Sua itaque nobis carne & ſanguine opus eſſe: quibus qui non paſcitur, eum vitam in ſe habere nequire: qui vero carnem hanc edit, & ſanguinem bibit, hunc victurum in æternum, quia manſurum in ipſo, & ipſum habiturum manentem in ſe. Hanc vero carnem & hunc ſanguinem dare veſcendum & bibendum, & verbo quidem, & ſingulariter ſymbolis ſacræ Euchariſtiæ. Panem enim quem frangimus, non panis tantum, ſed etiam corporis ſui eſſe communionem; & Calicem gratiarum actionis ſanguinis ſui, non vini tantum. Unde præbens panem dixit, Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum. Bibite, hic eſt ſanguis meus. Vere enim pane corpus, vino ſanguinem ſuum dabat in cibum & potum, non periturum ventris, ſed vivificum mentis, indeque & totius hominis: at cæleſtem tamen: in cælis enim eſt & manet Dominus, id eſt, in inacceſſa Patris gloria quæ nullo loco mundi alligatur: quia ille mundum reliquit & ad Patrem in vitam cæleſtem tranſivit, hoc eſt, conditionem hujus ſeculi exuit, & gloriam quam ab initio habuit repetiit. in qua tamen & hic cum ſuis eſt uſque ad conſummationem hujus ſeculi: nam & ipſos nos Pater in ipſo convivificatos & excitatos etiam in cæleſtibus in eo jam collocavit, & dedit in cælis noſtrum habere πολίτευμα. Quo ut reſpiciamus Eccleſia etiam patrum tempore quum jam tractanda eſſent myſteria ſacra, invitabat, jubens habere ſurſum corda. Nihil itaque hic terreni, nihil hujus ſeculi cogitandum, etiamſi & nos & propter nos ſymbola totaque externa actio myſteriorum hujus adhuc ſeculi res ſint. Addicit amicus amico fidem ſymbolo præbitæ dextræ; ſed ſi vere & amice

res

res geritur, hic non contactum manus ſed animum mentemque fidem ſuam obligantis amici, is cui fit promiſſio reſpicit, eaque re mirifice recreatur & confirmatur: tametſi frivole ſæpe, & nulla certa benevolentiæ ſignificatione dexteræ jungi ſoleant. Sufflabat in diſcipulos Chriſtus, & jubebat tamen illos accipere Spiritum ſanctum, quem & vere illis eo ſymbolo dabat, ſed nec in eo oris Dominici flatu localiter incluſum, aut eidem ulla hujus ſeculi ratione adjunctum: vere tamen atque realiter eo ſigno exhibitum. Sic natura ab ipſo Domino facti ſumus ut in promiſſionibus & exhibitionibus rerum non viſibilium, quæ ſunt magni momenti, & quarum cupimus vel promiſſionem vel exhibitionem quam graviſſime facere, ſigna ſemper exhibeamus viſibilia. Ita ut fieri videmus in magnis emptionibus & venditionibus, actis & foederibus, collationeque magnarum dignitatum & poteſtatum. Deus ergo qui ſua inter nos agi vult quam graviſſime & ardentiſſime, recte & ſymbola & quæ pro ingenio noſtro ad excitandum & inflammandum animos conſideratione & ſancta cupiditate donorum ſuorum valeant, adhiberi in exhibitione donorum ſuorum voluit. Hinc & ipſe ut ſanitates impoſitione manuum, digitorum, ſputi linitione vel attactu: ita & benedictionem impoſitione manuum, & Spiritum ſanctum flatu, & corpus & ſanguinem ſuum pane & vino præbuit, ſuoſque juſſit ablutionem cæleſtem qua regeneramur tinctione vel aſperſione aquæ, ſanitates, & benedictionem ſpiritualem, poteſtatemque ſacri miniſterii imponendo manus conferre. Ad eundem modum egit & cum populo veteri. Hanc itaque tantam patris & magiſtri noſtri cæleſtis Chriſti φιλανθρωπίας in uſu ſacrorum ſymbolorum pie excipiamus, & exoſculemur, non curioſis & profanis quæſtionibus contumelia afficiamus. Spiritus ſanctus per Paulum & alios Apoſtolos tradidit nobis quod illi acceperant à Domino. Hic autem inſtituturus hoc myſterium diſcipulos ſuos ſibi adjunxit qui adhuc ſectabantur & doctrinæ ejus ſtudioſi habebantur. Hoc nos vere eſſe ſtudeamus, nec alios ad hæc myſteria admittamus, dum non penes nos eorum adminiſtratio fuerit: dum minus, demus operam tamen, ut quos licet, ejus veros diſcipulos faciamus: id ſi nequeamus nihil detrahet nobis, ſi alii etiam palam Judæi ſint. Nec nos propter malos bonis Domini fraudari decet. Deinde ut miniſter non ſua ſed Domini verba loquitur, ea nos fide vera ut verba Domini excipiamus. Agit gratias Patri; agamus una: accipit panem & vinum, eaque diſtribuens jubet accipere; ea accipiamus & nos, miniſter ad diſtribuendum & ſumendum, plebs ad ſumendum. Subjunxit, edite, bibite: edamus & bibamus, non circumferamus vel includamus. Addit, Hoc eſt corpus meum, hic ſanguis meus: id credamus, nec dubitemus hæc dari nobis his ipſis ſymbolis, & dari in cibum & potum vitæ æternæ, ut magis magiſque vivamus in Chriſto & habeamus illum viventem in nobis. Adjunxit, quod traditur pro vobis, qui funditur in remiſſionem peccatorum pro vobis & pro multis, qui eſt novum teſtamentum: hæc credamus & gratias Domino agamus, quod immolatione ſui noſtra peccata expiavit, & fœdus gratiæ novum & æternum inter Patrem & nos ſancivit & confirmavit ut ille nobis pater, nos ei filii ſimus. Jubet denique hæc facere in commemorationem ſui: totum itaque circa hæc myſteria Chriſtum prædicemus, & quæ pro nobis fecit omnia: addicamuſque invicem nos ei, & noſtra omnia: idque teſtemur noſtra confeſſione fidei, piis laudibus, precibus, & oblatione munerum, nec enim vacuis in conſpectum Dei veniendum eſt: ſed pro eſuriente & ſitiente, nudo & hoſpite, infirmo & vincto Chriſto in ſuis, munus ſemper aliquod offerendum. Iſta ſi ita ſimpliciter credamus & geramus, vere diſcipuli Domini erimus, vereque ipſo paſcemur in vitam æternam: ſupervacaneaſque quæſtiones, quæ tantum ad inanem gloriam & contentionem valent facile evitantes, toti in id incumbemus ut hac ſancta paſtione Chriſtum viventem in nobis & plenius ſentiamus ad noſtram ipſorum conſolationem, & pietatis profectum, & omni ſtudio bonorum operum ad alios exprimamus & exhibeamus. Quæ inter nos Germanos de hoc myſterio dura nimis extitit concertatio, opus carnis fuit. Nos D. Lutherum putabamus Chriſtum cæleſtem terrenis ſignis nimis dicendo affigere. Nos illi nihil in Cœna, quam panem & vinum agnoſcere vel tradere. dedit tandem Dominus, ut tam de verbis, quam de re pulchre convenerit: & ita utrimque hæc myſteria commendemus, ut nec ille noſtris videatur indigna Chriſto tribuere, nec nos Cœnam Domini ſine Domino celebrare. Duas enim res hic percipi utrimque confitemur: terrenam, panem & vinum: & cæleſtem, corpus & ſanguinem Chriſti Domini. Quidam re vera dilutius, nonnulli craſſius de Sacramentis his loquebantur: ii ad mediocritatem piam & verbis Domini conſonam ſe receperunt: indeque eſt pia in Eccleſiis noſtris etiam hac de re conſtituta conſenſio. hanc & vobis retinere aut reſtituere ſicubi labefactata ſit, ſtudete, imitantes nos in eo quod Chriſti eſt, non in eo quod carnis erat: ut eſt omnis inter ſanctos contentio & concertatio. Dominus nos ipſe doceat ſua myſteria omnia, perficiatque, & ad perfectionem ſalutis & beatæ cum ipſo communionis largiatur, Amen. Huic nos precibus diligenter commendare velitis, & hoſce noſtros fratres qui ſanctiſſime apud nos vixerunt & ſedulo ſtuduerunt, viſceribus Domini complecti & fovere ſtudeatis. Argentorati, 10 Septemb. anno Chriſti, M. D. XLI.

Deditus vobis in Domino Martinus Bucerus manu mea.

CALV. FARELLO.

POſtridie aut ſaltem biduo poſtquam tibi ſcripſeram, venit Carmelita Lugdunenſis, à quo non fruſtra timuimus. Non fefellit nos diu; vultu, verbis, toto denique corpore, qualis eſſet prodidit. Neque tamen obſtitit quominus cum eo humaniter ageremus. Omitto privata benevolentiæ teſtimonia. Quantum ad miniſterium ipſum attinet: ut obviam iremus periculis omnibus, quæ variè hinc inde inſtabant, contulimus cum Collegis noſtris, quænam erga eum ratio tenenda foret. Communiter cenſuimus cum ad nos vocandum eſſe, rogandumque ut nobis conſilium ſuum exponeret. Condiximus in poſterum diem. Ad primum poſtulatum reſpondit, ſe eo animo veniſſe ut Eccleſiæ ſerviret. Tum excuſare cœpi, quod non ſtatim eum reciperemus. ordinem enim eſſe nobis præſcriptum à Domino, quem in ullius hominis gratiam violari nefas eſſet. Id quoque ad exemplum pertinere, ne admitti ſe alii quoque eodem modo poſtularent. Hortatus ſum ut cogitaret rem non eſſe in manu noſtra ſitam: quum aperto Dei verbo conſcientiæ noſtræ conſtrictæ tenerentur. Quod ſi timor Dei nos non impediret, ne per homines quidem licere: quia ejus rei compoſitam formulam haberemus, cui ſtare nos oporteret. Deprecatus ſum deinde, ne contemptu ſui aut diffidentia nos differre exiſtimaret. Addidi ejus quoque in primis intereſſe, ne ita ſubito onus ſubiret; ſatius fore multo, ſi aliquantulum adhuc temporis ad deliberandum ſibi ſumeret. Tota oratio cum erga eum honorifica erat, tum plena benevolentiæ ac humanitatis. Excepit breviter, ſe petere, ut fides ſibi extemplo daretur: duas eſſe cauſas cur nollet ſuſpenſus diutius manere. Nunc ſe habere idoneos comites à quibus deduceretur, & equo etiam ac viatico inſtrueretur: poſthac non eam ſibi commoditatem

ditatem fore. Deinde ſi io Galliam ſibi remigrandum forer, nihil eſſe melius quam id citiſſime fieri, antequam rumor de ejus ad nos adventu latius manaret. Juſſimus pauliſper ſecedere ex communi conſilio. Viretus longam & gravem orationem de religione ac diligentia, quæ io vocandis miniſtris ſervanda eſſet, habuit. Produxit tum ex verbo Domini, tum ex veteris Eccleſiæ hiſtoriis exempla, rationes adhibuit quæ ad cauſam facere videbantur. Erat hujuſmodi oratio, quæ hominem non laceſſeret: & tamen ah importuna illa feſtinatione retrahere eum deberet: quæ denique, ſi quid haberet pudoris ingenui, ſine exprohratione aliqua permovere ad verecundiam poſſet. Atqui adeo fractus non fuit, ut inde ceperit majorem ferociendi audaciam. Si Domini, inquit, Spiritum vos habere putatis, ego eo non ſum deſtitutus. Scio igitur quid liceat. Non hic ſum quidem ut quæ à vohis objecta ſunt refellam: conſtat tamen Apoſtolos non fuiſſe viciſſim probatos alios ab aliis. Hoc autem proferebat tanto faſtu, ut videretur à refutatione ahſtinere, quoniam non eſſemus digni quihuſcum experiretur. Addidit, ſe libenter id paſſurum fuiſſe, ſi ante proximam Quadrageſimam huc veniſſet. ounc quum in Eccleſia tam vicina ſpecimen ſui ediderit, notiorem ſe debere eſſe quam ut nova probatione opus habeat. Reſpondi non eſſe illic Eccleſiam, ex qua judicium de Paſtoribus ſumi oporteret. Quod ſi aliquid nominis illic comparaſſet, mirum non eſſe: evenire enim Gallis quod ait Solomo, nempe animis famelicis etiam amara eſſe dulcia. Adhæc magnam iofirmitatem declaraſſe in ſuis concionibus. Nos quidem, non exprobrandi aoimo bæc commemorare, ſed ineptis ejus jactantiis cogi. Ita diſceſſum eſt, niſi quod unuſquiſque pauca verba ſuhjecit, ad hominem mitigandum: ſcis quid profectum fuerit. Paulo poſt dixit io diverſorio, ſe hic oullos reperire doctos homines: atque ut videas hominem plane furioſum, dixit nulla occaſione. Quum unus fortaſſe me & Viretum nominaſſet, reſpondit faſtuoſe, myriadem eſſe in Gallia multo doctiorum. Quid refert? inquies. Ego vero iſtas ineptias, ut par eſt, rideo. Animadverto tamen eſſe certa argumenta malevoli ac maligni animi. Rogabis quam ſit doctus qui in alios omnes adeo ſeverus eſt cenſor. Vidiſti multos aſinos, finge te unum ex illis videre. Dum hæc ſcribo, literæ mihi tuæ afferuntur, quibus rurſum flagitas ut alter noſtrûm iſtuc veniat. Atqui ſi ſcias quam multa & neceſſaria nos hic detineant, facile excuſatos habeas. Magnam fratrum multitudinem nunc habemus, quibus in ſingulas horas reſpondendum eſt. Inter eos duo ſunt ſaltem, de quibus non modo bene ſperamus, ſed ſplendide nobis pollicemur. Alii ſunt etiam non inepti, ſed illi duo excellunt. Nuncius tuus nondum colloquutus eſt nohiſcum, ſed poſt Catechiſmum ad me veniet. Vale, frater integerrime. Viretus te plurimum ſalutat, cujus nomine hæc ſcripſi, longe plura additurus ſi otium foret: ſed jam alio vocor. Utinam liceret chartam hanc implere: materia enim ſuppetit & animus non deeſt, ſed abrumpere omnia cogor. Iterum vale. 10 Maii. M.D.XLII.

CALV. FARELLO.

UTinam ita ad præſentis vitæ contemptum, ac ſanctæ mortis meditationem erudiar, ut hic annus multis piorum funeribus mihi luctuoſus fuit. Poralis primus urhis Syndicus ad Dominum migravit: cujus mors nobis, ut par erat, triſtis atque acerba fuit. Ipſius vero mortis ſpecies ut noonihil mihi ſolatii attulit, ita ex adverſo mihi dolorem auxit, dum cogito quantum io eo homine perdiderimus. Poſtridie quam in morbum inciderat, quum eſſemus apud eum ego & Viretus, denunciavit ſe de vita periclitari: morbum eoim quem patiebatur, familiæ ſuæ eſſe fatalem. Habuimus deinde longum ſermonem de rebus variis: ſic loquebatur, quaſi ſana eſſet ac integra valetudine. Biduo quod proxime ſequutum eſt acrius laboravit, ſic tamen ut ingenio & loquendi dexteritate magis vigeret, quam tota vita: quiſquis ad eum viſendi cauſa acceſſerat, audiebat præclaram aliquam exhortationem: ac ne putes futilem fuiſſe loquacitatem, quantum fieri potuit aptiſſime ſingulis accommodabat, quod illis conveniret ac prodeſſet. Cœpit inde meliuſcule habere, ut ſpes optima eſſet reſtitutum propediem iri. Triduum duravit hic ſtatus. tandem iterum morbus ingraveſcere, ut conſtaret maximum eſſe periculum. Quo tamen afflictior erat corpore, eo ſpiritus vividior fiebat. Taceo medium illud tempus. Quo die mortuus eſt, circiter nonam ante meridiem, illuc venimus ego & Viretus. Quum pauca verba feciſſem de cruce, de gratia Chriſti, de ſpe vitæ æternæ, nolebamus enim prolixis ſermonibus eum fatigare, excepit ſe accipere Dei nuncium ut par erat, ſe enim ſcire quam vim baberet Chriſti miniſterium ad confirmandas conſcientias fidelium. Illic de miniſterio ac toto illius uſu ita ſplendide diſſeruit, ut nos ſtupore ambos afficeret: ac quoties mihi in mentem venit, adhuc obſtupeſco: ſic eoim loquebatur, ut videretur orationem ab aliquo noſtrûm diu ac diligenter meditatam referre. Hanc partem ſic concludebat, ut diceret ſe remiſſionem peccatorum, quam ex mandato Chriſti polliceremur, non aliter accipere quam ſi Angelus ſibi è cœlo apparuiſſet. Deſcendit poſtea ad uoitatem Eccleſiæ, quam miris elogiis commendavit, teſtatus nullum ſe habere melius nec certius ſolatium in certamine mortis, quam quia in illa unitate jam plane confirmatus eſſet. Collegas autem noſtros paulo ante vocaverat, ac redierat cum illis in gratiam, ne ſi in illo diſſidio perſtitiſſet, eo exemplo alii abuterentur. Dixerat autem nobis, Quum publica Eccleſiæ ædificatio vos cogat ad illos pro fratribus tolerandos, cur non eadem ratione pro Paſtoribus agnoſcerem? Admonuerat tamen eos ſerio, ac illis quid peccaſſent in memoriam reduxerat. ſed redeo ad illam poſtremam orationem. Converſus ad eos qui adſtabant, hortatus eſt omnes ut Eccleſiæ communionem baberent commendatam: eos vero qui in ceremoniis & diebus ſunt ſuperſtitioſi admonuit, ut depoſita pervicacia nobis acquieſcerent. oos enim melius ac prudentius videre quid expediret quam illos: ſe quoque in illis fuiſſe magis obſtinatum, ſed datos ſibi demum oculos, ut videret quam noxia eſſet contentio. Poſtea confeſſionem edidit brevem ac gravem ac luculentam. Inde nos hortatus eſt, cum ad alias officii partes, tum vero ad conſtantiam: nec ſecus ac vates aliquis de futuris difficultatibus ſermonem habuit. De Rep. mirum quam ſapienter dixerit quod ad rem pertinebat. In primis ut reconciliandis ſociis urbibus pergeremus operam ſtudiumque impendere commendavit. Quicquid vociferentur clamoſi aliqui, dicebat, non oportet vos animis frangi. Non habeo tantum temporis ut omnia perſequar. Nos ubi aliqua ſubjecimus, concepimus orationem. ſic diſceſſimus. Secunda pomeridiana, quum uxor mea veniſſet, juſſit bono animo eſſe quicquid accideret: cogitaret ſe non temere, ſed mirabili Dei conſilio huc adductam, ut ipſa quoque Euangelio ſerviret. Paulo poſt deonciavit, vocem jam ſibi eripi. Cæterum etiam ſine voce confeſſionem ſe retinere in animo, quam prius ediderat, ac in ea moriturum. Illic recitato Simeonis cantico, atque ejus interpretatione ad ſe applicata, Vidi, inquit, & manu tetigi ſalutare iſtud, atque ita ſe ad quietem compoſuit. Exinde ſermone fuit deſtitutus, nutibus tamen indicabat, ſe nihil de animi vigore perdidiſſe. Sub horam quartam veni illuc cum Syndicis. Quum aliquoties erumpere

in

in ſermonem conatus eſſet, & faucibus impediretur, juſſi ne ſibi moleſtus amplius foret, abunde ejus confeſſione ſatisfactum. Cœpi tandem loqui ut potui, audivit vultu admodum compoſito & tranquillo. Vixdum eramus egreſſi, quum ſanctam animam Chriſto reddidit. Hæc narratio vix tibi erit credibilis, ſi expendas hominis naturam: verum ſcito fuiſſe novo prorſus ſpiritu tunc donatum. Nunc in deligendis novis Collegis ſumus valde occupati, eoque magis, quod dum putamus nobis contigiſſe aliquem valde idoneum, poſtea deprehendimus noſtræ expectationi non ſatis reſpondere. Ubi aliquid conſtituerimus, intelliges. Neque enim, quum abſis, juvare nos conſilio potes. Vale. 16 Junii. M.D.XLII.

JOAN. CALVINUS N. S.

UTinam mihi jam redditæ eſſent tuæ literæ quas in itinere eſſe non dubito. Nametſi nihil læti in illis expecto, tamen hoc ipſum nonnihil me juvaret, aliquid certi cognoſcere de ſtatu Eccleſiæ veſtræ. Nunc ſcribere cogor de re mihi incognita: nec tamen mihi temperare queo, quin ſcribam. Audio evocatos fuiſſe in urbem claſſium omnium Decanos, ut audiant, quidnam de Cœna Domini ſtatuerit Princeps. Nihil dicturus ſum, quod tu non jam ſatis ſuperque meditatum apud te habeas. Magnitudo tamen ipſa cauſæ tacere me ac quieſcere non patitur. Duo hic ſpectanda eſſe vides, ſtatum ipſum quæſtionis, & rationem agendi, quæ partim ex circumſtantiis pendet. De cauſa non opus eſt te monere, ut cum N. diligenter conferas. Hoc tamen velim tibi curæ ſit, apud eum efficere, ut apud quoſcunque loquatur, non dubitet hoc teſtatum relinquere, non modo figurari in Cœna communionem quam habemus cum Chriſto, ſed etiam exhiberi: neque verba illic nobis dari à Domino, ſed veritatem ac rem conſtare cum verbis. Hanc porro communionem noo imaginariam eſſe: ſed qua in unum corpus, unamque ſubſtantiam cum capite noſtro coaleſcamus. Excludat interim libera voce omnia abſurda, excipiat, caveat, modo in illo capite tam neceſſario nihil extenuet. Neque enim ambiguis aut obſcuris verbis implicare licet, quod ſummam lucem ac perſpicuitatem requirit. In ratione agendi, hoc expendere oportet, quale exemplum edituri ſint fratres, ſi doctrinæ judicem habeant Principem, ut quicquid ſanxerit, amplectendum protinus ſit atque habendum pro oraculo. Quale ac quantum ſit hoc præjudicium ad poſteros. Certe ſi ita patimur nobis jugum imponi, prodimus noſtra diſſimulatione ſacrum miniſterium. Neque hanc perfidiam, vel coram hominibus excuſare poterimus. Verum minime neceſſe erit in hanc contentionem deſcendere: quando modeſto civilique reſponſo declinare hunc ſcopulum fratres poterunt, ſi dicent majorem eſſe cauſam, quam ut inconſultis ſuis Collegis aliquid recipiant. Habebunt autem ſpecioſos ac favorabiles prætextus, quibus illi ſatisfaciant. Illud quoque prætereundum non eſt, ut ubi bonam cauſam eſſe viderint, illuc ſerio ſe applicent: ne, dum medii eſſe volunt, deſerant veritatis defenſionem. Non intelligo ut ſe adjungant ad vitia: vel ſi ambæ partes peccent, ſe implicent alterius ſocietate. Hoc tantum volo, ut rectæ ſanæque ſententiæ palam nec diſſimulanter adhæreant. Poſtremo fratri noſtro expone, quid de hominibus ipſis ſentias, & quid in illis deprehenderis: ut ſciat quibus fidem habere ac dare debeat. Sed ineptus ſum, qui tam anxie te inſtruo, quaſi non ſatis ſit uno verbo ſignum dare. Finem igitur faciam. Vale, optime ac ſuaviſſime frater. Dominus Jeſus te Spiritu ſuo ſemper regat ac confirmet magis magiſque. Saluta mihi omnes fratres. Genevæ, 23 Auguſt. M. D. XLII.

Joannes Calvinus tuus.

JOAN. CALVINUS N. S.

TErtio die ex quo tibi ſcripſeram, venit ad me N., ac quid actum eſſet, breviter expoſuit. Mihi vero, ut ſimpliciter tibi quod ſentio fatear, ſummopere omnia diſplicent. De edicto dicam poſtea. Verum Decanos quis coëgit reſponſum illud dare, quo præjudicium Collegis ſuis omnibus afferrent? Utinam vel abfuiſſet N., vel aliud cor, aliudque conſilium ad hanc cauſam attuliſſet. Hoc ideo dico, quia N. mihi narravit, ejus culpa factum eſſe, ut Decani ſic præcipitaverint. Video quid ſit, Cui religio non eſt, periculi metu per omnes Sanctos dejerare, is deinde hominum gratiæ hoc vel illud concedere non dubitat: quia obnoxius, ut eſt, ſibi videtur. Reſpondeant pro ſe alii quicquid volent: mihi tamen ſuam hanc facilitatem nunquam probabuot. Quantum ad ſummam ipſam ſpectat, ut tibi penitus aſſentiar, conſcientia mea oon patitur. Edictum nempe tolerabile eſſe cenſes, ac tuto à vobis poſſe recipi. Expendamus ergo id quod continet. Principio approbat N. formulam. At qualis illa eſt obſecro? Tu Buceri obſcuritatem vituperas, & merito. At nihil eſt in Bucero adeo perplexum, obſcurum, flexiloquum, atque, ut ſic loquar, tortuoſum. Exceptio tamen additur, ut tam hæc confeſſio quam catechiſmus locum habeant, ſi certo modo explicentur. Quo remittimur? Hoc ergo à vobis quæritur, ut ſpondeatis vos nunquam diſceſſuros à ſententia vobis incognita. Deinde quid putas illic fuiſſe diſputatum, niſi Chriſtum non eſſe incluſum in pane? Id autem N. perinde accipit, acſi nihil aliud foret quam ſignum. Quicquid ſit, non auſim credere myſterium Cœnæ illic fuiſſe bene ac rite explicatum. At confeſſio N. adjungitur. Equidem non nego quin iſtud multum ſit: ſed mihi non ſufficit, præſertim ubi omnia iterum ad diſputationem illam & formulam quæ in Cœnæ adminiſtratione recitari ſolet, exiguntur. Atque ut hoc unum mali ſit, perſuaderi nequeo, qui ſententiam hanc tulerunt, ſanam de hac re ſententiam tenere. Jam ejus erit interpretari, cujus fuit pronunciare. Ita perjurii alligatus judicabitur, qui ſecus docuerit, quam ipſi judices aſſequantur. Neque hac ſola in parte erit periculum. Vetat enim ne de ullo novo ritu aut novis ceremoniis verba poſthac fiant. Quis autem neſcit, illum & excommunicationem, & frequentiorem Cœnæ uſum, & multa alia hoc nomine comprehendere, quæ nos deſideramus, ac reſtituta cupimus? Tacendum tamen erit. Quum ita ſcientes ac volentes laqueum vobis induitis, cogitate non finem calamitatis hic fore, ſed ioitium. Dominus enim veſtram mollitiem ſeveriore aliquo flagello corriget, ſi negligitis occurrere, quum palam jaciuntur fundamenta pernicioſæ tyrannidis. At quid faceret Princeps, inquis? Nondum dico quid ille peccaverit in ipſo ordine agendi: tantum demonſtro, quam non ſit tutum vos aſtringere, niſi magna cautione adhibita. Quod ad ratiooem modumque agendi pertinet, agnoſco quod dicis, majorem partem culpæ in miniſtris hærere: hæreo tamen quum lego edictum: tanta illic & ferocia & ſuperbia ſe oſteodit. Sententiam ſuam vocat definitivum [illegible], cui contradicere non liceat. Promulgat, non ut libertas ſit miniſtris reſpondendi: ſed ut ſequantur, teneant, obſervent, quod placuit. Agnoſco etiam quod poſtea commemoras, N. juſtas pœnas dare ſuæ vel ambitionis, vel malignitatis, quod in tam miſeram ſervitutem cogitur: quia pati non potuerit fratres ſecum eſſe liberos. ſed nos ſimul plectimur, imo in totam Eccleſiam pœna hæc redundat. Nam hoc exemplo edito, poſthac neceſſe erit doctrinam noſtram, non modo poteſtati, ſed notui unius etiam hominis & quidem imperiti ſubjectam eſſe: ut loquendum ſit aut tacendum,

dum, ſimul atque digito ſignum dederit. Neque tamen expedire cenſebam, ut fratres hac de re in certamen deſcenderent: ſed videbantur mihi habere honeſtum prætextum declinandi, ſi cum excuſatione civili & modeſta confeſſionem ſuam offerrent. Atqui non poſtulatur ab illis confeſſio, inquis. Ego vero ideo dandam fuiſſe puto. Vale frater. Dominus ſemper te conſervet ac dirigat. Saluta omnes fratres: quibus tamen non communicabis omnia. Genevæ, 3. Idus Septembr. M. D. XLII.

Joannes Calvinus tuus.

Myconius Calvino.

Quia hactenus ſcribendi conſuetudo non fuit inter nos, Calvine doctiſſime, potuiſſem & nunc ſuperſedere, niſi legati Genevenſes tam officioſe tuo me nomine ſalutaſſent, & petiiſſent ut aliquid ad te perſcriberem. Gaudeo igitur in primis, quod intelligo ex literis Bernatum, quam bene inter vos conveniat. id enim fuit vel primum quamobrem ego ſollicitus cum illis egerim, ut omni ſtudio niterentur, ut in Domino foveretis concordiam Videbatur ea res habitura momenti aliquid, ut facilius inter Civitates quoque fieret in poſterum reconciliatio. Id quod etiamnum inſidet, tantum vos qui eſtis à concionibus, quod veſtrum eſt adbibere ne negligatis. Qui in Domino & ejus doctrina ſunt amici, non videntur indigere labore, ut in cæteris etiam fiant concordes. Quod illi ſcripſerunt de te, idem ſcribunt de Farello: itaque ſpes eſt, ut amicitia ſic manente, propediem audituri fructum aſiquem ſimus, quales ex ejuſmodi radice ſolent ſuppullulare. Gaudium illud eo majus eſt in me, quam hactenus ſenſi, quantum ſit malum in Eccleſiis diſſidium inter fratres. Bone Deus quam ea res devaſtavit! Nam etiam Caroloſtadio defuncto, non video fierine queat, ut Eccleſia noſtra coaleſcat aliquando: adeo ſemen odii ac invidiæ à malo iſto Satana ſeminatum eſt, qui haud novit quieſcere, præſertim ubi Chriſti gloria per Euangelii ſinceram prædicationem eſſloreſcit. Quia cœpi, dicam quod non inſtitueram, rem, imo dogma valde turbulentum ac peſtilens, in quo ſe quidam miris verſant modis laici, ſed in poteſtate poſiti, ſiquando poſſint nos, qui verbo præſumus, auctoritatemque noſtram labefactare. Senatus, inquiunt, Eccleſia eſt. Alii ſic efferunt, Eccleſia ſuper curiam eſt. Quæ ratio ſit dogmatis, patet: libertatem noſtram vellent oppreſſam cum in docendo tum in corripiendo: nam etiam nunc excommunicationis vim omnem ad ſe rapuerunt. At quis ſit auctor, etſi novi, libenter hoc tempore in dubium verto. Non bene erit illi quondam coram tribunali Chriſti. Quid animi vero putas Calvine ineſſe tali viro, niſi quod hac ratione, quicquid prius vendicavit in munere Eccleſiaſtico ſibi Papa, illud ipſum, quiſquis ille tandem, conatur vendicare Magiſtratui? Conſilium hoc tanto pejus, quanto Magiſtratus hodie ſunt à literis atque à cognitione rerum divinarum & Eccleſiaſticarum remotiores. Aiunt Moſen principem ſecularem (ſic didicerunt ab auctore dogmatis) præſcripſiſſe Aaroni fratri omnia, Davidem Regem Sacerdotibus, alioſque Reges pios. quidni igitur fieret idem in ſacerdotio novi Teſtamenti? Quid ſi laicis hujuſmodi argumentis fuerit perſuaſum? Hæc breviter apud te dicta velim, non etiam apud alios: & gratum faceres, ſi per otium ad ea reſponderes aliquando mihi, par redditurο, ubiubi fuerit occaſio & facultas. De Vireto ſcribam ad Bernates quum primum potero, ſed fratrum nomine, ut auctoritas ſit major, ſiqui dimpetrari valeat. Vellemus enim & nos iſtam Eccleſiam eſſe, in bonum aliarum, quam inſtructiſſimam. Bucerus abiit, ſi neſcis, Spiram ad Comitia, profecturus forſitan inde Coloniam. Quid illic negotii ſit, nondum comperi. De Comitiorum actis ideo nemo quicquam novit, quod adhuc non omnes ſunt congregati. Spargitur diſſenſionem eſſe inter Principes & Civitates ob pecuniam, & milites dandos contra Turcam. Gaudeo quod Chriſtus Dominus eſt, alioqui totus deſperaſſem. Ille ſervet Eccleſiam ſuam. Vale in Chriſto cum Vireto mihi chariſſimo, & cum tota Eccleſia tua. Baſileæ, 10 Febr. anno M. D. XLII.

Oſ. Myconii tuus.

Sultzerus Calvino s.

Binas ad te dedimus dierum non ita multorum intervallo. Itaque & tuas expectamus jam, idque eo avidius, quo magis tuum Eccleſiæque ſtatum cupio cognoſcere. Quanquam enim audiam non ſine voluptate felicem iſtic Eccleſiaſticæ reformationis diſciplinæque communis ſucceſſum, te tamen ſcribente & rectius liceat ſingula perſpicere & animo meo magis exultare, quippe qui ſpem foveam, aliquando noſtram nobis ignaviam Eccleſiam iſtam vel exemplo tacito opprobraturam utiliter. Neque nos ſane ſpem abjecerimus, revocari aliquando miniſterii ſacri cum ſuis partibus auctoritatem, Eccleſiæque vel aliquam faciem conformari poſſe: ſi ſublato fatali diſſidio liceat aliquando ὁμοθυμαδὸν in communem cauſam incumbere, præſertim quum tu & tui ſimiles velut lætæ aves prævolantes appareant, nec ſinant deſpondere animum. Dominum itaque precor totius pacis charitatiſque patrem, ut ſuum Spiritum impartire nobis dignetur, uti prodigioſa hæc lues tollatur è grege ſuo: nobiſque donet ut certis, moderatis ac ſalutaribus conſiliis cuncta peragamus. Cæterum ex Argentorato heri Adrianus alumnus noſter fauſto nuncio ſignificavit Colonienſem Epiſcopum, profligata Papiſmi impietate, reformationem religionis per totam ditionem ſuam moliri D. Buceri auſpiciis, qui denuo nunc ſerioque ab ipſo accerſitur, crediturque eo profecturus vere ſanctus Chriſti Apoſtolus. Idem vero etiam Monaſterienſem Epiſcopum meditari, ac utrumque ad Proteſtantium fœdus aſpirare. Nam de Argentinenſi nimirum accepiſti, qui Argentinenſium & quorundam ſuorum hortatibus impulſus, colloquium in Molsheim inſtituit, quod hoc ipſo tempore DD. Bucero, Hedione, aliiſque præſentibus peragitur, mox nimirum auſpicatoque aperturum per eam quoque provinciam Euangelio oſtium. Dominus Jeſus largiatur felicem progreſſum, non ſolum propter horum ditiones ampliſſimas, verum etiam propter exemplum quod hactenus inuſitatum: ita nimirum etiam alios invitaturum ad capeſſendam alacrius Euangelicam veritatem, qui per metum forte nihil ſunt primi auſi tentare. De Farello noſtro nimirum ex Buceri literis omnia intelliges: cujus anguſtiæ mirifice meum animum ſollicitum habent atque percellunt. Dominus & illius & Eccleſiæ miſereatur, qui ſolus poteſt repreſſa tempeſtate ſerenitatem inducere, ut qui verbo mare ſedat quamlibet fremens exitiumque minitans. Nos tantum eum precibus excitemus cum noſtris tum Eccleſiarum noſtrarum, & verorum Chriſti membrorum συμπάθειαν declaremus. Non deſino expectare lætius aliquod nuncium, quod utinam brevi accipiamus. Wittebergæ, ne & hoc neſcias, D. Lutherus Euchariſtiæ ſublevationem, in Cœnæ ſacræ adminiſtratione exercitam hactenus, ſuſtulit, tintinnabulique pulſum, propterea quod & Gallos quoſdam & Germaniæ ſuperioris ſtudioſos ea ceremonia offendi intellexiſſet. Sed & in Eccleſia Lipſienſi ipſo conſentiente his menſibus excepto uno, altaria omnia ſunt confracta & ſimulachra omnia ſublata, ut plane declararit ſe non tam cerebroſum præfractumque quam vulgo habetur & audit. Id igitur nuncium mihi ab homine fidei exploratæ ſignificatum eo me oblectavit impenſius, quod ſperem plu-

rimum

rimum ponderis ad catholicam Eccleſiarum conſenſionem habiturum hoc factum, quando rituum vel copia vel diverſitate apud Saxonas non pauci offenduntur hactenus, maxime quum non deſint ubique artifices mire ad calumniam omnia detorquendi, & cavillandi. Paulus Fagius Iſnenſis D. Capitoni piæ memoriæ ſucceſſurus fertur tum in miniſterio Eccleſiaſtico tum Theologiæ profeſſione, iſque in horas expectatur. Hæc te ſcire volui. Quicquid erit te non celabo, quem ex animo & vere colo & diligo. Dominus te ſervet cum uxore & ſymmyſtis, quos meo nomine amanter & diligenter ſalutabis. Salutant te Contzen. Beat. Gryn. & Telamon. Vale. Bernæ, 21 Octob. anno M. D. XLII.

Tuus Sultzerus.

Bucerus Calvino.

Gratiam & pacem. Quam infeliciter ſibi conſuluerint Metenſes, quum regnum Chriſti, non niſi certi de brachio carnis admittere voluerunt, in dies gravioribus calamitatibus pateſit. Dominus corrigat quod à nobis peccatum eſt, & excitet regnum ſuum ſuo brachio. Colonia moliebatur aliquid pro Chriſto: id vereor ut nunc bello, quod Brabanti intulerunt Juliacenſi, etiam differatur. Noſter quoque moliri cœpit aliquid, ſed adverſarii, dum non valet id advertere, extrahunt etiam tempus quantum poſſunt. Utinam ſentiremus & bona & mala noſtra, & conſiderantes rite in Domino, veris ſupplicationibus incumberemus! Pœnitentia vera, etiam apud Euangeliciſſimos, ignoratur. Chriſtus nos excitet & ſuo Spiritu impleat. Res noſtræ hic habent, ut ſolent, ſatis languide pro donis nobis collatis: orate pro nobis ut magis inardeſcamus. Ludus literarius non incommode habet. Advenit ex Italia vir quidam Græce, Hebraice & Latine admodum doctus, & in Scripturis feliciter verſatus, annos natus quadraginta quatuor, gravis moribus & judicio acri, Petro Martyri nomen eſt. Præfuit Canonicis regularibus Lucæ: adduxit tres, unum Græce doctiſſimum, reliquos duos juvenes ſtudioſos. Hic laboravimus jam ne in tantis Eccleſiæ noſtræ opibus hi eſuriant. Reſpice nos Domine Jeſu. Hic te ſervet & tuos. & habete noſtram Eccleſiam, ut ſoletis, in veſtris precibus commendatam. Vale. Argent. 28 Octob. M. D. XLII.

M. Bucerus.

Calv. Monsbelgardensibus.

Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto fratres chariſſimi & obſervandi.

Tametſi Neocomum duntaxat duo iſti fratres miſſi à vobis fuerant, ad conſulendos ejus loci miniſtros: illorum tamen hortatu hucuſque ad me profecti ſunt, ut de quibus petebatis ab ipſis conſilium, meam ſimul ſententiam ad vos perferrent. Ego vero non tantum mihi ſumo, ut audeam non rogatus me in veſtras conſultationes medium ingerere, meamque interponere opinionem. Sed quoniam nominatim adjecerat in literis ſuis frater noſter Toſſanus, cupere vos meum & aliorum judicium audire, minime ſum veritus ne mihi arrogantiæ aut temeritati daretur, ſi vobis ſimpliciter exponerem ac paucis, quid eſſem ipſe facturus ſi perſonam veſtram ſuſtinerem. Jam quidem ante duos menſes quid ſentiam aliqua ex parte fratri noſtro Toſſano privatim indicavi: nunc vero quoniam capita mihi recenſuerunt fratres, de quibus ambigitis, aut de quibus ſaltem nonnihil eſt inter vos controverſiæ an recipi à vobis debeant: de ſingulis quid mihi videatur, breviter reſpondeo. Ut ſe repræſentent miniſtro & offerant ad examen, qui Cœnæ Dominicæ communicare volunt, adeo non diſplicet, ut potius id ſentiam ultro à nobis eſſe expetendum. Erit enim optimus piæ ſanctæque in Eccleſia diſciplinæ nervus. Verum quia proclivis inde lapſus foret ad corruptelam aliquam: ut obviam eatur periculis omnibus, utile erit ſimul præſcribere limites, quibus legitimus uſus definiatur: primum ut ſit tanquam privata catecheſis ad rudes familiariter edocendos; demum ut uſui ſit ad eos monendos & objurgandos, qui officio ſuo parum reſpondent: poſtremo ut ad trepidas conſcientias erigendas & confirmandas valeat. De Cœnæ adminiſtratione ita ſentio, libenter admittendum eſſe hunc morem, ut apud ægrotos celebretur communio, quum ita res & opportunitas feret. Nec magnopere etiam repugnandum eſſe, quin maleficia detur qui plectendi ſunt, ſi quidem poſtulent, & ad receptionem ſatis comparatos eſſe appareat: hac tamen lege, ut ſit vera communio: hoc eſt, ut panis in cœtu aliquo fidelium frangatur. Cœnam vero in ordinaria concione inſtitui extra ordinem unius rogatu nimis abſurdum eſt: neque enim decet proponi coram omnibus ſacrum illud epulum, quod omnium commune eſt, ſine ſolenni denunciatione, ut ad participationem ſe Eccleſia comparet. Eo autem modo fieri quo Princeps jubet, quid aliud foret quam ſubjicere uniuſcujuſque libidini publicum Eccleſiæ ordinem? Quod ſi neceſſitatem objiciunt, eſt cur recuſetis frequentiorem uſum, ne quis amplius neceſſitatem obtendat, qui in cœtum modo convenire poterit. Baptiſmum obſtetricibus permittere, impia & ſacrilega eſt Baptiſmi profanatio. Ergo hoc caput non tantum repudiandum judico: verum, ſi urgere vos Princeps ultra modum pergat, uſque ad ſanguinem reſiſtendum potius quam huic non tolerandæ ſuperſtitioni conſentiatis. Rogabat Chriſtus Phariſæos undenam Joannis Baptiſmus foret: è cœlo an ab hominibus? Nam ſi hoc ſecundum confeſſi eſſent, promptum erat colligere, vanum igitur eſſe & nullius momenti. Jam obſtetricum Baptiſmus unde erit? certe non ab eo qui hoc munus peculiariter Apoſtolis mandavit. Supereſt igitur ut à contrario auctore. Auguſtinus non de muliere, ſed de privato viro movet quæſtionem, an ſi baptizet in neceſſitate, peccet. Reſpondet deinde dubitanter, ut excuſet magis quam probet. Certe non aſſerit licere: quin potius fatetur ſubeſſe delictum. Verum ſi Chriſti regulam ſequimur, nullus reſtat locus dubitationi. In ſepultura mortuorum hanc moderationem vellem adhiberi ne in templum funus deferretur, ſed recta in cœmeterium. Illic quoque exhortationem haberi vellem, ut in re præſenti funeris comites agnoſcerent quod diceretur. Hæc ratio non admodum improbanda foret. De campanæ pulſu nolim vos pertinacius reclamare, ſi obtineri nequeat ut Princeps remittat: non quia probem, ſed quia rem contentione non dignam arbitror. In feſtis non recipiendis cuperem vos eſſe conſtantiores, ſic tamen ut non litigetis de quibuslibet, ſed de iis tantum quæ nec in ædificationem quicquam factura ſint, & ſuperſtitionem prima ipſa facie præ ſe ferant. Et habetis plauſibilem recuſandi materiam. Nam in Papatu magna celebritate Conceptionem & Aſſumptionem Virginis coluerunt. Quid habebit ſervus Chriſti quod dicat, ſi ſuggeſtum conſcenderit illis diebus, niſi ut eorum ſtultitiam rideat qui tales ferias excogitarunt? Breviter & nudis verbis ſenſum meum explicavi. Argumentis agere vobiſcum, vel ſupervacuum, vel non adeo neceſſarium viſum eſt, quando pro veſtra prudentia ſine alio monitore quæ me rationes moveant, expendere poteſtis. Jam video quæ & quanta in exorando Principe vos difficultas moveat. Verum ſi modeſta deprecatione oſtenderitis vos non poſſe aliter niſi velitis in ejus gratiam Chriſto illudere, non dubito quin tam æquo poſtulato ad extremum ceſſu-

rus ſit. Hanc ob cauſam ſuadeo ne vos nimis difficiles ac moroſos, quoad licet, præbeatis. Nam ubi hanc veſtram moderationem animadverterit, faciliusadducetur ut nonnibil vobis ipſe quoque viciſſim concedat, præſertim ubi viderit vos oon abſque cauſa pugnare. Quod autem vos terret offendiculorum periculum, ſi quam novam agendi formam receperitis quæ non ſit noſtris Eccleſiis uſitata, id quidem merito facitis: ſed quia non eo ventum eſt perfectionis quin optemus adhuc progredi, hic timor vos impedire non debet ab iis ritibus admittendis, quos alioqui non liceat penitus improbare. Valete optimi & mihi obſervandi fratres. Collegæ mei diligenter vos ſalutant, qui ab hoc meo judicio nihil prorſus diſſentiunt. Dominus Jeſus vos ſemper Spiritu ſuo gubernet. Genevæ, Nonis Octob. M. D. XLIII.

Joannes Calvinus veſter.

Myconius Calvino.

SCis quid egerit Cæſar in Germania inferiore contra Hildesheimenſes, Antverpiæ item contra bonos & doctos quoſdam quos ejecit: ut prohibuerit ne cibus detur aut hoſpitium infectis nova doctrina, ſic enim vocat Euangelicam: ut Colonienſem civitatem corroborarit adverſus Archiepiſcopum: & tandem ut Euangelium ac Euangelicos homines Meti nuper profligarit, miſſo in hoc legato Carolo Boiſot J. Doctore, boſte nominis Chriſti truculentiſſimo: id quod reipſa probavit ſatis: ejecit enim D. Valtrinum Sylvium (qui illic juſſu Senatus & plebis aliquandiu prædicavit Euangelium) non ſine ignominia: vocavit enim hæreticum, qui vi intruſus à Proteſtantibus, prædicarit Metenſibus horum dogmata. De quibus, & de Colonienſi palam dixit, omnium impiorum & ſchiſmaticorum, & bæreticorum eſſe peſſimos. Amputavit præterea linguam mulierculæ quæ invecta erat in Miſſam Papæ verius quam petulantius: & hæc pœna fuit ex gratia, nam ſententia lata mergi debebat. Hodie cum multis aliis exulibus Argentinæ moratur. Articuli quos præterea ſtatuit ſervandos, tales ſunt, ut miniſtrum Antichriſti & Satanæ non obſcure intelligas. Talem boſtem ergo quum in Germania habeamus cum exercitu ſæviſſimo, quid non ad pacem omnibus virihus laboramus potius quam ad diſcordiam? Obliti credo ſumus Deum pacis eſſe Deum, non diſſenſionis. Hoc enim ſi recto conſideraremus animo, non dubium eſt quin poſtquam Euangelium ejus profitemur, à noſtris affectibus ceſſantes, paci nos devoveremus. Oremus ſimul itaque, & imploremus Dominum, ut is finem contentioni tandem inveniat, poſtquam in nobis nihil ejus reperiri licet. Ille adſit, quæſo, verbo & Eccleſiæ ſuæ. Pergera dicitur Archiepiſcopus Colonienſis plane ſine terrore, ſimiliter & Monaſterienſis in proferendo Euangelio quam latiſſime. Dominus adſit. Omnia præterea nunc verſantur in conſultando, ut videlicet in annum futurum, Satanæ frenis permiſſis, omnia miſceantur. Equidem dico, Domine fiat voluntas tua. Vale in Chriſto cum piis fratribus omnibus. Baſileæ, 23 Novembr. anno M. D. XLIII.

Oſ. Myconius tuus.

Calv. Farello.

QUod bene vertat Deus, hic retentus ſum ut volebas: ſupereſt ut Viretum quoque mecum retineam, quem à me avelli nullo modo patiar. Tuæ quoque omniumque fratrum partes me hic adjuvare, niſi vultis me fruſtra excruciari, ac ſine commodo eſſe miſerrimum. Ubi operam meam Senatui detuli, expoſui non poſſe conſiſtere Eccleſiam, niſi certum regimen conſtitueretur, quale ex verbo Dei nobis præſcriptum eſt, & in veteri Eccleſia fuit obſervatum. Capira deinde quædam attigi, unde intelligerent quid vellem. Sed qoia tota res explicari non poterat, petii ut nobis darentur qui nobiſcum conferrent: ſex nobis dati ſunt. Conſcribentur de tota Eccleſiæ politia articuli, quos deinde Senatui exhibebimus. Collegæ tres ſe nobis duobus conſentire præ ſe ferunt. aliquid ſaltem obtinebitur. Qualirer cum veſtra Eccleſia agatur, reſcire cupimus. Quanquam ſperamus Bernatum & Biellenſium auctoritate motus illos vel compoſitos in totum eſſe, vel nonnihil ſedatos. Quando tibi cum Satana eſt certamen, & ſub Chriſti vexillis militas, dabit victoriam is qui te armavit, atque in hanc pugnam pertraxit. Verum quoniam bona cauſa bono actore indiget, vide ne ſic tibi indulgeas, ut ſit aliquid quod boni quoque merito deſiderare in te queant. Non hortamur te ut bonam ac puram conſcientiam hic præſtes, de quo nihil ambigimus. Tantum cupimus ut quoad per officium licebit, te populo magis accommodes. Duæ ſunt, ut noſti, ſpecies popularitatis: altera quum ambitiooe & placendi cupiditate favorem aucupamur: altera quum moderatione & æquitate animos allicimus, ut ſe nobis dociles præbeant. Ignoſces, ſi liberius tecum agimus. Hac in parte videmus te bonis quoque ipſis non ſatisfacere. Etiamſi nihil aliud ſit, in eo tamen peccas, quod his non ſatisfacis, quibus te Dominus conſtituit debitorem: ſcis quantum te amemus, quantum te colamus. Hic affectus, imo hæc obſervantia nos impellit ad iſtam exactiorem ac rigidiorem cenſuram: quia cupimus in illis eximiis dotibus quas in te Dominus contulit, nullum extare nævum, qui malevolis carpeodi occaſionem quam captant, præbeat. Hæc ſcripſi ex Vireti conſilio, ideo plurali numero uſus ſum. Vale, optime & amiciſſime frater, *Genevæ*, 16 Septemb. M. D. XLI.

Calv. Myconio.

QUum buc primum appuliſſem, non potui, ut petieras, de ſtatu hujus Eccleſiæ te facere certiorem: quia ne ipſe quidem ſatiſdum habebam compertum, qualis eſſet: ab eo quoque tempore non auſus ſum certo aliquid aſſerere, rebus adhuc parum confirmatis, ne paulo poſt ante tempus laudaſſe pœniteret. Atque hæc cauſa fuit, cur abſtinuerim à ſcribendo, quum reipublicæ noſtræ legati iſtuc proficiſcerentur. Nunc quando in hac mea ceſſatione, pro tua humanitare antevertiſti, diutius jam differre non licet, quin tibi reſpondeam. De rebus noſtris ſic paucis habe. Primus menſis ex quo miniſterium recepi, tantum mihi negotii ac moleſtiarum exhibuit, ut propemodum conficerer. Tantæ molis eſt collapſum ædificium inſtaurare. Quanquam enim Viretus multa jam reſtituere feliciter cœperat, quia tamen totam ordinis ac diſciplinæ formam in meum adventum diſtulerat, fuit velut ab initio inchoandum. Quum, ſuperato hoc labore, reſpirandi otium mihi datum iri crederem: ecce novæ curæ & illæ non multo aliis prioribus leviores me ſubinde excipiunt. Hoc tamen me utcunque ſolatur ac recreat, quod non ſine fructu laboramus: qui etſi non tam copioſus extat quam optarim, non tamen ita eſt exiguus, quin appareat aliquam eſſe in melius factam commutationem. Et ſpes in poſterum amplior affulget, ſi mihi relinquatur Viretus. Quo majorem tibi gratiam & habeo, & ago, quia hujus ſollicitudinis partem mecum ſoſcipis, ne eum repoſcant Bernates: ac te vehementer per Chriſti nomen obteſtor, ut ſedulo ac diligenter id facere pergas. Nam quoties de ejus abitione cogito, totus exanimor. Fratres, ut ſpero, fideliter hac in re nos adjuvabunt (de miniſtris Bernenſibus loquor) ita enim amamus inter nos, ut mibi de ipſis optima quæqua

non

non ſecus ac de meipſo, audeam polliceri. Sed vereor, ne Senatus parum ſe facilem præbeat. Quicquid erit, omni ſtudio, diligentia, aſſiduitate in id incumbamus. Tuque adeo ipſe, quoad potes, enitere apud fratres, quemadmodum facturum te recipis. Quanquam enim voluntarios fore non dubito, proderit tamen veſtram ſimul exhortationem accedere. Collegæ alii impedimento nobis ſunt magis quam ſubſidio: multum arrogaotiæ & ferociæ habent, nihil zeli, minimum doctrinæ. Quod autem eſt peſſimum, fidere illis nequeo, etiamſi maxime velim: multis enim argumentis ſuam à nobis alienationem declarant: fidelitatis ac ſinceri animi nullum fere indicium præ ſe ferunt. Tolero tamen eos, vel foveo potius ſumma lenitate: à qua me abduci eorum improbitate non patiar. Quod ſi tandem neceſſitas ipſa poſtulabit acrius remedium, dabo tamen operam, modiſque omnibus effectum curabo, ne diſcordiis noſtris turbetur Eccleſia. Horreo enim factiones: quas ex miniſtrorum diſſenſione ſemper emergere neceſſe eſt. Potui eos, ſi voluiſſem, primo meo adventu abigere: atque id nunc quoque in manu noſtra eſt. Sed me hujus quam adhibui moderationis nunquam pœnitebit: ne quis me nimis vehementem fuiſſe merito queratur. Hæc ideo tibi obiter refero, quo melius perſpicias, quam miſer ſim futurus, ſublato Vireto. Quod Eccleſiæ veſtræ exemplo commemoras quam noxia ſit peſtis miniſtrorum diſſidium, id ego quoque ſuperioribus annis expertus ſum plus ſatis in hujus Eccleſiæ calamitate. Nobis, qui hic eramus, nihil conjunctius eſſe poterat. Sed quum Satan infauſtam illam ſimultatem inter fratres & nos excitaſſet, noſti ipſe quid ſequutum ſit. Itaque hoc prorſus apud me ſtatueram, niſi reconciliata cum illis gratia, hanc provinciam nunquam recipere: quia deſperaveram poſſe ullo modo utile eſſe hic meum miniſterium, niſi manum illi mihi porrigerent. Interim multi in eorum cœtu ſunt mihi parum amici, alii etiam palam infenſi. Sed hoc diligenter caveo, ne quid contentionis exoriatur. In urbe, ut jam dixi, habemus inteſtinum ſemen diſſidii: ſed noſtra manſuetudine & patientia efficimus, ut Eccleſia nihil incommodi inde ſentiat, atque ut nihil perveniat ad ipſam plebem. Norunt enim omnes quam placido humanoque ingenio ſit Viretus: & ego nihilo ſum aſperior, hac ſaltem in parte. Vix credes forſan: ſic tamen res habet. Tanti enim mihi eſt publica pax & concordia, ut manum mihi injiciam: atque hanc laudem mihi adverſarii ipſi tribuere coguntur. Quin etiam ex inimicis nonnulli ſponte in dies amici fiunt, alios comiter allicio, & proficere me nonnihil ſentio: utcunque non ubique ſuccedat. Poteram quum veni magno plauſu exagitare hoſtes noſtros, & plenis velis invehi in totam illam nationem, quæ nos læſerat; abſtinui: poſſem quotidie, ſi liberet, non modo impune, ſed cum multorum approbatione perſtringere; ſuperſedeo: imo ſumma religione id fugio, ne verbulo uno inſectari aliquem videar: nedum ſimul omnes. Hunc animum mihi Dominus confirmet. Accidit tamen interdum ut neceſſe ſit Collegis noſtris reſiſtere: ſed nunquam id facimus, niſi vel ſua importunitate nos cogant, vel aliqua gravior cauſa nos urgeat. Referam tibi exemplum unum, cujus me querimonia illa quæ in literis tuis continetur, propter argumenti ſimilitudinem, admonuit. Quum de erigendo Eccleſiaſtico judicio cogitaremus, atque id nobis Senatus detuliſſet, boni iſti viri coram aſſentiebantur: quia ſcilicet contradicere in rebus tam apertis pudebat. Poſtea ſeorſum circumire, & prehenſare ſingulos Senatores, ne quod haberent in manu ad pedes projicerent, (ſic loquebantur) ne poteſtate, quam illis Deus contuliſſet, ſe abdicarent, ne darent occaſionem ſeditioni: & ejus generis permulta. Diſſimulanter tranſire hanc perfidiam nullo modo licebat: & tamen dedimus operam, ut id ſine contentione tranſigeretur. Nunc habemus qualecunque presbyterorum judicium, & formam diſciplinæ, qualem ferebat temporum infirmitas. Sed ne putes id nos ſine maximo ſudore fuiſſe conſequutos. Ubique enim erumpunt profani illi ſpiritus, qui ut diſciplinam & ordinem effugiant, quem nullo modo ferre queunt, quoslibet quærunt prætextus ad labefactandam Eccleſiæ auctoritatem. Et mundus hoc habet ſolenne, quod pro libidine regnare cupit, Chriſto autem imperium reſignare non ſuſtinet. Sed utcunque plauſibilem mundo & carni cauſam agant ejuſmodi impoſtores, modo tamen conjunctis animis & ſtudiis obviam eamus, fortique & invicto zelo pugnemus pro ſacra illa poteſtate, quam inviolabilem eſſe decet, Dominus Chriſtus Spiritu oris ſui eos conficiet. Illuſtrior enim eſt in hac re Dei veritas, quam ut mendaciorum offuciis facile induci queat. Moſem allegant & Davidem. Quaſi vero non aliud muneris habuerint illi duo, quam ut populum civili poteſtate regerent. Dent igitur nobis inſani iſti ſimiles magiſtratus, hoc eſt, ſingulari prophetiæ ſpiritu excellentes, & utramque ſuſtinentes perſonam non proprio conſilio aut affectu, ſed Dei mandato & vocatione: nos talibus id quod poſtulant, libenter largiemur. Quin Moſes ipſe ante conſecratum Aaronem Sacerdotis munere fungitur: poſtea Dei juſſu præſcribit quod facto opus eſt. David quoque non ſine Domini permiſſu ad ordinandam Eccleſiam accingitur. Pii alii Reges conſtitutum ordinem tuentur ſua poteſtate, ut decet: Eccleſiæ tamen ſuam juriſdictionem, & Sacerdotibus partes illis à Domino attributas relinquunt. Sed ego ineptus ſum, qui in hanc ſylvam ingrediar, quum tabellarius jamjam abituriat: quo fit, ut ad narrandam Albergii hiſtoriam non ſit in præſens ſatis otii. Incipiam tamen & ſequar, donec veniat nuncius, qui literas ſemiplenas è manibus mihi abripiat. Hoc principio habe, hominem iſtum jam multis annis nihil aliud quam huc illuc curſitare, ab aliis emungere pecuniam, veſtes ab aliis: ita per impoſturas victitare: quemadmodum errones iſti ſolent. Venerat huc ſæpius ante noſtram expulſionem. locum petierat: ſed non reperiebatur idoneus, quia volebat ſcholam celebrem, quæ in his regionibus nulla eſt, & magna ſtipendia. Paulo poſt redit, deplorans ſuo more, ſpoliatum ſe fuiſſe à latronibus. Concedit in vicinum oppidulum, ſcholæ præfecturam ambit: non impetrat. hanc repulſam nobis imputat: qui adeo nihil illic vel auctoritate vel gratia poteramus, ut ſi cognitum fuiſſet nobis diſplicere, eo ſolo nomine impetraturus fuerit. Et tamen teſtis eſt nobis Deus, eo tempore nihil aliud conatos, quam ut alicubi conditionem ſibi aptam & commodam inveniret. Venit poſtea Argentinam, ubi viginti batzios à me extorſit, quos ego aliunde mutuo accipere coactus ſum. Nam libros tunc vendideram, & omnino eram exhauſtus. Redditurum ſe intra paucos dies promiſerat. Ciſtulam nullius pretii apud me pignoris loco depoſuit. Reverſus aliquot poſt menſibus, petiit ſubridens, vel potius illudens, annon ſibi mutuo aliquot coronatos dare vellem. Reſpondi me illa ſummula egere, quam habuerat. Nebulo interim ciſtulam clanculum à mea bibliotheca ſubductam uxori Buceri commendat: illa rejicit, ac me admonet: ego impudentiam ejus coram aliquot teſtibus caſtigo. Dimidio anno poſt, aut integro anno, ſcribit ad me ſimplices literas, ſe obſideri Badenæ, totam regionis nobilitatem in ſe conſpiraſſe: non aliter poſſe evadere, quam ſi ego mitterem bajulum, qui eum in ciſta mercatoria aſportaret. Bedrotus habuit fere ſimiles: nos riſimus: ego etiam paucis reſpondi. Nam multis conjecturis deprehendimus, ipſum in urbe eſſe. ab eo tempore non comparuit: ſeſquiannus elapſus interea eſt. Quum ſcirem multas nugas

incluſas eſſe in ciſtula, aperui coram multis teſtibus. Erant illic mala putrida, & omne genus ſcruta, libri ſemilaceri, & ii vulgares, ut Deſpauterius & ſimiles. Reperi etiam literas, quas mibi ſubripuerat. Novit boc Sturmius, quem ego advocavi. Repoſuimus omnia, non ſine multo riſu. Quum Wormatiam veniret ſanctæ memoriæ Grynæus, nunciavit eſſe Baſileæ. Mandavi meis diſcedens, ut ciſtulam remitterent. Nebulo, ea accepta, clamitare me eſſe furem, ſuſtuliſſe multos incomparabiles libros. Venit Lauſannam: eadem retulit Vireto. Nuper quum huc ſe contuliſſet, decem circiter dies me inſcio in urbe fuit. Poſtea Vireti impulſu eum aggredior, rogo an non actionem furti mihi velit inteotare: quum diceret ſe perdidiſſe præclaros libros, vocavi impudentiſſimum nebulonem. Poſtridie aggreſſus eſt me domi meæ non modo contumelioſiſſimis verbis, ſed furioſo impetu: eam ob rem in cuſtodiam datus eſt. Quum bona fidè pro eo deprecarer magiſtratum, ac jam vocaretur ſine ulla moleſtia dimittendus, nunciat cuſtos carceris multo atrocius fuiſſe illic in me loquutum: ita non paſſus eſt ſibi benefieri. & tamen infra meritum pœnas luit. Quod autem ſublatum ſibi aliquid queritur, vetus eſt ejus cantilena. Non poterat olim tria paſſuum millia conficere, quin incideret in latrones. Ubique jactat ſe habere magnam librorum inæſtimabilium farraginem. Quemadmodum libros mihi oppignerabat, quos habebat Baſileæ, quum meum auxilium in ſolvenda Badenſi obſidione flagitaret: ita ſemel Bernæ, quum à me & Farello decem coronatos peteret, dicebat ſe habere domi tuæ magnum dolium librorum, & quinquaginta ducatos Bohemicos. Nuper etiam in cauponis nihil aliud prædicabat, quam nobilem bibliothecam, quam Baſileæ reliquiſſet. Quanquam indignum eſt, ut de mea purgatione verbum faciam: puto enim ſic me vixiſſe, ut ſim extra furti ſuſpicionem. Jam literæ iterum poſcuntur. Vale, optime & mihi plurimum obſervande frater. Dominus Jeſus te Spiritu ſuo ad opus ſuum ſemper dirigat, ac tuam familiam gubernet. Viretus te plurimum ac reverenter ſalutat. Genevæ, 14 Mart.

Joan. Calvinus totus tuus.

CALV. NEOCOMENSIBUS.

Charitas Dei & pax Chriſti, & communicatio Spiritus ſancti vobis ſemper augeatur, fratres in Domino dilectiſſimi.

QUum Enardus frater noſter ſcriptum illud veſtrum de modo exercendæ diſciplinæ in fratres, & ſimul contrarium fratris cujuſdam attuliſſet, nemo fuit qui non judicaret, reſponderi in promptu ad utrumque poſſe. Sed quia non omnes aderant, in hodiernum conventum diſtulimus. Re iterum propoſita, hoc omnes uno conſenſu reſpondendum cenſuimus. Primum quum miniſtri certa quadam inter ſe diſciplina opus habeant, non hoc quærendum eſt qualiter ſine legibus vivamus, ſed ineunda potius œconomiæ & ordinis ratio, quæ apta ſit ad nos in officio retinendos, & ad ædificationem ſerviat. Nunquam autem ſic comparatæ erunt res hominum, ut aliquid perfectum reperiatur. Ad hunc tamen ſcopum tendere ſemper debemus, ut conjunctis ſtudiis, & communi, quantum fieri poteſt, conſilio ſerviamus Eccleſiæ. Jam vero in hac noſtra infirmitate fieri nequit, quin aliqua in nobis deſiderentur, de quibus admoneri nos convenit, & utile eſt. In aliis corrigenda ſunt certa vitia: alii ſunt antevertendi, quum videmus periculum imminere, ne imprudentia labantur: alii ad majorem zelum incitandi: alii objurgandi: in alios inquirendum, ſi quis de illis ſiniſter rumor, & tamen dubius, emerſit. Nunc quæritur, An omnino neceſſe ſit, ſingulos à ſingulis privatim admoneri, an vero interdum expediat, habita inter fratres deliberatione, hoc fieri à toto cœtu? Atqui ſæpe contingit, ut à multis admoneri nos oporteat, de quo nemo unus nos admonere poteſt. Exempli gratia, Erit, ſicuti nuper dictum eſt, exortus rumor aut querimonia de fratre quopiam: id vicini ſcient: non poteſt occurri meliore remedio, quam ſi fratres, re inter ſe communicata, ipſum de quo agitur admoneant. Si falſa eſt criminatio, ſic providebunt ne latius ſpargatur: ſin vera, non ab uno tantum admoneri debuit ille, ſed à fratrum cœtu corrigi. Sit aliud exemplum, Erit aliquid in fratre quod diſplicebit aliquibus vel ex plebe, vel ex collegis. Hic vertitur quæſtio, num illud quod deſideratur, pro vitio habendum ſit, & corrigendum? Ergo collatis capitibus, opus eſt judicare. Multa quotidie iocidunt ejus generis. Atque huc ſpectabant ex parte Provinciales Synodi, quæ bis olim quotannis habebantur. Nam quum tractatum erat de doctrina, tum querimoniæ de cujuſque vitiis audiebaotur, & cenſura exercebatur in ſingulos. Veſtrum ergo inſtitutum, quale deſcribitis, ſanctum & legitimum judicamus. Et certe nimiæ eſſet impudentiæ, id ipſum improbare in vobis, quo nos tanquam bono & ſalutari utimur. Adhibeatur modo æquitas primum, & candor: deinde prudentia & moderatio. Candorem quum requirimus & æquitatem, hoc intelligimus, ne quis maligno animo fratrem ſugillare ſtudeat. Prudentiam & moderationem ſic accipimus, ne quis vitium arcanum deferat, quo nota fratri inuratur: neve quis immodica auſteritate exaggeret quæ alioqui levicula ſunt. Quare ſi quando contingat, vel à moroſis & importunis fratribus in medium proferri quæ tacenda potius erant, vel accuſatorio animo proferri arcana vitia, non modo nequaquam audiendi ſunt indices aut delatores, ſed etiam ſevere reprimendi. Quin etiam ut obviam eatur his periculis, quum agendæ ſunt cenſuræ, utile eſt diligenter præfari, cavendum eſſe ab his omnibus, quæ ſalubrem cenſuræ medicinam vertunt in venenum. Nos certe ſtatim ab initio præmonemus, ut ſi quæ ſint obſcuræ ſimultates, aperiantur: ſi frater offenſus à fratre fuerit, expoſtulet, antequam agantur cenſuræ, ne hæc ſimul permiſceantur. His ergo initiis, quoad licet, præcludenda eſt via, ne obrepant: & ſi forte obrepſerint, reſcindenda ſunt. Cenſuræ vero diſciplina, quam non modo ſanctam, ſed etiam neceſſariam experimur, non eſt propterea negligenda aut omittenda. Fratrem vero illum qui hactenus à vobis diſſenſit, obſecramus in Domino, ne ulterius pertinacia contendat ad repugnandum. Meminerit inter alia quæ Paulus in Paſtore requirit, hoc eſſe non poſtremum, ne ſit αὐθάδη, hoc eſt, proprio judicio addictus. Et certe hæc una eſt ex præcipuis virtutibus boni Paſtoris, ſic exhorrere toto pectore contentiones, ut nunquam à fratribus, niſi ob cauſas maxime neceſſarias, diſſideat. Caveat etiam, ne qui hoc audiunt, ſuſpicentur ipſum aut litigandi ſtudio, aut odio diſciplinæ impedire, quominus de noſtris moribus fiat cenſura: non quia velimus hac eum invidia gravare, aut ulla prorſus macula ipſum aſpergere: ſed ideo ſimpliciter hæc judicamus, quia cupimus ejus honori bene conſultum. Quantum ad ejus ſcriptum attinet, quo impugnare morem veſtrum conatus eſt, quod bona ejus venia dictum ſit, quum fraternam correctionem actum charitatis vocat, à quo nemo ſit eximendus: non videtur nobis animadvertiſſe quod erat in primis cognitu neceſſarium, plures eſſe ſpecies fraternæ correctionis. Ut alias omittamus, hæc de qua diſputatur, diſtinctam & propriam rationem habet. Eſt enim pars Eccleſiaſticæ politiæ. Ergo cum illa generali correctione confundi non debet, quæ omnibus indifferenter mandatur. Proinde non concedimus illi, eſſe ſimplicem & nudum charitatis actum: ſiquidem judicium eſt ordinis & diſciplinæ cauſa inſtitutum,

tum, quod tamen unam ædificationem pro fine propoſitam habet. Neque etiam concedimus, neminem ab ejus obligatione eximi. Tametſi ambigua eſt loquutio hæc, quia tam paſſive, quam active accipi poteſt. Sed utroque modo negamus omnes hac lege obſtringi, quæ ſpecialiter eſt miniſtris deſtinata. Sicut enim quæ ad ordinem habendi Senatus ſpectant leges, plebem non ligant: ita diſciplinam inter nos obſervare convenit, cui ſubjecti ſunt ſoli miniſtri. Quod in eadem propoſitione habet, Sub præcepto Dei cadere fraternam correctionem, ſi intelligit auctor, cujuſvis correctionis expreſſe verbo Dei contineri: hoc vero nequaquam illi confitemur. Subſtantiam Eccleſiaſticæ diſciplinæ exprimit diſertis verbis Scriptura: forma autem ejus exercendæ, quoniam à Domino præſcripta non eſt, à miniſtris conſtitui debet pro ædificatione. Qua ratione etiam negamus, ſolam delinquentis emendationem intuendam hic eſſe: reſpectus enim ordinis publici & communis ædificationis habetur. Cujus rei ſumere exemplum ex Scripturis licet, Quum Paulus Hieroſolymam veniſſet, admonetur à Jacobo & Senioribus quam male audiat inter Judæos, ſimul etiam qualiter ſe illis purgare debeat: non dubium quin præceſſerit deliberatio inter fratres: & fuerit Paulo abſente. Cur hoc? quia ſcilicet communis ædificationis intererat. Similiter quum Petrum reprehendunt fratres, quod ad Gentes divertiſſet, non legimus quidquam illi in aurem clam fuiſſe ab uno dictum: quia ſcilicet offenſio manarat ad plures, æquum fuit communiter ipſum à fratribus admoneri. Tametſi autem immerito hac de cauſa arguebatur, non tamen peccaſſe legimus fratres in modo agendi, ſed in ipſa cauſa: modum enim tenebant uſitatum & ordinarium. Chriſti præceptum, quod Matth. 18. habetur, accipimus de occultis vitiis, quemadmodum etiam verba ſonant. Ergo ſi quid frater, te conſcio, deliquerit, nec alios habeat teſtes, jubet Chriſtus te ipſum privatim convenire: quanquam non vetat, quin idem facias, etiam ſi qui alii tecum conſcii ſint. Fieri enim poteſt, ut tu hoc ignores, vel expedire non putes coram pluribus eum reprehendi. Quod poſtea ſubjungit, Si nihil hac via profeceris, ut tecum duos aut tres teſtes adhibeas: hoc noſtro judicio intelligendum eſt non de teſtibus delicti, ſed admonitionis, quo ſcilicet plus momenti habeat: porro hoc nihil ad impediendam cenſuræ rationem, de qua nunc controverſia eſt. Neque enim hoc agitur, ut occulta delicta in medium proferantur, ad irrogandam fratribus infamiam, ſed tantum quæ ejuſmodi ſunt, ut aliquid offendiculi genuerint, aut non procul abſint à gignendo. Hujus ſpeciei exemplum habemus in Petri reprehenſione: neque enim teſtes abegit Paulus ut clam omnibus ipſum admoneret, ſed hoc fecit coram Eccleſia. Nec tamen res omnibus nota erat: ſed quia imminebat periculum, antevertere voluit. Quintam propoſitionem recipere ſine exceptione non poſſumus: pronunciat enim, nos ſcite facturos, ſi fratrem etiam peccato notorio laborantem admoneamus privatim. Atqui Paulus, ubi prohibuit recipi adverſus presbyteros accuſationem,
1 *Tim.* 5. niſi ſub idoneis teſtibus: ex adverſo presbyteros peccantes coram omnibus argui vult, ut cæteri timorem habeant. Si interdum convenit publice argui peccantes, etiam presbyteros, quibus habenda eſt major reverentia, idque obtinet ad exemplum: non ſcite neque prudenter faceret ſi quis abſtinere vellet à tali reprehenſione. Quid ergo? Certe quantum judicamus, ex re præſenti & tempore capiendum eſt conſilium. Semper autem hæc duo ſunt proſpicienda, ne à triſtitia abſorbeatur qui peccavit: & ne videamur ad peccata connivere. Sextam propoſitionem cur addiderit frater miramur: ſatis enim convenit, Eccleſiæ nomine, in Chriſti verbis, eam proprie deſignari, cujus membrum eſt ille, cujus contumacia denunciatur. Cæterum duo hic ſunt obſervanda, ſic publicandam eſſe contumaciam peccatoris obſtinati coram una Eccleſia, ut ſi ea per contemptum relicta, alio migret, illic quoque denuncietur. Atque hoc ſibi volunt antiqui Canones quum extraneum ad communionem recipi prohibent, niſi teſtimonium attulerit. Ubi enim Eccleſiæ communio, ſi ab una damnatus, ab altera recipitur? Ubi diſciplina, ſi qui unam Eccleſiam contempſit in aliam migrando, impune talem fert ſuperbiam? Alterum quoque obſervandum eſt, ut unius Eccleſiæ miniſtros eſſe ſentiamus, qui in unum collegium adunati, unum corpus efficiunt. Quorſum enim Decanus, quorſum alia omnia, niſi tanquam unius corporis membra inter nos coaleſcamus? Hæc ab auctore propoſitionum in bonam partem acceptum iri, ſicut ſincero animo à nobis ſcripta ſunt, confidimus. Noſtræ ſane omnium partes ſunt, non tantum cedere veritati, ſed ultro eam, & obviis (quod aiunt) manibus protruſiſque accipere. Valete fratres in Domino dilectiſſimi. Dominus Spiritum ſapientiæ & prudentiæ in dies vobis adaugeat in Eccleſiæ ſuæ ædificationem, & miniſterium veſtrum quam fructuoſiſſimum reddat. Genevæ, ex conventu noſtro, 7. Idus Novemb. M. D. XLIV.

Joannes Calvinus fratrum omnium nomine.

CALVINUS P. CAROLI.

Gratia tibi & Pax à Domino qui tibi ac nobis ſanum conſilium & rectam voluntatem inſpiret.

MAllem huc te ad nos contuliſſes, de reconciliatione coram nobiſcum acturus, quam literis id expertus eſſes, præſertim quales tuæ ſunt. Vehementer ideo laboras ne videaris abſque juſta cauſa in Eccleſia turbas excitare. quaſi ulla turbandæ Eccleſiæ honeſta cauſa obtendi poſſit. Demus non habitam fuiſſe tui rationem à fratribus quam oportuerat: an ideo tamen protinus ita tumultuari fas fuit? Dicesne fuiſſe Spiritum Dei qui te impulerit ad denunciandum omnibus certamen? Neque hæc dico exprobrandi cauſa: utinam paſſus fuiſſes me prorſus tacere. Verum dum omnes eos qui tua ſaltem opinione non ſatis æquos tibi ſe præbuerunt cum Satana conjungis, nimis certe ſtupidos arbitraris, ſi poſſe hoc ſilentio transmittere exiſtimas. Dicis te indignatione fuiſſe percitum, ut Farellum & me traduceres, quoniam literis noſtris effeceramus ne tibi fratres Neocomenſes locum darent. Primum id vel ab te confictum eſt, vel falſo ad te delatum: nihil enim unquam mihi in mentem venit tale ſcribere Neocomenſibus. In literis Farelli quantum audio (nihil enim habeo præter auditum) longe durius tractatus fuerat Michael quam tu. Quum ergo neque verbo neque facto unquam te læſiſſem, imo quum ne minima unquam offenſiuncula te pupugiſſem, cujus humanitatis fuit me uſque adeo atrociter lacerare? Quod ſi qua in re privato tuo commodo obſtitiſſem, quam aliena tamen homine Chriſtiano illa ratio fuit, ut vindictæ cupiditate inflammatus in illud turbulentum conſilium prorumperes? Quum tibi ſemper antehac ſine dubitatione fuiſſem frater, qui fieri potuit ut momento uno fierem hæreticus, à cujus communione abhorreres? Scilicet hoc non eſt ſacroſancto Dei nomine abuti. Negas aliud tibi ſuperfuiſſe, niſi ut nos irreconciliabiles proclamares (hoc enim eſt tuum verbum) ſed pauliſper, quæſo, tecum reputa, quam te ridiculum facias, quem conſtat in media pace claſſicum ceciniſſe. Verum fac tibi datam à nobis aliquam occaſionem: quid tamen ſibi vult verbum illud quo uteris? Certe irreconciliabilis dicitur is quem quum modis omnibus placare ſtudueris, non potueris tamen ad ullam partem

æquitatis inflectere. Quando tam præfractam ac pertinacem duritiem in nobis unquam expertus es? De me quod conquераris non habes: ego vero juſtiſſimam rationem habeo, cur tecum expoſtulem, ut nihil dicam gravius. Neque tamen de ultione cogitavi: tantum abeſt ut facinus ullum hoſtile in te deſignaverim. De Farello velim ſcire, quam injuriam tibi fecerit. Scripſit ne admitterentur ad miniſterium, qui Eccleſias ſibi commiſſas deſeruiſſent: annon debuit? Neque enim minor eſt perfidia ſi quis Eccleſiam relinquat, quam ſemel ſuſceperat in ſuam fidem, quam ſi pater filios ſuos abjiciat. At te comprehendebat in eo numero, quum tamen ab ea culpa eſſes alienus: ſi literas legeris, aliud comperies. Nihil enim poſtulabat à fratribus, quam ut diligenter inquirerent: ſi cognitio tuæ cauſæ te purgabat, nonne idipſum optare debuiſti? Metim veniſti deinde: quanta intemperies fuit apud Chriſti adverſarios jactare, te veniſſe inſtructum ut nos hæreſeos convinceres? Et tamen retines interea illam gloriam quod nihil contra Euangelium moliaris. Sed quo exemplo hoc nobis probabis? Si quis ex profeſſo bellum cum ſervo Chriſti gerat, eumque impediat quibus poſſit modis, quominus Chriſti regnum promoveat, mirum ſi talem hominem dicas ab Euangelii partibus ſtare. Vide iterum frater atque iterum quo progrediare. Miniſterium habemus à Chriſto minime disjunctum: ſi dubitas, habemus ſatis certum & fidele conſcientiæ teſtimonium. Blandiaris tibi ut voles, ſenties demum in impetendo contra ſtimulum te calcitrare. Interea quid nobis nocere potes? Hæreticos vocabis. ubi? Nempe inter eos qui te pro hæretico habebunt, etiamſi tua maledicentia ad tempus abutantur. Apud pios & doctos minime vereor, ne quid mihi obtrectando proficias. Hæc omnia in eam partem ſpectant ac ita accipi abs te volo, ut coram Deo recognoſcas, quam viam ſis ingreſſus, neque alios damnando immeritos, defenſionem mediteris, quæ non modo omni fundamento, ſed etiam prætextu careat. Hoc ſi fuero conſequutus, ſatis mihi eſt. Nolo tamen te propterea animum ſpemque abjicere. Nam ſi nobis vera & ſolida recti animi indicia oſtenderis, parati ſumus tecum mox in gratiam optima fide redire, omnia obliviſci, ignoſcere, & prorſus ex memoria delere. Utinam pectus meum intueri poſſes, nihil enim magis cupio quam Deo te reconciliare primum, ut inter nos fiat firma conjunctio. Sed crede mihi, nunquam utiliter Domino ſervies, niſi iſtud ſupercilium depoſueris, & linguæ amarulentiam. Ergo ſi in gratiam nobiſcum redire animus eſt, parati ſumus ad te amplexandum: neque deerimus ullis officiis, quoad dabitur facultas. Verum in illam quam à nobis exigis pactionem, quî poſſimus deſcendere? ut tibi ſcilicet Eccleſiam jam deſpondeamus? Primum Eccleſiæ non ſunt nobis ad manum ſicut noſti; deinde qua conſcientia id tibi polliceremur, antequam de conſenſione doctrinæ conſtet? Non diſſimulas te à nobis adhuc diſſidere: & tamen vis locum tibi deſtinari ad docendum. Tu ipſe perpende quantopere iſtud deceat. Nos vero pluſquam ſtipites merito judicares, ſi tibi obſequeremur. Ut finem aliquando faciam, peto abs te, ut animo compoſito ac ſedato tecum diſpicias totam cauſam, ut has etiam literas non alia trutina, quam judicii ab iracundia penitus vacui, examines. Agnoſces certa nihil eſſe melius, quam curſum male inchoatum reflectere. Si voles nos experiri, nullum amicitiæ officium tibi à me defuturum recipio: hoc etiam Farellus ſerio pro ſe promittit. Sed memineris ejus charitatis, quam tanta ſeveritate ab aliis exigis, partem aliquam erga alios exhibere. Si tibi paulo aſperior viſus ſum, quid literæ tuæ mereantur cogita: quanquam id quidem nequaquam reſpexi, ſed tantum ut tibi prodeſſem: quod facturus mihi non videbar, niſi ad peccati tui recognitionem te adducerem. Vale frater mihi in Domino chariſſime: ſi modo diligi te, & fratris loco haberi pateris. Dominus Chriſtus te Spiritu conſilii & prudentiæ gubernet, ut ex iſtis periculoſis ſcopulis, ad quos impegiſti, & tempeſtuoſa jactatione, in portum te cito recipias. Farellus ſalvere te jubet, optatque ut ſerio ad Dominum convertaris, & tam ſis paratus in amicitiam & fraternam conjunctionem nobiſcum redire, quam ipſe te amplecti paratus eſt. Argentorati, 10 Aug. M. D. XL.

J. Calvinus ex animo tibi amicus.

SULTZERUS CALVINO.

SAlve mi amantiſſime frater. Res noſtræ in ancipiti ſtatu ſunt, nec quid ſperem magnopere, nec etiam quid deſperem, habeo. In ſpem tamen magis propendeo, ſiquidem Synodo controverſia (ut par eſt) examinanda dijudicandaque committatur: eamque ut impetremus, ſtudio acerrimo incumbemus: quanquam reluctaturum pro virili Antagoniſtam eſſe conjiciam, qui ad cætera, omnem Eccleſiæ auctoritatem atque œconomiam ad tribunal tantum forenſe revocat, coramque iis indubie hanc cupit potiſſimum decidi cauſam, quorum animos jam ante blandiloquentia præoccupavit, aut præoccupaſſe videtur potius: actor futurus idcirco non ingratus, quod pro ipſorum placitis ceu pro aris ac focis depugnet, pro diſputationis habitæ auctoritate, tanquam Dianæ illius magnæ Epheſiorum, clamoribus indeſinentibus vociferetur. Nos quanquam bonorum voluntates à nobis non alienas eſſe cognoſcimus, tamen Domini beneficio nullus adeo applauſus humanus ſic nobis oculos perſtrinxit, ut non potius cauſæ bonitatem, quam ſuffragia potentum reſpiciamus. Neque ullorum mortalium reformidamus judicium: donet modo nobis Chriſtus, uti qua par eſt æquanimitate, prudentia, conſtantiaque ſtare pro veritate atque pugnare poſſimus. Statum controverſiæ hunc nos urgebimus. Primum ut quæ ſit Scripturæ Canonicæ præ omnibus omnium mortalium ſcriptis auctoritas intelligatur, deinde ut Prophetiam religioniſque dogmata non ullis hominum pronunciatis, ſed Canonis ſolius lydio examinari conveniat: poſtremo quam non fuerimus nos hactenus, neque nunc ſimus ullius non neceſſariæ novationis auctores. Qua in re licet abunde nobis & Scripturæ, & veterum auctoritas exemplaque ſuffragentur, tamen negotii erit non exigui eam veritatem etiam probabilem auditori efficere, præpoſteramque & nimiam placitorum humanorum admirationem, & affectationem conſtantiæ animis eximere, maxime quando eam [illegible] noſter ille mirabili lenocinio incendit & auget. Quocirca te rogo mi amantiſſime frater, uti tuo nos conſilio velis inſtruere, idque copioſe & prolixe, quibuſque hæc potiſſimum rationibus agi à nobis placeat docere: eo enim officio nec gratius, neque magis neceſſarium præſtare nobis potes. Scribas autem rogo quamprimum, ne intempeſtiva actione obruamur prius, quam tuo aliorumque conſiliis præparemur. De Euchariſtia, deque miniſterii ſacri auctoritate & uſu, œconomia item Eccleſiæ, quatenus agendum differendumque ſit, in ipſa (arbitror) arena diſcemus: ſed de his ſatis. De Philippi & Lutheri reconciliatione, deque nova apud Brabantes hæreſi, mitto, quæ ad me ex Witteberga Ambroſius noſter Blaurerus ſcripſit, quod ſciam ea non ingrata fore tibi. Dominum laudo eos motus ſalubriter conſopitos, nec dubito ſanitatem aliquam Eccleſiæ allaturos eſſe, adeo novit is etiam mala noſtra ad ſui nominis gloriam electorumque ſalutem convertere. De pace inter Cæſarem & Gallum varia narrantur. Sunt qui diſſiluiſſe rurſum putent, quanquam id vix veriſimile mihi ſit. Helvetios non reverti miramur, adeoque nec nunciis nec literis ſignificari, ubi ſint & quid

agunt

agant. Fama triſtis, licet non publica, fert ab Anglorum Rege cæſos eſſe memorabili graviſſimaque ſtrage, eamque nonnihil probabilem facit repentinus & improviſus legati Regii à Salodoro diſceſſus. Sed jam vale: & nos precibus conſiliiſque tuis juvare perge. Salutat te amanter & reverenter Beatus charus & venerandus Collega. Symmiſtas tuos utriuſque nomine ſalvere jube. Bernæ, 7 Novemb. anno M. D. XLIV.

T. Saltzerus.

CALV. MELANCHTHONI.

CUr hic nobilis & pius adoleſcens profectionem hanc, meo rogatu, ad vos ſuſceperit, paucis exponam. Libellum edideram lingua vulgari, quo eorum ſimulationem reprehendebam, qui quum Euangelii luce donati ſint, non tamen abſtinent ab ullis Papiſtarum ſacris, quæ ſciunt ſacrilegii & anathematis plena eſſe. Malles forte me aliquid de tam præciſa ſeveritate remittere. Verum quam juſtam cauſam habuerim, re bene perpenſa & cognita, judicabis. Quum audirem multos de meo rigore conqueri; ac præſertim ex eorum genere, qui tanto ſibi plus ſapere videntur, quanto diligentius vitæ ſuæ cavent: excuſatiooem compoſui, quæ illis aures aliquanto durius vellicavit quam prior libellus. Multi, quibus religio pro philoſophia eſt, ſecure hoc totum contemnunt. Quicunque ſerio Deum timent, eo ſaltem uſque ſunt promoti, ut ſibi diſplicere incipiant. Sed quoniam perplexa illis res videtur, adhuc hærent dubii, donec tua & D. Lutheri auctoritate confirmentur. Et quidem vereor, ne ideo vos conſulant, quod ſperent vos ſibi fore mitiores. Quocunque tamen id faciant animo, quia certo perſuaſus ſum vos fidele ipſis pro veſtra ſinceritate, & pro veſtra etiam ſingulari prudentia ſalutare cooſilium daturos, libenter me facturum recepi quod petebant, ut hominem data opera ad vos mitterem. Quoniam autem magnopere referre arbitrabar, non modo ſenteotiam meam vobis perſpectam eſſe, ſed rationes etiam quibus adductus ita ſentirem, oon eſſe incognitas, libellos in linguam Latinam ſtatim vertendos curavi. Tametſi autem improbe hoc facere videri poſſim, tamen per noſtram amicitiam te rogo, ut legendi tædium ſubire ne recuſes. Tanti judicium tuum facio, ſicuti par eſt, ut mihi ſit moleſtiſſimum quidquam me ſuſcipere, quod tibi minus probetur. Te quidem pro eximia tua humanitate multa aliis indulgere ſcio, quæ tibi non permitteres. Sed videndum quid nobis liceat: ne relaxemus ubi Dominus adſtringit. Neque vero ut mihi aſſentiaris rogo, quod nimiæ impudentiæ foret, vel in meam gratiam ullo modo à libera ſimplicique ſententiæ tuæ expoſitione deflectas: ſed tantum ut legendi moleſtiam devorare ne graveris. Equidem cupio ſic penitus inter nos convenire, ut ne in verbulo quidem uno diſſenſionis ulla ſpecies appareat. Sed tuum eſt mihi potius præire, quam ſpectare quid mihi placeat. Vides quam tecum agam familiariter: neque tamen vereor, ne modum excedam: ſcio enim quantum mihi apud te pro ſingulari tua in me benevolentia liceat. In D. Martino plus aliquanto difficultatis erit: quantum enim ex rumore & quorundam literis intelligere potui, vixdum bene placatus hominis animus levi de cauſa exulcerari poſſet. Proinde quas ad eum literas ſcripſi, nuncius tibi oſtendet: ut illis inſpectis, totum negotium tuo conſilio regas. Nequid ergo perperam aut inconſulte tentetur, quod infeliciter poſtea cedat, tuum erit providere: quod te, pro ſumma tua dexteritate, probe facturum ſcio. Cæterum quales iſtic contentiones vos exercuerint, & qualis fuerit exitus, nondum certo reſcire potui: niſi quod atrocem libellum exiiſſe audio, novo incendio excitando inſtar facis futurum, niſi ab alia parte Dominus animos retineat, alioqui plus juſto feroces & inflatos, ſicut noſti. Quid autem, ubi ſic provocantur? Dum reputo quam nunc alieno tempore inteſtinæ concertationes nos abripiant, propemodum exanimor. Nuper mihi oſtendit Nurembergenſis mercator, hac iter faciens, apologiam quandam Oſiandri: cujus me vehementer ejus nomine puduit. Quorſum enim attinebat, Zuinglianos tertio quoque verſu laceſſere, ac Zuinglium ipſum vexare tam inhumaniter? ac ne ſancto quidem Dei ſervo OEcolampadio parcere? quem utinam dimidia ex parte referret. Mihi certe longe majori eſſet in pretio. Neque vero poſtulo, ut famam ſuam impune traduci tacitus ſinat: ſed vellem ab eorum virorum contumelia abſtineret, quorum memoria piis omnibus in honore eſſe debet. Itaque ſicut mihi diſplicet illius petulantia, cujus elegis ſe infamatum fuiſſe queritur; ita in ipſo & moderationem, & prudentiam, vel ſanitatem potius deſidero. Deus bone, quales & quam jucundos luſus præbemus Papiſtis! quaſi illis locaverimus noſtram operam. Sed ego importune facio, qui malis iſtis recenſendis, quibus mederi non potes, mœrorem tibi fruſtra augeo. Gemamus tamen, quoniam Eccleſiæ incommodis affici nos decet: ſed hac ſpe interea nos ſuſtentemus, quod utcunque premamur ac vexemur inter magnos fluctus, non tamen opprimemur. Magna Concilii expectatione erecti ſunt omnium animi in Gallia: nec dubium quin Rex ipſe, ſaltem initio, ſpem aliquam & voluntatem Concilii cogendi habuerit. Nam à Cæſare reverſus Cardinalis Tornonius illi perſuaſerat, Cæſarem id in animo habere. Interea conſulebat Cæſaris nomine, ut duos aut tres ex vobis Rex ad ſe accerſeret: idque ſeorſum: quo à ſingulis aliquid per blanditias eliceret, vel quovis modo extorqueret, quod ab omnibus non poſſet ſimul impetrari. Pollicebatur Cæſar idem ſe facturum. Hic porro finis erat, ut illis quaſi præjudiciis obſtricti, eo minus poſſetis quum ad ſeriam diſceptationem ventum eſſet. Nam quia frangi nos in recta & ſimplici cauſæ actione deſperant, nullum vident melius compendium, quam ſi Principes habeant obnoxios, & quaſi vinctam ac alligatam teneant eorum libertatem. Hoc conſilium quum Regi placeret, negavit Caſtellanus, committendos vobis ad diſputationem Gallos Theologos, niſi bene ante inſtructi eſſent ac comparati. Vos homines eſſe in hoc pugnæ genere exercitatos: nec tam facile poſſe labefactari. Cavendum eſſe, ne Rex prodita ſuorum inſcitia, totum regnum magno ludibrio exponeret. Ambitio Regis fecit ut prævaleret hæc ſententia. Duodecim ſunt delecti, qui Meloduni de capitibus controverſis diſputent: & tandem ad Regem referant quid cenſuerint. Silentium jurejurando promiſerunt. Sed illis tacentibus certo ſcio, nihil niſi de opprimenda veritate acturos, ſe qualemcunque reformationem quærere utcunque ſimulent: certo certius eſt hoc unum agitare, qualiter ſepulta ſanæ doctrinæ luce ſuam tyrannidem ſtabiliant. Ego Cardinalis Turnonii conſilium à Deo fuiſſe diſcuſſum interpretor: ne quem ex noſtris incautum & nihil tale ſuſpicantem irretirent. Meminiſti iiſdem artibus te tentatum fuiſſe à Langeo. Verum ſi in Dominum reſpexerimus, fruſtra nos adorientur omnibus machinis. Vale, clariſſime vir & amice mihi ſemper obſervande. Dominus tibi ſemper adſit, diuque Eccleſiæ ſuæ incolumem te ſervet. 12. Calendas Februarii. M. D. XLV.

Joannes Calvinus tuus.

Calv. Reginæ Navarræ.

Accepi à certo bomine literas, quas tuo mandato à ſe ſcriptas teſtatur: quibus mihi plane conſtat librum quem de Libertinis edidi, tibi mioime probari. Ac dolet mihi tibi triſtitiam attuliſſe, niſi ea ad tuam ſalutem pertineat.
2 Cor. 7. Illa ſiquidem eſt noo pœnitenda triſtitia, ut ait Apoſtolus, cujus neminem cauſam dediſſe pœnitere debeat. Et tamen vix mibi liquet, cur liber ille tantum diſplicuerit. Cauſam is qui ad me ſcripſit exprimit, quod liber ille ſcriptus ſit, inquit, in te ac tuos domeſticos. Atqui, quod ad te attinet, ounquam mihi in animum venit tuum nomen attingere, aut quidquam detrabere illi obſervantiæ, quam tibi debent pii omnes: ut non accedat regia illa Majeſtas, ad quam te evexit Dominus, domus illa regia ex qua edita es, totum denique illud ſummæ oobilitatis faſtigium, quod te in mundo conſpicuam reddit. Nam quibus noo ſum ignotus, noo igoorant etiam quam ab illa inhumanitate alienus ſim, ut dominationes ac principatus terrenos deſpiciam, & quæ alia ad bumanain politiam pertinent. Mihi vero ignotæ non ſunt etiam dotes illæ quas io te Dominus contulit, & quomodo te uſus fuerit atque adhibuerit ad regnum ſuum promovendum: quæ quidem omnia ſatis juſtum argumeotum mibi & tui obſervaodi præbent, & aſſerendi tui nominis. Atque bic tibi perſuadeas velim, qui te ita adverſum me accendunt, neque tibi valde conſulere, neque mihi quidquam inde privatioi decedere, ſed inde captare occaſionem tui demovendi à ſincero affectu quo Dei Eccleſiam proſequeris: & ut ſenſim animum abducas ab illo obſequio, quo te bacteous Domino Jeſu Chriſto atque ipſius etiam membris impendiſti. Quod ad domeſticos tuos attinet, non puto videri tibi poſſe domum tuam digniorem ipſa familia Domini Jeſu Chriſti, cujus certum membrum Diaboli nomen retulit: ſervus, inquam, ipſius, menſæ ejuſdem aſſeſſor, & in eum gradum evectus, ut unus ex Filii Dei legatis deſignaretur. Etſi non ita præceps fui ut etiam notarem domum tuam, quum potius ipſam rei veritatem ita expreſſerim ut coram Domino, ut ſimul non attigerim quidquam illos ad te pertinere. Jam videndum eſt ultrone & animi cauſa illos ita perſtrinxerim, an vero adactus magnis & juſtis rationibus, adeoque ipſa neceſſitate, illos ita acceperim. ac ſi res ut ſe habet probe tenes, ita mihi perſuadeo, ut non excuſatiooe modo tibi dignum videatur quod bic admiſi, ſed & laude digna à te judicaoda ſit mea ſimplicitas. Sic igitur de illa ſecta audio & ſentio, ut nibil inter homines pernicioſius ac magis execrandum audiri poſſit. Sic illam nocere video, ut facem ardentem judicem, qua omnia ſtatim conflagratura ſint; luem certiſſimam, qua nihil non inficiendum ſit, ſtatuam, niſi obviam eatur quamprimum. Jam quum ad illud munus à Deo vocatus ſim, urget me conſcientia mea ut pro virili reſiſtam præſenti malo. Eo accedit quod à tot piis eo oomine in dies interpeller, qui fidem meam & officium implorare oon deſinant, quod totum fere Belgium eo malo circumſeptum querantur, ut ſaltem remedium adhibere ſtudeam. Et tamen tot occaſionibus inductus totum annum me contioui, ut viderem an ſilendo potius conſopiretur malum. Si quis objiciat integrum mihi fuiſſe ſcribere adverſus pravum dogma, ut perſonis ſimul parcerem, non deeſt legitima excuſatio. Quum enim mihi compertum ſit quaotum damni dederit Arteſis & vicinæ Henaultiæ Aotonius Pocquetus, uti à fide dignis perlatum eſt ad me: Quintinum porro non alio ſpectare quam ut ad brutum iſtud ſectæ genus infirmos & ſimplices perducat, non alieno teſtimonio, ſed meipſo aurito teſte mibi cooſtet ſatis: quum, ioquam, toti in eo illi ſiot ut ſanam doctrinam evertant, miſeras animas in exitium immergant, in orbem terrarum Dei cootemptum invehant, an mihi tectius agere integrum fuerit, te judicem appello. Caois, ſi quis herum impetat, ſaltem latratu abſterreat. Quis igitur me ferat dum veritatem Dei impeti audio, ſi tamdiu os mihi occludi ſinam? Neque vero dubito non expectare te ut in gratiam tuam, in defenſione Euangelii prævaricer, quando illa mihi mandata eſt. Peto igitur ne moleſte feras, ſi adactus neceſſitate pro meo munere, niſi Deum io me provocare vellem, illi certo homini ex tuis non pepercerim, quum in te omnino interea nihil protulerim. Quod epiſtolæ auctor ait tuo nomine, parum tibi gratos futuros tales ſervos qualis ipſe ſim, ita etiam de me judico ut non magno uſui eſſe me tibi poſſe agnoſcam. Neque enim facultas adeſt, neque tu eo homine eges. Et tamen neque propenſio animi erga te deeſt, neque dum vivam per Dei gratiam aliuoi me eſſe aut haberi ſuſtinebo. Atque ut ipſa meum obſequium averſeris, illud non faciet quio eandem meotem & affectum erga te conſtanter retineam. Quod reliquum eſt, probe tenent qui me norunt quam alienus ſim à captando ad Principes aditu, quum ounquam bonorum ſtudio titillatus fuerim. Neque etiam ut boc conatus eſſem mihi fortaſſe ſucceſſiſſet. Sed eſt quod Deo gratias agam, quum ab illo ſtudio animus mihi integer conſtiterit. Eſt enim abunde ſatis in quo acquieſcam, quod illi Hero addictus ſim, qui me admiſit & habuit inter ſuos, adeoque munus illud mihi commiſerit quod tanti eſt apud ipſum ponderis, utcunque apud homines vile & deſpectum jaceat. Ego vero omnium mortalium ingratiſſimus ſim, niſi meam illam conditionem omnibus honoribus atque divitiis anteferrem. Quod ad notam inconſtantiæ quam mihi inuris, ita tibi confirmo plane tibi impoſitum fuiſſe. Nunquam enim eo etiam adductus ſum ut fidei meæ confeſſionem à me quiſquam poſceret. Atque ſi eo mihi deveniendum fuiſſet, nihil habeo quod de me jactare audeam: neque tamen diffido quin quum ita me Dominus ſuſtinuerit aliquando, ut propter ipſius verbum alterius nomine vitæ periculum adire non dubitaverim, idem ipſe mihi ſua virtute manum porrecturus fuiſſet, ubi mea confeſſiooe nomen ipſius glorificandum fuiſſet. Atqui beoeficio illius ita mihi conſtiti, ut nemo habeat quod mihi veritatis negatæ aut palinodiæ notam directe vel oblique inurat. Ac quod magis eſt, ſemper mihi horrori fuit illa vecordia, ot quis ad Chriſtum abnegandum adducatur ut capiti & facultatibus conſulat (idque jam inde quum eſſem in Gallia) quod idoneis teſtibus confirmare poſſum. Sed tamen ut tibi certius conſtet, qui me ita apud te detulerunt, humanitate tua peſſime uſos fuiſſe, teſtem apud te appello D. Cleracum, à quo certiſſime cognoſces quam falſa ſit ejuſmodi calumnia quæ mihi imponitur, & quam nullo modo ferre poſſum, ne per illam blaſphemetur nomen Dei: quamvis enim nihil omnino ipſe ſim, quando tamen Domino placuit uti me ut inſtrumeoto ædificandæ domui ſuæ, ſatis cum aliis video quam caudam traheret probrum illud ſi in me hæreret, ut ad Euangelii infamiam redundaret. Benedictus vero Dominus, qui non tantum in me Satanæ licere voluit, neque adeo in mea infirmitate ſuſtinuit, quum nunquam ad examen uſque fides vel ad vincula me probatum voluit. Brevitatem epiſtolæ & quandam perturbationem mihi condones velim, quum acceptis illis literis ſtatim ad hanc reſponſionem me contulerim, qua eo tibi nomine à me ſatisfactum curarem, ne quid de eo affectu remitteres, quem erga pios hactenus abunde præ te tuliſti & reipſa exhibuiſti. Domious noſter Jeſus Chriſtus præſidio ſuo te protegat, ac Spiritu dirigat ad vocationem ipſius ſincero zelo & prudentia ad extremum uſque proſequendam. 20 April. M. D. XLVI.

Tibi addictiſſimus & ad obſequium paratiſſimus Joan. Calvinus.

Calv

CALV. MELANCHTHONI.

UTinam ut me angit, adeoque excruciat mœroris tui συμπάθεια, ſic aliqua ejus parte ſublevare te poſſem. Si ita eſt ut dicunt Tigurini, habuerunt juſtam ſcribendi cauſam. Veſter autem Pericles quanta intemperie ad fulminandum rapitur? præſertim quum ejus cauſa nihilo fit melior. Multum illi debemus omnes, fateor. Nec ego invitus patiar, ut ſumma auctoritate polleat, modo ſibiipſi moderari ſciat. Quanquam in Eccleſia ſemper videndum eſt, quouſque hominibus deferamus. Actum enim eſt, ubi unus quiſpiam plus poteſt reliquis omnibus: præſertim ubi hoc ipſum non dubitat experiri, quantum poſſit. In tanta quidem diſſipatione, quantam nunc cernimus, difficile eſt res turbatas componere. Verum ſi in nobis omnibus eſſet is animus qui eſſe debet, aliquod forſan remedium poſſet inveniri. Et certe fœdum exemplum transmittimus ad poſteros, dum omnem libertatem ſponte malumus projicere, quam ut hominis unius animum offenſiuncula aliqua pungamus. At eſt vehemens ingenium, & impetus habet violentos. Quaſi vero hæc vehementia non magis exultet, dum omnes illi indulgent, atque omnia permittunt. Si inter prima renaſcentis Eccleſiæ initia jam emergit hoc tyrannidis exemplum: quid brevi, rebus in deterius collapſis, fiet? Defleamus ergo Eccleſiæ calamitatem, neque modo taciti apud nos hunc mœrorem devoremus: ſed audeamus aliquando liberum gemitum edere. Quid ſi etiam Domini permiſſu in has anguſtias ſis redactus, ne plenior tandem de hac re confeſſio tibi extorqueatur? Veriſſimum equidem fateor eſſe quod doces: & quod placido genere docendi hactenus ſtuduiſti animos à contentione revocare, prudentiam moderationemque tuam laudo. Sed dum locum hunc tanquam ſcopulum aliquem refugis, ne in quorundam offenſionem incurras, plurimos, qui aliquid certius in quo acquieſcant, abs te requirunt, ſuſpenſos perplexoſque relinquis. Eſt autem, ut me aliquando tibi dicere memini, non ſatis nobis honeſtum, eam doctrinam, quam plerique ſancti proprio ſanguine teſtatam relinquere non dubitant, ne atramento quidem conſignare. Ad hanc ergo plenam & ſolidam mentis tuæ explicationem forte viam tibi patefacere nunc vult Deus, ne perpetuo hæreant dubii, qui ab auctoritate tua pendent, quos ſcis eſſe quamplurimos. Neque hoc tam incitandi quam conſolandi tui cauſa dico. Niſi enim ex hac turbulenta concuſſione aliquid hinc exoriturum ſperarem, multo acerbiore luctu conficerer. Quanquam exitum quieti expectemus qualem dare Dominus volet: interea curſum noſtrum infractis animis perſequamur. De reſponſo tuo magnam tibi habeo gratiam, ſimul etiam de humanitate non vulgari, quam ſibi abs te exhibitam fuiſſe Claudius mihi teſtatur. Qualis erga me futurus eſſes inde conjecturam facio quod meos tam benigne comiterque accipias. Deo autem maximas gratias agere non deſino, qui dedit, ut in ejus quæſtionis ſumma, de quo rogati eramus ſententiæ noſtræ congruerent. Tametſi enim paululum eſt diſcriminis in particulis quibuſdam, de re tamen ipſa optime inter nos convenit. 28 Junii. M. D. XLV.

CALV. MYCONIO.

NUnc inſtandi tempus eſt, ne fruſtra tantum laboris pro miſeris fratribus exhauſerimus. Et nunc opem ipſi noſtram vel tacentes implorant, ſi unquam antehac. Rex enim, ut ex Germania intellexi, moderationem aliquam ſe adhibiturum ſimulat: jam enim profectum eſſe Commiſſarium, qui de rebus eorum inquirat. Verum nihil inde levationis expectandum. Commiſſionis, ut loquuntur, ſibi infeſtiſſimi hoſtes erunt conſcii. Nemo eſt qui mutire auſit pro veritate. Miſeri fratres vel in ſentinis navium & ſubterraneis carcerum foſſis vincti tenentur, vel fuga diſperſi procul abſunt, vel latent apud amicos. Rogandus ergo erit Rex, ut vinctos primum dimittat, & omnes reſtituat in integrum: deinde Commiſſarios mittat homines æquos & humanos: rabioſis iſtis cognitionem adimat. Tu igitur in hanc rem totis nervis enitere. Crimen quo gravantur ne illis noceat, effice. Eſt enim impudenter confictum: & ſuſpicor in qua officina. Miror tantum haberi fidei nihili hominibus, quorum mendaciis aures veſtrorum hominum occalleſcere jampridem debuerunt. Fingunt allatum eſſe hunc à mercatoribus rumorem. Atqui nunquam id hoſtes obtendere auſi ſunt: quia facturi erant abſque colore. Grynianus Regis legatus, qui perpetratæ ſtragis auctor fuit ſua perfidia, prætextu hoc non abutitur. Obſiſte ergo quantum potes, ne falſis delationibus alienentur bonorum animi ab illis juvandis. Vale, mi frater & amice honorande. Dominus te una cum ſymmiſtis conſervet, quos ſalutabis diligenter meo nomine. Collegæ mei vos etiam reverenter ſalutant. Genevæ, 24 Julii. M.D. XLV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. FARELLO.

ERgo tibi utilis cœperat eſſe Collega, ut ſtatim abs te diſcederet. Sed hæc ingens erga eum Domini miſericordia, & beneficium etiam in vos non parvum, quod eum hinc ad ſe recipere noluit niſi correctum: & providet ne quod vobis præjudicium apud improbos afferret ejus obſtinatio. Si Toſſanus ſuccedet, aliquanto plus tibi erit ab eo levamenti. Marcutius paralyſi correptus decumbit. Antonius Armentiacus nobis ablatus eſt, ſummo bonorum omnium dolore. Joannes quoque Camerius Biturix ex eadem claſſe. Intellexi ex hoc fratre vos litigare adhuc cum ſacrilegis. Hic ſcortatores & hujus notæ homines nos exercent. Sudamus autem non magno profectu. De bonis Eccleſiæ in verum uſum hic reſtituendis, ego deſpero. Concedunt quidem ſatis liberaliter: ſed nihil efficitur. Jam ſæpius fruſtra magnos labores exhauſi. Dico: denuncio. Hoc tantum conſequor, ne videar ſilentio approbare. De fratre Ganſperio expectabimus Dei voluntatem. Egeram tuo nomine gratias Bucero, & iterum ſtimulaveram, ut juſſeras. Hoc præcipuum eſt, quod vita ejus eſt in manu Domini: nec expoſita erit libidini impiorum, donec ille volet. Si verus eſt rumor ille de novis Delphini nuptiis, idem nobis brevi imminet. Neque enim multum relaxationis hic nobis dabitur, ſi ſemel nefanda conſpiratio coierit. Ego de vita mea non ſum ſollicitus: modo Eccleſiæ ſuæ Dominus proſpiciat. De Brunſvicenſi audieram, ſed jamdiu nihil ex Germania literarum venit. Vale frater integerrime & mihi amiciſſime, cum tota tua familia, quam meo nomine diligenter ſalutabis. Dominus vos iſtic ſervet ac regat Spiritu ſuo. Salutant te omnes amici, Copus, Abel, Galaſius, Nicolaus cum domo ſua, uxor mea. Fratribus ſalutem plurimam. Genevæ, 6. Nonas Octob. M. D. XLV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. FARELLO.

JOvis ſub cœnam mihi tuæ ad Viretum literæ redditæ fuerant: ut poſtridie cum fratribus poſſem capere conſilium, ſi id tibi placere intellexiſſem. Sed à me tantum & Vireto ſcribi volebas. Itaque nullam facere mentionem auſus ſum. Quum vero mihi oblatæ fuerant tuæ poſteriores, jam fratres

tres diſceſſerant. Itaque jam amiſſa eſt illa opportunitas. Sed quid profuiſſet me de tua voluntate in tempore fuiſſe admonitum? Ego enim conſilium vos petere à nobis nequaquam puto, quo non indigetis: nec veriſimile eſt, cupere vobis exponi quid de illa re ſentiamus. Tenetis enim haud dubie: ſed literas petitis, ut interpretor, quæ vobis adjumento ſint ad veſtros homines coarguendos. Speratis enim melius fractum iri eorum contumaciam, ſi complures Eccleſias vobis ſuffragari viderint. Et certe vix unquam hoc vitium, quocum vobis certamen nunc eſt, corrigetur, niſi Eccleſiarum conſenſu. Atque utinam ad hanc ſanctam conſpirationem animum adjicerent, quos duces aliis eſſe oporteret: ſed vides ut res noſtræ ſint diſſipatæ. Quod ad nos ſpectat, libenter vobis morem geremus. Neque enim dubito pro ſymmyſtis etiam ſpondere. At timendum eſt ne ridiculi ſimus veſtris hominibus, ab illis exigendo quod nondum impetravimus à noſtris. Docebimus quis rectus ſit uſus bonorum Eccleſiæ, & qui legitimi ſint eorum œconomi, ut auctoritate noſtra urgeamus Neocomenſes. Cur non potius exordium à nobis facimus? videte ergo ne dum juvare vos ſtudemus, magis obſimus cauſæ veſtræ. Quod ſi tamen manes in ſententia, præſcribe quid utile ſentias, ego ſtatim obſequar. Quanto plus ponderis eſſet in eo libello, quem adhuc Argentinæ quum eſſem, curavi imprimendum? Loquuntur enim illic Principes, quotquot Euangelium amplexi ſunt: promittunt reſtitutionem omnium quæ occuparunt, ſiquando ad piam aliquam concordiam ventum fuerit. Admonendi eſſent veſtri ut Principum exemplo, ſaltem ad id tempus, omnia ſibi integra ſervarent. Rogabis quidnam igitur ceſſem, ſi eadem hic cerno vitia, quæ vos iſtic excruciant, & tantum faceſſunt negotii. Ego vero non ceſſo palam in concionibus: quoties opportunitas ita tulit, conteſtor Deum & homines, grave nobis imminere judicium: in Senatu idem aliquoties egi: neque tamen hoc modo mihi defunctus videor, dum nihil me profeciſſe video. Verum ſequor Ambroſium, qui doctrinam & locum Paſtoris ſibi retinens, ita ut pro illis vindicandis paratus eſſet vitam opponere, agros tyrannidi Imperatoris Valentiniani ſinebat. Sic enim ſuſpicantur Magiſtratus noſtri, de æmulatione eſſe certamen, quia ægre feramus excuſſum eſſe nobis de manibus quod illi ſibi ſumpſerunt: niſi forte hoc ſimulant, quo fidem ſtudio noſtro derogent. Neque tamen ita vitanda eſt nobis ſuſpicio, ut ad ſacrilegia conniveamus. Tantum cogitare operæpretium eſt, quouſque contendere expediat: quanquam in præſentia longiorem diſceptationem ingredi non eſt animus. ideoque finem faciam. Noſtri omnes te ſalutant, præſertim ſymmyſtæ, Nicolaus, frater, uxor, quæ ipſa tuis & familiæ tuæ precibus ſe commendatam eſſe cupit, nam adhuc cum morbo difficulter luctatur: ſed hoc habemus ſolatii, quod pedem unum videtur à ſepulchro retraxiſſe: ſed necdum vires colligit, & magnis doloribus infeſtatur. Vale, optime frater & amice integerrime. Collegis tuis plurimam ſalutem. Genevæ, 13 Octobr. M. D. XLV.

MYCONIUS CALVINO.

Ago tibi gratias, doctiſſime Calvine, pro libro tuo quem ſcripſiſti ad Carolum Quintum, ut majores nequeam. Profuerit, nec ne, perinde eſt, quaſi ipſis non fuerit ſcriptus: aliis tamen proderit. Nam, crede mihi, habere tuam inventionem ſaltem, quæ pie ſtudioſis plurimum valet prodeſſe. Unum dolet mihi quod qui attulit, primum quaternionem fecit illegibilem, adeo madure neſcio quo literæ penitus ſunt abraſæ. Cæſar ſi legit, in contrarium motus eſt, adeo perſequitur in Belgis ſanctos. Maria regina, Imperatoris ſoror, non potuit tueri Sacellanum ſuum Carmelitam, quin fuga conſulere ſibi ſit coactus. Et poſtquam jam periculo liberatus erat, condemnatus eſt ut hæreticus. & quia ipſe non aderat, libri ejus combuſti ſunt publice. Sic accidit filio Margravii Antverpienſis, & aliis bonis ac piis viris ſine numero. Conatur vir ille ſic reconciliare ſibi Papam indignantem: quidni conatus idem eſt ad Deum, à cujus manu gravius premitur? dicitur enim laborare graviſſimis diverſiſſimiſque morbis. Schola Lovanienſis per Brabantiam ejicit ex ludis minoribus omnia quæ Chriſti ſunt. Julianica, ut ita dicam, reformatio. Dominus confirmet Eccleſiam ſuam. Miſi ad te literas D. Buceri, & cum tuis literas Papæ ad ſuos, & eas quas ſcripſit ad Cæſarem, dignas certe quæ ab omnibus legantur, & ſcholiis adjectis intelligantur. Obſequutus es nimirum conſilio Buceri. Quod ſi ſic habet, velim nos, ſtatuto pretio, tuo labore non prives. De Concilio veluti per ſomnium audivi, revocatum eſſe. Comitia non procedunt. Hactenus ſolus Epiſcopus Auguſtanus, nuper Cardinalis factus, Wormatiæ fuit, & eas nugas egit quæ in more ſunt inferiorum civitatum, & Romæ nunquam ceſſant. Larvati, ut non cognoſcantur, domos intrant civium: ibi edunt, bibunt, ludunt, ſaltant, libidinantur, & quicquid eſſe poteſt jucundum faciunt, aliquoties ingenti cum damno, & ignominia patrisfamilias. Et non eſt, ut audio, qui vel mutire audeat. Præparatinnes dignæ, ſive ad Comitia, ſive ad Concilium. Exurgat Dominus, rogemus, ad judicandum cauſam ſuam de gente non ſancta: ſic enim in dies flagitia magnorum hominum creſcunt, ut mihi videatur iram Dei propiorem eſſe quam putemus. Largiatur is nobis, ut diem ejus exſpectemus cum gaudio. Volui te, mi Calvine, ſic ſalutare: boni conſulas rogo. Vale cum familia in Domino. Miniſtros Chriſti pios nomine meo ſalutabis. Baſileæ, 6 Martii anno M. D. XLV.

Oſ. Myconius tuus.

FARELLUS CALVINO.

Vide quæ mentitur Carolus, dignus qui Pontifici ſerviat: ſed pudet Pontificios talem admittere, qui tam impudenter ſit impudens. Et ſane illi contigit quod inter ſceleratos non raro evenit, ut ſit aliquis adeo conſceleratus, ut ſceleſti ferre eum non poſſint. Venit primum Genevam non expectatus neque expetitus: alios enim cupiebamus habere, ut pium Stapulenſem, qui non ſine lachrymis audiebat, gratias agens Deo, ordinem Eccleſiarum; & cupiebat, ut erat amans Galliæ, ita videre compoſitas Eccleſias. Ubi veniſſet, dicebant omnes Epiſcopum Gallicum veniſſe: & erat apparatus, non pecunia ipſius Caroli, ſed aliorum qui cum eo erant, quique queſti tandem ſunt de injuria ipſis facta, ut is qui docuit apud D. Gervaſium, Joannes Tardivus, qui aiebat ſe ab eo aliquot circumventum coronatis. Nos hominem inviſimus in diverſorio, & poſt ſalutationem, agere cœpimus de ratione diſpenſationis divinæ, quod urgeat ad confeſſionem ſui nominis refugientes, & qui veritatem cognitam diſſimulant: ut Carolo dicebamus eveniſſe, qui immerito pulſus eſſet, quum nihil egiſſet Pontifice indignum, nec Chriſto dignum. Gallia exierat, nunc abſens ſcribendo præſtaret ac reſarciret, quod tacendo & diſſimulando damni Eccleſiæ dederat. Non fuit ſatis grata Carolo hæc cantio, quæ in prandio canebatur. Aliud erat conſilium, nempe de remittendo in Galliam famulo, qui dum curaret aliquid emungere de ſacerdotiis Caroli, apud nonnullos efficeret, ut erogarent pecunias in uſus pauperum Gallorum qui multi confluerent. Ego mirabar hominis ſtudium, quod ſtatim anxius eſſet de pauperibus, edoctus quoſdam monachos paria olim moviſſe, & Lutetiæ emunxiſſe aliquid pecuniæ, de qua nihil reſcivi unquam

unquam pauperibus datum: ac novi quoſdam nolle quædam pauperibus ex teſtamento relicta diſpenſare, niſi tam clam ut nemo reſciat: & non legantis nomine, ſed ipſorum, ſi quid dent: & tamen plus videbantur illi in pauperes affecti quam Carolus. Ideo quod nunquam emendicaram, nolui ſuaſu Caroli ordiri: ſed dixi, prius nobis agendum eſſe ut panis verbi detur animo quam cibus corpori: eum qui hactenus proſpexit pauperibus nobis non defuturum, neque pauperibus. Quum dies aliquot egiſſet, ac tum ipſe tum alii qui cum eo erant non imminuerent famam quæ ſpargebatur de Epiſcopo, & qui pro Euangelio laborabamus eam non minueremus, quamvis modeſtius loqueremur aliis, rati non prorſus incommodaturum curſui verbi (quod non prorſus contemnendi aliunde migrarent ad loca ubi Euangelium prædicatur) cœpi rogare Carolum ut concionaretur, & id inſtantius: ſed is multa cauſatus, nimirum quod novus adventaſſet, velletque plenius rationem tenere docendi, ſe rapi concionibus noſtris, & id genus alia addeos, petebat ne gravate ferremus, ſi ſtatim non concionaretur. Doluit id nobis, fateor; ſed alius dolor hoc nobis in gaudium vertit. Siquidem intelleximus Magiſtrum noſtrum theologice agere, hoc eſt, vino theologico magiſtraliter & Sorbonice uti, & quod ſequitur, habere quæ lectum ejus ſternerent, tibialia exuerent, ac familiarius dormituro adeſſent, ut alia taceam. Hic nos certiores facti, hominem admonemus de judicio Dei, de offendiculo omnium, & obteſtamur propter Deum, ut fruſtra non patiatur propter verbum pulſus Gallia, nec agat aliquid Chriſtiano indignum. Videbatur non prorſus reſpuere quæ primo dicebantur, & qui cum eo agebant, ſpem aliquam faciebant: quamvis dicerent hominem ſui amantem, ſibi vixiſſe & indulſiſſe genio: tamen pergendum: quod dum fit, incipit peccata ſua tueri, & pergere. Nos admonemus ſi nobis adeſſe nolit, & prodeſſe non ſtudeat, non adverſetur in tanto rerum diſcrimine, quum luctandum nobis ſit cum tot monſtris, ut nulla prorſus ſit ſpes domari ea poſſe, niſi præſentiſſima virtute Dei id fiat: non pergat ſua improba agendi ratione curſum Euangelii impedire. Is neque nos audivit, neque tamen aperte auſus quidquam fuit: ſed clam in deterius proficiens, palam videbatur cautius pergere. Pontificiis invidioſus quum eſſet, nihil commercii cum eis habebat: noſtra conſuetudioe non multum oblectabatur, licet nos haberet familiariores. Interea Bernardus cogitabat de exuenda cuculla: quod ubi nobis indicavit, reſpondimus hoc parum eſſe, niſi cum ædificatione majori id faceret, ita ut omnes factum probarent: quod ſane fieret ſi poneret aliqua, quibus doceret ſe legitime id facere, & id omnibus apertis rationibus perſuaderet, ſeque ad reſpondendum omnibus publica diſputatione offerret: quod placuit Bernardo, & ut ſuadebamus, Senatum adiit & diſputationem impetravit, quam nos deſperabamus noſtro nomine poſſe impetrari. Sed quia Bernardus civis erat, & quum conveniſſent Minores Gratianopoli, ubi Capitulum quod vocant (ita ſuos conventus & Synodos nominant) celabrabant, dicebat ſe cupere illos ad diſputationem vocari: annuit ad omnia Senatus Genevenſis: & quamvis Pontificiorum erat pars major, tameu ita omnibus placuit, & miſſæ fuerunt ad conventum literæ, ubi præerat à Cornibus. Satagebat per Bernardum Carolus ut præſideret in diſputatione, & omnia reſolveret. Nos rati nihil proſpere ceſſurum quod tam arroganter fieret (videbamus enim inanis gloriæ hominem appetentiſſimum) & Deo & Scripturæ ſuum honorem ſalvum eſſe cupientes, Dominum tantum ex Scriptura omnia reſolventem diximus eſſe audiendum: cautum ſatis eſſe ſi eſſent qui curarent ne inſolentius quis ferretur in diſputatione, juberentque ut partes pacate invicem audirent & loquerentur, idque libere. quod & factum fuit: licet primus qui diſputare cœpit tergiverſando nollet alium reſpondere quam Bernardum, qui propoſuerat. Sed facile fuit ex iis quæ propoſita fuerant illi ſatisfacere. Actum eſt de libero arbitrio, nos abunde ex Scripturis ſatisfecimus, nec in eo plurimum laboris impendendum fuit, nec præcipua erat controverſia nobis & Pontificiis, ut de merito fideique juſtificatiune. Tamen ſuper negotio liberi arbitrii non infeliciter loquutus eſt Carolus, aperiens quid certaminis fuiſſet cum Pelagianis Auguſtino, & quod victi abierint. Primo quod initium boni operis à nobis non eſſet, ſed à gratia quæ nos prævenit: ita & progreſſus & conſummationem boni operis gratiæ deberi, & fruſtra hominem conari ſine gratia, nec ordiri, nec proſequi, nec perſeverare poſſe. Quod ubi feciſſet, noſque grati commendaremus, (quid enim aliud cupiebamus quam gloriam Dei & plebis ædificationem? quæ cùm cerneremus, læti approbabamus) tunc cœpit Carolus argutari de ſucceſſione regni terreni Chriſti, quod ſuperſtes Virgo poſt Filii mortem hæres fuerit. Bernardus nobis non adeo curantibus reſpondebat ſuccedere matrem filio. Sed mox reſpondi non opus eſſe hic agere de terrena hæreditate, quum Chriſti regnum non ſit ex hoc mundo, bene convenire inter Virginem Chriſti matrem & Filium, nec quenquam ex plebe adeſſe ut intelligat quo jure mater velit filio intentare actionem, & quid ex ſucceſſione petat: ſed in hoc omnes conveniſſe ut intelligant, an quæ Pontifex inſtituit & quæ ſervant Pontificii, ex Deo ſint vel contra, ut de miſſa, cultu divorum, & aliis traditionibus humanis. Hinc factum eſt ut ad alia ſe converterit, quæ in poſitis haberentur, & Miſſam aggreſſus eſt tueri: ſed tamen ingenue faſſus eſt poſita vera eſſe, pia & Chriſtiana, ſeque ea nolle impugnare quod falſa ſint aut talia credat, quum veriſſima eſſe ſentiat: ſed ut omnes intelligant rationem adverſariorum, daturum ſe operam ut omnes ipſorum rationes & potiores etiam adducat, neque omiſſurum quicquam. quod & fecit diligenter. Et quamvis partem noctis impendiſſet in annotandis rationibus quibus poſſet Miſſa ferri, nos tamen (ut nemo auditorum non poteſt hodie teſtificari) hominem memoria labentem & non ſatis tenentem quæ annotarat adjuvabamus ut ſua formaret argumenta: ſciebamus enim unde deſumpſiſſet. Quumque id fieret, fatebatur ſe velle id dicere quod nos ab eo petebamus an vellet dicere: tantum abeſt ut argumenta ipſius effugeremus, aut timeremus, ut gratum eſſet etiam adjuvare. Aliqui ex Pontificiis, dum audirent rationes quæ ipſis placebant, non audita reſponſione abibant ad Canonicos, & Carolum commendabant: illi non ingrati vinum mittebant, & hortabantur ut ſtrenue ſe gereret. Is recipiebat ſe omnia effecturum, jubens eos nihil moveri: ſi viſus fuerit Miſſam primu damnaſſe, & inter diſputandum nonnulla damnet in ea; ſe tamen ita rurſus eam corroboraturum, ut quam firmiſſima maneat. Sed qui audierunt utroſque, poſſunt referre quam id effecerit. Nam & argumenta in fumum omnia abibant, nec poterat ſtare ſacrificium & redemptio vivorum & mortuorum, non invocatio divorum, actio quæ peregrina ſit lingua, adoratio panis & particularis ſumptio Sacramenti, & id genus alia, quibus tota fœtet Miſſa. Quumque Viretus tam aperte diſſolveret omnia, ut adſtantium nemo non aſſentiretur (ſcis quam ille appoſite & diſerte poſſit aliquid explicare) Carolus armis exutus, neſciens quid aliud afferret, cœpit ore diducto inſani more vociferari longum ba ba ba. Ego hominis dementiam taxans, quod ſenex Theologus, & qui haberi velit ex numero eorum qui profeſſi ſunt Euangelium Chriſti, modeſtiam abjiceret, quum juvenem quem ut tironem reputat, vixque cenſendum in numero aliquo Paſtorum, ita ſuo exemplo formet, ea admittendo

tendo quæ nulla ratione in juvene eſſent ferenda. Si Chriſtus & Apoſtoli ita cum Phariſæis, Scribis & aliis adverſariis egiſſent, an ita plantaſſent Euangelium? quid dicturi eſſent de nobis Euangelii hoſtes & adverſarii, ſi nos ita ſatisfaceremus eorum rationibus? num tam impudens eſſet quod coram plebe empta Chriſti ſanguine, quæ convenit ut intelligat quid ſequi debeat, non rubore ſuffunderetur ita inſane agendo? Et ſane hominis audaciam tam potenter compeſcui, ut ipſe, quamvis aſſuetus meretricia fronte omnia agere & pati, totus pudefieret, nec poſtea auſus fuerit tam temere ferri. Quod tam impudenter mentitur ſuis non fuiſſe ſatisfactum rationibus, vel unam afferat cui noo fuerit plus ſatis reſponſum. Nolo hic interrogari eos qui non fuerant nobis aperti hoſtes, nec cauſæ æquiores, ſed juratiſſimos hoſtes ex familia Epiſcopi. qui quum nunquam antea nos audiviſſent, & ſperarent Carolum triumphaturum in tuendis ſacris Pontificiis quæ diviniſſima reputabant: quum audirent nos, tacti fuere, intelligentes humana & impia eſſe quæ divina ſanctiſſimaque arbitrabantur. Et quum vellet ſuas ſignificationes in veſtibus, & neſcio quandam obſervantiam auguſtiorem in lingua peregrina & ſuis à magicis nihil evariantibus ſignis & actionibus, & aliis quibus Cœna Domini prorſus ſublata fuit & obſcurata, obtrudere: nos contra proponebamus Chriſtum qui purius docuit, Patrem nempe ſpiritu & veritate, ſublatis umbris, adorandum: ut jam non ſit petendus Mons neque Jeroſolyma. Quumque ſanctus rex Ezechias ſerpentem æneum juſſu Domini conflatum & erectum, in quo Deus præſentiſſimam virtutem ſuam exeruit, ſanatis, dum inſpicerent ſerpentem, læſis à ſerpentibus: cujus beneficii ſervatos ſerpens admonebat, & aliud longe majus præſagiebat, non fictum humano commento, ſed quod Chriſtus revelavit, nempe Jeſum ipſum ita exaltandum eſſe & ſalutem daturum: hæc omnia quum divina fuerint, nec fugerint ſanctum Regem, non tamen ideo cenſuit tantum incumbendum ut tolleretur ſuperſtitio, quod ægre ſciebat ſe impetraturum, ſed prorſus ſerpentem ignominioſe juſſit comminuendum: quid Chriſtianis Ducibus & Magiſtratibus non eſt faciendum in iis quorum ſuperſtitio & cultus omnem idololatriam Judæorum ſuperat? in iis quæ homines male feriati erexerunt, quibus ſignificationes ex arbitrio addiderunt, unus ſic, alter aliter? Ubi habemus putum Chriſti inſtitutum, quem ſcimus omnium ſapientiſſimum & conſiderantiſſimum: nec dubitamus fideliter fuiſſe conſcripta à ſacris ſcriptoribus Apoſtolis & Euangeliſtis, quæ faciunt ad rem. Hic ſcilicet potuit hiſcere Carolus: qui ex iis quæ ſenſit in ſe Genevæ, quantum poterant occurrere, dum videbat locum eſſe in diſputatione Lauſanenſi utebatur, ut nos anteverteret: quod ſane nobis non erat ingratum. Nam quid attulit Lauſanæ quod contra eum Genevæ non fuerit dictum, præter unam de tranſſubſtantiatione, quam vocant, deductionem? quam dextre tractavit, ut alia non prorſus inepte. Quod ſcribit ſe admonitum ne tam præciſe nobiſcum ageret, ſcilicet Carolus erat quem timeremus? & aliquis aliquando metus nos tenuit ne vinceremur? Baſileæ, ubi erat Eraſmus, Berus, Zicardus, Cantiuncula, (Theologi illi ut hi Juriſperiti) in harenam deſcendimus, & ſuſtinuimus argumenta non levia noſtrorum, ut Oecolampadii, Pellicani: ſed Scripturis ita erant roborata, ut ne minimum quidem convellere potuerint. Sed quis metus poteſt tenere eos qui certi ſunt, dum ſtant pro veritate, ex promiſſo Dei, ſe habituros os & ſapientiam cui omnes adverſarii non poſſint reſiſtere? & qui non propriam gloriam neque ut vincant quærunt, ſed gloriam Dei, & ut Chriſtus & veritas vincat, & id petunt in privatis & publicis precibus? At novit Carolus nos ardentius precatos eſſe, & omnes ad preces iovitaſſe. Siquis forte nobis timens, ut olim contigit, ubi primum vocabar ad prædicandum, & accurriſſent aliqui magni ut videbantur, ego vero nullus videbar (ut vere ex me ſum) dicebant, Quid faciet hic miſer? utinam nunquam veniſſet nec vocatus fuiſſet: non poterit ſubſiſtere, & omnes confundemur cum eo. Sed ubi collata fuerunt ſigna, & ultro adverſariis ea quæ volebamus tueri proponentes, in harenam adverſarium provocaremus: ibi is quem tantopere nonnulli formidabant, dixit ſe nolle diſputare, neque dignum eſſe qui librum poſt me ferat. Si ita dictum fuerit Carolo, non ſatis novi: ſed quod ego neque Viretus unquam cogitaverimus, hoc poſſumus certo affirmare: neque voluimus eum aliquid omittere eorum quæ adduci poſſunt, imo potius, ut dixi, lapſum memoria & non ſatis tenentem quæ dicenda erant, & unde cœpiſſet orationem, ſæpius in viam reducebamus. Quid tentarit ſub finem diſputationis, quam, ut diximus, per Bernardum impetravimus, non prorſus ignoramus. ſed per D. effectum eſt ut illi non ſucceſſerit. Recenſita ſunt quæ tota diſputatione fuerant tractata, ea fide ut intelligerent omoes rem ita habere. quid enim attinet in veritatis negotio, amanti veritatis aliud quam vera afferre? Inde ſerio fuit admonitus Magiſtratus, ut officium faceret pro gloria Dei & plebis ſalute: fungeretur officio patris; non pateretur filios à Domino ſibi concreditos errare in iis quæ tam aperte veritati divinæ repugnant, alioqui reus eſſet omnium quæ admitterentur. Adducta exempla piorum qui præfuerunt populo: quod quam moverit, ipſi norunt quibus dictum fuit. Carolus ſubinde cum Canonicis & cum aliis ex urbe tractabat. Quis metus hominem coëgerit Genevam deſerere & montes circuire, neſcio alium, niſi is fuerit qui contingit impio fugienti nemine perſequente. Si dixiſſet Pontificios minatos fuiſſe Caroln, forte aliquibus, qui conſuetudinem illius cum Pontificiis neſcirent, perſuaderet: nam illi & multis minati ſunt, & aggreſſi nonnullos, & varias conjurationes habuerunt: & ſæpius admonitus non timui, etſi viderim lædi & occidi nonnullos à Pontificiis: quod illis non bene ceſſit, nam aperta fuerunt eorum conſilia. Sed quod aliquis qui non eſſet Pontificius motum excitarit, vel aliquem ob religionem invaſerit, proferat ſi poteſt Carolus. Qui pacis tempore in urbe non auſus fuit agere, neque aperta via ingredi, ſcilicet is eſt Carolus quem tamen expetunt omnes perdere: tantus concionator, tam magnus diſputator. ô quot plagas accepit! in quot diſcrimina incidit! quot & quanta paſſus eſt! Quæ Baſileæ egerit, nonne pudet Gallos omnes referre? tam ſtolidum è Gallia ſeſe im venditare io Germania? idque apud Grynæum, cum quo ſi Carolum conferas, Therſiten contuleris Achilli. Inde ſequuta eſt vocatio in Eccleſiam Neocomenſem: quam cùm is non plantarit, nec ædificare adeo demum ſtuduit, quam fuerit legitima vocatio non dico. Quod nunc ſentio vix poteſt impetrari: & quamvis, ut noſti, non ſine magna anxietate data fuerit opera ut per optimos quoſque judicaretur quæ ſint partes Paſtoris, quæ Magiſtratus, quæ plebis in debita vocatione Paſtorum; quid non fit ut fixa non maneant quæ merito debent obſervari? Scilicet Carolus hac religione tenetur, ut caveat nequid in vocatione deſideretur: ut noſti quid oportuerit agere, ut is adduceretur quem omnes Paſtores præter unum exoptabant, & tota plebs cum Magiſtratu impenſius rogabat. Sed ut intrant, boni ſcilicet, ita egrediantur. Quorſum attinebat Bernam mittere, & alibi interea hærere? illinc ad Montem Bellegardium, & omnia diſpicere ut locum haberet? tot precibus petere ut hominem adjuvaremus, & hæſiſſe quamdiu potuit etiam cum uxore, è qua tunc genuit prolem? Sed quando finis eſſet? Cuperem te ex Vireto accipere ea quæ non ſuccurrunt mihi jam: nam ultra ea quæ particulatim ipſum tangunt, poteſt fuſius omnia perſequi. Accedit quod hic nobis opportune

Digitized by Google

pŏrtune ſeſe obtulit cui libellum darem & omnia quæ habeo. Et in primis eſt quod te rogem ut inſtes ſumma cura pro legatione ad Regem, quæ ſi fieri poteſt, rotunde loquatur: nam literis minus fit quam cantione. Sed ſi legatio mittatur & coram agatur maſcule, non tantum iis pro quibus laboraſti ſuccurretur, ſed aliis qui paſſim periclitantur. Vale, & precare D. pro nobis. Neocomi, 11 Junii. M. D. XLIII.

Farellus tuus totus.

CALV. FARELLO.

QUoniam Claudio noſtro mandavi, ut tibi copioſe omnia exponat de quibus per alium ſcripturus eſſem, non utar longiore epiſtola. Si tibi prima ſpecie diſplicebit meum in ipſo mittendo conſilium, ſcito me hac ratione adductum eſſe, quod quum ſcirem, aut ſaltem ſuſpicarer, eos à quibus rogatus fui hoc facturos niſi eorum voluntati morem gererem, antevertere malui. Si tuas ad Bucerum literas meis adjungere placuerit, facies rem meo judicio perquam utilem. Tametſi enim reſponſum neque ab illo neque ab aliis ſpero quale optandum foret, danda eſt tamen opera, ut inter nos quam minimum diſſenſionis appareat. Ego hac cauſa, quominus magis inſiſtam, impedior, ne urgere & propemodum velle cogere videar, ut mihi aſſentiatur. Tibi hac in parte major erit libertas. Quid moliantur in Galſia Chriſti hoſtes, & qualiter primas eorum inſidias diſcuſſerit Dominus, intelliges ex Roberti literis, quibus acceptis protinus ad Bucerum ſcripſi, & quanta potui vehementia obteſtatus ſum ut ne ullis ſe illecebris irretiri pateretur. Hujus nunc quoque Philippum admoneo, ac illi in memoriam revoco, qualiter pridem à Langæo ſimilibus technis ſit tentatus. Vide tamen ut omnia clam ſuppreſſa contineas: ſcis enim ut quæcunque duobus tribusve dixeris, ſtatim latius manent. His diebus quum Anabaptiſta quidam libellos illos ineptos palam venum expoſuiſſet, meo impulſu captus fuit. Expertus es quale ſit hominum genus. Ego vero tam barbaram atrocitatem hactenus in nullo videram. Quum ego humaniter pro linguæ meæ more eum compellarem, nunquam aliter dignatus eſt mecum loqui, quam ſi cum cane ſibi negotium fuiſſet. Quum introductus fuiſſet in curiam, voluit primo Syndico aſſidere: inde repulſus, caput oculoſque torquendo, Propheticam majeſtatem ſimulans, tribus verbis ad rogata reſpondebat, ſi liberet; ſæpius tacebat. Dehinc nobis exortum eſt de jurejurando certamen. Quum rogarem numquid Lex Domini viam vitæ nos doceret, axioma illud execrabile protulit, Abolitum eſſe vetus Teſtamentum. Tum ego
2 Tim. 3. ex Paulo citavi, utilem eſſe ad reddendum Dei ho-
v. 16, 17. minem perfectum in bono opere. Urgebam, ut ad hoc reſponderet: ſed verbum nullum exprimere potui. Sic explicavi rem totam, ut omnes præfractam hominis inſcitiam cum pari impudentia agnoſcerent. Quum ſe urgeri ſic videret, ad ſolitam illam ſectæ petulantiam deſcendit, nullum eſſe hominum genus, quod commodius viveret Miniſtris. Reſpondi paucis, non tam ut cauſæ noſtræ patrocinium ſuſciperem, quam ut refutarem belluæ inſolentiam. Poſtea me avarum vocavit. Riſerunt omnes: ſciebant enim quantum hoc anno ab ipſis recuſaſſem, atque id tam ſerio, ut jurejurando aſſererem, me nunquam concionem habiturum niſi deſiſterent. Sciebant me non tantum extraordinariam munificentiam recuſaſſe, ſed remiſiſſe etiam aliquid de juſto ſtipendio, nec minus viginti coronatis. Inque omnium probris fuit impetitus. Reſpondi modeſte, ſi meo loco eſſet, ipſum fore divitem: hoc non eſſe ſignum avaritiæ, qui eſſem pauper in media diteſcendi facultate. Verum ipſum à me capitaliter accuſari furti: ſi negaret, caput meum ad calumniæ pœnam offerre. Conſtabat enim ipſum duobus ſolidis & dimidio vendidiſſe quatuor folia, quæ quatuor denariolis illis conſtiterant. Neque per indicaturam ſteterat, quominus pluris venderet. Urgebam, ſi bene ſibi eſſet conſcius, innocentiam ſuam tueretur. Quum taceret pro more ſuo, cœpi de ipſorum perfectione diſſerere. Quum ſuam obſtinationem ſatis prodidiſſet, in exilium ejectus fuit. Biduo poſt, quum in urbe deprehenſus foret, virgis cæſus eſt, libri coram exuſti, ac denunciatum ſub pœna ſuſpendii, ne rediret. Homo eſt, vel pecus potius deſperatæ nequitiæ. Literas, quas pridem ad vos ſcripſeram, remittendas ſtatim curabis. Vellem Toſſanum admoneres, ut unius meæ ad ipſos epiſtolæ, & alterius ad Schnepfium exemplaria, ſicut rogaveram, ad me remitteret: ſi otium haberes ad nos inviſendos, quam nobis jucundum officium omnibus faceres? Quæſo aliquando te ad iter tandem conjice: nec tantum lætus eſſet nobis, ſed utilis quoque adventus tuus, ſicuti ex re præſenti agnoſces: & te laboris, ſcio, non pœnitebit: feſtina ergo. Salutant fratres omnes, quos ego magis amabo, ſi te huc extrudant. Dominus vos omnes conſervet. Ignoſce meæ laſſitudini. Familiæ tuæ plurimam ſalutem. 21 Januar. M. D. XLVI.

THEODORUS CALVINO.

SAlutem in Domino. Gratiſſimum mihi fuit, Calvine doctiſſime, quod per civem, eumque ut intellexi vicinum tuum, me juſſeris ſalutari. Etſi autem longe plus voluptatis attuliſſent literæ, tamen quum mihi de tuis occupationibus conſtet, facile patior te id quod tibi commodius & facilius fuit, feciſſe. Ego vocatus à Principibus ad colloquium Ratisbonæ, & additus Domino Philippo ſocius, quum jam quaſi in procinctu eſſam, ab articulorum morbo oppreſſus, domi meæ decumbo: ac per alienam manum ad te ſcribo, ut tu quoque intelligas & amari te impenſe à me, & voluntatem neutiquam deeſſe tibi gratificandi. Philippus quoque propter periculum valetudinis domi ſe continuit, & profectus ejus loco eſt D. Georgius Major: ac 27 Januarii utriuſque partis Theologi, qui ibi non magna frequentia ſunt, à præſidentibus Epiſcopo Aiſtetenſi & Comite à Furſtenberg ſunt convocati; & recitatæ quædam ſententiæ eis ſunt Cæſaris nomine, quæ & forma & conditiones hujus colloquii eſſe debeant. Cujuſmodi autem eæ fuerint, nondum licuit reſciſcere: conjicio autem plus habituras dubitationum & periculorum quam ipſum colloquium: intelligimus enim, hoc à Cæſare Pontifici promiſſum, ut de quibus non conveniat inter colloquutores, concilium Tridentinum pronunciet. Ex noſtra parte ſunt Ratisbonæ, M. Bucerus, Erhardus Schephius, Joannes Brentius, Martinus Frechtus, Joannes Piſtorius; D. Georgius Major. De adverſariis ut inquirerem diligentius, nondum libuit, niſi quod conſtat de auditore ſordium Cæſaris, de Malvendo, Pelargo, Cochlæo. Principes noſtri adhuc ſunt Francofordiæ, ac ſtrenue hoc agunt, ut fœdus ſuum & confirment & propagent. hoc autem dignum laude factum eſt, quod omnes qui per totam Germaniam Euangelium Chriſti amplexi ſunt, pollicentur Epiſcopo Colonienſi auxilium, ſi propter religionem eum oppugnet Cæſar. De Tridentino concilio puto te omnia noſſe. Bene vale in Domino, &, quod peramanter rogo, reſcribe quoque. Hoc pene exciderat. Legi conciunculam tuam de Sacramento Cœnæ, ac probo quod panem & vinum ſic ſigna vocas, ut ſignata revera adſint: utinam poſſint à te in eam ſententiam deduci, qui nuda tantum ſigna relinquunt. Iterum vale. Datæ Noribergæ poſtridie Purificationis: M. D. XLVI.

Calv. Vireto.

NUper ſpurius ex domo Fabrorum, cui nomen eſt ab Orba, uxorem duxit ſpuriam cujuſdam Nantuatis. Triginta aut circiter prodierunt obviam ſponſæ. Vides quam ridicula fuerit pompa. noſti enim maritum hominem nihili & nullius honoris: & tamen ejus cauſa ſtrepitus audiebatur tota urbe valde intempeſtivus. Egreſſi ſunt quum haberetur prima concio: inter ſecundam concionem ſunt reverſi. Quid ſequutum eſt? Dominus ſtercore aſperſit totam illam pompam. Abel conjugio benedicebat. Quum ſtipularetur fidem conjugalem, nebulo alibi habebat animum: juſſus ut ſaltem annueret, caput concuſſit. Magna populi obmurmuratio. Abel perrexit, quum deberet actionem abrumpere. Verum ſe nequaquam animadvertiſſe dejerat. Quod ridebat noſter, ſevere punitum fuit à Senatu: nam contemptor ille per dies octo in arctum carcerem incluſus hodie coram Eccleſia culpam deprecatus eſt. Patruus uxoris Joannes nunc eſt in carcere. Severe prohibitum inſulario nequid præter aquam & panem illi det: neque exiturus eſt niſi cum publica ignominia: nam quum Deum palam abnegaret, atque à fratre noſtro Raymundo reprehenderetur, repetita execrabili Dei ejuratione, dixit ſibi dolere quod non abrepta barba eum in terram illiſum pedibus calcaſſet. Proſerpina etiam pridie quam ſponſam exciperent tam honorifice, ſocrum ita vulneravit, ut largus illi ſanguis ex occipitio flueret, facies autem laceratione fœdata eſſet, totum caput luto & pulvere conſperſum. Noſti qualis ſit temperies vetulæ: audiebatur toto vico inclamans Dei & hominum fidem. Proſerpinam ad Conſiſtorium vocavimus, ſed ad ſororem evolaverat. Proxime iterum vocabitur. Quid facerem? ſilentione redimerem unius hominis gratiam, ut à tota Eccleſia proditionis damnarer? dabo tamen operam, ne jure excandeſcat. Pentheſilea certe brevi nobis reprimenda erit: nam malas omnes cauſas ſuſcipit, & furioſe defendit: denique fronte meretricia agit omnia & loquitur. Vale frater & amice integerrime. Saluta ſymmyſtas omnes diligenter. 21 Auguſt. M. D. XLVI.

Calv. Farello.

TAmetſi literæ non omni ex parte mihi placebant, quod verebar ne aſperitate nimia ſtomachum tam delicatum offenderent: reddendas tamen curavi, ſed ita ut neſciret à me fuiſſe viſas. Hic enim quaſi abs te ſibi commiſſas in ejus domum pertulit. Si tonabit ſuo more, tandem ejus fulmina evaneſcent in crepitus. Ego me illi non offero tantum, ſed propemodum obtrudo. duntaxat modum adhibeo, ut meminerim quem locum teneam: neque id mea cauſa, ſed quia homo adulationibus aſſuetus modeſtia mea abuteretur in Chriſti ludibrium. Deſpero itaque, niſi Dominus remedium adbibeat. Uxor ejus prodigioſa eſt furia. Vidua N. adeo procaciter laſcivit, ut dicas eſſe juvenculam. Deinde male ſibi conſcia verbis omnibus, quæ pro concione proferuntur, incitatur ad rabiem; domi quicquid veneni habet, in nos evomit: quanquam erga te mire ſe præbuit benevolam. Duos enim nepotes tuos, quum periculoſe ægrotarent in ſe recepit, neque aliter tractat quam filios. Hoc officium dignum eſt liberali gratiarum actione, quam non omittes, ubi ſe nuncius obtulerit. Nobis omnibus adeo eſt infeſta, ut credam Cæſarem ipſum nihilo magis eſſe inimicum. Et tamen ſi cauſa dicenda ſit, fateor me neſcire, niſi quod impudenter criminum omnium defenſionem ſuſcipit. Narrabo hic jocoſam hiſtoriam. Nuper huc venit Frumenti uxor. Per omnes tabernas, per omnia fere compita declamitavit adverſus longas veſtes. Quum id mihi fuiſſe indicatum ſciret, excuſavit ſe ridendo dixiſſe, aut nos indecenter veſtiri cum magno Eccleſiæ offendiculo: aut vos falſum docuiſſe, quum diceretis à longis veſtibus dignoſci poſſe falſos prophetas. Quum tam putidam calumniam refutarem, cœpit etiam Spiritui ſancto adſcribere, quod vobis impegerat. Quid ſibi vult, dicebat, locus ille Euangelii, Venient ad vos in longis veſtibus? Reſpondi me neſcire ubi eſſet illa ſententia, niſi forte inveniretur in Euangelio Manichæorum. Sic enim extat locus Lucæ 20 verſ. 45. Cavete à Scribis qui volunt ambulare in ſtolis. Non autem venient ad vos, &c. quod ex Matth. 7. interpolaverat. Quum ſentiret ſe urgeri, conqueſta eſt de noſtra tyrannide, quod non cuivis liceret quidvis garrire. Tractavi mulierem ut debui. Statim ad Michaelis viduam perrexit, quæ eam hoſpitio recepit, non menſæ tantum ſed lecti ſociam, quia Miniſtris maledicebat. Hæc vulnera, quod inſanabilia mihi videntur, intacta relinquo, donec manum Dominus admoveat. Cœnam proximo die Dominico ſumus celebraturi. Hinc cogita quibus anguſtiis nunc conſtringar. Utinam me abſente poſſet celebrari, hac conditione, ut ad vos uſque vel manibus reptarem. Fratribus tuis utinam illud Terentianum veniret in mentem, Perdere in tempore, lucrum facere eſt. Admonui: ſed non feſtinant quantum vellem. Pauliſper tamen adhuc hanc moram quamvis nobis ingratam, ſuſtineant. Vale frater & amice integerrime. Saluta meo nomine diligenter fratres omnes, familiam, & pios cives. Dominus te conſervet ac ſemper regat ſuo Spiritu, Amen. Genevæ, Calend. Septembr. M. D. XLVII.

Joannes Calvinus tuus.

Calv. Farello.

ADiſceſſu veſtro choreæ nobis plus exhibuerunt negotii quam putaveram. Omnes ii qui interfuerant vocati ad Conſiſtorium, duobus exceptis Corneo & Perrino, impudenter Deo & nobis mentiti ſunt. Excandui, ut rei indignitas poſtulabat, & graviter in illum *Dei contemptum* invectus ſum, quod pro nihilo ducerent ſanctas obteſtationes, quibus uſi fueramus, ludibrio habere. Perſtiterunt in ſua contumacia. Ego quum res mihi comperta eſſet, nihil aliud poteram quam Deum teſtari pœnas tantæ perfidiæ daturos: ſimul tamen denunciavi, me vel propriæ vitæ diſpendio facturum, ut veritas patefieret, nequid ſe lucrifeciſſe mentiendo putarent. Franciſca etiam Perrini graviter convitiata eſt nobis, quod adeo infeſti eſſemus Fabris. Reſpondi ut viſum fuit atque ut merebatur. Rogavi numquid ſacroſancta eſſet domus, numquid legibus ſoluta? Patrem jam unius adulterii convictum tenebamus: alterius probatio prope ad manum erat: de tertio magnus erat rumor: frater Senatum & nos palam contempſerat ac deriſerat: tandem adjeci fabricandam illis eſſe novam urbem, in qua ſeorſum viverent, niſi vellent à nobis hic ſub jugo Chriſti contineri: quamdiu Genevæ eſſent, eos fruſtra niti, ne legibus parerent. Nam ſi tot eſſent diademata in domo Fabrorum, quot ſunt furioſa capita, id non fore impedimento quin Dominus foret ſuperior. Maritus Lugdunum interea conceſſerat, ſperans rem tacite ſepultum iri. Cenſui, ut jurejurando ad veri confeſſionem adigerentur. Corneus illos monuit, ſe nequaquam paſſurum ut pejerarent. Non modo confeſſi ſunt quod volebamus, ſed ſe eo die ſaltaſſe apud Balthazaris viduam. Omnes in carcerem conjecti: Syndicus inſigne moderationis exemplum fuit. Nam in ſe & totum gregem ſeverius eſt concionatus, quam ut oportuerit cum eo multa verba facere. Admonitus tamen graviter in Conſiſtorio, fuit loco ſuo dejectus, donec pœnitentiæ teſtimonium edidiſſet. Per-

rinum

rmum Lugduno reverſum aiunt: quicquid agat, pœnam non effugiet. Henrichus abdicatus fuit nobis conſentientibus: illic altercatio incidit non illepida. Confeſſus fuerat verum eſſe quicquid à teſtibus ſcriptum fuerat. Interim confugiebat ad illud præſidium, Adverſus presbyterum accuſationem ne admittas, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Rogavi, cujuſnam eſſet ſententia hæc, Ex ore tuo re judico, ſerve nequam. Jam enim cauſam in teſtium fidn non conſiſtere, ſed in ejus confeſſione. Quum teſtes adhuc repudiaret, dilemmate inſtiti, Aut veram eſſe ejus cooſeſſionem, aut falſam: ſi vera eſſet, nihil amplius hæſitandum eſſe; ſin falſa, eum teneri reum perjurii, quod juratus aliter quam res habebat dixiſſet. Eo uſque prorupit, ut diceret ſe falſo & nequiter loquutum eſſe. Quum iniquum eſſe diceret ab eo ſe premi, qui deberet eum defendere, rogavi quo jure illi aſtrictus eſſem ad malam cauſam tuendam: nunquam enim me juraſſe in factionem Franciſcanam. Multa homini ultro citroque dicta fuerunt, ſed ita ut probro ac odio omnium plenus diſceſſerit. Abdicatus miniſterio, ſimul retruſus fuit in carcerem: unde tamen triduo poſt fuit liberatus. Illic ſtreouus fuit ſaltatiooum patronus: ut quoad potuit exacerbarit in me eorum odia, qui jam ante plus ſatis erant alienati. Verum quicquid per ejus ſimiles moliatur Satan, exemplum valde proderit. Duo enim jam vulgo dicuntur, oullam ſpem eſſe impunitatis quum primariis non parcatur, & me nihilo magis amicis quam alienis favere. Perrinus cum uxore fremit in carcere: vidua prorſus inſanit: alii pudore confuſi ſilent. Diazius Hiſpanus, quem apud Gallaſium hic vidiſti, Virete, & qui Neocomo Germaniam proficiſcens tranſierat cum duobus Senarclenis, crudeliſſime fuit interfectus. Quum Cæſar appropinquare diceretur, Neoburgum ſe contulerat, quod oppidum eſt ſub ditione Othonis Henrici ducis. Inde ad me ſcripſerat 13 Martii. Fratrem habebat Romæ nomine Alphonſum, qui data opera illuc venit, ut pium virum tolleret è medio. Colloquuti ſunt aliquot diebus. Quum Joannes nihil ſe proficere intelligeret, Alphonſum reliquit. Hic ſimulans ſibi aliquid excidiſſe, famulum mittit qui fratrem revocet, ac domi interficiat. Subſequutus eſt domum uſque: de cæde perpetrata fidem noo habuit famulo, donec cadaver ſpectaſſet ipſe. Tum equis celeribus in Comitatum Tirolenſem ſe proripuit. Dux Otho præfectum palatii miſit, qui eum ad ſupplicium poſtularet. Niſi Ferdinandus humana omnia divinaque miſcere volet, neceſſe eſt tam indignum & abominabile facinus vindicet. Nam præfectus in carcerem ſe una dedit. Valete fratres chariſſimi. Dominus Jeſus vos ſemper tueatur. Salutate amicos omnes. Tu Farelle plurimam ſalutem dices civium magiſtris. Utinam aliquando iſtuc adrepere quoquomodo liceat. Noſtri omnes vos ſalutant. M.D. XLVI.

J. CALVINUS PROTECTORI ANGLIÆ.

Ex Gall. ETſi pro ea provincia quam nunc ſuſtines, Ampliſſime Domine, Deus te ſingulari prudentia, fortitudine & aliis virtutibus quas muneris illius magnitudo poſtulat, inſtruxit: quia tamen me agnoſcis pro Filii ipſius ſervo, cui ante omnia te approbare cogitas; ſic mihi perſuaſi benigne à te ſuſceptum iri, quod ipſius nomine ad te ſcriberem. Neque enim mihi aliud propoſui, quam ut opus cœptum perſequendo, magis ac magis ipſius gloriam promoveas, donec ipſius regnum in optatiſſimum illum ſtatum perduxeris, qui in terris extare quidem poteſt. Ex ipſa porro lectione percipies quam nihil de meo attulerim, ſed ex ipſius Scriptura, quicquid hic habes, in uſum tuum protulerim. Jam ſi in unam magnitudinem intueter, in quam iſtic evectus es, ſatis ſcio quam difficilis ad illam aditus eſſet tenuitati meæ: quum vero non aſperneris illius Magiſtri doctrinam cui addictus ſum, quin potius ſingularis privilegii loco ducas te unum haberi ex ipſius diſcipulis, non eſt quod pluribus me apud te excuſem, quum te ſatis bene comparatum judicem ad illud ſuſcipiendum quod ab ipſo profectum eſſe conſtabit. Eſt ſane de quo gratias agamus Deo & Patri noſtro, quod opera tua uti voluerit ad tantum opus, ut per te in primis purum & ſincerum ſuum cultum in regno Angliæ reſtitueret: præſtiterit etiam ut ſalutis doctrina audiretur paſſim, & fideliter annunciaretur omnibus qui aures arrigere dignarentur: quod etiam tantam fortitudinem & conſtantiam tibi indiderit, ut contra tot inſultus & difficultates infracto animo pergeres: ac manu potenti te aſſeruerit hactenus, ut tua conſilia & labores ſua benedictione proſequutus ſit, atque proſperaverit. Totidem, inquam, illa ſunt piis omnibus argumenta, pro quibus ipſius nomen concelebrent. Sed tamen quia Satan totus in eo eſt, ut novas pugnas perpetuo accendat, ipſaque illa res per ſe omnium difficillima una eſt, dare operam nempe ut Dei veritas placide apud homines obtineat, quum illi natura mendacio addicti ſint: quum etiam non deſint alia quædam quæ ipſius curſum remorentur, ac nominatim quod ſuperſtitiones Antichriſti tam altas radices egerunt, ut ex animis multorum ægre revelli queaot; tu unus mihi tanto magis viſus es ad opus tam arduum ſanctis omnino exhortationibus confirmandus, uti ipſa experientia te hoc quoque comperturum non dubito. Atque hoc faciet ut apertius hic & liberius me geram: & ſaoe quia meum conſilium voto tuo, ut ſpero, reſpondebit, ſic ſtatuo te etiam exbortationem meam boni conſulturum, ut ipſa oon omnino neceſſaria fuerit, quum zelus & ſollicitudo quæ me huc impulerunt, tibi non probari non poſſint. Ac tanto magis illa quam ipſe agnoſcis neceſſitas faciet, ut acceptius etiam hoc apud te meum ſtudium reddatur. Quare à te peto, Ampliſſime Domine, ut me hic patienter audias in iis de quibus te admonere paucis inſtitui: ac viciſſim ſpero, ubi illa attenderis, ipſa tibi ſolatium allatura, quo animoſius deinde opus illud ſanctum perſequaris, ad quod Domino placuit te huc uſque miniſtro uti. Equidem non dubito quin turbæ illæ ingentes quæ ab aliquo tempore acciderunt, tibi valde moleſtæ & acerbæ fuerint: præſertim quum inde plerique offendiculum captarent, quos ex parte mutatio in religionis cauſa coocitabat. Fieri, inquam, non poteſt, quin te illa cernentem varii motus exceperint: ſive ad animum & ſenſum tuum ipſe tum illa referres, ſive ad ſtrepitus improborum, ſive ad proborum conſternationem teipſum converteres. Et me enim rumor ille tam longe diſſitum ita vehementer conſtrictum tenuit, donec accepi affulgere cœpiſſe auxilium à Domino. Sed quando vel ignis ille nondum plane conſopitus eſt, vel non ita difficile ſit à Satana rurſus excitari, propone tibi ante oculos memorabile illud piiſſimi regis Ezechiæ exemplum, quod à Scriptura tam 2 Chr. 32.
diſerte traditum habemus: qui cùm ſublatis ex Judæa ſuperſtitionibus purum Dei cultum ex ipſius Lege conſtituiſſet, tanta ſubito belli mole exceptus eſt, ut pro homine perdito & deplorato habendus paſſim judicari poſſet. Sic enim Scriptura apposite iſta ſimul convertit, quod quum totus ille in en eſſet, ut verum Dei cultum ſuo loco reponeret, rem illi in ſpeciem quam infeliciſſime ſucceſſiſſe. Plane enim quum ita ſe cordate in Dei regno erigendo geſſiſſet, regnum quoque ipſius cum ſumma tranquillitate coojunctum iri ſpetari poterat. Hinc igitur exemplum ſibi ſtatuant pii omnes Principes ac provinciarum Rectores, quo ſe animoſius gerant, tum ad ablegunda omnia idola, tum ad verum Dei bonorem, uti eo tenentur, legitime procurandum: fidem ipſorum nempe per varias tentationes conſimili examini ſub-

jiciendam eſſe. Sic permittit Dominus, ſic vult denique, ut & ſuorum conſtantiam patefaciat, & illos comparatos reddat, ut oculos ſupra mundum attollere diſcant. Ioterea vero Satan ſeſe immiſcet, ut quum veram doctrinam aperte evertere ooo valet, obliquis artibus ac veluti per cuniculos idem moliri
Jac. 5. non deſinat. Atque buc facit illa Jacobi admonitio, ot ad Jobi tolerantiam attenti, in illius etiam exitum intueamur. Perinde enim res tandem illi piiſſimo Regi ceſſit, cui Dominus ita adfuit in ſummis ipſius anguſtiis, ut tandem victoriam inſignem inde retulerit. Quare qoum neque manus ipſius abbreviata ſit, neque porro mious illi ſit nunc cordi, quam ſuperioribus ſeculis veritatis ipſius aſſertio, non eſt quod de illius ope deſperes qoicunque te fluctus excipiant. Maximam bominum partem Euangelio reſiſtere, & omoes conatus eo conferre ne illud emergat, adeo mirum videri noo debet. Ea ſiquidem eſt perpetua mundi ingratitudo, ut Deo vocanti tergum obvertat & adverſus illum calcitret, ubi jugum ſuum illi imponere cogitat. Quumque natura bomines addicti ſint hypocriſi, ferre non poſſunt ut ad lumen verbi Dei adducantur, quod eorum fœditatem & probrum revelet, aut ut ex ſuperſtitionum ſuarum latebris extrahantur, ſub quarum umbra ſomnum ſuum dormiuot. Quare oovum oon eſt ubi ab illa parte contradicitur, quum de redigendis ad Dei cultum & obedientiam hominibus agitur. Hoc tamen facere non debet, ut negligeotes aut timidi hic deprehendamur. Tandem eoim ubi tumultuati fuerint ſatis ac ſuum furorem deſpumaverint, momento confuodi & cum ſuo tumore coocidere oeceſſe eſt. Sane quod ad Deum attinet, omnes illi bominum fremitus & bullæ ipſi tantum ludus erunt, ut eſt in 2. Pſalm. adeoque quaſi cooniveotibus oculis ad illorum æſtus ipſe conticeſcet, quaſi res ad illum noo pertineret. Atqui tandem ipſius potentia comprimentur. Nos vero eadem illa armati invicto præſidio ſuſtinebimur, quicquid adverſum nos moliatur Satan: tandemque reipſa percipiemus, Euaogelium ut nuncium pacis affert & reconciliationem cum Deo, ita etiam ad pacem inter bomines conſtituendam pertinere, uti
Eſa. 2. apud Jeſaiam teſtatur Domious, Ubi regnum Chriſti per ipſius doctrinam erectum fuerit, futurum ut & gladô in vomeres, & lanceæ in falces transformentur. Interea vero quamvis ex bominum improbitate & pervicacia prodeant, quæ adverſus Euangelium inſurgont ſeditiones & turbæ, in noſipſos tamen deſcendere oportet, ac ſtatuere, Dominum ita nos plectere proptet noſtra ipſorum peccata, etſi utatur illis inſtrumentis quæ vere Sataoæ mancipia eſſe conſtet. Vetus eſt illa qoerimonia, qua in Euangelium derivata eſt omnium malorum cauſa, quæ humano generi pridem iocumbunt. Conſtat ſiquidem ex biſtoria, jam ab ipſo ioitio quo Chriſtianiſmus per orbem ſpargi cœperat, vix ullum fuiſſe angulum qui non extremis malis premeretur. Bellorum motus extabant continui cujuſdam incendii inſtar, quo univerſa conflagrarent. Diluvies hinc, illinc peſtes & fames: extrema & rerum omaium & ordinum inverſio, quaſi orbis terræ in ſeipſum commiſſus plane diſſiliret & confringeretur. Idem prorſus accidit boc ſeculo, ex quo Euangelium cœpit emergere: miſerabilis quædam extitit rerum omnium facies, ut paſſim volitet illa querimonia, nos ſcilicet infeliciſſimo ſeculo natos eſſe, ac perpauci non ſub tanta mole fatiſcant. Atqui dum vulnera illa perſentimus, & ad manum ferientis attendere oportuit & ad cauſam: quænam illa porro ſit neque adeo obſcurum eſt, neque perceptu difficile. Conſtat verbum Dei, per quod ad viam ſalutis perducimur, incomparabilem theſaurum eſſe: excutiamus vero noſipſos, quam reverenter nempe uti ab ipſius auctore oblatum nobis eſt, ita etiam à oobis admiſſum ſit. Quando igitur ita vileſcit apud nos quod eſt apud illum tanti momenti, quis non juſtiſſimum agnoſcat, qui noſtram ingratitudinem ita viciſſim ulciſcatur? Audimus & illud Cbriſti apud Lucam, Servum qui teneat voluntatem *Luca 12.*
Domini, oeque illam opere præſtat, duplo gravio- *verſ. 47.*
rem pœnam commereti. Quum igitur tam negligentes ſimus ad obediendum voluntati Dei, cujus centuplo uberior extat notitia iotet nos, quam ſuperioribus ſeculis, alienum videri non debet, ſi vehemeotius in nos excandeſcat, qui omnium bominum minime excuſabiles ſumus. Quumque operam oon damus ut booum ſemeo promoveatur & incrementum capiat, merito inter nos ſpinæ & ſeotes artificio Satanæ ſubcreſcunt, quarum deinde punctionibus infeſtemur. Quum denique Creatori ipſi jus illud ſuum non exbibeamus in nobiſipſis, non minus æquum eſt bominum cootumaciam adverſum noſipſos experiri. Ut ad te vero me propius conferam, Ampliſſime Domine, audio eſſe duo ſeditioſorum genera, quæ adverſus Regem ac regni ſtatum caput extulerunt. Alii enim, cerebroſi quidam videlicet, ſub Euangelii oomioe ἀταξίαν paſſim invectam vellent. Alii vero io ſuperſtitionibus Antichriſti ita obduruerunt, ut earum revulſionem ferre oon poſſint. Ac merentur quidem tum hi tum illi gladio ultore coërceri, quem tibi tradidit Dominus: quum non in Regem tantum inſurgaot, ſed in Deum ipſum qui & Regem in Regia ſede conſtituit, & te protectorem inſtituit, tum Perſonæ, tum ipſius etiam Regiæ Majeſtatis. Illud vero bic ante omnia procuraodum eſt, ut quantum fieri poterit, illi qui eo Euangelii guſtu prædici ſunt ut illi jam addictos eſſe conſtet, ipſum porro ea animi dejectione ac reverentia admittant, ut & ſibiipſis plane abrenuncient, & ſeſe Deo in ſolidum, ut par eſt, addicant. Sic enim illos cogitare oportet, Dominum nempe iſtiuſmodi occaſionibus ipſos expergefacere, ut magis ſerio io ipſius verbo proficiant, quam hactenus præſtiterint. Phrenetici quidem illi qui mundum in ſupinam quandam licentiam transverſum cuperent, excitantur à Satana nominatim, ut per illos Euangeliom male audiat: quaſi Euangelium cauſam præberet rebellioni adverſus Principatus, atque meram in muodum diſſipationem inveheret. Piorum eſt vero ad tam infauſtos conatus perditorum hominum ingemiſcere, dum lucem à Domino, qui illas tenebras ſerius ocius certiſſime diſcuſſurus ſit, ſuſtioeodo implorant. Papiſtæ vero dum idoli ſui Romani fœditates & abominationes tueri ſtudent, apertum odium & beneficii Chriſti & omnium ipſius mandatorum magis ac magis produnt: quod tamen noo poteſt noo extremum mœrorem illis afferre, apud quos vel gutta ſinceri zeli ſupereſt. Quare ſibi & iſta à Domino deſtinari pii agnoſcant, quæ totidem ſiot ad ipſos caſtigandos flagella, quia nempe legitimos Euangelii fructus oon ferant. Summa ratio igitur atque uoice apposita eſto ad iſtiuſmodi motus ſemel conſopiendos, ut qui Euangelio oomen dederunt, vere ad Dei imaginem reformati deprehendantur: atque ita teſtentur Chriſtianiſmum legitimum ab omni ἀταξίᾳ omnimodo abhorrere: æquabili modeſtia & temperantia approbent ſe Dei verbo regi, nedum ut exleges & effrenes babeantur: recta denique & ſancta vita os impiorum obturent. Sic placatus Dominus ferulas demum ſubducet, atque pro vindicta quam io verbi contemptores exerit, illam ſuorum reſipiſceotiam certiſſima benedictione proſequetur. Nominatim vero Nobilitas ipſa ac Magiſtratus hic exemplo præeant oportet, ut primi omoium colla ſubmittant cum ſummo timore ac reverentia ſupremo illi omnium Regi Cbriſto Dei Filio: ipſi, inquam, fidem & obſequium animæ & corporis ſincere præſtent, ut & ipſe viciſſim eorum tumorem & faſtum comprimat, qui adverſus ipſos injuſte criſtas tollunt. Hoc eſt nimirum ſummum Principum bujus ſeculi munus, ut ita ſubditos ſuos regant, ut primi omnium Chriſto ſubeſſe

geſtiant,

geſtiant, denique omnem operam, ut illius unius auctoritas ſupra omnes & ſummos & infimos emineat. Quare à te peto, Ampliſſime Domine, per Dominum ipſum, & illam qua regnum Nepotis tui complecteris ſingularem charitatem, uti luculente paſſim teſtaris, ut eo unice omnem conatum ac vigilantiam adhibeas, ut & Dei veritas prædicetur cum pleniſſima auctoritate & efficacia, & ut fructus quoque extent qui cæleſti illi ſementi reſpondeant: atque ut illud aſſequaris, nunquam manum remittas ab incepta plena & integra Eccleſiæ reformatione proſequenda. Hic vero ut meam mentem facilius percipias, totum iſtud in tria capita conferam. quorum unum ſit De vera ratione populi recte docendi. Alterum, de extirpandis abuſibus qui hactenus obtinuerunt. Tertium ac poſtremum, de vitiis exacte corrigendis, & adhibenda opera, ne ſcandala & luxus paſſim vigeant, ut inde nomen Domini blaſphemetur. Ac quod ad primum illud attinet, non eſt quod in tradenda doctrinæ ſubſtantia immorer. Eſt magis de quo Domino gratias agam, à quo ita illuminatus es puræ doctrinæ cognitione, ut eandem etiam publice doceri cures. Non es, inquam, mihi docendus quæ ſit Chriſtianorum fides, & quæ illis doctrina tenenda ſit, quum per te adeo veritas fidei in Eccleſiæ cœtu reſtituta perſonet. Quod ſi quis obiter comprehenſum habere velit, quæ ſit Dei cultus ſumma, res nempe eo redit, Ut unum Deum habeamus rectorem noſtrarum conſcientiarum: ad ipſarum regimen quod ſpirituale eſt, Legem ipſius unicam adhibeamus pro pietatis regula, ne quid ad ipſius cultum ex hominum traditionibus quæ vanæ ſunt conferamus: ipſum porro pro ſua natura, ſpiritus & cordis integritate ab omnibus colendum eſſe. Quum vero in omnibus nobis nihil extet præter miſerabilem corruptionem, quæ tum ſenſus omnes tum affectus noſtros occupet, noſtrum eſſe meram illam iniquitatum abyſſum in nobis agnoſcere, & agnitam exhorreſcere: eo modo nobis probe cognitis, atque in nobis penitus fractis, contuſis, perditis, exutis omni dignitatis, ſapientiæ, facultatis denique ullius ad bonum præſumptione, tum demum accurrere oportere ad unicum fontem bonorum omnium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ab illo quicquid offert percipere, ac in primis incomparabilem illum mortis ac paſſionis ipſius theſaurum, ut ea una ratione Deo Patri in ſolidum reconciliemur: purgatique aſperſione ſanguinis ipſius certo perſuaſi ſimus nullas in nobis extaturas maculas, quæ apud ipſius cæleſte ſolium pudore nos ſuffundant: ſic nobis certo conſtabit vis illa ſacrificii perpetui, qua peccatorum gratuita remiſſio nobis ita obſignata eſt, ut illic præſidium & anchoram ſalutis conſtanter defigamus. Sic ipſius Spiritu ſanctificati, in obedientiam juſtitiæ Dei conſecrabimur: ipſius gratia confirmati, victoriam de Satana, mundo, carne, reportabimus. Poſtremo quum membra corporis ipſius ſimus, non dubitabimus quin Deus in filiorum ſuorum albo nos recenſeat, ut vera fiducia ipſum illo Patris amantiſſimo nomine legitime compellemus. Hic eſt nempe ſcopus veræ doctrinæ quæ & in Eccleſia Dei habenda eſt ſemper & ab omnibus audienda ut in eum ſcopum omnes ſincere colliment, dum ſeſe à mundo ſenſim ſubducendo, ad caput illud ſuum quod eſt in cælis, intento affectu & apertis votis, moribus, inſtitutis ſinguli ſeſe attollant. Qua te vere pretioſiſſima ſua luce, quæ tamdiu ſub Antichriſto ſepulta latuerat, quum nunc ita uberrime perfuderit Dominus, pluribus iſta apud te non exequar. Tantum quod attigi de docendi forma eo pertinet, ut quæ ſit idonea ratio ſequenda in populo inſtituendo teneatur. Pungendi ſunt nempe ad vivum, ut ſentiatur in ſingulis illud Apoſtoli, *Hebr. 4.* verbum Domini nempe gladium ancipitem eſſe qui intima uſque cogitationum & affectuum configat, & ad ipſam uſque oſſium & medullarum compaginem pervadat. Hoc, inquam, inculco nominatim, quoniam vereor ne paucæ extent in Regno vivæ conciones: major pars autem in recitationis modum decurrat. Ac video quidem aliquam iſtius neceſſitatis occaſionem inter vos: quia nempe vobis non ſunt ad manum probi & idonei Paſtores, defectus ille ſuo quodam modo explendus eſt. Deinde cavendum eſt ab erraticis hominibus & temerariis, qui (ut in rebus novis accidit) plurimum extra metas abriperentur, ut ſomnia ſua pro Dei verbo effutirent: ſed nulla ejoſmodi ratio obſtare debet, quin ipſa Chriſti inſtitutio obtineat, quod ad Euangelii prædicationem. Porro legitima prædicatio mortua eſſe non poteſt, ſed viva & efficax ad docendum, exhortandum, arguendum, uti ad Timoth. teſtatur Apoſtolus: *2 Tim. 3.* adeo ut infidele ingrediente in cœtum fidelium, affici illum oporteat & quaſi transfodi ipſa verbi auditione ut det gloriam Deo, ut alibi idem Apoſtolus oſtendit. *1 Cor. 14.* Neque etiam te latere poteſt quod idem Apoſtolus tradit de vi & energia quæ in illis extare debet, *1 Cor. 2.* qui ſe probos & legitimos verbi miniſtros approbare *2 Cor. 4.* ſtudent: ut abeſſe ab iſtiuſmodi quidem velit omnem ornatum & fucum eloquentiæ, quo ſe homines theatro venditant: ita tamen ut tanto luculentius in eorum ſermone ſeſe prodat vis illa Spiritus, quæ potentiſſime agat in animis auditorum. Nulla igitur præcautio facere debet, quominus Spiritus ille Dei ſuam libertatem ac perpetuum vigorem retineat in illorum miniſterio in quos ſua dona contulit Dominus ad Eccleſiæ ædificationem. Expedit quidem proſpicere deſultoriis ingeniis quæ ſibi nimium licere volunt: claudenda eſt etiam janua curioſis doctrinis. Ratio autem expedita ad eam rem una eſt, ſi extet nempe ſumma quædam doctrinæ ab omnibus recepta, quam inter prædicandum ſequantur omnes: ad quam etiam obſervandam omnes epiſcopi & parochi jurejurando adſtringantur, ut nemo ad munus Eccleſiaſticum admittatur, niſi ſpondeat ſibi illum doctrinæ conſenſum inviolatum futurum. Extet præterea communis formula catechiſmi in uſum puerorum, & ſi qui erunt rudiores in populo: ſic ipſa veritas illis familiaris reddetur, ac ſimul eam ipſam diſcent ab impoſturis & corruptelis diſcernere, quæ ſenſim apud ceſſantes irrepere ſolent. Plane enim tibi perſuaſum eſſe oportet, Eccleſiam Dei catecheſi carere non poſſe: illic enim verum ſemen doctrinæ contineri, ex quo demum meſſis pura ac proba conſtatura, ac deinceps multiplicanda ſit magis ac magis. Quare ſi ædificium ejoſmodi inſtituere cogitas, quod & diu ſtare poſſit, & à ruina tutum maneat, da operam ut pueri nominatim introducantur ad fidem catechiſmo ad eam rem edito, unde diſcant breviter & pro ſuo captu, in quo ſitus ſit verus Chriſtianiſmus. Neque vero in puerorum inſtitutione ſtabit tantum catechiſmi utilitas. Accedet enim & illa altera, ut tum populus per eum edoctus, melius ad proficiendum in ordinaria verbi auditione comparatus ſit, tum vero ut ſi quis inflatus novum aliquod dogma inveheret, ad catechiſmi examen revocatus ſtatim deprehendatur. Quod ad formulam precum & rituum Eccleſiaſticorum, valde probo, ut certa illa extet, à qua Paſtoribus diſcedere in functione ſua non liceat, tam ut conſulatur quorundam ſimplicitati & imperitiæ, quam ut certius ita conſtet omnium inter ſe Eccleſiarum conſenſus. Poſtremo etiam ut obviam eatur deſultoriæ quorundam levitati qui novationes quaſdam affectant, uti eo pertinere catechiſmum ipſum ante oſtendi. Sic igitur ſtatum eſſe catechiſmum oportet, ſtatam Sacramentorum adminiſtrationem, publicam item precum formulam. Sed non hoc eo pertinet ut iſtius politici ordinis in Eccleſia occaſione, vigor ille nativus prædicationis Euangelii ullo modo conſeneſcat. In illud potius incumbendum eſt tibi,

ut

ut idonei & ſonori buccinatores conquirantur, qui ad intima uſque cordium vocis Euangelii clangore pervadant. Periculum eſt enim ne multo tenuior fructus extet inſtitutæ reformationis, niſi cum illa ſeſe etiam exerat prædicationis verbi potentia quam efficaciſſima. Non fruſtra de Chriſto ſcriptum eſt, Per- *Eſa. 11. verſ. 4.* cuſſurum illum terram ſceptro oris ſui, ac percuſſurum impium Spiritu labiorum ſuorum. Hæc eſt nimirum vera ratio, qua nos ſibi perdomitos ſiſtit, dum verbi ſui virtute evertit ac dejicit quicquid ipſius gloriæ obſtat in nobisipſis. Atque inde etiam conſtat Euangelio nomen illud quod regnum Dei appellatur. Quare quum edicta & conſtitutiones Principum Chriſtianorum magnum pondus habeant ad promovendum & aſſerendum Chriſtianiſmi ſtatum, Deus tamen ſingulari modo præcipuam illam vim ſuam exerere vult in gladio ſpirituali verbi ſui, quem Paſtoribus exerendum mandat in Eccleſia. Venio ad caput alterum de abolendis & evellendis radicitus abuſibus & corruptelis, quas inveæit Satan ſuperioribus ſeculis in Dei ordinationem. Conſtat Chriſtianiſmum Papatus plane eſſe nothum & adulterinum, & qui Dei judicio ultimo illo die damnandus ſit, quum jam ipſius verbo tam aperte repugnet. Quare ſi ab illa voragine plebem educere eſt animus,
1 Cor. 11. exemplo Apoſtoli utendum eſt. Ubi enim agit de reſtituendo vero uſu Cœnæ Domini apud Corinthios, ut quæ obrepſerant additamenta valere jubeat ſemel: Quod, inquit, accepi à Domino, hoc & tradidi vobis. Inde colligenda generalis doctrina, quum de legitima reformatione & quæ Deo accepta ſit agitur, ad ipſum purum putum Dei verbum redeundum nobis eſſe. Quot enim ſupererunt mixturæ ex hominum ingenio prolatæ, totidem extabunt pollutiones, quæ homines diſtrahant à recto eorum uſu, quæ Dominus in ipſorum ſalutem inſtituerat. Proinde dum iſtiuſmodi ſentina ex parte tantum exhauritur, res ſuo loco vere reſtituta dici non poteſt, ubi Chriſtianiſmus larvatus pro ſincero & nativo deprehenditur. Atque illud à me ideo dicitur, quod multos longe aliter judicare intelligam: tolerandos nempe eſſe abuſus, neque attingendos, dummodo craſſiſſimæ corruptelæ ſublatæ dici poſſint. Atqui ex oppoſito ipſa experientia edocuit, quam fertilis ſit mendaciorum ſeges humanum ingenium: ut vel minutulis granis conſperſum, in altiſſimum cumulum aſſurgat, uti totum natura eo ferri conſtat. Longe
Pſal. 16. alia vero eſt ratio, quam tradit Scriptura. David enim de idolis agens, ne ipſorum quidem nominis ſe recordaturum teſtatur, ut oſtendat quam illa ſibi omnibus modis deteſtanda judicet. Præſertim ubi attendimus quam graviter eo nomine peccaverimus in Deum, quum in ignorantia verſaremur, illud nos tanto magis ſerio afficiat oportet, ut ab omni Satanæ fermento quam longiſſime pedem referamus. Quid enim illæ ceremoniæ aliud fuerunt, quam totidem lenocinia quæ miſeras animas ad malum perducerent; uti ad ipſas illaqueandas omnino poſitæ erant? Jam ſi de cautione agitur, monebuntur homines ſcilicet, ne ad illas nunc impingant, quum ſuperioris vitæ peccata hac in parte illis retegentur. Quis tamen non videt, obdurari ipſos nihilominus, nihil ut infelici illa cautione obtineri poſſit? Quare ſi quid iſtiuſmodi intactum relinquetur, certiſſimum erit gravioris obfirmationis in malum fomentum, idemque velamen appoſitum ne ſincera doctrina quæ proponetur, admittatur ut par eſt. Fateor quidem moderationi locum eſſe oportere, ut extremitates nimis abſciſſæ neque hic utiles ſint, neque ſimpliciter uſurpandæ, adeoque ceremonias ipſas ad uſum & captum populi eſſe accommodandas: ſed non minus conſtanter affirmo videndum eſſe, ne ſub illo prætextu toleretur quidquam quod à Satana vel Antichriſto profectum ſit. Quo pertinet illa Scripturæ loquendi ratio quæ in hiſtoriis regum Juda non uno loco extat, in pleroſque nempe, qui quum idola ſuſtuliſſent, omnia tamen ad vivum non reſecuerunt: hanc, inquam, illis aſpergit notam, quod nihilominus excelſa quæ nos ſacella dicimus, & loca illa ſtultæ devotioni dicata non abſtulerint. Quum igitur eo uſque te Deus provexerit, Ampliſſime Domine, da operam obſecro, ut veri templi ipſius reformatoris nomen referas, ac ſeculum hoc ſub Rege nepote tuo piiſſimi Joſiæ ſeculo reſpondeat: atque ita omnia ſuo loco repoſita cures, ut Regem deinde una ſollicitudo ordinis bene poſiti conſervandi maneat. Proferam tibi iſtiuſmodi corruptelarum exemplum, quod inſtar fermenti eſſe poſſit quo maſſa integra ſanctæ Cœnæ quodammodo aceſieret. Audio recitari iſtic in Cœnæ celebratione orationem pro defunctis: neque vero hoc ad Purgatorii Papiſtici approbationem referri ſatis ſcio. Neque etiam me latet proferri poſſe antiquum ritum mentionis defunctorum faciendæ, ut eo modo communio fidelium omnium in unum corpus conjunctorum declaretur: ſed obſtat invictum illud argumentum, nempe Cœnam Domini rem adeo ſacroſanctam eſſe, ut ullis hominum additamentis eam conſpurcare ſit nefas. Præterea ubi Deum invocamus non eſt indulgendum noſtris affectibus, ſed potius regula illa retinenda eſt quam tradit Apoſtolus, ut verbum Dei pro *Rom. 10.*
fundamento habeamus: illa vero defunctorum commemoratio quæ ipſorum venerationem vel commendationem conjunctam habet, non reſpondet veræ ac legitimæ recte orandi inſtitutioni, ac proinde aſſumentum eſt, quod in Cœna Domini nullo modo ferendum ſit. Sunt & alia non perinde damnanda fortaſſe, ſed tamen ejuſmodi ut excuſari non poſſint, chriſma videlicet & unctionis ceremonia: ſiquidem chriſma illud inventio eſt frivola illorum qui jam olim in Domini inſtitutione per ignorantiam non acquieverunt, & qui novo illo ſigno Spiritum ſanctum in Baptiſmo ita ſibi repræſentandum duxerunt, quaſi aquæ ſignum ad illud non ſufficeret. Extrema unctio vero ab illorum inconſiderato zelo emanavit, qui Apoſtolos æmulari voluerunt, quum eodem cum ipſis dono non pollerent. Quum enim Apoſtoli oleum in *Marc. 6.*
ægrorum ſanatione adhibuerunt, illud eo pertinebat ut ſanationis miraculum ea teſſera quaſi exhibitum obſignaretur. Ceſſante demum miraculorum dono, uſum quoque externæ illius unctionis ceſſare oportuit. Quamobrem illa omnia abſcindi ſemel præſtiterit, ut nihil in Eccleſia Dei uſurpetur, quod non & ipſius verbo conforme ſit, & ad Eccleſiæ ædificationem pertineat: ita vero tolerandi ſunt infirmi ut & confirmentur ſenſim & ad meliora promoveantur. Neque interea ſtultis immorandum eſt, ut illis ſatisfiat quibus hoc vel illud arridet ſimpliciter, quum nulla idonea cauſa ſubeſt. Scio qua conſideratione plerique ulterius progreſſi non ſint: quia nempe veriti ſunt ut major rerum mutatio ferri non poſſet, præſertim ubi vicinorum ratio habenda viſa eſt, quibuſcum pax fovenda eſſet connivendo ad plurima. Habeat ſane hoc locum in rebus iſtius vitæ, in quibus licet de jure ſuo tantum remittere, quantum pacis ſtudium & amor requiret. Atqui alia prorſus eſt ratio regiminis Eccleſiæ quod ſpirituale eſt, in quo nihil non ad Dei verbum exigi fas eſt: non eſt, inquam, penes ullum mortalem quidquam hic aliis dare aut in illorum gratiam deflectere, quum non alia res Deo magis inviſa ſit, quam ubi humana illa noſtra prudentia calculum hic ſuum apponere audet, ut vel moderemur vel reſcindamus vel retroferamur præter ipſius unius cæleſte arbitrium. Ergo niſi illi diſplicere volumus, ad omnem carnis intuitum oculi nobis ſemel claudendi ſunt: & quod ad pericula attinet quæ inſtare videbuntur, ſic illa nobis declinanda erunt quantum erit in nobis, ut tamen à recta via diſcedere ſemper ſit nefas. Extat Domini promiſſio, qua ſe nobis adfuturum ſtatuit rectam inſiſtentibus

viam:

Digitized by Google

viam: ſupereſt igitur hoc unum, ut partibus noſtris ſtrenue fungendo, eventum illi commendemus. Neque enim aliunde eſt, quod ſapientes hujus ſeculi ſuæ ſpes fruſtrantur ut plurimum, quam quod Dominus recedit ab illis, quatenus ipſius auxilio diffiſi ſeſe ad media obliqua & quæ Deo minus probantur convertunt. Quare ſi Dei ipſius potentiam à nobis ſtare volumus, ſequamur ſimpliciter quod jubet: atque in primis hoc fundamentum ſtatuendum nobis eſt, reformationem Eccleſiæ ſingulare manus ipſius opus eſſe, ut hac in parte homines ſeſe illi in ſolidum regendos tradant: quodque etiam majus eſt, ſolere Dominum ut plurimum, tam in reſtituenda quam in conſervanda Eccleſia ſua operari ratione quadam plane admirabili, & quæ omnium hominum captum omnino ſuperet. Proinde nullam rationem ſinere opus illud reformationis Eccleſiæ ad humani ſenſus modulum exigi, & quod cæleſte eſt, ad terræ & mundi formam compoſitum habere velle. Neque tamen ita excluſam rectam illam prudentiam velim, cujus maximus hic quidem eſt uſus, ut non appoſitæ rationes ineantur, ne in hanc vel illam partem nimis propendeatur, dum omnes Domino lucrari volumus: ſed prudentiam hic ſpiritus non carnis regnare cupio, dum os Domini interrogabimus, ac precabimur ut noſtro ſenſu valere juſſo, unus ille nos in omnibus dirigat atque perducat. Ubi nos ita geremus, facile erit anſam præcidere variis tentationibus quæ nos in medio curſu remorari poſſent. Tu igitur, Ampliſſime Domine, uti feliciter illam Chriſtianiſmi reſtitutionem integram in regno Angliæ inſtituiſti, non innixus tibi, ſed potenti Dei manu, quæ te hactenus ſuſtinuit & mirabiliter confirmavit; ſic etiam in eadem illa fiducia tibi pergendum eſſe exiſtima. Ac ſane quum Dominus ipſe tot paſſim Principatus ſuſtentet ſua providentia qui tamen ipſi adverſantur, multo magis illos reſpiciet qui & in illum ſunt defixi & toto ſuo conatu ſupremum illum herum ſibi aſciſcere cupiunt. Venio ad tertium caput, quod eſt tum de vitiis coërcendis tum de ſcandalis comprimendis. Ego vero non dubito leges & edicta poſita iſtic eſſe, quæ recta & laudanda ſint, & quibus populum in honeſtis moribus contineri conveniat: ſed ingens illa ἀταξία quam in mundo animadverto, me cogit ut te hic etiam appellem, ut in illud incumbas ut homines ſub bona & honeſta diſciplina habeantur. In primis ut Dei honorem in eo aſſeras dum illa crimina ulciſceris, quorum perſequutio apud homines inſuper haberi ſolet. Quum enim furta, cædes, rapinæ ſeveriſſime plectantur, quia ad homines injuria pertineat, connivetur interea ad ſcortationes, adulteria, ebrioſitates, blaſphemias nominis Dei, tanquam ad res licitas, aut non ita graviter vindicandas. Atqui Deus longe aliter in de rebus pronunciat; oſtendit enim quam pretioſum ipſi ſit nomen ſuum, dum apud homines proſcinditur & pedibus proculcatur. Neque vero fieri poteſt, ut tam horrenda probra diutius inulta ſinat: nam & ex Scriptura colligi poteſt, vel una tantum Benhadadi & Sancheribi profanorum regum in Deum contumelia, horrendum Dei judicium ipſos cum ſuis omnibus tantum non adobruiſſe. Et quod ad adulteria attinet, quis pudor eſt, nos qui Chriſtiano nomine cenſemur, in illis vindicandis Ethnicis ipſis longe molliores deprehendi, quum adeo joco etiam ejuſmodi ſcelera tranſmittantur? Tanti eſt ſcilicet ſacrum ipſum conjugium, imaginem (inquam) illam vivam ſacratiſſimæ noſtræ cum Dei Filio conjunctionis impune pollui, arctiſſimam vero ſupra alias humanas omnes confœderationem perfidiſſime diffringi? ſcortationes vero (ſi Apoſtolum audimus) non alio quam totidem ſacrilegiorum loco habebimus, quatenus templa Dei, noſtra corpora nimirum, manifeſte ita polluta, à Dei Spiritu & Chriſto ipſo indigniſſime abſcinduntur. Unde & illud ſubjicit, Scortatores & ebrioſos ad Dei regnum non pertinere: ut & iſtorum commercium fidelibus nominatim interdicat. ex quo conſequitur in Eccleſia Dei tales ferri nullo modo oportere. Atque his omnino malis accepta ferenda ſunt flagella Domini quibus orbis terrarum concutitur: fit enim ut dum enormia iſta ſcelera homines inter ſeſe condonant, manum Dei vindicem in ſeipſos accerſant. Quamobrem ut Dei iram averti procures, à te peto, Ampliſſime Domine; ut frenum hac in parte ſerio adhibeas, deſque operam ut qui ſe iſtic Chriſtianos profitentur, illud demum reipſa & moribus, qui ſanctæ vocationi reſpondeant, exprimant atque commonſtrent: quemadmodum enim doctrina ipſa eſt inſtar animæ ad Eccleſiam vivificandam, ita etiam diſciplina & vitiorum correctio nervorum loco haberi debent, quibus corpus integrum ac vegetum foveatur atque conſervetur. Epiſcopi & Parochi in illud præcipue intenti ſint, ne Cœna Domini polluatur, ſi ad illam ii admittantur quorum vita propter ſcandala male audiat. Te vero pro eo in quem te Deus evexit loco curare in primis par eſt, ut alii omnes ſubditi pro ſuo quiſque loco & vocatione manum operi admoveant, ſinguli partes ſuas impleant, ut ordo legitime poſitus perinde etiam obſervetur. Hic vero, Ampliſſime Domine, in excuſanda epiſtolæ prolixitate non ero prolixior, neque valde deprecabor offenſionem quod ita aperte animi mei ſenſum tibi aperuerim: confido enim exploratum eſſe tibi animum meum pro tua prudentia; ac pro eo uſu Scripturæ quem habes, facile agniturum ex quo fonte hauſerim quæ ſuperius comprehenſa à me hic habes. Quare non eſt quod metuam, ne faſtidium tibi attulerim aut importunius egiſſe videri poſſim, ubi oſtendi pro mea tenuitate ſincerum illum affectum, qui eo fertur unice ut Dei nomen per te ſemper quam ampliſſime glorificetur. Hoc ab illo ſupplex in dies poſtulo, ac precor ut ſua in te dona cumula te adaugeat, ſuo te Spiritu in vera & invicta conſtantia confirmet, tueatur & ſuſtineat contra omnes adverſarios, te tuoſque præſidio ſuo tegat, tuam illam adminiſtrationem ita proſperet, ut Regi argumentum inde extet ipſius concelebrandi, cui tam opportunus & ſui rector & regni in illa ætate contigerit. Tandem igitur perquam demiſſiſſime ſalute à me tibi adſcripta, finem ſcribendi faciam. Genevæ, 22 Octobris. M. D. XLVIII.

Tuæ Excellentiæ deditiſſimus
Joannes Calvinus.

Calv. Farello.

Parum abfuit quin ludi noſtri verſi fuerint in tragœdiam. Quum meam ſententiam rogaſſet Senatus, negavi me reſponſurum niſi de communi fratrum conſilio. Auditis fratribus, reſpondi multas ob cauſas nobis non videri expedire ut agerentur, & ſimul cauſas expoſui: nos tamen nolle contendere, ſi Senatus contenderet. Quum inſtaret dies, N. pro concione iterum invectus eſt in actores (ſemel enim id fecerat) verum hac ſecunda invectiva tam fuit vehemens, ut protinus concurſus ad me factus fuerit, magni clamores, minæ, & quid non? Quod niſi intemperiem quorundam graviter compeſcuiſſem, manu pugnaturi erant. Conatus ſum in ſecunda concione mollire iratos animos, moderatione adhibita: nam imprudentem fuiſſe judicabam qui extra tempus tali declamatione uſus foret. Verum magis diſplicebat exceſſus: nullo enim modo approbare poteram quod dixerat. Ille verum eſſe tuebatur, ego conſtanter negabam. Erant ex fratribus qui hominis obſtinationem fovebant. Circiter nonam veſpertinam mihi renunciatum eſt centum aut circiter poſtridie conventuros in curiam. Extemplo fratres vocavi: decrevimus eundum eſſe cum N. Vix illi fuit permiſſum ut mecum egrederetur:

deduco illum, alios accerſi interea jubeo. Accuſatores renuunt nobis præſentibus ſe verbum facturos, ſibi enim nihil eſſe mecum negotii, niſi quod reverenter de me ſentirent, ideoque nollent mecum litigare. Ego acriter inſiſto communem eſſe cauſam, donec appareat, N. in officio peccaſſe: jubemur utrimque ſecedere. Ab adverſa parte ſeditioſi clamores: minantur ſe fuiſſe N. occiſuros, niſi me reveriti fuiſſent. Ad cohibendum tumultum detentus fuit in curia, ſed honorifice. Secundo die omnes turbas Domini auſpiciis compoſuimus. Abel enim gratia valebat, ego auctoritate apud actores. Senatus vero erat noſter. Hoc tantum male me habebat quod non eſſet fortior & animoſior: nam pro more ſuo nimium timide ſe geſſit. hic ſinis. Nunc ludi aguntur: adeſt Viretus ſpectator, qui ex compoſito iterum rediit, ut furioſum noſtrum ad ſanam mentem reducat. De fratribus tuis nihil prorſus audio. Eſt apud vos Helias Lemovicus cognomine, natione Rupellenſis, qui me tertiis jam literis rogavit, ut vobis teſtarer quid de ſuperiore ejus vita intellexerim. Pii qui illinc veniunt, aſſerunt probum fuiſſe virum & honeſtæ vitæ, atque etiam cælibem fuiſſe quum illinc migraret ad nos. Itaque non eſt quod hæc ſuſpicio impedimentum conjugio afferat. Excuſabis quod illi non reſponderim: atque etiam quod tibi adeo breviter perſtrinxerim, quod longiorem forte orationem poſtulabat. Vale frater in Domino chariſſime, & integerrime amice. Saluta diligenter omnes fratres. Nemo hic te vel illos ſalutat, quoniam nemo ſcripturum me ſciebat, præter Nicolaum fratris ſocerum qui intervenit. Dominus vobis perpetuo adſit, ac ſanctis veſtris laboribus benedicat. Genevæ, 4. Nonas Julii. M.D.XLVI.

CALV. VIRETO.

NUper hic fuit N. Poſtquam morbos expreſſi, remedium ſimul illud ſuggeſſi de quo inter nos loquuti eramus. Probabat, ſed putat difficile eſſe impetratu. ſi tamen in tempore venerit, periculum faciet: fatetur enim in tanta neceſſitate omnia eſſe tentanda. Ego autem vereor ne prius mittantur, qui ſuo more poſt multam oſtentationem nihil agant: ita res diu deſiderata nimis cito elabetur. Verum hoc ut alia omnia Dominus videtit. De caligis diſſectis fuit nobis hic nuper aliquid negotioli. Hic erat prætextus: ſed jam erumpere cœperant in maximam licentiam. Quum Ducenti eorum rogatu vocati fuiſſent, omnes adfuimus: ego orationem habui quæ illis momento extorſit quod certa ſpe devoraverant. Diſſerui enim de omnibus corruptelis in genere, præfatus me nihil morari illas nugas: quia non audent palam clamitare, fremunt ac frendent dentibus. Uno tamen experimento didicerunt, quod non putaverunt, populum eſſe noſtrum. Cæſar tragicus poſtridie iter arripuit, ne pompæ intereſſet: quam Conventus ille ludicram & puerilem reddidit, quum ſperaret fore imperii cujuſdam pignus. Nos illi ex inſperato omnia ſua conſilia diſcuſſimus. ita Deus ludit iſtos Thraſones. Vale frater & amice integerrime. Dominus tibi adſit perpetuo, & ſanctis tuis laboribus benedicat. Saluta uxorem tuam meo nomine. Genevæ, 28 Maii. M. D. XLVII.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. VIRETO.

HOſtes noſtri ita ſunt excæcati, ut nullum honeſti reſpectum habeant. Heſternus dies ſuſpicionem à nobis prius conceptam non parum comprobavit, eos certare tanta impudentia, ut tumultum aliquem moverent. Vocati fuerant Ducenti. Collegis meis pridie condixeram me in curiam venturum. Adfuimus, & quidem ante tempus: quia multi adhuc in publico obambulabant, egreſſi ſumus extra portam curiæ contiguam. Illic multi clamores & confuſi audiebantur. Nec mora, adeo creverunt, ut certum ducerem ſeditionis ſignum. Ego mox accurro: horribilis erat rerum facies. In confertiſſimas turbas me conjicio. Tametſi omnes fere eſſent attoniti, ad me tamen omnes facere concurſum, huc illuc raptare, ne quid injuriæ paterer. Ego Deum & homines teſtari, me ideo veniſſe ut corpus meum gladiis objicerem. Hortari ut à me inciperent, ſi vellent ſanguinem fundere. Multum ex fervore ſtatim remiſerunt, tum improbi, tum vero præcipue boni. Tandem ad locum Senatus pertractus ſum. Illic novæ pugnæ, quibus me interpoſui medium. Putant omnes factum meo interventu fuiſſe, ne magna & fœda ſtrages ederetur. Collegæ mei interea turbæ permixti erant. Obtinui ut compoſiti omnes ſederent. Oratione longa & vehementi quam habui pro temporis ratione, dicunt mire fuiſſe omnes permotos, ſaltem paucis exceptis: qui tamen non minus laudarunt quam boni, quod à me geſtum erat. Hoc quidem privilegio me hactenus & Collegas Deus munivit, ut minimam læſionem noſtri non aliter ſe deteſtari fingant, etiam qui ſunt ſceleratiſſimi, quam parricidium. Eo tamen prorupit improbitas, ut retineri qualemcunque Eccleſiæ ſtatum diutius poſſe, meo præſertim miniſterio, vix ſperem. Fractus ſum, crede mihi, niſi manum Deus porrigat. Vale frater & amice integerrime. Saluta ſymmyſtam & omnes fratres. Ego & uxor mea plurimam ſalutem tibi optamus. Dominus vobis adſit perpetuo. 17 Septembr. M D. XLVII.

CALV. VIRETO.

ACceptis tuis literis vocavi ad me mulierem. Ea audita, breviter notavi in quibus cum R. minus congruebat ejus reſponſio. Ut ingenio eſt admodum feroci atque etiam protervo, plus ſatis in cauſæ ſuæ defenſione ſe extulit. Cohibui tantum ejus intemperiem ut potui; ſed quemadmodum dicis, brevi movebit nobis majores turbas, niſi recepta fuerit. Proinde R. conſulo ut periculo huic mature occurrat. Nam quum furioſi ſint mulierum impetus in ejuſmodi repulſis, tum vero hanc animadverti non leviter exarſuram. Quod ad me attinet, ut conjugium rite contractum non video, ita R. fidem judico penitus obligatam. Fruſtra enim libertati ſuæ cavere voluit, ſic agendo. Fateor ſane conjugium rem eſſe magis ſacram, quam ut nutu vel ambiguis promiſſis contrahatur. Proinde non apparet in eorum conventionibus ea religio, quæ conjugalem reverentiam decebat. Sed ex adverſo res magis ſeria erat, quam ut ludicris pollicitationibus eludere debuerit tam mulierculam, quam alios. Ita non poſſum ſtatuere, quin fidem ſuam obſtrictam habeat. Verum antequam illi pronuncies quæ ſit noſtra utriuſque ſententia, ipſum de capitibus adhuc controverſis interrogari optarim. Nam erit forte ejuſmodi reſponſio, quæ ſiquid reliquum eſt dubitationis, tollat. Quicquid tamen reſpondeat, hominem urgeas iis argumentis quæ res ipſa ſuppeditat, ne ſe & illam abſque profectu fabulæ exponat. In rebus noſtris nihil novum. Grueti negotium Syndici protrahunt, Senatu invito, nec tamen ut decebat reclamante. Scis enim paucos eſſe cordatos. Ego in exagitandis communibus vitiis ac præcipue juvenum corruptelis ſeveritatem meam exerceo. Pericula quæ mihi boni viri ex pluribus locis nunciant, diſſimulo: ne de me videar nimium ſollicitus. Dominus qualemcunque volet exitum dabit. Vale frater & amice integerrime, una cum uxore & familia. Dominus Jeſus te perpetuo gubernet, tibique adſit. Salutem plurimam dices fratribus & uxori meo nomine. Uxor mea & familiam tuam ſalutat. Genevæ, 24 Julii. M.D. XLVIII.

CALV. FARELLO S. D.

JAm mihi placere incipit meum antidotum, ex quo tantopere tibi probatur: nam antehac mihi non ſatisfaciebat. Quanquam tu forte qui labores meos quotidianos noſti, adeoque pugnas quibus non tam exerceor quam conficior, veniam mihi concedis, ſi quid minus eſt abſolutum. Ego certe ipſe miror, ullam ſcriptionem lectu dignam poſſe jam à me prodire. Quod me & Collegas meos hortaris ut infracto animo perſtemus, mihi vero neque pericula, neque moleſtiæ animum minuunt: ſed quia in rebus tam confuſis interdum conſilio deſtituor, miſſionem à Deo mihi dari cupio. Stultum votum, inquies. fateor: ſed quid Moſes tam inſigne patientiæ exemplar? nonne impoſitum humeris ſuis conqueritur nimis grave onus? Atque his quidem cogitationibus ſollicitor duntaxat, non tamen acquieſco. Noſtris hominibus injecimus aliquem metum: & tamen nihildum correctionis apparet. Tanta eſt impudentia, ut noſtros omnes clamores patulis auribus & ſurdis abſorbeant: denique multorum incurabiles ſunt morbi. Tentavimus enim hactenus fere omnia, nullo profectu. Ultimus actus reſtat, cui te vellem intereſſe. Quam tragicum tumultum Deus compoſuerit, arbitror te ex meis ad Viretum literis intellexiſſe: ita enim mandaveram. Ducenti juſſerunt ut nos & alii decem pacificatores diſſidia omnia tolleremus. Volui à meipſo fieri initium. Negabat heſternus noſter Cæſar ſibi quicquam eſſe mecum ſimultatis, ego autem pus ſtatim expreſſi. Gravi & æquabili oratione uſus ſum, adhibui punctiones acutas, ſed quæ minime cæderent. Tametſi reſipiſcentiam manu in manum implicita promiſit, vereor ne fruſtra ſurdo cecinerim fabulam. Utinam adventu tuo rurſus me exhilares. Apud Viretum ſcio quoſdam de immodica mea aſperitate conqueſtos eſſe. Quid crediderit, neſcio: ſubolfeci tamen eum timere ne fervori meo plus ſatis indulgeam. Rogavi ut huc veniret. Dicit ille apud Terentium, Si hic eſſes, aliter ſentires. Idem liceret etiam mihi dicere, Tu ſi eſſes ego, neſcio quid faceres. Verum inter multas acerbitates hæc quoque eſt devoranda. Non hæc tibi aut Vireto reſpondeo, ſed aliis qui otioſi ſua cenſura nos caſtigant. Veſtram autem [illegible] mihi videre videor, tantum abeſt ut vos mihi iniquos eſſe putem. Vale frater optime & integerrime, una cum tota familia, quam meo & uxoris nomine amanter ſalutabis, ſimul & omnes Collegas: adeoque bonos omnes. Genevæ, 28 Decembr. M. D. XLVII.

Joan. Calvinus tuus.

BUCERUS CALVINO.

MIhi vero valde probatur, optime & colende atque chariſſime Calvine, quod fratres inviſis. Noſti enim quam graviter deplorem, iſtud charitatis & pietatis officium, ut fratres & ſymmyſtæ ſeſe invicem inviſerent, monerent, conſolarentur, adeo hoc tempore noſtro negligi, imo etiam à pleriſque damnari. Quanto enim plus piæ & ſalutaris conſenſionis & mutuæ inſtaurationis retineri inter nos poterat, ſi libuiſſet frequentius convenire, & in Domino inter nos omnia communicare? Dominus tibi adſit, ut quod pie inſtituiſti, ſit etiam fratribus fructuoſum. Multa eſt lentitudo vitæ Chriſti in membris ejus, magnamque ipſe in illis ſæpe infirmitatem ſuſtinet. Quod initio belli tam multi, & cum his etiam gens veſtra, finxerunt ſe credere bellum hoc non eſſe motum religioni, prodiderunt que adeo fratres & ſocios: & quod nunc geſto bello, ut geri potuit, à gerentibus ſine auſpicio Domini quiſque pro ſe & neſcio quam pacem contra jurisjurandi religionem petit & accipit, quidam etiam ſe hoſtes deinde profitentur ſociorum: hinc regni Chriſti apud nos (quid dicam intelligis, quid dici res ipſa ferat) neglectus. Quantum putas dediſſe cauſam quod communio Chriſti, & vitæ ac ſpiritus ejus mutua ſubminiſtratio inter alios plane reſciſſa & prohibita, inter alios ignorata & neglecta, inter nullos ut oportuit excitata & agitata fuit? Modo hic peranxie laboratur, deliberando quid nos facere Dominus velit. Offerunt quidam ſpem pacis, quæ libertatem & religionem nobis relinquat ſalvam, ſed quam pacem deſertis ſociis amplecti oporteat. Socii vero in ſuperiori Germania omnes jam defecerunt à nobis, præter Conſtantiam: quanquam nunc quidam de Auguſta affirmant nondum eſſe deditam. Horrent itaque omnes cordatiores admittere, quo vel violetur religio ſocietatis jurata, vel circumſcribatur ullo modo libertas ſerviendi Deo. Horrent etiam humiliationem refugere, quam infert Dominus & intulit toti prope Germaniæ: dum etiam non video justam in populo pœnitentiam. Ora Dominum ut noſtris det Spiritum conſilii, quo id ſtatuant quod probet ipſe & ſalutare velit facere Eccleſiæ ſuæ. Optarim cuique poteſtati, quam Dominus impoſuerit, prolixe deferri quæ oporteat, tantum ne quid detrahatur Deo. Quum antea fœdere noſtro vigente & multis formidabili, pax ſolida religioni obtineri non potuit, haud ſine cauſa metuunt multi gravem religionis circumſcriptionem ſubſequuturam fœdere diſſoluto, & tam fractis & humiliatis ſociis: ſed ita frangi humiliarique meruimus. Orandus igitur Dominus, ut hoc firmius ipſius nitamur brachio, quibus adeo concidit brachium carnis. In Comitiis Auguſtanis anno 30. nullum erat fœdus, & libere tum confitebantur multi, & condemnationem graviſſimam fortiter excipiebant. Novit Dominus qui ſunt ejus. Initia multorum tetra ſunt, ita aperta blaſphemia & pietatis charitatiſque abjuratio admiſcetur: paucorum eſt certa fides. & eo res recidit. Quum venerit Filius hominis, putas inventurum fidem in terris? Hoc vero magis orandus Dominus, quo nos conſervet in ſolida & conſtante confeſſione ac prædicatione Euangelii ſui, ac donet vita quoque illud exornare aliquanto quam fecimus plerique hactenus ſtudioſius. Sed quis noſtrûm non quotidie ob hanc remiſſionem diſciplinæ excruciatur, quod fratres & Collegæ primarii adeo nullam admittunt diſciplinæ, non dico ſeveritatem, neceſſariam tamen mediocritatem, ut in Papatu factum eſt? ita plerique hominibus proſpectum volunt, non Eccleſiis: & Eccleſiarum damnis avertere damna impiorum Collegarum, putant humanum. Quum etiam tot malis non deſint patroni, propter Eccleſiam nolunt in offenſionem incurrere potentum & gratioſorum hominum. Vale in Domino Jeſu cum ſanctiſſimo collegio Farello & Vireto, quibus quæ ſcribo opto eſſe communia. 18 Martii, M. D. XLVII.

BUCERUS CALVINO S. D.

O Mi Calvine, anne Deus ideo defuerit verbo ſuo, quia nos illud tam ſecure contempſimus? tam ſubito, tamque fœde & miſere concidit omnis ſuperbia noſtra. Sic ultus eſt in nobis, & ulciſcitur adhuc juſtus Deus contumeliam nominis ſui, quam à noſtra paſſus eſt tam diuturna & pernicioſiſſima hypocriſi. Vindicabit nomen ſuum & ab Antichriſtis à quibus infinitis & petulantiſſimis hodie afficitur opprobriis. Sed quum nos ſentientes tandem ſicut quo prolapſi ſumus, ita etiam quam graviter iſtud ſumus commeriti, converterimus ad ipſum cædentem nos Patrem: ora nobiſcum inſtanter Dominum Jeſum largitorem pœnitentiæ & fidei, ut nobis craſſitiem cordis pertundat, & compungat illud vero impietatis noſtræ ſenſu & dolore,

dolore, atque det nos ipſi totos credere & conſecrare, quo per eum Patrem veniam exoremus noſtrorum peccatorum, & remiſſionem præſentium flagellorum: quæ ſane niſi cito à nobis removeantur, exitium minantur nobis. Exciſionem quidem regni Chriſti non metuo, verùm confido illud præclare propagandum, & Antichriſtum in dies magis proterendum: ſed vereor ut nobis Germanis Dominus ad rem hanc uti velit. Cætera hic noſter. Dominus ſit vobiſcum. Saluta tuos omnes meis verbis officioſiſſime. 19 Julii. M. D. XLVII.

Tuus Bucerus.

Bucerus Calvino s. d.

ORate Dominum ardenter pro hac republ. Eccleſia, ut diſcat animam ſuam perdere, quo ſervet eam. Cætera ex hoc optimo fratre. Dominus ſervet vos & erigat contra mala omnia. Uxor tua & domus tua tecum ſalveat. Idem petit & mea. Pridie Calendas Aprileis. M. D. XLVII.

Calv. Piis Gallis.

DIlectiſſimi fratres, non dubito quin multa ad vos perferantur in dies, tam ex his regionibus quam ex Germania, quæ ſcandalo ceſſura ſint illis qui non ſatis firmas radices egerunt in Domini noſtri Jeſu Chriſti fide. Quod autem ad vos attinet, ita vos à Domino confirmatos eſſe confido, ut neque ulla re ejuſmodi, neque ulla etiam graviore dimoveri vobis unquam contingat. Equidem fieri non poteſt quum ſemel ſolido illi fundamento Eccleſiæ innixi ſumus, quin ad ſæviſſimos quoſque fluctus & tempeſtates excipiendas parati, ad illarum tantum impetum immoti perſtemus. Adeo etiam expedit illis caſibus obnoxios nos eſſe, quibus nempe conſtantia & firmitas fidei noſtræ exploretur. In Germania Dominus ita faſtum omnem noſtrorum contudit, atque potentiam illius amplificavit, à quo nihil præter malum expectari poteſt, ut ſimul videri poſſit velle aſſerere regnum ſuum ſpirituale omnibus iis in locis in quibus illud ante erexerat. Et res eſt quidem pro hominum captu tenuiſſimæ ſpei omnino: ſed tamen ſi Eccleſiam afflictam & Chriſti ſui regnum illi precibus commendare non ceſſabimus, ſpero illum ultra captum noſtrum manum operi admoturum. Timendum eſt enim ne adhuc humana ſubſidia oculos nobis obleverint: nunc quum nihil obſtat quominus ad illius unius opem reſpiciamus, revocemus in memoriam quam conſtanter ſeculis elapſis Eccleſiæ ſuæ adfuerit, ut in illa etiam ipſum ita glorificandum adhuc non dubitemus, ut admirari plane ſubeat, quod nemo ante ſperaſſet. Interea vero pergamus in noſtra militia ſub Chriſti crucis vexillo, quod unum longe omnibus hominum triumphis antecellit. Quod ad rumores qui de noſtris turbis volitarunt, primum illi maxima ex parte in ipſo itinere ab auctoribus conficti ſunt: neque enim decimam partem hic poſiti comperiretis. Sane nimis multos habemus duræ cervicis & indomitæ, qui jugum ſubinde excutere geſtiunt, ut ſuis tumultibus diſſipent & aboleant legitimum Eccleſiæ ordinem: ſunt eo in numero & ſenes & juvenes. Juventus in primis hic eſt depravatiſſima. Quum igitur illis vagans licentia non conceditur, calcitrant ſubinde & calcibus petunt. Non ita pridem leviſſima de cauſa valde commoti ſunt, quod illis caligæ diſſectæ interdicerentur, quod ante annum duodecimum in urbe prohibitum fuit: non quod ea res per ſe nos moraretur, ſed quod per illas caligarum rimas feneſtra omni profuſioni & luxui aperta à nobis animadverteretur. Teſtati ſumus nempe diſciſſionem illam in ſeſe nullius momenti eſſe; ſed illam occaſionem adhibuimus ut ad certum ſcopum collimaremus, quo nempe illorum audacia & profuſio coërceretur atque conſtricta teneretur. Inter illam velitationem diabolus alia quædam ſuggeſſit, unde graves ſtrepitus & ſuſurri. Atqui ubi nos cordatiores experti ſunt quam vellent, atque ad illis reſiſtendum magis animatos, erupit tandem venenum ex pectoribus, quod latebat prius. Sed illud totum merus eſt fumus: ac minæ iſtorum nihil aliud ſunt quam ſpuma ſuperbiæ Moab, cujus ferociam cum fremitu concidat oportet. Utut ſit, non eſt quod illa vos perturbent. Longe alios motus experti ſunt Moſes & Prophetæ qui populi Dei rectores erant: atque iſtiuſmodi exercitia nobis neceſſaria ſunt. Veſtrum eſt autem precibus pro nobis apud Dominum adeſſe, ut det ne unquam declinemus; ſed ut vitæ etiam, ſi opus erit, ipſius unius cultum anteponamus: utque præ unius illius timore omnium impiorum furorem & minas poſthabeamus. Faxit etiam ut ſedentur tandem turbæ omnes quæ infirmorum animos pungerent: quod unum mihi omnium graviſſimum eſſe ſolet. Dignatus eſt nos Dominus ſingulari beneficio quum Magiſtratum optime affectum dedit ad remedium adhibendum malo. Una etiam fratres mecum optime ſentiunt, ut in officio pergamus omnes, & in omnibus extet æquabilis conſtantia. Bene valete dilectiſſimi fratres. Dominus opus ſuum perſequatur in vobis magis ac magis. Julii 24. M. D. XLVII.

Brentius Calvino.

NOn dubito, amiciſſime mi Calvine, te jamdudum accepiſſe quis ſit ſtatus, imo quæ ſit mutatio Eccleſiarum in noſtra parte Germaniæ: quæ ruina etiam me ex ea Eccleſia, in qua Euangelium Filii Dei viginti quinque annis docui, ejecit. Et quum mandato τοῦ αὐτοκράτορος vel ad carceres vel ad mortem petitus fuerim, hactenus divina elementia, & cura amicorum ita defenſus ſum, ut his diebus ſalvus ad Baſileam pervenerim. Statui autem hic hybernare. Et quanquam invenerim omnia hic commoda, hoſpitium, urbis amœnitatem, civium benevolentiam, doctorum virorum familiaritatem, & (quo maxime delector) miniſtrorum Eccleſiæ humanitatem: tamen quum venit in mentem vaſtatæ Eccleſiæ, deſertæ familiæ meæ, ac periculorum, quæ aliis & Eccleſiis & miniſtris earum imminere videntur, cogitare ipſe potes nihil externarum rerum tam amœnum eſſe, quod in tali paroxyſmo jucunditatem afferre queat. Quare, quæ eſt tua pietas, non dubito quin conjungas tuas preces cum noſtris, ut Filius Dei incipiat iterum declarare ſe ſedere ad dextram Dei Patris ſui, & tueri Eccleſiam ſuam. Nam hoc officium nos viciſſim vobis præſtamus: & gratulamur tibi & tuæ Eccleſiæ, quod hæc pericula ad vos nondum pertingant: ac precamur Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti ut vos ita conſervet, quo perſpicue cognoſcatur Eccleſiam Filii Dei non in cælis tantum, verum etiam in terris ſuas habere manſiones & hoſpitia. De Argentorato, exiſtimo te è Buceri literis cognoſcere quæ vel ſpes ſit vel metus. Adhuc deliberatur ibi de recipiendo vel rejiciendo Interim. Wittebergum & reliqua Saxonia ac Miſnia fortiter adhuc Interim recuſant. Noriemberga agnoſcit quidem [illegible]: ſed nihil adhuc ibi mutatum eſt. In Ducatu Wirtembergenſi aliquibus in locis una diei hora miſſatur, alia Euangelium Chriſti prædicatur. Nec ibi quicquam mutatum eſt, niſi quod veteres quidam ſacrificuli faciunt Miſſas. Veri autem miniſtri Eccleſiæ receperint in adminiſtratione ſacrorum veſtitum (quem vocant) choralem, & adjecti ſint quidam feſti dies ad priores, præterea eſus carnium publicus conſuetis hactenus diebus interdictus ſit. Cætera ita ibi ſalva ſunt, ut pii miniſtri non ſolum non exturbentur è ſuo miniſte-

rio,

rio, verum etiam ea aliis locis eapulſi recipiantur. Dominus det ut Princeps ejus regionis poſſit hoc inſtitutum ſuum conſervare & tueri. In quibuſdam Imperialibus Civitatibus reſtituitur non Interim tantum, ſed etiam Papatus ipſe, hoc eſt, extrema ioternecio. Optimus noſter Frechtus adhuc tenetur captivus cum Collegis ſuis in arce Kyrcheim, in ducatu Wirtembergenſi: quam arcem Hiſpani præſidio ſuo tenent. [illegible] aiunt hac hyeme reditorum ad Spiram. Qui reditus quid allaturus ſit incolumitatis reliquiis Eccleſiarum, res ipſa declarabit. Et fortaſſis ſuas etiam partes aget in hoc negotio judicium Cameræ, bis diebus Spiræ inſtanratum. Ita vides, nihil nobis ſpei, niſi in cælo repoſitum eſſe. Age igitur, amiciſſime mi Calvine, cooſcende, quod facis, nobiſcum precibus tuis in cælum, ut excitemus Filium Dei ad ſervandas reliquias ſuas. Bene ac feliciter vale. è Baſilea. Reliqua Renatus ille, qui mihi jucundus fuit comes ab Argentorato uſque ad Baſileam. 6 Octobris.

Brentius tuus.

Calvinus NN. s.

Fleri ut plurimum ſolet ut quæ ſupervacua ſunt, non tædium modo pariant lectoribus, ſed etiam non ſine ſtomacho reſpuantur: atque ego contra hanc meam exhortationem quo minus neceſſaria erit, eo æquioribus animis exceptum iri à vobis confido. Nam qui ſponte in proſequendo pietatis curſu ſunt incitati, non placidi tantum, ſed libenter quoque ſtimulos addi ſibi patiuntur: tales autem vos eſſe quia mihi perſuaſi, non eſt quod ad pergendum hortari dubitem. etſi, ut ſimpliciter dicam quod res eſt, non ea vos alacritate pergere arbitror, quin magno adhuc vobis uſui ſint piæ admonitiones: nondum certe eo uſque eſtis progreſſi quin longe ulterius ſit enitendum. Semper caveodum eſt ne pretioſum illud ſemen quod accepimus, vel ſuffocetur vel degeneret: etiamſi quotidie magna cura excolamur, res tamen oſtendit quam facile ſpinæ ſuccreſcant. quid ſi neglectus accedat? quid ſi multiplices obrepant hinc inde corruptelæ? Sed omnium peſſimum ſi eas nobis acceſſimus: video aliqua ex parte, vos melius ſentitis ipſi, quam multa ſe avocameota ingerant in eo vivendi genere, in quo fluctuatis: ſic enim de inquieta turbulentaque vita loquendum eſt, ut maxime acres intentique ſitis ad reſiſtendum: difficilis tamen eſt victoria, quo majus periculum eſt ne ſecuris & aliud agentibus indocatur Satanæ artificiis Chriſti oblivio, quæ vos in mundi abyſſum demergat. Aſſidue in mentem veniat illud Pauli, quoſdam à fide excidiſſe quod alienati fuiſſent à bona conſcientia, ne ipſi quoque horrendi naufragii ſimus exempla aliis: ac de vobis quidem nihil tale metuo. Sed quia ounquam poſſumus nimium cauti eſſe, hoc quoque diſſimulare amor erga vos meus non permittit: & videmus ut ſibi hodie plerique fere omnes delicias faciant, quaſi impune cum Deo ludatur. Quare nihil melius quam ut ſubinde quiſque ſe ad torporem expergefaciat, ſibi inſtet, ſe ad calculum revocet. Nec vero ſi quis in vobis aliquaodo fuit ardor, langueſcere nunc debet ob iſtas calamitates, quibus Eccleſiam cernimus oppreſſam ut parum ab interitu diſtare videatur: potius cogitare vos decet quam miſeras populi ſui res & afflictas Moyſes ſciret eſſe, quum ultro ſe opibus, deliciis, honoribus Ægypti abdicans, nooniſi probris & ærumnis ſocium ſe adjunxit. Quanquam non eadem omnes ſpiritus magnitudine peræque excellimus, vocamur tamen ad unum omnes ad imitandi ſtudium. His paucis ſi non plane teſtatam, at ſaltem indicatam eſſe volui ſollicitudinem quam de ſalute veſtra gero. Valete egregii & nobiliſſimi adoleſcentes. Dominus vos Spiritu ſuo gubernet ſemper, ac ſpiritualibus divitiis magis ac magis locupletet, quo nomen ſuum glorioſum per vos illuſtretur. Nonis Novembris. M. D. XLVIII.

Calv. Brentio s.

Eximio Domini noſtri Jeſu Chriſti miniſtro D. Joanni Brentio, Symmyſtæ & fratri in Domino honorando.

SI quid mihi jucundum in his triſtiſſimis temporibus eſſe poſſet, jucundæ in primis ſuaveſque fuiſſent tuæ literæ. Gratiſſimæ certe fuerunt, multumque ſolatii attulerunt variis meis doloribus: quod te ſcilicet, de cujus vita diu anxii fuerant boni omnes, ereptum eſſe ea mortis faucibus nunciabant. Tametſi enim fieri nequit quin tibi acerba ſit vita in præſenti rerum ſtatu, dum ab ea Eccleſia te divulſum cogitas quam & genuiſti in Chriſto, & tanta ſollicitudine educaſti: eamque ut eſt orbata ſuo Paſtore, propemodum expoſitam vides Satanæ libidini: ſimul tameo reputare debes non te fruſtra ſervatum à Domino. Poteras jam in hac tua ſenecta quamlibet vegeta mori ſatur annorum: & ſane quid nunc eſt in mundo quod nos aliquo vivendi deſiderio ſollicitet? Sed ego non dubito quin Domious qui hactenus miniſterio tuo feliciter & uberrimo cum fructu uſus eſt in Eccleſiæ ſuæ ædificationem, aliquid habeat operis nobis incognitum, io quo te porro exercere velit: non quod melior ſpes ſaltem propinqua nobis appareat, quin potius ita ſe uodique quocunque oculos vertamus novorum malorum ſigna oſtendunt, ut nihil præter ultimum Eccleſiæ interitum reliquum eſſe videatur: deinde quemadmodum his calamitatibus cauſam præbuit noſtra impietas & ingratitudo, ſic etiam nos contumacia noſtra hodie urget ut multo plura & atrociora merito timenda ſint quam hactenus ſenſerimus. ſed una hæc cogitatio nihilominus me ſuſtentat animumque reficit, quod ita mecum ſtatuo, Deum, quum mirificam hanc Eccleſiæ inſtaurationem inchoavit, non inanem ſpem oſtentaſſe quæ mox evaneſceret, ſed opus eſſe aggreſſum quod non invito tantum Satana, ſed malitia quoque hominum reluctante tuebitur ac ſtabiliet. Interea purgationem qua nobis opus eſt, patienter feramus: ſi ſemel huc perruperit Leonis furor, multo crudelius nobiſcum agetur. & certe hactenus minas magis tentavit quam ſævitia graſſatus eſt: ſed profundet quod hactenus contiouit, ſimulac nihil jam ſibi obſtare cernet. Itaque non aliter nos comparatos eſſe decet, quam ſi exertus gladius eſſet ſupra cervices, & ignes accenſi. cæterum, ut dicebam, non dubito quin futurus ſit modus aliquis caſtigationis, ac Deus propediem Eccleſiam ex miſerrima hac diſſipatione colligat. Unum vereor oe prius tam fœdam Germaniæ mollitiem cum impia perfidia conjunctam ſevere ulciſcatur: quia tamen multas oves innoaias agnoſcat ab hircis robuſtioribus fuiſſe proditas, earum ut ſpero pro ſua miſericordia rationem habebit, ut juſtam iram cohibeat. Nos hic, quoniam aliud non licet, tui & ſimilium aſſidue in precibus noſtris ſumus memores: utinam aliis quoque officiis juvare te poſſemus. ſed hoc ſcilicet precipuum, nos ſimul omnes Deum ſuppliciter orare, ut ſi noſtris peccatis offenſus frena impiorum ſævitiæ ad tempus laxavit, nunc viciſſim eorum ludibriis ac petulantia provocatus ſe & ſuos reſpiciat: Chriſtum deinde rogare ut non tantum apud Patrem ſit nobis deprecator, ſed juſtum Eccleſiæ ſuæ vindicem ſe oſtendat. Vale, eximie vir & frater in Domino mihi ſemper colende. Dominus cui ſervis Spiritu ſuo gubernare te pergat, ac ſanctos tuos labores benedicat, Amen. Genevæ, Noois Novembris. M. D. XLVIII.

Mvco-

MYCONIUS CALVINO S.

VOluit hic commendari per me tibi, ut viro docto & pio. Obtemperavi non invitus, nonniſi ut te meis ſalutarem. Fac igitur, ſi qua poteris illi commodare, commodes propter Dominum, cui mihi videtur ſe devoviſſe. Calamitates hujus tempeſtatis non potes ignorare: augentur in dies magis ac magis, eoque inquietus ille nequit ceſſare, donec ambitioni ſuæ ſatisfactum ſit, vel periit. Rumor eſt occupaſſe in Pedemonte oppidum muniſſimum: Binerol vocant. Et conſtat, præmiſſis Spiram tormentis, glandibus, pulvere bombardico multo, & ipſum eo intendere animum cum ſuis, quo, ut ferunt, per Lotharingiam & Burguodiam invadat Regem, & Bernenſes propter Sabaudum. Quia vero verſipelli vix credi poteſt (ſimulat enim ac diſſimulat pro occaſione omnia) neſcio quid credendum vel non credendum. Cæſarianum Interim in Suevia obtinuit. Timetur Conſtantienſibus. Quod ante malum acceptum noluerunt, nunc dicuntur ambire miſeri. Neminem habent auxiliantem: & prius neminem habuerunt, & tamen tantam præ ſe tulerunt conſtantiam. Potuiſſent cum parvo damno, temporali dico, tenere, quod nunc non valebunt poſt cladem & amiſſionem ſuburbii, & gravem ignominiam, ut taceam de damno animæ. Non curant quidam ex noſtris, quod paries ardet proximi. Equidem per dies aliquot fui in hac ſententia, per iſtos futurum, ut Cæſar & nos vexaturus eſſet cum nefario ſuo Interim: & adhuc hæreo, adeo inviſus eſt illis Chriſtus. Quarta Aug. veſtes lineæ & candidæ ſingulis miniſtris Auguſtanis ſingulæ ſunt à novo Senatu miſſæ, & ſimul mandatum, ut ſemper pro ſacris concionibus iis utantur. Ab hoc munere tamen excluſi ſunt non uncti prius. Coacti ſunt etiam jurare ſe nihil contra Cæſaream Majeſtatem, & contra Interim dicturos: quod ſi factum fuerit ſecus, condigna pœna puniendos eſſe. Ex quo vides, quænam libertas ſit permiſſa prædicandi Euangelii. Nugæ omnia. Apud Norimbergenſes unus tantum dicitur eſſe qui miſſet. Is dum ingreditur, vel miſſat, vel egreditur è templo, ſtipatus eſt ſatellitibus, ne quis noceat: tanto fortiores illi ſunt Auguſtanis. Argentinenſes adhuc durant, neſcio quam diu. Ex potentibus multi dicuntur migrare, inter quos & N. eſſe fert rumor: numeratur enim inter eos, qui fabricarunt Interim. Neſcio quid de eis divinandum: ſperant aliqui, nonnulli deſperant. Docti dum ſcribunt, præ ſe ferunt magnum metum. Mihi videtur Dominum miſerturum aliquando ſuæ Eccleſiæ. Vale fortis in Domino. Baſileæ, 28 Auguſt. anno M. D. XLVIII.

Oſ. Myconius.

BULLINGERUS CALVINO S. D.

TUas, dilecte mi Calvine, ſcriptas in Julio, in Auguſto demum accepi. His ſerius reſpondeo: nam nunc negotiis oppreſſus ſum, ita tantum non mœrore contabeſco propter interitum Eccleſiarum in Germania ſuperiore. Pridie defecit etiam Conſtantia, dedidit ſeſe Romanorum Regi, recepit milites præſidiarios 800. Cives optimi, inter quos Blaurerus Conſu, Zuickius, Labhardus, Hurußius, & alii inſigniores multi, relictis ædibus & immobilibus exceſſerunt & fugerunt in Durgaviam. D. Ambroſius ante 5 ſeptimanas improbitate civium compulſus ad ſororem in Durgaviam conceſſit, & ibi hactenus delituit. Suſtinet odium indicibile. Jam conceſſit ad ipſum etiam D. Thomas Coſ. & frater, vir incomparabilis. Jam vero malum etiam nobis imminet. Expectamus quid vel hac hyeme, vel in vere, hoſtes veritatis contra nos tentaturi ſint. Dominus adſit nobis, & confirmet nos in ſua ſancta veritate, ne quid noſtra profeſſione indignum admittamus. Orate pro nobis. Sunt noſtri alacres, intrepidi & conſtantes adhuc; parati quævis ſubire pericula: ſed niſi vigilaverit Deus, fruſtra vigilat qui cuſtodit urbem. Peccata noſtra, ſanguis, ingratitudo, avaritia, contentio, invidia & alia his ſimilia premunt nos omnes qui nomen Chriſti gerimus: ac meremur ut nos flagello excitet Dominus. Hic tamen clemens eſt & propitius, ſi vera fide & ſanctis precibus ipſi occurramus. Si placet ei nos ex hoc eripere ſeculo, innumeris liberarit malis, vita donabit æterna. Ipſi gloria ſemper. Ora pro nobis, & ſaluta fratres omnes. Salutant te D. Bibliander, Galtherus, Pellicanus, Werdmullerus, denique fratres omnes. Tiguri, 15 Octobris. M. D. XLVIII.

H. Bullingerus tuus.

FARELLUS CALVINO S.

Gratiam & Pacem à Domino.

PEr exemplar literarum ad Viretum miſſum, exiſtimo te intellexiſſe in quibus verſetur ſpinis verus Chriſti ſervus Bucerus, quem merito pii omnes ardentiſſimis precibus D. commendare debent. Chriſtus Jeſus ei adſit, & plene benedicat illius miniſterio, ac omnium qui Eccleſiarum ſalutem quærunt. Mirum eſt Senatum tam eſſe fractum & tam exigua præditum fide, quod non cupit ſe totum D. committere, & quæ Chriſti ſunt tueri & Antichriſto reſiſtere. Forte habet qui ita ſuadeant, & audit quoſdam agere apud Wirtembergenſem: neſcio an Schnepfius ſit. de Iſlebio res eſt notior, nimirum debere fieri Cæſaris imperata, & non licere Interim rejicere. Dominus Jeſus faxit ut quod cœpiſti in Interim, ne quenquam interimat, ſcribere abſolvas. Nam ſane expedit, quum procul à noſtris (ſi vera audimus) non improbetur: nam Vincentius fertur non improbare, & paſſim qui ſe putant aliquid eſſe, & à nonnullis alicujus fiunt, illud commendant. Toſſano ejuſmodi, qui per ceremoniarum inſtaurationem & additionem negotium fecerunt, verendum ne per Interim plus nunc faciant. Miſſatorem unum habent, ſed inſignem ebrium, Mombelgardi, & alterum Blancmonte. Decanus vir peſſimus, & qui diu ſciens & volens Spiritui divino reluctatus fuit, jubente Cæſare admiſſus fuit. hunc viſitet D. ut meritus eſt. Nam niſi per D. improbitas viri compeſcatur, multum detrimenti Eccleſiæ afferet. Si Toſſano & Bucero quoque timeam adverſa, ut opto proſpera, & Eccleſiis concreditis ipſis: tibi quid non metuam & quid non optem, & iſti Eccleſiæ? non parum anxius ut res iſtic habeant, quum nihil audiverim à die quo iſtac ſolvi: & in hac anxietate ita reſpiro, quod male res non habeant, quum ſiquid mali eſſet, ſtatim vulgaretur, ut nunc fit ſi unquam fuerit: bona quum rara ſint, rarius annunciantur; mala quum inundent, nunquam non audiuntur. Ruina inconſtantis Conſtantiæ prius audiebatur, quam perfecta eſſet: & nunc narratur talis eſſe, ut Sodomam eſſe dixeris. Nam Bacchantium in morem, choreis, ludis, ebrietatibus, & omni ſpurcitiæ ita feruntur operam dare, ut nemo jam judicare poſſit honeſti eos unquam rationem ullam habuiſſe, ne dicam Chriſtum & Euangelium audiviſſe & excepiſſe. Pagi, qui in gratiam Cæſaris non ſolum non fuerunt auxilio Conſtantienſibus, ſed aliis quoque fuerunt impedimento, cum reliquis agunt, ut Interim admittant: & quædam alia. Propediem reſponſum ſunt accepturi. Pecunia & ingentia munera verendum ne fœdera omnia rumpant. Sed quid fœderis tenebit is qui ſe ſuoſque, ſalutem & fortunas venales habet? Si Satanas tam infeſtus hoſtis ſeſe pro inſigni amico venditat, & id pleriſque ſuadet, ac quædam in hoc dat; mirum ſi illius miniſtri hoc non perſuadeant iis quos ſupra omne genus hominum oderunt, præcipue dum copioſum dant aurum. ſed erit pluſquam Toloſanum: ſane ſtipendium & munera, ut videntur profuſius

ſoſitus erogata, hami erunt quibus non ſolum aurum omno Principum acceptum, verum inſuper corpora & quicquid eſt, capiantur & ſint præda datori, qui manibus ſuorum & ſanguini fuſo perlitabit ad ſatietatem illorum ſanguine qui prius fuderunt. Sera erit pœnitentia, fruſtra tunc ſapientiam invocabunt quam recipere & audire noluerunt. Quid Gallis immineat, & quo inſtigatore orti ſint motus, & ad quid, & qui proditioni ſervierint à proavis, jam eſt videre. ſua judicia exercebit D. qui noſtri miſertus corda tangat, ut ſerio convertamur omnes, & vera fide dignos fructus edamus veræ reſipiſcentiæ. D. Jeſus te ſervet incolumem, & diu Eccleſiæ ſuæ inſervientem. Vale cum conjuge & Collegis & piis omnibus. Servet iſtos omnes D. qui tecum amant Chriſtum, & Satanam perdat. Collega te ſalutat & mei fratres. Neocomi, 19 Novembris. M. D. XLVIII.

Exiſtimo te reſciſſe Synodum tandem conceſſam & admiſſam, quamvis dies nondum dicta ſit. Chriſtus faxit ut Eccleſiis & ſancto miniſterio recte conſulatur, & quæ corrigenda ſunt, ut decet corrigantur. tu vide quæſo, quid in doctrina multorum deſideretur & in vita, ut Epicurei ſecum tam multos non perdant. Per idoneos id opportune curandum eſt, magno cum timore Dei & precibus aſſiduis, ne Satanas quos fovet & agit, ſuis dolis tegat, & fucis efficiat quominus cognoſcantur & impune evadant. Noſti qui ſiot & quales, & quantum detrimenti afferant Eccleſiis, quæ nos merito ad miſericordiam ſui invitare debent: ſed potiſſimum Chriſti ſanguis quo redemptæ fuerunt, qui tam ſcelеſte à tam impiis in domo Dei conculcatur. rependat illis judex juſtus, idque cito, prout egerunt, tam obſtinatis animis, & tanta improbitate: & piis perfecte det pergere, vota eorum exaudiens qui Chriſti gloriam, Eccleſiarum ædificationem, & omnium ſalutem ſtudio multo exoptant.

Farellus tuus totus.

CALV. BUCERO S.

Literæ tuæ tametſi gaudio & triſtitia mixtæ erant, mihi tamen perquam gratæ fuerunt. Utinam animi tui mœrorem, & eas curas quibus te cruciari video, poſſem aliqua ex parte ſublevare. Omnes tamen etiam atque etiam obſecramus, ne te abſque profectu conficias: ut lætus ſis atque hilaris in tam varia & multiplici lugendi materia, neque tuæ eſt pietatis, neque expedit, neque optandum nobis eſt. Danda eſt tamen opera, ut te, quoad licebit, Domino & Eccleſiæ ſerves. Amplum quidem ſtadium cucurriſti: ſed neſcis quantum adhuc tibi reſtet. Ego fortaſſis qui paulum à carceribus ſum progreſſus, jam propior ſum metæ. Sed in manu Dei eſt curſus noſtri moderatio & finis. Ut tamen maxime eſſem vegetus, dum pericula quæ ex multis partibus impendent circumſpicio, multæ mortes quotidie verſantur ante oculos. Sicut ergo iſtic vos pugnæ exercent, ita hic lentos timores fovemus: quanquam & tumultus jam intus ſedatos eſſe confido, & rumor eſt vobis eſſe à Gallis inducias. Utinam & firmæ pacis ratio iniri poſſet: laniſtam enim qui hæc duo regna inter ſe committit, videmus interea otioſum ridere, & utramvis captare fortunam, ut viribus integris adoriatur victorem, & victi ſpolia abſque ſudore & ſanguine legat: adeoque de ambobus triumphet, ac prædam rapiat. Sed dum mecum reputo quam pravis conſiliis regatur Gallia, de hac re fere deſpero. Illum quidem plus ſatis timent: ſed alios ſuperbe deſpiciendo, non cavent ſibi ab ejus aſtutia. Et ſane Dominus hac cæcitate atrocem eorum in ſanctos ſævitiam, & quæ in dies magis gliſcit (ut ego quidem interpretor) jure ulciſcitur. Utinam ſicut illic vires colligit impietas, & augeſcit ſemper in pejus, ita Angli contraria æmulatione ad ſolidam Chriſtianiſmi puritatem contendant: donec ad unicam Chriſti regulam omnia illic conſtituta cernantur. Dominum Protectorem, ut volebas, conatus ſum hortari, ut flagitabat præſens rerum ſtatus: tuum quoque erit modis omnibus inſtare, ſi modo detur audientia (quod te facere ſum perſuaſus) præſertim vero, ut ritus qui ſuperſtitionis aliquid redolent, tollantur è medio. Hoc tibi nominatim commendo; ut te invidia liberes, qua te falſo gravari apud multos non ignoras: nam mediis conſiliis vel auctorem, vel approbatorem ſemper inſcribunt. Scio hanc quorundam animis ſuſpicionem altius infixam eſſe, quam ut eam revellere facile ſit, etiam ſi nihil omittas. Et ſunt qui te maligne nullo errore inducti calumniantur. Denique fatale quodammodo hoc tibi malum eſt, quod fugere vix poſſis. Cavendum tamen ne imperitis detur male ſuſpicandi occaſio, improbi vero obloquendi prætextum arripiant. N. tibi ſine cauſa moleſtum eſſe valde doleo. Utinam aliquando humanitatem diſcat. Ego facilius ignoſco, quod tam malitia impelli ipſum quam cæco impetu ferri animadvertiſſe mihi videor. Non credas quam nos aliquando atrociter lacerarit, & abſentes & innoxios & amicos. In Viretum præſertim, quum præter meritum ſumma quorundam iniquitate, aliorum vero perfidia prope eſſet oppreſſus, non minus violenter invectus eſt quam in ſceleratiſſimum Eccleſiæ proditorem. Certe manſuetudini aſſueſceret, ſi ſciret quam noxia ſit præfervidi ſui zeli & immodicæ auſteritatis intemperies. Tibi hæc indignitas cum aliis malis qua ſoles æquitate devoranda eſt. Nec vero Tigurinis cauſam ſuam probaret. Hac in parte nonnihil abs te diſſentio, quod putas adverſæ parti fieri injuriam. Nam dum eos nunquam tam craſſe hallucinatos putas, ut Chriſtum ubique diffuſum imaginarentur, non tenes quid inter alios ſcripſerit Brentius, Chriſtum quum in præſepi jaceret, glorioſum in cælo fuiſſe, etiam ſecundum corpus. Atque ut apertius loquar, ſcis doctrinam Papiſtarum modeſtiorem magiſque ſobriam eſſe, quam Ampſdorphii & ſimilium fuerit, qui tanquam Apollinis Phœbades inſanierunt. Scis quam inhumaniter vexatus fuerit Dominus Philippus, quia modum aliquem teneret. Deliria quoque ſecum idololatriam trahebant. Quorſum enim illud Lutheri adorabile Sacramentum, niſi ut idolum in templo Dei erigatur? Ego tamen ſepulta eſſe hæc omnia cuperem. Summa quidem contentione ſemper apud vicinos noſtros inſtiti, ut ab inſectatione abſtinerent; ut tamen illis ſatisfieret, errores omnes quibus minime conſentiebam, damnare ſuppreſſis nominibus non dubitavi. De loco tu certe nimis ſubtiliter diſſerere mihi videris. Alios gravius offendit obſcuritas, quam aſtute data opera accerſi abs te putant. Atque hos quidem errare ſcio. Sed non video cur tantopere refugias quod docemus, quum in cælum aſcendiſſe Chriſtus dicitur, hac loquutione exprimi locorum diſtantiam. Neque enim an in cæleſti gloria ſit locus, hic diſputatur, ſed tantum an Chriſti corpus ſit in mundo. Id quum Scripturis clare teſtatum ſit, pro Fidei articulo amplecti non dubito. Et tamen quum in ſcripto noſtro reperies, quorundam moroſitati non abſque certamine datum fuit: nam ego aliter verba temperaveram. Cæterum quia hac quam uſurpavimus forma nihil continebatur niſi quod ſentiebam, aliis eam concedere non fuit religio. Effectum Sacramentorum, & quid per ea Dominus conferat, luculentius & uberius explicari quam multi patiantur, pie & prudenter optas. Neque vero per me ſtetit, quin pleniora quædam eſſent. Gemamus ergo ferentes ea quæ corrigere non licet. Exemplar ſcripti quod mihi remiſerunt, hic habebis. Capita duo quæ verebaris ne admitterent, perlibenter ſunt amplexi. Si Bullingeri manſuetudinem reliqui ſequuti eſſent, facilius omnia impetraſſem: bene ta-

 men

men habet quod in veritatem conſenſimus, & tenuimus ſummam rei. Si theſes tuas duobus tantum in locis aliquaotum flecteres, faceres appoſitiſſime, nempe ut clarius exprimeres te locorum diſtantia Chriſtum à nobis qui in mundo ſumus disjungere: deinde ut commenta omnia quibus hactenus ad ſuperſtitionem inductæ ſunt hominum mentes clarius rejiceres, præſertim ut Spiritui ſancto Chriſtoque ſuam gloriam vindicares, ne quidquam ad miniſtros vel elementa transferatur. Initia actionis in conſenſione ineunda meram deſperationem præ ſe ferebant. Subita lux affulſit. Voluerunt priores cum aliis Eccleſiis communicare. Non ægre conceſſimus. Quod autem N. diſſentit, æquo animo ferendum eſt. Farellus tibi ſcribit copioſe, ut videbis. Viretus non audet: non enim credas quam inique tractetur. Et tamen quam poteſt officioſiſſime te ſalutat, petitque ut ſe habeas excuſatum. Collegæ etiam mei omnes te reverenter ſalutant. Nihil hic novi, niſi quod Tigurum & Berna ſpem omnem fœderis Gallo abſciderunt. Vale clariſſime vir & Pater in Domino mihi plurimum obſervande.

CALV. BUCERO.

VEritatem eſſe pretioſiſſimam, ut eſt, omnes fatentur. Atqui quum bonorum omnium fons ſit unus Deus, quicquid uſpiam veri tibi occurret, niſi bis Deo ingratus eſſe velis, ab ipſo profectum eſſe ne dubites, nec ſecus ac vocem è cælo delapſam excipias. Nam & dona Dei contemptim præterire nefas eſt: & quod proprium eſt ipſius adſcribere homini, major etiamnum impietas. Ergo & Philoſophia præclarum eſt Dei donum: & qui omnibus ſeculis extiterunt docti viri, eos Deus ipſe excitavit, ut ad veri notitiam mundo prælucerent. Verum inter eorum ſcripta & eam doctrinam quam Deus ſuo numini dedicavit, ut generi humano ſacroſancta eſſet, magnum eſt diſcrimen: illic enim tenuem quandam veritatis particulam tibi prælibari comperias, unde guſtum capias modo quam amœna ſit ac ſuavis cognitu; hic vero plenam tibi copiam affluere quæ animum tuum penitus reficiat: illic umbram & imaginem tibi ob oculos ſubjici, quæ te ad amorem ejus excitet modo, non eam tibi familiarem reddat; hic ſolidum corpus tibi ſiſti, ex quo non familiariter tantum cognoſcere, ſed quodammodo attrectare liceat: illic ſemen quaſi præfocatum, hic frugem habeas, & quidem in ſua maturitate. Illic denique exiguas tantum ſcintillas emicare, quæ ſic viam demonſtrent, ut in medio curſu deficiant; vel potius quæ viam demonſtrare nequeant, ſed tantum retinere, ne longius aberres: hic vero Spiritum Dei inſtar lucidiſſimæ facis, vel potius inſtar Solis ipſius, pleno ſplendore affulgere, ut & vitæ tuæ curſum uſque ad ultimam metam regat, & in beatam immortalitatem perducat. Hinc collige ubinam peregrinari, & ubi velut fixis ſedibus acquieſcere debeas.

CALV. MONSBELGARDENSIBUS.

Fidelibus Chriſti ſervis Miniſtris Mombelgardenſis Eccleſiæ, fratribus & ſymmyſtis chariſſimis.

GRatia vobis & Pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto. Chariſſimi & ex animo colendi fratres, tandem accidit quod diu timuimus, ut iſtic quoque conſtitutum à Domino Eccleſiæ ordinem Satan per ſuos miniſtros everteret. Hoc tamen ſolatii, quoad in re triſtiſſima fieri poteſt, literæ veſtræ attulerunt, quod inde intelleximus vos omnes in officio ad extremum perſtitiſſe. Nam quod graviter teſtati eſtis vobis improbari iſtas corruptelas, quæ ad inquinandam ſanæ doctrinæ puritatem ingerebantur, digna miniſtris Chriſti fuit conſtantia: quod nunc etiam perfidæ diſſimulationi exilium præoptatis, in eo ſpecimen editis luculentum ſinceræ veſtræ fidei. Nam ubi vos abdicat docendi munere qui hactenus & Eccleſiæ Chriſti hoſpitium præbuerat in ditione ſua, & vobis permiſerat Chriſti prædicandi libertatem; ulterius, noſtro judicio, progredi non expedit: præſertim ubi nulla profectus ſpes apparet, neque oves quibus vos Chriſtus paſtores præfecerat, operam veſtram amplius deſiderant. Nam ut proditor eſt qui volens cedit ac ſtationem ultro deſerit ſuam, ſic reſiſtere, ubi cogimur, noſtrum non eſt, niſi forte nos ad ſubeundum diſcrimen nominatim vocaret Eccleſia: nam tunc centies mori præſtaret, quam fruſtrari eorum vota qui Chriſtum ſequi parati eſſent. Veſtra autem ratio longe diverſa eſt: quamdiu enim fuiſtis Paſtores, non defuit gregi veſtra ſedulitas aut ſollicitudo. Nunc quum perſeverandi ſtudium nihil profuturum ſit, ac ne oves quidem ipſæ quibus obſtricta eſt veſtra fides, ſibi utile eſſe cenſeant vos ultra tendere, perfuncti ſane eſtis. Reſtat igitur ut gubernacula vobis tradita commendetis Chriſto, ut ſolus ipſe Spiritu ſuo regat, quando jam labori veſtro non datur locus. Cæterum ſatis reputamus quanto mœrore ſitis oppreſſi, quibus nihil præter exilium & egeſtatem propoſitum eſt: ſed præcipuus mœror eſt ex ipſa Eccleſiæ clade, cujus majorem vos habere rationem comprobaſtis quam veſtri. Et nos quidem malis veſtris tam publicis quam privatis afficimur ut par eſt: atque utinam liceret manum vobis porrigere. Nunc quod reſiduum eſt, vos hortamur ut in hoc Chriſtianæ ſinceritatis teſtimonio pergatis ad finem uſque. Beatior erit quamlibet miſera veſtra conditio, quam ſi locum & nomen retineretis unde Filius Dei exulat. Quanquam brevi ſentiemus ipſum ita regnare in cælo, ut virtutem ſuam in terra quoque exerere velit. Nos interea ad militiam paratos eſſe oportet quando nondum tempus eſt triumphandi. Valete optimi & integerrimi fratres. Dominus Jeſus vobis adſit, vos conſoletur, & in ſancta perſeverantia confirmet. Genevæ, 16 Januarii. M. D. XLIX.

Fratres vobis in Domino vere conjuncti Miniſtri Genevenſis Eccleſiæ.

J. Calvinus omnium nomine.

CALV. FARELLO.

DE morte uxoris meæ jam forte iſtuc rumor pervenit. Ego, ne prorſus mœrore conficiar, quoad poſſum, adnitor. Adſunt etiam amici, nec quidquam reliquum faciunt, ut aliquid levationis afferant animi mei ægritudini. Quum hinc frater tuus diſceſſit, jam fere de vita erat deſperatum. Quum die Martis fratres cuncti adeſſent, cenſuerunt optimum fore, ſi communis inter nos precatio conciperetur. Id factum eſt. Quum Abel omnium nomine eam hortatus ad fidem & patientiam eſſet, breviter (ut jam valde fracta erat) teſtata eſt quid haberet in animo. Poſtea exhortationem, quæ tempori congruere videbatur, adjeci. Porro quia nunquam de liberis ſuis verbum fecerat, veritus ne pudore impedita, in animo ſollicitudinem aleret, quæ eam magis cruciaret quam morbus ipſe, coram fratribus teſtatus ſum, eos mihi ita curæ futuros ac ſi mei eſſent. Reſpondit illa, Jam eos Domino commendavi. Quum exciperem non obſtare illud quominus agerem ipſe quoque meas partes; reſpondit protinus, Si Domino curæ erunt, ſcio tibi fore commendatos. Tanta animi fuit magnitudo, ut videretur è mundo egreſſa. Quo die animam Domino reddidit, frater noſter Borgonius, circiter horam ſextam, pias exhortationes attulit: inter quas illa exclamabat: ut omnes animadverterent cor ejus ſupra terram longe elevatum. Nam hæ voces erant, O reſur-

ſurrectio glorioſa! Deus Abraham & omnium Patrum noſtrorum, jam à tot ſeculis in te ſperarunt fideles, oemo fruſtratus eſt. Ego quoque expectabo. Sententias tales conciſas jaculabatur potius quam pronunciabat. Neque id ex aliorum verbis, ſed ut in animo cogitatiooes agitabat, ſic paucis verbis teſtabatur, quid ſecum meditata eſſet. Sexta hora domo abſtractus ſum. Poſt ſeptimam, quum in alium locum exportata eſſet, cœpit ſtatim deficere. Quum ſubito vocem ſibi eripi ſentiret, Oremus, inquit, oremus, vos omnes pro me orate. Eadem hora domum ingreſſus ſum. Non potuit vocem ullam edere, ſigna oſtendit animi commoti. Ego pauca loquutus de Chriſti gratia, de ſpe vitæ æternæ, de vitæ noſtræ contubernio, & de migratione, abdidi me ad precandom. Integra mente & preces audivit, & attenta fuit ad doctrinam. Ante octavam placide expiravit: ut vix inter vitam & mortem diſcernerent qui aderant. Nunc mœrorem ſic devoro, ut à munere meo nullam intermiſſionem habuerim. Quin etiam Dominus aliis certamioibus me interea exercuit. Vale, frater & amice integerrime. Dominus Jeſus te Spiritu ſuo coofirmet; & me etiam io hac tanta calamitate, quæ certe me fregiſſet, niſi maoum è cælo porrexiſſet is, cujus officium eſt erigere proſtratos, debiles confirmare, laſſos reficere. Saluta fratres omnes, totamque tuam domum. Genevæ, 11 Aprilis.

Joannes Calvinus tuus.

Calv. Vireto.

TAmetſi valde mihi acerba fuit mors uxoris, mœrorem tamen meum, quôad poſſum, cohibeo. Et amici certatim officium faciunt. Me quidem & illos minus proficere fateor, quam optandum ſit: hoc tamen ipſum quod conſequor, dici vix poteſt, quantum me juvet. Noſti aoimi mei teneritudinem, vel mollitiem potius. Quare oiſi valida moderatio adhibita fuiſſet, non ita hactenus ſtetiſſem. Et certe non vulgaris eſt doloris materia. Privatus ſum optima ſocia vitæ: quæ, ſiquid accidiſſet durius, non exilii tantum ac inopiæ voluntaria comes, ſed mortis quoque futura erat. Quoad vixit, fida quidem miniſterii mei adjutrix fuit. Ab ea ne minimum quidem impedimentum unquam ſenſi. Atque ut de ſe nunquam fuit anxia, ſic de liberis, toto morbi decurſu, nunquam mihi moleſta fuit. Quia timebam ne intus curam premendo ſe fruſtra cruciaret, triduo ante mortem ego mentionem ultro injeci, promiſique me partibus meis oon defuturum. Excepit illa protinus, Jam eos commendavi Domioo. Quum dicerem, id non obſtare, quominus & mihi curæ eſſent: reſpondit, Scio te non neglecturum qnod ſcias Domino commendatum eſſe. Heri quoque primum reſcivi, quum inſtaret quædam mulier, ut mecum de illis ageret, præciſe ita loquutam eſſe, Hoc vero præcipuum eſt, uti pie ſancteque vivant. Maritus meus urgendus noo eſt, ut eos in caſta diſciplina, & timore Dei inſtituat. Si pii erunt, confido illis ſponte fore patrem: ſin alii, indigoi ſunt pro quibus à me rogetur. Hæc animi magnitudo plus apud me valebit, quam centum commendationes. De amica tua conſolatiooe, magnam tibi habeo gratiam. Vale, optime & integerrime frater. Dominus Jeſus te cum uxore tueatur ac gubernet. Illi & fratribus plurimam ſalutem dices meo nomine. 7 Aprilis. M. D. XLIX.

Joannes Calvinus tuus.

Calv. Zozino.

LIteras tuas paucis poſt reditum meum diebus accepi. Ex eo tempore catharrus mihi valde fuit infeſtus: necdum moleſtiam exhibere deſioit. Ut breviter ad quæſtiones tuas reſpondeam. Quum uxor non alia lege ducenda ſit homini Chriſtiano, niſi ut ſe illi ad omnia piæ vitæ officia adjutricem præſtet ac ſociam, ubi ab hoc ſcopo vel minimum aberratur, non dubito quin vitioſum ſit conjugium. Is porro qui uxorem ducit impiis Papatus ſuperſtitionibus adhuc implicitam, quid aliud quam profanationem in domum ſuam inducit? Nam ſi corpus viri eſt uxor, excuſari certe non poteſt, qui mulieri ſe adjungit quotidie ad perverſos cultus ſe proſtitueoti, ut ipſe quodammodo dimidia ſui parte inquinetur. Superſedeo, quod ſiquis talem ducat uxorem, conſecrare magicis auſpiciis nuptias cogetur. Cæterum puellam alioqui recte ſeotieotem, quæ tamen carnis metu in idololatriæ ſimulatione detioetur, prorſus cum religioois hoſte conferre non auſim. Quanto enim quiſque eſt alienior à Chriſto, ab eo nos quoque magis abhorrere decet. Quam autem mihi deſcribis, certum eſt à profeſſis hoſtibus longo intervallo diſtare. Qui ad Baptiſmum Papalem tot pravis ſuperſtitionibus ſœdatum liberos ſuos offert, culpa non vacat. Atque id, ni fallor, inter incommoda recito, quibus pii homines ſtimulari debent ad migrandum. At Melanchthon & Martyr noo probibent: modo deteſtetur ille quiſquis erit, quæ pugnant cum Chriſti inſtitutione. In eo nihil eſſet abſurdi: niſi quod ad certam mortem paratum eſſe oportet, qui hoc audebit. Et tamen ſic eorum quos nominas, reſponſa probo, ut in ſingulis partibus ooo ſubſcribam. Luſoriam Baptiſmi imitationem pro mero ludibrio, ut eſt, habendam cenſeo. Baptiſmus tameo Papiſtarum, utcunque mille ludibriis ſcateat, efficaciam ſuam retinet: quatenus io hunc finem adminiſtratur, ut ex Chriſti mandato recipiant fidelium liberi ſignum adoptionis. Video enim Circumciſionem multis ſuperſtitionibus vitiatam, nihilominus pro gratiæ ſymbolo habitam fuiſſe. Quod objicis, in conventu piorum debere Baptiſmum celebrari, noo obſtat quominus io idololatrarum cœtu adminiſtratus valeat. Nam quum docemus quid fieri deceat, ut purus ſit Baptiſmus, omnique inquinamento vacuus, non abolemus Dei inſtitutionem, etiamſi eam idololatræ corrumpant. Porro ioter illas Papalis Baptiſmi corruptelas manet aliquid Dei proprium. Deinde ſic Papiſtis detrahimus Eccleſiæ nomen, ut tamen illic quaſdam manere reliquias Eccleſiæ non negemus. Certe quum Joſias & Ezechias ex toto Iſraële colligerent qui defecerant à Domino, ad alteram Circumciſionem eos minime vocaruot. Et quum Templum ipſum variis ſacrilegiis pollutum foret, Circumciſio tamen valere non deſiit. Ergo utcunque peccare eos dicam, qui illic ſuos liberos ad Baptiſmum offeruot: non tamen Baptiſmum protinus nullum eſſe ſentio, in quo nota aliqua divinæ inſtitutionis, etſi multis alioqui maculis fœdata, apparet. Qui ab externa idololatriæ profeſſione non abſtinent, non audeo ſimpliciter damnare, etiamſi fidem ſuam diſſimulent periculorum metu. Nam quum videamus pios qui inter perſequutiones latueruot, probatos fuiſſe Deo, plus à nobis exigi fas non eſt. Neque tamen is ſum qui torpori eorum indulgeam. Quin potius hortabor, ut in omnes profitendæ ſuæ fidei occaſiones intenti ſint: neque impiorum apertas io Deum blaſphemias ſic taciti audiaot, ut annuere videaotur. Legem tamen imponere non audeo, quatenus progredi neceſſe habeant. Qui vero interim dum ſacra peraguotur, in templis aoimi gratia obambulant, quoſcunque prætextus obtendant, nullam excuſationem merentur. Præterquam enim quod ipſa delectatio quam ex tali ſpectaculo capiunt, parum eos Dei probris affici oſtendit: in hanc offenſionem temere incurrunt apud multos, quaſi religionis potius quam ſuperſtitionis contemptu id faciant. Quare hanc licentiam merito improbo, quæ quum à ſimulatione idololatriæ non multum diſtat, tum profaoum neſcio quid magis quam Chriſtianum ſapit.

Ultima quæſtio de carnis reſurrectione quam tibi à
me expediri tantopere deſideras, etſi apud me oon
multum habeat difficultatis, plus tamen temporis &
operæ requirit. Colligendi enim & accurate expli-
candi eſſent plurimi Scripturæ loci qui ad eam rem
pertinent, ſi argumentum penitus excutiendum ſuſ-
ciperem. Ego vero noo tam vitandi laboris cauſa,
quam quod curioſa magis quam utilis hæc quæſtio
videtur, brevitate ipſa teſtari malo, nihil magis
quam ſobriam ejus tractationem placere. Manichæo-
rum delirium refutandum obiter: qui carnem reſur-
recturam negant, quia immunda eſt. Quod res tibi
incredibilis videtur hujus carnis reſurrectio, nihil
mirum. Quod autem hac ratione permotus, ſufficere
ſtatuis, ſi credas novis corporibus aliquando nos eſſe
induendos, boc à Scripturæ doctrina eſt alienum.
Principio vox ipſa reſurrectionis, præſertim quum
carni adſcribitur, aliud ſonat. Hæc enim eſt pro-
Rom. 8. miſſio, Qui ſuſcitavit Chriſtum à morte, vivifica-
bit & mortalia corpora veſtra, propter Spiritum
Philip. 3. Chriſti in vobis habitantem. ſic alibi, Reformabit
Chriſtus abjectum corpus noſtrum, ut fiat confor-
me corpori ſuo glorioſo. Certe his corporibus ounc
putredini obnoxiis, nominatim promittitur immor-
talitas. Frigidæ ſunt voces iſtæ: corruptibile hoc
induet incorruptionem. Non poſſet expreſſius lo-
qui, inquit Tertull., niſi cutem ſuam manibus te-
neret. Argumentum à contrariis, Si mors hujus car-
ois ab Adam: Ergo ejuſdem carnis reſurrectio à
Chriſto: quia nos à corruptione inſtaurat. Citandus
Eze. 37. Ezechielis locus, qui continet reſurrectionis typum.
Occidit Deus & vivificat: quid, niſi quod erat mor-
tuum? Quod rident Athenienſes reſurrectionem
à Paulo prædicatam, hinc colligimus qualis fuerit
prædicatio. Riſus ille ſanæ intelligentiæ confirma-
tio eſt piis. Metuite eum, qui poteſt animam & cor-
pus perdere in gehenna. Quod corpus? Nempe quod
occidunt tyranni. Ab uſu Sacramentorum rite pro-
batur carnis reſurrectio. Baptiſmus non animam
tantum, ſed carnem quoque ſanctificat. Cœnæ par-
ticipatio ad cæleſtis vitæ fiduciam nos invitans, ad
ſenſus etiam corporales dirigitur. Locus ex 8. ad
Rom. capite conveniet, præcipue ubi loquitur de
2Cor. 4. redemptione corporis. Mortificationem Chriſti cir-
cumfereotes, ut & vita Chriſti in corpore noſtro ma-
nifeſtetur. Tertull. Arrhabonem reſurrectionis no-
ſtræ in cælum vexit. Ergo negent eum in cælo eſſe,
qui nos reſurrecturos negant. Niſi nos corpore ſuſ-
citat Deus, mortuos non ſuſcitat. Enoch & Eliam
corpore & anima ſervatos, vocat Tertull. candida-
tos futuræ immortalitatis. Deinde fideles, non tao-
tum vocantur Dei templa: ſed hoc honore eorum
1 Cor. 6. corpora inſigniuntur. Similiter dicuntur & membra
Chriſti. Porro templa Spiritus & membra Chriſti
ſine ſpe inſtaurationis in putredinem abire, nimis ab-
ſurdum eſt. Quin etiam eodem loco ſatis declarat
Paulus hæc eſſe corpora, quibus cæleſtem æternam-
que gloriam deſtinavit Deus. Præterea citantur bo-
mines ad tribunal Chriſti, ut referat quiſque ſecun-
dum ea quæ per corpus geſſit. Atqui minime con-
venit rependi nobis in adventitiis corporibus præ-
mium operum, quibus peragendis hæc quæ nunc
geſtamus, fuerunt inſtrumenta. Pauli ſcilicet cor-
Philip. 1. pus in quo illuſtratum fuit Dei nomen, honore pri-
vabitur, & corpus aliunde conflatum martyrii glo-
ria coronabitur? Hue accedit quod Chriſtus, in quo
non vivam modo imaginem habemus futuræ ooſtræ
reſurrectionis, ſed etiam pigous, corpus quod exue-
rat reſumpſit. Ad boc exemplar conformari nos
oportet. Alioqui non diceretur proprie, ſicuti dici-
1 Cor. 15. tur, primitiæ reſurgentium. Et certe quos ſuperſti-
tes inveniet dies ille, ſubita immutatione in iiſdem
corporibus reſurgent. Si diverſam eſſe noſtri ratio-
nem excipias, illud Pauli tibi regero, Non omnes
quidem dormiemus, ſed omnes immutabimur. Si in
omnes competit immutatio, certe hæc ipſa caro re-
novabitur. Et quid clarius his verbis deſideres?
Oportet corruptibile hoc induere iocorruptionem.
Neque repugnat, quod aliam fore carnem ibidem
Paulus docet. ad qualitatem enim hoc refert. Neque *1 Cor.* 15.
aliud ſibi vult, quam quod aliis verbis poſtea tradit:
ut abſorbeatur quod mortale eſt à vita. ideo dicun-
tur corpora ſanctorum è ſepulchris reſurrexiſſe. *Mat.* 27.
Quo modo illi exierunt è monumentis, nos quoque
proculdubio Dominus educet. Itaque Iſaias quum ſub *Iſa.* 26.
reſurrectionis imagine populi reſtitutionem depin-
git, Surgite, inquit, habitatores pulveris. Neque
aliter Chriſtus: Mortui qui in ſepulchris ſunt, vo- *Joan.* 5.
cem filii Dei audient. Quod non ſtaret, niſi receptis
cadaveribus reſurgerent. Quod etiam exprimit illic
Iſaias, quum dicit, Vivent mortui tui, cadaver meum
reſurget. Unde & dormitionis nomen fluxit: quod
ſignificatione careret, niſi veluti è ſomno corpora
expergefiant. Falſum enim eſt, quæ humo condun-
tur corpora, dormire, ſi nova illis conſumptis crean-
da ſunt. Quin etiam ſi corpora quibus nunc circum-
damur, non reſurguot, ſuperſtitioſus fuit ab ioitio
mundi ſepeliendi ritus: quem tamen divinitus fuiſſe
traditum extra controverſiam eſſe debet, ut ſymbo-
lum eſſet futuræ reſurrectionis. Et ſane ſi creatio
novi corporis ſperanda foret, non hujus quod nunc
incolimus inſtauratio: fruſtra optaret Paulus, ut ſpi- *1 Theſſ.* 5.
ritus & anima ac corpus inculpata ſint in diem Do-
mini. Eodem & altera exhortatio pertinet, ut nos *2 Cor.* 7.
mundemus ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.
Nam ſi hæc caro peccati ſordibus inquinatur, ſor-
dium ſuarum pœnam ſuſtineat neceſſe eſt. His te-
ſtimoniis ſic acquieſco, ut diverſis cogitationibus ad
quatiendam fidem meam aditus non pateat. Atque
hæc tibi ſatisfactura ſpero, niſi meotem tuam nimis
occupatam reperiant: quod & à pietate & modeſtia
tua procul abeſt. Sed tamen leniter pro noſtra ami-
citia monendum te cenſui, quia nuper quum te audi-
rem, ſubverebar, ne altiores apud te radices egiſſet
hæc opinio, quam ut facile eam abjiceres. Cæterum
ingenii tui dexteritate confiſus, ea digito monſtrare
ſatis habui, quæ apud hominem minus acutum aut
exercitatum ulterius proſequutus eſſem. Vale eximie
vir & frater mihi in Chriſto Domino chariſſime.
Saluta meo nomine diligenter hoſpitem tuum, D.
Pellicanum & reliquos. Dominus Jeſus tibi ſemper
adſit, teque Spititu ſuo gubernet.

VIRETUS CALVINO S.

QUæ mihi uno multorum ore, eorumque graviſſ. teſtium, de tui animi conſtantia ac fortitudine nunciantur, io hoc tam acerbo familiæ tuæ vulnere, luctuque domeſtico, faciunt ut mihi apud te opus eſſe gratulatoriis quam conſolatoriis literis potius exiſtimem, atque eo magis, quo penitius novi animi tui, ut ipſe appellas, teneritudinem. Hoc enim potius nomine, quam mollitiei, eſſe appellandam cenſeo. Nam id neutiquam mollis animi opus eſt, quod præſtas. Quo fit ut magis mirer vim in te agentem divini illius Spiritus, qui ſe vere conſolatoris dignum cognomine in te palam facit. Annon merito illius in te vim agnoſcam, tam forti ferente animo domeſticos caſus, quibus nihil tibi acerbius privatim contingere potuit aut propius attingere, qui ad alienas calamitates ita commoveri ſoleas, earumque ſenſu haud ſecus afficiare, atque ſi tua ipſius res ageretur? Non eſt vulgaris, crede mihi, hæc tua virtus, neque vulgare teſtimonium divinæ erga te benevolentiæ. Quo fit ut me mei vehementer pudeat, quod olim in conſimili caſu non præſtiterim eandem animi fortitudinem, aut ſaltem umbram ipſius ſim aliquam aſſequutus. Adeo totus abjectus & proſtratus fui eo calamitatis telo, ut totus orbis nihil mihi niſi mera ſolitudo

litudo videretur. Nihil erat ſuave, nihil quod animi dolorem lenire poſſet. Ego me frequenter apud memetipſum accuſabam, quod mihi mollius longe ferre viderer meum dolorem, quam deceret, non dico eam duntaxat perſonam quam ſuſtineo, ſed virum qui vel à primo limine philoſophiam illam cæleſtem ſalutarit, cujus me non ſolum diſcipulum, ſed aliorum doctorem profitebar: quodque iis neſcirem, in illo meo morbo, remediis uti, quæ aliis ſuppeditare ſoleo, quos iis video indigere. Tu vero contra, tantum abeſt ut frangaris debiliteriſque animo, ut potius cæteros longe reddas tuo exemplo fortiores, quando quod aliis præcipere conſueviſti, te quoque facere poſſe teſtaris: utpote qui noo ſolum quum valeas, noris certa ægrotis conſilia dare, ſed ab iis quoque æger remedia petere, ac idem ſentire quod valens & ſanus. Mirifice & incredibiliter me recrearunt, oon inanes tantum rumores, ſed tam multi nuncii, qui narrarunt te tam infracto pectore, ac tam dextre, imo & felicius quam hactenus unquam omnia procuraſſe quæ tui ſunt officii, ac tam ubique ſemper fuiſſe præſenti animo in cooventibus veſtris, in concionibus, in omnibus denique negotiis cum privatis tum publicis, ut omnes magna ceperit admiratio: idque eo potiſſimum tempore, quo recentior ac proiode acerbior tuum animum dolor lancinare ac proſternere debuit. Perge igitur quo cœpiſti pede, ac tu te ita gerito, ut hanc omnibus de te confirmes opinionem, boc luctu adeo de ſua ſede aoimum non deturbari tuum, quin ſemper tibi adſit præſentiſſime: neque ſie te dolore impediri, quin ea omnia facile perſpicias, quæ ad te conſolandum aliquid poſſunt habere momenti. Hoc autem ut efficias, utque ſubiode conſtaotius io hoc perſeveres propoſito, & magis atque magis confirmere, majuſque in dies percipias ſolatium, ardentiſſimis votis Dom. expoſco. Quid eoim aliud conferre poſſum? Nam oeque tanta eſt mea auctoritas, oeque tam acutæ rationes, quibus te à mœrore luctuque deterrere poſſim aut revocare, oiſi boc tibi ſua ſponte tua ſuppeditaret inſtitutio, & confirmatus in ferenda cruce animus, & divinæ bonitatis exuberantiſſimus io te favor, cujus reliqua omnia munera ſunt, quibus te affatim Dominus cumulavit. Quamobrem non ero bac in parte longior. Quin potius metuo ne hæc oimis ſint apud te multa. Salutat te uxor officioſiſſime, quæ non vulgarem concepit dolorem ex chariſſimæ ſororis obitu, quæ mecum eam calamitatem nobis omnibus communem exiſtimat. Mihi vehementer dolet, quod mihi non datur tuo præſenti frui cooſpectu. Quæcunque me rationes impediant, ſi te cupere intellexero, crede mihi, tua ſolius voluntas, omoes difficultates ut ſuperem, facile efficiet. Salutant te Collegæ & reliqui omnes fratres officioſiſſime, inter quos & Franciſcum Viviacenſem anoumera, qui nuoc bic eſt, & qui tibi ſuo nomine ſalutem quoque adſcribi juſſit. Saluta domeſticos & reliquos amicos ooſtros, meo præſertim nomine Gallaſium, Bezam, Ottomannum: cui & Franciſcus ſalutem dicit. Vale. Lauſanoæ, 10 Aprilis. M. D. XLIX.

Tuus Petrus Viretus.

CALV. FARELLO S. D.

PArum abfuit, quin privignus meus ſine ullis ad te literis iſtac tranſiret. Tempus enim ſcribendi inter coocionem & prandium mihi conſtitueram. Atqui certamen nobis fuit in Seoatu, leve illud quidem & momeoti ioſtar caducum: ſed tamen in quo tempus illud, quod literis meis deſtinaveram, conſumpſimus. Factio, quam noſti, calumniam ſtruxerat, Antonio Pigneto doce, quæ noſtram libertatem in concionibus valde minueret. Ut ſcias, quid ſit conſilii & animi apud nos: decretum erat, ut nos omnes admonerent [illegible], ne in vehementia pergeremus. Vicerat pars deterior, niſi in arenam progreſſi eſſemus. Ita cauſam egimus Chriſti noſtri auſpiciis, ut boſtium quoque nos puderet: hoc negotium me ultra decimam exercuit. Quod ſi mihi liber fuiſſet totus dies, neſcio tamen quid ſcribere debeam. Vale frater & amice integerrime. Dominus tibi adſit ac benedicat ſanctis tuis laboribus perpetuo. Saluta diligenter noſtro omnium nomioe fratres, & familiam. 19 Martii.

Quod ad noſtram velitationem, proſpere ſucceſſit. Pignetus ex urbe ejicitur. Senatus ad ſcortationum liceotiam coërcendam egregie animatur. Fracti adverſarii non ſine magna ignomioia.

CALV. AMED. PERRINO CAPITANEO.

LUbenter te conveniſſem, D. Capitanee, niſi aliter expedire mihi viſum eſſet: cauſam ſuo tempore & loco audire ex me licebit. Optaſſem vero ut te ſtitiſſes conſiſtorio, quo aliis exemplo præires. Quum in eo aliquid deſideratum ſit, quod tu fortaſſe admonitus non eſſes, optaſſem ſaltem te ad extremam concionem adeſſe hodie, ut illic Syndicus Corneus & ego tecum ageremus. Unde ſteterit, non video: illud vero te exiſtimare volo, non poſſe nos uti pondere ac pondere, atque impari bilance: & ſi in jure æquabilitas retinenda eſt, non poteſt ſane in Ecelesia Dei inæquabilitas tolerari. Quis ſim aut ipſe ſcis, aut ſcire ſaltem debes: is nempe cui ita cordi ſit jus cæleſtis heri, ut ab illo recta conſcientia afferendo nullius mortalis cauſa dimovendus ſim. Alio te ſpectare ipſe non ſentio: ſed illud adverto, io ſua cauſa parum oculatum quemque eſſe. Quantum ad me attinet, in boc quidem negotio non tantum Eccleſiæ ædificationi & ſaluti tuæ, ſed etiam commodo tuo, nomini & otio conſultum cupio. Quam enim odioſum erit quod in te redundaturum eſt, quaſi à jure communi, quo nemo non tenetur, liber & ſolutus eſſes. Præſtat vero pro meo in te ſtudio periculum prævertere, quam ut illa tibi nota infligatur: ſane audivi quod ex domo tua prodierit, caverem videlicer, ne ignem ſopitum excitarem, ne perinde atque ante anoum ſeptimum hoc cedat. Sed oullius ſunt momenti voces illæ apud me. Neque eoim Geoevam redii vel otii vel quæſtus cauſa, neqoe rurſum mihi dolendum erit quum Geneva erit egrediundum. Commodum, & ſalus Eccleſiæ & Civitatis mibi redeundi animum dedit. Ac ſi de me uno ageretur nunc, omnibus ſemel dictum vellem quibus moleſtus eſſe videor, Quod facis fac citius. Atqui non efficiet illa quorundam indignitas & iogratus animus, ut officio deſim, atque ſtudium illud erga hunc locum ad extremum ſpiritum deponam, cujus Deum auctorem habeo. Neque unquam alieni hominis affectum admittam, ut corpore abeſſe deinde contingat. Iſta ad te non ſpectant, ſed ad proximum à te ex tuis ipſis. Neque etiam ut jurgia ſpargantur, hæc ſcribo, ſed ut conſtet qua conſtantia perrecturus ſim, quicquid accidat. Te vero in primis tibi perſuadere velim, primariam illam virtutem tibi affectandam eſſe, ut Deo obedias & ordinem communem atque politiam Eccleſiæ obſerves. Dominus te præſidio ſuo tueatur, tibique patefaciat, quantum verbera etiam certi amici præſtent proditoriis aliorum blanditiis. Vale.

Ex Gall.

Tibi addictus & ex animo frater J. Calvinus.

VALENTINO PACÆO DOCTORI LYPSICO.

QUod me dignum exiſtimaſti, cujus amicitiam ultro appeteres; in eo me tibi valde obſtrictum eſſe ſentio, ac libeuter profiteor. Nunc quod mearum eſt partium, ſaltem io mutuo amoris affectu paria tecum facere conabor. Scripta vero mea tibi probari, cum ego mibi gratulor, tum Eccleſiæ nomine gaudeo. Nam & quia tali viro placent, non pœnitenda eſſe ſtatuo: & ſimul futurum ſpero, ut multi judicium tuum ſequuri, aliquem ex lectione fructum capiant. Nec vero hoc à me vel ambitioſe vel arroganter dictum accipias. Nam ſicuti vel nullo baberi loco, vel nomen meum penitus ſepultum latere facile patiar: ita certe non alio conſilio ſcribo, niſi quia profuturos ſpero meos labores. Quod ſi quis inde provenire fructus poteſt, eum quam latiſſime ſpargi cupio. Verum de me plus ſatis. Quoniam Satanæ miniſtros oon dubitamus ſedulo conatus ſuos iſtic perſequi, anxie veremur ne jam à priore ſtatu Eccleſiæ veſtræ deflexerint. Præterquam enim quod improbos videmus miris artibus pollere, & pugnando non fatigari: in parte noſtra nihil fere prudentiæ, animorum etiam minus. Utinam in retinenda ſaltem doctrinæ puritate adverſarii nos ingenuos, ut decebat, & cordatos ſeotirent. Sed tantum abeſt, quin hæc in vulgo conſtantia appareat, ut in ipſis quoque ducibus fœda perfidæ defectionis exempla ubique appareant. Quanquam ſi fideliter partibus noſtris defungi velimus, ultra progredi neceſſe eſt. Quorſum tendant adulterini iſti ritus, quos nobis ingerunt profeſſi Chriſti boſtes, nemini eſt obſcurum: nempe ut claram doctrinæ lucem obruant, ut vitient ſincerum Dei cultum, ut quædam ſint oppreſſæ veritatis trophæa. Quum olim clandeſtinas inſidias piorum libertati ſtruerent aſtuti homines, Paulus ne ad momentum quidem illis cedere ſuſtinuit. Gloriatur Paulus, ne in uoius quidem hominis circumciſione quidquam ſe dediſſe improbis: quo libertas apud Geotes integra maneret. Nos bodie taciti & amentibus ſimiles innumera ſuperſtitionum colluvie Eccleſiam Dei oppleri obruique feremus? Sed περὶ τῶν ἀδιαφόρων pertinaciter litigandum eſſe, negant graves & pii homines. Mi frater, quam vereor, neque abs re, oe iſta ἀδιαφορία magnam ac luctuoſam nobis διαφορὰν brevi pariat. Et ſane dolendum eſt, homines quoſdam ita in rebus mediis, ſine delectu ac modo, extendere libertatem, ut fidei unitatem lacerent: ſic promiſcua facere omnia, ut ſacrum Dei cultum exoticis quibuslibet corruptelis ſecure corrumpant. Ut libere dicam, quod pro tua prudentia non ignoras, jam iſtic plus ſatis fæcium erat in ceremoniis. Unde, antehac nihil reſectum fuiſſe apparet, niſi quod hominibus plus æquu ad indulgentiam propenſis tolerabile non fuerat viſum. Ut concedam fœtidas illas ſordes, quibus purgatæ fuerunt veſtræ Eccleſiæ, in rebus mediis poſſe cenſeri: earum tamen reſtitutio eritne res media? Quanquam parum verecunde facere mihi videntur illi, qui res omnes externas ſic indifferentes habent, ut cæleſtibus Dei oraculis, & ſanctæ Cbriſtianiſmi profeſſioni indifferenter feraot quævis miſceri ludibria. Si mihi cum rudi aliquo & gregario bomine eſſet negotium, exemplis quam id abſurdum ſit oſtenderem. Apud te vero genus ipſum artigiſſe ſufficit. Huc accedit, quod doctrinam ipſam, licet diſſimulanter, his ſtrophis involvunt. Nam ubi Baptiſmum & ſacram Cœnam fœdarunt indignis corruprelis, ut parum ab hiſtrionicis ineptiis differaot: confirmationem & extremam unctionem admittunt. Quorſum? Ut ſeptem numerentur Sacramenta. Alias ſpecies apud bominem peritum non enumero. Verum, ut ſolis ceremoniis agatur, delectum tamen adbibendum cenſeo, ne quid admittamus vel à recto Dei cultu alienum, vel quod Euangelii claritatem obſcuret: deinde ne facilitas noſtra hoſtibus inſultandi malitiam præbeat. Hic ſtandum eſt, meo judicio, etiamſi decem mortes nunc ſint oppetendæ. Quo turpior eſt multorum igoavia, qui aotequam inſtet vitæ dimicatio, vel illecebris deliniti, vel cæco metu perculſi, vel neſcio quibus minis territi, ſtationem ſuam flagitioſe deſerunt: & tameo noo deſinant ſuggeſtum occupare, unde Chriſtum ejuſque doctrinam & Eccleſiæ ſalutem ſcelerata perfidia, doctorum nomine larvati prodant. Vides, eximie vir, ut benevolentia erga me tua fretus noominus familiariter in ſinum tuum quæcuoque ſentio, depooere audeam, quam ſi interior longique temporis conſuetudo tecum mibi intercederet. Atque hinc judicium facere potes, quantam habuerim literis tuis fidem. Vale eruditiſſime vir, frater & ſymmyſta mibi ex animo colende. Dominus te Spiritu ſuo regere pergat, tuoſque labores benedicat in Eccleſiæ ſuæ ædificationem. Saluta revereoter meo nomine D. Eraſmum Sarcerium, D. Joachimum Camerarium, D. Rbeticum & alios amicos. Collegæ mei & reliqui fratres vobis plurimam ſalutem dicunt, veſtri in precibus ſuis memores. Genevæ, 13. Calendas Julii. M. D. L. D. Philippi ideo nullam feci mentionem, quia illi ſeorſim ſcribo. Si babes qui Argentoratum veniant, illuc tuto poteris literas tuas deſtinare. Aut Wendelinus Richelius typograpbus, aut Joannea Sturmius libenter mihi reddendas curabit. Si tibi quiſpiam Auguſtæ fidelis amicus erit, is Bernam commode mittere poterit ad Muſculum. Inde ad me perferentur.

Joannes Calvinus ex animo tuus.

CALV. MELANCHTHONI.

DIcebat olim Satyricus ille, Si natura negat, facit indignatio verſum. Mihi nunc longe ſecus accidit. Adeo enim me diſertum non facit præſens dolor, ut fere elinguem potius reddat. Præterquam enim quod me verborum facultas ad exprimendum animi affectum deficit, ſola rei de qua ſcripturus ſum cogitatione fractus prope obmuteſco. Me itaque gemere potius quam loqui exiſtimes velim. Quaotopere Cbriſti hoſtes exhilarent veſtra cum Magdehurgenſibus certamina, ex illorum ludibriis ac ſannis plus ſatis notum eſt. Fœdum certe ac deteſtabile, Deo primum & Angelis, deiode toti Eccleſiæ ſpectaculum præbent. Hic, mi Philippe, etiam ſi nulla in te culpa bæreret, prudentiæ tamen atque æquitatis tuæ foret, vel ſanando malo remedium, vel mitigando levamen ſaltem aliquod excogitare. Sed ignoſce, ſi ego non omni te prorſus culpa libero. Atque hinc conjecturam facere potes, quam gravia ſint aliorum de te judicia, & quam ſiniſtri odioſique ſermones. Patere interea, mi Philippe, ut in libera admonitione veri amici officio fungar: ac ſi paulo acrius tecum agam, oe quidquam ideo ex veteri mea io te benevolentia atque obſervantia imminutum putes. Etſi iſtud tibi novum vel inſolens non erit, me ruſtica potius ſimplicitate offendere, quam adulatorie in ullius hominis gratiam loqui. Ego etiam, quia viciſſim expertus ſum, tibi nihil eſſe ingenuitate gratius, mious anxie laboro, ne moleſte feras à me reprehendi, ſi quid jura diſplicet. Cupio equidem tua omnia ſine exceptiooe & mihi probare, & aliis. Sed ego te nunc apud teipſum accuſo, ne iis qui abſentem damnant, cogar ſubſcribere. Hæc tuæ defenſionis ſumma eſt: modo retineatur doctrioæ puritas, de rebus externis non eſſe pertinaciter dimicandum. Atqui ſi verum eſt, quod pro certo paſſim aſſeritur, tu res medias & indiffereotes nimis longe extendis. Cultum Dei mille modis apud Papiſtas adulteratum non ignoras.

Digitized by Google

ignoras. Corruptelas quæ minime tolerabiles erant, ſuſtulimus. Nunc impii, ut de ſubacto Euangelio triumphum agant, eaſdem jubent reſtituere. Si quis recuſare oon dubitet, hoccioe pertinaciæ adſcribes? Id vero à tua modeſtia quam alienum ſit, novit. Tu ſi ad cedendum fuiſti mollior, id tibi vitio à multis verti, non eſt quod mireris. Adde, quod eorum quæ tu media facis, quædam cum Dei verbo manifeſte pugnaot. Nimis præciſe ſortaſſis quædam alii urgeot, atque ut in contentionibus fieri ſolet, odioſe quædam exagitant, quibus non ineſt tantum mali. Verum ſi quid io rebus diviois intelligo, tam multa Papiſtis abs te concedi non oportuit: partim quia laxaſti quæ verbo ſuo Dominus adſtringit, partim quia proterve Euangelio inſultandi materiam dediſti. Quum circumciſio adhuc licita eſſet, annon vides Paulum, quia verſuti ac malitioſi aucupes inſidias piorum libertati tendebant, illis profectam à Deo ceremoniam pertinaciter negare? Itaque ne ad
Gal. 2. momentum quidem ſe illis ceſſiſſe gloriatur, quo Euangelii veritas integra maneret apud Gentes. Hodie vero non de circumciſione nobis moleſti ſunt hoſtes: ſed ne quid ſincerum oobis relinquant, putidis ſuis fermentis & doctrinam & omnia pietatis exercitia inficiunt. Quod Magdeburgenſes dicis tantum de linea veſte rixas movere, quorſum pertineat, non video. Lineæ enim veſtis uſum cum multis ineptiis, tam apud vos quam apud illos hactenus retentum fuiſſe arbitror. Sed profecto craſſioribus te corruptelis manum dediſſe, quæ aperte ad vitiandam totius doctrinæ puritatem, & labefactandum Eccleſiæ ſtatum tendunt, paſſim fremunt boni & religioſi homines. Si forte quod tibi aliquando dixi, oblitus es, nunc io memoriam revoco: nimis carum eſſe nobis atramentum, ſi ea literis teſtari dubitemus, quæ tot ex medio grege martyres quotidie ſanguine ſuo obſignant. Atque ita quidem loquebar, quo tempore longius à telorum jactu abeſſe videbamur. Nunc quum nos in arenam Dominus protraxerit, eo virilius oos eniti decebat. Alia, ut noſti, tua eſt quam multorum conditio. Plus enim ignomioiæ ducis vel anteſignani trepidatio, quam gregariorum militum fuga ſuſtinet. Ergo ut aliorum timiditati parcatur, niſi æquabile invictæ conſtantiæ exemplum oſtendas, vacillatiooem io tanto viro non ferendam eſſe omnes dicent. Itaque plures tu unus paululum cedendo, querimonias & gemitus excitaſti, quam centum mediocres aperta defectione. Quanquam autem certo perſuaſus ſum, te mortis formidine nunquam compulſum fuiſſe, ut à recta linea vel minimum unquam deflecteres: fieri tamen potuiſſe ſuſpicor, ut animum tuum alia timoris ſpecies percelleret. Scio enim, quantopere iohumani rigoris crimen horreas. Sed memineris oportet, non majorem Chriſti ſervis famæ quam vitæ rationem eſſe habendam.
2 Cor. 6. verſ. 8. Neque enim Paulo meliores ſumus, qui per infamiam & probra ſecure perrexit. Nos cenſeri præfractos ac tumultuoſos homines, quibus magis libeat in totius orbis exitium ruere, quam ad moderatiooem aliquam deſcendere, acerbum id quidem & durum eſt. Sed jampridem ad voces illas occalluiſſe aures tuæ debuerant. Nec vero vel mihi tu ita male notus es, vel ego tibi adeo ſum iniquus, ut te ab aura populari, ambitioſorum more pendere arbitrer. Sed noo dubito, quin te illæ interdum punctiones debilitent, Quid? an prudentis & conſiderati hominis eſt, Eccleſiam ſcindere ob res minutas & prope frivolas? Annon tolerabili aliquo incommodo pax redimenda? Cujus dementiæ eſt, ſic ad extremum tueri omnia, ut totius Euangelii ſumma negligatur? Olim quum hæc & ſimilia ab aſtutis hominibus ſpargerentur, te plus juſto moveri ſolitum, animadvertiſſe mihi videor, ac ingenue tibi aperio, ne quid vere divinam animi tui magnitudinem impediat, qua te alioqui abunde inſtructum eſſe ſcio. Hujus meæ vehementiæ non obſcura tibi ratio eſt, quod tecum mori centies malim, quam traditæ abs te doctrinæ videre te ſuperſtitem. Neque hoc dico, quaſi vel periculum ſit, ne unquam tuo miniſterio patefacta Dei veritas iotereat, vel tuæ perſeverantiæ ullo modo diffidam: ſed quia nuoquam ſatis ſollicite cavebis, ne quam captant impii cavillaodi occaſionem, ex tua facilitate arripiant. Dabis veniam quod miſerabiles iſtos quamvis irritos gemitus in ſinum tuum exonero. Vale clariſſime vir & mihi ſemper ex animo obſervande. Dominus te Spiritu ſuo regere pergat, virtute Spiritus ſui ſuſtentet, præſidio ſuo tueatur, Amen. Saluta quæſo meo nomine amicos, ſi qui iſtic erunt. Hic plurimi ſuot qui te reverenter ſalutaot. Multi enim vitandæ idololatriæ cauſa ad nos in voluntarium exilium ex Gallia profugiunt.

CALV. FARELLO S. D.

BInas abs te literas paucis abhinc diebus accepi. Priores attulit hic noſter Raymundus, alteræ mihi à fratre meo ſunt redditæ. Verum jam aote Raymundi adventum abierat Viretus. Ad eum igitur utraſque miſi, ut ipſe quoque ad eas quod viſum fuerit reſpondeat. Fratres, ſicut dicis, commendemus Domioo, quando aliud reſtat nihil. Cæterum hoc tempore de impetraoda fratribus illioc aliqua levatione fruſtra cogitaremus: niſi ſorte novi quidpiam acciderit: quod nondum deſpero. Itaque imminere occaſioni ſtatui. Sed adduci nequeo, ut ſatagam aote tempus. Ecce etiam de eo qui Gratianopoli tenebatur, triſtem ouncium à fratre tuo Claudio audies: cujus literas ad te mitto. Quod me tantopere hortaris, ut iſtuc cum Vireto quamprimum veniam: ego vero tibi non concedam, hoc tibi magis eſſe in votis quam mihi. Sed una eſt ſuſcipiendæ profectionis ratio, ſi Viretum Bernam uſque comiter: quod facere tentabo. Sin vero hæc ſpes me & illum fruſtrabitur: dimidium ſaltem ejus quod optas aſſequêris. Imo plus dimidio. Nam me aliqua ex parte ſecum feret. Conſilium interea fratribus non poſſum aliud dare, oiſi ut collegam tuum coram Magiſtratu admoneant, ut ſe patiatur in ordinem redigi. Quod ſi pervicaciter recuſare inſtiterit, denuncient ſibi non eſſe loco fratris, qui communem diſciplinam contumacia ſua perturbet: ſemper hoc in Eccleſia valuit, quod veteribus Synodis fuit decretum, ut qui ſubjici communis diſciplinæ legibus noluerit, munere abdicetur. Neque hic quærenda eſt hominum auctoritas: quum Spiritus ſanctus de talibus pronunciaverit, Eccleſiam non habere morem *1 Cor. 11. verſ. 16.* contendendi. Valere ergo ipſum jubeant, qui communis ſocietatis jura reſpuit. Noo puto eo uſque Satanam iſtic aut alibi uſquam valiturum, ut tantæ unius hominis proterviæ iodulgeatur, contempto fratrum omnium judicio: quod importunitate ſua vobis ipſe tandem extorſerit. Cæterum eventum gubernabit Deus. Utcuoque cadat, veſtrarum tamen partium omnino eſt, graviter hanc minime tolerabilem inſolentiam ſeveris remediis cohibere. Proderit tamen ſimul commemorare, quam improbe hactenus patientia lenitateque veſtra abuſus fuerit: ne ad contentionem ſubito proſiliiſſe videamini. Vale frater integerrime & amice optime. Fratres omnes cum tua familia peramanter ſalutabis nomine meo. Dominus vos omnes conſervet.

CALV. FARELLO.

DE Carmelita quum ego conſultus eſſem à Vireto, ſtatim quid ſentirem reſpondi: ne amplius fratribus moleſtus eſſet. Alia omnia fruſtra mihi tentari videbantur. Nam ut accerſeretur fide publica, neque expedire cenſebam, nec unquam Bernatibus fuiſſet perſuaſum. Ante illis con-

conſuleres, nt tam projectæ impudentiæ cani darent maledicendi impunitatem? Nam ſi addita aliqua exceptione vellent reſtringere ejus licentiam, negaret ſibi eſſe tutum. Quin etiam non petit quia venire cupiat. Verum ſi poſſet obtinere, circumferret huc & illuc, & ſe jactaret apud imperitos, qui inde conjecturam facerent eum eſſe aliquem. Si noſſes ejus impudentiam, ſtatueres etiam proculdubio, magis hinc arcendum eſſe, quam fide publica evocandum, ut impune cum magno ſupercilio Chriſtum blaſphemaret. Nam centies victus, ſine fronte tamen triumphum canet. Inſiſtere, ut fide publica tutum illi acceſſum cures, nimis eſt ridiculum. Quo enim loco talem nebulonem eſſe putas? Hæc in meis ad Viretum literis & ſimilia longius ſum proſequutus. Facile autem fuit in meam ſententiam eum adducere, quum jam ſponte huc propenderet. Fratres etiam omoes libenter aſſenſi ſint. Cæterum quid Carmelitam moramur? quum nihilo mitius ſe gerat Capunculus veſter. Quum hoſtes tam procul quæris, videris oullos habere domi. Atqui potius hoc contenderem, ut iſte inſanus alio abigeretur. Tales ſi ſint hoſtes profeſſi, non adeo nocent. Nunc vero quum bellum intus gerant, hac laboramus difficultate, quod illis reſiſtere non poſſumus, quin concutiatur Eccleſia. Scripſit ad me nuper epiſtolam, cujus exemplar brevi, ut ſpero, ad vos mittetur, una cum fratrum noſtrorum expoſtulatione: unde iotelliges nihilo mitius me ab eo provocari quam à Carmelita. Verum ea epiſtnla nihil ad libellum, quem tandem è manibus emiſit, ut me ulciſceretur, quod non ex ejus ſententia vobis conſilium dediſſem Non exponam tibi fuſius quale ſit argumeotum, & qoanta dexteritate tractetur. Tantum propone tibi Capunculum illic loqui: nam tibi jam notus eſſe debet. Ego certe nunquam crediſſem tam inſulſum hominem eſſe, niſi ipſe teſtimonium, & quidem reipſa, de ſe reddidiſſet. Si è clauſtro ſuo veteri ſic ineptiret, ego ſuaviter riderem, quod profeſſi Chriſti hoſtes ſuam ſtoliditatem pueris quoque ipſis ita proderent. Nunc vero quum cogito, ejuſmodi monſtra incubare Eccleſiæ Dei, & quaſi in ſinu oostro dormire, temperare ſtomacho meo non poſſum, quin ebulliat. Quanquam priuſquam aliquid aggrediar, tuum conſilium ſuper ea re audire optarim: num expediat querimoniam deferre ad fratres. Certe ejuſmodi probra in eo ſcripto continentur, de quibus ſi jure egero, nemo tam iniquus erit judex, qui non vindicandam publica ignominia talem petulantiam cenſeat. Utinam daretur colloquendi facultas. Sed quia hoc non eſt, reſcribas mihi quamprimum velim, num cenſeas expedire, ut ego fratrum literis meas privatim adjungam. Jam communes illæ ſcriptæ ſunt. In conventu decrevimus mittendas eſſe. Ego meas incepi. Quanquam ego acriter pungo, fratres tamen nihilo ſunt blandiores. ſic tractandus eſt ille aſinus. Niſi enim bene pungatur, qua eſt ſtupiditate, oon ſentiet. Si tibi non contigerit fidus nuncius, nos tamen prima occaſione mittemus. Tuum poſtea erit conſilium, num illo præſente recitari debeant. Libellus meus de Cœna in Latinam linguam verſus eſt à Collega noſtro Pariſino. Joannes Giradus eum excudere ſtatuit. Ego tamen nondum annui; amabo te, ſignifices, num utile cenſeas hoc tempore publicari. Scis ut prudens nominatus ita incedam, ne graviter impingam in hanc aut illam partem. Fieri poterit, ut neutris ſatisfaciat. At cauſa non erit, cur aſperius quiſquam accipiat, quæ ſcribo. Omnes noſtri reverenter te ſalutant, Collegæ, familia noſtra, & Nicolai, quæ aucta eſt nuper fratris mei filiola. Bernardus quoque. David noſter ſcire cupit, num vetus ſodalis redierit: & quid de conjugio ſperetur. Vale frater mihi amiciſſime. Saluta meo nomine fratres & amicos omnes cum tota familia. Genevæ, 13 Decembris.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. FARELLO S.D.

DE rebus noſtris vix habeo quod ſcribam: quia mihi adeo ſunt obſcuræ, ut de exitu valde ſim perplexus. Fracti ſunt eorum animi, qui ſe aliquos eſſe jactabant. Multum ſe conſequuturos eſſe putant, ſi ille non poſſit omnia, qui niſi eorum ignavia nihil poſſet. Quotidie novæ occaſiones ejus domandi offeruntur: adeo omnes negligunt, ut dicas ſponte ſibi jugum accerſere. Nam quia ſibi mutuo non fidunt, quiſque de retinenda ſua ſtatione eſt ſollicitus. Interea nulla vox eſt libera. Nobis liceret tranquillis eſſe, ſi nihil moneremus. Sed dum videre cogimur, quæ ſi Romæ audiremus fieri, ſua indignitate reprehenſionem aliquam exprimerent, tacere quî poſſemus? Ego tamen, ut hortaris, dum retineodæ Eccleſiæ ſtuden, ipſe retineor, ne proſiliam ultra quam expediat. Vix octo dies nobis effluent abſque conflictu. Spero Dominum ita mihi adfuturum, ut tibi moderatio & æquitas, vel potius tolerantia mea probetur. Omnia enim oblivione devorabo, modo ne curſum regoi Chriſti interpellent, à quibus nunquam erit poſtulandum, ut adjuvent: quando eo prolapſi ſunt, ut reſipiſcentiæ nulla ſpes appareat. Libelli editio, quum pudorem multis incuſſiſſem, tandem permiſſa. Quin etiam exemplar ad me fuit allatum, ut fide mea judicioque excuderetur. Sed quum reputo quales inſultus fratribus noſtris ſuſtinendi ſint, videor mihi propemodum ſub umbra certare luſorium certamen. Argentinenſibus hoc modo reliquum erat, ut ab Epiſcopo inducias impetrarent. Bonus Toſſanus poſt diſceſſum Principis adhuc cum ſymmyſtis hæret, ne locum deſerant. Vale frater & amice integerrime. Dominus Jeſus tibi adſit perpetuo, te ſuſtineat, tuos labores benedicat. Saluta diligeoter fratres noſtros, Chriſtophorum, Michaelem, Satonum, Gaſparum & reliquos, totamque familiam. Collegæ mei vos ſalutant, & uxor, quæ ſe veſtris precibus commendat. Genevæ, 12 Decembr. M. D. XLVIII.

BUCERUS CALVINO S.D.

S. D. in Domino qui veſtras Eccleſias diu ſervet, ut vel alicubi vox pura ſonet Euangelii. Quam pauci domus ſuas non in arenam ædificarint, dies præſens teſtatur. Deo plus potentiæ perpauci tribuunt, quam ſufficere carnis ratio judicare poteſt. Pendemus nos hic adhuc coosiliis. Petierant noſtri ab Imper. ut vel aliquas nobis Eccleſias relinqueret pro pura religionis adminiſtratione: idquod ille pernegavit. Nunc quid facturi ſint, novit Dominus. Nonniſi miraculis ſervari poterimus. Tu ora nobiſcum. De farragine neſcio quid faciendum tibi ſtatuam. Optarim, & utile Eccleſiis agnoſco, conſilia & fraudes adverſarii detegi; tamen hæreo, an Eccleſiæ utile ſit in te irritari ſingulariter crabrones. Dominus dedit tibi inſigne donum illuſtrandi Euangelium ſuum, cujus præclarum nobis munus jam iterum exhibuiſti Commentariis tuis in Epiſtolas ad Timotheum. Spiritus Domini ipſe te regat, & certum reddat de hac & de omni miniſterio tuo. Hic ſi quid fermenti recipiatur, finem faciet miniſterii mei hic Dominus. Tum forſan dabit, ut, quod expetii toties, videam veſtras Eccleſias. Salveant ſancti iſtic omnes. Plurimum me recreat ſubſiſtere adhuc in ſua ſtatione opt. Viretum noſtrum. Optime vale cum uxore & domo tua tota. Pridie Calendas Octobris. M. D. XLVIII.

Tuus totus, Bucerus.

Joan. Calvinus Lælio Zozino Italo.

IDeo ſerius quam optabas reſpondeo, quia invitus, ut verum fatear, quo me vocant literæ tuæ protrahor. De reſurrectione carnis video tibi minime eſſe ſatisfactum. Atqui ſi plus à me poſtulas, ne ſcire quidem ultra quam docui, appeto. Si excuſem non eſſe mihi plus datum à Domino, æquum non eſſet me præterea urgeri. Tenenda enim nobis eſt regula, Credidi, ideo loquar. Verùm dico in hac fide, quam apud te profeſſus ſum, ſic me acquieſcere, ut longius tendere fas mihi eſſe non arbitrer. Audio quid tu contra. Quum hoc præcipuum ſit fidei noſtræ caput, quum in eo poſita ſit felicitatis noſtræ ſumma, non videri ſupervacuam ejus inquiſitionem. Et ſunt iſtæ quidem ſpecioſæ illecebræ. Sed quod Spiritus Dei per os Joannis admonet nondum apparuiſſe, & notitiam in diem ultimum differri, modum mihi præſcribi ſentio. Quæ tibi ſcripſi, adeo firma apud me ſunt, & Dei verbo comprobata, ut nulla me dubitatio ſollicitet. Sic porro ſufficiunt, ut eorum fiducia mortem ſecure contemnam. Si plura deſideras, aliunde petenda ſunt. Quoniam nunquam à me impetrabis, ut obſequendi tibi ſtudio fines à Domino poſitos tranſiliam. In aliis quoque ſi parcior ero quam optes, ignoſce. De uxore ducenda ſiquis à me conſilium petat, non aliud ſuadebo, niſi eam ducat, quæ parata ſit Chriſtum cum marito ſequi. Idque non ore tantum profiteatur, ſed re ipſa demonſtret. Nam quæ alioqui recte ſentiens, ab impietatis tamen profeſſione diſcedere non vult, eam quiſquis ducet uxorem, peſſimum ſibi laqueum induet. Nimis ſæpe expertus ſum in multis, quantum à Chriſto recedant, qui ſe implicant talibus conjugiis. Verum ut ſigillatim tibi reſpondeam. Quod rogas an à conjugio Papiſtico, non ſecus atque à Turcico ſit abſtinendum: Ego, qui ſuperſtitiones Papatus in quibus educati ſunt, penitus retinent, non auſim tamen in eodem gradu cum Turcis locare. Nam aliquanto propius ad nos accedunt. Verum omiſſa comparatione, homini Chriſtiano fas eſſe nego, ſe uxori adjungere, quæ ſit à Chriſto aliena. In eo autem numero ſcimus eſſe omnes Papiſtas. Qui licitum ſibi eſſe putat eam accipere, quæ adhuc multis erroribus tenetur implicita, modo juſtitiam in Chriſto ſuam quærat, non animadvertit quantis poſtea in rebus futurum ſibi cum illa ſit diſſidium. Nemo igitur, me auctore, hoc periculum adibit: quin potius hæc mea ſententia eſt, nec pie, nec in Domino matrimonium contrahere, qui aliam ſibi ſociam aſciſcit, quam quæ divortium prius cum Papa fecerit. Scio non ſemper dari optionem ex voto: verum difficultas culpam non purgat. Solennis Papatus abnegatio ſi accedat, laudanda quidem erit: ſed ego eam quaſi neceſſariam exigere non auſim: ſicuti nec certum modum finire, quouſque in pietatis doctrina progreſſam eſſe oporteat, quæ ducenda eſt uxor, niſi quod velim relicto Chriſti hoſte, & manifeſta impietate valere juſſa, Chriſto nomen dediſſe. Quod rogas an ratum vel irritum ejuſmodi conjugium habere Eccleſia debeat, quorſum pertineat non ſatis aſſequor. Nam ſicuti mutuus utriuſque partis conſenſus requiritur, ut rite Dei nomine & auſpiciis conſecrentur nuptiæ: ita ſi quis ab officio declinet, non deſinit tamen legitimum eſſe conjugii vinculum, quo alter alteri obligetur. Levitatem merito quidem improbabit, fidem tamen datam non ſolvit. Ego ſi ex duobus malis eligendum ſit levius, facere aliter non poſſe arbitror qui ſub Papatu degit, quam ut liberos ſuos ad Baptiſmum quamvis adulteratum offerat. Si corruptelas, quæ cum Dei mandato pugnant, deteſtetur, pie & ex Chriſtiani hominis officio faciet. Præſens ſane mortis periculum: ſed eo plus laudis merebitur conſtantia, quod nullo metu frangetur quiſquis erit, quominus confeſſionem pietate ſua dignam edat. Liberos ſiquis Baptiſmo privet, plus duplo pariet offenſionis. Itaque hoc non conſulerem. Jam quum mollities animi omnes fere qui vivunt ſub Antichriſti tyrannide, impediat ne libere teſtentur ſe ab inquinamentis Papiſtarum eſſe alienos, hinc monendi ſunt, ut ego ipſos moneo, quam miſeri ſint, & quantum in labyrinthum demerſi, qui Dei offenſam niſi altera offenſa fugere nequeunt. Hoc vere eſt inter ſacrum (ut loquuntur) & ſaxum premi, non poſſe Chriſto liberos ſuos offerre, quin ad inquinamenta Antichriſti proſtituant: & tamen non poſſe uſum Baptiſmi prætermittere, quin contempti Chriſtianiſmi notam in ſe ſuſcipiant. Hunc ſtimulum iis qui illic ſibi blandiuntur, admoveo: ut ſuam infelicitatem in ſuis quoque liberis agnoſcant. Quum Papiſtarum Baptiſma à luſorio diſtinguo, fingis tibi reſponſum, quod tanquam à me datum impugnes. Non reperies in meis literis, ſcio, pendere illius vim ab intentione conſecrantis. Tantum, niſi fallor, ideo dixi efficax, quatenus in hunc finem adminiſtratur, ut in Chriſti corpus nos inſerat, vel ut noſtræ ſit renovationis ſymbolum. Jam nihil mea refert, ſitne homo Lucianicus qui baptizat, ſitne Diabolus. Tantum enim reſpicienda eſt inſtitutio, & continuus uſus: qui à Chriſti mandato, tanquam ex fonte fluxit. Certe non heri primum cœpit baptizandi ritus. Eum nec Papiſtæ, nec idololatræ alii excogitarunt. Perperam itaque eum æſtimas, niſi ad originem ſuam revoces. Utcunque autem multis pravis acceſſionibus vitiatus fuerit, ſemper tamen ſtetit hoc fixum, baptizari Chriſti mandato, in nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti: ut ſit regenerationis teſtimonium. Hic eſt finis quem conſiderandum doceo. Nec alia fuit ratio cur olim Circumciſionem Deus in media ſacrorum omnium profanatione ratam nihilominus habuerit, niſi quod in illum primum finem dirigebatur, ut ſigillum eſſet divini fœderis: Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Itaque quum populus ſub Joſia fœdus de integro feriret, ac ſolennem ſuæ defectionis pœnitentiam ageret, non tamen iterata fuit Circumciſio: quæ non ſolùm infidelitate modo, ſed impiis multis ſuperſtitionibus polluta erat. Tanti enim eſt ſancta Dei inſtitutio, ut inter multiplices hominum corruptelas, ad vim ſuam retinendam prævaleat. Antiſtrophon, quod in me torquere vis, nullum eſt. Neque enim luſoria Baptiſmi imitatio, ut credis, in populum Dei inſerebat: ſed inſtituti divinitus traditi obſervatio. Et tamen degeneres erant filii, qui fœdus cum Patribus initum violaverant. Quod Eccleſiæ reliquias manere in Papatu dico, non reſtringo ad electos, qui illic diſperſi ſunt: ſed ruinas diſſipatæ Eccleſiæ illic extare intelligo. Ac ne mihi longis rationibus diſputandum ſit, nos Pauli auctoritate contentos eſſe decet, qui Antichriſtum in templo Dei 2 Theſ. 2.
ſeſſurum pronunciat. Quanquam & hoc rationibus verſ. 4.
ſatis validis me probaſſe puto, Eccleſiam licet ſemiruptam, imo ſi lubet, diruptam ac deformem, aliquam tamen manere in Papatu. Atqui non patior, ut in privatis pii hominis ædibus Baptiſmus pure juxta Chriſti regulam adminiſtretur. Facilis reſponſio eſt. Nam hujuſmodi Baptiſmum, qui apud nos non permittitur, ac jure quidem vetitus eſt, facilius tolerarem, quam Papalem illum tot ſordibus infectum. Verum hic non agitur, quid ego probem. Quod autem Baptiſmum pro nihilo me ducturum putas, quem è fratribus meis quiſpiam forte intra privatos parietes adminiſtraverit, hoc nunquam mihi veniſſe in mentem, Deum & homines teſtor. Longe enim aliud eſt præſcribere quid rectum ſit ac ſincerum, & quid inter exoticas acceſſiones reſiduum ſit ex Dei inſtitutis. Si Turca in Eccleſiam ſolenni fidei profeſſione receptus fuerit, quin baptizandi quoque

ſint

ſint ejus liberi, non dubito. Viget enim promiſſio illa, Ero Deus tuus & tuorum. Timiditatem, qua fit, ut cautius vivant quidam, quam ut in ſuſpicionem veniant tyrannis, ſimpliciter damnare non eſt meum. Unus enim legiſlator & judex, cujus ore non video damnari. Qui vero aſtutam ſuam ſimulationem in adeundis Miſſis utile promovendæ gloriæ Dei ſubſidium eſſe putant, utinam cogitarent non ita inopem eſſe Deum, ut noſtris mendaciis indigeat. Certum quidem eſt, hac occaſione interdum quoſdam Chriſto lucrifieri. Id quoties evenit, exemplo Pauli gaudeo. Quovis enim modo propagetur regnum Dei, lucro apponere nos decet. Sed nunc diſputatur, an tale probetur Deo obſequium: quod ipſe negat. 7. Idus Decembr. M. D. XLIX.

GASPAR CARMELUS CALVINO S. D.

Salutem per Jeſum Chriſtum ſervatorem noſtrum unicum.

UTinam tecum, præceptor obſervande, nuper Neocomi quum eſſes, coram colloqui mihi licuiſſet. Quod certe, Deo juvante, feciſſem, ſi certi aliquid de adventu tuo habuiſſem. Sed id quum factum non ſit, ſupereſt ut tecum per literas colloquar, teque mihi in conſilium adhibeam ſuper ea re, de qua jam ſubinde mentionem in cœtu noſtro feci, ſed fruſtra. Nam quamvis fratres videant & ſciant me in Eccleſia quæ mihi commiſſa eſt, obrui magnitudine negotii, tanquam fluctu; nullus tamen adhuc mihi adjunctus fuit, qui velut in parte laboris eſſet. Quum itaque hac via non ſucceſſiſſet, tentavi aliam, rogando fratres claſſis noſtræ, efficerent ut aliquis vicarius muneri meo ſuccederet. Verum nec id quoque ab eis impetrare potui. Novem jam annos onus omnino humeris meis impar, cui etiam ſuccumbere incipio, ſolus ſuſtinui. Præſum duabus Eccleſiis, quarum templa disjunctiſſima ſunt. Iter, hyeme potiſſimum, ob injuriam temporis permoleſte conficitur. Non raro mihi accidit, ut equo inſidens frigore pene aſtrictus fuerim, & quandoque aqua pluviali totus madens ſuggeſtum conſcenderim. Mira eſt quoque loci totius vaſtitas. Patet enim millia paſſuum quatuor in longitudinem, & in latitudinem totidem. Certe me totum hic pene conficio. Si rationem mei fratres habere nolint, ero poſthac inutilis Eccleſiæ Domini: nam literis operam dare præ multitudine negotiorum non poſſum. Accedit hoc ad labores reliquos, quod mihi fere (verum fateor) mortis inſtar eſt, hoc eſt, quod me oſtiatim, quæ ad victum neceſſaria ſunt, tota hyeme quærere neceſſe ſit, cogarque ſæpe nunc eandemque domum hujus rei gratia, haud ſemel, ſed decies, adire. Re nonnunquam infecta, vexatus multorum maledictis diſcedo. Te per Dominum oro, ut mihi tuis conſiliis adſis: neſcio enim quid mihi in hac re amplius faciendum ſit. Peſtis nuper Neocomi graſſari quum cœpiſſet, conſilio nonnullorum factum eſt, ut poſthac ſi graſſari pergat, alter ex miniſtris teneatur peſte laborantes inviſere, aut diaconum aliquem conducere, qui id onus aſſumat. Multi hoc pacto, quantum ex bono aliquo viro intelligere potui, ſperant brevi futurum, ut peſte pereant quorum opera Eccleſiæ Domini adhuc valde egent. Dominus ſuis adſit, & impiorum conatus diſſipet. Vale. Monaſterii, 9 Junii. M. D. L.

BULLINGERUS CALVINO S. D.

DIdici à N. noſtro, te, Calvine colendiſſime & chariſſime, recte valere: quo nomine tibi gratulor, optoque ut ſit diuturnum. Nos quoque recte valemus hic omnes, Deo gratia. Curiæ intra 9 ſeptimanas extinxit peſtis 1100 homines. Mirum eſt in tam anguſto oppido & breviſſimo tempore tot eſſe ſublatos. Cum his migravit & D. Joan. Blaſius. Decubuit & D. Joan. Commander, ſed revaluit per Chriſtum. In vicinia Curiæ plurimi moriuntur. Nos adhuc liberi ſumus ab illa lue. Cæſar Auguſtæ cupit modis omnibus emulgere ex Principibus & Ordinibus Imperii conſenſum in continuationem concilii Tridentini: item auxilium contra rebelles. Urget & alia quædam capita, nec audio eſſe quenquam qui ei ſe opponat. 14 Auguſti milites Hiſpani domum, ut vocant, concionum ſacrarum pone ædem S. Ulrichi diripuerunt. Capti ſunt ex iis aliquot, ſed plurimi arbitrantur ex carcere impune dimittendos. Ferociunt Papiſtæ, & minantur extrema. Aiunt Cæſarem totum in eo eſſe ut Magdeburgum omnibus rebellibus faciat exemplum. Cæterum ignorat vivere & viribus pollere eum qui cuſtodit Iſraëlem. Noſtrum erit in hiſce turbis ardentes Domino preces offerre, & pro periclitantibus & pro nobiſipſis: deinde & conſtanter facere noſtrum officium dicendo & ſcribendo. Mitto tuæ pietati IV. Decadem quam hac æſtate conſcripſi, non ut putem te illa indigere, ſed ut benevolentiam erga te meam teſtarer. Salutant te fratres. Salvus ſit D. Nic. Gallaſius cum omnibus bonis. Vale cum tuis omnibus. Tiguri, 30 Auguſti. M. D. L.

N. CALVINO.

GRatiam & Pacem à Domino. Deſidero plurimum literarum veſtrarum conſolationem. Quanquam enim hic non deſint mihi certi in Domino amici & fratres: attamen, quo pacto, perquam anxie cupiam reſcire, quid veteres amici & probatiores Collegæ agant, quomodo opus Domini per eos procedat, utque etiam me admoneant, conſolentur & exhortentur. Subinde ſcribuntur ex patria, & ex aliis locis Germaniæ, quæ animum meum magnopere excruciant: tum res Chriſti hic quoque geritur, ut niſi Dominus innocentiſſimum & religioſiſſimum Regem & alios aliquot pios homines ſingulari reſpiciat clementia, valde verendum ſit ne horrenda Dei ira brevi & in hoc regnum exardeſcat. Inter Epiſcopos hactenus de Chriſti doctrina convenire non potuit, multo minus de diſciplina. Pauciſſimæ Parochiæ idoneos habent Paſtores, pleræque venundatæ ſunt nobilibus: ſunt etiam ex Eccleſiaſtico ordine, atque ex iis quoque qui Euangelici videri volunt, qui tres aut quatuor atque plures Parochias tenent, nec uni miniſtrant, ſed ſufficiunt ſibi eos qui minimo ſe conduci patiuntur, plerumque qui nec Anglice legere poſſunt, quique corde puri putidi Papiſtæ ſunt. Et primores quidem regni multis Parochiis præfecerunt eos, qui in cœnobiis fuerant, ut penſione eis perſolvenda ſe liberarent: qui ſunt indoctiſſimi, & ad ſacrum miniſterium ineptiſſimi. Hinc invenias Parochias in quibus aliquot annis nulla ſit habita concio. Quid autem nudis edictis & remotione inſtrumentorum ſuperſtitionum proſici queat ad regni Chriſti reſtitutionem, non ignoratis. Utraque hic Academia habet permulta egregia collegia, magnis opibus & multis optimis legibus inſtructa, qualia in nulla Academia orbis habentur: non ſolum enim egregie aluntur in iis collegiis quam plurimi, in pleriſque ultra centum ſtudioſi, verum honeſtas etiam pro veſtibus & libris habent inde penſiones pecuniarias. Ex his debebant ad Eccleſias ſubinde extrudi fidelium miniſtrorum examina: nam omnes artium Magiſtri theologiæ diſcendæ deputati ſunt, quatuor tantum in quolibet collegio exceptis, quorum duo medicinæ, duo peritiæ legum debent operam navare. Sed ea pridem inolevit conniventia, & hoc maxime tempore ita eſt corroborata, ut multo maxima pars collegarum ſint

vel

vel acerbiſſimi Papiſtæ, vel diſſoluti Epicurei, qui quantum poſſint juventutem ad ſua ſtudia pertrabunt, & odio imbuunt ſanæ Chriſti doctrinæ atque diſciplinæ. Atque noſtri quoque adeo ſuot parci concionum ſuarum, ut per totam Quadrageſimam excepto uno aut altero Domioico die, quam tamen adbuc voluat videri obſervare in die ipſo memoriæ mortis Chriſti ac etiam reſurrectionis, neque hodie ullam populo coocioοem dederint. Interim plerique Parochorum ſic ſacra recitant & adminiſtrant, ut populus tantundem de Chriſti myſteriis intelligat, atque ſi adhuc Latina & non vernacula lingua uterentur. Quum vero de hac tam horrenda Eccleſiarum deformitate querelæ deferuntur à ſanctis hominibus ad regni proceres, dicunt his malis mederi eſſe Epiſcoporum: quum deferunt ad Epiſcopos Euangelium pridem profeſſos, reſpondent illi, ſe iſta emendare non poſſe niſi publica regni conſtitutio de eo fiat. Dum autem magna illa regni concilia habentur quotannis, tot ingeruntur cauſæ profanæ, ut hæc Chriſti cauſa locum non inveniat. Tum committunt deliberationem de bis rebus hominibus tam multis, tamque animis diſſentientibus, ut ne ſemel adeſſe omnes & ad hoc negotium poſſint congregari, nedum aliquid rectum & ſolidum de tantis rebus coostituere. Ad quam cauſæ Chriſti procraſtinationem, quibus otium & faſtus Antichriſti magis cordi eſt quam crux Chriſti, Epiſcopis, baud impigri adſunt plerique ex nobilibus bonis Eccleſiaſticis ditati, qui & ipſi præſertim Eccleſiarum vaſtationem magis lucroſam ſibi exiſtimant, quam earum piam reformationem. Accedit his malis quod non pauci omni veræ pœnitentiæ, fidei, bonorum operum, communionis & diſciplinæ Eccleſiaſticæ cura rejecta, unum hoc agitent ac contendant, ac ſæpenumero admodum irreligioſe, ut de ea Chriſti per Sacramenta participatione ſradant quæ veræ pietatis ſenſum non ſatis reſipiant. Atque bi maxime ſequuntur eos magiſtros qui ardeot publice ſcribere, & aſſerere, conatum eſſe fanaticum, moliri Eccleſiæ & pœnitentiæ diſciplinam, ut qui palam peccaverunt, ad agendam pœnitentiam ligentur, eaque peracta ab eo vinculo abſolvantur, & nominatim peccatorum cum ſcandalo conjunctorum abſolutionem ab Eccleſia percipiant. Adeo permittunt ſibi in quævis Dei verba & quantumvis clara eas inferre ioterpretationes, quas illis ſuggerit ipſorum prudentia, aut etiam faſtidium, ne dicam odium eorum qui rectius docent, aut utrumque ſimul malum. Hæc vero tibi, optime Calvine, ideo tam libere ſcribo, ut preces pro iis Eccleſiis amplius intendatis, & quum ad Ducem Somerſeti ſcribis, eum graviſſime de illa Eccleſiarum vaſtatione & proditione admoneas: quod illæ, pauciſſimis exceptis, permittuntur qui nihil vel Chriſti norunt vel quærunt. Rogo proinde te ut has nemo niſi Farellus & Viretus legant. Noſti enim quam non conducat iſta ſpargi, & minime omnium pes nos. Pro Sereniſſimo Rege, qui ad miraculum uſque in pietatis & literarum ſtudiis proficit, preces veſtras accumulate. Etenim in quanto verſetur bumanitus diſcrimine, inde facile agnoſcas, quod Papiſtæ paſſim tantopere ferociant, quum videant & ſciant tamen Regem totis viribus incumbere in regni Chriſti reſtitutionem. Sed vident majorem natu ſororem Papiſtica pertinaciſſime tueri & uſurpare, ſive quod ita ferat ingenium ejus, ſive quod de conſobrino tantum confidit. Sed tam frigida regni Chriſti molitio meretur iſta pericula, & adverſarios conatus. Agas mecum gratias Domino qui me morbis meis magna ex parte liberavit, qui me ad medium Martii iterum acerbiſſime invaſerant. Poſſum enim qualitercunque rurſum munus meum obire, quanquam multa adhuc bæreat debilitas in cruribus, brachiis & manibus, quibus nondum ad ſcribendum recte uti poſſum. Orate Dominum pro me, ut ſi fieri poteſt, me quamprimum binc liberet, aut aliqua ex parte Eccleſiæ ſuæ utilem faciat, imo ut ſanctificet nomen ſuum in me quocunque ipſe vult modo. Optime vale cum tuis omnibus, optimo Farello, Vireto, & hujus monetæ collegis tuis aliis. Cantabrigiæ, die Pentecoſtes. M. D. L.

CALV. FARELLO S. D.

PEtrus Forveletus literas mihi tuas oſtendit, quibus ad ſuſcipiendum apud vos diaconi munus eum invitas. Quia me quoque ſciebat abs te literas accepiſſe, putabat in illis aliquid, quod ad ſe pertineret, contineri. Reſpondi quod res erat, te ne verbo quidem meminiſſe. Conſilium petiit. Non potui aliud dare, niſi ut vos inviſeret, quaſi hoc tantum acturus, ut vobis ſalutatis ad munos ſuum rediret. Ex quo ad nos rediit, nonnihil me peccaſſe fateor, quod non familiarius eum de anteactis admonui. Multa quidem obſtiteruot: ſed nibil magis, niſi quod verebar ne ſibi injuriam fieri putaret, ſi partes monitoris apud eum ſuſcipere auderem. Ergo peccatum agnoſco, quod ſtulta verecundia impeditus, fratris officium omiſi. Ex quo ad nos reverſus eſt, placide & modeſte ſe geſſit. Aliud quod ſcribam in præſentia non habeo. Si eſſemus una, multa narrarem. Petrus tibi de miſero quodam Britone narrabit, qui phrenetide correptus, multum nobis moleſtiæ faceſſet. Fuit hic Pedemontanus quidam, valde ſibi placens, qui ſibi Dominum apparuiſſe dicebat: ut Moſes ipſe foret, ego Aaron. Quum die Natalis, concione habita, inſpectioni privatæ per unam decuriam operam dediſſem, feſſus domum redeo. Ille me ita excepit, ut micam panis guſtare non fineret. Dominum ſibi apparuiſſe: habere in mandatis, quæ jejuno jejunus exponeret. Quum me animus deficeret, poſt meridiem ſcilicet, obſecravi, ut mihi paululum quiddam edere permitteret. Non deſiit inde me fatigare, donec heri ſevere repudiatus fuit à fratribus. Tametſi ridicule inſanus eſt, in hoc tamen ſubornatus eſt à Satana, ut frivolis allegoriis admirabilem illam virtutem, quæ in redemptione populi exerta fuit, obſcuret, adeoque in nihilum redigat. Verum hæc colloquiis magis conveniuns, quam literis. Aliunde nihil ſuppetit ſcriptione dignum. Vale frater & amice iotegerrime, mihique ex animo ſemper amande & colende. Dominus Jeſus te ſemper regat, ſervet, benedicat, & modis omnibus per te glorificetur. Genevæ, pridie Nonas Januarii. M. D. LI.

CALV. BULLINGERO S. D.

NUper quum irem Neocomum, nuncius cum tuis literis in itinere mihi occurrit. Alteras poſtea domum reverſo quidam Italus obtulit cum quinta decade. Quod te libros tuos non ideo mittere excuſas, ut abs te diſcam; ego vero ut meos labores piis omnibus cupio prodeſſe, ita viciſſim libenter ex aliorum ſcriptis proficio. Atque hæc vere fraterna eſt communicatio, ubi ſic inter nos diſtributa eſſe Spiritus dona agnoſcimus, ut nemo unus ſibi ſufficiat. Gratum ergo mihi tuum munus fuit. Plurimum etiam gaudii attulit, non mihi ſolum, ſed etiam Farello & reliquis fratribus, conſenſionis noſtræ editio. Utinam quindecim diebus citius veniſſent tuæ literæ. Nam bis nundinis Francfordianis exiiſſet. Quantum ad Galliam noſtram, tempeſtiva erit publicatio. Valde quidem, ut ſpero, utilis. Nuper excuſi ſunt mei in Jeſaiam & Epiſtolas Canonicas commentarii. Utroſque Regi Angliæ dicare viſum eſt. Exemplar præfationis unius, quod Vergerio miſi, abs te legi potuit. Addidi & privatas literas, quibus generoſam pueri indolem acuere conatus ſum. Interea allatus eſt triſtis nun-

nuncius, Hopperum in carcere teneri. Hoc pridem ſubveritus fueram. Nunc vereor, ne Epiſcopi quaſi victores ferocius multo inſoleſcant. Itaque ſicuti in recuſanda unctione ejus conſtantiam laudo: ita de pileo & veſte linea maluiſſem (ut illa etiam non probem) non uſque adeo ipſum pugnare: idque nuper ſuadebam. Multos & potentes habet adverſarios: nec dubito quin acriter ad eum opprimendum inſiſtant. Sed Dominum illi adfuturum ſpero: & quidem eo magis, quod perfide, ut audio, nonnulli eum oppugnant, qui alioqui ſimulant Euangelio ſe favere. Vobis tranquillum Eccleſiæ ſtatum gratulor. Hic ſunt improbiſſimi nebulones, qui non parum moleſtiæ & turbarum nobis faceſſunt; quibus tamen exitum quem meriti ſunt, inſtare confido. Conſilia Imperaturu multos anxios reddunt. Quod nonnullæ ejus copiæ nunc Alpes trajiciunt, merito ſuſpicioſum eſt. Si hanc regionem invadat, non alia ſpe me conſolor, niſi quod me Dominus ex miſera hac vita eripiet. Interea gregem ſuum, cujus me cura præcipue excruciat, non negliget. Vale ornatiſſ. vir, & ſymmyſta plurimum mihi obſervande, una cum fratribus, quos noſtro omnium nomine diligenter ſalutabis. Gallaſius etiam privatim te ſalutat. Dominus te regere pergat ſuo Spiritu, manu ſua protegere, ac benedicere tuos ſanctos labores, Amen. Genevæ, 4. Idus Martias. M. D. L I.

CALV. BULLINGERO S. D.

BInas abs te paucis his diebus literas accepi: utraſque ſingularis erga me benevolentiæ plenas, atque eo nomine mihi gratiſſimas. Bene habet, quod non eundem modo animum Deus nobis contulit, ut Regem Angliæ & ejus conſiliarios incitaremus ad pergendum: ſed fecit etiam ut conſilia noſtra tam apte inter ſe congruerent. Hoc certe ad eorum confirmationem nonnihil, ut ſpero, valebit. Reditum nuncii, qui libros illuc meos cum literis tulit, in dies jam exſpectare incipio. Simulac reverſus erit, ſi quid dignum afferet relatu, dabo operam ut tibi ſit commune. Interea ſcripſi ad illuſtriſſimum Sommerſeti Ducem, oſtendique fieri non poſſe, quin Papiſtæ ſuperbius inſoleſcerent, niſi mature compoſitum eſſet diſſidium de ceremoniis. Hortatus ergo ſum hominem, ut Hoppero manum porrigeret. Quicquid ſimulet Papa, non exiſtimo concilium Tridentinum ſerio cogi. Conjecturæ meæ ratio eſt, quod Rex Galliæ Epiſcopis omnibus ſuis mandavit, ut ſedulo quiſque diœceſin ſuam perluſtret: acta viſitationis ſinguli ante ſex menſes confecta ad Metropolitas referant. Sibi eſſe in animo nationale totius regni concilium celebrare. Illic Tridenti & Papæ nulla mentio. Neque tamen dubito, quin res inter eos de compoſito geratur. Nempe ut Gallus in Papæ gratiam, objecto concilii nationalis fuco, Tridentinum illud diſſolvat. Prudentes accenſam belli facem in Italia judicant. Turcicus legatus nunc in aula Gallica eſt, qui Regem ad bellum ſtimulet. Maxima claſſis Italiæ vel Hiſpaniæ imminet. Ergo Dominus iſtos, ne Eccleſiæ tam ſint moleſti, occupabit. Quum mihi Tridentum petenti iſtac fore iter noveris: nimis es inhumanus, qui nobis ſaltem unius hoſpitium non offers. Sed expectas forte novam bullam quæ nos admittat. Neque enim ex eorum ſumus numero, qui de jure, vel conſuetudine, vel privilegio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ locum obtinent. Licebit ergo nobis domi quieſcere. Quanquam eſt etiam quod domi agamus. Nam & Chriſtus laboris materiam ſuppeditat, & Satan otioſos ſedere non patitur. Dabis feſtinationi meæ veniam. Nam quum Germani iſti adoleſcentes operam mihi ſuam offerrent, horam tantum ad ſcribendum dederunt, quæ prope effluxit. Vale ornatiſſime vir, & frater mihi ex animo obſervande & chariſſime. Collegæ mei te reverenter ſalutant. Meo & illorum nomine plurimam ſalutem dices D. Bibliandro, D. Pellicano, Galthero, & reliquis fratribus. Dominus vos omnes tueatur ſuo præſidio, Spiritu gubernet, labores veſtros proſperet. Conſenſio noſtra minus diligenter Latine hic impreſſa fuit quam vellem. Sed brevi rurſum excudetur. Interea Gallicum exemplar Latino adjunxi, in quo te mendum nullum offendet. Genevæ, 10 Aprilis. M. D. L I.

Joannes Calvinus vere tuus.

CALV. VIRETO S. D.

QUod nihil jam à multis diebus literarum accepiſti, ſcito nimis aſſiduam & ſimul anxiam veſtri memoriam in cauſa fuiſſe. Mœror quem ex Buceri morte concepi, ſollicitudinem ac metum auget. Jam & mors Vadiani novum vulnus inflixit: cujus opera etſi longe ſe proferre, & per omnes Eccleſias ſpargi poterat, maximo tamen uſui erat in civitate magni ponderis, imo apud Helvetios & Rhætos. Quam multiplicem in Bucero jacturam fecerit Dei Eccleſia, quoties in mentem venit, cor meum prope lacerari ſentio. Faxit Dominus, ut reliquos omnes, qui mihi lugendi eſſent, ſuperſtites relinquam, ut lætior moriar. Vale frater integerrime. Dominus te conſervet cum uxore & familia. Omnes plurimum ſalutabis meo nomine. Genevæ, 10 Maii. M. D. L I.

CALVINUS N. S. D.

QUum mihi ſe nuncius hic cum tuis ad Bezam literis obtulit, ego & recenti metu perculſus, & ſimul gravi mœrore oppreſſus eram. Pridie enim nunciatum mihi fuerat, peſte correptum eſſe. Itaque non tantum periculo anxius, ſed prope attonitus, pro ſingulari meo in illum amore, quaſi jam mortuum lugebam: etſi non tam privati amoris erat hic luctus, quam ex publica Eccleſiæ cura oriebatur. Equidem inhumanus ſim, niſi eum redamem, qui me pluſquam fraterne diligit, & colit non ſecus ac patrem. Sed me vehementius cruciabat Eccleſiæ jactura, quum hominem, ex quo ampliſſimos fructus expecto, ſubita morte ab ipſis ſtadii carceribus nobis præripi viderem: quem & ingenii ſuavitas, & morum elegantia, & ingenuus animi candor non minus antea amabilem bonis omnibus reddiderint. Verum, ſi huc ſemel furtim advolaris, quod te magnopere hortor ut facias, longe ſeipſa etiam ſuperiorem reperies. Quod tibi perditum æſſe dicis, infauſtum illud omen procul faceſſat. Hoc magis conſentaneum, ut ſuo diſceſſu te vere & in ſolidum recuperet. Quid enim nobis eſt extra Chriſtum, quo fruamur? Spero autem hominis vitam noſtris precibus conceſſam. Quanquam enim nondum periculum evaſit, heri tamen lætior nuncius allatus eſt. Cras, ut ſpero, audiemus quod omnem dubitationem eximat. Vale [illegible]imie vir, & officium hoc meum boni conſule, quod tam familiariter ad hominem ignotum ſcribo. Dominus te Spiritu ſuo gubernet, ac præſidio tueatur. Pridie Calendas Julii. M. D. L I.

CALV. VIRETO S. D.

STatueram ad te nunc venire, & jam ad iter propemodum accinctus eram. Sperabam adventu noſtro aliqua ejus moleſtiæ parte levatum te iri, qua te improbi iſti nebulones afficiunt. Quanquam enim ad te non pertingunt eorum latratus, fieri tamen non poteſt, quin te vel mordeat, vel ſaltem pungat tam indigna malignitas. Libenter etiam cum D. Zerkinte colloquutus eſſem, quem iſtic fore audie-

audieram. Velim interea, ut cum illo agas, num tam importuna Franciſci Maurifii petulantia compeſci queat. Mea certe non magni refert. Cur enim ſcarabæum in ſua palude frementem ſecure contemnere non liceat? Sed me exemplum movet. Indoctus monachus mihi in pago ignobili detrahit. Ridiculum. Sed eſſe concionatorem, qui pro ſuggeſtu declamitet, nos eſſe Papiſtis deteriores: qui in conſiſtorio ſcriptam manu ſua ſchedam proferat, ubi me nominatim arguit falſa & Dei verbo contraria docere, ubi me impoſtorem vocat, ubi impie ſentire blaterat qui mihi aſſentiuntur: mihi valde acerbum eſt, alios etiam magis cruciat. Non videt miſer ille, nihil ſe proficere aliud, niſi quod ſe deteſtandum plebi ſibi commiſſæ propinat. Ego jam illic Papiſta exiſtimor. Eo nomine me amant ac mihi favent. Verum interea laceratur Chriſtus, improborum maledicentiæ exponitur ejus veritas, infirmæ conſcientiæ labefactantur: & tandem longius ſpargetur fama, jam nos inteſtinis diſcordiis flagrare. Quanquam hactenus quievi: fratres tamen mei inſtant, non ulterius ferendum eſſe, ut publice nobis videntibus & ſcientibus damnetur communis Eccleſiæ noſtræ doctrina. Etiam nimis præfractos & moroſos placavit noſtra cum Tigurinis concordia. Narrabat enim Theobaldus Toquerus quem noſti, nuper hac tranſiens, Nurbergenſes mihi applaudere. Sed nebulo hic in ſuis latebris tumultuando, vult aliquid famæ acquirere. Ego ut litem moveam, nondum perſuadeor. Sed quid cenſeat Zerkintes, magnopere ſcire expedit: & tu quum venies, ſimul conſilium tuum afferes. Vale frater optime & integerrime. Saluta uxorem & filiolas meo nomine. Dominus vos omnes tueatur, vobis adſit, vos gubernet. Noſtri te plurimum ſalutant. Fratribus quoque iſtic plurimam ex me ſalutem dices. Genevæ, 5. Idus Auguſti. M. D. LI.

CALV. CRAMMERO ARCHIEP. CANTUARIENSI S. D.

TU quidem, illuſtriſſime Domine, vere & prudenter in hoc tam confuſo Eccleſiæ ſtatu nullum aptius afferri poſſe remedium judicas, quam ſi inter ſe conveniant pii, cordati, & in Dei ſchola probe exercitati homines, qui ſuum in pietatis doctrina conſenſum profiteantur. Videmus enim quam variis artibus Satan Euangelii lucem, quæ mirabili Dei bonitate nobis exorta paſſim refulget, conetur obruere. Conductitii Papæ canes latrare non deſinunt, ne purus Chriſti ſermo exaudiatur. Tanta licentia paſſim ebullit & graſſatur impietas, ut parum à manifeſtis ludibriis abſit religio. Qui profeſſi non ſunt veritatis hoſtes, ea tamen protervia laſciviunt, quæ brevi, niſi obviam eatur, fœdam nobis confuſionem pariet. Neque ſolum in hominum vulgo regnat hic tum ſtultæ curioſitatis, tum intemperantis audaciæ morbus: ſed quod magis pudendum eſt, in ordine quoque Paſtorum nimis jam graſſatur. Quibus deliriis ſeipſum deludat & quoſdam alios faſcinet Oſiander, plus ſatis notum eſt. Et Dominus quidem, ut ab initio uſque mundi ſolitus eſt, ſinceræ fidei unitatem, ne laceretur hominum diſſidiis, mirabiliter, & modo nobis incognito, ſervare poterit. Quos tamen ipſe in excubiis locavit, minime torpere vult: quando & eoſdem ſibi deſtinavit miniſtros, quorum opera ſanam in Eccleſia doctrinam ab omnibus corruptelis purget, ac incolumem ad poſteros tranſmittat. Tibi præſertim, ornatiſſime Præſul, quo altiore in ſpecula ſedes, in hanc curam, ut facis, incumbere neceſſe eſt. Quod non ideo dico, quaſi tibi addendum eſſe novum calcar exiſtimem: qui non modo ſponte præcurris, ſed aliis quoque inſtas voluntarius hortator. Verum ut te in tam fauſto præclaroque ſtudio mea gratulatione confirmem. Lætum quidem eſſe in Anglia Euangelii ſucceſſum audimus. Sed iſtic quoque uſu venire quod ſuo tempore expertus eſt Paulus, non dubito: ut
hoſtio ad recipiendam puram doctrinam aperto, multi 1 Cor. 16. vers. 9.
repente adverſarii contra inſurgant. Etſi vero me latet, quam multi ſint vobis ad manum idonei ad refellenda Satanæ mendacia vindices: facit tamen eorum improbitas, qui ad turbandum ſatagunt, ut bonorum ſedulitas hac in parte nunquam nimia ſit aut ſupervacua. Deinde ſcio non ita unius Angliæ haberi abs te rationem, quin orbi ſimul univerſo conſulas. Regis quoque Sereniſſimi non modo generoſa indoles, ſed rara etiam pietas merito exoſculanda, quod ſanctum conſilium de habendo ejuſmodi conventu favore ſuo proſequitur, & locum in regno ſuo offert. Atque utinam impetrari poſſet, ut in locum aliquem docti & graves viri ex præcipuis Eccleſiis coirent, ac ſingulis fidei capitibus diligenter excuſſis, de communi omnium ſententia certam poſteris traderent Scripturæ doctrinam. Cæterum in maximis ſeculi noſtri malis hoc quoque numerandum eſt, quod ita aliæ ab aliis diſtractæ ſunt Eccleſiæ, ut vix humana jam inter nos vigeat ſocietas, nedum emineat ſancta membrorum Chriſti communicatio, quam ore profitentur omnes, pauci reipſa ſincere colunt. Quod ſi frigidius quam par eſſet ſe gerunt doctores, graviſſima penes ipſos Principes eſt culpa, qui vel profanis ſuis negotiis impliciti, Eccleſiæ ſalutem & totam pietatem negligunt: vel ſinguli privata pace contenti, aliorum cura non tanguntur. Ita fit, ut membris diſſipatis, lacerum jaceat Eccleſiæ corpus. Quantum ad me attinet, ſiquis mei uſus fore videbitur, ne decem quidem maria, ſi opus ſit, ob eam rem trajicere pigeat. Si de juvando tantum Angliæ regno ageretur, jam mihi ea ſatis legitima ratio foret. Nunc cùm quæratur gravis & ad Scripturæ normam probe compoſitus doctorum hominum conſenſus, qua Eccleſiæ procul alioqui diſſitæ, inter ſe coaleſcant, nullis vel laboribus vel moleſtiis parcere fas mihi eſſe arbitror. Verum tenuitatem meam facturam ſpero, ut mihi parcatur. Si votis proſequar quod ab aliis ſuſceptum erit, partibus meis defunctus ero. D. Philippus longius abeſt, quam ut ultro citroque commeare brevi tempore literæ queant. D. Bullingerus tibi forte jam reſcripſit. Mihi utinam par ſtudii ardori ſuppeteret facultas. Porro quod me facturum principio negavi, ipſa rei quam ſentis difficultas tentare me cogit: non ut te horter modo, ſed etiam obteſter ad pergendum: donec aliquid ſaltem effectum fuerit, ſi non omnia ex voto ſuccedant. Vale ornatiſſime Præſul & mihi ex animo reverende. Dominus te Spiritu ſuo regere, ſanctoſque tuos conatus benedicere pergat. Genevæ.

CALV. CRAMMERO ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI S. D.

QUando hoc tempore minime ſperandum fuit, quod maxime optandum erat, ut ex diverſis Eccleſiis, quæ puram Euangelii doctrinam amplexæ ſunt, convenirent præcipui quique doctores, ac ex puro Dei verbo certam de ſingulis capitibus hodie controverſis ac dilucidam ad poſteros confeſſionem ederent: conſilium quod cepiſti, reverende Domine, vehementer laudo, ut mature apud ſe religionem Angli conſtituant: ne diutius rebus incertis, vel minus rite compoſitis quam decebat, ſuſpenſi hæreant plebis animi. In quam rem ita omnes qui gubernacula iſtic tenent, communibus ſtudiis incumbere oportet, ut tamen præcipuæ ſint tuæ partes. Vides quid locus iſte poſtulet, vel magis quid pro muneris quod tibi injunxit ratione abs te ſuo jure exigat Deus. Summa eſt in te auctoritas, quam non magis tibi honoris amplitudo conciliat, quam concepta pridem de tua prudentia &

integritate opinio. Conjecti ſunt in te bonæ partis oculi, vel ut tuum motum ſequantur, vel ut ceſſationis tuæ prætextu torpeant. Atque utinam te duce aliquaoto longius jam ante triennium progreſſi forent, ne tantum hodie negotii craſſis ſuperſtitionibus tollendis ac certaminum reſtaret. Fateor equidem ex quo ſerio refloruit Euangelium in Anglia, intra breve tempus non parvas acceſſiones eſſe factas. Verùm ſi reputas, & quid adhuc deſit, & quam nimis fuerit in multis rebus ceſſatum, non eſt quod remiſſius ad metam, quaſi magna ſtadii parte confecta properes. Neque enim quaſi te videam in opere aſſiduum, monendus videris, ne tibi quaſi defunctos indulgeas. Sed, ut libere loquar, magnopere vereor, nec deſinit metus bic recurrere, ne tot cunctando tranſigantur autumni, ut perpetuæ tandem hyemis frigus ſuccedat. Jam ætas quo magis iograveſcit, acrius te ſtimulare debet: ne ſi rebus confuſis è mundo ſit migrandum, magna te ex conſcientia tarditatis, anxietas conſtringat. Res confuſas appello: quia ſic correctæ ſunt externæ ſuperſtitiones, ut reſidui maneant innumeri ſurculi, qui aſſidue pullulent. Imo ex corruptelis Papatus audio relictam eſſe congeriem, quæ non obſcuret modo, ſed propemodum obruat purum & genuinum Dei cultum. Interim totius ordinis Eccleſiaſtici anima non ſpirat, vel ſaltem non viget ut par erat: doctrinæ ſcilicet prædicatio. Certe nunquam integra florebit religin, donec Eccleſiis melius proſpectum fuerit, ut idoneos habeant Paſtores, & qui docendi munus ſerio obeant. Id quominus fiat, occultis quidem artibus obſiſtit Satan. Unum tamen apertum obſtaculum eſſe intelligo, quod prædæ expoſiti ſunt Eccleſiæ reditus. Malum ſane intolerabile. Sed præter illam diſſipatiooem, quæ nimis craſſa eſt, non multo levius mihi videtur aliud vitium, quod ex publico Eccleſiæ proventu aluntur otioſi ventres, qui lingua incognita veſperas cantillent. Nibil dico amplius, niſi quod te approbatorem eſſe ejus ludibrii, quod palam cum legitimo Eccleſiæ ordine pugnat, pluſquam abſurdum eſt. Quanquam autem non dubito, quin hæc tibi ſubinde veniant ultro in mentem, & ab optimo & integerrimo viro D. Petro Martyre, cujus te conſilio uti plurimum gaudeo, ſuggerantur: tot tamen ac tam arduæ difficultates quibuſcum luctaris, mihi viſæ ſunt ſufficere, ne ſupervacua foret mea exhortatio. Vale clariſſime Præſul, & mihi reverende. Dominus te diu conſervet incolumem, Spiritu prudentiæ & fortitudinis magis ac magis locupletet, tuoſque labores benedicat, Amen.

CALV. HALLERO S. D.

QUod tibi nuper ac Muſculo noſtro ad levandum utriuſque domeſticum mœrorem nullæ à me literæ venerunt, peto abs te, mi Hallere, ne meum inde erga vos ſtudium æſtimes. Ex quo enim domos veſtras peſte tactas eſſe audivi, quam anxie de veſtro periculo cogitaverim, non eſt quod laborem multis verbis exprimere. Hæc porro memoria quum non piis & cordatis hominibus gratior eſſe debeat, quam literarum officium: tibi ac illi plane ſatisfactum iri confido, ubi intellexeritis meum ſilentium ex neglectu minime profectum eſſe. Cur autem ſcribendi partes omiſerim hæc fuit cauſa, quod ſero huc fama perlata eſt, nec ſcire tunc certo poteram quouſque graſſata eſſet calamitas. Itaque rebus dubiis nihil tentare auſus, ad preces me conferre malui, quas & vobis eſſe magis neceſſarias, & magis optari ſciebam. Cæterum quum feſti dies hic abrogati graviter ex veſtris quoſdam offenderint, iſtic quoque multos ſpargi odioſos ſermones credibile eſt. Atque ita ſtatuo me totius rei auctorem non à malevolis tantum, ſed ab imperitis quoque adſcribi. Ego autem ut ſancte teſtari poſſum, me inſcio ac ne optante quidem hanc rem fuiſſe tranſactam; ita ab initio in animum induxi, invidiam potius tacendo levare, quam excuſationes quærere nimis ſollicitas. Priuſquam urbem unquam ingrederer, nullæ prorſus erant feriæ præter diem Dominicum. Quæ apud vos celebrantur, eodem plebiſcito acceptæ ſunt, quo ego & Farellus fuimus expulſi: idque improborum violentia tumultuoſe extortum magis fuit, quam legitimo ordine decretum. Ex quo ſum revocatus, hoc temperamentum quæſivi, ut Chriſti natalis celebraretur veſtro more: aliis autem diebus extraordinariæ ſupplicationes tabernis mane clauſis, fierent: à prandio ad ſuas operas aut res agendas quiſque rediret. Erant tamen interea præfracti quidam, qui præpoſtera quadam malitia à communi more diſſiderent. Et varietas quum in Eccleſia rite compoſita tolerabilis non foret: atque etiam apud exteros ſuſpicionem gigneret, non bene civibus ioter ſe convenire: Senatum hortatus ſum, ut commodo remedio in poſterum hoc diſſidium tolleretur. Verum ſimul illa, quam hactenus coluerant, moderatio diſertis verbis ac nominatim à me laudata eſt. Aliquanto poſt, tanquam novus aliquis hoſpes, de abrogatione audivi. Atque utinam N. olim minus ambitioſe egiſſet. Nam in hac tota proviocia aboliti fuerant dies feſti. Quatuor iſti ut poſtliminio redirent, ille non minus pertinaciter cootendit adverſus omnes Gallicæ linguæ Paſtores, quam ſi de Eccleſiæ ſalute ageretur. Dixiſſes Victorem adverſus Orientales pro ſuo Paſchate dimicare. Quum olim ex ipſo ſciſcitarer quo jure Circumciſio plus haberet honoris quam mors Chriſti, obmuteſcere coactus eſt. Sed præterita omittamus. Mihi ſatis fuit breviter indicaſſe, unde hæc tam repeotina apud nos mutatio. Ego tametſi neque ſuaſor, neque impulſor fui, ſic tamen accidiſſe non moleſte fero. Quod ſi ſtatum noſtræ Eccleſiæ æque compertum haberes, non dubitares meo judicio ſubſcribere. Hoc tamen teſtatum eſſe volo, ſi mihi delata optio fuiſſet, quod nunc conſtitutum eſt non fuiſſe pro ſententia dicturum. Nec tamen eſt cur homines adeo exaſpereotur, ſi libertate oostra ut Eccleſiæ ædificatio poſtulat, utimur: quemadmodum nec viciſſim præjudicio eſſe morem noſtrum æquum eſt. Vale eximie vir ac frater mihi ex animo colende. Saluta, quæſo, meis verbis collegas tuos & D. Nicolaum Zer. Fratres mei te & illos plurimum ſalutant. Dominus vos Spiritu ſuo regat, tueatur, in omnibus benedicat, Amen. Genevæ, 4. Nonas Januarii. M. D. LI.

CALV. MINISTRO BURENSI S. D.

QUod frivolis illis ſermonibus de abrogato apud nos die Dominico fidem non habueris, prudenter abs te factum eſt. Nam ejuſmodi fabularum portentis ſua abſurditas fidem omnem derogat. Quod autem fiducia noſtræ modeſtiæ fretus graviter repuliſti calumniam quæ nobis inurebatur, in eo amici & fratris officium nobis præſtitiſti. Nam certe pluſquam inſanus eſſem, ſi inepta hac & frivola novitate turbarem bonos, improbos armarem, omnium me exponerem ludibrio. Et quid de me loquor? Hominem hic ex turba nullum eſſe adeo importunum arbitror, qui hoc unquam ſomniaverit. Ego tamen jam longo uſu contemnere rumores iſtos didici, vel ſaltem æquiore animo ferre: quod mihi hactenus propemodum fatale fuit, putidis his calumniis quotidie onerari. Fortaſſis res una fabulæ materiam præbuit, quod feſtus dies, qui Chriſti natali dicatus erat, in proximum diem Dominicum tranſlatus eſt. Rectene an ſecus, non meum eſt pronuociare. Ac per me licet, ut libere tuo id judicio improbes. Quando enim factum eſt me nec auctore, nec conſcio, mihi imputari non debet. Miraberis, noſtros, inconſultis Paſtori-

ſtoribus, receptum in Eccleſia ordinem ita ſubito mutaſſe. Verum id quoque inadvertentia potius quam pervicacia accidit. Antequam urbem hanc primo adventu ingreſſus eſſem, abrogati erant dies feſti omnes, præter Dominicum. Farello & Vireto hoc utile viſum fuerat. Ego receptæ conſuetudini libenter acquievi. Eandem quoque rationem nova hæc Bernatium provincia ſequuta initio fuerat. Surrexit N. nec minus tumultuoſe pro diebus feſtis, quam olim Victor Romanus pro ſuo Paſchate pugnavit. Ex quo autem fuimus expulſi, quatuor feſti dies cum aliis quibuſdam ritibus inſtituti ſunt. Reverſus, quum momento poſſem quicquid me abſente actum erat, magnæ partis applauſu convellere, placide quievi: niſi quod diſſimulare non poteram, præpoſtere celebrari Chriſti circumciſionem, prætereito mortis die: id inſcite ac perperam ab indoctis hominibus fabricatum eſſe. Jam quod diem conceptionis Chriſti ſub Mariæ nomine plebs colebat, acriter in eam ſuperſtitionem quotannis invectus ſum. Galli enim ſua lingua feſtum noſtræ Dominæ in Martio appellant. Ac proinde dies illi ſacer eſſe vulgo creditur. Sic tamen mihi temperavi, ut compeſcerem ex adverſo, qui dies illos prorſus tollendos clamitabant. Nam qui inter principia nomen Euangelio dederant, adeo ægre tulerant novationem poſtea inductam, ut mihi interdum non pepercerint, quod nimis tepidus videbar. Quin etiam ad gladios ſemel ventum eſt. Quum utrimque immodicus contentionum fervor prævaleret, media ratio nobis placuerat, ut mane clauſis tabernis feriæ agerentur, à prandio conferrent ſe ad operas ordinarias. Id ante annos novem ſtatutum fuit: neque tamen hoc modo ſedata fuerunt certamina. Varietas enim in clauſis vel apertis tabernis turpe diſſidium prodebat. Quum nec finis nec remedium inveniretur, anno proxime elapſo veni in curiam: rogavi Senatum ut modum aliquem pro ſua prudentia excogitaret, quo populus in meliore conſenſu retineretur. De abrogatione nominatim loquutus non ſum. Quin potius laudavi, quod hactenus fovendæ pacis ſtudio, ſe ad Bernatium morem accommodaſſent. Quum plebiſcito audivi abrogatos eſſe dies illos, adeo res erat inexpectata, ut propemodum obſtupuerim. Certe ſi ſententiam rogatus eſſem, nihil aliud dico, niſi quod vix auſus eſſem ita ſtatuere. Vides in toto hiſtoriæ contextu, nihil fuiſſe recens inductum: ſed Eccleſiæ conſuetudinem, quæ malo exemplo everſa fuerat, revocatam: & tamen id prærer opinionem meam accidiſſe. Nec vero hæc ſola fuit Eccleſia, quæ nullas, præterquam diei ſeptimæ ferias retinuerit. Argentorati enim idem olim inſtitutum erat. Ego adveniens ordinem bene compoſitum turbare non debui. Quod nunc etiam quaſi poſtliminio revocatus eſt, mihi non videtur eſſe tanta offenſionis cauſa. Si quid tamen culpæ eſſet, inique faciunt qui me ſubjiciunt alieni facti reum. Vale.

BULLINGERUS CALVINO S. D.

Vix meas illas occluſeram, tradendaſque Italo illi Cremonenſi curaveram, quum tuæ mihi per hunc tabellionem redduntur, Calvine colendiſſ. frater, & quidem expectatæ & gratiſſimæ. Non aliud expectaveram de te, mi frater, reſponſum, quam quod exhibes. Scio enim in hujuſmodi rebus parum pietatem promoventibus, multum autem invidiæ conflantibus, te nunquam fuiſſe moroſum. Ego quidem in his eam libertatem ſervari cupio, quam video apud Eccleſias viguiſſe ab ipſis Apoſtolorum temporibus. Noſtra Eccleſia ante annos, ni fallor, 12, plura habuit feſta: ſed abrogatis bis ſolum retinuit diem Dominicam, & feſta Chriſti, Nativitatis videlicet, Circumciſionis & Aſcenſionis D. Adjecit & miſſionem Spiritus ſancti ſuperioribus propter celebrationem Cœnæ D. Abrogavit autem feſta alia, quod vicini interpretarentur nos ferias agere divis. Ergo ut palam profiteremur nos non colere divos cultu ſoli Deo debito, omnia in univerſum abrogavimus. Multa quidem erat altercatio in innovationis initio, modo autem ſumma eſt inter nos tranquillitas. Certum eſt D. Bucerum migraſſe ad D. in Anglia, & D. Hopperum Epiſcopatui ſuo reſtitutum eſſe, qua de re tibi dudum ſcripſi, ſi literæ tibi ſunt redditæ. Addo his aliud non lætum nuncium, D. Vadianum noſtrum exceſſiſſe 6 April. magno cum mœrore totius urbis & Eccleſiæ Sangall. Servamur nos, mi frater, ſæviori certamini, cui ſi nos D. immiſcuerit, certo non deſeret. Ipſe vires conferat, ut ipſum & confeſſione doctrinaque & in corpore noſtro ſemper glorificemus. Siquando dabitur occaſio, ſcribe obſecro. Nam nihil mihi tuis eſt gratius literis. Vale æternum cum Gallaſio & omnibus fratribus. Tiguri, 29 Auguſt. M. D. LI.

VIRETUS CALVINO S. D.

Cognoſces ex Farelli literis quid egerit, quomodo ſit exceptus & quid à nobis requirat, quid item velit ad te ſcribi ſuo nomine. Non dubito quin tibi ſæpe illud veniat reſponſum D. in mentem, quod fecit Paulo deprecanti illum carnis ſtimulum quo aſſidue & tam acerbe pungebatur. Noſti quas ob cauſas D. ſervis ſuis adverſa immittat, & quam in partem Paulus interpretetur. Non vos tot artibus & tam malis ac toties Satanas impeteret, niſi hoc veſtrum propugnaculum quod habet apud vos Chriſti Eccleſia, ſibi admodum ſentiret adverſarium & ſuo regno inimicum. Sit igitur vobis hic ejus inſultus tanquam ſacramentum, quo magis atque magis confirmemini in ſancto hoc certamine ad quod eſtis vocati. Si ex mundo eſſetis vos mundus diligeret, vobis faveret. Certiſſimæ igitur notæ vobis eſſe debent ſanctæ veſtræ vocationis impiorum prava ſtudia, quibus alii clam, alii palam ſanctis veſtris conatibus reſiſtunt, & pia ſtudia remorari conantur. Memento ejus fiduciæ qua ſeſe David erigebat adverſus Goliath pugnaturus, memor victoriæ illius quam ex dilaniato à ſe urſo & leone reportarat. Qui te hactenus cum tuis fratribus invictum ſervavit, perficiet opus quod cœpit in vobis. Impii proficient in pejus, quamdiu volet D. Sed interea eorum interitus nec dormitat, nec cunctatur. Non vident cæci judicia D. tam illuſtria quorum fulgor omnibus perſtringit oculos. Atque eo teſtantur ſe eſſe deploratiores, & à Deo magis alienos. Oportet eſſe ſectas, ut qui probati ſunt, fiant manifeſti. Oportet jam reipſa experiri, ſintne cœtus electorum & reproborum, quando Dei veritati hoc credere nolunt tam aperte docenti. Sollicití expectamus exitum hujus turbationis. Scripſiſti nuper te nolle ſcribere quid facturus eſſes, ſi noſtro eſſes loco. Scribe. Nam crede mihi, ſi quod facturus eſſes, quum à nobis fiet, gloriam Dei promovere poteſt, nullo noſtro deerimus muneri. Hoc tamen nos male habet, quod nondum ſatis proſpicere potuimus, quid magis in rem Eccleſiæ futurum eſſet. Vale. Collega te ſalutat. Lauſannæ, 24 Decembris. M. D. LI.

MINISTRIS HELVETICIS *Fratribus & Symmyſtis plurimum obſervandis* S.

Eſt hic Hieronymus quidam, qui abjecta monachi cuculla, unus ex circumforaneis medicis factus eſt, qui fallendo & fruſtrando tantum ſibi impudentiæ acquirunt, ut ad quidvis audendum prompti ſint ac parati. Is jam ante octo menſes in publico Eccleſiæ noſtræ cœtu doctrinam de gratuita Dei electione, quam ex verbo Dei acceptam vobiſcum docemus, labefactare conatus eſt. Ac tunc quidem qua fieri potuit moderatione ſedata

fuit hominis protervia. Poſtea non deſtitit locis omnibus obſtrepere, ut ſimplicibus hoc fidei caput excuteret. Tandem virus ſuum nuper aperto gutture evomuit. Nam quum pro more noſtro unus è fratribus illum Joannis locum exponeret, ubi pronunciat Chriſtus, ex Deo non eſſe, qui verba Dei non audiunt: dixiſſetque, quotquot Spiritu Dei renati non ſunt, pervicaciter uſque in finem Deo reſiſtere: quia peculiare ſit obedientiæ donum, quo Deus ſuos electos dignatur. Surrexit nebulo ille, ac dixit falſam & impiam opinionem, cujus auctor fuit Laurentius Valla, noſtro ſeculo exortam eſſe: quod Dei voluntas rerum omnium ſit cauſa. Hoc autem modo peccata, & malorum omnium culpam in Deum transſcribi, & illi affingi tyrannicam libidinem, qualem Poetæ veteres in ſuo Jove commenti ſunt. Poſtea ad alterum caput deſcendit, non ideo ſalutem conſequi homines, quia electi ſint; ſed ideo eligi, quia credant: nec reprobari quenquam nudo Dei placito, ſed eos tantum, qui ſe communi electione privant. In hac quæſtione agitanda multis & atrocibus convitiis in nos invectus eſt. Præfectus urbis re audita eum duxit in carcerem, præſertim quia tumultuoſe plebem hortatus fuerat, ne ſe decipi à nobis ſineret. Nunc ad Senatum delata eſt cauſæ cognitio. ubi errorem ſuum non minori obſtinatione quam audacia tueri perrexit. Interea quum jactaret ſe in aliis Eccleſiis complures habere à ſua parte Miniſtros, poſtulavimus à Senatu noſtro, ne prius de tota ſumma pronunciaret, quam habito Eccleſiæ veſtræ reſponſo, cognoſceret nebulonem illum improbe ſuffragii veſtri titulo abuti. Ille initio pudore victus Eccleſiarum judicia non abnuere, ſed cavillari vos merito propter familiarem cum fratre noſtro Calvino uſum videri ſuſpectos. Senatus tamen ſicuti à nobis rogatus erat, vos cenſuit conſulendos. Huc quoque acceſſit, quod veſtram Eccleſiam implicabat. Zuinglium enim præ aliis omnibus damnans, Bullingerum ejuſdem ſecum eſſe ſententiæ mentiebatur. In Miniſtris etiam agri Bernenſis aſtute diſſidii anſam captavit. Nos vero ſic Eccleſiam noſtram cupimus hac peſte purgari, ne inde fugata vicinis noceat. Tametſi autem noſtra, & publicæ tranquillitatis magnopere intereſt, quam profitemur doctrinam veſtro conſenſu approbari: non eſt tamen, quod fidem veſtram multis verbis imploremus. Non ignota eſt vobis fratris noſtri Calvini Inſtitutio, quam hic præcipue ſuſcipit oppugnandam. Quam reverenter ac ſobrie illic de arcanis Dei judiciis diſſerat, prædicare nihil attinet: quia ſatis luculentus per ſe teſtis eſt liber. Nec vero quidquam hic docemus, niſi quod ſacro Dei verbo proditum, in Eccleſia veſtra jam inde à reſtituta Euangelii luce obtinuit. Satis convenit, fide nos juſtificari: ſed in eo apparet ſolida Dei miſericordia, quùm fidem intelligimus gratuitæ adoptionis eſſe fructum. Adoptionem vero ex æterna Dei electione fluere. Hic autem impoſtor cum electionem ex fide pendere fingit, tum fidem ipſam non minus ex proprio motu hominis, quam ex cæleſti inſpiratione oriri. Rurſum extra controverſiam eſt, quod pereunt homines, ipſorum malitiæ imputandum eſſe. Sed in reprobis, quos Deus arcano ſuo conſilio tanquam indignos præterit ac deſerit, illuſtre ſe profert humilitatis documentum. Hieronymus autem iſte nihil juſte à Deo fieri concedit, niſi cujus ratio poſita jaceat ſub oculis. Hoc denique inter nos fixum eſt, ac conceſſum: Deum in hominum peccatis culpæ ſocium adſcribi fas non eſſe: nec ullo modo in eum competere peccati nomen. Id tamen non obſtat, quominus miro quodam & incomprehenſibili judicio per Satanam & reprobos tanquam iræ ſuæ organa manus ſuæ potentiam exercens, nunc fideles ad patientiam erudiat, nunc hoſtibus ſuis pœnas infligat quales merentur. Hic profanus nugator Deum reatu involvi clamitat, quum ejus providentiam rerum omnium arbitram facimus. Denique omne diſcrimen inter cauſam remotam & abſconditam, & propinquas tollens, ærumnas ſancto Job impoſitas Dei opus cenſeri non patitur, quin pariter cum diabolo, & Chaldæis, & Sabæis latronibus reus fiat. Proinde quod mutua inter nos conjunctio poſtulat, veſtra ſubſcriptione Chriſti doctrinam, ſacrilegis protervi & male feriati hominis gravatam, levare & aſſerere ne gravemini. Quod quia vos ultro & libenter facturos confidimus, anxiis vel accuratis precibus vobiſcum agere ſupervacuum eſt. Nos viciſſim ſicubi uſui erit vobis noſtra opera, ad fraternum omne officium ſemper paratos habebitis. Valete chariſſimi & obſervandi fratres. Dominus vos Spiritu ſuo regat, labores veſtros benedicat, & Eccleſiam veſtram tueatur. Genevæ.

CALV. MINISTRIS BASILIENSIBUS S D.

Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto, chariſſimi & plurimum fratres honorandi.

ETſi reſponſum de quæſtione vobis propoſita dediſtis minus plenum ac liquidum quam res forte poſtulabat, certe quam ſpes votaque noſtra ferebant: veſtrum tamen candorem juvandique ſtudium gratis animis amplexi ſumus. Cæterum nihil illic niſi pium & orthodoxum contineri ſentimus. Utinam talis confeſſio impetrari à Bolſeco potuiſſet. Nulla enim cauſa fuiſſet exhibendæ vobis moleſtiæ. Sed quod de ipſo teſtati ſumus, plusquam ferreæ eſſe frontis hominem, verum eſſe comprobat, quum ſe veſtro judicio ſubſcribere mentitur. Nec vero eum puduit coram Senatu noſtro idem jactare. Sed valida refutatione quæ in promptu erat, confuſus, tandem obmutuit. Porro an quidquam veſtræ doctrinæ affine habeat, non eſt difficile judicium. Literis noſtris ac teſtimonio ne habeatur fides: deſcriptas ex actis publicis ejus reſponſiones Senatus noſter vobis miſit, in quibus reperietis ad verbum, fidem ab electione non pendere: item electionem eſſe ex fide: item neminem in ſua cæcitate manere ob naturæ corruptionem; quia rite à Deo illuminantur omnes: Deum vero contumelia affici, ſi quis dicat deſeri aliquos in ſua cæcitate à Deo, quoniam illi ſic viſum eſt. Item trahi à Deo rationales omnes creaturas: nec quenquam ab initio deſeri, ſed qui ſæpius Deo reluctatus eſt. Item ex lapideo corde fieri cor carneum, nihil eſſe aliud quam dari cor intelligentiæ capax. Hanc vero gratiam generalem eſſe: item non eſſe hos potius quam illos ad ſalutem prædeſtinatos. Quum illi ex primo ad Epheſios capite objectus eſſet *Eph. 1: 5.*
locus, pro deſperata ſua impudentia reſpondit, non *& deinceps.*
illic de communi piorum ſalute tractari: ſed quod Paulus cum ſuis collegis in munus Apoſtolicum electus foret. Quum rurſum à nobis exceptum eſſet, ſolos igitur Apoſtolos adoptionis gratuitæ eſſe compotes, ſolos Deo reconciliatos eſſe, ſolos remiſſione peccatorum donatos: adeo non motus eſt, ut canino riſu fulmina illa exciperet. Conferte hæc deliria cum veſtro judicio: quid magis diſſentaneum? Abſit ergo ut vos impiis ejus erroribus dicamus ſuffragari: à quibus vos eſſe alieniſſimos epiſtola veſtra diſerte clamat. Imo quum tentaret impoſtor vos ſibi implicare, detecta ejus fraude proterviam ſtrenue compeſcuimus. Cujus rei Senatum noſtrum habemus locupletiſſimum teſtem. Et quum in exilium actus eſt, publice ex ſolenni more pronunciatum ex ſcripto fuit, judicia Eccleſiarum, quibus ſtaturum ſe receperat, contumaciter ſpreviſſe. Scribat Falleſius hominem eſſe non malum, & in gratiam ignoti nebulonis famam ſuam ludibrio proſtituat. Brevi majore quam vellemus Eccleſiæ damno conſtabit, quam noxia fuerit peſtis. Nam alia quoque errorum monſtra alere,

multi

multi ſunt idonei teſtes. Et nunc quum fidem veſtram aperte oppugnet, fallaci conſenſus ſimulatione à vobis literas elicere conatus eſt, quarum prætextu apud rudes & ſimplices abuteretur. Vos autem & amice erga nos, ut fratres decebat, quod reſponſum diſtuliſtis, uſque dum facti eſſetis de tota re certiores: atque, ut veſtra prudentia dignum erat, ſcite & recte, quod impii & perfidi nebulonis aſtutia vos circumveniri paſſi non eſtis. Ut veſtra moderatio non vulgari laude digna eſt: ita vos ejus fructum ſenſuros ſperamus. Pro iſta qua erga nos uſi eſtis humanitate, non vulgares habemus gratias. Valete eximii viri, & fratres nobis ex animo colendi. Dominus vos cum Eccleſia veſtra conſervet ac benedicat. Menſe Januario. M. D. L I I.

Calv. Christophoro Liberteto s. d.

TU vero, mi Chriſtophore, longe falleris, ſi æternum Dei conſilium ita poſſe diſcerpi putas, ut quoſdam elegerit in ſalutem, neminem exitio deſtinarit. Nam ſi aliquos elegit, ſequitur certe non omnes eſſe electos. Porro quid de his dicendum erit, niſi eos ſibi relinqui ut pereant? Mutua igitur inter reprobos & electos relatio ſit oportet. Verbo quidem fatetur Hieronymus Bolſecus, certum aliquem numerum à Deo electum eſſe; ſed quum propius urgetur, ad univerſos homines delabi ipſum neceſſe eſt. Dicit enim palam, ex æquo gratiam omnibus offerri, quæ ad ſalutem ſit illis efficax: quod alii recipiunt, alii reſpuunt, diſcrimen in libero eorum arbitrio eſſe, qui Deum vocantem motu proprio ſequuntur. Neque enim diſſimulat ſic libero arbitrio præditos eſſe omnes, ut in medio omnibus poſita ſit obtinendæ ſalutis facultas. Hoc modo totam prædeſtinationem ab ipſa radice convelli vides: ſtatui liberum arbitrium, quod ſalutem aliqua ex parte nobis acquirat. Atque hoc plus quam ridiculum eſt, quod Hieronymus liberum arbitrium confeſſus, à meriti voce abhorret. Quiſquis enim ideo cenſetur in Dei filiis, quia oblatæ ſibi adoptionis gratiæ ſe aptavit, quomodo merito ſpoliandus eſt? Hunc ſibi ſenſum, vel potius hoc ſe delirio implicitum teneri, jam ſatis prius oſtenderat: ſed nuper rurſus ad nos venit. In cœtum noſtrum vocatus, cavillando nihil profecit, quin eum ex ſuis latebris in lucem protraherem. Præter quindecim verbi Miniſtros aderant & alii teſtes idonei. Norunt omnes, ſi vel unam pudoris guttam habuiſſet, potuiſſe ſtatim ad ſanam mentem reverti. Sed initio puerilibus cavillis ludebat: ſed tertio verbo quum premeretur, frontem penitus abjecit. Subinde enim, quod bis & ter conceſſerat, negare: quod negaverat, rurſus concedere: vacillare à ſuis principiis, interdum etiam excidere: ſine fine & modo in eoſdem revolvi circuitus. Nec fieri aliter potuit. Niſi enim tractos à Patre fuiſſe, qui ad Chriſtum veniunt, fatemur, & hoc peculiare eſſe Spiritus ſancti opus in electis: vel omnes promiſcue electos eſſe conſtat, vel cauſam electionis in cujuſque merito ſitam eſſe. Si reprobationis exordium in ſecunda hominis contumacia ſtatuitur, ſequitur nihil apud Deum eſſe conſtituti, ſed ſuſpenſum eſſe ejus conſilium, quid de ſingulis acturus ſit. Fatetur Hieronymus natura omnes pravos eſſe, gratiam Dei omnibus offerri, quæ ingenitam à natura pravitatem corrigat. Quoſdam fingit liberi arbitrii ſui motu correctionem admittere, ut ſit efficax: alios, quibus idem liberum eſſet, reſpuendo bis fieri contumaces: inde fictitiam reprobationem elicit. Ita æternum Dei conſilium ſubjici omnium arbitrio, quis non videt? Et tu elegantiam neſcio quam in tanta inſulſitate videre te putas? Atqui, ſi quid in divinis intelligo, hoc multo ineptius ac craſſius commentum eſt, quam Papiſtarum fuit. Jam ſi fructus electionis eſt bona & recta in homine voluntas, reprobos ſequitur toto cordis affectu ad malum ferri. Nec vero Paulus, quum volentis eſſe ne- *Rom. 9.*
gat, aliquam tribuit reprobis voluntatem, quæ per *verſ. 16.*
ſe ſit irrita: quin potius ex Dei miſericordia fluere docet, quod bene velle & recte currere incipiant, qui prius erant ab omni rectitudine averſi. Deſinant ergo fontem & primam cauſam diſcretionis inter electos & reprobos in humano arbitrio locare, ſi quem electioni Dei locum relinquere volunt.

Calvinus N. s. d.

CItius eram ſcripturus, niſi me ſpes adventus tui, quam literæ tuæ fecerant, hactenus tenuiſſet. Nunc longior mora vel mutatum abs te conſilium eſſe arguit, vel aliquid quod profectioni tuæ obſtiterit, accidiſſe. Atque hoc quidem poſterius mallem, modo ne quid triſte ſit & adverſum: deinde nonniſi ad breve tempus te impediat. Verum quod nollem prope ſuſpicari cogor, non eundem qui tunc fuit, hodie tibi manere animum. Equidem hic falli cupio: & ſi ita eſt, errorem meum extemplo refellere in tua poteſtate eſt: quod ut facias, vehementer rogo. Si tibi factam à me injuriam queraris, ego libenter culpam deprecabor: aut ſi rigidior fueris, pœnam quam ſtatues luere non abnuam. Solum adventu tuo quæ nos adhuc ſuſpenſos tenet dubitationem exime. Nec vero me fugit quam multa iſtic quotidie dici ſoleant ad turbandum quod ceperas conſilium: quam multa etiam tibi ultro venire in mentem potuerint. Verum ſi meo conſilio, aut ſaltem precibus obtemperas, duo abs te impetrare velim, ne te vanorum hominum blanditiis lactandum præbeas, ſed potius in te deſcendens, conſcientiam intus propriam roges quidnam factu ſit opus. Deinde ne alium tibi judicem vel arbitrum ſtatuas, quam Deum ipſum. Video enim quas ſibi delicias faciant permulti, ac præſertim ordinis tui homines. Quanquam autem ex eorum numero te eſſe non arbitror, qui ſuis deliciis inebriati, ſecure ſibi indulgent: non videtur tamen ſupervacua monitio, ne forte per incuriam obrepat torpor, ut acrius tibi & ſeverius inſtes. Quod nuper multorum animi ſpe neſcio qua erecti ſunt, utinam firma eſſet ratio! Siquos juvat multa ſibi de nihilo promittere, voluntario eorum errori non invideo. Tibi vero denuncio, niſi ſponte falli vis, non eſſe cur iſta temere paſſim concepta opinio te moretur. Jam ſi migrandi tempus nondum eſſe maturum putas; ſaltem menſem unum quo nos inviſas, furari licet. Certe præſtat ſemel coram in ſermonem venire, quam agitare per literas, de quibus vix unquam probe diſceptabitur, donec in rem præſentem ventum fuerit. Simul tamen memineris, ſi alimentis mature proſpicitur, & damni infecti cautio moram nullam admittit, minus eſſe in hac cauſa procraſtinandum. Vale eximie vir & mihi plurimum honorande. Dominus tibi ſemper adſit, Spiritu prudentiæ & fortitudinis te gubernet, greſſus tuos regat in gloriam nominis ſui, Amen. 8. Calend. Auguſt. M. D. L I I I.

Calv. Farello s. d.

QUum his menſibus aſſiduo concionum onere ſupra modum gravatus fueris; jam tempus eſſe arbitror, ut tibi aliquantulum quietis indulgeas. Frater noſter Chriſtophorus interea ſe paulatim colliget. Neque enim ſalubre foret, tam cito à morbo longam profectionem ſuſcipere. Ergo ſi conſilio meo obtemperas, brevi nos inviſes. Si videbitur, in itinere comitem aſſumes Viretum. Niſi facturum te confiderem quod ſuadeo, haberes à me longiores literas. Etſi in rebus noſtris nihil eſt quod te exhilaret. Qua etiam ratione à ſcri-

bendo impedior, ne bis tibi ſim moleſtus. Cave tamen ne miſeros fugias. Vale integerrime frater & præſtantiſſime Chriſti ſerve. Dominus tibi perpetuo adſit, te gubernet, labores tuos benedicat. Collegam, fratres, amicos & familiam ſaluta. Genevæ, 10 Julii. M. D. LII.

Joannes Calvinus tuus.

Melanchthon Calvino s. d.

Reverende vir, & chariſſime frater, ſæpe ad te ſcriberem, ſi tabellarios certos haberem. Colloqui etiam mallem de rebus graviſſimis multis: quia & judicium tuum magni facio; & ſcio integritatem animi, & candorem in te ſummum eſſe. Nunc ita vivo [illegible]. Sed fortaſſis ex hac mortali vita ad collegium in cælo candidius brevi accedam. Audio Franciſcum Dryandrum hac æſtate apud te fuiſſe. Mihi, ſi vivam, nova exilia expectanda ſunt. Quare ſi cedendum erit ex his locis, colloqui tecum decrevi. Studia doctrinarum in his regionibus mediocria fuerunt. Nunc lue & bellis impediuntur. Ac ſæpe gemens deploro cauſas horum furorum in gubernatoribus. Oro etiam Filium Dei, ut has calamitates leniat, & auferat cauſas. Si voles mihi ſæpius ſcribere, poteris literas Franciſco Dryandro mittere. In pagella, quam incluſi, breviter ſcripſi hiſtorica hujus Autumni. Bene vale. Calend. Octob. M. D. LII. Jam reſpondeo ad Gorgonam Oſiandri. In Pannonia Turcici Baſſæ tres ſunt, qui habent duos exercitus: & recens occuparunt quædam oppida inſignia, & trucidaverunt exercitum Regis Ferdinandi. Nunc profectus eſt in Auſtriam Dux Saxoniæ Mauricius, ut ducat exercitum contra Turcas. Interea Marchio Albertus vaſtata vicinia circa Noribergam, & vexata Francfordia, diripit oppida in diœceſibus Moguntina & Trevirenſi. Gallici Regis exercitus acceſſit ad Leodienſem diœceſim. Imperator Carolus Spiræ exercitum colligit, ut Gallicum Regem & Marchionem reprimat. In Saxonia filius Comitis Alberti Mansfeldenſis colligit exercitum circa Bremam, & nunc ad hæc loca nobis vicina accedit, recuperaturus ſuam patriam, & turbaturus totam regionem. Ita ſunt in Germania paſſim vaſtationes. Eccleſiæ ſunt in luctu & mœrore: & doctrinarum ſtudia conticaſcunt. Creſcit robur ſeditioſe clamantium de libertate. Vobis tranquillitatem gratulor, & Deum oro ut nobis quoque noſtras miſerias leniat.

Philippus.

Calv. Melanchthoni s. d.

Literis tuis, quas altero poſtquam datæ fuerant menſe accepi, nihil potuit accidere hoc tempore gratius. Nam ad ingentes moleſtias, quibus ſatis duriter conficior, nullus fere eſt dies quo non aliquid novi doloris, vel curæ accedat. Itaque ſub qua premor malorum congerie brevi tabeſcerem, niſi eorum acerbitatem Dominus ſuis remediis leniret: in quibus hoc mihi non leve fuit, quod & te mediocriter valere cognovi, ut ſaltem fert ætas, & tenera corpuſculi tui valetudo: & de amore in me tuo nihil prorſus eſſe mutatum, ipſis literis factus ſum certior. Relatum mihi fuerat, ſic te mea quadam nimis libera admonitione, quæ tamen longe aliter afficere te debuerat, fuiſſe offenſum, ut epiſtolam coram aliquot teſtibus conſcinderes. Etſi autem parum credibilis erat nuncius, ex quo tamen longo temporis ſucceſſu variis ſignis confirmatus eſt, aliquid tandem ſuſpicari coactus ſum. Quo nunc libentius cognovi, ſalvam adhuc inter nos manere conjunctionem: quam certe, ut ex concordi pietatis affectu coaluit, ſanctam perpetuo, & inviolabilem eſſe decet. Quum autem magnopere noſtra intereſſit, quam Deus nominis ſui auſpiciis ſacravit amicitiam, bona fide, conſtanterque ad extremum colere: totius etiam Eccleſiæ magna hic agitur vel utilitas, vel jactura. Vides enim quam multorum in nos conjecti ſint oculi: ut improbi maledicendi anſam ex diſſidiis noſtris captent: ut obſcuris tantum ſimultatibus infirmi turbentur. Nec vero parvi refert ne qua ad poſteros exeat ullius inter nos exortæ diſcordiæ ſuſpicio. Pluſquam enim abſurdum eſt, poſtquam diſceſſionem à toto mundo facere coacti ſumus, inter ipſa principia alios ab aliis diſſilire. Porro etſi me procul abs te diſtare agnoſco, libenterque fateor: quia tamen non ignoro, in quem theatri ſui gradum me Deus extulerit; non eſt cur diſſimulem, ſine magna Eccleſiæ injuria non poſſe amicitiam noſtram violari. Atque ut nulla ſit nobis aliorum ratio: ex tuo ipſius ſenſu æſtima, quam mihi acerbum foret, ab eo homine alienari, quem & unice amo ac revereor, & Deus ut toti ſuæ Eccleſiæ conſpicuum redderet, non modo ſingularibus donis magnifice ornavit, ſed adhibuit ad res ſummas gerendas primarium miniſtrum. Et certe mirus hic ac prodigioſus eſt ſtupor, quod inter nos tam facile contemnitur ſacer ille conſenſus, quo cæleſtes Angelos referre in mundo decebat. Interea non deſinit Satan diſcordiarum ſemina paſſim ſpargere: & fit noſtra ſocordia, ut multam materiam concervet. Tandem excitandis ignibus reperit ſua flabella. Referam quod nobis in hac Eccleſia ſummo piorum omnium cruciatu acciderit. Ac jam annus integer elapſus eſt, ex quo inter has pugnas jactamur. Quidam nebulones, quum nobis de gratuita Dei electione, & miſera humani arbitrii ſervitute litem moverent, & publice tumultuarentur, nihil ad nos gravandos habuerunt magis plauſibile nominis tui prætextu. Quum experti eſſent, quam nobis promptum eſſet quæcunque ingerebant commenta refellere, hoc ſcilicet artificio nos obruere tentabant, niſi vellemus palam abs te diſcedere. Et ea quidem ſervata fuit à nobis moderatio, ut minime extorſerint, quod aſtute captabant. Profeſſi ergo ſumus ego & collegæ omnes mei, eundem, quo tendis, in doctrina ſcopum nobis eſſe propoſitum. Nec verbum in tota diſceptatione excidit, vel in te minus honorificum quam par erat, vel quod tibi fidem detraheret. Nec tamen fieri poteſt, quin me interea vehementer urat tacita iſta cogitatio: improbis poſt mortem noſtram, vexandæ Eccleſiæ occaſionem, quoties libuerit, relinqui, dum pugnantes eorum ſententias in certamen committent, quos velut uno ore unum idemque loqui decuerat. Quod ſe Oſiander nobis ſubduxit, imo non ſine violento impetu ſe proripuit, non mirum, nec tantopere dolendum. Tu enim expertus pridem es, ex eo eſſe ferarum genere, quæ nunquam cicurantur: & ego ſemper inter noſtra dedecora eum numeravi. Quo certe die mihi primum viſus eſt, profanum hominis ingenium, & fœdos mores ſum deteſtatus. Quoties ſuave ac generoſum vinum laudare vellet, has in ore habebat voces, Ego ſum qui ſum: item, Hic eſt Filius Dei vivi: quæ manifeſta Dei ludibria proderent. Quo magis ſæpe miratus ſum veſtra omnium indulgentia talem belluam foveri. Præcipue vero, quum locum in præfatione quadam tua legerem (ubi poſt Wormatienſe inſaniæ ſpecimen pluſquam liberaliter abs te laudatur) obſtupui. Sed faceſſat ille, quem alieniſſimum à nobis eſſe expedit. Quoſdam alios retentos mallem. Ut tamen hos quoque omittam: me non leviter pungit, quæ in noſtra docendi ratione nimis palam conſpicitur repugnantia. Equidem non ignoro, ſi quid detur hominum auctoritati, longe æquius eſſe, ut tibi ſubſcribam, quam ut tu in ſententiam meam deſcendas. Verum id non agitur: neque etiam a piis Chriſti miniſtris optandum eſt. Hoc ſcilicet quæri utrimque decet, ut conſentiamus in puram Dei veritatem. Me autem, ut ingenue

fatear,

fatear, religio impedit, ne tibi in hac doctrinæ parte accedam: quod nimis philoſophice de libero arbitrio diſputare videris: in electione tractanda nihil aliud habere propoſitum, niſi ut te ad communem hominum ſenſum accommodes. Neque enim hallucinationi tribui hoc poteſt, quod homo acutus, & prudens, & in Scriptura probe exercitatus, electionem Dei cum promiſſionibus confundis, quæ ſunt univerſæ. Nihil enim magis notum eſt, quam verbi prædicationem omnibus promiſcue eſſe communem, ſed fidei Spiritum ſolis electis ſingulari privilegio donari. Univerſæ ſunt promiſſiones. Qui fit igitur ut non perreque apud omnes vigeat earum efficacia? Nempe quia non omnibus brachium ſuum Deus patefacit. Nec vero apud homines mediocriter in Scriptura verſatos ea res diſputatione indiget: quum pariter omnibus Chriſti gratiam offerant promiſſiones: & externa voce invitet Deus quoslibet in ſalutem: peculiare eſſe fidei donum. Et mihi videor totam hanc quæſtionem, quamvis impedita ſit ac ſpinoſa, proxime edito libello dilucide explicaſſe. Quum res adeo plana ſit, te ex animi ſenſu prorſus diverſum tradere, nemo erit ſani judicii cui perſuadeas. Curam ſimul & dolorem mihi auget, quod te video hac in re propemodum eſſe tui diſſimilem. Audio enim, quum tota oblata eſſet formula noſtræ cum Tigurina Eccleſia conſenſionis, protinus arrepto calamo ſententiam unam, quæ Dei electos à reprobis parce & ſobrie diſcernit, abs te fuiſſe confoſſam. Quod certe ab ingenii tui manſuetudine, ut alia taceam, valde abhorret. Itaque ut meum libellum legere, vel ſaltem guſtare ſuſtineas, non rogo: quia id fruſtra mihi facturus videor. Utinam his de rebus coram aliquando colloqui liceret. Notus eſt mihi tuus candor, perſpecta ingenuitas & moderatio: pietas vero Angelis, & toti mundo teſtata eſt. Ergo facile, ut ſpero, tota ea res inter nos expediretur. Quare ſi unquam ſe daret opportunitas, nihil magis optarem, quam ad te accurrere: ſin vero contigerit quod times, erit hoc mihi in rebus miſeris & luctuoſis non leve ſolatium, videre te prius, & amplecti, quam ex hoc mundo migrandum ſit. Hic minime fruimur ea quiete, quam exiſtimas. Intus multum negotii, moleſtiarum atque etiam turbarum. In conſpectu ſunt hoſtes, à quibus nova ſubinde pericula cervicibus noſtris imminent. A Burgundia quinque horarum itinere diſtamus. A ditione Gallica intra unius horæ ſpatium ad portas noſtras venitur. Sed quia nihil beatius eſt, quam militare ſub Chriſti vexillo, non eſt cur te iſta incommoda à nobis viſendis deterreant. Interea gratum officium præſtabis, tuum & communem Eccleſiæ ſtatum indicando. Vale clariſſime vir, & mihi ex animo honorande frater. Dominus te præſidio ſuo tueatur, Spiritu regat, & benedicat ſanctos labores tuos. Collegæ mei, & multi pii cordatique homines te reverenter ſalutant. Genevæ, 4. Calend. Decemb. M. D. LII.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. FARELLO S. D.

ADiſceſſu veſtro rurſus in curiam vocatus ſum. Neque enim comicus noſter Cæſar legationis obeundæ cauſa ante voluit pedem urbe movere, quam negotium hoc tranſactum eſſet: quia timebat, ne ſe abſente aliquid gravius decerneretur in cognatum. Non tamen vocatus ſum per apparitorem, ſed venit domum unus ex Senatoribus, qui me deduceret. Illic Balthaſar ex more conqueſtus eſt de injuria ſibi facta. Reſpondi quod viſum eſt. Senatus deliberatio nec difficilis, nec longa fuit. Niſi quod omnes, acſi non judices, ſed voluntarii arbitri ſederent, nihil ſtatuere audebant, quod non utrique parti ſcirent gratum fore. Balthaſar cum ſuo patrono ſemel atque iterum vocatus, ferociter calcitravit. Tandem viſus eſt, qui ſua intemperie omnia turbare ſolet, illius laſciviam domare: vel ſaltem ſedare nimium fervorem: ne cogeretur Senatus in eum eſſe durior. Etſi autem ſimulabant ambo, ſe graviter uri ob inuſtam infamiæ notam; nihil tamen malebant, quam totam litem placide componi. Quia nullo modo elabi poterat miſer iſte, quin pœnam daret ejus convitii quod ebrius in me effutiverat, tandem quaſi precibus cognati ſui victus, ſtaturum ſe arbitrio Senatus promiſit. Multa prætereo, quæ ultro citroque agitata ſunt. Quia tranſactionem mihi negavi ratam fore, niſi publicis literis teſtata eſſet, recitatur ex ſcripto Senatuſconſultum, in hanc formam: Recte me & ex officio feciſſe, quod illum à ſacra Baptiſmi ſponſione depulerim. Nihil eſſe cauſæ, cur ſe læſum queratur, quum ſuo merito repulſam illam paſſus ſit. Illi mandari, ut me in poſterum reverenter colat, abſtineat ab omni contumacia. Et quia ſparſus eſſet rumor, illum mihi abſenti maledixiſſe, quod ſibi nunquam veniſſe in mentem diceret, locum illi ſui purgandi dari. Hæc autem purgationis ſpecies palinodia erat, honeſto prætextu velata, quo dedecus effugeret. Additum etiam, Senatum hæc omnia ſibi integra ſervare: & ſevere vindicaturum, ſiquando ille inſoleſceret. Sed quia laqueo ſe conſtrictum teneri cernebat, ejus veniam extorſit. Cæterum affinis ejus, qui materteram habet uxorem, quaſi mea facilitate liceret ſine modo abuti, de ſuo addidit, ut ego viciſſim pro bono & honeſto eum homine haberem. Oſtendi breviter quam abſurdum & indignum illud foret. Ita ſine mora & abſque ulla diſceptatione, quod perperam addiderat, expungere juſſus eſt. Ego primo illo capite contentus, quo magna mihi & Collegis libertas parta eſt, in reliquis me exorabilem præbui. Nobis enim dabatur, quod ſanguine meo redemptum optaſſem. Nam etſi aliquoties rationibus noſtris ſuccubuerant, nihil tamen adhuc certi pronunciatum fuerat. Porro ut ſentiret ille quamvis indignus, me ſalutis ac quietis ſuæ eſſe cupidum, conſului ut ad veniam deprecandam ſponte ſe Conſiſtorio offerret. Facturum promiſit. & venit quidem: ſed minime animatus ut decebat. Superbe enim jactavit ſe nullius culpæ ſibi eſſe conſcium: & parum aberat, quin alios impeteret. Ego meo officio defunctus excuſavi, quod paterna indulgentia eum ad bonam frugem revocare fruſtra conatus eſſem. Dimiſſus eſt cum triſti reſponſo, excommunicari eum & ſodales, donec reſipiſcerent. Mirabili Dei providentia hoc totum gubernatum fuit, quod privata venia fretus, in animo habebat paucis poſt diebus infantem mihi afferre, ut majorem apud rude vulgus invidiam conflaret, ſi rejicerem: mihi vero religio fuiſſet admittere, qui publico Eccleſiæ judicio damnatus, nondum pœnitentiam ſuam profeſſus erat. Nunc non facilis modo nobis victoria, ſed plauſibilis etiam cauſa erit. Quanquam de exitu, qualem proſpicio inſtare, non admodum mihi gratulor. Ficta enim confeſſione nos eludet: quæ tamen ipſa ad exemplum proderit. Seniores omnes habemus optime nobis conjunctos, valde etiam cordatos in aſſerendo Eccleſiæ jure, & coercenda improborum protervia. Unum duntaxat excipio, qui tamen perfidis ſuis blanditiis neminem hactenus potuit flectere. Perendie hac tranſiit filius Juſti Jonæ, per equos celeres ad Regem properans, à Comite Mansfeldenſi legatus. Neſcio quid dicam, niſi quod juſta Dei vindicta ubique mundus turbatur, qui ſub illius obſequio quieſcere non poteſt. Plura literis non licet committere. Quum Eccleſiæ Saxonicæ facta eſſet mentio: inter alia narravit, Melanchthonem male audire, quod non magis ingenue profeſſus ſit, ſibi nobiſcum in cauſa ſacramentaria bene convenire. Ipſe autem de tota re ita prudenter & ſcite diſſerit, ut nihil in ejus ſermone futile animadverterim, quum tamen ſatis acriter ad eum obſer-

 van-

vandum eſſem intentus. Non dubito quin jam audieris me patriæ eſſe ſuperſtitem. Ita urbem mortuam lugere cogor, quæ ſuperiore anno ob falſum mortis meæ rumorem ſolennes habuit ſupplicationes, ut de Chriſto triumpharet. Vale integerrime frater, & fidelis Chriſti ſerve, cujus præſidio te commendo. Genevæ, 4. Nonas Decemb. M. D. LII.

CALV. MERCERO S.D.

PRæfectum urbis veſtræ libenter vidi: tum quod ſe hominem pium atque integrum eſſe nobis probavit: tum quod mihi familiariter expoſuit ut valeres, & quo in ſtatu res tuæ nunc eſſent. Fuit hîc circiter dies quindecim. Quanquam autem cupit in patria ſuam operam Domino impendere, quia tamen munus ſuum variis difficultatibus implicitum eſſe videt, quibus ſe parem fore minime confidit: teſtatus eſt in diſceſſu, placere ſibi migrandi conſilium. Quantum ad rationes tuas domeſticas ſpectat, nihil arbitror fore melius, quam ſi primo quoque die laqueos expedias, quibus iſtic teneris. Frater tibi iniquus eſt, magiſque pertinax, quam ut ſponte, quod etiam ſine ejus fraude fieret, ſubſtitutionis ſuæ jure ceſſurus ſit. Tu vero remedii quærendi ſtudio malum duplicare cogitas. Ne poſthac imprudentia te lapſum fuiſſe queraris, tibi jam denuncio, ſi uxorem duxeris, nihil fore tua ſervitute miſerius. Jam ut tibi obſequens & morigera aliqua contingat, & quæ ad ſolum vertendum parata ſit, nihildum tamen hac ratione profectum fuerit. Liberi procreandi ſunt, qui fratrem à ſubſtitutione depellant. Quouſque tandem, obſecro, libertatem tuam differs, ad quam præcipiti fere curſu properandum erat? deinde, quibus auſpiciis nuptias tuas celebrabis? quo genere conſecrationis Domino liberos ab ipſo tibi datos offeres? qualis erit familiæ tuæ religio? Annon cernis novos te laqueos induere, quibus ne ſtranguleris magnopere timendum eſt? imo inexplicabilem labyrinthum te ingredi? Ut nihil ſit incommodi præter biennii moram: eſt tamen [illegible], tempus ita extrahendo, vacationem interea à Domino petere. Sed ego aliter judico: te in hoc lutum, unde nunc emergere conaris, penitus demerſum iri, ſi te ſemel conjugio involvas. Jam quid matre tua fiet, cujus ætas ſingulis diebus ingraveſcit? Sane hoc ſingulare eſt Dei donum, quod quum Dominus illi per te manum porrigat, nihil magis cupit, quam cito à vinculis liberari. Nunc eam per flexuoſas ambages circumducere, neque eſſet humanum, & à pietate etiam tua magis abhorret. Præterea falleris, ſi te ſolutum fore ſperas, ſimulac fueris pater. Quis enim cavebit, liberos patri fore ſuperſtites? Ergo ne tum quidem libera erit agrorum venditio. Quare nihil melius quam ut tranſigas quovis modo cum fratre. Atqui tertia, vel dimidia pretii parte, ut nimium tenax eſt, ac cupiens, te fraudabit? Crede mihi non parum lucri feceris, ſi dimidium juſtæ æſtimationis recipias. Qua in re non mediocriter tibi utilis erit Præfecti opera. Et ſe bona fide ac ſedulo facturum pollicitus eſt, quicquid injunxeris. Quod ſi hæc te nondum ſatis afficiunt, ad obteſtationes me convertam. Te igitur per incomparabile illud redemptionis beneficium obſecro quo nos dignatus eſt Filius Dei, ne quid te impediat vel remoretur, quominus te illi totum addicas. Nec tibi ſuſpectum eſſe decet deſiderii mei ardorem. Quia ſcis in quem finem tantopere adventum tuum expectam. Et magni intereſt, celeriter te ad opus illud accingi, quod Eccleſiæ Dei pluſquam neceſſarium eſſe cognoſcis. Quare omnes morarum nexus vel diſſue, vel abrumpe: ut te nobis quamprimum ſiſtas. Hanc epiſtolam, quum mihi tempus ſeſquihoræ nuncius daret, ex lecto dictare coactus ſum. Excuſa igitur, quod non mea potius manu. Vale eximie vir & frater ex animo colende. Dominus te Spiritu conſilii & fortitudinis gubernet, ne quid tibi aliud propoſitum ſit quam illuſtrare ſanctum ejus nomen. Nonis Decembris. M. D. LII.

BULLINGERUS CALVINO S. D.

DIu jam nihil tuæ pietati ſcripſi, frater in Domino colende & dilecte, præſertim quod ſeriam aliquam occaſionem obſervarem. Ea quum modo ſit oblata, ſcribendi volui officium repetere. Retulit haud dubie frater ille Lauſanenſis è Comitiis Badenſibus rediens quid actum ſit ab urbibus Tiguro, Baſilea, Schafhuſio in cauſa vinctorum propter verbum Dei in Gallia: & quod V. C. Joannes Habius urbis noſtræ Coſ. ad Regem miſſus ſit legatus. Is ergo hodie ſcriptis ad ampliſſimum urbis Senatum literis expoſuit, quomodo legationem injunctam obierit, quid reſponſi à Rege ex ore ipſius proprio acceperit. Nempe quod poſt diligentem ſupplicationem factam, Rex non communicato cum ſuis conſilio poſtularit diſerte, ne urbes illæ in hoc negotio pergant ipſi eſſe moleſtæ: quum non ita pridem ſcriptis ad 4. urbes literis idem negotium ſcripto agentibus animi ſui ſententiam explicarit, de quô nihil ceſſerit: liberum ſe facere urbibus, ut pro ſuo beneplacito res ſuas gubernent: id ipſum omnino velle in regno ſuo, quod prorſus cogitet purum ſervare à ſeditioſis illis hominibus. Hæc eſt illius Regis reſponſio, quæ ita uti meretur à noſtris accepta eſt. Hoc neſcire te nolui, ut hoc ardentiores preces Domino offerre una pergeremus. Vivit qui populum ſuum ex Ægypto liberavit. Vivit qui captivitatem ex Babylone reduxit. Vivit qui Cæſaribus, Regibus ac Principibus profligatis Eccleſiam ſuam aſſeruit. Oportet nos quidem per multas afflictiones ingredi in regnum Dei. Væ autem illis qui tangunt pupillam oculi Dei. Pergamus nos conſtanter docere verbum Dei, prædicare Euangelium Chriſti, & cum omnibus ſanctis in cælum oculos attollere. Non deſeret nos qui dixit, Ero vobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi. In mundo afflictionem habebitis: confidite, ego vici mundum. Chriſtus ſervet nos & ſuam Eccleſiam. Saluta fratres omnes. Salutant te fratres. Tiguri, 15 Auguſti. M. D. LII.

CALV. JOANNI CHÆKO.

HActenus ad te ſcribere diſtuli, vir ornatiſſime, ne aliud appetere forſan viderer quam animus meus ferebat. Nam ut fucoſæ ſunt mundi amicitiæ, atque ut paſſim regnat ambitio & vanitas, pauciſſimi vero ſunt qui ſinceritatem colant: neceſſe eſt, ſuſpectos fere nobis eſſe quorum non penitus comperta eſt probitas. Tandem pluſquam legitima ſcribendi cauſa viſa eſt, quod quum jam aliquoties ad Regem ipſum auſus fuerim ſcribere, nihil unquam ad te dare literarum minime deceat, cujus opera (ſecundum Dei gratiam) factum eſt, ut mihi aliiſque Chriſti ſervis [illegible] illum pateret acceſſus. Ac præteriti quidem temporis facilis eſt excuſatio, quod initio veritus ſum ne parum ſibi haberi fidei putarent, quorum hortatu ſcribebam, ſi aliorum opera uſus forem in literis offerendis: & tibi quocum nulla mihi familiaritas interceſſerat, moleſtus eſſe nolebam. Quod ſi quid peccatum eſt, pudori hoc meo potius quam negligentiæ tribues. Nam quum pridem & eximiæ tuæ pietatis, & excellentis doctrinæ fama inductus merito te coluerim: hæc una ratio ſatis tibi conciliat bonorum omnium animos, quod Regem non modo præſtantiſſimæ indolis, ſed etiam maturæ ſupra ætatem virtutis tuo labore formatum habet Anglia, qui laboranti, imo prorſus afflictæ Dei Eccleſiæ in his miſerrimis temporibus manum porrigat. Certe Dominus quum hoc

te honore dignatus eſt, non eos ſolum tibi devinxit, qui præſentem inde fructum capiunt, ſed quicunque reſtitutam cupiunt Eccleſiam Dei, vel ſaltem collectas ejus reliquias. Nunc ſi, quem diu apud me tacitus alui, amoris affectum tibi teſtatum facerem, hoc meum officium tibi non fore ingratum, mihi perſuaſi. Cæterum, quando neque tu in iſto fortunæ ſplendore privatis mei ſimilium officiis indiges: & ego tenuitate mea contentus nihil tibi oneris mea cauſa impoſitum eſſe volo: mutuam inter nos benevolentiam colamus in hac caduca vita, donec in ſolidum ea fruamur in cælo. Interim uno conſenſu ſtudeamus regnum Chriſti ornare, quantum in nobis eſt, propagare, & tueri. Videmus enim quam multi ſint palam infeſti hoſtes, quorum in dies magis creſcit furor, & accenditur: ex eorum autem numero, qui nomen Euangelio dederunt, quam pauci bona fide in aſſerenda Filii Dei gloria laborent: quantum ſit in multis primoribus frigus, vel potius quanta ignavia: quantus denique totius mundi ſtupor. Quanquam autem adeo te voluntarium eſſe exiſtimo, ut alienis ſtimulis minime indigeas: quæ tamen humanitas tua eſt, non dubito quin tibi familiariter hæc à me proponi, boni conſulas, quæ ſibi unumquemque noſtrûm aſſidue ſuggerere convenit. Id vero abs te nominatim peto, ut ſiquando Regem Sereniſſimum cenſueris meis exhortationibus excitari poſſe, monere, & ea re præſenti conſilium dare ne graveris. Vale præſtantiſſime vir & mihi ex animo colende. Dominus te ſuo præſidio tueatur, Spiritu ſuo gubernare pergat, & ſanctas tuis laboribus benedicere. Genevæ, Idibus Februarii. M. D. LIII.

Calv. Farello.

Quum nuper extremis amici officiis erga te defunctus, ut mihi quidem videbar, quod reſiduum inſtabat doloris nimis maturo diſceſſu effugere optaſſem: tantæ feſtinationis quam merebar pœnam dedi. Atque utinam ſolus dediſſem. Sed hoc aliquanto deterius fuit, quod eodem complures bonos mœrore mecum implicui. Nunc tamen lætiore nuncio recreatus, ſtultitiam & pudorem meum obliviſcor. Et certe dignum eſt hoc ſingulare Dei beneficium, quod omnem triſtitiæ materiam abſorbeat. Nunc poſtquam morbo levatus es, danda erit opera, ut animi vigorem, quem inter graviſſimos conflictus nimis ſtrenue exercuiſti, & corporis vires, quas prorſus collapſas fractaſque eſſe oportet, paulatim recolligas. Faxit Dominus, quando te ante tempus ſepelivi, ut te mihi ſuperſtitem videat Eccleſia. In hac precatione cum publico fidelium bono conjuncta eſt privata mea utilitas: quia & brevior erit militiæ meæ curſus, & à morte tua deflenda eximar. Neque tamen interea, ſi ita Domino videbitur, tibi tamdiu prorogari vitæ finem recuſo, ut adhuc decennii labor mihi accedat. Cæterum modo ſic Chriſto vivamus, ut quotidie etiam parati ſimus illi mori, quid de nobis futurum ſit ſecuros agere decet. Nunc ſolum curandæ valetudini incumbe, ut brevi convaleſcas. Quam multi amici te ſalutent, frater melius ore exponet. Vale frater integerrime. Dominus qui te præter ſpem noſtram Eccleſiæ ſuæ reſtituit, de Satana & impiis per te ſemper triumphet. Symmyſtis & aliis plurimam ſalutem. Genevæ, 6. Calendas Aprilis. M. D. LIII.

Joannes Calvinus vere tuus.

Calv. Vireto s. d.

Cur Matthæus noſter Bernam proficiſcatur, ex eo audies. Quia videbam hominem tam inique variis modis tractari, non auſus ſum vehementius dehortari à ſuſcepto conſilio. Negare enim non potui, quin commendationem abs te peterem, quam ultro daturus eſſes. Neque enim cauſa, tua ſuffragatione indigna eſt: & pro tua humanitate oſtendere voles, cum à te in rebus ſuis miſeris non contemni. Itaque mihi ſatis eſt, ut homini obſequar, uno te verbo monuiſſe. Cardinalis Bellajus hac tranſiens Pagnetum miſit, qui me accerſeret. Non ſum tunc domi repertus. Quievit ille: puto quod non magnopere colloquium meum appeteret. Pagneto dixit, de fratribus noſtris Bernates non impetraſſe, quia Conneſtabilem prætererant. Spem facere melioris exitus viſus eſt, ſi ad novas preces accederet illa commendatio. Ego vero merum eſſe ludibrium arbitror. Nam Conneſtabilis antea rogatus, blando reſponſo ipſos deriſit, ut noſti. Quod ſi tamen viſum fuerit, aliquid rurſus tentate. ſupplicium eorum differri mandavit, donec Alpes tranſiiſſet. Senatum, meo judicio, admoneri non erit inutile, ut inde conſilium capiat: ne videamur fratrum ſalutem negligentius curaſſe. Reliqua in tuum adventum. Vale frater integerrime. Saluta uxorem & filiolas diligenter meo nomine. Dominus vos tueatur, & Spiritu ſuo regere pergat. Genevæ, 8 Maii. M. D. LIII.

Calv. Farello s. d.

Utinam, mi Farelle, aptius malis tuis remedium invenire poſſem, quam hic tibi afferre cogito. Sed quum tu minime ignores, multa nobis eſſe toleranda, quæ corrigere non licet: pluribus verbis te non hortabor, ut te in certamine non plane hoſtili manſuetum moderatumque præbeas. Si tamen hoc vocari certamen debet, quum abs te Collega ſine odio & tumultuandi libidine diſſeatit. Quid in eo deſiderem, quia tu mihi optimus es teſtis, in præſentia non refero. Pium tamen eſſe hominem, & officii ſui ſtudioſum, cognoſcimus. Huc accedit, quod non modo te amat, ſeque tibi probari cupit, ſed patris loco habet ac reveretur. Cur autem protervius interdum ſe gerat quam par eſt, hæc mihi præcipua eſſe videtur ratio: quod dum te nimis rigidum & moroſum eſſe judicat, popularitatem neſcio quam affectat, quæ offenſis medeatur. Ita bonus vir, dum vult conſultum eſſe quieti tuæ, invidiamque declinat, cui ſuſtinendæ vos fore pares diffidit, nec conſtantiam gravitatemque retinet Chriſti miniſtro dignam: & dum neceſſitatem reſiſtendi tibi imponit, improbis arma ſuppeditat, quibus miniſterium commune oppugnent. Quam hæc odioſa res ſit & acerba, video: nec me latet, quantum reprehenſionis mereatur ejus vitium. Sed æquitatis ac prudentiæ tuæ eſt ea adverſo colligere, quæ ad ſublevandam ejus culpam valent. Si immodica confidentia exultat, ſcis tamen eam nullo malitiæ veneno aſperſam: ſi qua pervicacia laborat, nihil tamen illi minus propoſitum, quam Eccleſiam turbare, vel ex fratrum contemptu triumphum agere. Cur ergo non ignoſceres ejus imprudentiæ? Capunculum tuliſti, non modo nihili hominem, ſed qui ad lites natus totum Eccleſiæ ordinem inſano faſtu calcabat, qui virulentis cavillis impudenter evertere ſtudebat quicquid recte & ordine compoſitum foret, qui fatali quodam genio non minus quam rabioſo impetu ferebatur ad nocendum, qui data opera factioſos omnes ſtimulabat in Eccleſiæ perniciem. Quanto igitur magis fovendæ cum eo homine pacis habenda tibi ratio eſt, qui & tecum Domino fideliter ſervire cupit, & ab hoſtilibus diſſidiis abhorret? Quanquam non modo pax tibi cum eo alenda eſt, ſed amicitia colenda. Nam ſi reputas, quam pauci hodie ſint tolerabiles Miniſtri, hunc & probum & diligentem, & aliis dotibus laude dignis inſtructum minime aſpernaberis. Cæterum ut offenſionem abs te hactenus conceptam ſilentio tegere forte expediet, ita in poſterum ſi quid peccet, libere cum

eo

eo expoſtulare præſtabit: modo ne in diſſidium res erumpat. Modo ſe amari intelligat, eum mediocriter, ut ſpero, morigerum habebis. Proximo Sabbatho Lugduni exuſtus eſt mercator, qui mira conſtantia & pari moderatione ad ſupplicium perrexit: quum modis omnibus ad defectionem impellere ipſum cognati & populares tentaſſent. Mater etiam ter genibus ejus advoluta, flens ſuppliciter precata, ut vitæ ſuæ parceret, nihil obtinuit. Paſſim in Gallia ſæviunt. Sed in Belſia præſertim vexatur nobilitas. Vale integerrime frater & mihi vere obſervande. Dominus te Spiritu ſuo regere pergat, diuque ſervet incolumem. Saluta fratrem tuum & amicos. Genevæ, 14. Calend. Auguſti. M. D. LIII.

CALV. FARELLO S.

QUæ nuper ego ad te privatim, & quæ ſimul cum ſymmyſtis meis ad te ſcripſi, in bonam partem abs te accepta eſſe, ut omnia noſtra æqui bonique conſulere ſoles, gaudeo. Faxit Dominus, ut ſanioribus conſiliis parere diſcant, quibus multa inconſiderate effluunt: & tua moderatione concordiam foveas, quam parvis interdum diſſidiis labefactare conatur Satan. Franciſcus veſter, quum jam ad diſceſſum paratus foret, rogavit an vellem iſtuc ſcribere. A Falleſio redibat. Hortari ut punctum temporis maneret, ideo nolui, quia nec ſpes erat aliqua profectus: & hominem præfractum à ſuſcepto conſilio deducere, non ita facile erat. De morte Regis Angliæ incerti primum rumores volitabant. Poſtea certiores quam vellem ſubinde nuncii ſunt ſequuti. Succeſſit in regnum conſobrina Ordinum ſuffragiis. Metuitur tamen ſeditio. Veriſſimum eſt quod dicis incomparabili theſauro privatam eſſe terram illam, quo indigna erat. Equidem ita ſtatuo, unius pupilli morte totam gentem optimo patre eſſe orbatam. Brevi forte audiemus ut res habeant. Noſtrum tamen eſt, in patientia animas noſtras poſſidere. Vale frater integerrime. Saluta collegam & reliquos ſymmyſtas, fratremque Claudium. Dominus vobis ſemper adſit, vos gubernet, ac labores veſtros benedicat. Collegæ mei tibi plurimam ſalutem dicunt. Idem etiam amici. Vale iterum. Genevæ, 7 Auguſti. M. D. LIII.

CALV. FARELLO S. D.

ESt nt dicis, mi Farelle. Quamvis multis tempeſtatibus varie & duriter jactemur: quia tamen navem qua vehimur, nauclerus gubernat, qui ne in mediis quidem naufragiis perire unquam nos ſinet, non eſt cur metu vel tædio mentes noſtræ obruantur. Jam novum habemus negotium cum Serveto. Hac tranſire forte cogitabat. Necdum enim ſciuur, quo conſilio venerit. Sed quum agnitus fuiſſet, retinendum putavi. Nicolaus meus ad capitale judicium, pœnæ talionis ſe offerens, ipſum vocavit. Quadraginta accuſationis capita poſtridie in medium ſcripta attulit. Tergiverſatus eſt initio. Itaque vocati ſumus. Proterve mihi conviciatus eſt, non ſecus acſi haberet ſibi obnoxium. Ego ut dignus erat eum excepi. Tandem pronunciavit Senatus capita omnia probata eſſe. Dimiſſus eſt è carcere Nicolaus die tertio, quum fratrem meum ſponſorem dediſſet: quarto abſolutus eſt. De impudentia hominis nihil dicam. Sed tantus fuit furor, ut non dubitaverit dicere, diabolis ineſſe divinitatem. Imo ſingulis plures ineſſe deos: quia deitas ſubſtantialiter tam illis quam ligno & lapidi communicata fuerit. Spero capitale ſaltem fore judicium: pœnæ vero atrocitatem remitti cupio. Vale. Collegæ mei te reſalutant. Idem faciunt Budæus, & qui jam convaluit Normandius. Fratri etiam Claudio ſalutem dices meo nomine. Genevæ, 20 Auguſti. M. D. LIII.

CALV. SULTZERO S. D.

QUum Michael Servetus jam ante annos viginti Chriſtianum orbem virulentis ſuis ac peſtiferis dogmatibus infecerit, nomen tibi non ignotum eſſe arbitror. Quod ſi librum non legiſti, fieri tamen vix poteſt quin de ipſo genere doctrinæ aliquid audieris. Is eſt de quo fidelis Chriſti miniſter, & ſanctæ memoriæ D. Bucerus, quum alioqui manſueto eſſet ingenio, pro ſuggeſtu pronunciavit dignum eſſe, qui avulſis viſceribus diſcerperetur. Sicuti ab eo tempore non deſiit venenum ſuum ſpargere, nuper Viennæ majus volumen, ſed ex iiſdem erroribus conſarcinatum, excudi clanculum curavit. Re vero patefacta, in carcerem eſt conjectus. Unde neſcio quomodo elapſus, per Italiam erravit fere quatuor menſes. Tandem huc malis auſpiciis appulſum, unus ex Syndicis, me auctore, in carcerem duci juſſit. Neque enim diſſimulo, quin officii mei duxerim, hominem pluſquam obſtinatum & indomitum, quoad in me erat, compeſcere, ne longius manaret contagio. Videmus quam licentioſe paſſim graſſetur impietas, ut ſubinde novi errores ſcaturiant: quanta ſit eorum ignavia, quos Deus gladio armavit, ad vindicandam nominis ſui gloriam. Quum tam acres ſint & animoſi ſuperſtitionum ſuarum vindices Papiſtæ, ut atrociter ſæviant ad fundendum innoxium ſanguinem: pudeat Chriſtianos magiſtratus in tuenda certa veritate nihil prorſus habere animi. Fateor equidem, nihil minus eſſe conſentaneum, quam ut furioſam eorum intemperiem imitemur. Verum, eſt aliqua moderationis ratio, ne impiis liceat quasvis in Deum blaſphemias impune evomere, ubi eſt impediendi facultas. In hoc homine tria ſuot conſideranda. Quam prodigioſis erroribus totam religionem corruperit: imo quam deteſtandis ludibriis conatus ſit evertere omnem pietatem: quam fœdis deliriis involverit Chriſtianiſmum, & omnia religionis noſtræ principia funditus everterit. Secundo, quam ſe obſtinate geſſerit: quam diabolico faſtu contempſerit omnes monitiones: quam deſperata pervicacia præceps actus fuerit ad virus ſuum ſpargendum. Tertio, quanto hodie faſtu ſuas abominationes aſſerat. Tantum enim abeſt à ſpe reſipiſcentiæ, ut non dubitet ſanctis viris Capitoni, & OEcolampadio aſpergere hanc maculam, quaſi ſocii fuerint. Quum oſtenſæ eſſent OEcolampadii epiſtolæ, dixit ſe mirari, quo ſpiritu abductus foret à priore ſenſu. Sed quia tibi curæ fore ſpero, ut hominis impietas quibus meretur elogiis pingatur, plura non addam. Tantum unius rei te admonitum volo, Quæſtorem urbis, qui tibi has literas reddet, in hac cauſa recto eſſe animo, ut ſaltem exitum quem optamus, non fugiat. Utinam veterea tui diſcipuli eodem modo animati forent. De rebus Gallicis nihil ſcribo, quia nihil hic eſſe novi arbitror, quod non æque vobis notum ſit: niſi quod proximo Sabbathi die tres pii fratres Lugduni exuſti ſunt, quartus in vicinum oppidum miſſus ad ſimile ſupplicium. Vix credibile eſt, quum homines eſſent illiterati, quanta Spiritus Dei luce ad ſummam doctrinæ perfectionem illuſtrati, quoad res ferebat, & qua virtute ad invictam conſtantiam inſtructi fuerint. Unus metu conſternatus initio à ſincera confeſſione deflexerat. Quum judicibus certum foret eum abſolvere, de ſua perfida ſimulatione præfatus, alacriter ſe ad ignem obtulit. In aliis quoque Galliæ partibus flagrant ſimilia incendia: nec ſpes ulla eſt mitigationis. Vale. Genevæ, 5. Idus Septembr. M. D. LIII.

CALV. ECCLESIÆ FRANCFORDIENSIS PASTORIBUS S. D.

Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto, eximii viri & mihi ex animo colendi fratres.

NOmen Serveti Hiſpani vobis auditum eſſe non dubito, qui ante annos viginti virulento libello, multiſque ſacrilegis erroribus referto, Germaniam veſtram infecit. Nebulo hic, quum ex Germania profugus ſub fictitio nomine io Gallia latuiſſet, nuper ex priore illo libro, & novis figmentis quæ ſibi fabricatus eſt, majus volumen conſarcinavit, quod Viennæ in urbe Lugduno vicina, clanculum excuſum eſt. Ejus autem multa exemplaria proximis nundinis Paſchalibus Francfordiam devecta fuerant: verum inſtitor Typographi, vir pius & integer, quum admonitus foret nihil illic præter immenſam errorum farraginem contineri, ſuppreſſit quicquid habebat. Quam multis erroribus, imo prodigioſis in Deum blaſphemiis ſcateat, longum eſſet referre. Fingite vobis rhapſodiam ex impiis omnium ætatum deliriis conſutam. Nullum enim eſt impietatis genus, quod noo hæc bellua velut ex inferis excitaverit. Et malo ex lectione ipſa vos judiciom facere. Certe reperietis fere in ſingulis paginis quod vobis horrorem incutiat. Auctor ipſe tenetur in carcere à Magiſtratu noſtro, & propediem, ut ſpero, daturus eſt pœnas. Veſtrum autem eſt dare operam, ne hoc tam peſtiferum venenum longius emanet. Nuncius vobis referet io qua apotheca ſint libri, & quo numero. Librarius, niſi fallor, exuri patietur. Quod ſi quid obſtaculi eſſet, vos tam fore cordatos confido, ut mundus tam noxia corruptela purgetur. Et ratio vobis expedita erit. Quod ſi veſtro arbitrio res permiſſa fuerit, neceſſe non erit à Magiſtratu petere, ut manum injiciat. Quanquam autem ita de veſtra integritate ſum perſuaſus, ot vos eſſe admonitos ſufficiat: rei tamen magnitudo poſtulat, ut per Chriſtum vos obteſter, ne vobis effluat occaſio, ut ſedulo ſitis ad officium veſtrum intenti. Valete ornatiſſimi viri, & chariſſimi fratres. Dominus vos Spiritu ſuo regat, præſidio tueatur, & labores veſtros benedicat. Genevæ, 6. Calendas Septembris. M. D. LIII.

CALV. FARELLO S. D.

ECce tibi morem aliqua ex parte gero. Epiſtolæ loco breviculum habebis, quod multum temporis non auferet. Rediit ab Helvetiis nuncius. Uno conſenſu pronunciant omnes, Servetum impios errores, quibus olim turbavit Satan Eccleſiam, nunc renovaſſe: & monſtrum eſſe non ferendum. Cordati Baſilienſes. Tigurini omnium vehementiſſimi. Nam & impietatum atrocitas graviter ab illis exprimitur, & hortantur Senatum noſtrum ad ſeveritatem. Subſcribunt Schafhuſiani. Bernenſium literis etiam appoſitis, accedunt & Senatus literæ, quibus non parum ſtimulati ſunt noſtri. Cæſar comicus, ſimulato per triduum morbo, in curiam tandem aſcendit, ut ſceleratum iſtum pœna eximeret. Neque anim erubuit petere, ut cognitio ad Duceotos veniret: ſine controverſia tamen damnatus eſt. Cras ad ſupplicium ducetur. Genus mortis conati ſumus mutare, ſed fruſtra. Cur nihil profecerimus, coram narrandum differo. Vale integerrime frater & Chriſti miniſter eximie. Deus te conſervet ac regat ſemper. Amicis omnibus plurimam ſalutem. Noſtri te reſalutant. Genevæ, 26 Octobris. M. D. LIII.

FARELLUS CALVINO S. D.

NOrmendium rediiſſe ad priſtinam valetudinem ac Marchionem ex Italia, gratulator utrique, oe dicam tibi. Eſt ſane præterea quod invideam piæ matronæ, ab his io quibus luctamur malis ſolutæ, cui jam datur cum Chriſto eſſe & agere. Mira eſt Dei diſpeoſatio in Serveto, quod iſtuc venerit. Utinam vel ſero ſapiat. Magnum ſane miraculum erit ſi mortem perferat ſerio ad D. converſus & occumbens una morte, qui multas myriades commeritus eſt: ſi omnes contendat ædificare præſentes, qui multis jam ſublatis & qui ſuperſunt, adde etiam venturis, nocere ſtuduit. Valde crudeles erunt, & admodum injurii Chriſto & doctrinæ pietatis, & veri Eccleſiæ hoſtes judices, ſi non moveantur blaſphemiis horrendis tam nefaodi hæretici, quibus divinam majeſtatem impetit, & Chriſti Euangelium conatus eſt labefactare, omneſque corrumpere Eccleſias. Sed ſpero D. facturum ut qui laudantur ob juſtas inflictas furibus & ſacrilegis pœnas, ita ſe gerant, ut in hac parte merito bene audiant: ſublato eo qui tamdiu obſtinatiſſime in hæreſibus perſeveravit, quique tam multos perdidit. Quod pœnæ atrocitatem leoiri cupis, facis amici officium in inimiciſſimum tibi hominem. Sed te, quæſo, ita geras, ne temere quivis audeat nova inferre in publicum dogmata, & tamdiu omnia turbare impune, ut iſte fecit. Vides arrogantem hæreticum Hieronymum, qui toties convictus nondum in ordinem cogi potuit: & judicum indulgentia potius quam æquitas dum officium non facit, non modo illi nocet & tantum non perdit, verum etiam multis. Verum hæc te non fugiunt, neque ideo dicuntur, ut opus tibi ſit: ſed & de aliis non paucis querimur, ita & hic licet. Plerique nonnihil accedentes ad hæreſin Catabaptiſtarum, qui facinoroſi ut plurimum, nolunt improbos è medio tolli, quo liceat eis impune ſua tradere & ſequi flagitia: voluot non aliter agi cum hæreticis quam ut ſinantur, quaſi nihil interſit inter munus Paſtoris & Magiſtratus. Si Pontifex pios damnet hæreſeos, & furentes judices inique exequuntur in innocentes id quod debetur hæreticis: quæ amentia eſt inde colligere non perdendos hæreticos, ut piis ſuccurratur? Sane ejuſmodi inaudita prius ratione ſibi & aliis conſulere voluerunt, præter viam quam tenuerunt omnes ſervi D. & veluti ſeſe adjungentes hæreticis. Ego quum legerem Paulum dixiſſe ſe non refugere mortem ſiquid commeruiſſet, plane me obtuli ſæpius paratum ferre mortis judicium, ſi quidquam contra pietatis doctrinam docuiſſem. Et addidi, me quam digniſſimum eſſe quovis ſupplicio, ſi à fide & doctrioa Chriſti quenquam avocarem. Sane non poſſum de aliis aliud ſentire quam quod de me ſtatuo. Vale, & tecum pii omnes. Mirum eſt quam utatur Satanas & ſui omnes, quod non periſtis pridem. Hodie legebam ſcriptum ad fratrem unum, te obiiſſe, ſed prius Friburgum veniſſe ac vocaſſe ſacerdotem, confeſſumque te graviſſime erraſſe. Sic durent & locum habeant Pontificia, & tantum poſthac ex illis percipiaot ſacrificuli & tota fæx Pontificia quam vera ſunt quæ ita ſine fronte ſpargunt. Sed non tantum Pontificii veteres, quin & novi Pontifices & bis monachi tantum non rumpuntur. Chriſtus omnibus meliorem det mentem, teque & iſtam ſervet Eccleſiam, quam ſemper auctiorem numero piorum, & donis, & cæleſtibus benedictionibus locopletiorem reddat. Cupio Collegas ſalvos, cum reliquis piis. Collega te ſalutat, Caſpar & Claudius frater. Neocomi, 8 Septembris. M. D. LIII.

Actor. 25. verſ. 11.

Viris

Viris Clariſſimis, Pientiſſimiſque Dominis, Dominis Syndicis, & Senatui ampliſſimo Genevenſis Reſp. Dominis noſtris omni ſtudio colendis & obſervandis.

QUod Dominus & Servator noſter Jeſus Chriſtus in agone ultimo precatus eſt ad Patrem pro ſuis, ut ſerventur per nomen ejus qui dati ſunt ipſi, ut ſint unum, ſicut & ipſe unum eſt cum Patre: idem nobis etiam hoc tempore precandum eſſe maxime cernimus, quo ſub hanc mundi ſenectam omnes in hoc nervos intendit tenebrarum princeps, ut ſi quid eſt ſanæ profeſſionis & fidei labefactet, ſanctorum conſenſionem, unitatemque Spiritus convellat & diſſipet, religionem puram à fundamentis extirpet, ſic permittente nimirum Deo Patre optimo, in hoc ut probetur Eccleſia, & exercitatione non inſalubri firmetur, atque ad reſiſtendum in fide excitetur & animetur: tum ut ſuam potentiam declaret contra portas inferorum validam. Ac ejuſmodi ſane probationis genus vobis, ampliſſimi viri, veſtræque Eccleſiæ hoc tempore contigit, quo Servetus Hiſpanus veſtras in manus pervenit, multis jam annis horrendæ impietatis, & blaſphemiarum in ſacroſanctæ Trinitatis myſterium aſſertor & renovator: quam etſi moleſtiam vobis datam dolemus, tamen quia intereſt plurimum gloriæ nominis Chriſti, atque univerſæ Eccleſiæ, ut malo in exitium plurimorum graſſanti occurratur, gaudemus eo loci auctorem detineri, ubi nobis perſuademus nec prudentiam Chriſtianam, neque zelum ſanctis dignum defuturum eſſe. Quumque ſuper hoc ipſo negotio cenſuerit A. V. nos Eccleſiæ hujus Adminiſtros interpellandos eſſe, tranſmiſſis in hoc collationibus ſcripto à Paſtoribus veſtræ Eccleſiæ fratribus noſtris in Domino obſervandis, & Serveto exhibitis: tum libro ejuſdem Serveti, quo ſparſa eſſe ſua dogmata cernimus: haud gravatim mentem noſtram pro charitatis lege, noſtraque in vos promptitudine, ſicut ea poſtulat, hiſce aperimus: utcunque & veſter ordo ampliſſimus conſilio polleat, & doctrina excellente judicioque præditis viris proviſum ſit Eccleſiæ veſtræ, quorum judicio & ſancto & exquiſito vobis ſatisfieri nihil dubitamus. Cæterum, quantum ex inſpectione libri, Serveti confeſſionibus, refutationibuſque perſpicere licuit, deprehendimus plane in redemptionis noſtræ myſterium ſtrictum eſſe ſtylum: caputque fidei de Filio Dei vero Deo ab æterno, vereque homine facto ex muliere (ſicut Apoſtolus inquit) juxta promiſſiones factas Patribus, ſtupenda temeritate hunc impetere: perſonarum trium diſtinctionem in eſſentiæ unitate ſimpliciter tollere: Chriſti gloriam, quam habet à Patre ab æterno, evacuare: idque contra apertæ Scripturæ oracula, atque orthodoxæ Eccleſiæ confeſſionem: quam quum fratres noſtri Tigurini perſpicue docteque expreſſerint, nos ut ei penitus conſentientes repetere ſuperſedemus. Quales autem habiti ſint, qui eos articulos unquam tentare auſi ſunt, notius eſt, quam ut egeat explicatione noſtra. Cancro morbo Paulus ejuſmodi peſtem aſſimilavit: & hæreſin definierunt veteres, adeoque & ipſe Apoſtolus, crimen multo levius, quam ab hoc deſignetur. Et pro hæreticis damnati ſunt proclamatique, qui una aliqua in parte impegiſſent, ſi errorem pertinacius tueri pergerent. Atqui Servetus non ſimplicem, ſed ex multis impietatibus conflatam hæreticorum larvam profitetur, puta, Arrii, Marcionis, Sabellii, Photini, Manichæi, Pelagii, & cæterorum: & quod in pluribus, biſque diverſis impugnatum eſt à melioris notæ Eccleſiæ Doctoribus Patribuſque, id ab hoc uno ore impudentiſſimo atque blaſphemo evomitur, ut vere illi Chriſtus ſignum ſit contradictionis: cui nec eſſentiam divinitatis, neque hypoſtaſin, nec carnis noſtræ veritatem, neque animam humanam relinquat, jungenda in ſacroſancta hac perſona diſcerpat, & diſtincta confundat, redemptionis virtutem enervet: præter alios profanos errores quamplurimos, atque deliria omnia, ut veſtri Paſtores confratreſque noſtri inquiunt, à verbo Dei, & orthodoxæ Eccleſiæ conſenſu aliena. Atque hæc quidem tanta confidentia, præſumptione, & pertinacia, ut appareat illud Sapientis in eo verum, Impius quum in profundum venerit, contemnit: & illud item, Si contuderis piſtillo in mortario, non recedet ab eo ſtultitia ejus. Nam neque captivitate humiliatur ad modeſtiam, neque tam luculentis, veris, & evidentibus fratrum noſtrorum inſtitutionibus, quibus errorum luce clarius convincitur, vel cedit, vel acquieſcit: ſed ſerpentis inſtar incitati, maledicos, atque contumelioſos in Calvinum ſinceriſſimum Dei ſervum, & blaſphemos in Dominum ſubinde ſibilos edit, & lubricus nonnunquam elabi conatur. In hoc enim Deum unum, eumque ſimplicem inculcat toties, quaſi trium hypoſtaſeôn vera diverſitas naturæ ſimplicitati ullo modo repugnet: atque inſaniat proinde Eccleſia Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate venerandam commendans. Sicut & Chriſto Dei Filio multa quum præ ſe ferat tribuere, manifeſte tamen duabus naturis conſtantem perſonam negat, quæ juxta illam quidem ab æterno & ante ſecula, nedum ante incarnationem à Patre genitum (Scriptura teſtante) ut cujus egreſſus à diebus æternitatis eſt, & per quem facta ſunt ſecula, gignentis naturam per omnia referat: juxta hanc vero in ſeculo natum, carnem de carne noſtra, ex ſubſtantia Virginis, per omnia fratribus ſimilem. Hoc ergo veritatis pede preſſus, quantumlibet ſubdolus vaferque, tenetur. Meminimus vero nos ante annos 23 in hac civitate D. OEcolampadio, præſtantiſſimo hujus Eccleſiæ præſidi, negotium ab hoc homine exhibitum, & verbis ſcriptiſque ſerio interpellatum, nihilo factum emendatiorem: ut jam tum vir Dei ſagaciſſimus ſententiam tulerit, daturum religioni Chriſtianæ grave diſpendium, niſi manu Domini frangeretur. Quæ quum ita ſint, viri præſtantiſſimi, primum omnium merito gratias Deo æterno Patri Jeſu Chriſti agitis, cujus benignitate ſinceram lucem veritatis inconcuſſe adepti eſtis, Spirituſque ſancti judicium, ut prava & adulterina à vera germanaque vitæ doctrina queatis diſcernere: eundemque precibus ardentibus interpellare debetis, ut nos conſervet in ſinceritate fidei, confirmetque ut hactenus ſtabiles & immotos contra ſcandala tam horribilia, Satanæque aſſultus. Poſtremo, quod Servetum attinet, hortamur, ut quod facere vos apparet, omne ſtudium in ipſo ſanando adhibeatis, modo quæ excitavit offendicula, & ipſa ſanari queant. Verum ſi inſanabilis in concepta ſemel perverſitate perſtet, ſic pro officio veſtro, poteſtateque à Domino conceſſa coërceatur, ne dare incommodum queat deinceps Eccleſiæ Chriſti, neve fiant noviſſima primis deteriora. Qua in re ſuppeditabit Dominus ipſe Spiritum, robur, & ſapientiam: quem una vobiſcum cum Eccleſia noſtra pro vobis ſerio aſſidueque orabimus. Viciſſim nos noſtramque Eccleſiam amplitudinis veſtræ favori, & ſacris orationibus commendantes. Valete. ex Baſilea, die 18 Octobris. M. D. L I I I.

V. A. in Domino deditiſſimi Paſtores Eccleſiæ Baſilienſis.

Ampliſ-

Ampliſſimis Viris, Syndicis Senatuique Reipub. Genevenſis, Domiois & Concivibus noſtris colendiſſimis,

Gratiam & Pacem à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto.

QUa denuo moleſtia, Viri Ampliſſimi, Domini & amici in Cbriſto venerandi, Eccleſia veſtra turbetur, ex ſcriptis, quæ miſiſtis, abunde ſatis intelleximus. Videmus Satanam pertinaciſſime hoc agere, ut emergeotem veritatis lucem mille modis impetat: & ſi extinguere nequeat, inductis ſaltem pernicioſorum & intricatorum dogmatum nebulis obſcuret. Quod ad præſentem Serveti cauſam attinet, inſpeximus illius dogmata, quoad ejus fieri potuit, eo temporis ſpatio, quo tabellarius veſter hic apud nos ſubſtitit. Et quoniam ſententiam noſtram expoſcitis, ad ea quæ io ſcriptis Serveti deprehendimus, paucis viſum eſt ad petitionem veſtram reſpondere. Ut coram Domino loquamur, noo poſſumus per conſcientias noſtras probare, quæ homo iſte de ſubſtantia ac forma Deitatis, de ſanctæ Trinitatis myſterio, de Verbo Dei, & illius incarnatinne, de anima & carne Cbriſti, de Spiritu ſancto, de Angelis, de animabus & ſpiritibus noſtris, de peccato murtali, de Pædobaptiſmate, non ſolum in corde ſuo ſentire, ſed editis ſcriptis noo jam primum, ſed olim dogmatizare cœpit. Videmus bominem ſibi ipſi tribuere plurimum, & parum ſpirare modeſtiæ. Permittit enim ſibi liberum, quævis religionis noſtræ capita vocare in quæſtionem, & omnia vel nuvis expoſitionibus iovertere, vel renovata veterum hæreticorum labe prorſus corrumpere. Sic reſuſcitat nobis Sabellianos, Noetianos, Priſcillianiſtas, Anthropomorpbitas, Apollinariſtas, Valentinianos: & ne à fanaticis noſtrorum remporum ſectis abhorrere videatur, Baptiſmum infantium horrendis modis flagellat, & abomioabilem reddere cooatur: ut reliqua taceamus, quæ de ſuo in medium afferre non dubitat. Arbitramur autem pro vigilantia Miniſtrorum veſtrorum omnia bæc ſatis eſſe in lucem producta, & reprehenſa, nec id à vobis agi, ut examinationem hujus cauſæ exactiorem ab aliis divini verbi Mioiſtris, quam à veſtris recipiatis. Quare abſque ullo tractatu ſenteotiam noſtram paucis aſſignare viſum eſt, ne de fratrum nnſtrorum ſtudio & vigilantia quidquam addubitare videamur. Oramus Dominum, ut det vnbis Spiritum prudentiæ, conſilii, & foriitudinis, ut & peſtem baoc ab Eccleſiis, cum veſtra, tum aliis avertatis: & ſimul nihil remittatis, quod Magiſtratui Chriſtiann inconveniens cenſeri poſſit. Dominus Eccleſiam, & Rempub. veſtram in in vera pietate & pace jugiter ſervet immotam. Bernæ. Veſtri io Domino. M. D. LIII.

Miniſtri Eccleſiæ Bernenſis.

Reſponſio Miniſtrorum Tigurinæ Eccleſiæ.

Clariſſimis Syndicis & Ampliſſimo Senatus Genevenſis Reſpub. Dominis noſtris colendiſſimis S. D.

ACcepimus per hunc tabellionem literas Amplitudinis Veſtræ, una cum libro Serveti & articulis ex ipſo conſignatis, cum collatione ſcripta per Amplitudinis Veſtræ concionatores, fratres noſtros venerabiles & charos, & Michaelem Servetum. Ac qunniam illa nmnia à nobis inſpici, diligenterque expendi, & noſtrum de bis nos judicium adjicere pietas veſtra poſtulavit, Amplitudini Veſtræ mnrem gereotes, quid de toto hoc negotio Unitatis & Trinitatis Dei, denique de Filii Dei myſterio ſentiamus & doceamus, & quid de controverſia vel ſcriptis Miniſtrorum Eccleſiæ veſtræ & Serveti judicemus, quanta poſſumus brevitate & perſpicuitate, Deo juvante, explicabimus. Myſterium adnrandum Unitatis & Trinitatis Dei benedicti in ſecula, nihil dubitamus ab exordio mundi ab omnibus ſanctis & creditum eſſe firmiter, & poſteris credendum fideliter traditum, ſed & in Scripturas manifeſte relatum, à Spiritu ſancto inſpiratis veracibus Prophetis. Hoc igitur Theologiæ veræ principium & caput, ita eſt comprobatum Dei oraculis, ita confirmatum evidentibus ſignis, unanimique conſenſione receptum à catholica & orthodoxa tam veteris quam novi Teſtameoti Eccleſia, ut ipſum vel in quæſtionem vocaſſe, nefas ſemper fuerit judicatum. Fatemur itaque cum ſancta & univerſali Dei Eccleſia, unam eſſe Dei eſſentiam, tres Perſonas diſtinctas, non confuſas. Pater enim de cælis teſtificans de Filin ſuo, Hic eſt Filius meus dilectus, inquit, in quo placatus ſum. Filius is eſt, cui Pater miſit teſtimooium. Spiritus ſanctus vern in ſpecie columbæ apparuit. tres quidem diſtinctæ in una eſſentia divina perſonæ. Emerſerunt quidem ante concilium Nicenum, Praxeas, Noetius & Sabellius veteribus appellati Patripaſſiani, qui diſtinctionem Perſonarum propter unitatem Dei conſervandam confundebant: ſed docte & irrefragabiliter à vigilibus Eccleſiæ præſidibus ſunt confutati, Scripturiſque propugnanum & io Eccleſia conſervatum, adorandum trinæ Unitatis Dei myſterium. Unde cernimus in conciſio Nicenn, Eccleſiæ præſides non aliud nnbis Symbolo condito tradidiſſe, quam quod à temporibus Apoſtolorum, imo & Prophetarum, catbolica & oribodoxa retinuerat Eccleſia. Quod ergo Servetus Hiſpanus Trinitatem æternam Dei, triceps monſtrum & Cerberum quendam tripartitum, denique imaginarios deos, illuſiones ac tres ſpiritus dæmoniorum appellitat, æternam Dei majeſtatem nefande & borribiliter blaſphemat. Quod Athanaſium, Auguſtinum & alios Dei ſervos eximios, illuſtriaque Eccleſiæ lumina, Trinitarios atque adeo atheos appellat (ita enim omoes Trinitatem agnoſcentes ouncupat) non illos tantum, ſed totum chorum ſanctorum, adeoque totam Chriſti Eccleſiam, infandis & non ferendis convitiis indigniſſime proſcindit. Abominandum vero videtur illud eſſe in homine infelici, quod Judæorum quoque blaſphemias in Chriſtianam religionem effuſas excuſat, & fœda Mahumetis verba, tres in Trinitate perſonas, vel, ut ipſe ait, tres deos, patribus fuiſſe incognitas, & eſſe filios Beelzebub, approbat & extollit. Quid vero potuiſſet ab boc homine magis impium in Deum, & indignius in intemeratam fidem Cbriſtianam, expui? quæ obſecro aures Chriſtianæ iſta patienter audiant? De Filio Dei concorditer credidit & docuit Eccleſia Dei ab initio, ſubſiſtere illum ab æterno in propria bypoſtaſi: boc enim docta fuerat
ex verbo Dei, Cbriſto ipſo apertiſſime in Euangelio *Joan. 8.*
dicente, Antequam Abraham eſſet, ego ſum. Uti- *verſ. 58.*
que ſubſtantia, non carnis quidem, ſed Divinita-
tis, juxta quam Apoſtolus illum dixit eſſe expreſſam *Hebr. 1.*
imaginem ſubſtantiæ paternæ. Ubi ſimul illud ex *verſ. 3.*
veteri Scriptura citat teſtimonium, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hic Filius gloriæ ab æterno Filius, Deus verus, io tempore factus eſt bominis filius, homo verus, natus non ex ſubſtantia Dei Patris, ſed ex ſubſtantia Mariæ virgiois matris, quam Deus Spiritu ſuo fœcundam reddidit. Unde Filius ille & ſemen benedictum mulieris, & germen Davidis, & filius bominis appellatur. Manet autem in uoa indiviſa perſona, retinens tamen naturas duas impermixtas aut inconfuſas, divinam & humanam. Id quod adeo perſpicuis & evidentibus Scripturæ teſtimoniis comprobatum jam olim & nunc eſſe conſtat, ut qui addubitet, cum ratione inſaniat. Nos igitur ſimpliciter & concorditer, ita ut jam expoſuimus, firmiter credimus, & io Eccleſia fidei noſtræ concre-

dita, prædicamus. Rurſus ergo blaſphemus in Dei Filium deprehenditur Servetus, qui illam ab æterno Filii hypoſtaſin exiſtentem & Patri coëſſentialem & coæqualem, diabolicam ideam, & fabuloſam quandam Chimæram, convitiari non veretur. Inſuper aſſerere audet corporalis filii patrem alium non eſſe ullum, quam ipſum Deum Patrem, ex cujus ſubſtantia caro Filii nata ſit. Longe aliter docuit Paulus
Rom. 1: 3. doctor Gentium, qui dixit Filium Dei genitum fuiſſe ex ſemine Davidis ſecundum carnem, & declaratum Dei Filium in potentia & Spiritu ſanctificationis &c. Cæterum cur ſingula iſtius blaſphemi hominis recolligere pergeremus? Satis diligenter & fideliter enormes aliquot iſtius errores & apertas hæreſes collegerunt Eccleſiæ veſtræ fidi Paſtores & docti, eo ſcripto cui titulum præfixerunt, Sententiæ vel propoſitiones excerptæ ex libro Michaëlis Serveti. Eas nec per calumniam excerptas aut conſignatas invenimus, nec illas ulla ratione recipimus aut approbamus: ſed execramur potius. Nam Servetus reſponſione ſua mox ſubjecta rem involvit, non explicavit, depravatis interim multis veterum de Unitate & Trinitate Dei, deque Filii Dei myſterin ſententiis: id quod Miniſtri Eccleſiæ ſatis aperte oppoſita reſponſinne evicerunt. Replica vel ſcholia Serveti, præter extremam impudentiam & convitia dira, parum aut nihil ſunt. Toties enim illud ſuum Mentiris, Calvino impingit, toties magum, & Simonem magum criminatur, ut meminiſſe pigeat ac pudeat. Præſertim quum res ipſa clamet, & ſcripta Serveti diligenter expenſa teſtentur, nihil confinxiſſe Calvinum, Servetum potius ea quæ dixit, rurſus negare, ac fuco aliquo tingere. Calvini Paſtoris veſtri & fratris noſtri fidem & diligentiam, denique egregia in exules & pios merita, illuſtriora eſſe ſperamus, quam quæ iſtius criminationibus iodigniſſimis, vel apud Amplitudinem Veſtram, vel apud alios viros bonos obſcurari poſſint. Neque hoc diſſimulat Amplitudo Veſtra, quæ (quod non ſine animi lætitia legimus) diſerte ſcriptis literis, ſignificat judicium à nobis non requirere, quod Eccleſiæ veſtræ Miniſtris diſfidat: ſed potius ut noſtrum de his non neſciat judicium. Porro quomodo Amplitudo Veſtra coërceat hunc hominem, qui olim ab Eccleſia per Scripturas convictas & damnatas hæreſes renovat, ac prima fidei noſtræ firma capita oppugnat, oppugnandoque, Deo & ſanctis ejus convitiatur, veſtræ prudentiæ relinquimus æſtimandum. Si non fallit nos ſimilitudo nominis, movit hîc Servetus hoc ingens malum ante annos viginti, conante tum beatæ memoriæ D. J. OEcolampadio ipſum reducere in viam: ac tum quoque doctrina Serveti ab iis qui primi hiſce regionibus Euangelium Chriſti prædicarunt, condemnata fuit. Ille vero ſui ſenſus tenax, nihilominus anno 1531. curavit in Germania 7 libros de Trinitatis erroribus, & alios dialogos excudi, quibus dubium non eſt complures parum exercitatos in Scripturis, & infirmiores in fide, præcipites actos in grave tum animatum tum corporum diſcrimen. Quo tamen adeo ſatiatus non fuit, ut modo reciſis peſtilentiſſimis erroribus & blaſphemiis non ferendis, ſemetipſum in impietate & blaſphemia ſuperare, & corruptiſſimam doctrinam ſub ſpecie reſtitutionis Chriſtianiſmi Eccleſiæ obtrudere pergat. Multa ergo fide & diligentia contra hoc opus eſſe judicamus, præſertim quum Eccleſiæ noſtræ apud externos male audiant, quaſi hæreticæ ſint & hæreticis faveant. Obtulit vero in præſenti ſancta Dei providentia occaſionem repurgandi vos ſimul ac nos à prava mali hujus ſuſpicione, ſi vigilantes fueritis, diligenterque caveritis, ne veneni hujus contagio per hunc ſerpat latius: id quod facturos A. V. nihil dubitamus. Dominus Jeſus Chriſtus conferat pietati veſtræ ſapientiam & fortitudinem, viam, rationem & modum juſtum faciendi voluntatem ejus, ad gloriam nominis ipſius & ad fidei ſinceræ Eccleſiæque fidelem conſervationem. Simul offerimus A. V. noſtra obſequia, commendamuſque eidem nos omnes. Cæterum per tres integros dies tabellarium hunc veſtrum detinuimus, quod non potuerimus nos citius explicare. Datum Tiguri, 2 Octobris. anno M. D. Ltti.

V. Amplitudini dediti Paſtores & Lectores, Miniſtri Eccleſiæ Tigurinæ.

Clariſſimis & Ampliſſimis Syndicis, & Senatus Reipub. Genevenſis, Dominis noſtris colendiſſimis.

AMpliſſimi Domini, quamvis de pia ſedulitate, diligentiaque ſingulari chariſſimi noſtri fratris Joannis Calvini, cæterorumque ejus collaboratorum nihil dubitemus, quin pro exquiſita & diligenti cura, & vigilantia, quam huc uſque præſtiterunt in Eccleſia Chriſti, ſatisfeciſſe nobis videri potuiſſent. Præterea Eccleſiæ Tigurinæ Antiſtites, fratres noſtri in Domino obſervandi, pro exacto judicio, quo præ cæteris Eccleſiæ Miniſtris dotati ſunt, ſuam (quam & nos videre voluetunt) ſententiam quam diligentiſſime ad vos ſcripſerunt, potuiſſemus hiſce contenti ſilere. Tamen quia A. V. viſum eſt, etiam noſtram hac in re audire ſententiam, quantum brevitas temporis admiſit, contulimus concertationes Serveti, quas cum veſtræ Eccleſiæ Miniſtris habuit. Libros item ipſius, blaſphemiis in ſanctiſſimam Trinitatem, univerſam item Chriſti Eccleſiam refertos, quibus hæreſeis multis jam annis ſopitas, unaque cum hæreticis oppreſſas revocare, magnoque cum ſimplicium ſcandalo evomere, obtrudereque Eccleſiæ Chriſti conatur, percurrimus. Neque aliter pro dono nobis à Deo collato judicare poſſumus, quam diverſos à ſana doctrina, neque tolerandos ut vel proponantur, vel legantur in cœtu piorum. Neque dubitamus, quin vos pro inſigni prudentia veſtra ipſius conatus repreſſuri ſitis, ne blaſphemiæ ipſius, tanquam cancer, depaſcantur Chriſti membra. Nam longis rationibus evertere ipſius deliramenta, quid aliud eſſet, quam cum inſaniente inſanire? Subſcribimus igitur univerſi judicio Tigurinæ Eccleſiæ Miniſtrorum fratrum noſtrorum in Chriſto chariſſimorum, commendantes interim Veſtram Amplitudinem una cum Eccleſia veſtra gratiæ divinæ. Datæ Scafhuſii, 6 Octobris. anno M. D. L i i i.

Veſtræ Amplitudini dediti

Simpertus Vogthans
Sebaſtianus Grubel
Jacobus Ruger
Miniſtri Eccleſiæ Scafhuſianæ.

CALV. VIRETO S. D.

DE rebus noſtris volebam apud vos ſilere, ne fruſtra mœrorem vobis augerem. Sed quia veritus ſum, ne gravius vos afficerent varii rumores, ſatius tandem mihi viſum fuit de ſumma ipſa breviter vos certiores facere. Quum ante ſeſquiannum interdictus foret uſus Cœnæ Berthelerio, tunc apud Senatum conqueſtus fuit: nos in gratiam nebulonis vocati ſumus in curiam. Quum auditæ eſſent cauſæ, pronunciavit Senatus jure fuiſſe excommunicatum. Inde quievit ad hunc uſque diem, vel deſperatione vel contemptu. Nunc vero ne Perrini Syndicatus efflueret, neglecto Conſiſtorin ſe reſtitui à Senatu voluit. Ego iterum vocatus, multo ſermone diſſerui non rite neque ordine id eſſe facturos: imo fas non eſſe Eccleſiæ diſciplinam hoc modo labefactari. Me tamen abſente, nec audito Conſiſtorio,

Digitized by Google

ſtorio, data eſt illi recipiendæ Cœnæ facultas. Simulac mihi renunciatum fuit, modis omnibus curavi, ut Senatum Syndici vocarent. Ego ita ſedulo in cauſam incubui, ut nihil meo judicio prætermiſerim, quod ad flectendos eorum animos faceret: partim vehementia, partim moderatione ad ſanam mentem reducere conatus ſum. Juravi etiam mihi potius ſtatutum eſſe mortem oppetere, quam ut ſacram Domini Cœnam adeo turpiter profanarem. Nihil enim eſſe indignius, quam ut ille ſua contumacia Eccleſiæ Dei illudens & inſultans, peſſimos quoſque & ſui ſimiles, quaſi elato vexillo, ad eandem proterviam incitaret. Reſponſum eſt, Senatum de priore ſuo decreto nihil mutare. Ex quo perſpicitis, mihi hac lege relinqui Miniſterium, ſi Conſiſtorii auctoritatem calcari patiar, ac Chriſti Cœnam manifeſtis contemptoribus porrigam, qui pro nihilo ſibi eſſe Paſtores jactant. Atqui centies moriendum foret potius, quam ut Chriſtum ita fœdo ludibrio ſubjicerem. Quid heri in utraque concione dixerim, non commemoro: quia multi coram narrabunt. Nunc igitur habeant improbi & perditi homines quod captarunt. Me, ut par eſt, angit Eccleſiæ calamitas. Verum ſi tantum licentiæ Deus Satanæ concedit, ut violentis imperiis opprimatur Miniſterii mei libertas, defunctus ſum. Ipſe vero qui vulnus inflixit, remedium inveniet. Et ſane, quum tanta ſcelerum impunitas jam per annos complures graſſata ſit, Dominus forte judicium aliquod parat, cujus conſpectu ſum indignus. Denique quicquid futurum ſit, partes noſtræ ſunt, nos ejus arbitrio ſubjicere. Valete fratres integerrimi. Dominus vobis adſit ſemper, vos gubernet ac tueatur. Viciſſim orate, ut miſeram hanc Eccleſiam reſpiciat. Genevæ, pridie Nonas Septembres. M. D. L I I I.

CALV. BULLINGERO S. D.

EN vobis iterum novus labor. Diſciplinam Eccleſiæ, quæ hic mediocris eſt, jam per integros ſeptem annos oppugnant, quicunque cuperent ſine jugo laſcivire. Sed homines diſſoluti ex vulgo non tantum nobis facerent negotii, niſi duces haberent, qui ex eorum licentia ſibi potentiam quærunt. Jam eo ventum eſt, ut labefactetur quicquid hactenus ordinis Eccleſiaſtici viguit, niſi iſtinc afferatur remedium. Atque hac de cauſa non dubitavit optimus frater noſter Dominus Budæus hoc aſpero anni tempore profectionem ad vos ſuſcipere, ut vos de toto negotio admoneat. Brevis tamen ſumma eſt, ut ampliſſimus Senatus veſter verbo Dei conſentaneam eſſe reſpondeat, quam hactenus ſequuti ſumus formam: deinde novitatem improbet. Reliqua ex literis communibus intelliges, quas tamen ea lege ſcripſi, ut ſi non expediat longius proferri, nominatim D. Gualtero eas communices. Tuo judicio totum hoc permitto. Si duo illa capita per vos impetro, ut leges noſtras Senatus veſter ſuo ſuffragio confirmet omni ambiguitate præciſa, & à novitatis ſtudio noſtros deterreat, huic Eccleſiæ in longum tempus parta erit quies. Literas meas tibi pridem redditas eſſe confido, in quibus gratias vobis omnibus agebam meo & fratrum nomine, pro fideli ſanctoque reſponſo, quod in Serveti cauſa dediſtis Præclara illa commendatio, qua nos ornaſtis, apud bonos ſuum habuit pondus: effrenes ac perditos nondum frenare potuit, ut vides. Brevi tamen ſpero meliora, ſi iſtinc juvabimur. Librum Serveti, & farraginem illam, quam petebas, civis quidam veſter ad te tulit. De miſera Angliæ vaſtitate plura ſcis quam expediat. Itaque à ſcribendo ſuperſedeo. Vale ornatiſſime vir, & venerande frater. D. Gualthero, uxori tuæ, generis, & fidelibus ſalutem plurimam. Dominus vos omnes tueatur ſuo præſidio, & Spiritu regat. Genevæ, 26 Novemb. M. D. L I I I.

CALV. TIGURINIS MINISTRIS, *Fratribus ac Symmyſtis pl. obſervandis*, S. D.

ME quidem valde pudet, optimi & ex animo colendi fratres, quod quum nuper vobis in Serveti cauſa moleſtus fuerit Senatus noſter, novum jam rurſus negotium exhibet. Eſt tamen aliqua ejus rei juſta excuſatio. Nam quum ſe ferocius jactet quorundam improbitas, quam ut ad reſiſteodum pares ſint, qui recte pieque ſentiunt, ſubſidium à vobis petere coguntur. Ego vero ut maxime vobis parcere cupiam, ceſſandum tamen in tanta neceſſitate non putavi. Ex quo ad hanc Eccleſiam reverſus ſum, diſciplinæ forma ſi non perfecta, & qualis optanda foret, ſaltem tolerabilis viguit. Inſtitutum enim erat Conſiſtorium, quod regendis moribus præeſſet. Nulla in eo civilis juriſdictio, ſed tantum reprehenſiones ex verbo Domini: ultima vero pœna, excommunicatio. Inter alia certamina, quæ nobis ſubinde per continuum triennium moverunt Satanæ miniſtri, hoc nos violenter exercuit, quod quidam perditæ impudentiæ nebulo, contra Eccleſiæ judicium ad ſacram menſam prorumpere conatus, ubi nos conſtanter furori ſuo reſiſtere vidit, urbem implevit magno tumultu. Nec vero difficile hoc illi fuit, quum ab impiorum factione ad hanc fabulam agendam delectus foret. Et quia non modo eoſdem habebat patronos, quos Serveti cauſam clamoſe tueri non puduit, ſed etiam ſocios atque auctores, ſumma contentione, adeoque intemperie ab illis effectum eſt, ut Major Senatus receptum, & hactenus ſervatum Eccleſiæ ordinem repente convelleret. Nos iterum reſtitimus. Qui errore lapſi fuerant, decernunt petendum eſſe ab Helveticis Eccleſiis conſilium. Quanquam autem ad vos non ſcribitur, quia tamen certum eſt, Clariſſimi Senatus veſtri reſponſum nonniſi ex ſententia veſtra fore, ego vos in tempore monendos ac rogandos cenſui. Et optimus vir, ac in primis cordatus, mihique unice dilectus frater profectionem hanc adverſo anni tempore, laboris & moleſtiæ plenam, libenter ſuſcepit Eccleſiæ nomine. Primum igitur vos per Chriſti nomen obteſtor, ut cogitetis non vulgare aliquod negotium vobis tractandum eſſe: ſed de toto hujus Eccleſiæ ſtatu conſultationem haberi. Ego enim quod perfidæ ignaviæ eſſe arbitror, quamdiu hanc perſonam ſuſtineo, non acriter ad extremum uſque pugnare pro ſancta & legitima diſciplina, centies è vita potius, nedum ex hoc loco migrare ſtatui, quam ut patiar impie labefactari, quod ex Dei verbo ſumptum eſſe probe cognoſco. De excommunicatione non omnes hodie idem ſentiunt. Nec me latet pios & doctos eſſe homines, quibus ſub Chriſtianis Principibus non videtur neceſſaria eſſe excommunicatio. Atqui neminem fore confido ſanæ mentis, rectique ſtudii, qui ejus uſum improbet. Mihi certe non obſcura eſt Chriſti doctrina. Sicubi à plebe impetrari non poteſt, ut hoc Chriſti jugum ſuſcipiat, poſtquam ſtrenue eo incubuerint Paſtores, alia eſt eorum ratio, quam noſtra. Nimis enim turpe eſſet, ædificium quod nobis tuendum Chriſtus commiſit, vivis & videntibus nobis dirui ac everti. Nec vereor, ut pertinaciæ damnetis meum ſtudium, ubi perſpecta fuerit quam hactenus ſequuti ſumus ratio, & quam nobis impii eripere moliuntur. Quod ſi vobis liquebit nihil in ea contineri, niſi puræ Chriſti doctrinæ conſentaneum, obſecro date operam, ut idem teſtetur Clariſſimus Senatus veſter. Hoc enim præcipuum eſt, ut intelligant noſtri homines novitatem, quam affectant, ſe non poſſe conſequi, quin diſcedant à Chriſti regula, vel, ſi hoc durius videtur, quin deflectant. Supereſt ut D. Budæus quod literis complecti non ſatis ſit, coram vobis exponat. Dominus mihi

& Collegis meis è cælo teſtis erit, nihil ab annis quatuor omiſſum fuiſſe ab improbis hominibus, quo paulatim mediocrem hujus Eccleſiæ ſtatum peſſundarent. Clandeſtinas eorum machinationes ab initio perſpexi. Verum, non habeo quid dicam, niſi quod Dominus flagella parabat coram oculis noſtris, ut timorem incutiens nos ad ſe revocaret. Quia vero ſurdi & cæci eramus, remedio locus non fuit. A biennio autem non alia fuit noſtra conditio, quam ſi inter profeſſos Evangelii hoſtes verſandum nobis foret. Nunc extremus actus agitur. Multis enim victoriis potiti Evangelii hoſtes, magnificum de Chriſto, ejuſque doctrina, & Miniſtris, denique membris omnibus triumphum agere cogitant. Quam inhumaniter, contumelioſe, & barbare vexaverint Chriſti exules, quos in fidem ſuam receperant, dicere ſuperſedeo. Quam placide, modeſte, & patienter omnes indignitates devoraverint, quibus aſylum in promptu erat, ne ipſi quidem injuriarum auctores negare poterunt. Nunc ad ſummum pervenit nequitia, ut omni pudore excuſſo, templum Domini in lupanar convertere obſtinate cupiant. Atque ut ſciatis, quam fœda ſit deformitas, quum hîc nuper eſſet frater noſter Farellus, cui ſe totos debent, ut ſatis noſtis, & pro jure ſuo eos libere moneret, tantus in eum furor exarſit, ut capitale judicium in eum intentare non ſint veriti. Scio equidem non debere novum videri, ſi reperiantur in urbe libera factioſi homines, qui turbas concitent. Sed deploranda eſt Senatus noſtri cæcitas, quod libertatis ſuæ patrem, & patrem hujus Eccleſiæ ſibi reum cauſæ capitalis mitti à Neocomenſibus popoſcit. Dedecus hujus urbis proferre cogor, quod ſanguine meo delere cuperem. Venit Farellus: antequam urbem ingreſſus eſſet, denunciavit domi meæ apparitor Senatus, ne ſuggeſtum conſcenderet. Reliqua non perſequor: quia ſatis eſt ejus ingratitudinis guſtum dediſſe, quæ bonis omnibus, & ingenuis merito ſtomachum movebit. Sed quoniam me complures cauſæ impediunt, ne mala noſtra aperte deplorem, ſic breviter habete, niſi per vos cohibeatur Satan, habenas ei laxatum iri. Perinde ergo ſatagere vos decet, acſi in manu veſtra eſſet hujus Eccleſiæ ſtatus. Nec moroſitate noſtra fiet, ut loco potius cedamus, quam ſententia. Omnes enim boni norunt, ut turbis obviam iremus, hactenus nos fuiſſe plus ſatis flexibiles: quum tamen minime dubium foret, patientiam noſtram ab improbis tentari. Hanc autem victoriam illis tradere non licet, quia ſcientes & volentes totum jus Eccleſiæ prodamus: non modo quia peſſum ibit Miniſterii noſtri auctoritas, ſed quia fœdiſſimis quibuſque probris ſubjectum erit Chriſti nomen, effrenis malorum omnium licentia magis ac magis inſoleſcet, piorum conditio non modo injuriis quibuſque obnoxia, ſed prorſus afflicta miſere jacebit. Quo certius confido vobis curæ fore, ut ſuffragio veſtro ſublevati qui hic ſunt fideles, Deum paulo quietius colant. Valete optimi & vere mihi colendi fratres. Dominus vobis adſit, & Spiritu ſuo vos regat, prudentiamque ſuppeditet, quæ non tuendæ modo veſtræ Eccleſiæ ſufficiat, ſed aliis quoque fulciendis. Collegæ mei vos diligenter ſalutant, & commendant quam poſſunt ſtudioſiſſime hanc Eccleſiam veſtræ fidei & prudentiæ. Genevæ, 26 Novembris. M.D.LIII.

Joannes Calvinus veſter.

Summa quædam capita diſciplinæ Eccleſiaſticæ Genevenſis.

JAm elapſi ſunt anni duodecim, ex quo inſtituta fuit Genevæ habendi Conſiſtorii ratio, & præſcriptæ leges: quas non modo tulit Senatus, ſed totus populus ſuis ſuffragiis recepit, ac ſancivit. Unde fideliter, & ad verbum excerpta ſunt capita, quæ ſequuntur.

Si quis dogmata ſpargat receptæ in Eccleſia doctrinæ contraria, amice & fraterne moneatur: ſi acquieſcat, remittatur ſine ulla infamiæ nota; ſi pervicax fuerit, vel pertinacius addictus ſit errori ſuo, ſerio moneatur, donec judicet Conſiſtorium majori ſeveritate opus eſſe: ac tunc quidem interdicatur illi uſus Cœnæ, & deferatur ad Senatum.

Si qui ſacros conventus negligant, ut palam appareat id contemptu fieri: ut ſiqui Eccleſiaſticum ordinem ſpernant, ut talium exemplo vileſcat, & peſſum eat fidelium communio: illi ad Conſiſtorium vocati, moneantur. Qui ſe dociles & morigeros præbuerint, amice remittantur domum. Si qui obſtinate in deterius pergant, poſtquam ter fuerint moniti, prohibeantur ab uſu Cœnæ: idque Magiſtratui indicetur.

Quod ad ſingulorum vitam ſpectat, teneatur in corrigendis vitiis ratio, quam Dominus præſcribit: nempe ut occulta vitia privatim placidis admonitionibus caſtigentur; nec quiſquam fratrem ſuum ad Eccleſiæ judicium vocet ob delictum, quod cum publico ſcandalo conjunctum non erit, donec ad ipſum delictum acceſſerit contumacia.

Cæterum qui ludibrio habuerint privatas monitiones, moneantur rurſus ab Eccleſia. Si præfracti fuerint, & quamvis legitimis teſtimoniis convicti, pro veniæ deprecatione pertinaciam opponant, arceantur ab uſu Cœnæ, uſque ad reſipiſcentiam.

Quod ad manifeſta & famoſa peccata ſpectat, quæ Eccleſia diſſimulare nequit, hoc diſcrimen adhibeatur. Mediocre delictum, cui caſtigando admonitio ſufficiet, non ultra proſequantur Conſiſtorii ſeniores. Vocetur quidem propter aliorum exemplum, qui deliquit: ſed petita venia remittatur. Si nulla appareat reſipiſcentia, repetatur ſeria objurgatio. Qui vero in Eccleſiæ ſcandalum pergent, tanquam Dei contemptores arceantur à ſacra Cœna, donec reſipiſcentiæ ſignum dederint.

Quod ſi gravius ſit flagitium, & ſeveriore pœna dignum, quam ut verbis caſtigetur, de eo cognoſcent Conſiſtorii judices, ut qui ita prolapſus fuerit, arceatur à Cœna Domini ad breve aliquod tempus, ut ſe coram Deo humiliet.

Si quis contumaciter ſpreto Conſiſtorii judicio, ad ſacram menſam ſe ingerat, repellatur à Miniſtro.

Ea ſervetur moderatio diſciplinæ, ne querimoniis ulla detur occaſio propter immodicum rigorem: atque ut correctiones nihil aliud ſint, quam utiles medicinæ.

Sic etiam intra fines Eccleſiaſtici regiminis Conſiſtorium ſeſe contineat, ut nihil ordinariæ poteſtati Magiſtratus deroget, ac detrahat: ac verbi Miniſtri ſpirituali gladio contenti, civilem juriſdictionem non attingant, nec quicquam delibent ex jure Magiſtratus. Adeoque quoties ad Conſiſtorium delatæ erunt cauſæ, quarum cognitio civilem pœnam, vel coërcitionem requiret, mittantur partes ad Senatum, ut civile judicium ſuo arbitrio exerceat.

Porro ſcire operæpretium eſt, non ſolos verbi Miniſtros ſedere judices in Conſiſtorio: ſed numerum duplo majorem, partim ex minori Senatu, ex delectis ſenioribus eſſe, ut vocant, partim ex majori deligi: adhæc unum fere ex ipſis Syndicis præſidere.

Per annos duodecim ita ſibi temperavit Conſiſtorium, ut ſatis conſtet nemini factam fuiſſe injuriam: vel plus oneris fuiſſe impoſitum, quam cauſa exigeret. Pauci quidem interea protervi homines conqueſti ſunt. Verum Senatus re cognita ſemper judicavit Conſiſtorium rite officio ſuo eſſe functum.

Inter alios præcipuus extitit nebulo quidam, cujus improbitas bis firmis ac validis rationibus ita refutata fuit, ut à Senatu pronunciatum ſit, etiam jure excommunicatum eſſe. Quum per ſeſquiannum ſacra communione privari maluerit, quam pœnitentiam

apud

apud Conſiſtorium teſtari, nuper jus ac libertatem recipiendæ Cœnæ à Senatu impetravit, Conſiſtorio non audito. admiſſus tamen non fuit: quia Paſtores fas ſibi eſſe negarunt, leges in quas juraverant, violare. Quum multi obſtreperent, vocati ſunt in curiam Miniſtri, à quibus oblata fuit excuſatio quæ ſequitur.

Magnifici Domini, non longis verbis præfamur, quantopere vobis optemus morem gerere: ſicuti etiam vobis obſtricti ſumus: quoniam obſequia noſtra, ſicuti hactenus nos feciſſe cognoſcitis, maluimus reipſa & veris documentis probare. Vere tamen aſſerere poſſumus, nibil eſſe nobis magis in animo, quam vobis obſequi, quoad licet. Verum ſi nobis obſtat conſcientia, quo minus ſine exceptione veſtris omnibus mandatis pareamus, vos obſecramus ſuppliciter per nomen Dei, ne juſtas excuſationes gravemini admittere. Quin potius quod rectum ac Dei verbo conſentaneum eſſe docuerimus, veſtra auctoritate ſanciatis, ut fideliter poſſimus quæ & Deo & vobis debemus officia præſtare. Neque enim unquam liberaliter & ſincero animo vobis ſerviemus, niſi ſimpliciter & qua decet integritate ſequamur quod Deus nobis præſcribit: & quidem ea conſtantia, ut ne buc vel illuc flectamur in hominum gratiam.

Hoc in diſceptationem trabitur, Ad quos jus & auctoritas excommunicandi pertineat. Nunc quia profeſſi eſtis, nolle vos à veſtris legibus diſcedere, ſupervacuum foret longo ſermone oſtendere, quicquid quærimus, eſſe prorſus verbo Domini conſentaneum. Et certe ita ſunt compoſitæ illæ leges, ut nibil contineant, quod non ex puro fonte Scripturæ petitum ſit. Dicimus ergo totam rem, de qua nunc controverſia nobis movetur, clare illic eſſe expoſitam. Nam & quas ob cauſas excommunicandi ſint qui peccarunt, dilucide ſtatuitur, & bæc provincia mandatur Conſiſtorio.

Nunc frivolo cavillo jus ſuum Conſiſtorio quidam eripere tentant, quia alicubi additum eſt, ut Conſiſtorium de ſuo judicio vos certiores reddat. Neque enim boc modo impeditur Conſiſtorii libertas, quo minus diſciplinam ſibi mandatam exerceat: ſed in alium finem poſita ſunt hæc verba, ut duros & indomitos homines coërceatis, quibus contemptui eſt ſpiritualis correctio. Et ſane vobis denunciare non jubetur, ut judicium ad vos transferat, quiſnam privandus Coena ſit, nec ne: quemadmodum alibi diſerte exprimitur, ut de pœnis, & de tota civili juriſdictione vobis integra ſervetur cognitio. Illic enim Conſiſtorio frenum injicitur, ut à jure veſtro abſtineat. Hîc autem poſtquam ſuis partibus fuerit functum, jubetur ad vos deſerre, ne contemptores impune adverſus Eccleſiam laſciviant. Atque ita diſtincta eſt ratio, ut penes Conſiſtorium jus excommunicandi maneat: vos autem imperio coërceatis rebelles, ubi ita viſum fuerit.

Imo hoc non ubique præcipitur, ut quoſcunque probibuerit à Cœna Conſiſtorium, vobis ſignificet. Sed nominatim hoc ad duas ſpecies reſtringitur: nempe, Siqui ſpargendis falſis dogmatibus pertinaciter inſiſtant: vel ſiqui in ſpernendo Eccleſiæ ordine obſtinati ſint: quia in ea parte plus eſt periculi, ut opus ſit Magiſtratus imperio. Quod pertinet ad reliquos omnes, ſive monitionibus non paruerint, ſive delicta ſua fuco obtegere conentur, ſive culpam confeſſi ad ingenium mox redeant, ut appareat non ſerio fuiſſe tactos: ſive malo exemplo offenderint Eccleſiam: nulla illie veſtri fit mentio: quia nondum eo uſque malum invaluit, ut à vobis ſubſidium petatur. In ſumma, non alio reſpicit illa denunciatio, niſi ut vindices ſitis, ubi ludibrio babebitur Eccleſia Domini, & ſpiritualis ejus correctio pro nibilo ducetur.

Videtis ergo, magnifici Domini, in veſtris legibus nihil eſſe obſcurum vel ambiguum: ac ſine controverſia excommunicandi munus Conſiſtorio injungi.

Quum autem eos, qui ſe temere & proterve ingerunt, à Miniſtro repelli oporteat, pluſquam abſurdum foret admitti craſſos contemptores, qui palam & ex profeſſo Eccleſiæ inſultant. Niſi forte permittere illis velitis, ut contumelioſe ſpernendo qui à vobis creati ſunt judices, quique totum corpus Eccleſiæ repræſentant, tam de Deo ipſo, quam de vobia triumphum agant. Atqui minime ferendum eſt, ut ſanctum illud & ſpirituale regimen, quod Deo pretibſum eſſe ſcimus, & quod nobis tantopere commendat, profani homines pedibus calcare ſibi permittant. Et ſane præſtaret nullum ordinem eſſe poſitum, quam ubi poſitus eſt, ita violari. Præſtaret nullum eſſe Conſiſtorium, quam extare inane nomen tam fœdis ludibriis obnoxium.

Interea non vos latet, obſervandi Domini, quoties conqueſtus eſt quiſpiam de nimia ſeveritate, nos ſemper ad reddendam rationem fuiſſe paratos, & ita vobis ſatisfeciſſe, ut ſemper os maledicis obſtructum fuerit. Scimus enim quantopere ab officio noſtro abhorreat eam tyrannidem nobis arrogare, ut pro ratione nobis ſit voluntas. Nec vero, etiam ſi per homines liceret, quidquam tale nobis ipſi concederemus. Adde, quod nunquam recuſavimus vel minimis quibuſque ex plebe officii cauſam noſtram reddere, quoties rogati ſumus. Tantum abeſt, ut gravemur eandem erga vos modeſtiam colere, quos omni reverentia (ut par eſt) honoreque proſequimur. Et vos nobis hujus rei optimi eſtis teſtes. Cæterum ut nos perſpicitis ad omnes officii noſtri partes implendas propenſos & voluntarios, viciſſim à vobis petimus, quoties vobis conſtabit inique nobis detrahi, ut manum nobis porrigatis: nec patiamini graſſari eorum laſciviam, qui ſuſque deque habent omnia turbare, ut jugum diſciplinæ excutiant. Memoria etiam repetite quod ſæpius ex nobis audiſtis, ſi obtinuerit bæc licentia, ut quo quiſque contumacius ſe efferet, ac audacius ordinem labefuctabit, eo meliore ſit loco, & mercedis vice privilegium reportet, quo legibus ſolvatur, fieri non poſſe quin paulo poſt horribilis ſequatur confuſio.

Quare, magnifici & obſervandi Domini, veſtrarum partium eſt, hujuſmodi ſcandalis ita in poſterum mederi, ut colatur inter nos Deus omnium conſenſu: politia Eccleſiæ ſuo tenore fluat: vos extra moleſtiam ſitis: & nobis liceat ſalutis doctrinam ſine controverſia & tranquille miniſtrare. Tantum enim abſumus à libidine minuendi juris veſtri, ut aſſidue potius Dominum pro Reipublicæ veſtræ ſtatu precemur. Et certe nihil nobis magis expedit, quam vos florere, & proſpere habere in Domini gloriam. Nec vero timendum eſt, ne veſtræ auctoritati inſidias tendamus, pro qua tuenda, ſi ita ferret neceſſitas, libenter quiſque noſtrûm vitam impenderet. Quare ſi jus veſtrum cupitis ſalvum tenere, non eſt cur nobiſcum litigetis.

Bullingerus Calvino s. D.

Breves Ampliſſimus Magiſtratus Genevenſis literas ad clariſſimum urbis noſtræ Senatum ſcripſit. Quia vero Gallice ſcriptæ erant, ornatiſſimus D. Conſul Galtero noſtro vertendas in Germanicum miſit: ita factum eſt ut & ego viderim & legerim. Tres proponunt quæſtiones noſtratibus. 1. Quomodo ex præcepto Dei & ſecundum Scripturas illibatamque religionem exercenda ſit excommunicatio. 2. Annon alia ratione quam per Conſiſtorium exerceri poſſit. 3. Quid hac in re in Eccleſia noſtra fiat. Lectæ ſunt in frequenti Senatu literæ: mox deputati ſunt D. Coſ. & ex Senatoribus illuſtres viri tres, qui aſcitis tribus hujus Eccle-

ſiæ Paſtoribus de reſponſinne commoda danda conſultarent. Cnnſultaverunt, & concorditer omnes conſenſerunt, ſcribendum Ampliſſimo Senatui Genevenſi, dolere nobis ſic ipſorum turbari Eccleſiam, ut lis & contentio ex lite & contentinne ſeratur. Dudum audiviſſe nos de legibus iſtius Eccleſiæ Conſiſtorialibus, & agnoſcere illas pias eſſe, & accedere ad verbi Dei præſcriptum: idenque nnn videri admittendum ut per innovationem mutentur. Satius eſſe ut integræ conſerventur, boc præſertim ſeculo, in quo ſubinde bomines fiunt deteriores. Et quanquam noſtra diſciplina veſtræ per omnia non reſpondeat, illam tamen pro ratione temporum, locorum & perſonarum eſſe temperatam, nec iden veſtram velle ſubverſam. Quoniam vero, quid à noſtris fiat, veſtri ſcire poſtularunt, paucis coonſignata ſumma mittitur. Hæc hodie concorditer ſtatuta ſunt, & cras reſpooſio bæc ad totum teferetut Senatum. An bic illam probaturus an reprobaturus ſit, ignnro. Dominum ex animo oro, ut omnia bene vertat ad gloriam nominis ſui. Nos cette ſummis annixi viribus laboravimus, ne quid fieret à nnſtris quod in derogationem bonarum legum Eccleſiæ veſtræ tenderet. Vos quoque bortamut, ut pergatis eſſe fideles Domino, & modum adhibeatis rebus omnibus, ne tigore nimio perdatis quos ſervatos cupit Dominus, qui arundinem comminutam non confringit, neque linum fumigans extinguit. Vale vit coleodiſſime, & frater in D. chariſſime. Valeat æternum Budæus noſtet: valeat Comes à Martinengis: & cum bis D. Gallaſius & reliqui ſymmyſtæ & fratres. Feſtinantiſſime. Tiguri, 12 Decembr. M. D. LIII.

Jam mittitur ad me copia, ut vocant, literarum ex Ampliſſimo Senatu noſtro: ſimul nunciatur approbaſſe Senatum beri à nobis paratum reſponſum. Video in ſumma nibil variare ſcriptum publicum Senatus ab iis quæ in biſce conſignavi literis: imo veſtros ſtudioſe bnrtantur, ut in his permaneant, quæ ſemel ſunt recepta. Nos noſtræ diſciplinæ formam non mittere ut vel tantillum præſcribamus, præſtare ut in ſemel receptis, & ſanƈte quidem ex Scriptura receptis perſeverent Eccleſiæ. Protinus ergo jam ſcribo literas D. Simperto Vogbio, & D. Simoni Sultzero Paſtoribus Schafbuſ. & Baſil. Eccleſiæ, de concordi reſponſo Magiſtratus noſtri, ne quid bujus iſti ignorent, ut & ipſi pacem quærant & ædificationem Eccleſiæ Genevenſis, licet non per omnia ſimilia habeant in ſuis Eccleſiis. Dominus per Spiritum ſuum benedicat oegotio buic, & dirigat corda veſtra in viam pacis, Amen, Amen. Jam ſcribam & Bernam ad D. Hallerum & Muſculum. His iſtas mitto, orans, ut mature curent ad te perferri. Ama nos in Domino, mi Calvine, & ora pro nnbis una cum fratribus. Salvus ſit optimus ſenex & optime meritus de Eccleſia D. Farellus, primus iſtarum partiom Apoſtolus. Vide mi Calvine, ut diligenter & pie omnibus piis deſcribas Servetum cum ſuo exitu, ut omoes abhorreant à beſtia. Tiguri, 13 Decemb. Salutant te ac tuos noſtri omnes.

Bullingerus Calvino s. d.

Simul & ſe abire jam, & ſi quid ſcribere velim Genevam, bic mihi ſignificavit. Idcirco vix iſta ſcribere potui. Accepi tuas frater chariſſ. Audivi Gualterum noſtrum, qui me ſollicitum & anxium reddidit. Ne receſſeris, oro, ab ea Eccleſia
Act. 18. quæ tot babet viros excellentes. Memineris illius ex
v. 9. 10. aƈtis Apoſtolicis, Nnli timere, nam multus eſt mibi adbuc in hac urbe populus. Tametſi enim ſunt porci & canes multo plures quam velimus, propter eleƈtos tamen multa ſunt toleranda. Præterea non ignnras quantum aƈturi ſint tripudium, omnes qui in Gallia Cbriſtum oderunt: quanto denique periculo exules Gallos expoſueris, ſi diſceſſeris. Mane ergo, mane & patere quæcuoque Dominus immiſerit probra, contemptiooes, pericula, mala. Non deſeret te Dominus. Per multas tribulationes oportet nns ingredi in regnum Dei. Obtulit quidem Dominus materiam per occaſionem accommodatiſſimam Ampliſſimo Senatui Genevenſi ſe & Eccleſiam expurgandi à labe ſeu fœditate bæreſeos, dum Servetum illum Hiſpaoum in manus ejus dedit. Novit hunc bona pars orbis Chriſtiani vel ex blaſphemis libris editis de erroribus Trinitatis, & iis quæ edidit mere Judaica pro juſtificatione operum. Audis illum nunc alio edito libro ſemetipſum ſuperaſſe impietate. Si ergo huic rependeret Ampliſſimus Senatus, quod blaſpbemo nebuloni debetur, totus orbis cerneret Genevenſes blaſpbemos odiſſe, hæreticos, qui vere ſunt pertinaces hæretici, gladio juſtitiæ perſequi, & gloriam majeſtatis Divinæ vindicare. Verum ſi hoc non fecerint, tuum tamen non fuerit deſerta illa Eccleſia aliis quoque malis occaſionem præbere. Pugna intrepide, Deo confide per Cbriſtum, implora ejus conſilium & auxilium, ut te eripiat. Juvamus te certatim orationibus noſtris. Vive & vale. 14 Septembr. M. D. LIII. Tiguri.

Calv. Bullingero s. d.

Intelligo ex tuis literis, obſervande frater, tibi non ſatis nota fuiſſe mala noſtra, de quibus apud te conqueſtus fueram. Quia me improbi ſciunt irritabilem eſſe, ſæpius & variis modis ſtomachum mihi moveudo, patientiam excutere conati ſunt. Tametſi vero difficilis nibi fuit luƈta, nunquam tamen adepti ſunt quod captabant, ut de via defleƈterem. Et jam ad omnes eorum punƈtiones pridem obdurui. Dominus enim ita me intra breve tempus in bac gente exercuit, ut multis experimentis didicerim, quam mulra Chriſti miniſtris ferenda ſint. Idem quoque, ut ſpero, qui me haƈtenus ſuſtinuit, non minori in poſterum fortitudine inſtruet. Quare ejus auxilio fretus ſtationem in qua me locavit, ounquam volens deſeram. Nec vero, quum bic nuper eſſet Dominus Gualthetus, ullis contumeliis, vel indignitatibus fraƈtus, ad cedendum me parabam: ſed quoniam ab improbis inita erat ratin, qua me invitum extruderent. Quidam ob effrenes ſuas libidines, & multa flagitia, Cœnæ uſu privatus donec reſipiſceret, contempto Eccleſiæ judicio, volebat nibilominus admitti: & quum palam ſua contumacia jus Conſiſtorii everteret, nbtinuerat à Senatu, quod recuſare mihi neceſſe fuit. Cæterum, quia ferreum os bominis mihi notum erat: & data opera eum improbi mihi nppoſuerant, ut vel ſua protervia me vinceret, vel tumultum concitaret: Senatum admonui quid faƈturus eſſem. Pervicit deterior faƈtio, ut nihil æqui impetrarem. Poſtridie aderat frater noſter Dominus Gualtherus: ubi me potius mortem obiturum denunciavi, quam ut ſacrum Domini panem canibus proſtituerem, qui ex profeſſo non ſine Euangelii craſſo ludibrio, Eccleſiæ ordinem pedibus calcare ſtatuerent. A prandio quid diaerim, malo ex oratione ipſa intelligas, quam Beza noſter vertendam curavit. Ne quid mutatum putes: ego nuoquam inſpexi: ſed à notario ſumpta eſt, qualem ex ore meo exceperat. Poſtea res agitata in Senatu fuit, ubi quum ſuperior eſſet bona cauſa, deſtiterunt pauliſper qui res turbatas cupiunt, donec tumultuandi magis opportunum eſſet tempus. Inſtat autem ſolennis Comitiorum dies, ubi aliquid proculdubio rentabunt. Sed faciet Dominus, ut perverſi eorum conatus evaneſcant. Mihi diſciplinam, quæ bic & Senatus & populi decreto recepta eſt, morte potius ſancire certum eſt, quam ut me vidente labefaƈtari patiar. Si me ab officio prohibeant, coaƈtus pntius diſcedam, quam libertate me abdicem, qua perdita miniſterium meum concideret. Nec vero

ita

ita ferreus ſum, quin me excruciet horrenda, quam proſpicio futuram, gregis diſſipatio. Sed dum reputo quid mihi liceat, in propoſito confirmor. Tu, quod facis, precibus nos juvare perges, ut hoc ovile ſibi Chriſtus conſervet. Jam agitur octavus dies, ex quo à vobis rediit nuncius. Quantum pro fideli veſtra opera, cordatoque reſponſo hæc Eccleſia debeat, verbis aſſequi nequeo. Jam vero quod de me & collegis meis tam amanter & honorifice in doctrinæ noſtræ commendationem loquuti eſtis, hoc nomine privatim nos vobis obſtrictos agnoſcimus, & non vulgarem habemus gratiam. Utinam mutuis officiis certare nobis daretur. Sed vos animis noſtris ſcimus eſſe contentos. Quid de homine futurum ſit, nondum ſcitur. Quantum tamen conjecturis aſſequor, cras feretur in curia judicium: perendie vero ad ſupplicium ducetur. In Gallia res nihilo melius habent quam ſolebant. Ubi ſæviendi eſt materia, ſanguini non parcunt. Divione brevi tres exurent, niſi forte id jam factum ſit. Et periculum eſt, ne Scotiæ motus incendium exaſperent. Hoc ideo commemoro, ut miſeri fratres vobis ſint commendati. Nemauſi enim ſeptem vel octo teneri in vinculis allatum eſt. In aliis Galliæ urbibus complures ſunt. Vale ornatiſſime vir, & frater mihi plurimum colende. Saluta diligenter ſymmyſtas, uxorem, generos, & filios. Dominus vobis ſemper adſit, vos tueatur, & Spiritu ſuo regat. Collegæ mei plurimam vobis ſalutem dicunt. Genevæ, 6. Calend. Novembr. M. D. LIII.

FARELLUS CALVINO S. D.

FUi Bernæ; quo me fratres ire juſſerunt reluctantem, ut aliquibus flagitantibus Paſtorem obtineremus: omnes probabant quod petebam. Si Chriſtus propitius faverit miſeris, fiet aliquid; alioqui ſpei nihil affulget. Vereor ne mihi contingat quod iis qui ſua ſeniores elargiti ſunt junioribus, qui pro gratia, graves ſunt oculis eorum de quibus bene meriti ſunt. Scortum R: quod tam male audivit ob anteactam vitam, nequid dicam de morte mariti, (neſcio an ei liceat intrare ſolum Bernenſe) egit, ut ſcis, non procul iſtinc apud Pontificios velut defectrix ab Euangelio: & puellam quam habebat jam initiatam Euangelio, & quæ fuit particeps Cœnæ D. elocavit viro infeſto doctrinæ Chriſti: & ita locata puella defecit ab Euangelio, ſeque adjunxit Pontificiis, & eorum ſceleſtis ſacris. Et quum hic agat, rogata fuit num vellet valedicere Antichriſto, & ad Euangelium redire, ac perpetuo in eo vivere. Reſpondit, oportere ut virum ſequeretur, & vivere pro more eorum apud quos ageret. Hæc ſaſſa non ſe victuram juxta Euangelium, peperit puellam. Avia puellæ voluit natam offerre baptizandam. Ego reſpondi non admittendam, quod in fœdere non ſit, quum neuter parens fidelis ſit, neque in Eccleſia Chriſti agat & admittatur: nec poſſe nos quenquam intingere niſi fuerit in fœdere: aioque R. id nunc velle in ruinam Eccleſiæ moliri quod olim pater, qui erronis filium voluit offerre intingendum, ex iis ſcilicet quos Ægyptios vocant. Quumque videret me adigentem patrem erronem ad abnegandam omnem impietatem in qua vixerat, & ſtipulantem ut juxta Euangelium poſthac viveret: & inſuper quum urgerem levantes puerum, ut plene provinciam ejus ſuſciperent patre conſentiente, & filium permittente & cedente, ſi non viveret ex præſcripto Euangelii: Præfectus ferre actionem hanc non potuit, ſed quum loqui vellet, reprehenſus eſt ivit. Ita filia nunc turbare Eccleſiam vult indebita Baptiſmi adminiſtratione. Collega ſubdit aviam eſſe in fœdere, & ſuſcipere filiolæ curam, & quamdiu vivet, daturam ſe operam, ut in Euangelio vivat: & quod ſit in fœdere palam eſſe, quia excepta ſit ab Eccleſia, & admiſſa ad Cœnam. Quare ſi vernæ & emptitii, qui in ædibus erant Abrahami ad Circumciſionem admittebantur, multo magis hanc, quæ in ædibus aviæ nata eſt. Ego ludi hic Eccleſiam affirmo. Scilicet mater quæ filiam mancipavit Satanæ, ſub quo ea fatetur ſe victuram, & non ſub Euangelio, dabit operam ut quam minus habet charam, formetur in Euangelio? dat primum ſpecimen in filia quam perdidit, reducat eam. Quod autem attinet ad receptionem aviæ, ego pernego me unquam in eam ſententiam veniſſe neque venturum, niſi aliud cernam in ea: neque probo collegæ factum, qui ſuo more non veretur profanare omnia, & improbiſſimos velle admittere cogit. Et quod attinet ad eos qui cum eo faciunt, res ita habet, & quanto iniquior eſt tanto plauſibilior. Nam ſive ex Turcis ſive ex Judæis vel quibuſvis puer offeratur, & quicquid eſt ejuſmodi, intingi juberent. Quare inſolentia eorum magis cohibenda venit, quam fovenda. Quod attinet ad Abrahamum & vernas ipſius, dent micam fidei tanti ſervi D. in tam vili mancipio Satanæ, quod tunc Eccleſiam adeo horrende fœdavit ut ſtupendum ſit. In Gallia quid non egit, unde Euangelium male audiret ſuis ſcortationibus & divortiis? Adde quod judices omnes laici, quum non poſſent eam conciliare viro, ubi juſta ferri debebat Eccleſiæ excommunicatio, auſi ſunt eam ab omnibus Eccleſiis excommunicare, ſibi uſurpantes quod non licebat. Sit vana actio, tamen quod juſte infligi debebat, ubi ſolvitur? Soluta eſt, ait aliquis, dum admiſſa fuit ad Cœnam: nego id legitime factum. Sed quis audivit unquam Abrahamum aliquem ex ſuis mancipaſſe ſacrilegiis idololatrarum, & rurſus perſeverantem in impietate in ædes ſuas admiſiſſe, & infidelis prolem tentaſſe circumcidere? Actum eſt cum fratribus: qui re parum expenſa, pars ſuaſit intingendam puellam, pars conſulendas eſſe Eccleſias, pars non intingendam. Sed mira contentione collega egit & aliqui ſecum. Non pauci tantum quod vulgus ait nemini denegandum Baptiſmum petenti. Rogabam qua ratione puella munda eſſet. num patris? is prorſus eſt impius. num matris? at illa defecit à Chriſto, & in ea defectione pergit. Quum ergo immunda ſit, quis niſi maledictum incurrens mundam affirmabit? Et ut videas pietatem aviæ, quum collega decreviſſet ſciſcitari de fide ipſius, & aſtringere arctius ad procurandum ne unquam puella adduceretur in Papiſmum: illa reſciens, adiit improbum Plebanum, qui dignus erat Deum Pontificium perpetuo evocare: at ſe non ita miſcere piis debebat. Habuit levantes Pontificios, & inſuper milites: & apud aliam Eccleſiam, quam hanc, voluit intingi. Sane video collegam nimis præfractum, & plus ſibi quam par ſit tribuentem. Facile huic erit omnia efficere per Conſiſtorium, ſi aliud non videam. D. nobis adſit. Tu cum fratribus tuum judicium indicabis, & aliud non addes quam ſententiam. Rogabam Muſculum de hac re Bernæ, & item Hallerum: ut hic nihil reſpondit niſi quod collaturus eſſet cum aliis, ita ille juſſit ut tuum haberem judicium, quod ei ſubindicarem tandem. Vale. Non moleſte feras, quod tam ingrata ſcribam, lætiora non habeo nunc. Faxit Chriſtus ut meliora audiamus, ut feruntur aliquot Epiſcopi admiſiſſe Paſtores Euangelicos, & jam non ſe cornutos Epiſcopos, ſed Duces Principeſque dicere. Neocomi, 14 Julii. M. D. LIII. Saluta pios omnes.

CALV. FARELLO S. D.

Gratia tibi & pax à Deo Patre noſtro & D. Jeſu Chriſto.

QUod de cauſa apud vos dubia ſententiam noſtram rogas frater & ſymmyſta in Domino venerande, Liceatne ordinis noſtri miniſtris qui puram Euangelii doctrinam profitentur, ad Baptiſmum admittere infantem, cujus

pater ab Eccleſiis noſtris alienus eſt, mater vero ad Papatum defecit: ita ut parentes ambo ſint Papiſtæ: ita reſpondendum cenſuimus, Abſurdum eſſe ut eo baptizemus, qui corporis noſtri membra cenſeri nequeunt. Quum in hoc ordine ſint Papiſtarum liberi, quomodo Baptiſmum illis adminiſtrare liceat, non videmus. Accedit etiam altera ratio. Stipulamur enim ab iis qui offerunt, ut adultos erudiant in ea fide, in qua baptizantur. Si nemo fidejubeat, profanari Baptiſmum certum eſt. Si vero promittant fidejuſſores quod non eſt in eorum poteſtate, palam luditur Deus: præſertim ſi hoc notum ſit, non ſerio, ſed tantum defunctorie promitti. Nam ſi aſtute fallunt, culpa vacuus eſt miniſter. Cæterum minime dubitamus, non alios eſſe idoneos ſponſores, niſi penes quos ſit præſtandi facultas, hoc eſt, qui infantem habituri ſint in ſua poteſtate, vel qui patris aut matris rogatu fidem ſuam Eccleſiæ obligent. Sed præcipuam in eo difficultatem vobis eſſe intelligimus, quod avia pro matre Baptiſmum nepoti ſuo vel nepti petiiſſe dicitur. Nam quum Dominus gratiam ſuam in multas ætates exteodat, eam aſtringere non eſt noſtrum. Et certe locum hic habet vulgaris regula: favores eſſe ampliandos. Sed duo conſideranda ſunt. An avia in ſe recipiat infantis educationem, idque faciat jure ſuo, ut caveatur Eccleſiæ in grege manſurum quis cooptatur. Neque enim in aviæ gratiam baptizandus erit nepos, in quem nihil habebit ipſa juris, & qui alieous erit ab ejus familia. Circumciſio non tantum vernis Abrahæ, ſed emptitiis quoque ſervis communis fuit: ad Loth vero non pervenit, qui ex ejus domo migraverat. Deinde videndum an ipſa quoque avia membrum ſit corporis noſtri, & in cœtu piorum locum obtineat. Mulierem deſignas quæ ſi apud nos habitaret, quia tamen filiam elocavit extra Eccleſiam, &, quantum in ſe fuit, abdicavit à piorum communione, hac una perfidia ſe privavit jure ſponſionis, ne audienda ſit quum de Baptiſmo agitur. Certe ſi vigeret legitima diſciplina, excommunicatione digna erat quæ Eccleſiam ove una fraudavit. Quod ſi culpam agnoſcens pœnitentiam ſuam hoc modo teſtatam faceret, fœtum ſaltem qui ex coojugio perperam contracto natus eſt, in matris locum vobis reſtituens, forte repudiare æquum non eſſet. Verum quia nihil tale præ ſe fert, quin potius ut impura eſt ac profana mulier, ita totam ſuam ſobolem proſtituere Satanæ parata eſt, oimiæ ſocordiæ fuerit Baptiſmum aperto ejus ludibrio à nobis exponi. Certe quæ Eccleſiæ communione indigna eſt, multo minus poteſt aliis patefacere in eam aditum. Vale eximie vir, ac frater nobis plurimum obſervande. Symmyſtis tuis plurimam ſalutem noſtro nomine dices, noſque eorum precibus commendabis. Dominus vobis adſit, Spiritu ſuo vos gubernet, manuque ſua tueatur. Genevæ, 16. Calend. Auguſti. M. D. LIII.

CALV. D. AGNETI ANGLÆ S. D.

QUanquam ſciebam opus fore ioterprete, generoſa Domina, ut literas meas intelligeres, ſcribendi tamen fiduciam mihi dederunt quidam amici: imo ad hoc officium tibi præſtandum vehementer hortati ſunt. Linguam vero Latinam potius elegi, quia ſperabam tibi multos fore ad manum, qui Italice exponerent, quum linguæ Gallicæ nulla fere vel rara ſit apud vos cognitio. Priocipio autem ne fructu careant meæ literæ, mihi roganda es, ut eas comiter excipere ne graveris. Quod facile abs te impetrabo, ſi conſilii mei finem ſpectes. Quin etiam, quod poſtulo, ſponte & libenter facturam promittunt, quorum hortatu ſcribo. Nec vero pietati tuæ conſentaneum eſſet, quem unum agnoſcis ex ſervis Chriſti, ſpernere, præſertim ſalutis tuæ ſtudio loquentem. Ac juſta quidem cauſa eſt, ut à gratulatione incipiam. Nam Euangelii fidem ſic te amplexam eſſe audio, ut nihil tibi potius ſit ſincero Dei cultu: cujus ſingulare ſtudium in eorum omnium animis vigere debet, qui ſuavitatem illam gratiæ, quæ nobis in Chriſto offertur, vere guſtarunt. Ideo enim apparuit Filius Dei, & quotidie ſuos theſauros nobis proponit, ut muodi illecebris renunciantes, cæleſtem vitam meditemur. Ideo etiam ſemine incorruptibili ſuæ doctrinæ nos Deus regenerat, ut juſtitiæ fructus proferat tota vita noſtra, qui ſacræ ejus adoptioni reſpondeant. Multi quidem impie hodie illudunt Chriſto, prætextum licentiæ quærentes ex ejus doctrina: ſed videmus quam horrendis modis hæc ſacrilegia Deus vindicet. Te vero in hoc totam eſſe, ut ſancta vita Euangelium ornes, magnopere gaudeo. Atque hinc apparet Euangelium in te vivas egiſſe radices. Cæterum, quia innumeris hodie corruptelis refertus eſt muodus, non modo recte animatam te eſſe convenit ad pergendum in hoc curſu, ſed invicta quoque fortitudine eſſe armatam neceſſe eſt, ut ſub Chriſto cæleſti duce milites. Nam ſic hodie invaluit impietas, ac præſertim apud vos ſic graſſatur tyrannis Antichriſti, ut non poſſis ſine magnis periculis & certaminibus integrum Deo cultum præſtare. Cujus rei tu optima teſtis es. atque in eo maxime refulget pietatis tuæ vigor, quod non ſolum tibi non indulges in vitiis communibus, ſicuti multi ſolent: ſed quia pro tua prudeotia vides quam miſera ſit iſtic tua ſervitus, voluntarium exilium ſubire mavis, quam in illis ſordibus, quæ te cootaminant, manere defixa. Porro quaodo huc uſque te Deus Spiritu ſuo expergefecit, mearum partium eſſe duxi, currenti addere ſtimulos, & ſanctum hoc conſilium adjuvare. Si tibi iſtic eſſet integrum, Deum non fraudare debito obſequio, manere potius ſuaderem, quam relicta patria, longo itinere, magno ſumptu, & ingenti moleſtia longinquam & incognitam regionem petere. Nunc vero quum minæ & terrores hoſtium Chriſti, tibi fidem tuam, ut decebat, profiteri non permittant, te etiam impediat carnis infirmitas; ut ab his laqueis exitialibus quamprimum evoles, conſulere & hortari non dubito: adeoque me tacente fieri non poteſt, quin te conſcieotiæ inquietudo ad quærendum remedium aſſidue ſollicitet. Interim cavendum tibi eſt, ne longa deliberatione fruſtra tempus tereodo, exitum tibi præcludas. Fateor in tam arduo negotio temere nihil eſſe tentaodum: verum ſi tibi obſcura non eſt Dei voluotas, non potes ſine gravi ejus injuria, perplexo animo hoc & illud diu agitare. Serio igitur ſtatue, quod Deus præcipit ſtatim eſſe exequendum, & ſimul te abſque mora accinge. Nec te retineant vanæ & fallaces blanditiæ, quibus ſibi plerique adulantur: ſed in mentem ſubinde tibi recurrat, fidei confeſſiooem Deo magis eſſe pretioſam, quam ut leve delictum ſit, impuris ſuperſtitionibus ſe polluere. Huc etiam accedit, quod iſtic tanquam ovis famelica extra ovile & paſcua Chriſti in ſterili deſerto vagaris. Nec me latet, quam tibi difficile ac moleſtum ſit, ex patria migrare, ut in alieno ſolo procul à cognatis habites, ac jam provectæ ætatis matrona non modo mutes domicilium, ſed etiam commoditatibus te exuas, quibus io flore ætatis carere durum & acerbum foret. Ad hæc omnia quid objiciam noo habeo, præter hoc unum, quod tamen, ut ſpero, abunde tibi ſufficiet: ſi ſapiat oobis cæleſtis vita, oihil in terra eſſe tanti, quod ab illius ſtudio oos retardet: deinde, Filium Dei, non ſolum quia de nobis ita meritus eſt, ſed quia ſummo imperio potitur, dignum eſſe cujus honorem omnibus mundi honoribus, deliciis, opibus, & commodis præferamus. Quod ſi nobis locum incolere liceat ubi pure colitur & invocatur Deus, longe præſtat illic exulare, quam in patria quieſcere, unde Chriſtus Rex cæli & terræ exulat. Si oulla

te

te neceſſitas à nidu diſcedere cogeret, filia tamen Dei non eſſes, niſi tibi peregrinatio eſſet terrena vita. Nunc quum te illinc violenter expellat ſacrilega tyrannis Antichriſti, & Dominus clara voce te exire jubeat, ne tibi adeo moleſta ſit peregrinandi conditio, donec in æternam hæreditatem nos ſimul Deus colligat. Vale nobilis & eximia Domina, mihique ex animo colenda. Dominus te Spiritu prudentiæ regat, fortitudinem & conſtantiam tibi augeat, ſuoque præſidio tueatur.

GASPAR LIZERUS NURLINGENSIS PASTOR J. CALVINO S. D.

QUod ego homo tibi ignotus, vir præſtantiſſime, ad te literas dare non vereor, quæſo ne audaciæ aut temeritatis alicujus damnes, multo minus ægre moleſteque feras. Hoc enim tibi velim perſuadeas, me ad id audendum non niſi germano ac vere ἀνυποκρίτῳ (ut Apoſtolus vocat) amore erga te eſſe adductum. Ex quo enim primum Eccleſiæ cura mihi mandata eſt (ſexennium autem fere in exercendo hoc munere exegi) ac lucubrationes tuas evolvere cœpi, tantus me tui amor inceſſit, ut interea vix aliud magis in votis habuerim, quam me tibi eſſe notum & amicum. Adeo etiam, ut quum ante quadriennium Auguſtanum illud τὸ μεταξὺ, ut vocant, hinc inde graſſaretur, ac pios ſincerosque Euangelii doctores in exilium ejiceret, mihi diu propoſitum aliud non fuerit, quam ſtatim Genevam me velle petere, ſimulac miniſterio prohiberer. Etiamſi vero id (Chriſto ſit laus & gloria) non factum, & Deus ex mero ſuo favore, quo nos nunquam non proſequitur, Euangelium ſuum purum nobis partim reliquerit, partim diſpulſis τὸ μεταξὺ & Papatus tenebris, iterum reſtituerit, ego tamen te propterea amare non deſii. Sed quo tu indies plures in Eccleſiæ communis utilitatem & ædificationem libros emittis, eo majore quoque ſtudio te ſemper ego quoque proſequor. Quamobrem quum nuper ex bibliopola noſtro, quum eſſet in nundinas illas Francfordienſes profecturus, quærerem, num etiam Genevenſes illuc venirent; ille vero non ſolum venire eos, verum etiam ſibi nonnihil familiaritatis cum eis intercedere diceret; temperare mihi non potui, quin traderem bibliopolæ literas, quas ab eo Genevenſes mercatores acceptas, ad te uſque perferrent. Accipe igitur, vir ornatiſſime, hanc epiſtolam tanquam μνημόσυνον amoris mei erga te ſummi, ſinceri, ac vere Chriſtiani: Chriſtiani, inquam, utpote qui pietatis auſpiciis conſecratus, ab externis cauſis non pendeat: quemadmodum tu alicubi de ejuſmodi amicitia loqueris. Hanc enim ego quoque, cum Hieronymo, pro vera amicitia & neceſſitudine habeo, quam non utilitas rei familiaris, non præſentia tantum corporum, non ſubdola & palpans adulatio, ſed Dei timor & divinarum literarum ſtudium conciliant, ac ſic Chriſti glutino copulatur: qualis revera hæc noſtra erit, ſi modo me in album tuorum amicorum referre dignatus fueris. Tu autem, mi Calvine, in ſancto illo tuo ac pio propoſito ſuſceptoque labore explanandæ Scripturæ, ſtrenue perge: nec prius deſiſte, quam omnes libros Propheticos & Apoſtolicos percurreris. Si modo tam diu (quod unice à Deo Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti rogamus) vitam tibi Dominus prorogaverit. Placet enim mihi, imo piis omnibus, purus ille ac vere Latinus tuus ſtylus. Placet ſuccincta illa brevitas: quæ etiamſi non more aliorum interpretum, in locos communes evagatur, nihil tamen omittit quod ſcitu dignum & neceſſarium eſt. Probatur etiam nobis illud pium pacis ſtudium, quo conaris oblivione ſepelire contentionem illam, ſatis infelicem, de Euchariſtiæ ſacramento motam, quæ multum nos jam diu exercuit, & haud dubie multis, ne Chriſto ſe totos addicerent, fuit impedimento ac obſtaculo. Quoniam vero hæc contentio, apud omnes oblivione obrui nequit, conaris diſſidentes partes inter ſe reconciliare, ac ita juxta Chriſti verbum εἰρηνεύειν. Nec dubita, te non perdidiſſe in hoc ſtudium & operam. Multi enim quos ego novi, qui antea adverſam partem tantum non execrabantur, lecta tua hac de re ac diligentius perpenſa ſententia, æquiores Zuinglio & OEcolampadio facti, plane in tuam ſententiam manibus ac pedibus eunt. Ex quorum numero me quoque unum eſſe libere profiteor. Vere enim tibi aſſentior alicubi dicenti, Niſi Lutherus, OEcolampadius, ac reliqui (viri certe nunquam ſatis laudati) partim ſiniſtris opinionibus fuiſſent occupati, partim diſputationis vehementia exacerbati, rem tantam non fuiſſe, quin potuiſſent inter ſe reconciliari. Hæc, ſi bene memini, tua verba ſunt. Verum talem contentionem & offendiculum promeruit mundi ingratitudo, qui Chriſtum ſibi illuceſcentem, non quo par fuiſſet honore ac reverentia excepit. Quod ſi alter alterum nonnunquam aſperius tractavit, id tribuendum eſt infirmitati eorum: qua laborant etiam in hac vita ſanctiſſimi. In iſtis enim altercationibus caveri nequit, quin multa non tam ex animo, quam ex affectu dicantur. Id quod etiam in hac contentione factum, à Domino tamen eis condonatum, plane nullus dubito. Si quæris in quo ſtatu noſtræ ſint Eccleſiæ (quæ enim tua eſt pietas, pro nobis quoque haud dubie es ſollicitus) ſcias, omnes in hoc Ducatu Papiſticis ac metaxyſticis ſacrificis eſſe purgatas, idque nomine & mandato Principis noſtri vere Chriſtophori: qui ſive ſpectes virtutem, ſive eruditionem, ſive pietatem, nulli Principum Germanorum erit ſecundus. Niſi fortaſſe ei, in quo victo & capto heroicam magnanimitatem ſeculis omnibus ſpectandam propoſuit Dominus. Sic enim tu in libello, qui de ſcandalis inſcribitur, de Joanne Friderico, Saxoniæ Duce ac olim Electore (tacito tamen ejus nomine) loqueris. Documenta pietatis ſuæ ſatis luculenta Princeps noſter edidit. Solus ex omnibus Germaniæ Principibus confeſſionem ſuæ fidei, eamque typis excuſam, Tridentino illi conciliabulo auſus fuit exhibere. Viros propter Euangelii confeſſionem exulantes, liberaliter excipit, ac perhumane habet, imo magnis præmiis ad ſe invitat. Sub tali Principe non poſſunt non felices eſſe Eccleſiæ. Eſt tamen quod non immerito pius quiſpiam adhuc deſideret. Mittuntur adhuc ex aula Paſtores, & nonnunquam ſatis rudes ac ignari: non eliguntur veteri more, ab univerſa Eccleſia. qui mos utinam iterum quaſi poſtliminio revocaretur etiam apud nos. Nec ordinantur Miniſtri impoſitione manuum ac precibus. Excommunicatio nulla apud nos adhuc eſt in uſu. Adeo ut opus nobis ſit Paulo, ut Titum admoneat, ut pergat ea quæ deſunt corrigere. Magnæ exiſtimationis eſt apud Principem Joannes Brentius: quod ſi his de rebus ad eum ſcriberes, non faceres rem tuo miniſterio indignam, & Eccleſiis noſtris, opinor, valde utilem. Tu quid hac in re faciendum ſit, quæſo, diligenter tecum deliberes, & ad me perſcribere proximis nundinis Francfordienſibus ne dedigneris. Quicquid enim alii ſint facturi, ego certe qui ſe manifeſtis flagitiis ac ſceleribus contaminant, mox Satanæ tradere incipiam: quia autem rem tantam ac viribus meis majorem ſum tentaturus, plane conſilio mihi opus eſſe judico. Quum ante triennium Antidotum tuum contra Acta Tridentina legerem, ſtatim in ipſa præliminari epiſtola deprehendi, te libelli cujuſdam abs re editi, de neceſſitate reformandæ Eccleſiæ, mentionem facere, ac rogare lectorem, ut eum quoque percurrere non gravetur. Ego vero cùm hactenus ſtudioſe apud omnes bibliopolas quæſierim, nanciſci tamen adhuc non potui: eum, quæſo, poſt ſemeſtre exactum, quum iterum tui mercatores Francfordiam ſunt petituri, tuis typogra-

pographis trade, quo ad oras noſtras aliquando etiam appellat. Vale bene ac feliciter vir eruditiſſime, ac me amicis tuis, ſeu potius filiis vere γνησίοις (quantum ad doctrinam pietatis) accenſe: ego te patris loco habere, colere, venerarique nunquam deſinam. Vale iterum. Nurlingæ, quod eſt oppidum Ducatus Wirtembergenſis. Aono M. D. LIV. 27 Februarii. quo die aote annos tres fidus ille & eximius ſervus Chriſti Martinus Bucerus Cantabrigiæ in Anglia mortuus eſt.

J. CALV. D. GASPARI LIZERO, ECCLESIÆ NURLINGENSIS PASTORI, S. D.

EGo vero, optime frater, nimis agreſtis forem, ac inhumanus, ſi tuum in ſcribendo officium, quod ut à ſumma erga me benevolentia profectum eſſe video, ita grato animo, hilarique amplecti decet, audaciæ vel temeritatis damnarem. Itaque & libenter intellexi, te meam amicitiam expetere (quo nomine me tibi devinctum eſſe profiteor) & ex tuis literis alterum gaudium acceſſit, dum permultos eſſe ſignificas qui fructum ex meis laboribus noo pœnitendum colligaot: io quorum numero te quoque eſſe aſſeris. Hæc enim Dei benedictio mihi non parum addit animi: hoc tam maligno ſeculo, eſſe tamen pios & eruditos homines, qui non modo privatim ex meis lucubrationibus proficiaot, ſed utilitatem, quam ſentiuot, fideli opera ſtudeant latius quaſi de manu, quod aiunt, in manum proferre. Pergamus igitur hoc curſu, mi frater: ac inter nos ſancta vigeat donorum Dei communicatio, quæ Eccleſiam, invidia & ambitione procul valere juſſis, ædificet. Meum quoque ſtudium io ſedanda diſcordia, quæ oimis infeliciter Initio renati Euangelii exarſit, tibi probari gaudeo. Utinam eadem ubique regnaret modeſtia. Sed jam de ouo ſurgunt turbuleoti homines non minus quam indocti, quos nulla de cauſa neſcio quæ intemperies ad bellum reparandum exagitat. Noſtrum vero eſt talibus flabellis placide occurrere, ne incendium longius graſſetur. Tranquillum Eccleſiis veſtris ſtatum gratulor: ſed oon ſimul conjunctos eſſe diſciplinæ nervos, qui eum contioeant, dolendum eſt. Nec alia corrigendi vitii ratio apparet, quam ſi Paſtores, quos ſeria regni Chriſti cura tangit, intet ſe conſentiant. Nam ot uous, aliis io conſilium non adhibitis, quidquam tentes, auctor eſſe non audeo. Adde quod ounquam utile putavi, jus excommunicandi permitti ſiogulis Paſtoribus. Nam & res odioſa eſt, nec exemplum probabile, & facilis inde in tyrannidem lapſus, & alium uſum Apoſtoli tradiderunt. Strenue vero ut ad ſymmyſtas tuos incitandos labores, non tantum conſulo, ſed vehemeoter hortor. Brentio nondum ſcripſi: brevi tamen, ut ſpero, melior dabitur opportunitas, quam non prætermittam. Libellus de neceſſitate reformandæ Eccleſiæ, ſupplex eſt exhortatio ad Cæſarem, & Ordines Imperii: quem inter opuſcula reperies. Vale integerrime frater. Dominus te regat Spiritu ſuo, virtute ſuſteotet, laboremque tuum benedicat. Genevæ, 6. Calendas Septembris. M. D. LIV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. MELANCHTHONI S. D.

QUanquam meis ultimis literis abs te non fuiſſe teſponſum doleo & valde miror: faſtidio tameo vel contemptu id eſſe factum, quum nihil minus in oaturam moreſque tuos cadat, ſuſpicari nequeo. Itaque nuncium hunc nactus, qui ſuam mihi in literis tibi reddendis operam obtulit, teotandum rurſus putavi, num forte quid poſſem elicere. Ego vero noo de tuo erga me amore dubitans, qui ſemper immodicus fuit, ita loquor: ſed quia ſilentium tuum, ut Eccleſiæ Dei ooxium eſſe judico, ita merito triſte moleſtumque mihi eſſe debet. Scribebam ouper de illo doctrinæ capite, in quo magis ſenſum tuum diſſimulas, quam à nobis diſſentis. Quid enim aliud de homine acerrimi judicii, cæleſtiſque doctrinæ peritiſſimo arbitrer: quum neminem mediocriter in ſacris verſatum lateat, quod ipſe quaſi ignotum tegis? Et tamen funditus perit gratuitæ Dei miſericordiæ cognitio, niſi hoc tenemus, mero Dei beneplacito à reprobis diſcerni fideles, quos in ſalutem eligere voluit: niſi & hoc deinde conſtat, fidem ab arcana Dei electione manare: quia Spiritu ſuo illuminat, quos eligere, antequam naſcerentur, ei viſum eſt, & adoptionis gratia in familiam ſuam inſerit. Hanc doctrinam à ſummo Theologo convelli quam abſurdum ſit, pro tua prudeotia expende. Manifeſtum certe diſſidium in ſcriptis noſtris ootari, peſſimi exempli eſſe vides. Nec vero hanc tollendæ diſcrepantiæ legem præſcribo, ut tu mihi aſſentiaris: ſed ne pudeat nos ſacris Dei oraculis ſubſcribere. Quærendæ vero conciliationis quæcunque tibi placuerit ratio, eam libenter amplectar. Ecce ounc homines indocti, & turbulenti, bellum Sacramentarium à parte veſtra ionovant: quos etiam ipſos tua taciturnitate foveri, booi omnes gemunt & queruotur. Quantumvis enim audax ſit inſcitia: nemo tamen dubitat, ſi liberius profiteri quod ſentis, in animum induceres, quin tibi facile ſit eorum intemperiem aliqua ſaltem ex parte ſedare. Nec vero ita humanitatis oblitus ſum, quin & mecum reputem, & aliis quoque oſtendam, quo cum hominum genere tibi negotium ſit: quam te anxium perplexumque teneat iſta rerum perturbatio: quam multa circumſpicere tibi neceſſe ſit, quæ tuum curſum impediunt ac morantur. Sed nihil tanti eſt, ut furioſis hominibus tua diſſimulatio ad turbaodas & diſſipandas Eccleſias frenum laxet. Taceo jam, quam pretioſa nobis eſſe debeat iogenua ſanæ doctrinæ profeſſio. Scis annis plus triginta defixos io te fuiſſe inoumeræ multitudinis oculos, quæ nihil magis cuperet, quam ſe tibi docilem præbere. Quid? an hodie ignoras, plurimos ab ambigua illa, in qua te nimis timide contines, docendi forma dubios pendere? Quod ſi tibi ſiocere, ſolideque teſtari quod eſſet utile cognitu, liberum non eſt, ſaltem danda erat opera, ut frenares iſtorum iotemperiem, qui de nihilo importune tumultuantur. Quid enim, obſecro, ſibi volunt? Clamavit tota vita Lutherus, noo alia de re ſe contendere, oiſi ut ſuam Sacramentis virtutem aſſereret. Convenit, oon inanes eſſe figuras, ſed re ipſa præſtari quicquid figurant. In Baptiſmo adeſſe Spiritus efficaciam, ut nos abluat, & regeneret. Sacram Cœnam ſpirituale eſſe epulum, in quo vere Chriſti carne & ſanguine paſcimur. Ergo in ſedando tumultu, quem denuo concitant præpoſteri homines, cauſa magis videtur favorabilis, quam ut invidiæ metu ceſſandum ſit: cujus tameo varias agitationes in iſto gradu effugere non potes. Danda ſolum opera eſt, ut aheneus ille bonæ conſcientiæ murus non eas modo, ſed quamlibet violeotos totius muodi impetus fortiter ſuſtineat. Nam dum ab Oſiandri patronis & flexibilem, & profanæ magis philoſophiæ deditum, quam cæleſti doctrinæ, vocari audio, gravius me vulnerat probrum illud, quam ſi vel malevoli, vel protervi homines objicerent, quod non modo fateri honeſtum eſſet, ſed etiam magnifice jactare glorioſum. Vale chariſſime vir, & frater mihi io primis obſervande. Dominus te præſidio ſuo tueri, Spirituque regere pergat uſque in finem. Genevæ, 6. Calendas Septembris. M. D. LIV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV.

CALV. VALERIANO POLANO S. D.

QUod ex longa & infeſta jactatione tandem in portum appuliſti, ubi ſaltem animum colligere liceat, gaudeo. Quod vero iſtic ſtatio tibi oblata eſt, in qua te utiliter exerceas, & puſillo gregi, qui tua opera & ſedulitate collectus eſt, operam tuam impendas, non tibi ſolum privatim, ſed etiam multis piis fratribus, ad quos fructus perveniet, gratulor. Triſte quidem, miſerumque ſpectaculum eſt, diſperſas, quaſi laceri corporis membra, Eccleſias videre. Sed quid ſi hæc diſſipatio admonet inſtare tempus, quo Dominus filios ſuos in cælum colligat, qui exilio via locum in terris reperiunt? Interea aſſueſcant profugi fratres, ubi & corpore & animo peregrinati fuerint, ad ultimam migrationem. Porro, ut ſe placide in precario hoſpitio contineant, te illis & modeſtiæ & moderationis exemplar eſſe convenit. Atque in eam rem non parvo adjumento fore tibi ſpero ſymmyſtam tuum D. Morellum, cui non minus præclarum ſinceri animi, & manſueti ſpiritus, quam doctrinæ teſtimonium boni viri reddunt. Eum meo nomine plurimum ſalvere jubebis. Collegæ mei vobis ambobus ſalutem optant. Vale chariſſime frater. Dominus tibi ſemper adſit, te Spiritu ſuo regat, laboreſque tuos benedicat. Genevæ, 6. Calendas Septembris. M. D. LIV.

CALV. PERUCELIO S. D.

TIbi locum obtigiſſe, ubi operam impendas Dei Eccleſiæ, gaudeo: ac Dominum precor, ut ad ſtationem, in qua te locavit, fideliter tuendam Spiritu ſuo gubernet. Porro, quia in ceremoniis tibi non datur quæ optanda eſſet libertas, dabis operam, ut te ferre omnes intelligant magis, quam probare, quicquid ſuperfluum erit. Ego quid ſentirem, meis ad fratres literis, de te nihil cogitans, palam & ingenue ſum teſtatus. Quibus non placebit meum conſilium, nihil apud eos te juvabit mea auctoritas. Apud alios plus habebit ponderis, ut arbitror, teſtimonium illud, quam ſi quid privatim tibi conſcriptum auderes: quia facile obreperet ſuſpicio, gratia & precibus eſſe illicitum. Semper quidem tibi duo hæc in primis erunt ſpectanda: ne quid tibi plus imponi ſinas, quam ferat Eccleſiæ ædificatio, & tranquilla puraque conſcientia ſuſcipere tibi liceat. Spero etiam à Senatu & Paſtoribus nonnihil impetratum iri, modo abſit contentio. Nihil enim magis eos exacerbat, & ad repugnandum acuit, quam ubi ſe & ſua damnari putant. Tu vero ex re præſenti melius quid expediat diſpicies. Quare nihil præſcribo. Vale eximie vir, & frater mihi chariſſ. Dominus te Spiritu ſuo regat, laboremque tuum benedicat. Collegæ mei te amanter ſalutant. Fratribus gratiam Dei, & omne benedictionis genus ex animo precor. Genevæ, 6. Calendas Septemb. M. D. LIV.

CALV. MARTYRI S. D.

ETſi communis amicus noſter Sturmius conſilium mihi ſuum de Commentariis dicandis perſcribens, te quoque idem ſentire addiderat: hoc tamen ipſum ex tuis literis intelligere, longe mihi fuit gratius. Unum vereor, ne labor meus, quem tibi curæ eſſe oſtendis, non tanti æſtimandus fuerit. Qui fit autem, ut de tuis in eundem librum Commentariis ſileas? Nam quum adhuc eſſes in Anglia, ex reſponſione quam Roberto Stephano dederas, brevi exituros ſperabam. Quare eorum fructu, quem non dubito uberem fore, diutius fraudari Dei Eccleſiam moleſte fero. In hac enim confuſa librorum ſylva, graves, eruditas, & ſolidas piorum recteque ſentientium hominum, & qui pari auctoritate judicioque præditi ſunt, lucubrationes extare in primis neceſſe eſt, tum ad puritatem doctrinæ aſſerendam, ut ad poſteros ſalva integraque perveniat, tum ad refutandam eorum qui omnia permiſcent, inſulſam levitatem. De Philippo, valde mihi dolet. Ergo ei non ſatis eſt, vel quocunque tulerit hominum gratia, flexibilem nutare, vel ſilentio prodere veritatem, niſi cordatos Dei ſervos, ad quorum imitationem potius ipſum eniti decebat, inflectere ad ſuam mollitiem conetur. Præclare vero abs te factum, quod te liberum veræ doctrinæ defenſorem fore profeſſus es. Sic enim tuo exemplo præſcripta eſt ei regula, quatenus pax fovenda ſit, ut ſcintillam aliquam virilis animi ſpirare tandem diſcat. Ad collegam tuum, cui nimis ſerviliter ille gratificari voluit, D. Sturmii hortatu ſcripſi, ut eum N. placarem: utcunque tamen ſuccedat, nunquam me pœnitebit aliquid tentaſſe. Verum, ſi qui collapſi funt, tuum eſt, impoſitum tibi onus eo animoſius ſuſtinere. Quod quum plane te facere intelligo, magis ac magis in ea ſententia confirmor, te mirabili Dei providentia, qui laboranti Eccleſiæ ſuccurreres, iſtic fuiſſe retentum. D. Zankum meo nomine ſalvere cupio. D. Marchio noſter te plurimum ſalutat. Vale præſtantiſſ. vir, & mihi obſervande frater. Dominus tibi ſemper adſit, te gubernet, laboreſque tuos benedicat. Si maturius veniſſent tuæ literæ, copioſior ad Principes, tuo admonitu, fuiſſet exhortatio. Sed poſt dimidium Auguſtum mihi fuerunt redditæ. Collegæ mei te ſalutant. Genevæ, 6. Calendas Septembris. M. D. LIV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. SULTZERO S. D.

QUum tumultuari non deſinant indocti & præfracti homines, qui bellum Sacramentarium in Saxonia renovant: ineunda erit aliqua ratio, quæ illorum intemperiem mitiget, vel clamores ſaltem compeſcat, & ſimul pios & graves doctoſque nobis conciliet. Mihi nihil aliud in mentem venit, quam brevi libello teſtatum facere, quanto rectius & ſincerius ſentiant noſtræ Eccleſiæ, quam illi calumniantur. Simulac plus otii nactus fuero, tale aliquid meditor. Nunc excuditur mea in Geneſin præfatio, ad filios Joannis Friderici Saxoniæ Ducis, in qua pacis & concordiæ ſtudium obiter commendo. Caſtallio, mihi crede, non minus virulenta eſt beſtia, quam indomita, & pervicax. Charitatem ſimulat, nempe ut modeſtiam: quum tamen nihil arrogantius fingi queat. Libellum illum atrocibus in me probris refertum ipſe & alii conſarcinarant ex conſilio, ut ſubitus in me impetus conſurgeret. Longe decepti ſunt. Nam decrevit Senatus, ut mihi legendus daretur. Mihi vero non modo promptum fuit calumniarum nebulas diſcutere; ſed etiam convertere in meam laudem, quicquid odioſe objectum fuerat. Mihi vero magis tolerabile eſt privatim impeti, quam videre ſubinde miſeros, qui hic degunt, Chriſti exules quotidie novis moleſtiis vexari. Quanquam Dominus hac quoque in parte hactenus manum nobis porraxit, ne frangeremur. Verum, de ſtatu noſtro ſi plura ſcire cupies, nuncius tibi fideliter referet. Filius eſt Scribæ Senatus, juvenis probus & integer. Vale ornatiſſime vir, & mihi obſervande frater. Dominus tibi ſemper adſit, te gubernet ac tueatur. Collegæ mei te revereoter ſalutant. Tuis noſtro omnium nomine plurimam ſalutem dices. Genevæ, 7. Idus Auguſti. M. D. LIV.

Joannes Calvinus tuus.

SULTZERUS CALVINO S. D.

QUod de bello Sacramentario apud Saxonas reſtaurato ſcribis, cum dolore certe accipio: ut qui nihil niſi gravia offendicula ex inteſtinis ejuſmodi conflictibus oritura ſperare poſſim. At enim jam ante plus ſatis ærumnarum erat in Eccleſia: & regnans triumphanſque adbuc Antichriſtus, merito, niſi ſtudio inſenſati eſſe velimus, ad mutuam in Domino [illegible] excitare & permovere debeat. De Caſtalione miror vehementer, ſi pergit nomen tuum miniſteriumque arrodere, qui adeo ſe pacis charitatiſque ſtudioſum ſimulat. Monebitur autem gravius, quando ex nihilo eſſe non poſſunt quæ ſignificas, nimirum à viris fide dignis nunciata tibi. Et indicium quidem eſt capitis egregie cerebroſi perditique & deplorati in eo, quiſquis eſt, qui epiſtolam nomine ſuppoſititia contra te ad Senatum veſtrum eſt architectatus. Neque enim gloriam inde ſperare poteſt, quod te virum Dei celebriorem in certamen provocet: & ut apud Gellium babetur, inimicitias obſcurus cum eminente ſuſcipiat: neque magnum proventum ad atterendam exiſtimationem tuam apud cordatos ſaltem expectare, nomine ſuppreſſo, quando tale genus famoſorum libellorum naturæ quodam inſtinctu exoſum habetur mentibus ingenuis. Sed deteget aliquando hanc Satanicam pravitatem Dominus Jeſus, &, ut hactenus, reprimet fraudulenta conſilia. Cæterum de annotationibus Caſtalionis in epiſt. ad Rom. cap. 9. ex præſentium latore omnia cognoſces, & ſi quæ ſunt quæ de rebus Germanicis cupis cognoſcere. Nam apud nos novi nihil eſt, niſi quod attrito Marchione Alberto Epiſcopi criſtas tollunt cum ſuo Jove Henricho Brunſvicenſe, qui Principibus nobis vicinis aliquot, motus dediſſet, niſi Cæſaris auctoritate ad ejus neceſſarios uſus fuiſſet in Germaniam inferiorem revocatus. Sic nos pergit hortari ad pœnitentiam Dominus Deus, quem pro te tuiſque non deſinam ſerio precari. Vale in Chriſto Jeſu. Baſileæ, 14 Julii. Anno M. D. LIV. Salutant te tuoſque collegas mei ſymmyſtæ.

J. CALV. D. DOCTORI MARPACHIO, AROENTINENSIS ECCLESIÆ PASTORI.

JAm fere ſeſquiannus eſt, ex quo multa de Eccleſiæ Gallicanæ, quæ apud vos eſt, diſſidiis ſubinde audire non ſine magno dolore cogor. Nam dum pauci bomines improbi ac protervi moleſtiam fratri noſtro N. exhibere volunt, factum eſt illorum intemperie, ut pravis contentionibus vexata fuerit Eccleſiola, cui Dominus apud vos quietum hoſpitium conceſſit. Mibi vero hunc nuncium triſtem acerbumque fuiſſe, mirum non eſt: quia non ſecus me torqueret diſſipatio ejus gregis, quem Dominus meo labore olim colligi & ad tempus foveri voluit, ac viſcerum meorum laceratio. Quanquam autem remedium aliquod mature adbiberi vehementer cuperem; quia tamen ſperabam quicquid turbarum excitatum fuerat, tua & fratrum noſtrorum prudentia ac moderatione facile ſedatum iri: ſatius mibi viſum eſt quieſcere, ne vel fruſtra vobis moleſtus forem, vel diffidere æquitati veſtræ viderer. Sed quum rem quotidie in deterius collabi rumor eſſet, ſtatui mibi eſſe ſcribendum aliquid. Nec vero me diutius ſilere patiebatur dolor. Id dum mecum agito, ecce lætior nuncius affertur, rationem à clariſſimo Senatu initam eſſe, quæ protervian quinque nebulonum frenaret: nuncque ſedatos eſſe motus, ut ſaltem tolerabilis ſit ſtatus. Utinam omnia ſic eſſent ex voto compoſita, ne quid mihi præter gratulationem reſtaret, eamque puram & ſolidam. Verum, quia ſubeſt adhuc in futurum triſtis quædam ſuſpicio & metus, ſtudium huic malo purgando adhibere officii mei eſſe duxi. Duo autem, quantum intelligo, fuerunt totius mali capita. Delatus eſt initio N. quod de ſacra Domini Cœna aliter quam vos ſentirer ac doceret. Non dico à quibus, vel quo animo ratio concordiæ habenda fuit. Suſcepta cognitio eſt. Verum, ſi bona fide res tunc agebatur, tranſacta eſſe debuit. Qui accuſatus fuerat, fidei ſuæ confeſſionem edidit. Quam vera, quam liquida, quam plena fuerit, non diſputo. Hoc mihi unum ſufficit, non eſſe improbatam. Itaque ſic apud me antehac cogitavi, ſententiam fratris & ſymmyſtæ veſtri, ſi non prorſus ſilentio veſtro probata fuit, tolerabilem fuiſſe indicatam. Clam interim obliquis artibus vos quidquam eſſe machinatos ne ſuſpicari quidem libet. Quid ergo reſtabat, niſi ut quinque nebulonibus ad turbandam Eccleſiam longe plus quam par erat, dari exiſtimarem? Hoc enim debuit à vobis omnibus rite expendi, an fas ſit, an deceat, an denique rectum ſit atque humanum, quinque homines turbulentos, palam à reliquo corpore diſſidentes, foveri contra ſuum Paſtorem. Sed quia hoc quoque vulnus nunc ſanatum eſt, ad illud prius redeo. Quid ultra flagitetur à N. quam præſtiterit, mibi non ſatis compertum eſt. Vos quidem operam dare convenit, ne nimis præciſe urgeatur. Si bodie viveret eximius ille Dei ſervus, & fidelis Eccleſiæ Doctor Lutherus, non tam eſſet acerbus, vel implacabilis, quin libenter admitteret banc confeſſionem: nobis vere præſtari, quod figurant Sacramenta: ideoque in ſacra Cœna corporis & ſanguinis Chriſti nos fieri participes. Quoties enim profeſſus eſt, non aliam ſibi eſſe pugnandi cauſam, niſi ut conſtaret, Dominum inanibus ſignis non ludere nobiſcum, ſed intus implere quæ oculis proponit, ac proinde effectum ſignis eſſe conjunctum? Hoc inter nos convenit, niſi magnopere fallor, Cœnam Cbriſti non theatricum eſſe ſpectaculum ſpiritualis alimenti, ſed re ipſa dare quod figurat: quia illic piæ animæ Cbriſti carne & ſanguine paſcantur. Quanquam autem deprecatoris hic vices potius quam monitoris ſuſcipio: libere tamen dicendum eſt, nimis fore moroſos, ſi qui hac moderatione non contenti fratrem ſuo miniſterio dejiciant. Adde quod turpe exemplum eſt, qui rite & ordine vocatus eſt ad munus Paſtoris, ſine legitimo Eccleſiæ judicio, mero Senatus nutu abdicari. Fieri quidem paſſim incipit: ſed jam aliquoties vidi in eorum capita recidere qui ſcientes & volentes jus Eccleſiæ prodiderant. Sancta, quæ apud omnes pios adhuc viget, diuque, ut ſpero, vigebit, Capitonis & Buceri memoria, quorum perſpecta fuit & fides & prudentia & eruditio & integritas, inſtar lampadis locum iſtum colluſtrat, ut notius ſit, atque ad exemplum notabilius quicquid à vobis in utramque partem geritur. At certe, quæ in ſervando Eccleſiæ ordine eorum erat religio, decies mori maluiſſent, quam violentam Paſtoria dejectionem, non dico ſuo conſenſu, ſed etiam ſilentio probare. Equidem ſi quid operæpretium ex meo adventu cum tuis Collegis ſperares, laborem non recuſarem. Imo en libentius ad vos venirem, quia me quoque in banc controverſiam involvi video. Mibi autem valde acerbum eſſet, doctrinæ genus, quod libere iſtic olim tam in ſchola quam in templo profeſſus ſum, nunc repudiari. Sed ne importune ſatagere videar: non ultra mibi progrediendum eſſe duxi, quam ut te & rogando, & monendo, & obſecrando, & hortando, pii fratris, deinde miſeræ Eccleſiolæ quietem procurem. Si me impetraſſe audiam, quod ſummopere cupio, erit cur nobis omnibus gratuler. Vale eximie vir una cum ſymmyſtis, fratribus mibi chariſſimis, qui tecum Eccleſiam iſtam gubernant, quibus ego meas literas communes eſſe volo, ſi ita cenſueris. Dominus vos omnes tueatur ſuo præſidio, Spiritu prudentiæ, rectitudinis, æquitatis & conſtantiæ dirigat, laboreſque veſtros benedicat,

dicat, Amen. Genevæ, 8. Calendas Septembris. M. D. LIV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. JOAN. SLEIDANO S. D.

QUum ex fratris noſtri N. literis nuper intellexiſſem, ex tribus, quos regendæ Gallicæ Eccleſiolæ Senatus præfecit, te eſſe unum, vehementer, ut par erat, gaviſus ſum: & hoc mihi gaudium fore diuturnum confido. Sic enim ſtatuo, tibi divinitus magis quam bumano conſilio provinciam hanc fuiſſe injunctam, qui tua fide & prudentia componas quicquid hactenus turbarum movit Satan: præcaveas deinde, ne qua improbis detur tumultuandi occaſio. Ergo ex animi mei voto conſultum eſt puſillo gregi. Te vero quo minus ad officium exhorter, nullus timor impedit: ſed quia ſupervacuum eſſe exiſtimo. De Philippi conſenſu quantopere una in re mihi gratulari debeam, neſcio: quando in ſummis capitibus vel Pbiloſophis ſe venditans ſanam doctrinam aperte oppugnat: vel ne in ſe quorundam irritet odia, ſenſum ſuum aſtute, ſaltem parum ingenue, tegit. Dominus eum fortiore Spiritu inſtruat, ne gravem ex ejus timiditate jacturam ſentiat poſteritas. A tribus menſibus io Aquitania quinque aut ſex fuerunt exuſti, in quorum morte Chriſtus magnifice triumphavit. Nuper etiam in oppidn Venetæ ditionis, paulo ultra Vulturinam, admirabili conſtantia ad ultimum uſque ſpiritum, pius vir mihi probe notus Cbriſtum confeſſus eſt. Novi hic nihil fertur, quod non peræque vobis notum ſit. Vale eximie vir, & mibi plurimum honorande. Dominus te cum familia tueatur perpetuo, ac benedicat. De claſſe Turcica certior allatus eſt ouncius, exuſto quodam oppido, vaſtata regione maritima, captis hominum quinque millibus in Græciam rediiſſe. Genevæ, 6. Calendas Septembr. M. D. LIV.

CALVINUS N. S. D.

EGo vero, mi frater, non adeo ſum moroſus, quin amicis facile ignoſcam, etiamſi nibil ad me totn annn ſcribant. Nam quia in hoc officii genere minus ſum ſedulus: vel ſaltem dum me alieni occupant, ſummis amicis interdum quod debetur non perſolvo: libenter de mutua ſilentii venia cum ipſis paciſcor. Ergo niſi alia ſuſpicio animum meum pupugiſſet, nullas abs te literas mihi venire, nunquam ægre tuliſſem. Cæterum multa fuerunt, quibus me offenſum fuiſſe non diſſimulo. De veſtris diſſidiis nemn fratrum tuorum privatim ad me ſcripſit. Per alios delatæ ſunt querimoniæ. Ego non me ultra interpoſui, quam ut per eoſdem nuncios ſuaderem, quæ pacis & concordiæ erant. Certe ejus generis fuerunt mea conſilia, ut non minus habita fuerit à me amicitiæ noſtræ ratio, quam fides Cbriſto & Eccleſiæ præſtita. Quare non eſt cur me eorum pudeat, vel tu mecum expoſtules. Inquire obſecro, reperies nihil à me profectum, quod non tibi ſummopere placere debuerit. Atque utinam magis familiaris tuis ſymmyſtis fuiſſes. Res, ut opinor, momento tranſacta foret. Interea tuas ad Farellum literas legi, ex quibus olfeci animum tuum vel in me eſſe exulceratum, vel obliquis ſuſpicionibus infectum. Excandeſcentiæ vero & ſtomacbi in eos, quibus, ut nunc ſcribis, ſuffragari me putabas, plenæ erant. Cur, ſi amicitiam noſtram læſam putabas, non ſtatim conqueſtus es? Verum hæc apud me occulta continui: ac ne minimæ quidem offenſionis ſignum dedi. Tantum dolebat, quod te à fraterna communicatione ſubduceres. De tolerandis hæreticis quænam eſſet tua ſententia, ex quibuſdam ſcivi. Tu quidem ſic in umbra judicas. At ſi tibi ſerio bic fuiſſet certandum, forte conſilium mutaſſes. Sciunt tamen amici, quam placide & comiter tunc excuſaverim, quod nobis parum eſſes propitius. Quamvis à nobis hodie diſſentiat N. quia tamen & ſincerus eſt Cbriſti miniſter, & pietatis affectu regitur, deinde homn eſt probus & moderatus, nobis amicus eſſe nnn deſinet. Ego illi propterea moleſtus non ero. Nunc tamen lecta noſtra excuſatione, ſi quidem eam in manus ſumere dignatus es, te non fuiſſe mitigatum, nonoihil miror. Serveti vero te eſſe diſcipulum, quis unquam ſomniavit? Quidvis potius mihi eſſet credibile, quam eo veſaniæ te eſſe abreptum. Nec vero arbitror, famam tuam verbulo attactam fuiſſe. Quod autem Diaconum tuum paſſus fueris non tantum mihi & ſanæ dnctrinæ obloqui, ſed in aſſerendis Serveti deliriis palam bacchari, quis non vitio tibi verteret? Jam ut ingenue omnia fatear, de æterna Dei prædeſtinatione te non recte ſentire, mihi dictum eſt. Ego etſi verebar ne quid eſſet, ſemper tamen minus eſſe credidi, quam audire cum acerbiſſima moleſtia cogebar. Porro, quum multis modis injuriam mihi fieri putarem, non tamen ſum tumultuatus: ſed illas indignitates tacito mœrore devorare malui, quam vel amicitiæ noſtræ veteris, vel conjunctionis fraternæ vinculum ſcindere. Atque nunc te rogo, ut mihi ſaltem tacere liceat, dum indigne non minus quam hoſtiliter vexor. Si decima tantum ex parte ſcias, quam atrocibus probris lacerer, pro tua humanitate iogemiſcas miſeriis, ad quas obdurui. Undique me canes allatrant. Hæreticus paſſim vocitor. Quicquid fingi calumniarum poteſt, in me congeritur. Denique me iovidi & malevoli ex grege noſtro infeſtius oppugnant, quam aperti hoſtes ex Papatu. Non tamen ita ſum meritus vel de Eccleſia Dei, vel de ipſis, ut tam iniquam mercedem rependere debeant. Auctarium ut iſtinc accederet, non timui. De Diacono tuo loquor, quem tua conniventia minime ali oportuit, quum non minus impie contra puram religionem inſurgeret, quam improbe homini innoxio maledicebat. Et tamen non aliud poſtulo, niſi ut mihi permittas ejus contumelias leniter ferre. Quanta fide & integritate Cbriſto ſervieris, quam cordate functus ſis tuo nfficio, quam conſtanter & labores & certamioa quibus te exercuit Dominus, ſuſtinueris, ego tibi teſtis ſum: ac te in poſterum perpetuo tui ſimilem fore confido. Itaque nihil magis cupio, quam ſalvam inter nos benevolentiam manere, quo alacrius & ſinceriore ſtudio nos ultro citroque juvare pergamus. Vale eximie vir, & colende frater. Dominus tibi ſemper adſit, te gubernet, ac tuos labores benedicat. Collegæ mei te plurimum ſalutant. Genevæ, 15 Octob. M.D. LIV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. SERENISS. REGI POLONIÆ S. D.

ETſi ego ante anoos quinque, Sereniſſime Rex, quandam librorum meorum partem Veſtræ Majeſtati publice dedicaveram, ut pietatis ſemen, quod jam tunc cordi veſtrn divinitus inſitum audieram, magis ac magis excitarem: nunc tamen minime auderem homo ignobilis, privatas tam inclyto Regi literas offerre, niſi venerandus frater noſter, cui hoc debeo, & cujus ut fidelis erga M. V. obſervantia mihi nota eſt, ita non dubito quin ſenſus veſtros probe compertos habeat, me ſuo cnnſilio & hortatu animaſſet. Quia ergo ſpopoodit non ingratum M. V. fore hoc meum officium, temeritatis culpam non ſum amplius veritus. Jam vero quia abſurdum foret, ab Euangelii Miniſtro in conſpectum tanti Regis vacuas literas venire: illud idem argumentum, quod continet publica mea in Epiſtolam ad Hebræos præfatio, quia nullum vel melius, vel Regia perſona dignius, vel tempori aptius occurrit, mihi ſumendum putavi. Sic enim perſuaſus ſum,

pro eà, quam Filio Dei communi magiſtro defertis, reverentia, ab ejus ſervo moneri, vobis oon fore grave aut moleſtum. Et certe bæc modeſtia decet omnes Chriſti diſcipulos, à ſummo uſque ad infimum, à Regibus ipſis ad plebem uſque, cæleſti ejus doctrinæ libenter & placida animi manſuetudine ſe ſubmittere. Nam & hoc modo ſecundum Davidis præceptum oſculantur regnorum omnium Principem & caput terreni Reges, dum per bomines, quibus docendi muous injunxit, loquentem audire non reſpuunt. Cæterum, quod mearum partium viciſſim eſſe arbitror, operam dare ſtudebo, ne vobis faſtidio ſit mea prolixitas. Ac primum horribiles tenebras, quæ paſſim graſſantur: errorum colluviem, qua obruitur totus fere mundus: abuſus & corruptelas, quibus fœdata eſt religio, non attingam, ne io ſupervacua rei cognitæ tractatione M. Veſtram fruſtra occupem. Neque enim ad rudem quempiam, & ſinceræ pietatis ignarum mihi habendus eſt ſermo: ſed apud Regem purioris doctrinæ luce præditum, ut non modo à craſſis vulgi ſuperſtitionibus ſit ipſe liber, ſed etiam quam exitialis ſit labyrinthus ille, quo major pars generis bumani tenetur implicita, recte judicet. Nam quum gregarios quoque diſcipulos lucernis ſimiles eſſe velit Chriſtus, quæ in ſublimi poſitæ fulgorem ſuum longe emittunt: quid à Rege exiget, quem in ſummo dignitatis faſtigio locavit, ut aliis omnibus præluceat? Nam quo magis honorifica eſt ſolii cui præeſtis, altitudo, eo difficilius eſt parem gerere animum, ut locus bominis virtute ornetur: & de reddenda apud Deum ratione magis ſollicite cogitandum. Quod ſi obſcuris bominibus timendum eſt, ne hoc vivificum ſemen torpore ſuffocatum degeneret, vel prorſus intereat; quid M. Veſtræ agendum eſt, cui non ſatis eſt, uberem ex ſe fructum proferre, niſi eandem ſementem ad multa hominum millia propagare ſtudeat? Memineritis ergo, præſtantiſſime Rex, in perſona veſtra lucem toti Poloniæ divinitus eſſe accenſam, quæ ſine gravi culpa diutius latere nequit. Itaque hæc prima ſit cura, & hoc primum ſtudium, ſubjectas vobis ditiones ex fœda Papatus diſſipatione ad Chriſti obſequium colligere. Erumpat tandem heroica iſta, quæ nimis diu intus ſopita jacuit, virtus, & in re tam præclara memorabile ſui documentum præbeat. Neque vero me fugit, aut quam arduæ ſit molis opus, aut quam multiplices & magnæ difficultates inſtent, quas ſuo more ingeret Satan. Sed quum bic pro gloria Dei de Chriſti regno, pro ſacrorum puritate, pro bumani generis ſalute pugnetur, ea eſt cauſæ excellentia, quæ & moleſtias omnes abſorbeat ſua laude, & obſtacula facile ſuperet. Imo quid agendum ſit, ipſi veritatis hoſtes ſuo exemplo præſcribant. Nam quo acrius ad eam opprimendam eniti eos videt M. Veſtra, eo turpius eſſet inſanum eorum ardorem non ſaltem cordata ſtrenuitate æquare. Ruant igitur quam maximo poterunt impetu, machinas omnes admoveant, ignea quæ Satan illis ſuppeditat, & virulenta jacula torqueant: tam inſidiis denique, quam aperto Marte graſſentur: adeo ad frangendum generoſum pectus, & cæleſti Spiritus Dei virtute præditum hæc omnia valere non debent, ut totidem ſint potius ad piam contrarii ſtudii & conatus æmulationem ſtimuli. Huc accedit, quod quum Deus proprium opus ſuum eſſe aſſerat, collapſam Eccleſiam, cujus eſt unicus fundator, reſtituere, haud dubie ſtatuendum eſt, eum nobis laborantibus minime defore.

Cæterum, quia vobis certamen eſt, non ſolum cum domeſticis boſtibus, ſed qui ſe religionis antiſtites, cuſtodes ſacrorum, & Eccleſiæ patres ac tutores eſſe jactant: perplexa forte in hoc metu hærebit Veſtra Majeſtas, ne quid præter officii ſui rationem tentet. Et certe boc filiis Dei propoſitum eſſe debet in omni actione, ac penitus fixum, ne vocationis ſuæ metas tranſiliant. Ergo ne quis vanus terror vos impediat vel moretur, paucis quatenus timendum ſit diſſeram. Ut ſuam Hierarcbiam nobis aſſidue obtrudunt Papiſtæ: ita non dubito, quin eodem apud vos clypeo ſe muniant. Nam, quia nos in ſingulis doctrinæ capitibus longe ſuperiores vident: ad hanc miſeram latebram victi confugiunt: quamvis corruptiſſimus ſit Eccleſiæ ſtatus, non licere tamen Laicis, ejus vitia attingere. Nec ſubterfugio contenti, criſtas erigunt: quia Petro datus eſt in Eccleſiam Primatus, & totus Clerus Papalis continua ſucceſſione ab ipſis Apoſtolis huc uſque deſcendit, ad ipſos ſolos ſpectare jus & poteſtatem ſpiritualis regiminis. Quare hæc duo breviter diſcutere operæpretium fuerit. Neque tamen de Primatu Romanæ ſedis quaſi ex profeſſo bic tractabo: quia hanc cauſam ſic mihi egiſſe videor, ut jam non ſine ſumma impudentia ſibi arroget Papa, quod antea ſolebat: totius ſcilicet Eccleſiæ ſe eſſe caput. Nam quum Paulus ad *Epheſ. 4.* unitatem nos hortari volens, unum Deum, unam *verſ. 5.* Fidem, unum Baptiſmum, unum Spiritum, unum Dominum, & unum Eccleſiæ corpus eſſe docet, minime quod ad id probandum maximi ponderis erat, omittere debuiſſet, unum eſſe ſummum Pontificem, cujus auctoritas totam Eccleſiam in conjunctionis ordine retinet. Fuiſſet igitur bæc turpis oblivio, non monere fideles, ut ſub uno capite divinitus ſibi præfecto maneant: ſi hoc verum fuiſſet, datum in omnes Eccleſias uni homini eſſe Primatum. Sed alibi ſatis *Gal. 2: 7.* idem ſeipſum explicat, dum ſibi eundem inter Gentiles Apoſtolatum eſſe aſſerit, qui Petro datus erat inter Judæos. Hic certe non modo ſtatuitur æqualitas inter duos; ſed talis ſit partitio, ut proprie loquendo, minime ad nos pertineat Petri Apoſtolatus. Denique in illo, quem nuper citavi, loco, modum *Epheſ. 4.* regendæ Eccleſiæ à Chriſto ſancitum definiens, non *verſ. 11.* dicit Vicarium unum ab eo creatum eſſe, qui abſentiam ejus in terris ſuppleret: ſed Apoſtolos, Paſtores & Doctores fuiſſe inſtitutos, qui in commune ſecundum menſuram gratiæ unicuique datam laborent. Certe ſi unum omnibus præeſſe vellet Deus, non aliqua Spiritus portione eum donaret, ſed plenitudinem conferret. Cavillum autem illud, quod Petro datæ fuerint claves, ideo in præſentia non refuto, quia plus ſatis alibi oſtenſum fuit, Papæ nihilo magis prodeſſe, ac ſi id cuivis Apoſtolorum dictum foret. Quæ enim illi cognatio vel affinitas cum Petro, ut ſe pro hærede gerat? Nam quod loco jus datum eſſe obtendit, pluſquam ineptum eſt. Cur enim Hieroſolymæ potius non eſſet ſedes Primatus, ubi Filius Dei ſine controverſia ſummus Pontifex Sacerdotio functus eſt? Verum bæc, ut dixi, aliunde petere ſatius eſt, ubi plenius ſunt expoſita: quemadmodum & illud, oihil minus Chriſto fuiſſe propoſitum, quam unum inter Apoſtolos principem erigere. Nam ſummo Pontifici, qui ſub Lege viguit, ideo abrogata fuit dignitas, ut nunc ſolus Dei Filius emineat tanquam caput, omnibus in ordinem membrorum coactis. Ac ſacrilega audacia illud Apoſtoli dictum Papiſtæ ad *Hebr. 7.* probandum idoli ſui tyrannidem detorquent, *verſ. 12.* Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſſe transferri Legem. Neque enim illic Apoſtolus diſputat, honorem ſummi Pontificis ab homine ad quemvis hominem tranſlatum eſſe, ſed reſidere in unico Dei Filio contendit: ita ut non alius quærendus ſit ſucceſſor: quia ſecundum ordinem Melchiſedech ordinatus eſt Sacerdos, *Hebr. 7.* ut fine careat. Et nobis quidem abunde ſufficere de- *v. 15, 17.* beret una Dei voluntas, ſicuti vera eſt legitimæ gubernationis regula, & lex inviolabilis. Sed accedit etiam, quod neque poſſibile eſt, neque expedit, Unum eſſe in terris totius Eccleſiæ caput: quia & boc bumanæ infirmitatis modum longe excederet, neque aptari poſſet ad communem uſum. Denique ſola ambitio & ſuperbia Primatum bunc, quem nobis opponunt Romanenſes, fabricavit. Vetus quidem Eccleſia Patriarchias inſtituit, & ſingulis etiam

Pro-

Provinciis quoſdam attribuit Primatus, ut hoc concordiæ vinculo melius inter ſe devincti manerent Epiſcopi. Quemadmodum ſi hodie illuſtriſſimo Poloniæ regno unus præeſſet Archiepiſcopus, non qui dominaretur in reliquos, vel jus ab illis ereptum ſibi arrogaret: ſed qui ordinis cauſa in Synodis primum teneret locum, & ſanctam inter collegas ſuos & fratres unitatem foveret. Eſſent deinde vel proviociales, vel urbani Epiſcopi, qui peculiariter ordini conſervando intenti forent. Sicuti hoc natura dictat, Unum ex ſingulis collegiis deligendum, cui præcipua cura incumbat. Sed aliud eſt, moderatum gerere honorem, quatenus ſcilicet hominis facultas ſe extendit, quam totum orbem terrarum immenſo imperio complecti. Nugatorium ergo eſt, quod de uno capite Romanenſes garriunt: quia nec ſacra Dei ordinatio eſt, nec veteris Eccleſiæ uſu receptum, Chriſto, quem unicum omnibus præfecit cæleſtis Pater, adjungi ſecundum caput. Jam quamvis jure in Romanum Pontificem competeret ſummus honor: eo tamen ſe privavit ipſe, quum & à fide Apoſtolica defecit, & locum deſeruit ſibi divinitus commiſſum. Nam ut primus ſit inter Epiſcopos, ipſum eſſe Epiſcopum oportet. Porro, quum Epiſcopi titulo indignum eſſa conſtet, qui officio docendi non fungitur: quid de eo ſentieodum, qui non ſolum depoſito onere docendi, profanis pompis exultat, ſed Chriſti doctrinam non minus crudeliter quam impie extinguere conatur? Si vult à Paulo aliquid mutuari Papa, ſit miniſter Chriſti, & diſpenſator myſteriorum Dei. Si Petri elogiis vult ſe ornare, ſit fidelis gregis paſtor, & teſtis paſſionum Chriſti. Ab his vero quum ſit ex profeſſo alienus, ac ne ſimulet quidem ſe unum eſſa ex verbi Dei miniſtris: ultro ſe à Primatu, ſiquo alioqui fuiſſet ante præditus, abdicat. Adhæc, quomodo Eccleſiarum mater erit Roma, quæ Eccleſia nihilo magis cenſeri meretur, quam Babylon? Eccleſiæ anima eſt doctrinæ puritas: quam Romæ eſſa prorſus abolitam quum certo certius ſit, ſequitur illic reſtare duotaxat mortuum cadaver. Denique nihil abſurdius, quam pro religionis Antiſtite coli in Chriſti grege, qoi manifeſtus eſt veri & germani Chriſtianiſmi hoſtis. Porro longe fallitur Majeſtas Veſtra, ſi expectat, dum ad rite formandum regni Polonici ſtatum, ejus ſectæ auctoritas interveniat, quam delectat vaſta & horrenda confuſio. Regnare cum ſua caterva non poteſt Papa Rom. niſi oppreſſa Eccleſia, fœdato Dei cultu, lacerato ordine, imo tota pietate deleta. An igitur ſperandum eſt, ut qui Eccleſiæ exitio paſcitur, remedium ſanandis ejus morbis vel afferat ipſe, vel adhiberi conſeotiat? Nec varo, ſi pio & Chriſtiano Principi res confuſas in melius reſtituere cordi eſt, vel unius momenti remoram afferre debet Paſtorum ignavia, ſi in munere ſuo ceſſant. Tantum abeſt, ut juſte ſanctos ejus conatus impediat contumax eorum ſuperbia, qui Paſtores falſo vocitantur. Inane ergo terriculamentum eſt, nihil in Eccleſiæ reformatione niſi ex Papæ nutu movendum vel tentandum eſſe. Quin potius quod exoriente primum Euangelio axperti ſunt Apoſtoli, hodie quoque impleri oportet: Chriſtum ab architectis reprobari, hoc eſt, qui Præſulum titulo ſe venditant: quia tamen conſtitutus eſt in caput anguli, minime æquum eſſe, ut impiis eorum obſtaculis cedat. Supereſt nunc altera quæſtio: ut legitima ſit ſucceſſio, à quibus ordinandi ſint Paſtores. Ego quia magnopere referre video, nihil in Eccleſia confuſe geri, ne hoc modo cujuſque libidini frena laxentur, & nobis à Spiritu Dei diſerte per os Pauli eſſe præſcriptum, ut decenter & compoſite fiant omoia, ordinarium miniſterium reverenter ſemper colendum eſſe canſeo. Sic igitur fert vera ratio, & Dei mandatum, ut nemo ſe temere ingerat, nec privatus quiſque ſibi Paſtoris munus uſurpet. Sed ut Paſtorum judicio electus, & gregi oblatus ipſo conſentiente approbetur. Huc accedat ſolennis manuum impoſitio, quam ordinationem vocant. De qua ſola dum tantopere nobiſcum litigant Papiſtæ, ſatis oſtendunt qood præcipuum erat ſe negligere, nempe electionem. Et ſane apud eos tam frigida eſt examinis cura, ut merus ſit ludus conjunctus cum Dei ludibrio. Tantum in ceremoniæ pompa inſiſtunt: nec contenti vetuſto illo ritu manuum impoſitionis, unctione conſecrant ſuos Sacerdotes: cujus neque in Scriptura ſit mentio, neque uſus in Apoſtolorum Eccleſia traditus. Quum vero eam ex fæce Judaiſmi hauſerint, ubicunque vigebit purior religio, cum aliis Papatus corruptelis abolenda erit. Sed alia ſuperſtitio longe deterior eſt, quod ſuos Sacrificos noo ad paſcendi, vel docendi munus ordinant, ſed ut ſacrilega audacia jus & officium Chriſti ad ſe rapiant, & uſurpent, dum eos inſtituunt ad peragendum Miſſæ ſacrificiom, quo fingunt Deum placari. Quaro totum Sacerdotium Papiſticum oon ſolum impia eſt veri miniſterii profanatio, ſed execrabilis in Chriſtum contumelia: ut quiſquis eſt Sacerdos Papalis, donec titulum illum abjecerit, Chriſti ſervus eſſe nequeat. Itaque quamvis indelebilis ſecundum eos ſit character, eradi tamen, & deleri neceſſe eſt, ut puros habeat Sacerdotes Dei Eccleſia. Altera etiam ignominiæ nota merito piis deteſtabile eſt Papale Sacerdotium. Nam quum ſecundum vetuſtos Canones quiſquis ab hæreticis vel ſchiſmaticis ordinationem petit, eodem ſe crimine implicet, oon ignorat V. Majeſtas quales jam multis ſeculis fuerint cornoti Unctores. Nunc quiſquis in illorum ordinem ſe cooptari appetit, annon oblique in horrendam illam diſſipatiooem conſentit, cujus illi coram Deo & Angelis rei ſunt? Nondum tamen ſoluta eſt quæſtio: quia ſi promiſcua fas non eſt, quoſvis ad Paſtorum munus aſcendere, rite vocari & inſtitui neceſſe eſt, qui ſe probare volent legitimos, & honore dignos. Hic, fateor, optandum eſſet, ut valeret continua ſucceſſio, ut functio ipſa quaſi per manus traderetur. Sed memoria tenendum eſt, quod prius attigi, quum Eccleſiæ anima ſit doctrinæ puritas, fruſtra quæ Eccleſiæ propria ſunt, & ab integro ejus ſtatu dependent, apud eos homines requiri, quos conſtat eſſo profeſſos Euangelii hoſtes. Quia autem Papæ tyraonide abrupta fuit vera ordioatioois ſeries, novo ſubſidio nunc opus eſt ad Eccleſiæ inſtaurationem. Fruſtra quidem ſuperbiuot Papiſtæ vinculo illo, quod ab illis ruptum eſſe dixi. Quid enim aliud eſt Papatus, quam à Chriſto defectio? Qua autem fronte ſe Apoſtatæ, jactabunt ſucceſſores? Remedium vero affert Deus ipſe, dum idooeos & probos Doctores excitat, qui Eccleſiam in deformibus Papatus ruinis jacentem ædificent. Atque omnino extraordinarium fuit hoc muous, quod Dominus nobis injunxit, dum opera noſtra ad colligeodas Eccleſias uſus eſt. Qui ergo ita præter ſpem hominum inſolito modo repente apparuerunt ſinceræ pietatis viodices, eorum vocatio à communi regula æſtimari non debet. Cæterum, hac lege divinitus vocati ſunt, ut Eccleſiis recte compoſitis, alios Paſtores ſubſtituant in ſuum locum. Quare, præſtantiſſime Rex, quicquid de hæreditario Sacerdotii jure garriat Papalis Clerus, ne impediant futiles iſtæ nugæ, quominus cæleſtibus auſpiciis opus omnium maxime præclarum, & coram Deo & Angelis laudabile aggrediatur Majeſtas Veſtra, ut Chriſtus unus in ſua ditione cum pura Euangelii doctrina emineat. Hæc vero & proba & utilis eſſet agendi ratio: quia nunc lupi paſtorum locum occupant, & nimis violentum remedium videri poſſet, ſi Paſtores ſola Regis auctoritate creati vocationem aliam non haberent: ut Majeſtas Veſtra tantum Doctores inſtitueret, qui paſſim Euangelii ſemen ſpargerent. Eſſet autem hoc temporale munus, quantiſper res incompoſitæ manerent ac ſuſpenſæ. Neque enim fieri poteſt, ut protinus mutetur

publica Eccleſiæ gubernatio. Sed hoc exordio, quod dixi, vel præludio, commodus ad renovandam Eccleſiam tranſitus fieret. Denique non reformatio eſſet Eccleſiæ, ſed quædam ſolum præparatio. Rebus autem maturis, Regia auctoritate & ſuffragiis Ordioum conſtitui poſſet in poſterum certior ratio de Paſtoribus creandis. Cæterum, quia ſanæ doctrinæ hoſtes piis & ſinceris Doctoribus januam præcludere ſumma vi tentabunt, manum illis adjutricem à Veſtra Majeſtate porrigi oeceſſe foret, ut libere plebem ab erraticis ſuperſtitionibus ad rectum pietatis curſum deducereot. Sed quia jam longius progreſſum me eſſe video, quam initio ſtatueram, ut tædium Veſtræ Majeſtatis præveniam, finem hic faciam ſcribendi. Domious cæleſtis Pater manu unigeniti Filii ſui Veſtram Majeſtatem dirigat, præſidio tueatur, virtute ſuſtineat, ac Spiritu gubernet, Rex præſtantiſſime. Genevæ, Nonis Decembris. M. D. LIV.

JOAN. CALVINUS PIO CUIDAM FRATRI S. D.

BEnedictus Dominus qui tua opera tam opportune uſus eſt hactenus, ad ſublevanda fratrum noſtrorum vincula: & qui te in ſancto opere confirmavir Spiritu ſuo, ut nulli rei peperceris. Hoc eſt, inquam, certiſſimum argumentum ad prædicandam ipſius gloriam: quum tantum opus non alii quam ipſi adſcribendum ſit, quum & illius aggrediendi tibi auctor fuerit, & perpetuo te etiam direxerit. Tibi vero non vulgare gaudium binc percipiendum eſt, quum agnoſcis quo te honore affecerit, qui te functione tam nobili & glorioſa ornavit, & manum porrexit tibi, ut tanto muneri par eſſe poſſes. Utcuoque enim miſeri fratres, qui Euangelii nomine laborant, contemptibiles ſinr & rejecti à mundo: ſcimus tamen, ut Dominus ſacri peculii loco habeat: ut non aliud ipſi ſacrificium ſit acceptius, quam ubi ad illos ſublevandos & opem ferendam ſtrenue nos impendimus. Et quum Dominus Jeſus teſtetur agniturum ſe quaſi erga ſe præſtitum, quod in quemlibet ex ſuis collatum fuerit, quad ſperandum nobis ab illo eſt, quum illis ipſis aderimus qui ipſius nomine laborant? Nam & illi quaſi procuratores mandato Domini inſtructi, ad Euangelii defenſionem ab ipſo ſiſtuntur. Quare ne
Mat. 10. verſ. 42. poculum quidem aquæ frigidæ ipſis oblatum, nobis etiam deperiturum promiſit. Proinde quum ita animatus fueris hactenus ad legitimum illud ſacrificium Domino offerendum, contende porro, ut eodem animo deinceps pergas. Neque vero neſcio, quid inſuſurraturus ſit tibi Satan, ut à ſancto opere te avertat. Sed vide ut Dominus ſuum in te ſupremum illud jus, ut æquum eſt, ſemper habeat. Acquieſce etiam in boc teſtimonio, quod quis operam in eo collocant, ut opitulentur filiis Dei perſequutionem ſuſtinentibus propter Euangelium, ipſi eo
Phil. 4: 3. nomine coadjutores Euangelii appellentur. Nam quanti momenti hoc eſt, quod inſigne illud Martyrum nomen in nos transſcribat Dominus, etiamſi perſequutio ad nos uſque non pertingat, tantum quia ipſius Martyribus officia noſtra impendimus? Quicquid igitur ex oppoſito auditurus ſis, cave ne tam laudabili cœpto renuncies, aut in medio curſu deficias. Equidem mihi ſic perſuadeo, te nullo pacto hominum de te jodicia tibi propoſuiſſe, quum boc primum agere cœpiſti. Fac igitur ut te illi ſemper impendas, cui fides ad extremum uſque ſervanda eſt. Cogita etiam quam multi ex piis qui propter te nunc Deum glorificant, ſi te propoſiti minus tenacem agnoſcerent, graviter offenderentur. Nam quod ad vinctos ipſos attinet, illi de te ita ſentiunt & in te ſunt affecti, ut ſi liberis eſſe daretur, caput ſuum pro te etiam morti objicere non dubitent, nedum ut ſua fraude vel improbitate tibi creent periculum. Illud etiam veniat tibi in mentem, quod piis illis iet opem & auxilium adfert, hoc ad illos confirmandos valere plurimum, quum præſentem erga ſe Dei manum in tuo beneficio, uti par eſt, agnoſcant. Sic, inquam, creſcit ipſis in Deum fiducia, de cujus paterno erga ſe ſtudio ipſis per te tam appoſite conſtat. Roborare igitur, & vir eſto, quum opus illud ſanctiſſimum non Deo tantum & Martyribus, ſed toti etiam Eccleſiæ impendas. Vale mi frater. Deum oro, ut & ſua in te dona cumulet magis ac magis, & ad ſuam gloriam efficacia reddat, & te præſidio ſuo ſingulari complectatur. 1 n Auguſt.

Epiſtola cujuſdam nomine ſcripta, qui ſe à patre Religionis nomine ſubduxerat.

QUod facti mei rationem ſcripto & abſens *Ex Gall.*
potius quam præſens exhibeo, peto à te, obſervande Pater, ut me excuſatum babeas. Duo in cauſa ſunt: unum, quod veritus ſim, ut in re odioſa & 10 ſpeciem aliena, ſatis facilem ad me audiendum te haberem: alterum, quod ſumma illa reverentia qua te proſequor, mihi apud te quidquam iſtorum proferre bactenus non permiſerit. Nunc vero ineundam mihi banc rationem eſſe duxi, qua vel te placarem, quatenus offenſionem de me conceptam retineres, vel ſaltem quicquid iſtud eſt, emollirem, dum oblata meliori occaſione, tibi ad plenum ſatisfacerem. Dolet tibi, quod in cultus Dei ratione quem pro vera habes, te non ſequar. Hoc ſi contemptu facerem, ut leves multi homines, quibus ſuſque deque eſt omnis religio, quique omni affectu in cultus Dei obſervatione vacui ſunt, nulla venia non eſſem indigniſſimus. Sin vero Dei timor, & conſcientiæ teſtimooium eo me impulerunt, ſic mihi perſuadeo, utroque illo nomine meum à te factum tolerabilius judicatum iri. Jam ne te multis obtundam, negari hoc non poteſt, quin multi & craſſi abuſus & corruptelæ in Eccleſia locum habeant, qui Dei nomine teguntur: & bona intentio iſta omnia eluere creditur. Interea qui ſic vivunt, ut ſine Dei voluntatis auctoritate Deo ſeſe approbatum iri ſtatuant, illi (ut vulgo dicitur) rationem ſuam ſine hoſpite ſubducunt. Siquidem fixum eſſe illud debet, Deum non ex noſtro, ſed ex ipſius arbitrio colendum eſſe. Me vero ferendum non eſſe fateor, ſi his de rebus ex meo ſenſu pronunciare audeam, quaſi aliis judicio plus valeam. Sed non hic agitur quis melius ſapiat inter homines: illa enim regula & nota eſt, & communi omnium ſenſu comprobata, Deum præferre obedientiam ſacrificiis omni- *1 Sam. 15.*
bus. Quare ut res ſubtilius non expendatur, ſatis *verſ. 22.*
conſtat, à Deo rejici, quicquid ipſius voluntati non reſpondet. Teſtimonium autem voluntatis Domini ex una Scriptura, in qua conſignatum extat, petendum eſt. Unde ſit, ut quicquid ſeſe offeret quod repugnet Scripturæ, ab eo mihi cavendum ſit, niſi ſciens in Deum peccare velim. Hoc autem loco habere me quæ communi conſenſu tam ſancta eſſe credantur, abſurdum tibi videri poteſt. Verum hoc unum à te mi Pater poſtulo, ut quum ea ſim ætate quæ ad quidvis admittendum magis prona judicari ſolet, ne tamen hoc meum tantis de rebus judicium juvenili levitati adſcribas: quum potius idoneo & omni exceptione majore veritatis teſtimonio preſſus ac pervictus, ita ſentire cœperim. Quod enim per Dei gratiam, & legendo & audiendo aſſequi datum eſt, illi refragari tandem non potui. Quamobrem, mi Pater, ubi ex illa certa ſcientia, quæ conſcientiam meam regere debet, aliquid malum eſſe mihi conſtat, illi intereſſe nefas mibi judico: etſi mihi non parum dolet, quod ab illis rebus abſtinere ſine tui offeoſione non poſſum. Nihil enim mihi & optabilius eſt, & meo voto accommodatius, quam ut meum tibi obſequium præſtem, atque approbem. Unum

me

me impedit, cujus à te imputationem ſupplex deprecor, quod reluctante conſcientia ſiquid aggrediar, meipſum in me judicem ferre cogar. Abſit vero à moribus meis omnis arrogantiæ, & de me ſupra alium quenquam exiſtimationis labes. Tantum hoc volo, quod qui à Deo edoctus ſim, quid rectum ſit vel ſecus, illud inſuper habere jam non poſſim. Quumque ſingulis de ſe apud illum ratio aliquando reddenda ſit, ut aliis ſua ignorantia in Dei judicio fraudi etiam noo ſit, non video tamen quid à me obtendi poſſit, ſi a Dei notitia & vero ipſius cultu mihi explorato ſemel deflectam. Quid porro in ipſis rerum obtineat argumentis, neque pro meo captu hic apud te attingo, neque etiam eo tibi moleſtiam augere nunc quidem velim. Quod ſi mihi non denegas, ut vel perſtringam aliquid ejus, quo ſumma fere momenta verti video, ſic accipe. Me quum à gratuita illa peccatorum remiſſione, quæ Chriſti Domini morte nobis parta, ac ejuſdem gratiæ obſignatione, quæ ſacroſancto Cœnæ myſterio nobis exhibenda & applicanda ab ipſo Chriſto inſtituta eſt, in ſacrificium illud ſua vi operatorium, & mortis Chriſti per ſeſe applicativum, & illam elemeoti adorationem (quid autem hoc ſit, tacendo ſatis indico) oculos & mentem converto, plaoe aliter ſentire non poſſe, quam quum illa è cælo ſint, ut omoioo conſtat, iſta ab hominibus (ne quid gravius dicam) profecta videri. Proinde nullius eſſe momenti, ubi de Deo colendo, & veritate ipſius ſine fermento retinenda agitur. Sed & iſta fortaſſe minus parce hoc loco, ſi mei captus & tenuitatis rationem tantum habeas. Tandem vero illud à te contendam, mi Pater, ut ſi ad me audiendum uſque propendere dignaberis, patruum tecum admittere grave non ſit, quod tibi non incommode ceſſurum, mihi non temere perſuadeam. Bene vale, obſervande Pater, ac tuum propter Deum ſubdutitium tua benevolentia non magis indignum agnoſce.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

Ex Gall.

QUum de facie tibi ignotus ſim, abſurdum tamen non videbitur, quod ad te ſcripſerim, ſi tuos liberos iſtius conſilii auctores apud te citavero. Hoc etiam ad illud valere cupio, ut ſine ullo excuſationum circuitu, te quamprimum hic compellem. Etenim hoc de te accepi, ſi quid ad te ſcriberem, non tantum à te placide admiſſum iri, ſed neque moleſtum tibi futurum illud perlegere, & apud te deinde meditari & expendere. Illud eam de te ſpem mihi injecit, ut quum pietatis ſemen in te ſubeſſe videam, cultura demum adhibita, fructum inde conſequuturum ſuo tempore, apud me conſtituerem. Quum igitur ad teipſum excolendum hoc ſcriptum pertineat, in primis hoc tecum reputes velim, nihil magis decere Chriſtianum hominem, quam ut dum abuſus & corruptelas in Dei cultu (qui habetur) palpabiles notare poteſt, ac debet, det etiam operam, ne promiſcuo conſenſu ſeſe io illo cœno volutari ſioat: inde potius diſcat ſibi de Dei veritate inquirendum eſſe, ut in illa tuto acquieſcat. Alterum etiam addo, ut quod de noſtra doctrina ſubjiciam, placide audias: breve enim faciam, ut tanto facilius agnoſcas quam viam ſequamur, & quo illa etiam ferat. Primum igitur ſatis conſtat quamplurimos in ignorantia & ſuperſtitione hærere, quum ne oculos quidem ad lucem oblatam aperire ſuſtineant: quotum te in numero quum habeam, aperte ſignifico, ut ad illud demonſtrandum vel perſuadendum tibi, longior à me exhortatio adhibenda non ſit. Atqui illud unum præcipue Chriſtianum hominem facit, ſi in certa Dei colendi ratione ſibi attendeodum ſtatuat, ne ſponte decipiatur, in re præſertim tanti momenti, ubi æterna animæ ſalus vertitur. Notum eſt autem Chriſtianiſmum adulteratum & corruptum fuiſſe, Paſtorum Eccleſiæ tum imperitia, ambitione, avaritia. Neque hanc degenerationem ad illorum vitam & mores reſtringo, quum in illa primas obtineat ipſius Dei veritatis in mendacium & impoſturas transformatio, cultus Dei iooumeris ſuperſtitionibus adductis contaminatio, ordinis Eccleſiæ extrema perturbatio, uſus Sacramentorum conſpurcatio: ut uno verbo finiam, ſtupenda & omnem ſenſum exuperans inordinatio. Hoc vero ſi pauci animadvertunt, inde fit, quod regula Lesbia hic pro oorma tantum obtinet. Jam ſi religioni illi Catholicæ pura & nativa Dei inſtitutio opponatur, eadem illic convenientia quæ lucis ad tenebras deprehendetur. Quare ut quis iſtis de rebus vere cognoſcat & ſentiat, neque Principis auctoritati, neque conſuetudinis præſcriptioni, neque ſuo ipſius ſenſui ſtandum eſt: conſulendum verbum D. & quid illic mandet aut vetet. Nam neque Dominus in angulo loquutus eſt, & ſuam voluntatem tum ſummis tum infimis patefactam eſſe voluit. Illud vero ubi à teipſo obtinueris, ut patientem aurem Deo loquenti accommodes, illis quæ verbo nobis tradidit acquieſcas, unam ſalutis viam ab eo uno petendam & percipiendam tibi ſtatuas, magnum tibi aditum ad ea quæ noſtrûm quemque tenere expedit, pernoſcenda comparaveris. Ad noſtram doctrinam venio: quam plerique inauditam & inexploratam ſuo quodam præjudicio damnant, occupati nimirum neſcio qua opinione, quæ aciem mentis ipſorum hac in re prorſus obtundat. Non attingo contumelias, & ſcelera etiam, quæ nobis imponuntur, ut à noſtris deguſtandis avertantur omnes. Atqui hoc unum nobis imputari poteſt, quod eos omoes qui Chriſti nomine cenſentur, adhuc miſere palantes, ad ſua illa ſigna, verbum Dei nempe revocare contendimus. Simul etiam evincimus, controverſias omnes de Dei cultu, ex verbo ipſius eſſe dirimeodas, ut unuſquiſque teneat, quod à Deo eſſe conſtabit. quid hic adverſarii? Eccleſiam ſcilicet, ut Ajacis clypeum ementiuntur, ut ſub ipſius larva ſecure lateant. Nec vero alia fuit ratio Prophetarum & Apoſtolorum quum res ipſis eſſet cum illis, qui etiam Eccleſiæ nomen, & ſummam in ea auctoritatem eadem mala fide uſurpabant. Quid igitur? Novimus vero Eccleſiam illam quæ certo fundamento nititur doctrinæ Propheticæ atque Apoſtolicæ, cujus caput aogulare & immotum Chriſtus eſt & manet. Adulterina vero illa eſt, in qua non regnat Dei verbum. Eo poſito hoc inferimus, cultum Dei ex mandato ipſius inſtituendum eſſe. Nihil hic humanitus traditum invectumve ferri poſſe. Unius enim Dei eſſe, legem figere conſcieotiis. Uoius jus eſſe, præſcribere quid ipſe fieri à nobis velit. Hinc illæ querimoniæ, Vos ſanctæ matris Eccleſiæ ſtatuta perſum dediſtis: quoniam poſt Eſaiam auctore Chriſto *Eſa. 29.*
teſtamur, fruſtra Deum coli mandatis hominum: *verſ. 13.*
item ex Jacobo, Unum Legiſlatorem eſſe, penes *Mat. 15.*
quem ſit ſervare & perdere. Ac ſi quicquid illud eſt, *verſ. 8.*
quod Dei cultus nomine ab iſtis ornatur, intentius *Jac. 4.*
aſpexeris, merum illic commentum ex hominum ce- *verſ. 12.*
rebro conflatum reperies. Jam ſi de fide & invocatione agitur, quia Scriptura nos ad unam Chriſti gratiam amandat, miſerabilem conditionem noſtram ob oculos ponit, quæ certiſſimam condemnationem ſecum afferat: nos vero præeunte Scriptura, homines ad illam unius Chriſti gratiæ agnitionem & prædicationem revocamus: quod rurſum ſtatui non poteſt, quin momento abſurdiſſimum illud meritorum commentum ad vitam æternam lucrifaciendam corruat. Hinc & illæ obnunciationes, Vos omnem bonorum operum doctrinam & ſtudium de medio tollitis. Scilicet illa adverſum nos calumnia ſtare poteſt, quum omnis adverſariorum iſtis de rebus in ſuis concionibus docendi ratio plus quam evanida ſit, ſi ad ſeriam & exactam quæ miniſterio noſtro traditur & inculcatur ſanctæ vitæ inſtitutionem vel eminus

admota conferatur. Hoc vero ſic aſſidue procuratur à nobis, ut tamen ne quis ſeipſum fallat aliqua operum ſuorum jactatione, ſic aperte doceamus: neque poſſe nos quidquam boni, niſi Spiritu Dei nos dirigente: neque adeo ſancte viventibus (quum innumeri ſint noſtri defectus, nihil in nobis non caducum in ſeſe, & nullius ad juſtitiam coram Deo exhibendam momenti) fundamentum aliud non extare, quo ſolida juſtitia nobis conſtet, quam ut Chriſti unius crucem ac mortem, omnibus aliis poſt tergum rejectis, ambabus manibus complectamur. Huic fidei fundamento veram invocationem ita connectimus, ut & ad Deum unum preces noſtras dirigendas eſſe oſtendamus, quum nos ad ſe compellet: & ne noſtræ indignitatis conſcientia ab illo nos avertat, per Chriſtum unum, uti apud Patrem Mediator nobis offertur, ad thronum gratiæ cum certa fiducia accurrendum nobis ſit. Hinc & illæ lacrymæ, Vos in Sanctos & Sanctas Dei contumelioſi eſtis! vos illorum cultum & honorem ſuſtuliſtis! Scilicet! quum ſanctorum Dei hominum memoriam eo quo Dominus nos docet loco habendo, ſincero ſtudio illam retinemus, & honore proſequimur: ferre autem non poſſumus ut Sancti ipſi in idola transformati, Dei aut Chriſti loco habeantur. Imo etiam affirmare audemus, ſi quid iſtorum per quæ mundus inſaniens ſuo more, creaturis ſemper affixus Creatorem ſecure deſpicit: ſi quid, inquam, iſtorum piæ illæ & jam felices animæ ſentiunt, totas zelo accendi ad Dei judicium in ſacrilegos iſtos ſuos cultores accerſendum. Quod ad Sacramenta attinet, quum illorum & uſus & ſcopus ſit, ut nos in Dei timore, reverentia, & miſericordiæ fide confirment, dici non poteſt, quam indigne omnia hic etiam inverſa atque interpolata ſint. Et nobis adhuc objicitur, ubi illa ſuæ puritati quaſi veris natalibus reſtituere conamur, Sacramenta à nobis exinaniri. Expendatur vero noſtra omnis ratio ad unam inſtitutionem Domini, ut ſiquid ab illa diſcrepet, adnotetur. Exulat quidem hinc Miſſa, ut iſtic regnat. Sed poſtliminio rediit Cœna Domini; ipſa, inquam, Cœna Domini, uti ab ipſo ſemel inſtituta eſt. quod neque ipſi adverſarii inficiari poſſunt. Tantum ſuum ritum & receptum ſervitium divinum, quod vocant, objiciunt pro omni defenſione. Nos vero meliori jure & firmiori nitimur, mandato Domini ipſius, quod inviolatum ſtare oportet uſque ad finem ſeculi. Hoc faciendo, inquit

1 Cor. 11. verſ. 26. Paulus, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Hic igitur nemo quidquam immutare poteſt, quin rebellionis crimine coram Domino teneatur. Prolixior ſim, ſi reliqua attingam, quæ magis prætermittam. Et ſatis etiam nunc fuerit, te ex iſtis quæ hic habes guſtum aliquem percepiſſe, qui te ad uberiorem cognitionem pleniore tractatione accedente perducat. Vale in Domino. Dominus te Spiritu ſuo regat, à quo ipſius voluntati reſpondere diſcas, & tuæ ſaluti ac tranquillitati conſultum velit. Genevæ.

JOAN. CALVINUS NN. S.D.

Ex Gall.

DOlet mihi plurimum dilectiſſ. in Domino, quod non ſatis videam, quid conſolationis vobis nunc quidem adferre poſſim. Mihi enim juſta eſt tacendi cauſa, ubi plus quam ſciam, poſſimque, à me expectatur aut quæritur. Agnoſcitis nempe ex meo quodam ſcripto, quum Deum non colitis, nullam vobis pacem conſcientiæ conſtare poſſe. At illud multo pejus habet, quod omnem ex illo veſtrò carcere effugiendi rationem præciſam vobis ſtatuitis. Quid dicam? Miſeret me veſtræ ſortis & conſtrictionis. Sed quorſum illud? nempe ut Dominum pro vobis ſupplex orem, ut in tantis infirmitatibus vos reſpiciat, quod nobis omnibus mutuo ac perpetuo precari debemus: ac non ut has meas preces interponendo, quod à vobis malum admittitur, elevem. Neque etiam expectatis fortaſſe, ut vobis blandiar: ſed quum ita meam conſolationem requiritis, ut mali aliquando tollendi occaſionem omnem vobis negatam adjiciatis, illud me plane conſtringit, ne quid ulterius vobis reſpondere valeam. Ego vero ſi veſtræ illæ anguſtiæ veros ac ferventes gemitus ad Dominum in vobis excitarent, ſperarem exitum à Domino vobis oblatum iri. Sed quemadmodum extra ſpem in illum ſperandum eſt, ita etiam extra media ad ipſius vocationem ſequendam enitendum eſt, ne illi deſimus. Idque ita ſtatuendum eſt, ut quum omnia ſeſe opponere videbuntur, & viæ omnes claudi atque obſtrui, nihilominus perrumpamus omnia, & nullus noſtris commodis vel rationibus in rei tantæ deliberatione detur locus. Si penes me eſſet vobis manum quovis modo porrigere, non committerem ut meum hic officium à vobis merito deſideraretur. Quum aliud non poſſim, nolite expectare, ut quod Dominus à vobis requirit, illud à me remitti poſſit. Veſtrum eſt potius, ut conſolationem accipiant corda veſtra, voſmet inter vos ad illud ipſum exhortari, quod à vobis pro impoſſibili haberetur. Veniat enim in mentem quantum ſit illud malum, quo adhuc detinemini. Quumque illud ita ut eſt perſenſeritis, tum à Domino vires poſtulate ad luctam, etiamſi ad ſanguinem uſque decertandum ſit. Inducite porro in animum, non eſſe præſcriptam vobis unius diei luctam, quum ex Satanæ vinculis evolaveritis: neque aliter omnia peractum iri cogitate, quam ſi, uti ſemel maledictum illud quod vobis incumbit jugum exueritis, ita etiam in ſancta & recta conſtantia reliqua deinde vita perſtetis. Nimis enim frequentia ſunt illarum exempla, quæ bullarum inſtar momento à pietate exciderunt. Atque ita ſibi conſulunt peſſime, qui in aëre ædificant. Jam ubi ſerio meditatæ eritis, quam non minus arduum ſit perſeverantiæ exemplum quam plane neceſſarium in Domini vocatione, ut ad illud præſtandum impares nimium ſumus, illud vos excitet, ut ad Domini opem & præſidium vos conferatis. Sic enim illum abunde inſtructum comperietis ad ſuos ad cumulum ſuæ erga ipſos liberalitatis perducendos, uti jam ab ipſo primitias illius ſemel perceperunt. Atque hic eſt meæ ad vos exhortationis ſcopus. Dominus vobis adſit, ac veſtras illas quæ eum non latent infirmitates, ipſe corrigat, augeat in vobis dona ſui Spiritus, animum & vires ſuppeditet ad illud quod ipſi probari edoctæ jam eſtis, voſque adeo manu præſenti regat & protegat, ut luporum vobis inhiantium fauces inoffenſæ evitare poſſitis. Genevæ. M.D.LIV.

CALV. FARELLUS S.

QUod accedet paci & ædificationi præter ſpem erit: potens eſt D. cui ſpe niti nos oportet, quamvis hic omnia deſperata videamus: nobis flentibus mundum lætari oportet. Verum triſtitia noſtra in gaudium vertetur. Tu ſi es inter eos qui optime apud Antiochum audiunt, gratior inde bonis: quibus ut charior in Domino ſis, perge quæ dedit D. in uſum Eccleſiæ proferre, quum in Chriſto vite ſis, ut eas, fructumque afferas qui maneat. N. fertur à Cæſare monita ut interimi ſe ferat excepto Interim. Chriſtus ſuo Spiritu tandem illuminet tam parum videntes. Polono qui hac tranſivit ad te tendens, plurimam dices ſalutem. Si huc venerit, dabo operam ut intelligat me ex animo & ei benevelle ob Chriſtum, cujus gratia exceptus fuit paulo durius, ut ex ejus literis accepi. Sed quum ſit Chriſti ſervus, videat quam fuerit longe mitius exceptus quam dominus, & ſeſe apparet ad duriora. Grave eſt ab illis hæc fieri, qui dederunt nomen Euangelio: ſed gravius fuit Apoſtolum vendidiſſe ac tradidiſſe Servatorem. Verax eſt Deus, non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus. Vale bene.

bene. Is te ſervet, tuumque ſemper proſperum & omnibus frugiferum reddat miniſterium, & omnium elidat conatus qui impedire quovis modo tentant Chriſtum, qui addat ut ſis perpetuo pergens magis & magis in gloriam Dei & omnium ædificationem, mente & corpore ſaniſſimo. Collegas jube omnes ſalvere. Valde placuit quod per D. Toſſanum reſpondiſtis. Neocomi, 4. Calend. Martias. M. D. LIV.

BULLING. CALVINO S.D.

NOn deſunt, ſat ſcio, & ſæpe audio, qui cuperent à te, mi Calvine, Domine colende & frater chariſſime, illud argumentum non fuiſſe tractatum. Sed ſunt rurſus qui & gratias tibi agunt pro laboribus, in quorum numero & nos, qui huic Eccleſiæ miniſtramus, ſumus, & agnoſcunt argumentum hoc neceſſarium eſſe quod tractetur hodie. Dudum D. Urbanus Regius una cum omnibus Luneburgenſ. Eccleſiæ Miniſtris, edim etiam libro Germanico, oſtendit jure divino & humano coërceri hæreticos, tum etiam jure civili, ſi impia non deſinunt ſpargere, aut blaſphema in Deum ſparſerunt. Cur illi non iraſcuntur, qui in te hodie reprehendunt, quod probarent, ſi certius rem expenderent? Nuper Titianus quidam Italus Anabaptiſta & Hebionita & Helvidianus in carcerem conjectus à tribus Rhetiæ fœderibus igni concremandus fuiſſet, niſi cecimiſſet palinodiam: nihilominus Curiæ virgis cæſus à Rhetio ejectus eſt. Quis ibi erat ſævitiæ & atrocitatis magiſter? Calvinus hoc non fecit nec ſuaſit. Sunt etiam alii ubique viri boni qui intelligunt impios & blaſphemos homines non tantum admonendos & in carcerem concludendos, ſed etiam capite eſſe mulctandos. Ne ergo pigeat te ſuſcepti laboris. Dominus ſanctis conatibus & ſtudiis non deerit. Scio tibi nec crudele eſſe ingenium, nec te ullam atrocitatem approbare: quis neſciat etiam hic modum adhibendum eſſe? At quomodo Servero lernæ hæreſeôn & pertinaciſſimo homini parci potuerit non video. Vale in Chriſto eum omnibus bonis. Orate pro nobis. Tiguri, 12 Junii. M. D. LIV.

P. MARTYR CALVINO S. D.

QUum veſtratium qui Francfordia redeunt copia detur, ut abſque meis literis venirent pati nolui. Res noſtræ pro tempore ac loco ſunt ſatis tranquillæ. Doctori Marpachio redditæ fuerunt literæ quas ad eum ſcripſeras. quid profecerint ignoro, ſiquidem nihil mihi de illis communicavit: ſed ut antea tibi ſignificaveram, ſpero turbas illas brevi conquieturas. Satagunt hujus Eccleſiæ Miniſtri ac multis modis conantur, ut ſacrificuli & Miſſa rurſus hinc ejiciantur. nec tantum è ſuggeſtu cauſam egerunt fortiter: ſed adierunt Senatum, eique ſimul omnes teſtati ſunt, niſi hoc effecerit, ſe hinc migraturos, quod nequeant bona conſcientia hic ulterius miniſtrare, ubi tanta domi feratur & defendatur idololatria. Hanc illorum actionem Senatus graviſſime tulit, & poſt aliquot dies ipſis duriter admodum reſpondit. Id præſertim objicientes, quod ante mulıos annos Wittenbergenſes conſilium dederint, cui Lutherus, Jonas, Pomeranus & horum ſimiles manu proptia ſubſcripſerunt, quo ſentiunt, Magiſtratus in Rebuspublicis, jus non habere vel poteſtatem ullam in Eccleſias cathedrales, & collegia. Ideoque conſultum eſſe ut pios Miniſtros ſibi procurent, qui populo Euangelium pure doceant in aliis templis, ab illis abſtineant, nec ibi quidquam conentur reformare: quum tamen ſuos cives queant jure prohibere, ne ſeſe idololatria contaminent. Sui autem conſilii hanc rationem ſubjiciunt, quod Eccleſiæ cathedrales, & collegia hujuſmodi, non à Rebuspublicis, verum à Proceribus Imperii vel ab ipſis Imperatoribus inſtitutæ ac dotatæ fuerint. Quumque Papæ auctoritas in civitatibus Euangelicis rejecta ſit, putant iſtarum Eccleſiarum arbitrium ad Imperatorem devolutum: quare illi tantum poteſtatem immutandi & repurgandi cultus Dei quoad illas faciunt. Illo itaque fretus conſilio noſter Magiſtratus repulſam dedit Miniſtris, ut qui putet auctores ejus conſilii noſtris Miniſtris longe doctiores. Cæterum hi reſponſum hoc licet acceperint, non ſunt animo fracti, neque ab incepto deſtiterunt; ſed rurſus inſtant, ac de illo conſilio à doctoribus Wittenbergenſibus ante multos annos dato, ſatisfacere ac reſpondere conantur. Poſteriori vero congreſſu lenius ac mitius à Senatu fuerunt accepti, qui tempus ad deliberandum ſumpſit. Interea quid reſponſi dandum ſit, ignoratur. Sed ego ariolor dum Cæſar vixerit, rem non ſucceſſuram: nec dubito noſtrum Senatum cupere quidem impietate ac idololatria civitatem liberare, ſed nollent occaſionem gravioris offenſionis Cæſari præbere. Conſiliis attamen cæterorum Miniſtrorum omnium in his actionibus, & Beatus & ejus Diaconus noluerunt ſe admiſcere: imo potius diſſenſerunt: quod ipſis ægre fuit, & populo magnæ admirationi. Quid ſit ſucceſſurum, quum ſcivero, ſignificabo. Sturmius non eſt hic, ſed ante octo dies ex urbe proficiſcebatur: ſpero non diu abfuturum. Zanchus te ſalutat, & ego. Symmyſtis tuis meo nomine ſalutem dici velim. Hiſtoria Sleidani, ut ſpero, jam imprimetur. Diu te nobis divina bonitas conſervet incolumem. Petrus Alexander, ut ad me ſcribit, eſt brevi te inviſurus: quæſo illum æquo ac libenti animo videas. Nam licet hactenus de re Sacramentaria ſit nobis adverſatus, attamen in præſentia Deo monſtrante totus eſt noſter, atque poteſt Eccleſiæ nonnihil prodeſſe. Rurſus vale, ac me precibus apud Deum juvato. Argentinæ, 24 Septembris.

SULTZERUS CALVINO S.D.

A Mercatu Francofurtenſi quum ſcribere per bibliopolas conſtituiſſem, profectione improviſa impediebar. Laborabat Eccleſia Argentinenſis haud levi jam periculo implicita, quod Miniſtri exceſſuri plerique viderentur niſi idololatriæ omnimodam abrogationem obtinerent. Augebat metum noſtrum inteſtina inter ipſos fratres diſcordia, quia duo ex illis ſe non ſolum reliquis abjunxerant, ſed privatim & publice eorum qui ſunt 14, ſtudiis repugnabant. Accurrimus ergo pro fraternæ conjunctionis officio: & quantum potuimus, his inſtitimus, ut pientiſſimis Symmyſtarum conatibus faverent, utcunque ſe nollent periculo illigari, ſuis quibuſdam ducti rationibus. Illis vero, ſic ut zelum moderarentur, ne temere lupis proderent laniandam Eccleſiam. Benigniter ab utriſque auditi ſumus, & eo uſque videntur profeciſſe optimi Dei ſervi, ut ſi non impetrentur quæ velimus omnia, gradum tamen ut fecerint ad demolitionem Papatus, ſi quidem, quod omnino ſperant, capita reliqua concedantur. Verum de eventu ſcribet proximis ad me Marpachius. Agit officium ſtrenue Dux Chriſtophorus cum patruo Comite Georgio, cum erga eum ipſum quem dixi Senatum Argentinenſem, tum Marchionem Badenſem vicinum nobis, qui nuper eſt illi pollicitus, ſe exactis ſacrificulis veram religionem inſtauraturum. Rogemus Dominum, ut Regni ſui pomœria dignetur miſericorditer extendere. Albertus Bavarus cum Salsburgenſe & Aichſtetenſe Epiſcopis crudeliter contra veram pietatem furit, inſtituta inquiſitione, quæ etiam cum Hiſpanica certet. Nec ſecus apud Viennam Auſtriæ ſancti vexantur. Verum & hæc impiorum molimina novit Dominus ad Eccleſiæ incrementum nominiſque ſui gloriam convertere. In Anglia novos ſubinde motus

Digitized by Google

excitari accipio, ſed aſtibus atque potentia regiorum opprimi partem meliorem, rerumque potiri pro voto Hiſpanos, licet coronationem Rex nondum ſit conſequutus. Vale in Chriſto Jeſu, cujus gratiæ te cum tuis omnibus unice commendo. Baſileæ, 3 Octobr. Anno M. D. LIV.

MELANCHTHON CALVINO.

REverende vir, & chariſſime frater, legi ſcriptum tuum, in quo refutaſti luculenter horrendas Serveti blaſphemias: ac Filio Dei gratias ago, qui fuit βεβαιωτὴς hujus tui agonis. Tibi quoque Eccleſia & nunc & ad poſteros gratitudinem debet, & debebit. Tuo judicio prorſus aſſentior. Affirmo etiam veſtros magiſtratus juſte feciſſe, quod hominem blaſphemum, re ordine judicata, interfecerunt. Quod vero in proximis literis me hortaris, ut reprimam ineruditos clamores illorum, qui renovant certamen τῆς ἀρτολατρείας, ſcito quoſdam præcipue odio mei eam diſputationem movere, ut habeant plauſibilem cauſam ad me opprimendum. Cum doctis & bonis viris multa colloquutus ſum de multis diſputationibus, quas hæc una controverſia complectitur, de divinarum perſonarum proprietatibus, de patefactione Dei διὰ λόγου καὶ πνεύματος in vera converſione, ſeu conſolatione. De his tantis rebus maxime tecum loqui cuperem, quem ſcio amantem eſſe veritatis, & non habere animum occupatum odiis, aut aliis ſtultis affectibus. Sic ait Nazianzenus, Ἐν φωτὶ τῷ πατρὸς φῶς καταλαμβάνομεν τὸν υἱὸν ἐν φωτὶ τῷ πνεύματι ἁγίῳ. Etſi pauca ſunt ejus ſcriptoris dicta de illa agnitione Dei, quæ lucet in vera conſolatione, tamen hoc dicto delectatus ſum: quod inſerui huic epiſtolæ, quia tibi quoque gratam fore ejus mentionem arbitrabar. Hæc nihil περὶ τῆς ἀρτολατρείας. Non deſpero nos colloquuturos eſſe, antequam ex hoc mortali carcere mens diſcedat. Etſi enim propter ſenectam à meta hujus curriculi non procul abſum, tamen quotidie nova exilia expecto. Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut te & nos omnes gubernet. Bene vale chariſſime frater. Die 14 Octobris. M. D. LIV.

P. MARTYR CALVINO S. D.

CIrca feſtum Paſchæ literas ad te, vir clariſſime, dederam; ſed adoleſcenti Hungaro, & quidem nobiliſſimo, qui non longe à Seleſtadio eſt interfectus: quare quum tam mœſtus intervenerit caſus, ad te perferri non potuerunt; & quæ tum noveram atque ſcribebam, quum te aliunde jam reſciviſſe non dubitem, minime repetenda cenſeo. Hue vero triſtiſſima ex Anglia ſunt allata, nimirum ibi Parlamentum (ut vocant) eſſe aſſenſum, ut Papæ ſua reſtituat tyranniſſima: & Philippus Rex Angliæ ſit & habeatur. bonorum virorum qui abire poſſunt undique ſit fuga. Atque tanta eſt rerum perturbatio, ut nullo pacto explicari queat. Jamque hic ſunt apud nos tres præclariſſimi equites, nempe Moriſinus, Chæcus, & Cuccus, non minus pietate quam eruditione inſignes, quos intra paucos dies puto venturos. Hæc ideo ſcribo, ut rebus illis propemodum perditis, nedum afflictis, velis precibus una cum tua Eccleſia ſubvenire. Certe jam Cantuarienſis, & reliqui Epiſcopi, qui una captivi detinentur, in extremo verſantur diſcrimine. Nos hic jam ſatis quiete agimus quoad externa. Et jam de noſtra Gallica Eccleſia liberati metu videmur, quo multi antea ſuſpicabantur fore, ut aliquid in doctrina & Sacramentorum adminiſtratione mutaretur. Id neque factum eſt, & ut confido, non fiet. Utinam quorundam contentio adverſus Paſtorem tolli queat. Eam tamen ſpero tandem quieturam: utque judico, facilius diſſimulando conſopietur, quam ſi vi & potentia contra eatur. Et hoc quoque malum precum indiget. Nec te poſtremo latere velim, me una cum reliquis bonis viris id vehementer dolere, quod adverſus veritatem, ac tuum nomen, adeo inepta & falſa ſpargant de æterna Dei electione, atque de hæreticis extremo ſupplicio non afficiendis. Sed bene habet quod in his quæ ſcribunt (ut audimus) nomen ſuum profiteri non audent. Ut audimus, dixi, quoniam huc Argentinam ne unus quidem allatus eſt ex illis anonymis libris. Nos hic quoties rogamur, cum publice tum privatim, partes & veri & tuas pro virili tuemur, præſertim Zancus & ego. Quomodo vero D. Alaſco ſit per Daniam & Saxonicas Eccleſias male acceptus, ex iſto qui tibi meas reddet, poteris cognoſcere. Vale atque pro nobis ora. Zancus te plurimum ſalutat. Viciſſim quæſo Martinengo, necnon Galeatio Marchioni & N. ſalutem meo nomine dixeris. 9 Maii. Argentinæ.

JOANNES CALVINUS

Dilectiſſimis fratribus Orbæ, qui puram Euangelii prædicationem, & Dei cultum ſincerum cum Regni Chriſti promotione exoptant.

Charitas Dei Patris, & Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, per Spiritus ſancti communicationem vobis ſemper adſit.

QUum præter ordinariam ſanæ doctrinæ auditionem, cui etiam lectio verbi poteſt accedere, non dubitem, quin optimi fratres Farellus & Viretus ſtrenue in illud incumbant, ut vos ſanctis exhortationibus ad pietatis ſtudium accendant: quas etiam à vobis prompto & propenſo animo excipi confidam: volui tamen, dilectiſſimi fratres, hoc ad vos literarum dare, quo meum de vobis ac rebus veſtris judicium haberetis. Et ſane non vulgari confirmatione nunc vobis opus eſt, ex quo turbæ illæ à Satana adverſum vos excitatæ ſunt. Meum vero erga vos ſtudium probatum iri facile mihi perſuadeo, quum de recto affectu conſtiterit, ut opera mea apud vos inutilis futura non ſit. Equidem non dubito, quin pro veſtro illo intento deſiderio ad purum Dei cultum inter vos ſolide reſtituendum, magno vobis mœrori ſit ſtatus ille veſtræ urbis, dum nempe ſuperſtitio & impietas Papiſmi, quæ Dei cultum corrupit, & nomen ſacrum blaſphemiis operit, ſedem ſuam adhuc apud vos retinent. Interea magni vobis theſauri loco eſſe debet, quod Dominus dederit, ut vos quidem jam nihil commune cum malo habeatis. Imo ut non modo à malo abſtinere liceat, ſed etiam extet ordo aliquis Eccleſiæ inter vos, quo vos ſub Domini jugo contineatis. Magnum omnino & incomparabile Dei beneficium, ſi in illorum conditionem oculos conjeceritis, qui crudeliſſimæ ſervitutis jugo miſerabiliter premuntur. Supereſt tamen illa anxietas, quod non pauca in oculos veſtros incurrunt, quæ Dei gloriæ adverſantur. Præſertim quum omnia iſtic tam certo & ex voto comparata eſſent, ut nec aliter ſtatueremus, quam vos plene tandem Antichriſti ſordibus perpurgatum ac ſemel liberatum iri: quare quod à tanta ſpe dejici contigit, non potuit non eſſe moleſtiſſimum. Infideles vero metu illo jam vacui, non deſunt etiam occaſioni, quin & triumphum ſibi canant, & Deo inſultent, quo vobis extremus dolor ſuper dolorem accedat. Atqui novum videri non debet, quod Satan, qui totus in eo eſt ut promotionem Regni Chriſti impediat, ſuas illas artes adhibeat, ad cumulum benedictionis Dei porro movendum: quum, niſi obſtaret Dominus, omnia ſemel disjicere, ac veluti per auras vertere paratiſſimus ſit. Interea vero, dum à Domino conſtringitur, *Ex Gall.*

ſeipſum

ſeipſum nihilominus excutit, ut damnum det quantum poteſt. Vobis autem ſingulare ſolatium illud afferre debet, quod vere conſtet, jus & litem Domini à vobis propugnari: proinde ſpes illa vos erigat, Dominum veritati ſuæ, quæ ipſi unice pretioſa ſit, non defuturum. Durate igitur animos ad tempus, ac non minus conſtanter in eo quod cœpiſtis pergite. Statuite vos ad illud à Domino poſitos eſſe, ut ipſe veſtram fidem & patientiam exerceat. Ac ſi nulla ſpes & ratio affulgeret efficiendi in poſterum quod intenditis: illud vos tamen ſuſtinere deberet, & animum addere, quod vobis conſcii ſitis, ita Deo vos impendiſſe, ac veſtrum illi obſequium probari. Eſt vero quod in recto ſtudio vos multo magis confirmet, quum laboris veſtri fructus inſignis in hoc etiam immaturo enixu extiterit. Viget enim illa Domini promiſſio, nos operam non ludere, etſi aërem cædere videamur, ubi verbum illius nobis præibit. Agnoſcite igitur iſtius promiſſionis effectum, illam quæ ſeſe oſtendit gregis Domini amplificationem, quæ haud dubie abominationes Antichriſti ex urbe profligatura ſit. Quod enim hoc tempore dilatum voluit Dominus, ſuo tempore confecturum ſtatuendum eſt. Hoc eſt igitut luctæ tempus & certaminis adverſus varias tentationes: ut ſane introductio principatus & dominationis Filii Dei inter homines, non ſine ſudore & extremo nixu procedere ſolet. Quum vero Satan ita inflatus & furens fertur adverſum vos, quis erit pudor, ſi vobiſipſis defueritis? Quid enim? Ille in exitium ſuum contendit, vos & pro cauſa illa ſtatis, quæ cum ſalute veſtra conjuncta eſt, & victoriam vobis paratam eſſe, ſi cordate pergetis, certo perſuaſi eſtis. Infideles porro qui ſua cæcitate bis miſeri, gratiam Dei quantum in ipſis eſt repellunt, commiſeratione digni ſunt potius, quam ut illorum occaſione commoveri vos oporteat. Sic ſe prodit lethalis ille morbus, quo à Satana faſcinantur, quum ſuam unam ſalutem tam deplorate fugiunt, & exoſam habent. Quare veſtra erga illos commiſeratio vobis animum non imminuat, quin etiam invitis bonum incognitum procuretis. Hoc demum effectum dabitur, quum non jam ut laceri corporis membra, uno eodemque ſpiritu & animo eundem omnes Dominum invocabitis. Quod ut detut, neque ulli rei parcendum eſt, neque ulla hic remiſſio excuſari poteſt: quo magis poſtulaodus vobis à Deo eſt Spiritus fortitudinis & veræ conſtantiæ, oe unquam animum deſpondeatis. Nec minus neceſſaria eſt pia illa & ſancta prudeotia, ut quum adverſarii in omnes occaſiones ad vos intercipiendos intenti ſint, adverſus illorum conatus inoffenſi perſtetis. Quum hanc viam tenebitis, aut Dominus retundet illorum tumorem qui ita erga vos male ſunt animati: aut æquiores & pacatiores reddet, ne ita ferociter adverſus ſtimulos calcitrent. Ut ut ſit, hoc agite tanquam mente deliberata, ut quod ſtadium vobis decurrendum ſtatuit Dominus, in illo vos ſtrenue ad extremum uſque conficiendo pergatis. Illud vobis vel unum abunde ſit, quod approbari veſtrum laborem à Domino non dubitatis, quum abominationibus illis bellum ἄσπονδον indicitis, quæ ipſius cultui & honori adverſantur. Neque vero mihi non veniunt illa in mentem, quæ in hoc Domini negotio ſeſe vobis objectura ſunt, ut vos à conſtantia veſtra demoveant, niſi virtus una ex alto omnia illa impedimenta in vobis exuperet, à qua etiam pendet progreſſus noſter & non fallax expectatio. Nos hic omnes ita omnia iſta vobis à Deo bene cedere comprecamur, atqne ut & ſua protectione complectatut & ſpiritualibus donis cumulet, ut magis ac magis accenſi ſitis ad vos illi in ſolidum addicendos. Genevæ, 4 Martii. M. D. LIV.

VIRETUS CALVINO S. D.

JAm gratias nobiſcum agite Domino omnes, & gratulemini nobis de felici Orbanæ cauſæ ſucceſſu. Vicerunt noſtri 18 ſuffragiis. Eodem ipſo die juſſi ſuot ſacrificuli cum Franciſcanis & Claranis à ſuis ſacris deſiſtere, non ſine magno totius populi Papiſtici & publico luctu. Is autem dies ille ipſe erat, qui diem feſtum præcedit Germani quem pro Deo ſuo tutelari colunt. Laudetur D. qui hanc nobis dedit victoriam adverſus Antichtiſtum: atque eo glorioſiorem & lætiorem, quo diutius prorogata eſt. Rogant me fratres ut ſi commode fieri poſſit ad proximum Dominicum diem eo me conferam. Tuſſis mea ſeſe remiſit, ac me infeſtare deſiit. Erat enim valde infeſta & frequens. Vix eo accedam ante aliam hebdomadem, tum propterea quod jam totis tribus hebdomadibus nullam hic concionem habui, tum propterea quod neſcio an adhuc ſatis tutum ſit mihi me nimis aperto cælo committere, donec paulo diutius vires confirmavero. Salutant te fratres omnes. Salutat te uxor & tota familia. Vale optime ac doctiſſime. Lauſannæ, 11 Auguſt. M. D. LIV.

JOAN. CALVINUS D. N. S. D.

QUod ad te aperte & libere ſcribere inſtitui, omnem in modum à te peto, ut illud boni coosulas, atque ſic exiſtimes, ſi quid hic ſimplicius egiſſe viſus fuero, illud non à temeritate vel audacia, ſed ab uno & certo obſequii tibi ſecundum Deum præſtandi affectu profectum eſſe. Ut enim meipſum nimis inutilem ſervum in heri mei domo apud me ſentio, ita tamen abſtinere omnino non poſſum, quin pro gratiæ ab ipſo io me collatæ modulo, aliquid ad te uſque transmittam: adeo ut noo parum mihi ipſe defuturus videar, niſi te quamprimum iſto ad te ſcribendi officio adeam atque compellem. Neque vero in eo me deficiuot ſatis idoneæ rationes. Una eſt, eaqne una juſti per ſe momenti, quod non tuæ minus quam aliorum ſalutis, pro Domini vocatione qua fungor, habendam mihi rationem exiſtimem. Altera, quod quum tuam illam celſitudinem & ſupereminentiam intueor, quæ ad regni Dei incrementum, uti ab illo eſt, ita etiam non mediocriter conferre poſſit, ſie mihi perſuadeo, à nobis qui miniſterio fungimur, peculiarem quandam veſtrûm curam eo nomine habendam eſſe. Mea vero, quod ad te, ſic eſt ratio, ut quum à tua illa Excellentia diſceſſero, eum in te tamen Dei timorem, & ſerium illi obſequendi affectum agnoſcam, nt fereodus omnino non ſim, niſi ad omnem occaſionem procurandæ ſalutis tuæ intentum me præbeam. Quod ita me teſtante mea conſcientia procul à fuco vel adulatione tibi teſtificari, novit ille cui aperta ſuot occulta & intima cordium & cogitationum. Accepi à multis iiſque fide dignis de N. quem concionatorem habes, quod quum ad tempus & pro ſuo modulo aliquid non pœnitendum præſtiterit, idem nunc tibi auctor ſit, quod id nullum incommodum habere dicat, ut poſt Miſſam auditam aliqua communionis ſpecies ſubjungatur, quæ Cœnæ Domini loco ſit. Illud porro à quadam ex tuis probari non potuiſſe, quod verita ſit, ne quid hic fieret non ex Dei verbo, quod aperte malum eſſe ſentiret. Te autem bono illo N. auctore non tantum erga illam vultum tuum immutaſſe, ſed & in eam ſententiam adductam, ut minime ferendam illam mulieris & ſimilium moroſitatem exiſtimes, quæ ſua importunitate ſcandalum infirmis ſine cauſa adferat. Ego vero quum iſtius rei tale momentum eſſe viderem, ut diſſimulari nullo modo poſſet tibi etiam ea proponi quæ longe alitet ſe haberent, apud me decreveram, quid ipſe ſentirem, ſi quid ex Dei verbo percepi, ſcripto tibi aperire.

Ex Gall.

rire. Quumque in ea cogitatione defixus hærerem, commodiſſime à N. mihi ſignificatum eſt te hoc ipſum à me expetere, ut quid in re perplexa tibi ſequendum eſſet, ſemel & ſerio intelligeres. Inde igitur animus etiam crevit hujus apud te fungendi officii, quo ut ſpero rem ipſam ita tibi ob oculos ponam, ut quid de ea ſtatuendum ſit, non ita difficile colligas. Fac igitur ut quum Dei veritas in medium prodibit, ſic illam agnoſcas, ut zelus iſte tuus tam ab omni contumacia abſit, quam te Dei timentem & verbi ipſius auditioni reverenter ſubjectam mihi hactenus agnoviſſe viſus ſum. Et quod ad illas occaſiones quibus factum eſt, ut rumor iſte primum ad me perveniret, ooli in illis exquirendis hærere, quum & qui illa referebant, ooo putarent te à me iſtorum admonendam unquam eſſe, ego vero ceoties perire malim, quam ut ullius mortalis gratia vel occaſione, Dei verbum inflexiſſe aut protuliſſe etiam dici poſſim. Summa cauſa igitur hæc una eſt, quod ferre noo potuerim verbum Dei ita ſepeliri, inverti, corrumpi, depravari io rebus tanti momenti, & ab illis ipſis quibus fidem adhibes, & quos apud te non vulgari loco eſſe vis. Quod igitur ad N. attinet, ſi tibi aperiam quid de illo mihi compertum ſit, ut deioceps tibi proſpicias, neque ipſius doctrinam confidentius admittas, timendum mihi non putem, oe in ſiniſtri affectus opinionem apud te incidam, cujus cauſas procul habeo. Ac ſiquod meum in hominem odium notari poteſt, illud eo uno ſtetit, quod hominem urgere nunquam deſierim, ut ſeſe ſerio ad Eccleſiæ ædificationem in veræ doctrinæ ſincera profeſſione applicaret. Qui vero verbum Dei mala mente, malo animo convellat, & veritatem ipſius extinguere conetur, oon ſi meo mihi parente coojunctior ſit, parcat illi oculus meus, quio ut inſtrumeotum Satanæ accipiam. Iſtius porro hic fuit ſemper ſcopus, quantum ex certa experientia percepi, ut quantulumcunque intelligeotiæ Scripturæ à Domino accepiſſet, illud totum ad quæſtum & ambitiooem conferret. Sic igitur & quod verum eſſe ſciebat, noo reticuit, ubi illioc aliquod emolumeotum captavit; & ubi vel minimum moleſtiæ ſubolfecit, non minus ſtrenue recantavit. Illa conſcientia præditus, quum ſibi coram hominibus alicujus nominis, vel bene nummatis, concionem habendam præcepit, & qui apud ipſum, ut Deo gloriam daret, inſtareot, ita illis quidem ſatisfacere ſtuduit, ut ſimul non gratuitam à ſe locatam operam ſatis iodicaret. Quum vero aliud theatrum ſuccederet, ooſter homo ad palinodiam appoſite inſtructus ſibi perinde conſuluit. Quare de illo judicari aliter noo poteſt, quam de eo cui verbum Dei ſit pro fabula: & qui perſona quadam paraſiti indutus in theatrum prodeat, ut ſeſe his vel illis venditet. Privatos mores non attingo: qui utinam concionatoris nomini minus male reſponderent. Alienum eſt, ſcio, ab homine Chriſtiaoo, alteri detrahere. Hoc ſi quærerem, nimis idooeas occaſiones prætermiſi. Sed illud me urget, quod clamat Dominus, ne lupos toleremus ſub paſtorum larva gregem ipſum diſperſuros: quod jubet iſtorum improbitatem retegi, qui præſentiſſimæ ſint peſtes ad ipſius familiam & inficieodam, & enecandam. Et tamen ſi mihi hominem ipſum appellare integrum fuiſſet, illum potius quam te primum nunc officii admonendum duxiſſem, quum ſatis cogitem quam irreconciliabile iſtorum mihi odium conciliem. Nulla enim hoc tempore mihi acerbior eſt contentio, quam cum iſtiuſmodi, qui ſub Euangelii nomine Principum animos fermeoto ſuo illaqueant, atque illos ſuis artibus & dolis ſemper quaſi ex nebulis ſuſpenſos tenent, neque unquam ad veram lucis fruitionem adduci ſuſtinent. Quid igitur facerem cum illis, quos Dei timore ita vacuos novi, ut & ipſius judicii nomen ipſis futurum ſit pro cantiooe vel oænia? Quod unum ſupereſt igitur, ne ignoti deinceps fallant, & plus damni dent, depiogendos mihi apud illos ſtatuo, qui ad ipſorum techoas magis ſunt expoſiti. Hæc via mihi conſultior viſa eſt, ut quibus maxime timendum eſt, opportune quoad poſſum non deſim. Iſtum porro ſemel in viam reducere conatus ſum, ut ad ſuæ pravitatis agnitionem hominem adegerim. Atqui ille nihilo mious in eo perſtabat, ut ſe non rejecturum aut ab eo receſſurum diceret, quod impium eſſe ipſi conſtabat. Semel tameo quum io meum quendam tractatum incidiſſet, ſerio & ooo ſine gravibus imprecationibus proteſtatus eſt, quum Miſſæ abominationem plane exploratam haberet, illi ſe nunquam interfuturum. Scilicet juraoti credidiſſem, quem non minus futilem quam graculum garrientem judicarem. En igitur quæ meæ hujus ad teipſam admonitionis cauſam plane neceſſariam: nam & apud iſtum operam luſiſſem, & tibi certius conſulere aliter quod ſentirem non potui. Sed quod de illo teſtificatus ſum, fac non ſatis eſſe mihi compertum, ut tu ipſa periculum facias. Si enim penitus ioſpexeris, ſic colliges, hominem in tractaodo Dei verbo hoc unum ſibi propoſitum habere, ut ita gratiam apud te ineat, ut & inde beneficia & ejuſmodi lucra captet, & in nullius offeoſionem unquam incurrat. Nunc omiſſo homine, rem ipſam aggrediar. Hoc eſt igitur illius conſilium: quod Miſſa non ita abominanda ſit, quin & ipſi illam facere, & aliis qui fideles ſint, Miſſæ intereſſe liceat: quibus vero hoc agere religio ſit, illos perturbare Eccleſiam, eſſe infirmis ſcandalo, quorum præcipuam cauſam apud nos voluerit eſſe Domious. Quod ad illud attinet, quid Miſſa valeat, vix ſcio operæpretiumne facturus ſim, ſi quid ad illud apud te præſertim regeram. Sic enim mihi perſuadeo illam à te oon alio quam horrendi ſacrilegii loco haberi, ſiquid aliud eo nomine cenſendum ſit. Vereodum igitur ne ridiculus apud te ſim, ſi illud probare contendam, de quo te ooo dubitare non magis ipſe dubitem. Brevitas etiam epiſtolæ vix ea complecti poſſet, quæ juſtum volumeo caperet. Quare ut obiter aliquid attingam, ut minus adhuc perplexa hæreas, ſic habe. Miſſa eſt ſacrificium ab hominibus inſtitutum, pro redemptione vivorum & mortuorum, ut certo loco Canon Miſſæ perhibet. Miſſa igitur execranda eſt blaſphemia, qua paſſio Domini coovellitur, atque vis ipſius evanida & inanis prorſus redditur. Quum enim dicimus fideles effuſo Chriſti cruore redemptos, peccatorum remiſſionem, juſtitiam, vitæ æternæ ſpem adeptos eſſe, hoc non aliter accipi poteſt, quam quatenus bonus Redemptor noſter Patri ſeipſum offerens, atque victimam immolandam ſiſtens, ſemetipſum illo ipſo actu obtulit in ſacrificium æternum, quo nobis conſtat purgatio & emundatio ab iniquitatibus noſtris, ac proinde noſtra in gratiam apud Patrem cæleſtem receptio, cum Regni etiam cæleſtis ſperanda participatione, uti pluribus oſtendit diſerte, & manifeſte evincit Apoſtolus ad Hebræos à 7. ad 11. Quo pertioet hæc illius appoſitiſſima exhortatio, quam ex doctrina de efficacia unius ſacerdotii, & ſacrificii Chriſti in æternum colligit. Quum habeamus, inquit, per Chriſti carnem, viam illam & recentem ac vivam, accedamus corde puro ad Dominum. Nam ſi una Chriſti mors uoicum illud ſacrificium noo complectitur, quod peractum ſemel, perpetuam cauſam habeat, ut vis illius æterna ſit, ioducatur nempe & pro nullo habeatur. Reſpondeot ſacrificuli præſtigiatores, ſe non offerre novum ſacrificium, ſed ipſiſſimum Chriſti ſacrificium. Sic magis blaſphemiis ſeſe involvunt. Quis enim prodibit ad offerendum ſacrificium Chriſti præter Chriſtum ipſum idoneus? Quid vero Apoſtolus de unico illo ſacrificio incomparabili? Si, inquit, ut per Chriſtum peccata aboleantur, unicum illius ſacrificium ooo ſufficit, ſed iterum illud offerendum ſit, iterum etiam ſit ipſi moriendum. Quare duorum alterum hic ſtatuendum eſt, ut aut horrenda

Hebr. 9. verſ. 24. 25. 26.

Miſſæ

Miſſæ blaſphemia aperte execranda habeatur, aut ſi retinetur, ut crux Chriſti (quod abſit) pedibus conculcetur. Quam belle vero Miſſæ conveniat cum Cœna Domini, ipſa Cœnæ à Domino inſtitutio me tacente tibi ſuggeret. Cumulus autem abominationis, ipſa quæ ibi primas tenet elementi adoratio eſt. Hoc enim nullum colorem habet. Quæ quum ita ſe habeant, qua fronte ille affirmare audeat Miſſam eſſe quid medium, & non ita intolerabile, niſi convictus fateatur tot horrenda in Deum peccata, ipſamque abominationem quæ illic caput attollit, res perinde etiam eſſe levis alicujus momenti? Quid enim quis obtendat, quominus tam horrendæ impietatis ſocietate teneatur, qui illam ſe ſupra verbum Dei revereri, & magis impenſe obſervare coovictus ſit. Quam vero illud D. placeat teſtatur ipſe apud Ezech. 20. cap. 39. verſ. Agite, inquit, & merum idolorum cultum profitemini Gentium ritu, neque ſanctum nomeo meum cum veſtris idolis permiſcete. Sic enim ipſi cogitabant conciliandam eſſe obedientiam Legis Dei cum vaniſſimis Gentium ſuperſtitionibus, quas ſibi aſciſcendo, à Dei Lege ſeſe prorſus
Soph. 1: 5. avertebant. Hoc alibi confirmat, ubi ait, illos ſe perditurum qui jurarent per nomen ſuum ut Dei veri, ac tihilominus alios ſimul Deos ſibi affingerent. Neque valet illa reſpooſio, præcipue à Deo mentem requiri, ut illa pura ſit, quicquid externo geſtu quis præ ſe ferat. Nempe boc refutat Dominus, quum teſtatur eodem illo corpore ſe glorificari velle, pro quo non minus quam pro anima ſeipſum impenderit: ſic oris coofeſſionem requirit: ſic nullam noſtri partem non ſibi conſecrari jubet. Hoc vero locum habere non poteſt, quin illis omnino vale dicamus, quæ à ſe reprobari non minus aperte teſtatus ſit. Hic vero ne ſermonem magis intendam, quod epiſtola non ferret, reliqua facile erit petere ex tractatu à me edito, Quid pio homini cum Papiſticis ſuperſtitionibus commune eſſe poſſit, utque ſe illic gerere debeat. Illic te reperturam confido, quo tibi plenius ſatisfactum agnoſcas. Supereſt altera quæſtio, an dicendum ſit turbari infirmorum conſcientias, ſi quis fidelis à Miſſa penitus & omnimodo abhorreat. ille hoc afferit. Ego vero videre non poſſum, quomodo boc illi exciderit quod tam ſecure prætergreditur, eſtque præcipui momenti in hac quæſtione. Primum enim illud eſt in Dei cultu, & irrefixum ſtare oportet, quicquid Domious jubet aut vetat verbo ſuo, ab eo obſervando ne latum unguem diſcedere fas eſſe, quamcunque in partem hoc alii interpretentur. Jam res quaſdam non eo loco eſſe concedo, ſed quæ mediæ ſint, quod ad ipſum uſum vel abſtentionem: quumque illæ quaſi noſtro delectui relictæ ſint, videndum quid captus proximorum ferat, ne noſtra libertate ad illorum infirmitatem iis in rebus non temperata, periculoſe offendantur. Ac nominatim Apoſtolus Rom. 15. verſ. 2. ſcopum evitandæ proximi offenſionis ſtatuit, ut illum in bonum ædificemus. Ex quo ſequitur nihil nocentius à nobis ad proximum pervenire poſſe, quam quod non ad ipſius ædificationem, ſed ad deſtructionem pertineat. In epiſtola vero ad Cor. 1. 8. & 10. cap. diſertius etiam hoc exequitur, ut oſtendat, ſic jus ooſtrum & illius apud nos ſenſum ad fratrum & proximorum captum temperandum eſſe, ne plus audendi quam ſibi licere conſcii ſibi ſint, exemplum à nobis ducant: quod non aliud eſt quam exitium proximo quantum in nobis ſit accerſere. Jam ad rem. Fac intereſſe Miſſæ aliquem ex iis, qui pii babentur; & cui Miſſæ impietas explorata ſit, tantum ut ignorantiæ aliorum adſtantium fortaſſe ſeſe, ut loquuntur, accommodet. Annon vero qui illic adſtant cum ſua ad Miſſam devotione, dum noſtra præſentia illam nobis quoque probari non temere colligunt, in malum à nobis confirmantur? quam grande ſcelus à Paulo illud pronunciandum exiſtimamus, (quicquid de illius magnitudine noſtra pervicacia ſubducat) quum rerum illarum uſum attingens, quæ per ſe fidelibus promiſcuæ eſſe poterant, tam deſtricte tamen monet, ut nobis non addicti, proximorum præcipua potius cauſa ſit: propter conſcientiam, inquit, non tuam ſed alterius, quæ vel offendetur & in malo confirmabitur, vel quaſi fractis repagulis exemplo tuo in exitium ille abripietur. Vide igitur in primis, ne iſto offendiculi & ſcandali nomine tibi imponatur. Ut enim graviſſimum illud eſt offendiculi genus, ubi noſtro exemplo frater in præceps mittitur, ac corruit qui erigendus erat noſtra moderatione: ita etiam ſi omnia ſcandala in utramvis partem evitare cogitamus, unum compendium illud eſt, faceſſat Chriſtus à nobis. Etenim ille perpetuus eſt offendiculi lapis, ad quem hominum maxima pars impingit. Et in populo Judaico perinde hoc olim extitit, quum ad illos primum miſſus ſit Dominus. Imo Deus ipſe jam ante offendiculo illi ſuæ genti maxima ex parte fuerat. Iterum igitur regulam quam ſupra poſui repeto, quod quicquid jubet aut vetat verbo ſuo Dominus, ab eo ne latum unguem diſcedere fas eſſe vel cum totius mundi offenſione. Quumque Chriſtus impiis ſit ſemper offendiculo, non eſt expectandum, ut iidem minus offendantur, quum nos Euangelium profiteri animadverterint. Quod vero ad illa attiner quæ quod ad uſum media ſunt, ut à nobis uſurpari omittive poſſint integra conſcientia, in illorum uſu videndum, ne nibil non fratribus concedamus, ut libertas illa noſtra charitatis legi perpetuo inſerviat. Et tamen iſta infirmorum ſuſceptio ſeu tolerantia eo referri debet, ut ipſi ſenſim ad ea quæ recta ſunt, promoveantur, & ad Deum propius accedant. Nam ſi exemplo noſtro ipſorum conſcientia quaſi vim patitur, nos illorum exitio cauſam damus. Et quod ad illos attinet, qui nunc aliquo pietatis guſtu imbuti ſunt, quum pauciſſimi ſint quibus Miſſa jam in idololatriæ ſuſpicionem ſaltem non veniat: noſtro tamen illo exemplo ducuntur ut ab illa noo abſtineant, quum jam aſſiſtendi ſcrupulus conſcientiam pungens revellitur. Illud vero deterrimum eſt ſcaodali genus, quo infirmæ conſcientiæ & à ſpe ſanationis non remotæ, transverſæ noſtro exemplo ab omni ſenſu pietatis, ad noſtri facti pernicioſum argumentum ſemel abripiuntur. Audio poſtremo bonum noſtrum N. ſcandali iſtius de Miſſa adeunda gravitatem elevare velle Germanicarum Eccleſiarum exemplo, quæ, inquit, liberum cuique faciunt Miſſas adire vel non adire. Cedo vero auctorem iſtius impoſturæ & contumeliæ adverſus tot Dei Eccleſias? Res aperta eſt, ſi vel minimum inquiti juſſeris. Ego vero tibi confirmo, hoc ita receptum eſſe, non tantum apud omnes quæ iſtic ſunt Eccleſias, ſed & apud unumquemque ex fidelibus, Miſſam abominationem eſſe non fereodam. Et Capito ipſe qui moderationis ſtudioſior habitus eſt, ſcripſit librum ea de re ad Regem Angliæ non ita pridem, quo docet Principum eſſe io illud incumbere in primis, ut munus ſuum præſtent, Ut execrandam illam idololatriam ſemel è medio tollant. Neque ullus extat bodie alicujus in Eccleſia nominis, qui non perinde ſentiat. Quum igitur Dominus te dignatus ſit cognitione nominis ſui, teque Euangelii ſui veritate illuminaverit, fac ut cæleſtem illam vocationem agnoſcas. Neque enim alia de cauſa è noſtris illis tenebris ad lucem ſuam admirabilem tranſtulit, quam ut illi uni irretorto oculo adbæreamus: demuſque operam ut magis ac magis eruditi, cootinuum profectum in ipſius ſapientia meditemur, uti illius rudimenta jam ab ipſo accepimus. In primis vero cavendum, ne Spiritum ipſius extioguamus: uti illis accidit, qui & claudunt oculos, & aures obſtruunt, illiuſque rei unam igoorationem affectant, quam Dominus omnibus patefactam voluit. Abſit vero à nobis tantum ſcelus, ne ingratitudinem illam & contemptum ſeveriſſime

tan-

tandem vindicet. Quin potius eo unice ſtudium applicemus, ut in optimi Magiſtri ſchola aſſidue proficiendo, tandem ipſius doctrinæ ſcopum apud illum conſequamur. Illud vero tum dabitur, quum ex corporeo iſtius molis ergaſtulo ad illum emigrabimus, Pſal. 143. verſ. 10. ut perperua bæc ooſtra cum Davide ſchola ſit, Doce me Domine facere voluntatem tuam. Atque ubi illo affectu & zelo ducemur, non eſt dubitandum, quin ita ab ipſo dirigendi ſimus, ut nibil in via nos ſit remoraturum. Ad noſtros vero defectus & ignorantiam ſublevandam non deerit ipſius gratia, quæ majorem lucem afferat, quatenus ipſe novit quid expediat. Summum eſt ut teneamus, qui legitimi ſint noſtræ vocationis fructus: nimirum ut Dei verbo cor noſtrum & mens etiam transformentur, ut gloria Domini in nobis eluceſcat, quæ in integritate, innocentia, ſanctitate conſiſtit. Ubi iſta non extant, vanum eſt Euangelii nomen, & inanis illius profeſſio. Quod igitur facere cœpiſti, ita deinceps perſequere, ut opus Dei provectius in te agnoſci poſſit. Iterum vero bujus meæ liberæ & ſinceræ admonitionis veniam deprecor. De ſcandalis ſi quid amplius deſideras, ut certam viam intet anfractus iſtos teneas, dabo operam, ut plenius etiam à me in poſterum ſatisfiat. Ad eam rem pertinet, quam ad te mitto, epiſtola. Si vacabit legere, appoſitam, ut ſpero, judicabis. Scripſi etiam libellum de ſcandalis, qui ſua brevitate, ut ſpero, ad te conſolandum uſui eſſe poterit, quum doctrinam ipſam ſatis copioſe illic me complexum eſſe exiſtimem. Dominus te reſpiciat in iſta tua infirmitate, & Spiritus ſui virtutem tanto efficacius exerat, quæ te non miοus in domo ipſius conſpicuam reddat, quam in præſentis vitæ conditione ſupra multorum ſortem communem evectam voluit. Genevæ.

CALVINUS N. S. D.

Ex Gall. QUum ex eo tempore quo Domino placuit probare fidem tuam, nibil de te acceperim, niſi ex communi fama, non babeo nunc quidem N. quod ad te ſcribam: neque tamen deeſſe volui tam opportunæ occaſioni. Dolet vero quod noo ita pridem aliquis ex tuis hac præteriit me inconſulto, per quem ad te tuto poteram literas dare. Non videbam cui ſatis fiderem ex quo tibi illæ moleſtiæ inflictæ ſunt. Et quamvis de afflictionum tuarum exitu perplexus bærerem, ut idoneum ad te ſcribendi argumentum nondum ſuppeteret: laborabam tamen eo nomine, maxime quod noo baberem ad manum per quem ſcriberem. Nunc etiam quia non ita mihi conſtat de tuo ſtatu, illud tantum perſtringam, facile me exiſtimare tibi fuiſſe de via recta deflectendum, ut hominibus morem gereres. Eſt enim triſte illud indicium, quod qui ante tibi tam acerbe inſtabant ut te à Dei cultu averterent, tibi nunc in otio agere per illos liceat. Ita enim res habet. Diabolus nempe iſta occaſione tibias inflavit, ut coacti fuerimus capite dejecto ingemiſcere, ab ampliori diſquiſitione abſtinendo. Quod reliquum eſt, N. quum Dominus ille & clementiſſimus parens nunquam non paratus ſit ad nos in gratiam recipiendos, quum lapſis porrigat maoum, ne caſus noſtri letbales evadant, peto à te ut animum colligas: neque ſi boſtis ſemel adverſum te prævaluit per infirmitatem tuam, ſolidam tameo victoriam reportet: ſentiat potius quos Dominus reſtituit, duplo confirmatiores redditos ad illius excipiendos inſultus. Quum igitur cogitaveris ita ſolere Dominum ſuos humiliare, ut tamen confuſos nunquam reddat, illud te ad ſpem certam eriget, qua te longe cordatius geras in poſterum. Novi enim eoſdem impetus qui te dejecerunt, tibi de novo imminere. Sed expende, quæſo, quantum illi debeas qui & te tam care redemit, & te quotidie ad cæleſtem bæreditatem compellat. Abſit ut pro tanto hero cuiquam rei parcamus, maxime ſi exitum ipſum intueamur, qui noſtras afflictiones & probra manet quæ illius nomine ſubeunda ſunt nobis. Ille igitur invocandus cum certa illa confidentia, unum illum abunde eſſe nobis, qui noſtris infirmitatibus medeatur. Singulares illæ promiſſiones meditandæ, quæ nos ad beatam ſpem cæleſtis gloriæ attollant, & vel ipſo earum guſtu nobis ſatis eſt, ad nos à mundo plane abducendos, ut illum pedibus jam calcare audeamus. Ut veto omnino demonſtres, quam non emortuus ſit affectus in te ſerviendi gloriæ Dei, cura N. ut non ſolum in te ipſa exemplum edas uti par eſt, ſed etiam ita familiam tuam conſtituas, ut maledicentium ora prorſus obturentur. Dominus te præſidio ſuo tueatur & manu potenti fulciat, augeat in te ſua dona, atque ad ſuam unius gloriam illa in te promoveat. Idib. Febr.

CALV. VINCTO CUIDAM S. D.

Charitas Dei Patris, Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti tibi ſemper adſit per Spiritus ſancti communicationem.

QUum plane de facie nobis ignotus ſis dilectiſſime frater, quod tamen ex quorundam ſermone aceepimus, te iſtic laborare propter verbum Dei, abunde nobis illud nomen eſſe exiſtimavimus, quod vere Dei filios declarat, ut noſtro boc ad te ſcripto teſtaremur, quæ noſtra ſit tecum in ejuſdem cauſæ aſſertione conjunctio: quod ad te conſolandum, & in ſancto illo propoſito confirmandum non parum momenti habiturum ſperamus. Primum igitur hoc apud te perpendas hortamur, ex quam borrenda abyſſo te Dominus eduxerit: & quo te honore affecerit, dum teſtem Filii ſui deſignavit, cui tam obſtinate pet ignorantiæ tempus reluctatus ſis. Repete igitur memoria tot in te Domini beneficia. Atque ut quum quæ te nunc conſtringuot vincula merito peccatis rependi poſſent, in illud nomen Teſtimonii Veritatis tranſſcripta ſint, ut inde eluceſcat Cbriſti gloria, & Euaogelii quoque efficacia propagetur. Si te gravitas præſentium afflictionum urget, oppone quod eſt ad earum levationem præſentiſſimum. Nimirum quum Dominus illis etiam adfuturum ſe receperit, qui propter delicta ſua pœnis addicti, ipſum interea invocaverint, quanto minus tibi defuturam ipſius manum, quum pro ipſius nomine labores? Appoſitum & illud erit, ſi expendas, ubi ita duriter baberis ab hoſtibus veritatis, quam nomen ipſum Domini & Cbriſti regnum non unius tantum hominis vita, ſed omnibus etiam creaturis ſit pretioſius. Accedit & illa ſingularis commendatio dignitatis vere incomparabilis, quum Dominus indit nobis ſtigmata illa Filii ſui dilecti, quæ utcunque coram mundo probroſa ſint, coram Deo tamen & Angelis ipſius nullis non Regum diadematis ac purpuris antecellunt. Interea vero ut ad iſta ſerio meditanda te compares, non aliter de te judicamus, quam ut quum bomo ſis, humani à te alienum quidquam non ſit. Fieri enim non poſſe, quin acerbiſſimas in carne punctiones ſentias. Atqui quum audimus ſimul quam hactenus adſuerit tibi Dominus, quamque ſua in te dona in dies adaugeat, non eſt quod dubites, quin ſuum in te opus cumulatum præſtet: ipſaque adeo virtus Spiritus, quam buc uſque expertus es, eandem tibi conſtanriam ſpondet etiam in poſterum: & productio illa afflictionum, non diſſimilem gratiæ Domini erga te proſequutionem habitura eſt, ut in legitima conſtantia perſeveres. Summa in eo poſita eſt, ut te totum verbo Domini reſignando, exitum ab ipſo qualem ipſi viſum erit, æquo & pacato animo expectes. Quemadmodum enim comparatos eſſe nos oportet, ad glorificandum morte noſtra nomen ipſius, ita etiam nos illi vivere, ac languere ad tempus non minus convenit, ut illius nos eſſe in ſolidum reipſa conſtet. Hoc autem ideo tibi

pro-

Digitized by Google

proponimus, quia te à longo tempore detineri audimus. De exitu nondum liquet. Hinc occaſione arrepta caro illa ſui ſemper ſimilis te ad defectionem impelleret, niſi continuo ſummum illum Dominum opponeres, & veluti oculis tuis ſubjiceres, à cujus nutu pendent univerſa, & in cujus manu ſunt tempora & opportunitates: quique omnia diſpenſat in commodum ſuorum, prout ipſe novit qnid poſſimus. Interea vero ſingulare gaudium allaturum eſt toti Eccleſiæ hoc conſtantiæ tuæ teſtimonium: quum nulla uberior exultandi materia piis offerri poſſit, quam ubi intelligunt, ita magnifice prædicari nomen Domini, per invictam Martyrum ipſius fortitudinem, ut quæ etiam adverſus omnes impiorum furores ad extremum uſque inſultet. Sed neque inſigne illud gaudii argumentum anguſtis hujus mundi ſpatiis continetur, quum ad Angelos ipſos bona illius pars etiam redundet. Piis quidem hic inde fructus peculiaris conſtat, quod eo confirmatiores redduntur, & felicibus illis exemplis non mediocriter accenduntur. Quum ex oppoſito inconſtantia & vecordia quam infelicees quidam & vere miſeri, in veritatis notæ abnegatione produnt, multorum, qui adhuc infirmi ſunt, fidem concutit atque ſubvertit. Quod ad nos attinet, qui iſta extra telorum jactum nunc quidem poſiti ad te ſcribimus, perinde nos animatos eſſe oportet atque ſi in procinctu ſtaremus: neque enim longe à communi incendio abſumus, neque ſcit noſtrûm quiſquam quatenus. Quare hoc unum conjunctis animis cogitandum nobis eſt, ut oculis in cælum erectis, atque illic continuo hærentibus, ad metam properemus. Dominus tibi manum illam ſuam potentem porrigat magis ac magis, ut ad victoriam propoſitam per interjectum certamen contendas: te etiam dirigat ſuo Spiritu, complectatur præſidio, ac vere pateroum & ſollicitum de te ſtudium ita tibi patefaciat, ut ſerio ac ſolide in ipſo uno acquieſcas. 12 Decembr. M. D. LIV.

CALV. MELANCHTHONI S.

Literæ tuæ, clariſſime vir, oon hoc ſolum nomine mihi gratæ fuerunt, quia mihi charum eſt quicquid abs te proficiſcitur: deinde quia ex illis intelligo, fixum adhuc in animo tuo manere amorem illum, quo me ab initio complexus es. Sed maxime, quod illic luculento elogio meum in expugnanda Serveti impietate ſtudium commeodas: unde etiam conjicio, te ſimplici mearum admonitionum libertate non fuiſſe offenſum. Hoc defuit, quod pleniores eſſe optaſſem. Neque tamen importunius urgeo: ſed quoad pace tua licet, etiam atque etiam te rogatum velim, ut tecum de quibus ſcripſi, tacitus ſaltem expendas. Sic enim te operam daturum confido, ut de gratuita piorum electione ſincerior quam antehac docendi forma ioter nos mutuo conveniat. περὶ τῆς ἀρτολατρείας pridem interior animi tui ſenſus mihi cognitus eſt, quem etiam non diſſimulas io tuis literis. Sed mihi diſplicet tua iſta nimia tarditas, qua non tantum fovetur, ſed etiam in dies augetur eorum dementia, quos tam petulanter ruere vides in totius Eccleſiæ perniciem. Atque ut tibi non ita facile ſit tales beſtias frenare: quod tamen vanum eſſe arbitror, ſi modo auderes: ſcis tamen à ſpe ſucceſſus officia noſtra minime pendere, quin præſtare nos etiam io ſumma deſperatione oporteat quod Deus exigit. Nec vero illa mihi excuſatio ſatisfacit, malevolos, qui te oppreſſum cupiunt, hinc captare plauſibilem materiam. Quid enim facturi ſunt ſervi Chriſti, oiſi ſpreta invidia, contemptis ſiniſtris rumoribus, poſthabito etiam diſcriminum metu, quæcunque obſtacula ingerit Satan, victrice conſtantia ſuperent? Certe quantumvis in te inſaniant, nihil tibi durius ab illis impendet, quam ut migrare iſtinc cogaris. Quod tibi, meo judicio, complures ob cauſas ſponte optandum foret. Verum ut timenda ſint extrema quæque, tibi ſemel ſtatuere neceſſe eſt, quid Chriſto debeas, ne ingenuam veritatis profeſſionem ſupprimens, ad eam opprimendam quaſi tacitum patrocinium improbis hominibus accommodes. Ego ut eorum tumultus compeſcerem, ſummam doctrinæ noſtræ rurſus brevi compendio complexus ſum. Subſcripſerunt omnes Helveticæ Eccleſiæ. Tigurini etiam mirifice probarunt. Nunc judicium tuum avidiſſime expecto: quid etiam reliqui veſtrates vel ſentiant, vel loquantur, ſcire vehementer expeto. Quod ſi tumultuari noo deſinant, qui tam hoſtiliter nos traducunt, nos operam dabimus, ut noſtros clamores totus mundus exaudiat. Vale clariſſime vir, & mihi ſemper in primis obſervande. Dominus te Spiritu ſuo gubernet, præſidio tueatur, ac virtute ſuſtineat, noſque ſimul contineat in ſancto conſenſu, donec in cæleſte ſuum Regnum colligat. 3. Nonas Martii. M. D. LV.

CALVINUS GADIO.

Literas tuas, optime frater, tertio demum menſe, poſtquam datæ fuerant, accepi: ne mireris ſerius reſponſum à me venire, quam optabas. Brevius autem ut in feſtinatione tibi reſcribo: quia Bernam proficiſcens jam ad iter accingor. In dando quod petis conſilio nonnihil ſum perplexus. Cuperem optimo viro, qui ſe expedire cupit à tyrannide Antichriſti, manum porrigere. Et certe pium ejus ſtudium ab omnibus Chriſti ſervis juvari par eſt. Sed videndum, quid Dominus nobis permittat: quia noſtrum non eſt, quidquam ex ejus placitis laxare. Porro, in quæſtione, quam mihi proponis, duo ſcrupuli occurrunt: liceatne Chriſtiano homini reſciſſionem teſtamenti à Papa petere: deinde, an ſub hac lege petere liceat, ut bonus vir ſponte dooarii loco annuum proveotum alicui Eccleſiæ aſſignet. Atque in hoc ſecundo magis laboro. Etſi enim tantum auctoritatis Papæ deferre abſurdum eſt, ut ſua indulgentia nos ab aliquo vinculo ſolvat; deterius tameo videtur, idolis offerre partem aliquam reditus, ut major pars ſalva maneat. Itaque non video, quomodo pio homini fas eſſe poſſit, Papam hac in re implorare, & quidem ſub illa forma. Alia ratio magis eſſet tolerabilis, ſi cum Collegio, cui bonorum ſucceſſio legata eſt, tranſigeret. Quod non puto fore difficile, ſi modo tertiæ partis jacturam non refugiat. Nam Canonici, vel quicunque ſiot, non ægre cedent dubio jure, præſenti lucro adducti. Si viro bono grave eſt, tertiam reditus ſui partem quaſi abjicere, cogitet ſatius eſſe perdere totum proventum, etiamſi centuplo major eſſet, quam aliquid illicitum tentare. Etſi autem proventum illum Canonici in ſacrilegia convertent, quia tamen reſpectu boni viri non eſt ſuperſtitioſa oblatio, ſed pretium quo ſe ab aſtrictione redimet, hoc pactionis genus offenſa carere exiſtimo. Non enim dicet in cultus perverſos ſe dicare proventum illum, ut conſcientiam hberet: ſed hæc erit tranſigendi ratio, quod quum trecentos aureos Canonicis obligatos nunc poſſideat, centum illis concedat, ut ducenti liberi maneant. Si vero neceſſaria erit Papæ auctoritas, ut ratus ſit contractus, eam petere Canonici ſuo nomine poterunt. Hac autem confirmatione in ſuum commodum utetur pius vir: quia non de ſpirituali jure hic agetur, ſed tantum de tranquilla fundi poſſeſſione. Quod ſi commoda oon erit hæc ratio, vendat ipſe Canonicis totum fundum, vel ex eorum conſenſu cuilibet obvio, ita ut illis tertia pars in prædam cedat. Mallem aliter, hoc eſt, minore ejus damno. Sed dabit veniam, ſi non audeo ultra progredi. Præſtat enim quovis modo cum Canonicis paciſci, modo id fiat politice ad ſolvendum aſtrictionis vinculum, quam religionis prætextu aſſem unum offerre. Quod ſi placide

ſepius vir bonorum parte exuet, uberior ei fluet Dei benedictio, quam ut moleſtum illi eſſe debeat, minus latum fundum quam antehac tenere. Tu vero, mi frater, quum probe ſis ad obeundum munus tuum animatus, nullis ſtimulis indiges. Antequam operam tuam addiceres Eccleſiæ, non ignotæ tibi erant difficultates, & moleſtiæ, quibuſcum nunc tibi luctandum eſt. Nunc tantum rogandus eſt Deus, ut infractam conſtantiam, novaſque ſubinde vires ſuppeditet, ut per omne genus obſtacula in ſtadio tuo pergas uſque ad metam. Vale optime frater, & mihi chariſſime. Dominus tibi ſemper adſit, ſanctis laboribus det proſperum ſucceſſum, teque Spiritu ſuo regat. Saluta meo nomine pios fratres, qui iſtic ſunt. 3. Nonas Martii. M. D. LV.

CALVINUS ANGLIS FRANCFORD. S. D.

HOc vero me graviter excruciat, & valde abſurdum eſt, inter fratres ob eandem fidem à patria exules ac profugos diſſidium oriri: & quidem hac de cauſa, quæ vel ſola debuerat in hac veſtra diſperſione, quaſi ſacrum vinculum, vos ſimul devinctos tenere. Quid enim vobis in hac triſti & miſera clade potius agendum erat, quam ut à patriæ viſceribus avulſi, Eccleſiam vobis adoptaretis, quæ animis & linguis conjunctos, materno gremio exciperet ac foveret? Nunc vero de precandi forma, & ceremoniis quaſi in otio & deliciis litem à quibuſdam moveri, idque obſtare quominus in unum Eccleſiæ corpus iſtic coaleſcatis, nimis, meo judicio, intempeſtivum eſt. Neque tamen eorum conſtantiam reprehendo, qui ut pro juſta cauſa depugnent, inviti in contentionem trahuntur: ſed pertinaciam, quæ ſanctum formandæ Eccleſiæ ſtudium moratur & impedit, merito damno. Equidem ut in rebus mediis, ut ſunt externi ritus, facilem me ac flexibilem præbeo: ita non ſemper utile eſſe judico, ſtultæ eorum moroſitati, qui nihil de conſuetudine ſua remittunt, obſequi. In Anglicana liturgia, qualem deſcribitis, multas video fuiſſe tolerabiles ineptias. His duobus verbis exprimo, non fuiſſe eam puritatem, quæ optanda fuerat: quæ tamen primo ſtatim die corrigi non poterant vitia, quum nulla ſubeſſet manifeſta impietas, ferenda ad tempus fuiſſe. Sic ergo à talibus rudimentis incipere licuit, ut doctos tamen proboſque & graves Chriſti miniſtros ultra eniti, & aliquid limatius ac purius quærere, conſentaneum foret. Si hactenus in Anglia viguiſſet ſincera religio, aliquid in melius correctum, multaque detracta eſſe oportuit. Nunc quum everſis illis principiis, alibi inſtituenda vobis ſit Eccleſia, & liberum ſit formam, quæ ad uſum & ædificationem Eccleſiæ maxime apta videbitur, de integro componere: quid ſibi velint neſcio, quos fæcis Papiſticæ reliquiæ tantopere delectant. Amant ea quibus aſſueti ſunt. Hoc primo & nugatorium, & puerile eſt: deinde multum intereſt hæc nova inſtitutio à mutatione. Ego vero, ſi quorundam infirmitas ad ſummum gradum non conſcendat, ut vos ultra modum rigidos eſſe nolim: ita rurſus alios monitos eſſe cupio, ne ſibi in ſua inſcitia nimis placeant: deinde ne ſua pervicacia ſancti ædificii curſum retardent. Tertio, ne ſtulta eos æmulatio abripiat. Nam quæ illis rixandi cauſa, niſi quia pudet melioribus cedere? Sed ego fruſtra ad eos ſermonem converto, qui forte non tantum mihi tribuunt, ut conſilium à tali auctore profectum admittere dignentur. Si metuunt ſiniſtrum in Anglia rumorem, quaſi ab ea quæ illis exilii cauſa fuit, religione deſciverint, longe falluntur. Potius enim fideles, qui illic reſidui ſunt, hæc magis ingenua ſinceraque profeſſio expendere coget, in quam profundam abyſſum ceciderint. Nam eos gravius ſuum præcipitium vulnerabit, ubi vos ultra medium curſum, unde retracti ſunt, progredi viderint. Valete integerrimi fratres, & fideles Chriſti ſervi. Dominus vos tueri ac regere pergat. Genevæ, 15. Calendas Februarii. M. D. LV.

CALVINUS CNOXO, ET GREGALIBUS S. D.

LIteris veſtris, eximii viri, & mihi vere colendi fratres, ſerius forte quam ſpes & opinio veſtra ferebat, reſpondeo. Sed quum ſciatis vias à latrunculis aliquandiu fuiſſe obſeſſas, ut nulli fere nuncii hinc ad vos commearent; facilis erit apud vos hujus moræ excuſatio. De contentione illa, quæ inter vos parum feliciter mota fuerat, libere optimo fratri noſtro Thomæ Sampſoni expoſui, quod ex quorundam literis didiceram. Conqueſti enim apud me amici quidam fuerunt, vos ita præciſe ceremonias Anglicas urgere, ut ſatis conſtaret, vos plus æquo eſſe patriæ addictos. Rationes quidem fateor audiebam in medium à vobis proferri, quæ à recepta forma diſcedere non ſinerent, ſed earum facilis erat promptaque refutatio. Sicuti autem eos qui à vobis diſſentiebant, hortatus ſum, ut ſe qua poſſent moderatione inflecterent, ita mihi diſplicuit, nihil viciſſim à parte veſtra concedi vel remitti. Quia vero nullius mihi nomen perſcriptum fuerat, me interponere auſus non ſum, ne in temeritatis notam incurreret mea fiducia. Nunc vos in ipſa diſceptatione fuiſſe magis humanos ac tractabiles, & totum negotium placide fuiſſe compoſitum, gaudeo. Certe luminaria, cruces, & ejus farinæ nugas ex ſuperſtitione manaſſe, nemo, ut arbitror, ſano judicio præditus negabit. Unde conſtitur, qui ea in libera optione retinent, nimis cupide ex fæce haurire. Nec video, quorſum attineat Eccleſiam frivolis & inutilibus ceremoniis, ne proprio nomine noxias appellem, onerari, ubi puri & ſimplicis ordinis libertas nobis permittitur. Sed me cohibeo, ne de re, ut ex vobis audio, bene tranſacta novum certamen movere videar. Hoc quidem non diſſimulo, nec pie, nec fraterne, meo judicio, actum fuiſſe cum N. ſi clandeſtino quorundam inſtinctu in crimen vocatus eſt. Præſtabat enim manere in patria, quam injuſtæ ſævitiæ facem in longinquas regiones afferre, quæ nolentes quoque inflammet. Cæterum quoniam delicta, quorum memoriam perpetua oblivione ſepultam cupio, vel leviter attingere piget, tantum vos hortabor, venerandi fratres, ut ſi quorundam animos ſentitis jure exulceratos eſſe, eorum offenſioni placandæ operam detis. Quum audirem partem aliquam velle iſtinc migrare; admonui diligenter, ut par erat, ſi non omnibus commodum eſſet eodem habitare in loco, ne locorum diſtantia fraternum conſenſum diſſiparet. Verebar enim, ne qua ex priori contentione occulta maneret ſimultas. Ac mihi nihil erit gratius, quam hoc metu liberari. Nam ſi qui forte ad nos concederent, mihi triſtis eſſet vel ſola occulti inter vos diſſidii ſuſpicio. Ergo quod de reconciliata gratia ſcribitis, firmum ſtabileque eſſe magnopere cupio: ut ſi contigerit partem alio migrare, locis tamen diſſiti ſanctam amicitiam colatis. Nam ut non longius ſerpat diſcordia, jam plus ſatis peccatum fuit. Veſtræ tamen prudentiæ & æquitatis erit, ut benevolentia retineantur, quicquid alienationis erit reſiduum, ſedulo purgare. Valete fratres obſervandi. Dominus vos præſidio ſuo tueatur, Spiritu ſuo regat, benedictione proſequatur, & exilii triſtitiam mitiget. Collegæ mei vos amanter ſalutant. Genevæ, pridie Idus Junii. M. D. LV.

CALV. SPITEKO POL.

Illuſtri ac magnifico Domino, D. Spiteko Jordan à Zakliczin & in Melſtin hæredi, Caſtellano Sandeczenſi, Regni Poloniæ ſupremo Theſaurario.

QUum in hoc fortunæ honoriſque ſplendore præcipuum tibi decus ſtatuas, Illuſtris ac magnifice Domine, inter ſinceros Dei cultores cenſeri: idque tuis literis, quas mihi venerandus frater noſter N. ad ſe ſcriptas oſtendit, abunde ſis teſtatus: imo privatim quoque aſperſeris jucundam amoris erga nos tui mentionem: mihi ſupervacua eſſe videtur excuſatio, quod fide ac humanitate tua fretus, datam abs te ſcribendi fiduciam mihi ſumo. Itaque certo perſuaſus, non ingratum tibi fore hoc officium, ſi tui quoque hortandi partes libere ſuſcipiam. Neque enim eum te hominem eſſe exiſtimo, quem delectent inanes vel blanditiis refertæ literæ, quales ad captandam gratiam à ventoſis hominibus ſcribi ſolent: ſed à Chriſti ſervo magis cupis & expectas, quod pietatis tuæ progreſſus juvet. Egregias ergo iſtas virtutes, quibus te excellere audio, non alium in finem laudare mihi propoſitum eſt, niſi ut aſſidue in melius eniti pergas. Si in Polonia rite ex voto noſtro compoſitus foret Regni Chriſti ſtatus, quanquam tibi facilius eſſet in tranquillo ſtadio rectum curſum tenere: res tamen altior eſt, nos approbare ſinceros Dei cultores, quam ut centeſima officii parte fungantur, qui ſtrenue laborando alios omnes ſuperant. Nunc rebus confuſis, ubi obeunda ſunt multa certamina, reſiſtendum fortiter hominum potentium odiis, negligendi ſiniſtri rumores, multi inſultus ſuſtinendi, luctandum cum multis obſtaculis, tentanda etiam diſcrimina, quam tibi utile ſit tum ad fervorem ſubinde incitari, tum ad conſtantiam animari, referre neceſſe non eſt: quia ipſe plus ſatis experieris. Jam vero quum in iſta dignitate magnum tibi onus ſit impoſitum: non tamen cedit Deus jure ſuo, neque deſinit, quo te in altiore honoris gradu locavit, eo magis fidem tuam obſtrictam ſibi tenere. Nam quo plus apud quemque depoſuit, eo etiam plus exigere æquum eſt. Ergo quum te nnn hominem ex medio vulgo, ſed unum ex primariis inter paucos delegerit quem ex denſis ignorantiæ tenebris liberatum, cæleſti Euangelii doctrina illuſtraret: ſi hoc inæſtimabile beneficium ſuo pretio æſtimas, hac lege tibi collatum eſſe memineris, ut aliis præluceas. Et certe vides quam multorum in te conjecti ſint oculi, ut eos tuum exemplum vel moretur, vel exſtimulet: ac ſimul cogites, ſi tuæ deſidiæ mediocris eſſe non poteſt jactura, culpam quoque non minorem fore. Hæc vero præclara bene agendi occaſio & facultas, quod Regia Majeſtas adeo non adverſabitur ſanctis tuis ſtudiis, ut potius manum porrigere ſit parata, niſi animum tibi addat, excuſationem adimet. Neque enim uſque ad ſanguinem tibi certandum eſt: ſicuti multi in Gallia noſtra fideles, quos omnia adjumenta deficiunt, quotidie pro fidei ſuæ confeſſione capita in ſacrificium offerre coguntur. Quando longe mitius tecum agi vides, animoſius ac magis ſtrenue exequi convenit, quod tibi eſt ad manum, ut te Regi Sereniſſimo in repurgandis Papatus ſordibus fidum comitem ac miniſtrum exhibeas. Atque utinam reipſa oſtendere liceret, quo animo hæc ſcribo. Sed quia vereor, ne tuæ in aſſerenda Chriſti gloria fortitudini diffidere videar, meipſum cohibeo. Hoc reſtat, ut pro benevolentiæ comitatiſque teſtimonio, quod in tuis ad N. literis perſpexi, viciſſim mea tibi obſequia, meque adeo totum, quantulus ſum, deſeram. Deum interea precabor ut te diu ſervet incolumem, Spiritu ſuo regat, præſidioque tueatur. Vale, magnifice & inſignis Domine. Genevæ, Idibus Septembr. M.D.LV.

CALV. D. RADZIWIL. POL.

Illuſtriſſimo Principi, D. Nicolao Radziwil, Duci in Olika & Nieſſin, Palatino Vilnenſi, Magni Ducatus Lithuaniæ ſupremo Marſcalco, & Archicancellario, Domino apprime obſervando.

QUod te, Illuſtriſſime Princeps, in hoc tam excelſo honoris gradu poſitum homo ignobilis, & nullius fere in mundo pretii literis meis compello: quamvis audacter id à me fieri non ignorem: quod tamen mihi per te licere non humanitate ſolum tua, ſed maxime pietate fretus confido, longo verborum circuitu non petam ut mihi concedas. Nam ut obſcura ſit mea conditio: quia tamen unum me agnoſcis ex Chriſti ſervis, pro tua in Magiſtrum ipſum reverentia patebit aliquis mihi, ut ſpero, ad tuam Amplitudinem acceſſus. Jam vero ſtudium meum quod ſanctis tuis votis conſentit, ſic probatum iri confido, ut ſine alia commendatione ſatis mihi apud te gratiæ conciliet. Quum ubique florere cupiam Regnum Chriſti, nunc tamen me Polonia merito quadam peculiari cura ſollicitat. Nam ex quo illic emergere cœpit lux purioris doctrinæ, lætum hoc initium cum ſpe melioris progreſſus deſiderium ſimul accendit. Porro ſi tantum auctoritate polleres, ut facis, ad promovendum veræ pietatis ſtatum, mihi juſta hortandi tui incitandique ratio eſſet, ne tua officia Domino ſubducens, præclaræ ejus vocationi deeſſes. Sed quum probe jam ad tuendam pietatem animatus ſis: imo heroica animi magnitudine oſtendas, quam ſerio ac fideliter illius abs te ſuſceptum ſit patrocinium: merito hæc tua virtus & ad gratias tibi agendas me animat, & materiam mihi ſuppeditat amplioris fiduciæ. Quare non te ſimpliciter obteſtor, ut ſimilis tui eſſe pergas: ſed etiam ut tecum certando, ad victoriam omnium præſtantiſſimam contendas. Multis experimentis non dubito, te quotidie fieri certiorem, quam non ſupervacua ſit hæc mea admonitio. Vides proculdubio, quam immenſæ ſit molis opus, cæleſte Dei regnum in terra conſtituere. Vides rurſum quam multis obſtaculis conetur Satan impedire ac morari, imo quam multis ſubinde machinis vel clam labefactare tentet, vel palam evertere, quicquid in hoc ſacro ædificio inchoatum fuerit. Vides denique quam frigide curetur iſta cauſa, quæ non modo primatum in noſtris curis tenere, ſed omnes ſenſus occupare debuerat. Hoc poſtremum vitium inde naſcitur, quod omnes fere, dum gratuitam operam ſe Chriſto navare putant, alio ſe magis convertunt, unde vel ſpes lucri vel laboris merces ac pretium oſtenditur. Tuæ vero prudentiæ eſt, Illuſtriſſime Princeps, primum cogitare, nihil te præſtare Deo, quod non jure ut ſibi debitum repoſcat: nec ſolum quia totus es in ære ipſius, ſed quod eo te ſibi magis devinxit, quo in altiorem extulit dignitatis gradum: deinde præmium tibi ab eo non vulgare proponi quum dicit, Qui mihi honorem detulerint, eos ego viciſſim honore proſequar. Ergo ut incolumem & diuturnum domus tuæ ſtatum conſervet, quoad poteris ad illuſtrandum ejus regnum enitere. Quanquam autem Sereniſſimum Regem intelligo ſatis eſſe voluntarium: ut tamen vides in rebus perplexis non adeo properare; hoc tibi oneris divinitus impoſitum eſſe memineris, ut non comes ſolum & adjutor ſis ejus Majeſtati, ſed etiam cunctantem ſtimules, atque etiam ubi ita flagitabit neceſſitas, præcurras. Neque enim inique feret, opinor, ad quam adſpirat metam, aliorum fervore incitari. Vale, Illuſtriſſime Princeps, mihique vera obſervantia colende. Dominus te regat Spiritu ſuo, virtute ſuſtineat, tuamque dignitatem diu ſervet incolumem. Genevæ, Idibus Februarii. M.D.LV.

Joannes Calvinus tuæ Amplitudinis ſtudioſiſſimus.

Digitized by Google

CALV. MARTYRI S. D.

QUod de arcana, quæ nobis cum Chriſto eſt, communicatione me ſcripturum pollicitus fueram, minus ſolide præſtabo, quam ſperaſti: quia tametſi magni momenti res eſt, paucis tamen verbis inter nos commode poſſe definiri arbitror. Quod Filius Dei carnem noſtram induit, ut frater noſter fieret, ejuſdem naturæ particeps, de illa communicatione dicere ſuperſedeo. Nam de ea tantum ageodum eſt, quæ à cæleſti ejus virtute manat, & nobis vitam inſpirat, & facit ut in unum cum ipſo corpus coaleſcamus. Dico autem, ſimulac fide Chriſtum recipimus, qualiter ſe in Euangelio offert, vere nos fieri ejus membra, & vitam ab eo non ſecus atque à capite in nos defluere. Neque enim aliter nos Deo mortis ſuæ ſacrificio reconciliat, niſi quia noſter eſt, ac nos unum cum ipſo. Sic illum Pauli locum interpretor, ubi fideles in ejus κοινωνίαν vocatos eſſe dicit, 1 Corint. 1:9. Neque vero nomen conſortii vel ſocietatis mentem ejus ſatis exprimere videtur: ſed mihi ſacram illam unitatem deſignat, qua Filius Dei nos in corpus ſuum inſerit, ut nobiſcum ſua omnia communicet. Ita à carne ejus & ſanguine vitam haurimus, ut non immerito vocentur noſtra alimenta. Quomòdo id fiat, intelligentiæ meæ modulo longe altius eſſe fateor. Itaque hoc myſterium magis ſuſpicio, quam comprehendere laborem, niſi quod divina Spiritus virtute vitam è cælis in terram transfundi agnoſco: quia nec per ſe vivifica eſſet caro Chriſti, nec vis ejus ad nos uſque niſi immenſa Spiritus operatione perveniret. Ergo Spiritus eſt qui facit, ut in nobis habitet Chriſtus, nos ſuſtineat atque vegetet, omniaque capitis officia impleat. Craſſis interea commentis de ſubſtantiæ commixtione aditum præcludo: quia mihi ſatis eſt, dum in cæleſti gloria manet Chriſti corpus, vitam ab eo ad nos defluere, non ſecus ac radix ſuccum ad ramos transmittit. Quanquam autem veteres, ac Hilarium præſertim & Cyrillum, longius quam par ſit provectos fuiſſe video: tamen eorum hyperbolas non admodum inſector: niſi quod ingenue ſemper me opponam, ſi errori patrocinium quæratur. Dum enim contendunt, Chriſtum Patri ὁμοούσιον eſſe, quia ſcriptum ſit, Ego & Pater unum ſumus: dum retorquent Arriani quod mox additum eſt, Ut ſint ipſi quoque unum nobiſcum: illi in ſua inſcitia deprehenſi ad miſeram latebram ſuffugiunt, nos quoque ejuſdem cum Chriſto eſſe eſſentiæ. Hoc autem confeſſo, multis abſurdis involvi neceſſe fuit. Sed modo ne eorum auctoritatem nobis obtendant novi iſti fuſores, mihi ſatis erit non ſubſcribere, ne ultro eos in arenam protraham. Jam venio ad ſecundam communicationem, quæ illius prioris mihi fructus eſt ac effectus. Nam poſtquam Chriſtus interiore Spiritus virtute ſibi nos devinxit atque univit in corpus ſuum, ſecundam Spiritus virtutem exerit, donis ſuis nos locupletando. Quod ergo ſpe & patientia fortes ſumus, quod ſobrie & temperanter nos continemus à mundi illecebris, quod ad domandos carnis affectus ſtrenue incumbimus, quod viget in nobis juſtitiæ & pietatis ſtudium, quod ad preces ſumus intenti, quod nos futuræ vitæ meditatio ſurſum rapit, id ex ſecunda iſta communicatione manare dico, dum Chriſtus, ne otioſus in nobis habitet, vim Spiritus ſui in manifeſtis donis profert. Nec vero abſurdum eſt, Chriſtum, ubi in ejus corpus coaluimus, Spiritum ſuum nobis communicare, cujus arcana operatione noſter prius effectus eſt: quando utraſque ei partes Scriptura ſæpe aſſignat. Etſi autem in hanc communionem primo vocationis ſuæ die veniunt fideles: quatenus tamen in illis augeſcit Chriſti vita, quotidie ſe illis fruendum offert. Hæc eſt communicatio, quam in ſacra Cœna percipiunt. Apud alium quempiam, qui mihi docendus eſſet, fuſius proſequerer, quæ breviter apud te hoc tantum conſilio perſtringo, ut nos idem prorſus ſentire videas. De te, niſi quid novi acciderit, huc accerſendo verbum amplius facere non audemus. Et certe ego ut hac in re timidus ſum, nunquam adduci potui, ut tibi migrandi auctor eſſem, niſi miſſione impetrata. Fructum vero ex tuo labore provenire cupio, qui nobis abſentiæ tuæ deſiderium leniat. Eccleſiolæ vero Gallicanæ clades me non parum angit. N. quidem proſpectum ſtudebimus, ubi venerit. Sed collapſæ Eccleſiæ reſtitutio in primis curanda eſt: ad quam rem ſi nervos intendas, multum, ut ſpero, proderis. Tu igitur in malo hoc ſanando, ut facis, enitere: qua in re D. Sturmium & Sleidanum fidos tibi adjutores fore arbitror. De ſtatu rerum noſtrarum commodius referet hic frater & ſymmyſta meus, quam literis complecti queam. Quare ne bis idem, hac narratione abſtineo. Vale ornatiſſime vir, & mihi in Domino ſemper obſervande. Saluta diligenter amicos, D. Sturmium, Zankum, & reliquos. Nunc antequam literas obſigno, admonitus ſum N. literis magna ex parte ſedatas ejus adventu eſſe turbas. Utinam ad eum juvandum uſui eſſe poſſet mea opera. Verum ſi Eccleſiæ ſuffragiis electus fuerit, ſua moderatione tranquillam ſtatim Eccleſiam, niſi fallor, reddet. Dominus te ſemper tueatur, Spiritu ſuo regat, & benedictione proſequatur. Genevæ, 8 Auguſti. M. D. LV.

Reverendo Viro Eruditione & Virtute Præſtanti D. Joanni Calvino *fratri ſuo chariſſimo* S. D.

REverende vir, & chariſſime frater. Scio te pro tua excellenti prudentia ex ſcriptis adverſariorum tuorum judicare, quales ſint eorum naturæ, & quod intueantur theatrum. Ideo nihil de eis ſcribam. Tantum oro Filium Dei, ut ipſe ſuæ laceræ Eccleſiæ medeatur, velut Samaritanus ille ſaucio viatori. Audio nunc τὸν ὑπερφίαλον καὶ τὸν ἀλαζόνα ἐν ἔχθρῃ ἔχοντα πελώρῳ magnum volumen παντοδαπῶν contra me cudere: quod ſi edetur, decrevi reſpondere ſimpliciter & ſine ambiguitate. Eumque laborem debere me Deo & Eccleſiæ judico. Nec in hac ſenecta pertimeſco exilia & alia pericula. Bene & feliciter vale. Die 12 Maii.

Philippus.

CALV. MELANCHTHONI.

REcte quidem & prudenter admones, ornatiſſime vir, id ſibi unum noſtros antagoniſtas proponere, ut ſe theatro venditent. Quanquam autem ſua opinio longe eos, ut ſpero, & credibile eſt, fruſtrabitur: tamen ut totius mundi plauſum referant, eo nos majore ſtudio ad cæleſtem ἀγωνοθέτην, ſub cujus oculis certamus, intentos eſſe decet. Quid? an ſacer Angelorum conſeſſus, qui & ſuo favore nos excitant, & viam ſtrenue agendi præmonſtrant ſuo exemplo, pigreſcere vel cunctanter pedes movere ſinet? Quid totus ſanctorum patrum chorus? an nullos addet ſtimulos? Quid porro Dei Eccleſia quæ in mundo verſatur? quum eam ſcimus & votis nobiſcum pugnare, & exemplo noſtro animari, an nihil apud nos valebunt ejus ſuffragia? Meum vero ſit hoc theatrum, cujus approbatione contentus, quamvis me totus mundus exſibilet, animo nunquam deficiam: tantum abeſt, ut inſulſis clamatoribus invideam, ſi muſtacea gloriola in obſcuro angulo ad breve tempus fruantur. Quid plauſibile ſit mundo vel odioſum, me non latet. Sed mihi nihil pluris eſt, quam præſcriptam à magiſtro normam ſequi. Nec dubito quin hæc ingenuitas piis & ſanis gratior tandem futura ſit, quam flexibilis & mollis docendi ratio, quæ inanem metum præ ſe fe-

rat.

rat. Quod te Deo & Eccleſiæ debere agnoſcis, obſecro te ut quamprimum ſolvas. Neque in hanc rem inſiſto, quod partem invidiæ in te exonerans, tantundem me levatum iri confidam. Quin potius, ſi liceat, quicquid in te oneris jam incumbit, pro meo in te amore atque obſervantia, paratus forem in meos humeros ſuſcipere: ſed tuum eſt expendere, ut ego monitor non accedam, niſi dubitatione pios homines qui te reſpiciunt, mature liberes, te vix unquam ſolvendo fore. Adde etiam quod niſi ſerum hoc & veſperinum gallicinium te expergefaciat, pigrum merito omnes clamaburit. Vale præſtantiſſime vir, & mihi ea animo venerande. Chriſtus fidelis ſuorum cuſtos tibi ſemper adſit, te regat & tueatur, Amen. D. Camerarium, & ſiqui præterea iſtic ſunt amici, meo nomine ſaluta. Genevæ, 10. Calend. Septembr. M. D. LV.

CALV. BULLINGERO S. D.

QUod tuis literis rogaſti, ut proximi tumultus hiſtoriam apertius tibi & plenius exponerem, eo libentius facio, quod noſtra valde intereſt, rem iſtic & apud vicinos probe cognoſci. Siniſtros enim rumores de nobis ſpargi plus ſatis notum eſt, idque eorum artificio, qui ſuo commodo nos paſſim exoſos reddere cupiunt. Itaque gratum noſtris officium præſtabis, ſi ſummam eorum quæ ſcripturus ſum, curaveris apud Clariſſimum Senatum veſtrum recitandam. Quin etiam, ſi tibi grave non erit, hanc epiſtolæ meæ partem fratribus noſtris Schafhuſianæ Eccleſiæ Miniſtris deſcriptam mitti cupio, ut ipſi quoque apud ſuos urbem hanc falſa infamia liberent. Res omnino ſic habet. Duo fuerunt in Senatu improbi homines, atque audaces uſque ad ſummam impudentiam. Ambo etiam inopes & famelici. Alter Perrinus vocatus, alter Vandellius. Prior, quum Capitaneus eſſet urbis, colluviem improborum, propoſita ſcelerum impunitate, ſibi conciliaverat. Nam ſi quid nequiter, proterve, diſſolute, geſtum fuerat, ne vigerent legum pœnæ, patrocinium ſuſcipere mos paratus erat. Alter vero fidus erat in his omnibus adjutor. Partem Senatus blanditiis illectam tenebant. Quoſdam ſordidos, & qui, gradum ſuum niſi eorum favore retinere non poterant, timore perculſos cogebant in ſuum obſequium. Cognati, propinquitatis gratia devincti, aſſentiebantur. Itaque in minore Senatu eo uſque invaluerat eorum potentia, ut libidini reſiſtere vix quiſquam auderet. Certe judicia pluribus annis fuerunt in eorum arbitrio: & nundinatio minime obſcura erat. Hoc non modo Civitas videbat, ſed apud vicinos & exteros, eorum culpa, peſſime audiebamus. Neque tacebant permulti: quia ſæpe atrocibus probris vexati & lacerati fuerunt. Si quis contemptior eorum flagitia detexerat, illis in promptu erat ultio. Quicquid ab æqualibus dictum erat, facile vorabant. Interim tamen multi jam contraxerant callum ſervitutis. Omnia edicta in chartis mortua jacebant. Nullus denique legum metus, vel pudor, ſi modo illi faverent. Nam & Judices cum urbis Præfecto nonniſi eorum voto quotannis creabantur: eoque tandem progreſſa eſt petulantia, ut populus ipſe, poſtquam ſuffragiis ſuis quiſquilias neſcio quas, imo turpiſſimas ſordes elegerat, ſuum dedecus horreret. Hoc quidem proximo anno fatebantur omnes, ſi hoſtibus urbis permiſſa fuiſſet electio, non potuiſſe majore cum ludibrio nihili homines ad honorem vocari. Jam quum antea, ſi quid peccaret minor Senatus, vitiis & corruptelis medicinam afferre ſolerent Ducenti, multos illuc conjecerant ex fæce, partim clamoſos juvenes & turbulentos, partim turpis & diſſolutæ vitæ. Et ne copia eos deficeret, poſthabita numeri ratione, in turbam intruſerant quoſcunque ſibi putabant fore appoſitos. Denique tam confuſa fuit licentia, ut in curiam irrumperent quidam, ne ab ipſis quidem lecti. Illa fuit factio, quæ unum Eccleſiæ judicium ſibi obſtare videns, quo minus effrenis impunitas vitiis omnibus expoſita eſſet, ne quid diſciplinæ reſiduum maneret, de Excommunicatione nobis certamen movit: nec deſtitit ſurſum ac deorſum omnia verſare, donec magna contentione obtinuimus, ut conſilium ſaltem ab Eccleſiis Helveticis peterent. Quia autem reſponſum veſtrum improbos ſpe & voto dejecit, paulo quietior deinde ſtatus fuit: ſic tamen ut intenti ſubinde ad novas occaſiones, excuſſo pudore, vincula omnia abrumpere tentarent. Cæterum, quum nobis moleſtum eſſet, aſſidue fluctuari, tandem auſi ſumus eos laceſſere, ut certi aliquid decernerent. Qua in re mirabiliter eos fruſtratus eſt Dominus. Nam in illa promiſcua colluvie ſuffragiis fuimus ſuperiores. Sequuta ſunt paulo poſt creandis Syndicis comitia, ubi inopinata converſio apparuit. Hic vero improbi palam furere: quia ſe videbant in ordinem coactos. Itaque petulanter cœperunt multa tentare ad labefactandum præſentem ſtatum. Noſtris ſemper ſatis fuit, compeſcere ſine tumultu eorum conatus, vel ſaltem frangere. Sed quia minime obſcurum erat, illos ſine modo inhiare novandis rebus, Senatus optimum remedium eorum libidini opponere ſtatuit. Ex hoſpitibus Gallis, qui hic diu habitaverant, & quorum nota erat probitas, quoſdam adoptavit in civium ordinem, forte ad quinquaginta uſque. Senſerunt improbi, quanto munitior hoc præſidio futura eſſet bonorum manus. Itaque omnem lapidem ſibi movendum duxerunt, ut conſilium hoc everterent. Res inter eos per compita paſſim & in cauponis, & clam in privatis ædibus agitata fuit. Quum traxiſſent quoſdam in ſuam ſententiam, non modo fremitu, ſed apertis minis inſurgere cœperunt. Subornatus fuit urbis Præfectus, qui cum magna, ſed turpi & pudenda caterva in curiam aſcendens, denunciavit Senatui periculum, ſi pergeret. Magna pars ea nautis, piſcatoribus, cupediariis & cocis, ſimilique nobilitate conflata erat. Multi inquilini permixti. Quaſi nonniſi his vindicibus jus ſuum Civitas tueri poſſet. Senatus graviter reſpondit ſe nihil novi aggreſſum: ſed quod antiquiſſimo uſu ſemper in urbe receptum fuiſſet. Indignum vero eſſe, nunc & vetuſtum urbis morem convelli, & arceri à civium ordine, qui honeſte longum tempus in urbe tranſegerant: & ſibi denique eripi poteſtatem ab ultima memoria per manus traditam. Quia autem nihil violento imperio Senatus agendum cenſebat, apertæ conſpirationi veniam in præſentia dedit. Tantum objurgatus fuit Præfectus, quod protervis hominibus operam in cauſa tam injuſta locaſſet. Simul tamen factum fuit decretum de vocandis Ducentis: ad quos ubi ventum eſt, ſancita fuit Senatus minoris auctoritas: & permiſſum, ut poſthac ſuo arbitrio ea Gallis hoſpitibus cives deligerent. Sed antequam hoc poſtremum ſtatuerent Ducenti, repente longius erupit eorum furor, qui ad extrema quæque, ut in rebus deſperatis, ſe projicere in animum induxerant. Nam tumultu nocturno prope ad ſummam cladem adducta fuit Civitas. Pridie quam id accideret, multis nebulonibus datum fuerat gratuitum prandium. Duces alibi epulabantur: ex quibus alter, quem nominavi, Vandellius ſumptum prandii ſuſtinuit; Perrinus vero, cœnæ. Volitabant interea nuncii: multæ ſiniſtræ notæ obſervabantur: ut non fruſtra boni ſibi metuerent. Moris autem eſt, poſtquam diſpoſitæ ſunt in portis excubiæ, Præfectum vigilum circumire, & diſpicere ſtationes. Hoc munus ſinguli Senatores vicibus obeunt. Quum media in urbe ſtarent vigiles noctis ejus, clamorem non procul audiunt. Nam è regione poſt tabernas mercatorias quidam lapide percuſſus clamabat ſe occiſum. Accurrunt igitur pro officio. Contra inſurgunt duo fratres germani, ex ſodalibus Perrini & Vandel-

lii, homines quidem infimæ ſortis, cupediarii ſcilicet: ſed qui in eadem menſa gratis cœnaverant. Rem ex compoſito agi deinde patuit, quod duo ſoli plures armatos aggredi auſi fuerant. Atque hoc ambo confeſſi ſunt & judicibus, & pluribus aliis, & mihi privatim. Tametſi autem quum ad ſupplicium traherentur, negarunt ſigno dato ſe tumultum moviſſe, ſic tamen multis indiciis convicti erant, ut ſua impudentia nihil profecerint. Hoc quidem minime negarunt, ſe eodem die inter prandium & cœnam Perrino animi gratia in propinquam villam egreſſo fuiſſe comites: inter eundum de quingentis hominibus armatis ad urbis cuſtodiam aliunde vocandis habitum fuiſſe ſermonem. Quum in merenda renovaretur ejus rei mentio, Perrinum opificum adventu repreſſum, Germanice, Schwik, Schwik, ſilentium indixiſſe. Quia autem villa illa extra fines Genevenſis ditionis ſita eſt, dixiſſe, paratum illic fore aſylum & hoſpitium, ſi quis in urbe capitale facinus patraſſet. Creſcente tumultu unus ex Syndicis, qui non procul aberat, cum ſuo ſcipione, quod eſt inſigne Magiſtratus, & luminibus accenſis, prodiit. Tanta autem ſemper in hoc populo fuit ſacri illius baculi reverentia, ut ejus conſpectu non modo ſedatæ fuerint maximæ turbæ, ſed quum ad cædes ventum foret, vis cohibita fuerit. Unus ex fratribus illis, exerto gladio, obvius Syndico incurrit. Syndicus inſigni poteſtatis fretus manum injecit, ut in carcerem duceret. Advolant complures ex factione. Quicquid luminis erat, extinguitur. Negant illi ſe paſſuros bonum ſodalem in carcerem duci. Adeſt confeſtim Perrinus. Ac initio pacificandi ſtudium ſimulans, Syndicalem baculum arripit, Syndico in aurem ſuſurrans, Meus eſt, non tuus. Ille quanquam puſillæ ſtaturæ homo, non tamen cedere, ſed contra animoſe & fortiter obniti. Paſſim interea per omnes urbis vicos clamor erat ſublatus, & fere momento pervaſerat, Gallos in armis eſſe, ac urbem inſidiis proditam: domum Senatoris, qui nocte illa Præfectus vigilum erat, refertam eſſe hominibus armatis. Emiſſarii quos ſibi favere noverant, eos tumultuoſe accerſere. Perrinus quum minime dubitaret catervam ſuam jam ſatis validam eſſe, vociferari cœpit, Noſter eſt Syndicalis baculus: eum enim teneo. Ad hanc vocem nullum conſenſus ſignum datum eſt: & tamen undique cinctus erat conjuratis: ut facile appareat arcano Dei inſtinctu retentos fuiſſe. Pudore ergo confuſus, & ſimul territus, paululum ſe recepit. Sed in alterum Syndicum affinem ſuum incidens, baculum vi violenter extorſit. Ille quiritari vim ſibi eſſe factam, jus urbis eſſe violatum. Quia autem armorum potentia longe vincebant improbi, nemo ad Syndici querimoniam digitum ſuſtulit, ut ſubſidio veniret. Sed peſſimos quoſque rurſum quædam religio tenuit, ut nullus eorum Perrino ſuccineret. Ita metu coactus, baculum clam reddidit. Erant jam in armis plurimi nebulones. Una vox ubique ſonabat, trucidandos eſſe Gallos, & urbem ab ipſis proditam eſſe. Dominus autem pro miſeris ſuis exulibus incredibiles excubias agens, partim ſopore eos perfudit, ut inter horrendos ſtrepitus ſuaviter in lectis dormirent: partim continuit, ut minis & periculi terrore non fuerint perculſi. Nemo certe domo egreſſus eſt. Atque hoc uno Dei miraculo fractus fuit impiorum impetus, quod nullus ad conflictum ſe obtulit. Statuerant enim, ut poſtea facile innotuit, ſi qui aggreſſi eſſent, ſe defendere: occiſis quibuſdam, graſſari in alios: quaſi à nobis exorta eſſet ſeditio. Nec vero tantum hoſpitibus minitabantur, ſed quidam etiam clamabant patronos eſſe occidendos, & pœnas de Senatu ſumendas eſſe. Atque hic vide Senatus noſtri clementiam. Nam licet deprehenſi fuerint tam nefariæ vocis auctores, ac convicti, non modo pepercit eorum vitæ, ſed etiam à mediocri caſtigatione abſtinuit, ut ne virgis quidem cæſi fuerint. Syndici dum Senatum cogi jubent, per urbem curſitare. Sed improbi ſuis copus freti, non modo eludere eorum imperium, & ſpernere, ſed etiam convitiis obſtrepere, ut ſpes eſſet remedii exigua. Hoc tamen præter ſpem divinitus effectum eſt, ut paulatim reſideret tempeſtas. Poſtridie decretum eſt, ut quæſtio haberetur de vi publica. Syndici triduo in teſtibus rogandis conſumpto, ne quis diceret ſe falſo premi, Ducentos vocant. Dum recitantur teſtimonia, inter alios judices ſedebant ipſi quoque conjurati. Ut quemque vel culpæ obnoxium, vel ſiniſtra ſuſpicione gravari apparuit, tandem juſſi ſunt agredi ex curia: quia integri ad dicendam ſententiam eſſe non poterant. Sed Perrinus detectum ſcelus videns, cum tribus aliis fuga elapſus eſt. Major Senatus, rei indignitate in juſtam iracundiam accenſus, decernit ſevere ulciſcendum eſſe conſpirationis ſcelus: & minorem Senatum, penes quem ſunt judicia, ad pœnas ſtrenue exigendas hortatur. Citantur à primo Apparitore fugitivi, deinde à præcone publico, ut fieri ſolet: quod per quindecim dies præcinente tuba factum eſt. Illi miſſis chirographis, teſtari, ſe niſi data fide publica, minime venturos. Atqui abſurdiſſimum fuiſſet, quos ex vinculis reos cauſam dicere oportuerat, tanquam beneficiarios legibus ſolvi. Præſcripta igitur die, quinque damnati ſunt. Sed antequam judices pronunciarent, coram toto populo recitata ſunt crimina quorum convictos teneri neceſſe fuit, qui ſe vocati in jus non purgabant. Acceſſit poſtea eorum confeſſio, de quibus ſumptum eſt ſupplicium, & qui adhuc in carcere tenentur. Unde conſtat magis eſſe noxios, & ſceleratos, quam ut effugium ullum pateat. Et tamen ut ſunt perfrictæ frontis, odioſos rumores ſpargere non deſinunt: ſe falſa invidia fuiſſe oppreſſos, quod civium cauſam contra Gallos, & Senatum Gallis deditum, tutati ſint. Quaſi vero Ducenti, quorum præjudicio confoſſi ſunt, non ſint ex civibus. Quaſi collecto exercitu expulſi fuerint. Quaſi plebs, ſi intelligeret libertatis ſuæ patronos crudeliter opprimi, tantam injuriam paſſura eſſet. Quin potius eorum diſceſſu compoſitæ ſunt omnes turbæ: diſcuſſa fuit quam induxerant caligo: leges reviguerunt: reddita fuit urbi tranquillitas. Viderunt certe qui illorum rogatu ad deprecandum venerant, non diverſis ſtudiis urbem ſciſſam eſſe, nec ullis contentionibus flagrare: ſed placido omnium conſenſu probari decretam in illos pœnam. Ut ſumma impudentia præditi ſunt, non modo extenuant admiſſum facinus, ſed futilibus cavillis crimen in ſe de nihilo conflatum fuiſſe jactant. Quæ tamen diluere non difficile eſt. Probabile eſſe negant, quum ſub manu haberent magnam turbam, temere ipſos ſine valido præſidio ad arma prorupiſſe. Quaſi vero rarum ſit, vel infrequens exemplum, improbos amentia cæcos & præcipites ferri. Certe quicquid obtendant, manifeſta rabies unum ex cohorte impulit, ut ictu lapidis hominem dejiceret, unde exortus eſt clamor. Eadem quoque duorum fratrum cæcitas, dum gladiis nudatis in vigiles armatos impetum fecerunt. Jam vero Syndicorum imperia, quibus non parere ſemper capitale fuit, petulanter & cum ludibrio ſpernere, non ſolum repentini furoris, ſed conceptæ prius audaciæ, diuque inter ipſos conceptæ ſignum eſt minime ambiguum. Clamor adhæc inter ipſos omnes conſonus, de urbe à Gallis prodita, unde niſi ex conjuratione? Niſi enim ex compacto hanc teſſeram ſibi mutuo dediſſent, qui fieri potuit, ut ſtatim in locis longe inter ſe diſtantibus, vox illa de nihilo conficta congrueret? Nam & illius, quem dixi, Vandellii uxor, quoſcunque ſuæ factionis fore ſperabat, oſtiatim accivit, Gallos proditionis incuſans. Verum hoc eſt ſcilicet, quod confeſſus eſt quidam Perrini aſſecla, & quo nemo illi magis familiaris erat, nempe duos illos ſeditionis principes quatuor ante, vel paucis diebus

ſic

ſic inter ſe loquutos: Quid ceſſamus, brevi ignaviæ noſtræ pœnas daturi? Jam triennium eſt, ex quo in cædem noſtram conſpirarunt hoſtes. (Porro, mihi in illo catalogo primum locum dabant.) Ergo antevertamus neceſſe eſt. Specioſus autem nunc oblatus eſt color. Dicemus è Republica non eſſe, tam multos civitate donari. Nihil impetrabimus nec in minore Senatu, nec apud Ducentos. Ad populum provocabimus. Advolabit multitudo, etiam invitis Syndicis. Partis noſtræ homines ſubornabimus, ut tumultum concitent. In tollendis hoſtibus nihil erit negotii. Tantummodo audendum eſt: quia de victoria ſecuri ſumus. Hoc ille Perrino intimus, & fere individua ejus umbra, quater repetivit. Negent ſe jure damnatos eſſe, quibus in medio populi conventu, & loco ſancto, duos ex Syndicis, quoſdam Senatores, ex civibus optimos quoſque, omnes innoxios trucidare propoſitum fuit. De me taceo, quem ſibi gratis inimicum ſumpſerunt. Nam quod me cædem moliri, obtendere ipſos non puduit, putidius eſt quam ut excuſatione indigeat. Et tamen nondum judicio Vandellium perſequutus eſt Senatus. Sed eum mala conſcientia orbe expulit: ut facile appareat, in maximo tumultu moderationem, qualis in rebus tranquillis ſervari ſolet, fuiſſe retentam: nec calide vel feſtinanter quidquam actum eſſe contra improbos. Quin potius tu ſi adſis, Senatum noſtrum lente progredi ac remiſſe dicas. Sed in hanc partem ſatius eſt peccari, ne quis præpoſtere, ut in iracundiæ fervore accidit, ſævitum eſſe queratur. Faxit Dominus, ut tantæ liberationis memoria nos aſſidue ad gratitudinem ſtimulet, ſemperque in officio contineat. Quum has literas dictare inciperem, non putabam ab Othomano noſtro perlatum iri. Nam etſi jam de ſuo itinere verba fecerat, quia tamen incertus erat, an recta iſtuc venturus foret, alio potius nuncio ſtatueram uti. Nunc opportune accidit: quod non parum gaudeo: ut ſi quid propter brevitatem erit obſcurius, ſermone plenius conformet atque explicet. Quod me ad patientiam bis hortatus es: ego vero tot indignitates placide tuliſſe mihi videor, & quaſi voraſſe, ut dum ſtomachum cohibeo, animus mihi quoque defuerit. Utinam ſaltem meo ſilentio ac diſſimulatione placaſſem, qui odio mei in omnes bonos furere non deſinunt. Sed quanquam inde magis accenditur, quæ pridem nimis graſſata eſt rabies: mihi tamen fixum eſt nihil movere. N. provinciam obtigiſſe gaudeo, in qua ſe utiliter exerceat. Det modo ei Dominus fideliter ea defungi. Eum cum N. ſalvere cupio. Symmyſtis etiam tuis omnibus, uxori & familiæ plurimam meo nomine ſalutem dices. Vale ornatiſſime vir, & ſemper obſervande frater. Dominus te Spiritu ſuo regere, & benedictione proſequi pergat. Genevæ, 15 Junii. M. D. LV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. VIRETO S. D.

MItto ad vos literas Stephani noſtri, ex quibus intelligetis, quantumvis inſaniat Satan, Chriſtum tamen ſub cruce regnare. De ludimagiſtro quod poſtulat, curæ nobis eſſe debet. Si quis erit apud vos idoneus, qui alacriter onus ſuſcipiat, mittite. Nihil enim hic tentare volui. Cameraco nihil allatum eſt, poſt literas à fratribus ſcriptas, quas vobis legendas mitto. Ubi legeritis, ſtatim mihi reddendas curate: quia apud me hactenus concioni, atque id fratrum meorum permiſſu. Quam atrociter me tota factio laceret, non ignoro: ac quotidie ex meo ſenſu experior, quantum à bonis naturis aliena ſit tyrannica crudelitas, quam vetus Poëta deſcripſit his verbis, Oderint dum metuant. Atqui, ſi optio daretur, mallem omnium eſſe contemptiſſimus. Sed quia Deo aliter placet, feramus. Aderit tandem ſuis. Interim optima eſt bonæ conſcientiæ fultura. Hodie Bertellerius aliorum more factionem ſuam purgare conatus eſt; ipſe tamen confeſſus eſt ſe dignum tali ſupplicio. Pluribus coram omnia referam. Hoc enim excepto, viſus eſt aliqua reſipiſcentia tangi. Valete optimi fratres. Dominus vobis adſit, vos gubernet ac tueatur. Genevæ, 9 Septembris. M. D. LV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. FARELLO S. D.

EGo vero, mi Farelle, etſi gloriari merito in his probris licet, quæ in me congerunt virulentæ ac petulantes linguæ, quando nihil in me infamant niſi quod Deo & Angelis probari ſcio: cuperem tamen in receſſu aliquo latere, ſi forte mitigaretur iſtorum furor, quem mea præſentia accendere videtur. Non de quiſquiliis loquor, quas pridem floccifacere, ut merentur, didici. Sed à gigantibus cælum, odio mei, aſſidue turbari, non abs re mihi dolet. Feramus tamen, quando ſcimus non fortuim accidere, ut tantis procellis jactemur. Weſtphalus etiam librum in me truculentum edidit, cui neſcio an reſpondere expediat. Rogant amici quidam: ubi perlegero, Dominus conſilium ſuggeret. Tu vero, quaſi libros momento gignerem ſimul ac parerem, velles à me plures exire commentarios quam ſcribendis ſufficiat longæ vitæ curſus in ſummo otio. Mihi vero quantulum vacui temporis reſtare putas? Utinam alii has vices obeant potius. Philippo acerrimus ero hortator: ſed quam lentus ſit, non ignoras. Vale, optime & integerrime frater. Dominus tibi ſemper adſit, te protegat ac ſuſtentet. Fratres & amici te plurimum ſalutant, atque in his Beza noſter, qui nunc mecum eſt. Genevæ, 10 Octob. M. D. LV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. PIPERINO S. D.

EQuidem dum paſſim tam atrociter me proſcindi audio, non ita ſum ferreus, mi Piperine, quin dolore pungar. Sed hoc mihi ſaltem non leve ſolatium eſt, te & complures alios Chriſti ſervos, & pios Dei cultores, meis injuriis condoleſcere. Quanquam mallem, ſi fieri poſſet, ſolus tacite vorare quicquid in me probrorum congeritur: ne qua inde pars moleſtiæ in fratres meos redundaret. Itaque hæc quoque ratio inter alias facit, ut ſilentio calumnias prætercam, quas alioqui diluere nullo negotio promptum eſſet, & quas à me excutere cuperem. Cur enim mei purgandi ſtudio probos homines obtunderem? Si major neceſſitas urgeret, petita venia defenſionem proponerem. Sed futilior eſt probrorum, quibus me improbi aſpergunt, vanitas, quam ut ſollicita refutatione opus habeat. Ipſi quoque auctores me ambitionis notarent, acſi de tuenda mea exiſtimatione nimis eſſem anxius. Exemplum eſt in illa ingenti quam commemoras pecuniæ ſumma. Sciunt omnes quam frugaliter vivam domi meæ: vident in veſtium ſplendore nullum ſumptum fieri: palam apparet, fratrem meum unicum nec valde eſſe locupletem, nec meis opibus adeptum eſſe quicquid habet. Ubinam ergo defoſſus jaceret theſaurus ille? Atqui me pauperibus furatum eſſe jactant. Hoc etiam improbiſſimi de nihilo fictum eſſe fateri cogentur. Si quid pauperibus erogant pii homines, nullum nummum attingo. Mortuus eſt apud me ante octo annos vir quidam nobilis, qui apud me ſupra duo coronatorum millia ſine chirographo depoſuerat. Ubi mortis eſſe periculum intellexi, quum meo arbitrio permittere vellet, negavi me id ſuſcepturum oneris. Curavi etiam ut Argentinam mitti juberet octingentos, ſublevandæ exulum inopiæ. Meo hortatu delegit homines minime ſuſpectos, qui reliquam ſummam diſtribuerent. Mihi quum legare vellet quod alii non

ſprevillent, recuſavi: ſed video quid urat meos adverſarios. Quia enim ex ſuo me iogenio metiuntur, non dubitant quin undique accumulem, ubi tam opportuna ſuppetit facultas. Verum, ſi vivus non effugio nomen divitis, ab hac nota mors tandem me vindicabit. Cæterum, nullus mibi eſſet ſcribendi finis, ſi ad meditandam apologiam animum adjecero. Multa iſtic ſi jactantur, ſcito vix centeſimam eſſe eorum partem, quibus aſſidue obtundor. Ergo nihil ſupereſt, niſi ut paratus ad reddendam rationem, nihilominus os præbeam colaphis. Pergamus, mi Chriſtophore, per infamiam & bonam famam, neque ſiniſtris rumoribus frangi nos ſinamus. Quanquam ſi tu fontem teneas, mecum facile agnoſces patientia vincendum eſſe. Nemini enim verbum facere in mentem veniret, niſi quiſquiliæ hominum viderent ſe Proceribus officium præſtare, ac paratam ſibi eſſe maledicentiæ mercedem: ſubitoque evaneſcerent mendacia, niſi ab iiſdem illis in quorum gratiam conficta ſuot, foverentur. Quia epiſtolam cogor abrumpere, finem hic faciam. Vale optime & mihi amiciſſime frater. Dominus tibi ſemper adſit, te Spiritu ſuo gubernet, laboreſque tuos benedicat. Genevæ, 18 Octobris. M. D. LV.

Joannes Calvinus tuus.

Ad Sereniſſimum Regem Poloniæ.

ETſi non miror, præſtantiſſime Rex, nec dubito quo tempore Majeſtas Veſtra conventum Ordinum regni ſui agebat, in tanta negotiorum mole ſummis & variis curis fuiſſe diſtrictam, ut ne perlegendæ quidem meæ cohortationi otium ſuppeteret: tamen ex quo plus otii datum fuit, confido aliquid vacui & ſoluti temporis ſumpſiſſe, ut meus labor tandem non fuerit inutilis. Nam ex literis quas M. V. mittere dignata eſt, intelligo, meam ſedulitatem gratam fuiſſe: nec faſtidio vel contemptu rejectum fuiſſe meum illud ſcriptum, in quo breviter oſtendere conatus fueram quænam vera eſſet reformandæ Eccleſiæ ratio, & quiſnam commodiſſimus ingreſſus. Imo quia M. V. illud ſe humaniter excepiſſe, & libenter ſe inſpexiſſe teſtatur: & ubi liberius otium contigerit, ſibi in animo eſſe attentius ſiogulas ejus partes meditari: plus inde fiduciæ ad iterandum ſcribendi officium offerri mihi viſum eſt. Itaque ſi nunc rurſus M. Veſtram cohortari audeo, non videtur eſſe cur de venia petenda laborem, ac ne longior quidem excuſatio neceſſaria eſt. Non ſum equidem neſcius, vel immemor, quantum à Celſitudine in qua magnum Regem Deus locavit, diſtet humilis mea & abjecta conditio: ſed quia probe tenet M. V. quid valeat illud cæleſte
Pſal. 2. verſ. 12. edictum, quo jubentur omnes Reges terræ Filium Dei oſculari: nec ignorat externo oſculi ritu notari fidei obſequium, quod reverenter ſanctas admonitiones à Chriſti ore & Spiritu profectas amplectitur: mihi videtur eximi omnis metus & dubitatio. Ego igitur, quem ſummus Rex Euangelii ſui præconem & Eccleſiæ ſuæ miniſtrum conſtituit, ejus nomine M. V. appello, quum jam in Polonia ex funeſtis tenebris Papatus emergere cœperit vera religio, quum multi pii & cordati homines, abjectis impiis ſuperſtitionibus, ad purum Dei cultum ultro aſpirent, ut curam banc aliis omnibus præferat. Et certe quanto æterna Dei gloria umbratilem & caducum hujus mundi ſtatum præcellit, ita ad tuendam vel aſſerendam pietatis doctrinam, poſthabitis aliis omnibus, præcipua noſtra ſtudia conferre decet. Quod hactenus Polonia Papatus corruptelis fœdata, & vitiato perverſoque Dei cultu, poſt humana figmenta vagata eſt: quod denique ſub errorum colluvie demerſa, cæleſtis lucis aſpectu caruit: triſte ac miſerum fuit ſpectaculum. Nunc vero quum illa communi amentia & ſtupore, quo percuſſus fuit totus orbis, eam Dominus liberare incipiat, ſummos quoſque & infimos à ſuo torpore expergeſieri neceſſe eſt. An igitur Regibus ceſſandum; quos ideo in ſublime Deus extulit, ut inde gentibus univerſis prælucæant? Jam vero quanti nobis eſſe debeat ſincera religio, per quam Chriſto inter nos tribunal erigitur, quanti etiam legitimus Dei cultus, in quo ſymbolum præſentiæ ejus, vivaque imago relucet, M. V. me tacente ſatis intelligit. Et ſane niſi ad nos hac in parte animandos vel unum Davidis exemplum ſufficit, minime excuſabilis eſt noſtra ſegnities. Quum enim tunc nonniſi ſub obſcuris figuris in terreſtri Sanctuario Deum colerent Patres, refertur tamen ſolenne quod concepit jusjurandum, quod non daturus eſſet *Pſal. 132. v. 3. 4. 5.*
ſomnum oculis ſuis, nec palpebris dormitationem, nec ingreſſurus poſtes domus ſuæ, donec inveniſſet locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Si Regem illum pia ſollicitudo legalis cultus quieſcere paſſa non eſt, quin noctes & dies ad quærendam arcæ fœderis ſtationem non minus anxie quam aſſidue intentus foret: quanto magis nunc Chriſtiani Regis ſtudium ad ſe rapere debet ſpiritualis Dei cultus, omneſque ejus conatus acrius accendere ad obeundum hoc tam honorificum & præclarum munus, ut Chriſtus emineat? Accedit etiam quod David quamvis extruendi templi honore privatus eſſet, non tamen ceſſavit toto vitæ ſuæ curſu lapides, materiam, argentum & au- *1 Chr. 22.*
rum congerere, quo ſucceſſor Solomo copiis omnibus inſtructus, ſtatim ſine mora ad opus ſe alacrius accingeret. Quo animoſius Chriſtianum Regem vires omnes ſuas ad reſtituendum Dei templum colligere ac ſummopere eniti decet, ne diutius inter deformes ruinas, cultus Dei obſoletus jaceat. Etſi autem nunquam deſunt obſtacula, quæ pium hoc ſtudium morentur, longe tamen M. Veſtræ expeditior eſt ratio, quam olim piis Regibus Ezechiæ & Joſiæ, quibus arduum & durum cum populi contumacia certamen fuit, quum hodie Polonica nobilitas magna ex parte, promptum & alacre ad ſuſcipiendam Chriſti fidem obſequium offerat. Quo adjumento ſic expergeſieri cordatum Regem decet, ut non minus ſtrenue manum ipſe viciſſim porrigat. Nec vero hic blanditiis dandæ ſunt aures, quibus Satan per homines profanos lethale frigus aſpergens, ignavo ſopore multorum ſenſus perfundit. Quin potius, excuſſo omni torpore, manibus & pedibus in tam præclaro opere inſiſtendum eſt: ac præſertim ubi apparet agendi maturitas: ne ſi oblata divinitus occaſio negligitur, fruſtra deinde ſtandum ſit ad clauſam januam. Interea aſſiduis votis precabimur, ut Dominus pro ſua incredibili potentia opus quod cœpit, feliciter abſolvat, M. Veſtram heroico ſpiritu inſtruat, & in ſtatu proſpero incolumem tueatur. Genevæ, pridie natalis Domini, quem cupio ſicuti ſummo imperio à Patre donatus eſt, ita reverenter in Palatium veſtrum excipi, ut jure ſuo ab omnibus colatur. M. D. LV.

Tuæ Majeſtatis ſtudioſiſſimus
Joannes Calvinus.

Illuſtri viro ac eximiis virtutibus præſtantiſſimo D. Joanni Comiti Tarnovio, Caſtellano Cracovienſi, exercituum Regni Poloniæ ſupremo Duci.

VIde quantum mihi fiduciæ præbeat virtutis tuæ fama, Illuſtriſſime Domine, quam apud me non vulgaribus elogiis celebravit fidus & idoneus teſtis N. nempe ut homo tibi forte incognitus non modo literis meis te compellare, ſed de re quoque omnium maxima familiariter apud te diſſerere, & ad ſubeundas oneris hujus de quo agitur, partes cohortari audeam. Pridem de regno Poloniæ ad puram & genuinam Chriſti fidem revocando mediocris ſpes affulſerat. Etſi autem obliquis

Satanæ

Satanæ artibus injectæ ſunt multiplices remoræ, nunc demum januam Filio ſuo Deus aperuit, ex qua vos omnes ad eum reverenter excipiendum invitat. Et multi quidem, ut audio, cupide obviam accurrunt, & quæ debent pietatis officia cæleſti Regi offerunt: ut in ordine nobilium non minus ad recipiendam doctrinæ puritatem vigeat ſancta conſpiratio, quam Chriſti hoſtes ad impediendum Euangelii curſum pervicaciter inter ſe conjurant. Te vero, præſtantiſſime vir, qui ſumma auctoritate polles, & in quem non minus Regis quam aliorum conjecti ſunt oculi, aliis ſtrenue feſtinantibus, vel quieſcere, vel tardius progredi, minime conſentaneum eſt. Nec vero Deus alia lege in hunc dignitatis gradum te extulit, niſi ut è ſublimi vexillum aliis monſtres, ex cujus conſpectu creſcat omnibus ſtudii alacritas. Jam quum prudentia & conſilio non minus excellas, quam honore, minime deceret tot præclaros anteſignanos, qui in certamen libere & intrepide progreſſi ſunt, à Duce ſuo deſtitui. Etſi enim non ignoro præcipuas eſſe Sereniſſimi Regis partes, quia tamen ſponte jam ad recte agendum propenſus, ubi te certum adjutorem & comitem nactus erit, multo confidentius, ut ſpero, nervos ſuos intendet, merito hoc abs te Chriſtus exigere videtur, ut tot generoſis ſuis militibus Ducem te oſtendas. Ac jam quidem eo uſque progreſſus es, ut de ſincero animi tui affectu exempta ſit omnis dubitatio. Tantum vereor ne cunctando, nimis longum tempus effluat. Et certe hactenus in tarditate plus ſatis culpæ fuit. Nunc vero ad ingenuam & apertam doctrinæ ſuæ profeſſionem & Regem ipſum, & Proceres omnes ſonora voce inclamat idem ille, qui Euangelio ſuo januam aperit. Quare tibi, præſtantiſſime vir, in mentem veniat illa Prophetæ admonitio, Tempore beneplaciti audivi te, & die ſalutis adjuvi te: quæ omnes Dei filios ad viſitationis ſuæ tempus ſedulo amplexandum ſollicitat, ne gratia ſemel oblata, ſi per ignaviam negligatur, tandem pereat. Quia ſæpe accidere ſolet, ut læta exordia dum felicem exitum promittunt, ſegnitiem multis adducant, prudenter cavendum eſt, ne quis ad ſuffocandam hanc lucem, quæ emergere cœpit, obrepat torpor. Modum quidem mihi tenendum eſſe non ignoro, ne acrius urgendo pietati tuæ diffidere videar: ſed rurſum tam præſtantia operis, quam difficultas, ad ſtimulos addendos me cogit, ne quid in te deſiderent fideles Chriſti ſervi, quod tantæ exiſtimationis viro dignum ſit. Summa tamen huc redit, quum unicus nobis vivendi finis eſſe debeat, ut pure Deum colamus, poſthabitis omnibus curis hoc maxime agendum eſſe, ut ſuperſtitionibus everſis emineat vera religio. Jam vero quam fœdis corruptelis propemodum extincta fuerit ſub Papatu, vix ullis verbis exprimi poteſt, nec ſine ſummo horrore cogitari. Imo quum nihil aliud ſit totus Papatus, quam ſacrilega & innumeris ludibriis referta nominis Dei profanatio, ſi in repurgandis iſtis ſordibus frigemus ubi ſuppetit facultas, minime coram Deo ejuſque Angelis excuſabilis erit noſtra ceſſatio. Adhæc, quum veritatis confeſſio gratiſſimum Deo ſit & ſuaviſſimi odoris ſacrificium, infracta quoque ejus tuendæ conſtantia inter ſumma pietatis officia merito numeretur: nullum certe eſt officii genus, in quo & ſummam tuam virtutem exeras, & te exerceas majori cum laude. Rurſum quum videas ipſe coram quam animoſe Chriſti hoſtes pro ſua tyrannide certent, & ſimul quam furioſe oppugnent quam Filius Dei ſanguine ſuo aſſeruit doctrinam, mirum niſi te eorum improbitas ad piam æmulationem accendat: ut ſcilicet pro vindicanda Dei gloria nihilo ſegnius contendas, quam illi in opprimenda laborant. Si vero tuam prudentiam non fugit, quam honorifico titulo dignatus ſit Spiritus ſanctus, quos vocavit primitias Achaiæ, tibi certe danda opera eſt, ne hodie inter patronos renaſcentis in Polonia Euangelii vel poſtremus ſis, vel medius. Adde quod nulla in re certius tuæ erga Sereniſſimum Regem fidei documentum edere potes. Etſi enim tranquillo ille Regni ſtatu potitur, ut tamen hæc felicitas diuturna maneat, non alia ratione melius obtinebit, quam ſtabilito Chriſti Regno. Nam etſi Deus, quo ſe generis humani cuſtodem oſtendat, politicum ordinem etiam inter profanos homines peſſum ire non patitur, multis tamen exemplis apparet, nuſquam reſidere ſolidam ejus benedictionem, niſi ubi pura colitur religio. Ac quum Euangelium inæſtimabiles æternæ vitæ theſauros nobis aperiat, hæc ſecundæ gratiæ non pœnitenda eſt acceſſio, quod Deus Regna & Principatus, quibus præſidet, in ſuum præſidium fidemque recipit. Itaque ex quibus locis profligata eſt Papatus impietas, ut ſuccederet integra pietatis reſtitutio, illic leges & judicia florere, majorem vigere reverentiam Magiſtratuum, populos ſub placida modeſtia contineri paſſim videmus. Quo minus tolerabilis eſt eorum improbitas, qui doctrinæ formam quam tradimus, proterve infamant, acſi diſſipatio eſſet politici ordinis, quem nullo meliore adminiculo fulciri, experientia ubique clamat. Pluribus coram tecum aget frater noſter, & commodius quam ferat epiſtolæ ratio. Vale præſtantiſſime vir & illuſtris Domine. Chriſtus, qui te præclaris dotibus ornavit, mentem tuam omneſque ſenſus in legitimum earum uſum dirigat, quo ſacrum ejus nomen per te illuſtretur: ſuſtineat te ſua virtute, & omni benedictionis genere proſequatur uſque in finem. Genevæ, 4. Calendas Januarii. M. D. L V.

Ad Magnificum Dominum Nicolaum Miskowoski à Mirow, Caſtellanum Woniycenſem.

QUum iſtuc profectionem inſtitueret optimus vir N. qui tuam apud me pietatem non vulgaribus elogiis celebravit, committere nolui, ut ſine meis literis ad te veniret, quæ ſaltem amoris erga te mei & obſervantiæ teſtes forent. Nam ut te vehementius ad præſtandum quod Deo Patri, ejuſque Filio officium debes, exhorter, opus eſſe non videtur, quando vitam tuam aliis regulæ inſtar eſſe audio. Quare nihil aliud reſtat, niſi ut tui ſimilis eſſe ad extremum uſque pergas. Vides, præſtantiſſime vir, quam indigne multi ſacrum Dei nomen obtendant, qui futili tantum jactantia Euangelium in ore habentes, majori diffluunt vitiorum licentia, quam miſeri Papiſtæ, quos ſub aliquo diſciplinæ jugo ſuperſtitio retinet. Quod autem erroribus Papatus valere juſſis, ita magna pars hominum profaneſcit, hinc accidere certum eſt, quod & paucis curæ eſt vera religio, & omnibus fere ingenitum, carni ſuæ delicias facere. Te vero ex eorum eſſe numero, in quorum cordibus puram Euangelii doctrinam vivas egiſſe radices, qui inde naſcuntur fructus oſtendunt, tum ex animo tibi gratulor, tum permultos extare ſimiles magnopere cupio, vel ſaltem quos tuum exemplum ad imitationem accendat. Sed quia nihil tibi afferent meæ literæ quod non uberius & luculentius ſuppeditent lucubrationes in publicum editæ, in quarum lectione libenter te exerces, non eſt cur te longius detineam. Nam & hoc, ut initio præfatus ſum, mihi præcipuum ſcribendi conſilium fuit, ut ſcires præclaras tuas virtutes, quæ Polonis in exemplum prælucent, procul etiam notas eſſe, & quo merentur in pretio haberi. Vale nobiliſſime vir & mihi plurimum obſervande. Dominus donis ſuis te augere pergat ad illuſtrandam nominis ſui gloriam, teque Spiritu ſuo ſemper gubernet. Genevæ, 4. Calendas Januarii. M. D. L V.

Ad Generoſum Dominum Staniſlaum Cranniski Inan, hæredem in Alexandrowicze, Equitem Polonum.

EX tuis ad optimum fratrem noſtrum N. literis, quas mihi recitavit, perſpicere facile licuit, ornatiſſime vir, quam vere te Chriſto addixeris. Nam illæ non modo ſerium pietatis affectum ubique ſpirant; ſed etiam clare oſtendunt, tibi oihil majori eſſe curæ ac ſtudio, quam ut legitimo Dei cultu in ſuum ordinem reſtituto, pura & integra religio in Polonia floreat. In hoc ſancto inſtituto ut conſtanter pergas, pluribus verbis te hortari ſupervacuum forte eſſet. Si tamen ultro currenti calcar adderem, ſperavi hoc meum ſtudium nec inutile, nec tibi moleſtum fore. Vide ergo, generoſe vir, quando ſtadium hoc tam feliciter ingreſſus es, ne qua te difficultas terreat vel moretur, ne mundi ſtrepitus animum tuum debilitet, ne te fatiget temporis longitudo. Bene autem eſt, quod Filius Dei non otioſus certaminis noſtri ſpectator in cælo ſedet, ſed invictum etiam ſuppeditat robur, quod par ſit ad ſuſtinendam laboris molem. De veſtro cum Valdenſibus conſenſu optima quæque ſpero: non modo quia ſanctam unitatem, in quam coaleſcunt Chriſti membra, Deus ſemper benedicere ſolitus eſt; ſed quod inter hæc rudimenta, fratrum Valdenſium peritiam, quam longo uſu Dominus exercuit, oon vulgari adjumento vobis fore ſpero. Quare ſedulo à vobis omnibus danda opera eſt, ut hæc pia conſpiratio magis ac magis ſanciatur. Te vero ut privatim horter ad ſuſcipiendum hoc negotium, occaſio mihi ex tuis literis oblata eſt. Vale nobiliſſime vir, & mihi ex animo colende. Dominus te diu ſervet incolumem, Spiritu ſuo regat, & ſuum nomen per te illuſtret. Genevæ, 4. Calendas Januarii. M.D. LV.

Joannes Calvinus tuus.

Magnifico Domino Staniſlao Laſſoczki, Subcamerario Terræ Lankzcienſis.

EGo vero tibi, eximie vir, ex animo gratulor, quod rebus adhuc iſtic dubiis, omni ſimulatione depoſita libere profeſſus ſis, te unum eſſe ex eorum numero, quibus nihil potius eſt, quam obedienter ſequi quo nos Filius Dei vocat. Hæc ſinceritas omnes Dei filios, ubi de legitimo agitur ejus cultu, apprime decet, ut non vacillent ad quamlibet auram flexibiles, neque aliunde pendeant, ſed fundati ſint in firma illa rupe, quæ nec ventos ullos, nec tempeſtates vel procellas extimeſcit. Te-
Eſa. 8. nenda enim eſt illa promiſſio, qua Eſaias fideles ad
verſ. 13. fortitudinem animat, Dominum exercituum ſanctificate, ipſe quoque erit pavor veſter & arx inexpugnabilis. Nam hunc ipſe ſibi honorem merito vult haberi, ut ejus virtute confiſi, quod præcipit & mandat, ſine mora amplectamur. Tu vero, ornatiſſime vir, reipſa teſtatus es de fugiendis ſuperſtitionibus non obſcurum tibi eſſe ejus præceptum, qui ſacrilegio Papalis Miſſæ valere juſſo, ſacræ Cœnæ actionem quam inſtituit Chriſtus ac ſancivit, palam in uſum revocare auſus es: acſi erecto vexillo, ex miſera Papatus diſſipatione reliquias colligeres ad fidei uoitatem. Euge ergo, generoſe Chriſti miles, & quod ſemel ingreſſus es ſtadium, ad metam uſque percurre: nec ullis obſtaculis cedas, nec aliorum torpore remittas animum, nec ullis difficultatibus fatigeris, donec Chriſtus, qui noſter eſt in hoc certamioe Agonothetes, æterna gloriæ palma te dignetur. Idem vero è cælo infractas ad perſeveraodum vires ſuggeret. Ut homo ignotus literis te compellarem, factum eſt fratris noſtri N. hortatu: has tamen partes libenter ſuſcepi, ut iotelligeres eſſe etiam in longinquis regionibus, qui licet coram ſuppetias non ferant, votis & precibus juvare te contendunt. Vale magnifice Domine. Dominus te Spiritu ſuo regere pergat, ſanctoſque tuos conatus benedicat. Genevæ, 4. Calendas Januarii. M. D. LV.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. GARNERIO.

QUanquam ex tuis literis jam prope nobis certum erat, te propediem affore, facit tamen hæc conditio præter ſpem repente oblata, ut conſilium profectionis te motaſſe non mirer. Nam ut ejus captandæ nunquam tibi fuiſſem auctor, ita cur tam commode ac tempeſtive oblatam aſpernari debueris, non video. Eſt enim boneſtum munus, in quo te utiliter exerceas. Neque in reprehenſionem cadit mutatio, quæ voluntaria non eſt. Tibi ſponte nunquam deſerenda fuit ſtatio. Nuoc quando violenter ab ea dejectus es, quominus operam tuam privatim adoleſceotibus illis docendis impendas, nulla ratio impedit. Aula, quamdiu te Eccleſia tenebat obſtrictum, non fuit appetenda: nooc vero alia eſt libertas. Quominus itaque à publico munere ſolutus, provinciam & ſanctam, & à qua ſperaodus eſt fructus, ſuſcipias, minime diſſuadeo. Nec Farellum & Viretum aliud ſenſuros exiſtimo: quanquam ſi aliud conſilium dederint, nolo mihi obtemperes. Verum, ſi recte divino, non erunt tam auſteri, ut te revocent. Vale integerrime frater. Dominus te conſilii Spiritu regat, virtute ſuſtentet, beoedictione ſua foveat, Amen. Saluta uxorem & amicos. Genevæ, 8 Auguſti. M. D. LV.

Joannes Calvinus tuus.

BULLING. CALVINO S. D.

LIteras tuas, honorande Domine & frater, ad me peculiariter ſcriptas, tum eas quas communes eſſe voluiſti, una cum defenſione tua accepi jam jam, ideoque nondum exbibus fratribus, cras exbibiturus. Nihil tamen dubito illos omnia libenter lecturos, non ſine gratulatione & gratiarum-actione. Commode vero literas & libellos aliis deſtinatos Eccleſiis conjunxiſti. Nam illa ipſa hora qua redduntur, commode tranſmittere potui Curiam in Rhætiam, Sangallum & Schafhuſium. Singulis meas adjunxi literas, quibus ipſis ſanctum opus commendo. Spero illos brevi tibi gratias acturos. Et quando eo ipſo die tabellio Bernam profecturus erat, huic quoque meas tradidi, quibus D. Hallero expoſui quid facto opus putem, maxime ſi bilioſi contentionis funem ducere velint. Noſtrates cum Locarnenſibus concordes per omnia, legatos ad ſe miſſos, uti prioribus tibi indicaram, ita dimiſerunt, ut oe pilum quidem de ſua ceſſerint ſententia, copioſeque illis expoſuerint, cur non poſſint per omnia conſentire in ſequeſtrium cum ipſis ſententiam: præterea miſerunt legatos in omnia oppida ſua, in omnes Comitatus & Præfecturas, habitis quoque in urbe & agro maximis cœtibus, expoſuerunt omnibus quid actum ſit in cauſa Locarnenſi, cur conſentire noluerint, quid periculi ſit. Et quod mirum eſt, coocordes veluti ex uno ore omnes, magnis interim à ſe itineribus diſtantes, ut nemo quiſquam de ſyncretiſmo vel ſuſpicari poſſit, reſponderunt: Placere ſibi ex animo, quod ſtabiles in vera religione permaneant, neque ſocios religionis ad defectionem ſollicitari ſuſtineant, orareque ut ſic pergant: ſe enim & facultates, & ſanguioem, & vitam ſponte & liberaliter depoſituros, ſi quis vi velit ad impia & cum vera religione pugnantia adigere. Interea adſunt duo legati à Locarnenſ. miſſi. Doctor quidam medicus, & nobilis quidam. Referunt in Senatu Calend. Jan. convocatos

vocatos in cœtum fideles, & bis ex charta recitata eſſe ſequeſtrium capita, additam amicam abhortationem à Locumtenente (nam Præfectus noſter juſſus eſt ſe non immiſcere huic negotio) & Scriba, ut in viam redeant. Indicatum præterea legatos brevi venturos qui totum abſolvant negotium. Cæterum patresfamilias circiter 80, deſtinaſſe ſolum vertere una cum ſuis familiis, niſi clementiora audierint à legatis venturis à 7 Rebuspubl. vel undecim, ideoque ipſos jam miſſos legatos parandis hoſpitiis. Quando vero commodiſſima foret migrantibus vallis Tellina Rhætis ſubjecta, orabant Ampliſſimum Senatum, literas ad Rhætos ſcriberet, quibus ipſis peteret hoſpitium. Senatus hac poſtulatione & expoſitione prorſus commotus, conſolatus eſt legatos, aperuitque urbem & agrum ſuum. Quia vero illi ſe Rhætiam incolere malle ſignificabant, & ideo literas ad Rhætos commendatitias poſtulabant, Senatus duos illis adjunxit ex Senatu viros auctoritate & ſenio reverendos, & Rhætis acceptos. Hi una cum legatis Curiam profecti ſunt, paraturi fidelibus hoſpitia. Dominus bene vertat. Ego toto hoc anno de omnibus quæ facta ſunt, fideles Locarnenſes frequentibus literis diligenter admonui, & adhuc conſolari non ceſſo. Dominus adſit illis & roboret Spiritu ſuo, eorumque miſereatur. Angliam recepiſſe Papam & Papatum non neſcis. Uſus eſt Diabolus in illa recuperanda duobus eximiis organis: in regno quidem, Vintonienſi Epiſcopo; extra regnum, Reginaldo Polo Cardinali, qui jam & Primas Regni & Archiepiſcopus Cantuarienſis creatus eſt. Receptus eſt ſolenni pompa Londini ad S. Crucem in æde Paulina. Projecerunt ſe ad ejus pedes Magnates, & abſolutionem benedictionemque Apoſtolicam ſupplices poſtularunt à beſtia, confitentes ſe 15 annis à Catholica Romanaque Eccleſia abſciſſos, per vepreta hæreticorum aberraviſſe. Orationem habuit in cæco illo cœtu Vintonienſis, qui & ipſam revocavit orationem, quam olim ſub Rege Henrico de obedientia edidit. Cardinalis cùm veniſſet ad Reginam Mariam deſtitueretur que ſalutandi formula tanta reparatione digna, placuit uti verbis Angeli, Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca! Veni, veni D. Jeſu, & vindica contumeliam tuam, & aſſere gloriam tuam. Fratres noſtri Epiſcopi & Nobiles adhuc incarcerati tenentur, brevi forte tradendi judicio ſpirituali quod jam reparatur, mox brachio ſeculari. In vincula conjiciuntur quotidie innumeri. Inhibetur ſub pœna capitis ne cui exuli feratur auxilium. Jactat Vintonienſis effecturum ſe, ut exules omnibus ejecti locis, cogantur tandem fame perire, adeoque proprios ungues rodere. Qui apud nos verſantur Angli, valde triſtantur: ſed conſolamur ipſos. Orandus eſt ſedulo Dominus, ut afflictæ ſuæ Eccleſiæ dexter & propitius adſit. Vale. Salutant te & tuos ſymmyſtas noſtri ſymmyſtæ omnes. D. Jeſus ſervet te nobis diu incolumem. Iterum vale D. honorande & frater in Chriſto chariſſime. Tiguri, 18 Januarii. M.D. L V.

CALV. BULLINGERO S. D.

Quia in hoc præclaro humanitatis officio, quod Ampliſſimus Senatus veſter profugis & miſeris fratribus præſtitit, relucet ſingulare pietatis ſpecimen: quamvis prava mundi ingratitudine ſepeliatur, nunquam tamen coram Deo excidet ejus memoria. Mihi quidem dubium non eſt, quin rara quædam Dei benedictio civitatem veſtram maneat. Quod etiam laborantibus & perplexis neque tuum conſilium, neque aſſidua hortandi conſolandique ſedulitas unquam defuit, quia noſtras omnium vices obiiſti, ego pro mea parte, ingentes tibi ago gratias. Vale ornatiſſime vir, & mihi ſemper obſervande frater. Symmyſtis & familiæ tuæ plurimam ſalutem. Dominus vos omnes regere ac tueri pergat. Genevæ, 3. Nonas Febr. M.D. L V.

FARELLUS CALVINO.

Plus ſatis habes unde in horas crucifigaris & domi & foris, ut opus non ſit me tibi graviorem addere crucem. Habes quam juſtiſſimas querendi rationes. Ex multis pauca attigiſti in tuis literis. Quid enim dici poteſt de iis qui ultro in Chriſtum inſurgunt, ut eum prorſus perdant ut iniquiſſimum, & Satanam juſtificent ut ſanctiſſimum? Non heri cœptum eſt: ſed mox ubi tu nobis datus fuiſti à D. perſeveratum eſt magnis animis, ut progreſſus in omni iniquitate fuerint quam maximi. Sed gratias ago D. quod nullus favor potuiſſet efficere ea, quæ videre nos facit Chriſtus noſter & efficit in hac tam gravi & intolerabili moleſtia, ut plura multo ſint pro nobis & nobis accedant, quam contra nos aut à nobis deficiant. Fiunt multa indigne, & proſcindimur: ſed latent nos plura, & ea quibus D. commendamur. Tangi expedit mala & argui: ſed in bonis & bene merendo, Chriſtum nobis debemus proponere quam patiens eſt, quam eſt ſtudioſus ut de male merentibus quam optime mereatur, non ſervili animo, ſed plus quam heroico, qui malis non frangitur. Voluit Chriſtus in te inſigne edere: quum turba tot hoſtium conveniſſet, ut cædibus omnia impleret, non dubitaſti te non modo ridendum, roſtris fœdandum, ſed conculcandum, lacerandum, perdendum, omnium gladiis confodiendum ultro objicere. Favit Dominus tibi, & quod ſtrenue cœpit triumphans quam feliciſſime abſolvit. Non tam impedita ſunt quæ abs te peto, nec tam indigna, ſi rationem conſulas, etſi videntur indigniſſima: ſed malo coram agere, ſi D. dederit. Tantum peto ut gratias agens D. ſuper ingenti miſericordia & bonitate qua te cinxit undique, commendes hoſtes D. feras omnia æquiori animo, queraris tantum apud D. qui medeatur, apud eos qui peccant, ut convertantur. Et ſi qui velint & poſſint una hoſtes admonere, paucos audias, qui aliorum mala narrent, paucioribus credas. Vides in Paulo, quem tu notiorem orbi omnibus feciſti, quid is tribuat toti cœtui propter interdum paucos valde. Sed quis eſt qui me non rideat hæc ad te ſcribentem, ſi intellexerit? Annon merito ſus Minervam dicat? Sed noſtro hæc condona amori. Et interea audi in quibus verſemur. Ego litem habeo cum plebano Creſcentino. Peto ut ſibi conſulat & plebi, & quod me tangit ſepeliatur, me id non curare. Ille agnoſcit aliqua, de quibus veniam petit: alia negat; mihi probandum eſt. Gulielmus Hobraquius, quem ſemel prohibuerunt Laudecomenſes arreptis Biblius ſacris & dejectis in terram, litem quoque habet cum iis, qui contumeliis eum affecerunt. Scripſit aliqua de Miſſa, unde nitatur quidam Helvetios, qui Miſſam habent, ciere, ut agant quemadmodum contra Michaëlem. Interea bonus vir pergit felicius, quam hactenus. Conciones haber liberas & uſum Sacramentorum. Præterea Joannes Drogius Paſtor Bevacenſis cujus uxor in lepram incidit, quamvis Synodo interfuerit, & ſubſcripſerit non ſolvi conjugium lepra, & ita omnium calculis fuerit concluſum, Præfecto & omnibus approbantibus Ordinibus: tamen quia Germanis aliter videtur, licet fuerit cum uxore, & filium habuerit ex ea, nondum eſt alter annus exactus, vult nihilominus alteram ducere. Miſera uxor vocata fuerat me inſcio, ſed à collega cum aliquot convocatis, ut ſuum daret aſſenſum: ſed noluit coram comparere. Urgetur à viro. Petit quum parum ſuperſit vitæ, expectet. Si nolit, videat an ex verbo D. poſſit. Si D. id probet, eam non improbare. Vides ut habet cum uxore. Nuper dicebat fratribus, Wattevillanum ex fratribus

bus petere, ut ea daremus per quæ judicamus non licere per lepram, ſano aliam ducere ſanam uxorem. Illic vidi non recte agi, ſed oblique nos impeti. Omnes mihi reclamanti hanc provinciam injunxerunt. Pernegavi me facturum. Sed noſti noſtrorum ingenia: quo plus renuo, magis urgent. Et ne aliis anſam præbeam omnium ſententiis refragandi, coactus annui, ſi daretur alios rogare quum non putem me idoneum ad id præſtandum. Quamvis olfaciam collegam conſilii auctorem: hæreo tamen an anſa captetur committendi nos cum Germanis. Quicquid tandem ſit, tuum opto conſilium. Vellem ſi poſſet fieri, ut rationibus tum Buceri, tum aliorum fieret ſatis. Nam quod dicitur Paulum alias afferre divortii rationes quam eam, quæ una à Chriſto adducta ſit, ubi de deſertore agit, mihi alium ſcopum habere videtur: & quid habet commune infidelis diſcedens, cum fideli quæ manere optat? Tu non modo nobis proſpicies, verum etiam aliis. Vellem pectus Germanis tam firmum in perferenda in conjugibus lepra, quam eſt laudandum in peſte toleranda. Quod ad Magiſtratum attinet, non probarim tantum illi deferendum, ut indulgentior in eos quibus præeſt, annuat ob duritiem cordis, ut ſejuncti & avulſi ab iis quibus per D. ſunt conjuncti, mœchentur cum aliis, quibus non poſſunt jungi ſine adulterio. Chriſtus faxit, ut ſacroſancta hæc conjunctio pura, ſine omni macula ſervetur. D. Martinus nondum rediit à nuptiisGeorgii. Utinam aliquid efficiat: quod, quantum conjicere licet, non apparet. Toſſanus callide quod agit & egit non cogitavit unquam: coactus à Principe & juſſus, innocens, purus, calumniis impetitur. Ejecti quum ferri non poſſent, dimiſſi clementer propter miniſterium, quum receperint pacem Eccleſiarum illarum ſe non interturbaturos, nec quieſcunt, nec ceſſant omnia agere ſecus quam promiſerint. Triumphat jam ſerio Toſſanus, & innocentes omnium ſunt nocentiſſimi. Dabit tandem Chriſtus finem tot & tantis malis. Ego in iſta cauſa ſupra omnes traducor: & quamvis bona mihi reſpondeat conſcientia, & geſtiam hæc mihi propter Chriſtum contingere, tamen meæ mihi conſcius imprudentiæ & carnis, quæ ſpiritui ſemper adverſatur, tam infirmus, tam procul ab iis quæ adeſſe debent, cum Apoſtolo ingemiſco, & veniam peto in hoc gaudio & expectata mercede, quam dat & dabit qui pro nobis mortuus eſt. Commendo tibi miſeros quos Satanas urget in te. Bene preceris illis: & quantum fieri poteſt, bonorum memineris & malorum obliviſcaris. Vide quis veneris, & quotus, & nunc ubi ſis, ut pergas ſemper ſtrenue magis: & vide quid Jacobus ille dicat ita ſtipatus rediens. Quid illa ad iſtam gratiam, ut merito ferre debeas furores Satanæ, imo ridere? Finem non faciam tecum agens indigne, mihi arrogans quod non licet. Pueris ut datur ineptire, quid jam bis puero non dabitur aliquid, qui nunquam ſapiens fuit? Vale igitur, & omnes vorato moleſtias propter Chriſtum. Opto collegas ſalvos, non præterito Gallaſio, Budæo, Normandio, fratre Trierio, omnibus. Collega & reliqui fratres te ſalvum optant. Neocomi, 7 Septembris. M. D. LV.

Gen. 32. verſ. 10.

Tuus totus Farellus.

PHILIPPUS BULLINGERO S.D.

REverende vir & chariſſ. frater, quum allata eſſent exempla tui ſcripti [illegible], ſtatim emi & legi: ac lætatus ſum conſenſu veſtrarum ac noſtrarum Eccleſiarum. Poſtea tuas literas, & librum à te miſſum accepi. Tibi igitur & pro benevolentia erga me tua, & pro munere gratias ago. Legi etiam quæ de Serveti blaſphemiis reſpondiſtis, & pietatem ac judicia veſtra probo. Judico etiam Senatum Genevenſem recte feciſſe, quod hominem pertinacem, & non omiſſurum blaſphemias, ſuſtulit. Ac miratus ſum eſſe qui ſeveritatem illam improbent. Mitto de ea quæſtione breves pagellas, ſed tamen ſententiæ noſtræ teſtes. Quidam veteres amici mei minitantur mihi, ſe ὑπὲρ ἀρτολατρείας contra me ſcripturos eſſe: ſi quid edent, nominatim contra me, decrevi Deo juvante reſpondere, etiamſi hoc certamen omitti malim. Pios & doctos de re tanta placide colloqui utilius eſſet. Oro autem Filium Dei, ut nos omnes gubernet, ſanet Eccleſiæ vulnera. Bene & feliciter vale, chariſſime frater. Die 20 Auguſti. Salutem opto vobis omnibus.

BULLING. CALVINO S.D.

ACcipe, chariſſime mi frater, & D. colendiſſime, exempla epiſtolarum harum. Putavi in his eſſe, quæ te omnino ſcire conveniat. Ideo per generum meum deſcribi curavi. Copioſiores literas adferet D. Thomas Leverus Anglus, cui heri tibi ferendas tradidi. Opportune nunc aderat Dominus Criſpinus noſter, cui has dare volui. Vale. Tiguri, ultima Septemb. M. D. LV.

JOANNI CLAUBURGO,
Senatori Francofortenſi.

ETſi literis tuis, ornatiſſime vir, renovatus mihi dolor fuit, quem ex optimi & præſtantiſſimi hominis D. Adolphi morte conceperam: fieri tamen non potuit, quin mihi ob rarum erga me amorem, quem omni ex parte ſpirant, ſuaves eſſent ac gratiſſimæ. Ereptus ille nobis fuit, ſi ex noſtro deſiderio judicium facere liceret, parum tempeſtive: ſed quia Dei arbitrio ſtandum eſt, peracto vitæ legitimo curſu in beatam ſtationem, ubi nos quietus expectet, ſuo tempore receptus eſt. Quod veſter ille concionator ex libro Jeſu filii Sirach deſumptum ejus perſonæ aptavit, divinitus abreptum eſſe, ne malitia cor ejus mutaret. Fateor certe Deum optime conſulere eorum ſaluti, quos ex tot tantiſque corruptelis, quæ paſſim graſſantur hodie in toto mundo, eripit. Sed quod ſumma laude in cognato tuo dignum fuit, vertere in vitium, maligni fuit pravique ingenii. Omitto ingratitudinem, quod hominem cui vivo blandiri coactus eſſet, multis ſcilicet beneficiis obſtrictus, mortuum arrodere non erubuit. Sed quid facias cum iſtorum pervicacia, quibus hæreticum eſt quicquid vel tantillum ab eorum figmentis diſcrepat? Quomodo hominibus parcerent, qui ſinceram pietatis doctrinam non minus protervo faſtu conculcant, quam truculenta moroſitate reſpuunt? Cæterum ut tibi, eximie vir, pro tua moderatione placida hæc indignitas fuit devoranda, ſic te privatæ injuriæ dolor admonet, ad cohibendam iſtam intemperiem mature adhibenda eſſe remedia. Ego tempeſtivam, ut putavi, occaſionem nactus, Ampliſſimum Senatum per literas rogavi, ut inteſtinis iſtis diſſidiis occurreret. Etſi autem adventus ad vos meus non eſſet forte inutilis, & eum linguæ noſtræ homines optarent: quia tamen me ingerere abſurdum erat, verecunde teſtatus ſum, mihi non grave nec moleſtum fore iter, ſi qui ex veſtris concionatoribus doctrina mea offenſi, placidum colloquium admittant. Suppetunt enim rationes, quibus eos placare, quoad in me erit, & quoad patietur veritatis defenſio, conabor. Tu vero, præſtantiſſime vir, pro tua prudentia, quid factu utile ſit, ſtatues, totumque negotium moderaberis. Linguæ noſtræ hominerý ſicuti jam feci, ad colendam inter ſe pacem hortari non deſinam: ſi qui etiam duræ cervicis erunt, eos monere, ne ſe perverſis diſſidiis lacerent. Nam inter tuas virtutes hanc jure ſuſpicio, quod antehac multa vitia toleraveris quæ à gente noſtra alienare tuum animum poterant: ſi ad perſeverandum tibi animos addere opus eſſet, has partes

minime

minime detrectarem. Sed dum mecum reputo quid agas, teque ſponte occurrere mihi video, paternamque ſollicitudinem teſtari, ne quid accidat aliter quam vellemus, pudore impedior ne quid te rogem. Tantum rogandus eſt Chriſtus, ut ſemper ad hæc tædia devoranda, invicta animi fortitudine conſtantiaque fulciat, & alibi piis ſuis exulibus ſimiles excitet patronos. Quod ad me privatim ſpectat, mihi mire gratum fuit, adhuc antiquæ noſtræ conſuetudinis apud te memoriam vigere. Ego ut tuæ erga me benevolentiæ viciſſim reſpondeam, quibuſcunque potero officiis ſtudebo. Vale præſtantiſſ. vir, & mihi in primis honorande. Dominus te ſemper tueatur cum ſancta familia, tibique benedicat. Genevæ, pridie Calendas Martii. M. D. LVI.

Miniſtris Eccleſiæ Francfurtenſis.

ETſi literis meis gratiam apud vos non modo nulla interior neceſſitudo, ſed ne mediocris quidem notitia conciliat, venerandi & dilecti fratres: fraterna tamen conjunctio, quæ jure miniſterii communis inter nos mutuo vigere debet, ſatis ad ſcribendum fiduciæ dare viſa eſt, ut minime dubitem apertam mihi fore januam, ut comiter veſtra & qua optandum eſt, manſuetudine excipiar. Nuper quum ſub Ampliſſimi Senatus veſtri nomine mea in tres Euangeliſtas harmonia edita eſt, quominus vobis ſcripſerim, quid præter pudorem obſtiterit neſcio. Vix enim unquam niſi neceſſitate coactus, ad ignotos ſcribere ſoleo. Ignotos autem voco, nequem veſtrûm offendat verbi aſperitas, quibuſcum familiaris uſus non intercedit. Certe contemptu vel negligentia minime fuiſſe præteritos, ſancte vobis affirmo. Ubi autem reverſi ſunt ex nundinis librarii, miratus ſum, fateor, Joachimi cujuſdam Weſtphali non minus inſulſum quam virulentum librum, quo meam de Sacramentis doctrinam oppugnat, iſtic editum eſſe. Nam mihi perſuaſeram, optimum inter nos conſenſum eſſe: aut ſi docendi ratio non prorſus eadem foret, tantum non eſſe diſcrepantiæ, quod uſque in odioſam contentionem erumperet: ac fieri quidem poteſt, ut inſciis vobis exierit liber ille, quem certe veſtris ſuffragiis fuiſſe probatum non arbitror. Neque vero hoc expoſtulandi cauſa commemoro: ſed quia ſimul allatus eſt rumor, quibuſdam è collegio veſtro minus placere quæ de Sacramentis trado, antevertere viſum eſt, ne quid diſſidii ſilentio meo vel diſſimulatione foverem. Certe ut non libenter me obtrudo, ita ſi quiſpiam veſtrûm mea doctrina offenditur, nulla ad eum placandum ſatisfactionis ratio à me negligetur. Quod ſi ad offenſiones tollendas utilis mea ad vos profectio eſſe videbitur, quamvis longum & incommodum eſſet iter, nihil tamen moleſtiæ recuſo. Nam quum hoc ſtudium ſanctæ inter nos concordiæ mihi debere videor: tum vero quia Ampliſſimus Senatus ſumma humanitate oblatam ſibi dicatamque Harmoniam amplexus eſt, literiſque teſtatus, ſibi gratum munus fuiſſe ac jucundum, ita me ſibi devinxit, ut hoc ſuo merito à me officium exigere videatur. Neque tam mea cauſa laboro, quam ut peregrinos fratres quibus hoſpitium D. in urbe veſtra conceſſit, ſincera dilectione amplectamini. Audio enim, neſcio quid litium & vexationis metuere quod eorum quietem perturbet. Porro quum ſciatis partem vi & tyrannide hoſtium Chriſti patria expulſam ad vos migraſſe: partem vero, ut vobiſcum puram Chriſti fidem profiteretur, voluntario ſe exilio multaſſe: quantum aliis miſera ſua conditio, aliis prompta ad ſequendum Chriſtum alacritas gratiam conciliare debeat, apud vos diſſerere ſupervacuum foret. Imo ſi qua in ipſis deſideretis, ut forte eos ſuis vitiis laborare credibile eſt, venia tamen & facilitate ſcitis ferendos eſſe. Potius vero quam ut in certamen erumpat ſi qua hactenus occulta fuit ſimultas, quaſcunque mihi partes imponere voletis, ſuſcipere paratus ſum. Certe ad pacificationem utriſque fidus ſemper ero & hortator & adjutor. Valete chariſſimi & ex animo vere colendi fratres. Dominus vos Spiritu prudentiæ, fortitudinis, & manſuetudinis gubernet, laboreſque veſtros benedicat, Amen. Genevæ, 6. Nonas Martii. M. D. LVI.

VALERIANO POLANO.

SI liber fuiſſet Olbracus, neque ipſe qua eſt pietate, cum Eccleſiæ veſtræ incommodo huc uſque moram traxiſſet, neque etiam ad eum ſtimulandum defuiſſet aſſidua noſtra ſedulitas. Sed quia bona ſpes erat, poſſe tandem dimitti, & neminem reperiebamus tam idoneum, coacti ſumus vos longius tenere ſuſpenſos. Spero ejus adventum multis modis fore utilem. Eſt enim probe in Scripturis exercitatus, ſuppetit non vulgaris docendi dexteritas, ſincere & ex animo ſeſe Chriſto addixit: cordatus eſt non minus quam ad moderationem propenſus. Accedit etiam & prudentia & maturitas, quæ non ſolum homini auctoritatem conciliet, ſed plurimum valeat ad ſedandas turbas. Itaque nec gratia nec ambitione ut ſpero flectetur, quin Eccleſiæ ædificationem fideliter procuret. Sed vereor ne Eccleſiæ veſtræ morbus curatu ſit perquam difficilis. Nam incurabilem dicere non audeo: nec male ante tempus ominari libet. Nunquam certe de exitu infauſtæ hujus concertationis fui magis anxius. Nam quod communibus literis ſcribitis tranquillum eſſe ſtatum, cum vulgari rumore non convenit. Video equidem nimia pertinacia quibuſdam propoſitum eſſe digladiari vel ad ultimam uſque Eccleſiæ cladem: ſed unde implacabile tui odium contraxerint, neſcio. Si pauci eſſent non mirarer, & cenſerem ſpernendos eſſe. Nunc quum multos eſſe audiam, & ex illis quoſdam non alioqui improbos, hoc me non leviter conturbat: fateor quidem in hac cauſa non uno modo eos peccare; neque ab illa ſententia dimoveor, ipſos proprio judicio tribuere pluſquam oportet, moroſitate impelli, & aliis vitiis laborare: ſed quia tam gravium offenſionum cauſæ mihi non ſatis cognitæ ſunt, hic perplexus hæreo. Itaque D. Clauburgo ſcripſi, poſtquam tentata fuerint omnia remedia, ſi magnæ Eccleſiæ parti te non placere intelligas, cedendum potius eſſe, quam ut te ac tuum miniſterium continuis probris exponas, quotidie excogitentur nova crimina, & exitiali diſſidio Eccleſia laceretur. Nollem hoc vel factioni paucorum hominum, vel in tumultu concedi: quia res peſſimi exempli foret, importunis clamoribus quaſi violenter dejici Paſtorem. Verum ſi ita alienatos eſſe videas magnæ partis animos, ut operam tuam reſpuant, & doctrinam minus reverenter amplexentur: expende ipſe, annon expediat Eccleſiæ judicium ſemel potius ſubire, ut ſi faſtidio es, te abſque ſiniſtra nota dimittat, quam apud invitos gradum tenens, acerba ægritudine & aſſiduis moleſtiis confici. Et hoc parce apud D. Clauburgum attigi, quem & tibi penitus eſſe amicum ſcio, & cauſæ tuæ patrocinari quoad poteſt. Nec vero tam cito deliberandum cenſeo, donec ultima neceſſitas id extorqueat. Nam forte Olbraci adventu fiet aliqua mutatio in melius. Imo forte diſcuſſis nebulis orietur ſerenitas. Tu interea vide, ne animi plus ſatis jam exulcerati nova aliqua offenſione pungantur. Nec vero ignoras, ubi ſemel efferbuit contentio, præſertim ubi progreſſu vires collegit, pravas ſuſpiciones regnare, & omnia fere in calumniam trahi. Alios porro novum bellum vobis moviſſe doleo: ſed ita ſcilicet opportunitates ſuas captat Satan. Miror etiam quum apud me nuper pacem & fraternam benevolentiam colere in animo ſibi eſſe teſtati ſunt, repente ad tantam atrocitatem ſine cauſa impulſos fuiſſe. Hoc etiam magis abſur-

dum quum blanditi fuerint tanquam homini de Eccleſia bene merito, nunc regnum vel tyrannidem odioſe objicere. Cuperem ſane depoſitis lautitiis, eos ſuccedere in regnum, cui nunc invident. Sed puridior eſt calumnia, quam ut mihi exiſtimem longa defenſione opus eſſe. De cauſa ipſa ſcripſi ad Dominum Clauburgum: quo animo acceperit, tu me certiorem facies. Apud illos privatim nihil proficerem. Nam iſtis fere hominibus hoc eſſe propoſitum video, ut voluntario ſtupore ſe oblectent. De muliere quam perfide maritus deſeruit, ſic breviter accipe. Sicuti ad permittenda divortia nos faciles eſſe non convenit, temperandum eſſe rigorem, ne quis ubi extra culpam compertus fuerit, jure ſuo cum animæ exitio fraudetur. Itaque ſi certo conſtet caſte eam honeſteque vixiſſe, ac functam eſſe probæ uxoris officio: maritum vero fracta & violata conjugii fide, cum ſcorto in locum incognitum abiiſſe: cauſa legitime cognita, nubendi libertatem quam Dominus permittit, ab hominibus negari fas non eſſe arbitror. Vale chariſſime frater. Uxorem tuam meo nomine plurimum ſaluta. Dominus vos gubernet ſuo Spiritu, virtute tueatur, vobiſque benedicat. 24 Junii. M. D. LVI.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

SI tibi minus prolixe reſpondeo, quam rerum de quibus ad me ſcripſiſti ferebat copia & varietas, epiſtolæ brevitati temporis anguſtiam obtendere non licet: ſatis enim ſuperque ad ſcribendum fuit otii, ſi modo uſus forem. Quod te moneri cupis, ſi quid in te deſiderem; & tibi rurſum anxie caves, ne delatoribus aurem præbeam: quid mihi agendum ſit neſcio. Niſi enim me fallit opinio, ſupervacua ſuſpicione laborans, quibuſvis monitionibus januam præcludis. Ego vero, mi frater, ſincere tibi aſſero, non fuiſſe periculum à quibus tibi metuis. Verum ut hunc vel illum repudies teſtem, vix unquam efficies quin duo in te notentur vitia: oſtentatio & immodicus ſatagendi fervor. Quare ſi extinguere cupis hominum ſermones, danda opera eſt, primum ut purgatus omni ambitione animus ad veram modeſtiam ſpiret: deinde ne qua in vultu & verbis appareant faſtus & confidentiæ ſigna. Hoc tibi non ex unius amici mei ſenſu, ut tu ſuſpicatus es, ſed ex communi multorum judicio familiariter denuncio: apud quos doleo minori in pretio eſſe tuas virtutes, quas iſtis maculis infici putant. Jam vero ut alteram notam effugias, quia invaluit opinio multorumque animos occupat, aliena negotia te non ſolum amplecti, ſed cupide accerſere, reipſa oſtendes nihil tibi eſſe optabilius, quam intra officii tui metas incedere. Cogit nos ſæpe hominum importunitas longius progredi quam vellemus (atque hoc ego nimium experior) nec vero fieri aliter poteſt, quin multis turbinibus involvat. Sed æqui judices non tribuunt vitio moleſtias, ad quas me invitum trahi conſtat. Nec vero mirum tibi videri debet, ſi querantur boni quidam, te imperioſe magis quam juſte confeſſionem exigere à fidei probatæ hominibus. Siquis eandem tibi legem imponat, negas te ducturum pro injuria. Ut ita ſit, quod tamen mihi nondum perſuades, ego mihi aliter ſentire permitto. Nam ut alia taceam, hoc inter Eccleſias mutuum jus vigere debet, ut in probando grege altera alterius judicio acquieſcat. Et certe ſi tuo loco eſſem, non ſine rubore audirem qui ad examen novum vocarentur, probatos jam fuiſſe in eo loco ubi ſincera pietas colitur. Hæc ego familiariter apud te: neque enim me alibi exagitare audies. Cæterum ea tacere quæ vulgo ſparguntur, ingenuum non eſſet. Non dico apud nos vulgari: quia pauciſſimi ſunt qui te noverunt: & ſtudemus veſtro exemplo noſtros potius ſtimulare in melius, quam præbere vel exigui offendiculi materiam. Sed quid conterranei, & quidem in patria, de te ſentiant & loquantur, tibi incognitum eſſe nolo, niſi forte jam aliunde reſciveris. Neque etiam diſſimulabo quod pridem à multis animadverſum fuit: quum fratrem noſtrum N. ſæpe Diaconum tuum vocares, nomen illud neſcio quid inanis jactantiæ ſpiraſſe. Plurima ejuſdem generis eodem conſilio omitto nunc, quo hactenus vel unum attingere diſtuleram, parcere tibi cupiens, ne recte agendi alacritas minueretur: & ſimul quia fore ſperabam, ut ſponte melior quædam maturitas hos nævos deleret. Quod recipiendos non putas qui ab aliis Eccleſiis ſine teſtimonio ad nos veniunt, facile tibi aſſentior: quia & veteri uſu inter pios receptum eſt, idque flagitat ſeculi noſtri malitia. Summam quoque prudentiam & æquitatem adhibendam eſſe concedo, nequid de fratribus & ſymmyſtis in malam partem ſtatim credatur. Sed modum tenendum cenſeo, ne ſyncretiſmus noſter, quem tantopere commendas, ad fovenda vitia ſpectet. Neque ſatis aſſequor interea, quorſum toties repetas ne temere non ſolum de te, ſed etiam de aliis quid credam: fateor me eſſe minus circumſpectum quam deceret, ſed cur me levitatis inſimules neſcio. Adde quod non minus præciſe dictas quid ſentire debeam, quam ſi tuo unius arbitrio ſtandum foret. Nam de rebus incognitis ſententiam proferens, me aliter ſentire vetas. In Anglorum controverſia moderationem tenui, cujus me non pœnitet: ſi N. noſtro ſuccenſuerim, mihi conſtat optima ratio; quam ſanis judicibus haud dubie probabo. Et tamen illam indignationem ſincerus erga eum vereque fraternus amor expreſſit mihi, quia ipſum ſibi nocuiſſe non ſecus dolebam, quam ſi in me recideret calamitas. Ac nunc quantopere me excruciet infelix quem ſemper timui eventus, verbis explicare nihil attinet. Hæc mea libertas ſic animum tuum pungat velim, ut tamen non dubitet quicquid ſcripſi, à vero amore profectum eſſe. Utinam ſermone potius coram daretur quam literis: ſed multi clavi trabales huic me loco nimis affixum tenent. Cæterum non aliud mihi propoſitum aſpere ſcribendi fuit, niſi ut integra fama Domino ſolide ſervias. M. D. LVI.

CALV. PETRO FABRO S.D.

ETſi literæ tuæ duplici nomine gratæ mihi ſuaveſque fuerunt, quod in illis ingenii dexteritas, & elegantioris doctrinæ nitor emicat: deinde quod tuæ erga me obſervantiæ teſtes eſſe voluiſti: plus tamen illis apud me gratiæ addidit, quod tuæ in Deum pietatis ſignum ac pignus eſſe interpretor. Etſi enim qui liberalibus doctrinis ſunt exculti, me forte amant, quia ab illis ea iſtimant non prorſus alienum eſſe: ſcio tamen ea me invidia flagrare apud totum fere mundum, quæ multos à mea amicitia abſterreat. Itaque reverentiam quam communi Magiſtro defers, cauſam eſſe non dubito, quæ tuum mihi animum conciliat, teque ad ſcribendum impulit. Hoc vero pietatis ſemen ut ſedulo fovere atque etiam excolere ſtudeas, & aſſiduo progreſſu ad frugem uſque perducere, pluribus de cauſis hortari te cogor. Video ætatem tuam: video corruptionem totius noſtri ſeculi: video quot te circumſtent mundi illecebræ, quæ totidem ſunt ad te ineſcandum hami: video denique innumeras Satanæ inſidias, quibus cavendis nemo unquam ſatis erit intentus. Dominus te jam forte virili ſpiritu ornavit. Sed quum lubrica ſemper & flexibilis ſit juventus, remedio iſto, quod omnibus tuis æqualibus præſcripſit David, *Pſal. 109. verſ. 9.* opus tibi eſſe cogita, nempe ut Dei ſermonem cuſtodias. Quantus vero ſcelerum labyrinthus hodie mundum involvat, & quanta impietatis colluvies ubique exundet, verbis explicare nihil attinet. Te vero ne falſis blanditiis mundus deliniat, non fruſtra

metuo.

metuo. Nam ut reliqua taceam, me patris tui exemplum hujus periculi plus ſatis admonet. Quum mihi ingenii ſui manſuetudinem & candorem (quæ duæ ſunt raræ virtutes) probaſſet, longe alia mihi de eo pollicitus fueram, quam quæ boni omnes ſe comperiſſe narrant. Hoc ſi homini maturæ jam prudentiæ, & ad optima quæque longa jam peritia aſſuefacto accidere potuit, quid tibi periculi imminet, niſi attentiſſime caveas? Qua in re opinionem meam fefellerit, ſi rogas, uno verbo accipito, quia mundi blanditiis irretitus, ſeſe Chriſto ſubduxit. Ejus itaque memoria ad te acrius ſtimulandum, me non immerito excitat. Sed quia longius progredi non patitur vel temporis anguſtia, vel epiſtolæ modus, tantum velim hunc tibi ſcopum toto vitæ curſu proponas, quando nobis in regem à Patre datus eſt Chriſtus, & pro omnibus mortuus eſt ac reſurrexit, ut omnes ei vivant ac moriantur, te in ejus obſequium prorſus addicas; quando unicus etiam nobis datus eſt Magiſter, ut cæleſti ejus ſapientiæ ſtudia tua conſecres. Nam ut te liberalibus doctrinis excultum eſſe gaudeo, ita tuum eſt videre, niſi eas in legitimum finem & uſum referas, totum perverti naturæ ordinem: quicquid etiam ſplendoris & opulentiæ te manet, non invideo, modo ab eorum illecebris non ſecus atque exitialibus venenis tibi caveas. Vale frater mihi chariſſime. Dominus te Spiritu ſuo ad extremum regat, præſidio tueatur, omni genere benedictionis locupletet. Idibus Aprilis. M. D. LVI.

Clariſſimo viro D. Joanni Clauburgo ſeniori Patricio & Senatori Francfordienſi, D. apprime obſervando.

QUum tot moleſtias ſuſceperis pro paranda linguæ noſtræ Eccleſiola, quæ iſtic ſub fide & patrocinio tuo eſt, totque tædia devoraveris clariſſ. vir & magnifice Domine, nunc te fructum laborum non percipere qualis optandus erat, & qualem ego ſperavi, vehementer doleo. Hæc tibi propoſita erat merces, videre ſanctum inter eos conſenſum, qui ſe prius mutuis diſcordiis laceraverant. Videre pace florentem Eccleſiam, quam inteſtinæ contentiones centies perdidiſſent, niſi eam Dominus mirabiliter ſervaſſet. Nunc quod odiis adhuc certatur, quod ſuſurri & obtrectationes non ceſſant, nova denique virulentia erumpit, nec finis eſt turbarum, ſicuti quam grave acerbumque tibi ſit ſpectaculum, reputo, ita me non minus offendit eorum inhumanitas, qui ſe tibi morigeros præbere debuerant, quam angit & diſcruciat funeſti exitus timor. Et tamen, ut nihil diſſimulem, vereor etiam ne certi quidam illi victoria inflati adverſæ partis animos jam plus ſatis ad contentionem proclives, magis exaſperent. Ut nihil apud te diſſimulem, in ſententia abs te lata, cujus miſſum eſt ad me exemplar, caput unum vellem fuiſſe omiſſum, quod tibi ab uno illo ſuggeſtum non dubito. Neque enim ultro tibi in mentem veniſſet vetus miniſterium ejus, acſi adhuc integrum ſtatum in Anglia teneret, in perpetua ejuſdem juris poſſeſſione apud vos locare. Nihil forte eſt quod magis ab initio ad creanda diſſidia valuerit, vel ſaltem ad gignendas ſimultates, deinde magis certamina accenderit quam iſta æmulatio, quod major pars putabat ſe gradu æquali dejici, & contumelioſe à communi ſocietate excludi, ſi Eccleſia quæ apud vos hoſpitium invenerat, leges ab una parte acciperet. Utilius ergo fuiſſet, verbum illud taceri, & illum demum ſtatuere Paſtorem, ex quo gregis diſperſi rogatu locum in urbe veſtra impetraverat, & exercuerat munus Paſtoris. Quam pervicaciter omnia ſua tueri contendat Auguſtinus, video: ſed eorum quoque ratio habenda fuit, quos ſpes erat fore magis flexibiles. Hoc obiter attingere placuit, non quod judicium tuum improbem, ſed tamen ut pro tua prudentia apud te expendas, ſitne de nihilo conceptus timor qui me non parum ſollicitat. Hunc enim vides non modo pervicacibus vel moroſis, ſed nonnullis forte probis & ſimplicibus vel exoſum eſſe vel minus gratum: quia ſe inæqualiter gerat, nec ſemper eundem teneat modum. Quanquam autem iniquis odiis gravatur, magnam tamen Eccleſiæ partem ab eo alienatam eſſe ſcio, quæ niſi reconcilietur, impendet triſtis diſſipatio, nec aliud video remedium, niſi ut eos manſuefaciat, ſicuti ſe facturum pollicitus eſt, multi autem facere negant. Tu vero, præſtantiſſime vir, in re præſenti melius cernis, quomodo res habeat. Quod ſi tandem implacabilis erit offenſio, hominem alio traduci præſtaret, quam ſuis eſſe contemptui, aſſiduis calumniis eſſe expoſitum, non ſine officii quo fungitur probro & dedecore. Hoc quidem improbis nunquam dandum putarem, ut eorum proterviæ cederet Paſtor: quia & res eſſet noxii exempli, & nimia iſta facilitas augeret eorum furorem vel audaciam. Verum ſi major pars Eccleſiæ, Miniſtri pertæſa, vix eum audire ſuſtinet, ut demus cæcum eſſe faſtidium, cujus nulla appareat ratio, tentatis omnibus remediis ſupereſt hoc extremum quod nuper attigi. Utinam tamen paulatim miteſcant animi, ut eum retinere cupiant, quem ſic nunc faſtidiunt.

Quod veſtris concinnatoribus, ornatiſſime vir & mihi obſervande, literas curaſti per magnificum veſtrum Conſulem reddendas, prudenter abs te factum eſt. Quod etiam ab itinere ſuperſedendum putas, conſilium tuum probo & amplector. Nec vero mihi in animo fuit ultra urgere, modo conſtaret mutuæ inter nos pacis fovendæ non defuiſſe ſtudium: ac ſi qua emergat contentio, imputandum eſſe eorum culpæ quibus oblata conditio non placuerit. Et humaniter quidem teſtati ſunt ſe fore tranquillos. Quamvis autem non diſſimulent, in doctrina ſe à me diſcrepare, ſe tamen daturos operam promittunt, ne certaminibus turbentur Eccleſiæ. Quum vero illi me fidelem Chriſti ſervum agnoſcant, & de Eccleſia bene meritum, valde miratus ſum, quum nuper contenderent, domi potius & à fœminis baptizandos eſſe infantes, quam ut è vita migrent abſque Baptiſmo, me odioſe in crimen traxiſſe. Si tantum reprehendiſſent quod doceo, ferendum erat: ſed dum Gallos jactant meo exemplo leges aliis velle imponere, atque addunt etiam me hic tyrannidem exercere, hoc fraternæ benevolentiæ quam mihi per literas ſunt polliciti, minime reſpondet. Ac de tyrannide quidem quam putida ſit calumnia, judicium collegis & fratribus meis defero, qui certe nunquam conqueſti ſunt ſe imperio meo premi. Sæpe autem mecum expoſtulant quod nimis ſim timidus, nec ſatis libere, ubi opus eſt, auctoritate quam probarent omnes, utar. Utinam viderent quam duris legibus munus docendi obeam, & interea quam nihil mihi arrogem, certe ultro eos ſuæ levitatis puderet. Etſi autem hac modeſtia improborum hominum morſus non effugio, mihi tamen ſufficit non modo conſcientiæ, ſed rei ipſius & claræ experientiæ teſtimonium, quo abunde refellitur, quicquid procul malevoli obſtrepunt. Velim tamen ab ipſis ſcire, quibus tam procul moleſta eſt mea poteſtas, quid in me tyrannicum deprehenderint. An quia me ad rationem reddendam obtuli, iter longum & difficile paratus fui ſuſcipere in eorum gratiam, & quum nemo unquam verbulo me ſalutaſſet, eos anteverti, ideo regnum appetere viſus ſum? Certe nimis ſtomachoſi ſunt ſi tam amicas conditiones reſpuere non contenti, inſuper exacerbantur. Neque tamen efficiet eorum inhumanitas ut me unquam ſuſcepti officii pœniteat. Sed mihi dolet tam inconſiderate ipſos ruere in fratrem innoxium, ut ne ab atroci quidem injuria abſtineant. Quod ad rem ipſam ſpectat, non ignoro quam alte infixa ſit multorum cordibus hæc perſua-

ſin, qui ſine Baptiſmo diſcedunt ex mundo infantes, eos à ſpe ſalutis excludi. Sed quam levi prætextu invaluerit hic error, ſimul expendere convenit. Citatur celebre illud Chriſti dictum, Niſi quis renatus fuerit aqua & Spiritu, non intrabit in regnum Dei. Sed nego primum, Spiritus regenerationi illic conjungi externum aquæ Baptiſmum, quia potius res eadem bis dicitur, & nomen Spiritus expoſitive additum eſt. Abſurdum enim fuiſſet, quum Chriſtus Nicodemum ſpoliare vellet carnis ſuæ ingenio, ut depoſita ſuperbia ad veram humilitatem inſtar pueri ſe demitteret, à Baptiſmo incipere. Cæterum, ut concedam de Baptiſmo verba fieri, non tamen præciſe urgetur neceſſitas, ſed vitæ novitati externum ſignum additur tanquam acceſſio: acſi dictum eſſet, non patere ingreſſum in regnum Dei abſque vitæ novitate, cujus ſymbolum eſt Baptiſmus. Certe Lutherus, cujus nomen iſti ubique obtendunt, ſcite notavit, quum dicit Chriſtus apud Marcum, Quiſquis crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, non repetere ſecundo membro, Quiſquis non fuerit baptizatus, condemnabitur. Nam ſi abſque Baptiſmo nulla eſt ſalus, latronem qui in regnum Dei admiſſus eſt abſque Baptiſmo, neceſſe erit inde retrahi. Atque ut melius tollatur omnis dubitatio, ſemper tenendum hoc principium eſt, non conferri Baptiſmum infantibus ut filii Dei fiant & hæredes: ſed quia jam eo loco & gradu cenſentur apud Deum, adoptionis gratiam Baptiſmo obſignari in eorum carne. Alioqui recte eos à Baptiſmo arcerent Anabaptiſtæ. Niſi enim in eos competat externi ſigni veritas, mera profanatio erit, in ſigni ipſius participationem eos vocare. Porro ſiquis Baptiſmum illis neget, in promptu nobis eſt reſponſio, jam eſſe ex grege Chriſti, & ex Dei familia, quoniam fœdus ſalutis, quod Deus cum fidelibus paciſcitur, filiis etiam
Geneſ. 17. verſ. 7. commune eſt: ſicuti etiam verba ſonant, Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te. Niſi præcederet hæc promiſſio, qua Deus liberos fidelium nondum natos adoptat, perperam illis Baptiſmum conferri certum eſt. Jam quæro, an Dei verbum ſuapte virtute ad ſalutem ſufficiat, an vero aliunde mutuetur ſubſidium, quo ſuppleatur defectus, vel infirmitas juvetur? Si promiſſio hæc per ſe non creditur efficax, non modo virtus Dei, ſed etiam gratia & veritas externo ſigno alligabitur. Ita iſti homines dum ornare Baptiſmum contendunt, gravem Deo ignominiam irrogant. Jam vero quid tot locis fiet, ubi Chriſtus ſola fide contentus eſt? Negabunt fidem à Baptiſmo ſeparari. Fateor quidem, ubi ejus recipiendi datur opportunitas. Verum ſi quem ubi Chriſti Euangelium fuerit amplexus, ſubita mors rapiat, an ideo addicent exitio, quia externa lotione caret? Annon veteres hiſtoriæ exempla quædam martyrum ſuppeditant, qui prius tracti fuerunt ad ſupplicium à tyrannis, quam ſe ad Baptiſmum obtuliſſent? Et propter aquæ defectum nihil ſancto martyri proderit Chriſti ſanguis, qui pro Euangelii fide, in qua poſita eſt omnium communis ſalus, ſanguinem fundere non dubitat? Certe modeſtiores fuerunt Papiſtæ, qui ſaltem in hac neceſſitate, baptiſma ſanguinis aquæ lotioni ſubrogant. In ſumma, niſi omnia religionis principia evertere libet, fateri neceſſe erit, non eſſe fundatam in Baptiſmo infantis ſalutem, ſed Baptiſmo tantum obſignari. Unde ſequitur, non præciſe nec ſimpliciter eſſe neceſſarium. Atque ut demus quod perverſe iſti poſtulant, ubi inſtat mortis periculum, baptizandos eſſe infantes, erit tamen adminiſtrandus ex Chriſti inſtitutione & mandato. Jam oſtendant ubi Chriſtus privatis hominibus præceperit baptizare. Certe nemo in Eccleſia honorem ſibi uſurpat: & Chriſtus, teſte Apoſtolo, aliis omnibus præſcripſit, ne ſe ad publicum munus ingerant. Spe-
Mat. 28. verſ. 19. ciale eſt Chriſti mandatum ad Apoſtolos, Ite, prædicate, baptizate. Quiſquis idem ſuo arbitrio tentabit, temeritatis damnabitur. Quid ergo de mulieribus dicendum, quibus ne loqui quidem in cœtu publico conceditur? Atque hæc pluribus forte quam opus fuit vel quam ferebat epiſtolæ ratio, apud te, clariſſime vir, diſſerui. Quanquam ſi uberior tractatio & plenior te oblectaverit, appendix quæ addita fuit libello contra Interim, tibi ſuggeret quæ voto tuo ſatisfaciant. Vale nobilis & mihi venerande Domine. Chriſtus te incolumem cum familia conſervet, virtute ſuſtineat, Spiritu gubernet, omnique benedictione locupletet. Genevæ, 24 Junii. M. D. LVI.

J. Calv. Richardo Vallevillio Paſtori Eccleſiæ Gallicanæ Francofurti s. d.

Quam acerbum tibi doloris vulnus inflixerit mors optimæ uxoris, ex meo ipſius ſenſu exiſtimo. Memini enim quam mihi difficile ante ſeptem annos fuerit, ſimilem luctum vincere. Sed quia probe noſti, quæ ad temperandum immodicum mœrorem idonea ſint remedia, nihil ſupereſt aliud niſi ut te ad eorum uſum revocem. Inter alia hoc tibi non mediocre ſolatium eſt, quod tamen ad doloris irritamentum caro arripit, te cum ea vixiſſe uxore, ad cujus contubernium libenter redeas, dum è mundo erit migrandum. Deinde à vitæ ſocia tibi oſtenſum fuiſſe pie moriendi exemplum. Si mihi privatus quiſpiam hortandus eſſet, ſecum expendere juberem, quid fictori ſuo debeat. Nam Deum ſuo jure perperam fraudamus, niſi ejus arbitrio vivat ac moriatur quiſque noſtrûm. Tuum vero eſt ſimul reputare, quam ſuſtineas perſonam in Eccleſia Dei. Sed quia præcipuum conſolationis argumentum nobis in eo ſitum eſt, admirabili Dei providentia nobis in ſalutem verti quæ adverſa putamus, neque ſeparari nos in mundo, niſi ut ſemel colligamur in cæleſte ejus regnum, hic pro tua pietate acquieſces. Quia fervorem contentionum in Eccleſia veſtra utcunque ſedatum eſſe audio, dabis operam, ne obſcuræ ſimultates in animis reſideant. Momento id fieri non poteſt, ſcio. Ergo paulatim lenire animos exacerbatos ſtudeas, donec penitus offenſiones diluantur. Vale, optime & chariſſime frater. Dominus tuæ viduitatis triſtitiam Spiritus ſui gratia leniat, te gubernet ſuo Spiritu, ac benedicat labores tuos. M. D. LVI.

J. Calv. D. Martino Schalino in Ratisb. Eccleſiæ Paſtori.

Literæ tuæ, eximie vir & frater ex animo mihi colende, ſerius quam optandum foret, mihi fuerunt redditæ, quum jam ad nundinas profecti eſſent omnes noſtri mercatores: etſi præter ſpem oblata eſt nova ſcribendi opportunitas, niſi quod tumultuarie reſpondere cogor, quia jam in procinctu erat nuncius, antequam de ejus diſceſſu admonitus fuerim. Alia certamina quibus à protervis ingeniis ſcindi turbarique Eccleſiam merito deploras, nunc omitto. Diſſenſio quæ nos hodie exercet, inter pios alioqui & ſanctos viros commota, malis principiis, & nihilo feliciore progreſſu, nos plus ſatis admonet, quantopere expetenda ſit inter nos pax & concordia. Atque utinam quem tibi animum eſſe intelligo, idem aliis fuiſſet. Nam ſi quid adhuc reſtaret diſſidii, ſaltem abſque odio & acerbitate intra ſuos fines conſiſteret. Dolendum quidem eſt, quum nos pauci numero idem profiteamur Euangelium, ſacræ Cœnæ occaſione, quam præcipuum inter nos unitatis vinculum eſſe decebat, in varias ſententias diſtrahi. Sed hoc longe atrocius, non minus hoſtiliter confligere, quam ſi nihil eſſet nobis cum Chriſto commune. Major enim eorum pars qui à nobis diſſident, neſcio quo inſtinctu percita, non minus

Digitized by Google

nus intemperanter in nos ebullit, quam ſi prorſus diverſa eſſet religio. Quum initio tanta eſſet diſcrepantia, Lutherum, ut erat vehemeoti ingenio, paulo acrius efferbuiſſe non miror. Nunc quando de præcipuis capitibus convenit, quem in finem D. Sacramenta nobis inſtituerit, quiſnam legitimus ſit eorum uſus, quæ efficacia, quæ dignitas, quæ inde ad nos utilitas perveniat: quicquid adhuc reſiduum eſt controverſiæ, moderatius tractari poterat. Ego vero quum totis quindecim annis optima fide conatus eſſem, quantum patiebatur ingenua veritatis confeſſio, meum docendi genua ad ſedandas diſcordias accommodare, traxit me in odioſum certamen Weſtphali veſtri importunitas. Et tamen quicquid extorſit amarulentiæ, diligenter continui, ne alios cum eo involveret: ſemperque dabo operam, ne mea culpa ſcindantur vel diſtrahantur Eccleſiæ: nec quiſquam à me lædetur, niſi qui ex profeſſo bellum indixerit. Imo quamvis Snephſius & neſcio quis ſomniator petulanter me laceſſiverint, ſilere malui, quam de nihilo turbas movere. Nam quod à paucis intelligi ſcribis, quid Eccleſiæ veſtræ ſentiant, certe ſi abſurda quæ in multorum ſcriptis occurrunt, colligere & exagitare libeat, non unam eſſe omnium ſententiam oſtendere difficile non eſſet. Hoc quidem vos omnes uno conſenſu aſſerere video, quicunque ad ſacram menſam accedunt, ſive impii ſint, ſive fideles, ſubſtantialiter comedere Chriſti carnem, & ſanguinem bibere. Quin fideles carne & ſanguine Chriſti vere & ſubſtantialiter in Cœna alantur, non nego, ſi tantum definiatur modus, arcana Spiritus virtute fieri, ut vim ſuam caro & ſanguis Chriſti in nos transfundant. Cur me longius trahere velis, non video: cur vero non aliam communicationem admittam, optima ratione impedior: quia & carnem Chriſti à nobis degluriri, & cum carne noſtra corruptibili miſceri, nimis craſſum commentum foret. Si tantum myſterium carnis ſenſu æſtimandum eſſe neges, fateor: nec vero aliud reſpuo, niſi quod Chriſti gloriæ non eſſe coo ſentaneum fides ipſa dictat. Adde quod non poterit Chriſti corpus hoc ſubſtantiali modo comedi, niſi fingamus eſſe immenſum: quod non miuus à tota Scripturæ doctrina, quam à veteris Eccleſiæ teſtimoniis abhorret. Quod enim quidam veſtrûm diſpenſationis nomen obtendunt, ut perſuadeant corpus Chriſti ſimul fuiſſe in cruce mortale, & glorioſum in cælis, inſcitia labuntur, neque unquam aſſequuti ſunt quid vetuſtis Eccleſiæ doctoribus eſſet diſpenſatio. Tu quoque, eximie vir, pace tua dixerim, dum nos confundere putas, quid nobis in Cœna detur, & ad quid detur, aliquantum falleris. Pluribus eoim locis diſerte aſſero, bona Chriſti non eſſe noſtra, donec ipſe noſter ſit. Et ſatis mihi diſtincte loquutus videor in mea inſtitutione, ubi materiam Cœnæ, vel ſubſtantiam, voco ipſum Chriſtum crucifixum: virtutem, effectum, vel fructum eſſe doceo, quicquid ex ejus morte conſequimur, ut inde eſt gratuita reconciliatio, vitæ novitas, & beatitudo cæleſtis. Nomen vero efficaciæ in hunc finem uſurpo, non ut coofundam quæ diſtingui debent, ſed ut transfuſionem ſubſtantiæ excludam. Dico igitur nos efficaciter ſubſtantia carnis & ſanguinis Chriſti paſci, quia mirabili & incomprehenſibili Spiritus ſui virtute efficit Chriſtus, ut unum ſimus cum ipſo: vivifica ſit nobis ſua caro: vita denique ſua in animas noſtras penetret. Jam in ſecuodo capite miror, vos non conſideratius attendere ad tot abſurda, quibus implicitum eſt hoc commentum, dignos ſimul & indignos promiſcue carnem Chriſti edere. Sicuti enim veſtra de ſubſtantiali edendi modo opinio, Chriſti carnem à ſanguine ſeparat; ita hæc communis manducatio, corpua ejus à ſpiritu divulſum, vita & omni virtute privat. Qualis vero receptio hæc erit, ut in ventre impii lateat mortuum Chriſti corpus? Quod objicitur, communiter omnibus dici, Hoc eſt corpus meum, nullo negotio refellitur: nihil enim obſtat, quominus vere omnibus ſeipſum exhibeat Chriſtus, neque tamen alii eum recipiant, niſi qui ſunt capaces. Hanc me doctrinæ formam non pertinacia retinere, ſed quia Scripturæ auctoritate obſtrictus teneor, Deus mihi optimus eſt teſtis. Suffragatur & veteris Eccleſiæ conſenſus: in quo probando, quia mihi longius inſiſtere non eſt propoſitum, nobis unus ille Auguſtini locus ſufficiat, Quum alii diſcipuli comederent panem Dominum, Judam nonniſi panem Domini comediſſe. *Homil. in Joan. 19.* Ego itaque, ſi quis alius, veram & ſinceram confenſionem expeto, quam modo Deus ipſe ſuo verbo ſanciat. Nec vero Auguſtanam confeſſionem repudio, cui pridem volens ac libens ſubſcripſi, ſicuti eam auctor ipſe interpreratus eſt. Atque utinam Principes, ut decebat, major diſſipationis noſtræ cura tangeret, ut conventu piorum doctorum habito, ſtuderent Eccleſias colligere: ſed quibus flabellis ad odium noſtri incitentur, minime dubium eſt: Hoc tibi coram Deo volui teſtatum, ut ſcires religione & Dei metu ad amplexandum quod profiteor doctrinæ genus, adductum, non poſſe inde avelli. In quo tamen aſſerendo (quoad per veſtros homines licebit) placide me geram, ut ante Weſtphali intemperiem me feciſſe ſatis notum eſt. Te viciſſim hortabor, ornatiſſime vir, ut re tota probe expenſa, quod rectum eſt amplecti non dubites. Vale. Dominus te Spiritu ſuo guberner ſemper, præſidio ſuo tueatur, laboreſque tuos benedicat in Eccleſiæ ſuæ ædificationem. Genevæ, 8. Calendas Aprilis. M. D. LVII.

CALV. GEORGIO,
Comiti Wirtebergenſi & Monsbelgardenſi.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine, quando Veſtræ Celſitudini morem gerere ſummopere cupio, quod non dignitati magis & generis excellentiæ, quam veſtris præclaris virtutibus raræque in primis pietati debere me exiſtimo, utinam teſtandæ hujus obſervantiæ probandique officii aliquando lætiur occaſio mihi ſe offerat. Sed quia nunc de Matthæo Gribaldo vobis ſciſcitari placuit, breviter, quomodo ſe hic geſſerit, exponam. Ac primum in hac urbe ita verſatus eſt, ut nunquam vel Senatui noſtro operam ſuam addixerit, vel obſtrictus etiam fuerit fide data: ſed habitus ſemper fuerit inter hoſpites atque exteros. Atque ut fere quotannis ſolebat huc venire, forte hic erat quo tempore in carcerem conjectus eſt Servetus. Ac tunc diſſimulans ſibi cum impiis illius erroribus quidquam eſſe commune, tantum obliquos ſermones ſerebat, non eſſe de falſis dogmatibus exigendas pœnas, quia libera cuique eſſet fides. Poſtea tamen aperuit, quod initio tegebat, ſe ideo conqueri de Senatus noſtri ſeveritate, quia ſibi impune permitti cuperet impia ſua deliria vomere. Ac tunc quidem colloquium meum petiit, fateor: quod ideo negavi, quia ante expertus fueram quale eſſet hominis ingenium. Nec melior occurrebat ratio, quam ut idonei adhiberentur teſtes noſtris ſermonibus: quod ipſe fugitabat. Ita tunc diſceſſit. Paulo poſt quum reverſus eſſet, ſignificavi per familiarem amicum, liberum ei fore, ſi vellet, mecum fraterne conferre, modo id fieret coram Symmyſtis meis ac tribus Eccleſiaſticis Senioribus. Denunciavi etiam, ne quid periculi aut fraudis metueret. Aſſenſus eſt, ac venit quo vocatus erat. Sed ingreſſus in locum ubi conſidebamus, quia primo ingreſſu manum ei porrigere nolui, tumultuoſe mox diſceſſit: & tamen humaniter, imo etiam blandis verbis excuſavi mihi id non licere, donec inter nos de fidei principiis conveniret. Rem enim magis ſeriam agi, quam ut fallacibus ceremoniis ludendom foret. Poſtquam vidimus hominem amice non poſſe placari, dedimus operam, ut vocatus in curiam, de ſua fide reſpon-

deret. Ubi non modo tergiverſatus eſt, ſed palam oſtendit ſe nolle quid ſentiret, illic profiteri. Paulo poſt tamen elapſæ ſunt ei voces, ex quibus colligere promptum fuit, quam pravis erroribus eſſet implicitus. Quum ad modeſtiam hortarer, ventoſa ſua oſtentatione palam fecit, nihil eſſe audacius inſcitia. Itaque in tanta pervicacia, nihil profuit pia & utilis admonitio. Interea hunc clypeum oppoſuit, nimii & injuſti eſſe rigoris, quia in doctrina fidei à nobis diſſentiret, non ferri in urbe. Quæ ejus objectio ut par erat, refutata fuit. Senatus hominem exterum ulterius urgendum non cenſuit. Et nobis etiam ſatis fuit curare, ne impietatis ſuæ virus poſtea hic ſpargeret. Hoc meum teſtimonium quid fidei mereatur, judicabit Veſtra Celſitudo. Certe ab odio proficiſci non poteſt, quod nullum unquam inter nos fuiſſe, Gribaldus quoque ipſe fatebitur. Cæterum quamvis multa deliria ſimul miſceat, ſpecimen unum proferre viſum eſt: ex quo facile intelliget Veſtra Celſitudo, minus aſpere me hactenus de homine loquutum eſſe, quam ferebat deteſtabilis ejus impietas, imo etiam poſtulabat. Neque enim de meo vel alterius cujuſpiam relatu bic agitur: ſed quia doctrinæ genus quod in eo damnamus, manu ſua ſcriptum prodidit, inde judicet Veſtra Celſitudo, ferendusne ſit profanus homo, qui tam perverſe Dei eſſentiam lacerat, & Chriſtum fingit novitium Deum à Patre diverſum, & cui non eadem ſit cum Patre eſſentia. Sed quia mibi nunc propoſitum non eſt ejus ſacrilegia refutare, ne tædio ſit epiſtolæ meæ prolixitas, putavi non poſſe me ex animi veſtri ſententia melius officio defungi, quam ſi confeſſionem manu ejus ſcriptam & ſubſcriptam, in qua ſe Italis fratribus purgare conatus eſt, Celſitudini Veſtræ mitterem. Unde Illuſtriſſimus Princeps nepos veſter ſatis ſuperque cognoſcet, quam profane & ſcelerate hic miſer præcipuum fidei noſtræ caput convellat ac pervertat. Valete, Illuſtriſſime Princeps, mihique plurimum ſuſpiciende Domine. Patrem cæleſtem ſuppliciter precabor, ut vos cum illuſtriſſima conjuge ſuſtentet, tueatur, omnique bonorum genere locupletet. Genevæ, 6. Nonas Maii. M. D. LVII.

CALV. MATTHIÆ PFARERO S.

QUum mihi ſcripſiſſet doctor Otbomanus te Conſulem eſſe rurſus electum, vir ornatiſſime, ſtatueram pro mea in te obſervantia tibi gratulari, & quo eſſes ad munus obeundum alacrior, vota mea preceſque addere. Nunc igitur dum oblata mihi fuit nova ſcribendi occaſio, eam libenter arripui. Frater enim meus, qui frumenti petendi cauſa iſtuc profectus erat, mihi retulit, ſe ita fuiſſe humaniter acceptum, ut facile proſpiceret, nomen meum commendationis loco apud te fuiſſe. Pro boc amoris teſtimonio niſi gratias agerem, me inhumanum fore putavi. Hinc etiam mihi crevit ſcribendi fiducia, quia mihi dubium non fuit, quin tibi gratæ eſſent meæ literæ. Etſi autem ſponte ad officium propenſus ullis ſtimulis non indiges: ſi tamen pro vetere noſtra amicitia ardorem, quo præditus es, magis excitare libere audeam, non moleſta, ut ſpero, tibi erit hæc ſedulitas. Ac primo quidem, dum conjectos in te ac tuum Conſulatum bonorum omnium oculos vides, ac plus ſpei de hoc anno, quam de aliis quinque proximis, concipere: hæc te expectatio ſanctiore vinculo obſtrictum tenet, ne tua ceſſatione eventus ipſos fruſtretur. Sed altera cogitatio ſtudia tua, pioſque conatus acrius excitare debet, quod tibi admirabili Dei conſilio præclara nunc oblata eſt opportunitas repurgandæ à ſordibus Papatus veſtræ urbis: ubi quum per annos triginta vidiſſes veram pietatem, ſincerumque Dei cultum florere, triſte haud dubie acerbumque ſpectaculum hauſiſti oculis, ex quo impiis ſuperſtitionibus fœdata eſt. Hoc vero jam tibi inæſtimabile ſolatium erit, ſi moriens relinquas tua opera à ſuperſtitionibus purgatam: imo ſi nunc ſenex Dei cultum, in quo erigendo fideliter olim & ſtrenue laboraſti, reſtituas. Alterum à te peto etiam, ut tuo patrocinio miſeros exules tuendos recipias, & per ſacrum Cbriſti nomen obteſtor. Nam ut inter nos colatur hoſpitalitas, poſtulat miſera temporum conditio. Vale præſtantiſſime vir. Dominus tibi ſemper adſit, te Spiritu invictæ fortitudinis, & ſanctæ prudentiæ gubernet, Magiſtratum tuum benedicat, Amen. Genevæ, 19 Maii. M. D. LVII.

Joannes Calvinus vere tuus.

CALV. DOCTORI JACOBO ANDREÆ S.

LIteræ tuæ hoc ſaltem nomine mihi non parum gratæ fuerunt, eximie vir & ex animo colende frater, quod inter infauſtas triſteſque dimicationes, quibus invitus exerceor, eodem te ſemper erga me eſſe animo teſtantur. Utinam paſſus fuiſſet Weſtphalus, qua cœperam moderatione ſedandis contentionibus dare operam. Ejus tamen furorem nunc ſuperarunt vicini quidam Saxones: ac palam jactant, non aliam ſibi fuiſſe excandeſcendi cauſam, niſi quod blandius quam vellent, eos compellaverim. Nunc quando mihi manſuetudinem excuſſit eorum petulantia, coactus ſum aſperius cum ipſis agere. Neque tamen impediet hæc vehementia, ſiquibus cordi erit pacificatio, quo minus ſedatus accedam. Et ſane quo magis exarſit incendium, eo majore ſtudio ad illud reſtinguendum accurrere decet eos omnes, quibus hactenus datum fuit quieſcere. Librum tuum, quia linguæ Germanicæ ſum ignarus, cuidam amico legendum dedi, qui mibi ſummam referret. Quantum intelligo, abſque acerbitate, aut cujuſquam contumelia, quod oppugno defendis. Etſi autem tuam moderationem exoſculor, & laudo: mihi tamen non parum dolet, plus eſſe in ſententtis noſtris diſſidii, quam putaveram. Cæterum, modo ne ad boſtile uſque odium erumpat diſſenſio, quod adbuc occultum eſt, tandem patefaciet Dominus. Quid de promiſcua manducatione ſentiam, clare antehac expoſueram, & in boc poſtremo opere ſæpius repeto. Tantumque abeſt, ut tuis argumentis dimovear, ut mirer tibi non veniſſe in mentem, impios Cbriſtum reſpuendo magis quam recipiendo, ſibi accerſere interitum. Quod ſi tamen aliquid à me deſideras, ubi rationes meas pauliſper expenderis, quid in mea doctrina improbes, fac me certiorem. Exitum conventus Wormatienſis non alium fore divino, niſi ut Papiſtæ tempus extrahendo, Principes ſinceræ religionis patronos, veteri more eludant. Vale ornatiſſime vir, & mibi obſervande frater. D. Brentio ſalutem plurimam opto. Dominus te Spiritu ſuo regere, virtute fulcire, & benedictionibus augere pergat. Genevæ, Calendis Auguſti. M. D. LVII.

CALV. BARTHOLOMÆO HAOXNIO.

QUod doctor Jacobus Andreas libro ſuo rationem aliquam conſenſus quæſivit, nec modo lenire exaſperatos animos, ſed etiam quod erat aſperius in doctrina, mollire conatus eſt: etſi ejus ſtudium laudo, fructum tamen hujus operæ non tam uberem ſpero, quam initio putaveram. Miratus enim ſum: non minus à nobis quam ex profeſſis hoſtibus quemlibet diſſidere: cujus rei nullum hactenus ſignum dederat. Sic ex boni viri relatu intelligo, excepta amarulentia prorſus idem doctrinæ genus ab eo defendi, quod nobis obtendunt Saxones, nos vero toto animo rejicere cogimur.

Itaque

Itaque non immerito te retioeri agnoſco, quominus ejus judicio ſubſcribas. Nec vero eſt quod te ab hac ingenuitate & conſtantia deterreat ullus metus. Neque ſervis Chriſti vel durum vel inſolens videri debet, ſi pro defenſione puræ ſanæque doctrinæ ſubeunda ſint multorum odia. Apud vos cæca magis pertinacia, quam errore certatur. Utinam ne accederet voluntaria quoque cæcitas in quibuſdam, quos faſtus nihil diſpicere patitur. Si qua tamen ſpes erit pacificationis, libentiſſime quocunque vocatus fuero, accurram: ſi repudior, non leve mihi ſolatium erit, quum mihi probe conſcius ſim, bonam cauſam me agere, quæſiſſe tamen quod optimum erat ſedandis turbis remedium.

PHILIPPO MELANCHTHONI S.

QUi factum ſit ut toto jam triennio nihil ad meas literas reſponderis, neſcio: quia tamen ex tam longo ſilentio conjicere merito licebat non adeo tibi fuiſſe gratas, atque etiam meum ſtudium abs te repudiari, nihil nunc ſcribere auſus eſſem, niſi ab hoc optimo ſene certior factus eſſem eodem te ſemper erga me eſſe animo: quod alioqui creditu difficile erat. Nunc collecta nova fiducia, quia te hoc menſe Wormatiæ fore confido, quo literæ meæ & tutius & maturius ad te pervenient, occaſionem hanc prætermittere nolui. Tantum cuperem mihi lætius offerri argumentum. Et tamen ſi partem veteris erga me amoris retines, hoc quicquid eſt moleſtiæ facile vorabis, quod curas & dolores meos familiariter in ſinum tuum exonero. Vicinos tuos tanta in me intemperie bacchari, non dubito quin pro modeſtia tua & humanitate valde tibi diſpliceat: imo quum non hominem unum, ſed pios omnes, nec privatam unius doctrinam, ſed communem fidem oppugnent, tibi cauſæ ſocietas non vulgarem mœrorem afferre debet. Cæterum, quando ſemel in hanc arenam protracto, liberum non eſt pedem inde cito retrahere, truculentas vero beſtias humano more tractare abſurdum fuiſſet, dabis vehementiæ meæ veniam quæ in tanta indignitate à me cohiberi non potuit. Si quid te privatim offendet, non longa excuſatione opus fore arbitror. Quia ſubinde fallendis imperitis fucum ex tuo nomine videbam facere adverſarios, ne viderer in re tam clara tergiverſari (quod minime ingenuum erat) fidem tuo teſtimonio ſæpius deferre non dubitavi. Hac in re culpam de qua me purgare operæpretium ſit, adeo non agnoſco, ut jure optimo conqueri de tua cunctatione liceat: etſi à turbulentis certaminibus abhorres, ſcis tamen quid ſuo exemplo Paulus omnibus Chriſti ſervis præſcribat. Certe major tibi quam in eo ſpectata fuit, moderationis laus non eſt appetenda. Quum ergo ille ſumma lenitate præditus, per ſeditiones intrepide tranſierit, nec eadem nobis moleſta ſit hodie conditio. Ac tibi omnino jam videndum eſt quidem mature, ne tibi apud poſteros dedecori ſit nimia taciturnitas. Quod ſi, dum ſuis telis undique te confodiant hippocentauri iſti, expectas, timendum rurſus ne parum opportuna cenſeatur confeſſio, quam tanta neceſſitas extorſerit. Quid ſi mors occupet? Nonne ut tibi decedat omnis auctoritas, fideſque abrogetur, ſerviliter timidum fuiſſe clamabunt? quam infamiam ut abs te extergere feſtines, non es pluribus verbis monendus. Si pacificandi ratio quæritur, una ſpes erat in colloquio, quod te quidem expetere non dubito: tantum cuperem animoſius flagitari. Nam quum videas Principes non modo ceſſare, ſed etiam alio à ſuis doctoribus retrahi, colligis haud dubie clauſos eſſe aditus omnes, niſi aliis inſtar freni, aliis vice ſtimuli ſit tua auctoritas. Nuper audivi, quod minime ſperaveram, Ducem Wirtebergenſem ſponte jam huc propenſum eſſe: imo ſi ea fuiſſet, quæ eſſe debebat humanitas, oblata erat quam ſemper optavimus occaſio: ſed quia multorum animis inſidet prava ſuſpicio, magis alienatos eſſe à nobis animos Principum, quam ut placide audiamur, congreſſus omnes formidant. Addunt etiam illud, non niſi præfractos homines te uno excepto venturos, qui imperioſe præſcribant ne à ſuis placitis diſcedatur. Neque tamen eorum qui ſic loquuntur tanta eſt moroſitas, quin libenter venturi ſint ſi vocentur: hoc nunc in te onus recumbere exiſtima, ut tua oratione perſuaſi Principes, noſtros ad colloquium invitent: vel Argentorati, vel Tubingæ, vel Heidelbergæ, vel etiam Francfurti commodus eſſet locus: tantum ſi hoc impetres, ut ad placidam diſceptationem utraque pars deſcendere parata ſit, meliorem fore ſpero exitum, quam divinent multi ſuſpicioſi homines. Quod ſi te hoc negotio infecto iterum in Saxoniam recipis, vereor ne ſero te pœniteat, exitialibus iſtis turbis non allatum fuiſſe tua opera remedium. Ac nunc memineris non tam votis hic tibi eſſe agendum quam ſtrenua ſollicitudine, ut ad ſatagendum paulo ferventius quam mores tui ferant, intentus ſis. Jam vero ſi non tam flexibiles erunt Principes, non tamen negligendum erit, quod anno ſuperiore amicis quibuſdam ſcripſiſti, te operam daturum, ut cum piis, integris, & moderatis hominibus ipſe convenires. Ex eorum numero ſi me unum eſſe cenſes, quæcunque aliunde urgeat neceſſitas, hoc tamen in præcipuis votis eſt mihi, antequam Dominus in Regnum ſuum cæleſte nos colligat, quo alacrius ad mortem properem, jucundiſſimo tuo conſpectu ſemel adhuc in terra frui, & mala quibus mederi non poſſumus, apud te deplorando aliquid levationis ſentire. Vale, præſtantiſſime vir, & mihi ex animo ſemper obſervande. Dominus te ſemper ſuo Spiritu gubernet, præſidio tueatur, & ad hanc actionem te ſancta prudentia, invictaque fortitudine inſtruat, tuoſque pios conatus benedicat. 3. Nonas Auguſti. M. D. LVII.

Dominis Polonis Euangelium profitentibus, & Eccleſiarum Miniſtris Joannes Calvinus S. D.

QUum de ſtatu veſtro verba facerem apud Collegas meos, & inter alia referrem, jam de ſacra Chriſti Cœna exortum eſſe aliquid diſſidii inter vos, rogarunt me, ut de communi omnium ſententia hoc vobis ſcriberem. Quam noxia ſit peſtis diſſenſio, pluribus verbis differere ſupervacuum foret: nam & optime noviſtis non modo in fidei unitate, ſed etiam fraterno conſenſu ſitam eſſe Eccleſiæ ſalutem: & dum ad vos oppugnandos vires ſtudiaque ſua conjungit hoſtium factio, quam ſollicite ſancta conſpiratio vobis fovenda ſit, experientia ipſa docet. Et hoc artificio haud dubie molitur Satan Euangelii curſum vel abrumpere, vel remorari. Neque vero nos latet magis pretioſam eſſe ſinceram fidei doctrinam quam ut redimendæ pacis gratia minimum ab illa deflectere nobis fas ſit: ſed quantum probabili conjectura aſſequimur, non tam in controverſiam vocatur ipſa doctrina, quam moderatio quæritur, quæ minimum pariat offendiculi. Pars, ut audimus, Auguſtanam confeſſionem complectitur. Alii Valdenſium doctrinam mordicus retinent. Sunt qui deſiderant puram & dilucidam myſterii explicationem. Et de Auguſtana quidem confeſſione non videtur juſta eſſe ratio, cur inter ſe litigent ſervi Chriſti, modo de genuino ſenſu conveniat. Valdenſes etiam cupimus vobis ſemper conjunctiſſimos manere. Sed non videmus cur magis arrideat cuiquam Auguſtana confeſſio, quam ejus auctori. Atqui profiteri non dubitat clariſſimus ille vir, tradendam eſſe poſteris plenam & liquidam hujus doctrinæ lucem. Et ſane quo minus omnes ad tollendam ambiguitatem conſentiant, nihil aliud obſtabit,

ſtabit,

ſtabit, quam crucis metus. Quia de hoc capite doctrinæ infeliciter noſtro ſeculo pugnatum fuit, nonnulli dum pro ingenii ſui manſuetudine turbas fugitant, leviter & obſcure attingi vellent, quod perſpicue in Eccleſia docendum eſt. Sed longe falluntur, dum hoc remedio componi ſedarique poſſe certamina exiſtimant. Neque tamen hæc erit ab Auguſtana confeſſione diſceſſio, ſi clarior fidei veſtræ expoſitio accedat, ſicuti vos divortium cum Valdenſibus facere minime vellemus, quibuſcum fraterna conjunctio ad extremum uſque colenda ſit. Tantum cupimus ultro citroque alios aliis accedere, ut communibus ſtudiis quæratur ſacrum Unitatis vinculum. Nec certe putamus adeo moroſos eſſe bonos illos fratres, quin libenter recipiant, quæ aliunda allata fuerit, explicationem: ſi modo in uſum Eccleſiæ commoda aptaque eſſe videbitur. Legimus locum illum ubi ſuam de ſacra Chriſti Cœna ſententiam exponunt. Breviter, & fere conciſe aſſerunt, panem & vinum eſſe verum Chriſti corpus & ſanguinem. Statim ad confeſſionem tranſeunt, quæ noſtro judicio doctrinam obſcurat vel involvit magis quam illuſtret. Queruntur injuſtis ſe calumniis gravari, imo traduci ludibriis & ſubſannationibus: ſed primos ſibi adverſarios ſtatuere videntur, quicunque certius definiri poſtulant, quomodo panis ſit corpus. Tantum dico, quum non ſatis diſerte vel enucleate de hoc myſterio loquuti ſint Valdenſes, faſtidium à Chriſtiana modeſtia procul remotum fore, ſi ab ipſis omnis interpretatio reſpuitur. Formulam vero confeſſionis amplecti, quæ ſine diſcrimine in unum faſciculum damnationis omnes involvit, qui præciſe non fatentur panem eſſe præſentiſſime Chriſti corpus (hic recitamus eorum verba) an fas ſit Chriſtiano homini, videritis: nos certe non putamus. Etſi vero noſtrum non eſt, quidquam vobis præſcribere, quæ tamen veſtra eſt moderatio & humanitas, ſi vobis ingenue oſtendimus quid cenſeamus factu optimum, æqui bonique, ut ſperamus, conſuletis hanc noſtram fiduciam. Quando pro veſtra prudentia exitiale fore malum perſpicitis, ſi in contentionem erumpat diſſenſio, non eſtis prolixius monendi, ut ſibi quiſque temperet. Verum ſimul adhibenda eſt diverſa cautio, ne, ſi gratificandi cauſa ambiguum neſcio quid & perplexum receperitis, hinc inde ex cæcis vel obſcuris ſimultatibus deinde emergat deterius certamen. Quid autem obſtat quo minus in conſenſionem piam, ſanctam ac dilucidam coaleſcatis ſimul omnes? Neque enim hoc modo violabitur confeſſio Auguſtana: & Valdenſes, ſi recte ſentiunt, commode nulla ſua jactura diluent offenſionem, quæ ex brevibus & obſcuris eorum verbis alioqui concipi poſſet: quæ opportunitas merito illis eſt optanda. Primo itaque ubi clare fuerit expoſita myſterii vis & efficacia, luculenta etiam definitio tradita fuerit de vera carnis & ſanguinis participatione, qua conſtet Chriſtum non ludere inanibus figuris, nec quidquam fallaciter promittere, ſed præſtare re ipſa quod per externa ſymbola teſtatur, ſaltem addenda eſſet exceptio, quod caro Chriſti nobis datur in cibum, & ſanguis in potum, arcana & incomprehenſibili Spiritus ſancti virtute hoc fieri, nec ideo fingendam eſſe immenſitatem, quæ palam naturæ humanæ repugnat. Nos certe libenter recipimus, panem & vinum non modo eſſe ſymbola vel arrhas, ſed certa teſtimonia quibus conjuncta eſt vera rerum exhibitio: ita fatemur panem eſſe corpus Chriſti, & vinum ſanguinem, quia hæc ſymbola nobis porrigendo Chriſtus vere animas noſtras carne ſua ſanguineque paſcit. Libenter etiam ferimus dum ſpiritualis vocatur hæc communicatio, interpretationem adjungi: hac voce non debere intelligi imaginarium neſcio quod, acſi cogitatione tantum eſſemus Chriſti participes; ſed potius intelligi cæleſtem virtutem, quæ craſſa terrenæ præſentiæ figmenta excludat, nihil autem minuat de ipſa veritate. Sed ubi clare expoſitum fuerit, per ſymbola panis & vini proponi nobis & re vera offerri Chriſti carnem & ſanguinem & ſpirituale alimentum, abſurdis deliriis, quibus faſcinata eſt major pars mundi, obviam ire expedit atque adeo neceſſe eſt. Itaque ne fingatur immenſum eſſe Chriſti corpus, & eſſe ubique quaſi naturam exuiſſet, explicandus eſt communicationis modus. Quod ſcilicet Chriſtus ſecundum corpus ſuum in cælo manens, admirabili Spiritus ſui virtute ad nos deſcendit, & ſimul nos ad ſe ſurſum attollit. Nam hoc nodo expedito, ſimul carnalis & ſuperſtitioſa adoratio ſolvetur. Porro niſi unum ex præcipuis fidei noſtræ articulis ſponte nobis perire volumus, retinenda eſt humanæ naturæ in Chriſto veritas. Niſi enim illud fixum maneat, reſurrexiſſe Chriſtum ut nos ſibi conformet, ubi erit ſpes reſurrectionis? Et quod præpoſteri quidam homines terrena ſigna cum ſubſtantia vel re ſpirituali confundunt, non omittenda eſſet diſtinctio, ſine qua ex ſingulis Sacramentis totidem idola ſibi fabricat mundus. Quamvis ergo panis non figurativum modo (ut loquuntur) ſed exhibitivum quoque ſignum ſit: ſciendum tamen metonymice vocari corpus ſecundum communem analogiam, quæ in Scripturis ſacris paſſim occurrit inter ſigna & res ſignatas. Atque hæc moderatio indigne hac calumnia gravatur, acſi fidei jugum excutiat ex hominum cordibus, vel extraneum aliquod gloſſema aſſuat Chriſti verbis: quoniam non alio documento probari certius poteſt fidei obſequium: quando in toto cæleſtis doctrinæ tenore harmonia quæritur, quæ omnem repugnantiæ ſpeciem diſcutiat. Nec minus futilis eſt objectio, dum falſis commentis occurritur (quale illud eſt de immenſo Chriſti corpore) rationem humanam præferri Dei verbo: quia neque ingenii noſtri captu metimur myſterium hoc incomprehenſibile, neque quæſtionem movemus de potentia Dei, neque vocamus in dubium Chriſti promiſſiones, nec repudiamus quod à ſenſu carnis noſtræ abhorret: ſed hujus myſterii intelligentiam ex communi Scripturæ uſu petimus. Quia etiam altera quæſtio hodie agitatur, an promiſcue increduli cum fidelibus percipiant Chriſti corpus & ſanguinem, utilis eſſet expoſitio, offerri communiter omnibus: & quamvis oblata gratia non omnes fruantur, nihil tamen de Sacramenti efficacia decedere, & Chriſtum nihilominus manere veracem: ſed quamvis ex parte ipſius, panis ſit omnibus corpus Chriſti, non omnes tamen tam præclari doni capaces eſſe. Nec vero excidit, quod paulo ante præfati ſumus, noſtrum non eſſe formulam vobis dictare, quæ vos obſtringat: ſicut tamen viſa eſt utilis hæc admonitio, ita vobis gratam fore ſperavimus. Siqua alia in re noſtram erga vos benevolentiam licebit teſtari, officia noſtra vobis ſemper parata fore promittimus. Valete clariſſimi Domini & generoſiſſimi viri, fratreſque plurimum obſervandi. Dominus vos regere pergat prudentiæ Spiritu, & invicta virtute ſuſtinere, doniſque ſuis vos in dies locupletet, quo Regnum Filii ejus apud vos magis ac magis propagetur. Genevæ, 9. Calendas Novemb. M. D. LVII.

Vincto Taurini propter Euangelium.

ETſi triſtis nobis fuit vinculorum tuorum nuncius, optime frater, gravius tamen nos vulneraſſet, niſi Deus qui ſolet ex tenebris lucem elicere, mœrorem temperaſſet aliquo gaudio. Eſt enim cur nobis gratulemur, quod tam fructuoſa in ipſo carcere jam opera tua eſſe cœpit, ut magis quam ſi liber fuiſſes ac ſolutus, Chriſti Euangelium illuſtraveris. Itaque merito animum tibi addere debet illa Pauli gloriatio, quamvis te captivum teneant hoſtes, ſermonem Dei non eſſe alligatum: nec modo *I Tim. 2. verſ. 9.* apertam eſſe januam auditoribus, qui ſemen illud vivifi-

vivificum ex ore tuo exceptum longius ſpargant, ſed fructum coram oculis tuis emergere. Quod ſi te in anguſtias reſtringi contingat, erit tamen hoc laboris tui pretium non vulgaris ſolatii loco. Nam ſi fidei confeſſio coram gente tortuoſa & perverſa gratum Deo ſacrificium eſt, quanto ſuavius ſpirabit odor in multorum ſalutem diffuſus? Cæterum, vides frater ad quam militiam vocatus ſis: idque tibi ſedulo reputandum eſt. Quum enim à privatis quibuslibet ſuo
Mat. 10. verſ. 32. Evangelio teſtimonium exigat Chriſtus, ſanctiori jure te obſtrictum tenet, quem publicum creavit ejus doctrinæ præconem, quæ nunc in tua perſona oppugnatur. Ergo ab eodem qui te hoc honore dignatus eſt, teſtem te productum eſſe memineris, ut quod ore antea docuiſti, proprio ſanguine, ſi opus fuerit, obſignes. Interea fidum vitæ tuæ cuſtodem fore ne dubita: & quando mortem ſanctorum pretioſam ſibi fore pollicitus eſt, qualiſcunque erit eventus, tibi ſufficiat hæc compenſatio, nunc Filium Dei per te agere triumphum, ut te in æternæ gloriæ ſocietatem colligat. Pluribus tecum non agam, quia te in ejus fide & patrocinio recumbere mihi perſuadeo, cui dum morimur & vivimus, moriendo ſumus beatiores quam terreni profanique homines vivendo. Vale, optime & chariſſime frater. Salutant te Collegæ mei. Dominus tibi ſemper adſit, prudentia Spiritus ſui te gubernet, invicta fortitudine ſuſtineat, præſidioque tueatur. 17 Decemb. M. D. LVII.

Joannes tuus quem noſti.

CALV. BIGOTIO S. D.

QUum tam familiari vitæ uſu atque etiam contubernio mihi olim fueris devinctus, nunquam fore putaſſem, mi Petre, ut mihi difficilis ac perplexa eſſet ad te ſcribendi ratio. Sed quia mundi illecebris implicitus præter ſpem meam, & magno meo dolore te à nobis ſubduxeras, acſi via mihi periculoſa foret, à ſcribendi conſuetudine abſtinui. Citius forte quam oportuit: ſed quia verebar, ſi literas non poſtulanti obtruderem, ne tibi ludibrio ſedulitas mea eſſet, volui ſaltem properare, donec ſignum aliquod melius dares. Amorem interea, quo te ac fratrem tuum ſemel complexus fueram, quamvis externis officiis non teſtarer, animo fovebam: ſicuti nondum excidit, vel excuſſus eſt. Jam vero fratrum tuorum adventu, quo nova occaſio videri oblata poterat, ideo reſtrictior factus ſum, quod vos ſuo exemplo comites non traxiſſent, quum duces fore ſperaſſem. Certe tam inſperata mutatione non modo perculſus ſum, ſed fere obſtupui: quum tibi manum porrigerent, & migrationis adjutores forent ac ſocii, qui tibi prius erant obſtaculo, & à quibus ſolis te retineri ſæpe conqueſtus es, nido tamen affixum ſuaviter quieſcere. Verum ut querimoniis utrimque valere juſſis, placide tecum agam, quid ſibi, mi Petre, vult hæc mollities, ac ignavia, vel quo prætextu excuſabitur? Non eſt hic mihi texenda diſputatio de fugiendis ſuperſtitionibus, quarum odio & deteſtatione relinquenda potius erat vita, quam ut te amore patriæ in illis ſic pollueres. Te ſatis ac ſuper, me tacente, convictum tenet conſcientia, vix ullum effluere diem, quo non abs te Deus legitimo ſuo cultu honoreque fraudetur. Imo ſimulatio iſta, qua impiorum gratiam foves, quid aliud eſt quam obliqua defectio à confeſſione, quæ præcipui ſacrificii loco ab omnibus Dei filiis exigitur? Atqui centies mori præſtaret, quam ita vindictam Dei quotidie provocare. Quod vero pluſquam ſerviliter timidus, quantum in te eſt, lumen in corde tuo pridem divinitus accenſum ſuffocas, vide ne quicquid reſiduum eſt uſque ad minimas quaſque ſcintillas extinguat idem Deus, ſi torpori tuo ad finem uſque indulgeas. Potius aliquando expergiſcere, ne prætereat tempus illud acceptabile, quo Deum quæri jubet Propheta dum inveniri poteſt. Eſa. 49. verſ. 8. Me quidem non modo tuæ tarditatis pudet ac piget, ſed terret illa ſevera Chriſti denunciatio, ubi clauſa fuerit janua, fruſtra pulſaturos qui occaſionem neglexerint. Aſperior ſum quam vellem: ſed ut tibi Deus parcat, parcere ipſe non audeo. Saltem quod à ſincera fraterni amoris ſollicitudine profectum eſſe agnoſces, non adeo moroſus eris, ut repudies. Vale eximie vir. Dominus te Spiritu prudentiæ & rectitudinis gubernet, inſtruat ſancta conſtantia, virtute ſua tueatur. 4. Calendas Januarii. M. D. LVII.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

ME vero anguſtiæ tuæ anxium habent. Sed quicquid difficultatum opponat Satan, eniti nos tamen contra infracto animo decet. Nec vero deſinendum eſt, donec emerſerimus. Quando nos ad ſe Dominus invitat, eundum eſt. Si per ſolitudinem & vaſta loca iter eſt nobis, ne propterea fatigemur. Nam quum ideo nobis manum porrexerit, ut in cælum uſque attollat: dabit proculdubio, ut omnia mundi hujus obſtacula ſuperemus. Tantum ne torpore animi noſtri flacceſcant. Si ea quæ tibi adjutrix eſſe debuerat, adverſariam ſe præbet: nihilo illi magis quam carni indulgendum. Et ſane multa ſunt quæ te in contrariam partem ſollicitent, ne pravis ejus ſuaſionibus acquieſcas. Miſerum eſt inter continuos motus æſtuare: quod tibi uſu venire non dubito. Atque ut periculi nihil inſtet: eo tamen progreſſus es, unde pedem referre erit turpiſſimum. Deinde cogitare debes, non te unum eſſe ex vulgo, ut privatim tibi pecces. Tot enim in te conjecti ſunt oculi, ut graviſſime exemplo noceas. Et quam interea pacem cum tua conſcientia habere potes? Non eſt neceſſe enumerare, quæ te iſtic retineant. Sed non tanti eſſe omnia agnoſcis, ut tam indigna mercede redimantur. Bellum enim te cum Deo ſuſcipere non ignoras, ut pacem habeas cum hominibus. Hoc vero omnium peſſimum, quod in hoc labyrintho adeo nullus errandi finis apparet, ut te in dies magis involvas. Nam de exitu nulla jam fieri mentio dicitur. Vide obſecro, ne uxori, & ſub ejus prætextu, tibi delicias faciens, iram in te ſummi Judicis provoces. Nihil dico, niſi quod mihi audire & expediret, & optabile foret, ſi tuo loco eſſem. In illa enim procelloſa caligine, ſæpius hominem ante opprimere mors ſolet, quam ſentiatur. Itaque melius ex ſereno loco tua pericula cernere mihi videor. Neque vero migrationem urgeo, quaſi nuſquam, niſi apud nos, ſalvus eſſe nequeas. Tantum vereor, ne accenſus in te pii zeli ignis vel ſopiatur, vel evaneſcat. Hæc ſollicitudo non ex conſtantiæ tuæ diffidentia, ſed ex ſingulari erga te amore naſcitur. Vale ornatiſſime vir & honorande in Domino frater. Dominus Jeſus te Spiritu conſilii & fortitudinis inſtruat, Amen.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

NUnquam de te cogitare poſſum, quod ſubinde tamen facere ſoleo, quin pro meo erga te amore, & communi inter nos pietatis ſenſu magnopere tibi condoleam. Neque enim mihi dubium eſt, quin tu inter opes ac delicias quæ tibi affluunt, dies noctesque anxius ſuſpires. Quanquam hoc longe præſtat, quam ſi in tam pericoloſa ſtatione ſecurus quieſceres. Proinde ſic te in moleſtiſſimis iſtis curis, quæ te angunt ac cruciant, ſolari cupio, ut eas tibi penitus eximere neque audeam, neque velim. Quo magis ſortem tuam diſplicere tibi neceſſe eſt: in qua nihil reperis melius, quam gravem acerbumque miſeriæ tuæ ſenſum. Adeoque tibi expedit acriter vellicari, ut nihil magis timen-

timendum ſit, quam ne lentæ punctiones tibi callum obducant. Quoties ergo te ſollicitat & urit conſcientia, memineris tuas eſſe partes, ſtimulos iſtos acuere potius quam retundere: ſcintillas accendere potius quam ſuffocare. Aliter plurimi: qui ut omnem triſtitiæ materiam procul abigant, non modo faceſſere jubent ſalubres Dei monitiones: ſed mortiferam & Dei & ſui oblivionem inducere ſibi conantur. Tibi vero, quemadmodum jam dixi, multo utilius, aſſidua inquietudine vexari, quam ſub tali tamque exitiali veterno ſopitum jacere. Cæterum malis tuis ita affici te oportet, ut ſerio adſpires ad remedium. Video quantæ tibi difficultates obſtent. Sed amanti nihil arduum. Deinde ſi ex animo laqueos iſtos exuere cupies, quibus nunc implicitus teneris, habes qui eos vel expediat, vel abrumpat. Si emergere appetes ex luto, in quo defixus hæres, habes qui tibi manum è cælo porrigat. Dominus certe viam inveniet: modo ne ejus auxilio tu deſis. Satis & ſuper hactenus deliberando fluctuatus es. In re tam certa mature ſtatuendum, quid facto ſit opus: & quod ſtatueris, ſtrenue & celeriter exequendum. Paucos videmus, qui ſponte ac præſenti animo, quæcunque occurrunt obſtacula, ſuperent. Verum ſi pauci nos ad imitationem virtutis ſuæ invitant: terreant nos eorum exempla, qui tarditatis nimiæ pœnas dederunt. Quanquam ut nullus ſit hominum reſpectus, una cæleſtis magiſtri auctoritas ſufficere nobis debet. Itaque hanc tibi ſolam objicio: ſicuti eam, ubi animum tuum excitaveris, tibi confido tanti fore, ut amplius nihil requiras. Et nunc quid reſtat, niſi ut vincat ille, cui nos omnes in obſequium, abſque certamine, addici convenit? Vale dilectiſſime frater. 31 Januarii. M. D. LVII.

CALV. N. OFFICIALI S. D.

NE mireris, eximie vir, quod hominem mihi tantum ex fama notum, literis meis perinde familiariter aggredior, acſi major inter nos conſuetudo mihi aditum patefaceret. De officio meo breviter hoc præfari cogor, quia non ſemper ultro accedunt, qui tamen ſunt ex Chriſti grege, pleroſque eſſe procul quærendos, atque ut ſubterfugiant, invitandos eſſe. Ego vero adeo in excuſanda fiducia anxie non laboro, ut mihi perſuadeam officium meum tibi & gratum fore, & utile. Certe minime vereor, ne tibi quem reverenter cæleſtis magiſtri doctrinam excipere audio, ludibrio ſit mea ſedulitas: dum te non male quidem animatum, ſed in profundiore luto hærentem incitare ſtudeo, ut paulo alacrius ad metam contendas. Aſperius forte quod dicturus ſum, tibi videbitur: ſed tamen & dictu utile, & veriſſimum eſſe agnoſces, ſi in te pauliſper deſcenderis, non majus eſſe ignis & aquæ diſſidium, quam locus ille quem tenes, à legitima vocatione procul alienus eſt. Quanquam non tam longa vel accurata diſputatione te vincendum, quam acribus ſtimulis pungendum eſſe arbitror, ut tibi ſerio diſpliceas. Sub illa barbara Papatus tyrannide, qua premuntur communiter alii omnes, quam difficile ſit purum atque integrum Deo obſequium præſtare, quiſque pro ſe experitur. Tua vero peculiaris eſt ratio, qui injuſtæ illius & ſacrilegæ dominationis ſatelles eſſe cogeris ac miniſter. Diſciplinæ quidem præeſſe honorificum eſt: ſed vide quam ſtrenue in purgandis flagitiis labores, quæ pueris quoque ipſis nota ſunt. Tuum eſt, ut de ebrietate aliiſque vitiis taceam, ſcortandi licentiam in clero cohibere: nunc tecum reputa, quam in hac craſſa, quæ omnibus nota eſt, obſcœnitate, tolerabilis ſit tua diſſimulatio. Atque ut ſeveriſſimus ſis hac in parte cenſor, nempe hoc erit operæ tuæ pretium, ut idolis maneat integer cultus, ut ſua ſacrilegia exerceant veſtri ſacerdotes. Præcipuam enim juriſdictionis tuæ partem in hoc ſitam eſſe non negabis, ut ſalva ſit & intacta Papatus religio, quam ſcis innumeris corruptelis ſcatere. Una eſt culpæ tuæ levatio, quod filiis Dei parcis, ne tyrannice ad ſuperſtitiones per te cogantur. Sed quantumvis tibi humaniter temperes, invitas tamen ad peccandum, quos violenter non trahis. Excipies, tibi id non eſſe in animo. Sed quid tergiverſando proficies, quum res ipſa palam clamitet, quoties tribunal conſcendis, ſignum erigi tuendis pollutionibus, quæ totum Dei cultum pervertunt? Atque ut optime te geras, ſimulas tamen nihil te velle Satanæ derogare. Fallor enim ſi ultra progrederis, quam ut falſo prætextu elabi ſinas ex laqueis, quos tamen tendunt aucupes tui, ad omnes animas æterno exitio implicandas. Atqui tuum potius erat palam abigere: quod adeo non præſtas, ut ſilentio tuo prodantur, ne quid gravius dicam. Ut dicam uno verbo, etiamſi reipſa Chriſto tuum obſequium offerre coneris, titulus ipſe Antichriſti vexilliſerum eſſe docet. Ad tam exitiale fœdumque exemplum res ipſa accedit: quia ſi furtim neſcio quid boni admiſces, nunquam tamen è tribunali ſurgis, quin multa officia præſtiteris impiæ dominationi, cui mancipatus es. Reliqua juriſdictio in cauſis civilibus conſumitur: ubi utcunque ſummam æquitatem colere ſtudeas, fines tamen à Domino præfixos evertis, dum ſub fallaci regiminis Eccleſiaſtici prætextu, alienam provinciam uſurpas. Sed ne ego tibi moleſtus ſim, tecum potius loquere, & ſine blanditiis reputa, ſitne ſancta Dei vocatio, hæc adulterina præclaræ functionis larva, quæ & Dei nomen profanat, & multis labyrinthis eſt implicita. Quod ſi vivendi ratio Deo non probatur, quibuſcunque virtutibus excellas, nihil tamen miſerius quam extra metas ſemper vagari. Aliam petendæ veniæ excuſationem non affero, niſi quod libere ſcribendum fuit vel tacendum. Vale ornatiſſime vir & mihi honorande. Dominus te Spiritu prudentiæ, æquitatis & fortitudinis gubernet.

CALV. ACANTHIO.

SI in caſtiganda tua ſegnitie paulo ſim acrior quam vellem, non eſt quod de aſperitate mea queraris: quin potius teipſum accuſa, qui me coëgiſti. Scis quid pridem fueris pollicitus, quum urgerem, ne diutius in illis fæcibus maneres. Quia perſuaſus eram, te hominem eſſe bonæ fidei, non modo credidi facturum, ſed quodammodo ſponſorem me interpoſui. Ab eo tempore ſuſtinui multas obliquas exprobrationes, quarum tædio duriores aliquando nuncios tibi miſi. Nunc quoque me undique appellant: nec habeo quid reſpondeam, niſi ad fidem ſolvendam mox accurras. Et quando tandem, frater mihi ex animo dilecte, tergiverſandi modum facies? Hactenus certe & Chriſtum juſto obſequio, & ejus Eccleſiam opera tua indigne fraudaſti. Negabis te interea fuiſſe otioſum. Agnoſco tuum laborem alicubi profuiſſe. Verum quid ſi hæc tua ſedulitas, qualiſcunque ſit, neque bonis probatur, & communem ſervorum Chriſti curſum impedit ac moratur? Certe quicquid excipias, ſolus tibi metus hac in parte conſiliarius eſt, quem merito ſuſpectum habere debes. Proinde fieri non poteſt, quin omnibus cordatis & ſinceris, qui ingenue Chriſto nomen dederunt, diſpliceat hæc tua aſtutia. Quanquam in deterius rapiunt multi clandeſtinos tuos circuitus, dum ſuſpicantur diverſum aliquid ſpargere, quod puram fidei unitatem ſcindat. Reclamo quidem, neque unquam aſſentiar, tibi quidquam nobiſcum eſſe diſſidii, niſi palam oſtenderis: quod nunquam fore confido. Sed tuum eſt videre, ne infirmos, quibus te Deus obſtrinxit, nimia ſecuritate conturbes. Jam biennium fere præteriit, quum te hortatus ſum, ut te ad eos cœtus aggregares, in quibus ſcis Deum pure invocari. Non

ſolum

ſolum tempus extraxiſti: ſed ex tuo ſilentio conjicere licuit, meam illam admonitionem abs te fuiſſe ſpretam. Nunc vero non rogabo tantum, vel hortabor: ſed obſecrabo, atque etiam, ſi opus eſt, adjurabo, ne moris nectendis diutius ſuſpenſa teneas bonorum deſideria. Si nihil impetro, mature jam tecum reputa, quale te judicium apud cæleſte tribunal maneat, coram quo brevi nos ſiſti oportet. Nam etſi tibi adhuc ætas eſt vegeta: quia tamen maturitas ad ſenium vergit, feſtinandum eſt, ne te ex inopinato nox occupet.

CALV. MACARIO S. D.

Frater mi, dulciſſime frater, ſi metu omni & ſollicitudine vacuus te nunc & collegas ad obeunda quæ impendent certamina impellerem, merito frigeret apud vos, imo putida eſſet fortis illa garrulitas. Nunc vero dum veſtro periculo anxius ipſe ac trepidus ad fiduciam & conſtantiam vos exhortor, epiſtola hæc quæ viva erit cordis mei imago, omneſque intimos ejus affectus repræſentabit, vos non ſecus afficiet, ut ſpero, quam ſi coram omnium curarum ſocius adeſſem. Et certe ſi ad extrema veniendum ſit, cuperem vobiſcum in morte potius conjungi, quam ſuperſtes tantam Eccleſiæ calamitatem lugere. Cæterum quicquid accidat, ſatis ex cæleſtis magiſtri præſcripto, me tacente, ſcitis centies potius moriendum, quam ſtationem, cui eſtis addicti, timide deſeratis. Seditionis ignominiam, qua non modo vos ſugillare, ſed ſacrum Chriſti Euangelium aſpergere conantur improbi, ego etiam exhorreo. Verum ubi vobis probe conſcii eſtis, inique vos hac falſa invidia gravari, hoc innocentiæ veſtræ teſtimonio fretos calumniam hanc æquo & ſedato animo ferre convenit, quam ne ipſe quidem Filius Dei potuit effugere. Bene eſt quod vobis quieſcentibus hoſtium maledicentiam refellet quæ ex tenebris mox emerget veritas. Nam ſimulac triduo volitaverit rumor, ſponte concidet: ac auctores ipſi pudore obmuteſcent. Certe ut omnium mendaciorum pater & artifex diabolus tota mole ad vos odio & infamia obruendos incumbat, non tamen eo uſque proficiet, quin hoc præclaro & memorabili conflictu nomen ſuum illuſtret Deus, & ex caligine eliciat plenum gloriæ ſuæ fulgorem. Nulla unquam ad Regis aures pervenerat libera & ingenua confeſſio. Si ultima primis reſpondeant (quod ſperandum eſt) centies, crede mihi, palleſcet rubicundus leo. Si in grege multa erit trepidatio, ne vos conturbet: ſed placide non minus quam ſtrenue occurrite diſſipationi. Forte aliquid relaxationis brevi præter ſpem dabitur. Quod ſi durius veſtram patientiam exerceri contigerit, quoniam ita cæleſti Patri decretum eſt, fixum tamen maneat, fidelem eſſe, qui ultra modum ſuos tentari non ſinet.

Clariſſimo Viro, Virtute & Eruditione Præſtanti, *Joanni Calvino*, fratri ac Symmyſtæ obſervando, Eccleſiæ Genevenſis Paſtori

Gratia & Pax per Jeſum Chriſtum.

Clariſſime vir ac frater in Domino plurimum obſervande, ubi viderunt Weſalienſes concionatores de noſtra controverſia factum eſſe compromiſſum in ſententiam Philippi, ac ſuas ſuggeſtiones non magni fieri, advocarunt quoſdam è Friſia qui ſua auctoritate Senatum monerent. Quod non infeliciter eis ſucceſſit. Per eos enim effectum eſt, ut Senatum facti compromiſſi pœniteret. Quare ſtatim miſſus eſt Wittenbergam Thomas unus ex concionatoribus, qui Philippo Senatus ſententiam indicaret. Vix Coloniam pervenerat tabellarius quem ad te miſi, quum Thomas rediit Wittenberga. Nihil ad meas literas reſpondit Philippus. Reſcripſerat quidem Domino Huberto Langueto, ſed noſtri literas ſuppreſſerunt, ut nobis omnium ignaris facilius imponerent, & noſtri exilii culpam à ſe removerent. Acceptis literis à Philippo, me & Trihernum Anglum virum doctum vocarunt in Senatum. Nos autem, ne juxta morem ſuum actionem noſtram calumniarentur, ex noſtris Eccleſiis aliquot nobis adjunximus, qui eſſent loco teſtium. Non recitarunt integras literas Philippi, ſed tres tantum verſiculos ex iis decerptos, nimirum unum de Cœna Domini, alterum de Baptiſmo, tertium de Ceremoniis. Iis auditis permiſſum eſt nobis ſecedere deliberandi cauſa. Inter deliberandum viſum eſt omnibus approbandam eſſe ſententiam Philippi: quod & à nobis factum eſt. Nihil enim in ea continebatur, quod Eccleſiarum noſtrarum doctrinæ adverſaretur. Audita noſtra reſponſione, juſſerunt nos iterum ſecedere, ut ipſi inter ſe deliberarent. Reverſis nobis dixit Conſul, Quum ſatis conſtet ex veſtra confeſſione, vos omnino diſſentire à nobis in articulo de Cœna Domini, nec Philippi, nec cujuſquam hominis auctoritatem in ea re moramur: imo miramur vos tam præfracte & pertinaciter audere diſſentire à tot ſanctis & eruditis viris. Quare niſi velitis credere, fateri, & ſyngrapha teſtari illa duo axiomata vera eſſe, videlicet in Cœna Domini verum corpus Chriſti in pane contineri: item nos illud corpus non tantum mente, ſed etiam ore ſumere: jubemus ut omnes intra Calendas Martias hinc migretis. Audita ſententia petiimus, ut ſaltem temporis ſpatium, quod nobis ad componendas res noſtras concedebatur, ad Calendas Maias prorogaretur, quum non ſit facile tot miſeris hominibus intra illud tempus migrare: quum præſertim toto Februario adhuc ſæviat hyems in illis regionibus, & difficulter navigetur adverſo Rheno. Reſpondit Conſul eſſe quod illis ageremus gratias pro tanta erga nos humanitate, quum ſi vellent uti jure ſuo, nos bonis omnibus exuare, & præterea à nobis pœnas exigere poſſent. Ubi reſciverunt concionatores hujuſmodi ſententiam in nos latam eſſe, cœperunt ex ſuggeſtu debacchari, & miris calumniis nos onerare, ut populum adverſus nos concitarent, & præcipue quidam Hermanus primus auctor hujus tragœdiæ, cujus majorne ſit inſcitia an impudentia, non ſatis ſcio. Nam ſemel pro concione auſus eſt dicere, nos nullam fidem verbis Chriſti habere, ac eſſe ſceleratos Sacramentorum contaminatores, qui inſtar luporum in gregem Domini irrepſerimus, ut veras ejus oves devoraremus, ac virus in Anglia hauſtum in eas evomeremus. Non periit illi ſua opera, nam media luce à quodam ictus fui lapide. Alius me veſperi domum redeuntem pugno in pectore percuſſit. Nec defuerunt qui ſtricto gladio quoſdam ex noſtris invaderent, inclamantes eos eſſe ſceleratos Sacramentarios: & certe niſi ſibi fuga conſuluiſſent, periculum illis erat de vita. Talis fuit exitus noſtræ contentionis potius quam diſceptationis Weſalienſis, de qua ſane longe aliam ſpem conceperam. Dum ſic Weſaliæ accipimur, in hac Eccleſia Francfordienſi ingraveſcebant contentiones, quæ eo uſque progreſſæ ſunt, ut parum abfuerit, quin aliquoties in ipſo templo ad manus ventum ſit. Ingemiſcebant pii, nec ſe petulanti audaciæ adverſariorum audebant opponere, quum viderent eos hoc agere, ut gravem aliquem tumultum excitarent quo poſſet Eccleſia everti. Optimus vir Dominus Gulielmus quantum in ſe erat, ruentes res ſuſtinebat: ſed adverſarii multis calumniis effecerant, ut is apud N. non tantum haberet fidei, quantum perturbatus Eccleſiæ ſtatus poſtulabat. Interea hic reſciſcunt nos eſſe dimiſſos Weſalia. Deliberant de me advocando. Hoc ſignificant Clauburgo, qui probat conſilium, & jubet omnes lites in meum uſque

adven-

adventum ſopiri. Mittitur ad me unus ex Diaconis, qui circa brumam Weſaliam venit cum literis ab Eccleſia, quibus obnixe à me petebatur, ut ſtatim itineri me committerem. Convocavi fere omnes ex noſtra Eccleſia, oſtendi illis literas, & dixi me nihil niſi ex eorum conſilio facturum. Suaſerunt omnes ne in tam præſenti periculo Francofordienſi Eccleſiæ deeſſem. Conſtitui res meas, quanta potui celeritate: & licet eſſent ſæviſſimæ tempeſtates, hujus Eccleſiæ precibus obſequutus ſum. Calendis hujus menſis huc veni. Quatriduo poſt rediit à vobis tabellarius cum tuis ad me literis, in quibus benevolentiamne tuam, prudens conſilium, an indefeſſum ſtudium juvandi Eccleſias magis ſim amplexatus, dicere non poſſum. Ingentem certe conſolationem ex iis percepi, quum viderem me habere quod calumniatoribus opponerem: & præterea liberari illa anxietate deligendi loci, in qua re nihil prorſus niſi ax tuo conſilio facere conſtitueram. Itaque ago tibi ingentes gratias, & te obteſtor, quum tanto affectu hanc Eccleſiam (malitia eorum quos minime decebat pene letaliter vulneratam) ſanandam ſuſceperis, ne eidem, ſuæ valetudini Dei beneficio utcunque reſtitutæ, conſilio, exhortatione ac ſanctis precibus adeſſe te pigeat. Idem etiam tota ipſa Eccleſia efflagitat. Vix dici poteſt quam impedita hic omnia invenerim: quo magis eſt nobis prædicandum Dei opus inter nos, quod intra paucos dies res multo in meliorem ſtatum præter ſpem humanam reſtitutæ ſunt: ſublatæ vero occaſiones mali, quantum Dominus & videre, & poſſe, & præſtare conceſſit. Perendie (Deo juvante) aliquot menſibus intermiſſam cœnam Domini celebrabimus. Anguſtia temporis cogit nos feſtinantius quam cuperemus, agere. Weſaliam enim mihi properandum eſt, ut quantum in me eſt miſeris illis reliquiis conſulam. Nam non ita multum ſupereſt ex tempore illis conceſſo ad res ſuas componendas. Weſalia erit mihi eundum A. ſiquidem hoc à me flagitat Eccleſia. Vix potero huc redire ante mercatum. Vale clariſſime vir, & obſervande frater: peto ut ignoſcas mearum literarum prolixitati. Deus conſervet te, ac totam veſtram Eccleſiam, cujus precibus afflictum hunc gregem commendamus. Francofordiæ, quarto Calendas Febr. M. D. L. V I I.

Tibi addictiſſimus Franciſcus Perrucellus.

Utenhonius Calvino s. d.

Quum jam ſcribendis ad amicos paſſim literis operam darem, Calvine mihi obſervandiſſime, nolui committere quin te nunc certiorem facerem de ſucceſſu rerum magnifici Domini Joannis à Laſco in Polonia. Cui ſane non omnino infeliciter ceſſit hactenus (gratia Deo Optimo Maximo) tametſi non ſine incredibili reluctatione Satanæ, qui ſibi ſuoque regno ab eo (quæ ejus admiranda hic multis nominibus eſt auctoritas) non parum metuit. Ac proinde omnes conatus, omniaque ſtudia, per ſuos ſtipendiarios hactenus congeſſit ut eum perderet, aut ſaltem Regno pelleret. Quum enim ante duos, plus minus, menſes, Epiſcopi noſtri (qui omnes apud Regem Warſſoviæ in Regni comitiis erant) ſubolfeciſſent D. Joannem à Laſco huc adveniſſe, mox convenerunt apud Archiepiſcopum Gneſnenſem, una cum Lipomano Veronenſi Epiſcopo legato hic Pontificio, ſemotis arbitris (ut vocant) ſecularibus. Ubi totum diem conſultarunt inter ſe, quid hic facto opus eſſet, ut Dominum à Laſco omnium commodiſſime Regno ejicerent: è re enim eorum hoc eſſe. Nam ipſum, ſi maneat, eorum carnificem fore (quod ipſum dixiſſe Cracovienſem Epiſcopum, affirmavit Nicodemus quidam) ac proinde tempeſtivo opus fore remedio. Poſtridie vero Regem adeunt, primo Lipomanus: deinde etiam reliqui Epiſcopi turmatim omnes. Se compertum habere Joannem à Laſco adveniſſe, velleque Regem adire, ut cum ipſo colloquatur. Quare ſupplicare ſe, ne eum ad colloquium admittat, eo quod maximus eſſet hæreticus (qui nuſquam gentium fertetur, ideoque nunc in patriam reverſum eſſe) ac talis hic olim pronunciatus eſſet. Quibus reſpondit Rex, qui adhuc eſt puſillanimior, Verum quidem eſt, ipſum olim à vobis in veſtris ſynodis hæreticum fuiſſe pronunciatum: ſed non item à Regio, Regnique Senatu. Joannemque à Laſco ac ſuos aſſeverare & probare velle ſe non hæreticos, ſed catholicos eſſe. Non video itaque qua ratione hic vobis condeſcendam. Tum vero aiebant Epiſcopi, Regem hoc omnino facere debere, ſi modo vellet recte conſulere tranquillitati Regni. Non enim dubium eſſe quin multæ turbæ hic oborituræ eſſent, ſi hic ferretur Joannes à Laſco. Rex vero (dum illi nullum finem neque modum hic facerent) juſſit ut ſilerent. Iniquam enim & contra jus Regni eorum eſſe poſtulationem. Quum vero illi jam viderent ſe primo illo ariete nihil effeciſſe, mille mendacia ab eo die impudentiſſime excogitarunt, quibus Dominum à Laſco paſſim & præſertim apud Regem ipſum gravarunt. Inter cætera aſſeverantes ipſum D. à Laſco veniſſe in Poloniam, ut arma ſumeret contra Regem, utque impleret hic omnia turbis & ſeditionibus: eum obequitare Epiſcopatum Cracovienſem centum aut ducentis equitibus, paſſimque jam ſub ipſum ejus adventum demoliri in templis omnia pro ſuo arbitrio, & id genus alia multa: quæ omnia adeo conſtanter referebant, firmiterque aſſeverabant, ut Rex cœperit aliquandiu ſiniſterius quippiam ſuſpicari de Domino à Laſco, eique infenſior eſſe, donec ipſe cum Procere quodam, affine Domini à Laſco de hoc ipſo expoſtulaſſet. Ille enim dixit Regi, ea omnia nihil eſſe quam meras calumnias, multo impudentiſſime excogitatas & confictas ab ipſius adverſariis. Hocque Regem ſibi perſuadere debere: ſeſe in veritatis ſtabilimentum hic fidem ac etiamnum vitam ſuam pignoris loco interponere velle. Ad cujus demum verba Regius animus cepit miteſcere. Aitque illi Rex, Tu ſcis ejuſmodi turbas ac motus magnorum regnorum excidii occaſionem plerumque fuiſſe. Quare dic D. à Laſco ut ipſi inter vos (qui ſanguine & affinitate juncti eſtis) Religionis negotium agatis, videbis & ipſe brevi me majorem Dei quam hominum rationem habiturum eſſe. Quod ut det Deus Optimus Maximus ad incrementum regni ſui, etiam atque etiam obnixeque oramus. Porro Comitia illa nuper Warſſoviæ habita non omnino adhuc ex animi noſtri ſucceſſerunt ſententia: adeo furioſe ſeſe opponit Satan propagationi regni Chriſti Domini. Illa autem propter bellum iſtud Livonicum, ad quod ſe nunc accingit Rex, veluti abrupta fuerunt, ut tractatio de Religione ac Reformatione Eccleſiarum rejecta fuerit in proxima Comitia, quibus nondum dictus eſt dies. Interim Nobilitas tota ſumma utitur libertate, in quos nulla cadit Epiſcoporum inquiſitio: qui etiam ſibi ac ſuis Evangelicos concionatores alere poſſunt. Et ſperandum eſt tandem, nos hic aliquando feliciores progreſſus habituros eſſe, niſi nos noſtra ingratitudine iram Dei in nos provocemus. Turca non ita pridem habuit ſuum Legatum apud Joannem II. Regem Ungariæ, dum comitiis illis regni celebrandis impediretur, miſitque ei vexillum quoddam Turcicum, ſuo ipſius interſignio inſignitum, jubens ut copias ſuas omnes quas cum ex Polonis, tum ex Ungaris, colligere poſſit, ſub eo vexillo Viennam verſus, proximo vere educeret adverſus Ferdinandum. Quid vero Joannes reſponderit, aut facturus ſit, adhuc ignoramus. Sed veremur ne Turcæ addictior fiet quam par ſit, ſicuti ipſe nuper non obſcure declaravit, ad juſſum Turcæ mittendo ei quendam inſignem Capi-

taneum (quem detinebat) qui à Ferdinandi partibus fideliter ſemper ſteterat. Deus interim miſereatur noſtri ac Viennæ, quæ hactenus firmum adverſus Turcarum furorem & potentiam Chriſtiaois fuit propugnaculum. Vale mi Domine Calvine, mihi perpetuo colendiſſime io Chriſto Domino, cui ego te tuumque miniſterium commendo ex animo. Salutat te peramanter Dominus à Laſco, cui per otium non licuit nunc ſcribere. Saluta mihi D. à Sancto Andrea, Raymundum, D. Jo. Budæum, ac reliquos fratres in Domino. Cracoviæ, 19 Febr. M.D. LVII.

Tuus ut ſuus multoque addictiſſimus Joannes Utenbonius.

Ita nunc obruor curis ac negotiis, mi Calvine, ut nihil poſſim ſcribere. Hinc hoſtes, hinc falſi fratres nos adoriuntur, ut non ſit quies ulla. Sed & pios multos habemus, ſit Deo gratia, qui nobis ſunt & adjumento & conſolationi. Utenbonius noſter novit omnia. Itaque quæ is ſcripſit, à me ſcripta eſſe cogitabis. Vale. Salvere officioſiſſime jubeo fratres in Domino omnes.

Joannes à Laſco manu propria.

RICHERIUS N. S. D.

Gratia & Pax à Deo per Jeſum Chriſtum.

NOlui oblatam occaſionem præterire, frater, quin tuam humanitatem de rebus noſtris certiorem facerem: in primis notum tibi eſſe velim beneficium, quod à Domino hactenus accepimus, ut ejuſdem bonitati digneris nobiſcum gratias referre. Id utique eſt quemadmodum optamus. Quandoquidem omnium noſtrûm talem pro ſua bonitate habuit curam, ut per tam varia terrarum & maris diſcrimina, omnes nos ad portum ſanos & incolumes perduxerit. Satan quidem ut eſt ſui ſimilis, diverſis nos in itinere eapoſuit periculis: ſed ut filii (etſi hoc nomine indigni) eaperti ſumus ſemper tanti Patris manum aua iliatricem: quam etiam benigne eaporrigit in dies magis ac magis erga nos. Altero die poſtquam appulimus Villagagno, voluit verbum Dei publice prædicari: deinde ſubſequenti hebdomada ſacroſanctam Chriſti Cœnam adminiſtrari expetivit, quam & ipſe cum aliquot è ſuis domeſticis religioſe adiit, reddita primum ſuæ fidei ratione cum magna Eccleſiæ quæ aderat ædificatione. Quid commodius noſtro inſtituto contingere poterat? Quid demum votis omnibus noſtrûm reſpondiſſet opportunius, quam ut his teſſeris apud nos vera appareret Eccleſia? Talibus beneficiis dignatus eſt nos proſequi benignus ille ſummus Pater. Regio bæc autem, quod ſit inculta raroque habitatore, nihil fere profert quod noſtrates vel guſtare vellent. Milium quidem, ficus ſylveſtres, & quaſdam radices quibus farinam ad viaticum conficiunt, ſuis gignit incolis. Panem vero non habet, nec vinum aut quid vino proximum profert. Imo nec fructum aliquem (quem ne verim) quo quandoque uſi fuerimus. Nihilominus tamen nobis bene eſt, & recte valemus: imo ut me exempli vice proferam, vegetior ſum ſolito. ſed & id omnibus aliis commune eſt. Beneficium aëri adſcriberet Phyſicus, qui adeo temperatus ſit ut noſtro reſpondeat Maio. Sed ne tanta ſummo illi, maaimo & optimo Numini irrogetur injuria, dicam quod ſentio. Hoc modo paternum ſuum affectum nobis aperit bonus ille cæleſtis Pater, qui hic in tam barbaro & agreſti ſolo ſuum nobis miniſtrat favorem, adeo ut experiamur viaticum hominis pendere noo è pane, ſed è verbo Dei, cujus favor hic nobis eſt omnium deliciarum loco. Unum eſt quod nos non mediocriter urget & angit, populi ſcilicet barbaries, quæ tanta eſt ut major eſſe non poſſit. Noo affero, quod ſint anthropophagi, quod tamen illis adeo vulgare eſt ut nil magis; ſed doleo craſſam mentis ipſorum hebetudinem, quæ mediis in tenebris tamen eſt palpabilis. De virtute Patris quamvis ethica, nihil norunt prorſus, boaum à malo non ſecernunt, denique vitia quæ natura in cæteris gentibus naturaliter arguit, loco virtutis habent: ſaltem vitiorum turpitudinem non agnoſcunt, adeo ut hac in re à brutis parum differant. Cæterum quod omnium pernicioſiſſimum eſt, latet eos an ſit Deus, tantum abeſt ut Legem ejus obſervent, vel potentiam & bonitatem ejus mirentur: quo fit ut prorſus ſit nobis adempta ſpes lucrifaciendi eos Chriſto: quod ut omnium eſt graviſſimum, ita inter cætera maxime ægre ferimus. Audio quidem quis moa objiciet eos tabulam raſam eſſe, quæ facile ſuis poſſit depingi coloribus, quod nativo hujuſmodi colorum ſplendori nihil habeat contrarium. Sed norit ille quantum impediat idiomatum diverſitas. Adde quod deſunt nobis interpretes, qui Domino ſint fideles. Propoſueramus quidem illorum miniſterio & induſtria uti: ſcilicet reperimus illos ipſiſſima eſſe Sataoæ membra, quibus nihil magis inviſum quam ſanctum Chriſti Evangelium. Proinde hac in re nobis operæpretium eſt ſiſtere gradum, patienterque eapectare, dooec adoleſcentuli, quos Dominus à Villagagnone barbaris hujus patriæ tradidit erudiendos, norint naturalem ipſorum diſtinguere linguam. Ad hoc enim illi apud eos deguot & verſantur. Faxit Deus ut ſit hoc illis citra aliquod animarum ſuarum periculum. Nam ubi hoc munere nos donarit Altiſſimus, ſperamus hanc Idumæam futuram Chriſto poſſeſſionem. Interim expectamus frequentiorem populum, cujus converſatione & formetur hæc natio barbara, & noſtra Eccleſia ſuum accipiat incrementum. Abundaremus utique omni bonorum copia, ſi hic frequens adeſſet populus. Nam quod tenuis & modica noſtra ſit aonona, id efficit rarus habitator, & ſomnolentus agricola. Sed iis omnibus proſpiciet Altiſſimus. Nos vero noſtratum omnium Eccleſiarum precibus commendari obniae cupimus. Ex Gallia Antarctica, pridie Aprilis. M. D. LVII.

Tuus P. Richerius.

JOAN. CALVINUS N.N. S. D.

ACcepi, fratres dilectiſſimi, novas & pergraves moleſtias vobis eahiberi ab hoſtibus veritatis: ut totus in eo eſt Satan, dum Filii Dei regnum promoveri, ac piorum numerum augeri animadvertit, ut nullum non lapidem ad ipſos dejiciendos moveat. Quod autem Dominus interdum laaat habenas impiis, ut nobis noceant, mirum videri non debet. Æquiſſimum eſt nempe ita probari fidem noſtram, noſque vere teſtari quo in pretio nobis illa ſit, dum afflictionibus in nos propter ſalutis doctrinam ſævientibus, immoti tamen omnibus peractis ſtamus. Quod autem innata infirmitas nos hic quoque conſtriogit, tanto maturius ad illius præſidium accurramus, quem poſſe & velle noſtra cauſa, dubitare non poſſumus. Ut autem impetus illi adverſariorum, dum in nos impingunt, non mediocrem ad ipſos ſuſtinendos fortitudinem & robur requirunt, ita etiam illorum artes & doli ſiogulari quadam cautione nobis ſunt evitandi. Durum eſt multis, quod in vitæ & facultatum diſcrimeo vocentur pietatis nomine: ſed illud longe deterius, ubi obliquis rationibus & cuniculis à ſpe in Deum, & timore abducendi lactantur. Et hoc illud eſt rete, quod à bicorni illo Epiſcopo nuoc vobis injectum eſt, dum trimeſtre ſpatium ad remittendum Evangelio nuncium indulget. Sic infirmæ animæ in eaitium pertrahuntur. Attendite vobis igitur, atque ab iſtiuſmodi cogitatione non ſecus atque à certiſſima ſuggeſtione Satanæ abhorrete. Cui enim hoc vel leviſſime in mentem venire poteſt, renunciandus ne ſit & abnegandus ſibi, à quo tam caro redem- *Ex Gall.*

 ptus,

ptus, in ipſius jus & ſervitium omnino tranſierit. Neque vero ulli flammarum etiam æſtus & velut inundationes, quæ corporibus minantur tantum, quod unum poſſunt, quidquam ſunt ad illam animarum peſtilentem inhalationem, quæ in æternum exitium tandem adductura ſit. Quare quum illos veritatis hoſtes nihil non moliri animadvertitis, ut vos à via abducant, agnoſcite ſimul illo artificio vobis retecto, Dominum receptui ſuis canere. Ergo ubi ſerio res agitur, præſtate vos Chriſti milites, ac conſtanti fide Satanæ inſultando, univerſas ipſius adverſum vos inſtructas machinas disjicite: à mundo quoque vos ſubducite, à quo non minor pernicies vobis etiam imminet. Illud denique cogitate, ſic eſſe voluntatem Domini, ut præſentis examinis occaſione retecti, tanto felicius ſub ipſius præſidium accurrendo quieſcatis, modo etiam in illo abſcondito Altiſſimi firmi & immoti perſtetis: & quæ ad vos alliciendos oſtentat Satan per nequitiæ ſuæ inſtrumenta, illa ſemel vobis ut infames ſcopulos prætervehenda ſtatuatis. Valete dilectiſſimi fratres. Dominus ſua dona in vobis cumulet, ut quæ inſtant adverſa, eluctemini, vos regat ſuo Spiritu, ut in recta via ad extremum uſque pergatis. Brevior autem fui, quum N. fratrem noſtrum pluribus iſta complexurum pro Dei in ipſum gratia confiſus ſum. M. D. LVII.

JOAN. CALVINUS N. N. S. D.

Charitas Dei Patris & Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobis ſemper adſit per Spiritus ſancti communicationem.

Ex Gall. NOn dubito, dilectiſſimi fratres, quin illud pleriſque veſtrûm in mentem venturum ſit, me alieniſſimo tempore hoc ad vos ſcribendi munus aggreſſum eſſe, quum ita paſſim fervet impiorum crudelitas, ut vel ad minimam olei guttam immanius exarſuram timendum ſit. Atqui longe falluntur, qui in eo uno timore defixi, his de rebus ita ſentiunt. Ego vero hoc illud tempus eſſe vobis confirmo, quo veri exhortationum ſtimuli figendi ſunt, qui omnes ſerio excitent, animoſque revocent ad bellum hoc Domini ſtrenue militandum. Perſequutiones nimirum ab impiis luctæ Chriſtianorum ſunt, quibus fidei & conſtantiæ ſuæ documentum edant. Nunc igitur ad arma currendum eſt, quæ nimirum uno Dei verbi nomine aptiſſime continentur. Quo vero ſuæ quiſque infirmitatis ſibi conſcius eſt magis, eo ſeſe maturius ad Domini armamentarium conferat. Atque hic ſeſe detegit pudenda illorum indignitas, qui ſuis malis adeo ſecure indormiunt. Qui quum ſeſe omnium debiles maxime oſtendant, & ad folii cadentis ſtrepitum conſternentur, iidem omnium maxime à ſingulari remedio quod offert ipſis Dominus, abhorrent. Vos vero, dilectiſſ. fratres, agnoſcite omnino, quam opportunum ſit iſtud erga vos meum ſtudium, dum flamma perſequutionum exæſtuat, præſentemque piis intentant omnia mortem. Nam & hic mos erat olim apud ſanctos illos Martyres, ut quo deſperatiorem tyrannorum rabiem adverſus Chriſti nomen in ipſorum ſuppliciis inſectandum experiebantur, eo magis laborarent ad ſeſe mutuo excitandos, & ſanctis admonitionibus conglutinandos: ſic etiam Dominus ipſe propoſito diſcipulis turbulento illo ſtatu rerum omnium, cujus nunc faciem intuemur, Vos interea, *Luca 21. verſ. 28.* inquit, exultate, & attollite capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra. Hoc ſi apud noſipſos non ita nunc aſſequimur, enitamur ſaltem adverſus noſtram illam dejectionem, quæ beatæ illius exultationis ſenſum à nobis percipi non ſinit. Nam veſtra me pericula non ita fugiunt, ut præcipiti aliquo zelo commitam, quod furentibus adverſariis occaſionem ullam præbeat: ſed tamen ratio quædam hic eſt adhibenda, ut qui nova confirmatione indigent, illi re tam neceſſaria non deſtituantur. Vos ipſi judicate, annon jam veſtrûm plurimos occupet incredulitas, quæ afflictos humi tenet, quaſi Deus jam nullus ſit. Hinc illi colligant quæ mihi neceſſitas incumbat, ut quacunque ratione ad cor ipſos redire compellam, ne Dei in ipſis gratia penitus extinguatur. Sane nihil hoc novi eſt, ſi ut oves in mediis luporum faucibus, nunc multo magis exacerbatos adverſum vos oſores veritatis ſuſtinetis. Non eſt hoc etiam unius loci. Cogitate nimirum eaſdem quoque afflictiones à veſtra quæ in mundo eſt fraternitate impleri. Nunc igitur reipſa teſtemur, an fruſtra in Domini ſchola edocti fuerimus. Certum eſſe enim debet illi uni & vivere & mori, qui pro nobis ſemel ipſe eſt mortuus. Neque ſuo nomini reſpondet fides noſtra, dum victoria adverſus mundum appellatur, ſi in umbra *1 Joan. 5. verſ. 4.* tantum, & extra telorum jactum lacertos intendimus: ſed tum demum quum illa probe inſtructi, Satanam ipſum cum ſuis omnibus machinis deſpicimus atque pedibus conterimus. Ipſa etiam Evangelii doctrina non eo ſpectat, ut quis de illa in otio ſermonem habeat, ſed ut ipſa ſerio imbuti, nihil fieri mundum à nobis & quæ in mundo ſunt, præ cæleſtis regni gloria oſtendamus. Proinde qui ita percelluntur ad nomen perſequutionum atque inſtantes motus, ut exanimes fere concidant, perquam tenuiter in Dei ſchola profecerunt. Sane quod timore corripimur, humanum eſt, & à nobis alienum eſſe non poteſt. Quumque ipſe Dominus hoc in nobis toleret, abſit ut Domino erga alios duriores ipſius ſervi ſimus. Et qui ſe ita commotos ſentiunt, animum ne deſpondeant, quaſi ad defectionem uſque delapſi eſſent. Illud modo quod ſummum eſt properemus omnes, ut fomentis omnibus infirmitatis noſtræ vale dicendo, ab illa ipſa ſenſim enatemus, auctore & ductore Domini Spiritu. Nihil enim eſt à Chriſtianorum nomine magis alienum, quam ſi Filio Dei exercitum luſtrante, ac ſuos in prælium miſſuro, ita demum trepidi & metu quaſi extincti deprehendimur, ut jam ex illo numero ut deſertores expungendi ſimus. Obluctandum igitur carni ut ſpiritus perduelli: atque ut condonet nobis Dominus, ipſi nobis ne condonemus, ſed rigidi judices adverſum noſipſos ſedeamus. Addat ſibi quiſque etiam ſtimulos, pro ſuæ tarditatis conſcientia: & qui nos ad officium tam male comparatos agnoſcimus, exoptemus & boni conſulamus, aliunde etiam ad officium excitari: agnoſcamus & illud Dei opus erga nos, quod ſuis occaſionibus aurem nobis vellicat, & ſomnolentos pungit ad vivum, uti noſtram tarditatem ſibi medicandam eſſe unus novit optime. Porro ſiquid eſt in iis quæ piis Martyribus contingunt, quod nos omnium maxime percellat, acerbitas ſuppliciorum eſt, quibus illi exquiſitiſſimis addicuntur. Et ſane terribilis quædam rerum facies illic exiſtit, quæ non ſatis conſtantes concutiat. Hoc vero ubi vel in oculos incurrit, vel in mentem venit, ſubeat & illa præſentiſſima cogitatio, de invicta illorum conſtantia, animique fortitudine, qua ſuos illos Dominus tum minime omnium deſtituere ſolet. Quicquid enim excogitent oſores veritatis, ut ſervos Dei de gradu dejiciant, illa Spiritus Dei virtus quæ ipſis inditur, omnem pœnarum horrorem ſupervincit. Stet illic nempe Satan armatus, ſeſeque totum excutiat, ut fidelibus pudorem incutiat, ad defectionem cogat, à ſalute avertat, eo denique numeroſa illa furoris ſui inſtrumenta conferat, ac nullum crudelitatis genus intentatum relinquat. Atqui in mediis illis cruciatibus quibus ſervi Dei ſecundum carnem excarnificantur, illa perpetua & conſtans nominis Chriſti confeſſio, quæ in ipſis tum longe ardentior ſeſe oſtendit, aperte clamat, potentiorem longe eſſe, qui ita tum ſuos fulcit atque confirmat, dum ex horribili illo congreſſu victrices tamen abſumptis corporibus animas, cum invictæ veritatis

ritatis

ritatis trophæo propugnatori cæleſti ſiſtunt. Quid igitur? illa nempe adverſariorum immanitas, quæ vel ipſis frendentibus Martyrum conſtantiæ cedere cogitur, plus valebit ad nos dejiciendos, quam ad excitandos virtus illa ex alto, qua Dominus in ſuis & luctatur, & vincit, & triumphat? Et vos agnoſcitis manum Domini pro ſuis ſeſe exerentem, ut in illa non acquieſcatis? Ac fides Martyrum in media morte caput attollet, ut mortis illorum occaſio fidem extinguat in vobis? Quare dilectiſſimi fratres, dum ſuos illos furores in ſei vos Dei tyranni deſpumant, vos ipſi mentis oculos ad intuendam Dei opem & auxilium intendite: ac quum magnos illos athletas ab ipſo nunquam deſeri compertum habueritis, colligite animum, & in lucta illa adverſus carnem & ſanguinem eo uſque progredi contendite, illamque vobis fiduciam comparate, ut beatos eſſe nos ſentiatis ſive in vita, ſive in morte, qui modo Chriſti ſumus. Atqui nihilominus juſti illi crudeliſſime accipiuntur ab impiis, quorum ſcelera dum inulta ſinit Dominus, tanto magis eorum in nos furor exardeſcit. Sic eſt nempe Domini voluntas, ut quum hic nobis durandum ſit, & ſubeundum quod ipſe imponit, noſtram ut Eccleſiæ ipſius ſortem agnoſcamus. Nam & Eccleſia Domini novali comparatur, per quod ultro citroque protractis ſulcis totum tandem in glebas comminuitur: ſic, inquam, ut eſt in Pſalm. 129. Eccleſiam Domini tergo objecto impiorum ſævitiæ quaſi vomere perducto exarari oportet. Ac ſi nobis illud durum eſt & contra animi ſententiam, ſatis ſit vero, quod Dominus ita nos quidem exponit morti, ut eandem ſimul in vitæ & ſalutis occaſionem nobis convertat. Imo ſi rem ipſam ut eſt, expendimus, optabilius nobis illud erit, quum pro ipſius nomine conſtanter aliquid ferre dabitur, quam ſi veritatis profeſſionem remota afflictione teneremus. Neque enim percipimus tam bene quæ ſit Spiritus Domini vis, nobis in portu navigantibus, atque ubi in altum afflictionum delati, ſpei remigio tamen ſalvi & erecti conſiſtimus. Facit autem noſtra cæcitas ut illud minus liquido percipiamus, quod Dominus tamen, cujus oculi certius multo intuentur, ita uti expedire novit, reipſa etiam proſpicit. Dubitandum igitur non eſt, quin ad ſuorum ſalutem Dominus dirigat, quod ipſos ſuo modo exerceri ſinit: nobis vero ſtatuendum, non aliud magis exoptandum nobis eſſe, quam quod unus ille pro ſuo arbitrio de nobis ſemel ſtatuerit. Quod niſi primaria illa ratio, ſic eſſe voluntatem Dei, veram in nobis acquieſcentiam, ut ita loquar, ſola jam parit: ipſi demum & aliæ accedant, quæ nos etiam ad officii rationem agnoſcendam amplectendamque conſtringant. Nam & fides noſtra, quum auro vel argento ſit pretioſior, non minus ſerium examen ſubeat oportet: & mortificatio noſtra, quæ vocationis noſtræ ſcopus eſt, ſenſim ita in nobis progreditur: & affectus innati à rebus præſentibus avelluntur: & tot cupiditates pravæ nobis etiam incompertæ corriguntur: ſic tandem perpetuus ille noſter & nativus tumor, quem nunquam bene exuimus, appoſite omnino retunditur. Sic præterea admonemur quam incomparabile ſit pretium verbi Dei, quum ubi gratis & ſine ſudore obtruditur, vileſcere nobis ſoleat. Omnium porro ſummum illud eſt, quod per afflictiones Euangelii, conformes efficimur imaginis Filii Dei, quum æquius nihil ſit quam extare iſtiuſmodi inter caput & membra convenientiam. Ex quibus manifeſte efficitur, adeo noſtras pro veritatis teſtimonio afflictiones non eſſe derelictionis à Deo argumenta, ut tum potius in ſalutem noſtram omnibus modis promovendam illa à Domino diſponi conſtare nobis oporteat. Quod vero ſenſus noſter contrarium prorſus dictat, illud eo fit, quia natura hic nidum figere geſtimus, Regni Dei & rerum vere noſtrarum obliti. Et ſane quum in cælo demum nos triumphus maneat, ad bellum accinctos eſſe oportet, quamdiu in terra verſamur. Ergo ubi vobis ſerio iſtis de rebus cogitandum eſt, nolite dubitare quin Dominus ipſe vos quantum opus erit, confirmaturus ſit, uti idoneis exemplis non obſcure teſtatus eſt. Novit enim temperare ipſas tentationes ad illud virium, quod ad eaſdem excipiendas nobis ipſe collaturus ſit. Docet etiam Scriptura nominatim, nullam in nos fore tyrannorum poteſtatem, niſi quantum Dominus ipſe permiſerit. Ipſum vero quidquam illis permiſſurum in nos quin primam noſtri rationem habeat, indubium eſſe debet: de exitu ergo ipſe etiam proſpiciet. Nempe illud nos exanimat, quod in infirmitatis noſtræ ſenſu defixi hæremus. Quin igitur oculos tandem levamus ad cæleſte illud auxilium, quod neque temere ab ipſo expectare, neque fruſtra implorare poſſimus. Merito igitur abeſſe à nobis ſentimus, quem ſeſe nobis offerentem adire negligimus. Imo vero eo uſque etiam ſpes noſtra porrigenda eſt, ut poſt ſtatutum à Domino examen de Eccleſia ſua habitum, Dominum ipſum tyrannorum impotentiam coërciturum expectemus, ut vel invitiſſimi Eccleſiam tamen reſpirare ſinant. Hoc dum fiat à Domino, poſſideamus in patientia noſtra animas noſtras: ſic tamen ut extaturam illam promiſſionem quæ ſubjicitur Pſal. illo 129. noverimus, Præcidit Dominus funes illos aratorios, quibus trahæ & tribulæ in nos tamdiu protractæ fuerant. Et Pſal. 125. Virga iniquitatis non incumbet perpetuo hæreditati juſtorum, ne juſti malis fracti ad malum ipſi declinent. Ut ut ſit igitur, ſic illa quæ in fratribus ſeſe exerit conſtantia, affici vos oportet, ut illius exemplo confirmati in eadem fide perſtetis. Atque ut Martyrum cineres proditum eſt ſemen eſſe Eccleſiæ, non minus etiam illorum ſanguis roris inſtar ſit oportet, quo perfuſi creſcatis, & ad ſanctum vitæ exitum vos comparetis. Et qui apud Dominum adeo pretioſus reputatur, apud vos ſterilis eſſe non debet. Sic teſtatur Apoſtolus ſua vincula non parum valuiſſe ad *Phil. 1.* Euangelii promotionem: & certa illa ſpe ſeſe erigit, quod morte ſua Chriſtum non minus quam vita glorificandum ſtatuat. Nec immerito ſane, quando qui pro Euangelio laborant, ſiſtuntur illic à Domino ut juris ipſius aſſertores: idque non quod idonei ſimus, aut ipſe noſtra procuratione opus habeat, ſed quatenus inſigni illo honore nos dignari ipſi viſum eſt, noſtrum quoque laborem fructu apud Eccleſiam carere non ſinit. Quare deteſtanda eſt prorſus illa perditorum & hypocritarum hominum blaſphemia, qua ſanctis tot Martyribus obſtrepere audent, quaſi invicta illorum conſtantia ad mortem ſubeundam & pietatis profeſſio neſcio quid ſcandali afferrent. Scilicet iſti audiendi, quibus Chriſtus nihil ſapit omnino, imo qui Chriſti loco idolum comminiſcuntur, dum ſcandalum illic affingunt, ubi amplectenda nobis eſt certiſſima obſignatio fidei noſtræ, cujus beneficio ipſa Euangelii veritas in nobis quaſi rata firmaque reddatur magis ac magis. Atqui dum eos non pudet, illa Dei ſervos temeritatis nota aſpergere, qui ſeſe ad mortem offerunt pro Chriſti jure propugnando, ſuo tandem ſummo cum opprobrio ſentient, quanto Deo ſit acceptior iſta quam ſugillant temeritas, ſua illa mundana ſapientia aut mere diabolica verſutia, qua ut ſe quovis periculo eximant, certam ſibi Dei veritatem adulterare, adeoque ejurare non detrectant. Horrendum plane, quod qui ſe Chriſtianos appellant, ſtatim atque Chriſtus ipſis cum ſua cruce occurrit, ita hebetes & dementati inveniantur, ut ipſum averſentur, & ab omni affectus aut notitiæ etiam ſpecie ſeponant. Vos autem veſtrorum illorum fratrum ſanguinem, qui in teſtimonium veritatis effuſus eſt, & Dei gloriæ ſacer ac dicatus manet, ſancta cum reverentia apud vos ipſos agnoſcite. Tum vero exemplum illic oblatum vobis ſtatuite, ad quod inſequendum piæ illæ animæ vos jam ex portu compellant. Hoc ſi uti par eſt minus ab affectu compa-

ratos movet, quod ab officio præſtando tantum abſitis, videte ut & quod deeſt vobis, requiratis apud Dominum, & veſtræ illi vitiuſitati quæ ab officio vos adhuc revocat, ſerio ingemiſcite. Illud enim eſt omnium peſſimum, quum in ſuo metu quis ſibi blanditur. Et fides ipſa diutius ſopita eſſe non poteſt, quin tandem etiam plane ſuffocetur. Sic res cedit nempe perſonatis illis qui tantum ſapiunt ut & cum Deo ludant ad tempus, ut cum ſua illa ſimulatione horrendum in modum excidant à cognitione Euanglii, acſi de eo ne per ſomnum quidem unquam cogitaſſent. Quamdiu vero grex Domini ita à lupis diſſipatus & tantum non diſcerptus jacebit, vos qui illius oves eſtis, ad ipſum ſummum paſtorem accurrite, ac vobis & veſtræ infirmitati gratiam & veniam orate. Orate etiam ut ipſe exerat potentem manum aut ad ipſoſmet adverſarios in ovile ſuum traducendos, aut ut immanes belluas profliget, obturet ora ſanguinantia, ungulas feroces atterat, ac ſemel impotentem illorum rabiem compreſſam teneat. Orate & ut Dominus ipſe ſuam illam ad dexteram Patris ſeſſionem digniſſima occaſione illuſtret, dum & Majeſtatis ſuæ gloriam & ſuorum ſalutem aſſeret. Sic nempe certa vobis à Domino levatio malorum expectanda eſt, quum lachrymæ & preces ſerio vos illi humiliatos ſiſtent. Abſit enim à vobis quod nonnullis accidit, contra perſequutores frendere, dum ab illo præſidio ſeſe avertunt, ad quod unum ſumma vi perſequutionum nos compellit. Utinam vero per Dominum liceret, propius vobis manum porrigere quovis modo. Quod quando non datur, meas demum preces ad Dominum interpono ac ſupplex rogo, ut qui vos omnes ſemel Domino Jeſu Chriſto cuſtodiendos tradidit, reipſa patefaciat, quam certo loco ſalus veſtra conſtituta ſit illo vos protegente, ut ipſius quoque arbitrio vos deducendos velitis & permittatis: utque veſtri, ac omnium qui affliguntur miſertus, ex impiorum faucibus vos eripiat: ad ſummum, ut qui vos ad participandam veritatis ſuæ cognitionem vocavit primum, ita in vobis cumulatam in dies præſtet, ut ejuſdem fructus in vobis exſtet ad perpetuam ipſius gloriam, Amen.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

Ex Gall.

ETſi Dilectiſſima in Domino, non ea in te extiterit conſtantia & animi fortitudo ubi oportuit, quæ debuerat, & quæ à nobis ſpe concepta erat, uti à te Dominus requirebat, videndum eſt tamen ut & iſtius tui lapſus ſerio pertædeat, & tamen animum non deſpondeas, ut deficias magis. Saoe quum nullus color à te poſſit ad tam apertum malum elevandum adduci, cavendum eſt interea, ne Satan pro ſuo ingenio ad deſperationem te impellat, ut à Deo prorſus alienet. Quare ipſius machinæ nobis retegendæ ſunt, ut & ipſis eamus obviam. Modus autem ille expeditus erit, ſi ad peccata illa jam admiſſa cumulum deinde non addideris. Coram judicibus non fuit à te reſponſum ut oportuit. Marito ut ſatisfaceres, nimium conceſſiſti. Si ita deflectere pergis, periculum eſt ne quicquid in te contulit zeli & ſinceri affectus Dominus, emoriatur. Non eſt vero mediocre malum, quum infideli profitetis te ipſum Domino anteferre paratam eſſe. Quare quum ex eo quod non bene apud te conſtitutum habueris Deum ſincere & ſimpliciter ducem ſequi, ita tibi excideris, ſic ingemiſce tanto caſui, ut te etiam in illo erigas, qui potens eſt te quoque adverſus omne genus tentationis victricem reddere. Optandum eſt quidem, ut virum quovis modo lucrifacias: atque ut Chriſti jugum detrectet, nulla ratio tamen ſinit ut te ab illo avertas. Ut vero illi ita obſequaris, ut hoc cum ſacrilegio conjunctum ſit: ut te cum illo reconcilies, ut cum Deo divortium facias: ut maledictam pacem foveas cum illo, cæleſtem adverſum te judicem provoces: ac in conjugii terreni & momentanei gratiam, ſacrum illud ac perpetuum vinculum quo cum Chriſto Dei Filio Servatore noſtro conjuncti ſumus, abrumpas: an vero vel centies potius adeunda mors non eſſet, tibi judicandum relinquo. Quod ſi eo uſque Deum ſemel tentares, habet Satan horribiles laqueos, ad illos circumcipiendos, qui ſe ita perditum eunt. Vide igitur, ut quum te Dominus hactenus retinuerit, & retineat adhuc, ne tibi ulterius indulgeas. Hoc autem pro ſollicito in te meo ſtudio prædico, etſi non diffido, quin Pater miſericordiarum quod in te cœpit, impleat. Sed noſtro periculo tandem notos eſſe nobis & cautos reddi oportet, niſi, quod abſit, donum Dei temere negligimus in noſtram perniciem. Quatenus autem marim morem gerere debeas, non eſt expeditum mihi conſilium offerre, quum multa incidere poſſint, quæ mihi perſpecta noo ſunt. Tantum à te contendam, ne ſemel labyrinthum ingrediaris, ex quo nunquam exitus ſperandus ſit: ſed in eo fixa maneas, quod Deo ſit obediendum. Tu autem illum invoca, cujus unius ope contra quoſvis inſultus qui te cunque manent, firma ſtatura ſis: ſimul etiam precare ut Spiritu prudentiæ & conſilii te inſtruat, ut te quibuſvis difficultatibus expediat. Ego vero illum etiam tuo nomine orabo, ut reipſa oſtendat te in ipſius præſidium & Spiritus ſancti directionem & tutelam ab ipſo receptam eſſe. 10 Aprilis. M. D. LVIII.

CALV. ILLUSTRISSIMO PRINCIPI D. PHILIPPO LANTGRAVIO HESSIÆ, &c.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine. Etſi mihi ſatis conſcius ſum meæ tenuitatis: quia tamen perſuaſus ſum me à V. C. unum ex fidelibus Chriſti ſervis cenſeri, & eandem benevolentiam quam olim expertus ſum, manere adhuc confido: non opus habet hæc mea commendatio longa excuſatione, ac ſi plusquam par ſit, mihi arrogem: quia in tanta neceſſitate crudelis eſſet mea ſegnities vel ceſſatio. Nec vero antehac quum ad V. C. profecti ſunt duo iſti fratres mei, alia de cauſa abſtinui à ſcribendo, niſi quia verebar, ne mea ſedulitas ut ſupervacua, ita & moleſta foret: quum V. C. ad præſtandum officium ultro ſatis propenſam novis ſtimulis urgendo, aliquod diffidentiæ ſignum daturum mihi viderer. Nunc ut tertia profectio ab ipſis ſuſcipitur, nova me ratio, ut meas preces adjungerem eorum poſtulationi, impulit, ne qua ſcilicet vobis ſuſpicio obrepat, toties idem repetendo, eos intempeſtive ſatagere. Nam probabile eſt eoſdem rumores qui per alias aulas vagati ſunt ad V. quoque C. delatos eſſe, nihil jam deprecatione opus eſſe apud Regem, quia ſponte liberos dimitti juſſerit quicunque ob Euangelii teſtimonium in carcerem conjecti erant. Et verum quidem eſt, ex magna turba ſeptem tantum fuiſſe exuſtos: ſed longe fallitur qui putat modum ſævitiæ ideo fuiſſe impoſitum, quaſi manſuefacti fuerint hoſtes, vel ſaturati innoxio ſanguine. Tantum invicta Martyrum conſtantia ad breve tempus eorum rabiem vel fregit, vel cohibuit. Nam quum poſtremo pueros duos rapuiſſent ad ſupplicium, quos credibile erat ob teneram ætatem minus animoſos & conſtantes fore, atque hoc modo tentaſſent aliquo defectionis exemplo infamiam & dedecus aſpergere ſinceræ fidei: ubi ſua ſpes eos fruſtrata eſt, deflectere cœperunt ad nova conſilia. Examinatis omnibus quos viderunt ad mortem obeundam paratiores eſſe, & quibus in mundi opibus, vel ſplendida cognatione nihil erat ſubſidii, in ſpeluncas abdiderunt, ut prima quaque occaſione illinc ad mortem trahantur, cui jam ſe adjudicatos eſſe non dubitant: & res etiam vulgo nota eſt. Hi autem plures ſunt triginta, tam viri, quam mulieres. Alii in cœnobia diſtributi ſunt, qui-

bus

bus monacbi eſſent velut quotidiani tortores. Quod autem ex illo numero clam elapſi ſunt multi, non clementia vel humanitate contigit, ſed quod monachis gratum fuit, quaſi peſtibus ſua clauſtra purgari, ne ſerperet longius contagio. Interim tamen quantum diſplicuerit hæc media ratio Cardinali, qui ſolus in aula regnat, ex atrocibus Regis minis & conviriis apparuit, acſi curia Pariſienſis non ſatis viriliter aut ſtrenue ageret. Tandem ſuppliciter per Legatum ſuum petiit ab Antichriſto Romano, ut inquiſitioni præficeret tres Cardinales, quibus permiſſa eſt effrenis perdendi & mactandi licentia. Novum etiam edictum promulgavit ipſe, quo datur Epiſcopis ſumma vitæ neciſque poteſtas: nec Regiis judicibus aliud relinquitur, quam ut ſint illorum carnifices. Hinc omnibus nobis tacentibus, C. V. facile pro ſua ſingulari prudentia colliget quid futurum ſit, niſi mature obviam eatur. Pro ſua autem pietate ſtudebit haud dubie, omni cunctatione abrupta, levare miſeros fratres, quorum ſuſpiria & gemitus merito pias omnes mentes vulnerare, & ad opem ferendam aſſidue ſtimulare debent. Nec enim de ſolis captivis agitur, ſed de trecentis millibus, quos ſingulis momentis novi terrores exagitanr. Adhuc quidem non Pariſiis modo, ſed in aliis Galliæ urbibus ad preces & alia pietatis exercitia conveniunt nonnulli fideles. Verum quum impendeat certum mortis diſcrimen, quo minus vitæ ſuæ parcunt, eo digniores ſunt quibus ferantur ſuppetiæ, ſi qua ratio ſuppetat. Dominus V. C. Illuſtriſſime Princeps tueatur, omni bonorum genere exornet, Spirituque invictæ fortitudinis confirmet in finem uſque. Genevæ, 6. Calendas Martias. M. D. LVIII.

J. Calv. D. Michaeli Dillero.

LEctis quas ad optimum fratrem noſtrum Bezam ſcripſiſti literis, præſtantiſſime vir, mixtum, ut par erat, dolore gaudium accepi. Nam quod de fratribus noſtris, qui ob Euangelii teſtimonium tenentur in Gallia captivi, tantopere ſollicitus es, quia inde colligo quam ſedulo cauſam eorum acturus ſis apud Illuſtriſſimum Principem, non parum lætor te nunc divinitus oblatum eſſe fidum & cordatum adjutorem huic negotio. Interea cor meum graviter vulneravit eorum perfidia, qui nefarium quæſtum facere non dubitant ex Martyrum ſanguine. Ac ejus quidem jam ante menſem non levis mihi ſuſpicio obrepſerat: nunc vero non ſine acerbiſſimo mœrore palam cognovi, miſeros fratres in aula quoque veſtra ſcelerate eſſe proditos. Quum hac tranſiret impius ille delator, qui perſuaſit Illuſtriſſimo Principi legatione non eſſe opus, tale quiddam oblique apud me attigit. Sed quum ſingulis prope verbis ejus mendacia refellere promptum eſſet, ſperavi meis reſponſis nonnihil fuiſſe mutatum, ut ſaltem ad fingendum minus audax foret. Sed ut video, prorſus obduruerat. Quia mihi ante annum nota fuerat ejus futilitas, putavi initio inconſiderate eum garrire de rebus incognitis. Tandem in ſermonis progreſſu animadvertere licuit proditorie ipſum agere: improbior tamen fuit quam putaveram. Certe quod quinque tantum dixit fuiſſe exuſtos, abjecto pudore ſciens & volens fefellit. Nam quo tempore in aula erat, duo adoleſcentes, quorum alter annum decimum ſextum vix ingreſſus erat, pene in ejus conſpectu rapti ſunt ad ſupplicium. Si qua pietatis gutta præditus fuiſſet, hoc neſcire turpe fuit. Quod autem à me admonitus, & convictus, eadem mendacia obtrudere non deſtitit, minime tolerabilis impudentiæ eſt. Cohibita quidem hoſtium ſævitia fuit, quod tam alieno tempore Germanos Principes offendere non eſſe utile putabant. Neque tamen ita Rex placatus fuit, quin ſæpius mollitiem exprobraverit curiæ Pariſienſi, quod tam ſegniter exequeretur quod mandatum erat, de promiſcua omnium cæde. Omnes enim optabat prius eſſe extinctos, quam ad deprecandum venirent Principum legati. Et quanquam multi ex judicibus plus ſatis ardebant ad fundendum ſanguinem, terruit tamen eos conſtantia quatuor virorum, nobilis unius fœminæ & puerorum, à qoibus initium fecerunt. Nam quum ſingulos blanditiis pellicere tentaſſent ad fidem abnegandam; viderunt eos alacriter ad mortem pergere. Hinc factum eſt, ut non auſi fuerint properare, ſed quos videbant robuſtiores, & magis intrepidos, tetris carceribus addixerint, unde pro ſua commoditate eos ad mortem trahant, ſimulac libuerit. Certe pii fratres non dubitant de ſua vita jam eſſe tranſactum: & vulgo notum eſt, haberi pro damnatis. Alios monachis in cuſtodiam dederunt, ut paulatim languefacerent ipſorum fidem: imo ut ſacrilegis ſuperſtitionibus ſe polluentes, Chriſtum abnegarent. Itaque piis hæc durior fuit conditio, quam ſi in profundo carcere jacuiſſent. Et tamen major pars ex clauſtris illis aufugit monachorum conniventia: vel quod moleſtum erat gratis eos alere, vel quod ſibi à contagione metuerent. Nemo quidem judicum permiſſu hactenus exiit niſi cum turpi defectionis nota, ut ſatius fuerit recta eos ad ignem trahi. Nec eſt quod miremur dilatum fuiſſe ſupplicium, quum aſtute hoſtes ad breve tempus declinata invidia aliam opportunitatem captaverint, quæ niſi mature illis eripitur, laxabunt frena ſuæ truculentiæ. Unius etiam rei monendus es, quicunque damnantur, paulo ante ſupplicium graviſſimis tormentis cruciari, ut ſocios prodant. Ita in ſingulis mortibus centenæ quæruntur. Nunc quid te, eximie vir, vel rogem, vel horter, ut totum huic cauſæ te impendas, quum ipſe anteverteris, & voluntarius Bezæ noſtro fueris hortator, ne fratres indigne à mercenariis delatoribus proditos desereret? Huic igitur tam piæ ſollicitudini vota mea adjunxiſſe ſatis eſt. Utinam mihi liberum fuiſſet coram gratias agere. Imo ſatagere etiam pro miſeris fratribus, quorum gratia ne vitæ quidem parcerem. Sed quia iter meum, quaſi aliud molirer, ſiniſtris quorundam ſermonibus fuiſſet obnoxium, non auſus ſum pedem movere. Bene autem habet, quod duo in unius vicem ſuccedunt, qui mihi ſunt veluti duæ animæ, & ſumma dexteritate peragent quod ego pro mea virili conarer. Vale ornatiſſime vir, & frater mihi obſervande. Dominus ſempér tibi adſit, te gubernet, laboreſque tuos benedicat. Genevæ, 8. Calendas Martii. M. D. LVIII.

J. Calv. D. Othoni Henrico, Principi Electori, S.

ILluſtriſſime Princeps ac Præſtantiſſime Domine, quum antehac ad Veſtram Celſitudinem profecti ſunt optimi fratres mei, Theodorus Beza & Joannes Budæus: quamvis meo rogatu iter illud ſuſciperent, ut cauſa illa piis omnibus communis erat, me vero inter alios patronum pro ratione mei officii poſtulabat: non auſus tamen ſum, quod maxime optaſſem, quidquam commendationis illis dare, quia verebar ne ſuperbum videri poſſet, hominem Celſitudini Veſtræ adhuc incognitum ſcribendi licentiam ſibi ſumere, acſi qua auctoritate vel gratia polleret. Sed juſtior quam vellem mihi oblata eſt excuſatio: quia ſcilicet quod tunc facere vetuit pudor, nunc cogit & extorquet neceſſitas. Ex eorum quos dixi, relatu, cognovi Celſitudinem Veſtram ad miſeros fratres juvandos & levandos magis propenſam eſſe, quam ut meo vel cujuſquam hortatu excitari opus ſit. Sed ubi expoſuerint quomodo nunc res habeant in Gallia, plenamque & liquidam narrationis fidem fecerint: non modo ſanctum eorum ſtudium in hac ſecunda expeditione laudabit V. C., ſed mihi facile concedet, ut adjutot ipſe quo-

que accedam. Quum tam liberaliter & uno conſenſu, nec minus ſincero haud dubie cordis affectu, vos, Illuſtriſſimi Principes, afflictos fratres vobis fore curæ polliciti eſſetis, mirati ſumus, & illi etiam nobiſcum, unde injecta eſſet mora legationi, quæ jam decreta fuerat. Putavimus tamen vos interea minime cunctatos eſſe, ſed aliam rationem, quæ nobis eſſet incognita, vobis autem viſa eſſet melior & utilior, ſequutos fuiſſe. Neque enim modeſtiæ noſtræ fuit, & ejus quam vobis deferimus obſervantiæ, aliter ſentire, quam in his turbulentis temporibus ſic vos mutaſſe conſilium, ut tamen conſultum eſſet miſeris fratribus. Dum ita hæremus ſuſpenſi, probabilis conjectura animos noſtros pupugit, vanis rumoribus, vel, ut liberius dicam, malitioſis quorundam artibus vos fuiſſe deceptos. Tandem non ſuſpicati ſumus, ſed aperte vidimus, quoſdam famelicos & conductitios homines lucri captandi cauſa ſparſiſſe falſas blanditias, quæ veſtram alacritatem tardarent. Ignoſcat V. C. ſi ingenue rem totam aperio. Nam quod relatum fuit, carceres nunc eſſe vacuos, vaniſſimum eſſe comperient legati veſtri, ſi illuc venerint. Verum quidem eſt magnam partem fuiſſe diſtributam in liberas cuſtodias, unde quidam aufugerunt. Sed hoc vel puellis vel adoleſcentibus datum eſt, vel aliis quos propter familiæ ſplendorem cognati poſtularunt in cœnobia transferri. Quicunque vero ſe conſtantius geſſerunt, quamvis ad vitæ uſque diſcrimen aliqui eorum ægrotaverint, adhuc in fœtidis caveis tenentur incluſi, illicque & pædorem, & frigus, & aſperrimas quaſque contumelias perferunt. Si de numero interroget V. C., plures eſſe quam triginta, oculatus teſtis de cujus fide non dubito, nuper mihi ſcripſit: Ac nemo eorum eſt, qui non ſe morti addictum certo cognoſcat. Sicuti vulgo notum eſt objurgatos fuiſſe judices curiæ Pariſienſis, quod nimis torperent, vel remiſſi eſſent. Ac ſi detur optio fidelibus illis Chriſti ſervis, gratior eſſet mortis celeritas, quam adeo miſeræ vitæ prorogatio. Pedemontani & reliqui Alpini fratres non multo mitius tractantur, niſi quod difficiles aditus eos tuentur. Citati nullam vim opponunt, ſed tantum excuſant, quia ſacro & inſolubili pietatis vinculo Deus eos ſimul conjunxit, ſeorſim cauſam non dicturos. Verum ut rabioſa eſt hoſtium crudelitas, ſiquis deprehendi poteſt, rapitur in carcerem: ut hodie Taurini unus verbi miniſter compedibus adſtrictus eſt, quum per duos menſes catenis ligatus fuerit. Curia quoque Gratiopolitana cujuſdam vallis incolas duriter vexat. Omnes certe inter aſſiduos metus trepidant. Regem vero non eſſe mitigatum, ex edictis nuper promulgatis palam eſt. Quia minus ſeveri erant judices, quos tamen atrocibus minis ad ſævitiam cogebat, rogatu ejus præfecti ſunt ab Antichriſto Romano tres Cardinales, qui ſuo arbitrio juriſdictionem hanc, vel potius ex ſua libidine, per ſuos ſatellites exerceant. Rex etiam Epiſcopis & eorum miniſtris altero edicto ſummam licentiam mactandi reſtituit. Quia penes eos poteſtas erit vitæ & necis: Judices autem totius regni, quibus adempta eſt cognitio, illorum erunt carnifices. Quam fœdis contumeliis proſcindat Rex puram Euangelii doctrinam, ex edictis perſpiciet V. C. Nam quod Sacramentarios videtur petere, merum eſſe fucum experientia clamitat. Nec dubium eſt, quin aulici artifices ad fallendos Germanos Principes captioſe nomen hoc ſuggerant, quod putant multis eſſe odioſum. Ego autem ſancte coram Deo & Angelis affirmo, Sacramentarios illic haberi, quicunque non fatentur Chriſtum in Miſſa Papali quotidie immolari. Ergo quibus nefandum illud Miſſæ ſacrilegium diſplicet, falſa ignominia aſpergitur, acſi ſacram Chriſti Cœnam abrogarent. Neque tamen diſſimulo Gallos fratres idem ſentire quod publice doceo, ſicuti Eccleſiæ noſtræ catechiſmo utuntur. Nec vero hac de cauſa C. V. patrocinio ſpoliari merentur, quando & Chriſtum veraciter in ſua Cœna præſtare, quod figurat, agnoſcunt, & clare fatentur non aliter animas noſtras in Cœna paſci Chriſti carne & ſanguine, quam pane & vino ad corpus alendum paſcimur. Si de modo communicationis non prorſus conveniat, an deſerendi ſunt in ultimo diſcrimine, qui arcana Spiritus virtute Chriſtum nobis vere communicari credunt, quamvis cælum & terram carne ſua non impleat? Quid enim aliud quærendum eſt, quam ut coaleſcamus in corpus Chriſti? Quod ſi aliter fieri non poſſe credimus, quam ſi ubique ſit ſecundum carnis naturam, certe ejus potentiæ derogatur. Atque utinam hæc infelix diſceptatio veſtris auſpiciis, prudentia, auctoritate, aliquando ſedari queat. Interim vero Chriſti martyres lanienæ expoſitos omni auxilio deſtitui, neque pium neque humanum eſſe V. C. cognoſcit. Cæterum, nihil minus propoſitum eſt Euangelii hoſtibus, quam diſcernere alios ab aliis, quum promiſcue Sacramentarios judicent, quicunque unicum Chriſti ſacrificium ſufficere in æternam ſalutem fatentur: quia ipſorum nihil intereſt, quid de carnis & ſanguinis Chriſti communicatione credatur, modo quæſtus ille ex nefando Miſſæ ſacrilegio integer maneat. Deinde, quum relapſos & pertinaces ſimili pœnæ adjudicet edictum, minime obſcurum eſt deſtinari ad cædem quicunque à ſincera & ingenua Chriſti confeſſione non diſcedent. Nunc mihi non aliud reſtare video, niſi ut totius Gallicæ Eccleſiæ nomine ſuppliciter C. V. fidem implorem, ut non modo Regem ipſum deprecari non gravetur, ſed alios quoque Illuſtriſſimos Principes ſibi adjungat, ut Rex intelligat ſerio vos omnes in hanc curam incumbere. Modum aliquem præſcribere neque meum eſt, neque eorum qui literas meas perferent. Quod tamen maxime optandum eſſet, facere nequeo quin C. V. exponam, ut admonita ſecum expendat, annon hæc optima ſit commendatio: Regi ſemel palam facere, quodnam doctrinæ genus impugnet. Quod ſi teſtandæ fidei conſilium placuerit, parata erit in manibus fratrum meorum Bezæ & Budæi confeſſio, cui ſubſcribent ad unum omnes, qui hodie in Gallia pro hæreticis vexantur. Verum ne tædio ſit mea prolixitas, finem facio. Dominus V. C. Princeps Illuſtriſſime, perpetuo tueatur, omni benedictionum genere locupletet, Spiritu prudentiæ & invictæ fortitudinis in finem uſque regere pergat. Genevæ, 8. Calendas Mart. M. D. LVIII.

J. CALV. D. GOSSIN. ZENELLO S.

Licebat tibi & reliquis, quum hic eſſetis, ex me ſciſcitari ſi qua vos dubitatio angeret. Paucis autem verbis coram forte melius vobis ſatisfeciſſem, quam nunc longiore ſcripto. Nec vero mihi nunc commodum eſt prolixe ad vos ſcribere, quin etiam pauca hæc vix dictare permiſit lateris dolor, qui me toto jam menſe prope inutilem reddidit. Fide, quam fratri noſtro Martino dediſtis, vos coram Deo & Angelis ejus quum ſciatis eſſe obſtrictos, merito ſolliciti eſtis ne à vobis ulla in parte violetur: ac in ea ſancte colenda vobis omnino perſeverandum: quia ſimulac tantillum à recto propoſito deflexeritis, nullus erit licentiæ modus: ut multas ſemper illecebras reperit carnis ſenſus, quibus nos deliniat. Nunc videndum quouſque pateat quod polliciti eſtis. Martinum quidem nihil aliud ſtipulatum fuiſſe ſtatuo, niſi ut abſtineretis ab omnibus inquinamentis, quæ cum ſincera pietatis & fidei profeſſione pugnant. Porro ſi quis templum idolis dicatum ingreditur, non ideo protinus ſordium aliquid contrahit: ſicuti quum Paulus Athenis falſorum Deorum aras luſtraret, non ſe polluit aſpectu illo. Sed hic ſpectanda eſt conſilii ratio: quia ſi Papiſtis gratificari propoſitum eſt, impia eſt & minime excuſabilis ſimulatio. Quibus per templum Papale tranſire

religio

religio fuit, facile ignoſco: quamvis plus æquo timidi fuerint. Ad legem vero tam auſteram neque me neque alios auderem aſtringere, quia mihi ſufficit abeſſe omnes ſuperſtitionis ſpecies: & ſimul dari operam, ne quem juſte & merito offendat noſtra libertas. Hæc principia modo teneamus, non video cur nimis anxie lingamus nobis ſcrupulos, qui curſum noſtrum in plana via morentur. Quod ad conciones ſpectat, duo mala cavenda ſunt, ne ubi plenis buccis veram pietatis doctrinam proſcindunt illi rabulæ, ſilentium noſtrum ſpeciem conſenſus præbeat: deinde ne ſuperſtitioſis precibus communicemus. Si quem ergo mera curioſitas ad audiendas blaſphemias trahat, multum abeſt ab eo zeli fervore, quem Deus à filiis ſuis exigit. Quomodo enim vere & ex animo dicet, Zelus domus tuæ comedit me & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me, ſi volens & ſciens aurem accommodat ſacrilegis doctrinis? Imo eas cupide venatur? Si autem hoc modo colorem ſimulationis acceſſit declinandæ invidiæ cauſa, hæc certe obliqua eſt pietatis abnegatio. Quiſquis impias conciones audire ſe jactat ne videatur Dei contemptor, fucum obtendit: quo licet ſe & alios deludat, non tamen oblinet Dei oculos. Qui vero eas ſe audire excuſat, ut commode inſtituat ſuos, videat iterum atque iterum, ne quid aliud tegat animo. Nam quum omnes ad fugiendam crucem nimis propenſi ſint; qui ſibi ultro blandiuntur, intenti ſunt ad captandos prætextus: ſenſus autem carnis ad eos excogitandos plus æquo ingenioſus eſt. Ergo niſi melior alia ratio, vel neceſſitas cogat, longe tutius eſt ab ingreſſu templi abſtinere, dum illic ex profeſſo corrumpitur & adulteratur Dei veritas. Et certe vix fieri poteſt, quin animi ſimul ac aures labis aliquid contrahant, ubi ſponte audientia datur Satanæ mendaciis. Quod ad reprehenſiones attinet, quamvis optandum ſit, eas inter nos magis vigere, & ſe quiſque ad hoc officium errantibus præſtandum ſtrenue animare debeat; certam tamen ac perpetuam legem figere non audeo, ut quicquid diſplicet, ſtatim & ſine exceptione reprehendatur. Hoc quidem nobis omnibus præſtandum eſſe non dubito, ut appareat nos moleſte ferre quicquid Dei gloriæ & verbo repugnat: deinde ſi detur occaſio, ſtudium noſtrum clarius teſtari oportet: præſertim ſi qua ſpes eſt profectus, minime negligenda eſt: imo ſi gravius contingat violari ſacrum Dei nomen, minime timenda eſt importunitas. Et hac ratione nihil hodie melius eſt, quam parce frequentare ſodalitia in quibus pugnandum eſt, niſi velimus perfida ſegnitie prodere gloriam Dei. Certe ubi aperte probro afficitur Deus vel ſincera religio, vel ubi indigne non abſque contumelia arripitur ejus nomen, quamvis aſſenſum non ſimulemus: pudendum tamen torporem eſſe ſua cuique conſcientia dictat, niſi palam oſtendimus nobis curæ eſſe Dei cultum & gloriam. Non præſcribo ut primo ſtatim verbo pius vir ad objurgationem prorumpat: ſed ubi delicta alia aliis addita feruntur, tam ſupina remiſſio extra noxam non eſt. Quod ad menſæ benedictionem, preceſque privatas ſpectat, quiſquis retecto capite eas audit, non obſcure declarat illis ſe ſubſcribere. Ergo ſi qua miſcetur corruptela vel ſuperſtitio, tali profeſſione ſeſe contaminat. Si alios aſpicimus ſe cruce ſignare, vel nugas ſuas agitare, aliquantum diverſa eſt ratio: & tamen hinc monemur non eſſe adeunda loca, ubi occurrunt innumeræ ſuperſtitiones, quarum aſpectu ſequuti Paulum nos incaleſcere convenit: certe ſi qua in nobis eſt pietatis gutta, ſaltem tacitos gemitus expriment: qui vero tacitus gemet quæ videre cogitur, longiſſime ſubducere ſe cupiet, ſi liberum ſit. Ad nuptias qui accedit, modo à ſaltatinnibus, tripudiis, aliiſque laſciviis ſe contineat, non erit forte ob ſolum aſpectum damnandus: ſemper tamen danda opera eſt, ut modeſtia noſtra pudorem aliis incutiat, ſitque gravis quædam cohibendæ laſciviæ cenſura. Idem & de alea judicium facere convenit. Nam quum luſu illo pecuniam male dilapidare non liceat, nihilo etiam minus lucrum facere. Qui ſibi ab hac contagione non temperat, prorſus excuſatione caret. Nec me latet quam vobis difficile ſit hanc integritatem colere: ſed mei arbitrii non eſt, vel tantillum laxare ex Dei præceptis. Et quia fieri nullo modo poteſt, quin multorum animi in vos exacerbentur, donec ad ſubeundas offenſas parati eritis, claudicare neceſſe erit ad dextram vel ſiniſtram. Non diſputo quam perplexa res ſit, alienari à cognatis & amicis: tantum ſimpliciter oſtendere mihi propoſitum eſt, quid vetet Deus, aut jubeat. Si te filii ſui in Baptiſmo fidejuſſorem advocet quiſpiam, inhumanum videbitur negare: & ille repulſam paſſus, quaſi accepta gravi injuria excandeſcet. Atqui infantem fœtidis illis nugis, quæ legitimum & genuinum Chriſti Baptiſmum non ſine ludibrio conſpurcant, offerre quî liceat, nemo, ut opinor, oſtendet: quandoquidem fidejuſſor ſacrifico aſtipulans, impia ſocietate ſe inquinat. Quoties ergo nos huc vel illuc impellere tentant homines unde arcemur verbo Dei, amicitiis omnibus renunciandum potius eſt, quam talibus obſequiis redimenda totius mundi gratia. Denique modo placide, adbibita etiam prudentia, & quæſita opportunitate teſtemur nobis Deum pluris eſſe quam homines, quomodo hoc accipiant veritatis hoſtes, non eſt in nobis ſitum: ſed qualiſcunque erit eventus, ſatis ſit ſtudium noſtrum Deo probari, & gratum eſſe. Ex hoc brevi reſponſo colligere, ut ſpero, licebit, qualiter vos gerere deceat. Eccleſia N. inter hoſtium terrores ſtatum ſuum retinet. Martinus noſter in ſtadio ſuo conſtanter pergit, nec fatigatur. Et quanquam minacibus edictis fulminant hoſtes in Gallia, ſævitiam quoque ſuam deſpumant: paſſim tamen creſcit vigor & alacritas. Vale eximie vir & frater integerrime cum reliquis amicis, quibus has fore communes ſpero. Dominus vos omnes tueatur, Spiritu ſuo gubernet, invictaque fortitudine ſuſtineat. Genevæ, pridie Idus Martias. M.D.LVIII.

Joannes Calvinus tuus ſubſcripſi: quia epiſtolam dictare coegit lateris dolor.

MARTYR CALVINO S. D.

ACcepi, vir clariſſime, ſuperioribus diebus iſtas literas Vienna, ut eas ad te mitterem: quod antea non feci, quia commodum tabellarium prius non habui. Nunc vero partim iſta occaſione data ſcribo, partim quoniam videtur jam eſſe diu ex quo te non ſalutavi: quod officium etſi aliquantulum diſtuli, nihilominus intermori non patiar. Atque ad hanc meam voluntatem aliud accedit, nempe ſuperioribus diebus me ſumma voluptate perlegiſſe quam edidiſti lucubrationem, pro tuenda æterna & ſalvifica Dei Opt. Max. prædeſtinatione. Proinde quum ea lectione fuerim admodum recreatus, par & æquum exiſtimavi gratias tibi agere: nec dubito labori tuo, quoad electos ac prædeſtinatos ad æternam vitam à Deo, ad cujus gloriam ſuſceptus fuit, juſtum uberemque fructum conceſſum iri. Ego quoque in iſtam eandem ſententiam permulta collegeram in commentario meo epiſtolæ ad Romanos, quem ante aliquot menſes imprimendum Petro Pernæ Baſileam miſeram: qui tamen liber iis nundinis abſolvi non potuit. Quod idcirco nunc ſignifico, quo tibi fidem faciam, ex animo & juſta de cauſa me tuo ſcripto non vulgariter gaviſum eſſe. Nos hic novi nihil fere habemus, quod ipſe neſcias. Inauguratio novi Imperatoris, forma & ratione inſolita & hactenus inaudita, omnibus admirationem incredibilem peperit. Hac enim (ut loquuntur) coronatione, Antichriſti Romani auctoritas videtur dejecta, plus quam hactenus unquam fuerit: &

quo pacto Electores Archiepiſcopi adduci potuerint, ut ejuſmodi conſenſerint inaogurationi, oullus propemodum intelligit. Sed quicquid ſit, expectabimus opera Dei. Huc venerunt duo Vienna, quorum alter eſt concionator: alter vero Comes, ætate quidem juvenis, at in literis admodum exercitatus, & Religionis amantiſſimus. Novo Imperatori erat à conſiliis. Cæterum agit modo cum Maximiliano Rege Bohemiæ, contemplatur Eccleſias Euangelicas, nititurque oſtendere Lutheranos & nos de re Sacramentaria idem ſentire: verum huc uſque id non potuit ad liquidum oonnullis probare. Tubingam & Heidelbergam proficiſcitur. Illac ad Philippum in Saxoniam, quem ait ſe compertiſſimum habere, coactum eſſe jam ad ſcribendum, ac teſtandum quidnam de re Sacramentaria ſtatuat. Utinam illi Deus eam conſtantiam largiatur, quæ illius eruditionem & pietatem decet. Uterque vero iſtorum affirmat Regem Maximilianum totum ad Euangelicam religionem eſſe propenſum, & Viennenſem Eccleſiam cupere omnino reformatam. Hæc habui quæ ſcriberem, vir clariſſime, ac mihi multis nominibus plurimum obſervande. Precor Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut Eccleſiæ ſuæ te quam diutiſſime incolumem ſervet. Tiguri, 21 Aprilis. Rogo ut ſymmyſtas meo nomine ſalvere jubeas.

Tuus in Domino Petrus Martyr.

CALV. MARTYRI S. D.

BInas his paucis diebus abs te literas accepi, clariſſ. vir. Ex prioribus intelligere gratum fuit, tuo judicio probari breve ſcriptum, quo æternam Dei providentiam contrà impuras rabulæ calumnias defendere volui. Cauſæ quæ tibi mecum eſt communis, ſciebam te ex animo favere. Etſi vero ſatis agnoſco non actam fuiſſe qua par erat dexteritate & induſtria: imo quum invitus ad eam acceſſerim, faſtidium quo tenebar, magno fuiſſe obſtaculo ſcio: mihi abunde ſufficit, mea culpa nihil jacturæ paſſam eſſe. Hoc tamen longe mihi gratius, jam ſub prelo eſſe tuos commentarios, in quibus harum rerum fuſa & dilucida explicatio tradetur. Quando tandem in Geneſin quoque, & in Prophetas aliquid exibit? Cur oon hic es, ut tibi de manibus vi extorqueantur quæ oimis diu premis? N. noſter parva quidem in re expertus eſt, quantum teſtimonio tuo & commendationi deferrem: per me tamen non ſtetit, quominus me ad majora officia prompto & parato uteretur. His diebus in Eccleſia Italica aliquid fuit turbarum. Gribaldus ſemina quædam ſuorum errorum ſparſerat, quorum ſumma huc redit: unicum Deum eſſe, qui Pater eſt Chriſti: ut Monarchia ſit penes ſolum Patrem, Chriſtus vero ſecundarius, & quaſi primogenitus inter multos deos. Hoc non animadvertebant ſimplices, qui tamen falſis principiis impliciti, pertinaciter tuendo quod nunquam intellexerant, jam cœperant repudiare quæ nihil controverſiæ habent inter pios. Jam adhuc ſuperſtite optimo fratre noſtro Martinengo, pullulabant hæc diſſidia. Itaque moriens ſumma vehementia & me & collegas hortatus fuerat, ut cavendo huic malo, & ſanando intenti eſſemus. Me vero præſertim nomine ter & quater appellans, Qui mihi & gregi, dicebat, hactenus fuiſti Pater, nunc Paſtore ſuo orbatum gregem in tuam fidem & curam ſuſcipe: & quo notiores tibi ſunt morbi, à quibus ſummum diſcrimen impendet, adhibendis mature remediis ſedulo advigila. Poſt ejus mortem Lactantio & mihi multum fuit negotii in pacandis turbulentis hominibus, qui dubitandi prætextu ſuis deliriis alios imbuebant. Quum omnia putarem compoſita, repente apparuit, clandeſtinis illorum artibus plures eſſe corruptos. Cujus mali ſanandi non alia fuit ratio, quam ut omnes certæ confeſſionis formulæ ſubſcriberent: qua propoſita liberum ſingulis fuit contra aſſerere ſi quid eos angeret: ſcrupulos omnes ita diſcuſſi, & nodos expedivi, ut certò confidam nunc in ſanctam unitatem rurſus Eccleſiam coaluiſſe. Horum te volui facere certiorem, ut ſi quis ad vos uſque rumor perferatur, ne ſollicitus ſis, quaſi dubio adhuc eventu. Vale ornatiſſime vir, & mihi venerande frater. Dominus te ſibi & Eccleſiæ ſuæ diu incolumem ſervet, Spiritu ſuo gubernet ac benedicat. Genevæ, 22 Maii. M. D. LVIII.

Joannes Calvinus tuus.

CALV. FARELLO S. D.

QUomodo Rochæus noſter poſtridie quam captus fuerat, liberatus ſit à Rege Navarræ, fuſius recitare non vacat. Cognitum fuit, temere fuiſſe arreptum, & conjecturis magis quam teſtimoniis gravatum. Ita piorum impulſu auſus eſt homo puſilli animi eum repoſcere, acſi unus eſſet ex domeſticis. Ipſe etiam carcerem adiit, ut captivum eximeret. Hic nuncius per ſe lætus uti nos exhilarat, ita nos angit altera ex parte, quod novas tragœdias paulo poſt eſſe exortas credibile eſt: quia omnibus Regis Officiariis mandatum fuerat, ut Deum panaceum in pompa ſolenni comitarentur: quod non omnes videbuntur facturi. Quamvis in ejuſmodi hominibus inſolubilis quidam laqueus à mundo deprehenditur. Pauciſſimi cum Abrahamo in Deum ſimpliciter reſpiciunt. Multi cum Lotho, ut Sodomam relinquant, queruntur ſe non poſſe ſervari in monte. Sed quo rarior eſt cordatorum numerus ex eo genere, eo illuſtrior eſt Dei manus, quæ duplici pelle quodammodo iſtos exuere dignatur: nativo affectu nempe, tum adventitio, ex ſulgore ſuæ dignitatis. Sed progreſſus ſum ulterius, ne vacua plane exiret epiſtola. Vale optime & integerrime frater cum reliquis ſymmyſtis. Dominus vos omnes gubernet, tueatur, benedicat uſque in finem. Genevæ, 18 Junii. M. D. LVIII.

Joannes Calvinus tuus.

J. CALV. HENRYCHO S. D.

ANte duos menſes ſcripſerat Franciſcus noſter, ſibi inter magnas & arduas difficultates hoc non vulgari fuiſſe ſolatio, quod fideli tua opera commode & opportune adjutus foret. Idem nobis iterum confirmans paucis abhinc diebus, magnopere & ingenuam in te ſinceritatem & perſeverantiam laudavit. Etſi autem nihil narrabat, niſi quod præſtandum fuit Chriſti ſervo: quia tamen ubi periculoſa eſt vel damnoſa integritas, rara apparent ejus exempla: ex animo, ut par erat, lætati ſumus, te opprobrium crucis Chriſti mundi lautitiis præferre, quæ multos ita inebriant, ut Euangelii ſimplicitas, quaſi inſipida, ſit illis faſtidio. Quod ſi eorum aſtutiam eſſes imitatus, qui nimis ad fovendam ſuam quietem ſunt providi: erat ſpecioſus color, cur te à fratre noſtro disjungeres. Hoc enim prætextu ſolent, qui privatæ ſecuritati conſulere volunt, ab omni odio & moleſtia procul ſe ſubducere, quia nihil utilius ſit: quam medio quodam & flexiloquo docendi genere mulcere populiaures. Quo majori laude dignus es, qui molliter & extra omne certamen quum docere poſſes, poſthabita privata utilitate, ad dandam fratri noſtro ſocietatis dextram ultro fuiſti propenſus. Et certe videmus hoc tandem conſequi verſutos illos artifices, qui pietatis doctrinam ad ſuum commodum inflectunt, ut diſcipuli eorum ſemper diſcendo, nunquam perveniant ad veritatis ſcientiam. Porro quamvis jam minus æquos ac propitios experiaris, qui antehac favore te proſequuti ſunt, non eſt tamen cur ſinceræ confeſſionis te pœniteat. Neque enim ignoras,

hac

hac lege nos ſervire Chriſto, ut non modo cum profeſſis hoſtibus gerendum ſit bellum, ſed multis etiam domeſticorum calumniis ſimus obnoxii. Frement multi, alii aperte clamabunt, te ad libertatem quæ apud vos tolerabilis non ſit, inconſiderate progreſſum eſſe. Tibi non modo has voces ſpernere neceſſe erit, ſed delicias quibus indulgent, ſevere illis excutere, ut intelligant claudicationem qua pugnas omnes declinant, exoſam eſſe Deo. Pergendo qua cœpiſti (quod facturum certo confidimus) tandem ſenties, puram coram Deo & Angelis conſcientiam centum theatris longe præſtare: ejuſque pacem, totius mundi plauſu magis eſſe expetendam. Adde quod pii Dei cultores tibi jam merito gratulantur, atque uberem ex hac ſancta tua alacritate fructum ſibi promittunt. Tibi optimus frater noſter Franciſcus, quem & nos experti ſumus vere Chriſto eſſe addictum, & tu eximiis ad ædificandam Eccleſiam dotibus pollere vides, fidelis ac ſtrenuus erit adjutor. Audimus reverſum eſſe concionatorem aulicum, qui utinam ne ſuo more. Utcunque vero ſe gerat, minime conſentaneum eſſet ab homine flexibili, & ad quaſlibet auras nutare ſolito, Chriſti ſervos pendere. Tu pro tua moderatione, & prudentia, hauddubie ſtudebis eum tibi adjungere, ne rectum curſum impediat vel moretur. Sin metus & nimia cavendi ſollicitudo, vel etiam perverſa æmulatio hominem in diverſas partes rapiat, contra hæc quoque obſtacula fortiter eniti neceſſe erit. Vale eximie vir, & integerrime frater. Dominus te Spiritu ſuo regere, virtute fulcire & tueri, ſtudiiſque tuis & piis laboribus benedicere pergat. 21 Junii. M. D. LVIII.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

INvitus ſcribo, mi frater, quod non libenter audivi diſſidium eſſe ortum inter vos levi de cauſa, quod magnas offenſiones pariat. Tu forte excipies, & juſtam fuiſſe cauſam, neque tam graves fuiſſe motus, ut fama huc uſque pervenire debuerit. Utrumque ut tibi breviter expediam: quamvis initio diſceptatio maxime ſeria videri potuerit, & quam privato arbitrio finire vix liceret, patuit tamen ipſo progreſſu, hominem unum inconſiderato ſermone moviſſe inutiles turbas: alterum ne in crimen traheretur, nimis fervide tumultuatum eſſe. Quod ſi publicam auctoritatem intercedere oportuit, atque hoc flagitabat cauſæ gravitas, ſcire velim quo jure abs te & ſenioribus ſuſcepta fuerit cognitio. Si reſpondeas, nondum maturum fuiſſe tempus, donec melius patefacta eſſet veritas, ſaltem lætari oportuit odioſo hoc moleſtoque onere levatum te eſſe. Quid enim lætius vel magis optandum, quam ut arbitris totam molem ſuſtinentibus, ipſe ſecurus quieſceres? Ergo quod te metu & cura exemerant, beneficii loco ducendum fuit: tantum abeſt ut æquum fuerit excandeſcere, ac ſi tibi facta eſſet injuria. Negas fas fuiſſe, litem apud vos pendentem ad arbitros devolvi. Quid ſi duo litigantes, nullo interpoſito arbitrio inter ſe ultro fuiſſent reconciliati, an illa voluntaria in gratiam reditio tibi diſpliceret? Si te ſuſpectum fuiſſe judicas, quia non fueris adhibitus, vide ne tuis conjecturis plus æquo tribuas. Atque ut ſiniſtro aliquo præjudicio injuſte fuiſſe gravatum & læſum concedam, an privata injuria in ſuggeſtum uſque prorumpere debuit? Neque diſſimulandum eſt, tibi hoc ab æquis & moderatis auditoribus vitio verti, quod permulta vel levicula, vel quæ ſupprimi eſſet utilius, ad populum vulgare, & immodica vehementia exagitare ſoleas. Certe in hoc negotio cur tantopere excandeſceres, ſi omnia melius expenderis, cauſam forte non reperies. Cur vero arbitros odioſe apud plebem traduxeris, non video. Adde quod in collegam tuum hominem placidum, & modeſtum, & de Eccleſia bene meritum violenter inſurgere, neque humanum fuit, neque tua perſona dignum. Ac ſi tibi cordi eſt Eccleſiæ ædificatio, potius danda opera fuit, ut integra maneret ejus auctoritas. Quid de aliis dicam? quorum ſi nulla apud te ratio habetur, Eccleſiam veſtram ornamentis non pœnitendis ſpolias. Quum igitur & tua privatim & totius Eccleſiæ magnopere interſit, tibi amicos eſſe & quidem conjunctiſſimos, qui hactenus fidelem operam præſtiterunt, & animati ſunt ad pergendum: ſi meo conſilio obtemperas depoſita contentione, pacificationi te acquieſcere oſtendes. Memini te aliquando mihi dicere, ſi lapſus errore eſſes, nihil tibi gratius eſſe quam moneri. Qua fiducia te liberius hortari non dubitavi, ut vehementiam quæ modum excedere viſa eſt, mature frænes ac temperes. Si quid remedii ad placandos animos à me afferri poſſe exiſtimas, non deero partibus meis. Vale frater mi colende, cum uxore & amicis, quibus ſalutem multam precor. Dominus vos omnes tueatur, gubernet, benedicat. Utinam brevi de veſtra concordia nuncium audiam, qui me exhilaret. Genevæ, 20 Junii. M. D. LVIII.

JOAN. CALVINUS D. OTHONI SALIO S. D.

ETſi mihi Gaſpar noſter, quem ego idoneum & fidum teſtem eſſe duco, te ſatis ad ſinceræ pietatis ſtudium ſponte animatum eſſe retulit, ut meæ exhortationis ſtimulis minime indigeas: quia tamen te quotidie experiri non dubito, eximie vir, quam variis modis conetur Satan cordatiſſimos quoſque Chriſti ſervos à recto curſu avertere, vel ubi id non poteſt, quot obſtaculis eorum celeritatem retardet ac moretur, hæc mea ſedulitas, quamvis ſupervacua te minime offendet, ſi currenti calcar addere viſum eſt. Nam quia perſuaſus ſum probari tibi, quos pro Eccleſia Chriſti ſuſcipio labores, meque hoc nomine fraterne abs te diligi, ſaltem grata tibi erit hæc cura, quæ me ad ferenda ſubſidia impellit. Porro non tantum ut te privatim Deo addicam hortari propoſitum eſt, ſed ut civibus tuis ad purum cultum adducendis ſtrenue incumbas. Vides qua contumacia & quo fervore cæci veritatis hoſtes in perniciem ſuam ruendo, alii alios mutuo impellant. Quare ſaltem eorum exemplo creſcere nobis debet animus ad promovendum Chriſti regnum: quia turpe eſt tanto conatu eos pugnare adverſus Deum, nos vero in tam præclara cauſa vel ſedere ignavos, vel cunctanter lenteque progredi. Difficile quidem & arduum tibi certamen paratum eſſe ſcio, ſi te apertum Papatus hoſtem profitearis: ſed videndum eſt ſub cujus ducis vexillo milites, ne vel laſſitudine frangaris, vel moleſtiis ſuccumbas, vel terrearis ullo diſcrimine, vel præ deſperatione concidas. Exordia regni Chriſti, ubique noſtro ſeculo fere humilia contemptaque fuerunt: itaque deriſa fuit à profanis hominibus eorum ſimplicitas, qui tantam molem aggredi auderent, perinde acſi vellent lunam è cælo detrahere. Atqui felici ſucceſſu patuit Deum opus ſuum non negligere, neque ſpem eorum fruſtrari, qui inæſtimabili ejus virtute freti contra terrena omnia impedimenta nituntur, & contendunt. Et ſane utcunque utatur hominum opera, non fruſtra tamen hoc ſibi proprium vendicat, Eccleſiam mirabiliter erigere, & erectam ad extremum tueri. Memineris quo majori auctoritate polles in urbe veſtra, plus tibi impoſitum eſſe oneris à Deo, cujus manu in hoc gradu locatus es, ut minus excuſabilis ſit tua ceſſatio, quam privati cujuſlibet vel obſcuri hominis. Sed quia ſpero quas ad ornatiſſimum virum Dominum Petrum Syrkium literas ſcripſi, pro veſtra conjunctione tibi fore communes, pluribus ſuperſedeo: tantum ſupplex precor cæleſtem Patrem, ut te regat ſancta prudentia, ſuſtineat invicta virtute, ſua manu protegat, pioſque tuos labores benedicat. Genevæ, 4. Calendas Septembris. M. D. LVIII.

JOAN.

JOAN. CALV. D. PETRO SYRKIN S. D.

QUod tibi nulla bumana neceſſitudine conjunctus, vir clariſſime, familiariter ad te ſcribo, neque tu ullam excuſationem deſideras, & Gaſpar noſter, qui fiduciam ſcribendi dedit, ſuggeſſit idem materiam. Cognovi ex ejus ſermone, non modo te unum eſſe ex ſinceris Dei cultoribus, ſed etiam propagando Chriſti regoo fidelem ac ſeriam operam dare. Sed ex turbido vel ſaltem nondum recte compoſito urbis veſtræ ſtatu, qualem mihi depioxit, facile conjicio, & duros certaminum impetus tibi eſſe ſuſtinendos, & cum multis illecebris luctandum, quæ ad impediendum pietatis curſum non minori obſtaculo eſſe ſolent, quam apertæ pugnæ. Ergo non minor tibi danda opera, ut intentus ſis cavendis ioſidiis, quam ad fortiter
2 Cor. 6. verſ. 7. bellaodum armatus: ſicuti non abs re admonet Paulus fideles, ut à dextris & ſiniſtris probe muniti ſint contra omnes hoſtis incurſus. Nomen Chriſto dare non potes, quin excidas à multorum gratia, quos retinere amicos utile & jucundum eſſet: multarum commoditatum jacturam facias: forte etiam minuatur popularis favor: minæ & terrores ab altera parte inſtabunt. Nam & totus Papalis clerus, qui opibus & potentia excellit apud vos, imo tranquillum imperium tenet, acerrime ad turbanda omnia conſpirabit, & multos ſecum trahet aſſeclas. Tibi cum aliis jurgari, aliorum probra refellere, aliorum ioſidiis occurrere, neceſſe erit. Multa tædia devoranda, multæ ferendæ iniquitates, moleſtiæ ingentes ſuſtinendæ. Forte etiam longius procedet eorum veſania, qui cælum terræ miſcere non dubitabunt potius, quam aditum concedaot ſanæ doctrinæ. Verum ſi te pugnare Chriſti auſpiciis reputes, non modo ſolatium hoc ſufficiet ad levandas omnes acerbitates, ſed invictum tibi robur ſuggeret, quo ad frangendos inſultus quoslibet obdureſcas. Dura conditio piorum, niſi & cauſæ dignitas prævaleret, & Agonotheta noſter Chriſtus, non tantum ſuo conſpectu nos animaret ad certandum, ſed victoriam de manu, ut aiunt, in manum nobis porrigeret. Jam, quem in locum te produxerit, non ignoras, quando & gradum nbtines, ex quo te alios incitare convenit: & eo uſque Spiritus cæleſtis impulſu progreſſus es, ut retrocedere turpe ſit ac nefas. Ergo noo vocatio tantum, quæ te ſatis arcto vinculo obſtringit, ſed principia hæc, in quibus ſe ducem oſtendit Deus, animum tibi addant. Statueram longe prolixius tecum agere: ſed quum morbus hactenus impediſſet, ſequuta ſunt negotia, quæ abrumpere cogunt vix inchoatas literas. Vale igitur præſtantiſſime vir, & mihi ex animo obſervaode. Dominus tibi adſit, te gubernet Spiritu prudentiæ & fortitudinis, præſidio ſuo tueatur, & tuos ſanctos cooatus benedicat. Genevæ, 4. Calendas Septembris. M. D. LVIII.

CALVINUS N. ABBATI S. D.

AUdieram ſæpius, eximie vir, quum unus eſſes ex multis, qui ſioceram pietatis doctrinam quæ nobis à Deo tradita eſt, pro defenſiooe Romani Papatus oppugnaot, majore tamen quam alios vehementia in nos excandeſcere. Et privatim quoque in me aſperius invebi. Neque vero mirabar, quum & ſuperſtitionibus quæ majnrem orbis Chriſtiani partem occupant, imbutus eſſes, atque errorum laqueis implicitus, ſimul inconſiderato zelo te rapi ad me durius tractandum, atque etiam convitiis vexandum. Ac jampridem ad ejuſmodi probra, quibus & Prophetas, & Apoſtolos, & unigenitum Dei Filium obnoxios fuiſſe video, contiouo uſu obdurui. Nam boc nobis divinitus præſcriptum eſt, neque æquum eſſet à communi lege me eximi: neque ferenda mea mollities, ſi moleſte ferrem me violari, ubi ne Chriſto quidem ſummo omnium Regi parcitur. Nunc ubi mihi narratum eſt, non modo te manſuefactum eſſe, ut placide nos audire paratus ſis, ſed quam prius abominatus es doctrinam amplecti: vel ſaltem ita ad nos accedere, ut poſthac inter adverſarios cenſeri non debeas: quam jucundus hic mihi nuocius fuerit, vix poſſum literis exprimere: quia ex hac mutatione non vulgarem exſpecto fructum. Nam & multi quos auctoritas tua quaſi devioctos conſtrictoſque tenebat, ne ex labyrintho illo emergerent, tuo exemplo adducti, incipient tandem attentius reputare quid agendum ſit, multorum torpor expergeſiet, multorum frangetur aut mollietur pervicacia: deoique multi, qui te errorum ducem fuerant ſequuti, tecum reſipiſcent. Neque vereor (ſi tibi ſuavis eſt Dei miſericordia) ne te libera errorum, à quibus te eripuit, reprehenſio offendat. Ac ſane non aliter guſtare potes quam liberaliter tecum egerit Deus, niſi reputes quam miſerum fuerit in profunda illa impietatis abyſſo demerſum jacere: imo tua converſio, ut ſcribendi materiam ſuppeditat, ita gratulationis mibi argumentum eſt. Jam ſupereſt ut te liberatori tuo, & officia tua addicas, & qui fallaci religionis prætextu obtenebraſti multorum mentes, oune lucem præferendo, diſcutiendis tenebris ſedulo incumbas. Cæterum, quia plenam exbortationem, & qualem res poſtulat, vix caperet epiſtola, ultro tibi pro tua prudentia hortator eris, ut ingenium, eruditio, & facundia, quibus te Deus ornavit, illuſtrandæ ejus gloriæ cooſecrentur. Utinam, quia mihi præcluſum ad vos eſt iter, commodum tibi eſſet huc excurrere! agnoſceres profecto ex vultu & ſermone, quam vere & ex animo cupiam fraternam beoevoleotiam cum omnibus colere, quos ſibi Deus reconciliavit. In hoc ſaltem melior erit tua quam
Pauli conditio, quod ille ex præſenti vitæ periculo Actor. 9.
elapſus ob fidei teſtimonium, vix idem à fratribus, verſ. 26.
quia ſuſpectum babebant, admiſſus fuit. Ego vero ad te non comiter modn, ſed etiam honorifice excipiendum non ſecus ero propenſus, quam ſi me nunqoam verbulo uno læſiſſes. Vale ornatiſſime vir, & mihi in Chriſto venerande. Deum precor ut te guberoet Spiritu iotelligentiæ & prudentiæ, ſua virtute ſuſtineat & confirmet, donis omnibus locupletet, incolumem tueatur & beoedicat. Genevæ, 9. Calendas Octobris. M. D. LVIII.

Tuus ex animo Joannes Calvinus.

JOAN. CALV. D. STANISLAO AB OSTROROG. *Caſtellano Medzevecenſi*, S. D.

HUnc pium fratrem nactus, qui meas ad te literas tuto perferret, præſtaotiſſime vir & generoſe Domine, ſcribendi occaſionem prætermittere nolui: non tam ut amorem erga te meum & obſervantiam teſtarer (etſi hæc etiam una fuit ratio) quam ut tibi ſponte & alacriter accenſo ad aſſerendam quæ nimis diu contempta jacuit pietatem, animos ſi fieri poſſet adderem ad pergendum: non quod ſtimulis meis iodigeas, ſed quia jucundum eſt gratulando hunc tuum vigorem fovere. Fuit hoc raræ virtutis, ex alto honoris gradu in humilem Chriſti ſcholam deſcendere, ut te Euangelii, quod vulgo tot probris oneratur, minime pudeat: ac palam ingenueque profitearis, te ſuperſtitionum, quibus indigne fœdata eſt vera religio, ac errorum, quibus ſceleſte adulterata eſt Dei veritas, acerrimum eſſe boſtem. Verum tibi aſſidue reputandum eſt, quam multæ certaminum ſpecies te maneant: quia non deſinet Satan omoia moliri, quibus ſanctos tuos conatus vel frangat, vel moretur,

vel

vel quovis modo impediat. Et experientia docet, quam pertinax ſit in adverſariis pugnandi libido. Quare ita ſtatuendum eſt, longæ militiæ te divinitus eſſe addictum, in cujus medio curſu minime fatigari decet. Cæterum ne de animi tui magnitudine & perſeverantia dubitare videar, alio me convertam. Minime te fugit, generoſe Domine, nullum inter Satanæ artificia eſſe deterius, quam ut diſſidiis eos ſcindat, qui ad reſtituendum puræ fidei conſenſum aſpiraot. Quo majore prudentia cavendum erit, ne hoc quoque obſtaculo vos retardet. Intelligis quid velim: & fuſius hanc admonitionem proſequerer, niſi jam febris acceſſio literas abrumpere cogeret, quæ non modo vires corporis debilitat, ſed etiam minuit ac languefacit animi vigorem. Sed bene eſt quod bis partibus probe fungetur venerandus mibi frater Dominus Joannes à Laſco, Excellentiæ tuæ affinis: cujus non dubito auctoritatem, ut meretur, magni eſſe apud te ponderis. Vale illuſtris & generoſe Domine, & mihi ex animo ſuſpiciende. Patrem cæleſtem ſupplex oro & precor, ut te incolumem diu conſervet, Spiritu ſuo dirigat, omnique benedictionum genere locupletet. Genevæ, 13. Calendas Decembris. M. D. LVIII.

JOANNES CALVINUS
Illuſtri & Reverendo Domino Jacobo Ithavio *Epiſcopo Urladiſtavienſi, mibi ob eximias virtutes obſervando*, S. D.

QUod bomo ignotus ad te, illuſtris & reverende Domine, ſcribere auſus ſum, ſi quid culpæ eſt in hac fiducia, rejicere io nuocium licet, qui pro ſingulari ſalutis tuæ ſtudio & cura, has literas prope invito extorſit. Quod vero breviter, & quaſi defunctorie ſcribo, juſta excuſatio eſt in temporis anguſtiis: quia vix ante admonitus fui de ejus adventu, quam ſe mox abiturum dixit, ut mibi diem unum ad ſcribeodum concederet: cujus tamen major pars mibi eripitur à febre quartana, quæ me cubiculo incluſum, & fere lecto affixum tenet, ex quo etiam hæc pauca dictare coactus ſum. Scribendi autem hæc mibi ratio & materia eſt, ut Euangelii luce nuoc apud vos exorta, quum tibi Deus oculos aperuerit, ſerio expergiſcaris. Audio enim te non modo guſtaſſe veram pietatis doctrinam, ſed ejus cognitione imbutum, quæ omnem erroris & ignorantiæ prætextum excutiat. Tu vero pro tua prudentia non ignoras, quam intolerabilis ſit cæleſtis gratiæ profanatio, ubi eam quaſi data opera ſuffocamus. Etſi autem plauſuni tibi in mundi theatro conciliat ſplendida hæc dignitas, cavendum tamen diligenter, ne te demulceant fallaces blanditiæ, quibus laqueis Satan multos bodie in exitialem labyrinthum trahit. Ita fit ut qui captandis effugiis ſolertiam ſuam exercent, tandem ubi vident colores ſuos evaneſcere, palam ſe Deo opponant, imo erumpant in manifeſtum furorem. Hujus rei exempla baud dubie nimis multa ante oculos tuos verſantur, dum alii violenter ferro & igni extinguere pertentant cæleſtem doctrinam: alii ut in ſordibus ſuis ſecure demerſi jaceant, non modo indulgent torpori ſuo, ſed pecudum more conſcientias ſuas obſtupefaciunt. Ab hac tam peſtifera Epicureorum labe quiſquis in deliciis ſeduIo & attente ſibi non cavet, vix fieri poteſt quin profaneſcat, & abjecto Dei timore, in eandem cum illis laſciviam ſe projiciat. Quid ergo tibi agendum eſt? Fervent apud vos diſſidia, pars una reſtitui cupit integrum Dei cultum: altera impias ſuperſtitiones pervicaciter defendit. Te medium ſtare, quem Deus quaſi porrecta manu ad cauſæ ſuæ patrocinium vocat, turpe ac nefas eſt. Cogita quem locum occupes, & quod onus tibi ſit impoſitum. Adde quod pietatis hoſtes, dum in denſis tenebris exiguas pietatis tuæ ſciotillas ferre nequeuot, quodammodo te extrudunt è ſua factione, quæ ultro fugienda tibi erat. Ignoſces mihi pro tua humanitate, ſi uno in verbo ſim aſperior (quia ut proficiam, libere quod ſentio diceodum eſt) ubi ad cæleſte tribunal ventum fuerit, non poſſe elui proditionis crimen, niſi te mature ſubducas ab ea caterva, quæ aperte ad opprimendum Chriſti nomen conſpirat. Jam vero ſi tibi moleſtum eſt minui, ut creſcat in te Chriſtus, in mentem veniat Moſis exemplum, qui ſub umbris obſcuris, *Hebr. 11. v. 25, 26.*
Chriſti tamen opprobrium deliciis Ægyptiorum & opibus præferre non dubitavit. Quanquam autem plus forte mibi apud tuam Excellentiam permiſi quam decebat: quia tamen propoſitum fuit ſaluti tuæ coofulere, non odioſa, ut ſpero, tibi erit mea libertas. Vale præſtantiſſime vir, illuſtris & reverende Domine, cui à cæleſti Patre fauſta omnia precor, præſertim ut te ſuo Spiritu gubernet, accendat in corde tuo ardentius pietatis ſtudium, & in ejus conſtantia te confirmet. Genevæ, 13. Calendas Decembris. M. D. LVIII.

JOAN. CALVINUS D. COMITI IN TARNAW S. D.

ETſi literis meis ſuperioribus, Ampliſſime Vir & Illuſtris Princeps, quale optabam reſponſum non tuli, quia minus apud te quam optandum eſſet profecerat mea exbortatio, ſingularis tamen humanitas qua exceptum fuiſſe meum officium cognovi, denuo me ad ſcribendum animat. Et cùm nos jubeat Paulus importune inſtare, ubi ſtimulandi ſunt bomines ad pietatis ſtudium: non vereor tanto auctore & magiſtro fretus, etiamſi moleſta tibi eſſet mea ſedulitas, ne vitio mihi vertatur. Sed boc quoque metu & ſollicitudine me liberat æquitatis tuæ fiducia: imo quum huc uſque ſparſa fuerit fama, defenſionem puræ Euangelii doctrinæ, à qua initio refugiebas vel eras paulo alienior, propenſiore animo nunc te ſuſcipere, eo alacrius exhortationem, quæ ſemel fructu carere viſa fuerat, repetere auſus ſum. Quum ſcriberes nihil tibi videri in ſtatu Regni movendum, quod omnis novitas graves motus & exitiales minitaretur, mihi quidem triſtis nuncius fuit, Chriſti cauſam deſtitui à patrono tam idoneo: gratior tamen fuit ingenua illa profeſſio, quam ſi quotundam more ſimulaſſes, quod tibi cordi noo erat. Nunc quamvis te rectius ſentire arbitrer, ignoſces tamen pro tua prudentia, ſi paucis vanum hunc timorem refutavero. Neque me latet quantam pro ingenii tui præſtantia & acumine peritiam collegeris ex longo magnarum rerum uſu. Sed mirum non eſt hac in parte bominem ſummo judicio præditum potuiſſe falli, ubi humana omnis ſolertia evaneſcit. Laudatur apud Xenopbontem quod ex tripode oraculum olim reddidit Apollo, coleodos eſſe Deos pro vetuſto more cujuſque gentis: nempe quia nihil cenſetur utilius vel magis conſultum, quam fovere publicam pacem. Unde etiam natum vulgare proverbium, Mala bene poſita non movenda. At vero quicquid diſcriminum impendeat, caducos terræ Principatus nobis tanti eſſe non convenit, ut in eorum gratiam neglectus jaceat cultus Dei & ſincera religio, à qua pendet æterna ſalus. Profanis hominibus hic ſcopus fuit, cavere modis omnibus, ne quid publicam quietem turbaret: noſtra vero diverſa eſt ratio, apud quos Dei gloriæ & doctrinæ cæleſti merito cedere debet, quicquid in mundo eſt ſublime ac pretioſum. Adde quod ſupervacuus eſt ille timor: quia tumultus omnes quos Satan excitare conabitur, facile ſedabit Chriſtus Rex pacis, per quem Reges regnant. Fieri quidem vix poteſt in tanta hominum pravitate, malitia, ingratitudine & contumacia, quin ſtrepitus, diſſidia & turbæ comitentur puram Euangelii doctrinam: ſed noſtrum eſt rejecta in Deum hujus mali cura,

qui

qui remedium inveniet, ſtrenue nihilominus in officio pergere. Dandus enim eſt ejus providentiæ hic honor, ut incommodis quæ non licet noſtra induſtria effugere, occurrat. Si ita nos divinitus gubernari patimur, lætior ſemper erit exitus, quam nobis ſenſus noſter dictet: quia reipſa probabit Deus vere fuiſſe
Pſal. 46. verſ. 10. de ipſo prædicatum, quod legitur in Pſalmo, Perfringit lanceas, gladios comminuit, currus abſumit igni, bella componit uſque ad fines terræ. Rurſum memineris, nobiliſſime vir & domine, vitia & corruptelas quibus polluitur vera religio, totidem eſſe ſacrilegia, quorum Deus acerrimus erit vindex: ac proinde odioſam illi eſſe hanc prudentiam, ubi externam quietem pietatis jactura redimere cupimus. Sed quia voluntarium, ut ſpero, te literæ meæ reperient, plutibus bunc ſermonem proſequi neceſſe non eſt: & me etiam febris quartana ad brevitatem cogit. Poſtremo quum iſtic ſit eximius Chriſti miniſter & frater mihi venerandus Dominus Joannes à Laſco, quem non dubito pro zeli ſui fervore ſatagere, has ei partes libenter reſigno: quia etiam apud te valebit ejus auctoritas, quantum meretur. Deum itaque precabor, ut Tuam Celſitudinem favore ſuo tueatur, modiſque omnibus augeat, Spiritu ſuo gubernet, virtute ſuſtineat. Genevæ, 13. Calend. Decembr. M. D. LVIII.

Blaurerus Calvino.

De illo negotio non viſum eſt quicquam porro ad te ſcribere, quod ſperem alioqui jam calorem iſtum deferbuiſſe. Ego nemini qui vocetur detrectandum puto, quod omni petenti fidei noſtræ rationem reddere jubeamur. Si aliud à novo Imperatore colloquium impetrabunt Imperii Ordines, tum Magiſtratibus ſcribetur (ſi vera ab amicis accipio) ut Theologos ſuos adeſſe jubeant. Sunt certe ex Principibus nonnulli qui paci Eccleſiarum magnopere ſtudent, ac nullis parcerent ſumptibus, modo hanc redimere ulla ratione poſſent. Atque utinam in unam banc rem, per bellicos iſtos motus, qui alii ex aliis identidem oriuntur, incumbere illis liceret. Gallum cum Turca colludere, infauſtaque cum eo fœdera meditari, conſtantiſſime ac publice affirmatur. Deinde Romanum Pontificem ſic iratum novo Imperatori, ut omnia citius periclitati, quam hanc inaugurationem ratam habere velit, quum præſertim ſacramento adactus ſit novus Cæſar, ne vel coronam, vel gladium, vel quicquam ejuſmodi à Pontifice peteret, ſed Principum Electorum, Ordinumq; Imperii conſenſu, ſolitiſque ceremoniis, quæ abſque ſuperſtitione adhibitæ ſunt, contentus eſſe velit. Sicque à tribus iſtis potentiſſimis mundi Monarchis, Pontifice, Gallo, & Turca, ſummum Cæſari imminere periculum. Eſſe enim hos triplicem vixque nunquam rumpendum funiculum, quo velut laqueo, Cæſaris collum induendum pariter ac præfocandum ſiet. Sed fortior eſt omnibus iſtis Dei veritas, à qua ſi ſteterit Cæſar, non eſt cur ſibi ſuiſque metuamus ab imbellibus omnibus terræ vermiculis. Nos perpetuis flagrantiſſimiſque fidei votis cæleſtem Patrem, cujus manus omnium Regum corda moderatur, ſupplices interpellemus, ut fractis fruſtratiſque omnibus omnium hoſtium conatibus, regnum Jeſu Cbriſti Filii ſui uſque propagare, ac ſeipſo quotidie auctius, illuſtrius, ac florulentius eſſe velit, noſque in illo æternum felices ac beatos futuros conſervet. Scripſeram Philippo per ſymmyſtam meum, ſed non attigit is Saxoniam, ut animus erat, quandoquidem Principes quibuſcum agendum erat, Francofurti invenit. Tu ſi quid habes, vel ex Gallia, vel de Philippo, ne me celes. Meliora mihi de boc promiſeram: & valde miror, magnum hunc virum non perinde magno animo eſſe, verum ſemper ubi ad rem ventum eſt, veterem reſipere imbecillitatem. Dominus illi excelſos planeque heroicos, hoc eſt, ſe dignos animos addat: quippe cujus auctoritas in pacificationis negotio tantum afferet momenti, quantum vix cujuſquam. Et profecto, utut diſſimulet, ſeipſum negare haudquaquam poterit. Ad multos multa modeſtiſſime ſcripſit, quibus non obſcure teſtatur, quantum abſit ab illorum ſententia, qui de Chriſti cœna ſuperſtitioſius ſentiunt & loquuntur: quantumque ſibi diſplaceant temerariæ iſtæ Saxonum quorundam adverſum noſtros condemnatiooes, & inauſpicata præjudicia. Servator Jeſus Chriſtus electum organum hoc ſuum inexpugnabili Spiritus ſui virtute ſemel ex alto induat, ut rem & vitam & omnia periclitari citius, quam ſuſceptum jamdudum veritatis patrocinium tanto cum ſuo dedecore indicibilique Eccleſiarum Chriſti jactura deſerere velit ſecum. Vale mi anime, ac omnium mihi longe colendiſſime chariſſimeque frater, meque cæleſti Patri aſſiduis votis diligenter commenda, ut triumphantis Chriſti ſui auſpiciis à morte, quam veteranus jam quotidie meditor, ad vitalem illam vitam, quæ ſola vita, ut vere eſt, ſic recte dici merito poteſt, tranſire mihi quamprimum liceat. Iterum iterumque vale præter cæteros venerande mihi ſemper Calvine, frater in Chriſto Jeſu ſuaviter arctiſſimeque complectende, qui tibi præſentiſſimus ſuo numine ſemper adſit. Linguam tuam ad dicendum, manum vero ad ſcribendum, ita Spiritu ſancto ſuo regat, ut te loquente ſuam vocem, te ſcribente ſuam manum, quotquot ſunt vere Chriſtiani ſemper agnoſcant, adque fidei obedientiam ſtrenue ſe ac feliciter parent. Salutant te noſtri, præcipue ſymmyſta cum reliquis tibi notis. Saluta fratres & amicos qui nos in Chriſto diligunt, cumprimis adminiſtros tuos in opere Domini, cum Arcbigrammateo veſtro. Bienæ, 14 Maii. M. D. LVIII.

Vere T. Ambr. Blaurerus.

Martyr Calvino s. d.

Mihi ſane, vir clariſſime, neque mirum neque grave fuit, quod ante paucos dies, quum literas ad Bullingerum noſtrum dictaveris, nihil ad me (quod per illum excuſare voluiſti) tamen ſcripſeris. Verum id me antea valde male habuit, quod te morbo eoque periculoſo ægrotare audiveram: neque nunc minus ægre eſt, quando febrim quartanam ſignificas eſſe, qua laboras. Ego de iſtius morbi contumacia, & rebelli quadam adverſus pharmaca & medicos obſtinatione multa poſſem narrare, ut qui jam bis cum eo ſim conflictatus: ſumma eſt, magna diuturnaque patientia eos qui ſint iſto loco, uti oportere, quam utendam foris, uti certo ſcio, non petes, quum in animo tuo à Chriſti Spiritu ſit abunde inſerta. Sed habeo una cum permultis aliis de iſta tua ægrotatione duplicem dolendi cauſam. Una, quod ipſe doleas, frangaris, & debiliteris: id quod aliter fieri non poteſt, præſertim in corpuſculo jam propemodum laboribus exhauſto. Altera vero eſt, labores tuos in agendo, & in ſcribendo, magno Chriſti omnium detrimenro interrumpi. Nihil enim eſt quod iſti morbo æque atque ſtudia & curæ adverſetur. Hæc ſunt quæ non tantum me, ſed omnes vere pios excruciant. Attamen quando ita res habet, noſtrum eſt officium precibus contendere, quanta poſſumus inſtantia, ut priſtinæ ſanitati quamprimum reſtituaris. Tuum vero, ut à noxiis omni cura, ſummaque diligentia tibiipſi temperes, præſertim à ſerio ſtudio, & gravium curarum ſollicitudine, quibus humor atræ bilis, unde iſta febris accenditur, ita pulſatur atque percutitur, ut ad medullas oſſium uſque infigat. Porro multo expetibilius eſt, ad aliquot dies aut menſes quieſcere, quando ita Deo viſum eſt, quam aut cum magno bonorum mœrore interire, quod avertat Deus, aut cum incre-

Digitized by Google

incredibili Eccleſiæ jactura, quantum vitæ ſupereſt, debilitato prorſus, & fracto corpore atque animo vivere. Video itaque ut neque in te, neque in Eccleſiam Chriſti pecces. Venerunt huc certi nuncii heri, miſſi à nobilibus viris Anglis, qui Argentinæ agunt: ſignificant vero ſuam Reginam 16. Novembris obiiſſe, ac Illuſtriſſimam Eliſabetham ſucceſſiſſe in Regnum, idque ſummo conſenſu omnium Ordinum: convenerant enim forte fortuna hoc tempore ab omnibus Angliæ partibus ad Comitia, vel ut vulgo dicunt, ad Parlamentum. Nunc Deus rogandus eſt, ut hæc rerum commutatio nomini Chriſti & ſancto ejus Euangelio bene vertat. Scio te tuamque ſanctam Eccleſiam officio non defuturos. Tempus fortaſſe jam eſt, ut in eo Regno muri Jeruſalem reædificentur, ut ne tot Martyrum ſanguis videatur in caſſum tam largiter effuſus. Nihil præterea novi habeo, niſi quod meum librum ſub prælo babeo, quo Stephani Gardineri olim Vintonienſis Epiſcopi omnia ſophiſmata & præſtigias de re Euchariſtica retexi & confutavi. Quod, uti ſpero, valde tempeſtive cecidit: nam commodum erit hoc præſertim tempore, ut Papatus intelligat, librum illum noo eſſe, quemadmodum hactenus jactitarunt, invictum. Bene vale, atque Cbriſto & ejus Eccleſiæ quam diutiſſime vivas. Symmyſtas omnes jubeo ſalvere, necnon Bezam & Marchionem. Tiguri, 1 Decembris.

Tuus quantus eſt Petrus Martyr.

J. Calv. D. Admiralio s. d.

Ex Gall.

Quum ex mearum ad te literarum lectione tibi conſtaturum ſperem, quanto ſalutis tuæ ſtudio tenear, meum hac in re conſilium, ubi illas perlegeris, à te improbatum non iri confido. Neque vero tamdiu boc facere diſtuliſſem, ſi apud te mihi aditus patuiſſet. Jam quum boc mihi oblatum videam, non eſt quod diutius te detineam, quum plane mihi perſuadeam optimam in partem à te acceptum iri, quod illius nomine tibi à me proponitur, cui me addictum eſſe ſcis, pro illa obſervantia qua te illum proſequi compertum babeo. Non eſt etiam quod multis tecum agam, ut ad legitimam tolerantiam te compares, quum ita exiſtimem & de te etiam audiam: te nempe ita ad illam eſſe confirmatum à D. ut magis habeam fere unde illi eo nomine gratias agam, quam ut ad illam te multis exbortari debeam. Hæc eſt nimirum ſolida illa magnanimitas, ubi affectus noſtri ita domantur, ut non modo illos in poteſtate habere poſſimus, ſed ut tanquam de triumphatis boſtibus in nobiſipſis, ſacrificium obedientiæ Deo offeramus. Parum eſt enim ooo deficere neque frangi animo in adverſis rebus, niſi eo uſque oculos intendamus, ut Dei voluntati nos ſubmittamus, atque illie placide acquieſcamus. Quum igitur ita te per Dei gratiam comparatum audiam, illud ſupereſt quod te præterea cogitare ſerio velim: Deum nempe iſta tibi immiſſa calamitate te ſibi ſubductum voluiſſe, ut tanto commodius illi te attentum præberes. Neque enim ignoras quamdiu io mundo verſamur, ubi honores vel opum ſtrepitus nos à Deo abducunt, quam difficile ſit aurem illi præbere, dum fere in ejuſmodi rerum jactatione extra nos rapimur, niſi ſuos ille reſpiciendo quaſi ex turba ad ſe per calamitates reciperet. Non quod exiſtimem honores aut alia illa bona per ſe repugnare cultui Dei & legitimo ipſius honori, quum potius quibus illa D. contulit, eoſdem ad ſe ea ratione quodammodo compellare voluerit, ut ad ipſius cultum propenſiotes redderet: ſed tamen experientia tibi conſtare credo, aliter fere accidere ſolere, ut qui in mundo florent magis, illic ita diſtricte teneantur, ut vix unquam illis otium ſuppetat quod ad præcipuam partem officii ſui conferant, atque de Dei gloria procuranda, de ipſius cultu profitendo, de vita cæleſti meditanda ſerio cogitent. Quare à te peto ut quum hane tibi opportunitatem proficiendi in ipſius ſchola obtulerit Dominus, quaſi ipſe tecum familiarius acturus eſſet, teipſum plane attentum præbeas, ut perguſtes plane quid valeat ipſius doctrina, quamque ea oobis & cara atque pretioſa eſſe debeat: fac etiam ut te diligenter ſacro ipſius verbo legendo impendas, unde & erudiaris magis ae magis, & vivam radicem fidei percipias: qua nempe tibi in reliquam vitam conſtes, atque omnes teotationes elucteris. Non ignoras quam omnia paſſim corrupta ſint: quo magis piis omnibus cavendum eſt, ne illis rebus implicentur, quæ ipſos deinde inquinent. Illud plane conſtat, nihil bodie non impune eſſe præter unam Dei pure colendi profeſſionem, ut ad illam nemo ſe comparate poſſit, quin undique ſe impetitum iri ſtatuere debeat, niſi forte verbis tantum & minis cum eo agatur ad tempus. Atqui D. unius gloria tanti eſſe tibi debet, ut omnia præ illa calcare non dubites, quum una illius gratia infinitis modis omnem omnium mortalium gratiam & favorem exuperet. Suppetit etiam nobis illud ſiogulare privilegium, quod ſi pro noſtra infirmitate trepidamus, ille ſe vires ſuffecturum virtute ſua recepit: ut io eo uno omne noſtrum præſidium ſitum eſt, ut ad illum nos conferamus, precemurque ut uous ipſe ſit robur ooſtrum atque invictum propugnaculum. Dominus tibi adſit Spiritu ſuo, teque io omni bono conſervet: atque ita te teſpiciat, ut in te uno habeamus omnes, de quo illi gratias perpetuo agamus. 4 Septemb. M. D. LVIII.

Jo. Calvin. D. Gul. Cicellio, Reginæ Angl. Secretario.

Quod nunc ad te familiariter ſcribere inſtitui, vir ornatiſſ., homo de facie tibi ignotus, non longa excuſatione utar: quia teſtimonio quorundam piorum fretus, qui tuam humanitatem mihi prædicarunt, te ad literas meas comiter excipiendas ſponte propenſum fore confido: ac præſertim ubi tibi ex lectiooe conſilium meum perſpectum fuerit. Ex quo diſcuſſa borribili caligine, quæ meotes piorum fere obſtupefecerat, nova lux repente ſupra omnium ſpem affulſit, te pro gratia qua apud Sereniſſimam Reginam non vulgari polles, ſedulo incumbere fama eſt, ut profligatis quæ per quadriennium iſtic graſſatæ ſunt, ſuperſtitionibus Papatus, iterum vigeat ſincera Euangelii doctrina, puruſque & integer Dei cultus. Quare ut iocipias Cbriſto libere & palam militare, te bortari opus non eſt: ſed alterum boc mihi reſtat, ut quod agis, & majori ſtreouitate, & invicta conſtantia agere pergas: neque ullis moleſtiis, difficultatibus, pugnis, terroribus, non dico frangantur, ſed vel minimum tardentur ſancti tui conatus. Equidem obſtacula tibi ſubinde occurrere, vel aote oculos verſari diſcrimina non dubito, quæ fortiſſimos quoſque debilitent, niſi mirifica Spiritus ſui virtute eos Deus ſuſtineat: ſed una hæc cauſa eſt, pro cujus defenſione nullum laboris genus refugere nobis fas eſt. Quamdiu mactandis Dei filiis aperta fuit carnificina, ipſe quoque obmutueras cum aliis. Nunc ſaltem ubi novo & incredibili Dei beneficio major reddita eſt libertas, colligere animum decet, ut ſi antehac timidus fuiſti, id ſtudii ardore compenſes. Equidem non ignoro, quantopere noceat interdum præpoſtera feſtinatio: atque ut multi inconſiderato zelo ac præcipiti retardent, quod volunt momento ad metam rapere. Sed ex adverſo probe reputandum tibi eſt, quia Dei opus eſt puram Euangelii veritatem totamque pietatem aſſerere, non ſegniter eſſe ſuſcipiendum. Ex re præſenti melius judicare potes, quos tenete progreſſus conveniat, & quænam adhibeoda ſit moderatio. Sed memineris omnem cunctationem, quamlibet ſpecioſo colore tecta ſit, debere tibi eſſe ſuſpectam. Unus, ut conjicio, metus eſt à populari motu, quum inter

Proceres non deſint multa flabella: & ſi inter ſe Angli tumultuarentur, præſto ſunt vicini, qui occaſionibus quibuslibet nimis cupide imminent. Sed quod Sereniſſima Regina mirabiliter Dei manu in ſolium evecta eſt, ſuam gratitudinem probare non aliter poteſt, quam ſi prompta alacritate remoras omnes diſcutiat, atque impedimenta magnanimitate ſuperet. Quando vero vix fieri poteſt, quin rebus adeo turbulentis & confuſis, inter principia diſtrahatur, perplexa hæreat, ſæpe etiam vacillet: eam hortari auſus ſum, ut rectum curſum ingreſſa, conſtanter perſeveret. Hoc vero prudenter necne fecerim, judicium eſto penes alios. Si tua opera factum erit, ut mea admonitio fructum afferat, me conſilii non pœnitebit. Tu quoque clariſſ. vir, in eo quem obtines favoris & dignitatis gradu te divinitus locatum eſſe cogita, ut in hanc curam totus ſis intentus, ad opus hoc peragendum nervos omnes intendas. Ac ne qua tarditas obrepat, ſubinde veniat tibi in mentem, quanti momenti ſint hæc duo, ut religio quæ miſere collapſa fuit, doctrina ſalutis quæ execrandis mendaciis adulterata, cultus Dei qui fœde inquinatus, nitorem ſuum recuperent, & Eccleſia ſordibus repurgetur: deinde ut filiis Dei apud vos liberum ſit nomen ejus pure invocare: & qui diſperſi fuerunt, iterum colligantur. Vale ornatiſſ. vir, mihique ex animo obſervande. Dominus te Spiritu ſuo regat, tueatur, omnique bonorum genere locupletet. Genevæ, 4. Calendas Februarii. M.D. LIX.

JOAN. CALVINUS VINCTIS FIDELIBUS S. D.

Ex Gall. QUod hactenus ad vos non ſcripſi, dilectiſſimi fratres, per meum erga vos ſtudium non ſtetit, ſi quid meæ ad vos literæ aut levationis afferre potuiſſent, aut animi addere ad ſanctam illam conſtantiam quam à Domino accepiſtis in vobis confirmandam. Quum enim hoc ab illis officium præſtari non dubitem qui iſtic ſunt, meum etiam hac in parte à vobis requirendum non putabam. Nunc quum profuturum hoc vobis compertum habeam, inhumanus ſim, ſi veſtro deſiderio non ſatisfaciam. Et tamen hic etiam me excuſare cogor, quod brevior ſim quam vellem & res ferat. Sic enim à quartana nunc exerceor jam à tribus menſibus, ut vix tertiæ parti negotiorum par eſſe poſſim, quæ ſi bona valetudine uterer, mihi conficienda eſſent. Atqui ubi & meum hoc leviuſculum malum cum illis quæ vos conſtringunt, & quam Dominus offert levationem cum illis quæ vobis inferuntur moleſtiis & ærumnis confero, non tantum tolerantiæ legem mihi præſcribi, & nonnihil levationis mihi adeſſe præ vobis agnoſco: ſed veſter ſtatus ita me afficit, ut à meipſo diſcedens veſtris malis ingemiſcam, & enixe orem pro vobis Dominum, ut veſtros dolores allevet, ac vos contra quosvis inſultus ſuſtineat atque confirmet. Quod autem veſtra nunc conditio dura & acerba vobis videri poteſt, non eſt quod multum hoc vos moveat, quaſi fidei noſtræ vis & efficacia nos præſtaret ſenſus dolorum expertes, quum ad nativos affectus eluctandos tantum nos inſtruat: adeoque Dominus ipſe, Spiritus ſui præſentiam in noſtris infirmitatibus à nobis certius agnoſci velit,

2 Cor. 12. verſ. 9. uti Apoſtolus etiam hoc ab eo reſponſum retulit. Præſertim vero quia longioris cuſtodiæ moleſtiæ, tædium non mediocre conjunctum habent: ita vos coram Domino demittite, ut non dubitetis veſtram infirmitatem ab ipſo hac etiam in parte, vobis modo adverſus illam enitentibus, condonatum iri. Ut autem ita perſtetis in certamine, ut tandem conſequamini ſolidam victoriam, ille vobis eſt ſerio invocandus, ut iiſdem armis inſtruat, quæ hactenus ab illo idonea accepiſtis, ad Satanam ipſum cum inſtrumentis ſuis deſpiciendum. Quo nomine hoc vobis indictum ſit bellum, nempe pro Dei gloria à vobis aſſerenda, pro veritate Euangelii approbanda, pro Chriſti regno in legitimum ſuum ſtatum reſtituendo, ipſi noſtis. Quanto vero acrior eſſe debet ille ſtimulus ad vos ad officium animandos, quam quod pleriſque Principum mancipiis accidit, qui neſcio qua ſpe lucri & ſua ambitione abrepti, certiſſima pericula adire non dubitant? Et quum iſti cæco tantum impetu ita animati ferantur, quanto nobis melius conſtare mens debet, ubi cæleſtis Heri vocem & mandatum audimus? Atque illud maxime, quum neque ad illas partes vocemur, niſi in ſalutem noſtram: neque morte ipſa fiat conditio noſtra deterior, quum ubi eo uſque veniendum erit, illam ipſam in ſummum & cumulatiſſimum noſtrum bonum ſit ipſe commutaturus? Nam quid ipſi nobis teſtibus vel procuratoribus opus eſt, niſi quod illud omnino cedit in noſtram gloriam, ubi rei omnium digniſſimæ inſtrumenta efficimur? Porro illud fixum habete, utcunque in adverſariorum poteſtate nunc ſitis: vos tamen eſſe ſub Dei tutela, penes quem unum ſint vitæ ac mortis exitus, uti Pſal. 68. teſtatur: ac proinde cui nulla ratio deeſſe poſſit vos eruendi, ſi ita tulerit ejus voluntas. Atque illud ita vobis eſt cogitandum, ut quod ad vos interea attinet, comparetis vosipſos ad veſtram ipſi vitam in legitimum ſacrificium offerendam, ſi ita illi placuerit. Neque de veſtro ardore detrahere quicquam debent impiorum dicteria vel minæ. Ut enim noſtra ſimplicitas ab illis derideatur, nobis ſatis eſt quod illam Deo probari ſcimus. Proponite vobis Dominum ipſum, qui perinde etiam in extrema morte, talibus irriſorum & ultorum ſannis exceptus eſt. Agnoſcite & illud ex Pſal. 119. verſ. 41, 42. Sint ſuper me Domine miſericordiæ tuæ ſecundum verbum tuum, & reſpondebo exprobrantibus mihi. Item verſ. 51. Superbi irriſerunt me, à Lege tua non declinavi. Item verſ. 110. Tetenderunt mihi impii rete, non declinavi à mandatis tuis. Item verſ. 161. Principes perſequuti me ſunt gratis, & ad verbum tuum tremuit cor meum. Item verſ. 23. Sederunt una Principes, & contenderunt adverſum me; ſervus tuus autem meditabatur in ſtatutis tuis. Diſcite item ab Eſaia Deum Eſa. 8.
unum timere & ſanctificare in cordibus veſtris, ut v. 12. 13.
furorem illum quem impii in cælum evomunt, non formidetis. Atque interea illam apud ipſos manſuetudinem retinete, qua per vos non fiat, quominus aliquid ab ipſis obtineatis; non ſolum ut moderatiores erga vos experiamini, ſed in primis, ut ad Dei cognitionem aliquo modo pelliciantur. Tantum ut quam viam ingreſſi eſtis, & inſtatis adhuc, in illa conſtanter incedatis. Intendite igitur in cælum oculos, ut ad palmam ſupernæ vocationis unice adſpiretis. Hoc à Domino vobis precamur omnes, ut Dominus veſtrum ſe protectorem teſtetur: quod etiam vobis reipſa conſtet, dum eum veſtris malis exitum dabit, qui nobis omnibus occaſionem afferat glorificandi & benedicendi in vobis ſancti ipſius nominis. 15 Februar. M. D. LIX.

CALVINUS N. S. D.

QUum tibi adverſus illecebras, quibus te corrumpere tentabant Satanæ lenones, inflexibilis pridem fuerit animus, ac continuis experimentis fidei & pietatis tuæ conſtantiam probaveris: longius nunc, ut audio, te Chriſtus produxit ad ferendum crucis ſuæ opprobrium, ne cui obſcurum foret, quia Deo placere cuperes, te hominum gratiam favoremque ſpernere. Et certe res ipſa oſtendit, te probe hoc in corde habuiſſe concoctum, ubi nos non ſolum ad manifeſtam defectionem & perfidiam ſollicitant homines, ſed etiam ad obliquas deflexiones inducunt, neque blanditiis præbendas eſſe aures, neque imperio morem gerendum, ne-

que

que cedendum minis ac terroribus. Etſi autem duros ac violentos inſultus inter principia ſuſtinuiſſe non dubito: memineris tamen plores tibi & magis arduas difficultates adhuc reſtare, ut eo alacrior in certamen deſcendas. Interea quod illo mundi præſidio orbatus, quod jam non aliter quam turpiſſima mercede redimere poteras, palam milites ſub crucis vexillo, tibi ex animo gratulor: aliquanto etiam magis, quod in ſacra functione cui te Deus addixit, tam ſincere & cordate laboras. Certe non ſine admiratione audimus, quod de tua ſtrenuitate & diligentia referunt oculati teſtes. Quo magis te eniti convenit, quod te ſedulo facere perſuaſus ſum, ut primis ultima reſpondeant, neque vel ulla diſcrimina reformides, vel tædiis frangaris, vel ad obſtacula reſilias, vel fatigeris laboribus, quorum onus tibi graviſſimum incumbere me non latet. Utinam in me eſſet, aliquid adjumenti vel levationis tibi adferre: idem & Collegæ mei cuperent. Sed quia nihil melius ſuppetit, non deſinimus cæleſtem Patrem rogare, ut tibi vires invictas ſuppeditet. Ignoſces brevitati: imo etiam quod feſſus has dictare coactus ſum. Nam & quartana me adhuc detinet, neque mihi virium debilitas multum permittit. Vale igitur, eximie vir, & frater mihi colende. Dominus tibi ſemper adſit, te gubernet, laboreſque tuos benedicat. Collegæ mei tibi plurimam ſalutem precantur. 27 Martii. M. D. LIX.

CALVINUS N. N. S. D.

Ex Gall. PErjucundum nobis fuit, dilectiſſ. fratres, quod de bona illa veſtra ſpe renunciatum eſt, quam Dominus vobis oſtendit de pura Euangelii ipſius doctrina vobis reſtituenda, cum facultate ipſius pure invocandi, colendi, & glorificandi. Atqui non parum dolet, quod veſtra timiditas atque puſillanimitas vos ita conſtringit, adeoque congelat, ne, ut par eſt, teſtemini, quanti à vobis fiant res adeo incomparabiles. Tantum abeſt enim ut promoveatis aliquid hac in parte, ut potius retroferamini, ac proinde gratiæ Dei januam claudatis. Cœtus veſtri effluunt ut audimus, à cantu Pſalmorum abſtinetis, & ſancta illa Dei laudum exercitia apud vos amplius non vigent. Scimus fieri hoc à vobis propter adverſariorum minas: atqui ſi veſtram conditionem confertis cum illa tot fratrum, qui alibi duriſſima captivitate conſtricti, non ſe continent tamen, quin panem illum vitæ conſtanter requirant; quis vos excuſabit à pudenda puſillanimitate, ſi minima quæque prohibitio vos ita perturbat, quoniam ipſi apud vos pondus & fidem additis? Unde magis etiam metuendum eſt, ne ita pedem referendo, à via penitus aberretis. Vetus eſt illud malum, quod ſe quidam ab Eccleſia ſubducant: contra quod
Hebr. 10. non fruſtra nos ita exhortatur Apoſtolus ad Hebr.
verſ. 25. Videamus nempe ne cœtum noſtrum deſeramus, ut à nonnullis fit. Quum igitur illa exhortatio remedium ipſum complectatur, quo adverſus malum nobis conſulendum ſit, tanto magis videndum eſt ut gregi ipſi agglutinati ſtemus, cui nos ſemel immenſa ſua bonitate Dominus adjunxit. Agnoſcite & illud
Hebr. 12. ejuſdem Apoſtoli, Nondum reſtitiſtis uſque ad ſan-
verſ. 4. guinem. Date igitur operam ut omnia illa impedimenta ſuperetis, quæ à Satana ſuggeruntur, ut officium deſeratis. Cogitate vero quo ſpectet Euangelii vocatio, ut illa juſtum apud vos pretium obtineat. Cogitate etiam quod iſtius vitæ caducæ & evaneſcentis tam indigna mercede conſervandæ operæpretium eſſe poſſit. Atque hinc colligite, quo merito honore proſequendus ſit vobis Filius Dei, qui vobis ſeſe offert: quo animo ad regnum cæleſte adſpirandum ſit, dum vobis aperitur: quid valeant ſpirituales illi theſauri, quorum vos participatione dignatur. Neque hic illud à vobis afferendum eſt, quod nullo modo de Euangelii profeſſione deceſſuri ſitis, utcunque adverſariorum impetus veſtra quadam ratione declinetis. Non enim fruſtra inſtitutam voluit Dominus ordinariam verbi auditionem, cujus perpetuum nobis uſum eſſe vellet. Etenim qui nullum tempus à corporis alendi cura & ſtudio vacuum abire ſinimus, quomodo ferendi ſumus, ubi quod ad animæ vitam & paſtum attinet, ita remiſſi & obliviosi deprehendemur? Offertur vero omnibus expedita ratio, quam tanto minus negligere ipſi debetis, aut ab ea plenius obeunda quidquam remittere, quum jam vobis ipſam ex parte ad manum eſſe conſtet. Et quot piæ animæ illud ipſum eſuriunt, quibus ſi eadem quæ vobis facultas ſemel offerretur, longe alius ardor & zelus in ipſis extaret. Expergiſcimini igitur dilectiſſ. quam ſerio à veſtro illo ſomno, ac novum vigorem colligite, ad reſiſtendum conſtanter inſtrumentis Satanæ, neque ullo modo veſtram vobis libertatem eripi ſinite. Dominus enim qui tanto nos privilegio dignatus eſt, ut Patrem ſe à nobis invocari jubeat, idem etiam jubet ut à confidenti & alto quodam animo hæc noſtra confeſſio prodeat. Non poſſumus illud etiam reticere, quod graviſſimam reprehenſionem meretur, quod nempe & verbo Dei & ipſius Miniſtris fores veſtræ jam vix pateant. Objicietis interdictum. Scilicet quum ita vos Dominus honorat, ut domos veſtras ſua templa eſſe jubeat, ac tam ſancto uſui dedicet, quid momenti habere debent adverſus illud Dei placitum quævis hominum interdicta? Quid ſi ſub capitis pœna interdictum eſſet, quanto ad deficiendum procliviores eſſetis? Peſſime vero vobis conſulitis, dum illud Satanæ artificium non antevertitis, quo vobis certam occaſionem præripere meditatur, quæ ſemel elapſa è manibus, nunquam deinde reſtituenda ſit. Quare tam ut mali ſuperioris memoria ſepeliatur, quam ut caveatis ne veſtra ingratitudine eo bono deſtituamini, quod eſt adhuc ad manum, pergite ea via qua cœpiſtis Domino auctore: atque illud reipſa conſtet vobis, Dei veritatem nempe omnibus hujus vitæ commodis à vobis merito ſuo anteferri, atque ipſius unius cultui & gloriæ reliqua omnia quæ ab illo vos averſura erant, quam longo intervallo poſthaberi. Noſtram porro præciſam ſcribendi rationem à vobis æqui & boni conſultum iri ſperamus, quam noſter pro veſtra ſalute procuranda affectus ita dictavit, ac neceſſitas ipſa ſtimulos vobis adhibendi expreſſit. Dominus vos, dilectiſſimi, virtute invicta Spiritus ſui confirmet, atque ita vos regat, ut nomen ſanctum ipſius glorificetur in vobis, vos etiam præſidio ſuo unice complectatur. 19 Julii. M. D. LIX.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

BInas abs te, integerrime frater, intrà breve tempus literas accepi, quibus de ſtatu Eccleſiæ Metenſis feciſti me certiorem. Etſi autem eadem fere quidam alii boni viri vel narrarunt vel ſcripſerunt: quia tamen & interiores morbos prudenter notas, & de remediis admones, & quantulum affulgeat ſpei doces (quod ab illis prætermiſſum fuerat) gratiſſimum mihi officium præſtitiſti. Quod & Pſalmos canere, & conventus agere deſtiterunt, neſcio quibus inanibus minis territi, in eo apparuit pudenda eorum ignavia & timiditas: in hoſpitio autem negando (ad quod officium certatim ſe ingerere debuerant) turpius flagitium. Sed bene eſt, quod neque animi tui conſtantiam debilitavit eorum mollities, quin torpidis & prope recuſantibus te ſponte offerres: neque offendit ingratitudo vel alio reflexit, quin ſemper operam illis tuam impendere ſis paratus, modo admittant. Nos acriter, ut videbis, eos ſtimulare conati ſumus. Te vero cur ſtrenue currentem horter, nulla eſt cauſa. Tantum Dominum precabor, ut te Spiritu prudentiæ, modera-

tinnis & zeli regere pergat, invictaque virtute fulcire, compeſcat omnes adverſarios, benedicat ſanctos tuos conatus & labores. Vale integerrime frater. Viretus, Beza, & reliqui Collegæ mei tibi multam ſalutem precantur. 14. Calendas Auguſti. M. D. LIX.

Calvinus. P. Martyri s. d.

Commode accidit, ut biduo poſtquam mihi redditæ ſunt tuæ literæ, venerande frater, diſcederet hic nuncius, cui meas tuto committerem. Etſi nihil in præſentia quod ſcribam, niſi triſte, occurrit. Invitus autem facio, ut te mecum in eaſdem involvam moleſtias: niſi quod utrique noſtrûm hæc anxietas eſt communis. Magno dolore me conficit, nec minore cura ac metu me torquet, miſera fratrum noſtrorum quibus cordi eſt ſincera pietas in Gallia conditio. Promptum erat in manu Regis Navarræ his malis remedium: & mira pollicitus fuerat: ſed quum ejus ignavia nihil fuerit turpius, acceſſit tandem & proditio. Socrus Principis Condæi à Regina matre impetraverat, ut ex Miniſtris Eccleſiæ Pariſienſis unum admitteret ad colloquium. Vocatus ille dimittitur cum ludibrio. Interim ad horrendam ſtragem omnia inclinant: quia à deſertoribus fuerunt detecti, quicunque profeſſi erant ſe Chriſti diſcipulos, & occultos cœtus frequentabant. Res pluſquam luctuoſa. Tamen expectandum æquis & quietis animis, donec è cælo appareat vindex noſter: quod opportune facturum ſcio. Sed rogandus ſimul eſt, ut debiles animos ſuſtineat. Ego te & Collegas tuos non hortabor, ut eorum ſalutem Deo commendetis: quia ſcio ad hanc curam ſponte propenſos eſſe. Vale clariſſime vir, & frater ex animo mihi obſervande. Saluta amicos. Dominus te incolumem tueatur cum uxore, gubernet, confirmet, doniſque ſuis locupletet. Genevæ, 4. Nonas Octobris. M. D. LIX.

Joannes Calvinus tuus.

Comiti in Tarnaw Joan. Calvinus s. d.

Quando ex tuis literis, Generoſe & Illuſtris Domine, meum tibi in ſcribendo ſtudium placuiſſe intelligo, hinc magis obſtrictus videor ad te ſedulo monendum, & hujus quoque officii libere præſtandi mihi creſcit fiducia. In hoc porro cardine vertitur quicquid mihi eſt cum Tua Excellentia diſceptationis, quod partium tuarum non eſſe exiſtimas, quidquam tentare vel aggredi, ut repurgetur à ſordibus Papatus Eccleſia Polonica. Nam pro tua æquitate non ſolum probas noſtrum ſtudium, quod in curanda pietatis reſtitutione ſatagimus, ſed agnoſcis munus clamandi nobis eſſe injunctum. Sed eadem neceſſitate officii te & alios regni Proceres conſtringi negas, quibus cura incumbit tuendæ publicæ tranquillitatis. Ego autem excipio, non minorem denunciari pœnam ſurdis auditoribus, quam mutis Prophetis: quia non vult Deus fruſtra clamore noſtro aerem verberari, ſed aures ſerio feriri, & penitus affici corda. Proinde non minus ad agendum promptas vobis eſſe manus convenit, quam Deus linguas noſtras ad docendum & hortandum expeditas eſſe jubet. Nam quod obtendis, Reipublicæ præſidibus quietem & pacem commendari, falleris ſi unum hoc onus tibi impoſitum eſſe putas. Audienda potius vox Pauli, Reges & Magiſtratus rite tunc demum officio ſuo defungi, dum per eos
1 Tim. 2. verſ. 2. nobis datur tranquillam vitam agere cum omni pietate & honeſtate. Hæc quæ Deus ſacro vinculo ſimul devinxit, ſeparare fas non eſſet. Quanquam tibi minime concedo, vel convelli Regnorum ſtatum, vel pacem turbari noſtris actionibus. Durum etiam quod ſcribis, tot perturbationibus, quæ totum orbem intus & foris concutiunt, occaſionem à Religione datam eſſe. Nam etſi inde anſam litigandi arripit multorum protervia vel ambitio, alios contumacia & impietas ad digladiandum impellit: perperam tamen culpa in cæleſtem doctrinam confertur: nec impune Deus tantam ſibi contumeliam irrogari ſinet, ut dum ſibi homines reconcilians ad mutuam eos concordiam invitat, turbarum auctor cenſeatur. Atque ut cælum terræ miſceri contingat, merito tamen pluris eſſe nobis debet ſincerus Dei cultus, & ſacroſancta ejus veritas, in qua nobis repoſita eſt æterna ſalus, quam centum mundi. Quin pro ſua ingratitudine & malitia tumultuentur multi, & ſacrilego furore inſurgant contra ſanam doctrinam: quin profeſſi etiam ejus hoſtes veſano impetu ad illius oppugnationem ferantur, non eſt noſtrum præſtare. Sed an ideo obmuteſcet Deus, quia loquenti ferociter major pars obſtrepit? Quod Deum precaris, ut te in hac caligine gubernet, atque illuſtret ſuo Spiritu, laudo: & veriſſimum eſſe fateor quod addis, niſi partes architecti ſuſcipiat, irritos fore omnes omnium conatus. Sed non exigit Dei gratia, ut ignavi jaceant qui ad opus vocati ſunt. Nam quod facete noſtram fiduciam derides, quaſi ad nos rapiamus Dei partes, dum corda hominum convertere ſtudemus, quæ in manu ejus & arbitrio ſunt: nihil hæc ſubſannatio cordatos Euangelii præcones movebit, quibus probe & penitus infixa eſt ſententia, Bonum & ſuavem odorem eſſe ipſos Deo, ſive mortem, ſive vitam ſpirent. Verum quidem eſſe fateor, non eſſe ſperandum, ut toti mundo perſuadeatur, quæ à nobis aſſeritur Religio: ſed non obſtitit mundi incredulitas & obſtinatio Apoſtolis, quominus in curſu vocationis ſuæ pergerent. Tenebant enim quod pronunciat unus ex ipſis, paratam *Hebr. 10.*
eſſe horribilem vindictam contemptoribus, qui reſpuerint oblatam gratiam. *verſ. 29.* Quod autem jocaris, verendum eſſe, ne qui cælum duntaxat quærunt poſthabita terra, ſimul utrumque amittant, abſit ut fidem Tuæ Excellentiæ potius habeam, quam Filio Dei,
qui jubet primum quærere regnum Dei, & alia *Matth. 6.*
deinde acceſſura promittit. *verſ. 33.* Metuere etiam te obtendis, ne populares veſtros diſſenſionibus implices. Atqui jam diſſentiunt, & palam ſua diſſidia profitentur. Non igitur aliud ſupereſt remedium, quam ut reconciliare ipſos ſtudeas: quod fieri abſque legitima cognitione non poteſt. Longius demum tranſilis, & inique (pace tua dixerim) non minus quam odioſe cauſam noſtram gravas. Quorum certe criminum facilis promptaque eſſet defenſio, ſi æquis auribus à Tua Celſitudine admitteretur. Nunquam enim vel diſciplinam convellere tentavimus, vel ordinis diſſolutionem moliti ſumus. Longe alio tendere noſtra conſilia & ſtudia multis experimentis planum eſt. Quod ſectas & hæreſes hinc fluxiſſe dicis, cum Chriſto unico judice litiga, quum exiguo poſt Euangelii promulgationem tempore ſubito emerſerint tam multi ac prodigioſi errores. Scripta objicis acerbitatis plena, hoſtiles pugnas, contrarias opiniones. Optandum ſane eſſet, ut idem omnibus cor eſſet ac una lingua. Sed qua lege poſtulas ut hominum diſſidia vel contentiones Dei veritatem aboleant? Mihi pugnandum fuit cum præfractis multis capitibus, & nunc quoque ſto in eodem conflictu. Si piæ ſanæque doctrinæ patrocinium deſerere fas eſſet, libenter quieſcerem: ſed ubi una cum hominum ſalute oppugnatur Dei gloria, ex repugnantia mihi invidiam conflari injuſtum eſt. Quod ſi quælibet certamina defugere oportet, faceſſat Chriſtus è medio, qui lapis eſt offenſionis. Prudenter obſervare convenit locorum & temporum circumſtantias: modo ne vafrities locum prudentiæ obtineat. Quanquam ut cælum terræ miſceatur, nunquam Chriſto claudendæ ſunt portæ, quin ad nos cum ſacro Euangelii ſceptro penetret. Ac valde miror, quum fatea-

ris

ris Principibus onus hoc incumbere, ut huic ſummo Regi portas aperiant, ſubjicere quod ex diametro repugnat. Aſperior forte ſtylus te offenderet, niſi Tua Celſitudo veniam neceſſitati daret. Vel tacendum mihi prorſus eſt, vel ingenue ſcribendum quod ſentio: quia nihil aliud mihi propoſitum eſt, quam Tuæ Celſitudini prodeſſe. Negas tibi videri conſultum de abolendis ſuperſtitionibus & reſtituendo vero Dei cultu agere: an tibi melius ſuppetere conſilium, quam ipſi Deo judicas? Nec miror hominem prudentiſſimum & in maximis rebus exercitatum ita ſentire & loqui: quoniam nulla deterior eſt peſtis quam bumana ratio, quæ te certe nunc extra metas rapuit, ubi Deo conſilium tuum opponere non dubitas. Quod objicis Deum forte nondum patefacere quid velit, quorſum ſpectet non aſſequor: quando ſic jam vobis illuxit Euangelii claritas, ut cæcutire in meridie non liceat. Equidem de ſinceritate animi tui longe aliud mibi perſuadeo, quam literæ tuæ ſonant. Atque utinam adbibitus amanuenſis fuiſſet à Tua Excellentia, qui fideliter exciperet quæ viſum fuiſſet dictare: quia Secretarius (ut video) mentem ſuam potius quam tuam expreſſit. Plutibus itaque ſuperſedere cogor, ne fines modeſtiæ excedere videar, ſi aulicæ civilitatis oblitus, ad multas profanas ſubſannationes vere, ut par eſt, reſpondeam. Quanquam autem adulari neſcio, & ab officio meo alieniſſimum eſt: quum tamen infimæ plebis homines & rudiſſimos quoſque placide ferre didicerim, noo tam ſum ruſticus vel moroſus, ut poſthabito Ampliſſimæ Tuæ Dignitatis reſpectu, tam præciſe agam. Sed veniam mihi dabit Tua Excellentia, ſi indigne fero ſacrum Dei nomen una cum ſtudio Religionis per jocum & luſum traduci. Deum Patrem noſtrum daturum mihi confido, ut quod ipſe mandavit, oeglecto mundi plauſu, & omnibus dicteriis valere juſſis, quod iojunxit fideliter & conſtanter exequar: eumque precabor, ut Tuam Excellentiam, Illuſtris Domine, incolumem tueatur, Spiritu ſuo gubernet, omnique benedictione locupletet, Amen. 15 Novembris. M. D. LIX.

Joannes Calvinus tuus.

JOAN. CALVINUS N.N. S.D.

Charitas Dei Patris, & Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti augeatur in dies in vobis per Spiritus ſancti communicationem.

Ex Gall. BEnedictus Dominus, qui & ſuorum inter vos numerum in dies cumulatiorem reddit, fratres dilectiſſimi, & voſipſos in veritatis ſuæ cognitione, uti ad eam prius vocare dignatus eſt, nunc etiam fovet, quantumvis Satan omnia moliatur & omnibus modis reſiſtat, ut evertat aut interturbet opus ſalutis veſtræ. Atque ut quod ita ſe bene habet, exultandi in Domino argumentum ſuppeditat, ita me in illo bona ſpes erigit, futurum ut qui tam liberaliter ſua in vos dona effudit, largam illam manum facile non ſubducat. Sic enim cogitandum eſt, nullum ſingularis & paterni ipſius erga nos affectus teſtimonium certius extare, quam dum Euangelii ſui cognitionem nobis patefacit: quando iſtic nativa illius in Chriſto facies nobis apparet, ut conſtet omnino nos ab ipſo recipi in filios in Chriſti nomine, ac pro filiis etiam diligi. Atque illud tanto eſt admirabilius, quanto ab una ipſius infinita bonitate proficiſcitur, quum in nobis nihil aliud agnoſcat, quam egeſtatem ac miſeriam, quæ nos illi potius exoſos quam acceptos redderet, niſi ea ipſa noſtra infelicitate occaſionem miſericordiæ erga nos teſtificandæ deſumeret. Mementote igitur, dilectiſſimi fratres, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ita ut ab initio mera Dei Patris gratia promiſſus fuit Patribus, Patriarchis nempe atque univerſo Iſraëli, ut nulla dignitas ex illorum parte boc ipſis beneficium conciliaret: ut deinde unius Patris miſericordia morti addictus eſt, ut filios ipſius redimeret: eadem plane benignitate & miſericordia nunc etiam in ſalutem vobis oblatum eſſe. Siquidem in nobiſipſis ſimul experimur omnes, uti Deus reipſa verum oſtendat quod eſt apud Prophetam: quod ſeipſum nempe illis patefecerit, qui ipſum non quærebant: quodque illis apparuerit, qui de eo non inquirerent. *Eſa. 65. verſ. 1.* Eramus nempe ut oves palantes & diſperſæ, quum bonus Paſtor ille Patris mandato nos requiſivit, ut ad ſuum ovile adduceret. Recordamini etiam, quaota ea abyſſo emerſeritis, ut ingrederemini in regnum Dei: quibus ex tenebris educti, ut ad ipſius lumen deduceremini: qua denique ex morte excitati, ut ab illo vocaremini ad ſpem vitæ. Agnoſcite & illud ex eodem meræ ipſius erga vos bonitatis fonte, quod nunc etiam faciat, ut in verbi ipſius obedientia perſtetis. Quantulæ enim ſunt vires noſtræ, niſi ſua unius virtute nos ad plenum fulciret? Porro uſus iſtius ad vos meæ admonitionis duplex eſſe debebit. Primum quidem, ut ſerio timore & bumilitate dejecti, ac vobis plane diffiſi, veſtrum omne præſidium & robur in illo uno repoſitum habeatis, attenti & vigiles in precibus & orationibus ſitis, ac ſemper uti in procinctu adverſus Satanam ſtetis, ipſiuſque unius virtute ſitis inſtructi, qui potens eſt ut victores tandem præſtet. Alterum deinde coojunctum eſſe oportet, nimirum ut hujus doctrinæ perceptio vos etiam ad optimum illum Patrem tanto impenſius deamandum accendat, quanto ipſius erga vos amor omnem alium amorem ſuperat, eſtque plaoe incomparabilis, ne veſtra ingratitudine beneficiorum ipſius erga vos tenorem intervertatis. Plane enim aut ipſius vocationi reſpondere nos par & æquum eſt, aut ab ipſo deſerendi atque rejiciendi ſumus, ut inſigne vindictæ ipſius exemplar extet in noſtram ingratitudinem, & tantæ gratiæ contemptum. Quare veſtrum eſt operam dare, dilectiſſimi fratres, ut tum ſermone tum factis doceatis, vos ad filiorum Dei numerum pertinere. Scio, quod ad Chriſtianiſmi confeſſionem, io quibus anguſtiis verſemini. Neque ita inbumanus ſum, quin periculorum veſtrorum conſideratio me quoque ad habendam infirmitatis veſtræ rationem adducat: quum palam noo profitemini, quod à Domino de ipſius Euangelio acceptum tenetis. Sed tamen nullius periculi metus ab officio vos excuſatos reddat, quin det operam unuſquiſque pro ſua virili, & pro oblata occaſione, ut ædificando proximo ſe impendat. De doctrina hoc intelligo. Videndum etiam ut hoc prudenter fiat, ac diſpiciatur quando & quatenus. Prudentiam autem requiro, quæ carnem & mundum non ſapiat, ut quæ vos impelleret potius ad lucem ipſam ſuffocandam, quam ad periculum non detrectandum pro Dei gloria, & proximi per ignorantiam errantis ſalute. Sic enim prudentiam interpretantur plerique, ut ſepeliant Chriſtum ipſum, ne io mundi odium incidant. Quando autem illa non eſt ferenda perverſitas, ubi nos ita reſpicimus, ut anteponamus aut etiam comparemus noſtram tranquillitatem cum ſummo illo officio, quo Deo uni aote omoia obſtricti tenemur: veſtrum eſt, dilectiſſimi fratres, Spiritum diſcretionis ab illo poſtulare, quo præditi appoſite utriuſque temporis, tum loquendi, tum etiam tacendi delectum habeatis. Atque hic etiam in primis cavendum eſt, ne quidquam proferatis curioſitate quadam, aut ambitione, aut etiam levitate impulſi, ſed mature perpenſa demum, & quæ à ſincero proficiendi affectu prodeunt. Illud igitur ea omnibus à vobis audiatur, quod plurimum ad ædificationem collaturum videbitur. Ac ſi quid inde periculi vobis creandum ſit, accingite vos multo ante, & ad illud confirmate, ne impares ſitis ad tentationes eluctandas, quæ vobis intendentur, ut ad defectionem impellaot. Meminiſtis vero quid nonnullis acciderit, qui non mediocre periculum adierunt,

runt, mulrumque vexationis pertulerunt: quos ta-
men Dominus ita eripuit, ut exitus longe optatior
affulſerit quam ſperare auſi ſitis. Nunc de vobis
comperti nihil habemus: adeoque valde ſolliciti &
anxii ſumus, dum expectamus quem exitum dede-
rit Dominus perſequutioni quæ iſtic accenſa eſt. At-
qui quemadmodum bonus Dominus ſuis ſemper ſe
affuturum pollicitus eſt, utque illud re ipſa præſtitit
erga omnes qui ipſum invocarunt, nolite dubitare
quin proximus vobis etiam futurus ſit in poſterum,
tum ut opem & auxilium ferat, tum ut adverſario-
rum rabiem comprimat, ne quicquid audeot, re ipſa
exequantur. Atque ut ea eſſet voluntas ipſius, ut ipſis
per illum liceret furorem in vos ſuum aliquatenus
evomere, ut veſtra tolerantia ita ad examen vocetur,
non ideo ab officio deflectere, aut retro pedem ferre
fas eſſet. Satis enim eſſe debet, quod Dominus in me-
diis malis & tribulationibus ſeipſum nobis conſola-
torem interponat. Meditemini igitur tot tamque
inſignes Scripturæ locos, quibus officii ratio præ-
ſcribitur: atque eorum meditationem pro exercita-
tione ordinaria vobis conſtituite: utpote quibus con-
firmandi ſimus ad illa omnia ſubeunda, quæ nobis
inferentur propter verhum Dei. Sic, inquam, Scri-
pturam præ manibus habete, ut ſtatim memoriæ oc-
currat, atque ipſa neceſſitas tulerit. Illud enim plus
quam indignum eſt, ſi, ut mortem corpoream evi-
temus, quum vult Dominus conſtantiæ noſtræ fa-
cere periculum, Dei veritatem abnegemus, in qua
una vita nobis repoſita erat. Accipiamus vero hoc ut
videbitur, manet tamen illud Domini verbum irre-
Mat. 10. fixum, Qui me, inquit, abnegaverit coram homi-
verſ. 13. nibus, ego viciſſim abnegabo ipſum coram Patre
meo. Væ illis igitur qui ſibi imponent, atque in re
tanti momenti ſibi blandientur. Attendite etiam
ne commodi quæſtuſve temporalis cauſa vos aver-
tat, quo minus vos ipſos ad optimum Servatorem
adjungatis, atque re ipſa vos ad illum pertinere
Joan. 7. oſtendatis. Noſtis quid de ipſo teſtati ſint Phariſæo-
verſ. 46. rum & Scribarum miniſtri, quum ad ipſum compre-
hendendum miſſi eſſent, nunquam à ſe auditum ho-
minem qui perinde loqueretur. Agnoſcunt nempe
pro ſuprahumana doctrinam Chriſti. Sed affectus
ille perditus agendi in otio, atque loci ſui retinendi,
miniſtros perpetuos reddit adverſariorum tum Chri-
ſti, tum etiam doctrinæ ipſius. Quare, dilectiſſimi
fratres, ne ad iſtiuſmodi exemplum ullo modo ac-
cedite. Neque etiam Eſaum ſequimini, quem pro
vili offula jus primogenitorum vendidiſſe ſcimus.
Vere enim nihil aliud eſt quam offula, quicquid ad
corpus pertinet, præ una adoptionis gratia, quæ
piis offertur ſingulariter. Quare ne ita defixi
ſimus in ea quæ nullius ſunt momenti, ut obliviſca-
mur cæleſtis illius hæreditatis unice incomparabilis,
quæ à Domino offertur. Jam ſi adverſus tentationes
quæ corpus petunt, præſidia vobis comparanda
ſunt, haud minus vero de illis etiam eluctandis co-
gitandum eſt, quas Satan falſis doctrinis invehendis
inferre conatur. Non fruſtra nempe tum homicida,
tum pater mendacii nominatur. Vos ipſi experiendo
diſcitis. Nunc enim totus in eo eſt, ut vi perſequutio-
num quas per inſtrumenta ad illud apposita intendit,
ad Chriſtum ejurandum vos cogat: nunc neſcio quos
cauponatores excitat, qui totam Euangelii purita-
tem invertunt, ut vos ſeducant, & à via omnino ab-
ducant. Et prior illa impreſſio à perſequutionibus
ſuam aſperitatem habet, adverſus quam Dei manus
una poteſt nos confirmare, ne illarum impetu abre-
pti deficiamus. Atqui longe pernicioſior eſt tenta-
tio, ubi adverſarius inſpergit zizania tritico, ut
plane corrumpat. Illud enim eſt belli latentis ge-
nus, & quod cuniculis ſub terra geritur, ut niſi ſe-
rio nobis attendimus, incogitantes circumcipia-
mur. Quum autem nullum pravæ doctrinæ genus
non ſit venenatiſſimum, vix tamen aliud ei compa-
rari poteſt, quo veſtram regionem inhalavit Sa-
tan. Infamem & execrandam illam Libertinorum
ſectam intelligo, qui Spiritualium ſibi nomen af-
fingunt. Ac certiſſimum illud eſt exundantis in
mundum furoris Dei flagellum, quum eo uſque Sa-
tanæ habenas laxat, ut tam deteſtanda quæ illic ha-
bentur, Chriſtianis perſuadeat, quæ profanis ipſis
vel audita horrorem incuterent. Recordamini
igitur dilecti, hoc illud tempus eſſe, quo ſerio
à vobis invocetur Dominus, ut vos illi committa-
tis ſedulo: itemque ut in timore ac ſollicitudine
ambuletis, ne incidatis in arrogantiam vel ſocor-
diam, quæ huic peſti vos obnoxios reddant. Rei
ipſius confutationem hic omitto, quoniam certo
tractatu hoc à me comprehenſum habetis: quod
etiam uſui erit ad perditorum hominum inſultus
repellendos, modo ſincera fide admittatis quæ ad
vos legitime inſtruendos ex Dei verbo illic vobis
offeruntur. Quod ad privatos cujuſque mores atti-
net, conſideranda nobis eſt in genere incredibilis illa
corruptio, quæ paſſim hodie in mundo graſſatur: non
ſane ut ad illam accedatis & cum lupis lupi ſitis: ne-
que exiſtimetis illorum malo veſtrum elevatum iri,
cùm aliorum exemplo abducemini. Tantum ut vobis
ſit præcautionis loco, ne accidat malis vos exemplis
abduci vel contaminari. Eſt enim inter ſpinas nobis
iter faciendum, quando homines ita depravatos com-
perimus. Ceſſet illud igitur, quod ita ſe omnes alii
pridem gerant, ubi apertum ſcelerum diluvium jam
mundo incumbere ipſi ſentimus. Neque vero alii
alios intueamur, ut ex malis exemplis certam regu-
lam confingamus: nempe hic & ille ita ſe gerunt:
quia portabit unuſquiſque onus ſuum. Neque etiam
ſic nos eſſe quiſque ad excuſationem obtendamus,
quum ea ſit prima lectio quam inculcat nobis Domi-
nus ex ipſo ſcholæ aditu, ut renunciemus nobiſipſis: *Mat. 16.*
eſtque illud omnium fere in Scriptura frequentiſſi- *verſ. 24.*
mum, nimirum ut carnem mortificemus, & affectus *Luc. 14.*
noſtros quaſi captivos mittamus ſub jugum obedien- *verſ. 33.*
tiæ Domini. Auſcultemus igitur appoſitas illas ad- *Tit. 2: 12.*
monitiones Apoſtoli, Eratis olim tenebræ, nunc *Col. 3: 5.*
autem lux in Domino: ut filii lucis incedite. Ne *Matth. 1.*
etiam ſecundum carnem ambulemus, ſed ſecundum *verſ. 29.*
Spiritum. Chriſti ſanguine loti ſumus, ut in puri- *Epheſ. 5.*
tate perſtemus. Ex vinculis peccati à Chriſto re- *verſ. 8.*
dempti ſumus, ut illi uni & ejus gloriæ vivamus, *Gal. 5: 16.*
adeoque ille vivat in nobis. Iſta paſſim extant apud *Rom. 6: 2.*
Apoſtolum, ut & illa ex oppoſito, fruſtra ſibi Dei
cognitionem tribuere qui concupiſcentiis inſer-
viant. Si quis, inquit, in Chriſto, ſit nova creatura. *2 Cor. 5.*
At tot hodie ſcelerum facies in mundo graſſantur, *verſ. 17.*
ut eas percenſere ſit infinitum. Sunt vero inter alia
quæ conſuetudinis prætextu emolliuntur, cujuſmodi
ſunt juramenta, blaſphemiæ, aleæ, luxus vaniſſimi in
ſaltationibus, cauponarum ordinariæ aditiones, & de
genere eodem non pauca. Ne vero iis in rebus im-
ponamus ipſi nobis vel ab aliis ſinamus imponi. Ne-
que enim judicium Dei malis moribus & conſuetu-
dini inveteratæ obnoxium eſt. Hoc ipſe ſemel edixit, *Exod. 20.*
Non habiturum ſe pro innocente, qui nomen ipſius *verſ. 6.*
in vanum aſſumpſerit. Fixum igitur maneat opor-
tet. Nam & rationem ſummam habet. Quis enim ſa-
tis reverenter agnoſcat dignitatem ſacratiſſimi No-
minis, ad quod univerſæ creaturæ contremiſcunt?
Qui vero aſſumit in vanum, contemptum prodit.
Quid igitur dicemus de blaſphemo? Atqui meus ſic
eſt mos. Nempe ut tanto gravius reus fias. Hoc eſt
igitur eradendum funditus, ne Dei iram provoce-
mus, dum abutemur tolerantia. Quod ad luſus, cau-
ponas, & gulæ illecebras, præter ipſam temporis
jacturam, & meram in vita inordinationem, vide-
mus etiam quot mala ex iſtis conſequantur. Exhau-
riunt ſe, nempe qui iſta ſectantur, atque temere, imo
etiam indigne omnino profundunt, quod meliori-
bus uſibus erat impendendum. Inde iræ, atque ini-
micitiæ.

micitiæ. Atque ubi quis ſemel iſtis rebus ſeſe addixit, ipſum animum quaſi atterit atque imminuit. Taceo tot alia incommoda, quæ quotidie ex eodem illo fonte naſcuntur. De aliis illis rebus vaniſſimis quas verbo indicavi, non eſt quod ulterius contendam, quandu & ipſæ per ſe ſuum probrum & turpitudinem detegunt, modo ne oculos aperire pigeat. Tandem vero illud etiam vobis ſuccurrat, dilectiſſ.
Col.3:14 fratres, fieri non poſſe ut Dei filii cenſeamur, niſi charitate fraterna inter nos mutuo colligemur. Inde illam vocari perfectionis vinculum, quod in illa ſita ſit Chriſtianiſmi ſumma: atque illam proinde unice nobis Dominus commendet. Ut vero unanimes inter vos ſitis, danda eſt vobis opera, ut alii alios juveris mutuo: ut fidem & ſinceritatem colatis inter vos, omnem ſimulationem, pravitatem, dolum averſemini. Cum pace benignitatem exhibeatis: alieni ſitis à jurgiis & rixis, itemque à convitiis & contumeliis. Demiſſi ac modeſti ſitis, omnem de vobis opinionem ſemel exuatis. Siquidem non aliud eſt præſentius venenum adverſus charitatem, quam arrogantia. Cavendum eſt omnibus modis, ne affectus ille adeo perturbatus in vobis hæreat, qui vos penitus excæcet: iram intelligo. In eo igitur incumbite, ut frenis coerceatis, ac vim ipſis vobis inferatis ad illud monſtrum perdomandum. Nihil enim eſt quod minus compeſci poſſit, quam ira infrenis. Pluribus ad vos ſcripſiſſem ex meo & veſtro voto, niſi alia me occuparent plus quam optaſſem, quod à vobis æqui & boni conſulendum eſſe mihi facile perſuadeo. Dominus adaugeat vobis dona ſua ſpiritualia, quæ vos in ipſius bona voluntate & ejuſdem obedientia confirment, ut vita veſtra ipſius honori cedat, plena vos conſtantia inſtruat, ut in ſancta ipſius vocatione ad extremum uſque perſtetis. Quumque tot undique hoſtes vos circumcingant, ſuo vos præſidio complectatur, ſuumque de vobis ſtudium reipſa, quum opus erit, teſtificetur. M. D. L X.

Martyr Calvino.

Quod literas, vir clariſſime, rarius quam ipſe velis, & ego cuperem, huc ſcribas, me non ita movet ut vel abs te minus diligi, vel minus curari ſuſpicer. Nam ut afflicta valetudine hactenus fueris, & quam gravibus atque multiplicibus negotiis tantum non obruaris, compertiſſimum habeo. Utinam quemadmodum id probe novi, ſic te aliqua ex parte allevare poſſem. At confido Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui fons opportuni auxilii atque ſolidæ conſolationis eſt, ita denique tibi adfuturum, ut & corpore melius valeas, & moleſtiæ quibus ultra vires premeris, nonnihil mitigentur. Quod Galliæ res tam male habeant, ægerrime quidem fero, quamvis ita eventurum antea judicavi. Nam intelligebam N. illos facile rerum potituros: ad quorum manum imperii ſumma ſi perveniſſet, facile divinatu fuit, quo religionis fortuna eſſet caſura. De Regina mirantur fortaſſis alii, ego non miror. Nam pietatis ejus erga religionem ſinceram ullam ſignificationem hactenus nunquam ſenſi. At de Rege Navarræ novum admodum videtur, ut qui antea Euangelio Filii Dei tam pleno ſpiritu favere videbatur, nunc quando maxime opus erat, ſe pietate vacuum adeo præbeat. Quid hic agamus? Qui Rex regum eſt, & Dominus dominantium, abſque Regibus & Dominis hujus mundi cauſam ſuam tuebitur & promovebit: veſtræ quoque urbi defenſor & propugnator, uti ſpero, aderit. Non enim fidelibus, quando ſuis temporibus urgentur, ſolet deeſſe. Id autem quum hactenus minime commiſerit, ut nunc à vobis incipiat non eſt opinandum. Nos vero quando aliter non poſſumus, rem veſtram contentiſſimis precibus apud Chriſtum juvamus, nec diffidimus quæ illius bonitas eſt, ab ipſo nos denique auditum iri. Bullingero & cæteris tuo nomine ſalutem dixi, qui te viciſſim plurimum ſalvere jubent. Juveni autem, quem tuis literis commendaſti, quacunque in re potero, libentiſſime gratificabor. Symmyſtas tuos mihi velim diligenter admodum ſalutari, præſertim Dominum Viretum atque Bezam, cujus nomine Lælius mihi dedit inſtituta veſtri collegii: quod vos erexiſſe tum vehementer gaudeo, tum ea de cauſa Deo ingentes gratias ago, illum obſecrans ut quod bene cœpiſtis, feliciſſime vertat. Bezæ vero libenter modo ſcripſiſſem, niſi tabellarius nimium feſtinaret. Vale Domine colendiſſime, ac frater in Chriſto plurimum obſervande. 26 Septembris. Tiguri.

Tui ſtudioſiſſimus P. Martyr.

Joan. St. Calvino s. d.

Quid agas? homines ſunt: atque falſi ſumus. Sed nos non ut de hominibus judicavimus: verum ut de viris ſapientibus ſperavimus: neque cogitavimus nos de hominibus judicare, qui in remotis ab hominum celebritate atque judicio montibus habitant, quibus nihil placet niſi patrium. N. omnino fefellit. Uſque adeo φιλαλίθηρος eſt, ut vel crepidas ejus adorandas putet. Velim N. poſſe ab illis avocari, & ab omnibus civitatibus conferri, ut honeſta conditione Baſileæ aut apud vos viveret: aut etiam apud nos: quanquam etiam noſtri pueri παίζωσιν ἐν τοῖς ὄρεσι, ita ut ſenibus non permittant ſapere. Evocatum tamen eum velim ex illis locis, quibus nullæ terræ ſapere videantur: credo Sibyllam Delphicam migraturam eo: ita omnes in illis locis ſagiunt. Ego ita non laudo iſtam N. μεγαλοψυχίαν φιλόψυχος mihi in hac ætate affecta atque afflicta eſſe videtur nimium: in re præſertim tali ac tanta. Te laudo, qui audes & qui contemnis ea, quæ ſi ab aliis ſpernerentur, minus laboraremus. Vale.

Utenhonius Calvino s. d.

Quum iſtæc mihi nunc ad te ſcribendi daretur occaſio, vir clariſſime, fraterque obſervandiſſime, non potui eam prætermittere, quin te earum, quæ hic geruntur, rerum facerem certiorem. Hoc itaque habe: in Comitiis Petricovienſibus nunc tractari inter alia, de excludendis è Regni Senatu Epiſcopis. Illuſtris D. Comes Tarnovienſis rem in Senatu nunc recens propoſuit, indicans contra rectam Politiæ conſtitutionem eſſe, Regni Senatores non tam Regi ſane, quam Papæ ipſi juratos eſſe. Se quidem reliquoſque Laicos, quos Seculares vocant, Regem ipſum, cui uni jurati eſſent, pro ſuo capite agnoſcere: Epiſcopos vero non item, ſed ſolum Papam, cui uni jurati eſſent, pro ſuo capite, maximo cum & dignitatis Regiæ & patriæ totius præjudicio, agnoſcere. Ac proinde eos ſibi amplius in Senatu ferendos non eſſe. Qua propoſitione facta, convenerunt mox Epiſcopi omnes apud Legatum Papalem. Ac poſtquam varie inter ipſos conſultatum eſſet, ab ipſis reſponſum eſt, ſe jam in poſſeſſione eſſe per longiſſimi (ut loquuntur) temporis præſcriptionem. Qualisnam vero hujus rei fuerit eventus, adhuc ignoramus. Quam autem facilis ſit reſponſio, ad eam Epiſcoporum exceptionem, nemo non novit. Nota eſt ipſiuſmet juris Canonici triſtiſſima regula, ex ſexto Decretal. libro: poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit. Non habeo quod præterea ſcribam de Comitiis, niſi quod res eo ſpectare videtur, ut toti Nobilitati libera reformandarum Eccleſiarum ſuarum facultas permitti debeat, utque ea ab Epiſcoporum juriſdictione liberetur. An quid præterea ex hiſce Comitiis nobis ſit expectandum, omnino neſcio. Sed ſi quid eve-

niat præter expectationem cognitu dignum, non committam quin te ejus faciam certiorem prima quaque occaſione. Illuſtriſſimus Princeps D. Palatinus Vilnen. venit ad Comitia: neque hinc vult ad ſua redire priuſquam habeatur bic fratrum conventus, ad quem noſtri hie Seniores, ac etiam ſui quidam, quos ſecum adduxit, accedant, quo paritas quædam in ceremoniis Eccleſiaſticis, quatenus fieri poſſit, inter utroſque inducatur ac ſervetur. Sui enim hactenus uſi ſunt ceremoniis impurioribus: ſpes tamen eſt, divino beneficio eas brevi repurgatum iri. Spes eſt etiam ipſum Palatinum Vilnen. ſuas hic Eccleſias propediem reformaturum eſſe. Audio te nunc ſcripſiſſe literas exhortatorias ad Ucbanium Epiſcopum Cuyavienſem: quo nomine ſane gaudeo, ac te precor, ut eum literis tuis ſubinde inviſas ad ejus conſolationem. Is enim tanta odiorum mole gravatur à ſui ordiois hominibus, propter ipſius pietatem, raramque libertatem qua in Comitiis etiam ipſis jam utitur, ut eum ſublatum cupiant, venenoque tollendum judicent, ne quid amplius dicam. Gratiam autem tibi babeo pro eis ad Magnates bic noſtros literis, quæ non omnino importune nunc ſunt redditæ. Neque dubitamus eas fructus ſuos aliquando relaturas eſſe. Si qua ego viciſſim tibi gratificari aut ſervire poſſim, ut me libere utaris in rebus omnibus, rogo. Nihil enim eſt quod gravate, ad tui poſtulationem, ſim ſubiturus, in Domino: cui ego te tuumque miniſterium, vir clariſſime, fraterque obſervandiſſime, ex animo commendo: utque Utenhonium tuum pergas amare, ut feciſti, vehementer oro. Saluta mihi omnes iſtic fratres. Clariſſimus vereque reverendus vir D. Joannes à Laſco te peramaoter ſalutat. Ex Querceto, 27 Januar. M. D. LIX.

Tuus tibique addictiſſimus quantus eſt Joannes Utenhonius.

Farellus Calvino.

AUdivimus magno perfuſi gaudio te liberatum à febri bene habere, & concionari. Dominus hoe tam opportunum erga ſuos beneficium quam diuturnum tibi & nobis reddat. Principes bene in Metenſes affecti, magis nunc afficiuntur, quum videant eos numero & animis creſcere. Raſi magis & magis inſaniunt: licet major eorum pars de alia ratione vitæ cogitet, ac repugnare fruſtra Euangelio nolit; judicetque ſatius eſſe verbo parere, ſi prædicetur, quam reluctari. Neſcio an reſciveris, quid Cardinalis nomine fratris, nimirum Ducis Guiſiani, ſcripſerit Richroco primario duci equitum, qui ante Saxonem exceperat: nempe ut Ducem commonefaceret, Regi nihil acerbius poſſe evenire, & nihil minus ferre poſſe, quam Religionem ſuam alterari. Literæ miſſæ fuerunt ad Principes, ac compertum fuit non Guiſiani Ducis, ſed Cardinalis eſſe. Nam ſigillum quo obſignatæ erant, galerum habebat Cardinalis: & quum Dux ſubſcribat, *François*, manus erat Cardinalis, ut probe novit N. & ita habebat, *Voſtre bon ami le Duc de Guiſe*. Voluit Saxo omnes Principes videre literas. Metenſes fratres majori quam unquam numero libellum ſupplicem porrexerunt iis, qui præſunt urbi Metenſi, & nunquam tam amicum reſponſum acceperunt: quod ut videas, ad te mitto libelli exemplar, & quod fratres ſcribunt de reſponſo. Quæ audio de fratribus & eorum literis, quas ad me ſcribunt, & alios, & ut video omnes in eos affectos, mire me movent, faciuntque ut ſperem bene. Mirus eſt omnium affectus in Viretum, cupiuntque omnes ut eum eo perducere poſſim: quod utinam brevi fiat. Vale bene, & te Eccleſiæ Chriſti ſerva cum Vireto, quem opto ſalvum diu D. ſervire; Bezam quoque & omnes ne præteream Syndicos pios cum Senatu. Argentorati, 3 Aprilis. M. D. LIX.

Tuus totus Farellus.

Calvinus N. s. d.

NIhil de Saxonicis doctoribus narras, optime frater, quod non ubique plus ſatis triſti experientia notum ſit. Quaſcunque enim occupant Eccleſias, non ſtolida modo confidentia, ſed truculento etiam faſtu peſſundant. Genuit, fateor, Witteberga pios quoſdam & cordatos bomines: ſed major pars genuinam Lutheri imaginem ſe referre putat, ſi pro animi magnitudine qua præditus fuit vir ille, flatu arrogantiæ turgeat. Idem & Jeroſolymæ olim contigit, quum ſub Apoſtolis illic maxime vigeret ac floreret pietas: quia nulli infeſtiores Eccleſiis Gentium hoſtes fuerunt, quam qui inde profecti Jacobi & aliorum diſcipulos ſe jactabant. Non quod immodico ſtudio, ut ſæpe fieri ſolet, addicti forent magiſtris quorum nomine ſuperbiebant, ſed ut fallaci prætextu obruerent veros omnes & ſinceros doctores. Sic Lutheri ſimiæ (paucos enim reliquit imitatores) Wittebergæ nomen crepando, niſi protinus deditio fiat in eorum verba, ubique ingentes movent tumultus. Quum editus eſſet Eccleſiæ noſtræ cum Tigurina conſenſus, nihil minus timebam, quam ut inde pugnandi materiam arriperet Weſtphalus. Tunc in certamen coactus deſcendi, ut beſtiæ ferociam compeſcerem. Poſtea miratus ſum plurimos ſimili rabie eſſe infectos. Sic tamen eorum non modo inſcitiam, ſed improbas calumnias detexiſſe mihi videor, ut eorum faſtum & putidam vaniloquentiam merito deſpiciant, quicunqoe ſunt mediocri judicio præditi. Et ſane non diſſimulant ſibi nonniſi in tyrannica violentia reſiduam ſpem eſſe. Quod modeſte bonam cauſam tueris, & ſedulo caves, ne veſtris diſſidiis turbetur Eccleſia, laudo & tibi gratulor, modo viciſſim cordate ſuſtineas eorum pertinaciam, ut maneat in ſuo gradu Dei veritas, quam ſtultorum vel amentiæ vel ſuperbiæ taotillum cedere fas non eſt. Libenter, ſi daretur facultas, vel ita ferret occaſio, tibi arma ſuggererem: verum ſi inſtitutionem proxime editam legere non graveris, reperies, niſi fallor, in 17. cap. lib. 4. non pœnitendum ſubſidium. Porro quod me conſulis, an tibi ſacram Chriſti Cœnam ex eorum manibus ſumere liceat quibus hæretici ſumus, quia negamus Chriſti carnem dentibus atteri: quanquam mali exempli rem eſſe video, ſi quis à Cœna abſtineat, perverſæ tamen atque adeo perfidæ ſimulationis eſſet, accepto concordiæ ſymbolo falſum illud & abſurdum commentum, quod exitialibus præſtigiis fidei principia evertit, vel tacite approbare, niſi clara & ingenua præcedat ſanæ doctrinæ confeſſio. Nibil igitur melius fore arbitror, quam ſi libere palamque teſteris, te eorum culpa à Cœnæ participatiooe probiberi, quia puram & genuinam Chriſti doctrinam non admittunt. Beza noſter te plurimum ſalutat. Velim etiam ornatiſſimo viro Doctori N. ejuſque filio plurimam meis verbis ſalutem dicas. Vale eximie vir & integerrime frater. Domious te Spiritu ſuo ſemper gubernet, præſidio tueatur, & labores tuos benedicat. Genevæ, 22 Aprilis. M. D. LX.

Domino Joan. Calvino Gasp. Olevianus s.

Gratia & Pax à Deo Patre per Jeſum Chriſtum Filium ſuum ſit ſemper tecum, ſerve Chriſti fideliſſime.

QUod citius ad te non ſcripſi de rebus noſtris Trevirenſibus, in eo non excuſo negligentiam: debebam enim vos citius liberaſſe dolore, quem mei cauſa proculdubio ex variis rumo-

rumoribus conceperatis: quanquam è cuſtodia in qua decem ſeptimanis integris ad initium fere Januarii detentus fui, perdifficile mihi erat & plenum periculi: à Januario fortaſſe literas Argentinam potuiſſem mittere, ſi diligeos fuiſſem occaſionis inquiſitor: quare ſegnitiem meam non excuſo, ſed veniam peto. Initium actionis ſcio te ex iis literis cognoviſſe, quas ſuperioribus nundinis à D. Martyre accepiſti: epitomen totius progreſſus & eventus ab eodem brevi accipies, niſi forte jam accepiſti; cujus hæc eſt ſumma. Quum populi maxima frequentia ad audiendum verbum Domini concurreret, egoque pergerem io templo publico docere adjutus à mioiſtro quodam ſincero ac pio, miſſo ad nos è Biponto, eo permovit Senatores Papiſtas Epiſcopus, ut eum in urbem intromitterent ſtipatum ducentis ſexaginta plus minus equitibus. Urbem ita ingreſſo Epiſcopo, nos poſtpoſita omni prohibitione in vocatione noſtra pergimus: & ita quidem ut populus contineretur, ne quidquam moveret adverſus Epiſcopum. Magnus erat zelus in pleriſque omnibus, & ad diſciplinam etiam recipiendam erant parati. Epiſcopus ſecum in comitatu habebat Latomum, & officialem Confluentinum, qui etiam faſſus eſt ſe à noſtra Religione deſciviſſe. Vehebantur illi molli lectica, hac oſtentatione, acſi me diſputando erroris alicujus convincendi cauſa adducerentur: ſed vana tantum fuit oſtentatio, neque enim unquam publice me offerentem diſputationem audire voluerunt: quæ res multos confirmavit. Dum nos pergimus concionari, ſæpe per proditores quos habebant ex Senatoribus & aliis civibus, turbas excitare conabantur, ſed fruſtra. Dominus enim mirabiliter nos protegebat. In Capitulo, dum in urbe adhuc eſſet Epiſcopus cum eqnitatu, oriebatur diſſenſio, aliquot Religionem approbantibus, rejicientibus aliis: quemadmodum Latomus ipſe (qui crudeliſſime ſe geſſit in tota actione & plana fraudulenter) Priocipum Legatis poſtea eſt confeſſus: quæ cauſa fuit, cur Epiſcopus eum equitatu urbe exceſſerit, in opidulum vicinum quod dimidio milliari abeſt ab urbe. Epiſcopus milite vias obſidet, ut nihil inferatur in urbem, vaſtat etiam hortos civium. Nihil denique prætermittit, quod ad concitandos Papiſtas adverſus pios valere aliquo modo poſſet. Per proditores ſuos tribunos aliquot, jubet Papiſtas ſtrenue bibere, neque de annona eſſe ſollicitos: Lutheranos omnia ſoluturos, qui patriæ ſuæ voluerunt eſſe proditores. Potatur noctu ac diu in hypocauſtis publicis, aliquot ſeptimanis diebus ac noctibus integris, noſtris interim non exiguam penuriam patientibus: per proditores ſubornatos ſeminat rumorem atque ſcripta, noſtros emiſiſſe legatos ad alios Principes, ad evocandum militem è Germania, & ad tradendam urbem aliis Principibus: harum technarum ſexcenta excogitabantur millia: deinde ut tota proditio ſuccederet, ſelegerant proditores ſubornati ex plebe Papiſtica peſſimos quoſque & ſtupidiſſimos, ut hi quicquid ſtatuiſſent cum Epiſcopo, ratum haberetur, tanquam à majore parte plebis conſtitutum. Hi ad reliquos ſive Papiſtas ſive pios nihil referebant, ſed pro ſuo jure agebant omnia. Satanas rapiebat eos omnes plane transverſos, ut nihil unquam viſum ſit horribilius: adeo ut qui antea fuiſſent pigerrimi & trunci, eſſent indefeſſi & vaferrimi, ut noctu etiam vix paululum temporis ſomno darent, quin continenter concurrerent, & nova ſiogulis fere horis inirent conſilia. Tandem Epiſcopus per literas petiit à Papiſtis, quoniam ſibi conſtaret nos & ſeditioſos eſſe, & proditores patriæ, qui vellemus urbem tradere aliis Principibus, ut defendendæ ipſorum libertatis cauſa, conjicerent omnes Senatores noſtros cum Mioiſtris in carcerem. Se enim velle jure nos convincere proditionis, & ſeditionis, & criminis læſæ Majeſtatis: & ut tuto accuſationem per ſuos conſiliarios laicos inſtituere, & ſententiam latam exequutioni mandare poſſit, petere ut non graventur militem in urbem intromittere, qui non ipſis, ſed ſeditioſis oneri ſit futurus. Ita faſcinarat Papiſtas noſtros Satan, ut nullas admonitiones Conſulis pii aut aliorum audirent, ſed plane ſurdi eſſent & cæci. Quum in Senatum ventum eſſet, Papiſtæ Senatores jubent noſtros in cuſtodiam, quæ in ædibus eſt Senatoris quo convenerant, ſe recipere, alioqui ſe furorem populi cohibere non poſſe: ſubornarant autem aliquos qui ſeditionem moverent, ſi noſtri id recuſaſſent. Itaque noſtrûm duodecim in cuſtodiam imus, & niſi iviſſemus: magna fuiſſet ſequuta ſtrages, ut plerique ex noſtris exiſtimant. Quum in cuſtodia eſſemus, Papiſtæ nobis plane inſultabant, & augebatut prorſus ipſorum furor. Aliquot inſignia peditum cum Epiſcopo rurſus in urbem intromittunt maxima cum lætitia, quantumcunque reclamarent præſtantiſſimi cives urbis. Producimur per mediam urbem inter medias turmas comitati centúm armatis, ad audiendam accuſationem, quæ centum & uno conſtabat articulis, falſis plane & malitioſe excogitatu. Inter hos præcipui erant de proditione, de accendenda urbe, de occidendo Epiſcopo, de me concionatore Calviniano. Petentibus nobis ſpatium deliberandi, urgebat Latomus & reliqui accuſatores, ut quæſtioni ſtatim ſubjiceremur, ſcilicet Conſul ipſe ſenex, Otho, Sirkig Proconſol, & nos reliqui. Iidem erant & proditores noſtri, & judices: Dominus tamen mirabiliter gubernabat actionem, ut onus ex ipſis ſincerior politicus diceret, quatuordecim dies nobis concedendos eſſe ad reſpondendum. Sciebant Legatos ſex Germaniæ Priocipum eſſe Wormatiæ, propterea urgebant condemnationem, & exequutionem. Antequam elapſum eſſet hoc ſpatium, veniunt Legati: itaque rurſus producti non fuimus, nec ad actionem reſponſum ſcripto ullo, ſed per Legatos. Tantus erat furor noſtrorum hoſtium, ut nullis fere Legatorum precibus poſſent ſedari, adeo ut coacti fuerint conſentire in noſtrum exilium, & mulctam trium millium florenorum, pro ſumptibus bellicis: petebat autem ſemel viginti millia, poſtea octodecim millia, tandem in tria millia eſt cooſenſum. Reliqua cognoſces ex communibus literis quas Tigurum miſi: & qui inde ſit rerum mearum ſtatus, intelliges ex literis D. Petri collegæ mei. Magna certe hic eſt bonorum Miniſtrorum penuria, ut fere felicem judicem Galliam præ Germania. Avocatus eſt hinc Petrus ad Eccleſiam Gallicam quæ eſt Argentinæ. Rogatum te velim, ut diligenter ponderes circumſtantias omnes, ne pura doctrina hic deſeratur, quum certo mihi conſtet Argentinenſi Eccleſiæ melius proſpectum eſſe uno Miniſtro quem habent, quam noſtræ multis quos deſcribere tibi non eſt opus: ita ut exiſtimem non ſine ſumma injuria Eccleſiæ totius Palatinatus mihi poſſe eripi Petrum. De hac te cuperem abs te commonefieri Eccleſiam Argentinenſem, ne cum hujus Eccleſiæ maximo detrimento (quæ certe ſeminarium, uti ſpero, erit magnæ partis Germaniæ) ſibi cupiant proſpectum: quod etſi ſpero conſideraturos Seniores Eccleſiæ acceptis Petri literis, quoniam tamen ſunt homines, vereor ne pergant urgere: ego certe cuperem puram doctrinam modis omnibus hic promotam. Leges Conſiſtorii veſtri optarim tuto ad me tranſmitti per Cortæum nundinis proximis: communicarem eas cum aliquot io Senatu Eccleſiaſtico: quanquam inter omnes eſt conſenſus. Porro accepi heri literas è patria, quibus mirabilia narrantur Dei judicia in noſtros adverſarios. Multi ex plebe repentina morte obeunt: duo ex præcipuis apoplexia percuſſi jacent: tertius perfidiſſimus (qui meam doctrinam ſe non improbare poſſe dixerat noſtris Senatoribus, & ſi rogatus fuiſſet à noſtris ſe una promoturum fuiſſe Euangelium, ſed quoniam adeo ſtrenue voluerint progredi ſe non ro-

gato,

gato, ideo ſe modis omnibus impediturum: quod etiam fecit miris technis & maximis labnribus) is, inquam, quum mane optime haberet, ante veſperam ſubito mortuus concidit. Nunc & tempus & charta requirit ut finem faciam, commendâns te ac fratres ſervatori meo Jeſu Chriſto, quem continenter pro me orate. 12 Aprilis.

Calv. Gaspari Oleviano s.

ETſi alius diſputationis apud vos habitæ exitus nobis optandus erat: quod tamen totam rei ſummam diſtincte mihi exponere gravatus non es, optime Gaſpar, grata mibi diligentia tua fuit. Utinam hoc ſaltem eaperimeoto diſcat ille aliquid ea confidentia, qua nimis turget, remittere. Petrum Martyrem hortatus ſum, ſi ab Illuſtriſſimo Principe vocetur, ut oon modo ad ſuſcipiendam provinciam voluotarius ſit, ſed Collegis etiam perſuadeat ita expedire. Quam laborioſum munus tu ſuſtineas, video: fructus tamen laboris, adeoque neceſſitas ad ſtrenue pergendum te excitare debet. Accedit alter ſtimulus ex eorum pertinacia qui nihil omittunt ad turbandum. Quod ſpes aliqua inſtituendæ diſciplinæ vobis oſtenditur, valde gaudeo. Si quid forte adjumenti adferat gubernationis ratio quam hic tenemus, ſummam ejus compleaus ſum.

Primum eliguntur Miniſtri à noſtro Collegio: ac datur illis Scripturæ locus, io cujus ioterpretatione ſpecimen ſuæ dexteritatis edant. Deinde eaamen habetur de præcipuis doctrinæ capitibus: tandem coram nobis perinde ut apud populum concionantur. Adſunt etiam duo ex Senatu. Si probatur eorum eruditio, eos Senatui cum teſtimonio offerimus: io cujus arbitrio eſt non admittere, ſi minus idoneos eſſe judicet. Quod ſi recipiuntur (ut ſemper hactenus contigit) tum nomina promulgamus coram populo, ut ſi quod vitium latuerit, liberum ſit ſingulis ante octo dies indicare. Qui tacitis omnium ſuffragiis probantur, eos commendamus Deo & Eccleſiæ.

Infantes non baptizamus, niſi pro publica concione: quia abſurdum videtur, ut ſolennis illa receptio paucos tantum habeat teſtes. Patres, niſi quid impediat, jubentur adeſſe, ut ſtipulationi reſpondeant una cum fidejuſſoribus. Nemo tamen ad fidejubendum admittitur, niſi qui ejuſdem nobiſcum eſt profeſſinois. Arceotur & excommunicati ab hoc honore.

Nemini ante ad ſacram Chriſti Cœnam patet acceſſus, quam fidem ſuam profeſſus ſit. In eum finem quotannis habentur quatunr examina, ubi interrogantur pueri, ac de profectu cujuſque cognoſcitur. Nam etſi ſingulis diebus Dominicis in Catechiſmo jam incipiunt aliquod teſtimonium dare: donec tamen cognitum fuerit Miniſtri judicio mediocriter in ſumma Religionis profeciſſe, ad ſacram menſam accedere non licet. Quod ad majores natu ſpectat, à nobis quotannis repetitur inſpectio cujuſque familiæ. Diſtribuimus inter nos urbis regiones, ut ordine ſingulas decurias excutere liceat. Adeſt Miniſtro comes unus ex Senioribus. Illic novi incolæ examinantur. Qui ſemel recepti ſunt, omittuntur: niſi quod inquiritur ſitne domus pacata & recte compoſita, num lites cum vicinis, num qua ebrietas, num pigri ſint & ignavi ad conciones frequentandas.

In cenſuris obſervatur hæc ratio. Deliguntur quotannis duodecim Seniores: nempe ex minore Senatu duo, reliqui ex Ducentis, ſive ſint indigenæ, ſive aſcriptitii cives. Qui probe & fideliter munere ſuo perfuncti ſunt, loco non moventur: niſi forte eos occupet alia cura Reipublicæ. Antequam ab electione ſua ſedeant, eorum nomina publice eduntur, ut ſiquis eos indignos cognoverit, mature denunciet.

Ad judicium Eccleſiaſticum nemo citatur, niſi ex communi omnium ſententia. Itaque rogantur ſinguli, num quid velint in medium afferre. Nemo autem citatur, niſi qui vel privatis admonitiooibus non obtemperavit, vel qui Eccleſiam offendit malo exemplo. Ita blaſphemi, ebrioſi, ſcortatores, percuſſores, riaoſi, ſaltatores, qui choreas ducunt, & ſimiles vocantur. Qui levius deliquit, humanis verbis caſtigatus dimittitur. Gravioribus peccatis animadverſio ſeverinr. Eos enim Miniſter axcommunicat, ſaltem ad breve tempus. Excluduntur autem à Cœna, donec veniam petentes idem Miniſter Eccleſiæ reconciliet. Si quis præfracte auctoritatem Eccleſiæ ſpernat, oiſi ante elapſum annum à contumacia deſtiterit, à Senatu in exilium annuum ejicitur. Si quis etiam protervius ſe gerat, Senatus cauſam ſuſcipit, & animadvertit. Qui redimendæ vitæ cauſa apud Papiſtas abjurarunt Euangelii doctrinam, vel Miſſis interfuerunt, jubentur ſe coram Eccleſia ſiſtere. Miniſter illic rem exponit pro ſuggeſtu: tum qui excommunicatus fuit, procidit in genua, & ſuppliciter veniam poſtulat. Ea autem eſt Conſiſtorii ratio, ut civilis juriſdictionis curſum nihil moretur. Ac ne plebs queratur de immodico rigore, non tantum iiſdem pœois ſubjacent Miniſtri, ſed ſi quid excommunicatione dignum admiſerint, ſimul etiam abdicantur.

Compendium hoc ſatis putavi fore, ex quo formam aliquam conciperes, quam præſcribere non debui. Tu quod putabis utile iſtic fore, modeſte ſuggeres, ut bnni & prudentes viri, quibus moneri grave non erit, diſpiciant quid ſit factu optimum. Dominum Thomam Eraſtum ſcholæ veſtræ rectorem reverenter meis verbis ſaluta. Librum Tilemanni, quem Bullingero miſerat, percurrere cœpi non ſine faſtidio. Putidior tamen eſt illius rabulæ loquacitas, quam ut mihi bilem moveat. An ſim reſponſurus, nondum apud me ſtatui. Certe multorum dierum opera nugas illas non dignabor, quia tot ſcriptionum piget. Brevem hujus controverſiæ definitionem nuper compoſui, quæ forte propediem edetur. Si tibi quis patebit aditus ad Illuſtrem ac Generoſum D. Comitem ab Erpach, velim eaemplar, quod reperies his literis incluſum, oſtendas meo nomine. Quod non ſcripſerim in præſentia, pudori meo adſcribet: velim tamen ſibi perſuadeat, ſuam Amplitudinem, qua decet obſervantia, ſemper à me coli. Vale integerrime frater & mibi ea animo chariſſime. Dominus te Spiritu ſuo gubernet, virtute ſuſtineat, tueatur, & labores tuos benedicat. Genevæ, Nonis Novembris. M. D. L X.

Joan. Calv. Bullingero.

QUod Gallici tumultus invidiam à nobis depellere non dubitaſti, tuto id poteras. Quum ante octo menſes agitari conſilia bæc inciperent, meam auctoritatem interpoſui, ne longius progredi tentarent. Occulte id quidem & placide, quia verebar ne ſi rei fama ad hoſtes manaret, ad carnificinam pios omnes traherem. Putabam tamen mea opera repreſſos atque ſedatos impetus, dum ea Gallia venit quidam nullius apud me pretii, qui ſe creatum eſſe ducem apud me gloriatus eſt. Compeſcui ſtatim ejus jactantiam, meque ab hac conſpiratinne longe abhorrere profeſſus ſum. Poſtridie homo famelicus, qui prædam undique aucupabatur, ut amicum divitem illaquearet, ac ſub collationis prætextu emungeret bonam pecuniæ ſummam, impudenter mentitus eſt, mihi non improbari conſpirationem: ſed me invidiæ declinandæ cauſa nolle palam fieri. Re audita ſubito commotus, adhibitis collegis vanitatem ejus acriter refutavi. Imo teſtatus eſt ſe jam Lutetiæ certo comperiſſe ab eo conſilio me remotiſſimum. Cæterum quamvis paſſim ſciretur, mihi eſſe ſuſpectum: quia tamen Lauſannæ babitabat, propter viciniam, ut erat blandus & ille-

cebris

cebris plenus, conciliaverat ſibi apud nos multorum amicitiam: unde factum eſt, ut triduo hanc urbem mira contagione infecerit. Multi tam nobiles quam gregarii & opifices clanculum conſultare: ſic tamen ut ſtrepitus à me exaudiretur. Quantopere mihi diſpliceret conſpiratio hæc, tum publice tum privatim oſtendi abſque diſſimulatione. Quum nihil proficerem, conqueſtus ſum in nobis tam parum eſſe auctoritatis, ut in re maxime ſeria conſilium noſtrum ſperneretur. Centies dixi, novum eſſe faſcini genus. De triſti eventu ita ſum vaticinatus, ut ſero multos pœnituerit ſuæ amentiæ. Rogo igitur ut pro tua humanitate, & mutua noſtra amicitia, in nobis excuſandis ſecure pergas. Reliqua petes ex D. Petro Martyre. Capitis enim dolor longius extrahere ſermonem non patitur. Itaque cogar ab optimo fratre noſtro D. Volphio veniam petere, quod ejus literis non reſpondeo. Tu meo nomine gratias ages de labore in meam gratiam ſuſcepto, eumque & reliquos Symmyſtas diligenter ſalutabis. Vale eximie vir, & mihi plurimum obſervande frater. Dominus te gubernet, tueatur, ſuſtentet, ac cum tota familia benedicat, Amen. Genevæ, 5. Idus Maii. M. D. LX.

JOAN. CALV. BLAURERO.

ETſi multa quæ ſcribam occurrunt, venerande frater, quia tamen in tam multiplici rerum copia vix ullum finem reperio, hæc mihi difficultas magis obſtat quam argumenti penuria: quia neſcio unde potius incipiam. Verum ne pigritia ceſſare prorſus videar, quæ maxime ſcire cupis breviter perſtringam. Gallis infeliciter ceſſiſſe inconſideratum ſuum ardorem, ad vos perlatum eſſe non dubito. Ab initio vaticinatus ſum quod accidit: ſed neſcio quo faſcini genere ſic captæ erant multorum mentes, ut fruſtra impetum illum ſedare conatus ſim. Antea meis conſiliis ſe regi paſſi fuerant: ſed quum intelligerent totam hanc actionem mihi non placere, nullum putarunt eſſe melius compendium, quam ſi me fallerent. Quin etiam quidam me vel inſcio, vel palam & fortiter reclamante, profecti ſunt. Quanquam rumor ille, quem dicis apud vos fuiſſe ſparſum, de aliquot millibus, vaniſſimus fuit. Non enim plures fuerunt quam ſeptuaginta, & quidem ex dimidia parte infimæ ſortis opifices. Sicut autem eorum expeditio nunquam mihi probata fuit, quia plus meo judicio tentabant quam Deus permitteret: ita conſilio deſtituti, rem non legitimam ſtulte & pueriliter aggreſſi ſunt. Qui præ aliis erant innoxii, pœnam dederunt nimiæ facilitatis. Eodem fere tempore in quibuſdam Provinciæ & Delphinatus urbibus noſtri homines templa occuparunt, acſi votorum jam eſſent compotes: verum ut temeritas nunquam firma eſt, vel ſibi conſtat, injecto terrore ſtatim conciderunt: ac zelus ille, quem fruſtra compeſcere ſtudueramus, primo armorum ſtrepitu evanuit. Quoniam vero palam & aperto Marte non audebant congredi Guiſiani, blandis & fallacibus edictis ſub Regis nomine paulatim fregerunt eorum animos, quorum viribus erant impares. His inſidiis plurimi illaqueati ſunt: & dum ſibi privatim quiſque conſulit, diſſipata fuit eorum ſocietas. Nunc rebus aliquantum pacatis, atrociter ſævire incipiunt carnifices: ac niſi obſtaret bellum Scoticum, longe deterior eſſet conditio piorum in Gallia. Nobis vero & huic urbi præcipue minitantur: ubi exiſtimant conflari quicquid eſt turbarum, vel potius captandi prætextus cauſa ſe ita ſentire fingunt. Hoc fere toto menſe putarunt omnes vicini de nobis eſſe actum: ego tamen ut timerem, nunquam adduci potui, nec ſane videbam timendi cauſam. Si majora pericula urgeant, Dei præſidio freti eventum placide expectabimus. Quicquid acciderit, in ſalutem noſtram convertet cæleſtis Pater: atque ut noſtri miſereatur, aliquid etiam valebit totius Eccleſiæ reſpectus. Ignoſce quod non propria manu: quia ex lecto dictavi, ubi pro more dimidia temporis parte decumbo, ut ſaltem horæ aliquæ mihi ſalvæ maneant. Vale præſtantiſſime vir, & frater mihi ex animo obſervande. Dominus tibi ſemper adſit, te gubernet, ac tuos ſanctos labores benedicat. Viretus & Beza & reliqui Collegæ mei te plurimum ſalutant. Genevæ, 5. Calendas Junii. M. D. LX.

J. CALV. BULLINGERO S. D.

NUper ad Fontem Bellæ Aquæ (qui locus vix itinere bidui diſtat Lutetia) vocati ſunt omnes proceres. Adfuit Cardinalis quidam, qui aut cadus eſt aut lagena, ne hominis quidem figuram geſtans. Putarunt Guiſiani magnum fore ſplendorem conventus, ſi equites conchiliatos (qui ſe venditant ordine ſancti Michaëlis) quam pluſimos undique accerſerent. Comparuerunt triginta, quum ante eſſent duodecim. Illic Cancellarius magni facere præclarum Senatum, in quo reſideret tota Regni auctoritas. Præfatio adulationis putidæ. Diſſeruit poſtea de Regni ſtatu: & quoniam remediis opus erat ad ſanandos morbos, malorum cauſam inveſtigandam eſſe. Hic relationi ſuæ finem impoſuit, quaſi medicos imploraſſet, conſilii inops. Rex ex compoſito Epiſcopi Valentini, qui inter poſtremos Conſiliarios erat, ſententiam rogavit. Volebant ſcilicet Guiſiani excutere omnium arcanos affectus, & repente ſingulos, prout viſum eſſet, aggredi. Surrexit Admiraldus præter omnium expectationem, ac libellum ſupplicem Regi porrexit, in quo poſtulabant, qui cupiunt in Normania Deum pure colere, ut ſibi liceret interdiu convenire, ne obnoxii eſſent variis calumniis ob clandeſtinos vel nocturnos conventus. Rogatus unde haberet, reſpondit publico bono ſe fuiſſe curioſum, ut propius ſciret quid quærerent Lutherani. Eſſe autem homines ad quinquaginta millia, quorum ſubſcriptionem afferrent, ſi Regi placeret. Duo in toto conſeſſu cordate loquuti ſunt, ipſe, & Archiepiſcopus Vienenſis. Omnibus auditis, quorum melior pars è pedariis conſtabat, Dux Guiſianus licentioſe evomuit, quod alibi eſſet intolerabile. Specimen ſtoliditatis accipe in uno verbo. Quum dixiſſet Admiraldus, Barbarum morem non placere, ut Rex non modo corporis cuſtodes habeat, ſed cingatur exercitu: neque hanc educationem dignam eſſe Gallia, neque adoleſcentem Regem ita inſtituendum, ut ſibi metueret à ſuis, quos benevolentia retinere fovereque potius deberet. Ille Regem non opus habere nutriciis vel educatoribus reſpondit, utpote qui educatus in plenitudine virtutis foret: (verba refero & ſyllabas) quod ſi erudiendus eſſet, matrem ejus ad has partes ſufficere. Auſus eſt etiam dicere, quicquid decernerent mille Concilia, ſibi fixum eſſe majorum inſtituta ſequi. Frater Cardinalis gravius & acutius: fruſtra peti à Conciliis ullam in doctrina mutationem. Neque enim fas eſſe, quæ prius à Spiritu ſancto profecta ſunt, in controverſiam vocare. Si qua eſſent in moribus vitia, permittendum eſſe Epiſcopis, ut ultro corrigerent. Pupugerat eum Viennenſis, qui dixerat hoc turpe & pudendum eſſe confuſionis ſignum, quod Epiſcopi relictis Eccleſiis aulas Principum ſequerentur: & vehementer Regem obteſtatus fuerat, ne Paſtoribus boni publici vano prætextu Eccleſias orbaret. Hinc illud, ut nemo lege vel neceſſitate obſtringaretur: ſed quiſque ſponte quod liberet. Quæris quis exitus? Viennenſis domum ſe recepit. Poſtquam quatuor aut quinque dies abſumpti ſunt vanis conſultationibus, Statuum conventus indictus eſt in menſem Decembris. Epiſcopi vocati ad vigeſimum Januarii, non ut quidquam decernant, ſed agitent quid ſit in Concilio

cilio

cilio proponendum. Ne Ordinum conventus fieret, pertinaciter hactenus pugnaverant. Nunc collectis animis rationem excogitarunt, quibus facete eludant qui ſperabant aliquid levationis. Exceptio enim addita eſt, ut ſingulæ provinciæ diſpiciant coram ſuis Præfectis, de quibus negotiis tractari expediat. Hic vero nulla libertas: deinde ut ſuos legatos eligant iiſdem Præfectis arbitris. Venient ergo empti adulatores, quos N. nominare placuerit. Concilii autem quam frivola ſit & nugatoria oſtentatio, ea formula edicti intelliges, quam tibi interpretabitur quiſpiam ex amicis. Interea erumpit Euangelii veritas. In Normania palam jam concionantur fratres noſtri: quia tria & quatuor millia hominum non capiunt ædes privatæ. Apud Pictones & Xantones, in tota Aquitania major libertas. Regio linguæ Occitanæ, Provincia, Delphinatus intrepidos habet multos Chriſti diſcipulos. Cur ceſſet Cardinalis, non obſcure profeſſus eſt: detegendam eſſe ſcilicet amentium impudentiam brevi tempore. Verum Dominus, ut ſpero, non modo ſceleratas ejus cogitationes producet in lucem, ſed etiam impios conatus diſſipabit. Quod puerorum qui iſtuc erudiendi mittuntur, curam ſuſcipere gravati non eſtis, ut idoneos magiſtros nanciſcerentur, & in familiis bene moratis agerent: Senatus pro hoc tam propenſo ſtudio quas poteſt vobis maximas gratias agit, mutuam vicem libenter repenſurus, ſiquando dabitur occaſio. Præter quatuor qui ex publico aluntur, privatim etiam mittuntur quidam alii, quos non minus commendatos vobis eſſe cupio. Trium nomine rogatus ſum. Sed quia duobus jam certum eſſe hoſpitium audio, ut tertio proſpiciatur magnopere cupio: quia & mater ſingulari pietate eſt prædita, & pater familiaris & charus mihi fuit. Ignoſce ſi precibus victus, plus tibi quam velim moleſtiæ injungam. Vale clariſſime vir, & mihi in primis honorande frater. Salutem plurimam dices fratribus & Collegis tuis, & reliquis amicis. Dominus vos omnes ſemper incolumes ſervet, Spiritu ſuo regat, & labores veſtros benedicat. Genevæ, Calendis Octobris. M. D. LX.

JOAN. CALVINUS N S. D.

QUod te ultimo congreſſu minus hilariter accepi, neque faſtidio, neque contemptu factum eſt: ſed quia nolebam aliud ſimulare, quam eſſet in animo. Audieram certe, ut tu ſuſpicaris, aliqua de te vel ſiniſtra, vel quæ non placerent. Conſtrictus ergo quadam anxietate tenebar, quo minus libere atque aperte ſenſus meos tibi exponerem. Si nimis credulum me fuiſſe putas, quia non prorſus contempſerim quod erat probabile: ſcito alios rurſum de mea tarditate conqueri, dum fidem non habeo quibuslibet ſermonibus. Si te meo præjudicio damnaſſem, re nondum bene comperta, fuiſſem iniquus, fateor. Verum reſpuere quicquid defertur, & piorum virorum judicia floccipendere, ſuperbæ moroſitatis eſſet. Ego vero neque tibi injuriam facere volui, nimis facile credendo quod audieram: & tamen putavi non de nihilo eſſe dictum. Jam huc ſpectare viſus eſt totus ſermo, quem apud me habebas, ut tibi gratularer. Non poteram, quia res non ferebat: neque tamen volebam, ſi fuiſſem magis præciſus, te offendere, ne ad officium ſegnior aut frigidior eſſes. Fuit igitur & ſuſpenſa oratio mea, & vultus, ut ita loquar, medius: qui neque ſignum daret odii vel rejectionis, neque ſatis eſſet exporrectus: quia ſi actiones tuas omnes præ me tuliſſem mihi probari, fucus & ſimulatio fuiſſet. Quanquam non hæ tantum rationes perplexum me tenebant, ſed magis labyrinthi veſtri horror. Nam dum video ad ſanandas veſtras miſerias, vel ſaltem levandas, nihil eſſe in me remedii, non libenter admitto earum narrationem, doloris & tædii plenam. Hoc idem experti ſunt alii quoque pii fratres: in quibus etſi aliquid deſidero, non tamen deſino amare: quia ignoſco eorum infirmitati. Sic ergo tibi perſuade, quamvis in te & ſimilibus correcta cupiam quædam, me tamen fraternam conjunctionem vobiſcum fovere. Quo magis tibi & illis diſplicebit triſtis ſtatus veſtri confuſio, eo magis mihi placebitis. Vale, Dominus tibi ſemper adſit, gubernet te Spiritu ſuo, & cum familia benedicat. Genevæ, 13 Octobris. M. D. LX.

JOAN. CALV. EPISCOPO LONDINENSI.

ETſi non expectas, clariſſ. Vir & obſervande Domine, dum tibi pro pietatis officio, quod Eccleſiæ Chriſti præſtitiſti, gratias agam: quod tamen curam popularium noſtrorum qui in præcipua Epiſcopatus tui urbe habitant, ſuſcipere dignatus es, non ſolum ut libertas illis daretur Reginæ beneficio, Dei pure invocandi, ſed ut Paſtorem fidum hinc accerſerent, niſi hac de cauſa me tibi obſtrictum faterer, ſtultitiæ & inhumanitatis eſſem damnandus. Quando autem gravatus non es ultro me rogare atque hortari, ut Paſtorem ipſis idoneum curarem deligendum: non eſt cur eos fidei tuæ patrocinioque commendem, pro quorum ſalute ita ſollicitum eſſe video. Et ſane ut hactenus tam liberaliter eos juvando, rarum & ſingulare pietatis ſtudium teſtatus es: ita nunc conſtantiæ tuæ erit, beneficium tuum ad finem uſque tueri. Quod ad nos ſpectat, quia locus poſtulare viſus eſt hominem eximiis dotibus inſtructum, & veſtri hoſpites ſibi ex cœtu noſtro aliquem dari maxime optabant, ſpoliare nos maluimus, quam non ſancto eorum deſiderio morem gerere. Ideoque fratrem noſtrum Nicolaum Gallaſium unum ex tribus quos initio nominaverant, ipſis conceſſimus: qui etſi ægre patiebatur à nobis avelli, à quibus non vulgariter ſe diligi ſciebat, & locum hunc cui non minus fructuoſam quam fidelem operam diu navavit, invitus relinquebat, noſtris tamen obteſtationibus victus provinciam hanc ſuſcepit: quia propagando Chriſti regno non parum commodam fore ſperabat. Certe ut à nobis dimitteremus, neceſſitas ſola extorſit: quia veriti ſumus, ne aliter quam ejus adventu non ſatis probe conſuli poſſet teneræ adhuc & incompoſitæ Eccleſiæ. Jacturam enim ejus diſceſſu non levem faciet hic locus, ubi & in pretio habitus fuit, & ſe geſſit ut dignum erat Chriſti ſervo. Ego privatim, cui valde charus & familiaris fuit, non ſine acerbo dolore ut mihi eriperetur aſſenſus ſum. Sed quidvis potius ferendum fuit, quam fratribus deſtitutis ac laborantibus opem quam anxie flagitabant, negare. Quo majore cura afficior, ut ſaltem gratam iſtic ſtationem inveniat, quæ migrationis triſtitiam levet ac ſoletur. Ubi propius tibi innotuerit, quod pro tua humanitate fore confido, Reverende Domine, ſatis abſque aliena commendatione cognoſces eſſe amabilem. Nunc ſi quem apud te obtineo gratiæ locum, etiam atque etiam rogo, ut quem mihi tantopere devinctum vides, favore ac benevolentia proſequaris. Eccleſias totius Regni nondum ita compoſitas eſſe ut optarent boni omnes, & principio ſperaverant, vehementer dolet. Verum ad vincenda obſtacula, infatigabili conatu opus eſt. Jam vero expedit, atque adeo neceſſe eſt Reginam cognoſcere, ſic vos libenter remittere, imo à vobis rejicere, quicquid terrenam dominationem ſapit, ut ad exercendum ſpirituale munus legitima & quam Deus contulit auctoritas vobis conſtet. Hæc vera erit ejus Celſitudo & Eminentia: tunc ſummum dignitatis gradum ſub Chriſto capite tenebit, ſi legitimis Paſtoribus manum porrexerit, ad exequendas quæ vobis injunctæ ſunt partes. Sed quia neque conſilio indiges tua prudentia,

dentia, neque magnanimitas ſtimulis: tantum ad vota confugiam, Deumque precabor, præſtantiſſ. Vir, atque obſerv. Domine, ut te Spiritu ſuo gubernet, virtute ſuſtineat, præſidio tueatur, ſanctoſque labores benedicat. Collegæ mei reverenter omnes te ſalutant. Genevæ, 15 Maii. M.D.LX.

VALDENSES CALVINO S. D.

Gratiam & Pacem per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

QUoniam, vir venerande, ante annos circiter viginti, inter humanitatem tuam, tum Argentinæ agentem, & fratres, qui falſo Picardi vel Valdenſes dicuntur, chariſſimos in Domino patres noſtros, ſancta interceſſit notitia & familiaritas: viſum eſt nunc nobis, qui loca pattum (quos jam fere omnes Dominus ex hac mortali vita eripuit) obtinemus, eandem notitiam, imo vinculum illud Chriſtianæ charitatis, quo omoes pios, maxime Eccleſiæ Miniſtros arctiſſime conſtrictos eſſe decet, renovare. Videmus enim hoſtes Domini noſtri & totius Eccleſiæ varie mutuas operas tradere, & ad opprimendam veritatem prorſus conſpirare. Quibus quum nos ſtrenue reſiſtere oporteat, omnino curandum eſt, ut omnes unum ſimus in Domino: quod ſi quæ diſſenſiones & diſcordiæ pullulare inciperent, in ſpiritu lenitatis ut componerentur, ne quid per contentionem fieret, vel ii qui extra ſunt, conqueri juſte poſſint. Eam ob cauſam hos duos in Domino fratres ad humanitatem tuam & Symmyſtas tuos mittimus, ex quibus & vos ſtatum rerum noſtrarum (ut & nos viciſſim veſtrarum) intelligere poterimus: eos ut H. T. amice excipere dignetur, rogamus. Vale, & nos Eccleſiaſque noſtras veſtris ſanctis precibus commendare pergite. Datum io Boëmia, ex Carmelo, 11 Maii. Anno M.D.LX.

Seniores Unitatis fratrum, qui vulgo Valdenſes vocantur.

J. CALV. VALDENSIBUS S. D.

POſtquam mandata veſtra mihi privatim expoſuit frater à quo literas veſtras accepi, quia videbam non ad me ſolum, ſed etiam ad Collegas ſimul meos miſſum eſſe, eadem ut in cœtu noſtro repeteret, hortatus ſum. Itaque de communi omnium ſententia reſpondebo. Ac primum gratias agimus non vulgares, quod fratres, qui veſtri erga nos amoris, fraternæque conjunctionis teſtes eſſent, & quaſi ſponſores, mittere gravati non eſtis: eoque libentius officium hoc veſtrum ſumus amplexi, quia ex ſincero pietatis ſtudio manabat. Cupimus idem viciſſim vobis de propenſo noſtro ad fovendam ſanctam unitatem affectu perſuaſum eſſe. Et certe quum tam longis regionum ſpatiis inter nos diſtemus, & undique cingamur hoſtibus, qui totum fere orbem occupant, hoc ſaltem diſperſionis noſtræ ſolatio frui, dulce ac jucundum eſt. Teſtemur ergo mutuo conſenſu unum eſſe nobis Patrem in cælo, & nos ſub Chriſto capite unum eſſe corpus: quod certo ſperamus vos eſſe facturos: atque ut re ipſa ſentiatis nobis cordi eſſe, operam dabimus. Porro alendæ & retinendæ inter fratres concordiæ ſcimus hoc optimum eſſe vioculum, ſi alii de aliis ſiniſtros rumores nimia credulitate non admittant: nec vero putamus hac in parte quidquam à nobis fuiſſe peccatum. Nam quod de literis ad Polonos ſcriptis viſus eſt frater veſtro nomine oblique conqueri, nullius culpæ conſcii nobis ſumus: ac vos ipſi rationibus probe expenſis pro veſtra æquitate reperietis, quum de cauſa illa eſſemus conſulti, non potuiſſe dari reſponſum humanius vel moderatius. Certe nec odioſe de vobis loquuti ſumus: & quoad licebat, curæ fuit mitigare offenſiones quæ jam ſubortæ erant, occurrere pejoribus diſſidiis, & ita vos ultro citroque reconciliare, ut inter exordia Polonis eſſetis adjutores ad regnum Chriſti apud eos erigendum. Ad vos etiam ſcripturi eramus, ſi opportunitas ſe dediſſet. Verum minime vos latet, quam difficilis ſit in tanta locorum diſtantia communicandi ratio. Nunc quando oblata eſt melior facultas, ingenue ſenſum noſtrum profitebimur. Quantopere interſit vos Polonis manum porrigere, ut apud eos progreſſus faciat pura Evangelii doctrina, vos ipſi nobis tacentibus pro veſtra prudentia reputate. Neque enim dubium eſt, quin veſtra diſſenſio, ſi ab hoſtibus animadverſa fuerit, aliquid remoræ injiciat rebus bene & feliciter inceptis. Probabiles quidem cauſas nobis retulit frater, cur metuatis propius ad illos accedere: quia ſcilicet videtis eos ſcindi perverſis factionibus. Verum hæc neceſſitas vos magis urgere debet, ut gliſcentibus malis, vel pullulantibus, remedium afferat veſtra conjunctio. Nam ſpiritus phreneticos, qui in diſſipatione tumultuandi & omnia turbandi licentiam ſibi ſumunt, facile compeſceret tot Eccleſiarum auctoritas, ſi aliæ alias juvarent. Nunc pii fratres veſtro ſuffragio deſtituti gravius laborant. Si Stancati, Georgii Blandratæ, & aliorum turbulentos impetus in Poloniam convertit Satan, nonne veſtrum eſt ſuccurrere? Si negligitis, videte ne forte vobis aliquando deſint fratrum ſubſidia. Neque enim ſemper in manu veſtra erit certamina effugere, à quibus vos hactenus immunes Deus præſtitit. Quo minus alii ad alios accedant, impedit controverſia de communicatiooe carnis & ſanguinis Chriſti: cujus obſtaculi tollendi cauſa, cenſuimus quærendam eſſe hinc inde commodam & dilucidam explicationem. Si conſilium hoc vobis diſplicet, experientia tandem docebit rectum & ſalubre fuiſſe: quanquam non putamus vos adeo moroſos eſſe, ut illud repudietis. Duo forte vos pupugerunt: quod ſcripſimus in veſtra Confeſſione brevitatem eſſe obſcuram & ambiguam, quæ certiore docendi forma indigeat: deinde in Apologia nimium eſſe vehementiæ & fervoris contra eos omnes, qui præciſo loquendi genere non contenti, lucem ſanæ explicationis deſiderant in his verbis, ubi aſſeritis Panem eſſe Chriſti corpus. Scimus quam plauſibilis ſit eorum actio, qui ſub umbra confeſſionis Auguſtanæ, pacem & otium captando, moleſtias, odia, crucem denique fugiunt. Quid autem hac de re ſenſerit auctor ipſe D. Philippus Melanchthon, neque vos latet, & forte palam nos toti mundo facere coget eorum improbitas, qui claræ luci tenebras obducere conantur. Neque tamen, quamvis Philippi memoriam reverenter colamus, ejus auctoritate nitimur ad gravandos adverſarios: ſed tantum oſtendimus quam inique confeſſionem Auguſtanam obtendant, qui alieniſſimi ſunt ab auctoris mente. Nos quidem (quod bona veſtra pace dictum ſit) manemus in ſententia, non poſſe ſimpliciter recipi Confeſſionis veſtræ formulam abſque periculo: ac ſubſcriptionem, niſi adhibita dextra interpretatione, Polonis multarum contentionum origioem & materiam fore. De vehementia facilis eſt excuſatio. Neque enim exagitare placet quæ vellemus ſepulta eſſe. Hoc tantum ſufficiat, non poſſe verecunde negari, quin auctor Apologiæ veſtræ modum exceſſerit. Quod retaliandi cauſa mihi objecit nuncius veſter, me etiam in quibuſdam ſcriptis nimium excandeſcere, etſi in totum non inficior, tempeſtive tamen noo protulit. Nam ſi quoſdam impuros canes durius inſector, longe diſſimilis eſt Apologiæ veſtræ ratio, quæ promiſcue, & abſque delectu ullo, multos pios & doctos homines male ſentientibus involvit. Nam ſi vobis propoſitum erat quorundam errorem impetere, diſtinctione opus fuit, ne in idem crimen traherentur innoxii. Verum ut omnis faceſſat contentio, tantum vos rogamus & ob-

nbteſtamur, ſi libere oſtendimus quæ nobis ad placandas omoes lites, purgandoſque ſiniſtros affectus, probaretur ratio, ne id in vos contumelioſum eſſe ducatis. Nee tam ſumus nobis addicti, quin placide ſuſtineamus nos moneri & reprehendi, ſiquid minus circumſpecte exciderit. Valete integerrimi fratres, & nobis colendi. Patrem cæleſtem precamur, ut vos Spiritu ſuo ſemper gubernet, præſidio tueatur, doniſque ſuis locupletet, ac benedicat ſanctos labores veſtros. Genevæ, pridie Calendas Julii. M. D. LX.

Joannes Calvinus omnium nomine.

JOAN. CALVINUS N.N. S. D.

Dilectio Dei Patris noſtri, & Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobis ſemper adſit.

Ex Gall. QUod à nonnullis veſtri ſtudioſis rogatus ſum pridem, ut ad vos ſcriberem, illud ipſum facere valde etiam exoptabam, pro meo erga vos juſto & præcipuo quodam affectu: abſtinui tamen hactenus, quum meum laborem inutilem futurum judicarem, quod booos quoſdam viros & vobis viciniores, has ſibi partes ſumpſiſſe intelligerem. Nune vero ubi occaſionem elapſam nondum eſſe audivi, quin meæ ad vos literæ ſuo loco & tempore advenirent, officio deeſſe nolui: ut vobis conſtet, quum corpore ſim à vobis remotus, voſipſos nihilo minus præ oculis & pectore à me ferri; atque ita ſtudere me ſaluti veſtræ, ut quicquid ad illam promovendam præſtare potuero, nunquam ſim neglecturus. Primum igitur Domino gratias ago, quod à natali ſolo propter verbum ipſius exulare coactis de receſſus loco proſpexit, in quo pura conſcientia ipſum invocare liceat: adeoque vos una quaſi in nidulum quendam ita appoſite collegit, ut hoc ad mutuam veſtram conſolationem appoſitiſſimum ſit. Illud vero me ad illius erga vos opus prædicandum unice impellit, quod ea conſtantia per Domioum præditi ſitis, ut in perſequutione non fatiſcatis: feratis etiam æquo aoimo detrimentum facultatum veſtrarum, animis in cæleſtem remunerationem inteotis: quod denique quicquid vobis in mundo deceſſit, tædium vobis non afferat, quando ad Dei honoris incrementum pertinuit: qui demum à nobis ita honorem quem ipſi debemus repoſcit, ut nos perinde gloriæ ſuæ participes efficiat. Quum igitur ea ſit noſtra fragilitas, non vulgare illud Dei donum agnoſcendum eſt, quum nos ita in ipſa neceſſitate confirmet, ne quando ulli tentationi manum demus. Jam vero, quia bene cœpiſſe nihil eſt, ut neque ad tempus perſtitiſſe, attendite vobis nunc etiam, incitate voſipſos ac mutuo exhortamini, atque omnia illa quæ vobis animum poſſunt addere, comparate: in primis vero apud Dominum ipſum precibus inſtate, ut manu perpetuo porrecta ad ſcopum vocationis ſuæ tandem vos perducat. Vos vero ſic apud vos cogitate, quod Chriſti nomine perſequutionem paſſi eſtis, illud honorificum in primis eſſe, quum Filius Dei ſua vobis ſtigmata ita impoſuit, ut certior in vobis veritatis ipſius nota extaret. Atque illud facere debet, ut tanto magis enitamini perpetua vita, ut ipſum glorificetis. Quum ex adverſo, ſi aliam quam rectam viam nune ingrederemini, illud plane duplicaret ſcandalum, atque coram Domino longe in graviorem reatum adduceret. Extet igitur in vobis apud omoes alios exemplum, quo ad Deum glorificandum excitentur, quum agnoſcent nempe vos non fruſtra pro Euangelii teſtimonio tot caſus & diſcrimina pertuliſſe. Ne veſtra culpa ipſi Filio Dei & Redemptori maculam aut labem aſpergi ſinatis: atque illud nominatim, propterea quod apud gentem exteram vobis nunc vivendum eſt, quæ facile offendatur, ſi quæ in vobis vitia deprehendat, illud vobis incitamento ſit, ut tanto incedatis prudentius, atque omnia ſcandala vel leviſſima avertatis. Quumque ante omnia unam Dominus pacem & concordiam nobis commendet, illiuſque ſedulo fovendæ ſtudium, ſic ſtatuite, retineri à vobis rem tanti momenti non poſſe, niſi voſipſos inter vos ſuſtineatis atque mutuo toleretis. Ergo niſi ad multa leviter commiſſa condonanda parati ſumus, certum eſt materiam rixis & jurgiis nunquam defuturam. Fons autem mali ille eſt, quum ſuo quiſque judicio addictus eſt, ut aliis nihil omnino conceſſum velit. Illud igitur non ſecus ac ſooticum morbum ita præcavete, ut contra propenſi ſitis ad voſipſos aliis mutuo ſubmittendos, ad mutuam inter vos & fraternam communicationem in omnibus, bonis conſiliis obtemperetis, neque ipſi multum ſapere & conſulti haberi affectetis. Sic Domini Spiritum in vobis habitantem ipſi agnoſcetis, ſic illum perpetuum directorem in veſtris rebus experiemini. Nunquam igitur hoc vobis excidat, ambitionem nempe æmulationem & invidentiam parere, ex quibus demum contentiones, & obtrectationes, & reliqua ejuſmodi emanent: atque ita ignem ut plurimum accendi, ex quo litium & concertationum ſcintillæ volitent: quas quidem, ubi eo ventum eſt ſemel, repellere deinde & ſedare jam non ſit integrum. Porro una illa eſt ac ſumma ratio quæ vos certo conjunctos & compactos teneat, tum in doctrina, tum etiam in aliis omoibus, ſi omnem diligentiam uno animo adhibueritis, ut coocionibus verbi Dei frequentes interſitis. Quemadmodum eoim in bello nemo ſe à vexillo ſubducere ſuſtinet, ut communibus animis & viribus hoſtis excipiatur: ita etiam verbum Domini pro vexillo nobis ab ipſo erectum eſt, ad quod omnes ſeſe recipiant, & extra quod mera tantum diſperſio notari poſſit. Sic oves diſperſæ faucibus luporum exponuntur: ſic eædem ſub paſtoris cuſtodia in ovile reductæ ſecuræ ſunt. Et ſane nobis omnibus ſummum Paſtorem Dominum Jeſum Chriſtum præfectum habemus, ut ipſe nos in ſuam protectionem admiſit: ſed hoc ita procedit, ut inſtituat ſimul miniſtros verbi, qui fungantur ipſius munere in nobis ipſo auctore verbo regendis: eumque ordinem pro conſervanda Eccleſia ſua ſemel ipſe poſitum voluit, ut docet Apoſtolus. Statuite igitur ſingulare hoc eſſe *Epheſ. 4.*
erga vos Domini beneficium, quod verbum ipſius *verſ. 11.*
apud vos extet, ut prædicatione illius vobis offeratur. Quare videndum eſt ne quo modo negligatur, aut remiſſius admittatur; quod quum apertam ingratitudinem proditurum ſit, impune laturi non ſitis. Habemus in Davide appoſitum exemplum, ex quo diſca- *Pſal. 84.*
mus quo loco eſſe piis debeat facultas adeundi ſacros *v. 1,2,3,*
cœtus: quum nempe & patria ipſa per ſe & familia & *& 4.*
facultatibus inſuper habitis, unum illud requireret, quod ipſi tum non daretur ſanctis cœtibus intereſſe. Neque vero ita perperam: quum ſatis æſtimari à nobis fructus ille non poſſit, quem ex uſu ſancti illius ordinis percipimus, quum & una convenimus ut eadem doctrina erudiamur, uno corde & ore nomen Domini invocemus, uſu Sacramentorum adhibito in fide confirmemur, ſacramentum etiam Chriſtianæ militiæ ita coram Deo & Angelis dicamus atque palam præſtemus. Hoc vero plus quam neceſſarium eſt. Neque ulla vobis pernicioſior tentatio à Satana intendi poteſt, quam ſi ad tanti boni contemptum vos adducat, aut ab illo quovis prætextu affectum diſtrahat. Nec quiſquam hic ſupra Deum ſapere audeat, ut ſibi perſuadeat non deeſſe & aliam rationem qua in Chriſto profectum faciamus, quam quæ ab ipſo inſtitita ſit, maxime quum & illa ſit nobis ad manum. Fateor enim pleroſque ex electis ſervari à Domino in media ipſa Antichriſti diſſipatione, quibus tamen, quantum ab hominibus exiſtimari poteſt, & in ſpeciem etiam, deſunt & paſcua & paſtores: ſed & illud ad extraordinariam rationem & miraculo conjunctam referendum eſt: & agnoſcendum illic eſt etiam iræ ipſius flagellum, quod iſtiuſmodi tamen verbi auditione

par-

participanda in Eccleſia dignatus non ſit. Amplectendum eſt igitur incomparabile Domini beneficium, quum aliter ipſius vocationi reſpondere non poſſimus. Quod ſi qua vobis in doctrina difficultas occurret, ad Paſtorem qui ordinatus erit, recurrite. Sic enim mutua & amica collatione melius pervenitur ad plenam & liquidam eorum, de quibus ambigimus, comprehenſionem. Illud vero, plus quam dici poteſt, pernicioſum eſt, quod plerique hodie ita de ſe ac ſuo ſenſu præſumunt, ut quicquid in mentem venerit, pro rato & vero habeant, antequam rem ipſam bene ſint aſſequuti: atque ita ſuo judicio acquieſcant, ut nullam cum doctioribus communicationem admittant. Satis quidem ſcio, nos omnes

Mat. 10. verſ. 25. ab uno præceptore Chriſto pendere: ſed ita demum, ut idem ſeſe parvulorum tantum & vere demiſſorum ac humilium præceptorem præferat: neque porro illud veritatis ipſius obſequii nomine cenſeri, ſi ita jactemur audacia, ut erraticas opiniones & dogmata ſectanda nobis proponamus, ac nullis habenis & repagulis nos contineri ſinamus. In primis vero, fratres, attendite, ne Satan vos divertat à nativo illo guſtu ſimplicitatis Euangelii, at vaniſſimo curioſitatis humanæ fermento vos illaqueet. Hæc porro illa ſunt quæ Dominus ipſe nos docet, quæ à nobis perdiſci & retineri jubet, quæque una ad noſtram ædificationem conferunt: ſi docemur nempe ipſum timere, diligere, in illo plene fidem collocare, illum unicum præſidium nobis ſtatuere, illum glorificare, illius obſequio vitam in ſolidum conſecrare, totam in Chriſto ſalutis fidem repoſitam habere. Et hoc eſt quod tradit

2 Tim. 3. verſ. 16. Paolus, Totam Scripturam divinitus inſpiratam, utilem eſſe ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte inſtructus. Quare qui verbum Dei ad ſubtilitates nullius uſus applicant, peſſime illud profanant, & facrilegii tenentur. Et conſtat ſatis Deum hoc in illis ſeveriſſime vindicare. Portenta ſiquidem illa errorum & hæreſeôn, quæ hodie invehuntur, rivuli ſunt ab illo fonte deducti. Pleraque ingenia ſcilicet ſubtilitatem in Scriptura ſoliditati prætulerunt & veræ utilitati, illudque unum quæſiverunt, quod ipſorum ventoſo palato gratum eſſet. Atque Dominus juſtus judex permiſit, ut in deliria adeo abſurda laberentur, ut cuivis ſano vel audita horrorem afferant. Neque aliunde quam ex vicinia vobis exempla quærenda ſunt, ubi malum illud ſi uſpiam alibi graſſatum ſcitis. Proſpicite ergo vobis, ne quis ad vos intercipiendos aditus Satanæ pateat. Atque illud reputate, Dominum nempe adeſſe tum vobis propugnatorem, quum gladium illum verbi ſui exerit ad inſultus adverſarii repellendos: hoc autem ita vobis conſtare quum fidum Paſtorem ejus beneficio habetis, qui vos inſtruat quibus opus eſt, ne artibus & dolis ſeductorum commoveri, abducive contingat. Enimvero ſive de malo in poſterum evitando, ſive de quibuſdam in viam reducendis agitur, unum vobis eſt plane expeditum: nempe ut ordini alicui inter vos locus ſit, uti extet aliqua diſciplinæ forma, ad admonendos qui peccant, contumaces coërcendos, & unumquemque in officio continendum. Quum enim ſuperioribus annis tyrannidi Papatus ſubjecti fuerimus, longe æquiſſimum eſt Chriſti jugum admittere: illudque agnoſcere, legitimum libertatis noſtræ uſum tam ab effreni licentia remotum eſſe, quam ad veram obedientiam voluntatis ipſius omni ex parte referatur. Diſciplinæ igitur commodæ inſtitutio inter vos, non tantum valeret ad illam opinionum diverſitatem componendam, ſed etiam ad ſcandala, vitia, & alias morum corruptelas reprimendas: quod ad Dei honorem amplificandum multum præſtaret. Porro ſub illo nomine, quod neceſſe ſit omnino extare formam Eccleſiæ inter nos, ut in Dei nomine conveniamus, ipſum quoque Sacramentorum uſum comprehenſum volui. Non eſt enim exiſtimandum, illa nobis à Domino inſtituta eſſe, quaſi res eſſent levis momenti. Nam ſi noſtram infirmitatem expendimus, facile erit judicare, quam nobis conſultum ſit, ad uſum noſtrum illa adhibere. Non conſtamus namque natura ſpirituali ut Angeli, ut rerum quæ ſenſus afficiant uſu carere poſſimus. Jam quum Dominus immenſa ſua bonitate noſtræ illi ruditati eo uſque conſuluerit, ut media illa nobis offerret quæ ad noſtrum captum accommodata eſſent, qui à nobis rejici poſſunt, negligive, quin ipſius in nos iram provocemus? Facite igitur, ut tam Baptiſmus quam ſacra D. Cœna ſummo in pretio ſint apud vos. Quamvis enim Baptiſmus ſemel à nobis ſuſceptus, ſit nobis ſigillum perpetuum Dei gratiæ & adoptionis in filios: quum tamen alterum ſigillum, Cœnam nempe, appoſuit ad novam confirmationem, ſatis prævidit uno ſine altero nobis confirmandis ſatis non futurum. Hoc, inquam, ſe videre Dominus ipſe ſignificavit, ut ab illo diſceremus. Qui igitur à Cœna abſtineret, quaſi illa carere poſſet, ſeduceretur & excæcaretur omnino à Satana, quum ſeipſum ita agnoſcere dedidiciſſet: neque illud rationibus multis confirmare eſt opus. Niſi enim mendacium Chriſto impingere volumus, agnoſcere oportet, ipſum dum Cœnam inſtituit, ſatis ſignificaſſe, illam ad noſtram levationem & adjumentum infirmitatis noſtræ neceſſariam eſſe. Carere quidem illa cogetur qui aut in carcere erit, aut in deſerto vagabitur, quia adeundæ facultatem non habet: ac tum Dominus iſtiuſmodi defectum gratia ſui Spiritus ſupplebit. Neque enim Dei Spiritum Sacramentis ipſis alligo: ſed tantum illa à nobis agnoſcenda ſunt, ut media & inſtrumenta, per quæ in nobis ordinario operatur, quamdiu uſum illorum nobis ipſe offert. Quamobrem, quum vobis uſus Sacramentorum ad manum ſit, videte ne ſi neglexeritis, tanti Dei beneficii à vobis neglecti rei coram illo ſitis, quod utraque manu vobis erat amplectendum. Recordamini dierum ſuperiorum quibus dum in Babylonis carcere jaceretis, ad hæc Dei gratiæ dona & pignora tam ardenter ſuſpiraſtis. Veniat etiam in mentem acerba illa conditio tot piorum hominum, qui hoc unum mœrent, & perpetuis votis exquirunt, quod ipſis ut vobis fruendum nunc quidem non datur. Sic quidem accepi objectam hic vobis nonnullam difficultatem eſſe, propter quaſdam cerimonias, quas à vobis uſurpari voluerunt veſtri illi hoſpites. Sane nihil conſultius video, quam parciſſimis cerimoniis uti in Eccleſia Chriſtiana. Satis enim experientia ipſa conſtat, quam proclivis ſit lapſus in ſuperſtitionem. Aliud eſt vero quum nobis jus non eſt admittendi, vel repudiandi quod videbitur: ſed & illæ res ejuſmodi non ſunt, quarum occaſione ſponte nobisipſis Cœnam Domini interdicamus. Exoptandum quidem quod optimum eſſe conſtat, ac quantum in nobis eſt, ut locum etiam habeat procurandum. Si non licet obtinere quod cupimus, feramus illos defectus, non approbemus: modo ne ſubſit illic impietas, aliudve Dei verbo repugnans. Ut ſi quod, verbi gratia, idololatriæ ſpecimen exiſteret, illi ad mortem uſque reſiſti à nobis oporteret. Ubi vero doctrina ipſa ſana atque pura eſt, ac cerimoniæ ad civilem quandam honeſtatem vel decorum uſurpantur, ſilentio nobis prætereunda ſunt iſta magis, quam ut eorum occaſione ad diſceptationes & graviores motus veniendum ſit. Tandem igitur à vobis peto, dilectiſſimi fratres, per Dominum, ut quemadmodum de meo erga vos intimo affectu probe eſtis perſuaſi, ſic etiam certo ſtatuatis nihil aliud mihi hac mea admonitione propoſitum fuiſſe, quam veſtrum ipſorum commodum & ſalutem. Accipite igitur hoc quicquid eſt, ea qua par eſt humanitate: ac rem ipſam expendite mature, cum manſuetudine & humilitate. Videte etiam ne qua in vobis pertinacia reſideat, quæ vobis viam obſtruat,

N 2 quo-

quominus quæ ad veſtram utilitatem faciunt, admittatis. Dominus ſua in vobis ſpiritualia dona adaugeat, dirigat vos in omni ſapientia & prudentia, confirmet in tolerantia & conſtantia, ut in vobis ad extremum uſque glorificetur, noſque una vobiſcum ex vobiſipſis conſolationem uberrimam percipiamus. Genevæ, M. D. L X.

Ad Illuſtriſſimum Principem quendam Germaniæ Epiſtola.

Non extabat nomen auctoris, neque etiam Principis in exſcripto.

ILluſtriſſime Princeps, Clementiſſime Domine, ex literis Illuſtriſſimæ Clementiæ veſtræ ad Doctorem Bernardum Bozemium intelligo, angi Clementiam veſtram hoc diſſidio Theologorum: idque in ea re, quæ maxime debebat parere nobis qui Chriſtiani nominis ſumus concordiam: quæ eſt doctrina de participatione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego certe in eorum numero ſum, qui Auguſtanam confeſſionem ſequi & probare volunt, cum in aliis omnibus, tum etiam in illo capite quod eſt de Cœna Domini: ſed hanc licentiam novæ Stoæ Theologorum probare non poſſum, qui ipſis Papiſtis malunt accedere, quam cum hominibus noſtræ Religionis concordiam revocare, quæ à Martino Luthero, & Martino Bucero, cæteriſque Saxoniæ & ſuperioris Germaniæ Theologis conciliata atque conſtituta, ab illis diſſuta ita eſt, ut amplius coire poſſe non videatur, niſi Principum intercedat auctoritas. Legi Heshuſii librum: qui ut ne inter Theologos ſolum hoc diſſidium exardeſcat, etiam Principes provocat. Ponit in definitione Cœnæ Dominicæ id quod controverſum eſt: Pauli definitionem præterit, & ſuam novam atque inauditam adfert: & propter ſuam tacite Pauli condemnat. Auctoritates adfert quæ pro ſe non faciunt, ſed pro adverſariis. Scribit non ut doceat, ſed ut judicet atque condemnet. Satis enim condemnat, qui ſua uti mavult quam Apoſtoli. Qua in re tamen excuſo ipſum: non enim videtur intelligere vim verbi Græci κοινωνία: illud enim verbum non ad diſtributionem ſingularem nos dejicit, ſed ad communem & cæleſtem revocat: non enim μετάδοσιν vocat, ſed κοινωνίαν, qua fit ut κοινωνοὶ efficiamur menſæ, id eſt, corporis & ſanguinis, vitæ & mortis participes, ſed fideles. Fide enim ſurſum uſque in cæleſtem ſocietatem adſcendimus, cum ſinguli pro ſe homines, tum omnis Eccleſia, & ſeſe cum ſuo ſponſo conjungit Jeſu Chriſto: ut hic in terra & ille in nobis & nos in illo vivamus. Qui credat verum Jeſum Chriſtum dicere, & verum dare qui dicit, Comedite, hoc eſt corpus meum: bibite, hoc eſt ſanguis meus: præſertim quum addat ad verbum Domini, verum corpus ſeſe ſumere: item qui approbat Pauli definitionem, quod ſit κοινωνία τοῦ σώματος καὶ αἵματος: & ſequitur Auguſtini interpretationem, qui ſcribit manducare carnem Chriſti, eſſe participem corporis ejus fieri: denique qui confitetur ſeſe vivificatione Spiritus ſancti in Chriſti corpore & ſanguine immortaliter vivificari, Chriſtumque in ſeſe vivere, & ſeſe in Chriſto: qui hæc omnia, inquam, confitetur & docet, quo exemplo & auctoritate aut Prophetarum, aut Euangeliſtarum, aut Apoſtolorum, aut Patrum hunc hominem hæreticum eſſe, & privata auctoritate excommunicatum condemnare poſſunt: præſertim quum ab ipſis hujuſmodi multa abſurda dicantur? Chriſti corpus naturale, quod ſcilicet carne & oſſibus præditum eſt, ubique non eſſe, & tamen ubique una cum carnibus & oſſibus ejus ſumi & vere manducari: & id proprie dici, hoc eſt, nativo verbi uſu: item panem non tranſſubſtantiari, tamen panem eſſe corpus: & in eo hoc utuntur πανταχοῦ, & corporaliter corpus (quod idem eſt quod corporale) nominant: item corpus Chriſti non eſſe localiter, ſed tamen in pane dari & manducari, idipſum ſcilicet cum carne & oſſibus. Et quum eo deſcendunt, ut ad imperitam plebem dicant, quemadmodum in cunis jacuit cum faſciis Chriſtum ſumi, id eſt, manducari: quis aut plebeiorum, aut eruditorum, loquendi farraginem & licentiam & impudentiam intelligat? Unde hæc nova Theologia, novæ ſcholæ, nova Stoicorum παράδοξα δόγματα? Lutherus venerationem & adorationem ſuſtulit: his grati ſunt qui contraria faciunt, capita nudant, genua flectunt, ore non manu accipiunt, gratiores ſi adorarent: ut apud Pontificios chari ſunt & accepti qui ſtatuas adorant, ad illas ſupplices procumbunt, & ad illas lumina collocant. Sed hæc ego pluribus perſequutus ſum quam conſtitueram. Verum me dolor impulit & impellit, quum conſidero quam ſcribant confidenter, ita ut hominum doctorum judicia non extimeſcant, non formident poſteritatis exiſtimationem, quibus utriſque turpe conſtituitur exemplum: vivis, qui quum poſſint non refutant; venturis, quod tantæ miſeriæ eos adjudicent & ſtultitiæ, ut neceſſarium putent ſuam illos ſequi debere ſtultitiam. Quod autem ad I. C. V. ſcribo, hæc cauſa eſt iſta. Magna in ſpe ſum poſt hunc conventum Principum, Theologorum fore ſynodum: & eo ſpectare aliqui videntur & id agere, ut illius Synodi auctoritate Helveticæ & Gallicæ Eccleſiæ condemnentur, ob hoc caput, de Cœna Domini. Quod ſi id fiet indicta cauſa, re inter utramque partem non diſceptata, neque cognitis rationibus utriuſque partis, ab arbitris viris prudentibus, doctis, non ſociis horum diſſidiorum, quot & quanta inde incommoda? Licebit idem facere Papiſtis, & à Concilio generali nos excludere, noſtram omnem doctrinam & Religionem condemnare. Offendentur maximæ & potentiſſimæ nationes Italicæ, Hiſpanicæ, Gallicæ, Anglicæ, Helveticæ, apud quos populos prope omnes docti nolunt ad novas has verborum formulas aſtringi: Patrum tamen verba libenter admitterent, ſi ipſi ut Patres verecunde & ſentirent & loquerentur. Ægerrime feret Navarræ Rex ſeſe & ſuos à Saxonicis Eccleſiis excommunicari: dolenter etiam Angliæ Regina, quæ tametſi Auguſtanam confeſſionem approbet, tamen has carnales verborum formulas recipere non poteſt. Prætereunt Martini Lutheri puram de hoc Sacramento doctrinam, & illius hyperbolas arripiunt, & obtrudunt populo. Philippum Melanchthonem pars deliraſſe dicit in ſenectute, pars inconſtantem in dogmatibus, pars id non ſenſiſſe quod ad V. C. ſcripſit: quaſi vero illud ſcriptum deliri ſenis ſit, aut quaſi ſententiam ſuam non communicarit primum per annos jam viginti inde à Wormatienſi priore colloquio: poſt Haganoicia Comitia cum Joanne Calvino: deinde cum Petro Martyre: cum amicis etiam aliis multis, cum illiſque perpetuam amicitiam coluerit: aut quaſi neſciamus quid ſenſerit de Weſtphali ſcriptis: aut ego ignorem, quid mecum loquutus ſit, & quid ad me ſcripſerit. Quos viros ille vir amavit, ad quos amanter ſcripſit, cum quibus amicitiam coluit, eos iſti maledictis laceſſere & de Eccleſia deturbare audent. Nihil eſt in quo ſe Pontificii magis jactent, quam in his noſtris diſſidiis: nihil eſt quod magis alienet animos hominum, quam hæc eadem. Metuo etiam, ne hæc eadem quotidie objiciantur Regi Navarræ, in hoc principio adminiſtrationis totius Regni. Ex Brabantia ſcribitur illum in conſilio Cardinalium per Legatos ſuos Pontifici promittere filialem obedientiam. Idem ſcribitur Lugduno. Et credo eum id cogi facere, Cardinalium importunitate, adverſariorum calumniis: interea tamen ipſe Provinciales in patriam & in ſuas ſedes revocat: captivos propter Religionem liberat: non impedit privatos conventus, & Dei invocationem, & Sacramentorum adminiſtrationem. Polweilerus hodie ex hac vicinia è Scherweiller profecturus eſt in Galliam, miſſus eo à Cæſare. Hi etiam frigidam ſuffundent: metum adferent: conabuntur, ſi poterunt,

runt, illum ſuarum facere partium. Idem faciet vehementius Pontifex: idem conabitur Rex Philippus. Et ſane metuo ego inſidias Diaboli, & hominum fraudes. Atque hæc cauſa etiam eſt eadem cum ſuperiore, ut ad C. V. ſcribam, non tam meum conſilium explicans, quam prudentium hominum ſeotentiam atque voluotatem indicans.

Hi ſummis votis expetunt conſtitui concilium & ſynodum Theologorum, in qua Princeps aliquis præſes ſit: & illi adſint aliorum Principum Legati, viri prudentes & booi, noo implicati hujuſmodi cootentionum diſſidiis: & hæc eadem ſynodus pateat omnibus, qui cauſam ſuam cognoſci volunt. Vocentur eo principes adverſariæ partis, Petrus Martyr, Bullingerus, Calvinus, Beza. Legitima cognitione de re diſceptetur: tum demum aliquid fiet, quum hac ratione fiet. Et ſi Principes hac ſua ſynodo exemplum conſtituaot Pontificiis, quomodo in generali Concilio de controverſiis religionis fieri debeat judicium.

Quod ſi ratione agetur alia, præſcribemus nos noſtra iſta ratione adverſarius, quid ipſi in ſuo tyrannico concilio inſtituere & ſequi debeant. Et poſtrema mala primis deteriora erunt, & ingens in Eccleſia ſchiſma excitabitur, cujus incendium nulla poterit extinguere poſteritas. Quamobrem aut hac ratione ſynodus conſtituenda eſt, aut ſatius eſt nullam fieri. Ut enim nunc homines affecti adverſus ſeſe animis ſunt: & ut nunc libri ſcribuotur: qui ſemel auctoritatis gladium arripuerit, nihil judicare poterit, quod æquitati & moderationi ſit conſentaneum. Hæ ſunt igitur bonorum voluntates, & hæc quotidiana vota, ut hujuſmodi ſynodus decernatur: hoc judicium, ut ſi fieri id non queat, neque ab iis impetrari qui cæteris mortalibus æquiores eſſe deberent, ſatius ſit res ſuo curſu currere: ut quam partem Deus & melior pars hominum approbet, eidem ipſe Deus & viri boni aſſiſtant. Qua in re Deus Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus non negliget bonorum virorum & piorum hominum quotidiana, diurna atque nocturna vota, preces atque ſuſpiria.

Ad hanc autem ſynodi rationem utile eſſe iidem judicant, qui ſuperiora optant, Legationem ad Regem Navarræ mittere, quæ quod aperte dici & peri poſſit, io Regio Coofilio exponat: quæ vero privatim cum Rege Navarræ & fratre & reliquis Principibus, qui religioni veræ faveot, agenda ſunt, illa privatim etiam explicet: quemadmodum à Principibus in mandatis habitura. Hæc ratio has habet cauſas. Primum major erit auctoritas ſynodi: & quaſi Nationale concilium habebitur trium populorum, Germaniæ, Galliæ, Angliæ: non enim dubium eſt, quin libenter Regina Angliæ ſeſe ſit adjunctura, ſi ab ipſa & à Principibus Galliæ petetur, ut homines mittant ad eam ſynodum, pacis & concordiæ ſtudioſos, pietate præditos, doctrina eruditos.

Deinde Rex Navarræ opus habet hortatoribus in hac oppugnatione Cardinalium, Epiſcoporum, callidorum & experientium hominum. Et gratiſſimum illi erit intelligere, quam de ſe Germaniæ Principes exiſtimationem habeant: & quam habeant erga ſe & Regnum Galliæ benevolentiam; & quid ſibi ſuis aliquando neceſſariis temporibus ab ipſis Principibus expectandum ſit: & quod ſuum eſſe debeat officium, ſiquando ſuis etiam neceſſariis temporibus atque periculis Principes Imperii, Regni Galliæ & Navarræ conſilio & ope opus habeant.

Deinde ſi honeſtum officium faciunt Imperator, Rex Philippus, Papa, Regina Angliæ, quod Legatos mittunt: in hoc principio Regis novi, & novæ adminiſtrationis, cur non perneceſſarium & perhoneſtum officium faciant Priocipes, ſi idem ſibi uſurpent quod alii faciunt?

Atque eo iſtud Principes hoc tempore commodius facere poterunt, quod heri huc allatum eſt ex tribus Ordinibus Regni, Nobilitatem, quæ præſtantiſſima pars eſt, poſtulare, ut Rex Navarræ gubernator Regni nominetur: & illius ſit prima & ſumma auctoritas in omnibus negotiis: & Regina liberetur iſtis quotidianis Regni laboribus, & ut cum liberis vivat. Hujus Ordinis auctoritatem tertius Ordo ſequetur, qui eſt Civitatum. Solum cum Eccleſiaſticis erit contentio: inter quos taoen multi ſunt quorum ſententiæ cum Optimatium voluntatibus congruant.

Illud etiam nos conſolatur, quod Navarræ Rex ſocium fidum habet tanquam fortem Achatem, in cauſa religionis, D. Admiraldum, quem pii viri optimum conſiliarium, & conſtantiſſimum patronum nominare poterunt & debent.

Poſtremo ipſe Rex Navarræ aliquid hujuſmodi de Principibus Germaniæ expectat & expetit: quo ii confirmentur quos ſocios habet conſiliorum, qui terrentur illis voculis: Nullus Pontificis hoſtis unquam pugnavit feliciter. Nemo felix Princeps qui à Romana defecit Eccleſia. Hunc Pootificem ea eſſe induſtria, ut facile queat Cæſarem & Regem Philippum, & totam Italiam, Venetos, Sabaudos, & illos vicinos Helvetiorum quinque pagos, Florentinos, Ferrarienſes, in belli ſocietatem pertrahere. Etiam à populi &, ab Eccleſiaſticorum in ipſo Regno conſpiratione eſſe metuendum, & quidem vehementer.

Viſum mihi fuit iſta Illuſtriſſimæ Clementiæ Veſtræ perſcribere: qua in re primum Deum Patrem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum oro, ut ſuo Spiritu mentem I. C. V. reliquorumque Priocipum illuminet, ut quid optimum factu futurum ſit, decernatis. Deiode oro Celſitudinem Veſtram, ut mihi veniam det, ſi mea ſponte hæc ſcribam, motus cum iſtis diſſidiis Eccleſiarum, tum etiam exiſtimatione de Veſtræ Celſitudinis prudentia atque humanitate. Poſtremo etiam hac perturbatione Heidelbergenſis Academiæ: qua ſentio ex literis ad Doctorem Bozemium Celſitudinem Veſtram paterne commoveri. Poſtremo oro & obſecro Celſitudinem Veſtram, ut ne hæc mihi fraudi ſint, quæ diu noctuque in meis cogitationibus recondita, in Veſtræ Illuſtriſſimæ & Clementiſſimæ Celſitudinis ſinum ſum auſus deponere. Heri veſperi, quum ſuperiora magna ex parte deſcripta eſſent, ad me allata eſt Heshuſii reſponſio ad præjudicium Philippi Melanchthonis de controverſia Cœnæ Domini: ſic enim inſcribitur. Plane Melanchthonem in hæreticis Zuinglianis & Calvinianis habet. Illum locum Philippi ex Pauli ſenteotia de [illegible] refutat copioſe: ſed non vere. Adfert Auguſtinum contra huoc locum Philippi, quum tamen cootra ipſum faciat. Origenis auctoritatem contemnit auctoritate Lutheri & Epiphanii: quum tamen Epiphanius in refutandis erroribus Origenis, non faciat mentionem hujus dogmatis de Cœna Domini. Etiam Clementem contemnit: utrumque, tanquam ex tripode, magna cum arrogantia: vehementer commotus ſum. Scribam de illo libello & de illo altero pleoius ſententiam meam, ſi intellexero hoc meum ſtudium non ingratum eſſe Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ, & me tuto poſſe hujuſmodi meas commentationes Optimi Priocipis fidei atque taciturnitati committere. Meum eoim inſtitutum eſt, conſervare mea ſtudia ad concordiam, & ad compoſitionem diſcordiarum: propterea quod hæc ratio non obfutura eſt Eccleſiæ, & idonea meæ ſententiæ. Cœna Domioi & Baptiſmus duo ſuot poſtrema & ſempiterna Eccleſiæ Chriſti Sacramenta, quibus hic orbis poſt Chriſtum illiuſque doctrinam nihil habuit ſalutarius. De his ego ita ſentiendum & loquendum & docendum arbitror, ut nihil de illorum dignitate diminuatur: nihil tamen tradatur, quod naturæ ſenſibus horribile ſit, & quod adverſarium doctrinæ Chriſti & Apoſtolorum aut quod horum doctrina demonſtrari non poterit, neque expreſſuoi ſit verbis Jeſu Chriſti: cui poteſtas, potentia, imperium, ho-

nos, gloria in æuum ſempiternum, Amen. Argentorati, 19 Januarii. Anno M. D. LXI.

J. Calv. D. Joanni Knoxo.

QUatuor fere menſibus antequam poſtremæ tuæ literæ mihi redditæ ſunt, alteras abs te acceperam, quibus anxie te purgabas, quod quum amicis & conterraneis tuis reſponſum dediſſem ſuper certis quæſtionibus, ægre tuliſſem de his me iterum rogari. Sic autem res habet: niſi mihi polliciti fuiſſent literas tuto perlatum iri, ſaltem exemplar apud me ſervaſſem. Sed quum eorum culpa & parum conſiderata ſponſione fuiſſem nimis ſecurus: dum aliquanto poſt tempore dixerunt reſponſum illud, de quo aſſeruerant nihil timendum eſſe periculi, intercidiſſe, flagitaruntque ut novum laborem de integro ſuſciperem: commotus ſum, fateor, & ſuſpicioſum eſſe reſpondi quod petebant, acſi me inſidioſe tentarent. Ne autem mireris tam aſpere me loquutum fuiſſe: certo cognoveram prius illud conſilium non fuiſſe ex eorum ſententia. Ergo quum ſcirem illis minime eſſe ſatisfactum, probabilis conjectura animum meum ſubivit, ſuppreſſum cupere ipſos quod non placebat, & ad me redire, ut aliquid elicerent voto ſuo propius. Te vero doloſe quicquam egiſſe, neque dixi, neque ſuſpicatus ſum. Et eodem momento evanuerat offenſio illa, ut nihil excuſatione opus fuerit. Ac mihi dolet, quod exciderat ex ore meo, ſic in animum tuum penetraſſe, ut putares malæ fidei aut aſtutiæ, à qua te remotum eſſe judico, fuiſſe inſimulatum. Faceſſat igitur metus ille vel cura. Nunc ad tuas venio, quas mihi nuper attulit pius frater, qui ſe huc contulit ſtudiorum cauſa. Evangelium apud vos tam felices lætoſque progreſſus facere, vehementer, ut par eſt, lætor. Certamina vobis moveri, non novum eſt: ſed eo clarius refulget Dei virtus, quod hactenus nulli Satanæ & improborum conatus obſtiterunt, quominus victrice conſtantia pergeretis in recto curſu: quando ad reſiſtendum nunquam fuiſſetis pares, niſi è cælo vobis opem tuliſſet ille, qui ſuperior eſt toto mundo. In ceremoniis confido tuum rigorem, quamvis multis diſpliceat, moderatum tamen fore. Danda quidem opera eſt, ut Eccleſia ſordibus omnibus purgetur, quæ ex errore & ſuperſtitione manarunt. Sedulo etiam eniti oportet, ne fœdentur Dei myſteria ludicris vel inſipidis mixturis. Hac exceptione poſita, quædam, etſi minus probentur, toleranda eſſe non ignoras. Inteſtinis diſſidiis Proceres veſtros ſcindi, graviter doleo, ut par eſt: ac merito magis te angit ac torquet quod intus molitur Satan, quam turbatus antehac fueris ob motus Gallicos. Sed rogandus erit Deus, ut huic quoque malo medeatur. Hic verſamur inter multa diſcrimina. Una tantum cæleſtis præſidii fiducia nos à trepidatione eximit: quamvis non ſimus metu vacui. Vale eximie vir, & ex animo colende frater. Dominus tibi ſemper adſit, te gubernet, tueatur, ac ſuſtentet ſua virtute. Viduitas tua mihi, ut debet, triſtis & acerba eſt. Uxorem nactus èras, cui non reperiuntur paſſim ſimiles. Sed unde petendum ſit triſtitiæ ſolatium, quia probe edoctus es, non dubito quin patienter hanc calamitatem feras. Salutabis meo nomine perquam officioſe pios fratres. Collegæ quoque mei vobis multam ſalutem precantur. Genevæ, 23 Aprilis. M. D. LXI.

J. Calv. Christophoro Goodmanno.

LIteræ tuæ mihi variis nominibus gratiſſimæ fuerunt. Etſi autem ſupervacua fuit diuturni ſilentii excuſatio, quia neque ſcribendi officium exigere ſoleo ab amicis, & certo perſuaſus ſum fieri non poſſe, ut unquam amor erga me tuus intereat: libenter tamen eam amplexus ſum, quia piæ ſollicitudinis teſtimonium erat, ne putarem me fuiſſe neglectum. Fratrem noſtrum Knoxum etſi non parum doleo ſuaviſſima uxore fuiſſe privatum: gaudeo tamen ejus morte non ita fuiſſe afflictum, quin ſtrenue operam ſuam Chriſto & Eccleſiæ impendat. Non vulgare ſolatium eſt, quod te adjutorem fidiſſimum & apprime idoneum nactus eſt. Nec ſane video quomodo in tanta penuria tibi fas ſit hanc provinciam deſerere. Quin potius iſta quam merito deploras paucitas, te & reliquos excitare debet ad cordate pergendum. Quod ſi neceſſitas acerrimus eſt ſtimulus ad alacritatem, hoc certe in opere Domini maxime valere debet, in quo ſcimus nunquam irritos fore noſtros conatus, quum filios hujus ſeculi ſæpe fruſtretur ſua ânimoſitas. Pergendum igitur tibi cenſeo, integerr. frater, donec additis ſubſidiis Eccleſiam Scoticam melius ſtabilierit Deus. Vale eximie vir, & frater mihi colende. Dominus te gubernet Spiritu prudentiæ & fortitudinis, laboreſque tuos benedicat. Symmyſtæ mei te ſalutant. Genevæ, 23 Aprilis. M. D. LXI.

Calv. Fratribus Aquensibus.

DIlectiſſimi Domini & fratres, hoc unum vobis perſuaſum in primis volumus, non ſecus nos affici veſtrarum calamitatum ſenſu, quam fraternæ noſtræ conjunctionis jus & ratio poſtulat. Ita enim apud vos teſtandum duximus, ne exiſtimetis nos eo audacius vos ad tolerantiam cohortari, quod extra telorum jactum nunc quidem ſumus. Quum igitur communis ſit nobis vobiſcum doloris ſenſus, ſic tamen nobis moderari decet & frenum injicere, itáque inter nos conſilia conferre, ut illi uni cujus omnes in nos eſt, ſumma ac ſimplex obedientia exhibeatur. Scimus non deeſſe prætextum ſpecioſum, ubi vis à concitata plebe illata vi repellitur, quum hoc aliud ſit quam Magiſtratui reſiſtere: quum adeo leges ipſæ arma quibuſvis adverſus latrones induant. Atqui, ut non deſint ejuſmodi prætextus, ſumma tamen ſapientiæ noſtræ in eo ſita eſt, ut regulam à cæleſti magiſtro poſitam obſervemus, ut in patientia noſtra poſſideamus animas noſtras. *Luc. 21. verſ. 19.* Et ſane illud unum appoſitum eſt aſylum ac certiſſimum, ut ſub ipſius umbraculo unico ab æſtu & turbine quarumvis tempeſtatum recepti deliteſcamus. Jam ubi vim vi repellimus, ipſius manum & auxilium à nobis avertimus. Ac proinde Apoſtolus, ut frenum injiciat noſtris motibus, exhortatur nos ut demus locum iræ ipſius, atque innitamur ipſius promiſſioni, qua ſe protecturum & aſſerturum ſuos recepit poſtquam impii furorem ſuum in ſeipſos deſpumaverint. *Rom. 12. verſ. 19.* Si vero quod accidit vos percellit, ſperate Deum reipſa declaraturum, quod ſemper etiam conſtitit, ſanguinem piorum nempe non ſolum ad eum de terra clamaturum, ut illum requirat, ſed eundem etiam ſeminis loco futurum ad magnum Eccleſiæ incrementum. Nec fruſtra Scriptura tamdiu in eo immoratur, ut præcipitantiam noſtram pervincat, quum adeo ægre à nobis obtineri ſoleat, ut Deum ſinamus operari pro ſuo arbitrio, non autem ad noſtri affectus intemperiem. Quantumvis enim admoniti pridem ſimus, ſic ejus voluntatem eſſe, ut Eccleſiæ ipſius ædificium miro quodam modo aſſurgat: vix tamen ſuſtinemus ut vel lapidem illic compingat, quin fere rumpamur, ubi opus ex voto non procedit. Atqui hoc illud tempus eſt laborandi, & tempus tolerandi ſimul. Laborandi, inquam, dum viriliter agemus ac ſuperabimus quævis obſtacula, ubi officii noſtri ratio hoc feret. Nulla mors enim vel minima remiſſione hic non tolerabilior ducenda eſt: & tamen hoc non impediet, quin laborando ſimul tolerandum ſit: utque Spiritu manſuetu-

ſuetu-

ſuetudinis præditi, ſine ullo motu noſtro fluctus & tempeſtates adverſariorum frangamus. Si huic conſilio manum dederitis, ſperamus auxiliarem Domini manum vobis quamprimum adfuturam. Ac proinde ipſum oramus, ut vos regat Spiritu prudentiæ & fortitudinis, atque in omni bono proſperare donet, ut nomen ipſius glorificetur in vobis magis ac magis. 1 Maii. M. D. LXI.

Vobis addictiſſ. Calvinus.

JOANNES CALVINUS

Piis omnibus Dei cultoribus, qui regnum Chriſti in Gallia recte conſtitui cupiunt, S. D.

Præfatio J. Calvini in ſuarum in Danielem Prælectionum editionem.

ETſi patria vobiſcum mihi communi, cujus amœnitas multos ad ſe exteros ex remotiſſimis plagis allicit, jam totos viginti ſex annos non ægre carui: quod in ea terra habitare minime jucundum eſſet vel optabile, à qua exulabat Dei veritas, pura religio & æternæ ſalutis doctrina, à qua etiam profligatum erat Chriſti regnum, nec me ejus deſiderium hodie ſollicitat: gentis tamen ex qua ortundus ſum obliviſci, & curam abjicere, neque humanum neque fas eſſet. Ac me quidem illuſtribus documentis teſtatum eſſe arbitror, quam ſerio & ardenter cuperem noſtratibus prodeſſe: quibus etiam utilis forte fuit mea abſentia, quo uberiores ex meo ſtudio fructus perciperent. Cujus boni æſtimatio non omnem ſolum moleſtiam mihi abſterſit, ſed ſuave reddidit lætumque exilium. Quum itaque continuo illo temporis progreſſu conatus fuerim publice Gallis opitulari, nec deſtiterim privatim quoque torpentes excitare, tardos ſtimulare, trepidantes animare, dubios vel flexibiles hortari ad perſeverantiam: danda nunc fuit opera, ne in hoc tam neceſſario temporis articulo officium erga eos meum ceſſaret: cujus præſtandi divinitus optima data fuit opportunitas. Nam quum in lucem exirent meæ Prælectiones quibus Danielis prophetias interpretatus ſum, nihil accidere commodius potuit, quam ſi in hoc ſpeculo vobis demonſtrarem, fratres ex animo dilecti, quum hac ætate variis certaminibus probare vellet Deus ſuorum fidem, pro admirabili ſua ſapientia, veteribus exemplis fulciendos curaſſe eorum animos, ne graviſſimis quoque procellis aut tempeſtatibus concuſſi unquam labaſcant: vel ſaltem, ſiquando nutare contigerit, ne deficiant ad extremum. Quamvis enim ſtadium ſervis Dei propoſitum ſit multis obſtaculis impeditum, quiſquis librum hunc diligenter evolverit, quicquid voluntario nec ignavo curſori à carceribus ad metam uſque dirigendo aptum eſt, in eo comprehenſum reperiet: boni etiam ac ſtrenui athletæ experimento agnoſcent ſe ad luctam ſatis eſſe inſtructos. Primum occurret hiſtoria triſtis quidem, ſed valde fructuoſa, Danielem ejuſque ſodales, ſtante adhuc regno & ſacerdotio, in exilium fuiſſe tractos: acſi Deus per ignominiam & probrum extremæ calamitati addiceret præcipuum electi populi florem. Quid enim primo intuitu magis indignum, quam pueros Angelicis fere virtutibus præditos, ſuperbo victori tanquam mancipia in prædam cedere, quum domi incolumes manerent ſceleratiſſimi quique & perditi Dei contemptores? Hæccine pietatis & innoxiæ vitæ merces, impiis ſuaviter ob impunitatem ſibi blandientibus, quam illi meriti erant pœnam, ſanctos luere? Verum hic quaſi in viva imagine cernimus, Deum, ubi peſſimis quibuſque ad tempus parcit, atque etiam indulget, ſervos ſuos inſtar auri & argenti examinare, ne durum nobis ſit, dum placida quiete fruuntur profani homines, in fornacem probationis conjici. Accedet ſecundo loco exemplum pluſquam virilis prudentiæ & continentiæ ſingularis, cum animi magnitudine plane heroica, dum aulicis illecebris tentati pii adoleſcentes in tenera illa ætate, non modo temperantia ſuperant oblatas ſibi delicias: ſed quia videbant aſtute ſe captari ut paulatim à ſincero Dei cultu deſciſcerent, ut ſe à Diaboli laqueis extricent, honorem veneno illitum non abſque præſenti mortis periculo fortiter libereque aſpernantur. Sequetur pugna ſævior & magis formidabilis, cum memorabilis conſtantiæ incredibilis exemplo, dum neque atrocibus minis flectuntur Danielis ſocii, ut ſtatuæ adoratione ſe polluant, ac tandem non ſuo tantum ſanguine, ſed horribili cruciatu, qui oculis erat propoſitus, parati ſunt ſincerum Dei cultum vindicare. Quæ vero in hujus tragœdiæ exitu relucet Dei bonitas, ad nos invicta fiducia armandos non parum valebit. Addetur non abſimilis Danielis ipſius pugna & victoria eadem, dum leonum truculentiæ objici maluit, quam triduo ab ingenua fidei profeſſione abſiſtere, ne perfida ſimulatione ſacrum Dei nomen proſtitueret impiorum ludibriis, & mirabiliter è fovea non ſecus ac è ſepulchro erutus, de Satana ejuſque factione triumphavit. Hic non prodeunt in medium Philoſophi, qui ſubtiliter in umbra & otio diſſerant de virtutibus: ſed infatigabilis ſanctorum virorum in ſtudio pietatis conſtantia nos ad eorum imitationem clara voce invitat. Ergo, niſi prorſus ſimus indociles, ab his magiſtris diſcere convenit, ſive blanditiarum laqueos tendat Satan, prudenter, ne irretiamur, cavendum eſſe: ſive nos violenter aggrediatur, intrepido mortis & malorum omnium contemptu frangendos eſſe ejus inſultus. Siquis excipiat, rara eſſe quæ retulimus utriuſque liberationis exempla: fateor certe Deum non eodem ſemper modo ad ſuos ſervandos manum è cælis exerere, ſed quod nobis ſatis eſſe debet, teſtatum fecit fidum ſe fore vitæ noſtræ cuſtodem, quoties in aliquo diſcrimine verſabitur: nec impiorum libidini nos eſſe expoſitos, quin eorum furorem & turbulentos conatus, ſi ita viſum fuerit, compeſcat. Nec vero eventus tantum ſpectandus eſt, ſed quam animoſe ſancti viri pro aſſerenda Dei gloria ſe morti devoverint: nec quia Dei beneficio erepti ſunt, ideo minus laudis meretur prompta eorum voluntas, quum ſe victimas obtulerint. Jam inter quot agitationes jactatus fuerit Propheta annis ſeptuaginta, quos in exilio tranſegit, reputare operæpretium eſt. A nullo Rege æque humaniter tractatus eſt atque à Nabuchadnezar: quem tamen expertus eſt feram beſtiam. Aliorum major crudelitas: donec ſubito interitu Balſazar, & urbis expugnatione, ad novos dominos Perſas & Medos traductus eſt: quorum hoſtilis irruptio quum omnibus pavorem incuteret, minime dubium eſt quin perculerit ejus animum. Etſi autem clementer à Dario fuit exceptus, ut ſervitus illa quodammodo eſſet tolerabilis: Procerum tamen invidia ſceleſtaque conſpiratione tunc maxime periclitatus eſt. Verum ut de communi Eccleſiæ ſalute magis erat ſollicitus, quam privatæ quieti ſtudebat: in quanto mœrore eum jacuiſſe probabile eſt, & quanta anxietate fuiſſe conſtrictum, cùm tam duræ & miſeræ populi oppreſſioni nullum finem oſtenderet rerum ſtatus? Acquieſcebat quidem in Jeremiæ vaticinio: ſed ejus ſpem tamdiu ſuſpenſam non langueſcere, incomparabilis tolerantiæ fuit: imo inter tempeſtuoſos fluctus varie diſtractam non ſubmergi. Nunc ad prophetias venio: quarum priores deſtinatæ fuerunt Babyloniis: partim quia Deus ſervum ſuum certis inſignibus ornare voluit, quæ gentem ſuperbiſſimam & victricem, ipſum revereri cogerent: partim quia oportuit nomen ejus apud profanos veneratione dignum cenſeri, ut auctoritate præditus, apud ſuos munus Propheticum liberius exerceret. Poſtquam vero celebre apud Chaldæos fuit ejus nomen, prophetias majoris momenti Deus apud ipſum depoſuit, quæ peculiares eſſent electo populo. Porro ſic eas Deus accommodavit in uſum veteris populi, quæ & dolorem lenirent

Digitized by Google

rent opportunis remediis, & vacillantes animos ad Chriſti uſque adventum ſuſtentarent: ut noſtræ quoque ætatis non minorem habuerit rationem. Nam quod de fluxo & evanido Monarchiarum ſplendore & perpetuo regni Chriſti ſtatu prædictum eſt, hodie non minus eſt utile cognitu, quam olim. Oſtendit enim Deus omnem terrenam potentiam, quæ in Chriſto fundata non eſt, caducam eſſe: Regnis vero omnibus, quæ ſe nimium efferendo, Chriſti gloriam obſcurant, brevem interitum minatus eſt. Qui nunc longe lateque dominantur Reges, niſi ultro ſe Chriſti imperio ſubjiciant, triſti experientia tandem ſentient ad ſe quoque pertinere horribile illud judicium. Et quid minus tolerabile, quam eum fraudare jure ſuo, cujus præſidio ſalva manet eorum dignitas? Atqui videmus quam pauci ex eorum numero, Dei Filium admittant: imo ut omnes moveant lapides, atque extrema quæque potius tentent, quam ſinant in ſuos fines penetrare: multi etiam Conſiliarii totam ſuam induſtriam & ſtudia ad claudendos omnes aditus ſedulo conferunt. Quod vero interea & nomen Chriſtianum obtendunt, & ſe fidei Catholicæ optimos defenſores jactant, nullo negotio refellitur tam frivola vanitas, ſi tenetur vera & genuina regni Chriſti definitio. Noo enim aliud eſt ejus vel ſolium, vel ſceptrum, quam Euangelii doctrina: nec alibi refulget ejus majeſtas, nec aliter imperium ſuum obtinet, quam ubi omnes à ſummis ad infimos placida docilitate inſtar ovium vocem ejus audiunt, & quocunque vocet, ſequuntur. Doctrinam hanc, qua continetur certa religio atque legitimus Dei cultus, in qua æterna hominum ſalus & vera felicitas conſiſtit, non modo paſſim repudiant: ſed minis, terroribus, ferro flammaque procul abigunt: nec quicquam omittunt violentiæ ad eam exterminandam. Quænam vero cæcitas, & quam prodigioſa, ut quos ad ſe comiter invitat unigenitus Dei Filius, non ſuſtineant ipſum oſculari? Sed multi pro ſua ſuperbia, ſcilicet, exiſtimant ſe in ordinem cogi, ſi ſummo Regi faſces ſubmittant: alii ſuas libidines frenari nolunt. Atque ut omnium ſenſus occupat hypocriſis, tenebras appetunt, & in lucem protrahi formidant. Nulla tamen peſtis deterior, quam Herodis metus: quaſi terrena imperia raperet Monarchis, qui minimis quibuſque & contemptiſſimis ex plebe hominibus cæleſte offert. Adde quod dum alii alios reſpiciunt, mutua colligatio exitiali nexu omnes devinctos retinet ſub impietatis jugo. Nam ſi ſerio in animum inducerent quid verum ſit ac rectum ſciſcitari, imo ſi tantum aperirent oculos, non obſcura eſſet cognitio. Sed quia uſu fere compertum eſt, ubi emergit cum Euangelio ſuo Chriſtus, ſimul graves motus oriri: honeſto prætextu rejiciunt cæleſtem doctrinam, ut publicæ tranquillitati conſulant. Merito, fateor, odioſa cenſeri poteſt quæ turbas gignit mutatio: ſed gravis Deo ſit injuria, niſi hoc ſaltem defertur ejus virtuti, ut qualeſcunque ferveant tumultus, illis ſedatis, regnum Filii ſui ſtabiliat. Quamvis cælum terræ miſceri contingat, pretioſior eſt Dei cultus, quam ut ulla mercede penſetur mioima ejus diminutio. Sed falſa invidia gravant Euangelium, qui perturbationum materiam eſſe fingunt. Verum quidem eſt, Deum illic oris ſui vehementia tonare, quæ concutiat cælum & terram: ſed dum hoc elogio gratiam illius prædicationi conciliat Propheta, felix & optanda eſt illa concuſſio. *Agg. 2:7.* Et certe ſi non eminet in ſuo gradu Dei gloria, donec humilietur univerſa caro, ſuperbiam hominum, quæ ſe contra attollit, nec unquam cedit niſi invita, forti & valida Dei ipſius manu proſterni neceſſe eſt. *Exod. 19. verſ. 18.* Quod ſi ad Legis promulgationem contremuit terra, nihil mirum ſi vis & efficacia Euangelii ſplendidior appareat. Quare eo ſuavius decebat amplexari doctrinam, quæ dum mortuos ab inferis excitat, & indignis quos terra ſuſtineat, cælum aperit, inſolitam virtutem exerit: acſi elementa omnia ſaluti noſtræ ſubſcriberent. Ecce autem ex alio fonte manant procellæ & tempeſtates: quia nunc Proceres & qui in mundo excellunt, non libenter ſubeunt Chriſti jugum: nunc imperitum vulgus, antequam guſtum capiat, quicquid ſalutare eſt reſpuit: pars etiam in ſordibus, porcorum inſtar, ſe oblectat: alii tanquam à Furiis perciti, per cædes graſſantur. Præcipuo autem furore ad omnia turbanda Diabolus inſtigat, quos habet ſibi prorſus mancipatos. Hinc clangor tubarum: hinc conflictus & prælia, dum Heliogabalus Romanus Sacerdos cum rubra ſua & ſanguinaria cohorte & cornutis beſtiis præcipiti impetu contra Chriſtum inſanit, & undique accerſit ſuppetias ex fœtidi Cleri ſui colluvie, quæ tota, & ſi non paribus lautitiis, offas tamen quibus paſcatur, ex eadem olla profectas ſorbet: multi quoque famelici ad conducendas operas advolant: magna pars Judicum, quæ dudum Saliaribus epulis ventrem farcire conſuevit, pro culina & foco pugnat: præſertim vero rabulas ex clauſtris Monachalibus & Sorbonicis luſtris emittit, qui tanquam flabella ignem accendant. Omitto clandeſtinas artes & nefandas conſpirationes, quarum mihi teſtes optimi eſſe poſſent qui infeſtiſſimi ſunt pietatis hoſtes. Neminem nomino: ſatis eſt digito monſtraſſe, qui ſatis ſuperque vobis noti ſunt. In hac confuſa tot beſtiarum irruptione ſi perplexi hæreant, qui pendent à multiplici rerum eventu, nihil mirum eſt: ſed diffidentiæ ſuæ culpam iojuſte & perperam rejiciunt in ſacrum Chriſti Euangelium. Demus totum Acheronta cum ſuis Furiis jam ad prælium deſcendere: an Deus in cælis otioſus ſedebit, ut cauſam ſuam deſerat & prodat? atque ubi ſe oppoſuerit, an ejus victoriam impedient quamlibet verſutæ hominum aſtutiæ, vel impetuoſi conatus? Papa, inquiunt, longam factionem ſecum trahet. Juſta incredulitatis merces, trepidare ad ſtrepitum folii cadentis. Quid vos autem male providi Conſiliarii? Faceſſat Chriſtus, ne quid turbet novitas. Paulo poſt ergo ſentietis, quanto ſatius fuiſſet Deum habere propitium, & ſpretis nihili terroribus in ejus præſidio conquieſcere, quam eum aperto bello laceſſere, ne malos & ſiniſtros genios ad iram provocetis. Certe ubi omnia diſcuſſa fuerint, Papæ defenſoribus ſuperſtitio quæ hactenus regnavit, nihil aliud eſt quam malum bene poſitum; quod movendum eſſe non cenſent, quia ſine jactura non poſſe fieri videtur. Quibus vero cordi eſt Dei gloria, & qui ſincera pietate ſunt præditi, longe aliud propoſitum eſſe debet: nempe ita ſuam operam Deo impendere, ut eventus omnes ejus providentiæ commendent. Qui ſi nihil nobis eſſet pollicitus, forte juſta eſſet timendi & aſſidue vacillandi cauſa: ſed quum toties ſit teſtatus nunquam auxilium ſuum in aſſerendo Chriſti ſui regno defore, in hac fiducia recumbere, unicum eſt recte agendi compendium. Porro veſtrum eſt, optimi fratres, quantum feret cujuſque facultas, & vocatio poſtulabit, cordate ſatagere ut vera religio integrum ſtatum recuperet. Quantopere hactenus conatus ſim omnes tumultuandi anſas præcidere, referre neceſſe non eſt: modo coram ſummo Judice, Angelos & vos omnes habeam teſtes, per me noo ſtetiſſe, quominus ſedatos abſque ulla noxa progreſſus ageret Chriſti regnum. Et aliquid mea ſedulitate profectum eſſe arbitror, ne ſuas metas tranſilirent privati homines. Nunc etſi admirabili virtute longius Eccleſiæ ſuæ reſtitutionem provexit Deus, quam auſus fuiſſem ſperare, memoria tamen repetere convenit quid ſuis præcipiat Chriſtus, nempe ut animas ſuas in tolerantia poſſideant. *Luc. 21. verſ. 19.* Quo etiam pertinet quæ à Daniele expoſita fuit viſio: Lapidem, à quo contrita ſunt quæcunque Deo bellum intulerant Regna, non fuiſſe hominum manu formatum: & quamvis rudis eſſet ac impolitus, creviſſe tamen in magnum montem. *Dan. 2. verſ. 44.*

Cujus

Cujus rei vos monendos eſſe duxi, ut inter minarum tonitrua placide expectetis, dum inanes nebulæ cæleſti virtute diſcuſſæ evaneſcant. Nec vero me latet, ut de innumeris triginta annorum ignibus taceam, quantas indignitates bis poſtremis ſex menſibus pertuleritis: quoties pluribus in locis à tumultuoſa plebe facta in vos fuerit irruptio: quoties fueritis impetiti nunc lapidibus, nunc gladiis: ut inſidiati fuerint hoſtes, quo pacatos veſtros conventus ſubita vi & inopinata opprimerent: ut occiſi fuerint alii in ædibus ſuis, alii in compitis, tracta per ludibrium mortuorum corpora, raptatæ mulieres, plurimi vulnerati, gravida etiam mulier cum ſuo fœtu transfoſſa fuerit, ædes effractæ ac dirutæ. Verum quamvis atrociora adhuc inſtarent, ut vos probetis Chriſti diſcipulos, probeque in ejus ſchola formatos, danda opera eſt, ne ulla impiorum rabies, dum ita intemperanter feruntur, moderationem, qua ſola hactenus victi fractique fuerunt, excutiat. Quod ſi tædium vobis afferat diuturnitas, ſubinde in mentem redeat celebre illud vaticinium, in quo ad vivum Eccleſiæ conditio depicta eſt.

Hæc autem tum erant præludia tantum eorum quæ eodem modo articulatim annis ſequentibus acciderunt piis viris ac mulieribus in Gallia.

Oſtendit quidem tunc Prophetæ ſuo Deus, quæ certamina, anxietates, moleſtiæ, diſcrimina Judæos manerent à fine exilii, lætoque in patriam reditu, uſque ad Chriſti adventum: ſed facit temporum ſimilitudo, ut nobis eadem conveniant, ac proinde aptanda ſint in uſum noſtrum. Miſeræ Eccleſiæ, quæ diu profundo malorum diluvio ſubmerſa fuerat, gratulabatur Daniel, quum ex annorum ſupputatione colligeret, inſtare liberationis diem à Jeremia prædictum. Atqui reſponſum accipit, acerbiorem fore populi ſortem ex quo reddita fuerit libertas, ut à continua ingentium malorum ſerie vix reſpiret.

Jer. 25. verſ. 12. & 29: 10.

Non ſine ſumma doloris amaritudine & multis faſtidiis ſpem ſuam protexerat annis ſeptuaginta: nunc Deus tempus ſeptuplicando, lethale quodammodo vulnus cordi ejus penitus infligit. Nec vero tantum pronunciat, populum, ubi poſtliminio reverſus vires collegerit, urbemque & templum extruxerit, novis poſtea moleſtiis fore obnoxium: ſed inter ipſa lætitiæ primordia, vixdum guſtata gratiæ ſuavitate, anxietati eum addicit. Jam calamitates quæ paulo poſt ſequutæ ſunt, quarum multiplex illic texitur catalogus, quum ad ſolum auditum nunc expaveſcamus, quam putamus rudi populo lugubres fuiſſe & acerbas? Templum videre profanatum ſacrilegi tyranni audacia, ſacra probroſe mixta fœdis inquinamentis, libros omnes Legis in ignem conjici, ut tota religio aboleretur, quam horribile fuit ſpectaculum? Ad idem incendium raptari quicunque ingenue conſtanterque profitebantur ſe perſtare in Dei cultu, quî poterant teneri & debiles ſine ingenti conſternatione aſpicere? Et hoc erat conſilium tyranni, ut immanitas ad defectionem minus cordatos adigeret.

2 Mach. 6. verſ. 16. & cap. 7.

Sub Machabæis quædam viſa eſt relaxatio offerri, ſed quæ mox ſæviſſimis cladibus deformata, nunquam luctu & mœrore caruit. Nam quum hoſtis & copiis & omni bellico apparatu longe præcelleret, nihil potius fuit omnibus qui pro defenſione Eccleſiæ arma ſumpſerant, quam ſe abdere in ferarum luſtra, aut vagari per ſylvas in ſumma egeſtate, rerumque omnium inopia.

1 Mach. cap. 2. &c. & lib. 2. cap. 8. &c.

Acceſſit aliud genus tentationis, quod ſe improbi & perfidi, fallaci zeli jactantia, ut dicit Daniel, Judæ & ejus fratribus adjunxerunt. Quo artificio Satan infamia aſperſit manum à Juda collectam, acſi latrunculorum eſſet turba.

Dan. 11. verſ. 32, 33, 34, & 35.

Sed bonis nihil magis luctuoſum, quam dum ſacerdotes ipſi, prout quemque rapiebat ſua ambitio, nefariis pactis Templum & Dei cultum prodiderunt. Nec modo venalis fuit ſacra illa dignitas: ſed empta mutuis cædibus, atque etiam parricidiis. Hinc factum, ut omnium ordinum homines, quamvis Circumciſio & ſacrificia in uſu ſuo manerent, corruptelis ita paſſim & impune graſſantibus, tandem profaneſcerent: ut rarum fuerit miraculum, quo tempore apparuit Chriſtus, regnum Dei expectare. Pauciſſimi enim hac laude inſigniuntur. Si in illa indigna Eccleſiæ deformitate, in multis diſſipationibus, inter diros terrores, agrorum vaſtationem, ædium direptiones, mortis pericula, pios animos ſuſtinuit Danielis vaticinium, quum adhuc obſcuris umbris implicita eſſet religio, & doctrina fere extincta, & ſacerdotes ipſi, ut erant degeneres, ſacra omnia peſſundarent: quam pudenda erit noſtra mollities, niſi hæc Euangelii claritas, in qua Deus paternam faciem nobis oſtendit, ſurſum nos ſupra omnia obſtacula attollat, conſtantiaque infatigabili fulciat? Sicuti enim dubium non eſt quin tunc ſervi Dei, quæ de exilio Babylonico à Prophetis dicta erant, ad ſuam ætatem accommodarint leniendo præſentium malorum dolori: ita noſtrum eſt oculos habere defixos in Patrum miſerias, ne refugiamus ad eam Eccleſiam aggregari, cui dictum eſt, Paupercula, tempeſtate obruta, & ſolatio privata, ecce ego te ſuſcipio: & quæ alibi, poſtquam conqueſta eſt dorſum ſuum fuiſſe laceratum ab impiis, non ſecus atque ager ſub ſulci tractu proſcinditur, gloriatur tamen continuo poſt inciſos fuiſſe illorum funes à Deo juſto, ut non prævaluerint.

Eſa. 54. verſ. 11.

Pſal. 129. v. 1, 2, 3, & 4.

Nec vero illorum modo temporum exemplis ad ſpem & patientiam nos animavit Propheta: ſed exhortationem à Spiritu dictatam, quæ ad totum Chriſti regnum extenditur, nobiſque propria eſt, adjunxit. Quare nobis durum non ſit in eorum numero comprehendi, quos igni probatum iri denunciat ut dealbentur, quum omnes crucis moleſtias ſatis ſuperque compenſet inæſtimabilis felicitas & gloria quæ inde naſcitur. Ac quanquam hæc plurimis ſunt inſipida: ne eorum ſocordia & ſtupor nos ſegniores reddat, probe cordibus infixum ſit quod mox denunciat Propheta, impios impie quidem acturos, quia nihil intelligent: filios tamen Dei intelligentia fore præditos, ut rectum divinæ vocationis curſum teneant.

Dan. 11. ut ſupr.

Fontem quoque brutæ illius cæcitatis, quæ vulgo cernitur, tenere operæpretium eſt, ut nobis cæleſtis doctrina ſapiat. Neque enim aliunde fit ut Chriſtum cum ſuo Euangelio major pars vilipendat, niſi quod ſecure ſibi indulgendo, neque timore ullo, nec malorum ſuorum ſenſu, nec iræ Dei horrore expergiſcuntur ad ſerio ardenterque appetendam, quæ ſola nos ab æterni interitus abyſſo eripit, redemptionem. Interea vero deliciis, voluptatibus, & aliis illecebris capti, vel potius faſcinati, nulla tanguntur beatæ æternitatis cura. Etſi autem multiplices ſunt eorum ſectæ, à quibus Euangelii doctrina contemptim deſpicitur: ac in aliis magis eminet ſuperbia, in aliis mollities, in aliis quædam mentis ebrietas, in aliis ſomnolentus torpor: reperiemus tamen ex profana ſecuritate manare contemptum, quia nemo in ſeipſum deſcendit ad excutiendas ſuas miſerias, ut illis remedium quærat. Prodigioſa quidem dementia eſt, ubi nobis incumbit Dei maledictio, juſtaque ejus vindicta nos urget, excuſſa omni ſollicitudine nobis adhuc placere, acſi nihil eſſet metuendum. Atqui vitium plus quam commune eſt, ut qui millies rei ſunt, dignique mille æternis mortibus, frivolis ceremoniis erga Deum leviter defuncti, ſoporem, vel potius veternum, ſibi obducant. Porro quum denunciet Paulus mortiferum eſſe Euangelii odorem omnibus quorum mentes Satan faſcinavit, ut ſaporem ejus in vitam guſtemus, neceſſe eſt ad Dei tribunal nos ſiſtere, & illuc ſubinde citare noſtras conſcientias, quibus ſerio terrore vulneratis, reconciliatio quam pretioſo ſuo ſanguine nobis Chriſtus peperit, pro ſua dignitate & pretio à nobis æſtimetur.

2 Cor. 2. verſ. 16.

Itaque Angelus, ut Chriſti doctrinæ reverentiam & auctoritatem conciliet, concionatur de æterna juſtitia, quam mortis ſuæ ſacrificio obſignavit: modum & rationem ſimul exprimens, quia deleta fuerit ac expiata iniquitas. Nos ergo, dum mundus in ſuis laſciviis bacchatur,

Dan. 9. verſ. 24.

damna-

damnationis quam meriti ſumus cognitio eapavefactos coram Deo humiliet: ac dum ſe profani homines terrenis deliciis ingurgitant, cupide amplexemur hunc incomparabilem theſaurum, in quo recondita eſt ſolida beatitudo. Garriant hoſtes noſtri ut libuerit, ſibi quoque curæ eſſe ut Deum habeant propitium: quum nonniſi dubitanter invocandum eſſe ſentiant, quod erat ſalutis fundamentum ab illis everti conſtat. Fidem noſtram qua volent petulantia inſectentur, modo nobis liquido conſtet, neminem niſi ejus beneficio hanc prærogativam conſequi, ut libere pacataque fiducia Chriſti patrocinio fretus Deum Patrem invocet. Verum nunquam vigebit ut par eſt, in nobis pietatis ſtudium, donec mentes noſtras, quæ alioqui in terram nimis propenſæ ſunt, ſurſum attollere diſcamus, eaſque in continua cæleſtis vitæ meditatione exercere. Qua in parte ſe prodit mira humani generis vanitas, quod quum omnes de hujus vitæ brevitate quaſi Philoſophi præclare loquantur: nemo tamen ad illam perpetuam aſpirat. Itaque non
Coloſſ. 1. verſ. 5. abs re Paulus Coloſſenſium fidem & charitatem commendans, eos per ſpem animari dicit, quæ in cælis
Tit. 2. v. 12,13. repoſita eſt. Alibi vero de fine gratiæ diſſerens, quæ nobis in Chriſto patefacta eſt, dicit nos inde erudiri, ut abnegata omni impietate mundaniſque deſideriis, ſobrie, juſte & pie vivamus in hoc mundo, eapectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hæc igitur eapectatio impedimentis omnibus ſolutos ad ſe nos rapiat: & quo magis Epicurea tabe refertus eſt orbis, ne ad nos uſque ſerpat contagio, eo acrius eniti nos decet, donec ad metam pertigerimus. Porro etſi dolendum eſt, tantam turbam ultro perire: quod tamen in ſuum eaitium quaſi devoti ruunt, ne nos conturbet veſanus eorum furor, ſuccurrat altera Danie-
Dan. 12. verſ. 1. lis admonitio, ſalutem certam omnibus repoſitam eſſe qui inventi fuerint ſcripti io libro. Quamvis autem in arcano Dei conſilio, quæ prima eſt ſalutis noſtræ cauſa, electio abſcondita ſit, quando tamen omnium qui io Chriſti corpus fide Euangelii inſerti ſunt, minime dubia eſt adoptio, hoc teſtimonio contenti, ſtrenue in curſu feliciter incepto pergite. Quod ſi diutius adhuc dimicandum erit (ut vobis denuncio reſtare duriores quam putatis pugnas) quocunque impetu ebulliat ioipiorum rabies, atque ut totos inferos conciteot, memineritis finitum vobis eſſe ſtadium à cæleſti Agonotheta, cujus legibus eo alacrius parendum eſt, quia ſuis vires ad finem uſque ſuppeditat. Quando autem mihi fas non eſt ſtationem in qua me Deus manere voluit, deſerere, hic meus labor vobis dicatus, mei ad vos adjuvandos ſtudii pignus ſit, donec completa mea peregrinatione, cæleſtis Pater pro immenſa ſua miſericordia in æternam hæreditatem ſimul vobiſcum me colligat. Dominus vos gubernet Spiritu ſuo, fratrer ex animo mihi chariſſimi, tueatur ſuo præſidio contra omnes hoſtium machinas, invictaque virtute ſuſtineat. Genevæ, 14. Calendas Septembris. M. D. LXI.

Beza Calvino s. d.

Ex Gall. APpuli in aulam ante biduum, tanto Procerum noſtrorum eaceptus ſtudio, ut vix mihi reſpirandi ſpatium daretur, ut ſingulis me ſiſterem. Primùm Admiralium offendi, quem via ſalutaram, quum Navarrenus & Condenſis in me ſeſe ita effuderunt, ut ad ſummam eorum benevolentiam deſiderari nihil poſſet. Atque illic continuo ſum ſuſpicatus Cardinales Borbonium & Caſtilionæum utrumque mihi dexteram prætendentem: cùm ſigillatim omnia perſequi non poſſim, illud indicaſſe ſufficiet, proteſtatum me eſſe apud Borbooium, nullo modo ab illo mutatum me eſſe, quem alias alloqui dedignatus eſſet ne eacommunicationem ſubiret. Regeſſit ille, ſibi jam eſſe in animo de re tota amplius audire. Ego viciſſim meam operam ita obtuli, ut eandem illi mentem ſimul precarer io poſterum. Atque tum fere ulterius gliſcebat ſermo, niſi bonus ille vir paucis egiſſet, quem & ipſe in eo ſequutus ſum. Quod ad Navarrenum, ſumma orationis meæ ad illum fuit, vereri me ut adventus iſte meus illi tam gratus brevi futurus ſit: quod ubi illum ſubridentem audire animadverti, Atqui, inquam, quod per jocum ita accipis, ſerio tibi à me dictum puta. Totum iſtud ſemihoram circiter abſtulit. Et nox inſtabat. Illi ad Reginam, ego majore turba cinctus quam putaram ad Dominam Cond. Principem & Admiraliam deducor, in quibus ſingulare omnino pietatis ſtudium deprehendi. Poſtridie, qui fuit heſternus dies, concionem habui in Principis ædibus, frequenti cœtu & perquam honorato. Ille aberat, diſtractus nimirum certo ſuo negotio cum altero illo quem non ignoras, quod eodem die uti confectum eſt, ipſe mihi privatim communicavit, atque acta illius rei exhibuit: quorum hæc ſumma erat, Adverſarium ipſius teſtatum coram ipſa Regina & Regio Conſilio, nullo modo ſe in cauſa fuiſſe cur Princeps in cuſtodia haberetur: Ipſum excepiſſe, habere ſe pro improbis ad quoſcunque ejus rei nota pertineret. Ego ſic credo, reſpondit ille, & hoc ad me non ſpectat ullo modo. Rogatus quid ſentirem, verba illa ambiguitatem præ ſe ferre reſpondi: ſed quod ad illas res attineret, relinquere me illis eorum cognitionem, qui melius tenerent quid eſſet ex ipſius honore & dignitate. Quod ad privatam ipſius injuriam, non ignorare ipſum, cui uni vindicta omnis committenda eſſet. Interea neminem inter Dei amicos cenſeri poſſe, qui ſeſe inimicum oſorum Dei & Eccleſiæ ipſius eo uno nomine noo profiteretur. Reſpondit, non defuturam nobis ex iſta conciliatione Dei laudandi occaſionem, modo firma ſtaret. Ac re ipſa magnæ turbæ naſcituræ eraot ex illis privatis affectibus: ac modo occaſio ulterius pergendi ſemel præciſa ſit, dolendum non eſt quod illa jurgia ita ſopita ſint, ut cum eo de quo nunc agitur à nobis, nihil inde permiſceatur. Atque is fuit rei illius exitus, à qua non parum metuebamus, modo ne caudam aliam trahat io poſterum. Eodem die ad ſupplicem libellum noſtrorum reſponſum eſt à Rege, nos auditum iri, adverſarios etiam judices nobis non ceſſuros: non deeſt tamen quod nos adhuc impeditos teneat, ut abſolutum reſponſum non obtinuerimus: quod tamen in audientia publica ſolenniter nobis datum iri audimus. Saltem brevis & optati exitus ſpes non deeſt. Poſt cœnam, adeoque ſub nonam vocatus in cubiculum Navarreni, præter illum ex inſperato offendi ibidem Reginam matrem, Condenſem, Stampenſem, Borbonium & Lotharenum Cardinales, Curſoliam cum altera quadam. Sic fere interceptus, mihi tamen Dei beneficio non defui, quin Reginæ cauſam adventus mei ſtudiumque in patriam propenſum ſignificarem: quod illa perhumano iſto reſponſo accepit, Maximæ ſibi lætitiæ futurum, ſi re ipſa hoc ita conſtaret, unde regno pax & quies procuraretur. Tum Cardinalis Lotharenus ſubjecit, ſibi me ante ex ſcriptis meis tantum cognitum fuiſſe, hortari autem præſentem, ut paci & concordiæ ſtuderem: additis inſuper his ipſis verbis, quas abſens ſcriptis regno turbas dediſſem, eaſdem meo adventu fortaſſe ſedatum iri. Hic ego iterum de meo erga Regem & patriam ſecundum Deum intento ſtudio teſtatus, Quum ea ſit, inquam, mea tenuitas ut tanto Regno ab illa turbæ nullæ unquam metuendæ ſint: tum vero ab ejuſmodi cogitatione ſemper alieniſſimum fuiſſe me, & ſcriptis ante abunde docuiſſe, & in mutua porro collatione patefacturum eſſe. Rogat me tum Regina, ecquid Gallice ſcripſiſſem. Scripſi, inquam, tranſlationem Gallicam Pſalm. ac reſponſum quoddam ad confeſſionem Ducis Northumbriæ. Occaſio ſermonis erat, quod ad illam delatus eſſem ut auctor probroſi cujuſdam carminis, quod anno ſuperiore per

Gal-

Galliam circumferebatur: quod à me nullo modo profectum eſſe, aperte & diſerte coram illa teſtatus ſum. Rogatus de tua ætate & habitu, reſpondi quod res erat. Cœpit tum Cardinalis mentionem iujicere libri cujuſdam quem Poſſiaci haberet, da re Sacramentaria, qui liber meum nomen præferret: in eo, inquit, legi aliquid quod mihi perabſurdum videtur, Perinde nempe quærendum eſſe nunc Chriſtum in Cœna, atque antequam ex Virginis utero produſſet. Præterea, inquit, in altero quodam libro tuo ſic te ſcripſiſſe audio: (nam librum ipſe non vidi) nempe quod Chriſtus ſit in Cœna ſicut in cœno. Hoc quum Reginam & qui aderant audientes commoviſſet, excepi, ſi libri ipſi coram offerrentur certius multo pro meis agniturum, ſi quidem mei eſſent. Quod ad primam illam poſitionem, poſſe illam aliquantum abſurdam videri, uti nude à Cardinali prolata eſſet. Spectandum igitur quid præcederet quidque ſubſequeretur: quia illius poſitionis ſenſus appoſitus facile conſtare poſſet. Quod ad alteram vero, ita mihi non indignam modo, ſed etiam blaſphemam videri, ut non modo non extare in meis ſcriptis, ſed neque in alterius ullius, qui doctrinam Eccleſiarum reformatarum amplecteretur, affirmarem. Tum Cardinalis omiſſa ſecunda illa criminatione, ut quam impudentiſſimam calumniam eſſe liqueat, undecunque primum ſuggeſta ſit, illum alterum ſermonem multis exagitavit, quod Chriſtus in Cœna periode quærendus eſſet atque antequam ex Virginis urero prodiret. Summa orationis fuit, ſi res ita haberet, nihil amplius in Cœna dari nobis, quam illis qui Chriſti adventum præceſſiſſent: eo accedere quod caro ipſa dari non potuiſſet, quum necdum extaret. Hic ego petii à Cardinali, Num aliqua ſemper Eccleſia extitiſſet ab orbe condito. Maxime, inquit. Num vero, inquam, Eccleſia fuit Eccleſia propter mediatorem inter Deum & homines? Et illud admiſit. Num etiam, inquam, Chriſtus verus Deus & homo extitit ſemper ille mediator? Omnino, inquit. Ergo (ſubintuli) communicatio fidelium cum Chriſto non eſt reſtringenda ad tempus illud quo Chriſtus naturam ſuam divinam noſtræ conjunxit: quin potius illud ipſum quod per ordinem naturæ nondum extabat, præſens adfuit ſemper fidelibus virtute & efficacia: uti de Abra-
Joan. 8. verſ. 56. hamo ſcriptum eſt, vidiſſe illum diem D. atque viſo exultaſſe. Et quod eſt apud Paulum 1 ad Cor. 10. Patres eandem eſcam ſpiritualem edíſſe, eundem potum ſpiritualem bibiſſe, nempe Chriſtum. Et illud
Apoc. 13. verſ. 8. agnovit Cardinalis, & viciſſim locum illum ex Apocalypſi ſuggeſſit appoſite, Agnus qui occiſus eſt à creatione mundi. Inde igitur ingreſſus ſum in pleniorem tractationem, ut oſtenderem in quo vetus Teſtamentum à novo differret. Illa vero deciſio, cui viſus eſt Cardinalis acquieſcere, aliam quæſtionem ſtatim peperit: quis eſſet nempe ſenſus horum verborum, Hoc eſt corpus meum. In hoc articulo, inquit, qui tanti momenti eſt, inter nos & vos non convenit. Agnoſco hoc, inquam, neque ſine magno meo mœrore, quod inter nos qui Chriſtiano nomine cenſemur, major conſenſus non ſit: ſed tamen quando aliter res ſe habere non poteſt, malo hoc ita ex te audire, quam ſi in tanta ſententiarum repugnantia merum conſenſum & convenientiam fingi audirem. Ego ſane, inquit Cardinalis, ſic pueros meæ diœceſis doceo, ut quum rogantur, Quid ſit panis Cœnæ, reſpondeant, Eſſe corpus Chriſti. an tu hoc improbas? Imo vero, inquam, quid enim Chriſti verba non approbem? Sed de eo quæritur, quomodo panis vocetur corpus Chriſti. Quicquid enim aliquid eſt, non eſt tamen illud eodem modo. Ingreſſus in loquutionum Sacramentalium diſquiſitionem, auditus ab illo ſum quidem: ſed quum locum illum proferrem, Petra erat Chriſtus, oppoſuit alterum, Verbum caro factum eſt. Sed locus ille ſtatim illi è manibus effluxit. Tandem igitur totum hunc tractatum in quatuor iſta capita ſummatim ita conferri poſſe ſubjeci. Primum ut conſtaret de ſignis. Tum de re ſignificata. Tertium de conjunctione ſignorum cum re ſignificata. Quartum de participatione tum ſignorum tum rei ſignificatæ. In primo igitur non convenit nobis vobiſcum, quia, inquam, vos non alia ſigna in Cœna ſtatuitis, quam nuda accidentia: nos retinemus ipſam ſubſtantiam panis & vini, juxta naturam Sacramentorum, & totam Scripturam. Tum ille, Atqui, inquit, ſperem etiam me tueri poſſe ipſammet tranſſubſtantiationem, ſed poterat illa tamen omitti à Theologis: & ipſe quidem propter tranſſubſtant. Eccleſias ſcindi noluerim. Ad ſecundum vero: non ponimus, inquam, pro re ſignificata in Sacramentis, ipſum tantum meritum paſſionis Chriſti, ſed ipſiſſimum corpus cruci affixum, ſanguinem ipſiſſimum in cruce effuſum pro nobis. In ſumma, Chriſtus ipſemet verus Deus & homo nobis ſignificatur per illa ſigna, ut attollamus corda noſtra ad illum contemplandum ſpiritualiter fide in cælis ubi nunc eſt: atque ita communicemus cum omnibus ipſius bonis ac theſauris in vitam æternam: idque tam vere tamque certo, quam verum ac certum eſt, nos naturaliter videre, accipere, edere, bibere ſigna illa quæ videntur à nobis & ſunt corporea. Acquievit & huic doctrinæ Card. addito, valde gaudere ſe quod ita nos ſentire audiret, quum alium eſſe ſenſum noſtrum ipſe accepiſſet. Ad tertium deinde: agnoſcimus, inquam, magnum eſſe diſcrimen inter aquam communem & aquam Baptiſmi: inter etiam panem communem & vinum commune & panem ac vinum Cœnæ. Aquam enim Baptiſmi, panem etiam ac vinum Cœnæ D. ſigna eſſe ac teſtimonia viſibilia corporis & ſanguinis D. ſed nos hoc ita exaudire, ut mutationem ipſam non ſtatuamus in ipſa ſignorum ſubſtantia, quæ in ſeſe ſemper integra maneat: ſed in eo demum, quod illa ſigna ad alium uſum referantur, quam qui naturalis ſit, & ad ſolum uſum corporis pertineat: ex quo enim Sacramenta fiunt, tum nobis repræſentare illud quod nutriat ſpiritualiter. Porro nos mutationem illam Sacramentalem acceptam non ferre aut certis verbis prolatis & conceptis, aut concipientis intentioni: ſed unius Dei virtuti & potentiæ, cujus voluntas & inſtitutio nobis verbo ipſius conſtet. Quum igitur res ipſa ſignificata tam vere nobis offeratur & conferatur à D. quam ſigna ipſa viſibilia, eo reſpectu demum accipiendam agnoſcendamque eſſe ſignorum cum re ſignificata conjunctionem, non autem alio modo. Proinde corpus & ſanguinem Chriſti, quatenus vere nobis dantur & communicantur, vere in Cœnæ uſu adeſſe: non ut exiſtimentur eſſe ſub vel in vel cum pane aut alibi uſpiam, quam in cælo ubi aſcendit Chriſtus, ut illic reſideat quod ad naturam humanam ipſius attinet, donec redeat judicaturus vivos & mortuos. Hic etiam Cardinalis teſtatus iterum non urgere ſe tranſſubſt. reſpondit, Chriſtum vere in cælo quærendum eſſe, interjectis ſimul quibuſdam de locali præſentia & de quorundam Germanorum ſententia: ſed illud totum ita complectebatur, ut ſatis oſtenderet penitus ſe non tenere quid hoc rei eſſet. Agnoſcebat enim ſe aliis ſtudiis tempus impendiſſe. Inde mihi oblata occaſione, agnoſco, inquam, nobis non convenire cum Germanis quibuſdam in tertio iſto capite de ratione conjunctionis ſignorum cum re ſignificata: ſed tamen Dei beneficio conſentimus tum in tranſſubſt. rejectione, & quæ eam conſequuntur, tum agnoſcimus omnes veram communicationem corporis & ſanguinis D. An vero, inquit Card., profitemini nos communicare realiter & ſubſtantialiter vero Chriſti corpori & ſanguini? Illud eſt, inquam, ultimum caput quod mihi attingendum eſt. In ſumma igitur dicimus, naturaliter percipi manu, edi, bibi ſigna viſibilia: quod ad rem ſignificatam, corpus nempe & ſanguinem Chriſti, omnibus quidem offerri, ſed non poſſe per-

cipi,

cipi, niſi ſpiritualiter & fide, non manu, non ore. Tam certam eſſe vero illam communicationem, ut non magis certa ſint ipſa illa ſigna quæ manibus palpamus: quamvis arcanum iſtius communicationis & efficacitatis Spiritus ſancti & fidei noſtræ incomprehenſibile ſit mentibus ac ſenſibus noſtris. Tandem Cardinalis, Ego, inquit, ſum rudis in iſtis tractandis, tu tamen audiſti quid vellem. Et tu ex me perinde, reſpondi, quæ tibi ſatisfacere debeant. In ſumma enim ſic colligo, Panis eſt corpus Chriſti Sacramentaliter, id eſt, quamvis corpus illud hodie ſit in cælo nec alibi, ſigna vero nobiſcum in terra: tam vere tamen nobis dari, & à nobis percipi corpus ipſum per fidem, idque in vitam æternam propter Dei promiſſionem, quam vere ſignum naturaliter nobis in manus porrigitur. Sic credo, Domina, inquit ille ad Reginam converſus, hoc mihi ſatisfacit. Tum ego ad illam, En ergo miſeros illos Sacramentarios tamdiu vexatos & omnibus calumniis oppreſſos. Audiſne, inquit illa, D. Cardinalis, non aliam eſſe Sacramentariorum opinionem, quam eam ipſam quam nunc ipſe approbaſti? Atque hic nonnulla interjecta ſunt de unione & conciliatione. Hic demum Regina & qui aderant ſeſe inde receperunt. Card. porro mihi gratulabundus, D. Beza, inquit, (ipſiſſima enim illius verba proferam) valde gaviſus ſum, qui te viderim & audierim. Adjuro te in Dei nomine, ut intelligam rationes tuas, ac tu etiam meas. Et reperies me non tam nigrum eſſe, quam me quidam faciant. Ego vero gratiis illi actis eo nomine, petii viciſſim, ut in hac conciliationis ratione pergeret: neque me ei rei tam ſanctæ tamque neceſſariæ pro donis à Deo in me collatis defuturum. Sic valde ſero diſceſſum eſt cum optima ſpe quadam, niſi quod D. Curſolia quaſi præſagiens quid craſtino accideret, prehenſa Cardinalis manu ita illum etiam aperte (noſti mulieris ingenium) palam accepit: Hodie, inquit, vir bonus, cras vero quid? Sic nempe accidit. Sparſus eſt enim rumor non per aulam modo, ſed Poſſiacum uſque, & ulterius, Cardinalem convertiſſe Bezam ad fidem Catholicam: atque induxiſſe ad palinodiam, & ad agnoſcendum auguſtum illud altaris Sacramentum: cum aliis ejuſcemodi abſurdiſſimis, quæ longe lateque diſſeminata ſunt. Illa vero mendacia vel ipſius Reginæ teſtimonio confutata, & tantorum Principum, qui contrarium prorſus ipſimet audierant, tandem per ſe ita conciderunt, ut certam auctoribus ſuis impudentiæ notam inuſtam relinquerent. En quis exitus fuerit veſpertini illius occurſus. A te vero peto, mi pater, ut quod hic ita prolixe & incondite ad te ſcribo, mihi condones. Senatui in primis, ac etiam fratribus plurimam ſalutem adſcribo. Quum vero D. placuerit iſto tam infirmo & inutili inſtrumento, meipſo nempe, uti ad tantum opus, confido neque mihi preces tuas, neque conſilium, à quibus unice poſt Deum pendeo, defutura. D. te confirmet, benedicat tibi, teque magis ac magis ſuſtineat. Ex Sangermano, 25 Aug. ſub veſperam. M. D. LXI.

Filius in Domino addictiſſimus tibi Th. Beza.

CALVINUS N. S. D.

NE me unius tantum hominis mors ſimplici luctu affligeret, Vatennium meum triduo poſt ſequutus eſt Anteſignanus. De vita Baduelli nulla ſpes reſidua eſt. Heri Quæſtoris noſtri uxor dum feliciter peperiſſe viſa eſt, repente ex nervorum convulſionibus eſt mortua. Nicolaum Igneum, ut plura funera accumulem, catarrhus intra novem horas ſuffocavit. Aliquid ſolatii, quod Beraldus paulatim cum uxore puerpera convaleſcit. Prope immaturo partu extincta fuit: nunc tamen fœtu ſalvo, vires colligit. Quod nuper rogavi, ut alter è duobus veſtris Collegis rediret, quam celerrime fieri poterit, curate. Si integrum eſſet Galaſio, & quidem Eccleſia cui præeſt, incolumi, nobis reſtitui vellemus. Verum re incerta quieſcendum cenſuimus. Tempus docebit quid rectum ſit ac utile. Cæterum ne te amicitia Lotaringi cautum nimis reddat: te in tempore admoneo, me quoque eſſe fratrem Ferrarienſis. Nam quum me hic ante annos tredecim amplecteretur, promiſit ſe mihi ſemper fore optimum fratrem. Cave igitur ne in me ſuperbias, quia facultas retaliandi in manu eſſet: præſertim quum Legatus omnes Cardinales ſuperet. Vale optime & integerrime frater. Dominus tibi adſit, te gubernet, tueatur, donis omnibus locupletet, inſtruat ad omnes pugnas, contra inſidias prudentia, contra terrores fortitudine muniat. Salutem plurimam fratribus noſtris precor. Salutant te fratres & amici. Iterum vale. 3. Nonas Septemb. M. D. LXI.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

HEri tuæ mihi redditæ ſunt quas penultima Auguſti ſcripſeras. Dum alii nos jucundis rumoribus tam liberaliter paſcunt, mirum niſi te ejus parſimoniæ pudeat, quæ nos prope jejunos relinquit. Si multis cupias ſatisfacere, proſice in ſchola in qua nomen tuum ita celebratur, & diſce paulo audacius mentiri. Quum enim mirifica alii narrent, tu ſolus vix mediocrem nobis ſpem oſtendis. Sed nunc extra jocum: memineris te mihi ſcribere, qui nihil malo, quam ſimplici relatu in rem præſentem deduci. Quicquid alii ſentiant, ſemel mihi perſuaſi evanidum eſſe, quicquid de Colloquio jactatur. Crede mihi, nunquam venient Epiſcopi ad ſeriam diſputationem. Nec tamen dubito eſſe inter eos qui bene cupiant & ſperent. Verum qui gubernacula tenent, redigentur potius ad extrema, quam ſuſtineant hoc modo ſe in ordinem cogi. Itaque quos ſecum Theologos trahit Legatus in magna caterva, & qui ab Hiſpania venerunt, productum iri in theatrum arbitror, ut qui olim fercula in pompa geſtabant. Denique ſi mihi credis, Colloquii nulla te cura tanget. Si liberum illis eſſet conditiones dare, aliqua forte eſſet umbratilis velitatio. Nunc quum videant leges ſibi imponi, palam omne certamen detrectabunt. Inflabit etiam ſpiritus eorum adventus Legati: cujus terrores ſi diſcuſſi fuerint, ut confido, prorſus actum eſt. Antequam ad te perveniant hæ literæ, audita erunt tonitrua. Fulmen, niſi admodum fallor, non vibrabit, ſed atrociter minabitur antequam diſcedat. Hoc erit vivum examen. Quod ſi fallendi cauſa ſe ad certamen offerant Epiſcopi, jam habetis Petrum Martyrem, quem ex dierum ſupputatione tempeſtive appuliſſe colligo. De me ne verbum faceres quanquam vehementer te rogavi, non deſinis tamen, ut video, aliquid tentare: quod meo judicio non expedit. Ac mihi data opera aditum præcludere volui mea in Danielem præfatione: non quod me pigeat laboris, aut ulla pericula defugiam; ſed quia ubi adſunt ſatis idonei & probe inſtructi, non magnum præſentiæ meæ uſum arbitror. Et certe omnes, te & Merlino exceptis, ſatis ſunt animoſi. De conditionibus quid ſentirem, non ſcripſi, partim quia putabam ſerum fore conſilium re jam tranſacta, partim quia mihi ſummopere placebat vobis concedi quod fratres noſtri poſtulaverant. Ego tamen ſi fuiſſem eorum loco, veritus fuiſſem tam duras leges præſcribere. De ſucceſſu gratulor aliqua ex parte: finem avide exſpecto. Exiſtimo te memoria tenere quid tibi prædixerim, non eſſe metuendum, quin maximo cum illorum probro è conclavi in quo deliteſcunt, ad vos erumperet præclara victoria, quamvis è ſublimi vos deſpicerent. Ideo cavendum eſſe, ne ſi in æquo jure tuendo eſſetis nimium pertinaces, culpa in vos rejiceretur. Aug. confeſſio, ut ſcis, fax eſt veſtræ furiæ ad excitandum incendium, quo conflagret tota Gallia.

Sed

Sed quærendum eſt quorſum obtrudatur: quum ſemper ejus mollities cordatis diſplicuerit, auctorem ejus pœnituerit, & in pleriſque locis accommodata ſit ad peculiarem uſum Germaniæ. Omitto quod ejus brevitas & obſcura, & præteritis quibuſdam maximi momenti capitibus mutila eſt. Cæterum abſurdum eſſet, neglecta Confeſſione Gallorum, illam arripere. Quid quod in futurum tempus paratur hoc modo dimicandi materia? quia nunquam major pars à Confeſſione ſemel recepta diſcedet. Perinde nunc diſputo, acſi ſincere Confeſſionem illam amplecterentur Cardinalis & ejus aſſeclæ. Sed inſidiæ vobis tenduntur, ut diſcuſſa præſenti actione omnia conturbent. In eum finem editus fuit libellus Baſileæ: cujus auctorem ſuſpicor Balduinum, & pene pro certo habeo. Nebulonem excipere cuperem pro merito: ſed privatis literis obruor: & ſi quid alacritatis reſtabat, elanguit. Pergam tamen quoad licebit. Audio etiam neſcio quod σύνταγμα Lutetiæ fuiſſe excuſum, de hiſtoriæ conjunctione cum Juriſprudentia: ubi odioſe perſtringeris. Nunc cum ſuo Caſſandro venenum aliquod coquere dicitur. Jam vobis curæ fuiſſe arbitror ut veſtro ſubſidio levaremur. Si ceſſatum fuit, properet, quiſquis venturus eſt. Vale integerrime frater, cum tota cohorte. Dominus vos Spiritu prudentiæ & fortitudinis gubernet, tueatur, & benedicat labores veſtros. Collegæ noſtri plurimum vobis omnibus ſalutem precantur. Amici etiam, quos recenſere longum eſſet. Utinam unus, quem mihi mors eripuit, eſſet in numero. 10 Septembris. M. D. LXI.

CALVINUS BEZÆ.

Quod binæ ſimul literæ tibi redditæ ſunt, cauſam moræ vides fuiſſe in pigritia amici qui curam hanc ſuſcepit. Certe quum tertio quoque die nuncii ſint ad manum, culpam eluere non poteſt, quin differendo in nonum diem officii ſui fuerit oblitus. Quæcunque de præclara actione ſcribis, aliunde jam innotuerant. Longe tamen gratius fuit rem quaſi ante oculos poſitam perſpicere, & fieri teſtimonio tuo certiores, quam narrationes aliorum audire, qui ut plurimum ſuo ornatu hiſtoriæ ſinceritatem corrumpunt. Feliciſſimus dies ille, quo parta fuit Eccleſiis libertas, quam concedere neceſſe erit, difficillimum vero eripere. Oratio tua apud nos eſt, in qua Deus mirifice mentem & linguam tuam gubernavit. Quod bilem commovit ſanctis Patribus omnino teſtatum oportuit, niſi turpiter velles tergiverſari, ac te objicere eorum probris: quos miror ea tantum de cauſa tumultuatos eſſe, quum aliis locis non minus graviter vulnerati eſſent. Hac vero offenſione abruptum fuiſſe colloquium ſtulte jactatur. Reperiſſent enim centum alias, qui nunc una mordicus arrepta, quodammodo reliquæ doctrinæ ſubſcribunt. Ergo & hoc feliciter cecidit. Acanthium nomen Chriſto ingenue palamque dediſſe gaudeo: quem propriis literis hortor ad pergendum. Expecto quam dextre ſuos centones contexuerit Lotharingus. Etſi vero finem velitationi impoſitum eſſe conjicio, ſerium certamen nullum fore arbitror. Etſi autem admonui ne propere miſſionem peteres, jucundum tamen officium mihi præſtabit Legatus, ſi te brevi expediat. Vere reliquias amicorum nominas: quia in reſidua copia mihi fere ſolus videor. Collegæ noſtri omnes te plurimum ſalutant. Vale integerrime frater. D. te ſemper gubernet, invicta conſtantia & virtute confirmet, tibi adſit in ſanctis laboribus, ſalvumque & incolumem tueatur. Tuos omnes comites ſalutare cupio. Quoties ſupra dies decem ſilebis, quod nunc rurſus factum eſt, pigrum te eſſe dicam. 24. Septembris. M. D. LXI.

BEZA CALVINO S.D.

Ex quo ad te ſcripſi, nihil fere novi incidit, quod non poſſis ex aliis copioſius intelligere. Nam quia domi nos continemus, nihil iſtorum niſi ex aliorum ſermonibus accipimus. Ego quotidie conciones habui in Principis ædibus, tanto hominum concurſu, ut pene opprimeremur. Heri N. cum Pr. & A. expeditis equis obviam ierunt Reginæ Navarrenæ, quam intra triduum avidiſſime expectamus, ut torpentes excitet. De noſtro negotio nondum audivimus quid ſit conſtitutum, id eſt, quando & quibus conditionibus ſimus audiendi. Adverſarios alii aiunt eſſe ad diſputationem paratos, alii negant. Nos interea Deum precamur aſſidue, ut, quantum fieri poteſt, ad omnem occaſionem ſimus intenti. Et profecto inanes non erunt abſentis preces, quandoquidem eo ſum redactus, ut tam neceſſario tempore frui præſente non poſſim. Si Martyr noſter venerit in tempore, id eſt, ſi valde feſtinarit, magnopere nos recreabit ipſius adventus. Erit enim nobis negotium cum veteranis ſophiſtis: & quamvis confidamus fore, ut vincat ſimplex verbi veritas, tamen non cujuſvis eſt illorum ſtrophas ſtatim diluere, & Patrum dicta regerere: & ita illis reſpondendum erit, ut ſimul circumſtanti Principum & aliorum Ordinum coronæ appareat, nos nullo modo tergiverſari. Denique quum in iſtas difficultates intueor, valde ſum anxius, & magnopere in eo peccatum conqueror, quod neglectis excellentibus Dei organis, quodammodo videamur ejus bonitatem tentare. Interea tamen decrevimus pedem non referre, & in eo confidimus qui nobis ſapientiam promiſit, cui mundus reſiſtere non poſſit. Ex Epiſcopis audimus nonnullos nobis iniquos non fore. De quibuſdam Theologis idem nobis pollicemur, ſed enim fortaſſe nobiſcum non committentur. Card. fortiter jactat me primo ſtatim congreſſu à ſe ſuperatum, ſed à graviſſimis teſtibus refellitur. Auguſtanam confeſſionem habet in ore: de qua etiam ſeorſum rogatus à Doctore Botellerio, an eam poſſemus admittere, plane reſpondi non poſſe in quibuſdam, niſi plana & perſpicua addita interpretatione. Si non urſerimus, tergiverſari videbimur & congreſſum defugere: vel, ſi quid remiſerimus, videndum ne præcipites eo ruamus, unde non poſſimus nos extricare. Denique, mi pater, quandoquidem præſens nondum potes, abſens ut pueros & conſiliis & modis omnibus nos regito. Nos vero plane pueros eſſe quotidie video & ſentio, ex quorum ore utinam Dominus ille noſter admirabilis ſapientiæ ſuæ laudem perficiat. Bene vale mi obſervande pater, una cum fratribus & amicis omnibus, quos una tecum cupio magis ac magis à Domino benedici & incolumes conſervari. Iterum vale. Privilegium Pſalmorum brevi me habiturum ſpero, quod ſtatim iſtuc mittam. Totus fratrum cœtus te ſalutat, id eſt, Marlor. Merl. Colon. Virellus, Galaſ. Ex Sangermano, 30 Auguſti.

Tuus B.

BEZA CALVINO S.D.

Senas minimum literas ad te dedi, neque unquam prætermiſi juſtam ſcribendi occaſionem. Si quæ ſunt interceptæ, accidit præter expectationem. Omnes enim fidis amicis commiſi, qui perexpeditiſſime curarent perferendas, quoniam hæc via mihi ſemper viſa eſt tutiſſima & breviſſima. Neque dubito, quin jam acceperis, quæ ad te ſcripſi de duabus primis noſtris actionibus. Jam accipe cætera. Poſt ſplendidam illam noſtri purpurati orationem, quam nulla ratione potuimus obtinere, totos novem dies conſumi nobis invitis oportuit, ut de agendis rebus ſtatueretur. Quam multa & quam varia

nobis hic occurrerint, aliquando, ut ſpero, cognoſces. Certe nullum non lapidem moverunt illi, ut cælum terræ miſcerent: ſed Dominus mirifice nobis adfuit. Tandem igitur vigeſimo quarto die hujus menſis licuit nobis reſpondere ad duo capita quæ ille propoſuerat, de Eccleſia nimirum, & de Cœna Domini. Diſſerui ad ſeſquihoram, magna omnium attentione: ac ne mireris nos eſſe tam verboſos, ſcito nos ſtudio id facere, quoniam ex hoc colloquio nullum majorem fructum ſperamus, quam ut cognita ac perſpecta noſtra cauſa, qui per ignorantiam nos damnabant, ſaltem æquiores nobis fiant: neque eſt, Dei gratia, cur nos laboris pœniteat. Orationem meam excepit conductitius Balaam, qui tibi aliquando ducatum obtulit, ut chartam & pennas tibi comparares. Præfatus eſt, ſibi nunquam placuiſſe ſeveritatem, qua nonnulli in nos uſi eſſent: & hoc quidem prorſus inepte, quia neque conqueſti eramus, neque quenquam poterat videri magis accuſare, quam eum ipſum, cui acceſſerat advocatus. Poſtea faſſus eſt ſe mihi aſſentiri de iis quæ de Eccleſia diſſeruiſſem: tanta vis eſt veritatis: & certe, quantum poſtea intelligi potuit ex eorum etiam Procerum ſermone, qui nobis alioqui minime favebant, vix eum tuliſſent aperte à nobis diſſentientem. Tandem tamen dixit ſibi non ſatisfactum in noſtræ vocationis explicatione, quam modis omnibus exagitavit, quum ego nihil niſi in genere & θετικῶς dixiſſem: & de hypotheſi hoc unum addidiſſem, ſi vellent ipſi, quod minime optaremus, ad nos iſta transferre quæ de vocatione dixeram, paratos eſſe nos & vocationem noſtram, & noſtras Eccleſias ex Dei verbo tueri, ſed rogare ut ad noſtræ doctrinæ diſceptationem potius deſcenderent. Objecit ergo ſuſpectas eſſe vocationes extraordinarias, niſi miraculis vel prophetiis expreſſis probarentur. Obiter etiam perſtrinxit quædam quæ παρέργως adduxeram de Paphnutio & ex Tertulliano, & ſuo more multa verba conſumpſit in citandis hiſtoriis & teſtimoniis, ut omnia edidiciſſe videretur. Quum vellem reſpondere, ecce infacetiſſimus cucullio prodit, qui nos cum Anabaptiſtis compararet. Addidit vulgata teſtimonia de traditionibus & conſuetudinibus. Tandem adjecit blaſphemiam, ſcriptum fuiſſe verbum præter Dei conſilium, & eludens certa teſtimonia Chryſoſtomi & Baſilii quæ citaram, hortatus eſt, ut ſemel atque iterum legerem Patrum teſtimonia quæ proferrem. Hæc fere ſeſquihoram abſtulerunt. Tum ego præfatus non eſſe hanc legitimam agendi rationem, quum neque certis argumentis ageretur, neque libri, neque notarii adeſſent, & tam confuſe prolixeque propoſitis rationibus via poſſet ſigillatim reſponderi: tamen ſummam rationum complexus, dixi quæ ſufficere arbitrabar. Monacho quoque paucis reſpondi, & ita quidem ut eo ipſo die teſtatus ſit ipſius magiſter, nunquam poſthac eum prodituram in lucem. Excepit turſus Balaam, quæ voluit: poſtea, quum de induſtria nihil dixiſſem de Cœna Domini (quoniam ſciebam quid illi captarent) ille idem multa garrire cœpit de pace & concordia; & quum diverſas quæſtiones imperitiſſime confunderet, ſcio, inquit, fore ut à voce ſubſtantialiter non abhorreatis, ſi vobis produxero magni cujuſdam viri teſtimonium. Deinde ſuppreſſo tuo nomine tria loca mutilata ex ultimo tuo in Heshuſium libello recitavit. Ego ſum interfatus me agnoſcere præceptoris verba. Quum reſponſum pararem, non paſſus eſt purpuratus αὐτοκράτωρ (ſed nonniſi inter ſuos, idque admodum ægre imperium ſuum retinens) & de traditionum auctoritate præfatus ad Cœnam deſcendit, ac tandem aliquot chartas proferens, ecce, inquit, quæ recens accepi ex Germania, partim à Palatino, partim ab alio Principe, quibus ſubſcripſerunt 42 Miniſtri, tibi ipſi, Beza, ut opinor, non ignoti. An & vos illis atque præceptori veſtro non ſubſcribetis? facite hoc obſecro. Nam alioqui nulla conjunctionis ſpes eſt. Subſcribite, inquam, alioqui colloqui non poſſumus. Nec tamen poſtulo, ut omnia comprobetis. Scio enim vos nunquam id facturos. Tantum particulam habete & ſubſcribite, ut ſit concordiæ initium. Deinde pauca quædam plane Brentiana recitavit. Ad hæc ego viciſſim Reginam precari, ut potius de confeſſione noſtra diſpiceretur, quam ipſa a nobis accepiſſet, utque legitima collatio inſtitueretur. Non recte fieri à Cœna Domini initium, quum tam multa præire oporteret Sacramentorum tractationi. Denique rogavi Cardinalem, an ipſe vellet iis ſubſcribere, quæ nobis exhiberet, quod alioqui nullus eſſet noſtræ ſubſcriptionis fructus futurus. Ibi deprehenſus ille tergiverſari, ſed in ſumma dicere fieri non poſſe quin abrumperetur ſpes omnis concordiæ, niſi ſubſcriberemus. Nox inſtabat, omnes urgebant ut paci conſuleremus, aliis quidem per ſimplicitatem, alii ex compoſito. Itaque non potuimus alia ratione elabi, quam ſi teſtaremur nihil nos habere ſecundum veritatem antiquius regni pace, & ſcriptum illud cum tuo libro nobis tradi peteremus, ut poſtero die daremus reſponſum, cujuſmodi ferre conſcientia noſtra poſſet. Ita igitur diſceſſum eſt, illis quidem, ſuo more, victoriam ſibi promittentibus; nobis vero, Dei gratia, & verbis & vultu teſtantibus eam fiduciam, qua conſuevit Dominus noſter ſervos ſuos implere.

Poſtridie quum nos ad iter accingeremus, nobis nunciatum fuit dilatum eſſe colloquium in alterum diem, qui heſternus fuit: quod etſi initio moleſte tulimus, tamen ſenſimus Dei providentia factum. Fuimus enim ab amicis, quos & multos & fidos ac conſtantes Dei beneficio habemus, de multis rebus admoniti, quas etſi conjecturis non erat difficile conſequi, tamen gratum fuit certis teſtimoniis confirmari, ut firmum conſilium caperemus. Conſilium Cardinalis erat, ſi differremus ſubſcriptionem, colloquii ſtatim abrumpendi culpam in nos maxima cum omnium ordinum invidia transferre: ſi nos aperte negaremus ſubſcripturos, ſtatim univerſam Germaniam in nos concitare, quaſi paratus ipſe fuerit Auguſtanam confeſſionem ſaltem aliqua ex parte concordiæ cauſa recipere: ſin vero ſubſcriberemus, poſtea vel nobis ejectis ab Eccleſiis, quas prodidiſſemus, vel ſciſſis noſtris in diverſas partes, triumphare. Has technas ita evaſimus. Quum eo ventum eſſet, graviſſimam querelam ex ſcripto recitavi, ut ſi forte abruptum eſſet colloquium, nos extra culpam eſſe conſtaret. Oſtendimus nos non ad dicendum cauſam coram adverſariis, ſed ad reddendam ex Dei verbo rationem noſtræ fidei coram toto mundo: neque ad ſubſcribendum quod illis liberet, ſed ad pacificam colloquutionem veniſſe. Satis apparere nihil aliud illos captare quam ſubterſugia: promiſiſſe Cardinalem, ſe nobis ex verbo Dei & orthodoxis Patribus, qui proximis à Chriſto quingentis annis vixiſſent, ſua probaturum, noſtra confutaturum. Eundem vero nunc nobis pro collatione iſta damnationem præſcribere, niſi ſuis placitis ſubſcriberemus: nec tamen nobis conſtare an hoc ipſe ſua unius auctoritate, an vero omnibus Collegis approbantibus faceret. Præterea quam iniquum eſſe, non de noſtris controverſiis, ſed de alienis quæri, quaſi iſti inter nos & Germanos arbitri ſederent. Quod ſi illis placeret illud quorundam Theologorum ſcriptum, quod nobis tradiderant, age, ſubſcriberent ipſi non mutilatis propoſitionibus, ſed toti Auguſtanæ confeſſioni: quod ſi facerent, tum vero nos non procul abfore à concordia, unico excepto articulo, de quo parati eſſemus ſancte & amice colloqui. Sin autem id ipſi facere recuſarent, inique à nobis peti, ut iis ſubſcribamus, quæ ne ipſi quidem probent. Cæterum quod ad quæſtionem de noſtra vocatione attineret, ſatis illam nobis defenſam videri, nec recuſare quin ſuo loco iterum de illa quæratur ad ſatietatem uſque. Sed in primis de doctrina ipſa agendum fuiſſe, & quidem certo ordine, ſi diſputatio legi-

Digitized by Google

legitima quæreretur. Nos igitur petere à Regina & omnibus Principibus, ut vel audiremur, vel ſi abrumperetur colloquium, nos excuſatos haberent.

Subjecimus deinde brevem & perſpicuam confeſſionem de Cœna Domini, ne calumniarentur nos extra oleas vagari: quæ ſi non ſatisfaceret, juſtam & plenam diſceptationem petiimus. Quid ſi vero, inquam, de veſtra vocatione quæratur? ubi illa doctrinæ & morum inquiſitio, ubi electio, ubi juſta ordinatio, imo quomodo vos à ſimonia excuſabitis? Concluſio fuit, vel ut confeſſionem à nobis exhibitam oppugnarent, vel ſuam traderent à nobis oppugnandam: ſin minus, nos eſſe officio noſtro defunctos, & Regni concordiæ omnem noſtram operam, atque adeo nosipſos ex animo conſecrare. Ad hæc Cardinalis æſtuans, ut qui nihil ejuſmodi de nobis per ſuos exploratores cognoviſſet, ex tempore tamen ſatis diſerte in tam mala cauſa reſpondit, Nos ipſos cauſam præbuiſſe quæſtioni de noſtra vocatione: jure ſe cum ſuis conqueri de iis, qui in ſuos greges invaſiſſent: non poſſe nos melius oſtendere quam ſimus à pace alieni, quam duos ſimul convellendo Gallici Regni cardines, Eccleſiaſticam videlicet & Regiam auctoritatem. deinde in hunc campum ingreſſus, tentavit modis omnibus non aliter quam publicos hoſtes objicere ſtatim ad ſupplicium trahendos, perinde acſi Regem ac ipſius Majores dixiſſem tyrannice Eccleſiam Dei populatos. Poſtea de ſuo ſtatu multa prædicare, neſcire nos quales eſſent Epiſcoporum ordinationes, in quibus nihil vetuſti moris prætermitteretur. Tandem ad quæſtionem de Cœna Domini delapſus, vertit ſeſe in omnes facies, ut oſtenderet ſe, quod feciſſet de ſubſcriptione, pacis ſtudio feciſſe, cujus ſpem omnem re ipſa præcideremus.

Ad hæc quoque ego ex tempore ita me puto reſpondiſſe, Dei beneficio, ut & Reginæ & Proceribus certo ſciam defenſionem meam multo magis quam illius accuſationem placuiſſe.

Tum vero noſter Balaam multa partim ex ante habita diſputatione iterum odioſe repetere, multa involvere, denique multa dicendo nihil dicere. At noſter Martyr tum primum loqui exorſus Italico ſermone, ut à Regina intelligi poſſet, rem totam ab ovo uſque explicavit, & vel invitos ad rem ipſam deſcendere coëgit. Reſpondit Balaam, & teſtimonia viciſſim ſuo more coacervavit, ut tropum negaret in Cœnæ verbis ſubeſſe. Dum hæc geruntur, ecce prodit Jeſuita Hiſpanus, Catholicæ Eccleſiæ columen. Alloquutus eſt Reginam hora ferme integra, ſed ita inepte, ita ſtulte, ut nemo poſſet riſum continere, quum ille hiſtrio inter cætera in extremo fabulæ actu lacrymaretur. Rogabat in ſumma Reginam, ne audiret hæreticos toties damnatos, ſed ad Concilium relegaret, crepans illud, Tu es Petrus, &, Rogavi pro te Petre. Diſputavit poſtea de corpore ſine dimenſione, & Euchariſtiam docuit eſſe inſtar ludicræ pugnæ, in qua Rex ipſe intereſſet. Tum ego, petita à Regina venia paucis dixi me Hiſpano illi omnia concedere, quæ dixiſſet, ſi probaret. Quod nos vulpes, & ſerpentes, & ſimias diceret, non magis nos credere, quam transſubſtantiationem. Satis illam pro ſua prudentia intelligere quid iſti ſit credendum, qui Cœnam Domini pro fabula, Chriſtum pro hiſtrione haberet. Deinde quum adverſus Balaamum agere cœpiſſem, ecce novus hoſtis prodit ſophiſta quidam Sorbonicus plane confidens, qui primo loco me docuit, quid eſſet pronomen, quæ propoſitio identica, &, adſtipulante ac pertinaciſſime conſentiente Cardinali, docuit per pronomen (hoc) non deſignari panem, ſed vagum, quod vocant, individuum. Quam multis, & quam planis argumentis abſurdum hoc commentum potuerit dilui, quis ignorat? Sed tamen nunquam potuit ſophiſtæ perſuaderi, ut ſe victum fateretur. Itaque quum jam pene nox eſſet, omnes utrimque aſſurrexerunt. Ibi me Regina in medium cum Cardinali advocat, & per Deum obteſtatur, ut pacis rationem ineamus. Confluit cætera turba. Iterum inſtauratur diſputatio, ſed omnibus tumultuoſe perſtrepentibus. Tandem igitur nox clamoribus finem impoſuit. Aiunt nos intra triduum reverſuros: ſed niſi certus ordo inſtituatur, quorſum iſtos labores? Itaque nunc toti in eo ſumus. Heſterno tamen die ſumus duo præclara conſequuti. Fregimus enim illorum conſilia; & certo ſcimus nos obtinuiſſe, ut & noſtros firmiores etiam quam antea, & eos qui nobis erant infenſiſſimi, multo habeamus æquiores. Habes duorum dierum actionem. Utinam vel iſto labore brevi defungar, vel alius mihi ſubſtitui poſſit, quo vobis iniquiſſimo onere preſſis poſſim aliquando, ut antea, ſubvenire. Nam, mihi crede, hic mihi ſordent omnia præ chariſſima mea Geneva, cujus unius memoria reficior. Eram aliqua præterea ſcripturus, ſed ita ſum defeſſus, ut prorſus cogar in craſtinum diem cætera differre. Bene vale, mihi plurimum obſervande pater, una cum cæteris fratribus & amicis, quos utinam Dominus ſalvos & incolumes conſervet, ac modis omnibus tueatur. Ex Sangermano, 27 Septembris. M. D. LXI.

JOAN. CALVINUS D. JOANNI ACANTHIO.

Ultimis tuis breviter reſponderam: quia ſperabam te huc propediem venturum. Nunc vero hac ſpe me fuiſſe deceptum apprime gaudeo: tibique ex animo gratulor, eo te fuiſſe ſponte converſum, quo cunctantem impellere modis omnibus fuiſſem conatus. Omnino ſic agendum fuit, ut temporis præteriti moram & tarditatem ex piorum omnium animis deleres: quia niſi in tanta certandi opportunitate apparuiſſes inter Chriſti athletas, communi omnium judicio, vel aſtutiæ, vel ignaviæ damnatus eſſes. Nunc tuæ ſinceritatis ſpecimen dediſti, quo ſatis ſuperque purgata eſt ſiniſtra omnis ſuſpicio. Nec dubito quin maxima eorum lætitia fueris exceptus, qui tibi minime parcebant, quantiſper tergiverſari viſus es. Supereſt ut ab hoc conflictu ad continuam militiam te accingas, multiſque moleſtiis ac laboribus ſubeundis, qui manent veros Chriſti ſervos, ſtrenue te compares. Etſi enim quamprimum te videre optabam, mihi tamen gratius erit Eccleſiam, quæ tanta penuria laborat, tuo ſubſidio juvari, & ex tua opera præſentem fructum maturius colligere, quam ſi huc te contuliſſes. Vale eximie vir, & mihi ex animo dilecte & colende frater. Dominus te Spiritu ſuo ſemper gubernet, virtute ſuſtineat ac tueatur. 24 Septembris. M. D. LXI.

JOAN. CALV. BEZÆ.

Hodie literas tuas accepi, die ſcilicet noſtro, uberrimas, & peræque ſuaves. Unde cognoſces in dolore articulari adhuc me deliciis vacare. Non ſemper tantum otii fuit: toto enim biduo paſſus ſum acerrimos cruciatus in pede dextro. Cœpit morbus mitigari quidem nudiustertius: ſed non ita remiſit, quin pedem teneat devinctum. Atque ut ſcias me nihil fingere, odor olei mihi prope eſt amabilis, quamvis ſæpe nauſeam citet. Ita non eſt cur aulicis tuis lautitiis invideam bene & pinguiter unctus. Crede mihi, jocando non ita me oblecto, ut tibi abſtergere cupio omnem moleſtiam: ne ſi forte obſcurus rumor ad te aliunde perveniat, anxietatem aliquam concipias. Video enim, niſi te mirabiliter ſuſtineret Deus, non eſſe tibi vigorem decimæ parti ferendæ. Tu poſt dimidiam noctem mihi reſpondes. Ego ex lecto poſt horam

ſeptimam, dum commode licet. Ita providi ſunt ſenes podagrici. Sed extra jocum: nullis verbis exprimere queo, quam mihi jucundæ fuerint tuæ literæ, quibus in rem præſentem ſum adductus. Quæ etſi non omni ex parte arridet, plus tamen lætitiæ continet, quam indignationis aut faſtidii. Ter & quater benedictus ſit Deus noſter, qui nos videtur ſupra oubes attollere: ut amplexi Chriſti triumphantis pedes, ex alto deſpiciamus omoes ejus hoſtes ac noſtros. Non habeo quam tibi mercedem referam, ne ſi ære quidem loco auri contentus eſſes. Porro ut intelligas, dum vos in æſtu & arena ſerio certatis, me hic in umbra velitari, mitto quod Balduini libello reſpondi. Cave ne improbes: quia dicam ejuſdem te eſſe factioois, ſi cum eo ſentias cui maxime diſplicebit. Merlinus operam non perdidit ſcribendo, quamvis paria cum eo non faciam: quia debitorem habet quis aufugere non poteſt. Fratres ooſtri te & reliquos plurimum ſalutant. Valete iterum atque iterum omnes. Nonis Octobris. M. D. LXI.

Calvinus tuus.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

QUod mecum expoſtulas quod Georgium Blandratam ſingularem tuum amicum, & compatrem ehariſſimum, durius perſtrinxerim; de hac privata offenſione facilis & prompta eſt excuſatio, me nihil tale fuiſſe ſuſpicatum. Certe nunquam divinaſſem tanto in pretio apud te fore bominem nibili. Et quoniam te non minus præclara apud omnes exiſtimatione, quam dignitate & potentia florere cupio, mibi non parum dolet obliquis ſuis artibus ita eum obrepſiſſe in tuam gratiam. Si mibi credibile fuiſſet, hominem, cujus mihi comperta erat impietas, tibi eſſe familiarem, certe privata admonitione fuiſſem contentus, idque nomini tuo dediſſem. Sed aliorum potius cauſa publice traducendum eſſe cenſui, ut ſibi omoes à peſte tam noxia caverent. Ergo præcipua indignationis cauſa evanuit: quia mihi nihil minus fuit propoſitum, quam famam tuam oblique lædere, quum verba me facere putarem de homine vobis incognito, vel ſaltem qui nullo amicitiæ vel neceſſitudinis gradu te attingeret. ſed tibi eſt amicus. An majore in gradu quam Judas apud Chriſtum? Si non parcimus Chriſti diſcipulo, quin ob ſuam perfidiam omnibus fiat deteſtabilis, non plus indulgentiæ merentur cujuſquam amici. Sed ne tædio ſit epiſtolæ prolixitas, breve hiſtoriæ compendium deſcripſi, ex quo facile cognoſcas, meritone an injuſte detexerim occultum venenum, ne diutius clam graſſando multos in Polonia inficeret. Neque enim odio, vel æmulatione, vel invidia ad publicandum obſcuri hominis dedecus impulſus ſum: ſed quia fratres mihi chariſſimos ſilentio & diſſimulatione prodere nefas eſſe duxi. Quod ſi reſipiſcat, nulla in me erit mora, quin præteriti temporis memoria ſepeliatur. Si autem pertinaciter contendit ſibi factam eſſe injuriam, quaſnam mihi relinquit partes, niſi ut mihi ſit pro obſtinato hæretico? Sicuti mihi optabile eſt pro mea erga te obſervantia ſtudioſe votis tuis obſequi, ita te rogatum eſſe velim, ut inprimis caveas ne ſibi januam aperiat Blandrata ipſe, veſtra auctoritate adductus. Aliud remedium oon video. Sed fortaſſe ubi de re tota redditi fueritis certiores, mutare judicium non pigebit. Quod ſi mihi nihil tribuitis, ſaltem fidem meretur teſtimonium Italicæ Eccleſiæ quæ apud nos eſt, & D. Petri Martyris. Hac de re plus ſatis. Toti Poloniæ, & privatim Lithuaniæ gratulor, quod majorea ſubinde illic progreſſus faciat purior religio, & novis incrementis longe lateque dilatetur Chriſti regnum. Hæc etiam non pœnitenda gaudii acceſſio, quum audio diſciplinam cum Euangelii profeſſione conjungi. Et certe non immerito vocare ſoleo diſciplinam nervos Eccleſiæ: quia ut propenſi ſunt hominum mores ad laſciviam, delicias, & licentiam quamlibet, niſi contineamur ſub freno, major pars libertatis prætextu luxuriabitur & inſoleſcet. Unum deſidero, ut in poſterum tempus proſpiciatur Eccleſiis, ne Paſtoribus orbatæ & nudatæ brevi intereant. Scholæ autem, ſeminaria ſunt Paſtorum: & apte cenſeri poſſunt tanquam cæleſtis doctrinæ gazophylacia. Quo major danda eſt opera, ut quamplurimi inſtituantur tam in pietate, quam bonis literis. Hæc vero nobiliſſima erit vobis liberalitatis materia, ut veſtro exemplo reliquis ad imitationem incitentur. Ergo ut finem faciam, Deum ſuppliciter precabor, ut te Spiritu ſuo gubernet, incolumem tueatur, magiſque ac magis ſuis donis illuſtret ac locupletet. Genevæ, 9 Octobris. M. D. LXI.

JOAN. CALV. STANISLAO.

QUod mihi per literas innoteſcere voluiſti, eximie vir, ut poſthac te inter amicos meos cenſeam, gratiſſimum mihi fuit: ac ſicuti libenter amplector hoc benevolentiæ tuæ ſtudium, ita viciſſim polliceor me fraterno erga te fore animo, ſicuti & tua pietas & eruditio merentur: cujus utriuſque in literis illuſtre ſpecimen apparet. Nam quum omnes in Blaodrata ballucinentur, tanquam ejus præſtigiis faſcinati, unus prudenter ſubolfacis oon temere eſſe credendum. Sed ne conjecturis tantum agamus, ſcito Valentinum Gentilem, cujus deliria breviter refutavi, ex eadem fuiſſe factione, adeoque alterum Blandratam: quamvis neuter alteri cederet. Non fuiſſe deprehenſas ejus fraudes in Polonia, nec adhuc perſpici quam inſidioſus ſit & fallax, tolerabile forſan eſſet. Sed valde miror hominem, quem ſola oſtentatio & faſtuoſus vultus commendat, tanti apud vos fieri, ut quaſi novus Atlas Eccleſiam ſuſtineat ſuis humeris. Certe tam inconſideratæ credulitatis niſi me puderet, gentem veſtram noo amarem. Cæterum ex communibus literis, quas Eccleſiis ſcribo, plane ad ſatietatem, imo ad faſtidium uſque perſpicies quid hominis ſit, vel beſtiæ, vel monſtri. Vale eximie vir, & mihi ex animo colende frater. D. te Spiritu ſuo ſemper gubernet, ſuſtineat invicta virtute, & donis ſuis in dies locupletet. Genevæ, 7 Idus Octobris. M. D. LXI.

FELIX CRUCIGER J. CALVINO ET ALIIS FRATRIBUS.

Gratiam & Pacem à Deo Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti fratres veſtri, qui manent per univerſam minorem Poloniam.

INtelleximus, viri clariſſimi, & ex teſtibus fide dignis, & ex literis aliquorum, quæ ad noſtros ex veſtris regionibus adferuntur, noſtros cœtus aliquo modo iſtic ſuſpicione laborare, acſi peregrinorum dogmatum, & potiſſimum Arianæ, Servetianæve impietatis defenſores, ut ſaltem fautores eſſe deberemus. Quæ ſane res, ubi ad nos perlata eſt, graviter animos noſtros percelluit & ſauciavit, ita ut ounc cogamur deouo io hoc articulo coram vobis fratribus amantiſſimis explicare rationem fidei noſtræ. Nolite igitur de nobis addubitare. Credimus & confitemur unum Deum juxta Canonicas Scripturas: & bunc agnoſcimus & colimus ita ſicuti ſe patefecit in tribus Perſonis, ad illam ripam Jordanis. Credimus Patrem Omnipotentem, Filium ei per omoia æqualem quoad naturam, eſſentiam, vel Deitatem. Minorem eo tantum, quod quum eſſet in forma Dei ſemetipſum exinanivit, ſeu ut uno verbo complectamur, ratione officii mediationis. Sic & in Spiritum ſanctum credimus verum Deum, qui à Patre & Filio procedit. Quid mulra? amplectimur reverenter tria illa ſymbola, Apoſtolicum, Nicenum, & divi

Atha-

Athanaſii. Nec volumus à conſenſu veſtrarum Eccleſiarum diſcedere. Et abhorremus omnia dogmata nova & exotica, memores dicti, Depoſitum
1 Tim. 6. verſ. 20. cuſtodi ô Timothee. Hæc eſt fides & confeſſio noſtra. Quod ſi igitur Stancarus deinceps, aut quiſpiam alter noſtræ famæ ioſidiabitur apud vos, ne credatis, per nomen Jeſu vos obteſtamur. Id enim vobis viris pietate & gravitate Chriſtiana præditis congruit. Georgius Blandrata ante aliquot hebdomadas noſtræ confeſſioni videbatur ſerio ſubſcripſiſſe. Cujus cauſam oramus ut diligenter & prudeoter diſpiciatis, & nos de omnibus certiores reddatis. Sed quod attinet noſtras Eccleſias, coram Deo teſtamur, quod hactenus per Dei gratiam in ea fide perſiſtimus, & perſiſtere Deo volente cupimus, ſicuti ſupra recitatum eſt. Valete fratres io Domino perpetua obſervantia colendiſſimi. Datum ex magna Kxiæſſ. in Synodo noſtra. 3. die Septemb. Anno M. D. LXI.

JOAN. CALVINUS

D. Felici Crucigero, Ejuſque Collegis, Eccleſiarum minoris Poloniæ fidis Paſtoribus & Miniſtris.

QUid Stancarus profecerit, quibus vos gravare tentavit calumniis, ex reſponſo noſtro apparet. Nobis certe nunquam fuiſtis ſuſpecti. Sed quia vobis viſum eſt purgare, ſi quid conceptum eſſet ſuſpicionis, libenter confeſſionem à vobis ſcriptam amplectimur, quia ejus brevitas oihil habet obſcurum vel ambiguum. Nec vero timeodum fuit, oe ullis ſiniſtris rumoribus à vobis alieoaremur. Sancta igitur maneat inter nos conjunctio, eamque ultro citroque fraterna benevolentia colamus. Unum tamen non diſſimulo, eos qui tam humaniter Georgium Blandratam exceperunt, parum fuiſſe cautos & providos, & male conſuluiſſe veſtræ exiſtimationi. Magis etiam miror quoſdam primariæ auctoritatis viros graviter offendi, quod libere hominem detexerim, ut neceſſe erat. Ac ne putetis temere fuiſſe quicquam à me creditum, hiſtoricam narrationem dictavi, quæ vos omnium certiores faceret. Tacere vero io tanto veſtro diſcrimine fas non fuit, quum iotelligerem non modo lupum in ovile admiſſum fuiſſe, ſed ovibus datum eſſe cuſtodem. Nunc tamen ſi reſipiſcere in animo habeat Blandrata, re ipſa demonſtret. Quod ſi mihi reconciliari velit, ignoſcere paratus ſum, ſimulac mutatum fuiſſe in melius cognovero. Sed profecto vobis illudit, dum ſe indigne traductum fuiſſe cooqueritur. Quid? quum ſcirem impiis deliriis imbutum, an non fuiſſet proditorium de tanto periculo vos ooo commonefacere? Sioceræ ergo de ſalute veſtra ſollicitudinis officium præſtiti, cujus ounquam me pœnitebit. Valete iotegerrimi fratres, & ex animo mihi chariſſimi. Dominus vobis adſit, vos gubernet, ac tueatur perpetuo. 9 Octobris. M. D. LXI.

JOAN. CALVINUS

Miniſtris & Senioribus Eccleſiæ Vilnenſis.

QUod de charitatis mutuo inter nos colendæ ſtudio ſcribitis, libenter amplector: ac piæ veſtræ admonitioni morem gerere paratus eſſem, ſi mihi juſta ratio à vobis præſcriberetur, quomodo reconciliari me oporteat cum Georgio Blandrata. Quod dum ſub perſona Illuſtriſſimi Ducis & Palatini Vilnenſis, vos omnes hortatus ſum ad cavendam illam peſtem, graviter fuiſtis offenſi: mihi certe dolet officium à ſincero veſtri amore profectum, & pia ſalutis veſtræ cura, non placuiſſe. Sed quid facerem? ſaltem defunctus ſum: nec me unquam pœnitebit ejus offenſionis, quam mihi ſumma oeceſſitas injunxit. Magoi vobis eſt exiſtimatio Blandratæ: quia integerrimum virum eſſe cognoſcitis, nec ullius erroris ſuſpectum. Quid autem de ipſo publice teſtatus ſim, oſtendit præfatio de qua mecum expoſtulatis. Etſi vobis non eſt ſuſpectus, plane apud me convictus eſt, imo coram hac Eccleſia. Mihi non creditis, cur ego potius vobis credam? Multum ſcilicet vobis otii eſt, ut ſynodos cogatis ob tales quiſquilias. Sed Blandratæ excellentia vos movet: quia horribile ſcandalum naſcetur, ſi confligere mecum incipiat. Ergo non vulgare fecit operæpretium longo itinere, quod tantum ſibi nomeo acquiſierit. Nullus eſt apud alias gentes: vos admiramini non ſecus atque Angelum è cælo delapſum. Veſtras delicias minime vobis iovideo. Summo etiam ut in pretio ſit apud vos, per me licet: modo viciſſim pro veſtra æquitate mihi permittatis non neſcire, quod apud nos omnibus ſatis ſuperque compertum eſt. Si aſperius loquor, vos me coëgiſtis. Cæterum ut ſciatis immodica quorundam facilitate male Eccleſiis veſtris fuiſſe conſultum quibus præfectus fuit, mitto breve hiſtoriæ totius compendium: ex quo perſpicuum vobis fiet, niſi infideliter & proditorie vobiſcum agere vellem, tacendum non fuiſſe io tanto veſtro periculo. Si nihil fidei obtineo, aliquid tamen & Italicæ quæ apud nos eſt Eccleſiæ Senioribus, & eximio Chriſti ſervo Doctori Petro Martyri tribuite. Valete fratres ex animo dilecti & colendi. Dominus vos Spiritu ſuo gubernet, virtute iovicta ſuſtineat, doniſque omnibus locupletet. Genevæ, 9 Octobris. M. D LXI.

BLANDRATA.

GEorgius Blandrata Medicus vixit apud nos quiete & placide ad tempus, & Chriſtianæ docilitatis ſigna dedit. An opinione deceptus fuerit, quia non reperit quod ſperabat, neſcimus. Exceptus enim fuit pro noſtra ſimplicitate tanquam unus ex aliorum oumero. Cœpit deinde per ambages io quæſtionem trahere fidei noſtræ articulum de Chriſti Deitate: & ſua ſomnia ſparſit clanculum apud imperitos. Sed quo impunitatem ſibi acquireret, ſuas quæſtiones depoſuit apud Paſtorem Italicum Maximilianum, ex celebri Comitum familia natum (Martinengues vocant Itali) qui etſi acuto erat ac perſpicaci ingenio, oderat tamen frivolas ſpeculatiooes. Itaque quamvis Blandrata ſedulo officia Medici obtruderet in curanda illius valetudine & uxoris, hominis tamen importunitate offenſus, eum repudiabat. Quod clarius ſub mortem ſuam patefecit. Eodem tempore ſuis quæſtionibus fatigabat Calvinum: eoque magis, quod quum ſubinde fingeret ſe placatum eſſe, & acquieſceret reſponſis, poſtridie redibat quaſi novus, nec deſinebat ea ipſa, de quibus ſæpe audierat, ſciſcitari. Itaque coactus eſt ei Calvinus in faciem dicere, Vultus tuus deteſtabile monſtrum mihi oſtendit, quod in corde occultum foves: ac ſæpius eum aſpere objurgavit, ut ſi fieri poſſet corrigeret perfidiam, & fallacias, doloſque tortuoſos, quorum faſtidio erat quodammodo defeſſus. Nec tameo deſtitit Blandratam comiter ſalutare, & admittere ad ſermonem. Imo huc uſque obtemperavit improbi hominis votis, ut brevi ſcripto diſſolveret omnes ſcrupulos, quibus fingebat ille nequam ſe impediri. Notare autem operæpretium eſt pravum ejus conſilium. Neque enim tam optavit expediri ſibi dubitationes, in quibus dicebat ſe perplexum hærere, quam contendit à Calvino, ut damnaret omnium aliorum ſententias. Ac ſæpius aſſeruit ab omnibus Germanis ſe turbari: unius autem Calvini doctrina ſe reddi tranquillum. Quum identidem urgeret, ut ſedandis multorum conſcientiis Calvinus rejiceret quæcunque ab aliis erant prodita, ſibi fidem omnem detraxit. Et ex eo tempore deſiit Calvinus eum admittere: quia tantum

diſſidia & turbas quærebat. Serpebat interea virus impiorum dogmatum apud Italos. Itaque Seniores Calvinum rogarunt, ut manum auxiliarem porrigeret. Condicta eſt hora plebi. Miſſi ſunt duo ex Senatoribus. Calvinus verba fecit. Hortatus eſt nomine Senatus, ut quiſque libere proferret, quid ſentiret. Ac Senatus nomine promiſit impunitatem, ſi quid perperam & inconſiderate elapſum eſſet. Illic non dubitavit Blandrata objicere Calvino, quod falſiſſimum erat, jactareque illud eſſe ſcriptum manu Calvini. Coactus proferre, tergiverſari cœpit. Pertinaciter tamen aſſeruit Calvinum ita ſcripſiſſe, doocc charta allata fuit in templum. Deprehenſus in manifeſta calumnia miſer ille, non tamen erubuit: quum omnes fuſte dignum cenſerent. Etſi autem non protulit ipſe horribilem blaſphemiam, quæ mox ſequetur, totam tamen ejus culpam ſuſtinet. Dixit enim intimus ejus ſodalis Joannes Paulus Alciatus, quem adhuc pro anima ſua habet, tres Diabolos à nobis adotari pejores omnibus idolis Papatus: quia ſtatueremus tres Perſonas. Si execrabile illud ſacrilegium, ut decebat, exhorruit, cur ab ejus familiaritate non diſceſſit? Imo cum eo paulo poſt profectus eſt: & eo comite, ſodali, & ſocio, molitus eſt ſcindere Eccleſias. Pepercit tamen Calvinus, ac deprecatus eſt, ne quid accideret moleſtiæ. Exorta eſt rurſus nova querimonia Italicæ Eccleſiæ, quod clandeſtinis artibus, ſimplices è vulgo imbuerentur perverſis illis deliriis. Vocati igitur ſunt ad Cooſiſtorium Blandrata, & alii quidam. Satis habere debet, quod fuerit abſque ignominia dimiſſus. Calvinus etiam ore ſuo juſſit ipſum eſſe ſecurum: ac promiſit ſe daturum operam, ne fraudi eſſent quæcunque antea peccaſſet. Aliquanto poſt tempore quum in auditorium Calvini ingreſſus eſſet unus ex quatuor Præſidibus Senatus (quos vocant Syndicos) idque ut tum legentem Calvinum audiret, Blandrata qui lectioni intererat, mox ſudario naribus oppoſito, acſi ſanguis flueret, ſe in fugam proripuit, nec poſtea in urbem reverſus eſt. Hæc eſt Calvini crudelitas, qui perverſum hominem & turbulentum fovere tamen ſtuduit. Hæc eſt innocentia Blandratæ, quem præcipitem egit mala conſcientia: fuitque illi carnifex, quum nemo eſſet inimicus. Conceſſit Tigurum: an illic ſe rectius geſſerit, teſtantur D. Petri Martyris literæ. Ex Polonia multas faces jaculatus eſt ad renovandum inceodium. Conatus eſt modis omnibus labefactare ſimplicium fidem. Et cuidam amico ſcripſit, vadum ſe reperiſſe in illis profundis aquis, ubi ante dubius natabat.

En cur debuerit quiſquam ſuſcipere hominis patrocinium, & privatas meas monitiones procul rejicere, quibus malum placide ſanari poterat. 9 Octobris. M D. LXI.

Calvinus Bezæ.

POſtridie quam tibi nuper ſcripſi, correptus fui colicis doloribus, qui abſque ulla remiſſione ſævierunt toto biduo. Poſtea interdiu oonnihil fuerunt mitigati: tres tamen poſtea noctes adhuc infeſtæ. Necdum audeo mihi multum promittere de levatione, quæ à clyſteribus pendet, ſemperque unctionibus mixta eſt. Tanta autem ex vomitionibus, pervigiliis, & doloris vehementia, ſimulque inedia, & ſiti, palati & gutturis ariditas, ut nunc etiam hæc pauca dictare moleſtum ſit. Mandaſſem alteri ſcribendi partes, niſi veritus eſſem ne plus inde metus & ſollicitudinis conciperes. Colloquium ab adverſariis quovis modo abrumpi non ægre feram. Nondum enim res maturuit, ut eorum conſenſu vigeat pura religio. Partem vero aliquam concedi nihil aliud eſſet, quam veritatis curſum abrumpere. Velim igitur hac in parte vos eſſe faciles. Vale integerrime frater, una cum D. Martyre & reliquis. Deus vos omnes tueatur, gubernet, ac benedicat in omnibus. 15 Octobris. M. D. LXI.

Calvinus tuus.

Calvinus Bezæ.

EX quo ceſſarunt tormina, vel aliquantulum laxata ſunt, gravedo me invaſit: quæ tamen minus acriter me infeſtat. Pes nondum convaluit. Nudiustertius concionatus ſum, ſed delatus ſella in templum uſque. Quanquam hæc melius ex Normandio noſtro intelliges, qui forte has præveniet. Colloquium mature abrumpi mihi nunquam diſplicuit: modo abſque veſtra culpa fiat. Nolim tamen dum ſiniſtros rumores fugitis, vos eſſe nimis verecundos: quia ſemper vereor ne vobis & cauſæ noceat facilitas. Ergo à fraude cavendum. Una in re inſiſtere oportet, ut fidelibus tolerabilis ſit libertas. Severe tamen objurgaodus erit eorum fervor, qui metas tranſiliunt: ac de eo frenando conſultandum vobis erit, ut quod ſtatueritis, omoes provinciæ ſequantur. Si qui parere nolint, ſero agnoſcent quanto potior moderatio ſit quam temeritas. Utinam ſoli pœnas luerent. Sed niſi eorum intemperantiam compeſcat Deus, omnia peſſundabunt. Vide quam acre ſit telum neceſſitas, quæ prodigos facit in maxima inopia. Si Merlinus huc ſe receperit ante finem menſis, nobiſcum bene actum putabimus. Colongius ne revocaretur, accurate me rogavit D. Duciſſa: cujus de te ſpem etiam fruſtrari vix fas eſſet. Ea enim cupide expectat te & D. Martyrem: quos ſibi promiſſos eſſe aſſerit. Tot remoræ plus æquo tempus producent, ut longius non abſcedas. Martyrem quoque relinquere non eſſet humanum. Sed in primis vide, ut ſcholæ deſertæ cito ſuccurras. Ego enim, cui obeundæ erant tuæ vices, jam toto fere menſe decubui: quia paulo poſt quam has acceperis, ad iter, ut opinor, te accinges, poſthac à ſcribendo deſiſtam: niſi forte conſilium te mutaſſe cognovero. Vale eximie vir & integerrime frater, cum D. Martyre & reliquis fratribus, apud quos excuſa quod non ſcribam. Dominus vos omnes tueatur, gubernet, ſtudiaque veſtra beoedicat. 21 Octobr. M. D. LXI.

Calvinus tuus.

J. Calv. Bullingero s. d.

SEro admonitus fui de nuncii diſceſſu, quum me ad legendum traherem. Sic enim loquendum eſt: quia nunc pedis, nunc totius cruris dolor vix me lente reptare patitur. Imo ægre me ſuſtineo, niſi alterius brachio innixus. Nunc fere hora quarta eſt poſt meridiem, & cras etiam proficiſcitur nuncius, qui meas ad Bezam & quoſdam alios expectat. Peto igitur, venerande frater, ut meæ brevitati des veniam. Quanquam ſi plus eſſet otii, & ad ſcribendum eſſem alacrior, neſcio an operæpretium facturus eſſem, res Galliæ narrando. Mitto enim à Martyre noſtro literas, quæ te, opinor, totius ſummæ certiorem reddent: ac ipſe brevi coram vobis exponet quicquid actum fuit. Pridem ſubolfeci Diabolum in Germania clandeſtinis artibus moliri quod nunc tandem apparuit: & ante tres menſes diligenter hortatus fueram Regem Navarræ, ut ſibi ab inſidiis caveret. Quam parum vero profecerim, quia chartæ mandare piget, malo ex D. Martyre cognoſcas, ubi iſtuc reverſus fuerit. Promiſerat mira: & quo plus fidei acquireret, non diſſimulabat ſe fuiſſe tentatum: ſed ſilentio repudiaſſe ejus poſtulata. Atqui ex Germania mihi ſcriptum eſt ejus rogatu miſſos fuiſſe quinque Theologos, qui nunc ſunt in aula: niſi forte dimiſſi fuerint: quia ſero advenerant, tota actione abrupta. Quid ſi Deus perfidiam miſeri illius fruſtretur, qui nefariis obſequiis

Papæ

Papæ ſe venditat, qui tamen eum ludibrio habet? Sed propediem aliquid ſciemus. Vale ornatiſſime vir, & frater ex animo colende. Dominus tibi ſemper adſit, te gubernet, ac benedicat tuos labores. Symmyſtis omnibus, uxori, totique familiæ multam ſalutem precor. Genevæ, 5 Novemb. M. D. LXI.

CALV. SALINIACO.

QUod aliena manu tibi ſcribo, ornatiſſ. vir, & mihi in Chriſto venerande, non minoris, ut opinor, abs te fient meæ literæ, ubi ex intimo animi ſenſu dictatas fuiſſe cognoveris. Et certe ita eſt: nec unquam adeo familiariter tecum agere auſus eſſem, niſi fiduciam dediſſet amor erga te meus, & quæ inde naſcitur ſalutis tuæ cura, quæ me non ſollicitum modo, ſed anxium quoque pridem reddidit, quoties de tuo ſtatu cogitabam. Unum te ex eorum eſſe numero memini, quos Deus Euangelii ſui luce ante annos triginta dignatus eſt. Non vulgaris honor, quod inter primitias delectus es, cui acceſſit liberalis doctrina, & eximia Scripturæ ſacræ cognitio: ut aliis omnibus facem præferre merito debueris. Porro quam indigne ſepultus fuerit incomparabilis ille theſaurus, quem Deus apud te depoſuerat, utinam potius ſis ipſe judex, quam expectes dum coram cæleſti judice reddenda ſit otii ratio. Quid dico otium? Neque enim ſine fructu ſolum jacuerunt tot præclaræ dotes: ſed in ſordibus demerſæ, in probrum & dedecus ſinceræ fidei quodammodo ceſſarunt. Quamvis enim laude digna fuerit vitæ integritas, & caſtitas: ſcis tamen, & non ſine maximo dolore viderunt pii & cordati homines, impios & ſceleratos de te triumphum agere, quum metu conſtrictus obmuteſceres. Præteriit nimis longum tempus, quo miſera illa non minus quam turpis ſervitus mentis tuæ vigorem oppreſſit. Detur venia communi malo: quia objectis undique terroribus, pauci ingenue Chriſti ſe diſcipulos profiteri audebant. Nunc vero ex quo melior affulſit conditio filiis Dei, ut à periculo immunis ſit eorum libertas, erumpere in vocem cogor, Quouſque tandem ſponte libebit tergiverſando Chriſtum jure ſuo fraudare? Hactenus indulgenter tibi Deus pepercit, dum rectæ intelligentiæ lumen quod cunctatione tua ſuffocaſti, prorſus extingui paſſus non eſt. Sed obſecro per hanc indulgentiam, qua te ad hunc uſque diem ſuſtinuit, quo tot hominum millia ſub vexillum ſe colligendo, te ad eandem ſtudii alacritatem invitant, ut diligenter tecum reputes quam pretioſum Deo ſacrificium ſit pura Dei confeſſio: ut quod reſiduum eſt vitæ, ubi ſimpliciter Chriſto dicatum fuerit, tarditatem anteacti temporis compenſet. Nihil certe jucundius mihi accidere poterit, quam ſi audiero, te excuſſa mollitie, & timiditate victa, Chriſto palam, & ex profeſſo nomen dediſſe. Quanquam ut hoc mihi privatim des non poſtulo, ſed ut Eccleſias omnes quas mirabiliter Deus in Gallia erexit, exhilares: quæ certatim ſibi & tibi gratulabuntur, ſi relictis hoſtium caſtris te in Chriſti ovile contuleris. Nec parvus eorum, qui adhuc vacillant, numerus ſe ad imitationem protinus accinget. Ac ſi prudenter expendas quam multi abs te pendeant, & quam multorum in te converſi ſint oculi, facile agnoſces, ut excuſabilis ſit aliorum torpor, ceſſationi tuæ nullo modo poſſe ignoſci. Forte jam ſatis te animatum reperient meæ literæ, ut ſupervacua ſit exhortatio. Partibus tamen meis deeſſe nolui. Vale præſtantiſſime vir, & mihi ex animo colende. Dominus te Spiritu ſuo gubernet, fortitudine inſtruat, & incolumem tueatur. 13 Calendas Decembris, M. D. LXI.

Joannes Calvinus tuus.

SALINIACUS CALVINO S. D.

MErito te amo, vir clariſſime, de iſta tua erga me humanitate, qui me, ut pium ac cordatum virum decet, officii mei tuis ad me literis admoneas. Quæ iſta tua erga me voluntas non minus profecto mihi grata eſſe debet atque jucunda, quam à ſumma tua erga me benevolentia (qui enim ego aliter de te exiſtimem?) eam eſſe profectam certo ſcio. Sed illud profecto permirum mihi accidit, quod non ſecus de me ſentire videare, ac de eo ſtatuas, qui omnino à Chriſto ſit alienus, & perpetuam propugnationem pro veritate ſuſcipere nolit: quum nemo adhuc me in adverſariorum caſtris ſigna ſequentem videat: neque promiſſis, quæ minimum apud me valent, ſed ne periculis quidem ullis, quibus tamen moventur fortiſſimi viri, adduci unquam potuerim, ut ipſe à me deficerem, & deſerto Imperatore Chriſto, ac in acie ordine meo, ad hoſtium caſtra turpiſſime atque flagitioſiſſime transfugerem. Quod ſi tu eo fortaſſe me nomine jure reprehendendum eſſe putes, non quod ipſe quidem Religionem oppugnaverim (neque enim id vere de me dici poſſe puto) ſed eam quum poſſem, non defenderim, equidem id hoc loco quod res eſt paucis reſpondebo: me in tanta animorum de Religione contentione, & opinionum diſſenſione, cui ſimpliciter me dederem adhuc conſtituere non potuiſſe. Cupiam ego vehementer eam nos Reip. Chriſtianæ formam habere, quam tu ipſe ſpiras, & Apoſtolicam fuiſſe legimus. Sed quantæ molis ſit Chriſtianam denuo condere gentem, aut potius recudere, quæ tot jam annos à recta virtutis & veritatis via deflexerit: & præſertim apud noſtros, qui [illegible] id quod rectum eſt & verum viderint: tu vel me tacente, qui apud nos ſis natus & educatus, & in Gallia noſtra, prima virtutis tuæ fundamenta jeceris, quique & polito & literis exculto ſis ingenio, & acri judicio præditus, optime potes intelligere. Expeditiſſima igitur mihi quidem ad hanc rem via eſſe videtur, ſi non Scripturæ tantum, quæ plurimum apud pios valere debeat, ſed veterum etiam auctoritate, quæ maximi ab adverſariis fit, quibus opibus maxime tuti eſſe velint, ea præſidia non ſatis firma eſſe doceamus: quæque hodie in pretio habentur, & vulgo à male ſanis hominibus docentur, quantum à veritate ipſa diſſideant, planum faciamus. Qua ſane in re (ut otii etiam noſtri ratio tibi conſtet) ſubciſivis quidem horis (nam meliorem, ut æquum eſt, diei partem literarum ſacrarum ſtudio tribuimus) libenter me, quantum per occupationes alias & valetudinem licet, exerceo. Quod ut aliquando è re Eccleſiæ noſtræ eſſe poſſit, Pſalmos Davidicos Hebraice, & reliquos deinceps veteris fœderis libros, Kimhianis ad eoſdem adjunctis commentariis, ineunte Januario, in noſtra hac Academia publice explicandos (ſi Deus Opt. Max. me, ut ſpero, ſervaverit ac juverit) ſuſcepi: ut dum cæteri Satanam vi & impreſſione evertere, bonis omnibus approbantibus, conantur, ego pro virili, ut levis armaturæ miles, ſubſidio veniam. Miles vero Chriſti ego ſum, cujus nunquam me pudeat. Ecquo quæſo modo ejus me pudeat, pro cujus decretis vitam profundere non dubitem, idque ſummæ mihi laudi eſſe ducam, atque omnium triumphis anteponam? Ego nempe ante menſes octo, aut eo etiam amplius, Prophetas aliquot cum Kimhianis commentariis publice ſum interpretatus, eademque illa quæ vos proponere ſoletis, docui: auditores meos ab externis his & aſpectabilibus ad veram religionem, Chriſto uno, per quem ſervemur, propoſito, revocavi, & quoad ejus fieri potuit, ad pietatem ſemper erudivi. Fateor equidem (nec cauſa eſt cur id negem) falſam iſtam doctrinam non tam fortaſſe aperte, quam ipſi facere ſoletis,

confutaſſe: Babylonem tamen tum cuniculis, tum aperto etiam Marte, ut res & tempus ferebat, ita ſemper oppugnavi, ut noſter iſte in eo genere conatus optimo cuique ſemper probaretur. Plura in hanc ſeotentiam non ſcribam. Quo enim ego ſim, ſemperque fuerim animo, quid item ſpectem, mihique proponam, & quam longe lateque Dominum regnare cupiam, ipſa dies (ut ſpe ſum optima) docebit. Neque eo certe conſilio bæc commemoro, atque ad te ſcribo, quo mihi quidquam laudis tribui poſtulem; ſed ut me Dei beneficio, noo omnino in propagandis illius Regni finibus ceſſatorem fuiſſe iotelligas. Vale, & me ut te in Chriſto veneror & amo, redama. Lutetiæ, Idibus Decembris. M. D. LXI.

Joannes S. tuus.

Beza Calvino s.

Accipe quid novi acciderit, ex quo poſtremas ad te dedi. Pridie natalis Domini diſcedens Navarrena, Pariſienſi Eccleſiæ me conceſſi ad triduum. Natali ipſo quievimus. Poſtridie, copis nobis tum primum facta publice diebus feſtis concionandi, duas conciones habui frequentiſſimas, unam in D. Antonii, alteram in D. Marcelli ſuburbio, idque ſine ulla prorſus ſpecie tumultus. Interfuerunt ex omnibus civium ordinibus plurimi, & quidem inter cæteros D. Andelotius, qui me cum honeſtiſſimo & firmiſſimo comitatu per mediam urbem deduxit, obſtupeſcentibus adverſariis, & ſumma cum bonorum gratulatione, quorum multitudine ita oppletos vicos conſpexiſſes, ut numerus facile iniri non poſſet. Altero poſt die mane concionem tertiam habui, in qua multo etiam plures affuerunt, quam unquam antea. A prandio itum eſt ad Marcelli ſuburbium, me quidem repugnante, quoniam præmoniti eramus ſacrificos neſcio quid moliri. Sed fieri aliter non potuit, quoniam ſua ſponte iofinita turba eo confluebat, quam alioqui inimicis prodidiſſemus. Acceſſi à prandio. Aderat autem nobiſcum ex Reginæ mandato vigilum Præfectus cum ſuis apparitoribus, ita ut Regia auctoritas ubique nobis præiret. Concionatus eſt Malotius. Ecce igitur quum vix eſſet concionem auſpicatus, cœperunt ſacrifici in proximo atque adeo contiguo Medardi templo campanas ſuas omnes quam vehementiſſime pulſare, quaſi ſuas quas vocant Veſperas cantaturi, ita ut Malotius audiri vix poſſet. Ibi ex noſtris aliquis, nullius tamen juſſu, illos adit, & blande rogat, ut obſtrependi finem faciant. Illi quaſi occaſionem nacti quam captabant, ut qui una cum aliquot ſicariis ad boc ipſum egregie ſeſe comparaſſeot, impetum in illum faciunt, & inermem conto trajiciunt, quem Pertuiſanam vocamus. Hoc ſcelus noſtri ſimulatque coo-ſpexerunt, eo recta feruntur. Hoſtes & ipſi occurrunt, ſimulque ex turri templi & vicinis ædibus ſaxa & ſudes, quaſi ſigno dato, dejici cœperunt. Ad hunc tumultum, qui conciooem audiebant, ingenti murmure exorto, ſtatim provolant: omnia maximo tumultu miſcentur. Interea noſtri ad ipſas uſque templi fores adverſarios repellunt. Ego forte in cubiculo adſtabam, quod ex uno latere locum ipſum ubi coactus erat coetus, ex altero plateam ſpectabat qua tranſeundum erat omnibus ad certamen properantibus. Conatus ſum quantum potui & voce & manu mulieres & turbam confirmare: & Malotius ipſe minime perturbatus, ſigno dato ut Pſalmum decimum ſextum caneremus, populum utcunque retinuit. Jam igitur pene compoſita erant omnia, quum repente ſacrifici cum ſua cohorte, quum ſeſe & à vigilum Præfecto & à noſtris ita cernerent obſeſſos, ut evadendi ſpes non eſſet, campanarum pulſu, quem Toxinum vocant, omnes ad arma convocant. Tum vero noſtri eo ferri præcipites. Ego quum jam cernerem nullum eſſe remedio locum, in plateam accurro, inermes procurrentes verbis & oppoſito oſtio impedio, ne in periculum manifeſtum ruant: quod quidem ita commode mihi ſuggeſſit Dominus, ut magna pars turbæ fuerit periculi ignara, & Malotius per dimidiam horam quaſi rebus tranquillis perrexerit concionari, quamvis ille Toxini ſonitus auditorum animos ſubinde percelleret. Siqui interea prodibant, eis fiebat exeundi poteſtas, ſed cum conditione, ut conſiſterent tantiſper, dum à noſtris, ſi ita opus eſſet, evocarentur. Dum bæc intus geruntur, noſtri, præeunte & jubente vigilum Præfecto, impetu facto, templi fores cum repagulis ſumma vi perfringunt. Hoſtes baliſtis, enſibus, contis, ſaxis, & ſudibus (hæc enim ſummo ſtudio compararant) fortiter quidem ſe tueri, ſed fruſtra. Nam accurrentes ad ſubſidium noſtri ſuburbanos interea ita repulerant, ut eorum nulli poſtea apparuerint. Id unum igitur ſupererat, ut oppreſſi omnes obtruncarentur: ſed, quod mirum eſt in tanto impetu, nemo interemptus, omnes, acceptis tamen aliquot vulneribus, in deditionem recepti, & Præfecto vigilum traditi in manus. Inde in turrim templi perrectum eſt, ubi rurſus effractis valvis, omnes ad unum capti, qui Toxinum pulſarant. Itaque plus valuit in mediis etiam armis, Regii Præfecti auctoritas, quam ira. Sed qui hoſtibus armatis pepercerant, idolis & panaceo illi Deo parcere non potuerunt: fruſtra reclamantibus, quibus iſta non placebant. His peractis, abſoluta concione, gratiis ſolennibus Deo actis, & admonitis omnibus, ut moderatos ſe præberent, ſi quid in itinere occurreret, ita reditum inſtituimus. Ita & ſuburbium & urbem totam, ſine ullo prorſus tumultu, tranſivimus, & domum quiſque rediit. Imo, quod magis mireris, captivi hoſtes triginta ſex, ita ut erant fere omnes vulnerati, & in iis decem ad minimum ſacrifici, funibus vincti, ſpectantibus & oe mutientibus quidem adverſariis, non aliter transvecti ſunt, & minoris Caſtelli carceribus incluſi, quam olim noſtri illi fratres in D. Jacobi vico deprehenſi. Utinam vero nihil ejuſmodi incidiſſet, ac tranquille potius Deum nobis colere liceret. Sed quando id nulla noſtra culpa accidit, gratiæ Deo agendæ pro inſigni victoria: quæ, ut ſpero, barbaros iſtos & immanes Cyclopas docebit ſuis ſaltem, quod aiunt, ſumptibus ſapere. Poſtridie, id eſt, 28. hujus menſis bene mane huc accurri, ut calumoiis malevolorum occurrerem: &, quantum poſſum conjicere, non male res cedet. Miſſus eſt ſtatim N. homo probus & à nobis noo alienus, qui cauſa cognita in ſeditioſos ex edictorum formula animadvertat. Sed audi etiam alia. Heri eo ipſo loco iterum concio habita eſt, ſine ullo tumultu. Sed ecce vix digreſſa multitudine, quidam ad boc comparati, in ædes vacuas, quæ illi plateæ immioent, ignem injiciunt. Noſtri repente recurrentes, flammam extinguuot, & fruſtra repugnantes incendiarios, vi ex ſuis ædibus extractos, evocatis lictoribus, tradunt in carcerem deducendos. In eo conflictu feruntur aliquot ex boſtibus interempti. Ex noſtris duntaxat unus priore illo certamine trucidatus in ipſo templi limine, aliquot ſunt lapidibus vulnerati. Habes noſtri ſtatus biſtoriam: qui utinam minus eſſet turbulentus, aut mihi impoſita non eſſet neceſſitas, iſta non audiendi tantum, ſed etiam aſpiciendi, à quibus natura ipſa abhorreo. Precibus opus eſt, ſi quando alias, quooiam adverſarios certum eſt omnia experturos, & firmitatem in multis requiro. Sed Deus procul dubio Eccleſiam ſuam tam neceſſario tempore non deſeret. Bene vale mi pater, cum Collegis & amicis omnibus. Domiоus Jeſus te incolumem ſervet, & ſanctis tuis laboribus magis ac magis benedicat. Ex Sangermano, 3. Calendas Januarii.

Tuus Beza.

JOAN.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

Literas tuas, integerrime frater, ſero tandem accepi poſt menſem elapſum ex quo ſcriptæ fuerant. Etſi autem mihi gratum fuit ex te ipſo intelligere quomodo valeres, ac multo magis quam ſtrenue cordateque pergeres in obeundo munere: vehementer tamen dolui, certamina tibi moveri à quibus minime decebat: imo quos par erat fidos tibi eſſe adjutores. A profeſſis hoſtibus oppugnari Chriſti ſervos, neque novum eſt neque mirum. Cum inteſtinis adverſariis confligere, moleſtius eſt atque acerbius. Quanquam ad hoc quoque pugnæ genus nos aſſuefactos eſſe oportet: quia nunquam in Eccleſia res adeo bene fuerunt compoſitæ, quin è medio ejus ſinu prodirent remoræ & obſtacula, quibuſcum nobis luctandum eſt. Optime vero factum, quod inexpugnabili Chriſti virtute fretus, hactenus perrumpere non dubitaſti. Malo, quod mihi incognitum erat, citius mederi non potui. N. aliquid de nimia D. erga ſuos indulgentia retulerat. Serio eum admonui. Quia nihil reſpondit, ſuſpicatus ſum non fuiſſe jucundum meum rigorem. Nunc quum & ſtulta credulitate, & aliis modis eo uſque progreſſum legerem, fere obſtupui. Etſi autem remedium quod utile & opportunum cenſui, adferre conatus ſum, prolixeque de præcipuis capitibus diſſerui: vereor tamen ne vulpes aulicæ diuturno tædio te macerent ac conficiant, niſi Deus mirabiliter occurrat. Locum deſeri nullo modo placet, niſi obtigerit pius ſucceſſor: præſertim donec tibi liberum erit manere. Nam ſi pro imperio te expelleret, tibi patienter ferenda vis eſſet. Nec vero à ſtatione diſcedit, qui cedit invitus. Quod ſi Eccleſiæ proſpectum mediocriter fuerit, & ejus permiſſu reſignatus fueris alteri Eccleſiæ, forte nec publice nec privatim improbanda eſſet mutatio. Utinam quum te RR. poſtularunt, probus vir ad manum fuiſſet tuis partibus obeundis: modo ſua populo relicta eſſet libertas. Unius enim arbitrio deligi Paſtores vel moveri, prorſus barbarum eſt. Interea te ad perſeverantiam, quicquid acciderit, confirma: ac memineris non fruſtra admonitos eſſe à Chriſto diſcipulos, ut ſibi caverent à fermento Phariſæorum & Herodis: quia ſemper aulicis ſolenne fuit, ſuis corruptelis ſimplicem Evangelii doctrinam inficere. Ignoſce ſi tam ampla materia mihi ſuggeſta, breviter & ſuccincte tibi reſcribo. Quanquam vere tibi affirmo, indignatione factum eſſe magis quam pigritia, ut ſim ita reſtrictus. Vale. M. D. LXI.

BEZA CALVINO S.

Miraris nimirum tam altum & diuturnum ſilentium. Culpam ſuſtineant oportet, qui diem de die ducunt. Adverſarios habemus partim Sorbonicos omnis generis, partim Italos Jeſuitas, Franciſcanos, Dominicanos: & creſcit quotidie eorum numerus. Nos quatuor omnino ſumus, Marloratus, Peroſcelius, Barbaſtus, bonus & integer homo, Navarrenæ Miniſter, & ego. Conditiones colloquii nullæ. Tantum conſtituit Regina ad Pontificem mittere, quæ ultro citroque dicta fuerint. Vides quam multa cauſificari licuerit. Tamen ſatis nobis fuit teſtari ne fratribus & Eccleſiis fraudi eſſet, quodcunque facturi aut dicturi eſſemus. Addidimus de Concilio, nos liberum Concilium non detrectare; ſed ejuſmodi illud eſt, quod nunc inſtituitur, pro nullo à nobis exiſtimari. Tandem igitur ventum eſt ad colloquium in magna hujus arcis Baſilica, 28. ſuperioris menſis. Intereſt Regina cum Cardinalibus & reliquis privati Concilii Conſiliariis. Adſunt etiam Epiſcopi nliquot, ſed ut privati. Aſſident quoque ex Parlamentis ſelecti duodecim. Præſcripta ſunt quinque capita, De imaginibus, de forma Baptiſmi, de forma Communionis, de ſacrificio Miſſæ, de miniſterio, de doctrinæ capitibus. Non placet fortaſſis neque ordo, neque diviſio; ac ne mihi quidem: ſed ita viſum eſt iis qui poſſunt omnia. Rogatus quam ob cauſam ab Eccleſia Romana diſceſſionem feciſſemus, exorſus ſum ab illis proteſtationibus: deinde ad duas horas de imaginibus dixi, quæ mihi ſuggeſſit Dominus, tum ex ipſius verbo, tum ex veteris illius Eccleſiæ teſtimoniis. Adverſarii tempus ſibi ad reſpondendum poſtularunt. Convenimus ergo ultimo die hujus menſis. Habuit orationem Pelletarius, ſed prorſus vulgarem. Sequutus eſt Jeſuita ille hiſtrio qui in conventu quoque Poſſiacenſi intervenerat, nec minus ſe lepidum præſtitit quam antea. Tertio loco dixit Salignacus, & vere profecto & fortiter, non contentus dicere quod res erat, niſi etiam quæ ab illis erant allata palam confutaret. Ubi animadvertit Turnonius quorſum tenderet ejus oratio, primum murmurare, deinde querulari, poſtremo relicta ſede ad focum pergere, tandem vero etiam in extremum angulum ſe recipere, unde conſpici non poſſet. Salignacus ex adverſo pergere, & eo uſque progredi, ut diceret idololatras, ſicut petierat David, in ſtipites & ſaxa converti, ac proinde veritatis vocem non exaudire. Ubi ille deſiit, accurrens Benedictus ille Dominicanus ut ruentia idola fulciret, multa blateravit, ſed falſiſſima & ineptiſſima. Tandem igitur reſpondi; & Salignaco aſſenſus, ſingula aliorum argumenta, ita ut potui, diluere ſtudui. Ita diſceſſum eſt, adverſariis Dei gratia eo adductis, ut niſi nox intervenſſet, prorſus ſuperati videri potuerint. Hodie reditum eſt in campum. Longam orationem habuit Corcyrenſis quidam Franciſcanus, ut aiunt, legati aſſecla, ſatis acutus ſophiſta, nec prorſus imperitus. Sequutus eſt Spenſa, qui copioſiſſime cauſam noſtram defendit, ita tamen ut multo minus nervorum haberet quam Salignacus, nec tam ſincere quin nonnulla permiſcuerit quæ adverſarios placarent. Concluſit nullo nec externo nec interno cultu dignas eſſe imagines: ſed de cruce multa protulit, re in dubio relicta, & ex templis penitus tollenda idola non cenſuit. Denique quod recte cenſuerat, conatus eſt utcunque emollire. Juſſus eſt poſtea prodire minimus ille Pariſienſium ſeditionum fax, quo nihil ineptius & indoctius audire memini. Eram reſponſurus, ſi per tempus licuiſſet. Nox igitur hanc tertiam actionem diremit, quam ego, ut ſpero, cras excipiam. Rogas quid ſperem? hoc unum, ut magis eluceſcat veritas, & aliquos ſemper lucrifaciamus: aliud præterea nihil. Inquirunt diligenter quibus conditionibus liberum & Chriſtianum Concilium definiamus. Hic ergo nobis erit laborandum, & rogo ut nos tuo conſilio, primo quoque tempore adjuves. Edictum Rotomagi promulgatum eſt. Pariſienſes adhuc reſiſtunt, neque dubium eſt quin alicunde in hac pertinacia confirmentur. Miſer ille jam prorſus eſt perditus, & omnia ſecum perdere conſtituit. Uxorem amandat. Poſſidonium, cui omnia debet, vix ſuſtinet intueri. Accerſuntur Lotharingi. Denique extrema omnia in nos comparantur. Ita placet Domino gaudium noſtrum temperare. Utcunque ſit, Deum ſpero victorem fore: & nos interea, illo favente, pergemus. Interea tibi cogitandum relinquo, quibus curis & laboribus & doloribus excrucier, ut Deum precari non deſinas, donec vobis reſtituar. Quam diuturnum ſit futurum hoc colloquium, & quæ ſint ſubſequutura neſcio, ſed me totum Deo committo. Condenſem morbus repentinus pene nobis abſtulit Lutetiæ. Heri lectica huc perlatus, incipit melius habere, & affirmant medici extra periculum eſſe. Ego neque prorſus valeo, neque etiam ægroto, ſed medius pendeo. Bene vale, mi pater, & tuum Bezam, ſi unquam alias, Domino commenda. Ampliſſimum Senatum cum Collegis &

Pſal. 115. verſ. 8.

amicis

Digitized by Google

amicis omnibus rogo ut meo nomine ſalutes. D. Jeſus vos incolumes ſervet. Ex Sangermano, primo die Februarii.

Beza Calvino s.

DIu & obſtinate tacui, ne tibi ſollicitudinem & dolores augerem: ſed ne nunc quidem poſſum aliud quam turbas & tumultus nunciare. Primas actiones noſtri congreſſus diligenter ad te perſcripſi: poſtremæ diſſimiles non fuerunt. Audivimus infinitas & incredibiles ineptias. Ita illis reſponſum eſt, Dei gratia, ut mirer adverſarios præ pudore & ignominia non corruiſſe. Perſtiterunt tamen ſuo more, & omnes contumelias fortiter devorarunt. Ubi ventum eſt ad primi capitis de imaginibus concluſionem, tres inventæ ſunt ſententiæ. Nos enim petiimus ſemel ejici imagines: adverſarii cum omni ſuo cultu retineri. Medii (id eſt, Valentinus Epiſcopus, Salignacus, Spenſa, Bottellerius, Picherellus, à quibus alioqui miſerrime & acerbiſſime vexati ſunt hoſtes) cultum duntaxat ſuſtulerunt. Tum Regina, cujus patientiam tibi ſatis connotare non poſſum, nos ad concordiam multis verbis cohortata, tandem imperavit ut ſingulæ factiones ſuam ſententiam perſcriberent. Hoſtium opinionem nec deſcribere, nec mittere placuit. Ex noſtra cognoſces, nos de induſtria ſtuduiſſe, ut abrupti colloquii culpa omnis in illos transferretur. Id enim callide captabant, ut quoniam primi eramus ſententiam noſtram recitaturi, ſi præciſe negaremus nos nunquam nec ullis conditionibus coituros niſi omnibus imaginibus ſtatim profligatis, reſponderent ſibi cum tam præfractis hominibus nihil fore negotii, & alioqui fuiſſe de jure ſuo deceſſuros. Neque vero nos hæc expectatio fefellit. Nam ſimulatque viderunt nos de veritate quidem nihil concedere, ſed tamen, oblata quadam conditionis ſpecie, illis eripere quod quærebant, aperte cœperunt per ſuos dicere omnia hæc ad Concilium Tridentinum eſſe remittenda. Nos autem contenti fuimus de noſtra promptitudine teſtari, & manifeſtas rationes proferre, cur illius conciliabuli decretis ſtare non poſſemus. Regina initio in ea erat ſententia, ut omnino vellet illos ad finem uſque pergere: ſed cùm animadverteret factioſos quoſdam hac occaſione arrepta interea per cuniculos aliud moliri, tandem per Cancellarium ſignificavit, ſibi non videri ut procederet colloquium, quandoquidem in primo capite, quod maxime videbatur perſpicuum, tanta appareret diſſenſio. Nihil hoc conſilio gratius accidere potuit noſtris adverſariis quibus iſte ludus minime placebat, adeo ut ipſe Demochares (aſinus omnium quadrupedum, Mallario excepto, inſacetiſſimus) pene ſui oblitus in meos amplexus rueret, & ejus ſodales honorifice me ſalutarent. Relinquo tibi cogitandum quam belle mihi cum illis beſtiis convenerit. Certe non ſine riſu ipſius Reginæ illos à me dimiſi. Interea juſſi ſumus noſtram de reliquis etiam capitibus ſententiam paucis perſcribere. Sed hoc fiet, opinor, ad Calendas Græcas. Interea dum hæc fabula peragitur, non credas quas nobis tragœdias excitarit ille quem minime omnium oportuit, de quo ſi deinceps ſcripſero, Julianum vocabo. Dicam uno verbo, opus eſt Domini, juſta ſua judicia exercentis: & vix ullum extat ſimilis levitatis, perfidiæ, ſceleris exemplum. Neque puduit illum quo die ſum eum in lectulo alloquutus, non aliter mecum agere, quam ſi ignorarem quæ vel ipſis pueris nota ſunt. Ab eo tempore odium in me ſuum non jam ſimulare, ſed aperte prodere cœpit, & ſpiritu malo palam agitatus inſanire. Sed bene habet quod Deus omnem illi mentem ademit, adeo ut ne inſanus quidem videatur magnopere formidabilis. Uxorem autem tibi affirmo duplo fortiorem eſſe, quam unquam antea. In Poſſidonio & altero ejus fratre nihil eſt quod requiras. Uterque ceſſit illius inſani furoribus, ſed certo conſilio, quod nobis utile fore ſpero, quamvis maluiſſem ad extremum invictos ſeſe opponere. Sed aliter judicant faciendum fuiſſe, quibus arcana iſta notiora ſunt quam mihi. Hoc quidem ſcio, & Regi & Reginæ gratiſſimos diſceſſiſſe, & ſpero aliis ad exeundum januam patefeciſſe qui minime hoc ſperarant. Tertius frater in aula remanſit, homo, ſi quiſquam in eo ordine alius, plane integer: adeo effuſa eſt Dei benedictio in totam illam familiam. Hac occaſione arrepta, cupide & ipſe ex aula diſceſſi ad patrem profecturus, ſimulque me ad reditum comparans. Sed ecce novæ turbæ, in quibus nefas fuit hanc Eccleſiam (cujus gubernationem noſti) deſerere. Senatus neque precibus neque minis potuit exorari, ut iniquiſſima etiam addita duorum capitum declaratione, Edictum promulgaret. Hinc igitur infiniti tumultus, conſpirationes apertæ, mutuæ cedes, & quid non? & hæc omnia debemus accepta referre Juliani furoribus. Interea grex creſcit infinitis modis: quæ una res me hic retinet, quoniam video Dominum huic qualicunque meo labori benedicere. Abhinc quatriduum Regina huc venit, ut Edicti promulgationem extorqueret. Ejus conſilium infelix ille impediit. Edictum igitur illa, una cum ea quam dixi declaratione, ſecum abſtulit, & Senatum monuit ut ſaltem melius aliquod conſilium daret. Eodem die, qui tamen feſtus non erat, convenimus in concione pomeridiana ad viginti quinque hominum millia, in quibus erant plurimi omnium ordinum hujus civitatis non alio habitu, quam ſi in curiam fuiſſent ingreſſuri, & ex nobilitate quamplurimi. Hoc ſpectaculum alios ad rabiem & deſperationem adegit, alios fregit, alios coëgit ſuſpenſos hærere: & ſane in his turbis quidvis experiendum video. Conſilium eorum qui in Senatu nobis adverſantur, id eſt partis aliquanto majoris, ejuſmodi eſt in ſumma. Obſervandum eſſe Julii menſis Edictum, non quale habetur, ſed ita ut perſcriptum erat in curiæ regiſtro, id eſt multo crudelius. Non deeſſe Principem (is eſt Aumullæus) qui paratus ſit intra menſem omnes iſtos extra Regni limites profligare. Sorbonam ſcripturam eſſe brevem Catechiſmum, qui à Catholicis doctoribus in omnibus oppidis explicetur: itemque fidei capita, quibus Rex ipſe primus, deinde omnes ſine exceptione ſubſcribant. Qui hoc facere recuſarit, ſi quo munere fungatur, ab ejus functione per annum abſtineat: niſi intra annum reſipuerit, exilio & fortunis multetur. Sin privatus fuerit, intra menſem excedat Regni finibus. Miniſtri intra diem decimum quintum, addita revertentibus capitali pœna, pellantur. Noſtrarum Eccleſiarum matrimonia irrita habeantur, & ex iis prognati mares vel fœminæ inter ſpurios numerentur. Quid amplius? ut quos baptizavimus, alieni ab Eccleſia cenſeantur. Hæc illi: & ſane gaudeo quod nullum medium conſilium cœperint. Neque enim arbitror ullum prorſus fore qui non eos ut ſtultos rideat, & ut inſanos rejiciat. Interea exitum aliquem præſtolamur. De mea valetudine, videor quidem mihi melius habere, ſed tamen quotidiani labores vix ſinunt me reſpirare. Interea millies mori malim, quam in tanta tempeſtate quieſcere, laborantibus omnibus. Preces tantum peto, & rogo, mi pater, ut, quod ad rem iſtam attinet, cætera arbitrio meo relinquas. Nam ſi tute hic eſſes, piger tibi viderer, in tanta neceſſitate, quantum hic conſpicio, in ea urbe quam adverſarii præcipue petunt. De meo reditu, idem eſt mihi animus. Quid multi cupiant atque etiam importuniſſime flagitent, partim jam admonui, partim deinceps cognoſcetis. Nam etſi ita reſtiti, ut millies prædixerim nihil tale eſſe ipſis cogitandum, tamen video ipſos omnia tentaturos. Quid expediat ſi requiris, puto de hoc conſtitui non poſſe in iſta re-

rum

rum perturbatione. Conjicio Julianum, qui omnibus bonis ſemel bellum minatur, nunquam paſſurum ut diutius io hoc Regno maoeam. Sed in omnem, ut aiunt, eventum, proderit publicis literis me ad Calendas Maii, ad ſummum, revocari. Si ioterea ejiciar, certe ſolus non ero. Sed hoc, ut ſpero, Deus averter. Sin minus, tamen omnes intelligent merito me de reditu cogitare: & boc fortaſſis obſtabit, quominus ad vos mittantur qui vobis atque etiam mihi ſint moleſti. Hæc tameo ita dicta & ſcripta ſunto, ut me exiſtimetis nihil aliud decreviſſe, quam quod cenſueritis ex uſu eſſe Eccleſiæ, ſive hic mihi ſit manendum, ſive redeundum. Jam ad poſtremas tuas venio. Quod de Hiſpani & aliorum fœdere iſtic fertur, jampridem bic volitat; & facit adverſariorum cunfidentia, ut non penitus vanum eſſe rumorem conjiciamus. Sed nihil certi poſſumus adhuc affirmare, quamvis Poſſidonius qui tum bic erat, quum literæ tuæ & illi & mihi redderentur, omnia ſedulo ſit expiſcatus. Nam commode evenerat, ut tum quoque Regina hic eſſet. Puto igitur neque contemnendum eſſe hunc rumorem, neque nimium reformidandum. Diligenter omnia ſcrutabor, & ſtatim perſcribam. Et hic neceſſe eſt, mi pater, ut tibi alioqui tot laboribus oppreſſo, boc onus invitus imponam, ut Martyrem & noſtros illos, quoties licebit, certiores facias eorum quæ bic geruntur: quamvis hac moleſtia, quoad ejus fieri poterit, ipſe te libenter liberabo. Habes literas aliquanto longiores, quam ſi ſæpius ſcripſiſſem: ſed tameo rogo ne ulla negligentia factum putes ut tamdiu tacuerim. Bene vale, mi pater, cum fratribus, Collegis & amicis omnibus. D. Jeſus te magis ac magis in opere ſuo confirmet, & ad extremum uſque tibi benedicat. Lutetiæ, 26 Februarii.

JOAN. CALVINUS GIBOTIO TOLOSANO.

SIcuti quum antebac audirem, eximie vir, te iſtic pro defenſione ſalutis doctrinæ ſtrenue pugnare, & hae de cauſa vexari ab hoſtibus pietatis, de ſalute tua ſollicitus fui, & coram Deo gratulatus ſum tuæ conſtantiæ: ita nunc miratus ſum, ubi major affulſit libertas filiis Dei, te adbuc deſidere in eo cœno, unde pridem emergere debueras. Nam quum de lætiore urbis veſtræ ſtatu verba fierent, mox ſciſcitatus ſum quomodo te gereres. Ubi vero mihi narratum eſt te io eadem manere profeſſione, libere tibi fatebor, bujus parum ingenuæ tuæ tarditatis me puduit. Etſi enim non dubito Satanam & mundum multa objicere, quæ te impediant ac morentur: omnia tamen obſtacula perrumpere te decebat. Nam quum in te multorum conjecti ſint oculi, oiſi exemplo tuo præluceas omnibus, quicquid coloris obtendes ad excuſationem, nullius erit momenti. Adbæc in eo te gradu locavit Deus, qui te arctiore vinculo ad reliquos excitandos obſtringat. Nec tibi venia dabitur, niſi te certamina, quibus Deus pridem te exercuit, animoſum reddant. Jam quaſi ſublato vexillo ſuos omnes Deus ad pugnandum invitat. Quamvis aliorum ignaviæ parcatur, tibi omnium minime ceſſare licet. Quid eoim abſurdius vel minus decorum, quam puero doce colligi Chriſto Eccleſiam, certatim confluere multas turmas, vulgus bominum acriter ſe impietati oppoore, omnium ordinum bomines uno conſenſu purum Dei cultum profiteri: veteranum autem Theologum qui luculentum recti animi ſpecimen edidit, de quo tanta concepta fuit expectatio, non modo quietum ſtare, ſed permixtum eſſe manifeſtis & profeſſis Chriſti hoſtibus? Negabis te prorſus ſilere, vel eſſe medium, ſed multa ſigna dare ſinceri erga Religionem ſtudii. Sed multum abeſt quin bæc obſcura & ambigua ſignificatio ad placandos piorum animos ſufficiat, qui merito aliquid majus abs te flagitant. Niſi ergo in apertum prodeas ad dandum Chriſto nomen, adeoque primus in acie appareas tanquam anteſignanus, culpam oimium mollis inertiæ oeque coram Deo, oeque coram Eccleſia unquam effugies: quando res eo provectæ ſunt, ut jam non ſuperſit tergiverſandi locus. Ignoſce meæ vehementiæ, quam mihi verus erga te amor ſuggeſſit. Nam dona quibus te ornavit Deus ſic amplexus ſum, ut non poſſim non eſſe tibi amicus. Vale ornatiſſime vir, & mihi ex animo colende. D. te Spiritu ſuo gubernet, virtute fulciat, præſidio tueatur. Geoevæ, 14 Martii. M.D. LXII.

JOAN. CALVINUS N. N. S. D.

UTinam, dilectiſſimi fratres, lætius ad vos ſcribendi argumentum ſeſe offerret, ut meæ etiam literæ plus gaudii vobis afferrent. Peto igitur à vobis ne moleſte feratis, ſi vos ad tempus triſtitia affecero, quum ea una ſit ratio, qua vere in Domino gaudium ereptum renovari poſſit. Optarem vero boc potius ſcripto prædicari à me veſtram fidem, charitatem, tolerantiam, ut vos etiam ad perſtandum ac proficiendum in melius exbortarer. Quum autem veſtra ſalus mihi chara atque pretioſa ſit, ad aliud argumentum me conferre cogor, ut vos ſerio commouefaciam quæ ad me de vobis perferuotur, non reſpondere Euangelii cognitioni, uti illam à Domino ſemel accepiſtis. Quare neceſſitas quæ me huc adducit, excuſationis vicem ſatis apud vos ſupplere debet. Siceoim Paulus ipſe, cujus tanta erat ſpiritus manſuetudo ac ſingularis bumaoitas, Corinthios ipſos in cauſa eſſe dicit, quod adverſus ipſos vehementia & aſperitate uti cogeretur. Et tamen ubi ita illos tractavit, teſtatur ejus rei *2 Cor. 7. verſ. 8.* ſe non pœnitere, dummodo triſtitia illa quam ipſis ſcribendo intulit, eos ad ingemiſcendum ſuis malis adducat, ut ſerio reſipiſcant. Sic etiam ipſe colligo, quod ita me geram erga vos, à vobis acerbum ad primum motum judicatum iri: atqui ſi in vos uti par eſt deſcendetis, ut veſtros morbos perſentiatis, agnoſcetis non aliud ad illos medicandos lenius remedium adferri potuiſſe. Sic autem de vobis ſentio ex iis quæ audivi à fide dignis, & qui bene in vos affecti ſunt. Ac ne vos pluribus morer, ſic accipite, Vitam illam veſtram magno eſſe probis offendiculo: ac viciſſim ea occaſione os impiis à vobis aperiri, ut nomen Domini & ſanctam doctrinam blaſphement. Sic eoim iſta connotanda ſunt ut ſe habent, ut malum vobis retegatur, quod tandem quale ſit agnoſcatis, ut remedio locus eſſe poſſit. Enimvero ſat ſcio gratiores eſſe multo illos medicos, qui malum emplaſtris & unctionibus linendo leniunt, ut ulcus intimum non fodiant, quam qui ut ægrotum probe curent, ſerio lancinando pus ipſum exprimunt. Ac ſi ad veſtram ſalutem ita expediret, nihil magis optarem, quam mollius & blandius omnino vobiſcum agere. Sed quid agam, ſi quæ nimis oota ſunt diſſimulavero, ac tam inordinatis modum aliquem affinxero, quum res oullo modo jam ferat? Hæc ſuot igitur quæ de vobis audiuntur, ut & à vobis audiantur placide, ut remedium malis quæramus, quæ nimis jam diu apud vos obtinueruot. Primum igitur hoc fertur, vos plurimum refrixiſſe ab affectu qui extabat olim in vobis ad audiendum verbum Dei: illud ex eo colligi, quod nullum ſit apud vos in illo proficiendi ſtudium: item vos effuſos eſſe ad blaſphemias, luxus, ſcortationes, eaſque ejuſmodi, ut ad illarum auditum exhorreſcam. Item ſtrepere inter vos omnia dicteriis & ſalſis convitiis, quibus voſipſos mutuo admordetis, quaſi certatim & perpetuo, taotum mutuæ ædificationi ſtudioſi eſtis: item odia, detractiones, invidiam, ita regnare apud vos, jurgia etiam manifeſta atque rixas, ut à verbis tandem

ad

Digitized by Google

ad pugnas etiam deveniatur. En vero nativos plane fructus contemptus doctrinæ illius, quæ freni inſtar eſſe debuit, ut in vera ſanctitate & honeſtate contineret. Atque ille fons eſt mali, refrixit nempe zelus audiendi verbi & in illo proficiendi, qui olim vigebat. Eſt vero illud infauſti ominis: quum qui optime verbum Dei concoquunt, nunquam illo tamen ſe ſatis expleri poſſe ſentiant. Ut contra qui Dei verbo quaſi ſaturum gravari ſe oſtendit, jam faſtidium illius prodit, ut tandem evomat quicquid ante percepit. Equidem me non latet, non ita vos ipſa auditione verbi inſtitutos pridem fuiſſe, uti optandum eſſet. Sed tamen vel minima portio tanti boni optabilior erat, quam ſi nihil omnino accepiſſetis. Jam audimus de vobis, non valde à vobis requiri publicam privatamve inſtitutionem. Sane etiamſi centies uberior vobis intelligentia veritatis ineſſet, ea tamen eſt immenſitas ſapientiæ Chriſti, ut nunquam non illic reperturi ſitis, quod vobis maximo uſui eſſe debeat: adeoque provectiſſimos quoſque doctores perpetuum diſcipulorum locum in hac vita retinere ſtatuendum eſt. Ut vero ipſa ſimplici doctrina non ita vobis opus eſſet, an vero qui cum illa conjuncti ſunt exhortationum ſtimuli parum neceſſarii judicandi ſunt, ut tot illa mala quæ inter vos emergunt ſaltem indicent, atque vos vobiſipſis exhibeant? Si nullum aliud peccatum inter vos extaret, illud tamen eſt non mediocre, quod non in melius, ſed in deterius tenditis. Inſigne, inquam, eſt peccatum, & ingratitudo omni deprecatione major, ubi cordis aures obviæ non patent, Domino ſacrum illud os ſuum apud nos aperiente. Imo quum non ſit hoc unius diei, ſed quotidianum ipſius beneficium, noſtrum erat quotidie etiam illi audientiam præſtare:
Coloſſ. 3. verſ. 16. quo pertinet illa Pauli admonitio, ut Dei verbum copioſe in nobis inhabitet. Agnoſcite igitur ſummum inter vos malum, quum non alio affectu proficiendi magis ac magis ducamini, ut teneatis quæ ſit voluntas Domini: quumque remittitis omne ſtudium & diligentiam ad vos ſive per lectionem, ſive alia ratione in cæleſti illa cogitatione confirmandos. Quemadmodum enim faſtidium cibi malam corporis habitudinem declarat; ita longe pejus habere liquet ipſam animam, ubi guſtus ille & ſapor verbi Dei plane deperditur. Porro ex ipſis fructibus mali etiam magnitudo æſtimanda eſt. Neque hoc dico ut unguem ulceri apponam, ſed ut in quo verſemini periculo, commonſtrem, ut tanto melius appoſitum remedium amplecti poſſitis. Nam quis illud credat, quod nomen ipſum Dei, quod ſatis pretioſum apud nos eſſe non poſſit, ita apud vos indigne profanatur? Neque enim temeritas jurandi iſtic tantum uſurpatur; ſed & blaſphemiæ, quæ paſſim per ora volitant, audiuntur. Ecquid vero in Deum creditis, qui tam ſecure hoc illius quaſi fulmen non expaveſcitis? Do-
Exod. 20. verſ. 7. minus non habebit pro innocente qui aſſumpſerit nomen ipſius in vanum. Jam ſi non ferendum à ſe juramentum temere conceptum pronunciat, ſcilicet illi perinde erit quod ſacrum ipſius nomen blaſphemiis etiam magis per vos vileſcat, quin horrenda vindicta tantum ſcelus ſequutura ſit? Tantine ſcilicet vobis eſſe corpus ipſum Chriſti Domini, ipſumque ſanguinem, ut eorum mentio ſive per inſultationem, ſive per ludibrium à vobis etiam fiat? Atqui niſi iſta propius expenditis, ſatis oſtendet veſtro malo, quam alio in pretio illa ipſa habeat, quæ vos ita fœde proculcatis. Neque vero hoc etiam diſſimulavit hactenus. Quæ enim vobis probra incumbunt, certa ſunt ipſius flagella, quæ eo nomine ab ipſo immittuntur, quod non eam quam par erat nominis ipſius
Rom. 1. verſ. 28. rationem habuiſtis. Auditis Apoſtolum, nempe ubi de illis agit qui quum Deum cognoverint, ipſum tamen legitime non glorificaverunt, ideo, inquit, tradidit illos in mentem reprobam, ut in omnem fœditatem projecti eſſent. Atque ita loquitur Apoſtolus de profanis ipſis, quibus lux illa Dei non perinde atque vobis affulſiſſet. Quum igitur Evangelii lucem vobis obtulerit, quod ita nunc vehementer in vos excandeſcat, apud quos nomen ipſius ita proſcinditur, ipſe quidem mirari non poſſum. Hinc omnino illa inter vos pudenda confuſio: ac nominatim ſcortationes: eæque adeo fœdæ, ut ipſis infidelibus horrorem incutiant. Equidem non ut cauſæ cognitione præmiſſa ſententiam fero: ſed tamen ſcandalum ipſum adeo vulgare eſt, ut plus ſatis mali ſubeſſe clamet: ſed tamen ſi illa Pauli admonitio me- *1 Theſſ. 5. verſ. 22.*
moriæ ſaltem hæreret, ut abſtineamus etiam ab eo quod mali ſpeciem habeat, attentius, ut exiſtimo, à malo ipſo caveretis. Contra vero non deſunt quos hoc unum quærere credibile ſit, ut famam illam quæ de ipſis circumfertur, & malum ſimul exemplum confirment. Optandum vero eſſet, famam ipſam quæ paſſim volitat, extinctam eſſe omnino. Sed nihil agitur, niſi factum male, purgetur. Sic enim ſinit Dominus ipſam fœditatem detegi, ut qui libentius in tenebris ſibi in vitiis indulgerent atque blandirentur, ipſi demum ubi ſe detectos ſentiunt, pudore ſuffundantur. Sic ſolet ad reſipiſcentiam compellere. Porro quid contineat Scriptura quod ad *1 Cor. 6. v. 9. 15. & 18. Coloſſ. 3. verſ. 6.*
promiſcuas & vulgares ſcortationes, non ignoratis. Illas nempe à Deo maledici: propter illas Dei vindictam rebellibus impendere: ad eos qui illas ſectantur, regnum Dei non pertinere: illas adeo ſacrilegii inſtar habere, quando noſtra ipſorum corpora, quæ Spiritus ſanctus ſibi templa ſacraverat, illis demum polluantur: qui ſe illis addicunt, à Chriſti corpore abſcindi. Scortatorem denique ſibiipſi peculiarem quandam maculam, quæ aliis ſceleribus non ita conjuncta ſit, inurere. Atqui non in ſcortatione iſtiuſmodi ſtetit apud vos malum. Quis enim eſt jam veſter pudor, quod ad eam uſque licentiam progreſſi eſtis, quam profani ipſi deteſtati ſint, quum ipſe naturæ ſenſus hoc omnes doceret, crimen eſſe intolerandum. Inceſtum nempe toleraſtis, & approbaſtis. Quare date operam in primis, ut quod ad iſtud attinet, conſcientiam veſtram coram Deo in primis aperiatis: atque vos ita ſincere hic gerite in poſterum, ut nulla inde macula apud alios in vobis hæreat. Teſtabatur Paulus, ſi quos ſcortatores aut profuſos & *2 Cor. 12. verſ. 21.*
inordinatos apud Corinthios offenderet, quos mali non pœnituiſſet, ſibi hoc novum luctum allaturum, atque ipſorum in ſe opprobrium derivatum iri. Quanto magis ipſis mali auctoribus ad lacrymas & extremam demiſſionem confugiendum erat? Quum autem vos omnes etiam ut ejuſdem corporis membra partem etiam mali ſuſtineatis, illa tam horrendi peccati agnitio vos quoque afficiet atque ſerio dejiciet, ut in poſterum ſtudioſius quam hactenus feciſtis, enitamini, ut vos mutuo ædificetis, tum verbo, tum ipſo vitæ exemplo. Nam & eo male auditis, quod nonnulli quaſi artem quandam ſannionum factitent, toti dicteriis referti ſint ad pungendos quoslibet. Paulus vero nominatim etiam dicacitatem, & face- *Epheſ. 5. verſ. 4.*
tias illas ſcurriles à Chriſtianis alienas eſſe jubet. Hoc igitur à vobis removete: idque eo magis quod mali illi & inſulſi ſermones afferunt ſecum male agendi licentiam, quoniam in illis proferendis jam modus omnis rejicitur. Sequuntur deinde odia & invidentiæ, quæ nimis produnt, regnum Dei non extare apud vos, quum ipſe ſit Deus concordiæ & pacis. Adjunctæ ſunt etiam detractiones, quæ nullum charitati eſſe locum indicant, quando Charitas tegere *Prov. 10. verſ. 12.*
dicitur multitudinem peccatorum. Atque hic ſatis mirari non poſſum, unde vobis ad iſta otium dari poſſit, quum tot hoſtes undique immineant, qui hoc unum quærunt, ut aliqua vobis noceant. Etiam Guelphis cum Gibellinis convenit, ubi tertius hoſtis emergit. Inter vos autem ita paucos, atque undique adlatrantibus hoſtibus ſubjectos, ita tamen odia & rixas fervere quam abſurdum eſt! Inſtant circum-

circa

circa qui ad vos devorandos intenti ſunt: & à vobis ipſis occaſio obtruditur, dum ita vos mutuo mordetis, quaſi oempe cotem ad exacuendos ipſorum mucrones data opera ſubminiſtraretis. Agnoſcite vero quod ita præciſe vobiſcum egi, me ad vos expergefaciendos neceſſitate adactum fuiſſe. Niſi enim lethargo grandi laboraſſetis hactenus, non ita & tamdiu, inque tam craſſis vitiis vobis indulſiſſetis. Ut enim perpetua cum omnibus conjuncta ſit infirmitas, tamen quod in vobis notavi, mera eſt pravitas & contemptus. Atqui nolim vos hac mea reprehenſione ad animum deſpondendum impelli, quum illud mihi potius propoſuerim, ut in ſpem miſericordiæ Domini vos adducerem, quæ omnibus obvia eſt, qui modo ad ipſum ſeſe convertunt. Et quod ad illa ipſa mala quæ vobis digito commonſtravi, quum non poſſint vobis aliter quam probro & ignominiæ cedere, illud unum vos erigat, quod Dei gloria ita etiam illuſtretur: ut in illius miſericordia quæ vos una ſuſtinet, merito gloriam veſtram repoſitam ſtatuatis, quum nomen benigniſſimi Patris erga vos ita à vobis non fruſtra invocari conſtet. Excitate voſipſos interea, ut à Domino ipſo edocti, ſerio tandem reſipiſcatis. Adhibete meliorem diligentiam tum ad lectionem Scripturæ, tum ad reliqua pietatis exercitia. Pollutiooes illas omnes & fœditates ſemel è medio veſtri tollite. Sic nomen Domini reveremini, ut nunquam à vobis niſi ad ipſius honorem proferatur. Sic quiſque vitam domi inſtituat, ut nemini ullius impudicitiæ ſuſpicio ſuboriri poſſit. Facite etiam ut omnis luxus & inſolentia, quæ non decet Chriſtianos, ſemel revellantur à vobis. Atque ut odia & rixæ à primis fundamentis eruantur, ipſas cauſas ſerio excutite. Ablegate nempe à vobis infidelitatem & nequitiam; neque porro locum retineat apud vos ſuperbia, ut quiſque ſibi omnes velit eſſe obnoxios. Præcipue vero à Domino petite ut vos reſpiciat, atque ita admiſſorum malorum memoriam ſepeliat, ut vos etiam ſincere reformatos ad ſe reducat. Hic enim ipſius opus extare oportet ſingulari aliquo modo: quum alioquin periculum ſit ne in exemplum ſtatuamini, ut per vos alii diſcant quam intutum ſit cum tanto Hero quaſi per luſum agere. Attendite denique ne ad iſtam admonitionem obdureſcatis, ne in eorum condemnationem incidatis, qui poſtquam ipſius gratiam rejecerunt, ignem adverſum ſemetipſos excitant, qui tandem ipſos abſumat. Atqui meliora de vobis ſpero, atque de vobis aliquid audire exopto, quod præſentem triſtitiam abſtergat. Faxit Dominus ut quæ in vos contulit dona, evanida non ſint: ut veſtros lapſus reſtituat, ut in vobis omnes certiſſime ipſius infinitam miſericordiam conſpicuam habeant, ac proinde in vobis etiam exaltetur felicius quam antea ſanctum nomen ejus, Amen. M. D. LXII.

VIRETUS CALVINO S. D.

DUo ſunt quæ me hic adhuc detinent. Primum medici quibuſcum mihi res eſt: deinde motus variis in locis excitati ab hoſtibus, & cædes crudeliſſimæ ab iiſdem perpetratæ. Audiviſti de motibus & ſeditionibus Provincialium. Paucis ante diebus Narbonenſes ficti duelli prætextu inter duos Hiſpanos, cives & incolas pene omnes ad fictum illud ſpectaculum urbe extraxerunt. Poſtquam egreſſi ſunt, fraus prodita eſt, & patefacta proditio. Quum enim nunciatum eſſet in alium diem rejectum eſſe duellum, ac omnes qui egreſſi fuerant, in urbem regrederentur, iis ſolis patuerunt portæ qui Papiſticam tuentur & ſequuntur religionem, alii ſunt excluſi. Sub idem pene tempus, quum Eccleſia Carcaſſonenſis Regio parens edicto, urbe egreſſa eſſet ad ſacrum conventum, clauſæ ſunt urbis portæ, ne in urbem reverteretur. Fratres quum ſe viderent excluſos, urbis portas obſederunt, ne quis urbe egrederetur, aut in eam ingrederetur. Interea tormento bellico ex urbe tres ex noſtris occiſos fuiſſe audivimus. Sed longe gravius eſt & atrocius, quod eodem pene tempore accidit in urbe, cui nomen eſt Caſtelnau, quæ non ita procul à Tholoſa abeſt. Nam pari ſævitia & crudelitate in noſtros, hoſtes graſſati ſunt, qua jam ante menſes aliquot Cadurci. Nam quum noſtri ad ſacrum cœtum conveniſſent, incenſa prius domo hoſtes in eos irruerunt tanta crudelitate, ut magnus fuerit occiſorum numerus. In his primus cæſus eſt Miniſter, qui ſuum caput hoſtibus pro cæteris omnibus obtulit. Sed ne hac quidem ratione compeſci potuit hoſtium rabies: deinde Diaconus pari fato ſublatus, & unus Regius Procurator vir optimus, & Conſiliarii aliquot, præter vulgus promiſcuum. Interea Tholoſani huc adveniunt, cum multorum literis, Tholoſam ſi poſſunt me ducturi, quamvis diſertis verbis admonuiſſem ne pedem moverent antequam à me intellexiſſent quid mihi per tempus, per valetudinem, & per Eccleſiam cui uni obſtrictus ſum, Genevenſem, liceret. Monſpeſſulani vero, etſi ſpe fructus quem ex meo Tholoſam adventu ſperant, eo adducuntur, ut hanc à me ſuſcipi profectionem optent: non ſunt tamen in ea ſententia, ut eo iter arripiam his turbulentis temporibus, donec tota regio paulo ſit pacatior. Ut res modo habent, neſcio plane utra ex parte tutius ſit iter aggredi. Sed ſpero fore ut brevi Dominus viam tutiorem aperiat, aut ut ad vos revertar ad tempus mihi præſcriptum, aut ut longius progrediar ſi coëgerit neceſſitas. Interea Eccleſiæ augentur, quæ pergunt magis atque magis Miniſtros poſtulare. Hic tabellarius, quum neque hic, neque Nemauſi, neque alibi Miniſtrum invenire potuerit, cogitur ad vos ſe recipere. Valde cupio qua ſis nunc valetudine, cognoſcere: quam ut diligenter cures, iterum atque iterum precor, ut qui magis omnibus ſis Eccleſiis neceſſarius, quam hactenus unquam. Salutem multam dico Collegis & amicis omnibus. Vale optime ac diutiſſime. E Montepelio, 23 Martii. M. D. XLII.

Tuus Petrus Viretus.

BLAURERUS CALVINO.

GAllicarum Eccleſiarum fidem inter tot potentium adverſariorum preſſuras & immenſos conatus eminere, tum & in dies magis atque magis aſſurgere, magna animorum gratulatione audiunt quotquot ſunt in noſtra Germania, qui Chriſti regnum apud omnes gentes propagatum cupiunt. Guiſianorum cum noſtris aliquot Principibus colluſio vereor ne monſtrum alat, quod Galliæ regno magnum malum daturum ſit. Quandoquidem illorum ſimulatum Religionis ſtudium, quo Auguſtanam confeſſionem probare ſibi videri volunt, horum ſimplicitatem, qui alioqui plus ſatis infenſi ſunt nunc quidem Sacramentariis quos vocant, facile circumveniet. Quanquam ſolatur interim, quod Dominus eſt, qui ſapientes mundi hujus in ſua ipſorum aſtutia comprehendit; quem ſerio perpetuoque precemur, ut Spiritu ſui conſilii ſuorum omnium actiones ad Chriſti ædificationem feliciter dirigat, & magnum ſuum nomen in ea uſque ſanctificet.

De aliis Germaniæ noſtræ rebus, Linerus hic noſter omnia tibi coram melius expoſuerit. Dubia profecto ſunt omnia, niſi quod graviſſimi motus, & hoſtiles vaſtitates omnino nobis imminere videntur. Quandoquidem nullam hactenus legationem ſacrarum precationum, fidelium lachrymarum & omnino ſeriæ reſipiſcentiæ ad illum mittimus paulo adhuc longius agentem, qui tot millibus contra nos venit, ea quæ pacis ſunt, petentes, quum jam dudum miſſis Prophetis ſuis velut certiſſ. fidei fecialibus, bel-

lum nobis extrema commeritis indixerit: quos ipſos etiam & contemptim ſæpe riſimus, & noo raro quoque ſumus perſequuti, magis atque magis iram nobiſipſis io die iræ colligentes.

Bezæ noſtri duram provinciam & ter miſeram ſortem vehementer etiam atque etiam dolemus, quum optimi & doctiſſimi viri non æſtimandos labores, ſudores, vigilias, tædia, perturbationes, & præſentiſſima pericula paulo diligentius nobiſcum reputamus: verum ubi ad illum cui uni militat, animos attollimus, tum vero terque quaterque felicem judicamus, quod cum ſancto Apoſtolo electum Domini organum deſtinatus, Chriſti nomen coram gentibus & Regibus portat, cui etiam poſt decertatum bonum certamen & conſummatum curſum, ſervatamque fidem, juſtitiæ corona ab eo qui juſtus eſt judex in illo die haud dubie reddetur. Faxit autem Chriſtus, ut & ipſi Bezam noſtrum ſuperatis aliquando omnibus iſtis difficultatibus, & feliciter confectis in Gallia negotiis, reducem videre & ſalvum nobis redditum gratulari poſſimus. Tu, mi colendiſſime Calvine, ubi ad eum ſcribis, mea etiam vice quam potes amanter, officioſe, reverenterque ipſum ſaluta, cujus nuoquam non mentionem in precibus noſtris apud Dominum facimus, ut ſermo Chriſti currat & glorificetur: quodque ipſius miniſterio plantatur & rigatur, cæleſte ac copioſiſſimum accipiat incrementum: utque eripiatur ab abſurdis & perverſis hominibus, ut quod facit, in tanta fidelium & prudentium Miniſtrorum Chriſti penuria, quam diutiſſime faciat. Bene vale anime mi obſervandiſſime in Domino, & chariſſime frater. Chriſtus Jeſus te nobis à febribus iſtis medica ſua & feliciſſima maou curatum ac plane ſanum & incolumem reſtituat, ac præſentiſſimo ſuo numine ſemper tibi in ſua vinea ſtrenue laboranti adſit, æternumque te ſervet. Salveant quotquot iſtic ſunt noſtri in Domino amaotes, Symmyſtæ in primis cum Coſ. Roſeto. Commendo me piis ac fidelibus veſtris apud Dominum patrocioiis. Iterum vale. Vituduri, 4 Aprilis, quo die in hanc mundi lucem anno 1492. editus ſum, jam ſeptuaginta annos natus: quod reliquum eſt vitæ mihi hic tranſmittendæ, vere vitalis vitæ auctor Chriſtus ſic moderetur & dirigat, ut ad hanc me propediem propitius recipiat. Anno M. D. L X I I.

Fideliſſimo Chriſti Domini noſtri miniſtro, D. Petro Colonio, *fratri & Symmyſtæ chariſſimo*, S.

PAulo antequam veniret Arnoldus noſter, receperamus Taffini Collegæ tui literas, quibus ſignificabat non poſſe diutius te abeſſe abſque magna Eccleſiæ jactura: ac proinde rogabat, ut Marianæ Eccleſiæ proſpiceretur. Reſpondi quod res erat, nos homine idoneo deſtitui, qui provinciam illam obiret, neque tamen æquum eſſe Metenſem Eccleſiam ſpoliari jure ſuo. Nunc eadem apud te repetere cogor. Neque enim credas in quam penuriam ſimus redacti ex quo cœpit latius in Gallia propagari Chriſti regnum. Certe multi à nobis extorquentur quorum me valde pudet: adeo non ſchola tantum noſtra exhauſta eſt, ſed ex officinis quoque abrepti opifices. Multi adoleſcentes bonæ ſpei formantur; ſed nemo adhuc maturus. Viri aliquot ſe comparant; ſed non admodum eruditi, & minime exercitati. Sibi tamen perſuadeant Mariani, ſimul ac oblata fuerit facultas ſingularem nobis fore ſui curam. De rebus Gallicis intelliges ex nuncio. Exercitus noſter non procul abeſt ab hoſtium caſtris. Ergo precibus aſſidue & ſedulo incumbendum, ut ſine magna ſtrage capita Deus profliget. Jam enim plus ſatis ſanguinis fuſum eſt. Vale integerrime frater & mihi chariſſime. Collegæ mei te plurimum ſalutant. Dominus tibi ſemper adſit, virtute & conſtantia ſuſtineat, & labores tuos benedicat. Symmyſtæ quoque tuo multam ſalutem precor. Genevæ, 10 Junii. M. D. L X I I.

Joannes Calvinus tuus.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

NUdiustertius tibi ſcripſi, venerande frater, per Italum mihi familiarem & vicinum. Heri tuas accepi cum Sarnicii faſciculo, ubi literas Thretio ſcriptas ioveni, quas remitto. Tametſi autem multa Sarnicius putabat me ex illis cogniturum, nolui tamen reſignare: ac præſtabit ut intactas recipiat. Simul autem recuperavi reſponſum illud quod mihi perierat, in quo non parum placuit Thretii ſedulitas. Neſcio ao expediat novam lucubrationem aggredi contra diſcipulos Blandratæ, donec audierimus quomodo excepta fuerit admooitio jam edita cum ſua explicatione. Brevitas enim ad quam me reſtrinxi, obſcura eſſe non videtur. Nec vero nebulones illi quidquam objectant, quod non ante fuerit à me refutatum. Forte unum deſiderari poteſt, ut patrocinium quod ſibi aſciſcunt ex vetuſtis ſcriptoribus excutiam. Etſi autem certa hac quoque in parte victoria eſt, labor tamen erit plenus tædii & moleſtiæ. Ac Diabolus per has ſalebras ſe jactare & in his latebris ſe volutare ipſos docuit, ut ſine magno fructu per longos certaminum circuitus nos traherent. Scis quam durus ſit & aſper ſermo Tertulliani: certe ſtridet magis, quam loquitur. Atqui longum iode volumen contexere neceſſe foret. In Hilario non tam difficilis ratio, cujus tamen ſermo valde ſpinoſus eſt ac perplexus. Si quid adhuc ſcribendum cenſeas, conſilium tuum hac in parte expeto. De rebus Galliæ nihil affertur: unde colligimus omnia ſic eſſe turbata, ut inter ſpem & metum tam noſtri quam hoſtes pendeant. Extra aulam animos colligunt fratres, nec hoſtium ſuperbiæ ſuccumbunt, vel inſultationibus franguntur. Vale clariſſime vir, & mihi honorande frater, una cum Symmyſtis omnibus, quos plurimum ſaluto. Idem faciunt Collegæ mei & amici. Dominus te incolumem nobis ſervet, laboreſque tuos ſemper benedicat. Genevæ, 6 Junii. M. D. L X I I I.

Joannes Calvinus tuus.

J. CALV. D. CHRISTOPHORO THRETIO S.

SI mea admonitio profuit tuis popularibus, eximie vir, & mihi colende frater, Deo gratias ago, qui tantillum laboris, quod illic inſumpſi, paſſus non eſt fructu carere. Nec vero nunc me pigeret plus operæ ponere in tractando illo argumento, ſi otium ſuppeteret. Sed ex quo hinc abiiſti, continuum mihi negotiom fuit cum variis morbis, ut ne ordinario quidem muneri obeundo ſufficiam. Quod ſi major daretur relaxatio, ſunt tamen alia nunc in manibus quæ mihi non permittunt in refutaodis illis duobus errorum monſtris operam impendere. Commentarios meos io Moyſen Gallica lingua vertendos ſuſcepi, non taotum ut noſtratibus communis eſſet ejus libri lectio, ſed quod opus alioqui non pœnitendum, inoumeris quibus ſcatebat mendis repurgare neceſſe fuit. Fratres me hortati fuerant, ut librom Joſue explicarem: hacteous vix ad tertium uſque caput progredi licuit, quum tamen brevitati maxime ſtudeo. Urgeor etiam aliunde, ut tibi nihil polliceri audeam. Si quando tamen melior dabitur opportunitas, eam non omittam. Sed tanta congerie me obruere minime expedit. Quod ſi patriæ tuæ ſedulo proſpicis, ſtudium tuum laudo. Sed cogita noſtram quoque Galliam multis morbis laborare, quibus mature ſuccurrere oportet. Quanquam per Jonvilæum non ſtabit, quominus tibi gratificer, quia & ſtrenuus eſt exactor: oec vero ceſſabit, ſi contigerit

melior

melior opportunitas: quod ſi quid vigoris reciperem, libenter ipſe quoque defungar eo munere. Sed nunc tam corporis quam animi vires magis ſunt collapſæ, quam ut ſtudium meum applicare poſſim ad novos labores. Quod apud D. Hyperium hyemare in animo tibi eſt, nuſquam, fateor, commodius hoſpitium reperies. Nam præter raram pietatem & eruditionem, quæ in ejus ſcriptis relucet, aiunt hominem eſſe manſueto ingenio, magna ſinceritate præditum. Sed tardior in patriam tuus reditus mihi non placet. Nam quum alios tantopere incites ad manum genti tuæ porrigendam, quid ſibi velit hoc cunctandi & otiandi conſilium, non aſſequor. Quanquam fruſtra hæc diſputo, quia antequam ad te perveniant meæ literæ, hyems fere tranſacta erit. Vale ornatiſſime vir, mihi ex animo colende frater. Dominus te Spiritu ſuo ſemper gubernet, virtute ſuſtineat, & manus ſuæ protectione incolumem tueatur. Genevæ, pridie Calend. Decembr. M. D. LXII.

Joannes Calvinus tuus.

CALVINUS D. CURSOLIO.

QUod certo homini mandaſti, ut quid conſcientiam tuam urgeret, mihi aperiret, meumque ad eam rem conſilium exquireret, bona fide ab illo præſtitum eſſe ſcito. Antequam autem reſpondeam, eſt quod Deo gratias agam quum ita te affectum video, ut conſcientiæ habenas laxiores non permittas multorum exemplo: qui nimirum utcunque ſeſe apud homines excuſent, tandem tamen ſeſe coram Deo damnare coguntur. Jam ut ad rem veniam, non eorum te loco habeo, qui medios ſe profitentur: ſed te à me ſimpliciter quærere mihi perſuadeo, an quum Chriſtianam Religionem profeſſus ſis, faſne ſit tibi proſequi N. ad ſupplicationes & cætera id genus idololatriæ exempla. Hic autem iſta tibi expendenda ſunt. Primum, ne exemplo illo triſtitiam piis aut ſcandalum, aut infirmis vel ignorantibus adhuc faſtidium aliquod afferas. Alterum eſt, ne des occaſionem impiis Dei & veritatis hoſtibus ſeſe efferendi: adeoque os impurum aperiendi, quo veram Religionem traducant. Sunt enim illa duo tanti momenti, ut non ſatis à nobis attendi poſſint, ut diſerte ita nobis inculcantur. Quum igitur Dei Spiritus vetet nominatim ne fratribus triſtitiæ cauſam afferamus, ſerio illud tibi in mentem veniat oportet, ſi contingat pios aliquot apud ſe ingemiſcere, quum te in media illa turma conſpicuum viderint, quæ ad Deum contumelia afficiendum prodeat. Scandalum vero quale futurum ſit, quamque late emanaturum, ſatis etiam vides. Plerique enim exemplo tuo ducentur: adeoque hypocritæ illi quos ſuæ vecordiæ hactenus puduit, ſub umbra tua ſecure latebunt. Altera ex parte cothurnos indues adverſariis, non modo ut deſpiciant Euangelium, ſed ut indurentur in ſua immanitate adverſus illos qui de pietatis ingenua profeſſione nihil remiſerant. Quo magis denique ſingula expendes, graviſſime in Deum à te peccatum iri judicabis. Supereſt unum Naamani exemplum. Sed tanta eſt diverſitas inter illius & tuam perſonam, ut ad uſum tuum referri illud factum non poſſit. Unus erat ille in tota Syria qui Deum coleret, unde nemini ab eo potuit afferri ſcandalum. Nemo ex piis contriſtari potuit, quaſi facto ſuo veram Religionem probro exponeret. Nemo potuit à recta via abduci, aut ne illam ingrederetur impediri. Quin potius ille exemplo ſuo inſultabat genti ſuæ, quum altare ſibi haberet, in quo Deum Iſraelis adoraret. In ſumma, non eſt urgendum quod illic ſpeciale notari poteſt, ſed potius quod ad ædificationem pertinet ſequendum. Nunc diſpiciendum an illi militiæ renunciare debeas potius, quam ut N. minus ea in
Rom. 3:8. re obtemperes. Atque hic tenenda eſt Pauli regula, non eſſe facienda mala, ut eveniant bona: ſatis video quantum commodi ad Eccleſiam rediturum ſit, ſi eum locum retineas: quantum vero damni, ſi deſeras. Sed in iſtiuſmodi anguſtiis illud dandum eſt Deo, ut in eum recumbamus, qui unus idonee omnibus proſpecturus ſit. Neque interea tibi deerit excuſatio honeſta, quod quum N. non ignoret, quam Religionem profitearis, illam te ab omnibus illis rebus avocare, non poſſe integra conſcientia illic ſtare, ubi in Deum peccaturum te noveris. Imo etiam conſtantiam illam tuam magis ei acceptam fore confido, quam ſi quidquam de officio remitteres. Etſi abſentiam tuam tulit ſatis diuturnam, non erit illi grave ſi triduum in anno, uti per valetudinem te ſubduxeris. Atque hoc quidem per jocum. Morbum enim te obtendere nihil aliud eſſet, quam quod puderet te Euangelii. Ubi ergo iſta apud te expenderis, non dubito quin cum Paulo colligas, non poſſe te fieri participem Cœnæ 1 Cor. 10.
Chriſti, atque interea inter idololatras conſpici, maxime verſ. 21.
ubi res habet conjunctum ſcandalum. Peto igitur à te ut tibi inſtes, atque Deum enixe ores, qui tibi vires ſuppeditet, & arma illa tibi induat quibus te ad Domini militiam tanto animoſius accingas. Dominus tibi atque conjugi adſit magis ac magis, ut ſemper omnia in melius ſuccedant. 31 Julii. M. D. LXIII.

Tibi addictiſſimus Joannes Calvinus.

JOAN. CALV. DELPHINATIBUS FRATRIBUS S. D.

HActenus ad vos non ſcripſi, dilectiſſimi fra- Ex Gall.
tres, quod expectarem ut res inter vos paulo melius ſe haberent: quando aliter fieri non poteſt, quam ut bellorum exitus plurima ſatis perturbata & inordinata relinquat. Nec tamen eam omnium reſtitutionem ſperabam, in qua nihil deſideraretur: quum nihil tum meis literis opus fuiſſet. Sed quoniam in mediis illis fervoribus non ita me à vobis commode auditum iri judicabam, meliorem occaſionem, quæ nunc videtur offerri, mihi opperiendam duxi. Habeo igitur duo ſumma capita, quæ vobis proponam. Unum eſt, ne valde illorum exemplo ſinatis vos duci, qui ſibi perſuadent ſeſe quam optime de Deo meritos eſſe, quod pro Eccleſiæ jure adverſus tyrannicam audaciam ſecundum edicta Principalia aſſerendo, arma tulerint, pericula adierint, facultatum detrimentum ſuſtinuerint. Imo eo uſque inſoleſcunt nonnulli, ut ſibi deberi jactitent, quod in Euangelii poſſeſſionem alii miſſi ſint. Atqui ſi ita Domino viſum eſt, ut tam honorato uſui vos impenderet, non eſt quod eo nomine vobis placeatis, aut remittatis manus, quaſi opere ad finem uſque perducto: ſed potius ut inde ſumatis animum pergendi in melius, quod reliquum eſt longioris viæ. Quum ſi poſtquam tam bene cœpiſtis, ceſſare contingeret, eſſetis tanto minus excuſabiles. Alterum ſequitur, quod cùm belli occaſio eam licentiam invehere ſoleat, ut optimi etiam tum ſibi excidant, videndum eſſe ne profuſiones illæ & inſolentiæ quibus multi addicti fuerunt, à vobis deinceps retineantur. Quum potius malum ipſum quod ita jam inhæſit, ſtimulare vos debeat ad remedium tanto ſtudioſius requirendum. Eorum vero quæ tam inordinate geſta ſunt, omnis apud vos ſepelienda eſt memoria, niſi ut illis ingemiſcendo à Deo veniam precemini, atque ab ejuſmodi rebus ſerio pedem referatis. Quum vero facultas à Deo jam oblata ſit, ut cum aliqua pace conveniatis in nomine ipſius, ad ipſius verbum audiendum, ad promovendam veſtram fidem, ad vos in ipſius timore confirmandos per illa media, quæ in Eccleſia ipſe inſtituit: ſic ad tanti beneficii uſum legitime præſtandum incumbite, ut aliquatenus etiam quæ ſecus ante acciderunt, compenſare ſtudeatis. Optandum erat ſane, ut omnes ſeſe iiſdem animis ad Filium Dei agnoſcendum adjungi paterentur: ſed quum illud ſit decretum Pſal. 110.
Patris, ut extet inter medios hoſtes Filii Regnum, verſ. 2.

ſuſtinete patienter quod non ſine mœrore à vobis audiri poteſt. Interea vero ne pudeat adhærere Domino cum perpetua demiſſione & humilitate, dum impii quaſi victores paſſim exultant. Ac ſi illud vos angit, quod ipſa cæleſtis veritas, quam omni rerum præſentium comparatione ſuperiorem eſſe nobis oportet, ita deſpecta jaceat inter illos, vos ipſi operam date, ut errantes reducantur in viam. Ut eo perveniatis, veſtro in primis exemplo illos afficite, ut quod ad vos non accedunt, pudorem ipſis afferat. Nominatim ut rectus ille ordo, qui ſoliditatis veſtræ in Chriſtum fidei fructus ſit, extet apud vos, cujus teſtimonio agnoſcere cogantur Deum inter vos præſidere. Scitis hoc ipſos in ore habere, quod nihil aliud quam vagantem & effrenem licentiam invehere quæramus. Ergo ipſis reipſa commonſtrandum eſt, nos non alio animo excuſſiſſe Antichriſti jugum, quam ut Chriſti ipſius jugum admitteremus. Atqui res longe aliter ſe habet. Qui enim intolerabiles illas conſcientiarum fidiculas in Papatu ſuſtinuerunt, quique horribilem illam animarum carnificinam tolerarunt tamdiu, nunc Euangelium obtendunt ut anormes & exleges vivant. Sic iſtis accidit quod de falſis Apoſtolis ad
2 Cor. 11. verſ. 20. Corinthios querebatur Apoſtolus. Nempe, inquit, omnia illorum placide admittitis, & tantum non deoſculamini, quum interea ad paternam objurgationem ſervorum Dei ita refractarii ſitis. Plerique autem hoc magis probarent, ut ſe quiſque pro arbitrio gereret, quibus ſatis eſſe videretur, quod verbum Dei publice doceretur. Quaſi vero perperam inſtituta ſit à Domino in ipſius Eccleſia diſciplina, quæ omnes in officio contineat. Atque ut familiari exemplo hoc conſtet: quænam eſſet vita noſtra & vigor, ſi anima ita corpori ineſſet, ut vel deeſſent nervi interea, vel officium non facerent? Sic omnino anima Eccleſiæ verbi auditione conſtat, ita ut etiam nervorum locum obtineat ordo & politia conſtituta apposite, ad bonum corporis illius habitum conſervandum. At-
1 Cor. 14. verſ. 33. que eo ſpectat illud Apoſtoli, quod Deus noſter non ſit auctor ſeditionis, ſed pacis. Illud præterea vel unum abunde eſſe oportuerat, ut nihil aliud obſtaret nobis ne difflueremus ad malum: unum, inquam, Eccleſiæ Reformatæ nomen quod gerimus. Quod ſi quis hic timendum putat, ne ſub regiminis ſpiritualis titulo, ſpecies aliqua dominationis invehatur, aut ne miniſtri ſibi plus quam licet tribuant, & ſua poteſtate abutantur: veſtrum eſt ei rei proſpicere, atque eam moderationem adhibere in iis, quæ apud vos his de rebus ſtatuenda ſunt, ut neque conſtringatur quiſquam in ſua vocatione, neque etiam fines legitimi tranſiliantur. Adeoque ut illi ipſi, qui regendis aliis præerunt, arctioribus etiam diſciplinæ vinculis, quam alii ex medio cœtu, contineantur. Summum igitur hoc eſt, quod à vobis per Dominum unice contendo, quantum & vos Patris cæleſtis præſidio fovendos, & ovium nativam docilitatem illi exhibendam à vobis exoptatis, ut manſueto animo admittatis, quicquid ipſe præſcribit, tum in veſtram ſalutem, tum præſertim ut obſtruatur os impiis, ne per illos veſtra ulla occaſione nomen ipſius blaſphemetur. Dominus & Pater miſericordiarum complectatur vos ſuo præſidio, Spiritu regat, atque omnibus ſuis bonis locupletet. Genevæ, 31 Julii. M. D. LXIII.

MEDICIS MONSPESSULANIS S.D.

QUum nuper Saracenus Medicus, qui valetudini meæ curandæ præeſt, mihi obtuliſſet quæ mihi præſcripſiſtis ad morbos meos levandos remedia, quis hanc curam me inſcio ſuſcepiſſet, quæſivi. Reſpondit ſe Collegæ noſtri qui apud vos eſt, rogatu, ſummam eorum complexum quæ facere viſa ſunt, ut mihi utile conſilium daretis. Ego vero ex accurata veſtra reſponſione agnoſco, quam vobis chara ſit mea vita, de qua proroganda ſponte adeo fuiſtis ſolliciti: ſi poſtulanti id laboris concedere grave non fuiſſet, officium fuiſſet minime ſpernendum. Nunc quia antevertiſtis, eo magis ſum vobis obſtrictus. Cæterum non alia teſtandæ gratitudinis ratio vel facultas ſuppetit, niſi ut ex meis ſcriptis viciſſim ſumatis, quæ ſpiritualem vobis medicinam afferant. Eadem ante annos viginti humanitate uſi erga me fuerant eximii Medici Acatius, Tagautius, & Gallus Pariſienſes. Verum neque tunc infeſti mihi erant podagrici dolores, neque cum calculo & arena mihi erat negotium, neque vexabar colicis torminibus, neque moleſtiam exhibebat dolor ani, neque ſanguinis excreatio minitabatur. Turmatim quaſi uno impetu in me irruptionem fecerunt tot hoſtes. Simul atque convalui à febre quartana, excepit me gravis & acerbus in ſuris dolor, qui pauliſper mitigatus, iterum ac tertio me repetiit. Tandem verſus eſt in morbum articularem, qui à pedibus ad genua excurrit. Diu me in venis hæmorrhoicis cruciavit ulceratis, quum me titillaſſent aſcarides quibus nunc ſum liberatus: hac occaſione corripuit me proxima æſtate nephritis. Nam quia equi agitationem non ferebam, lectica in agrum delatus ſum. Volui in reditu partem itineris pedibus conficere. Vix ad milliare perveneram, quum me ſubſiſtere coëgit renum laſſitudo. Atque tum ſanguinem pro urina mitti à me miratus ſum. Domum reverſus decubui. Nephritis me acerrime urgere, cui modica tantum ex remediis levatio. Tandem calculus ejectus non abſque moleſtiſſimo nixu malum illud mitigavit. Sed ea erat magnitudine ut venas læſerit, nec cohibitum fuerit ſanguinis profluvium, niſi injecto per ſiryngem mulieris lacte. Ab eo tempore plurimos enixus ſum: & gravedo quæ in renes incumbit, ſatis indicat eſſe illic lapidicinam. Bene tamen eſt quod minuti vel ſaltem mediocres exeant. Spem ſanationis eripit deſidia, ad quam me conſtringunt ægri pedes. Ab equitatione etiam prohibeor ſedis doloribus. Aliud præterea malum, quod cibus male in ventriculo concoctus in phlegmata vertitur, quæ ſua denſitate tanquam glutino exitum impediunt. Verum ego parum conſiderate, qui pro laboris mercede laborem vobis duplico, non iterum conſultandi, ſed nugas meas legendi. Valete ornatiſſimi viri & mihi ſincera obſervantia colendi. Dominus vos ſemper gubernet ſuo Spiritu, virtute ſuſtineat, ac donis ſuis vos magis ac magis locupletet. Genevæ, 8 Februarii. M. D. LXIV.

CALVINUS FARELLO S.D.

VAle mi optime & integerr. frater: & quando te Deus ſuperſtitem manere vult in mundo, vive memor noſtræ conjunctionis: quæ ut Eccleſiæ Dei fuit utilis, ita nos ejus fructus in cælo manet. Nolo te fatiges mea cauſa. Ægre ſpiritum traho, & aſſidue expecto, dum me anhelitus deficiat. Satis eſt quod Chriſto vivo & morior, qui ſuis lucrum eſt in vita & morte. Iterum vale cum fratribus. Genevæ, 2 Maii. M. D. LXIV.

Sex Epiſtolæ quæ ſequuntur, ſuo loco inter excudendum non occurrerunt.

VINCTIS FIDELIBUS LUTETIÆ.

Charitas Dei Patris, & Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti per Spiritus ſancti communicationem vobis ſemper adſit.

QUantum mœroris nobis attulerint veſtræ Ex Gall.
afflictiones & miſeriæ, fratres dilectiſſimi, Referenda
ſcripto teſtari non eſt neceſſe: nam & noſtra ad annum
vobiſcum conjunctio, & communis cauſa 1557.
aliter nos rerum veſtrarum ſenſu affici non ſinunt. menſem Septembr.

Ac ſi ad manum eſſet ratio qua vobis adeſſe poſſemus, reipſa agnoſceretis, quanto veſtri juvandi ſtudio teneamur. Una nobis in precibus ratió ſuppetit: ſi quid aliud in nobis fuit, omiſſum etiam noluimus, etſi de eventu ſtatuere non audeamus. Enimvero quocunque res cadat, certo ſtatuite oculos Domini ſuper vos intentos eſſe, ac veſtros gemitus & lacrymas ad ipſum pervenire. Atque niſi illa fides certiſſima paternæ ipſius providentiæ nos ſuſtineret, jam nos iſtius mundi voragines prorſus abſorpſiſſent, ad quamvis auram agitati circumferremur, neque mens neque animus nobis conſtaret, denique inextricabilis quidam error vita hic noſtra habenda eſſet. In primis vero ubi Satanæ & ipſius inſtrumentis habenæ laxantur ad miſeram Eccleſiam perſequendam, illud demum nobis ſuccurrat oportet, quum Dominus nullam ex rebus à ſe creatis à ſua providentia alienam eſſe velit, ab ipſo non derelinqui qui illum invocant: quumque ne minimus quidem paſſerculus in terram cadat ſine ipſius nutu ac providentia, paternum illud ipſius ſtudium erga filios non defuturum. Eſt ſane gravis illa & prædura tentatio, tantis fluctibus merſari, quique certiſſimum naufragium portendant, ut tantiſper cunctetur Dominus, neque dum porrigat
1 Pet. 1. manum: ſed non perperam illud ab Apoſtolo appo-
verſ. 7. ſitum eſt, Dominum nempe perinde atque aurum camino, fidem illam noſtram probare velle. Quare etiamſi non ita præſentem opem adferat noſtris malis, maneat illa tamen ejus veritas in nobis, quod ca-
Mat 10. pilli etiam capitis noſtri numerati ſint: ac ſi ſangui-
verſ. 30. nem etiam ſuorum effundi ſinat, ipſas etiamnum illorum lacrymas eſſe in pretio apud illum, atque in utre ipſius & libro ſigillatim reponi, ut teſtatur David Pſal. 56. verſ. 9. Unum conſtare debet, Dominum videlicet non permiſiſſe, ut quod accidit eveniret, quin ita quodammodo deſignare ſtatuerit magnum opus aliquod, quod noſtrum omnium captum exuperet. Qui hactenus martyrium adierunt, fere obſcuri & deſpecti erant apud homines, tum in ſua ipſorum perſona, tum quia non ita conferti & numeroſi ducti ſunt: quid igitur ſi aliquem iſtis anguſtiis ſuorum exitum Dominus deſtinat, qui ampliſſimum in ipſo eaultandi, atque ipſius concelebrandi argumentum proferat? Tantum, ut ita vere ſapiamus, dum nos illi abſolute ſubmittemus: atque ut omnia ſurſum deorſum ferantur, placide liberationem illam quam pollicitus eſt expectemus. Vos vero, fratres dilectiſſimi, dum iſta ita ſe habent, illam
Luc. 21. cæleſtis Magiſtri vocem ad uſum veſtrum referte, ut
verſ. 19. in patientia veſtra poſſideatis animas veſtras. Equidem quam ſit illud carni arduum, non ignoramus: ſed nunc maxime ſuccurrat oportet, hoc eſſe tempus certandi adverſum nosipſos ac noſtros affectus, quum ita acerbe à noſtris adverſarjis impetimur. Neque vero exiſtimate vobis male ita conſultum iri quum ut agni in faucibus luporum verſamini, quum illa promiſſio conjuncta ſit, non defuturum nobis fidum Paſtorem, qui nos in ſuam curam recepit. Satis potens eſt Dominus, utcunque furant & rumpantur impii, ad illos coërcendos uti ipſi videbitur, etiamſi nullis apparentibus mediis utatur. Veſtrum eſt autem unice videre, ne quid præter illud quod ex verbo ipſius licet audeatis. Sic enim nos continendo ut ipſi obediamus, certi ſumus ipſum aut tela propulſaturum à nobis, aut idoneis viribus ad ipſa excipienda nos inſtructurum: ut contra ſi, ultra ipſius voluntatem perrumpimus, timendum eſt ne tandem mercedem temeritatis noſtræ referamus. Neque vero ſic loquimur ut de veſtro periculo ſecuriores: ſed quia in extremis illis rebus extrema nonnulla ſuggeri poſſe putamus, quibus ita anſam præcidere non ſit facile. Quare non aliud vobis conſilium damus, quam quod ipſi nobis dari vellemus, ſi eſſemus veſtro loco. Præſtat enim nos omnes nullam hic ſalutem ſperare ac certæ morti occumbere, quam ut noſtra fraude & diffidentia Euangelio ulla inuratur nota. Fœcundi nempe cineres martyrum à Domino, bumana vero conſilia & ſuggeſtiones ſterilitatem & quaſi uſtionem potius inducunt. Illud igitur & ſentite in vobis & reipſa palam facite, vos profeciſſe legitime in illius ſchola, qui nos ſibi in ſacrificium offerri jubet: neque quidquam à nobis recipi patitur, ſed nos noſtraque in ſolidum pro ſuo nomine impendi vult: ſic tolerando pervincamus, donec impotentes illos adverſarios prorſus conterat, aut ſibi obſequentes & morigeros Dominus reddat. Quod autem veſtræ Eccleſiæ ordo nunc convulſus eſt, videte ne plane effluere ſinatis. Nam & vosipſos pro veſtra trepidatione ad ſignum à Domino utcunque erectum intueri hoc tempus admonet, & nihil Satan magis vellet, quam ut huc & illuc diſperſi nunquam deinde coire & coaleſcere poſſetis. State igitur denſi ac conferti prout tempus & res ferunt per Dominum, ac veluti uno humero compacti, uno ore Dominum invocate, qui etiam pollicitus eſt interfuturum ſe in cœtu & duorum uſque & trium congregatorum in nomine ipſius. Valete fratres dilectiſſimi. Dominus Deus & Pater protegat vos omnes ſub præſidio Filii ſui, invicta conſtantia obarmet, Spiritu ſuo ſancto dirigat in omnem prudentiam, rectitudinem, ſinceritatem, humilitatem ac fortitudinem, ac veſtros illos adverſarios tantiſper infrenet ac cobibeat, donec in veſtra illa obedientia ipſos ad meritam ignominiam & probrum perpetuum adducat. 16 Sept. M. D. LVII.

J. Calvinus fratrum nomine.

JOAN. CALV. VINCTIS FIDELIBUS LUGDUNI S. D.

NUnc demum urget ipſa neceſſitas, fratres Ex Gall.
dilectiſſimi, ut oculos in cælum conſtanter Referenda
attollatis. Exitus quis futurus ſit, nondum ad menſem anni
tenemus. Sed quando plane videtur Domi- 1553.
nus vobis ad martyrium deſignatis, ad obſignandam veritatem uti velle, unum hoc eſt appoſitiſſimum, ut vos ad illud ipſum comparetis, rogando ut ſuo vos arbitrio ita obſequentes præſtet, ut nihil quidquam ab eo abducat, quo vos ipſi vocare libuerit. Sic enim, fratres, mortificationem noſtram procedere oportere didiciſtis, ut in ſacrificium ipſi offerri parati ſimus. Neque interea fieri poteſt, quin duri inſultus excipiendi ſint, ut in vobis experiamini quod ita Domi-
nus ſemel protulit, Ducent te nempe quo non vo- Joan. 21.
les: ſed & illud ſuccurrat, cujus nomine & virtute verſ. 18.
nobis decertandum ſit; qui illi unquam innixi ſunt, nunquam attonitos trepidaſſe, nedum ut jacuerint confuſi. Confidite igitur, fratres, vosipſos ubi ad extremum ventum erit, ipſo etiam Domini Jeſu Spiritu confirmatum iri, ut ſub illo tentationum pondere, etiamſi virium veſtrarum ad illud ratio nulla ſit, non magis deficiatis quam Chriſtus ipſe, qui tam inſignem ex illis victoriam retulit, ut ipſa nobis certiſſimum triumphi per medias mortes capeſſendi pignus & quaſi vexillum ſublatum extaret. Quare ſi ita feret ipſius voluntas, ut ad mortem uſque jus & cauſam ipſius propugnetis, manum illam auxiliarem porriget, ut ſtrenue ad extremum perſtetis, neque vel minimam veſtri ſanguinis guttam vacuam & evanidam cadere in terram ſinet. Atque ut fructus martyrii ex vobis non ita ſtatim emergat: tamen dubium non eſt, quin longe uberior extaturus tandem ſit, quam quiſquam exiſtimet. Et quoniam eo vos honore affecit, ut vinculorum veſtrorum fama exierit ad plurimos, & undequaque ſparſa ſit, tanto certius eſt mortem illam veſtram vel frendente Satana latiſſime emanaturam, ut Dei nomen per illam exaltetur ampliſſime. Ego quidem ſic ſtatuo, ſi Domini hæc mens erat, ut vos ad ſe vocaret, veſtram illam diuturniorem detentionem ab ipſo deſtinatam

fuiſſe, ut illius occaſione excitarentur plurimi, quos ipſos veſtro exitu demum ædificandos ſibi providit. Plura hic non addo quibus vos exhorter, aut conſolari ſtudeam, quum ſatis ſciam Patrem ipſum cæleſtem ſuam ipſius conſolationum efficaciam vobis per ſe teſtatam reddere: voſque etiam ſatis per vos ferri ad ſtudium & meditationem eorum, quæ verbo Dominus ſuis ipſe commonſtrat. Et illa etiam quæ exſtant virtutis ipſius in vobis habitantis documenta, omnino confirmant, ipſum adeo ad extremum uſque opus illud ſuum proſequuturum. Illud vobis conſtat, nos ex hac vita migrantes non in incertum ferri: tum quia de certiſſima illa poſt iſtam evanidam cæleſti vita abunde eſtis perſuaſi, tum in primis quod pleniſſima adoptionis Domini gratuitæ fide inſtructi, ad illam vitam jam non ſecus atque ad veſtram hæreditatem & patrimonium contenditis. Et quod ordinati eſtis à Domino Filii ipſius teſtes, illud peculiarem & præcipuam quandam tantæ veritatis notam vobis etiam apponit. Supereſt lucta illa, in qua demum non incedere modo, ſed etiam currendo eniti nos jubet Spiritus Domini. Eſt quidem illud graviſſimum tentationis genus, ac longe acerbiſſimum, ubi inſtat nobis & obverſatur oculis hoſtium veritatis ille effrenis tumor, atque ubi eorum furor impotens ita deſpumat, dum nulla piis à Domino melior ſpes affulget. Atqui ſi illud non excidit no-
Coloſ. 3:3. bis, vitam noſtram abſconditam eſſe, ac nos mortuos hic eſſe (uti perpetuus eſt ſenſus & uſus iſtius doctrinæ) perinde novum non erit, quod afflictiones perdurent. Quum enim ita Domino viſum eſt, nos adverſariis nunc quidem permittere: noſtrum eſt etiam, ſi tempus illud redemptionis noſtræ moram trahit, placide nos tantiſper continere. Porro
Geneſ. 15. quum idem ille judicaturum ſe teſtetur gentem illam
verſ. 14. quæ populum ipſius jugo ſervitutis oppreſſerit: nolite dubitare, quin horribilis vindicta illos maneat qui tam impotenti audacia ipſius Majeſtati inſultarint, atque illos crudeliſſime inſectati fuerint qui nomen ipſius invocarent. Vos modo illud Davidis
Pſal. 119. vobis ipſis applicate, quod Legem Domini non ſitis
verſ. 109. obliti, etiamſi anima veſtra per ſingula momenta ſit in manibus veſtris: quumque Dominus ipſe vita veſtra in re tanti momenti uti ſtatuerit, qualis eſt veritatis ipſius confirmatio, nolite dubitare quin & ipſa futura ſit illi quam commendatiſſima. Inſtat vero illud tempus quo terra deteget ſanguinem quem abſorptum contegit, nos vero ubi caducis iſtis corporibus exuti fuerimus, in optatiſſimum ſtatum reformabimur. Satis ſit igitur quod per noſtrum opprobrium tantiſper glorificetur Filii Dei nomen: atque in illo teſtimonio firmiſſime acquieſcamus, quod vere nobis conſcii ſimus, nobis iſta non inferri alia de cauſa, quam quia ſperemus in Deo vivo. Atque illo argumento fas ſit nobis inſultare totius mundi ferociæ, dum ad illam ſpem contendimus, quæ nos demum in abſconditæ noſtræ vitæ pleniſſimam fruitionem intromittet. Valete fratres in Domino unice dilecti: ac ut noſtri memoriam in veſtris precibus vigere cupio ac poſtulo, ita etiam veſtro nomine Dominum oro, ut ſuo illo ſancto præſidio vos complectatur, ſua virtute confirmet magis ac magis, vobis reipſa patefaciat ſtudium illud ſuum de ſalute veſtra impenſum, atque in primis Spiritus ſui dona adaugeat, ut ad ipſius gloriam ad extremum uſque vigeant & valeant in vobis. 1 Februarii. M. D. LVII.

Frater in Domino vobis addictiſſimus J. C.

CALV. BULLINGERO S.D.

ETſi in excuſanda mearum literarum raritate facilem te mihi præbes: atque etiam, quæ tua eſt æquitas, hoc mihi officium ultro remittis: me tamen vel ignaviæ, vel ſecuritatis nimiæ pudet, quod erga te minus quam vulgares quoſdam amicos ſedulus ſim. Verum hæc ratio eſt, quod alii importune flagitando, mihi torporem excutiunt: tu qui liberalius indulges, tacere pateris. Et ſane ita aſſiduis ſcriptionibus fatigor, ut propemodum ſæpe, tædio fractus, literas ipſas oderim. Utinam tua hæc moderatio apud alios valeret, ut parcius ſcribendo amicitiam fideliter colere liceret. Sed Galli noſtri hac in parte pluſquam inconſiderate me urgent. Ita fit ut vulgo ſatisfaciens, pigritiæ me apud præcipuos amicos ſuſpectum reddam. Adde, quod niſi certa materia ſe offert, ineptire mihi videor, dum communia argumenta quaſi procul accerſo. Cæterum quod vos pridem ſcripſiſſe commemoras, nec fuiſſe datum à me reſponſum, quid ſibi velit non aſſequor: niſi quod ſuſpicatus ſum profectum eſſe à vobis aliquid, quod ad me non pervenerit. Si quid tale fuerit, admonitus, quod mearum erit partium non negligam. Quoniam nonnulli vel maligni, vel moroſi, vel ſiniſtri homines concordiæ noſtræ obſtrepunt, ſi ita viſum fuerit vobis, editam eſſe cuperem. Multa placide tuli, præterii, devoravi: ſed, crede mihi, multis modis animadverti quantopere Satanæ diſpliceret. Si edita fuerit conſenſionis forma, Saxonicis Eccleſiis id valde profuturum ſpero. Vos tamen pro veſtra prudentia, quid melius ſit, ſtatuite. Ego, quum plurimi exemplaria peterent, nunquam eo me adduci paſſus ſum, ut prælo daretur: donec permiſſu veſtro fieret. Qua de re jam ante ſcripſeram. Sed ex ſilentio conjeci, nondum vobis maturum videri tempus. Velim tamen judicium veſtrum mihi ſignifices. De bulla gratum feciſti. Major uſus fuiſſet, ſi biduo citius eam recepiſſem. Jam enim excudi cœperat præfatio, qua argumentum illud tractavi. Ejus exemplar hic habes, ſi forte legere vacabit. Rogo tamen, ut prima quaque occaſione una cum literis mittendum N. cures. Hoc boni eſt in bulla, quod Papa abſque ullo ſimulationis fuco meram tyrannidem ſpirat. Ad preces itaque, ut dicis, nobis confugiendum eſt. Germaniam dicunt hoc anno à bellis inteſtinis quietam fore: quoniam Turca Ferdinandum urget. Sed quia Domini eſt ſedare omnes armorum tumultus, ille invocandus eſt, ut indomitam alioqui hoſtium noſtrorum rabiem compeſcat. Vale eximie vir, & frater mihi in primis colende. Saluta meo & fratrum meorum nomine Collegas tuos & familiam. Dominus vos tueatur, vobis adſit, vos gubernare pergat. Genevæ, 13. Calend. Martii. M. D. LI.

Joannes Calvinus tuus.

MELANCHTHON CALVINO.

EX nundinis Francfordienſibus epiſtola ad me tua tranſmiſſa eſt, exempla vero editi ſcripti non ſunt allata: tardius enim Francfordiam allata fuerant. Poſtea Bonnæ apud D. Bucerum nactus exemplum, vidi [illegible] ad me, & ſubito bonam partem diſputationis evolvi. Quod autem honorifico teſtimonio me ornaris, & de tota re, non ſolum pie, ſed etiam eloquenter diſſerueris, de utraque re, videlicet de mea gratitudine, & de ipſa diſputatione, comm nos, ut ſoliti ſumus quoties una fuimus, prolixe colloqui poſſe optarim: etſi enim tantum vel ingenii vel doctrinæ mihi non arrogo quantum tribuis, & nos in primis in Eccleſia agnoſcere imbecillitatem noſtram decet: tamen benevolentia erga me tua vehementer delector, tibique gratiam habeo, quod in ſcripto luculento tanquam in illuſtri poſitam loco extare ſignificationem amoris erga me tui voluiſti. Gratum mihi & illud teſtimonium tuum eſſe ingenue fateor, quod me & amare & quærere ſimplicitatem dicis. Nam prædicare bona conſcientia poſſum fuiſſe hoc meum ſtudium, quum initio harum contentionum, multa horridius

Referenda ad annum 1543.

ridius & intricatius diſputarentur, ut excerperem res utiles, eaſque ex illa caligine evolutas, quantum poſſem, plane & dextre recitarem: nec raro illud Euripidis mihi venit in mentem, Ἐσθλὸν τὸ σαφὲς, & ἄνουν τὸ μὴ σαφές: nec nihil periculi adii dum quædam præcidi confragoſiora: retinui vero & illuſtravi utilia, quod tamen verecunde feci, ne irritatis vehementioribus ingeniis, diſcordias magis inflammarem. Fuit enim hoc quoque mihi curæ, noſtrum, hoc eſt, Eccleſiæ conſenſum, in majoribus cauſis ut tuerer. Vides enim quam multæ aliæ cauſæ utiliſſimæ motæ ſint: ut autem ducum ars eſt leviora & πάρεργα interdum relinquere, ne impediantur in perſequendis neceſſariis, ita nobis videndum eſt de quibus rebus maxime dimicandum ſit. Pontifices majori ſpe quam unquam ſuas εἰδωλομανίας propugnant. Arbitrantur enim ſtultitia noſtrorum Principum noſtra dogmata ruitura eſſe, quos vident implicari bellis civilibus, & irritare Carolum hactenus ceſſantem & quaſi fugitantem bella Germanica. Etſi hoc tanto malo moveor, quod quidem ſæpe prædixi vaticinans, οὐ μαντευτῇ, ἀλλὰ φιλοσόφῳ τινι εἰκάζων, quum Principum φιλονεικίας & alios morbos viderem; tamen ſcio Deum inter fatales Imperiorum tumultus Eccleſiam ſuam ſervare mirabiliter. Non igitur frangamur animis, ſed dum poſſumus, ſonemus, ut converſus latro in cruce, doctrinam de Filio Dei, deque arcana ſapientia, quæ eſt Eccleſiæ propria, de magnitudine humanæ infirmitatis, de pœnitentia, & fiducia promiſſæ miſericordiæ propter Filium, de vera invocatione, & veris Eccleſiæ virtutibus, de myſteriis non polluendis, de Eccleſiæ politia, non illa quam fingunt Pontifices, ſed qualis fuit Prophetarum & Apoſtolorum, denique de vita æterna. Ad harum maximarum rerum doctrinam ornandam transferas velim eloquentiam tuam: quæ & confirmare noſtros, & terrere adverſarios, & ſanabiles juvare poterit. Cujus eſt enim oratio hoc tempore in diſputando vel nervoſior, vel ſplendidior? Noſtra vel propter ingenii infirmitatem, vel propter eas ærumnas quibus conſumpta eſt naturæ vis, ſi qua fuit, eſt ſqualidior. Magnopere igitur gaudeo divinitus te ad Euangelii explicationem excitatum eſſe, teque illa Apoſtoli voce adhortur quam ſcribit ad Timo-

1 Tim. 4. verſ. 14. theum, μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος. Etſi autem videor ὄψιμος ἀοιδὸς, tamen ad confirmandos animos hæ mutuæ ſeu cohortationes, ſeu conſolationes, præſertim in Eccleſia aliquid conducunt, ut Paulus ſe

Rom. 1. verſ. 12. ait velle συμπαρακληθῆναι aliorum piorum officiis ac commonefactione: ſatis ubique eſt hoſtium qui Domino bellum inferunt, qui nos delere conantur, eo ſit firmior conſenſus noſter, συμφορητὸν γὰρ ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν. Fortaſſis noſtra Germania paulo poſt à Turcis vaſtabitur: quod ſi fiet, eo magis vobis alibi in locis tutioribus ſtudia literarum excitanda erunt, & pugnandum vehementius, ut in reliqua Europa Euangelii lucem accendatis, & retineatis. Quod ad quæſtionem de prædeſtinatione: habebam amicum Tubingæ doctum hominem Franciſcum Stadianum, qui dicere ſolebat, ſe utrumque probare, evenire omnia, ut divina providentia decrevit, & tamen eſſe contingentia. Seſe hæc conciliare non poſſe. Ego quum hypotheſin hanc teneam, Deum non eſſe cauſam peccati, nec velle peccatum: poſtea contingentiam in hac noſtra infirmitate judicii admitto, ut ſciant rudes Davidem ſua voluntate ultro ruere; & eundem ſentio, quum haberet Spiritum ſanctum, potuiſſe eum retinere, & in ea lucta aliquam eſſe voluntatis actionem. Hæc etiam ſi ſubtilius diſputari poſſunt, tamen ad regendas mentes hoc modo propoſita, accomodata videntur. Accuſemus ipſi noſtram voluntatem quum labimur, non quæramus in Dei conſilio cauſam ut contra eum nos erigamus, ſciamus Deum & velle opitulari, & adeſſe luctantibus: μόνον θέλησον καὶ θεὸς προαπαντᾷ, inquit Baſilius.

Excitetur ergo cura in nobis, & laudetur Dei immenſa bonitas, quum & promiſit auxilium & præſtat. Sed petentibus, ut inquit Dominus, hoc eſt, iis qui promiſſionem intuentur. Nam à verbo Dei ordiendum eſt, nec repugnandum promiſſioni, ſed ei aſſentiamur, nec diſputemus antea: tunc nos adſenſuros eſſe, quum arcanum decretum Dei nobis monſtratum fuerit: adſentientem autem Deus adjuvat, qui per verbum eſt efficax. Hæc non ſcribo ut tibi tradam quaſi dictata, homini & eruditiſſimo ac peritiſſimo exercitiorum pietatis. Et quidem ſcio hæc cum tuis congruere, ſed ſunt παχύτερα, & ad uſum accommodata. Hæc Bonnæ ſcripſi apud D. Bucerum, quum eo accerſitus eſt ut Eccleſias in Diœceſi Colonienſi emendaret. Hæc conſilia Deo piis votis commendes. Rogo autem, ut mihi ſignifices, an hanc epiſtolam acceperis. Nam ſi intellexero certo ad te perferri meas literas, ſcribam ſæpius. Ἀντίδωρα tibi debeo: quare & grati animi ſignificationem oſtendam. Bene vale. 11 Maii.

Philippus Melanchthon.

CALV. RICHEBURGIO SUO S.D.

QUum mihi primus de morte Claudii ac Ludovici filii tui allatus eſſet nuncius, ſic toto animo confuſus fui, ut multos dies nihil aliud poſſem quam lugere. Ac tametſi coram Deo utcunque me ſuſtinebam iis adminiculis, quibus in adverſis nos inſtruit: apud homines tamen nullus fere eram. Certe ad omnia officia non multo magis idoneus mihi videbar, quam ſi fuiſſem ſemimortuus. Hinc enim mœrebam optimum & fideliſſimum amicum, mihi alieniſſimo tempore fuiſſe ereptum: quicum tanta mihi erat familiaritas, ut nobis duobus nihil potuerit eſſe conjunctius. Inde ſubibat alius dolor, optimæ ſpei adoleſcentem filium tuum primo ætatis flore eſſe ſublatum: quem loco filii diligebam, quia me, non ſecus ac patrem alterum, viciſſim colebat. Hunc acerbiſſimum luctum excipiebat gravis & anxia de iis, quos nobis ſuperſtites D. reliquerat, ſollicitudo. Domum huc illuc disjectam eſſe audiebam. Malherbii periculum cum ipſius cauſa me valde affligebat, tum etiam de reliquiis admonebat. Cogitabam fieri non poſſe, quin uxor eſſet vehementer conſternata. Carolus vero tuus mihi aſſidue ob oculos verſabatur. Nam qua præditus eſt ingenii bonitate, qua in fratrem ac præceptorem non charitate modo, ſed pietate quoque ſemper fuit, minime dubium mihi erat, quin tota in ſqualore & lachrymis eſſet. Una hæc cogitatio me nonnihil ſublevabat, quod ſecum habebat fratrem meum, quem illi in hac calamitate ſperabam fore non minimo ſolatio. Verum id etiam non poteram reputare, quin ſimul in mentem veniret, ambos nondum evaſiſſe periculum. Ita donec ſubſequutæ ſunt alteræ literæ quæ Malherbium extra vitæ diſcrimen laborare, Carolum, fratrem meum, uxorem, & alios ſalvos eſſe nunciarent, mœrore & moleſtia tantum non oppreſſus fui: niſi quod coram D., ut jam dixi, ne prorſus conciderem, precibus & ſanctis meditationibus quæ nobis ab ejus verbo ſuggeruntur, me fulciebam. Hæc ideo commemoro, ne ideo minoris tibi ſint meæ exhortationes, quibus nunc te ſolari cupio, quia facile eſſe cogites, in alieno dolore fortem ſe exhibere: ego vero hic non jacto in alieno dolore fortitudinem, ſed quum mihi ſingulari Dei beneficio datum ſit, ut ab eo, qui mihi tecum pene ex æquo communis fuit, aliqua ex parte vel liberarer vel levarer, quibus remediis uſus ſum, quæque mihi plurimum prodeſſe ſenſi, ea tibi, quoad per epiſtolam, & brevem epiſtolam licet, communico. Quanquam hac in re ſic mihi habenda eſt triſtitiæ tuæ ratio, ut interim mihi cum graviſſimo ac conſtantiſſimo viro negotium eſſe meminerim. Ne- Refer ad annum 1540.

que enim me latet, quibus ad patientiam moderationemque perpetuo ſervandam præſidiis ſis inſtructus. Ne illas quidem conſolationes, quæ inter civiles bomines uſum habent, adbibere placet. Ne mortuum defleas, quem mortalem genueras: ut eam animi magnitudinem præſtes luctuoſo caſu, quam ingenium & natura præclarum & optimis artibus excultum, quam ætas, quam multarum rerum peritia, quam denique exiſtimatio poſtulat: ut vitæ anteactæ recordatione te ſoleris. Illis, inquam, & aliis ejus generis exhortationibus apud te ſuperſedeo. Unum enim certum eſt ac firmum conſolatioois genus, in quo te ac tui ſimiles acquieſcere decet, quod ex interiore illo pietatis ſenſu manat, quo te abundare ſcio. Hoc ergo tibi omnino agendum eſt, ut mentem ad eas cogitationes revoces, quæ nobis ab optimo magiſtro in pietatis ſchola dictantur, ac ſuggeruntur. Eas hic recenſere non eſt neceſſe, quum tibi ſint perinde ac mihi familiares. Et tamen pro ſingulari tua pietate, & ea quam mihi defers benevolentia, non illibenter ſorte in meis literis recognoſces quæ tibi alioquin ſponte occurrunt. Filium, quem apud te depoſuerat, D. recepit. Hic ſublatæ ſunt vanæ illæ & pravæ ſtultorum hominum quærimoniæ, O cæca mors, ô iniqua fata, ô Parcæ inexorabiles, ô crudelis fortuna! Dominus qui in hac vitæ ſtatione ad tempus eum locaverat, evocavit. Quod à D. factum audimus, ſimul cogitemus non temere, non fortuito, non extraneo aliquo impulſu, ſed eo conſilio, quo non modo nihil niſi quod rectum & juſtum, ſed nihil etiam niſi quod bonum ac ſalutare nobis providet, ſtatuit, ac facit. Ubi juſtitia & æquitas, illic nefas eſt reclamare. Ubi vero cum æquitate illa, noſtra quoque utilitas conjuncta eſt, cujus ingratitudinis foret, non placido moderatoque animo ſuſcipere, quicquid Patri noſtro placuerit? Quanquam in ipſa Dei providentia ſatis amplam levationem habent bdeles, quicquid acciderit. Nibil enim eſt quod nos magis exanimet, quam dum bis quæſtionibus nos fatigamus, Cur non aliter? Cur in eum locum? Bene hæc & appoſite dicerentur, ſi quid à nobis admiſſum eſſet reprehenſione dignum. Verum ubi culpa noſtra abeſt, ejuſmodi quereſis nullus eſt locus. Deus eſt igitur qui filium abs te repetiit, quem ea lege tibi educandum tradiderat, ut ſuus ſemper eſſet. Et ideo ſuſtulit, quia & illi è mundo emigrare, & hac orbitate vel te humiliari, vel tuam patientiam probare, utile erat. Hanc utilitatem ſi non intelligis, primum rogandus Deus, ut tibi oſtendat. Si celando vult te etiamnum magis exercere, permittendum ut plus ſapiat, quam mentis tuæ imbecillitas aſſequatur. Quantum ad filium attinet, ſi eum animo tuo reputes, quam difficile ſit hoc deploratiſſimo ſeculo rectum vitæ curſum tenere, beatum judicabis, qui antequam tot diſcrimina, quæ jam illi imminebant, per ætatem obeunda eſſent, mature liberatus ſit. Perinde enim eſt, acſi quis turbulento & tempeſtuoſo mari, antequam in altum feratur, celeriter ſe in portum recipiat. Neque enim ſic Dei beneficium eſt longa vita, ut aliquid nobis depereat, ſi paucorum annorum ſpatio disjuncti ad meliorem vitam traducimur. Jam vero quia D. ipſe, qui noſter omnium Pater eſt, Ludovicum filii loco eſſe voluerat: hoc tibi pro immenſa ſua benignitate largitus eſt, ut præclarum educationis tuæ fructum ante ejus mortem caperes: unde eam quoque benedictionem ſcires ad te pertinere, Ero Deus tuus, & ſeminis tui. Fuit à prima pueritia, quantum anni ferre poterant, optimis ſtudiis inſtitutus. In iis jam mediocres progreſſus fecerat, ut magnam ſpem de ſe nobis in poſterum faceret. Mores ſuos, & vivendi rationem bonis omnibus approbaverat: ſi quando lapſus erat, non modo ſe patiebatur admoneri, & objurgari, ſed ſe quoque monitis præbebat docilem, & obſequentem. Erat quidem interdum vehementiore ingenio, ſed non uſque ad pertinaciam. Itaque impetus illi qui modum excedebant, parvo negotio frangebantur. Quod vero plurimi faciendum eſt nobis, pietatis rudimenta ſic imbiberat, ut & veram Religionis intelligentiam haberet, & timore Dei non ficto fideliter eſſet imbutus. Hæc ſane tam præclara Dei beneficentia in tuam ſobolem merito plus valere debet ad leniendam mortis acerbitatem, quam mors ipſa ad dolorem infligendum. Quantum ad me attinet, ſi nunquam huc ſe liberi tui contuliſſent, nullo nunc mœrore ex Claudii & Ludovici morte afficerer. Nunquam tamen efficiet graviſſimus hic luctus, quem utriuſque cauſa ſuſtineo, ut me illius diei pœniteat, quo ad nos Dei manu appulſi, magis quam proprio conſilio adducti, à me in amicitiam recepti ſunt, quæ non modo ad extremum perſeveravit, ſed aucta magis in dies fuit, ac confirmata. Quo igitur exemplo fuerunt, mecum vixiſſe gaudeo. Et quia moriendum illis fuit, apud me quoque mortuos eſſe gaudeo: ubi quietiores Deo animas reddiderunt, quam ſi in his locis mori contigiſſet, ubi plus moleſtiæ ab eorum importunitate ſenſiſſent, à quibus juvari oportuiſſet, quam ab ipſa morte. Nunc autem inter pias exhortationes, in ipſa nominis Dei invocatione, ſanctæ illæ animæ in Chriſti conſortium evolaront. Nec vellem jam omni vacare luctu ea mercede, ut mihi fuiſſent incogniti. Erit enim mihi ſancta uſque in finem eorum memoria: atque etiam, ut confido, ſuavis. At quid prodeſt, inquies, filium optimæ ſpei extitiſſe, quum in primo ætatis flore correptus ſit? Quaſi vero non hoc meritus ſit Chriſtus morte ſua, ut vivis dominetur & mortuis. Et ſi illius ſumus, (ut eſſe nos oportet) cur non vitæ & mortis habeat in nos arbitrium? Quamlibet ergo brevi, opinione vel tua, vel mea, filius tuus vixerit, nobis ſatis eſſe debet, quod curſum quem illi Dominus deſtinaverat, implevit. Proinde ne putemus in flore periſſe, qui coram Domino maturuerat. Dico autem ad maturitatem perveniſſe omnes, qui à Domino binc evocantur: niſi forte cum eo litigare placet, quaſi ante tempus aliquem rapiat. Hoc quidem de omnibus verum eſt: ſed in Ludovico certior alia eſt, & magis propria ratio. Eo enim ætatis progreſſus erat, ut veris documentis ſeſe Chriſti membrum approbare poſſet: hoc fructu edito, extinctus eſt & nobis ſublatus. Imo ex hac fluida & evanida vitæ umbra in veram immortalitatem receptus eſt. Neque te eum perdidiſſe exiſtimes, quem in beata reſurrectione in regno Dei recuperabis. Sic enim vixerant, ſic mortui ſunt ambo, ut non dubitem apud Dominum eſſe: pergamus ergo ad hanc metam, quam attigerunt. Non dubium quin illos & nos ſimul individua ſocietate tunc colligaturus ſit Chriſtus, in illa incomparabili gloriæ ſuæ participatione. Cave igitur filium lugeas, ut perditum, quem agnoſcis conſervari à Domino, ut perpetuo tuus maneat, qui precario tantum fuerat tibi ad momentum temporis commodatus. Nec parum ſolatii ex eo accedet, ſi bene expendas quid relictum tibi ſit. Habes ſuperſtitem Carolum, de quo id judicium habemus omnes, ut nemo ſit noſtrûm qui non ſibi talem filium cupiat. Ne putes hoc me dare tuis auribus, vel aliquid in tuam gratiam amplificare. Hoc nec mei ingenii, neque mei moris eſt. Simpliciter ergo dicam quod revera ſentio, & quod apud extraneum quemlibet dicturus eſſem. Excellere adoleſcentem illum primo ſingulari pietate, ac vero Dei timore, qui eſt ſapientiæ noſtræ ſumma: deinde humanitate ingenii, morum ſuavitate, rara modeſtia, & continentia. Neque hoc illi ex rumore vel auditu tribuo. Semper enim intentus fui, ut ipſius ingenium perſpectum haberem. Hoc enim diſcriminis inter duos fratres, quum ambo viverent, notavi. Ingenii celeritate præſtabat Ludovicus; ſed hic ſolida rerum intelligentia & judicio longe antecedebat. Promptior

ille

illç ad proferendum quod legerat vel audierat. Hiç tardior & verecundior. Paratior ille & expeditior, tum ad capeſſendas artes, tum ad omnes vitæ actiones. Hic conſideratior & conſtantior: atque id etiam ferebat corporis conſtitutio. Siquidem Ludovicus, ut erat ſanguineus, plus habebat hilaritatis & alacritatis. Carolus qui in melancholia nonnihil communicat, tanta facilitate ſe nou exerit. Modeſtiæ & comitatis hic ſemper plus habuit: quæ in eo etiam mirifice eluxit, quod potuit ſua tolerantia fratris ferociam domare. Hæç quoque in eo longe ſuperiora: moderatio, gravitas pene virilis, & in tota vita quædam veluti æquabilitas. Talis ergo filius quantum valere debeat ad elevandam orbitatis (qua te nunc Dominus afflixit) moleſtiam, tu ipſe judicabis: & ita judicabis, ut ne in hac re ſis Deo ingratus. At difficile eſt, inquies, patrium amorem ita vel excutere, vel ſupprimere, ut nullum ex filii interitu dolorem capiam. Ego vero id abs te non contendo, ne doleas. Neque enim hanc philoſophiam diſcimus in ſchola Chriſti, ut eam quam oobis Deus indidit humanitatem exuendo, ex hominibus lapides fiamus. Hæc omnia eo duntaxat ſpectant, ut juſtiſſimo tuo mœrori modum & quaſi temperamentum adhibeas: ut perſolutis quæ naturæ & paternæ pietati debentur lachrymis, tibi in lugendo minime indulgeas. Neque tamen ideo me interpono, quo tuæ prudentiæ, conſtantiæ, animique celſitudini diffidam. Sed tantum, ne meum tibi officium hic deeſſet. Quanquam ſi literæ iſtæ ſupervacuæ erunt, (quod mihi credibile eſt) pro tua tamen eximia humanitate boni conſules hanc meam ſollicitudinem nimis fortaſſe anxiam: ſed ideo venia noo indignam, quod ab immodico meo erga te amore proficiſcitur. Quin etiam Philippum & Bucerum rogavi, ut meis literis ſuas quoque adjungerent: quia hoc tibi non ingratum fore officium ſperabam, ſi benevolentiæ erga te ſuæ teſtimonium aliquod tibi redderent. Vale clariſſime vir, & mihi plurimum in Domino obſervande. Chriſtus Dominus te familiamque tuam conſervet, ac Spiritu ſuo ſemper vos omnes dirigat, donec perveniatis quo Ludovicus & Claudius præceſſerunt.

CALV. FARELLO S. D.

Gratia tibi & pax à Domino, frater animo meo dilectiſſime.

Refer ad annum 1538. aut circiter.

ITa tumultuarie Baſilea me proripui, ut quas ad te literas relicturum me promiſeram, inter innumeras cerebri mei tricas mecum abſtulerim. Neque jam res ulla præ manibus ſcriptione digna erat. Triduo poſtquam appuli, non defuit nuncius, & erat jam oblatum nonnihil argumeoti. Sed quod timebam ne literas periculoſe committerem, malui huc uſque differre. N. ſuo more reſcripſiſſe, non inficiatus eſt Bucerus. Nam hoc uoum cauſatus eſt cur mihi non recitaret, quia nollet mihi fruſtra ſtomachum movere. Hinc collige quantum amarulentiæ fuerit, quod ille indicavit pro ſua prudentia non poſſe à me ſine graviori offenſione tranſmitti. S. interim placidam ejus comitatem deprædicat. Spem enim ducit, poſſe nobis & ipſum & Senatores, qui infeſti hactenus fuerunt nobis, reconciliari: ſi priores benevolentiam literis declaremus. Quod ut eſt perquam ridiculum, Bucerus pro nihilo habuit. Finge id ſperari poſſe. Unde tamen inciperemus? An nos quaſi offeoſionis auctores illos mitigare ſtudebimus? Atque ut non detrectemus id quoque, quis erit offenſarum purgandarum tenendus modus? Ego vero neque ita emeodatum iri præterita, neque in poſterum rite proviſum iri cenſeo. Siquidem, ut coram Deo & ejus populo fateamur, imperitia, ſocordia, negligentia, errore noſtro factum ex parte eſſe, ut Eccleſia nobis commiſſa tam miſere collapſa ſit: ex officio tamen noſtro eſt, innocentiam puritatemque noſtram aſſerere adverſus eos, quorum fraude, malignitate, improbitate, nequitia, ejuſmodi ruina procurata fuit. Libenter ergo apud Deum & pios omnes fatebor, dignam fuiſſe noſtram tum inſcitiam, tum incuriam, quæ tali exemplo caſtigaretur: culpa noſtra corruiſſe miſeram illam Eccleſiam, nunquam ſum conceſſurus. Longe enim aliter ſumus nobis conſcii in Dei conſpectu. Neque enim quiſquam hominum eſt, qui nobis ullam culpæ portiunculam transſcribere queat. Jam in futurum quis non videat ludibrio nos expoſitum iri hac ratione iri? Nemo enim non protinus clamaret, nihil probri nos recuſare, modo reſtitueretur. Sed Dominus, ut ſpero, meliorem viam aperiet. Neque enim ſcribere deſiit Bucerus: cujus auctoritas contemni ab illis non poterit: contemni autem apparebit, niſi tandem aliquid ei concedant. Hæc porro illi eſt ſpes ultima, ut ſi conventum non impetrabit uſque ad ver proximum, vel tunc ſaltem remedium inveniat. Et forte ita expedire Dominus providet, quo interim melius omnia matureſcant. Concionem habui die Dominico, quæ ut omnium fratrum elogiis fuerat apud plebem commendata, multos habuit vel auditores, vel ſpectatores. In animo eſt fratribus, ſi videbuot aliquam Eccleſiolæ faciem extare, Cœnæ quoque miniſterium concedere. Quum apud Mediomatrices omoia Religioni infeſta forent, & Senatu in ejus excidium conjurato, & adnitentibus furioſe ſacrificis: illuc quoque fæx Anabaptiſtarum ad excitanda nova offeodicula penetravit. Duo in Moſellam præcipitati, tertius exilio cum ſtigmatis ignominia mulctatus. Quantum aſſequi potui conjectura, tonſor ille & comes Hermanni unus eorum fuit. Vereor ne lues iſta late inter ſimpliciores graſſata ſit ea in urbe. Dominus te reliquoſque ſervos ſuos ſibi conſervet, opuſque ſuum per manus veſtras fortunet. Eos omnes mihi ſaluta. Nomioatim Thomam & alios qui tecum mihi hoſpites fuerunt.

Calvinus tuus.

Illuſtriſſimorum Principum atque Ordinum Imperii Proteſtantium ad Franciſcum I. Galliæ Regem Epiſtola.

SAlutem & obſequium noſtrum, Sereniſſime atque Chriſtianiſſime Rex. Quoniam ea benevoleotiæ ſigna Regia Dignitas Veſtra nobis ſemper exhibuit, quæ argumento eſſe poſſint, Regiam Majeſtatem Veſtram optimo eſſe & amiciſſimo erga nos animo. Aliquando etiam experti ſumus apud Regiam Celſitudinem Veſtram noſtras preces non parum habuiſſe momenti. Ita quenunc etiam de quorundam privatorum incolumitate, qui partim in variis Regni veſtri locis, præſertim Gratianopoli, & aliis Provinciæ urbibus capti tenentur, partim cum parvis liberis miſeri reliquerunt ſuas domos, & in cavernas fugere coacti ſunt, propterea quod de doctrina Chriſtiana idem ſentiunt quod Eccleſiæ noſtræ profitentur: ſcribendum, & apud Regiam Celſ. Veſtram intercedendum duximus. Magno dolore afficimur, quod quum negari non poſſit multos veteres abuſus hærere in Eccleſiis, ita tamen exarſerit iracundia paſſim, ut & ſalutares ſeutentiæ obruantur; & non ſolum homines privati, ſed etiam gentes totæ veniant in periculum. Quæ quum ſupplices ſiunt Regiæ Celſ. Veſtræ, exiſtimet Regia Celſ. Veſtra non nos tantum, ſed ipſam Eccleſiam Chriſti lugentem jacere ad pedes ſummorum Regum, & opem implorare ac petere, ne lux exorientis Euangelii extinguatur, & ut modeſtis hominibus ac Chriſti membris parcatur. Scimus hos qui propter piam doctrinam ſunt in odio, interdum prægravari aliis criminibus, ac dici ſeditioſos. Vidimus autem confeſſionem ærumnoſorum illorum oblatam curiæ Gratiano-

poli-

politanæ, & purgationem objectorum criminum. Quare magis deprecandum eſſe pro eis duximus, quia doctrinæ confeſſio pia eſt, & baud dubie pura ſententia Catholicæ Eccleſiæ Cbriſti, quam & nos profitemur. Oramus igitur Regiam Celſ. Veſtram, ut tum captorum illorum, tum aliorum, ſi qui propter eaſdem cauſas periclitantur, vitæ parcat, eoſque dimittat incolumes. Audimus quidem nonnullis ita veniam concedi, ut abjiciant confeſſionem doctrinæ quam ipſi piam eſſe non dubitant: quod quum facere ipſa morte ſit acerbius, oramus ut Regia Celſ. Veſtra id quoque propter Deum mitiget. Neque ignorat Majeſtas Veſtra, quam grave ſit aliquid præſertim in Religione contra conſcientiam approbare. Erit hæc clementia grata Deo, & babebit præmia divinitus: ſicut Pſal. inquit, Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Deus. Quare ut hac in re erga miſeros illos, ubicunque ſint, ſe clementem præſtet Regia Majeſtas Veſtra, etiam atque etiam oramus. Idque erit tum nobis, tum omnibus iſtis qui nobiſcum eandem Religionem profitentur, maximi beneficii loco, præſertim ſi intelligamus illos noſtra interceſſione fuiſſe liberatos: & apud bonos omnes non vulgarem clementiæ & moderationis laudem Regia Dignitas Veſtra obtinebit. Hæc ſi impetrabimus, quemadmodum bona ſpes eſt, ſtudebimus viciſſim, quibus poterimus officiis, memores & gratos animos teſtari, optantes ut Deus Opt. Max. Celſ. Veſtram diu ſervet incolumem & florentem. Datæ Ratiſponæ, 23 Maii. Anno Cbriſtianæ ſalutis M. D. XLI.

Principes, Legati, Status & Ordines conjuncti Auguſtanæ Confeſſionis jam Ratiſponæ congregati.

Oratio Legatorum Pontificis ad Principes Germanos, habita Naumburgi die 5 Februarii M. D. LXI.

Alter Legatus.

QUum ſummus Pontifex ad ſacroſanctæ regimen Eccleſiæ vocatus eſſet, in eam ſtatim curam pro ſuſcepto munere Paſtorali incumbere cœpit, quomodo corrupti mores emendarentur, ut eſſet tandem pax Eccleſiæ, & idem ſentirent omnes nationes. Quumque tam ad mala ſananda, quam ad bona conſequenda, nullum aliud remedium quam ſacri OEcumenici Concilii celebratio ſupereſſet, habita matura deliberatione cum ordine Cardinalium, ſacrum tandem Tridenti ad feſtum Paſchatis Concilium celebrandum, auctoritate divinitus ſibi tradita decrevit. Ut vero ad notitiam omnium Principum id perveniret, & ipſi eandem curam ſuſciperent, ſuaque ſtudia ad conſulendum Germaniæ tranquillitati Pontificiæ ſollicitudini conjungerent, ablegavit hos nuncios ſuos, qui pro amore & ſtudio, quo inclytam Germaniæ nationem ſemper proſequutus eſt, ejuſque unitatem dilexit, Pii Pontificis nomine ſingulos conveniremus, rogaremus, bortaremur, & obſecraremus, ut ad Concilium hoc accederent, cùm plena manſuetudinis ac pacis omnia ibi ſint futura, omnes ibi auditos, ac in rebus juſtis benigne exauditos iri. Petuntque ut iidem Principes piam hanc ſollicitudinem progreſſum habere velint, quum Pontifex nihil aliud ſtudeat, niſi ut concordia & pax Eccleſiæ reſtituantur. Paratus eſt idem Pontifex ſalvum conductum Principibus in ampliſſima & tali forma dare, qualis unquam data fuit, aut excogitari poteſt. Petit quapropter Pontifex, ac hortatur, ut ſinguli Principes Legatos ſuos cum plenis mandatis eo mittant, ut Principum ſtudio ſedatis Eccleſiæ diſſidiis (tot enim de Religione opiniones, quot capita: & tot Euangelia, quot Doctores) Eccleſiæ ſuum decus reſtituatur, una fides ubique ſervetur, & unus Deus ab omnibus colatur. Cætera Principes ex Collega audituros.

Alter Legatus.

ILluſtriſſimi Principes, quum eadem mandata utrique noſtrûm ſummus Pontifex dederit, non arbitror repetenda quæ à Collega jam appoſita ſunt, at explicandas cenſeo Eccleſiæ calamitates. Nemo eſt enim qui ignoret, quo res deducta ſit, & quo relabatur. Aliud ex alio malum exoritur, hoſtibus Cbriſtiani nominis ad perniciem Reipub. aditus datur. Huic obviam ut eatur, opus eſt. Poſtulant hoc pericula, ſuadet temporis opportunitas, Pii Pontificis benignitas & ſtudium: ut nulla unquam pacis conciliandæ commodior occaſio oblata, aut dari poſſe videatur, pacata Republ. Chriſtiana, ac Pontifice divinitus dato, cujus ſtudium ſingulare eſt erga Principes, ſolliciti de animarum ſalute, & ut Eccleſiæ pax & tranquillitas reſtituatur. Hæc ſunt quæ paucis exponenda cenſuimus.

Reſponſio Principum ad Legatos Pontificios.

REverendi viri. Illuſtriſſimi Sacri Romani Imperii Electores & Principes, Illuſtriſſimorum Electorum & Principum Legati ac Conſiliarii, ad orationem veſtram, qua Pontificis Romani mandata Celſitudinibus ipſorum expoſuiſtis, hoc reſponſi vobis dari juſſerunt, Non dubitare ſe quin multi omnium gentium in toto orbe terrarum viri docti, ſapientes & pii jamdudum meliorem Eccleſiæ ſtatum optarint & nunc quoque anxia ad Deum vota faciant, ut tandem doctrinæ puritas reſtituatur, & tetri in Eccleſiam abuſus invecti pia emendatione tollantur. Quod ipſum Pontificibus Romanis in ſua jurisdictione præcipue curæ eſſe debet, qui Eccleſiæ titulum tam longo annorum ſpatio magnifice ſibi arrogarunt. Verum quibus ipſi potiſſimum rebus ſemper occupati fuerint, nimirum regni cupiditate, regniſque committendis, & ſuperſtitionibus in Eccleſia cumulandis magis, quam illuſtrandæ gloriæ Dei, ſanandiſque Eccleſiæ morbis, obſcurum bonis omnibus non eſt, & multos Pontificio nomini addictos viros ſapientes fateri neceſſe eſt. Mirantur autem Illuſtriſſimi Electores ac Principes, reliquorumque Legati, qua vel opinione perſuaſus, vel ſpe fretus Pius Papa, miſſa hac Legatione, Celſitudinibus ſuis Concilii indictionem obtrudere, eoſque Tridentum vocare auſus fuerit. Neque enim Pontificem & vos ignorare quam Religionem Status Auguſtanæ confeſſionis amplectantur, quibuſque de cauſis Eccleſias ſuas, juxta ſinceram Euangelii doctrinam repurgare, & ſe ab eo cœtu, qui oppreſſa doctrinæ cæleſtis veritate, ſuam potius quam Chriſti gloriam quærit, ſejungere coacti ſunt. Sic igitur Pontificem ac vos ſtatuere Illuſtriſſimi Principes volunt: non agnoſcere ſe Romanæ ſedis auctoritatem, certiſque divini ac humani juris indubitatis teſtimoniis Celſitudinibus ſuis perſuaſum eſſe, Concilii indicendi jus Pontificem Romanum non habere. Judicis enim officio fungi, & controverſias dirimere eum à quo diſſenſiones & diſtractiones in Eccleſia ortæ ſunt, quique manifeſtam veritatem crudeliter oppugnat, fas non eſſe, & humana dictat ratio, nec non divini humanique juris ſcripta teſtantur. Injuſte etiam oratione veſtra ſeſe taxari Illuſtriſſimi Principes affirmant, quod nullam fidei certitudinem habeant, ſed tot nunc ſint Euangelia, quot Doctores. Extat enim non ſolum de omnibus fidei articulis perſpicua ipſorum Confeſſio Imperatori Carolo V. Auguſtæ anno 30. exhibita: verum etiam variis hactenus editis ſcriptis cæleſtis doctrinæ veritas illuſtrata

ac propagata eſt. Quibus autem erroribus Romana nunc Eccleſia imbuta, quamque tetris abuſibus & ſuperſtitionibus vera Euangelii doctrina oppreſſa ſit, ut Ethnicæ quam Chriſtianæ religioni ſimilior eſſe videatur, univerſi orbis terrarum querelæ teſtantur. Quumque non errore lapſi nec temeritate, curioſitate aut pravis cupiditatibus; ſed ſeveriſſimo Dei mandato, quo præcipitur idola fugienda eſſe, impulſi Germaniæ Principes diſceſſerint à Romana Eccleſia, conſtanter in ea ſententia perſeveraturi, nullas ſibi à Romano Pontifice leges præſcribi patieotur. Nullius enim auctoritatem vel juriſdictionem, quam Imperatoris ſui Ferdinandi Cæſaris agnoſcunt: cujus Legatis, quam ipſi de Concilio OEcumeoico ac generali celebrando ſpem ac ſeotentiam habeant, coram hic expoſuerunt. Quod vero ad vos attinet, ita vobis omnino perſuadeatis, Celſitudines ipſorum, niſi Pontificiæ Legationis munus obiiſſetis, omnia ipſorum clementiæ & benevolentiæ ſtudia & obſequia vobis ex clariſſimis Venetorum familiis ortis præſtituros fuiſſe, tum quod erga ampliſſimam Venetorum Rempublicam animo affecti ſunt benevolo, tum vero etiam quod vos ob generis nobilitatem, doctrinæ ac ſapientiæ laudem favore ſuo dignos eſſe ipſi profiteotur.

Quæ deinceps ſequuntur, Theologica fere ſunt, & ad Reſponſa magis pertinent.

De Dei nomine & illius recta acceptione, propter Invocationis uſum maxime.

Ex Gall.

QUum de Deo tantum loquimur ſine ulla notæ appoſitione, tum nobis conſiderandus eſt io ſua ſimplici eſſentia, ut Deus unus.

Quum de Jeſu Chriſto tantum loquimur non adjecta Patris mentione, tum ille agnoſcendus nobis eſt, ut Deus manifeſtatus in carne. Hoc autem ſic habet: Deum aſſumpſiſſe naturam noſtram, ut in illa habitet, tanquam in templo Majeſtatis ſuæ: atque hoc ita procedit, ut unio naturarum divinæ atque humanæ conſtet, quæ etiam unitatem perſonæ conſtituat.

Quum de Deo & de Jeſu Chriſto ſimul loquimur, tum ſub Dei nomine intelligendus eſt nobis Pater: Chriſtus autem ſtatuendus eſt ut Caput ac Domious, qui nobis à Patre ordinatus ſit, ut nobis dominetur atque omne jus in nos habeat.

In ſumma, ſive de Deo cogitemus, ſive loquamur, non eſt hærendum nobis in nuda infinitæ ipſius eſſentiæ conſideratione. Periculoſa enim eſt ejuſmodi cogitatio, quia mens humana illâ hebetatur. Ad Chriſtum igitur nos ſtatim convertere oportet, in quo Pater ſeſe revelavit, & aperuit nobis.

Quum de Scriptura loquimur, diſtinguendum eſt inter V. & N. Teſtamentum. Quamvis enim Lex & Prophetæ à Chriſto emanarint, quatenus ille ſemper fuit Angelus ille magni conſilii, & ſummus Patris Legatus, per quem ſeſe Deus communicavit hominibus: uſus tamen non obtinet, ut dicamus Chriſtum hoc vel illud dixiſſe per Moſen aut per Davidem, ſed ſimpliciter Deum id dixiſſe, quia nempe Chriſtus eo tempore manifeſtatus nondum fuerit. Tenendum

1 Pet. 1. eſt igitur ex Petri doctrina, ſanctos omnes Prophetas

1 Cor. 10. per os Chriſti loquutos eſſe: itemque ex Paulo, Chriſtum ducem populi extitiſſe in deſerto, ac per ejus manum Legem datam fuiſſe: ſed tamen ex uſu recepto Scripturæ, quum aliquid ex veteri Teſtamento proferendum erit, non dicemus, Chriſtus hoc dixit per Iſaiam vel per Moſen; ſed potius, Deus dixit, aut Spiritus Dei. Novi Teſtamenti alia eſt ratio, quia Chriſtus veniens in mundum, ordinatus eſt oobis à Patre magiſter ac doctor, à quo omnem veritatem acciperemus. Atque ita à nobis haberi & nominari debet auctor totius doctrinæ Apoſtolorum, ut Paulus teſtatur in ſeſe loqui Chriſtum.

Quod ad Invocationem attinet, aut Dei tantum nomen edimus, non expreſſa Chriſti mentione; aut addimus, ut Deus Pater nos exaudiat Chriſti nomine, quem ipſi Mediatorem proponimus. Si nomen Chriſti ore quidem non exprimimus, animo tamen & intelligentia ſupplendum illud nobis eſt. Non quod illa oobis cogitatio etiam obverſari debeat, ſemper nos Patrem implorare per illum noſtrum interceſſorem, ſed quia illud pro fundamento & principio conſtitutum nobis ſemper eſſe debet, non aliter eſſe nobis aditum ad Deum, quam ſi ad illius majeſtatem ille aditum faciat, qui ſeſe adeo demiſit, ut humilitati noſtræ ſeſe accommodaret.

Si Patrem nominatim imploramus, ut nos exaudiat Filii nomine, ſic nobis cogitaodum eſt: ita nempe Chriſtum ſacrificio illo mortis ſuæ aditum nobis ad Patrem patefeciſſe ad oos illi ſiſtendos cum fiducia, ut nuoc etiam illius ejuſdem ſacrificii virtute intercedat pro nobis, orationibus noſtris gratiam conciliet, atque illarum effectum nobis impetret. Neque vero imaginandus nobis ille quidem Chriſti genibus Patris advoluti ſtatus, ut inter homioes fieri ſolet; ſed eo uno ſatis nobis ſit quod habeamus ipſum patronum, qui noſtro nomine Patrem interpellet, qui noſtras orationes admittat & Patri offerat, nobiſque & audientiam impetret & gratiam. Audientiam dico, ut illius nomioe ſit nobis facultas invocandi Patrem ut & ab illo audiamur: favorem vero, ut ita, quæ à Patre petierimus, ipſius gratia obtioeamus. Ac proinde hic eſſe debet pii viri ſenſus, quum Deum precatur Chriſti nomine: Si mihi ad Deum accedendum eſſet ſine ullo deductore vel medio, nunquam ad præcelſam illam majeſtatem pro mea humilitate pervenirem. Jam vero, ubi conſtat mihi Servatoris mei ſponſio, qua mihi manum porrigit, non erit mihi difficilis acceſſus.

Si hæc cogitatio veoiat in mentem, quomodo Chriſtus, Deus quum ſit, intercedat apud Patrem, quum idem eundem precari videri poſſet; quod à ratione eſt alieniſſimum: hæ duæ conſiderationes adhibendæ ſunt, quibus illi difficultati obviam eatur. Prima eſt, ſic unum eſſe Deum verum, ut tamen in una illa Deitate diſtinctio Perſonarum teoenda ſit: Patris nimirum, Filii, & Spiritus ſancti. Ita nihil eſt abſurdi, ſi ad perſonam Patris nos convertimus inter precandum. Altera vero, quod Chriſtus aſſumens noſtram naturam, ut in ea redemptionem noſtram impleret, hoc Mediatoris munus ſuſcepit, quod exerceret demum iotercedendo pro nobis in ea natura, quam aſſumpſit à oobis.

Quum ad Chriſtum orationem dirigimus, aut petimus ut ad Patrem nos ipſe, ut Mediator, deducat, atque illud præparationis inſtar habet, ut ad Patrem perveniamus: aut ſic illum oramus ut propria virtute nobis adſit, ut is io quem omnis poteſtas collata ſit, in quo habitet omnis plenitudo Deitatis, quique adeo ſit Deus noſter æternus manifeſtatus in carne. Atque utraque iovocandi Chriſti ratio & legitima & ſancta eſt.

Con-

Confeſſio CALVINI *de Trinitate propter calumnias P. Caroli.*

QUum in Dei Majeſtate conſideranda mens humana per ſe omnino cæcutiat, neque quidquam poſſit quam & infinitis erroribus ſeſe involvere, & miris tricis implicare, & altiſſimis demum tenebris immergere, ſi juxta captus ſui tenuitatem Deum imaginari conetur: iſtud bonorum omnium pace ac venia facturos confidimus, ſi Deum nuſquam quæramus niſi in ejus verbo, nihil de ipſo cogitemus niſi cum ejus verbo, de ipſo nihil loquamur niſi per ejus verbum. Hæc vero ſobrietas & reverentia ſi in familiari ſermone commendatur, in quo multa effutiri ſolent non ante præmeditata: ubi quis publicam edere fidei ſuæ Confeſſionem hac de re inſtituit, nulla adhiberi ſatis diligentia poteſt, & in ſententiis concipiendis, & in delectu verborum habendo, ut nihil in ea deprehendatur, quam ipſiſſima Scripturæ veritas exquiſitis ac ſolennibus verbis religioſe comprehenſa. Nemo ergo nobis ſuccenſeat, ſi Confeſſionem, quam piis omnibus volumus approbatam, ita moderamur, ut non ex variis hominum placitis conſarcinata, ſed ad rectam Scripturæ normam diligenter exacta ſit. Siquidem hic nobis ſuc- *Rom. 10. verſ. 17.* currere debet quod tradit Apoſtolus, fidem eſſe ex auditu, auditum vero per verbum Dei. Jam ſi Religionis Confeſſio nihil eſt quam conceptæ intus fidei teſtificatio, ut ſolida ſit & ſincera, ex puris Scripturæ fontibus peritam eſſe oportet: neque vero Confeſſionem duntaxat eam recipimus, quæ ex ſolis Scripturæ verbis ſuperſtitioſe contexta ſit & conſuta: ſed iis verbis conſcribendam eſſe contendimus, quæ & ſenſum habeant intra Scripturæ veritatem limitatum, & quam minimum habeant aſperitatis, qua piæ aures offendi queant, nec Deo quidpiam affingant ſua Majeſtate indignum. Quem modum in iſta noſtra Confeſſione quia tenere ſtuduimus, bonis omnibus ac cordatis viris non dubitamus ſtudium noſtrum probatum iri.

DEUM UNUM, quem nobis Scripturæ prædicant, credimus & adoramus: talem etiam concipimus, qualis illic nobis deſcribitur: nempe eſſentiæ æternæ, infinitæ & ſpiritualis, qui & ſolus in ſeipſo vim ſubſiſtendi, à ſeque ipſo habeat, & eam creaturis omnibus largiatur. Anthropomorphitas cum ſuo corporeo Deo, Manichæos item cum duobus principiis explodimus: in una tamen Dei eſſentia Patrem cum æterno ſuo Verbo & Spiritu agnoſcimus: qua nominum diſtinctione dum utimur, neque tres imaginamur Deos, perinde acſi aliud quiddam eſſet Pater quam Verbum: neque rurſum nuda eſſe epitheta intelligimus, quibus à ſuis operibus varie deſignetur Deus; ſed una cum Eccleſiaſticis ſcriptoribus in ſimpliciſſima Dei unitate ſentimus has eſſe tres hypoſtaſes, id eſt, ſubſiſtentias: quæ tametſi una eſſentia conſtant, non tamen inter ſe confunduntur. Itaque tametſi unus Deus eſt, Pater cum Verbo & Spiritu ſuo; non tamen aut Pater Verbum eſt, aut Verbum ipſum Spiritus. Atque in hanc ſententiam confirmandam extant ſolida Scripturæ teſtimonia. Filius enim illic & Jehova nominatur, & Deus fortis, & Deus in ſecula laudandus, quem adorant Angeli Dei, & cujus thronus in ſeculum ſeculi eſt ſtabilitus. Tum omnia illi deferuntur, quæ niſi in unum verum æternum Deum nullo modo competere poſſunt. Nam ut nuncupatur ſalus, juſtitia, ſanctificatio noſtra; ita fiduciam ſpemque omnem in ipſo reponere, & ejus nomen invocare docemur: quæ practica notitia certior haud dubie eſt qualibet otioſa ſpeculatione. Illic enim pius animus Deum præſentiſſimum conſpicit, & pene attrectat, ubi ſe vivificari, illuminari, ſalvari, juſtificari ac ſanctificari ſentit. Quare iiſdem etiam è fontibus ad confirmandam Spiritus ſancti divinitatem probatio petenda eſt. Longe enim à creaturis alienum eſt quod illi Scripturæ tribuunt, & nosipſi certa pietatis experientia diſcimus. Ille enim eſt, qui ubique diffuſus omnia ſuſtinet, vegetat & vivificat; qui in fidelibus habitans, ducit eos in omnem veritatem, regenerat, ſanctificat, & olim ad plenum vivificabit. Nec vero, quum de ipſo Scriptura loquitur, à Dei appellatione abſtinet. Paulus enim nos eſſe templum Dei ex eo colligit, quia Spiritus ejus habitat in nobis. Petrus vero Ananiam reprehendens quod Spiritui ſancto mentitus eſſet, non hominibus mentitum eſſe dicebat, ſed Deo. Jam quum fixum illud maneat Deum unum eſſe, non plures, Verbum & Spiritum non aliud eſſe quam ipſam Dei eſſentiam conſtituimus. Et ſane ſi in unius Dei fidem ac religionem baptizamur, eum nos profiteamur Deum habere, in cujus nomen baptizamur. Ex quo Patrem, Filium, & Spiritum in una Dei eſſentia contineri plane conſtat. Quandoquidem in nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizamur. Rurſum & quædam Patris à Verbo, Verbi à Spiritu diſtinctio Scripturis demonſtratur. Perſpicuum enim eſt quod dicitur, Patrem per Filium omnia creaſſe, eundem in hunc mundum miſiſſe, in mortem expoſuiſſe, à mortuis excitaſſe, dediſſe illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut niſi quis Dei verbo repugnare ex profeſſo velit, non auſit tergiverſari. Nam nec in terram deſcendit Pater, nec carnem noſtram induit, nec mortem ſubiit, nec excitatus eſt. Jam & ſe à Spiritu differre ſignificabat Chriſtus, quum alium Conſolatorem ſe miſſurum pollicebatur. Porro ſimpliciſſimam Dei unitatem adeo non impedit iſta diſtinctio, ut Filium inde probare liceat unum eſſe cum Patre Deum, quia uno ſimul cum eo Spiritu conſtet. Spiritum autem non aliud eſſe à Patre & Filio diverſum, quia Patris & Filii ſit Spiritus. Summa hæc ſit: Nos in illa quam ſupra confeſſi ſumus, æterna, ſpirituali, infinita Dei eſſentia Patrem cum Verbo, aut Verbum cum Spiritu non confundimus. Arrii dementiam, qui æterna Filium divinitate ſpoliabat, ſimul & Macedonii qui per Spiritum dona gratiæ duntaxat in homines effuſa intelligebat, improbamus & execramur: nihilo magis Sabellii errori aſſentimur, qui nullam in Patre, & Filio, & Spiritu diſtinctionem admittebat. Quod ad Chriſtum peculiariter attinet, duabus ipſum naturis conſtare affirmamus. Nam antequam carnem indueret, Verbum illud æternum fuit ex Patre ante ſecula genitum, verus Deus, unius cum Patre eſſentiæ, potentiæ, majeſtatis, adeoque Jehova, qui à ſeipſo ſemper habuit ut eſſet, & aliis ſubſiſtendi virtutem inſpiravit. Siquidem ipſe de ſe teſtatus eſt, gloriam qua in carne illuſtratus eſt, ſe ab initio apud Patrem poſſediſſe, antequam mundi jacerentur fundamenta. Quod ipſum & Paulus docet, dum in forma Dei fuiſſe ſcribit, per formæ vocabulum majeſtatem intelligens. Potentiam vero ſuam ipſe aſſerit his verbis, Ego & Pater operamur. Huc uſque Scripturæ etiam paſſim idem docent, per eum creatum eſſe orbem, in ipſo vitam fuiſſe, & ejuſmodi plurima. Neque operæpretium eſt hic pluribus immorari. Nam ſi Deus eſt, omnia in ſe continet quæ Dei ſunt. Proinde ſtolidiſſime mentiebantur Arriani, qui quum Deum faterentur, Dei ſubſiſtentiam illi adimebant. Verbi quoque appellatione non intelligimus fluxam & evanidam vocem, quæ in aëre emittatur, cujuſmodi & oracula Patribus edita, & prophetiæ fuerunt: ſed perpetuam ſapientiam apud Deum reſidentem, unde oracula & prophetiæ omnes prodierunt. Non enim minus Spiritu Chriſti loquuti ſunt veteres Prophetæ, quam Apoſtoli, & quicunque veritatem Dei hominibus adminiſtrarunt. Jam vero ſecundum tempus redemptionis noſtræ manifeſtationi definitum, Verbum caro factum eſt, non quod in carnem verſum fuerit, ſed quia ex Virgine

car-

carnem aſſumpſit, ut verum eſſet ac germanum Davidis ſemen, & qui Filius erat Dei, filius hominis factus eſt. Sie autem conjunctam humanitati divinitatem aſſerimus, ut ſua utrique naturæ ſolida proprietas maneat: & tamen ex illis duabus unus Chriſtus conſtituatur. Itaque Scripturæ tametſi proprietates illas diſtincte nobis conſiderandas proponunt, dum Chriſto interdum, quod ſolius eſt Dei, interdum quod hominis eſt, tribuunt: earum tamen conjunctionem quæ in Chriſto ſubeſt, tanta religione exprimunt, ut eas quandoque inter ſe com-
Act. 20. municent: ut quum ſanguine Dei acquiſitam Eccle-
Joan. 3. ſiam, & Filium hominis in cælo fuiſſe dicunt, quo tempore adhuc in terris agebat (qui tropus veteribus ἰδιωμάτων κοινωνία dictus eſt) verum omnium clariſſime veram Chriſti ſubſtantiam enarrant illi loci, qui ſimul utramque naturam complectuntur, quales in Euangelio Joannis extant quamplurimi. Chriſtum ergo, verum Deum, & verum hominem, Dei Filium eſſe aſſerimus, etiam ſecundum humanitatem, etſi non ratione humanitatis. Iſtud enim & Scripturis diſerte conſignatum, & veteris Eccleſiæ conſenſu receptum eſt. Eos omnes, qui divinæ in Chriſto majeſtatis veritatem aut evertere, aut imminuere, aut obſcurare conati ſunt, ut ſacrilegos deteſtamur. Marcionitas, qui ſpectrum illi pro corpore affingebant: Manichæos item, qui cæleſti carne præditum ſomniabant, procul rejicimus. Nec Apollinari aſſentimur, qui dimidiam bumanitatis partem illi detrahebat. Neſtorii denique errorem damnamus, qui ab humanitate divinitatem diſtrahens, duplicem Chriſtum comminiſcebatur.

Confeſſio fidei de Euchariſtia, quam obtulerunt Farellus, Calvinus, & Viretus: cui ſubſcripſerunt Bucerus & Capito.

VItam ſpiritualem quam nobis Chriſtus largitur, non in eo duntaxat ſitam eſſe confitemur, quod Spiritu ſuo nos vivificat, ſed quod Spiritus etiam ſui virtute, carnis ſuæ vivificæ nos facit participes, qua participatione in vitam æternam paſcamur. Itaque quum de communione quam cum Chriſto fideles habent, loquimur, non minus carni & ſanguini ejus communicare ipſos intelligimus quam Spiritui, ut ita totum Chriſtum poſſideant. Siquidem quum aperte teſtetur Scriptura, carnem Chriſti vere nobis eſſe cibum, & ſanguinem ejus vere potum: ipſis vero nos educari oportere conſtat, ſi vitam in Chriſto quærimus. Jam nec exiguum quiddam, aut vulgare docet Apoſtolus, quum nos carnem de Chriſti carne, & oſſa ex oſſibus ejus eſſe aſſerit: ſed eximium noſtræ cum ipſius corpore communionis myſterium ita deſignat, quod nullus verbis ſatis pro dignitate explicare queat. Cæterum iſtis nihil repugnat, quod Dominus noſter in cælum ſublatus, localem corporis ſui præſentiam nobis abſtulit, quæ hic minime exigitur. Nam utcunque nos in hac mortalitate peregrinantes in eodem loco cum ipſo non includimur, aut continemur; nullis tamen finibus limitata eſt ejus Spiritus efficacia, quin vere copulare, & in unum colligere poſſit, quæ locorum ſpatiis ſunt disjuncta. Ergo Spiritum ejus vinculum eſſe noſtræ cum ipſo participationis agnoſcimus, ſed ita ut nos ille carnis & ſanguinis Domini ſubſtantia vere ad immortalitatem paſcat, & eorum participatione vivificet. Hanc autem carnis & ſanguinis ſui communionem Chriſtus ſub panis & vini ſymbolis in ſacroſancta ſua Cœna offert, & exhibet omnibus, qui eam rite celebrant juxta legitimum ejus inſtitutum.

Subſcriptio Buceri, Capitonis, & aliorum.

HAnc ſententiam optimorum fratrum & Symmyſtarum noſtrorum G. Fatelli, Joan. Calvini, atque P. Vireti, ut orthodoxam amplectimur, neque unquam ſenſi Chriſtum Dominum in ſacra Cœna præſentem localiter aut ubique diffuſum: verum & finitum habet corpus, & in gloria manet cæleſti. In hac autem nihilominus eſt per verbum ſuum atque ſymbola: hic ſiſtit ſe nobis cum ipſo jam in cæleſtia per fidem ſublevatis, ut panis quem frangimus, & calix per quem Chriſtum prædicamus, ſit nobis vere corporis & ſanguinis ejus communicatio. Præterea ut errorem in Eccleſia non ferendum agnoſcimus, nuda & inania Chriſtum ſtatuere in ſacra ſua Cœna ſymbola, & non credere hic ipſum quoque corpus, & ipſum ſanguinem Domini percipi, hoc eſt, ipſum Dominum verum Deum & hominem.

Martinus Bucerus ſua manu ſcripſit,
Wolfgangus Capito ſubſcripſit.

De voce Trinitatis, & de voce Perſonæ.

QUoniam voces iſtas Trinitatis & Perſonarum plurimum Eccleſiæ Chriſti commodare intelligimus, ut & vera Patris, Filii, & Spiritus ſancti diſtinctio clarius exprimatur, & contentioſis controverſiis melius occurratur, ab his uſque adeo non abhorremus, ut libenter eas amplexemur, ſive ex aliis audiendæ, ſive à nobis uſurpandæ ſint. Itaque quod antea à nobis factum eſt, in poſterum quoque operam daturos quoad licebit recipimus, ne earum uſus in Eccleſiis noſtris aboleatur. Nam neque ab iis, inter ſcribendum vel in Scripturæ enarrationibus, in concionibus ad populum, abſtinebimus ipſi, & alios docebimus ne ſuperſtitioſe refugiant. Si quis autem præpoſtera religione teneatur, quominus eas uſurpare libenter auſit, quanquam ejuſmodi ſuperſtitionem nobis non probari teſtamur, cui corrigendæ non ſit defuturum noſtrum ſtudium: quia tamen non videtur nobis hæc ſatis firma cauſa, cur vir alioqui pius & in eandem religionem nnbis ſenſu conſentiens repudietur, ejus imperitiam hac in parte eatenus feremus, ne abjiciamus ipſum ab Eccleſia, aut tanquam male ſentientem de fide notemus. Neque interim maligne interpretabimur, ſi Bernenſis Eccleſiæ Paſtores eos ad verbi miniſterium admittere non ſuſtineant, quos compererint voces iſtas aſpernari.

Quod Calvinus in Confeſſione oblata Lauſannæ Chriſtum Jehova appellaris, declaratur.

QUod Chriſtum eſſe Jehova aſſerimus, qui à ſeipſo ſemper habuit ut eſſet: ea particula quoniam nonnihil obſcura quibuſdam viſa eſt, ne quis offendatur, quo ſenſu à nobis poſita ſit breviter indicabimus. Quum de Chriſti Divinitate ſermo eſt, quæ Dei propria ſunt jure etiam illi deferuntur, quia tum in unius Dei eſſentiam reſpicitur, præterita diſtinctionis mentinne, quæ eſt inter Patrem & Filium: qua ratione vere dicitur Chriſtum eſſe Deum unicum & æternum à ſeipſo exiſtentem. Neque huic ſententiæ iſtud obſtat quod vere quoque ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus eſt traditum, Verbum ſeu Filium Dei à Patre eſſe etiam ſecundum æternam ſuam eſſentiam. Quin hæc perſonarum notatio locum habet ubi Patris & Filii diſtinctio commemoratur. Nomen autem Jehova eſt Divinitatis elogium, quod non minus Patrem, Spiritum, quam Filium complectitur. Sic Cyrillus qui

Digitized by Google

ſæpius Patrem Filii principium vocare ſolet, pro ingenti tamen abſurdo ducit Dialogo 3. de Trinitate, niſi Filius à ſeipſo vitam & immortalitatem habere credatur. Idem docet, ſi ineffabili naturæ proprium eſt ut ex ſeipſa ſit, in Filium id jure competere. Quinetiam lib. Theſauri 10. ratiocinatur Patrem à ſeipſo nihil habere, niſi Filius etiam à ſeipſo habeat. Nec quenquam movere debet, quod paulo ante Perſonarum notitiam explicando diximus nos illic tradituros, quæ ad Chriſtum peculiariter attineant. Satis enim conſtat non alio ſpectare illam diſtinctionem quam ad incarnationis myſterium, cujus ſpecialis eſt ratio à Trinitatis diſcretione. Alioqui nec Jehova ibidem dicendus fuiſſet, quum Divinitatem ſeorſum à Patre non habeat.

Reſponſum Genevenſis Eccleſiæ contra Stancarum.

ANtehac rogati à fratribus Polonis, quomodo ſit Chriſtus Mediator, an ſcilicet ut eſt Deus & homo, an vero humanæ tantum naturæ reſpectu, breviter & tamen dilucide ſententiam noſtram expoſuimus, in quo veritas coëgit damnare & refutare Stancari commentum. Poſtea impulit nos juſta neceſſitas ad edendum illud reſponſum, non tam odio Stancari, vel ut eum gravaremus invidia, quam ut effugeremus ſiniſtros quoſdam rumores: ut facile eſt in rebus turbatis lucem tenebris involvi. Porro nullam querimoniæ cauſam habet Stancarus, ſi ſecum expendit, quam atrociter vexaverit Philippum Melanchthonem, cujus memoria in pretio & honore eſſe debet apud omnes bonos. Certe omnis modeſtiæ & humanitatis oblitus eſt, quum hominem tam probatæ pietatis, quam de Eccleſia bene meritum atrocibus convitiis laceravit: ut ſubinde Arrianum & hæreticum vocare non dubitet. Hæc intemperies niſi graviter nos offenderet, ingrati eſſemus & Deo, & fideli ejus ſervo. Si pergat Stancarus ſui eſſe ſimilis, eadem expectanda eſt nobis merces. Neque tamen convitiando quidquam nos lædet: quin potius ſibi plus aſperget dedecoris. Deum tamen ſupplicater rogamus, ut Spiritu manſuetudinis tandem ipſum flectat ac frenet ad piam docilitatem. Ipſumque hortamur, ut ſeipſum colligere incipiat, neque ita poſthac indulgeat ſuæ iracundiæ & violentiæ. Quod ſi tantopere eum oblectant paradoxa, quæ ædificationem Eccleſiæ pervertunt, ſaltem ingenio ſuo temperare diſcat, & vehementiam illam, in qua nimius eſt, frenare. Quod ad rem ipſam ſpectat, videndum primum quid ſignificet nomen Mediatoris. Nam certe λόγος æternus jam ab initio ante lapſum Adæ, & alienationem ac diſſidium humani generis à Deo, fuit Mediator. Atque hoc ſenſu, niſi fallimur, vocatur à Paulo primogenitus omnis creaturæ. Et Joannes quum aſſerit in ipſo fuiſſe vitam, modum communicationis oſtendit, quo ex fonte alioquin abſcondito manavit ad homines Dei gratia. Ergo quatenus integro adhuc rerum ſtatu caput Angelorum & hominum fuit Chriſtus, jure cenſetur Mediator, qualem nunc quoque electi Angeli experiuntur & agnoſcunt. Defectio autem hominis fecit, ut expiatione opus eſſet ad nos Deo reconciliandos. Itaque conſiderandus eſt Chriſtus Mediator cum ſacrificio ſuo, quo placavit iram Dei, ut in ſpem nos beatæ vitæ, à qua excideramus, reſtitueret. Mediatorem vero eſſe docemus, non unius tantum naturæ reſpectu, ſed quatenus Deus eſt manifeſtatus in carne. Quæ fides in rationibus firmis & validis fundata eſt: quas etſi aliqua ex parte explicuimus in priore noſtro reſponſo, hic tamen iterum ſummam colligere expedit.

Primo conſtat non eſſe credendum niſi in Deum.
Joan. 14. verſ. 2. Atqui jubet Chriſtus diſcipulos in ſe credere: quomodo? vel qua ratione? Nempe ut continuo poſt ſequitur, non modo quia eſt veritas & vita, ſed quia via eſt ad Patrem. Quod ſi in Chriſtum Mediatorem credendum eſt, certe munus hoc complectitur ſimul duas naturas: deinde quum Chriſtus ſummum imperium obtineat in cælo & in terra, ut eſt Mediator, quod minime quadraret ſoli humanæ naturæ, colligimus nomen Mediatoris non proprie niſi toti perſonæ tribui. Nam certe omnes ſiſti ad ejus tribunal, quia ſcriptum eſt, Mihi flectetur omne genu, *Rom. 14.*
non cadit in humanam naturam, & tamen accommodatur à Paulo ad perſonam Mediatoris. Si excipitur, *Philip. 2.*
Regnum fuiſſe ei datum à Patre: reſpondemus, quamvis nihil in Divinitatem novum conferri poſſit; nihil tamen eſſe abſurdi, ſi Chriſtus totius perſonæ reſpectu, augeri & ornari dicatur. Et certe idem Deus qui jurat coram ſe flectendum eſſe omne genu, negat etiam ſe daturum gloriam ſuam alteri. Separatum igitur hoc accipere homo non potuit, ut eſſet mundi judex: idque aperte ſonant Pauli verba. Cui enim dicit eſſe datum illud ſummum nomen, niſi Dei Filio, qui quum eſſet Patri æqualis, ſeipſum exinanivit, forma ſervi accepta? videmus ut totam perſonam, quæ conſtat duabus naturis, Paulus nobis ſtatuat ante oculos. Tertia ratio. Proprium eſt Mediatoris Deo nos conjungere: quum id nemo præſtare queat, niſi qui unum eſt cum Deo: nemo etiam idoneus eſt ad obeundum munus Mediatoris, niſi qui homo eſt ac ſimul Deus. Minor autem probatur ex Chriſti verbis, Ut unum ſint nobiſcum, ſicut tu Pa- *Joan. 17.*
ter & ego unum ſumus. Eodem pertinet quod alibi dicit, Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ita & Filio *Joan. 5.*
dedit vitam habere in ſeipſo. Nec repugnat Dei nomen, quominus toti perſonæ hoc rite applicetur: quia nihil minus conſentaneum eſt quam in carne reſidere vitam, quæ nonniſi in Deo quærenda eſt. Quarta ratio. Sicuti vero ratiocinatur Apoſtolus, Chriſtum, ut nobis eſſet frater, oportuiſſe fieri participem carnis noſtræ & ſanguinis: ita ex oppoſito recte colligitur, ut nos ad Patrem uſque veheret, oportuiſſe prius Deum eſſe. Quis enim finis eſt noſtræ adoptionis, quam per ipſum conſequimur, niſi tandem participes ſimus divinæ naturæ, ſicut teſtatur *2 Pet. 1.*
Petrus? Id autem quomodo præſtaret, ſi ſubſiſteret infra ordinem Angelorum? Nec vero in ipſum inſiti efficimur filii Dei alia ratione, niſi quatenus nobis datus eſt Mediator. Atqui hinc pendet adoptionis gratia, quia in nos transfert, quod habet ipſe naturaliter. Itaque ad implendas Mediatoris partes non ſufficeret, niſi eſſet unigenitus Dei Filius. Ac proinde Apoſtolus ad probandum ejus Sacerdotium, teſtimonio hoc utitur, Tu es Filius meus, ego hodie genui te. Unde probe conficitur, ſi inſeparabilis eſt Filii dignitas à Sacerdotio, non aliter idoneum eſſe Mediatorem, niſi quia ex Deo genitus. Nec vero abſque Divinitatis reſpectu cenſeri poteſt Dei Filius. Ideoque in Sacerdotii honore comprehenditur & divina natura. Quod ipſum confirmat Paulus, ubi dicit fuiſſe declaratum Filium Dei in virtute. Nam quum elogio illo definiat Mediatoris perſonam, duas certe ſimul naturas comprehendit. Jam quod aſſerit alibi Chriſtus, Ego in Patre, & Pater in me, non poteſt de ſola natura humana prædicari. Atqui illic ad vivum exprimitur imago Mediatoris. Imo totum Joannis Evangelium ejuſmodi eſt ſententiis refertum, ubi quæ ſibi vendicat Chriſtus, alteri naturæ non conveniunt, ſed reſpiciunt in totam perſonam. Ac ſe omnibus nodis expediet quiſquis tenebit Chriſti mentem, quia videbit, nefas eſſe, quæ utrique naturæ communia ſunt elogia, ſeparatim vel diſtincte ad alteram trahere. Neque tamen interea quæcunque annexa ſunt Mediatoris officio, vel ejus ſunt partes, utrique naturæ communia facimus. Quando enim ſine morte & ſanguinis effuſione non peragitur expiatio, Mediatorem oportuit mori. Hoc fatemur peculiare eſſe humanitati: ſed quoniam aliud eſt mors, aliud effe-

ctus

ctus mortis, reconciliatio quæ morte peracta eſt, perperam tribuitur ſoli humanæ naturæ. Ideoque

Hebr. 9. verſ. 14.

dicit Apoſtolus, Chriſtum per Spiritum obtuliſſe ſeipſum: qua voce admonet non conſiderandum eſſe ſimpliciter ut hominem, ut efficacia & fructus mortis ejus nobis pateat. Similiter juſtitiam nobis acquirere ſua obedientia, & ita fieri Patris ſervum, Mediatoris proprium fuit: quod tamen perperam adſcriberetur divinæ naturæ: ſed ipſa juſtitiæ acquiſitio, vim ſuam nihilominus à divina natura mutuatur. Utrumque vero aperte conjungitur in ipſo complexu, quum dicit Chriſtus, Pro his ſanctifico meipſum. Nam quum ſanctificari carni conveniat, ſanctificare autem Deo, utrumque membrum non niſi in tota perſona reperitur. Ex oppoſito etiam fatemur quædam ſic eſſe divinitati propria in ipſo Mediatore, ut ad humanam naturam transferri non debeant, niſi per idiomatum communicationem. Dicit alibi Chriſtus, Ego animam meam à meipſo pono: loquitur ut Mediator: neque tamen ut homo, quia arbitrium vitæ & mortis nullus à ſeipſo habet, præter unum Deum, & hoc eſt ſatis perſpicuum. Longe etiam fallitur in illo Pauli loco, Unus eſt Deus, & unus Mediator Dei & hominum, homo Jeſus Chriſtus: quia non alio conſilio poſitum eſt hominis nomen, quam ut nobis familiaris eſſet ad Patrem acceſſus: neque tamen negamus ſub Patre totam Deitatem comprehendi, & Deum unius eſſentiæ. Nunc apparet ad officium Mediatoris requiri utriuſque naturæ conjunctionem: neque tamen quæcunque ad Mediatoris perſonam ſpectant, promiſcue ad utramque naturam trahenda eſſe: quod argumentum plenius exequitur Calvinus libro 2. Inſtitutionum cap. 14. Quod ab adverſa parte objicitur abſurdum, nullum eſt: Nempe quum Mediator ſit inter Deum & homines, Chriſtum fore Deo inferiorem reſpectu Deitatis, ſi ad eum Mediatoris nomen extenditur. Nam dum ita locatur Chriſtus in medio gradu, non agitur de ejus eſſentia, nec ſubtiliter diſputatur quid ſit; ſed ad Dei conſilium, quod veteres œconomiam aut diſpenſationem vocarunt, attendere convenit. Si quæratur de eſſentia, ſcimus in Deo nihil eſſe minus & majus. Sed quia pro infirmitatis noſtræ captu, apparuit æternus Dei Filius, ut medius eſſet inter nos & Deum, in ipſa Mediatoris perſona & officio, appoſite ad regulam pietatis dicitur Patre inferior. Hoc ſenſu non dubitant Prophetæ convertere nomen Jehovæ cum titulo Angeli: quemadmodum apud Oſeam dicitur cap. 12. Prævaluit Jacob Angelo, mox ſubjicitur, Jehova Deus exercituum, Jehova memoriale ejus. Apud Mala-

Malach. 3.

chiam paulo aliter, Veniet Adonai, quem quæritis, in templum ſuum, & Angelus fœderis, quem expetitis. Eodem tamen recidit ſenſus, quando Dei legato & Mediatori non modo defertur ſummum imperium, ſed aſſeritur etiam divina majeſtas, ubi dicitur in templum ſuum venturus. Quod deinde objicitur, ſi commune eſt divinitati Mediatoris officium, neceſſe eſt fore ut apud ſeipſum Chriſtus intercedat, facile diluitur: quia etſi roget Chriſtus in Mediatoris perſona, id tamen peculiari modo reſpicit humanam naturam. Quanquam hic rurſus ſenſus noſtros ad Dei conſilium dirigere neceſſe eſt. Non inſectamur quidem, neque præciſe rejicimus illud Auguſtini, Mediatorem apud Filium & Spiritum ſanctum intercedere, ut cum Deo redeamus in gratiam, à quo ſumus alienati. Nam certe unica & ſimplex Dei eſſentia in tribus perſonis conſiſtit. Sed merito apud nos pluris eſt ratio loquendi, quam dictavit cæleſtis ille Magiſter. Multis quidem locis Deitatem ſuam Chriſtus extollit, nuſquam tamen docet ſe à ſecunda perſona vel tertia fuiſſe miſſum. Nihilo etiam magis ſe apud Spiritum intercedere, ſed apud Patrem. Itaque nihil tutius eſt, quam profanis argutiis & ſpeculationibus valere juſſis, mentes noſtras defixas tenere in illa admirabili diſpenſatione, in qua dicitur Pater Filium unigenitum miſiſſe, ut in eo nobis eſſet propitius, & ejus Advocati patrocinio exorabilis. Imo quum barbaries graſſata eſt in toto mundo, vulgare tamen illud dictum, Opera Trinitatis eſſe indiviſa, quia per ſe durius erat, interpoſita reſtrictione correctum vel mitigatum fuit: nempe quum addita fuit particula, intrinſecus. Nos vero ruditatis noſtræ conſcii, extrinſeca operatione contenti ſimus, qua ſe Deus ad exiguum intelligentiæ modulum attemperat. Ita ſine offenſione Chriſtus medius locabitur inter nos & Patrem. Neque tamen quidquam decedit ex immenſa ejus gloria, tametſi ſub velo humanitatis (obſcurius autem) cernatur, donec completo Mediatoris curſu, Patri ſubjiciatur Chriſtus in natura humana, & liquido in ſe vel immediate refulgeat divina ejus eſſentia & majeſtas. Hæc ſobrietas ſi non arrideat curioſis hominibus, ſedandis tamen modeſtis & piis mentibus ſatis ſuperque erit. Nemo quidem quantumvis protervus rixator, aliud nobis exprobrare poterit, quam ob myſterii reverentiam, quæ laudi ducenda eſt potius quam vitio ſimplicitati nos ſtudere. Nunc diſcutere promptum eſt, quæ obtendit Stancarus in ſententiæ ſuæ confirmationem. Definitionem ſumi poſſe dicit ex loco Pauli, Mediator unius non eſt, Deus autem unus eſt. Atqui ſi prudenter expenderet contextum, videret illic conferri Gentes cum Judæis: quod ſcilicet Chriſtus non tantum olim Judæos reconciliaverit Deo, ſed nunc quoque Gentes vocet in ſocietatem ejuſdem gratis. Expoſitio enim quam adducit, frigida eſt atque inſipida: ſicut nec firmum eſt, quod adjungit, non opus eſſe Mediatore niſi ubi eſt diſſidium. Oſtendimus enim nuper electos Angelos Deo per Chriſtum uniri, qui tamen nunquam diſcordes fuerunt. Sed quia in eo non vertitur cardo quæſtionis: fateor Chriſtum nobis proponi, & debere à nobis ſuſcipi Mediatorem, quatenus Deum nobis ſuo ſacrificio placavit. Cæterum, quod nomen Deitatis accipit Stancarus, ut probet tres perſonas fuiſſe offenſas: iterum regero, male & inſcite ab eo negligi diſpenſationis myſterium, quod Scriptura ubique commendat. Ac mirum eſt eum non attendere ad manifeſta quæ citat teſtimonia. Quod ſi proprie loquendo, & uſitato Scripturæ more, Mediator eſt Chriſtus inter nos & Deum Patrem, arguta illa ſpeculatio nihil aliud quam involvit & obſcurat, quod eſſet alioqui perſpicuum. Longe etiam fallitur in illo Pauli loco, Unus eſt Deus, & unus Mediator Dei & hominum, homo Jeſus Chriſtus: quia non alio conſilio poſitum eſt hominis nomen, quam ut nobis familiaris eſſet ad Patrem acceſſus: neque tamen negamus ſub Patre comprehendi totam Deitatem, & Deum unius eſſentiæ in tribus perſonis, fuiſſe placatum. Sed profundo illo & incomprehenſibili arcano omiſſo, tantum reputamus illud quod didicimus ex Scriptura & ſacro Chriſti ore. Neque enim hæc magis inter ſe pugnant, ἄλλον & æternum Dei Filium Patri eſſe æqualem, & Mediatorem eſſe minorem Patre, quam altera duo, ἄλλο per ſe & ſeorſum efficere perſonam in divinis, & tamen unam Chriſti & Mediatoris perſonam conſtitui ex duabus naturis. Ac inſcite argumentatur Stancarus, Si Chriſtus in duabus naturis Mediator, eſt minor Patre, ergo ſecundum utramque naturam: quando paulo antea docuimus, quod vere atque apte competit in totum complexum, non debere diſtrahi ad naturas, ſicut medius hic gradus, quem tenet Chriſtus Redemptor, nihil derogat prorſus divinæ ejus eſſentiæ. Rationes quas adducit ex officio Mediatoris, nihilo plus habent momenti, quia ducuntur à parte ad totum. Dedit ſe Chriſtus pretium redemptionis: reconciliavit omnia in cruce carnis ſuæ: agnus eſt, qui tollit peccata mundi: datus eſt propitiator per fidem in ſanguine ejus. Nempe etſi

hæc omnia præſtitit ſecundum humanam naturam, non tamen inde conficitur, ejus tantum reſpectu eſſe Mediatorem, quia expiatione & ſacrificio noo abſolvit Chriſtus omnes officii ſui oumeros. Quid enim eſt mortem vincere? quid eſt reſurgere in virtute Spiritus, & vitam recipere à ſeipſo? quid eſt nos Deo unire? & unum eſſe cum Deo? Hæc certe extra Deitatem non reperientur in humana Chriſti natura. Et tamen in rationem veniunt, ubi de Mediatoris officio agitur. Atque utinam animadvertat Stancarus
Joan. 3. ad verba, quæ recitat, Deum oon peperciſſe uoigenito Filio. Neque enim ſi in utraque natura Filius eſt, id habet à ſua humanitate. Jam ſi Dei nomen tres perſonas ſignat, ut nimis pertinaciter urget, ſequitur Chriſtum tam ſuum quam Spiritus ſancti filium eſſe. Hæc ſola antitheſis, ſi eam reverenter expendere non gravetur Stancarus, eum à multis nodis expediet: Nempe dum Mediator ſe eum Patre coofert,
1 Tim. 3. verſ. 16. à quo miſſus eſt, atque etiam ubi Paulus Deum in carne maoifeſtatum vocat, conſilium ejus eſt, Mediatorem nobis ſtatuere: quem & mox ſubjicit juſtificatum eſſe in Spiritu, apparuiſſe Angelis, prædicatum fuiſſe Gentibus, & receptum in gloriam. Hinc magis petenda erat ſimplex & genuina definitio. Idem plane elicitur ex 3. ad Coloſſenſes capite, ubi reconciliatio per carnem ita deſcribitur, ut Divinitas locum ſuum retineat in primatu & plenitudine. Aut ergo probet Stancarus Chriſtum ſedere ad Patris dexteram, ut nos Spiritus virtute defendat ac tueatur, Angelis commendet ſalutis noſtræ cuſtodiam, Diabolum & totum mundum ſubigat, non eſſe ex officio Mediatoris; aut agnoſcat ex ſacrificio & ioterceſſione ſe perperam inferre, Mediatorem non eſſe Dei Filiom, niſi quatenus homo eſt. Ante oſtendimus cur Paulus de Mediatore diſſerens, diſerte adſcribat nomen hominis, nempe ut excuſſo metu, blande nos ad eum invitet. Neque eoim ſobtiliter diſputat de eſſentia, ſed fiduciæ materiam ſuppeditat, ne dubitemus ad eum confugere, qui frater noſter eſt. Miramur autem quo prætextu io ſenſum ſuum torqueat, quod ante demonſtravimus optime nobis ſuffragari, Chriſtum quum in forma Dei eſſet, ſeipſum exinaniviſſe. Hæc, inquit, regula eſt ſolvendæ quæſtionis: ſit ſane ita, nam libenter amplectimur. Sed ſi unige-
Phil. 2. nitus Dei Filius, qui Patri æqualis erat, ſeipſum exinanivit, certe in duabus naturis eſt Mediator: ac ille idem, qui factus eſt obediens uſque ad mortem, evectus eſt accepto nomine ſuper omne nomen, ubi omnis lingua confiteatur, quod ſit in gloria Dei Patris. Porro qualis hæc ſit gloria, & quomodo intelligi debeat, potius reſpondeat ipſe Chriſtus quam
Joan. 17. nos. Pater, ioquit, glorifica Filium ea gloria quam habui apud te ab initio, ante mundi creationem. Fatebitur profecto Stancarus præpoſterum fore votum, ſi carnem ſolam poſtulet Chriſtus ornari & illuſtrari æterna Dei gloria: quod ſi hoc nonniſi toti perſonæ aptatur, hinc rite colligere licet, quem citavit locum, non alio referri poſſe. Dum ad Patres ventum eſt, ſpecioſos quidem colores inducit, ut eos habeat cauſæ ſuæ patronos ac ſuffragatores. Verum ſi extra conteotionem quæritur, quid ſeoſerit Auguſtinus, nulla nobis cum eo eſt diſſenſio. Fatemur quidem complúribus locis Chriſtum ab hoc pio Doctore fieri Mediatorem, quatenus homo. Agnoſcimus etiam ejus verba, tam ex libro 10. de Civ. Dei, quam ex aliis. In forma ſervi eſt Sacerdos & idem Sacrificium, in hac ſe obtulit, in hac oblatus eſt, ſecuodum hanc Mediator eſt. Sed interea non diſſimulat neceſſario requiri ad munus Mediatoris, ut ſit etiam Deus: ut lib. 1. Cooſeſſionum cap. penultimo, Ut Mediator eſſet, oportuit aliquid ſimile habere Deo, aliquid hominibus, ne io utroque hominibus ſimilis, longe abeſſet à Deo; aut io utroque Deo ſimilis, longe abeſſet ab hominibus: atqoe ita Mediator non eſſet. Similiter lib. 9. de Civ. Dei cap. 10. Si omnes homines miſeri, quærendus eſt medius, qui non ſolum homo, verum & Deus ſit, ut homines ex mortali miſeria ad beatam immortalitatem traducat beata ejus mortalitas. Item in Pſal. 134. In iſta magna ſeparatione miſſus eſt Mediator, Non poteras ad Deum homo, Deus factus eſt homo. Si homo ſolum eſſet, hoc ſequendo quod es, nunquam pervenires: ſi Deus ſolum eſſet, non comprehendendo quod non es, nunquam pervenires. Libro autem de Ovibus, Non Mediator homo præter Deitatem, nec Mediator Deus præter humanitatem. Ecce Mediator, Divinitas ſine humanitate non eſt mediatrix, Humanitas ſine Divinitate non eſt mediatrix. Sed inter Divinitatem ſolam & humaoitatem ſolam, mediatrix eſt Divina humanitas Chriſti, & humana Chriſti Divinitas. Non negamus etiam Cyrillum ſæpe ad naturam humanam referre, quod Chriſtus ſit Mediator, ne ſcilicet obnoxiam Deitatem faciat ſubjectioni, quod Arriani urgebant. Verum alibi dexter eſt ac fidus dictorum ſuorum interpres, Dialogo ſecundo de Trinitate: Mediator hac ratione intelligitur, quia oſtendit in ſeipſo collatas & unitas Deitatem & humanitatem. Nam Deo eſt cognatus, quandoquidem ex eo eſt, ac io eo: nobis quoque cognatus, quia ex nobis, & in nobis. Vides ut ex duabus naturis conſtituat Mediatorem, & earum unionem ad hoc munus neceſſario flagitet. Nec diverſa eſt Chryſoſtomi ratio. Etſi enim Mediatorem quæri vult in humana natura, negat tamen interceſſionem fore legitimam, niſi accedat & Divinitas. Ita in 2. cap. prioris ad Timoth. Mediator utriſque debet conjungi, quorum Mediator eſt. Id quippe Mediatoris proprium, fieri amborum participem inter quos ſe interponit. Niſi igitur conſors ſit paternæ naturæ Chriſtus, Mediator profecto non eſt. Ideo in Homilia de Aſcenſione tradit, noo Angelum vel Archangelum, ſed ipſum Dei Filium deprecari. Et ſtatim additur expoſitio, quod ſe medium injecerit Chriſtus, utramque ſonando naturam. In eandem quoque ſententiam Ambroſius locum Pauli enarrans, Quia unus eſt Pater, noo perſona, ſed indifferenti natura, ut arbiter eſſet Dei & hominum Filius Dei, aſſumpta carne homo natus eſt, ut Mediator eſſet Dei & homioum, homo Chriſtus. Id non eſt ſine Divinitate, quia io Deo homo erat, & Deus io homine: & ut ex utroque eſſet Mediator, & utrumqoe reconciliaret. In ſe primum hæc fecit, neque enim poterat, unitate ſervata, Mediator ſervari. Pluribus id perſequi neceſſe non eſt, modo ſemel admoniti ſint lectores, quoties occurrit apud veteres hoc loquendi genus, Chriſtum io carne eſſe Mediatorem, ſi excluſive accipitur, depravari eorum germanum ſenſum. De quæſtione propoſita libere & clare ita reſpondendum cenſuimus. Ac maluiſſemus quidem, omiſſo Stancaro, rei ſummam placide explicare, ſed refutationem invitis ipſe extorſit. Interea tamen io reſponſo noſtro nulla amarulentia, nulla contentio vel pugnandi cupiditas pios & humanos lectores offendet.

Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ Genevenſis.
Joannes Calvinus omnium nomine.

Summa quædam doctrinæ de Miniſterio Verbi & Sacramentorum, cujus auctoris nomen adſcriptum non erat.

I.

TOtius Mioiſterii Euangelici finis eſt, ut nobis à Deo fonte omnis felicitatis per peccatum ſejunctis, ac proinde perditis, Chriſtus communicetur, ut vitam æternam ex ipſo hauriamus: omnes denique cæleſtes theſauri ita nobis applicentur, ut non minus ſint noſtri quam ipſius Chriſti.

1 Theſſ. 2:

1 Theſſ. 2: 12. *Vocavit nos per Euangelium in participationem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

II.

Communicationem hanc fatemur eſſe [a] myſticam, & rationi humanæ incomprehenſibilem & [b] ſpiritualem, quod ejus effector ſit Spiritus ſanctus: qui quum ſit virtus Dei viventis, procedens à Patre & Filio, omnipotentiam ei adſcribimus, qua non imaginarie, ſed potentiſſime & veriſſime nos Chriſto capiti noſtro conjungat, ut ſimus caro de carne ejus, oſſa de oſſibus ejus, & ex vivifica ejus carne vitam æternam in nos transfundat.

[a] Epheſ. 5: 23. *Myſterium hoc magnum eſt, loquor autem de Chriſto & de Eccleſia.*

[b] 1 Cor. 6: 17. *Qui adglutinatur Domino, unus ſpiritus eſt.*

Auguſt. epiſt. 57. ad Dard. *Peccatum factum eſt relicto Deo: juſtitia non fit ſine Deo. Ac per hoc non moreremur, niſi per carnalem propaginem de membris illius veniremus; nec viveremus, niſi per ſpiritalem connexionem membra hujus eſſemus.*

III.

Quod autem confitemur Spiritum ſanctum hujus conjunctionis eſſe effectorem, certo innititur fundamento: huic nimirum, Quicquid [a] Pater aut Filius [b] operantur ad ſalutem adducendis fidelibus, id per Spiritum ſanctum utramque perſonam operari teſtatur ſacra Scriptura: & non aliter [c] Chriſtum in nobis habitare, quam per ſuum Spiritum, neque alio modo ſe nobis communicare, quam per eundem Spiritum.

[a] Joan. 14: 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Conſolatorem dabit vobis, Spiritum illius veritatis, quem mundus non poteſt recipere, &c.*

Et paulo poſt v. 25. *Hæc loquutus ſum vobis apud vos manens: Paracletus autem ille Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis.*

[b] Joan. 15: 26. *Quum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre meo, Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtabitur de me.*

Item Joan. 16: 7. *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego abeam. Nam niſi abiere, Conſolator ille non veniet ad vos: ſin autem abiero, mittam eum ad vos.*

[c] Rom. 8: 9. *Vos autem non eſtis in carne, ſed in Spiritu, ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis. Quod ſi quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Ibidem paulo poſt v. 11. *Si Spiritus ejus, qui excitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitavit Chriſtum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra per inhabitantem ejus Spiritum in vobis.* Item paulo poſt v. 14. *Quotquot Spiritu Dei ducuntur, hi ſunt filii Dei.*

Item 1 Cor. 6: 19. *Neſcitis quod corpus veſtrum templum eſt Spiritus ſancti, qui habitat in vobis, quem habetis à Deo?* Item 1 Cor. 3: 16. *An neſcitis quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

IV.

Ad efficiendam hanc conjunctionem Spiritus ſanctus duplici utitur inſtrumento, prædicatione verbi, & adminiſtratione ſacramentorum.

V.

Quum dicimus Spiritum ſanctum externo miniſterio uti ut inſtrumento, ſic intelligimus: tam in prædicatione verbi, quam in uſu ſacramentorum duos eſſe Miniſtros, qui diſtincta habeant officia. Miniſter [a] externus adminiſtrat verbum vocale, & ſacra ſigilla quæ externa ſunt, terrena & caduca. Miniſter vero internus, qui eſt Spiritus ſanctus, libere agit interne, dum in quorumcunque vult cordibus arcana ſua virtute communicationem cum Chriſto per unam fidem operatur. Quæ communicatio res eſt interna, cæleſtis, & immarceſſibibilis.

[a] 1 Cor. 3: 6. 7. De toto miniſterio ita loquitur Paulus: *Quis eſt Paulus? Quis eſt Apollos? niſi miniſtri per quos credidiſtis: & ut cuique Dominus dedit. Ego plantavi, Apollos rigavit, ſed Deus dedit incrementum. itaque neque is qui plantat eſt aliquid, neque is qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus.*

VI.

In prædicatione verbi Miniſter externus verbum vocale porrigit, & auribus percipitur. [a] Internus Miniſter Spiritus ſanctus rem quæ per verbum annunciatur, utpote Chriſtum, quorum vult mentibus, vere communicat, ita ut non ſit neceſſe Chriſtum æque atque verbum per corporis organa recipi, ſed arcana ſua virtute hanc conjunctionem operatur Spiritus ſanctus, creando in nobis fidem, qua facit nos viva membra Chriſti veri Dei & veri hominis.

[a] Act. 16: 14. *Quædam mulier nomine Lydia, ex urbe Tyatirorum, quæ purpuram vendebat, Deum colens, nos audivit: cujus Dominus aperuit cor, ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo.*

VII.

In Baptiſmo [a] Miniſter externus baptizat externo elemento, utpote aqua, quæ corpore percipitur. [b] Internus Miniſter Spiritus ſanctus baptizat ſanguine immaculati Agni; adeo vere, ut etiam toto Chriſto vero Deo & vero homine induat eum qui baptizatur. Galat. 3. Ita ut non ſit neceſſe Chriſtum corporis organis recipi, ut abluantur animæ noſtræ ipſius ſanguine, ſed ſufficit arcana & potentiſſima Spiritus ſancti operatio.

[a] Mat. 3: 11. Joan. 1: 26. *Ego baptizo vos aqua ad pœnitentiam.*

[b] Tit. 3: 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti.*

1 Cor. 6: 11. *Et hæc eratis quidam, ſed abluti eſtis, ſed juſtificati eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini Jeſu, & per Spiritum Dei noſtri.*

VIII.

In Cœna Domini Miniſter externus porrigit externa ſymbola, panem Domini, & vinum Domini, quæ organis corporis noſtri accipiuntur, comeduntur, & deglutiuntur. [a] Miniſter internus Spiritus ſanctus, non per organa corporis externa, ſed arcana ſua virtute mentes fidelium tam vere tamque efficaciter paſcit corpore & ſanguine Domini in vitam æternam, quam vere ſciunt ſe pane & vino paſci ad vitam hanc caducam ſuſtinendam.

[a] 1 Cor. 10: 3, 9. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem ederunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt: bibebant enim ex ſpirituali ſequente petra: petra autem erat Chriſtus.*

IX.

Ut corpore Chriſti paſcamur in vitam æternam, non vult Chriſtus ut credamus corpus ſuum deſcendere de cælo ſuper altare, aut circum altare, in panem aut ſub panem, aut non procul à pane: non magis quam in Baptiſmo opus eſt, ut vera membra corporis Chriſti fiamus, ipſum corpus Chriſti de cælo in aquam aut ſub aquam deſcendere, aut non procul ab aqua ſtare: quemadmodum nec in verbo vocali tali corporis deſcenſu eſt opus, ut totius Chriſti fiamus participes: ſed ſatis potentiæ Spiritui Domini, qui à Patre Filioque procedit, ineſſe credimus, ut vere nos in Baptiſmo ejus corporis faciat membra, quod eſt & manet in cælo. Et in ſacra Cœna eodem corpore manente in cælo, magis ac magis nos nutriat per arcanam atque efficaciſſimam potentiam ſuam & virtutem.

Hæc doctrina, quod corporis Chriſti nullus fiat deſcenſus aut illapſus, viſibilis aut inviſibilis, fundata eſt in clariſſimis Scripturæ ſacræ teſtimoniis. Quatenus enim Chriſtus eſt homo, teſtatur Scriptura eum receſ-

receſſiſſe, Lucæ 24: 51. abiiſſe, Joan. 14: 4. mundum hunc reliquiſſe, Joan. 16: 28. ſublatum eſſe, Actor. 1: 11. in ſancta ἀχειροποιήτῳ, Hebr. 9. verſ. 11, & 24. contineri cælo ad tempus uſque reſtitutionis omnium, Actor. 3: 21.

Nec pugnant cum hac doctrina verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis, &c. Nam ipſius Chriſti optimus interpres eſt D. Paulus, qui
1 Cor. 10. hoc interpretatur, Panis quem frangimus: verba Chriſti, Eſt corpus meum, interpretatur, Eſt communicatio corporis Chriſti.

Jam autem ante demonſtratum eſt, unicam hanc eſſe communicandi rationem, qua per Spiritum ſanctum ejus ſimus participes, qui effector eſt hujus communicationis, quum ſit virtus Dei viventis à Patre Filioque procedens.

Conſentit etiam hæc doctrina cum Symbolo Apoſtolico ſive articulis fidei, quorum inviolabilis & ſimpliciſſima inter pios omnes conſtare debet certitudo: his nimirum, Aſcendit in cælum, Sedet ad dexteram Dei omnipotentis, Inde venturus eſt ad judicandum vivos & mortuos.

Hos articulos fidei ita ut nos intellexit D. Auguſt. tom. 2. epiſtola 57. ad Dardanum, in qua hos articulos Confeſſionem Chriſtianam appellat, & vetat ne ab ea recedamus. Noli dubitare, inquit, ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Jeſum, unde venturus eſt; memoriterque recole & fideliter tene Chriſtianam Confeſſionem, quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris, nec aliunde quam inde venturus eſt ad vivos mortuoſque judicandos. Et ſic venturus eſt, illa Angelica voca teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in cælum: in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam non eſt putandus ubique diffuſus. Cavendum eſt enim ne ita divinitatem adſtruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens ut quod in Deo eſt, ita ſit ubique ut Deus: nam & de nobis veraciſſima Scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur & ſumus: nec tamen ſicut ille ubique ſumus, ſed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & ſingulari modo. Una enim perſona Deus & homo eſt, & utrumque unus eſt Chriſtus Jeſus, ubique per id quod Deus eſt, in cælo autem per id quod homo. Hactenus Auguſtinus.

Conſentit etiam & cum articulo, de aſſumpta vera humana natura *a*, cujus omnes conditiones, excepto peccato, ſponte Chriſtus in ſe recepit, & *b* poſt glorificationem immortalitatem carni ſuæ dedit, naturam non abſtulit.

a Hebr. 4: 15. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus ſimiliter, abſque peccato.*

b Luc. 24: 39. *Videte manus meas, & pedes meos, nam ego ipſe ſum. Contrectate me & videte, nam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.*

Auguſt. in Joan. Hom. 5. a. *Secundum majeſtatem ſuam, ſecundum providentiam, ſecundum ineffabilem & inviſibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum eſt, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi: ſecundum carnem vero, quam Verbum aſſumpſit, ſecundum id quod de Virgine natus eſt, ſecundum id quod à Judæis prehenſus eſt, quod ligno confixus, quod de cruce depoſitus, quod linteis involutus, quod in ſepulchro conditus, quod in reſurrectione manifeſtatus, Non ſemper habebitis vobiſcum. Quare? quoniam converſatus eſt ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis, & deducentibus ipſis videndo non ſequendo, aſcendit in cælum, & non eſt hic. Ibi eſt enim, ſedet ad dexteram Patris; & hic eſt, non enim receſſit præſentia majeſtatis.* Aliter, *Secundum præſentiam majeſtatis ſemper habemus Chriſtum: ſecundum præſentiam carnis, recte dictum eſt diſcipulis, Me autem non ſemper habebitis. Habuit enim illum Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus: modo fide tenet, oculis non videt.*

Conſentit etiam cum articulis fidei de divina natura Chriſti, de omnipotentia, & de Spiritu ſancto. Credimus enim vere nobis & potentiſſime præſtare Chriſtum *a* per ſuum Spiritum, quod promittit, licet omnipotentiam ipſius ad evertendum illum articulum fidei pertinere non credamus, ut corpus Chriſti non aſcenderit in cælum, & non ſedeat ad dexteram Dei: quin potius multo magis credimus ita demum vere ſtabiliri omnipotentiam & articulos noſtræ fidei, dum arcana & incomprehenſibili virtute Spiritus ſancti opus hoc in nobis multo certius fieri credimus, quam ſi corpus Chriſti è cælo ſuper altare deſcenderet, manibus Miniſtri porrigeretur, & ore corporis noſtri comederetur. Tanto enim certior ac potentior eſt Spiritus ſancti operatio, quanto Creator ipſe omnibus creaturis quantumcunque excellentibus eſt ſuperior.

a 1 Cor. 15. *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem: extremus Adam in Spiritum vivificantem.* Hactenus.

CALV. MYCRONIO CONTRA MENNONEM.

TU vero, integerrime frater, minime literis tuis me obtundis, quibus interpellari gratum eſt ac jucundum. Tantum cuperem lætius tibi dari argumentum, ut mihi gaudium tuum commune eſſet. Sed quando ita Domino nos exercere placet, curas, quæ te publica Eccleſiæ cauſa angunt, inter nos communicari moleſtum eſſe non debet. Utinam vero ad te juvandum facultas voto par ſuppeteret. Cæterum quicquid in me eſt operæ ac ſubſidii, libenter tibi impertiar. Mennonis doctrina, quam ex deliriis Manichæorum hauſit, mihi non erat incognita. Fallacias non ita penitus tenebam: quibus ut obviam eas, fatendum eſt ac dilucide explicandum, ſicuti te feciſſe non dubito, Chriſtum Deum manifeſtatum in carne, verum eſſe Dei Filium. Et quanquam nomen Filii proprie in divinam naturam competit, & ad eam refertur, hominem tamen illum ex Virgine genitum proprie Filium vocari. Quia quatenus Mediator eſt & caput Eccleſiæ Deus & homo, Filium Dei natura eſſe oportet, ut adoptionis gratia nos ſibi conjungat. Cæterum inde præpoſtere colligitur, genitum eſſe hominem ex Patris ſemine: quia propter arcanam ſacramque unionem divinitatis cum carne, totus Chriſtus vere dicitur Filius, ſicuti præcipue ex Pauli verbis primo ad Rom. capite, item etiam nono liquet. Quibuſcunque enim cavillis ludat Menno, perſpicuus eſt ſenſus, Filium Dei eſſe ex ſemine Davidis ſecundum carnem. Item, Chriſtum, qui Deus eſt benedictus in ſecula, ex Judæis originem trahere ſecundum carnem. Itaque fruſtra locos arripit, ubi vocatur Chriſtus homo Dei Filius: quia in totam Chriſti perſonam nomen hoc merito confertur. Quod autem è cælo veniſſe Chriſtus dicitur, & à Patre exiiſſe, ad carnis eſſentiam perperam trahitur. Quia etſi inde colligere licet Chriſtum verum eſſe Deum, hoc tamen non tam de ſubſtantia ſua, quam de officio prædicat: quia teſtari vult nihil ſe tradere niſi divinum.

Porro argumenta quibus orthodoxa doctrina probatur, diluere volens, nihil aliud quam frivolis cavillis elabitur. Si in carnem mutari potuit Spiritus, quia Deo ſunt omnia poſſibilia, ergo & Pater verti in carnem potuit. Quod ſi demus, ubi erit illud, Cælum & terram ego impleo? Tota enim divinitas eſſet corpus unum, quod loco comprehendi neceſſe eſt. Jam ſi corporea fuiſſet divinitas in Chriſto, falſo dixiſſet Deum eſſe Spiritum. Item à reſurrectione

ſua,

ſua, Spiritum carnem & oſſa non habere. Nam ſi excipiat Menno, mutatum fuiſſe Spiritum in carnem, ut deſineret eſſe quod erat, nihil abſurdius fingi poteſt. Peribit enim æternitas eſſentiæ ſpiritualis. Adde quod ſi ex Dei ſemine penitus eſt Chriſtus homo, jam non una nec ſimplex erit Dei eſſentia, ſed in partes ſecabitur: atque ita in Deo erit diviſio, quam Menno inter duas Chriſti naturas non admittit. Quod objicit non fore alioqui verum illud Joannis, Verbum carnem eſſe factum, quia Fieri non ſignificet Aſſumere, nugatorium eſt. Nam certe Apoſtolus 2. ad Hebr. cap. à Joanne non diſſentit: qui tamen aſſumendi verbo utitur. Et ſatis conſtat hujus loquutionis ratio: quia & fieri Rex dicitur, qui ante homo privatus fuit; quia incipit eſſe quod ante non erat. Itaque vere & apte, ubi carnem induit Filius Dei, dicitur caro factus.

Putidum eſt effugium, dici Filium hominis, quia hominibus promiſſus eſt. Secundum vero commentum adducens Menno, ſatis declarat effugia ſe quærere. Palam vero eſt Hebraico more vocari Filium hominis verum hominem. Nam Chriſtus haud dubie phraſin linguæ ſuæ retinuit. Quid autem per filios Adam intelligi conveniat, extra controverſiam eſſe debet. Ac ne longius abeamus, locus Pſalmi octavi quem ad Chriſtum Apoſtoli accommodant, omnem controverſiam dirimit: Quid eſt homo quod memor es ejus, aut Filius hominis quia viſitas eum? Quod de maſculino genere nugatur, colore prorſus caret: quia Filius hominis vocatur, cujus origo vere ex Adam fluxit.

Quum dicimus oportuiſſe in carne noſtra expiari peccata mundi, fruſtra hoc principium convellere nititur Menno: quod clare à Paulo aſſeritur 5. ad Rom. cap. Nam quod contra objicit, neminem ex carne peccatrice prognatum potuiſſe Legem implere, ſolutio petenda eſt ex 8. ad Rom. cap. ubi docet Paulus expiationem factam in ſimilitudine carnis peccatricis. Naturam enim hominis non à principio fuiſſe corruptam notum eſt, ſed vitio accidentali. Quid ergo obſtat quo minus Filii ſui carnem Deus ſanctificare potuerit?

Argumentum etiam illud firmum manet, Niſi fuerit generatio hominis Chriſti, novam fuiſſe creationem. Nam quod excipit non fuiſſe novas creationes quoties miraculo aliquid in novam naturam mutatum eſt, importune huc torquetur, quia non potuit eſſentia Dei mutari, ſicuti creaturæ: & deteſtabile commentum eſt fingere Dei eſſentiam in Patre eſſe Spiritum, in Filio eſſe corpus.

Argumentum quod ſumitur à donorum participatione impudenter tranſilit. Nam inde certe ad nos pertinet quicquid Chriſto contulit Pater: quia caput eſt ex quo totum corpus per juncturas connexum ſimul coaleſcit. Imo non aliter conveniet quod dicitur, Spiritum ei datum eſſe abſque menſura, ut de plenitudine ejus hauriamus omnes. Niſi forte Mennoni abſurdum non eſt, Deum in ſua eſſentia adventitio dono locupletari. Hac etiam ratione dicit Chriſtus ipſe, Joan. 17. Ego propter eos ſanctifico meipſum. Improbe igitur mentitur nuſquam hæc in Scripturis legi.

Geneſ. 3. Quantum ad teſtimonium Moſis ſpectat, ſi probe expenditur, magis premit Mennonem quám ut ſe expedire queat. Neque enim de uno duntaxat Chriſto illic ſermo habetur, ſed de toto humano genere. Verum quidem eſt partam eſſe à Chriſto victoriam, ſed generaliter pronunciat Deus poſteros mulieris ſuperiores fore Diabolo. Unde ſequitur, Chriſtum ex humano genere eſſe progenitum. Totum vero ſenſum pervertunt Cabaliſticæ Mennonis allegoriæ, quod mulier dicatur Eccleſia, quia conſilium Dei eſt Evam quam alloquitur, bona ſpe erigere. Hoc etiam loco ſolutionum varietas tortuoſum & lubricum anguem oſtendit. Interim victorem ſerpentis ex muliere quæ ἄσπερμος eſt, promitti dicens, nequaquam ſe extricat. Niſi enim ſemen eſſet in muliere, falſa eſſet promiſſio.

Teſtimonia ubi Chriſtus ſemen Abrahæ & fructus ventris Davidis vocatur, nimis improbe corrumpit. Nam ſi allegorice poſitum eſſet nomen ſeminis, Paulus certe 4. ad Gal. cap. hoc non tacuiſſet. Clare autem & ſine figura affirmat, non eſſe plures Abrahæ filios redemptores, ſed unum Chriſtum. Fateor ex genealogia non aliter colligi Chriſtum eſſe filium Davidis, niſi quia ex Virgine genitus eſt. Sed nimis ſuperbe, ut impium ſuum errorem ſtabiliat Menno, evertit naturæ elementa, mulieres contendens eſſe ἀσπέρμους.

Octavum argumentum de genealogia Chriſti ſophiſtice eludit. Etſi enim Matthæus non recenſet Mariæ parentes, ſed Joſephi: quia tamen de re tunc vulgo comperta verba facit, ſatis habet oſtendere Joſephum ex Davidis ſemine ortum eſſe: quum ſatis conſtaret Mariam ex eadem eſſe familia. Magis etiam urget Lucas, ſalutem à Chriſto allatam toti generi humano communem eſſe docens, quia Chriſtus auctor ſalutis ex Adam communi omnium patre ſit progenitus.

Apte ex Matthæi verbis colligitur, quia ex Maria genitus eſt Chriſtus, procreatum eſſe ex ejus ſemine. Sicuti etiam quum dicitur Booz genitus ex Rahab, ſimilis notatur generatio. Nec vero Matthæus hic Virginem quaſi canale deſcribit, per quod fluxerit Chriſtus: ſed hunc mirificum generandi morem à vulgari diſcernit, quod per eam ex ſemine Davidis genitus fuerit Chriſtus. Eadem enim ratione qua Iſaac ex Abraham, Solomon ex Davide, Joſeph ex Jacob, ſimiliter Chriſtus ex matre genitus eſſe dicitur. Sermonis enim ſeriem Euangeliſta contexit.

In decimo argumento ſuam impudentiam nimis turpiter prodit. Quomodo enim quadrabunt, ſecundum carnem Chriſtum eſſe ex ſemine Davidis, & tamen non aliter vocari Filium, niſi quia promiſſus eſt ac donatus? Nam poſtquam Filium Dei nominavit Paulus, continuo poſt ſubjiciens, ſecundum carnem eſſe ex ſemine Davidis, diſtinctum certe aliquid à divina eſſentia notat. Sic & nono capite Deum benedictum prædicans, ſeorſum ponit, ſecundum carnem ex Judæis deſcendere. Jam niſi vere genitus eſſet ex ſemine Davidis, quid valebit loquutio illa, ut ſit fructus ventris ejus & ex lumbis deſcenderit? Stulte autem objicit, non poſſe dici naturalem Davidis filium, quia Verbum factum eſt caro: quia conſtat non alio ſenſu hoc dici, niſi quia carnem induit & manifeſtatus eſt in carne. Mulieri non eſſe generativum ſemen dicit Menno: ſed quis præter communem omnium ſententiam indocti hominis figmento credet? Quanquam mirum eſt ſic ipſum verum miraculum negare, dum falſiſſimum portentum de ſuo affingit, in quo admirabilior ſit Dei potentia, ſi verum eſſet quod perſuadet, æternam Dei eſſentiam mutatam eſſe in mortale corpus. Nugatorium etiam eſt quod repetit non poſſe doceri certo Mariam eſſe genitam ex ſemine Davidis: quia Matthæus probare volens Chriſtum eſſe genitum ex ſemine Davidis, dum hoc uno contentus eſt, ex Maria eſſe genitum, certe pro re confeſſa ſumit, Mariam fuiſſe conſanguineam Joſeph. Quod autem adducit ſemen pro poſteritate ſumi, nimis dilutum eſt: quia non ſimpliciter vocatur ſemen, ſed dicitur eſſe ex ſemine. Impudentia etiam minime tolerabilis eſt, clarum in verbis Pauli ſenſum pervertere, ut Chriſtum ex ſemine Davidis factum vel formatum eſſe neget.

Quod ad undecimum argumentum ſpectat, fateor Eccleſiam ſpiritualiter eſſe carnem ex carne Chriſti, &c. Sed viciſſim dico, ut hoc fieret, Chriſtum ſumpſiſſe ex hominibus carnem, in qua ſe pro ipſis ſanctificaret.

Chriſtum vocari cæleſtem è cælo, quia iode carnem attulerit, omni ratione caret: idque antitheſis clare evincit. Terrenus enim homo tantundem valet atque animalis: quum tamen animam ex terra profectam non eſſe ſatis liqueat. Itaque oihil certius quam cæleſtem vocari Chriſtum, vivificantis Spiritus reſpectu.

Secundo ad Pbilip. cap. oon inficior, quin forma hominis ſit vilis & abjecta conditio: ſed ex toto contextu facile colligitur in vera hominis natura exinanitum fuiſſe Cbriſtum. Quid enim hoc ſibi vult, figura repertum fuiſſe tanquam bomioem, niſi quia ad tempus non reſplenduit divina gloria, ſed tantum apparuit humana ſpecies? Atque huc pertinet exaltatio: quia diſerte novam gloriam adeptus fuiſſe dicitur Chriſtus, quia ſeipſum exinanivit.

Utcunque locum ex 2. ad Hebr. cap. torqueat, non tamen extricare ſe poteſt. Ex uno eſſe dicit auctorem ſanctitatis, & eos qui ſanctificantur, nempe ex Deo. Atqui potius intelligi naturæ communicationem, ex contextu evincitur. Continuo enim poſt ſubjicit Apoſtolus, Ideo non erubeſcit eos vocare fratres. Si autem prius dixiſſet, fideles ex Deo eſſe, in tanta dignitate quænam eſſet erubeſcentiæ ratio? Sed ideo non erubeſcere dicitur Chriſtus, quia pro immenſa ſua gratia ad ſordidos & ignobiles ſe aggregat. Fruſtra autem objectat Menoo, impios alioqui fore Chriſti fratres: quia ſcimus filios Dei noo ex carne & ſanguine, ſed ex Spiritu naſci per fidem. Proinde fraternam communicationem non facit ſola carnis ſocietas. De pueris inſcite nugatur, quando ſimpliciter intelligit Propheta, cujus teſtimonio utitur Apoſtolus, ſervos vel diſcipulos. Nec minus temere garrit, Mariam fratris ſoi fore matrem, ſi Chriſtus ſecundum carnem frater noſter ſit, quum plus ſatis trita ſit phraſis Hebraica, Fratres vocari conſanguineos quoslibet. Tametſi autem Apoſtolus bunc honorem aſſignat ſolis fidelibus, quod ex uno ſint cum Chriſto: non tamen ſequitur, quo minus ex eodem fonte naſcantur increduli: quemadmodum ubi dicimus Chriſtum factum eſſe hominem ut oos faceret Dei filios, non extenditur hæc loquutio ad quoslibet: quia fides media interponitur, quæ nos in Chriſti corpus ſpiritualiter inſerit. Nimis impie & ſcelerate objicit, debuiſſe Chriſtum ſtatim ab initio ex Adam naſci, quum primogenitus ſit inter fratres. Primogenitura enim non ad ætatem, ſed ad gradum hoooris & virtutis eminentiam refertur.

Argumentum decimum quintum minus inſcite eludit. Clara ſunt Apoſtoli verba, Quando pueri participant carnem & ſanguinem, eorum quoque participem fieri Cbriſtum oportuit. Quod de natura bumana dictum eſt, Menno ſine ratione & ſine pudore ad peccatum torquet. Improbius etiam eſt, quod relativum pluralis numeri tantum ad carnem reſtringit, & eam fictitiam: acſi nihil diceret Apoſtolus, Chriſtum ejuſdem nobiſcum naturæ ſocium & conſortem ſtatuens. Nec quidquam eſt momeoti in ejus cavillo, Chriſtum fore peccatorem ex peccatoribus, ſi verus homo ſit: quia non concedimus naturæ corruptelam fuiſſe in Chriſto, ſed docemus abſque vitio creatum fuiſſe hominem.

Locus ex ſecundo ad Hebræos, ubi dicit Apoſtolus, Cbriſtum ſumpſiſſe ſemen Abrabæ, impium Mennonis & Serveti commentum repudiat, quod receperit Cbriſtus in gratiam homines. Nam illic Apoſtolus ut gratiam amplificet, qua dignatus eſt Chriſtus humanum genus, Angelos cum hominibus comparat, quod ſcilicet prætulerit Angelis homines, hominum naturam induendo. Nam ſi per ſemen intelligit poſteros, idem & de Angelis fateri cogetur, nempe ſobolem ab illis procreari: acſi mentitus eſſet Chriſtus, dicens nos Angelis ſimiles fore poſt reſurrectionem. In præſenti verbi tempore futilis eſt argutia. Nam uſitato more [illegible] loquutus eſt Apoſtolus, ut clarius tam inſignem gratiam ante oculos nobis poneret.

De utraque in Cbriſto natura non modo ioſcite garrit, ſed confuſe omnia permiſcens, ſecum ipſe pugnat. Tradit Petrus nos divinæ naturæ fore consortes: 1 Pet. 1. ſed boc nonniſi ad qualitatem referri poteſt, quatenus ſcilicet renovabimur in cæleſtem gloriam. Alioqui corruptibile hoc noſtrum corpus fieret tum Deus. Quomodo autem non horret Meono & abominatur mutationem carnis peccatricis in Dei eſſentiam, quum tantopere refugiat, quod tamen abſurditate caret, Filium Dei carne noſtra fuiſſe indutum? Adde quod ſecundum Petri meotem ſocietas divinæ naturæ præſeotem homioum naturam, quatenus infirma eſt, abolebit. In Chriſto autem longe diverſa ratio qui ſimul & ſemel Deus & homo fuit. Jam vero ſi bumanam ſubſtantiam Chriſto tribuit integram & puram ab omni labe, qualis in Adam fuit ante lapſum, ſequitur non ex Dei ſemine progenitam fuiſſe Chriſti carnem, ſed ex homine: niſi dicere forte malit vel de nihilo vel ex terra creatam fuiſſe. Cur dictum Athanaſii improbet, Chriſtum conſtare ex duabus naturis, ſicut bomo perſonaliter conſtituitur ex anima & corpore, monſtranda eſt ratio, cur tam apta ſimilitudo diſpliceat.

Si locum Petri tergiverſando involvit, ubi Cbriſtum dicit mortuum eſſe carne, vivificatum Spiritu, ooo miror. Quomodo enim ſe expediet, quum virtutem qua carebat Chriſti caro, Petrus Spiritui adſcribat? Durius etiam eum premit Pauli dictum, ubi Chriſtum aſſerit paſſum fuiſſe pro infirmitate carnis: quia ſi divina fuit Chriſti caro, infirma fuit divinitas. Huc etiam pertinet quod Chriſtus paſſiones ooſtras & affectus ſuſtinuit, ſimilis per omnia nobis factus excepto peccato. Nam ſi dolori & timori, cunctis denique noſtris infirmitatibus ſubjecta fuit Dei natura, jam neque ſol lucidus erit, ſed totus cæli & terræ ordo informe erit & horrendum chaos.

Quicquid blaterat ut probet non eſſe mulieribus generativum ſemen, refutatione indignum eſt. Atque hoc potius medicis relinquo tractandum. Rationum tamen quas adducit, ea eſt futilitas, quæ nullo negotio refelli queat.

Onao filius Juda ſemen effudit in terram. Idem nuſquam legitur de muliere. Quaſi vero revalandis mulierum pudendis hic nebulo ſe oblectet.

Vir immundus dicitur, de quo egreditur projectio ſeminis. Nimis ſtulte infert noo contingere mulieribus immundum fluxum. Nam hac ratione nulla eſſet nativa immundities in fœminis, in cujus remedium ſolis viris data eſt circumciſio.

Sapientiæ ſeptimo, coagulatus dicitur homo ſanguine ex ſemioe viri. Hinc contendit mulieri adſcribi, quod ejus proprium eſt, nempe ſanguinem. Quaſi vero aliud ſit ſperma quam ſanguis ad generandum concretus. Unde ſequitur fœtum tam ex mulieris quam viri ſubſtantia coaleſcere.

Locum Pauli, ubi docet noo eſſe virum ex muliere; ſed mulierem ex viro, ſceleſte hic nebulo corrumpit: quia illic minime dubium eſt tractari do principio humani generis, non autem de continua propagatione, cujus ſtatim altero membro meminit Apoſtolus, ubi dicit virum eſſe per mulierem.

Quod objicit, Aaron & Jojada duxiſſe uxores ex tribu Juda, ac inde colligit confuſam tunc fuiſſe tribuum diſcretionem, ſi ineſſet mulieri generativum ſemen, nimis frigidum eſt. Satis anim notum eſt quantum ad politicum ordinem ſpectat, cenſeri progeniem ex virili ſemine. Superior tamen ſexus dignitas non facit, quo minus in generando coëat ſemen mulieris. Hæc quoque ſolutio ad omnes genealogias extenditur. Sæpe, ubi catalogum bomioum recenſet Scriptura, ſolos viros nominat: an ideo dicendum eſt mulieres nihil eſſe? imo pueris ipſis notum eſt mulieres ſub viris comprehendi. Hac quoque ratione

tione dicuntur fœminæ parere ſuis maritis, quia familiæ nomen penes maſculos ſemper reſidet.

In myſterio Eccleſiæ pueriliter prophetatur. Neque enim ſi Eccleſia dicitur mater noſtra, ideo protinus in carnali & ſpirituali generatione ſingulæ partes inter ſe reſponderit.

Creatio nequaquam oſtendit quod vult Menno, mulieres carere ſemine. Nam ſicuti ex viro creata eſt prima mulier, ita ex utroque geniti ſunt poſteri.

Stultè à voce ſeminis ratiocinatur. Nam ſi ſemen hominis manu jactum terra excipitur, non inde ſequitur, in coitu viri & mulieris idem valere. Quin potius contendere licebit, quia matres olim genitrices vocatæ ſunt, ſemen earum ad generationem concurrere. Alioqui avunculi cum nepte ſua perperam vetitum eſſet conjugium Lege Dei, quia nulla eſſet conſanguinitas. Viro etiam liceret ſororem uterinam in conjugium accipere, modo ex altero patre eſſet genita.

Non minus etiam inepta eſt ratiocinatio, quum dicit liberos cenſeri ex patrum conditione vel nobiles vel ignobiles. Sicuti enim virilis ſexus præſtantiæ hoc conceditur, ita etiam in ſervitute partus ventrem ſequitur, ſecundum Juriſconſultos. Unde colligere promptum eſſet, ex materno ſemine fœtum procreari.

Nec minus barbara eſt illatio Mennonis, ſi ſemen conferant mulieres, fore patres ſui foetus: quia mater non minus parens vocatur, quam pater. Quum ergo parentum commune ſit nomen, in patris & matris nominibus ſola notatur ſexus diſtinctio.

Ultimum argumentum per ſe evaneſcit. Sicuti enim fateor vim paſſivam mulieribus adſcribi, ita dico promiſcue de mulieribus idem prædicari quod
Gal. 4: 4. de viris. Neque enim Chriſtus ipſe factus dicitur per mulierem, ſed ex muliere. Unde apparet quomodo ſine ulla verecundia latret hic canis. Quod autem per ludibrium quærit, an dicere velimus ex ſemine menſtruali Virginis procreatum eſſe Chriſtum, ſcire rurſum ex eo velim, annon in ſanguine matris coaluerit Chriſtus: ſiquidem matris partibus functam eſſe Menno ipſe alibi non negat.

Solutiones quas colligit, Scripturæ teſtimonia non evertunt, ubi mulieribus tribuitur ſemen. Neque enim eadem vel æqualis eſt fœminæ ac terræ conditio. Et quum dicitur quiſpiam eſſe ex ſemine mulieris, non poteſt intelligi ſub hac voce poſteritas. Tertio autem capite Geneſis totum humanum genus ſemen mulieris non alio ſenſu vocatur, niſi quia vere ad generandum cooperatur mulier. Locus etiam 11. cap. ad Hebræos non tam facile elui ſe patitur, quod Sara virtutem acceperit ad ſeminis projectionem, quia aperte verbum illud ſonat emitti ſemen à mulieribus: & clara eſt alluſio inter καταβολὴν, & verbum λαμβάνειν. Quod ad Chriſtum attinet, non efficiet ſola & nuda promiſſio, ut dicatur prodiiſſe ex lumbis Abrahæ & Davidis.

Abſurda quibus nos gravare conatur, improbis calumniis referta ſunt. Niſi concedat Sermonem Dei ab initio fuiſſe ejus quoque Filium, Deus tunc non fuit Angelorum pater: & tamen antequam naſceretur, matre caruit. Nos vero Chriſtum hominem, qui ex Maria natus eſt, Dei non minus quam hominis filium eſſe concedimus, licet diverſo reſpectu. Neque enim inſtar Neſtorii duplicem fingimus Chriſtum, ſed perſonam unam conſtituimus ex dua-
1 Tim. 3. bus naturis, ut ſit vere Deus manifeſtatus in carne.
vers. 16. Doctrinam noſtram hac in parte ſi reſpuit, Paulum, ex quo verba mutuamur, derideat.

Quod Chriſtum crucifixum contendit eſſe unigenitum Filium Dei, nos quoque idem docemus. Sed interea non tollitur diſtinctio, quam Chriſtus ore ſuo diſerte aſſeruit, corpus ſuum appellans Templum. Quomodo enim Templum eſſet Deus ipſe, vel ejus eſſentia? Deitatis ergo domicilium eſſe colligimus. Quo etiam ſpectat illud Pauli, habitare in eo plenitudinem Deitatis corporaliter.

Quod Chriſtum dividi calumniatur in Deum & hominem, ſi Deum & hominem eſſe dicimus: nullo negotio diſcutitur. Neque enim diſtinctio laceratio eſt. Ejuſdem etiam impudentiæ eſt, quod dicit Chriſtum hoc modo conflari ex pura & impura natura, ex benedicta & maledicta: quia Paulus damnatum eſſe in carne peccatum pronuncians, prudenter nos ad Rom. 8: 3.
ſimilitudinem carnis peccati revocat.

Pueriliter ratiocinatur, ſi per arcanam Spiritus operationem genitus fuit Chriſtus ex matris ſemine, non fuiſſe igitur impurum ſemen mulieris, ſed viri duntaxat. Neque enim ideo immunem ab omni labe facimus Chriſtum, quia tantum ex matre ſit genitus, ſed quia ſanctificatus eſt à Spiritu, ut pura eſſet generatio & integra, qualis futura erat ante lapſum.

Quod poſtea ſubjicit, totam Adæ ſobolem abſque exceptione ſub peccato concludi, ideoque Chriſtum, ſi ex hominibus originem traxerit, non poſſe eximi à communi lege, facile ſolvit antitheſis qua utitur Paulus ad Rom. cap. 5. v. 12. Sicuti per unum hominem peccatum, & per peccatum mors, ita in gratia unius hominis Chriſti abundavit gratia. Item 1 Cor. 15: 47. Nec obſtitit accidentalis corruptio Adæ, quominus purus & integer ex eo naſceretur Chriſtus.

Jam firmum etiam illud eſt, nec Mennonis cavillo eluditur, quoties de Chriſti puritate nos admonet Scriptura, notari veram hominis naturam: quia ſupervacuum eſſet dicere, purum eſſe Deum. Sanctificatio etiam de qua loquitur Joan. 17. v. 19. in natura divina locum non haberet. Nec vero duplex fingitur Adæ ſemen, quamvis nulla ad Chriſtum contagio pervenerit: quia hominis generatio per ſe immunda aut vitioſa non eſt, ſed accidentalis propter lapſum. Itaque nihil mirum, ſi Chriſtus, per quem reſtituenda erat integritas, à vulgari corruptione exemptus fuerit.

Fruſtra garrit Menno, ſi ex Mariæ ſemine progenitus ſit Chriſtus, illam fore patrem & matrem: quaſi ad vulgarem regulam exigi debeat generatio, in qua Deus memorabile arcanæ & incomprehenſibilis ſuæ potentiæ ſpecimen edidit.

Illud porro axioma quod tam audacter ſubinde obtrudit, ἄσπορον fuiſſe Mariam, probatione indiget, quia & philoſophiæ & experientiæ repugnat.

Idololatriam eſſe contendit, Deum in carne manifeſtatum adorare: nos vero negamus: cujus ſuperbiæ eſt, nos ſuis placitis adſtringere.

Quod objicit, ſi ex Maria progenitus ſit Chriſtus, Gentilem magis quam Judæum fore genere, quia progeniem ducat per fœminas à Gentibus, ejuſdem eſt futilitatis. Quaſi vero Ruth proavia impediat, quominus cenſeatur David Abrahæ filius.

Quod etiam pro abſurdo nobis obtrudit, ſi Sermo Dei carnem induit, fuiſſe igitur anguſto terreni corporis ergaſtulo incluſum, mera eſt procacitas: quia etſi in unam perſonam coaluit immenſa Verbi eſſentia cum natura hominis, nullam tamen incluſionem fingimus: quia mirabiliter è cælo deſcendit Filius Dei, ut cælum tamen non relinqueret: mirabiliter in utero Virginis geſtari, in terris verſari, & in cruce pendere voluit, ut ſemper mundum impleret, ſicut ab initio: profanæ etiam inſcitiæ eſt, fingere Verbum in morte ipſa à carne ſeparatum. Sed velim rurſum ſcire ex Mennone, quam bene conveniat, eſſentiam Dei, quam cælum & terra non capit, exiguum corpus eſſe factum, quod in utero Virginis & in ſepulchro latuerit. Nodum hunc, ſi poteſt, expediat, quomodo Deus eodem momento ubique fuerit Spiritus, & in terra fuerit homo palpabilis.

Hoc ſane video, nihil hoc aſino poſſe fingi ſuperbius, nihil petulantius hoc cane.

CAL-

Calvinus contra Oſiandrum.

SI fuiſſet ultro moderatus ſibi, prodeſſe Eccleſiæ Dei poterat: ſed dum ardet oſtentandi acuminis ſtudio, nulla religio vel modeſtia, vel etiam verecundia eum tenuit, quin omnia convellere tentaret. Atque ita, dum ſuis ſpeculatiooibus indulget, perverſis deliriis genuinam & ſimplicem pietatis doctrinam varie corrupit. Sed alia commenta nunc non attingam. In explicanda fidei juſtificatione meris præſtigiis ſeipſum faſcinavit, & alios deluſit. Admittit quidem quod negare auſus non eſt, remiſſionem peccatorum intercedere in homine juſtificando: ſed in primo & ſummo gradu locans ſpectrum eſſentialis juſtitiæ, quod ipſe finxit, nihil aliud relinquit gratuitæ Dei acceptationi, quam ut ſit inferior quædam appendix. Eſſentialem juſtitiam ſibi nulla ratione imaginatus eſt. Nam etſi eo trahit Scripturæ teſtimonia, quæ Deum in nobis habitare aſſerunt, & nos unum cum ipſo fieri: nihil tamen inde probatur, quam arcana Spiritus virtute, dum coaleſcimus in Chriſti corpus, uniri ſimul Deo. Adde, quod eſſentialis illa communicatio ex Manichæorum deliriis ſumpta eſt. Nec video quomodo excuſari poſſit hoc abſurdum, eſſentialem Dei juſtitiam eſſe accideos, quod adeſſe nunc homini poſſit, nunc abeſſe. Quanquam longa refutatione opus non eſt, ſi principium illud tenemus, juſtitiam hominis in ipſa creatione fuiſſe rectitudinem, ad quam formatus erat, ut in ſingulis animæ partibus, adeoque in ipſo corpore fulgeret Dei gloria. Quum ergo luce intelligentiæ præditus eſſet homo, & voluntate compoſitus in obſequium Dei, & eadem ſymmetria eſſet in ſingulis facultatibus, dicimus hominem fuiſſe juſtum. Hac deſcriptione non conteotus Oſiander, Chriſtum fingit non modo fuiſſe ideam, ſed primarium exemplar, ut Adam eſſentialis eſſet ejus imago. Hinc commentum hoc, in quo ita ſe inebriavit, ut à nullis abſurdis ſibi caveret.

Nunc poſtquam alienatus eſt homo à Deo, eum
dicimus reſtitui juſtitia & ſanctificatione: quarum
prior gratuitam reconciliationem ſignificat, altera
renovationem hominis. Ergo quod ad voces ſpectat,
perperam Oſiander regenerationem confundit cum
Rom. 4:6. juſtitia Fixum enim manet illud Pauli, veram juſti-
tiæ definitionem poni à Davide his verbis, Beatus
vir cui non imputat Deus peccata. Dicit Oſiander,
juſtificari nos non tantum obedientia, quam Chri-
ſtus præſtitit, & ſatisfactione qua defunctus eſt pro
expiandis peccatis: ſed divina æternaque ejus juſtitia.
Rom. 5. Longe aliter Paulus, qui ſimpliciter affirmat, juſtifi-
verſ. 19. cari nos obedientia unius hominis: & alibi æqualiter
1 Cor. 1. pronunciat datum eſſe nobis Chriſtum in redem-
verſ. 30. ptionem & juſtitiam. Item, factum eſſe ſub Lege,
Gal. 4: 4. ut nos à maledictione Legis redimeret. Hæc porro
eſt juſtitia de qua ubique differit, deleto reatu
recipi nos à Deo in gratiam. Et certe ad humanam
Chriſti naturam refertur illud, Propter eos ſanctifico
meipſum. Adhæc ſi caro Chriſti vere eſt cibus, &
ſanguis ejus vere eſt potus, colligimus non aliter ju-
ſtificari nos in ipſo, niſi quatenus eſt propitiator. De
reconciliatione quam inſcite ac perverſe loquatur
2 Cor. 5. Oſiander, ſatis ſuperque patet ex uno Pauli loco,
verſ. 19. Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non
imputans hominibus peccata. Notanda eſt etiam
2 Cor. 5. quæ mox ſubjicitur juſtitiæ ratio, Eum qui peccatum
verſ. 21. non noverat, peccatum pro nobis fecit, ut juſtitia
Dei eſſemus in illo. Hæc brevis admonitio ſanis & modeſtis lectoribus, ut ſpero, contra Oſiandri præſtigias muniendis ſufficiet. Neque enim longum volumen ſcribere nunc vacat, nec expedire judico.

Blaurerus Calvino S.D.

EGo tibi tuiſque omnibus omnia felicia ac fauſta in unica ſolidaque communi ſalute noſtra Jeſu Chriſto pro ineuntis nunc novi anni lætis auſpiciis totis animis precor, mi colendiſſime chariſſimeque Calvine. Scripſi ad te proximis nundinis Lugdunenſibus per Joannem Linerum Sangalleum, mercatorem, iſtac tranſiturum: qui rediens ſancte affirmabat ſuapte manu meas tibi eſſe redditas. Nihil vero viciſſim abs te, quod ad me perferret, accepiſſe: quod ego ſane hoc ægrius tuli, quo majori deſiderio tuas expectaveram, ex quibus intelligerem, quibus rationibus illorum quorundam conſcientiæ confirmandæ ſint, qui in eadem flagitia, poſt toties perceptum Cœnæ Chriſti Sacramentum, ſubinde ſunt relapſi, quum tamen ſerio nunc velle videantur reſipiſcere. Interim autem de impetranda peccatorum remiſſione non ſatis fiduciæ ſibi ſumentes, quod dicant nulla ejus rei in ſacris literis exempla extare, quibus in omnibus aliis, quæ doceat, aut polliceatur, tantopere abundet. Ego profecto quanquam longiſſime abſum à veteri iſta hæreſi, quæ relapſis pœnitentiam pertinaciter negabat: quacum etiam veteribus Eccleſiæ doctoribus nonnullis negotium fuit: nec quidquam dubitem omnibus quantumvis ſæpe lapſis & relapſis, etiam in eadem graviſſima peccata, aditum tamen ad gratiæ thronum, ut miſericordiam conſequantur, & gratiam inveniant, modo cum fiducia accedant, patere: ingenue tamen fateor, quum fluctuantes illi adeo exempla deſiderent ac flagitent, nulla me habere quæ proferam. Neque enim Davidis, Petri, Pauli, latronis, aut peccatricis illius Euangelicæ exempla recipiunt, quorum ſingulorum longe fuerit alia ratio. Ad te igitur, mi præter cæteros ſemper mihi venerande chariſſimeque frater, confugio, ut hic mihi tu adſis, quod facile ſcio poteris, præſenti quapiam hujus difficultatis diſcuſſione, ne ipſe aliis magno ipſorum periculo deſim. Scribes autem, per Jeſum Chriſtum te obſecro, vel exempla, ſi quæ forte noſti, quæ animo meo nulla ex Scripturis ſuccurrunt: vel certe rationem aliquam juxta fidei analogiam affer, cur nihil tale in Scripturis nobis ſit proditum, ut ex iis tandem anguſtiis boni quidam homines, (ſic enim mihi videntur) ſimul autem & ipſe quoque liberemur. Tu, ita me Chriſtus amet, primus & ſolus es cui de hoc ſcribere viſum eſt, quando nihil dubito, te, imo Dominum per te, pro data tibi gratia, mihi, quæ animis noſtris ſatisfaciant, perplexoſque expediant, magna noſtra conſolatione reſponſurum. Bene vale anime mi, & fatiſcentem ſenectutem meam, quo magis atque magis in Chriſto ad æternæ vitæ nunquam intermorituram beatitudinem feliciter reviviſcat piorum votorum auxilio, ſtrenue adjuva. Vituduri, 7. Idus Januarii. M. D. L X. Sed quid Viretus? quid vero Beza noſter? doctiſſimi & optimi viri. Bezam valde mirot nihil vel de Colignio, vel Galli rebus ad nos perſcribere. Salutabis utrumque mea vice quam potes honorifice & amanter cum D. Archigrammateo veſtro Michaële Roſeto, pariter & omnibus qui iſtic nos in Domino diligunt: quibus ſtrenæ loco longiſſimæ ætatis curricula, omnium corporalium & ſpiritualium bonorum concurſu feliciter fluentia, à nato mundi Salvatore (quæ vox auguſtius quiddam ac divinius quam Servator ſonat) impetrata cupio ac omnibus animi mei votis opto, ipſorum me ſacris precationibus diligentiſſime commendans.

Tuus Ambroſius Bl. verum ita ut nullus ſit magis.

Calvinus Blaurero,

De relapſis in eadem peccata.

TEmpeſtive domi meæ indicaverat Jacobus Linerus, venturos hodie mercatores, qui literas meas tibi reddendas fideliter curarent: ſed famuli mei oblivione factum eſt, ut tardius fuerim admonitus. Itaque ſi me ad brevitatem coget temporis anguſtia, dabis veniam, præſtantiſſime vir, & ex animo venerande frater. Quomodo in bonam ſpem erigi poſſint eorum conſcientiæ qui in eadem ſæpius peccata relapſi ſunt, perinde me rogas, acſi mihi ſuppeteret melior ratio, quam tibi, qui doctrina, uſu & peritia me ſuperas. Verum ut intelligas nihil mihi eſſe pluris quam ut tibi morem geram, poſthabito pudore aliquid tentabo. Ac primo tibi aſſentior, nullum in Scriptura reperiri ſingulare hujus rei exemplum. Neque enim legimus ullum hominem, poſt datum pœnitentiæ ſignum, ejuſdem delicti reatu ſæpius implicitum fuiſſe. Verùm ut fateor non parum valere exempla ad doctrinæ confirmationem, ita ſi hoc adminiculo carent, in ea una acquieſcere tuto nobis non minus licet. Quid ergo Scriptura doceat, nunc videndum. Prophetæ certe ad pœnitentiam paſſim hortantur, non qui ſemel deliquerant, ſed qui obſtinato Dei contemptu ruere non deſtiterant in omne ſcelerum genus, vel poſtquam ſimulaverant pœnitentiam, ad ingenium poſtea redierant. Sæpe enim fraudis, aut malæ fidei accuſant Iſraëlitas, quod falſo & doloſe præ ſe tulerint Dei timorem, quo vacui erant: & fallaci converſionis prætextu Deum & ſervos ejus eluſerint. Tamen ad pœnitentiam vocando, ſpem quoque proponunt veniæ impetrandæ. Hoc cum omnibus fere Prophetis commune eſt, tum luculentius ex Jeremiæ lectione patebit. Nec vero fruſtra Deus in Lege ſacrificia, nunc totius populi, nunc privati cujuslibet nomine quotidie repeti voluit, tam pro ignorantiis, quam pro voluntariis delictis. Niſi enim parata fuiſſet expiatio peccatoribus qui ſæpius lapſi erant, non fatigaſſet eos inanibus figuris. Adde, quod, Deum hypocritis & præfractis exoratum fuiſſe ut ignoſceret, ex Pſalmo 78. colligitur: jam ubi cum ſuo Euangelio illuxit Chriſtus, non ſemel atque iterum duntaxat propitium fore Deum promiſit ſi offenſus eſſet, verum toto vitæ curriculo ſuos ad deprecationem confugere juſſit. Si non fruſtra ex illius ore & præſcripto quotidie oramus, ut remittat nobis Deus peccata, ſpes reconciliationis dubia eſſe non debet. Nec vero ipſe idem Magiſter, dum fratribus ſeptuagies ſepties ignoſcendum eſſe docet, plus indulgentiæ à mortalibus exigit, quam à Deo ſperare velit, qui miſericordia omnes ſuperat. Hac
2 Cor. 12. v. 19,20. ratione Paulus, quamvis ſevere queratur de Corinthiis, qui ante peccaverant, neque pœnitentiam egerant de immunditia, libidine, impudicitia: non tamen gratiæ veniam præcidit, ſed metuere ſe dicit, ne cogatur ſuo adventu eos lugere. At-
2 Cor. 5. verſ. 18. & ſeq. que huc pertinet Pauli locus de perpetua legatione, qua ſibi Deus Eccleſiam ſubinde reconciliat. Fideles enim, non exteros illic alloquitur. Et Joan-
1 Joan 2. verſ. 1. nes Chriſtum nobis aſſignans Advocatum qui nobis Deum propitiet, beneficium hoc non reſtringit ad diem unum, ſed continuationem deſignat.
Dan. 9: 6. Sicuti etiam Daniel in illa ſolenni precatione, qua obtinuit ſingularis vaticinii donum, peccata peccatis fuiſſe cumulata non diſſimulat; & quidem continuo pervicaciæ tenore provocatam fuiſſe Dei vindictam. Denique ubi in Symbolo ſubjicitur poſt Eccleſiam remiſſio peccatorum, fiduciæ materiam nobis dari ſtatuendum, ne deſinamus ad mortem uſque in Dei clementiam recumbere. Interea tamen acriter ſtimulandi ſunt omnes, prout quiſque ſe peculiaribus vitiis obnoxium eſſe novit, ne ſibi indulgeant, ſed potius attenti ſint ad exhortationem Pſalmi, Hodie ſi vocem ejus audieritis: atque ut memi- *Pſal. 95. verſ. 8.*
nerint quam graviter excandeſcat Deus adverſus eos qui trahunt funiculum iniquitatis. Etſi nihil fere eſt, quod ſcripſi: ſentio tamen pro modulo penuriæ meæ longius provectum eſſe, quam oportuit; præſertim quia mihi cum homine prudentiſſimo & apprime exercitato negotium erat. De rebus noſtris prolixius & magis dextre ſcripſiſſet Beza, niſi aliis curis fuiſſet diſtractus. Ipſe & concionando & legendo ſtrenuam operam impendit. Nihilo ſegnius in partes ſuas incumbit Viretus, qui aliquanto vegetior eſt, quam ſolebat. Me vero continuis fere morbis addictum puto: ita ſcilicet alii alios excipiunt. Videor quidem aliquid præſtare: verum ut prælectionibus, concionibus, aliiſque partibus mei muneris ſufficiam, cogor decumbere bonam temporis partem. Niſi me paululum recreet veris temperies, vale dicam poſthac lucubrationibus. Moleſta eſt crurum debilitas, ſed magis infeſta eſt imbecillitas ventriculi. Nuper etiam largum ſanguinis ex pulmonibus profluvium me prope ſuffocavit. Ergo non minus me ad migrandum incitat valetudo, quam te ſenectus. Inter alias cauſas mihi ideo erit dies ille jucundior, quod in hæreditatem noſtram recepti mutua noſtra amicitia fruemur. Quo magis vota noſtra conjungere par eſt, ut nos cæleſtis Pater ſimul colligat. Statum Galliæ, partim quia valde turbulentus eſt, partim quia lugubris & calamitoſus, vix attingere audeo. Sciviſti, ut opinor, Regem, quia audierat bonam partem Senatus Pariſienſis ad fratres noſtros mitius tractandos propenſam eſſe, impulſu Cardinalis veniſſe in curiam, ac ſententias rogaſſe. Quum cenſerent quidam non tam atrociter ſæviendum, neque tamen cauſam probari ſibi oſtenderent: unus libere & cordate patrocinium cauſæ ſuſcepit, neque dubitavit Regis excandeſcentiæ ſe opponere. Res Henrico indigna viſa eſt, ſuo conſpectu non percelli Conſiliarios. Itaque ſe extremo impetu proripiens, illum juſſit in arcem trahi. Sex horis poſtea in carcerem alii ſex conjecti, qui tamen moderatores fuerant, imo diſſimulatione prodiderant ſalutis doctrinam. Quidam honore ſunt privati: aliis mulcta impoſita: unus tenetur. Ille vero in quem Rex exarſerat, nuper exuſtus fuit. Virum modis omnibus egregium fuiſſe hoſtes quoque prædicant. Pollebat ſingulari juris ſcientia, ingenio, & judicio. Raræ erat probitatis. Alias ejus virtutes commendabat ejus humanitas. Nepos erat Cancellarii à Burgo: & fratres eum invitum traxerant ad gradum illum, quum privatæ vitæ eſſet cupidior. Viri reverentia & dignitas judices tenuit diu ſuſpenſos. Coacti tandem ſunt imperio Cardinalis ſupplicio addicere. Quum ſententia crudelis pronunciata eſſet, ut vivus cremaretur, proſtratus in terram egit Deo gratias, qui tanto eum honore dignatus eſſet, ut pro defenſione æternæ veritatis mortem oppeteret. Quatuor horis hilari vultu mortem expectavit. Ubi ad locum ſupplicii ventum eſt: quanquam eum quadringenti ſatellites circumdabant, fuerunt tamen qui obſervarent, eum ſponte acſi dormitum iret, togam & tunicam exuere. Sed quia laqueum collo injecerat carnifex, admonuit non opus eſſe, quia lento igni erat ex more uſtulandus. Reſpondit carnifex, aliud ſibi eſſe mandatum, ut eum ſtrangulando cruciatum minueret. Jam ultimam precationem fuderat: iterum tamen in genua procumbens gratias Deo egit. Jam ſeſquimenſis elapſus eſt ab ejus morte. Plures deinde fuerunt exuſti. In ſingula momenta varii nobis ingeruntur terrores. Utinam ex his documentis probe diſcamus, quid ſit vita hominis ſuper terram: ego præſertim, cujus torpor non poteſt ſatis expergefieri. Vale.

Ad quæſtiones & objecta Judæi cujuſdam.

Jud. 1. QUæro, quomodo vos dicitis Jeſum veniſſe, ut mundaret homines à peccatis, & ut educeret eos à gehenna, quum ille dum occiſus eſt, auxerit peccatum Judæorum, qui cruci affixerunt eum? Nam non poteſt inveniri majus peccatum, quam ſuſpenſio Dei.

Calv. Quæro viciſſim, quomodo Lex data eſſe dicatur in ſalutem, quum tamen & transgreſſiones & reatum auxerit. Conſtat enim Judæos ſtatim irritum feciſſe pactum Dei, & juſtitiam Legis violando iram Dei magis in ſe provocaſſe. Imo quæro, quomodo fœdus Dei quod ſingulare bonitatis teſtimonium fuit, & adoptio qua filios Abrahæ ſibi in peculium aſſumpſit, multis cauſa fuerit duplicis interitus: ſicuti
Ezech. 16. vers. 51. Ezechiel Iſraëlem Sodoma & Gomorrha pejorem eſſe pronunciat, hac ſola de cauſa, quod ſalutem ſibi oblatam contempſerit. Hinc certe apparet, improbis iſtis canibus nihil aliud curæ eſſe, niſi ut maledicant.

Porro ad eorum quæſtionem facilis eſt reſponſio, veniſſe quidem Filium Dei, ut Judæis primum, deinde & toti mundo lucem vitæ afferret: ſed tam Judæos ab initio, quam majorem hominum partem ſua malitia lucem vertiſſe in tenebras. Neque mirum eſt vel novum, ſic homines abuſos eſſe Dei gratia, ut ſibi exitiale redderent quod deſtinatum erat eorum ſaluti. Certe quum Deus ſe populi Redemptorem fore promittit, ſimul tamen denunciat ſe fore in lapidem offendiculi Regno Iſraël & Juda. Quomodo hæc inter ſe conveniunt, niſi quod Deus vere & non fallaciter gratiam offert, unde pendet ſolida populi felicitas? Sed increduli dum illam reſpuunt, duplex ſibi accerſunt exitium: cujus rei documentum extitit in Davide, qui Rex in hunc finem creatus fuit, ut poſtea ex eo proveniret Meſſias: &
Pſa. 118. tamen vocatur lapis reprobatus à præcipuis architectis. Adde quod in perſona Jeſu, Meſſiæ noſtri, nihil accidit, quod non prædixerint Judæis Prophetæ
Iſa. 53: 1. de Meſſia: ac præſertim Iſaias, qui magnifice extollere volens quam per illius manum gratiam populo ſuo daturus erat, ita præfatur, Quis credet ſermoni noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt? Dicturus erat paulo poſt, Meſſiam reconciliaturum homines Deo, ut ſalvi fierent: ſed prius exclamat, magnam partem, cæcitatis ſuæ cauſa, privatum iri tanto bono, quia virtus Domini ſepulta illis erit &
Iſa. 49: 6. incognita. Alibi etiam clarius duo hæc conjungit, parum eſſe ut Meſſias reſtituat deſolationes Iſraël: ſed fore ſalutem Jehovæ uſque ad fines orbis: & tamen non fore plenam reſtitutionem Iſraëlis, quia bona pars ad Deum non redibit. Denique perinde loquuntur Judæi acſi nunquam gens eorum ingrata fuiſſet Deo, & ex medicina mortiferum ſibi venenum feciſſet. Certe exitum & reditus libertatem illis Deus ab exilio Babylonico promittens, memorabile gratiæ ſpecimen in illorum ſalutem edidit. Atqui major pars impio contemptu culpam ſuam & reatum duplicavit: longe enim illis ſatius fuiſſet, non redimi, quam abjicere & pro nihilo ducere tantum Dei beneficium. Sed hoc modo impleri vaticinium
Iſa. 1. Iſaiæ oportuit, Si fuerit populus tuus ut arena maris, reliquiæ ſalvæ fient. Atque ut finem faciam, primum redemptio luculente oſtendit oblatam Dei gratiam non ſemper hominibus prodeſſe: quin potius fieri bis noxiam, ubi indigne profanatur. Deus certe per manum Moſis populum eduxerat, ut omnium eſſet Servator. Atqui ſcimus horrendis vindictæ exemplis ſæpius contra multa millia fulminaſſe: tandem immenſa illa multitudo, exceptis duobus, miſere conſumpta in deſerto periit. An non melius reprobis fuiſſet, nunquam egreſſos eſſe ex Ægypto? imo nunquam eſſe natos, quam ſic Dei manu proſterni?

2. Quæro, quum ſcriptum ſit in Matthæo, Non veni ut detraherem, &c. Et in Lege Moſis habetur, Die autem octavo circumcidet carnem præputii ſui. Item, Omne præceptum quod præcipio tibi hodie, obſervabitis & facietis: non addes nec minues ex eo. Quod ſi ita eſt, conſtat quod Legem Moſis diſſolverit. Jud.

Quæro viciſſim, quum Lex Moſis vetet quidquam operis fieri die ſeptimo, quomodo eodem die jubeat maſculos infantes circumcidi? Item quomodo Moſes diem unum è ſeptem Deo ſanctificari jubeat: Iſaias autem ſub Chriſti regno promittat continua Sabbatha, & continuas Neomenias, niſi quod in Circumciſione oſtendit Deus opera ſua eximi à communi lege: Iſaias vero aliquid excellentius promittens, quam ſub Lege exhibitum fuerit Judæis, ſignificat præceptum de Sabbatho fuiſſe umbratile? Calv. Iſa. 66.

Plenior autem quæſtionis ſolutio hæc eſt, Quum voluerit in uno tantum altari Deus ſibi offerri ſacrificia, Ezechiel tamen promittit ſub regno Meſſiæ altaria in Ægypto & Aſſyria fore: quum nefas alibi fuerit quam Hieroſolymæ Dei faciem quærere, & illi offerre ſacrificia, Iſaias tamen templum illi fore Iſa. 19.
in Ægypto dicit. Et Malachias diſcrimen omne locorum tollit his verbis, Offeretur incenſum nomini meo in toto orbe. Certe clara externi cultus mutatio ſub regno Meſſiæ oſtenditur: neque tamen hoc modo diſſolvitur Lex, vel apex unus ex eo minuitur: quin potius hæc vera eſt Legis ſanctio, non fuiſſe in veteribus figuris objectum oculis inane ſpectaculum, ſed eorum quæ ſignificabant, exhibitam in Chriſto ſubſtantiam. Nunc videndum, quorſum Deus Sabbathum inſtituerit, nempe ut ſymbolum eſſet ſanctificationis, ut docet per Moſen & Jeremiam. Sequitur ergo præceptum illud inter umbras numerandum eſſe. Quid enim mirum, ſi exorto ſole ceſſet ſtellarum lumen? Atque hæc eſt cœli & terræ novitas, de qua Iſaias concionatur. vers. 19. Mal. 1. vers. 11. Iſa. 51.

3. Quæro, ſi Deus eſt, quare ſe ipſe vocat filium hominis, quum in multis locis Scripturæ moneat nos Lex, ne Deum ſimilem faciamus homini: ut, Deus non eſt homo ut mentiatur, aut filius hominis ut illum pœniteat. Præterea dicit David, Nolite confidere in Principibus, in homine, &c. Item, Maledictus qui confidit in homine. Hæc autem omnia fuerunt in Jeſu, qui vocatur filius hominis. Jud.

Quæro, cur Deus in Cantico Moſi vocetur vir bellicoſus? Cur Ezechiel in illa memorabili viſione memoret judicem in ſolio ſedentem eſſe ſimilem filio hominis? Cur ſibi toties Deus nares, oculos, manus & pedes attribuat? Cur Jeremias de Filio Davidis loquutus, pronunciet nomen Jehovæ in eum competere? Cur Iſaias Meſchiam vocet Immanuel, Patrem futuri ſeculi, Deum fortem? Cur in Pſalmo quoque Meſchiam ſub Solomonis perſona ornetur nomine Elohim? Calv. Exod. 15. vers. 3. Iſa. 7. & 9. Pſal. 45.

Cæterum ſolutio quæſtionis minime difficilis eſt. Lex Deum vetat fieri ſimilem homini, nempe ne ſub hominis imagine pingatur ejus majeſtas. Alioqui & igni, & Soli, & leoni, & urſo, & lapidi ſe comparat, quæ vel bruta ſunt animalia, vel mortua elementa. Porro in Meſchia Deus non factus eſt ſimilis homini: ſed carnem humanam induens, ita factus eſt homo, ut integer in æterna ſua & immutabili natura maneret. Neque enim ut ſomniant Judæi, credimus Deum eſſe mutatum, ſed in carne manifeſtatum, & interea ſui ſimilem. Ita non fuit ex vulgari hominum ordine mendax, aut vanitati obnoxius, ſed ratione Deitatis veritas in æternum permanens: neque in eo tanquam in homine mortali fiduciam locamus, ſed quia corpus ejus Deitatis templum eſt, in quo habitat perfecta Dei gloria; & quatenus Deus eſt, in humanam naturam vivificam Spiritus ſui potentiam transfundit. Nam certe locis compluribus non alibi ſalutis fiduciam Deus ſervis

ſuis

ſuis proponit, quam in Meſchia: ſicut in vaticinio Gen. 49. verſ. 10. Jacob apud Moſen, In te Gentes ſperabunt. Unde ſequitur quod dixi, eundem eſſe Deum fortem & verum Immanuel, & Filium hominis, qui eſt ex progenie David.

Jud. 4. Quæro, Scriptum eſt in Iſai. cap. 66: 17. Qui comedunt ſuillam, aut abominationem, aut murem vel muſtelam, una conſumentur, dicit Dominus. Ergo ſuilla nunquam eſt permiſſa.

Calv. Quæro viciſſim, quum ſcriptum ſit apud Iſaiam, Qui immolat bovem, perinde acſi hominem occideret; qui ovem mactat, perinde acſi interficeret canem: ſi quis inde colligat, Deum ſemper abominatum fuiſſe ſacrificia, quo cavillo effugient Judæi? Solutio autem ex abrogatione legalis cultus pendet, cujus ignorantia Judæi tam ſtulte nugantur. Tenendum erat hoc principium, in omnibus ceremo- Exod. 25. verſ. 40. niis quas præcepit Moſes, inſtar regulæ fuiſſe illi exemplar, quod Deus oſtenderat in monte. Jam quum exemplar illud in Meſchia fuerit exhibitum, nihil abſurdi eſt, ſi adventu ſuo umbras omnes aboleverit.

Jud. 5. Quæro, quare vos affligitis die ſexto, quo crucifixus eſt, ut dicitur, quum crucifixione ejus & pœnis ſitis liberati ex gehenna? Debuiſtis potius feſtum agitare, epulari, & gaudere.

Calv. Quæro viciſſim, quare in die feſto expiationis Judæi ex Legis præſcripto animas ſuas affligant? quum tamen celebrent ſuam cum Deo reconciliationem. Decebat enim ipſos quoque cum lætitia potius epulari.

Nullo autem negotio refellitur eorum cavillum. Fatemur ſi quibus propoſitum eſt diem mortis Chriſti ſanctificare jejunio & luctu, ſuperſtitioſe hoc modo & perperam fictitium cultum inſtituere. Nec vero corruptelam quæ regnavit in Papatu defendimus: ſed interim nihil obſtat, quominus tota vita fideles redemptionis ſuæ memoriam cum gaudio & canticis celebrent: & tamen cum gemitu ſuppliciter coram Deo reatum ſuum deplorent.

Jud. 6. Quæro, quid fecit Jeſu ultra reliquos viros ſanctos? Nam Henoch & Elias aſcenderunt in altum. Moſes mutavit aquam in ſanguinem, dulces reddidit aquas amaras, deduxit Iſraelem per medium maris. Eliſæus fecit fontem olei, ex quo impleta ſunt multa vaſa, curavit lepram Naaman, & ſuſcitavit duos mortuos: nihilominus tamen non credimus, quod illi fuerint Dii, ſed viri juſti.

Calv. Quæro, an Moſes hominem mortuum ſuſcitaverit, quod fecit Eliſæus: qui tamen Moſe fuit inferior? Fateri etiam cogentur Moſen Joſue diſcipulo ſuo majorem fuiſſe: neque tamen curſum Solis moratus eſt, ut diem unum efficeret ex biduo. Unde ſequitur, perperam de perſonæ excellentia judicium fieri ex nudis miraculis.

Puerilis autem hæc objectio facile ſolvitur, quia non modo quærendum erat, quæ miracula ediderint Prophetæ; ſed qua virtute. Chriſtus autem quum diſcipulos majora facturos dicit, quam quæ ipſe feciſſet, non eos ſibi vel præferre, vel æquare voluit: quia penes unum ipſum manet gloria operum, quæ ſic per manum hominum exequitur, ut ſolus vere ſit auctor. Quin etiam dicimus, quæcunque Moſes edidit miracula, & poſt eum Prophetæ, proprie manaſſe à Chriſto: quia fuit Angelus ille, quem Moſes prædicat ducem populi & cuſtodem. Quod ſi qua ſani guſtus particula in Judæis eſſet, ſtatim agnoſcerent quanta ſit Chriſti præſtantia & dignitas ſupra Moſen etiam in miraculis. Non enim cæleſti pane, quo nos Chriſtus alit, Patres aluit Moſes in vitam æternam & ſpiritualem. Sed ut profani ſunt homines, imo impuri canes, nihil mirum, ſi ad guſtandas cæleſtes delicias ſint prorſus inſipidi Cum bruto itaque ſuo ſtupore omittendi ſunt.

Jud. 7. Quæro, quod vos dicitis, illum eſſe Filium Dei, quum reperiamus in multis locis, Iſraëlitas vocari Pſal. 2: 7. filios Dei, ut filii eſtis Domino: eſt minime verum, aut omnes Iſraëlitæ ſunt filii Dei.

Quæro viciſſim, quum promiſcue Iſraëlitæ omnes Calv. ſint filii Dei, cur peculiari elogio ornetur David, ubi de ipſo Deus pronunciat, Filius meus es? Item cur alibi Solomonem extollat ſupra omnes reliquos, his ver- 2 Sam. 7. bis, Ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium? verſ. 14.

Jam ſatis refutata eſſet frivola eorum quæſtio, niſi quod pauca verba docendis ſimplicibus addere libet. Vocantur Angeli filii Dei. Idem nomen ad Reges & Judices transfertur. Davidi autem tribuitur ſingularis privilegii loco, cujus etiam reſpectu Angelos ipſos ſuperat. Colligitur ergo, inter Filios Dei plures eſſe diſtinctos gradus. Quare nihil mirum, ſi Meſchia ſupra omnes emineat. Filium vero unigenitum dicimus, & quidem natura, per quem adoptionis gratiam conſequimur, ut reputemur ipſi quoque inter Dei filios.

8. Quæro, quomodo fuit Meſſias veſter Rex pa- Jud. cis, quum toto illius tempore fuerit lis, & ab hinc non quieverit mundus à bellis? Scribitur tamen, Multitudini dominii & pacis non eſt finis, Iſa. 9: 7. Et Jeſu dicit, Non veni ut ponerem pacem in terra, ſed gladium: quod ſi ita eſt, ejus verba contradictoria ſunt verbis Prophetarum.

Quæro viciſſim, quando venerint Reges ex terris Calv. longinquis, & facti fuerint tributarii populo Iſraëlitico: quando coacervatæ fuerint omnium Gentium opes, ut cederent in prædam Judæis: quomodo dicat Iſaias extento vexillo redituros ab exilio in patriam eſſe: ubi ſit ſplendor ille Templi ſecundi, quem pollicitus eſt Aggæus? Certe niſi iſtis nebulonibus ludibrio eſſent omnes Prophetæ, totaque Religio, longe alia reverentia expenderent quicquid de ſuis beneficiis pronunciat Deus.

Solutio quæſtionis eſt, quod allata per Chriſtum pace non fruitur mundus, culpam alibi non hærere quam in hominibus ipſis, quibus magis placuit ſacrilegum bellum adverſus Deum gerendo, ſeipſos turbare. Neque tamen obſtitit eorum pravitas, quo minus Meſſias & munus ſuum, & muneris titulum retinuerit. Nec vero ſi pax non eſt impiis, ideo ſua virtute privatus eſt ille: imo quia ſpreta ab illis fuit reconciliatio cum Deo, oportuit horribili Dei vindicta in cæcum furorem impelli, ut mutuo inter ſe confligerent. Primi hominum Judæi ſua pervicacia monſtrarunt, ſe cum Deo pacem nolle. Merito igitur ſua ipſi viſcera crudeliter ad ultimam uſque patriæ cladem laniarunt. Sequuti poſtea ſunt alii, quiſque ſuo ordine: quia nulla gens fuit extra hanc noxam. Sed eo melius experti ſunt fideles Chriſtum eſſe pacis Principem, quia inter tam graves & atroces bellorum motus, quietis tamen & tranquillis animis Deum invocarunt. Atque hanc pacem commendat Iſaias: cui ſubſcribunt omnes Apoſtoli, dum hunc præcipuum Luc. 21. fidei fructum eſſe docent, ut Deo propitio freti, verſ. 36. non amplius tumultuemur, ſed pacatis animis ſtemus inter mundi agitationes. Quod autem ſe Chriſtus afferre bellum potius dicit, quam pacem, id eſt accidentale: quia mundi impietas diſſidia accendit, ex quibus graves pugnæ emergunt.

9. Quæro, ſi Deus eſt, quare texit ſeſe carne, & Jud. quare non venit aperte, ut palam innovaret Legem ſuam, ut non perirent homines hujus ætatis? Major enim eſt numerus eorum qui pereunt propter hujus ignorantiam, quam eorum qui redempti ſunt. Obſcuritate enim ſeparantur ab illo, ne in illum credant.

Quæro viciſſim, cur Deus qui cælos inhabitat, Calv. voluerit latere inter Cherubim? & cur ſibi domicilium ſub pellibus elegerit? cur ſacrum fœderis ſui ſymbolum inſculpi voluerit pudendis hominum Gen. 17. membris? cur elegerit Regem populo ſuo ex tugu- verſ. 10. rio ignobili, & caulis ovium, qui etiam domi ſuæ

contemptus, ab aliis reſpueretur? cur obſcurum & tenuem rivulum Siloë potius elegerit, quam celeres *Iſa. 8: 6.* ac rapidos fluvios? & Judæis exprobret, quod externæ magnitudinis pompam appetant?

Iſa. 53. v. 4, 5, 6. Facile autem refellitur eorum petulantia Iſaiæ verbis, qui Meſſiam proponit deformem, multiſque probris fœdatum, ac ſine ullo decore, plagis afflictum, & divinitus humiliatum, à quo fere omnes oculos avertant. Certe quin Meſſias viva ſit imago gloriæ Dei, non audebunt Judæi negare. Qui ſit ergo ut Rex, per cujus manum potentiam ſuam exerere vult Deus, tam ſordidus, imo inſtar leproſi deformis prodeat? Belluæ autem iſtæ pro ſua ſuperbia Deum ad leges ſuas adigere cuperent. Quaſi vero vel non viderit quid optimum eſſet factu, vel per incogitantiam prædixerit ſibi ita placere. Atqui pietatis ſobrietas hoc ſaltem requirit, ut Dei arbitrio longe plus deferant homines, quam propriæ imaginationi. Oblatrant iſti canes, perire majorem hominum partem, quia Chriſti obſcuritate offenſi, ab *Iſa. 53: 1.* eo abhorreant: quaſi fruſtra exclamet Iſaias obſcuram fore ejus notitiam, quia paucis revelabitur Dei *Joan. 1.* virtus. Et tamen verum eſt quod docet Apoſtolus, refulſiſſe in eo gloriam unigenito Dei Filio dignam. Verum eſt etiam Euangelium in quo refulget cæleſtis Dei majeſtas, non eſſe obſcurum niſi reprobis qui pereunt. Mirum autem eſt cur querantur non magis conſpicuum fuiſſe Dei fulgorem in Chriſto, quorum patribus tolerabilis non fuit aſpectus Moſis, donec velata eſſet ejus facies.

Jud. 10. Quæro, quemadmodum fuit Jona in viſceribus piſcis tribus diebus, & tribus noctibus, ſic fuit Jeſu in terra tribus diebus & tribus noctibus? Hoc non eſt verum. Nam etiam ſecundum verba veſtra fuit tantum in terra tribus diebus, & duabus noctibus.

Calv. Quæro viciſſim, quomodo ſæpe totum populum nemine excepto perfidiæ & impiæ defectionis accuſent Prophetæ? Nam ſi ita eſt, ubi reſiduum ſemen? quomodo dicatur totus populus Jeremiam flagitaſſe ad necem: quum tamen certum ſit, fuiſſe ſaltem nonnullos qui ſalvum optarent?

Ad quæſtionem brevis eſt ac expedita reſponſio. Satis notum eſt quam trita ſit etiam in Lege & Prophetis ſynecdoche, dum pars pro toto, vel totum pro parte ſumitur. De numero dierum ne ipſi quidem Judæi litem nobis movere audent. In noctibus putant magis plauſibilem eſſe calumniam, quia ante initium tertiæ noctis reſurrexit Chriſtus. Sed quum nox ſit quaſi diei acceſſio, non dubitavit Chriſtus tres dies, & totidem noctes pro triduo ponere, quo melius aptaret exemplum Jonæ ad præſentem cauſam. In re autem quum nulla ſit ambiguitas, de verbis cavillari nugatorium eſt. Si excipiant non quadrare ſimilitudinem, quia dimidio fere plus temporis tranſegerit Jonas in ventre piſcis, quam Chriſtus in ſepulchro: reſponſio iterum facilis eſt, in exemplis plenam conformitatem exacte non requiri, nec abſurdum eſſe, ſi quid diſſimile notetur.

Jud. 11. Quæro, quum ſcriptum ſit, Non videbit me homo, & vivet, quomodo Jeſu fuit Deus, ut eum omnes homines viderint: & ne unus quidem mortuus eſt ex his omnibus qui viderunt eum?

Calv. Quæro viciſſim, quomodo viderit Jacob Deum facie ad faciem, nec mortuus ſit? quomodo Deus ſervum ſuum Moſen diſcernat à reliquis Prophetis, quia familiariter facie ad faciem cum eo loquatur: non autem per viſiones & ſomnia? quomodo toti populo apparuerit in nube, & columna ignis? quomodo viſibilem gloriæ ſuæ formam oſtenderit Ezechieli, & Iſaiæ, qui tamen ſubita morte ideo extincti non ſunt?

Si qua perditis iſtis hominibus eſſet ingenuitas, puderet ipſos tam craſſis objectis pugnare, imo effutire putidas nugas refutatione prorſus indignas. Negat Deus immenſam gloriam ſuæ divinitatis humano ſenſu poſſe capi: quod ſine controverſia fatentur omnes. Ergo notitiam ſui ad captum, vel menſuram piorum attemperat, ut ipſum videant: nec tamen pleno adhuc aſpectu potiantur. In Chriſto autem viva ſua imagine apparuit, quatenus tam facultas quam ſalus piorum ferebat. Tunc autem videbunt eum qualis eſt, dum ei ſimiles erunt. Hoc vero brutum ſtuporem ſpirat quod Deum in Chriſti perſona viſum fuiſſe garriunt, acſi divina ejus eſſentia carneis oculis conſpicua fuiſſet.

Jud. 12. Quæro, ſcriptum eſt, quod quicunque fidem habuerit in Jeſu, etiam tantum quantum ſunt grana ſinapi, poterit juxta ejus verbum, transferre montem è loco ſuo. Nos autem videmus etiam ſanctiores eorum, qui ne levem quidem rem facere poſſunt. Ergo quanto minus reliquum vulgus? Quod ſi ita eſt, nulla eſt in eorum manu neque dominatio, neque potentia, qua poſſint quidquam præſtare, quamvis credant in eum.

Calv. Quæro, quum ſcriptum ſit de monte Zion, Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo quoniam elegi eam: quid ſibi velit vaſtitas & deſolatio, quæ tot jam ſeculis duravit? Quæro iterum, quid ſibi velit, quod miſere diſſipati per totum orbem vagantur, & proſtrati in ruinis ſuis jacent, quum Iſaias pronunciet redemptos eſſe ab exilio Babylonico, ut ruinas mundi totius inſtaurent, & in corpus ſuum colligant omnes diſperſos?

Si granum ſalis vel ſanæ intelligentiæ in iſtis pecudibus eſſet, ſine controverſia veriſſimum eſſe cognoſcerent Chriſti dictum, in quo abſurditatem venantur. Quod objiciunt, cur Chriſtus ſuis diſcipulis dixerit notandum eſt, nempe vitio eorum fieri exprobrans, ut miracula edere fruſtra tentarent. Quid ergo ſi fateamur dono miraculorum, quo ſuos inſtruxit Chriſtus, nos propria culpa deſtitui? Pudenda quidem nobis eſt hæc confeſſio: ſed cur potius in crimen trahetur ille, qui æterna eſt Dei veritas, & luculentis documentis ſe in hoc dicto veracem oſtendit, potius quam vanis coloribus tegatur noſtra infidelitas, quæ Dei gratiæ viam præcludit? Quanquam aliud ſimul tenendum eſt, fidem de qua nunc agitur, non illam eſſe communem, quam piis omnibus & Chriſti membris affert adoptionis Spiritus: ſed qua oportuit Apoſtolos injunctum ſibi munus amplecti, nempe ut novam Euangelii doctrinam, quæ nondum publico conſenſu recepta erat, miraculis ſancirent. Idem vero donum nequaquam promiſcue ad omnes pertinet. Sicuti enim ſatis fuit in monte Sinai ſignis & prodigiis ſemel confirmari Legem dum promulgata fuit: ſic abunde ſufficere debuit Euangelium per triginta annos continuis miraculis fidem & auctoritatem acquirere. Nam Prophetas ſingulos non legimus hac virtute fuiſſe præditos: quia expedire Deo viſum non eſt. Quicquid vero ſpiritualium bonorum Chriſtus ſuis confert, non mirum eſt à profanis iſtis pro nihilo duci, qui ad omnes cæleſtis vitæ partes guſtandas pluſquam inſipidi ſunt.

Jud. 13. Quæro, ſi Meſſias veſter Deus eſt, quare inequitavit beſtiæ pollutæ, quum ſcriptum ſit in Lege, Neque oves neque boves paſcent è regione montis illius? Quid igitur? ſi prohibuit ne beſtiæ quidem mundæ paſcerent, quanto magis ne immundæ? Is autem ipſemet inſidet beſtiæ pollutæ.

Calv. Quæro viciſſim, an ſanctus Rex & Propheta David ſuper mulum equitando ſeſe polluerit? an alii præterea ſancti homines, quorum paſſim occurrunt in Scripturis exempla, quoties aſinis vecti ſunt, maculam contraxerint?

Primum quando ne divinis quidem vaticiniis parcit eorum petulantia, non videtur operæpretium pluribus verbis eam refutare. Quemcunque ſibi tandem Meſſiam fingant, non de alio quam de Meſſia locum Zachariæ exponere licebit, Lætere filia Sion, *Zach. 9.*

ecce

ecce Rex tuus venit tibi, equitans ſuper aſinum, &c. Quid cum Propheta litigando proficient? imo annon putida iſta ſubſannatio ſatis convincit quod prius dixi, non tam ludibrio illis eſſe Chriſtum noſtrum, quam Legem, & omnes Prophetas? Nam ſi Zachariæ ſunt diſcipuli, nodum hunc nobis eapediant. Nimis autem inſulſa eſt cavillatio, prohibitas fuiſſe in Legis promulgatione beſtias ab acceſſu montis: quia ſi Deus locum illum ſibi ad paucos dies ſegrsgare voluit, ut neque homo, neque ullum aliud animal illuc accederet, non ideo excluditur Meſſias à communi vitæ humanæ uſu. Quid autem contagionis in eo reperient, ſi Filius Davidis ſuper aſinum conſcenderit? Nec vero dubium eſt quorſum ſpectaverit Zacharias, nempe venturum Redemptorem, qui non fulgeat regia pompa & apparatu, ſed paupet ſit, & quaſi unus ea vulgo.

Jud. 14. Quæro, quare eſuriit Jeſu? Si diaeris propter carnem, nos vidimus Moſen, qoi fuit etiam caro & ſanguis, & jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus quum acceſſit Divinitatem, nec eſuriit: hic autem, qui erat ipſemet Deus, quare eſuriit caro ejus?

Calv. Quæro, cur Angeli apud Abraham comederint? quomodo veaati fuerint contumelioſe à Sodomitis? quomodo dicat Deus Moſen ſibi obſtare, ne vindictam, quam ſtatuit, exerceat? -

Nullius apud iſtos porcos momenti ſolutio eſt, Chriſtum ideo eſuriiſſe, quia carnem noſtram induens, ſimul famem & humanos alios affectus, excepta tantum omni corruptela, induit. Rationem afferunt, quia non idem legatur de Moſe. Sed an putant ſanctum Prophetam poſtea rediiſſe ad ſolitum victum, niſi eum cogeret naturæ infirmitas? Luauria enim alioquin fuiſſet, alimenta ſuperfluo abuſu conſumere. Quid de Elia quoque ſentiunt? Nam certe quum de utroque diſerte pronunciat Spiritus quadraginta diebus jejunaſſe, ſatis oſtendit non longius pertuliſſe ipſos inediam. Chriſtus ergo ad prædicandum Euangelium ſe accingens, eaordium à jejunio quadraginta dierum fecit, ne Moſe vel Elia eſſet inferior. Ita liquido apparuit, cæleſti virtute eaimi à neceſſitate cibi & potus, cui ſubjecti ſunt cuncti mortales. Sed quia non minus utile erat, fratrem à nobis agnoſci, cui nobiſcum humanæ vitæ conditio eſſet communis, ad ea quæ propria ſunt hominis, ſtatim reverſus eſt. Non quod in eo dominatæ ſint humanæ infirmitates, niſi quatenus mero ſuo arbitrio ſe ſubmiſit, ut nobis eſſet ſimilis.

Jud. 15. Quæro, ſi agnus Paſchatis deſignabat Jeſum, ſequitur multos Jeſus naſcendos & ſuſpendendos. Nam non præcepit filiis Iſraël, ut unum tantum agnum Paſchatis acciperent.

Calv. Quæro, an nihil ſignificaverint omnes victimæ, quæ in Templo immolabantut? Nam ſi ita eſſet, nihilo præcellerent Ægyptiis ſuperſtitionibus. Deinde *Exod. 25.* ſcimus Moſi præceptum eſſe, ut omnia formaret ad *verſ. 40.* eaemplar quod in monte videret. Atqui divinum illud fuiſſe negare non audebunt. An ideo concedent plures, imo innumeros eſſe Deos? Quæro etiam, quum Paſcha memoriale & pignus fuerit redemptionis, an totidem fuiſſe dicent redemptiones, quot agnos per ſingulas familias Deus juſſit mactari?

Nos vero libere profitemur, quod dictat ipſa pietas, non modo agnum Paſchalem fuiſſe Chriſti figuram, ſed & omnia ſacrificia; quia nimis craſſe ſomniant, Deum adipis fœtore, vel aſperſione ſanguinis, vel pecudum cæde placatum fuiſſe hominibus, & talibus piaculis purgata fuiſſe peccata. Ergo in toto legali cultu aliquid præſtantius adumbravit Deus. Sed hinc pluſquam ſtolide colligunt, plures nobis reperiendos Chriſtos. Nam ut ſcirent Patres, ſub Lege nondum ſe ſtare in perfecto gradu, voluit Deus in quærenda reconciliatione ad eadem illos remedia confugere. Si ad expiationem efficaa fuiſſet bovis aut vituli immolatio, ſatis fuiſſet uno tantum ſacrificio defungi. Sed repetitio admonuit, in figuris illis nihil eſſe perfectum. Eadem ratione dicimus Sacerdotes omnes geſtaſſe Chriſti perſonam: ideoque plures fuiſſe, quia mors honore ſingulos privabat. Chriſtus autem, qui ideo reſurrexit à mortuis, ut perpetuo Sacerdotio fungatur, unicus eſt. Ne longior ſim in re pluſquam facili, apud ſanos omnes fateri licebit, Regnum quod ereait Deus in familia Davidis, ab ipſo uſque ad omnes ejus ſucceſſores, futuri Meſſiæ fuiſſe præludium. Nemo tamen uſque adeo deſipiet, ut nobis propterea exprobret plures eſſe Chriſtos.

Jud. 16. Quæro, Accipite hunc panem, hoc eſt corpus meum: & hoc vinum, eſt ſanguis meus pro novo Fœdere: quomodo factum eſt hoc? Aut fregit fruſtum carnis ſuæ, & dedit illis: aut ejus corpus factum eſt ex pane & vino, deditque illis ea reliquiis, & hoc eſt corpus quod comederunt & biberunt

Calv. Quæto viciſſim, quando invitat Deus omnes per Iſaiam, ut gratis ad ſatietatem bibant lac & vinum, & mel comedant, an lacte vel melle corruptibili ſaginare tantum vult ſuorum ventres? Quæro item, quando in Pſalmo dicitur, Satiabis eos copia domus *Pſal. 36.* tuæ, & fluvio deliciarum tuarum potabis eos, an *v. 9. 10.* cæleſtem vitam Propheta alimentis ſuſtineri intelligat?

Quæſtionis ſolutio ex pura & dextra verborum Domini interpretatione pendet: quæ ſi craſſo commento ſub Papatu fuerunt corrupta, non eſt cur propter hominum inſcitiam rectæ fidei inſultent iſtæ beſtiæ. Chriſtus certe neque fruſtulatim ſecuit corpus ſuum, neque illud ex pane & vino conflavit: ſed tamen ſpirituali modo veſcendum dedit Apoſtolis, ſicuti quotidie arcana Spiritus ſui virtute facit, ut caro ſua cibus ſit noſter. Dicimus ergo vere comediſſe Apoſtolos carnem Chriſti: non qualiter comedi ſolet caro ex macello empta, ſed quia non aliter animas ipſorum aluit Chriſtus, ſicuti noſtras quotidie alit in ſpiritualem vitam, quam pane & cibo corpus paſcitur.

Jud. 17. Quæro, quorſum anguſtia animæ ejus propter mortem? Si dixeris id eſſe propter carnem quæ pavet, nonne ille dicit, Anguſtia animæ meæ, non autem, anguſtia carnis meæ? Item, nullus eſt qui neſciat, carnem non loqui, nec ſcire quidquam, ſed eſſe tanquam lapidem, niſi adſit vis Spiritus.

Calv. Quæro, ſi caro ſenſu & motu omni caret, quomodo dicat Iſaias, Videbit omnis caro gloriam Dei? *Iſa. 40.* Cur dicat Moſes, Omnis caro corrupit viam ſuam? Imo cur ubique tota Lex carni adſcribat quæcunque in hominem competunt?

Hinc vero planum ſit, quam ſine judicio arrodant rabioſi iſti canes, quicquid ea novo Teſtamento proferri audiunt. Nihil notius eſt, vel magis tritum, quam ſub carnis voce deſignari homines: atque ita tam animam, quam corpus comprehendi. Quod ergo Chriſtum mortem exhorruiſſe in carne dicimus, ad humanam ejus naturam refertur: quia fieri non potuit, quin verus homo naturaliter mortem refugeret: mœrorem interea hunc & anguſtias pertulit in anima, quia corpus induendo ſimul animam paſſibilem aſſumpſit.

Jud. 18. Quæro, ſi eſt Filius Dei, & ſi Pater & Filius unum tantum ſunt, neceſſario etiam eadem eſt eorum voluntas. Ipſe tamen quum oraret ante Patrem ſuum, diait, Pater mi, ſi fieri poteſt ut non bibam calicem hunc, fac; ſin minus, fac ut eſt bonum in oculis tuis: non fiat ſecundum voluntatem meam, ſed ſecundum voluntatem tuam. Ergo non ſunt eorum voluntates ſimiles.

Calv. Quæro viciſſim, quomodo Deus pronunciet ſe nolle mortem peccatoris, reprobos tamen exitio deſtinans, Moſi diaerit, Miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cui miſericordiam præſtitero. Nam diſcrimen omne in ſervandis vel per-

dendis bominibus ad arbitrium ſuum revocans, ſe non omnibus Spiritum reſipiſcentiæ dare oſtendit. Quæro etiam, quomodo pœnitentiam Deus ſibi tribuat, quaſi mutabilis, vel parum providens. Quid enim fugiet eorum proterviam, dum ſibi tam licentioſe Dei myſteriis obſtrepere permittunt?

Solutio hujus quæſtionis ex principio Judæis incognito pendet, quia percuſſi ſunt ſpiritu vertiginis & amentiæ. Quod Chriſtus idem eſt cum Patre Deus, non obſtat quominus bomo factus, bumanos affectus ſuſceperit. Diſtincta ergo ei fuit à Patre voluntas, quia nihil à ſe alienum eſſe voluit, quod eſſet hominis proprium. In Deum vero non cadit vel ſpes, vel metus, vel gaudium, vel triſtitia. Denique niſi caput hoc fidei noſtræ evertant, Chriſtum eſſe Deum & bominem, fruſtra & ſtulte de voluntate duplici contendunt.

Jud. 19. Quæro, ſi ille fuit Deus, quare dum oraret dixit Patri ſuo, ut faceret voluntatem ſuam? Hinc apparet quod non haberet potentiam in manu ſua, qua quidquam poſſet facere: ſed tantum faciebat ex voluntate Patris ſui, non autem ex potentia ſua.

Calv. Quæro, quum Angelus qui ad Abraham & Loth deſcendit, ſe faciat judicem Sodomæ, omnemque Dei potentiam ſibi vendicet: paulo poſt tamen neget ſe quidquam poſſe facere, donec Loth fuerit egreſſus: an hominis arbitrio alligata erat virtus Dei, & ligatæ ejus manus donec mortalis homo annueret? Hic vero nihil nobis objectant quod non intrepide *1 Pet. 3. verſ. 8.* Apoſtolus prædicet, Chriſtum ex infirmitate carnis mortuum eſſe, qui reſurrexit in virtute Spiritus. In Chriſto ſemper nobis obſervandum eſt Mediatoris munus, quod præſtare non potuit ſine obſequio; ſicuti nec obſequio potuit defungi, quin ſe humiliaret. Chriſtus ergo ſecundum hominem non modo infirmus eſſe ſuſtinuit, ſed aſſumpta ſervi forma, exinanivit ſeipſum: non quod ex æterna ejus virtute quidquam deceſſerit, vel fuerit imminutum, ſed quia quietam ſe continuit ejus Divinitas, donec in hominis perſona plenam obedientiam Patri ſuo præſtaret. *Joan. 10. verſ. 17.* Hoc modo conveniunt duæ iſtæ ſententiæ, Ego à meipſo animam meam pono, & iterum ſumam eam. *Joan. 17. verſ. 1.* Item, Pater glorifica Filium tuum.

Jud. 20. Quæro, quare dixerit, Datum eſt mibi omne dominium cæli & terræ? Quis enim dedit ei? Si eſt Filius Dei, & Deus, ut vos dicitis, non erat opus dono. Nonne enim totus mundus illius eſt?

Calv. Quæro, quomodo dicatur populus Iſraël fuiſſe Dei ſanctificatio, dum ex Ægypto redemptus eſt, ſi Dei ſanctitas neque mutuatur quidquam ab hominibus, neque vel principium vel finem habet? Quæro etiam, cur Deus, in cujus manu eſt rerum omnium *Pſal. 68.* copia, dicitur accepiſſe dona ab hominibus devictis, acſi ſe hoſtium ſpoliis ditaſſet? Quæro item, quo-*Pſal. 45.* modo in Pſalmo Rex dicatur unctus fuiſſe oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis: qui tamen ibidem vocatur Elohim, qui in ſolio æterno ſedet?

Certe niſi Chriſtus cum bominis perſona inopiam noſtram vel nuditatem in ſe ſumpſiſſet, ſupervacua eſſet iſta donatio de qua loquitur. Nec vero Deitatis ſuæ intuitu precarium ſe imperium babere dicit Chriſtus; ſed prædicat qua imperii gloria ornatus *Joan. 17.* fuerit ſecundum bominem: ſicut alibi, Pater glorifica Filium gloria quam apud te obtinuit antequam creatus eſſet mundus. quibus verbis ſatis ſuperque diluitur putidum boc cavillum: quia gloriam, quæ prius abſcondita fuit ab oculis hominum, diſtincte petit in carne patefieri. Eodem quoque modo Paulus *Phil. 2.* optime diſtinguit, quia ſeipſum exinanivit, datum ei fuiſſe nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut coram eo flectatur omne genu.

Jud. 21. Quæro, quemadmodum caro & ſpiritus ſimul ſunt homo, ſic ſecundum verba veſtra Divinitas & bumanitas ſimul ſunt Meſſias. Quod ſi verum eſt, quum eſt occiſa humanitas, occiſa eſt Deitas. Fuit enim Jeſu, ſecundum verba veſtra, Deus & homo, & occiſus eſt. Ergo occiſa eſt ejus Deitas. Si autem occiſa eſt ejus Deitas, is non fuit Deus. Nam Deus non occiditur.

Calv. Quæro, quum mortui ſint omnes ſancti Patres, an credant eorum animas una cum corporibus extinctas eſſe: & quum toties Scriptura dicit Sanctos dormiiſſe, an putent uno interitu animas cum corporibus involvi? Imo quum Scriptura dicit Abſalom proceræ fuiſſe ſtaturæ, Davidem autem puſillæ inter fratres ſuos, an corporum menſuram ad animas ſimul transferat?

Verum eſt quod vulgari proverbio jactatur, nullum ſimile eſſe idem. Sed porci iſti ſic omnia naturæ elementa pervertunt, ut nulla apud eos ratio locum inveniat. Dicimus, ſicuti anima & corpus hominem unum efficiunt, ita Chriſtum ex duabus naturis conſtare: non quod ſimilitudo omni ex parte conveniat, ſed quia apta & concinna eſt ad exprimendam perſonæ unitatem. Cæterum ut demus, quod poſtulant, nihil eſſe diverſum: præpoſtere tamen inferunt Chriſti Divinitatem cum carne fuiſſe occiſam. Numquid enim Tyranni olim, quum in ſanctos ſævirent, trucidarunt eorum animas? An Abel, quum occiſus fuit à Cain, totus periit? Quod ſi ſuperſtes & illæſa fuit ejus anima poſt mortem, quæ tamen pars hominis erat, cur non potius intacta fuiſſet Chriſti Divinitas in morte, licet naturæ bumanæ unita eſſet?

Jud. 22. Quæro, ſi venit in terram ut traderet ſe ipſe vinculis & morti pro vobis, quare dixit quod Judas Iſcariot tradidit illum, ſi ideo venerat ut judicaretur & damnaretur?

Calv. Quæro viciſſim, quomodo dicat Job ablata ſibi fuiſſe bona à Domino, quibus tamen eum prædones ſpoliaverant? quomodo dicat Deus ſe ſibilo excitare *Iſa. 10.* Ægyptios, & Aſſyrios armare ſuo nutu, & omnes eſſe inſtar ſecuris in manu ſua: interim tamen pravos eorum conatus damnet, ſeque pronunciet fore ultorem? Quæro denique, quid de ſuo Meſſiah ſentiant ipſi? Pronunciat enim Iſaias poſiturum animam ſuam *Iſa. 53.* pro ſacrificio, ut infirmitates populi ſuſtineat: dicit cæſum à Deo & vulneratum. Certe vel fateri cogentur ipſum periturum ſua manu, vel mortem ab aliis percuſſoribus illatum iri.

Ex eo quem nunc citavi Iſaiæ loco liquet, nihil in his duabus ſententiis eſſe diſſidii, ut ſponte ſe offerat Meſſias ad mortem, & tamen ab impiis occidatur. Nam ideo morte ſua nos Deo reconciliavit, quia ejus obedientia ſepultæ ſunt ac deletæ noſtræ iniquitates. Sacrificium igitur voluntarium eſſe oportuit: arcano autem & admirabili Dei conſilio factum eſt, ut idem qui ſponte mortem obibat, ab impiis traheretur ad crucem. Sic Deus qui ſtatuerat populum ſuum redimere ex Ægypto, Moſi injunxit hoc munus, & ſimul Pharaonem excitavit, cujus contumacia magis illuſtraret nomen ſuum. Ergo Chriſtus ſic Patri obſequium præſtitit ad expianda mundi peccata, ut tamen proditoris ſceleri non conſenſerit.

Jud. 23. Quæro ab iis qui dicunt, quod pro occiſione Jeſu nos ſumus in hoc exilio, quod non eſt verum, quum ante mortem ejus eſſemus in exilio. Et quamvis ita eſſet, quum ſcriptum ſit, in hora mortis ejus illum petiiſſe à Patre, & dixiſſe, Pater mi, condona illis quod faciunt, quia illi neſciunt quid faciant. Si autem Pater & Filius idem ſunt, & eſt illis eadem voluntas, eſſet certe condonata bæc iniquitas, quum ille ipſemet condonaret.

Calv. Quæro viciſſim, quum Deus optet ſanam mentem Judæis, ut finem ſuum intelligant: quomodo tamen *Deut. 32. verſ. 29.* cæci maneant & vecordes, quia in manu Dei fuit ſanam mentem qua privati erant, reſtituere? Quæro item, quum dicat apud Iſaiam ſe contentum eſſe ſeptuaginta annorum exilio, perpetua miſericordia

velle

velle proſequi Judæos, cur tam ſevere vindicet nunc
in eorum filios?

Primo meretur eorum perdita obſtinatio & indo-
mabilis, ut immenſa miſeriarum coogerie ſine fine
& modo oppreſſi, omnes eabilareot ſuis malis, nemo
autem eorum miſereatur. Quale enim eſt hujus ſtu-
poris portentum, quod jam tot ſeculis aſſidue palam
infeſta Dei manu attriti, de cauſa tam ſecuri ſunt?
Conſtat ea Prophetis quam horrenda ſcelerum
omnium colluvies graſſata fuerit in populo illo longe
ante exilium. Jam centum ante annis Principes Sodo-
Iſa. 1:10. mæ, & populum Gomorrhæ nominaverat Iſaias: ex
eo non ceſſarunt diabolica ſua duritie provocare in
ſe Dei vindictam: Deus tamen poſtquam ſeptua-
Iſa. 40:2. ginta annorum exilio eos multavit, dicit ſe duplicem
pœnam exegiſſe de peccatis eorum.

Reſponſio D. CALVINI ad aliquot Lælii Zozini Senenſis quæſtiones. 1555. Nonis Junis, Genevæ.

Reſponſio ad primam quæſtionem.

REgula vulgaris eſt, quæ ſubalterna ſunt, non
pugnare. Ergo nihil obſtat, quo minus gra-
tuita ſit hominum juſtificatio ex mera Dei
miſericordia: & ſimul interveniat Chriſti
meritum. Atque ideo noſtris operibus apte tam gra-
tuitus Dei favor, quam Chriſti obedientia opponi-
tur, utrumque ſuo ordine. Nam Chriſtus nonniſi
ex Dei beneplacito quidquam mereri potuit, ſed
quia ad hoc ordinatus eſt, ut iram Dei ſacrificio ſuo
placaret, ſuaque obedieotia deleret transgreſſiones
noſtras. In ſumma, quando ea ſola Dei miſericor-
dia, quæ hunc nobis conſtituit ſalutis modum, de-
pendet meritum Chriſti, non minus apte, quam
illa, humanis omnibus juſtitiis opponitur.

Probationes.

Joan. 3. Ita Deus dilexit mundum, ut Filiom unigenitum
daret, ut quiſquis credit in eum, non pereat. Vide-
mus ut priorem locum teneat Dei dilectio, tanquam
ſumma cauſa, vel origo: ſequatur fides in Chriſtum,
tanquam cauſa ſecunda, & propior. Si quis excipiat,
Chriſtum non niſi formalem eſſe cauſam, nimium
extenuat ejus virtutem. Nam ſi fide, quæ in ipſum re-
cumbit, juſtitiam conſequimur, ſalutis noſtræ mate-
ria in eo quærenda. Quod pluribus locis clare pro-
1 *Joan.* 4. batur: Non quod priores dilexerimus eum, ſed ipſe
nos prior dilexit, ac Filium ſuum miſit ἱλασμὸν pro
peccatis noſtris. Clare his verbis monſtratur, Deum,
ne quid ſuo erga nos amori obſtaret, reconciliandi
modum ſtatuiſſe in Chriſto. Ac magnum pondus ha-
bet nomen placationis: quia Deus ineffabili quodam
modo, quo tempora nos amabat, ſimul tamen erat
infenſus nobis, donec reconciliatus eſt in Chriſto.
1 *Joan.* 1. Quo pertinent omnes iſtæ ſententiæ, Ipſe expiatio
Coloſſ. 1. eſt pro peccatis noſtris. Item, Placuit Deo reconci-
liare per ipſum omnia erga ſe, pacificans per ſangui-
1 *Cor.* 5. nem crucis ejus, per ipſum, &c. Item, Erat Deus io
Chriſto mundum ſibi reconcilians, non imputans
Epheſ. 1. hominibus peccata. Item, Gratos nos habuit in di-
verſ. 2. lecto Filio. Item, Ut ambos in uoum hominem re-
conciliaret Deo per crucem. Ratio hujus myſterii
ex 1. ad Epheſ. cap. petenda eſt, ubi poſtquam do-
cuit Paulus, nos in Chriſto fuiſſe electos, ſimul ad-
dit, nos io eodem gratiam eſſe adeptos. Quomodo
cœpit Deus favore ſuo complecti quos ante condi-
tum mundum dilexerat, oiſi quia amorem ſuum
exeruit, ubi reconciliatus eſt Chriſti ſanguine? Nam
quia Deus fons eſt omnis juſtitiæ, neceſſe eſt, ut
homo quamdiu peccator eſt, illum habeat hoſtem, &
judicem. Quare principium amoris eſt juſtitia, qua-
2 *Cor.* 5. lis à Paulo deſcribitur, Eum qui peccatum non no-
verat, pro nobis peccatum fecit, ut eſſemus juſtitia
Dei in ipſo. Significat enim gratuitam juſtitiam ade-
ptos Chriſti ſacrificio, ut Deo placeamus, qui natura *Epheſ.* 2.
ſumus filii iræ, & per peccatum alienati.

Quod autem vere Chriſtus ſua obedieotia nobis
gratiam apud Patrem acquiſierit ac promeritus ſit,
ex pluribus Scripturæ locis certo & ſolide colligitur.
Nam, teſte Paulo, reconciliati ſumus, & reconcilia- *Rom.* 5.
tionem accepimus per ejus mortem. Atqui reconci- *verſ.* 10.
liatio locum non habet, niſi ubi offeoſio præceſſit.
Senſus ergo eſt, Deum, cui propter peccatum eramus
exoſi, morte Filii ſui placatum fuiſſe, ut nobis ſit
propitius. Ac diligenter notanda eſt quæ paulo poſt
ſequitur antitheſis, Sicut per transgreſſionem uoius
peccatores conſtituti ſunt multi, ſic per obedientiam
juſti conſtituentur. Senſus enim eſt, ſicut Adæ pec-
cato alienati à Deo ſumus, & deſtinati ad interitum,
ita Chriſti obedientia nos in favorem recipi tan-
quam juſtos. Nec futurum verbi tempus præſentem
juſtitiam excludit, ſicuti ex contextu apparet. Nam
& prius dixerat χάριſμα ea multis delictis eſſe in
juſtificationem. Cæterum, quum diximus Chriſti
merito partam nobis eſſe gratiam, hoc intelligimus,
ſanguine ejus nos fuiſſe muodatos, & ejus mortem
expiationem fuiſſe pro peccatis: Sanguis ejus emun- 1 *Joan.* 1.
dat nos à peccato. Hic ſanguis eſt qui effunditur in *Luc.* 21.
remiſſionem peccatorum. Si hic effectus eſt fuſi ſan-
guinis, ut non imputentur nobis peccata, ſequitur
eo pretio ſatisfactum eſſe judicio Dei. Quo pertinet
illud Baptiſtæ, Ecce agnus Dei qui tollit peccata *Joan.* 1.
mundi. Nam omnibus Legis ſacrificiis Chriſtum op- *verſ.* 29.
ponit, ut impletum in eo ſolo doceat, quod figuræ
illæ monſtrarunt. Scimus autem quod paſſim dicat
Moſes, Expiabitur iniquitas: peccatum delebitur,
ac remittetur. Denique in veteribus figuris optime
docemur, quæ ſit mortis Chriſti vis & efficacia. Et
hanc rem Apoſtolus dextre ſumpto hoc principio in
epiſtola ad Hebræos explicat, Quod remiſſio abſque
ſaoguinis effuſione non fiat. Unde colligit, Chri-
ſtum in abolitionem peccati per ſuum ſacrificium
ſemel apparuiſſe. Item, Oblatum eſſe, ut multorum
tolleret peccata. Dixerat autem prius, non per ſan-
guinem hircorum, aut vitulorum, ſed per ſangui-
nem proprium ſemel intraſſe in ſancta, æterna re-
demptione inventa. Jam dum in hunc modum ra-
tiocinatur, Si ſanguis vitulæ ſanctificat ſecundum
carnis puritatem, multo magis ſanguine Chriſti pu-
rificari conſcientias ab operibus mortuis, facile patet
nimis extenuari Chriſti gratiam, niſi ejus ſacrificio
vim expiandi, placandi, & ſatisfaciendi concedi-
mus: quemadmodum paulo poſt addit, Mediator *Hebr.* 9.
hic eſt novi Teſtamenti, ut morte interveniente io *verſ.* 15.
redemptionem præcedentium delictorum, quæ ma-
nebant ſub Lege, promiſſionem æternæ hæreditatis
accipiant qui vocati ſunt. Præſertim vero expendere
coovenit analogiam, quæ à Paulo deſcribitur, Quod
pro nobis factus ſit maledictio, &c. Supervacuum
enim, adeoque abſurdum fuit onerari Chriſtum ma-
ledictione, niſi ut quod alii debebant perſolvens, ju-
ſtitiam illis acquireret. Clarum eſt etiam Iſaiæ teſti- *Iſa.* 53.
monium, Quod caſtigatio pacis noſtræ Chriſto im-
poſita fuit, & livore ejus nobis obtigit ſanitas. Niſi
enim ſatisfeciſſet pro peccatis noſtris Chriſtus, oon
diceretur placaſſe Deum, pœna cui eramus obnoxii,
io ſe recepta. Cui reſpondet quod ibidem ſequitur, *Iſa.* 53.
Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Accedit *verſ.* 8.
etiam Petri interpretatio, quæ nihil ambiguum re- 1 *Pet.* 2.
linquet, Quod peccata portaverit ſuper lignum.
Onus eoim damnationis, quo levati ſumus, dicit in
Chriſtum eſſe rejectum. Nec obſcure pronunciaot
Apoſtoli pretium ſolviſſe, quo nos à reatu mortis re-
dimeret. Juſtificati gratia ipſius per redemptionem *Rom.* 3.
quæ eſt io Chriſto, quem poſuit Deus ἱλαστήριον per
fidem quæ eſt in ſanguine ejus. Gratiam Dei io hoc
commendat Paulus, quia redemptionis pretium de-
dit in Chriſti morte. Deinde jubet nos confugere ad
ejus ſanguinem, ut juſtitiam adepti coram Dei judi-

1 Petr. 1. cio ſtemus. Idem valet iſtud Petri, Redempti non
auro, & argento, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati. Neque enim congrueret antitheſis, niſi pro
peccatis ſatisfactum eſſet hoc pretio. Qua ratione
1 Cor. 2. Paulus dicit nos pretioſe emptos eſſe. Non ſtaret
1 Tim. 2. etiam alterum Pauli dictum, Unus Mediator, qui
ſe dedit ἀντίλυτρον, niſi rejecta in eum eſſet pœna,
Coloſ. 1. quam meriti eramus. Ideo Paulus redemptionem in
ſanguine Chriſti definit Remiſſionem peccatorum:
acſi diceret juſtificari nos, vel abſolvi coram Deo,
quia ſanguis ille in ſatisfactionem reſpondet. Cui &
Coloſ. 2. alter locus conſonat, Deletum fuiſſe in carne chirographum, quod erat contrarium nobis. Solutio
enim vel compenſatio notatur, quæ nos à reatu ab-
Galat. 2. ſolvit. Magnum & bis verbis Pauli ſubeſt pondus,
Si juſtificamur ex operibus Legis, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Nam hinc colligimus à Chriſto
petendum eſſe, quod Lex conferret ſi quis eam impleat: vel, quod idem eſt, nos conſequi per Chriſti
gratiam, quod Deus operibus noſtris in Lege promiſit, Qui fecerit bæc, vivet in ipſis. Eodem ſpectat
Galat. 4. quod poſtea tradit, Deus Filium ſuum miſit Legi ſubjectum, ut eos qui ſub Lege erant, redimeret. Quorſum enim ſubjectio hæc, niſi quod juſtitiam nobis
peperit, ſuſcipiens præſtandum cui nos ſolvendo
non eramus? Hinc illa juſtitiæ imputatio ſine operi-
Rom. 4. bus, de qua Paulus diſſerit: quia ſcilicet accepta nobis fertur quæ in ſolo Chriſto reperta fuit juſtitia.
Joan. 6. Nec certe alia cauſa vocatur caro Chriſti cibus noſter, niſi quia in ea reperimus vitæ ſubſtantiam. Ea
porro vis non aliunde provenit, niſi quia in juſtitiæ
noſtræ pretium crucifixus fuit Filius Dei. Sicut di-
Epheſ. 5. cit Paulus, quod ſeipſum tradiderit ſacrificium in
Rom. 4. odorem bonæ fragrantiæ. Et alibi, Mortuus eſt
propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Inde conficitur, non modo per
Chriſtum ſalutem nobis datam eſſe, ſed Patrem nobis ejus gratia nunc eſſe propitium. Nam ſolidè in
Iſa. 37. eo impleri non dubium eſt, quod per Iſaiam ſub
figura pronunciat Deus, Propter me faciam, & propter David ſervum meum. Cujus rei optimus teſtis
1 Joan. 2. eſt Apoſtolus, quum dicit, Remittuntur nobis peccata propter nomen ejus. Nam etſi non exprimitur
Chriſti nomen, Joannes tamen ſuo more ſub pronomine αὐτοῦ eum deſignat. Quo etiam ſenſu pro-
Joan. 6. nunciat Dominus, Sicuti ego vivo propter Patrem,
ita & vos vivetis propter me. Cui reſpondet quod
Philip. 1. dicit Paulus, Vobis datum eſt propter Chriſtum,
ὑπὲρ Χριστοῦ, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam
ut pro eo patiamini.

Reſponſio ad ſecundam quæſtionem.

Quanquam in fidem non illuminantur, nec Euangelii efficaciam vere ſentiunt, niſi qui præordinati ſunt ad ſalutem: experientia tamen oſtendit, reprobos interdum ſimili fere ſenſu atque electos affici, ut ne ſuo quidem judicio quidquam ab electis differant. Quare nihil abſurdi eſt, quod cæleſtium donorum guſtus, & temporalis fides illis tribuitur: non quod vim ſpiritualis gratiæ ſolide percipiant, ac certum fidei lumen; ſed quia Dominus ut magis convictos & inexcuſabiles reddat, ſe inſinuat in eorum mentes, quatenus ſine adoptionis Spiritu guſtari poteſt ejus bonitas. Si quis objiciat, Nihil igitur amplius reſtare fidelibus, unde certo adoptionem ſuam æſtiment: reſpondeo, quamvis magna ſit ſimilitudo, & affinitas inter Dei electos, & qui fide caduca
ad tempus donantur; vigere tamen in ſolis electis
Rom. 8. fiduciam illam, quam celebrat Paulus, ut pleno
Galat. 4. ore clament, Abba Pater. Ergo ut ſolos electos
ſemine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam diſpereat ſemen vitæ eorum cordibus inſitum: ita ſolide in illis obſignat adoptionis ſuæ gratiam, ut ſtabilis & rata ſit. Sed hoc minime obſtat, quin illa inferior Spiritus operatio curſum ſuum habeat etiam in reprobis. Interea docentur fideles ſollicite & humiliter ſeipſos excutere, ne pro fidei certitudine obrepat carnis ſecuritas. Adde quod reprobi nunquam ſenſum gratiæ niſi confuſe percipiunt, ut umbram potius apprehendant, quam ſolidum corpus: quia peccatorum remiſſionem Spiritus proprie in ſolis electis obſignat, ut eam ſpeciali fide in uſum ſuum applicent. Merito tamen dicuntur reprobi Deum credere ſibi propitium, quia donum reconciliationis, licet confuſe, nec ſatis diſtincte, ſuſcipiunt: non quod vel ejuſdem fidei, vel regenerationis participes ſint cum filiis Dei; ſed quia commune cum illis principium habent. Nec vero nego, quin huc uſque eorum mentes irradiet Deus, ut ejus gratiam agnoſcant: ſed ſenſum illum à peculiari teſtimonio, quod reddit ſuis electis, ita diſtinguit, ut ad ſolidum effectum & fruitionem non perveniant. Non enim ideo ſe propitium illis demonſtrat, quia vere ex morte ereptos in cuſtodiam ſuam recipiat: ſed tantum illis demonſtrat præſentem miſericordiam. Viva autem fidei radice ſolos electos dignatur, ut in finem uſque perſeverent. Ita diluitur objectio illa, Si vere gratiam ſuam demonſtrat Deus, hoc perpetuo fixum eſſe: quia nihil obſtat quo minus præſenti gratiæ ſuæ ſenſu, qui poſtea evaneſcat, Deus aliquos illuſtret.

Reſponſio ad tertiam quæſtionem.

Quanquam fides divinæ erga nos voluntatis notitia eſt, & certa de ejus veritate perſuaſio, non mirum tamen eſt divini amoris ſenſum in temporariis evaneſcere; qui licet fidei ſit affinis, ab ea tamen multum differt. Voluntas Dei immutabilis eſt, fateor, & ſemper ejus veritas ſibi conſtat. Atqui nego huc uſque progredi reprobos, ut in arcanam illam revelationem penetrent, quam ſolis electis Scriptura vendicat. Nego igitur eos vel Dei voluntatem, ut eſt immutabilis, capere; vel ejus veritatem conſtanter amplecti: quia in ſenſu evanido ſubſidunt: ſicuti arbor non ſatis alte plantata, ut vivas radices agat, temporis ſucceſſu areſcit, licet per aliquot annos non flores tantum & folia emittat, ſed etiam fructus. Denique ſicuti primi hominis defectione deleri potuit ex ejus mente & anima Dei imago: ita mirum non eſt, ſi quibuſdam gratiæ ſuæ radiis reprobis illuceat, quos poſtea extingui patitur. Nec vero quidquam impedit, quominus leviter alios tingat Euangelii ſui notitia, alios penitus imbuat. Hoc interim tenendum eſt, quantumvis exigua ſit ac debilis in electis fides: quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha eſt, ac ſigillum ſuæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri poſſe ejus ſculpturam: reprobos vero tali luce aſpergi, quæ poſtea diſpereat: neque tamen fallacem eſſe Spiritum, etiamſi ſemen quod in eorum corda jacit, non vivificet, ut ſemper maneat incorruptibile, ſicuti in electis.

Reſponſio ad quartam quæſtionem.

Quum ex Scripturæ doctrina, & quotidiano uſu conſtet reprobos interdum affici divinæ gratiæ ſenſu, quoddam mutui amoris deſiderium in illorum cordibus excitari neceſſe eſt. Sic in Saule ad tempus viguit pius affectus, ut eum amaret, à quo paterne ſe tractari ſciens, aliqua ejus bonitatis dulcedine capiebatur. Sed quemadmodum radicitus non hæret in reprobis paternus Dei amor, ita non ſolide eum redamant ut filii, ſed mercenario quodam affectu ducuntur. Nam ſoli Chriſto hac lege datus eſt Spiritus ille amoris, ut eum membris ſuis inſtillet. Nec
certe longius quam ad electos patet illud Pauli, Dif- Rom. 5: 5.
fuſa eſt charitas Dei in corda noſtra per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: nempe charitas, quæ

illam

illam quam ſupra attigi invocationis fiduciam generat. Dico etiam Deum mirabiliter iraſci filiis ſuis quos amare non deſinit: non quod apud ſe eos oderit, ſed quia eos terrere vult iræ ſuæ ſenſu, ut ſuperbiam carnis humiliet, torporem excutiat, ad pœnitentiam ſollicitet. Itaque eodem tempore & iratum ſibi vel peccatis ſuis, & propitium concipiunt: quia non ficte iram ejus deprecantur, ad quem tamen cum tranquilla fiducia confugiunt.

Reſponſum ad quæſtionem *D. Toſſani*, Miniſtri Monsbelgardenſis.

Si Sacramentorum adminiſtratio Miniſtro interdicetur.

Referendum ad annum 1549. QUa de re rogati ſumus à fideli Chriſti ſervo & optimo noſtro Symmyſta D. Toſſano, nos invocato Domini Spiritu ita reſpondendum cenſuimus. Primo videmus duas potiſſimum rationes eſſe, quæ Toſſanum ſollicitant ad migrandum. Nam quia Sacramentorum adminiſtratio illi eripitur, quæ pars eſt Miniſterii quo hactenus functus eſt in Eccleſia Monsbelgardenſi, ita ſe munere abdicatum exiſtimat. Deinde quia dimiſſi ſunt reliqui fratres, quos in eadem ſunctione habuit collegas, veretur ne locum docendi retinendo, multis offenſionem pariat, acſi ſe ab illis disjungat, quibuſcum fuit illi vocatio communis: ac multi interpretentur privatis eum rationibus potius conſulere, quam publico Eccleſiæ bono. Quum ante menſem nos conſuluiſſent omnes ſimul fratres, quidnam ſibi agendum
Ms. 50. eſſet, ita reſpondimus: Ut proditor eſt qui volens cedit, ac ſtationem ſuam deſerit: ſic reſiſtere, ubi vi cogimur, noſtrum non eſt, niſi forte nos ad ſubeundum diſcrimen nominatim vocaret Eccleſia. Veſtra autem ratio longe diverſa eſt. Nam quamdiu fuiſtis Paſtores, non defuit gregi veſtra ſedulitas ac ſollicitudo. Nunc quum perſeverandi ſtudium nihil profuturum ſit, ac ne oves quidem ipſæ quibus obſtricta eſt veſtra fides, ſibi utile cenſeant vos ultra tendere, perfuncti ſane eſtis. Hæc exceptio ſi recipitur, ſoluta erit prior difficultas. Flagitatur enim Toſſani opera, tum ab Illuſtriſſimo Principe Chriſtophoro, tum ab ipſa plebe. Ergo quamdiu Eccleſiam habet cui prodeſſe queat, ſi eam deſerat, non videtur rite neque ex officio facere. Si hac conditione retineretur ut liberam pure ſincereque docendi facultatem nefaria aliqua pactione, ut alii permulti fecerunt, ſibi minueret, centies mori præſtaret, quam docendi locum tanti redimere. Sed nunc ubi integra Chriſti confitendi libertas permittitur, nulla eſt cauſa cur ſe eximat. Quod autem Miniſterii ſui parte aliqua privatur, tametſi dolenter ferendum eſt, non tamen ideo in totum liberata eſt ejus fides erga Eccleſiam: ſicuti nec penitus abdicatus eſt ſuo munere. Nam ſi Paſtoris munus omni ex parte explere nequeat, magnum tamen eſt, ſi Doctorem præſtet. Et quum Sacramenta veluti acceſſiones verbi ſint, illis ſublatis verbum etiam cujus præcipuæ ſunt partes ultro abjicere, nimis abſurdum eſſet. Prudenter itaq; venerandi fratres noſtri Eccleſiæ Argentinenſis Paſtores admonent, Eccleſiam ad tempus foveri verbo poſſe, utcunque Sacramentis careat. Si Toſſano hactenus nulla cum Eccleſia Monsbelgardenſi neceſſitudo fuiſſet, magnopere illi optandum foret, ut ad liberum docendi munus, nullo adhuc conceſſo Sacramentorum uſu, admitteretur. Imo ſuum illic Miniſterium hac ratione auſpicatus eſt, & aliquandiu Doctoris perſonam ſuſtinuit, priuſquam obtineret quæcunque ſunt ex Paſtoris officio. Nunc quia poteſtas tenebrarum eouſque invaluit, ut per ſuos eripiat Satan, quod hactenus habuit Chriſti beneficio: quid ſupereſt niſi ut ad priorem illum curſum redeat, fidelemque in docendo & monendo operam impendat, donec quæ nunc collapſa ſunt, rurſum Dominus inſtauret? Olim, quum Tyrannorum ſævitia expulſi eſſent ex ſuis Eccleſiis ſancti Paſtores, clam tamen eas viſitabant, ac interdum etiam habitu militari, ut refert Euſebius. Quare hæc facultas quæ Toſſano datur, multo minus repudianda eſt, ut quibus hactenus fuit Paſtor, nunc ſe Doctorem exhibeat. Ita munus obibit Deo probatum, & Eccleſiæ ſalutare, utcunque dimidia pars ſolitæ adminiſtrationis ſit ablata. Huc pertinent Prophetarum exempla, qui Templo everſo & erepto ad tempus ſacrificandi ritu, docendi tamen partes exequi non deſtiterunt. Hæc fuit quidem ipſorum querimonia, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? quum tamen hoc populo carmen dictarent, ita obibant docendi munus. Ita ubi violenter ſpoliamur Sacramentorum uſu, adeo non debet Paſtor relicta ſtatione abjicere docendi curam, ut hic maxime inſtare debeat, & quodammodo docendi ſtudium & aſſiduitatem duplicare, ſi liceat. Sic ergo ſtatuimus: Dum ita privatur Toſſanus Sacramentorum miniſterio, ut tamen Illuſtriſſimus Princeps docendi locum illi offerat, & populus flagitet ejus operam: non eſſe hoc genus miſſionis quod fidem ejus liberet, quin Doctoris officio incumbere debeat, quamdiu docendi libertas illi conceſſa fuerit. Nec tantum judicamus hoc expedire, ſed etiam omnino neceſſarium ducimus, niſi à Dei vocatione cui hactenus paruit, ſubducere ſe volet. A quo conſilio quia certo perſuaſi ſumus eum toto animo abhorrere, non difficulter adductum iri confidimus ut maneat. Porro quod timet ne improbi jactent ventris potius cura retineri eum, quam ædificandæ Eccleſiæ ſtudio, ea ſane ſuſpicio, quantum in nobis eſt, ſedulo eſt cavenda. Verum ſi eum adſtrictum tenet juſtæ vocationis religio, ſicuti nos ſentimus, qualiſcunque futura ſit hominum opinio, conſtanter tamen pergere in eo debet quod intelligit Deo probari. Nos quidem ſatis experimur quanta ſit ſeculi noſtri ingratitudo. Quanquam hoc quoque incommodum ſenſerunt omnes Dei ſervi, ut benefaciendo male audirent. Sed hodie magis quam alias unquam regnat hoc vitium. Itaque non debet expectare frater noſter Toſſanus, ut omnibus probet quod ſumma religione inſtituerit, etiamſi nullum mortis periculum recuſet. Erunt ſemper ignavi & nihili homines, qui deſidiæ ſuæ tædium fallent eum calumniando. Nec vero, ſi ædificandæ Eccleſiæ occaſionem ſibi oblatam non reſpuit, ideo ſe disjungit à fratribus ſuis, qui ea privantur. Quin potius eum hortari fratres debent, ne quod reſiduum eſt lucis, patiatur ſua culpa extingui. Hoc enim ſervos Chriſti decet, quo magis os ſibi obſtructum vident, ſtudere modis omnibus atque adniti, ut in aliorum linguis reſonet pura Evangelii doctrina, & eorum voce ipſorum ſilentium quaſi ſarciatur. Nunc Deum oramus, ut quemadmodum fideliter conſulimus fratri noſtro Toſſano, quod arbitramur ex re Eccleſiæ eſſe, ita ut ejus animum confirmet ad ſubeunda fortiter certamina quæ illi propoſita eſſe cernimus. Non miramur ſi in rebus tam impeditis animo perplexus hæreat. Non miramur etiam, ſi in hac ſubita Eccleſiæ diſſipatione, variæ eum cogitationes agitant. Non miramur poſtremo, ſi in hac temporum iniquitate, tamque perverſis ac malignis hominum judiciis æſtuat atque alternat in hac deliberatione, dum ſatisfacere omnibus cupit. Sed illi gratulamur, quod ſuas omnes cogitationes, omniaque ſtudia in unum hunc finem dirigit, primum ut Deo obſequatur, deinde ut ſe totum Eccleſiæ impendat. Hoc ſingulare eſt Dei donum, quod nihil aliud ſpectat vel cupit, quam ut conſcientiæ ſuæ tranquillitati ſit conſultum. Quod autem ſibi proprioque judicio diffidens, fratrum conſiliis permittit ſe regendum, in eo piam ipſius modeſtiam, ut par eſt, exoſculamur. Et nos certe hic non aliud ſequuti ſumus, quam quod Domi-

nus ipſe Spiritu verboque ſuo dictavit: quemadmodum huoc ſumus auſpicati, ut mentes linguaſque noſtras gubernaret. Atque hujus modeſtiæ fructum, ut ſperamus, non pœnitendum feret, quod vocationis ſuæ certior factus, ad ſuſtinendos quoſvis impulſus longe erit inſtructior: & fretus piorum auctoritate, minus erit obnoxius calumniis improborum. Infirmis certe ſatisfactum erit, ubi intellexerint, ideo ſtetiſſe ipſum in ſua Eccleſia, ut fratrum conſiliis acquieſceret. Jam præter Eccleſiæ reſpectum nos quam plurimum movet cordatiſſimi Principis religio, quem ſic videmus affectum, ut nibil omittat, quo ſaltem pars aliqua regni Chriſti ſalva in ipſius ditione maneat. Hæc heroica animi magnitudo quum illi cælitus data ſit, eam pro ſua virili adjuvare Toſſani officium eſt. Nos quoque brevi fore ſperamus, ut viam aliquam per quæcunque obſtacula inveniat Dei benedictio, ad promovendum tam præclari inſtituti curſum, ne ſucceſſu tandem careat. Genevæ, 11. Calend. Martii. M. D. XLIX.

JOANNES CALVINUS N.

Si omnis diſciplinæ ſtatus tolerabilis negabitur.

ETiamſi hactenus tolerabilis fuiſſet ἀταξία, quæ tibi movit hoc certamen: jam tamen eo deducta res eſt, ut liberum tibi non ſit, meo judicio, ea lege manere, ut tam gravibus malis nullum adhibeatur remedium. Sed quia in re perplexa adhuc ambigis quænam moderatio tenenda ſit, meamque ſententiam audire cupis, ſic accipe, Si ſacra myſteria profanare nefas eſt, certe quæcunque occurrant offendicula, ad excuſandum ſacrilegium non ſufficient. Quærenda igitur definitio eſt, ex qua certo ſtatuere liceat quouſque pateat iſta profanatio. Porro in re clara & obvia non eſt tantopere laborandum. Nam qui paſſim nulloque delectu vel diſcrimine quoslibet admittit ad Sacramenta, quin ea profanet non dubito. Fateor quidem nunquam ita purum eſſe uſum in Eccleſia, qui eorum ſanctitati omni ex parte reſpondeat: & nos plus ſatis experimur quam procul abſit noſtra ratio à munditie quæ optanda eſſet: ſed aliud eſt ſacros theſauros alieniſſimis quibuſque proſtituere, quam indignis permittere, qui arceri legitimo judicio nequeunt. Nimia fuit auſteritas in veteribus. Atqui minus teverentiæ deferri ſacris noſtris, qoam ſcimus olim habitum fuiſſe impuris ſuperſtitionibus, pluſquam indignum eſt. Ergo niſi inter nos vigeat diſcrimen aliquod, ut prohibeantur qui ſine craſſa Dei injuria admitti nequeunt, pro confeſſo ſumo tam Baptiſmum quam Cœnam profanari. Fidejuſſor enim quî recipiendus ſit ab Eccleſia alienus, non video. Sed pios malorum culpa privari injuſtum eſt. Scio ut à publica excommunicatione abhorruerit Auguſtinus. Nam quum vulgo regnaret tunc in Africa ebrietas, quadam ad Valerium epiſtola morbum hunc lentis remediis ſanandum potius eſſe exiſtimat, quam excommunicatione, quæ totam Eccleſiam convellat ac diſſipet. Semper tamen videndum eſt, ne freno laxato foveatur peccandi licentia. Ego ut concedam nimium rigorem eſſe temperandum: impunitas tamen nullo modo ferenda eſt. Nullam ergo eſſe legem, quæ Cœnæ & Baptiſmi ſanctitatem cuſtodiat, ne utrumque myſterium contemptui & ludibrio expoſitum ſit, remiſſio eſt minime excuſabilis. Quod excipis nibil privatim tentandum eſſe: neque etiam boc mihi probatur, ut Paſtor, re nondum cognita, ſe officio abdicet, ſponteque deſerat ſtationem ſuam: verum qui ſincero ædificandi ſtudio præditus erit, boc ſaltem teſtabitur ſibi fas non eſſe, ad ſacram Chriſti Cœnam promiſcue admittere qui palam ſe canes eſſe oſtendunt, & excuſſo pudore, quaſi ex profeſſo contumeliam irrogant Dei myſteriis. Nec vero paucorum bominum arbitrio acquieſcer, donec populum ipſum cognoverit jugo nolle ſubjici: tunc ſequetur deliberatio, quo jure obſtrictum teneant Cbriſti ſervum, qui ordinem divinitus præſcriptum palam recuſant. Certe ubi togando & bortando nihil proficitur, ac fruſtra etiam cooqueſti ſumus oos religione conſtringi ne pergamus ſcientes & volentes ſacra Dei myſteria profanare: in tam confuſa ordinis perturbatione quomodo ſtare nobis liceat neſcio. Etſi autem cunctatio reprebenſione oon caret, ingenueque fatendum, ſerius quam decebat hanc cauſam ſuſceptam eſſe, vel non ſatis ſtrenue & viriliter fuiſſe defenſam: non alia tamen quam nimiæ lenitatis culpa objici poterit, quæ omnium qui contumaciter obſiſtunt, crimen duplicat potius, quam invidia oneret Cbriſti ſervum, qui ſua tarditate oſtendit, ut populi ſaluti conſuleret, ſe nimis fuiſſe timidum. Nec vero fervoris & præcipitantiæ calumniam ullo argumento melius diluere optarem ſi tuo eſſem loco, quam ingenua iſta confeſſione: vidiſſe quidem ab initio quam turpis & pudenda eſſet iſta profanatio ſacrorum; ſed ſperaſſe quum adoleviſſent, correctionem aliquam: atque banc fuiſſe tolerantiæ cauſam, quia malebas profectu ſenſim ad docilitatem formari, quam eos repente cogere in ordinem: interea non tacuiſſe quales te anguſtiæ premerent, donec videres meliorem rerum ſtatum: nunc ſerius & vebementius urgere, quia hoc tibi neceſſitas extorquet. Hoc ſi nunc libere teſteris, conſtaoterque poſtea inſiſtas, nec finem urgendi facias, vel remedium malis iſtis inſanabilibus inveniet Deus; vel te expediet, ut certo tibi ſis conſcius, quicquid alii obſtrepant, nibil temere abs te ſuiſſe tentatum. Quod ſi tibi elapſa fuerit bæc occaſio, timendum eſt ne poſthac ſentias alio te quam ſanctæ vocationis vinculo teneri conſtrictum.

CALVINUS N. S. D.

Si infans ſine Baptiſmo per occaſionem deceſſerit.

PErlatum eſt ad me de tua orbitate ex morte filii: cui & alter dolor acceſſit, quod nonnulli ex piis fratribus offendiculum ex eo conceperint, quod ſine Baptiſmo infans è vita exceſſerit, quum tibi per tempus hoc præſtare licuiſſet. *Ex Gall.* Quod ad primum attinet, non eſt quod diutius inſiſtam ut te conſoler propter illius theſauri amiſſionem, cujus diuturnam fruitionem ſperare poteras. Sic enim de te exiſtimo, ut teipſum per te remedia illa adhibere dolori tuo non dubitem: adeoque jam eo uſque illa tibi applicando profeciſſe, ut ad Dei nomen glorificandum te comparaveris, ex quo didiciſti nibil nobis accidere poſſe melius, quam ut voluntatem noſtram illius arbitrio ſimpliciter ſubjiciamus. Maxime ubi ipſe nos ea gratia dignatus eſt, ut pro ſuis agnoſcat in vita & morte, qui ipſi & vivunt & moriuntur. Quod ad alterum vero, fateor oblatam ſcandali occaſionem piis omnibus, ſi tua ceſſatione vel neglectu infans ſine Baptiſmo exceſſit. Baptiſmus enim res magis ſacra eſt & auguſta, quam ut ullo modo contemni debeat. Quare nonmodo ii ferendi non ſunt, qui Baptiſmum negligunt; ſed & illi non probandi, qui jactatione quadam & oſtentationis cauſa, rei ſanctæ adminiſtrationem in multos dies protrahunt. Tuum eſt igitur aperire cooſilium & mentem tuam fratribus, ut ſcandalum ipſis oblatum tollas. Neque vero dubito, quin re ita percepta, babeant in quo acquieſcant. Si tibi fuiſſet propoſitum diutius illic vivere ut alii faciunt, peccatum à te fuiſſet, niſi infantem ad Baptiſmum quamprimum offerres. Etſi vero illi eriam non ſunt excuſandi, qui iſtic offerunt ad Baptiſmum liberos, ubi ſuperſtitionibus Papiſticis polluantur: non poſſunt tamen rejicere notam illam

Cbri-

Chriſtianiſmi, qualis etiam iſtic extat, quio hoc ad Dei ipſius contemptum pertineat. Tibi autem longe aliud erat propoſitum. Quum enim boc ante præcepiſſes, cogitabas de uxore adhuc prægnante in verum Eccleſiam deducenda: aut ſi parturitio prius interveniſſet, de matre cum partu abducenda, ut ex Dei ordinatione pure infans tingeretur. Atque illud fuiſſet luculentum teſtimonium non contemptus Baptiſmi, ſed legitimæ reverentiæ, quum illum ſincerum ex Domini ordinatione filio tuo ita procuraſſes. Illa igitur dilatio quum pars quædam ſit Confeſſionis fidei tuæ, ubi à fidelibus audita fuerit, illos amplius non offendet: quum ſi res ex voto ſucceſſiſſet, nibilo magis dilatio illa, quam tua ipſius profectio conjuncta damnari potuiſſet. Fieri poſſe quidem exiſtimu, ut non deſint qui non approbent illam demigrationem à natali ſolo, quia ſe talibus exemplis perſtringi ſentiant: qui ſi io eo peccant, temere alios tentant exemplo ſuo ſubjicere, quaſi legem illis vivendi ex ſuis moribus figant. Ab illis vero, qui ea quæ recta ſunt probant, neque adhærent malo, facile exiſtimo hoc etiam probatum iri, ut perinde liceat Chriſtiano homini conſulere filio ſuo, nt ad ſincerum Baptiſmum io Eccleſia Cbriſti percipiendum abducatur à Papatu, atque ut pater ipſe illioc emergat. Tantum tibi Dominus licere noluit. Cauſam ipſe novit. Sane ita te humiliare illi placuit. Nec tamen factum per ſe damoationem meretur, quum propoſitum tuum ſanctum fuerit & laudabile. Atqui infans ita privatus eſt ſigno ſalutis, Baptiſmo nempe. Nego tamen illius coram Deo deteriorem eſſe conditionem. Quamvis enim Baptiſmus ſit ſigillum adoptionis noſtræ: inſcripti ſumus tamen in libro vitæ, tum mera gratia Dei noſtri, tum illius promiſſione. Cedo enim quo nomine filii noſtri ſervantur, niſi
Gen. 17. verſ. 7. ex illo verbo, Ego ſum Deus ſeminis tui? Ac niſi illud verbum ad eos pertineret, ne ad Baptiſmum quidem admittendi eſſent. Jam ſi eorum ſalus Dei promiſſione nititur, & fundamentum illud idoneum eſt ex ſeipſo, non eſt exiſtimandum perire omnes pueros qui ſine Baptiſmo è vita excedunt. Sic enim ſub commendatione ſigni illius gratiæ Dei, Deus ipſe afficeretur injuria & contumelia, & ejus veritati derogaretur, quaſi ſalus noſtra ipſius fulta promiſſione non ſatis conſiſteret. Quum igitur nullus in te neglectus Baptiſmi deprehendatur, privatio illius infanti nocere non potuit, quum ante exceſſerit quam tibi commode ad Baptiſmum offerre liceret. Quare nulla ſcandali occaſio ſupereſt, niſi qui ſibiipſis ultro moleſtiam inde accerſent. Tu vero piis omnibus hoc ita ſe habere ſignificabis, unde ſibi ſatisfactum noverint. Dominus te & uxorem præſidio ſuo tueatur, Spiritu ſancto confirmet, atque in bonum magis ac magis promoveat. 6 Septemb. M. D. LIV.

Calvinus N. s. d.

Ubinam Baptiſmus recte adminiſtrari poſſit.

Ex Gall. ROgatus ſententiam de pueris ad Baptiſmum Eccleſiæ veræ offerendis, ubi Eccleſia ipſa latet adbuc, & vix poteſt pro locorum iniquitate & temporum convenire: dixi, Quum quis ſub Papatus tyrannide non modo ipſe ab illius pollutionibus abſtinet, ſed etiam liberos ſuos Domino offerre, & baptizandos juxta Domini inſtitutum curare ſtudet, zelum illum & ſanctum eſſe & laudabilem. Magna eſt enim indignitas, ubi tam ſingularis theſaurus, liberi nempe à Domino nobis donantur, ita illos pollui ſinere apertis ſuperſtitionibus quas homines in ſacrum Baptiſmum invexerunt. In primis autem obſervandum eſt, quum iſtud Sacramentum complectatur ſacram & ſolennem introductionem in Eccleſiam Dei, ſitque teſtimonium cæleſtis noſtri municipatus, in quem adſcribuntur illi quos Dominus adoptat ſibi, fas non eſſe adminiſtrare Baptiſmum, niſi in coetu fidelium. Non quidem, ut templum requiratur, ſed ut ubivis numerus aliquis fidelium conveniat, qui Eccleſiæ corpus efficiat, & qui baptizat pro Paſtore agnoſcatur. Si enim infans clam baptizetur & nullis adhibitis teſtibus, illud neque reſponderet ordini à Domino poſito, neque Apoſtolorum exemplo. Oportet igitur infantem baptizari in cœtu aliquo: qui quidem cœtus profiteatur ſibi nihil eſſe commercii cum Papiſticis pollutionibus. Quum illi, de quibus relatum eſt, ſic convenire poterunt in nomine Domini, etiamſi exiguus ſit illorum numerus qui ita convenient, oramus Deum ut rectum illum zelum ipſis adaugeat, quem jam contulit, ut ſe & ſuos Deo Patri conſecrent & Domino noſtro Jeſu Cbriſto. Qua io re nos etiam illis, quibuſcunque modis dabitur, defuturi non ſumus. 1 Octob. M. D. LIV.

J. Calvinus.

Knoxus Calvino s. d.

Ad diſciplinam Eccleſ. interrogata.

QUæ ſit rerum mearum conditio, fratres io Chriſto colendiſſimi, quibus armis & machinis impetiti fuimus & ſimus, & quomodo Dei auxilio tuti hactenus inimicis noſtris non ceſſimus, vos docere poteſt hic frater, non mihi ſoli, ſed univerſæ Eccleſiæ propter pietatem cbarus. Quem ut viſcera mea, precor, ſuſcipite: eidem ſignificantes quæ ſit veſtra de ſubſcriptis articulis ſententia.

1. An ad Baptiſmum admitti debeant ſpurii, idololatrarum & excommunicatorum filii, priuſquam vel parentes per reſipiſcentiam ſeſe ſubdiderint Eccleſiæ, vel ii qui ex hujuſmodi prognati ſunt, Baptiſmum petere poſſint.

2. Utrum monacbis & ſacrificulis Papiſticis, qui neque Eccleſiæ Dei ſerviunt, neque propter habitudinem ſervire poſſunt, annui reditus perſolvendi ſint, etiamſi errorem priſtinum ore fateantur.

Hæc quia nego, plus æquo ſeverus judicor, noo à ſolis Papiſticis, verum etiam ab iis qui ſibi veritatis patroni videntur. Plura ſcribere vetant febris qua crucior, laborum moles qua premor, & Gallorum bombardæ, qui ut nos opprimant nunc appuleruot. Aderit ſuis is, cujus cauſam tuemur. Memores noſtri ſitis in precibus. Gratia vobiſcum. Raptim, 28 Auguſt. M. D. LIX.

Vobis addictiſ. J. Knoxus.

Calv. D. Joanni Knoxo Scoto,

De liberis ad Baptiſmum admittendis.

SI expectatione tua tardius, integerrime frater, literis tuis reſpondeo: qui eas attulit conterraneus tuus, optimus mibi erit teſtis, pigritiam non fuiſſe cauſam moræ. Ipſe quoque ſatis intelligis, quam rara ſcribendi commoditas nobis detur, quia rebus turbatis difficiles ſunt in patriam tuam omnes acceſſus. Non mibi ſolum, ſed piis omnibus quos lætitiæ meæ feci participes, audire jucundum fuit de uberrimo laborum tuorum ſucceſſu. Porro ut miramur incredibilem ſucceſſum tam brevi temporis ſpatio, ita ingentes pariter agimus Deo gratias, cujus ſingularis benedictio hic refulget: quæ & amplam fiduciæ materiam in futurum tempus ſuggerit, & proinde ad ſuperanda quælibet certamina animare vos debet. Quia oon ignoro, quam ſtrenuus ſis hortator, & quid facultatis ac nervorum Deus ad bas partes obeundas tibi contulerit, fratres ſtimulare ſupervacuum eſſe duxi. Interea non aliter ſumus periculis veſtris anxii, quam ſi communis eſſet militia: & quod unum ſupereſt, vota noſtra cum veſtris conjungimus, ut cæleſtis Pater hoſtes veſtros furentes, amentia & cæcitate percutiat, eorum conſilia diſſipet, co-

natus

natus omnes & apparatus frangat. Certe in claſſe armanda multum laborant: præcipue ob nummorum penuriam. Draconi tamen certius eſt omnia miſcere, quam non aliquid moliri.

De quæſtionibus quarum ſolutionem poſtulas, poſtquam retuli ad Collegas meos, de communi ſententia ita reſpondendum cenſuimus. Merito quæris, an idololatrarum & excommunicatorum liberos ad Baptiſmum admittere liceat, donec reſipiſcentiam parentes ſint teſtati. Semper enim attente cavendum, ne profanetur myſterii hujus ſanctitas: quod fieri certum eſt, ſi promiſcue alienis conceditur, vel quiſquam recipitur ſine idoneis ſponſoribus, & qui numerari queant inter legitimos Eccleſiæ cives. Sed quia in recto Baptiſmi uſu reſpicienda eſt Dei auctoritas, ac ejus inſtitutio pro certa ratione valere debet: hic in primis expendere convenit, quos Deus ſua voce ad Baptiſmum invitet. Promiſſio autem non ſobolem tantum cujuſque fidelium in primo gradu comprehendit, ſed in mille generationes extenditur. Unde etiam factum eſt, ut pietatis interruptio, quæ graſſata eſt in Papatu, vigorem & efficaciam Baptiſmi non abſtulerit. Origo enim ſpectanda eſt, & ipſa Baptiſmi ratio & natura ex promiſſione æſtimanda. Nobis ergo minime dubium eſt, quin ſoboles ex ſanctis & piis atavis progenita, quamvis apoſtatæ fuerint avi & parentes, ad Eccleſiæ tamen corpus pertineat. Sicut enim prava & veſana ſuperſtitio fuit in Papatu, Judæis & Turcis ſurari vel eripere liberos, & mox ad Baptiſmum ingerere: ita ubicunque non prorſus intercidit vel extincta fuit Chriſtianiſmi profeſſio, fraudantur jure ſuo infantes, ſi à communi ſymbolo arceantur: quia iniquum eſt, quum Deus ante annos trecentos vel plures, adoptione ſua eos dignatus fuerit, ut quæ deinde ſequuta eſt parentum impietas, cæleſtis gratiæ curſum abrumpat. Denique ſicuti non recipitur quiſque ad Baptiſmum, unius duntaxat patris ſui reſpectu vel favore, ſed propter continuum Dei fœdus: ita unius parentis odio ab Eccleſiæ ingreſſu prohiberi infantes, nulla ratio patitur. Interea fatemur neceſſariam eſſe ſponſionem. Nihil enim magis præpoſterum, quam inſeri in Chriſti corpus, quos non ſperamus fore ejus diſcipulos. Quare ſi nullus ex cognatis appareat qui fidem ſuam obliget Eccleſiæ, ac curam ſuſcipiat docendi infantis, luſoria eſt actio, & Baptiſmus polluitur. Verum quiſquis ex infantibus offertur, legitima pactione interpoſita, cur rejici debeat non videmus. Adde quod alia eſt nunc renaſcentis Eccleſiæ ratio, quam rite formatæ & compoſitæ. Dum enim ex horrenda diſſipatione colligitur Eccleſia, quoniam poſſeſſio Baptiſmi per longam ætatum ſeriem ad nos uſque viguit, retinenda eſt: ſucceſſu autem temporis corrigenda quæ obrepſit licentia, & cogendi parentes, ut ſuos ipſi liberos offerant, & primi ſint ſponſores. Nam ſi inter principia ſevere exigitur ſumma perfectio, valde timendum eſt, ne multi hac occaſione cupide arrepta, in ſordibus ſuis jaceant. Fatemur quidem nihil debere nobis tanti eſſe, ut vel tantillum deflectamus à linea divinitus nobis præſcripta: ſed putamus nos breviter oſtendiſſe, ſi rejicimus à Baptiſmo quos conſtat eſſe Eccleſiæ domeſticos, nimis ſeveram fore prohibitionem. Itaque dum melior expectatur progreſſus, ac vim ſuam obtineat diſciplina, recipiantur infantes qua diximus lege, ut promittant ſponſores, curæ ac ſtudio ſibi fore probam ſinceramque eorum inſtitutionem. Quanquam interea non negamus, idololatras, quoties naſcuntur ipſis liberi, acriter monendos & ſtimulandos eſſe, ut ſe Deo vere addicant: excommunicatos etiam, ut ſe reconcilient Eccleſiæ.

Monachis & ſacrificulis victum ex publico non deberi certum eſt, ut in otio inutiles degant. Si qui ergo apti ſint ad ædificandam Eccleſiam, in partes laboris vocentur. Sed quia majori ex parte indocti ſunt, & omni dexteritate carent, humaniter cum illis videtur eſſe agendum. Nam etſi nullo jure exigere poſſunt alimenta, qui nullam Eccleſiæ operam impendunt: durum tamen eſſet, quum per inſcitiam & errorem laqueos induerint, & partem ætatis conſumpſerint in deſidia, eos ſpoliari. Monendi quidem ſunt, ut juſto potius labore victum ſibi quærant, quam ut devorent quod Eccleſiæ miniſtris & pauperibus eſt deſtinatum. Media etiam ratio tenenda, ut ex opimis ſacerdotiis pars aliqua in ſanctos uſus erogetur. Interim tamen dum ſacras oblationes recuperet Eccleſia per illorum mortem, non videtur de annuo reditu certandum: niſi quod monendi erunt, precario & tolerantia, non approbatione ipſos retinere, quod nunquam jure adepti ſunt. Hortandi etiam ne ſibi nimium indulgeant, ſed contenti frugali victu, reſtituant potius Eccleſiæ quod ſuum eſt, quam eam ſinant deſtitui fidis Paſtoribus, vel ſinant Paſtores ipſos eſurire. Vale eximie vir, & frater nobis chariſſime. Totum piorum cœtum cupimus ſalutari noſtro nomine, Deumque precamur, ut vos omnes Spiritu ſuo uſque in finem gubernet, virtute ſuſtineat, præſidio tueatur. Genevæ, 8 Novembris. M. D. LIX.

VATELLUS CALVINO S. D.

Ad diſcipl. Eccleſiaſt. interrogata.

Pater in Chriſto chariſſime ac venerande, ex multis cauſis quæ me ut has ad te literas darem adduxerunt, una eſt præcipua, quam primam omnium quam breviſſime potero expediam. Proximis ſuperioribus diebus huc venerunt Principes Duces, Bipontinus, & Wirtembergenſis, Principis noſtri tutores. Hic quum eſſent, horum Eccleſiaſtæ & Conſiliarii aliquot, nobis omnibus verbi Miniſtris convocatis, rurſus propoſuerunt ordinationem illam Eccleſiaſticam, jam antea tribus circiter abhinc annis nobis propoſitam: quæ tribus potiſſimum capitibus abſolvitur. Primum caput eſt de doctrina: quæ ea eſſe jubetur in hac Eccleſia, quæ à Prophetis & Apoſtolis eſt tradita, atque adeo in confeſſione Auguſtana explicata. Secundum de ceremoniis eſt, & ritibus formuliſque catechizandi, Sacramenta adminiſtrandi, nuptiis benedicendi, & publicarum precum. Tertium diſciplinam complectitur.

Quod ad primum & tertium attinet, utrumque recepimus, addita explicatione articuli de Domini Cœna, partim ne ſigna tantum nuda in ea recognoſcere, partim ne abſurdam impanationis opinionem admittere videremur. Secundum rejecimus. Quod quam ægre tulerint præſides, tibi negotia hujuſmodi non ſemel experto cogitandum relinquo. Præcipua tamen controverſia de privato Baptiſmo fuit: privato inquam Baptiſmo, id eſt, ab obſtetricibus adminiſtrato, quem in hanc Eccleſiam revocare ita apud ſe conſtituerant, ut nullum non moverent lapidem (quod aiunt) quo nos in ſuam raperent ſententiam. Sed fruſtra. Porro ne victi omnino conſtantia noſtra judicari poſſent, tandem hoc [illegible] immutabile, quem Receſſum poſtremum vocant, nobis obtruſerunt. Principes hunc privatum Baptiſmum, ordine bono, per viros ad hujuſmodi negotium tranſigendum idoneos, inſtituent. Interea vetant & interdicunt vobis, ne quis veſtrûm adverſus illum clamet, neve à Cœna Domini, aut Eccleſiæ gremio, eos rejiciat, qui ab honeſta aliqua matrona fuerint baptizati. Hæc poſtrema fuit reformatorum noſtrorum oratio.

Cæterum an hoc Principes facturi ſint nec ne, pro certo nondum teneo. Sed quoniam minæ illæ prorſus negligendæ non ſunt: ne forte ex improviſo vim ſuam exerant, jam quæro, Num idonea & ſufficiens ſit occaſio Miniſterii abdicandi, ſi nobis aut inſciis,

aut

aut invitis & reclamantibus, baptizandi poteſtas mulieribus in hac Eccleſia concedatur.

Eſt & aliud, de quo neceſſe eſt ut te conſulam, propterea quod conſilii quoque ambiguum me reddit. Ditiones tres, anguſtæ quidem, ſed juris primarii & ſummi, anno proxime elapſo in Principis noſtri manum redierunt. Principes tutores, ut ſignificatum nobis fuit, ſtatuerunt in ſingulas illas ditiones Miniſtros ex noſtro cœtu ſelectos mittere, qui, donec aliter proſpectum fuerit, relictis ſacrificis, Miſſis, & idololatria, illic concionabuntur, & Sacramenta iis qui illa volent, adminiſtrabunt. Dic nunc, obſecro, num conſilium illud accipere, improbareve prorſus, an intactum potius relinquere debeamus: ne forte ſinguli audiamus, Gregem tuum cura, non alienum. Quicquid ſit, tamen ex te ſcire aveo, quid dicere aut facere debeant qui ex nobis in ditiones illas cum illis conditionibus ablegabuntur. Hæc ſunt de quibus tuam ſententiam audire cupio, ne quid in iis vel temere, imprudentius quam par ſit audendo; vel perfide, turpiter connivendo, deſignem.

Neque vero ego ſolus hoc in negotio hæreo. Sunt & alii quinque Symmyſtæ mei, tui amantiſſimi, qui conſilio tuo, non minus quam ego, juvari percupiunt.

Hi omnes mecum Confeſſioni fidei Eccleſiarum Genevenſis & Gallicanarum ſubſcripſerunt, & univerſam doctrinam, quam Dominus ſcriptis tuis non minus Chriſtianis quam eruditis, diſpergi & divulgari voluit, orthodoxam & ſinceram eſſe fatentur, atque idcirco approbant: hac præſertim ratione moti, quod eam ex canonico literarum veteris & novi Teſtamenti promptuario deſumptam eſſe ſatis ſuperque conſtet. Unde judicamus tuam illam non eſſe, ſed Domini, qui te ejuſdem diſpenſatorem eſſe voluit, & præconem conſtituit. Itaque ut eundem Chriſtum æternum Dei omnipotentis Filium cum Eccleſiis Genevenſi & Gallicanis amplectimur, ita idem cum iiſdem ſentimus in Domino.

Qui utinam faxit, ut in hac Confeſſione ita perſeveremus, ut eam non ſolum ore & ſcriptis, verum etiam vita & moribus ad extremum uſque ſpiritum, conſtanter & intrepide teſtemur ac profiteamur, Amen.

Hæc de me & Symmyſtis meis pluribus fortaſſe quam erat neceſſe. Non quod vererer, ne uni tantum prudentiam tuam conſulenti conſilium denegaturus eſſes: ſed ut pluribus alacrius dones, quod uni tantum alacriter daturus fueras. Atque hæc ſunt quæ de conſilio nobis in commune neceſſario, quod à te petimus, ſcribenda habui.

Supereſt ut ad alia, levia quidem, ſed tamen negotii aliquid mihi faceſſentia, meæ feſtinent literæ. Hic ſunt non pauci qui vita defunctorum mentionem facientes, verba hæc addere ſoleant, Cui Deus bonam & felicem det reſurrectionem. Scimus quidem vanas & impias eſſe preces quæ pro defunctorum ſalute funduntur: ſed quoniam hujuſmodi optatum ad carnis reſurrectionem, quam fides noſtra ſperat, reſpicit, illud hactenus reprehendere nondum ſum auſus. Itaque ſcire velim, an homini Chriſtiano in Religione bene inſtituto ita loqui liceat. Et ſi licet, quatenus id facere poſſit.

Præterea Muſculus in ſuis locis communibus, & Bullingerus in ſua locorum communium reſolutione iſtic excuſa, fidem à Deo petendam eſſe aſſerunt. Neque tamen Muſculus fidei nomine, fidei incrementum intelligit, ut qui eos qui puſilla fide ſunt, adhortetur ad dicendum in ſuis ad Deum precibus, Domine adauge nobis fidem. An Bullingerus idem addat, affirmare non poſſum: quia nec ſatis memini, nec librum præ manibus habeo, ut amiſſam memoriam recuperem. Sed ambos in fide petenda conſentire ſcio. Quomodo autem hinc me evolvere queam, non video. Nam qui fieri poterit ut id à Deo petam, ſine quo nihil ab eodem petere poſſim, quod exorem? Quiſquis enim Deum ſine fide orat, fruſtra orat. Imo ſic orando peccat, quum quicquid fit ſine fide, ſit peccatum. Adde quod nemo eſt qui poſſit Deum Patrem ea animo appellare, niſi prius fidei dono de paterno Dei in ſe amore, & ſui in filium adoptione, certior ſit factus. Ego interea auctorum illorum auctoritatem convulſam nolim, nec ſcio an ulla ſit ignota mihi ratio qua defendi poſſint. Quare te oro, ut quicquid ſcrupuli in hoc mihi eſt loco, illud uno verbo mihi adimas.

Quod ad luſiones, quibus homines tempus fallere ſolent, attinet, etſi optandum eſſet ut ab illis Chriſtiani omnes, qui de omni verbo otioſo rationem ſibi reddendam eſſe ſcire debent, prorſus abſtinerent; tamen vix ac ne vix quidem populus hic unquam adduci poterit ut hoc præſtet. Itaque ſinimus illum bombardulis & arcubaleſtis ſeſe oblectare & exercere. Sed dubito an perinde liceat pyramidulas, chartas, & fritillos, vel animi relaxandi gratia, permittere. Quod ſi licet, quatenus id licite fieri poſſit, ſcire pervelim.

De jactu lapidum planorum ad metam, & pila palmaria, uſque adeo animi dubius non ſum, propterea quod arte conſtant, & corpori exercendo proſunt. Sed an diebus profeſtis ſive operariis ludi illi concedi debeant, aliquatenus ambigo. Nam ſi iis qui opifices non ſunt & ſine manuum labore vivunt, denegentur, reſponſum habebunt paratum, Si nobis licet die Dominico, quia à laboribus & manuum operibus ceſſatur, ludere, illud idem hodie quoque nobis licet: diebus enim quibuslibet laborum & operum ſumus immunes. Sin concedantur, pauci erunt qui illorum numero ſeſe non inſerant, addentes ſe habere unde illo die vivant, etiamſi manibus ſuis nihil lucrentur. Itaque conſilio tuo hic quoque mihi opus eſt.

Choreæ & ſaltationes ſunt hic auctoritate Magiſtratus interdictæ. Unde fit, ut nullæ, aut pauciſſimæ publice inſtituantur. Sed in tricliniis in quibus nuptialia convivia agi conſueverunt, ſaltari audimus; nec poſſumus, quicquid clamemus, malum illud avellere. Jam vero quæro, num melius & majoris ædificationis eſſet, diebus profeſtis nuptias celebrari, quam Dominicis, quemadmodum in Ducatu Wirtembergenſi fieri audio. Nam etiamſi diebus profeſtis ſaltabitur, nulla tamen inde ſequetur diei Dominici profanatio. Hæc ſunt quæ familiariter, tanquam patrem benignum alloquens, proponenda habui: ad quæ ſingula ubi, ſi tibi eſt otium & ſi vis, reſponderis, maximo certe & graviſſimo me levaveris onere. Dominus Deus & Pater noſter cæleſtis Spiritu ſuo ſancto ſemper te regat & gubernet, Eccleſiæque ſuæ incolumem quam diutiſſime conſervet, per dilectum Filium ſuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſibi coæternum, coëſſentialem, & regni cæleſtis ab æterno conſortem, Amen. Dabar Montbelgardi, II. Calendas Octobris. M. D. LXII.

Tuus omnino obediens filius
Matthæus Vatellus.

JOAN. CALVINUS VATELLO S.

PRolixæ tuæ epiſtolæ breviter reſpondere me cogit temporis anguſtia, integerrime & ex animo colende frater. Mihi paulo ante meridiem reddita fuit. Duabus poſt horis ad conſeſſum Eccleſiaſticum profectus ſum. Illinc tertia ſum egreſſus. Adhuc cum fratre noſtro colloquebar, dum adveniunt rurſus Collegæ. Ergo brevitati, quam extorquet neceſſitas, ignoſces. Conſiliarios Principum ita præciſe vobiſcum egiſſe, non miror: quia eorum morem pridem cognovi. Quod in capite de ſacra Cœna diſerte addita fuit exceptio, recte & prudenter factum. Quamlibet enim moroſi ſint, apud

eos

Digitized by Google

eos periculoſior eſt ſimulatio, quam ingenua libertas. Articulo autem de diſciplina, quæ apud vos nulla eſt, quin ſubſcribere licuerit, non video. In Baptiſmo craſſum illum abuſum, qui nonniſi ex bruta ignorantia manavit, & obrepſit inter multas errorum tenebras, improbari omnino neceſſe fuit. Si acquieviſtis imperio, peſſimo laqueo vos induiſtis. Primum turpe fuit tacere: deinde, ſi libere ut oportet, in illam Baptiſmi profanationem invecti deinde fueritis, vos crimine levitatis adeoque perfidiæ onerabunt. Atqui tacere nefas erit, quibus baptizandi munus à Chriſto ſit injunctum. Dixit mihi frater, vos iterum profeſſos eſſe, illam corruptelam non poſſe à vobis ferri. Certe ſilentio veſtro eam fovere conſentaneum non eſt: neque tamen ſponte Eccleſia deſerenda eſt, niſi illi vos abdicent. Pergite in curſu vocationis veſtræ. Si tantillum ſuis tyrannicis edictis abducere vos conentur, intrepide oſtendite vobis pluris eſſe Dei auctoritatem. Si deinde vos exturbent, cedendum erit violentiæ. Danda interim opera, ut teſtatum illis ſit, vos jugum quod Chriſti ſervis non eſt tolerabile, nequaquam ſubituros. Paſtores qui jam certis Eccleſiis addicti ſunt, ad alias novas traduci rectum non eſſet, niſi ordine id fiat. Cæterum, ſi id utile cenſuerint fratres, Seniores, & Principum Conſiliarii, nulla ratio, meo judicio, impedit, quominus novis ditionibus Chriſto acquirendis operam ſuam impendant, qui vocati fuerint. Expoſuit mihi frater, timendum eſſe ne reſpuatur illic doctrina, quia id uno in loco jam contigit. Ergo hac tantum lege experiamini. Rejicere enim, qui nullum adhuc contumaciæ ac obſtinationis ſignum dederunt, non ſatis humanum foret. Denique ejuſmodi electio peræque legitima eſt, acſi pro communi utilitate, qui in pago Miniſter fuit, in urbem transferatur. Sic enim ſua cuique tenenda eſt ſtatio, ne ſimus loco affixi, ubi aliter de nobis ſtatuit Eccleſia, cujus auctoritati parendum eſt. Nemo cupidus ſit migrationis, neque ambiat novam provinciam, neque ſponte locum mutet, neque etiam aſſentiatur eorum libidini qui Eccleſiæ ordinem turbare moliuntur. Verum ubi finis ille propoſitus eſt, propagandi regni Chriſti, præſto ſint omnes ad obſequium. Precationis formula, ut Deus bonam & felicem reſurrectionem det mortuis, quia ad regulam bene precandi non quadrat, repudietur. Tale quidem votum quin concipere liceat, non contendo. Si amicus ſepeliatur, vel de ejus morte allatus ſit nuncius, optabo ut ultimo die cæleſtis gloriæ mecum ſit particeps. Nulla in hoc voto ſuperſtitio. Verum alia in precibus tenenda ſobrietas, ne quid temere excidat: nec quidquam poſtulemus, niſi præeunte Dei verbo. In hoc
Rom. 10. verſ. 14. enim principio acquieſcere convenit, Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Ergo qui ſibi vel minimum indulgent in fingendis poſtulationibus, metas tranſiliunt. Quicquid vero ad præcipuum illud ſacrificium vitiandum tendit, à piorum conſuetudine longe remotum velim. Quare ut ab omni fæce purgatus ſit Dei cultus, mature occurrere expedit, ne in communem uſum admittatur quod à vera pietate degenerat.

Incredulos à Deo petere, ut in fide illuminentur, prorſus eſt abſurdum. Nulla enim oratio, niſi in fide ſit fundata, Deo probatur. Et fides clavis eſt, quæ nobis ſola januam aperit ad precandum: adeoque invocationis eſt mater: & ſcite probat Auguſtinus,
Act. 10. verſ. 4. Cornelium fide fuiſſe præditum, quia dicit Angelus preces ejus fuiſſe exauditas. Apud eos tamen, qui ſibi in corpore nimis indulgent, objurgatio locum habet. Tu fidem non habes? pete ut detur: modo fixa maneat doctrina, ſola fide nobis aditum ad Deum patefieri. Ergo quos tu nominas, arbitror duriuſcule fuiſſe loquutos, ut ignaviam eorum expergefacerent, qui à ſuo vitio captant excuſationis prætextum.

Quod ad luſus ſpectat, cupio moderationem teneri. Primum ne quæſtus inde fiat, vel lucrandi illecebra ſtultos homines implicet. Ad hæc ne modum excedant, vel ſumptu, vel aſſiduitate. Leges ergo ferendæ eſſent, ut fratri expoſui, quæ vitia quantum fieri poſſet coërcerent: Ne lucrum quis reportet: ne quod in convivium deſtinatur, gravet luſores: ne ſæpius id fiat, & quæ prudenter legiſlatores cavenda proſpicient. Interea noſtræ partes ſunt, animadvertere ſi quis tempus & ſe ac ſua conſumat ludendo: neque ferre diſſolutam illam licentiam, quæ excommunicatione caſtiganda eſt, auctore Paulo, 2 Theſſ. 3. Quanquam nuptiarum prætextu diem Dominicum indigne profanent multi; præſtat tamen liberos dies permittere, modo ſevere omnis petulantia reprimatur. Qua in re ſumma vigilantia opus eſt. Vale optime & colende frater. Dominum Quadratum & Tabellionem, & tuos Symmyſtas qui nobiſcum ſunt in ſincera fide conjuncti, plurimum ſalutabis meo nomine. Collegæ etiam mei vobis omnibus multam ſalutem precantur. Dominus tibi adſit, te gubernet, ſuſtineat ſua virtute, labores tuos benedicat. Genevæ, 25 Septembr. M. D. LXII.

CALV. MENSONI POPPIO S.

Ad diſciplin. Eccleſiaſt. reſponſa.

SI meas occupationes cognoſceres, optime frater, non eſſet mihi petenda brevitatis venia, ſi forte votis tuis non ſatisfacio. Vix enim credas, quam oneroſum ſit ac negotioſum munus quod ſuſtineo: & quam multa aliunde publice & privatim ad me diſtrahendum accedant. Jam vero quintum menſem febris quartana me in cubiculo captum tenet, majori etiam temporis parte lecto affixum. Etſi enim paulatim miteſcit, ſic tamen debilitavit & animum & corpus, ut multis laboribus non ſufficiam.

Quod quæris de indoctis Paſtoribus, qui etiam ad diſcendum propter ignaviam adduci nequeunt, vel etiam qui impura vita contaminant Eccleſiam Dei, nec ſæpius admoniti reſipiſcunt, ſintne excommunicandi: an, quia connivet Magiſtratus & ceſſat, tolerandi ſint: ego ita ſentio. Poſtquam fruſtra expertus es remedia quæ extremam ſeveritatem debent præcedere, agendum eſſe cum aliis fratribus & Symmyſtis, quibus cordi eſt rectus ordo, ne diutius patiantur ſordibus iſtis pollui Dei ſanctuarium. Ad hanc rem conventu opus eſſet, non Paſtorum modo, ſed eorum quibus à Principe mandata eſt Eccleſiæ cura, ut communis ſit deliberatio. Si ſpes aliqua correctionis appareat, ſperandum ad tempus erit cum gemitu: ſin vero longius progredi vos coget eorum pervicacia, rogandi erunt diſciplinæ præfecti, quibus auctoritas data erit ut vobiſcum in paucorum abdicationem conſentiant, quæ cæteris terrorem incutiat. Ac ne immodicus videri poſſit rigor, colligenda erunt crimina, ex quibus palam fiat, vel inſanabiles eſſe morbos, vel ſuperioribus offenſis non eſſe parcendum, quia non ſint in Paſtore tolerabiles. Hoc quoque ſi demum impetrari non poterit, hoc unum reſtare arbitror, ut libere denuncietis, etiamſi eos vel foveat vel toleret Magiſtratus, vobis tamen nullam poſthac conjunctionem cum ipſis fore, nec jam vobis eſſe loco fratrum. Hæc excommunicatio forte Magiſtratum expergefaciet, ne ita torpeat: ſaltem conſcientias veſtras pacabit, quia partibus veſtris eritis defuncti.

De ſecunda quæſtione ita ſentio: curandum eſſe in primis, ut publica auctoritate excommunicatio in Eccleſia vigeat. Atque in hanc rem ſtrenue incumbere cordatos Paſtores neceſſe erit. Si ad hunc conſenſum adduci Magiſtratus non poterit, ſicuti omnes fere à jugo abhorrent: non tamen frangantur repulſa pii Paſtores, neque ab incepto curſu deſiſtant: ſed conſtanter profiteantur ſibi fas non eſſe diutius profanare

ſanare ſacra myſteria. Porro indignam & minime ferendam eſſe profanationem, dum promiſcue quoslibet admittunt: ut porcis etiam & canibus pateat Chriſti menſa.

Quod ad filios improborum ſpectat, legitima Eccleſiæ gubernatio poſtulat, ne ad Cœnam accedant, niſi examinati. Erit autem in examine ratio, qua arceantur ſi indigni ſunt, donec profectum aliquem oſtenderint.

Negligentiam in liberis inſtituendis excommunicatione punire, durum mihi videtur. Objurganda quidem eſt parentum ſegnities: ſtimulandi ſunt modis omnibus: adhibendæ etiam minæ: ſed ubi neque manifeſta impietas, neque contemptus, neque gravius crimen cernitur, lenitatem rigori præferri ſatius eſt. Atque hæc omnino regula in cenſuris Eccleſiaſticis tenenda eſt, ne auſteritas humanitatem ſuperet.

Quantum ad pueros attinet, ſi adoleverint, aſperius corrigenda erit eorum protervia. Neque enim veniam meretur tam diſſoluta intemperies, de qua narras. Cæterum ubi ducunt uxores, hoc freno cohiberi expediet, non alia lege benedici eorum conjugium, niſi ſe ad bonam frugem redituros promittant. Quod ſi redierint ad ingenium, levitas eorum & perfidia bis reos faciet.

Quoniam baptizandi licentia, quam ſibi fœminæ arrogant, nihil aliud eſt quam craſſa ſuperſtitio, ſtulta illa & temere ſuſcepta actio pro nihilo ducenda eſt. Paſtorum ergo officium eſt eas compeſcere: interea legitimo Baptiſmo conſecrare infantes, qui ſtulta & præpoſtera æmulatione nihil aliud quam polluti fuerunt. Plura in libello quodam meo reperies, cui titulus eſt, Appendix ad rationem reformandæ Eccleſiæ.

Quod rogas, an digni ſint Eccleſiaſtica communione, qui eam colere negligunt alendis pauperibus, quum ſuppetat facultas: reſpondeo amicis monitionibus, non præciſo imperio hic eſſe locum. Videmus enim ut ſibi temperet Paulus, nihil extorquens ab invitis, ſed tantum blande rogans, ut ſubveniant egenis fratribus: neque id ex neceſſitate, ſed prout tulerit animi promptitudo, ut ſit benedictio, non tenacitas: quia hilarem datorem diligit Deus. Ergo hoc charitatis officium hortando quidem urgere convenit, voluntaria tamen relinqui debet liberalitas. 2 Cor. 8: 9. & deinceps.

Quos intelligas reſilire, vel rigore diſciplinæ, vel crucis ignominia offenſos, non ſatis aſſequor. Nam ſi meticuloſi tantum ſint ac frigidi, Chriſti exemplum erga eos inſtar legis nobis proponitur, dum ex Iſaia 42: 3. refert Matth. 12: 20. Ellychnium fumigans non extinguet, calamum quaſſatum non confringet. Sin vero palam diſceſſionem ab Eccleſia faciunt, ac eos Euangelii pudet vel tædet, nullo modo admittendi ſunt ad ſacram Cœnam.

Qui admoniti ſubinde ad eadem vitia relabuntur, nec finem peccandi faciunt, imo Eccleſiam ludunt vanis pollicitationibus, eos ſeverius tractandos judico, nec ſimplicibus verbis agendum, ubi verba dare non deſinunt. Nam ſi hæc levitas impune feratur, ad obſtinationem & impudentiam poſtea tranſiliet.

In rudibus difficile eſt perpetuam legem tradere: ſed hic non vulgari prudentia opus eſt, ut diſcernat Paſtor inter tarditatem, qua plurimi laborant, & inter ſocordiam, quæ vulgo craſſa ignorantia vel affectata dicitur. Multi enim reperiuntur idiotæ ſatis aſtuti in privatis negotiis, ſatis acuti ad lucrum captandum, & ad damnum vitandum perſpicaces, qui ne verbo quidem ad teſtandam pietatem idonei ſunt. Ergo quos ita videmus ſponte indociles, incuria magis & contemptu quam ingenii penuria, prohibendos à ſacra Cœna non dubito, donec pudefacti ſtudium ad diſcendum applicent. In aliis ſemifatuis modum hunc tenendum cenſeo, ne admittantur niſi modice ſaltem rudimentis imbuti: ut formulam precandi ſciant, confeſſionem fidei, Legis præcepta, ſalutem ſibi eſſe repoſitam in uno Chriſto fateantur, eumque unicum Mediatorem agnoſcant, finem etiam Baptiſmi ſui, & uſum Cœnæ non prorſus ignorent.

Qui ſuſpenſi à ſacra Cœna proterve judicium Eccleſiæ reſpuunt, hac ſua contumacia declarant ſe extraneos: ac proinde nihil ſenioribus reſtare video, niſi ut Magiſtratum exſtimulent ad eos durius coërcendos. Nam in pœnis Eccleſiaſticis ultima eſt excommunicatio. Quod vero ad cenſuras ſpectat, nota eſt illa Pauli admonitio, non eſſe noſtrum de his qui foris ſunt judicare. 1 Cor. 5: 13.

Optandum quidem eſt, ut præter diem Dominicum pauci retineantur dies feſti: nam ut tollantur è medio ſuperſtitionum reliquiæ, ſemper ad hoc vitium plus æquo propenſi erunt homines. Hodie autem major pars feriis Papatum fovere appetit. Ut tamen obviam eatur diſſidiis, cavendum eſt, ne quiſque proprio arbitrio ferias abrogans æmulationem accendat. Sed qui malum hoc ſanatum cupiunt, ſtudeant in eundem conſenſum fratres ſuos adducere. Hoc ſi impetrari non poterit, ſinguli quoad citra tumultum fieri poterit, paulatim ex ſupervacuo numero reſcindant quas videbunt magis eſſe noxias, quo facilius ſibi concilient populi ſuffragia.

Pauperes, quibus Eccleſiæ liberalitas ignaviæ eſt occaſio, eleemoſynis minime alendos eſſe, tum communis ſenſus dictat, tum etiam clare docet Paulus. Nam ubi pigros ventres otioque deditos excommunicari juſſit, tandem ſubjicit, Qui non vult operari, neque comedat. 2 Theſſ. 3: 10. Vale eximie vir, & mihi colende frater. Genevæ, 4. Calendas Martii. M. D. LIX.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

Qui liceat participare cultui Romanæ Synagogæ.

QUia de quæſtionibus quas moves, jam decem fere annis ex variis partibus exhibita fuit moleſtia: neque hoc trecentis reſponſis adeptus ſum, ut quieſcere in poſterum liceret: nihil melius eſſe duxi, juſto tædio victus, quam locum dare ſuperioribus meis ſcriptis, ne implacabilis multorum curioſitas fruſtra me conficeret. Quare ſi breviter tibi & conciſe reſpondeo, non ſolum temporis anguſtiis, quibus tamen conſtringor, adſcribas: ſed conceptæ pridem deliberationi. Nam ſi quibus ita pruriunt aures, ut novis quotidie reſponſis oblectare ſe cupiant, facile patiar aliunde petere. Nec mihi inter tot negotia, & aſſiduos prope morbos tantum ſuppetit otii, ut publice & privatim ſcribendo omnibus morem geram. Rogant quidam, Si Apoſtolis licuit hora precationis in Templum aſcendere: deinde etiam Paulo ſolennem ritum ſanctificationis obire: cur non etiam hodie nobis fas ſit preces miſcere cum Papiſtis? Primo tenendum eſt, quæ tunc apud Judæos preces vigebant, fuiſſe puras, & formatas ad præſcriptum Legis. Nec vero, ſi Papiſtæ puram orandi formam conciperent, mihi religio eſſet templum cum ipſis ingredi. Atqui illos minime decuit aggregare ſe ad eorum cœtum, qui Chriſtum crucifixerant. Reſpondeo actionem per ſe piam & ſanctam non corrumpi vitio hominum: ſicuti dicere ſoleo, ne omnes quidem Angelos, ſi Miſſæ interſint, poſſe eluere ejus ſordes ſua ſanctitate: nec rurſum Diabolos omnes poſſe ſua præſentia efficere, quo minus ſacra Cœna, dum celebratur ex Chriſti inſtituto, ſuam puritatem retineat. Certum tamen eſt, non omnibus precandi horis Apoſtolos veniſſe in Templum, quia in ædibus privatis agebant ſacros conventus: ſed ut oblata illis fuit ſpes ædificandi, hac occaſione fuiſſe uſos. Non ergo data

opera frequentarunt Templum, ut genti ſuæ in publicis & quotidianis precibus eſſent ſocii: ſed quia probabile erat, loci reverentia magis dociles ac morigeros ſore ad excipiendam Euangelii doctrinam, qui in locis profanis minus fuiſſent attenti. Atque id in Paulo clarius perſpicitur, qui certe nulla religione impulſus votum ſuſcepit, ſed tantum ut purgata qua falſo gravatus fuerat ſuſpicione, januam ſibi ad ſpargendum Euangelium patefaceret. Neque enim ſponte hac ceremonia fuiſſet defunctus: neque rogatus *Actor. 21. verſ. 23.* eſt ab Jacobo, ut ita Deum coleret, ſed ut teſtatum faceret infirmis fratribus ſe non eſſe apoſtatam à Lege Moſis. Interea liberum illis fuit & Templum ingredi, & ſacra oblatione teſtari ſuam pietatem: quia non alius erat finis, niſi ut profiterentur ſe Deum Iſraëlis colere. Jam emergit altera quæſtio, Si adventu Chriſti abolitæ erant Legis umbræ, cur eas adhuc ſectati fuerint? quæ facile ſolvitur, ſi tenemus quamdiu ſtetit Templum, fuiſſe ſacrum domicilium cæleſtis doctrinæ, & illic Deum rite fuiſſe adoratum. Sic enim finem legalibus ceremoniis impoſuit Chriſtus, ut eas abrogando non prorſus ſtatim damnaverit quaſi impias & pollutas, donec per Euangelium clare innotuit. Si excipias, lucem Euangelii tunc ſatis fuiſſe conſpicuam, res ipſa palam docet, multis adhuc incognitum fuiſſe Chriſtum: alios vero ſic fuiſſe illuſtratos ejus radiis, ut tamen abeſſent à pleno fulgore. Hinc apparet inter Legales ritus & Papales ceremonias latum diſcrimen. Nam quum illi ab origine ſua puri ſanctique fuerint, has conſtat Satanæ artificio fabricatas eſſe ad extinguendam Chriſti lucem. Unde colligere promptum eſt, à ſuo principio vitioſas eſſe. Itaque Legis abrogatio dextre intelligi debet: quia fidelibus Chriſti ſervis Templum, & ritus per ſe medios & indifferentes non ante deſerere neceſſe fuit, quam partibus ſuis defuncti eſſent in promulgando Euangelio. Interea certum eſt, quoties in Templum venerunt, habitam ab illis fuiſſe rationem infirmæ plebis: ſicuti quocunque veniſſent, ſolenne fuit adire ſynagogas, non orandi cauſa, licet interpoſitæ quoque fuerint preces; ſed quia illic major erat frequentia hominum, & animi ad diſcendum melius præparati, ut docendo prodeſſent. Quod objicitur, Niſi in nomine Meſſiæ orarent, perverſas fuiſſe eorum preces: reſpondeo, ut erant à patribus inſtituti, in nomine Meſſiæ licet incogniti oraſſe. Et certe effectu ipſo patuit, quum tam facile, & alacri animi promptitudine ad Chriſtum tranſierint permulti, occultum in illis fuiſſe pietatis ſemen. Et pro- *2 Tim. 1. verſ. 5.* babile eſt, fidem à Paulo laudari in matre Timothei Eunicha, & avia Loide, antequam Euangelio imbutæ eſſent, ut bonæ illius radicis fructus fuerit ad Chriſtum converſio. Umbras Legis non ſimpliciter concedo veritati fuiſſe contrarias, niſi quatenus perperam à ſuperſtitioſis & præfractis Chriſto vel permixtæ vel oppoſitæ fuerunt. Qui vero more patrio ſacrificabant Judæi ante acceptam Euangelii lucem, ſocii piorum omnium fuerunt in legitimo Dei cultu: quia fixum illud manere debet, figuras legales veteri populo datas eſſe, donec illuceſceret Chriſtus: quod paulatim factum eſt. Adde quod plerique guſtatis Euangelii rudimentis, utcunque non aliunde juſtitiam peterent quam à Chriſto, & in ejus ſacrificio locarent ſpem ſalutis: non tamen eo uſque ſtatim progreſſos liquet, ut omni dubitatione ſe eximerent. Vitioſa quidem & reprehenſione digna fuit illa infir- *Rom. 14. v. 1, &c.* mitas, ſed quam ad tempus tulerabilem fuiſſe Paulus docet: quia minime propoſitum illis erat, Chriſto quidquam detrahere: ſed durum erat & aſperum, protinus diſcedere à conſuetudine diu recepta. Jam quum de ceremoniis legalibus agitur, prudenter adhibendum eſt diſcrimen inter ſacrificia ex quibus petenda erat expiatio, & alia exercitia, quorum liberior fuit uſus: ſicuti hodie à frivolis quibuſdam & leviculis ceremoniis longe diſtant aliæ, in quibus appa-ret manifeſta & craſſa impietas. Nam in pacificis & ſimilibus primas olim tenuit gratiarum actio. Ut demus, Chriſto adhuc incognito, licitum figuræ uſum fuiſſe, vel non ſatis perſpicue cognito, excuſabilem: non ideo fidelibus ad Chriſtum converſis fas fuiſſet oblato ſacrificio ſe expiare, aut voto Euchariſtico (nec eo ſimpliciter ad teſtandam pietatem, ſed præcipue charitatis reſpectu, & purgandæ calumniæ pernicioſiſſimæ cauſa) defungi, ut Paulo accidit auctore Jacobo Jeroſolymis. Interea ſemper illud tenendum eſt, non eodem eſſe gradu ritus, qui puri ab initio, poſtea veritatis Sole adveniente obſcurati & plane aboliti ſunt. Uti Chriſtianiſmus ita Judaiſmo ſucceſſit, vel qui ab uſu degenerarunt in vitium, ut idem Judaiſmus ſuperſtitioſe & literaliter à Judæis uſurpabatur jam olim, & ſuperſtitiones meras, quæ auctore Diabolo ad vitiandum Dei cultum fabricatæ ſint. Nam ſi quis Legis ablutiones cum luſtrali Papiſtarum aqua compararet, gravem Deo faciet injuriam, qui veterem populum utiliter ſigno illo exercuit, quum hac fœtida ablutione, Baptiſmum iterando quodammodo deleverit mendacii pater. Vale optime & chariſſime frater. Nam epiſtolam hanc abrumpere me cogunt aliæ ſcriptiones. Dominus vos omnes protegat umbra ſua, gubernet Spiritu ſuo, virtute fulciat. 31. die Junii. M. D. LVIII.

Ad quæſtionem de quibuſdam Eccleſiæ ritibus.

Confeſſioni publicæ adjungere inſignem aliquam promiſſionem, quæ peccatores ad ſpem veniæ & reconciliationis erigat, nemo noſtrûm eſt qui non agnoſcat utiliſſimum eſſe. Atque ab initio hunc morem inducere volui: ſed quum offenſionem quidam ex novitate metuerent, nimium facilis fui ad cedendum. ita res omiſſa eſt. Nunc vero non eſſet opportunum hic quidquam mutare: quia, antequam ad finem Confeſſionis ventum fuerit, magna pars incipit ſurgere. Quo magis optamus, dum vobis integrum eſt, populum veſtrum ad utrumque aſſuefieri.

In Cœna adminiſtranda aliquando Pauli verbis uſus ſum: ſed quia apud ſingulos repeti non poterant, quin longior mora injiceretur, (ſi autem inter ipſam recitationem plures tranſirent, vix decimus quiſque aſſequebatur quid vellem, nemo percipiebat integram ſententiam) deſiſtere malui. Jam vero ſingulis menſibus Cœnam celebrari maxime nobis placeret: modo ne uſus frequentior negligentiam pariat. Nam dum major pars à communione abſtinet, quodammodo diſſipatur Eccleſia. Malimus tamen ſingulis menſibus invitari Eccleſiam, quam quater duntaxat in ſingulos annos: ut apud nos fieri ſolet. Quum huc primum veni, non diſtribuebatur niſi ter quotannis: & quidem ut inter Cœnam Pentecoſtes, & Natalis Chriſti, ſeptem toti menſes intercederent. Mihi placebant ſinguli menſes: ſed quum minime perſuaderem, ſatius viſum eſt populi infirmitati ignoſcere, quam pertinacius contendere. Curavi tamen referri in acta publica vitioſum eſſe morem noſtrum, ut poſteris facilior eſſet ac liberior correctio.

Cur Cœnam ægrotis negandam eſſe non arbitror, multæ & graves cauſæ me impellunt. Video interea quam proclivis in multos abuſus ſit lapſus, quibus prudenter ſeduloque occurrendum eſſet. Niſi enim ſit communicatio, perperam deflectitur à ſacra inſtitutione Chriſti. Conveniat ergo aliquis cœtus oportet ex cognatis, familiaribus, & vicinis, ut fiat diſtributio ex mandato Chriſti: deinde conjuncta ſit actio cum myſterii explicatione: nec quidquam à communi Eccleſiæ ratione diverſum. Promiſcue etiam huc & illuc deferre, valde periculoſum eſt. Atque hic difficillimum eſt cavere, ne alios ſuperſtitio,

alios

alios ambitio & vana oſtentatio ad petendum ſollicitet. Itaque judicio opus eſſer ac delectu, ne quibus daretur niſi in magno vitæ diſcrimine. Panem tanquam ſacrum è templo afferri præpoſterum eſt: geſtari vero in pompa, nullo modo tolerabile. Valete eximii viri, & ex animo colendi fratres. Dominus vos tueatur, gubernet, ac benedicat perpetuo. Genevæ, 12 Auguſti. M. D. LXI.

Ad varias ſpecies quæſtionum.

QUoniam hic vir nobilis, qui & communes fratrum literas, & quas privatim ſcripſiſti, nobis reddidit, obſervande frater, quam parum otii nobis ad ſcribendum ſuppeteret, aliqua ex parte cognovit, non multis verbis petemus ut noſtræ brevitati ignoſcas. Primo adventu monitus fuit proximo biduo nullum fore nobis vacuum tempus: hodie tandem reſpondere licuit. Quia vero non dubitamus, alias Eccleſias ſedulo vobis operam navaſſe, breviter ſummam doctrinæ complexi ſumus, de qua Stancarus moleſtiam exhibet. Quod ſi utile ſit, Epiſtolam noſtram promulgabimus, quæ conſenſus noſtri apud omnes ſit teſtis. Porro caput unum quod illic reperietis, vos commonefaciet, nobis non probari quod de æterno Chriſti ſacerdotio ſcribitis, acſi principio careret, quando ſacerdos non minus quam reconciliator creatus eſt. Quare ſi noſtro conſilio obtemperatis, aliquid in ea parte mutandum erit, ne anſam calumniandi inde hoſtis arripiat: deinde etſi in colligendis veterum teſtimoniis veſtra induſtria & dexteritas una cum eruditione & judicio nobis non parum placet; cupimus tamen aliquid ex congerie reſcindi, ne improbus & loquax ſophiſta ex ambiguis vel minus luculentis nebulas ſpargens, conſpicuam lucem tergiverſando obſcuret. Nomen etiam Ludovici Vivis interpoſitum nonnihil de auctoritate minuet: quando neque vetus eſt ſcriptor, & vix pietatis rudimenta guſtavit: tantum abeſt ut cenſeri mereatur inter Theologos. Seorſum his de rebus vos monere viſum eſt, ne ullis maculis aſperſa ſit veſtra confeſſio, dum in publicum prodibit. Alias de quibus nos conſulitis quæſtiones breviter nos expedire cogit temporis anguſtia. Liberos qui ex ſcortatione progeniti ſunt, ita demum pro legitimis habendos eſſe jure civili ſancitum eſt, ſi pater concubina in uxorem ducta, hunc illis gradum aſſignet, idque teſtetur publicis tabulis. Hoc vero parentibus concedi rectum ideo videtur, ut à vagis libidinibus tam viri quam mulieres ſe ad ſanctum conjugium recipiant: atque hæc aptiſſima eſt ad pœnitentiam invitatio, & mutui inter conjuges amoris conciliandi pignus. Nam ſicuti juſte vetant leges transferri ad nothos hæreditatem: ita quod ſubſequitur conjugium, ſi quid fuit vitii aut defectus, abolet. Hinc pendet altera quæſtio, an pro uxoribus habendæ ſint concubinæ, quibuſcum nuptiæ celebrantur. Certum eſt ad eum uſque diem damnandam eſſe ſocietatem, & Eccleſiæ diſciplina caſtigandam: non tamen protinus claudendam eſſe januam reſipiſcentiæ, ubi in legitimum conjugium ambo conſentiunt. Tertia quæſtio videtur ex ſtupiditate eorum naſci, qui nunquam guſtu aliquo humanitatis fuerunt præditi. Negant fas eſſe, peſtis fugiendæ cauſa locum mutare. Ergo non licebit eligere ſalubrem aërem. Ergo in ædibus non licebit proſpectum quoque ſalubrem præferre. Ergo cavere à noxio fœtore non licebit. Ergo nulla contagio erit timenda. Faceſſant igitur paradoxa, quorum finis eſt, exuere nos omni ſenſu. Interea noſtri conſilii non eſt, eorum indulgere timiditati, qui objecto periculi colore à vocatione ſua diſcedunt: quemadmodum ſi vir uxorem, ſi maritum uxor, ſi liberi parentes, aut viciſſim parentes liberos ſuos deſerant, ſi Paſtor Eccleſia relicta ſibi conſulat, ſi Magiſtratus officio deſit. Denique, modo ne officium negligatur, non minus peſtis contagio, quam gladius aut ignis vitari poteſt. Vale eximie vir, & colende frater. Dominus tibi ſemper adſit, virtute ſuſtineat, prudentia regat, & labores tuos benedicat, Amen. Genevæ, 5. Idus Junii. M. D. LX.

JOAN. CALVINUS GASPARI OLEVIANO.

An & quomodo Cœna ægrotis adminiſtrari poſſit.

ETſi pridem meam de Cœna ægrotis adminiſtranda ſententiam rogaſti, optime frater, ideo tamen nullum tuliſti reſponſum, quod te procul abeſſe putabam. Ita factum eſt, ut Criſpino nihil literarum dederim. Et nunc quum ſuperiores literas clauſiſſem, venit mihi in mentem, caput hoc fuiſſe omiſſum. Scio rem in diſceptatione verſari, quia non deſunt utrimque rationes. Mihi vero non eſt propoſitum, nunc eas ſigillatim excutere, neque tempus ſuppetit. Ex natura quidem, fine, & uſu myſterii probe mihi colligere videor, non eſſe tanto bono privandos qui vel diuturno morbo laborant, vel de vita periclitantur. Ad fidei confirmationem valet, teſſeram accipere quaſi ex Chriſti manu, qua certiores fiamus nos in ejus corpore cenſeri, carne ejus & ſanguine paſci in ſpem æternæ vitæ. Itaque Cœnæ perceptio nos ad obeundas ſpirituales pugnas inſtruit. Jam ſi pius quiſpiam è mundo migrandum ſibi videat, quia fieri non poteſt quin oppugnetur ac vexetur multis tentationibus, merito ſe armari cupiet ad ſuſtinendos conflictus. An eripiendum eſt ſingulare adjumentum, quo fretus ad luctam alacrius deſcendat, & victoriam obtineat? Jam prohiberi quominus liceat profiteri & teſtarum facere pietatis conſenſum cum Eccleſia, durum eſt ac mali exempli, ſive quis in lecto diu jaceat, ſive morti ſit vicinus. Atqui Cœna ſanctæ inter filios Dei unitatis eſt ſymbolum. Quamvis breviter rem attigerim, agnoſcis tamen quibus rationibus adductus, ægrotos non eſſe arbitrer à communicatione arcendos. Neque tamen ea de cauſa velim turbas movere. Scis in hac Eccleſia alium eſſe morem. Acquieſco, quia utile non eſſet contendere. Quia hanc adminiſtrationem non putant Chriſti mandato eſſe conſentaneam, objiciunt ſacrum hoc epulum fuiſſe inſtitutum, ut communiter illic veſcerentur fideles: quod illis verum eſſe concedo. Sed quamvis nulla ſit legitima Cœna, niſi communis: quæ tamen ægrotis dabitur, quia privata non erit, adulterina non cenſebitur. Nam certe partem vel appendicem eſſe conſtat publicæ actionis. Neque vero Paulus, dum Corinthios admonet, domum cuique ſuam eſſe in qua comedat & bibat, Cœnam excludit à privatis ædibus. Tunc neque fidelibus patebant templa, neque unquam permiſſum eſſet nova extruere. Sed tantum à communibus epulis diſcernit ſpirituale myſterium, ne cum illis miſceatur. Cæterum diligenter cavendum eſſe fateor, ne qua obrepat ſuperſtitio, ne ſpes ſalutis externo ſymbolo affigatur: deinde ne ſe ingerat ambitio, neve ebulliat præpoſtera curioſitas. Parce igitur & adhibito delectu, nec aliter quam cauſa cognita, vellem Cœnam apud ægrotos celebrari. Deinde ne à Chriſti inſtitutione aliena foret vel minimum deflecteret actio, nollem niſi in cœtu piorum, nollem abſque doctrina & publico ritu. Fecit quorundam ſtultitia, qui panem ad ægrotos deferendo, tanquam ferculum in pompa geſtant, ut pii homines tanquam à corruptela non ferenda abhorreant. Corrigendum ergo eſſet illud quoque vitium. Ego vero eorum timori facile ignoſco, qui ad præcavenda pericula a bactu non ita præciſe neceſſario abſtinendum cenſent: modo viciſſim agnoſcant me non temere aliud ſentire. Vale optime & inte-

gerrime frater. Saluta amicos. Dominus vos omnes conſervet, virtute invicta fulciat, Spirituque ſuo gubernet veſtra conſilia & ſtudia. Geoevæ, Calendis Decembr. M. D. LXIII.

Joannes Calvinus tuus.

CALVINUS N. S. D.

Ad quaſdam piorum fratrum controverſias.

ECcleſiæ N. calamitas non parvo nos dolore affecit: ſed quia nunc Deus, ut ſuos exerceat, laxare videtur Satanæ & improbis frena, patienter nobis ferenda eſt noſtra conditio. Rogandus interea, ut pro ſua indulgentia teneri & puſilli gregis infirmitati parcat. Qui vero exiſtimant infeliciter cum Eccleſia agi, quoties hoſtium furore, aut crudeli violentia impetitur, nondum tenent Chriſtianæ militiæ rudimenta. Hinc illa dubitatio, quæ multorum animis obrepſit, eoſque nunc occupat, An piis liceat nocturnos habere vel clandeſtinos cœtus. Videmus enim præcipue judicium fieri ab eventu: quo nihil eſt magis præpoſterum. Nuper quum abſque moleſtia convenireot, putarunt etiam abſque controverſia gratum eſſe Deo ſuum obſequium: nunc ubi exorta eſt perſequutio, diſputant an non pœnas luant ſuæ temeritatis? Hoc modo mox etiam damnabitur fidei confeſſio, quæ impiorum rabiem magis accendit. Denique ſecundum iſtos cenſores, noo expediet Chriſtum ſequi, niſi proſpero
Galat. 4. verſ. 29. ſucceſſu. Noo abs re Paulus ludibria Iſmaëlis in ſummo perſequutionis gradu ſtatuit: quia plus eſt periculi à ſubſannatione & opprobriis, quam ab armata ſævitia. Si rebus adverſis premi norvident impii, miſeriis noſtris inſultant. Hic ſi labaſcit noſtra conſtantia, gravius verbis nocent, quam gladio. Atqui teoendum erat illud Pauli, Quia ſperamus in Deum vivum, non tantum perſequutionem ferendam eſſe, ſed contumelias. Veniat igitur nobis in mentem exemplum Chriſti, quem virulento iſto telo vulnerare conatus eſt Satao, Speravit in Deo, liberet eum ſi vult: ne titubemus quoties expoſiti videmur hoſtium libidini. Quod ſi primo impetu vel attoniti fuerunt fratres, vel turbati, tuum eſt eos fulcire, ne prorſus concidant: vel etiam erigere, ut animos iterum colligant: nec ideo deficiant à ſancto inſtituto, quia impiis illud occaſionem dederit ſæviendi. Nam ſi res ipſa per ſe æſtimatur, expedita erit reſponſio, Non fuiſſe Apoſtolis vitio datos conventus & privatos & clandeſtinos: & à quibus nihil differunt qui nunc ſub Papatu habentur. Poterant tunc quoque malevoli objicere, noo ſine ſuſpicione noctu & clam convenire viros & mulieres. Nec dubium eſt, quin multis calumniis gravati fuerint: & quum ſtationem Hieroſolymæ haberent milites præſidiarii, potuit hoc videri tranquillitati publicæ adverſum. Neque
Actor. 12. verſ. 12. tamen propterea deſtiterunt. Videmus ut Petro capto, congregati fuerint apud viduam. Neque hic colligere exempla operæpretium eſt, quia ſcitur hoc fuiſſe illis in quotidiano uſu: ſicuti teſtantur hiſtoriæ, piis martyribus ſpeluncas fuiſſe pro templis. Hoc quanquam noo parvæ vituperationi fuit obnoxium, ut vel latrocinii, vel aliorum ſcelerum ſuſpecti eſſe poſſent: quia tamen ita cogebat neceſſitas, magnis animis ſpreverunt quæ vulgo jactari ſciebant probra. Ita nunc armati ſunt optima defenſione fratres noſtri, ſi permitterent Magiſtratus libere & palam invocare Dei nomen, libenter in lucem ſe prodituros, nec quidquam ſe facturos occulte: ſed quia prohibeotur illorum tyrannide, rationem ſequi quæ longiſſime abeſt à tumultu. Idem ſentiendum de matrimoniis, quorum benedictio in Papatu, quam vocant, mera eſt profanatio. Et tamen quod ad politicum ordinem ſpectat, non poterit clandeſtinum vocari conjugium, cujus confectæ erunt tabulæ: ſed ejus ſanctitatem ſuperſtitionibus pollui & fœdari, nullo modo ferendum eſt. Quanquam nocturnæ ſepulturæ non abs re legibus damnantur: fruſtra tamen ſuam mollitiem hoc prætextu tegunt, qui in ſuorum funeribus ſe involvunt ac permiſcent receptis ſacrilegiis. Eadem in Baptiſmo valere debet ratio. Nam etſi inſtat illis præſentiſſimum periculum, non ideo tamen licebit quod manifeſte Deus improbat. Scimus in Papatu corruptum eſſe multis ſordibus, & fere adulteratum Baptiſmum. Si nullus metus impediat, facile inter omnes pios conveniet, parentibus fas non eſſe liberos ſuos infantes ad vitioſum Baptiſmum offerre. Ergo ex periculo captare excuſationem nimis eſt frivolum, acſi inde res ipſa naturam mutaret. Scimus enim magis pretioſum eſſe coram Deo pietatis teſtimonium, quam ut minis vel terroribus cedere debeat, ſaltem ubi ad ſimulationem uſque progredi cogit nos metus, quæ tacita ſit impietatum approbatio. Quare ſicuti pro charitatis officio piis fratribus condoleſcimus: ita minime noſtrum eſt inſolubili Dei lege eos ſolvere. Ac ſi olim non dubitarunt in Ægypto Judaicæ mulieres, ut à *Exod. 1. verſ. 17.*
gladio Pharaonis eriperent alienos infantes, ſua capita offerre in diſcrimen; turpe eſt parentibus terreri metu, ut ſuorum animas, quantum in ſe eſt, contaminent. Hæc ex Collegii noſtri ſententia breviter ad te perſcripſi, eximie vir & ex aoimo colende frater. Dominus te Spiritu ſuo ſemper gubernet, benedicat ſanctos tuos labores, teque incolumem cum Eccleſia tibi commiſſa tueatur. Symmyſtæ quoque mei plurimum ſalutant. Genevæ.

CALVINUS N. S.

Ejuſdem cum ſuperiore argumenti.

SI mihi ad manum fuiſſet fidelis nuncius quo tempore allatæ ſuot tuæ priores literæ, ſtatim reſponſurus eram: verum ubi præteriit occaſio, mora ſegniorem me reddidit. Et nunc fere idem mihi accideret, niſi ſtimularet pudor: ignoſces tamen brevitati, ad quam me adſtringet temporis anguſtia. De triſti Eccleſiæ veſtræ diſſipatione ſtatim advolaverat huc rumor: nec vero alium unquam exitum tam pertinacibus Gallicæ Eccleſiæ diſſidiis fore putavi. Nunc quando aliena culpa vobis luenda fuit, meliorem rationem non video, quam ut ſedem exilii mutent pii fratres. Nec me latet, quam moleſta res ſit, quam graves futuri ſint ſumptus, quibus incommodis implicita ſit migratio. Sed dum adverſæ partis truculentiam mecum expendo, quidvis potius ferendum: hoc, meo judicio, optimum compendium eſſet. Si vero manere omnino cogat neceſſitas, nimium ſervilis erit diſſimulatio, profeſſis Chriſti hoſtibus offerre baptizandos infantes, & de fide contraria tacere. Quid captent, minime obſcurum eſt, nempe ut de pura quam profitemur doctrina triumphos agant. An æquum eſt nos illis eſſe vel adjutores, vel miniſtros ad Dei veritatem pedibus calcandam? Excipis, penes ipſos ordinarium eſſe miniſterium. Ego, ut taceam de individua Cœnæ & Baptiſmi conjunctione, quam alius quiſpiam urgeret, non exiſtimo tanti eſſe quod ſibi vendicant, quin profitenda ſit iogenue fides, ad cujus abnegationem oblique pios trahunt. Faceſſat omnis perſonalis reſpectus. Scio enim Sacramentum oon pendere à dignitate miniſtri. Alia quæſtio nunc vertitur, Liceatne pro Paſtore agnoſcere, qui palam oppugnet ſacræ Cœnæ vim, rectum uſum, & inſtitutionem: deinde ſpontaneam diſceſſionem faciat à veris Chriſti Eccleſiis. Quanquam adeo præciſe non ago, ſed tantum exigo, ut qui infantem ſuum offert ad Baptiſmum, ingenue profiteatur quod de Cœna ſentit, ac ſimul teſtetur ſe fraternam conjunctionem colere cum omnibus Eccleſiis, quæ idem ſentiunt. Atqui hanc conditionem non admittent. Proditor ergo, qui ſciens & volens, impiam ſuperbiam & ſacrilegum

divor-

divortium ſilentio ſuo ratum habet. Morbis meis & occupationibus ignoſces, ſi non accuratius de ſingulis diſſero. Adde, quod ſumma rei, & ſimplici definitione contentus, ad minutiſſimos quoſque ſcrupulos diſcutiendos non libenter ſtudium meum applico. De miſeris Galliæ perturbationibus malo ut te alii doceant. Vale eximie vir, & integerrime frater. Dominus te ſemper gubernet Spiritu ſuo, invicta virtute ſuſtineat, & incolumem tueatur. Salutant te plurimum Collegæ mei, ex quorum ſententia tibi reſpondeo. Genevæ, 18 Junii. M. D. LXII.

Joannes Calvinus tuus.

Joan. Calvinus N. N. s.

Ejuſdem cum ſuperiore argumenti.

VEhementer nobis dolet, optimi fratres, acſi non ſatis mali foret in miſera triſtique Eccleſiæ veſtræ diſſipatione, exorta eſſe inter vos certamina, quæ ad cootentionem uſque erumperent. Quod eo nobis moleſtius eſt, quia ad reconciliandam gratiam tollendumque diſſidium non alia occurrit ratio, niſi utrimque propria ſententia cedatis: quod veremur ne difficile ſit à vobis impetrare. Certe io literis veſtris deprebendimus quod agnovit ille in Iliade Homeri, peccari intus & extra. Putat una pars, poſt clauſa templa uſque ad ultimam litis deciſionem manendum nihilominus fuiſſe in ſtatione. Alii autem contendunt, fas non fuiſſe diutius ſubſiſtere in eo loco, ubi per ſummum probrum oppreſſa fuiſſet veritas, & quodammodo in exilium pulſa. Nos autem non aliter poſſumus ſtatuere, quam recte feciſſe eos, qui ſtatim collectis vaſis illinc migrarunt. Quibus vero commodum non fuit alio transfugere, eos miſericordia potius, quam inſectatione eſſe dignos. Nam certe bomines exteros boſpitio affigere, acſi mancipia eſſent glebæ addicta, pluſquam indignum eſſet. Fingamus integram adbuc ſtare Eccleſiam, privatis tamen homioibus nulla eſſet religio ſolum vertere: quo magis concedendum eſt, ut locum deſerant, ubi erepta ſunt pietatis exercitia. Rurſus eos, quibus domeſtica neceſſitas obſtitit ne ſe alio conferrent, exagitare tanquam ſanæ doctrinæ proditores, minime humanum eſt. Quod autem objicitur, Ubi liberos ſuos offerunt ad Baptiſmum, ita eos Chriſtum ludibrio expooere: fatemur quidem, ſi diſſimulent tam errores & deliria, quam tyrannidem & barbaram ſuperbiam eorum, quibus baptizandi munus concedunt, ſe deteſtari, prævaricationem eſſe non ferendam. Certum enim eſt, nihil aliud venari umbratiles illos miniſtros: quam ut de Cbriſto, & ſana doctrina triumphum agaot. Hæc eorum inſolentia foveri à nobis non poteſt, quin ſimus in Chriſtum cootumelioſi. Verum ſi intercedat ingenua confeſſio, qua refellatur eorum arrogantia, non videmus quid pios bomines impediat, quo minus ab illis ſinant liberos ſuos baptizari: quia ferre coguntur ut ordinarios miniſtros, quamvis non probent. Alia longe ſacræ Cœnæ ratio eſt, quam nemo ex manu eorum ſumet ſine turpi ſanæ doctrinæ abnegatione. In hac controverſia excutienda longius progredi non placuit: imo quæ hinc inde ſcripſiſtis, conſulto non attigimus, ne ſedulitas noſtra oleum camino adderet. Itaque vos rogamus & obteſtamur, ut depoſito litigandi ſtudio, & ſedato omni fervore, vos mutuo amplexemini. Qui dura illa ſervitute premuntur, gemant, & fratribus gratulentur quam alibi nacti ſunt libertatem. Quibus vero iniquam illam dominationem effugere datum eſt, fratribus ſuis condoleſcant potius, quam eos nimis præciſe urgendo exaniment. Interea quod hanc moderationem tenere maluimus, quam votis veſtris obſequi, ignoſcite. Dominus vos Spiritu manſuetudinis, & ſimul invictæ fortitudinis ſemper gubernet, voſque iterum in unum corpus colligat. Valete optimi & nobis chariſſimi fratres. Genevæ, 27 Octobris, M. D. LXII.

Joan. Calvinus N.N. s. d.

Ad Baptiſmum minus legitime adminiſtratum

LIteræ veſtræ perquam nobis jucundæ fuerunt, optimi fratres, quod tandem vobis conceſſus ſit in urbe locus, & data concionandi libertas. Hoc ſingulare beneficium aliis majoribus Deus cumulabit. Etſi autem vos manent novi & aſſidui conflictus, & brevi forte erumpet Diaboli furor, ſtrenue pergeodum erit. Superioribus veſtris literis huc uſque non reſpondimus: quia nemo ſe obtulerat, qui noſtras tuto perferret. De quæſtiooe autem propoſita ſic ſentimus. Quia nemo privatus Baptiſmi legitimus eſt miniſter, buic malo ſevere occurrendum eſſe: quia manifeſta Baptiſmi eſt profanatio. Et quoniam bic mos perverſus ex ſuperſtitione traxit originem, dum ſalutis neceſſitas ſigno affixa fuit: eo minus fovendum eſt duplex malum. Dubitanter hac de re loquitur Auguſtinus: Si quiſpiam privatus baptizet, ubi cogit neceſſitas, aut nullum eſt, aut veniale delictum. Atqui nobis longe pluris eſſe debet inviolabile
Chriſti mandatum: Ite, docete, baptizate. Hic *Mat.* 28.
nexus abſque ſacrilegio ſolvi non poteſt. Accedit *verſ.* 19.
Apoſtoli ſententia: Nemo uſurpat ſibi honorem, *Heb.* 5:4.
ſed qui vocatus eſt. Adulterinum ergo Baptiſmum cenſemus, qui adminiſtratus eſt à privato bomine. Ac in Eccleſia recte compoſita tolerabilis non eſſet bæc temeritas. Sed quia id apud vos inter principia contigit, ante reſtitutum Eccleſiæ ordinem, & rebus adhuc confuſis, non tantum errori danda eſt venia, ſed ferendus eſt qualiſcunque Baptiſmus: modo ne in exemplum trahatur, quod ſemel perperam geſtum eſt. Nam in Eccleſiæ diſſipatione multa Deus condonat, quæ nullo modo admittere fas eſſet in Eccleſiam bene ordinatam. Olim quum vitiata eſſet Religio, haud dubie multis vitiis ac corruptelis implicita Circumciſio fuit: quam tamen iteratam fuiſſe non legimus, quum revocaretur populus ad purum cultum. Ergo anxie diſquirere neceſſe non eſt, ac ne expedit quidem, in omnes circumſtantias, quæ innumeros ſcrupulos gignerent. Proinde quod ignovit Deus ſub Papatu, nos quoque ſepeliamus. Nunc ubi de vero Baptiſmi uſu admonita fuerit Eccleſia, quod pugnaret cum Chriſti inſtituto pro nibilo ducendum eſſet, ac de integro baptizandus qui pollutus fuerit profana aſperſione. De mulierum Baptiſmo aliud eſt noſtrum judicium. Nam quia prodigioſa fuit audacia, ut ſe præter naturæ legem mulieres ad boc munus ingererent, minime dubitamus quin ſecure tale flagitium repudiandum ſit. Interea periculum non eſt ne vulnerentur infirmæ conſcientiæ, niſi quis nimia curioſitate fruſtra ſibi moleſtus ſit: quia nemo eſt qui ſciat ſe à muliere fuiſſe baptizatum: deinde quia veteri decreto Concilii Carthaginenſis prohibitæ ſunt fœminæ ab officio baptizandi, neminem offendet novitas, quæ metuenda eſſet in viris. Valete optimi & integerrimi fratres. Dominus vos gubernet ſpirituali prudentia, virtute ſuſtineat, & omnibus donis locupletet. Multam ſalutem precamur Seoioribus, & toti Eccleſiæ. Genevæ, 13 Novembris. M. D. LXI.

Si qua ratio generalis Concilii Chriſtianis dari poſſit.

UT finem tandem babeant turbæ & diſſidia, quibus Eccleſiam ſciſſam & laceratam eſſe videmus, opus eſt libero & generali Concilio.

Libertas in tribus capitibus continetur, in loco, in perſonis, in modo vel ratione procedendi.

Quantum ad locum, niſi tutus pateat acceſſus omnibus qui audiendi ſuot, ut illic de rebus controverſis diſceptent, ſatis notum eſt clauſam eſſe januam libertati. Urbs ergo deligenda erit media inter omnes regiones, unde venturi ſunt qui intereſſe debent Concilio. Deinde neceſſe erit Principes viciоos, per quorum ditionem tranſeundum erit, promittere & jurare ſalvum conductum omnibus qui illuc convenient.

Quantum ad perſonas, iniquiſſimum eſſet ſolis Epiſcopis permitti ſententias deciſivas: quum ſatis ſuperque notum ſit, eorum cauſam tractari, in qua idonei non poſſunt eſſe judices.

Deinde ut auctoritas, quam ſibi vendicant, illis concedatur: nemo tamen eorum liber eſt: quia jurejurando adſtricti ſunt ad obſequium Papæ, & Rom. Sedi ſunt addicti. quod ex diametro pugnat cum libertate.

Commodum remedium eſſet, ſi deligantur bomioes ex ea parte quæ Eccleſiæ reformationem tam in doctrina, quam in moribus eupit & flagitat: quibus etſi non eſſet vox definitiva, ut loquuntur, liberum tamen eſſet intercedere omnibus decretis & determinationibus verbo Dei minus cooſentaneis: ut iis etiam daretur audientia, & admitterentur proteſtationes. Ipſi vero oſtendereot juſtas ſibi eſſe contradicendi rationes, quo minus acquieſcerent Epiſcoporum placitis.

Maxime vero intolerabile eſt, Papam præſidere Concilio tanquam caput: præſertim in hac nova qualitate, ut ab eo & ejus arbitrio depeodeant omnia. Atque ut primum locum obtineat omnium permiſſu, ante omnia tamen ratio poſtulat, ut ſe ſubmittat Concilio per omnia, juretque ſe obſervaturum quicquid illic ſtatutum fuerit: atque hoc modo ſe abdicet dominatione quam ſibi antebac arripuit, ut tantum ſit unus ex aliorum numero. Rurſum adigendi eſſent Epiſcopi ad proprium jusjurandum, ſe obſequentes fore Dei verbo, nec rationem habituros præſentis ſtatus: ac ſi quæ inventæ fuerint corruptelæ, tam in doctrina quam in ceremoniis & moribus, earum ſe minime patronos fore vel fautores.

Modus procedendi omnino fruſtratorius eſſet, ſi mos qui nuper invaluit retineretur: nempe ut quicunque reformationem poſtulant, vel ore vel ſcripto exponerent ſuam doctrinam: deinde ipſis abſentibus Prælati quod libitum eſſet decernerent. Neceſſe igitur omnino eſt, omnes adeſſe, ut quicquid male & inſcite deliberare vellent Epiſcopi, corrigere liceat: atque ita integrum ſit cunctis erroneis opinionibus objicere rationes claras & validas.

Operæpretium etiam eſt ante omnia, ſtatuere quem ordinem ſequi conveniat: nempe ut primo loco excutiantur articuli doctrinæ, de quibus inter partes non convenit: inde tranſitus fiat ad ceremonias: poſtremo de regimine Eccleſiæ agatur.

Capita doctrinæ, de quibus hodie litigatur, ſunt de cultu Dei: an ſcilicet ad unicam & ſimplicem normam Scripturæ exigi debeat, an vero fuerit in hominum poteſtate & arbitrio leges ferre: deinde an eorum traditiones animas obligent mortis reatu. Sub hoc capite comprehenduotur vota, prohibitio conjugii, confeſſio auricularis, & res ſimiles. Deinde quærendum erit, & definiendum, ubi fundata ſit ſalutis noſtræ fiducia: meritone operum, an gratuita Dei miſericordia ſervemur. Hinc pendet materia liberi arbitrii, ſatisfactionum, purgatorii, & ſimilium rerum. Fidei certitudini annexa eſt Dei invocatio, & ſecum trahit quæſtionem de interceſſiooe Sanctorum.

In ſecundn capite, quod eſt de ceremoniis, diſputandum erit de congerie rituum, quam mutuati ſunt ab umbris legalibus: ſimul de numero Sacramentorum, & eorum acceſſionibus.

Tertium caput, de reginine Eccleſiæ, continet definitionem officii Epiſcopalis: ut ſciatur quinam ſibi jure & merito hunc titulum vendicent. Huc etiam pertinent gradus, ordines, primatus, & alia ſimilia.

Jam vero non ſufficeret habere Concilium, niſi univerſale fuerit: ſiquidem animus eſt ſedare & placare motus omnes, & contentiooes, quibus turbatur Eccleſia. Verum quidem eſt, ſingulos Reges & Principes, ut ſuarum ditionum turbis remedium inveoiant, poſſe cogere Nationale Concilium, ſi vicini ſuum conſenſum & ſtudia non adjungant. Verum ſi partiale Concilium cogatur, quod nomen univerſalis obtineat, id nihil aliud erit quam ignem magis ac magis accendere, augere pugnas, & creare novos tumultus. Quare penitus neceſſarium eſt eos omnes qui reformationem expetunt, in Concilium quod habebitur conſentire, ut ita tota Chriſtianitas coaleſcat: qui vero ſanctam unitatem & coocordiam refugient, ut ſchiſmatici reputentur.

Ad quæſtiones circa diſciplinam Eccleſiæ reſponſa.

HAec ubique aſtutia molitur Satan Chriſti Eccleſiam peſſundare, quando puram doctrinam, quæ eſt veluti anima, prorſus extinguere non poteſt, ut fracta & ſoluta diſciplina, nervos corporis incidat, unde luxatis membris paulo poſt ſequatur triſtis diſſipatio. Atque utinam probe expenderent, quicunque jugo rejecto permitti volunt cuique effrenem licentiam, hoc modo ſe quærere ruinam Eccleſiæ, & vaſtitatem. Certe non tantum moderationi ſtuderent, ſed placido manſuetoque ſpiritu ſe ipſi quoque ſubjicerent communi diſciplinæ. Sed quoniam hac de re prolixius diſſerere non eſt nobis propoſitum, breviter literis veſtris reſpondebimus, optimi & integerrimi fratres. Ubi nos primum conſulitis, An adigendi ſint ad fidem ſuam publice teſtandam, qui ſe in Eccleſiam admitti poſtulant: deinde ſententiam noſtram rogatis de ipſa Confeſſionis apud vos receptæ forma: tandem quæritis, Annon excommunicandi ſint è cœtu fidelium, qui vel ſua contumacia, vel turpitudine vitæ, ordinem pervertunt. Nos autem non videmus cur grave ſit homini, qui inter Eccleſiæ domeſticos cenſeri vult, Chriſto capiti in ſolidum nomen dare. Quod fieri non poteſt, niſi diſerte ſubſcribat ſinceræ pietati, & ingenue errores damnet, quibus ſinceritas Religionis corrumpitur. Jam errorum deteſtatio ſæpe ex circumſtantia temporum pendet. Quia prout novas turbandi rationes excogitat Satan, prudenter occurrere neceſſe eſt.
Scimus quantopere nobis commendet Paulus unitatem Spiritus, in vinculo pacis. *Epheſ.* 4.
Porro ad fovendum & retinendum inter pios conſenſum, pluſquam *verſ.* 3.
neceſſaria eſt illa ſolennis fidei profeſſio. Denique quicunqne optabunt Eccleſiam Dei ſtare incolumem, non ægre ferent, hoc adminiculo eam fulciri. Non putamus eſſe, qui litem moveant de generali illa profeſſione: ſed frigeret illa, niſi diſtincte quiſque tam hæreticis, quam perverſis dogmatibus renunciet. Jam, in forma veſtræ Confeſſionis nihil animadvertimus, quod non ſit ſacris Dei oraculis & fidei orthodoxæ conſentaneum. Itaque ſummam doctrinæ quæ illic habetur, libenter probamus. Tantum vellemus epiſtolam ad Hebræos non adſcribi Paulo, quum firmis argumentis perſuaſi ſimus alium eſſe auctorem. Neque tamen volumus noſtro ſuffragio obſtringi conſcientias, vel quaſi præjudicio ligari Eccleſiam, quominus liberum ſit ſingulis in medium proferre, ſi quid eos à ſubſcriptione impediat. Etſi autem nobis diſplicet eorum moroſitas, qui ob leves ſcrupulos à publico conſenſu diſcedunt: ſi quis tamen verbum aliquod durius, vel loquutionem

nem amplecti nequeat, modo conveniat de re ipſa, tolerari forte poterit ejus infirmitas, ne ob res quaſque minimas ſcindatur Eccleſia. Hortamur interea pios omnes ad hanc modeſtiam & ſobrietatem, ut potius quiſque ad reliquos omnes accedat, quam ſua pervicacia ſpeciem præbeat tentaodæ religionis. Cæterum, non aliter conſiſtet Eccleſiæ incolumitas, quam ſi ad eam purgandam, frenandas libidines, tollenda flagitia, corrigendos perverſos mores vigeat excommunicatio: cujus moderatum uſum quiſquis recuſat, præſertim admonitus, ſe ex Chriſti ovibus non eſſe prodit. Valete eximii viri, & nobis ex animo colendi fratres. Dominus ſemper vobis adſit, vos gubernet ſuo Spiritu, & virtute ſua confirmet ad implendum ſanctæ ſuæ vocationis curſum. Genevæ, 3. Nonas Martii.

Joannes Calvinus fratrum nomine.

Cælibatum in Miniſtro non ita requirendum eſſe.

Gratia tibi & Pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu, frater mihi plurimum in Domino obſervande.

SOlemus, ſi quando ad eos ſcribendum eſt, quibuſcum nulla nobis familiaritas aut neceſſitudo interceſſit, diligenter principio excuſare ac deprecari, ne vel temeritatis vel importunitatis ea in re notemur. Ego tamen, etſi de facie prorſus tibi ſum incognitus, ſatis cauſæ habere mihi videor, cur te meis literis ſine ulla ejuſmodi excuſatione compellare audeam. Præterquam enim quod Chriſtus noſter, quem uno ſpiritu colimus & confitemur, ſatis firmum intimæ amicitiæ vinculum nobis eſſe debet: quum mihi ſingularem tuam erga me benevolentiam N. expoſuiſſet, non dubitavi quin officii mei viciſſim eſſet, ſimilem erga te animi mei ſenſum, quo poſſem modo, teſtari ac declarare. Præcipue vero mihi fiduciam addidit, quod & referebat te ſcriptis meis oblectari, & tibi non ingratum fore officium hoc promittebat, ſi privatas à me literas acciperes. Obtemperavi igitur, eoque libentius, quod me tibi non vulgariter obſtrictum judicabam, propter iſtud tam propenſum in me ſtudium: nec habebam in præſentia quod referrem, niſi hoc unum quod ille poſtulabat, & mihi facile erat præſtare. Fidem porro non dubiam habui ejus teſtimonio, quod apud te annum unum educatus totum animi tui ſenſum hac in re perſpectum habere poteſt. Ergo, ut jam dixi, quum tu mihi aditum ad te non difficilem patefeceris, diutius in longiori excuſatione non immorabor. Principio hoc tibi certum eſſe velim, nihil me magis cupere, quam & interiorem habere tecum amicitiam, & eam quibus licebit officiis confirmare. Ita enim mihi dotes tuas prædicavit pius hic frater, ut te inter eos facile recenſeam, quibus plurimum debent quicunque Chriſti eſſe volunt. Quo pauciores hodie boni ſunt, eo majore in pretio bonitas ipſa nobis eſſe debet, ubicunque apparet. Tu vero, ut audio, non exiguum & prudentiæ & ſinceritatis & ſanctitatis ſpecimen in eo præbes, quod quum munus periculi & laboris plenum ingenti difficultate iſtic ſuſtineas, ita te geris, ut piis ac cordatis omnibus abunde ſatisfacias. Proinde merito & iſtas tuas virtutes ſuſpicere, & te in Domino amplecti ac colere debent quibus cordi eſt Eccleſiæ ædificatio. Quantum ad me attinet, utinam luculentiore aliquo documento oſtendere poſſem, quantopere te amem, quantumque tibi deferam. Quod tamen unum mihi reſtat, polliceor tibi meas ad Deum preces teſtes fore ejus charitatis, quam humanis officiis experiri non potes. Interim Eccleſiis veſtris ex animo gratulor, quibus præter ſinceriorem doctrinam, tot egregia bona contulit Dominus. Neque enim parvo æſtimandum eſt, quod tales habent Paſtores à quibus regantur & ordinentur, quod adeo bene moratæ ſunt, quod adeo præclara forma conſtitutæ, quod optima diſciplina præditæ, quam jure vocare poſſumus optimum atque adeo unicum retinendæ obedientiæ vinculum. Nos enim magna noſtra moleſtia experimur quid valeat, dum eam deſideramus, nec ulla ratione poſſumus ad eam pervenire. Hæc res facit, ut ſæpe animo vacillem ac minus ſtrenue functionem meam exequar. Quin etiam deſperarem prorſus, niſi ſuccurreret Eccleſiæ ædificationem ſemper eſſe opus Domini, quod ipſe virtute ſua proſperabit, etiamſi nos adminicula omnia deficiant. Eſt tamen hoc magnum rarumque bonum, adjuvari tam neceſſario præſidio. Itaque Eccleſias noſtras tum demum rite ſuffultas arbitrabor, ubi iſto nervo colligatæ fuerint. Cæterum confeſſionem veſtram quæ nuper fuit edita, inſpexi tantum. Percurrere nondum per opportunitatem licuit. Habet tamen ab iis viris teſtimonium, quorum judicio facile acquieſco. Tamen in commendatione cælibatus cuperem vos eſſe paulo parciores. Ignoſces hac in re meæ ſimplicitati, quod libere tibi exponere non dubito, quid mihi non ita placeat. Video conſilium veſtrum non omnino deſtitui aliqua ratione. Conjugio qui impliciti tenentur, minus ſunt ad opus Domini expediti: ut magnopere ab hac remora ſolutos eſſe expediat, qui ſe totos volunt Domino conſecrare: deinde ipſa continentia non minimam ſacro miniſterio dignitatem commendat. Poſtremo non vi nec tyrannice adigitis ad cælibatum qui in functione ſunt Eccleſiaſtica: ſed quod judicatis in rem eſſe Eccleſiæ, ſimpliciter illis conſulitis, ac ſuadetis. Atqui, ut fatear conjugium multa & varia impedimenta ſecum trahere, à quibus optandum ſit liberos eſſe Chriſti ſervos: non tamen ejuſmodi eſſe concedam, quæ ab officio illos revocent. Tum viciſſim objiciam, cælibatum quoque ſuas habere incommoditates; eaſque non parvas nec unius generis. Nondum de continentiæ difficultate loquor. Sed dico cælibes non minoribus nec paucioribus diſtrahi avocamentis, quam conjugatos: aut certe parum eſſe diſcriminis, quin utrique ex æquo diſtrahantur. Quod ſi etiam conſtaret nihil cælibatu liberius, conjugio nihil eſſe magis impeditum: obſtare tamen id non debet, quominus neceſſitati conſulatur. Certum eſt autem, conjugio multos utiliter carere non poſſe, qui ſunt præ aliis ad miniſterium idonei. Ad ſecundum reſpondeo, Dominum optime omnium providiſſe, quibus ornari dotibus ſuum miniſterium conveniret. Videmus autem longe abeſſe, quin cælibatum inter eas commendarit. Quod non imperatis eam certa lege, probo. Sed vide ne illud ipſum legem ſit præſcribere, minoris æſtimare eos qui uxores duxerint, quod videantur nonnihil ornamenti amiſiſſe. Neque in veteri Eccleſia lex erat, quæ cogeret. Sed ita invaluerat præpoſtera cælibatus admiratio, ut conjugium in Epiſcopis dedecore notaretur. Poſtea ſenſim irrepſit legis ſeveritas, quæ innumeras malorum formas nobis peperit: quid boni attulerit, non poſſum judicare. Proinde ſemper vereor, ne periculoſum ſit immodicum haberi cælibatui honorem, quo boni viri à conjugio abſterreantur, etiam ubi urget neceſſitas. Non abs re igitur cupere mihi videor, ut ſi qua eſt hac in re apud vos auſteritas, mitigetur: non quia vobis in præſentia obſit; ſed quia multum obeſſe poſteris poterit, quibus ſcis eſſe conſulendum. Quod ſi rationes veſtræ ita nunc habent, ut periculum aliquod ex Paſtorum conjugio vobis immineat, initam eſſe rationem velim, qua obviaretur. Cogor iterum veniam hujus meæ ruſticitatis petere. Non enim mihi temperare potui, quin timorem meum hac in re breviter indicarem: ſupervacuum illum fortaſſis,

1 Tim. 3. verſ. 1. Tit. 1.

ſed tamen non de nihilo conceptum. Atque ut intelligas me privatam cauſam hic non agere: ego quem cælibatui tantopere infeſtum vides, uxorem nunquam duxi: & an ducturus aliquando ſim, neſcio. Quod ſi duxero, hoc conſilio faciam, ut expeditior à multis tricis Domino vacare poſſim. Neque in iſta actione incontinentiæ meæ prætextum capto, quam objicere mibi nemo poteſt. Verum occaſionem cogitandi volui tibi præbere. Neque enim dubito, quin ſi animum ſemel ad hanc conſultationem ſerio adjeceris, pro tua ſingulari prudentia longoque uſu, proviſurus ſis quid ſit maxime ſalutare: & quod optimum factu viſum fuerit, facturus. Quantum ad banc fuoctionem cui præfectus es, ſic te eam adminiſtrare confido, ut nullius exhortatiooe opus habeas. Magis optarem abs te admoneri, ſi quando tibi occaſio daretur, & tantum otii haberes. Interim, quod ſponte ſcio te facere, conſervandæ unitati ſtudeas obteſtor. Tempora ipſa nos ſatis docent, quam neceſſe ſit fideliter io Domino conſpirare, quo ita junctis animis adverſus Satanam omneſque ejus ordines militemus. Dominus Jeſus te conſervet, frater integerrime, & mihi in Domino reverende. Rogo ut meo nomine ſalutes, quos ſperabis æquo animo ſalutem accepturos.

Ad quædam doctrinæ capita aliquatenus infermentata.

Ex Gall. DIlectiſſimi fratres, quia redditæ nobis fuerunt literæ veſtræ quarto menſe poſtquam datæ fuerant, mirum vobis videri non debet, quod tardius expectatione veſtra ad illas reſponſum à nobis acceperitis. Ut ad rem veniamus, valde nobis dolet quod ita ſurſum & deorſum agitari vobis contingit: & ubicunque pedem tuleritis, Satan comminiſcatur aliquid, quo vobis novas moleſtias inferat. Atqui non alia fuit Patrum
1 Cor. 4. verſ. 11. conditio, ut de ſe teſtatur Paulus, quod & ipſe & reliqui pii incertis ſedibus vagarentur. Etſi igitur ſolum ſæpe vobis vertendum ſit, & mutari ſubinde quod ad corpus contingat: diſcenda eſt nihilominus vera animi ſtatio & ſpiritus conſtantia. Atque illa doctrina in uſum deducenda eſt, quæ filiis Dei peregrinandum eſſe in mundo tradit: quæ etiam omnibus piis communis eſt, quamvis illius experientiam unis præ aliis D. conſtare velit, dum illos huc & illuc circumducit. Vobis interea ipſi & condolemus, & ex animo veſtræ quieti, ſi qua nobis ratio ad manum eſſet, conſulrum vellemus. Et tamen hæc noſtra συμπάθεια erga veſtras miſerias efficere non poteſt, ut vos liberemus ab officio: atque ut boc nobis accideret, nihil aliud eſſet, quam vobis imponere vanis blanditiis, neque hoc vobis ipſis utile foret. Imo & ipſi ſcitis eo magis augeri noſtram coram Deo condemnationem, quum ab hominibus abſolvi ſtudemus. Non aliud igitur ſupereſt, quam ut pure & ſimpliciter aperiamus vobis, quid nobis videatur de eo quod eſt à vobis propoſitum. Ac primum quidem valde mirati ſumus, quum audivimus, in ea confeſſione quæ requiritur à vobis, nihil videri vobis ineſſe quod Dei verbo directe repugnet. Atque in eo exiſtimamus metu vobis præſtrictos fuiſſe oculos. Nam in articulo Baptiſmi, damnantur nominatim, qui exiſtimant infantes à nativitate eſſe ſanctificatos. Et quod ad Cœnam, dicunt Judam non minus corporis Chriſti participem fuiſſe, quam Petrum. Item illud, quod Chriſtus in ſua humana natura ubique ſit, uti ipſi videtur, quum Deus ſit & homo: quaſi unitas perſonæ confuſionem divinæ & humanæ naturæ afferret. Quod affertis iſta non eſſe proprie cooſeſſionem fidei, nihil aliud eſt (quod cum bona venia dictum ſit) quam effugium, ad diſſimulandum malum vel contegendum. Porro Dominus non eſt ſophiſta, ut ſibi illudi ejuſmodi cavillationibus ſinat. Utcunque igitur aliud nomen vel titulum ſcripto illi imponatis, teſtamioi tamen cum ſolenni jurejurando, ita veſtram fidem babere. Atque ut ad Deum uſque non aſcendatur, tamen apud homines etiam ita ſpoodendo bilingues eſtis, ut perfidiæ notam evitare non poſſitis. Ut enim bona ſit illorum intentio, à quibus vobis iſta proponuntur: noo eſt boc tamen ſatis, ſi ad rectum finem per media minus licita tenditis. Petimus igitur à vobis per Dominum, ſi ad tempus ita conſopiti fuiſtis, ut nunc ſerio expergeſiatis. Ut enim ſincere dicamus quod res eſt, non poteſt ſcriptum ejuſmodi admitti, quin ſimul oblique abrenuncietur Dei veritati, quæ una nobis non quavis ſtatione modo, ſed vita ipſa charior debet eſſe. Hoc eſt autem remedium, ſi ita reponatis, Baptiſmum infantibus ſuperfluum non eſſe, quia promiſſione ſanctificati ſint, quum Sacramentum ſit confirmatio neceſſaria propter bumanam infirmitatem, ut ita promiſſio ſecum trahat comes Sacrameotum, nedum ut illius contemptum invebat. In articulo de Cœna ſic reponatis, Subſtantiam veri corporis & ſaoguinis Jeſu Chriſti, uti ex utero Virginis illam ſemel accepit, præſentem eſſe in Cœna tam fidelibus quam infidelibus: & quamvis ſoli fideles revera & efficaciter percipiant, non minus tamen iofideles reos teneri corporis & ſanguinis Domini, quia Sacramentum polluerint. Item horum verborum loco, Rejicimus doctrinam illorum qui tradunt non percipi Cbriſtum niſi ſpiritualiter, reponatis, Qui tradunt non percipi niſi Spiritum Cbriſti, carne nimirum & ſanguine excluſis. Scriptum eſt enim, Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Et quamvis illa perceptio ſpiritualis ſit, oon ideo minus tamen ſit reipſa, neque in ſola pbantaſia vel opinione conſiſtit. Item horum verborum loco, Chriſtum ſecuodum naturam bumanam ſedere: Confitemur Chriſtum ita eſſe in cælo ſecundum bumanam ſuam naturam, unde & illum expectamus, ut tameo pro infinita ſua virtute quæ ſeſe ubique porrigit, ex quo ad dexteram Patris conſedit, poſſit nos incomprehenſibili modo vere paſcere corpore & ſanguine ſuo, ſine ulla mutatione loci. Ubi ſit mentio Sacramentariorum, ſic illud nomen interpretandum erit, ut per illud iotelligantur qui aut tollunt vim Sacramentorum, aut uſum corrumpunt.

Si Epiſcopus vel Curatus ad Eccleſiam ſe adjunxerit.

ROgatus ſententiam de Epiſcopis, Curatis, *Ex Gall.*
& aliis ejuſmodi graduatis quos vocant, ſi quos Dominus ea gratia dignaretur ut ad Eccleſiam ſeſe adjuogerent, quomodo ſeſe erga illos gerendum ſit: illam ita hic in pauca contuli, ut à lectoribus brevitatis veniam deprecer: quum præter ſummas temporis anguſtias, quibus bæc dictare cogor, catarrbo quoque afflictus ſim, qui me lentiorem & tardiorem omnino reddit.

Si ergo acciderit ut quis ex Papatu cui aoimarum cura commiſſa fuerit, Epiſcopus nempe vel Curatus, Domini gratiam perceperit, ut puram Euangelii doctrinam profiteatur: ſi minus idoneus ad Paſtoris munus deprehendetur, neque ea quæ requiritur præditus ſcientia & dexteritate, temere fecerit omnino ſi tantæ rei ſeſe immiſcere voluerit. Fructus igitur converſionis ipſius in eo extabit, ſi ſe omni ea cura abdicaverit, atque ita agnoſcat nimis craſſum illum abuſum, quod prius titulum inanem ſine re geſſerit. Ac proinde ſucceſſori idoneo decedat, qui legitime inſtituetur: ipſi ſatis erit ſi ovis locum teneat io grege Domini.

Si vero quis iſtiuſmodi doctrina & dexteritate & affectu etiam præditus erit ad porro etiam docendum, primum omnium edat fidei confeſſionem, ac

ſancte

ſancte teſtetur ſe puræ & ſinceræ Religioni adhærere: deinde vero agnoſcat ſuam illam vocationem cum mero abuſu fuiſſe conjunctam: petat novam approbationem: ac nominatim irritum profiteatur, quod auctoritate Papæ inſtitutus prius fuerit, ac ſimul abrenunciet illicitis omnibus mediis & repugnantibus ordini, quem Dominus Jeſus Chriſtus in Eccleſia conſtituit.

His præmiſſis, non video quid obſtet, quominus ille admittatur ad munus Paſtoris, modo promittat & reipſa præſtet fidem, quæ ad munus fungendum requiritur: ac præſertim ut ſeſe conjungat cum cœtu Miniſtrorum qui verbum pure docent, ſeſeque ſubjiciat diſciplinæ & politiæ, quæ inter ipſos locum habet. Quod ad ſuperioris ipſius vitæ memoriam attinet, illa ſepulta maneat: neque quidquam illi tum admiſſum imputetur, tantum ut admoneatur officii in poſterum legitime præſtandi. Si objicitur Pauli
1 Tim. 3. verſ. 2. canon ille, quo traditur eligendum Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe oportere: reſpondeo non hic agi, meo quidem judicio, de ſimplici vel abſoluta electione, ſed de approbatione vel reſtitutione ad certum munus propter intervenientem corruptionem. Quemadmodum enim iſtiuſmodi obtinuerunt tum gradum illum & titulum Paſtorum ad ſuum judicium: ita ſane ubi ſeſe ipſi offerunt ad munus illud deinceps præſtandum, non male illis ab Eccleſia conceditur quod ab ipſis ante minus legitime uſurpatum erat. Duo ſunt in illo ſtatu ſumma vitia. Unum, quod non recta ratione inſtituti ſint ad munus Eccleſiaſticum. Alterum, quod de illo gradu ſeſe ipſi dejecerint, dum nihil ejus præſtiterunt, quod ad rem pertineret. Sed illud non facit quominus agnoſcantur pro Miniſtris ordinariis, ubi ſeſe Eccleſiæ conjungere paratos oſtendunt: atque ita de novo confirmentur demum, ad corrigendum præcedentem defectum.

In primis autem hic ultro citroque ambitio cavenda eſt. Nam ut in nullius gratiam ordinem Eccleſiæ fas eſt convellere: ita etiam ea ſeveritas adhibenda non eſt, quæ opinionem quandam afferat, quaſi emolumentum privatum hic quæratur: ut vocabu-
1 Cor. 11. verſ. 16. lum illud φιλόνεικος quod hic adhibet Paulus, eo pertinet: ſic expeditum erit in iſtiuſmodi negotiis, ut nemo ſtudeat obtinere unus præ aliis in Eccleſiæ miniſterio adeundo, vel ſuſcipiendo. Si qui ſe in viam redire velle teſtantur, hoc judicio ſibi injuriam fieri queruntur, peccant maxime. Conſtat enim non poſſe haberi pro Chriſtianis Paſtoribus, niſi prius abrenuncient Sacerdotio Papali, ad quod provecti erant, ut Chriſtum ſacrificarent: quod eſt blaſphemiæ genus omnibus modis deteſtandum. Præterea etiam requiritur ut aperte profiteantur, ſe abſtinere omnino velle ab omnibus illis ſuperſtitionibus & fœditatibus, quæ ſimplicitati Evangelii repugnant. Quomodo enim ſanctam Cœnam adminiſtrabunt, niſi ab illa Miſſæ abominatione alieniſſimos ſeſe oſtendant? Ut neque Baptiſmi idonei miniſtri eſſe poſſunt, niſi aperte rejectis illis corruptelis, quibus ex parte hominum depravatus fuit. In ſumma, non poſſunt admitti pro Paſtoribus ab Eccleſia, niſi ſeſe ad officium præſtandum ipſi obſtringant.

His præſuppoſitis, iſtiuſmodi Epiſcopi partes erunt, dare operam, quantum in ſe erit, ut omnes Eccleſiæ quæ ad ipſius Epiſcopatum pertinent, ab omnibus erroribus & idolorum cultibus repurgentur, dum ipſe exemplo præibit omnibus Curatis ſuæ Diœceſis, atque ipſos inducet ad admittendam reformationem, ad quam Dei verbo invitamur: & quæ tum ſtatui, tum uſui primitivæ Eccleſiæ omnino reſpondet. Simul etiam demonſtret, ſe non probare illos qui verbo Dei obedire detrectaverint: uti altera ex parte ſuum conſenſum cum veris Dei ſervis teſtetur, & fraternam cum eis conjunctionem colat. Quod attinet ad bona illa quæ temporalia vocantur, ſive in juriſdictione, ſive in reditu annuo conſiſtant: quamvis illorum origo ab ea corruptione emanarit, quæ nullo modo ferenda ſit cum miniſterii ſpiritualis pura ſimplicitate: quamdiu tamen res ita confuſæ manent, poterit quodam ſinendi modo ipſis poſſeſſio relinqui, adhibita illa exhortatione, Videant quomodo ea diſpenſent quæ Deo dicata noverint, tum ut ne profanent res Deo ſacras, tum ut ſeſe in modeſtia contineant, quæ veros Epiſcopos deceat. Quod reliquum eſt, ſi iſtiuſmodi ita ſuis proventibus & dominiis addicti ſint, præſtaret contentos eſſe nomina Protectorum Eccleſiæ, operam dantes uti verbum Dei annunciandum à Miniſtris ſuſciperetur, ac cultus Dei ſartus tectus maneret: ut interea miniſterio ſeſe non immiſcerent, ſed illi adeſſe ſtuderent, ut inſpectione quadam nomine & auctoritate regia freti vel ſubnixi. Atque eo caſu, etiamſi illic ſubeſſet infirmitas, quæ non eſſet excuſabilis, tolerandi eſſent tamen, dum pro honoratis Eccleſiæ membris, cui ſeſe impenderent, habetentur.

JOAN. CALVINUS N.N. S.D.

Ad diverſos articulos.

Ex Gall. Dilectiſſimi fratres, quia ad ſingulas Eccleſias quæ apud vos ſunt, hoc ſcriptum ſpectat maxima ex parte, commodiſſimum duximus noſtras ad vos literas communes dare, non tam ut labori parceremus, quam ne multum verborum fruſtra ſingulis literis inſumendum eſſet: ac præſertim ut ita perſuaſi ſitis, nos diverſis literis nihil diverſum reſpondere, quum noſtrum conſenſum omnibus perinde conſtare velimus. Primum igitur, quia accepimus quibuſdam non probari, quum de fide interrogantur, ut ſi minus instructi deprehendantur, ad Cœnam non tantiſper admittantur, donec melius profecerint: petimus ab illis quibus iſte rigor non placet, in nomine Domini, ne ſibi in malo ſuo indulgeant: neque etiam hoc captent, ut indulgeatur illis quod ad ipſorum exitium pertineret. Nota eſſe debet illa Apoſtoli ſententia inter 1 Cor. 11.
Chriſtianos, ſacrilegii teneri quicunque panem Domini indigne comederint. Ut vero quis illo digne utatur, requirit ut ſeſe quiſque probet: ubi ſatis docet, non debere ad iſtam menſam accedere qui ad ſeſe probandum non ſunt idonei. Quiſquis igitur non ante inſtitutus in fide, temere ad Cœnam accedit, iram Dei provocat: ut qui ita indigne vetantur accedere, non habeant quod querantur, dum ita illorum ſalus potius procuratur. Ac ſi quiſque ſatis ſaperet, ſibi quiſque judex eſſet: ſed quia multi parum ſibi attendunt, expedit certum ordinem extare in Eccleſia, uti nunquam non hoc obtinuit, ne profanentur Sacramenta. Ubi enim promiſcue omnes admittuntur ſine delectu, contemptus eſt quem Dominus tolerare non poteſt. Dominus ipſe Cœnam ſolis diſcipulis diſtribuit. Quare quiſquis non eſt inſtitutus in Evangelii doctrina, non debet accedere ad Domini inſtitutum. Nemo igitur moleſte ferat, dum ipſius Chriſtianiſmus probatur ſaltem tenuiſſime, quum ad Cœnam admittendus eſt. Idem etiam ſtatuendum eſt in toto ſtatu & ordine diſciplinæ, quæ in Eccleſia vigere debet, ne admittantur illi qui indigni judicati fuerint. Scimus hoc novum videri illis qui non tenent diſcrimen inter jugum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Papatus tyrannidem: ſed veſtrum eſt potius inſpicere quæ ſit Domini voluntas, ut illi vos ſubmittatis, quam ut frena laxetis veſtris affectibus. Nam & infidelium olim exemplum hic nobis incutiat pudorem oportet. Utcunque enim illi non eam reverentiam adhibuerint in ſuis ſuperſtitionibus, quæ à nobis præſtanda eſt in Sacramentis: hoc tamen habuerunt pro confeſſo, ab illis arcendos eſſe quicunque aliquo crimine polluti cenſerentur. Quum vero Cœna Domini alicui interdicitur, ne ſe per-

perpetuo excludi exiſtimet, neque conjici in deſperationem, ſed hoc fieri ut ſeſe dejiciat, utque alii per illum diſcant. Quum igitur hoc totum Dei verbo præſcribatur, petimus à vobis per Dominum, ne vos ſubjicere pudeat rei de qua compertum habetis quam recta quamque ſancta ſit. Non eſt etiam nobis dubium, eſſe apud vos delectos homines & conſtitutos ad corrigenda ſcandala, ad monendos qui peccaverint, atque illos agnoſcendos qui ſeſe honeſte gerunt. Qui autem ad ea munera vocantur, eam humanitatem, eamque moderationem præ ſe ferre debent, ne cenſuræ prætextu quis infametur, aut prematur calumniis, falſis delationibus aut ſuſpicionibus. Atque hoc attingimus nominatim, ut ita admittantur quæ fient admonitiones, ut is ad quem pertinebunt, audiatur etiam ſi quam excuſationem habeat, ne aperiatur feneſtra detrahendi, & moleſtia afficiendi innocentes. Sic igitur expediet aliquem pro officio deferri apud Seniores, ut delato ſeſe purgare liceat: ac ſi innocens comperiatur, delator ſenſim corrigatur ut minus circumſpectus: ſin vero malus animus ad delationem calumnioſam ipſum impulit, illud eſſet plane intolerabile. Veſtrum eſt autem orare Dominum, ut quos ad iſtud munus elegiſtis, illos Spiritu ſuo regat cum vera prudentia, manſuetudine, zelo, rectitudine. Vos vero ipſos ſinite frenis illis contineri, quibus omnes opus habemus; & quorum eſt inſpicere in alios, primi illi & corrigantur & caſtigentur.

Inter alia vitia quæ multi ſibi condonari vellent, unum eſt: nempe ut liceret ipſis beneficia illa Papatus, quæ vocant, retinere, vel de illis negotiari. quod omnino extra diſceptationem damnandum eſt. Crimen eſt enim quod Chriſtianiſmo diſerte repugnat, ſi quis ſe talibus ſacrilegiis contaminet. Alterum eſt non tanti momenti in ſpeciem, afferre nempe infantes ad Baptiſmum Papiſticum, aut proſequi funera mortuorum. Atqui ubi illi, qui hoc ſibi licere aut non imputari volunt, ſerio ſeipſos excuſſerint, ac Deum judicem ſibi poſuerint ante oculos, facile in ſeipſos ferent ſententiam. Satis enim eſt notum vobis, quam fœdis & deteſtandis ſuperſtitionibus, adeoque meris Satanæ ludicris fœdatus ſit Baptiſmus in Papatu. Ut quiſquis offert illic infantem, polluat ipſum quantum in ipſo eſt, non autem benedictionem Domini ipſi procuret. Participare etiam precibus quæ fiunt pro mortuis, hoc non aliud eſſe poteſt, quam tantundem derogare unico Chriſti Domini noſtri ſacrificio, quando purgatorium ſolis humanis ſatisfactionibus nititur. Videte igitur an illud ſit excuſabile, & an, ubi quis ita ſcandalizaverit Eccleſiam, diſſimulari debeat, aut pro levi delicto tolerari: ac non potius eam reprehenſionem mereatur, quæ illum moneat, ut ſit cautior in poſterum, cui tale aliquid acciderit. Scimus in quibus verſemini anguſtiis, ac vobis quoque pro charitatis officio condolemus: ſed quia nihil juvaret à nobis abſolvi, ſinite in vos potius ex Dei verbo ferri ſententiam, ut totum iſtud veſtro bono & ſaluti cedat.

Audimus aliud inter vos diſceptari: nempe an liceat cuiquam ingerere ſeſe ad prædicationem eo loci ubi Eccleſia reformata extet, etiamſi ab Eccleſia hoc ratum habitum non ſit. Atque ut quis ita ſe geſſerit, an etiam liceat ad illum audiendum venire. Hic autem oramus ut diligenter attendatis, utcunque Dominus inter vos corpus aliquod Eccleſiæ conſtituerit, inde non ſequi, multa non eſſe toleranda in *ἀταξίᾳ* publica quæ iſtic adhuc viget, quæ in Eccleſia bene conſtituta ferenda non eſſent. Non loquimur de illis actionibus, in quibus peccatur in Deum, quæque ipſius verbo repugnant. Sed quum miſeri Papiſtæ ſint ut oves diſperſæ, ubi Dominus excitat certos homines, qui illos ex diſſipatione colligant, tantum abeſt ut talem opem illis oblatam impedire ipſi debeamus, ut potius eo caſu nobis uſurpandum ſit illud Domini, ut habeamus pro noſtris eum, qui non ſint adverſum nos. *Luc. 9.* Quia hic non agitur de munere Paſtoris, ſed tantum de illius opera, qui ita docet, ut ſenſim ad Chriſtum adducat qui erant prius diſperſi. Non agitur etiam de ordine perpetuo: ſed de medio quodam extraordinario, quo Dominus utitur in confuſione Papatus. Recordamini etiam illius Apoſtoli ſententiæ, quod qui non ſunt Eccleſiæ *1 Cor. 5.* domeſtici, ipſius regulæ & ſtatutis non ſint ſubjecti. Obſervandum denique quod alibi tradit idem Apo- *Philip. 1.* ſtolus, offerri nempe gaudii materiam, ubi Euangelium promovetur, etiamſi hoc per occaſionem fiat. Quamobrem nobis non videtur interdicendum fidelibus ab iſtorum prædicatione, modo illic extet proba & pura doctrina: abſit autem precatio omnis ſuperſtitioſa, aut quævis alia mixtura. Neque tamen hoc eo pertinet, ut inde occaſionem captent ſubducendi ſe à cœtu ordinario, aut etiam ſegnius conveniendi ad ordinarium Paſtorem audiendum. Incitandi ſunt potius & confirmandi ad tenendum ordinem, in quem ipſos ſemel introduxit Dominus. Ac proinde attendite vobis, ne circumveniamini ab illis qui obliqua via tentant abducere oves à grege, ut à paſtu ordinario alienas reddant. Interea ſi qui illos adeunt non curioſitate quadam illecti, neque ut à recta via declinent, tolerandi quidem illi videntur.

Gravius eſt vero quod quidam adeunt etiam conciones monachorum, qui verbum aliquod veritatis inſpergunt ſuis mendaciis, ut ita gratiam ſibi concilient. Quaſi vero non ipſi nimis propenſi ad vanitatem ſimus, & ad mendacia, ut novi magiſtri quærendi ſint, qui nos eo inducant. Neque immerito illos punit Dominus, qui talibus mixturis delectantur: ut reipſa conſtat illorum plurimos & à veritate deflectere, & Satanæ impoſturis inſici. Neque id aliunde eſt quam ab ipſorum ingratitudine, quando puræ doctrinæ non acquieſcunt, ſed vento paſci cupiunt. Juſto vero judicio Dominus iſtos inebriari ſinit. In genere cavendum vobis, ne ſitis ex eorum numero qui ſemper diſcunt, ut ait Paulus, *2 Tim. 5.* & nunquam ſcientiam veritatis aſſequuntur. Memores etiam eſſe vos velimus illius Domini admonitionis, ut caveatis vobis à fermento Scribarum & Phariſæorum: quando ita nobis difficile eſt qui eo ſemel aliquando imbuti fuimus, ut eo vere expurgemur, ac nihil ex illa corruptione fæcis in nobis hæreat. Quid iis igitur fiet, qui inter illos etiam vivere cupiunt, atque ita ſponte Deum tentant? Idem exiſtimandum eſt de toto genere precularum quas horas & patinoſtras vocant, & cæteris ejuſmodi idololatriæ inſtrumentis. Sic enim idola nobis prorſus eſſe debent execrationi, ut ne illorum quidem nomina nobis in ore ſint, ut eſt in Pſalmo 16. Cui reſpondet & illud Ezechielis, quod ſi bene pœnitet ante- *Eze. 36.* actæ vitæ, & viarum noſtrarum in quibus erravi- *verſ. 32.* mus, illarum nos etiam non pudere non poteſt. Sunt aliæ corruptelæ, quæ eo etiam accedunt. Aleæ enim & quas Cartas vocant, ut ad ſuperſtitiones non pertinuerint, ſed aliorum vitiorum fuerint inſtrumenta, multum quoque damni & malorum paſſim intulerunt. Ac quod ad iſtiuſmodi luſus attinet, non ita prorſus à nobis damnarentur, ſi in eorum uſu quod licet locum haberet: ſed ubinam extat illa ſobrietas? Primum non eſt aliud uſpiam, quod ita homines quaſi viſco impediat, adeo ut totos eorum ſenſus occupet, non ſecus ac faſcino correptos. Sed quemadmodum qui illis aſſueverunt, non ita poſſunt illis vale dicere: ita etiam qui pedem aliquantum retulerit, illa omnia faſtidiet. Porro qui ſeſe ita iis rebus dedunt, atque ita inſanire pergunt, incidunt in multas moleſtias. Notum eſt, vix unquam luſus effluere ſine blaſphemiis, fraudibus, atque excandeſcentia: quot etiam familiæ inde acciſæ. Nemo enim tenet modum, quin ſeſe exhauriat, aut ſenſim ipſe conſumat. Maxime ubi de lucrando agitur, fieri

vix

via poteſt, quin Deus ipſe lædatur aliquo modo. Quare magnopere expedit ab illis eſſe alienos, quantum fieri poteſt. Optimum vero abſtinere prorſus. Petimus etiam à vobis ne hoc audire moleſtum ſit, ut quæ inter vos ſunt Eccleſiæ, quorum Paſtores oneribus familiarum numeroſiorum premuntur, illis curetis proſpectum, & illorum neceſſitati. Non poteſt enim qui inopia premitur, libero eſſe animo & quieto, ut ſeſe totum muneri ſuo impendat, dum familia egens eſt, neque babet quo ſubveniar, ad manum. Atque omnino quum audimus ex Dei verbo, illos eſſe nobis alendos qui Eccleſiæ inſerviuot, non eſt hoc mere reſtringendum ad ipſorum perſonas. Nam & ipſi eſſent inbumani, niſi æque de ſuis ac de ſeipſis eſſent ſolliciti. Præſtamus hic quod poſſumus: ſed ea eſt inopia, cui plane ſublevandæ impares ſumus. Sed quia non dubitamus, quin ſatis per vos officium ſitis facturi, ut non accedat noſtræ exhortationis ſtimulus, ſatis erit verbo boc apud vos indicaſſe. Atque ut tandem abſolvamus, quia non dubitamus vos impeti quotidie ab hoſtibus fidei, petimus à vobis ut certetis conſtanter, neque remittatis quidquam, donec omnes impetus Satanæ ſuperaveritis, atque ad beatam metam ex intento curſu perveneritis. Agnoſcite vero quæ nobis cælitus arma ſuppediteotur: nempe ut ad eum unum nos recipiamus, qui nos ea gratia dignatur, ut in ſuum præſidium recipiat, atque ita in patientia poſſideamus animas noſtras. Vi enim pervincere nobis fas non eſt: & probe noſtis quam male ſuccedat, quicquid temere aggredimur ſine heri mandato.. Dura omnino tentatio & ſuperatu difficilis, dum impios ita videmus ſævire adverſus innocentes: ſed intuendum eſt ad quid vocati ſimus. Et quando ita fert voluntas Domioi ut affligamur, idque pro cauſa tanti momenti, ne alienum à nobis videatur. Enitamur potius diſcere ea ratione quam iſti caducæ viræ præferenda ſit Dei gloria & quam illi debemus obedientiam, ipſumque Chriſti regnum, & ſpes illa vitæ æternæ. Hic igitur ur & in genere illud quod Scriptura docet in uſu habete, ut vobis renunciando, ſacrificium ſitis boni odoris Domino. Precamur Dominum, vobis primum impendio à nobis ſalutatis, ut vos reſpiciat atque aſſerar ab omnibus adverſariis, ſuo præſidio tueatur, tegat Spiritu, atque omni bono cumulatos reddat.

Ad quinque articulos.

Ex Gall. AD primum articulum, in quo quæritur quouſque extendi poſſit conſilium relinquendi viri vel uxoris, ubi agitur de idololatria vel perſequutione fugienda. Ego ſane auctor fuerim conjugatis, ne ſeſe mutuo relinquant, niſi prius tentatis mediis omnibus quæ ad comparem lucrifaciendum, & ſecum deducendum ſacere potuerint. Tam arcta enim conjunctio tale officium partium requirit: & conſtat, præter ſcandala & alia mala quæ ex levi & temerario diſceſſu naſci poſſunt, qui ſe ita gerit, non præſtare fidem qua parti relictæ tenebatur. Primum igitur, ſi vir vel uxor quæ repugnat Euangelio, ſinit parrem alteram pure Deum colere, eo caſu neque virum ab uxore, neque uxorem à viro diſcedere fas eſſe cenſeo. Si vero una pars alteri bic obſiſtit, pars fidelis eam conſtantiam retineat, ne à recta via uſquam deflectat: ſtudeat etiam ita amice ſeſe gerere, ut animum partis quæ obſiſtit, emolliat. Atque ita nemo diſcedat niſi urgeatur maoifeſto periculo: ut ſi una partium alteri minas intendat, atque id ſerio conſtet, aut aliunde inſtet perſequutio: ut, in ſumma, certa neceſſitas eo fidelem adigat, neque ſponte divortia facta dici poſſint. Neque tamen ſequitur, ex tali etiam diſceſſu libertatem acquiri parti fideli novæ conditionis quærendæ: quum diſceſſus ille non pertineat ad vinculum conjugii ſolvendum, ſed ad evitandum hoſtium Euangelii furorem. Imo qui ita diſceſſit, dare operam debet, ſi qua fieri poſſit, ut partem infidelem ad ſe pertrahat, donec divortii cauſa manifeſta deprehendatur. Qui igitur ita ſeparati ſunt, agant tanquam in viduitate. Ubi autem adulterium intervenit, niſi illud probari poſſit, ſuſtinendum eſt adbuc: nam etiam in ejuſmodi caſu divortio locus eſſe non poteſt ſine idonea cauſæ cognitione. Neque vero judicum iniquitas ad ejuſmodi crimen perſequendum, parti læſæ fraudi erit, quin ipſa conquiſitis probationibus det operam, ut rei veritas pateſiat. Quod ſi reus adulterii à lite conteſtata in judicio convictus fuerit, etiamſi non ſequuta ſit judicis ſententia, quævis Eccleſia Cbriſtiana admittet ad novum matrimonium partem læſam, quæ talibus primum documentis Eccleſiam de ſuo jure certiorem reddiderit. Secus enim non admitteretur ab Eccleſia.

Ad ſecundum articulum, ubi de veſtibus luctus (quas vocant) quæritur, non video magnam illic bærendi occaſionem. Res enim per ſe non ita mala eſt, ut tolerari non poſſit, quemadmodum & alii quidam defectus ſeu infirmitates bumanæ politiæ. Quia igitur non ita præciſe requiritur, ut ab illis rebus abſtineatur: ſi propter illarum neglectum ſcandalum vel turba vel moleſtia quævis creari poſſit, nolim hac in parte auctor eſſe abſciſæ cujuſdam ſeveritatis. Monitum ſimul unumquemque velim, ut omnes illas pompas, exceſſus, & tot illa minutula quædam ita caveat, ur agnoſci inde poſſit eos qui in Dei ſchola profecerint, non delectari iſtiuſmodi rebus, ſed illis uti quaſi perfunctorie, ut ſeſe ad uſum receptum accommodent.

Ad tertium articulum, an à Principe peti poſſit confiſcatio bonorum, illorum nomine & gratia, quibus perſequutio inrenditur. Certum eſt illud fieri non poſſe ſine peccato. Reſcriptum enim ſive indultum Principis complectetur omnino blaſphemias apertas contra Dei gloriam, quia fiet illic mentio errorum & criminum, & læſæ majeſtatis divinæ à damnatis: quod reſcriptum, erit deinde in jure exbibendum illi, qui eo uti cogitabit. Atque illud eſt approbationis genus quoddam nullo modo ferendum. Quare non video ut pio viro & recte inſtituto in Euaogelio ejuſmodi fictionibus ſeſe liceat involvere. Tantum ſi quis exiſteret bene affectus erga Euangelium, etſi illi nomen non dediſſet, qui beneficium aliquod in tali occaſione offerret, non nego quin ea occaſione uti liceat: dummodo is qui ſuis facultatibus cautum vult, non ita eliciat ejuſmodi reſcriptum Principis, ut ullam Euangelio maculam inurat, aut illius publicationi conſeotiat, ſed ea demum ratione ſibi proſpiciat, ut cum malo nihil affine habeat.

Ad quartum, liceatne procurare fideli detento liberationem à carcere clavibus ſuppoſitis, aut pretio oblato, vel alia quavis methodo. Quod ad me attinet, neque ejuſmodi conſilium darem, nequo probarem etiam: & tamen, ubi quid tale tentabitur, commendabo precibus exitum Domino, & gaudium inde percipiam, ſi quis ſine turba vel ſcandalo evaſerit. Video inter veteres Cbriſtianos, ipſoſque primum diſcipulos, ubi quis detinebatur in carcere, Eccleſiam preces adhibuiſſe, non alia media. Neque *Actor. 24. verſ. 27.* Paulus ipſe pretio redimi curavit. Quare ut omne malum evitetur, præſtiterit ab ejuſmodi rationibus abſtinere. Ac nibilominus ſi cui ita evadere contigerit, ut illius factum non approbem, Deum quidem laudabo pro liberatione ejuſmodi, tolerabo etiam potius qui ita ſibi conſuluerit, quam ut illum condemnem.

Ad ultimum, quomodo agendum cum illis qui Cœnæ Domini facti participes ad idololatriam redierint: maxime neceſſarium eſt, ordinem aliquem extare, qui ſit freni inſtar: & ſimul bic, ut in omnibus, modum tenere expediat. Nempe ut neque Cœna profanata ita fuerit, ut nulla cenſura & correctio

ſub-

ſubſequatur delectum: neque ea ſeveritas adhibeatur, quæ infirmorum animos labefactet. Satis igitur erit, exempli cauſa, ſi cui ſemel contigerit ad ſuperſtitiones deflectere, modo in lapſu non perſtiterit, aut nihil gravius admiſerit, unde idololatriæ ſcelus exaggeretur, & veluti conduplicetur: ſatis erit, inquam, ſi illi Cœna Domini ſemel interdicatur. Ante omnia autem inſpiciendum ſerio, qua reſipiſcentia præditus quiſque ſit. Quod ad bis terve relapſos, majori ſeveritati debet eſſe locus multis de cauſis: tum ne nimia facilitas illos in peccato lactet & foveat, unde certum exitium ſibi accerſant tandem: tum vero ne exponatur ludibrio nomen Dei, & quæ concipiuntur ſponſiones: ac ne etiam inde ſenſim quiſque diffluendi occaſionem caperet, unde tandem legitimæ reverentiæ loco merus contemptus ſuccederet.

Quæ ratio à viro pio teneri poſſit, ubi Religionis cauſa domo migrare cogetur.

Ex Gall. SI quis conjugatus ſub Papatus tyrannide ſolum mutare cogatur, quum ei minus liceat apud ſuos pure Deum colere: primum conſulam, ut omnem operam det, quo uxori perſuadeat, ut ipſi comitem ſe adjungat. Quum enim vir mulieris ſit caput, maxime ad officium ipſius pertinet, ut ad viam ſalutis eam perductam curet, quantum in ipſo erit. Quare fas non erit Chriſtiano homini prætextu Religionis deſerere uxorem: enitatur potius omnibus modis ut ipſam Domino lucrifaciat, ut uterque deinde illi uno affectu obſequatur. Ac ſi res primum non ſuccedet, pergendum nihilominus, utcunque illam præduram & pervicacem experiatur: adeoque ne vitæ quidem parcendum eſt. Præterea dum ad eam docendam & admonendam intentus eſt, precetur Dominum, ut Spiritu ſuo ipſam afficiat, quum ſine illius ope omnis labor fruſtra impendendus ſit. Si quæritur quouſque ſeſe exteodaot hujus officii limites, non ita poſſum hic quidquam præſcribere. Tantum admonitum velim, ut tam cordare & recto zelo opus perſequatur, ut intra paucos dies tanto magis illud promoveat. Sic enim adeſt Dominus illis qui integre in eo ſe gerunt. Quicquid ſit, non debet moleſtius ferre moram illam uxoris, aut frangi animo propter illius duritiem: modo ipſe interea ab idololatria alienus ſit. Cavendum enim, ne, dum uxorem ad Deum deducere ſtudet, ipſe ſeſe ab illo avertat. Tandem ubi ita omnibus perfunctus eſt, ut jam ei tutum non ſit apud ſuos agere extra omne idololatriæ conſortium: quin potius ad migrandum adigetur perſequutionibus, minis, aut alia vi majore: tum demum ſi ſe ſubduxerit, habebit idoneam excuſationem, quod per eum non ſteterit quominus ſuam ſecum comparem adduceret. Neque tamen ita etiam tum diſcedat, quaſi ſe ab illa omnino ſubduceret: quin potius ita ſe erga illam gerat, ut nullam rationem omittat, qua eam è lum illo educat ex quo ipſe prior emerſerit, ut ambo ſimul Deum colant. Quum ſe ita geſſerit, non erit quod illi imputetur, quaſi divortium ſponte captarit, aut à conſorte ſeſe ſubduxerit. Ubi enim urget neceſſitas, jus nullum amplius eſt ejuſmodi uxoris in virum, cui ut ſatisfaciat, à Dei cultu ſeſe avertere cogatur. Sic igitur officio functus erit, qui omnibus prius tentatis, ex illo carcere tandem evolaverit.

Si quis liberorum pater cogatur etiam ſolum mutare, ſive vi præſente, ſive etiam ſponte, ut idololatriam fugiat, conſulo ut eos ſecum dedocat tanquam præcipuum theſaurum & peculium ipſi collatum à Domino. Nam ipſis ſemel relictis iminebunr ſtatim ea vincula, quæ perpetuum illi officii erga ipſos neglecti mœrorem afferent. Niſi ſi emancipatis facultates deinde dividendo aſſignet: quod nullo modo ei committendum eſt: quia vel eo modo vincula ipſis induet, donec vigeſimum quintum annum impleverint. Atque ut contingat tutor bene affectus, nihil tamen per ſe audebit: neque etiam penes illum erit quidquam vendere vel alienare. Imo vix ex ipſo reditu aonuo quidquam in patris uſum decîdet, quia ad reddendam ipſius quoque reditus rationem tenebitur. In ſumma, qui ſuas facultates ita relioquit liberis, aut illis induit laqueum, aut ſaltem ita implicat, ut ex voragine vix ſit deinde emergendi locus, quantumvis ad eam rem bene ex ſeſe illi affecti eſſent.

Si pia mulier à marito propter Religionem durius tractabitur.

AD ſpeciem propoſitam de muliere quæ religionis veræ nomine duriſſime tractatur à marito, & in ſervitute quadam acerbiſſima habetur: rogatus an illi mulieri liceat, derelicto tali marito, ſeſe huc recipere vel alibi, ubi ſit Eccleſia, in qua pacata conſcientia victura ſit. Reſpondi ſatis nos quidem videre ærumnas & anguſtias fidelis mulieris, cui & nos mutuo congemiſceremus, & Deum ut ipſam reſpiciat precaremur. Quum vero quæritur quid ei facere liceat ex Dei verbo, merum hoc ac ſimplex reſponſum à nobis reddi poſſe ſine ullo alio reſpectu: quod ei moleſtum eſſe nolimus, etiamſi noſtra ſententia ad illius affectum plane non faciat: quaodo & illam & nos etiam ab uno Magiſtro ita pendere oportet, ut nullus ſit noſtris affectibus locus, ubi de ejus voluntate præſtanda agitur. Hic igitur reſpicere oportet quodnam ſit vinculum matrimonii: ejuſmodi nempe, ut non liceat fideli per ſe & ſponte relinquere infidelem, ut docet Apoſtolus 1 Cor. 7:13. Et certum eſt Paulum eo uſque ſeparationem negare, etiamſi fideli ab infideli plurima eaque graviſſima toleranda ſint. Neque enim Ethnici vel Judæi tum æquiores erant Chriſtianis, quam nunc ſint Papiſtæ. Jubet tamen Paulus, ut fidelis perſtet in officio conſtanter erga Deum, neque tamen deſerat partem infidelem quæ Dei veritati adverſetur. In ſumma, ita uni Deo poſtponi debent mundus, parentes, liberi, maritus & uxor, ut ubi iſta ſimul retinere non licebit, tum omnibus abreounciatis, uni Domino adhæreamus. Ex quo non conſequitur, Chriſtianiſmo tolli omne naturæ jus & ordinem, ubi nulla vis major adegerit. Tum enim debet pia mulier eniti tanto magis, ut officio fungatur erga virum qui veritati reſiſtit, ut illum lucretur quantum in ipſa erit, ut docet Petr. 1. 3: 1. Atque ut res ſunt in Papatu, partis fidelis officium eſt ſtudere & eniti, ut comparem in viam ſalutis perducat. Quod ſi obfirmatum animum experiatur, non tamen diſceſſionem à pietate ſimulet ullo modo, quin potius de ſua integritate & conſtantia teſtetur quicquid accedat vel ſibi objectum habeat. Jam ubi pars fidelis ita officio functa, perſequutione premetur eo nomine, licebit tum illi fuga ſibi conſulere. Ubi, inquam, fidelis vir ſive mulier fidei confeſſionem ediderint, ac ſi expediet oſtenderint, fas non eſſe ſibi conſenſum præbere abominationibus Papiſticis, ac tum perſequutio illis imminebit ea occaſione, ut inſtet ipſis certum periculum, licebit tum illis evadere, ſi Dominus viam ipſis aperuerit. Neque hoc divortium ſpontaneum appellari poteſt, quum vi quis ad fugiendam perſequutionem adigitur. Quod autem ad ſpeciem propoſitam attinet, illa huic noſtræ ſententiæ non reſponder. Conſtat enim mulierem qua de agitur, tacere & diſſimulare pietatem, atque ſinere ſeſe pollui ſuperſtitionibus, adeoque ſeſe ad arbitrium mariti inflectere: quia nullo jure à marito abſcedere poteſt, niſi & pleniorem fidei confeſſionem ediderit, & vi majore conſtricta, illi tamen obſtiterit. Petat igitur à Domino ut ipſam confirmet: deinde ad pugnam ſeſe animoſius accingat Spiritus S. virtute freta quam hacte-

hactenus, ut maritum edoceat cum omni manſuetudine & modeſtia quam fidem profiteatur, utque ei fas non ſit in mariti gratiam Deum offendere. Expenditur quidem illa aſperitas mariti à nobis quam mulier attingit. Verum illud non impedit, quominus vires ipſa colligat, atque exitum Domino commendet. Conſtat enim infidelitate fieri, ut metu præpediti, quod vocationis noſtræ eſt aggredi non audeamus. Non eſt igitur idoneum ejuſmodi fundamentum, cui nos ionitamur. Tandem ubi officio functa, periculum ſibi imminere intellexerit, adeo ut maritus in vitæ diſcrimeo ipſam adducat, tum demum patebit ei libertas illa quam omnibus piis offert Dominus, ut luporum fauces evadant. 22 Julii. M. D. L I I.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

Ad tria quædam capita.

Ex Gall. DIligentior fuiſſem in reſpondendo, dilectiſſime frater, niſi me retinuiſſet illa difficultas, quæ cum eo mibi conjuncta viſa eſt quod tuis literis à me requiris. Quæris igitur, ecquid liceat Miniſtris ex ſua pecunia fructum aliquem ſtipulari & percipere. Si præciſe non licere dixero, durior quam par ſit, judicari poterit mea reſponſio, & adverſus quam non deſint quæ etiam regerantur. Quare illud oon licere, ipſe quidem affirmare non auſim. Jam vero ubi expendo quam hoc obnoxium ſit calumniis & ſcandalis, & quam plerique latiſſime extendant quod ſub moderata conditione uſurpari poterat, ut modum hac in re legitimum excedere ſibi permittant, multo lubentius ſubſiſterem, quam ut pleno reſponſo hoc ſemel expediendum cenſerem. Conſultiſſimum eſſet nempe, ab ejuſmodi contractibus & redituum captationibus abſtinere. Neque enim fruſtra ita de ſe teſtatur Jere-
Jer. 15. vers. 10. mias, Non fœneravi eis, neque ipſi fœnerati ſunt mihi, omnes maledicunt mihi. Quare quum ab ejuſmodi quæſtu ſeſe continere poteſt Miniſter verbi, recte ſibi conſulit: & tamen quando quæſtus ille tolerabilior eſt, quam ſi ipſe per ſe negotiaretur, aut aliquam artem faceret quæ ipſum à munere ſuo avocaret, oon video cur factum in genere damnationem mereatur. Interea hanc moderationem adhiberi velim, ne videlicet certum reditum vel ſummam ſibi præciſe pendi ſtipuletur: ſed ut pecuniam ita apud probum virum collocet, ut in illius fide ac probitate acquieſcat: ac proinde contentus ſit æquo & honeſto fructu pecuniæ, pro ratione benedictionis Dei erga ipſum pecuniæ exercitorem. Quod ad jurisjurandi exactionem in Conſiſtorio attinet, agendum eſt prudenter, ut detractionibus & ſuſurris malorum obviam catur. Expediet igitur quom opus erit, adjurare qui vocati erunt, atque illos veluti ad Dei tribunal ſiſtere, quando ille ipſe in tali cœtu præſidet: abſtinendum eſt vero ſedulo ab omni agendi ratione quæ juriſdictionis ſpeciem habeat, aut aliquid etiam ab illa non diverſum. Ad ultimum vero, non video quid difficultatis ſubſit, quin admittantur ad Conſiſtorium, qui juriſdictioni ordinariæ & civili præſunt, modo ne interſint illic nomine & reſpectu ſuæ illius juriſdictionis, ſed ut diſcrimen obſervetur ſemper inter munera illa duo plane diſtincta, civile nempe & Eccleſiaſticum. Alioquio nulla ratio finit excludi illos qui Magiſtratum gerunt ab inſpectione & regimine ſpirituali. Summa eſt, ot quum idonei homines ad illud munus electi erunt, videant ipſi ne cum gladii poteſtate confundaot quod ab illa ſui natura diſtinctum manere debet. Sic viſum eſt reſpondere ad tua poſtulata, quod & fratres appobarunt, quibuſcum de iſtis nominatim contuli, ne ex meo unius ſenſu iſta prodiiſſe viderentur. Bene vale. 10 Januarii. M.D. L X.

Ad certa quædam capita.

QUum de augendo Miniſtrorum numero agitur, pertinet tum ad Conſiſtorium, tum ad totam Eccleſiam illius rei judicium. Videndum autem & an facile reperiri poſſint, & an Eccleſiæ rationes idoneæ ſint ad incrementum illud ut par eſt ſuſtinendum, vel ſecus. Quod ad idoneitatem tum Paſtorum, tum etiam Presbyterorum ſive Inſpectorum, ut nemo tam exacte muoere fungi poteſt, quio melius aliquid etiamnum deſiderari in optimo quoque poſſit, ita etiam niſi illi admittuntur qui & legitime ſunt electi, & quod poſſunt præſtant, nullus erit turbarum & contentionum finis in Eccleſia. Statuere vero ut locupletes, & qui dignitate ac nomine ſunt conſpicui ad munera Eccleſiaſtica eligantur, illud plane repugnat ordini & regulæ Chriſtianiſmi. Imo eo uno conſtat maxime nos veros eſſe Chriſti diſcipulos, ubi non pudet illorum adminiſtrationi nos ſubjicere, quorum in mundo minus erit pretium & commendatio. Fonctio Coofiſtorii habet ſuos fines ac limites, intra quos ſeſe contineant qui ad illam exercendam vocantur. Eorum eſt igitur invigilare gregi Domini, ut Deus pure colatur. Admonere item tam privatim quam publice: ac porro excommuoicare etiam quum res exiget. Ubi ita ſe Conſiſtorium continebit, neque ſeſe ulterius porriget quam per Dominum liceat, nulla obſtrependi occaſio dabitur. Jam vero præter conſeſſum illum Eccleſiaſticum qui habetur in Conſiſtorio, inſtituere conſiliom aliquod Eccleſiaſticum ut vocaot, non videmus ut boc cum ipſius Domini inſtitutione conveniat: imo mere novum opus illic agnoſcendum atque denunciandum eſt, ne variis mutationibus deinde feneſtra aperiatur. Ac præſertim illud nonniſi certam ruinam afferre poteſt, quum qui adverſantur veritati, inde occaſionem inſultaodi arrepturi ſint, quaſi eo nomine adverſus ſtatum politicum aliquid fieret. Nec tamen improbamus, ubi neceſſitas inciderit, eligi viros conſultos & experientia præditos, qui videant quid ſit è re Eccleſiæ: ita tamen ut hoc etiam munus ſit ad tempus, & extraordinarium, ordinarium vero nullo modo.

CALVINUS N. S. D.

Ut ſe pius homo à Papatus ſuperſtitionibus ſubducat.

GRatias ago Domino, frater chariſſime, quod te ad ſinceram veritatis ſuæ cognitionem perduxit, teque ab illis erroribus eripuit, in quos incidere ſuos etiam nonnunquam ſinit, ut ipſos humiliet. Vide igitur ut ita in iſta fidei ſimplicitate incedas, ut Dominus in ipſa te confirmet magis ac magis: quumque jam ex hoc mundo cum Domino noſtro Jeſu Chriſto unitus ſis, ac membrum ipſius exiſtas, quatenus ipſe carnem noſtram induit, ut plenam fraternitatem nobiſcum iniret, ex Euangelii ipſius præſcripto vitam inſtituas: cujus ſumma eſt, ut in ipſo uno ſolidam ſalutem quæramus, atque ita tandem ad vitam illam perveniamus, quæ fidelibus eſt repoſita in cælis, ſub ſpe & expectatione reſurrectionis ad gloriam æternam. Fixa enim etiam illa nobis ſpes hærere debet, quamdiu corpora noſtra in terra quieſcunt, animas apud illum victuras in cælis. Quod ad illud quod à me quæris, liceatne Chriſtiano homini participare Cœnæ Domini quæ iſtic adminiſtratur: reſponſio aperta eſt, licere omnino, modo Cœna Chriſti ea ſit, de qua agitur. Atqui ubi rem uti par eſt expenderis, invenies non magis convenire inter Cœnam Domini ac Miſſam Papiſticam, quam inter lucem ac tenebras. Conſtat quidem ordinationem Domini deteriorem fieri non poſſe pravitate homi-

hominum vel ignorantia; ſed illud pernego, Miſſam ad Chriſtum auctorem referri poſſe: quin potius in ipſius contumeliam ab ipſo Satana fabricatam affirmo ad ſanctæ Cœnæ everſionem certiſſimam. Plane enim ex diametro illi repugnat, ubi ſacrificii nomine cenſetur, atque in actionem temere inventam vis & efficacia paſſionis Domini transſcribitur. Extat illic præterea apertiſſima idololatria, non tantum ubi panis adoratur, ſed quia & oratur pro defunctis, & merita atque interceſſiones Sanctorum implorantur, & pleraque ejuſmodi illic fiunt, quæ Dominus nominatim condemnat. Quare non magis licet fidelibus communicare illi ſuperſtitioni, quam olim licebat ſacrificare in Bethel. Illud enim omnino repugnat confeſſioni fidei, quam à nobis Dominus requirit. Sed quia hoc argumentum pertractatum eſt fuſius in libris ea de re editis, à te peto, ut illos diligenter evolvas. Te interea gratiæ Domini commendo, ut ipſe ſuam voluntatem te edoceat, & aperiat oculos, ut nigrum à candido diſcernas: ſic enim tibi non defuturum confido, in quo acquieſcas. Tibi vero omnem licentiam præcîdas ſimulandi interea impietatem à te ullo modo approbari. Dominus ſua in te dona adaugeat, atque ubi quod rectum eſt oſtenderit, det etiam animum conſtantem, ut in eo agnito ut par eſt, adhæreas. Genevæ, 15 Junii.

Tuus Calvinus.

Reſponſio ad duo certa capita.

Ex Gall. QUod ad dies feſtos & certas alias ceremonias attinet: ut illos Dei judicio obnoxios exiſtimo, qui ſub ſpecie neſcio cujus conformitatis & convenientiæ inter Eccleſias ſtatuendæ, & foverunt malum, & remedium averterunt: piis vero fratribus durum eſt ſubjicere ſe rebus illis, quas nec rectas eſſe nec utiles animadvertunt: ita etiam defectus multos tolerandos judico, ubi emendari non poſſunt. Quare non cenſeo ut quiſquam fratrum ea de cauſa inſtet, ut ab Eccleſia cui addictus eſt recedat, ſi major pars gregis feratur in contrarium: quia in ejuſmodi caſibus ſatis eſſe mihi videtur, ſi quod rectum eſſe novimus, à nobis procuratum ſit. Quamvis enim quod obtruditur, & ſcandalum afferat, & malam caudam trahat; quia tamen per ſe Dei verbo non repugnat, concedi poteſt: maxime ubi major numerus pervincit, quando ei qui membrum eſt tantum illius corporis, nulla ratio ſuppetit ulterius pergendi. Ad alterum de Miniſtris oon legitime vocatis, non video ut eorum vocatio pro legitima approbanda ſit. Quare duorum alterum ſequendum mihi videtur, nempe ut vel tolerantia in ſuo ſtatu & functione ſuſtineantur: vel ut culpam agnoſcant, atque ita admittantur. Prima ratio honeſtum prætextum habet, quia nullus aperte cogitur ad approbandum, quod rectum initium non habuit: ut ſi Princeps ipſe induxit Miniſtrum, populo non ad conſentiendum, ſed ad teſtimonium præbendum tantum vocato. Res igitur propter temporis lapſum ſuo loco ita relinquatur. Poſterior ratio eſt expeditior, & magis ad ædificationem pertinet, & ad Eccleſiæ ordinem etiam magis accedit: ubi nempe qui ſine vocatione inducti ſunt, teſtabuntur diſplicere ſibi quod ſe ipſi ingeſſerint, ac quod meliore vocationis teſtimonio deſtituantur: ac ſimul declaratio ſubjiciatur, neque utile eſſe, neque ferendum ullo modo, ut rebus in ordinem redactis, illa ad miniſterium introductio præter ordinem & mere confuſa locum habeat in poſterum. Videndum autem ante omnia, ut dum iſta quæ ad ordinem pertinent pro merito ſuo diſquiruntur, ut par eſt, tum ipſius veritatis doctrina ſolida & aperta conſtet, & agnoſcatur apud omnes, tum ſi qui illam in quocunque capite proſcindunt, aut illi detrahunt, illis, niſi alii eſſe diſcant, fraternitas, quam primi convellunt, renuncietur.

JOAN. CALVINUS N. N. S. D.

Quum à miniſterio quis indicta cauſa abdicatus eſſet.

QUum & de turbis quæ veſtram Eccleſiam vexarunt, & de mutatione Paſtoris ſubſequuta audiviſſemus: teſtatus ſit etiam apud nos N. non conſtare ſibi, quamobrem miniſterio à vobis abdicatus eſſet: commodiſſimum duximus paucis vos ea de re commonefacere, quod eodem animo quo ſcribitur à nobis, acceptum iri confiſi ſumus. Et quemadmodum zelo Chriſtiano ac ſinceritate & vero amore fraterno eo adducimur, ita etiam facite, ut Spiritum illum manſuetudinis quem Scriptura unice commendat, nobis audiendis accommodetis. Non eſt vero quod multum diſceptemus, quam illa ἀταξία propinquam Eccleſiæ ruinam minitetur, ubi res eo redierunt, ut Magiſtratus ipſe abſolute ac per ſe Miniſtros vel abdicet, vel inſtituat. Quia tamen eo quandoque rediguntur, ubi fervent contentiones ac turbæ, neque remedia ordinaria locum amplius habere poſſunt, experientia edoctos eſſe oportebit in poſterum, ne ita vos proſcindatis mutuo, ut invertendi ordinis cauſam ipſi præbeatis. Pluribus agere vobiſcum non eſt neceſſe, quum nemo ſit qui & mali magnitudinem, & quid illud conſequatur, non percipiat. Quumque oon nunc primum veſtra Eccleſia ruinam illam duxerit, eo minus ſunt excuſabiles, qui mali cauſam dederunt. Quare à vobis petimus, ut ſerio vobis attendatis in poſterum, ut Satanæ artes præcaveatis. Dum enim vi & fulgore veritatis quam Dominus mundo reſtituit, premi ſe ſentit, totus in eo eſt, ut ordinem Eccleſiæ convellendo, pios omnes probro & ignominiæ exponat. Quod ad iſtam miniſterii abdicationem ſecundum ea quæ ad nos frater ſcripto detulit, ipſi nempe quum à nemine accuſatus ſit, ſuggeſtum ioterdictum eſſe, non expreſſa ulla ratione: alieniſſima nobis bæc agendi ratio, uti reipſa eſt, plane etiam videtur. Neque vero quod ab illo accepimus, diſſimulandum apud vos duximus, ut ſi quid bic in agendi modo peccatum eſt, emendaretur, tam ut illi juſta querimoniæ cauſa, quam ut ſcandalum ſimul conjunctum tolli poſſit. Et tamen hanc noſtram admonitionem præjudicium vobis afferre nolumus; ſed illa tantum eo ſpectat, ut noſtro officio defungamur. Hoc tantum babuimus quod vobis ſcriberemus ea de re, de qua nobis non ſatis liquet: non quod veſtra nobis integritas in dubium veniat, ſed ne levitatis alicujus nota nobis impingatur, ſi re minus explorata ulterius progrederemur. Neque rurſum vos urgere volumus, ut quid rei ſit, amplius nobis ſignificetis: niſi quod eam hic lucem afferri optaremus, quæ noxios omnes rumores ſtatim profligaret. Illnd penes vos eſto. Nobis ſatis erit, quod vos fraterne exbortati ſimus, ut videretis ne quid Eccleſia vobis credita ab unitate & concordia alienum admitteret: ac proinde ne ſacer ille ordo qui obtinere debet, jurgiis & rixis peſſundaretur. Noſtis enim ut Dei filios Spiritu manſuetudinis in vera moderatione contineri oportent. Nns interea Deum precamur, ut ſublatis illis litibus & plane extinctis, quæ vobis diſtrahendis tantum valuerunt, ſuo vos præſidio protegat, in omni bono proſperare donet, ſua in vobis dona adaugeat, ut tanto magis glorificetur in vobis. Genevæ, 10 Decembris. *Ex Gall.*

JOAN. CALVINUS N. N. S. D.

Quum Miniſtri veterani contemptu turbæ incommode in Eccleſia ſubortæ eſſent.

Ex Gall.

PLurimum dolet, fratres dilectiſſimi, non offerri potius occaſionem gratulandi vobis de proſpero Eccleſiæ veſtræ ſtatu, quam ſignificandi vobis quam moleſte tulerim, quod triſtia ad me de vobis perlata ſint. Jam enim acerbus fuit de optimi fratris N. morte nuncius, quum in illo vobis nblatus eſſet à Domino Paſtor opportuniſſimus & vare fidelis: quod eſt rarius, his temporibus maxime, quum qui ſe ſincere Domini operi impendant, pauci reperiuntur. Ac jam vobis exploratum eſſe non dubito, & quam utilis eſſet illius opera, & quam integre ſe inter vos gereret. Et tamen ſpero illum qui à vobis jam electus eſt, fidelem etiam nperam præſtaturum, pro Dei gratia in ipſum collata, ut vos deſtitui non contingat: modo etiam videatis ne alii interea exuti maneant, ut omnino vos facturos ſpero, quum iſta inter vos & illos fratres ex communi conſenſu tractari exiſtimem, & ipſorum anguſtiæ fidem veſtram implorent. Illud vero me ad ſcribendum impulit, ægritudo nempe animi mei, quam veſtræ contentiones & jurgia mihi conciliant, quorum nullum finem video. Putabam enim omnia conſopita eſſe, ac Deo eo nomine gratias egeram, maxime ubi ab optimo fratre N. iſtorum teſte idonco, ita ſe rem habere accepiſſem. Atque illud vulneris illius mei acerbitatem parit, quum vigere malum audio, quod extinctum audieram. Agebatur ante de quibuſdam, quæ in fratre N. deſiderabatis, quibus illa medicina adhibita fuerat, qua vobis idonee, ut exiſtimo, ſatisfactum eſſe oporteret: quum & ipſe nominatim cenſuræ ſeſe ſubmiſiſſet. Nunc novam litem exortam audio, quod plerique illum pro Paſtore habere detrectent, niſi abire miniſterio juſſus, novæ electioni ſubjiciatur. Ego vero tacere non poſſum, videri mihi illos mali conſilii auctores, qui omnia ita ad vivum reſecant, quod ad Eccleſiæ ædificationem nullo modo faciat. Equidem non teneo quomodo iſtic primum ſit inſtitutus Paſtor, & miniſterio fungi cœperit. Si electio in forma ſua locum habuiſſet, nullus eſſet hodie controvertendi locus. Sed demus rem non carere defectu aliquo. Expendite interea, quum aliquis exiſtit in regione extranea qui poſtulet ſibi dari locum & facultatem colligendi gregis Domini, annon qui illic adſunt & in miniſterium primum conſentiunt, reipſa illum elegiſſe dicendi ſint, etiamſi nulli tum ritus accedant? Illud vero mihi ingratitudinis plenum videtur, ſi ſucceſſu temporis ille rejicitur, cujus opera erecta fuerit Eccleſia: ac jam illius ratio non habeatur, qui viam ipſe & modum aperuit, quo Eccleſia primum colligeretur in Domino per ſuum miniſterium. Fateor vero ubi ordo ſemel ſtatus eſt, fixum & immotum retinendum eſſe: ſed longe alia eſt ratio, ubi ne tenuiſſima quidem Eccleſiæ initia extant. Quid enim dicemus de plurimis illis Eccleſiis, quæ Domino per Germaniam erectæ ſunt? An qui primum illis Euangelio prædicando navarunt operam, non ſine ullo ritu admiſſi ſunt pro veris Paſtoribus? Neque vero cogito vos hominum auctoritati ſubjicere: ſed exemplum illud profero, quod ad confirmandum illud quod poſui, faciat: nimirum non requiri ut electio in eadem forma locum habeat rebus nondum conſtitutis, atque ubi Eccleſia ſuam quandam formam & ordinem jam admiſit. Quare nulla mihi conſtare poteſt illarum difficultatum ratio, niſi quod accerſi occaſiones à remotis judico. Expendite præterea ubi vos demergatis, ſi hoc ſemel perfringatur. Quod enim jus erit ſtatuendum de tot Baptiſmis intermedii temporis? Quid de Cœna vobis perinde adminiſtrata? Plura non addam, quum vel iſta ſint plus ſatis, ut frenum injiciant immoderatis contentionibus. Quod ſi neque iſta ſatisfaciunt fratribus, qui zelo ducti nimis ſunt opinionibus ſuis addicti, peto ab illis per Dominum, ut cogitent etiam atque etiam in quod diſcrimen Eccleſiam adducant. Habitatis iſtic ut precario. Ubi hoc notabitur, tam eſſe difficiles in multis rebus, annon veſtra moroſitas tædium aliquod & animi alienationem allatura ſit bonis illis & piis Senatoribus, à quibus tam humaniter excepti eſtis? Deinde annon vobis liquet, nos omnes in illius quo de agitur perſona ſemel peti ab illis, qui unum hoc captant, ut vos omnes opprimant? Mirum ſane, quum Guelfæ & Gibellini ſe conjungere ſuſtineant adverſus novum hoſtem emergentem, vos vero non eorum exemplo duci, qui in unam veritatis Euangelii profeſſionem vocati ſitis. Qui vobis adverſantur in certo articulo, jam vos laceſſere incipiunt ut tandem evertant. Frater ille ſtat paratus ad illos repellendos, ac primos impetus ſuſtinet. Quam igitur indignum eſt, illum porro etiam à vobis vexari. Atqui vel illa afflictio qua conſtringitur, idonea erat ad emollienda etiam illorum pectora, qui eſſent in illum exacerbatiſſimi: maxime quum & peſtem vobis à Deo immiſſam attenditis, & alterum ex Paſtoribus jam ereptum eſſe: quaſi jam & paſtum vobis plane ſubducendum comminetur Dominus, ubi nullam rationem admittitis qua vobis ſatisfiat. Hæc ad vos ſcribo, ut ignem accenſum extinguam. Et tamen ſi quis nondum poteſt acquieſcere, ſaltem à vobis peto per Dominum, ut extra ullum motum & contentionem, ſuſtineatis modo aurem præbere rectis conſiliis, quibus deinde placide manus detis. Spero equidem quam hic à me habetis admonitionem vobis facturam ſatis: nec tamen ab illo ultimo remedio vos prohibere volui. Atqui longe magis optarim, ut quamprimum quicquid eſt mali emendetur ſine mora, ut omnes in veram concordiam coaleſcant. Hoc ſi contingat, jam vobis ſignifico, magnum vos gaudium allaturos plurimis fratribus veſtris, quibus ita veſtra ſalus & tranquillitas eſt cordi, ut ad illam procurandam vobis, ſi opus erit, paratiſſimos habituri ſitis. Valete dilectiſſimi fratres. Dominus vos Spiritu ſuo regat cum vera prudentia, manſuetudine & conſtantia. Collegæ vos ex animo ſalutant. Genevæ, 22 Decembris. M. D. L I.

JOAN. CALVINUS N. N. S. D.

Ejuſdem fere cum ſuperiore argumenti.

Ex Gall.

UTinam nunquam aliud mihi ſcribendi ad vos argumentum ſuppeteret, quam ut Domino pro ſuis in vos donis ipſi gratias agerem, voſque eadem opera ut ad continuum profectum exhortarer. Sed facit Satanæ nequitia, ut optatum illud argumentum mihi nunc ereptum ſentiam. Sic enim accepi illum vos inhalaſſe quodammodo, ut niſi vos Dominus reſpexiſſet, atque opem attuliſſet ſingulari ſua benignitate, totum Eccleſiæ ædificium extremam ruinam minitaretur. At vero malum diuturnum non fuit: ſed à quo ſtetit? Quis enim eſt ignis ſemel accenſi extinguendi modus? Nunc igitur quum flamma conſopita fuerit à Domino ipſius gratia, atque opera fidelium ipſius miniſtrorum: ne tamen idem vobis deinceps contingat, induxi in animum vobis admonitione appoſita cavere in poſterum, dum etiam culpam quæ à vobis admiſſa eſt, ob oculos ponerem. Vos autem obteſtor, ut æqui & boni hoc officium conſulatis, neque ſi aſperior vobis viſus fuero, ut res feret, eo minus admittatis reprehenſionem: ne ſi ſecus fiat, malum duplicetur à vobis. Qui ſim, & quo ſalutis veſtræ affectu ducar, quicunque ad gregem Domini pertinent, facile agnituros confido: quum & vos in ſinu & corde ipſo geſtem, non ſecus ac mihi chariſſimos liberos. Neque hoc ab ulla ambitione proficiſcitur. Nam & ſatis

mibi eſt, ut pro fratre à vobis babear; & Chriſti ſer-
vum me profiteri non poſſum, quin veſtrum quoque
eſſe ex animo agnoſcam. Hoc igitur ad veſtram uti-
litatem pertinet, ut mea bæc admonitio qua ſaluti
veſtræ conſultum volui, non pereat, aut contemptu
vobis inutilis reddatur. Ac primum quidem inaudita
illa mibi eſt agendi ratio, ubi ſic loquimini, Placere
vobis ut ille concionetur, atque ut Cœnam vobis
miniſtret. Saoc oportet Miniſtrum à populo appro-
batum eſſe, antequam in miniſterii poſſeſſionem
mittatur. Quod ſi quis ſeipſum intrudit alia via, ubi
in Eccleſia ordo jam conſtitutus eſt, legitima voca-
rione deſtituitur. Ex eo tamen nego ſequi, populum
electioni ſui Paſtoris præeſſe debere. Teſtatur Scri-
Actor. 14. verſ. 24. ptura, inſtitutos fuiſſe per oppida ac vicos ab Apo-
ſtolis Paſtores cum populi conſenſu. Sed illinc con-
ſtat præfuiſſe ipſos ſua prudentia & auctoritate tanto
negotio, ut populum regendo, omnia decenter fie-
rent & abſque tumultu. Viguit porro eadem politia
in Eccleſia Chriſtiana, quamdiu ordini ac diſciplinæ
locus remanſit. Quare ſi hoc jus vobis adrogatis, ut
pro arbitrio aſciſcatis vobis Paſtores, boc nihil aliud
eſt quam ordioem à Deo poſitum cum boneſtate
Chriſtiana convellere. Accedit alterum malum,
quod temerariæ illæ mutationes, & perpetuæ nova-
tiones, ooo poſſunt non certiſſimum periculum &
peſſimam caudam ſecum trahere: ac vitium illud
plane damnandum eſt. Scio natura boc quæri, quia
placeat: ſed tanto conſultius eſt illum nativum pru-
ritum ſemel extinctum eſſe. Hoc vero quum in vita
humana perpetuum uſum babeat, tum io primis ea
in re qua de agitur. Fit enim Satanæ artificio, ut de
die in diem bujus & illius Paſtoris tædium nos corri-
piat, ut tandem ſapor & guſtus verbi Dei in nobis
evaneſcat: quumque appetitu incerto & immoderato
feremur, nihil quod rectum ſit & ſalutare amplius
admittamus. Jam ut non defuerit vobis ratio quæ-
dam & apparentia, ut vocant; tamen non deſinit vi-
tioſus eſſe agendi modus. Quæ tamen ratio ſubeſſe
potuit? Quum unus ex veſtris ad certas Eccleſias
viſitandas profectus eſſer, alter illius loco ſubmiſſus
eſt cum veſtro judicio & approbatione: ignotus vo-
bis eſſe ooo poterat qui jam multo ante concionatus
fuerat apud vos. Neque conjecturis actum fuit, quum
& de doctrina & de vita conſtaret. Si quis illum de-
ſpicit, arrogantiam cum ſuperbia in Deum prodit.
Quid igitur ſibi hoc vult, quum idem ille & legitime
electus, & fideliter defunctus Paſtoris inter vos mu-
nere, uti etiam appoſita ad eam rem Dei dona in ipſo
extant, jam vero minus vobis adlubeſcat? Quem
vero illi præfertis? bominem incognitum. Quis vero
ſupereſt à temeritate apertiſſima vos nunc purgandi
locus? Regeritis ſcilicet, iſtum multo ornatius dicere.
1 Cor. 4. Sic nempe meminiſtis illius Pauli ſententiæ, Quod
verſ. 20. regnum Dei non ſit in ſermone, ſed in virtute?
2 Cor. 5. Proiode ur ipſe alibi confirmat, ille unus in pretio
verſ. 17. nobis ſit, qui eſt in Chriſto nova creatura: neque
hæreamus in carne & apparentia illa externa, quæ
nobis oculos bebetet, ne ſincere, ut par eſt, judicare
poſſimus. Cavendum, inquam, à larvis, id eſt, ab
omni eo quod extra ſeſe oſtentat, ubi ut plurimum
fucus latet: ſed ad id quod præcipuum & verum eſt
intendamus, atque illic pedem figamus. Atqui bene
judicandum, ubi malum non apparet. Concedo, ubi
de aliquo pro fratre agnoſcendo agitur: ſed quum de
inſtitueodo Paſtore agitur, longe aliud examen re-
qniritur. Interea vero meis iſtis verbis præjudicium
cuiquam fieri nolim, quum qui ſit nobis incognitus,
eo deterior non ſit in ſeſe. Tantum boc damno ut
levitatis & temeritatis plenum, quod eo loco & ad
tale munus hominem adbibere audemus, quem mi-
nus idonee exploravimus, ut legitimum de illo te-
ſtimonium præcedat. Scriptura enim ita Paſtorem
probum eſſe vult, ut & talem agnoſci haberique
præſcribat. Enimvero ſi quis ſeipſum ita immittat
atque ingerat, uti iſte à vobis inductus eſt, jam ipſe
ambitionis notam ſibi inuſſit, ut non inquiratur
ulterius. Ego ſane malim pugnum mihi præcidi,
quam ferre ut aut ea ratione intromitterer, aut in-
tromiſſus Cœnam miniſtrarem, uti erga ipſum à
vobis bac in re per tumultum geſta ſunt omnia.
Tanti momenti eſt vel unum exemplum. Pertinet
omnino ad Paſtoris veri munus Moſis exemplum, *Num. 11.*
quum neminem ex Domini populo non Prophetam *verſ. 29.*
eſſe optaret. Agnoſcere etiam oportet, adeoque lo-
cum cedere quantum eſt in nobis, illis, qui dona illa
acceperunt à Domino quæ ad Eccleſiam ædifican-
dam conferant: quod & fratrem noſtrum ſpectare
non dubito, uti aperte oſtendit, quum illum admiſit
etiam promptius quam ipſe feciſſem. Sed ut res ipſa
per ſe excutiatur, quis vobis ſuggeſſit penes popu-
lum eſſe, ut Paſtorem temere mutetis, prout bic
potius quam ille, hujus vel illius oratio aut orna-
tus in dicendo vos plus minuſve ceperit: aut penes
populum eſſe pronunciare, placere ſibi ut Cœnam
miniſtret? Quin relegamus potius bujuſmodi am-
bitum ad clauſtra monachorum, quum Dei Eccle-
ſiam alia moderatio prorſus deceat? Vos vero plus
etiam audetis quam par ſit, ſi ex una concione ſta-
tim fertis ſententiam. Non pertinet, ut puto, ad
omnes bujus vitii notatio. Nam vel unum ſuſurro-
nem bujus turbæ auctorem eſſe potuiſſe mihi perſua-
deo. Quum tamen ita vos humiliavit Dominus, nt
iſta tentatione abrepti fueritis, ego ſane vobis vehe-
mentius obſtitiſſem quam à fratre noſtro factum
ſit. Ut enim laudo ipſius modeſtiam, ita etiam mo-
tum illum inſolentem majori ſeveritate mihi refre-
nandum eſſe duxiſſem. Accedunt & circumſtantiæ
quæ malum exaggerant. Habetis Paſtorem in car-
cere detentum. Illo ita abſente, tales motus exci-
tare, an excuſationem ullam admittit? Inter extra-
neos ita tumultuari, ut quum illos vobis una modera-
tione conciliare debueritis, jam ipſorum judicio ob-
noxios reddatis, qui in veſtræ Eccleſiæ adminiſtra-
tione tam præcipitanter vos geritis? Neque vero
offendi vos oportet mea iſta acerbitate. Si enim
eſſem apud vos, vehementius multo urgerem iſtud
publicum delictum, cujus momentum fortaſſe ut &
cauſam ego eminus exactius expendo, quam vos in
medio illo contentionis ſtrepitu & pulvere cernatis.
Ac ſpero omnino de vobis, ſic iſta à vobis acceptum
iri, ut & mihi ad Deo gratias agendum veſtro no-
mine os aperiatis. Quod ſi vobis modicam triſtitiam
attuli, me quidem non pœnitet, ut Paulus loquitur, *2 Cor. 7.*
dummodo iſta ſit triſtitia ſecundum Deum: ubi *verſ. 8, 9.*
nempe ita vos admiſſæ culpæ pœnitebit, ut conſul-
tius deinceps agatis. Scitis quam ipſe cupiam me-
ipſum conſolari, dum vobis ſimul gaudii materiam
obtulero. Quum vero aliquid mali ſubortum eſt, illic
ſeſe vera amicitia exerit ubi ad vitia non connive-
mus, ſed libere coarguimus, ut nullus pravus affe-
ctus aut carnalis intermiſtus ſit. Si quis de me hic
queretur, videat in primis an ſuum reatum ſerio ex-
cuſſerit, cui cenſura adeo moleſta ſit. Atqui longe
me melior de vobis ſpes ſuſtinet, uti hactenus veſtri
experimentum habui. Qui enim Deo vos obſequen-
tes præſtatis, dociles etiam exhibituros ſtatuo, &
æquo ac pacato animo admiſſuros reprehenſiones,
quæ ex ipſius verbo ad vos ita diriguntur, ut quæ in
illis amaritudo ſubeſt, ad interiorem ſanitatem &
animæ ſalutem plurimum faciat. Valete amantiſſ.
fratres. Dominus vos omnes foveat in timore nomi-
nis ſui & veritatis dilectione, det vobis continuum
incrementum in omni bono & gratia Spiritus ſui,
ut glorificetur in vobis nomen ipſius magis ac ma-
gis, Amen.

De ceremoniis Ecclеſ.

QUod ad ceremonias ſpectat, generale hoc tenendum eſt axioma, quia immenſa earum congerie nnerata fuit Eccleſia, & fere obruta Euangelii claritas, prudentiſſime facere, qni parco & ſobrio earum uſu contenti ſunt. Deinde in myſteriis quæ vocantur Sacramenta, ſedulo eſſe cavendum, ne hominum commentis vitietur pura & genuina cæleſtis magiſtri inſtitutio: præſertim ubi libera eſt electin, nibil melius, quam præſcriptam à Chriſtn formam ſimpliciter tenere, qualis ad nos per manus tranſmiſſa eſt. Si objicitur vetuſtas (quanquam hoc clypeo ad tegendas omnes corruptelas audacter utuntur, qui conſuetudini & receptis moribus nimium addicti ſnnt) facilis refutatio eſt: quia veteres quoque ipſi gravibus querimoniis ſatis teſtati ſunt, ſibi non probari quicquid hominum arbitrio excogitatum fuerat. Auguſti-
epiſt. 119. nus, maxime ad Januarium, deplorat injuſta & non tolerabili ſervitute jam tunc oppreſſam fuiſſe Eccleſiam ob immodicos ritus: quum tamen vix decima pars ejus labyrinthi, quo nunc tenetur orbis implicitus ad irretiendas animas, compoſita eſſet. Deinde ut ſilentio & tolerantia multæ ceremoniæ pridem receptæ fuerint, tenendum eſt quod Pau-
Gal. 4: 9. & 5: 2. lus ſtatuit diſcrimen, ne legalibus figuris ſinamus claram Euangelii lucem obſcurari. Si Legis umbris locus non conceditur, quanto minus hanc licentiam obtinere debent hominum figmenta? Jam ſi probe & penitus inſpicitur quid homines tantopere ſollicitet ad fabricandas ceremonias, reperiemus ex hoc fonte omnes fluxiſſe, quia quiſque novum Dei cultum fingere auſus fuerit. Atqui fictitios omnes cultus non modo repudiat Deus, ſed etiam ſevere abomi-
1 Sam. 15. verſ. 22. natur, apud quem obedientia pluris eſt quam omnes victimæ. Et merito: quia ejus imperio decedit quantum ſibi homines hac in parte arrogant. Statuendum quidem eſt ſimulac ſuo arbitrio Deum colere appetunt homines, fœtidam eſſe profanationem quicquid de ſuo afferunt: ſed ne latiſſimam ſylvam ingrediar, ad ſpeciem deſcendo. Dixi legitimum Baptiſmi & ſacræ Cœnæ uſum non aliunde petendum eſſe, quam ab inſtitutione & mandato Chriſti. Aqua myſterium illud peragi voluit unigenitus Dei Filius. Placuit hominibus chriſma, & exſufflationem addere. Si nobis ſancta & inviolabilis eſt Chriſti auctoritas, & quam meretur reverentiam obtinet, qnis non videt adventitiis illis nugis fœdatum fuiſſe Baptiſmum? Meris deinde ludibriis ita corruptus fuit, ut inquinet magis quam purget eos omnes qui ablutioni craſſa illa ſacrilegia permiſcent. Quorſum de mixtione aquæ & vini in ſacra Cœna diſceptatio moveri debuerit, non video. Chri-
Joan. 6. Mat. 26. ſtus ſymbolis panis & vini teſtatus eſt carnem ſuam eſſe nobis cibum, & ſanguinem ſuum potum. Si penuria ſit vini, exiguum quod ſuppetet aqua dilnere, ut toti Eccleſiæ ſufficiat, minime abſurdum erit. Si religio injicitur, acſi neceſſaria foret mixtio, ſuperſtitione hoc non caret. Nam & nova lege præter Chriſti mandatum perperam non minus quam temere obſtringitur Eccleſia, & myſterium in re nihili pueriliter quæritur. Calicem ex aqua & vino
1 Joan. 5. verſ. 6. mixtum habere volunt, quia è latere Domini fluxerunt aqua & ſanguis. Quaſi vero auctoris conſilium fuerit tale quidquam docere: ac non magis pignus dare ſpiritualis potus. Nec vero recte huc torquetur
in epiſtolis. Cypriani teſtimonium: quia nunquam diluendum in ſacra Cœna vinum eſſe contendit, ſed contra lymphaticos homines aſſeruit ex Chriſti mandato bibendum illic eſſe vinum. Erant enim qui abſtinentiæ prætextu vinum, quo intemperanter vulgus abutitur, arcebant à cæleſti myſterio. Quum ergo non aqua, ſed vino repræſentari in ſacra Cœna Chriſti ſanguinem tota diſputatione doceat, quæ de mixtura obiter tradit, non recte ad aquæ patrocinium trahuntur. Adde quod in miſcendi verbo, quod ſubinde uſurpat, falluntur imperiti, dum pro diluere ſemper accipiunt: quum potius fundere ſignificet ex recepto apud vetuſtos & idoneos ſcriptores linguæ Latinæ uſu. Et ſane alibi ad unitatem *ex 1 Cor. 10. v. 17.*
pios hortari volens, non ex multis aquæ guttis, ſed ex pluribus acinis ſacrum calicem, ſicut ex plnribus granis panem myſticum conſtare admonet. Neque tamen inficiar ipſum mixtionem aquæ & vini aſſerere, ſed evanido prætextu: quia vinum Chriſti ſanguinem, aqua plebem ſignificet. Hæc argutia ſi cui arridet, dignus eſt qui vento paſcatur. Nos vero curioſitate humani ingenii, quæ ſemper nimium laſcivit, valere juſſa, ab ejus ore pendeamus qui unicus eſt Cœnæ auctor. Imo videmus ut Cypriauns ipſe memorabili ſententia nos à ſe ad Chriſtum ableget, ubi vetat conſuetudinem ſequi in aqua ſola offerenda: quia potius quærendum eſt, quem ſequuti ſint Patres, quos alii imitari volunt. Nam ſi ſolus, inquit, Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putaverit; ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem. Hæc certe apud modeſtos & placidos lectores plena eſt ac ſolida cauſæ definitio, ubi hominum placitis in ordinem coactis, & conſuetudine quamlibet veteri abdicata, Chriſti auctoritas ſola eminet. Vale. Nonis Aprilis. M. D. LVIII.

De certorum Miniſtrorum *duello.*

Dilectio Dei Patris noſtri, & gratia D. N. Jeſu Chriſti vobis ſemper adſit per Spiritus ſancti communicationem.

QUod ad nos perlatum eſt, dilectiſſimi fra- *Ex Gall.*
tres, verbum Dei ita expoſitum eſſe apud vos probro, idque illorum culpa qui exemplo aliis præire debuerant, perquam moleſte accepimus: audimus enim illos ipſos quorum partes erant quemvis ex plebe ad pacem & concordiam fraternam exhortari, eo uſque contentionis vi efferbuiſſe, ut ad arma ipſimet conclamaverint. Quam vero indignum facinus & quam enorme! quantum etiam ex illius fama paſſim ſparſum erit ſcandalum, ex quo non tantum contemptus verbi Dei enaſcatur, quando ad verbi Miniſtros ſcandalum referendum ſit, ſed etiam occaſio offeratur Satanæ atque ipſius inſtrumentis, ad vos demum convellendos atque ita diſpergendos, ut vix deinde inflicto malo remedium adferri poſſit? Sane quod ad Eccleſiam Dei attinet, illam paſſim hodie ab hoſtibus circumſideri omnes vident: ſed tamen veſtræ rationes omnino indicunt, ut pacem & concordiam retineatis omnibus modis. Satis enim conſtat ab una Dei providentia quæ adverſarios conſtrictos tenet, ſtare, ne qui veſtrum exitium toties jam deſignarunt, vel leviſſima occaſione oblata in illud ferantur præcipites. Quamobrem aliter de N. & N. judicare quam de abreptitiis non poſſumus, quibus ita ſimul ac ſemel exciderit cum ipſorum miniſterii ratione illa etiam conſideratio, quod ipſorum audacia extremam omnibus iſtic Eccleſiis perniciem allatura eſſet. Ac primum quidem probari à nobis illud non poteſt, quod Miniſtri verbi ita ad gerenda ipſi arma & ejuſmodi rerum tractationem ſeſe applicent. Scimus aliquando urgente neceſſitate accidere, ut intra officii metas non ita præciſe ſeſe ſinguli contineant. Scimus etiam eo uſque invaluiſſe pericula, ut cuique pro virili adverſum illa enitendum fuerit. Atqui illud videre non poſſumus, qui tolerari poſſit ut verbi Miniſtri agminum duces evadant, ac proinde & copias ipſi cogant, & coactas iidem perducant. Ita fit enim ut ab officio quiſque tantundem recedat,

ac prorſus à vocatione ſua degeneret: quod & iſtis accidit nominatim. Ex eo enim accidit ut ad mores ſtratioticos occalluerint, utque exuta penitus illa miniſterii perſona, in licentiam militarem prorupeerint. Sic nos loqui reajpſa cogit: plane enim confuſi hiſce auditis jacuimus; etſi ex literis veſtris unius præ altero gravius eſt malum, quod ab utroque admiſſum eſt. Nunc vero quum quid nobis videatur expectatis, ſic ipſi in Domino congregati vobis reſpondendum duximus. Ac primum omnium, niſi omnia ſurſum ac deorſum ferri volumus, non poteſt tam indignum ſcelus, & enorme, diſſimulatione ac conniventia ſepeliri. Si quæratur à N. cur ex Comitatu Monsbelgardenſi abierit, parata erit reſponſio, quia nempe omnia illic eſſent confuſa, quum nullus diſciplinæ ſtatus extaret. Atqui ſi nosipſi aliis diſciplinam præſcribimus, quanto arctioribus vinculis ipſimet nobis adſtringi debemus? Jam ut huic malo remedium afferatur, ſatis videmus quid incommodi ſequuturum ſit, ubi qui ſunt in culpa non admittent reprehenſionem, ſed jugum excutere conabuntur: ſed tamen quicquid accidat, ferendum non eſt ut noſtra timiditate foveatur malum. Proinde ubi hoc agitur, ut & rectus ordo retineatur & ſcandala comprimantur, qualeſcunque immineant procellæ & tempeſtates, non eſt committendum tamen ut de conſtantia & legitima fortitudine quicquam remittatur, maxime ubi contrahendum eſt frenum. Quamobrem videre non poſſumus ut quod iſtis accidit, ſilentio transmitti poſſit, quin ea occaſione maledictio Domini inhæreat vobis, & incumbat perpetuo. Locus Pauli 1 Tim. 5. quo ſeſe tueri cogitat N. eum nullo modo juvat: illic enim eatenus voluit Paulus rationem haberi ſervorum Dei, ut ipſorum innocentiæ conſulatur, quando ut plurimum obnoxii eſſe ſolent multorum calumniis. Atqui N. convictus jam ſatis tenetur bis (diſploſa in N. bombardula ex qua ſecunda vice ignis emicarit) tentatæ cædis. Accedit quod jam antea parum ex officio ſeſe geſſit inter vos, ut mirum ſit tamdiu tolerari potuiſſe. Ut igitur eam provinciam deinceps retineat, qua ſeſe plane indignum præbuit, nobis quidem nullo modo probari poteſt. Nominatim quod ita præfracte detrectavit acquieſcere piiſſimæ exhortationi veſtræ, ita hoc exaggerat hominis factum, ut abdicandum plane jam conſtet. In modo autem agendi hoc conſilium damus, ut deligatis ex veſtro cœtu qui totius cœtus nomine aperiant fratribus N. uti rationibus idoneis mature ac legitime expenſis pronunciatum fuerit, N. ferendum non eſſe amplius in miniſterio quod male exercuerit: proinde rogare ut illius loci Eccleſia ipſum etiam à ſe emittat, ac probet ut in ejus locum ſubmittendus alius eligatur, quem & ipſi agnoſcant & approbent. Si Eccleſia requiret rationes judicii, ut plenius de re tota ipſis liqueat, tum demum expediet eadem illa ipſis articulatim proponere, quæ à vobis accepimus. Quod ſi ita ille populum loci pellexerit atque irretierit ſuis artibus, ut ipſi non acquieſcant veſtro conſilio & exhortationi, tum demum admonendi erunt ſerio: Videant uti hoc admiſſuri ſint: quum ſi in eo obſtinate perſtent, ſchiſmaticos ſeſe exhibituri ſint, unde & ipſos à veſtri corporis unitate ſeparandi injicienda ſit vobis neceſſitas. Quod ad alterum attinet, quia plus in illo eſt imprudentiæ & impetus quam certæ improbitatis, ſatis fore videtur, ſi Eccleſiæ etiam ipſius ſignificetur ſuſpendi illum à miniſterio: tum ut ipſe ſeſe ita humiliet, tum etiam ut ſcandalum ſarciatur: atque illud ita demum, ut quoties ipſis videbitur, ipſum liceat repetere & recipere in Miniſtrum. Monendi autem erunt nominatim, ſi de illo repetendo agetur, non aliter hoc poſſe procedere, quam ut ipſi etiam omnem culpæ ipſius memoriam ſepeliant, neque ipſi ullo modo quod acciderit exprobrent, neve hæc temporalis caſtigatio illi ſit fraudi, quominus ipſi integrum ſit alios deinceps reprehendere ex miniſterii ratione, adeoque ut doctrina ipſius plenum jus & auctoritatem quam meretur obtineat. Optaſſemus quidem in mitiorem ſententiam inclinare, ſi fieri potuiſſet; ſed veriti ſumus ne parcendo illis, Dominus interea tanto minus parceret. Valete fratres dilectiſſimi. Dominus ſuo vos præſidio tueatur, Spiritu confirmet, atque ſua in vobis dona ſemper adaugeat. Genevæ, in noſtro cœtu.

Veſter J. Calv. omnium nomine.

Calvinus N. s. d.

Ad certa quædam capita.

Dilectiſſime frater, quis accidit ut plurimum, ut in pecunia fœnori locanda incidant multa præter jus & æquum, ſatis tutum non eſt ſi ad tuam quæſtionem ſimpliciter reſpondeam: quis nempe modus legitimi fructus pecuniæ ſtatuendus ſit. *Ex Gall.* Fiet enim nonnunquam ut vel minimus fructus ex pecunia percipi non poſſit ſine Dei offenſione, & proximi injuria. Quare me excuſatum apud te velim, ſi nihil hic certum, ut expectas, præſcripſero. Eſt quidem in hac civitate certus legibus modus conſtitutus. Sed non inde conſequitur ad eum etiam modum fructum pecuniæ exigere creditori bona conſcientia licere à paupere, unde ille aliquo modo opprimatur. Accedit & illud quod me retinet ne plenius tibi reſpondeam, quod ſciam te hoc à me rogare ea de cauſa tantum, ut alium quendam redarguas qui omnia hac in parte ſibi permittit me in conſilium non adhibito: quem etiam fortaſſe ne audire quidem dignaretur. Illi igitur pro me reſpondeat regula illa juris ipſius naturalis, quam Dominus Jeſus Chriſtus partem ſummæ Legis & Prophetarum ſtatuit: ne videlicet faciamus alteri, quod factum non vellemus nobis. Quod ad viduam attinet, ſi poterit ſecum liberos abducere, nihil illi pretioſius illorum animabus eſſe debet. Quare ſi illi manum porrexerit Dominus, ut ex eo luto, aut abyſſo potius emergat, parum humane, ne dicam Chriſtiane fecerit, ſi illos à tergo reliquerit. Sed quia mihi non liquet quæ ſit ætas & quæ voluntas ac rationes ad illud conficiendum appoſite, illi ea ſigillatim expendenda relinquo. Quicquid ſit, non poteſt ſponte illos ita relinquere, quin perpetuum inde mœrorem ſibi conciliaturam noverit. Major eſt in nupta difficultas. Ut enim illa à viro ſecedat, niſi vi quadam majore & ad extremum eo redacta, ſi illam nomine Religionis aut alia occaſione intolerandum in modum habeat, auctor eſſe non poſſum. Neque modum illum intolerandum definio, quum domi durius etiam tractari contigerit. Omnem enim tolerantiam exhibuerit oportet, antequam ad illud remedium confugiat. Si vero ab idololatria tuta eſſe non poteſt niſi cum aperto vitæ periculo, adeoque vir illi inſtet ut eam perſequatur ipſemet, licebit tum illi fuga ſibi conſulere: non animo divertendi à viro & illius deſerendi, utcunque ſe illi durum & intolerabilem exhibuerit; ſed tantum ut evitet apertum periculum. Ac tantiſper fieri poterit faciente Domino, ut cor illud adeo efferatum viri miteſcat & componatur: in ullius vero mortalis gratiam in Deum peccare nefas eſt. Te vero qui ita es de aliis ſollicitus, tanto magis cogitaturum ſpero de tuo ipſius officio erga magnum illum Patrem cæleſtem, à quo donatus es luce Euangelii Filii ipſius in qua nobis repoſita eſt ſalus. Ac ſi hactenus bene cœpiſti, tanto magis in poſterum euitendum eſt tibi, atque indies modis omnibus ſerio proficiendum. Quumque iſtic tot corruptelæ vigeant, cave exiſtimes aliter officio te fungi poſſe, quam ut ipſe ſtudeas unice ut Dei nomen glorificetur, & ipſius cultus & honor inter tuos ut par eſt vigeat. Faxit Dominus, ut quod à te peto illius nomine, ipſe etiam meis tibi precibus exoratus reipſa præſtet. 28 April. M. D. LVI.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

De uſuris reſponſum.

Ex Gall. Nondum ipſe quidem tentavi quid appoſite reſponderi poſſit ad quæſtionem propoſitam: ſed aliorum exemplo didici, quanto res ea cum periculo conjuncta ſit. Si enim omnino uſuras damnamus, induimus ſtrictiorem laqueum conſcientiis quam Dominus ipſe voluerit. Si vel minimum concedimus, ſtatim ſub illo prætextu plurimi effrenem licentiam arripient, quæ nulla deinde moderatione vel exceptione coërceri poſſit. Si ad te tantum ſcriberem, minus iſtud vererer: nota eſt enim mihi tua prudentia atque moderatio: ſed quoniam alterius nomine conſilium rogas, metuo ne ille verbulo quodam arrepto plus ſibi multo permittat quam vellem. Confiſus tamen te recte perſpecturum quod ſit illius ingenium, atque ex re ipſa qua de agitur expenſurum quid expediat & quatenus, meam tibi mentem aperiam.

Ac primum nullo teſtimonio Scripturæ mihi conſtat uſuras omnino damnatas eſſe. Illa enim Chriſti ſententia quæ maxime obvia & aperta haberi ſolet: *Luc. 6.* Mutuum date nihil inde ſperantes, male huc detorta eſt. Quemadmodum alio loco notans ſplendida convivia, & divitum illam ad ſeſe mutuo excipiendos ambitionem, vocari potius ad ſua illa epula ab iis jubet cæcos, claudos, atque alios egentes homines, qui in compitis jacerent, quibus non eſſet par pari referendi facultas: ſic etiam notato illo loco, Chriſtus correcturus illum hominum abuſum in dando mutuo, præſcribit nominatim illis dandum mutuum à quibus nulla ſpes ſit quidquam receptum recuperatumve iri. Solemus autem primum omnium videre ſatisne tuta futura ſit noſtra pecunia apud illum qui mutuum rogat, quum tamen egentibus maxime ſuccurrendum fuerit, apud quos minus tuta eſſe pecunia ſolet. Eo igitur referuntur Chriſti verba, acſi egenis potius quam divitibus mutuum dandum juberet. Nondum igitur conſtat uſuram omnem eſſe probibitam. Lex *Deut. 23. verſ. 19.* vero Moſis politica quum ſit, non tenemur illa ultra quam æquitas ferat atque bumanitas. Optandum quidem eſſet omnes uſuras, ipſumque adeo nomen à mundo pridem exulare. Hoc ubi obtineri non poteſt, quid bono publico fieri poſſit, videndum eſt. Superſunt certa loca Scripturæ in Prophetis & Pſalmis, in quibus Spiritus S. invehitur adverſus uſuras. Sic *Pſal. 55. verſ. 12.* enim urbem impiam deſcribit, quod uſuræ viguerint in foro & in plateis ipſius. Sed quando vocabulum Hebræum ſignificat in genere fraudes, non ita ſtricte accipi bic quidem poſſe videretur. Sed ut concedamus agere illic Prophetam de uſuris nominatim, mirum non eſt quod inter ingentia quæ graſſantur mala, uſuras quoque attigerit. Fere enim ubi ad uſuram pecuniæ elocantur, comites individuæ accedunt crudelitas atque innumeræ aliæ fraudes & circumventiones. Ut ex oppoſito inter pii & ſancti viri *Pſal. 15.* encomia illud traditur, quod non dederit pecuniam ſuam ad uſuram. Adeo pluſquam rarum eſt, eundem *Eze. 22. verſ. 12.* eſſe bominem probum atque fœneratorem. Ezechiel vero ulterius procedit. Dum enim ea ſcelera recenſet propter quæ accenſa ſit vindicta Dei adverſum Judæos, duo quædam vocabula uſurpat, quorum unum ſignificat uſuram, atque à themate quodam deductum eſt quod etiam ſignificat rodere: alterum vocabulum ſignificat incrementum ſeu augmentum: quia nempe privato quiſque lucro addictus, quæſtum ex proximi damno captabat, aut potius extorquebat: quanquam certum eſt durius etiam loquutos eſſe Prophetas de uſuris, quia nominatim inter Judæos illæ interdictæ eſſent. Quum igitur apertum Dei mandatum prætergrederentur, graviorem etiam reprehenſionem merebantur. Quod adducitur hoc loco, eandem eſſe noſtræ inter nos conjunctionis rationem, ut eadem quoque uſurarum prohibitio retineatur: reſpondeo, quod ad conjunctionem civilem attinet, aliquod eſſe diſcrimen. Quia nempe circumſtantia loci ipſius in quo Judæos collocaverat Dominus, ut & aliæ circumſtantiæ etiam eo pertinebant, ut facile eſſet illis negotiari inter ſe ſine uſuris. Noſtra conjunctio hodie per omnia non reſpondet. Non videmus igitur ita nobis interdictas ſimpliciter uſuras, niſi quatenus repugnant tum æquitati tum charitati. Ratio Ambroſii, quam etiam affert Chryſoſt. non eſt magni momenti: Pecunia non parit pecuniam. Quid mare? quid domus ex cujus locatione penſionem percipio? an ex tectis & parietibus argentum proprie naſcitur? Sed & terra producit, & mari advehitur quod pecuniam deinde producat, & babitationis commoditas cum certa pecunia parari commutarive ſolet. Quid ſi igitur plus ex negotiatione lucri percipi poſſit, quam ex fundi cujuſvis proventu: an feretur qui fundum ſterilem fortaſſe colono locaverit ex quo mercedem vel proventum recipiat ſibi, qui ex pecunia fructum aliquem perceperit, non feretur? & qui pecunia fundum acquirit, annon pecunia illa generat alteram annuam pecuniam? Unde vero mercatoris lucrum? Ex ipſius, inquies, diligentia atque induſtria. Quis dubitat pecuniam vacuam inutilem omnino eſſe? neque qui à me mutuam rogat, vacuam apud ſe habere à me acceptam cogitat. Non ergo ex pecunia illa lucrum accedit, ſed ex proventu. Illæ igitur rationes ſubtiles quidem ſunt, & ſpeciem quandam babent, ſed ubi propius expenduntur, reipſa concidunt. Nunc igitur concludo, judicandum de uſuris eſſe, non ex particulari aliquo Scripturæ loco, ſed tantum ex æquitatis regula. Hoc exemplo clarius fiet. Sit aliquis dives & amplis fundis ac reditibus præditus, & minus nummatus tamen. Sit alius mediocriter dives, & non quidem ad alterius illius opes accedens, ſed cui tamen amplior ſit præſens pecunia. Hic igitur quum ſua pecunia lubenter fundum ipſe empturus ſit ſibi, rogetur ab illo ditiore, ut mutuam illi det pecuniam. Poſſet quidem qui mutuum dat ita ſtipulari ſibi reditum pecuniæ ſuæ, ut fundus ex illa emptus ipſi in hypothecam ſubjiceretur, donec ſua ipſi pecunia redderetur (atque ita ſibi melius conſuleret) ſed fructu pecuniæ ſive uſura contentus erit. Cur igitur primus ille contractus ſine bypotheca ad pecuniæ fructum tantum damnabitur, alter ſub hypotheca fundi empti & cum reditu annuo longe aſperior probabitur? & quid aliud eſt quam puerorum inſtar ludere cum Deo, quum de rebus ex verbis nudis, ac non ex eo quod ineſt in re ipſa judicatur? Quaſi ex forma ipſa verborum virtutes vitiave diſcerni debeant. Non eſt vero animus rem ipſam hic excutere: indicare tantum volui, quod tu exactius apud te perpenderes. Tantum illud memineris, non hic in vocabulis, ſed in re ipſa momentum quæſtionis verſari. Nunc igitur poſito fundamento, veniam ad exceptiones. Exacte enim attendere bic oportet, quum plerique ex verbulo temere arrepto ſibi deinde quidvis audendi ſopra quam par ſit, licentiam præripiunt.

Primum igitur illud eſto, me, quum uſuras in genere non damno, non omnes etiam promiſcue probare poſſe: neque etiam mihi probari ſi quis uſurariam quaſi artem aliam quæſtuariam factitet. Poſtremo ſub iſtis ſemper exceptionibus uſuram pecuniæ legitime percipi poſſe tantum, non ſecus.

Prima eſt, ne exigatur uſura ab egentibus hominibus: neque ullum qui neceſſitate aut alia calamitate prematur, ad penſionem uſuræ cogi fas eſſe.

Secunda, ut qui mutuum dat, non ita addictus ſit lucro & commodo ſuo, ut interea omittat quod ex mera neceſſitate tenetur procurare: nempe ne dum cautum vult pecuniæ ſuæ, pauperum fratrum nullam rationem in ea apud illos etiam collocanda habeat.

Tertia eſt, ne quid in mutuo illo inſeratur, quod non conveniat cum æquitate naturali, ſi expendatur ad illud Chriſti mandatum, Quicquid vultis facere homines veſtri cauſa, vos quoque perinde illorum cauſa facite.

Quarta, ut qui mutuo accipit, lucretur tantundem aut plus etiam ex ea pecunia, quam qui illi mutuo dat, ſive induſtriam ſive operam conferat.

Quinta, ne ex eo quod in uſu eſt, quid fas & æquum ſit æſtimemus, neque æquum ipſum ex hominum iniquitate, ſed ex Dei verbo metiamur.

Sexta, ne tantum rationem habeamus commodi unius illius quicum res nobis erit, ſed etiam attendamus quid expediat Reipublicæ. Uſura enim quam pendunt mercatores, eſt publicum vectigal. Videndum igitur ut contractus etiam magis ſit ad utilitatem Reipub. quam ad illius detrimentum.

Septima eſt, ne excedatur certus modus conſtitutus in quavis regione vel Repub. etſi neque eo uſque exigere etiam ſemper oportuerit. Sæpe enim permittitur quod non poteſt corrigi vel coërceri edicto civili. In primis igitur æquitas una intuenda eſt, quæ una præcidat ſi quid hic nimium erit. Tantum abeſt vero, ut iſtud à te pro edicto vel axiomatis haberi velim: ut nihil magis exoptem, quam ut ea humanitate ſint omnes, ut mihi neceſſitas non ſit, argumentum iſtud deinceps attingere. Quare ſic iſta complexus ſum, magis ut gratum facerem tibi, quam quod vellem in eo plane acquieſcere. Tu pro tua benevolentia meum iſtud officium boni conſules, ac fratrem mihi ſalutabis. Dominus te & familiam tueatur.

An liceat fratris mortui viduam ducere in uxorem.

QUid hac de re pronunciaverit Deus in Lege ſua, obſcurum non eſt. Mali enim ſunt interpretes qui exponunt non eſſe rapiendam è thoro prioris mariti: vel ſi repudiata fuerit, illicitum eſſe illius conjugium vivente adhuc marito. Neque enim convenit torquere in diverſos ſenſus, quæ uno in loco iiſdem verbis pronunciantur.
Levit. 18. *verſ.* 16. Vetat Deus retegere turpitudinem uxoris patris, & patrui, & filii, & nepotis. Quum de fratris uxore eandem ſententiam totidem verbis profert, abſurdum eſt diverſos ſenſus fingere. Itaque ſi fas non eſt patris vel filii, patrui vel nepotis uxorem habere in matrimonio, unum & idem de fratris uxore ſentire convenit: de qua ſimilis prorſus Lex uno contextu & tenore perlata eſt. Nec ignoro unde errandi occaſionem ſumpſerint, qui ita ſentiunt. Nam
Deut. 25. *verſ.* 5. quia alio loco jubet Deus, ſi quis abſque liberis deceſſerit, fratrem qui ſuperſtes erit, viduam accipere, ut ex ea ſemen mortuo ſuſcitet, hoc perperam & inſcite reſtrinxerunt ad germanos fratres: quum Deus alios cognationis gradus potius deſignet. Nota eſt phraſis linguæ Hebraicæ, quæ in genere conſanguineos omnes fratrum nomine complectitur. Quin etiam Latini olim ſic vocarunt patrueles & amitinos. Lex ergo, cujus nunc ſit mentio, de uxore fratris mortui ducenda ad eos tantum cognatos dirigitur, qui alioqui non impediuntur à tali conjugio: quia Deo propoſitum non fuit, ne intercidat nomen mortui, inceſtuoſa conjugia permittere, quæ alibi damnaverat. Quare hæc duo ſimul probe conveniunt, germanum fratrem prohiberi à conjugio viduæ fratris: & tamen propinquos jure cognationis obſtringi ad ſemen mortuis ſuſcitandum, ubi liberum alioqui ex præſcripto Legis conjugium eſt. Hac ratione Booz uxorem duxit Ruth, quæ ante nupta fuerat ejus conſanguineo. Et ex hiſtoria ſatis patet, legem ad omnes conſanguineos ſpectaſſe. Quod ſi quis adhuc contendat fratres germanos in hoc numero comprehendi, eadem ratione ducenda ſocero in uxorem fuiſſet nurus, & uxor nepotis patruo, imo & privigno noverca: quod dictu pudendum eſt. Si quis objiciat, filios Judæ Her & Onan & Sela fuiſſe germanos, Thamar tamen duobus nupſiſſe: ſolutio in promptu eſt, Judam ex communi & recepto Gentium more hac licentia non recte fuiſſe uſum. Satis patet ex omnium temporum hiſtoriis apud gentes Orientales fœdas mixturas neglecto pudore fuiſſe in conjugiis. Mala igitur conſuetudine, ut fieri ſolet, tractus fuit Juda, ut eandem daret uxorem filio ſecundo, quæ ante fuerat uxor primogeniti. Et hoc etiam flagitium inter Gentes graſſatum eſſe exprimit Deus, ubi inceſtus damnat. Hoc igitur tanquam indubium retineo, Lege Moſis vetitum eſſe conjugium cum vidua fratris germani.

Qui volunt hac lege ſolutos hodie eſſe Chriſtianos, objiciunt illud Pauli, ſtandum eſſe in libertate ad quam vocati ſumus, & quæ nobis à Chriſto parta eſt: ſed inſcite trahunt ad præſentem cauſam, quod longe alio fine & conſilio protulit Paulus. Agitur enim illic de ceremoniis, quarum obſervatione ſerviliter premebant conſcientias falſi doctores, acſi neceſſariæ eſſent ad Dei cultum. In hac autem quæſtione nihil ſimile. Quod rurſum excipiunt, nos politicis legibus non ſubjici, facile diluitur. Neque enim lex de qua nunc agitur, ſimpliciter numeranda eſt inter politicas: quia ſumpta eſt à communi jure gentium, & naturæ honeſtate: quod ex præfatione colligitur. Quoniam enim omnes vicinas gentes abripuerat libido ad inceſtus: ut Deus pudicitiam populo ſuo commendet, ita præfatur, Ego ſum Jehova Deus veſter: ſecundum conſuetudinem terræ Ægypti, & ſecundum morem regionis Chanaan ne ambuletis. Poſtea ſubjicit, quinam & quot gradus cognationis vel affinitatis viros & fœminas arceant à conjugio. Si quis rurſus excipiat, Legem Iſraëlitis peculiariter latam cenſeri non debere in parte juris gentium, præſertim quum apud alios populos contemneretur: reſpondeo, corruptelam quæ graſſata fuit paſſim in Oriente, non mereri nomen juris gentium, quum barbaries fuerit, & caſtitatis verecundiæque oblivio. Porro quod naturale eſt, nullo conſenſu vel more deleri poteſt. Tenendum igitur, prohibitionem de qua nunc vertitur quæſtio, non eſſe ex earum numero, quæ pro temporum & locorum circumſtantiis abrogari queant: ſed fluere ab ipſo fonte naturæ, & fundatam eſſe in generali legum omnium principio, quod perpetuum eſt ac inviolabile. Deus quidem morem qui apud Ægyptios & profanas gentes invaluerat, ſibi diſplicere teſtatur. Unde id, niſi quod fœditatem licet hominum ſuffragiis probatam, repudiat ipſe naturæ ſenſus atque aſpernatur? Olim quum Claudius Imperator uxorem ſibi ſumpſiſſet Agrippinam neptem ſuam, tollendi probri cauſa ſenatusconſultum fieri curavit, quo dabatur talibus conjugiis libertas. Nemo tamen repertus eſt, qui exemplum imitari vellet, excepto duntaxat liberto uno. Diſſimilis cauſa, fateor. Verum id retuli, ut appareat apud gentes profanas inſolubile fuiſſe jus naturæ: atque inde colligant æqui & moderati homines, inter leges politicas & jus naturæ, quaſi ingenitum humano generi & omnium cordibus infixum, ſtatui debere magnum diſcrimen.
Huc facit ſolennis illa admonitio, qua Deus populum *Lev.* 28.
ſuum à profanis gentibus ſeparat, nempe Ægyptiis *verſ.* 3.
& Chananæis. In terra enim Chanaan ſeſe miſcebant fratres ſororibus, poſthabito honeſti reſpectu. In Ægyptiis autem nihilo plus fuiſſe verecundiæ, ex veteribus ſcriptis conſtat. Lex ergo politica cenſeri non debet, qua Deus clare populum ſuum retrahit ab inquinamentis Gentium. Ut res clarius innoteſcat, Paulus in re minima nobis proponit ipſam naturæ
legem. Nam ubi docet turpe eſſe ac indecorum *1 Cor.* 11.
mulieres in publicum prodire, niſi velatas, conſulere *verſ.* 14.
naturam jubet, an deceat mulieres tonſo capite in publico

blico

blico verſari: & tandem ſubjicit, Natura id non patitur. Non video igitur, cur prætextu legis politicæ aboleri debeat; quod eſt ex jure naturæ, ideoque mutari nequit.

Venio nunc ad leges Romanas, quæ ejuſmodi conjugia repudiant. Si earum ratio vel in unius populi utilitate, vel in uſu certi temporis, vel in præſenti neceſſitate, vel in aliis circumſtantiis fundata eſſet: abrogari poſſent novis de cauſis, aut ſolvi poſſet earum obſervatio in certis perſonis privilegio ſingulari. Verum quia in illis ferendis tantum ſpectata fuit perpetua naturæ honeſtas, ne diſpenſatio quidem eſſet tolerabilis. Impune ut liceat, ſtatui poteſt: ſicuti in arbitrio Principis eſt pœnas remittere: verum ut vitioſum non ſit quod vitioſum eſſe natura dictat, nullus legiſlator efficiet.

Si objicitur, non prohiberi nos in novo Teſtamento à talibus conjugiis: reſpondeo neque inter patrem & filiam conjugium vetari, neque matri interdici, ne filio ſuo nubat. An ideo promiſcue licebit conſanguineis inter ſe coire? Sed hoc objectum
1 Cor. 5. vers. 1. Pauli teſtimonio facile diluitur. Nam Corinthium reprehendens, qui ſe novercæ conjugio polluerat, Facinus, inquit, toleratis, quod ne inter Gentes quidem auditur. Si quis excipiat, non agi nunc de conjugio privigni & novercæ, ſolutio intempeſtiva erit. Nihil enim aliud volo, quam dedecus nobis proponi in exemplo Gentium: ut ſaltem nos pudeat, ſi plus in illis verecundiæ & modeſtiæ cernitur. Et ſane ad hanc rem una mihi Pauli admonitio ſufficit:
Phil. 4: 8. qui ad Philippenſes ſcribens, Quæcunque, inquit, ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, & ſi qua laus, hæc cogitate.

Poſtquam de quæſtione ipſa in genere & θετικῶς differui, nunc ad Illuſtriſſimum Principem verba mea dirigam, ejuſque Celſitudinem & ſuppliciter rogabo, & ſancte obſecrabo, ut ſe affectuſque omnes ſuos Dei verbo penitus addicat. Equidem perſuaſus ſum hoc deſiderium à probabili ratione ortum eſſe: ſive utriuſque partis virtutes mutuum amorem conciliarint, ſive etiam ſpectata fuerit publica utilitas. Supereſt tamen ut affectum hunc, qualemcunque licet originem ducat à bono principio, Illuſtriſſimus Princeps temperet ac moderetur, ne in progreſſu impingat. Multa licere admonet Paulus, quæ tamen non expediunt. Verum omnibus placide & compoſita mente expenſis, liquebit in hac cauſa etiam non licere, quod non expedit.

Ad quæſtiones conjugales.

IN quibus gradibus conſanguinitatis non permittat Deus Lege ſua conjugium contrahere, ſatis notum eſt. Fratri ſororem, patruo vel avunculo neptem, aut etiam proneptem ducere non licet: ſicuti nec amita vel matertera nepoti ſuo, vel
Levit. 18. vers. 6. pronepoti nubere poteſt. Frater autem patruelis, aut conſobrinus ſororem ſuam in gradu oppoſito ducere non vetatur. Quod Lege Dei mandatum eſt, vocare in quæſtionem fas non eſt, quantum ad prohibitiones ſpectat: ut inceſtuoſa conjugia cenſeri debeant quæ illic damnantur. Sed quia longo uſu receptum eſt, ne conſobrinus, vel patruelis ſororem ſuam ducat, offenſionis habita fuit apud nos ratio, ne talibus conjugiis libertas concederetur. Si quis ergo interroget de ſummo jure, non reſpondebimus ſimpliciter peccare, qui ſuam conſobrinam uxorem accipiet. Verum quia hæc licentia exponeret Chriſti Euangelium multis probris, tenenda eſt Pauli ad-
1 Cor. 10. vers. 23. monitio, Ne libertas noſtra cuiquam cedat in offendiculum: deinde ut abſtineamus etiam à licitis, niſi ita expediat. Nec vero ſervitus, qua inter ſe mutuo adſtricti ſunt fideles pro charitatis officio, metuenda eſt: quia liberæ manent conſcientiæ coram Deo. Quantum ad gradus affinitatis ſpectat, ſimilis eſt ratio. Diſputant quidam, vel potius litigant, annon viro cælibi liceat accipere ſororem uxoris mortuæ: ac prætextum arripiunt ex verbis Moſis, Uxorem Levit. 18. vers. 18.
cum ſorore ejus non accipies in mœrorem vel anguſtiam, ut reveles turpitudinem ejus ea vivente. Sed refellitur iiſdem verbis eorum error: quia Moſes illic non tam inceſtum damnat, quam crudelitatem mariti, qui vellet cognatam uxoris ſuæ ſuperducere. Eſt igitur illic exceptio polygamiæ: quia quum ob duritiem cordis conceſſum eſſet Judæis plures ſimul uxores habere, excipere voluit Deus, ne duæ ſorores, vel cognatæ, quod idem eſt, in certamen vel æmulationem committerentur.

2. Quia hactenus non tam ſevere, ut decebat, animadverſum fuit in adulteria, ut eorum vitæ parcatur, qui violant fidem conjugii, durum eſſet virum quocum divortium fecit uxor adulterii cauſa, aut mulierem à marito repudiatam, ſi incontinentia laborent, in totam vitam à conjugio arcere. Itaque neceſſe eſt, ut indulgentia una alteram trahat. Conſultum tamen non videtur, in ejus partis quæ damnata eſt, arbitrio ponere, ut ſtatim ad alias nuptias transvolet. Ideoque libertas ad tempus differenda eſt, ſive præſcribere libeat certum tempus, ſive expectare dum pars innoxia ad aliud conjugium tranſeat.

3. Frigidos & eunuchos, quibus negata eſt virilitas, diſerte à matrimonio excludit Chriſtus. Et certe quum nihil magis conſenſui repugnet quam error, non poteſt obſtricta eſſe mulieris fides quæ viro ſe nubere putavit. Adde quod hæc fruſtratio conjugii naturam & finem prorſus evertit. Nam matrimonium quid aliud eſt, quam maris & fœminæ conjunctio? Quorſum vero inſtitutum eſt, niſi ob duos fines, nempe vel ob ſobolem procreandam, vel ut remedium ſit incontinentiæ? Ergo dubium non eſt, quin mulier quæ decepta fuit, cauſa cognita, & bene probata, divortium impetrare debeat. Nec vero opus eſt reſcindere conjugium, quod ab initio nullum fuit: ſed pronunciare ſufficiet eum qui ad conjugium idoneus non erat, perperam & malo dolo fœminam decepiſſe, cui maritus eſſe non poterat: atque ita ſtipulationem in qua nihil erat mutuum, irritam fuiſſe ac prorſus nullam.

4. Matrimonium nonniſi inter puberes legitimum eſſe, merito ſemper judicatum fuit. Itaque luſus puerilis eſt, & ſimul tamen levitas caſtigatione digna, ſi puer ſibi uxorem deſpondeat. Ac primo ſtatuendum eſt, quicunque ſub parentum vel tutorum ſunt poteſtate, hac maxime in parte non eſſe liberos nec ſui juris. Verum quamvis accedat parentum vel tutorum conſenſus, vel ipſi ſunt præcipui auctores: ſtipulationes tamen ante ætatem factæ impuberes non obſtringunt, niſi poſtquam adoleverint maneant in ſententia, ſponteque teſtentur, ſe ratum habere quod prius intempeſtive geſtum fuerat. Si qui vero liberos ſuos deſpondeant ante tempus, ut ſe & ſua obligent, non poſſunt tamen pueris nondum ad conjugium maturis laqueum injicere. Et quanquam ejuſmodi contractus profanatio quædam eſt conjugii, ſi quis tamen temere multam ſibi impoſuerit, ſuſtineat quam meritus eſt pœnam: conjugii tamen nulla eſt actio: quia liberum eſt pueris, ubi ad pubertatem venerint, retractare quicquid parentes de ipſis male tranſegerant.

CALVINUS N.N. S.D.

Si alter ex conjugibus in elephantiaſim inciderit.

ANtequam veſtræ nobis redderentur, ultimæ noſtræ, ut ſperamus, ad vos pervenerint. Nunc res de qua quæritis valde perplexa eſt. Neque enim juſta divortii cauſa eſt morbus, qualiſcunque tandem ſit. Quamdiu autem firmum

maneſ

manet conjugium, videtur alter alteri obſtringi. Utroſque autem hortatur Paulus, ut debitam benevolentiam reddant, maritus uxori, & uxor marito. Quod ad conjugii vinculum ſpectat, inſolubile eſſe ſtatuimus, quamvis à thoro ſeparetur uxor. Sequitur quæſtio, An elephantiaſis, quæ vulgo dicitur lepra, ſi ea percoſſus fuerit vir, mulierem à lege concubitus ſeparet. Dicunt genus illud hominum ſi prurigine laborat, eſſe maxime libidinoſum. Cauſabitur ergo ſibi opus eſſe uxore. Sed ſi quis eſſet humanitatis ſenſus in homine elephantiaco, primum uxori ſuæ & liberis parceret: deinde conſuleret generi humano, ne longius contagio ſerperet. In eo jam deprehenditur, non facere nec mariti, nec patris officium: atque etiam quodammodo boni publici eſſe inimicus. Præterea niſi bruto ſtupore perculſus eſt, ſicuti aliis omnibus eſt fœtidus, ita ſponte propria modeſtia ſeipſum ſepeliret. Certe ne ſimus crudeles, non audemus hac neceſſitate mulierem obſtringere, ut contubernio & thoro jungatur viro, qui omnes naturæ leges obliviſcitur: ſed concedendum cenſemus, ut cognitione judicum interpoſita viduitatem colat. Interea vero quibuſcunque poterit officiis, non deſinat maritum proſequi, modo ne quod fere prodigioſum eſt, ab ea exigat. Valete optimi & integerrimi fratres. Dominus vobis ſemper adſit, vos tueatur, & Spiritu ſuo regat. Genevæ, 4. Non. Decemb. M. D. LXI.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

Ad conjugium minus recte inſtitutum.

ETſi in tanto conſultantium numero non ſemper omnium votis obſequi vacat: non ſum tamen uſque adeo moroſus, ut piis eorum ſtudiis offendar. De tuis autem literis veriſſima fuit excuſatio. Quum enim tumultuarie & curſim tantum inſpectas iterum paulo attentius legere in animo eſſet: quod rariſſime vel nunquam mihi accidit, eas perdidi. Reſpondere vero temerarium putavi, donec melius compertum mihi foret, non modo quid quæreres, ſed quos tibi expediri velles nodos. Clandeſtina conjugia, quæ occaſionem præbent, imo januam aperiunt multis flagitiis, merito boni omnes improbant. Atque utinam iſte quiſquis eſt, aliam ſibi uxorem potius ſumpſiſſet, quam conſobrinam. Etſi enim tam lege Moſis, quam communi gentium jure id ſemper licuit: tenenda eſt Pauli admonitio, ne plus ſibi permittant fideles, quam expediat. Certe in conjugiis gradus ille apud nos adhuc excipitur, ne probris obnoxium ſit Euangelium Chriſti. Dum vero iſti nimium carnis ſuæ libidini indulgent, ſcortationis infamiam ſubire malunt, quam conjugium fateri. Atqui ſi ex duobus malis alterutrum eligere oportuit, præſtabat libertatem pecunia redimere, quam ſe demergere in hunc labyrinthum. Nam inde factum eſt, ut mulier ſimulatque obrepſit faſtidium mariti, neglecta fide divortium faceret: eadem levitate maritus, cauſa incognita, ad novas nuptias transvolaret. Digni ambo in quos ſevere animadvertatur, indigni in quorum gratiam tam laborioſe de perplexa cauſa inquiras. Quis enim jam exitus reperietur? Uxor jugum mariti excutiendo, violavit datam fidem. Voluntarium ergo hoc divortium non procul abfuit ab adulterii ſpecie, ſive eam moroſitas, ſive libido impulit. Verum maritus, quia res adhuc manebat integra, licet fruſtra tentata reconciliatione, & quidem ſæpius: debuit quodvis potius ſubire diſcrimen, ut eam ad præſtandum officium cogeret, quam & privato conſilio ſacrum & inſolubile vinculum abrumpere, & ſibi judicium ſumere in propria cauſa. Itaque ſecundæ uxoris inductio nihil aliud eſt, quam merum adulterium honeſto conjugii titulo velatum. Neque enim illa uxoris diſceſſione liber erat, donec legitime cognitum foret, ſuo jure eum privari. Fefellit igitur ſecundam, cui fidem jam alibi obſtrictam quaſi ſolutus dedit. Mulieri quoque nihilo major libertas, quæ occaſionem adulterio præbuit. Silere enim, quum videret adulterinum conjugium tractari, quid aliud fuit quam ſubſcribere? Certe turpiſſimi lenocinii rea tenetur, quæ volens & ſciens marito permiſit ſe ita proſtituere. Rogabis, quiſnam ergo ſit exitus. Certe niſi hominibus conceditur, ut peccando majorem peccandi licentiam ſibi acquirant, uterque prima fide manet devinctus: neque alia ſolutionis ratio apparet, niſi ut vir ſe adulterum fuiſſe fateatur, ubi ad ſecundam uxorem præpoſtere tranſiit: mulier ſe quoque ſociam criminis agnoſcat, imo primam culpæ originem in ſe reſidere. Nunc ſi ad priorem redire nolit ille, ſuberit non parva colluſionis ſuſpicio, & res erit mali turpiſque exempli. Mulieri quæ divortium temere fecit, non video liberum eſſe jus nubendi, donec ſe ad reconciliationem obtulerit. Quid faciet ille? niſi valde fallor, perplexum hærere neceſſe erit. Ego igitur quid pronunciem, niſi perſpectis melius circumſtantiis, non reperio. Ac te rogo, eximie vir, ut meæ dubitationi ignoſcas, ſi de re adeo confuſa inter homines ignotos judicium ferre non audeo. Plus forte aliquid à me expectaſti: boni conſules quod poſſum. Vale frater mihi honorande. Dominus tibi ſemper adſit, te gubernet Spiritu prudentiæ & rectitudinis, præſidio tueatur, & virtute ſuſtineat. 3. Calendas Januarii. M. D. LVII.

Reſponſio ad quæſtionem propoſitam de proventu annuo Sacerdotis Papalis, & venditionis pretio.

SI de re adhuc integra dandum eſſet conſilium, non licere exiſtimo, quamlibet ſpecioſo prætextu, poſſidere ulla Sacerdotia in Papatu: quia nullum aſſem colligere inde licet, qui non ſit ſacrilegio inquinatus. Verum ſi quis per inſcitiam & errorem collectos inde fructus abſumpſerit, non video cur de reſtitutione anxie laboret. Diſtinguo alimenta à repoſitis theſauris. Nam ſi quis ex ea pecunia ſe ditaverit, donec reſtituat quod injuſte detinet, non eſt purus ab anathemate. Ergo ſicuti Moſes tranquilla conſcientia aulam Pharaonis, & delicias reliquit, quia genus illud vitæ non ſponte appetiverat: ſic hodie quiſquis maledictis illis opibus ſe abdicat, quibus ſe ad tempus ſuſtinuit, quieto animo in poſterum legitima ratione victum ſibi acquirere poteſt.

Quod ad pretium venditionis ſpectat, ſcelerata haud dubie fuit pactio. Sed emptore mortuo non aliud ſupereſt, niſi ut qui pecuniam injuſte accepit, ſtudeat, quoad ſuppetet facultas, & occaſio dabitur, lucrum illud quo ſe contaminavit, alio transferre. Itaque pro ſuo judicio, quibus & quando videbitur eroget quantum adhuc retinet, ne ſit ex alieno locupletior.

Adoleſcens qui inſciis parentibus uxorem duxit, agnoſcat ſe juſtas levitatis pœnas dare, ſi uxor eſt immorigera: nec miretur, quum Deo & parentibus non præſtiterit quod debebat obſequium, ſibi rependi juſtam mercedem in uxoris contumacia. Et quia diſſenſio in Religione conjugium non dirimit, quamdiu poterit abſque periculo cum uxore habitare, maritali officio fungatur. Quod ſi major vis & neceſſitas ipſum cogat ab ea diſcedere, in cælibatu maneat, donec vel reſipiſcat uxor, vel divortii cauſam præbeat. Calendis Septembris. M. D. LX.

GRYNÆUS CALVINO ET FARELLO S.

ORo vos per Dominum ut nos primo quoque tempore liberetis ſollicitudine ingenti, de rebus omnibus ſcribendo. Spero in Dominum Chriſtum vos Chriſtiana lenitate ac humilitate omnes adverſarios ſuperaturos, & omnem etiam

occa-

occaſionem veſtri Euangelii calumniandi hoſtibus adempturos. O ſcintillantes igne Satanæ oculos, & accenſum ſtudium in veſtrum miniſterium dejiciendum! Sed agite, agite fratres mei chariſſimi, optima ac ſanctiſſima pectora, armis omnibus Chriſtianæ militiæ induti, ac iſto præſertim iniquiſſimi temporis momento fideliſſime inſtructi, ſtemus: ac ad negotium Domini fortibus animis, invicto pectore redeamus. Non odium eorum, qui ſe in hac cauſa odioſos vere præbent, ſuperet. Non enim ii ſumus, qui etiam pro inimicis orare, nedum ferre & amplecti poſſumus. Non populi ſtulta judicia, & ſtultus leviſque popularis judicii metus nos hic labefaciat, qui lux ſumus mundi, & ſubjicere nos infimo cuique etiam ingratiſſimo poſſumus. Non dolor & contemptus noſtri nos frangat, qui nihil dolere didicimus, quam quum Satan arte ſua negotium Domini perturbat. Oro chariſſimi fratres, oro vos per viſcera Chriſti revocare in animum omnem pietatem, omnem ſapientiam velitis, dum vos veſtra virtute ac conſtantia labantem iſtic Eccleſiam, ad manus veſtras revocatam iterum dante Deo, ſic ut conſtitit, tueamini ac regatis. O quod munus eſt, quam ſolida & vera laus veſtra, ſi in ſolum Chriſtum reſpicientes veſtri in hac cauſa toti obliviſcamini! Deus Jeſus Chriſtus confirmet mentem veſtram ad opus ipſius ſanctum. Baſileæ, 12 Jul.

Simon Grynæus veſter.

CALVINUS GRYNÆO S.

QUando mirificas & prope incredibiles eſſe Satanæ artes, quibus una cum opere noſtro aſſidue nos impetit, ſatis jam experti ſumus, minime nos fefellit malitioſa ejus vafrities, qua nos per Carolum ſuum nuper adortus eſt. Nam & ejuſmodi certamina omnia multo ante opinione conceperamus, & ad ea ſuſtinenda eramus animo parati. Itaque quum Arrianæ primum hæreſeos, paulo poſt etiam Sabellianæ inſimulari nos audivimus, nihil nos iſtorum valde perturbavit, quum & ad tales calumnias aures noſtræ pridem obduruiſſent, & ſpes certa eſſet, in fumum mox exituras. Purgationem duntaxat, quæ præ manibus erat, objecimus, qua piis omnibus ac integris viris ſatisfieri abunde poſſet. Conſcriptus enim aliquanto ante Catechiſmus à nobis fuerat, Gallice etiam editus, ubi ſub una Dei eſſentia nos Patrem, Filium, ac Spiritum complecti teſtabamur: alterum tamen ab altero ſic diſtinguebamus, ne quis ſiniſtræ ſuſpicioni locus relinqueretur. Chriſtum nempe docebamus verum & naturalem eſſe Dei filium, qui unam cum Patre divinitatem ab æterno poſſediſſet, carnem noſtram ſuſcepiſſet ſecundum tempus redemptioni noſtræ deſtinatum. Quum pergeret rabioſa illa beſtia, conventum Miniſtrorum totius Bernenſis ditionis dari nobis petiimus, apud quem innocentiam noſtram defenderemus. Fratres Gallicæ linguæ prius Lauſannam coacti ſunt, quo etiam duo è Senatu Bernenſi, ac Miniſtri duo miſſi ſunt. Quæcunque conflari mendacia potuerant, bonus ille vir in unum faſciculum collegit. Venerat enim ad accuſationem inſtructus, quomodo Juriſconſulti præcipiunt, nempe cum ſacco paratus. Verum totum illum ſaccum noſtra refutatione ſic exhauſimus, ut ne minima quidem ſuſpicio in hominum animis reſideret. Demum ventum eſt ad noſtræ Confeſſionis recitationem, in qua decem circiter errores ipſe quidem animadvertit, alii pene omnes, nihil non pium eſſe ac ſanctum judicarunt. Ita nos Synodi ſententia fuimus abſoluti, ille indignus judicatus, qui miniſterio fungeretur. Tali exitu nihilo demiſſiorem factum arguit perpetua ejus impudentia: ſaccum illum futilem, magis quam antea refertum attulit: ubi à nobis excuſſa omnia fuerunt, quibus ſuſpicionem aliquam de tempore præterito injicere conabatur, producta eſt Confeſſionis noſtræ forma, quæ omnibus aliis criminibus abſoluta, uno duntaxat capite rea fiebat: quod Chriſtus illic affirmatur ille eſſe Jehovah, qui à ſeipſo ſemper habuit ut eſſet. quam criminationem diſcutere promptum fuit. Nam ſi diſtinctio ſpectatur, quæ eſt inter Patrem & Verbum, hunc ab illo eſſe dicimus. Si autem Verbi eſſentia conſideratur, quatenus unus eſt cum Patre Deus, quicquid dici de Deo poteſt, in illum competit. Jam quid nomen Jehovah ſignificat? quid illud quod Moſi dictum fuit, Ego ſum qui ſum? Hujus dicti Chriſtum auctorem facit Paulus. Apud te quidem, pioſque omnes in approbanda ejus ſententiæ veritate non laboramus: ſed noluimus tacitam præteriri perditi hujus calumniatoris malignitatem, ne quidquam ad vos, ſecus quam res haberet, rumor deferret. Nihil enim dici apertius poterat, quam habet noſtra Confeſſio: Chriſtum Sermonem eſſe illum æternum ex Patre ante ſecula genitum. Verum niſi duplicem Deum comminiſci libet, de ejus eſſentia diſſeramus oportet non aliter, ac de unius Dei eſſentia. Atque hac ratione, cui non ſatisfaceret, nemo præter ipſum repertus eſt. Fratres ut dignum erat fidis Chriſti Miniſtris, nos iniquiſſime in ſuſpicionem aliquam adductos ſibi videri pronunciarunt. In noſtra autem Confeſſione nihil improbandum ſe animadvertiſſe. Dum hæc geruntur, afferuntur à Myconio literæ publicæ ad conventum ſcriptæ. Aliæ rurſum à Capitone ad Farellum generatim miſſæ: quibus utriſque intellectum eſt, horrendum longe lateque rumorem de noſtra controverſia pervagatum eſſe. Denique ad excitandam erga nos gentium omnium invidiam malitioſe à certis hominibus fabrefactum. Quod autem homo nihili futiliſſima ſua vanitate tantum proficere potuerit, ut tot Eccleſiis ſiniſtram de nobis opinionem injiceret: id vero eſt, quod nos vehementer perturbavit. Siquidem non levis momenti rem eſſe ducebamus, ſi caput Religionis noſtræ præcipuum, inter nos controverti adverſarii noſtri audirent, vel Eccleſiæ quidquam de nobis tale ſuſpicarentur. Eo autem gravius hoc nuncio perculſi ſumus, quod id ne timere quidem unquam in mentem venerit. Speramus tamen fore, ut Domini bonitate inanes illi fumi diſcutiantur propediem, ac in capita impiorum recidat, quicquid mali Chriſto ejuſque Eccleſiæ intentarunt. Cœpit enim jam affulgere Domini manus, atque virtus ejus ſeſe exerere, ad extinguenda hæc qualiacunque exordia. Sycophanta ille Senatuſconſulto in exilium actus eſt: nos plane abſoluti, non à crimine modo, ſed ab omni quoque ſuſpicione. Quanquam vero ſe Athanaſii titulo nunc venditet, qui pœnas luat defenſæ fidei: nullum tamen fore periculum videtur, ut orbis pro Athanaſio ſacrilegum, ſcortatorem, homicidam ſanctorum multorum ſanguine madentem agnoſcat. Qualem dum iſtum prædicamus, nihil dicimus quam quod ſolidis teſtimoniis revincere ſumus parati. Hæc tibi paucis ſignificata volui, ne iniquis improborum delationibus abſentes ſic inauditi (ut fit) opprimamur. Exemplar etiam Confeſſionis ad te mitto, quod cum tuis Collegis communices. Magnopere enim referre duco, ut ne obſcuris rumoribus exagitentur. Simul te obteſtor, ut tum Confeſſionem ipſam, tum has literas ad illos ipſos etiam fratres mittendas cures, aut potius ipſe propriis tuis literis eorum animos placare intendas. Vale. Dominus Jeſus vos omnes Spiritu ſuo impleat, quo unanimes nominis ſui gloriam propagare poſſitis. Bernæ.

Tuus Calvinus.

GRYNÆUS CALVINO S.

QUæ iſtæ & quorum de vobis tam graves querelæ ſint, ego neſcio. Nullæ dum enim ad nos venerunt. Capito non ſemel ad me ſcribit ultro veſtra omnia excuſans, & valde Eccle- *Ex Gall.*

Eccleſiæ veſtræ bene cupiens. Rumor principio gravis ſane fuit, qui meipſum quoque turbavit, quum in iſto præſertim argumento contendere vos audirem de apellationibus Perſonarum divinarum, & à conſuetis vocibus inſtituere recedere. Ea enim res videbatur amplius præ ſe ferre. Verum ubi ad nos Confeſſio tua venit, neminem video qui non ſatis ſibi factum putarit. Mihi privatim valde doluit, ab iis gravem in Eccleſia contentionem eſſe exortam, quorum uterque mea eſſet amicitia & conſuetudine uſus diu. Etiam hoc mirabar, quomodo tantum incendium & tamdiu durans, & viadum extinctum me latuiſſet. Hoc queri apud Farellum memini, ac aliud præterea nihil: niſi quod dicerem, vereri me ne rudis & nova Eccleſia niſi caute adminiſtraretur ſub initia, capere magnum incommodum poſſit ab iſtis contentionibus. Sic igitur ex me habe, neminem ſcire me qui de vobis queratur. Carolum talem eſſe qualem pingis, haud ægre adducor ut credam, poſtquam ad illos à vobis ſeceſſionem facit. Quid enim inſtituit aliud, quam quod tu melius prædicis. Promiſerat mihi & Mauro hic ampliſſime. Valeat igitur, valeat. Noſtrum eſt in iſta magna rerum difficultate modis omnibus jungi, & divelli minime pati. Peſtis eſt Eccleſiæ noſtræ una hæc pernicioſa maxime, quod ſuſpicionibus valde inter nos laboramus; & fratres de fratribus raro candide vereque ſentimus, quum lenire oporteat, & in partem optimam omnia trahere: & non ante ſiniſtre de fratre ſuſpicari, quam ipſa res eventuſque coëgiſſet. Ah quam malum eſt eos quos noſſe Chriſtum credimus, in ſuſpicionem pravam rapere ſubito. Ita quod ſuſpectum erit nobis, inutile reddimus. Literas Capitonis quibus optime de vobis ſentire ſe teſtatur, miſiſſem ad te niſi putem ipſum de re eadem ad te ſæpius ſcripſiſſe. Quod Farellus de comite conſulit exequar apud Capitonem. Tu valebis interea. Amemus in Domino vere nos, & illi toto corde ſerviamus. Saluta fratres omnes diligenter. Farellum, Viretum cumprimis diligentiſſime. Dominus Jeſus nos in ſuam ſanctam voluntatem ſervet, Amen.

Grynæus tuus.

Grynæus Calvino.

Gratia & Pax.

TErnis tuis literis hæc tandem, vir & frater amantiſſime & colendiſſime, reſpondeo. Pium eſt votum fratrum Genevatium: & noſtri ſine officii prætermiſſione deeſſe voto illorum non poſſunt. Antonium audio & Morandum ea doctrina & ſinceritate eximios haberi, qui haudquaquam diſſimulaturi ſint, ſi quid peccetur gravius à Genevenſibus. Equidem nec ſcio quid agatur Genevæ, nec quales homines iſti duo ſint. Verum dum non à vobis modo, ſed à noſtris etiam hominibus didici, qui rerum modo Genevæ potiuntur, eos à Chriſti ſtudio alienos eſſe: tum in vos etiam & diſciplinam Eccleſiæ admiſiſſe tam atrocia: valde vereor & merito, ut iſtis rempub. gubernantibus Religio & diſciplina morum miſere habeat. Qui enim non eſt cum Domino, & cum eo non colligit, is eſt contra eum, & diſpergit. Jam ſucceſſoribus veſtris rem tolerabilem eſſe, depulſos Paſtores gregis Dominici à grege ſuo tanta perverſitate, tanta importunitate: documento eſt eos aut non intelligere quid ſit eſſe Paſtorem gregis Dominici, aut valde averſum à Chriſto animum habere. Sed quam tolerabile illis ſit, vos à grege Domini depulſos eo furore, neſcio. Dominus donet illis ſenſum ſuum. Ut vero nunc res habent, non eſt quod de legatione illa nobis polliceri valeamus. Dominus pia illa pectora ſervet, & viam illis oſtendat, & expediat, qua Eccleſia illa vere teſtituatur. Hæc ad primas literas. Alteræ nihil quam innocentis & vere pii adoleſcentis confeſſoris Domini commendationem in ſe continebant: cui ego adſui pro mea virili, & adero. Ipſe puto ſcriber: ſic enim ſtatuit. Jam ad tertias. Poſt multam deliberationem huc devenimus, Capito, Sturmius & ego. Niſi luculente ſpes objiciatur fructus alicujus majoris, quam ea otio tuo & ſimul eo negotio quod te Chriſto hic ſuſcipere cupimus, adhuc cenſemus te debere ad nos venire. Parvus quidem hic numerus eſt eorum quibus ſervies: inter hos autem ſunt in quibus multum fructus ſperes, tum etiam qui tua cura valde indigeant. Denique qualecunque miniſterium hic ſit, confidimus id non inutile fore ad illud, ut opus Domini quod Sabaudicis Eccleſiis per tuum miniſterium exhibitum eſt, in ſuam fidem & auctoritatem reſtituatur. Id enim nunquam ſine offenſa Dei cogitandum, te miniſterio vel tantillo tempore ſubducere, dum ullus miniſterii locus offeretur. Fac eſſe quod tua unius graviſſima culpa res Chriſti ſic labefactæ ſint Genevæ: non tamen pia erit ejuſmodi pœnitentia, qua in iſta Miniſtrorum, qui idonei ſunt, inopia, tu iſtis dotibus non tibi, ſed Eccleſiæ ornatus, oblatum miniſterium repudies. Quod ad Farellum attinet, nos libere ei ſcriberemus, nobis videri, nec Eccleſiis nec tibi utile, te eo loci nunc agere ubi acceptum vulnus quotidie novis inciſionibus exacerbetur. Nec audimus res melius habere Genevæ, aut officium facere veſtros ſucceſſores. Jam metuo illis à judicio graviſſimo illo Domini, ne ſi ſcientes & prudentes deſint officio, in tanta Eccleſiæ afflictione, tradantur in reprobum ſenſum, ut indies deſignent atrociora. Hæc vero ſi evenient, quod Dominus avertat, quid aliud erit te in eo loco conſtituere, quam te jugi dedere carnificinæ? Merito enim iſta cujuſque ſancti & pro domo Domini zelantis animum lancinent, & excrucient ſummopere. Sed ſit ut mitius agat cum illis Dominus, adhuc tamen neſcio unde ſperarem, non plus adhuc malorum extiturum illic, quam tu etiamnum ferendo ſis. Adderemus & nolle nos detinere te noſtro tam parvo miniſteriolo, ſed tantum te cupere ſpatium tibi dari te plenius ab illo labore recreandi. Hæc ſane appoſita nunc quidem haberemus, donec aliud tempus aliud conſilium afferret. Vale in Domino chariſſime Calvine ſemper.

Grynæus tuus.

Grynæus Calvino s.

JUvenis hic apud nos dies aliquot fuit. Diſcere iſtic Religionem cupit. Eſt Nycæus. videtur eſſe ſimplex. Si qua iſtic eſt tibi hunc juvandi ſpes, oro ut des operam. Diu non ſcripſi ad te: oro ut ne interpreteris ſecus, quam eſt factum. Nam in iſtis occupationibus veſtris nolebam cuiquam eſſe moleſtus. Spero amicitiam noſtram eſſe in Chriſto Jeſu indiſſolubilem. Vale. Pridie Auguſti. M. D. XL. Saluta omnes amicos. Subito hæc ſcripſi.

Simon Grynæus tuus.

Grynæus Calvino s.

ROgavit me N. ut ſe apud te excuſarem diligenter. Hoc promittit de ſe mihi; & ego tibi de ipſo, ſe de tuo ſcripto ſentire ut par eſt. Nos enim te fratrem in Domino libenter ac cum gaudio agnoſcimus, ac pro eximio ornamento Eccleſiæ noſtræ amplectimur. Itaque noli hic tibi moleſtus eſſe amplius, mi frater. De Lutheri ſuper noſtra Confeſſione reſponſo benigniſſimo credo te audiviſſe. Spes eſt optima nobis eum recte proceſſurum. Vos iſtic in Domino Chriſto optime valete. Saluta venerandum mihi Farellum. 12 Februarii.

Simon Grynæus tuus.

Bucerus Calvino s. d.

DE motu illo idem omnino quod tu ſuaſeram, quanquam non tam plane ſcripſeram. Circumſtantias cauſæ quas tu modo mibi expoſuiſti, ignoravi: ideo eam nunc petendam dilationem optaveram, dum remiſiſſet ſeſe illa animorum concitatio tam impie excitata, & recepiſſent ſeſe fratres ad defenſionem veritatis gravem & claram. Hujus capita prima fuiſſent, diſputationem nihil quam craſſam illam præſentiam damnare, & neceſſario fatendum veram percipi in Euchariſtia corporis & ſanguinis Domini communionem: tum cætera quæ diſciplinæ ſunt, clare à Domino præcepta eſſe, ut diſſimulari tacerique, niſi Chriſto abnegato, non poſſint. Tu me tuis literis perturbaſti. Expertus enim ſum multis in locis quantum cauſæ veritatis nocuerit inſincera defenſio, & neglectus communionis. Chriſtus gaudet virtutem ſuam ſic explicare, ne videatur malotum affectuum patronus, & caput factionis. Literæ meæ ut nunc queritur N. non ſunt ipſis allatæ. Cooſilium à me petit. Scribam igitur illi de ſinceritate actionis, de neceſſitate communionis, de pia cautione ne quid admiſceatur ad cauſam Chriſti, de explicatione clara, & ex Scripturis ipſis manifeſte deprompta, qualis tua eſt, qoam ne inferi quidem calumniari queant. Denique de probis patronis, qui & Chriſti vere ſint, & noſtri rantum ptopter Chriſtum. Illa tam execror de imaginibus, de adſervatione ſymbolorum, ut libenter fingerem mihi conficta eſſe per calumniam. Nam vitioſa hæc ſunt, & ſubmovenda, ubi remanſerunt. De infirmorum communicatione motum aliquid audieram, & non improbabam. Tu vero pie & neceſſario facis, quod facis: etiam in infirmis & vitioſis fratribus defendenda eſt cauſa Chriſti. Sed ſimul danda opera, ut infirmi aliquando roborentur, & vitioſi corrigantur. At dum ita partim ipſi fugimus, partim Satanæ prodimus pias ſynodos, quid nobis polliceamur? Chriſtus caput eſſe vult omnium membrorum ſuorum, & agere per univerſa, non per ſingula. Exhilaraſti me, facta ſpe plenæ inter Bernates & veſtram Remp. conciliationis. Quanquam ſi non contrahatur & Eccleſiarum ſocietas, & reſtituatur unà res Eccleſiaſticas tractandi facultas, nihil præſtabis via conciliationis. Videmus quotidie, ut Dominus eos qui ipſius nomen jactant, conjungi non in ſe, non patiatur. Inſtabis igitut, & inſtabo ego tecum, ut cauſam Chriſti fratres quam ſimpliciſſime, & totam, & ex verbo Dei ipſo, & συμμάχως pure Chriſtianis agant. Per miniſterium reſtitui omnia neceſſe eſt: ergo miniſterium ipſum prius. Id vero non fiet, niſi conſpirantibus & communiter agentibus quotquot inter ſe communicare poterunt. Meti Farellus unam duntaxat concionem babuit, quod ſciam, & in cœmeterio Dominicanorum: qui quum aliud non poſſent, ſtrepitu campanæ ſuæ verbum Domini populo avertere conati ſunt. Sed Farellus noſter voce intenta uſqoe ad ſummam raucedinem, campanæ ſonitum vicit. Poſtridie tria millia aderant audituri: ſed præcipui inter eos qui Euangelium petunt, & ipſe Conſul à Farello impetrarunt, ut quieſceret dum rem eo deducerent, ut ſine metu motus civilis, concio haberi poſſet: quod brevi fore pollicebantur. Vocatus Farellus eodem die ad ſummum Conſilium, & rogatus, qoo jubente prædicaſſet, & quo petente, reſpondit, Chriſto jubente, & petentibus membris: nec tamen voluit quenquam nominatim indicare. Et ſatis graviter ac pie coram illis de ſuo munere & prædicatione Euangelii diſſeruit, eoſque officii ſui admonuit. Dum vero illi deliberarent quid de eo ſtatuerent, fratres deduxerunt eum domum: & impoſitum equo, qui magnitudine & habitu non abſimilis eſſe Farello videbatur, ſimularunt ſe fratres quidam educere Farellum. Interim quievit Farellus, expectans legationem quam Euangelii initio ſtatim quum ipſe Metim veniſſet, miſerant ad noſtros, qui à noſtris auxilium, & ab univerſo fœdere peterent. Viſum enim fuit nt legati ex noſtris Electorem Sax. & Landgravium adirent, & ab illis recipi in fœdus noſtrum Rempub. Metenſem, io ſaniore illa ſui parte quæ Euangelium petit, poſtularent. Id factum eſt. Landgravius cauſam comprobavit, & ad Electorem ſtatim retulit: inrerim tamen, quia res moram non ferebar, decrevit legationem mittendam ad Metenſes, nomine communis fœderis, quæ poſtularet ab adverſariis, ut noſtris unum templum, & liberam concionem, & Sacramentorum adminiſtrationem concederent. Dedit ipſe legatum unum, alterum Francfordenſes, tertius noſter erat. Hi in mandatis habent, nihil non tentare ab adverſariis, ut impetreot quod petitum miſſi ſunt. Eo etiam adjuncto, fœdus noſtrum non poſſe deeſſe fratribus tam ſancta & pia petentihus. Idque intereſſe totius Rom. Imperii. Vide ut audeamus. Spes itaque eſt, etiamſi adverſarii quod petitur ultro non concedant, ut tamen quietuti ſint, ſi noſtri hac legatione animati per ſe Farellum concionari fecerint. Satan in eo quoque multum laboravit, ut ſi Euangelium non poſſet omnino, tamen ex parte averteret huic populo, aliquo pro Farello obtruſo, qui non εἰσαγγελῶν, ἰδιξενῶν. Obſtitimus huic Satanæ quoad licuit. Cras ſpero aut hodie reverſo D. Jacobo, audiemus quid dederit Dominus. Multus illic populus Chriſtum admodum ſitit. Conſul cum fratre R. fortiſſime agit. Moram hanc Farellus ægerrime tulit: nec immerito. Nam peſte illic multi quotidie tolluntur, qui graviſſime queruntur, ſe ſine conſolatione certa Euangelii & Sacramenrorum hinc abripi. Si diſtuliſſet legatio unam tantum ſeptimanam, induhie rurſus aliquid auſi fuiſſent. Habes ſummam fere omnium quæ Meti hactenus in hac cauſa acciderunt. Bruno admodum conſtanter egir, quanquam ad id opus habuerit multis cohortationibus. Bene vale. Uxorem & fratres diligenter atque officioſe ſaluta. Sed quam mihi dolet illud de ignorata diſciplina, de factioſa agendi ratione, de neglectu ſynodorum, de offenſione ſive retenta, ſive affectata. Sed tu meum cor, meus animus, ſemper tuo, imo Chriſti bono omnia omnium mala vinces, quoad licuerit. D. Jeſus te ſervet. Vale, Argentorati, 6 Octobt. M.D. XLI.

D. Jacobus heri veſperi venit, ſed proh dolor, nihil boni attulit. Adverſarii in urbe dominantur. Noſtri quum legatio adveniret, non aderant. Legationem itaque urbe excluſerunt, & nec equos eorum hoſpitio accipere voluerunt. Vix tandem impetratum eſt, ut tres mitterent adverſarii ex urbe, qui legatos audirent. Auditis, nullum reſponſum dederunt, cauſati Senatum totum cogi non poſſe propter peſtem quæ uno die 50 abſumit. Jurarunt omnino ſe extrema potius paſſuros, quam quod nos petimus, id eſt, regnum Chriſti admiſſuros. Conſul volebat admittere concionem. Frater repugoavit & retraxit eum. Si neque eum pro ſe adeant cives pii, eſt iterum & hic miſera Chriſti Eccleſia. Noſtri ſine cruce Chriſtum quærunt. Adverſarii propter Antichriſtum mille cruces ſubeunt. Oremus, ſupplicemus, flagitemos opem Domini.

Tuus totus Bucerus.

Bucerus Calvino.
Gratia & Pax.

DE ipſo Imperatore quid nobis pollicear, nec ſtatuere ipſe poſſum. Italorum & Hiſpanorum ei conſuetudo placet. Imperii plenitudo aperte quæri videtur. Puerilibus vel anilibus potius ſuperſtitionibus inhæret. Dicit quotidie prolixas preces flexis genibus, dicit Roſaria de-

cumbens in terram, & defixo vultu in tabella coram Virgine. Aperte nunc Chriſtum ubique oppugnat. Meti depulit quod in ipſa eſt. Edictum mittemus. Sic ergo quum habeat res, dubitare ipſe incipio à te monitus an deceat ad ipſum ſcribi, quod tamen ſcribi velim. Martyrum exemplum qui Apologeticos ſuos ſcripſerunt ad Principes palam idololatras me movet, & Majeſtas Imperii, conſideratioque mirabilium mutationum quas effectas à Domino in magnis Regibus, ut Nabucadnezar, Cyro, & aliis legimus. Tu itaque judica quid putes facto opus. Ad ipſum Imperatorem ſcriptus liber in plurium lectionem incidet, plus videbitur ponderis habere, & urgeri æquitas ſcripto amplius poterit cum publice tum privatim. Jam veritas clare & incomprehenſibiliter objecta etiam hoſtibus ſuis, languere etiam facit eorum conatus contra ipſam, & mirabiliter conſolatur & erigit ſtudioſos ſui, quum ejus vident victoriam etiam in conſcientiis adverſariorum. Ac ſi animus abhorret ab ipſo Imperatore appellando, ſcribas ad Reges, vel ad Principes conventuros in proximis Comitiis. Spero etiam edere librum ſi ad finem Decembris adſit: quanquam enim indicta ſint Comitia ad finem; tamen ut adhuc apparent res, & belli negotium habet, videtur tempeſtive id fore, ſi ad dimidium Decembrem vel finem Decemb. adſit. Explicari mihi velim illud de exſtirpatione maſculæ virtutis in Gallia. Non intelligo: nihil enim audivi. Sed te per Chriſtum rogo Jeremiam comitemur cum reliquiis populi ſui, gementem & verbo Dei illos perſequentem, dum ipſum lapidarent. Semper aliquos lucrifaciemus, & ab iſto incendio recipiemus. Dominus te & tuos confirmet. Bene vale. 25 Octobris. M. D. XLIII. Uxor valeat, & quicquid apud te, quam optime.

M. Bucerus tuus in Domino.

JOAN. CALV. VIRETO S. D.

Ergo vero nihil fore melius arbitror, quam à Nicolao veſtro coram verbis exponi, quæ literis complecti juſſus fueram. Nam & oratio teſtis oculati plus fidei ac ponderis, meo judicio, habitura eſt: & multas calumnias diluere poterit, quas illic ſpargi quotidie à Regiis credibile eſt. Nam quum adhuc illic eſſemus, non credas quam variis criminibus gravarentur pii fratres. Ego, tametſi facile poteram ſuſpicari ex quo fonte oriebantur, ſuppreſſa auctorum mentione, ſimpliciter reſpondebam. Quinetiam Aroniam nonnulli ex legatis imbuti falſis rumoribus venerant, quos difficile fuit ex animis revellere. Omnino igitur conſulo, ut Bernam concedat Nicolaus, & ea explicanda curet Senatui, quæ cognoſci expediat. Ego literis fidem ejus commendo, ac rogo ut cognoſcere velint ex illius ore, quæ ego ſcribere debueram. Tu quoque privatim aliquod verbum ad Conſulem addere poteris, ſi videbitur. Iterum dico, ne refrigeſcant animi, utile eſt ab ipſo Nicolao calefieri. Ipſum quoque in Zebedæi locum ſubrogari, non diſplicet. Erit enim, meo judicio, valde appoſitus. Unum dolet, quod nunquam hic ſe retineri paſſus eſt. Quanquam enim non palam recuſabat: videbam tamen quorſum magis propenderet. Farellus mecum de Roberto quodam gravi & moderato ſene, facili tamen & placido, loquutus erat. Quod ideo tibi in memoriam revoco, ne prorſus nullam ſui conſilii rationem habitam putet, ſi non illi quoque ſatisfacere aliqua excuſatione ſtudeas. Erit autem non difficilis excuſatio, quum tam idoneus ſucceſſor nunc vobis ſit ad manum. Ego hic valde ſum anxius de duobus eligendis. Nam Joannes Dralliani miniſter ad Dominum migravit. Cluſanus vero, ut quotidiana petendi moleſtia creditores liberaret, neſcio quo profugit. En quid faciant cauponæ. Ita enim propter gulæ intemperiem ſe ære alieno immerſerat, ut non alio remedio emergere potuerit. Vereor ne & alii quidam ſequantur hoc exemplum. Duos enim habemus, qui biennii ſtipendio, ſi interea jejunent, nequeant ſe extricare: nec tamen propterea deſinunt furtim ſe abdere ſæpe in cauponas, & prandio uno plus abſumere, quam in diarium totius familiæ alimentum habeant. Verum redeo ad electionem. Trollietus quidam, quod natione ſit Genevenſis, nobis obtruditur: in quo multa ſigna apparent nobis omnibus parum grata. Neſcio autem quid Miniſtro dignum habeat: niſi quod ſimiæ amant ſuos catulos. Utinam hic nobis adeſſes proximo Veneris die, quo de ea re conſultabimus. Sin minus: fac tamen ut ad Nicolai Galaſii nuptias te ſiſtas, quæ futuræ ſunt die Dominico, hinc ad 12. diem. Quoniam certo te venturum confido, hæc cauſa eſt, cur ſim brevior. Nicolao plurimam ſalutem dices, Imberto, Ribitto & uxori tuæ. Dominus vos conſervet omnes. Ubi veneris, audies quid Wittebergæ agatur. Genevæ, 4. Nonas Junias.

Joannes Calvinus tuus.

JOAN. CALV. VIRETO S.

Satis conjicio, quantopere nunc angaris: ſed quid facias? Neceſſe eſt iſtos abire in locum ſuum: utcunque totus mundus conſpiret, non ad retinendos tantum ipſos, ſed etiam altius provehendos. De literis, quas N. ſcripſeram, nihil te reſpondiſſe miror. Nondum ſcio an ad eum fuerint perlatæ. Mandaveram enim, ut ſi tibi diſplicerent, ſupprimeres. Expectabam ſimul ut de conjugali negotio aliquid certi renunciares. Fac ut aliquid brevi de utroque reſciſcam. Michaël Aromatarius celeriter iſtuc ſe profecturum mihi dixit, Celii cauſa. Uno verbo reſpondi, tam malas cauſas nunquam bene tuendas ſuſcipi, tractari ſæpius infeliciter: exitum ſemper perniciosum, etiam dum obtinetur quod quæſitum fuerat. Permiſi tamen, ut affinis ſui cauſa aliquid experiretur. Conſulo, ut medium te geras: neque te admiſceas ullo modo. Nam & Varrotio denunciavi, ſi malam cauſam eſſe ſciret, ne ſciens ac volens pugnaret adverſus Deum. Sine Comitem & ſimiles ſatagere. Tantum eatenus te interpone, ut appareat te nihil aliud optare, quam ut recte habeant omnia. Vale frater & amice integerrime. Dominus tibi propitius ſit ſemper, ac tuas lachrymas vertat in gaudium. Genevæ, 24 Octobris. M. D. XLVI.

Joannes Calvinus tuus.

CALVINUS VIRETO S.

In quanta anxietate tibi ſcribam, narrabit hic frater. Uxor enim parturit non ſine extremo periculo, quod nondum uterus partui maturus erat. Sed Dominus reſpiciat nos. Noſtri omnes jam fecerunt periculum. Primus ſpecimen ad populum dedit quale ſemper expectavimus. Petrus multo aptior ad docendum. Geniſtonio feliciter ceſſit prima concio. quartus ſpem noſtram ſuperat. In ſtipendiis horum non ſumus conſequuti quod volebamus. Nam duobus aliis Senatus ſine magna diſceptatione decrevit, quantum priores habebant: hoc eſt, Henricus & Champerellus. Permiſerant de diaconis conſultationem Syndico Cornuenſi, Joanni Parvo, & mihi. Verum poſtquam retulimus, non ſunt obſequuti noſtro conſilio: ſpem tamen melioris ſtatus interea fecerunt. Quum viderem difficiliores in hac re, acriter aurem illis vellicavi de adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum: in tempore cogitandum illis eſſe, qualiter Deo & hominibus rationem reddituri forent: Papam fuiſſe furem & ſacrilegum, videndum ne ſimus ſucceſſores. Uſus ſum autem præfatione, quæ attentionem excitaret, Meliora eſſe vulnera amici, &c. Item, Ne quærerent Balaam, qui

illis

illis in maledictinne benediceret. Res in aliud tempus dilata fuit. Dixi enim omnino oportere brevi ejus tractationem ſeriam ſuſcipere. Domum tuam volebant relinquere vacuam: ſed ego diſſuaſi, non malis rationibus. Itaque Philippo Eccleſiaſtico data eſt. Vale.

Calvinus Farello s.

PErgunt ſcilicet adverſarii ſuo more, quum tam impudenter in nos retorquent quicquid peccarunt. Sed bene habet, quod ad fingendum ſint tam parum acuti. Quid enim ea, quam rècitas, fabula puerilius? Video quidem eſſe qui recipiant: adeo juvat eos ſiniſtri aliquid de nobis ſubinde audire. Sed momento hoc evaneſcet, ut reliqua ejuſdem notæ: imo quæcunque in officina ſua fabricant tales artifices. Mecum ita bellum geritur, ut te ad opem ferendam nnlim fruſtra accerſere. Palam enim non pugnant hoſtes: quia hactenus non ſucceſſit. Sed clandeſtinis ſuſurris conantur multorum animos paulatim à me alienare. Qua in re nonnihil proficiunt. Trollietus ille, qui miniſterium ambiebat, repulſæ vindictam quam poteſt, exequitur. Primus illi actus fuit in ſuſcipiendo cruciatorum patrocinio. Tunc à me exceptus, ut decuit, & magno cum ludibrio etiam factionis ſuæ vexatus: nunc literas, quas Petro famulus eſt furatus, per cauponas circumfert. Aiunt autem ſcriptas ante quinquennium fuiſſe. Ego, ut oſtendam nos non niſi ingenue agere, brevi in lucem pretraham. Hoc peſſimum, quod non libenter modo, ſed avide audiuntur, qui nos totumque noſtrum ordinem perſtringunt. Fuit tempus, quum nemo adverſus Miniſtros mutire auderet. Nunc nulla prope oratio magis favorabilis. Et Satan novas ſemper occaſiones excudit. In conjugio Macrini coacti ſumus eos qui parum alias amici erant, valde exacerbare. Pronunciavit Senatus nullum eſſe conjugium, in quo ſolennis ſponſio intervenerat: partibuſque liberam fecit alibi contrahendi facultatem. Prætextus eſt in affinitate ſatis remota: nam uxor quæ illi mortua eſt, conſobrina erat matris puellæ, de qua nunc agitur. Rogavi quo jure tantum ſibi permiſiſſent. Et de tota cauſa babita eſt à nobis in curia gravis oratio: nihil tamen impetratum. Interea regerunt nos in bominis gratiam importunius contendere. Sed hæc cum aliis ſunt devoranda. Hoc boni ſaltem habemus, quod, qoicquid mnliantur, ſacræ conciones ſi quandn fuerunt frequentes, nunc ſunt frequentiſſimæ. Si quando tibi commodum erit nos inviſere, gratiſſimus erit tuus adventus. Ut venias, niſi pro tua opportunitate, inſtare non audeo. Si tamen vel minima ſe offeret occaſio, nolim eam prætermittas. Vale frater mihi in Dominn chariſſ. una cum familia tua, Chriſtophoro, Satono, & reliquis Symmyſtis noſtris. Dominus vos omnes tueatur perpetuo, veſtriſque ſanctis laboribus benedicat. 8. Septembris.

Joannes Calvinus tuus.

Calvinus Vireto s.d.

NOn peto ut ignoſcas, ſi brevius & perturbatius tibi ſcribam, quam res poſtularet. Habes enim meam excuſationem, quam tibi ſufficere confido. Reſpondebo tamen ad ſingula epiſtolæ tuæ capita paucis verbis. De Farello idipſum mihi nunciaverat Toſſanus quod ſcribis. Itaque jam quietiore ſum animo. Quod autem de profectione cogitabam, non alio ſpectabat, niſi ut in Germania cauſam promoverem, & Metenſibus ipſis adderem animum, ne in bona cauſa adeo timidos ſe oſtendereut. Sed nunc expectabimus, quid illis Dominus dederit. De Jacobo mihi non placet, quod tam molliter acceptum dimiſeris. Nam ſi nolebas cauſam tuam facere, cur non ſimplicius objiciebas eum nimis impudenter facere, quod rem ita conteſtatam negaret, impleviſſe eum totam viciniam ſuis querimoniis? Quum plus quingentis teſtibus convinci queat, audetne adhuc tergiverſari? Tu autem tua diſſimulatione videris mihi audaciorem poſthac reddidiſſe ad negandum. Ego vero ſtatueram, niſi memoria excidiſſet, literis adſcribere: Legas Jacobe, & ſi quem habes bumanitatis ſenſum, fleas. Si cauſam ex me quæſiiſſet, multo aſperius expoſuiſſem quam Farellus. Sic tractandi ſunt iſti ἀλαζόνες. De Neocomenſibus patienter fero, quod nuncio, ut huc uſque meis ſaltem ſumptibus veniret, non mandarunt. Sed jampridem novi ut ſapiant. Negotium vero [illegible] ſic tractari oportuit, niſi quod veſtram conſtantiam in poſtremo actu nunc deſidero. Ego ſi veſtro loco eſſem, ac vellem ſumma lenitate cum eo agere, ſic ratinnes meas inſtituerem. Cauſam totam haberem inſtructam, acſi judici vellem demonſtrare, unde pronunciaret. Darem poſtea optionem, malletne miſſionem hoc prætextu petere, quod Dominus multis de cauſis eum à miniſterio excluderet: an cum fratrum præjudicio Bernam ablegari: boc eſt, omnibus ſententiis damnari. Atque habito ejus reſponſo, urgerem ad fidem præſtandam. Sicubi deflecteret, tunc palam in apertum campum enm retraberem. Neque enim æquum eſt, ut tntius Eccleſiæ dedecore unius hominis, non dico qualis, exiſtimatio redimatur. Non eſt autem cur hanc conditionem recuſet: Dominus non patitur me amplius hoc miniſterio fungi. Impedimenta autem non exprimat: ſed ita diſſimulet aut ſilentio transmittat, ne qua ſuſpicio in Eccleſiam derivetur, ſed in ejus familia potius tota reſideat. Bene vale frater chariſſ. cum tua familia & fratribus. Uxor mea te plurimum ſalutat. Dominus vos omnes conſervet. Vale iterum. Genevæ.

Joannes Calvinus tuus.

Calvinus Vireto s.d.

IN cauſa Sonnerii feci quantum fides primum mea, deinde pudor etiam ſinebat. Quum nemo eſſet fratrum, cui non venirent in mentem eadem illa omnia, quæ nos illi objeceramus, viſum eſt mature occurrere. Atque ut plus auctoritatis haberet mea nratio, literas etiam tuas recitavi. Clauſula hæc fuit: quia unum hoc remedium perſpiciebam, ne frater qui hactenus ſtrenue laboraſſet in vinea Domini, & virtutibus non contemnendis polleret, inutilis in poſterum redderetur, mihi non diſplicere migrationem quam petebat. Nam ex malis compluribus, quæ timerem, hoc eſſe minimum. Poſtquam ad conſultationem ventum eſt, multorum ſermonem aliquoties abrupi, ut in mitiorem ſententiam quoquo modo adducerentur. Sed erant firminres, quam ut flecti poſſent. Ac ne quid diſſimulem, non pauca illi obfuerunt. Neceſſitatem conſtituebat in morte ſoceri. Contra objiciebant fratres, ſcire ſe jam ultra annum bunc lapidem fuiſſe motum à Sonnerio. Dicebant alii, eum non invenire aut villicos, aut redemptores, quia nimium exigeret. Omnes fere ſentiebant, non remedium quæri, ſed compendium, quo ſe magis ac magis immergeret. Quum ſecundo rogare ſententias inſtituerem, primus dixi meam (quod non ſoleo facere) qua nihilominus Sonnerium admiſi. Duo tantum fuerunt qui mihi aſſentirentur, Gallaſius & Borgonius. Decem in propoſito ſuo perſtiterunt. Ita paſſus eſt repulſam. Quin etiam modis omnibus reſiſtentem me Claſſi cogunt ſcribere: cum laude tamen Sonnerii potius, quam ulla nota. Valuit etiam non parum hæc ratio: quod Ludovicum duabus Eccleſiis, ad quas traductus fuiſſet, longe imparem judicabant. In eo mihi fecit injuriam Sonnerius, qnod ſe apud nonnullos jactaverat, quaſi nihil fore difficultatis pollicitus eſſem. Dixit enim mihi in aurem Ferronius, ipſum ita gloriatum fuiſſe, quia rece-

piſſem in me onus iſtud: quod eſſe falſum, ipſe teſtis es. Quomodo enim fratribus jus ſuum ac libertatem eriperem? Sed hoc leve. Tu hominem, ſi ad te venerit, conſolaberis. Iterum atque iterum vale, cum uxore & familia. Dominus vos conſervet, ac regat Spiritu ſuo, Amen. Saluta fratres & uxorem diligenter, Tiliacam & reliquos amicos. Genevæ, 16 Mai. M. D. XLVII.

Joannes Calvinus tuus.

JOAN. CALV. VIRETO S.D.

HActenus nuncium expectavi, qui præfationem, quam à me petebat Bucerus, ad Myconium recta perferret. Poteram citius Bernam mittere, niſi fruſtra ſperando diem de die traxiſſem. Ergo danda erit opera, ut prima quaque occaſione perferatur. Feſtinatione opus eſſe admonebat Myconius. Per me non ſtetit. Si Toſſanus mihi diem unum conceſſiſſet, eram illi daturus. Nam quo die attulit, me impeditum tenuit capitis dolor. Poſtridie abire voluit. De rebus noſtris non mirum eſt ſi varia audias. Tota enim vicinitas, quum de nobis ſine occaſione libenter mentiatur, nunc qualemcunque oblatam materiam libentius arripit. Nec deſunt in urbe flabella. Magnificus quum abſolutus ſemel fuiſſet omnibus ſententiis, iterum in carcerem retruſus fuit. Niſi Dominus mare & ventos increpet, graves nobis imminere procellas video: quas commovent, à quibus ſedari potius decuerat. Te accerſere non audeo multas ob cauſas. Una præcipua eſt, quod vereor ne tandem iſtis cedendum ſit, qui nullum ſe finem oſtendunt facturos, donec omnia perdiderint. Huic te flammæ opponi iniquum eſſet. D. Sultzero ſcripturus eram, ſi non obſtitiſſent variæ & aſſiduæ interpellationes. Ages tamen illi gratias meo nomine, quod me in iſtis angoribus conſolatus eſt. Gratiſſimum in ea re mihi officium præſtitit. Illi & fratribus omnibus plurimam ſalutem. Dominus te conſervet ac tibi adſit. Uxor mea te plurimum ſalutat. Nos ambo tuam. Genevæ.

Joannes Calvinus tuus.

BUCERUS CALVINO S. D.

SAl. & annum ævumque omne quam feliciſſimum precor. Ingentes vero tibi gratias ago de literis tuis, ita præter tuum morem uberibus. Volebam hanc tibi ubertatem compenſare, ſed intempeſtiva hora moneor de his mercatoribus. Eſt enim dies hic ut recordari potes, quo civitas ſolenniter jurat, & diſtrahunt miſere permulta alia. Utinam ſicut iſtud fœdus civile, hic aliquando redintegraſſemus atque ſanxiſſemus fœdus vitæ æternæ: quomodo vos conati ſoli præſtitiſtis. Verum qui ſpiritus iſtam tam apud vos Religionem perneceſſariam diſſolvit, idem obſtat, ne ea hic perſuaderi unquam potuerit. Sic igitur ſumus modo ſcopæ non diſſolutæ tantum, verum etiam disjectæ. Dominus colligat ſervetque ſibi ſuos. Te ſtupefacit animos cœtus illius tam cordati adeo ſubito concidiſſe. O optime! non idem eſt corpus illud. Robora ejus erepta ſunt, quædam pridem, quædam nuper. Superſunt & qui velint libenter redimere vita ſua Reipublicæ priſtinam colendi Chriſti libertatem. At dum alii non videntur velle pro Chriſto periclitari, imo ditiores quique minantur palam ſe hinc commigraturos (id quod antea fecerunt ſupra quinquaginta numero) niſi gratia retineatur Imperatoris: & hic non creditur poſſe exorari, ut remittat quod edixit, res labuntur eo quo labuntur. Ah mi frater, temporibus Martyrum quum Eccleſiæ ſevera diſciplinæ religione erant conjunctæ, quam multi tum deſævientibus perſequutionibus à Domino defecerunt? Quid igitur miramur ſi in noſtra diſſolutione pauci perſtent? Nemo ſane, niſi firma Chriſti fide ſit obfirmatus, poterit crucem ejus, rem exiſtimare ſibi expetendam. At ubi fides in Dominum vera, ibi homines non magis promptis animis præceptis ejus obſequuntur in pace, quam offerunt animas ſuas pro illis in perſequutione. Summum eſt hoc præceptum Domini, quod à nobis poſcit, uti oravit Patrem pro nobis, ut in ipſo unum ſimus, ac nos ipſi omnes in vita nova, vita Dei perpetuis miniſteriis inſtauremur. Ex hypocriſi nimis alte inſita in Papatu, ad qualemcunque Chriſti profeſſionem noſtri traducti ſunt: ea hypocriſis perpaucis eſt plane excuſſa. Maluerunt itaque videri quam eſſe Chriſti. Quum autem & videri ipſorum obeſt cupiditati, & hoc quoque abjiciunt. Placebat liberatio à ſuperſtitionibus & tyrannide Papæ, & vivendi pro arbitrio licentia: at quia venter Deus eorum in extremum adduceretur periculum, niſi in aliquam ſe rurſum Papæ traderent ſervitutem, malunt hanc ſubire præſertim per nos non parum mitigatam, quam periclitari de ſummo ſuo bono. Mendaciis tantum opus eſt, & paucula ſtipe, quibus extrema omnium ſcelerum ac flagitiorum redimitur licentia. Oremus igitur & ſatagamus, mi frater, ut fratres quorum res adhuc conſiſtere videntur, ex noſtrorum caſu & de ſuo ſint ſolliciti. Niſi enim Chriſto Domino penitius inſiti, ejus quoque diſciplinam inter ſe reſtituant, & ipſis miſere metuo. Nam niſi ſemen verbi Dei hac ceu occetur, & ſubnaſcens herba cum repurgetur tum ſuſtentetur, video quam facile vel æſtu perſequutionis exareſcat, vel præfocetur una ſubcreſcentibus carnalium cupiditatum ſpinis. Sed quid iſta ad te, qui ipſe hæc ſicut exactius conſideras, ita majore pridem religione urges? Verum libet apud te vel hoc modo deplorare noſtram miſeriam & perverſitatem, qui iſta non pertinaciore pridem ſtudio ſumus perſequuti. Nunc permulti hic jugo Domini commodiſſimo ſeſe libenter ſubmitterent totos, ſed vereor ſerum eſſe. Quanquam etiam in hac ipſa perditione noſtra non deſunt & in omnibus ordinibus, qui reſtitutioni ſolidæ communionis & diſciplinæ Chriſti ſtrenue adverſantur, tametſi velint non in poſtremis Euangelii ſectatoribus numerari. Tam iſtud adhuc male notum eſt noſtris myſterium corporis Chriſti. Oretis, ut facitis, diligenter pro hac Eccleſia, in qua profecto ſunt quam plurimi granarii Chriſti, quos bonus Paſtor omnino ſibi conſervabit: hiſque Antiochæis temporibus moderabitur & potentius & citius, quam multorum ferat opinio. De ſcripto quod D. Ant. M. attulit, maximas ago tibi gratias Eccleſiæ nomine: ſuum feret fructum indubie uberrimum. Seditionem in Galliis ſedatam gaudeo, & opto ut in animis quoque ſit ſedata. Terret tamen me omen, præſertim quum non ſit ſedata ea clementia, qua veteres ſapientes Imperatores uti ſolebant. Reſponſum Tigurinorum probo. N. ſapientia & nos prodidit. Antichriſti mancipia appellant populum Chriſti, num velint ſui Concilii decretis acquieſcere. Dent qui vere Chriſti ſunt, dignum Chriſto Concilium, & veniant ad illud ultro, Chriſtum quicunque amplectuntur. Meminiſti quantopere apud noſtros inſtiterim, ut Eccleſiæ Chriſti aliquando cauſam ſuſciperent contra ſummos ejus hoſtes & peſtes, & Eccleſiæ ab illis jura ſimpliciter repeterent. At ſicuti noſtri Chriſti leges nunquàm voluerunt in ſe ipſi ſimpliciter ſuſcipere, ita nec auſi ſunt eas adverſariis Chriſtiana fortitudine objicere. Merito itaque noſtro illi repoſcunt à nobis quæ Chriſti ſunt, & ejus Eccleſiarum omnia. Oro autem Dominum, ut quæ nunc fideliter & conſtanter reſpondent iſtic pro Chriſti regno, periculum dum non eſt in oculis & in manibus, poſtea quoque cùm ea quæ caro metuit, in conſpectum venerint aut etiam nonnihil afflixerint, retineant. Et noſtri enim, quamdiu aliquod habere carnis brachium ſibi videbantur, reſponſa dabant plerumque ſatis fortia, quorum fracto eo brachio peſſime meminerunt. Dominus exerat vel alicubi ſuum brachium. Hunc plurimum oro, ut tibi uxorem tuam ſanet, imo Eccleſiæ ipſi

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti magis quam tibi, quo tu poſſis agere pro illa quæ agis expeditius & lubentius. Collega & uxor invicem precantur tibi optanda omnia in annum ingredientem & omnia ſecula, Amen. 9 Januarii. M.D. XLIX.

Tuus totus Bucerus.

Bucerus Calvino s.d.

INtendite preces, optimi viri & fratres, pro reliquiis Eccleſiæ noſtræ & miniſterii. Jam enim Epiſcopo promiſſum eſt, hic non permittendum prædicari contra Interim. Vel hodie itaque vel intra perpaucos dies obſignabitur meum & præcipuorum Collegarum miniſterium. Sic vero res meæ ſunt comparatæ, ut quo vel primum, vel poſtea, Dominus mihi nondum certo monſtraverit: ut monſtret, & ducat, mecum ores ab ipſo religioſe. Annos & familiam meam noſti: tum etiam invidiam fatalem. Recta ad Dominum quovis genere tranſitus optimum. Proximum, exilium, non plane otioſum & ſterile. Niſi Dominus intercedat potenti brachio ſuo, expectanda eſt horribilis ſicut Eccleſiarum vaſtatio, ita etiam Miniſtrorum perſequutio. Vacant enim miniſteriis jam innumeræ parochiæ. hujus pudet tamen auctores calamitatis: ideo forſan recipient couſilium Spirenſis [illegible], ut qui noluerint ordinari ab Epiſcopo, aut ordinati Eccleſiis ſuis ſecundum Interim miniſtrare, mittantur ad remos. Et jam Moguntinus in ſua Synodo conſtituit, omnes eos qui Cœnobiticam vel Sacerdotalem vitam profeſſi ſunt, ad eandem vi reducantur, quacunque in vitæ conditione fuerint. Quid? Antichriſtus vult id, quod audet, ſibi reſtituere, ut imperet omnia omnibus. Contra Chriſtus nec perdet ex ſuis quenquam. Dominum itaque ardenter & aſſidue oremus, ut hunc Spiritu ſuo conficiat quamprimum, aut deprimat nonnihil: alioqui non fieret ſalva omnis caro. At teneri in Domino non caro, ſed Spiritus ſunt, & in his triumphabit crucifixus. Aliquoties nunc ſcribitur Landgravium miſerrimum à Domino eſſe reſpectum, deflereque amare ſuum lapſum: nullumque velle jam Papiſticum ſacrum audire: atque ſcripſiſſe ad ſuos de nullo ſe unquam facto ſuo doluiſſe & dolere acerbius, quam quod ſalutarem Chriſti doctrinam negarit: rogaſſeque illos, & eſſe obteſtatos, ut quantum ullo modo valeant ſanæ, doctrinæ patrocinentur. Se miſerum ſperaſſe ſua defectione à Domino liberationem poſſe impetrare ab immaniſſimis cuſtodibus ſuis. Confido hæc vera eſſe. Una itaque miſerrimo Principi gratulamur hanc Domini miſericordiam, per quem jam ante hoc bello Dominus pro ſuo populo multa præclara fecit. Optime valete. 7 Febr. M.D. XLIX.

Tuus Bucerus.

Bucerus Calvino s.

SAnet te Salus noſtra Jeſus Chriſtus. Nam hic Eccleſiæ tuæ alumnus dixit te quum iſtinc diſcederet, cum tuo morbo fuiſſe conflictatum. Nos vero multo peroicioſiore capitum & membrorum noſtrorum maximæ partis malo conficimur incredulitatis. Eo enim hominum metus, Dei reverentiam hic excluſit, ut Epiſcopo permiſſum ſit Religiooem Chriſti Interimicæ commutare. Et huic atque Imperatori promiſſum, dandam operam poſſibilem, ne quid hic doceatur contra Interim. Idque ut nos verbi Miniſtri præſtemus, à nobis petierat, atque etiam nobis mandarunt: adjuncto tamen, ſi qui id non poſſent aut nollent, ut cauſas hujus ipſis exponerent. Hoc factum eſt: cauſas reddidimus omnes curæ Paſtorali deſervientes, cur religioſum nobis ſit non reprehendere manifeſtas doctrinæ Chriſtianæ & Sacramentorum corruptelas: maxime quum hic Papiſtæ reſtituti ſint, verbis & factis pro omni virili ſua hominibus commendaturi, & obtruſuri, tandemque etiam imperaturi. Qui Rempub. adminiſtrant, ſtatuerunt ſe non poſſe hic plus recipere puræ Religionis, quam Imperator velit concedere vel tolerare. Interea miſit Epiſcopus huc, & petiit à collegiis, heri à noſtro, ut omnia juxta Interim reſtituamus, & ſtatim reſpondeamus, quomodo, qua ratione, & quando id velimus præſtare. Se in iis quæ omnino non adverſantur ſuo muneri & juramento (ſic illi ſuo Romano cavent fidelius, quam nos noſtro cæleſti Domino) nobis adfuturum. Reliqua tolerantur. Quæ iſta? ut uxores retineant qui habent, & Euchariſtiam totam diſpenſent. Verum ut ne reprehendant qui eam diſpenſant aut ſumunt dimidiam. Noſti autem ſcholam totam ſuſtineri à noſtro collegio. Collegia petierunt ſpatium deliberandi per menſem. Dimidius menſis conceſſus eſt. Tantillo igitur tempore feretur hic pura Religionis adminiſtratio. Et à nobis expectatur, ut Imperator jubeat nos, dum ei obtemperemus, detineri. Urit enim indubie deſolatio Eccleſiarum tanta, non qui ejus auctores ſunt: nam hi per ſe ſanæ doctrinæ Chriſti hoſtes ſunt. Tantum tenent nos ſuſpiria & lacrymæ ſanctorum, quorum ingens adhuc hic numerus eſt, ne priuſquam jubeamur, hinc nos moveamus. Obſignare enim, non abrumpere miniſterium noſtrum, ſi velit Dominus, optamus. Vides ut res noſtræ habeant, & quam opus ſit, ut veſtris miſerrimam hanc Eccleſiam & nos precibus adjuvetis. Quo, ſi id concedatur, evolare, vel ubi primum debemus, nondum liquet. Si dabitur, ſpero Dominum id quoque conceſſurum, ut tibi coram vale dicam, priuſquam profugiam longius. Manet enim certe nos ſæva perſequutio, & eſt jam horribilis Eccleſiarum vaſtatio: nec enim poſſunt Epiſcopi ſuis Eccleſiis Miniſtros, quanquam quoslibet admittant, imo conquirant, invenire. Spirenſis capularis Epiſcopus jam decrevit ad remos quicunque nolint ex noſtris ſua miniſteria retinere, & ad Interim conformare. Non autem huic, nec tot hujuſmodi Filii Dei hoſtibus, ſed ipſi ſuo Filio Pater tradidit poteſtatem omnem in cælo & in terra. Hicque Paſtor noſter bonus eſt, qui ſuas oves facile tuebitur ſuo brachio, ſuaque virga & baculo: ut nec quidquam eis boni deſit, nec noceat mali aliquid. Is velit nos hoc ipſo ſuo baculo & virga ſic conſolari, ne etiam mali quidquam metuamus. Id nobis & vos precemini: & dum potes ſcribas. Etiamſi enim hic non fuero, mei tamen hic erunt, & mittent ad me quæ ſcribes. Dominus Jeſus maneat apud vos firmius, quam retineamus eum hic: quod faciet quum dabit doctrinam ſuam vinculis diſciplinæ ſuæ in animis alligari. 20 Februarii. M.D. XLIX. Uxor mea tibi ſalutem precatur. Idem faciunt Collegæ.

Tuus Bucerus.

Bucerus Calvino s.d.

ORa Dominum pro nobis. Legati adferunt noſtri qui nudiustertius redierunt, ea, ut nihil ſuperſit medii, quam aut Antichriſtum totum recipere, & eidem cuncta reſtituere, ſeque ipſos ei in extremam ſervitutem addicere: atque ita ſe & ſua omnia perdere & hic & in futuro: aut ſtatim cuncta iſta in præſens extremum diſcrimen adducere. Dominus det ſuis videre, quanto præſtet perdere omnia pro Chriſto, ut & hic inveniant centuplum cum perſequutionibus, & in futuro vitam æternam, quam perdere omoia cum Chriſto, hic & io futuro. Collegæ fortiter perſtant, multique cum illis ex omnibus ordinibus. Vos inteodite preces pro nobis cum Eccleſiis veſtris ardentiſſime. Optime vale. 10 Julii.

Tuus Bucerus.

JOAN. CALV. VIRETO S. D.

JAmpridem ad te ſcripturus eram, niſi quod ſciebam literas meas nihilo citius ad te venturas eſſe, quam ſi in reditum uſque tuum differrem. Nunc quia ex temporis ſupputatione rediiſſe te conjicio, accipe quæ in mentem nunc veniunt. Simul atque abiiſti, mira certamina inter Sebaſtianum & ejus ſororios extiterunt, quæ me exercuerunt diu ſæpe, dum volo amico arbitrio ea componere. Has autem partes ideo ſuſcipiebam, ne ad contentionem adhuc deſcenderent, cujus rumor cum infamia ſcholæ longius manaret. Neque tamen id conſequi potui magno ſtudio ac diligentia, quin alius alium traduceret: atque ita paſſim fierent multorum fabula. Ubi communis controverſia de ſolutione dotalis pecuniæ ſedata fuit, ecce novæ lites inter Sebaſtianum & Petrum, partim de adminiſtratione rei familiaris, partim de habitatione. Nihil unquam vidi tam implicitum. Poſtquam multum inter ſe jurgati ſunt, facta eſt qualiſcunque tranſactio: ſed quæ mox novam controverſiam peperit. Itaque ſic exulcerati fuerunt hinc inde animi, ut vix ſolidam amicitiam unquam inter eos fore ſperem, qualis inter fratres eſſe debet. Nunc quidem quieverunt turbæ illæ, ſed vereor ne levi occaſione ſubito rurſum excitentur. Ecce tibi ſcholæ noſtræ ſtatum, ne nobis invideas. Rurſum Nicolaus Juſſiacus novam moleſtiam nobis ante paucos dies peperit, ſua ſuperbia. Quum enim neſcio quem commendaſſet, cui putabat injuriam fieri, quum optimo jure in carcerem conjiceretur: quia non acquieſcebant ejus poſtulato Aſſeſſores, in eos acerba oratione invectus eſt. Res delata ad Senatum, qui lætus hanc occaſionem ejus expellendi arripuit. Nos intercesſimus: non in hominis gratiam, qui non multis abhinc diebus mihi nimium deferri conquerebatur: ſed ne perverſum exemplum in Eccleſia ederetur tam facili vel præcipiti potius Miniſtri ejectione. Nunc amplius inquirunt: deinde, nobis adhibitis, pronunciabunt. Si video eſſe ſatis juſtam cauſam cur abdicetur, non ulterius pugnabo. Mirum quam fortiter philoſophetur Henricus noſter de aſſerendo miniſterii honore: quia ſcilicet tam præclarum hujus conſtantiæ exemplum nobis edidit. Quod ego minime tacui. Et tamen ſatisfeci meo officio, teſtatus palam coram omnibus, me non reſpicere quid mihi factum ſit: ſed quid fieri debeat. Collegæ noſtri tolerabiliter pergunt in concionibus: verum in duobus timeo nonnihil *ἀκολασίαν*. Quis horum alter ſit, intelligis: quanquam certe opinione noſtra moderatiorem ſe præbet. Petrus autem aliqua ſigna jam dedit, quæ mihi diſplicent: ſi quidem verum eſt quod mihi retulit Geoiſtonius. Quoniam nondum ſatis id compertum habemus, decrevi propius jam obſervare. Si in eo falſi fuerimus, ubinam erit fides? Ludovicus, quod ſemper verebar, plus levitatis & incontinentiæ habet in verbis & actione, quam miniſterium noſtrum deceat. Sed tempore, ut ſpero, vitium hoc corrigetur: modo non deſint reliqua magis neceſſaria. Quia Neocomo tranſiſti quum Bernam ires, non dubito quin tibi ad plenum expoſuerint fratres de Farelli profectione, quod tibi ex ejus literis indicare poſſum. Proinde ſuperſedeo: literas tamen ipſas mitto, ne quid deſideres. Frumentus nuper Lugduno rediit. Refert Reginam Navarræ meliore nunc eſſe animo, quam unquam fuerit. Verùm refert ex ejus verbis. Nam cum ea familiariter eſt colloquutus. Tametſi non omnibus etiam nuncii verbis fidem temere habendam noſti. Sic enim hac gloria inebriatus eſt, quod in colloquium Reginæ admiſſus ſit, ut particulam ſani cerebri, quæ illi reſtabat, mihi videatur prorſus amiſiſſe. Nam præter cæteras ineptias, quum diceret Reginam meas literas deſiderare, mihi volebat dictare argumentum: & quaſi parum ingenio meo fideret, vetabat ne quid mitterem, niſi ante à ſe lectum ac recognitum. Rumorem in tota urbe diſſipavit, minimum abfuiſſe quin coram Rege concionatus fuerit. Mille ſunt ejus generis. Ne tamen putes ipſum omnia mentiri, partem eorum, quæ narrat, habet vel à Regina, vel ab ejus miniſtris. Sed artifices aulici quum viderent hominem credulum, ejus facilitate abuſi ſunt in ſuum commodum, ut hæc fama in Germaniam perveniret, quæ reconciliaret piorum animos Regi, quos ſciunt nunc vehementer alienatos eſſe. Inter alia perſuaſerunt, Cancellarium non alia magis de cauſa teneri in carcere, quam quod injuſſu Regis edictum illud de libris promulgandum curaverit, pioſque exuri juſſerit. Quid plura? non modo omnia credidit: ſed ſibi ipſe plura confinxit, quam audierat. Rex Galliæ exercitum trajicit in Hiſpaniam, cui aiunt Turcam altera ex parte imminere. Dux Aurelienſis nihil adhuc egit memorabile, niſi quod oppida duo exuſſit. Quanquam illud vetus eſt. Fortaſſis ab eo tempore multa contigerunt. Noſtris nunc nodus eſt difficilis ad ſolvendum: eoque magis, quod etiamſi hinc omnia fuerint conceſſa, ambiguam ſpem adhuc altera pars facit. Evici tamen apud Senatum minorem. Precare Dominum, ut ad felicem exitum res perducatur. Eſt enim periculum, ne quum in concionem ventum fuerit, omnia conturbent pauci illi, quos noſti eſſe veteres & exercitatos *δημαγωγίᾳ*. Sed Dominus, ſpero, gubernabit, modo nos diligenter eum precemur. Vale optime & mihi chariſſime frater. Saluta fratres omnes, materteram tuam quoque ac uxorem: cui mea gratias agit de tam amica & ſancta conſolatione. Reſcribere enim non poteſt, niſi per amanuenſem. Et in dictando non parum eſſet impedita. Dominus certe nobis vulnus inflixit grave & acerbum in morte filioli. Sed pater eſt, novit quid filiis ſuis expediat. Vale iterum. Dominus tibi adſit. Utinam liceret iſtuc uſque accurrere. Libenter tecum dimidium diem confabularer. Geneve, 19 Auguſti.

Joannes Calvinus tuus.

JOAN. CALV. VIRETO S. D.

HIc frater accuratiore apud te teſtimonio non habet opus. Scire potes aliqua ex parte, qualiter apud nos ſe geſſerit. Certe inſignis patientiæ teſtimonium reddere illi poſſumus. Nam quum extremam egeſtatem toto anno pertulerit, ita devoravit hanc acerbitatem, ut vix pauci querelam unam ex ejus ore audierint. Animo eſt recto & ſincero. In tota ejus vita nihil animadvertimus non dignum pio & Chriſtiano homine. Quod præteritus à nobis fuit quum aliquos Miniſtros eligeremus, longa excuſatione apud te non indiget. Noſti enim noſtrorum hominum delicias. Tantum eos linguæ Provincialis tædium cepit, ut hæc ſola aptiſſimos alioqui homines ingratos illis reddat. Deinde ſi reputes quos illi prætulerimus, nihil hoc imminuet ex illius exiſtimatione. Quanquam hoc totum melius eſt taceri, niſi forte quiſpiam mentionem injiciat. Qua de cauſa volui te monitum, ut occurras ejuſmodi objectationibus. Ego vix audebam illi conſilium dare, antequam tecum communicaſſem. Quoniam tamen ita cenſuerunt fratres, repugnare nolui quin ad vos proficiſceretur. Literas illi ad vos breves dedi: ſi à vobis obtinebit aliquam commendationem, ſpero aliquid Bernæ effecturum. Nam id nobis perſuaſit Nicolaus. Habet etiam meas literas ad Conſulem Neglium. Verum tu totum hoc negotium melius tuo conſilio moderaberis. Gaudeo vehementer, quod te brevi venturum promittas. Ego quum alias deſiderem, ut par eſt, uxorem tuam ſanitati ſuæ reſtitui: tum hæc etiam cauſa accedit, ne te adverſa ejus valetudo diu-

diutius moretur. Vale. Dominus tibi adſit, uxorem tuam brevi liberet à morbo, totam domum conſervet. Salutabis omoes tuos diligenter.

Joannes Calvinus tuus.

Calvinus Vireto s.

Mitto ad te literas Pellicani, ut ipſe quoque mecum cogites, quorſum vergat, quod ſcribit. De libris, quos petit, nihil certi habeo: expectabo donec è nundinis redierit Guillelmus. Antonius, ut ſcis, receptus eſt: idque ſine ulla controverſia. Sic ſapiunt fratres, ut nihil melius judicaverint, quam tot flagitia ſilentio abolere. Fieri non poteſt, quin Dominus ad haoc noſtram ſocordiam vindicandam brevi tribunal conſcendat. Mihi per Matthæum indicavit, ſe hortatu Sultzeri, redire mecum in gratiam cupere: ſed qua lege ad haoc reconciliationem deſcenderem? Cæterum ſi colloqmium ſemel petierit, Dominus viam aperiet. Nuper diſceptationem habuimus cum Senatu: ſed quæ ſtatim fuit compoſita. Renunciaverat nobis Syndicus in Conſiſtorio, Senatum jus excommunicandi ſibi retinuiſſe. Continuo excepi, decretum hoc aut morte mea, aut exilio ſanciri oportere. Poſtridie vocavi fratres: ex eorum conſilio poſtulavi à Syndicis, ut Senatum nobis extra ordinem darent: aonuerunt, etſi non libenter: illic longa & gravi oratione de tota re diſſerui: obtinui nullo negotio quod petebam: quantum intelligo, acriter increpiti auctores: quos ſi neſcias, divinare tamen potes. Bene vale. Dominus te cuſtodiat, & ſemper gubernet ſuo Spiritu, frater mibi dilectiſſ. Saluta mihi Ribittum, Imbertum, & reliquos. Pridie Paſchatis.

Joannes Calvinus tuus.

Calvinus Vireto s.

Heri mibi ſub cœnam allatæ ſunt tuæ literæ, quibus binas Farelli incluſeras, quas remitto. Hodie quoque alias à Farello accepi. Quoniam prioribus videbatur à te & à me privatim petere conſilium; non auſus ſum in cœtu noſtro facere mentiooem. Nunc amplius boc poſtulat, ut omnes ſimul reſpondeamus. Verum ſerius quam oportuit, redditæ mibi literæ fuerunt. Quanquam noo video, quid profuturum fuerit, ſi etiam veniſſene in tempore. Quam enim ridiculum fuerit, aliis dare conſilium, quo ipſi indigemus? Negabimus id ferendum eſſe, ut teruncius minuatur ex Eccleſiæ bonis. Quid auctoritatis habituræ ſunt noſtræ literæ apud Neocomenſes, quum id apud nos patiamur fieri? Dicemus per nos minime ſtare. Sit ſane ita. Sed quia non admittunt noſtri medicinam, contenti improbare quod peccant, non ultra tendimus. Si quid ſentiamus habere volunt, non eſt difficile eorum voto ſatisfacere. Sed quaotulum illud proderit? Conſultabo tameo cum tribus aut quatuor, num aliqua poſſit inveniri ſpecioſa ratio. Ex Germania nibil habemus novi, niſi vulgi rumores. Nam Alexander, cui datæ ſunt ad me literæ, ſuo more vagatur. Schola ooſtra perplexos nos habet. Nemo enim aptus ad id munus nunc occurrit. Nos quidem merito pœnas damus. Sed dolendum eſt, nulla interim diſciplina contineri pueros: & ſpem, quæ perquam exigua erat, omnino peſſum ire. Ego me conſolor, quod nulla mali hujus portio culpæ meæ aſſignari poteſt. Sed miſera conſolatio, quæ malo nihil affert levationis. Franciſco conſilium dedi, quale reſtabat in rebus deſperatis. Tu ſi quod habes melius, nobis commodes. Camperellus, ut audio, diſcurſat. Sed, niſi omnem pudorem abjecerint fratres, nihil proficiet. Quanquam à fratribus jam timere deſii. Queritur enim me ſibi & ſodali ſuo Macrino eſſe infeſtum, quod parochiæ Monienſis agros emerint. Vides quibus cuniculis nos adoriantur. Niſi velimus omnia perire, neceſſe eſt illum cæteris eſſe exemplo. Fuimus enim hactenus nimis remiſſi. Vale frater & amice integerrime, una cum uxore & familia, quam meo & uxoris meæ nomine ſalutabis, quæ ipſa ſe precibus veſtris commendat. Ita enim ſubacta eſt morbi magnitudine, ut ægre ſe recipiat. Ioterdum videtur convaleſcere: mox recidit. Collegæ mei te omnes diligenter ſalutant. Copus te ſuis nuptiis intereſſe cuperet, ſi eſſet commodum. Scis enim, opinor, nos Gurini viduam illi dediſſe uxorem. Dominus vos iſtic conſervet. Genevæ, 13 Octobris.

Joannes Calvinus tuus.

Calvinus Vireto s.

De Combaudo ſie reſpondent fratres, hominem hic cognitum eſſe quieti ingenii, honeſtæ vitæ, non improhum alioqui, oec ullius notæ deterioris, niſi quod ſupra modum eſt tenax: etiam uſque ad maximas ſordes. Quamdiu apud nos vixit, aliis negabat ſibi eſſe pecuniam: aliis fatebatur, aliquantulum ſe habere, quo poſſet tenuiter ſe alere ad tres menſes: apud alios augebat ſummam triplo amplius. Sed quum uxorem duxit, tunc patuit crumenam habere ſatis bene refertam. Saltem non minus ſexaginta coronatis attulit ad uxorem. Si querulus eſt, ſcito eum eſſe ex animo. Æſtuat enim mira diffidentia. Verum ſerio monendus eſt, ut diſcat repoſita in Dominum cura excutere iſta tormenta animi, quibus ſe fruſtra cruciat. Hoc, ut dixi, vitio excepto, virum probum & ſincerum judicamus. Perrerio certe non multum exhibuit bumanitatis: quum ille tamen valde indigeret. Sex tantum quadrantes hujus monetæ illi dedit commodato: idque maligne. Date operam, ut corrigatur tanta diffidentia, & quæ inde naſcitur tenacitas: & reliqua, ſperamus, bene habebunt. Omnes noſtri diligenter te ſalutant, uxorem tuam cum matertera totaque familia. Dominus vos conſervet. De uxore quia nihil dudum ſcribis, eam meliuſcule habere jam confido. Mea paulatim revaleſcit, gratia Domino: niſi quod tuſſis illi plurimum moleſta eſt, doloreſque ordinarios exacerbat. Vale frater & amice integerrime, iterum atque iterum. Genevæ, 18 Octobris.

Joannes Calvinus tuus.

Calvinus N. s. d.

Ergo perinde acſi in proximum menſem indictus eſſet habendi Concilii dies, copias veſtras adornatis. Sed hoc ipſum argumeoto eſt, quam temere omnia & fortuito apud vos, nibil prudenter nec conſulto agatur, quod quum ex toto regno deligendi eſſent idonei homines, talibus mandatum ſit negotium: niſi forte, quod alioqui inertiſſimi omnium, ſemper ad nocendum plus ſatis ſunt inſtructi. Cæterum Concilii expectationem, quæ apud vos ſumma eſſe fertur, de oihilo conceptam arbitror. Conventus Imperii Frebruario agetur. Verum ante Martium nulla ſeria conſultatio haberi incipiet. Novi Germaniæ morem. Hoc tibi tam certo poſſum aſſerere, acſi præſens iotereſſem. Inſtabunt noſtri, ut Antichriſto excluſo, tandem ordinis inter ſe aliquid conſtituant; negabunt hoc ſibi licere, qui adhuc voluntaria ſervitute idolo ſunt obnoxii. Cæſar, ut ooſtris ex parte ſatisfaciat, paratum ſe ad omnia fore pollicebitur. Forſan & aliquam actionis ſpeciem oſtentabit: ſed quam ſtatim ab initio abrumpet inventa aliqua occaſione, quæ nunquam iſtis hominibus deeſt. Hic certe erit exitus, non licere niſi ex Papæ auctoritate quidquam in Religionis cauſa decerni. De cogenda Synodo ubi cœptum fuerit agitari, noſtri mox reclamabunt, indignum eſſe ut hæc Religionis cognitio profeſſis Dei hoſtibus deferatur. Antichriſtum poſtulabunt reum ad cauſam di-

cendam: judicem certe nullo modo admittent. Quibus autem conditionibus Tridentum pertrahi poſſe exiſtimas? Verum ut à noſtris nihil ſit remoræ, quum nihil libentius facturus ſit Cæſar, quam ut converſis ad bellum Turcicum omnium animis ſuſpenſum Eccleſiæ ſtatum ad tempus relinquat: annon in ea re, ad quam expetendam ſponte alioqui propenſus erit, facile idolo gratificabitur? Quanquam fingamus jam indictum eſſe Concilium, jam omnia eſſe comparata: putamusne artem idolo defuturam, qua rem totam diſturbet? Quid ergo Religioni horrendum in modum laceræ ac diſſipatæ, quid miſeræ Eccleſiæ, quæ jam jam videtur ad interitum ruere, quid nomini Chriſtiano, quid Dei gloriæ fiet? Petendum certe ab eo, ut horum omnium curam ſuſcipiat ipſe ſolus ac ſuſtineat. Noſtri torpent, nec ſpes eſt cordate ſtrenueque acturos, niſi Dominus alicunde eos expergefaciat. Quanquam impii ſatis illis occaſionis præbent, ut ſibi incipiant cavere. Omnia tentarunt Colonienſes Canonici, cum tota Clericorum fæce, ut Archiepiſcopum dejicerent ſuo loco. Convocarunt omnium ordinum Comitia, ut ſibi permitteretur alium ſubrogare. Negatum eſt. Idem à Cæſare poſtularunt: reſpondit ſe non defuturum, modo officium ſuum facerent. Palam illis concedere noluit. Verum ex illis ambagibus divinare licet eum minime refragaturum, ſi quid turbarum moverent: ſi ultra progreſſi fuerint, certum bellum, quo totus Germaniæ ſtatus aut labefactabitur, aut graviter concutietur: ſed hæc quoque viderit Dominus. Hæc mihi unica conſolatio eſt, quod mors miſera eſſe non poteſt homini Chriſtiano. Interea gemam, ut debeo, Eccleſiæ calamitates, & afficiar piorum ſorte: ſed ita ut non exanimer. Si inter nos bene conveniret, minus eſſem anxius: ſed inter iſtos hoſtium apparatus, ſatis ad inſaniendum otii quibuſdam eſſe portento ſimile eſt. Ecce ex altera parte, neſcio quis elegia Oſiandrum laceſſivit, parum & ipſum ſani cerebri hominem. Quum ſe purgaret, ita libellum inſperſit atra bile, ut me vehementer ejus pudeat: ſed nihil me pejus torquet, quam quod tertio quoque verbo, Zuinglianis inſultat. Ita quaſi impiis linguam & manus locaverimus, ipſis præbemus jucundum ſuaveque ſpectaculum, mutuo nos lacerando. Quis non animum deſpondeat, inquies, tot objectis offendiculis? Fateor certe nullum eſſe tam ferreum animum, qui non frangatur, niſi in Dominum reſpexerit. Itaque ſic interpretor, velle Dominum modis omnibus experiri, numquid ab hominibus pendeamus: ſed tantum abeſt quin debiliter, ut non vulgaris inde confirmatio mihi accedat. Nam dum Eccleſiam inter iſtos fluctus mirabiliter regi à Domino video ne obruatur; dum ipſas tempeſtates, quum omnia jam jam permixturæ videntur, momento reſidere ac quieſcere cerno: cur non bonam inde ſpem concipiam? Pergamus igitur in vocationis noſtræ curſu, hac fiducia ſubnixi, emerſuram Eccleſiam, quæ Deum habeat perpetuum ſalutis ſuæ cuſtodem: ſed quia non omnibus eadem eſt animi fortitudo, quo familiarius omnia depono in tuum ſinum, eo paucioribus communicabis.

Quod poſtremis tuis literis poſtulabas, an exequi deberem, aliquantiſper hæſitavi. Longum enim eſt iter, aſperum & difficile. Non ante diem viceſimum nuncius illuc equo perveniet. Quemlibet autem mittere ſine delectu, periculoſum erat. Erronibus aut levibus nulla fides, pauci autem alii reperiuntur. Linguæ imperito moleſtiſſima eſſet via, ſumma etiam ubique propter anni ſterilitatem caritas. Ego à pecunia nequaquam inſtructus. Etiam quum tempus non eſt incommodum, oneribus quæ mihi incumbunt, ſuſtinendis par eſſe nequeo, quin totus exhauriar. In hac vero annonæ penuria, cum qua jam biennium conflictamur, me ære alieno implicari neceſſe fuit. Quanquam hæc non dico conquerendi cauſa. Benigne enim mecum agit Deus, quod habeo quantum animo meo ſatis eſt. Sed ut intelligas mihi hic non facile eſſe invenire, à quibus pecuniam mutuo ſumam. Sunt enim omnes mercatores, & quidem famelici. Huc accedebat quod jam dixi, tempus conſulendi Lutheri eſſe adhuc alienum, quia animus vixdum bene à contentionis fervore reſediſſet. Verum quum tam vehementer inſtares, totque obteſtationibus me urgeres ut facerem, nihil mihi prius fuit quam votis tuis morem gerere. Ab honeſto & non indocto adoleſcente impetravi, ut hanc moleſtiam ſubiret mea cauſa. Libellos meos ad verbum in linguam Latinam verti, quos adjunxi meis literis, ut inde judicarent. Nec aliud petii meis literis, niſi ut libere ſimpliciterque quod ſentiant, proferant: niſi quod adjunxi, nequaquam mihi gratum facturos ſi quam mei haberent rationem. Vix ante duos menſes redibit nuncius. Quadraginta enim dierum viam habet conficiendam. Quatriduum ad interquieſcendum aſſigno. Reliquum temporis conſultationi cedet. Vale.

CALV. VIRETO S.

NUnc ſerio nobis certandum eſt. Vocata rurſus ad Conſiſtorium fuerat uxor Comici Cæſaris, ob ſuam petulantiam. Illic ne aſperiore quidem verbo laceſſita, plus veneni evomuit, quam unquam antea. Primum negavit, ſi quid deliquiſſet, noſtri fori eſſe cognitionem: deinde conqueſta eſt, ſibi gravem ignominiæ notam inuri, quod in eum locum venire cogeretur, quo nonniſi ſceleratos & maleficos accerſi fas eſſet. Quum ex Aſſeſſoribus unus cohibere intemperiem vellet, in eum furorem convertit. His quum ſe Abel interponeret, ac diceret, mirari ſe, quod initio profeſſa eſſet adeo ſe verecundam aut elinguem, quæ reſpondere pluribus non poſſet: quum par futura eſſet quam plurimis, maledicendo: tota vero rabies efferbuit. Niſi vi extruſa fuiſſet, fere nos obruiſſet ſuis fulminibus. Senatus decrevit, ut in carcerem arctiorem includeretur. Elapſa eſt, opera matronæ illius, quæ malas omnes cauſas ſuſcipere in ſuum patrocinium ſolet. Alter ex filiis ſe comitem fugitivæ adjungit. Quum non procul à porta urbis forte in Abelem incidiſſet, novi inſultus: & quidem proterviores. Abel nihil: quemadmodum & in Conſiſtorio moderatiſſime ſe geſſerat. Poſtridie reperitur charta in ſuggeſtu, qua mortem nobis minantur, niſi ſileamus. Exemplar ad te mitto. Senatus tanta audacia perculſus, jubet ſevere de conſpiratione inquiri. Negotium paucis mandat: quia multorum ſuſpicio in Gruetum cadebat. Statim arripitur: alia tamen erat manus. Sed dum ejus chartas revolvunt, multa reperiunt non minus capitalia. Libellus ſupplex, quem offerre populo ſtatuerat in Comitiis: ubi diſputabat nihil eſſe legibus vindicandum, niſi quod Rempub. læderet. Ita enim Venetos facere gubernandi peritiſſimos. Periculum vero eſſe, ne dum hæc urbs unius hominis melancholici cerebro obtemperat, excitata ſeditione, perdat mille cives. Repertæ ſunt etiam literæ, partim ad Andream Philippum, partim ad alios ſcriptæ. Quibuſdam me nominabat, alias involverat figuris: quæ tamen craſſum artificium adeo ſapiunt, ut digitis attingere liceat quicquid tegere voluit. Paginæ etiam duæ compoſitæ Latina lingua, ubi ridetur Scriptura tota, laceratur Chriſtus, immortalitas animæ vocatur ſomnium & fabula: denique tota Religio convellitur. Non puto illum eſſe auctorem: ſed quia eſt ejus manus, cauſam dicere cogetur. Quanquam fieri poteſt ut ipſe ab aliis audita in commentarium ſua Minerva redegerit. Sunt enim mutilæ ſententiæ, refertæ ſolœciſmis & barbariſmis.

Nepotem tuum diutius retinui quam vellet. Eſt enim verecundus & timidus. Proinde quum videret, non inveniri conditionem, nolebat mihi moleſtus eſſe. Ego tametſi parum ſpei affulgeret, volebam

omnia

omnia prius experiri, quam eum remittere. Per eum certe non ſtetit. Nam mercatores noſtri per ſe, ut plurimum, tabernas cuſtodiunt. Famulis & inſtitoribus utuntur ad colligenda nomina. Ita factum eſt, ut nemo induſtriæ ejus periculum facere ſuſtinuerit. Non eſt igitur quod eum accuſes. Nam ego & modeſtiæ, & frugalitatis, & induſtriæ teſtimonium deferre illi potuiſſem, ſi inventus fuiſſet dominus. Sed ea eſt hodie ratio urbis noſtræ, ut tenuiter ſe domi contineant boni: improbi autem & nos & noſtros fugiant. Si Lugdunum velles mittere, illic forte locus eſſet. Mihi tamen non probatur. Mallem temporum iniquitatem redimi pecunia. Vale, frater & amice integerrime, una cum familia, cui plurimam ſalutem precamur ego & uxor. Chriſtophorum etiam compatrem noſtrum, & Symmyſtas ſalutabis diligenter amborum nomine. Dominus Jeſus vos cuſtodiat, vobis adſit, vos gubernet, veſtris ſanctis laboribus benedicat, Amen. Genevæ, 2 Julii. M.D. XLVII.

Joannes Calvinus tuus.

J. Calvinus Vireto s.d.

De adventu ad nos tuo ego dubius ſum conſilii. N. quantum audio, in exponenda tibi neceſſitate modum exceſſit. Quanquam non ſolus ipſe in hac re peccat. Adeo pueri ſunt plerique, ut ridicula capitis concuſſione terreantur, dum unus homo nihili ſuam inſaniam prodit. Ego non meam cauſam, ſed publicam tueor: quæ me abſente acta eſt. Si deſiſtam, totum Conſiſtorium ruat, neceſſe eſt. Quin etiam ita ſe gerunt, ut quotidianos in concionibus clamores extorqueant. Cæterum parum me N. preces moviſſent. Nunc frater noſter S. And. mihi indicavit, Comicum noſtrum Cæſarem & quoſdam ejuſdem factionis diligenter ſciſcitatos eſſe, annon ſtatim venturus eſſes. Video igitur à multis te deſiderari: ab aliis expectari, quia te accitum norunt. N. egregie ſe offert, ἀλλ' οὐδὲν ὑγιές. Præter illos nemo eſt qui me adierit. Unum mihi ſuſpectum reddiderunt quædam non leves conjecturæ. Amo quidem hominem, ſed non patitur fidem ſibi haberi. Timidus eſt primum, deinde ſuſpicax: poſtremo umbram iſtam vel larvam adorat. Qui rem cupiunt ſine motu compoſitam, ſperant te ~~idoneum~~ fore pacificatorem. ~~Factio ipſa te cupit~~, ut tua interceſſione nonnihil ſublevetur. Nos te petimus & cupimus: ac ego in primis, ut videas, judices, agas quicquid ex re Eccleſiæ eſſe cognoveris. Sed agnoſce miſerum ſtatum. Nuper audiit Farellus, incommode accidiſſe, quod ad me divertiſſet: quia nihil poſſet agi, niſi eſſet à me ſeparatus. Mihi certe nihil gratius quam ſi omnia feliciter hic abs te peracta eſſent, me ad Garamantas relegato. Sed hæc tibi ratio non minus quam mihi diſplicebit. Eam dico quæ tibi à moderatiſſimis, ut videri volunt, præſcribitur. Ut tamen habeas, quid ſentiam in re perplexa: ſi poſſes hic eſſe proximo die Martis, & manere uſque ad diem Lunæ, faceres, ut videtur, operæpretium. Vale igitur, frater & amice chariſſ. una cum uxore & fratribus, quos ſalutabis omnes meo nomine. 27 Martii. M.D. XLVII.

Joannes Calvinus tuus.

Joan. Calvinus N. s.d.

Literæ tuæ, eximie vir, non eo tantum nomine mibi gratæ fuerunt, quod teſtes ſunt privati erga me tui amoris, ſed quia non vulgare fovendæ in Eccleſia pacis & concordiæ ſtudium declarant. Quod diu intermiſſum utrimque fuit ſcribendi officium, id forte mihi adſcribi debet. Neque certe inficior, ideo me libenter tacuiſſe, ne ad inutiles conflictus me provocarem. Quum ad eundem tendamus ſcopum, natura tamen & moribus magis ſumus diſſimiles, quam optarem. Quid de me ſentias, & quid interdum loquaris, non ignoro. Neque vero ita ſum mihi addictus, quin nonnulla quæ in me reprehendis vitia, mihi quoque diſplicerant: cujus rei ſatis multos habeo idoneos teſtes. Sed alia ſunt, quæ mutata nolim. Quanquam non natura tantum differimus, ſed conſilio rationem prorſus à tuis moribus diverſam ſequor. Si te delectat manſuetudo, neque ego ab ea ſum alienus. Quod autem ſeverus nimium tibi videor, hanc mihi crede, perſonam impoſuit neceſſitas. Interea non expendis quantopere Eccleſiæ noceat remiſſa tua facilitas, per quam improbis quidvis impune licet: & quæ virtutem vitiis permiſcens nigrum ab albo non diſtinguit. Dum præcipuum ſalutis noſtræ caput labefactare conatur ille bonus vir, non pudet eum in deteſtabiles blaſphemias prorumpere, Deum Calvini eſſe mendacem, hypocritam, duplicem, ſcelerum omnium auctorem, recti & honeſti inimicum, ac deteriorem ipſo diabolo. Quid te mecum inhumaniter agere conquerar? Scio enim nihil tibi minus eſſe propoſitum, quam approbare tam fœdos ac deteſtabiles obſcœni canis latratus. Verum millies potius terra me abſorbeat, quam non exaudiam quid mihi dictet ac præſcribat Spiritus Dei per os Prophetæ: ut probra ſcilicet quibus laceratur Dei majeſtas, in caput meum recidant. *Pſal. 69.* Et tu, dum pro fide officii cauſam defendo quam deſerere fas non eſt, quin proditor ſim ac perfidus, me altercari dices? Utinam tibi tam inconſiderata vox, cujus me pudet, ſicuti indigna eſt homine Chriſtiano, nunquam elapſa eſſet. Si qua in nobis eſt pietatis gutta, tanta certe indignitas nos ad ſummam indignationem accendet. Quod ad me ſpectat, malim hic furere, quam non iraſci. Tu quomodo tibi olim reddenda ratio ſit coram ſummo judice, videris. Meliori quidem jure ac ſinceriore quoque affectu apud te familiariter depono hanc querimoniam, quam ante biennium apud alios me traducens, Ciceronis potius quam Chriſti diſcipulum eſſe jocoſe dixiſti. Nunc redeo ad tuas literas. De N. diſceſſu pridem admoniti fuimus: at contempſimus hominem, ut dignus erat. Cauſæ ~~tamen habenda erit~~ ratio, ſed ~~in tempore.~~ Si qua Synodis erit auctoritas, turpiter ejectus ad vos redibit. Si hoc modo ſalvum fore exiſtimas, te voti compotem fore promitto. Et facile recipietur, ut alii ſimiles. Reſtitutionem nuper obtinuit bonus vir quidam perjurii convictus & damnatus, tantum quia innocenti maledicere non deſtitit. Cur non parceretur homini, qui tam ſtrenue labefactare conatus eſt æternam Dei electionem? Ac vide quos & quales habeat patronos Pelagianum delirium. Hic de quo agitur, homo eſt indoctiſſimus ac prorſus nihili. N. favore obrepſit ad miniſterium. Frater enim ejus inſipidus ſcurra & circulator, ſodalis erat N. Inſipidum voco: quia me cum ſuis facetiis nequiter fraudavit, quum tres aureos ſcutatos quos debebat, abſtulit. Reverſus, pro ſua canina impudentia blaterabit. Hæc eſt ſalus, ſi quid reſiduum eſt ſalvi perdere. Ego vero cum Propheta dicam, Quod perit, pereat. Tam ſecure? inquies. Ego certe non minus anxie laboro de ejus ſalute, & miſeriæ ingemiſco, quam ſi blanda indulgentia eum mulcerem. Verum ſæpius audiſti, non minus odioſam eſſe Deo crudelem miſericordiam, quam Eccleſiæ peſtifera eſt. Atque ut ingenue fatear, ſi mihi omnia præſtares, minus grata eſſent tua officia: quia prodigi non liberalis eſſe duco, quoslibet promiſcue & abſque delectu juvare. Video quam amarulenta ſit epiſtola: & certe parum abfuit, quin decies eam conſciderim. Sed quæ miſere animum meum premebant, diſſimulare non fuit ingenuum. Noles hoc modo me tibi eſſe familiarem. Non igitur ſcribendum fuit: quia ut blandiendo mentiar, adduci nequeo. Adde quod ex negotiorum mole plus moroſitatis contraxi. Quo

magis

magis vereor, ne tibi qui curarum & laborum tædio obrueris, importune ſim moleſtus.

JOAN. CALVINUS N. S. D.

DE tuis ſcriptis duplicem habeo tibi gratiam: & quod mihi privatim exemplar miſiſti, & quod hunc laborem quem fructuoſum eſſe judico, dediſti Chriſti Eccleſiæ. Interea triſtis nuncius hic ſpargitur, vetari fratres, ne ad Scripturam tractandam ex more conveniant. Ne quid diſſimules, quum hæc agendi ratio minime ſit Eccleſiaſtica, te & noſtrum N. ejus auctorem, vel approbatores fuiſſe valde miror, & moleſtius fero. Magno hactenus cum fructu celebrati fuerunt iſti conventus, à quibus nunc Edictum fratres indicta cauſa prohibet. Ut nihil momenti apud nos habeat uſus, qui tamen optimus magiſter eſſe ſolet, rem vobiſcum expendite. Certe non utilem modo hunc morem eſſe reperietis, qui nunc abrogatur, ſed prope neceſſarium. Quoniam ſingulis fratribus ſunt ſuæ vices, perſpicitur eorum diligentia: ſi negligentes deprehenſi fuerint, admonentur. Illic cognoſcitur an dextre & apposite Scripturam in populi uſum accommodare noverint. Optimum quoque hoc retinendæ in doctrina conſenſionis vinculum eſt: quia dum in commune non conferunt, licet cuique ſeorſum docere quicquid libuerit. Magnam licentiam dat ſolitudo. Qui tertio duntaxat menſe in fratrum cœtum prodibit, quidvis in reliquum anni tempus audebit, nullius judicium aut conſcientiam reformidans. Denique nullum eſt melius corrigendæ ignaviæ remedium, nulla fovendæ in doctrina unitatis aptior ratio: adhæc omnes & loquendo & tacendo proficiunt: neque ſolis Miniſtris utile eſt ejuſmodi exercitium, ſed plurimi ex plebe qui ſingulari intelligendæ Scripturæ ſtudio ducuntur, partem utilitatis ſentiunt. Pauci forſan tales ſunt: ſed quia univerſale eſt Edictum, totam regionem comprehendo. Scio hic eſſe pios homines, & eruditionis non pœnitendæ, qui ſibi duas conciones adimi malint, quam unam Scripturæ tractationem, quales audiuntur. Si hunc uſum non habent quædam Eccleſiæ, tantundem illis deeſſe fatendum eſt. Sed exortæ inde contentiones vos moverunt. Id vero non alienum modo veſtra æquitate, ſed prorſus inhumanum fuit, ſi quid peccavit unus homo, culpam in fratres innoxios conjicere. N. præfractum hominem & rixoſum, adeoque importunum animal eſſe notum eſt: ipſe quibuſcunque potuit modis turbavit bene ſtantem Eccleſiam. Quum finem contentionibus nullum faceret, amotus eſt. Nunc vero ne culpam ſuſtineat, quam meritus eſt, nota infamiæ aſpergitur fratribus. Ut diſſimulem fratrum injuriam, pium, ſanctum, & utile inſtitutum ubique abrogatur. Vetantur frattes agere ordinarios conventus, quorum neceſſitas ipſa deſuetudine melius pateſiet. Quiſquis hujus conſilii primus fuit auctor, quam Deo rationem ſit redditurus, videat. Grave certe Eccleſiis vulnus inflixit. Fuit tempus quum iſtic quotidie audiebantur pro ſuggeſtu atroces invectivæ aliorum in alios: cur non à concionibus prohibiti fuerunt, qui ſic petulanter ſuo munere abutebantur? Pudet me certe, quum video quoſdam in tantis deliciis habere N. ut præ ipſo Eccleſiam Dei contemnant, & gravi damno afficere non dubitent. Nam quid aliud judicem, non habeo. Fieri tamen poteſt ut errem: ſed tu meæ libertati ignoſces, quod fretus amicitiæ noſtræ fiducia, familiariter in tuum & fratris noſtri ſinum depono, quicquid in animo habeo. Ego de ſtudii veſtri rectitudine ita ſum perſuaſus, ut vos Eccleſiæ pacem & ædificationem quærere, pro certo habeam. Verum quia nos hic melius in re præſenti cernimus quid expediat, non putavi mihi eſſe ceſſandum, quin vos ad medicinam in tempore adhibendam hortarer. Vale eximie vir & frater mihi colende. D. fratrem diligenter meo nomine ſaluta, & alios Collegas, quibus gratum hoc officium eſſe agnoſces. Genevæ.

Joannes Calvinus tuus.

CALVINUS N. S. D.

CUm hoc bono viro loquutus ſum. Quinam inter nos habiti fuerint ultro citroque ſermones, referre nihil attinet. Monui eum & hortatus ſum, ut par erat: ſic tamen, ne qua illi ſiniſtra obreperet ſuſpicio. Vides enim pro tua prudentia, quantopere in hac bonorum paucitate cavendum ſit, ne à nobis prorſus alienentur, qui ſunt utcunque tolerabiles. De fratribus qui Lugduni in vinculis tenentur, nihildum novi allatum eſt. Scribunt ad nos ſeptimo quoque die, & viciſſim aliquam à me exhortationem recipiunt, magis officii cauſa, quam pro neceſſitate. Admirabilis enim Spiritus Dei virtus pleno fulgore in illis ſe profert. Neque tamen dubito, quin meis literis magis animentur. In aliis quibuſdam partibus Galliæ ignes eſſe accenſos ferunt: nec alia res magis ſedat hoſtium rabiem, quam frigus & ignavia eorum, qui volunt Chriſtum ſine cruce poſſidere. Ita fit, ut ceſſante ſæviendi materia, nullæ ſint aut raræ in multis locis perſequutiones. Sed miſera pax, quæ tam perfido ſilentio redimitur. Pariſiis tamen Regis ipſius mandato in carcerem conjectus eſt nobilis ille vir, qui nos ante biennium tam propenſo ſtudio excepit, non multo poſt Pentecoſtem. Homo erat valde facetus, ſed non minus cordatus: nec ab eo tempore illuſtria ſuæ pietatis documenta edere deſtitit. Paulo antequam injecta illi eſſet manus, mihi ſcripſerat, ſe jam totum in eo eſſe, ut rebus ſuis expeditis ad nos migraret. Sic autem ſtatuerat decidere cum tyrannis, ut tertia parte ſuarum facultatum contentus, duplum illis relinqueret. Inter alia narrabat, quod te latere nolo, ſibi in urbis noſtræ ruinis oblatum fuiſſe mirum ſpectaculum, quod domus patris mei, aliis omnibus in cinerem redactis, integra ſtaret. Tandem ſubjicit, *Je ne doute pas que Dieu n'ait voulu laiſſer ce teſmoignage contre tous ceux de voſtre ville, leſquels huit ou dix jours auparavant avoyent bruſlé en peincture Monſieur de Normandie, & le reſte.* Porro hoc poſtremum quod refert, ex curiæ Pariſienſis decreto factum erat: quæ ridiculum ſuum ſtuporem in eo prodidit, quod ſepulta mei mentione Abelem citari juſſit in foro Noviodunenſi: ac niſi ſe ſiſteret, pronunciavit habendum eſſe pro convicto. Res mihi incredibilis foret, niſi areſtum nobis in membrana deſcriptum amici miſiſſent. Unum etiam caput memorabile illud fuit: quod quum in turri quadrata, quæ in medio foro erat, tabulam æneam ad perpetuum Normandii dedecus ex eodem curiæ decreto figendam locaſſent, turris illa cum privatis ædibus incendio conſumpta fuit. Nunc dicit Normandius, exequutioni ſe intercedere, donec ſuam arcem reſtituerint cives noſtri. N. qui infeliciter, magna noſtra invidia, cum Morando rixatus eſt, fateor bonam pecuniæ ſummam hinc inde corraſiſſe. Verum à me adeo hac in re adjutum fuiſſe nego, uti potius diſſuaſerim, ſi quis me conſuluit. Sed tanta erat hominis improbitas, ut ignotiſſimum quemque aggredi nunquam veritus fuerit. Vix autem quenquam dimiſit, quem non emungeret. Socer fratris mei, homo interdum ſatis tenax, duobus coronatis multatus fuit. Quanta vero importunitate conatus ſit me adigere, ut illi conciliarem quindecim coronatos, referre nihil attinet. Ego vero tandem animadverſa hominis impudentia, & mendaciis feſſus, non minus præciſe & auſtere quam ingenue negavi quod petebat. Ex ærariolo quidem pauperum nihil fuiſſe erogatum, ſancte affirmo. Atque hoc mihi acceptum ferri debet, quod noſtros diaconos non decepit. Nam inſtabat ejus nomine Vernolius: in quem ego excandui, quod ſtulte ſe impoſtori miniſtrum præberet. Jam vero

quum

Digitized by Google

quum de me privatim deſperans communiter à fratribus auxilium rogaſſet, ac me invito irrupiſſet in cœtum noſtrum, breviter in conventu reſpondi: non ſolum fratres ejus precibus non concedere, ſed ne deliberationem quidem velle ſuſcipere: quia nimis odioſum & iniquum foret, dubio adhuc judicii eventu, & pendente cauſæ actione, præjudicio noſtro damnare adverſam ejus partem. Habeo ultra decem idoneos teſtes, qui meo conſenſu aſſem illi mutuo non fuiſſe datum aſſerent. Nec per ſimulationem apud te profeſſus ſum dum hic eras, nullo modo me poſſe adduci, ut mea commendatione eum juvans, bonos viros fraudarem. Imo memoria tenes, aliquanto durius me tunc loquutum eſſe. Si ne hoc quidem modo falſas criminationes effugere licet, quid facerem? niſi quod leniendus eſt patientia dolor. In quo etſi laboro, minus tamen proficio quam vellem. Neque enim leviter me excruciat, quod video cum plauſu recipi quicquid improbis calumniarum in me evomere libuerit. Sparguntur iſtic falſi quidam rumores, non tamen abſque aliquo colore: quia vulgo conjiciunt, frivolum & nihili hominem, ſine meo ſuffragio aureos triginta & amplius non fuiſſe reperturum. At Graverius hinc jactare non dubitat, ſibi datos fuiſſe à Senatu noſtro apparitores, qui domum meam excuterent. Mihi ſane difficile eſt, homini plus ſatis pathetico, non efferveſcere. Hactenus tamen me nemo vociferantem audivit. Sed quod omnium erat caput, mihi deeſt, ut iſtis Domini ferulis ad veram humilitatem erudiar. Quo magis neceſſe eſt liberis fratrum caſtigationibus domari. Qua in parte ceſſat mihi tuum officium. Neque enim timide ſolum me admones, ſed quaſi demulces, acſi nihilo plus tibi liceret in me, quam precario conceſſum fuerit. Equidem video quid ſpectes. Moroſitati enim quam ex aſſiduis moleſtiis contraxi, parcendum eſſe judicas. Etſi autem mihi jucunda eſt tua humanitas, quæ ex amore naſcitur: pudet tamen quod me libertate tua offendere metuis. Vale frater integerrime. Dominus te ſuis donis indies magis locupletet, ac benedicat ſanctos labores tuos. Saluta fratres & amicos meo nomine. Collegæ mei & plurimi fratres tibi plurimam ſalutem dicunt. Genevæ, 15 Februarii. M.D. LIII.

Joannes Calvinus vere tuus.

CALVINUS BULLINGERO S.

AB hoc fratre, qui meas tibi literas reddidit, coronatum & duos capitatos argenteos accipies. Hæc enim ſumma, niſi memoria me fallit, reſtabat. Peto ut me excuſatum habeas, quod non citius miſerim. Cæterum qua de cauſa mittatur iſtuc frater hic à Neocomenſibus, ipſe coram referet. Nihil, aut parum, meo judició, difficultatis eſt in cauſa. Sed unius hominis pervicacia & importunitas eos cogit, vobis & nobis moleſtos eſſe. Habent in ſuo cœtu unum ex eo Doctorum grege ex quo nemo hactenus vir bonus prodiit, qui non ceſſat aliquid ſubinde illis negotii exhibere. Sunt autem duæ cauſæ, quæ ipſum impellunt. Nam & natura factus eſt ad contradicendum: & quia non tanti æſtimatur ab aliis, quanti ſeipſum facit, hoc ſe modo ulciſcitur. Si eſſet in hac Eccleſia, facile cohiberetur. Ratio enim ejus domandi nobis eſſet ad manum. Illic vero habet Principis Legatum, à quo ſuſtinetur. Sic enim hominum ſe præſidiis munire ſolent ejuſmodi fuci, ut impune noceant. Quod vos omnes ſponte facturos ſcio, peto tamen à vobis, ut in cauſa tam ſancta fratribus porrigatis manum: hoc eſt, veſtra auctoritate adjuvetis eos & inſtruatis, quo Iſmaelem illum compeſcant. Hoc, non quia putarem eſſe neceſſarium, ſed ut fratri morem gererem, ſcripſi.

Eſt aliud præterea, quod te ſummopere oratum velim. Sunt in Provincia fratres, pro quibus ſcis nos ſemper laboraſſe. Neque id immerito. Sunt enim ea pietate innocentiaque præditi, ut bonis omnibus commendata ipſorum ſalus eſſe debeat. Ante trienium jam eo uſque progreſſi fuerant, ut Curiæ Aquenſi confeſſionem ediderint puram ac ſimplicem: qualis inter nos ederetur. Ac ne ſubito fervore, qui ſtatim evanuerit, factum id putes: quoties fuerunt interpellati, conſtanter in ea perſtiterunt. Interea crudeliter fuerunt vexati. Quum ſævam hoſtium tyrannidem pertuliſſent, tandem impetrarunt à Rege, ut judices daret, qui de tota cauſa verius cognoſcerent. Rex duobus inquirendi partes mandavit: cognoſcere ipſe ac pronunciare voluit. Hoc continent literæ, ut de eorum doctrina & moribus publice & clam diligenter ſciſcitentur, qui mittendi ſunt. Hoc fratres non reformidant. Nam ita ſe geſſerunt apud omnes, ut ſingulare probitatis teſtimonium habeant etiam ab adverſariis. Quod ad doctrinam ſpectat, confeſſionem Regi edituri ſunt ſicuti poſtulavit, claram & ſinceram: quæ diſtincte plus complectitur, quam dici in eos poſſit. Nunc totis viribus renituntur & Epiſcopi & Præfecti, & Curia ipſa, ne Regio diplomati ſit locus. Si non admittitur, expoſiti erunt leonibus & lupis, ut efferatam rabiem in eos exerant. Hoc enim captant illi, ut ſibi impune adverſus miſeros graſſari liceat. Si admittitur, ne ſic quidem evaſerint periculum. Nam & in oppidulis tribus, & in compluribus pagis puram Euangelii doctrinam profitentur. Et in oppidulo uno templum inquinamentis omnibus repurgarunt: Cœnamque illic & Baptiſmum noſtro more celebrant. Quo præſentius illis utrimque periculum imminet, eo majore ſtudio adjuvandi ſunt à nobis: præſertim in hac admirabili conſtantia, cui nos deeſſe, ſummo flagitio non careret. Adde quod hic eorum cauſa non agitur: ſed aut patefacta per eorum cladem erit via crudelitati impiorum in toto regno, aut Euangelium hoc modo perrumpet. Quid ergo ſupereſt, niſi ut nervos omnes intendamus, ne ceſſantibus nobis, pii fratres opprimantur, & occludatur Chriſto janua in longum tempus? Hujus rei volui te præmonitum, ut ſi quando ad vos confugerint, paratos habeas veſtrorum animos ad opem illis ferendam. Alterum autem ex his duobus agendum erit: vel enim petendum erit à Rege, ut conceſſo ſemel beneficio frui eos ſinat: vel mitigandus ejus animus, ſi adverſus eos excanduerit.

Audio Lutherum tandem cum atroci invectiva non tam in vos, quam in nos omnes prorupiſſe. Nunc vix audeo à vobis petere, ut taceatis: quia neque æquum eſt, ſic vexari immerentes, & illis negari ſui purgandi locum: & ſtatuere difficile eſt, num id expediat. Sed hæc cupio vobis in mentem venire: primum quantus ſit vir Lutherus, & quantis dotibus excellat, quanta animi fortitudine & conſtantia, quanta dexteritate, quanta doctrinæ efficacia hactenus ad profligandum Antichriſti regnum, & ſimul propagandam ſalutis doctrinam incubuerit. Sæpe dicere ſolitus ſum: etiam ſi me diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, ut inſignem Dei ſervum agnoſcam: qui tamen ut pollet eximiis virtutibus, ita magnis vitiis laboret. Hanc intemperiem, qua ubique ebullit, utinam magis frenare ſtuduiſſet. Vehementiam autem, quæ illi eſt ingenita, utinam in hoſtes veritatis ſemper contuliſſet, non etiam vibraſſet in ſervos Domini. Utinam recognoſcendis ſuis vitiis plus operæ dediſſet. Plurimum illi obfuerunt adulatores, quum ipſe quoque natura ad ſibi indulgendum nimis propenſus eſſet. Noſtrum tamen eſt, ſic reprehendere quod in eo eſt malorum, ut præclaris illis donis aliquid concedamus. Hoc igitur primum repute, obſecro, cum tuis Collegis, cum primario Chriſti ſervo, cui multum debemus omnes, vobis eſſe negotium. Deinde nihil vos, confligendo, profecturos, quam ut luſum impiis præbeatis,

beatis, ut non tam de nobis quam de Euangelio triumpheot. Si mutuo nos proſcindimus, plus ſatis habeot nobis fidei. Quum autem uno conſenſu & ore uno prædicamus Chriſtum, eo abutuntur ad fidem nobis derogandam, in quo pluſquam par ſit, nobis credunt. Hæc potius intueri & cogitare te velim, quam quid ſua intemperie promeritus ſit Lutherus. Ne ergo nobis eveniat quod denunciat Paulus, ut invicem mordendo nos, & lacerando, conſumamur, etiam ſi ille nos provocaverit, abſtinendum potius à certamine, quam ut communi Eccleſiæ jactura vulnus augeamus. Vale frater mihi in Domino plurimum honorande, & amice chariſſime. Saluta reverenter Symmyſtas omnes meo nomine. Dominus vos conſervet, & ſua in vobis dona magis ac magis augear. Genevæ, 25 Novemb. M. D. XLIV. Collegæ mei vos plurimum ſalutant.

Joannes Calvinus tuus.

Calvinus Farello s.

EGo vero majorem tibi gratiam habeo, quam verbis facile teſtari queam, quod fidem operamque tuam nobis ultro detuliſti, quum nos magnis difficultatibus urgeri putares. Quanquam nihil novum feciſti, nec inexpectatum. Quod autem non ſum uſus, id in cauſa fuit, quod volitabant circumquaque varii rumores quos extinctos optabam. Atqui excitati fuiſſent magis ac magis, ſi te ac Viretum advocaſſem. Scis quibuſcum hominibus nobis res ſit, & quam obloquendi cupidis. Quotidie literæ adferebantur, præſertim Lugduno, ex quibus intelligebam, me plus decies fuiſſe occiſum. Tollenda igitur improborum ſermonibus occaſio fuit. Nunc pacatus eſt ſtatus. Senatum habemus bonæ cauſæ faventem. Amedæus noſter adhuc eſt in Gallia. Uxor apud patrem, ubi ſuo more bacchatur. Et tamen petimus à Senatu, ut ſi quam reſipiſcentiæ ſpem oſtenderet, ſuperiora omnia ignoſcerentur. Hoc non eſt impetratum. Nam eo uſque progreſſa eſt, ut ſpem veniæ ſibi præciderit. Quoniam dies Cœnæ appropinquat, Pentheſileam conveniam. Nuper Frumentus de reconciliatione egit: ſed volebat rem tranſigi, ſe arbitro. Reſpondi, non adeo deſtitutam eſſe noſtram Eccleſiam, quin fratres mei huic provinciæ ſubeundæ pares futuri eſſent. Tentabimus omnia. Et tamen atrociter me læſit. Nam quum in Baptiſmo Jacobi noſtri de uxoris meæ & prioris mariti lapſu confeſſus fuiſſem quod erat, apud ſuos calumniata eſt, uxorem igitur meam ſcortum eſſe. Vides proterviam. Tractabo eam, non ut meretur, ſed pro officii mei ratione. Adde quod N. ſabulam compoſuerat plenam calumniæ: me abs te & Vireto ſevere fuiſſe caſtigatum, quod quum hic à vobis ſubrogatus ſorem tanquam vicarius, precaria auctoritate nimium abuterer. Nunc autem multo opportunius venires, quam antehac. Audires omnia quæ literis committi nequeuot. Vulneribus manum admoveres, quæ nondum bene obduxerunt cicatricem. De occultis morbis ſanandis inter nos conſultaremus. Videbis ergo an quidquam tibi dabitur otii. Tridentinos Patres aggreſſus ſum. Sed initia lente procedunt. Hoc fit, quia nulla hora mihi vacua eſt ab aſſiduis interpellationibus. Vale frater integerrime, & amice ſingularis. Saluta Symmyſtas & tuam familiam meo nomine diligenter. Dominus vobis ſemper adſit, vos regat, veſtris laboribus benedicat, Amen. Genevæ, 21 Auguſti. M. D. XLVII.

Joannes Calvinus tuus.

Calvinus Farello s.

REdiit tandem ex Anglia Nicolaus, adverſis ventis retentus ad dies undecim: poſtea jactatus tam ſæva tempeſtate, ut vix naufragium effugerit. Se tam amanter ac benigne exceptum fuiſſe narrat, ut jure mihi gratuler laborem optime collocatum. Quum Duci Sommerſeti literas meas dediſſet, atque alteras quoque ad Regem dixiſſet ſe habere: ipſe offerendi partes ultro ſuſcepit: ac poſtridie in aulam profectus eſt. Niſi mihi verba dantur, cum Regio Conſilio perplacuit munus, tum vero Regem ipſum mira lætitia perfudit. Cantuarienſis nihil me utilius facturum admonuit, quam ſi ad Regem ſæpius ſcriberem. Hoc mihi longe gratius, quam ſi ingenti pecuniæ ſumma ditatus forem. In ſtatu Regni multa adhuc deſiderantur. Eſt inter alia malum quoddam incurabile, donec Rex ſui juris eſſe cœperit: quod toti Eccleſiæ proventus à Proceribus vorantur: interea vili mercede nihili homines conducunt, qui Paſtorum vices obeant, vel ſaltem locum occupent. Ego tamen omnes pungere non deſinam. De Buceri obitu nihil attigeram, ne vulnus meum ſcinderem. Dum enim mecum reputo, quantam in unius hominis morte jacturam fecerit Dei Eccleſia, fieri non poteſt quin novo ſubinde mœrore excrucier. Angliæ multum profuiſſet. Plus aliquanto in poſterum ſperabam ex ejus ſcriptis, quam hactenus præſtiterat. Huc accedit, quod Eccleſiam nunc fidis doctoribus nudatam eſſe video. Apud Helvetios plurimum valebat auctoritas Vadiani. Eum Dominus abſtulit. Oſiander prorſus inſanit. Colligemus tamen animos, donec confectum ſit quod nobis ad metam uſque reſtat. Unum vereor, ne inter curſores locum occupans, aliis ſim tarditatis exemplum. Hoc tamen non parum me ſolatur, quod tu, qui alios omnes ſtrenuitate viciſti, mihi tam clementer ignoſcis & indulges. Satis eſt, ſi vagis aliorum erroribus non abducti in recta via pergamus: etiamſi alii longo ſpatio præeant, alii procul ſequantur. Quod ad noſtrum amicum [illegible] ſpectat: ego vero eum, ut mones & hortaris, ſedulo fovebo, & Collegis meis auctor ero, ut idem faciant. Sed crede mihi, nihil ſincerum apparet. Quid captaret, ab initio olfeci. Id me jam deprehendiſſe, & quaſi manu tenere diſſimulo. Improbos in deliciis habet, ut ſolebat. Malis cauſis æque patrocinatur. Nihil è faſtu & ferocia remittit. Cohors ejus liberius etiam ſolito exultat. Ego tamen ſic mihi moderabor, ut facile agnoſcat ſibi fuiſſe ex animo reconciliatum. Audiſti, opinor, quam funeſtam pompam nuper egerint. Et tamen civis optimi tam indigna trucidatio eorum laſcivias non cohibuit. Quod me rogat Chriſtophorus, ut ad eorum cœnas accedam: ego vero hactenus nemini eorum negavi: ſed quum Amblardo Corneo mandatæ eſſent vices, procraſtinando, ſeriem conſtitutam abrupit. Interea hoſpitibus, qui multi quotidie hac tranſeunt, vel qui ad nos habitandi cauſa demigrant, me impendo. Inter alios Marchio à Viro Neapolitanus nuper appulit. Subſequetur mox alter. Si nos proximo autumno inviſas, auctam aliquo numero urbem reperies. Spectaculum mihi jucundum, niſi quod obruor concurſu. Viretus nuper hic fuit. Sed evolavit citius quam optaſſem. Bellum jam aperte inter Pontificem & Gallos geritur. Cardinales quicunque Regis partibus favebant, Roma ſugiſſe rumor eſt. Si implicabitur huic bello Cæſar, aliquid ſaltem laxationis dare Magdeburgo & ſociis cogetur. Vale frater integerrime, & mihi Collegam tuum alioſque Symmyſtas & amicos plurimum ſaluta. Noſtri quoque tibi plurimam ſalutem dicunt. Collegæ mei, Normandius, Budæus, Trierius, Sanlaurentius, Colladonii ambo, &

frater

frater meus. Dominus te ſervet diu nobis incolumem, Spiritu ſuo fulciat, benedicat ſanctos conatus tuos, & Eccleſiam tibi commiſſam ſuis auſpiciis regat. Genevæ, 15 Junii. M. D. L I.

Joannes Calvinus tuus.

CALVINUS BULLINGERO S. D.

PUderet me, eximie vir, & colende frater, quod jam binis tuis literis nihil reſponderim, niſi quia fuit aliqua tacendi ratio. Nolebam enim niſi rebus compoſitis ſcribere, ne te certamina noſtra perplexum atque anxium tenerent, quæ moleſtiis tibi cum optimis & fideliſſimis noſtris fratribus futura erat communis. Et ſubinde in tanta varietate agitati ſumus, ut nullus dies nobis affulſerit, qui non à craſtino penderet. Tandem huc ventum eſt, ut inter ſe omnes reconciliarentur. Nam Senatus palam in factiones diviſus erat: ſicque palam eruperant odia, ut improbi ſuis cervicibus ſentirent inſtare Dei ultionem. Neque tamen bonis tantum fuit animi, ut ſtatum Eccleſiæ, de quo tam acris erat dimicatio, componere ſtuderent. Tantum datæ ſunt dexteræ, jurejurando interpoſito, ne quis poſthac malis cauſis faveret. Atque hoc quidem præjudicio ſe pars adverſa tacite damnavit. Verum plauſibili pacis colore factum eſt, ut legitimus ordo, unicus pacis cuſtos neglectus fuerit, vel ſaltem poſthabitus. Ego vocatus in curiam, profeſſus ſum me omnibus ignoſcere qui ex animo reſipiſcerent: me tamen unum duntaxat eſſe ex Conſiſtorio: centies igitur potiùs moriturum, quam ut mihi arrogarem quod totius Eccleſiæ commune erat. Hoc à nobis fuit animadverſum, Satanam nihil magis cupere, quam ut rebus dubiis & ſuſpenſis, aliqua in poſterum turbandi occaſio ſuppetat. Nobis autem in animo eſt antevertere. Etſi autem minore forte vehementia quam prius tumultuabuntur hoſtes, brevi tamen rurſus certandum erit. Vides apertius cauſam ſilentii, quod domeſticum tegere dedecus optarem. Sic tamen habe: quamvis ubique varie jactetur Eccleſia, Genevæ tamen non ſecus atque in diluvio arcam Noah fluctuari. Hinc etiam collige, quantopere mihi diſpliceat, Clariſſimum Senatum veſtrum fatigari quæſtionibus. Quod tamen luculento documento nuper vobis teſtatum fuit, quum de ſpirituali Eccleſiæ gubernatione non fueritis conſulti. Ego vero quid facerem, cui boni omnes ingemiſcunt, remedium vero nequeunt afferre? Bene tamen habet quod nobis præſidet nauclerus, ſub quo tuti à naufragio erimus: deinde quod non procul diſtamus à portu. Interim diſcenda eſt eorum conditio, quibus eadem navigatio ſubeunda eſt. Serveticæ impietatis refutatio prius tibi miſſa erit, ut ſpero, quam ad te literæ meæ perveniant. Libellus brevis eſt ac tumultuarie conſcriptus. Præſtabit tamen, quod continet, ſcriptum eſſe, quam nihil. Angliæ motus jam iſtic notos eſſe arbitror: & interim dum in itinere adhuc erit epiſtola, forte aliquid certius erit allatum. Vale ornatiſſime vir, & mihi plurimum colende frater. Saluta diligenter meo nomine D. Gualtherum, generos & reliquos fratres. D. Marchio Caraciolus, Budæus noſter, Collegæ mei te ſalvere optant. Dominus vos tueatur manu ſua, & Spiritu ſuo regat, laboreſque veſtros benedicat. Amen. Genevæ, 7. Calendas Martii. M. D. L I V.

Joannes Calvinus tuus.

Reſponſio JOAN. CALVINI *ad quendam Curatum.*

Ex Gall.

EST ita ut dicis, Domine Curate, Dei nempe flagellum eſt peſtis qua hic laboramus: atque hoc etiam merito imputamus peccatis noſtris, propter quæ Dominus ita nos caſtigat. Sed neque dubitamus nos iſta ratione expergefieri ut in nos deſcendamus, atque de reſipiſcentia ſerio cogitemus. Accipimus igitur quod adſcribis, inſtare tempus quo ad Deum convertamur, ut ab illo veniam & miſericordiam obtineamus. Illud etiam perſpicimus, vix nllum eſſe angulum orbis Chriſtiani, ubi Dominus manum non exerat ſuo modo: ex quo omnino conſtat, iram Dei in miſeros homines paſſim & valde accenſam eſſe. Nec mirum quidem: obviæ enim ſunt cauſæ, nec procul requirendæ. Graſſatur nempe ubique corruptio, & nullus eſt uſpiam ſcelerum modus. Neque ſic loquimur ut prætendamus excuſationem, dum nos accenſemus reliquis, quum eo nobis eſſe debeat magis ſtupenda manus Domini, quum ita ubique extenſa eſt, atque diluvii inſtar omnia inundat. Atque ubi iſta abunde perpendimus, aliter ſentire non poſſumus, niſi quod præter illa vitia quæ ubique obtinent, duo quædam ſumma notari poſſunt inter Chriſtianos ipſos, quæ Domini iram plane accendant. Unum eſt, quod alii Deum contumelia afficiunt ſuis idolis & ſuperſtitionibus, ac non modo non admittunt ſanctum ipſius verbum quo in viam reducantur, ſed illud etiam deſpiciunt aperte, adeoque oderunt, horrent, perſequuntur. Nos vero qui ex ipſius Evangelio legitimum ipſius cultum diſcimus, officium plane negligimus, ut verbum illud vitæ fere otioſum & emortuum jaceat inter nos. Abſit enim ut alios judicando nobis parcamus. Quatenus enim Dominus eripuit nos ex horrendis illis tenebris, noſque ſua luce donavit ad tenendam rectam ſalutis viam, eatenus ſane minime omnium excuſabiles ſumus, ſi officio deſumus juxta illud Domini, Servus qui novit voluntatem Domini, neque illam præſtitit, vapulabit durius. *Luc. 12.* Mirum igitur videri non debet, ſi pro noſtra ingratitudine duplo etiam nos caſtigat Dominus, dum non ambulamus ut filii lucis, neque fructus edimus dignos ſancta ipſius vocatione. Præterea ipſe etiam denunciat, judicium ipſius incepturum à ſua domo: *1 Petr. 4.* ac proinde admovendam ab ipſo manum primum domeſticis ipſis caſtigandis. Neque tamen hoc ita facit ut non oculos etiam alibi intendat, ut quum gloriam ſuam longe chariſſimam habeat, ut peculiari odio proſequatur & exhorreſcat idololatriam cum quibuſvis ſuperſtitionibus, quibus ipſius Majeſtas læditur, quæ inde etiam ſupra omnia alia peccata offendatur quam graviſſime. Agnoſce modo quid fiat inter vos. Ligna & lapides adorantur, mortui invocantur, fides collocatur in rebus nihili, Dei cultus præſcribitur in ceremoniis temere inventis, & abſque verbo ipſius veritatis doctrina ſepulta jacet: ac ſi quis illam reſtituere cogitat, acerbiſſime tractatur. Et poſſe fieri cenſes ut Deus ſinat tot modis pollui ac blaſphemari nomen ſuum? Teſtatur Paulus immiſſam Corinthiis peſtem à Domino, *1 Cor. 11.* quod ſacra ipſius Cœna non ſatis reverenter apud ipſos tum celebraretur. Et quid igitur ſperandum eſt, ubi ſacrum illud epulum tam longo tempore transformatum eſt in execrandum illud ſacrilegium: veſtram inquam Miſſam? Neque hoc longa probatione indiget. Expendatur enim ipſa Domini inſtitutio, & ineatur illius cum Miſſa veſtra collatio: atqui cælum terræ facilius commiſtas, quam illa duo tam aperte repugnantia convenire poſſint. Noſtrum igitur eſſet omnium dare omnes gloriam Deo uno conſenſu, *Dan. 9.* dum ſua ſinguli mala, & peccata, ultro citroque profiteremur. Sic enim ſentimus de nobis, graviſſimum eſſe illud ſcelus, dum oblatam ipſius gratiam non uti par eſt admittimus: dum etiam pro ea notitia Evangelii ipſius & ordinariis exhortationibus quas ipſius mandato audimus, non damus operam, ut mores noſtri ad perfectam ipſius regulam melius exigantur. Sic etiam aliis faciendum eſſe qui pro Dei verbo, aut ſuas ipſi opiniones, aut traditiones hominum ſectantur, quibus cultus Dei manifeſte corrumpitur, ut & ipſi agnoſcerent quam illa ſit ipſi abominatio intolerabilis, cujus ipſi rei ſunt. Quid enim poteſt iſtis prætexi?

quod falſæ doctrinæ adhæreatur, fides ſalutis collocetur in creaturis, invertatur rectus Sacramentorum uſus, nomen Dei manifeſto abuſu contaminetur: ac ſuper his omnibus, ipſos Domini teſtes ſi vel minimum verbum contra tantos abuſus protulerint, non modo non ferri, ſed omnibus modis plecti ut è mundo tollantur? Neque illud ad rem facit, ſi qui infidelium proſperis rebus utantur, quaſi habeant in quo acquieſcant. Sic enim accidit hypocritis & idololatris præſertim, ut glorientur dum manus Dei ipſis non incumbit, quaſi ea ſit merces cultus quem Deo exhibuerint dum in ipſum ſuis idolis tam graviter peccarunt. Sic ſeſe in ſua impietate indurant, ſic blandiuntur ſibi, & in alios ſententiam ferunt. Quid *Oſea 2.* autem ad iſta Dominus? En, inquit, nullam illis benefaciendi rationem prætermiſi, atque ipſi hoc imputarunt pro mercede ſcortationum ſuarum cum idolis ſuis: propterea, inquit, tollam ab eis quicquid in ipſos contuli, ut detegam turpitudinem ipſorum & cogam redire ad me.

Atqui quod ad nos attinet, quum requiritur quæ ſint illa noſtra peccata quibus Deum provocaverimus, & quorum nomine ab ipſo nunc corripimur, imputatur illud in primis, quod immutatus ſit à nobis cultus Dei & ordo Eccleſiæ, qui tam recte inſtitutus eſſet, & obſervaretur prius inter nos. Non eſt vero inaudita iſta exprobratio. Ita enim Jeremias ipſe exceptus eſt olim, ut ipſe teſtatur cap. 44. querebantur nimirum hypocritæ, ex quo deſierat coli Regina cæli, nullum non malorum genus populo incubuiſſe. Docent etiam Lactantius & Auguſtinus, ſuis temporibus imputari ſolita Euangelio omnia quæ acciderent adverſa: quod per Euangelium ſuperſtitiones Gentium abolitæ fuiſſent, quæ pro Dei cultu habebantur. Regeritur, non eſſe nunc perinde: nos vero rem perinde ſe habere contendimus. Quid igitur? Hic de re ipſa ſerio inquirendum ſit, ut recta ſententia proferatur. Præterquam autem quod conſcientiæ noſtræ teſtimonio hac in parte ſtamus coram Domino, res ipſa per ſe pro nobis una coram hominibus etiam reſpondet. Hactenus enim nemo prodiit, qui evicerit, immutatum eſſe quidquam à nobis, quod à Deo mandatum eſſet: aut eſſe à nobis inſtitutum aliquid novi contra verbum ipſius: aut à nobis declinatum eſſe à veritate ad pravum aliquod dogma ſectandum. Contra vero palam eſt, noſtram à nobis Eccleſiam reformatam eſſe ex mero ipſius verbo: quod unum eſt pro regula, ad quam & inſtituenda illa ſit, & tuenda legitime. Odioſum eſt quidem mutare quod obtinuerit ante: niſi ſane unus ille ordo à Domino poſitus ſemel nobis eſſe deberet ſacer & inviolatus: ut quum ille ad tempus abolitus fuit, reſtitui poſtliminio neceſſe fuerit, ut cælum & terra miſceri debuerint. Nulla antiquitas aut uſus præſcriptio his obeſſe poteſt, quin adminiſtratio Eccleſiæ quæ Deum ipſum auctorem habet, perpetua extare debeat, quando ita illam Dominus ſemel poſitam fixamque voluit. Pluſquam idoneæ vero ſunt rationes quæ ad mutationem illam nos adegerunt, cujus præjudicio falſo urgemur. Primum nempe caput Chriſtianiſmi eſt, ut Deus recte colatur. Animadvertimus vero formam illam adorationis quæ in uſu erat, falſam & per*Joan. 4.* verſam eſſe, quia non erat in Spiritu & veritate, ſed in externis ceremoniis, & ritibus etiam ſuperſtitioſis. Quamvis etiam non jam unus Deus adoraretur: ſed loco ipſius ligna & lapides, picturæ, mortuorum reliquiæ, & cætera id genus. Cum Dei adoratione cohæret ipſius recte invocandi regula. Et qualis eſt Dei invocatio in toto Papatu, niſi cum dubitatione & diffidentia conjuncta, quatenus non tenetur Chriſti *1 Tim. 2.* munus, quod in eo poſitum eſt, ut intercedat pro no*1 Joan. 2.* bis, ut ejus nomine à Deo exaudiamur? Porro quid *Hebr. 2.* ſunt aliud publicæ illæ preces, quam ſtrepitus ignoti & veluti exotici ululatus? Poſtremo quot blaſphemiæ illic cenſendæ ſunt, ubi virtus Mediatoris transfertur ad Sanctos & Sanctas, ut eorum nomine & meritis gratia impetretur? Tertio loco, & invocationi proximo, eſt ipſe Dei cultus. Docebamur autem Deum colere ex vanis hominum traditionibus: Ille *Deut. 12.* ſuam unam voluntatem pro omni regula hac in par*1 Sam. 15.* te, præſcripſit. Quod ad ſalutis fiduciam attinet quæ una eſt omnium veluti baſis & fundamentum, quum in una Dei miſericordia ea ſita eſſe debeat, ut & ipſius gloriæ & conſcientiarum paci conſulatur: docebamur etiam cum reliquo mundo fiduciam illam partim in nobisipſis, partim in aliis creaturis reponere. Cætera percenſere neque valde opus eſt, neque ullus eſſet modus. In ſumma, Chriſti gratia nobis plane ſepulta erat. Quum igitur percepimus & liquido nobis conſtitit, iſtiuſmodi omnia meram eſſe abominationem coram Deo, quo nos vertere debuimus? An noſtrum erat Deo reſiſtere & ipſius veritati? Quod ad ordinem & ſtatum Eccleſiæ attinet, ſi quid in eo fuiſſet tolerabile, lubenter & ipſi illum retinuiſſemus. Atqui adeo erant omnia confuſa, ut mera Babylon illic extaret, adeo ut non aliud remedium quam in certa renovatione ſeſe profferret. Quid de Sacramentis: quorum uſus plane inverſus erat, & plane alius quam uti ipſum à Domino primum acceperamus? quantum nugarum erat in Baptiſmo quæ ab hominibus introducta erant ſine Domini mandato? Et quod graviſſimum erat, pura illa ac nativa inſtitutio Domini illis additionibus fere erat abolita. Hoc ita eſſe vel unum Chriſma teſtatur, quod aquæ elemento in Baptiſmo longiſſime præfertur. Unde fit ut noſter hodie Baptiſmus vix pro Baptiſmo habeatur, quum in eo illud tantum uſurpemus, quod Dominus ipſe inſtituit, atque ipſius Apoſtoli tenuerunt & in uſu habuerunt. Cœna porro longe gravius profanata erat. Illa nimirum inſtituta eſt à Domino ut ſit perpetuum pignus alimenti animarum noſtrarum in ipſius tum corpore tum ſanguine, ut tum ipſius bonorum omnium participes fiamus, tum nominatim mortis ipſius. Ad illud præſtandum forma ipſa diſtributionis à Domino primum mandata retinenda erat, adjuncta ſimul doctrina quæ vim & uſum tanti myſterii complecteretur. Contra prorſus, illa transformata erat in ſacrificium, ad peragendam apud Deum reconciliationem certo illo hominis opere & ipſo facto. Neque illud ad vivos tantum, ſed & ad mortuos pertinebat. Sacerdos peracturus myſteria, & Sacramenta participaturus ſegregabat ſe ab Eccleſia. Omnia lingua ignota expediebantur, ut inter magos & ſortilegos fieri ſolet. Ubi ad Paſcha ventum erat, Sacramentum non niſi mutilatum exhibebatur plebi, atque ita à calicis communione aliena eſſe jubebatur contra mandatum ipſius Magiſtri. Ejuſmodi ſacrilegia approbare nulla ſinebat ratio: & tamen imputatur nobis quaſi Sacramentum iſtud everterimus ſcilicet. Atqui res ipſa loquitur, illud à nobis reſtitutum eſſe integritati ſuæ, quum tot modis corruptum ante pollutumque eſſet. Paulus reformaturus apud Corinthios abuſum qui Cœnæ Domini *1 Cor. 11.* irrepſerat, illos revocat ad primam inſtitutionem Domini, tanquam ad ſtatutum irrefixum. Quid igitur melius quam tale exemplum ſequi nos præſtitit, ad tollendos infinitos illos abuſus quibus tantum Sacramentum contaminatiſſimum evaſerat? Doceatur vero ecquid in noſtra forma & uſu extet alienum aut ab inſtitutione Domini, aut ab uſu Apoſtolorum, atque tum erit emendationi locus. Si vero præter jus & æquum impetimur, nihil illud efficiet, ut à certa veritate ita temere demoveamur. Proinde quod tu nobis ſummæ culpæ adſcribis, illud contra pro ſingulari Dei opere accipimus, quo via aliud eo gratius à nobis edi potuiſſe ſtatuimus. Neque interea inficiamur, non uno modo peccatum eſſe à nobis, unde & à Domino caſtigamur merito, nempe quia non reſpondeant mores noſtri doctrinæ ipſius quam profitemur. Perinde etiam eſt quod

tu

tu nobis præſcribis eos modos quibus ad Deum rever-
tamur, & iram illius placemus adverſum nos, quibus
modis eum adverſum nos accenſum & provocatum
iri multo magis, ipſi plane ſentimus. Jubes enim
primo loco nos offerre pretioſum corpus & ſangui-
nem Domini Jeſu Chriſti. Sic nempe ſolet apud vos
fieri. Atqui ut conſtet, an Deo gratum illud opus
futurum ſit, de ipſius voluotate certos eſſe in primis
oportuit. Jam vero ille noo eſt auctor nobis ut cor-
pus ipſius offeramus, ſed ut pro oobis oblatum acci-
Mat. 26. piamus. Accipite, inquit, edite. Quare ſi acceptio-
Marc. 14. nis loco uti nobis præſcripta eſt, oblationem ipſi ob-
Luc. 22. trudemus, unde nobis legitima inventionis noſtræ
1 Cor. 11. approbatio? Petimus igitur, ut iſtam rationem ſe-
rio expendas. Conſulis ſiquidem ut curemus offerri
corpus Chriſti per ſacerdotem, ad obtinendam gra-
tiam. Reſpondemus, Sacramentum illud non eſſe
in eum finem inſtitutum à Domino, ſed potius ut il-
lud accipiendo participes fiamus ſingularis & æterni
ſacrificii, quod unus ipſe obtulit pro officii ſui ratio-
ne. Addimus inſuper, illud plane derogare ipſius
Hebr. 7. dignitati, quateous ipſe conſtitutus eſt Sacerdos abſ-
verſ. 8, que ullo vel ſocio, vel ſucceſſore, ut offerret ſemet-
9, 10. ipſum: quum extaret nemo qui tam inſigni illo ope-
re præter illum perfungi poſſet. Sacrificandi ſiqui-
dem muous eo pertinet, ut mediator ſit qui ſacrificat
inter Deum & homines. Cui vero fides erit adhi-
benda, Chriſto an vobis, ubi ita ex oppoſito cooſi-
ſtitis? Iodicis nobis etiam ſupplicationes illas, quas
vocatis Proceſſiones generales. Et quid illic operis
extare poteſt, niſi fortaſſe magna illa pompa & cere-
moniis ad oſtentationem comparatis Deum à nobis
placatum iri cogitaremus? Reſpondebis tibi in ani-
mo eſſe, ut iſta cum certo animi affectu & devotio-
ne peragantur. Scilicet illa erit legitima devotio,
ubi fidem affigemus cereis, funalibus, veſtibus ſu-
perbis & profuſis, imaginibus & mortuorum reli-
quiis. Illud quidem in uſu fuit apud idololatras ex
Gentibus, ut hiſtoriæ teſtantur: ut autem hoc Chri-
ſtiano cultui reſpondeat, primum doceodi eſſemus.
Non diſceptamus, ao expediat cœtum cogere, ubi
ſolennes ad Deum preces concipiantur: illud quæri-
tur in iſtiuſmodi ſupplicationibus, quid extet præter
illam pompam in veſtibus, funalibus, reliquiis &
cæteris id genus. Atqui illud totum mere Judaicum
eſt, ne dicam Paganicum prorſus, adeo ut in
Chriſtianis probandum ſit. Auditur illic clamor &
cantus, liogua vero incognita: ac proinde cootra di-
1 Cor. 14. ſertum mandatum Spiritus ſancti, quo jubet preces
publicas concipi lingua communi: ea videlicet quæ
omnibus promiſcua ſit, ut quicunque ſunt rudiores
& ex plebe, illorum participes fiant, & ad exitum
Amen reſpondeant ex ſuæ conſcientiæ & affectus te-
ſtimonio. Hortaris deinde, ut imploremus Mariam
Virginem & Sanctos: ac Petrum nominatim deſi-
gnas ut noſtrum hic patronum. Atqui Deus nos ad
Pſal. 50. ſe unum ita vocat, ut ad alium quemvis confugere
vetet. Atque illud optimo jure, quando ſumma ejus
gloriæ pars in eo ſita eſt, ut ipſum invocemus uoum
in Chriſti nomine. Et ut illa una ratio ooo ſubſit,
extant paſſim tot Scripturæ loca, quæ jubent nos ad
Joſu. 44. Deum recipere cum oratione & precibus, ſive peſte,
verſ. 55. ſive bello, ſive fame urgeamur. De implorandis
Jerem. 3. Sanctis ne minimus quidem uſpiam extat apex.
Quam igitur temere & perperam à nobis fieret te
audientibus, ut ſimul Dei doctrinæ tergum à nobis
obverteretur. Quod Petrum nobis patronum vocas,
nihil hoc aliud eſt, quam quod eſt apud Prophetam:
Oſea. 2. Iſraël Dii tui ſunt juxta numerum urbium tuarum.
quum tamen iis temporibus non hoc ſibi populus pro-
poneret, ut Deo vero abolito, plures illius loco ſub-
mitterentur: ſed quatenus unaquæque urbs ſibi pa-
tronum certum eligebat io quo fiduciam collocaret.
Jerem. 2. Exprobrat illis Propheta eo nomine, quod ſingulæ
urbes ſingulos Deos ſibi haberent. Perinde nos fa-
cere etiam ounc jubes. Abſit vero ut alium patro-
num optemus nobis præter unum Jeſum Chriſtum, *Joan.* 10.
qui nos recepit in fidem ſuam, quos etiam Patri com-
mendaret. Si in illa cæcitate olim ipſi viximos, præ-
terierunt illæ tenebræ: neque jam errandi tempus
eſt, ubi ſemel oculos noſtros lux taota circumfulſit.
Atqui experientia edoctus es, inquis, quantum hæc
valeant. Non eſt vero res nova, ubi Dei beneficia
attribuuntur operibus noſtris vanis & perverſis,
quaſi idola colendo, beneficia ipſius erga nos elicere-
mus. Sic ſe jactant ſacrilegi, magi, divini, & cæteri
ejuſmodi. Eſt autem nobis longe certior iſta regula,
nempe ut præeat ratio experientiæ. Hoc ubi ſeque-
mur, noo feremur extra viam, atque extra Domini
mandatum. Sic comperiemus denique reipſa & abſ-
que ulla illuſione, nunquam illis deeſſe opem ipſius
qui ſolide in eo fiduciam collocaot. Contra vero,
ſi quæ alibi præſidia requiremus, ut illa nos juvare
nobis perſuadeamus, exitus tandem oſtendet, nos
ipſos ita plane fuiſſe deceptos.

Dominus Jeſus dignetur tibi aperire oculos, ut
agnoſcas quid ſibi velit, quum ſe unam vocat ſalutem,
vitam, ſanctificatiooem, ſapientiam, fiduciam de-
nique omnium hominum, ut & ab omnibus talis
agnoſcatur, & agnitus uno animo glorificetur & ore,
& corde, & omnibus operibus noſtris: ac proinde
ut quemadmodum unum Baptiſma ſuſcepimus ipſius
nomine, ita etiam unum Chriſtianiſmum omoes
profiteamur.

De utilitate & recta ratione lectio-nis ſacræ Scripturæ.

SI longa aliqua præfatione hoc loco utendum *Ex Gall.*
eſſet, tria omnino mihi pertractanda judica-
rem. Ac primum quidem demonſtrarem qoan-
tus ſit theſaurus Scriptura ſacra, quam excel-
lens ipſius dignitas, fructus vero incomparabilis. Et
ſane ſummum illa bonum vitæ iſtius uti eſt, ita etiam
merito prædicari debet. Scriptura clavis eſt qua no-
bis patefit Regnum Dei, ut in illud intromittat, per
eam nobis conſtet quis Deus adorandus, & quæ ſpes
vocationis ipſius. Hic certum iter & expeditum no-
bis ſternitur, cui intendo à perpetua illa fluctua-
tione & incertitudioe oobis caveamus, quæ oun-
quam nos certo loco ſtare permitteret: Hic verum
diſcrimen booi & mali: Hic vera cultus Dei norma
conſtat, oe illic temere feramur, atque oobis alio-
rum exemplo imponamus, dum nugis ac rebus ni-
hili implicantur: ac ne etiam Religionis ſtudiom iis
in rebus conſtituamus, quas ut mere impias Dominus
rejicit atque condemnat. Scriptura lucerna illa eſt
quæ nos dirigit, quæ illuminat per medias præſen-
tis vitæ tenebras, ne ad objecta undique ſcandala
ut cæci impingamus, ac ne multo magis ad ſingula
momenta corruamus: Ipſa eſt totius ſapientiæ ſcho-
la, ſapieotiæ, inquam, quæ omnem humanum ca-
ptum exſuperat, & quæ ſit ipſis etiam Angelis admi-
rationi: Ipſa ſpeculum eſt io quo vultum illum Dei
contuemur, ut in gloriam ipſius transformemur:
Ipſa eſt ſceptrum Regis noſtri, quo nos tanquam ſub-
ditos regit: Ipſa paſtorale pedum, quo ſe nobis Pa-
ſtorem unice præſignat. Ipſa etiam eſt documentum
ſcripto comprehenſum fœderis ipſius nobiſcum ini-
ti, quo ſeſe mera gratia obſtrinxit oobis ad perpe-
tuæ nobiſcum conjunctionis irruptum vinculum.
Ipſa teſtimonium bonæ illius voluntatis Domini,
quo ſtat conſcientiarum pax, qua certo perſuaſi ſu-
mus ubinam repoſita ſit ooſtra ſalus. Ipſa ſingulare
animarum pabulum, quo alantur in vitam æternam.
Denique unius Scripturæ beneficio à profanis & in-
credulis differimus, quatenus cooſtat nobis certa
Religio, confirmata & innixa iodubitatæ Dei ve-
ritati: quum alii omnes vagis & incertis opioioni-
bus circumduci ſe ſinant: aut ipſi ſeſe ſine ulla cer-

titudine ac firmitate in impia obſtinatione indurant. Hæc, inquam, pertractanda primum eſſent, cum iis etiam quæ ad hunc locum pertinent. Scopus autem eſſet ad exhortandum quemque, ut tantum illud bonum ſingulari etiam in pretio haberet, ut omnes ſummi atque infimi invitarentur ad tanti muneris omnibus ſine diſcrimine oblati à Domino participationem: oſtendendum etiam quantæ iogratitudinis foret Deo nos alloquenti aures claudere, retrocedere quum ad ſe vocat, neque ſanctæ iſti doctrinæ audientiam facere, in qua ſeipſum nobis revelat in noſtram ſalutem. Hic etiam perſtringenda mihi eſſet diabolica illorum audacia, qui promiſcuam plebem hoc tam appoſito Domini beneficio defraudare audent, dum Scripturæ ſanctæ lectionem interdicunt: quaſi Dominus conſilium ipſe ſuum ſatis non aperuerit, quod Scripturam ſuam apud omnes cujuſcunque conditionis & linguæ extare vellet. Commonſtrarem, inquam, quam non ferenda ſit crudelitas, ubi miſeræ animæ cibo illo ſuo deſtituuntur, ut aut vento deinde paſcantur, aut pabuli loco venenum ipſis propinetur. Hæc igitur eſſet ſumma primi illius capitis, quod tamen longe uberiorem tractationem requireret. Alterum autem ſpectaret ad comparandos lectores ad lectionem Scripturæ, ut ex illa fructum caperent. Hujus vero capitis eſſent duæ partes. Una, ut idonee præparati accederemus: altera ut teneremus, ad quem ſcopum nobis collimandum eſſet. Nemo enim unquam idoneus erit diſcipulus Domini, niſi qui ſeſe ſiſtet ipſi cum animo illo prolixo ac propenſo, ut admittat ſincere quicquid à Domino acceperit: niſi qui judicio ſuo renunciaverit & rationi ſimul, ut unam ſapientiam in ſumma docilitate ſtatuat: niſi etiam affectus nativos infrenet, ut arbitrio Magiſtri ſubmittat: niſi denique ſeipſum quaſi in cuſtodiam ſponte includat, ut ſub illius jugo contineatur, cui inſervire longe optabilius ſit, quam non modo liberum alias eſſe, ſed vel latiſſime etiam dominari: niſi & omnis arrogantiæ oblitus, ſeſe ipſum dejiciat ad veram humilitatem, & imminutionem illam quam in ſuis diſcipulis Dominus requirit: niſi cor aperiat, ut quicquid audierit, admittat: niſi timorem & reverentiam legitimam afferat, quæ Creatoris Majeſtati reſpondeat: niſi zelo puro & recto præditus ſit ad inquirendam voluntatem Dei, ut ad ipſam vitam omnem, opera, cogitationes, ſermones exigat: niſi ſeipſum expediat terrenis negotiis: niſi corde ſit vacuo & purgato ab omnibus carnis ſollicitudinibus & concupiſcentiis, ut totum ſeſe conferat, ac ſine ulla interpellatione, ad cæleſtium rerum meditationem. Et quooiam naturalis noſtra propenſio iſtiuſmodi præparationi ex diametro repugnat, in primis hoc eſt conſultiſſimum, ut à Domino imploremus, ut agamur ipſius Spiritu: quum ſine illo quicquid operæ ac laboris inſumptum à nobis eſſet, nibil bic prorſus ageremus. Ut contra etiam ubi Spiritum directorem acceperimus, nihil erit nobis timendum, dum illum appoſitum deductorem ſequemur. Conſtat vero Dominum non denegaturum Spiritum ſanctum, ſi qui ſine ſimulatione poſtularint. Quare nos ita comparare diſcamus, uti ſupra traditum eſt, ut deinde oratione ad Dominum ſerio præmiſſa, cum fructu in Scripturæ lectione verſemur. Altera ſecundi capitis pars eſſet, ut præmoneremur vagandum non eſſe in Scriptura, ut huc & illuc circumeundo nunquam ad veræ ſcientiæ ſcopum pertingamus. Quod ne accidat, cavendæ ſunt otioſæ ſpeculationes, neque etiam hærendum in quæſtionibus frivolis, quæ tantum contentiones & rixas pariant, ut notat Paulus: aut meræ ſunt ingeniorum cruces, aut ſub ſpecie ſubtilitatum in nebulas attollunt, atque à ſolo & ſolido fundamento abducunt. Neque enim ideo Scriptura data nobis eſt, ut ſtultam curioſitatem paſcat, aut ambitioni inſerviat: ſed utilis ipſa eſt, inquit Paulus, nempe ut erudiat in recta doctrina, conſoletur, exhortetur, atque ad omne opus bonum perfectos reddat. Ad illum uſum igitur ipſa nobis applicanda eſt. Atque hæc legitimæ ædificationis ex illa nobis colligendæ ſumma ſtatui poteſt, ut ex Scriptura fidem collocare in Deo, tum in ipſius timore ambulare diſcamus. Et quoniam finis Legis & Prophetarum, ipſaque adeo Euangelii ſubſtantia Chriſtus ipſe eſt, ne alium ſcopum nobis proponamus, quam qui ad Chriſti cognirionem perducat: quum illud conſtiterit, non poſſe à Chriſto vel minimum deflecti, quin ſtatim extra viam erretur. Atque iſtud ſecundum caput parcius attingo, quia præfatione etiam tradi hoc non poſſet, quod diffuſiorem tractationem requireret, ad rem ipſam plenius exponendam. Satis erit igitur indicaſſe quantum hic locus tulit, ut interea apud lectorem excuſatam brevitatem velim, quum hoc tantum mihi propoſuerim, ut admonerem quid io ipſo Scripturæ aditu ſcire maxime expediret. Poſtremum eſt de ipſo Scripturæ in linguam noſtram vernaculam interprete. Nam ioter eos qui huic operi navarunt operam, Petrus Robertus Olivetanus piæ memoriæ, atque olim fidelis Eccleſiæ Chriſti ſervus ita ſe geſſit, ut ipſius labor perpetuam apud bonos omnes commendationem mereatur. *Hactenus. Quæ enim pauca ſupererant, ad Gallicam translationem tantum pertinebant.*

JOANNES CALVINUS
Cæſaribus, Regibus, Principibus, Gentibuſque omnibus Chriſti Imperio ſubditis Salutem.

PRivilegia novis libris impetrari nec abs re olim, nec ſine publico bono conſtitutum fuit. atque utinam nullus hodie liber exiret non ſuo privilegio ornatus: modo ne id eſſet vel gratia elicitum, vel pecunia redemptum Principis beneficium, quo temere commendaretur ad Typographi quæſtum; ſed grave preſſumque teſtimonium, quo luce, & hominum oculis dignus ex vero pronunciaretur. Hoc enim remedio decebat coërceri furioſam iſtam ſcripturientium libidinem, quæ tot librorum examina, nullo modo, nullo delectu, nullo pudore, ſubinde nobis parit. Adeo urit non paucos ſtolida nominis cupiditas, ut malint quovis facinore utcunque innoteſcere, quam beoe latere. Nunc immodica ſua facilitate peſſime conſulunt Reipub. Principes, qui non modo bonos malos libros edi permittunt, ſed peſſimos quoſque ſuo ſuffragio comprobant. Hoc vero Sacrum Opus, quod nec nuper natum eſt, nec ab homine profectum, ideo hominum teſtimonio minime indigere viſum eſt. Et ſane iniquiſſime comparatum eſſet, ſi talibus elogiis opus haberet, quorum ſordibus nihil aliud quam fœdaretur ejus dignitas. Oraculum ergo, & æterna veritas ſummi Regis, cæli, terræ, mariſque Domini, Regumque Regis, diploma eſt privilegii, quod nobis magnifice ſplendideque ipſum commendat: quod ſumma veneratione ab omnibus gentibus, ætatibus, ordinibus, publice ac privatim excipi jubet. En edictum cui omnes ad unum obſequentes eſſe conveniat. Sed impiæ quorundam voces audiuntur, clamitantium rem eſſe indignam, vulgari bæc ſimplici plebeculæ myſteria: in quibus qui totam ætatem detriverunt, magnis alioqui & ingenii & doctrinæ præſidiis adjuti, in medio tamen ſtadio ſæpius defecerunt: pauci, aut forte omnino nulli reperti, qui ultimam lineam attigerint. Quid, inquiunt, præ iſtis aſſequi poſſunt miſeri idiotæ, omnium bonarum artium rudes, & (ſi uſus quæritur) rerum omnium imperiti? Verum quum Dominus è paſtorum caulis Prophetas, è piſcatorum naviculis Apoſtolos ſibi coaptarit, cur non & nunc ſimiles diſcipulos dignetur? Imo

Præfatio Joannis Calvini in Gallicam translationem Bibliorum à Petro Roberto Olivetano editam Neocomi, anno 1535.

ſi iſtis

ſi iſtis Rabbinis (qua ſunt animi vel magnitudine vel ferocitate) pudenda eſt ſors diſcendi cum plebeiis & rudibus: quantum probrum eſt à talibus præceptoribus diſcere, qui nulla in parte vel abjectiſſimos excelluerunt, niſi quod à Domino docti erant? Neque in eam partem hæc à me dicuntur, quo tollam ex Eccleſia docendi diſcendique ordinem: quæ luculentam Dei benignitatem agnoſcere debet, dum à Prophetis, Doctoribus, Interpretibus, qui ab eo miſſi ſunt, probe inſtituitur. Sed hoc tantum poſtulo, ut fideli populo Deum ſuum loquentem audire liceat, & à docente diſcere. Quando ille à minimo uſqua ad
Iſa. 28. verſ. 9. maximum cognoſci vult, quando omnes θεοδιδάκτους fore pollicetur, quando conqueritur in ſuis ſemper laborandum adhuc eſſe, quos vocat Ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus: quando parvulis dat ſapientiam, pauperibus εὐαγγελίζεσθαι præcipit. Quum ergo videmus ex omnibus ordinibus eſſa qui in Dei ſchola proficiant, agnoſcimus ejus veritatem qui promiſit effuſurum ſe de Spiritu ſuo ſuper omnem carnem. Iſti contra fremunt & indignantur. Quid hoc eſt niſi Deo ſuam largitatem exprobrare? O ſi eo ſeculo vixiſſent, quo Philippo erant quatuor filiæ prophetantes, quam indigne eas tuliſſent? niſi forte & indignis modis accepiſſent. Quando vero Dei verbum quoties libitum aſt, fortiter contemnunt, cur non Patrum ſaltem exempla imitantur, quibus tantum ſe deferre ſimulant? Hieronymus non eſt dedignatus mulierculas ſtudii conſortes: Chryſoſtomus & Auguſtinus quando non plebem hortantur ad hæc ſtudia? quam frequenter inculcant, ut domi relegant, quæ in Eccleſia audierunt? Quid quod Chryſoſtomus plebeiis magis quam Monachis neceſſariam eſſe Scripturæ ſanctæ lectionem contendit: quod variis curarum & negotiorum fluctibus jactati, in naufragium ſtatim abriperentur ſeculi hujus, niſi ad hanc ancoram hærerent? Laudatus eſt ab Euſebio Pamphilus Martyr, qui ſacros codices paratos ſemper domi habebat, quos & viris & fœminis largiretur. Nec puriore illo ſeculo duntaxat, ſed multis poſtea annis valuit hæc libertas: donec corruptum ſuiſque cupiditatibus immerſum vulgus, ſuapta nequitia & ignavia hoc ſtudii genus abjecit. Nunc ubi repeti cœpit, emerſit hæc tyrannis, quæ populum à communi bono arceat. Id vero perinde eſt, acſi quis huic aqua & igni, communibuſque elementis interdicat, quia nondum iis uti viſus ſit. Quis cogitaſſet tantam in Paſtoribus crudelitatem, (nam Paſtores & haberi & dici volunt) ut vitæ pabulum ex ovium faucibus vi eripere non horreant? Sed periculum eſt, inquiunt, ne in multis ſua ſimplicitate labatur vulgus, ne pervertat non intallecta, atque ita venenum pro alimento hauriat. Quam hic impudanter ratiocinahtur? Euangelium eſt odor mortis in mortem iis qui pereunt, Judæis ſcandalum, Græcis ſtultitia: ergo ne legatur, ne audiatur. At eſt virtus Dei in ſalutem omni credenti, Judæo ſimul & Græco. Chriſtus eſt petra offenſionis, in quam multi impingunt, & qua multi eliduntur: ergo ne ſit Chriſtus. Sed eſt vita æterna, unica ad Patrem via & veritas. Quando hæc parum ſolida vident, addunt inter tot hæreſes quibus nunc orbis vexatur, contineri melius populum obedientia quam doctrina. Sed tum quoque fervebant hæreſibus omnia, quum ii quos retuli Chryſoſt. & Auguſt. ſuos ad ſtudium cæleſtis doctrinæ acriter ſtimulabant. Nempe tali eos pharmaco adverſus hæreſes muniebant, talibus armis inſtruebant. Poſtremo miſere deplorant ſuperbire ac ferocire vulgus, ſtatim atque guſtum aliquem ſacrarum litararum concepit. Superbire autem vocant, non ex ſuo ore pendere, ac non quaſi ex tripode profectum adorare, quicquid vel per ſomnium cogitaverint. Hinc, hinc illæ lachrymæ. Sic quondam Rom. Pontif. & ſacrificuli vix manus ab illo continueront, qui faſtos populo deſcripſerat, quorum penes ſe eſſa arbitrium volebant. Ad hunc modum iſti, quum fumos ſuos niſi in tenebris vendere populo nequeunt; nihil mirum ſi hanc lucem accendi non ſuſtineant: peſſime vero hoc eos habet, arcana ſua quibus plus ineſt obſcœnitatis quam aut ullis Bonæ Deæ ſacris, aut ipſis etiam Bacchanalibus, ſic palam retegi ac traduci. Alii qui paulo volunt videri æquiores, cauſantur, tantum vulgari uſu contentam debere eſſe promiſcuam plebem: has verſiones quæ non modo ad linguarum veritatem, ſed ipſam loquendi proprietatem exiguntur, in eruditorum Bibliothecis oportere magis verſari, quam rudium manibus paſſim volvi: quorum, ut aiunt, admodum pauci ſunt, qui aliquid inde aſſequantur, quamplurimi vero novitate offendantur. Hi quid ſpectent non video, niſi quod ſoli ſapere volunt. Quum enim negant uſum eſſe aliquem purioris interpretationis, quam quæ nunc habetur tot locis depravatiſſima, in Spiritum ſanctum non obſcure ſunt contumelioſi: cujus donum eſſe linguarum interpretationem affirmat Paulus, & in Eccleſiæ ædificationem conferri poſtulat. Si donum ipſum ſpernunt, ſacrilegi: ſi ſupprimi volunt ne multis ſerviat, invidi & iniqui. Novitatem quidem fateor plus ſatis eſſa odioſam: quia multi ſunt ventres qui non niſi glanda paſci ſuſtinerent, etiam reperta fruge. Sed ea demum novitas odium meretur, quam nullo operæpretio affectatam eſſa data opera, atque aſcitam conſtat: quæ vero ſepultam veritatem eruit, eam non omni favore amplecti, turpiſſima ingratitudo eſt. Quod ſi ea eſt hominum barbaries, ut beneficiis etiam ipſis male afficiantur, omittendæ potius offenſiones ſunt & quævis odia, quam ut eorum gratia veritatis diſpendio conſtet. Quanquam de populo ſecurus ſum, qui jampridem famelicus talibus epulis inhiat, tantum abeſt ut à novitate abhorreat. Sed hunc ſuæ malignitati prætextum quærunt, quibus non ſatis eſt in confertiſſimis theſauris volutari, niſi nummulos de meliore nota percuſſos populo invideant, ſalvis etiam & integris ſuis theſauris. De interprete parcius loquor, ne quid cognationi quæ illi mecum intercedit, aut veteri noſtræ familiaritati dare videar. Dicam tamen (quod & ipſe mea fide polliceri auſim, nec livor ipſe inficiari poſſit) hominem nec ingenio tardum, nec eruditionis inopem, quantum induſtria, ſtudio, ſedulitate adniti potuit, ſumma fide in hoc interpretandi officio verſatum eſſa. Neque taman quædam eſſa dubito, quæ vel pro judiciorum varietate, vel quia opere in longo interdum ſomnus irrepit, non omnibus placitura ſint. Verum lectores hortor, ut ſiqua ejus generis occurrant, ne hominem de ſacris literis bene meritum mordere, proſcindere & inſectari malint, quam modeſte ſui lapſus admonere. Hæc ingenuitas & Chriſtianam pietatem, & liberalem doctrinam decet: nec peſſimam gratiam à Roberto noſtro referent, qui multis aliis dotibus eximius, modeſtia taman ſeipſum vincit: ſi tamen ea eſt modeſtia, ac non potius immodicus pudor, quo pene ab hoc tam ſancto labore ſuſcipiendo abſtractus eſt, niſi hortatu ac etiam flagitatione ſua victum, ſancti viri invictique verbi teſtes Chuſemeth & Chlorotes tandem manus dare coegiſſent. Qui vero nulla ratione ab improbitate linguæ cohiberi poſſunt, ii meminerint facillimam eſſe maledicendi artem, ſi quis ea certare velit: & quam mulierculæ in triviis melius exerceant, quam in ſcholis rhetores. Neque vero Comicum illud minor, male viciſſim audituros pro ſua maledicentia. Habent hominem quem impune laceſſant, quantum ad procacitatis vices attinet. Sed ne magnam virulentæ hujus facundiæ laudem expectent, moneo. Tam verum eſt illud quam vulgatum, cavillari omnia promptum eſſe, ſed non item æmulari. Valete.

Præfatio JOAN. CALVINI *in Editionem Gallicam Novi Teſtamenti Neocomi Anno* M. D. XXXV. *Cujus hæc ſumma eſt,*

CHRISTUM ESSE LEGIS FINEM.

Ex Gall. QUum Deus Optimus Maximus, abſolutiſſimus omnium opifex, in illa univerſi creatione plusquam admirandum ſeſe exhibuiſſet, tum vero in hominis creatione ita operi ſummam appoſuit, ut in eo ſingularis quædam ſupra omnes alias tes conditas taoti auctoris excellentia emioeret. Unum videlicet ad imaginem ſuam & ſimilitudinem efformavit, ut gloriæ ipſius ootæ in noviſſimo illo ipſius opere expreſſæ emicarent. Felix nimirum homo, & nunquam noo felix fututus, ſi privilegii ſupra alias creaturas in ſeipſum etogati non immemor, cum plena demiſſione ſeſe coram uoo Creatore perpetuo dejectum ſiſteret: ſi ipſum uoum continua gratiarum actione prædicaret: ſi nihil in ſeſe repoſitum ſtatuendo, tot illa cælitus accepta dona ad Dei unicam (ut quæ tota illius eſſet) gloriam referenda cogitaret. Infelix vero, dum ſuam felicitatem illam non capit, ac in ſemetipſo geſtit acquieſcere: dum ipſi excidit taotus ille ſiogularis erga ſe liberalitatis auctor, contumelioſe ingratus in ipſum attollens ſeſe, ſuperhire etiam auſus eſt adverſus factorem ſuum. Hinc ille præceps leto datus eſt: hinc à nativa illa ingenuitate in pudendam ſervitutem dejectus, à creationis excellentia detruſus cœpit jacere: hinc illum excipere pro gloria nuditas, pro tot & tantis Dei donis miſeranda abdicatio, ut io ſua illa ſupetbia confuſus, vel iovitus diſceret, quod ſiocero affectu præ ſe ferre paulo ante dedignatus erat. Etgo hæc illius ſchola & ſtudium eſſe tum debuit, ut & ſeipſum meram vanitatem eſſe agnoſceret, & nihil aliud extitiſſe prius ex ſeſe quam vanitatem etiam perſentiret: quod præterea acceſſiſſet, peculiari Dei indulgentiæ acceptum ferri debuiſſe. At veto Dominus tam indignum creaturæ oobiliſſimæ caſum averſatus, & ipſam exoſam habere cœpit, atque ut pro tali merito dignum erat, ne opus quidem ſuum cenſere: ex quo & imago illa atque expreſſio ipſius plane jam inducta eſſet, & tam præclara bonitatis ipſius erga hominem teſtimooia convulſa. Sic demum illius cujuſdam delectationis loco, quam ex creatura illa ſingularem percepiſſet Dominus, ut noo ſecus atque in filii dilecti amore acquieſceret, deſpectus & abominatio Domini ipſius ſucceſſit: unde & ſi quid alias gratum ab homine extitiſſet, ſi paterno intuitu illum Dominus proſequutus eſſet, totum illud ipſi tædio, dividiæ, abominationi fuerit: & non ſecus atque de perduellionis reo, pronunciarit, pœnitere ſe quod hominem creaſſet. Enimvero neque in eo etiam unde primum cœperat, ſtetit hominum pravitas: quin potius ut quidam appoſite expreſſit, Ætas parentum pejor avis tulit ſe nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem. Quid igitur? nempe quum fœcunda illa culpæ ſecula extremam adverſum ſe manum Dei provocaſſent, Deus ipſe non tam io miſeticordiam & paternam indulgeotiam propenſus, qu m ipſamet miſericordia atque indulgentia, quum amore non proſequi oollet, quod amari in ſeſe adeo eſſet indignum, humanum genus tamen interire prorſus, & meritiſſimo exitio abſorberi non ſuſtinuit: reſipiſcendi tempus & rationem, ſi forte ad ſeſe aliquo modo redirent, prorogavit: & quamvis aperte quidem indignationem quaſi oculis conniventibus diſſimularet, ſibique ita ipſos permitteret, ut nulla vox ejus, nulla lex ac directio expreſſa extaret, quæ argueret peccati: nunquam ſe tamen adeo apud ipſos Dominum celavit, quin illa exhiberet quæ & officii commonefacerent, & ad ipſum quætendum ac tantum non palpandum veluti manu ducerent: ut vel pro illius modi cognitione, ab ipſis agnoſci etiam, & agnitum legitimo honore coli oportuerit. Nam quo ſe verteret quiſquam cui oon vocalia quædam teſtimonia vetitatu & gloriæ tanti opificis occurrerent, quæ non alte, ſooore, ac ſplendide ſummi unius Dei Majeſtatem in ſublime ſub tanto tot rerum admiratiſſimo paratu evectam circumferrent? Sic adeo in ſingulis partibus iſtius uoiverſi ſurſum ac deorſum inſculptas reliquit atque expreſſas gloriæ, potentiæ, bonitatis, ſapientiæ, æteroitatis ſignificantiſſimas ioſcriptiones! Uode illud Pauli, apud Actor. 14. vers. 17. ipſos etiam homines apud quos Dei veri notitia ex verbo non extitit, non ideo ſe tamen ἀμάρτυρον reliquiſſe. Ergo quot extiterunt ubique Dei creaturæ, totidem remanſeruot præcones humano generi, immenſæ gloriæ ſui auctoris: ac proinde ex illarum rerum agnitione ad Deum ipſum perveniri debuit, ut & ipſi agnito, fides omnis atque obſequium deſerretut, quod tanti illius heri bonitati, ſapientiæ, potentiæ, æternitati congrueret. Quid quod ipſæmet alioqui non vocales creaturæ, homini ipſi etiam hac io parte quaſi verba præiviſſe dicerentur? Nempe & volucrum moduli Deum perſonabant, & bruta ipſa mugientia auctorem illum inclamabant, & elementorum ſeries ad ipſum ſtupebat, & montes illum intonabant, & fontes fluviique ipſimet oculis quaſi nictabant, & gramina ac flores ipſi adblandiebantur. Sed neque etiam extra ſeſe quemque adeo illum requirere opus erat: quin quum in ſemetipſo cuique beneficium ipſius conſtaret, quæ deinde juſta ceſſationis excuſatio, quin ad ipſum cootiouo ferrentur omnes, in quo uno omnes vivimus & movemur & ſumus? Atque ut certior extaret ipſius erga homines propenſionis demonſtratio, ſatis illi non fuit communem illam ex rerum natura pædagogiam conſtituiſſe uoiverſis: ſed quod longe præſtantiſſimum, ipſemet ore ſuo certum quendam populom, Iſraëlem nempe compellare dignatus eſt, quem primum mera & gratuita benignitate unum ex omnibus populis ſibi ſelegiſſet. His demum tum verbo ſuo ſeipſum manifeſtum reddidit, tum etiam operibus ſtupendis potentiæ illius ſoæ documenta protulit. Hos ex Ægypti fornace ferrea eductos, in qua vivi ac videntes atterebantur, in optatiſſimam libertatem aſſeruit. His ſe tanquam exilii particeps ducem interdiu & per noctem prætulit: pavit in deſerto: in promiſſæ regionis poſſeſſionem intulit: victorias ac triumphos quaſi in ſinum effudit. Ex his unis, quaſi ad ipſum aliæ gentes minus pertioereot, nomen ipſe ducere, illos populum ac gentem ſuam viciſſim nominare voluit. Atque hæc omnia ſub illa tantum conditione, ut nullum aliud Numen admittendo, in ipſo uno ſingulariter acquieſcereot. Hoc porro fœdus appoſitis benevolentiæ ſuæ teſtimoniis ampliſſimis, tum apud ipſos ſancivit, tum confectis & editis ea de re publicis tabulis, in perpetuum rei monumentum confirmavit. Scilicet illa hærens lateri letalis atundo, nativa cotruptio oempe pervicit: neque magis ipſi Iſraelitæ Dei monitis parere ſuſtinuetuot, neque ad illam doctrinam, quæ tam opportune revocaret in viam, attenderunt. Ac proinde uti reliqui paſſim populi vagi ac palantes ad rerum naturæ magiſterium, cæci ac ſurdi conſtanter oberrarunt: ita etiam Judæos nihilo melius & Lex & Prophetæ affecerunt: & ſervus Dei cæcior ad lucem Dei, & ad monitiones ſurdior, & ad mandata præfractior deprehenſus eſt. Enimvero neque etiam tenebræ illæ reliquum orbem eo uſque occupaverunt, quin homines adhuc ad tot illa bona quæ ipſos circumfluerent attoniti, arcano quodam animi motu ad tantum illorum largitorem revocarentur. Verumtamen iidem in ſalebris hæſerunt omnes, ac præterito illo Creatore cujus omnis erat iſta gloria, confinxerunt ſibi falſa

nu-

numina, atque poſt ſomnia, & inaniſſima cerebri
ſui commenta abrepti ſunt. Demum ubi ſemel ex-
tra viam currere cœperunt, non jam uno aliquo illo
ementito numine contenti, inoumera deinde pro
ſua temeritate atque vanitate præfinxerunt: ac nulla
gens aut natio extitit, quæ non bic ſibi peculiares
deos pro ſuo arbitrio inſtitueret. Et hi ſunt primi
idololatriæ natales. Hæc illa lena improba, quæ
homioes à Deo prorſus averſos atque ſimulachris af-
fixos mancipavit, quum eadem ſimulachra ipſis ho-
minibus & originem ſuam, & ſuum illud eſſe, acce-
ptum ferre deberent. Judæi vero, unius quidem Dei
mandata quæ per Prophetas continuo deſtinabantur,
utcunque non repudiarent, aperte tamen in ipſum
fœdifragi, non minus temere ab eo deflexerunt, Le-
gem à ſe aperte violatam deſpectui habere, ac quic-
quid ſimularent, odiſſe ex animo cœperunt. Nam
& ad falſos deos proſilierunt, & in cultu idolorum,
quantumvis obnitente Domino, nihilo levius reli-
quis etiam gentibus inſanierunt. Quod quum ita eſ-
ſet, ut demum tam Judæi, quam Gentes à Deo alie-
natæ, ad ipſum revocarentur, novo plane fœdere
opus fuit, quod ipſum firmum atque inviolatum
maneret. Ut fœdus illod certo coiret & ſanciretur,
requirebatur Mediator, qui ipſe intercederet atque
ſeſe medium ſiſteret inter Deum & bomioes, ut pa-
cem conciliaret. Sine hoc Mediatore, bomo male-
dictioni Dei obnoxius ex quo ſe præcipitem in pec-
catum dederat, inexcuſſo jugo premebatur, miſe-
riæ & opprobrio æterno addictus, propter iram &
indignationem Dei adverſus ipſum accenſam. At-
que Mediator ille D. N. Jeſus Chriſtus erat, unus,
verus, æternus Dei Filius, quem miſſurus erat Pa-
ter in mundum, ut omnes ex horrenda diſperſiooe
& vaſtitate colligeret: ille una ſpes piorum omnium,
per quem à primi parentis ſervitute in veros natales
eſſent tandem reſtituendi. Sic enim ad ipſum Ada-
mum jamprimum collapſum à ſe aliquando erigen-
Gen. 3. dum cœperat Dominus: Futurum, ut ſemen mu-
verſ. 15. lieris contereret ſerpentis caput, id eſt, per Chriſtum,
naſciturum ex Virgine, disjectum ac convulſum iri
Satanæ tyrannidem. Sic deinde eandem promiſſio-
Gen. 22. nem apud Abrahamum renovavit, quod in ipſius
verſ. 18. ſemine benedicendæ eſſent omnes gentes. Sic nem-
pe prænunciabatur idem Chriſtus exoriturus ex
Abrahamo, à cujus benedictione ad univerſas gen-
Gen. 26. tes ſanctificatio emanaret. Sic cum Iſaaco egit Do-
verſ. 4. minus. Sic continuis ſeculis eadem promiſſio ex ore
Prophetarum apud Iſraelitas audita, repetita, con-
firmata eſt. Quod ut certius eſſet, & jam quaſi ocu-
lis ſubjiceretur, ipſas uſque naſcituri Chriſti pecu-
liares ootas, Matrem videlicet, locum, tempus,
mortem ipſius ac reſurrectionis gloriam, regnum
mox ſequuturum, & quæ ſpes inde piorum exiſtere
deberet, Dominus ipſe præſignavit. Nam de Matre
quidem eademque Virgine extabat inſignis ille locus
Iſa. 7. apud Iſaiam: Ecce Virgo concipiet & pariet filium,
verſ. 14. & vocabis nomen ejus Immanuel. Apud Moſen ve-
Gen. 49. ro tempus à Jacobo ipſo animam agente notatum
verſ. 10. diſerte fuerat: Non auferetur ſceptrum de Juda,
neque Dux de femore ejus, donec veniat qui mitten-
dus eſt: & ipſe erit expectatio Gentium. Hoc autem
reipſa conſtitit ſub illud tempus, quo natus eſt Do-
minus. Jam enim triginta ſeptem anni circiter elapſi
erant, ex quo Judæis mero illo ac ſupremo Imperio
ſpoliatis, Romani Herodem, Idumæum ex patre, ex
matre Arabem, regem conſtituerant: quum nuoquam
prius antea res Judæorum ita concidiſſent, quin ſi ex
ſua gente regem non haberent, ex eadem tamen præ-
fectos ſaltem ac rectores & conſiliarios quoſdam reti-
Dan. 9. nerent. Apud Danielem vero tempus idem naſcituri
verſ. 24. Chriſti poſt certas hebdomadum periodos diſpun-
Mich. 5. ctum extabat. Natalis locus etiam apud Michæam
verſ. 2. aperte ſignatus erat his verbis, Et tu Bethlehem
Ephrata, minima non es in millibus Juda: ex te enim
egredietur qui dominabitur in Iſraele, & exitus ipſius
à diebus æternis. Paſſiones autem & quicquid noſtro
nomine, ut perfectum Mediatorem præſtaret, Do-
minus ipſe ſubiturus erat, Iſaias & Zacharias aperte Iſa. 53.
prædixerant: iidemque cum Jeremia luculenti te- & 49: 6.
ſtes extiterant tam glorioſæ ipſius reſurrectionis, & 60: 1.
quam venturi regni, & ſalutis omnibus piis afferen- Jer. 23.
dæ. Atque illa tot teſtimonia & denunciationes ſan- verſ. 5.
ctorum Dei hominum, fulcra demum & ſtatumina & 31. verſ. 16.
fidei Patrum extiterunt: ſic ipſi erexerunt & confir- & 33.
marunt ſeipſos, ac quodammodo paverunt certiſſi- verſ. 14.
ma illa ſpe atque expectatione tantæ redemptionis, à Zach. 2.
Domino tempore ſuo exhibendæ. Unde etiam præ & 9: 9.
ſummo illo deſiderii ardore, plerique jam olim Re- & 11: 12.
ges & Prophetæ contentis oculis diem illum ſibi præ-
ſentem adeſſe expetiverunt, utcunque jam tum ani-
mis per fidem præciperent quod ipſis oculis percipe-
re nondum daretur. Eodem vero pertinebat Lex illa
ſcripto ipſis data, qua tot & tam variæ ceremoniæ,
expiationes, ſacrificia tradebantur, ut totidem figu-
ræ & adumbrationes rerum meliorum, quæ à Chri-
ſto afferendæ eſſent, qui ipſe eſſet umbrarum ejuſ-
modi corpus, ſubſtantia, veritas. Siquidem Lex ni-
hil adduxit ad perfectionem, tantum inſtar pæda-
gogi dirigebat ac deducebat ad Chriſtum, qui Legis Rom. 10.
ipſius finis eſt & complementum, ut tradit Apoſto- verſ. 4.
lus. Eodem etiam referendum, quod diverſis tem- Coloſſ. 2.
poribus ac vicibus excitati ſunt à Domino Duces, verſ. 17.
Reges ac Judices, qui Iſraelem ab hoſtium jugo libe-
rarent, in bona pace regerent, ruinas ſarcirent, cumu-
late proſperarent, ac non vulgarium virtutum no-
mine apud reliquos populos extollerent. Sic nempe
guſtum aliquem fovere inter ſuos voluit mirabilium
Meſſiæ exhibendi operum Dominus, ut in eo exta-
tura ſperaretur ſolida virtus ipſius, atque feliciſſimi
regni præſens majeſtas. Tandem igitur, ubi adfuit
plenum illud tempus ac dies à Domino præordinata,
adſtitit coram Meſſias ille tot retro ſeculis exoptatiſ-
ſimus: atque idem illa omnia cumulate præſtitit,
quæ erant ad omnium redemptionem neceſſaria. Ne-
que vero intra unum Iſraëlem tantum illod benefi-
cium ſtetit, quum potius ad univerſum bumanum ge-
nus uſque porrigendum eſſet: quia per unum Chri-
ſtum univerſum humanum genus reconciliandum
erat Deo, uti his novi fœderis tabulis continetur,
& ampliſſime demonſtratur. Atque ut hujus Dei be-
neplaciti pleoa fides ac perpetua extaret, Dominus
Jeſus ipſe qui fœderis iſtius ſponſor eſt, atque ipſa-
met illius ſubſtantia, Apoſtolos ſibi deſignavit, qui-
bus boc munus mandavit, ut ipſius beneficium per
orbem univerſum prædicarent. Ipſi vero non tan-
tum dederunt omnem operam, ut mandatum Do-
mini præſtarent, dum verbo & voce teſtimonium
ipſius circumferrent: ſed etiam Moſis & Propheta-
rum exemplo eandem illam doctrinam ad perpe-
tuam & induhitatam ipſius perceptionem in hos li-
bros contulerunt. Horum autem bæc ſumma eſt,
quod primum quidem traditum eſt ab illis tum quid
fecerit, & quæ paſſus ſit pro nobis Dominus: tum
vero quis iſtius veritatis uſus ac fructus ad nos perve-
niret, ac quo modo nobis applicandus eſſet. Atque
huic volumini inditum eſt Novi Fœderis ſeu Teſta-
menti nomen, ratione Veteris illius, quod nempe
cum Novo coaleſcere oporteret, & in illo impleri.
Nam & in ſeſe infirmum erat Vetus illud & minus
perfectum: unde & abrogatum eſt Novo adveniente,
& abolitum. At vero Novum iſtud æternum eſt, quod
nunquam aut conſeneſcat, aut deficiat, quum illius
Mediator Chriſtus ſit, qui ſua morte illud ſancivit,
atque irrefixum conſtituit, cùm per illam attulit ſum-
mam ac perfectam expiationem omnium prævarica-
tionum, quæ ſub veteri fœdere remanebant. Huic
Fœderi Evangelii nomen etiam adſcribitur, quod
bonum & felicem illum nuncium ſignificat: quia
nempe oſtendit Chriſtum Filium Dei vivi unicum

atque æternum, hominem factum eſſe, ut per ipſum
filii Dei adoptione efficeremur. Ac proinde unus
hic ille Servator nobis ſtatuitur, in quo uno ſita eſt
noſtra omnis redemptio, pax, juſtitia, ſanctificatio,
ſalus, vita, qui mortuus eſt propter peccata noſtra,
reſurrexit propter juſtificationem noſtram: qui io
cælum aſcendit, ut illuc aditum nobis patefaceret,
ac noſtro nomine hæreditatem cerneret: qui ſe per-
petuo coram Patre nobis Advocatum ſiſteret ac Sa-
cerdotem exhiberet: qui ut Rex, Dominus, ac ſum-
mus Herus deſignatus ad dexteram Patris ſederet, ut
ſemel univerſa tum in cælo tum in terra in ſuum
ordinem ac ſtatum reponeret. Hoc vero penes nul-
lum unquam Angelorum, Patriarcharum, Prophe-
tarum, Apoſtolorum fuit, neque ullus ex ipſis ad tan-
tum munus deſtinatus fuit. Atque ut venturi Chriſti
in veteri fœdere apud Prophetas ſparſa extabant
teſtimooia quamplurima: ita etiam Dominus Jeſus
manifeſtis indiciis atque indubitatis argumentis Ec-
cleſiæ ſeſe exhibens, is ipſe Chriſtus eſſe demonſtra-
tus eſt. Siquidem Dominus Deus, tum vocem ſuam,
tum Spiritus ſancti, tum Angelorum, Prophetarum,
Apoſtolorum, adeoque omnium rerum conditarum
in teſtimonium Filio ſuo adhibuit, ut jam repu-
gnandi locus non eſſet, niſi quis ſponte Dei veritati
obſiſtere auderet. Extat enim cæleſte illud ac ſolen-
Mat. 17. ne oraculum omoi exceptione majus: Hic eſt Filius
verſ. 5. meus dilectus, in quo acquievi, ipſum audite. Spi-
ritus ſanctus vero in noſtris cordibus teſtis eſt verita-
tis Chriſti locupletiſſimus, uti paſſim inculcat Apo-
Luc. 1. ſtolus. Angeli vero etiam non ſemel. Sic enim Ga-
verſ. 31. briel Angelus ad Virginem matrem futuram: Ecce
concipies in utero, & paries filium, & vocabis no-
men ejus Jeſum. Ipſe enim erit magnus, & Filius Al-
tiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus ſedem David
patris ſui, & regnabit in domo Jacob io æternum, &
Matth. 1. regni ejus non erit finis. Idem prorſus ab Angelo Jo-
verſ. 20. ſephus Mariæ ſponſus accepit. Idem ab Angelo de-
Luc. 2. nunciante audierunt paſtores: natum ipſis Servato-
verſ. 11. rem, qui eſt, inquit, Chriſtus Dominus. Cui etiam
Angelo ſtatim acceſſit tot aliorum conjunctus & una-
nimis concentus, quum illo nativitatis Domini argu-
mento Gloriam in excelſis Deo, Pacem hominibus
in terra, decantarent. Nec minus Simeon juſtus ille
in Spiritu Prophetico Chriſtum faſſus eſt, dum paſſis
ulnis adhuc tenellum in Templo complexus, excepit
Luc. 2. bis verbis ad Dominum: Nunc dimittis ſervum
verſ. 27. tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace, quia
viderunt oculi mei ſalutem tuam, quam paraſti ante
faciem omnium populorum. Perinde etiam Joan-
nes Baptiſta de illo teſtimonium inſigne tum maxi-
Joan. 1. me edidit, quum ad Jordanem illum intuens, Ecce, in-
verſ. 29. quit, Agnus ille Dei: ecce qui tollit peccatum mundi.
Hoc ipſum deinde tum Petrus, tum alii omnes Apo-
ſtoli faſſi & teſtari ſunt, & aperte prædicarunt: im-
pleta eſſe nimirum in Chriſto Dei filio illa omnia,
quæ de illo extarent apud Prophetas, atque ad no-
ſtram ſalutem pertinerent. Atque hoc ipſum teſtimo-
nium per univerſas gentes ab ipſis omnium natio-
num & conditionum hominibos, quos ad illud exci-
tare Domino placuit, conſtanter etiam editum atque
coofirmatum eſt ad iſta uſque tempora, uti ex lectio-
ne auctorum facile cuivis conſtabit. Quæ quidem
omnia quum eodem plane recidaot, atque inter ſe
omnino conveniant, evincitur manifeſte contineri
illic certiſſimam veritatem: quom ubi falſum ſubeſt,
perpetuus ille conſenſus conſtare ita noo poſſet. Et
tamen præter illa auguſtiſſima teſtimonia, Patris
ipſius, Filii, Spiritus ſancti: tum deinde Angelorum,
Prophetarum, Apoſtolorum Chriſti Domini: ipſa
etiam illius opera, ipſæ virtutes incomparabiles veri-
tatem illius non minus aperte oculis ſubjecerunt.
Quid enim quod nullo non morborum genere affli-
ctos reſtituit? quod claudos, cæcos, ſordos, mutos,
paralyticos, leproſos, lunaticos, dæmoniacos ſana-
vit, quod mortuos revocavit in vitam? quis vero
legitimos etiam illos virtutis ipſius ac bonitatis præ-
cones ac teſtes neceſſarios elevabit? Quid quod ſua
ipſius poteſtate ſibiipſi vitam reddidit, quod peccata
remiſit? Quare non immerito ad ſua illa opera Ju-
dæos relegabat quæ à Patre accepiſſet, ut quæ de ipſo *Joan.* 5.
veriſſime teſtarentur. Quid quod ipſis etiam impiis, *verſ.* 36.
atque ipſius oſoribus certiſſimis, vis ipſa veritatis
teſtimonium aliquod Majeſtatis ipſius expreſſit, ut
de Caiapha, de Pilato, de ipſius uxore, & aliis etiam
conſtat? Non attingo dæmonum etiam extortas con-
feſſiones, quas nempe Dominus ipſe repudiarit. Ipſa
vero rerum univerſitas hujus quoque laudis partem
quam ſemel edidit, conferat. Jubente Chriſto venti
ponunt, mare commotum placidum redditur, os
piſcis didracbma profert: illum morientem diffractæ
petræ ac monumenta, illum diſſiſſum à ſummo in
ipſo Templo velum, illum obſcuratus ſol, illum ſe-
pulchra recluſa, illum reſurrecta mortuorum cor-
pora, illum adeo ſurſum omnia & deorſum Deum
ſuum ac Dominum & ſupremum Herum, illum cæ-
leſtem Legatum ad hominum ſalutem à Patre demiſ-
ſum agnoveruot, teſtata ſunt, inclamarunt. Horum
omnium autem veriſſimæ tabulæ hoc novo fœdere
exhibentur. Hic regni paterni hæredes inſtituit. Hic
apud hæredes deſignatos ſuam mentem teſtatus eſt,
cujus plenum effectum ſuo tempore ſortiantur. Ad
iſtam hæreditatem vocamur omnes ſine perſonarum
acceptione, maſculi, fœminæ, ſummi, infimi, heri,
ſervi, magiſtri, diſcipuli, doctores, idiotæ, Judæi,
Græci, Galli, Romani: nemo hinc excluditur, qui
modo Chriſtum qualis offertur à Patre in ſalutem
omnium, admittat, & admiſſum complectatur. Agite
igitur Chriſtiani & Chriſtianæ mecum omnes, neque
Teſtamenti illius tabulas celari, vel corrumpi ſinite,
quod tam firmo jure noſtrum eſt, ſine quo cæleſtis
regni ſpes omnis fruſtra concipitur, omniſque vero-
rum bonorum, promiſſionum Chriſti, incomparabi-
lis beatitudinis ab ipſo deſtinatæ nobis expectatio
concidit atque intervertitur. Nam quo nos conver-
temus uno hoc ſingulari lumine deſtituti, ut quod ſit
boni & mali diſcrimen, quid Dominus jubeat, qoid
vetet, quid lux, quid tenebræ, quid è cælo ſit, quid ex
hominibus, ſtatuere poſſimus? Tolle Euangelium,
divitiæ egeſtatem ſpirant, ſapientia ſtultitiam ſapit
coram Domino, potentia imbecillitatis convincitur,
omnis humana juſtitia apud Dei tribunal damnata
corruit. Rurſus Euangelii notitia efficimor filii Dei,
fratres Chriſti, communicipes ſanctorum, cælorum
cives, Dei cum Chriſto cohæredes. Sic egeni cumu-
lamur, debiles viribus donamur, ſtulti ſapimus, in-
juſti juſtificamur, mœrentes conſolationem percipi-
mus, trepidi ad confidentiam erigimur, ſervi ad liber-
tatem vocamur. Euangelium eſt verbum vitæ, ver-
bum veritatis, potentia Dei ad ſalutem cuivis cre-
denti, clavis ſcientiæ ſalutis. Hac regni cælorum fo-
res credentibus patefiunt, dum à peccatis abſolvun-
tur. Hac incredulis obſerantur fores, dum io peccatis
conſtringuntur. Felices qui audiunt, qui cuſtodiunt,
qoi veras filiorum Dei notas ita in ſeſe exhibent. In-
felices qui reſpuunt audire, qui obſervare negli-
gunt, qui ſeſe eo modo Diaboli filios produnt. Huc,
huc Chriſtiani omnes attendite, hic ſapere audete:
ignorans enim ignorabitur; ac ſi cæcus cæcum ducat,
ambo in foveam cadent. Una eſt Euangelii ad vitam
& ſalutem via: una fides & certitudo promiſſionum
Dei, quæ uno Euangelio conſtant. Euangelii auditus
& intelligentia conferunt fidem vivam, ſpem fixam,
ſinceram erga Deum dilectionem, ferventem erga
proximum charitatem. Quænam igitur ſpes ulla ve-
ſtra eſt, ſi Euangelium contemnitur à vobis, ſi dedi-
gnamini audire, inſpicere, legere, atque animo recon-
dere? En qui hujus ſeculi vanitatem conſectantur,
ut ea ſummo ſtudio atque indefeſſo captant quæ ad
ſuam illam felicitatem pertinere exiſtimant! Ad
illud,

illud, inquam, tam inſano ſtudio abripiuntur, ut neque ſe reſpiciant, neque laboris ullius, aut periculi, aut nominis ſui etiam rationem habeant: adeo pudendum iſtud ſervitium eos delectat, ut ad corpus unum omnia referant, cujus tam vana eſt vita, tam miſera, tam inſtabilis. Nos vero ubi de immortali, incorrupta, æterna, incomparabili beatitudine, de theſauris cœli adipiſcendis agitur nobiſcum tanta liberalitate, tanta fide, tanto noſtro compendio, non enitemur per objecta quævis impedimenta, ut potiora illa conſectemur? Qui operantur mechanicis, rebus nempe vilioribus, ſummo labore artem addiſcunt, ut periti evadant: qui artes liberaliores ſectantur, tantum non ſeipſos conficiunt, ut aliquid eo in ſtudio promoveant, ex quo ſapientiæ ac virtutis nomen acquirant: quæ tamen ipſa aliud non ſunt, quam fumus apparens, & evanidus vapor. Nos vero quantum interiori ſtudio rapi decebat ad cæleſtem illam ſapientiam, quæ videlicet ſupra mundum ipſum fertur, quæ ad regni Dei myſteria pertingit, quæ eadem Euangelio nobis ita dignante Domino revelatur! Ecquid igitur erit quod à ſancto Euangelio nos abducat, & ab illo alienet? Contumeliæ nempe, maledictiones, probra, imminutiones, dignitatum præſentium mulctationes? Atqui hic ipſe Dominus Jeſus præit nobis, cujus veſtigia carpere nos decet, ſi veri ipſius diſcipuli eſſe & haberi volumus: neque porro ulla ejuſmodi moleſtiarum impreſſio repudianda eſt, quæ nempe cum incomparabilis beatitudinis, gloriæ, exaltationis fide apud Dominum commutanda ſit. An igitur exilia, proſcriptiones, amiſſiones facultatum nos dimovebunt? Atqui illud non minus conſtat, etiamſi ex certa regione, adeoque natali ipſo ſolo migrare videbimur, Domini eſſe terram & orbem: imo, & terra etiam pulſos, & omni hoſpitio prohibitos, extra Dei regnum nihilo magis futuros. Si exuimur & ad egeſtatem redigimur, Pater ille non deeſt, cui ad nos alendos nihil deeſt. Chriſtus ſeipſum pauperem reddidit, ut & ipſum per veſtigia paupertatis ſubſequeremur. Inſtabunt afflictiones, carceres, eculei, & omne illud carnificinæ erga Dei ſervos inſtrumentum. Atqui ipſius Chriſti exemplo, iter illac ad gloriam nobis commonſtrari certo ſcimus. Tandem nempe una mors perterrefaciet. Atqui ea illa quidem eripere vitam poteſt, quæ per illam etiam unice erat expetenda. Des modo Chriſtum præſentem, & quicquid maledictiſſimum haberi poteſt, ſummæ benedictioni cedet, quicquid execratiſſimum ſanctificationi, quicquid funeſtiſſimum ſummo bono. Ut igitur univerſæ mundi vires nobis inſultent, ſtet nobis mens oportet. Neque enim excidere poteſt

Pſal. 2:4. illa promiſſio, Dominus ex alto ſubſannabit eos.
Jeſa. 8. Convenite & conſpirate, & non erit. Sic autem à
verſ. 10. Tertulliano appoſite traditum eſt jam olim, San-
Tertull. in Apolog. ſub ipſum finem. guinem Martyrum ſemen eſſe Eccleſiæ. Neque deeſt etiam nobis certiſſima illa conſolatio, quod oculis à mundo & rebus præſentibus ad Dei tribunal converſis, illud ipſum patienter expectamus, quo demum extante momento corruet totus ille paratus impiorum, & quicquid tanto opere adverſus tremendum judicem ſibi moliti ſunt, dicto citius evaneſcet. Hoc autem extabit, quum regnum Dei, quod ſpe tantum jam percipimus, reipſa tandem revelabitur. Quum Dominus Jeſus Chriſtus cum Angelis Majeſtatis ſuæ viſendus apparebit. Quum univerſi ſigillatim ad illius magni Regis forum & cognitionem ſua illa die ſiſtentur. Atque tum demum qui conſtanter in hoc fœdere perſtiterint, & ad Patris cæleſtis voluntatem rebus omnibus inſuper habitis attenti fuerint, collocabuntur ad dexteram, percipient ſcopum fidei, benedictionem cum vita æterna conjunctam. Quemadmodum ipſos non puduerit Chriſtum agnoviſſe, & confeſſum eſſe, dum in hominum opprobrio & contemptu jaceret; ita etiam gloriæ ipſius tum revelatæ fient participes, æternamque per illum coronam percipient. Contra impii, præfracti, reprobi, ac contempti Euangelii rei, qui item ut locum ſuum ac dignitatem retinerent, cum Chriſto humiliari atque dejici non ſuſtinuerint, qui in metu hominum ſepulti, à timore Dei defecerint: ut & ſpurii & illegitimi, ac tanto parente indigni, ſtatuentur ad lævam, in maledictionem peſſundabuntur, ac pro infidelitatis mercede pœnis æternis addicti conflagrabunt. Quare ubi audimus Euangelio nobis Chriſtum offerri, in quo omnes Dei promiſ-
ſiones ſint Etiam & Amen: uti Chriſtus ipſe illic *2 Cor. 1.*
ſignificat ſe à Patre miſſum eſſe, verſatum cum ho- *verſ. 20.*
minibus, perfeciſſe quicquid ad noſtram ſalutem opus eſſet, uti hoc totum in Lege & Prophetis comprehenſum ante extabat: illud dubitandum non eſt, patere etiam per illum nobis cœli theſauros, Dei ipſius, inquam, divitias omnes illic exhiberi: denique vitam æternam in illo cumulate eſſe revelatam. Si-
quidem hæc eſt vita æterna, ut agnoſcant te verum *Joan. 17.*
Deum & Jeſum Chriſtum quem miſiſti: in quo ſunt *verſ. 3.*
ſingulæ ſalutis noſtræ partes repoſitæ. Hic noſter Iſaacus oblatus in ſacrificium, ut poteſtati mortis non ſuccubuerit. Hic Jacobus ille vigilantiſſimus, nunquam non in gregis ſibi commiſſi ſalutem intentus. Hic Joſephus ille, pius frater ac miſericors, in ſumma ſua dignitate, indigniſſimos atque abjectiſſimos fratres non dedignatus. Hic Melkizedek ſummus Sacerdos unico æterno ſacrificio perfunctus ſemel, quo ſimul univerſis finem imponeret. Hic Moſes ſummus Legiſlator, Legis ipſius in cordis tabulis inſcribendæ ſingularis auctor. Hic Joſua fidus deductor, qui ſuos in promiſſam hæreditatem intulit. Hic David inclytus ac ſemper invictus, poteſtatem omnem adverſariorum perfregit atque ſubjecit ſibi. Hic Solomo ſplendidus triumphator populum in pace proſperrima gubernavit. Hic Samſon fortiſſimus, in media morte infenſiſſimos illos ac numeroſiſſimos hoſtes ſemel proſtravit. Denique quicquid ſalutare hominibus aut cogitando aſſequi, aut ex voto proferre poſſis, totum illud in Chriſto obvium eſt, ac reipſa conſtat. Chriſtus humiliatus eſt ut nos attolleret, ſervituti ſubjectus ut in libertatem aſſereret, pauper factus ut ditaret, venditus ut redimeret, captus ut liberaret, damnatus ut abſolveret, factus maledictio in noſtram benedictionem, oblatio pro peccato ad noſtram juſtitiam, deformatus ut reformaret, mortuus ut vivificaret. Per Chriſtum nempe diſtorta omnia complanantur, atque inaudita rerum omnium transformatio producitur. Per Chriſtum etiam emollita durities, placata ira, illuſtratæ tenebræ, juſtificata injuſtitia, roborata infirmitas, erecta deſolatio, occupatum peccatum, calcatus contemptus, confidens trepidatio, inductum debitum, levatus labor, recreatus mœror, fortunatum infortunium, explicata perplexa, ordinata confuſa, ſciſſio reſarta, ignobilitas nobilitata, contumacia pervicta, comminatio perterrefacta, retectæ inſidiæ, inſultus invaſi, vim vis patitur, pugna impugnatur, prælium impetitur, ultio vindicatur, tormentum torquetur, damnatio damnatur, abyſſus abſorbetur, infernus deprimitur, mors emoritur, mortalitas immortalitate commutatur. Uno verbo, per Chriſtum miſericordia miſeriam ſuſtulit, bonitas infelicitatem exhauſit. Et quæ tela erant Diaboli ad nos invadendos, qui ad pungendos aculei, illa eadem exercitamenta jam ſuperſunt, ex quibus fructum inſignem perci-
piamus. Nunc, inquam, gloriari cum Apoſtolo ita *1 Cor. 15.*
audemus, Ubinam ô inferne tua victoria? Ubinam *verſ. 55.*
ô mors aculeus tuus? Nunc per Chriſti Spiritum, quem promiſit ſuis, non jam vivimus ex nobis, ſed ex fide Filii Dei, ac per eundem Spiritum jam cæleſtibus aſſidemus: in mundo agentes, à mundo peregrinamur. Et quocunque ſub axe verſemur, quocunque modo accipiamur, perinde illa omnia ſunt nobis.

In

Digitized by Google

In affictionibus præſenti animo ſumus, in mœrore exultamus, in vituperio exaltamur, in inopia abundamus, in nuditate contegimur, in malis duramus, in morte vivimus. Hæc illa eſt nimirum vera & non fucata ſapientia, quam ex hac vita aſſequamur, & cui neque Angeli, neque homines, neque vita, neque mors quidquam addant vel detrahant. Hæc eſt ſtatio in qua nobis conſiſtendum eſt. Nimirum illud eſt in tota Scriptura à nobis quærendum, ut Chriſtum vere agnoſcamus, & quas in illo præſentes divitias offerat nobis Pater. Neque ullus eſt apex in Scriptura apud Moſen & Prophetas, qui non illuc nos deducat. Etenim quum in Chriſto reconditi ſint omnes ſcientiæ theſauri, fruſtra ab illo nos abduci ſinamus, niſi ſponte à veritatis luce ad mendacii tenebras transverti cogitamus. Quamobrem appoſite Apoſtolus 1 Cor. 2: 2. non aliam ſcientiam ſibi tribuit, quam quod Chriſtum cognoſcat, atque illum crucifixum. Quamvis enim caro aliter judicet, cui iſta cognitio vilis & vulgaris ſit, eſt tamen illa nobis abunde, quam perpetua vita meditemur. Neque vero operæ nos pœnitebit, ubi noſtrum omne ſtudium ac mentem ad illius unius notitiæ perceptionem contulerimus. Nam quid quiſquam noſtrum jure requirat ad doctrinæ cæleſtis cumulum, quam ut Deum ita cognoſcat, ut in ipſum transformemur: ſacratiſſimam ipſius imaginem in ſeſe jam inſculptam habeat, ut juſtitiæ ipſius particeps evadat? ut Regni hæres fiat, ac tandem cumulate illud poſſideat? Atqui illud conſtat, & jam olim ipſum Dominum ſeſe ita intuendum præbuiſſe, ac nunc demum quam appoſitiſſime in facie Chriſti ſui. Quare ab ipſo vel tantillum deflectere, vel quovis modo divertere ſit nefas. Quin potius in eo uno conſiſtat nobis animus, ut ex Scriptura cognoſcere diſcamus Chriſtum unum, ut per ipſum recta deducamur ad Patrem, in quo demum cumulata extat omnis perfectio. Hi ſunt, inquam, veræ hominum ſapientiæ termini, quam unam ſapientiam in hac vita ſummo ſtudio perquirendam tantum ſinguli ſibi proponant: & cui neque Angelus, neque mortalis quiſquam, neque vivus neque vita functus apponere vel detrahere audeat. Hic mens noſtra conquieſcat, ut de ſuo ne tantillum quidem admiſceat, aut ullam adtititiam doctrinam admittat. Quod ſi quis doctrinæ huic vel minimum apicem ſuperaddiderit, is ſeſe anathemati coram Deo & Eccleſia ipſius obnoxium jam jam agnoſcat.

Fidei confeſſio nomine Eccleſiæ Pariſienſis oblata Regi Henrico, Latina facta.

QUum apud Majeſtatem tuam, Rex Potentiſſime, palam accuſemur, acſi ſectam aliquam ſeorſum à nobis invectam tueremur, nihil eſt omnino quod magis optemus, quam ut reddamus fidei noſtræ rationem: modo placide & æquo animo expendere libeat quod brevi ſcripto comprehenſum tibi proponimus, ut diligentius quidnam contineat ex otio perſpicias: atque etiam ſi ita tibi videatur, Conſilio tuo communices, quo melius judicare liceat jurene an injuria damnemur. Interea Rex Sereniſſime duo abs te ſupplices petimus, quorum prius eſt, ut apud te exactius perpendas, quam pretioſa res ſit Dei veritas, quæ in Lege, Prophetis & Euangelio continetur: quum illic non modo animarum noſtrarum ſalus includatur, ſed etiam quia rite Deo ſuus honor & gloria reddi non poteſt, niſi ex ejus regulæ præſcripto. Alterum autem, ut memoria tecum repetas, quot & quanti errores hodie graſſentur in mundo. Nam ſatis conſtat verum Eccleſiæ puritatem prorſus eſſe depravatam & corruptam. Jam vero permulti ſibi indulgent in ſua cæcitate & ignorantia, adeoque obduruerunt pervicaciter, ut de certa Dei voluntate inquirere non ſuſtineant. Et hæc ratio eſt, cur ſæpe damnentur pii homines indicta cauſa. Cæterum Nobiliſſime Rex, ne tibi videamur velle fucum facere, aut vanos colores inducere, conſcripſimus hic paucis nudam ac ſimplicem illius fidei confeſſionem quam tuemur ac propugnamus, & quam etiam tibi ut Eccleſiæ catholicæ conſentaneam probatum iri ſperamus.

1. Ac primum quidem credimus in unum Deum, *Deut.* 4.
ſimplicis unius eſſentiæ, & in qua tamen tres ſunt *verſ.* 35.
perſonæ diſtinctæ, ſicuti docemur ex ſacris Scriptu- *Mat.* 28.
ris, atque ſtatutum fuit à veteribus Conciliis: & de- *verſ.* 19.
teſtamur omnes ſectas ac hæreſes, quibus expugnandis incubuerunt veteres Eccleſiæ doctores.

2. Credimus hominem, quum purus & integer *Gen.* 1.
creatus eſſet, ſua ipſius culpa excidiſſe ab ea quam *verſ.* 26.
acceperat ſingulari gratia, atque ita ſeipſum alie- *Eccleſ.* 7.
naſſe à Deo, qui fons eſt juſtitiæ ac bonorum *verſ.* 3.
omnium: adeo ut ejus natura omnino corrupta fue- *Rom.* 3.
rit: & quum mente eſſet excæcatus, & depravatus *verſ.* 23.
corde, integritatem omnem ſic amiſiſſe, ut nihil placi reliquum habeat.

3. Credimus univerſam Adæ poſteritatem ea *Rom.* 5.
contagione vitiatam eſſe, & peccatum Originale vi- *verſ.* 12.
tium eſſe hæreditarium, ac non imitationem tantum, *Job* 14.
ſicuti finxerunt Pelagiani, quorum errorem omnino *verſ.* 4.
execramur.

4. Credimus præterea hoc vitium vere peccatum *Pſal.* 51.
eſſe, quod ad damnandum totum genus humanum *verſ.* 7.
ſatis ſit: ac tale coram Deo cenſeri, ut etiam poſt Ba- *Rom.* 7.
ptiſmum ſemper ſit peccatum, quod ad culpam ſpe- *verſ.* 10.
ctat, quamvis reatus aboleatur: quia Deus pro gratuita ſua bonitate illud nobis non imputat.

5. Credimus ſola Dei miſericordia electos eximi *Rom.* 9.
ab exitio illo univerſali, quo demerſi ſunt cuncti ho- *verſ.* 23.
mines: ac primo quidem Jeſum Chriſtum, ſine quo de omnibus actum erat, datum nobis eſſe Vindicem ac Redemptorem, ut nobis juſtitiam & ſalutem afferret.

6. Credimus Jeſum Chriſtum, quum eſſet æterna *Joan.* 1.
Dei ſapientia, & unicus ejus Filius, carnem noſtram *verſ.* 14.
induiſſe, ut eſſet in una perſona Deus & homo, etiam *Heb.* 2: 7.
noſtri perſimilis, niſi quod ab omni macula fuit puriſſimus. Atque hic quoque deteſtamur omnes hæreſes, quibus olim turbata fuit Eccleſia. Deinde in hunc finem ſuſcepiſſe naturam noſtram, ut mortem obiret & reſurgeret, omnemque juſtitiam impleret, quo vitam cæleſtem nobis acquireret.

7. Credimus unico illo ſacrificio, quod in cruce 2 *Cor.* 5.
obtulit Chriſtus, nos reconciliari Deo, ut juſti cen- *verſ.* 19.
ſeamur: atque hoc modo libertatem nobis eſſe para- *Heb.* 1: 3.
tam, qua Deum invocemus, certo perſuaſi illum & 10: 14.
nobis eſſe Patrem: quia adoptione conſequimur 1 *Pet.* 2.
quod Chriſtus habet natura. *verſ.* 24.

8. Credimus integram noſtram juſtitiam niti ac *Pſal.* 32.
fundatam eſſe in remiſſione peccatorum: ſicuti etiam *verſ.* 2.
ſola eſt hæc noſtra felicitas, ut teſtatur David. Ita- *Rom.* 3.
que rejicimus alias omnes juſtitias, quas ſibi homi- *verſ.* 25.
nes arrogant, ac fingunt ſe conſequi ſuis virtutibus & 4: 6.
aut meritis: quum fiducia noſtra conſiſtere alibi non poſſit, neque ullo modo acquieſcere, niſi certo perſuaſi ſimus Deum, deletis omnibus noſtris iniquitatibus, nobis imputare quo nos juſtificet atque abſolvat, obedientiam quam unicus ejus Filius ipſi præſtitit.

9. Credimus ſola fide nos fieri participes hujus *Epheſ.* 2.
juſtitiæ: atque etiam fidei luce donari arcana Spiri- *verſ.* 8.
tus ſancti gratia, quatenus ſcilicet in Chriſto electi ſumus: ut donum ſit gratuitum ac peculiare, quod Deus in eos confert quibus viſum eſt, ita ut non modo in rectam viam deducat, ſed etiam efficiat, ut ad finem uſque perſeverent.

10. Credimus hac eadem fide nos regigni in no- *Rom.* 6: 7.
vam vitam, quia ſumus natura peccato mancipati. *Coloſſ.* 2.
Etſi autem hæc renovatio, qua Deus nos refingit ad *verſ.* 33.
bene agendum, pars una eſt noſtræ ſalutis: fatemur

tamen

Digitized by Google

Pſal. 143. tamen quæ facimus virtute Spiritus ſancti bona
verſ. 2. opera, in rationem non venire, ut ob ea juſticemur
coram Deo, ac inde mereamur inter ejus filios cen-
ſeri. Semper enim dubii anxiique fluctuaremur, niſi
conſcientiæ noſtræ penitus acquieſcerent in ea ſatiſ-
factione, qua Chriſtus nos liberavit.

Rom. 8. 11. Ejuſmodi fiducia freti Deum invocamus no-
verſ. 15. mine unigeniti ejus Filii, quem nobis dedit Media-
Gal. 4: 5. torem & Advocatum: ac preces noſtras confidenter
ad eum dirigimus, quum tam facilis acceſſus nobis
pateat, atque adeo diſerte pronunciet preces noſtras
ſibi fore ſacrificium boni odoris: & præcipiat ut hac
ratione in ſuam fidem nos recipiamus.

Epheſ. 4. 12. Credimus Eccleſiæ ordinem, quem Chriſtus
verſ. 11. ſua auctoritate ſancivit, debere ſacrum & inviolabi-
lem conſervari. Ac proinde Eccleſiam conſtare non
poſſe, ſi deſint Paſtores qui docendi munere fungan-
tur: & hi quidem honore afficiendi ſunt, ac audiendi
cum ſumma reverentia, quum rite vocati fideliter
partes ſuas obeunt. Atque hic execramur fanaticos
omnes qui vellent quantum in ſe eſt, extinctam
verbi Dei prædicationem.

Epheſ. 2. 13. Credimus Eccleſiæ unitatem ſervandam eſſe,
verſ. 2. & ex animo colendam: & quotquot ſe ab ea ſubdu-
cunt, homines eſſe perverſos, qui non ſecus ac pe-
ſtes fugiendi ſunt. Putamus tamen judicium pruden-
ter adhibendum eſſe, ut quænam ſit vera Eccleſia,
perſpicue intelligatur. Hoc enim titulo multi falſo
abutuntur. Profitemur ergo eſſe fidelium ſocietatem,
qui in hoc conſentiunt, ut ſequantur Dei verbum,
& puram quæ ex eo pendet religionem, & in ea toto
vitæ curſu proficiunt, atque creſcendo confirmant
ſe in Dei timore, ſicuti etiam neceſſe eſt ut progreſſus
faciant, & ſemper magis ac magis progrediantur: &
utcunque conentur pro viribus, ad remiſſionem pec-
catorum perpetuo confugiant oportet.

Rom. 4. 14. Credimus Sacramenta ad majorem confir-
verſ. 11. mationem verbo conjungi, ut ſint nobis divinæ gra-
Epheſ. 5. tiæ certa pignora & teſſeræ, atque ita fidem noſtram
verſ. 26. ſublevent ac juvent, ob eam quæ in nobis eſt infir-
mitatem ac craſſum ingenium. Profitemur quoque
ſubſtantiam illorum eſſe Chriſtum. Nam ab eo ſepa-
rata vim omnem amittunt.

Rom. 6. 15. Credimus Baptiſmum eſſe teſtimonium no-
verſ. 4. ſtræ adoptionis, quia illic inſerimur in corpus Chri-
ſti, ut ejus ſanguine abluamur & mundemur: deinde
Actor. 2. renovemur in ſanctam vitam per ejus Spiritum. Etſi
verſ. 38. autem Baptiſmus eſt Sacramentum fidei & pœniten-
tiæ, quia tamen Deus in Eccleſiam ſuam recipit filios
una cum patribus, dicimus, auctoritate Chriſti pio-
rum omnium liberos baptizari debere.

1 *Cor.* 10. 16. Profitemur ſacram Cœnam certum nobis eſſe
verſ. 16. teſtimonium unitatis illius, quæ nobis eſt cum Chri-
ſto: quia non modo ſemel pro nobis mortuus eſt, &
à mortuis excitatus: ſed etiam nos vere paſcit ac nu-
trit carne ſua & ſanguine, ut unum cum eo ſimus, &
Actor. 3. ejus vita nobis ſit communis. Quanquam autem ipſe
verſ. 21. eſt in cælo, uſque dum veniat ad judicandum mun-
dum: credimus tamen ſimul arcana & incompre-
henſibili virtute Spiritus ſui nos alere, & vitam ex
ſubſtantia corporis & ſanguinis ſui nobis largiri. Per-
ſuaſi quidem ſumus hoc ſpiritualiter fieri, non quod
imaginationem ullam, vel cogitationem in locum
effecti & veritatis invehamus, ſed quod hoc myſte-
rium altitudine ſua modulum ſenſus noſtri, adeoque
omnem naturæ ordinem longe ſuperet: denique
quum ſit cæleſte ac divinum, non poteſt niſi ſola
fide comprehendi.

Joan 6. 17. Credimus tum in Cœna tum in Baptiſmo
verſ. 51. Deum reipſa nobis dare, & effectu etiam implere ac
præſtare quod illic figurat. Itaque ſignis conjungi-
mus veram poſſeſſionem & fruitionem ejus rei quæ
nobis illic offertur: ac proinde quotquot ad ſacram
Chriſti menſam afferunt puram fidem velut vas ali-
quod, vere ea percipiunt quæ teſtantur ipſa ſigna,
nempe corpus & ſanguinem Chriſti non minus eſſe
cibum & potum animæ, quam panem & vinum cor-
pori alendo.

18. Credimus hanc eſſe Dei voluntatem, ut *Rom.* 13.
mundus legibus regatur, & ut politia ſervetur, quo *verſ.* 1.
ſint quædam veluti frena ad cohibendos hominum 1 *Pet.* 2.
affectus immoderatos: atque ita conſtituiſſe regna, ac *verſ.* 13.
principatus, & quicquid ad ordinem politicum ſpe-
ctat, ac velle auctorem ſe agnoſci: ut ejus nomine
ac cauſa non modo ſuum Magiſtratibus imperium
ſartum tectum relinquatur, ſed etiam illis honor de-
feratur, ſummaque reverentia obſerventur, quum
ſint ejus vicarii ac miniſtri quibus legitimum & ſan-
ctum munus demandavit. Itaque profitemur ex ani-
mo parendum eſſe eorum legibus & edictis, ſolvenda
tributa & vectigalia, & omne genus obſequii liben-
ter præſtandum, atque ſubeundum eſſe jugum
ſponte ac libere: ita tamen ut ſummum imperium
Deo integrum maneat.

Hæc eſt, Sereniſſime Rex, fidei noſtræ ſumma abſ-
que ullo fuco vel larvata ſpecie. Etſi autem omnia
capita, in quibus reprehendimur, minutius à nobis
tractata non ſunt, nihil tamen objici nobis nec expro-
brari poteſt, quod non pendeat ex his quæ breviter
hic comprehenſa ſunt. Atque ita prorſus eſſe depre-
hendes, ſi probe ſingula expendere libeat. Quod ſi
multas ſuperſtitiones rejicimus, quæ plane repugnant
his quæ jam expoſuimus, tibi excuſationem noſtram
ut rationi conſentaneam, probatum iri ſperamus. Ac
rurſum ſupplices abs te petimus, Rex Nobiliſſime,
ut non ſecus quam indulgens pater, & humanus de-
fenſor eorum qui tuæ fidei commiſſi ex animo tibi
parent, eorum miſerearis, qui nihil aliud quærunt,
quam ut ſincere & ex animo Deum colant, ac tibi
fideliter omnia ſua officia deferant, & ſerio præſtent.

Confeſſio fidei, nomine Eccleſiarum Gallicarum vigente bello ſcripta, ut coram S. C. M. *& Illuſtriſſ. Principibus Germaniæ, atque Ordinibus in Comitiis Francofurtenſibus ederetur, ſi per itinerum difficultates ex Gallia tum eo pervenire potuiſſet,* ANNO M. D. LXII.

DUbium nobis non eſt, Invictiſſime Cæſar, *Ex Gall.*
quin ex quo tumultus in Gallia excitati
ſunt, magno noſtro animi dolore, non de-
fuerint qui cauſæ noſtræ apud V. Majeſta-
tem odium conflare conati ſint: quin etiam ad vos,
Illuſtriſſimi Principes, multa falſo delata ſint, quæ
vos adverſum nos accenderent. Sed tamen una ſpes
illa nos ſuſtinuit hactenus, ac nunc etiam ſuſtinet
multo magis, quod quum audientia nobis aperta erit
ad noſtras excuſationes afferendas, illas non difficile
admiſſuri ſitis, ubi ipſius rei veritas nude conſtiterit.

Edidimus autem jam ante plurimas teſtificationes,
ex quibus toti mundo fides fieret innocentiæ & inte-
gritatis noſtræ: tantum ut abſit, ut vel cogitaverimus
auctores eſſe ſeditionis ullius adverſus Regem, qui
ſupremus Princeps eſt & Dominus noſter ſecundum
Deum, ut ex oppoſito prorſus, hoc bello excitato,
noſipſos in capitis & fortunarum periculum conje-
cerimus pro aſſerenda legitima ipſius poteſtate &
ſuperioritate, cum Edictorum ipſius auctoritate: ne-
que etiam ipſius Majeſtas ullos habeat ſubditos fide-
liores, magiſve obſequentes & pacatos, quam & nos-
ipſos feramus, & laturi ad extremum ſimus. Quare
quum iſta jam aliunde ſatis conſtent, unum hic nobis
faciendum duximus, ut exponeremus vobis quænam
ſit fides illa noſtra atque religio, propter cujus uſum
& cultum Edictis Principis approbatum, armis nos-
ipſos tueri coacti fuerimus. Accipimus enim male-
volos quoſdam quibus nulla alia de nobis detrahen-
di occaſio occurrit, noſtram Religionem apud S.
V. C. M. & CC. VV. infamare, & multa apud
vos confingere, quæ vos ab illa alienent: quo-

rum

rum calumniis repellendis niſi aliquis apud vos daretur aditus, cauſa noſtra illo artificio oppreſſa facile concideret.

Quum autem ad hanc fidei noſtræ expoſitionem edendam apposita quidem eſſet illa confeſſio, quæ Eccleſiarum Gallicarum nomine edita eſt, cui nos etiam adhæremus, & quæ his jam Regi exhibita eſt, (ex qua ſatis colligitur, quæ ſit noſtra fides, ut amplior declaratio requirenda non ſit, quæ nos à detractionibus illorum aſſerat, quorum ora illa maledicentiæ plena obſtrui vix unquam poſſunt) quia tamen officii noſtri eſt adhibere operam omnem, ut noſtra integritas perſpecta ſit, ac nemo illa offendatur, ſed ut tanto juſtius pateſiat fidei noſtræ ſinceritas, ne qua pravitati adverſariorum anſa relinquatur ad blaſphemandam Euangelii veritatem: commodiſſimum duximus Invictiſſime Cæſar, ſi hanc fidei noſtræ comprehenſam ſummam ad S. V. C. M. & ad VV. CC. Illuſtriſſimi Principes, mitteremus, ut noſtra ſubſignatione teſtatam haberetis. Quemadmodum igitur apud S. V. C. M. & VV. CC. bene audire in primis exoptamus, ita & ab illis ſupplices petimus, ut huic noſtræ confeſſioni aditum apud ſe atque audientiam pro benignitate ſua non denegent.

Primum igitur palam & aperte teſtamur recipi à nobis, & admitti ea omnia, quæ veteribus Synodis deciſa ſunt de Dei eſſentia infinita & ſpirituali, de Perſonarum diſtinctione, de duarum in Chriſto naturarum unione: ut quæ ex Scriptura petita ſint, cui uni ſalus noſtra innititur: quum non extet alius idoneus teſtis, qui certam de Dei Majeſtate fidem nobis faciat, præter ipſum unum.

Quemadmodum autem vetus ac novum Teſtamentum pro unica fidei regula amplectimur, ita etiam admittimus quicquid illi ipſi per omnia reſpondet. Cujuſmodi eſt profeſſio fidei trium in unica Dei eſſentia diſtinctarum Perſonarum; itemque quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus verus Deus & homo exiſtens, ita duas illas naturas univerit, ut tamen non confuderit. Proinde hic illas omnes hæreſes deteſtamur, quæ jam olim damnatæ fuerunt, tam Arii, Sabellii, Eunomii & quæ eodem pertinent, quam Neſtorii & Eutychetis. Abſit enim à nobis vel minima labes illarum hæreſeôn, quibus Eccleſia Dei catholica pridem vexata fuit, dum ſua in illa puritas extaret. Quamobrem tota controverſiæ noſtræ ſumma non eſt in alio poſita, quam ut teneatur, cui rei tandem fides ſalutis noſtræ inniti debeat: quomodo à nobis Deus invocandus ſit: quæ item cultus Dei recta & legitima ratio. His addendæ & iſtæ appendices, quis ſit verus Eccleſiæ ſtatus, quod Prælatorum & Paſtorum munus, quæ natura, efficacia, uſus Sacramentorum.

Ut probe conſtituatur in quo ſalus hominum poſita ſit, omnino ſtatus ipſe hominum & conditio tenenda nobis eſt. Ergo de homine ita Scriptura præeunte ſentimus, nempe quod humanum genus per Adami lapſum corruptum ſit, quod omnes natura exitio & damnationi obnoxii ſimus, non tantum, quia Adamus ipſe peccarit, ſed quoniam peccatores & ipſi ſimus ab utero: ac Dei judicium ab illo momento merito adverſum nos intendi poſſe, etiamſi nullum opus noſtrum extiterit, cujus merito damnationem nobis accerſiverimus.

Præterea ſentimus Originale peccatum eſſe corruptionem per omnes animæ partes diffuſam, ut tum recta intelligentia & ratio in nobis inverſa ſit, ut non ſecus ac cæci in tenebris verſemur: tum etiam voluntas pravis affectibus mancipata, nihil præter rebellionem & omne malum ſpiret. In ſumma nihil aliud de nobis ſtatuimus, quam quod ſimus perdita mancipia peccati vinculis illigata: nec ita tamen, ut quod male agimus, non ſponte fiat à nobis, ut in alium culpa à nobis conferenda non ſit, ſed quatenus ab Adamo progeniti, nullam prorſus facultatem ad bene agendum habemus, quum omnes noſtræ facultates corruptione laborent.

Inde colligimus fontem & originem noſtræ ſalutis manare à mera Dei miſericordia: quum in nobis nulla extet dignitas, quæ ipſum ad nos amore proſequendum impellat. Quum enim arbores malæ ſimus, nullum bonum fructum ferre poſſumus, quo ipſum præveniamus, ut gratiam & meritum apud illum nobis comparemus: ſed ab ipſo nos reſpici ut noſtri miſereatur: neque ullam à nobis occaſionem accipere, quam ex noſtra ipſorum miſeria, ut ſuam erga nos miſericordiam aperiat. Quin etiam aſſerimus illam ipſius bonitatem erga nos ex eo fluere, quod elegerit nos ante mundi creationem, ut extra ſeipſum ac ſuam benevolentiam cauſam non petierit. Atque illud noſtrum eſt ſummum fundamentum, quod ſimus Deo grati, quoniam ipſi placuerit adoptare nos in filios, antequam nati eſſemus: ac proinde ſingulari privilegio exemerit à communi maledictione, quæ univerſis hominibus incumbit.

Quando autem arcanum Dei à nobis comprehendi non poteſt, fatemur ad obtinendam ſalutem veniendum eſſe ad medium illud quod Dominus ipſe conſtituit. Nihil enim habemus commune cum cerebroſis quibuſdam, qui prædeſtinationis æternæ prætextu viam ipſam negligunt, qua ad vitam pervenitur, ad quam prædeſtinati ſumus. Imo illud aſſerimus, ut Filii Dei cenſeamur, ac ſerio illud conſtet, credendum eſſe in Chriſtum, quia in illo uno tota noſtræ ſalutis ſubſtantia quærenda ſit.

Ac primum quidem credimus mortem Chriſti unicum ac perpetuum ſacrificium extitiſſe, quo nos Deo reconciliaret: in illa nobis offerri plenam ſatisfactionem pro peccatis: ipſius ſanguine ſordes noſtras omnes ablui: proinde noſtram fidem inniti in ſolidum peccatorum remiſſioni quam ipſe nobis non ad momentum aliquod duntaxat, ſed perpetua vita acquiſivit, ut & ea ratione appelletur Chriſtus noſtra juſtitia. Ac tantum abeſt, ut merita noſtra locum *1 Cor. 1. verſ. 30.* ullum retineant, ut aperte fateamur cum ſeria noſtri dejectione, nihil ineſſe nobis quod ſi Deus intueatur, non merito condemnet. Quare unum nobis præſidium eſſe ad ipſius gratiam expectandam, puram ipſius miſericordiam, quatenus ipſe in Filii dilecti nomine nos admittit.

Quum vero peccatorum remiſſionem non ideo largiatur, ut ad peccandi licentiam illa abutamur, ſed potius ut eſt in Pſal. 130. Deus nobis propitius ſit ut timeatur, ſentimus etiam gratiam illam Dei quæ in Chriſto nobis apparuit, eo referendam eſſe quo docet Apoſtolus, ut abnegata impietate, & *Tit. 2: 12.* mundi deſideriis, ambulemus in ſanctitate & juſtitia, & aſpiremus ad ſpem illam regni cæleſtis. Non eſſe igitur Chriſti ſanguinem purgationem ejuſmodi, quæ in noſtris ſordibus nos relinquat, ſed quæ potius ad veram puritatem perducat: atque ideo ſi filii Dei ſumus, oportere nos ipſius Spiritu eſſe regenitos. Sic accipiendum quod de Chriſto ſcriptum ſit, *1 Joan. 3. verſ. 8.* ipſum veniſſe ut deſtruat regnum Diaboli, quod eſt regnum iniquitatis, quia non in eum tantum finem datus ſit Mediator, ut per illum obtineamus peccatorum remiſſionem: ſed etiam ut per eum ſanctificemur, quod aliud non eſt, quam uti nos ex mundi pollutionibus eximat. Chriſtiani igitur eſſe non *2 Cor. 5.* poſſumus, niſi ſimus etiam novæ creaturæ formatæ *Epheſ. 1.* ad bona opera, quæ Deus præparavit ut in ipſis am- *Phil. 2.* bulemus: nempe quia ex nobiſipſis ad illa præſtanda *2 Cor. 3. verſ. 5.* comparati non eſſemus, ſed Dei donum ſit erga nos, quod velimus, & quod poſſimus: & ab illo uno ſit noſtra ſufficientia: ut eo nomine Chriſtus accepit omnem gratiæ plenitudinem, ut ab illo omnes hauriamus. Proinde neque merita, neque liberum arbitrium ſtatuimus, ſed potius bona opera mera Dei dona eſſe prædicamus.

Fide

Fide autem nos in omnium illorum bonorum poſſeſſionem mitti ſtatuimus, quando ipſa eſt ſingulare illud inſtrumentum per quod Chriſto communicamus, ut habitet in nobis: utque in ipſum tanquam vitæ arborem inſeramur: ut ſimus corporis ipſius membra, ut in illo vivamus, & ipſe vivat in nobis, atque & ipſum & omnia ipſius bona poſſideamus. Ac ne novum videatur quod tantam efficaciam fidei tribuimus, fidem appellamus non evanidam aliquam opinionem, ſed certam comprehenſionem promiſſionum Dei, quibus tot illa bona continentur. Sic Chriſtum amplectimur pro ſalutis noſtræ in ſolidum ſponſione, ſic ad noſtrum uſum applicamus quicquid accepit à Patre, ut nobis impertiret: adeoque agnoſcimus nullam ſalutis notitiam, niſi cælitus nobis poſſe conſtare: quatenus videlicet, ut loquitur Scriptura, illuminamur à Spiritu ſancto, ut aſſequamur quod omnem hominum captum ſuperat; atque idem Spiritus obſignat in cordibus noſtris, quid nobis credendum ſit.

Quanquam autem uti ad bona opera edenda vocati ſumus, fructus quoque qui vocationi noſtræ reſpondeant, proferamus, ut à Domino plane libe-
Luc. 1. rati, ſerviamus ipſi in ſanctitate & juſtitia: nunquam
verſ. 87. tamen quamdiu hic vivimus, tot infirmitatibus noſtris ad plenum exuti ſumus. Imo ipſæ etiam noſtræ cogitationes & affectus tot vitiis ſcatent, ut nihil ex nobis prodire poſſit, quod dignum ſit ut à Deo approbetur. Quare tantum abeſt ut bene agere ſtudendo, quidquam apud Deum mereamur, ut ne ad ſolvendum quidem quod tenemur, pares ſimus. Semper enim habebit Dominus quod in nobis requirat, merces vero ab ipſo niſi Legem præſtantibus non eſt conſtituta: atqui ab eo quam longiſſime abſumus. Ita igitur agnoſcimus concidere merita omnia, quatenus non tantum Legem perfecte non præſtamus, ſed etiam quod in unoquoque ex noſtris operibus inſit ſua labes, & defectus. Scimus illud tradi ſolitum, quod peccata ſatisfactionibus compenſanda ſint. Sed quia Scriptura unam Chriſti mortem pro ſatisfactione proponit, alibi acquieſcere non poſſumus, quam in ſacrificio mortis ejus, quo ira Dei placata ſit, cui nulla ex creaturis erat ferendo. Quapropter ſentimus juſtificari nos ſola fide, quia aliunde mutuo ſumenda ſit, nempe à Chriſto, quæ nobis deeſt juſtitia, eaque non ex parte, ſed in ſolidum.

Inde naſcitur invocandi Dei fiducia: quum abſque
Rom. 10. fide nullus ad illum eſſet nobis aditus, ut Scriptura
verſ. 14. nos docet: non exaudiri videlicet, qui hæſitanter &
Jac. 1:6. inquieta conſcientia precentur. Summum bonum
igitur & veram animi pacem illam eſſe ſentimus,
quum plene perſuaſi ſumus de peccatorum remiſſione
per fidem quæ eſt in Chriſtum, quum illa ſit noſtra
Joel. 2. clavis qua aditus ad Deum pateat. Scriptum eſt vero,
verſ. 32. quod quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus
erit. Preces igitur ad Deum quidem dirigimus, ſed
Joan. 16. ut eadem Scriptura docet, in Chriſti nomine, qui ſe
verſ. 24. nobis Advocatum conſtituit, quum ſine illo indigni
eſſemus, qui ad Deum accederemus. Quod autem
Sanctorum & Sanctarum interceſſionem non requirimus, hoc nobis vitio verti non debet. Quum enim in omnibus noſtris actionibus hoc primum eſſe debeat, ut certo conſcientiæ teſtimonio ducamur, tum maxime in oratione nimis ſobrii eſſe non poſſumus. Sequimur & illam regulam ex Rom. 10. non poſſe ante invocari à nobis Deum, quam ipſum cognoverimus, quod ipſius verbo tantum aſſequamur, ut teſtimonium voluntatis ipſius habeamus. Et quod ma-
Pſal. 50. jus eſt, quum Dominus habeat orationes noſtras pro
verſ. 15. præcipuo & præſtantiori quodam ſacrificio, quo
ipſius Majeſtatem proſequamur, illud transferre ad creaturas, atque ita huc illuc vagari ſine ſacrilegio non poſſumus. Accerſere autem alios patronos ab uno Chriſto, in nobis aut noſtro arbitrio poſitum non eſſe cenſemus. Tenemur quidem precari alii pro alii, quamdiu hic vivimus: verum ad mortuos conferre nos non auſimus, quum Scripturam auctorem non habeamus, ne præſumptionis rei coram Deo ſimus. Imo vero enormes illi abuſus qui hac in parte obtinuerunt, atque nunc etiam obtinent, ſatis nos admonent, ut in tali ſimplicitate nos contineamus, ac certos fines à Domino poſitos, ne ultra noſtra audacia vel temeritas excurrat, obſervemus. Invectæ ſunt enim multæ precularum ſpecies cum horrendis blaſphemiis conjunctæ: ut illa ad Virginem verba ſonant, *Jube natum, jure matris impera.* Item quum *Portus ſalutis, vita, ſpes noſtra* ab infidelibus invocatur.

Ut autem non invocamus vita functos, ita etiam pro mortuis preces non concipimus, ne aliud commentum approbemus, ac ne quid extra Scripturam tentemus: eſſe nempe locum Purgatorii, in quo animæ demum peccatorum pœnas luant. Hoc ſi admittitur, redemptio à Chriſto allata plena ac perfecta non eſt, ac tantundem ita derogatur morti ipſius, quaſi ab illo ex parte tantum liberatio nobis allata ſit: quod dici ſine blaſphemia non poteſt. Proinde quum hic agnoſcamus miſeros homines ludificatos fuiſſe, nihil affingere volumus contra fidei Chriſtianæ principia: adeoque nobis hoc ſatis eſt, ſi in pura Scripturæ doctrina quæ nihil iſtorum tradit, pedem figamus. In ſumma, totum illud habemus pro ſuperſtitione ex hominum cerebro enata: ac præterquam quod fas non eſt Deum temere invocare, nolimus porro hoc nobis adrogare, ut Chriſti unius officium, quo noſtra conſtat redemptio, pro mortuis nos interponendo uſurpare videamur.

Alterum præcipuum caput, de quo nobis non convenit cum uſu & opinione quæ vulgo recepta eſt, in ratione cultus Dei poſitum eſt. Nos enim totum iſtud petendum eſſe contendimus ex ipſo illius verbo: quo
etiam unam obedientiam ſacrificiis à ſe præferri te- *1Sam 15.*
ſtatur: ac paſſim hoc inculcat, ſe unum audiri velle, *verſ. 22.*
ubi de cultu ei exhibendo qui ipſi probetur, agendum eſt. Nos, inquam, ſentimus non eſſe noſtrum comminiſci ex nobis quod libuerit, aut etiam obſervare quod ex aliorum cerebro prodierit, ſed in una Scripturæ ſimplicitate ſtandum nobis eſſe. Quamobrem credimus nullum in Dei cultu locum eſſe debere cuilibet rei, quæ non ex Dei verbo petita ſit, ſed hominum auctoritate inſtituta. Atque in hoc capite duo iſta axiomata ponimus: Unum, quod jus hominibus non ſit obſtringere conſcientias ſub pœna peccati mortalis, quum non fruſtra Dominus haberi
velit unus Legiſlator, penes quem ſit ſervare & per- *Jac. 4.*
dere: non fruſtra etiam tot locis hoc ingerat, ne quid- *verſ. 12.*
quam addatur ad ipſius mandata. Neque etiam hoc poteſt recipi, quin Dominus ipſe quodammodo ita notetur imprudentiæ, & inadvertentiæ in rebus tradendis, quarum uſus tam appoſitus fuiſſet. Alterum axioma eſt, rejici à Deo ut mixturam totidem fœditatum, quum ex noſtra devotione illum colere inten-
dimus. Atque ideo apud Iſaiam clamat, inverſum *Iſa. 29.*
eſſe funditus omnem cultum ſui, ex quo mandata *verſ. 13.*
hominum invecta fuerunt. Quod etiam Dominus
ipſe apud Matth. confirmat, fruſtra ſe coli ſecundum *Mat. 15.*
mandata hominum. Hoc igitur aperta ratione evin- *verſ. 8.*
citur, ſupremum illud ac ſingulare ſpirituale jus uni Domino inviolatum eſſe ſervandum: ut ſaltem voluntas ipſius ſit nobis pro freno, ac ſupra devotiones noſtras dominetur.

Atque hic ea nobis occurrunt ex communi experientia, quæ nos tam diſerte commonefaciant, ut tanto magis in eo confirmemur, ne fines à Scriptura poſitos prætergrediamur. Ex quo enim leges de Dei cultu ſtatui cœperunt, & quæ ad conſcientias obſtringendas pertinerent, nec modus nec ratio adhibita eſt. Dominus porro ita mundum tantæ audaciæ merito punivit, talibus deliriis excæcando, ut vel ipſa cogitatio horrorem incutiat. Ac ſi verbi gratia

traditiones humanæ propius expendantur, abyſſus illic comperietur, adeo infinitus eſt numerus. Exſtant vero abuſus tam enormes tamque abſurdi, ut ſtupendus ſit hominum in eo ſtupor, niſi quòd agno-
Iſa. 29. verſ. 14. ſcendum illic eſt Dei judicium, quale per Iſaiam populo denunciat, quod ſapientes ipſi excæcentur, & obbruteſcant, dum ipſum impendio colere volunt obſervando mandata hominum. Ex quo à pura & ſancta Dei obedientia diſceſſum eſt, bona intentio viſa eſt ſufficere ad omnia approbanda: unde ſuperſtitionibus feneſtra aperta fuit. Inde imaginum adoratio, Miſſarum nundinatio, apparatus & ornatus in templis, peregrinationes, & temeraria paſſim vota. Atque iſta obiter attigiſſe ſufficit, quum immenſa ſit illarum rerum congeries. In ſumma, ſi Dei cultus ab hominum inventis penderet, nulla amplius certitudo nec fides Religioni conſtaret: ſed omnia præpoſtere fierent, & Chriſtianiſmus à Paganiſmo nulla in re differret. Primum vero illud quod attigimus, de tyrannide quæ uſurpatur in conſcientias, non eſt minoris momenti: quum ita miſeræ conſcientiæ opprimantur. Exemplo ſit unum mandatum de confeſſione peccatorum annua edenda apud ſacrificulum. Nam ſi vel unius diei peccata non eſt qui percenſeat, quis tandem anniverſariam enumerationem præſtabit? Et tamen ita ſonant verba Decretalis, non aliter obtineri poſſe remiſſionem peccatorum. Hoc vero eſt januam ſalutis omnibus ſemel præcludere. Quod ſi non ita impoſſibilis eſſet humanarum iſtiuſmodi legum præſtatio, maneret tamen ſacrilegium, quod Dei jus ita uſurpatur, quum negatur remiſſio peccatorum, niſi præmiſſa illa auriculari confeſſione. Illud enim eſt apponere conditionem promiſſioni Dei, quæ ipſam mendacem aut evanidam reddat. Perinde ſe habet interdictio eſus carnium certis diebus ſub pœna peccati mortalis. Fatemur vero jejunium & continentiam à cibis, rem eſſe laudabilem: ſed iſtiuſmodi prohibitio partem juris Dei præcidit. Prohibitio etiam conjugii Clericis & Nonnis impoſita, utrumque malum complectitur. Neque enim creaturæ jus erat vetare quod à Creatore permiſſum eſſet: neque etiam cogi fas fuit ad continentiam, qui donum illud non accepiſſent, quin aperta deſperationis aut non levioris fere mali vorago ipſis objiceretur. Atque ut hoc belle ceſſerit, res ipſa clamat: nos quidem etiam pudet in memoriam revocare.

Interea tamen Eccleſiæ auctoritatem, vel Paſtorum & Superintendentium, quibus Eccleſiæ regendæ provincia mandata eſt, ſublatam nolumus. Fatemur ergo Epiſcopos ſive Paſtores reverenter audiendos, quatenus pro ſuæ functionis ratione verbum Dei docent. Fatemur præterea tum omnes, tum etiam ſingulas Eccleſias hoc jus habere, ut leges & ſtatuta ſibi condant ad politiam communem inter ſuos conſtituendam, quum omnia in domo Dei rite & ordine fieri oporteat: ejuſmodi porro ſtatutis obedientiam deferendam eſſe, modo ne conſcientias adſtringant, neque ſuperſtitio illic adhibeatur: qui hoc detrectent, cerebroſi & pervicaces apud nos habentur. Enimvero non diſſimulamus, quin veri & legitimi Paſtores diſcernendi ſint ab illis, qui titulum inanem gerunt duntaxat. Nam & abuſus per ſe patet, quod qui ſe haberi pro Prælatis volunt, atque pro talibus agnoſci, nullam ſpeciem alicujus functionis edunt, quæ nomen cum re ipſa conciliet. Peſſimum vero illud eſt, dum ſuæ illius dignitatis prætextu, miſeras animas in exitium abducunt, dum illas à Dei veritate ad ſua commenta avertunt. Proinde ut in reliquis eſſent tolerabiles, ubi falſas doctrinas & impoſturas propinant, obſervandum nobis eſt etiam hac in parte illud Petri, & Apoſtolorum reſponſum,
Actor. 5. verſ. 29. Obedire oportet Deo magis quam hominibus.

Porro quod ad Primatum attinet, quem Papa ſibi arrogat, uſurpationem plane enormem eſſe ſentimus. Ut enim concedamus expedire, ut extet caput aliquod in Eccleſia, (quod tamen ex diametro repugnat verbo Dei) tamen longe abſurdiſſimum ſit, ut aliorum Epiſcoporum caput habeatur, qui ne Epiſcopus ſit quidem. Ac ſi quod de ſua Hierarchia garriunt, excutitur; ſatis comperietur nihil illic extare, quod reſpondeat illi poſitioni miniſterii, quam à Domino & Apoſtolis ipſius accepimus: imo apertam corruptionem eſſe, quæ regimen Eccleſiæ convellat. Non attingimus luxus & ſcandala quæ vulgatiſſima ſunt: illud urgemus, ad omnes Chriſtianos pertinere, ne ipſi in Dominum rebelles ſint, ut averſentur & procul habeant quicquid intelligunt puritati cultus ipſius repugnare. Quando enim de juriſdictione ſpirituali agitur, quam ſibi uni recepit Dominus, nulla humana ſublimitas non dejici omnino debet. Edicta quidem Principum & Magiſtratuum ſuum jus & pondus habent, quantumvis acerba ſint, adeoque etiam iniqua, ut contemni illa fas non ſit. Tanti enim non ſunt facultates huic vitæ conjunctæ, uti neque vita ipſa, quin auctoritas à Domino Principibus & Magiſtratibus collata præponderare debeat. Atqui longe diverſa ratio eſt, ubi agitur de conſcientiis ſubjiciendis legibus tyrannicis, exoticis, adulterinis, quæ eo tendunt, ut à Dei obedientia & ſubjectione homines avertant. Interea etiam fatemur non eſſe privatorum, abuſus iſtos corrigere, ut penitus eos ipſi tollant: ſed ab omnibus tamen requiri, ut ab illis ſeſe ſubducant, ut ſeſe integros & incontaminatos in Dei cultu præſtent.

Quod ad Paſtores, qui fideliter officio funguntur, attinet, ſic agnoſcendos eſſe ſentimus, ut qui illum ipſum exhibeant à quo ſint inſtituti. Oportere etiam ut Chriſtiani omnes ſeſe ſiſtant pro ordinis communis ratione, ad audiendam ſalutis doctrinam, edendam fidei confeſſionem, ſeſe in Eccleſiæ unione continendum, admittendas placide reprehenſiones & cenſuras, atque navandam operam, ne qua ſecta vel turba in Eccleſiam irrumpat. Proinde illos pro ſchiſmaticis habemus, qui turbas & confuſiones invehunt ad diſſipandam Eccleſiam, quæ non aliter ſtare poteſt, quam ubi regitur à ſuis Paſtoribus: quando ita eſt voluntas Domini, atque extat ipſius mandatum ad ſingulos tam ſummos quam infimos, ut ſeſe cum ſincera demiſſione ordinationi, cujus auctor eſt, ſubmittant atque conforment. Adeo ut qui- *Mat. 18. verſ. 18.*
cunque ſeſe ſeparant & abſcindunt ſponte à cœtu fidelium, iidem ſeſe à regno cælorum ejiciant. Tan- *Joan. 20. verſ. 23.*
tum ut qui Chriſti nomine audiri volunt, attendant, ut quæ à Domino acceperint, eadem & ipſi tradant. Supereſt edenda fidei noſtræ quod ad Sacramenta confeſſio. Habemus igitur Sacramenta, tum pro teſtimoniis gratiæ Dei, ut magis ac magis illa nobis rata ſit, tum etiam pro ſignis & notis externis, quibus Chriſtianiſmum coram hominibus profitemur. Equidem uno Dei verbo abunde eſſe nobis debuerat, ut ſalutis noſtræ plenam fidem perciperemus: atqui quum ita Domino placuerit noſtræ infirmitati & fragilitati talibus mediis inſtitutis conſulere, ratio ipſa evincit obſtringi nos aperte, ut & illa admittamus, & ad uſum noſtrum applicemus. Sacramenta igitur obſignationum vicem habent, ut gratiam Dei quaſi appoſito ſigillo in cordibus noſtris inſculpant; & magis auctoratam reddant: qua ratione etiam nomen doctrinæ viſibilis ſeu aſpectabilis illis tribui poteſt. Et ſane videmus quicquid illis figuratur & demonſtratur, id in nobis impleri. Non ſunt enim Sacramenta figuræ inanes aut illuſoriæ, quum ille ſit auctor Sacramentorum ut fidem per illa confirmet, qui ipſe eſt veritas indubitatiſſima. Credimus etiam, quicquid indignitatis in Miniſtro inſit, eo nihil Sacramenti efficaciæ decedere, cùm Dei veritas non mutetur aut varietur hominum improbitate: quum etiam eorum non ſit efficacitatem indere ipſis Sacramentis. Sentimus, inquam, Sacramentis etiam ab improbis & indignis adminiſtratis, ſuam naturam conſtare, ut

nihilo-

nihilominus afferant & vere communicent iis qui ea percipiuot, id quod figuraot. Addimus tamen, ex parte illorum qui percipiunt Sacramenta fidem requiri. Siquidem utilia non eſſe, niſi ubi Dominus reddit illa efficacia, ut illic exerat tanquam per organa ſua Spiritus ſui virtutem. Requiri igitur operationem Spiritus Dei, ut efficaciam illorum ad ſalutem percipiamus. Fatemur etiam uſum Sacramentorum ita neceſſarium eſſe, ut qui ea contemnant, oſtendant ſe contemptores gratiæ Dei, & excæcatos faſtu diabolico, qui ſuam infirmitatem oon norint, cui Dominus remedium afferre eo modo dignatus ſit. Præterea quum Sacramenta à Domino ipſi Eccleſiæ commendata ſint, ſentimus non licere unicuique ſeorſim illis uti, ſed eorum uſum communem eſſe debere, & in Eccleſia uſurpandum. Eorum etiam adminiſtrationem ad Paſtores pertinere, quibus ipſorum cura & diſpenſatio mandata eſt.

Hinc colligimus unius Dei eſſe inſtituere Sacramenta, quum unus ipſe ſit idoneus & teſtis voluntatis ſuæ, & obſignator promiſſiooum, & exhibitor ſpiritualium dooorum: quique unus boc præſtet, ut elementa illa terrena ſint nobis arrhabones ſalutis noſtræ. Proiode non habendas pro Sacramentis quæ ab homioibus invectæ ſunt ceremoniæ, oeque illis boc nomen & banc qualitatem niſi falſo tribui poſſe. Fatemur igitur ſeptenarium illum Sacramentorum cenſum qui vulgo receptus eſt, à nobis non admitti, quum nullam etiam à verbo Dei approbationem habeat. Interea quum ex Sacramentorum numero matrimonium expungimus, hoc non pertinet ad ſacram Dei ordinationem deſpectui habendam. Nam neque ita etiam decedere volumus quidquam dignitati Sacramentorum illorum quæ temporalia dici poſſunt, quamvis eorum uſum deſiiſſe ſentiamus: cujuſmodi fuit unctio ægrotorum. Tantum quæ à Deo prodiiſſe conſtat, ab illis diſcernantur quæ bomines auctores habeot.

Quum vero duo extent ordinaria Sacramenta ad communem totius Eccleſiæ uſum, Baptiſmus nimirum & Cœna Domini, brevem quod ad utrumque fidei noſtræ confeſſionem ſubjiciemus. Sentimus igitur Baptiſmum quum nobis ſit lavacrum ſpirituale, idemque regenerationis noſtræ ſignum, bunc uſum babere, ut teſtificetur oobis, nos à Domino intromitti in Eccleſiam, ut nos pro filiis & bæredibus ipſe habeat. Proinde applicandam eſſe perpetua vita unam Baptiſmi perceptionem, quæ nos confirmet in promiſſionibus quæ tum oobis oblatæ ſunt, tam de peccatorum remiſſione, quam de præſentia & directione Spiritus ſancti. Quando autem illa duo dona quæ in Baptiſmo conferuntur, in Chriſto nobis exhibentur, quum alibi extare non poſſint: Credimus ad fructum Baptiſmi vere potiendum, boc nobis ſpectandum eſſe, ut certo ſtatuamus, nos Cbriſti ſanguinis effoſione aſperſos & mundatos eſſe: atque illius ipſius mortis & reſurrectionis efficacia nos in nobis mori, ut in novam vitam excitemur. Inde fit ut quum Cbriſtus ſit Baptiſmi ſubſtantia, ut Scriptura ſic
Actor. 10. loquatur, oos in Chriſti nomine baptizari. Credimus
verſ. 48. præterea quum Baptiſmus ſit theſauri inſtar quem in
& 19: 5. Eccleſia aperire dignatur Dominus, oportere ut
& 22. omnia etiam Eccleſiæ membra Baptiſmum perci-
verſ. 16. piant. Quin autem fidelium liberi ad Eccleſiam pertineant, dubium apud nos non eſt, quando & ad ipſos pertinet adoptio Domini, uti ipſe teſtatur.
Geneſ. 17. Quare fraus illis fieret ſi privarentur Sacramento,
verſ. 7. quod ad obſignandam promiſſionem tantum adhibetur, cujus ipſi jus babent. Maxime quum non deterior eſſe hodie debeat liberorum Cbriſtianorum quam Judæorum olim conditio, quum ſalutis ipſa declaratio multo apertior nunc extet, quam olim ſub Lege. Quum igitur infantes tum circumciderentur ex Dei mandato, Sacramentum fœderis ad ſalutem noo magis nunc Cbriſtianorum liberis denegandum eſſet. Quare damnamus omnes phreneticos qui infantium Baptiſmum impugnant.

Ut recte demonſtremus quid ſentiamus de Cœna Domini, cogimur illius repugnantiam cum Miſſa præmittere. Neque enim diſſimulare poſſumus nihil iſtis inter ſe commune eſſe, aut conforme, ac ne quidem quod ad illud accedat. Scimus banc confeſſionem iſto nomine in odium multis venire poſſe, propter illam Miſſæ apud multos exiſtimationem & reverentiam. Et nos ex iſtorum numero fuiſſe etiam non diſſimulamus, donec Miſſæ abuſus nobis demonſtrati ſunt. Speramus igitur ubi noſtræ rationes placide auditæ perceptæque fuerint, nihil abſurdi notatum iri in iis quæ ſentimus. Sacrificii nomen ad Cœnam transſcriptum eſſe jam olim conſtat ſatis: ſed multum abeſt ut veteres illi vocabulum illud Sacrificii boc loco eo ſeoſu acceperint, quo deinde cœpit exaudiri: nimirum quod ſacrificium illud ſit oblatio meritoria ad obtineodam indulgentiam, & gratiam pro vivis & defunctis. Quanquam autem extent bodie quidam mediatores, qui ad elevandum errorem publicum qui orbem occupavit, fiogunt ſe receptum habere ad veteres illos Patres: attamen uſus ipſe & tractatio oſtendit, non magis iſta ſeſe contingere, quam quæ tota ſui natura remotiſſima ſint. Nam quis etiam ignorat Eccleſiam illam primitivam ignoraſſe Miſſas privatas, ut & fundationes, quas nunc vocant: Sacrameotum autem ad uſum communem Eccleſiæ adſtantis adminiſtrari ſolitum fuiſſe? Atqui bodie emuntur Miſſæ & expiationes, quibus Dei judicio ſatisfiat: & cuique bic pro ſuo arbitrio quod licitatus fuerit, admetiuntur ſacrificuli. Talis nundinatio Eccleſiæ veteris patrocinio nullo modo tititur. Accedit & altera profanatio, quod quum ſacra Cœna unum Cbriſti nomen præferre debeat, Miſſæ arbitrariæ & novis titulis commendabiles procuduntur, ut Chriſtophori, vel Barbaræ, vel alterius cujuſvis ex albo Sanctorum nomine ſplendeant. Illud vero perinde veri Sacramenti naturæ atque ignis cum aquæ elemento convenire dicendum eſt.

Porro quod ad ipſam antiquitatem attinet, uti illam in bonore habemus, neque lubenter repudiamus quod à ſanctis illis Patribus eſt approbatum: poſtulare tamen ratio nobis videtur, ut vera Chriſti inſtitutio omnibus illis quæ ab hominibus allata ſunt, anteponatur: adeo ut nulli humanæ auctoritati ſupeſit locus, ubi de illius voluntate præſtanda agitur qui unus plenum in omnes magiſterium accepit. Chriſtus ergo quum auctor ipſe ſit ſacræ Cœnæ, oon alius; habendum eſt pro Canone certiſſimo & immutabili, quod ipſemet inſtituit, ut ſine diſceptatione
obſervetur. Ipſe autem legitur diſtribuiſſe panem *Mat. 26.*
& vinum cum his verbis, Accipite, edite, bibite, *verſ. 26.*
Hoc eſt corpus meum, boc ſanguis meus. Quare ubi *Marc. 14.*
quod Cbriſtus offert ut à nobis recipiatur, offerre *verſ. 22.*
Deo ut à nobis recipiat, audemus repugnantiam *Luc. 22.*
manifeſtam ordinationi Filii Dei includit. Quicquid *verſ. 19.*
igitur ad excuſandum afferatur, iooducta ſemel illa *1 Cor. 11.* *verſ. 24.*
ſacrificii ſpecie, transformatum fuit Sacramentum, & à ſua forma in contrariam prorſus traductum. Proinde ferre non poſſumus, ut Cœnæ loco ullus ſacrificii modus retineatur. Siquidem à Chriſti mandato deflectere nefas eſt, quum ipſe illo Patris decreto
ornatus prodeat, Ipſum audite. Hoc vero Paulus ap- *Mat. 17.*
poſite præſtitit, quum abuſum quendam qui inter *verſ. 5.*
Corinthios irrepſerat reformaturus, ipſos quaſi *1 Cor. 11.*
manu prehenſa reducit ad illud quod à Domino acce- *verſ. 23.*
ptum ipſis tradiderat: unde conſtat, extra Domini traditionem nibil uſpiam ſolidi neque certi extare.

Sentimus igitur, quum doceat Scriptura Cbriſtum *Hebr. 7.*
unico ſacrificio nobis perpetuam redemptionem ac- *ad 11.*
quiſiviſſe, nec vero niſi ſemel ſuum illud corpus in pretium & ſatisfactionem peccatorum noſtrorum obtuliſſe, nefas eſſe audere repetere atque iterare iſtud ſacrificium: ac nominatim, quum Pater inſtituendo

ipſum unicum ac perpetuum Sacerdotem ſecundum ordinem Melkiſedec, illud ipſum jurejurando confirmarit. Jodicamus etiam blaſphemiam eſſe, quæ Chriſti dignitati aperte deroget, ſi qui præter unum ipſum, offerre ipſum audeant. Credimus præterea abuſum illum eſſe plane intolerabilem, quum Miſſæ fiunt abſque communicatione, quum Cœna nihil aliud ſit quam Sacramentum cujus perceptione fideles omnes corpori & ſanguini Domini participent. Damnamus perinde & alterum illum abuſum, qui paſſim obtinuit, quum extra clericos, quos vocant, nulli niſi ad partem Sacramenti percipiendam admit-
Mat. 26. verſ. 27. tuntur. Scriptum eſt enim, Bibite ex hoc omnes: quod autem Deus conjunxit, ab homine ſeparari illicitum eſt. Sed & ipſa prima Eccleſia hoc divortium ignoravit, quod eſt ſatis recens, quum uſum illi retinerent qui inſtitutioni Chriſti plane conveniret, ut omnes qui Cœnam perciperent, integrum in duobus elementis Sacramentum haberent. Non poſſumus etiam ferre alterum abuſum qui ſuperioribus connexus eſt, nimirum quod incognita lingua Myſterium celebretur. Dominus enim voluit ipſe à ſuis
1 Cor. 14. alio argumento. percipi, quum diceret, Accipite, edite, Ecce corpus meum: atque hæc verba Chriſti pertinent ad Eccleſiam. Quare mera eſt ludificatio & irriſio Sacramenti, ubi aſtans Presbyter pani & calici immurmurat, ut nulla extet illius ſuæ actionis intelligentia.

De Cœna Domini igitur dicimus primum, quorſum inſtituta ſit: ex quo colligendum eſt quis ſit illius tum uſus, tum etiam fructus. Scopus igitur ad quem referendus eſt Cœnæ uſus, iſte eſt, ut quam à Deo gratiam in Baptiſmo percepimus, jam tum in nobis promoveat & foveat in dies. Quemadmodum enim Baptiſmo nos Dominus regenerat, ut ipſius filii ſimus, atque illa ſpirituali nativitate nos in Eccleſiam intromittit, ut pro domeſticis habeat: ita etiam in Cœna ſignificat ſe nobis proſpectum velle, ut in vita cæleſti foveat, donec ad illius cumulum perveniamus. Et quia non aliud eſt animarum alimentum quam Chriſtus ipſe, ipſum etiam eſſe in quo vita nobis quærenda ſit. Hoc demum ut per noſtram infirmitatem & craſſiorem illum captum tamen percipiamus, Cœna nobis eſt ſignum eaternum viſibile, quo nobis teſtificatur Pater, nos Chriſti corporis & ſanguinis participes fieri, ut in ipſo vivamus ſpiritualiter. Ut enim ſe Chriſtus non vacuum ſed locupletem nobis exhibet: ita nos etiam illum cum ipſius opibus apprehendimus, ut ipſummet poſſidendo, in ipſo poſſideamus quicquid ad noſtram ſalutem ſpectat.

Quum vero ſigni nomen Cœnæ tribuimus, illud non ita exaudimus, quaſi ipſa Cœnæ elementa ſint nudæ quædam figuræ aut repræſentativæ imagines: ſed profitemur, quicquid illic nobis ſignificatur, ſimul etiam reipſa præſtari, atque in nobiſipſis impleri. Quum enim Dominus ſit indubitatiſſima veritas, certum eſt ipſum nos in Cœna inani quadam pictura paſcere noluiſſe: ſed potius ipſam eorum ſubſtantiam, ad quæ ſignificanda Sacramenta ordinata ſint, ipſis ab illo demum eſſe conjunctam.

Quamobrem ſic ſentimus, quod in Cœna Domini non tantum exhibeatur nobis, ſed reipſa impleatur
Joan. 6. verſ. 55. in nobis quod his verbis Chriſtus docuit: nimirum corpus ipſius vere eſſe cibum, & ſanguinem vere potum. Etenim Dominus Jeſus offert nobis per ſigna illa panis & vini ſuum corpus & ſuum ſanguinem, iiſque ſpiritualiter paſcimur, modo ne noſtra incredulitate aditum ipſius gratiæ præcludamus. Quemadmodum enim vaſi etiam vacuo nihil infundi poteſt, quamdiu obſtructum manet: ſic etiam fide apertio illa & aditus parari debet, qui nos capaces reddat bonorum quæ à Domino offeruntur, juxta illud Pſalmi 81. verſ. 14. Dilata os tuum, & implebo illud. Non tamen ut noſtra incredulitate quidquam de Dei veritate decedat, aut quod noſtra pravitate Sacramentorum efficacia intervertatur. Qualeſcunque enim ſimus, Deus ſui ſimilis manet: neque etiam Sacramentorum efficacia pendet à noſtra fide: ut noſtra incredulitas ipſorum naturæ & qualitati derogare non poſſit. Cœna igitur eſt certum teſtimonium quod exhibetur omnibus tam bonis quam malis, ut Chriſtum perinde omnibus offerat: ex illo vero differentia emergit, quod non omnes perinde quod ita oblatum eſt, percipiunt. Et ſane illud eſſet nimis abſurdum, ſi Chriſtum & illi perciperent qui ſunt ab ipſo alieni; ac improbi Spiritu ipſius vacui, corpore & ſanguine ipſius paſcerentur: ut proinde emortuum quid fieret Chriſtus in iſtiuſmodi, exueretur propria virtute, atque omnibus bonis vacuus, nihil ejus quod eſt ab ipſo inſeparabile, conferret.

Quod affertur, impios reos eſſe corporis & ſan- *1 Cor. 11. verſ. 29.*
guinis Domini, quum indigne ad Cœnam accedunt, non evincit, aliud ab ipſis quam ſignum nudum percipi. Quia non dixit Paulus reos eſſe eo nomine, quod videlicet ipſum Chriſti corpus & ſanguinem perceperint, ſed quod à rebus communibus illa non diſcreverint. Reatus illorum igitur hic eſt, quod Chriſtum ſeſe ipſis offerentem rejecerint: quum talis contemptus ſacrilegium penitus deteſtandum conjunctum habeat. Fatemur quidem in forma loquendi quæ Sacramentalis dicitur, impios corpus Chriſti & ſanguinem percipere, ut veteres etiam ita aliquando loquuntur: ſed ita ut ſuum ſenſum aperuerint, *Auguſtin. lib. 21. de civ. Dei. cap. 25. paulo ante extremum.*
quum addiderunt ſe hoc ita non accipere, ut re ipſa & ipſo facto impii eo uſque pervenirent, ſed Sacramento tenus. Et ſane nulla nobis communio poteſt eſſe cum Chriſto niſi per fidem, neque ipſe viciſſim quicquam habet commune niſi cum ſuis ipſius membris.

Supereſt pertractanda ratio ſive modus, quo ſe Dominus Jeſus nobis in Cœna communicat. Hoc autem multas controverſias & diſceptationes peperit hoc noſtro ſeculo. Primum igitur hic rejicimus non tantum delirium illud vulgare Tranſſubſtantiationis, quam vocant; ſed etiam illud quod Turonenſi Synodo fertur, Chriſtum nempe dentibus comminui, tum & deglutiri. Quod enim panis mutetur, ut ſola panis figura ſine ſubſtantia remaneat, illud repugnat naturæ Sacramenti, quo nobis demonſtratur quod quemadmodum pane & vino ſuſtentamur, ita etiam animas noſtras Chriſti carne & ſanguine ali. Et omnino analogiam eſſe oportet inter ſpiritualem veritatem, & externum ſignum. Proinde ſi pro pane figura tantum panis in Sacramento extaret, ſola etiam Chriſti corporis figura per illum exhiberetur. Colligimus igitur indubie panem & vinum manere, ut ſint ſigna & teſſeræ, quæ teſtificentur carnem Chriſti panem noſtrum cæleſtem, & ſanguinem verum etiam potum. Illud etiam ſomnium quod Chriſti corpus deglutiamus, ac intra nosipſos intromittamus, ut panem cibarium, plane eſt à Chriſtianis auribus alienum, atque omnino repugnat illi reverentiæ, qua ſacram quæ nobis eſt cum Chriſto conjunctionem amplecti debemus.

Interea vero fatemur nos vere uniri cum Domino Jeſu Chriſto, adeo ut ſui ipſius corporis ſubſtantia nos vivificet: non quidem quod huc ſe ipſe conferat, aut quod immenſo ſit corpore quo cælum & terram impleat, ſed quatenus iſta nos cum ipſo uniendi, atque ex ipſius ſubſtantia vivificandi gratia & virtus diffuſa eſt virtute Spiritus ipſius. Scimus quid nonnulli dicant, in tantis myſteriis abſtinendum eſſe à Quomodo. Sed ipſimet poſtquam ita proloquuti ſunt, definiunt tamen Chriſti corpus ita ſub pane eſſe, ut vinum eſt in vaſe. Nos vero fatemur omnino rationem qua cum Chriſto communicamus, ad miraculum referendam eſſe, atque omnem noſtrum captum
ſuperare. Nec pudet nos cum Paulo exclamare, Ma- *Epheſ. 5. verſ. 32.*
gnum eſſe myſterium, & quod nos rapiat in admirationem: ſed illud non impedit quominus repudiemus

quæ

quæ abſurda ſunt, & tum Scripturæ, tum fidei analogiæ repugnant.

Habemus autem illud pro certiſſimo axiomate, quod quamvis humana Chriſti natura cum Deitate ipſius conjuncta ſit ad conſtituendum in illo veram perſonæ unionem, illam ipſam humanam naturam tamen habere ſemper ſuam qualitatem ſeu conſtitutionem, & quæ illi omnimodo propria ſunt. Quemadmodum igitur Dominus aſſumpſit paſſibile corpus, ita etiam illud idem corpus quantum extitit demum, & ſuum modum habuit, & infinitum non fuit. Fatemur vero corpus illud glorificatum eſſe, conditionem mutaſſe, ut jam nulli infirmitati obnoxium maneat. Atqui nihilominus ſuam illam ſubſtantiam habet. Alioquin quorſum illa promiſſio
Phil. 3. verſ. 21. evaderet, quod noſtra hæc corpora quæ corruptibilia nunc & caduca ſunt, conformaturus ſit corpori illi ſuo glorioſo? Ut ut ſit, nemo nos jure poteſt reprehendere quod Chriſtum ſurſum quæramus, uti etiam
Col. 3: 1. monemur ab Apoſtolo. Quod etiam in Eccleſia olim præmittebatur in Myſterii hujus celebratione, quum Surſum corda ad cœtum Miniſter inclamaret. Porro qui nos accuſant, quod Dei potentiæ derogetur à nobis, valde ſunt in nos injurii. Non enim hic quæritur quid Deus poſſit, ſed qoid verbo ſuo velit, extra quod nihil nobis quærendum ſit, ut hoe aut illud divinemus. Quare illam quæſtionem omittemus, an Deus poſſit facere, ut Chriſti corpus ſit ubique: ſed cum omni modeſtia intra iſtos Scripturæ fines conſiſtimus, quæ perhibet, Chriſtum induiſſe corpus noſtro corpori per omnia ſimile, verſatum eſſe inter homines, ſurſum receptum, unde ſit deſcenſurus, ut ſeſe manifeſtum præbeat ultimo
Act. 3. die: uti etiam exprimitur à Petro in Actis, quod oportcat cælum ipſum recipere, donec rurſum appareat. Atque ita Angeli ad omnes Apoſtolos, quod
Act. 1. eſt in primis notandum, Hic Jeſus, inquiunt, qui à vobis ſurſum receptus eſt, veniet ut ipſum vidiſtis aſcendere. Interea extollimus Dei potentiam magis quam illi qui nos iſtiuſmodi probris infamant. Fatemur enim ipſam illam Chriſti à nobis ſecundum humanam naturam diſtantiam non impedire, quominus in ſeipſo nos vivificet, habitet in nobis, noſque adeo participes reddat ipſiuſmet ſubſtantiæ corporis ſui & ſanguinis, virtute incomprehenſibili ſancti ſui Spiritus. Ex quo apparet mere calumnioſum eſſe, quod nobis imponitur: quaſi nempe figeremus ſuos terminos Dei potentiæ ex placitis Philoſophorum. Atqui noſtra omnis philoſophia una eſt, ſimpliciſſime admittere quod Scriptura nos docet. Illos etiam, qui de nobis ſpargunt, nos videlicet fidem non adhibere huic Chriſti ſermoni, Hoc eſt corpus meum, &, Hoc eſt ſanguis meus, pudere debuerat tam indignæ contumeliæ. Abſit enim ut vel cogitemus quicquam adverſus illum regerere, qui unus eſt conſtantiſſima veritas: nedum ut tam horrenda blaſphemia nobis excidat. Admittimus ergo ipſiſſima Chriſti verba; tantum ut ſenſum nativum illa retineant, poſtulamus. Illum vero ſenſum à noſtro ſenſu non petimus, ſed ex perpetuo Scripturæ uſu, atque ex uſitato Spiritus ſancti ſtylo. Si quam novitatem proferremus, aut odioſa eſſet, aut ſuſpecta: quum autem unum quærimus, ut Sacramentalium loquutionum formam omnes agnoſcant, & in illa ſe contineant, nihil non cum ratione conjunctum petere nobis videmur. Atque ut breve faciamus, palam teſtamur, nos aliter nec ſentire, nec loqui, quam quod
Epiſt. 23. ad Bonifacium. apud Auguſtinum totidem verbis ſcriptum legimus, Quod, ſi Sacramenta ſimilitudinem quandam non haberent cum illis rebus quarum ſunt ſacramenta, nullo modo Sacramenta eſſent: atque inde rerum ipſarum indi illis nomina: atque ita modo quodam, Sacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſſe, Sacramentum ſanguinis ipſius eſſe ipſum ſanguinem. Simul autem veritatem ipſam ſemper cum figura conjungimus, ut myſterium iſtud non eſſe inane, neque ſua illa veritate vacuum dici poſſit.

Habet igitur S.C.V.M. habent etiam CC.VV. Illuſtriſſ. Principes Confeſſionem fidei noſtræ, in qua nihil à nobis fucatum eſt vel detortum: ex qua etiam de noſtro jure cognoſci & pronunciari cupimus. Hic igitur à S.C.V.M. atque à CC.VV. Illuſtriſſimi Principes quam demiſſiſſime poſtulamus, ut qua reverentia apud vos hoc noſtræ fidei teſtimonium editum volumus, ipſis etiam placeat hoc quicquid eſt expendere, atque ea humanitare excipere, ut una ratio & æquitas apud vos locum habeat: amandentur vero omnes humanæ opiniones, ne quod veritati ab illis præjudicium afferatur.

CALVINUS FARELLO.

Gratia tibi & pax à Deo Patre per Chriſtum Dominum frater ſuaviſſ.

EGo vero non deſinam te hortari ut id facias quod ſponte facere te video: partim ut meum Euge tibi occinendo animum addam, partim ut me quoque tecum meis hortationibus confirmem. Quo & diligentius intueor omnia & longius circumſpicio, eo certius conſtare incipit, quam neceſſe ſit nobis multos tolerare, quos ſublatos optandum ſit ſi liceat. Non enim huic malo ſola Eccleſia obnoxia ſemper erit, ſed pars etiam Eccleſiæ quæ puriſſima & purgatiſſima eſſe debuerat, ut vitioſis hominibus oneretur. Jam ſi tolerandi ſunt, benevolentia quoque & manſuetudine retineantur oportet. quam equidem nolim ad diſſolutam indulgentiam procedere: ſed tamen in vitiis corrigendis adhibendam cenſeo. Glaudinæos & Alexandros, atque hujuſmodi carcinomata, non tantum exigi è miniſterio operæpretium eſt, ſi volumus ſalvam Eccleſiam: ſed ſi pergant maledicere, è fidelium etiam conſortio exterminari. Atque utinam poſſem vobis approbare ac perſuadere, quod expedire omnino cenſeo: nempe ſi in comitatu Neocomenſi adhuc degunt, ad ſolennem Eccleſiæ cognitionem vocarentur, ſevere admonerentur ſuæ nequitiæ; ſi obſtinarent animos, excommunicatione compeſcerentur. Negabis tantum vobis auctoritatis eſſe. At cur non à Senatu impetraretur ut extra ordinem Senatores duo aut tres deſignarentur, qui publica poteſtate illos in fratrum cœtum accerſerent, ac ipſi diſceptatores adeſſent? Intereſt enim Magiſtratus, non ita procaciter traduci quæ tum ipſe pro poteſtate egit, tum ab Eccleſia decreta recepit ac ſtabilivit. Qui ſunt ſanabiles, eos ut membra noſtra curando foveamus. Imo, quos abſciſſos eſſe magis conveniat, utcunque ſuſtineamus, donec maturuerit eorum iniquitas, & in apertum ulcus emerſerit. Video quam importunus ſit ille tibi, cum quo te amicitiam ac concordiam cupio conſervare. Ipſe quoque & ſtultitiæ, & vanæ arrogantiæ, & malæ fidei ſuſpectum habeo. ſed quid facias, niſi ut feras, donec te exoneret Dominus? ferre autem non potes, niſi remediis ejuſmodi omnibus ſimul utaris. Interim verum eſſe conſpicio quod ait Viretus, nullos eſſe nobis magis noxios, quam qui immodicis noſtris laudibus bilem invidis aut inimicis movent. Quanquam ut tenue mei laudandi argumentum præbui, non puto ullos eſſe erga me nimium profuſos, niſi qui ob eandem cauſam tecum forte copulant. Cupiam tamen importuna ejuſmodi encomia, quibus nobis ac cauſæ tantum officitur, cohiberi. In quam rem ſi quid potes, te quæſo impende. Ego certe, quum mihi quidam Baſileæ gloriandi cauſa referret, ſe palam tibi non minus tribuiſſe quam Paulo, non diſſimulavi quantopere hæc comparatio mihi diſpliceret. Quorſum enim attinet te ei parem facere: cui ne inter Apoſtolos quidem reperitur qui per omnia reſpondeat? Iniqua tamen conditio nobis imponi-

tur, qui pœnam luere cogimur alienæ vel ſtultitiæ vel intemperantiæ: ſed hic quoque morbus ſanabitur, ſi quando ſepelietur diſſidii ſpecies. Quare de cœtu fortiter inſtabo apud Bucerum, ſimulac redierit. Ut aliis bene ſit, non dubitemus quicquid noſtrum eſt exponere, modo Chriſti gloria & miniſterii noſtri fides illibata maneat. Citius enim millies vita ceſſero. Neque me illuc trahi patiar, niſi Bucerum prius ſacramento in hæc verba adegero. Quanquam idipſum nec roganti ultro ſemper pollicitus eſt ac recepit.

Literas meas, quas ad fratres communiter ſcripſeram, tanta offenſiooe exceptas fuiſſe, magnopere mihi dolet. Scriptas tamen eſſe, vel ob hoc unum nondum pœnitet, quia ſi in rem præſentem ventum fuerit, non poterunt nobis exprobrare adverſarii quidpiam ſuaſu noſtro fuiſſe admiſſum, quod fratribus improbari queat. Tantum mihi moleſtum eſt, quod non meliore nobiſcum fide egerit Sonerius. Eo enim animo, & ea ſimul lege ſcripſeram, ut arbitrio tuo vel ſupprimerentur vel mitterentur. At quoniam aliter illius incuria ſucceſſit, accipe quo ſatisfactum iri tibi confido. Toto triduo tantum non vim mihi ac Capitoni inferebat, ut per nos miniſterium ſibi ſuſcipere liceret. Condictus eſt dies, quo illi reſponderemus. Ego autem quum vel morbo vel repentino aliquo negotio impeditus adeſſe non poſſem, excuſavi. Id quod maxime de miniſterio urgebat, Capito illi denegavit, Firmio partes ſuas ſtrenue agente. Quia res ex voto non ceciderat, ad integram cognitionem provocavit. Poſtridie convenerunt ad me Capito & Firmius. Ipſe retexere ex integro quod pridie actum erat: ac tanta cootentione flagitare, ut ineptiſſima ambitio ſe proderet. Juſſus à Capitone reſpondere, totam prope horam diſſerendo cooſumpſi. Ille fremere, quia extorquere prædicandi verbi licentiam non poterat. Demum tamen acquieſcere: modo quod de communione fratrum dixeramus, epiſtola teſtatum facerem. Quod bis ac ter quum recuſaſſem, ad extremum conceſſi: ſed ea conditione, ut tibi iotegrum foret, eam aut contioere, aut publicare. Nunc audi quæ fuerit ſumma. Exordior à diſtinctione miniſtrorum ac plebis. Dico miniſtro Cœnæ diſpeoſationem eſſe commiſſam: proinde fidem ac prudentiam ab eo requiri. Unde ab eorum miniſtris ſcelerate profanari non diſſimulo. privatis Eccleſiæ membris tantam provinciam oon incumbere oſtendo. Quia jubeantur ſinguli probare ſeipſos, & ſic ad participationem Dominici panis accedere. Deinde rem totam in certa membra diſtribuo: cujus tamen partitioois non ſatis memini in præſeotia. Niſi quod extare adhuc ioter eos Eccleſiam contendo, utcunque laceram ac diſſipatam. Ex eo colligo eſſe illic piis legitimam Sacramentorum ſuſceptionem. Tum objecta quibus implicari poterant diſſolvo, quorum præcipuum eſt de vocatione eorum à quibus ea ſuſcipient. Quaotum ad Eccleſiam, obteſtor te mi frater, locum demus tot Scripturæ elogiis, quibus ipſius unitas nobis commendatur. Deinde illa quoque teſtimonia obſervemus, quæ aliqua in parte Eccleſiam illic ſtatuunt, unde multæ Eccleſiæ dotes ſunt abſciſſæ. Siquis mihi pro Eccleſia obtrudat id concilium, in quo improborum factione piorum conſenſus opprimatur: ut niſi ejus ſententiam ceu Dei oraculum reverear, ablegandum me cenſeat ad Ethnicos & Publicanos: parum movebor. at quantum ad Sacramentorum ſuſceptionem attinet, alia eſt ratio. Scis qua acerbitate David Saulis & totius regiæ aulæ nequitiam deteſtetur. Non tamen impediebat eum conſortium tam flagitioſæ turbæ, quominus id præcipue inter Meſechitas deploraret, quod ad ſacros cœtus convenire, ad peragenda ſolennia ſacrificia, non liceret. Ac ne longa exemplorum ſerie totam paginam referciam, recognoſce qoam deplorata ſeculis aliquot vitia regnarint io populo Judaico: quæ tamen oon effecerunt, quin ſancta eſſent & pura ſacrificia fidelibus, quæ ex Domini inſtituto & ordinatione celebrabantur. Manebat enim illic accenſa lucerna Domini, quæ vel in profuodiſſima caligine illis affulgeret. Zebedæus mihi Papam objectavit hoc loco, ſed fruſtra. Deeſt enim Papiſmo fundamentum, quo ſuffultum eſſe volo nomen Eccleſiæ. Sed in eo lapſus eſt, quod quum miniſterium nominarem, putavit me de qualibet prædicatione loqui: quum ego doctrinam exigerem, qualis demum fundandæ Eccleſiæ ſit idonea. Non ergo video cur negemus aliquam illic etiamnum extare Eccleſiæ faciem: ut rite illic celebrari poſſint Domioi Sacrameota. Interim non ioficior graviſſimo morbo laborare Eccleſiam, io qua impii fidelibus ſic permiſceantur. Verum iode non ſequitur piis non eſſe puram Domini Cœnam, quam ex ejus ordinatione colunt. At miniſtros non habent legitimos, per quorum maous ſibi diſtribuatur. Quin etiam periculum eſt, ne profiteantur his ſibi miniſtros eſſe quorum diſpenſationem non aſpernantur. Hic diſerte pronuncio, oullam hic edi teſtificationem, qua eorum miniſterium approbetur: ſuadeoque ne tali diſceptatione fruſtra ſe implicent, quum minime opus ſit. Nam nec Caiaphæ miniſterium aut Chriſtus aut Apoſtoli approbabant, quum ceremonias cum eo & corruptiſſimo populo participarent. Sed hoc dabant ordini publico, ut qui locum miniſtri in Eccleſia obtineret, eum paterentur ordinario munere Sacerdotis fungi. Scis autem quibus artibus ille in honorem irrupiſſet. Quid plura? Niſi hanc moderationem teneamus, infinitis ſchiſmatibus alii ab aliis diſſilieot. Nec enim deerunt uſquam ſpecioſæ ſchiſmatum cauſæ. Quod de bonis Eccleſiæ in verum uſum redigendis à veſtris impetratum eſt, dici noo poteſt quanta lætitia me perfuderit. Perge ergo, mi frater, ac talibus principiis inſiſte. Utcunque non procedant omnia, eſt tamen aliquid aliquatenus profeciſſe. Movit mihi riſum Caroli ad concilium profectio: de quo ſcilicet cogendo, nunquam ſerio vel per ſomnium Papa cogitavit. Ergo aliam propagandi regni Chriſti viam & expectemus & meditemur. Pſalmos ideo miſeramus, ut prius cantarentur apud vos, quam illuc pervenirent quo intelligis. Statuimus enim brevi publicare. Quia magis arridebat melodia Germanica, coactus ſum experiri quid carmine valerem. Ita Pſalmi duo, 46. & 25. prima ſunt mea tirocinia: alios poſtea attexui. De Michaële ita convenit, ut ante Paſcha dimittatur. De aliis conſilium capiemus pro tempore. Nihil hic leviter tentare audeo, ne rudes & imparatos ingeramus. Claudius qui Baſileæ agebat, etiamſi non plane ſit ſine doctrina, noodum tamen mihi videtur ſatis inſtructus. Gaſpar quoque & ſolidiorem doctrinam, & majorem peritiam comparare ſibi neceſſe habet. Ex aliis eſſe non puto, qui ante annum futurus ſit idoneus. Male habet, quod ſic Henricus à Patre deſtituitur. Si qua ratio iniri à vobis poterit, effice quæſo, ut ejus ſtudiis proſpiciatur. Dignus eſt cujus habeatur ratio: præter initia quæ habet io literis, multum mihi ejus modeſtia promittit. De bonis Eccleſiaſticis quia putabam te meminiſſe quale foret meum conſilium, ſcribere ſuperſederam. Verùm ut paucis verbis expediri poteſt, ex ſupervacuo adjici malo, quam abs te deſiderari. Mihi ergo hæc legitima videtur ordinatio, ut quatuor onerum generibus ſuſtinendis aſſignentur: oempe ut pars alendis Miniſtris, pars pauperibus vel aleodis vel ſublevandis, pars ſcholis tuendis ſit attributa. Quod reliquum erit in ſumptus extraordinarios reponatur. Multa enim incidunt oegotia quibus explicandis neceſſaria ſit pecunia. Vale optime & integerrime frater. Noſtri omnes te amiciſſime ſalutant. præſertim Michael & Gaſpar. Laurentius oeſcio quomodo nonnihil à me alienatus eſt. Claudius deinde & Henricus. Alios ooo noſti Gallos, tametſi incognitum te amant ex animo.

animo. Capito anxie rogavit, ut ſe excuſarem: nec deſiiſſet torqueri, niſi recepiſſem te contentum fore mea excuſatione. Sturmius quoque te amiciſſime ſalutat, & Bedrotus. Vides ut alius poſt alium in mentem veniat. Argentor. 19 Decemb. M. D. XXXIX.

Calvinus Farello S.

JAm fruſtra tam diu literas tuas expectavi, ut dubitem an debeam amplius expectare. Suſtinet tamen adhuc ſpem meam illarum deſiderium: ac paucos etiamnum dies ſuſtinebit. Verum ſiquando ſperare deſiero, ſenties quam indigne tulerim hanc fruſtrationem. Ac eo minus ferenda eſt tua negligentia, quod tam copioſum ſcribendi argumentum præbet tibi Geneva hoc tempore. Tametſi enim mihi ſcripſit Talearis; non tamen aſſequor ad liquidum ex ejus verbis, qualem habuerit cataſtrophen illa fabula. Michaël etiam typographus mihi Blechereti verbis indicavit, reditum illuc mihi poſſe confici. Sed centum potius aliæ mortes quam illa crux: in qua millies quotidie pereundum eſſet. Tecum hoc obiter communicare volui, ut pro virili occurras eorum conſiliis, qui me illuc retrahere tentabunt. Atque ut ne contra rationem tendere videar, conſilium meum tibi exponam ſi quando petieris. De conjugio adhuc ſuſpenſi ſumus: quod ideo me male habet, quia inſtant propinqui nobilis illius puellæ, ut eam mihi ſumam. Quod nunquam facturus ſum, niſi Dominus mentem penitus mihi abſtulerit. Quia tamen moleſtum eſt recuſare, præſertim talibus, qui ſua benevolentia me obruunt, cupio vehementer me hac difficultate liberatum. Brevi tamen hoc futurum ſperamus. His diebus quatuor aut quinque totam de ea re ſollicitudinem adimet mihi alia occupatio, quæ me aliquantulum exercebit. Quoniam temere ad Cœnam irrumpebant multi: quum die Paſchatis edicerem futuram nobis Cœnam proximo die Dominico, ſimul denunciavi, neminem admiſſum iri à me, qui non prius ſe ad probationem obtuliſſet. Præcipua autem difficultas erit in corrigenda ſtolida cupiditate, quæ Gallos quoſdam ſic occupavit, ut vix revelli ex eorum animis queat. Scis leges illas eſſe latas, Ut cholaſtico habitu contenti gladios deponant, ut nomina edant apud Rectorem, & ſimiles. Eas ut eludant, ejurant profeſſionem literarum. Sed quia apparet manifeſta contumacia, eam ferri nullo modo ferre. Malo enim abeant omnes, quam ut hic maneant cum diſciplinæ jactura. Rogavit me nuper Leo Judas, ut ſibi epiſtolam meam, ex duabus illis, quas ante annos quatuor ſcripſi, priorem, edere Germanice liceret addito nomine. Alteram enim ſine nomine his nundinis publicavit, qua ſcilicet Papiſticos Epiſcopos demulceo & adulor. Reſponſio quam dedi, fuit peramica: ſed tamen ſimul acres monitiones continebat. Paulo ante ſimili fere argumento ſcripſeram ad Bullingerum. Si bene ſuccedet, ſcies quid conſilii capiam. Noſtri adhuc in conſultatione deſident. Tempus autem ideo ſic proferunt, quia nondum certum reſponſum habent à Cæſare: qui tamen multo mitiorem ſe oſtendere incipit. Ferociam ejus nonnihil domuit congreſſus Angli cum Rege noſtro: qui multum momenti habere poterit ad commutandas omnes ejus rationes. Hoc ſophiſmate uſus fuerat, ut Regi nulla in re fidem ſuam obſtringeret: multis autem ac liberaliſſimis ſpebus ipſum inflaret. Jam ergo Rex ſibi Mediolani eſſe videbatur. Nuper autem quum animum ejus tentaret per legatum, comperit non facile eo adduci poſſe. Dicitur enim rerum omnium optionem detuliſſe Regi: modo ne Mediolanum peteret. Ea igitur de cauſa profectus eſt ad illum Conneſtabilis: qui ſi non impetraverit, paratiores fore ad bellum quam unquam fuerint ſuſpicamur. Neque vero in tanto rerum cardine ceſſabit Anglus: multo etiam minus Admiraldus, qui in priſtinum honoris ac gratiæ locum reſtitutus eſt. Ante paucos menſes videbimus, niſi fallor, miram ſcenæ converſionem. Sed interim ardenter rogandus eſt Dominus, ut in hac noſtris & conſilium expediat, & animum confirmet. Dominus vos omnes diu ſibi incolumes ſervet. In primis vale integerrime frater. Salutant te Capito, Sturmius, Bedrotus, Claudius frater meus. Nicolaus & alii neſciverunt me ſcribere. 4. Calend. April. M. D. XL.

Calvinus Farello S.

SI meo loco eſſes, optime Farelle, fortaſſis pars aliqua dubitationis iſtius, quæ me vehementer cruciat, te quoque nonnihil ſollicitum haberet. Nam neque ego ſolus conturbor: & qui mecum laborant, non carent multis & juſtis cauſis: quum tamen non ſoleant alias de nihilo commoveri. Vos ſoli ſine controverſia pronunciatis quid facere debeam. Sed quum ego nonnihil vacillem, & alios omnes videam fluctuari, nihil dum poſſum ſtatuere: niſi quod paratus ſum omnino ſequi Domini vocationem ſimulac mihi fuerit patefacta. Quum legati literas Senatui obtuliſſent, reſponſum eſt me abeſſe: ſine cujus conſenſu nihil polliceri vellet. Exceperunt ſe libenter huc venturos, ut de meo animo ſciſcitarentur. Præmiſſus eſt eques celeri curſu, qui nobis indicaret. Biduo eos antevertit. Jubebat autem Senatus legatos ſuos dare operam, nequid pollicerer. Nunquam crediidiſſem me tanti eſſe apud Senatum noſtrum. Nec literæ ſine admiratione eorum qui aderant lectæ ſunt, quod de me retinendo eſſent adeo ſolliciti, quibus videbar parum eſſe notus. ſed fortaſſis ideo fecerant, quia non me ſatis noverant. Quid enim habeo in me commendatione dignum? Utcunque tamen ſit, legati mihi literas interpretati prius, hortati ſunt ut apud me expenderem quid maxime putarem in Chriſti gloriam fore: interim tamen ſatis declararunt quid haberent animi. Dies ad conſultandum datus eſt. Adhibui ſtatim fratres in conſilium. Aliquid agitatum eſt. Melius tamen putavimus, ſi omnia nobis integra manerent uſque ad eorum adventum: ut intellecto urbis ſtatu, certius de toto negotio judicaremus. Ubi hæc acta ſunt, propoſitis tuis & Vireti literis rurſum petii conſilium. Qua oratione uſus fuerim, nihil opus eſt dicere. Obteſtatus tamen ſum quibus potui modis, ne me reſpicerent. Quam ſerio autem id à me diceretur, intelligebant ex re ipſa: quum plus lachrymarum efflueret quam verborum. Quin etiam bis ita ſermonem interruperunt, ut ſeceſſum quærere coactus fuerim. Non progrediar longius. Hoc tantum tibi confirmo, me optime conſcium mihi eſſe ſummæ ſinceritatis. Huc tandem ventum eſt, ut non me adſtringerem in præſentia, ſed tantum bonam ſpem Genevenſibus facerem. Obtinui tamen ut reciperent noſtri, ſe impedimento non fore quominus eo concederem abſoluto hoc conventu, ſi modo Bernates reſponderent, ſe ab eo conſilio non abhorrere. Senatus quidem, ut video, me ægerrime dimittet. Legati qui hic ſunt, vix conſentient. Nec in alia opinione eſt Capito. Sed Bucerus efficiet, ne retinear: modo ne quis ventus adverſus iſtinc flaverit. Tu eos in ſpe concepta confirmabis: ac interim diligenter mihi expones, quicquid putabis noſtra intereſſe. Quum redierimus, ſi expediet me venire, tunc magis urgendum erit. Plus tamen impetrabis tuis literis, quam ullus alius. Sed de illis ubi tempus venerit. Quid ſperandum ſit de hoc conventu, breviter complexus ſum in charta quam tibi fratres oſtendent. Et paulo ante tibi expoſueram. Plura quum otii plus fuerit. Viretum ſalutabis amantiſſ. & diligenter excuſabis quod nihil reſcribam, rogabiſque ut his literis ſatisfieri ſibi patiatur. Vale frater optime & chariſſ. Dominus vos omnes conſervet. Wormatiæ, 13 Novemb. M. D. XL.

CALVINUS FARELLO.

TAndem ſub finem tertii menſis domum rediimus. Subinde enim novas artes excogitarunt illi, ut tempus extrahendo nos deluderent. Quum autem Cæſar appropinquare diceretur, putabamus eos ſatis bonum prætextum habere ad ſe explicandum. Nam quum tota actione impudentiſſimis tergiverſationibus elapſi eſſent ne congrederentur, cur non cauſati eſſent ſibi jam non eſſe integrum incipere, quum Cæſar Ratisbonam pergeret? Quum autem ſe omnes ad diſceſſum accingerent, ecce illi ex inſperato colloquendi copiam nobis faciunt: ſive quod tanta vicinitate Cæſaris nos nonnihil perculſos fore ſperabant: ſive quod videbant in ſua poteſtate fore diſcedere, quoties liberet: ſive quod dedecus ſe effugere non poſſe verebantur, ſi nihil vel in ſpeciem ſaltem inchoarent, quum omnes quas nobis impoſuerant conditiones recepiſſemus. In hoc enim totum menſem incubuerunt, ut iniquiſſima quæque poſtulando nos ad aliquid negandum adigerent. Ita jactaſſent à nobis fuiſſe impedimentum. Noſtri vero ſua patientia eos fruſtrati ſunt in hac expectatione. Animos enim obſtinaverant ad recipiendas potius quaslibet conditiones, quam ut videri poſſent ſubterfugiſſe. Quicquid ergo ſalva cauſæ defenſione concedi potuit, admiſerunt. Ventum eſt in colloquium. Ekcius, quem adverſarii actorem delegerant, orationem habuit duarum horarum. Philippus reſpondit aliquanto brevius. A prandio Ekcius iterum detonuit. Poſtridie Philippus ſumma modeſtia reſpondit. Ekcius iterum à prandio. Pronunciarunt boni & ſancti judices ſatis de eo articulo eſſe diſputatum. Quum adverſarii primo & ultimo loco dixiſſent, excepimus videri nobis illud intolerabile. Ille Areopagitæ inflexibili gravitate perſtare in ſententia. Obtinuimus tamen ut iterum liceret loqui: ſed ea lege, ut poſtremas adverſarii haberent. Philippus ergo poſtridie præclare clauſit eam diſputationem. Ekcius paulo moderatius ſolito clauſulam quoque ſuæ actioni impoſuit. Dices hanc rationem videri tibi minime idoneam. Nulla, fateor, magis inepta inveniri potuit. ſed quia ex aliorum præſcripto agendum fuit nobis, neceſſe habuimus idipſum ſequi quod ſummopere diſplicebat. Non referam hic quanto faſtu, quanta audacia, inſolentia, impudentia, vociferatus ſit ille nugator. Propone tibi effigiem barbari ſophiſtæ inter illiteratos ſtolide exultantis, & habebis dimidiam partem Ekcii. Iterum pronunciarunt boni cognitores hanc controverſiam ſatis diligenter utrimque fuiſſe excuſſam. Tantum hoc reſtare, ut quatuor inter ſe committerentur, qui formulam aliquam conſcriberent. Ita poſſe ad aliquam conſenſionem perveniri. Permiſſum Granvello ut eligeret quos vellet. Elegit Philippum & Bucerum à nobis. Ab adverſariis Ekcium & Suffraganeum Mogunt. quem judicabat fore aliis moderatiorem. Verum quum ille non eſſet repertus domi, errore adductus eſt Dominicanus quidam Meſingerus: non homo, ſed furia importuniſſima. Ille principio nihil æqui admittere. ſed quum Ekcius à Cæſarianis delinitus (abutuntur autem tanquam morione) dediſſet quod tota actione ſtrenue negaverat, & Granvellus approbaret, hic Meſingerus poſita pertinacia leviter aſſentiri. Philippus & Bucerus dixerunt ſe nihil illic videre quod reprehenderent: ſed velle ad nos referre. Dum conſultamus, advocantur omnes à Granvello, recitantur Cæſaris literæ, quibus miſſionem nobis dabat. Ita re infecta diſceſſum: ſed quia Cæſar promittit ſe Ratisbonæ cogniturum de hac cauſa, decretum eſt ut aliquot Theologi eo adducerentur. Ubi auditum fuerit Cæſarem recta illuc contendere, nos hinc ſolvemus. Me enim Bucero adjunxit Senatus. Hoc Philippus non ſine magna obteſtatione petierat; quod ideo dico, ne me de induſtria alio abduci ſuſpiceris, ne me iterum repetant Genevates. Quum enim legato noſtro valediceret, tam anxie illi commendavit, ut me vehementer puderet. Quum ego conatus eſſem interpellare, dixit ſe non morari meas excuſationes, ſibi ejus poſtulationis optimam conſtare rationem. Adjunxit poſtremo, ſe omnino velle ut adducerer. Et paucis ante diebus in eandem ſententiam loquutus fuerat. Nam ſub id tempus quo nobis obtulerunt colloquium, quia ſpes omnis ſublata erat, petieramus Grynæus, Sturmius, & ego, ut domum redire nobis liceret. Compoſitis jam ſarcinis, curſitavimus ad ſalutandos amicos. Ubi ventum eſt ad Philippum: Aliis permitto, inquit; ad tempus Calvinum diſcedere non patiar. Et ſtatim domum noſtram accurrit, ut profectionem impediret. Vides igitur, mi Farelle, teneri me adſtrictum: nec quidquam hic vafre compoſitum eſſe fruſtrationis cauſa. Quanquam ego ineptus ſum, qui eam ſuſpicionem, quæ neque in animum tuum ſubire, neque de nobis concipi poteſt, diluere conor. Ubi domum redii, multum negotii mihi fuit cum Claudio. ſic enim tuis rationibus eum vel imbueras, vel inebriaveras, ut nullum diſſentientem ferre poſſet. Ego vero, ut ſcis, & tuo & ipſius conſilio libentiſſime obtemperaſſem jamdudum, & hodie paratus eſſem obtemperare: ſi modo obicem illum tolleretis, qui viam mihi nunc præcludit. Quanquam, crede mihi, etiamſi me nemo ſollicitaſſet, ego mihi ſatis diligens, imo aſſiduus fuiſſem hortator & impulſor. Quia ſi mihi non eſſet permiſſum eo demigrare, ſtatueram tamen vel omnibus invitis illuc ſtatim venire excuſandi cauſa. Non enim eram neſcius, quantum profuturum eſſet hoc officium ad eos confirmandos. Et aliquid fortaſſis dediſſem eis conſilii: quod ſi ſequuti eſſent, aliquantulum collegiſſent ſuam Eccleſiam ex hac diſſipatione. Nunc me excuſatum habeant oportet, quod ne illa quidem excuſatione defungor. Unum me ſolatur ac recreat, quod audio de Vireto confectum quod cupiebamus. Ergo ſtatus mei incertus, relicta domo incompoſita, fortaſſis ad ſex vel octo menſes peregrinabor. Taceo, quantum domeſticis meis rationibus obſit, quod hic nolo me addicere. Iſta eſt cauſa cur mihi non augeatur ſtipendium. Eo autem quod nunc penditur vix poſſum octo menſes tranſigere. Nec eſt quod conquerar: quia mihi cogor imputare. Scribam iterum tibi ante abitum. Vale integerrime frater. Saluta diligenter omnes fratres. Argentorat. Pridie Cal. Februar. M. D. XLI.

Joannes Calvinus Jacobo Bernardo, Genevenſis Eccleſiæ in verbi Dei diſpenſatione Miniſtro, fratri mihi dilecto, S.

LIteræ tuæ mihi redditæ ſunt quum jam ad ingrediendum iter eſſemus compoſiti. Itaque excuſabis ſi expectatione tua ſerius reſpondeo. Hanc quoque epiſtolam, ſi brevis erit & incompoſita, velim hoc nomine excuſatam habeas, quod ex medio itineris curriculo ſcribitur. Quod me ad ſuſcipiendam Eccleſiæ Genevenſis adminiſtrationem pro tua parte hortaris, id te bona fide, adeoque optimo animo facere non dubito: quod eam non aliter poſſe reſtitui judicas, quam ſi ſubſidio venerint ii quorum diſceſſu factum eſt, ut ita miſere affligeretur. Proinde argumentum illud quo permovere me ſtudes, apud me ſemper multum ponderis habuit. Quia enim verebar ne Deo reſiſterem, illam vocationem nunquam auſus ſum repudiare. Rurſum in ea quam ſuſtineo vocatione conſtrictum me tenet mea conſcientia, nec deſerere facile ipſam patitur. Eſſe enim legitimam & ſanctam tum animus meus coram Deo, tum multi pii coram mundo teſtes ſunt.

Nam

Digitized by Google

Nam poſt calamitatem illam quum mihi videretur infelix infauſtumque meum miniſterium, ſtatueram omnino apud me nullum unquam ſuſcipere Eccleſiaſticum munus, niſi me clara voce Dominus ipſe accerſeret, hoc eſt, niſi qua tanta neceſſitas accidiſſet, ut reluctari non poſſem. Huic ſententiæ pertinaciter inſiſtentem non deſtiterunt Argentinenſes percellere multis machinis, donec tandem impulerunt. Neque tamen fregerunt primo impetu. Sed quum viderent ſe parum proficere, multis argumentis ad extremum minati ſunt me non poſſe magis Dei manum tergiverſando effugere, quam Jonas olim effugiſſet. Itaque ſtationem in qua me Dominus collocavit, non mirum eſt ſi non leviter relinquam. Alioqui non ita ſum loco affixus, quin paratus ſim ideotidem migrare, quoties Eccleſiæ judicio fuerit conſtitutum. Verum ſine ordine legitimo non ſum facturus. Hæc fuit cauſa, cur totam hanc cognitionem ad Eccleſiæ noſtræ arbitrium referrem. Porro fratres ac collegæ mei, quos ego pro ipſorum merito in Domino veneror, ac quorum auctoritati defero non ſecus acſi parentes forent, tametſi me invitiſſimi dimittunt, eo tamen inclinabant ut ego cum Bucero iſtuc proficiſcerer, ac cognito Eccleſiæ ſtatu conſtitueremus quod maxime utile viſum eſſet: ſed id quominus ſtatim exequeremur, hac profectione ſumus impediti. Simul vero ac domum redierimus, rem nobis curæ futuram non eſt quod dubites. Quod ad te privatim attinet, ſcis veſtrûm omnium ingreſſum merito ſemper mihi diſplicuiſſe. Et ab initio tam inauſpicato nihil boni potui expectare; niſi quod Dominum ſemper rogabam, ut vos ſibi faceret idoneos miniſtros. Interea multa referebantur, quæ nec libebat credere, nec tamen refellere licebat. Certe non abſque graviſſimo mœrore audiebam quæ ſpectare providebam tantum ad ſacri miniſterii dedecus. Nam quod parum amice tractari me fratreſque meos audiebam, id vel nihil animum meum affecit, vel ita leviter pupugit, ut nullum ulcus faceret. Quanquam mihi fateor tanti fuiſſe Farellum & Coraldum, prout eorum pietas, eruditio, ſanctitas merebatur, ut non ſuſtinerem æquis auribus quod in eorum contumeliam diceretur, excipere. Hoc ideo non diſſimulo, ut intelligas me candide ac ſimpliciter tecum agere. Jam vero quia egregium animum in literis oſtendis, & interiorem affectum reſpondere verbis confido, plurimum tibi gratulor. A me viciſſim expectare ſecure potes ac certo tibi polliceri, quod ab homine primum pacis amante & à contentionibus alieno, deinde amico tibi tuæque ſalutis ſtudioſiſſimo, poſtremo in remittendis offenſionibus non difficili. Interea per nomen Dei obteſtor ac tremendum ejus judicium, ut cum eo tibi negotium eſſe memineris qui olim ſeveriſſimo examine omnium rationem exiget, nec verbis ſibi patietur ſatisfieri, aut levi aliqua excuſatione. Deinde, ut aſſidue reputes te in munere verſari, ut omnium præſtantiſſimo, ita maxime periculoſo, niſi ſumma diligentia intentioneque incumbas ad officium. Quod ſi me te approbare vis, unum hoc te præmoneo, nihil me abs te requirere, niſi ut fidum te ſincerumque Domino ſervum præbeas. Vale frater mihi chariſſime. Dominus Jeſus te Spiritu ſuo ad omne opus bonum præparet ac confirmet. Saluta, quæſo, pios omnes meo nomine. Ulmæ, Cal. Martiis. M. D. XLI.

Doctores ac Paſtores Eccleſiæ Tigurinæ Calvino fratri in Chriſto obſervando.

QUanquam nobis ſemper jucundiſſimum fuerit ſcribere ad te, vir clariſſime fraterque in Chriſto venerande: hoc tamen tempore non jucundum modo, ſed maxime neceſſarium eſſe judicavimus, niſi gloriæ Dei, Eccleſiarum Chriſti, officiique noſtri deſertores dici & haberi velimus. Scribimus enim ad eum quem nobis & Chriſti amor & ſumma virtus arctiſſimo amicitiæ vinculo conjunxit, apud quem non dubitamus nos omnia & poſſe & impetrare. Nec opus eſt ut longa præfatione attentionem & benevolentiam nobis conciliemus apud te, quum nobis benevolentia tua erga nos jam dudum perſpectiſſima ſit: unde & arbitramur te noſtris in literis plus ſimplicitatem & candorem, quam ornatum aut ſplendorem perpenſurum eſſe.

Quantum Satanæ aſtus & hypocritatum artes poſſint non eſt ut recenſeamus, quum in te uno exemplum evidens proditum eſt, qui improbis illorum machinationibus & conſpirationibus ante annos aliquot ex urbe & Eccleſia Geben. ejectus, ad Argentoratenſes veniſti, qui te exulem, & patria expulſum ſummo cum honore exceperunt. receptis per gratiam Domini oculis, fidem & diligentiam tuam, quam prius expendere non potuerant, ac qui veri qui falſi Prophetæ, cœperunt agnoſcere, adeo ut ejectis aliis, te unum ſummis omnium votis per honeſtiſſimam legationem (ut audimus) repetierint, eoque innocentiæ & fidei tuæ teſtimonium egregium tulerint. Quæ res nobis & omnibus piis (ut par eſt) non parum gaudii attulit. Nec dubitamus te quoque ſingulari quodam gaudio affectum hujuſmodi nuncio, utcunque factum ſit ut hactenus reditum ad Gebennates tuos diſtuleris. Quare te noſtris literis, quæ apud te plurimum (niſi fallamur) valere exiſtimamus, inhortari voluimus, ne vocationem hanc Dei negligas ac contemnas. Non ſumus ignari quas remoras objectare caro ſoleat, ut te à propoſito deterreat: Ejecerunt abſque cauſa, indigni quos reviſam, inconſtantes ac futiles, & hujus generis innumera. Ad has vero voces ſeu blandas, ſeu vanas, aures obturare militem Chriſti convenit. Audienda potius vocatio Domini, eique ilico obtemperandum. Vocationem Domini eſſe hanc, nihil eſt ut probemus, quum conſcientia tua hujus rei teſtis tibi ſit, ut id nobiſcum fateri quoque cogaris: quam vero inhoneſtum ſit Domino reluctari, quantoque cum periculo conjunctum, hiſtoria & exemplum Jonæ ſatis indicat. Jam ut Argentorati hæreas, non ſunt tam graves cauſæ, quum te abeunte Eccleſia Argentinenſis nihil jacturæ faciat, quæ tot tantoſque viros doctos & præſtantes habeat ut vix alia: Eccleſia vero Gebennenſis præter unum Viretum habeat neminem; cujus humeris totum onus idque graviſſimum incumbit, quod tantiſper ſuſtinet donec ad oves ſuas revocetur: ut interim taceam quanto cum periculo Eccleſiæ Lauſanenſi deſit ſuus Paſtor. Fuit & aliquando celebris Eccleſia Antiochiæ (ut Actorum Apoſtolorum caput decimum tertium teſtatur) in qua Prophetæ & Doctores plurimi erant, utiles nimirum & neceſſarii tum Eccleſiæ Antiochenæ. At quum Dominus alio vocabat, non repugnabant vocationi divinæ neque Apoſtoli neque Eccleſia, quin dimitterent Paulum & Barnabam in opus, ad quod ſegregaverat eos Spiritus ſanctus. Age nunc, Antiochia quædam Argentina eſt, in qua Doctores & Prophetæ, interque hos Calvinus, qui propter eximiam eruditionem ſingulariaque dona à Deo conceſſa Eccleſiæ eidem utilis eſt & neceſſarios. Cæterum Dominus alio vocat. cui vocationi, noſtro judicio, non tam Calvinus quam Eccleſia Argentina obtemperare debet, adeo ut non modo non retineat Calvinum, ſed cunctantem & renitentem emittat ac ablegandet. Accedit iis evidens doctrina Chriſti & exemplum. Quanta enim ſollicitudine, quanto labore ille æternus Paſtor ovem perditam quærere & ſervare docuerit, Lucæ caput quindecimum luculenter explicat: quin ipſe nonaginta novem in deſerto relictis erraticam illam ac perditam inſequutus eſt, inventam molliter in humeros ſublatam ad ovile reportat. Quid faceret ſi oves ſuæ

ſponte paſtorem requirerent, qui fugientem tanto ſtudio inſequitur? Ultro offert Chriſtus ſuam gratiam indignis, nolentibus, repudiantibus. at omnis Chriſti actio exemplo nobis eſſe debet: Exemplum, inquit, vobis dedi, ut quemadmodum feci, & vos faciatis. Qua nunc mente, quo ſpiritu, quave conſcientia tibi occurrentes, te unice petentes deſeres & fugies? Paulus quas verbo Dei genuit ac inſtituit Eccleſias ſæpius inviſit, & ut in officio perſtarent, multum literis eſt inhortatus. Tua opera, tuoque miniſterio, Gebennatium Eccleſia in Chriſto renata eſt: ergone liberos poſt parentem ſuum ejulantes ac clamantes negligere ac contemnere potes? Patierisne ut tot oviculæ prædæ pateant, pro quibus ſanguinem fudit Chriſtus? ne viles tibi ſint quas tanto pretio Chriſtus redemit. Quod prædæ pateant quid opus eſt probare, quum Sadoletus ille dicendi artifex mira ratione & quaſi per cuniculos nuper in Eccleſiam Gebennenſium irrepere tentarit: nec abſiſtet qui ſemel ſpe prædæ illectus cœpit, ſed hoc acriorem intentioremque impreſſionem in gregem Chriſti inermem & Paſtoris præſidio deſtitutum faciet. Neque vero difficile videatur quod Deus agere jubet, ne pigeat ſequi vocantem Dominum: dabit virtutem, ſapientiam, patientiam qui potens eſt. mentiri neſcit, ut facile vincas ea incommoda quæ obſtare judicio carnis videntur. Nunquam defuit Dominus invocantibus ſe in veritate. Quum tot Eccleſiæ te orent, vel bujus ſolius rei cauſa confidentius agas. Porro de utilitate non eſt quod multa dicamus. Eruis oves plurimas è luporum faucibus, coronam immarceſſibilem tibi apud Deum contexis. Noſti Gebennam in confiniis eſſe Galliæ, Italiæ, Germaniæ, ut magna ſpes ſit iſthinc Euangelium latius in conterminas urbes diſſeminandi, & pomeria regni Chriſti ampliandi. Noſti Apoſtolum ſibi delegiſſe metropoles in quibus prædicarit verbum Euangelii, ex quibus facile in alias urbes finitimas dimanaret. Quantum vero regno Chriſti ex hac urbe adjicere queas ipſe melius noſti, non prædicando ſolum, ſed & ſcribendo. Hæc ſunt, mi Calvine, quæ nos movent ut te rogemus, obſecremus, obteſtemur, ne vocationem hanc, quam à Domino eſſe non dubitamus, non rejicias, ſed incunctanter & abſque mora ſequaris. Nec dubia eſt apud nos fides tua & voluntas, ſed currentem ultro, ut ocius fiat, calcaribus quibuſdam impellimus. Jam preces & ſupplicationes noſtras apud te aliquid poſſe ſperamus. Scis quam te amemus, quid tui cauſa & in gratiam tuam faceremus, ſcis quam te ſuſpiciamus & colamus, & propter dona illa egregia tibi à Domino collata revereamur. Tui autem illi, tuique nominis ſtudioſiſſimi, & Eccleſiarum ac veritatis amiciſſimi, te fratrem & amicum noſtrum oramus ac per Chriſtum obteſtamur: quos contemnere, quibus refragari turpe fuerit. Speramus enim & nos non omni parte Spiritu Dei vacuos & ex carne tantum conſulere. Tu vale, frater in Domino ſemper obſervande, & pro nobis precare Deum. Ex Tiguro, 4 Aprilis. M. D. XLI.

Farellus Calvino.

Satis arbitror te diſcupere, quid Genevæ agatur, reſcire: ego non minus angor, quod non audiam aliquid: verum malo nihil prorſus intelligere, quam ſiniſtrum aliquid. Tu certe dignus es, qui nihil reſciſcas, quum omnibus illis jam præſens hortator eſſe deberes ad optima: ſed quem accuſem magis, te an Viretum, neſcio. Dudum advolaſſe debueras, etiam omnibus reclamantibus: nam quid movere aliquem unquam debet, ſi tu non cogeris currere ob ea quæ te pertrahere debent quam citiſſime in illam Eccleſiam? expectas ut lapides vociferentur? hoſtes ipſi coguntur fateri te à Deo illuc vocari, teque non poſſe aliter, niſi repugnare Domino velis. Piorum quis eſt, quæ Chriſti Eccleſia, rem intelligens, quæ non te arguat ceſſantem, & non ſtupeſcat te tamdiu differre adventum? ſi dum moras tuas cogito concidam, prorſus neſcio ubi ſim, & dum Viretum video non aliter incumbentem ut ſublevetur tanta rerum mole preſſus, illis ſcilicet ſtipatus, corpore ſic affecto, reque tam urgente, quam verum ſentio illud, Prudentiores eſſe filios ſeculi, filiis lucis. nam quis negotiatorum tantam jacturam non totis nervis vitaret? quis tam præſens & amplum lucrum non ſectaretur avidiſſime? quæ tarditas major noſtra eſſe poteſt, dum tam ſancta ſunt ſubeunda? Te quæſo cum piis omnibus diligenter invocato Domino, vide ne mora iſta pecces, & Eccleſiam perdas, & pium fratrem. Si vera ſunt quæ audio de Comitiis, non poteſt differre amplius adventum ſuum Bucerus. Jampridem certiora omnes hic de te referente audire ſperabamus, tuis admoniti literis: ſed miramur quod tantum ceſſes. nec eam habebit, timeo, fidem tua narratio, quam ſi prius veniſſes: utinam non etiam apud Genevenſes aliquid deceſſerit iſta mora. Hæc ante menſes, &, ut mihi videtur, ante annos, idque præter morem, nam non niſi expectante nuncio literas ſcribo. ſed hæ nuncium anteverterunt: rogant omnes & obſecrantur, ut omnia agam, ut te quam citiſſime habeant præſentem, quem tamdiu exoptant & magnis ſuſpiriis queruntur abſentem. jubetque ut te comiter Senatus ſuis literis. Hic tu & alii tecum non advolabitis? & qui jam ante menſes debeatis veniſſe toties rogati, ita flagitati, quod in quovis deteſtaremini, non audietis tam ſanctas preces? non parebitis Domino qui per ſuos tam enixe vos obteſtatur? Sed non poſſum id de vobis ſperare. quum videam Genevenſes ſemper pergere in petendo, non, quæſo, ludas illam Eccleſiam: ſed omnes urge ut tibi adſint, veniantque tecum, qui prodeſſe poterunt inſtaurationi Eccleſiæ. quam te rogent omnes fratres & omnes Eccleſiæ, nemo dixerit: nemo non miratur iſtam tarditatem omnium tardiſſimam, nec ſatis poſſunt apud ſe conſtituere quid dicendum ipſis ſit. Si tam tardus fuiſſes ad abeundum, dum jubebaris mecum egredi, quam tardas redire rogatus ſæpiſſime, non ita res haberent: quem offendes Dominum & omnes pios, ſi non protinus venias. Si alios ex meipſo metior, neſcio quo te ſint habituri loco, ſiquidem nullios in Eccleſiam culpa tuæ conferri poterit, ſi non advoles vel ſerus, & ita conficiens omnes tam avide tuum adventum expectantes. Verum non puto te tam ſaxeum ad Eccleſiæ preces, ut tam impie eas rejicere poſſis, ſed audies & tandem parebis Spiritui Chriſti, nec amplius differes. Si juxta condictum tu & alii veniſſetis, non dubito quin melius conſultum fuiſſet rebus Eccleſiæ: ſed præſtat ſero quam nunquam. quam vellem eos qui vident manum Domini in populo, Saulis in Gabaonitas peccatum intelligerent, ne ſic impunitum iram Dei deſcendere in plebem faciat. alia ſunt digna quæ precibus deprecemur multa, ſed præſentes poterimus conferre. Vale & veni, ſed cito. Saluta mihi omnes diligentiſſime & officioſiſſime, Capitonem, Bucerum, Bedrotum, Sturmium, Hedionem, Matthiam Stuenum, nec præteream Senatores Sturmios & Scribam. Noſtri omnes te ſalvum cum omnibus cupiunt. Neocomi, 25 Auguſti. M.D. XLI.

Calvinus N.

Ut de rebus meis aliquid tibi referam ne tantum ex auditu ſcias, hic partim in reſtituendis rebus collapſis, partim in conſervando qualicunque ſtatu non leviter exerceor. Dum me Comitia morantur, Bernates Viretum noſtris velut precario dederant uſque ad meum adventum. Is mihi non parum quidem levationis

attu-

attulerat, efficere tamen non potuerat, quin omnia adhuc eſſent difficillima. Quum repoſceretur, obtinui ut mihi prorogaretur tempus ad ſex menſes. Ejus opera, conſilio, fide, ſtudio adjutus, utcunque in meliorem formam reſtitui quæ vel prorſus everſa vel fracta, lacera ac diſſipata erant. Principio hinc fuit inchoandum, ut leges Eccleſiaſticæ ſcriberentur. Nobis adjuncti ſunt ſex è Senatu qui eas conciperent. Intra 20 dies formulam compoſuimus, non illam quidem ſatis abſolutam, ſed pro temporis infirmitate tolerabilem. Ea ſuffragiis populi recepta fuit. Conſtitutum deinde judicium quod morum cenſuram exerceat, ac Eccleſiæ ordini ſervando invigilet. Volui enim, ſicut æquum eſt, ſpiritualem poteſtatem à civili judicio diſtingui. Ita in uſum rediit excommunicatio. Quoniam peſtis in Germania ſæviebat, & altera ex parte bellum, feci ut ſupplicationes extraordinariæ decernerentur. Precationes quibus in iis uteremur conſcripſi. Adhæc ut in Sacramentorum adminiſtratione amplior ac luculentior haberetur explicatio, novas formulas addidi. Tandem veni ad Catechiſmum, in quo ſcribendo Dominum mihi adfuiſſe confido. Paucorum dierum ſunt iſtæ lucubrationes, fateor: ſed inter tot avocamenta quibus ſubinde huc illuc abripior, nullus labor non difficilis. Non enim memini ex quo hic ſum, duas horas ſine interpellatione mihi datas eſſe. Adde quod Inſtitutionem Latinam abſolvere oportuit, in qua poſtquam exierit, videbis me non leviter ſudaſſe. Hæc tamen omnia mihi facilia ſunt toleratu, præut eſt aliud malum quod me mirifice excruciat. Habemus enim Collegas minime nobis commodos: quorum duo, quum expulſi eſſemus, in locum noſtrum irruperant. alter interea neſcio quomodo obrepſit. Nam duo ex iis qui vacuam poſſeſſionem initio occuparunt, fugam ſibi conſciverunt. Tertius etiam me aliqua parte moleſtiæ jam levavit, quia petiit miſſionem, quam non difficulter impetravit. Reſtabant adhuc duo, qui mihi plurimum negotii faceſſent, niſi reſipuerint. Alter feroci vel potius truculento ingenio, nullis ſanis conſiliis obtemperat. Alter autem vafer ac verſipellis totus ex mendaciis & aſtu conflatus eſt. Ambo indocti juxta & ſuperbi. Ad inſcitiam accedit incuria & ſecuritas, quia nunquam vel per ſomnium cogitarunt quid ſit Eccleſiæ præeſſe. Inter has ſpinas mihi neceſſe eſt verſari. Rogatis, quæ ſit hæc neceſſitas. Paucis tibi exponam: ſcis fæcem in dolio relinqui, quæ exhauriri nequit quin liquidum ac purum vinum corrumpatur: ita hic mihi accidit. Poteram quum veni uno verbo, ſi libuiſſet, eos abigere, ſed expendi quid ferret temporum conditio. tunc excitatus erat horribilis tumultus in Eccleſia Neocomenſi, ad quem reſtinguendum ex itinere deflexeram: nec tamen aliquid profeceram, niſi quod mitigatis paulatim animis, locus erat remediis datus: quæ tamen difficilia fore videbam. Hic nullus erat ad manum qui ſubſtitueretur, ſi quem curarem amovendum. Ita Eccleſia manebat deſtituta, ſi quid tentaſſem. Tertium impedimentum inde erat, quod rationem diſciplinæ nondum habebamus conſtitutam, qua illos aggrederer. Nolebam autem violenta ejectionis ſpecie malum exemplum edere, vel in hoc tempus, vel ad poſteritatem. Hoc etiam aliqua ex parte me tenuit, quod periculum erat ne qui me cupidius hanc cauſam vindicandi potius animo, quam recto zelo perſequi ſuſpicarentur. Quanquam hoc ſolum moram nullam attuliſſet, ſi cætera adfuiſſent. Ergo in animum induxi eos quoquo modo tolerare, quia tollendi facultas non erat. Nec me latebat quam duras in me leges reciperem. Neque enim ſatis eſt Collegam aliquem habere, niſi cum eo pacem ſimul colas. Pacem vero conſtare mihi non poſſe ſatis ſuccurrebat, niſi magna eam moderatione & tolerantia redimerem. An iſtuc, inquies, tam durum? ſane, ut me noſti, judicare potes quam non mihi proclive ſit. facio tamen vim ingenio meo, ac mea moderatione illorum improbitatem ſic teneo concluſam, ne palam erumpat. Nec ipſi diffitentur multo ſe humanius fuiſſe à me tractatos & hodie tractari, quam ſperare auſi eſſent. Neque erga ſolos ipſos, ſed alias quoque reliquias factionis eam adhibui moderationem, ut velint nolint cogantur hoc agnoſcere ac prædicare. Nam ſi ſcias quam plauſibile futurum fuerit, ſi plenis velis in eos invectus forem, mireris me tantam occaſionem prætermiſiſſe. In Senatu quum verba facerem, ſic miniſterii mei honorem aſſerui, ut adverſariis in totum pepercerim. Quid enim attinebat, inquies, canibus mortuis inſultare? multos enim reperias qui vix ſibi temperaſſent. Ubi in concionem prodii ad populum, nemo non erectus erat magna expectatione. Atqui commemoratione earum rerum quas omnes certo expectabant penitus omiſſa, pauca de muneris noſtri ratione diſſerui: adjunxi deinde modicam & verecundam fidei & integritatis noſtræ commendationem. Hæc præfatus, locum explicandum aſſumpſi in quo ſubſtiteram: quo indicabam me ad tempus intermiſiſſe magis, quam depoſuiſſe docendi munus. Quantum ad calumniarum purgationem attinet quas ſcelerati illi de nobis ſparſerant, populus mihi in ea anteverterat. Nam in eo Plebiſcito quod de revocando me factum fuerat, vocabant fidum ſuum Paſtorem. Alterum deinde Plebiſcitum ſequutum erat, quo Senatus Populuſque fatebatur gravem nobis factam eſſe injuriam, & veniam ejus facinoris à Domino precabatur. Poſt reditum impetravi ut legatio ad Guilelmum Collegam meum mitteretur petitum, ut gregem ſuum viſeret: tum deinde in eam urbem ubi alter ſepultus eſt, ut mortuo apud Eccleſiam illam teſtimonium redderetur. Habes aliquam partem eorum quæ mihi acciderunt. Tu, mi frater, nunc Deum precare ut iſta omnia in bonum finem dirigat, ac mihi conſilium, animum & vires ſubminiſtret ad opus ſuum fideliter & prudenter peragendum. Nam quo longius progredior, eo melius ſentio quam negotioſam atque arduam provinciam ſuſtineam. Si quando illinc ad nos transvolare potueris, ſcis quam gratus mihi futurus ſit tuus conſpectus: & ſpero tibi proximas ferias vindemiales fore ad eam rem opportunas. Vale mihi chariſſ. frater. Genevæ.

Miniſtris Bernenſibus, fratribus & ſymmyſtis chariſſimis, S.

INviti quidem facimus, ut ea ſcribamus vobis de Amedeo Camperello, quæ ejus famam graviter lædant, & domeſticis ejus commodis forſan poſſint obeſſe. Nam præter communem humanitatis legem, præter Chriſtianæ etiam dilectionis officium, hoc quoque nos movet, quod nuper Symmyſta noſter fuit. Sed quia eo ventum eſt, ut tacere non liceat quin nos ſubſtituamus reos in ejus locum, imo quum ipſe nobis ſua improbitate loquendi neceſſitatem imponat: nobis venia dari debet, ſi eum propria culpa premi malumus, quam nos immerito gravari. Quanquam ne hæc quidem ratio nos impuliſſet ad detegenda ejus flagitia, niſi hic & Chriſti honor, & Eccleſiæ diſciplina, & fraternæ etiam inter nos conjunctionis ratio verteretur. Ambit enim jam in agro ditionis Bernenſis miniſterium. Id conſequi non poteſt abſque magno Euangelii dedecore, quin diſciplina peſſimo exemplo labefactetur, & reſcindatur omnis quæ inter nos eſſe debet communicatio. Neque de his rebus volumus nobis haberi fidem: ſed vobis judicium deferemus, poſtquam expoſita fuerit cauſa. Proinde, quando ita res habet, potior ſane & Chriſti & Eccleſiæ habeatur ratio quam unius privati hominis: & ejus quidem hominis quem dum videmus ſponte velle perire, vix miſericordia cenſemus dignum, donec ad ſaniorem mentem redie-

rit: niſi quod hoc quoque ipſum dolendum eſt, ſicuti profectò dolemus, hominem ſacro miniſterio functum, quaſi devoto animo ſibi exitium accerſere. Hæc porro hiſtoriæ ſumma eſt. Hac conditione recipimus in collegium noſtrum Miniſtros, ut Eccleſiæ Genevenſi ſerviant tam in agro quam in urbe: quocuoque fuerint, Senatus auctoritate & noſtro judicio, deſtinati. Hic ex agro in urbem accitus fuerat, quo tempore res erant turbatæ: poſtea quum nonnulli eo longe doctiores in agrum ablegarentur, retentus in urbe fuit, quia bene vocalis erat, & orationem habebat vulgo accommodatam. Sæpe tamen interea monitus fuit in conventu fratrum, cum de aliis vitiis, tum de negligentia, & diſſoluto vitæ genere. Ab uxore etiam multa offendicula oriebantur: ſed nihil pejus nos habebat, quam quod in cauponis frequentior erat quam domi. Quod fieri non poterat quin voraret uno prandio diei unius ſtipendium, quo ſe & uxorem alere debebat: & interea vulgi ſermonibus non ſe modo, ſed omnes Miniſtros exponeret. Sodales habebat belluones quoſdam proſtituti pudoris, qui infamiam augebant. Quum eos ceperat urbis faſtidium, animi cauſa ſic ruſticabantur, ut aliquanto plus licentiæ indulgerent. Id illi placide aliquoties, ſed tamen ſevere oſtenſum fuit. Atqui, tanquam humanitatis oblitus foret, nullum reſipiſcentiæ ſignum præbuit. Nam ſicut ad populi famam occalluerat, ita noſtras monitiones parvo æſtimavit. Ergo niſi hominem perditum vellemus, remedium nobis unum reſtabat, à ſodalitiis, quibus ſponte nunquam renunciaſſet, eum loci diſtantia removere. Eſt in præfectura Tononienſi parochia, hujus Eccleſiæ membrum. Miniſter ejus loci paulo ante mortuus erat. Donec ſucceſſor eſſet ordinatus, unus ex nobis illuc die Dominico proficiſcebatur. Et jam omnes urbis Miniſtri vice ſua perfuncti erant, præter Calvinum & illum. Recepit ergo ſe iturum. poſtridie innotuit, domo pedem non moviſſe. Nos Miniſtri urbis non amplius differendum cenſuimus, quin illuc mitteretur. Judicium noſtrum Senatus comprobavit. Quum tamen adhuc nonnihil refragaretur, tota fratrum congregatio id ſcivit. Paſſus eſt itaque ſe ordinari illic à fratre noſtro Calvino. Nos quid ſentiat ille, ex operibus cernimus. Sed ludum puerilem eſſe non putamus, quum ſolenni ritu addicitur uni Eccleſiæ miniſter, cum publica nominis Dei invocatione. Nunc intelligite quid ſequutum ſit. Quoniam uxor erat partui vicina, veniam ſibi dari petiit, ſi non tam cito familiam & ſupellectilem ſuam illuc transferret: ſe tamen interea non defuturum concionibus. Dilationis venia illi data eſt ad certum tempus. Non præſtitit quod promiſerat. ſubinde enim eligendus erat ex nobis qui ſubiret ejus vices. Interea certis indiciis olfaciebamus, alio eum adſpirare: ſed diſſimulamus, donec paſſim volitaret rumor, eum ſubrogatum iri Bernetenſi miniſtro. Claudius Veronus quocum capitales exercuerat inimicitias, aſſiduus apud eum erat. is negotium, ſi vera fuit fama, peregit. Imo ſatis patefecit, nihil temere de ſe fuiſſe creditum. Teſtis enim eſt tota claſſis Gayenſis quam petulanter ſe geſſerit, ut eum quovis modo promoveret. Re propemodum convicta, admonuimus ut ſe purgaret: nos enim reatum jam ſuſtinere coram Deo tam longæ ceſſationis, & apud homines flagrare infamia, quod putarent nos ſponte connivere. Quia frigide tantum negabat, juſſimus ut ad hæc tria poſtulata nobis reſponderet: Annon eo conſcio ac volente, imo etiam rogante, agitatum foret de eo in locum Joannis Bernetenſis ſubrogando. Deinde, quum ordinatus fuerat Dralliani Paſtor, an ſerio ſuſcepiſſet ejus Eccleſiæ curam: an vero aliud jam tunc animo propoſitum haberet. Tertio, an, quum admonitus fuerat à nobis de ſtatione illic figenda, ſerio teſtatus eſſet ſinceroque animo, ſtatim ſe migraturum, anne temporis cauſa hoc finxiſſet. Nullum fuit ex tribus rogatis, de quo certum aliquid & planum potuerimus elicere. Tantum ambagibus & involucris effugere conatus eſt. Secundo revocatus, perſtitit in ſuo illo tergiverſandi artificio. Porro miſſionem ſibi dari volens, at honeſtam, aut ſaltem abſque ignominiæ nota, prætextum afferebat, quod propter gravem uxoris morbum, neque hic, neque alibi uſquam miniſterio fungi poſſet ante ſex menſes. Hoc eum mentiri cum ex verbis male cohærentibus apparebat, tum quia domi illi exciderat vox impia: brevi ab hac tyrannide, in qua eſſet, exiturum. Erant juſtæ cauſæ, cur miniſterio abdicaretur, aut ſaltem ad Senatum mitteretur, quo jurejurando adigeretur ad canonicam purgationem. Præterquam enim quod vehementibus indiciis & communi fama premebatur: reſponſiones ejus partim flexiloquæ, partim contumaces, eum non eſſe innocentem prodebant. humanius tamen cum eo egimus. Ad Senatum miſimus tres ex noſtro collegio, qui ipſo audiente, expoſcerent: juſtis ac neceſſariis cauſis nos fuiſſe compulſos ad eum transferendum. Eum legitimo ritu fuiſſe ordinatum: nos tamen certis ſignis animadvertiſſe, meram fuiſſe ſimulationem, quod ſe paſſus fuiſſet ordinari. Nunc eum miſſionem petere. Obtendere cauſas quæ nullo modo nobis probarentur. Nos quidem nequaquam auctores eſſe ejus retinendi: quia inutilis futurus eſſet: ſed potius relinquendum eſſe ut abiret, improbato tamen ac damnato ejus diſceſſu. Niſi hæc omnia ipſe approbaret, in mandatis habebant fratres totam vitæ ejus hiſtoriam dedecore plenam referre. ſententia quidem noſtra à ſpe miniſterii in poſterum erat excluſus. Confeſſus eſt veriſſimum eſſe quicquid dixerant fratres noſtri. Triduo poſt aut circiter, obtulit ſe fratribus claſſis Gayenſis, ut ſibi locus apud eos daretur. Hic cernitis hominis deſperatam impudentiam, qui in cœtu noſtro bis aut ter aſſeruerat, ſibi neceſſario ab omni publico munere ſuperſedendum eſſe: idem in Senatu noſtro confirmaverat. ſtatim conditionem ad portas ambit. Vos ſtatuite, an tolerabile ſit Miniſtrum verbi Deo & Eccleſiæ mentiri in re tanta. Quo ſe in fratrum Gayenſium favorem inſinuaret, finxit ſe habere quædam arcana, quæ in tempus opportunum differret. Privatim conquerebatur in aures ſingulorum, fratrem noſtrum Calvinum ſibi & cuidam ſodali ſuo, qui cum eo nuper ad vos, neſcimus qua de cauſa, profectus eſt, infeſtum eſſe quod parochiæ cujuſdam poſſeſſiones à Clariſſimo Senatu veſtro emiſſent. Id improbiſſime ab eo fuiſſe confictum, nos teſtes ſumus: & res ipſa clamat. Verum longius multo perrupit. Berna enim reverſus teſtimonium à Senatu noſtro quum peteret, multis & mordacibus calumniis nos impetivit. Senatus, id quod erat, iniquum fore ratus, ſi nos ad purgationem non admitteret: triduo poſt eum adeſſe juſſit: nos quoque vocati ſumus. Præfati nos minime voluntarium cum eo ſuſcipere certamen, mirari nos diximus, quis eum genius incitaſſet, ut nos criminando meliorem ſuam cauſam exiſtimaret ſe facturum. Tum omnia illa quæ audiſtis, ordine recitavimus, ut inde judicium fieret. Nihil prorſus negavit: neque ſilentio contentus, ingenti omnium ſtupore confeſſus eſt, id totum eſſe verum. Iterum permiſſu Senatus purgare nos cœpimus à malevolentiæ ſuſpicione, quam nobis abſentibus inuſſerat: diluimus item calumnias, quas nobis aſperſerat. Qua in parte ſervilis ingenii malitia apparuit. Teſtatus enim eſt coram Senatu ſe abſque ullius nota petere miſſionem: nec ſibi in animo eſſe quempiam gravare invidia. Actis autem publicis multa continebantur, quibus nobis odium conflare ſtuduerat. Defenſio noſtra talis fuit, ut nequiſſimus calumniator ab omnibus judicaretur. Sed quid perferimus aliorum judicia? Ipſe, obmuteſcendo, ſe palam damnavit. Neque id modo: ſed maxima ex parte vera eſſe omnia, ultro annuit.

Quia

Digitized by Google

Quia non adeo frequens erat Senatus, rejecta fuit cauſa in hodiernum diem. Poſtquam introducti fuimus, Senatus nobiſcum expoſtulavit, quod non citius ad ſe detuliſſemus talem cauſam. facilis fuit & prompta excuſatio: quod quum fuiſſemus juſto humaniores, tamen accuſaremur nimiæ ſævitiæ. Cæterum vel clementiam, vel indulgentiam noſtram nequaquam eo ſpectaſſe, ut aleretur in ſuis vitiis, ſed ne præcipitem impelleremus: poſtea rogavimus uno verbo Senatum ut teſtimonium ex actis publicis redderet clariſſ. veſtro Senatui. Quod ſe facturum non difficulter recepit. Nunc ſupereſt, ut ipſi quoque partes veſtras impleatis. Non eſtis à nobis vel docendi, vel monendi. Videtis quantum interſit communis concordiæ, non contemni à vobis noſtram Eccleſiam. Et vos cordatiores judicamus, quam ut in ullius hominis gratiam, malo exemplo calculum veſtrum addere velitis. Unum eſt quod velimus à vobis impetratum, ne gravemini in Senatu veſtro ſummam hujus hiſtoriæ noſtro nomine referre. Miſeret nos quidem hominis prorſus perditi. Verum quoniam fieri aliter nequit, pereant qui tales ſunt potius, quam ut totam Dei Eccleſiam perdant. Valete amantiſſimi viri, & fratres nobis chariſſimi.

JOANNES CALVINUS
Fratribus Monsbelgardenſibus.

Literæ veſtræ, ut par erat, gravem acerbumque dolorem nobis attulerunt: quod ex illis intelleximus, novas ſubinde moleſtias vobis exhiberi, eorum hominum importunitate, qui tantum ad turbandam Eccleſiam nati videntur. Verùm ſic ſtatuite cum animis veſtris, quum aliud propoſitum ipſi habeant, & alio conſilio à Satana excitentur, ſervire tamen Domino, ut per eos exerceamur. Quantum hactenus potui æſtimare ex re ipſa: ſicut ex Eccleſia Wittenbergenſi fluxit hac noſtra ætate Euangelium; ita multi illinc emergunt non diſſimiles iis, qui Hieroſolyma olim profecti, quocunque venerant, negotium faceſſebant veris Chriſti ſervis, & tumultuandi occaſionem captabant. Hoc facit κακοζηλία: dum præpoſtera affectatione quærunt in quo ſimiles haberi poſſint magnis viris, ut ſibi quoque magnitudinem aliquam concilient. Verùm hoc tantum conſequuntur, ut ſicuti ſunt, ita appareant meræ ſimiæ. Hoc ideo dico, ne ab Eccleſia Wittebergenſi cujuſquam animus alienetur. Nam ſicuti olim Petro, Jacobo, aliiſque Apoſtolis aut neſciis, aut repugnantibus curſitabant inquieti illi ſpiritus ad impediendum inter Gentes Euangelii curſum: ita certo auſim aſſerere Luthero non minus quam nobis diſplicere ineptos iſtos Thraſones, qui Wittebergenſis Eccleſiæ prætextu, ad res bene conſtitutas ex ſtatu ſuo commovendas, abutuntur. Nam quid habet cauſæ iſte veſter, ut rebus apud vos compoſitis ac pacatis certamen moveat? Litigat de frivolis neſcio quibus ac nihili ceremoniis. Hoc tametſi jam & iniquum, & alienum à Chriſtiano ſpiritu, tamen utcunque eſſet tolerabile: verum ulterius progreditur. Nam adigere vos conatur ad res prorſus vitioſas. hic vobis fortiter reſiſtendum eſt. Obtendat quantum volet magnorum virorum nomina: ſcitote eum fucum facere. Nam ea prudentia & gravitate præditus eſt Lutherus, eo ingenii acumine, eo judicio, eaque moderatione præditum novi Snephſium, ut non dubitem manum vobis libenter porrecturos, ubi rem bene ac penitus cognitam habuerint: primum tamen de rebus ipſis iterum dicam, quod videbitur. Nam ſemel jam vobis mentem meam expoſui.

Infantes à mulieribus baptizari, ex peſſimo errore natum eſt, quod de eorum ſalute actum putabant, ſi defuiſſet Baptiſmus. Itaque in ſcholis definierunt, de neceſſitate ſalutis eſſe hoc Sacramentum. Atqui nos eorum ſalutem ſcimus conſiſtere in fœdere Domini, quo recipiuntur & cooptantur in ſocietatem populi ejus. Hoc quidem fœdus obſignari Baptiſmo fatemur, ſed ita ut per ſe ſatis firmitudinis habeat, etiamſi non accedat ſignum. Gravem ergo injuriam faciunt promiſſioni Dei, qui infantibus non tinctis claudunt ejus regnum, quos ipſe ſuos pronunciavit, antequam naſcerentur. Et certe qui hac ſuperſtitione tenentur, magicam incantationem faciunt ex Baptiſmo. Verum Chriſtus, inquiunt, renaſcentiam ex Spiritu & aqua poſtulat. Ex ſimili ignorantia emerſit hæc interpretatio. Quidam ex veteribus nomine Aquæ mortificationem intelligunt. Alii volunt eſſe metaphoram. Ego ſimpliciter aquam & Spiritum pro eodem accipio, hoc ſenſu, Renaſci nos oportere ex Spiritu, qui aquæ officio fungitur in nobis abluendis, ſicut alibi ex Spiritu ſancto & igni. Cæterum ut demus fieri eo loco Baptiſmi mentionem, an ideo tamen ſalutem alligabunt aquæ? quum ſatis conſtet, nondum ita uſitatum tunc fuiſſe Baptiſmum, quin multi, aut ſancti, aut ſanctorum filii, abſque eo migrarent. Et qui fuerunt ex Papiſtis deterrimi, hanc neceſſitatem Martyribus remiſerunt: quum Baptiſmum ſanguinis, aquæ vice ſubſtituerunt. Hæc porro ſana eſt doctrina, gratuita Dei acceptione in fœdus ſalutis receptos eſſe fidelium liberos: idque Deum nobis teſtatum feciſſe hac promiſſione, Ego ſum Deus ſeminis tui. in hac ergo promiſſione acquieſcendum nobis eſt. Hujus quidem promiſſionis ſigillum eſt Baptiſmus: ſed ita ut illa per ſe ſufficiat ſi contigerit huic acceſſioni non dari tempus & locum. ſed hoc quoque ſimul obſervandum eſt, mandatum eſſe Baptiſmum Eccleſiæ: ejuſque adminiſtrationem alligatam eſſe verbi miniſterio: ita ut ſeparet quæ Deus conjunxit, qui eam ad mulieres transfert. Quibus enim, obſecro, dictum eſt, Ite, baptizate: niſi his quibus data jam erat docendi poteſtas, & munus commiſſum? Nam quod, ut audio, conantur illa diſcerpere, nimis eſt puerile & ridiculum. ſic itaque conſtituo, Baptiſmum obſtetricum, impiam eſſe veri ac legitimi Baptiſmi profanationem. Quod ſi veteris Eccleſiæ auctoritas quæritur, fateor equidem, de Baptiſmo à viris privatis adminiſtrato Auguſtinum hæſitare. Invaluerat enim jam conſuetudo, qua pius vir, non ſecus ac bonus interdum nauta tempeſtate abripiebatur à recto curſu. Neque tamen audet negare, quin peccatum ſit, utcunque extenuet. Cæterum de mulieribus, abſque ulla exceptione conſtitutum fuit in Concilio Carthaginenſi, ne omnino baptizare præſumant. Hoc decretum in Rhapſodiis Gratiani corruptum legitur, ſuppoſititia exceptione: ſed inſpicite volumen. Illic ad verbum habetur ſicuti refero. Quanquam mihi plus ſatis eſt ſacroſancta Dei veritas: etiamſi mors ob eam cauſam eſſet oppetenda. Conſilium quod ipſe caperem, non poſſum aliis non dare. Videte ergo fratres ne inter manus veſtras polluantur ſacra Dei myſteria, quæ apud vos certa lege depoſuit, ut reddenda ſit vobis ratio, niſi ſanguine potius veſtro vindicetis purum eorum uſum, quam adulterari ullo modo patiamini. Non carebit hæc conſtantia periculo, ſed inſignem illam Cypriani ſententiam bene ac penitus animis veſtris inſculptam eſſe convenit, Servos Domini, fideliter ejus mandatis obedientes, vinci non poſſe: utcunque mori poſſint. Veniat etiam in memoriam altera memorabilis vox ejuſdem ſancti viri, quam Auguſtinus refert, In re tam ſancta nullum eſſe deliberationi locum. Quæ eo plus ponderis meretur, quod ipſe eam in re præſenti edidit, quum jam ejus cervicibus carnificis manus inſtaret. Quantum ad vos, nondum eo uſque ventum eſt: quo diligentius eſt providendum, ne otii tantum veſtri cauſa, veritatem Dei prodendo, veſtrum miniſterium Satanæ ludibrio proſtituatis. Quæretis, quidnam ergo vobis ſit agendum. Hæc mihi optima

libro 2. contra epiſtol. Parmeniani, cap. 13.

Canone 100. Concilii Carthag.

ma ratio videtur, ut Principi excuſetis, ne veſtras conſcientias ultra urgeat quam ferre poſſint, ac rationes quidem proferatis quæ vos retineant: ad extremum ſi ille nihil miteſcat, confugiatis ad illam Petri vocem, Obediendum magis eſſe Deo quam hominibus.

De pulſu campanarum & diebus feſtis ita ſentimus, ferendas potius eſſe vobis has ineptias, quam ſtationem in qua eſtis à Domino collocati deſerendam: modo ne approbetis: modo etiam liberum vobis ſit reprebendere, quæ inde ſequentur ſuperſtitiones. atque in eam rem diligenter incumbatis. Sunt autem tria potiſſimum capita.

Quod dies à die diſcernitur.

Quod cultus Dei conſtituitur in feriis.

Quod non in Dei tantum honorem, quod ipſum jam foret Judaicum, ſed hominum quoque dies obſervantur.

Quod vos convenire probibet Princeps, nullo modo eſt tolerabile. Quamobrem ceſſandum vobis non erit, donec tam iniquum interdictum abrogaverit. Quid enim non dico tandem, ſed brevi futurum eſt Eccleſiæ, ſi nulla ſit commuoicatio inter Miniſtros, nulla conſiliorum ſocietas, nullæ communes deliberationes? Pereamus vero centies potius, quam in talem Eccleſiæ diſſipationem conſentiamus.

Tantum conſtantia & fortitudine opus eſt, qua ſi Dominus vos inſtruxerit, quicunque erit eventus, bene habebit res. Ac ne modum non adhibere vobis videar, à loogiori exhortatione ſuperſedeo. Quod niſi ita perſuaſus eſſem, vos ad omnia ſubeunda paratos fore potius, quam minimum digitum à via deflexuros, diligentius ad vos confirmandos adniterer. At ne in re ſupervacua laborem, tantum Dominum precabor, ut vos Spiritu fortitudinis ac fiduciæ ſtabiliat, eoque vos invictos reddat adverſus omnes Satanæ machinationes. Hoc faciunt mecum uno conſenſu omnes mei Collegæ, de quorum ſententia hæc ſcripſi. Valete, fratres dilectiſſimi, ac pergite, ſicut cœpiſtis: ne ſi rimam pateſeceritis hoſti, tanquam in urbe capta inſultet. Genevæ, 8. Idus Maii. M. D. XLIV.

CALVINUS SNEPHFIO.

QUum jam ante quatuot menſes intellexerim fratres noſtros Monsbelgardeoſes ob neſcio quos ritus immerito vexari, quia non libenter quidquam in ſuis Eccleſiis cum gravi plebis offendiculo innovari patiebantur, petieram abs te per literas, ut ad illos moleſtia ſublevandos, auctoritatem tuam interponeres. Poſtea audivi, miſſum illuc à Principe fuiſſe doctum quendam & pium virum, qui omnia ſtatim pro ſua prudentia & æquitate compoſuit. At quum fratres tranquillo in ſtatu eſſe exiſtimarem, & hoc illis nomine gratularer: ecce iterum derepente affertur triſtis nuncius, novum certamen illis ab Angelandro excitatum eſſe. Quanquam ignotus eſt mihi Angelander ille: fretus tamen amoris erga te mei conſcientia, & viciſſim fiducia tuæ erga me benevolentiæ, jam ante prioribus literis ſimpliciter tibi expoſui, quid de eo ſentirem. Certe quum fratribus, quos ego modeſtos eſſe & quietos, paciſque amantes ſcio, negotium exhibere non deſinat, quaſi perpetuum illis bellum indixerit: quum deinde & rixandi cupidum, & in ſuſtinendis malis cauſis pertinacem eſſe videam: non poſſum aliter de eo judicare, quam hominem eſſe importuni ingenii, & qui ad impediendum Domioi opus, quam ad promovendum ſit aptior. Antehac de Sacramento Cœnæ litigavit. fratres, ut ſe purgarent ab ejus calumniis, confeſſionem ediderunt, brevem quidem & ſimplicem, ſed meo judicio piam & orthodoxam: & quam tibi quoque probatum iri confido. Nunc quæſtionem hanc exagitat, num impii Chriſti corpus in Cœna recipiant: ſcio te, eruditiſſ. Snephfi, à ſupervacuis contentionibus, ſicut gravem & moderatum virum decet, prorſus abhorrere. Quo liberius, quid de hac controverſia ſentiam, apud te profitebor. Ego quidem axioma illud coostanter teoendum cenſeo, Qualiſcunque ſit vel Sacramenti miniſter, vel is qui accipit, nihil tamen eorum impietate derogari Sacramenti vel naturæ, vel efficaciæ. Itaque conſtitutum hoc habeo, offerri in Cœna Chriſti corpus dignis ſimul & indignis. Verùm ab infidelibus ita recipi, ut ejus communione fruantur, perſuaderi nequeo. Nec puto meam ſententiam à tua diſcrepare. Niſi enim Chriſtum à ſuo Spiritu velimus ſeparare, non faciemus eos Chriſti participes qui illius Spiritu penitus ſunt vacui. Si ergo capax Chriſti non eſt, niſi qui ejus Spiritum admittit: quid de infidelibus ſentiendum erit, qui Spiritui Chriſti non modo viam omnem præcludunt, ne locum apud ſe habeat; ſed etiam, quoad in ſe eſt, ipſum procul arcent? Atqui ſic videtur fieri Deo injuria: perinde acſi ejus veritas ab hominis arbitrio penderet. Id vero nequaquam inde ſequitur. Neque enim efficiunt impii ſua pravitate, quin Sacramentum Domini vim ſuam retineat: quin illis ſub panis ſymbolo offeratur: quin denique verax in ſuis promiſſis maneat Chriſtus. Sed aliud eſt mutare rei naturam & in nihilum redigere: aliud, reſpuere oblatum donum, ne ad eum uſque perveniat cui offerebatur. Atqui reclamat Paulus, quum teſtatur qui indigne manducant, judicium ſibi manducare: quia non dijudicent corpus Domini. Ego vero nihil dico, quod non optime cum bis Pauli verbis congruat. Jure enim rei ſacrilegii pronunciantur, qui datum ſibi Domini corpus repudiando contumelia afficiunt. Quanquam ut nihil futurum incommodi video, ſi quis dicat recipere etiam quodammodo ipſos, ſed intus non percipere: ita facile id concederem. Verum fingamus de eo non convenire inter nos per omnia: quæſtionem tamen ejuſmodi eſſe arbitror, quæ majore cum fructu ſopiatur, quam uſque ad contentionem protrahatur in medium. Quid enim, obſecro, hoc ad plebem, num ab impiis manducetur Chriſti corpus? Neque vero me latet veteres ſic interdum ſolere loqui. Sed quo ſenſu ita loquantur, cum ex multis aliis Auguſtini teſtimooiis conſtat, *Hom. 26.*
tum vero ubi dicit Sacramentum hoc ſumi ad vitam *in Joan.*
aliis, & aliis ad exitium: rem vero non niſi ad vitam iis qui ejus participes fuerint. Quo etiam pertinet altera ejus ſententia, Judam cum Apoſtolis ediſſe quidem panem Domini, illos vero ediſſe panem Dominum. Verum ſicut dicere cœperam, quorſum hac diſputatione opus, modo conſtet impiorum malitia nihil Sacramenti naturæ & efficaciæ deperire? niſi quod in eorum uſque animas non penetrat, propterea quod clauſus eſt aditus? Ubi, inquam, de hac re convenit: an convenit ob quæſtiones ſpinoſas & intricatas inter nos tumultuari? ubi pacis ſtudium? ubi cura ædificationis? cur nulla in re diſſentientem ferre poſſumus, quin mox prorumpamus in hoſtile certamen? Quando autem videmus Angelandrum, ut ſolent homines indocti, ferocia & intemperie ſua abripi, ut ſuſque deque & Domini gloriam, & Eccleſiæ ædificationem habeat, obſecro te, optime Snephfi, ut eum auctoritate tua coërceas, ne ulterius ſanctis & eruditis hominibus pergat moleſtus eſſe. ſic enim agendum eſt cum indomitis iſtis capitibus, quæ ratione ſe regi non patiuntur. Neque mireris aſperius aliquanto me de ipſo loqui. Nimium enim diu patientia noſtra abuſus eſt, nos ſimul omnes & noſtras Eccleſias petulanter impetendo. Quod hactenus tacuimus, in eo habuimus non tam ipſius quam Chriſtianæ unitatis rationem. Nunc vero fratrum noſtrorum, non Monsbelgardenſium, ſed Neocomenſis Eccleſiæ & hujus noſtræ rogatu ac mandato te per Dominum obteſtor, ut frenum illi injicias antequam

Digitized by Google

tequam ejus ſtultitia, ne quid dicam gravius, longius innoteſcat, magno ejus dedecore. Quis eſt enim Angelandet ut nunc Bucerum allatret, nunc iſtum mordeat, nuoc illum laceret, atque ita pro ſua libidine quemlibet arripiat ex iis qui utilirer deſudant in promovendo Chriſti regno, ut omnibus ſimul maledicat: neque id modo, ſed univerſas quoque Eccleſias furioſe ſuæ cenſuræ ſubjiciat? Plus ſatis eſt, quod hoc impune illi hactenus licuit. Tuum vero eſt, obſervande frater, tantam hominis audaciam reprimere, ne ulterius erumpat. Ego, quia certo perſuaſus ſum, me abs te amari, minime dubito, quin hæc in bonam partem accipias: atque etiam facile ignoſcas, ſicubi mihi aliquid nimis durum exciderit. Porro, ut finem epiſtolæ faciam, non aliud abs te peto, niſi ut fratres amore tuo dignos in optima cauſa commendatos habeas: quod nullo negotio me impetraturum confido. Vale ornatiſſ. Snephſi, amice chariſſime, & colende in Chriſto frater. Dominus Jeſus te Spiritu ſuo gubernet perpetuo in Eccſiæ ſuæ ſalutem.

De Cœna Domini brevis admonitio.

SAtis convenit, repræſentari in ſacra Cœna fidelibus communionem quam habent cum Chriſto. Neque ea res controverſiam habet.

Nunc quæritur ſignificetne duntaxat illic Chriſtus, ac ſigno externo figuret, nos corporis ac ſanguinis ſui eſſe participes: an re ipſa etiam adimpleat ac præſtet quod promittit: nos ſcilicet ſic fieri participes corporis ac ſanguinis ſui, ut totus noſter fiat; quo omnia ejus bona jure iſtius communionis ad nos pertineant.

Nos vero ſentimus ac docemus repræſentationem veram eſſe: ideoque efficaciter illic exhiberi, quod ſigno viſibili promittitur. Hoc autem aliter fieri non poteſt, quin fideles dum ſignum recipiunt, corpori ac ſanguini Domini communicent. quod eſt habere veritatem ſigni.

Ac ne ambiguum ſit quod dicimus, hic definiendum eſt quid ſit corpori ac ſanguini Domini communicare. Porro, non accipimus pro Simpliciter credere, ſed pro eo quod eſt Fide recipere Chriſtum, ut non tantum in nobis habitet, ac maneat, ſed etiam ut in unum corpus cum ipſo coaleſcamus: ſicut Paulus docet nos eſſe carnem de carne ejus, os de oſſibus ejus. Id quum volumus exponere, dicimus Spiritualiter fieri. Et verbum Spiritualiter ſic interpretamur, ut duo comprehendat: nempe hoc eſſe opus mirabile Spiritus ſancti, quod captum mentis noſtræ excedit. quemadmodum Paulus admiratione correptus exclamat, Magnum hoc eſſe myſterium. Deinde manducationem hanc non fieri carnali modo, ut corpus dentibus atteratur, vel ore degluriatur, vel in alvum deſcendat.

In hunc modum excludimus abſurdas omnes illas imaginationes quibus mundus detinetur de Locali præſentia, vel diffuſione corporis glorificati. Neque enim talem Chriſti præſentiam in Cœna concipimus, quæ vel panis elemento ipſum affigat, vel in panem includat, vel alio modo circumſcribat (quæ omnia cæleſti ejus gloriæ derogare palam eſt) nihilo etiam magis, quæ menſuram illi ſuam auferat, vel pluribus ſimul locis diſtrahat, vel immenſam illi magnitudinem affingat, quæ humanæ naturæ veritati non obſcure repugnant.

Has exceptiones diligenter ad populum explicari neceſſe eſt. Videmus enim ut homines fere de vera fide parum ſolliciti, qua ſola & in Chriſti ſocietatem pervenimus, & cum ipſo cohæremus, modo carnalem Chriſti præſentiam habeant, quam ultra verbum ex mera ſuperſtitione ſomniant, ſatis illum præſentem habere ſe putent. Videmus etiam in quam idolatriam prolapſus ſit mundus.

Semper ergo, quum de hac re facimus mentiooem, nominatim rejicimus abſurda illa omnia, quæ aut cæleſti Chriſti majeſtate indigna, aut ab humanæ ejus naturæ veritate aliena eſſe apparet. Nihil denique prætermittimus, quod ad refellendam adorationem illam craſſam ac carnalem, aliaſque omnes ſuperſtitiones, quæ vel fuerunt in Papiſmo, vel obrepere nunc aliquo modo poſſent, videatur facere: modo ne obſcuretur vel extenuetur inæſtimabile illud beneficium, in quo tota Cœnæ vis & efficacia conſiſtit: nempe exhiberi nobis quod figuratur. Quod fieri non poteſt, niſi recipiamus illic corpus ac ſanguinem Domini, non phantaſia aut apprehenſione mentis, ſed reipſa ita nobis offerri, ut vera ſubſtantialique unitate cum ipſo cohæreamus.

CALVINUS N. S. D.

NOvum & odioſum iſtud certamen, quod prioribus moleſtiis acceſſit, valde me, ut par eſt, habet anxium. Eoque magis, quod dum fidem noſtram imploras, quale tibi dem conſilium non reperio. Cauſam bonam eſſe fateor, ſed ad eam ſuſtinendam auctoritas, quæ in primis neceſſaria erat, vobis deeſt. Atque id partim temporum vitio, partim veſtra culpa. Invitus certe facio, ut ea nunc commemorem, quæ ſpeciem exprobrationis habere queant. Verùm tibi coram Deo teſtatum eſſe velim, nihil me inſultandi cauſa dicere: tantum fideliter & ſimplici animo indicare, quæ maxime vobis obſunt impedimenta, ut illis monitus, quoad fieri poterit, occurras. Neque hæc dico expoſtulandi cauſa, quia alienum eſt tempus. Sed putasne adeo ſtupidos ullos eſſe, ut non agnoſcant Eccleſiæ ordinem & diſciplinam à vobis, pro veſtro arbitratu aut commodo, nunc attolli in cælum, nunc pro nihilo duci? Quare ſi vobis cordi eſt diſciplina, date operam ut perpetuo tenore invaleſcat. Si in pretio haberi vultis ab aliis, ſit una ejus apud vos regula. Quid autem reſtat ſi prorſus ſuccubueritis, quam ut profano more poſthac iogerantur Miniſtri? oulla maneat caoonica ordinatio? In dies enim ſerpet licentia, donec effreni libidine plebs graſſetur, ad cooptaodos identidem ac reſpuendos Miniſtros. Nec malum hærebit in uno loco. Quo minus ſollicitus ſum cauſa veſtra, eo magis cogit me zelus domus Dei tale portentum abominari & horrere. Rogabis quidnam igitur opis aut conſilii adferam. Primum, non cenſeo pertinaciter urgendum, ut ex iis quos elegiſtis unus accipiatur. Fac eſſe in primis idoneos (quod negant alii) fac indigne & abſque cauſa repudiari: ferendum id tamen, & ſancti Patres tulerunt. Scis enim ſancitum eſſe Canonibus, ne aliter valeat clericorum electio, quam ſi ſubſcriptione Senatus, & plebis ſuffragiis approbetur. Nam ut importunis populi vel ſtudiis vel factionibus non eſt nimis indulgendum, ita Miniſtrorum ordinem in electionibus dominari indignum eſt. Recuſantibus ergo nemo obtrudi debet. Quin etiam ne utile quidem eſt, etiamſi liceat. Sed quum ſit legibus vetitum, ſuperſedere magis convenit. Sed rurſus ſummopere deprecari neceſſe eſt, primum ne pro collega vobis adverſarius obtrudatur: deinde ne vobis excluſis, Magiſtratus jus ſibi uſurpet eligendi, qui placuerit, Miniſtri. Id alienum eſſe à Chriſtiano ritu, à vetuſto ſanctorum more uſque ab ipſis Apoſtolis, eſſe pernicioſum, eſſe indecorum, eſſe denique inhumanum. Si vos habeat pro ſuis Paſtoribus, ne iodignos reputet quibuſcum de inſtituendo Collega deliberet. Paratos eſſe vos ad omnem moderationem: modo ſe ipſi viciſſim commodos & tractabiles præbeant. Id impetratu non adeo difficile fore confido, ſi hominem offeratis, tum qui ſua dignitate hunc quem recuſatis obruat, tum etiam qui non ingratus ſit Magiſtratui futurus. Tantum oſtendo quid placeat. Imo

ad

Digitized by Google

ad unicum quod mihi apparet remedium confugio. Vale ornatiſſime vir, & frater colendiſſ. & cogita meliora eſſe amici vulnera, quam oſcula inimici. Symmyſtæ mei vobis plurimam ſalutem dicunt.

Th. Crammerus Calvino s. p.

UT nulla res Eccleſias magis diſſipat, quam hæreſes & diſſidia circa dogmata religionis; ita nihil efficacius Eccleſias Dei congregat, & potentius ovile Chriſti munit, quam incorrupta Euangelii doctrina & dogmatum conſenſus. Quare ſæpius optavi atque etiamnum opto ut docti, & pii viri qui alios antecellunt eruditione, & judicio in tutum aliquem locum convenirent, ubi communicato conſilio, & collatis ſententiis, capita omnia Eccleſiaſticæ doctrinæ tractarent, & non ſolum de rebus ipſis, ſed etiam de formis loquendi, gravi auctoritate opus aliquod poſteritati traderent. Adverſarii noſtri habent nunc Tridenti ſua concilia, ut errores ſtabiliant: & nos piam ſynodum congregare negligemus, ut errores refutare, dogmata repurgare & propagare poſſimus? Illi περὶ τῆς ἀρτολατρείας (ut audio) decreta condunt. Quare nos omnem movere lapidem debemus, non ſolum ut alios adverſus hanc idololatriam muniamus, ſed etiam ut ipſi in doctrina hujus Sacramenti conſentiamus. Quantum Eccleſiam Dei labefactarint circa hoc unitatis Sacramentum diſſenſiones & opinionum varietates, prudentiam tuam latere non poteſt: quæ etſi nunc alicubi ſublatæ ſint, tamen in hac doctrina conſenſionem optarem, non ſolum de rebus ipſis, ſed etiam de verbis, & loquendi formulis. Habes meum votum, de quo etiam ſcripſi ad D. Philippum, & ad D. Bullingerum, oroque ut vos inter vos deliberetis, qua ratione ſynodus hæc congregari commodiſſime poſſit. Vale. Lambethi, 20 Martii. M. D. LII.

Frater tuus in Chriſto chariſſimus
Th. Cantuarienſis.

Hoperus Calvino s.

NOn dubito, vir præſtantiſſime, quin res Angl. & regni ſtatus per amicorum literas hactenus intellexeris. Et quod Rex pientiſſimus noſter fatis conceſſit, dubio procul propter noſtra peccata. Illius mortem ſubſequuta eſt turba calamitatum miſerrima. Paſſim in regno eriguntur altaria, privatæ Miſſæ in pretio habentur pluribus in locis, omnia in Eccleſiis Latine aguntur. Pii viri ſibi metuunt. Eccleſiarum proceres, & omnes qui Chriſtum pure docuerunt, extrema expectant Eccleſiæ veſtræ & omnium piorum preces ſupplices rogamus, ut alacri & infracto animo Chriſti gloriam quæramus, & mortem ipſam glorioſiſſimam pro nomine illius ſuſtineamus. Londini, ex carcere, 3 Septembris. M. D. LIII.

Tuæ pietatis ſtudioſiſſimus Joan.
Hoperus, Vigorn. Epiſcopus.

Τῷ τῶν [illegible] Δ. ὁ Α.

T[illegible] ſine provocatione [illegible] ex quibus hi tres poſteriores cauſam [illegible] tutati ſunt. [illegible], ſententiam atque auctoritatem illorum ſequi coactus eſt. Vale.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

10-2-3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] Go[illegible]